Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Boston Library Consortium Member Libraries

http://www.archive.org/details/desedibusetcausi00morg


HIC EST VT PERHIBENT DOCTORVM CORDA VIRORVM PRIMVS IN HVMANI CORPORIS HISTORIA
JOANNES BAPTISTA MORGAGNVS
natus Forolivii die 25 Februarii anno 1682.
in Patavino Gymnasio e Primaria Sede
Anatomen adhuc docebat anno 1762.
Jean Renard Sculp.

JO. BAPTISTÆ
MORGAGNI
P. P. P. P.


DE SEDIBUS, ET CAUSIS
MORBORUM
PER ANATOMEN INDAGATIS

LIBRI QUINQUE.

DISSECTIONES, ET ANIMADVERSIONES, NUNC PRIMUM EDITAS, COMPLECTUNTUR PROPEMODUM INNUMERAS, MEDICIS, CHIRURGIS, ANATOMICIS PROFUTURAS;

Multiplex præfixus eſt Index rerum, & nominum accuratiſſimus.

TOMUS PRIMUS
DUOS PRIORES CONTINENS LIBROS.



VENETIIS,
MDCCLXI.

Ex Typographia Remondiniana.
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

ILLUSTRISSIMIS

ATQUE EXCELLENTISSIMIS VIRIS

ANGELO CONTARENO

ÆDIS S. MARCI PROCURATORI

PAULO RAINERIO

FRANCISCO II. MAUROCENO

EQUITI ET ÆDIS S. MARCI PROCURATORI

TRIUMVIRIS LITTERARIIS

TOTIQUE EORUM ORDINI PRÆSTANTISSIMO

Joannes Baptiſta Morgagnus

F

SÆpe cogitanti mihi, SENATORES AMPLISSIMI, grataque, ut par eſt, memoria tot, & tanta Auguſti Veſtri SENATUS in me beneficia repetenti, nullum prorſus ex decem Senatus Conſultis ab anno uſque 1711. ad hoc tempus benigniſſime de me factis viſum eſt quod mediocritati huic meæ potius, quam Auctoritati Gra-

viſſimi

viſſimi Magiſtratus Veſtri, debeatur. Referentibus enim qui eum tunc Magiſtratum gerebant, Viris Summis, & in iis Carolo Ruzzino, Aloyſio Piſano, Petro Grimano, qui magnis ſuis quiſque meritis poſtea ad Principatum evecti ſunt, aut hoc eodem digniſſimis Equitibus Jo. Franciſco, & Michaele Maurocenis, aut Ædis S. Marci Spectatiſſimis Procuratoribus Federico Marcello, Laurentio Theupolo, Franciſco Superantio, Joanne Emo, Daniele Bragadeno, aut Marino Georgio, Petro Mocenico, Jo. Petro Paſchalico Præſtantiſſimis Senatoribus, his, inquam, aliis alio tempore, ad SENATUM referentibus, decretum eſt primum, ut in hanc ſuam, toto Orbe Celeberrimam, Academiam honeſtiſſimis conditionibus etiamtum juvenis arceſſerer, mox autem, ut ab nobili in qua locaverat, ſede ad multo nobiliorem aſcenderem; neque enim aut hic, aut uſquam ulla alia eſt cui quiſquam Veſalii, Columbi, Falloppii, Fabricii, Caſſerii, Spigelii, Veslingii, & eorum qui his deinceps ſucceſſerunt, illuſtris famæ non ignarus, Primariam hanc Cathedram Anatomicam facile poſtponat. Paulo poſt quoque decretum eſt, ut a quingenis honorarium creſceret, idque raro exemplo, ad aureos octingenos, noviſſime autem longe rariori, atque adeo intra hos nonaginta annos uni-

co,

co, ad bis millenos. Ego vero qui nimis aſſentari mihi neſciam, ſicuti priora illa non tam mihi, quam eorum quos nominavi, Auctoritati conceſſa fuiſſe, credo; ita hoc præcipue quod poſtremo dixi, ab Sapientiſſimo SENATU eſſe datum, puto, conſilio Barboni Mauroceni, Ædis Marcianæ Procuratoris meritiſſimi, & Duorum ex Veſtro Ordine Summorum Virorum, quos eadem Honoris amplitudine ornatos, boni Superi Patriæ, & nobis, ut diutiſſime precantibus, reliquere, cum illum, & cæteros quos ſupra laudavi, mœrentibus præpropera vel in ſenio viſa, mors eripuerit. Et Trium quidem eorum conſilium etſi eo ſpectaſſe, non dubito, ut regium Venetæ Munificentiæ exemplum erga Profeſſorem Humanitatis eximium ſuperiore ſæculo extans, iterum noſtro ad ingenia excitanda renovaretur; hoc ipſo tamen quod in me potiſſimum renovari, maluerint, quantus ad cætera Magiſtratus Veſtri in me beneficia velut cumulus, acceſſerit, cæcus eſſem, ſi non perſpicerem, ingratiſſimus, ſi non faterer. Sed non minus ingratus eſſem, ſi reticerem, qua me ſinguli benignitate & coram, & per epiſtolas excipere conſueveritis; per epiſtolas autem? imo vero per Libros etiam Eruditiſſimos, ut cum Rei Litterariæ Venetorum Hiſtoria ad ſeros poſteros meum ſit nomen perventurum iis titulis exornatum, quos,

ut

ut a tanto Viro datos, olim credar promeruiſſe. Eadem ergo qua me ſoletis, & qua tot, ac talia cum Majores Veſtri, tum VOS, SENATORES AMPLISSIMI, in me contuliſtis, ſingulari benignitate oro, atque obſecro, ut hæc mea, ultima fortaſſe, ſcripta accipiatis, teſtificatura, ut cætera me defecerint, certe voluntatem VOBIS inſerviendi in erudienda per tot annos mihi commendata Juventute non defeciſſe. Faxit Deus, ut meis votis felix reſpondeat exitus, in quibus illud quidem eſt, ut vel me mortuo, his perlectis libris illa proficiat; ſed hoc in primis, ut VOS incolumes REI Veſtræ PUBLICÆ, & huic Gymnaſio quam diutiſſime conſervet.



BENIGNE LECTURO
AUCTOR.

QUÆ duo C. Lucilius, ut eſt apud Tullium (*a*), dicere ſolebat, *ea quæ ſcriberet, neque ab indoctiſſimis, neque ab doctiſſimis legi velle*, horum ego pariter utrumque hic dicerem, ſi ut juvare cupio non indoctiſſimos, ſic me viciſſim ab doctiſſimis adjuvari non averem. Duo enim mihi in his edendis Scriptis propoſui, alterum illud, ut Studioſæ Juventuti, alterum hoc, & præcipuum, ut omnibus, ſed doctorum accedente auxilio, prodeſſem. Id quale ſit, ex Præfatione hac apparebit.

2. Theophilus Bonetus de Medica Facultate, atque adeo de univerſo hominum genere egregie, ſiquis alius, meritus eſt, cum anno 1679. libros qui *Sepulchretum* inſcribuntur, vulgavit. Eorum enim quos morbi ſuſtulerant, diſſectiones, quotquot potuit, colligens, & in ordinem redigens, corpus ex omnibus unum confecit; ut quæ per innumera Auctorum volumina diſperſæ non magnam afferebant utilitatem, conjunctæ, ordinatæque maximam afferrent. Cum editum Opus pleriſque omnibus, ut par erat, perplacuiſſet; idem, ſed parte minimum tertia auctius, prodiit anno 1700. cura, & ſtudio Jo. Jacobi Mangeti. De hac igitur nos, ut pleniori, editione loquemur.

3. Et primum ſiqui ſunt qui utriuſque illorum conſilium, animum, laborem magnis efferant laudibus, cum his ultro facimus, & faciendum cenſemus. Sed cum apud Viros, cæteroquin Præſtantiſſimos, legimus, Sepulchretum *diligentia incomparabili, ex omnibus optima colligendo, & redigendo ad capita*, eſſe confectum, atque alia hujuſmodi; utinam in his quoque adſtipulari poſſemus. Cur vero me quidem non poſſe, credam, mox indicabo, ſemper tamen eorum memor quæ modo ultro dedi, & præterea novæ, ac vaſtæ adeo ſuſceptæ provinciæ duos, haud amplius, homines, quantumvis induſtrios, nón eſſe pares; quandoquidem, ut eſt in Iliadis, opinor, quarto, *non ſimul omnia Dii dederunt hominibus*, & in duodecimo, *multorum autem opus melius*.

4. Quæ tametſi libens & agnoſco, & fateor; tamen ſi Opus tam utile deinceps utilius reddendum eſt; reticeri non debet, ſupereſſe apud Auctores tum veteres, tum ita recentes, ut ante alteram Sepulchreti editionem extarent, ſupereſſe, inquam, ut aliorum qui ibi ne nominantur quidem, ſic aliorum etiam qui nominantur, Obſervationes haud ita paucas, dignas ſane quæ minime omitterentur: contra autem, omittendas fuiſſe tum quæ ſemel jam poſitæ, in una eademque Sectione, & nonnunquam in una atque eadem pagina, per incuriam repetuntur, tum præſertim quæ a verſuto quodam Scriptore ita transformatæ ſunt, ut ſi ægrorum nomina, & conditionem, & civitatem ſpectes, novæ appareant; at ſi res ipſas, atque ſententiam, continuo intelligas, eaſdem omnino eſſe quæ ex veris Auctoribus ſupra leguntur. Huc eas adde, in quibus vel mediocriter in ſanorum, morbidorumque corporum ſectionibus exercitati facile agnoſcant, aut quæ ſecundum naturam ſunt, pro morboſis, aut quæ ad certum quoddam pertinent læſionis genus, pro longe altero eſſe propoſita, ut puta aneuryſma pro abſceſſu: quæ nimirum Obſervationes aut accipiendæ non erant, aut certe non ſine aliqua ſubjecta dubitatione ponendæ. Mitto quæ ad illud, ad quod attinebant, caput non ſunt redactæ, quæ male ex autographo deſcriptæ, quæ ex quo ſint Auctore, neſcias, aut quas ejus cujus non ſunt, eſſe credas: ne multa, quidquid præterea operarum incuriæ, aut inſcitiæ imputare malueris, libenter mitto; quanquam non emendata in graviſſimos errores conji-

(*a*) l. 2. de Orat.

cere legentes poſſunt, & niſi emendentur, Operis minuunt utilitatem. Quam & alia duo vehementer imminuunt, de quibus continuo verba faciam, hic interim confirmans, quæ hactenus dixi omnia, non temere dicta fuiſſe, quicunque hos meos verſaverint libros, planiſſime eſſe cogituros.

5. Cum rari ſint morbi, longiores præſertim, ad quos non alius aliquis ſe adjungat, aut plura, variaque non accedant ſymptomata; propterea illorum ſingulæ Obſervationes, ubi ſub eo capite ad quod potiſſimum videntur ſpectare, plene atque ex toto propoſitæ fuerint, ſub aliis quoque capitibus ad quæ præterea pertinent, ſunt certe commemorandæ, paucis quidem verbis, ſed quæ locum illum ipſum indicent, in quo ſtatim poſſit lector, cui totæ legendæ ſunt, totas reperire. Neque enim, ut fit in Sepulchreto, ſatis eſt Sectionem quæ plurimas ſæpius continet, deſignare, velut ad Obſervationem illam; ut ex innumeris unam ſaltem, exempli cauſa, proferam; Jo. Petri Lotichii, quæ præterquam quod non ſub omnibus ſub quibus debebat, capitibus commemorata eſt, in quatuor, ſub quibus commemoratur, *de Dolore Capitis* Obſ. X. *de Inſomniis*, *&* *Incubo* Obſ. II. *de Vertigine* Obſ. VII. & *de Convulſione* Obſ. XIII. ſemper in Sectione indicatur *de Melancholia*. Verſet igitur lector neceſſe eſt Sectionem hanc univerſam, id eſt quinquaginta, ex quibus conſtat, Obſervationes, ut illam tandem, neque ita facile, inveniat, quæ ibi eſt XXXI. Dixi autem neque ita facile, quoniam in omnibus iis quatuor locis ſic incipit *Juvenis*, hic autem ſic *Famulus mercatoris*. Verum ubi perlegerit, & illam eſſe ad quam rejiciebatur, cognoverit, putaſne, ibi totam habere? Non habet certe. Deeſt enim externa morbi cauſa, propinatum philtrum, deſuntque alia, quæ deeſſe, ne ſuſpicetur quidem, niſi forte aut incidat in illum *de Dolore Capitis* locum, aut quod melius eſſet, auctorem ipſum Lotichium legat. Sed ut illud tantum de quo dicere cœpimus, attendamus, quantum videlicet temporis inſumere oporteat ad id quod quæritur, reperiendum; vides profecto, multo utilius Opus fuiſſe futurum, ſi tota Obſervatio ſemel ubi commodius fuiſſet, propoſita, & certo numero deſignata, per hunc, ubicunque commemoranda erat, nec per Sectionem dumtaxat, eſſet indicata.

6. Longe autem majorem adjecti Operi duo ſaltem accuratiſſimi Indices præbuiſſent utilitatem. Memini, cum Bononiam, ubi tunc degebam, recuſum nuper Sepulchretum fuiſſet importatum, me vehementer eſſe gaviſum, dum in ejus fronte editum legerem *cum Indicibus neceſſariis*. Sed gaudium tandiu perſtitit, donec hos quærens, unum tantummodo eſſe, vidi, qui nihil, niſi præfixos Obſervationibus titulos, contineret: quorum plurimi cum ipſi quoque aut latenter, aut aperte, nec diſſimulanter ſint manci, omnes autem haud alio quam Obſervationes, ordine propoſiti; dici non poteſt, quot ſymptomata, aut quot item læſiones Partium in Obſervationibus quidem deſcribantur, per Indicem autem neque deſignentur, nec ſingula, nec ſingulæ una cum ſui ſimilibus exhibeantur. Unde ingentis Operis magna ex parte utilitas perit, quæ inde præſertim extitiſſet, ſi plura ſimilia ſymptomata præſto eſſent quæ cum pluribus læſionibus, inter ſe aut ſimilibus, aut diſſimilibus, facile poſſes comparare, & ſic intelligere, quænam illorum ſæpius, aut rarius, aut nunquam cum harum utrolibet genere jungantur. Memini quoque, jam tum, ut juventus audet vel de maxime arduis, & labore pleniſſimis rebus cogitationes ſuſcipere, non deſperaſſe me, quin, ſi diuturnum olim daretur otium, cum cætera quæ dixi in Sepulchreto deſiderari, aliaque præterea, tum præſertim quod ad Indices ſpectat, & qua ratione, ſupplerem, imo cogitatum hoc meum cum Inclyta illa quam nunc Inſtituti Scientiarum vocant, Academia communicaſſe.

7. Alia autem quæ, ut modo innuebam, in Sepulchreto præterea deſiderantur, fere ad Scholia attinent. Quorum multa eſſe æquo longiora, non dubitabam; ſed tanto longiora videri, quod ſæpe utiliorum loco aut minus utilia, aut minus probanda exhiberent, imo nonnunquam iterarent. Utilius fuiſſet ne bona quidem repetere, ſed jam ſemel poſita, verbo, ſi iterum opus eſſet, ubi eſſent poſita indicare, dubitationes ad quædam Obſervationum loca opportune ſubjicere, ad alia quantum cum aliis conſentiant Obſervationibus, animadvertere, ad alia quæ inde ad Medicinæ partem illuſtrandam ſive theoricam, ſive potiſſimum practicam conſequerentur, docere, ad alia demum quæ minus facile intelligi poſſe viderentur, non per doctrinas aut jam deſertas, aut apud pleroſque in dubium vocatas, ſed per magis probabiles, faciles, & quoad ejus fieri poſſet,

com-

communes explicare. Et horum quidem omnium aliqua in Sepulchreti Scholiis aliquando facta eſſe, non inficior, & quæ doctrinæ, cum Bonetus viveret, dominarentur, non ignoro. Verum non de eo redarguendo hic agitur; ſed de ejus Opere, ut hæc ferunt tempora, magis proficuo reddendo.

8. Cum igitur omnia quæ de Sepulchreto dixi, non ſemel animo poſtea verſaſſem, & quantulumcunque poſſem ad ejus augendam utilitatem conferre denique cœpiſſem; me vehementer in propoſito confirmarunt quæ in novis, ſubinde prodeuntibus, Doctorum Hominum Scriptis legebam, illo *Opere vix aliud utilius eſſe*, aut quod *magis mereretur ſuppleri, & ad noſtra tempora deduci:* item *mirum, quantum adaugeri, & meliore Indice pro ſtudentium commoditate inſtrui poſſet:* verum; ut cætera prætermittam; *longe tamen majori laude, atque honore dignum futurum* Boneti *laborem fuiſſe, ſi partim in ſeligendis, atque ad ſingulos morbos, tanquam capita, referendis Obſervationibus aliquanto accuratior fuiſſet, partim in Scholiis, adnotationibuſque monuiſſet, quæ hinc inde incerta, aut prorſus falſa, atque ab auctoribus ſuis parum recte expoſita fuerint.* Nunc in re quæ ad omnes, neque hac tantum, ſed & inſequentibus ætatibus ſpectat, quid a me uno, & quatenus hic expectare æquum ſit, ut judicari facile queat; unde mihi prima hos libros ſcribendi occaſio data ſit, non eſt reticendum.

9. Editis jam Anatomicis Valſalvæ Scriptis, & Epiſtolis in illa meis, forte accidit, ut cum Patavio, ſicuti illis annis haud raro ſolebam, æſtivo tempore ſeceſſiſſem, conveniret me ſæpius optimus Juvenis, egregiæ indolis, & cum aliis, tum præſertim Rei Medicæ, ſtudiis deditus. Qui cum illa, eaſque perlegiſſet, identidem me in eum ſermonem, quo nullus mihi jucundior eſt, revocabat, de Præceptoribus videlicet meis, Valſalva in primis, & Albertino, quorum vel minuſculas in medendo conſuetudines cognoſcere avebat: quin de meis quoque ipſis, nedum illorum, & Obſervatis, & Cogitatis ſubinde ſciſcitabatur. Quæ inter cum illa forte, ut ſit in colloquiis, aperuiſſem quæ ad Sepulchretum attinebant; omnibus me fatigare precibus nunquam deſtitit, ut in ea præ cæteris incumberem, & quando in Commentariolo de Valſalvæ Vita, promiſeram, daturum me operam, ut ejus plurimas, quæ ſupereſſent, eodem ſpectantes, Obſervationes prodirent, cum iis conjungerem meas, & in utriſque exemplo quaſi quodam oſtenderem, quid in nova Sepulchreti editione, ab ſe fortaſſe, ſi Amici auxiliarentur, aliquando ſuſcipienda, deſiderarem. Familiariter, ut vellem, ſcriberem, ſicque illa etiam quæ in colloquiis dixeram, aliaque ſimilia, minuta quantumlibet, at ſibi gratiſſima, interjicerem. Quid quæris? Exorari me ſivi. Res enim flagitabatur, quam in illo Commentariolo ex parte pollicitus fueram, ex parte autem haud inutilem fore, ſperabam, ſi ex ſententia ſuccederet, poſſetque recenſita poſtea, atque edita, aliquando ad idem laboris genus me longe meliores excitare. Hac mente, Patavium reverſus, facere periculum cœpi aliquot miſſis ad Amicum Epiſtolis. Quas illi non diſplicuiſſe, duo oſtenderunt, alterum, quod me ſuis aſſiduis flagitationibus ad alias, atque alias deinceps mittendas, ad ſeptuageſimam uſque perduxit; alterum, quod eaſdem mihi, ut recenſerem, petenti, non antea remiſit, quam ſancte promitterem, nihil me eſſe detracturum.

10. Intelligis, benigne Lector, cur initio dixerim, hæc mea ab indoctiſſimis legi nolle, dicturus pariter, neque ab doctiſſimis, ſi ea tantummodo continerent quæ ille retineri voluit, nempe quæ Studioſis Adoleſcentibus prodeſſe poſſent. At vero hic mihi non licet Lucilianum illud (*b*) meum facere, *Perſium non curo legere hæc: Lælium Decimum volo*; imo Perſios, id eſt doctiſſimos, cupio, qui cætera Decimis Læliis, ideſt non illitteratis Juvenibus relinquentes, conſilium dumtaxat, & deſiderium perpendant meum, &, ſi forte non diſpliceat, aſſenſu; ſi melius fieri poſſe, credant, monitis adjuvent, & exemplo, ut ex Sepulchreto denique utilitas quanta maxima poteſt, capiatur. Quo facilius utrumlibet faciant, quidquid his Epiſtolis in hunc finem ipſe præſtiterim, quanto paucioribus licebit in re multiplici, & varia dilucide narranda, proponam.

11. Obſervationes (ab his enim incipiam, ut eundem fere quo ſupra uſus ſum, ordinem conſervem) Obſervationes, inquam, illas quas animadverti ſive ex Veteribus, ſive ex Recentioribus in Sepulchreto exhiberi potuiſſe, nec tamen exhibitas eſſe, illaſque inſuper quæ ab altera ejus editione ad hoc uſque tempus pro-

(*b*) Ciceron. l. cit.

dierunt, ſuis ſub capitibus indicavi, quæcunque inter ſcribendum ſuccurrerunt. Quod ideo dico, ut omnes ſciant, ſupereſſe quæ addantur, quamplurimas; neque enim ex iis quos perlegeram, libris cunctæ, ex iis vero quos non videram, certe nullæ ſuccurrere potuerunt: multos autem non vidi aut quia non huc fuerant his Europæ calamitoſis temporibus importati, aut quia iis linguis quas non ſatis calleo, ab Auctoribus erant ſcripti; neque enim interpretibus quibuslibet, in rebus præſertim ejuſmodi, plurimum fidere conſuevi. In ſingulis quoque Sepulchreti Sectionibus; ſi paucas ex prioribus excipias; quæ non ſemel Obſervationes aut per incuriam, aut ob fucum a transformatoris verſutia factum, proponantur, & in quibus aut ſana pro morbidis, aut morbus pro morbo alio deſcribatur, aut typographus oſcitanter, graviterque peccaverit, quantum animadvertere potui, notare non omiſi; ut non levem opem vel in minutis, ſed non levis ſæpe momenti, rebus, iis qui rurſus Sepulchretum ſint edituri, mihi videar attuliſſe. Utinam parem opem afferre licuiſſet ſive cum lectores alio rejiciuntur, ubi plenius deſcriptam hanc, aut illam Obſervationem reperiant, nec ſignanter indicatur Obſervationis ejuſdem numerus, ſive cum obruuntur longiſſimis Scholiis, nec tamen utiliora, ſed modo ſupervacua, modo repetita, modo falſa, aut perquam dubia continentibus. De quibus interdum quidem admonui; at ſemper facere infinitum fuiſſet. Ad Indices autem conficiendos, quam neceſſarios, tam longi, graviſque laboris, otium mihi defuiſſe, non eſt cur ſcientibus dicam. Satis ſuperque iis qui æqui ſint, viſum iri, ſpero; quod hac ætate, nemine adjuvante, ne diſcipulo quidem, aut amanuenſe, cum in his ultimis, tum in cæteris de quibus dictum eſt, quæ diſtinctius omnia nunc ordine recenſebuntur, exemplo ſaltem qualicunque oſtenderim meo, qua ratione exiſtimem, Sepulchretum auctius, ſimulque utilius aliquando reddi poſſe.

12. Igitur ineditas ad hoc tempus Obſervationes profero, bene multas Valſalvæ, Amicorum non paucas, maxima autem ex parte meas. Primis & meriti, & honoris cauſa primum in ſingulis capitibus locum tribuo. Illas eadem cura qua alia olim, ut in ejus Vita dictum eſt, collectas, & ubi italice ſcriptæ fuerant, latine redditas, omnes autem ita, ut ipſum optare conſueviſſe, ſciebam, reſcriptas, ea fide propono, ut ſicubi nonnunquam ſubdubitavi, an recte intelligerem, ipſa ejus maluerim verba producere, nihil uſquam detrahens, aut addens, niſi ex illius ore acceptum, quod in paucis accidit, quas mihi diligenter narraverat, non ſcripſerat, Obſervationibus. Cæteras enim ex ejus chartis aut inter ſe nexis, aut ſolutis excepi. Quas omnes chartas, ubi Obſervationes, Experimenta, aliaque his Epiſtolis propoſita, jam ſatis excerpſeram, etſi poſtmodo ita, uti antea fuerant, & numeratas, & obſignatas reddidi illius Genero Ludovico Monteſanio Viro Cl. qui Bononienſis Scientiarum Inſtituto a Bibliotheca eſt; tamen ſi quis forte aliquam velit cum his meis conferre deſcriptionibus, & ex me quærat, quo illam ſigno in tanto chartarum numero invenire poſſit, docere non gravabor, ut neque litteras oſtendere, per quas mecum ſuas, quibus utor, Obſervationes Amici communicarunt, ſpectata omnes fide, peritia, & diligentia. Nam quod denique ad meas attinet, quo ſingulas anno, menſe, loco, & quibus adſtantibus, aut adjuvantibus, habuerim, ſemper, niſi antea ſatis ſignificaveram, diſerte adſcripſi. Et non modo ætatem, & ſexum, ſed & alia, quantum ſcire, & noſſe licuit, quæ de ægrotantibus requirit Peyerus (*c*), & in iis, quæ ad curationem adhibitam ſpectant, adnotavi: quanquam admonendus es, ne mihi uſquam, aut Valſalvæ curationem ullam, niſi ſiquam a nobis præſcriptam fuiſſe, dicemus, magis imputes, quam morborum externas cauſas, & ſymptomata; ut enim hæc, ita & curationem narramus. In ipſis autem diſſectionibus deſcribendis cavendum præ cæteris mihi duxi, ne quod in aliorum certis quibuſdam deſcriptionibus improbarem, ipſe admitterem, ſi quæ aut ſecundum naturam ſunt, aut non extra naturæ modum, ut quædam ſunt varietates, ea tanquam morboſa proponerem. Dedi quoque operam, ne hiſtorias dividerem, ſed totas ſemel exhiberem, aut ſiquando; perraro autem id contigit; conducibilius viſum eſt dividere, aut, quod perſæpe accidit, commmemorare; ſemper indicarem eum ipſum locum in quo aut reliqua pars, aut tota hiſtoria continuo poſſet inveniri; nunquam repeterem, ne tum

(*c*) Meth. Hiſt. Anat. Medic. c. 2. & 3.

tum quidem cum olim in aliquo ex meis Scriptis jam propoſita fuiſſet ſatis; quippe *odioſum* haud ſecus ac Homerico Ulyſſi (*d*), *odioſum*, inquam, *mihi eſt iterum aperte dicta narrare*. Sic enim revera nimis longæ fiunt hiſtoriæ; non cum omnia quæ ad prægreſſas morbi cauſas, & ad ſymptomata (quæ utinam ambæ res cunctæ ſemper notæ eſſe potuiſſent) aut ad Partium læſiones attinent in cadavere animadverſas, accurate deſcribuntur. Quin etiam ſæpe cauſæ ſunt, cur in utriſque non modo quæ fuerint; ſed & nonnulla quæ defuerint, diſerte, ut feci, ſint adnotanda.

13. Quid vero dicam de ſcholiorum prolixitate? Non equidem ignorabam, & minus gratam eſſe pleriſque, & quibuſdam minus probatam; quanquam Peyerum, qui ex his eſt (*e*), hiſtoriæ ſuæ (*f*) Scholium adjunxiſſe video ſeptem paginis quam ipſa, longius. Sed primum dico, non quidquid in his meis libris præter hiſtorias eſt, Scholia eſſe. Deinde aio, ſi præſtanda in meis fuerant quæ in multis dixi (*g*) Sepulchreti Scholiis deſiderari, me brevem eſſe non potuiſſe. Quid? quod erant certe ſimul Obſervationes propemodum innumeræ, quæ illi adderentur, indicandæ, ſimul quid in iis ex quibus jam conſtabat, ſeligendis, deſcribendis, diſponendis, deſignandis, aut ob rerum copiam, aut propter incuriam typographorum peccatum fuerat ſæpenumero, oſtendendum. Hic quæres fortaſſis, an non ſæpicule peccaſſe me quoque, credam, non jam dico in operarum, a quibus nimirum longe aberam, hallucinationibus prohibendis; ſed in eo ipſo dico quod præſertim illis in Scholiis minus probabam, in doctrinarum videlicet, ac ſententiarum delectu, per quas explicarem Obſervationes, faciliorum, probabiliorum, magis communium, ſeu quas plerique in dubium non revocaſſent? Ego vero is ſum qui, ſiquis alius, nihil humani a me alienum putem, neque in ea re modo, ſed in aliis etiam. In ea re tamen, memor ad quem ſcriberem, dedi operam, quantum potui, ne abſtruſis, & arduis, ſed obviis, planiſque, neque ſingularibus, ſed fere communibus uterer explicandi rationibus, fere, inquam, communibus eo tempore quo ſcribere incepi. Multum enim jam ſcriptio proceſſerat, cum repente agitari cœptæ ſunt controverſiæ quædam, propter quas cum operoſius fuiſſet ſcripta mutare, ſatis fore, credidi, ſi in his quæ ſcribenda ſupererant, ita me gererem, ut nemo jure conqueri poſſet, præſertim cum per me cuique & tum, & antea aperte liceret, ſi quid forte minus probaret, id aliter explicare ad arbitrium ſuum. Neque enim præcipuum in hoc vertitur propoſitum meum: neque, ſi Obſervata excipias, aliud præſto; reliqua haud ſecus ac ſi a me non eſſent, probare malis, an improbare, libens permitto, veritus alioqui, ne cum ex opinione loquimur, etſi veri ſimilia ſequamur, aliquis tamen aliquando exiſtat qui in nos intorqueat illud Homericum (*h*), *Dixit mendacia multa, dicens veris ſimilia*. Quamobrem neque in explicationibus multus fui, libentiuſque interjeci alia ad faciendam Medicinam ſpectantia, alia ad ejus, alia ad Anatomes hiſtoriam, alia denique ad alia ſtudia illius ad quem ſcriberem, Juvenis attinentia, ut vel ſic ejus animum pauliſper abducerem ab horrida morborum, & cadaverum perpetua tractatione. Quæ omnia ſi probe perpenderis, & ab Scholiis ſejunxeris; facile intelliges, quæ proprie ad hæc pertineant, adeo multa non eſſe: aut ſi tamen eſſe multa, exiſtimes; fac meo non gravate relinquas *Lælio*, & ſic cogites, illa, atque alia quæ tibi diſpliceant, ea fortaſſe mihi quoque nunc diſplicere; ſed ea ipſa eſſe, quæ ne demerem, ipſe me obſtrinxit.

14. Antequam de Indicibus adjectis dico, noli expectare, ut hic quædam iterem quæ in Præfatione poſui ad Epiſtolas Anatomicas. Satis ibi (*i*) dictum eſt unde omnes intelligant, cur tandiu in hoc quoque Opere, illius in plurimis ſimili, perſcribendo moratus ſim, & cur per Epiſtolas ſcripſerim. Vel ſi ibi dicta non ſatis ſunt; moræ juſtiſſimam cauſam ad alias adde auctam adeo ab illo tempore ad hoc ætatem, ut recenſita, quantum licuit, hæc omnia ſub anno prodeant ex quo natus ſum, propemodum octogeſimo. Cur vero per Epiſtolas ſcripta; non tam poſt recentium, veterumque Medicorum exemplum (quos inter Manardus (*k*) Archigenem, & Themiſonem recenſet, quorum alter, Galeno teſtante, undecim, alter, Paulo teſte, decem ſcripſit Epiſtolarum Medicinalium libros.) quam poſt ſummos Anatomicos, a me ibidem (*l*) nominatos, qui vel

(*d*) Odyſſ. l. 12. in fin. (*e*) Meth. cit. c. 5. in fin. (*f*) Ibid. c. 6. (*g*) ſupra, n. 7.
(*h*) Odyſſ. l. 19. (*i*) n. 1. & ſeqq. (*k*) l. 1. Epiſt. Medic. 1. (*l*) n. 3.

vel multo longiores quam ego, Epiſtolas edidere, minus in præſentia mirandum eſt, cum ſupra (*m*) oſtenderim, unde mihi has ſcribendi occaſio orta ſit, & Epiſtolæ ipſæ paſſim quocum agerem, plane commonſtrent, opportune quidem; ſic enim ad Amicum Juvenem plura ſimul ſcribere decuit, per quæ Auditores proficiant mei. Et quamvis Plinius minor (*n*) Litteras ad Tacitum ſuas his verbis concludat, *aliud eſt Amico, aliud omnibus ſcribere*; tamen cum cæteris eas ipſas Litteras publicavit, non dubitans, fore, ut eaſdem cum omnes legerent, non omnibus tamen ſcriptas fuiſſe, cogitarent. Nec quod has Epiſtolas videas in Libros diviſas, aliter me de his ſentire, credas, quam de meis illis Anatomicis (*o*). In eadem ſententia perſto, idque apparere ſic ſatis, puto, ab numerorum quibus ſingulæ deſignantur, ſerie per diviſionem illam non interrupta: id quod inſuper non modo ad Indices conficiendos, ſed & paſſim ad hanc, aut illam, ut opus erat, Epiſtolam, indicandam, ut magis expeditum, ſic magis mihi commodum fuit, & aliis fortaſſe erit. Iſta autem Librorum inſcriptio, iſtaque in Libros diviſio longe aliis de cauſis eſt inſtituta. Id enim optabant Bibliopolæ: id poſtulabat Sepulchreti, de quo agebatur, in Libros diſtributio: id denique peropportune reſpondebat juſtiſſimo, quod ſtatim exponam, cogitato cuidam meo.

15. Scilicet qui adoleſcens non omiſiſſem erga primam quæ me exceperat, Scientiarum Academiam grati animi ſenſa publica ſignificatione patefacere; eamque ſignificationem vidiſſem eadem ſumma benignitate ab illa acceptam, qua tot antea benefacta contulerat, quot in ejus elegantiſſima Hiſtoria (*p*) is qui ipſi, & Bononienſi Scientiarum Inſtituto a ſecretis eſt, memoravit Celeberrimus Vir Franciſcus Maria Zanottus; num committerem ſenex, ut prorſus ingratus morerer in quinque alias nobiliſſimas univerſæ Europæ Scientiarum Academias, quæ me deinceps perbenigne, perque honorifice inter ſuos cooptarunt Sodales? Igitur cum mihi nihil eſſet, aut fore ſperarem, per quod memorem beneficiorum animum, quomodocunque poſſem, oſtenderem, niſi ad ſingulas allegarem qui ſimul hunc animum, & obſequium teſtarentur meum, ſimul hujus Operis exemplar offerrent, rogarentque, ut qualecunque eſſet, pro ſua quæque ſpectata Humanitate æqui bonique conſuleret; hanc mihi rationem, occaſionemque exiſtimavi non amittendam. Atque ut hæc omnibus eſſent nota, commode accidit, ut Librorum numerus in quos Epiſtolæ hæ meæ eſſent quaſi per ſe diviſæ, reſponderet numero Academiarum ita, uti Libris præfigere poſſem ſingulis eas ipſas Litteras quæ oſtenderent quid illarum ſingulis cuperem meis verbis ſignificari. Præfixi autem non alio ſervato ordine, quam temporis quo in earum quamque ſum cooptatus: atque ut magis a quibuſque perlegerentur, alia, atque alia meis grati, & obſequentis animi teſtificationibus adjeci, & ex quinque illis Epiſtolis totidem quaſi Præfationes feci, quibus diſſectorum poſt morbos cadaverum quæ ſit utilitas, demonſtrarem. Itaque in prima nonnullis occurri, qui eam utilitatem auſi ſunt in dubium vocare, & quomodo ſint ab diſſecantibus, & ſedem, cauſamque morbi ex diſſectione arguentibus alioquin faciles, quæ objiciuntur, deceptiones vitandæ, cavendæque, indicavi. In altera eandem utilitatem comprobavi ex ſumma conſenſione Medicorum fere omnium, quotquot apud excultas quaſque Nationes a vetuſtiſſimis uſque temporibus in primis floruere, ſingularum in hanc rem merita, & plerorumque nomina ex ordine proponens, eorum præſertim qui ante Bonetum ex propriis, aut ex alienis etiam Obſervationibus conficere Sepulchretum voluerunt. Tertia iis potiſſimum reſponſum eſt, qui, quoniam ad primas illas abditiſſimas, & ſenſibus omnino inacceſſas morborum cauſas retegendas inutiles ſunt diſſectiones, ideo fruſtra inſtitui, putant, quaſi nullas intus evidentes cauſas retegerent, aut harum inutilis notitia eſſet propterea quia, his ipſis cognitis, haud pauci nihilominus morbi non ſanantur. Quarta diſquiritur, poſt rariorem (nam & horum quoſdam ſecuimus) an poſt magis communem morbum denatos diſſecare utilius ſit. Quincta denique etſi tum ſanorum, tum morbo confectorum Anatome ſit neceſſaria; hanc tamen illa multo eſſe utiliorem, oſtenditur. Quæ omnia ut prætermittenda, alia ob aliam cauſam, non erant, ita ſi in hanc unam eſſent Præfationem conjecta; ex longa, qualem prorſus cætera in hac dicenda requirebant, multo longiſſimam feciſſent.

16. Re-

(*m*) n. 9. (*n*) l. 6. Epiſt. 16. (*o*) Præfat. indicat. n. 3.
(*p*) Commentar. de Bonon. Sc. Inſt. Tom. 1. ubi de ejus Academia c. 1. & ſeqq.

16. Reliquum eſt, ut de Indicibus tandem loquamur. Quatuor dedimus. Quorum breviſſimus eſt primus, longiſſimus ultimus. Nam primus nihil præter argumenta ſingularum Epiſtolarum, earumque ordinem præmonſtrat. Quo de ordine mihi deliberandum non fuit, Bonetum neceſſario ſequenti. Is autem, ut tunc plerique ſolebant Medici, fere Alexandrum Trallianum ſecutus eſt, qui, ut Freindius (q) animadvertit, cum *cæteri morbos admodum perturbate collocaſſent, hos* ipſe *conſequenter a Capite ad Pedes diſpoſuit*. Habes cauſam, quare cum potius ab Apoplexia voluiſſem initium ducere, ut quo de Morbo & plures habeo Obſervationes, & plura, ac varia adnotare potui, unde facilius, & certius cognoſceres quid in his libris præſtitum ſit; ab Dolore tamen Capitis cum Boneto incipere debuerim. Ultimus autem Index propterea uberrimus eſt, quia ſingillatim monſtrat quidquid paulo dignius adnotatione videri poteſt, ſive Anatome utralibet, ejuſque Hiſtoria, & certæ quædam controverſiæ ſpectentur, ſeu varietates, aliaque minus frequentia, ſeu Medica aut monita, aut obſervata, & a quibus ſint, quæ a nobis haud ſunt, nunc primum propoſitæ diſſectiones. Morem enim ſervavimus noſtrum, ut diſerte ſua cuique tribueremus, itemque ut Recentiores bene de noſtra Facultate, aut de nobis meritos (qui utinam omnes viverent) Auctores pleroſque Clariſſimos laudaremus; Veterum autem dumtaxat, aut certe non amplius viventium lapſus aliquos, ne juniores eorum falleret auctoritas, nominatim indicaremus. Inter quæ præſertim, quippe ad inſtitutum noſtrum præcipuum attinentes, illi deſignantur loci, ubi in Sepulchreto quæ deſiderari, quæ corrigi, quæ demi, in primis autem quæ addi poſſe viſa ſint, non reticendum eſſe, credidimus.

17. Ad idem autem inſtitutum, ſiquid aliud, duo certe attinent reliqui Indices ſecundus, & tertius, ut pote quos non tam confecimus, ut Obſervationes his libris propoſitæ, quam ut ſi Viris Doctiſſimis Index forte neuter diſpliceat, haud diſſimili ratione illæ quoque omnes quæ in Sepulchreto jam extant, aut deinceps addendæ ſunt, in promptu non modo ipſæ, verum & ſingula quæ continent, eſſe poſſint, & ſic pleniorem multo utilitatem afferre. Horum igitur Indicum alter quæ in vivis, alter quæ in mortuis obſervata ſunt, monſtrat; ut ſiquis Medicus ſingulare aliquod aut aliud ſymptoma in ægro animadvertat, & ſcire cupiat, quæ interna læſio illi ſoleat ſymptomati reſpondere, aut ſiquis Anatomicus ſingularem aliquam læſionem in cadavere quopiam offendat, & noſſe aveat quod ſymptoma in aliis læſionem ejuſmodi præceſſerit; Medicus primo de his duobus Indice inſpecto, Anatomicus autem altero, Obſervationem quæ habeat ambo, ſi ambo a nobis obſervata ſint, continuo, & eo facilius inveniat, quia ubi de aliquo ſymptomate, aut de alicujus Partis læſione indicare plura oportuit, ſingula non ſine certo ordine ſunt indicata. Nec vero ſymptomata ſolum, & morbos primus Index monſtrabit, ſed & alia quæ addere perutile eſſe, duximus, ut morbi prævias externas cauſas, ut victus genus, ut viduam vitam, aut virgineam, ut teneram ætatem, aut decrepitam, ut artem denique, & opificium; ut ſiquis rurſus de Virginum, aut Puerorum, aut Senum, aut, Ramazzinum noſtrum imitari cupiens, ejuſve librum augere, de Artificum Morbis ſcribere inſtituat: is habeat unde ſciat tum quibus priores illi, iidemque, aut alii artifices obnoxii ſint morbis, tum quæ in eorum cadaveribus vitia ſoleant deprehendi. Neque in altero Indice omiſimus quod ad ſanguinis, aliorumve, ut res tulit, humorum aut copiam, aut conſtitutionem attinebat, adnotare. Quin etiam cum Valſalva ſæpius quæ in lymphæ ductibus viderit, & quæ in effuſa intra caveas corporis aqua pericula fecerit, diligenter adſcripſerit; hæc in Quarto ſaltem Indice non omiſimus.

18. Verum ſicuti noſtræ omnes Obſervationes paucæ ſunt, ſi cum illis quas Sepulchretum habet, comparentur; ita ad eas capiendas, quas memoravimus, utilitates longe majori uſui eſſe illæ poterunt, ſi ex ipſis Indices a Viro aliquo diligenti, & ex aliis quas alii deinceps edant, ad hunc fere modum ab ſuis Auctoribus conficiantur. Nec difficile adeo, imo commodius mihi fuit hos meos omnes conficere. Ubi enim Obſervationem, aut ſcholium, aut animadverſionem ſuo quamque immutabili præfixo numero perſcripſeram, continuo ſingula, dum adhuc animo præſentia erant, in ſuum Indicem referebam. Itaque in longo Opere, eoque digniori, ut ſi quæ ſecus ac vellem, irrepſerint (plura autem irrepſiſ-

(q) Hiſt. Medic. ad A. 500.

repſiſſe, perquam credibile eſt) benigne excuſetur, per Indices ipſos admonitus, ne quid repeterem, facile cavebam, & abſoluto Opere, ne moleſtiſſimus accederet labor illos conficiendi, eadem opera proſpectum fuerat, ſimulque ut ſiquando forte alia quacunque forma recudatur, ne fallaces Indices evadant, ſed idem ſemper, ut ex altera mearum Epiſtolarum Anatomicarum editione apparet, ſignificare pergant. Unum eſt incommodum quod poſſit accidere, & mihi nonnunquam accidit; æquo major prolixitas nonnullorum articulorum. Cum enim alia, & mox alia addere ibi vellem, nec ſeriem amplius perturbare numerorum liceret, mihi autem ex quo, Adverſariis I. editis, hinc perpetuam, optimamque Majorum conſuetudinem, inde vero animadverti, quantum & lectoribus; & auctoribus pariter officiat a filo, & vi ſcriptionis per ſubjectas notas avocatio; mos nunc propemodum communis ſatis placere non potuerit; malui legentes aliquo nonnunquam prolixitudinis tædio afficere, quam ſæpius a lectione avocare. Utcunque id eſt (neque enim eum morem prorſus improbo, & magno Scriptoribus commodo eſſe, fateor, expertis, ut ego, ſicut alias (r) cum Plinio minore dixi, quam *laborioſum* ſit *nova velut membra peracto corpori intexere, nec tamen priora turbare*) in Obſervationes certe cadere non poteſt, ut cum ſemel omnia quæ in ægro, & cadavere deprehenſa fuerant, diligenter poſuerimus, alia accidant quæ ita multis verbis ſint adjicienda. Ad Obſervationes autem ſolummodo ſpectant duo illi Indices, aut ad eum qui dictus eſt modum conficiendi, aut ad meliorem, quem Viri Doctiſſimi indicaverint. Quod ipſos ut velint facere pro boni publici ſtudio, etiam atque etiam rogo, nec minus propemodum rogo, ut ſiquid forte minus improbandum in his libris, & in hoc meo ſenili exemplo, pro ſua Humanitate, eſſe, cenſeant, id propria, quæ maxima eſt, auctoritate confirmare, ſicque ei pondus addere ne graventur. *Sermo* enim, ut ait Euripides (ſ), *ab incelebribus profectus, & a celebribus idem, non idem valet*.

Ex Gymnaſio Patavino III. Kal. Septembr. A. CIↃ IↃCC LX.

(r) Præfat. ad Epiſt. Anat. n. 8. (ſ) in Hecuba.

INDEX
PRIMUS
Argumenta ex ordine oſtendens totius Operis.

Lib. I. *de Morbis Capitis.*
Epiſt. 1. de Capitis Dolore.
Epiſt. 2. de Apoplexia in univerſum, & ſpeciatim de ea quæ fit a Sanguine.
Epiſt. 3. de eadem Apoplexia Sanguinea.
Epiſt. 4. de Apoplexia Seroſa.
Epiſt. 5. de Apoplexia neque Sanguinea, neque Seroſa.
Epiſt. 6. de reliquis Affectibus Soporoſis.
Epiſt. 7. de Phrenitide, Paraphrenitide, & Delirio.
Epiſt. 8. de Mania, Melancholia, Hydrophobia.
Epiſt. 9. de Epilepſia.
Epiſt. 10. de Convulſione, & Motibus Convulſivis.
Epiſt. 11. de Paralyſi.
Epiſt. 12. de Hydrocephalo, & Hydrorachitide.
Epiſt. 13. de Catarrho. Et de Oculorum Affectibus.
Epiſt. 14. de Aurium, & Narium Affectibus. Et de Balbutie.

Lib. II. *de Morbis Thoracis.*
Epiſt. 15. de Reſpiratione Læſa a cauſis potiſſimum extra thoracem poſitis, ſed & a poſitis intra pulmones, calculis præſertim.
Epiſt. 16. de eadem Læſa a Thoracis, aut Pericardii Hydrope.
Epiſt. 17. de eadem Læſa a Cordis, aut Aortæ intra thoracem Aneuryſmatibus.
Epiſt. 18. de eadem indidem Læſa.
Epiſt. 19. de Suffocatione, & de Tuſſi.
Epiſt. 20. de Pectoris, Laterum, & Dorſi Dolore.
Epiſt. 21. de eodem.
Epiſt. 22. de Sputo Sanguinis, & de Sputis Purulentis, Empyemate, & Phthiſi.
Epiſt. 23. de Palpitatione, & Dolore Cordis.
Epiſt. 24. de Pulſibus præter naturam.
Epiſt. 25. de Lipothymia, & Syncope.
Epiſt. 26 de Morte Repentina ex vitio vaſorum ſanguiferorum potiſſimum in thorace.
Epiſt. 27. de eadem ex vitio Cordis. Et de Gibbere.

Lib. III. *de Morbis Ventris.*
Epiſt. 28. de Fame præter naturam. De Morte ex Inedia. Et de Læſa Deglutitione.
Epiſt. 29. de Singultu. De hominum Ruminatione. Et de Ventriculi Dolore.
Epiſt. 30. de Vomitu.
Epiſt. 31. de Alvi Profluviis Incruentis, & Cruentis.
Epiſt. 32. de Alvi Adſtrictione. Et de Hæmorrhoidibus.
Epiſt. 33. de Recti Inteſtini Prolapſu.
Epiſt. 34. de Inteſtinorum Dolore.
Epiſt. 35. de eodem.
Epiſt. 36. de Tumore, & Dolore Hypochondriorum.
Epiſt. 37. de Ictero. Et de Calculis Bilioſis.
Epiſt. 38. de Hydrope Aſcite, Tympanite, Peritonæi, & de aliis quos Saccatos vocitant.
Epiſt. 39. de reliquis internis Ventris Tumoribus.
Epiſt. 40. de Lumborum Dolore.
Epiſt. 41. de Urinæ Suppreſſione.

Epiſt. 42. de Urinæ Difficultate, Ardore, aliiſque ejus vitiis.
Epiſt. 43. de Herniis.
Epiſt. 44. de Gonorrhœa.
Epiſt. 45. de Uteri tum Deſcenſu, tum, ut mulieres ajunt, Aſcenſu.
Epiſt. 46. de Veneris Impedimentis, & Sterilitate in utroque Sexu.
Epiſt. 47. de Menſtrui Fluxus vitiis. Et de Fluore Muliebri.
Epiſt. 48. de Graviditate Falſa. De Abortu. Et de Partu infelici.

Lib. IV. *de Morbis ad Chirurgiam, aut ad univerſum Corpus ſpectantibus.*
Epiſt. 49. de Febribus.
Epiſt. 50. de Tumoribus.
Epiſt. 51. de Vulneribus, & Ictibus Capitis.
Epiſt. 52. de iiſdem.
Epiſt. 53. de Vulneribus, & Ictibus Colli, Pectoris, & Dorſi.
Epiſt. 54. de Vulneribus, & Ictibus Ventris, Lumborum, & Artuum.
Epiſt. 55. de Ulceribus, & Sphacelo.
Epiſt. 56. de Oſſium Fracturis, Luxationibus, aliiſque vitiis motui officientibus.
Epiſt. 57. de Arthritide, aliiſque Artuum Doloribus.
Epiſt. 58. de Lue Venerea.
Epiſt. 59. de Morbis a Veneno inductis.

Lib. V. *de addendis ad ſingulos quatuor Libros ſuperiores.*
Epiſt. 60. de Apoplexia.
Epiſt. 61. de Deliriis quæ ſine febri contingunt.
Epiſt. 62. de Epilepſia, Convulſione, Paralyſi.
Epiſt. 63. de Cæcitate, Aphonia, Angina.
Epiſt. 64. de pluribus Thoracis Morbis.
Epiſt. 65. de pleriſque Ventris Morbis.
Epiſt. 66. de Morbis potiſſimum Veſicæ Urinariæ.
Epiſt. 67. de Morbis Partium Genitalium utriuſque Sexus, & præſertim Muliebris.
Epiſt. 68. de Febribus, & de Tumoribus.
Epiſt. 69. de Ictibus, & Vulneribus Capitis, & Thoracis. De Juncturarum vitiis. Et de Lue Venerea.
Epiſt. 70. de promiſſis in extrema Epiſtola 66. Et ſimul de quibuſdm Ventris, & Thoracis Morbis.

INDEX
SECUNDUS

Morbos, & Symptomata exhibens, illorumque externas cauſas, ætates extremas, vitæ genus, artes, & alia ejuſmodi.

Romani numeri Epiſtolas; barbari autem articulos denotant.

A

Abdomen nigricans, XLI. 10.
baculo percuſſum. XLIX. 6.
Equi calce ictum. LIV. 14. 41.
Contuſum in epicolica regione dextera. LIV. 39.
Abdominis dolor. XLIX. 6.
Gangræna. Vide Gangræna.
Vulnus in epigaſtrio. LIV. 8. 10.
in hypochondrio ſiniſtro. LIV. 35.
ad marginem oſſis ilium dexteri. LIV. 4.
in epicolica regione ſiniſtra. LIV. 37.
ad imam epicolicam regionem dexteram. LIV. 33.
infra umbilicum LIV. 6. 20.
in hypogaſtrio. LIV. 31.
circa inguen. LIV. 2.
Abortus. XXI. 24. XXXIX. 12. Vid. & Fœtus.
Achores. X. 9.
Ægrotatio perpetua. XVII. 12.
Aer. Ab aere tenui in craſſum translatum domicilium. XLIX. 14.
Ætas decrepita. II. 17. III. 11. IV. 11. VI. 12. VII. 9. 10. XI. 6. XII. 2. XV. 15. XVI. 8. 12. XVII. 14. XVIII. 28. XIX. 58. XX. 5. 33. 39. 63. XXI. 4. 15. 17. 19. XXIII. 6. 11. XXVII. 28. XXXIV. 25. XXXVII. 30. XXXVIII. 12. 13. XLI. 6. XLIV. 15. XLVII. 24. LX. 6. LXII. 7. LXIV. 7. LXV. 8. LXVII. 9. 11. LXIX. 10.
Æthiops. V. 17.
Agricolæ. IV. 26. 36. 35. XXI. 9. XXXIV. 9. XLI. 4. XLII. 28. LX. 4. LXIV. 7.
Aleator. XXVII. 28.
Alimenta multa ſumendi impotentia. XVIII. 25.
Alvi adſtrictio. IV. 30. XXX. 7. XXXIV. 5. 9. 11. 18. XXV. 14. XXXIX. 21. 29. XLII. 13. 28. XLIX. 14. L. 48. LIV. 35. 39. LVII. 10. LXV. 3. 13. LXX. 5.
lubricitas perpetua. XXXI. 2.
Fæces præter voluntatem emiſſæ. II. 22. IV. 4. LII. 34 LIII. 40. LIV. 26. LXIV. 13.
multæ repente ejectæ. LIX. 3.
repente ſuppreſſæ. LIII. 18.
magnis cum conatibus redditæ. XXXIX. 2. 12.
modo virides, modo nigricantes XL. 9.
virides, maculis quæ elui non poſſent, lintea inficientes. XLVIII. 55.
bilioſæ per intervalla. XLII. 13.
Vid. Dejectiones. Diarrhœa. Dyſenteria. Hypercatharſis.
Amauroſis. IX. 20.
Anaſarca. XVI. 4. XXII. 10. XXXVIII. 6. 26.
Aneuryſma. Vid. Brachii. Inguinis. Poplitis.
Angina VIII. 8. XLIV. 3.
deſinens in dorſi dolorem. XX. 56.
ad paralytodeam accedens. LXIII. 19.
Animi affectus XVI. 4. XVIII. 30. XXIII. 4. XXV. 6. XXIX. 18. XXXVII. 2. XLVIII. 44. LII. 4. LXIV. 5. Vid. Ira. Terror.
inquietudo aſſidua. XLIX. 14.
perpetuorum ſenſorum repentina mutatio. LVII. 10.
Anus. Ad hunc excreſcentia. XLVII. 28.
intra ipſum condylomata. XLII. 2.
ex his quotidie hæmorrhagia. Ibid.
Anxietas. XXX. 4. XXXIV. 9. XXXVI. 17. LV. 11.
Aphonia XI. 15. XIV. 35. XVII. 21. LI. 2. 11. 12. 27. 42. 44. 45. 50. 53. 59. LII. 25. 28. 34. 35. LIII. 7. LXIII. 13. Vid. & Vox amiſſa.
Apoplexia. I. 4. II. 9. 11. 13. 15. 16. 17. 19. 20. 22. III. 2. 4. 6. 11. 14. 16. 17. 20. 24. 26. IV. 4. 9. 11. 13. 15. 20. 21. 24. 26. 28. 30. V. 2. 15. 17. 19. VI. 6. XI. 6. 13. 15. 22. XIV. 27. XXXV. 6. XLVII. 24. LI. 30. 37. 59. LII. 38. LVI. 12. LVII. 2. 14. LX. 2. 4. 6. 8. 10. LXII. 7. 9. 11.
ter repetens. LX. 4. 6. LXII. 11.
ingruens in decubitus mutatione. LI. 30.
imperfecta. IV. 2. 6. 7. 8. 19. V. 6. 11. XLIV. 21. Vid. etiam Hemiplexia.
Appetitus ciborum dejectus. XII. 16. XX. 15. 28. XXIII. 4. XXVI. 13. XXIX. 10. 12. XXX. 7. XLII. 13. XLIX. 2. L. 48. LXV. 13.
Articuli. Ad ipſos crepitus in motibus. LVIII. 4.
dolores ſæviſſimi. LIII. 7.
Arthritis. XXIX. 10. XL. 2. LVII. 10. Vid. Iſchiadic.
hæreditaria. XXV. 6. L. 46.
retrocedens. LVII. 10.
Artuum dolores. LI. 15.
olim prægreſſi. LVI. 14.
diuturni prægreſſi. XXXVIII. 22.
debilitas, ſive paralyſis. LXII. 15.
Artuum Superiorum dolores. XXIII. 4. XXVI. 9. Vid. & Brach.
alterius ſtupor per intervalla. XLII. 13.
Inferiorum Vid. Oſſa. Crurum.
alter brevior factus. LVI. 14.
multo quam alter, brevior. LX. 6.
multo quam alter, tenuior. LVI. 42.
alterius dolores, excepto pede. L. 11.
ſenſus rei aſcendentis. XXIX. 10.
Aſphyxia. Vid. Pulſus privatio.
Aſthma. XV. 13. XVIII. 34. XLVI. 17. LII. 8. LXVII. 9. Vid. Reſpiratio difficilis.
Aurifex. LVII. 17.
Auris. Ex ea ſanguis. LI. 50. LII. 25. 30.
ichor multus. XXII. 10.
ſanies. LII. 28.
pus. XIV. 3. 5.
Aurium dolor. XXI. 24.
alterius. LI. 33.

B

Bajuli. III. 4. VII. 6. X. 13. XXXIV. 18. XXXVI. 25. L. 32. LIII. 37. LXX. 5.
Balbuties adventitia. X. 11. XI. 2. 4. XLIII. 5. LI. 35.
Biboſi XLI. 13. XLII. 34. LX. 12. LXII. 5. LXIX. 2. LXX. 5. Vid. Vini. Ebrioſi.
vel dum calent adhuc ab itinere. XVI. 40.
Brachii aneuryſma, ineptam venæ ſectionem conſecutum. L. 7.
dolor. XVI. 36. XXIV. 34.
ſtupor. XXVI. 31.
tremor. XXX. 4.

Brachiorum dolores. XXVII. 8.
Bronchocele L. 31. 32. 33. 34. 36.
Bubones olim prægreſſi. XLIV. 15. XLVIII. 32.
Bubulus. XLIII. 22.

C

CAchexia. XVI. 2. XVII. 17. XVIII: 17. XX. 32. XXII. 24. XLIII. 4. XLVII. 34. L. 51. LXI. 5. LXIII. 8.
Cacochymia. IV. 7. 30.
Cæcitas. XIII. 15. 17. XVII. 21. LXIII. 10. Vid. Amauroſis.
alterius oculi. XIII. 8. 9. LII. 30. LXIII. 2. 4. 6.
in morbo accidens. LI. 2.
Cæpæ eſus. XXIX. 8.
Calculi. Vid. Veſicæ.
emiſſi. IV. 2. X. 11. XI. 6. XL. 4. LVII. 10.
emingi deſinentes. Ibid.
Calor internus. XXI. 44.
Calvitium. LX. 12.
Cancer intra os ſerpens. XIX. 49.
Cancroſus Tumor. V. 4. XXII. 22. L. 4. Vid. Mammæ.
Canis morſus. XLVIII. 38.
Cannabis carminatores. VII. 13. X. 13. XV. 6. XXIV. 13.
Caput æquo majus. IX. 4. XII. 16.
Capitis dolor. I. 4. 6. 10. 12. 14. II. 9. IV. 2. 9. 21. 26. V. 15. VI. 12. VII. 6. IX. 25. XX. 5. 11. 28. 33. XXV. 2. 6. XXIX. 18. XXXIX. 12. XLIX. 8. 14. LI. 15. LII. 15. LV. 20.
frequens. XX. 5.
aſſiduus. XIX. 58.
pertinax. XXIX. 12.
acerrimus. XVI. 17. XVII. 19. XXXVIII. 22. LI. 17. LII. 38. LXII. 15. LXV. 13.
Capitis dolor in fronte. LV. 10.
ſupra oculos. I. 2.
dimidiæ partis, ſive hemicrania. XXIX. 10.
ab occipite incipiens. LII. 38.
ad occiput profundus. II. 20. V. 2.
Capitis plenitudinis ſenſus. III. 11. XXV. 6.
gravitatis. VI. 12. VII. 9. IX. 25. XLII. 2. LI. 6. LII. 10. 15. LVII. 10. LXII. 5.
ad poſteriora. LI. 9.
debilitatis XXV. 4. 6. XXXIV. 23. LI. 6.
caloris. XXV. 6.
conſtrictionis. LII. 38.
ad occiput. XXV. 6.
perturbationis. XXVII. 8. LI. 15.
confuſionis. XXVI. 35.
Capitis in latus inclinandi difficultas. LXIX. 8.
elevatio incommoda. XXI. 49.
inclinatio, & thoracis antrorſum, commodior. XVIII. 17.
Capitis ictus. VIII. 15. IX. 20. LI. 38. LII. 3. 4. 11. 25. 34. LVI. 18.
vulnus. LI. 42. LII. 28.
cum contuſione. LI. 34.
vulnus a tergo, & a fronte LI. 53.
vulnus, & ictus a tergo. LI. 25. 27.
Capitis ſingularum partium ictus, aut vulnera. Vid. ſuis locis.
Carduorum eſus. XXXIV. 5.
Caſtanearum ex farina panis comeſtus. XXIX. 8.
Caſus ab alto. XL. 9. LI. 7. 9. 11. 28. 37. 42. 50. LII. 2. 3. 8. 15. 34. 35. LIII. 7. 9. 37. LIV. 18. LV. 22. LVI. 31.
Caſus in terram ſtatim ab ictu, aut vulnere. LI. 15. 17. 18. 19. 25. 45. 59. LII. 19. LIII. 2.
non ſtatim. LI. 27. 44.
Catarrhalis affectio pernicioſa. XXI. 11.
Catarrhis obnoxius. XIII. 3.
Catarrhus. XXXVII. 30. XLV. 16. LXIX. 8.
Suffocativus. XIII. 3.
Catheteris prope veſicam impedimentum. X. 13. XXXIV. 7.
& alibi, IV. 20.
Cauſtici uſus. LV. 20.
Cerebrum non modica ex parte detectum. LVIII. 11.
Cervicis dolor. VI. 12.
Ciborum ſalſorum abuſus. XXIX. 12.
pravorum uſus aſſiduus. XL. 23.
Ciborum ingurgitatio. IX. 14. XXI. 17. LXX. 5. Vid. Edaces.
craſſorum. XXI. 9. XXXIV. 9.
multum ſumendi impotentia. Vid. Alimenta.
faſtidium. XIX. 48. XLII. 20. XLVII. 8.
ab ipſis abſtinentia. Vid. Inedia.
ab ipſis ſenſus ponderis. XXII. 4. 14.
ſenſus tenſionis ventriculi. XLVII. 8.
Ciſiarii. XVII. 17. XL. 26.
Claudicatio. XLVI. 17. XLVIII. 32. LVI. 10. 12. 14. 17. 18. 20. 21. 26. LVII. 2. LX. 6. LXIX. 2. 10.
Colici dolores. III. 2. XXXV. 8.
Collum craſſiuſculum. XXIII. 4.
ſubtumidum. XLIV. 3.
tumens. XVI. 38.
livens. XVIII. 6.
Colli glandulæ tumentes. XXII. 18. Vid. & Bronchocele.
tumentes, & duræ. LV. 20.
tumor utrinque durus cum dolore. XXIX. 12.
pulſans. XXVI. 21.
exulceratus. LV. 20.
arteriarum magna pulſatio. XVII. 23. XXIII. 6.
ſenſus quaſi laquei conſtringentis. XVIII. 17.
Colli vulnera. XLIV. 7. LIII. 2. 21.
exeuntibus oſſeis fragmentis. LIII. 2.
Coma vigil. LII. 11.
Conatus in onere attollendo. XXXVI. 25.
Convulſio. II. 22. 25. IV. 11. 27. 28. 30. V. 4. X. 13. XIV. 3. XX. 16. XXV. 6. XXXIV. 25. XXXVII. 2. 4. XXXIX. 14. XLII. 2. LI. 15. LIV. 33. LV. 20. LIX. 18. LXII. 5.
alterius faciei partis. LI. 7.
Vid. etiam Tetanus. Ilium oſſis.
Convulſivi motus. I. 2. 4. II. 9. 17. III. 11. 16. VI. 6. VII. 9. 13. IX. 20. X. 5. 7. 9. 11. 17. 19. XVII. 25. XX. 43. XXI. 34. XXV. 6. XXX. 4. XXXI. 5. XXXV. 16. XXXIX. 25. XL. 2. XLI. 8. XLV. 21. XLVII. 8. 15. XLVIII. 28. LI. 2. 11. 12. 17. 26. 27. 32. 33. 38. 45. 50. 59. LII. 6. 8. 19. LIV. 16. 22. 29. 31. 44. LV. 10. 11. 23. LVII. 10. LXII. 5. LXIV. 15. LXVI. 2. Vid. etiam Tremor convulſivus.
in altero corporis latere. XI. 6.
in altero præcipue. LI. 45.
Convulſivi motus vehementes. LI. 39.
quaſi incredibiles. LI. 17.
Coqui. XXI. 49. LIII. 29. LXII. 15. LXV. 8.
Cordis pulſatio æquo major. LXIV. 12.
palpitatio XVI. 30. XVII. 14. 21. XXIII. 2. 4. 6. 8. XXVII. 5. XXX. 7. XLII. 13. XLIX. 24. LXIV. 12.
angor. XVII. 6. 17.
oppreſſionis, conſtrictioniſve ſenſus. XVI. 43. XXIII. 8. XXXIV. 23.
quaſi impoſiti ponderis ſenſus. XVI. 43.
punctionum ſenſus. Ibid.
Corpus inæqualiter nutritum. V. 6. XXVI. 31. 35.
univerſum tumens. Vid. Tumor.
dolens. Vid. Dolor.
Coſtarum quaſi concidentium ſenſus. XXVI. 21. XLV. 26.
fractura. LIII. 5.
Coxendicis contuſio. LVI. 17.
Cranii gummata venerea. IX. 23. LVIII. 8.
a carie venerea, non modica abſumptio. LVIII. 11.
ex ejus foramine prominentia pulſans. IX. 23.
Cribrans triticum. XXI. 34.
Cruris fractura cum vulnere. LVI. 31.
abſceſſus, menſtruorum tempore ſemper exacerbatus. XXXVI. 17.
utriuſque movendi impotentia. LVII. 17.
Crurum dolor. LXVIII. 12.
dolores venerei. LVIII. 8.

ulce-

ulcera V. 15. XXV. 12. XXXVI. 17. XLVII. 33. LII. 30. LX. 10.
antiqua. XXI. 32. XLVII. 4. XLVIII. 35. LXIV. 13.
perperam ſanata. XXVII. 8.
Culcitarum confector. XVII. 23.
Cutis color quaſi cachectici. XVIII. 2. 14.
citrinus XVII. 17.
quaſi lividus. XVII. 12.
fœdæ puſtulæ. IV. 35.

D

DEbilitas. X. 13. XIV. 3. XVII. 12. 19. XVIII. 30. XXX. 7. XXXVI. 11. Vid. Vires.
artuum inferiorum. XII. 16.
Decubitus capite humili. XX. 35. 36. XXII. 4.
Decubitus in ventrem. XX. 35
in dorſum. VI. 10. XVI. 8. XX. 13. 22. XXI. 9. 17. 19. 23. 29.
in latera potius, quam in dorſum. XX. 24. XXI. 24.
Decubitus difficilis in dorſum. XXXVIII. 15.
in alterum latus difficilis, aut facilis. VI. 12. VII. 13. XVI. 10. 12.26.38. XVII. 6.14. XX. 3. 16. 17. 33. 35. 36. 41. 43. 51. 55. 56. 59. XXI. 24. 29. 32. XXII. 4. 6. 10. 12. 15. 16. XXIV. 2. XXIX. 14. XXX. 7. XXXV. 16. XXXVIII. 4. 6. 15. 16. 30. XLII. 2.
in utrumlibet difficilis. XX. 26. 30. 45. 53. 63. XXI. 27. 36. XXXVIII. 12. 13.
quicunque difficilis. XXI. 49.
Defluxionibus obnoxii. XVI. 43. Vid. Rheumatici.
Deglutitio. In ipſa dolor. XXVIII. 9 10.
Ab ipſa inſultus ſuffocativi. XVII. 25. XVIII. 17.
Deglutitionis difficultas. XV. 15. XXVIII. 9. 10. 12. XLII. 2. XLIV. 3. LIV. 2.
in ima œſophagi parte. XXIII. 4.
Deglutitionis impoſſibilitas. XVII. 19. XVIII. 22. LXIII. 19.
Dejectiones. Vid. Alvi.
Dejectiones virides. XXIX. 18. XL. 9.
nigræ XXXV. 18. XL. 9.
aquæ, quaſi fuligine tinctæ. XXX. 2.
materiæ variæ fœtidæ. XXXII. 7.
nigerrimæ, referentis atram bilem. LXV. 13.
ſubrubræ. XX. 28.
ſanguinis fœtidi. XXXV. 16.
ſanguinis multi. XXIX. 10. LIV. 39.
cum materia, inſtar picis, fœtidiſſima. XXIX. 10.
Deliquia. XVI. 43. XVII. 14. 17. 21. XVIII. 2. XXIV. 2. 13. 34. XXV. 6. 15. XXVI. 21. XXVII. 2. XXX. 10. XXXV. 14. XXXVIII. 4. XXXIX. 14. XLII. 2. XLVI. 20. LIII. 14. 18. LIV. 8. 39. LVII. 10. LIX. 3. LXV. 13.
noctu graviora. XXIV. 34.
Deliquii quaſi cujuſdam ſenſus. XXVII. 28.
Deliquiis obnoxii. XXIV. 13. 34. XXV. 4.
Delirium. 1. 2. 4. 14. IV. 30. V. 2. 4. VI. 3. VII. 6. 7. 15. 17. VIII. 25. IX. 16. X. 5. 17. XIV. 3. 5. XVI. 40. XVII. 19. XX. 2. 16. 28. 47. 61. XXI. 6. 23. 29. 32. 33. 35. XXX. 4. XXXV. 2. 16. XXXVII. 2. 4. XXXVIII. 22. 30. XLVII. 12. XLIX. 6. LI. 15. 17. 18. 34. 35. 42. 44. 49. LII. 6. 10. 19. LIII. 2. 5. LV. 11. 20. 22.
Vid. Phrenitis. Mania. Melancholia. Stultitia. Deſipientia. Fatuitas.
Delirium leve, ſive ſubdelirium. LXII. 15. LXV. 13. Vid. & Vaniloquium.
Dentes pauci, & corroſi. XVI. 40.
perpauci reliqui. LXX. 5.
Dentium omnium caſus. IV. 2. XXXVII. 30.
Dentitio difficilis. IX. 4. X. 9. XXXI. 5.
Deſipientia. IX. 9. XI. 6. LXIX. 10.
Diarrhœa. X. 7. 9. XX. 11. 30. XXI. 29. 35. XXX. 7. XXXI. 5. XLII. 11. 28. XLVIII. 38. L. 48. LIV. 6. LXX. 10.
ſæpius recurrens. XXXVIII. 30. LXIV. 7.
diuturna LXV. 5.
diuturna, & ingens. XVI. 12.
torminoſa. XXXI. 12.
bilioſa. XX. 9. XXXI. 2. 5. XXXV. 6. XXXVIII. 30. XLII. 20.
variorum colorum. XLII. 2.
ſeroſa, & copioſa. XXII. 14. XXXVIII. 30.
fœtidorum liquaminum. XXXVIII. 34.
viſcidorum paucorum. LIII. 3.
nigerrima. XXXI. 5.
ſanguine infecta. Ibid.
Diarrhœa ſuppreſſa. Ibid.
Dolor univerſi corporis ambitus. XXI. 35. XLIX. 8. LVI. 17. Vid. Rheumatici. Vid. partes ſingulas.
in certo ſectorum integumentorum loco. XIV. 3.
e ventre ad thoracem aſcendens. LXIV. 15.
Dolores tenſivi. LIV. 29.
a lumbis in totum corpus diffuſi. LI. 53.
Dorſi ictus. LII. 34. LIII. 35. LVI. 10.
vulnus. LIII. 12. 16.
intra thoracem penetrans. LIII. 18.
ad ſcapulam. XVI. 28. LIII. 14.
abſceſſus ingens, per ſe ruptus. LI. 19.
Dorſi dolor. XX. 28. 56. XXXIX. 2. 5. LI. 15.
calor ingens. XXIX. 10.
flectendi impotentia. XX. 28.
Dorſum. Caſus in dorſum. XX. 28. XXXIV. 27.
Dyſenteria. XXXI. 2. 25.
diuturna XXXI. 14.
Dyſpnœa. Vid. Reſpiratio difficilis.
Dyſuria. Vid. Urinæ difficultas.

E

EBrietas. XIX. 58. LII. 30. 32. LVIII. 13. LX. 12. LXIX. 2.
aphoniam inducens. XIV. 35. LXIII. 13.
Ebrioſi. LXII. 5. LXIII. 13. LXX. 5.
Edaces. IV. 19. XI. 6. XVIII. 30. XXXVIII. 18. XLII. 11. Vid. Ciborum.
Ellebori nigri extractum ſumptum. LIX. 15.
Emphyſema leve univerſale. XXXVIII. 22.
circa vulnus abdominis. LIV. 37.
Empyema. XXII. 6. 8. 10. 12. 22.
Enterocele. Vid. Hernia.
Epilepſia. IX. 2. 3. 4. 9. 12. 14. 16. 18. 20. 23. 25. XXX. 4. XL. 4. LI. 6. 27. LXII. 2. LXIV. 5.
Epilepſiæ obnoxii. IX. 17. LII. 11.
Epiplocele. Vid. Hernia.
Eryſipelas in pedibus. XXII. 16. XXXIX. 2.
Euganeorum balneorum, & lutorum abuſus. XXV. 6.

F

FAber ferrarius XXX. 16.
lignarius. XLIV. 3.
Fabri murarii. XXI. 6. L. 55. LIV. 18.
Facies minus placens. XXXIV. 9. XXXV. 2.
cachectica. XLII. 28.
cadaveroſa. IV. 9. XXI. 44.
œdematoſa. XVI. 2. 10.
alba, & ſubtumida. XXI. 49.
tumida facta. XVI. 19. 30. XVII. 17. 25. XVIII. 25. XXII. 6. XXXVIII. 4. LI. 14. 37. LII. 6.
qualis alias in atrophia. VIII. 25.
qualis in ſoporoſo. XXI. 23.
lurido colore. LXIV. 15.
illaudabili colore. XLVIII. 44.
Facies pallida. XX. 30. XXI. 19. 36. XXVI. 3. 5. XXVII. 8. XXXVI. 11. 23. 25. LI. 37. LII. 28. LV. 22.
pallida, & concidens. XII. 16.
modo pallida, modo livida. LI. 51.
livida. IV. 4. XVIII. 6. XXVI. 21. XXXVIII. 4.
valde rubens. XVII. 19. XX. 15. XXI. 34. XXXV.

XXXV. 16. LI. 38. 42. 50. 54. LII. 10.
idque repente. XXV. 6.
morboſe rubens. Vid. Genarum.
ex rubro fuſca. XVIII. 25.
ex rubro violacea. LXIV. 19.
flaveſcens XXXVI. 2. XLIV. 7. LI. 14. LII. 8.
ſubflava. XXIX. 8. XXXVI. 11. XXXVIII. 52. LV. 22.
Facies convulſa uno in latere. LI. 7.
convulſa, an paralytica uno in latere. LI. 27.
Fames. XVII. 10.
acris, ultimis præſertim morbi diebus. LXVIII. 12.
Fatuitas. I. 10.
quaſi quædam in morbo. LI. 12.
Faucium convulſio. LIV. 22. 29.
rheuma. XVI. 40.
ſiccitas. XLVII. 8.
dolor. XLII. 34. LIV. 2.
ardoris cujuſdam ſenſus. LI. 26.
punctionum ſenſus. XLII. 2.
eroſionis ſenſus. XXII. 22.
ulcus. XIX. 50.
Febres prægreſſæ. XXII. 12. LVII. 17.
Febricula. XVI. 21. XVII. 19. XVIII. 30. XXI. 15. 32. XXII. 10. 11. 22. XXIV. 6. XXXVI. 23. XXXVIII. 34. 52. XXXIX. 9. 21. XLVIII. 38. LXII. 15. LXIV. 7.
noctu increſcens. XXXVI. 25.
erratica. XVI. 38. LXVIII. 12.
Febris. XIV. 5. XVI. 19. 40. XXII. 16. XXIX. 10. 14. XXXI. 5. XXXIV. 9. 15. 25. XXXVI. 20. XXXIX. 14. 21. 33. XL. 23. XLI. 13. XLII. 8. 15. 25. 28. XLVII. 12. XLIX. 14. L. 48. LI. 12. 14. 15. 18. 27. 45. LII. 10. 11. 15. 19. 23. LIII. 16. 29. LIV. 2. 37. LV. 10. 20. LVI. 7. 10. LXII. 2. 5. LXIII. 19. LXV. 13.
Febris redux. XXII. 6. 8.
periodica. XVI. 12. XXI. 49.
exacerbationes quotidie habens. XXI. 32. XXXV. 16.
miteſcens, & poſtea recrudeſcens. XL. 9. LI. 7.
Febris catarrhalis epidemica. XIII. 3.
chronica, XX. 2. 30. 51. XXII. 11. XXXVI. 17. XLVII. 36.
lenta. XVI. 6. XXII. 15. 18. XLVI. 27. XLIX. 2. LIII. 12. LXX. 5.
magna. LXIII. 13.
acuta. XVI. 17. XX. 3. XXI. 47. XXV. 17. XXXI. 2. XXXVI. 11. XXXVII. 2. XXXVIII. 22. XXXIX. 12. XLII. 20. XLV. 16. XLVII. 33. XLIX. 12. LI. 42. LIII. 9. LVIII. 13. LXV. 8.
Febris ardens. IV. 26. VII. 6. XXI. 9. XXII. 8. XXV. 4. XXXIV. 7. XLIX. 8.
ſine ulla omnino criſi abiens. XXXIV. 23.
Febris inflammatoria. XX. 9. 11. 17. 22. 26. 28. 30. 33. 39. 43. 45. 47. 49. 51. 56. 59. 61. XXI. 6. 9. 17. 19. 23. 24. 27. 29. 30. 32. 33. 35. 36. 44. XXII. 22. XXXVI. 23. XLIV. 3. XLV. 16. XLVIII. 28. LV. 11.
Febris Lipyrias. VI. 8. XXI. 44.
hujus ſimilis. XXX. 14. XXXIX. 25.
Febris Maligna. IV. 9. VI. 2. 4. VII. 2. XXX. 4. XLIX. 24. LV. 11.
levata præter rationem. IV. 9.
Febris epacmaſtica. XLVIII. 28.
Febris cum frigore ingruens. XXXII. 7. LI. 2. 3. 11. 33. 34. LII. 28. LVI. 26. LVII. 20.
cum levi horrore. XLII. 2.
cum horrore, & tremore. XXXVIII. 30.
cum rigore. XXXVI. 17. XLVIII. 28. L. 48. LI. 3. 17. 20. 25. 26. 49. LIII. 14.
cum longo rigore, & frigore. XL. 4.
cum rigore quotidie non ſemel rediens. LI. 9.
quotidie rediens. LI. 30. LIV. 4.
Febris horrifica, pluries recurrens. LI. 19.
Febris quotidie recurrens. LI. 3.
veſpere increſcens. XXIX. 12. XXX. 7. LII. 28.
Febris Tertiana. XVII. 21. XXXI. 2. LIX. 18.
duplex. XXX. 4. XLIX. 6. 8.
continua. LXX. 5.
Quartana. LI. 17.
Febris ex intermittente facta continua. LI. 17.
Febribus obnoxii. XVII. 17. XXXVI. 17.
Femur ſummum vulneratum. LV. 22.
imum cultro transfixum. LIV. 46.
Femoris luxatio. LVI. 7.
Femoris cervicis fractura. LV. 22.
pro luxatione accepta. LVI. 9.
Figulus. VII. 11.
Fiſtula ſupra maſtoidem proceſſum. XIV. 5.
thoracis, non penetrans. LXIV. 12.
Flatulentæ affectiones. V. 19. XXXVIII. 30.
eructationes. XLVII. 8.
Fluor. Vid. Muliebris Fluor.
Fœcunditas magna. LX. 6.
Fœtus immaturus, & mortuus, ejectus poſt copioſos fluxus hæmorrhoidales, & febrem. XLVIII. 5.
poſt largam ſanguinis miſſionem. XLVIII. 7.
poſt diuturnum, magnumque ſanguinis ex utero profluvium. XLVIII. 9.
poſt ſubitum, vehementemque animi affectum. XLVIII. 18.
umbilicali funiculo arcte circum crus convoluto. XLVIII. 53.
Fœtus monſtroſi poſt quales graviditates editi. XLVIII. 48. 50. 52. 53. 54.
ſine cranio, & collo. XLVIII. 48. 50. 52.
ſine naſo, oculis inter ſe contingentibus. XLVIII. 53.
abdomine in marſupium ſe expandente. XLVIII. 48. 52. 55.
abdomine aperto, effuſiſque inteſtinis XLVIII. 53.
gemino capite, & collo. XLVIII. 57.
Foricarius. LXII. 5.
Frigidi aeris injuriæ. XLIII. 4. 5. XLIV. 3. XLV. 16. LI. 3. LII. 6. LVI. 31.
Frigus aeris repentinum. XXXIV. 18.
Frigus corporis univerſale. IV. 8. VIII. 23. XXI. 44. XXVI. 21. XLVIII. 44. LIII. 40.
extremorum. XX. 32. XXI. 49. XXX. 7. XLII. 13. LIV. 16.
Frontis ictus. LI. 30. LII. 32. LVI. 26.
magna ſugillatio. LII. 32.
vulnus. LI. 3. 5. 12. 15. 37. LII. 23.
Fumorum ſenſus ad caput aſcendentium. XXVII. 8.

G

Gangræna XXIII. 11. Vid. Vulnera.
celerrime progrediens. LV. 22.
Gangræna abdominis. XLVIII. 55.
abdominis ad media uſque femora ſe extendens. XLI. 10.
penis. XI. 13.
ad os Sacrum. XVII. 21. LXI. 2.
clunis. XI. 15.
utriuſque. LI. 19. LVI. 17.
totius artus inferioris. LV. 22.
poplitis L. 55.
Genarum morboſus rubor. XLV. 16. LXV. 8.
Genu inflexile. LVI. 26.
Genuum dolor. LXVIII. 12.
Gibbi. IV. 16. X. 13. XIII. 3. XXXVIII. 4. 40. XLIII. 17. XLVIII. 34. 35. LV. 10. LVII. 2.
Gingivarum pruritus. XXXI. 5.
Gonorrhœa virulenta. XXIV. 18. XXV. 6. XLII. 2. XLIV. 3. 5. 7. 15. LXIII. 13.
Graciles. XXXIV. 21. 23. 25. XXXV. 16. XXXVI. 17. XXXVIII. 4. 15. XXXIX. 14. LI. 14.
Graviditas. XVI. 38. XX. 9. XL. 12. 18.
in graviditate, ponderis attollendi conatus. XLVIII. 28.
Gummata. Vid. Cranii.
Guttur. Ad ipſum dolor ſpaſmodicus. XXXIX. 33.

H

HÆmorrhagia. Vid. Narium. Ani. Uteri.
Hæmorrhagiæ ex vulneribus magnæ. XLIV. 7. 46.
ex abſceſſu. LVIII. 4. 5.
Hæmorrhoidibus obnoxius. XXXII. 10.
ex illis fluxus deſinens. XXXIX. 21.
Hebetudo inſolita. III. 24. XX. 61. XXXVII. 2. LI. 6. 30. LIII. 24. Vid. Mentis.
Hemiplexia. II. 9. 11. 13. 15. 16. 17. III. 2. 11. 14. 16. 17. IV. 13. 19. V. 6. 15. XI. 2. 4. 6. 13. XLV. 11. LI. 27. 35. LXII. 7. 9. 11. LXIII. 13. LXVII. 14.
levior. IV. 2. V. 2. 4. XI. 11. 15.
Hemiplexia, quod ad motum attinet. LI. 11. 17. 42. 54.
imperfecta. LVII. 14.
Hepatitem referens morbus. XX. 30.
Hernia. Bubonocele. LXV. 8.
Cirſocele. VII. 11. XX. 24. XXI. 19.
Cruralis. XXXIV. 15.
Enterocele. V. 2. 19. XXI. 15. 19. XXIV. 16. XXVI. 37. XXXIV. 5. 7. 9. 11. 18. XXXVIII. 2. XLI. 10. 13. XLIII. 2. 4. 5. 27. LXVII. 11.
Epiplocele. II. 20. XXI. 15. 19. XXXIV. 9. 11. 18. XLIII. 2. 31. LXVII. 11.
Hydrocele. XX. 24. 26. XXI. 19. XLIII. 17. 18. 19. 22. 24. 25. 31. LXIV. 7.
Omphalocele. XXXIV. 11.
Oſcheocele. XLII. 34.
Horror. XXI. 32. 36. 44.
Humeri dolor. XI. 15.
Hydrophobia. VIII. 23. 25. 27.
Hydrops. LVI. 20.
univerſalis. XXX. 12. XXXVIII. 10. 18.
aſcites, XXXVIII. 20. 28. 35. XLI. 18. LXX. 9. Vid. Ventris Tumor.
apparens. XXXIX. 39.
incipere viſus. LVII. 10.
incipiens. XLVII. 34.
Hydrops prægreſſus. XVII. 17. XXXIX. 29.
Hypercatharſis. XVI. 43.
Hypochondriaca affectio. VI. 2. XXXIX. 21. LXI. 5. LXIV. 15.
Hypochondriorum vulnus. Vid. Abdominis.
dolor gravans, & tendens. XXXVI. 11.
dolor quaſi a faſcia circumjecta. XXII. 8.
ad alterum dolor. LXIV. 13.
ad utrumque dolores convulſivi. XXXVIII. 34.
ſenſus auræ, ex ipſis aſcendentis. XVIII. 17. LXIV. 5.
Hypochondrii dexteri dolor. XXIV. 13.
dolor periodicus. I. 4.
tenſio. XXX. 14.
durities maxima. XXX. 14.
tumor, manui renitens. XXIV. 13. XXXVI. 23. 25.
paulatim evaneſcens. XXIV. 13.
Hypochondrii ſiniſtri dolor. XXX. 14. XLVII. 12.
vehemens. XXXVI. 20.
gravativus. XXXVI. 11.
tumor. XXXVI. 17.
magnus. XXXVI. 11.
durus. Ibid.
Hyſtericæ affectiones. XXXIX. 14. XLV. 21. 23. XLVII. 8.
his obnoxiæ. XLVIII. 44.

I

JActatio totius corporis. XX. 9. XXVII. 8. XXXI. 5. XXXIV. 9. XXXVI. 17. XLII. 8. XLIV. 3. LIV. 16.
Icterus. X. 7. XXXVII. 2. 4. 7. XLIX. 10.
Ictericus a morbo color. LIII. 16.
Jejunium. Vid. Inedia.
Ilium os. Ad ejus marginem ſpaſmodicus dolor. LIV. 22.
Inceſſus, ope alterius potiſſimum cruris. XXXIV. 25.
Incubo ſimilis affectio. XVIII. 6.
Inedia. XXIV. 34. LXI. 7.
etiam ſine potu ad dies ſex. XVII. 25.
Infantes. IX. 4. X. 7. 9. XII. 16. XX. 15. XXXI. 5.
Inguinis, aut ad inguen tumor. Vid. Tumor.
Inquietudo. XX. 9. XXI. 23. 44. XXX. 4. XXXVII. 2. XXXVIII. 22. LV. 11.
Ira. XXXV. 16.
Iracundus. XXXV. 2.
Iſchiadicus dolor. XLVII. 8. LVII. 2.
pertinaciſſimus a partu. LXIX. 10.
Jugulum. Ad ipſum evidens pulſatio. XVII. 17.
tumor, ſarcoma mentiens. XVII. 18.

L

LAbores nimii. IX. 14. X. 17. XXI. 6. 27. 30. 36. 49. XXII. 4. XXVII. 12. XXX. 14.
Labrorum livor. XXVI. 21.
ad ipſa puſtulæ. XLII. 2.
Lacrymatio a morbo. XLVII. 12.
morboſa diuturna. XIII. 27.
Lactans. XLVIII. 37.
Lanarii. X. 17. 18. XVI. 28. XXVII. 16. XXXVI. 23. LII. 35. LIV. 46. LXX. 7.
Lanearum telarum tonſor. XVIII. 25.
Languor. LI. 34.
Laniones. XX. 13. XXI. 19. LVIII. 13.
Lapicida. XXI. 35.
Laſſitudinis ſenſus. X. 13. XXIV. 34. XXVI. 13. XXX. 4. LX. 8.
ulceroſæ. XX. 61.
Lepra. XX. 56.
Linguæ ſiccitas. IV. 9. XXI. 17. 29. 30. XXIX. 6. XXXIV. 9. 25. XLVII. 12.
aſperitas. XXX. 4.
rubedo. XLVII. 12.
dolor ingens. XI. 15.
titubantia. IV. 35.
paralyſis. XI. 11.
glandulæ deficientes. LXVIII. 10.
tubercula. LXVIII. 10.
Lini carminator. XXXVI. 11.
Loquela, quaſi a convulſione, vitiata. XXXIV. 25.
vi morbi vix, aut nullo modo intelligibilis facta. XLIV. 15. LXII. 5.
Loquelæ difficultas. XLIV. 3. LVII. 14.
amiſſio. XXVI. 3. LIX. 12.
Lotrix. XVIII. 34.
Lumborum cutis pruritus. XLII. 2.
moleſtus quidam ſenſus. XXVI. 11. XXXVI. 25.
debilitatio. XXVI. 25.
dolor. XVI. 38. 40. XVII. 23. XXIX. 12. XL. 4. 9. 26. LI. 53. LVII. 17.
alterius. XXXIX. 2. XLI. 4.
caloris magni ſenſus. XXXIV. 21.
alterius. XX. 30.
Lumbi vulnus. LIV. 20. 22.
pulſatio. XL. 26.
Lumbi ſiniſtri tumor mollis, modo magis, modo minus apparens. XXXVI. 29.
tumor magnus, coſtas attollens. XL. 26.
Lumbrici cum febre. XLVI. 2.
Lumbrici ejecti ex ore. XXI. 44. XXXIV. 9. XXXV. 14. XLVII. 12. XLVIII. 38. LIV. 49.
per alvum ejecti. XXI. 44.
Luminis horror. VIII. 27.

M

MAcies. XV. 25. XVII. 14. XVIII. 14. 17. 30. XIX. 58. XX. 30. XXI. 17. XXII. 11. 15. 16. 22. XXIV. 16. XXV. 2. XXVI. 13. XXVII. 16. XXVIII. 9.

XXVIII. 9. 10. XXX. 2. XXXII. 7. XXXV. 6. XXXVI. 25. 29. XXXIX. 2. 14. 21. 33. XL. 23. XLII. 15. 20. 28. XLVII. 4. 8. XLVIII. 38. XLIX. 4. 16. 18. LIX. 18. LXI. 2. LXIII. 19. LXV. 3. 5. LXVII. 9. 11. LXVIII. 12. LXX. 5.
lateris præſertim ſiniſtri. XXIX. 14.
ſuperiorum partium. XXXVIII. 30. 34.
Mamillæ virilis tumor prædurus, pugni magnitudine. L. 45.
Mammæ tumor craſſus, durus, cum pungentibus doloribus. L. 48.
inæqualis, & valde dolorificus, exulceratus. L. 41.
Mammæ ictus. L. 48.
Mania. VIII. 2. 4. XLV. 21.
Manus palma alte infixis ligni fragmentis vulnerata. LIV. 44.
Maxilla inferior. Ad ipſam dolor. LVIII. 4.
Melancholicum delirium. VIII. 27. LIX. 15.
Menſtruorum initium tardius. XLVII. 2.
magna imminutio. 5. 4. XIX. 51. XXI. 29.
emanſio XXXV. 16. XXXVI. 17. XXXVIII. 34. XLV. 21. XLVII. 4.
ſuppreſſio. XX. 32.
nimia copia. Vid. Uteri hæmorrhagia.
Mentis obtenebratio levis. X. 13. Vid. Hebetudo.
ſtupor. XXXI. 2.
perturbatio. LII. 38. LVI. 26.
Mercurialium remediorum abuſus. LXV. 3.
Mercurius in metu Iliacæ paſſionis datus. LXX. 5.
Meretrices. XXII. 15. XXVI. 13. XLV. 21. 23. XLVIII. 32.
Miles. XLIII. 17.
Molitores. XXIV. 18. LIV. 37. 39. LXIII. 10.
Monſtroſa. Vid. Fœtus.
Morbi levamen apparens. LIII. 18.
Mors ægri, cum minus expectaretur. XX. 5. XLIX. 2. 10. LI. 57. LIX. 15. LXII. 15.
Mors cita. XXXVI. 17. XXXVII. 4. XLII. 13. XLIII. 5. XLVI. 20. XLVIII. 44. LI. 37. 50. 51. 59. LII. 25. 30. 34. 35. 37. LIII. 7. 26. 33. 40. LIV. 10. 16. 18. 20. 25. 31. 33. 37. 46. LV. 10. 11. LIX. 2. 12. 15. LX. 4. 6. 12. LXII. 2. LXIX. 24.
Mors ſubita. Vid. Apoplexia. Suffocatio. & XVII. 10. 17. XVIII. 2. 8. 14. 25. XXI. 47. XXIV. 13. XXV. 2. 10. 12. XXVI. 3. 5. 7. 9. 11. 15. 17. 19. 21. 29. 31. 33. 35. 37. XXVII. 2. 5. 8. 12. 16. 28. XXVIII. 9. 10. 13. XXX. 20. XXXV. 8. XL. 29. XLII. 11. 34. LIII. 35. 37. LIV. 41. LXIV. 13.
Mors ſubita in venere. XXVI. 13. Vid. etiam 11. 12.
in decubitus mutatione. XX. 17.
a capitis ictu. VIII. 15.
Mortis ſuæ præſenſio. XLVIII. 44. LVII. 10.
Morſus canis. Vid. Canis.
Muliebris Fluor. XXXIX. 33. XLVII. 8. 12. & ſeqq. LXVII. 14.

N

Nares. Ex ipſis duæ, treſve ſanguinis guttæ. XLII. 13.
Narium hæmorrhagia. XXI. 6. XXV. 6. LI. 50. 51. LII. 19. 25. LIV. 35.
non amplius rediens. XXVII. 12.
Narium hæmorrhagiæ obnoxii. III. 24. IX. 25. XL. 2.
Narium polypi. XIV. 18.
pruritus. XXXI. 5.
Natis vulnus. LIV. 22.
Nauſea. XXIX. 10. 12. XXX. 7. XXXIV. 25. XXXIX. 29. 33.
Naura. XLII. 34.
Nephritis. Vid. Ren.
Noſocomia. Diuturnus in his decubitus. XX. 3.
Nupta ſepties. XXXVII. 29.

O

Oblivio. II. 13. XXXVII. 2.
etiam recentis caſus. LI. 9.
Occipitis ictus. LI. 51. LII. 38.
vulnus. LI. 28. 49.
Oculi. Sub ipſis livor. XXXIV. 9.
intra orbitas ſubſidentes. XXXIV. 25. LXX. 5.
fixi, & immoti. IV. 26. 35. LI. 12.
quaſi diverſa tuentes. IV. 35.
convulſivi aliquid oſtendentes. XXXV. 2.
lucentes. IV. 35. VII. 7.
Oculus. Ad ipſum, vulnus pertenue. LI. 57.
ſub ipſo vulnus. LI. 59.
Oculorum dolor. I. 2.
alterius ſævus. LI. 7.
alterius contuſio. LI. 7. 57.
Oculorum contorſio. IV. 28.
rubedo. LII. 10. LX. 2.
inflammatio. XVII. 21. XXV. 6.
alterius XLII. 11.
Œdema plerarumque Partium. XVI. 2.
Œdema artus ſuperioris. L. 48.
brachiorum. XVII. 25.
alterius. XVI. 36. L. 4.
manuum. XXIII. 6.
Œdema artuum inferiorum. L. 48.
quod abierat. LXIX. 16.
alterius. XL. 26. XLII. 11. L. 11. LVI. 10.
femorum. XXXVIII. 30.
crurum. XVII. 25. XXI. 34. 49. XXIII. 4. 6. XXIV. 18. XXXVIII. 30.
alterius cruris & pedis. L. 55.
alterius pedis. XVI. 8.
Œdema pedum. IV. 2. X. 11. XVI. 2. 6. 10. 12. 21. 36. XVIII. 30. XXI. 34. 49. XXI. 4. 14. 16. XXIV. 34. XXX. 12. 14. XXXVI. 4. 25. XXXVIII. 2. 12. 13. 30. 34. XXXIX. 2.
detumeſcens. X. 11.
ex eo ingens ſeri effuſio. IV. 2.
Œdema lumborum, & dorſi. XXXVIII. 30.
penis. X. 11.
ſcroti. XXXVI. 25.
Olfactus privatio. IX. 25.
Omenti pars ex vulnere prodiens. LIV. 6. 10.
Oris diſtorſio. X. 11. XIV. 27. LXII. 5. 11.
adapertio impedita. LXIII. 19.
Os. In eo ſenſus pravi ſaporis. XXIX. 10. XXXIV. 18.
amari ſaporis. XXIX. 12.
Ex ipſo halitus graveolens. XXIX. 10. 12.
aqua ſpumoſa ſubrubra. XXI. 29.
ſanguis. LI. 37. 38. 51. LIV. 35.
Orthopnœa. XV. 6. XVI. 2. 4. 6. 19. 21. 30. 34. XVII. 8. 25. XVIII. 17. 28. 30. XX. 9. 11. 13. 24. 26. 32. 53. XXI. 32. 34. XXII. 12. 22. XXIII. 6. 8. XXIV. 34. XXXVI. 17. XLV. 16. LIV. 10. 20.
noctu præſertim urgens. XXII. 22.
Oſſa flexilia facta, quaſi eſſent cerea. LVIII. 4.
ad ipſa dolores diuturni. Ibid.
in ipſis fracturæ ſenſus in motibus. Ibid.
Oſſa artuum inferiorum, in levi etiam motu dolentia. LVIII. 4.

P

Palatum molle, ab ulcere abſumptum. XXVIII. 12.
Pallor. X. 13. XVI. 14. 30. 38. XXXIV. 23.
Paluſtribus in locis vita ducta. IX. 9. XXII. 8. 10.
Paralyſis. X. 11. LVII. 2. Vid. etiam Hemiplexia:
imperfecta. XI. 22. XLV. 11.
& brevis. XXV. 6.
Paralyſis linguæ. Vid. Linguæ.
colli muſculorum imperfecta. V. 2.
artuum omnium imperfecta. LIII. 2.

a tho-

a thorace deorſum perfecta. LIII. 18.
artuum dexterorum imperfecta. XXIX. 10.
artus ſuperioris alterius. XX. 5. XXX. 4. LI. 28.
imperfecta. L. 48.
manus alterius imperfecta. LI. 44.
artuum inferiorum. XXVI. 21. LII. 25. LXV. 8.
imperfecta. X. 13. LIV. 26. LXII. 15.
pedis. L. 11.
Paraphrenitis. VII. 13.
Parotides glandulæ tumentes. XXII. 18.
Partus difficillimus. LXIX. 10.
præmaturus. XLVIII. 28.
Pectoris. Vid. & Thoracis.
Pectoris ictus. LIII. 32.
compreſſiones. XX. 28.
vulnus. LIII. 24.
ad medium ſternum. LIII. 3.
ad ſterni latus ſiniſtrum. LIII. 29. LXIX. 4.
infra mamillam ſiniſtram. LIII. 26.
ad imum latus. LIII. 40.
Pectoris intumeſcentia a ſiniſtris. XXXI. 2.
ſummi tumor pulſans. XVII. 25. XVIII. 25. XXVI. 5. 9.
imi tumor. X. 13.
pulſatio. XXIV. 34.
magna a ſiniſtris. XVIII. 36.
Pectoris dolor, dorſi vulneri reſpondens. LIII. 18.
in regione cordis. XXIV. 13. XXV. 17. XXVI. 17.
imi dolor acerbus. XXIV. 13. XXXV. 16.
moleſtus ſenſus. XVIII. 28.
ſenſus frigoris. XXV. 6.
Pectoris, & ventris ad communes fines dolor. Vid. Ventris.
Peripneumonia. VI. 10. 12. 14. VII. 4. XX. 2. 5. XXI. 2. 3. 4. 6. 7. 15. 17. 19. 23. 24. 27. 29. 30. 32. 33. 34. 35. 36. XXII. 10. 22. XXXVI. 23. XLV. 16. LXIV. 2. LXVII. 9. LXX. 10. Vid. etiam Thoracis morbus inflammatorius.
Peripneumonia ſub levis catarrhalis affectionis ſpecie latens, & improviſo occidens. XXI. 11.
Peripneumoniæ quodammodo ſimilis morbus. XIX. 58. L. 51.
frequenti obnoxii. VII. 13. XXI. 4.
Peripneumonia prægreſſa. I. 2. XXIV. 2.
nuper prægreſſa. XXII. 6. 8.
Pedis extremi percuſſio. LIV. 29.
calcanei a plauſtri rota compreſſio. LIV. 49.
Phrenitis. VII. 2. 4. 9. 11. 13.
Phthiſici exiſtimati. IV. 21. X. 11. XLIX. 16.
Phthiſis. XXII. 11. 14. 15. 16. XXVI. 29.
Pilæ ligneæ ludus nimius. XXVI. 9.
Pilorum fere omnium, exceptis capillis, defectus. XLVI. 2.
Pinguedo nimia. XIV. 27. XX. 9. XXVII. 2. XXXV. 18. XXXIX. 21. XL. 4. LVII. 10.
Pinguedo artuum, & capitis non reſpondens multæ pinguedini reliqui corporis. XLV. 23.
Piſcator. V. 19.
Plethora. XXI. 27. 29.
Pleuritis. Vid. Thoracis morbus inflammatorius.
Pleuritis recidiva. XXI. 34.
prægreſſa ſine ulla expectoratione. XVI. 12. XXII. 22.
Pleuritis quaſi quædam. XLIII. 29.
Pleuripneumonia. VII. 11. 13. XLV. 16. Vid. & Thoracis morbus inflammatorius.
ſine ulla expectoratione. VII. 11. 13. XLV. 16.
Plumbeus globulus, tormento jactus in femur, in hoc remanens. XXVII. 28.
Poplitis aneuryſma. L. 9. 55.
ſphacelo accedente diſruptum. L. 55.
Potionum refrigerantium abuſus. XXXVIII. 30.
Potulentorum nimia brevi tempore ingurgitatio. XVI. 43.
Præcordia. Ad ipſa gravis quædam ex ambulatione moleſtia. IV. 4.
tremores crebri. XXIX. 10.
Præcordiorum anguſtiæ. XVI. 2. 10. XXXI. 5. LVII. 10.
Pruritus quidam magnus. LIII. 18.
Ptyaliſmus ſalſus. IV. 2.
idem deficiens. Ibid.
Puellus. IX. 4.
Pueri. XIV. 3. XLII. 8.
Puerperæ. XLVI. 27. XLVIII. 44.
Pulſus magnus. XXI. 9. 17. XXX. 7. XXXIV. 25. LI. 17.
plenus. XXI. 30.
turgidus. XLII. 2. 13. LI. 27. 50. LIII. 3. LXIV. 13.
Pulſus parvus. IV. 30. VI. 8. 12. XIV. 35. XVI. 14. 28. XVII. 10. 25. XX. 59. XXI. 4. 23. 29. 30. 32. 36. 44. XXIII. 11. XXIV. 11. 13. 16. XXIX. 6. 12. XXX. 4. 7. XXXI. 2. XXXIV. 11. 18. XXXV. 12. XXXVI. 11. 25. XLII. 13. XLVII. 12. XLIX. 6. 24. LII. 8. LIII. 3. LIV. 20. LIX. 12. LXIV. 7. LXV. 13.
contractus. LV. 10.
ligatus. XVI. 40. XXXV. 2. 16.
quaſi introrſum retractus. XXI. 29. LII. 34.
vix ſenſibilis. XXII. 10. XXIII. 6. XXVI. 21. XXX. 14. XXXVIII. 6. LIII. 3. 40. LIV. 16. 18.
Pulſus vehemens. XVII. 6. XVIII. 30. LI. 17. 27. LII. 28. LIII. 29.
vibratus. VI. 12. XVII. 6. 14. 17. 21. XVIII. 28. 30. XXI. 9. 17. 32. 47. XXIV. 34. XXXIV. 25. XLII. 13. LVIII. 13. LXII. 15.
in arteriis omnibus ab ægro perceptus. XXIV. 34. XXIX. 20.
Pulſus debilis. IV. 30. 35. XI. 13. XVI. 40. 43. XVII. 14. 25. XVIII. 2. XX. 30. 59. XXI. 15. 19. 29. 30. 32. XXIII. 11. XXIV. 11. 13. 16. XXVII. 8. XXIX. 6. 10. 12. XXX. 2. 4. 7. XXXI. 2. XXXIV. 9. 18. 25. XXXV. 12. XXXVIII. 4. 13. 30. XL. 23. XLII. 13. 20. XLVII. 12. XLVIII. 38. LI. 54. LII. 10. LIII. 14. LIV. 20. 31. LVII. 10. LIX. 12. LXIV. 13.
formicans. XXX. 7.
Pulſus durus. VI. 8. XVI. 12. 28. XVII. 6. 10. 14. 17. 19. XX. 9. 32. 33. XXI. 17. 27. 30. 32. 34. XXIX. 20. XXXVI. 11. XLV. 16. LIII. 5. 29. LV. 10. LIX. 12.
tenſus XVII. 21. XXI. 35. LXII. 15.
Pulſus celer. XVII. 6. 10. 19. XX. 9. 30. 59. XXI. 32. XXXI. 2. XXXIV. 23. 25. XXXVI. 11. XLII. 2. XLIX. 6. LI. 27. LIII. 3.
Pulſus frequens. XVI. 2. 30. XVIII. 2. XX. 9. 30. 33. 59. XXI. 9. 15. 17. 19. 23. 29. 30. 32. 36. XXIII. 11. XXIV. 13. XXXI. 2. XXXIV. 9. 29. XXXVIII. 30. XXXIX. 25. XLII. 2. XLVII. 12. XLIX. 10. LII. 8. 28. LIII. 14. 29.
minus tamen, quam cordis. XVI. 30.
Pulſus rarus. XVII. 6. 14. 17. 21.
rariſſimus. LIV. 5.
Pulſus inæqualis. IV. 26. 35. XVI. 30. XVII. 6. 14. 19. XVIII. 2. XX. 9. 30. XXI. 2. 19. 23. 34. 44. XXIII. 6. XXIX. 10. XXXIV. 18. XXXV. 18. XLII. 13.
Pulſus intermittens. IV. 9. VI. 8. XX. 9. 30. XXI. 19. 34. XXII. 22. XXV. 4. XXIX. 10. XXX. 7. XLI. 13. XLV. 16. LVII. 10. LXV. 13.
nonnunquam. XLVIII. 38. LXX. 5.
Pulſus maxime confuſus. XXI. 34.
Pulſus peſſimus factus. LIII. 29.
Pulſus non æque in utroque brachio manifeſtus. IV. 35.
non æque in utroque peccans. XVIII. 30. XXIX. 10. XLII. 13.
Pulſus obſcuratio. VI. 8. XVI. 6. 8. 10. 43. XXIV. 13. XLI. 13. XLIX. 14. 24. LXIV. 7.
Pulſus privatio per intervalla. XXXIV. 25. XLII. 13. XLIX. 14.
Pulſus privatio. IV. 8. XIV. 3. XXI. 33. XXIV. 2. 6. XXIX. 10. XXX. 14. XXXV. 2. 14. XLIII. 5. XLVIII. 44. LXIV. 13. 19.
in carpis. XVIII. 34. XXI. 49.

R

Raucedo. Vid. Vox.
Renum affectionibus obnoxius. XL. 18.

Renum affectiones, multos annos quieſcentes. LVII. 10.
dolores. XL. 2. LVII. 10.
dexteri. XXIX. 10.
calculi. XXIX. 10.
Reſpiratio difficilis. VII. 11. 13. X. 11. XI. 4. 13. XIII. 3. XIV. 27. XV. 15. 25. XVI. 8. 10. 12. 14. 17. 26. 36. XVII. 6. 10. 12. 14. 17. XVIII. 2. 6. 8. 17. 22. 25. 30. 34. XIX. 58. XX. 2. 3. 7. 9. 11. 17. 20. 24. 26. 28. 30. 32. 35. 36. 41. 43. 45. 47. 49. 51. XXI. 9. 19. 23. 24 27. 29. 30. 33 36. 44. 49. XXII. 4. 10. 15. 22. 24. XXIV. 13. 34. XXV. 2. XXVI. 3. 21. 33. XXVII. 12. XXIX. 12. XXX. 4. XXXIV. 25. XXXV. 2. 16. XXXVI. 2. 4. 25. XXXVIII. 2. 4. 6. 12. 13. 15. 16. 18. 22. 52. XL. 23. XLI. 4. XLII. 8. XLIV. 3. XLV. 16. XLVIII. 28. XLIX. 10. 24. L. 4. 48. LI. 6. 17. 20. 30. 50. 54. 59. LII. 8. LIII. 5. 9. 14. 16. 18. 29. LIV. 2. 4. 6. LV. 10. 11. 22. LVI. 7. LVII. 10. LXIV. 5. 19.
Reſpiratio difficilis a cibo potiſſimum. XXVI. 35.
ab aſſumptis dumtaxat calentibus. XVI. 38.
a ſeſſione in lecto. XXXVIII. 4.
a motu. XXXVI. 11.
a motu concitato. XVII. 14. 19. 24. XXVI. 11. 31.
ingraveſcens a motu. XVII. 17. XIX. 8. 51. XXII. 8. 14.
in aſcenſu. LIII. 7.
noctu. XXIV. 34.
minus difficilis facta poſt venæ ſectionem. XXVI. 5.
facilis facta præter rationem. VII. 13.
Reſpiratio difficilis cum ſibilo. XVII. 23. Vid. Aſthma.
cum quodam materiæ ſonitu. XLIX. 10.
cum ſtertore. XLI. 6.
cum brevitate. XVII. 14.
interdum accidens. XXVI. 3. 5. 21. XXIX. 20.
cum dolore. XX. 61.
cum gemitu. XXI. 30.
ſuſpirioſa. XX. 26. XXXVII. 2.
anxia. LXIV. 15.
qualis ſolet in moribundis. XXIV. 13.
erecta cervice. Vid. Orthopnœa.
valde difficilis. XLI. 4. LIII. 32. LIV. 14.
diuturna. LIII. 29.
Reſpiratio frequens. XXI. 17. 23. 30. L. 48.
tarda. XVI. 10. XXVI. 21. LI. 51.
debilis. XXI. 23.
Rhedarius. XX. 2.
Rheumatici dolores. XXVI. 35. XXVII. 8.
Rheumatici viſi dolores. LVII. 17. 20.
Rhododaphnes ſuccus epotus. LIX. 12.
Rigores. XXIX. 12. XLI. 13. LII. 6. LIII. 24. Vid. & Febris.
crebri XXXIV. 21.
periodici quotidiani. XXI. 6. XXXV. 16.
Ructus crebri. XXIX. 6.
amari, aut acidi. XXXIV. 25.

S

SAlſamentarius. IV. 24.
Sanguis e vena inciſa proſilire incipiens, ſed ſtatim impetum amittens. XXXV. 2.
Sanguis miſſus, præniger. LXII. 5.
lente, parumque concreſcens. XXIV. 13.
cruſtam habens craſſam polypoſam. XVII. 17. XXI. 19. 27. 30. 34. XXII. 22. XXXIV. 25. LVIII. 13.
ſed quæ a levi motu in laminas abibat. XXI. 29.
cruſtam tenuem. XXX. 4. LV. 10.
flavam. XXI. 19. 29. 30. XXXIV. 25.
viridem. XXXVIII. 30.
Sanguis habens craſſamentum denſius. XXI. 34. LV. 10.
duriuſculum. XLIV. 3. LXII. 5.
duriſſimum, & nigerrimum. XXI. 27.
diffluens. XXI. 19. 29. XXX. 4.
Sanguis habens ſerum paucum. XLIV. 3. LXII. 5.
ſeri vix quidquam. XXI. 19.
ſeri nihil. XXXIV. 25.
ſerum virideſcens. XXI. 27.
lacteum. XXX. 4.
aurei coloris. XXI. 29.
flavedine lintea inficiens. XXXVII. 2.
Sartores. V. 11. XXVI. 37. LIII. 40
Scabies. XV. 25. XVIII. 2. XXI. 17. XXV. 6. XXXIV. 18. LIII. 26. LV. 10. 11.
reſiccata. X. 9.
repulſa introrſum. XVI. 34. XXXVIII. 22. XLI. 4.
Scabies ſicca, evaneſcens. XXI. 32.
Scapulæ vulnus. Vid. Dorſi.
Screatus puris. XXVIII. 12.
Scrotum nigricans. XLI. 10.
tumens. XLI. 18.
exulceratum. XLII. 28.
habens tuber durum a ſiniſtris. XXXIX. 2.
Secundarum in utero emanſio. XLVIII. 28. 44.
Sedentaria vita. XXXIX. 21. XLII. 13.
Senectus. Vid. Ætas.
Senſus interni torpeſcentes. XLII. 13. LI. 54. LII. 10. 19. 32.
eorum obtenebratio. LI. 18. 38. 39. 45. 54.
amiſſio. LI. 50. 51. 53. 59. LII. 25.
Senſus amiſſio. LIII. 40.
Sincipitis ictus. IX. 16. LI. 6. 11. 20. 35. 50. LII. 15. 19. 35.
vulnus. LI. 2. 9. 14. 18. 19. 26. 32. 54. LII. 2. 8. 10.
Singultus. XXX. 4. XXXI. 5. XXXIV. 9. XLII. 2. XLVIII. 28.
Sitis. IV. 9. VI. 2. X. 13. XVI. 2. 4. 8. 10. 12. 14. 17. 19. 21. 40. 43. XVII. 10. XX. 9 35. 36. 49. 56. 61. XXII. 4. 6. 8. 10. 12. 14. XXIII. 11. XXIV. 2. XXV. 6. XXIX. 6. 10. XXX. 4. 10. XXXIV. 9. 18. 23. XXXV. 14. 16. XXXVI. 2. 4. 11. 25. XXXVIII. 2. 6. 12. 13. 15. 16. 22. 30. 34. XLII. 8. 13. XLVIII. 38. L. 4. 48. LIX. 12. LXV. 8.
Sitis remiſſa, aut ceſſans ante mortem. XXXVIII. 2. 6.
Solitudinis amans. XXXV. 2.
Somnolentia. II. 9. III. 2. 11. IV. 2. VI. 2. IX. 9. XVI. 10. L. 48.
æquo major, a cibo. XXVI. 11.
Somnus laborioſus. XX. 9.
Somnus turbatus. XX. 30.
Somnus. Ad eum proclivitas. XLVII. 12.
Sopor. XLVIII. 12. LII. 23. LVII. 10.
imperfectus. L. 11. LIX. 12. Vid. etiam Coma.
Soporoſa affectio. I. 2. II. 20. VI. 2 4. 6. 8. 10. 12. 14. IX. 23. X. 17. XIV. 5. XXI. 33. XXXVII. 2. XXXVIII. 30. LI. 14. 17. 28. 34. 35. LVII. 14.
Spaſmus. Vid. Convulſio.
Spina. Ad eam internus eroſionis ſenſus. XXIII. 4.
Spinæ totius dolor. II. 20.
ad lumbos tantum. XVI. 40.
ad eoſdem tumor. XII. 16.
ictus. LIV. 25. 26.
Spuma circa os. IV. 4. XVIII. 25. XXVI. 35.
ſanguinolenta. XL. 4.
Sputa copioſa. XIII. 3. XVII. 10. 14. XVIII. 17. XX. 11. 20. 22. 24. 26. 39. XXII. 8. 10. 14. LXIV. 12. Vid. Ptyaliſmus.
ſuppreſſa. XIII. 3. XX. 9. 22. 39. 55.
Sputa ſeroſa. XVII. 6. XX. 26. XXII. 10.
viſcida, lenta, tenacia. XX. 26. XLII. 2.
craſſa. XVII. 10. 14. XVIII. 25. 34. XX. 9. 39. 49 XXI. 19. 30. XXII. 14. XXXV. 16.
craſſa, & pravi ſaporis. LXV. 3.
catarrhalia. XX. 32. 39. XXXVI. 4. XXXVIII. 6. 12. 13. XL. 23. L. 4. LXVIII. 12.
catarrhalia cruenta. XX. 32.
Sputa cruenta. XVI. 28. XVIII. 30. 39. 43. 57. XX. 3. 28. 33. XXI. 19. 35. 44. XXXV. 16. LIII. 14. 29. LIV. 39. LXV. 19. LXX. 7.
cruenta viſcida. XXI. 34.
cruenta ſpumoſa. XXXVI. 17.
cruenta cinerea. LIII. 29.
Sputa roſea ſpumoſa. XX. 17.
ex rubro flava. XIII. 3.
flava. XX. 9. 39.
ex flavo variegata, ſpumoſa. XXI. 30.
varie colorata. XXII. 24.
ad viride inclinantia. XX. 3.
cinerea, & livida. XXI. 32. LXIV. 5.

livi-

livida fluida. XX. 9.
flava fluida. XXI. 30.
rufa fluida. XVI. 36.
nigra. XXI. 32.
alba, non concocta. XXI. 44.
Sputa in morbis thoracis inflammatoriis æquo pauciora. XX. 13. 41. 47. 51. 55. XXI. 34.
nulla. XX. 17. 35. 45. 63. XLV. 16.
imminuta. XXI. 19.
non pergentia. XXI. 35.
Sputum ſanguinis. XVII. 14. 23. XXII. 4. 14. 15. 16. XXVI. 3. XXXI. 14. LIII. 18.
fruſti oſſei. XXII. 24.
Sputa puriformia. LXIV. 12.
quaſi purulenta. XVII. 25. XVIII. 34. 35.
quaſi purulenta, & interdum cruenta. XVI. 19.
Sputa purulenta, & cruenta. XV. 15.
purulenta & rotunda. XX. 61.
purulenta. XX. 5. XXI. 32. XXII. 6. 11. 14. 15. 16. 24. LI. 18. 19. 20. LIV. 6. LVIII. 13.
ſuppreſſa. XX. 5. XLVIII. 37.
Sputa grave olentia. XX. 26. XXI. 32.
materiæ illaudabilis. XXVI. 33.
materiæ, ſanguine nonnihil tinctæ. LII. 15.
gelatinæ ſubrubræ. XVII. 21.
particularum albarum quaſi polypoſarum. XXI. 19.
ſalivæ erodentis. XVIII. 17.
Stabularius. IV. 19.
Sterilitas. XX. 7. XXXVI. 17. XLVI. 20. LV. 10.
Sterni a primordiis depreſſio. L. 46.
Sternutatio nimia. XIV. 27. XXVII. 28.
Stertor. VI. 12. XIII. 3. XVII. 14. 19. XVIII. 25. XX. 9. 15. 17. XXI. 9. 17. 23. XXVII. 2. XLI. 6. LII. 6. LIV. 49.
Strangulationis ſenſus. XX. 26.
Strumæ. XXI. 36. L. 29.
Stultitia. I. 10. VIII. 6. 8. 9. 11. 12. 15. LII. 4. LXI. 2. 5. 7. Vid. & Mania.
Stupor. IV. 26. 27. XI. 22. XXV. 6. LI. 9. 25. 33. LII. 38. LIV. 18.
Stupor alterius brachii. XXVI. 31.
artuum inferiorum. LIII. 18.
Sudor plurimus. X. 2. XXI. 30.
Sudores frigidi. XXIX. 8.
Sudores nocturni. XXII. 14.
Suffocati inſtar, mortuus. LXIV. 5.
Suffocatio. VIII. 4. XV. 13. XVIII. 28. XIX. 49. 50. 51. XXI. 32. XXII. 4. XXVIII. 9. 10. 12. XXXVIII. 30. XLIV. 3. XLIX. 32. LIII. 21. 26.
Suffocatio a laqueo. XIX. 3. 5. 7. 8. 13. 15. 17. 19. 20.
Suffocationis ſenſus. XXII. 22. 24. XXVIII. 30. XLV. 23.
periculum a levi quolibet motu. XVII. 25.
a deglutitionis motu. Ibid.
Sulphur in vino epotum. LV. 10. 11.
Supercilii ictus. LI. 39.
vulnus. LI. 7. 17. 33.
Surditas. IV. 8. XIV. 3.
imperfecta. IV. 11. LVII. 10.
Surditas in febribus, aliiſve morbis accidens. VI. 4. XXI. 24. XXXI. 2. LI. 2. 12.
Suſpendium. Vid. Suffocatio a laqueo.
Suſpirioſæ voces. LI. 14.
Sutores. XVIII. 2. XXIV. 34. XXXVII. 30. LXIX. 4.

T

Tabacci abuſus. II. 19. V. 2. LV. 10.
Tabes. XLVII. 4.
Tarditas ad reſpondendum. IX. 20. XIII. 3. LI. 6. 44.
ſingularis. XII. 14.
Temporalis muſculi vulnus. LI. 44. 45. LII. 6.
Temporalium arteriarum evidens pulſatio. XVII. 17.
Temporis ictus. LII. 30. LXIX. 2.
Temporum livor. LI. 37.
Tenſionum quarundam per corpus ſenſus. LI. 9.
Terror. XXII. 18. XXXVII. 4. LXII. 5.
Tetanus. X. 2. XX. 28. LIV. 49.
Textrix. XXVI. 17.
Thermalium balneorum abuſus. Vid. Euganeorum.
Thoracis pars altera depreſſior. IX. 4.
altera in parte immoderati caloris ſenſus. XVI. 2.
Thoracis anguſtiæ ſenſus. XIV. 27. XVII. 10. 21. 23. XVIII. 17. XXI. 49. XXII. 10. 22. XXV. 4. XXVI. 31. XXVII. 8. XXIX. 20. XXXVI. 17. XLIX. 24.
oppreſſionis ſenſus. XVII. 6. 8. 9. 21. XL. 23.
in altera parte. XVI. 12.
ponderis ſenſus. XV. 25. XVI. 4. 36. XXI. 49. XXII. 8. 12. XLV. 16. LI. 20. LIII. 14. LV. 22.
in altera parte. XX. 32.
repletionis ſenſus. XVII. 21.
fluctuationis ſenſus. XVI. 36.
ardoris, & irritationis ſenſus in altera parte. XX. 32.
Thoracis dolor. XX. 24. 28. 35. 51. XXII. 4. 16. 18.
in parte altera. XVI. 17. XX. 7. 13. 22. 45. 49. 61. XXII. 10. 15. 16. XLIX. 10. LI. 6. LIV. 6.
ad ſternum. VI. 12. XX. 11. 13. XXI. 30. XXVII. 8.
a ſterno uſque ad medium abdominis. XX. 45.
a ſterno repente ad caput aſcendens. XXV. 6.
in medio thoracis. XX. 53.
ad imam thoracis partem. XVIII. 2.
zonæ inſtar. XX. 56.
ad ſcapulam vergens. XX. 9.
imæ thoracis Spinæ. X. 13.
alterius lateris. VI. 10. VII. 11. XX. 3. XXXVIII. 15. 16.
Thoracis dolor pungens. XXI. 30. 36.
alterius lateris. XVII. 14. XX. 9. 35. 39. 41. 43. 47. 49. 55. XXI. 17. 19. 23. 29. 32. 33. 35. XXII. 22. LIII. 5.
conſopitus. XX. 9.
abiens præter rationem. XX. 47. XXI. 32.
gravans. XVII. 6. XX. 56. XXI. 27. 34. 49.
in altera parte. XVII. 14. XX. 5. 9. 33. XXI. 34. LIII. 5.
erodens. XXIII. 42.
vagus. XI. 11.
in una primum, tum & in altera thoracis parte. XX. 16. 20. XXI. 27.
dolor nonnullus. XVII. 19.
in altera parte. XX. 17.
obtuſus. XXI. 44.
ad tactum creſcens. XX. 59. XXI. 29.
Thoracis dolor citius recedens. VI. 12. VII. 4. XXI. 44
remitttens a venæ ſectione. XX. 49.
remittens præter rationem. XX. 41.
Thoracis dolores quidam interni. IV. 21. XX. 63. XXI. 24. XXXVIII. 18.
in altera parte. XXI. 47.
Thoracis morbus inflammatorius. XX. 3. 7. 9. 11. 13. 15. 16. 17. 20. 22. 24. 26. 28. 30. 33. 35. 36. 39. 41. 43. 45. 47. 49. 51. 53. 55. 56. 59. 61. XXI. 44. 45. XXII. 16. XXXVII. 29. XLVIII. 32. LII. 15. Vid. etiam Peripneumonia. Pleuripneumonia. Pleuritis.
Thoracis vulnus. XXI. 28. Vid. Dorſi.
ictus alterius lateris. LI. 6. LIII. 5. 9.
compreſſio a ſuperductis carri rotis. LIII. 33.
Tibiæ dolores. Vid. Crurum.
Timor. LXVIII. 12.
Timori nimio præter rationem obnoxii. XLV. 23.
Tonſor. LX. 12.
Torpor alterius lateris. X. 11.
Tremor. IV. 11. V. 17. XII. 16. XXVI. 15. XXXVIII. 30. LI. 12.
nocturnus. XXXIV. 23.
ingens. IX. 20.
convulſivus. XXI. 34. XXX. 4. XLI. 13. LI. 54. LIV. 2. 37. 49. LXII. 5.
Triremibus damnati. LXI. 5. LXVI. 9.
Triſtitia. XII. 16. XXXV. 2. 16. XLII. 2. LVII. 10.
Tubicen. XVIII. 22.
Tumor univerſi corporis. XLI. 4. LIV. 2.
Tumor cancroſus. Vid. Cancroſus.
Talpa dictus, in abſceſſum degenerans. XXIV. 11.
Tumor buccæ. IV. 24.
pone aurem. XIV. 3.
in occipite. XXIV. 11. LII. 38.
in collo parvus ad latus oſſis hyoidis. L. 18.
alii Vid. Bronchocele. Strumæ.
mammæ. Vid. Mammæ, & Mamillæ.

inguinis parvus. XXI. 19.
ad inguen. LVII. 17. 20.
e nate pendens magnus. L. 23.
femoris prædurus. L. 60.
meliceridem mentiens. LXVIII. 6.
in genu. L. 20.
e crure pendens. LXVIII. 8.
ad malleolum exiguus, ſed maxime dolorificus. L. 15. LVIII. 8.
Tumores ſubcutanei per collum, pectus, abdomen, dorſum. LXVIII. 12.
Tuſſis. XIII. 3. XV. 6. 25. XVI. 2. 8. 10. 19. 21. XVII. 6. 10. 14. 17. 25. XVIII. 2. XIX. 8. XX. 3. 7. 9. 13. 16. 22. 28. 33. 35. 36. 39. 41. 43. 45. 47. 51. 55. XXI. 19. 24. 30. 32. 33. 34. 44. XXII. 4. 6. 8. 10. 14. 15. 16. XXVIII. 12. XXXI. 5. XXXV. 16. XXXVI. 4. XXXVIII. 6. 13. 18. 30. LI. 20. LIII. 14. 18. LIV. 39. LVI. 7. LXIV. 5. 13.
Tuſſis ſicca. XVI. 6. 38. XVIII. 17. XIX. 58. XX. 2. 30. 49. 56. 59. XXI. 27. 29. 32. XXIV. 2. XXVI. 35. XXXVIII. 12. 16. LI. 19. LIII. 16.
ferina. XVIII. 17.
vix ferenda. LIII. 3. LVIII. 13.
ſuffocans. XXVI. 35. XXXVIII. 13.
aſſidua. XL. 23. LVIII. 13.
frequens. XX. 9. LIV. 6.
rara. XLVIII. 38.
levis. XLVIII. 38. LXVIII. 12.
antiqua. LIII. 29.
Tuſſi obnoxii. XXI. 27.

V

Vacillatio. XXV. 2. 6.
Valetudinarii. XVII. 10. XXVI. 29. XXVII. 2. XXXVI. 11. 23.
Vaniloquium. VII. 17. X. 11. XXXIV. 25. XXXIX. 25. LXIV. 5.
Variolæ. XLIX. 32.
Variolarum reliquiæ. XIV. 3.
Venatores. XXXIV. 21. XXXVI. 11.
Venena ſumpta. Arſenicum. LIX. 3. Vid. & Rhododaphnes.
Venerea in re intemperantia. IV. 11. XVII. 17. XVIII. 30. XX. 26. XXVII. 28.
in ea mors. XXVI. 13.
Venerea lues. I. 14. XVII. 25. XXI. 36. XXII. 10. 11. XXV. 6. XXVI. 35. XXVII. 28. XL. 26. 29. XLII. 39. 40. XLIV. 15. XLVII. 28. LIII. 7. LVIII. 8. 11. 13. LXIX. 2. 16.
Vid. Bubones. Gonorrhœa. Cranii Gummata, & Caries. Crurum Dolores.
Ventriculi debilitas. XXV. 4. XXIX. 6. XXXIV. 23.
languor. V. 17.
levis perturbatio. LII. 23.
angor. LXV. 3.
pulſatio. XXIX. 10.
ſenſus plenitudinis. XXX. 4.
ſenſus ardoris. XXIX. 10. LV. 11.
Ventriculi dolor. XXV. 2. XXIX. 6. 8. 10. 12. 14. 18. 20. XXX. 4. 7. 14. 16. XXXV. 14.
a ſale abſinthii. XXX. 2.
a cibo. XXXVI. 2. LIX. 3.
Ventriculi dolor magnus. LIII. 16.
acerbiſſimus. XXXVI. 2. LIV. 14.
per intervalla diuturnus. LXV. 13.
Ventriculi tenſio moleſtiſſima. XLVII. 8.
Venter. De eo querelæ. XVI. 40.
durus. XXXIV. 5. Vid. Hypochondria.
reſonans ad manus ictum. XXXIV. 9. 18. XXXVIII. 30.
Ventris tumor univerſalis. X. 11. 13. XVI. 4. 10. XVII. 10. XXII. 4. 6. XXIII. 6. XXXIV. 18. XXXVIII. 2. 22. 30. 34. 51. 52. XXXIX. 39. XLI. 10. XLVII. 8. XLVIII. 28. LIII. 16.
tumor magnus. XXXIX. 2.
ingens, ſed mollis. XXXVIII. 6.
univerſalis repentinus. XXXVI. 4. LIII. 18. LIV. 18. 39.
tumor levis. XX. 16. XXI. 34. XLII. 8. XLIII. 27.
Ventris diſtentio. XXXIV. 18. XXXV. 14.
detumefactio. XXIX. 6.
tenſio. XVII. 6. XXIX. 6. XXXIV. 9. XXXV. 2. XXXIX. 9. LIII. 18. LIV. 18. 39.
ingens a cibi ſumptione. XVII. 10.
a ſiniſtris præſertim. LXVIII. 12.
Ventris tumor in epigaſtrio durus. XXXVI. 25.
inter ſternum, & umbilicum inæqualis. XXXVIII. 52.
& mobilis. XXXIX. 21.
ſupra umbilicum a dextris. XLVIII. 55.
ad umbilici latus inæqualis. XXXVIII. 51.
in regione umbilicali. XXXIX. 5.
ad umbilicum, & infra, dexterius. XXIX. 14.
ad iliacam regionem. XXXIV. 25.
in hypogaſtrio. XXXIX. 33. 37.
durus. XXXIX. 29.
mobilis. XXXIX. 12.
ex mobili immobilis factus. Ibid.
ſuppuratus, pus, & urinam effundens. XLII. 20.
inſtabilis protuberantia; in epigaſtrio autem perpetua depreſſio. XXXIX. 14.
ad inguina. XXXIX. 42.
Ventris tumor ſic ſatis mobilis. XXIX. 14.
inæqualis, & tactui cedens. XLVIII. 55.
Ventris intumeſcentia ad ventriculi regionem. LIV. 6.
globuli quidam mobiles. XXIX. 6.
Ventris durities. XXX. 14.
in quaſi toto dextro latere. XXXVI. 2.
in epigaſtrio. XVI. 26. XXIX. 6.
circa umbilicum. XXI. 49.
ad iliacam regionem. XXXIV. 25.
ad uteri regionem. XXXIX. 12.
Ventris dolores. XXXIV. 5. 9. 11. XXXV. 18. XXXVIII. 30. XXXIX. 9. 21. XLVII. 14. LI. 20. LIV. 16. 35. 39. LIX. 15.
per intervalla acerbiores. XLII. 13.
certa hora a cibo recurrentes. XXXV. 6. XXXIX. 14.
ingentes, profundique. XXXIV. 27.
vehementes. LIV. 20.
quaſi ut a morſibus. XXXIV. 9. 18. 25. XXXV. 6. 16. XLII 13.
pungentes. XX. 9. XXXIV. 21.
vagi, mox fixi. XXXIV. 23.
Ventris dolor in epigaſtrio. XX. 30. XXXVI. 4. XXXVIII. 30. XLIII. 5.
ad regionem ſtomachi. XXXVII. 2.
ad ſcrobiculum cordis. XLII. 13.
ad hypochondria. Vid. Hypochondria.
infra hypochondria. LXV. 8.
in umbilicali regione. XXXV. 2. 16.
ad ilia. XX. 43. XXXIV. 25.
in hypogaſtrio. XXXV. 14. XLII. 8. XLVII. 8. LXVI. 2.
noctu acerbiſſimus. XXXIX. 33.
ad uteri regionem, pungens. XXXIX. 12.
in toto pene dextro latere, ad tactum. XXVI. 2.
Ventris, & pectoris in communibus finibus dolor. XXX. 10.
Ventris moleſtus internus ſenſus ad ſcrobiculum cordis. LXX. 5.
ſupra umbilicum. X. 11.
ponderis ſenſus. XL. 9. LIII. 3.
ad iliacam regionem. XXXIV. 25.
in hypogaſtrio. LIV. 14.
in ventris imo. XXIX. 10. XLVII. 8.
circa pubem ardoris ſenſus. XLII. 13.
moleſtus bullarum ſenſus ſub hypochondrio dextero. LII. 8.
ſenſus effuſi humoris, ventre agitato. XXIX. 6.
magna ſupra umbilicum pulſatio. XXIV. 34.
Ventris dolor cito occidens. XXXIV. 23. XXXVI. 20.
citiſſime. XXXV. 2. 10.
ſenſim deficiens. XXXVI. 4.
Ventris crebri rugitus. XXIX. 6.

Ven-

Ventris vulnus. LXVI. 9. Vid. Abdominis.
Ventris a ſuper ducta currus rota compreſſio. XL. 26. LIV. 16.
Ventus frigidus. XXVI. 33.
Vermes. Vid. Lumbrici.
Vertigines. I. 6. II. 9. 22. III. 16. IV. 11. VI. 2. 6. X. 11. XVIII. 2. XXV. 2. XXVII. 2. LXIV. 5.
Veſicæ dolores. XLII. 4. 15. 20. 25. 28.
calculus. XLII. 13.
calculi modo percepti, modo non. XLII. 8.
cum longo, & magno ægri cruciatu extracti. XLV. 8.
Viduæ. XXVI. 17. XXXV. 16.
Vigiliæ. XI. 2. XV. 6. XVIII. 17. XIX. 58. XX. 33. XXIX. 10. XLII. 2. XLVII. 8. XLIX. 14. L. 48. LII. 8. LXVIII. 12.
menſem durantes. L. 11.
Vini abuſus. III. 2. 6. IV. 16. 19. V. 2. 11. VI. 8. VII. 11. XIV. 27. XVII. 21. XVIII. 25. 30. XXI. 4. 32. 49. XXIV. 34. XXVI. 9. 13. 37. XXVII. 28. XXIX. 12. XXXIV. 23. 25. XXXV. 10. 14. XXXVII. 29. XXXVIII. 18. XLIV. 3. XLV. 21. 23. LII. 30. LV. 10. 11.
Vid. Biboſi. Ebrietas. Ebrioſi.
Vini novi uſus. XXVI. 37. XXVII. 2.
Vini ſpiritus abuſus. XXVII. 28. XXXV. 14.
Virgines. VIII. 2. X. 5. XV. 13. XVI. 17. 19. 34. 43. XVII. 10. 12. XIX. 51. XX. 11. 16. 32. 43. XXI. 27. 29. XXII. 16. 18. XXXIV. 33. XXXVI. 20. XXXVIII. 34. XL. 9. XLVII. 2. 4. 12. 14. 23. LXI. 7.
Virium languor. XXV. 2. XXXIV. 23. L. 11. 48.
repentinus. IV. 30. XXV. 2.
Virium proſtratio. XX. 41. XXI. 44. XXII. 22. LIII. 3. 40. LIX. 3. LXV. 13.
Viſcerum e ſuis ſedibus prolapſorum ſenſus. XXXIX. 14.
Viſionis vitium. II. 13.
imminutio magna. XIII. 15.
abolitio. Vid. Amauroſis. Cæcitas.
Ulcera. Vid. Crurum. Faucium.
antiqua exſiccata. IV. 7. XII. 2.
occluſa. IV. 13. 30. 35.
Ulcus areſcens. L. 48.
Umbilicus. Vulnus ad ipſum, prægreſſum. XXXVIII. 15.
Ungues lividi. XXIX. 10.
Volvulus. XXXIV. 5. 9. 11. 15. 18. 21. 25. XXXIX. 29.
Vomendi voluntas. XXIX. 14. LII. 2.
irritatio inanis. LI. 5.
conatus aſſiduus. XXX. 10.
Vomitus. I. 2. IV. 35. XX. 30. XXIX. 10. XXX. 12. 20. XXXIV. 15. 27. 33. XXXV. 14. XXXVI. 2. XXXVII. 2. XXXIX. 12. 33. XL. 9. XLI. 4. XLII. 2. 8. 20. XLVII. 8. XLVIII. 38. LI. 2. 9. 18. 32. 33. 34. 38. 50. 51. LII. 15. 19. 32. 34. LIII. 26. 40. LIV. 6. 8. 10. 14. 20. 31. 35. LIV. 37. 39. 49. LV. 10. 11. LIX. 3. 12. 15. LXV. 3.
Vomitus maxime diuturnus. XXX. 7.
contumaciſſimus. XXXIX. 21.
maxima copia. XXX. 4. XXXVI. 26. XXXIX. 29.
aliquot a cibo horis. XXIX. 6. XXX. 7. 14. XXXIV. 11.
ſuppreſſus. I. 4.
Vomitus alimentorum omnium contumaciſſimus. LXX. 5.
ſolidorum alimentorum. XLV. 33.
certorum dumtaxat ex pluribus. XLVII. 8.
cibi vel poſt biduum nihil mutati. XXXIX. 21.
imo vel poſt dies quinque. XLII. 2.
Vomitus lumbricorum. XLVIII. 38.
excrementorum. Vid. Volvulus.
globi, intra triduum duriſſimi facti. XXX. 7.
Vomitus materiæ craſſæ & viſcidæ, matutinus. Ibid. & XX. 9.
amaræ. XXXIV. 9.
ſubobſcuræ. XXXVII. 2.
paucæ, ex viridi quaſi nigreſcentis. LIX. 15.
Vomitus humorum varii coloris. XXX. 14.
bilioſorum. X. 13. XX. 9. XXIX. 10. XXXIV. 23. LI. 30. LIV. 35. LXV. 13.
bilioſorum, & viridium. VII. 13.
ſubflavorum. XXXIV. 9.
viridium. XVIII. 2. XXIX. 18.
porraceorum. XXX. 4. XXXV. 2.
Vomitus humoris aquei, & fere amari. XXX. 10.
nunquam amari. XXXIX. 21.
æruginoſi. XVI. 8. XXXV. 2.
ex atro ferruginei. Ibid.
quaſi fuligine infecti. XXIX. 6. XXX. 2. XXXIV. 7.
nigreſcentis, & fœtidi. XXXIX. 25.
nigri. XXXVIII. 52.
atramento ſimillimi. XXX. 16.
inſtar aquæ in qua chocolata ſoluta ſit. XXX. 4.
inſtar loturæ carnis. XLIX. 6.
odore putridæ carnis. XXIX. 6.
innatantibus quaſi membranarum particulis. XXX. 4. 14.
Vomitus ſanguinis. XXIX. 12. XXXVI. 11. XL. 2. LI. 6.
materiæ nonnihil cruentæ. LII. 15.
rubicundæ. LI. 54.
Vox rauca. XVIII. 25. XXII. 24.
clangoſa. VII. 13. XX. 26.
humilis. IV. 26. XV. 13. XXIX. 10.
imminuta, & facta quaſi fœminea. XVII. 19.
obſcura. XVIII. 25.
amiſſa. XXVIII. 9. 10. Vid. Aphonia.
Urinæ copia. XXI. 36. XXIX. 6. XLII. 13. LVII. 10.
imminutio. X. 11. XXI. 30. 49. XXIX. 6. XXXVIII. 16. 30. 34. LVII. 10.
ſuppreſſio. X. 13. XXXIV. 7. XXXV. 18. XL. 4. XLI. 4. 6. 8. 10. 13. LIII. 18. LIV. 20. 22. 26.
incontinentia. IV. 9. 19. XLII. 2. 8. XLVII. 12. LII. 34. LIII. 40.
ſtillicidium. XXXIX. 33. LVI. 12.
crebrior excretio. XXXIX. 2. XLI. 13.
Urinæ reddendæ difficultas. XXXIX. 5. XL. 4. XLI 6. XLII. 28. 34. XLIV. 15. XLVII. 8.
a cathetere ſemel immiſſo levior facta. LXII. 13.
periodice rediens. IV. 2.
cum dolore. XLI. 4. XLII. 2. 13. 15. 20.
acerbiſſimo. LXVI. 2.
Urinæ vitia. IV. 13.
Urinæ cum ardoris ſenſu redditæ. XXIX. 18. XLII. 11.
flammeæ. XXXVIII. 30.
rubræ. XX. 30. XXXVIII. 34.
ex rubro fuſcæ. XXXV. 2.
rubellæ. XXI. 30.
inſtar loturæ carnis. LIV. 26.
ſaturo colore. XXXIV. 9. XXXVIII. 30.
ſaturati lixivii ſimiles. XLI. 4.
quales in ictericis. XXX. 14.
decolores. XIII. 3.
ex ſubflavo albicantes. XLII. 13.
turbatæ. XXI. 30. XXXV. 2.
craſſæ. LXIV. 7.
cum filamentis quibuſdam. XLII. 8.
putridis. XLVII. 8.
ex aquoſis, & paucis factæ mucilaginoſæ, & multæ. XL. 2.
Urinæ cum ſedimento quaſi lacteo. LXIV. 7.
albo modo tenui, modo lento. XLII. 13.
ſanguineo, ſub colore tabacci. XXXVIII. 30.
Urinæ fœtidæ. XL. 4. XLII. 13. 20. 25.
purulentæ. XL. 4. XLII. 2. 15. 20. LIII. 14. LXVI. 2.
Urinæ interdum ſanguinolentæ. XLII. 8.
cum pauco ſanguine. XLI. 13.
cum ſanguine fœtido. XLVII. 8.
cum tenuibus quaſi membranulis. XLI. 13.

Uri-

Urinariarum partium vitia. IX. 12. XLII. 4.
Uteri prolapſus. XLV. 11.
prolapſui obnoxiæ. XXII. 22. XLV. 16.
Uteri hæmorrhagia. XXXIX. 33. XLVII. 8.
vel in aſphyxia perſeverans. XLVIII. 44.
fluor. Vid. Muliebris Fluor.
Uterus. Ex eo fœtida materia defluens. XLVIII. 28.
Vulnera. Vid. ſingula ſuis locis.
Vulnera anguſta. LIV. 44.
anguſta, & obliqua. LIV. 35.
Vulneris labra, aut vicina loca intumeſcentia. LI. 2. 15. 26. 27. 49. LII. 6. LIII. 14.
a repreſſa hæmorrhagia. LIII. 12.
Vulneris fœtor magnus. LI. 26.
color non bonus. LI. 27. LII. 10. 23.
livor. LI. 14. LII. 2.
gangræna. LI. 3. 9. 11.
formicationis ſenſus. LI. 32.
Vulnus valde dolens. LII. 28. LIV. 8. LV. 22.
tactum non ferens. LI. 28. LIV. 22. 29.
ſubaridum. LII. 10. 28.
aridum. LII. 2.
aridum, & pallidum. LI. 34.
ſine pure, & ſeparatione. LIV. 29.
Vulnus. Ex eo ſanguis quotidie effluens. LIII. 12.
pus paucum, & ichoris ſimile. LIV. 44.
ichor valde fœtidus. LI. 14.
ſeroſus, & ſanguinolentus. LI. 15.
ſanies multa. LI. 18. LIII. 12.
materia mentiens alvi fæces. LIV. 4.
Vulnus, cui ſubjectum os ſublividum. LII. 10.
os fuſcum. LII. 23.
cui, oſſe detecto, cicatrix induci nunquam potuit. LI. 19.



I N-

INDEX
TERTIUS
Eorum eſt quæ præter naturam in cadaveribus intus, extraque obſervata ſunt.

Romani numeri Epiſtolas; barbari autem articulos indicant.

A

ABdomen lividum. XXI. 9. XXII. 22. XXXV. 14.
ad ilia. XXI. 30. XLVII. 12.
ſublividum ad ile alterum cum flaccido tumore. XXI. 19.
virens. LIV. 39.
tenſum. XXVI. 13.
valde tenſum. LIV. 16.
tumidum. XXX. 4. LII. 8. 30. LIV. 39. 49. LV. 10.
ab epigaſtrio deorſum. XXI. 24.
mire tumidum. XLVIII. 44.
minus tumidum factum in cadavere. XXII. 6. XXXV. 14. XXXVIII. 52. XXXIX. 9.
Abdominis muſculi lividi. XXVIII. 12. LI. 19.
contuſi, XLIX. 6.
ſugillati certo loco a parte interiore. LIV. 49.
laxi, & ad imum ſubvirides. XXXVI. 23.
fœtentes. XXVIII. 12.
ſanguine ad non breve ſpatium imbuti. LIV. 8.
Abdominis muſculi. Inter eos ſerum. XXXVIII. 2.
multum. XXXVIII. 6.
ſanguinis grumi. XLVII. 36.
concreti multum. LIV. 2.
ſub ipſis aqua plurima putidiſſima. XXXVIII. 51. 52.
Adipoſæ membranæ cellulæ, pro pinguedine aquam habentes. IV. 24. 30. XVII. 25. XXVI. 9. XXXVIII. 26.
in altero artu ſuperiore. L. 4.
Adipoſæ membranæ Excreſcentiæ. Vid. Tumor.
Aneuryſmata. Vid. Aortæ Aneuryſma.
Aorta exterius quaſi tuberoſa. IV. 21.
perrupta. XXVI. 7. 15. 17. 21. XXVII. 28. LIII. 7. Vid. Aortæ aneuryſma.
pertuſa intra pericardium. LXIV. 13.
in thorace ſiniſterior, quam ſolet. LVI. 18.
Aorta Deſcendens tortuoſa. IV. 16. XIX. 58. XXXVII. 30. XLII. 34.
inflexa. LXVII. 11.
aliquem ad tractum a ſua ſede diſjuncta. XVII. 6.
in tranſverſum rupta. LIII. 35.
Aorta anguſtior. XVIII. 2. XXI. 36. XXIII. 4. XXX. 12. XXXVIII. 34. XLV. 23. LIV. 37. LV. 10. LVI. 10. LXVI. 8.
latior. XXI. 17. XXIII. 6. XXVII. 28. XXXVII. 30. XLII. 34. XLIII. 17.
latior aliquanto, quam par ſit, ſupra cor. XLIV. 3. 19. LXIV. 5.
Aorta dilatata. LXX. 5.
dilatata valde. XVII. 21. LXIV. 12.
ſtatim ſupra cor. IV. 24. XXV. 10. LVI. 21.
paulo ſupra cor. XLII. 39. LXIX. 2.
a corde ad curvaturam. XXVI. 33. 35. XL. 23.
in curvatura. & ultra. XXVI. 31. XLV. 23. LXVII. 14.
uſque ad diaphragma. LXIV. 13.
uſque ad Emulgentes. XXVI. 21. LVIII. 10.
ab Emulgentibus ad magnum Iliacarum tractum. XXXVIII. 40.
Aortæ aneuryſma prope cor. XVII. 17. 23. XVIII. 17. 28.
ſacculi inſtar, perruptum. XXVI. 13.
a corde ad totam curvaturam. XVIII. 34.
ad diaphragma uſque, exulceratum: & diſruptum. XVII. 14.
ad Emulgentes uſque. XVIII. 30.
Aortæ aneuryſma ad curvaturam. LVIII. 13.
ſacci ingentis inſtar. XVII. 25. XVIII. 25.
in ipſa curvatura. XVIII. 22. L. 9.
magnum in pericardio diſruptum. XXVI. 5. 19.
exterius diſruptum. XXVI. 9.
duplex in thorace inchoatum. LXIV. 13.
prope diaphragma in thorace perruptum. XXVI. 11.
ſtatim ſub diaphragmate, & per hoc in thorace perruptum. XL. 29.
inter diaphragmatis appendices incipiens, & dimidium ventris occupans. XL. 26.
paulo ſupra diviſionem in Iliacas. XXXVIII. 40.
Aortæ ramorum aneuryſmata. Vid. Brachialem, Cruralem, Poplitæam Subclaviam arteriam.
Aortæ tunicæ æquo tenuiores. XXVII. 12.
parietes ab uno latere ad angulum convenientes. LXV. 5.
Aorta intus certum ad tractum reticulata ex albis extantibus fibris. LIII. 37.
fibras quaſi diſtractas oſtendens. XVIII. 34. LVI. 12.
quaſi lineas & ſulcos ſecundum longitudinem exhibens. XVIII. 34. XXIII. 6. XXIV. 34. XXVI. 13. 21. XXVII. 12. XLV. 23. LIV. 37.
alioſque ſulcos in tranſverſum. XXVI. 13.
rugoſa. IV. 21.
certo loco. XLII. 34.
inæqualis. XXI. 47. XXIII. 8. XXVI. 21. 33. 35. XXXVIII. 40. XLII. 39. XLIII. 24. LVIII. 13. LX. 8. LXVII. 11. 14.
inæqualis, & ſubflava. XXIII. 4. XXV. 10.
colore alieno a naturali. LXVII. 14.
ex rubro fuſca. XLIV. 3.
ex atro rubens, ut ex inflammatione. XXVI. 35.
alba, dura, inæqualis. LXIV. 12.
Aorta intus cum tuberculis quibuſdam, & prominentiis, & puſtulis. XVIII. 8. XXVI. 17. XXVII. 28. LXIV. 5.
cum indiciis quibuſdam quaſi incipientis eroſionis. XXIV. 11. XXVI. 13. XL. 11. 34. 39. XLVI. 26.
cum eroſionibus ſanguinolentis. LXVII. 14.
hic illic exulcerata. VII. 9. XXVI. 17. XXVII. 2. XL. 24.
uno in loco. XXIV. 16. XXVI. 21.
tunica, ſeu lamina interna, facile abſcedente. XXIII. 4. 6. XXV. 10. XXVII. 28. XLV. 23.
Aorta intus cum oſſeis ſquamulis. IV. 4. 20. VII. 9. 11. XVII. 17. 23. XVIII. 8. 28. 30. 34. XIX. 49. 58. XXI. 4. 15. XXIII. 8. 11. XXIV. 6. 16. XXVI. 15. 17. 31. 37. XXVII. 2. XXXV. 10. XXXVII. 30. XXXVIII. 40. XL. 22. 23. 24. XLIII. 17.

XLIII. 17. 22. 24. XLIV. 19. 31. XLVI. 26. XLVII. 16. XLIX. 18. LIII. 37. LX. 4. 6. 10. LXIV. 7. 13. LXVI. 9. LXVII. 11. 14. LXIX. 2. LXX. 10.
cum harum inchoamentis. IV. 21. VII. 17. IX. 18. X. 13. 19. XIV. 35. XVIII. 2. 25. 34. XIX. 58. XXIV. 6. 11. XXVI. 13. 17. 21. 31. 33. 35. XXVII. 16. XXIX. 20. XXX. 12. XXXVII. 30. XLII. 11. 34. 39. XLIII. 24. XLIV. 3. 19. XLV. 23. XLVI. 29. XLVII. 21. 30. 33. XLIX. 18. LIII. 37. LVI. 21. 31. LVII. 2. LVIII. 13. LX. 4. 6. 10. 12. LXIV. 2. 7. 19. LXV. 5. LXVI. 6. 8. LXVII. 11. LXVIII. 6.
Aortæ rami quo magis deſcendebant, eo magis oſſeſcentes, & rigidi. LX. 12.
Aorta durior. LXIV. 3.
eo durior, quo magis a corde diſtabat. LVII. 10.
durior, & craſſior. XVIII. 34. XXVI. 21. 33.
rigida. XVIII. 30. XXVI. 21.
cartilaginea. XVII. 21.
Aortæ vaſcula ſanguifera exterius maxime conſpicua. V. 17. VII. 9.
cellulæ exteriores, effuſo in ipſas ſanguine refertæ. XXVI. 13. XXVII. 28.
parietum pars in aneuryſmate abſumpta. XXI. 47. XXVI. 3. 9.
Aortæ initium anguſtius. XIX. 51.
durius. XVIII. 2.
parietibus craſſioribus. XIX. 51.
intus luridum, & inæquale. XVIII. 2.
Aortæ Valvulæ ampliores. XLIII. 17.
perparvæ, & corrugatæ. XXVII. 12.
ſtrigoſæ. XVIII. 2. XXVI. 13.
contractæ. XXIII. 11. XXIV. 18. LXVII. 11.
nonnihil vitiatæ. LXVII. 11.
adnatis excreſcentiis introrſum protuberantes. XXIV. 18.
duriores. III. 26. IV. 21. 26. VII. 9. X. 19. XVIII. 2. XXIII. 8. 11. XXVI. 31. XLII. 34. XLVII. 16. XLIX. 18.
craſſiores. XXV. 10.
duriores, & craſſiores, in limbis præſertim. XXIII. 6.
duræ, & craſſiſſimæ in limbis. XXVI. 33. XXX. 7.
corpuſculis Arantii durioribus, & craſſioribus, XXIII. 4. XXV. 10.
in excreſcentiam ex parte oſſeam mutatis. LXIV. 7.
uno in carneam excreſcentiam degenerante, XLVIII. 38.
uno multo majori, quam æquum ſit. LVIII. 13.
aggeribus craſſioribus. XVIII. 34. LX. 2. LXIV. 19.
pene oſſeis. XXIV. 16.
ex parte oſſeis. LX. 4. LXIX. 2.
oſſeis. XXXVII. 30.
Aortæ Valvulæ tendinei aliquid habentes. XXIX. 20.
oſſeſcentes ex parte. XLVIII. 38.
oſſeæ ex parte. X. 19. XXVII. 2. LXVII. 14.
oſſeæ, & introrſum protuberantes. XXI. 15.
oſſeæ, & in tubercula ad limbum excreſcentes. XXIII. 11.
una oſſeſcens. XIX. 49. XXIX. 12.
una oſſea ex parte. XXXVII. 30. XL. 23. LX. 6.
una oſſea pene tota. XLVIII. 38.
una oſſea. XXIII. 8.
una in tranſverſum imminuta. XXIV. 18.
una cum hiatu, & ſejunctione ſuarum laminarum. LVIII. 13.
una a limbo ad aggerem diſrupta. XXIV. 18.
Arteriæ. Vid. Aorta. Artuum. Baſilaris. Brachialis. Bronchialis. Carotides. Cœliaca. Cordis Coronariæ. Hepaticæ ubi de Jecore. Hypogaſtricæ. Iliacæ. Poplitææ. Pulmonaris. Splenica. Subclaviæ. Ventriculi Coronaria. Vertebrales.
Arteriæ. Intra eas ſanguis. IV. 24. 26. V. 11. 17. 19. XIX. 17. 51. XXI. 19. XXIV. 16. XXVI. 21. XXVII. 2. XLV. 23.
Arteriæ concreto ſanguine repletæ. LIV. 25.
ubique intus flavæ. LXIV. 19.
Arteriæ plures oſſeæ factæ. XXVII. 2.
intus oſſeas ſquamulas habentes. XXIV. 16. XXVI. 15. LXII. 7.
prominentias, & puſtulas. XXVII. 28.
excreſcentias quaſdam. XLIV. 3.
Arteria in quadam, innatus tumor, introrſum extuberans. XI. 15.
Arteria Aſpera compreſſa. XVII. 25. XVIII. 22.
a tumore ſteatomatoſo. LXVIII. 12.
ſpumæ intus plena. VIII. 4.
ciborum parte non exigua. LIII. 26.
intus a magnis quaſi lacertis inæqualis. XLIV. 15.
ex rubro fuſca. LXIV. 5.
ex rubro nigreſcens. VIII. 25.
Arteriæ Aſperæ exterior membrana humore diſtenta. LXIV. 2.
exterior glandula amplificata. XLIV. 15.
trunco innatus tumor. XV. 15.
annuli præduri. LVII. 10.
ex parte, aut paſſim oſſei facti. VII. 11. XXIV. 16.
in figura mutari. Ibid.
Arteriæ Aſperæ vulnus. LIII. 21.
Articuli in cadavere omnes flexiles. XXX. 2.
Artus in cadavere rigidi. IV. 11. 16. 21. 24. V. 17. XXVI. 17. LII. 35. Vid. Manus.
Artuum arteriæ paſſim oſſeis ſquamulis diſtinctæ. XXVI. 15.
venæ in altero artuum inferiorum latiſſimæ. LVI. 12.
Auris Meatus oſſeus, fractus. LII. 25.
carie perforatus. XIV. 3.
Tympani Membrana ſanguine tincta. XIX. 83.
læſa. XIV. 5.
diſrupta. LII. 25. 30.
Tympani in cavea ſanguis. Ibid.
materia ſanioſa. VI. 4. XIV. 5.
quaſi purulenta. XXI. 24.
Axillares glandulæ craſſiores, ſcirrhoſæ, lividæ. L. 48.
ipſis circumjecta adipoſa membrana in durum quaſi ſteatoma converſa. L. 48.
Azyga vena ſanguine diſtenta. XXXIV. 15.
ejus varix, & diſruptio. XXVI. 29.

B

BAſilaris arteriæ inæqualis dilatatio. IX. 18.
durities. XXVII. 2.
durities, & interior inæqualitas. XXV. 10.
Brachialis arteria cum oſſeis ſquamulis. XLIII. 17.
Bronchiales glandulæ. Vid. Pulmon.
Bronchialis arteria triplo, quam ſolet, latior. XXI. 4.

C

CAdaver tota poſteriore facie violaceum. LIX. 12.
nigrum. LIX. 3.
quaſi univerſali gangræna nigerrimum. LV. 22.
icteri colore. VII. 11. LI. 14.
quibuſdam locis cito virens. LIII. 24. LXV. 8. LXX. 7.
fœtens. Vid. Fœtor.
totum, triplo tumidius factum. LV. 22.
contractum. LI. 3.
rigidum. LII. 34. Vid. Artus.
Cadaveris ex ore ſanguis. XXI. 49. XXIII. 2. XXXVIII. 30. LII. 34.

aqua

aqua fœtens. XLVIII. 44.
fœda materia. LII. 15.
e naribus ſanguis. LII. 34.
e vulnere, ſanguinis plurimi eruptio. LIII. 18.
Cadaveris color diuturnior. III. 2. 4. IV. 11. 35. V. 6. VII. 9. XIX. 17. 19. XXI. 6. XXIII. 4. 6. XXVII. 2. XXXIV. 9. 33. XLII. 34. XLV. 23. LII. 30. LIX. 12.
Cadaveris carnes molles, & flaccidæ. XLIII. 4. L. 48.
ſectæ multum humorem emittentes. XLIII. 5.
Cæcum Inteſtinum, id eſt Appendicula Vermiformis, perbreve, & minime cavum. LXVII. 11.
Cæcum Veterum Inteſtinum mire dilatatum. XXXIV. 27.
inflammatum. Ibid.
Capitis integumenta ſanguine infarcta. LVII. 10.
muſculi parvi anteriores, qui ipſum ſuper prima vertebra movent, deficientes. LXIX. 8.
Carotides arteriæ in collo flexuoſæ. XXXVII. 30.
in cochleæ modum contortæ. XLIX. 18.
dilatatæ. IV. 19. VIII. 11. XLIII. 17. 22. LXIV. 13.
altera. XXIV. 6. XXVI. 21. XXIX. 20.
intus oſſeis inchoamentis diſtinctæ. LXIV. 13.
& ſulcis etiam. Ibid. & XXVI. 21.
oſſeis ſquamulis. XLIII. 17. LXVII. 14.
oſſeæ factæ ex parte. XXVI. 37. LXII. 7.
altera. XXIV. 6.
Carotides arteriæ ad cerebri baſim duriores. XXV. 10.
craſſioribus tunicis. LVI. 21.
Cava vena ſine ſanguine. LIV. 18.
ſanguine valde diſtenta. XIX. 17. XXI. 35. XXXIV. 15. XXXV. 10.
Cavæ venæ ſuperior truncus magis a ſiniſtris. LVI. 18.
in ipſo fine anterius, quaſi eroſus. LIII. 37.
Inferior latior æquo. LIV. 37.
ſine ſanguine. XXIX. 20.
cum oblonga & craſſa polypoſa concretione. XLV. 16.
Cerebrum nullum. XLVIII. 48. 50.
figura non naturali. I. 14. XII. 2.
Cerebri abſceſſus. V. 2.
abſceſſus ſui generis. V. 6. 7. IX. 16.
Cerebri arteriæ. Vid. Baſilaris. Carotides. Vertebrales.
Cerebri arteriæ cum oſſeis ſquamulis. IV. 2. 11.
tunicis firmioribus. VIII. 15. XXIV. 6. XXVII. 2.
vaſa omnia ſanguine plurimo diſtenta. III. 26. VII. 7. 13. VIII. 12. 15. 23. IX. 12. 14. 20. XIV. 5. XXIII. 6. LV. 20.
cum aereis bullulis. LIII. 26.
cum polypoſis concretionibus. XLV. 21.
Cerebri meninges aliquanto craſſiores alicubi. LI. 3.
cum vaſis ſanguine plenioribus. LXII. 15.
ex ſubviridi liventes alicubi. LII. 2. 3.
puris colore infectæ. LI. 28.
ſanioſæ alicubi. LI. 3.
ſub ipſis aqua. LII. 2.
Cerebri meninges ambæ cum vaſis a ſanguine multum dilatatis. XLIII. 27. XLIV. 3. LII. 35.
cum arteriis craſſioribus, durioribus, & oſſeis hic illic. XXVII. 28.
ab erodente humore perforatæ. IX. 20. XIV. 3. LI. 12.
vulneratæ. LI. 45.
ſauciatæ a magnis fragmentis oſſeis. LI. 35.
in craſſiores, & flaccidiores mutatæ. IX. 23.
Cerebri Meninx Dura. Ad hanc aqua acidula. I. 6.
paucæ aquæ guttæ. X. 5.
gelatinoſa concretio. VI. 10.
pauxillum quaſi gelatinæ. LII. 23.
quidpiam, muci ſimile. LII. 19.
ichor craſſiuſculus. LII. 8.
ſanies. LI. 5. 7. 34.
ſanies multa. LI. 15.
quaſi pus denſatum. LI. 14.
pus. LII. 4.
purulenta pauca materia. LI. 57.
purulenta materia, valde adhærens. LI. 49.
ſanguis concretus. LI. 37. 50. LII. 30. 32.
arctiſſime adhærens. LI. 6. 38.
ſanguis plurimus. LII. 35.
Cerebri Meninx Dura arctius ſolito cranio affixa. III. 11. XXVII. 2. XXXVII. 30. LXVII. 14.
arctius alicubi. LII. 38. LXIII. 8.
connata cum Pia & cerebro. I. 14. IX. 25.
ejus vaſis ſanguine diſtentis. VII. 13. VIII. 4. 25. 27. XXIV. 6.
magis in altero latere. LII. 30.
& dilatatis magis in altero latere. LII. 38.
nonnihil turgidis. XIX. 7.
arteria lacerata. LI. 37.
ſinibus cum ſanguine multo. V. 19. XVIII. 2.
cum aereis etiam bullis. LIV. 49.
cum polypoſis concretionibus. V. 11. VI. 12. VII. 4. 6. 9. 11. 13. VIII. 2. 23. XIV. 35. XXIV. 16. LII. 6.
Sinu Longitudinali perforato. LI. 54.
Lateralibus diſruptis. LII. 25.
Falce craſſiore, & duriore. XXVI. 33.
& in hac magno oſſe. III. 20.
parvo. XXI. 35.
oſſibus pluribus aculeatis. XXV. 6.
Cerebri Meninx Dura valde corrugata. VII. 9.
craſſior facta. V. 6. VIII. 15. XLIX. 16. LX. 12.
alicubi. I. 14. LI. 2. 45. LII. 6. 19. 38.
quaſi oſſea alicubi. I. 10.
ſuperficie quaſi granoſa. LII. 19.
cinereo colore. I. 2.
alicubi quaſi cinereo. LI. 27.
ſubflava alicubi. LI. 2.
ſublivida alicubi. LI. 19.
ſubnigra a vaſorum plenitudine. III. 11.
leviter quaſi ſugillata. LII. 28.
ſanguineis quaſi guttis diſtincta. VII. 15. LII. 6.
inflammata alicubi. LI. 39.
leviter. LI. 32.
læſa alicubi leviter. LI. 17.
quaſi ſphacelo affecta. LII. 4.
pure eroſa. XIV. 5.
læſa a depreſſi oſſis ſquama. LI. 30. 34. 39.
ab infixis fracti oſſis acutis particulis. LI. 18.
Cerebri Meninx dura. Sub hac adhærens fruſtum pſeudomembranæ. LII. 8.
aereæ bullæ. VIII. 23.
aqua. V. 19. VI. 12. VII. 6. VIII. 11. 15. IX. 2. X. 7. 9. 11. XI. 6. 11. XVI. 36. 40. XXV. 2. XXXVII. 2. LI. 9. 14. 17. 32. LII. 38.
aqua limpida. I. 2. II. 22. IV. 11. 30. VI. 8. XI. 4.
ſerum mucoſum. LII. 2.
gelatinoſum. VII. 6. XI. 2.
ſanioſum. I. 2.
flava quaſi gelatina LII. 15.
ſanies. LI. 11.
materia puriformis. I. 12.
pus. LI. 2. 17. 27. 28. 30. LII. 6. 19.
ſanguis. LII. 34.
plurimus. LI. 51. 54.
ſanguis ad alterum cerebri latus. II. 17. III. 2. 14. 17. 20. IX. 2. 4. X. 13. LX. 4.
ad cerebellum. II. 21. 22. III. 2. 24.
ad egreſſum Spinalis medullæ. II. 20.
Cerebri Meninx Pia. Ad hanc exterius adhærens pauxillum ichoris. LII. 8.
pauxillum muci ex flavo viridis fœtidiſſimi. LII. 10. 11.
ſanguinis grumus non mediocris. LXIX. 2.
Cerebri Meninx Pia. Ejus vaſa ſanguine turgida. I. 14. III. 2. 6. 11. IV. 13. 16. 19. 21. 24. V. 6. 11. VI. 14. VII. 13. 15. 17. VIII. 4. 25. 27. XI. 11. 22. XIV. 3. 27. 35. XV. 8. XVI. 40. XVIII. 2. XXI. 23. 29. 33. 35. XXIV. 6. XXV. 10. XXVI. 19. 21. 35. XXXVII. 4. XLVII. 12. 33. LI. 35. 42. LII. 6. LIII. 40. LIV. 39. LV. 10. LX. 4. 6. 8. 12. LXII. 5. 7. LXVII. 14. LXIX. 2. 4.
non omnia. V. 15. VII. 9.
magis in altero latere. LII. 30.
in altero tantum. VII. 11. LX. 2. LXII. 9.

aere etiam turgida. IV. 19. V. 17. 19. VIII. 9.
cum aereis bullulis. XLVIII. 38. LIII. 26.
cum polypoſis concretionibus. VI. 14.
vaſa quædam quaſi varicoſa. LI. 15.
arteriæ quædam dilatatæ. IV. 19. XXXVII. 30.
carotidis truncus laceratus. II. 30.
arteria quædam cum peculiari vitio. III. 6. IV. 19.
Cerebri Meninx Pia craſſior facta. LI. 30.
hic illic albicans. XI. 13.
exterius ad non modicum ſpatium ex ſubviridi flavens XXXVII. 7.
inflammata. VII. 11. 13. LI. 59.
leviter inflammata. VI. 8. LI. 42.
perforata. III. 2. 17.
facile ſeparabilis. IV. 4. 16. 24. V. 11. 19. VII. 17. VIII. 12. XI. 11. XXIV. 34. XXVII. 28. XLVII. 33. LI. 30. LXI. 2.
Cerebri Meninx Pia. Intra ipſam aqua. I. 4. II. 17. 22. IV. 2. 6 7. 16. 19. 24. 26. 30. 35. V. 6. 17. 19. VI. 8. VII. 13. 15. VIII. 6. 9. 11. IX. 3. X. 11. XI. 11. 13. 15. XXI. 23. 24. 29. XXV. 10. XXVII. 2. XXXV. 16. XLVIII. 38. LI. 42. LII. 6. 8. LIV. 39.
ferme limpida. X. 13. XIV. 35.
turbida. VII. 2.
flava. VI. 14.
ſubcruenta. VII. 9.
inſipida, aut leviſſime ſalſa. LIV. 49.
quaſi gelatinoſa. II. 22. III. 14. IV. 4. 9. 13. V. 11. VI. 2. 12. VII. 2. 11. IX. 9. X. 7. 17. 19. XI. 2. XV. 6. XXI. 35. XXXVII. 2. LI. 6. LXII 9.
bullulæ aereæ. IV. 26. 35. VIII. 9. IX. 9. X. 17. XIV. 35. LIV. 39. 49. LVII. 14.
ſanguis. II. 19. III. 4.
in altero latere. III. 16. LII. 30.
ſanies. V. 11.
Cerebrum laxius. I. 6. II. 9 III. 6. IV. 4 9. 11. 13. 26. 35. V. 11. VII. 4. IX. 4. 23. X. 11. XI. 11. 22. XV 6 XVI. 40. XVII. 23. XXI. 29. 35. XXVI. 21 XXXIV 23. XXXVII. 2. 30. XLVII. 12 36. XLIX. 16. LI. 9. LV. 10. LVII. 10. 14. LIX. 15.
Cerebrum durum. I. 10. V. 6. VIII. 4. 6. 8. 9. 11. 12. 15. IX. 9. X. 17. XXIV. 6. LXI. 2. 5. 7. LXII 15.
ſiccum potius. VIII. 23.
decolor. I. 12. IV. 4. 11.
colore non prorſus naturali. XXXVII. 2.
ſubflavum. III. 2. IX. 20.
ingratum quid olens. VII. 9.
a ſeroſa colluvie fœtens, & nigricans. LI. 12.
anterius vulneratum. LI. 59.
Cerebri pars ſubpallida. LI. 28.
ſubfuſca. LI. 7. 11.
ſublivida. LI. 27.
livida. LI. 14. LII. 2. 3.
ad cinereum colorem vergens. LI. 30.
nonnihil nigreſcens. LI. 49. LII. 10.
ſemiputrida. I. 14. IX. 18.
alte corrupta, & ſanioſa. LI. 33.
dura. IX. 23. 25.
figura non naturali. X. 9.
amplum, & profundum ad ſpatium male affecta. LI. 34.
Cerebri cortex pallide ſubflavus. XXV. 10.
nonnihil nigreſcens alicubi. LII. 10.
certo loco ſuperficie tenus puris colore. LI. 17.
exiguo loco ſuperficie tenus corruptus. LI. 3.
Cerebri medullaris ſubſtantia mollior corticali. LV. 20.
fuſca. IV. 21. VIII. 9. XXXVII. 30.
in altero tantum latere. V. 15.
cum vaſculis, aut guttis ſanguineis evidentioribus. I. 14. III. 6. 14 26 IV. 21. V. 19. VII. 13. VIII. 25. X. 17. XV. 8. XXI. 33. 35. XXV. 10 XXVI. 19. XXXIV. 15. XXXV. 16. XLIV. 3. XLV. 16. L. 55. LII. 30 LIII. 40. LIV. 39. 44. LV. 20. LX. 8. LXII. 5 15.
evidentiſſimis. LXIX. 4.
Cerebri hemiſphærium alterum ex albo viride magna ex parte. LII. 23.
nonnihil eroſum. XI. 2.
altius eroſum. LI. 44. 45.
corruptum aliqua ex parte. I. 6.
ad pomi magnitudinem. LII. 28.
ſubſtantia certum ad ſpatium quaſi diffluente, & colore ſanguineo obſoleto. LVII. 14.
cum ſinu in ſubſtantia corrupta. XI. 6.
cum abſceſſu. V. 2.
cum abſceſſu parvo, pus craſſum viride continente. LI. 19.
cum abſceſſu ſui generis. V. 6.
cum ulcere ſanioſo. LI. 28.
intus lacerum excavatumque a ſanguine. III. 2. 4. 6. 17. LX. 2. LXII. 9. 11.
cum cavo quodam majori, in quo ſerum fuſcum, & ſanguis concretus. IX. 20.
cum cavo quodam minori, in quo ſerum cum filamentis. IX. 23.
pleno muci ſemiſiccati. III. 6.
pleno nigri ſanguinis. LXIII. 13.
ſubſidens ob comprimentem ſanguinem. LII. 30.
vulnere alte perforatum. LI. 54. 57.
alte laceratum vulnere. LI. 53.
vulnere in quo concretus ſanguis. LI. 35.
in quo ſeroſa colluvies. LI. 44.
in quo ſanioſus humor. LI. 45.
Cerebri Calloſum Corpus laxum. LXII. 15.
in eo duo ſulci. VIII. 6.
tractus ſecundum longitudinem, quodam loco duplicatus. LXI. 5.
Cerebri Ventriculi. In iis aqua. IV. 7. 35. XI. 15. LI. 9. LXIII. 13. LXIX. 16.
plurima IV. 6. 21. 24. VI. 6. XXXIV. 23. XXXV. 6. LIV 49.
pauca. IV. 9. 13 VI. 2 10. VII. 7. XLVIII. 38. XLI. 6 27. 28. 38. 45. LIV. 29. LXI. 2.
nulla. VIII 9.
ſubſalſa plurima. II. 20.
limpida plurima. XXXVII. 30.
craſſior pauca. IV. 8.
flava. VI. 14 VII. 27.
ſubrubra. XLVII. 12.
In iis omnibus ſanguis. III. 11. LII. 34. LX. 4.
pene in omnibus ſanguis concretus. LI. 59.
Cerebri Ventriculi Laterales æquo breviores. X. 17.
In iis aqua. I. 4. III. 14. 24. IV. 16. 19. V. 11. 15. VIII. 2. 11. IX. 2. 3. 19. X. 11. XI. 13. XIV. 3. 27. XVI 36. XX. 5. XXIV. 6. 16. XXVII. 2. XXXI. 5. XL. 2. XLIII. 4. LXIX. 8. LXX. 5.
limpida. I. 10. III. 26. V. 6. IX. 12. XIV. 35. XV. 6. XXV. 10. XXIX. 12. LIII. 40. LV. 20. LXIX. 10.
multa. XXV. 4. 10. XLVIII. 15.
pauca. LX. 10. 12. LXII. 9.
limpida multa. LXII. 15.
ſubturbida non pauca. LII. 35.
pauca. XLII 11. XLIV. 7. LII. 30.
turbida multa. VIII 4. XII. 2. XXI. 33. XXVI. 19. XXXVIII. 34.
urinæ colore non pauca. XXVI. 33.
flava. IX. 9.
ſubflava. XLV. 16.
ſubfuſca plurima. I. 14.
ex flavo rubens multa. VIII. 15.
rubella. VIII. 25. IX. 4. 16. XXI. 23. 29. XXXV. 16. LII. 6. 9. 10. LXII. 5. LXIII. 8.
ſanguinolenta. III. 4. IV. 26. VI. 8. 12. VII. 9. 13. XI. 11. XVI. 10. XXVI. 35. XLIV. 3. LII. 23. LX. 2. 8. LXII. 7.
glacie concreta. XIII. 15.
ſalſa. IV. 2. 4.
Sanguis. II. 19. 20. III. 2. 16. 17.
Sanguis plurimus. II 13.
Purulenta materia. V. 2.
Cerebri Ventriculi Laterales. In eorum altero folliculus plurima aqua plenus. I. 6.
aqua limpida. IX. 20. XI. 4.
cruenta. LX. 6.

æru-

æruginoſa. XI. 4.
mordaciſſima. LI. 53.
cum grumoſo ſanguine. LI. 54. LX. 6.
ſalſa. X. 2.
glacie concreta. LXVII. 14.
Sanguis. II. 9. 11. 15. 22. III. 6. 11. 16. 17.
non paucus. LXII. 7.
tanta copia, ut ventriculum dilataverit. LII. 23. LXVII. 14.
Pus. V. 4. XIV. 5.
Cerebri Ventriculi Laterales. Eorum ſuperficies ſubfuſca. I. 14. V. 6.
vaſa per eam ſanguine diſtenta. III. 14. V. 11. VIII. 4. X. 19. XXVII. 30. XLV. 16. XLVII. 12. LII. 30. LIII. 40. LX. 12. LXII. 15.
membrana per quam repunt, facile ſeparabilis. XLVII. 12.
Septum eorum Lucidum, cum vaſis per ejus latera ſanguine valde diſtentis. LIV. 39.
laxius. XIV. 35. LXIII. 8.
aquam intra ſuam duplicaturam habens. IV. 19. VIII. 11. LXIII. 8.
ruptum. III. 2. 4. 17. V. 15. XIV. 3. XXV. 10. LX. 4. LXII. 7. LXVII. 14.
Fornix in iis laxiſſimus. VIII. 12. IX. 9. XIV. 3. 35. XXI. 33. XXV. 10. LXII. 5. LXIII. 8.
abſumptus. LX. 4. LXII. 15.
Cerebri Ventriculi Laterales. In iis Plexus Choroïdes decolores. I. 10. III. 2. 6. IV. 16. 21. V. 11. 15. IX. 9. X. 11. XII. 2. XIV. 35. XXI. 29. XXVI. 33. XXIX. 12. XXXV. 6. XXXVII. 30. XXXVIII. 34. XLII. 11. XLIV. 7. XLVII. 12. LII. 10. 30. LX. 2. LXI. 2.
alter. IX. 20. LXII. 7. LXIII. 13.
palliduli, ſed in medio nigricantes. XXV. 10.
ſanguine pleniores. III. 14. VIII. 23. X. 17. XXI. 35. LII. 38. LX. 10. 12.
inflammati quaſi. II. 19.
ex ſubatro rubentes. LIII. 40. LIV. 44.
valde læſus alter. LXII. 7.
laceratus. II. 9. 11. 13. 15.
abſumpti. LX. 4.
laxiſſimi. IX. 9.
firmius connexi cum ſubjectis Thalamis Opticis. LXI. 2.
varicoſus alter. VII. 4.
in iis veſiculæ aqua plenæ. I. 10. III. 14. IV. 11. 16. 19. 26. 35. V. 6. 19. VI. 12. VII. 11. 13. 15. IX. 2. 3. X. 11. XI. 13. XX. 5. XXI. 23. 29. 33. XXIV. 16. XXXV. 16. LV. 10. LX. 8. LXII. 7. LXIII. 13. LXX. 3. 5.
maximæ. III. 11. IV. 2. VIII. 4. XXV. 10.
corpus, ex hydatidibus conſtans. XI. 6.
corpuſcula minima rubra, quaſi glandulosa. LXII. 5.
glandulæ æquo majores. II. 22. IV. 24. VIII. 2.
plurimum tumidæ. XXIV. 4. XXXIV. 23.
Cerebri Ventriculi Laterales. Eorum parietes minus læves. XI. 11.
eroſi aut perrupti. II. 9. 11. 13. 15. 16. III. 2. 4. 6. 16. 17. LX. 4.
in altero ulcus ſordidum. LI. 54.
cavum ulceroſum. XI. 4.
eorum cavitas amplificata. LX. 4.
alterius. Vid. ſupra in eor. altero Sanguis.
Cerebri Ventriculus Tertius brevior viſus. LXII. 15.
rima ſuperiore conſtricta. LXI. 2.
lateribus vix agnoſcendis. LX. 4.
in eo aqua. III. 24. VI. 4. XI. 22.
multa, nec turbida XXV. 10. LXII. 15.
cruenta. LXII. 7.
ſanguis. III. 6.
Pituitaria illi ſubjecta glandula, ex flavo fuſca. XII. 2.
cum muco intus. IV. 19.
contracta, & ſubſidens. III. 6. IV. 26. 35. IX. 20. XII. 2. XXXVII. 30. LVII. 14.
ex parte abſumpta IV. 19. XII. 2. XXV. 10.
Cerebri, ut vocant, Ventriculus Quartus æquo longior. LXII. 15.
Cerebri Medulla Oblongata laxior. XII. 2. XIV. 35. XXI. 33. XLVII. 12. LV. 10. LIX. 15. LXII. 5.
inter ipſam, & Piam meningem aqua. XLVII. 12.
ejus crura rotundis corpuſculis obſita. II. 20.
Striata horum Corpora non ſtrias, ſed puncta medullaria habentia. XII. 2.
alterum Striatum protuberantius. IX. 9.
depreſſius. IX. 20. XI. 11.
colore fuſco obſoleto. IX. 20.
flavo, & quaſi diffluens. XI. 11.
cum rubro tuberculo. Ibid.
a cerebro ſeparatum. XI. 2.
laceratum a ſanguine, aut a pure. III. 4. V. 2. LXII. 7.
laxius. LXII. 5.
abſumptum. LX. 4.
ejus loco ſubſtantia mucoſa corrupta. LX. 4.
Thalamus nervi Optici ſtrigoſus. IX. 20.
quaſi abſumptus. LX. 4.
a ſanguine laceratus. LXII. 7.
Cerebri Medullæ Oblongatæ Nates, & Teſtes ſubflava. XI. 11.
lacerata. LX. 4.
Pinealis impoſita glandula ex fuſco leviter ſubflava. VIII. 12.
roſea. X. 17.
tenuis, & ſtrigoſa. VIII. 12. LXIX. 10. LXX. 5.
laxiſſima. VIII. 12. XXXVII. 30. LIV. 39.
tumida. X. 17. XXXVII. 30.
tumens ab aqua limpida. LXII. 15.
ab aqua turbida, & materia ſubflava. XXI. 24.
major, longioribus radiculis, & mucoſior. LXI. 2.
major, laxior, globoſior. LIX. 15.
major, & firmior, & albidior, cum quibuſdam quaſi loculis intus. I. 14.
firmior, globoſior, albicans. XXIX. 12.
tota ex materia duriuſcula. XI. 11.
continens fruſtula materiæ duriuſculæ. V. 11. VI. 12. X. 17. LXX. 5.
adhærentes habens flavas quaſi arenulas. I. 10. III. 14. VII. 15. VIII. 6. 9. 15. XIV. 35.
Cerebri Medullæ oblongatæ nervi flaccidi. V. 11. XIV. 35.
circa nonnulla horum Paria ſanies. LI. 33.
Cerebellum pallidiuſculum. VI. 12.
cortice ex ſubflavo pallente. XXV. 10.
ſubſtantia laxiore. III. 6. 24. V. 11. VII. 9. 15. VIII. 4. 9. 11. 15. XII. 2. XV. 8. XXI. 29. XXV. 10. XXVI. 21. XXVII. 2. XXXVII. 30. XLII. 11. XLVII. 12. LII. 8. LIV. 39. 49. LV. 10. LIX. 15. LXII. 7. 9.
firmiore, quam ſoleat. LXI. 2. 7.
alicubi fracida. II. 22. XIV. 3.
vaſculis, punctiſque ſanguineis intus evidentioribus. V. 19. LII. 30.
intus habens effuſum ſanguinem. II. 22.
Intra alterum dumtaxat lobum. LX. 6.
Cerebellum ſubſtantia alicubi connata cum utraque meninge. I. 14.
cum Pia. LXII. 15.
nonnihil læſum ex ictu. LII. 25.
plus media parte ſcirrhoſum. LXII. 15.
reliqua, utriuſque ſubſtantiæ inſolita diſpoſitione. Ibid.
Clavicula fracta. LII. 35.
Clavicularum pars ab aneuryſmate abſumpta. XXVI. 9.
alterius. XVII. 25.
rupta, & exeſa. XVIII. 25.
Clitoridis glans a primordiis ſub pudendi cute omnino concluſa. XLVI. 20.
Cœliaca arteria intus cum oſſeis ſquamulis. XL. 24.
intus hic illic exulcerata. Ibid.
Cœliacæ rami. Vid. Splenica. Ventriculus.
Coli inteſtini ſitus minus frequens. IV. 16. 26. 30. XVI. 8. 9. XVII. 25. XIX. 19. XX. 16. XXI. 33. 35. 47. XXIX. 12. XXXIV. 2. & ſeq. XLIII. 22. XLVIII. 38. LII. 2. LVII. 2. LIX. 12. LXII. 5. 7. LXX. 7.
anguſtia, & contractio. III. 2. IV. 16. 35. XVIII. 2. XXIV. 34. XXIX. 12. XLVIII. 37. 38. 55. LIV. 39. 46. LV. 10. LXII. 7.
diſtentio ab aere. XX. 16. XXI. 19. 30. 33. 35. 36. XLIII. 22. LII. 2. LV. 10. 11.

cellulæ paucæ. III. 2.
gyri ad finem ampliores Ibid.
Colon ſebaceis tuberculis obſitum. LXVIII. 12.
livens. LII. 12.
inflammatum ſic, ut ad nigredinem vergat. XXXV. 8.
Coli pars viridis. XXXIV. 15.
pingues appendices ſublividæ. LV. 11.
coalitus certo loco. XXXIX. 29.
paries, non tubus totus, intra herniam interceptus, & nigricans. XXXIV. 15.
initium valde rubens. XXXV. 10.
ex coccineo fuſcum. LIV. 39.
gangræna affectum. XXXI. 2. XXXIV. 25.
exulceratum. XXXI. 2.
Coli vulnus. LIV. 20. 37.
ſuperficie tenus. LIV. 35.
Collum in cadavere livens. XXI. 9. XXV. 2. XXVI. 13.
tumens. XXV. 2.
vaſis ſanguine turgidis. XXVII. 12. LXII. 7.
quibuſdam muſculis diſruptis. XIX. 8. 13.
Cor duplex. XLVIII. 57.
a ſolita forma diſcrepans. XVII. 12. LX. 8.
inferius, & ſiniſterius locatum. XVII. 25.
Cor magnum. III. 26. IV. 2. 16. V. 19. XVI. 6. XVII. 23. 25. XVIII. 2. 34. XX. 35. XXI. 30. XXIII. 4. XXVI. 15. 31. XXVII. 28. XXXVII. 30. XLII. 34. XLIII. 17. 22. XLIV. 3. 19. XLV. 16. LIV. 37. LXIV. 5. 19. LXVI. 9. LXX 10.
maximum. XVII. 6. 8. 21. XVIII. 6. 14. 28. 30. XXI. 49. XXIV. 13. XXVII. 12. XXXVIII. 12. XL. 23. LIII. 9. LVI. 17.
parvum. XXVI. 17. LX. 8.
valde parvum. XVII. 12. XXX. 10. L. 4. LXX. 5.
Cor præpingue. III. 20. XVI. 36. XXVII. 2. XXXV. 18. XLIII. 17. LII. 34.
ferme totum craſſa, duraque pinguedine opertum. LXV. 7.
cum pinguedine inæquali ex parte, & ex fuſco rubente. XLV. 23.
cum pauca pinguedine. XIV. 35.
pinguedine omnino carens. XLIX. 18. LXX. 5.
opertum quaſi milii granis. XLIX. 4.
albis hic illic concretionibus. XX. 36. 51.
mentientibus eroſionem. XXI. 2. XLIII. 17.
quaſi puriformi materia. XLIII. 17.
pſeudomembrana polypoſa. XLV. 16.
corpore quodam reticulari. XX. 20.
Cor ſuperficie lurida, & inæquali. XLIX. 18.
inæquali, & quaſi corroſa. LIII. 29.
leviter eroſa. XVI. 17. 43.
cum ſquama oſſea non parva. XXVII. 16.
cum vaſis ſanguine diſtentis. & quaſi varicoſis III. 26. XVIII. 2. 30. XIX. 49. XXI. 35. 49. XXXVI. 23. LX. 4. LXX. 5.
cum vaſis varicoſis. XXXVIII. 10.
cum diſrupta quadam quaſi hydatide. III. 26.
cum magna hydatide pendente ab ejus mucrone. XXV. 15.
cum tumore cyſtico. XXI. 4.
mucrone leviter inflammato. XVI. 40.
Cor ſubviride. LII. 4.
membrana craſſa facta. XXIV. 2.
eroſa. XXXVIII. 10.
Cor totum, aut ex parte pericardio adhærens. Vid. Pericardium.
Cor flaccidum. IV. 4. 26. V. 11. 19. X. 11. XI. 11. XVIII. 14. XXI. 30. XXVII. 16. XXXIV. 18. XXXV. 16. LII. 2. LVI. 26. LVIII. 13. LX. 4.
flacciddiſſimum. XI. 13. XXI. 49. XXX. 14. XXXI. 2. XLVIII. 44. LIII. 29.
durum valde. XXVI. 11. 31.
in ſe contractum. XXVI. 11.
Cordis ſubſtantia pallida. LXX. 9.
tota ex cinereo livens. XXV. 10.
intra ipſam os non parvum. XXVII. 2.
parietes craſſi. XLIV. 19.
Cordis Ventriculi quaſi inter ſe permutati. XVII. 12.
dilatati. XVIII. 28. 30. 34. XXI. 34. 49. XXIII. 6. XL. 23. LVI. 17. LXIV. 5. 12.
pleni ſanguine atro, & grumoſo. XXX. 7.
concreto. XXII. 16. XLVIII. 15. XLIX. 2.
polypoſis concretionibus. LXX. 10.
in iis aliquantum ſanguinis ſpumoſi, & fluidi. LI. 50.
ſanguis craſſior. VI. 8.
nihil ferme ſanguinis. XXVI. 35. LIII. 33.
nihil ſanguinis. XXII. 4. XXVI. 13. 17. XXIX. 18. LIX. 12.
Cordis Ventriculus dexter dilatatus. XVIII. 6. XXV. 2.
parietibus extenuatis. XXVII. 28. XXIX. 20. XL. 23.
columnis craſſioribus. LXIV. 5.
cavo ob lacertorum intricationem vix ullo. XXVII. 28.
plurimo ſanguine diſtentus. XXV. 2. XLIX. 24.
in eo ſanguis cum aereis bullis. LIV. 49. LVII. 10.
nil ferme ſanguinis. XLVIII. 44. LVII. 10.
polypoſa concretio notabilis. XXV. 2. XXXIV. 23.
Cordis Ventriculus ſiniſter dilatatus. XVII. 21. XVIII. 8. XXVI. 21 33. XXVIII. 12. 28. XLV. 23. LVI. 17. LXIV. 15.
parietibus extenuatis. XVII. 21. XVIII. 2.
craſſioribus. XXIX. 20. LVI. 17.
craſſioribus, & durioribus. XXV. 12. XL. 23.
hic illic tendineis factis. XLV. 23.
columnis craſſioribus. XXV. 12. XLV. 23.
tendineis factis. XLV. 23.
quaſi inflammatis. IV. 21.
in eo exterior. nec recens, eroſio. XXVII. 8.
internæ eroſionis veſtigium aliquod. XXIV. 18.
ſanguis plurimus diſtendens. XXVII. 12.
fluidus. XL. 4.
ſanguinis vix aliquid. XXV. 10.
ſanguinis nihil. XXI. 3. XXXVIII. 30. XLVIII. 44.
Cordis Auriculæ dilatatæ. XVIII. 2. XXIII. 6. LXIV. 5.
ſanguine turgidæ. III. 26. XXIII. 6. XXXVIII. 12.
in iis nihil, aut fere nihil ſanguinis. XXIX. 18. XLVIII. 44.
polypoſæ concretiones notabiles. VI. 12. VII. 11.
Cordis Auricula dextera albis maculis exterius diſtincta. III. 26.
granulis ſebaceis obſita. LXVIII. 12.
cum ſquama oſſea. XXVII. 16.
dilatata. XVIII. 8. XXI. 49. XL. 23. LVI. 7.
maxime dilatata. XVII. 6. 8. 10. XVIII. 6. XXV. 2.
aere valde dilatata. VIII. 23. 24.
concretione polypoſa multum dilatata. XX. 63. XXI. 3.
maxima ſanguinis copia diſtenta. XVII. 10. XXI. 35. XLV. 23. LVI. 17.
parietibus extenuatis. XL. 23.
Cordis Auricula ſiniſtra multo quam ſoleat longior. XXI. 4.
amplior. XXIII. 6.
maxime dilatata. XXXVIII. 10.
contracta. XXVI. 21.
ei adſitus Sinus amplior, & intus inæqualior. XVIII. 34.
ampliſſimus. LXIV. 7.
Cordis Ovale Foramen ſine ulla prorſus valvula. XLVIII. 62.

Cor-

Cordis Valvulæ omnes parvæ LX. 8.
earum aliqua non ſine oſſe. XXX. 12.
Valvulæ Sigmoides, & Semilunares. Vid. Pulmonaris arteria, & Aorta.
Valvulæ Tricuſpides, & Mitrales duriuſculæ. XLVII. 16.
hic illic craſſiores, duræ, albicantes. XIV. 35.
limbo quaſi glanduloſo. III. 4. X. 19. XXVI. 17.
Valvulæ Tricuſpides inter ſe notabiliter inæquales. XVII. 12.
Valvulæ Mitrales craſſiores. XXI. 15. XXV. 10. XXVI. 33. XLVIII. 38.
limbo tuberoſo. XXIX. 12. XL. 23. LXIV. 2.
ſubduræ, aut duræ. IV. 26. VII. 9. XXVI. 33.
oſſeæ. XXVII. 2.
amplificatæ, & craſſiores. XL. 23.
cum excreſcentia cinerea. XI. 11.
Earum altera, duritie alicubi cartilaginea. LXIV. 19.
durior. III. 26.
cum oſſe. XLII. 34. LVI. 17.
cum orificio, & interſtitio inter ſuas membranas. XXIII. 6.
Cordis Arteriæ Coronariæ orificiis ampliſſimis. LXX. 10.
valde dilatatæ. XXVII. 28.
Earum altera oſſea. XXIV. 16.
Cordis Vena Coronaria. Valvula ejus oſtio undique affixa, & foraminulis dumtaxat pertuſa. III. 20.
Valvulæ ejuſdem loco tenue filamentum. LXVI. 9.
Cor ſanguine plenum. XIX. 49. XXI. 34. 49. XXIII. 6. LXIV. 19.
pleniſſimum. XLVIII. 62. LVI. 17.
In eo ſanguis fluidus, & ſpumoſus. LIII. 18. LIV. 16.
nihil prorſus ſanguinis. LIV. 46. LXIX. 4.
polypoſa concretio notabilis. IV. 21. VII. 4. XX. 63. XLIX. 10. 24. LVII. 14.
polypoſæ concretiones utrinque. VII. 4. 9. 11. XI. 11. 22. XIV. 35.
diſtractioni valde reſiſtentes. XLIII. 28. XLVIII. 38.
quædam a dextris, non a ſiniſtris. V. 11. VI. 10. X. 7. 11. XXI. 3. XXX. 4. XL. 4. XLIX. 6. 8. 10. LXII. 5.
& contra. XXI. 47. XXXVIII. 13.
major a dextris. X. 5. XVI. 2. XX. 2. 3. 5. 24. 32. 33. 35. 36. 39. 41. 43. 47. 49. 51. 55. 59. 61. XXI. 19. 23. XXII. 15. 22. XXIV. 6. 13. 18. XXV. 4 XXX. 2. XXXVIII. 4. XLI. 4. XLII. 34. XLIII. 5. LI. 6. 20. LIII. 9. 16. LIV. 26. LX. 4.
& contra. VII. 4. XVI. 17. XX. 26. XXI. 30. 32. LVI. 10.
majores ad auriculas, quam ad arterias. X. 13. XX. 2. 3. 51. XXI. 32.
non ſic omnino. XX. 59. XXI. 23.
notabiles productæ in vaſa omnia majora, cum corde communicantia. VI. 12. VII. 13. LXIV. 2.
in Pulmonarem arteriam. X. 7.
Cordis ulcus. XXV. 17.
ruptio ſiniſtri ventriculi. XXVII. 2. 5. 8. LXIV. 15.
vulnus ejuſdem ventriculi. LIII. 26.
dexteri. LIII. 3. LXIX. 4.
Coſtarum magna ad utrumque ſterni latus depreſſio. XLV. 23.
in gibbo ſitus. IV. 16. XLIII. 17.
cartilagines æquo citius induratæ. V. 17.
diutius ſolito molles ſervatæ. XXIII. 6. XXVII. 2.
quædam extrorſum protuberantes. VII. 11. X. 13.
una vulnere inciſa: LIII. 29.
Coſtæ ab aneuryſmate excavatæ. XXI. 47. XXVI. 5.
corruptæ, aut abſumptæ. XVIII. 25. XXVI. 9.
aliquot utroque in latere perfractæ. LII. 34.
ſeptemdecim. LIII. 37.
altero in latere una, aut aliquæ. LII. 35. LIII. 33.
undecim. LIII. 5.
aliquæ depreſſæ. LIII. 33.
Cranii integumenta magnam ſugillationem habentia. LVII. 14.
color alicubi nonnihil mutatus. LII. 11.
Cranium male conformatum. I. 14. XII. 2. LIII. 26. LXII. 15.
anguſtius. III. 6.
anguſtius, cerebri reſpectu. LI. 30.
capacius, eodem reſpectu. LI. 9.
æquo craſſius. III. 2. IV. 16. XIV. 35. XXVII. 2. LX. 12.
tenuius. IX. 20.
intus profundioribus foveis excavatum. LXIII. 8.
quibuſdam locis pertenui ex lamella conſtans. Ibid.
ſulcis pro vaſis excipiendis altero in latere amplioribus, & profundioribus. LII. 38.
ſuturarum ſede pellucida. IX. 9.
ſuturæ aliquæ laxatæ. LI. 19. 25. 26. 27. 28. LII. 28.
molle factum. LVIII. 4. 5.
facie interna ex rubro nigricans. I. 12. 14.
variis in locis quaſi ex nova oſſis acceſſione extuberans. XXVII. 2.
prominentia quadam pungente. LII. 11.
Cranium fiſſum. LI. 42. 44.
longiſſima fiſſura. LII. 35.
utroque in latere. LI. 34.
duabus fiſſuris, quarum una longiſſima. LII. 28.
perforatum. IX. 20. 23.
alicubi depreſſum, acuta lamina introrſum exſtante. LI. 34.
fractum. LI. 38. LII. 28.
in fragmenta diſruptum. LIII. 37.
baſi tota in tranverſum fracta. LII. 25.
Cranium. Ejus os petroſum utrumque ſuperficie inæquali. LV. 10.
alterum carie pervium. XIV. 3. 5.
os ethmoides eroſum, eoque omnino pervium. I. 6.
Ejus oſſa cætera. Vid. ſuis locis.
Cranium. Intra ipſum odor acidus. XXI. 29.
vaſa omnia ſanguine diſtenta. LX. 10.
aqua. III. 14. IV. 4. 13. 19. 28. 35. V. 6. VI. 6. VII. 4. 9. X. 17. 19. XI. 2. 13. XVII. 23. XXI. 7. 33. XXIV. 6. XXV. 10. XXXI. 2. XXXIV. 23. XXXV. 16. LVII. 10. LXIX. 8. 16.
pauca. XX. 16. LI. 19. 20.
craſſior. IV. 9.
ſanguinolenta. LXIX. 15.
ſanguis effuſus. IX. 25. XI. 2. XXVI. 17. LII. 25.
perpaucus. LI. 25.
pus. XIV. 3. 5.
Cranium. Intra ipſum ex ictu fragmenta oſſea. LI. 59.
Crus extendentes muſculi, obſtantes ejus flexioni. LVI. 26.
Cruris oſſa fracta ſecundum longitudinem. LVI. 31.
Crurales arteriæ duræ, & rigidæ. LX. 12.
Cruralis arteriæ ingens ſummo in femore aneuryſma. L. 11.
ingens ad poplitem aneuryſma. L. 55.
ejuſdem, & venæ ſociæ ſupra poplitem tranſverſa inciſio. LIV. 46.
Cruralis vena anguſtior tertia parte, quam altera. LVI. 10.
Cutis duriſſima. XLIX. 16.
Cutis. Sub cute univerſa aqua multa. XXXVIII. 6.
aqua pauca. XXX. 12.

D

Diaphragma altius in thoracem compulſum. XXXVIII. 34.
depreſſum a dextris. XVI. 26. XXVI. 11.
a ſiniſtris. XLV. 16.
utrinque concidens. XXVI. 21.
Diaphragmatis color ſubviridis. LII. 4.
membrana inferior nigris maculis diſtincta. XXXV. 2.
vaſcula omnia ob plenitudinem conſpicua. X. 13.
ſubſtantia a dextris mutata. XVI. 26.
centrum biliosa macula utrinque infectum. XXX. 20.
ex parte oſſeum. LXX. 5.
inſolita figura & parvitate. LX. 5.
foramen pro vena Cava maximum. LIV. 37.
pro œſophago multo quam ſolet amplius. XXXVII. 30.
Diaphrahmatis inflammatio. VII. 13. VIII. 25. XXI. 35. LIII. 5.
quaſi inflammatio. XXI. 36.
ab hepatis abſceſſu perforatio. XXXVI. 4.
a ſubjecto aneuryſmate. XL. 29.
vulnus. LIII. 3. 5. LIV. 10.
duplex. LIII. 40.
Digiti. Ad eorum articulos materia tartarea. XL. 2.
Dorſi rubor. XXIX. 18.
ex rubro livor. XXVII. 2. XLV. 23.
livor altero in latere. LII. 35.
abſceſſus amplum cavum parietibus nigricantibus. XVI. 28.
a vulnere multi ſinus, & cuniculi. LIII. 12.
Duodenum inteſtinum longius quam ſolet a dextris. XLVIII. 38.
multo latius ſolito. Ibid.
prope ventriculum, durum, & craſſum. XXXIX. 26.
ſcirrhoſum. XXX. 12.
lividum ex inflammatione. XXXIV. 9.
nigricans. XXX. 12. 16.
Duodenum intus rubens quaſi ab inflammatione. XXX. 7.
cum eroſionibus. LIX. 3.
cum eroſionibus gangrænoſis. XXIX. 20.
cum eroſionis antiquæ veſtigio. XLIV. 21.
humorem viridem continens. LIX. 12.

E

Emphyſematis initium circa vulnus abdominis. LIV. 37.
Enteroceles ſacculus. Vid. Herniæ.
Epiploceles ſacculus. Vid. Ibid.
Excreſcentiæ. Vid. Adipoſæ Membranæ.

F

Faciei cadaveris color roſeus. XIV. 3.
ſubrubens. XXVI. 33.
ex rubro lividus. XXI. 30.
ſublividus. XXVI. 31.
lividus. XVIII. 25. XIX. 3. 5. 7. XXI. 9. XXIV. 13. XXV. 2. XXVI. 35.
niger, mox pallens. XLII. 34.
qualis in ſuffocato. LIII. 26.
Facies cadaveris ſubtumida. XXVI. 33.
turgida. XVIII. 25. XXV. 2.
deformis facta. LIV. 20.
Faciei muſculi omnes ex coccineo fuſci. LII. 30.
Femoris utriuſque os antrorſum curvatum. LXIX. 10.
alterius æquo magis curvum, & craſſum. LX. 6.
converſum in externum latus. Ibid.
capite non integro avulſo, & intra acetabulum relicto. LVI. 10.
integro avulſo, ibidem relicto. LVI. 9.
conico, & longiori. LXIX. 10.
quaſi complanato, & paulo majori. LVI. 12.
depreſſo, imminuto, non lævi. LVI. 14.
non rotundo, ſed depreſſo, & inæquali. LVII. 2.
minus ad imum lato. LX. 6.
ſine ligamento, in acetabulo non naturali. LVI. 12. 14.
capitis cartilagine quaſi contuſa. LVI. 18.
lurida, fuſca, & hic illic rubente. LXIX. 10.
lurida nec levi, & ex parte deficiente. LVII. 2.
medulla ad aquoſam vergente. LXIX. 10.
capitis ligamento terete laxato, indeque luxatio. LVI. 7.
minus craſſo, & firmo. LVI. 17.
flaccido. LXIX. 10.
lurida rubedine infecto. LVI. 17.
capitis cervice craſſiore. LX. 6.
breviore viſa. LVI. 20. 21.
fracta. LVI. 9.
abſumpta. LVI. 10.
Femoris trochanter major craſſior. LX. 6.
Femoris, prope ima capita, exoſtoſis, cujus cellulæ liquido, & flavo oleo ſcatebant. L. 60.
Femoris ima capita eroſa. L. 55.
horum alterum æquo longius. LVI. 26.
alterum cruſta cartilaginea extenuata. LVII. 14.
Fibulæ ſumma pars eroſa. L. 55.
Fœtor cadaveris. gravior ſolito. VIII. 23. XVII. 23. XVIII. 34. XIX. 20. XXIV. 11. XXVII. 2. XLIII. 27. LI. 57. LII. 2. 15. LIV. 20. LXV. 8.
qualis ex acida materia prodit. XXXV. 16.
Fœtus mortuus. XX. 9. XLVIII. 5. 7. 9. 18.
capite, & collo quaſi a ſugillatione nigricantibus. XLVIII. 9.
capitis lateribus quaſi compreſſis. XLVIII. 5.
viſceribus exſanguibus. Ibid.
placenta cum magnis ſubtus quaſi globis nigricantibus. Ibid.
album corpus continente. XLVIII. 23.
valde extenuata. XLVIII. 18.
funiculo umbilicali tenuiſſimo. XLVIII. 5. 18.
Fornix Cerebri. Vid. Cerebri Ventriculi Laterales.
Frontis os, exterius ſubaſperum. LI. 14.
exterius læſum. LI. 15.
cum rima exteriore. LII. 23.
cum rimis exterioribus, & fovea. LI. 12.
fiſſum. LI. 17. 39. LII. 32.
totum cum Sphenoidis parte. LII. 34.
depreſſum. LI. 30.
inæquali ſquama introrſum exſtante. Ibid. & 33. 39.
diffractum. LI. 39.
in oculi orbita. LI. 37.
perforatum in oculi orbita. LI. 57.

G

Genu Ligamentum Laterale æquo tenuius LVI. 26.
Ligamento Capſulari, & glandulæ mucilaginoſæ adnati plurimi oſſei globuli. LVII. 14.
Mucilaginoſa major glandula ſubdura facta. LXIX. 2.
Mucilaginis color non naturalis. LXIX. 2.
Mucilago nulla. LVII. 14.
Glandulæ. Vid. arteriæ Aſperæ. Axillares. Inguinales. Jugulares. Maxillares. Meſentericæ. Parotides. Pinealis. Pituitaria. Proſtata. Salivares. Thymus. Thyroidæa. Tonſillæ.
Glandulæ Cowperi. Vid. Urethra.
Mucilaginoſæ. Vid. Genu.
Glandulæ pleræque vitiatæ. XXIX. 12.
Gummata. Vid. Tumores.

He-

H

HEpar. Vid. Jecur.
Herniæ Cruralis ſacculus. XXXIV. 15.
Enteroceles ſacculus. XXXVIII. 2.
gangrænoſus. V. 19. XXXIV. 5. 9.
orificio tres digitos lato. XXVI. 37.
Epiploceles ſacculus. XXI. 15. 19. XXXIV. 9.
Omphaloceles ſacculus. XXXIV. 11.
Oſcheoceles ſaccus. XLII. 34.
Hydatides magnæ. Vid. Renes.
Hyoidi oſſi alligatus parvus tumor aquoſus. L. 18.
Hypogaſtricæ arteriæ latiores, duriores, nec ſine oſſe. LVI. 18.

I

JEcur magnum IV. 16. 30. XIII. 3. XVI. 4. 38. XXI. 33. XXX. 12. XXXVI. 23. XLVIII. 37. 38. LIV. 37. LXIX. 2.
aliquanto majus æquo. XLII. 11. 39. LIII. 24.
maximum. XXI. 24. 36. XXX. 10. 14. XXXVI. 2. 25. XLV. 16. LXIV. 15.
longiſſimum in tranſverſum. XIX. 58. XXI. 30. XXVI. 31.
extenſum in ſiniſtrum hypochondrium. XLVIII. 37. LIV. 37.
contractum. XXII. 4. LXIV. 7.
ſubſtantiæ parte ab ortu deficiente. III. 4.
Jecur lobo dextero profunde ſubdiviſo. XLVIII. 37.
deorſum ex parte, ſe extendente. LXVII. 11.
excreſcente ad imum uſque propemodum ventris. XXXVI. 2.
excreſcens ſiniſtrorſum. XXXVI. 25.
æquo magis convexum. XXXVIII. 34.
convexa facie non leviter ſulcatum. XLVIII. 38. LVI. 17. LXV. 8.
Jecur detruſum deorſum. XVII. 25.
deorſum, ac ſiniſtrorſum. XVI. 26.
ſurſum compulſum. XXXIX. 2. LVI. 12.
Jecur cum diaphragmate connatum. VII. 11. XI. 6. XXXVIII. 34. XL. 23. XLIV. 19. LVI. 31.
arcte nexum cum liene. XVII. 6.
alligatum ad proxima per telas inſolitas membranaceas. XVI. 30.
Jecur colore non naturali. XLII. 13.
decolor una parte, ſubflavum altera. XLIII. 22.
pallidum. XVI. 38. XXI. 35. 47. XXII. 4. XXIII. 4. XXX. 7. XXXVI. 25. XXXVIII. 6. 52. XXXIX. 26. LIV. 39. LVI. 31. LXV. 13.
ſubpallidum. XIV. 35. XVI. 10. XIX. 58. XXIV. 18. XXXVII. 2. XXXVIII. 34.
albidum. III. 2. IV. 16. 35. VI. 12. VII. 11. X. 13. XVI. 30. XXI. 9. 24. 29. 30. 33. 36. XXII. 22. XXX. 12. 14. XXXVI. 11. XL. 9. XLII. 20. XLIX. 6.
ſubcinereum. XVI. 12.
ſubcæruleum. LXII. 5. LXIV. 5.
lividum. III. 2. IV. 24. 26. V. 17. 19. VII. 9. 11. 13. VIII. 25. XVI. 34. XXVIII. 12.
in facie cava. XXI. 23. 30.
in limbo. XI. 11. XXI. 3. 9. 17. 23. 30.
ex livido pallens. XXI. 34.
ſubfuſcum. XIII. 3. L. 4.
tabacci colore: XVI. 30.
ſaturatiori colore ex parte. XXVI. 31.
ſubnigrum in facie cava. XXXIV. 9.
in limbo. XXXV. 10.
atrum. XXII. 10. XXXVIII. 10.
nigrum in limbo. XXXIV. 9.
variegatum. III. 4. IV. 30. VII. 11. X. 19. XVI. 38. XIX. 58. XXI. 9. 34. XXII. 22. XXIV. 13. 18. 34. XLII. 34.
ſtriis fuſcis diſtinctum. IV. 13.
maculis rubris diſtinctum: XXXVI. 11.
macula nigerrima in facie cava, ab effuſo ſub tunica ſanguine. LXVI. 9.
maculis ſubflavis extuberantibus. XXXVI. 25.
cum cellula ſemiconcreto ſanguine plena. X. 13.
cum hydatidibus inhærentibus. XXXVI. 4. XXXVIII. 42. XL. 23. LXV. 8.
Jecur durum. I. 4. IV. 16. 24. 35. VI. 12. VII. 11. X. 11. 19. XIII. 3. XIV. 35. XVI. 34. XVIII. 25. XXI. 23. 24. 34. 49. XXII. 22. XXX. 12. 14. XXXVI. 2. 4. 23. 25. XXXVIII. 16. 20. 30. XLIV. 7. LVI. 7.
durum ex parte. XXVI. 31.
ſubdurum. XXIV. 13. 34. XXXIV. 11. XXXV. 16. XXXVIII. 34. XXXIX. 26. XLIX. 6. LXIV. 5.
quaſi elixum. III. 4. XLV. 21.
ſuos evidenter oſtendens lobulos minimos. III. 4. XXX. 12. 14. XXXVIII. 30. XLIV. 7. LVI. 17.
ſub cultro ſtridens. XXXVIII. 52.
flaccidum. XXXVII. 2.
ſiniſtro lobo laxo, & cum ſphacelo. XXXIV. 25.
Jecur inflammatum. XXXIV. 21. XXXV. 12.
ſubinflammatum. XLVIII. 32.
cava facie eroſa, aut lacerata. LXVII. 17.
Jecur intus ex ſubpallido fuſcum. XXXVI. 23.
maculis ſubalbis intus, extraque diſtinctum. XXXVIII. 6. XLVII. 12.
diſtinctum albis corporibus. XXXVI. 2.
fuſcis quibuſdam punctis. XXXVI. 23.
ex alba ſubſtantia, & ligamenti ſimili conſtans in dexteri lobi parte. LXVII. 11.
cum albis ſcirrhis. XXIX. 12.
cum crebris tuberculis, quorum aliquot ſuppurata. LI. 20.
plenum ſteatomatibus. XXX. 14.
albis tumoribus. XXXVIII. 28.
ſubſtantia ſubflava, tenaci, ſubpurulenta. XXXVI. 25.
intus erodi incipiens. XXXVI. 2.
cum magno abſceſſu diſrupto. XXXVI. 4.
Jecur vulnere transfixum. LIII. 40.
parte alte lacerata. LIV. 16.
Jecoris ligamentum ſuſpenſorium craſſius, & ſiniſtrorſum diſtractum. XXXVI. 25.
arteria æquo major. XLII. 39.
Ductus Communis biliarius latior. XXI. 33.
Hepaticus latior. XL. 24. XLIII. 22.
latior intra jecur. XLVII. 37.
Jecoris Veſicula biliaria nulla. XLVIII. 55.
æquo minor. XXXVII. 29. XL. 22.
parva, & inanis. L. 4.
parva, tenuibus tunicis, & flaccidiſſimis. LVII. 10.
exigua, craſſis factis tunicis. XX. 32.
contracta in medio. XXIX. 18.
contracta. III. 2. XVI. 30. XXVII. 2. XXXVI. 2. 25. XLII. 13.
contracta, cum pauca bile. IV. 30. VII. 13. XXXVI. 23. LIV. 46.
tunicis craſſis factis. XXII. 4. XXX. 7. XXXVI. 2. LXX. 7.
exterius albicantibus. XXXVI. 11.
albicantibus intus atris. XXX. 7.
tunicis, parvis tuberculis obſitis. XXII. 18.
tunicis nigris. XXIV. 13.
ſubnigris. XXXIV. 9.
male conformata, & contorta. III. 4. IV. 26.
Jecoris Veſicula amplior. LXV. 5.
ampliſſima. XLIX. 6. LXV. 13.
dilatata a copia bilis. XXIV. 13.
bile turgida. I. 2. V. 6. VI. 12. VIII. 25. X. 19. XX. 11. XXII. 22. XXIX. 12. XXX. 7. XLV. 23. XLVII. 36. LX. 8. LXIV. 7. LXV. 8.
cum pauca bile. IV. 9. VII. 11. VIII. 27. XXI. 30. 36. XXXI. 14. XXXVIII. 34. LV. 10.

nec

nec naturali. XXI. 9.
& decolore. XXIII. 4.
vix cum ullo bilis veſtigio. XX. 32. XXI. 35.
nulla cum bile XXXV. 18. LVII. 10.
inanis; ſed aere turgida. XXX. 4.
Jecoris Veſiculæ bilis dilutiſſimi coloris. XXXVI. 11.
ex albo flaveſcens. XXI. 36.
pallida. XXXV. 16. XXXVIII. 18. LXX. 7.
quaſi cinerea. XXXVI. 23
valde flava. XXIX. 12. XXXVII. 28. LII. 30.
crocea VIII. 27. XVIII. 2. XLV. 21.
colore tabacci VII. 13.
fuſca. VIII. 25. XXI. 35. XXXVII. 2. XLIII. 22. XLIX. 2. LXV. 5.
fuſca ex ſubflavo XXXVIII. 34. LXVI. 9.
quaſi cruenta. III. 2. IV. 26. VII. 11.
livida, & quaſi nigreſcens. XXI. 24. XXX. 14. XLVII. 12.
ſubnigra, & nigra. IV. 35. XXIV. 16. XLIX. 6.
nigerrima. VIII. 23. XXIV. 13. XXX. 7. LXV. 13.
ex viridi pallida. XIV. 35. LIX. 15.
ex viridi nigricans. III. 4.
nigreſcentis amurcæ ſimilis. XXXIX. 26.
turbida, & fæculenta. XXXVIII. 34. XLIII. 22.
ſubviſcida, & viſcida. XXIV. 16. XXXVIII. 34.
viſcida, atra, craſſa. XXXVI. 2.
cum albis quaſi arenulis. LX. 12.
Jecoris Veſiculæ Calculi. III. 4. IV. 13. V. 6. 19. XXI. 2. 30. 36. XXIV. 16. XXVI. 21. XXVII. 2. XXX. 14. XXXIV. 15. XXXV. 16. 18. XXXVI. 4. XXXVII. 28. 29. 30. XXXVIII. 20. XLIX. 2. LVI. 7. 9. 31. LVII. 10. LXV. 13. LXVIII. 6.
horum aliqui inter Veſiculæ tunicas. XXXVII. 29. LVI. 31. LXV. 13.
Jejunum inteſtinum parvis maculis diſtinctum ex rubro lividis. IV. 26.
Ileum inteſtinum cum inſolitis gyris, & complicationibus. XXI. 19. XXXIX. 29.
parte ſui æquo profundius in pelvim deſcendente. LXII. 5.
totum ſupra umbilicum retractum, & in protuberantem tumorem coacervatum XXXIX. 26.
magna ex parte inflammatum. XXXIV. 23.
ex parte ſublividum. LXIV. 15.
livere incipiens. XXXV. 2.
ad magnos tractus ex atro rubens. XXI. 9.
parte aliqua nigricans. XLI. 10. XLIII. 27.
gangræna affectum. XXXI. 2. XXXIV. 9. 11. 18. XXXV. 6.
Ileum inteſtinum intus alicubi ex rubro livens, & tumidum. III. 4. XIX. 17. 18.
ad finem inflammatum. XVII. 19.
punctis nigris diſtinctum. XLIX. 8.
ex coccineo fuſcum. LIV. 39.
gangrænoſum. XXXI. 2.
exulceratum, XXXI. 2.
intus cum glandulis quadam materia alba plenis. XXXV. 6.
cum prominentiis duabus ex rubicunda ſubſtantia. XIV. 35.
Ileum inteſtinum vulneratum. LIV. 33.
tribus locis a globis plumbeis laceratum. LIV. 20.
transfixum. LIV. 31.
in tranſverſum omnino diſciſſum. LIV. 14.
Ilei inteſtini ulcus. IV. 26.
foramen. XXXIV. 9.
Iliaca regio nigra. LIV. 26.
Iliaca vaſa, glandularum catena operta. XLIX. 18.
altero in latere tenuiora. XLVI. 17.
Iliacæ arteriæ dilatatæ. XXXVIII. 40.
Ear. altera anguſtior, & tenuibus parietibus. LVI. 18.
valde flexuoſæ. XIX. 58. XXXVII. 30. XL. 23. XLII. 34. XLIX. 18. LX. 4.
altera. XLIII, 22.
præduræ. LVII. 10.
intus rugoſæ, & fuſcæ. XLIII. 22.
cum lineis parallelis ſecundum longitudinem. LXIV. 2.
cum oſſeis ſquamulis. XXIV. 16. XXXVII. 30. XL. 23. 24. XLII. 11. XLIII. 17. LX. 4. 6. 12. LXVII. 11. 14.
cum oſſea duritie, & maculis albidis. XLII. 34.
cum oſſeis inchoamentis, LXIV. 7.
cum ſanguinolentis eroſionibus. LXVII. 14.
Iliacæ venæ ſanguine plurimum diſtentæ. VIII. 27.
corrugatione quadam affectæ. XL. 23.
Earum una duplo quam altera, longior. XLVIII. 34.
una latior; altera parietibus inter ſe coaleſcentibus contracta, & per parva oſcula in Cavam influens. LVI. 10.
Earum Exterior durior ob craſſiores tunicas, & quaſdam intus chordulas. XXXVI. 23.
Ilium oſſium cum Sacro juncturæ laxatæ. XLVIII. 44.
alterius margo minutim perfractus. LIV. 4. 22.
alterum a facie interna operientes muſculi gangrænoſi. XXXIV. 25.
Innominatum os alterum amplius, & craſſius. LXIX. 10.
antrorſum magis prominens. LVI. 10.
inter ipſum, & peritonæum pus. Vid. Peritonæum.
acetabulo profundiori, cujus ſuperficies erat cavi conici, & orificium amplius. LXIX. 10.
acetabulo ſanguinolento. LVII. 2.
acetabulo cum ſupercilio oſſeo. LXIX. 10.
cum ſupercilio, duas oſſeas laminas includente. LVII. 2.
acetabuli cartilagine hic illic exeſa. LVI. 10.
fuſca, lurida, & hic illic rubente. LXIX. 10.
acetabulo naturali imminuto, altero autem novo. LVI. 12 14.
acetabuli mucilaginoſa glandula, & fovea pro hac deficientibus. LXIX. 10.
alterius mucilaginoſa glandula major. Ibid.
Inguinales glandulæ præter naturam, aut craſſiores factæ. XXI. 19. XXXIV. 18.
Intercoſtales muſculi ex inflammatione veluti fugillati. XXI. 45.
Intercoſtalia vaſa perrupta. LII. 34. 35. LIII. 18.
Inteſtina connexa inter ſe. XVII. 17. XL. 9.
per flaccidas quaſi membranas. X. 13.
ad meſenterium retracta. LIX. 7. 18.
ſurſum compulſa. LVI. 12.
pene omnia ſub jecur retracta, & per operientem quamdam membranam cum eo connexa. LXVII. 17.
ſitu perturbato. XLV. 23.
tenuiora, quam ſolent. LXX. 5.
valde contracta. XXX. 7. XXXIX. 33. XLIX. 14.
tunicis ſubrigidis, & quaſi exſiccatis. LIX. 18.
laxis. XLIV. 21. LXVIII. 6.
prorſus inania, & conniventia. XXXVIII. 24.
diſtenta aere. V. 19. VII. 11. VIII. 25. 27. X. 11. XI. 13. XVII. 10. XXI. 9. 36. XXII. 10. 22. XXX. 4. XXXI. 5. XXXIV. 5. XXXVI. 20. XXXVIII. 22. XLV. 23. XLVIII. 28. 32. LII. 8. LIII. 16. 18. LIV. 16. 35. LV. 10.
diſtentiſſima aere. XLVIII. 44. LIV. 2. 49.
diſtenta duris recrementis. IV. 30.
continentia multam æruginoſam, & per experimenta veneficam bilem. LIX. 18.
materiam ſanguinolentam. XXIX. 10.
ſerum lividum pure admiſto. XXXIV. 25.
humorem atrum. LIII. 18.
materiam nigerrimam. XXXI. 5.
præter ſolitum grave olentia. XXI. 3. 9. 17. XXVIII 12.
Inteſtina ſanguinem habentia arctiſſime ſuperficiei adhæren-

hærentem. LIII. 3.
pallida omnino. XXII. 10. XXXVIII. 16.
præternaturali colore anterius. XXX. 4.
bilis colore exterius late infecta. LXV. 5.
venis valde diſtentis. LIX. 12.
hic illic rubentia. XXXV. 2.
ex flavo fuſca. LXVI. 9.
ſublivida. XLI. 13. XLII. 20. LXX. 7.
livida. XXVIII. 12. XXIX. 14. XXXIX. 29. XL. 2.
hic illic. LXX. 5.
quaſi ſugillata. LIV. 22.
hic illic rubra, livida, nigra. XXXIV. 25.
rubentia. XXXV. 2.
quaſi inflammata. XXXVIII. 52. XLIV. 21.
levi inflammatorio rubore ſuffuſa. VI. 8. VII. 9. 11. VIII. 8.
alicubi. XXI. 3. XXVI. 21.
inflammata. XXXI. 25. XXXIV. 7. 21. XXXV. 12.
hic illic. LIX. 15.
valde inflammata, & rubentia omnia. XXIX. 10. LIV. 20.
ex rubro viridia. LXV. 8.
gangræna affecta quædam. XXXV. 18.
nigricantia. XXXVIII. 30.
atra pleriſque locis. LIV. 26.
perforata multis locis. XXXI. 2.
parvis tuberculis exterius inæqualia. XXII. 18. XXXVIII. 34.
hydatidibus. XXXVIII. 34. 35.
Inteſtina Tenuia. Vid. Duodenum. Jejunum. Ileum.
intra imam pelvim extenſa. XXXV. 10.
inter ſe arcte connexa, & in unum acervum contracta. XXXIX. 26.
quædam per ſubſtantiam quaſi cartilagineam inter ſe nexa. XXXIX. 29.
nonnullis locis valde arcta. XXXV. 18.
aere valde diſtenta. LIV. 39.
pleraque. XXXVIII. 34. LXII. 5.
quædam globulis fæcum plena. XXXIX. 29.
fluida ſubflava materia diſtenta. XXXIV. 9. 11. 18.
Inteſtina Tenuia quodam loco minimis tuberculis, aere plenis inæqualia. XXVI. 21.
livida. XLVIII. 38.
quodam loco. LIII. 37.
ex cinereo fuſca. LIV. 46.
ex livido variegata. IV. 24.
ex ſublivido nonnihil rubentia. XXVI. 31.
ex fuſco rubentia. XVIII. 2.
hic illic fuſca, alibi rubentia. XXXV. 10.
ſubrubentia, & dilatata. XVI. 38. XXXIV. 33.
ſubrubra. LXIV. 5.
nonnulla, ex parte rubentia. XLV. 23.
valde rubentia. XXVI. 13.
ad magnos tractus rubentia. XXI. 17.
hic illic ſanguineo colore. III. 2.
inflammari incipientia paucis locis. XXI. 23. 35. XLVIII. 32.
quaſi inflammata. XXI. 49. XLVIII. 37. LII. 8.
certo loco inflammata. V. 19.
pro majori parte inflammata. XX. 43.
hic illic inflammata. XXXIV. 9. 11. 18. XXXIX. 26.
quædam quaſi nigricantia. XXXVIII. 15.
fere omnia ex rubro nigreſcentia. XXXV. 16.
nigreſcentia quibuſdam locis. XXXVIII. 34.
fere omnia. XXXIX. 26.
certo loco ſugillata, & nigra. LIV. 41.
gangrænoſa. V. 19.
nigra. XXXIV. 5.
nigerrima omnia. XXXV. 14.
Inteſtina Tenuia ad quendam tractum ſanguineis maculis intus diſtincta. XXXIV. 33.
intus flava. LXII. 5.
cum Peyeri glandulis amplificatis. LXVIII. 12.
cum intus ſuſceptione. XXXIV. 33.
Inteſtina Tenuia quædam in herniæ ſacculo. V. 19. XXVI. 37. XXXV. 5. 9. 11. XLIII. 4. 5. 27.
parte dumtaxat ſuorum parietum. XXXIV. 18.

teſticulo valide annexa. V. 2.
Inteſtina Craſſa, Vid. Cæcum Veterum; Colon; Rectum.
anguſta. XLIX. 14.
nonnullis locis rubentia. XIV. 35. XXXV. 10. LXV. 5.
inflammata. XXIV. 18.
nigra. XXXI. 14.
glandulis cruentis. Ibid.
eroſis. Ibid.
Eorum Appendicula Vermiformis nulla. XXVI. 37.
turgidula, & rubens. XXX. 7.
in ſcroto. XLIII. 2.
Jugulares glandulæ induratæ. XVII. 19. XXIX. 12.
duræ, & tumentes. LV. 20.
amplificatæ, duæ præſertim imæ, & purulentæ. XXIX. 12.
Jugulares venæ Internæ latiores. VIII. 11. XLIII. 22.
ſanguine valde diſtentæ. IV. 24.
Internæ, & Externæ ſanguine diſtentæ. XIX. 49.
Jugularis ſiniſtræ venæ tunicæ valde craſſæ factæ. XVII. 19.

L

Laborum livor. XXIV. 34.
Lacrymalis Ductus Majoris coalitus. XIII. 27.
canaliculi alterius, & puncti dilatatio. Ibid.
Lacrymalium Punctorum in aliis occluſio. Ibid.
Laryngis exteriores membranæ ſtagnante ſero turgidæ. IV. 24. 26.
a tergo in duo veluti condylomata extuberantes. XLIV. 3.
vaſa turgida. XXI. 30.
Larynx pultaceo pure obturata. XV. 13.
exterius livida, intus ſubrubra. IV. 26.
gangrænoſa. V. 19.
ex rubro nigreſcens. VIII. 25.
cum puſtula variolarum. XLIX. 32.
cum tumoribus cancroſis. XXVIII. 9. 10.
interiore membrana rubicundiore, & ſubtumida. XLIV. 3.
exulcerata. XV. 13.
Laryngis Annularis cartilago diſrupta. XIX. 13.
Arytænoides altera quaſi luxata, nec compari parallela. XLIV. 15.
Epiglottidis membrana criſpata. VIII. 27.
tumida, coccinea, & ſuppurari incipiens. XLIV. 3.
Epiglottis minus ſana. XLII. 39. 40.
ulcere perforata. XXVIII. 10.
cicatricibus deformata. XLIV. 15.
Latera ex ſubrubro liventia. XXVI. 35.
Lien ſurſum compulſus. XXXIX. 2.
compulſus verſus ſcrobiculum cordis. LVI. 12.
inferius ſitus. XXI. 33.
prolapſus ad inguen, idque dexterum. XXXIX. 42.
cum diaphragmate arctius nexus. XVIII. 2. XXI. 49. XXIX. 20.
cum ventriculo. XXIX. 20.
cum hepate. XVII. 6.
cum vicinis omnibus Partibus. XX. 26. XXII. 4.
Lien exiguus. XVI. 10. XXV. 10. XXVII. 16. 28. XXX. 14. XLIV. 21. L. 4.
paulo craſſior. XIV. 35.
craſſior. XVIII. 2. XL. 23. XLVIII. 38. XLIX. 18.
craſſior, & latior. XLIV. 19.
aliquanto major. XVI. 38. XIX. 58. XXIX. 12. 20. XXXVIII. 10. 16. XLII. 20. L. 48. LIII. 24. 26. LIV. 37. 39. LVI. 31. LIX. 15. LXIV. 5. LXVIII. 6.
magnus. IV. 16. 24. 26. 30. V. 19. X. 19. XI. 6. XVI. 2. XVIII. 25. XXI. 6. 9. 24. 30. 33. 35. XXII. 22. XXV. 2. XXX. 12. XXXI. 2. XXXV. 10. XXXVI. 4. 23. 25. 29. XXXVIII. 30. 34. XLII. 34. XLIV. 7. XLV. 16. LXIX. 2. LXX. 7.

maximus. XI. 11. XVI. 6. XX. 2. 30. 43. 51. XXII. 4. XXXVI. 11. 17. XXXVIII. 13. 18. XXXIX. 42. XLIII. 22. LII. 30.
prælongus. XLVII. 36. LII. 2.
longus adeo ut totum pene ventrem a ſiniſtris impleret. XXXVI. 17.
in ſe complicatus. LII. 30.
turgidus ſpumoſo ſanguine. XXVII. 2.
Lien altera facie quibuſdam granis ſubaſper. XLVIII. 38.
cum craſſa cruſta albicante. LVI. 17.
granis quibuſdam miliaribus aſper. XXVIII. 13. 34
cum hydatidibus. XXXVIII. 34.
albicans. X. 13. XXI. 9. 30. XL. 23.
latis albis maculis diſtinctus. IV. 24. V. 17.
pallidus. XXX. 7.
colore ſubcæruleo. LXII. 5.
perobſcuro. XI. 6.
æquo lividiore. XLII. 20.
dimidia ex parte. LIV. 26.
ſubniger. XLVII. 12.
oblongis maculis nigricans. IV. 30.
niger. XVII. 10. XVIII. 30. L. 48. LVI. 17.
perniger altera facie. XXI. 17.
ad rubrum inclinans. XX. 39.
rubens altera facie. XLVII. 36. LIX. 15.
inflammatus. XXXIV. 21.
gangrænoſo livore ex parte infectus. XXI. 29. 36. XXXIV. 11. 18. XXXV. 16.
ſphacelo affectus. XXXV. 14.
tunica craſſa facta. VII. 9.
dura ex parte. VII. 11. XXIV. 18.
cartilaginea ex parte. VII. 9.
oſſea ex parte. X. 19. XL. 23. XLIX. 18.
Lien laxus. IV. 9. 16. 24. 26. VII. 9. X. 19. XIX. 58. XXI. 9. 30. 35. XXII. 8. XXIX. 20. XXXIV. 11. XL. 23. XLVII. 36. L. 48, LVI. 31. LXIX. 2.
laxiſſimus. XXI. 23. XXV. 10. XXVI. 31. XXVII. 28. XXXVI. 29. XLIII. 22. LII. 8. LIX. 15. LXVI. 6.
firmior paulo, quam æquum ſit. LIV. 46.
durior. XVIII. 25. 30. XXI. 49. XXII. 22. XXIII. 4.
prædurus. XVII. 10. XXXVIII. 6.
Lien intus pallidus. XIX. 58. XXIX. 12. XLVIII. 38. LII. 30.
colore carneo. XLIV. 19. XLVIII. 37. LXIX. 2.
ex ſubſtantia compacta, & ſine ſanguine. XXXVIII. 30.
cum ſolidiori quodam corpore. XXXVI. 11.
cum oſſe ſphærico intra extimam partem. XX. 41.
Lienis ligamenta craſſiora. XLIX. 18.
vaſa exterius amplificata, XXXVI. 17. XXXIX. 42.
vena craſſior. XXVII. 16.
arteria vix flexuoſa. XXXVI. 23. LIV. 37. LXVII. 11.
ſine ullis prorſus flexibus. XLIV. 19. LXX. 7.
flexuoſiſſima. XL. 24.
latiore. XL. 22. 23. 24.
tenuiore. LIV. 37.
primum tenuiore, deinde latiore. XLIX. 18.
tunicis craſſioribus. XL. 24.
cartilagineis. XX. 26.
alicubi oſſeis. XL. 24.
fere ubique ex oſſibus. XL. 22. Vid. & Splenica arteria.
Lingua prælonga. XLVIII. 50.
craſſior facta. VIII. 25. XLIV. 3.
Linguę vaſa per ſuperiorem faciem craſſiuſcula. XLIV. 3.
glanduloſa expanſio hic illic ulcuſculis eroſa. XLII. 40.
cicatricoſa. XLIV. 15.
Livor cadaveris. III. 24. IV. 4. 16. 21. 26. VII. 2. 11. 13. VIII. 4. 25. XVI. 30. XIX. 3. 5. 20. XXIV. 13. XXVI. 13. LIV. 20. Vid. etiam Abdomen. Collum. Dorſum. Facies. Labra. Latera Pectus.
Lumbaris regio nigra. LIV. 26.
Lumborum muſculi concreto ſanguine infarti, LIV. 25. 26
colore, laxitate, & disjunctione fibrarum peccantes. LVII. 17.
a facie interiore vulnerati. LIV. 37.
Lumbrici teretes in ventriculo. XLVIII. 37.
in inteſtinis. XXXV. 14.
in Tenuibus inteſtinis. XXXV. 16. XLVII. 12. LXII. 2.
plurimi. XVI. 38.
in Jejuno. XXXIV. 33.
in Ileo. XIX. 17. 18. XXX. 20. XXXIV. 9.
in Coli initio. LIV. 49.

M

MAculæ per cutem purpureæ. IV. 9. X. 2. 7.
Mammæ hic illic duræ. XXI. 47.
cum humore intus viridi, & atro. Ibid.
cum oſſeo intus corpore. L. 41.
cum corporibus ex ſcirrhoſis in cancroſos, & qualiter, degenerantibus. L. 48.
Mamilla virilis, intus habens materiam, calcis ſimilem. L. 45.
Manuum quidam muſculus, a dextris gracilior, & tendineus; a ſiniſtris contra. LX. 6.
digiti contracti, & rigidi. XXVII. 2.
rigidiſſimi. LXII. 5.
Manus palmæ nonnulli tendines, muſculi, nervi vulnerati, aut læſi, LIV. 44.
Maxillæ arctiſſime conſtrictæ. IV. 26.
Maxilla Inferior æquo longior, & anguſtior. XLVIII. 50.
in ejus altero capitulo excreſcentia oſſea. LVI. 21.
cartilagine interarticulari inciſuræ quædam. Ibid.
Maxillares Internæ glandulæ æquo majores. LXIII. 19.
altera indurata. XXVIII. 9.
Mediaſtinum ſiniſtrorſum compulſum. XVI. 26.
opertum ex parte rete tum ſubflavo, tum ſanguineo. XXI. 30.
craſſius factum. XVI. 26.
circa medium tuberculis ſebaceis obſitum. LXVIII. 12.
vulneratum. LIII. 3. 26. LXIX. 4.
Medulla Oblongata. Vid. Cerebri.
Medulla Spinalis. Vid. Spina.
Medulla Spinalis nulla. XLVIII. 48. 50.
extra vertebrarum tubum. XII. 16.
ejus Meninges ſanguine ſuffuſæ. LX. 4.
Meninx Dura adhærens Arachnoidi. XLIX. 16.
ejus, & ipſius nervorum vaſa ſangnine turgida. X. 17.
circum eam effuſus ſanguis. III. 2. LX. 4.
effuſa aqua. IV. 7. 21. 24. 30. V. 11. XV. 6.
ad ejus initium. LI. 27. 28.
Medulla Spinalis laxa valde. LXX. 5.
ex ejus externa parte aqua non pauca effluens. XXXVII. 2.
ex ipſa ſanguis expreſſus. LII. 5.
Membranæ omnes ſectioni, aut diſciſſioni valde renitentes. XLIV. 3. LX. 10. LXVII. 17.
Membraneus folliculus plumbeo globulo circumnatus. XXVII. 28.
Meſenterium contractum. LIX. 18.
ſe extendens in herniæ ſaccum. XXVI. 37. XXXIV. 9. 11.
ibique quaſi carneum. XXXIV. 5.
ejus pinguedinis minimæ particulæ, tumultuario motu ſe agitantes. XXXI. 5.
Meſenterium inflammatum. XXXIV. 18.
ex rubro viride. LXV. 8.
nigricans. XXXVIII. 30.
vulneratum. LIV. 33. 35.
intumeſcens. LIV. 35.
Meſenterii glandulæ amplificatæ. XXIV. 18. XXVII. 16. XXIX. 20. XXXVIII. 34. XL. 23. XLVII. 24. XLVIII. 38. XLIX. 18. LIV. 39. LX. 12. LXIV. 7. LXV. 5. LXVI. 6. LXX. 7.
quædam valde amplæ, & purulentæ. XXIX. 12.
duriuſculæ, & ſcirrhoſæ. XXVII. 16. XXXVIII. 34.

in

in tumorem ſanioſum verſæ. XXXI. 2.
Meſenterii obſtructio aliqua. XXX. 10.
crebra tubercula. XXII. 18.
tuberculum oſſeo lapideum. XXXVI. 23.
peculiaris globulus pinguedinis. XLIV. 3.
tumores. XXXIX. 9.
tumor magnus. XXXIX. 5.
maximus. XXXIX. 2.
abſceſſus repente diſruptus. XLVI. 20.
abſceſſus multi parvi, & ulcuſcula. XXXIV. 21.
tumores ſebacei. LXVIII. 12.
Meſocoli pars rigida, & rubris maculis diſtincta. LV. 10.
in ejus ſiniſtra parte ſebacei tumores. LXVIII. 12.
Mola ſpuria cum fœtu edita. XLVIII. 9. 10.
Muliebria. Vid. Clitoris. Nymphæ. Ovaria. Pudendum. Tubæ Fallopp. Vagina. Urethra. Uterus.
Muſculi pallidi. LI. 19.
colore fuſco, & obſoleto. LXIX. 2.
laxi. XI. 11. 13. XIX. 58. XXXV. 10. LII. 8. LXIX. 8.
inter eos abſceſſus plures. LIII. 24.
Muſculi, Spinæ adſiti, a facie interiore vulnerati. LIII. 40.

N

NAres cadaveris. Ex iis pus. V. 19.
ſpuma ſanguinolenta. XXVI. 35.
aqua fœtens. XLVIII. 44.
Narium polypi, a glanduloſa membrana glanduloſi incipientes. XIV. 18.
Nervi. Vid. Cerebri. Medullæ Oblongatæ.
Nervulus ex Cervicalibus facile compunctus. XIV. 3.
Nervus Cruralis Poſterior eroſus. L. 11. 55.
Nervi Intercoſtalis truncus vulneratus. LIII. 40.
Nervus Opticus extenuatus. XIII. 8. 9. LII. 30. LVI. 21. LXIII. 4. 8.
ſubfuſcus. XIII. 9.
cinereo colore. XIII. 8. LVI. 21. LXIII. 8.
carneo obſoleto. LII. 30.
tunicis craſſioribus. XIII. 8. 15. LII. 30. LVI. 21. LXIII. 6.
conſtans ex ſubſtantia æquo pauciore, & humidiore LXIII. 6.
æquo duriore. XIII. 9. LXIII. 4.
cavus, plenuſque humore turbido. XIII. 8.
ſubſtantia ſanguinolenta. LVI. 21.
mucoſa ſubſtantia carnei obſoleti coloris. LII. 30.
Nympharum muliebrium altera longiſſima, aqua ejus ſubſtantiæ interfuſa. XLVII. 12.

O

OCcipitis os leviter exterius inciſum. LI. 49.
fiſſum. Ibid.
totum fiſſura lata. LI. 51.
carie eroſum, & pertuſum. LII. 38.
Oculus exterius putreſcens. LI. 7.
altero minor. LXIII. 6.
minor factus, & humilis coni figura. LII. 30.
figura non ſatis ſphærica. LXIII. 2.
Oculi Cornea minor facta. LII. 30. LXIII. 6.
figura non naturali. LII. 30.
opaca. XIII. 17. LII. 30. LXIII. 2. 4.
intus inæqualis. LXIII. 2.
foveolam excavatam habens. XIII. 17.
Uvea non integra. LII. 30.
Iris ad Corneam adhærens. XIII. 17. LXIII. 2.
Pupillæ inæquales. LXIII. 10.
Choroides arctius adhærens Scleroticæ. LXIII. 2.
Retina ſanguineo colore. XIX. 8.
peſſime ſe habens. LXIII. 4.
oſſea facta. LII. 30.
alia intra oculum oſſificatio. XIII. 9.
Oculi Aqueus humor ſubater, Cryſtallinus, & Vitreus nulli. LII. 30.
Cryſtallinus ad Corneam adhærens. XIII. 17. LXIII. 4.
minus craſſus, quam æquum eſt. XIII. 15. LXIII. 6. 10.
plurimum imminutus. XIII. 17.
anterius inæqualiter excavatus. LXIII. 2.
in latere mutilatus. XIII. 15.
vix quarta parte ſuperſtes. LXIII. 4.
anterius albus, cætera albidus. LXIII. 6.
albus, & opacus. XIII. 17.
Subopacus. LXIII. 10.
ex duabus ſubſtantiis, albida, & fuſca. XIII. 15.
colore intus flavo obſoleto. Ibid.
ſeriem intus continens nigrarum particularum. LXIII. 6.
æquo plus continens aquei humoris. Ibid.
mollior, quam debet. XIII. 15.
durus, & humidus. LXIII. 10.
durus, & ſiccus. LXIII. 10.
Oculi Vitreus humor magna ex parte in aquam converſus. LXIII. 6.
inſtar lentæ pituitæ. XIII. 15.
peſſime ſe habens. LXIII. 4.
Oculi cæci conſtitutio. XIII. 8. 9. LII. 30. LXIII. 2. 4. 6. 10.
Oculi nervus Opticus. Vid. Nervus.
Trochlearis muſculi cum ſua trochlea coalitus. LXVII. 9.
Oculi orbitæ fornix leviter eroſus. LI. 7.
Œſophagus compreſſus. XVII. 19. 25. XVIII. 22.
cum eroſionibus gangrænoſis. XXIX. 20.
Œſophagi ſumma pars ex rubro nigreſcens. VIII. 25.
imus tractus ruber, & latiſſimus. XXXVII. 30.
inflammatus. LIX. 15.
Omentum ſurſum retractum. IV. 19. 26. V. 6. VII. 11. XI. 6. XXIII. 4. XXVII. 16. XXXVI. 25. XLII. 34. XLV. 23. LII. 2. 30. LIV. 39. 46. LV. 90. LVI. 31. LXIV. 5.
ſurſum revolutum, extenſumque. XXIX. 12.
ſurſum in ſe contractum, & in ſcirrhum converſum. XXXIX. 26.
ſurſum ex parte retractum, & ventriculum operiens. LIII. 40.
dextrorſum tractum. XXXIV. 9.
intra ſcrotum deſcendens. II. 20. XXI. 15. 19 XXXIV. 9. XLIII. 2. 31.
intra ſacculum omphaloceles. XXXIV. 11.
bubonoceles. XXXIV. 18.
valde breve. V. 17. VII. 11.
prægrande. XXV. 4.
Omentum annexum peritonæo. XXII. 18. XXX. 7. XLII. 20.
inteſtinis. XXI. 33. XXXIV. 21. XXXVII. 30. LVII. 2.
meſenterio. XXII. 18.
uteri fundo. XLVII. 14.
Omentum craſſiſſimum; & præpingue. XIV. 27. XLVII. 14.
extenuatum, & macrum. XXX. 7. XXXVIII. 4. XXXIX. 2. XLII. 20.
flaccidiſſimum. XXIII. 4.
rigidum. LV. 10.
ferme conſumptum. XXX. 22.
in fruſta diſcerptum, in ventris aqua natantia. XXXVIII. 30. 34. XXXIX. 2. XLVII. 8.
Omentum cum venis valde diſtentis. LIX. 12.
cum hydatidibus. XXXVIII. 4.
cum glandulis majuſculis. XLIII. 22.
intortum inſtar funis. XXV. 4.
contortum in varii coloris extuberantias. XXIX. 6.
ex parte in teres corpus mutatum. XXXIV. 9. XXXVIII. 34.
Omentum maculis rubris diſtinctum. LV. 10.
inflammatum. XXXIV. 18.
pinguedine ſublivida. LV. 11.
quaſi fugillatum. LIV. 22.
nigricans. XVI. 30.

ex ſubviridi fuſcum. XXXVI. 25.
virens ex parte. LIII. 24.
globulis quaſi glandulofis opertum. XVI. 30. XXII. 18.
tuberculis ſebaceis plenum. LXVIII. 12.
cum multis parvis abſceſſibus, & ulcuſculis. XXXIV. 21.
vaſis ſanguiferis ruptis. LIV. 14.
ob prægreſſum olim vulnus, peritonæo annexum. LXVI. 9.
Oris diſtortio. XIX. 3.
ex ore cadaveris ſpuma. XXVI. 35.
humor ſanguinolentus. IV. 16. XXVI. 35. XXVII. 2.
putrida materia multa. XXXV. 14.
pus. XXII. 6.
Oſſa. Vid. Cranium. Cruris. Femoris. Fibula. Frontis. Hyoides. Ilium. Innominatum. Occipitis. Oculi orbitæ. Sincipitis. Pubis. Temporis.
Oſſa flexilia, & mollia facta. LVIII. 4. 5.
ſpongioſa facta in ſuperficie, carioſa in meditullio. LVIII. 4.
quæ nulla cura fieri alba potuerunt. XLVIII. 50.
Ovaria nulla. XLVI. 20.
alterum prorſus deficiens, alterum parvum, & morbidum. LXIX. 16.
alterum altero brevius. XXIX. 10. 20. XXXV. 16. XLVIII. 35.
in hydatides, & quales, converſa. XXXIX. 12.
ad ipſa hydatides. XLVII. 16.
magnæ, & quales. XXI. 47. XXXIX. 12. XLVI. 29.
ex altero extans hydatis. LV. 10.
ad alterum corpuſculum cavum, diſruptæ hydatidis veſtigium. XLVII. 12.
Ovariorum ligamentum proprium craſſius. XLV. 16. XLVIII. 32.
Ovariorum alterum non ita ſanum. XLVIII. 32.
alterum cum Tuba, & Colo glutinatum, abſceſſu ex parte conſumptum. XLVI. 27.
utrumque cum Tubis, & earum ligamentis confuſum, & in maſſam verſum ſebaceam laceram. XXXVIII. 34.
Ovaria grandiora. XXII. 22. XXIX 12. XXXIX. 33. XLV. 21. LII. 4. LXX. 10.
ſuo pondere pone uterum tracta. XLV. 21.
humore turgidiora. LII. 4.
ab incluſis cellulis tumida. XLV. 23.
alterum grandius aquam continens. LXVIII. 6.
diſtentum ab interna hydatide. XV. 8. XLVIII. 34. LVI. 21.
in magnum tumorem celluloſum amplificatum. XXIX. 14.
veſicularem maxima ex parte. XXXIX. 37.
aliqua ex parte. XXXIX. 39.
in tumorem 25. librarum expanſum. Ibid.
Ovaria longiora. XLV. 16.
ſtrigoſa. XXVI. 31. XXXIV. 33. XLV. 16. XLVI. 24. 29. XLVII. 28. 30. LV. 10. LVI. 17. 20.
parva. XLVII. 30.
in tenuem laminam depreſſa. LVI. 17.
inæquali magnitudine. LVI. 20. LX. 10.
Ovariorum ſuperficies nigra. XXI. 47.
tuberoſa facta ex hydatidibus. LXX. 10.
quaſi in teſſellas diviſa. XLVI. 17. LVII. 14.
maxime inæqualis. LVI. 10. 20. LXI. 7.
tunica quaſi cicatricoſa. LII. 28.
quaſi ulcuſculo perforata. LII. 28.
hic illic quaſi cartilaginea. XXXV. 16.
Ovaria ex ſubſtantia ſubalba molliore. XLVII. 4.
alterum in ſebaceam materiam connverſum. XXXIX. 33.
mollius, & quaſi gelatinoſum. XLVI. 27.
Ovaria duriuſcula. LXI. 7.
indurata. XVI. 4. XX. 11. XXI. 47. XXII. 22. XXIII. 4. XXXIV. 33. XLV. 16. XLVII. 31. L. 4. LII. 2. LVII. 14.
pene tota ſcirrhoſa. XXXVI. 17.
ſcirrhoſa. XV. 13. XLV. 21. XLVI. 17. LXVI. 2.
alterum. XXXIX. 33. 37.
Ovaria ſine ullis veſiculis. XLVII. 4. 31.
ſine ullis naturalibus veſiculis. XLVI. 29. XLVII. 30.
cum veſiculis plenis ſeri per coctionem evaneſcentis. LII. 28.
cum cellulis nigris. XXII. 22. XLV. 23. XLVII. 12. 28.
viridibus, flavis, ſubflavis, albiſve. XXI. 29. XXIII. 4. XLVII. 30. LII. 6. 28.
continentibus humorem ſanguinolentum. XXIII. 4.
ſanguinem ſemiconcretum, aut concretum. XXIX. 12. XLVII. 12. XLVIII. 44. LII. 6.
nigros globulos. XXI. 24. 29. XXXIX. 37.
ſubfuſcum humorem, & flava quædam corpora. XXXVI. 17.
pus album. XLV. 23.
aut inanibus. XXI. 29. XXIII. 4. XXIX. 12. XXXVIII. 28. XLVI. 27. XLVII. 12. 30. LX. 6. 10.
cum cellulis ferme cartilagineis. LII. 2.
oſſeis. XLVII. 28. XLVIII. 44.
Ovaria cum ſanguine ſemiconcreto. XXI. 47. XXVI. 13.
cum globulis albidis. LXIX. 16.
Ovariorum vaſa ſanguifera. Vid. Spermatica.

P

Pancreas valde extenuatum. XXX. 14.
æquo majus. XXX. 10.
craſſius factum. XXIV. 12. XXXV. 16.
ex parte. XVI. 36.
excreſcens ex parte in ſubſtantiam albam, & mollem. XXIX. 12.
in tumorem album, durumque. XXXVIII. 28.
Pancreas candidum. XXX. 7.
ex parte rubens. XLV. 23.
quaſi inflammatum. XXVI. 21.
ex rubro nigricans, ex parte. XXVI. 31.
Pancreas duriuſculum. XXI. 17. 33. XXVI. 31. XXX. 7. XXXVIII. 34. XLVII. 12.
durum. IV. 16. V. 19. XVI. 36. XXII. 22. XXVII. 2. XXIX. 12. XXX. 10. 12.
lobulis diſtinctis, & exſuccis XXX. 7.
& firmioribus. XLV. 23.
ex induratis quaſi globulis. XXXV. 16.
tuberoſum. XV. 11. XXX. 10.
ſebaceis tuberculis plenum. LXVIII. 12.
cum arteria oſſea. XVI. 12.
Parotide in glandula materia tartarea. XI. 15.
Parulis. IV. 26.
Patellæ cartilaginea cruſta ſulcata, & quaſi attrita. LVII. 14.
Pectus. Vid. Thorax.
Pectus quodam loco lividum. LII. 15.
Pectoris gibbus. X. 13.
anguſtia. XLVI. 17.
inter muſculos aqua. XXXI. 2.
Pedis glandula ſubcutanea. L. 15.
Penis tenſio in cadavere. XIX. 19.
præputium arctius. LII. 30.
cum ulcuſculis. VIII. 6.
nigricans. LXII. 5.
cum glande, ad gangrænam vergens. XVIII. 25.
glans cicatricoſa. XLII. 34. 39. 40. XLIV. 12. 15.
urethra. Vid. Urethra.
Pericardium dilatatum. LXIV. 19.

phlo-

phlogoſi affectum. XLV. 16.
inflammatum. VII. 11.
vulneratum. LIII. 3. 26.
craſſius. XVIII. 34. XX. 20. 35. XLIII. 17. XLV. 16.
ex parte. LIII. 29.
craſſiſſimum alicubi. XXII. 10.
durius. X. 19. XVIII. 34.
cartilagineum alicubi. XXII. 10.
cum alba macula. XXXV. 12.
Pericardium cordi adhærere incipiens. LXII. 5.
per mucoſam ſubflavam materiam. XVIII. 25.
per fibras paucas. XXXVIII. 22.
multas. XXXVIII. 13.
cordi adhærens ex parte. XXV. 15. LIII. 29. LVI. 12.
per duo valida quaſi ligamenta. XXIV. 2.
cordi undique adhærens. IV. 19. V. 19. VIII. 6. XXII. 4. 10. XXIV. 11. XXX. 7. XXXV. 12.
valide nexum. XLIX. 4.
adhærens auriculæ dexteræ, & vaſis magnis. XXX. 7.
Pericadium intus opertum pſeudomembrana polypoſa. XLV. 16.
albidis hic illic concretionibus. XX. 35. 36. XXI. 2.
corpore quodam reticulari. XX. 20.
Pericardium ſine aqua. VII. 2. XI. 13. XX. 24. XXXIV. 18. XXXV. 16. XXXVIII. 13. LXII. 5.
aquam vix ullam habens. IV. 21. VII. 9. XXII. 16. XLIX. 2. LI. 20.
paucam, aut mediocri copia. XX. 55. XXVI. 37. XXIX. 10. XXXVIII. 2. XL. 23. 26. LVI. 17.
non ita paucam. I. 2. XVII. 14. 25. XX. 2. XLIII. 17.
multam. X. 11. XVI. 2. 43. XX. 41. 47. 59. XXI 2. 17. XXII. 14. 18. LI. 19. LIII. 9.
plurimam. 16. 34. 36. 40. XVIII. 28. XLIII. 29.
aqua plenum. X. 2. XVI. 19. 21. XX. 11. 13. 30. XXII. 6. XXV. 15. XXVI. 20. XXVIII. 12. LIII. 18.
valde diſtentum. XX. 35. 36. XXIV. 2. XXXVIII. 6.
maxime diſtentum. XXXVIII. 10.
Pericardium aquam continens limpidam multam. XVI. 6.
albicantem plurimam. XLV. 16.
turbidam, aut ſubturbidam V. 17. X. 13. XX. 53. XXI. 9. 24. 36. XXII. 24. XXIV. 34. XLII. 11. XLV. 23.
ſeri vaccini ſimilem plurimam. XX. 57.
flavam, aut ſubflavam. VII. 11. VIII. 27. X. 7. XVII. 10. 21. XX. 20. XXI. 9. 30. 34. XXII. 22. XXIII. 6. XXIV. 13. XXXVIII. 34. LII. 8. LIV. 37.
ſubflavam cum craſſis, & mucoſis quaſi telis. XVI. 38.
urinæ ſimilem. XXVI. 33. LXIV. 5.
ex flavo virentem. XVI. 30. XXI. 17. XXXVIII. 30.
ex flavo ſubrubram. XXI. 33.
ſubrubram. XXI. 19. 24. 29. XXVII. 12. XXXI. 2. XLV. 23. LII. 8. LIV. 39.
rubentem. XVIII. 2.
ſuberuentam. III. 2. IV. 24. XXVI. 35. XXX. 10.
cruentam. III. 26. IV. 26. XXI. 3. XXXVI. 23. XLIV. 3.
craſſam. XI. 11. XVI. 17.
purulentam multam. XXIV. 2.
Pericardium ſanguine plenum. XXVI. 5. 7. 13. 15. 17. 19. XXVII. 2. 5. 8. LIII. 7. LXIV. 13. 15. LXIX. 4.
ſemiplenum. XXVI. 21. XXVII. 28. LIII. 26.
continens pus flavum, mucoſum, non multum. LIII. 29.
Pericranium a ſuccis gelatinæ ſimilibus craſſius factum. I. 4.
a ſanie eroſum. LI. 5.
Peritonæum lividum. XLI. 13.
parvis globulis aſperum. XVI. 30. XXII. 18. XXXVIII. 34.
duris quaſi glandulis intus opertum, XLVII. 8.
Peritonæo innatus tumor. XXXVIII. 51. 52.
continens intra ipſum eroſum aquam plurimam fœtidam. XXXVIII. 52.
Peritonæum inter, & muſculos aqua plurima putidiſſima. XXXVIII. 51.
Peritonæum inter, & os Innominatum plurimum puris. LVII. 20.
Pharynx rugoſa facta. XV. 15.
plena ſpumæ ex flavo virentis. VIII. 25.
fœtens quaſi ex inflammatione in gangrænam vergente. XXI. 29.
lateribus juſto craſſioribus ex ſubſtantia quaſi glanduloſo viſcida. XLII. 34.
ex rubra nigricans. VIII. 25.
cum ulcere. XXVIII. 12.
cum tumoribus cancroſis. XXVIII. 9.
cancroſis exulceratis. XXVIII. 10.
cum vaſis turgentibus. XXI. 30.
Pinealis glandula. Vid. Cerebri Medulla Oblongata.
Pinguedo alicubi tenaciſſima. LXIX. 2.
Pinguedinis color fuſcus. III. 26.
globus ſub cute, pugni magnitudine, ad cartilaginem enſiformem. XIX. 58.
Pituitaria glandula. Vid. Cerebri Ventriculus Tertius.
Pleura certo loco arctiſſime adhærens coſtis, & quaſi calloſa. L. 48.
facile avellenda. VII. 11. 13. XXI. 9. LII. 8.
craſſior facta. VII. 11. XXI. 29. 30. 35. 36. XXXIV. 18.
plurimum. XVI. 30.
oſſea facta. XXI. 19.
aſpera parvis globulis. XVI. 30. XIX. 13.
rubris exiguis quaſi tuberculis. XXI. 32.
tuberculis oſſeis. XXI. 19.
quaſi oſſeis. XXI. 23.
evidenter læſa. XXXI. 14.
leviter rubra. XX. 51. 53.
rubicunda. VII. 11. 13. XVI. 40. XXI. 33. 34. XXII. 16.
roſeo colore ad non parvos tractus. XLV. 16.
quaſi a minutis ictibus hic illic. XVI. 30.
inflammata. XX. 55. 56. XXI. 45.
liveſcens, & ſubnigra. XXI. 35. 45. LIII. 14.
ſemicorrupta, & laxiſſima. XXI. 36.
putrida. LII. 8.
Pleura, laxa quaſi membrana intus operta. XX. 47. 56. 59.
certo loco. XLV. 16.
flava, & tenui. XXI. 9. 17.
firma ad magnum tractum. XL. 23.
ob ejuſmodi membranam adhærentem corruptio pleuræ, dumtaxat apparens. XX. 56. 59
Pleuræ ſtrumoſi tumores. LXVIII. 12.
Pleuram inter, & coſtas non parvus tumor. LIII. 32.
Plexus Choroides. Vid. Cerebri Ventriculi Laterales.
Popliteæ arteriæ aneuryſmata. L. 9. 10.
Proſtata glandula parva. XXIV. 18.
extumeſcens. XLI. 13. XLIX. 18.
Proſtatæ excreſcentiæ. XLI. 6. 18. XLII. 11. XLIII. 24. LXVI. 6.
durities magna. XLI. 13.
utraque ſuperficies nigricans. XLI. 13.
ſuperficies interna exulcerata. XLII. 28.
cum tribus ſinibus breviſſimis. XLIV. 15.
cum granulis quaſi tabacci ad ejus oſcula. VII. 11. XXIV. 6. XLIV. 21. 22.
Proſtata. Intra ipſam plurima ejuſmodi granula. VII. 11. XLIV. 19.
cavum iis granulis refertum. XLIV. 20.
cavum inane. XLIV. 19.

ſinus,

ſinus; materiam quaſi calculoſam continens. XLII. 13.
Proſtatæ Caruncula. Vid. Seminalis.
Pubis oſſa, inter ſe fere disjuncta. XLVIII. 44.
Pudendi muliebris parva tubercula rubra. XLVI. 17.
phlogoſis. Ibid. & XLVII. 14.
gangræna imminens. XLVII. 12.
Pudendum muliebre. Vid. etiam Clitoridis. Nymphæ.
Pulmones minus ſani. XXVI. 37. XLIII. 24. LIII. 32.
peſſime conſtitutus alter. LIII. 29.
leviter. laxeque cum pleura nexi. XXI. 32. LIV. 46.
in ipſo cum pleura nexu interjectum habentes ſerum turbidum non paucum, aut quaſi ſaniem. XXI. 27. LIII. 16.
undique pleuræ annexi. III. 20. 35. XXI. 4. 9. 29. XXIV. 11. XXXVIII. 22. 34. LVI. 31.
alter dumtaxat. LIII. 29. LXIV. 19.
pene undique, aut magna ex parte. IV. 16. 30. V. 17. VI. 12. VII. 13. XVII. 17. 21. XVIII. 2. 14. XIX. 58. XX. 11. 24. XXI. 19. 24. 33. 35. 36. XXII. 22. XXVI. 35. XXIX. 30. XXX. 7. XXXIV. 18. XXXVIII. 13. XL. 23. XLIII. 29. XLVI. 16. LV. 10.
certa dumtaxat facie, aut parte. II. 19. XI. 11. XVI. 8. XX. 47. XXI. 30. XXXI. 14. XXXV. 16. XLI. 4. XLIII. 5. XLVII. 12. LII. 8.
alter ſolum. III. 26. IV. 19. 26. V. 6. VII. 9. X. 5. 9. XVI. 10. 14. 30. 34. XVII. 19. XX. 3. 16. 26. 28. 35. 36. 51. XXI. 3. 17. 27. XXII. 4. 8. 10. XXIII. 4. XXIV. 34 XXV. 10. XXVI. 33. XXVII. 2. 28. XXX. 4. XXXIV. 15. XXXVI. 23. XXXVIII. 6. 15. 16. 18. XLII. 11. XLIII. 17. XLIV. 3. XLV. 23. XLIX. 10. L. 48 LI. 6. LIII. 9. 16. 40. LIV. 39. LIX. 12. LX. 6.
cum pleura nexi poſt inflammationem. I. 2. IV. 19. 20. VII. 13. XXI. 4. 5.
arcte cum pleura nexi. XX. 39. 41. XXIX. 18. XLIII. 22.
alter. XX. 43. 53. LIII. 37. LXIII. 8. LXX. 10.
cum mediaſtino alter, ambove. XX. 11. 13. 39. XXIX. 18.
Pulmones. Alter ſurſum retractus. LIII. 40.
alter retrorſum, deorſumque compulſus, & compreſſus. XVIII. 25.
parvi, aut contracti alter, ambove. XVII. 25. XXII. 6. 8. XXVII. 12. XXX. 12. L. 4. LIV. 6.
concidentes, & flaccidi alter, ambove. IV. 19. XVI. 12. XXIV. 11. XXVII. 28. XXX. 14. XLIII. 24. LIII. 29. LIV. 46. LIX. 12.
Pulmonis dexteri lobus medius emortuus. X. 19.
Pulmones turgidi, præſertim ab aere. IV. 9. 24. XV. 6. XVIII. 2. 14. 34. XXVI. 33. XXIX. 12. 20. XXXVII. 2. XXXVIII. 30. XL. 4. XLI. 4. XLV. 16. XLVIII. 38. LI. 50. LVII. 10. LXII. 5.
turgidi lobis inferioribus, aut in crepidinibus. XIX. 49. XLII. 11.
Pulmones tumefacti. VIII. 4. 25. XXI. 45.
alter dumtaxat. VI. 12. XX. 5. 51. 59. XXI. 6. 9. 11. 15. 17. 23. 33. 34. XXXVIII. 4. LIII. 18.
Pulmones duri. VII. 4. 9. X. 19. XVI. 2. 4. XIX. 58. XX. 24. 47. 49. XXI. 6. 17. 24. 27. 30. XXIV. 13. XLIII. 29. LXIII. 8. LXVII. 9.
alter ſolum. VI. 10. 12. VII. 9. 11. 13. X. 17. XI. 13. XX. 5. 13. 26. 28. 33. 36. 41. 51. 63. XXI. 4. 9. 11. 15. 19. 23. 32. 34. 35. XXII. 4. 12. 14. XXVI. 33. XXVIII. 12. XXXIV. 18. XXXVI. 23. XXXVIII. 15. 16. LI. 6. LIII. 9. LIV. 49. LXIV. 2.
certo loco. XVII. 8. 10. XIX. 8. XX. 20. 22. XXII. 10. XXXVIII. 34. XL. 23. XLV. 16. L. 48. LIX. 12. LXI. 5. LXIII. 19.
Pulmones graves. IV. 24. V. 11. XIII. 3. XXI. 27. 35. 36. XXIV. 18.
alter dumtaxat. VI. 12. VII. 11. 13. XXI. 6. 9. 19. 23. 30. 33. LXIV. 2.
Pulmonum tunica craſſa facta in altero. XXII. 8.
operta gelatina quaſi quadam ſubflava. XVI. 28.
rete ſubflavo. XXI. 30.
quadam quaſi membrana. VII. 11. X. 5. XX. 20. 47. XXI. 19. 27. 29. 30. 32. 36. XXIV. 34. XLV. 16. 23. LII. 8.
facillime ſeparabilis. XX. 33.
certo loco eroſa. LIII. 18.
ſub ea hydatides. LXIX. 8.
vaſcula ſanguine diſtenta. XXIV. 13.
Pulmones albiſſimi. XL. 26.
albidi. XIII. 3. XX. 49.
ex cinereo albicantes. LIV. 46. LXIV. 5.
alibi albentes, alibi rubentes. XVI. 19.
lividi. XXI. 32. XLVIII. 44.
ſubvirides. XX. 45.
nigris paſſim lineis diſtincti. XIX. 49.
nigris punctis, atroque ſanguine variegati. XLIII. 5.
nigris maculis. IV. 9. XV. 6. XVI. 4. XVII. 16. 19. XIX. 8. XX. 7. 15. 41. 45. 49. 63. XXII. 8. XXVI. 2. 20. XXXVIII. 10. XLIX. 2. LIII. 9. LVI. 7.
nigri, aut ſubnigri. IV. 4. VII. 11. VIII. 23. 27. XVII. 6. 21. 23. XX. 13. 43. XXI. 4. 17. 24. 35. 45. XXIV. 13. XXVII. 28. XXX. 4. XXXVIII. 30. LII. 2. LIII. 29. LIV. 6. LIX. 3.
ex atro rubentes. XX. 33. XXI. 33.
ex fuſco purpurei. XXI. 34.
rubentes. IV. 2. VI. 12. VII. 13 X. 2. 11. XI. 11. 13. XVI. 4. XVII. 19. XIX. 5. XXI. 6. 19. 27. XXII. 4. 22. XXXVIII. 4. LI. 18. LIII. 18. LIX. 12.
leviter inflammati. XIX. 8. XX. 56. XXIX. 10. XXX. 2. XLIII. 5. XLIX. 8. LIV. 26.
inflammati. XX. 15. 16. 24. XXXVI. 11. XLIX. 6. LIII. 9. LIV. 14.
alter. XX. 2. 7. 9. 17. 26. 28. 30. 35. 41. 43. 51. 59. 61. XXI. 45. XXII. 10. XXXVIII. 18. XLIX. 10.
& ex inflammatione prædurus. XX. 9. 30. 32. 39. 45. 53. 59. XXII. 16.
cum phlegmone. XI. 4. XX. 3. 55.
Pulmonum ſubſtantia quaſi in hepaticam mutata. XXI. 2. 3. 17. 19. 27. LXX. 10.
alterius. VI. 12. VII. 11. XI. 13. XXI. 9. 23. 29. 30. 33. LIV. 49.
nigra a conſertiſſimis vaſis. VI. 12.
ſuppurata. VII. 11. 13. XX. 35.
ſphacelo correpta. XX. 41.
corrupta. V. 6. VI. 12. IX. 4. XVIII. 28. XIX. 50. XXII. 10. 11. 22. XXVIII. 12.
albida, & quaſi ad corruptionem vergens. 21. 23. 30.
quaſi pancreatis indurata. XXII. 15.
denſa, & compacta. XX. 33. XXI. 6. 24. 34. 35. 36. XXXIV. 18. XXXV. 16. XLV. 16. LXIV. 2.
utriuſque reſiſtens diſtractioni, & duritie quaſi tendinea. XVIII. 2. 30. XLV. 23.
intus, extraque fuſca. XXVI. 25.
Pulmones fœtentes, & fracidi. XXIV. 11. LVIII. 13.
alter, ambove parvis abſceſſibus purulentis pleni. XX. 2. LI. 18. 19.
intus extraque obſiti veſiculis pus continentibus. XXII. 24.
alter cum abſceſſu. XX. 9. 11. 20. 41. 61. LIII. 9.

cum

cum abſceſſu intra thoracem rupto. LIII.14.
pure ubique, aut in parte plenus. LXII. 2. LXIII. 19.
Pulmones cum pure. XXI. 17. 27.
cum ulceribus. XXII. 15.
alter cum ulcere. XX. 5. 43. 63. XXII. 14. 16. 18.
cum ulcere cancroſo. XX. 39.
Pulmonum alter, ambove cum tuberculis, aut nondum, aut jam ſuppuratis. I. 2. VII. 13. XVII. 25. XX. 49. XXI. 27. XXII. 6. 14. 15. 18. XXVI. 29. LI. 17. 20. LIII. 16. LX. 2.
cum ſteatomatibus purulentis. XXII. 22.
cum ichore purulento, aut puriformi. XIX. 49. XXIV. 13. XXX. 4. LXIV. 5.
cum humore putrido. VI. 12. XX. 7. 45. XXI. 45. XXII. 4.
cum ſinibus quaſi quibuſdam, varium pus continentibus. XXI. 33.
cum multo ſanguine. II. 19. IV. 21. VIII. 4. 25. 27. XIX. 51. XXVII. 2. 12. LI. 54.
cum multo ſero, etiam ſanguinolento. XVII. 19. XXI. 33. XXX. 2. XXXIV. 18. XXXVI. 17.
cum ſpuma. V. 11. XVIII. 30. 34.
cum gelatina ſubcruenta. XVII. 21.
cum ſpumoſo humore. VI. 12. VII. 11. XXI. 29. XXVI. 31. XXXVI. 11.
cum catarrhali materia. XIII. 3.
cum fulvo humore multo. XXI. 23.
cum cellulis inanibus intra ſubſtantiam ex livido atram. XXI. 19.
cum veſiculis ex quibus conſtant, dilatatis. XXII. 12. LXII. 5.
Pulmones cum exiguis calculis. XLII. 2.
cum globulis pluribus tartareæ materiæ. XVII. 19. XLVII. 12.
cum ſubſtantia alba, quaſi ex granis tartarizatis. XXI. 36.
cum petroſis granis paſſim per tunicam. LXVIII. 12.
Pulmones tophacei. XV. 25.
Pulmonum alter vulneratus. LIV. 10.
diſruptus. LIII. 33.
Pulmonum bronchia. In his pars ciborum. LIII. 26.
ſerum non paucum. IV. 24. 26. V. 17.
ſpuma rubeſcens. IV. 16.
humor ſanguinolentus. XXI. 34. XXIII. 6. XXVI. 21.
ſanguis. XXXV. 2.
pus, aut puriformis materia. XVI. 30. XXI. 29. 30. XXIII. 6. XXVI. 33. XLI. 23. LX. 6.
Pulmonum Bronchiales glandulæ plures quam ſoleant. XLVIII. 38.
plures, & craſſiores. XVIII. 2. XXI. 33.
amplificatæ XVII. 14. 17. 18. XLIII. 17. 29. XLVIII. 38. LIV. 37.
non omnes ſanæ. XXI. 29.
duriores factæ, majores, & purulentæ. XXIX. 12.
tartaream materiam intus habentes. XLVIII. 38.
Pulmonum alterius vaſa ſanguifera cum bronchiis arctiſſime nexa. XXI. 4.
eorum vaſorum quoddam dilatatum. Ibid.
Pulmonaris arteria latior. XXIII. 6. XXV. 10. XXVII. 28. LXIV. 12.
in ea multus ſanguis. XXVI. 21. 31. XXVII. 2. XLV. 23.
concretio polypoſa. VI. 12. VII. 11. XLV. 23.
in ejus ramis ſanguis concretus in tubulorum formam. XXIII. 6.
Pulmonaris arteriæ valvulæ craſſiores. XXVI. 33.
minus flexiles. XL. 23.
duriores. VIII. 4.
una dumtaxat durior. XXIV. 34.
cartilagineæ, & oſſeæ. XVII. 12.
ita colligatæ ut vix foramen relinquerent ſanguini tranſituro. Ibid.
Pulmonaris venæ caudex æquo amplior. Vid. Cordis Auricula Siniſtra.
Putredinis citioris, & graviſſimæ ſigna. XVIII. 34.

R

Rectum inteſtinum valde contractum. LIV. 39.
valde compreſſum. XXXIX. 12.
nimia pinguedine circumdatum. LXIX. 16.
inflammatum, & jam lividum. XXI. 29. LXV. 5.
nigrum. X. 7.
introrſum tumens. LXV. 5.
durius, craſſius, & extuberantibus intus confertis quaſi glandulis. XXXII. 7.
cum iiſdem ex rubro fuſcis. LXV. 5.
cum varicoſis intus venarum nodis. XXXII. 10.
cum vaſis hæmorrhoidalibus ima in parte introrſum tumentibus. LIV. 7. LXVIII. 6.
Ren unus tantum. XXV. 4.
Renes æquo majores. XXXVI. 20. XLI. 4. XLII. 20. 28. XLVI. 17. XLVIII. 32.
alter maximus. LVII. 10.
alter cum tunicis craſſis factis pendens unc. triginta ſex. LXVIII. 12.
Renes parvi. XXXVIII. 12. XL. 22. 23. XLII. 2. XLIV. 15.
alter multo minor. XL. 24.
alter dimidio minor. XII. 2.
Renes æquo longiores. XXXVI. 23. XLIV. 19. LVI. 10. LVII. 10.
alter longior. LX. 12.
alter brevior, & in ſe curvatus. X. 19.
Renum alter maximus, alter juſto contractior. XLII. 40.
alter æquo major, alter fere conſumptus. XL. 12. 18.
alter multo minus latus, quam alter. XLVIII. 35.
alter rotundus, vitiatuſque cum calculis, alter duplo major. IX. 12.
Renum inſolita figura. XLII. 2.
Renis tunicæ inter ſe junctæ, craſſæ, & duræ. XLII. 20.
tunica propria craſſior facta. XXXVIII. 28.
ſub ea effuſus ſanguis. XXXIV. 21.
Renum tunica adipoſa a ſteatomatoſa materia monſtroſe craſſa. LXVIII. 12.
infarcta dura pinguedine. IV. 19.
in altero pinguedine ſublivida. LV. 11.
Renes pallidi. XLII. 28.
exterius non bene conſtituti. LXIV. 7.
ſuperficie non ſaniſſima. XLVIII. 34. LX. 12.
ſulcata. LXX. 7. 9.
cicatricoſa, aut quaſi cicatricoſa. XL. 21 XLII. 39.
alter. XXVII. 2. XXIX. 12. XL. 21. 23. XLII. 39. LVI. 10. LX. 4.
inæquali. IV. 19. XL. 21. 22. 23. 24. XLVIII. 37. LX. 4.
alter. XLVI. 20.
a protuberantiis ſanioſis. XLII. 2.
a tot parvis quaſi hemiſphæriis facta. XLIV. 15.
alter. XLII. 13.
exulcerata in altero. XXVII. 2. XLII. 20.
profundis hydatidibus excavata. LXIX. 2.
Renum alteri exterius adſita glandula morboſa. XVII. 25.
Renes duriores, & ſubſtantia magis firma, & compacta. XLIV. 15.
alter. XLII. 20.
molliores, & laxiores. IV. 2. XXVII. 2. 28. LV. 10.
alter. XXI. 36. XLII. 13.

cavo

cavo majori, ſubſtantia tenuiori. IV 19.
cùm plurima intus pinguedine. XLVI. 29.
Renum ſtructura intima confuſa. XLII. 11.
non ſine exulcerationis indiciis. IV. 19.
cum ſanie exterius. XXXVI. 20.
cum pauco intus pure. Ibid. & X. 13.
Renes. Alter inflammatus quadantenus. XVII. 10.
male olens. XL. 24.
pure ſcatentes. XLII. 20. 28.
pure, & urina diſtenti. XLII. 15.
ſuppurati. XLII. 25.
ſemiputres. XLII. 28.
tota fere ſubſtantia in altero intus conſumpta. XL. 12. 18. XLII. 13.
cum cellulis intus pure diſtentis. XLII. 20.
Renes urina diſtenti. IV. 19.
cum ſinuoſis caveis urina plenis. XL. 20.
alter cum cellula, urinoſo humore referta. IV. 19. X. 19.
tanta, ut dimidium renis occuparet. XVII. 14.
cum cellulis non parvis ejuſmodi humore plenis. XL. 2.
cum cellulis humore quaſi aqueo refertis. XXI. 15. XXIV. 6. XXVII. 2. XXXVIII. 40. XLII. 11. XLVI. 20. XLVII. 34. LX. 12.
una extrorſum protuberante, pomi inſtar. XXXVIII. 40.
cum hydatidibus. XXV. 4. XXXVIII. 12. LVI. 18.
una maxima innata. LX. 6.
Renes cum calculis. X. 11. XL. 2.
intra duram, calloſamque ſubſtantiam. LVII. 10.
magnis, & ramoſis. Ibid. & XLII. 4.
alter cum calculis. IX. 12. XI. 6. XL. 12. XLII. 13. XLVII. 8.
cum arenulis. XXXIX. 5.
Renum membranei tubuli dilatati. XXXIX. 33.
pelves dilatati. Ibid. & XII. 2. XL. 18. 24. XLII. 11.
alter valde dilatatus. XXXIX. 5. XL. 2. 18.
pure diſtentus. XLII. 20.
cum ſero albido, & turbido. XLIV. 15.
cum ichore. XXXVIII. 30.
pelves cum urina quaſi purulenta. XLVIII. 32.
pelves nulli. XXVII. 28.
Renum alter vulnere trajectus. LIII. 40.
Reni Succenturiato continuatus tumor. XVII. 8.

S

SAlivares glandulæ grandiores. LII. 30.
Vid. etiam Maxillares. Parotidem. Tonſillas.
Sanguis in cadavere vix ullus. XLVII. 8.
non multa, aut exigua copia. XXXVI. 11. XXXVIII. 34. LIV. 46. LVII. 10.
in arteriis. Vid. Arteriæ.
diu calens poſt mortem. IX. 12.
cum multis aereis bullis. V. 17. 19. XXIV. 6. XXVII. 2. XXXI. 2. XLIII. 22.
Sanguis cœnoſus. XLIX. 2.
craſſus, & viſcidus. XVI. 14. XVIII. [illegible]
ad concretionem vergens. VIII. 23. XVIII. 30. XXI. 19. 45. XLVIII. 37.
concretus. VII. 13. XX. 11. XXI. 27. 30. XXXVII. 2.
pene totus. XX. 41. XXI. 33. XXX. 7. XXXVIII. 4. 13. LIV. 25.
concretus valde. XLIX. 14.
ad fluorem potius, quam ad concretionem vergens. XX. 13.
ſine ulla uſquam polypoſa concretione. LII. 30.
fluidus. I. 2. III. 24. 26. IV. 2. 8. 9. 11. 24. 26. 35. V. 17. VII. 2. 7. VIII. 4. IX. 12. X. 2. 7. XV. 6. XVI. 4. 10. 19. XIX. 3. 17. 19. XX. 15. 47. 49. XXII. 8. 10. XXIII. 4. XXV. 2. XXVI. 21. 31. XXIX. 8. XXXI. 2. XXXV. 10. XXXVI. 2. 20. XXXVIII. 2. 6. 10. 12. 16. 22. XLIII. 28. XLV. 23. XLIX. 12. LI. 14. LIII. 26. 40. 44. 46. LVI. 17. LXII. 5. LXIV. 5.
pene totus fluidus. XXIV. 13. XXVI. 33. XLII. 34. XLVII. 36. LIV. 26. LIX. 3.
ſeroſus, ſine fibris, & decolor. XLIII. 4.
Sanguis dilute rubens. XXXVIII. 6.
coccineus. LIX. 3.
ater. V. 6. 19. VIII. 4. 25. IX. 9. 12. 20. X. 17. XVIII. 2. 30. XIX. 49. XX. 16. XXI. 19. 27. 33. 34. 35. 45. 47. 49. XXIII. 6. XXIV. 6. 13. XXVI. 21. 31. 33. XXVII. 2. 8. 12. XXX. 7. XXXV. 10. 12. XXXVII. 4. XXXVIII. 34. XLII. 34. XLIII. 28. XLV. 16. 23. XLVIII. 15. 37. 38. LIV. 37. 44. LV. 10. LVI. 17. LXIV. 5. 19.
ater liquidam picem referens. IV. 19. VIII. 27.
Scapula altera. Ejus ſinus qui humerum excipit, ora ex parte deficiens. LVII. 2.
Scrotum aere tumefactum. V. 19.
quaſi ſugillatum. XIX. 15. 19. LII. 30. LXII. 5.
Scroti venæ varicoſæ, catenam referentes. XX. 24.
pinguedo, ei ſubjecta etiam ad imum. XLIII. 29.
aqua plurima in darti cellulis. XXXVIII. 26. XLI. 18.
Scrotum. Intra ipſum calculi. LXIV. 7.
Semen Deferens vas ex parte ſcirrhoſum. XLVI. 5.
craſſius factum. LXIV. 7.
Seminales Veſiculæ ſtrigoſæ. XLIV. 7.
ſemen aquoſum continentes. XXIV. 18.
nullum continentes. XLIV. 7. 10.
altera ſcirrhoſa. XLVI. 5.
Seminalis Caruncula ſtrigoſa. XLII. 28.
deformata, & vitiata. XL. 29.
quaſi diffluens. LX. 12.
roſtro abſumpto. Ibid.
Seminalis Carunculæ Sinus longior, & laxo orificio. LXIII. 13.
orificio maximo, & in traſverſum poſito. LXIX. 2.
orificio fere oblitterato. XL. 29.
oſcula pro ſemine emittendo ampliora; ſed alterum altero magis amplo. XLIV. 22.
alterum obcæcatum, alterum anguſtiſſimum. XLIV. 7.
Septum Lucidum. Vid. Cerebri Ventriculi Laterales.
Sincipitis oſſa eroſa, & pertuſa. LII. 38.
alterum dumtaxat. LI. 19.
Sincipitis os quodam loco intus, extraque lividum. LII. 2. 8.
ejus exterior tabula quaſi depreſſa. LII. 8.
rima fiſſa. LI. 11.
comminuta. LI. 9.
Sincipitis os fiſſum. LI. 50. LII. 35.
fractum, & depreſſum. LI. 18. 32.
fractum, magnis duobus fragmentis in cerebrum detruſis. LI. 35.
perforatum, ſquama oſſea exſtante. LI. 54.
Spermatica vaſa. Eorum faſciculus cum plurima pinguedine. XLIII. 22.
Vid. etiam Teſtium vaſa.
ſanguine præturgida. XXXIV. 5.
Spermatica vaſa in muliere violaceum ſanguinem continentia. XXXVI. 17.
arteriæ duræ. LXVII. 14.
Spina. Vid. Vertebræ.
Spina; magna ex parte duplex. XLVIII. 57.
ferme tota bifida. XLVIII. 50.
Spinæ totius tortuoſitas cum maxima ad ima thoracis flexione. LXII. 11.
tortuoſitas, ſi cervicem excipias, totius Spinæ; XLVIII. 50.

in

in thorace. XIII. 3. XLIII. 17. LVI. 14.
in thorace, & lumbis. LV. 10. LXIII. 19.
inſignis. IV. 16. X. 13. XXXVIII. 40.
Spinæ imæ diſtortio. XLVIII. 34. 35.
Spinæ vertebræ in cervice quinque dumtaxat. XLVIII. 50.
in ſummo thorace conſtipatæ, & concretæ. Ibid.
vertebrarum thoracis a tergo hiatus. XLVIII. 52.
lumbarium a tergo hiatus, & abſumptio. XII. 16.
lumbarium exoſtoſes. XXXVII. 30.
Spinæ vertebræ ab aneuryſmate excavatæ. XVII. 17.
Spinæ tubus pro Medulla Spinali nullus. XLVIII. 48.
in eo aqua. X. 13. XI. 13. XXI. 47. XXXVIII. 34. LXIX. 16.
multa. X. 17. XI. 15. LIV. 49. LXI. 2.
ſanguis ad lumbos grumoſus non multus. LIV. 25.
pus. XIV. 3. 5.
Spinæ tumor in quo Spinalis Medulla, & aqua. XII. 16.
Spinalis Medulla. Vid. Medulla, & Spina.
Splenica arteria. Vid. Lienis.
cum crebris oſſeis laminis. XXIV. 16.
cum oſſeo diverticulo. III. 2.
Sternum ſegmentum circuli referens. IV. 16.
circa medium extrorſum prominens. XLV. 23.
Sterni pars interius ſugillata. LIII. 29.
partes ab aneuryſmate abſumptæ. XVII. 25. XXVI. 9.
Subclaviæ arteriæ latiores. XLIII. 17. LXIX. 13.
intus oſſeis inchoamentis diſtinctæ. LXIV. 13.
alterius ad primam diviſionem dilatatio. XXIX. 20.
aneuryſma. XXVI. 21.
Succenturiatus Ren. Vid. Reni Succenturiato.

T

Temporales muſculi ſtrigoſi. VII. 9.
alter contuſus. LI. 50. LII. 35.
totus ſanguine ſuffuſus. LI. 38.
a plurimo ſtagnante ſanguine nigricans. LII. 30.
& tumens. LXIX. 2.
Temporalis arteriæ ramus laceratus. LI. 50.
Temporis os a pure ſuperficie tenus eroſum. LI. 27.
fiſſum uſque ad aeris Tympanum. LII. 30.
uſque ad proceſſum Petroſum. LII. 35.
fractum in Meatu Auditorio. LII. 25.
Teſtium tunicæ craſſiores, albæque factæ. XLII. 28.
tunica Erythroides craſſior facta. XLIII. 17.
Vaginalis cavea ſurſum amplificata. XLIII. 22.
& plurimum. XLIII. 25.
undique teſti adnata. VII. 11. XLII. 28.
denſior facta. XXI. 19.
craſſior facta. XLIII. 17. LXIV. 7.
Teſtium Vaginalis tunica ſero plena. XX. 24. 26. 27. XLIII. 24.
aqua flaviſſima valde diſtenta. XLIII. 22.
aquæ ſubflavæ plena. XXI. 19.
aquæ turbidæ, aut lixivii ſimilis multum continens. XL. 22. LXIV. 7.
aquæ aut ex fuſco flavæ, aut ſimilis urinæ, aut loturæ carnis, aut decoloris plus, minuſve continens. XLI. 18. XLIII. 17. 19. 27. 28.
aquam limpidam continens, in qua corpuſculum quoddam. XLIII. 25.
Teſtium tunica Albuginea craſſior facta. XLIII. 28. LXIV. 7.
parvis tuberculis inæqualis. XLIII. 18. 28.

inter ſuas laminas aquam ſubflavam habens. XLIII. 31.
Teſtium vaſa ſanguifera. Vid. Spermatica vaſa præter ſolitum ampla. XXI. 19.
Teſtium alter comprehenſus undique a venis dilatatis. VII. 11.
ad alterum pinguedinis lacinia. XLIII. 22.
infra alterum, corpuſculum oſſeum. VII. 11.
Teſtibus ſingulis impoſita magna hydatis, & quo cum humore. IV. 30.
impoſitæ aliæ minores. VII. 11. XXI. 19. XLIII. 17. 18.
impoſitum corpuſculum ſubrotundum. XXIV. 16. XL. 22. XLI. 18. XLII. 11. XLIII. 22. 24. 25. 27. LXIV. 7.
impoſita excreſcentia rubella parva. XLIII. 29.
pendens ab altero parva fimbria, aut parvula hydatis. XLIII. 17. 19.
Teſtis non paulo major, quam alter. XLIII. 25.
triplo major. XLII. 11.
cum epididymide longior. XLIII. 17. 22.
imminutus. XXIV. 16. XLIII. 24.
Teſtis canaliculi, ex quibus conſtat, evidentiores. XXI. 19.
ſubſtantia ex fuſco rubens. XXIV. 16.
mutata in corpus compactum. VII. 11.
in corpus membranoſum. II. 20.
Teſtis tumor cancroſus, alteri qui in meſenterio erat, continuatus. XXXIX. 2.
Teſtes ad imum purulenti, & nigricantes. XLII. 28.
Teſtis Epididymis arctius teſti annexa. LXIV. 7.
Vas ſemen deferens. Vid. Semen.
Teſtes Muliebres. Vid. Ovaria.
Thoracis parva cavea. XIV. 27. XVI. 4.
valde parva. IV. 16.
ab altera tantum parte. XIII. 3.
Thorax. Intra eum aqua. IV. 28. 30. X. 2. XVIII. 6. 28. XX. 20. 43. XXI. 30. 49. XXIII. 8. XXIV. 18. XXIX. 20. XXXVIII. 10. 12. 13. 28. XL. 23. XLIII. 24. XLVII. 4. LIII. 16. LIV. 2. LXIX. 16.
in altera aut dumtaxat, aut præſertim parte. IV. 35. X. 5. XI. 13. XXII. 14. 16. XXXVIII. 6. LI. 6. LIV. 49. LVI. 7.
aqua multa, aut plurima. X. 11. XVI. 2. 4. 8. XVII. 10. 25. XLIII. 17. 29. XLVI. 17. L. 51. LII. 8.
in altera parte aut ſolum, aut præſertim. XVI. 19. 26. XVII. 6. XX. 33. XXII. 16. XXIII. 4. XXXVIII. 4. 16. L. 48. LXI. 5.
aqua limpida. XVI. 6. XVIII. 2. XX. 32. XXXVIII. 22.
in altera tantum parte. XX. 30. 36.
aqua ſero lactis ſimilis. XX. 47.
in altera ſolum parte. XX. 39.
plurima. LIII. 14.
cum albis concretionibus, cocti albuminis inſtar. XX. 36.
aqua alba in altera parte. XX. 7.
plurima. XLV. 16.
aqua urinæ colore, non pauca. XXVI. 33.
in altera præſertim parte. LXIV. 5.
aqua flava, aut ſubflava. XVI. 10. 28. XXIII. 6. XXVI. 9.
in altera ſolum, aut præſertim parte. VII. 11. XVI. 38. XXIV. 34.
cum mucoſis quaſi pelliculis. XVI. 25. XXI. 34. XXXVIII. 13. L. 4.
aqua ad viridem, aut cæruleum colorem vergens. LVI. 26.
plurima. XVI. 30. 34. 36. LII. 8.
cum gelatina, & quaſi membranis. XVI. 30. 38.
in altera tantum, aut præſertim parte. XXXVIII. 30. LVI. 26.
aqua fuſca, aut turbida. XXI. 24. 34. XXXVII. 30.

g in

in altera parte. XX. 2. 45. XXI. 30.
plurima cum albis concretionibus. XVI. 17.
aqua cum gelatinoſis concretionibus. XXV. 12
aqua cum innatantibus quaſi membranulis, aut quaſi filamentis in altera tantum parte. XVI. 12. 17. 40. XX. 30. XXII. 8. LII. 8.
aqua ſubſalſa in altera dumtaxat parte. XVI. 14.
Thorax. Intra eum aqua rubra, ſubcruenta, aut cruenta. IV. 26. XI. 11. XIV. 35. XVII. 23. XVIII. 8. XXI. 15. XXVI. 21. 31. 35. XXX. 10. LIV. 39.
in altera parte. V. 11. VI. 12. XVII. 17. XXI. 3. XXII. 22. LII. 8.
ſanguis effuſus. XXI. 47. XXXI. 14. LIII. 33. LIV. 10.
in altera tantum parte. XX. 17. IX. 4. XVII. 14. 17. XXVII. 28. XL. 29. LII. 35. LIII. 40.
ſanguinis effuſi magna copia. LII. 34.
in altera tantum parte. XXVI. 3. 11. 29. LIII. 3. 5. 26. 29.
ſanguinis concreti portiunculæ in altera parte. XXII. 16.
puris copia maxima. LI. 20.
in altera ſolum parte. XXII. 6. 10. 12. XXXVI. 4. LIV. 6.
ſerum puriforme in altera dumtaxat parte. XX. 53.
ſerum quaſi ſanioſum, aut ſanioſum in altera ſolum parte. VI. 12. XXI. 16.
ſerum purulentum, alteram partem implens. XX. 56.
ſerum cinereum fœtidum. XXI. 32.
materia putrida, & fœtens. LXX. 7.
Thymus magnus in adoleſcentula. XVII. 10.
Thyroidææ glandulæ vitium. XI. 15. XVI. 30. XXIII. 4. L. 31. 32. 33. 34. 35. 36. LII. 8. LVI. 12.
craſſitudo æquo major. XXXIV. 15. L. 31. 33. 34. 36. LVI. 12.
magna. XVI. 38. XXIII. 4. XXVI. 21.
durities, Ibid. & L. 31. 33.
Tibia os. Vid. Cruris.
Tonſillæ tumidæ. XLIV. 3.
altera durior, & ſuppurata. XLIV. 3.
utriuſque tunica craſſior facta, & quaſi gelatinoſa. Ibid.
Trachea arteria. Vid. Arteria Aſpera.
Triangularis pectoris muſculus inflammatus. XXI. 36.
Tubarum Falloppii Ligamenta phlogoſi affecta. XLVI. 17.
globulis obſita, lapideum nucleum continentibus. XLVI. 24.
alterum contractum. LXVII. 9.
in earum Ligamentis nervi ſolito craſſiores. XLV. 23.
nerveus plexus in uno major, quam in altero. XLVII. 31.
in altero exiguus, in altero nullus. XLVII. 30.
Tubæ Fallopp. cum hydatidibus prope majus orificium. XLV. 23. L. 51.
altera a vicina hydatide deorſum tracta. XLVII. 12.
altera craſſior, & amplior facta. XXIX. 14.
altera prope uterum diſtenta muco ferme limpido. XXI. 47.
altera immobilis. LXVII. 9.
alterius fimbriæ corpuſculis præduris aſperæ. XLVI. 20.
altera ſine fimbriis. XLVI. 26.
altera abſceſſu ex parte conſumpta. XLVI. 27.
Tubæ Fallopp. albæ. XXVII. 2.
phlogoſi affectæ. XLVI. 17.
cum corpuſculis exterius adhærentibus. XLVII. 28.
craſſiores factæ, & dilatatæ prope uterum. XXI. 47.
latiores ſolito ad oppoſitum huic extremum. XXVI. 13.
multo ſuo puriformi humore ſcatentes. XXI. 24. XXVI. 13.
mucoſo albo humore. XLV. 23.
humore coloris ex flavo carnei. XXXV. 16.
Tubæ Fallopp. cum Latis uteri ligamentis confuſæ. LXVIII. 6.
cum ſuis ligamentis, & ovariis confuſæ, & converſæ in maſſam ſebaceam laceram. XXXVIII. 34.
cum ovariis concretæ, & confuſæ. XLVI. 26.
altera, fimbriis, & orificio deletis, cum ovario connata. XII. 2. XXV. 10. XXVI. 13.
altera ovario adnata. XLVIII. 32. LX. 10.
altera orificio cum ovario connata. LII. 4.
altera cum ovario connata, ut fimbriæ non apparerent. LXIX. 16.
Tubæ Fallopp. clauſæ magna ex parte. XXI. 47.
impervia. XLVI. 23. 24. LII. 2.
clauſæ ad fimbrias. LXVII. 9. LXVIII. 6.
clauſæ ibi, & ad ovaria agglutinatæ. XL. 21.
clauſæ ibi, & ad ovaria agglutinatæ, ſed ſine fimbriis. XXVI. 13. LXVII. 11.
altera ibi clauſa videbatur; nec erat. XXI. 24.
altera ibi clauſa, altera ad uterum. XXIX. 12.
altera ſolida, & in medio curſu deſinens. LXIX. 16.
ambæ clauſæ ad uterum. XVI. 2. LVII. 2.
ambæ clauſæ circa longitudinis medium. XXIII. 11. LXI. 7.
Tympanum Auris. Vid. Auris.

V

Vagina muliebris valde parva. XLVI. 20.
brevis, & breviſſima. LVII. 2. LXVII. 9.
valde contracta ob colligationem parietum altero in latere. L. 51.
propemodum tota ſine ullo cavo. LXVII. 9.
longior, & latior. XLV. 16.
laxa, & deorſum tracta. XXXIV. 11.
intus tota oblita materia albida. XXI. 47. XXXIV. 33. L. 51.
fœdata a craſſa cinerea materia. LXVII. 14.
phlogoſi affecta. Ibid.
craſſa, prolapſa, exulcerata. XLV. 11.
parietibus craſſis, cancroſis, exulceratis. XXXIX. 33.
cum excreſcentia ſcirrhoſa utrinque. XLV. 16.
tota carcinomate intus eroſa. LXVI. 2.
nigricans, & eroſa. LII. 2.
gangrænæ proxima. XLVII. 12. LXV. 8.
gangrænoſa, livida, & grave olens. XLVII. 36. LXIX. 16.
pertuſa ulcere, in Rectum inteſtinum patente. LXIX. 16.
pinguedine quam lateribus adſitam habet, in ſcirrhum converſa. XXXIX. 33.
Vaſa ſanguifera. Vid. Arteriæ. Venæ. Intercoſtalia. Spermatica.
Vaſa ſanguifera cum oſſeis ſquamulis, aut harum inchoamentis. Vid. Aorta. Cerebri arteriæ.
flaccida adeo, ut tactum non ferrent. LI. 57.
multo ſanguine referta. LII. 2.
proportione anguſtiora. XXX. 12.
Magna, in Ventre proportione ampliora. LX. 6.
Eorum tunicæ externæ ob congeſtam aquam mucoſæ viſæ. XXI. 29.
Venæ. Vid. Azyga. Cava. Iliacæ. Jugulares. Pulmonaris.
Venæ aere turgidæ. XXXI. 2.
ſanguine paſſim diſtentæ. LIV. 44.
Venis in ſuperioribus plus ſanguinis, quam in inferioribus. XXIX. 20.
Venter. Vid. etiam Abdomen.
Venter ab umbilico deorſum ſine Tenuibus inteſtinis. XXXIX. 26.

Ven-

Ventris interni parietes virides, & fœtentes. XXXIV. 15.
in iis ulcus. XL. 9.
Venter. Per ipſum minimæ glandulæ; a ſtagnante ſanguine inflammatæ. XXXVII. 2.
In eo aqua. I. 4. IV. 26. 28. 30. XVI. 2. 4. 10. 19. XVII. 6. XVIII. 2. XX. 2. 43. XXI. 3. 29. XXIII. 4. 8. XXIV. 18. XXVI. 19. XXVII. 16. XXIX. 6. XXX. 12. XXXVIII. 2. 13. 28. XLVII. 4. 12. 36. XLVIII. 37. XLIX. 10. LIII. 18. LIV. 49. LV. 10. LXIV. 19.
plurima. XXXVIII. 6. 10. 12. 16. 20. LIV. 2. 39.
aqua limpida. XVII. 25. XX. 2. XXII. 6. 18. XXXVI. 4. 20. XXXVIII. 4. 22.
limpida, ſed urinam olens. XLI. 4.
aqua, urinæ ſimilis. XXXVIII. 15. LXX. 7.
flava, aut ſubflava. VII. 11. XVII. 10. XXI. 34. XXII. 4. 10. XXIV. 34. XXX. 7. XXXVIII. 34.
flava, amara. XXXVI. 2.
viridis ex flavo, aut ſubviridis, & fœtida. XVI. 30. XXXVI. 25. XXXVIII. 30.
ſubfuſca, & turbida. X. 13. XXII. 22. XXXVIII. 18.
acris. XXVI. 13.
ſalſa, in qua omenti fruſta, & filamenta. XLVII. 8.
livida puri admiſta. XXXIV. 25.
rubella puri admiſta. XXXVIII. 52.
cruenta, aut ſubcruenta. V. 19. XIV. 35. XXI. 24. 29. XXVI. 31. XXIX. 6. XXXIX. 26. XLVIII. 44.
cruenta, & cum ſtercoribus. LIV. 37.
Venter. In eo ſanguis effuſus. LIV. 10. LVI. 20. 35.
concretus. LIV. 31.
fluidus. LIV. 16.
fluidus ad ſeſquilibram. XXXV. 2.
ad viginti libras. LI. 40.
quamplurimus. LIV. 8. LXVII. 17.
plurimus, corrumpi incipiens. LIV. 14.
ſanioſus ichor. XXXI. 2.
pus. XLII. 25. LIV. 6.
ſanies ventrem implens. XXXIV. 21. XL. 9.
materia putidiſſima plurima. XXXV. 14.
materia fluida ſubflava plurima. XXXIV. 9.
Venter. In eo fœtor graviſſimus. LIV. 6. 20. 39.
fœtor gangrænoſus. III. 2. V. 19. XXI. 29. XXXIV. 11. 18. XXXV. 2. 10. 16. XXXIX. 26.
Ventris viſcera præpinguia. LX. 12.
contractiora, & ſublivida. XXXIX. 2.
ſubviridia. LII. 4.
viridia, & fœtida, pleraque. LVI. 12.
nigricantia, inferiora. XLI. 10.
hic illic tuberculis inæqualia. XLVII. 14.
omnia præter ſolitum inter ſe colligata. XVII. 17.
ſiniſtra ferme omnia dextrorſum compulſa. XL. 26.
plura extrorſum intra quoddam marſupium pendentia. XLVIII. 48. 52.
Ventriculus ſitu inſolito. IV. 16. VI. 12. XVII. 25. XIX. 19. XXI. 24. XXIX. 12. XXXIV. 18. XLV. 16. XLVIII. 38. LII. 2. LVI. 12. LXVII. 11.
a diaphragmate ad ſiniſtrum os pubis recta deſcendens. LXX. 5.
prolapſus in hypogaſtrium. XXXIX. 14.
traductus intra thoracem per diaphragmatis vulnus. LIV. 10.
Ventriculus æquo amplior. XI. 6. XXIII. 4. XXVI. 13. 37. XXIX. 20. XXXVIII. 18. XL. 23. LXII. 11. XLIII. 22. XLVII. 18. XLVIII. 38. L. 9. LIII. 24. LV. 10. LVI. 12. LVII. 10. LX. 12. LXIV. 5. 19. LXVI. 9. LXIX. 2.
prælongus. XLVIII. 37. LXX. 5.
anguſtior. XXXVII. 30.
contractus. XVIII. 2. XXIV. 34. XXIX. 14. XXX. 7. LV. 11. LXII. 7.
plurimum. XXXIV. 27. XXXIX. 33. XLVII. 8.
diſtentiſſimus. XXIX. 8. XXXVIII. 22. XLVIII. 28. 44. LII. 30. LIV. 49.
aere diſtentus. V. 19. VIII. 25. XVI. 4. XVII. 10. XXI. 24. 36. 44. XXIX. 8. XXXVI. 20. LI. 50. LII. 8. LV. 10.
Ventriculi figura minus bona. XXXVII. 30.
in ſummo contractior, & longior. XXXIX. 14.
in medio arctior. XVI. 38. XXVI. 31. XXX. 7. XXXVI. 2. XXXVII. 28. XLVIII. 37.
Ventriculus exterius albidus. XXXVIII. 16.
lividus. XXIX. 12. XXXIX. 29.
nigricans. XXXVIII. 30.
hic illic ruber, lividus, niger. XXXIV. 25.
levi inflammatorio rubore ſuffuſus. VI. 8. XXIX. 8.
colore non naturali. XXX. 4.
ſubfuſco. LV. 11.
cum macula nigerrima. XXX. 16.
gangræna affectus. XXXV. 18.
vaſis ſanguine diſtentis. VIII. 25. XXX. 4. LV. 10. LIX. 12.
arteria dilatata. XXIX. 20.
mire flexuoſa. XLIII. 24.
tuberculo exterius innato. IV. 19.
tubere ſcirrhoſo exterius annexo. XIX. 58.
tuberculis nigris a ſtagnante ſubtus ſanguine. XXXV. 2.
Ventriculi tunicæ laxiores. XXX. 14. XLIII. 22.
alicubi fracidæ. XXIX. 12.
valde tenues. LV. 10. LVII. 10.
craſſæ, & duræ omnino, aut in parte. XXIX. 6. 12. 14. XXXIX. 26.
prope pylorum, quaſi oſſea duritie. LXX. 5.
a cyſtis bile ibidem profundius tinctæ. XXX. 20.
Ventriculus. In eo lumbrici multi. XLIII. 22.
bilis pauca, aut plurima. XVIII. 2. XX. 15.
bilis nigra. XLIX. 26.
bilis eruginoſa, & venefica. LIX. 18.
humor nigricans, peſſime olens. XXXIX. 26.
humor atramento ſimillimus. XXX. 16.
humor viridis, aut ſubviridis. VIII. 25. LIX. 12.
humor ſublividus. XXXIX. 29.
humor quaſi fuligine infectus. XXIX. 6. XXX. 2.
humor craſſiuſculus cinerei coloris. VIII. 27.
huic ſimilis, fœtidiſſimus. XXIX. 12.
albumini conſimilia. XXX. 20.
materia fluida ſubflava quamplurima. XXXIV. 9. 18.
Ventriculus intus leviter ab inflammatione rubens. XXX. 7. LXVI. 9.
cum ſtriis inflammatoriis. XVIII. 2.
inflammari incipiens. LIV. 37.
paſſim hic illic imflammatus. XXIX. 14.
inflammatus. XXX. 4. LV. 11. LIX. 15.
certo loco ſanguineis punctis diſtinctus. XXV. 2. XXXVII. 2.
ſanguine ex facie intima facile exprimendo. XXIX. 18.
cum maculis ſanguineis multis, & aliquot gangrænoſis. Ibid.
Ventriculus intus fuſcus, lividus, ſubniger. XXXIX. 26. XL. 23. XLII. 13. XLIX. 14. LXIV. 5. LXX. 5.
cum maculis ex atro lividis. XXI. 30. XXX. 14.
cum maculis exiguis gangrænoſis. XIV. 35.
ater, & gangræna affectus. XXX. 16. XLIII. 22.
cum eroſionibus multis gangrænoſis. XXIX. 20.
cum eroſionibus, quibus arſenicum adhærebat. LIX. 3.
certo loco eroſus. LV. 10.
leviſſime exulceratus. XIV. 35.
cum ulcere. LXV. 3.
ulcere perforatus. XXIX. 14.

Ventriculus. Intra eum tuberculum. XXXVII. 30. XXXIX. 26.
caruncula. XVI. 36.
multæ quaſi glandulæ. LXV. 3.
tumor cancroſus exulceratus. XXX. 2.
peſſimus tumor diſruptus. XXIX. 12.
Ventriculus certo loco extenuatus. XXV. 2.
certo loco intima carens tunica. XLIII. 22.
rugis nullis. XLII. 39. LV. 10.
rugis durioribus. LIX. 12.
Ventriculi orificium ſiniſtrum ampliſſimum. XXXVII. 30.
intus lividum, & ſubnigrum. XVIII. 2.
orificium dexterum, ſive pylorus, amplius, & cum annulo dimidiato. XXI. 15.
durum, & peranguſtum. XXIX. 6. LXV. 3.
calloſum. XXX. 14.
in annulo excreſcentiam habens. LVI. 6.
annulo duobus locis nonnihil tumente. XXXVII. 30.
duobus tuberculis glanduloſis. XXIX. 17.
in duas, treſve duras protuberantias quaſi diviſo. LXX. 5.
annuli veſtigio vix relicto. LV. 10.
Ventriculus in medio vulneratus. LIV. 8.
in ſuperiore parte tranſverberatus. LIV. 10.
Vermes. Vid. Lumbrici.
Vermium odor. VI. 2. XXI. 19. 29.
Vertebræ. Vid. Spina.
Vertebræ, ab aneuryſmate excavatæ, aut valde læſæ. XXI. 47. XXVI. 3. 11. XL. 26. 29.
Vertebræ primæ cum occipite ankyloſis. LXIX. 8.
& ſecundæ cum tertia, & alia vitia. Ibid.
Vertebra ſecunda. Ligamentum ejus Dentis Tranſverſum cum ipſo connatum. LXII. 11.
Ligamentorum ejus Dentis Lateralium alterum altero longius, & craſſius. LXIII. 19.
Horum, & Tranſverſi alia vitia. LXIX. 8.
Vertebræ ſex ex ſuperioribus dorſi fractæ. LII. 34.
una ex lumbaribus fracta. LIV. 26.
Vertebrales arteriæ latiores. XXVI. 21.
altera quadruplo, quam altera. LIII. 40.
tortuoſæ. XXXVII. 30.
Vertebralis arteria, non a Subclavia, ſed ab Aorta profecta. III. 20.
ſubdura, craſſa, alba ex dimidia parte. LX. 4.
inæqualiter dilatata. IX. 18.
Veſica, urina plena. I. 2. IV. 19. 26. V. 6. VII. 11. XL. 4. XLVII. 12. XLVIII. 34. LII. 30. LX. 12.
valde diſtenta. XXXIX. 33. XLI. 8. 13. XLII. 11. XLIX. 18.
amplificata. XXXIX. 33. XL. 22. XLI. 13. XLII. 34. 40. LIII. 24. LXIX. 2. 16.
cum peritonæo alte ſupra pubem connexa. XXXIX. 33. XLII. 20.
fere uſque ad umbilicum extenſa. IV. 19. V. 6. XXXIX. 33. LVI. 12. LX. 12.
oblongior. XLII. 11. LXIX. 2.
minor proportione. XLIV. 21. LXVI. 6.
valde contracta. XLII. 20. 28. XLIII. 24.
figura non naturali, & depravata. LII. 35. LX. 12.
ipſius hernia, & ſaccus quidam. VII. 11. XXI. 15. XLII. 28.
inferiore parte antrorſum dilatata. XLII. 8.
cum externa puſtula. XXXV. 16.
cum externa cicatrice. XXXVIII. 28.
paucis tuberculis obſita. XXII. 18.
cum vaſis externis ſanguine turgidis. XLI. 13.
extima tunica facillime ab aliis ſecedente. XLVI. 10.
Veſicæ tunicæ fibris carneis magis quam ſolent, rubentibus. XL. 23.
craſſis inſtar lacertulorum cordis. XL. 4. XLI. 6.
craſſæ, & duræ. IV. 13. 19. X. 13. 19. XIV. 35. XXXIX. 33. XL. 22. XLI. 13. XLII. 15. 20. 28. 34. 40. XLIV. 15. 19. XLVIII. 32. XLIX. 18. LXIII. 13.
adeo ut dilatationem veſicæ impedirent. XLIII. 24.
ſcirrhoſæ. XXXIX. 33. XLII. 15. 28.
cum cartilagineis concretionibus. XXII. 4.
Veſica intus, quaſi ex tenuiſſimo tomento facta. XLII. 13.
inæquali ſuperficie. XLVIII. 32.
vaſculis ſanguiferis plus æquo conſpicuis. X. 13. XXIX. 20. XL. 23. 24. XLVII. 12.
ad infimam partem conferſiſſimis. XLVII. 34. LXIII. 13.
& turgidis. VII. 11. XLVII. 36. XLVIII. 34.
guttis ſanguineis ſub intima tunica apparentibus. XLVII. 12.
ſubrubra, & rubra. XL. 21. 23. XLI. 13.
ima parte. XLIII. 24. XLVI. 17.
inflammata. V. 6. XLII. 8. XLVII. 34.
nigricans tota, aut ex parte. XL. 24. XLI. 10. XLII. 28.
gangrænoſa. XLII. 20.
ſphacelo correpta. XLII. 25.
cum levi abraſione ad ureteres. XLII. 2.
exulcerata. IV. 19. XLII. 15. 20. 28.
tota a carcinomate. LXVI. 2.
albo turbido humore ſcatens. XLIV. 15.
purulenta. XLII. 40.
pure ſemiplena. LXVI. 2.
fundo pertuſo, & cum externo ulcere communicante. XLII. 20.
Veſica. In ea tuberculum ad cervicem. XLII. 13.
duplex. LXX. 3.
corpora duo ſcirrhoſa, ad orificium introrſum protuberantia. XXXIX. 33. Vid. etiam Proſtata.
Veſica. In ea lapides, & quales. IV. 2. XLII. 8. 13. 28.
intimæ tunicæ adhærentes. XLII. 20. 25.
qui circum acus increvere. XLII. 20. 25. 15. 25. 28.
circum lapidem multus lentus, & cruentus mucus. XLII. 15.
Veſicula fellis. Vid. Jecoris.
Veſiculæ Seminales. Vid. Seminales.
Viſcera. Vid. Ventris.
Viſcera quaſi candida. XXXVI. 11.
ſubfuſca. XXXVIII. 18.
laxa adeo, ut tactum non ferrent. LI. 57.
Ungues pollicum pedum in oblonga, inflexaque cornicula excreſcentes. LXVIII. 6.
Ureteres. Alter, ambove dilatati. XII. 2. XXXIX. 33. XL. 2. XLII. 11. 15. 20. 28. 40. XLIV. 15. XLVII. 8. LII. 35. LXVI. 2.
dilatati hic illic. XLVI. 5.
alter longior factus. XLII. 11.
ambo longitudine, & latitudine valde amplificati. IV. 19.
alter arctiſſimus. XL. 18.
urinam continentes, cave diſtenti. IV. 19. XLVII. 8.
urina, & pure diſtenti. XLII. 15. 20. 28.
urina alter, alter aere diſtenti. XXXIX. 33.
mucoſa materia ſemipleni. XLIV. 15.
orificiis amplioribus in veſica patentes. XL. 23. 24. XLII. 11. 28. XLVI. 17. LII. 35.
Ureterum tunicæ craſſiores factæ. IV. 19. XLII. 11.
intus rubentes. XLII. 11. XLIV. 15.
hydatides intus habentes. Ibid.

tuni-

tunica alterius interior in valvulæ formam duplicata. XLIV. 15.
Urethra Virilis valde contracta. XLII. 40.
tertia longitudinis parte. XLII. 39.
ad duos tranſverſos digitos. XLIV. 10.
interna facie humidior. XLIV. 3. 5. 7.
alba. LX. 12.
rubicundior. XLIV. 3. 5.
inflammata. V. 6.
exulcerata prope veſicam. XLII. 28.
cicatricoſa. VIII. 6. XL. 29.
cum lineis albidis oblongis exſtantibus. IV. 19. XLIV. 7. 10. LXIII. 13.
cum fibris prope veſicam exſtantibus. XL. 29.
cum oblonga tenui carnea excreſcentia. XLII. 39.
cum prominente quaſi annulo. XLIII. 13.
Urethræ Virilis tunica intima craſſiuſcula facta, & alba. XLII. 28.
canaliculi majores omnes, aut fere omnes oblicerati. VIII. 6. XXIV. 6. XLII. 39. 40. XLIV. 7. 9. 12. LII. 30.
eorum oſcula pauciora, & minora. LX. 12. LXIII. 13.
glandularum Cowperi altera, ligamenti inſtar, dura. XLIV. 3.
altera craſſior, altera exilior facta. XLIV 12.
alterius ductus contractus, aut oblitteratus. Ibid.
alterius latior factus, ſed oſculo contracto. Ibid.
glandula Littrii facie interna vaſculis ſanguiferis confertiſſimis obducta. XLIV. 15.
glandula Proſtata. Vid. Proſtata.
Caruncula Seminalis. Vid. Seminalis.
Bulbus exſanguis. XLIII. 22.
Urethra Muliebris altero orificio rubens, altero exſtantibus vaſculis diſtincta. XLVI. 24.
tunica intima laxata & per inferius orificium in rubelli corpuſculi formam prominens. L. 51. LVI. 21. LXX. 10.
per eam tunicam minimæ quaſi veſiculæ. XLVI. 19. 20.
ſub ea tunica vaſa ſanguine diſtenta. XLVII. 12. L. 51.
parvi calculi. XXXIV. 33.
ex ejus canaliculis materia alba, & lenta. XLV. 21.
corpus glandoſum craſſius, & gravius factum. XXXIV. 11.
craſſius, & ſcirrhoſum. XXXIX. 33.
Uterus paulo inferius locatus. XXXIV. 11. XLV. 11.
antrorſum concidens. XLV. 16.
in latus alterum inclinatus. XXIX. 12. 20. XXXV. 12. 16. XL. 24. XLV. 16. XLVII. 18. 36. XLVIII. 32. 34. 35. 37. 38. LV. 10. LVI. 26. LXIX. 10. 16.
magnus, & maximus. XLVII. 28. XLVIII. 44.
parvus valde, & exiguus. XXXIV. 11. XLVI. 20. XLVII. 2.
inſtar parvulæ pilæ in ſe contractus. XLVII. 14.
anterius leviter ſulcatus. LII. 28.
Uteri exterior papula, ſubalbo pure plena. LXVI. 2.
externa tubercula. XIX. 51. XXII. 18. XXXVII. 29. XXXVIII. 28. XLV. 23. LVI. 20.
tumor ſcirrhoſus fere externus. XLVII. 34.
tumor magnus cancroſus. XXXIX. 12.
Uterus nonnihil inflammatus. XX. 9.
valde inflammatus certo loco, XLVIII. 28.
ab inflammatione lividus. XXI. 29.
grave olens. XXVI. 31.
fœtore quaſi ſphaceli. XXI. 24. 29.
Uteri parietes craſſiores. XXI. 24. XXIII. 4. XLVII. 14. 28. LII. 6. LXVII. 9.
tenuiores. XXXIV. 11.
duriores. XXIII. 4. L. 48.
molliores, & laxiores. XXXIX. 33. XLV. 11.
exſangues. XXI. 24.
ſinum ſanguiferum dilatatum intra ſuam ſubſtantiam habentes. LXVII. 9.
intus lividi. XXXIV. 11. LVII. 14.
mutati interiore parte in ſebaceam ſubſtantiam. XXXVIII. 34.
Uteri cavum perangustum. XL. 24.
ſuperficie ex cruento ſubnigra. IX. 16.
cum plurimis glandulosis corporibus. XLVII. 4.
cum pluribus varii generis excreſcentiis. VII. 17. XII. 2. XXIII. 11. XXXVII. 29. XLV. 16. LXVII. 11. LXVIII. 6.
Uteri fundus parvus. LV. 10.
exterius ex ſubviridi nonnihil rubens. XXVI. 31.
parietibus craſſis. LII. 4.
globulum tumoris intra ſubſtantiam ſuam habentibus. XLV. 23.
Uteri fundi cavum in tranſverſum amplificatum. XLVII. 28. 33.
faciebus anteriore & poſteriore per membranulas inter ſe nexis. XXXIX. 37. XLVII. 28.
ſuperficie laxa. LII. 6. LXX. 10.
aſpera. XLVIII. 38.
minutis albis tuberculis, & quaſi verrucis inæquali. XLV. 21. XLVII. 14.
excreſcentiis, & protuberantiis varii generis. XLVI. 17. 24. XLVII. 21. 23. 28. 31. 33. 34. XLIX. 8. LXV. 8. LXVI. 8. LXX. 9.
diſtincta ſanguineis ſubjectis guttis, aut punctis, & lineolis. LII. 6. LXIX. 16.
rubens. XXXV. 12. XLVI. 17. XLVII. 12. 18. LXVII. 14.
rubens ex nigro. XXIII. 11. XLVII. 16. LXX. 10.
livida. XXI. 24.
nigra, & gangrænoſa. LVI. 18.
muco ſanguinolento oblita. XLV. 21. 23.
atro ſanguine fœda. XLVIII. 38.
lento humore uda. LXIX. 16.
Uteri fundi cavum, ſerum flavum continens. XLVII. 16.
plenum materia alba & ſubviridi. XLVII. 14.
muco gelatinoſo. XLV. 16.
grandi concreti ſanguinis maſſa. XLVIII. 44.
continens placentæ partem adhærentem, aut arctiſſime affixam. Ibid. & XLVIII. 28.
Uteri cervix æquo longior, & longiſſima. XXI. 47. XLV. 2. LXVII. 9.
æquo arctior ad utrumque extremum. XLVII. 28.
æquo arctior ad imum extremum. LXVII. 9.
Uteri cervicis parietes intra ſuam ſubſtantiam continentes cellulas duas. LV. 10.
craſſiores. XXXIX. 33. LV. 10.
cum pendula intus membranula. XXIX. 20.
cum excreſcentiis. XLVII. 23. 28. 30.
ſuperficie interna quaſi tuberoſa. XLVII. 34.
cum lineolis rubicundis. XLV. 16.
velut ab inflammatione, rubra. XLV. 23.
ex fuſco rubra. XXVI. 13.
nigricante. XLVI. 27.
alicubi eroſa. LII. 2.
cum ulcere ſordido. XLVII. 8.
cum ulcere cancroſo. XXXIX. 33.
cum muco gelatinoſo multo. XLV. 16.
cum muco ex atro flavo tenaciſſimo. XXI. 47.
cum alba fluida materia. LII. 6.
Uteri oſculum dilatatum. XXVI. 31. LII. 6. LXVII. 14.

per-

perparvum, LXVII. 9.
in corona quaſi corrugatum. XLVI. 17.
ſine corona. XLVII. 14. LVI. 10. 17. LVII. 2.
corona craſſiore cinctum. XLVI. 23. XLVIII. 38. LV. 10.
corona duriore cum tumore quodam. XLVII. 36.
cum ſcirrhoſa prominentia. XLVI. 23.
quaſi in duas prominentias diviſum: XLVII. 16. 18.
cum aliis excreſcentiis, & prominentiis. XLVII. 24. 30.
albo craſſiuſculo humore fœdum. XXVI. 13. LV. 10.
craſſa cinerea materia. LXVII. 14.
muco puriformi. XLVII. 18.
Uteri oſculum phlogoſi affectum. XLVII. 14.
ex violaceo, aut ex rubro nigricans. XLVI. 27. XLVIII. 42.
alicubi nonnihil eroſum. LII. 6.
alicubi laceratum. XLVIII. 44.
coalitum. LXVII. 11.
membranula occluſum. XLVI. 17.
Uteri Vagina. Vid. Vagina.
Uteri Ligamenta laxa. XLV. 11.
nigricantia. XXXIV. 11.
Ligamenta Lata cum vaſis ſanguiferis varicoſis. XLV. 16.
Uteri Tubæ. Vid. Tubæ Fallopp.
Uvula mutila, & cicatricoſa. XLIV. 15.

IN-

INDEX QUARTUS

Nominum, & Rerum magis notabilium.

Romani numeri Epiſtolas; barbari autem articulos denotant.

A

Abdomen non tenſum eſſe poteſt, tametſi ventris cavum effuſo ſanguine ſit plenum. LIII. 40. LIV. 8.
Abdominis dumtaxat tumor; quamvis & viſcerum eſſe videbatur. L. 49.
Muſculorum in vi æſtimanda cujuſdam hallucinatio. LIV. 12.
Abdomine vehementiſſime percuſſo, quomodo mors ſubita, vel nulla Parte intus rupta, aliquando ſecuta ſit. LIV. 42.
Abdomine integro, viſcera per ictus, compreſſionesve diſciſſa. LIV. 14. & ſeqq.
quando magis ſuſpicari id oporteat. LIV. 15.
Abortus fœtuum marium cur plures videantur, quam ſint. XLVIII. 9. 10.
Abortus. De ejus quibuſdam cauſis. XLVIII. 17. 25.
Abſtinentia ab omni cibo, potuque ad ſex dies. XVII. 25. Vid. & Jejunium.
Abſtinentibus omnino, aut fere omnino cur bilis in cyſti ſua multa ſit. XXIX. 13. XXX. 7.
Academia Regia Berolinenſis laudata. Præfat. ad libr. 5.
Bononienſis Inſtituti laudata. Præfat. n. 6. 15. & Epiſt. XVII. 26. LV. 26.
Regia Londinenſis laudata. Præf. ad libr. 2.
Cæſarea Nat. Curioſor. laudata. Præf. ad libr. 1.
Regia Sc. Pariſienſis laudata. Præfat. ad libr. 3. & Epiſt. LXI. 13.
Imperialis Petropolitana laudata. Præf. ad libr. 4. & Epiſt. XLII. 30.
Achores retropulſi. Vid. ubi de Scabie.
Adipoſa Membrana. De hujus ſtructura, & ſtructuræ Scriptoribus quædam. L. 25.
Ejus Excreſcentiæ. Vid. Excreſcentiæ.
Adolphus, Chriſt. Mich. ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XXXVIII. 25. XLII. 42. LV. 15.
Aer eſt in ſanguine ſecundum naturam, & cur. V. 18.
per quas vias ſubeat, & exeat. V. 27. 28.
Aeris bullæ in ſanguine multæ quot modis eſſe poſſint. V. 18. 25. 26. 28. 29. XXXI. 3.
quomodo plurimum noceant. V. 18. 20. 21. 23. 24. XXIII. 16.
quæ tamen animalia eas habeant ſecundum naturam. V. 22.
Aeris, in venas viventium quadrupedum injecti, effectus quinam, & cur in aliis alii. V. 21. 22. 23.
Qui primi id experimentum inſtituerint. V. 21.
Æthiopis diſſectio. V. 17.
Æthiopes. Ad eorum nigredinem ſpectantia quædam. LXVIII. 13.
Agricola, Jo. Guil. Medic. Ratiſbon. laudatus. XXIII. 18.
Alberti, Mich. P. Prof. Halens. laudatus. XIX. 48.
Albertinus, Hippol. Franc. Bonon. olim P. Prof. laudatus. IX. 3. XVI. 42. XVII. 5. 21. XVIII. 19. XXI. 31. XXIII. 22. XXXI. 28. XL. 28. XLII. 16.
Medicæ Obſervationes, ab ipſo communicatæ. V. 13. VI. 5. X. 21. XXVI. 6. XLI. 5. XLVIII. 14. L. 38.
& Anatomico-Medicæ. IX. 4. XV. 11. XVI. 42. XXV. 17. XXVIII. 3.
quæ facere, aut vitare in epilepticis curandis ſoleret. IX. 6.
quæ ad arthriticos dolores mulcendos. LVII. 8.
quibus ex ſignis conjiceret latentem inflammationem, & ſphacelum inteſtinorum. XXXV. 21.
in hepatis abſceſſibus ejus monitum, & curationes. XXXVI. 6.
ſcirrhi, ut videbatur, uteri felix curatio. XXXIX. 35.
phthiſim confirmatam ter ab ſe perſanatam ajebat. XXXVIII. 32.
Albinus, Bern. Siegr. Prof. P. Lugd. Bat. laudatus. XIV. 38. LXVI. 13.
Albrecht, Jo. Seb. Prof. P. Coburgenſ. laudatus. XIII. 4. XXIII. 18. XXXVII. 19. 45. XLVIII. 14. 25.
Alvus. In ejus fluxibus glandulæ inteſtinorum ſæpe grandeſcunt, aut eroduntur, & quomodo. XXXI. 15.
ſemper lubrica quomodo noxia. XXXI. 3.
adſtricta a quibus fiat, & a quibus innoxie ſolvatur. XXXII. 11.
occluſa vel ad menſem nonnunquam innoxia. XXXII. 1.
in quibuſnam fuerit toto vitæ tempore occluſa. XXXII. 2. & ſeqq.
variæ occluſionis cauſæ. Ibid. & 5. LXV. 6.
quædam harum minus in vulgus nota. XXXII. 6. & ſeqq.
Amauroſis poteſt etiam ſenſim ingruere. XIII. 5.
poteſt & propter obſtructionem, neque eam Optici nervi. Ibid.
Qui olim potius a convulſionibus, lædentibus Opticum nervum, illam deduxerint. Ibid.
De eadem, vulnera ſupercilii conſequente, Hippocratis locus explicatus. Ibid.
De eadem ab aliis cauſis. XIII. 6. 11. 12.
Eam ſimulantes quomodo ſint deprehendendi. XIII. 13.
Amputationis cruris cancroſi, & eorum quæ inſecuta ſunt, hiſtoria. V. 4.
Amyandus, Claud. Eq. & R. Chirurgus laudatus. XXX. 8.
Anaſarca quomodo ex gelatina quadam fieri videatur. XXXVIII. 26. 27.
cum magna eſt, non ſolum ſub cute ſedem habet. Ibid.
In ea proficua fuit epota juvencæ urina. XXXVIII. 10.
Anatomes ad latentes morborum cauſas dignoſcendas utilitas. XLVIII. 64.
& ad externos diſcernendos. L. 26.
ad recentem ozænarum quarundam curationem. XIV. 22.
Anatomes diligentioris ad prædicendum, & ad curandum utilitas. XXXVIII. 7.
neceſſitas ad Anatomen Practicam. Præf. ad libr. 1.
Anatome Practica quando, & ubi inceperit. Præf. ad libr. 2.
a quibus in Italia primum, & alibi exculta. Ibid.
quorum plurimæ ejus generis perierint Obſervationes. Ibid.

quo-

quomodo promovenda. Præf. ad libr. 5.
Anatomes Practicæ utilitas. Præf. ad libr. 1. 2. 3. 4. & 5.
majorne ſit, quam Anatomes ſanorum corporum. Præf. ad libr. 5.
contra minus probantes defenſa. Præf. ad libr. 1. & 3.
unde in ipſa interdum deceptiones, & quomodo cavendæ. Præf. ad libr. 1.
in ea rariorum, an vulgatiorum morborum obſervationes ſint utiliores. Præf. ad libr. 4.
in ea non facile pronunciandum, nullam morbi fuiſſe cauſam quæ caderet ſub ſenſus. XV. 14.
ejuſdem vel in dedocendo utilitas. XVI. 25.
Anatomicis in experimentis feles, præſertim recens nati, diutius vivunt. LII. 26.
Aneuryſmata interna cur vel priſcis temporibus fuiſſe credenda ſint. LXIV. 17.
num Antiquis ſatis nota, & cur non. XVII. 1. & ſeqq.
cur plerumque adjunctam habeant vehementem arteriarum pulſationem. XXIV. 35.
quomodo ſint interdum ſine pulſatione, & pulſatio ſine aneuryſm. Vid. Pulſatio.
Aneuryſmatum quædam diviſio. XVII. 5.
duorum in eodem homine, Aortæ, & Cordis, utrum præceſſerit, & cur. XVII. 22.
quæ intra thoracem ſunt, quotuplici ratione lædant reſpirationem. XVII. 1.
inter horum ſigna eſſe commodiorem antrorſum inclinati corporis ſitum, confirmatur. XVIII. 17. & ſeqq.
alia eorum indicia. XVIII. 19.
quomodo ob tuſſim, & ob animi affectus oriantur Ibid.
& ob tubæ inflationem. XVIII. 24.
quomodo intra aneuryſma videri potuerit incluſum os quod in ſterno deerat. XXVII. 24.
Aneuryſmata in ventre quomodo eſſe videri poſſint, nec ſint. XXXIX. 19. 20.
quomodo in cerebro ſint intelligenda. III. 8. & ſeqq.
num intra ipſa oſſa contingant. LII. 39.
cur adſita oſſa excavent interdum, non partes molliores. XXI. 48.
Aneuryſma, cujus parietum partem faciebat pulmo. XXI. 47.
cujus, & ampliſſimi quidem, parietum magnam partem vertebræ faciebant, & præſertim muſculi. XL. 26. 29.
uno in homine multiplex. L. 9.
duplex, ſingulis habentibus eandem prorſus ſedem in ſingulis manibus. III. 8.
Aneuryſmatum Spuriorum qualia prima initia inveniantur. XXIV. 37.
Hæc ſola initia maximas interdum noxas, & mortem afferunt. Ibid.
Unde noſcatur, aneuryſmata eſſe jam facta. Ibid. in fine.
Aneuryſmata etiam externa quomodo, etſi non rumpantur, poſſint occidere. L. 12.
in poplite curata. L. 9.
ad flexuram cubiti. L. 7. 8.
eorum curatio per ligatam arteriam quam ſit antiqua. L. 54.
eorum in arteria Intercoſtali diagnoſis. L. 49.
ad inguen. L. 11. & ſeq.
in Aorta. Vid. Aorta.
Aneuryſmatum, in diſſectionibus vel non antiquis haud agnitorum ſuſpiciones. XL. 27.
Angina. De ipſa quædam. XIV. 39.
Ejus ſedes, natura, effectus nimis ſero per diſſectiones videntur quæſita. Ibid. & LXIII. 16.
Hujuſmodi perquiſitionis exempla. XLIV. 3. LXIII. 16. & ſeqq.
Anginę ad paralytodeam accedentis exemplum. LXIII. 19.
Anguiſſolæ, Jo. Bapt. Legati Pontificii, morbi, & diſſectio. IV. 13.
Anhornius Sylv. Sam. ex Cæſar. Acad. N. C. laudatus. XXXVIII. 35. 59. 63.
Ani Prolapſus. Vid. Inteſtini Recti.
ſphincter in apoplexia an ſæpius non ſit reſolutus, & cur. II. 24.
totus diſciſſus, ſuas ſic ſatis recuperavit vires. XXXII. 8.
Ano clauſo nata hic centum annos ſic vixit. XXXII. 3.
Quando ejus non tentanda apertio, & quando tentanda. Ibid. & 4.
Cur in vacca, de qua Ariſtoteles, ſervari per ſectionem apertus non poſſet. Ibid.
Anus. Ex eo egredientia puris ſpecie, cum aliud ſint. XXXII. 13.
Ex eo membranæ; & excreſcentiæ falſæ, & veræ, aut ex utriſque miſtæ. Vid. Inteſtin. polypoſæ concretiones.
Ex eo calculi. Vid. Bilarii. Cyſtici. Inteſtin.
Aorta. Ex hujus arcu non tres, ſed quatuor natæ arteriæ. Vid. Vertebralis.
Ejus truncus inflexus. LXVII. 11.
Ejus valvulæ oſſeæ factæ, quando ſint, aut non ſint cauſa mortis repentinæ. XXVII. 19.
Aortæ inflammatio, poſt Aretæum vix memorata. XXVI. 36.
Aortæ tunicæ æquo tenuiores quid afferant detrimenti. XXVII. 14.
harum interior facies unde, & quomodo inæqualis fiat. XXIII. 5.
unde in longitudinem ſulcata. XXIV. 35.
innatum ipſis tuberculum majus quibus cum ſignis conjunctum fuerit. XXVI. 39. 40.
Aortæ dilatationes quomodo ſubitam mortem afferre poſſint. XXVI. 32.
eædem, & alia vitia cur in quoſdam potius illius ramos, quam in cæteros, propagentur. XXVI. 23.
in dilatationibus cur parietes interdum craſſiores ſint, & rigidiores. XXVI. 24.
in dilatationibus prope cor parietes cur ſæpius ad poſteriora rumpantur. Ibid.
Aortæ aneuryſmatum obſervationum initium, & progreſſus. XVII. 3. 4.
eorum diviſio in ſacciformia, & non ſacciformia. XVII. 27.
unde prima utrorumque origo. XXIV. 37.
ſacciformia non ſunt rara. XVIII. 35.
Quæ interiores ſæpe efformant aneuryſmatum parietes, non ſunt, ut multi crediderunt, arteriarum tunicæ. XVII. 29. XXVI. 9.
Qui primi id animadverterint. XVII. 29.
Quid ea ſint, & unde gignantur. Ibid.
Materia, lardi, aut ſebi ſimilis, unde olim ibidem inventa. XVIII. 23.
Aortæ aneuryſmatum ſigna valde nonnunquam obſcura. XL. 29.
Horum ſignorum pleraque interdum cum morbo omnino alio. XLII. 14.
Illorum effectus quidam non perpetuo præſentes quomodo decipiant Medicos, aneuryſmata propterea tunc eſſe, negantes. XVII. 26. 27. XVIII. 17. & ſeqq. XLV. 26.
Aortæ aneuryſmata quomodo interdum decreſcere videri potuerint. XXVI. 9.
quomodo artuum ſuperior, dolores, torporemve facere dicantur. XXVI. 23.
Ut in externis, ita in his internis deeſſe interdum poteſt pulſatio, & cur. XVIII. 20.
Qui in illis, & qui deinde in his id primi adnotaverint. Ibid.
Aortæ aneuryſmata cur ſæpius fiant in illius arcu, aut inter hunc, & cor, quam alibi, aut in arteria Pulmonari. XVIII. 24.
Quomodo attigua oſſa erodant, abſumantve. XVIII. 27.
Erodentes ichores non modo effectus, ſed & cauſa ſunt aneuryſmatum. XVIII. 26.
Caries oſſium num, ſubtracto arteriæ fulcro, ſit

ſit, cauſa aneuryſmatum, & effuſo ſucco oſſeo, ſit cauſa oſſearum in his lamellarum. XVIII. 29.
Aortæ aneuryſmata vertebras quidem excavant; ſed interjectis ligamentis nonnunquam illæſis. XL. 26. 29. & ſeqq.
poſſunt interdum vertebras adeo excavare, ut Spina diſrumpatur. XL. 27.
Aortæ aneuryſma maximum, ut ventris dimidium occuparet. XL. 26.
aliquo aneuryſmate introrſum rupto, quomodo ægri interdum poſſint ad horas eſſe ſuperſtites. XVII. 16. XXVI. 24.
extrorſum diſrupti caſus. XXVI. 9. XL. 26.
ejuſmodi caſu imminente, quid cavendum, quid præcogitandum. XXVI. 10.
Aortæ aneuryſmata. Ad horum incipientium curationem attinentia. XVII. 30.
Hujus peractæ, Obſervationes. Ibid.
Aortæ ſic perſanatæ anatomica Obſervatio. Ibid.
Ad eorum jam factorum retardandos progreſſus, utilitas miſſionum ſanguinis, & parſimoniæ in alimentis. XVII. 31.
Quando inedia, & venæ ſectiones nocere; imo hæ poſſe occidere videantur. Ibid. & XVIII. 17.
Duæ in hanc rem Obſervationes. XVII. 31. 32.
Quæ remedia Malpighio in his morbis ſuſpecta eſſent. XVIII. 17.
Quantum noceant conatus. XXVI. 3. 4.
Aphonia Κατ' ἐξοχὴν dicta. De ea quædam. XIV. 34. & ſeqq.
De eadem ex ebrietate. Ibid. & LXIII. 13. & ſeqq.
Aphonia quædam unde probabiliter fuerit, & quomodo curata. IV. 15.
& alia quoque levior, frequens. XIV. 37.
Vid. etiam Vocis.
Aponenſes ad Thermas ægrorum concurſus cur minor, quam olim. LVIII. 18.
Apoplexia an morbus olim rarus fuerit. II. 1. 2. & ſeqq. & 8.
Quibus ſignis prænuncietur. II. 10
Num ſemper a reſpiratione varii ſint ejus gradus repetendi. II. 14.
Quomodo hæc, & cordis motus in ea ſerventur. II. 24.
Apoplexiæ diviſiones. II. 5. 6. V. 1.
Aliam eſſe Sanguineam, aliam Seroſam, confirmatur. II. 6. & ſeqq. IV. 1. V. 1.
Sanguineam qui Veterum noverint. II. 7. 8.
Talis in L. Vero Imp. fuit. II. 8.
Qui primi fieri ex effuſione ſanguinis in ventriculos cerebri, docuerint, & qui primi viderint. II. 7.
Et qui primi ex effuſione ſanguinis intra ipſam cerebri ſubſtantiam. III. 10.
Quomodo hoc, & qua ex cauſa fiat. III. 3.
Fit tamen a ſanguine etiam non effuſo, & quomodo. III. 25. & ſeqq.
Quomodo fieri nonnunquam poſſit ab aneuryſmate intra thoracem ſito. XVIII. 26.
Apoplexiæ Sanguineæ ſigna. II. 10. 14.
cum dubium eſt, a cauſa ſit externa, an interna. II. 12.
cur præpinguibus facilius accidat. XIV. 27.
cur iis qui breviori ſunt collo. III. 28.
cur ſæpe contingat cum melius homo videtur ſe habere. II. 23. III. 17.
etiam ſenioribus, & pallidis accidit. II. 14.
non ſemper eſt fortiſſima. II. 10. 14. 15.
nec ſemper lethalis. II. 16.
tamen citiſſime, etiam ſine vaſorum diſruptione poteſt necare. LX. 7.
quomodo interdum a concuſſionibus, & ab aliis vel levibus motibus contingat. III. 12.
quomodo interdum a decubitus ab uno in alterum latus mutatione. LI. 12.
quomodo a decubitu poſt pleniorem cœnam, præſertim ſupino. III. 28.

eoque magis cum ſomno poſt largas potationes. LX. 13.
Apoplexiæ Sanguineæ imminente periculo, quod, & quomodo cavendum. II. 23. III. 13. 17. LX. 3.
Ea præſente, Jugularis venæ ſectionis utilitas. II. 9. 13.
Quædam de eadem ſectione. II. 10.
Cibi vel modo ſumpti vomitum movere, periculoſum. III. 12.
Quæ remediorum genera ſint cavenda, & cur. III. 11. 12.
Apoplexiæ Seroſæ non omnes ſunt quæ eſſe videntur. IV. 1.
Poſſunt tamen a ſero vel pauco fieri. Ibid.
& quomodo. IV. 5. 14. 17. 27. 29. 32. & ſeqq.
Apoplexia Seroſa num ſenſim invadat. IV. 31.
Quando ſanguinis miſſionem admittat, aut non. IV. 14. 15.
Quæ remedia requirat. IV. 15.
Apoplexiæ aliæ ſunt præter Sanguineam, & Seroſam. V. 1.
Purulentæ exempla cum diſſectione. V. 2. 4. 6. 11.
Hanc quis Veterum noverit. V. 7.
Atrabilariæ, ut ſic dicamus, exemplum cum diſſectione. V. 13.
Flatulentæ exempla cum diſſectione. V. 17. 19.
Qui Veterum hanc cognoverint. V. 18.
Qua ratione hæc fiat. Ibid. & 24. 29.
Apoplexiam quæ compreſſio cerebri poſſit facere, & quæ non poſſit. IV. 29. 33. XI. 17. LX. 14.
A cerebri eroſione fieri, qui olim docuerint. III. 3.
Quatenus id verum ſit. Ibid. & IV. 5.
Num ſemper, aut certe frequentiſſime faciant polypi, ſive polypoſæ concretiones. IV. 23.
Num ſemper, aut frequentiſſime intercepta colli vaſa. Ibid.
Apoplexiæ alias ſunt a cerebro, alias a cerebello, alias ab utroque. III. 27. IV. 17.
Apoplexia hæreditaria. IV. 2. 20.
Apoplexia correpti. In iis urinæ retentio, quæ ſæpe accidit, animadvertenda, & præcavenda. V. 8. LVI. 12.
Iis ſuperveniens febris. Vid. Febres.
Ea utilior, an nocentior ſit Seroſa, an Sanguinea apoplexia correptis. II. 10.
Ad harum utram quaſdam referre apoplecticorum diſſectiones non eſt facile. LX. 9.
In apopleticis oſſificationes ſæpe obſervantur. III. 22.
Aquæ fluviales, an puteales ſint ſalubriores. XLII. 17. LXVI. 4.
Aquarum in varia corporis cava effuſarum examen. IV. 2. XVI. 2. 6. 10. XX. 26. 32. 47. XXII. 10. 14. XXXVI. 2. 8. XXXVIII. 6. 8. 22. 34. XLI. 4. XLIII. 16.
ad quid utile eſſe poſſit. XXXVIII. 7. 8.
quæ fallaciæ in eo cavendæ. Ibid.
unde ſint concretiones, aut quaſi membranulæ in iis aquis ſæpe natantes. XX. 37.
aut novæ quædam quaſi tunicæ, ſub iis aquis viſcera conveſtientes. Ibid.
Qui vel olim talia obſervaverint. Ibid.
Aretæus de hydrope, a veſiculis facto, quomodo intelligendus. XXXVIII. 45.
Ariſtoteles non omnes in beſtiis negavit calculos. XLII. 17.
Communis ejus verſionis libri 2. de Generat. Animal. locus ex græco emendatus. XXVIII. 16.
Arnault N. Medicus Aurelianenſis laudatus. LXIII. 17.
Arrigonius, Antonius, Laud. Medicus laudatus. LXI. 13.
Arteriæ Vid. Aorta. Aſpera. Bronchialis. Carotides. Cordis Coronariæ. Cœliaca. Emulgens. Hepatica. Lumbares. Pulmonaris. Splenica. Vertebralis.
Arteriæ quædam, etiam non tenues, in vivo cane diſſectæ, interdum ſe adeo contrahunt, ut mox nil fere ſanguinis effundant. XIX. 34.
Arteriæ concreto ſanguine plenæ. LIV. 25.

Arteriæ, quotquot apertæ ſunt, puſtulis intus plenæ. XXVII. 28.
Eæ puſtulæ quam funeſtæ ſint. XXVII. 30.
Arterias oſſeas factas qui olim obſervarint. XVIII. 33. XXVII. 19.
In earum tunicis duriores concretiones quæ oſſeæ ſint, & quæ tophaceæ. XXVII. 20. & ſeqq.
Harum concretionum cauſæ. XVII. 24. XVIII. 31. & ſeqq. XXVII. 21. & ſeqq.
Quædam non probata. XVIII. 29.
Pro Boerhaaviana, nonnulla. XVIII. 31. & ſeqq. XXVII. 27.
Id vitium in anu, nonagenaria majori, vix ullum. LXVII. 11.
quo inferius deſcendebat, eo majus fiebat. LXVII. 14. 15.
quantum obſit ſanguinis circulationi. XXVI. 32. LXVII. 15.
quantum ei tribueret Santorinus. XXVI. 36. 38.
quæ remedia convenire tunc poſſint. XXVII. 30.
maculæ quæ illarum concretionum initia ſunt, quam ſedem habeant, & naturam. XXVII. 26. 27.
Arteriarum internæ exulcerationes cum duris illis concretionibus, & ab illis factæ: & ſine illis. XXVII. 22. 24. 25.
Qui ab illis factas antea agnoverint. XXVII. 24.
Magna ab iis exulcerationibus detrimenta. XXVII. 24.
Arteriarum omnium pulſatio vehementiſſima unde ſit. XXIV. 35. XXIX. 20. 21. LXIV. 10.
Arterioſus Canaliculus in arteria adulti Pulmonari apertus. LX. 4.
Arteriotomia adverſus Maniam. VIII. 4.
Arthritis. Vid. etiam Iſchiadis. Podagra.
cur aliquando non incipiat a pedibus. LVII. 4.
quos articulos nunquam; quos ſæpius tentet, & cur. Ibid.
in teneris pueris obſervata. Ibid.
Arthritidis cauſæ plures. LVII. 3. & ſeqq.
materia ab articulis prohibita, nedum repulſa, quam periculoſa. LVII. 9. & ſeqq.
num in articulorum cava penetrare nequeat. LVII. 3.
Arthritidem cur ſæpius ſequatur nephritis, hanc autem cerebri morbi. XL. 3.
Arthriticis non ſolis humor ineſt in cavo imæ Spinæ. LVII. 5.
num purgantia omnia ſemper noxia. LVII. 6.
num lac quodque ſemper noxium. LVII. 7.
quo ſæculo omiſſum. LVII. 7.
quid de aliis internis, externiſque remediis cenſendum. LVII. 8. & ſeq.
quomodo aliqua videri poſſint utilia fuiſſe. LVII. 9.
Articulorum vitium, apud nos perrarum. Vid. Genu.
Artus. In horum vulneribus ſi craſſus arterioſus truncus inciſus ſit, quid agendum. LIV. 47.
Arytænoidæas glandulas non fuiſſe a Galeno, Carpo, Fabricio, Schelhammero præmonſtratas, evidentiſſime oſtenditur. XIX. 55. 56.
in quodam monſtroſas obſervavit Lanciſius. XIX. 55.
Aſili aculeus quomodo boves nonnunquam in furorem agat, inquiritur. LIX. 26.
Aſperæ arteriæ glandula valde diſtenta, ejuſque ſigna. XV. 15. & 16.
ſemianuli ab oſſificatione in figura mutati. XXIV. 16.
polypoſæ, ramoſæque concretiones. Vid. Sputa polypoſa.
ulcera contumacia qua ratione demum perſanata ſint. XXII. 27.
Aſphyxia. Vid. Pulſuum privatio.
Aſpis vera num extra Africam ſit. LIX. 37.
ejus morſum poteſt, & quomodo nullus in icta parte livor, aut tumor ſequi. LIX. 40. & ſeq.
ejus morſu, an injecto, ſumptove veneno Cleopatra interierit. LIX. 38. & ſeqq.
Aſthma convulſivum qui noverint ante Williſium. XV. 4.
cur mirum ſit, non fuiſſe Medicis antiquiſſimis notum. XV. 5.
eſſe poteſt a cerebri læſionibus, etſi nulla harum appareant ſigna. XV. 9.
Aſtruc, Joannes, ex R. Sc. Societ. Monſpel. laudatus. XLII. 38. XLIV. 2. 8. LVIII. 15. 19.
Attali Regis apoplexia qualis. III. 17.
Atticus, Pomponius. De ejus morbo quædam. XXVIII. 4.
Avicenna docuit, apoplexiam interdum fieri a ſanguine in ventriculos cerebri effuſo. II. 7.
num oſſa mollia facta obſervaverit, & curaverit. LVIII. 6.
Avium ſeniorum tendines oſſeos fieri, qui vel olim ſcripſerint. XVIII. 23.
domeſticarum morſum conſecuta ſymptomata. Vid. Morſus.
Auriculæ Helix prælongis confertiſque pilis prædita. XXIV. 6.
Auris Meatus. De inciſione, a Veteribus, & Recentioribus propoſita ad ea quæ in ipſum illapſa ſint, eximenda, quædam. XIV. 13.
Alia ad eadem eximenda afferuntur, & perpenduntur. Ibid.
De indurati in eo ceruminis chirurgica curatione quædam. XIV. 11.
Ad cerumen ejiciendum quæ beſtiis auxilia natura dederit. Ibid.
Ad Meatus interiora in chirurgicis operationibus illuminanda quæ utilia ſint. XIV. 13.
In eo concreti calculi Veteribus incogniti. XIV. 11
a quibus primum memorati. Ibid.
In eodem vermiculorum, & gravium ab his ſymptomatum obſervatio. XIV. 7.
ad eos arcendos, abigendoſve remedia. Ibid.
Ulcera cur temere non claudenda. XIV. 5.
Auris Tympani Membrana illæſa, quomodo in ipſum injici poſſint remedia. XIV. 7.
Eidem Membranæ alia in fœtibus membrana appoſita. De hac quædam. XIV. 12.
Tympani & Membrana, & Oſſicula diſrupta. Vid. Surditas.
Si Stapes excidat; ſurditas videtur neceſſario ſecutura. XIV. 10.
Tympani Novorum Foraminum Valſalvæ uſus interdum, defenſus. XIV. 9.
Auris tinnitus num revera, & quatenus etiam ab adſtantibus audiri potuerit. Ibid.
Aurium ideſt audiendi ſenſu cur plures a nativitate priventur, quam ullo alio, nec dum conſtare, oſtenditur. XIV. 14.
Axillaribus in venis inſula. LXIX. 2.
Azygæ venæ varix, & ruptio. XXVI. 29.

B

BAeumlinus, Jo. Chriſt. Med. Weickarſ. laudatus. LIX. 5.
Baglivi hallucinationes. VIII. 13. XXXVII. 13.
Bajerus, Jo. Jac. pridem Acad. N. C. Præſes laudatus. XXXIV. 19. XLII. 19.
Balbutiei quod genus Sanctorius quibus in palato nimis apertis foraminibus tribueret. XIV. 38.
Quid de hoc ſentiendum. Ibid.
Alia de aliis balbutiei cauſis, earumque perquiſitione. Ibid.
Barbadici, Jo. Franc. S. R. E. Cardinal. & Epiſcopi Patavini morbus, & curatio. XLIX. 30.
ab alio morbo mors, & diſſectio. XIII. 3.
Barbette, Pauli, loca minus probanda. XXVIII. 13. LI. 22.
Barbette, Gregor. Chirurgus Bonon. laudatus. LVI. 5.
Baronius, Philippus Medicus Meldulenſ. laudatus. XLVIII. 51.
Ejus Obſervatio. XLVIII. 52.
Baron d' Henouville, Medicus Pariſienſis laudatus. XXIX. 15.
Bartholini, Thomæ hallucinationes. XIII. 7. 11. XXVII. 19. XXIX. 4. XLII. 32.

Baſſius, Henr. P. Prof. Halenſis, laudatus. XXXI. 15. XXXII. 16. XXXVIII. 23. XXXIX. 40. XLI. 12. 14. XLIII. 14. 34. L. 44. LVI. 22. 27.
Baverus, Jo. Frid. pridem ex Cæſ. N. C. Acad. laudatus. XXXII. 3.
Bavhini, Caſp. quædam non probata. XIV. 14.
Beaulieu, Fratr. Jacobi felix Patavii calculi exſectio commemorata. XLII. 24.
Beccarius, Jac. Bartholom.. Inſtituti Scientiar. Bononienſis Præſes, laudatus. IV. 25. XXIII. 6.
Bechmannus, Jo. Andr. ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XXXVII. 19. XXXVIII. 19.
Beherenſius, Conr. Barth. Reg. olim Britann. Archiat. laudatus. XIX. 48.
Behlingius, Jo. Frider. laudatus. XLVIII. 30.
BENEDICTI XIV. Pontif. Max. juſtiſſimum encomium. XX. 62.
Benevolus, Ant. Chirurg. Florent. laudatus. XXVII. 31. XXXI. 20. XXXIV. 19. XXXVIII. 64. XXXIX. 40. XLI. 12 XLII. 12. 27. 38. XLIII. 6. 10. 13. 14. 33. XLIV. 17. XLVI. 12. 16. XLVII. 6. L. 10. 19. 26. 50. LI. 23. LV. 20. 26. LVII. 21.
Berengarius Carpenſis, ſi ætatem ſpectes, potuit inventor eſſe inunctionum mercurialium in lue Venerea. LVIII. 16.
a Bergen, Carol. Aug. pridem P. Prof. Francof. laudatus. III. 8. XXXVII. 19. LXII. 13.
Bernardonii, Jo. Franc. olim in Aula Mutinenſi Archiatri Obſervationes. XXIII. 2. XXXI 11.
Bernerus, Gottl. Ephr. ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. LIX. 35.
Bernoullius, Daniel, ex R. Sc. Acad. Pariſ. laudatus. XIII. 7.
Bertinus, Joſ. Exup. ex ead. Acad. laudatus. XXII. 9. XXVII. 27. XLVIII. 45.
Beudt, Gysbertus laudatus. LXVI. 15.
Bezoldus, Joannes Georgius, laudatus. XXXVII. 20. 46.
Bierlingii ſuſpicio quædam non probata. XXXIX. 11.
Bilerii ductus quam dilatentur aliquando. XXXVII. 46. 47.
In iis quinam olim excreſcentias carneas memoraverint. Ibid. 33.
Bilarios ductus extraordinarios quinam olim, & poſtea viderint. Ibid. 34.
Bilarii calculi. Vid. Hepat. Calculi. Vid. Cyſtici. quibus præcedentibus, dejiciantur. XXXVII. 41. 42. 46. 47.
Dolor, tunc ſæpe umbilicum verſus extenſus, quomodo explicandus. XXXVII. 42.
Eorum curatio tripartita. XXXVII. 48. & ſeqq.
Quando venæ ſectio conveniat. Ibid. 49.
Quando ſit emeticis, & purgantibus locus. Ibid. & 50.
Num pellentibus. Ibid.
Cur, & quando ſint leviora eccoprotica adhibenda. Ibid.
Experimentorum circa eorundem extra corpus diſſolutionem varietas. Ibid.
Quid hinc conſequatur. Ibid.
Quæ tamen præ cæteris exhibenda. Ibid.
Inter lithontriptica bilaria, & urinaria diſcrimen. Ibid.
Ubi præſervans curatio minus reſpondeat, quid ſaltem facere utile ſit. XXXVII. 51.
De curatione per novam ad cyſtim lithotomiam. Ibid. 52.
Bilis. Vid. Jecoris Cyſtis.
Bilis materia. Vid. Icterus.
Bilis atra Veterum quid ſit. XXX. 17. XXXI. 6. 7.
Quomodo apparere interdum poſſit grumoſa. XXX. 17.
Ejectæ funeſta exempla. XXXI. 6.
Poſt ejectam, ægri difficillime ſervati hiſtoria. Ibid. 7.
Boeclerus, Phil. Henr. Prof. P. Argentorat. laudatus. L. 37.
Boehmerus, Jo. Beniam. P. Prof. Lipſien. laudatus. LVI. 29.
Boehemerus, Phil. Adolph. P. Prof. Halæ Magdurg laudatus. XLV. 5. LXIII. 21. LXIV. 6. LXVII. 12. 16.
Boerhaavius laudatus. Præf. ad libr. 4.
Ejus ſententiæ quædam explicatæ. XXIII. 17.
Dubitatio quædam ſublata. XLVI. 20.
Falſi quiddam ipſi relatum. L. 47.
Bohnius, Jo. Lipſienſis olim Profeſſor, laudatus. LIV. 47. & alibi.
du Bois, Godofr. laudatus. XIV. 11.
Boncompagnus, Jac. S. R. E. Cardinalis quibus de ſymptomatibus quereretur, & quam ob læſionem internam ſit mortuus. XXVI. 26.
Bonazolius, Laurentius, Publ. Bonon. Profeſſor laudatus. X. 13. XXXIV. 17. XLVIII. 16.
Ejus Obſervatio. LXIV. 9.
Boneti, Theophili laus. Præf. n. 2. 3.
In ejus Sepulchreto ſecundæ editionis quæ poſſint deſiderari. Ibid. n. 4. & ſeqq. & Epiſt. I. 7. 8. 15. IV. 31. 36. VII. 14. VIII. 32. XII. 4. XV. 3. XXVIII. 4. 14.
Quæ addi ex Auctorum Obſervationibus. I. 7. 8. 9. 15. 16. 17. II. 8. 10. 14. 16. 21. III. 3. 12. 17. 18. 30. IV. 31. 32. 33. V. 3. 24. VI. 7. 16. VII. 8. 16 VIII. 13. 14. 16. 17. 18. 20. 31. 36. IX. 3. 11. 19. 21. 24. X. 6. 15. XI. 7. 12. 23. XII. 3. 5. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. XIII. 4. 5. 6. 7. 10. 11. 12. 16. 18. 20. 26. XIV. 2. 6. 8. 9. 12. 17. 22. 23. 24. 36. 38. 39. XV. 2. 9. 11. 12. 16. 17. 19. & ſeqq. XVI. 11. 23. 24. 33. 35. 37. 42. 44. 45. 46. XVII. 13. 15. 28. XVIII. 4. 9. 11. 15. 18. 19. 24. 26. 36. XIX. 9. 10. 14. 20. 38. 39. 40. 43. XX. 52. 57. XXI. 20. 28. 38. 39. 40. 44. 46. 48. XXII. 7. 13. 17. 19. 20. XXIII. 3. 9. 12. 13. 14. 18. 19. 23. 24. XXIV. 3. 4. 7. 8. 12. 17. 22. 23. 28. 29. 30. XXV. 3. 7. 8. 13. 16. 23. 24. XXVI. 10. 12. 23. 26. 27. 28. 38. 39. 40. XXVII. 1. 4. 6. 9. 10. 18. 19. 20. 24. 25. 26. 27. 30. 31. 32. 34. XXVIII. 2. 3. 4. 6. 15. 16. 18. XXIX. 3. 9. 11. 13. 15. 16. 19. 22. XXX. 8. 11. 13. 17. XXXI. 4. 13. 15. 20. 21. 22. 23. 24. 26. XXXII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10. XXXIII. 15. XXXIV. 13. 16. 19. 32. 34. 35. 36. XXXV. 4. 15. 22. XXXVI. 5. 6. 10. 12. 14. 15. 16. 18. 21. 24. 26. 27. XXXVII. 11. 12. 13. 16. 21. 24. 32. 34. 35. 37. 38. 39. 41. 42. 43. 45. 46. 47. XXXVIII. 1. 8. 19. 23. 24. 25. 31. 33. 35. 36. 38. 41. 42. 43. 44. 45. 47. 49. 50. 54. 59. 61. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 70. 71. XXXIX. 3. 7. 8. 11. 15. 20. 23. 28. 36. 40. 41. 44. 45. XL. 5. 13. 14. 15. 19. 20 25. 27. XLI. 1. 2. 5. 9. 11. 12. 15. 16. 17. XLII. 5. 6. 7. 10. 18. 19. 23. 24. 30. 31. 32. 33. 35. 36. 37. 38. 42. 45. 46. XLIII. 3. 6. 7. 8. 10. 13. 14. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. XLIV. 2. 8. 11. 13. 14. 17. XLV. 2. 5. 6. 12. 20. 24. XLVI. 13. 16. 20. 21. 25. 30. XLVII. 11. 25. 26. 27. 29. XLVIII. 11. 12. 13. 14. 16. 17. 25. 27. 30. 36. 39. 42. 45. 46. 49. 54. 56. 61. XLIX. 19. 28. 33. 35. 36. L. 6. 10. 12. 14. 16. 17. 18. 19. 22. 24. 25. 37. 38. 44. 46. 49. 53. 54. 56. 57. 58. LI. 4. 10. 21. 22. 23. 40. 47. 48. 58. LII. 13. 21. 24. 26. 36. 37. 39. LIII. 4. 22. 27. 28. 34. 36. 41. LIV. 9. 11. 12. 13. 15. 17. 27. 32. 34. 36. 37. 42. 43. 47. LV. 2. 7. 12. 15. 17. 18. 23. LVI. 3. 4. 5. 6. 15. 22. 23. 24. 34. 35. 36. 37. LVII. 3. 11. 12. 16. 21. LVIII. 6. 9. 12. 14. 15. LIX. 5. 9. 14. 21. 22. 28. 33. 34. 35. 36. LVI. 4. 6. 8. 9. LXII. 3. 13. LXIII. 3. 11. 16. 17. 20. LXIV. 3. 4. 14. 17. LXV. 2. 4. 6. 7. 9. 10. 11. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. LXVI. 11. LXVII. 2. 3. 12. 15. 16. LXVIII. 3. 4. 9. 13. 14. LXIX. 6. 12. 13. 14. 15.

Quæ demi. VII. 1. 18. VIII. 13. 36. IX. 3. 13. X. 1. XI. 23. XIII. 1. 20. XIV. 16. 17. 22. 30. XV. 2. XIX. 1. XXI. 40. XXII. 2. XXIII. 1. XXIV. 5. XXV. 14. XXVIII. 1. 8. 18. XXIX. 1. 2. 11. 16. 17. XXX. 18. XXXI. 1. XXXII. 1. XXXIV. 1. XXXVI. 7. XXXVII. 32. XXXVIII. 1. 38. 42. XL. 11. 14. 27. XLI. 1. XLII. 43. XLIII. 43. XLVI. 1. 21. XLVII. 1. XLVIII. 1. XLIX 1. 32. L. 1. LI. 47. LIII. 1. LV. 1. LVII. 1. 16. LVIII. 14.
Quæ corrigi. I. 8. IX. 8. XII. 3. 4. 10. 13. XIII. 6. 11. 14. 19. 20. 26. XIV. 2. 12. 14. 16. 17. 22.23. 26. 30. 32. 38. XVI. 15. XIX. 10. 39. XX. 10.12. XXI. 28.46. XXII. 2. XXIII. 1. 15. 23. XXIV. 21. 23. 24. 29. 36. XXV. 14. 19. 20. 22. XXVI. 26. XXVII. 1. 18. 19. XXVIII. 2. 3. 14. XXIX. 4. XXX. 18. XXXI. 21. XXXII. 1. XXXIV. 3. XXXVI. 12. 18. 28. XXXVII. 6. 7. 11. 40. XXXVIII. 42. XL. 11. 15. 27. XLI. 1. 11 15. 17. XLII. 23. XLIII. 39. XLIV. 26. 27. XLV. 25. XLVI. 21. XLVII. 1. XLVIII. 1. 2. XLIX. 13. 21. L. 28. 30. 37. 56. LI. 22. 40. 47. 58. LIII. 1. LIV. 5. 11. 12. LV. 1. LVIII. 14. LXIII. 16.
Bonfiglius, Onuphr. ex Cæſ. Academ. N. C. laudatus. XXXVI. 21. XLII. 5.
Bonis, Alexand. Medicus olim Venetus, laudatus. III. 17. V. 11. XII. 6. LXII. 1.
Bonius, Joſ. Medicus Placentinus, laudatus. LXVIII. 11.
Ejus Obſervatio, Ibid. 12.
Bonetus, N. ex Regia Societ. Londin. laudatus. XXXIV. 37.
Bontii quædam circa pulmonum adhæſionem Obſervatio non eſt conſtans. XXII. 17.
Bonzius, Cotard. ex Bonon. Inſt. Sc. Acad. laudatus. XXXIX. 21.
Borelli, Petri, Obſervatio quædam quomodo legenda videatur. LII. 27.
Boſchi, Hippoliti, hallucinatio. XLIII. 8.
Bovina in peſte unde eſſe poſſit nimina cyſtis felleæ plenitudo. LXVIII. 3.
Brachiorum dolores a vitio Aortæ. XXIII. 5.
Brebiſius, Jo. Georg. ex Ceſ. N. C. Acad. laudatus. XLIII. 6.
Brehmius, Georg. Chriſtoph. laudatus. LXV. 17.
Brehmius, Jo. Martin. Reg. Suec. Medic. laudatus. XXXVIII. 65.
Brendelius Adam. P. Prof. Witembergenſ. laudatus. XLII. 18. XLIII. 13.
Brinius, Jo. Thom. ex Cæſar. N. C. Academia, laudatus. XII. 5.
Brogiani, Dominicus P. Prof. Piſan. laudatus. VIII. 31. 32. LIX. 35. LXI. 11. 15.
Bromfeild, Guil. Chirurg. Londin. laudatus. Præfat. ad libr. 2.
Bronchiales glandulæ an nigricantem ſuccum ſemper contineant. XXII. 21.
an ab ipſis ſint ſputa nigricantia. Ibid.
an cum bronchiis communicent. Ibid.
an ex iis auctis, & vitiatis fiant pulmonum tubercula. Ibid.
Bronchialis arteria Eraſiſtrato, & Galeno cognita; non vena. XXI. 42.
Bonchia cum ſputi expectorata obſervavit Hippocrates. XXII. 25.
Bronchiorum cartilagines vel intra pulmones, & ante grandiorem ætatem nonnunquam oſſeæ fiunt. XV. 18.
Bronchocele ſæpius mulieribus accidit, quam viris. L. 37.
ejus ſedem in Thyroidæa glandula qui negaverint, aut potuerint. L. 30.
in hac glandula inveniri ſolent. Ibid. & ſeqq.
a Brunn, Jo. Henr. laudatus. XIX. 23. XXXIV. 35.
Bubones venerei. Ad eorum productionem explicandam qui olim præluxerint. LVIII. 14.
Buchnerus, Andr. Elias, Præſes Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XVI. 11. XXII. 13.
Buckwaleius, Balth. Jo. laudatus. LXVII. 15.
Budæus, Gottl. ex Cæſ. N. C. Academ. laudatus. XXX. 17. XXXVI. 12.
Buddeus, Aug. ex Cæſ. N. C. Academ. laudatus. LV. 7.
Buffonius, N. ex Reg. Sc. Acad. Pariſ. laudatus. XIII. 20.
Burgravius, Jo. Phil. ex Ceſ. Acad. N. C. laudatus. XXXIV. 34. XXXVII. 45. XXXIX. 20. XLIII. 14.
Burgmannus, Petrus Chriſtoph. Medic. Roſtoch. laudatus. XIX. 11. XLII. 45.

C

Cachecticorum cerebrum præalbum. XXXVI. 13.
Cadens quomodo ſimul frontem, & dorſi vertebras frangere potuerit. LII. 36.
Cæcitas. Vid. Amauroſis.
ex dolore capitis, ſublata. I. 11.
Cæci ab ortu num lucis nullam habeant ideam, dubitatio. XIII. 14.
Cæcum inteſtinum, id eſt Appendicula Vermiformis, perbreve, & minime cavum. LXVII. 11.
Cælii Aureliani quidam loci quomodo intelligendi, aut corrigendi. XX. 42. XXI. 31.
Cæſalpini quoddam pronunciatum non eſt ſemper verum. X. 15.
objectio quædam minus valida. XIX. 29.
Calculi. Vid. Bilarii. Cyſtici. Hepaticis. Inteſtinorum. Proſtatæ. Pulmon. Renum. Scroti. Ventriculi. Veſicæ.
Calculi urinarii non raro ſunt ſimul cum calculis cyſtis felleæ. LVII. 12.
in brutis obſervati. XLII. 17.
num iis careant abſtemii. Ibid.
cur iis aliæ regiones minus ſint, aliæ vero magis obnoxiæ. Ibid.
cur credibile non videatur, uno omnes remedio æque poſſe diſſolvi. XL. 16.
Camerarius, Alexand. pridem P. Prof. Tubing. laudatus. XXXVIII. 44. LVI. 29.
Elias, olim Prof. P. ibidem, laudatus. L. 25.
Rud. Jac. P. olim ibidem Prof. laudatus. XXXVIII. 19. XLI. 1. XLII. 33. XLVIII. 39. LXIV. 9. LXV. 9.
Canani ad Vitam, & defenſionem attinentia quædam. XXIV. 24.
Cancrorum curatio per adurentem herbam infeliciter tentata. L. 47.
Canem rabioſum habere vermem ſub lingua, unde credi cœperit. VIII. 34.
particulam Vermiformem quam ibi habent canes ſecundum naturam, qui adnotaverint, & pinxerint. Ibid.
eadem particula accurate deſcribitur. Ibid.
Canes num rabioſi fiant ab obſtructibus ductibus folliculorum quos ad anum habent. LXI. 15.
Cantharidum vis eroſiva etiam per ſola ſanguifera vaſa ad veſicam pervenit. XLI. 2.
Capillis albis nati cur cæcutiant. XIII. 29.
Capite ablato quis olim inſecta vivere, adnotaverit. LII. 26.
Capiti quomodo ineſſe mortis cauſa princeps videri poſſit, nec tamen inſit. XXVI. 33.
Capitis dolor ſolus mortem non affert. I. 1.
periodicus curatu difficilis, & cur. I. 11.
profundus quam varias ſedes habere poſſit. I. 7.
verticis quomodo profundam habere poſſit cauſam. Ibid.
Capitis doloris cauſæ multiplices. I. paſſim.
Ab eo diſceſſus futurarum in ſene. III. 8.
Capitis vulnera. In his illæſo cranio quomodo meninges, & cerebrum lædi poſſint. LI. 4.
Ex iis in quot, & quam varia viſcera fiat puris translatio. XXV. 20. LI. 21. & ſeqq.
Quinam hanc obſervarint. Ibid.
Quomodo fortaſſe contingat. LI. 23.
Quomodo plus puris traductum videatur, quam parvum interdum dare potuerit vulnus. Ibid.

Ab-

Abſceſſus, inde in jecore geniti, quamplura eſſe indicia poſſunt, & aliquando tamen fallacia. LI. 23.
Capitis vulnera ſi prope orbitam ſint, quæ deceptio ſit in eorum exploratione cavenda. LII. 6. 7.
Capitis vulnere laborantes num ſæpius convulſione, an paralyſi in latere oppoſito corripiantur, & cur. LI. 46. & ſeqq.
In iis alvi fluxus, aut vomitus quando inter mala ſigna non ſit ponendus. LII. 21.
Quæ a cohibito ſpiritu in eorum curatione eſſe poſſint utilitates, & quæ pericula. LII. 13.
Cur iis cranium tenebrari in quibuſdam civitatibus deſierit. LII. 12. & ſeqq.
Ubi de hoc dubitatur, quæ ſecundum Veteres, Recentioreſque, & qua cautione adhibenda ſint. LII. 20.
Inter ea felix Ruyſchiani fomenti uſus comprobatur. Ibid. & 21.
Cæteri quo die, & poſt quæ ſigna mortui ſint, LII. 12.
Lethalis noxæ in quibuſdam diutiſſime latentis Obſervationes. LII. 17. 24.
Quomodo in mortuis ſæpe vix pauxillum lædentis materiæ intra cranium inveniatur. LII. 9.
Caper, Maur. Ant. ex Cæſar. Acad. N. C. laudatus. XVIII. 19. XXII. 13.
Carburius, Jo. Bapt. Primar. Taurini Prof. Regius laudatus. L. 47.
Ejus Obſervatio. L. 48. 49.
Cardani in loco quodam Danits hallucinatio. XXVIII. 7.
Caries. Vid. Exoſtoſis. Oſſa.
Carl, J. S. Archiater Witgenſtein. laudatus. XXXVII. 43. LV. 7.
Carotidis arteriæ ſiniſtræ multo citior, quam ſoleat, diviſio in duas. XXIX. 20.
poſterior ad baſim cerebri ramus cum Vertebralium ramis non communicans. III. 20.
aliæ ejuſdem rami varietates. Ibid.
Carotidibus in vivo cane diſſectis, ſanguis ab utraque ſectione effluit, & cur; ſed a ſuperiore minus. XIX. 33. 34.
Quorum illud videtur fuiſſe, Galeno notum. Ibid.
Ab inferiore ſectione ſe contrahente mox accidit, ut ferme nihil efflueret. Ibid.
Carotidum in vivis animalibus ligatarum experimentum num, ut multis putant, memoraverit Ariſtoteles. XIX. 21.
Diu tamen notum fuit ante Galenum. XIX. 23.
Error Veterum in eo experimento, Ruffi ſæculo detectus. Ibid.
Idem ſine illo errore a Galeno ſæpe repetitum, & quid obſervatnm. XIX. 24.
Idem a diverſis poſtea iteratum, ſed alio aliis ſucceſſu. Ibid.
Repetitum pluries, & diutius a Valſalva, & quid, etiam poſt animalium mortem, obſervatum. XIX. 20. 25. & ſeqq. 32.
Ratio quarundam in eo varietatum. XIX. 28. 29. 32.
Quomodo animal pergat vivere. XIX. 28. 29.
Carotidum aneuryſmatis frequentior cauſa Priſcis videtur ignota. XXVI. 22.
Illius per conſtringentia curatio, qua utebantur, ſæpius non probanda. Ibid.
Carpi parvus tumor, per ſe repente tum evaneſcens, tum rediens. L. 19.
Cartilagines in valde provecta ætate adhuc molles. XXIII. 6.
Caruncula Seminalis. Vid. Seminalis.
Caſalius, Gregorius Comes Bononienſis, laudatus. LX. 14.
Caſtaneæ. Ex earum farina panis, cum cæpa comeſtus, quomodo intra horas tres occidere potuerit. XXIX. 9.
a Caſtro, Petri, hallucinatio. LVIII. 6.
Catapleſis a quonam Veterum fuſius tractata ſit. II. 2.
Cataracta, Vid. Suffuſio.
Catarrhi quomodo nunc explicandi. XIII. 1.
præſertim Suffocativi. XIII. 2.
quod & exemplo confirmatur. XIII. 3. 4.
Catulli verbum explicatur. XLVI. 1.
Cattus, Franc. Antonius, Anatomicus ſæculi XVI. immerito eſt iis qui de Scriptoribus Anatomicis, & Medicis egerunt, incognitus. III. 21.
Cava vena in his ventre a ſiniſtris Aortæ aſcendens, & deinde per anteriorem hujus faciem tranſiens ad dexteras. LVI. 31.
Cavæ parallelus venoſus trunculus in ventre. XLVII. 30.
Cavæ varices quando, & quomodo inquirendæ. XXVI. 27.
Cur varices, & ruptiones facilius in hac vena quam in Pulmonari fiant. XXVI. 27.
Ruptio ab Aretæo memorata. XXVI. 28.
a quibus revera obſervata. Ibid.
Cauſticorum uſus ubi, & quando periculoſus. LV. 21.
Celſus num contrafiſſuram proprie dictam poſuerit, LI. 41.
Quam herniam ramicis nomine deſignaverit. XLIII. 36.
Cancrum oſſis num memoraverit. LV. 17.
Pterygium ſemper, nulla variante lectione, latine Unguem in oculo dixit. XIII. 25.
Ejus loci interpretandi, & emendandi conatus. II. 2.
De altero quid Anatome poſteros docuerit. LII. 1.
Cephalica vena in cujuſdam brachio nulla. LIV. 44.
Cerebri Meningum glandulæ Pacchioni dictæ, olim non ignotæ. VIII. 3.
Meningum irritationem an convulſiones ſequantur, contrariæ utrinque obſervationes, & experimenta conciliantur. IX. 21.
In Dura Meninge inventa ſunt vera oſſa. XXV. 8. 9.
num ſigna habeant peculiaria. Ibid.
num remediis tolli poſſint, aut prohiberi. Ibid.
In ejus Falce os magnum deprehenſum. III. 20.
alia quoque. XXV. 6. 8.
Quis primus, & qui deinceps alia obſervarint. III. 21.
Quatenus, & quando ſint noxia. III. 21. & ſeqq. XXV. 8.
Num inde quidam ex Falcis, & Duræ Meningis uſibus poſſint in dubium vocari. Ibid.
Duram Meningem, cum opus eſſet, incidere quinam olim ex Italis præceperint. LII. 12.
Meninx Pia cur ab eo tantum latere, a quo & pulmo, inflammata reperta ſit. VII. 12.
Sub hac, aqua fluida cur gelatinæ inſtar ſæpe appareat. VI. 12. 13. VII. 11.
Quis olim hanc ſpeciem ſuſpectam fecerit. VI. 13.
Cerebri figura non naturalis. X. 9.
ſuperficiei anteriori peculiaris quædam conformatio. LII. 5.
Cerebrum, ad naturalem, itemque ad contrariam conſtitutionem ejus probe cognoſcendam. in ſua ſede, necdum amputato capite, ſecandnm eſt. IV. 19.
Cerebri durities in ſtultis animadverſa. VIII. 2. & ſeqq. 14. 17. LXI. 8.
præſertim vero ejus medullaris ſubſtantiæ. XIII. 18.
ſed tamen aliquando etiam in non ſtultis. Ibid. & LXI. 8.
quomodo illa explicari a quibuſdam poſſet. Ibid.
Cerebrum tum ſtultorum, tum cachecticorum ad inquirendas nervorum origines, aliaque aptiſſimum eſt. VIII. 6. 17. XXXVI. 13.

Cerebri diſſecti puncta ſanguinea, ſi mox ſe in guttas dilatent, quid ſignificent. X. 17. 18.
Ad ſanguinis in cerebrum impetum moderandum quæ natura paraverit. III. 23. VI. 16.
Cerebrum. Intra ipſum ſpecies quaſi lymphæductuum conſpecta. VIII. 6.
Cerebrum quod videbatur lapideum factum, quis eſſe oſſeum primus indicaverit. V. 12.
Cerebri in adultis non inventi, quomodo fallaces, incredibileſque ſint obſervationes. XII. 14
Quæ pro his dici poſſent, diluuntur. Ibid.
Cerebri in fœtibus non inventi novæ Obſervationes. XII. 6. XLVIII. 48. 50. 52.
& non inventæ, etiam ante hoc ſæculum, Spinalis medullæ. XII. 8. 10.
novæ hujuſmodi adduntur Obſervationes. XLVIII. 48. 50.
Cerebrum cum in fœtibus deeſt, ſæpius non a primordiis defuiſſe, ſed hydrocephalo ſenſim abſumptum eſſe confirmatur. XII. 5. & ſeqq.
Confirmatur idem etiam de Spinali medulla. XII. 8. XLVIII. 49. 50.
Quatenus ipſa, abſente cerebro, ſpiritus præbere fœtibus diu poſſit. XI. 14.
Cerebrum cum in fœtibus defuit, hi plerumque fœminei ſexus fuerunt, & ſæpe æquo minores. XII. 6. XLVIII. 49.
Cerebro quomodo nimium frigus externum, calorve nocere poſſit. LI. 4.
Cerebri concuſſio, graveſque hujus effectus quomodo, & in quibus facilius contingant. LI. 4. 10.
vulnera num certe lethalia ſint, quæ in medullarem ſubſtantiam perveniunt. LII. 27.
exempla in ventriculos pervenientium, aliorumque ingentium ſanatorum indicantur. Ibid.
quædam cerebri credita vulnera, ad Pituitarios Sinus, & naſi caveas attinuiſſe, conjicitur. LII. 41.
Cerebrum. In eo vitia peculiaris generis obſervata. V. 6. 7. IX. 16. 18. 19. LVII. 14. 15.
Cerebri intima quæ videntur ulcera quid ſint, & quomodo fiant. III. 3. 7. & ſeqq. XI. 8.
cur ſæpe hæc juxta, aut intra corpus Striatum, & Thalamum nervi Optici ſive a dextris. III. 18. V. 7. XI. 12.
ſive a ſiniſtris. LXII. 7. & ſeqq.
Cerebri magnas ab interna cauſa læſiones natura interdum ad cicatricem perduxit. II. 16. III. 6. 7.
pure inde, ut videri poteſt, per urinam ejecto, qua de re hiſtoria notabilis. V. 13.
aut imminuit, ac diu tulit. XI. 8. & ſeqq.
caute tamen cerebri apoſtemata arguenda ſunt ex pure per nares profluente. VI. 5. XIV. 22.
Cerebri corporis Calloſi tractus, & ſulci a natura ipſa ſint, an ex accidenti, & hoc quomodo. LXI. 6.
De eo corpore quædam alia. Ibid.
Cerebri ventriculi Laterales æquo breviores. X. 17.
In ipſis aquam eſſe ſecundum naturam, num. & quatenus Littrii probet in catulis Obſervatio. XII. 3.
Nuper effuſam, aut contra, fuiſſe, indicia. IV. 16. IX. 10. LXIX. 10.
Etiam limpida, & pauca non modo effectus, ſed & cauſa interdum eſſe poteſt morborum cerebri. I. 3. 7. IV. 1. 3. 5. 14. 17. 18. 19. 28. 29. 32. 33. 34. IX. 11.
aut eos augere; ut non inutile ſit eam quoque ineſſe, ſcire. IV. 1. 34.
Quomodo in ventriculis multa congeratur. IV. 36. 37. XII. 3.
Glandula Pituitaria num omnem a ventriculis redeuntem aquam excipiat. IV. 36.
quando ſui, & quando aquæ ipſius vitio non tranſmittat. XII. 3.
obnoxia ſæpe eſt congeſtionibus muci gelatinoſi. IV. 36.
Ventriculorum Septum Lucidum quomodo poſt mortem caſu aliquo poſſit diſrumpi. III. 9.
Plexuum Choroidum hydatides quatenus eſſe cauſa poſſint apoplexiæ. III. 12.
Pinealis glandula inſigni magnitudine in puero ingenioſiore. I. 2.
ſecundum naturam anteriore, & poſteriore facie depreſſior eſt. X. 17.
naturæ eſt adhuc dubiæ. LXI. 4.
ſæpe non ſine vitio eſt in ſtultis. VIII. 14. 16. LXI. 3. 4.
interdum etiam in recta ratione utentibus. XXI. 24. 25. LXI. 4. & alibi.
qualia ſint duriuſcula corpuſcula quæ non raro in ea, aut apud eam reperiuntur. V. 12. VI. 12. X. 17. 18. LXI. 4.
num ſint certa quædam eorum ſigna, & effecta. V. 12.
quis plura eorum exempla collegerit. Ibid.
quis primus videri poſſit olim indicaſſe. Ibid.
Striata corpora ſine ſtriis obſervata, nulla cum uſuum cerebri, aut nervorum læſione. L. 55.
Hippocampi obſervati in fine non dilatati. LVI. 21.
Cerebri ventriculus Quartus vix una cum fibra conſpectus quæ ad Acuſticos nervos ſpectaret. LVI. 21.
Cerebellum cur cerebro mollius. IV. 17.
plures proportione ſpiritus videtur ſeparare, quam cerebrum. II. 24.
& per ſemitas facile patentiores ad Intercoſtales nervos mittere. Ibid.
nimium illi tributum fuerat; ſed neque nimium eſt detrahendum. LXII. 18.
num defuerit in quadam Benivenii Obſervatione. LII. 26.
de ejus in membranam mutati Obſervatione dubitatio quædam. Ibid.
Cerebelli vitia non repentina ſtatim occidere non ſolent. Ibid.
duplicis eorum generis exempla. Ibid.
Cerebelli, an cerebri non levia vulnera citius, certiuſque hominem perimant. Ibid. & 27.
Cerebelli talium vulnerum non ſtatim lethalium quam pauciſſima occurrunt exempla, & quænam. Ibid.
quænam, ſed non gravium, ejus vulnerum ſanatorum exempla. Ibid.
Cerebelli, & cerebri diſciſſi in vivis avibus, & felibus experimenta. LII. 26.
a quibuſnam in canibus quoque inſtituta ſint. LII. 27.
Cerebellum ſine arbuſcula medullari inventum. LXII. 15.
Cerebelli plus quam ex dimidio ſcirrhoſi Obſervatio. Ibid.
quomodo ſic cerebri læſiones induxerit. LXII. 16.
nec tamen reſpirationis, & pulſuum. Ibid.
Cerebellum. In eo vitium eſſe, an ex nudi cadaveris inſpectione cognoſci poſſit, & quomodo. II. 25.
Vitium in altero illius lobo, oppoſiti, an ſubjecti lateris corporis hemiplexiam afferat. LII. 27. LXII. 14. 17.
Chariſius, Chriſt. Ludov. P. Prof. Regiomont. laudatus. XIX. 43.
la Chauſſe, B. Ignat. laudatus. XLIII. 14.
Cheſeldenus, Gul. ex R. Londin. Societ. laudatus. VI. 7. XIII. 6. 7. 10 11. XIV 12. XXI. 20. XLII. 28.
China Chin. uti in pernicioſis febribus, exacerbationes habentibus, quis apud nos primus inſtituerit. XXX. 5.
Ejus utilitas, etiamſi febres illæ ſint a materia introrſum repulſa. LXVIII. 2.
Chirurgi per Anatomen a calumnia vindicati. XIV. 4.
Chirurgicas ad obſervationes, & operationes quomodo obſcuri Partium receſſus illuminandi ſint. XIV. 13.

Cho-

Chomelius ex Reg. Sc. Acad. Pariſ. laudatus. XXIII. 14. XXXVII. 24. XXXVIII. 48. 50.
Chylifera vaſa in homine obſervata. V. 17. XVII. 14. XIX. 7. 8. 19. XXV. 2. LIII. 37.
cum ciſternulis, chylo plenis, per inteſtinum. XVII. 14.
qui has poſtea obſervarint, & qua occaſione patefiant. XVII. 15.
Chyliferi vaſculi per ventriculum falſa ſpecies. LII. 30.
Cicogninus, Jacob. Prof. olim Primar. Patav. laudatus. LIII. 34.
Ejus Obſervatio. LIII. 35.
Cicognini, Jo. Franc. Chirurgi olim Forolivienſ. Obſervatio. LIX. 18.
Cilia. De horum vitiis Trichiaſi, & Diſtichiaſi quædam. XIII. 29.
Ciſiarii maxime ſunt aneuryſmatibus obnoxii, & cur. XVII. 18.
Claudicatio quaſi quædam ex vitio muſculorum, Ilium alterum os intus operientium. XXXIV. 16.
Claudicatio an ſæpius in fœminis, quam in maribus, & cur. LVI. 19.
Claudicationis cauſa ex tumoribus intra acetabulum a quibus indicata. LVI. 23.
eorum tumorum ſedes veriſimilis in acetabuli glandula mucilaginoſa. Ibid.
Claudicationis a partu cauſæ aliquæ. XLVIII. 33.
Claudicationis multiplices cauſæ. LVI. Epiſtola fere tota.
Claudicanti artui reſpondentium Iliacorum, aut Cruralium vaſorum quæ vitia ſint ſæpe animadverſa. XLVI. 17. LVI. 10. 12. 18.
Clavus quam varia ſignificet vitia. L. 61.
De Clavo Silii Italici inſanabili quædam. Ibid.
Cleopatra quo mortis genere perierit. Vid. Aſpis.
Clerici, Danielis, hallucinatio. XIX. 23.
Clyſterum nutrientium felix uſus quo in caſu diuturnior fuerit. XXVIII. 14.
non per ſiphonem, ſed per compreſſam veſicam injectio vel olim nota. L. 54.
Cœliacæ arteriæ, & Meſentericæ Superioris initium nonnunquam commune. XXIX. 20.
Cœliacæ arteriæ duplicis, imo & triplicis Obſervationes. LIII. 37. LXX. 9.
Cœliaca arteria cur magis ſit aneuryſmatibus obnoxia. XXXIX. 19.
Cœliacum profluvium non eſt cum Cœliaco apud Celſum morbo confundendum. XXXI. 4.
quale ſit, & quomodo fiat. Ibid. & 13.
Cohauſen, Valent. Ern. Eugen. ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XXIII. 9. XXXIV. 19. XXXVIII. 19.
Coiteri quædam in phthiſicorum anatome obſervatio non perpetua eſt. XXII. 17.
Colli profunde vulnerati magnam hæmorrhagiam ſiſtere quantum, & cur difficile ſit. LIII. 22.
Columbi, Realdi, Obſervatio explicata. XIX. 20.
Altera aquæ glutinoſæ in cerebro apoplecticorum quomodo accipienda. V. 1.
Combuſtionis univerſæ cutis Obſervatio. LV. 13.
Commendoni, Jo. Franc. S. R. E. Cardinalis, morbus, & ſectio. IX. 3.
Contrafiſſura. Vid. Cranium.
Conus, Chriſtoph. Erneſtus, laudatus. LXV. 18.
Convulſio a cerebro ſæpe eſt vel cum aliunde eſſe videtur. XV. 9.
ſed non ſemper. XV. 10.
quomodo ſimul cum paralyſi in eod. membro eſſe poſſit. Vid. Paralyſis.
Convulſionum rarum, & difficilis explicationis exemplum. X. 16.
In recurrentibus convulſionibus fidendum non eſt bonis aliis quibuſdam ſignis. X. 13.
Convulſivi motus, in altero præſertim corporis latere, cauſa quæritur. II. 18. XI. 7.
Fiantne ex meningum irritatione. Vid. Cerebri meninges.
Cur in quibuſdam paulo ante mortem ceſſent. LI. 48.
Eorum, & convulſionum tonicarum eadem eſt cauſa, tametſi videtur diverſa. X. 15.
Utrorumque in moribundis, aut maxime debilibus a nimia ſive hæmorragia, ſive purgatione, alia videtur eſſe cauſa, & natura. X. 20. 21.
Convulſivi affectus. Pro his Medici haud raro accipiunt morbos organicos. XV. 10. 14.
Quando, & quatenus illos cum his conjungere liceat. XXVI. 32.
Convulſivorum affectuum diuturnorum curatio. X. 21.
Convulſivum Aſthma. Vid. Aſthma.
Convulſorum cerebro aqua, ſæpius ſaltem, ineſt. X. 6.
Convulſa interdum vel poſt mortem remanent membra. X. 15.
Convulſi a venenatis halitibus horribile exemplum, & curatio. X. 21.
Cor duplex obſervatum. XLVIII. 57.
inſolita forma. LX. 8.
revera piloſum num unquam fuerit, & eſſe poſſit. XXIV. 3. 4.
quomodo piloſum appareat, indicavit Riolanus. XXIV. 3.
parvitate puerili in virili, & robuſto corpore. LXX. 5.
cunctis ſuis partibus magnum. LXX. 10.
inſenſile eſſe, num quædam Harveii probet Obſervatio. XXV. 18.
ipſum, & auriculæ in recens natis felibus, vel capite amputato, moveri perrexerunt. LII. 26.
cor eximi teſtudinibus, & has tamen adhuc moveri, ſciebat Ariſtoteles. XII. 14.
Cordis lymphæductus obſervati. XLIII. 5.
arteriæ coronariæ tres, imo quatuor obſervatæ. XVIII 34. XLVIII. 34.
altera oſſea facta. XXIV. 16.
a quibus id antea obſervatum. XXIV. 17.
venæ coronariæ valvula ex parallelis ſejunctis filamentis. LXIV. 2.
Foramen Ovale ſine ulla prorſus valvula. XLVIII. 62.
in adultis apertum, & in quadam cur. XVII. 12. 13.
nec tamen ſic ipſum, & canalis arterioſus multum conferunt ad vitandam ſuffocationem. XIX. 43.
Cordis ad pericardium alligationes quæ, & quatenus pulſum variare poſſint. XXIV. 3. 4. 12.
prolapſus verus. XVII. 25. 28.
quomodo Medicum poſſit decipere. XVII. 28.
ſuperficiei adhærentes concretiones, & quaſi membranæ unde ſint. XX. 37.
Cordis os a Veteribus dictum, quid, & in quibus ſit. XXVII. 19.
ſquamæ oſſeæ exterius obſervatæ. XXVII. 16.
oſſiculum, & majus os in ipſa ſubſtantia. III. 22. XXVII. 2.
num vera oſſa non ſint. XXVII. 17. & ſeq.
quomodo fieri poſſint ex ipſa carnea ſubſtantia. Ibid. & XLV. 26.
num oſſa hæc ſoleant mortem repentinam afferre. XXVII. 15. & ſeqq.
carneæ ſubſtantiæ in tendineam degenerantis obſervatio. XLV. 23.
quod damnum hæc afferat degeneratio. XLV. 26.
Cordis palpitationem a vitio cerebri, aut nervorum qui olim deduxerint. XXIII. 3.
de eadem ab eadem cauſa quædam. Ibid.
Aorta oſſea facta non ſemper facit. XXIII. 9.
nec ſemper valvulæ ejuſdem, aliæve cordis oſſeæ, vel duræ. XXIII. 10. & ſeqq.
quando illam faciunt, quomodo facere videantur. XXIII. 9. 12.
num ſemper faciat pericardium cordi adnatum. XXIII. 17. & ſeqq.
& cur fortaſſe in aliis faciat, in aliis non faciat. XXIII. 23.

quomo-

quomodo illam faciant auriculæ cordis amplificatæ. XXIII. 9.
flatus quatenus poſſint facere. XXIII. 16.
Cordis convulſio olim nota, a Recentioribus confirmata, XXV. 13. XXVI. 12. 32.
paralyſis. XXV. 13.
Hanc, unde mors ſubita, qui olim indicaverint. XXVI. 38.
Quomodo inde hæc ſequi poſſit. Ibid.
Cordis ab aere diſtentio quando fiat. XXV. 13.
aucta magnitudo quando parvos, & debiles pulſus faciat. XXIV. 15.
Dilatationes qui primi viderint. XVII. 2.
qui primi has aneuryſmata cordis nominaverint. XVII. 5.
ab his ſpirandi difficultas affertur, & cur. XXVII. 13.
& mors repentina. Ibid. & XVIII. 3.
ſed hæc non ſemper. XXVII. 15.
Unde hæ dilatationes, & quomodo fiant. XVIII. 4. XXI. 34.
Cordis ventriculorum uter a quanam cauſa dilatetur. XVIII. 5. XXVII. 14.
uter ſæpius. XVIII. 5.
num rarius ſiniſter, quam ejus auricula. Ibid.
cur ſæpius hic, quam alter debilior, ſeu dexter. Ibid.
Dexteri, ejuſque auriculæ dilatationis an, & quatenus ſignum ſit Jugularium venarum Exteriorum pulſatio. Vid. Jugular.
alia ſigna. XVIII. 11.
quid de ſigno a pulſibus petito attendendum ſit. Ibid.
Cordis ventriculorum dilatationi quomodo interdum adjuncta ſit aucta parietum craſſitudo : XVIII. 35. Vid. & XVII. 13.
Eorum diſruptionem qui primi obſervaverint. XXVII. 1.
Hujus novem, aut decem exempla proferuntur. Ibid. & ſeqq.
Lanciſius quoque vidit plura. XXVII. 6. & alii. LXIV. 14. & ſeqq.
Quibus a cauſis fiat. XXVII. 1. 6. 10. LXIV. 16.
Cur ſæpius contingat in ſiniſtro ventriculo, quam in dextero. XXVII. 10.
Cur ab ictu facilius in dextero. LIII. 34.
Cordis ventriculi quaſi inter ſe permutati. XVII. 12.
Polypoſæ in iis, aut in auriculis concretiones. Vid. Polypi in viis ſanguinis.
ſæpius, aut majores a dextris fere quam a ſiniſtris. VII. 4. & paſſim alibi.
Vermes in ventriculis, aut in pericardio. Quid de ipſis ſentiendum. XXIII. 15. XXIV. 23.
Cordis valvulæ cum orificio, & interſtitio inter earum membranas. XXIII. 6. 7.
unde explicatio ſacculi, a Morando in altera Mitrali obſervati. XXIII. 12.
non modo oſſeæ aliquando, ſed & lapideæ revera fiunt. XXIII. 9.
induratæ, aut oſſeæ factæ, non ſemper pulſuum inæqualitatem, aut intermiſſionem inducunt. XXIII. 12.
Mitralis valvulæ excreſcentia obſervata. XI. 11. XXIII. 13.
Mitrales, & Tricuſpides unde fiant tuberoſæ, & quo id tendat. Ibid.
Cor gravia ferre poſſe mala, qui magis ex Priſcis, & cur negaverint. XXV. 19.
cur his magis obnoxii ſint homines, quam beſtiæ. Ibid.
Tumor cyſticus, cordi innatus, ſine ullis ſignis. XXI. 4.
Tubercula cordis, & ulcera num ſemper conjuncta habeant deliquia, & pulſus intermiſſiones. XXV. 19. & ſeqq. & 25.
Ulcera quando eſſe in corde poſſint ſine dolore. XXV. 18.
qui primi hæc obſervaverint. XXV. 19.
Eroſiones cordis, & vaſorum Magnorum habent ſigna in aliis alia. XXVII. 9.
Eroſa quomodo apparere poſſit cordis ſuperficies, nec tamen ſit. XXI. 2. XXV. 24.
Cicatricem quandam unde habuerit, aliaſque habere poſſit. XXXVIII. 43.
Cordis totius abſumpti incredibiles Obſervationes, ſi quid veri habent, quomodo explicandæ. XXV. 21.
plus quam media parte abſumpti, quomodo intelligendæ. XXV. 19. 22.
Cordis vulnera cur multo rariora ſiniſtri ventriculi ſint, quam dexteri. LIII. 27.
etſi intra ventriculos perveniant; tamen diutius interdum vivitur, quam Veteres putabant, & cur. Ibid. Vid. & 3. 4.
longe tamen minus, ſi intra ſiniſtrum. LIII. 27.
Cornelii, Georgii, S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopi Patavini morbi, mors, & diſſectio. LVII. 10.
Cornu in ſenis ſincipite ex verruca natum. LXV. 2.
Corporis in anteriora inclinati commodior quibuſdam orthopnoicis ſitus quos morbos ſignificet, & cur. XVIII. 17. & ſeqq.
Corteſii error. III. 22. LI. 41.
Coſchwitzius, Georg. Dan. olim P. Prof. Halenſ. laudatus. XL. 13.
Coſtæ in quadam muliere viginti ſex, in alia viginti tres inventæ. V. 6. LVI. 17.
Coſtæ. De earum numero alia. V. 10.
Coſtarum quaſi concidentium ſenſus unde. XXVI. 25. XLV. 25.
non leves depreſſiones quomodo latere interdum poſſint. XLV. 23. 24.
Cranii varietates quædam, quamvis a natura, quam ſint periculoſæ. LXIII. 8.
capacitas reſpectu cerebri non eadem omnibus; aut omni tempore. IV. 32. LI. 10. 30. 31.
a quibuſnam id obſervatum, & unde deductum, aut deduci poſſit. Ibid.
figura, ideoque & cerebri, vitioſa. I. 14. & alibi.
unde ea fiat. LXII. 16.
Cranii ſuturarum diſceſſus in ſeptuagenario. III. 8.
quibus repente accidit, quæ mala afferat. LI. 29.
ſuturarum vulgari uſui adverſatur cranii percuſſi fiſſura prælonga. LII. 35. 36.
contrafiſſuræ proprie dictæ exempla, cauto adhibito examine, quam pauca ſint. LI. 40. & ſeq.
pars non modica per cariem abſumpta, ſine cerebri noxa. LVIII. 11. 12.
quid in alio pro cranii ablata parte natura ſubſtituerit. LI. 39. 40.
Cranium adhuc integrum ubinam a pure pervadi poſſit. LI. 4.
Cum ejus cavo communicantes Aqueos tumores quis olim deſcripſerit. XII. 10.
Num intra ipſum vermes. Vid. Vermes.
Sanguis intra ipſum effuſus, cur citius tardiuſve, & graviora, aut leviora det ſui ſigna? LI. 4.
Cranio percuſſo, ipſoque, & quæ intra ejus cavum ſunt, illæſis, quomodo progreſſu temporis mors ex ea percuſſione aliquando contingat. LII. 37.
In cranii percuſſi examine poſt mortem, quid cavendum. LII. 7.
Cranii terebratio cur in quibuſdam civitatibus deſerta fuerit. LII. 12. & ſeqq.
quæ in ea peragenda eſſe poſſint pericula, & difficultates. Ibid.
ejus tardiſſime, ſed feliciter, peractæ quædam exempla. LII. 16.
Crauſius, Rud. Wilh. P. Prof. Jenenſis, laudatus. XLIII. 40.
Crellius, Jo. Frid. Prof. olim Helmſtadienſis laudatus. XXIV. 17. XXV. 9. XXVII. 20. & ſeqq.
Crure fracto, quædam animadvertenda. LVI. 32.
Curtius, Carolus, Medicus Neapolit. laudatus. IX. 19. LVII. 15.
Cutis Affectiones. Vid. Scabies.

Cutis, & muſculi, ſub illæſis percuſſis veſtibus, vulnerata. LIV. 17.
Cutis in macie confectis cur durior ſit. XLIX. 17.
Cyſtici calculi a quibus etiam olim inventi. XXXVII. 15. 22.
cur ſint multo frequentiores, quam hepatici. Ibid. 14.
cauſæ eorum productionis a quibus vel olim indicatæ. Ibid.
earum quædam non probandæ. Ibid. 22.
quædam non improbandæ. Ibid. 19.
quibus ætatibus, & cui ſexui crebrius inſint, & cur. Ibid. 15. 22.
num pro varia ætate colore ſint vario. Ibid. 16. & ſeq.
num ordinario ſint atri, aut fuſci. Ibid. 17.
quibus coloribus ſint plerumque. Ibid. 18.
non ſemper concolores ſunt ei bili in qua reperiuntur, & cur. Ibid. 16.
pallidus cavus plures continebat nigros. XLIX.2.
Cyſtici calculi a quibus inventi ſint maximi, aut minimi, aut plurimi. XXXVII. 19.
quibus figuris ſint, & cur quibuſdam, & qua plerumque. Ibid. & 20.
num quo plures ſimul, eo pluribus ſint angulis. Ibid.
a quibuſnam olim ex tot ſtratis circularibus toti compingi ſint dicti. Ibid. 22.
quęnam ſint tamen in ea doctrina excipienda. Ibid.
quinam in quibuſdam lineas obſervarint radiatim ab ambitu introrſum tendentes. Ibid. & ſeqq.
quinam pellucidos, & ſplendidos invenerint. Ibid. 18. 23.
concreſcunt aliquando in glandulis ipſius cyſtis. Ibid. 21.
ſicque obſervationes quædam eorum membranis obvolutorum poſſunt explicari. Ibid.
Cyſticos calculos quinam olim in aqua natare tradiderint. Ibid. 25.
quinam non omnes natare, animadverterint. Ibid.
hæ exceptiones difficile ad certa capita poſſunt reduci. Ibid.
de cauſis harum varietatum quædam attinguntur. Ibid.
quis olim inflammabiles eſſe, ſcripſerit. Ibid. 26.
quinam haud omnes inflammari, admonuerint. Ibid.
eſſe morbum hæreditarium, num bene ex quadam obſervatione probatum ſit. Ibid. 19.
Cyſtici calculi. Cur horum aliqui pro inteſtinalibus accepti videri poſſint. Ibid. 24.
num, & quomodo ab inteſtinalibus diſtingui poſſint. Ibid. & ſeq. & 43.
cum urinariis quidem in rebus quibuſdam, ſed non in aliis, conveniunt. Ibid.
quæ detrimenta cyſti poſſint afferre. Ibid. 20 21.
num, & quando inducere apoplexiam poſſint. IV. 5.
ipſis cyſtim implentibus, quomodo diarrhœa interdum fiat. XXXVII. 36.
Cyſtici calculi. Num icterus vel contumax, & recidivus, certum ſit eorum ſignum. Ibid. n. 13. 27. & ſeqq. uſque ad 36.
cur aliquando cum iis conjungatur. Ibid. 32. 35.
num perpetuum ſit eorum ſignum vomitus, dolor colicus, alvus adſtricta, vel fuſa. Ibid. 36.
num ſenſus ponderis, punctionum, diſtentionis. Ibid. 37.
num ullum aliud hactenus animadverſum. Ibid. 38. 43.
num ullum perpetuum, ſaltem cum obſtruunt ductum Cyſticum. Ibid. 39.
num ſaltem Wepferi ſignum, id eſt dolor ad cartilaginem enſiformem. Ibid.
num idem ſignum tunc ſaltem cum pervenerint in ductum Communem, proprium erit, & perpetuum. Ibid. 40. & ſeqq.
ſigna habent ad ſuſpicandum, non ad aſſeverandum idonea. Ibid. 43. 44.
ſigna ejuſmodi quædam adduntur. Ibid. 43.
Ex omnibus ſignis quodnam præcipuum ſit, & a quibus primum indicatum. Ibid. 44.
qua cum cautione eo utendum. Ibid. 45. & ſeqq.
Cyſticorum calculorum curatio. Vid. Bilarii calculi.
De iiſdem Ciſticis plura. LXV. 12. & ſeqq.
Cyſtis. Vid. Jecoris.

D

DAlechampii hallucinatio. LIII. 6.
non neceſſaria quædam in Plinio dubitatio. LV. 12.
Decubitus in alterum latus difficilis non ſemper ob eandem cauſæ ſedem. XVI. 11. 13. XX. 19. 27. 42. 43. XXI. 25. XXXVIII 5. 14. 17.
in dorſum facilioris, aut difficilioris in quibuſdam thoracis inflammationibus, & caſibus aliis cauſæ inquiruntur. XX. 23. 25. 31. XXI. 25.
Deglutitio potionum quomodo fiat, & quibus cauſis turbetur. XXVIII. 13.
ultimi boli quomodo nonnunquam impediatur. XXVIII. 14.
Deglutitionem impedientes cauſæ aliæ. Ibid. & ſeqq.
Deglutitionis in imo œſophago difficultas unde. XXIII. 5. XXVIII. 15. & ſeqq.
Deglutitione impedita, quid de pharyngotomia, a Stoffelio indicata, cenſendum ſit. Ibid.
quodnam aliud auxilium tentandum. XXVIII. 14.
Degnerus, Jo. Hart. ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XXXVIII. 61. L. 38.
Dejecta piſa quinto ex quo comeſta fuerant, menſe qua in ventris parte ſubſiſtere potuerint. XXXI. 27.
Dejectiones nigræ. Vid. Bilis atra.
Delirantes qua cautela vinciendi. VIII. 5. LXI. 13.
Deliria ſudores univerſales ſequentia, & cur. VII. 16.
Deliriorum cauſæ alias aliæ repertæ. VII. 8.
Delirium quomodo aut præcedere, aut ſequi poſſit peripneumoniam. XXI. 7.
quomodo ipſum ſoporoſa affectio ſequatur. X. 18. LI. 48.
Delius, Henr. Frid. ex Cæſ. N. C. Acad. laudatus. XIV. 38. XXIX. 3.
Dente evulſo, cur ſanguis nonnunquam difficilius ſiſtatur. XIV. 25.
Dentium dolor. De ejus remediis quædam. XIV. 31.
caninorum editio periculoſa. IX. 4.
Sine dentibus ſenis muſculi Temporales ſtrigoſi. VII. 9.
Dentitio difficilis convulſiones, & diarrhœam movet, cujus ſuppreſſio periculoſa. XXXI 6.
Dethardingius, Georg. pridem P. Prof. Hafn. laudatus. XIII. 24. XXII. 26 XLII. 23. LIX. 10.
ejus ſententia de cauſa mortis ſubmerſorum, & methodus his ſubveniendi perpenduntur. XIX. 44.
Derhleefius, Petrus, laudatus. LVI. 29.
Diabete extinctorum paucæ diſſectiones extant. XLI. 15.
De eo quædam. Ibid. & 14.
Qui ad eum explicandum vel olim ad aerem confugerint. Ibid. 15.
Diagnoſis difficultas præſertim in ea corporis regione ubi plura ſunt viſcera. XX. 31.
Diaphragma pluribus foraminibus pro tranſmittendis venis dumtaxat, interdum pertuſum. V. 6. 9. LX. 6. LXIV. 2. LXVII. 14. LXX. 10.
foramine pro gula multo breviori, aut longiori, quam ſoleat. X. 19 XXVIII. 16.
appendicibus per tendinem tranſverſum junctis, ut Aorta non per ſemiforamen, ſed per foramen tranſiret. XVIII. 2.
centro ex parte oſſeo. LXX. 5.
Diaphragmatis inflammationi alias eſt, alias non eſt adjunctum delirium. VII. 14. LIII 6.
& ſic quoque ejus vulneri riſus ſardonius. Ibid.
vulnerum quænam interdum non ſint lethalia. LIV. 11.
vulnerati ſigna: quibus unum additur LIII. 4. 6.
conformatio, & ſitus oſtendunt, ſimul cum ipſo ventris viſcera ſæpe vulnerari, & in quibus facilius. LIII. 41.
eademque oſtendunt, cur effuſi humores difficile

exeant per vulnera thoracis anteriora, niſi adjuvet inſpiratio. LIV. 11.
Quomodo, & quibus viribus per diaphragmatis vulnera, aut per alias in eo vias nonnunquam aliqua ventris viſcera intra thoracem aſcenderint. Ibid. & ſeqq.
Diarrhœarum, earumque effectuum cauſæ. XXXI. 8.
aquoſarum præſertim unde copia, & peſſimi effectus ſint. XXXI. 8. & ſeqq.
harum unius hiſtoria. Ibid. 9. 10.
earundem, ſub dyſenteriæ nomine, Conſtitutio una eademque aliter a Sydenhamio, quam a Williſio, propoſita. Ibid. 11.
in una ejuſmodi diarrhœarum nulla omnino inteſtinorum conſpicua læſio. Ibid. 12.
Difficultates nonnullorum circa quædam in Adverſariis, aut in Epiſtolis Anatomicis citata, ſolvuntur. XXVIII. 16.
Dillenius, Phil. Eberh. ex Cæſar. Acad. N. C. laudatus. VIII. 31.
Dioniſii prædictio quædam num ſemper certa. XLVI. 8.
Diſtichiaſis. Vid. Cilia.
Diureticis non inſiſtendum videtur, cum urinæ a terebinthinatis odorem non trahunt. XXXVIII. 30.
Diureticorum abuſus, cum urinam non poſſet, movere ſanguinem cœperat. Ibid.
Dodonæi Obſervationes quo primum anno ſint editæ, perperam non uno in libro indicatur. XXXVIII. 47.
permira alioquin Obſervatio quomodo explicari poſſit. Ibid.
error quidam. XLVII. 1.
Dolores repente, & præter rationem evaneſcere, periculoſum. XXXV. 17.
Donati, Marcelli hallucinationes. XVI. 32. XLII. 17. LI. 46.
Obſervatio quædam quomodo intelligenda. XXXII. 5.
ut & locus quidam, a pluribus aliter acceptus. XXXVIII. 46.
Dorſi dolores, quos mors repentina eſt conſecuta. XL. 27. 28.
Dorſi dolorum cauſa quædam aut raro, aut nunquam memorata. XXI. 46.
Dranius, Henr. Franc. Chir. Pariſ. laudatus. XIV. 25.
Drelincurtius. De ejus Canicidiis quædam. XIX. 25. 31.
Duiſingius, Juſt. Gerh. Prof. P. Marburg., laudatus. XVIII. 24. XXII. 13.
Duodeni inteſtini cellula obſervata. XXXIV. 17.
Dureti hallucinatio. XXVI. 25.
Dyſenteria. In ea ſæpe exulcerantur inteſtina, non ſemper. XXXI. 13. & ſeqq.
ſæpe Craſſa, rarius Tenuia, & cur. Ibid. 16.
num cyſtis ſemper ſit bile diſtenta. Ibid. 15. 23.
mucoſa, & carnoſa quæ dejiciuntur, quid ſæpe ſint. Ibid. 17. 18.
& tunc a carunculis minus timendum. Ibid.
quid ſint inteſtinorum, ut videntur, membranæ. Ibid. & ſeqq.
quid aliquando eſſe poſſint. Ibid. 26.
ſanguis quomodo poſſit intra inteſtina exſudare. Ib. & 23. 24.
Dyſenteriæ lethalis in fine, cur febris interdum abiiſſe videatur. Ibid. 26. XXXV. 23.
Dyſenteriæ ſuccedens teneſmus unde eſſe plerumque ſoleat. XXXI. 27.
quid tamen ſit nonnunquam timendum, quadam indicatur hiſtoria. Ibid. 28.

E

EBrietas. Ab hac allata detrimenta. VI. 9.
Ab eadem inducta aphonia. Vid. Aphonia.
Edinburgenſium Obſervationum Auctores laudati. XXXVII. 13.
Elaſtica vis a Platone deſcripta. V. 18.
Ellebori nigri extractum quæ mala attulerit. Vid. Venena.
Ellerus, Jo. Theod. Archiat. Reg. Boruſſ. laudatus. XXXVII. 21. LIX. 9. LXV. 14.
Emett, Rob. ex Reg. Soc. Sc. Monſpelien. laudatus. XIX. 24.
Emphyſema non oritur a vulneribus dumtaxat quæ thoracem, aut Aſperam arteriam ſubeunt. LIV. 3. 37.
Emulgentes arteriæ quædam natæ e media anteriore Aorta paulo ſupra Iliacas. XXXVI. 23.
Ab Emulgentium altera ad veſicam urinariam imam arteria. LXX. 7.
Emus, Angelus, Venetus Senator laudatus. XXII. 31.
Ens, Abr. laudatus. XIX. 23.
Epiglottis non habet muſculos per quos deprimi valenter poſſit. Ibid. 44.
Epilepſiam præcedens ſenſus quidam fœtoris explicatus. XIV. 28.
Epilepſiæ Obſervatio ab ira. IX. 5.
a terrore, & quæ in ea profuerint. Ibid. 6.
ab hypochondriis, & quæ in ea utilia fuerint. Ibid. 7.
ab aliqua alia parte corporis. Ibid. 8.
qui hanc primo memoraverint. Ibid.
& qui primi ad eam præcavendam auxilium. Ibid.
frequentiorem eſſe, quam Williſius credat, probatur. Ibid.
Epilepſiæ duo nova ſecundum quoſdam remedia. IX. 6.
Unde tantus adverſus illam inutilium arcanorum numerus. Ibid.
Ejus variæ, ac multiplicis curationis neceſſitas. Ibid. 26.
Ejus pertinacia, plurimo etiam lotio fluente. Ibid. 6.
Ejus vis inde excitata, aut etiam aucta. Ibid. 7. 9.
& cur. Ibid. 11.
Epilepſia quando non fiat ab aqua intra cranium effuſa. IX. 5. & ſeqq.
poſſe tamen fieri vel a pauca, & limpida, oſtenditur. Ibid. 11.
& a vaſorum cerebri turgentia, & quomodo. Ibid. 13.
quæ qua ratione præcavenda. Ibid. 15.
Fit etiam a peculiari vitio ſubſtantiæ cerebri. Ibid. 16. 18.
an ad hoc ſpectet macula in cerebro ab H. Petræo memorata. Ibid. 19.
Fit etiam ab apoſtemate in cerebro. Ibid. 20. 24. 26.
& a duritie in eodem. Ibid. 24. & ſeqq.
Fierine poſſit a meningum irritatione. Ibid. 21.
Fieri poteſt a cauſa, omnino ſenſus fugiente. Ibid. 15.
Quæ tamen ſub ſenſus cadunt, etſi cauſa non eſſent, noſci debent, & cur. Ibid. & 26.
Eraſiſtrati de cauſa cruenti in pleuritide ſputi ſententia, explicata fuit non ſine errore. XXI. 42.
Erinacei brevem habent epiglottidem. XIX. 41.
pulicibus, non ſecus ac canes, referti ſunt. Ibid.
in uno unius bronchio, illæſo alioquin, vermis fuit. Ibid.
Erndelius, Chr. Henr. Archiater olim Poloniæ Regis laudatus. XIII. 29.
Ettmülleri, Michaelis, prudentia laudatur. VIII. 34.
In quibuſdam, ipſi attributis, hallucinationes. VIII. 26. XXIX. 4.
Evers, Eman. Jo. Alb. laudatus. XIX. 43.
Excreſcentiæ carneæ num ſemper ſint a Membrana Adipoſa. L. 21.
Membranæ Adipoſæ neque inter ſteatomata, neque inter alios tumores cyſticos ſunt ponendæ. Ibid. & ſeqq. LXVIII. 9.
quid ſint, & quomodo differant a pleriſque pinguibus aliis tumoribus. L. 21.

earum Obſervationes. L. 23. 24. LXVIII. 6. 8.
earundem ſigna, & cauſæ, & curationes. L. 23. 25. LXVIII. 8.
Excreſcentiæ Recti inteſtini. Vid. Inteſtini Recti.
Exoſtoſis nomine qui ſatis bene, & qui perperam utantur. L. 56.
quam varia ſit. Ibid. 57. 58.
ingens obſervata in clavicula. L. 58.
Exoſtoſim quid aliquando mentiatur. L. 13. 59.
Exoſtoſes ſæpe fieri ex perioſtio, qui docuerint, & oſtenderint. Ibid.
quomodo alias fieri poſſint ex oſſis ipſius lamellis. Ibid. & LXVIII. 4.
Exoſtoſis quale oleum medullare contineret. L. 60.
carioſa in tribus femoris oſſibus. LII. 39.
Exoſtoſes, fungorum foliaceorum inſtar, in carioſo cranio. LII. 38.

F.

Fabbri, Alberti, Medici olim inter Bononienſ. præcipui caſus. VIII. 32.
Fabbri, Laur. Cajet. Prof. Florent. laudatus. VIII. 31.
Fabricius, Phil. Conr. P. Prof. Helmſtadienſis, laudatus. V. 12. 24. VIII. 14. 18. XVIII. 24. XIX. 11. XXXIV. 17. XXXVII. 15. XLV. 13. XLVIII. 14. 39. XLIX. 19. L. 37. LXIII. 3. LXV. 4.
Faciei verrucæ, & tubercula non temere ferro, aut cauſticis attingenda. L. 26.
vulnus per ſe magnum, quomodo multo maximum videretur. LII. 41.
Fackhius, Andreas, olim ex Cæſ. Academ. N. C. laudatus. XVIII. 27.
Falloppio ſuæ quædam Obſervationes aſſeruntur. XVI. 30.
de prima harum, & Expoſitionis libri Galeni de Oſſibus editione. Ibid.
Fames. Vid. Jejunium.
nimia obſtructionem glandularum meſenterii ſecuta. XXVIII. 3.
Famelicis quæ obſint, aut proſint. Ibid. 4.
Fantonus, Jo. pridem Reg. Prof. Taurinenſ. laudatus. VIII. 18. IX. 24. XII. 9. 12. 13. XV. 12. XVI. 37. XIX. 55. XX. 52. XXIII. 13. XXIV. 3. 32. XXVIII. 4. 17. XXX. 8. 13. XXXI. 13. 16. 20. 21. XXXVI. 14. XXXVIII. 24. XXXIX. 28. XL. 5. 13. 14. XLII. 23. 32. 35. 36. XLVI. 12. XLIX. 19. LI. 58. LII. 26. 32. LIII. 27. LIV. 12. LXI. 6. 15. LXV. 10. 15. LXVI. 11. 13.
Fauces. Ad eas impedimenti cujuſdam ſenſus imminentium a vulneribus convulſionum prænuncius. XV. 9. LIV. 3. 23. 28. 29.
Fayus, N. Chirurgus Pariſienſis, laudatus. XXIII. 18.
Febris vehemens cum perpaucus, & iners eſſet ſanguis, quomodo excitari potuerit. XXXVI. 13.
in qua nihil ſubſidebat corporis habitus, ne intra centeſimum quidem diem ſolvi potuit. XLIX. 20.
Febrium ſolutionis fallax interdum ſignum ſunt ortæ in labris puſtulæ. Ibid. 21.
magnarum ſine ulla criſi ſolutio periculoſa. XXXIV. 23. 24.
catarrhalium Conſtitutio A. 1730. Patavii, deſcripta. XIII. 4.
earum curatio, & ab ejuſmodi febribus præſervatio. Ibid.
malignarum hyemalis quædam apud Forolivienſes Conſtitutio deſcripta. VII. 16.
malignitas neque in ſolutione, neque in coagulatione ſanguinis conſiſtit, etſi cum alterutra conjungatur. XLIX. 13. 22. 23.
in iis ſæpe gangrænæ viſcerum. Ibid. 35.
quæ tamen, & alia ejuſmodi effectus potius illarum, quam cauſæ, eſſe poſſunt. LXVIII. 3.
malignarum, per circuitus cum inſultu quaſi apoplectico ingruentium, curationes. IV. 10. XLIX. 30. 31.
in quibus, & quando, & poſt quæ ſigna magis, minuſve expectandus ſit ille inſultus, & timendus. XLIX. 31.
Febres non tam ipſæ, quam adjuncta aut malignitas, aut alius præcipuus morbus, attendendæ, & impugnandæ. LXVIII. 2. & ſeq.
qua ratione occidant, ſæpe Profectorum oculos fugit. Ibid. & XLIX. 1.
quos malignæ occiderint, cadavera num incidi tuto poſſint. Ibid. 32.
diuturnæ quas viſcerum læſiones relinquant. XX. 52. XXXVI. 18. XLIX. 36.
quæ, & quando, apoplecticis affectibus ſupervenientes, ſint utiles, aut ſecus. II. 10. XI. 24. LXIII. 14.
Febris Sextanæ exempla. XLIX. 36.
Femur non eſt ſolum os quod emittat partes, cum ipſo angulum intercipientes. LVI. 4.
Femoris cervicis obliquitas vetuſtiſſimis nota. Ibid.
fracturam poſſe luxationem videri, quis primus animadverterit. Ibid. 2.
quis primus per diſſectionem confirmaverit. Ibid. 3.
cur a cauſa externa ſit illa fractura frequentior, quam luxatio. Ibid. 2. 3.
luxationis quoque exempla. Ibid. 5. 7. 15.
cur femur ibi fractum conglutinetur difficillime, nec tamen claudicatio tollatur. ibid. 4.
quid fracto, aut luxato, nec repoſito femore in illis qui ſic incedunt, de novo fiat ex poſterorum obſervatione, aut ex antiquiorum conjectura. LVI. 5. 6.
additæ nunc circa hæc omnia non animadverſiones tantum, ſed & Obſervationes. Ibid. 7. & ſeqq.
quarum una, antiquiorum conjecturam confirmans, mira quædam continet. Ibid. 14. 15.
Femoris fracturæ cur raro ſine ſequente claudicatione curentur. Ibid. 24.
Fernelii locus explicatus. XIV. 22.
Quid deſit in quadam ejus diviſione. XLV. 2.
Fickius, Jo. Juſtus, Medicus Jenenſis, laudatus. XLVIII. 25.
Fiſcherus, Daniel, ex Cæſar. N. C. Acad. laudatus. XVI. 47. XXI. 39.
Flatuum eruptio quomodo moleſtias minuat quæ ab organicis ſunt morbis. XVII. 16.
Ne, ut ægri, ſic Medici inde falſo arguant, tunc organicos abeſſe morbos, quid ſit attendendum. Ibid.
Flatus nomine deſignata ab imperitis ægris interna affectio quid ſæpe ſit. XXVI. 11.
Flemyngius, Milcol. laudatus. XLV. 17.
Fluor. Vid. Muliebris Fluor.
Foelix, Jacobus, laudatus. LIX. 5.
Fœtus. De eorum morbis. XLVIII. 17. & ſeqq.
Fœtus qui poſt horas quindecim ab emiſſo ſtercore, vivus editus eſt, obſervatus. Ibid. 40.
Hoc, & alia ſigna mortui fœtus quomodo poſſint eſſe fallacia. Ibid.
Fœtus e mortua matre exſectio ſi continuo fieri nequeat, quid interea agendum. Ibid. 42.
Fœtus in viva matre mortui extractio num, & quando differenda. Ibid. 41. 42.
Interea dum differtur, quid faciendum. Ibid. 41.
Fœtus pulmones graves eſſe, adnotavit Galenus. XIX. 45.
viventis, an mortui editi diagnoſis ex pulmonibus. Vid. Pulmon.
Fœtuum cum effuſis inteſtinis editorum alia ſæpe cauſa eſt, quam obſtetricum violentia. XLVIII. 54.
Fœtuum vaccæ jecinora a matris mactatione rumpi viſa, & cur. XLVIII. 19. & ſeqq.
Fœtus oſſiculorum per matris podicem exeuntium hiſtoriarum numerus augetur. Ibid. 42.

Fontenellius, Bern. pridem Secret. perpet. R. Sc. Acad. Pariſienſ. laudatus. Præf. ad lib. 3.
Fouchyus, N. ejuſd. Reg. Sc. Acad. Secret. perpet. laudatus. LVIII. 7.
Fracaſſinus, Antonius, Medicus Veronenſis laudatus. LXVII. 4.
Fracaſtorius, quamvis a Tomaſino omiſſus, fuit Profeſſor Patavinus. LVIII. 17.
Freindii Hiſtoria Medicinæ laudata. Præfat. ad libr. 2.
in illius verſione gallica error graviſſimus. XVII. 3.
hallucinatio excuſata. XVI. 20.
aliæ quædam. XVII. 3. XVIII. 23.
Friedius, Jo. Jac. ex Cæſ. N. C. Acad. laudatus. XLV. 13. XLVIII. 25.
Frigoris acerrimi A. 1740. & A. 1758. effectus intra mortuorum crania. XIII. 15. LXVII. 14. & ſeq.
Fromondus, Andreas, Medicus Cremonenſ. laudatus. XLVI. 13.
Frontis os. Vid. Cranii. Pituitarii Sinus.
Fuchſius, Jo. Henr. ex Cæſar. N. C. Acad. laudatus. XLVIII. 46.
Fungus coccineus Melitenſis verus quam rarus. XIV. 25.
Furſtenau, Jo. Herm. P. Prof. Rintelienſ. laudatus. XXXVIII. 50,

G

GAhrlielipius, Guſt. Caſim. olim ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. L. 49.
Galeatius, Guſmanus, P. Prof. Bononienſis laudatus. XXXVII. 21. 24. LXIV. 14.
Galenus. An ejus ſit liber de Theriaca ad Piſonem. LIX. 42.
Gallicis puellis ſcapulam dexteram eſſe elatiorem, quis ante Riolanum ſcripſerit. XXVII. 32.
Gallinæ ſcirrhoſus meſenterii tumor qualis, & quibus cum ſignis. XXXIX. 6.
Gallus, Jo. Ant. Profeſſ. P. Bononienſis laudatus. XLII. 10.
Gangræna, aut ulcere trium ſenum perſanato, qui morbi in omnibus ſucceſſerint. LV. 26.
Gangrænæ celerrimi, ampliſſimique progreſſus Obſervatio. LV. 22.
ſeri ex ipſa quis ſapor fuerit. Ibid. 23.
Gangrænæ ſiccæ, & ſine fœtore, ac dolore Obſervationes. Ibid. 24. 25.
quænam ad ejus progreſſum retardandum profuerint. Ibid.
quædam alia, fortaſſe profutura. Ibid. 26.
quænam vitanda. Ibid.
qui primi eam memoraverint. Ibid. 24.
Garellius, Pius Nicol. Eques, & Cæſareus olim Archiater laudatus. L. 58. LII. 37.
Ejus Obſervationes quædam, & opinio. LII. 38. 39.
Garengeotus, Jac. Cr. Chir. Pariſienſis, laudatus. XXVII. 18. LIV. 38.
Gaſparettus, Stephanus, Medicus, & Chirurg. Feltrienſ. laudatus. LIII. 27.
Gavaſſetius, Mich. non fuit Profeſſor Patavinus. IX. 3.
Gaubius, Hieron. David, P. Prof. Leidenſ. laudatus. LVI. 6. LXIX. 13.
Genſelius, Jo. Ad. olim ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. VIII. 31.
Gentili, Joannes, Medicus Florentin. laudatus. LIX. 11. 23. 24.
Genu articulus. In ejus cavo morbus apud nos perrarus deſcriptus. LVII. 14. 15.
Alia de eodem morbo. LXIX. 13.
Rotula. Sine hujus ope duorum recte incedentium Obſervationes, harumque explicatio. LVI. 27.
Rotulæ ligamentum num indubium ſit. Ibid.
Geoffroyus, Steph. Franc. ſenior, aliique juniores, ex R. Sc. Academ. Pariſ. laudati. VIII. 13. 17. XXXVII. 18. LVIII. 7. LIX. 29.
Georgi, Georgius, Piſaurenſium Medicus, laudatus. XLI. 12.
Gerbezius, Marcus, olim ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. IX. 7.
Geſnerus, Conr. Apud ipſum res non facile credenda. XXIX. 16.
Geſnerus, Jo. ex Inſtit. Sc. Bonon. Academ. laudatus. XXI. 14. 39.
Ghedinus, Ferd. Ant. ex eadem Academia, laudatus. LIX. 27.
Gianella, Carolus, pridem P. Patavinus Profeſſor, laudatus. VIII. 10. XXI. 39. LXVII. 5. LXVIII. 3.
Gianella, Jo. Medicus Lemniacenſium, laudatus. LXVII. 5.
Hujus Obſervatio. Ibid. 6.
Gibber. Vid. Spinæ diſtorſio.
Gibberis anterioris non ſemper, ſed tamen multo ſæpiſſime cauſa eſt Spinæ diſtorſio. XXVII. 31. 32.
Gibboſorum viſcera, & vaſa, & nervi ſitum mutant. Ibid. 31.
Gibbus aut factus, aut magis factus vir ætatis conſiſtentis. X. 13.
Glandulæ Arytænoidææ. Vid. Arytænoidææ.
Glandulæ Cowperi dictæ, Meryi eſſent dicendæ, niſi hic ſuo jure ceſſiſſet. XLIV. 11.
Sebaceæ. De his, ſecretaque ab iis materia quædam. LV. 12.
Vid. etiam Palpebræ.
Glires noſtrates epiglottidem habent adeo brevem, ut vix appareat. XIX. 41.
Gmelinus, Phil. Fridericus, laudatus. XXXVIII. 8.
Goekelius, Chriſtoph. Lud. olim ex Cæſar. Acad. N. C. laudatus. XXVI. 21. & Præfat. ad libr. 1.
Goetzius, Jo. Chriſtoph. olim ex ead. Acad. laudatus. XXXVIII. 35. XLII. 19.
Gonorrhœa legitima dicta, num ſemper ſit veri ſeminis fluxus. XLIV. 16.
virulenta quando ſit veri ſeminis fluxus. XLIV. 17.
Gonorrhœæ virulentæ ſæpe læſiones in urethra tota reſpondent leviores, quam creduntur. XLIV. 1. 8.
ejus primo tempore quid effluat. Ibid. 2.
prima ejus ſedes in majoribus urethræ canaliculis a quibus ſit probata. Ibid.
quomodo confirmetur. Ibid. 9. 10.
alterius ſedis in Cowperi glandulis veſtigia. Ibid. 11. & ſeqq.
tertiæ ſedis in Littrii glandula. Ibid. 14. & ſeqq.
quarta ſedes in Proſtata, & Caruncula cur olim communiter crederetur. Ibid. 16.
quando id perperam, aut recte credatur. Ibid. 17. & ſeqq.
quincta ſedes in Veſiculis Seminalibus quando facilius fiat. Ibid. 25.
fallax quoddam ejus ſignum. Ibid.
ſexta ſedes in teſticulis muliebribus neutiquam, in virilibus autem quando, & quomodo poſſit admitti. Ibid. 26.
num ab urethra ad renes uſque gonorrhœæ ſedem poſſimus extendere. Ibid. 27.
Gonorrhœa virulenta. In ea quibus remediis dyſuria mitigata ſit. Ibid. 8.
Doloris cauſæ ad perinæum aliquæ. Ibid. 14.
qui poſt eam ſanatam, magis minuſve ardoris ſenſui a lotio, & eroſioni obnoxii ſint. Ibid. 9.
Gonorrhœæ quædam aliæ ſpecies memorantur. XLIV. 2.
Gorizius, Jo. Adam. ex Cæſ. Academ. N. C. laudatus. XXII. 20. XXIX. 16.
Gornia, Victorius, olim ex Bonon. Inſt. Sc. Acad. laudatus. XXVIII. 15.
Gottwaldtus, Jo. Chriſtoph. olim ex Cæſ. N. C. Acad. laudatus. XLVIII. 13.
Goulardus, ex Reg. Sc. Societ. Monſpelien. laudatus. XIV. 25. XLII. 38. 42. LV. 12.
Graafii hallucinatio. XLV. 6.
Grashuis, Jo. ex Cæſar. Acad. N. C. laudatus. XXVIII. 18.

Graſſius, Sam. olim ex eadem Academia laudatus. XXXVIII. 19.
Grætzius, Jo. Henricus, laudatus. V. 20. XVI. 21. XXV. 13.
Gravida. Vid. Fœtus.
Graviditas. Ejus ſignorum præcipuorum examen. XLVIII. 3. 4.
Ejus a Medicis, & cur, non agnitæ plures Obſervationes. Ibid. 3. & ſeqq.
Ejus, cum magna uteri hæmorrhagia ad menſes perſtantis, Obſervatio. Ibid. 9.
Ejus non prægreſſæ fallax ſignum abdomen ſine rugis. XXIII. 4.
Greenwoodius, Iſaac. laudatus. XIX. 39.
Grimmius, Jo. Caſp. ex Cæſ. N. C. Academ. laudatus. XXIII. 14.
Guattanus, Carolus, Chirurgus Roman. laudatus. L. 6.
Gulielminus, Dominicus, Primarius olim Prof. Patavin. laudatus. Præf. ad libr. 1.
primus Bononiæ china chin. uſus eſt in pernicioſis febribus, exacerbationes habentibus. XXX. 5.
ejuſdem explicatio problematis cujuſdam chirurgici. L. 54.
Gulielminus, Joſ. Ferdin. P. Prof. Bononienſis, laudatus. Præfat. ad libr. 1.
Guilermius, Ant. Medicus Feltrienſium laudatus. XLV. 19. LV. 11.
Ejus Obſervationes. Ibid.
Gullmannus, Bened. pridem ex Cæſar. Acad. N. C. laudatus. XXIV. 3. 28. XXXVIII. 24. 64.
Gummata non ſemper inter perioſtium, & os fiunt, nec ſemper tunica concluduntur. LVIII. 9.
Gunzius, Juſt. Godofr. pridem P. Lipſienſis Profeſſor, laudatus. XIII. 18. XIV. 22. XLIX. 32. LXI. 3. 4.
Guſtando Nonum, an potius Quinctum Par nervorum inſerviat. XIV. 32.
Gutermannus, Georg. Frid. ex Cæſ. N. C. Acad. laudatus. XXXVIII. 64. XLVIII. 9. 12. 14. 25. LVI. 15.

H

HÆhne, Tob. Henr. ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XVI. 16.
Hæmoptyſis cauſæ. XVII. 24. XXII. 5.
remedium quoddam. XLVII. 7.
Hæmoptyſis ſcorbuticæ origo quædam obſervata, difficilis explicationis. XXII. 5.
Hæmorrhagia. Vid. Naſi.
De ejus quibuſdam remediis. XIV. 25. XXXII. 12.
Hæmorrhoides albæ dictæ unde ſint. XXXII. 13.
Hæmorrhoidum cauſæ variæ. Ibid. 10.
iis cur bruta non ſint obnoxia. Ibid.
in iis quantum venæ diſtendantur. Ibid.
qua ratione condylomata interdum mentiantur. L. 13.
Hæmorrhoides cur non ſint optandæ. XXXII. 11.
ab iis, & a noxis ipſas ſequentibus quæ præſervent. Ibid.
quæ levent. Ibid. & 12. LIX. 8.
Hæmorrhoidum opinione qui morbi interdum ægros, Medicoſque deceperint. XXXII. 8.
Hæmorrhoides oris earumque ſigna qui olim propoſuerint, & qui illuſtraverit. XXII. 26.
Hæmorrhoidum vulvæ mentio olim facta, cauſa, ſigna, & cæt. XLVIII. 46.
Hænelius, Chriſt. Frid. Medic. Schnebergenſ. laudatus. LI. 10.
Hæreditarii morbi. Vid. Morbi.
Haguenotius, Henr. ex R. Sc. Monſp. Societ. laudatus. XXXIV. 28.
Hahnius, Jo. Goth. ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XIV. 38. LXIX. 14.
Haller, Albertus Præſes Reg. Soc. Gotting. laudatus. II. 8. IV. 37. V. 9. 12. VIII. 18. XII. 6. XIII. 24. XIV. 17. 19. 38. XVI. 32. XVIII 33. XIX. 38. 43. XXI. 22. 39. 40. XXII. 7. 20. XXIII. 9. 12. 13. 17. 18. XXIV. 3. 17. 30. XXVII. 20. 27. 31. 32. XXVIII. 6. XXIX. 3. 16. XXX. 11. XXXI. 23. XXXIV. 31. 32. 34. XXXVII. 8. 15. 17. 18. 23. 25. 26. 32. 41. XXXVIII. 24. XXXIX. 11. 41. XL. 3. XLII. 36. XLIII. 7. 14. 35. XLIV. 2. XLVI. 16. 25. XLVIII. 14. 16. 30. XLIX. 20. L. 8. 10. 37. 53. 59. LII. 26. 31. LIV. 13. 15. LVI. 27. 37. LVII. 6. 15. LXIII. 11. LXIV. 4. 9. LXV. 6. LXVIII. 2. LXIX. 13. & Præf. ad lib. 4.
Hamelius, Henr. Ludovic. ex R. Sc. Acad. Pariſ. laudatus. XVIII. 29. L. 59. LVI. 28. 29.
Hammerus, Juſtin. David, Medicus Neoſtad. laudatus. LIX. 5.
Harveius multum in Medica Anatome laborem poſuerat. Præf. ad libr. 2.
quoddam Galeni, & Veſalii experimentum cautius perſtringere potuiſſet. XIX. 30.
quodam loco non facile ſequendus. XXV. 18.
Haſeneſt, Jo. Georg. ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XXXII. 5.
Hazonius, Jac. Alb. Medicus Pariſienſis, laudatus. XLII. 19.
Habenſtreit, Jo. Ern. Profeſſor P. Lipſienſis, laudatus. XXXIX. 3.
Heimreichius, Ern. Frid. ex Acad. Cæſar. N. C. laudatus. LIX. 5.
Heiſterus, Laurentius pridem Helmſtadienſ. P. Profeſſor, laudatus. II. 10. VII. 11. VIII. 14. X. 15. XIII. 6. XIV. 19. 25. XIX. 46. XXII. 20. XXIII. 18. 20. XXVIII. 14. 16. XXIX. 22. XXX. 8. 11. XXXIV. 15. 32. XXXVII. 18. XXXVIII. 24. 25. XXXIX. 41. XLI. 17. XLII. 19. 31. 38. XLIII. 3. 13. 32. 38. 42. XLVI. 3. 20. L. 10. 12. 17. 44. 50. 59. LIII. 41. LIV. 15. 17. 47. LVIII. 9.
Helwichius, Chriſtian. olim ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XVI. 11. XXII. 26. XXVII. 31. 32. XXVIII. 14. XLII. 16. 45. XLV. 20. LI. 58.
Hemiplecticis utro ex brachio mittendus ſanguis. III. 17.
Hemiplexiæ cauſa nonnunquam in oppoſita cerebri parte non eſt. LVII. 14. 15. LXII. 12.
Hemiplexiæ cauſam in oppoſita cerebri parte eſſe ut plurimum, confirmatur. II. 10. & ſeqq. III. 2. 3. 14. & ſeqq. V. 7. XI. 10. 12. LI. 43. LXII. 13.
Hinc utilitas in praxi. LXII. 13.
Quid aliter ſentientes decipere potuerit. LI. 43. 46.
Prægreſſæ hemiplexiæ diagnoſis confirmatur. III. 14.
Quædam alia ad Explicatores, & ad exceptiones, aut illuſtrationem illius dogmatis attinentia. III. 19.
Quædam attinentia ad Inventores. XI. 10.
Num hemiplexiæ cauſa credi poſſit in parte oppoſita cerebelli. LII. 27.
Viſa nonnunquam eſſe in parte oppoſita initii ipſius Spinalis medullæ. LIII. 23.
Hemiplexiæ quotidie recurrentis, & abeuntis rara Obſervatio. XI. 19.
Henckelius, Jo. Frid. olim ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. LIX. 5.
Henrici, Henricus, laudatus. LXV. 15.
Henſingius, Frid. Will. P. Profeſſ. Gieſſenſis, laudatus. XLIII. 3.
Hepar. Vid. Jecur.
Hepatica arteria bis in obſtructo hepate inventa maxime dilatata. XXXVI. 24.
Hepatici calculi. Vid. Bilarii.
num æque ac renales frequentes ſint. XXXVII. 11.
a quibus vel olim inventi. Ibid.
alia eorum Obſervatio. Ibid. 13.
qua in parte ſæpius, aut rarius concreſcant. Ibid. 11. & ſeqq.
Hermaphroditi crediti ſtructura non vulgaris obſervata. LXVII. 6.
Herniæ. In earum diagnoſi quæ poſſint fallere. XLIII. 9. 10. an,

an, & quomodo ſteriles faciant. Ibid. 12.
num, aut ſaltem quando in herniis rumpi poſſit peritonæum. Ibid. 6. 7.
præter peritonæum, aliquando & tendines abdominis in herniæ ſacculum ſe extendunt. Ibid. 42.
quæ Partibus mutationes contingant. Ibid. 12. 13.
quantum interſit id non ignorare. Ibid. 13.
tunicæ non raro craſſiores fiunt. Ibid. 42.

Herniæ. Bubonocele quo minor, eo periculoſior, & cur. XXXIV. 16.
in Bubonocele, & Oſcheocele ſacculus eſt extra Vaginalem tunicam, & quomodo nonnunquam in hac videri poſſit. XLIII. 8.
Omphalocele. De hac quædam. Ibid. 6. 14.
Merocele. De ea quædam. Ibid. 14.
Cyſtocele. Vid. Veſicæ.
Ventrales cæteræ. De iis aliqua. XLIII. 14.

Herniæ. Enterocele. De prima hujus origine ex meſenterii laxitate. XLIII. 13.
qui primus id indicarit, & qui confirmaverint. Ibid.
Ejus herniæ ſacculus eſt extra vaginam Spermaticorum vaſorum. V. 19. XXI. 15. XXXIV. 5. 9. XLIII. 8.
num reſpectu ipſorum, eodem ſit ſemper ſitu. Ibid.
Ab ea quid proximus teſtis interdum patiatur. Ibid. 12. & XXIV. 16.
poſſunt vaſa Lactea meſenterii diſrumpi aliquando, & aſcites fieri. XXXVIII. 3.
Enteroceles ex Coli portione exempla. XXXIV. 15. & ſeq.
ex ſola Appendicula Vermiformi; & quomodo hoc poſſit accidere. XLIII. 3.
Enterocele incarcerata, quomodo recrementa, & materiæ aliæ tranſire, & dejici poſſint. XXXIV. 14. & ſeqq. 19.
Id fieri, quia non tubus ipſe inteſtini, aut non totus ſit interceptus, qui olim indicaverint. Ibid. 16.
Et verum quidem perſæpe eſt. Ibid. 15. & ſeqq.
Sed non ſemper, & cur. Ibid. 18. & ſeq.
In Enterocele num clyſteres damnandi ſint. XLIII. 11.
quæ laudaret, aut prohiberet Valſalva. Ibid.

Herniæ. Hydroceles humor intra Vaginalem tunicam unde oriatur non raro. XXI. 19. XLIII. 16. & ſeqq. & 32.
genus quoddam inter Albugineæ laminas nunc primum fortaſſe obſervatum. XLIII. 31. 32.
genus alterum, id eſt inter cellulas quæ ſupra Vaginalem ſunt, qui olim, & qui poſtea adnotarint. Ibid. 32.
genus aliud, quod ſcroti hydrops dicitur, in aſciticis quomodo fiat. Ibid. 33.
& quomodo tamen aliter aliquando. Ibid.
Hydrocele, ſi revera fit crebrius a ſiniſtris; id quomodo melius poſſit explicari. Ibid. 34.
In ipſa, & pleriſque illegitimis herniis gignendis, fovendiſve quantum, & cur poſſint venæ Spermaticæ. Ibid. 33. 34.
Quæ vitanda ſint, ne illæ augeantur. Ibid. 34.

Herniæ. Cirſocele ſola ramicis nomine a Celſo intelligitur. XLIII. 36.
Sarcocele. De ejus natura, & ſede aliæ aliorum ſententiæ. Ibid. 38.
quid cenſeri poſſit. Ibid. 37. 38.
Steatocele quomodo in ſcroto gignatur. Ibid. 37.
Spermatocele a quibus ſic nominata, & bene, aut ſecus obſervata fuerit, & explicata. Ibid. 39.
Res declaratur Obſervationum exemplis. Ibid. 40.

Hertius, Joannes Caſimirus, laudatus. LVI. 34.
Highmori hallucinatio. XIV. 30.

Hildani Obſervationis cujuſdam explicatio non robata. XIII. 20.
Hilſcherus, Simon Paulus, P. Prof. Jenenſis, laudatus. XLVIII. 16.
Hippocratis Aphoriſmus de hepate aqua pleno, in omentum irrumpente explicatus. XXXVIII. 36.
de aphonia ex ebrietate conſideratus, exemploque confirmatus. XIV. 34. & ſeqq.
non ſine exceptionibus tamen. LXIII. 14.
de ſtrangulatorum ſpuma, cum exceptione, ut ſæpe alii Aphoriſmi, accipiendus. XIX. 36.
de cito lethali atrabilaria dejectione confirmatur. XXIX. 11.
de difficultate deglutitionis in colli perverſione quomodo ex parte explicandus. XXVIII. 17.
de ſignis puris, quod conficitur, aliquando non reſpondet, & in quibus præſertim. LV. 16.
de acuto morbo in gravidis lethali ita eſt, ut a Celſo, accipiendus. XX. 10.
de ſenum jejunio ſic pariter, ut a Celſo, accipiendus. XXVIII. 6.
num confirmari poſſit ex Hugolini Comitis, & filiorum morte apud Dantem. Ibid. 7.

Hippocratis ægra quædam in Epidem. quomodo manum ſimul paralyticam, & convulſam haberet. X. 15.
Obſervatio in iiſdem, lethalis ſingultus, a ſummis Medicis confirmata, exceptiones habet. XXIX. 3.
Locus in Coacis de obſcuratione viſus a vulnere ſupercilii explicatus. XIII. 5.
Locus ibid. de peripneumonia an aliter, & quomodo legendus. XXI. 39.
Ibidem, & alibi Hippocrati alii ſunt ſuppurati, alii phthiſici. XXII. 29.
Locus ibid. de tabidorum ſputis per marinam aquam, aheno contentam, explorandis conſideratur. Ibid. 28.
Locus in Prædict. confirmatur, ubi ex palpitatione circa ventrem prædicitur ſanguinis eruptio. XXIX. 11.
Libri cujuſdam Hippocratici inſcriptio *de Ptiſana* num fuerit a Plinio inducta. XXVI. 25.
Locus ejuſd. libri de viſceribus pendentibus omiſſo prandio, quomodo intelligendus, & explicandus. Ibid.
Locus ex libro altero, Hippocrati attributo, de Morbis, per conjecturam explicatur, in quo de polypo, ſtrepitum, ſi attingeres, velut lapidis edente. XIV. 17.
Cur ipſe in Jurejurando ſuis interdixerit lithotomiam. XLII. 9.

Hiſtoricis Græcis in Romana hiſtoria num plus quam Latinis, credendum. LIX. 39.
Hofmanni, Caſp. hallucinatio. II. 7.
dubitatio ſublata. III. 19.
Hoffmannus, Daniel, ex Cæſ. N. C. Academ. laudatus. XXII. 20. XXIII. 18. XXV. 20. XXXVIII. 25. LI. 48.
Hoffmannus, Frid. laudatus. XXXVII. 46. & Præfat. ad libr. 4.
ejus leves hallucinationes. XXVII. 8. XLVII. 25.
quædam ſententia minus probata. XLVIII. 11.
Hommelius, Jo. Lud. laudatus. XXXIV. 34. XLIII. 6.
Hottingerus, Jo. Henr. ex Cæſ. N. C. Acad. laudatus. XXI. 22. XLII. 5.
Hoyerus, Jo. Georg. olim ex ead. Acad. laudatus. VIII. 14. XX. 52. XXII. 17. XXXII. 3. 4. XXXVI. 18. XXXVIII. 19. 50. XLVIII. 29. L. 25.
Huberus, Jo. Jac. ex Acad. eadem, laudatus. XII. 10. XXXII. 4.

Hu-

Humores in cadaveribus inventi, quomodo a Valſalva examinati. IV. 2. 3.
Hunauldius Franc. Joſ. pridem ex R. Sc. Acad. Pariſ. laudatus. IV. 32. V. 10. XII. 8. LIX. 29.
Hunterus, Jo. laudatus. LXIX. 12.
Hurterus, Leonhard. ex Cæſ. N. C. Academ. laudatus. XXXVIII. 25.
Hydatis magna, & profunda in ſuis pulmone. XVI. 33.
aliæ in aliorum liene, & præſertim in hepate. XXXVIII. 42.
magna in vituli hepate, & maxima in ovario columbæ. Ibid. 37.
Hydatidibus plenum jecur vidit Galenus. Ibid. 36.
qui deinceps illas in pleriſque viſceribus adnotarint. Ibid. 35.
qui ſtructuram illarum quæſiverint. Ibid. 37. 44.
nonnulla de eadem ſtructura adduntur. Ibid.
& ex his, quarundam non magis vulgata origo, ſed alia probatur. Ibid. 38.
& ſecundum hanc, origo indicatur earum quæ ex longo petiolo pendent. Ibid. & XLIII. 20. 21.
humanis viſceribus, & præſertim renibus, infixarum Obſervationes. XXXVIII. 39. & ſeqq.
& ad teſtes attinentium. XLIII. 16. & ſeqq.
qui alias omnino liberas & ſolutas invenerint. Ibid. 44.
hujus præſertim generis fuiſſe videntur quas memorat in hydrope Aretæus. Ibid. 45.
de harum originibus. Ibid. 43.
pro magis vulgata origine quid facere videatur. Ibid. 38.
Hydatides in Partium ſuperficie ruptæ, degenerant in quædam tubercula, & quomodo. XXXVIII. 35. & ſeq.
in cicatrices autem eæ quæ in illarum ſubſtantiam ex parte ſe infigunt. Ibid. 42. & ſeq.
Hydrocephalum internum quomodo fiat. IV. 36. 37. XII. 3. 6.
quas, & quomodo cranio, & cerebro noxas afferat. XII. 7. 8. 13. XLVIII. 49.
diagnoſis ſanabilis, & inſanabilis difficillima. XII. 13.
unde maximum periculum in ejus nonnunquam tentata inciſione. Ibid.
Hydrocephali quis Obſervationes collegerit. XII. 15.
Hydrophobia, ſi canes excipias, non ſæpius ab aliis animalibus, quam a felibus, infertur. LXI. 15.
an fiat interdum a veneno intus genito, quomodo revocari in dubium poſſit. VIII. 28. 31.
factæ in tribus a frigidiſſimo potu, cum æſtuarent, exempla, & quænam in eorum ſectione inventa. VIII. 31.
an facta interdum ſit a conjectu ſpumæ rabidi canis, & annos viginti, aut quadraginta latuerit, quomodo in dubium trahi queat. VIII. 28.
num ab imaginatione, & terrore ſit. LXI. 11. 15.
Hydrophobiæ ſedes præcipua quæ ſit. VIII. 32.
quantum in illa ſit convulſionibus tribuendum. Ibid. & LXI. 10. 16.
quinam per has olim difficilem potus deglutitionem explicaverint. VIII. 19. 20. 32.
poſt illam ſiccitas, neque in pluribus eſt cadaveribus, nec, ſi eſſet, pro morbi cauſa eſſet habenda & cur. Ibid. 32.
num cauſa ſint vermes. Ibid. 23. & ſeqq.
Hydrophobia neque ſemper eſt cum delirio. Ibid. 19.
neque ex delirio eſt abſtinentia a potu. Ibid.
neque ſemper eſt a potu vehementiſſima averſatio. VIII. 29.
num ſit angina quædam. Ibid. 19. & ſeqq.
num citius erumpat in impuris corporibus. Ibid. 22.
num ſemper citius a morſu labrorum, aut genarum. Ibid. & 29.
jam jam erupturæ ſignum. Ibid. 21.
Hydrophobiæ hiſtoriæ aliquot ineditæ. VIII. 22. 23. 25. 27. 29.
Quæ cavenda, ne contrahatur. LXI. 11.
De præſervatione, ne erumpat, aliqua attinguntur. VIII. 26. 29. LXI. 12. 13.
Balneum tunc eſt non prorſus contemnendum. LXI. 16.
Balnei uſus in curatione quibuſdam infeliciter ceſſit. VIII. 23. 25. 26.
nec tot feliciter quot ſcribuntur, & cur. Ibid. 26.
Num cantharides conveniant. Ibid. 31.
Hydrophobi plures aërem metuunt. VIII. 28. 29.
Unde ſint alia in aliis ſymptomata. Ibid. & 32.
Eorum diſſectiones cur differre debeant inter ſe. Ibid. 19. 32.
hactenus habitæ commemorantur. Ibid. 20. 21. & LXI. 9.
aliæ adjiciuntur. VIII. 23. 25. 27. 31.
univerſarum accurata collatio inter ſe. Ibid. 30. 31.
quid ex ea collatione deducendum. Ibid. 32. LXI. 10.
quales in poſterum optandæ ſint. VIII. 32.
Hydrophobia. Ad hanc accedens caſus. LXI. 14.
ſymptomata modo citius, modo ſerius ex clauſo vulnere redeuntia. Ibid. & 15.
hoc non niſi tardiſſime claudendum. Ibid.
Hydropis caſus citiſſime & increſcentis, & evaneſcentis. VIII. 10.
Hydropis ſignum ex oculorum inſpectione. XXXVIII. 29.
cauſæ. Ibidem 19.
Hydrops Aſcites. Ab ejus cauſis nec ſemper excludenda, nec ſemper his annumeranda hepatis, aut lienis vitia. XXXVIII. 19.
quomodo fiat vitiato hepate, aut liene. Ibid. & XXXVI. 26.
quomodo factus ab hydatidibus, etiam non præſentibus, dignoſcatur. XXXVIII. 35. & ſeq.
qualibus ab hydatibus factum viderit Aretæus. Ibid. 45.
a quibuſcunque hydatidibus factus, quando, & cur inſanabilis. Ibid.
Hydrops Aſcites. In eo viſcera non ſemper ab aqua in qua ſunt, ſed & ab ea quam continent interdum corrumpuntur. Ibid. 42.
cur omentum plerumque non integrum. Ibid. 36.
Ejus ſoluti per naturam exempla. Ibid. 32. XXXIX. 29.
cur ſolutu difficilis. XXXVIII. 31. & ſeqq.
ſoluti ab arte per punctionem ſcroti, aut aliter exempla quomodo poſſint eſſe incerta. Ibid. 32.
In eo a quibus olim data quadrupedum quorund. urina. Ibid. 30.
vaccinæ qui effectus fuerit. Ibid.
qui paracenteſis. Vid. Paracenteſis.
per venam umbilicalem aquas effundi, qui olim dixerint. Ibid. 33.
eorum qui hanc venam ſe inveniſſe recluſam, ajunt, quomodo obſervationes ſint explicandæ. Ibid.
Hydrops Aſcites. Hunc a pertuſis ureteribus poſſe fieri, qui primi experimentis indicarint. XXXVIII. 19.
Cum Aſcite alii hydropes plerumque junguntur. Ibid. 3.
Cum eo Tympanites. Ibid. 21. 25.
Hydropicorum aquæ examen. Vid. Aquarum.
num ſi limpida ſit, a lymphæ ductibus proveneri. XVI. 7. XXXVIII. 7. & ſeq.
Sanguinis conſtitutio in illorum aliis alia. XXXVIII. 14.
cur nihil fere ſanguinis in nonnullis reſtet. Ibid. 32.
Hydrops Thoracis. Vid. Thoracis.
Anaſarca. Vid. Anaſarca.

Tym-

Tympanites. Vid. Tympanites.
Pericardii. Vid. Pericardii.
Peritonæi. Vid. Peritonæi.
Ovariorum. Vid. Ovar.
Hydropes Saccati. XXXVIII. *63.* & ſeqq.
De eorum ſignis. Ibid. *67.* LXV. *16.* & ſeqq.
De eorum curatione. Ibid. & XXXVIII. *68.*
Unius, per ſe rupto ſacco in Aſcitem degenerare incipientis, & mox redeuntis Obſervatio. Ibid. *69.*
Hydrorachitis. Vid. Spina bifida.
Hymen in quadam quo urethræ propior, eo latior. LVI. *20.*
Hymenis foramen bifariam diviſum, & columnæ, & carunculæ nunc dictæ a quibuſdam piſiformes. De his quiddam. XV. *12.* XXI. *29.*
Hyoidis oſſis ligamentum ſuſpenſorium num cum Weitbrechto negandum. LXIII. *14.*
De eodem, & de oſſiculis, ipſi, aut brevi alii hyoidis ligamento innatis, quædam. Ibid.
Hypochondriaca affectio quodnam ſæpe maximum afferat detrimentum. LXIV. *16.*
Hypochondriorum querelæ non ſemper a Medico ſunt negligendæ. XLV. *27.*
Hypochondriorum dolor aliquando eſſe poteſt aut a ſubjectis aut a ſuperpoſitis Partibus. XXXVI. *21.*
Inde aſcendens aura, & alia ejuſmodi interdum in organicis thoracis morbis decipiunt. XVIII. *17. 18.*
Hyſtericæ affectiones quid proprie ſint. XLV. *17. 20. 27.*
quid potiſſimum commune habeant cum hypochondriacis. Ibid. *17.*
num adeo evidens ſit, ut nonnulli contendunt, has ab illis eſſe omnino diſtinguendas. Ibid. *20.*
utrarumque inſultus quidam periodici quomodo per opium fuerint præoccupati. Ibid. *17.* & ſeqq.
Hyſterici inſultus per quæ interdum fuerint excitati. Ibid. *20.*
Hyſtericæ mulieres. De quibus earum minus deceat Medicum eſſe ſecurum. Ibid. *27.*
Quæ ex ejuſmodi affectione dicebatur mortua, an revera mortua eſſet, quot, quibuſve modis ſit exploratum. Ibid. *23.*

I

Ictericorum ſanguis non ſemper eſt fluidus. XXXVII. *6.*
aliquando fellis inſtar flavus vel olim inventus. Ibid. *7.*
Cerebrum, oculorum humores, & cornea cur ſine ulla flavedine ſæpius ſint. Ibid. & ſeqq.
Quid Veteres, & quoſdam alios moverit, ut objecta ictericis flava apparere, crederent. Ibid. *8.*
ſunt aliqua, ſed rara ejuſmodi exempla, & unde. Ibid. & ſeq.
Icterus quomodo ab animi affectibus inducatur. XXXVII. *3.*
num cachectici, & phlegmatici ab eo ſint immunes. Ibid. *9.*
unde olim ortum ſit quoddam de icteri cauſa Helmontii commentum. Ibid. *7.*
quomodo augeatur in ſanguine materia bilis, icterum faciens. Ibid. *9.*
cauſæ, bilis viam ab hepate ad inteſtina impedientes. Ibid. *10. 33.* & ſeqq.
quis monuerit, non ſatis eſſe ad icteri productionem Cyſticum meatum obſtrui, niſi & Communis obſtruatur. Ibidem.
quomodo hoc obſtructo, icterus tamen aliquando non fiat. Ibid. *34.*
a morſu viperæ icterus quando ob eam obſtructionem fieri credendus ſit. Ibid. *10.* Vid. etiam Vipera.
ab hepaticis calculis quando fiat aut non fiat. Ibid. *11.* & ſeqq.
quomodo nonnunquam alterum dumtaxat inficere potuerit corporis latus. XI. *14.*
Cauſarum a quibus fieri icterum recens natorum, conjiciunt, examen. XLVIII. *60.*
Jecur duplex obſervatum. XLVIII. *55.*
ſingulari figura. XXXVIII. *42.* LXV. *8.*
ſulci in ejus convexa facie interdum occurrentes, unde fortaſſe originem habeant. LVI. *17.*
Jecoris tum ſani, tum morboſi inſolitas in ſedes extenſio non ignoranda: & ſani quomodo conjicienda. XXXVI. *3.*
arteria. Vid. Hepatica.
craſſa vena, ab eo pertinens in Emulgentem catellæ. XL. *14.*
ab eo ad inteſtina via ſemper patens male in quibuſdam explicationibus omiſſa. XXXVI. *10.*
ab eo vitiato quæ detrimenta. Ibid. *26.*
Jecur quaſi elixum in quibus ſit obſervatum. XLV. *22.*
ejus lobuli glanduloſi vi morbi evidentiores a quonam olim obſervati. XXXVIII. *31.*
quæ detrimenta inde, & cur. Ibid.
rete albidum quo ii lobuli intercipiuntur, vi morbi in ſue craſſius factum. Ibid. *42.*
Jecur quomodo deglutitionem facere difficilem poſſit. XXVIII. *17.*
Eo tumente, cur ſæpius, non ſemper, ſplen tumeat. XXXVI. *26.* & ſeqq.
imo cur nonnunquam exileſcat. Ibid. *27.*
Ejus tumor quomodo eſſe in abdominis muſculis aliquando videatur. XXXVI. *6.*
Ejus abſceſſus. De veſiculis in hoc interdum incluſis quædam attinguntur. Ibid. *9.*
ex capitis vulneribus non viſus, ut credunt plures, a Ballonio. LI. *22.*
quæ fallaciæ eſſe poſſint in eo tunc prædicendo. Ibid. & *23.*
Ejus abſceſſus per diaphragma in thoracem apertus. XXXVI. *4.*
in ventre diſrupti ſigna in pleriſque Obſervationibus Anatomicorum minus diligenter ſunt adnotata. Ibid. *5. 6.*
num diſruptio ſit per motum acceleranda. Ibid. *6.*
quomodo ſanatus ſit. Ibid.
Jecoris calculi. Vid. Hepatici.
Jecoris Cyſtis in tranſverſum, & tota extra jecur locata. XXIV. *16.*
quaſi in duas diviſa. XXIX. *18.*
ſine ullis bilis vaſculorum quæ ad ejus fundum pertinerent, indiciis. XXIV. *16.*
In Obſervationibus, & Experimentis quibuſdam circa illam habitis quis ſubeſſe errror poſſit. XXXVII. *21.*
Cyſtis meatus apud Veteres ductum cyſticum non ſignificat. Ibid. *33.*
Cyſtis nimiæ plenitudinis quam variæ cauſæ eſſe poſſint. LVIII. *3.*
Cyſtis a quibus olim, & poſtea inſigni magnitudine ſit deprehenſa. XXXVII. *13.*
quid in hujus vitii diagnoſi poſſit imponere. Ibidem.
Cyſtis bilis tinctura, quæ ſæpius in cyſtis vicinia reperitur, num, & quando noxia eſſe queat. XXX. *19.* & ſeqq.
Cyſtis bilis ſine ullo colore, aut albicans a quibus olim, & deinceps obſervata ſit. XXXVIII. *42.*
Cyſtis quæ detrimenta ab innaſcentibus calculis poſſit capere. XXX. *20.*
Cyſtis calculi. Vid. Cyſtici.
Jejunium. Vid. Abſtinentia. Famelici.
Jejunium quæ ætates magis, aut minus ferant. XXVIII. *6. 7.*
exempla quædam ex Romana hiſtoria. Ibid. *7.*
Fernelii Obſervatio, quæ obſtare videtur, explicata. Ibid.

Jejunio extincti. Quæ in eorum obſervationibus ſint attendenda. XXVIII. 4.
mulieris ſic extinctæ ſymptomata. XVII. 25.
catuli ſic extincti ſymptomata, & diſſectio. XXVIII. 5.
Ilei inteſtini diverticula alia a natura, alia a morbo. XXXIV. 16.
cur in Ileo potiſſimum hæc fiant, & propius ejus finem. Ibid. 17.
Inteſtinum hoc a duobus globis plumbeis quomodo tribus in locis potuerit vulnerati. LIV. 21.
Iliaca vena lateribus inter ſe ex parte coaleſcentibus contracta. LVI. 10. 11.
oſtio per quod in Cavam influit, pene obcæcato. Ibid.
Iliaca paſſio. Vid. Volvulus.
Ilium oſſis margo in fragmenta diſruptus non ſemper lethalis. LIV. 5.
certo loco tenuitas in abſceſſibus, & vulneribus attendenda. LV. 18.
Imperforatæ mulieres quæ, & quando non incidendæ. XLVI. 12. 13.
quando maxime, vel olim, inciſæ. Ibid. 12.
Indices librorum perpetui quomodo facilius, & commodius poſſint confici. Præfat. n. 18.
Infantium morbi. Quanta ſit eorum obſervandorum neceſſitas. XLVIII. 58.
Quinam ſint, & cur ſint recens natorum peculiares. Ibid. 59.
Horum exempla, novis etiam quibuſdam conjecturis ex parte illuſtrata. Ibid. 60. & ſeqq.
Quomodo inſtituendæ, perquirendæ, & in unum corpus compingendæ ſint eorum Obſervationes. Ibid. 64. 65.
Inflammationes pulmonis, & jecinoris facile interdum altera alteram mentiri poſſunt. XX. 31.
Inflammationum tempore productæ quædam quaſi telæ, Partibus interjectæ, quando ſanguiferis vaſculis præditæ eſſe queant. LXIX. 12.
Inſectorum hiſtoriæ ſtudium Medicos variis in caſibus reddidit cautiores. XLII. 6.
Inteſtina quæ cauſæ, præſertim in Aſcite, connectant inter ſe, aut cum peritonæo. XXXIX. 30.
eorundem per duram ſubſtantiam connexorum exempla. Ibid. & 32.
eadem in quodam fœtu ſurſum retracta. XXXIX. 28.
ex iiſdem coacervatis in magnum globum rari cujuſdam Tumoris Obſervatio. Ibid. 21. & 26. & 29.
unde in poſterum dignoſci queat, ſigna inquiruntur. Ibid. 28.
& cauſæ. Ibid. 31.
Inteſtinorum externæ faciei quomodo adhærens lac videri potuerit. L. 38.
color hic illic ex rubro lividus interdum fieri poteſt poſt mortem. XIX. 18.
itaque videndum, & quomodo, ne decipiat ſpecie prægreſſæ inflammationis. Ibid.
inflammatio cur ſæpe uſum magnorum auxiliorum ſuſpectum faciat. XXXV. 3. & ſeqq.
an eſſe poſſit ſine febri, & dolore, & plerisque aliis pervulgatis ſignis. Ibid. 20. & ſeqq.
abſentibus his ſignis, quibus ex indiciis ſit conjicienda. Ibid. 21. & ſeqq.
Inteſtinis nulla fortaſſe Pars facilius, ac citius fit gangrænoſa. XXXV. 5.
an accidere id poſſit nulla prævia inflammatione, aut hujus ſaltem præcipuis ſignis. Ibid. 19. & ſeqq.
quibus ex indiciis ſit tunc conjicienda. Ibid. 21. & ſeqq.
poteſt ſphacelus nonnunquam eſſe, nec tamen dolor ceſſare, & cur. Ibid. 23.
Inteſtinorum dolore remittente, aut abſente, quantum nonnunquam periculi ſubſit. XXXV. 13. & ſeqq. & 23.
cum dolor adeſt, quid inquirendum. XXXIV. 16.
in Tenuibus inteſtinis ſit, an in Craſſis cur facile dignoſci nequeat. Ibid. 2. & ſeq. XLIII. 22.
doloris plures cauſæ in hernia incarcerata. XXXIV. 5.
contorſio, & intuſſuſceptio. Vid. Volvulus.
Inteſtini fracidi perruptionem, & putridæ proluviei in ventris cavum effuſionem repentina mors ſtatim conſequitur; non tamen ſemper. XXXV. 15.
Inteſtinorum polypoſæ concretiones obſervatæ. XXI. 20.
etiam a Veteribus. XXXI. 18.
unde, & quomodo gignantur. Ibid. 17. 18.
quinam hoc pridem indicaverint. Ibid. 18.
membraniformes tamen poſſunt nonnunquam eſſe veræ membranæ, & quomodo. Ibid. 20.
unius, cum graviſſimis ſymptomatibus prodeuntis, hiſtoria. Ibid. 19. LXV. 6.
carnem referentes poſſunt interdum eſſe veræ, aut ex polypo, & carne miſtæ excreſcentiæ. XXXI. 21.
unius facile ex hoc genere, non ſine magnis incommodis exeuntis, hiſtoria. Ibid. 22.
Inteſtinorum calculi a quo tempore, & a quibus cœpti ſint adnotari. XXXVII. 41.
cur quidam cyſticorum pro inteſtinabilibus accepti videri poſſint. Ibid. 24.
quid tamen contra dici queat. Ibidem.
quæ attendenda, ne ille error admittatur. Ibid. 45. & ſeqq.
Inteſtinorum valvula Bauhini. Vid. Valvula.
motus periſtalticus Vetuſtiſſimis notus. XXXIV. 31.
motus periſtalticus, & alterne antiperiſtalticus in quo præſertim animalium genere ſe obtulerit. Ibidem.
Inteſtinorum Tenuium Vulnera. De horum diagnoſi, & prognoſi. LIV. 32.
Inteſtinorum Appendicula Vermiformis quomodo ſola facere poſſit oſcheocelem. XLIII. 3.
Appendices alias, ſeu Diverticula qui obſervaverint. XXXIV. 16. & ſeq.
Alia circa ipſas obſervata. Ibid. & 18.
etiam in anſeribus. Ibid. 17.
Quibus in inteſtinis rarius, aut frequentius, & quo loco occurrant. Ibid.
Unde originem habeant. Ibid. 16.
Inteſtinum Colon ſitu minus frequenti. Vid. in Tertio Indice Colon.
Quinam antea adnotaverint. XXXIV. 3.
Ejus rei cauſæ. Ibidem.
Coli pars intra thoracem inventa. LIV. 11.
Inteſtinum Rectum. Ejus Prolapſus nulla extat anatomica Obſervatio. XXXIII. 1. 15.
In illis qui huic morbo fuiſſent obnoxii, quænam eſſent ab Anatomicis quærenda. Ibid.
Conjunctarum ejus cauſarum inquiſitio, & examen. Ibid. 3. 4. 8. 15.
Inſtrumentorum, & remediorum aliorum examen in curatione palliativa. Ibid. 7. 13. 16.
& non palliativa. Ibid. 10. & ſeqq.
Inteſtini ejuſdem vitium graviſſimum, minus in vulgus notum. XXXII. 6. & ſeqq.
Ejus vitii eradicativa curatio cur non poſſit inſtitui. Ibid. 8.
palliativa quomodo inſtituenda. Ibid. 9.
Ejuſdem inteſtini ulcera qualia ſint ſæpe. Ibid. 13.
excreſcentia dum excideretur, quid acciderit. L. 50.
Joerdenſius, Chr. Frid. ex Cæſ. N. C. Academ. laudatus. XXIV. 28.
Iſchiades quæ perſanari non poſſint. LVII. 5. 9.
In quibus juvare poſſint mites uſtiones. Ibid. 5.

Quid poſſint aliquando clyſteres, & quales, & cur. Ibidem.

Quid eductio ſanguinis ex hæmorrhoidibus. Ibid. 6.

Iræ artheticæ vires in ſcirrho, ut videbatur, uteri diſcutiendo. XXXIX. 35.

quibus ea non conveniat. Ibid.

Jugularium venarum Externarum pulſatio a Galeno animadverſa eſt. XVIII. 11.

Quæ ſint attendenda, ne fallamur in ejus cognitione. Ibid.

Quot ex cauſis poſſit accidere. Ibid. 9. & ſeqq.

Quando ſit a cordis ventriculi dexteri, & quando ab hujus auriculæ contractione. Ibid. 12.

Signum ne ſit dilatatorum dexterorum cordis cavorum. Ibid. 9. & ſeqq.

Quæ attendenda ſint, ne in hoc decipiamur. Ibid. 11.

Signum eſt circulationis ſanguinis per dextera cordis cava minus expeditæ. Ibid. 10.

Jugularium earundem venarum in vivis canibus ligatarum experimentum. XIX. 29. 31. 32.

Earundem in iiſdem turgentia in exſpiratione, ſubſidentia in inſpiratione obſervata, aut contra. Ibid. 33. 34.

De earundem in apoplecticis ſectione. II. 10.

Earum altera in tres per collum diviſa, inſulas faciebat duas priuſquam in unam rediret. LXVIII. 6.

Jugularium venarum Internarum in vivis conſtrictarum experimentum memoravit Ariſtoteles. XIX. 21.

in vivis hominibus id quomodo ipſe, aut alii intellexerint, difficile eſt exponere. Ibid. 22.

num Hippocrates hoc experimentum indicaverit. Ibidem.

num in experimento hoc credere liceat, venas dumtaxat fuiſſe conſtrictas. Ibid. 37.

idem a Galeno repetitum eſt experimentum. Ibid. 24. 29. 31. 32.

idem a paucioribus, quam vulgo creditur, iteratum, & quid viſum fuerit. Ibid. 31. 32.

ab harum venarum conſtrictione num mors ſtrangulatorum. Ibid. 29. 35.

Jugularium venarum Externarum, & Internarum ſimul in vivis canibus ligatarum experimentum. XIX. 32.

unde varius Noveſio, & Lowero experimenti ſucceſſus. Vid. Loweri.

Junckerus, Jo. P. Prof. Halenſis, laudatus. XXXIII. 4.

de Juſſieu, Ant. ex R. Sc. Acad. Pariſienſi, laudatus. LIX. 33.

K

KAavius Boerhaavius, Abr. pridem ex Imp. Petropolit. Academ. laudatus. IX. 19. XXIII. 17. 18.

Kaltſchmiedius, Car. Frid. Prof. P. Jenenſis, laudatus. XIII. 6. L. 57. LIV. 37. LXV. 7. 10. LXVII. 3.

Kannegieſſerus, Gottl. Henr. Prof. P. Kilon. laudatus. XLVI. 12. XLVIII. 13.

Kellnerus, Wilh. Andr. pridem ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XVI. 45. XLII. 7.

Kerckringii Obſervatio quædam unde emendanda. XII. 11.

de viſione, poſt expreſſos omnes oculi humores, ab ſe reſtituta narrationes oblivioni mandatæ. LII. 40.

Keſſelringius, Jo. Henricus, laudatus. XLII. 35.

Kieslingius, Chriſtian. Gothilf. laudatus. LXV. 20. LXVII. 16.

Koch, Daniel, laudatus. XLIII. 14.

Koehlerus, Jo. Petrus Franc. laudatus. VIII. 31. XXIX. 19.

Kramerus, Jo. Georg. Henr. Copiar. Cæſ. Medic. Primar. laudatus. XX. 52.

Krugerus, Jo. Gottl. pridem P. Prof. Helmſtadienſ. laudatus. XLII. 19.

Kulbelius, N. Medicus Pirnenſ. laudatus. XXXIV. 35.

Kulmus, Jo. Adam. pridem Prof. P. Gedanenſis, laudatus. XXVII. 19. L. 57. LII. 39.

Kundmannus, Jo. Chriſt. ex Cæſ. N. C. Academ. laudatus. XIX. 44. LIX. 5.

L

LAbrum a diſrupto dente transfixum cur ſanari cito non poſſet. LII. 42.

Lac in Virginis integerrimæ diſſectione obſervatum. XVI. 24.

Lac muliebre quæ abigant remedia. L. 38.

in medicina cur ſæpe minus proſit. XXII. 27.

Lacrymalis Caruncula non eſt glandula ſebacea, niſi ſuperficie tenus. XIII. 27.

Lacrymationis naturalis explicatio. Ibid. 26.

præternaturalis a calculo Carunculæ Lacrymalis explicatio. Ibidem.

cauſæ aliæ. Ibid. 27.

quænam curabilis, aut non. Ibid. & 28.

Lactentium felium ventriculus lac habuit ſemiconcretum. XIX. 42.

Lacteæ venæ. Vid. Chylifera.

Laghius, Thomas, Profeſſor P. Bononienſ. laudatus. LX. 14.

Lalovette, Petrus, Medicus Pariſien. laudatus. L. 37.

Lamurius, N. ex R. Sc. Soc. Monſpel. laudatus. XIX. 24. 31.

Lamzwerdii liber de Molis Uteri infrugifer maxima ex parte. XLVIII. 10.

Lanarii ex pulmonibus ſunt morbis, aut morti obnoxii, & cur. X. 18.

Lanciſius, Archiater olim Pontif. laudatus. XII. 9. XVII. 5. XXVI. 2. XXXI. 18.

defenſus. XVII. 5.

ejus Opus de Mot. Cord. & Aneuryſm. Operæ vitiarunt. Ibid. 4.

in eo Opere, cui ultima non acceſſit manus, quædam non ita facile probanda. XVIII. 5.

cyſtim felleam inſigni longitudine vidit. XXXVII. 13.

carunculas urethræ non niſi in Seminali tumente, eſſe docuit. XLII. 38.

Langhanſius, Daniel, laudatus. XI. 12. XIX. 44.

Langguth, Georg. Aug. P. Prof. Vitembergenſ. laudatus. XIII. 14. XIX. 9. LXV. 15.

Langius, Gvolfg. Hannib. Medicus Weiſſenburgenſ. laudatus. XLVII. 27.

Lanzoni Obſervatio explicata. XXXVII. 50.

hallucinatio. XLII. 21.

Larber, Jo. Medicus nuper Celſiſſ. Principis, & Epiſc. Trident. laudatus. LXIV. 3. LXIX. 17.

Larynx. Vid. Epiglottis.

Laryngis diſſectio quibus in cadaveribus non ſit omittenda. XV. 14.

exulceratio, mentiens pulmonum exulcerationem quibus ſignis internoſcenda. Ibid.

ex Laryngis gravibus vitiis mors ſubita in pluribus obſervata. XXII. 25. XXVIII. 11.

Latina lingua tutius quam patria, doctiſſimi ſcribunt. XVII. 3.

Lavarinius, Jo. Dominic. J. C. Veronenſ. laudatus. XLVIII. 56.

Labbius, Hieron. Reg. Dan. Medic. laudatus. XXII. 19. XXIII. 18. XXVI. 26.

Laufferus, Jo. Jacobus, laudatus. XII. 6. XXX. 11.

Laurenti, M. Ant. Archiater pridem Pontificius laudatus. XVIII. 5.

Ejus Obſervationes. Ibid. 6. & XXXIV. 26. 27.

Leprottus, Antonius, Pontificius olim Archiater, laudatus. II. 16. XIX. 43. XXVI. 39. XLVIII. 61.
Ejus Obſervationes. II. 16. XLVIII. 62.
Lethargum faciens apoſtema feliciter per nares expurgatum. VI. 5.
Lien duplex inventus. XXXVII. 30. XXXVIII. 34. LXIV. 2. LXVII. 11.
propemodum duplex. XVI. 34.
Lienis prolapſi Obſervatio. XXXIX. 42.
qui id olim, & poſtea viderint. Ibid. 44. 45.
prolapſus cauſæ. Ibid. 43. 44.
ſignorum inquiſitio, & examen. Ibid.
eorum quæ Riolanus docuit, exceptiones quædam. Ibid. 44.
de curatione quis ſcripſerit. Ibid. 46.
Lien mole maximus a quibus olim, & poſtea viſus. XXXVI. 18.
mole auctus in pluribus poſt febres diuturnas. XX. 2. 31. 52. XXXI. 2. XXXVI. 17. 18. & cur. XXXVI. 18.
exiguus quas ob cauſas eſſe poſſit. XXX. 15. XXXVI. 27.
Liene tumente, cur ſæpius, non ſemper, tumeat jecur. Vid. Jecur tumens.
Lienis tumor cur a largo ſanguinis vomitu creverit. XXXVI. 13.
oſſeæ, aut lapideæ concretiones a quibus olim viſæ. Ibid. 14.
crebrius ſunt in ſenibus, quam in juvenibus, & extra, quam intus, & in gibba facie, quam in ſima. Ibid. & 16.
quædam deſcribitur. Ibid. 16.
Lien, totus oſſeus, an lapideus factus, deſcribitur. Ibid. 14. & ſeqq.
quæ incommoda homini afferet. Ibid. 15.
quomodo aliquando id fiat. Ibid. 16. LXV. 11.
Lienteria quomodo fiat. XXXI. 4. 13.
Lieutaudius, N. ex R. Sc. Acad. Pariſ. laudatus. LII. 26. LXV. 11.
Ligamenta. De his doctrina adhuc perficienda. LVI. 37.
Linguæ craſſiores papillæ pro tuberculis præternaturalibus a Chirurgo acceptæ. L. 26.
pars inciſa, & pendula, nullo modo loquelæ offecit. LII. 43.
particula vermiformis, quæ ſecundum naturam in canibus eſt, diligenter deſcribitur. VIII. 34.
Lithontriptica alia ex acidis, alia ex alkalicis, alia ex utriſque. XLII. 19. Vid. etiam Calculi, & Veſicæ Calculi.
Littrii ſententia circa ſubmerſos perpenditur. XIX. 44.
circa tympanitis cauſam. XXXVIII. 23. & ſeq.
circa lipoma a ſteatomate ſeparandum. L. 22.
Livii hiſtorici quidam loci, ad apoplecticas, aut paralyticas affectiones ſpectantes, expoſiti. III. 17. XI. 21.
Livoris cadaverum, in dorſo præſertim, cauſa. XIX. 3. & ſeqq.
Louiſius, Chirurgus Gallus, laudatus. LVIII. 7.
Loweri experimentum quoddam cur aliter ipſi, aliter Noveſio ſucceſſerit. XIX. 32.
du Luc, Chirurgus Gallus, laudatus. XXX. 13.
Ludwig, Chriſt. Gottl. P. Lipſienſis Profeſſor, laudatus. LVI. 15. LXVIII. 4.
Lumbares arteriæ plures continenter pro geminis ſimplices. LXX. 10.
Lumbi ſiniſtri mollis, & modo magis, modo minus apparens, tumor a ſplene tumido, & laxiſſimo. XXXVI. 29.
ejuſdem tumor a maximo interno aneuryſmate. XL. 26.
Lumborum doloris quædam cauſæ indicantur. XVI. 41. XVII. 24. XL. 11. 28.
quomodo a veſica oriri poſſit. XL. 5.
quomodo ab ulcere abdominis interno ad iliacam regionem. Ibid. 10.
renibus vel peſſime affectis, abeſſe poteſt. XLII. 2. & ſeqq. 13. & ſeq. & 20.
Lumborum dolores quos mors repentina eſt conſecuta. XL. 27. 28.
Lymphæ ductuum inventio num in hydrope prognoſim, & curationem non mutaverit. XXXVIII. 7.
cur illi haud raro in hydropicis turgeant. XVI. 5.
illos in his quærere ad quid utile eſſe poſſit. XXXVIII. 7.

M

Macies unde frequentius oriatur. XLIX. 19.
ſumma in quo conſiſtat. Ibidem.
eo confectis cur durior ſit cutis. Ibid. 17.
in horum aliquibus quæ ſint obſervata. Ibid. 18. & ſeq.
Magati, Cæſaris Curatio inedita. I. 9.
Magnetis uſus in extrahendis ferreis ſcoriis, infixis oculo, aut cuti. XIII. 21. 22.
quid in eo uſu animadvertendum ſit. Ibidem.
Maloetius, Petrus, ex R. Sc. Acad. Pariſien. laudatus. I. 9. XXI. 48. XXII. 21. XXVI. 23. XLIX. 60. LXVIII. 3.
Maloüinius, Paul. Jac. ex R. Sc. Acad. Pariſ. laudatus. L. 38.
Malpighii loci defenſi. XVII. 4. XVIII. 12.
Conſilia Medica quot, & qualia. XVIII. 16.
inedita diagnoſis, & Obſervatio tophacei pulmonis. XV. 24. & ſeqq.
inedita diagnoſis morbi organici. XVIII. 17.
opinio de tuſſi quadam. Vid. Tuſſis.
Mamillarum quoque virilium tumores obſervati. L. 44. 45.
Mammarum dolores in earum glandularum tumoribus cur ſint acerbiſſimi, cauſa quædam non probata. XXXIX. 11.
tumores, lactis tempore nati, num omnes ſanari poſſint. L. 39.
num cæteri in cancrum degenerent. Ibid.
orientium morantibus menſtruis, & his prodeuntibus, evaneſcentium Obſervatio. Ibid.
continentium oſſeam materiam Obſervationes. L. 41. 43.
& calculoſam, ſive tartaream. Ibid. 44. 45.
unius ex his cauſæ, & curatio. Ibid. 46.
cancros retardans auxilium. XXXIX. 35.
Mamma tumida, & exulcerata, quomodo paulatim exciſa. L. 16.
Manfredius, Heraclitus pridem ex Bonon. Inſtit. Sc. Academia laudatus. IV. 25. XXVI. 28. XXX. 9. 15. 17. XXXIX. 18. 43.
Ejus Obſervationes. XXVI. 29. XXX. 10. 16. XXXIX. 39. 41. 42.
Mania facile interdum curata. VIII. 5. 7. 10.
Maniæ exemplum ſuccedentis febri autumnali non intermittenti, imo hydropi, & illius curatio. Ibid. 10.
Maniaci. In iis qui duriores, craſſioreſve meninges invenerint. Ibid. 13.
de Marchettis, Petrus, Petri Equ. nepos, pridem ex S. Medicor. Collegio Patav. laudatus. XXX. 7. XXXVI. 30.
Marcotius, N. ex R. Sc. Societ. Monſpel. laudatus. XII. 5.
Marianus, Laur. olim in Placentina Aula Medicus laudatus. XXVII. 8. XXX. 13 XLII. 22. 24. & ſeqq. XLVI. 6. LXIV. 14. LXVIII. 10.
Ejus Obſervationes. XXVII. 8. XLII. 25.
Martiani quædam minus probanda. XXI. 37. 39.
Martinettus, Caſp. Deſid. Medicus Ravennas, laudatus. V. 12. XV. 22.
Matanus, Ant. Medicus Piſtorienſis, laudatus. L. 10. LXIV. 14.
Matthias, N. laudatus. XXXIX. 3.
Matthioli hallucinatio. XXXVII. 11.

Mauchartus, Burcard. David, P. Prof. Tubingenſis, laudatus. XIII. 18. XXVIII. 15. 16. LVI. 37.
Mauchartus, Jo. David, olim ex Cæſ. N. C. Acad. laudatus. XVI. 37. XXXIV. 22. XXXVIII. 64.
de Maupertuis, Petrus Ludovic. pridem R. Sc. Acad. Berolinenſ. Præſes, laudatus. LIX. 25. 28. 41.
Maurer, Jo. Georg. Medic. Princ. Furſtemb. laudatus. XXXVI. 35.
Mauroceni, Andr. Senatoris olim & Hiſt. Veneti morbus, & diſſectio. XXXVI. 35.
Mauroceni, Fortunati, Brix. Epiſcopi rariſſimus morbus, & diſſectio. XXXIX. 21. & ſeqq.
Maurocenus, Michael Eques, & Ampliſſimus, dum viveret, Senator Venetus, laudatus. XXXIX. 21.
Maxilla inferior in quibus facilius frangi poſſe videatur. LVI. 21.
 ejus cartilaginem interarticularem ex duabus non conſtare, confirmatur. Ibidem.
May, Jo. Chriſtoph. laudatus. XIII. 18. XLII. 32.
Mayer, Jo. Ignat. P. Prof. Pragenſ. laudatus. XLV. 20.
Mazzucchellius, N. Prof. Ticinenſ. laudatus. LXI. 13.
Mead, Richard. ex R. Londin. Societ. laudatus. VIII. 19. 20. 24. XLII. 28. LI. 10. LIX. 4. 9. 22. 26. 29. & ſeqq. 33. 35.
Meckel, Jo. Frideric. ex Reg. Sc. Acad. Berolin. laudatus. XIII. 5. XIV. 28. XVIII. 4. LIII. 6. LXIV. 4. 14. LXVIII. 13. & Præfat. ad libr. 5.
Mediaſtini inflammationes qui olim viderint, aut per ſigna conjecerint. XXI. 46.
 in ejus cellulas effuſi ſanguinis exempla. XXVI. 39. 40.
 ab eo dolores cur potius ad ſternum, quam ad vertebras, cum ad utraque alligatum ſit. XX. 12. XXI. 46.
Mediavia, Nicolaus, ex S. Patavino Medicor. Collegio, & pridem in Gymnaſio Profeſſor, laudatus. V. 14. VIII. 14. 22. XIII. 8. XIX. 34. XXX. 11. LII. 9. LIII. 28. LXIV. 6. 12.
 Ejus Obſervationes. V. 15. VIII. 15. 23. 25. IX. 14. 23. XIV. 4. & ſeq. XV. 12. 15. XVI. 28. XXVII. 13. XXX. 11. XXXVI. 25. 29. XXXVIII. 51. & ſeq. XLIII. 25. XLVIII. 54. & ſeq. XLIX. 23. 24. 26. L. 19. 20. 55 LII. 10. 11. 15. 19. 23. 25. LIII. 29. LV. 20. LVII. 17. 19. LIX. 3. 12.
Medicinæ faciendæ ſumma difficultas unde ſit. IX. 26.
Medulla Spinalis. Vid. Spinalis.
Meekrenii hallucinatio. XXV. 23.
Meibomii, Henr. hallucinatio. XLI. 9.
Membranæ falſæ unde fiant. XX. 37.
Menghinus, Vincentius, pridem Bonon. Prof. P. laudatus. XXXIX. 41. LXVI. 4.
Menſtruorum cauſa num in felle. XX. 34.
 ſcaturiginem in utero ipſo eſſe, confirmatur. XLV. 7. 23.
 illis imminentibus quomodo uterus ſe haberet. XVI. 34. XLVII. 23.
 ſerius incipientium quænam poſſit aliquando eſſe cauſa. XLVII. 3.
 cur nihil tunc a Medico agendum. Ibidem.
 imminutionis an cauſa eſt nimius ſubditi ſibi a mulieribus ignis abuſus. XXI. 29.
 an creber potus frigidiſſimæ aquæ. XLVII. 5.
 in eorum emanſione, aut ſuppreſſione qualis ſæpe ſit ſanguis. Ibidem.
 cientibus menſtrua remediis quando, & quibus ſit, aut non ſit locus. Ibid.
 quando nullis. XLVII. 6.
 in eorum nimio, aut diuturno fluxu quæ bene ceſſerint quibuſdam. Ibid. 7.
 eorum tempore quidam abſceſſus, ferme percurati, ſæpe exacerbantur. XXXVI. 17. 18.
Merclini in Annot. ad Pandulphin. hallucinatio. LV. 17.
Mercuriali hic viſa puella, clauſo ano edita, centum annos vixit. XXXII. 3.
Meryi oblivio quædam. XLI. 12.
 etiam in re ſua. XLIV. 11.
Meſenterii ad centrum in quodam glandulæ valde oblongæ, & magnæ conſpectæ. V. 17.
 glandulæ in decrepita quadam grandiuſculæ. XLVII. 24.
 ſive tumentes, ſive evaneſcentes maciei cauſa eſſe poſſunt. XLIX. 19.
 cur in tumorem ſanioſum mutatæ. XXXI. 3.
Meſenterii tumores an priſcis Medicis noti. XXXIX. 6.
 a quibus primum memorati. Ibid. & 7.
 num certæ quædam Anatomicorum hallucinationes in his tumoribus dignoſcendis credibiles ſint. Ibid. 11.
 tumores valde mobiles num eſſe poſſent in Aſellii pancreate, ſi hoc in homine eſſet. Ibid. 22.
Meſenterii tumores quomodo interdum immediate ſubſint anterioribus ventris parietibus. XXXIX. 22. 23.
 tumor ingens, & in ſcrotum productus. Ibid. 2. 3.
 effectuum ejuſmodi tumorum explicatio. Ibid. 4. 6.
 num inter illos dolores ſint, & ſiquando ſint, ad inteſtina, non ad meſenterium, attineant, Ibid. 6. & ſeqq. & 10.
Meſenterii vulnera quomodo, & quando ſint lethalia. LIV. 34. & ſeqq.
Michelottus in anaſarca utiliter uſus eſt data juvencæ urina. XXXVIII. 30.
Michinus, Franc. num ullas proprias ediderit Obſervationes. XVI. 32.
Militia, Dominicus. Medicus pridem Neapol. laudatus. XXX. 7. XXXVII. 13.
Moehringius, Paul. Gerh. ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XLVIII. 17.
Molæ uterinæ in legitimas, & ſpurias dividuntur. XLVIII. 11.
 Utrarumque materia, & ſubdiviſiones. Ibid. & 13.
 quomodo internoſcantur. Ibid. 10. 13.
 Quænam ſine viri congreſſu poſſint eſſe, & quando; aut non poſſint. Ibid. 11.
 Quæ perpendenda antequam illud negetur, in viduis præſertim. Ibid. 13.
 Quæ addenda ad Ruyſchianas molarum Obſervationes. Ibidem.
 Veſicularium Obſervationes aliæ. Ibid. 14.
 etiam in canis utero. Ibidem.
 Quarundam ob certum prodeundi tempus, certamque conformationem ſpectabilis Obſervatio. Ibid. 12.
Molæ uterinæ. De earum ſignis. XLVIII. 9. 10.
 Quomodo abortum afferant. Ibid. 11.
Molinarius, Jo. Bapt. laudatus. III. 30. XVI. 48. LV. 15.
Molinellius, Petrus, Medicus olim Bonon. laudatus. IX. 4.
 Ejus Obſervatio. XXXV. 17.
Molinellus, Petrus Paulus, P. Prof. Bononienſ. laudatus. IX. 21. XIII. 28. XXIV. 29. XXV. 20. XXX. 13. XXXI. 22. XXXIX. 15. L. 8. LI. 22.
Molinetti opinio defenſa. XIV. 38.
Monnierius, Medicus ex R. Sc. Acad. Pariſ. laudatus. LIX. 14.
Monſtrum vitulinum gemino capite, collo, corde &c. XIX. 48. XLVIII. 57.
Monſtra alia humana, obſervata. XII. 7. XLVIII. 48. & ſeqq.
 num ex imaginationis maternæ vi. Ibid. 52. 54.
 num ex duobus fœtibus temere connatis. Ibid. 56. 57.
Morandius, Morandus, Medicus pridem Finalenſ. laudatus. LXI. 9.
Morandus, Salvator, ex R. Sc. Acad. Pariſ. laudatus. XIII. 16. XVIII. 9. 11. XXIII. 12. XXVII. 1. 7.

XXXIV.

XXXIV. 15. XXXVII. 18. 23. XXXVIII. 44. XLII. 10. 19. 24. 28. 42. LII. 31. LV. 12. LXVIII. 4.
Morbi Infantium. Vid. Infantium.
Morbi Thoracis. Vid. Thoracis.
Morborum numerus eſt incredibilis. Præfat. ad libr. 4.
mira ſucceſſio. VIII. 10.
aliæ quædam. III. 8. XXIX. 10. XLII. 11.
Qui de his egerint. VIII. 10. in fin.
Morborum ſignis multum plerumque, ſed non ſemper, credendum. LIII. 30.
primæ externæ cauſæ, & occaſiones vel contemptibiles ad illorum diagnoſim ſunt interdum neceſſario ſciendæ. XIII. 23.
abditorum conjecturam quæ minus difficilem faciant, & quæ magis. XXXIX. 16. 17.
ad hos conjiciendos cur plura ſint conjungenda ſigna. Ibid. 40.
& prima tempora attendenda. Ibid. & 44. & XXXVIII. 60.
& quærendum quibus ægri Majores obnoxii fuerint morbis. XXX. 22.
hæreditariorum exempla. Vid. Apoplexia. Vomitus.
organicorum effecta quædam non continua ſæpe decipiunt, ut organici eſſe non credantur. XVII. 26. XVIII. 17. & ſeqq. XXIII. 22.
& quomodo accidat, ut continua non ſint. XVII. 27.
in morbis, præſertim obſcuris, ad quænam remedia non ſint cogendi ægrotantes. XVII. 32.
Morbi poſt perpetuam ab ortu ſanitatem ingruentes, magni. III. 5.
cur graviores a cauſa interna, & præſertim nativa, quam ab externa. XII. 12.
Morbi quem repentina mors conſecuta eſt a diſrupto an jecoris abſceſſu, an Aortæ aneuryſmate, accurata hiſtoria. XL. 28.
Morborum felicis inſtantis ſolutionis indicium. VIII. 10. XLIX. 21.
Morſum avium domeſticarum gravia interdum ſymptomata ſunt conſecuta. LIV. 45.
conſecutorum paſſerculi morſum Obſervatio. Ibidem.
Mortes repentinæ aliis etiam ante hoc ſæculis non infrequentes. II. 2. & ſeqq. XXVI. 1. LXIV. 17.
Mortium repentinarum, eodem etiam tempore contingentium, variæ obſervatæ cauſæ quid populo ſolatii attulerint. II. 4. XXVI. 35.
Sedes earum cauſarum. XXVII. 2.
Qua tempeſtatum conſtitutione Patavii pene quotidiana illarum mortium frequentia fuerit, & cur. III. 11 13. 29. IV. 21.
Quo menſe autem Bononiæ. IV. 12.
Cur & quibus ſæpe contingant in lecto cubantibus. III. 28.
earum quædam a Syncope fuerit, an potius ab apoplexia, quæritur. III. 27. & ſeqq. IV. 22.
a ſuffocatione, an potius ab apoplexia. IV. 25. 27.
Mortis in mutatione decubitus ingruentis cauſa. XX. 18.
Mors ſubita a graviſſimo capitis ictu ſine ulla inventa peculiari læſione. VIII. 15.
Mortua eſſet, an viva mulier, quibus modis ſit exploratum. Vid. Hyſtericæ mulieres.
Mortuorum repente ventriculum cordis ſiniſtrum ſanguine vacuum eſſe, univerſe verum non eſt. XVII. 13.
Muliebris Fluor quos plerumque fontes, & cauſas habeat. XLVII. 11. 19. & ſeqq.
a quibus vel olim pro uteri rheumate habitus ſit. Ibid. 11.
poteſt etiam teneris puellis accidere. Ibid. 15.
quidam quo remedio ſublatus. Ibid. 25.
Mulieris ſepties nuptæ anatome. XXXVII. 29.
Mullerus, God. Guil. ex Cæſ. N. C. Academ. laudatus. XXXVII. 45.
Mullerus, Jo. Matth. ex eadem Academ. laudatus. XLII. 42. LIX. 5.
Muſculi Longiſſimi dorſi in dorſo non ſolent deſinere. LVII. 18.
Muſculorum caro augeri poteſt præter naturam. XVIII. 35.
Muſculus in vivo cane in tranſverſum diſſectus, ſe verſus extrema non contraxit. XIX. 34.
Muſſchenbroeckius, Petrus, P. Prof. Ultraject. laudatus. XXVII. 3.
Myopes, & Presbytæ. De his vitiis quædam. XIII. 19.

N

NAbothi, Mart. excuſatio. XLVI. 18.
Nævi, ut vocantur, materni. XLVIII. 54.
Nani omnes num rachitici fuerint. LVIII. 7.
Nannii, Petri, Profeſſoris olim Bononienſis P. Obſervationes. XIX. 38. XLI. 5.
aliæ illuſtratæ. XXI. 42.
Narcotica. De his quædam. VIII. 5. 7.
Naſi interni Septum in aliis aliter, etiam a primordiis, ſe habere nonnunquam, non eſt a Chirurgis ignorandum, & cur. XIV. 16.
ejus vitii, cum magnum eſt, quænam eſſe poſſint indicia. Ibidem.
quædam quaſi verrucæ, & tubercula glanduloſa obſervata. Ibid. 20.
Polyporum varia natura. Ibid. 17. 18. 20.
& quorum proprie polypoſa non ſit. Ibid. 17.
varia originis ſedes. Ibid. & 20.
cur ex Maxillaribus Sinibus facilius, quam ex aliis, oriantur. Ibid. 17.
de ratione exſcindendi polypos quædam. Ibid. 19.
Ulcera. Vid. Ozænæ.
Vulnera quædam mirifica, ad naſum referenda. LII. 41.
Naſi ſtillicidium diuturnitate perrarum. XIV. 21.
hæmorrhagia epidemica intra 24. horas lethalis. Ibid. 25.
hæmorrhagiæ quomodo cum viſcerum labe conjungantur. Ibid. 23.
num ab eroſo initio Sinus Falcis proveniant. Ibid.
fiunt aliquando e vaſis quæ immiſſo digito poſſunt comprimi. Ibid. 24.
Hinc felix Valſalvæ curatio. Ibid.
Inde colligitur magna interdum in nares tunc immiſſarum turundarum utilitas, exemploque confirmatur. Ibid. 25.
Ubi multo interior eſt apertorum vaſorum ſedes, quæ tentari poſſint. Ibid.
& quæ interdum, & cur non reſpondeant. Ibid.
hæmorrhagiis conſuetis non amplius redeuntibus, quid, & in quibus potiſſimum, agendum ſit. XXVII. 13.
Puris per naſum effluxus non facile e cranii cavea credendus. XIV. 22.
Nebelius, Dan. olim P. Prof. Marburgenſ. laudatus. XLVIII. 42.
Nephritis cur arthritidem ſequatur. XL. 3.
quomodo vel lethales convulſiones inducat. Ibid. & ſeqq.
Nervorum quorundam fibris interjecta pinguedo ſæpe obſervata. LXIX. 2.
& nonnunquam ſanguiferum vas, nec tenue, nec breve. LXX. 10.
quid ex his poſſit argui. LXIX. 2.
Ganglia. De horum ſubſtantia aliquid obſervatum. XII. 14.
Conſtrictio quatenus paralyſim faciat. XI. 18. XXVI. 23.
Fibrarum quæ olfaciendo, audiendo, videndo inſerviunt, inter ſe comparatio. LXIII. 11.

Nervi

Nervi. Optici ubi inter ſe junguntur, num etiam permiſceantur. XIII. 7.
ſejuncti a quibus revera ſint obſervati. Ibid.
ea Obſervatio non obſtat, ſed favet Dan. Bernoullio. Ibid.
læſio intima neque ab oculorum, neque a cerebri ſenſibili vitio obſervata. LVI. 21. LXIII. 8.
alterius qui cæco oculo reſpondet, læſio non ſemper ſupra conjunctionis locum eſt manifeſta. XIII. 7. & ſeqq. LII. 30.
qualis tunc, & quouſque obſervata. Ibid. & LXIII. 6.
cum ea occurrit, non inde oculi marcor eſt repetendus. XIII. 11. LVI. 21.
poteſt cæcitas non ab ipſa eſſe; imo ipſa eſſe poteſt a cæcitate. Ibid.
Nervi Auditorii Portionem Mollem ex Calamo Scriptorio oriri, nec Zerbus, nec Varolius, nec Piccolhominus cognovere. XIV. 14.
ejuſdem utrinque tergemini in acuto auditu dubia eſt Obſervatio. Ibidem.
Nervorum Recurrentium inventio Galeno aſſeritur adverſus Clericum. XIX. 23.
ad Nervos alios, in viventium brutorum collo inciſos, aut ligatos quædam ſpectantia. Ibid.
Quomodo his, aut illis nervis inciſis, canes quidam vocem amiſſam recuperare potuerint. LII. 26.
Nervorum Par Nonum, an potius Quinctum linguæ afferat guſtandi facultatem. XIV. 32.
Brachialium compreſſio ab aneuryſmate cur torporem, doloremve non faceret. XXVI. 23.
Cruralium Poſteriorum uterque unus videtur; ſed eſt duplex. LXIX. 2.
Alterius eorum eroſio obſervata. L. 11. 55.
Nicholſſius, Franc. ex Reg. Soc. Londin. laudatus. XXI. 20.
Niphi hallucinationes in anatomicis Ariſtotelis locis. XIX. 21. LVI. 4.
Nomina Partium Anatomicis uſitata num mutare expediat. LXVI. 14.
Noſocomia quo primum tempore fuerint inſtituta. Præfat. ad libr. 4.
In iis ob leviores morbos diutius cubare periculoſum. XX. 4. XLVII. 33.
Noveſius in iterando quodam Loweri experimento quid cavendum ſibi exiſtimaverit. XIX. 32.
Nuckii hallucinationes. XXXVIII. 46. 50.
quaſi oblivio. Ibid. 59.
Nuptæ, ſi infœcundæ, magno ſæpe morbo obnoxiæ. XXXVI. 17. 18.
Nyctalopia utraque quomodo explicanda. XIII. 19.
quo ſigno a Myop. & Presbyt. vitio internoſcenda. Ibid.
Nympharum muliebrium uſus Dionifianus confirmatur. XLVIII. 44.
In quadam, ſiniſtra nulla, dextera parva. LVI. 18.

O

OBſtetricum præpropera feſtinatio parturientibus multipliciter noxia eſt. XLVIII. 29. 30.
Occipitalis vena. De ejus ſectionum utilitatibus. II. 10.
Oculi membrana Semilunaris num a Vidio olim propoſita. XIII. 25.
in Unguem excreſcere eandem, Obſervatione confirmatur. Ibid.
membrana Pupillaris, ſi ante partum non evaneſcat, quæ mala afferat. LXIII. 11.
humorum Cryſtallini, & Vitrei ſedem cur olim Anatomici nimis introrſum contraherent. XIII. 15.
Oculo obverſantium culicum, aliorumve ejuſmodi ſpectrorum cauſa multiplex, ſive hujus variæ ſedes. XIII. 14.
De luce quæ preſſo oculo apparet, quædam. Ibid.
Oculorum interna inflammatio obſervata. XIII. 21.
externa. Vid. Ophthalmia.
Corneæ tunicæ ulcuſcula, albuginem, aut hypopyum mentientia, quomodo internoſcantur. XIII. 24.
Pupillæ dilatatio, aut conſtrictio quando morbus ſint, aut quando morbi effectus, diſtinguendum, & quomodo. Ibid. 19.
ab ortu occluſio unde eſſe poſſit. LXIII. 11.
Retina tota oſſea facta. LII. 30. 31.
Oſſificationes aliæ intra oculum inventæ. XIII. 9. 10. LII. 31.
Cryſtallini humoris peculiare corruptionis genus obſervatum. XIII. 15. 16.
vitia obſervata, quæ ad Suffuſionem ſunt referenda. Ibid. 15. 17. 18.
opacitas ab ejus aquæ defectu, aut imminutione. Ibid. 14.
De oculi Procidentia quædam. Ibid. 20.
Oculorum cur tot ſint morbi. XIII. 29.
& tam facile accidant. LXIII. 11.
quidam morbi quomodo levati ſint. XLVI. 9.
Vulnera quædam cur ſtatim lethalia. LII. 40.
per quæ nihil, niſi Aqueus humor effunditur, poſt ea perfectam viſionem eſſe poſſe, qui vere olim affirmaverint. LII. 40.
num etiam poſt ea per quæ omnes humores effunduntur. Ibid.
num Cryſtallinus præſertim rurſus ignatur. Ibid.
quinam ante Burrhum, & poſt Burrhum id crediderint. Ibidem.
Oculorum orbitæ inflicta vulnera quam facile poſſint ad cerebrum pervenire. LI. 58.
perveniſſe, unde conjiciatur, & quam utiliter. Ibid.
exempla eorum complura. Ibid.
Odoramenta quæ quibus ægris conveniant, aut non. III. 12. IX. 6.
quænam eum quoque qui olfactu carebat, affecerint. IX. 7.
Oederus, Georg. Chriſtianus, laudatus. III. 17. XIX. 32.
Oeheme, Jo. Bened. Godfr. laudatus. XIII. 5.
Œſophagi cartilaginei facti quis primus facile Obſervator. XXVIII. 15.
hujus vitii num cauſa ſit potus aquæ fervidæ; Ibid.
etiam oſſei facti exemplum ſine impedimento deglutitionis. Ibid.
Oleum amygdalar. dulc. in peripneumonia interdum noxium. XXI. 26. 44.
Olfaciendi vis utraque in nare haud æque vigentis quædam a primordiis cauſæ animadverſæ. XIV. 16.
Omentum cur in aſciticis plerumque corruptum. XXXVIII. 36.
quibuſdam gravidis in tumorem contrahi, quis ante Ruyſchium indicaverit. Ibid. 46.
tumores omenti quomodo interdum, preſſi, dolorem excitent. XXXIX. 23.
Ophthalmiæ cauſæ interdum pro effectibus perperam accipiuntur. XIII. 21. 23.
graviſſimæ exemplum ab adhærente ad Corneam muſcæ ala vix tandem animadverſa. Ibid. 23.
de quibuſdam ad ophthalmiam curandam, arcendamque attinentibus. Ibid. 24.
podagra ſuperveniente, curata. LVII. 9.
Opii major doſis nonnunquam nihil, nonnunquam contrarium efficit ac minima. VIII. 5.

cautus uſus utilis adverſus quaſdam epilepſias. IX. 6. 7.
adverſus quandam pulſuum raritatem, & inæqualitatem. Ibid.
adverſus periodicos paroxyſmos hyſtericos. XLV. 17. & ſeqq.
Opium quomodo augere orthopnœam quandam potuerit. XV. 7.
Os. Vid. Frontis. Hyoides, Sphenoides: Temporum.
Oſſa mollia facta qui primi obſervaverint, & curaverint. LVIII. 6.
qui primi, eorum ſtructuram tunc per anatomen examinaverint. Ibid.
ea ut varia deprehenſa ſit. Ibid. & 7.
de cauſis harum varietatum conjecturæ. Ibid. & LXVIII. 4.
num huc ſpectent rachiticòrum puerorum oſſa. LVIII. 7.
Oſſium excreſcentiæ & tumores. Vid. Exoſtoſ.
ankyloſes. LXIX. 12.
caries interdum eſt ſine fuſco prodeuntis materiæ colore, & quomodo. LV. 18.
num poſſit eſſe aliquando ab internis oſſium ipſorum aneuryſmatibus. LII. 39.
excavationes ab adſitis aneuryſmatibus quando primum ſint animadverſæ. XVII. 3.
fracturæ interdum videri poſſunt quæ nihil ſint niſi epiphyſium ſejunctiones. LVI. 34.
Oſſium fractorum calli incipientis, aut perfecti tempus cur pro certo nequeat definiri. LVI. 28.
unde ſit, quod alii callum oſſe firmiorem eſſe, ajunt, alii negant. Ibid. 29.
Oſſium in articulis, dum moventur, crepitus ab humectatione, an potius ab exſiccatione ſit. Ibid. 34.
unde eſſe poſſit crepitus in articulorum inflexilium quibuſdam ſanationibus. LXIX. 12.
Oſſium præter naturam generatio, ſive oſſificatio. Vid. Aortæ. Arteriarum vitia. Bronchia. Cerebri Dura Meninx, & Falx. Cor. Lien. Oculorum. Pleura. Spinalis Medullæ Arachnoides.
quæ ex his vera ſint oſſa, & quomodo a non veris poſſint, aut non poſſint diſcerni. XXV. 9. XXVII. 20. & ſeqq.
quorum generatio, aut ſaltem incrementum videatur poſſe impediri. XXV. 9. XXVII. 30.
Oſſium, ſive Oſſei ſucci recentes quaſi effuſiones obſervatæ. XXVII. 4. LVI. 21.
apud quos difficilius poſſint harum aliquæ explicari. XXVII. 4.
Ovaria cur ſæpius adeo mulieribus, quam cæteris fœminis, tumoribus, & vitiis aliis affecta ſint. XXXIX. 38.
eorum uſus ad generationem non tamen propterea negandus eſt. XLVI. 31.
quomodo ſcirrhoſa illa, & tubæ imperviæ eſſe aliquando poſſint in puerperis, imo & in gravidis. Ibid. 28.
in illorum veſicularum humore corpuſculum candidum fuit non fœcundationis indicium, ſed morbi effectus. Ibid. 30.
Ovariorum prorſus deficientium rariſſima Obſervatio. Ibid. 20. 22.
alterius dumtaxat. LXIX. 16.
tumoris librarum 24. Obſervatio. XXXIX. 39.
de Ovariorum, & vicinarum Partium hydropis, aliorumve tumorum indiciis. XXXVIII. 59. 64. & ſeqq. XXXIX. 40.
Vid. etiam Hydropes Saccati.
qui eos olim, & poſtea obſervaverint. XXXIX. 40.
& in iis pilos. Ibid. 41.
horum Obſervatio. Ibid.
Quid ſint parvæ quaſi glandulæ carnoſæ, ab Ovariis nonnunquam per petiolum pendentes. XLIII. 21.
Ozænæ. De harum etiam in Maxillaribus, & Frontalibus Sinibus curatione. XIV. 22.

P

PAawii duæ quædam permiræ alioquin, Obſervationes quomodo poſſint explicari. XXXVIII. 47.
Pacchioni glandulæ dictæ, olim notæ. VIII. 2. 3.
Pagliarinus, Thyrſus J. C. & Canonicus Ferrarienſ. laudatus. XXIV. 24.
Paitonus, Jo. Bapt. ex Bonon. Inſtit. Sc. Academia; laudatus. XLVI. 31.
Palato fiſſo nati infantes quomodo ſervati. XLVIII. 60.
Pallas, Aug. Frideric. laudatus. XLII. 35.
Palſinius laudatus. XIV. 17. 22. LVI. 27.
Ejus quædam prædictio num certa. XLVI. 8.
Palpebræ. De harum glandulis ſebaceis quædam. LXIII. 6.
Panaroli lapſus. XXXI. 16.
Pancreatis vitia quomodo eſſe diuturni, aut aſſidui vomitus cauſa poſſint. XXX. 8. & ſeqq.
nec tamen ſunt ſemper. XXX. 9.
tumores cur raro percipiantur manu, & unde eorum ſigna petenda. Ibid. 11.
Papen, Chriſtoph. Henr. Medicus Gottingenſis, laudatus. XLIII. 14.
Paracenteſis in aſcite quomodo a natura fuerit præmonſtrata. XXXVIII. 32. & ſeq.
& quomodo præmonſtratum, partite eſſe inſtituendam. Ibid. 33.
cur deinde Medici per umbilicum inſtituere omiſerint. Ibid.
raro felix. Ibid. 32. 45.
ab Eraſiſtrato, improbata a Celſo defenſa: & cur. Ibid. 31.
quid cavendum cum Celſo ſentientibus. Ibid.
quid Recentiores addiderint. Ibid. 33.
num poſt illam, & ob illam inteſtina, & peritonæum inflammatione, & gangræna corripiantur. Ibid. 31.
Paræi hallucinationes. VIII. 26. XXVII. 24.
in ejus celebri quadam Obſervatione quæ difficultates occurrant. XXIV. 36.
Paralyſis artus ſuperioris cur facilius tollatur, quam inferioris. XI. 10.
ipſa, & convulſio quomodo ſimul in eodem membro eſſe poſſint. X. 15.
Paralyſis a convulſione explicationes plures. XI. 18. 20.
a cauſa in celluloſis nervorum telis poſita explicatio cui difficultati obnoxia ſit. Ibid. 20.
Paralyticis membris quando, & quæ externa remedia periculoſe adhibeantur, aut non. Ibid. 21. 23.
Paraphrenitis. De ea quædam. VII. 14. LIII. 6.
Paraplegiæ, cum phænomeno haud vulgari conjunctæ hiſtoria. LIII. 23.
Parotides glandulæ induratæ, quam feliciter interdum ſanatæ. L. 27.
Parotides dicti tumores quales ſint, conjicitur. Ibid.
convaleſcentibus nonnunquam oriuntur. Ibidem.
Partus. Non brevi ante hunc tempore aquarum ex utero effuſio innoxia obſervata. XLVIII. 9.
num ſemper verum ſit novum cogitatum de ſede tunc illarum aquarum. Ibid. 10.
quæ noxæ in mulieribus ab intempeſtivis in partu conatibus relinquantur. XXXIX. 38.
& quæ cito accidant. XLVIII. 29. 30.
Partus antea ſemper felicis, poſt vexatum autem a Chirurgo uterum ſemper infelicis Obſervatio. Ibid. 41.
difficilis, cauſæ variæ. Ibid. 39.
remedium fortuito cognitum. Ibid. 41.
dolorum convulſivorum, partui adverſantium, curatio. Ibidem.

mortis

mortis poſt partum inexpectatæ, cauſæ quædam. Ibid. 30.
rupti in partu uteri caſus eſt frequentior, quam multi credunt. Ibidem.
ejus caſus cauſæ, & ſigna. Ibid. & 31.
mortuarum in partu, aut mox, miræ abdominis inflationes. Ibid. 45.
in partu laxari juncturas in pube, & ad os Sacrum, num ſit impoſſibile, nedum inutile. Ibidem.
eæ quam laxatæ inventæ ſint poſt partum non ita laborioſum. Ibid. 44.
Paſſeri, Dominicus, Medicus olim Piſaurenſ. Prim. laudatus. XXII. 7.
Paſta, Andreas, Medicus Bergomenſis, laudatus. IV. 22. VIII. 10. XVII. 26. 29. XVIII. 9. XXI. 20. XXIII. 18. XXIV. 22. 26. & ſeqq. XXXI. 18. XLI. 2. XLVIII. 29. LXIV. 9.
Patavini, & his proximi quare urinariis calculis ſint minus obnoxii. XLII. 17.
Profeſſores. Vid. Fracaſtorius. Gaveſſeitus. Victorius.
Patavinum Gymnaſium. De eo quædam. XXIV. 4. & Præfat. ad libr. 3. & Epiſt. Dedic.
Patinus, Carolus, Opuſcula ſua emendata, & aucta in duobus Voluminibus reliquit necdum editis. LVIII. 19.
quorum Opuſculorum ea quæ omiſit Papadopolus, indicantur. Ibid.
Patuna, Nicol. pridem Venetus Chirurgus, laudatus. XLVIII. 42.
Pauluccii, Aloyſii, Marchionis, & Supremi Pontific. Copiar. Præfecti morbus, & diſſectio. XVII. 26. 27.
Pechlini hallucinatio. XII. 8.
Pecqueti experimentum quoddam, ad Circulationem ſanguinis attinens, ſine cautione quadam, ab ipſo omiſſa, non reſpondit. XIX. 30.
Pedrattus, Ignatius, Medicus Cremonenſis, laudatus. XXI. 43. LIII. 31.
Ejus Obſervationes. XXI. 43. & ſeqq. LIII. 32.
Penis ſub præputio materia num ex granulis prodeat coronæ glandis. XLIV. 2.
illam ab urethra non provenire, ſingulari Obſervatione confirmatur. XLVI. 20.
diſtentio quomodo ſequatur, ſi in veſica ſit aut urinæ copia, aut major calculus. Ibid. 10.
illius in cadaveribus variæ cauſæ. XIX. 20.
illius cauſa in vivis canibus, conſtrictis Carotidibus. Ibidem.
Penis in paroxyſmo ſuffocativo ferme incredibilis retractio. XVII. 26.
glandis in quodam deorſum pendulæ cauſa. XLVI. 9.
glandis flacciditatem poſſe cum reliqui penis diſtentione conjungi, confirmatur. Ibid. & 10.
Penis exciſio. L. 50.
Pericardium, qui aliquando defuiſſe tradiderint. XXIII. 17.
Unde deceptos, qui ſic putaverint. Ibid.
Ejus Malpighiana ſtructura obſervata. XXII. 10.
Inter ipſum, & cor num in vivis nullum ſit interſtitium. LXVI. 10.
ejus ad cor adhæſionis cauſæ. XXIII. 17.
Qui hanc primum, & deinceps, & quibus cum ſymptomatibus obſervaverint. Ibid. 18.
Ejus humorem qui primus memoraverit. XVI. 42.
Is certe aliquando per ſe rubet. XLIV. 3.
Fallaces ejus naturæ inquirendæ modi. XVI. 44.
Pericardii hydropem num Avenzoar, an potius Galenus primus memoraverit. Ibid. 20.
rariſſimus eſt per ſe ſolus; frequens cum aliis junctus. Ibid. & XX. 34.
ſolius Obſervationes aliquot. XVI. 21. 22. 24. 43.
unde ſit difficultas ejus ſigna ſtatuendi. Ibid. 20.
horum perquiſitio, & examen. Ibid. 22. & ſeqq. 39. & ſeqq. XVII. 28. XXXVII. 11. 14. XLV. 10.
quatenus poſſit parvos, debileſque pulſus facere. XXIV. 14. 15.
& quatenus tuſſim. XVI. 45.
non ſemper ſit ſenſim. Ibid. 41. 42.
ejus cauſæ. Ibid. 44. XXV. 15. & ſeq.
ejus aquæ varietates. XVI. 44.
Pericardio innati tumores cur alias cum aliis ſignis obſervati. XXIII. 23.
Pericardium. Intra hoc effuſum ſanguinem qui antea memoraverint. XXVI. 26. 28. XXVII. 1.
quot ex Partibus illuc poſſit effundi. XXVI. 27.
& ex quibus faciliter: ex qua autem, quomodo inquirendum. Ibid. 26. 27.
ea ibi hæmorrhagia, reſpectu tot aliarum modica, cur tanto citius, quam hæ, occidat. Ibid. 18. LXIX. 5.
Perinæi ſectio ad urinam ſuppreſſam emittendam. XLII. 36.
in calculoſis, ut urina minus moleſte defluat, an a Zecchio inventa. Ibid.
Peripneumonia num ut plurimum a dextris, rarius a ſiniſtris. XX. 65.
veræ minus obnoxii ſunt obeſi. Ibid. 10.
in gravidis cur periculoſior. Ibidem.
in ea ſanguis ſæpe quidem eſt concreſcens, aut cum polypoſis concretionibus; non tamen ſemper. Ibid. 14. XXI. 34. 35.
qualis appareat pulmo. Vid. Pulmones inflammati.
Peripneumoniæ ſæpe ſe addunt thoracis, & pericardii hydropes & quomodo. XX. 34. XLV. 16.
non raro ſoporoſæ affectiones. VI. 11. & ſeqq.
quomodo & delirium. XXI. 7.
nonnunquam nullus videtur dolor. XX. 4. 30. & cur. XXI. 7. 8. & ſeqq.
unde alias ſit dolor pungens, inquiritur. XX. 10. 38. 40. 42. 44. 46. 48. 50. 52. 54. 57.
nonnunquam febris minus acuta. Ibid. 4. 26. 27. XXII. 10. 11.
decubitus multo ſæpius in affectam, quam in ſanam partem, facilior. Ibid. 42.
diarrhœa ſuperveniente, quando metuendum, aut ſperandum Ibid. 10.
a nimiis ſanguinis emiſſionibus quid timendum. Ibid. 23.
Peripneumoniæ lethalis, inter Monachas præſertim graſſantis, hiſtoria. XXI. 26. & ſeqq.
Peripneumoniæ crebræ quas pulmonum, & cordis læſiones, ut hujus aneuryſmata, poſſint inducere, & quomodo. XXI. 5. 34.
nothæ, ſub ſpecie levis catarrhalis affectionis latentes, at pernicioſiſſimæ, non per eadem in omnibus ſigna ſuam inſidioſam indolem oſtendunt. Ibid. 10. & ſeqq.
Earum exempla quædam, & de earum ſignis adhuc inquirendis. Ibid.
Peritonæum. Vid. Herniæ.
Peritonæi membranam externam qui negaſſe dicantur, nec negaverint. XLIII. 8.
num faciat perpetuum tubum, & tunicam Vaginalem. Ibid.
non perforari a vaſis Spermaticis, quis olim docuerit. Ibid.
Peritonæi hydrops a quibus olim conſpectus. XXXVIII. 46. & ſeqq.
a quibus deinceps & nomen, & illuſtrationem acceperit. Ibid. 49. & ſeq.
a quo primum agnitus in vivente. Ibid.
a quibus ſuperiore ſæculo non inter laminas peritonæi, ſed inter hoc, & muſculos abdominis ſit obſervatus. Ibid.

quæ cauſæ hujus morbi eſſe videantur. Ibid. 53. & ſeqq.
cauſæ ob quas creditur mulierum proprius. Ibid. & 54.
aliæ ad has neceſſario adjiciuntur. Ibid. & 55.
unum ejus in virili ſexu exemplum. Ibid. 59.
ejus aqua cum fœtens, aut erodens fit, nec ſemper a mora, nec ab hac ſola fit. Ibid. 56.
quomodo ingenti ſæpe copia ſit, & nonnunquam gelatinæ inſtar, aut glutinis. Ibid. & 57.
num quotieſcunque abſumpti viſi ſunt abdominis muſculi, abſumpti revera fuerint. Ibid.
Peritonæi hydropis ſigna. XXXVIII. 58. 59.
ſatis quidem faciunt ad hunc hydropem, niſi forte nimis progreſſum, internoſcendum ab aſcite. Ibid.
ſed non ſatis ad internoſcendum a quarundam aliarum Partium hydrope. Ibid. 59. 60.
num in hoc hydrope nunquam protuberet umbilicus. Ibid. 59.
ad complures ſæpe annos perfertur hic morbus. Ibid. 56. 58.
adverſus ipſum qui primi paracenteſim, & cur propoſuerint. Ibid. 61.
quæ poſtea ſint exceptiones additæ. Ibid.
quæ addendæ. Ibid. 62.
Pes quomodo nihil, niſi certo loco, ſentiret. L. 12.
Peſte extinctorum cadavera vel poſtquam refriguerint, num incidi tuto poſſint. XLIX. 32.
Peticulæ tum ſoluto, tum coagulato ſanguine provenientes. Ibid. 22.
Petitus, Franciſcus, ex R. Sc. Academ. Pariſienſi. Ejus cuidam circa aquam Cryſtallini humoris diſſenſioni ſatis fit. XIII. 14.
Petitus, Jo. Ludovicus, ex R. eadem Academia laudatus. XVI. 13. XVII. 29. XXXIV. 26. XLVIII. 60.
Petſche, Jo. Zachar. laudatus. XXII. 26. XXX. 8. XXXIV. 15. XLIII. 37.
Petz, Guil. Chriſtoph. Medicus Marckſcheinfeld. laudatus. LI. 48.
Peyeri, Jo. Conr. levis hallucinatio. XXIX. 4.
Peyerus, Jo. Jac. laudatus. XXVIII. 4.
Philotheus. De ejus quodam loco in quo Galenus citatur, ſuſpiciones. XXV. 14.
Phrenitis, & alia cum febre deliria in aliis ſunt ab aliis cauſis. VII. 8.
in multis tamen a copia ſanguinis in vaſis meningum, & ab aqua ad has effuſa. Ibidem.
in quodam ægro prænunciata fuit a falſa auditione organorum pneumaticorum. Ibid. 16.
Phthiſis ingenitæ quæ initia ſint in pulmone conſpecta. I. 2. XXII. 19. 20.
non ingenitæ origines variæ. XXII. 20.
etiam ex deſtillatione a capite, & quomodo. Ibid. 26.
quam deſtillationem quomodo Mercurialis, & Gavaſſettius alio averterint. Ibidem.
ſcrophuloſæ quæ ſint indicia. Ibid. 18. 19.
quomodo potio frigida in æſtuantibus phthiſim inducat. Ibid. 20.
phthiſi obnoxiis quibuſdam prodeſt vehemens, quæ alios lædit, pulmonum exercitatio. Ibid. 13.
Phthiſicorum ſputa ab Hippocrate cur per aquam marinam, aheno contentam, explorarentur. XXII. 28.
quomodo ea exploratio ſit inſtituenda. Ibid.
ea per aquam, aliaque per ignem exploratio ad prognoſim eſt, non ad diagnoſim, propoſita. Ibid.
qui Veterum ad diagnoſim improbaverint, & qui uſi ſint. Ibid. & 29.
Phthiſicis non omnibus equitationem convenire, qui docuerint. XXII. 13.

quibuſdam utilia quædam narrata. Ibid. 28.
qui, & quando, & quam difficile, raroque ſanentur. Ibid. 30.
Phthiſis interdum curata creditur quæ phthiſis non fuit. Ibid. 27. & ſeqq.
inchoatæ, aut certe conſimilis phthiſi affectionis felix abſolutaque curatio. Ibid. 31.
ſe lui Venereæ adjungentis exempla. Ibid. 11.
Phthiſicos auſtrina ſæviente conſtitutione, plerumque perire ſolitos Valſalva adnotavit. XXII. 15.
pulmones ſuperiore potiſſimum parte vitiatos in phthiſicis idem invenire conſueverat. Ibid. 13. & ſeqq.
unde id accidere potuerit. Ibid. 47.
Eorum quidam multum, quidam vix aliquid ſanguinis in pulmonibus, & vaſis habent. Ibid. 20.
alii cur exſuccis pulmonibus, alii pure oppletis, moriantur. Ibidem.
In eorum thorace quis vel olim aquam invenerit. Ibid. 17.
num ea a dextris tantum reperiatur. Ibidem.
Phyſica quædam phænomena quæ videntur ad Medicinam faciendam inutilia, aliquando utilia reperta ſunt. XIII. 22.
Phyſiologiæ neceſſitas ad abditiſſimos morbos internoſcendos. XVIII. 12.
Piccolhomini, Archang. dogma de profundis capitis doloribus non ſemper verum. I. 7.
altera de coſtarum numero hallucinatio. V. 10.
Piella, Paulus, Medicus olim, & Chirurgus Bononienſis, laudatus. XXII. 27. LIII. 14.
Pili in tumoribus obſervati. Vid. Tumores.
Pilorum fere omnium defectus ſine ullo genitalium vitio. XLVI. 2.
Pinealis glandula. Vid. Cerebrum.
Pinguedo nimia cur non corrigat in corporibus acriora, quæritur. XXVII. 3.
in ejus minimis particulis tumultuarius motus poſt mortem viſus. XXXI. 5.
aptiſſima eſt ad croceum a ſero ſanguinis colorem trahendum. XXXVII. 8.
Pinguiorum thorax multo minus cavi habet. XXVII. 2.
unde id, & cur illi prorſus ſupini difficile cubent. Ibid.
unde faciles in ipſis vaſorum diſruptiones, & eroſiones, Ibid. 3.
cadavera putredinem citius conceperunt. Ibidem.
Piſces, in ſanguine aereas bullas habentes. V. 22.
Piſo, Homob. Prof. olim Patav. laudatus. XIX. 30. XXIV. 15.
Piſonis, Caroli, doctrina quædam in parte defenditur. VI. 15.
Pitſchel, Frid. Lebegott, laudatus. XII. 8.
Pituitarii Sinus Sphenoidæi diviſi inventi, non in dexterum, & ſiniſtrum, ſed in ſuperiorem, & inferiorem. LXIII. 13.
Eorum, & Maxillarium defectus, reliquis ſupplentibus, obſervatus. XXI. 29.
& Frontalium. LII. 12. 30. LXIII. 13.
in his vermes, & de hujus morbi curationibus. I. 8. 9.
Placentæ uterinæ varii morbi obſervati. XLVIII. 18. & ſeqq.
ab iis aut abortus, aut in abortu periculum. Ibid. 17.
in illa, ſimul cum fœtu excluſa, hydatis obſervata. Ibid. 13.
illius in hydatides mutatio ante fœtus excluſionem num ſæpius fiat. Ibidem.
de ejuſmodi in veſiculas mutationibus. Vid. Molæ.
Placentæ magnitudinem cum inviſibili embryone conjungi poſſe, confirmatur. XLVIII. 26.
quæ damna ob hujus rei ignorationem contigerint. Ibidem.

l Pla-

Placenta utero cur arctiſſime interdum adhæreat. Ibid. 29.
extrahenda ſit, an relinquenda, etiam ante hæc tempora, diu, acriterque diſputatum. Ibidem.
Placentinus, Jacobus, Primar. Prof. Patavin. laudatus LXIV. 5. 6.
Plancus, Janus, ex Bonon. Inſt. Sc. Academia, laudatus. II. 16. VIII. 31. XIX. 44. XXIII. 9. 18. XXIV. 17 XXVI. 39. XXVII. 28. 30. XXIX. 16. XXXVI. 16. XLVIII. 61. L. 37. LII. 26.
Ejus Obſervationes. II. 16. XXVII. 28. 30. XLVIII. 62.
Plateri quædam minus probata. XIII. 19.
Platnerus, Jo. Zachar. pridem P. Lipſienſ. Prof. laudatus. XII. 11. XXXIV. 15.
Plempii aliqua minus probata. XIII. 20.
Pleuræ partes oſſeæ factæ. XV. 18. XXI. 19. 22.
Pleura inflammata viſa ſine dolore, aut ſine dolore pungente. XVI. 21. XX. 51. 52. & ſeqq. XLV. 16. LXIV. 3.
Ejus inflammatio, aut corruptio apud nos non ſæpe adeo ne cum pulmonum quidem inflammatione conjuncta reperitur. XX. 58. XXI. 39. 40.
Cum autem conjuncta cum ea reperitur; perraro ſine graviori pulmonum inflammatione reperitur. XX. 57. 58. XXI. 28. & ſeqq.
Quando vero ſine ea reperitur; aut eſſe videri poteſt, nec eſſe, & quomodo. XX. 58. 59. & ſeqq. XXI. 31.
aut ſi ſit; non inde ſolum videtur mors deducenda. XX. 57. 58. XXI. 28. & ſeqq. 41.
Pleuram ſæpe nigram in pleuriticis an, & quomodo perantiqui Medici invenerint. XXI. 31.
Pleuritidis ſigna quædam ſine pleuritide ſunt haud raro in peripneumonia. XX. 9. 33. 35. 39. 41. 43. 47. 49. 62. & ſeqq. XXI. 16. & ſeqq.
illorum cauſæ inquiruntur, & ratio tamen cur hæ non ſemper illa efficiant. XX. 10. 38. 40. 42. 44. 48. 50. 52.
Sedem qui Medici antiquiſſimi ſtatuerint in pulmone. XXI. 37.
qui per diſſectiones vel olim id confirmaverint, aut non. Ibid. & 38.
controverſia hæc num ſit in Praxi Medica nullius momenti. Ibid. 41.
Pleuritidis veræ nulla ſunt ſigna quæ nonnunquam in quibuſdam ſpuriis non fuerint. XXI. 46.
Sputa pleuriticorum cruenta quomodo explicata ſint, & quomodo plerumque explicanda. Ibid. 42.
Obſervatio pleuritidis, grumo ſanguinis fœtido per os ejecto, ſtatim ſolutæ. Ibid. 43.
& alterius ſic ſolutæ, rejecto lumbrico. Ibid.
qui primus, & qui poſtea huic ſecundæ ſimiles obſervationes ediderint. Ibid.
Quomodo veræ etiam pleuritides, atque adeo pleuripneumoniæ fieri a lumbricis poſſint. Ibid.
ejuſmodi verminoſæ pleuropneumonicæ Conſtitutionis deſcriptio. Ibid. 43. & ſeqq.
quando, & in quibus præſertim cavendum, ne ejuſmodi morbi, cum adhuc ſpurii ſunt, pro legitimis accipiantur. Ibid. 46.
Pleuritis num ut plurimum ſit a dextris, raro a ſiniſtris. XX. 65.
morbus erat olim apud Anglos rariſſimus, nunc frequentiſſimus. XXI. 21.
Plinii locus, ad Hippocratem ſpectans, quomodo legendus, inquiritur. XXVI. 25.
locus alter de ſcorpionibus num depravatus. LIX. 23.
alter de vermiculo in lingua canum per anatomen illuſtratur. VIII. 33. 34.
Plinii minoris locus de clavo inſanabili perpenſus. L. 61.
Plutarchus cur ſæpicule in Romanis rebus ſit hallucinatus. LIX. 39.
Podagra. Vid. Arthritis.
pediluvio accerſita, neque interdum ſine utilitate. LVII. 9.
de Podagra liber, tanquam incerti Auctoris, Patavii editus, cujus ſit. Ibid. 6.
Pohlius, Jo. Chriſtoph. P. Profeſſor Lipſienſis, laudatus. XXXVIII. 8. XLII. 37. XLIII. 38.
Polenus, Jo. Marchio P. Profeſſor Patavinus, laudatus. Præfat. ad libr. 3.
Polypi naſi. Vid. Naſi.
cæteri. Vid. Aſpera Arteria. Inteſtina. Uterus.
Polypi in corde, & viis ſanguinis num plerumque ante mortem ſint. IV. 22. XVII. 29. XVIII. 9. XXIV. 27. & ſeqq. LII. 34. LXIV. 9.
Nimia in hoc affirmando facilitas quantum detrimenti Rei Medicæ, & Juridicæ attulerit. XXIV. 27.
Qui tamen ſint, aut non ſint excipiendi. XVII. 29. 30.
& cur omnes in cadaverum Obſervationibus ſint commemorandi. XXIV. 31.
A quibus Veterum ſint adnotati. IV. 23. XXIV. 22. & ſeqq.
a quo primum delineati. XXIV. 24.
a quo primum peculiaris eorum tractatio edita. Ibid.
a quibus recte pro falſis vermibus, & a quibus pro veris perperam habiti. Ibid. 25.
Num in apoplecticis ſemper ſint, aut ſaltem frequentiſſime. IV. 23.
num ſemper in dexteris cordis cavis majores. XVI. 17. XX. 26.
an plerumque. XXIV. 31.
quæ hujus diſcriminis ſint cauſæ. Ibid.
Quæ ipſis imputantur, aliter poſſunt explicari. Ibid. 7. 29.
Quæ non ſit, & quæ ſit eorum materia. Ibid. 26.
cavi, & tubiformes quomodo poſſint efformari. Ibid. 30.
Quædam circa propoſitam eorum diagnoſim animadvertenda. Ibid. 28. 29.
Polypoſæ materiæ, venas omnino fere obſtruentis, rara Obſervatio. LXIV. 9.
Pontedera, Julius, pridem Patavinus Prof. laudatus. VI. 14.
Ponticelli, Sylveſter, Comes, & in Aula Parmenſi Archiater, & Conſiliarius, laudatus. LXVII. 4.
Porcelli Indici linguam habent ferme totam affixam ad oris baſim. XIX. 44.
& epiglottidem perbrevem. Ibid.
Portarum in vena motus ſanguinis minus expediti indicia. XXXIX. 23.
Poterii duæ in cadaveribus Obſervationes, obſcuræ. XXVI. 28.
Preuſſius, Godofr. Beniam. ex Cæſ. N. C. Academ. laudatus. XLVIII. 55.
Preuſſius, Maximilianus ex ead. Academ. laudatus. I. 7. L. 53.
Procopii narratio de mirifico quodam vulnere per Anatomem explicatur. LII. 41.
Proſtatæ glandulæ aucta magnitudine urinam ſupprimi, qui obſervarint. XLI. 17.
& qui ejus dumtaxat excreſcentiis. Ibid. & ſeqq.
hæ qua ex ejus parte, & qua ætate incipere conſueverint. Ibid. & XLII. 11.
habendæne hæ ſint pro raris, & morboſis, an pro perpetua, & naturali particula. LXVI. 5. & ſeqq. & tota Epiſt. LXX.
non ſemper urinæ ſuppreſſionem, ſed ſtillicidium, aliaque inducunt. LXVI. 11. & ſeq.
num hæc cauſa hactenus ignotiſſima fuerit. Ibid. 12.
Proſtatæ calculorum Obſervationes, & in his quædam etiam minus recentes. XLII. 13. 37.
quæ illi damna afferre poſſint. Ibid. 37.

propria eorum ſigna adhuc quærenda. Ibidem.
de materia ex qua gignantur quædam. Ibidem.
Granula quaſi tabacci intra illam glandulam, aut ad illam, nec rariſſime conſpecta. XLIV. 20. & ſeqq.
Puerperarum morbi. XLVIII. 43. & ſeqq.
Pujatus, Joſeph Ant. pridem Patavinus Primarius Prof. laudatus. XXI. 43. XXXI. 20. XLI. 12. XLII. 12. LV. 16. LVI. 35. LVII. 8. LXV. 2.
Pulmonaris arteriæ orificium, loco trium, valvulis quatuor inſtructum. XXXIV. 15.
Ejuſdem, aut venæ dilatationum exempla quæ extant, conſiderantur. XXIV. 36.
Pulmonum quaſi deficientium exempla etiam antiqua, & cauſæ. XXII. 7.
Inter ipſos, & thoracis parietes ſitne ſpatium aliquod. XVI. 5.
Adhæſionem ad pleuram quis primus olim memoraverit. Ibid. 15.
qualis interdum, & quomodo occurrat. XXI. 24.
variæ a variis propoſitæ cauſæ quæ ipſam efficiant. XVI. 15. XXIII. 17.
alia cauſa additur. XVIII. 15.
tam frequens eſt, ut ſemper a morbo non ſit repetenda. XVI. 15. 16.
quæ tunc ejus cauſa probabilior eſſe videatur. Ibid. 16.
in tanta ejus frequentia cautelæ Chirurgis neceſſariæ. Ibid.
num ſoli pulmoni ſiniſtro nunquam accidat. XXII. 17.
Reſpirationi obſit, an non obſit, aliæ aliorum ſententiæ. XVI. 15. 16.
quarum non una conciliatio quæritur, ſed incaſſum. Ibid. 16.
quando obfuiſſe credita eſt, qua ratione id potuerit eſſe, conjicitur. Ibidem.
Pulmonum in facie poſteriore nigredo in pleriſque a quo olim animadverſa. IV. 13.
unde ſit. Ibid. XIX. 4. & ſeqq.
male a multis morbida creditur. IV. 13. 26.
Pulmonum ſiniſtri, interdum lobi duobus plures inventi, unus autem dexteri. XX. 41. 42.
lobus qui a dextris medius eſt, interdum ab ortu nullus inventus; ſemel jam diu emortuus. X. 19. LXII. 5.
Structura manifeſtior facta. XXII. 12.
Superficies quomodo alba apparere poſſit, cum non ſit. XIII. 3.
Senſus. XX. 62. & ſeqq.
An aer ſanguinem ſubeat per pulmones. V. 27.
Pulmones inflammati, quomodo ſoleant apparere. VI. 12. 13. XX. 21.
quis primus diſerte id dixerit. XXI. 28.
quomodo ſic fiant hepaticæ ſubſtantiæ ſimiles. Ibid. 20.
duri quot modis fiant. XV. 17. & ſeqq. & 24. XXI. 20.
Pulmonum nigræ maculæ in quibus obſervatæ. XXII. 9.
Tubercula quid in phthiſi indicet. Ibid. 18. 19.
quam varia contineant. Ibid. 19.
quomodo, & cur augeantur. Ibid.
ſintne ipſæ glandulæ Bronchiales præter naturam auctæ, & vitiatæ. Ibid. 21.
Ulcera interdum laryngis exulceratio mentitur: & quomodo internoſcenda. XV. 14.
Pulmonis quomodo ea pars rupta ſit quæ ſuberat coſtis integris; non quæ fractis. LIII. 34.
abſumpti qui vaſa intra thoracem hiantia invenerint. XXII. 7.
Hydrops proprie dictus. XVI. 33.
Pulmones. In iis oſſa interdum, nec parva, unde ſint. XV. 18.
In iis globus plumbeus duarum unciarum, ſine ullo ponderis ſenſu, hærens. XXI. 12.

In iis calculi, tophique unde, & ubi plerique fiant. XV. 19. 23.
Horum Calculorum qui Obſervationes collegerint. Ibid. 19.
qui primi eos obſervaverint. Ibid. 20.
quo numero interdum fuerint. Ibidem.
qua ſæpius, & qua interdum magnitudine. Ibid.
qua ſæpius, & qua nonnunquam conſiſtentia. Ibid. 21.
quibus ſymptomatibus, & num ſemper, etiamſi aſperi ſint, cum dolore non levi. Ibid. 21. & ſeqq. LXIV. 3.
quædam de eorum curatione. XV. 21.
cur ſæpe mortem afferant: & plura tamen contraria exempla. Ibid. 22.
Pulmones ipſi quomodo lapidei, aut tophacei fiant. Ibid. 23.
factorum indicia, & Obſervationes. Ibid. 25. 26.
Pulmonum in aqua ſubſidentium, aut natantium experimentum ad inveniendum, mortuus, an vivus infans editus ſit, antiquum non eſt. XIX. 45.
caute adhibitum, ex uſu eſſe poteſt. Ibid. & 48. LXIV. 4.
deceptionis in eo pericula, & vitandi hæc modus. XIX. 46. 47.
Pulſatio eſſe poteſt ſine aneuryſmate, & cur. XXXIX. 19. 20.
& aneuryſma ſine pulſatione, & quomodo. XVIII. 20. XLV. 26.
Pulſus. In horum differentiis nimis largi Veteres; nimis parci quidam Recentiores fuerunt. XXIV. 32.
Pulſuum raritas, & inæqualitas ab epilepticis inſultibus relicta. IX. 7.
cautoque opii uſu imminuta, & ſublata. Ibid.
raritatis inſignis exempla alia. Ibid. XXIV. 33. LXIV. 5.
etiam in altero dumtaxat carpo. XXIV. 33.
unde repetenda. Ibid.
raritas cum celeritate contra ac quidam negant, evidenter conjuncta in ægris aliquando occurrit. XXIV. 32.
frequentiæ, poſt pertinaces febres non attendendæ, veriſimilis cauſa. Ibid. 33.
inæqualitas aliquando unde. XXXV. 19.
inæqualitas, etiam inæqualis, & intermiſſiones num ſint polyporum ſignum. XXIV. 28. 29. 32.
intermiſſio num ſemper ſit, cum ſunt ulcera cordis. XXV. 19. & ſeqq.
intermiſſionis variæ attinguntur, & expenduntur cauſæ. XXIV. 19. & ſeqq.
quando illam juvet contemnere. Ibid. 20.
durities in ſenibus quando attendenda. Ibid. 33.
debilitatis, & parvitatis variæ attinguntur, & perpenduntur cauſæ. Ibid. 10. 12. 14. 15. 19. XXXI. 2.
vehementia, & vibratio tum in aneuryſmate, tum ſine aneuryſmate cauſæ inquiruntur. XXIV. 35.
peculiare vitium non ſemper vaſorum Magnorum dilatationem conſequitur. LXIV. 8.
privationis, variæ attinguntur, & expenduntur cauſæ. XXIV. 3. 4. 7. & ſeqq. & 12.
quid in quibuſdam aſphyxiis ſit mirabilius. Ibid. 9.
quid in quibuſdam agendum. Ibid. 8.
Puris in ſputis interdum agnoſcendi difficultas ex Auctorum diſcrepantia. XXII. 28. 29.
Pus in quibus interdum conficiatur ſine conſuetis ſignis. LV. 16.
ex effuſo ſanguine non ſit. V. 3.
per nares effluens. Vid. Naſi.
colorans ſpecillum, non ſemper lethale. LV. 18.
Pus, aut puriformis materia, cujus origo non apparet, unde poſſit repeti. I. 13. V. 5. 13.
Pylorus. Vid. Ventricul.

Q

Quelmaltzius, Sam. Theod. pridem P. Prof. Lipſienſis, laudatus. XIV. 16. LIV. 43. LXVII. 15.
Queſnyus, Fr. ex R. Sc. Acad. Pariſien. laudatus. LXVIII. 2.

R

Rachitis. De hujus cauſis. Vid. Spinæ diſtorſio. & LVIII. 7.
Ab hac num ſint pumiliones omnes, & nani. Ibid.
Ramazzinus, Bernardinus, Patav. olim P. Prof. Primarius, laudatur. III. 8.
Ejus morborum, & mortis cauſa conjicitur. Ibid.
Ejus Obſervationes quædam ineditæ. VIII. 29. IX. 8. XVIII. 16. & ſeqq. XXII. 11. XLI. 12.
Raucedo. De hac quædam. XIV. 33.
Raymannus, Jo. Adam. ex Cæſ. Academ. N. C. laudatus. XIV. 36.
Reaumurius, Renatus, pridem ex Reg. Sc. Acad. Pariſ. laudatus. IV. 32. XIV. 7. XXXII. 4. XLII. 6. LIX. 26. 42.
Rectitudo Partium. Secundum hanc multa in corpore fieri, certum eſt; ſed perdifficile eſt recte explicare. VII. 12.
Rectum inteſtinum. Vid. inteſtina.
Reimannus, Jo. Adam. ex Cæſar. Acad. N. C. laudatus. XVI. 11. XXXIII. 12. XXXVII. 18. & Præfat. ad libr. 1.
Reimarus. J. Alb. Henr. laudatus. LXVIII. 4. LXIX. 12. & ſeqq.
Renalis affectionis cum ſigna ſunt dubia, unde paulo minus dubia fieri poſſint. XL. 13.
Renum lethalis morbus, ob quorundam ſignorum defectum non agnitus, quibus ex indiciis conjici potuiſſet. XXX. 22.
Renum vitium, in veſicæ affectibus unde conjiciendum. XLII. 22.
quomodo explicandum. Ibid. 23.
quomodo per ureteres regredi ex veſica ad renes urina poſſit. Ibid.
Renum vitiatorum unicum ſignum nonnunquam obſervatum, acerbiſſimi dolores in ſcrobiculo cordis. XLII. 13. 14.
vel in graviſſimis vitiis non ſemel abfuit lumborum dolor. Ibid. 5. & ſeqq. 13. & ſeq. & 20.
cellulæ, quaſi urina plenæ, quo ſint referendæ. XXXVIII. 39. & ſeqq.
a quibus antea ſint obſervatæ. Ibid. 41.
earum examen. Ibid. 40. & ſeq.
quot modis eſſe poſſint cauſa aſcitis. Ibid. 41.
cicatrices quædam unde ſint. Ibid. 42.
Renum vermes. Horum Obſervationes, & de his indicium. XL. 6. & ſeqq.
Calculi quomodo facilius in obeſis, & heluonibus gignantur. Ibid. 5.
quomodo interdum nulla unquam dent ſui ſigna, aut hæc ceſſent. Ibid. 15. LVII. 12.
num ſint ſemper aut crocei, aut rubentes. XL. 16.
coralii forma obſervati, & explicati. LVII. 12.
in canibus reperti. XLII. 17.
quanto plus gravidis, & quomodo noceant. XL. 17.
de eorum remediis. Ibid. 16.
Renum uter exulcerationi, & calculis ſit magis obnoxius. XL. 13.
ſuperficiem in adultis adhuc loboſam qui viderint. Ibid. 19. & ſeqq.
qui ſimul graviſſimos lumborum dolores, aut alias pravas renum affectiones tunc adnotarint. Ibid.
hæc quadantenus explicandi conatus. XL. 25.
Renes inſolita longitudine, & ſtructura, & arteriarum origine. XXXVI. 23.
alter longiſſimus viſus, ſic erat ab innata magna hydatide. LX. 6.
alter cum pelvibus duabus. LXIV. 2.
ambo pelvis loco ſpongioſam habentes ſubſtantiam. XXVII. 28.
alterius morboſi quænam ſtructura apparuerit. XL. 18. 19.
alter altero major. IX. 18. XL. 12.
ejus rei cauſæ. XL. 14. 15.
altero, in ſuo officio ceſſante, num alter quoque ſemper ceſſet. XL. 15. XLI. 1.
Renum figura non ſatis bene aſari folio aſſimilatur. X. 19.
Renum duorum loco, unus inventus. XXV. 4. 5. XXXI. 25. XL. 14. XLVIII. 16.
unde tunc conjiciendum ſit, num alter a primordiis, an a morbo deſit. XL. 14.
quis a primordiis deeſſe, olim adnotaverit. Ibid.
poſterorum Obſervationes unici renis collectæ, in claſſes diviſæ, & perpenſæ. XLVIII. 16.
Reſpingerus, Jo. Henr. Medicus Baſileenſis, laudatus. XXXVIII. 50. 59.
Reſpirationem lædentium cauſarum diviſiones quædam ſecundum varias earum ſedes, & agendi modos. XV. 3. 17. & ſeqq.
cur eas cauſas Medici haud raro credant eſſe in thorace, cum ſint in ventre. Ibid. 11.
Reſpirationis difficilis quam interdum cauſam in quibuſdam mulieribus ſuſpicari poſſimus. XLV. 24.
cauſam eſſe paralyſim, ſigna aliquot. XV. 7.
glandulam pone Aſperam arteriam tumentem, cum diagnoſi. Ibid. 15. & 16.
cordis magnitudinem, & hanc multiplici ratione. XVII. 1. XVIII. 15. XXIV. 15.
Reſpiratio anhela, cum vix portio ſanguinis exigua per pulmones tranſire poſſet. XVII. 12. 13.
prohibita, quomodo etſi non omnem impediat per pulmones ſanguinis tranſitum, tamen cito occidat. XIX. 38.
Reverhorſtii hallucinationes. XXXVII. 16. & ſeq. 25. & ſeq.
Reuſnerus, Chriſt. Gottl. ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XLII. 46. XLVIII. 42.
Rheumatiſmus num ab Arthritide diſtingui cœperit circa medium ſuperioris ſæculi. LVII. 16.
illius raræ ſunt Obſervationes cum diſſectione conjunctæ. Ibid.
Sub ejuſdem larva quantum mali interdum lateat. Ibid. 20. 21.
Rhododaphnes venenum. Vid. Venena.
Richertzius, Georg. Frideric. laudatus. LXV. 9. LXVII. 2.
Rideux, N. ex R. Sc. Acad. Monſpel. laudatus. XLVIII. 13.
Rigorum quorundam periodicorum, quos calor non ſequebatur, curationes. XLIX. 29.
Rinaldius, Senenſis, Medicus olim Venetus, laudatus. XXII. 22.
Riolani hallucinationes. III. 22. VIII. 13, XXI. 31. XXIV. 23. XXVII. 34. XL. 25. XLII. 32. XLV. 24. L. 28.
diſſimulatio quædam, aut oblivio. XXVII. 32.
in iis quæ de prolapſu lienis ſcripſit, exceptiones quædam. XXXIX. 44.
Riſus ſardonii ex diaphragmatis vulnere quam vetuſta obſervatio. LIII. 6.
Ritterus, Albertus, ex Cæſ. Academ. N. C. laudatus. XXII. 7.
Riverius num in pleura corrupta credenda erraverit, & quomodo errare potuerit. XX. 56. 59. & ſeqq.

Roederus, Jo. Georg. ex R. Sc. Soc. Gotting. laudatus. XLVIII. 25. LXV. 20. LXIX. 15.
Rolfinckii an hallucinatio, & hallucinatio. XXVII. 1. XXXVIII. 33.
Roloffius, N. ex R. Sc. Acad. Berolin. laudatus. LXIV. 14.
Roncallus Parolinus, Franciſcus, Comes, ex Bonon. Inſtit. Sc. Academia, laudatus. XXIV. 27. XXXVII. 38.
Roſa, Georg. Ludov. Medicus Iſenacenſ. laudatus. XXXV. 22.
Rosén, Nicol. Archiat. & Prof. Upſalienſ. laudatus. I. 9. XIII. 5. LII. 37.
Roſtius, Jo. Carol. olim ex Cæſ. N. C. Acad. laudatus. XXXVI. 24. XLIII. 13. 14.
Rotula. Vid. Genu.
Rubei, Hieron. hallucinatio. XIX. 22.
Ructus a contrectatione cujuſcunque corporis partis. XLIII. 9.
Ruminantium hominum Obſervationes primæ, & diſſectiones, quæ extant unicæ, ubi habitæ ſint. XXIX. 4.
circa utraſque variæ variorum hallucinationes. Ibid. & LXV. 2.
Rutherfordius, Jo. Medic. Profeſſ. laudatus. LXI. 9.
Ruyſchius. Ad ejus Obſervationes molarum addenda. XLVIII. 13.
Ejus locus explicatus. XXXIV. 17.
opinio, Obſervationibus non reſpondens. XLVIII. 39.
Ejuſdem interpretatio, & defenſio. XII. 11. LVI. 8.
hallucinationes quædam. XVII. 29. XXIII. 9. XLII. 6. XLVI. 25. XLVII. 32. XLVIII. 54. LI. 58.

S

Sachſii hallucinatio. LVIII. 6.
Salii levis hallucinatio. XIX. 31.
Samonici locus explicatus. XIV. 33.
Sanctorius. Ab eo Galeni experimenta quædam in arteriis repetita. XIX. 24. 30.
Ejus hallucinatio. Ibid. 30.
Sandenius, Henr. ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XXXII. 4. XLV. 13. XLVIII. 46.
Sandri, Jacobus, Bononienſ. olim P. Prof. laudatus. XXX. 9. LIV. 40.
Ejus Obſervationes. XXX. 9. XXXV. 8. XLIX. 33. LIV. 41.
Sanguifera vaſa in certis cadaverum partibus cur, & quando fortuito poſſint ſanguine magis eſſe diſtenta, aut inania. X. 18. XXVI. 34.
Sanguiferorum vaſorum diſruptiones cur facile in ſenibus contingant. II. 10.
& hyeme, & æſtate. Ibid. & III. 13.
& in repentinis temperiei aeris mutationibus. III. 13
quid tunc vitandum ab illis qui ſunt ei periculo obnoxii. Ibid. 12. 13.
cur illæ timendæ, cum melius homo ſe habere videtur. II. 23.
Sanguis. Ad ejus Circulationem pertinens experimentum. Vid. Pecqueti.
Multa circa emiſſi ſanguinis Obſervationes, harumque cauſas deſiderantur. XX. 21.
Polypoſam cruſtam in ſecunda, tertiave venæ ſectione imminutam apparere, bonum, an malum ſit, quam caute judicandum. XXI. 21. 31.
Magnæ mutationes & cruſtæ, & craſſamenti poſt primam venæ ſectionem, eæque tum in pejus, tum in melius animadverſæ, ægris tamen æque pereuntibus. XXI. 31.
Cruſtæ flavus color periculoſiorem inflammationem ſæpe indicavit. Ibid.
Serum albeſcens in quibuſdam febribus obſervatum. XLIX. 22.
Odor acidus ſæpe, & in quibus animadverſus. Ibid. 25.
Sanguis ex inciſa vena frigidus exiens obſervatus. Ibid. 26. & ſeqq.
Sanguine vel plurimum a naturali ſtatu mutato, nonnunquam ægri evaſerunt. XXXVII. 7.
Sanguis. In ipſo aer ſecundum naturam, & præter naturam. Vid. Aer. & Aereæ bullæ.
intra corpus effuſus, niger eſſe poteſt, & eſſe ab Aorta. XXVI. 26.
cur ſic effuſi, præſertim intra pericardium, longe minorem copiam, quam effuſi extra corpus, cita mors ſequatur. Ibid. 18. Vid. & Pericardium.
intra corpus effuſus, in pus non convertitur. V. 3.
a multo recens epoto humore fluidior. LIII. 26.
ejus in celluloſam ſubſtantiam effuſionem quis olim indicaverit. XXVI. 40.
Santorinus, Jo. Dominic. Protomedicus olim Venetus, laudatus. III. 2. IV. 16. 24. V. 17. 19. XVIII. 7. 25. XXVI. 36. XLV. 33. XLVI. 20.
Ejus ineditæ Obſervationes quædam. XII. 6. XVIII. 7. XIX. 50. XXVI. 11. 37. XL. 18. XLIII. 9.
Unus, aut alter locus minus forte accuratus. XIII. 7. XLV. 23. in fin.
Ejus defenſio. LXVI. 12. & ſeq.
Sanvitalis, Ant. Franc. S. R. E. Cardinalis, morbi, mors, & diſſectio. II. 9.
Sarpii inſtrumentum ad ani prolapſum. XXXIII. 7. 16.
de Sauvages, Franc. ex R. Sc. Societ. Monſpelienſi, laudatus. LIX. 14.
Saxoniæ, Herc. hallucinationes. IX. 8. 11.
Scabiem ſæpe excitantia animalcula quibus olim nota, & a quibus primum delineata. LV. 4.
num ab his tantum, illa fiat. Ibid. 5. 6.
vel ab his facta non ſemper eſt ſola externa curatione abigenda. Ibid. 7.
quando ſit, aut non ſit ſola illa curatione abigenda. Ibid. 4. & ſeqq.
a ſcabiei retropulſione graviſſima mala, & mors. XVI. 34. 35. XXXVIII. 22. XLI. 4. LV. 2. 3.
ea retropulſa quid in pluribus cadaveribus inventum ſit. LV. 2.
Scapula vulnerata, ſubjectus artus immotus ſervandus. LIII. 38.
Scardona, Jo. Franc. Medicus Rhodig. laudatus. XXXVII. 8.
Schacherus, Polyc. Gottl. P. Profeſſ. Lipſienſ. laudatus. XXXIII. 4. 15.
Scharſchmidius, Samuel, P. Prof. Berolin. laudatus. XL. 15.
Scheffelius, Chriſtian. Stephanus, laudatus. XXXVII. 49.
Schefflerus, Jac. Chriſtoph. laudatus. XXXVIII. 63.
Schelhammeri, hallucinationes. XIX. 55. L. 28. 30.
Scherbius, Jo. Georgius, laudatus. XXXVIII. 31.
Schlenckerus, Jo. Ehrenfr. laudatus. LXV. 15.
Schlichtingius, Jo. Dan. Medicus Amſtelodamenſ. laudatus. XIV. 25. XIX. 33. LIII. 22. LVI. 15.
Schlierbackius, Jo. Jac. ex Cæſ. N. C. Academ. laudatus. XLVIII. 13.
Schmidtius, Ern. Gottl. laudatus. IX. 19.
Schreckius, Frid. Theod. Medicus Lauffa Noric. laudatus. LIX. 14.
Schoberus, Gottl. Ruſſ. olim Archiat. laudatus. LIV. 13.
Schreiberus, Jo. Fredric. ex Acad. Sc. Imper. Petropolit. laudatus. XVI. 46. XVIII. 27. XXI. 48. XXV. 24. XLII. 32. XLIII. 3. & Præfat. ad libr. 4.
Schreyus, Volf. Henr. ex Cæſ. N. C. Academ. laudatus. XVIII. 15.
Schulzius, Jo. Henr. pridem P. Prof. Halenſ. laudatus. Præf. ad libr. 4.
Ejus quædam hallucinatio. XXIV. 22.
Scirrhoſorum tuberculorum, per anguſtiorem pedunculum a viſceribus pendentium, quænam eſſe
poſſit

poſſit origo. XXXIX. 36.
Scirrhus in ventriculo, aliiſque ejuſmodi partibus quomodo cauſa doloris ſit. XXIX. 7. XXXIX. 23.
de Scopulo, Jacobus, P. Prof. Patavin. laudatus. LII. 33.
Scorpiones neque tam crebri ſunt in Italia, ut Boerhaavio relatum eſt, neque tam rari quam Plinius videtur indicare. LIX. 23.
ſunt fere innocui in Italia. Ibid.
quî tamen nonnunquam in eadem, aut etiam Monſpelii mortem, aut graves noxas attulerint. Ibid. 24. & ſeqq.
num certa adhuc extent adverſus eorum ictus remedia. Ibid. 28.
Scorpionum noſtratium aculeum quis primus viderit perforatum. Ibid. 27.
quis veſiculam illi ſubjectam olim cognoverit. Ibidem.
Scrotum. In eo duo calculi. LXIV. 7.
Sculteti Ulmenſis hallucinatio. L. 28.
Segnerus, Jo. Andreas, P. Prof. Gottingenſis, laudatus. III. 17.
Sellularii artifices cur quibuſdam morbis obnoxii. XVIII. 4.
Semen maſculi num perveniat in Tubas Fallopp. XXVI. 14.
Seminalis carunculæ Sinus confirmatur. XXXIV. 8.
is an, & quando catheteri poſſit obſtare. Ibid.
Seminalia vaſa cur per Proſtatam traducantur. LXVI. 14.
Seminales veſiculæ num prorſus non deſint canibus. LXVI. 10.
Seminis receptacula uno in latere vitiata, quomodo ſemini, & receptaculis alterius lateris poſſint officere. XLVI. 6.
in eam rem Obſervatio. Ibidem.
Seminis in ſomniis effuſiones quomodo aliqui præcaveant. XLIV. 16.
Senac, Petrus, Archiater Reg. Gall. laudatus. XVI. 48. XVII. 27. 28. XVIII. 15. 36. XIX. 40. 44. XXI. 20. 21. 34. 40. XXII. 7. XXIII. 24. XXIV. 12. 17. 29. 30. XXV. 5. 20. 23. XXVI. 18. 26. XXVII. 18. 19. 25. XXXVIII. 8. 33. 43. XLIV. 2. XLV. 23. LIII. 27. LV. 7. LXI. 9. & Præf. ad lib. 3.
Senes cur plerumque macreſcant, cauſa quædam. XLIX. 19.
cur cerebri morbis ſint obnoxii, nova aliqua ex Anatome cauſa additur. III. 22.
decrepiti cur plura ingruentium chronicorum morborum ſigna negligant. XX. 34.
Sennerti explicatio loci cujuſdam Coacarum minus probanda. XXI. 39.
Sepulchretum. Vid. Boneti.
Sepulchrum in quoddam deſcendentes quibus cum ſymptomatibus extincti fuerint. XIX. 30.
Seraus, Franciſcus, Prof. Reg. Primar. Napolit. laudatus. X. 8. XLII. 45. XLVIII. 42. L. 26. LIX. 28.
Severini, M. Aurel. Obſervatio quædam intellectu difficillima. L. 12.
Silvatici, Jo. Bapt. libello de iis qui morbum ſimulant, deprehendendis quiddam addendum. XIII. 13.
Simſonus, Thom. laudatus. XXXV. 22.
Singultus Obſervationes duæ Bartholini illuſtratæ. XXIX. 3.
remedia duo, a Valſalva feliciter adhibita. Ibid.
Singultus in febribus cum peſſimis ſignis non lethalis Obſervationes. Ibid.
Sitis in quibuſdam hydropicis cur ante mortem remiſerit, aut ceſſaverit. XXXVIII. 9.
Slevogtii locus minus probandus. XLV. 13.
Solida humani corporis ad fluida quam parvam habeant rationem, non omnia ad id producta oſtendunt experimenta. XLIX. 19.
Somnus a cibo quomodo fiat. XXVI. 12.
Soporoſæ affectiones non raro cum peripneumonia conjunguntur. VI. 11. & ſeqq.
quomodo id fiat. Ibid. 16.
quomodo deliriis ſuperveniant. X. 18.
poſt illas affectiones aqua plerumque intra cranium invenitur. VI. 5. 15. & tota illa paſſim Epiſt.
ſed cum flava eſt, alias ſimul affectiones ſæpe facit. VI. 15.
cum aqua tamen non raro diſtenta ſanguine cerebri vaſa inveniuntur. VI. 15. 16.
Sphacelus an ſine prævia inflammatione, aut hujus ſignis ipſa viſcera poſſit nonnunquam invadere. XXXV. 19. & ſeqq.
Sphenoides os. Vid. Pituitarii Sinus.
Spigelii hallucinationes quædam. XXIV. 23.
Spina. Vid. Vertebræ.
Spinæ diſtorſio non ſemper, ſed multo ſæpiſſime cujuslibet gibberis cauſa eſt. XXVII. 31. 32.
quis primus eam diſtorſionem pinxerit. Ibid. 32.
& quis primus olim plures vertebras tunc in unum os ſæpius redigi, animadverterit. Ibid. & LVI. 36.
cauſarum ejus diſtorſionis duo genera illuſtrantur, & utrum ſit præferendum, oſtenditur. XXVII. 33.
quomodo ſæpius diſtorſio in ſerpentis modum fiat. Ibid. 34.
concauſa eſt aliquando Aortæ aneuryſmatum, aliorumque ejus vitiorum. XXXVIII. 40.
Spinæ inflexio ad angulum recto minorem conſpecta. LXII. 11.
tubi prorſus deficientis Obſervatio. XLVIII. 48.
in eo tubo qui primus aquam præter naturam obſervarit. XI. 16.
qui facili id obſervandi ratione uſus ſit. Ibid.
videndum tamen, & quomodo, nequando ſit ſecundum naturam. Ibid.
unde aqua illa proveniat. XII. 9.
qua ratione etſi utrinque ſit, magis tamen alteri lateri obeſſe queat. Ibid. & ſeqq.
Spina ferme tota bifida obſervata. XLVIII. 50.
ipſa bifida, ejuſque aquei tumores quomodo fiant. XII. 9.
horum unus obſervatus, & deſcriptus. Ibid. 16.
cur rarius fiant ubi alioquin per ſe hiat os ſacrum. Ibid. 9.
cur ibi ſerius lethales. Ibid. 12.
horum tractatio cur a tractatione interni hydrocephali non ſit disjungenda. Ibid. 10.
num aliquid a Chirurgo in his audendum. Ibid. 12.
an huc attineant tumores a C. Bauhino, & Muyſio deſcripti. Ibid. 10.
num quidam Hippocratis locus. Ibid.
quis primus hunc morbum videatur obſervaſſe. Ibid.
quam frequenter obſervatus in quibuſdam regionibus. Ibid. 15.
falſæ de ordinaria ejus origine opiniones. Ibid. 11.
num ſæpe in eo vertebræ, & Medulla bifariam dividantur. Ibid.
perraro dumtaxat, & quando ab aqua in cellulis pinguedinoſis Duræ meningis deduci queat. Ibid. 12.
quando nonnunquam ſanabilis ſit. Ibid.
quid nervi ſint intra hos tumores ſæpe viſi. Ibid. 11.
unde paralyſes, & convulſiones ab his, præſertim apertis, tumoribus. Ibid. 12.
Spinæ bifidæ quinam Obſervationes collegerint. XII. 15.
quis accuratius de ea egerit. Ibid.
num quibus ea eſt, omnes contortis ſint pedibus. Ibid. 16.
num ad ipſam attineat quædam Obſervatio Stalpartii. Ibidem.
Spina Ventoſa. De hac quædam. LV. 17.
Spinalis Medulla. Ejus læſionum effectus, collati inter

ter ſe, difficile explicantur. LIV. 27.
Ejus meditullii corticalis hydropem quis viderit. XII. 11.
Ejus corpus præter naturam ferme uſque ad os Sacrum productum. Ibid. 16.
In ejus Arachnoide inventum os inchoatum. XXV. 9.
Splenica arteria quædam cur ſine flexibus inventa. XXXVI. 24.
Spoeringius, N. ex Reg. Svec. Sc. Academ. laudatus. XXXVIII. 24.
Spoerlinus, N. laudatus. XII. 6.
Spoletus, Franciſc. Primar. olim Patavinus Profeſſor, laudatus. VIII. 5.
Ejus amauroſis, & apoplexia unde. XIII. 12.
Sproegelius, Dieter. apud Berolinenſ. Medicus laudatus. LV. 26.
Sproegelius, Jo. Adr. Theodorus, apud eoſd. Anat. laudatus. V. 21. LV. 12. LIX. 5. 22.
Spuma ex ore epilepticorum non ſemper eſt e pulmonibus. IX. 6.
Sputa. Vide Puris. Phthiſis.
materiæ, pro catarrhali perperam acceptæ, ægros, & quoſdam Medicos decipiunt. XX. 40.
nigra a quibus vel olim obſervata. XXII. 21.
num a Bronchialibus ſint glandulis. Ibid.
cruenta in pleuritide quomodo explicanda. Vid. Pleuritici.
polypoſa, & ramoſa obſervata. XXI. 20.
a quibus viſa, picta, illuſtrata. Ibid.
quomodo, & ubi gignantur. Ibid.
quibus pro expectoratis vaſis pulmonaribus impoſuerint. Ibid.
num id genus ſputa Hippocrates deſignaverit. Ibid.
cum ſputis expectorati oſſiculi Obſervatio. XXII. 24.
unde hoc provenire potuerit. Ibid. 25.
Stalpartii hallucinationes. XXXVIII. 46. L. 56. 59.
Stancarius, Jo. Ant. Bononienſis olim P. Profeſſor, laudatus. XVII. 30. LXIV. 9.
Ejus Obſervatio. XVII. 30.
Stancarius, Victor. Franc. P. Prof. olim Bononienſ. laudatus. XXII. 28. XXXVII. 25.
Stegmannus, Ambroſ. ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XXXVIII. 35. XLVIII. 39.
Stehelinus, Benedictus, laudatus. LIV. 11.
Stenonius, Nicol. num a Veteribus dedicerit ſuum motus muſcularis, ob ligatam arteriam ceſſantis, experimentum. XIX. 22.
Stentzclius, Chriſtian. Godofr. P. Prof. Vitemberg. laudatus. XXVI. 40.
Steriles certe quædam præter papillam, & areolam nihil de mammis habebant. XLVI. 21.
Steriles ex fœcundis quæ ſæpe cauſa mulieres faciat. LXVII. 12.
Sterilitas num ab omento, os uteri comprimente fieri poſſit. XLVI. 14.
quid pro omento ſubſtitui poſſit. Ibid.
Sterilitatis indicia quædam ex cute. XLVI. 3.
cauſa in veſiculis ovariorum. XX. 7. 8.
cauſa in extrema obſervata uteri parvitate. XLVI. 20.
Sternothyroid. muſculorum Paris in quodam omnino deficientis Obſervatio. VIII. 12.
Sternum a ſiniſtris brevius, ut clavicula minus alta eſſet, in quodam inventum. X. 19.
Sternutationis noxæ. XIV. 26. & ſeqq.
Sternutatoria quando conveniant, aut non. IX. 6.
Steubius, Jo. Sebaſt. laudatus. LXV. 16.
Storchius, Jo. ex Cæſ. N. C. Acad. laudatus. XXXIV. 19. XXXVII. 19.
Strabiſmi variæ indicantur cauſæ. XIII. 20.
in his quorundam oculi muſculorum paralyſim quis diu ante Plempium poſuerit. Ibid.
Strangulati. Vid. Suſpenſi.
Strangulata mulier, ore quamvis ſpumoſiſſimo, ſervata eſt. XIX. 36.
Strumæ num erumpant nunquam, niſi meſenterium ſtrumoſum ſit. L. 28. 29.
in quadam puella quomodo perſanatæ. Ibid. 27.
Struvius, Ern. Gotth. olim ex Cæſ. Acad. N. C. laudatus. XXXI. 22.
Stuartus Petrus, laudatus. XLVIII. 25.
Stultorum cerebrum durum obſervatum. I. 10. VIII. 14. 17. LXI. 8.
non tamen in omnibus totum. VIII. 17. 18. LXI. 8.
cur id, & quomodo, quadantenus inquiritur. VIII. 18. LXI. 8.
& ſæpe in iis glandula Pinealis vitiata. VIII. 14. 16. LXI. 2. & ſeqq.
Styloides proceſſus, ad os hyoides perveniens propemodum, obſervatus. LXIII. 13.
Subclavia in vena, & in Axillari, longa inſula. LXIX. 2.
Submerſi. Vid. Epiſt. LXIV. 4.
aquamne in ventriculo, Aſperave arteria habeant, an in neutro, qui primi obſervarint. XIX. 41.
experimenta in pluribus, variique generis animalibus, etiam quibus adhuc anaſtomoſes ad cor patebant, capta, & quid obſervatum. Ibid. & ſeqq.
in nullo eorum epiglottis depreſſa, aut larynx occluſa. XIX. 41.
variarum in variis aquæ in ventriculo, & pulmonibus Obſervationum cauſæ examinantur. Ibid. 43. 44.
methodus Dethardingii ſubveniendi ſubmerſis perpenditur. Ibid. 44.
num ferme nulla ſpes ſit iiſdem auxilio aliquo opitulandi. Ibidem.
Submerſorum cadavera quæ ad anatomen aptiſſima, & quæ ſecus. XIX. 40.
num illa ob aquam per cutis poros ſubeuntem, an potius ob intus explicantem ſe aerem turgeant, enatentque. Ibidem.
Sudor. Poſt hujus copioſi a frigore ſuppreſſionem, rotunda in lævibus internis corporis ſuperficiebus obſervata corpuſcula. II. 20. 21.
Sudorifica male credita Arabum inventum. XLIX. 20.
nimia hujus remedii in Acutis apud quoſdam averſatio. Ibidem.
Suffocati. Vid. Suſpenſi.
infantis recens editi diagnoſis ex pulmonibus. Vid. Pulmon.
quinam habeant in corde grumoſum ſanguinem, & qui ſecus. XIX. 10.
Suffocatio ab Aortæ anguſtia. Ibid. 50. & ſeqq.
Suffocativi paroxyſmi. Ad hos, alioſque ejuſmodi intercipiendos, ſolvendos, aut levandos quid valde, & prompte ſæpe profuerit, & cur. XVII. 27.
Suffocativo, non cephalico, affectu oſtenditur perimi homines in quibuſdam ſepulchris, & in halitibus ferventis uvæ, & in antro, canum dicto. XIX. 39.
Suffuſio membranea unde aliquando viſa ſit. LXIII. 11.
Suffuſionem præcedentia ſpectra multiplex ratio explicandi. XIII. 14.
Ad eam referenda Cryſtallini vitia obſervata. Ibid. 15. 17. 18.
Quæ ſuffuſiones, & cur, tardius matureſcant. Ibid. 18.
Suffuſioni obnoxiæ in una Familia omnes ſorores; nulli fratres. Ibidem.
Sulphur. Ab eo epoto noxæ, & quare. LV. 9. & ſeqq. & 12.
Sulzerus, Henricus, laudatus. LXII. 13.
Supercilii vulnera periculoſa, & cur. LI. 16. 40.
Surdi, auditum poſt multos annos recuperantes, num iterum omnes debeant voces, & loquelam addiſcere. XIV. 11.
Surditas ab ortu omnibus in una familia ſororibus, nullis fratribus communis. XLVIII. 48.
num, & quando ſequatur neceſſario Oſſiculorum Tympani, hujuſque Membranæ ruptio-

ptionem. XIV. 10.
Obſervatio ſecuræ oſſificationem membranulæ quæ Stapedem cum Feneſtra ovali connectit. Ibid. 11.
De aliis ejus cauſis. XIV. 15. XXI. 25.
Suſpenſi qui ad ſe redierunt, quid a conſtrictione laquei ſenſiſſe, retulerint. XIX. 36.
quibus remediis ad ſe redierint. Ibidem.
Suſpenſorum penis cur ſæpe tenſus. XIX. 16. 18. & ſeqq.
pulmones quomodo aliquando ſine copia ſanguinis, & ſpuma inveniri poſſint. Ibid. 9.
cerebri vaſa quomodo aliquando turgida, & diſrupta, alias autem contra, etſi externa capitis ſint plena. Ibid. 10. 15. 38.
& quomodo in collo quidam muſculi, cartilagines, vertebræ valde, aut nihil læſa. Ibid. 12. 14. 16.
Eorum cita mors neque a nervis, neque ab arteriis, neque a venis in collo obſtrictis. Ibid. 35. 36.
neque a fractis, aut luxatis ſummis vertebris. Ibid.
ſed ab univerſis quæ antea dicta ſunt, ſimul in collo compreſſis, & a conſtricta eodem tempore arteria Aſpera. Ibid. 37. 38.
rationes cur ſic cenſendum, & modus quo cita mors per ſoporem ſic inducatur. Ibid.
Supplicium hoc Latini melius expreſſerint dicentes laqueo gulam, an cervices frangere. XIX. 14.
Sutores cur ſint quibuſdam morbis obnoxii. XVIII. 4.
Swietenius, Gerardus L. B. & Cæſar. Archiatr. Comes, laudatus. II. 2. III. 12. IV. 33. VIII. 13. 14. 32. IX. 8. X. 3. XVIII. 15. XIX. 24. 31. XXX. 17. XXXV. 22. XXXVI. 6. 12. XXXVII. 13. 15. 32. 42. 46. 50. XXXIX. 45. XL. 6. XLVIII. 54. L. 14. LIV. 37. LV. 23. LXV. 2.
Sydenhamii quædam magis, aut minus probanda. XXI. 21. 38.
Sylvii, Jac. rara quædam Obſervatio explicata. XXXVI. 27.
Syncope aliquando aliud non eſt, quam apoplexia a cerebello. III. 27.
fit ex cordis tam convulſione, quam reſolutione. XXV. 13.

T

TAbacci pulvis, aut fumus num ſubire cranium poſſit. I 8. 9. 15.
Tabarranus, Petrus, ex Bonon. Inſt. Sc. Academ. laudatus. XIII. 29. XXVI. 26. XXXIX. 20. XLVIII. 45. LVI. 35.
Tacconus, Cajetanus Prof. P. Bononienſ. laudatus. XXXVII. 16. XLIII. 3.
Targionius, Jo. P. Prof. Florentin. laudatus. II. 8. XVIII. 29. XXIV. 28. XXVIII. 13. XXXVI. 16. XXXVIII. 33. 64. 71. XXXIX. 41. XLII. 35. 42. LVI. 35. LVIII. 7.
Teichmeyerus, Herm. olim Frid. P. Prof. Jenenſ. laudatus. XLIII. 31.
Temporalem muſculum, cum opus eſt, quinam olim ex Italis incidere præceperint. LII. 12.
totum in tranſverſum inciſum fuiſſe, nullis ſecutis convulſionibus, quædam exempla. Ibid.
pugione maxima ex parte ab anterioribus retrorſum trajecti, ne ulla quidem accedente febre, Obſervatio. Ibid.
Temporum os. Vid. Styloides.
Teneſmus. Vid. Dyſenteria.
Terranci hallucinatio. XLI. 19.
Terror. Poſt ipſum cur ſanguis mittendus. IX. 6.
Teſtem tertium quid mentiretur in quodam. XLIII. 2.
Teſtis Vaginalem tunicam ad peritonæum non extendi, qui obſervarint. Ibid. 8.
ex ipſa, & Albuginea expreſſæ guttæ. Ibid. 16.
ſub Albuginea, tenuiſſima altera obſervata, proxime complectens ſubſtantiam teſtis. Ibid. 27.
adnatæ Albugineæ, aut pendulæ ab hac hydatides ſæpe obſervatæ. Ibid. 16. & ſeqq.
& quædam exigua tubercula, & qua parte ut plurimum, & quid hæc ſint. Ibid. 18. & ſeqq. uſq. ad 31.
teſtem inter, & epididymidem pinguedo in ſanis interdum obſervata. Ibid. 37.
Teſtes cur interdum ab inteſtinorum flatibus tumeſcant. XLIII. 40.
Eorum tumores alii ex aliis materiis fiunt, nonnullique fortaſſe ex intus innata pinguedine. Ibid. 41.
Horum unus perraræ magnitudinis viſus. Ibid.
Eorum magnitudo non raro eſt potiſſimum ex tunicis craſſioribus factis. Ibid. 42.
Tetanus. De hoc quædam. X. 3.
Thebeſius, Adam. Chriſt. ex Cæſ. Academ. N. C. laudatus. XVI. 44. XVIII. 15. XXXVIII. 19. 42.
Thoracis morbos ſeparandi difficultas, & hujus cauſa. XV. 1.
Thoracis hydrops non facilem habet diagnoſim. XVI. 25.
De hujus ſignis. XVI. 9. 11. 25. 27. 29. 33. 34. 36. & ſeqq. XLIII. 17.
num pathognomonicum ſit ejus ſignum gravior dyſpnœa repente excitans a primo ſomno. XVI. 11.
quis primus hoc ſignum propoſuerit. Ibid.
quomodo poſſit explicari. Ibidem.
Ab non multa in thorace aqua, ſed irritante, fieri difficiliorem reſpirationem, confirmatur. Ibid. 15.
Quomodo ab illa excitetur tuſſis. Ibid. 45.
Qui primi in humanis cadaveribus hunc hydropem obſervarint, Ibid. 33.
Miſſo in hoc morbo ſanguine, quid conſecutum ſit. Ibid. 30. 34.
Quomodo ſe hic morbus adjungat peripneumoniæ. XX. 34.
Thoracis inflammationes. In his ſanguis ſæpius ad concretionem vergit, interdum & ad fluorem. XX. 14.
In iis cito lethalis ſputorum ſuppreſſionis quæ ſint cauſæ. Ibid. 6.
Vulnera. Quando, & cur per hæc inſpirationis ope facilius humores educantur, intra thoracem effuſi. LIV. 11.
Thoraces, ob balenarias virgas, duriores quæ mulieribus detrimenta afferant. XXVI. 23. XXXVIII. 55. LVI. 17.
Thyroidæa glandula. De ejus unitate, canaliculis, & ſtructura quædam. L. 37.
De ejus morbis. Vid. Bronchocele.
Tinnitus. Vid. Auris.
Tita, Antonius, Botanicus Patavinus. Ejus mors, & diſſectio. III. 11.
Tittmannus, Franc. Fridericus, laudatus. XXI. 40.
Tonſillas exſtirpandi conſilium num dandum. L. 26.
Torres, N. Medicus Ser. Ducis Aurelianenſ. laudatus. XXIV. 7.
Trachea. Vid. Aſpera arteria.
Trewius, Chriſtoph. Jac. ex Cæſ. N. C. Acad. laudatus. IV. 15. XII. 10. 11. XIII. 18. XIV. 25. XIX. 48. XXIV. 28. XXVII. 19. XXXVII. 16. 17. 22. XL. 20. XLII. 33. 42. L. 6. 40. LVI. 35 & Præfat. ad libr. 1.
Treylingius, Jo. Jac. Prof. Prim. Ingolſtad. laudatus. XXXI. 26. XLVIII. 14.
Triangulares pectoris muſculi in quodam toti propemodum deſuere. XLIII. 29.
Trichiaſis. Vid. Cilia.
Trillerus, Daniel Wilhelm. P. Prof. Vitemberg. laudatus. XX. 10. XXI. 40. 41. XXVIII. 15. XXX. 13. L. 16. & Præfat. ad libr. 4.
Triviſanus, Hieronymus, ex S. Patavino Medicorum

rum Collegio, laudatus. LXIV. 13.
Trombellius, Jo. Chryſoſt. Abbas General. Canonicor. Regular. Congreg. Rhen. laudatus. XXVI. 39.
Trombellius, Sebaſt. Antonius, Prof. olim P. Bononienſis, laudatus. Ibid. & IX. 11. XLVIII. 54.
Ejus Obſervatio. IX. 12.
Ejus de morbo, morte, & diſſectione quædam. XXVI. 39. 40.
Tubarum Fallopp. altera a primordiis medio in curſu deficiens, & ſolida. LXIX. 16.
occluſio, & cum ovariis concretio unde ſæpe accidat. LXVII. 12.
Ligamenta. Plexus in his nerveus jam ab A. 1706. primum fuerat in Adverſariis indicatus. XLV. 23. in fin.
Tubercula quædam parva quibus peritonæum, pleura, aut viſcerum ſuperficies ſæpe exaſperantur, unde ſint. XXXVIII. 35. & ſeq.
Tulpii hallucinatio. XLII. 32.
Tumores, Vid. Carpi, Cranii, Spinæ, Teſtium.
Tumores flatulenti, ſub cute circumſcripti, an dentur, & quomodo fiant. XXXVIII. 22. 25.
magni ex materia neque fluida, neque fluida facienda. L. 53.
cyſtici. Origo horum varia. XXII. 20.
de veſiculis interdum incluſis aliqua attinguntur. XXXVI. 9.
nattæ dicti, quæ præter vulgarem opinionem aliquando contineant. L. 19. 20.
horum compreſſioni quantum Valſalva tribueret. L. 19.
qui pilos in tumoribus, priſcis temporibus, & poſtea obſervarint. XXXIX. 41.
Tumores, ſanguinem continentes. L. 53.
ſingularis ille de quo Xenophon, & Plutarchus. Ibid.
ingens femoris, per ſe evaneſcens. Ibid.
quidam in equis, ligata vena ad eos pertinente curati, & quomodo. L. 54.
Tumoribus apertis, ſi puris plurimum continuo educatur, cur deliquium accidere ſoleat. Ibid. 53.
Tumorum glanduliformium etiam ubi glandulæ eſſe non ſolent, Obſervatores. LXVIII. 14.
horum toto corpore aut exterius, aut interius, aut utrobique exempla. Ibid. 12. & ſeqq.
Tuſſis, & febris comparatio. XIX. 53.
Tuſſis diviſiones quædam ſecundum varias cauſarum ſedes. Ibid.
exemplis illuſtrantur. Ibid. & ſeqq. & 57. 58.
quomodo inducatur a cauſis quæ in ventris viſceribus ſedem habent, & in ventriculo præſertim. Ibid. 57.
cauſam interdum in ipſo eſſe capite, demonſtratur. Ibid. 54.
quomodo excitetur ab auriſcalpio. Ibid.
Tuſſis convulſiva. XXVI. 36.
cujuſdam, ab aliis creditæ convulſivæ, cauſam quam Malpighius, & Lanciſius eſſe, cenſerent. XIX. 55.
Tympanites hydrops num ſæpius, & quatenus cum aſcite jungatur. XXXVIII. 21.
extra ventriculum, & inteſtina rarus eſt; ſed eſt tamen, & quomodo. Ibid. 24. & ſeq.
ortus in morbo etiam acuto, & quomodo. Ibid. 23
poſt chronicos, an per conſtrictionem, an per relaxationem fibrarum eſt explicandus. Ibid. & ſeqq.
De ejus diagnoſi, & curatione quædam. Ibid. 25.
Tympanum. Vid. Auris.

V

Vagina Uteri. Vid. Uteri.
Valcarengus, Paulus, Prof. Ticin. Prim. laudatus. XVII. 16. 27. XVIII. 24. XL. 14. XLI. 12.
Valerii Maximi locum quomodo præſtet legere. XXVI. 14.
Valleſii, Franciſci, hallucinatio. LI. 4.
Valliſnerius, Antonius, Eques, Prim. olim Prof. Patavin. laudatus. XXXVII. 42. XL. 26. LIX. 26.
peculiarem de Bilariis Calculis Tractatum optabat. XXXVII. 52.
Ejus Obſervationes ineditæ. X. 21. L. 27. 38. LVIII. 17.
Obſervatio quædam explicata. XLIII. 21.
ad aliam additamenta. XLVI. 8. 9.
Ejus morbus ultimus, valde attendendus, accurate deſcribitur. XXI. 13. 14.
Valliſnerius, Antonius, Eques, Ant. Equ. filius, Prof. P. Patav. laudatus. XXX. 7. XXXVI. 15.
Valſalvæ ingenuitas. XX. 30.
incredibilis ſciendi, & experiendi cupiditas. LV. 23.
Obſervationes. De his Vid. Præfat. n. 12. & Præfat. ad libr. 2.
Eaſd. Vid. paſſim initio fere omnium Epiſtolar. libror. quatuor priorum, aliaſque præterea alibi, ut Epiſt. V. 20. X. 12. 16. XIV. 19. XV. 9. XVII. 30. XX. 42. XXII. 20. 25. 28. XXIV. 3. XXIX. 3. XXXII. 6. 8. XLII. 4. XLIII. 42. XLV. 8. L. 6. 13.
Experimenta in vivis canibus. XIX. 20. 25. & ſeqq. 33. XXXII. 8.
& in avibus. LII. 26.
Valſalva quæ tentanda experimenta cenſeret circa cauſam apoplexiæ. IV. 3.
quænam in hydropicorum diſſectione quærere conſueſſet. XXXVIII. 7.
quid ſentiret de annulo abdominis, & proceſſu peritonæi. XLIII. 8.
ab ipſo olim obſervata in canum venis Jugularibus turgentia in exſpiratione, & ſubſidentia in inſpiratione. XIX. 33.
dicta occaſione diruptæ Membranæ Tympani, defenſa. XIV. 10.
& interdum uſus quoque novorum Tympani Foraminum. Ibid. 9.
ante Anellium, tenui ſpecillo immiſſo lacrymales vias reſeraverat. XIII. 28.
Valſalvæ miræ diagnoſes. II. 25. XXI. 11. XXXII. 7. XXXIX. 14.
& prædictiones. XXIV. 21. XXXV. 2.
conjecturæ de tumore in glandula mucilaginoſa acetabuli. LVI. 23.
felix faciliſque contumaciſſimæ narium hæmorrhagiæ curatio. XIV. 24.
felix internorum aneuryſmatum incipientium curatio. XVII. 30.
& externorum. L. 10.
aliæ horum in flexura cubiti, & in poplite curationes. L. 7. & ſeqq.
& gummatis venerei ad malleolum. LVIII. 8. & ſeqq. & alibi.
penis exciſio. L. 50.
felix ingentis exulceratæ mammæ paulatim perfecta exciſio. Ibid. 16.
Valſalva quam in narium polypis, & ulceribus curandis conſuetudinem teneret. XIV. 19. 22.
quam in hæmorrhoidibus, & ani ulceribus. XXXII. 13.
quam in hæmorrhagiis. XIV. 25. XXXII. 12. 13.
quodnam memoraverit inſtrumentum adverſus ani in dejiciendo prolapſum. XXXIII. 16.
quibus uteretur præſidiis ad palliativam gravium inteſtini Recti vitiorum curationem. XXXII. 9.
quo adverſus luem veneream. LVIII. 16.
quo ad cancros uteri, aut mammarum retardandos. XXXIX. 35.
quæ probaret, aut improbaret in veſicæ calculis. XLII. 16.
in iſchuria veſicali, ſi neque per catheterem, neque per punctionem perinæi liceret, quomodo lotium educendum cenſeret. Ibid. 36.
glutinoſum, & tenax pus, in urinis ſubſidens, rarius ab renibus, quam ab ſubjectis partibus repetebat. Ibid. 44.
Valvulæ Bauhini duo adjecta Fræna magnam perſæpe præſtant utilitatem. XXXIV. 30.
Vandellius, Hieron. P. Prof. Patavinus, laudatus. XIII. 25. LVI. 27. LXVIII. 8.
Vari, Ignat. P. Prof. Ferarienſis, laudatus. LXIV. 3.

Variolas etiam alibi, quam in cute, nec tamen ſolum in viſceribus tunc provenire, oſtenditur. XLIX. 33. 34.
Variolis a palpebris, oculiſque arcendis collyrium. Ibid. 33.
Varolii Obſervationes in apoplecticis, quomodo accipiendæ. IV. 1. V. 1.
Vaſa. Vid. ſanguifera.
Magna in thorace ſiniſteriora conſpecta, quam ſolent. LVI. 18.
A caſu ab alto, itemque ab ictu cur Aorta potius ſit rupta, quam vena Cava. LIII. 8. 36.
Vaſorum craſſiores trunci cur ibi fuerint poſiti, ubi ſunt. LIII. 27.
deligatio ad cohibendum ſanguinem quam antiqua. L. 54.
Vaterus, Abr. pridem P. Prof. Vitembergenſ. laudatus. XIII. 11. XLVIII. 11.
Ejus locus minus probandus. XXXVII. 45. 47.
Vaterus, Chriſtianus olim P. ibidem Profeſſor, laudatus. XVIII. 27. XXVI. 12. XXVII. 10. LXIV. 16.
Vellejus Paterculus cur a Quinctiliano inter Hiſtoricos non recenſeatur. LIX. 38.
Velſe, Corn. Henricus, laudatus. XXXVIII. 23.
Venæ. Vid. Axillaris. Azyga. Cava. Cephalica. Iliaca. Jugulares. Occipitalis. Subclavia. Umbilicalis.
Venæ ſectionem in thoracis hydrope quæ ſint conſecuta. XVI. 30. 34.
ineptam in manu perpetuus hujus tremor eſt ſecutus. L. 6.
ineptam in flexu cubiti mala alia ſecuta. Ibid. & ſeqq.
Venarum ſyſtole, & diaſtole. Vid. Jugulares.
Per venas ſanguis ad cor fluere conſpectus, quamvis a tergo alius non urgeret. XIX. 33. 34.
Venis ligatis, an colligatis ſimul lymphæ ductibus ſeri effuſio debeatur in Loweri experimentis. Ibid. 32.
Venenum per ſe in corporibus gigni poſſe, Obſervatione confirmatur. LIX. 18.
quam difficile ſit, ingenitum, an exhibitum venenum aliquod fuerit, judicare, Ibid. 19. & ſeqq.
quando id ſit minus difficile. Ibid. 21.
Venena quædam, in colloquiis præſtat, quam in libris, a Medicis deſcribi. Ibid. 22.
Venena eadem, eodemque pondere ſumpta, cur non eadem ſemper habeant ſigna, & effecta. Ibid. 4.
id collatis inter ſe pluribus ſumpti erodentis veneni, & arſenici præſertim, hiſtoriis confirmatur. Ibid. & ſeqq.
Ejuſdemmodi veneni quater obſervata ſigna, & curationes peractæ. LIX. 6. & ſeqq.
a ſucco rhododaphnes epoto quæ acciderint. Ibid. 12.
horum conſideratio. Ibid. 13. 14.
Ab elleboro nigro quæ contigerint. Ibid. 15.
horum cum iis quæ ab albo contingunt, comparatio. Ibid. 16.
Venena morſu, aut ictu a beſtiis immiſſa. Vid. Aſpis. Canis rabioſus. Hydrophobia. Scorpio. Vipera.
in Venere mortuæ diſſectio. XXVI. 13.
rariſſima ſunt in fœminis ejuſmodi mortis exempla. Ibid. 14.
ejus cauſæ. Ibid.
Venerea lues vetuſtiſſimus, an recens in Europa ſit morbus. LVIII. 15. 19.
Pro numero ingenti ex ea mortuorum, diſſectiones extant paucæ. Ibid. 14. 15.
Eorum cadavera quas intus læſiones oſtenderint. Ibid. 2. 3. 14.
quæ viſcera ſæpius læſa. Ibid. 14.
num & jecur. Ibidem.
Venereæ luis non raro in phthiſim deſinentis exempla. XXII. 11.
Gummata. Vid. Gummata.
In hydrargyri, aut decoctorum uſu adverſus hanc luem miræ in doctiſſimis Civitatibus viciſſitudines. LVIII. 15. 16.
Decoctorum, inſtar aquarum thermalium copioſe datorum, uſum qui invenerit, & qui adhibuerint. Ibid. 16. 17.
Felicis ejuſmodi curationis Obſervationes. Ibid. 16.
Hydrargyri in hoc morbo multiplex uſus, ejuſque proprietates vel olim Patavinis Profeſſoribus non ignota. Ibid. 17. 18.
ut neque, Aponenſes thermas in eodem obeſſe potius ſolitas, quam prodeſſe. Ibid. 18.
Venter. Inter hujus viſcera nullum ſpatium, aut cavitatem relinqui, quis ante hanc ætatem docuerit. LI. 10.
Quali in ventre, & cur difficilius ſit veram tumorum ſedem dignoſcere. XXXIX. 23.
In macilenti ventris exploratione, quomodo Spina pro duro tumore poſſit imponere. X. 12.
Ventris tumor quidam rarus obſervatus. XXXIX. 21. 26. 29.
Ejus ſignorum perquiſitio. Ibid. 28.
Alius, poſt partum nonnunquam reſtans, unde ſit. XLVIII. 46.
Qui ab inteſtinis factus videri poſſit, nec ſit. Ibid. 55.
Qui a viſceribus, nec ſit. L. 49.
Ventris dolorum, citiſſime, & præter opinionem occidentium exempla. XXXV. 2. 4. 8. 10.
Interioris cujuſdam ſupra umbilicum moleſti ſenſus explicationes. X. 12.
Magni cujuſdam corporis intra ventrem pulſantis Obſervatio, & conſideratio. XXXIX. 18. & ſeqq.
Pulſationes ibi unde ſæpe ſint, abſente aneuryſmate. Ibid. 19. 20.
Ventris viſcera aliquando, abdomine integro, ictibus diſciſſa. LIV. 14. & ſeqq.
ſæpe per thoracem vulnerata. Vid. Diaphragma.
quæ attendenda ſint, ne vulnerati viſceris ſedes fallat. LIV. 38.
Ventre tranſverberato, viſi aliqui brevi ſanati. Ibid. 7.
Ventriculus quaſi duplex obſervatus. XVI. 38. XXVI. 31. XXX. 7. 8. XXXVI. 3. XXXVII. 28.
num ſic vomitioni ſit obnoxius. XXX. 8.
In edacibus, & biboſis amplior. XI. 7. XXVI. 13. 37. LXIV. 19.
Magnitudine eximia conſpectus. XXXIX. 15.
Ejus lenticulares glandulæ. XXIX. 14. 17. 18. XXX. 12.
In illo poſſintne vivere pediculi, quæritur. XXVIII. 3.
Ventriculi prolapſus, hujuſque ſigna. XXXIX. 14.
Obſervationum huc pertinentium comparatio. Ibid. & ſeqq.
recta deſcendentis a diaphragmate ad ſiniſtrum os pubis, & inde ſurſum ſe reflectentis mira ſedes, & longitudo. LXX. 5.
per vulnus diaphragmatis in thoracem traducti Obſervatio. LIV. 10.
quomodo id contingat, & vel ſine vulnere. Ibid. 11. & ſeqq.
Ventriculi intermediæ tunicæ quomodo potuerint non nigricare, cum intima, & extima eſſent nigerrimæ. XXX. 16. 17.
verrucæ, ut Arabes appellabant, num ſemper excreſcentiæ illius fuerint. XXIX. 16. 17.
excreſcentiarum, etiam interiorum exempla plura. Ibid.
quænam earum origo. Ibid.
in peſſimo tumore, quid prodeſſe viſum ſit. XXIX. 12.
in læſionibus, pylorus ſæpius affectus eſt. Ibid. 16.
pylorus laxiſſimus, & magna ex parte annulo carens; nec tamen quidquam lienterici, nedum cœliaci. XXXI. 4.
Ventriculi inexpectata per tumorem proximum abdominis perforatio, & ſanatio. XXXVI. 31. & ſeq.
perforationem qua ratione ulceri deberi, non Profectoris cultro, cognitum ſit. XXXIX. 14.

per

per eam quomodo nihil effluere in ventre potuerit. Ibid. & 15.
per ipſam in ventre effluentia num ſemper citiſſimam mortem afferant. Ibid. 15.
Ventriculus eſſe poteſt vulnere pertuſus, ſine cruento vomitu, aut ſeceſſu. LIV. 8. 9.
Ventriculi calculi. Vid. Vomit.
Veratti, Jo. Joſeph, P. Prof. Bonon. laudatus. II. 14.
Vercelloni hallucinationes. XLIV. 26. LVIII. 15.
Verdries. Jo. Melch. olim ex Cæſ.N. C. Acad. laudatus. XXVIII. 16. XXX. 11. XXXI. 26. XXXIV. 22. LIV. 43.
Veredarii maxime ſunt aneuryſmatibus obnoxii, & cur. XVII. 18.
Veri, L. Imperatoris apoplexia, a Capitolino, Eutropio, Victore memorata, ſanguinea fuit. II. 8.
Vermium ſigna quædam fallacia. XXXI. 6.
ingens numerus, ſumma cum fame, & ſiti obſervatus. XXVIII. 3.
interdum vix ullo cum ſigno. XXXIV. 26.
qui Lati, ſeu Tæniæ dicuntur. De iis quædam. Ibid. 37.
qui inteſtina perforaſſe dicuntur. De iis quædam animadvertenda. Ibid. 36.
de Vermibus quædam ſcripta extant, aliter ac a primo ſignificare videntur, interpretanda. Ib. 37.
Vermes in renibus. Vid. Renes.
quoſdam in pericardii membranis eſſe poſſe, non repugnat; ſed certiores eorum Obſervationes deſiderantur. XXIII. 15.
quid de iis cenſendum qui in corde, vaſiſque ſanguiferis inventi dicuntur. XXIV. 23.
quid de iis qui cum urina ejecti dicuntur. XLII. 6. 29.
Vermes, aliaque animalcula num intra cranium vixerint. I. 8. 9.
intra naſum quomodo. Ibidem.
intra ſanum ſani erinacei bronchium unus inventus. XIX. 41.
quomodo veras, nedum ſpurias, faciant pleuritides. Vid. Pleuritis.
Verna, Jo. Bapt. Medic. Vigilienſ. Primar. laudatus. XXI. 43. 46.
Vernojus, Jo. Georg. pridem ex Imp. Petropol. Acad. laudatus. XVI. 16.
Ejus conjectura de cauſa frequentis adeo in adultis hominibus cohæſionis pulmonum, & pleuræ. Ibidem.
Vertebræ legitimæ in quadam muliere viginti quinque inventæ. V. 6.
frangantur potius, an luxentur, & cum luxantur num etiam frangantur. XIX. 14. LVI. 35. 37.
inter ſe coalitæ a quibus jam olim ſint viſæ. LVI. 36.
lumbares inter ſe coalitæ nuper quoque inventæ. Ibidem.
Vertebralis arteria ſiniſtra, non a Subclavia, ſed ab Aortæ arcu profecta. III. 20. XV. 26. LVI. 10. 21.
Veſicæ veram figuram quis primus tradiderit. XLII. 30.
in muſculoſa ejus tunica qui primi interſtitia inter fibras perſpexerint. LVI. 13. & ſeq.
num propterea e tunicarum ejus numero ſit excludenda. Ibidem.
tunicæ intimæ abſcedentis Obſervatores defenſi. XLI. 16.
Veſicæ caruncularum Obſervatores. XLI. 12.
num ad ejus orificium tuberculum natura creaverit cum uvula comparandum. LXVI. 5. & ſeqq. & tota Epiſt. LXX.
Veſicæ tumorum qui pro uteri tumoribus impoſuerunt, exempla. XXXIX. 34.
ſatis diu valde diſtentæ ſine conſecuta inflammatione, aut reſolutione, exempla. XLI. 8. 9. 11.
capacitas quomodo, & in quibus valde minuatur, & quæ inde conſequantur. XLII. 33. & ſeqq.
ulcera cur difficilius ſanentur. XLII. 16.
in ſcrotum, aut alio prolapſæ Obſervationes. XLI. 12. XLIII. 14.
num id ſit a primordiis. XLIII. 14.
Veſicæ adnatorum ſacculorum, ſive ipſius herniarum non una cauſa, & quæ quando præferenda. XLII. 30.
illos non ignorare lithotomorum intereſt. Ibid. 10. 32.
imponere interdum poſſunt pro altera veſica. Ib. 32.
Quando revera veſica multiplex, & vel quinctuplex reperta ſit. Ibid.
Ad ejus duplicitatem male a plurimis referri hydatidem magnam, a Coitero obſervatam. Ibid.
Veſicæ fibras carneas, ipſaſque tunicas craſſas fieri ab urinæ difficultate, quis antea monuerit. XLII. 33.
fiunt & ab aliis cauſis, augentque, aut ſervant urinæ difficultatem. Ibid. & ſeqq.
Veſica. In ea crediti morbi, in renibus deprehenſi. XLII. 2. & ſeqq.
Unde hoc. Ibid. 5.
Ex ea quomodo poſſit interdum ad renes urina revehi. Ibid. 23.
Veſicæ calculos qui primi in renibus inchoari, & qui in veſica ipſa, docuerint. Ibid. 18.
calculi inter veſicæ tunicas quomodo eſſe poſſint. Ibid. 31.
a mulieribus per ſe excreti. XLII. 42.
maximi, & cur viris potius, quam mulieribus. Ibid.
Veſicæ calculi ſigna, redeunte podagra, obſcurata. XLII. 10.
quomodo poſſint illa abire, & redire. Ibid.
calculi quando mictui non obſtarent. Ibidem.
calculi annuliformis Obſervatio, & de ejus origine conjectura. Ibid.
calculus quomodo a lithotomo modo percipiatur, modo non. Ibid.
calculi in cane cum ſignis deſcripti. Ibid. 17.
in vacca inventi colore æneo. Ibidem.
Veſicæ calculi circum acus geniti, obſervati. XLII. 19. & ſeqq. uſq. ad 30.
acus deglutitas non poſſe per aliam viam, quam inteſtini alicujus veſicæ proximi, in hanc pervenire, quis olim docuerit. Ibid. 27.
quando hæc via poſſit, aut non poſſit approbari. Ibid. & 29.
acus crinalis longæ, & rectiſſimæ per virilem urethram in veſicam traductæ Obſervatio. Ibid. 28.
aliarum acuum, aut rerum per eandem, aut alias vias in marium veſicam trajectarum exempla. Ibid. 29.
quare iſtæ acus a mulieribus in urethram potiſſimum intrudantur, & qua cauſa in veſicam abripiantur. Ibid. 21.
quare nonnullæ per ſe e veſica excidant. Ibid.
cur nonnullis nihil, plerarumque non omni parti calculus accreſcat. Ibidem.
quæ acum, & calculum diutiſſime geſſerit ex omnibus quæ ſervatæ ſunt. Ibid.
circa hunc Molinetti caſum aliæ aliorum hallucinationes. Ib.
acuum ante adnatum calculum feliciter eductarum exempla quædam. Ibid. 22. 26.
qua ratione educta una ſit. Ibid. 22.
poſt adnatum jam diu calculum quænam ſint ante extractionem conſideranda. Ibid.
quomodo acus ipſa non ſemel ſibi in vaginam aditum fecerit. Ibid. 25. 26.
quid tum pro acus, & adnati calculi extractione propoſitum. Ibid.
Veſicæ calculus. Eo præſente, diuretica cur noceant. XLII. 16.
qualis lithontripticis facilius cedat. Ibid. 19.
quando hæc non adhibenda. Ibid.
calculi exciſio cur potius ab autumno ad ver, quam ab hoc ad illum, differenda. Ibid. 18.
antequam id fiat, quando, & ex quibus de inſanabili renum vitio ſuſpicari oporteat. Ibid. 22. & ſeqq. & 30.
calculus ſine neceſſitate a lithotomo non frangendus, & cur. Ibid. 9.
Veſlingius æqua interpretatione defenſus. XL. 20.
Victorius, Benedictus, quamvis omiſſus a Papadopolo, fuit Profeſſor Patavinus. LVIII. 17.
Vidius, Vidus, num ſemilunarem oculi membranam propoſuerit. XIII. 25.
Vieuſſenii quædam non probanda. XXIII. 9.

Vinum novum iis præſertim fugiendum quibus cordis, aut vaſorum ſint vitia. XXVII. 3.
Viperæ in ſanguine habent aereas bullas. V. 22.
ipſarum recentium utilitas adverſus atrophiam, ulcera, ſcabiem, Obſervationibus vindicata. LV. 14. & ſeq.
eæ nec ſitim faciunt, nec ſeniles ſpiritus diſſipant. Ibid. 15.
quis ex antiquis adverſus inſanabilia ulcera iis utiliter uſus ſit. Ibidem.
Viperarum venenum, De hujus ſapore mirus expertorum diſſenſus. LIX. 30.
per venas, an potius per nervos introducatur. Ibid. 33.
morſus cur, ſi ſint jejunæ, periculoſior. Ibid. 31.
cur non omnibus æque noxius. Ibid. & ſeq.
num flavum icterum ſemper, & citiſſime inducat. Ibid. 36.
cur alios, aut aliter in aliis effectus producat. Ibid. 34. & ſeqq.
præcipua hactenus oppoſita remedia pleraque conſiderantur. Ibid. 29. & ſeq.
exſuctio quam antiqua. Ibid. 29.
in ea quid cavendum. Ibid. 30.
Viſcerum quaſi concidentium ſenſus unde ſit. XXVI. 25. LIV. 38.
in ventre non repertorum Obſervationes quædam quomodo poſſint explicari. XXXVIII. 47.
morboſi coalitus inter ſe cauſæ variæ. XXXIX. 30.
ſuperficiei innata parva quaſi granula unde repetenda. XXXVIII. 35. & ſeq.
& cicatrices quædam, cum vulnera, aut ulcerum ſigna non præceſſerunt, unde ſint. Ibid. 42.
Viſionis vitia. Vid. Amauroſis. Cæcitas. Myopia. Nyctalopia. Oculorum Pupillæ Dilatatio.
rara quædam depravatio explicata. XIII. 20.
Ulcera externa diuturna non temere ſananda ſunt. XXVII. 9. LV. 13.
& ubi ſanata ſint, quid agendum. Ibid.
Umbilicalis vena quomodo potuerit in quibuſdam recluſa apparere. XXXVIII. 33.
funiculus. Ejus vitia quædam. XLVIII. 25.
Unguis oculi. Vid. Oculi. Vid. Celſus.
Vocem a glottide gigni, defenditur. XIV. 33.
Vocis quomodo amiſſio contingat. Ibid. 13.
per intervalla interceptæ, & reſtitutæ Obſervationes. XIV. 37. LXIII. 15.
diuturna privatio caſu curata. LXIII. 15.
an Medicis imitari id liceat. Ibidem.
Vogelius, Paul. Henr. Prof. P. Erfurtenſ. laudatus. XXXVI. 6.
Volvulus. Inter ejus cauſas quatenus contorſio inteſtinorum poſſit admitti. XXXIV. 32.
quatenus item, & quomodo, & qua ratione orta, inteſtinorum intus ſuſceptio. Ibid. & 34.
hæc ſæpe eſt a lumbricis: idque a Practicis eſt in junioribus attendendum. Ibid. 32.
Volvulus an, & quomodo eſſe poſſit ſine dolore. XXXIV. 12.
In eo num vera ſtercora evomi ſoleant. Ibid. 28.
num evomi clyſteres frequenter. Ibid. 29.
qui olim, & nuper, vel ſine Volvulo, hoc obſervarint. Ibid.
num hoc, & Volvulus ſine inverſo inteſtinorum motu, nova quadam ratione explicari poſſint. Ibid. 30. & ſeqq.
num ſatis ad id ſit Bauhini valvulam ſupponere paralyticam. Ibid.
quando in Volvulo plumbeos globulos, aut mercurium dare periculoſum ſit. Ibid. 13.
Vomitus. Ad hujus inſtrumenta, alia ab aliis poſita, dijudicanda, nonnulla attendenda. LIV. 11. 12.
maxime diuturni, & hæreditarii Obſervatio. XXX. 7.
contumaciſſimi variæ enumerantur cauſæ, etiam Obſervationibus confirmatæ. XXXIX. 23.
in quodam ejuſmodi inſanabili vomitu quid conſilii datum ſit. Ibid.
quomodo repeti poſſit a craſſitudine tunicarum cyſtis felleæ. XXX. 8.
quomodo a pancreatis vitiis. Ibid. & ſeqq.
quomodo a pylori anguſtia, aut duritie. Ibid. 13.
quomodo a vitiis Duodeni inteſtini. Ibidem.
Vomitus hiſtoria, eſſentialis crediti, cum eſſet a minime animadverſo renum vitio, XXX. 22.
Vomitu ejectorum varii colores unde ſint. Ibid. 5. 15.
nigerrimus præſertim. Ibid. 17.
ejecti æruginoſi humoris examen. XVI. 8.
ejecti calculi antiquæ, & novæ Obſervationes. XXXVII. 41.
ejectæ creditæ ranæ, lacertæque quid eſſe poſſent. XXX. 21.
ejectæ herbulæ ab ea quæ herbis non veſceretur, hiſtoria. Ibid.
quid ea herbula eſſe poſſet. Ibidem.
Vomitus ſanguinis a lienis tumore num ex aperto plerumque vaſe Brevi ſatis fuerit ab Anatomicis demonſtratus. XXXVI. 12.
quomodo explicandus. Ibidem.
Ureteres duo ex uno rene. VII. 17. LIV. 33. LXIV. 2.
Ureterum valvulæ apparentes. IV. 19.
rarum vitium ex hydatidibus intus innatis. XLII. 12.
Urethra ſubter glandem pertuſa, num ſterilitas neceſſario ſequatur. XLVI. 8.
Urethræ, inferiore pariete carentis, in duobus viris Obſervationes. Ibid. & 9.
canaliculi majores tantum, in viventibus obſervati. Ibid. 9.
Urethræ per dorſum penis ductæ, & ſuperiore pariete, non canaliculis iis carentis, Obſervatio. LXVII. 6.
Urethræ quædam intus exſtantes quaſi fibræ unde ortæ eſſe poſſent, conjicitur. XLII. 41.
nonnunquam catheteri obſtant. X. 13.
alterius generis rarus obex. XXXIV. 7. & ſeq.
Urethræ carunculæ. In hac controverſia quid animadverſum ſit, obſervatumque. XLII. 38. & ſeqq.
Urethra Muliebris. Quomodo in ea nonnunquam naſci poſſint calculi. Ibid. 42.
oſculum, pro vaginæ orificio anguſtiore a Medico non ignobili acceptum. XLVI. 12.
procidentis ex eo oſculo membranæ cauſa conjicitur. XLII. 42.
Urinariarum Partium morbi diagnoſim habent fallacem. XLII. 3. 16.
Eæ habere ulcus interdum poſſunt, licet in urinis ſanguis non apparuerit. Ibid. 16.
Urinæ num aliæ ſint viæ præter ureteres. XLI. 2. LVIII. 16.
Urinæ. Vid. Diuretica.
Urinæ, tenuiſſimas quaſi arenulas in matularum lateribus deponentes, felicem morborum ſolutionem indicant. VIII. 10. XLIX. 21.
in calculoſo, ex aqueis mucilaginoſæ factæ cur lethalem convulſionem præcedere potuerint. XL. 3.
quædam an, ut videbantur, revera cruentæ eſſent, controverſia quomodo dirempta ſit. XLII. 45.
quædam lacteæ a chylo, an a pure eſſent, magna Patavii controverſia. Ibid. 44.
in quibuſdam innatantes quaſi membranulæ, aut hydatides ſemilaceræ, erant polypoſæ concretiones. XLI. 13.
cum quibuſdam quomodo uvæ acini, aliaque excerni potuerint. XLII. 45.
Urinæ per anum ejectæ a quo primum obſervatæ fuerint. Ibid. 46.
variæ variarum ejuſmodi Obſervationum, & interdum difficillimæ explicationes. Ibidem.
de vermibus qui cum urina ejecti dicuntur, quid ſentiendum. Ibid. 6. 7. 29.
Urinæ continuum ſtillicidium eſſe poteſt, ſimulque veſi-

veſica urinæ copia diſtenta. XXXIX. 34. XLII. 22.
fallere igitur poteſt, ſi quis non caveat. V. 8. XXXIX. 33. LVI. 12.
ſimul retentionem & incontinentiam urinæ quæ cauſæ fecerint. XXXIX. 34.
ſtillicidium, & ſuppreſſio quomodo interdum alterne fiant. XLII. 36.
Urinæ in veſica ſuppreſſionis cauſæ plures extra veſicam. XLI. 11. 12.
cauſa in Proſtata glandula. Ibid. 13. 14. 17.
ſuppreſſionis quaſi epidemice graſſantis Obſervatio. Ibid. 14.
cum ſuppreſſione ſæpe diabetici aliquid conjungitur. Ibid. & 15.
contumaciſſimæ exemplum per hirudines ano admotas, aut per clyſterem ſublatæ. Ibid. 11.
quando, & cur neque purgantia, neque alii ſtimuli conveniant. XLI. 11. 12.
de punctione in perinæo, aut in hypogaſtrio, cum aliter educi non poteſt urina. XLII. 36.
quibus necdum multa urina in veſica eſſe videatur, & tamen ſit educenda. XLII. 35.
Urinæ ſuppreſſæ excretionem quænam aliæ evacuationes ad tempus ſuppleant. XLI. 5.
ſuppreſſionis inter Renalem, & Veſicalem Mediæ ſigna quædam conſiderantur. LXVI. 15.
Uterum in mulieribus nonnullis revera bipartitum quis primus obſervaverit. III. 21.
deeſſe, in quibus pro certo negare non poſſimus. XLVI. 12. 13.
Uterus an ſaltem nonnunquam, ſalva, & quomodo, muliere, exciſus ſit. XLV. 3. & ſeqq.
Uteri in adulta extreme parvi rariſſima Obſervatio. XLVI. 20. 21.
obliquitas, & hujus diagnoſis, & cauſæ ex parte Veteribus notæ. XLVIII. 31. 33.
interdum eſt a primordiis. Ibid. 31.
non eſt rara. Ibid. & 39.
nec ſæpius dextrorſum. Ibid. 39.
a qua ſæpius cauſa obſervata ſit. Ibid. & ſeqq.
an, & quando claudicationem inducat. Ibid. 33.
num alia, præſertim mictionis, incommoda. Ibid. 39.
Uteri lymphæductus. XLVIII. 45.
oſculum in vivente quomodo conſpici poſſit. XLVI. 18.
hujus corona ſecundum naturam anterius magis aliquanto, quam poſterius, deſcendit. LXIX. 10.
cervicis valvula contra ac ſolet, converſa. XXXV. 12.
Uteri recens nuptæ examen. XVI. 2.
in venere mortuæ inſpectio. XXVI. 13.
Sinus, menſtruis imminentibus, infarcti ſanguine obſervati. XVI. 34.
Uteri prolapſus variæ acceptiones, & ſpecies. XLV. 2.
notæ vetuſtiſſimis Medicis. Ibid. 3.
earum cauſæ. Ibid. 2. 6. 7. 10. 12. & ſeq.
obſervationes etiam in brutis. Ibid. 8. & ſeq.
cur prolapſus uterus, difficilius quam anus, repoſitus, in ſua ſede ſervetur. Ibid. 15.
peſſorum utilitas, & noxæ. XXII. 22. XLV. 15. & ſeq.
cum utero intra inverſam vaginam ſimul veſicam prolabi, quis ante Ruyſchium viderit. XLV. 12.
quis primus mulierem ſic nihilominus peperiſſe, tradiderit. Ibid. 13.
quid uterum prolapſum mentiri poſſit, & quo ſigno internoſcendum. XXXIV. 11. XLV. 4.
Uteri cicatrices quædam externæ unde ſint. XXXVIII. 42.
excreſcentiæ quædam internæ circulares, humileſque non ſunt ab adhæſione placentæ. XLVII. 32. 33.
tuberculorum ipſi increſcentium varia natura. XXXIX. 36.
ſteatomatum in eo rara, ſed aliqua tamen, exempla. Ibid.
Uteri tumores num immobiles. XXXIX. 13.
eorum quædam alia ſigna recenſentur. Ibid.
ejus qui ſcirrhoſus credebatur, felix curatio. Ibid. 35.
ſcirrhoſorum varietates. Ibid. 35. 36.
horum primordia qualia. Ibid. 36.
cancroſorum incrementum quo retardetur præſidio. Ibid. 35.
cancer exulceratus vel inter initia eſt inſanabilis. XLVII. 25.
unde levaminis aliquid nonnunquam habeat. Ibid.
interdum fuit ſine fœtore, aut cum defluxu albæ inodoræ materiæ. XXXIX. 33. 35. XLVII. 25.
hujus morbi parva initia per Anatomen obſervata. XLVII. 27. & ſeqq.
Uteri parietes in ſebaceam ſubſtantiam intus converſi. XXXVIII. 34.
cervicis veſiculæ nonnunquam in fundo etiam uteri conſpectæ. XLVII. 20. & ſeqq.
cervicis in miram longitudinem diſtractæ Obſervatio. XLV. 11.
Uteri Molæ. Vid. Molæ.
ruptio in partu. Vid. Partus.
polypi, ſeu polypoſæ concretiones obſervatæ. XXI. 20.
calculi. XLVI. 15.
Uteri Vaginæ orificium firmiſſimo a primordiis obſtaculo in quadam occluſum. XLVI. 12. Vid. Imperforatæ.
Vaginæ ulcera qualia ſint ſæpe. XXXII. 13.
interior tunica an ſe poſſit invertere. XXXIII. 15. XLV. 14.
in quadam infra medium occluſio a primordiis. XLVI. 11.
condylomatum quæ a primordiis cauſa eſſe poſſit. L. 50. & ſeqq.
Uterinus Fluor. Vid. Muliebris Fluor.
Furor non eſt ab ovarii magnitudine. VIII. 35.
Vulnera. Vid. Capitis. Diaphragmatis. Inteſtinorum. Meſenterii. Scapulæ. Thoracis. Ventriculi.
Vulnerum hæmorrhagiæ moderandæ ſunt; non reprimendæ. LIII. 12. 13.
quomodo quæ levia ſint, mala interdum graviſſima, & mortem afferant. LIV. 50.
quomodo pus alio transferatur. Vid. Capitis Vulnera, & LIII. 17. 25.
Vulneribus omnibus Junio A. 1689. Bononiæ gangræna ſuperveniebat. LI. 12.
Sic olim alibi omnibus capitis. LI. 13.
Mox ſuperventuras convulſiones quid prænunciet. Vid. Fauces.
Vulneratorum ſymptomata quædam cavendum ne vulneri imputentur. LIII. 15. 17.
cadavera cur ſæpe citius putreſcant. LII. 5.
Vulpius, Jo. Bapt. Profeſſor P. olim Patavinus laudatus. VI. 14. VIII. 6. XVIII. 22. 37. XIX. 34. XXXVI. 24. XLII. 22. LIII. 26.
Vulva in quadam ſupra umbilicum aperta. LXVII. 7.
de ejuſdem conceptione, & partu narratio. Ibidem.

W

Wagnerus, Petrus Chriſt. ex Cæſ. N. C. Academia, laudatus. XXXII. 3.
Wagnerus, Reinh. in Regia Hafn. Medic. laudatus. XXXI. 23. XLII. 7.
Wahrendorffius, Jo. Petrus, olim ex Cæſ. N. C. Acad. laudatus. XXXIV. 13. 34.

Waltherus, Aug. Frid. pridem Archiat. Reg. Polon. laudatus. XII. 11. XIV. 12.
Walthierius, Balth. Medicus Curienſis, laudatus. IX. 3. 24.
Ejus Obſervationes. IX. 3. 25.
Weiſſius, Jo. Nicol. P. Prof. Altorf. laudatus. XIX. 14. 47. XXXIV. 16. 34. XXXVI. 16. 18. LVI. 34. 37.
Weitbrechtus, Joſias, pridem ex Imp. Petropol. Acad. laudatus. XXIV. 4.
De ejus Syndeſmologia quædam. LVI. 27. 37.
Wencker, Chriſtian. laudatus. XXXII. 5. XXXVI. 32.
Wepferi Obſervatio explicata. XI. 9. 10.
Werlhofius, Paul. Gottl. ex R. Soc. Londin. laudatus. II. 10. XXXIV. 16. XXXVIII. 25. 33. LV. 5.
Weſtphal, Andreas, laudatus. XXXI. 26.
Weſzpremus, Stephanus, laudatus. LXIV. 4. LXV. 16. 17. LXVIII. 2.
Whytt, Rob. Medicus Edinburgenſis, laudatus. XLII. 19.
Widmannus, Jo. Guil. olim ex Cæſ. N. C. Academ. laudatus. XXVIII. 15. XXXIX. 15.
Willi, Nicolaus, laudatus. LXV. 16. 17. 18.
Williſius defenſus. VIII. 13.
de quadam ejus in morbido cadavere Obſervatione animadverſio. XL. 19.
ejuſdem hallucinatio. XI. 14.
ſententia circa tympanitis cauſam perpenditur. XXXVIII. 23. & ſeq.
Winklerus, Adolph. Bernh. laudatus. XXIV. 16. 30. XXVII. 20.
Winslowius, Jac. Benign. pridem ex R. Sc. Acad. Pariſ. laudatus. XIV. 12. XXIV. 37. XXVI. 23. XXVIII. 17. XXXVIII. 55. XLV. 23. L. 8. LII. 6. LIV. 38. LXVI. 14. 15.
Wogan, Jo. David, ex Cæſ. Academ. N. C. laudatus. XLVIII. 14.
Wolffius, Jo. Mart. pridem ex ead. Cæſ. Acad. laudatus. XLIV. 2. L. 44.
Wolffius, Jo. Phil. ex Academia eadem, laudatus. XVI. 37. XXXIV. 19. LIX. 5.

Y

Yongii, Jac. ex R. Londin. Societ. Obſervatio quædam, explicatu difficilis, quomodo explicari poſſit, conjicitur, XLII. 45.

Z

Zacuti Luſitani hallucinatio. LIX. 36.
Zambeccarii, Joſeph, quædam hallucinationes, XXVIII. 7. LII. 40.
Zanichellius, Jo. Hieron. Chymicus olim Venetus, laudatus. XXII. 28. XLVII. 7. LXII. 1.
Ejus quædam circa phthiſim Obſervationes. XXII. 28.
circa balſamum de Copaibe. XLV. 20.
remedia quædam in uteri hæmorrhagiis. XLVII. 7.
Zanii, Valerii, Comitis Bononienſ. eruditiſſimi, morbi, & diſſectio. IV. 2.
Zanottus, Franc. M. Inſt. Sc. Bonon. Secretar. perpet. laudatus. XXI. 42. & Præfat. n. 15.
Zevianus, Jo. Verard. Medicus Veronenſis, laudatus. XXXII. 1. XXXVIII. 25. XLI. 5. XLIX. 36.
Zinius, Jo. Gottfr. Prof. nuper Berolinenſ. laudatus. XIII. 14. LII. 27. LXIII. 11. LXVIII. 13.
Zuingerus, Jo. Rud. P. Prof. Baſil. laudatus. XII. 6. 13. 15. XXXIV. 34.
Zwingerus, Theodorus, olim P. ibid. Profeſſor, laudatus. XXIII. 9.

Le-

Lecturi poterunt interea hæc ſaltem ſic emendare.

T O M. I.

Pag. XI. l. 30. plurimas-plurimæ p. XII. l. 39. Bononienſis - Bononienſi p. XXI. col. 2. l. 55. XXV - XXV. 6. p. XXXIII. c.
1. l. 5. color-calor p. XXXVIII. c. 2. l. 14. levi-lævi l. 74. Inqui-Ingui p. XLIX. c. 1. l. 55. aeris-auris p. LII. c. 2. l. 71. ca-
ve-eave p. LVI. c. 2 l. 68. ſuperior,-ſuperiorum p. LVII. c. 2. l. 3. quod-quid p. LXI. c. 2. l. 11. in his ventre-in ventre p.
LXIX. c. 2. l. 25. Habenſtreit-Hebenſtreit p. LXX. c. 2. l. 1. ro-pro p. LXXI. c. 2. l. 43. hydatibus-hydatidibus p. LXXII. c. 1. l. 24.
Hypochondriorum-Hypochondriacorum p. LXXV. c. 1. l. 35. afferet-afferret c. 2. l. 17. eo-ea p. 9. c. 2. l. 63. ſanguis-ſanguinis p. 13.
c. 2. l. 55. accidiſſe-accidit p. 15. c. 1. l. 62. ruberent-rubebant p. 22. c. 1. l. 11. *pti.-ptus* p. 24. c. 1. l. 76. tunc-tum p. 27. c. 2.
l. 49. reſpirationem-inſpirationem p. 29. c. 1. l. 72. hæc-hæ p. 31. c. 2. l. 36. &-ea p. 34. c. 2. l. 10. litam-litum p. 36. c. 2. l. 31.
ſtenſas-ſtentas p. 38. c. 1. l. 50. ter a-terna p. 41. c. 2. l. 3. connexa-convexa p. 42. c. 2. l. 25. &-ea p. 43. c. 1. l. 64. ſed-aerem,
ſed c. 2. l. 32. eorum-earum p. 45. c. 2. l. 40. cenſeatis-cenſentis p. 47. c. 1. l. 31. manebant-manabant p. 58. infima (*a*) ....-(*a*)
ſupra, n. 2. (*b*) Wepfer. Hiſt. cit. 15. & Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1700. (*c*) Obſ. Anat. c. 3. §. 6. (*d*) Sepulchr. l. 1. S. 10.
Obſ. 3. 9. 10. (*e*) Ibid. Obſ. 5. (*f*) Act. Lipſ. A. & M. cit. (*g*) ſupra, n. 6. & 9. p. 61. c. 1. l. 37. Suramuccius-Scaramuccius
p. 64. c. 2. l. 74. lexiores-laxiores p. 67. c. 1. l. 48. allyſſa-al. *lyſſa* p. 69. c. 1. l. 61. nicotionæ-nicotianæ c. 2. l. 9. tumultuarius-tu-
multuarios p. 72. c. 2. l. 30. ſimulantibus-ſtimulantibus p. 74. c. 2. l. 11. pupillarem-pupillarum p. 80. c. 2. l. 55. ex-& p. 81. c. 1.
l. 54. ut-& p. 85. c. 2. l. 61. ſuorum-ſuarum p. 86. c. 1. l. 16. *externi-externis* p. 91. c. 1. l. 14. hunc-ad hunc c. 2. l. 8. commemo-
ratos-commemoravimus p. 92. c. 1. l. 68. Mancharti-Maucharti c. 2. l. 45. tot idem-totidem p. 96. c. 1. l. 39. decuſſum-decuſſim p.
98. c. 2. l. 8. indiciſſet-inciidiſſet p. 102. c. 1. l. 16. tunica-tunica humoris p. 106. c. 2. l. 48. inſtuimus-inſtituimus p. 110. c. 2. l. 7.
dormiret-dormire p. 114 c. 1. l. 12. nunt-nant l. 65. concervatione-coacervatione p. 118. c. 1. l. 70. Attinent-Attinet p. 130. c. 1. l.
13. Scholiis-Scholis p. 139. c. 1. l. 52. rare-raro p. 144. c. 1. l. 61. terant-terat p. 148. c. 2. l. 26. duobus-duabus p. 149. c. 1. l. 32.
&-ex p. 152. c. 1. l. 73. Vaſelio-Veſalio p. 153. c. 1. l. 3. neat-neant p. 154. c. 2. l. 42. reliqua-reliquum p. 156. c. 2. l. 52. motæ-
notæ p. 161. c. 1. l. 32. Valſalva-Valſalvam p. 164. c. 2. l. 51. na-ne p. 169. c. 2. l. 56. iis-his l. 74. difficultate-facultate p. 170.
c. 2. l. 47. anno-annos p. 171. c. 2. l. 7. Fackgius-Fackius p. 174. c. 2. l. 41. curato-curvato p. 175. c. 1. l. 1. QUÆ-QUI p. 192. c.
1. l. 19. ſunt-ſunt tum p. 196. c. 2. l. 59. ſecundo-ſecando l. 30. convulſus-concluſus p. 211. c. 2. l. 38. lurarum-lularum p. 212. c. 2.
l. 20. quia-quin p. 214. c. 1. l. 37. ac-at c. 2. l. 32. exceptus-excepto p. 215. c. 1. l. 31. lividum-lividam p. 217. c. 2. l. 66. Herophi-
lus-Herophilius p. 220. c. 1. l. 1. Titwanno-Titmanno l. 16. præclare-præclara l. 62. ſcripſit-ſcripſi c. 2. l. 31. arbitraris-arbitreris
p. 223. c. 2. l. 70. noto-non p. 224. c. 1. l. 7. tam-tamen p. 227. c. 2. l. 12. inflammationibus-affectibus p. 231. c. 2. l. 40. perſum-
peſſum p. 233. c. 1. l. 20. indicium-judicium p. 235. c. 1. l. 19. color-calor p. 236. c. 2. l. 57. pericardio-pericardio, corde p. 237. c.
1. l. 33. referens-referentis p. 238. c. 2. l. 63. Gratſii-Graſſii p. 240. c. 2. l. 24. difficultate-difficultatem p. 242. c. 2. l. 42. faciles-facile
p. 246. c. 2. l. 68. mucrone-mucroni p. 252. c. 1. l. 75. modorum-nodorum p. 254. c. 2. l. 22. fuiſius-fuſius p. 257. c. 1. l. 3. ſi-is p.
261. c. 1. l. 15. omnes-omnia p. 267. c. 1. l. 11. alterlibet-uterlibet p. 273. c. 1. l. 53. nihil-nihil autem p. 279. c. 2. l. 35. longius-
longis l. 57. Malue-Maloe p. 280. c. 2. l. 64. quam-quem p. 282. c. 1. l. 21. dilatione-dilatatione p. 283. c. 1. l. 11. defluxerant-de-
fluxerat l. 22. oculum-oſculum p. 286. c. 1. l. 56. *arteria-arterias* p. 293. c. 1. l. 54. quod-quot p. 297. c. 1. l. 44. quæ-non ignorare quæ

T O M. II.

Pag. 5. l. penultima Hiſtoriam-Inventorum Hiſtoriam p. 8. c. 1. l. 57. deciderémus-deſideremus p. 10. c. 1. l. 72. larinyx-larynx p. 11. c.
1. l. 44. extrorſum-introrſum p. 12. c. 1. l. 38. ſentiunt-ſentiant p. 15. c. 2. l. 20. cæteris-cætera p. 16. c. 1. l. 67. dexteram-extremum
c. 2. l. 59. effuxerat-effluxerat p. 20. c. 1. l. 21. plena-pleni p. 24. c. 1. l. 16. rejiciamus-rejiciamur p. 25. c. 2. l. 51. habebant-habe-
bat l. 64. potuiſſet-potuiſſe p. 27. c. 2. l. 66. *tantum-tantam* p. 28. c. 2. l. 10. profluxia-profluvia p. 31. c. 1. l. 7. ageret-agere p. 34.
c. 1. l. 4. Apitius-Apinus p. 35. c. 1. l. ultima ſaltem-ſaltem, ubi p. 43. c. 2. l. 49. habent-habeat p. 45. c. 1. l. 5. curvavit-curvave-
rit l. 64. ventriculis-ventriculus p. 46. c. 2. l. 41. qui-qua p. 48. c. 1. l. 65. ſanis-ſanis inteſtinis c. 2. l. 13. 1704-1740. p. 52. c. 2.
l. 53. quidam-quadam l. 56. ſionem-ſione p. 53. c. 1. l. 30. videntur-videatur c. 2. l. 69. *exprobationem-exprobrationem* p. 55. c. 1. l.
50. Hortmannus-Hartmannus p. 59. c. 2. l. 38. nudiuſterius-nudiuſtertius p. 62. c. 1. l. 12. ex-& p. 64. c. 1. l. 51. abceſſus-abſceſſus c.
2. l. 60. ſime-ſimæ p. 65. c. 1. l. 23. interabimus-iterabimus c. 2. l. 26. venas-per venas p. 67. c. 1. l. 4. minus-viſcus p. 69. c. 2. l.
21. virili-virile p. 72. c. 2. l. 38. perducendam-perducendum p. 75. c. 2. l. 69. faciat-faciat, eos autem qui faciunt, p. 76. c. 1. l. 4.
pauci-parvi l. 42. interabo-iterabo l. 54. gitudinem-gitudine l. 70. concluſa-concluſus p. 78. c. 1. l. 43. luteos-*luteos* p. 79. c. 1. l.
53. *reparatibus-ſeparabilibus* c. 2. l. 67. tubum-cubum p. 82. c. 2. l. 6. coercenda-judicia coercenda p. 86. c. 2. l. 6. nec qua-neque p.
90. c. 1. l. 59. præcipuis-præcipuas p. 91. c. 2. l. 16. hi-hos p. 96. c. 1. l. 51. ſenſio-tenſio p. 97. c. 1. l. 64. noluit-voluit c. 2. l. 67.
contrario-contraria p. 98. c. 1. l. 59. lapidum-lapidem c. 2. l. 66. eram-erat p. 100. c. 1. l. 23. prodirent-prodiderint p. 104. c. 2. l.
35. perveniant-perveniat p. 105. c. 2. l. 25. datibus-datidibus p. 106. c. 1. l. 26. intus-iſtas l. 30. *numero facile ſuperaſſet-numerum faci-
le* ſuperaſſent c. 2. l. 18. qua-quam p. 108. c. 1. l. 58. hydatibus-hydatidibus c. 2. l. 67. Mancharti-Maucharti l. 73. continebat-conti-
nebant p. 110. c. 1. l. 2. omnes-haud omnes p. 112. c. 2. l. 41. 1625-1725 l. penult. un-in p. 113. c. 1. l. 41. ſculis-ſculos p. 115. c.
1. l. 51. ægre-ægræ p. 119. c. 1. l. 67. feliciter-infeliciter p. 120. c. 2. l. 54. facit-fecit p. 124. c. 1. l. 18. riquirit-requirit p. 125. c.
1. l. 6. cerviſiæ-cereviſiæ l. 74. illum-illam c. 2. l. 72. regionem-regionum p. 126. c. 2. l. 26. *quoqueverſus-quoquoverſus* l. 53 *indica-
vit-judicavit* p. 129. c. 1. l. 5. licerem-liceret p. 130. c. 1. l. 8. fœtidas-fœditas p. 131. c. 2. l. 41. hernias-herniis p. 135. c. 2. l. 1.
facile-facilis p. 138. c. 2. l. 37. quod-quando p. 139. c. 2 l. 20. ſcribentur-ſcribuntur p. 142. c. 2. l. 21. alia-alios l. 27. tum-tum in
renibus, tum p. 144. c. 2. l. 6. qui-qua p. 145. c. 1. l. 37. tuſſis-tuſſi p. 147. c. 1. l. 51. exiiſſet-exiiſſe p. 148. c. 2. l. 56. lanam-lu-
nam p. 149. c. 2. l. 67. ipſis-ipſi p. 151. c. 1. l. 34. ſubſiſterat-ſubſtiterat p. 153. c. 1. l. 65. educebatur-educebantur p. 154. c. 1. l. 10.
conditione-conditiones p. 155. c. 1. l. 63. quam-quem c. 2. l. 68. Proſtrata-Proſtata p. 156. c. 1. l. 1. aggredior-aggredimur p. 162.
c. 1. l. 71. rubello ſalubri-*rubello ſalubri* p. 164. c. 2. l. 26. Et-Eſt p. 165. c. 1. l. 4. tota-totam c. 2. l. 31. poſiluerit-proſiluerit p.
167. c. 2. l. 7. dos-das p. 172. c. 2. l. 41. *carnoſa-carnoſas* p. 173. c. 1. l. 57. finibus-finibus c. 2. l. 71. quam quem-quem p. 174. c.
1. l. 2. veſica-veſicæ c. 2. l. 68. Proſtrata-Proſtata p. 175. c. 1. l. 2. Proſtrata-Proſtata l. 22. Proſtratæ-Proſtatæ l. 61. a-ſcias a c. 2.
l. 69. neque-eaque p. 177. c. 1. l. 5. ponderantem tres-*ponderantem tres* p. 178. c. 1. l. 2. eoque-eaque c. 2. l. 30. unctus-tinctus p. 181.
c. 2. l. ultima utriſque-utriuſque p. 183. c. 2. l. 59. exiſtimare-exiſtimaret p. 186. c. 2. l. 53. diſſiliunt-diſſiliant p. 190. c. 2. l. 35. ha-
bent-habeat l. 49. morbo-me p. 193. c. 1. l. 1. ibi-ſibi c. 2. l. 16. ab-ad l. 32. pleneque-planeque p. 194. c. 1. l. 67. cum-ut, cum
c. 2. l. 64. habitu-halitu p. 196. c. 1. l. 75. nacio-naceo p. 198. c. 2. l. 44. *percipitur-percipit* p. 199. c. 1. l. 9. nifeſtiſſimus-nifeſtiſſi-
mas l. 16. aliquod-aliquid p. 205. c. 1. l. 40. obductos-obducto c. 2. l. 34. ventriculus-ventriculis p. 208. c. 1. l. 1. flammula-flam-
mulam l. 2. quam-quem p. 209. c. 1. l. 60. *ituro-intro* p. 211. c. 1. l. 55. alterum-altera p. 216. c. 2. l. 68. ſecundo-ſecando p. 217.
c. 1. l. 21. rent-rem p. 219. c. 1. l. 63. &-ex p. 221. c. 1. l. 53. ea-& l. 54. longiore-longior p. 222. c. 2. l. 71. oculi-oſculi p. 226.
c. 2. l. 52. quam-quem p. 228. c. 1. l. 69. altius-venter altius p. 229. c. 2. l. 44. illegitimæ-illegitime p. 231. c. 2. l. 5. occluſerit-ex-
cluſerit p. 232. c. 1. l. 7. ac alias-ac eas c. 2. l. 18. corporis-corporibus p. 233. c. 2. l. 41. *cavo-cono* p. 236. c. 1. l. 13. autem-au-
ctam p. 244 c. 1. l. 1. hunc-huc p. 248. c. 2. l. 45. rium-rum p. 258. c. 1. l. ult. dilituiſſe-delituiſſe p. 260. c. 1. l. 1. ultimis-ulti-
mi l. 42. auctis-acutis p. 261. c. 2. l. 38. ſolutivam, aut coagulativam-ſolutionem, aut coagulationem p. 265 c. 1. l. 25. aliam-alium p.
266. c. 2. l. 34. Viro-Viros extitiſſe p. 269. c. 1. l. 50. attinent-attinet p. 270. c. 1. l. 51. potuerit-valuerit p. 273. c. 1. l. 19. is-his
c. 2. l. 24. *ſacculos-ſacculo* p. 275. c. 2. l. 54. de-de ea p. 277. c. 1. l. 27. qui-qui ea p. 281. c. 2. l. 21. chirurgia-chirurgica p. 282.
c. 1. l. 40. indicans-judicans p. 284. c. 2. l. 19. cæteri-cæteros p. 285. c. 1. l. 48. febrique-febriſque ad-quæ ad p. 287. c. 1. l. 3. uſ-
que-uſquam c. 2. l. 4. Hævelii-Hænelii l. 39. die-diem p. 288. c. 1. l. 15. Lucetiæ-Lutetiæ c. 2. l. 73. decimum-vigeſimum p. 290.
c. 1. l. 28. ut-& p. 292. c. 1. l. 55. ſenſum-ſenſuum p. 293. c. 2. l. 32. ſcriptum eſt-expoſita ſunt l. 52. JUVENI-JUVENIS p. 294.
c. 2. l. 2. læſionis-læſioni p. 295. c. 2. l. 8. facies-fauces l. 50. vulnus-lumbos p. 297. c. 2. l. 27. inguerit-ingruerit p. 299. c. 1. l. 32.
habitus-halitus. c. 2. l. 59. ejuſdem-eaſdem p. 300. c. 1. l. 67. tibi-ibi c. 2. l. 44. neque ille-neque, ut multi, p. 305. c. 1. l. 19.
perſtabat-perſtabant p. 306. c. 2. l. 13. non viderit-non legerit p. 308. c. 2. l. 68. quam-quem p. 310. c. 1. l. 4. percuſſa-percurſa p.
312. c. 1. l. 65. oppoſitis-appoſitis p. 313. c. 1. l. 25. partes-paries l. 30. una-ex una l. 35. *bua-qua* c. 2. l. 54. adnotatione-adnota-
tionem l. 68. omnes non-non omnes p. 314. c. 2. l. 20. Bella-Piella p. 315. c. 1. l. 49. exiſſe-exiiſſe l. 63. hoc-hac p. 316. c. 2. l.
40. vivus-viſus p. 323. c. 1. l. 56. Hultius-Holtius p. 324. c. 1. l. 56. nigricantes-nigricantis p. 326. c. 1. l. 19. convulſionis-convulſivis
c. 2. l. 58. nectitur-ſubjicitur p. 327. c. 1. l. 36. ora-hora p. 328. c. 2. l. 7. die-tertio die p. 336. c. 1. l. 61. alter-aliter c. 2. l. 59.
&-at p. 337. c. 2. l. 66. ad-ab p. 338. c. 1. l. 16. muſculis-ulcuſculis p. 339. c. 1. l. 30. rerum-ſerum l. 46. quam-quem c. 2. l.
12. tatis-ſtatis p. 340. c. 2. l. 46. ciſſima-ciſſime p. 341. c. 2. l. 57. empycis-empyicis p. 342. c. 2. l. 34. *pedem-pedum* p. 344. c. 1.
l. 34. menſurandam-monſtrandam l. 38. priuſque-pejuſque c. 2. l. 31. nono-novo l. 56. Lexationibus-Luxationibus p. 347. c. 2. l. 48.
caderet-cederet p. 348. c. 2. l. 32. Ilaica-Iliaca l. 55. arbitrabantur-arbitrarentur p. 349. c. 1. l. 7. ſecundam-ſecundum l. 23. oppo-
ſitam-oppoſitum l. 46. cujuſmodi-ejuſmodi l. 53. etiamnum-etiamtum p. 350. c. 1. l. 50. tenuiſſimus-tenuiſſimis c. 2. l. 47. cartilagi-
nes-cartilagine p. 352. c. 1. l. 57. ſiniſtra-ſiniſtro p. 356. c. 1. l. 20. res-rer p. 358. c. 1. l. 16. cuti-cui p. 359. c. 2. l. 4. pravitatem-
parvitatem l. 37. præter-præ p. 360. c. 2. l. 19. eluctuarium-electuarium p. 363. c. 1. l. 55. tabulis-tubulis l. 57. tant-tat p. 364. c.
1. l. 62. ve-ut p. 367. c. 1. l. 50. erat-erant p. 374. c. 1. l. 7. apparuerunt-apparuerint p. 375. c. 2. l. 30. nullas-nulla p. 377. c. 2.
l. 49. ſuperficies-ſuperficie p. 379. c. 1. l. 56. Adoynus-Ardoynus p. 380. c. 2. l. 43. bacchæ-baccæ p. 382. c. 2. l. 2. Dnminus-Domini-
cus p. 385. c. 2. l. 17. ablatis-allatis p. 386. c. 1. l. 5. cum-tum p. 387. c. 2. l. 56. poſtulant-poſtulent p. 389. c. 2. l. 5. rit-ret p.
393. c. 1. l. 64. *nolunt-volunt* p. 394. c. 1. l. 21. ut Cleopatra-Cleopatram c. 2. l. 65. probatum-probatam p. 404. c. 2. l. 37. adhuc fo-
vea-fovea adhuc p. 405. c. 1. l. 21. ſommo-ſomno p. 409. c. 1. l. 25. hunc-hanc c. 2. l. 22. excluſo-occluſo p. 410. c. 1. l. 49. &-at c. 2.
l. 59. nonam-venam p. 411. c. 1. l. 9. laxæque-laxaque p. 415. c. 2. l. 48. pleniora-planiora p. 417. c. 1. l. 11. Scylo-Stylo c. 2. l.
41. *noto-voto* p. 420. c. 1. l. 25. Weſzaremo-Weſzpremo p. 422. c. 2. l. 29. quandam-quanquam p. 424. c. 1. l. 4. multa-multo l. 9.
præfixæ-præfixa c. 2. l. 41. occurriſſe-occurriſſet p. 426. c. 1. l. 50. Kampfius-Kæmpfius c. 2. l. 48. multos-multo p. 427. c. 2. l. 26.
Colo-Dolo l. 58 videri-videre l. 65. ſi-ſic p. 430 c. 1. l. 34. & vaſa-ut vaſa l. 48. ibi-ſibi p. 438. c. 1. l. 20. idem-ibidem l. 67.
que-que ullas veſiculas, neque c. 2. l. 36. Magna magna p. 439. c. 1. l. 63. pleraſque-pleræque p. 440. c. 2 l. 23. diaphragmatis-dia-
phragmati pag 441. c. 1. l. 28. vipe-a vipe p. 443. c. 1. l. 55. altera-altero c. 2. l. 56. afficiente-efficiente l. 68 alias-aliis p. 445. c.
2. l. 35. demoſtratum-demonſtratum l. 70. lapſum-lapſus p. 446. c. 1. l. 25. &-ut l. 28. & at l. 46. mor-mur p. 447. c. 1. l. 37.
autem-aut c. 2. l. 69. craſſiores-craſſiore p. 448. c. 2. l. 27. articulum-articulum læſionis aliquid olim præceſſiſſe, unde p. 450. c. 2. l. 20.
demoſtrati-demonſtrari p. 451. c. 2. l. 5. vivere-virere l. 36. autem-aut p. 452. c. 2. l. 7. inciperam-inceperam

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *F. Girolamo Taſſelli* Inquiſitor Generale del Santo Officio di *Vicenza* nel Libro intitolato *Joannis Baptiſtæ Morgagni P. P. P. de ſedibus, & cauſis Morborum per anatomen indagatis &c. M. S.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giambattiſta Remondini* Stampator *di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 20. Novembre 1760.

(*Angelo Contarini Proc. Rif.*
(*Bernardo Nani Rif.*
(*Franceſco Moroſini* 2°. *Cav. Proc. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 69. al Num. 110.

Giacomo Zuccato ſegretario.

Adi 27. detto

Regiſtrato nel Magiſtr. Eccellentiſſ. degli Eſecutori contro la Beſtemia.

Gio. Pietro Dolfin Segretario.

JO. BAPTISTÆ
MORGAGNI
DE SEDIBUS, ET CAUSIS
MORBORUM
PER ANATOMEN INDAGATIS

LIBER PRIMUS;

Quo agitur de Morbis Capitis.

Viro Illuſtri

CHRISTOPHORO JACOBO TREW

Medico, & Anatomico Celeberrimo

Joannes Baptiſta Morgagnus S. P. D.

AB anno uſque 1708. quo CÆSAREÆ iſti Inclytæ NATURÆ CURIOSORUM ACADEMIÆ placuit me in ſuorum numerum cooptare, in animo quidem id ſemper habui, ut publico aliquo gratæ ſignificationis genere tantæ ejus in me adoleſcentem Liberalitati reſponderem. Sed novum mox vitæ genus, & aliæ ex aliis occupationes vix ſiverunt, ut levicula quædam mea erga ipſam extarent officia. Quæ ſicuti ejus Benignitati viſa ſunt non indigna, ut me anno 1732. *novo honoris titulo decoraret, & nomine ADJUNCTI Præſidis officio nuncuparet*, ita ego magis magiſque me eximiæ iſti Beneficentiæ obſtrictum & ſenſi, & ſentio, nihil æque optans atque hæc duo, primum ut facultas par eſſet voluntati, tum, quando hoc eſſe non poteſt, ut ſaltem mihi ne deſit per quem Doctiſſimis Academicis grati mei animi ſenſa una cum his libris deferantur teſtibus ſimul obſervantiæ qua eos colo, ſimul ſtudii bene de omnibus meritos eorum labores, quoad potui, imitandi in morborum hiſtoriis, adjunctiſque cadaverum diſſectionibus proponendis. Quem vero potius, quam Te, Vir Illuſtris, ſperem & velle, & poſſe hujus me voti compotem facere? cujus ſingularem in me Humanitatem non ſemel expertus ſum, omneſque ex laudatiſſimis Tuis Scriptis noverunt; Dignitatem autem, & gratiam cum apud cæteros, tum maxime apud ipſos Academicos, Tuis, quæ magna ſunt, Meritis non minorem eſſe, perſpectum habent: præſertim cum Benigniſſimis illis Viris non omnino ingrati eſſe poſſint libri, quos ſi pauliſper verſent, & vel obiter inſpiciant, perſæpe incurrant in ſua, aut Majorum celeberrima Nomina, quorum Obſervationes indicare, & commendare mei propoſiti pars magna fuit. Vix enim eorum *Ephemerides* edi cœperant, cum Thomas Bartholinus in ſuo *de Anatome Practica ex cadaveribus morboſis adornanda Conſilio* (artic. XIII.) *horreum* illas, *&* *penum* ad id *divitem* fore, ſenſit; & ſane Bonetus in *Sepulchreto* conficiendo, Mangetus autem in augendo quot inde ſumpſerint, neminem latet. Mihi igitur fontes oſtendenti unde ea petenda ſint quæ ad nova attinent Sepulchreti incrementa, monſtranda omnino fuerunt pleraque eorum, quæ erant procul dubio iidem additurí, ſi ante alterutram ejus Operis editionem tot alia Cæſareæ Academiæ Volumina prodiiſſent. Quod dum facerem, alios quoque fontes commonſtrare non omiſi, inter hos merito collaudans egregios Libros (de quibus ipſe bene adeo meritus es) qui inſcribuntur *Commercium Litterarium*, in iiſque Tuas indicans, aliorumve Cl. Virorum, quæ ad inſtitutum facerent meum, utiliſſimas Obſervationes.

Quantum enim Medicos, & per ipſos genus hominum univerſum juvent Morborum hiſtoriis adjectæ, illorum qui inde perierint, Diſſectiones, judicia oſtendunt Summorum in Arte Virorum quæ ſuo Operi præfixit Bonetus, eorumque in primis qui tunc in iſta florebant Academia, Succeſſoribus idem non modo confirmantibus exemplo ſuo, ſed etiam enixe inculcantibus, puta; ut nunc tot alios omittam; Præſtantiſſimis Viris Chriſtophoro Ludovico Goekelio (*a*) & Jo. Adamo Reimanno (*b*). Hi tamen omnes Dogmaticam Medicinam profitebantur. Quid? quod vel eos quos adverſus hanc extollere Empiricam nitentes, & acres ſubtilioris Anatomes adverſarios cognovi, ipſos, inquam, vidi hanc de qua nunc loquor, Anatomen, ut vocant, Practicam non improbare, imo *verum Medicinæ lumen* eſſe dicere, vi evidentiſſima veritatis ut hoc faterentur, cogente, quo conceſſo, Anatomen quoque ſubtiliorem probent, neceſſe eſt, ſine qua morborum ſedes, & naturam in quibuſdam præcipue Partibus, oculis videlicet, auribus, aliis hujuſmodi, internoſcere non liceret. Qua igitur ex Schola, aut quo tandem ex genere hominum paucos illos eſſe, dicemus, qui cadaverum ſectionibus, quas Empirici æque ac Dogmatici, ad morborum cauſas detegendas eſſe adeo

(*a*) Ephemer. N. C. Cent. 6. Obſ. 94. (*b*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 170.

utiles, cenſent, non magnopere fidendum eſſe, pronunciant? Quoſdam ſciolos audaculos eſſe, audio, aliquos otioſos, & delicatos eſſe, video, nonnullos deſperatos Scepticos, nonneminem fortaſſe verentem, ne ſic ejus in dignoſcendis morbis errores aliquando retegantur.

Ex his tamen qui modeſtius agunt, & aliquid concedunt, & verum amant, non difficile eſt convincere. Solent enim ſuis dubitationibus hæc prætendere: poſſe aliqua eſſe in cadaveribus quæ in moribundis, aut poſt mortem ſint facta: alia quæ non tam morbo, quam malæ curationi ſint imputanda: alia demum quæ morbi cauſæ non ſint, ſed effectus ſic, ut hi ſæpenumero, non morbus, interimant. Quarum ego rerum nullam inficior: imo fere omnes ultro in his meis libris agnoſco. Sed idem ajo, vix poſſe quempiam ab his rebus decipi, niſi ſi velit. Vult autem qui ſatis in ſanorum cadaverum diſſectionibus non ſit antea verſatus, & qui ex nimis paucis morboſorum ſtatuere quidquam audeat, & qui denique prægreſſarum in ægro rerum, & ſymptomatum ſeriem, atque ordinem minime attendat. Nam qui ſæpius ſanorum corpora, & alia alio tempore diſſecuerit, & animadverterit, exempli gratia, quæ concretiones polypoſæ in iis quoque haud raro inveniantur, & quas mutationes varia anni tempora, ſi diutius inciſio differatur, inducant; ab iis quæ in moribundis, aut poſt mortem fiunt, non decipietur; ſed ab his ſecernet quæ non niſi longo menſium, aut annorum ſpatio, ſenſimque fieri potuerunt. Neque in cæteris facile eidem accidet, ut fallatur, ſi cum plura morboſa cadavera ſcrutatus fuerit, quæ in ſingulis præter naturam deprehenderit, cum iis diligenter comparaverit quæ in viventibus præceſſerint, aut comitata ſint morbum. Præcedunt autem evidentes cauſæ, hæreditariæ quædam, aliæ adventitiæ, morbi alii, & in his attendendi præſertim qui gravius, & qui crebrius vexarint. Comitantur vero ſymptomata: quorum ſingulorum natura, ſeries, ordo, conſtantia ſi attente animadvertantur, conferanturque cum vitiis in cadavere conſpectis, & cum iis quæ morbum prægreſſa ſunt; haud ita difficile erit plerumque internoſcere quæ vitia morbum effecerint, ab iis quæ a morbo effecta ſint, ut dilucide oſtendit is qui hæc olim enumeravit, perpenditque in ſua ad Bononienſem Anatomen Prælectione *de recto morboſorum cadaverum judicio ferendo*, Cl. Joſ. Ferd. Gulielminus, Dominici filius, ejus qui, cum viveret, huic Gymnaſio, & iſti Academiæ ornamento fuit. Aut ſi qua ſuperſit dubitatio; per id tolletur, vel plurimum infirmabitur, quod ante ſubindicabam, & Gliſſonius, in Præfatione a Boneto laudatus, præmonſtraverat, ſi plura cadavera, poſt eundem videlicet morbum denatorum, examinata, inter ſe comparentur, & quod præter naturam in omnibus ſimiliter fuerit, id pro cauſa morbi; quod autem in aliis aliter; id vero pro morbi effectu habeatur. Quem ipſum effectum cognoſcere, & ſæpius, an rarius eodem in morbo occurrat, non erit inutile, ni plurimum fallor, adnotare, nempe ut ſciamus, quis morbus a quo morbo effici crebrius ſoleat, & pro ſymptomatum natura quæ ad prima accedere inceperint, illum jam adeſſe, conjiciamus, eique ſimul, unde mors interdum aut infertur, aut acceleratur, quoad ejus fieri poteſt, obſtare conemur. Sed illud quod dicebam, & in quo omnes convenimus, multorum uno eodemque morbo extinctorum diſſectio, præcipuum eſt, ut cunctæ dubitandi, errandique occaſiones tollantur. Neque enim omnes eodem moriendi modo confecti, aut eodem anni tempore, & a morte intervallo inciſi, neque omnium eadem, quæ accuſari queat, mala curatio, neque eædem fuerint ad morboſos effectus intus producendos diſpoſitiones.

Quæ cum æque ac ego, atque adeo vel melius ſcias; non modo non miraberis, quod unius morbi, imo unius ejus differentiæ quotquot potui exempla non ſemel propoſuerim per diſſectionem illuſtrata, ſed & graviſſimo probabis judicio Tuo, quod vel plura aliorum quibuſcum conferantur, Veſtrorum præſertim Academicorum, indicaverim. Quibus Celeberrimis Viris ſi, ut ſupra abs Te petii, mei erga Vos omnes grati, & obſequentis animi ſenſa pro Tua eximia Humanitate detuleris; magnus Tuis, Vir Illuſtris, in me meritis cumulus accedet. Vale.

D. Patavii Prid. Kal. Septembr. A. CIƆIƆCCLX.

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI

AD AMICUM

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA I.

Spectat ad Dolorem Capitis.

QUod tibi pollicitus ſum, præſto, incipiens a Capitis Dolore. Noli autem expectare, ut quæcunque hujus cauſæ Valſalvæ, aut mihi in cadaveribus ſe obtulere, eas omnes hac Epiſtola comprehendam. Pleræque earum poſthac, aliæ alio loco, producentur. Plurimis enim cum reliqui corporis, tum capitis ipſius morbis eſt adjunctus is dolor. Quin ſolus ad interitum perducit fortaſſe neminem. Quo fit, ut de eo nullas, quas hic potiſſimum proferam, habeam hiſtorias, niſi perpaucas, in quibus aut cætera incommoda anteceſſit, aut inter ipſa maxime ſævit. Singulorum generum ſingulas primum ex Valſalva noſtro ſic habeto.

2. PUER annos tredecim natus, perſpicaciori ingenio præditus, cujus ſoror, fraterque ex phthiſi interierant, cum ipſe anno ſuperiore pulmonis ſiniſtri inflammatione laboraſſet, corripitur dolore capitis ſupra oculos, atque horum etiam dolore, circa quos viſcida effluebat materia. Poſtridie delirat, oculos in adſtantes defigit, nonnihil viſcida evomit. Deinde ex improviſo convulſionibus prehenditur: a quibus in affectionem quaſi ſoporoſam incidit; ſæpius tamen convulſione, cum difficili reſpiratione conjuncta, excitatur. Denique moritur. VENTRE aperto, ſana omnia inveniuntur; quamquam in ventriculo erat humor quidam æruginoſus, veſica autem lotio, & cyſtis fellea bile turgebant. In Thorace dexter pulmo a pleura quidem ſolutus erat; ſed in ſuperiore parte, claviculam verſus, continebat tuberculum, nucem juglandem ferme æquans, in quo parva erant cava, materiæ plena, quæ colore, & mollitie ſubſtantiam cerebri medullarem referebat: atque hinc fortaſſe, ſi diutius puer vixiſſet, initium morbi qui ſororem, fratremque interemerat, extitiſſet. Pulmo autem ſiniſter, qui inflammationem, ut dixi, ante annum paſſus fuerat, cum pleura ad dorſum connectebatur. Pericardium ſeri uncias habuit duas, eoque amplius; dexter autem cordis ventriculus parvam concretionem polypoſam. Sanguis reliquus nullo modo concreverat, quamvis hora jam eſſet ab obitu decima ſeptima. Cranio exſecto, dura meninx ad ſanguiferorum vaſorum latera inventa eſt cinereo colore infecta. Dum autem hæc, a criſta, ut vocant, galli avellendo, abrumperetur, paululum erupit ſeri ſanioſi: ſeri autem limpidi quaſi uncia inde exivit, qua ferebantur nervi Optici. Totum vero cerebrum repertum eſt ſanum: in eoque Pinealis glandulæ inſignis magnitudo ſpectantium oculos alliciebat.

3. Hoc ultimum, quippe de ingenioſiore puero, eo tempore ſcriptum intelligis, cum ea glandula a pleriſque credebatur ſedes animæ cogitantis. Cæterum morbum dolor capitis, & oculorum inchoavit; delirium, vomitus, convulſio, ſopor auxere; eadem convulſio, ut videtur, inferendo mortem, finivit. Fortaſſe etiam occulte inchoavit. Leviorum enim convulſionum effectus dolor, delirium, vomitus eſſe potuerunt, ut delirii effectus turgentia utriuſque veſicæ; nam delirantes neque lotii ſtimulum attendere, & cibum ſolent recuſare, qui cyſtim videlicet comprimendo, bilem extrudat. Aliqua tamen hujus pars videtur vomitus occaſione in ventriculum compulſa, unde æruginoſus color rejecti humoris. Soporem quoque eadem convulſio circumpreſſo cerebro poſt ſe relinquebat, quæ ſubinde rediens, vellicando interrumpebat. Sed convulſionis ipſius effectus, an cauſa fuit id ſerum quod ad anteriorem cerebri baſim inventum eſt? Utrumlibet credas, licet. Sive enim intra nervorum, & meningum ſtructuram latens convulſionis cauſa, vaſis conſtrictis & ſanguine remorato, fecit ut ſerum effunderetur: ſive hoc antea effuſum, meninges irritando quæ ad imam frontem, & circa nervos Opticos ſunt, leves primum convulſiones, doloreſque creavit; utralibet ratione commode poſſumus rem intelligere. Neque enim quod limpidum fuerit ſerum, idcirco innoxium cenſeamus neceſſe eſt: quando conſtat, ſales, qui maxime poſſint erodere, in aqua ſolutos, hujus pelluciditati nihil officere. Quamquam, nec omne id ſerum limpidum fuit, ſed in parte ſanioſum. Sanies autem illa, ſeu vera fuit, ſeu potius ſaniei ſpecies, unde repetenda ſit, in aliis haud abſimilibus hiſtoriis quæremus (a). Nunc alteram ex Valſalva accipe.

4. VIR annos habens circiter quadraginta, obnoxius erat ab annis jam multis dolori in hypochondrio dextero per circuitus recurrenti, & vomitioni illum ſæpius dolorem comitanti, & aliquando in Iliacam paſſionem cum deliriis degeneranti: crebris item doloribus capitis, qui atrocius plerumque vexabant conjuncti cum moleſto ad oculos affluxu materiæ ſeroſæ. Huic tandem a multo vino ebrio cum paulopoſt conſuetus in hypochondrio dolor, & vomitus rediiſſent, uterque autem imperata quadam ab Empirico ventris inunctione ſedatus eſſet, ingens illico intus, extraque calor capitis oboritur: quod eadem inunctione illitum, vehementiſſimo corripitur dolore. Huic delirium, & convulſivi motus accedunt. Quibus una ante obitum hora quieſcentibus, aut certe ſub ſenſum non cadentibus, apoplecticus cum difficili reſpiratione, ſpuma circa os, & impetuoſo ac turgido pulſu factus, excedit e vita. CADAVERIS facies erat pallida, membra autem contracta ab aere valde frigido, an a prægreſſa convulſione? Pericranium circa ſinciput inventum eſt craſſius factum a ſuccis, *gelatinæ* in modum concre-

tis.

(a) Infra num. 13. & Epiſt. 5. n. 5. & 13.

tis. Serum inter meningem Tenuem, & cerebrum fuit, in hujuſque ventriculis. Venter apertus, præter aliquam ſtagnantis ſeri copiam, & hepar durum, nihil adnotatione dignum oſtendit.

5. Illis quæ primo loco in hiſtoria narrata ſunt, hæc reſpondent quæ narrantur poſtremo. Hepatis durities ſignificat, doloris illius qui in hypochondrio dextero recurrere ſolitus fuerat, cauſam facile fuiſſe in hepate, vitioſam bilem ſecernente, cujus copia in cyſti collectæ quotieſcunque affatim effunderetur in Duodenum inteſtinum, huic & viciniæ eos dolores moveret, qui, inteſtinorum tunicæ contractionem plus minuſve invertendo, vomitum ſæpe, iliacam autem paſſionem afferrent aliquando. Cum autem noviſſime dolor, & vomitus tanto importunius ſuppreſſus eſt, quanto utilior fuiſſet vomitus mali cauſis, a nupera ebrietate auctis, e corpore ejiciendis; harum pars caput, quippe ſuis doloribus infirmatum, facile invaſit. Quæ cum fortaſſe per calorem difflari nonnihil poſſet, temere per inunctionem coercita, extra cranium quidem *gelatinæ* forma in proxima membrana hærens, hanc vehementer diſtendit, intra cranium autem in eas quæ dictæ ſunt, ſedes irrumpendo, Tenuemque meningem qua cerebrum & ventriculos conveſtit, irritando, illos acerbiſſimos dolores primum, tum delirium, motus convulſivos, apoplexiam denique attulit. Quod ſi forte malis, illud ſerum non pro cauſa, ſed pro cauſæ effectu habere, ut in ſuperiore explicatione indicatum eſt; non adverſabor.

6. His duabus tertiam placet hiſtoriam addere, quæ licet non hominis, ſed ovis ſit, non indigna eſt quæ ſcribatur, præſertim cum aliæ ſatis ſimiles, ſi doloris indicia memorarentur, hiſtoriæ ovium, aliarumque pecudum in Boneti Sepulchreto (*b*) legantur. Ea ovis cæterarum ſui gregis conſortium fugiebat, ſe per intervalla quotidie ſæpe circumvolvebat, nec ſibi caput tangi ferebat, ſed ejuſmodi tactus impatiens, omni conatu ſe ſubducebat. Quæ cum forte animadvertiſſet Valſalva, unde is tantus oriretur capitis dolor, noſcendi cupidus, emptam diſſecuit: nec morbidi quidquam alibi quam in cerebro, deprehendit. Nam primum cum hoc e cranio eximeret, pauxillum aquæ acidulæ excidit ex ea parte qua proceſſus Mamillares ad os Ethmoides accedebant, major autem aquæ copia, cum a glandula Pituitaria avelleretur. Deinde cerebrum perſecando, cum ad ventriculos Laterales ventum eſt, folliculus in his apparuit, aquam plurimam continens, ex membrana factus, quæ Tenuis meningis productio eſſe videbatur, niſi quod in illa extabant minima quædam corpuſcula, quorum ſubſtantia ad medullaris cerebri ſimilitudinem accedebat. Folliculi radices e fundo exiſtebant ventriculi dexteri, infra quem ubicumque erant, ibi cerebri ſive medullaris, ſive corticalis circumjecta ſubſtantia late corrupta cernebatur. Denique totum cerebrum fuit valde flaccidum, neque minus prodeuntes ab illo nervi. His inſpectis, oſſis Ethmoidis ea pars quæ ſubjicitur proceſſibus Mamillaribus, ab jugi aquæ e cranio effluxu eroſa adeo inventa eſt, ut libera illac e cranio in nares pateret via.

7. Hujus non ita diſſimilem Obſervationem leges in Boneti Sepulchreto (*c*), vel potius in Petri Borelli Hiſtoriarum Medicophyſ. Cent. I. Obſ. non 37. ſed 38. in hac, inquam, potius; nam quædam in exſcribendo omiſit Bonetus, nec repoſuit alter Editor, contra Peyeri (*d*) præceptiones; ut ob ejuſmodi quoque cauſas, neque uno in loco, a me animadverſas nova ſit optanda Sepulchreti editio ab diligenti Viro curata, qui ſingula antea cum iis libris conferat quibus ex libris deprompta ſunt. Maximo & diuturno verticis dolore puella vexata fuerat, in qua Borellus abſceſſum vidit plenum aquæ limpidiſſimæ, ad libras duas, qui cerebri natibus & infundibulo inhærebat. A tam profundo loco, tamque abdito, vix ut tandem is abſceſſus inventus fuerit, dolor tamen ad verticem potiſſimum perveniebat, ſic ea quadantenus confirmans quæ ex Malpighio alias (*e*) indicavimus, in dubium autem vocans quod docuit Archangelus Piccolhominus (*f*) dolorum ſedem qui *in alto profundoque cerebro perſentiuntur*, eſſe Tenuem meningem, Laterales cerebri ventriculos conveſtientem: quod ut verum eſſe poſſit aliquando; & illud tamen, quod modo innuimus, attendendum eſt, & profundiores iis duobus ventriculos reliquos, & cerebri baſim meninge eadem veſtiri, & ſub ea; ut cætera nunc omittam; meningis duræ Tranſverſum proceſſum hinc, & hinc ad latera uſque equinæ ſellæ produci, tendique adeo, ut vel hoc nomine acerrimis poſſit doloribus eſſe obnoxius ſive ab irritante effuſi humoris natura, ſive a prægravante, & præter modum diſtendente ejuſdem copia. Qua ut vehementer urgeantur cæteræ etiam meningum partes, Obſervationes quoque oſtendent, ad hanc addendæ Sepulchreti primam Sectionem, ut puta quæ a Behrenſio (*g*), & quæ a Preuſſio (*h*) habitæ ſunt. Uterque enim Vir Cl. vix cultro ad Laterales cerebri ventriculos pervenit, cum incluſus humor non ſine impetu ſurſum proſiluit; tanta fuerat ejus copia, & tanta vis qua parietes, & meningem hos veſtientem urgebat! Itaque mirum non eſt, ſi dolores capitis uſque adeo immanes fuerint, ut ægrorum alter miſeris cum ejulationibus quaſi deliraret, altera furore percita in puteum ſe præcipitem dederit. Oſtendit autem Preuſſius tum illa, tum aliis duabus Obſervationibus (*i*) quo latere aut omnino, aut præcipue caput doluit, ejus lateris ventriculum aut ſolum, aut longe magis aqua fuiſſe diſtentum, eaque interdum limpidiſſima, nec minus tamen noxia, quam ſubflava. Nam vel maxime limpida occulere poteſt quæ ſtimulent, ut ſupra (*k*) dixi, & Cohauſenii (*l*) hiſtoria comprobat in qua cerebri latus dexterum; ad hoc enim latus acerbiſſimi dolores magis declinaverant; quaſi natare videbatur *in* magna copia *ſeri acris*, *ſalſi*, *limpidiſſimi*. Quod in aliis Obſervationibus, exempli cauſa, Jo: Franci (*m*) ſive limpidum fuerit, ſive ſecus, ſtimulantibus corpuſculis videtur caruiſſe, ut premendo dumtaxat noceret; ſiquidem etſi aperto cranio, omnia aquæ plena inventa ſunt; dolor tamen capitis *obtuſus* fuerat. Verum ad Ovem ut redeam; veri eſt ſimile, meningem quæ fundum operiebat ventriculi dexteri, a congeſta ſenſim aqua, paulatim a cerebri ſubſtantia avulſam, hujuſque disjectæ particulas quaſdam quæ ipſi adhæſerint, retinentem, in folliculum eſſe conformatam. Quod autem ea aquæ pars quæ guſtu explorata eſt, acidula fuerit, id nimirum confirmat quod indicatum eſt antea, aquam intra cranium effuſam, interdum poſſe, etiam vellicando, cauſæ rationem habere in morbis capitis inducendis. De corruptione vero partis cerebri, & totius tanta laxitate cum animalis tamen vita & motu conjuncta, erit alibi (*n*), ut opinor, ſcribendi locus. Poſtremo oſſis Ethmoidis eroſio non eſt a nobis ſine aliqua animadverſione prætermittenda.

8. Ut ſic a cranio aperta erat in nares via, & quod conſequitur, ab his in cranium, ita ſi forte animalcula quædam conſpecta eſſent in cerebro illius ovis, certe multo minor noſtra fuiſſet admiratio, quam cum tot legimus collectas in Sepulchreto (*o*) hiſtorias, lumbricos, alioſque vermes, cimices, &, ſi Superis placet, ſcorpiones intra humana, ſecundum naturam undique ſe habentia, crania proponentes, ab iiſque dolores capitis repetentes. Sed aliæ teſtibus, aliæ diligentiori, quo opus fuerat, carent examine, aliæ ſi cum libris unde ſumptæ ſunt, conferantur, alio ſpectare intelliguntur, velut illa quæ ex Fernelio (*p*) producitur. Nam ſi locum apud hunc perlegas, quo in loco deſcribendo, præſertim adeo brevi, nonnulla minime omittenda omiſſa miraberis, eorum autem quæ proxime antecedunt, ſententiam ſi medica lance perpendas, facile agnoſces, vermes illos duos extra cranium inventos eſſe in naſi receſſibus. In quibus vixiſſe & alios, alios vero e ventriculo in dormientis nares irrepſiſſe eorum vermium, qui in Scholiis ad illas

(*b*) lib. 1. Sect. 11. Obſ. 8. & ſeqq. (*c*) L. 2. S. 1. Obſ. 46. (*d*) Method. Hiſt. Anat. Med. c. 1. & ſeqq.
(*e*) Epiſt. Anat. 13. n. 7. (*f*) L. 5. Anat. Prælect. 3. (*g*) Act. Nat. Cur. T. 2. Obſ. 31.
(*h*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 14. n. 3. (*i*) Ibid. n. 1. & 2. (*k*) n. 3. (*l*) Act. cit. T. 7. Obſ. 74.
(*m*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. Obſ. 72. (*n*) Vid. Epiſt. 9. n. 15. 16. 19. (*o*) Sect. hac 1. Obſ. 116. & ſeqq.
(*p*) Pathol. L. 5. c. 7.

las Sepulchreti Hiſtorias, ejecti per naſum memorantur, credibile eſt. Et in iis quidem narium receſſibus qui Frontales ſinus dicuntur, vermes creſcere haud raro, in ovibus præſertim conſtat, a quibus irritatæ ſe ſe agitent; ut vel in ea de qua diximus, credere aliquis, qui ſe ita circumvolventem cerneret, ante diſſectionem potuiſſet. Quin & hominibus aliquando accidere, ut vermes, ejuſdemmodi in locis nidulantes, capitis dolores afferant, vel olim Arabes, de Indorum Medicorum ſententia, tradiderunt, nominatim Avicenna (q), ſigna quoque, & curationem proponens. Quæ fere in illis etiam Scholiis adnotantur, atque inſuper Æginetæ liber indicatur 4. cap. 57. quaſi ibi „ ex vermibus dolores excitari quidem concederet, in cerebro vero generari, negaret „. Sed non idcirco incredibiles hiſtoriæ rejiciuntur; imo inde harum confirmatio petitur (r) propterea quia ut in illis Sinibus ex putri materia, ſic & intra cranium ex abſceſſu aliquo poſſe vermes gigni, non dubitatur, errore facile condonando iis temporibus quibus naſi ovium vermes a muſca eſſe, nondum Valliſnerii noſtri (s) eximia in obſervando ſolertia oſtenderat, nec Cel. Reaumurius in ſua incomparabili Hiſtoria Inſectorum (t), confirmaverat. Quando igitur certum eſt, vermes hoſce ovium aliarumque ejuſmodi animantium extrinſecus in nares importari, & cum tam crebro intra earum nares inveniantur in cerebro non inveniri; quî contra exiſtimemus, cum tam raro in naribus hominum ſedem habeant, toties in humano cerebro eſſe deprehenſos? Non ut a naribus in Frontales Sinus, ita eſt in viventium cerebrum aperta, quin penitus & nerveis fibris, & vaſis, & membranis obſtructa via, ut ne ipſe quidem nicotianæ herbæ prolectus fumus, nedum ejus pulvis quantumvis tenuis, nedum ejuſcemodi beſtiolæ vel ſtatim ac ſunt ortæ, tranſire queant. Et fuit quidem olim cum illius herbæ pulvis, & multo magis fumus cranium ſubiiſſe, ex diſſectionibus perhiberetur: quas in Sepulchreto (u) pariter deſcriptas leges. Sed ibidem tamen aliquam, ut falſam rejici, alias aliter explicari, omnes pluribus quæ contrarium indicant, continuo ſubjectis infirmari, videbis. Ad quas ultimas addere, ſi opus eſſet, alias poſſes, & in his quæ in Centuria extat X. (x) Cæſareæ Nat. Cur. Academiæ.

9. Quid ergo eſt? inquies. Nullum animalculum intra cranii cavum, nihil ibi fuliginis, aut pulveris nicotianæ herbæ inventum unquam fuiſſe, credemus? Ego vero eorum qui reapſe talia vidiſſe ſe, ſcribunt, aliis quidem plani alicujus fraude, aliis caſu, aliis incuria, plerumque impoſitum fuiſſe, ſuſpicor. Noſti enim deceptrices præſtigiatorum manus, ut vix ac ne vix quidem vel antea admonitus aliquis ſentiat, cum quidpiam eo immittunt quo minime videntur immittere: quid non admonitus, alioque intentus? Caſus autem ipſe non abſimiliter illudit; ut cum ſpongiæ quibus ſæpe, aperto cranio, ſanguis abſtergitur, aut humor exhauritur, adhærentes ſibi forte beſtiolas inter abſtergendum, exhauriendumque, relinquunt. Incuria autem ſæpius, ut cum albida, ac teres aliqua tenuis polypoſa concretio pro lumbrico accipitur; perrarum eſt enim, perque difficile, ut verus vivenſque lumbricus per viam quam alias memorabo, in Sinum uſque Falcis prorepat, ubi a Verneyo (y); ſi tamen ipſe vidit; (z) fuiſſe dictus eſt: Aut cum disjecta humoris cujuſdam minima concrementa, qualia in urethra virili ad Proſtatæ glandulæ oſcula, immo intra Proſtatam ipſam non ſemel vidimus (a) pro tabacci humidulis granulis, quæ colore, & forma apprime referunt, incaute habentur: Aut cum ex Frontalibus Sinibus quo tenuiſſimum nicotianæ pulverem involare, vel certe compelli exſpirationis vi, prono autem capite etiam defluere interdum poteſt, cum, inquam, hunc pulverem vel ſerra, vel ſcalpra illac in cranii cavum ab Anatomico referante demiſſa, traducunt ſecum: Aut denique cum aliquis anguſtus, & flexuoſus, eoque minus animadverſus cuniculus ab exrerno ulcere in illud idem cavum pertinet, eoque in vivente, aut mortuo animalcula tranſmittit. Alia ſciens prætereo; neque enim plura congerere neceſſe eſt tibi præſertim, Inſectorum Hiſtoriæ gnaro, ex eaque probe ſcienti, num cimices, exempli cauſa, & ſcorpii arctius concluſi, ut aere orbentur, num curculiones, num aliæ beſtiolæ ſine idoneo ipſis cibo, vivere & creſcere tamen queant. Certe ex quo illa Hiſtoria diligenter excoli, reſque ſingulæ ſcrupuloſius examinari cœptæ ſunt, aut nullæ amplius, aut oppido perpaucæ, & perpaucis creditæ, ejuſmodi obſervationes prodierunt. Neque unquam accidit Valſalvæ quî prope innumera, nec mihi qui non multo fortaſſe pauciora capita perluſtravi, ut in talia incideremus, quæ tot olim ſe vidiſſe Medici ſcripſerunt. Ex quibus propterea ſi forte unum aliquem ſine fraude, aut errore ullo vidiſſe fatear; id reverentia potius, quam ratione adductum, fateri me, credito. Nec te illud moveat quod poſt acerbiſſimos capitis dolores nihil aliud apparuiſſe dicatur, quam lumbricus, aut animalcula intra cranium reperta, aut inde prodire viſa. Complures enim illorum dolorum ſunt cauſæ quæ aut extra cranium ſunt, aut ſi intra cranium, non facile, aut nullo modo ſub ſenſum cadunt. Quid ſi quæſitæ non ſunt? ut cum ex moribundæ naſo lumbricus exiens, creditus eſt e cerebro proveniſſe, quaſi vero ex inteſtinis illuc prorepere non potuiſſet. Quid ſi quæſitæ cauſæ aliæ, & jam in cerebro ipſo repertæ? & minimi tamen ſimul accuſantur vermiculi poſtridie in aqua animadverſi, in qua particula, ex cerebro ſumpta, fuerat macerata. Vehementes quoque ii dolores erant, quos vermes ex centipedum genere creabant duo priuſquam e naribus ejicerentur. Nec tamen Viri Doctiſſimi Littrius (b), & Maloerius (c) qui eos viderunt, quidquam de cerebro ſuſpicati ſunt, ſed a Sinu Frontali in quem exiguum ovulum vi reſpirationis immiſſum eſſet, repetendos eſſe, non dubitarunt, haud ſecus atque Cl. Henckelius (d) cum vermiculos parvos duos, curculionum inſtar, eadem via prodeuntes, & ſæviſſimos capitis cruciatus ſolventes, in narium receſſus attractos cenſuit ex floribus fortaſſe in quibus rudimenta eorum laterent, arctius ad nares appreſſis, altaque, ut incaute fit, inſpiratione, olfactatis. Et ante illum Gahrliepius (e) vermiculos, eodem cum levamine e naribus ejectos, quoniam perſimiles vidit illorum qui ex muſcis proveniunt, a muſca matre deduxit. Recte omnes, quod neque ex putreſcente materia, neque in cranii cavo genitos, ſed ex ovis minimis, aut rudimentis animalculorum, extrinſecus invectis, procreviſſe in narium receſſibus, exiſtimarunt. Illud inter duos Clariſſimos Viros quos primo loco laudavimus, non ſatis convenit, cujus naturæ, & qua ex parte remedia adhibenda ſint, ut e naribus educantur. Quam controverſiam plane dirimere eo difficilius fortaſſe eſt, quod alias, ut vides, alio ex genere vermes ſunt, ut iiſdem non ſemper rebus aut fugari, aut allici poſſe videantur. Ut ut hæc ſunt; juvabit tamen per quæ & quomodo plerique educti fuerint, ex medicis hiſtoriis cognoſcere: ad quas addes quæ in Actis (f) extat laudatæ Cæſareæ Academiæ, & quæ in Commercio Litterario Norimbergenſi (g), præcipue autem quæ in Prælectionibus Viri Eximii Boerhaavii ad ſuas Rei Medicæ inſtitutiones (h) ubi ſanatam ab ſe puellam memorat, cujus Pituitarii Sinus vermibus omnes erant pleni. Quoniam tamen Frontales ut plurimum incolunt Sinus, quod prima ac præcipua moleſtiſſimi doloris ſedes, cum ſenſu præſertim rodentis, ſeque moventis beſtiolæ ſæpe numero conjuncti, in alterutrius Sinus regione indicat; idcirco Littrius, ſi nihil alia omnia auxilia prodeſſent, ad chirurgiam denique nec difficilem, nec periculoſam in oſſe frontis deveniendum eſſe, cenſuit. Non dubito autem, quin eandem intellexerit, qua olim uſum eſſe Cæſarem Magatum de Valliſnerio audivi, nempe terebrato uſque ad Sinum oſſe, & verme quem ineſſe prædixerat, magna cum adſtantium admiratione, educto, ſicque dolore adverſus quem irrita alia omnia fuerant, feliciter abacto. Quam ſi curationem, ut in Adverſariis (i) ſperabam,

(q) Canon. l. 3. F. 1. Tr. 2. c. 3. 7. 31. (r) ad Obſ. 117. (s) Vid. præſertim Oper. in fol. Tom. 2. P. 4. Epiſt. ad Gimmam.
(t) Tom. 4. Mem. 12. (u) Sect. ead. 1. Obſ. 82. & l. 4. S. ult. Obſ. 1. (x) Obſ. 89.
(y) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. An. 1700. (z) Vid. Epiſt. 24. n. 23. (a) Epiſt. 44. n. 20.
(b) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. An. 1708. (c) & An 1733. (d) Act. Nat. Cur. D. 3. Obſ. 110.
(e) Eph. N. C. Dec. 3. A. 8. Obſ. 141. (f) T. 4. Obſ. 30. (g) A. 1739. Hebd. 21. II. n. 3.
(h) ad §. 792. (i) VI. Animad. 90.

rabam, ex Auctoris inedito ſcripto Valliſnerius protuliſſet; illud fortaſſe inter cætera ſcitu non indignum noviſſem, an quæ felicitas in dolore tollendo fuit, eadem in reſerato Sinu claudendo eſſet conſecuta. Quam difficile enim id perficiatur, animadvertit Corn. Celſus (*k*), & poſt eum Chirurgi a Palfinio (*l*) laudati: difficultatis autem cauſas, & graves a Sinu haud occluſo noxas idem Palfinius, & quem has Litteras recenſens vidi, etiam Archiater Præſtantiſſimus Nicolaus Roſenius (*m*) adnotarunt: ex quibus habebis quæ ſeligas, cum Verheyenio (*n*) qui eundem ac Palfinius pharmacopolam deſignare videtur, conferenda, & ad ea quæ ſuper Celſi obſervatione illa protuli (*o*), adjicienda. Cæterum ſi alia forte exempla quæris vermium intra cranium, ut ajebant, repertorum, aut e narium receſſibus ejectorum, utrorumque invenies inter illa quæ Daniel Clericus (*p*), nec ſine interpoſito plerumque judicio, recenſuit, ſecundorum autem inter ea quæ ab Joanne Saltzmanno (*q*) commemorata ſunt, aut propoſita, qui neque eorum indicia, neque auxilia per quæ ſunt excuſſi, prætermiſit.

10. Jam vero tres quoque meas tibi deſcribam obſervationes in capite habitas dolore vexato aut ante cætera, aut maxima inter cætera incommoda. ANTE hæc, certe vexari ſolitum erat in viro mendico, qui ſemper fatuus, noviſſime autem adeo ſtultus, ut quem petierat, panem abjiceret, in Noſocomium exceptus fuerat. Conſtabat dolori capitis fuiſſe obnoxium, tunc autem & ventris obſtructionibus laborare. MORTUI ex febre neſcio qua accedente cadaver in hoc Anatomicum Theatrum A. 1728. illatum eſt, macilentum, nec in Ventre, & Thorace quidquam oſtendens; ſi obſtructum lienem excipias; quod præter naturam ſe haberet. Sed circumſectum Cranium cum attolleretur, animadverſum eſt, huic in latere frontis ſiniſtro firmiſſime affixam eſſe Duram meningem, quæ ibi ad modicum ſpatium, quaſi ellypſis ambitu circumſcriptum, non membraneam, ſed mediam inter os & ligamentum naturam habebat. Cum Cerebellum molle & flaccidum eſſet, Medulla autem Oblongata parum firma; durum cerebrum, ut ſæpe in ſtultis ſolet, inveni; tametſi Lateralibus ventriculis limpida aqua, ſed pauca, ineſſet, cum plexibus decoloribus, quorum poſteriori parti veſiculæ, nec tamen multæ, inſidebant, eadem aqua plenæ. Denique anteriori faciei glandulæ Pinealis quidpiam adhærebat flavi, quod inter digitos compreſſum, quaſi arenas intermiſtas habere, ſenſi.

11. Horum alia alio attinent, ut noſtræ quædam poſtea declarabunt Epiſtolæ (*r*). Illud unum, ut opinor, ad capitis dolorem, quod in Craſſa meninge compertum eſt. Quæcunque enim cauſa fuerit ſive interna, ſive externa; quanquam nullum hujus veſtigium animadverti; cur ea pars meningis in oſſis pene modum induruiſſet; proclive eſt intelligere, quotieſcumque ſanguis aut copia, aut turgentia, aut accelerato per caput motu vim afferret vaſis, eam partem verſus tendentibus, reſtitare illo objecto impedimento ſanguinem debuiſſe, & circumjectas vaſis fibras meningis diſtendere. Neque aliam ad cauſam referri videbis in Sepulchreto (*ſ*) quod *cephalalgiæ miſerrimæ illi eſſent obnoxii*, in quibus utraque meninx *per aliquod ſpatium, ſæpe duos digitos latum* ita coaluerant inter ſe, ut *vaſorum oſcula penitus obſerarentur*. Veri quoque ſimile eſt, ejuſmodi obſtacula, quatenus ſe aut ſanguini, aut aliis pariter opponunt ſuccis per meninges jugiter tranſeuntibus, occaſionem interdum præbere doloribus per circuitus recurrentibus, toties videlicet, quoties tanta portio hæſit ſuccorum, ut copia diſtendere, aut tandiu, ut vitioſa ob moram facta irritare meninges poſſit, quarum fibris ſe propterea contrahentibus poſtquam prima illa portio vi in anguſtiores laterales canaliculos contruſa eſt, nova ſuccedat quæ ad eundem modum hæreat & expellatur, & poſt hanc alia: neque finis antea fiat quam laterales illi canaliculi ſic denique ſæpius iteratis impulſibus pateant, ut nihil jam hæreat. Sed aut funeſtum denique prænunciant exitum (*t*), aut difficilem non raro curationem habent ejuſcemodi dolores, eoque magis, quo conſtantius eadem recurrunt hora; an quod ita ſignificetur, laterales canaliculos valentius reſiſtere impulſui dilatanti? Memini me adoleſcentem in Patria medicinam facere æquali meo Laurentio Bagattrinio externa quidem, ſed acerbiſſima, hemicrania haud ita pridem correpto, quæ mane quotidie eadem hora, ut Itali numeramus, duodecima revertebatur. Quidquid agerem, aut nihil, aut eo dumtaxat conducebat, ut brevior, leviorque cruciatus fieret; nam illa ipſa hora redibat tamen: quin ſi quid erroris forte accederet, vel priſtina vehementia. Fruſtra adhibitis omnibus complures jam dies auxiliis cæteris, non prius vici, quam tenui lignorum decocto modice agitatis, impulſiſque circumeuntibus ſuccis, ſudores moviſſem, id quod Ballonio (*u*) quoque feliciter ceſſiſſe legeram in hemicraniis intolerabilibus, & quotidie mane certa hora recurrentibus. Omnino erat in eo Juvene aliquid hæreditarii. Nam & parens, ſeptuaginta annis major, tanto idque paulo antea capitis dolore prehenſa fuerat, ut videndi altero oculo facultate amiſſa, magnis nihilominus per eos dies redeuntibus ſubinde doloribus conflictaretur. Sed cum hi tamen neque ex eodem ſemper loco inciperent, ſed modo ex vertice, modo ex interiore naſo, ut calidum lac naribus attrahere prodeſſet, neque reverterent eadem hora, aliquanto facilius mihi fuit hujus, quam filii, dolorem tollere: quo facto, videndi etiam vis paulatim reſtituta eſt. Juverat inter cætera ſanguis e brachio, non tam qui, me imperante, miſſus eſt, quam is qui, laxata faſcia inter dormiendum, non paulo majori copia effluxit; ut feliciter vel in fœmina id ætatis idem propemodum acciderit, quod in ſexagenaria obſervavit poſtea Valliſnerius (*x*). Sed ad diſſectiones redeamus.

12. ADOLESCENTULA, Epilepticæ filia, pauperis uxor, cum Februario menſe ex itinere vehementer incaluiſſet, magno capitis dolore, & acuta febre correpta eſt. His, ſine delirio, ſæpius taciturna, intra triduum, aut quatriduum perempta eſt. Cum lactaret, atque in menſtruis tamen eſſet, tandiu diſtulerant venæ ſectionem, ut denique cum gravius ſe habenti, arteriarum tamen pulſu, viribuſque conſtantibus, ſanguinis, qui mox impenſe concrevit, ſelibram e pede miſiſſent, fortuito acciderit ut protinus moreretur. CAPUT in Theatrum, ut ejus anni 1738. Anatomen abſolverem; non cætera quoque, ut cupiebam; allatum eſt. Calvariæ interior facies ex ſubrubro fuſca; exterior autem facies meningis Tenuis qua ſupernam operiebat cerebri partem, materia quadam erat oblita, non multa quidem, ſed æqualiter ubique ducta ſubflava, craſſiuſcula, eaque omnino ſpecie, ut quamvis inodora eſſet, pus tamen & nobis, & iis qui aderant, Medicis, & Chirurgis eſſe videretur. Verum neque in meningibus, neque in cerebro, quod decolor fuit, ullum uſquam vitium, ullumve locum unde ea prodiiſſet materia potuimus invenire.

13. Si pus fuit; an ex alia aliqua corporis ſede per ſanguifera vaſa hauſtum, & in illam translatum dicemus ſecundum ea quæ de quodam capitis dolore in Sepulchreto (*y*) indicantur? Sane hanc etiam ob cauſam ægrius ferrem, non fuiſſe reliqui corporis, in quo id quærerem, copiam factam; niſi rerum eſſet diſpar ratio, aliæque mihi notæ eſſent hiſtoriæ, in quibus velut in ea Valſalvæ quæ ſuperius (*z*) prolata eſt ſanies nuſquam fuit, quam ad cerebrum inventa, quod & ipſum alioqui eſſet ſanum. Num igitur ex meningum viſum effugientibus foraminulis, unde humor ſecundum naturam & paucus, & limpidus is quo ipſæ madent, exire ſolet, illa puriformis materia, ut ex Recti inteſtini, & veſicæ glandulis in teneſmo, & dyſuria ſæpe accidit, vi morbi expreſſa eſt? Certe enim morbi expertes fuiſſe meninges, neque ille tantus capitis dolor credere nos ſinit, neque is qui in calvariæ facie eas contingente erat color.

14. ALTERIUS mulieris, ob eum colorem, venit in

(*k*) De Medicina l. 8. c. 4. (*l*) Anat. du corps hum. l. 2. tr. 4. ch. 15. (*m*) Diſſert. de Oſſ. Calvar. P. I. n. 28.
(*n*) Anat. corp. hum. l. 1. tr. 4. c. 16. (*o*) Epiſt. in Celſ. 4. (*p*) Hiſt. Lator. Lumbric. c. 13.
(*q*) Diſſert. de Verme naribus excuſſo §. 4. 5. 6. 11. & ſeqq. (*r*) Vid. VIII. n. 13. (*ſ*) Sect. hac 1. Obſ. 12.
(*t*) Vid. Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 14. n. 1. & 3. & Dec. 3. A. 7. Append. pag. 74. Obſ. 75. (*u*) Epidem. lib. 2. Conſt. Hyem. A. 1575.
(*x*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 7. (*y*) Sect. hac 1. Obſ. 40. (*z*) n. 2.

in mentem, cujus diſſecui caput ineunte anno 1717. Affecta primum Venerea lue, hinc febre cum atrocibus capitis doloribus, & delirio correpta, ex his in Noſocomio Patavino deceſſerat. HUJUS quoque exſectum cranium alicubi apparuit ex rubro nigricans. Duræ autem meningis ea pars, quæ ſupernæ mediæ regioni Sinus Lateralis dexteri proxima erat, multo craſſior facta, cum altera meninge, atque adeo cum cerebri ſubſtantia omnino coaluerat, erantque hæc tria eo in loco ſemiputrida, & lurido quodam colore, ex ſubflavo cinereo, in corticali præſertim cerebri portione, deturpata. Quin etiam extima ſubjecti cerebelli ſubſtantia, quanquam ad minorem tractum, ad duos videlicet tranſverſos digitos, cum meninge utraque adeo coaluerat, ut cum e Duræ cavo cerebellum extraherem, hujus ibi ſubſtantia, Duræ meningi adhærens relicta ſit. Porro cerebri vaſa per Tenuem meningem repentia, æquo latiora conſpiciebantur, nigroque ſanguine diſtenta, qualis & in Duræ Sinibus fuit. Per medullarem autem cerebri ſubſtantiam aſſulatim diſſectam crebra paſſim, & evidentiora quam ſoleant, ſanguifera vaſcula ſe oſtendebant. Laterales ventriculi aqua pleniſſimi ſubfuſca, quo colore & eorum facies infecta erat. Denique Pinealis glandula firmior, & major, & albidior quoſdam quaſi loculos intus habere viſa eſt. Sed nec illud reticebimus, cum rara obſervatione quæ in Commentariis extat Petropolitanæ Imper. Academiæ (*a*) conjungendum, quod ab ortu, aut certe a prima infantia hujus mulieris cranio peculiare fuit, ut latus poſterius dexterum magis curvaret extrorſum, quam ſiniſtrum: quamobrem & ejus cavum, & comprehenſum cerebri hemiſphærium erat ibi evidenter amplius, quam a ſiniſtris: id quod in altera etiam muliere (*b*) occurrit mihi, viſumque eſt eo dignius adnotatione, quod tota obliquata cranii cavea tempus dexterum magis excavatum, ſiniſtro contractiori, & viciſſim occipitis latus dexterum contractius, ſiniſtro magis excavato reſpondebat. Sed etſi in ea quoque fœmina Laterales cerebri ventriculi prorſus pleni fuerunt aquæ turbidæ; hiſtoria tamen non huc pertinet, ideoque alibi (*c*) perſcribetur.

15. Neque enim ſcio, an illa fœmina doloribus capitis eſſet obnoxia, ut neque an ea cujus modo tota hiſtoria deſcripta eſt, antequam febre afficeretur; cum probe alioquin ſciam, *figuram capitis vitioſam magnum ad diuturnos dolores inferendos conferre cenſeri momentum;* quæ verba in Sepulchreto quoque (*d*) referuntur, omiſſo, ob incuriam, Auctoris nomine, Rolfincii videlicet (*e*). Sed ad deſcriptam hiſtoriam ut redeam; ſi mulier illa, atque illa item de qua ſupra (*f*) diximus, adoleſcentula viri fuiſſent in ſugendo herbæ nicotianæ fumo pene aſſidue occupati, fuſcus ille, aut nigricans in utriuſque cranii interna facie animadverſus color, quibuſdam facile viſus eſſet præſertim olim, ab ejus fumi fuligine repetendus: neque enim qui repeterent defuere, ut in ſuperioribus (*g*) eſt indicatum. Nos cum rubedo aliqua ei colori admiſceretur, quin ab reſtitante ſanguine eſſet, non dubitavimus. Nam etſi mulier lue venerea laborabat, nuſquam tamen ulla fuit in cranio caries, quam aliquem fortaſſe ob atroces illos dolores potuiſſe ſuſpicari, licet nullum ſive tumore, ſive colore extima capitis facies præberet indicium, ex aliis & præſertim ex illa in ſcorto pulcherrimo obſervatione planum eſt quam A. 1704. Bononiæ mihi narrare memini Noveſium, qui & ſcriptis mandavit (*h*) poſtea. Satis tum ad moram ſanguinis per tenuiſſima paſſim vaſcula, ut alibi oſtendetur, ex calvariæ intima lamina in Duræ meningis vaſa redire ſoliti, tum ad dolores illos probe intelligendos, ſatis, inquam, cauſæ eſt in deſcripta meningis illius craſſitudine, & cum altera coalitu, vel ſecundum ea quæ paulo ſuperius (*i*) propoſita ſunt.

16. Atque ut plenius intelligas, quam poſſint ejuſmodi coalitus, obicem ſanguini ponendo, inducere capitis dolores; fac cogites, ex vaſis ſanguiferis cum alia ſint venæ, alia arteriæ, ſanguinem qui per has fertur, ubi ad obſtaculum ventum eſt quo ejus tranſitus tardior fit, non diſtendendo ſolum, ſed percutiendo quoque, nocere. Scilicet quot ſunt arteriarum pulſationes, tot ictibus, hiſque eo majoribus, quo difficilior eſt tranſitus, meninges percellit. Sic Brunnerus (*k*) immanes capitis cruciatus in viro cujus Dura meninx verrucis piſi magnitudine plurimis hic illic, ſed præſertim circa arteriarum *ramificationes*, obſidebatur, a ſingulis arteriolarum vibrationibus deduxit; quanquam diſtentionis tantum vim, non etiam percuſſionis, ſpectavit. Cæterum non modo coalitus, anguſtiora quæ per ipſos tranſeunt, vaſa efficiendo, ſed & quidquid, ſive pungendo, convellendoque, ſive comprimendo præſtare idem poteſt, capitis dolores creabit. Pungendo creabat oſſea illa acuta particula, inter meninges ſita, de qua leges Obſervationem III. An. VII. Dec. III. Ephemer. Cæſareæ Nat. Cur. Academiæ. Comprimendo autem, exoſtoſis cranii interior tum quæ Obſervatione deſcribitur CCLIII. in Dec. eadem An. X. ſanguine propterea quoque in meningibus adeo remorato, ut fere eſſent digitum tranſverſum craſſæ, & luxuriantis carnis referrent ſpeciem, tum quæ Cent. VI. Obſervatione XXI. adjectoque ad hanc Scholio non una proponitur, præſertim vero quæ Obſervatione extat XCIX. Volum. II. Actorum ejuſdem Academiæ: cujus ex minus antiquis libris plura tibi exempla de induſtria colligo, cum plurima videam ex iis libris, quos ante alteram Sepulchreti editionem vulgaverat, in hoc olim, & merito quidem, eſſe relata.

17. Nec deſunt tamen quæ aliunde accepta, eodem adjiciantur: cujuſmodi ſunt duo quæ proferam haud inelegantia, & ad propoſitæ mulieris diſſectionem attinentia. Oſtendunt enim æquo majorem ſanguinis copiam vaſa quæ intra cranium ſunt, diſtendentem, capitis dolores facere. Exemplum alterum Cowperi eſt in anglica Anatome humani corporis, aut ſi forte hac cares, in Actis Erudit. Lipſ. (*l*) Alterum in Commercio Litterario (*m*) leges. Primum in eo qui ab ineunte ætate dolori, de quo loquimur, vehementi obnoxius vixerat, Duræ meningis vaſa adeo lata fuiſſe, monſtrat, ut *calami* æquarent craſſitudinem. Quod ne putes, inſtante demum noviſſimo morbo, id eſt apoplexia, eſſe factum, ſed ut quam antiquum fuerit, ſcias; illorum veſtigia vaſorum in calvariæ interiore facie, tam profunda, atque ampla erant, ut ei vaſorum craſſitudini reſponderent: poteris autem obſervationi huic ſatis ſimilem Bajeri obſervationem (*n*) adjungere. Exemplum ſecundum exhibet fœminam, a prima adoleſcentia immanibus pariter capitis doloribus excruciatam, iiſque eo gravioribus, quo magis augebatur ſanguinis aut copia, aut exæſtuatio. Scilicet ren dexter non ſuo loco poſitus, ſic arteriam Magnam, & venam Cavam ad imas lumborum vertebras apprimebat, ut qua hæc vena excipiebat ſanguinem Iliacæ ſiniſtræ, varix ortus eſſet, cujus diameter duplo propemodum Cavæ diametrum ſuperabat, indicio manifeſtiſſimo, tanto plus ſanguinis ad ſuperiora, ipſumque caput ferri debuiſſe, quanto minus poterat ad inferiora. Exempla autem hæc duo probe intelligis eo ſpectare, ut a copia quoque ſanguinis qua Tenuis meningis vaſa, & cerebri vaſcula ſic diſtenta vidi, ut latiora eſſent, repeti poſſint acerbiſſimi dolores quibus mulier afficiebatur.

18. Cætera quæ in hiſtoria ſcripſi, partim ſupra (*o*) ut quæ ad aquam in ventriculis attinent, declarata ſunt; partim alibi declarabuntur. Eſt enim, ut initio dixi, fere cum aliis complicatus malis capitis dolor. De quo hæc in præſentia habui quæ ſcriberem, eadem ratione perrecturus ad alia, ſi hæc prima non diſplicuerint. Vale.

(*a*) Tom. 7. p. 222. & ſeq. (*b*) Vid. ut in aliis quoque, Epiſt. 62. n. 15. (*c*) Epiſt. XII. n. 2.
(*d*) Sect. hac. 1. ſub. Obſ. 46. (*e*) Ord. & Meth. cognoſc. dolorem Cap. I. 2. S. 2. art. 1. P. 1. c. 24. (*f*) n. 12. (*g*) n. 8.
(*h*) Lettreſ. L. 6. (*i*) n. 11. (*k*) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ 69. (*l*) A. 1699. M. Feb. ad Tab. 91.
(*m*) A. 1744. Hebd. 43. I. (*n*) Act. N. C. T. 3. Obſ. 121. (*o*) n. 3.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA II.

Sermo primum fit de Apoplexia in univerſum, tum de ea quæ eſt a ſanguine.

QUas nuper de capitis dolore ad te miſimus, gratas fuiſſe Litteras, ſcribis; ſed tanto gratiores futuras quas de Apoplexia expectas, & de cæteris deinceps morbis, quanto horum quiſque gravior eſt, & periculi plenior. Simul quæris, an Apoplexia revera hoc ſæculo crebrior ſit, quando Medicos Eruditos duos in diverſa vides eſſe opinione, & quod mirum videatur, ad eundem ab utroque Auctorem provocari, Cornelium Celſum.

2. Ut hinc incipiam; negari non poteſt, apud Celſum (*a*) hæc legi: *Attonitos quoque raro videmus, quorum & corpus, & mens ſtupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo, hunc ἀποπληξίαν Græci appellant*. Sed neque inficias iri poteſt, vix perbrevi attonitorum curatione propoſita, hæc ſubjici (*b*): *At reſolutio nervorum frequens ubique morbus eſt. Sed interdum tota corpora, interdum partes infeſtat. Veteres authores illud ἀποπληξίαν; hoc παράλυσιν nominarunt: nunc utrunque παράλυσιν appellari video*. Ne autem credas, apoplexiam hanc quam frequentem ubique fuiſſe dicit, & paralyſim tum vocari ſolitam, paralyſim potius fuiſſe totius corporis, quam veram apoplexiam; attendas oportet, non modo corpus univerſum reſolviſſe, ut paraplexia (*c*) dici poſſet, verum etiam mentis uſum intercepiſſe; in ejus enim curatione mox a Celſo (*d*) pronunciatur, *poſt ſanguinis miſſionem, ſi non redit & motus, & mens, nihil ſpei ſupereſſe*; ne illud quoque addam, ſæpe paraplexiam (*e*) *ſuccedere apoplexiæ*, ut ſi illa frequens erat, hæc quoque non rara fuerit, neceſſe ſit. Quid ergo erat, inquies, illa primo loco propoſita a Celſo apoplexia? in qua & corpus, & mentem ſtupere, ait, ſed raro videri conſueviſſe. Niſi Mercurialis meus (*f*) Virique alii ante, & poſt ipſum Eruditiſſimi veram eſſe apoplexiam cenſuiſſent, quam ibi Celſus *morbum attonitum* nominarit, (quanquam attonitos, ut Rubeus (*g*) animadvertit, homines dixit, non morbum) auſus fortaſſe jam pridem eſſem de voce illa ἀποπληξίαν integra, an mendoſa ſit, dubitare. Interdum enim cum ultimas in Celſum Epiſtolas ſcriberem, ſuſpicatus ſum, morbum alium aliquem ibi indicatum ab eo eſſe, ut puta catalepſim, aut hujus ſimilem, nempe quem raro videamus, in quo & corpus, & mens ſtupeat, & qui fiat interdum ictu fulminis, unde etiam proprie attoniti dicti ſunt (*h*). Et ſperabam quidem, ſuſpicionem meam confirmari, & rationem aliquam emendationis ex Cælio Aureliano hauriri poſſe, qui fuſius quam Veterum, qui ſuperſint, quiſquam, de Catalepſi verba faciens (*i*), docuit, qui primi olim ab aliis morbis hunc ſeparaverint, & id nominis impoſuerint, & quo quiſque modo curaverint. Sed anguſtiis temporis excluſus, & inconſtantia quadam, librariis forſan imputanda, tardatus, cum Aſclepiadem *catalepſin appellaviſſe*, mox autem *novum non dediſſe nomen*, legamus, ſed ejus *ſectatores catalepſin vocaviſſe*; longioris operæ eſſe credidi rem diſcutere, nec Celſi curationem volui cum Themiſonis, qui nuper vixerat, curatione comparare. Quæ tu facias cenſeo, non tam mea ſuſpicione adductus, quam Summi Viri opinione permotus Gerardi Swietenii, Cæſareorum Archiatrorum Comitis meritiſſimi. Cujus Commentariorum (*k*) Volumen III. mihi, hanc Epiſtolam relegenti, benigne miſſum cum verſarem, gaviſus ſum, eandem utriuſque noſtrum conjecturam fuiſſe. Quam niſi ſequaris; aliquam nobis excogitabis rationem, qua unum eundemque morbum & raro videri, & frequentem ubique eſſe, intelligamus.

3. Sed & ante Celſum, & poſt Celſum frequentem fuiſſe apoplexiam, cum Hippocrates indicavit, tum alii confirmarunt morborum Obſervatores: ille quidem; nam ſi raro accidiſſet, non inter morbos numeraſſet qui *in pluviarum multitudine* (*l*) & qui item *hyeme* (*m*) magna ex parte fieri ſolent; hi vero; nam hæc ejus dogmata memorantes, non modo in dubium non vocarunt, ſed & ſuis obſervationibus comprobarunt. Sic Hollerius (*n*) complures recenſuit apoplecticos *in frigida & auſtrina aeris conſtitutione* a ſe viſos. Sic; ne longior ſim; Foreſtus (*o*) ſuas producens obſervationes, *tota*, inquit, *cæli conſtitutio tunc pluvioſa, & auſtrina erat, & ita ab initio* Decembris ad 18. diem, *plurimi apoplectici, & convulſi interierunt*: quin etiam in univerſum tradidit, ſuis quidem, Batavis *regionibus frigidis & humidis non raram, imo frequentiſſimam eſſe apoplexiam; frequentem quoque in locis frigidis ob ſitum terræ, ut Florentiæ, & Lucæ, & Bononiæ*, ubi erat ipſe ſtudiorum cauſa commoratus, *vel ob regionis naturam, ut Germanis, & Britannis*. Hi vero duo Medici centum quinquaginta annis circiter, ante hujus initium ſæculi hæc adnotaverant: aut ſi Foreſtus paulo tardius; non tardius certe Jacchinus (*p*) unde pleraque iſtorum verborum, diſſimulato auctoris nomine, deſcripſit Foreſtus.

4. Noli autem credere, hæc a me dici, ut inficier quod probe memini, circa hujus ſæculi initia frequentes adeo factas eſſe mortes repentinas, ut rei novitate perculſus populus terreretur. Sed hoc dico: quod noſtris accidit temporibus, idem aliis quoque accidiſſe modo poſt breviora, modo poſt longiora intervalla, ut tempeſtatum natura tulit, non earum tantum quæ exempli cauſa memoratæ ſunt, ſed & aliarum, ut ſuo declarabitur loco (*q*), idque magis, minuſve pro regionum ſitu, & conſtitutione, & victus conſuetudine magis, minuſve cum tempeſtatibus conſentiente. Quin fuit aliquando cum inter cæteros peſtilentes morbos, noxium fortaſſe circumjectorum locorum aerem, certe autem vitæ mutationem ex laborioſa in deſidem & voluptariam conſecutos, *apoplexiæ morbus acerrimus* ſæviret, quemadmodum ex Agathia (*r*) cognoſces. Qui alteram quoque ſæculo eodem ſexto peſtilentiam deſcribens (*s*), cum alia memorat mortis genera, tum *interiiſſe*, ait, *repentina morte quam multos tanquam apoplexiæ gravi morbo correptos*. Deinde hoc adde, non omnes circa noſtri initium ſæculi repentinas mortes ab apoplexia fuiſſe, ſed plures etiam a ſyncope, quaſdam a ſuffocatione. Noviſſime (id quod pariter per diſſectiones animadverſum, recreavit populi animos ab incognita quæ lateret in aere, communi quadam cauſa tantam ſubitarum mortium frequentiam facile repetentis) noviſſime, inquam, hoc ajo: qui apoplexia vel eodem menſe, atque adeo die plures interierunt, non omnes eandem in cerebro noxam, ſed alios longe aliam, & ab alia cauſa profectam, nec ſemper recenti, ſed antiqua interdum, oſtendiſſe: quod & prægreſſa incommoda ſignificaverant.

5. Etſi enim apoplexiæ cujuſque cauſa illa proxima & quæ morbum continet, una eſſe videtur, id eſt intimorum qui in cerebro fiunt motuum, cum videlicet movemus, ſentimus, cogitamus, ſubita imminutio, tanta interdum, ut proxime ad ceſſationem accedat, aut in ceſſationem continuo tranſeat; eam tamen imminutionem multæ ſunt & variæ quæ inducant, cauſæ, harumque ipſarum aliæ ſenſus omnino fugiunt, aliæ ſub hos cadunt. Quarum illas, ubi res nonnunquam coegerit, ibi conjicere, quoad ejus licebit, conabimur. De his autem, quæ manifeſtæ occurrere nobis intra cranium ſolent, dabimus operam ut dilucide ac partite ſcribamus.

6. Hæ plerumque aut in ſanguine, aut in ſero conſiſtunt,

(*a*) De Medicina l. 3. c. 26. (*b*) Initio ſeq. c. 27. (*c*) Vid. Galen. apud Gorræum Defin. Med. τὸ Π. (*d*) cit. cap. 27.
(*e*) Apud Gorræum loc. cit. (*f*) Prælect. Patav. l. 1. c. 19. (*g*) Annot. in cit. Celſi c. 26. (*h*) Servius ad v. 172. l. 3. Æneid.
(*i*) Acut. Morb. l. 2. c. 10. 11. 12. & Chronic. l. 2. c. 5. (*k*) In Boerh. Aphor. §. 1007. (*l*) Sect. 3. Aph. 16.
(*m*) Ibid. Aph. 23. (*n*) De Morb. Int. l. 1. c. 7. in Schol. (*o*) Obſerv. Medic. l. 10. Obſ. 70.
(*p*) Vid. init. c. 9. Comm. in Raſ. (*q*) Epiſt. III. n. 13. 29. (*r*) De Bello Gotth. l. 2. (*s*) l. 5.

ſiſtunt, nonnunquam & in aliis. Sed nos rariores cauſas in noviſſimum rejicientes locum, frequentiores illas duas primum perſequemur. Eæ, quippe ſæpius animadverſæ, celebrem illam apoplexiæ diviſionem pepererunt in Sanguineam, & Seroſam: quam qui diviſionem improbarunt; id eo feciſſe partim credo, quod tunc continentem cauſam magis, quam efficientes, & ab his profectam in prædicendo, medendoque utilitatem, ſpectarent; partim quod ſeri effuſionem pro effectu haberent, non pro cauſa, qua de re alibi (*t*) & vidi, & videbo; partim etiam quod ut cætera Majorum dogmata, ita hoc quoque abjicere ſtuderent, olim adeo inculcatum, ut vulgo vix aliunde quam a ſero craſſiore ventriculos cerebri impediente, eſſe apoplexia videretur. Sed nimirum ſæpe veteris doctrinæ faſtidio ultra æquum homines progreſſi ſunt.

7. Nec vero etſi medentium plerique ſic crederent; fugiebat tamen doctiores, apoplexiam etiam a ſanguine Medicinæ parentes agnoviſſe. Hippocratis, Galenique locos non produco; habes enim in Sepulchreto (*u*), ut verba quoque Turriſani (*x*) qui ſæculo XIV. illorum aliquem locorum probabat. Italorum præcipue alii ſæculo XV. & XVI. idem facere perrexerunt, in quibus Jo. Matthæus de Gradi (*y*), Jacobus Berengarius (*z*), Leonardus Jacchinus (*a*), ſed præſertim Petrus Salius vicinus meus (*b*) toto illo peculiari capite, quod *de Apoplexia a ſanguine* inſcripſit. Quorum etſi alii aliter rem intelligebant; nemo tamen præter Salium fortaſſe, qui id ipſum raro, ea credidit ratione fieri qua ut ſæpe nos videre ſoliti ſumus, ita Avicenna (*c*) olim docuerat, cum videlicet cauſam ſecundi, & frequentioris quidem generis ejus apoplexiæ quæ fit a repletione, eſſe cenſuit *aut humorem ſanguineum effuſum ad ventriculos cerebri ſubito, aut humorem phlegmaticum, & hunc eſſe ſecundum plurimum*. Sed paulo ante, quam Salius ſcriberet, Italus alter Leonardus Botallus, ex Gallis autem Ludovicus Duretus, quamquam ſerius hujus liber vulgatus eſt, effuſum ſanguinem conſpexerant in eos apoplecticorum ventriculos, quemadmodum verba utriuſque, in Sepulchretum (*d*) quoque relata, præclare oſtendunt; ut permirum ſit, eruditiſſimum alioquin Medicum Caſparum Hoffmannum (*e*) quæſiviſſe, *quis ventriculos ſanguine oppletos in apoplexia vidit unquam*? Porro a ſanguine, etiam in ventriculos, aut alio intra cranium, non effuſo, aut certe ab alia cauſa quam a frigido humore, tam crebro apoplexiam accidere cenſuit Proſper Martianus (*f*), ut affirmare non dubitaverit, *ex tribus apoplexiæ ſpeciebus unicam tantum, & de raro contingentem in frigidos ſuccos Hippocratis conſilio referendam eſſe*. Huc ſi addideris, Varolium (*g*) Mercuriali reſcribentem, provocaſſe ad *diſſectiones eorum, qui apoplectici moriuntur*, & iis fretum, ſic locutum fuiſſe: *in* eorum *ventriculis cerebri (hoc quæſo mihi credas) non reperitur major excrementorum copia, quam communiter in omnibus aliis reperiri ſoleat*; hoc inquam, ſi addideris; plane intelliges, non modo ante recentiora tempora non defuiſſe qui apoplexiam a ſanguine agnoſcerent, ſed & nonnullos fuiſſe qui apoplexiam ab effuſo in ventriculos ſeroſo excremento, perraro, ne dicam nunquam, fieri docerent.

8. Attamen alias a ſanguine, alias a ſero eſſe hunc morbum repetendum, præter illas tot obſervationes quas in Sepulchreto collectas habes, confirmabunt aliæ bene multæ poſt ejus alteram editionem vulgatæ, quarum nos aliquas, ut res feret, poſtea memorabimus, hic illis tantum indicatis, quas litteris conſignaverat eodem ac Duretus, & Botallus tempore, eademque in Gallia Italus, ut videtur, Medicus non vulgaris, & ſane dignus, cujus & reliqua in lucem proferat Doctiſſimus Targionius, a quo (*h*) hæc exſcripta habemus. „ In Damicella de Mauvoyſin, quæ „ obiit a partu Epileptica una & Apoplectica, ſecta „ obſervavi totum ventriculum ſiniſtrum cerebri fuiſ- „ ſe plenum aquoſo ſanguine, ſeroſo, putri, ac pra- „ vi coloris, & venas Plexus retiformis una cum „ arteriis fuiſſe tumidas, quaſi inſufflatas, ſubni- „ gras: ut etiam in D. de Boyſſy magno Franciæ „ Scutifero, totus ventriculus dexter erat irriguus „ ſanguine. Ideo jure Lampridius de Severo Cæſa- „ re, obiit ictu ſanguinis, quem Apoplexiam vo- „ cant; pleriſque enim Apoplecticorum ſectis extra- „ vaſationem ſanguinis in ventriculo vidimus. „ Nec diſpliceat quod, cum ſibi ſcriberet, fortuito, ut fit, memoria lapſus, pro Lucio Vero Severum, Lampridium autem pro ſexto Aurelio Victore poſuerit, cujus de Vero hæc in Epitome verba ſunt, (*i*) obiiſſe videlicet *ictu ſanguinis, quem morbum Græci ἀπόπληξιν vocant*: unde ſanguineam apoplexiam intelliges etiam ſæculo quarto fuiſſe notam: aut ſi forte cum iis facis qui Epitomen illam incerti Auctoris eſſe putant; Eutropii Hiſtoriam (*k*) inſpice quarto ſæculo & prius quam illa Epitome, ſcriptam; obiiſſe Verum leges *ſubito ſanguine ictum, caſu morbi quem Græci ἀπόπληξιν vocant*. Et ſane haud aliam, quam ſanguineam fuiſſe Veri apoplexiam illa indicant quæ de ejus vita, morbo, curatione, & obitu ſæculo jam tertio ediderat Julius Capitolinus (*l*), convivia, & calices ejus deſcribens, tradenſque, *non longe ab Altino ſubito in vehiculo morbo quem apoplexin vocant, correptum, depoſitum e vehiculo, detracto ſanguine Altinum perductum, cum triduo mutus vixiſſet, apud Altinum periiſſe*. Quem ad locum Capitolini non omittendum eſt quod Egnatius (*m*) paulo ſupra ubi idem Hiſtoricus eam Veri apoplexiam memoraverat, ſic adnotavit, ut quam frequens ſæculo XVI. is morbus eſſet, magis magiſque intelligeremus: *apoplexi*, inquit, *frequentiſſimo jam ac pervulgato ob immoderatum vini, veneriſque uſum morbo per hoſce annos quibus iſta commentabamur*. Sed illuc revertor, ut ſeroſas quoque eſſe apoplexias ex ejuſdem Obſervatoris ſcriptis comprobem, qui in *pleriſque* apoplecticis effuſum in cerebri ventriculum ſanguinem ſe vidiſſe, docuit. Inter illa quæ ſupra deſcripſimus verba, hæc interjecit: *in aliis vidi aqua plenum limpidiſſima, extinctis Apoplexia cum tamen vacuus eſſe deberet omni omnino re*. Jam vero utrumque iis pariter Obſervationibus planiſſime confirmatum videbis quæ ex Valſalvæ ſchedis primum, tum ex noſtris quoque proferentur. Nec tamen quod in Sepulchreto promiſcue factum vides, hic illas producemus in quibus capitis vulnera ictuſve apoplexia conſecuta eſt; ſed in ſuum differemus locum; editas autem antea ab utrolibet noſtrum, dumtaxat indicabimus. Quibus etiam omiſſis, hæ tamen longiſſimæ eſſent Litteræ, niſi quæ diſſectiones ſpectant ad ſanguineam apoplexiam, eas tantummodo, neque omnes, in præſentia proponeremus, rejicientes in Epiſtolas proximas, tum earum reliquas, tum quæ attinent ad ſeroſam.

9. Ut a Viro Ampliſſimo incipiamus; cujus propterea hiſtoria eſt a Valſalva diligentius deſcripta; ANTONIUS FRANCISCUS SANVITALIS, Cardinalis S. R. E. ſtatura mediocri, aut paulo hac majori, corpore carnoſo, colore rubicundo, ſtudiis, & gravibus occupationibus deditus, arthritidi obnoxius, aliquot ante annis cœperat inani quodam faucium ad exſcreandum irritamento, & convulſivis etiam motibus in facie, & manibus per intervalla tentari. Denique cum annum ageret quinquageſimum quintum, & regionem duos jam menſes incoleret montoſam, auſtroque ſæpius perflatam, cujus alias regionis cœlum valde ſibi adverſum expertus fuerat, acceſſiſſent autem animi ſolicitudines & curæ, & hyemale ſolſtitium A. 1714. appropinquaret; in affectum incidit vertiginoſum: a quo tametſi liberatus eſt; non mediocrem tamen mœſtitiam, & ad ſomnum proclivitatem oſtendebat. Intra viceſimum circiter diem rediit affectus vertiginoſus, vomitumque ſecum

(*t*) Epiſt. 1. n. 3. & Epiſt. 4. paſſim. (*u*) l. 1. S. 2. in Addit. in Schol. ad Obſ. 1. & 14. (*x*) Ibidem. (*y*) Prax. tr. 11. (*z*) Ibi ubi de Anat. part. colli. (*a*) c. 9. cit. (*b*) c. 2. de Affect. particularib. (*c*) Canon. l. 3. F. 1. tr. 5. c. 12. (*d*) Sect. cit. Obſ. 11. n. 2. & Obſ. 16. (*e*) Vid. Schol. ad cit. Obſ. 11 (*f*) Adnot. in Hippocr. de Morbis l. 2. verſ. 64. (*g*) De Nervis Opt. Epiſt. 2. (*h*) in fine della Deſcriz. d'un Tumore Follic. (*i*) Hiſt. Aug. Epitom. in M. Antonino. (*k*) Hiſt. Rom. l. 8. (*l*) in Vero Imperat. (*m*) Annot. ad Capitolini M. Antonin. Philoſ.

ſecum adduxit. Brevi ſpatio uterque primum, deinde etiam vehemens, qui iis ſucceſſerat, dolor capitis ſedatus eſt. Verum poſtridie eadem qua vertigines ingruerant hora, omni propemodum amiſſa ſentiendi, & movendi facultate in ſiniſtra parte corporis, quaſi ſomno profundo ſopitus jacet. Naturalis tamen eſt reſpiratio; pulſus autem frequens, magnus, vehemens: & quamquam ſiniſtri artus incaſſum irritantur; iiſdem tamen irritamentis ad plantam pedis dexteri, & iis quæ ſolent, ad nares adhibitis, leviter excitatur, ut quædam nutibus, nonnulla etiam verbis opportune ſignificet. Habent autem hæc irritamenta feliciorem ſucceſſum præſertim poſt ſanguinis miſſiones: præcipue vero ſexto ab apoplexia die cum ſecta eſſet, imperante Valſalva, vena Jugularis dextera; horis circiter poſt quatuor, expergefacti interni ſenſus, & loquela ad horam unam, eoque amplius reſtituta eſt. Eademque excitatio, ſed manifeſtior, & longius protracta, eadem quaſi hora habita eſt nocte inſequenti. Verum excitatio hæc noviſſima fuit: inde enim æger ſenſim declinans, & convulſivis motibus per intervalla correptus dextera in parte, præſertim in pede ac manu, & in tota præterea facie, in primiſque ad oculos, in ipſoque etiam fortaſſe corde; nam pulſus ſæpe eodem tempore omnino deficiebat; his tandem circa initium diei decimi redeuntibus, vivere deſiit.

IN VENTRE, & Thorace inventa ſunt omnia ſecundum naturam conſtituta. Cerebrum vero flaccidius fuit: & in ſiniſtro quidem ventriculo non multum ſeri; at in dextero uncias duas habuit, & hoc amplius, ſanguinis coagulati. Laceratus autem hic erat plexus Choroides, & ventriculi parietes in ipſo latere externo poſteriora verſus, ad profundi ulceris ſimilitudinem erant corroſi.

10. Plura in Ampliſſimo hoc Viro convenerunt quæ ad apoplexiam diſponerent, ſtudia, graves occupationes, curæ, arthritis ipſa, quæ ſæpe calculoſam, alias apoplecticam quoque poſt ſe trahit affectionem. Lege ſis inter cæteras Viri Principis, itemque Comitis, utriuſque podagrici, utriuſque apoplectici hiſtorias (*n*), & præter cyſtis calculos in utroque, alterius Laterales cerebri ventriculos ſero, alterius, qui huc potiſſimum attinet, cruore effuſo ſcatentes animadverte. Cardinalis apoplexiam prænunciarant plura ex ſignis illis communibus quæ collegit Cælius Aurelianus (*o*) olim quidem convulſivi manuum, faciei, & faucium etiam, ut ego opinor, motus: proxime autem iteratæ vertigines, quas proclivitas ad ſomnum, mœſtitia, vehemenſque capitis dolor conſequebantur: quæ ita inſtantem indicarunt, ut noviſſimæ vertigines pro leviore quodam apoplectico paroxyſmo quadantenus haberi poſſint, quippe quem gravior poſtridie excepit eadem hora. A ſanguine hunc eſſe, poterat illius copia ſignificare, rubicundo colore oſtenſa, & rarefactio ventis auſtralibus inducta, vaſis ab ætate ipſa jam rigeſcentibus, mox a bruma arctatis, & ob utramque hanc cauſam diſruptioni facile obnoxiis. Nec tamen fortis initio, & progreſſu fuit apoplexia, ut reſpiratio commonſtravit, & ſentiendi movendique facultas ne in ſiniſtro quidem corporis latere omnino ſublata, & ſemel, iterum, ſæpius cum internis ſenſibus reſtituta loquela, donec laceratione in cerebro aucta, & ſanguine magis effuſo, lethalis apoplexia facta eſt. Nec profuit, quamvis ſtatim ab ipſo initio ſe prodens, pulſus febrilis, & fortaſſe febris, quam ſyptomatum eadem hora nonnunquam obſervata remiſſio, & deinde intenſio ſubindicabant; imo vehementer obfuit, ſanguine videlicet magis, & valentius agitato, impulſoque: ut inter multa ac varia quæ ab Hippocratis Interpretibus, aliiſque cum antiquis, tum recentioribus Medicis de febre tradita ſunt ſuperveniente apoplexiæ, quam per ipſam quidem rariſſime ſolvi, affirmat Experientiſſimus Werlhofius (*p*), hic illud in primis locum habere videatur, quamvis in ſeroſa proſit aliquando, in ſanguinea potius obeſſe. Sed contra, utilitatem, quam potuit, certe præſtitit ſanguinis miſſio, ab Jugulari præſertim vena, eaque dextera, ut ſcite is qui Bononia advolarat Valſalva ſecundum obſervationes in hemiplecticis inſtituit ſuas (*q*), quas & anatome tunc confirmavit. Noxa enim erat in cerebri parte dextera, cum ſiniſtra corporis eſſet reſoluta: id quod inſequentibus etiam diſſectionibus inventum leges. In ſectione autem Jugularis venæ illud quoque attendas velim, caviſſe Valſalvam, ne ſibi objici fortaſſe poſſent quæ multis interdum objiciuntur, iſto in apoplecticis auxilio utentibus. Scilicet reſpirationis difficultatem ejuſmodi ægris per ſe noxiam, quippe redituro e cerebro ſanguini obſtantem, non eſſe injecta circum collum faſcia augendam, aut ſi ea ratione quam laudat Cel. Heiſterus (*r*), laxior injecta faſcia ita deorſum trahatur ad pectus, ut arteriam Aſperam non premat, Jugulares venas premat; hanc ipſam preſſionem regreſſui ſanguinis officere: modum autem a quibuſdam hoc tempore probatum, quem olim Berengarius Carpenſis (*ſ*) deſcripſerat, neque in apoplectico locum habere, & ſi haberet, tum ob compreſſam animam deſcendenti e cerebro ſanguini obfuturum, tum ob zonam qua venter conſtrigitur, effecturum, ut multo plus ſanguinis ferretur ad cerebrum. Valſalva igitur Jugularem venam incidi juſſit apoplectico, non modo naturalem reſpirationem ſervanti, verum etiam imminutam prioribus venarum ſectionibus copiam ſanguinis habenti; ut minus periculi jam eſſet a Jugularis compreſſione (quamquam ea dumtaxat quæ digito fit, alias eſſe uſum ſcio) quam ſpei ab inciſione, & minus quoque metuendum, ne ad cohibendum poſtea ſanguinem arctiore faſcia opus eſſet. Nam quod alii præterea objiciunt, per Jugularis venæ ſectionem ſanguinem quidem *immediate* e cerebro deduci, ſed tanto plus ſanguinis ob id ipſum convehi ad cerebrum per arteriam Carotidem; Valſalva certe, ut minime ignorabat, Externam, quæ in collo inciditur, venam Jugularem non eam eſſe, quæ immediate e cerebro ſanguinem revehit, ſed Internam; ſciebat quoque, huic quidem venæ, non illi, Internam reſpondere Carotidem, quæ ad cerebrum ſanguinem adducit, illi vero Externam reſpondere, quæ partes alluit capitis extra cerebrum ſitas: ad quas ut, vena illa Externa ſecta, magis reſiſtentia minuitur, ideoque plus ſanguinis fertur per Externam Carotidem, ſic minus eſt quod ad cerebrum feratur per Internam. Neque hic vereor, ne forte dicas, quaſdam tamen inter Externam & Internam Jugularem venam eſſe communicationes; ſic enim vides, non effici ut immediate ſanguis e cerebro, multoque minus ut tanta ex eo ſanguinis copia detrahatur, quanta per inciſam, ſi liceret, Jugularem Internam detraheretur, quippe quæ ipſa quidem & continuatio eſt eorum ſinuum in quos venoſus cerebri ſanguis corrivatur, & majori prædita eſt diametro quam Externa, nedum quam parvi aliqui Externæ ſurculi, quos cum iis communicare Sinibus, ultro affirmamus, inter iſtos ſurculos ipſam aliquando, ſi ita vis, Occipitalem venam referentes. Qua ex vena propter eam immediatam communicationem ſanguinem detrahere in multis quidem cerebri affectionibus, & ſpeciatim in contumaci quodam ac perdifficili ſoporoſo morbo a me commendatam eſſe, ut laudatus inquit Heiſterus (*t*) invenies (*u*), non ſic tamen, ut ejuſmodi per cucurbitulas detractionem ſanguinis cum hujus miſſione ex venis brachii, aut ex Jugulari in ſanguinea apoplexia ſtrenue oppugnanda compararem, quemadmodum fortaſſe aliqui ex Hoffmanni (*x*) lectione exiſtimabunt. Cæterum Hoffmannus recte fecit, quod hoc quoque auxilii genus ſuis ibi commemorare lectoribus non omiſit, a Sorano, ut poſtea animadverti (*y*), *in querelis capitis*, & ab nobili Medico Ingraſſia *in cerebri affectibus calidis* valde probatum, in ipſa autem apoplexia aliquando neceſſarium, ſicuti ex indicata a me olim Zacuti Obſervatione cognoſces. Apoplecticum

(*n*) Eph. N. C. Cent. 4. Obſ. 169. (*o*) Acut. Morb. l. 3. c. 5. (*p*) Vid. Commerc. Litter. A. 1734. Hebd. 49. in fin.
(*q*) Tract. de Aure c. 5. n. 8. (*r*) Inſtit. Chirurg. P. 2. S. 1. c. 7. n. 1. (*ſ*) Iſagog. in Anat. ubi de Anat. aliquar. part. colli.
(*t*) Sect. cit. c. 5. n. 2. (*u*) Adv. Anat. VI. Animad. 83. (*x*) Medic. Rat. T. 4. P. 2. S. 2. c. 7. Theſ. Therap. §. 3.
(*y*) Epiſt. Anat. 4. n. 11.

cum enim Juvenem *reſoluto pulſu*, ut *in horas moriturus* videretur, *ad ferenda vehementiora auxilia incapacem*, reſtituit *cucurbitula bis in occipite* profunde *ſcarificata*. Meadius (*z*) quoque Illuſtris Anglorum Medicus *permagnum auxilium* hoc eſſe, confirmat, *in maxime periclitantibus* apopleċticis *magnopere juvaſſe, non ſemel expertus*. Nemo autem fuſius, diligentiuſque de præſidio hoc ſcripſit, quam Celeberrimus inter Germanos Profeſſor, nec minus quam Meadius, erga me humanus, Aug. Frid. Waltherus, qui Diſſertatione edita *de Scarificatione Occipitis, plurium capitis morborum auxilio*, id verum eſſe cum in aliis morbis, quos inter phrenitidem, paraphrenitidem, convulſivos, & ſoporoſos affectus, ipſamque epilepſiam, tum ophthalmiam pertinacem, anginam, vertiginem, & obſtinatam cephalalgiam, quamvis ab initio ſympathicam, nominat, modo a ſanguine ſint, nedum in ſanguinea apoplexia cum aliorum, tum ſuis præſertim obſervationibus comprobat. Quod vero ad hanc ultimam ſpectat, præter Auctores hos duos recentiſſimos, velim Aretæum (*a*) legas, magnum inter Veteres medendi magiſtrum, hæc in apoplexiæ curatione præcipientem: *quum morbus diu trahitur, & caput in cauſa eſt, cucurbitula occipitio affigenda, & ſanguis largiter hauriendus: plus enim quam venæ ſectio proficit, & vires nequaquam labefactat &c.* Sed ad Valſalvæ obſervationes redeamus.

11. VIR ſexaginta annos natus, temperamento ſanguineo, & laudabili corporis conſtitutione præditus, ex fortuito inter ambulandum lapſu, caput magno impetu ad ſolum allidit. Leviter ſtupidus, fronte contuſa, e naribus ſanguine erumpente, & hæc conſecuta ſiniſtri artus ſuperioris reſolutione, ut nihil omnino ſenſus & motus in eo ſupereſſet, in Bononienſe Sanctæ Mariæ *de Vita* Noſocomium infertur: ubi ſaturatus in facie rubor, laborioſa reſpiratio, durus pulſus, & mediocriter celer animadvertuntur, cæteris omnibus, ſi paralyſim de qua dictum eſt, excipias, ſecundum naturam ſe habentibus. Die quarto Aphonia, quinto autem ineunte, mors ingruit. CUM in Ventre, & Thorace recte omnia conſtituta invenirentur, neque os frontis, pauco dempto ſanguine, qui ob contuſionem inter ipſum, & tegumenta ſtagnabat, ullum quod ſub ſenſum caderet, læſionis indicium oſtenderet: neque reſerato cranio, Dura meninx quidquam, niſi levem aliquam contuſionis exhiberet notam, quæ ad meningem alteram non tranſierat; in dextero tandem cerebri ventriculo repertæ ſunt unciæ concreti ſanguinis circiter duæ; corpus autem Striatum ita cum plexus Choroidis parte eroſum, ut vix ullum ſui veſtigium relinqueret.

12. Noli putare, oblitum me inſtituti mei, apoplexiam hic retuliſſe, quæ inter illas quæ a capitis ictu ſunt, potius fuerit referenda. Etſi illæ quoque, ut in loco videbis (*b*), mirifice id confirmant quod ſupra (*c*) dicebam a Valſalva in hemiplecticorum diſſectionibus fuiſſe obſervatum; illarum tamen in præſentia non egeo. Sed hanc tranſtuli in hunc locum propterea quia alia mihi, atque ipſi fuit, de hac apoplexia ſententia eſt. Neque enim eam ex fortuito lapſu, ſed potius lapſum ex ea repeto, argumento fretus, quo ad ſimilem in fere ſimili caſu dubitationem tollendam uti non potuit Laubius (*d*). Scilicet mihi in propoſita obſervatione argumento eſt ejus vitii natura, quod in cerebro latebat, illius conſimile quod legiſti in ſuperiore. Ab utroque lethalis denique, ut ſupra (*e*) explicatum eſt, accidit apoplexia; ſed antea levior, quæ nimirum huic viro ut in artu ſuperiori vim movendi atque ſentiendi prorſus ademit, ſic movendi ſaltem, in inferiori tantiſper videtur, cum inciperet ademiſſe, ut repente caderet. Cæterum utcumque ſtatueris; ſemper eam obſervatione hac confirmari doctrinam, videbis pro qua ſtabat Valſalva; ſed illa vel magis quam protinus ex eodem ſubjiciam.

13. MULIER annorum ſeptuaginta, a multis jam menſibus valde oblivioſa erat, neque ſemper objecta, certo ſitu poſita, cernebat, incedens autem vix pedes attollebat. Hæc cum anno ante, neſcio qua capitis repentina affectione tentata, illico evaſiſſet; nunc inter comedendum, ex improviſo cadit, tota ſiniſtra parte corporis, & dextero etiam brachio reſoluto. Reſpiratio quidem naturalis omnino eſt, ut ferme etiam faciei color, qui ipſi pallidus: neque ullæ apparent convulſiones; ſed caput non ſecus ac ſi mortua eſſet, concidit: neque ullum dat intelligendi, aut ſentiendi ſignum; niſi quod dum Jugularis vena dextera ſecatur, nonnihil ſe contrahit. Vixit ad horas novem. CEREBRI ventriculi pleni inventi ſunt fluido ſanguine. Eratque eorum dexter valde eroſus circa marginem exteriorem tum corporis Striati, tum Thalami nervi Optici; ſiniſter autem ad hujus tantum, idque leviter. Choroides plexus vix potuit obſervari. Partes omnes reliquæ ſanæ erant.

14. Vides ut ei corporis lateri, quod erat magis reſolutum, pars cerebri immineret quæ minus eſſet vitiata, & illi quod minus, quæ magis, & viſionis vitio quæ noxa ad Opticorum nervorum Thalamos reſponderet. Porro ex hac Hiſtoria & quædam alia ſunt colligenda. Petrus quidem Salius (*f*) ut apoplexia quæ eſt a ſanguine, internoſci & diſtingui ab ea poſſet quæ ſit a frigidis humoribus, multas diligenter notas propoſuit minime contemnendas, niſi quis forte obliviſcatur, ſigna ejuſcemodi non ſeorſum ſingula, aut pauca, ſed conjunctim pleraque eſſe ſpectanda. Qui enim hæc tantum attendiſſet, apoplexiam a frigido humore ægrotantem pati, *ſi ſit ſenex, ſi mulier*, ſi non rubor, ſed *ſi pallor in facie ſit*; multum ille in hac pallida muliere ſeptuagenaria deceptus eſſet. Id eo dico, quod memini, cum Sacram Virginem, conſanguineam meam, annos natam octoginta, levis apoplexia prehendiſſet, quæ graviorem minabatur, non dubitaſſe me adoleſcentem, quin ei potius Medico adſtipularer, qui mittendum ſanguinem, & temperatiora adhibenda eſſe remedia, cenſebat, quam aliis qui hæc improbantes, contrariam curandi viam inculcabant. Ætatem hi; nos ſigna cetera quæ ſanguineam apoplexiam indicarent, ſpectabamus. Conſilium noſtrum probavit exitus; noſtra enim medendi ratione ſemel, atque iterum ægram ſervavimus: quam rationem adverſus diſſentientes validius tueri licuiſſet, ſi tunc vulgata eſſet Lanciſii (*g*) Obſervatio in grandævo Mercatore, cui graviſſima inſtantis apoplexiæ indicia levavit ſanguis e naribus profluens ad libras undecim, omnino autem ſuſtulit poſt quindecim dies rurſus effluens ad libras quatuor. Eorum quoque duorum, de quibus ante ſcriptum eſt, & totidem, de quibus mox ſcribetur, ſi ætatem ſolum attendiſſes, ſanguineam eſſe apoplexiam, negaſſes. Quin hujus exempla, partim a Valſalva, partim a nobis adnotata, cum ante oculos nunc habeamus viginti tria, ſi duo videlicet adjicias producta in Epiſtolis Anatomicis (*h*); forte accidiſſe, ut vix tria quæ ad juvenes, quatuor quæ ad viros attineant, in iis omnibus inveniamus. Atque ut verum ſæpius ſit, ſenum apoplexias in diuturnas reſolutiones abire, juvenum cito eſſe lethales; contra tamen, neque ita raro, ſe habere utrumque, conſpeximus. Fortiſſimas autem eſſe, & multo citiſſime conficere, quæ a ſanguine ſunt intra calvariam effuſo, & ipſi vidimus, & ſæpe ab aliis adnotatum eſſe, ſcimus. Sed nec eas tantum, neque omnes, aut certe non omni morbi tempore. Ut enim mulier cujus hiſtoria noviſſime deſcripta eſt, vixerit ad horas non amplius novem; Vir tamen Ampliſſimus de quo primum ſcripſi, ad decimum ſervatus eſt diem; ut effuſio ſanguinis non primis morbi diebus, ſed ultimo denique magis accidiſſe videatur, quod & ſupra dixi (*i*), & ideo fortem non primum fuiſſe apoplexiam, idque ſymptomatum conditione, & naturali in primis reſpiratione confirmavi. Hujus enim majorem, aut minorem a naturali receſſum noſti præcipuam Medicis normam eſſe ad fortioris, aut debilioris apoplexiæ gradus conſtituendos: quanquam, ne quid ferme in Medicina perpetuum ſit, in propoſita muliere vides, reſpira-

(*z*) Monit. Medic. c. 2. S. 1. (*a*) De Morb. Acut. Cur. l. 1. c. 4. (*b*) Epiſt. 51. (*c*) n. 10.
(*d*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 63. (*e*) n. 10. (*f*) l. et. c. cit. ſupra ad n. 7.
(*g*) De Subit. Mort. l. 2. c. 5. n. 8. (*h*) XIII. n. 19. & 25. (*i*) n. 10.

ſpirationem non modo *ordinatam & æquabilem*, ut in altera, a Cl. Veratto (*k*) diſſecta, & cum hac conferenda, ſed omnino naturalem fuiſſe: in Sene autem de quo continuo ſcribetur, quam tarda poſt ſanguinis intra cerebri ventriculos profuſionem ſecuta mors ſit, facile poteris exiſtimare.

15. SENEX quidam multo ante obitum tempore affectione apoplectica correptus fuerat, ab eaque, tota corporis pars dextera paralytica remanſerat. CADAVERIS exſecto cranio, corroſa inventa eſt pars inferior ventriculi ſiniſtri, cum ſuo plexu Choroide, circa quem polypoſæ erant ſanguinis concretiones; ut apoplexia illa originem habuiſſe videretur ab utriuſque corroſione, & a ſanguine propterea in ventriculi cavum effuſo.

16. Si Valſalva in hac hiſtoria mirabilia ſcribere videtur; multo videbuntur mirabiliora quæ ex graviſſimo altero Scriptore Wepfero in Sepulchretum (*l*) ſunt relata: in Nobili quodam Polono *citra apoplexiam, aut aliam graviorum ſymptomatum colluviem*, non ſolum intra cranium, meningeſque, ſed etiam *in ipſam*, ut ait, *cerebri ſubſtantiam, innoxie effuſum fuiſſe ſanguinem*. *Aſt merito*, inquit is qui exſcripſit, *inter rariſſima, talia* cum Wepfero ipſo *referimus*. Brunnerus (*m*) tamen, acri Vir judicio, in ea quoque muliere cujus apoplexiam annis propemodum quinque ante ejuſdem mortem curaverat, ex iis quæ ſive in vivente animadverterat, ſive in mortuæ cerebro deprehendit, argumenta non dubitavit colligere, quamobrem in cerebri ejuſdem ſubſtantiam effuſus ſanguis jam tum fuiſſe videretur. Quemadmodum autem in altero hemiſphærio *tres* ipſe *cavernulas jam olim factas, nunc quaſi calloſas ac cicatrice obductas circumcirca corpus ſtriatum* deprehendit, quod propterea *flaccidum, obſcuri ſubflavi coloris, & emarcidum apparuit, ceu atrophia laboraſſet*; ſic mecum animadvertas haud ita abſimilia occurriſſe Viris Clariſſimis, noſtrumque Amicis Antonio Leprotto, & Jano Planco. Hæc enim quæ latine reddo, Arimino ad me Plancus ſcripſit Kalend s Aprilis A. 1721. „ Paucis ab hinc diebus cadaver incidimus viri illius qui Junio ſuperiore te Patavii conſuluit de hemiplexia, quæ a forti apoplectico inſultu, in ſiniſtra parte relicta erat. Non hinc mortuus eſt tamen, ſed a cordis, & præcordiorum dilatatione, quam tu præclare ex iis quæ propoſueras, remediis, jam tum videris dignoviſſe. Cæterum hemiſphærium cerebri dexterum, tempus verſus, quaſi abſceſſu aliquo videbatur fuiſſe eroſum; ibi enim ſubſtantia deerat ad quatuor tranſverſos digitos in latitudinem, ad ſeſquidigitum in profunditatem. Proximus autem nervi Optici Thalamus duabus tertiis partibus minor erat, quam ſiniſter, ſubflavus præterea, nec ſecus ſe habens, ac ſi cicatricem duxiſſet. „ Nec mihi ipſi antequam has, a te remiſſas, Epiſtolas relegerem, propria de hoc genere Obſervatio defuit, cum aliis nonnullis ad te mittenda (*n*). Quin etiam in Jo. Wilhelmi Albrechti (*o*) obſervationem incidi, qua ſub cranio, ante annos triginta depreſſo, ſed nunquam perforato, ſub illæſiſque meningibus foveam in cerebro invenit quæ digitum facile caperet, notabili ſubſtantiæ medullaris conſumpta portione: quod cum ſine dilaceratione vaſorum ſanguiferorum fieri non potuerit, non dubitat, ſanguinem effuſum, purulentamve materiam ſola ope naturæ in venas fuiſſe reſorptam. Sed rara, inquis, hæc ſunt, & a communi fere ſententia aliena: quotus enim quiſque eſt Medicorum, qui effuſo, concluſoque intra ipſam cerebri ſubſtantiam ſanguine, non pronunciet, eſſe moriendum? Rara vero, imo perrara ſint; quanquam non ita fortaſſe rara ſunt, ut antea putabas; ideo a nobis decet commemorari, non ut quæ plerumque in Medicina contingunt, nobis præcipue ſpectanda eſſe, obliviſcamur; ſed ne quæ aliquando tamen facta ſunt, poſſe fieri, negemus. Eodem ferme conſilio nonnullas alibi (*p*) apoplecticorum ſectiones indicavimus, imo duas fuſe propoſuimus, alteram noſtram, alteram Valſalvæ ipſius, quæ non ſecus ac alia lethargici pueri, quam ex Foreſto in Sepulchreto (*q*) habes, oſtendant, nonnunquam occurrere in cerebro vitium ab eodem latere, a quo in corpore eſt reſolutio, tametſi rem contra ſe habere ut plurimum; ne dicam propemodum ſemper; ex commemoratis Valſalvæ obſervationibus planum ſit. Qui etſi obſervationum ſuarum quam plurimas ad ſanguineam apoplexiam attinentes minime chartis concredidit; eæ tamen ſunt adhuc ſuperſtites quas ſupra deſcripſimus, ut eæ pariter quæ proxime deſcribentur.

17. SENEX annos ſeptuaginta natus in humum repente cadit, ſiniſtra parte corporis movendi, & ſentiendi facultate orbata, dextera autem ingentibus convulſivis motibus agitata. Facies rubet. Vix uno exacto die, interit. CALVARIA aperta, ſanguis inter dexterum poſteriorem cerebri lobum, & Duram meningem coagulatus invenitur; ſerum autem quaſi concretum inter ſanguifera vaſa alterius meningis: qua inciſa, paululum effluxit ſeri.

18. Si forte quæris, de quinque apoplecticis quorum hiſtoriæ deſcriptæ ſunt, cur huic uni, qui ad cerebrum potius quam in cerebro, vitium oſtendit, ingentes ſubjecti lateris convulſivi motus acciderint, cum illi qui primo deſcriptus loco eſt, ingentes accidiſſe non dicantur, in tribus reliquis non modo non narrentur, ſed in muliere diſerte negentur, quibus tamen omnibus tanto majores, & cerebri quidem ipſius, læſiones ineſſent; minime proclive eſt cauſam reddere, niſi forte credas, concretum ſanguinem, & ſerum non magis cerebrum compreſſiſſe, quam meninges irritaſſe, quas videlicet in hoc uno apoplectico contingebant: ſicut autem dextera, & ſiniſtra meningum partes non, ut fibræ cerebri decuſſantur, ſed recta cum Spinali medulla, & nervis in ſuum quæque latus deſcendunt, ita quod latus corporis irritatæ meningum parti ſubjiciebatur, convulſivis motibus agitatum eſſe: aut ſiqua irritationis propagatio fieret in oppoſitum quoque latus; hujus muſculos, quippe reſolutos, in motus cieri non potuiſſe. At ſi cogitare ſic placeat; vide, unde meningum irritationem repetas in apoplectico primo, in quo, ſi non tanti, at aliqui convulſivi motus fuerunt: ſimul aliquas ex his quæ ſequuntur, hiſtorias attende, in quibus etſi non deerat cauſa quæ meninges irritaret, nulli tamen convulſivi motus a Valſalva adnotati ſunt. Sed hæc alias fortaſſe, diligentius indagare conabimur.

19. VIR annorum duodeſexaginta, bonæ a natura conſtitutionis, ſed *tabacci* uſui multum deditus, dum calceamenta conſuit, repente cadit. Nihil loquitur: nullam movet partem. Facies pallet, deinde inſtar icterici, nonnihil flaveſcit, mox ad illum pallorem redit: nonnullæ ſalivæ guttulæ ex ore defluunt. Intra horæ quadrantem moritur. VENTRE diſſecto, ſana omnia: in Thorace quoque; licet pulmonum inferior pars ad diaphragma, & dorſum alligaretur, ipſique ruberent, imo dexter ita ſanguine turgeret, ut ex lacerato magna hujus copia erumperet.

Sed in Cranio multum ſanguinis concreti ſub meninge Tenui inventum eſt ſuper anteriorem, præſertim a dextris, cerebri ambitum. In dextero quoque, & ſiniſtro ejuſdem ventriculo paululum ſanguinis cum levi grumo conſpectum eſt: plexus autem Choroides, quanquam ſanus erat, inflammationem concepiſſe videri poterat.

20. Jam vero etiam circa Medullæ truncum, & in cerebellum effuſi ſanguinis obſervationes ſubjiciamus.

FAMULUS annos natus circiter viginti duos, ſagaci ingenio, firmaque præditus valetudine, in laboribus imperterritus, dum hyeme ſumma, & nive cadente, domini quadrigas velociſſimo curſu ſequitur, multo ſudore totus madet: tamen induſio non mutato, veſpere ad ſua regreditur munera. Poſtridie autem mane cum e lecto exſiliret, a mente deſertus, ter præceps ruit. Sublatus, de profundo capitis, & præſertim occipitis dolore queritur: mox febre cum laſſitudinis, & doloris ſenſu toto corpore, afficitur. Inſequenti die alvus Galeni pilulis ſub-

(*k*) Comm. Bonon. Sc. Acad. Tom. 2. P. 1. in Medicis. (*l*) Schol. ad Obſ. 6. in Addit. ad Sect. 2. l. 1.
(*m*) Ibid. in Schol. ad Obſ. 12. n. 3. (*n*) Epiſt. 3. n. 6. (*o*) Obſ. Anat. circa duo cadav. §. 13.
(*p*) Epiſt. Anat. 13. n. 19. & 25. (*q*) l. 1. S. 3. Obſ. 34.

ſubducitur. Die tertio ſanguis mittitur; ſed incaſſum; nam ingraveſcens morbus ad lethargicam affectionem accedebat. Quinto die, ſcapularum cute inciſa, per cucurbitulas ſanguis educitur. Octavo aphonia repente æger corripitur, & apoplecticorum more immobilis horam jacet: poſt id, occipitis dolor exaſperatur: quin etiam ad humeros, totamque Spinam vehementiſſimus extenditur. Nono die ex altero brachio ſanguis mittitur: unde ſymptomata remitti videntur, donec recrudeſcente apoplectico inſultu, vita cum morte commutatur. VENTRE, & Thorace recluſis, in hoc nihil præter mediocrem in dextero cordis ſinu polypoſam concretionem, eſt animadverſum: ex illo vero omentum a ſiniſtris in ſcrotum delapſum, ut epiplocelen faceret, tota interna illius teſtis ſubſtantia in membranoſum corpus mutata. Itaque ad Caput, morbi ſedem ventum eſt: & qua Medulla e cranio egreditur, ſanguis grumoſus inventus eſt, qui ex lacerato arteriæ Carotidis Internæ trunco emanaverat. Cerebri ventriculi magnam ſubſalſæ aquæ copiam continebant, dexter autem, & ſiniſter portionem etiam denſati ſanguinis. Denique per medullæ Oblongatæ crura, multa paſſim extabant corpuſcula, quæ, niſi quod pellucida erant, milii granula repræſentabant.

21. Corpuſcula hæc ad memoriam revocant *papillulas* illas *capitellorum acicularum magnitudine prominulas*, quas Brunnerus (*r*) in parte poſtica vidit ventriculi dexteri in quem ſanguis ſeroſus in apoplectica redundaverat, *aliquoties jam in lævibus alias, ac perpolitis ventriculorum ſuperficiebus, ſi morbo laboraret cerebrum, ſibi obſervatas, quas quidem laticis in* eodem *cerebro ſcaturientis ductulos quis tantum non hariolaretur*. Huc facit forſitan ob prægreſſæ externæ cauſæ ſimilitudinem illa quoque, relata a Malpighio (*ſ*) obſervatio, a Bonfiliolo habita *in equo, qui poſt vehementem motum, & incaleſcentiam, aeri hyberno, & irruenti vento expoſitus, interiit: in hoc pleura tota copioſiſſimis veſiculis, ichore turgidis, exaſperabatur*. Cætera quæ in Valſalvæ hiſtoria deſcripſimus, ſi excipias quæ ſpectant ad epiplocelen, alibi (*t*) a nobis conſideranda; tum capitis graviſſimum morbum, tum hujus internas cauſas proponunt, velut magna illa ſubſalſæ aquæ copia non ſine ſanguinis denſati portione in ventriculis inventa, ſed præſertim ſanguis in eum locum effuſus, & concretus, ut ſimul initium Spinalis medullæ, ſimul cerebellum, & per hoc cerebrum premeret, ſimul meninges contingeret, ut lethargici affectus, & apoplectici, & profundi ad occiput, indeque ad totam Spinam extenſi doloris ratio intelligatur. Quin mirandum eſt, mortem non multo citius contigiſſe, velut aliis quibus ſanguis circa hæc loca effuſus, ut nautæ cujus legere hiſtoriam poteris in Actis Cæſareæ Academiæ (*u*), aut illi de quo continuo ſcribemus; niſi forte in famulo de quo dictum eſt, ex Carotide arteria minus inter initia lacerata non tantum a primo ſtillavit ſanguinis, quantum poſtremo profluxit.

22. VIR annorum circiter ſexaginta, quamvis a vertigine ſæpius cadere ſolitus, generoſi tamen vini potator ſtrenuus, die tandem quodam cum recte valere videretur, niſi quod genæ magis rube[rent] quam ſolerent; pranſuſque jam eſſet, inventus eſt humi jacens, & mortuus, artubus ſuperioribus valde contractis, alvique fæcibus emiſſis. CRANIO exſecto, dum Craſſa meninx anterius inciditur, limpida quæ inter hanc, & Tenuem erat, aqua erumpit. Tenuis ſubpallida, in vaſorum interſtitiis ſeri concretionem *gelatinoſam* habebat. In Lateralibus ventriculis nonnullæ plexus Choroidis glandulæ adeo turgebant, ut majoris lentis grana æquarent: in dextero autem duo grumi ſanguinis occurrebant. In cerebelli utraque parte, ſed in ſiniſtra magis; in hac enim erat ad unciam; ſanguis ita concretus, ut unum ſolidum corpus quaſi polypoſum referret: ea autem portio cerebelli quæ corpus ejuſmodi circumſtabat, fracida erat.

23. Repentinam hanc mortem a ſanguinea apoplexia fuiſſe, oſtendunt cum ea quæ anteceſſerant, tum ea quæ in mortui capite deprehenſa ſunt. Cum ea tamen apoplexia convulſionem quoque ex parte conjunctam, videtur illa artuum ſuperiorum magna contractio ſignificare. Quod vero ea apoplexia acciderit, cum recte homo valere videretur; id nimirum eſt, quamobrem ii quibus hic, aut alius a venarum, arteriarumve diſruptione morbus imminet, *ſuſpecta habere*; ut Celſi (*x*) verbis utar; *bona ſua debent*. Quanto enim languidius cor, & arteriæ ſe ſe conſtringunt, tanto minus impendet ejus diſruptionis periculum; contra quanto illa valentius, ut in bene ſe habentibus, ſanguinem trudunt, tanto majori debilitatæ vaſorum partes in periculo ſunt: quam quidem rationem haud raro novimus obſervatione eſſe confirmatam; ſed nunquam evidentius, quam in Sacro Oratore, cujus repentinam mortem ex ſanguinea apoplexia proximis Litteris (*y*) memorabimus.

24. Cæterum deſcriptam apoplexiam fuiſſe graviſſimam, & res ipſa oſtendit, & recrementorum alvi profuſio; ſi quorundam præſertim Medicorum (*z*) attendamus ſententiam; non obſcure indicavit. Niſi enim illa graviſſima ſit, negant, vel reſolutis cæteris omnibus corporis partibus, reſolvi ſphincterem ani. Quem etſi animadverto poſſe interdum non videri paralyticum, licet ſit, propterea quia magis ob inertiores in apoplecticis inteſtinorum, & abdominis muſculorum impulſus dura, & pauca excrementa non extrudantur, quam ſphincteris vi retineantur; haud tamen inficias iverim, hanc, ut retentio eorum quæ in alvum injiciuntur, ſæpe indicat, ſatis conſervari, idque communicantium eorundem nervorum ope, quibus plerorumque omnium viſcerum, impriniiſque pulmonis, & cordis, motus ſervantur. Quos nervos accipere ſpiritus, ſi non a cerebello potiſſimum, at ſaltem ab ipſo quoque, non videtur negandum. Cerebellum autem in apoplecticis tanto rarius, quam cerebrum, lædi contingit, quanto minus cerebro eſt: & præterea, ut nonnihil lædatur, iis tamen nervis ſuum præſtare officium diutius poſſe, credibile eſt primum quia tanto plus ſpirituum pro rata portione videtur ſecernere, quanto plus ipſi datum eſt corticalis ſubſtantiæ: tum quia conſentaneum eſt, vias per quas ſpiritus in illos nervos immittit, tanto eſſe patentiores, quanto citius quam cerebrum, quando tenerrima erant omnia, id facere incepit; neque enim deſunt qui multo ipſum antea, quam cerebrum perfici, animadverterint; quod autem tunc incepit, id ſemper deinde facere, ſine ulla in ſomno, nedum in vigilia, intermiſſione, perrexit. Sed quo magis ad eos motus, ad eamque vim ſervandam illi nervi ſunt neceſſarii, eo citius hæc omnia, &, quod conſequitur, ipſa quoque vita amittitur, cum viæ tam patentes, tantumque in illos ſpirituum inferentes præcluduntur, id eſt cum læditur cerebellum, & eo citius, quo hoc magis graviter læditur, & repente: quorum hic accidit utrumque, ſanguine videlicet, nec pauco, ad cerebellum, vel potius intra cerebellum repente effuſo. Neque enim illud te moveat quod fracida viſa ſit ejus ſubſtantia quæ illi erat ſanguini circumjecta, quo minus repentinam accidiſſe lacerationem, credas. Nam & ſenſim poſſe, & ferme latenter cerebelli particulam aliquam ad lacerationem diſponi, & cum hæc denique repente accidit, ſæpe in circumpoſitæ ſubſtantiæ partibus apparere etiam poſſe læſionem ejuſmodi quæ etſi recens ſit, antiquam tamen quaſi eroſionem mentiatur, ex aliis noſtris intelliges Litteris (*a*).

25. Utinam id quoque declarare, vel potius divinare aliquando poſſemus quod Valſalva nobis quidem olim dixit, ſed nuſquam, quod ſciamus, ſcriptum reliquit, cum quendam apoplexia interfeciſſet (erat is janitor Servorum Mariæ) ſe ex nudi corporis inſpectione, prædixiſſe, apoplexiæ cauſam in cerebello inventum iri: idque ſectionem comprobaſſe. Nam utra quidem in parte cerebri vitium ſit, animadvertentes dumtaxat quod in latus apoplecticus ceciderit, nos quoque conjeciſſe (*b*) meminimus; in cerebello autem ſit, an in

(*r*) Vid. Sepulchret. in Addit. ad Sect. cit. Obſ. 12. & in Schol. ad Obſ. 5. (*ſ*) Epiſt. de Struct. Glandul. (*t*) Epiſt. 43. n. 12.
(*u*) Tom. 2. Obſ. 109. (*x*) De Medic. l. 2. c. 2. (*y*) n. 17. (*z*) Vid. Sennert. Medic. Pract. l. 3. P. 2. S. 2. c. 11.
(*a*) Epiſt. 3. n. 3. (*b*) Adverſ. Anat. VI. Animad. 84. & Epiſt. Anat. VII. n. 6. & XIII. n. 16.

in cerebro, quomodo ex cadaveris inſpectione conjici poſſit, non plane aſſequimur, etſi ex iis quæ de cito intercepta cerebelli vitio reſpiratione, profuſiſque alvi recrementis ſupra attigimus, ex aliiſque ejuſmodi id quæri poſſe, ſuſpicemur. Harderus ſane ex facie, & labiis *liveſcentibus*, *ſtriiſque ſanguineis ſecundum dorſi ſpinam, hujuſque latera multifariam diſperſis*, ſuffocationem acceſſiſſe, collegit in apoplectico repente mortuo, in quo & *ſanguis grumoſus circa cerebellum* quidem *hærens* compertus eſt: quam obſervationem habes etiam in Sepulchreto (*c*). Sed tu pro tua mihi ſpectata ſagacitate, minus ambigua perquires: meas autem apoplexiæ ſanguineæ Obſervationes in proxima Epiſtola, quando hæc jam ſatis longa eſt, expectabis, & valebis.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA III.

Abſolvitur ſermo de Sanguinea Apoplexia.

Apoplexiæ quæ a ſanguine eſt, Obſervationes, a Valſalva habitas, ſuperiore Epiſtola expoſuimus: hac noſtras, ut ſumus tibi polliciti, ſubjiciemus.

2. MULIER Veneta annos nata quinquaginta quinque, florido faciei colore, ſtatura potius majori, & pleniori potius corporis habitu prædita, olim præterea a partu quodam; nam plurium erat liberorum mater; ventrioſa facta adeo, ut abdomen obſtaret quo minus pleraque domeſtica munia prompte atque expedite obiret, gravibus Coli inteſtini doloribus erat obnoxia. Quorum cauſa cum diluto vino uti ſe poſſe negaret; meracius, nec parce, bibebat. Torpida, & ad ſomnum propenſa jam erat, cum illud quoque ſive ob hanc cauſam, ſive quod caput doleret, noviſſimis acceſſit diebus, ut ſtrepitus moleſte audire ſe, oſtenderet. Denique circa noctis horam tertiam cum male ſe habere, diceret, ac nominatim de dolore temporis, & oculi dexteri quereretur, auxiliumque poſceret, ſedens apoplexia correpta eſt ſic ut concideret in ſiniſtrum latus, manus autem dexteræ non niſi poſt horam motum amitteret. Vinum interea, quod tamen eo die haud amplius potaverat quam ſoleret, vomuit, debilibus utique, & ferme impotentibus conatibus. Non plus auxilii, quantum intelligere potui, allatum eſt, quam ut in lecto poneretur: in quo poſita ſtertere cœpit, cumque ad ſextam horam noctis certe vixiſſet, mane mortua, & frigida inventa eſt, ut conjicerent, obiiſſe circa horam nonam; erat autem frigida tempeſtas, quippe ante medium Februarium A. 1708. CADAVER ſecui cum Præcl. Anatomico Jo: Dominico Santorino, doctis aliis Amicis præſentibus. Abdomen turgidum, & pinguedine potius abundans, ut omentum quoque. Colon propemodum univerſum quaſi conſimile canini; adeo paucas, raraſque cellulas habebat! quin ad magnos tractus multo quam æquum ſit, anguſtius cernebatur. Antequam autem in Rectum abiret, amplioribus, quam ſolet, gyris, umbilicum verſus ſe contorquebat. Fœtor erat quidam, ut in gangrænis incipientibus inteſtinorum: & Tenuia quidem colore erant hic illic ſanguineo ſaturatiori: & cum tempeſtas eſſet quam dixi, ſecaremus autem trigeſima poſt mortem hora; calor etiamtum aliquis ſuperſtes erat in ventre. Porro & lien quibuſdam fuit veluti ſanguineis guttulis ſuperficie tenus diſtinctus, cætera ſanus: in hepatis autem veſicula, contractiore quam par eſſet, bilis quaſi cruenta. Sed hepar non ſecus ac ſi olim ex inflammatione laboraſſet, pluribus quam conſuevit, nexibus, iiſque abnormibus, ſepto Tranſverſo annectebatur, lividum hic illic ea in facie, in altera autem fere ubique, livore tamen parum profundo; cætera albidum. Splenica arteria ad latus habebat quaſi diverticulum hemiſphæricum, idque oſſeum, & concreto, ut videbatur, ſanguine plenum. In pericardio ſubcruenta aqua erat mediocri copia: in corde, & vaſis magnis nullæ concretiones polypoſæ, ſanguis tantum, iſque non æquo mollior, aut durior. Arteriæ Aortæ valvulæ ad imum ambitum prædurae, & oſſificationi proximæ. Pulmones ad tactum ſani, paulo tamen alicubi rubicundiores. Priuſquam Caput incideremus, amplam circa os maculam animadvertimus ejuſmodi, ut dubitaremus, an ab rejecto vino eſſet, an præter hoc ſanguis quoque exiiſſet. Os ipſum; id quod primis certe apoplexiæ horis non fuerat animadverſum; erat in dexteram partem diſtortum; neque id a convulſione; nam præterquam quod artus, & collum flexilia erant maxime; os manu in ſuam ſedem reduxi, partibus facile, & ſine ulla vi ſequentibus, & quo reduxeram, permanentibus; ut faciei quoque reſolutio a ſiniſtris videretur acceſſiſſe. Cranio, quod æquo craſſius judicavimus, exſecto, ſtatim tranſlucere per Craſſiorem meningem vidimus ſanguinem, ſub hac effuſum. Is, ut ſecando mox perſpeximus, univerſum cerebri hemiſphærium dexterum contegebat; nam & ſub hujus baſi erat; ubique concretus in perpetuam laminam. Qua ſublata, non modo ſanguifera vaſa, ut ſiniſtri, ita & dexteri hemiſphærii turgidiora paſſim in meninge Tenui conſpecta ſunt, ſed etiam duo, aut tria in hac qua externum latus hemiſphærii dexteri conveſtiebat, non parvula foramina, per quæ ſanguis de quo dictum eſt, inter utramque meningem exierat. Ducebant enim ea foramina in amplum quoddam cavum in medullari ejuſdem hemiſphærii ſubſtantia ſecundum longitudinem efformatum, inter latus hujus externum, & Lateralem ventriculum ſic ut latitudine tranſverſos digitos duos, longitudine ſex, aut eo amplius æquaret. Id cavum inæqualibus, & quaſi eroſis parietibus comprehenſum, & ſanguine grumoſo plenum, cum eo ventriculo poſteriora verſus communicabat, in eumque mediocrem ſanguinis copiam effuderat, cujus parva portio, rupta poſteriore ſepti Lucidi parte, in ventriculum ſiniſtrum tranſierat: ſanguis autem in utroque ventriculo ſe in laminam conformaverat. Sed & alibi vas ruptum aliquod fuiſſe videbatur, cum ſub Tranſverſo quoque Duræ meningis proceſſu, ſub quem a cavo ejus meningis cerebrum complectente nullum ſecundum naturam eſſe aditum, non ignoras, ſanguinea eſſet lamella mediocri quidem craſſitudine, ſed totum contegens cerebellum: quin etiam in Spinæ tubo quouſque deſuper licebat introſpicere, ſanguis circum Spinalem medullam fuit. Cæterum quarundam partium cerebri erat color leviter ſubflavus: Choroides plexus flaccidi, & veluti exangues: Sinus Craſſioris meningis vacui.

3. Sanguis; ut hinc incipiamus; effunditur nonnunquam in Spinæ tubum, indeque ad cerebellum redundat: alias a cranii cavo in tubum illum deſcendit: aliquando etiam ex vaſis in utroque ruptis exire in utrumque poteſt. Præclarum primi caſus exemplum in caupone a Boerhaavio (*a*) eſt adnotatum, propterea paraplectico primum facto, mox autem apoplectico. Quod ſi non paucus in vertebrarum caveam effuſus ſanguis inde non effluat; lethalis quidem fit morbus ob compreſſos Spinalis medullæ *nervos plurimos, qui nervi Intercoſtalis ramis præbent originem*, & quod conſequitur ob *partium interiorum motum ceſſantem*, ut jam olim egregie conjecerat is qui alterum hujuſmodi generis caſum obſervarat, Verneyus (*b*), & quamvis paraplegia quoque conjungatur; *mens* tamen *conſtat*, nec vera accidit apoplexia. In caſu autem a me propoſito cum ea præceſſiſſent quæ cerebrum ad apoplexiam diſponi, ſignificarent, & ſatis in eo proprii vitii repertum ſit;

(*c*) Vid. in Addit. ad Sepulchr. l. 1. S. 2. Obſ. 5. cum Schol.
(*b*) Vide du Hamel R. Sc. Acad. Hiſt. l. 3. S. 5. c. 2. n. 1.
(*a*) Prælect. ad Inſtit. §. 401.

ſit; non eſt cur illam ob redundantem e Spinâ in cranium ſanguinem ortam eſſe, ſuſpicemur: ab hoc tamen in illam, an contra ſanguinis pars aliqua effuſi tranſierit, an utroque ſimul effuſus ſit, in medio relinquo. Si hoc igitur, ut incertum, ſeponamus, & ſi quæ alio attinent, & præſertim ad Colicos dolores, in ſuum locum (c) differamus; duo reſtant in hac hiſtoria, quæ præcipue conſideremus. Alterum ad dogma ſpectat a Valſalva confirmatum; in hac enim quoque muliere cum reſolutio animadverſa eſſet a ſiniſtris, cerebri vitium inventum eſt a dextris. Alterum, ad vitium hoc ipſum attinet, quod qua cauſa, & ratione fiat, inquirendum eſt. Et ab hoc quidem incipiemus: de illo autem, cum pluribus in hac Epiſtola obſervationibus confirmaverimus, tunc quædam juvabit attingere. Vetus utique, ſiqua alia, doctrina eſt, a Varolio (d) animadverſa, a Martiano autem qui (e) *acrem, & rodentem materiam* pro apoplexiæ cauſa agnoſcebat, ſuo modo explicata, quæ diſerte propoſita eſt ab Hippocrate, aut certe ab Auctore libri de Glandulis (f) docente, *ſi quidem rodatur* cerebrum, ... *affectionem* fieri quæ *græce apoplexia appellatur*. Nunquam autem magis eroſum cerebrum videtur, quam cum in ejus ſubſtantia, aut intra hanc magna præter naturam cava inveniuntur, cujuſmodi in hac muliere deſcripſi, plena ſanguine, & fœde adeo laceratis, cruentiſque parietibus, ut nihil magis referant, quam ulcera profunde erodentia: itaque & Valſalvam vides in quatuor primis, quæ ſuperiore Epiſtola (g) productæ ſunt, diſſectionibus eroſionis, & corroſionis vocabulis uſum eſſe, ipſaque profundi ulceris ſimilitudine. Noli tamen credere, iſta fuiſſe vera ulcera in plexu Choroide, aut huic proximis Lateralium ventriculorum faciebus ſenſim aucta; ut denique ad magnitudinem tantam pervenirent. Ne enim hic quæramus, num eæ partes, ſalva vita, & pleriſque vitæ muniis, ejuſmodi morbos perferre diutius poſſint; illud unum animadvertere ſatis eſt, cum tot capita, eorum etiam qui ſunt ad ſanguineam apoplexiam ex eadem cauſa diſpoſiti, tam ſæpe omnes diſſecemus; nunquam tamen in iſtiuſmodi ulcera in iis quæ modo dictæ ſunt, partibus inchoata, & minora adhuc, incidere; ſed facta, & ſatis ampla tantum conſpicere, in iis videlicet quos ingens vis occidit ejuſdem morbi. Nec tamen inficior, imo ultro agnoſco, ab erodente etiam materia initium eſſe tantarum lacerationum: ſed illud initium ajo, ſive ab eroſione, ſive a diſtractione ſit tunicarum unius, aut plurium vaſculorum, ſanguinem per ſubſtantiam cerebri convehentium, tam eſſe parvum, & obſcurum ſolere, ut quamvis tam crebro tot cujuſquemodi hominum cerebrum aſſulatim diſſecuerim; necdum acciderit, ut ſub meum aſpectum caderet. Quid ergo eſt, inquis, cur tam cito tantam afferat cladem, & magna adeo cava efficiat? Dicam, ſi prius tibi unam, aut alteram ejuſdemmodi obſervationem deſcripſero.

4. BAJULUM annum agentem quadrageſimum, lacertoſum, qui nullum unquam dicebatur morbum paſſus, noctu hora quarta interfecerat apoplexia. CADAVER mihi publice datum ad Anatomen abſolvendam A. 1734. eo diligentius perluſtravi, quo & ipſum magis; ſi cerebrum cum perpaucis aliis excipias; erat ad obſervationes idoneum, & ego, jam ferme omnibus antea demonſtratis, plus temporis habebam. Quamobrem plane tibi confirmare poſſum, nihil in eo fuiſſe quod ſecundum naturam non foret, præter hæc quæ adnotabo, nec tamen omnia. Nam cutis quidem univerſa fuſca; ſed id ab natura, ſiquidem facies, niſi qua alicubi livebat, erat multo minus fuſca, quam reliquum corpus, imo, ſi cum hoc conferres, candida. Colon inteſtinum ubique contractum maxime, præterquam ad utrumque extremum, ubi a flatu turgebat. Cum ipſum dimoveri inciperet, tametſi poſtridie ſecabamus, idque menſe Februario; viſcera quæ ad lumbos erant, adhuc fumabant. Sed quæ manifeſte erant præter naturam, indicemus. Ilei extremum ipſum interiore facie, ſed non tota, ex rubro liveſcens, tumebat. Jecur durum, colore exterius rubellum marmor referens ex albido variegatum, interius autem elixo jecinori ſimile, utrobique minimos, ex quibus conſtat, lobulos paſſim oſtendebat. Habebat præterea foramen, ibi deficiente ab ortu uſque, ut videbatur, ſubſtantia, in convexa facie, digiti pollicis intervallo ſupra imum limbum, quod in ſinum patebat pro fellis veſicula excavatum, ut extrema hujus fundi particula ab illa facie inſpicientibus, per id foramen appareret. Nec erat tamen æquo brevior veſicula; ſed in medio ſuæ longitudinis contracta, & deinde rurſus dilatata, fundum contorquebat ſurſum, & ad anteriora; ita hic per illud foramen conſpici poterat. In ejuſmodi veſicula bilis inerat ex viridi nigricans ſic tamen ut chartam colore flavo obſoleto inficeret, in illaque ad fundum nigri calculi alii alia figura, ſed omnes adeo abnormi, ut poſſes cum fragmentis conferre in quæ durum corpus quodpiam, ſi frangeres, fortuito diſſiliret. Quorum unus cum flammæ ſtatim admoveretur, non hanc concepit, ſed crepitavit: cæteri, in aquam projecti, cum vix momento temporis ſuperficiem tenuiſſent, fundum omnes petierunt. Exigui erant cuncti: paulo major unus intra Cyſticum ductum latebat; ſed ipſe quoque parvus adeo, ut bilis tranſitum impedire non poſſet: quam ad inteſtina habuiſſe aditum, etſi in Duodeno nec monticulus extremi bilarii ductus indicium, nec quod ipſi apponi ſolet, frænulum conſpicua fuerint, alvi tamen recrementa indicabant ſubviridi colore tincta. Renes parvi viſi ſunt pro corporis mole. Valvulæ orificiis cordis quæ venoſum ſanguinem admittunt, præfectæ, ab ea facie qua ſpectant inter ſe, nonnullæ ad limbum protuberantes quaſi glandulas oſtenderunt, quæ ex denſa intus, firmaque ſubſtantia compingebantur.

Sed a Ventre, & Thorace eo demum quo expectas, ad Cerebrum venio. Hujus hemiſphærium dexterum inchoatam ſub Tenui meninge effuſionem ſanguinis oſtendebat ea parte qua ſiniſtrum ad anteriora contingit: vaſa quoque turgidiora, quam ſiniſtrum. In hoc tamen, cujus propterea vaſa erant minus turgida, magna intus quaſi in medio latebat caverna in medullari ſubſtantia ſecundum longitudinem excavata, nigerrimo ſemiconcreto ſanguine plena. Ejus parietes cavernæ non modo erant paſſim lacerati; ſed per foramen, digiti apicem admittens, pertuſo corpore Striato, in ventriculum ſiniſtrum patebant: hac via multum ſanguinolentum ſerum pervaſiſſe videbatur, quod eum ventriculum, & dexterum quoque, diſrupto ſepto Lucido, opplebat. Porro Fornix erat integer, plexuſque Choroides: cerebelli autem vaſa toto quoque ſiniſtro latere maxime turgida.

5. Si quod ajebant, ipſo viſcerum examine haud plurimum ſane repugnante, verum fuit, morbis hunc hominem nunquam fuiſſe tentatum; poſt tam longam tranquillitatem quanta, ut ſolet, & quam diuturna fortaſſe, tempeſtas impenderet, ex jecinoris conſtitutione facile intelligis. Sed illam nimirum prævertit acutiſſimus morbus, qui hominem repente ſuſtulit. Sed acutiſſimum hunc morbum num forte invectum exiſtimabimus ab illis calculis quos in veſicula fellis deprehendimus? Non defuerunt certe qui ejus veſiculæ calculos *apoplexiæ auctores* pronunciarent (h) ſuis, & aliorum productis obſervationibus, qui eos in apoplecticis invenere: earumque numerum aliis inſuper, & noſtris quoque (i) augere poſſemus. Contra, Weitbrechtus (k) cum in eodem morbo decem ibi lapillos anguloſos, in iiſque duos non parvos offen-

(c) Epiſt. 33. n. 3. (d) De nervis Optic. Epiſt. 2. (e) Annot. in Hippocr. de Gland. verſ. 103. (f) n. 9. in edit. Marinel'.
(g) n. 9. 11. 13. 15. (h) Vid. Eph. N. C. Cent. 4. Obſ. 169. (i) Epiſt. IV. n. 13. & V. n. 6. 19.
(k) Commerc. Litter. A. 1734. Hebd. 9. n. 2.

offendiſſet, *an iſtiuſmodi calculi*, inquit, *apoplexiæ auctores dici poſſunt? Mihi quidem tantus in tali ratiocinio hiatus videtur, quem ſupplere non audeam*. Et ſane longa, nec ſine ambagibus explicatio per cauſarum, & effectuum multiplicem ſeriem eſſet in pleriſque caſibus deducenda. Illos enim excipiendos crediderim quos deſignavit Frid. Hoffmannus (*l*), cum æger videlicet obnoxius fuit *doloribus ex calculo veſicæ, item cyſtidis felleæ* ita ut inductis ſpaſmodicis in ventre contractionibus proxima vaſa conſtringendo, ſanguinis plus quam æquum foret, in ſuperioribus retinuerint. Quorum cum propoſitus bajulus nihil unquam paſſus eſſe dicatur; nos de ejus, & complurium cyſticis calculis, lento vitio, & plerumque inerti, ſermonem alio (*m*) rejicientes, nunc in celerrimo, ut inſtituimus, & pernicioſiſſimo conſiſtemus: cujus en tibi exemplum tertium.

6. MULIEREM quadragenariam bibacem apoplexia prehenderat. Ab hac in latere utroque reſoluta erat cum in Noſocomium Patavinum illata eſt: ubi & cito deceſſit. IN ejus cadavere ob intempeſtivum aeris calorem; necdum enim medius erat Martius A. 1740.; vix alia, quam Caput, ibidem inſpexi. Cranii cavum viſum eſt pro longitudine anguſtius. Polypoſus ſanguis in ſinu Falcis. Vaſa per Tenuem meningem diſtenta, ut majora nigricarent; minima, quaſi a rubræ ceræ injectione, pulcherrime in conſpectum venirent. Et cerebrum, & cerebellum molliora, indeque ea meninx detrahentis manum facillime ſequebatur. Dum cerebrum aſſulatim inciderem, non ſolum puncta, & filamenta ſanguinea vel plura quam ſoleant, paſſim occurrebant; ſed in medullari ſingulorum hemiſphæriorum ſubſtantia ſingula inventa ſunt cava, parvum unum ad latus externum Thalami dexteri nervi Optici ea forma, & magnitudine, ut ovale minimum prunum continere vix poſſet: connivebat, niſi quatenus fuſco quaſi glutine, ſeu muco ſemiſiccato referciebatur. Cavum autem alterum in omnes dimenſiones amplum, ſed præſertim in longitudinem, quippe quod ad totum latus externum ſiniſtri ventriculi producebatur, plenum erat ejuſmodi ſanguine qualem in bajulo (*n*) deſcripſi: cujus pars ſanguinis modica in eum ventriculum, indeque in tertium pervenerat duplici trajecto foramine, ex illo cavo in ſiniſtrum ventriculum pertinente, altero ad parietis hujus externi anteriora, altero ad poſteriora. Dexter ventriculus, cujus plexus Choroides erat ſubpallidus, aquam continebat non multam, eamque prorſus incruentam. Cum cerebrum invertiſſem; arteriæ illius truncus in quem confluunt Vertebrales, maculam exhibuit albam, ellypticam, modicam: quam perſcrutatus, inveni, non quale oſſificationis, ut putabam, initium eſſe frequentius ſolet, ſed quid mollius in ipſis quidem arteriæ parietibus, magis autem interioribus; quanquam neque introrſum, neque extrorſum ullo modo prominebat. Denique glandulam Pituitariam intra Sellam deſuper inſpectans, valde humilem animadverti. Quæ autem hic ſcripſi, omnia plurimis, qui aderant, Diſcipulis oſtendi.

7. Ægre tuli, id quod ſæpius tamen in plebejis, ruſticis, peregrinis ferendum eſt, neque de bajulo, neque de muliere hac pro certo ſciri potuiſſe, num utroque pariter, an altero latere, atque utro, primum reſoluti fuerint, poſtquam ingruit apoplexia; uterque enim dextero videntur debuiſſe. Sed de muliere gravius tuli, indicare neminem potuiſſe, an alias quoque correpta fuiſſet apoplexia. Mihi enim videtur: indeque facile in ſiniſtris artubus reſolutionem, aut debilitatem relictam, cum illud minus quod tibi deſcripſi, cavum attendo, & cum iis confero obſervationibus quæ ſuperiore Epiſtola (*o*) indicatæ ſunt, Brunneri præſertim, qui aliquid etiam tum humoris deprehendit in cellulis ejuſcemodi. Verum quod dicere potuiſſet nemo, qua videlicet ratione tam cito factæ ſint illæ magnæ, quæ in tribus propoſitis diſſectionibus ſunt deſcriptæ, cavernæ, ſanguine redundantes (*), id conjicere, quemadmodum ſupra polliciti ſumus, aggrediamur.

8. Proclivius nihil eſt, eas cavernas in cerebro, & ſemiconcretum in iis, aut ex iis in viciniam effuſum magna copia ſanguinem inſpicientibus, quam diſruptorum in thorace, aut ventre aneuryſmatum recordari, & ſimilia intra cranii quoque cavum interdum fieri, exiſtimare, præſertim cum graviſſimas apoplexias ea aliquando antecedant, quæ vel ſola ad id cogitandum perducant. Sic eam quæ intra duodecim horas ſuſtulit Collegam noſtrum Clariſſimum Bernardinum Ramazzinum, duo præceſſerant aneuryſmata, faba non majora, quorum ſingula, raro exemplo, in eadem omnino ſede increverant dorſi utriuſque manus, ad anguli ejus verticem qui inter digitos eſt pollicem, & indicem. Ea ſæpe nobis optimum Senem oſtendere ſolitum meminimus coorta noviſſimis vitæ annis, & illas quas antea pertuliſſet, tum vehementem cordis palpitationem, tum quæ hanc excepit, non minus ſævam hemicraniam commemorare, in qua Philippum Maſierium, ajebat, Chirurgum, ſicut ejus oſtendunt libri, ſane exercitatum, rem in ſe grandævo admirabilem deprehendiſſe, calvariæ ſuturarum diſceſſum: cujus plurima quidem exempla a Boneto (*p*), ab Etmüllero (*q*), a Stalpartio (*r*), ab Helwichio (*ſ*), a Platnero (*t*), ab Illuſtri Hallero (*u*) memorata eſſe, ſcio; ſed quot in ſeptuagenario, qualis Ramazzinus tunc erat, neſcio; in ſenibus autem quam difficile ſuturæ vel omni artis vi diſſuantur, confirmante inſuper Cl. Bergenio (*x*), non ignoro. Præceſſerat demum Ramazzini apoplexiam illa quæ abeuntibus palpitationi, & hemicraniæ ſucceſſit, & ad vitæ uſque exitum perſtitit, unius primum, mox & alterius oculi cæcitas. Quæ ſane omnia attendenti mihi, quocum ille pro benevola de me opinione valetudinis incommoda communicabat, veri ſimillimum videbatur, ab eadem cauſa quæ cordis olim palpitationem excitaſſet, interna hemicrania inducta, arterias aliquas, remorante ob dolorificas contractiones ſanguine, intra cranium, & fortaſſe in plexu Choroide, eodem quod in utraque manu conſpiciebatur, vitio fuiſſe correptas, eoque ſenſim increſcente preſſos Opticorum nervorum Thalamos cæcitatem intuliſſe: & perruptis denique arteriolarum earum tunicis, effuſoque in ventriculos ſanguine, lethalem apoplexiam ingruiſſe.

9. Quoniam ejus cadaver non eſt diſſectum; recte, an ſecus conjecerim, neſcio: illud ſcio, ſi cui forte placeat, cavernas quas intra ipſam cerebri ſubſtantiam deſcripſi, ad aneuryſmata, variceſve revocare, cavendum illi eſſe propter ea quæ ſupra (*y*) indicata ſunt, ne cavernas ipſas pro veri aneuryſmatis, variciſve cavo accipiat, in eam ſenſim amplitudinem expanſo. Multo ſatius eſt, & cum tanta illa quæ vaſis per cerebrum reptantibus peculiaris eſt, tunicarum tenuitate congruentius, exiſtimare, ubi ad modicam, & vix, aut ne vix quidem in oculos incurrentem ſenſim, aut cito dilatationem pervenerint, repente diſrumpi, & pro varia vaſculi diametro, & rupturæ amplitudine, & ſanguinis copia, & impetu a tergo uſque & uſque urgentis, & cerebri etiam laxitate, paulo citius, tardiuſve majores, minoreſve cavernas fieri, haſque pro minori, aut majori parietum laceratione, aut pro varia lacerationis ſede modo concluſas, modo in ventriculos, aut extrorſum, per cerebri videlicet ſuperficiem, aut etiam utroque patentes. Cedit enim molliſſima cere-

---

(*l*) Medic. Rat. T. 4. P. 2. S. 1. c. 7. Theſ. Pathol. §. 10. (*m*) Epiſt. 37. n. 27. (*n*) ſupra, n. 4. (*o*) n. 16.
(*) Cavernas hujuſmodi Vid. etiam Epiſt. 60. n. 2. & 6. in cerebro, & cerebello. (*p*) Sepulchr. l. 1. S. 1. Obſ. 92. & Schol. & Append.
(*q*) Prax. l. 2. S. 2. c. 3. art. 7. (*r*) Cent. 1. Obſ. 1. & Schol. (*ſ*) Eph. N. C. Cent. 10. Obſ 31.
(*t*) Diſput. de Oſſ. Epiphyſ. §. 27. (*u*) Ad Boerh. Prælect in Inſtit. §. 304. not. h. (*x*) Method. Cran. oſſa diſſuendi.
(*y*) n. 3.

cerebri ſubſtantia, urgentemque ſanguinem admittit: ſic ſimul aploplexia, & caverna fit: quæ donec vis cordis, & arteriarum non elangueſcit, augetur porro, & cum ipſa augetur apoplexia, niſi Medicus, vel potius quam rariſſimus aliquis caſus Medicum adjuvans interveniat, ulteriuſque incrementum prohibeat (z). Quin moles ipſa, & pondus effuſi ſanguinis in cavernam, aut ex hac in ventriculum, vel poſt mortem nonnunquam poteſt particulam aliquam perrumpere, ut puta pertenue ſeptum Lucidum, præſertim cum cadaveris agitatur caput, aut in ſanum cerebri inclinatur latus. Cæterum quæ de cavernæ productione ex effuſo per diſruptum a diſtentione vaſculum ſcripſi, ea facile intelligis locum habere, ſi ex eroſo quoque vaſculo ſanguis profundatur. Habent enim, ut cætera, ita & cerebri vaſa non uniuſmodi vitia, idque in majuſculis nonnunquam evidens eſt, ut infra (a) oſtendam, & ſane peculiaris vitii inchoamentum in arteria illa mulieris deſcripſi, cujus paulo ante (b) diſſectionem propoſui.

10. Non me fugit, Brunnerum in ea quam ſæpe laudavi, Obſervatione (c) ejuſmodi, ut videtur, cavernam *ampli hiatus, ſeu fiſſuræ* nomine ſignificantem, ſubjicere, *alibi arteriolas ægritudine, ſeu aneuryſmate affectas* ſe *conſpexiſſe, quæ tantam ſanguinis vim fudiſſe videbantur*. Sed earum ſedem, & aneuryſmatis diametrum minime docet. Dilucidior eſt hac in re Wepferus, cujus quoque in Sepulchreto (d) Obſervationem habes, qui & *cavitatem ſeu antrum* deſcribit, & licet *aneuryſmatis* exemplo utatur; rem tamen, ut video, haud ſecus quam ego, intelligit, nec verum aneuryſma, ſed ſatis appoſite *ſpurium* (e) appellat; ut ſi aliorum judicio potius quam ſuo, in iſtiuſmodi explicationibus ſtandum ſit, te malim tanti Viri ſequi judicium, quam meum. Sed ad alias hiſtorias pergamus.

11. ANTONIUS TITA, is qui A. 1713. *Catalogum* hic vulgaverat *Plantarum Horti Mauroceni*, inter primos obiit ex iis qui Patavii ſub Maji initium A. 1729. pene quotidie, magno omnium terrore, ex improviſo aut ſtatim, aut certe intra horas non multas commoriebantur, cum poſt diuturnas ſubfrigidas, humidaſque tempeſtates; pluvioſus enim autumnus, pluvioſa hyems, pluvioſum hactenus ver fuerat; tunc primum, idque repente, aeris calor rediiſſet. Erat Tita tres & ſeptuaginta annos natus, robuſtus tamen etiam tum, & lacertoſus, quadratoque corpore, & ſubpingui, ſub ſole degere, & meracioribus uti vinis, citra ebrietatem, ſolitus, oculorum inflammationibus ab annis aliquot obnoxius factus, & de capitis plenitudine nuper queſtus apud Cel. Collegam meum Antonium Valliſnerium. Cum IV. Nonas Maji totum diem exegiſſet ſub ſole, eo die præter ſolitum fervente, veſpere autem ſuo more cœnaſſet, ecce ibi ſubito ſe magno morbo corripi, exclamat, & cum dicto artuum ſiniſtrorum motum amittit, linguæ quoque uſum hactenus, ut verba pleraque intelligi vix poſſent. Statim rogatus, ſtatim ad eum, quippe vicinus, accurro, & hæc quæ dicta ſunt, invenio, atque hominem quidem mente conſtantem, & colore faciei, reſpiratione, calore corporis ſecundum naturam ſe habentem, ut pulſu quoque, nimirum vegeto, & reſiſtente, nullo inſuper de dolore, aut moleſtia capitis querentem, niſi quod ſibi ſomnolentus videretur. Hoc vero, & magis quæ ſupra narravi, alia cum attenderem, multo graviorem inſultum metuens, alterum qui Sacerdotem, alterum qui Chirurgum advocet, mitto: ſanguinem de brachio ſano ad juſtam copiam ſtatim educi, ſubacre clyſma apparari, deinde ſuccini oleum, quod, ad nares ſubinde admoveretur, afferri, jubeo; ſpiritum vero ſalis ammoniaci diſerte renuo, veritus, ne plus æquo ſanguinis motum concitaret, a quo exitium inſtare poſſe, prædico: cætera ejus Medicis, quos adventare ſciebam, permitto, domumque redeo. Eorum alicui placuit vomitum ciere: quod nec mihi antea diſpliciuſſet, ſi ea dumtaxat quæ ipſe, ſpectaſſem. Verum poſt vomitionum agitationem, mox hora noctis circiter quinta morbus eo quem deſcripſi, tanto gravior acceſſit, ut loquela prorſus amitteretur, ſtertor inciperet, cum magnis, iiſque, ut opinor, convulſivis corporis motibus atque conatibus. Itaque poſtridie mane mortuus eſt. CAPUT pridie Nonas, me præſente, diſſecari jubet Ampliſſimus Prætor. Meninx Craſſa tanto arctius, quam ſolet, calvariæ adhærebat, ut magna vi opus fuerit ad hanc avellendam. Erat autem illa ſubnigra a vaſorum plenitudine, ſed minorum; nam ſinus Falcis inanis fuit. In Tenui meninge vaſa erant ſanguine diſtenta: ſed dexter ventriculus multo magis. Tantum enim continebat nigri ſanguinis, & concreti, ut gallinaceum æquaret ovum, idque poſteriore ſui parte, & proxima illa qua cum hippocampo ad anteriora deſcendit. Sed in cæteris quoque tribus ventriculis, at multo minori copia, ſanguis fuit, iſque fluidus, ut crediderim potius ſerum valde ſanguinolentum, ex concreto illo ſanguine expreſſum, in eoſque ventriculos delapſum. Cerebrum ſanum, & ſubſtantia hemiſphæriorum cerebri integra, ut nuſquam appareret unde tantum ſanguinis prodiiſſet. Etſi poſteriorem verſus utriuſque Lateralis ventriculi partem, ſed præſertim dexteri, plexus Choroides veſiculas habebant, aquæ plenas, ea magnitudine, ut majores vidiſſe non meminerim; æquabant enim uvæ acinos bene magnos; ſedes tamen in qua maximam copiam ſanguinis deprehendimus, eamque concreti, fecit, ut veri ſimilius cenſeremus, hunc e diſruptis ſiniſtri plexus vaſis, ejuſve viciniæ profluxiſſe.

12. Ut ab iis veſiculis incipiamus; non parvas in Sepulchreto (f) leges, imo aliquam etiam ſolidam, Wepferum quoque in iiſdem plexibus vidiſſe; nec inde tamen apoplexiæ cauſam, ſaltem proxime, deduxiſſe (g); Warthonum (h) pariter cum in apoplecticis ut tumidas eorundem plexuum glandulas, ita & cerebri ventriculos oppletos ſanguine frequenter inveniſſet, non aliud illis tribuiſſe, niſi ut hujus effuſionis, ob impeditam per earum vaſcula circumitionem, cauſam præberent: idque confirmari, fortaſſe credes Obſervatione (i) Drelincurtii, qui in apoplectica plexus illos deprehendit & *veſiculis aqueis tumidiſſimis adunatis, & conglobatis* refertos, & in medio diſruptos, ut multum ſanguinis effudiſſent. At ſive hæc, ſive alia quoque, ut opinor, dilatationis, & diſruptionis vaſculorum in Tita noſtro cauſa fuit; intelligis ſane, ex quo diſruptio fieri, & aliquid ſanguinis effundi cœpit, quam cavendum fuerit, ne ſanguis importunis agitationibus, & concuſſionibus impelleretur. Nec credere poſſim, Brunnerum (k) cum apoplecticam a primo inſultu per venæ ſectionem, & *quæcumque revellere a capite* poterant, feliciter liberaſſet, gaviſum eſſe, quod in ſecundo aut *ſulphuratum accenſum naribus admoviſſet*, aut liquore per os infuſo *tuſſim bis terve excitaviſſet*, tunc certe cum poſt ægræ mortem, mox conſecutam, ſanguine refertos pleroſque invenit cerebri ventriculos, ipſumque cerebrum ab eruptione ſanguinis interius diffiſſum. Sic in Legato illo Danico, de quo extat Weitbrechti (l) obſervatio, quid ſternutationes, quid vomitiones, ſi ut tentatæ ſunt, ita moveri potuiſſent, effecturæ eſſent in ejuſmodi apoplexia, monſtrabit tibi diſſectio, in præcipuis ſane Titæ diſſectioni ſimillima, ut infra (m) cognoſces. Ego vero ex iis quæ anteceſſerant, tanto citius a concitato ſanguine exitium veritus, cum in ea de qua ſupra dictum eſt, Ramazzini apo-

(z) Vid. Epiſt. 2. n. 16. (a) n. 22. (b) n. 6. (c) 12. in Addit. ad S. 2. l. 1. Sepulchr. (d) 18. S. cit. (e) Ibid. in Schol. (f) Sect. 2. cit. Obſ. 40. (g) Ibid. in Schol. (h) Ibid. Obſ. 10. §. 2. cum Schol. (i) Ibid. Obſ. 12. (k) Obſ. ſæp. cit. 12. in Addit. ad eand. Sect. (l) Commerc. Litter. A. 1734. Hebd. 9. n. 2. (m) n. 8.

plexia Medico obſtiti non ignobili, ſectæ Empiricorum addicto, ne vomitum excitans remedium, quod nec deglutiri potuiſſet, in os conjiceret, tum alteri, qui, me digreſſo, in Tita adhibuit, obſtitiſſem. At enim huic quæ nuper in cœna ſumpſerat, erant, inquies, e ventriculo per vomitum detrahenda, ne mox in vias ſanguinis tranſeuntia, hujus & copiam, & impetum augerent. Optandum id certe, ſi fieri ſine conatu potuiſſet. Aliter, tanto minus tentandum, quod illud quidem futurum ſanguinis incrementum, hujus præviis detractionibus irritum facere licebat; præſens autem a conatibus, & concuſſionibus augendæ vaſorum diſruptionis, & ſanguinis effuſionis periculum impediri nequaquam poterat. Novi ego Virum generoſiſſimum, nec illum unum (*n*), qui cum ſanguine plenus eſſet, in exonerandæ alvi conatu fortiſſima apoplexia abreptus eſt: vidit quoque, & diſſectione rem confirmavit, ut alibi (*o*) ſcripſi, Valſalva. Huc Adolphi (*p*) obſervatio pertinet lethalis apoplexiæ *ex nixu fortiori & intempeſtivo*, quo ſibi parturiens plexum Choroidem ruperat, effuſoque ſanguine cerebrum vehementer compreſſerat. Cujus in vaſa quanto plus ſanguinis in conatibus urgeatur, & ſimul quanto minus inde redire tunc poſſit, Vir Cel. oſtendit Swietenius (*q*). Quin minime deſunt exempla (*r*) eorum quibus vaſa cerebri diſtenta, *levem ob commotionem rupta ſunt, uti a caſu, colapho, inclinatione capitis, &c.* Quod ſi tempus fuit quo *multi, cum ſternutarent, repente ſpiritum emittebant* (*ſ*); non id aliunde potuiſſe accidere facilius, crediderim. Si igitur a concuſſionibus eæ quæ nondum erant, vaſorum diſruptiones factæ ſunt; quanto magis quæ inchoatæ jam ſint, poterunt augeri? ut nihil interea de abuſu dicam calidiſſimorum, aliorumve, ſanguinem maxime concitantium, liquorum qui a Medicis quibuſdam, nullo ſeroſæ, an ſanguineæ apoplexiæ habito diſcrimine, ſæpe apoplecticis ingeruntur; non modo naribus ſubjiciuntur: quod magnum, dum viveret, Medicum, & in cæteris quæ fugienda hic credo, alioquin idem quod reliqui ejus pares, merito docentem, adeo non caviſſe, miror, ut in hac de qua loquimur, cerebri hæmorrhagia ſpiritum ſalis ammoniaci, aut ejus ſal volatile pluma ad interiora narium admovendum, aut etiam per calamum ſcriptorium inſufflandum, præcipue commendaverit.

13. Et de ea tempeſtate aliquid ſubjiciendum eſt, qua Tita, aliique inter cæteros diſruptis ſanguiferis vaſis interierunt. Magnum his certe periculum imminet rigente bruma, aut fervente æſtate, nunc quidem ſe ſanguine expandente, tunc vero vaſis, externis præſertim contractis, ut tanto plus ſanguinis, aucti inſuper ob inſenſibilem impeditam tranſpirationem, ab internis continendum ſit. Sed tamen cum ſenſim, & per quoſdam quaſi gradus ad ſummum aut frigus, aut calorem pervenitur, ſenſim quoque ſe contrahentibus vaſis, aut ſenſim cum ſanguine expandentibus, aliquanto minus periculi eſt, quam cum repente alterutrum fit, velut eo tempore. Tunc enim ſubitus aeris calor inſolitam ſanguini expanſionem attulerat, cum ob maxime diuturnas ſubfrigidas tempeſtates nec dilatata adhuc vaſa, nec ſanguis per eam quæ oculos fugit, perſpirationem eſſet imminutus. Erant præterea ob æque diuturnas pluvias tam infirmæ vaſorum fibræ, quam quæ maxime, eaque de cauſa diſruptioni magis obnoxiæ. Ex his autem omnibus quæ dicta ſunt, vides, quæ ſint ejuſmodi tempeſtatibus iis vitanda quibus id periculi in univerſum impendet. Quibus vero ſpeciatim in cerebro, his alia cavenda ſunt inſuper, illudque etiam, ne animum intendant, præſertim cubantes, quo videlicet corporis ſitu quanto facilior eſt ſanguinis ad caput aſcenſus, tanto difficilior eſt deſcenſus. Sic Doctum Virum Bononiæ novi, qui ſiquando animum mane, antequam ſurgeret, in rerum abſtruſarum meditationibus, ut Litterati ſolent, defigeret, ei mox dum ſurgeret, guttæ aliquot ſanguinis e naribus effluebant. Cave enim argumentis eorum qui docent „ vim gravitatis ratione reliquarum potentiarum, motum ſanguinis generantium, „ eſſe nullam;, cave, inquam, tantum tribuas, ut obliviſcaris non utilitatis ſolum, quam ſolertes Medici ad avertendum in certis morbis, aut in certis ad morbos diſpoſitionibus nimium ſanguinis ad caput affluxum, experiuntur ab ejus erecto ſitu, verum etiam quod nemo non novit, quam celeriter in demiſſo capite facies rubeat, & incaleſcat. Sed de his in præſentia quidem ſatis.

14. SENEX qui a longo jam tempore propter magnum ulcus alterius cruris ſedebat mendicans ad januam Ædis S. Antonii, multum, ut ejuſmodi hominum pleroſque hic facere, audio, edere ſolitus, nihil autem ob eam cauſam quæ dicta eſt, aut parum moveri, apoplexia prehenſus eſt, quæ mentis, & linguæ, & ſiniſtri corporis lateris uſum abſtulit, ſicque intra triduum, aut quatriduum interfecit.

CADAVER reliquum ob gravem odorem, & fœde colorata ex viridi fuſcoque inteſtina, ad anatomicas exercitationes, quas Martio menſe A. 1741. in Noſocomio habebam, minime idoneum, humari juſſi; Caput dumtaxat ſervari. Hoc ibi in frequentia doctorum virorum, & ſtudioſorum adoleſcentum ad apoplexiæ illius ſcrutandam cauſam cum eſſet aperiendum; forte animadverti, in anterioribus finibus muſculi Temporalis ſiniſtri levem contuſionem: de qua cum quærerem, & tunc factam eſſe, intelligerem, cum homo, apoplexia ingruente, ex ſella ceciderat ſua; non dubitavi quin continuo prædicerem, ſi iſtius apoplexiæ cauſa ſub oculos caderet, nec in ſero conſiſteret, facile futurum eſſe, ut ſecundum conjecturam quandam meam (in proxima ſuperiore Epiſtola (*t*) indicatam) in oppoſita, id eſt in dextera cranii parte deprehenderetur. Qua in conjectura multo ſum magis confirmatus, cum illud addiderunt quod forte eo tempore necdum audiveram, ſiniſtro, ut ſupra dixi, corporis latere fuiſſe hominem reſolutum. Cranio tunc denique perfecto, quod dum fieret, aqua non omnino pauca defluxit, ſub illo ſanguinolenta omnia magis quam ſoleant, ſtatim apparuerunt. Diducta autem Craſſa meninge, in cujus ſupremo Sinu concretio erat parva polypoſa, non ſolum in meninge altera vaſa conſpecta ſunt ſanguine a dextris, quam a ſiniſtris, tumidiora; ſed & ſuper hemiſphærio dumtaxat dextero ſanguis ſemiconcretus, qui ex aliquo eorum vaſorum prodiiſſe, & deorſum inde fluxiſſe videbatur; nam & ſub baſi anterioris partis lobi poſterioris cerebri dexteri aliquanto plus inventum eſt ejuſdemmodi ſanguinis pariter inter utramque meningem: nec quidquam alibi intra cranium effuſi ſanguinis repertum eſt præter id quod dixi, duobus circiter cochlearibus continendum. His ita omnibus qui aderant, demonſtratis, & reliqua oſtenſa ſunt, minoris, ut viſum, momenti, quæ huc redierunt. Per Tenuem meningem translucens humor quaſi *gelatinoſus*. Vaſa non in medullari ſolum ſubſtantia, ut plurima paſſim ſanguinem eructantia puncta oſtendebant, ſed & quæ per faciem repunt Lateralium ventriculorum, diſtenta. Aqua in his non multa: veſiculæ autem crebræ ad poſteriorem plexuum Choroidum partem; ſed non ex majoribus; minores tamen paulo in dextero ventriculo, quam in ſiniſtro, ut aqua etiam in illo, quam in hoc, paucior. Cæterum ii plexus non modo non decolores, ſed in medio vel magis ſanguine referti quam ſoleant. Denique ad anteriorem baſim glandulæ Pinealis ſubflavum aliquid, nec tamen durum.

15. Quid poſſit ad ſanguinem cumulandum, eumque impurum, multum edere, & nihil moveri, præſertim ubi ulcus aliquod magnum ſit, unde pravæ, atque erodentes particulæ in venas irrepant; id, ut alia quorum explicationem ſæpe prætereo, manifeſtum

(*n*) Vid. etiam infra, n. 22. (*o*) Epiſt. Anat. 13. n. 19. (*p*) Act. N. C. T. 1. Obſ. 241.
(*q*) Comment. in Boerh. Aph. §. 1010. 3. Y. (*r*) Vid. Schol. ad Obſ. 1. Sect. cit. Sepulchr.
(*ſ*) Vid. apud Stradam Proluſ. Acad. 1. 3. Prol. 4. n. 3. (*t*) n. 25.

ſtum eſt. Quid vero poſſit ad nocendum, & quomodo poſſit vel parum ſanguinis intra calvariam repente effuſi, oſtendetur alias (*u*): nam cætera quæ in hoc cerebro adnotata ſunt, ſæpe etiam ubi nulla apoplexia eſt, animadvertuntur. Quod autem is effuſus a dextris, reſolutionem attulerit a ſiniſtris; nempe hoc Valſalvæ, & meis fere omnibus obſervationibus reſpondet. Quarum alias ad alia quædam apoplexiæ genera attinentes, alio quidem tempore (*x*) habebis: nunc autem ex reliquis ad ſanguineam apoplexiam ſpectantibus eas ſaltem quas ille, & ego ſcriptis commiſimus, in ſuperioribus (*y*), & in his Litteris (*z*) deſcriptas habes, habiturus multo plures, ſi ubi de ejuſmodi obſervationibus agitur, ſuis cum circumſtantiis utique proponendis, poſt aliquod interjectum tempus, meæ ſoli memoriæ confidere ſatis conſueſſem. Earum igitur loco quas ob eam cauſam omitto, abſolvam hic tibi unam quandam, Valſalvæ, & mihi communem; nam morbum ego obſervavi, caput autem mecum ipſe diſſecuit, hiſtoriæque illius tantum edidit (*a*), quantum erat proprio inſtituto ſatis eo tempore. Sic autem ego memoriæ cauſa adnotaveram.

16. VIR quadraginta annos natus, ex meri abuſu vertigini obnoxius, apoplexia correptus eſt ſub initium Februarii A. 1703. Eadem ferme hora in Bononienſe S. Mariæ *de Vita* Noſocomium delatus, cum ipſe, ut quotidie mane tum ſolebam, adeſſem, jam per ſe nonnihil levatus apparebat. Imperant Medici, crura, & pedes vehementer perfricari, ſpiritum ſalis ammoniaci naribus ſupponi, quin & guttas ejus aliquot ex aqua idonea in os immitti, ſanguinem e brachio educi. Eductus eſt e ſiniſtro, qua ex parte major erat corporis reſolutio. Hæc dum fiebant, homo bis tremore correptus eſt, cœpitque buccas, & os movere, & magis, ut videbatur, magiſque ſolvi. Sed mox levibus in parte dextera convulſivis motibus ſe oſtendentibus, gravior apoplecticus inſultus rediit eadem die, qui hominem ſuſtulit circa horam ſecundam noctis. CAPUT dum amputaretur, multum ſanguinis effluebat, cujus pars ex ore quoque prodierat. Tum Valſalva mihi: hæc apoplexia, niſi me meæ fallunt obſervationes, facile a ſanguine facta eſt, dexteram cerebri partem lædente. Interea communia cranii involucra detrahentes, in membranis hoc proxime complectentibus ſanguifera vaſa vel minima perbelle manifeſta animadvertimus. Sed ea magis diſtenta mox vidimus quæ per meninges repebant, præſertim per Tenuis partem ſiniſtram, ubi præterea in ſummo hemiſphærio erat aliquid effuſi ſanguinis, nigræ inſtar ſugillationis. Verum ubi ventum eſt ad Laterales ventriculos, veram admiratus ſum Valſalvæ prædictionem. Nam erat quidem in ſiniſtro aliqua ſanguinis effuſi portio; ſed quæ a dextero illuc defluxiſſe videretur. In hoc enim non modo fuit multo major copia atri ſanguinis, & concreti, ſed & magnus unde hæc extiterat, hiatus, quaſi aliquis rudiore cultro ad latus externum demiſſo corporis Striati, & Thalami nervi Optici, utrumque horum ſuper Fornicem, & tertium ventriculum revolviſſet. Cætera quæ ad viam attinent ſanguinis qui ex ore fluxerat, ſatis habes apud Valſalvam (*b*) indicata.

17. Cur e magis reſoluto brachio maluerint Medici ſanguinem mitti, an ob rationem ejus ſimilem, quam, ut in Sepulchreto (*c*) habes, ſequebatur Baglivus, an ob alias, haud facile dixerim. Necdum erant Valſalvæ obſervationes, quibus pondus additur Aretæi (*d*) præcepto, & doctrinæ: *reſolutæ* in apoplectico *partes conſiderandæ ſunt*, inquit, *in ſiniſtrone, an in dextro latere reſolutio ſit: a ſalubribus enim partibus (ut dicere mos eſt) ſanguinem haurire oportet; hac enim ſanguis facile delabitur: hac etiam a læſis partibus materia derivatur*, id eſt a læſo cerebri hemiſphærio; quippe quod ſano corporis lateri, non reſoluto, ipſe docuerat reſpondere, ut ejus locus, alibi (*e*) a me productus, oſtendit. De præcepto autem, & doctrina quæ modo Aretæi verbis propoſuimus, Cl. Oederus (*f*) ita ſentit, ut præceptum quidem probabile exiſtimet, rationemque illam primam, quod e ſani brachii venis facilius ſanguis effluat, quam e venis reſoluti, ultro illuſtret, atque confirmet: rationem autem alteram, quamvis Valſalvæ obſervationibus, quas veras agnoſcit, ſubnixam, ob id unum reſpuat, quod vulgata quoque nitatur de derivatione doctrina, quam docte utique, & nervoſe quoad poſſet impugnandam ipſe ſuſceperat. Quapropter ut ex aliis Præſtantium Virorum Obſervationibus, ita ex una etiam Pauli Salani conſequi, negavit, quod pro ea doctrina conſequi Valſalvæ, & mihi (*g*) viſum erat. Sed cum tanta humanitate ſuam a me diſſenſionem conjungit, ut inurbanus mihi viderer, niſi ejus judicio permitterem hæc pauca, quæ dicam. Veriti ſumus Valſalva, & ego id quod Salanus vidit, caſui tribuere, quando cum aliis tum quas Valſalva indicavit, tum quas omitti a me, dixi, obſervationibus congruere, animadvertimus, & cum ratione quoque, ſiquidem brachii dexteri venæ cum Jugulari Interna dextera magis, quam ſiniſtri, communicant, id eſt ſua depletione magis videntur favere depletioni illius Jugularis, & quod conſequitur, venarum quæ a dexteris cerebri partibus in dexteros influunt Sinus: e brachiis autem ſanguinem miſiſſe Salanum, intelligi ſatis poſſe, exiſtimavimus, cum in ſermone a Valſalva, & a me de hemiplexia inſtituto, de nullo alio loco ſecandæ venæ ſermo fiat. Interea illud mihi ab Humaniſſimo Viro non negatum iri crediderim, ut cum Graviſſimo Medic. & Matheſ. Profeſſore Segnero, ejus Præſide (*h*) *communi opinioni, quia in ea periculi omnino nihil eſt, inhæream circa ea quæ Auctores fideles de electione venarum in morbis ſecandarum attulerunt, ſi non plena certitudine, magna tamen probabilitate.* Sed ad propoſitam diſſectionem ut redeam; quæres fortaſſe, num præter nos alii in ejuſmodi res inciderint, & hemiplexiæ internam cauſam in oppoſito, non in eodem cerebri latere deprehenderint. Ego vero qui ante Valſalvam id viderint quidem, ſed quaſi fortuitum neglexerint, Wepferum alias (*i*) & Baglivum indicavi (*k*). Poſtea vero quam Valſalvæ obſervatio vulgata eſt, idem conſpexiſſe plures, non dubito: aliquos ſcio (*l*). Intra enim eundem annum quo in muliere illa Veneta de qua initio dictum eſt (*m*), Valſalvæ doctrinam confirmavi, cum Patavium forte veniſſem, certior ſum factus, idem quod in illa, hic quoque nuper in viro compertum eſſe, niſi quod cavum in oppoſito reſolutioni hemiſphærio ſibi a ſanguine paratum, hunc inter meninges quidem, Tenui perrupta, ſed non in ventriculum pariter, alioquin proximum, effuderat. Vix hoc acceperam, cum Venetiis litteræ, quas adhuc ſervo, allatæ ſunt, quibus mihi Alexander Bonis doctus Medicus, & ſpectatus Amicus quæ ipſe tum viderat, ſignificabat, Monachum inter concionandum apoplexia correptum ſic ut intra horas, quibus dehinc vixit, haud amplius quatuor manum dumtaxat ſiniſtram moveret, habuiſſe in ſiniſtro cerebri ventriculo tres, minimum, uncias concreti ſanguinis, parietes autem ejuſdem ventriculi dilaceratos, cum dexter eſſet integer, nihilque præter exiguam ſanguinis portionem contineret, quæ illuc e ſiniſtro per diſruptum Lucidum ſeptum tranſierat. Hic ille Sacer Orator eſt, ſuperiore Epiſtola (*n*) deſignatus, de quo ipſe, paulo poſt Venetias reverſus, illud inſuper cognovi, cum plures jam dies a concionando abſtinuiſſet propterea quia ſe minus bene habere querebatur, eo demum quo obiit die ſuis confirmaſſe, nunquam ſe melius, quam tum valuiſſe, itaque erectum atque alacrem aſcendiſſe in locum ſuperiorem ad eam concionem incipiendam quam minime erat abſoluturus. Venit tunc mihi in mentem Attali regis (*o*), *cum Bœotos ad ſocietatem* Romanorum Thebis *hortaretur, in ipſa concione intermortui*

ſic

(*u*) Epiſt. 4. n. 32. & ſeq. (*x*) Epiſt. 11. (*y*) Epiſt. 2. n. 9. 11. 13. 15. 17. (*z*) n. 2. 11. 14.
(*a*) Tract. de Aure c. 2. n. 14. in fin. (*b*) Ibid. (*c*) in Addit. ad cit. 2. Sect. Obſ. 13. (*d*) De Morb. Acut. Cur. l. 1. c. 4.
(*e*) Epiſt. Anat. 13. n. 17. (*f*) Diſſert. de Deriv. & Revulſ. per V. S. §. 29. (*g*) Epiſt. modo indic. n. 24.
(*h*) in Epiſt. Diſſert. citatæ ſubnexa. (*i*) Epiſt. Anat. 13. n. 22. (*k*) Adde quæ infra Epiſt. 11. n. 10. (*l*) Vid. quæ mox n. 18.
(*m*) n. 2. (*n*) n. 23. (*o*) apud Livium Hiſt. l. 37.

ſic ut *haud multo poſt expiraverit*; non tamen horis, ſed diebus interjectis; nam (*p*) *æger Thebis Pergamum advectus*, *mortuus eſt*, *altero & ſeptuageſimo anno*: quæ ætas, cum infirmis viribus conjuncta, minus vehementi obnoxium reddidit apoplexiæ; ſi Livii eſt fragmentum illud quod initio libri XXXIII. legebatur in vetuſto codice Bambergenſi. Sic enim habet: *Attalus primus verba fecit. Orſus ...., ſegnior* (lege *ſenior*) *jam & infirmior, quam ut contentionem dicendi ſuſtineret, obmutuit, & concidit .... parte membrorum captus: ... nec vitæ præſens periculum vis morbi attuliſſe, ſed membrorum debilitatem viſa eſt*. Monachus autem ille neque major quinquaginta annis, & viribus eo præſertim die maxime confirmatis, cum ad ſanguinis plenitudinem, quam facies, totiuſque corporis habitus oſtendebant, dicendi contentio acceſſiſſet, vehementi apoplexia in media concione prehenſus eſt, citoque confectus, ſecundum ea quæ ſuperioribus Litteris (*q*), & paulo ante his ipſis quoque (*r*) expoſita ſunt.

18. Intelligis eorum memor quæ alias (*ſ*) ſcripſi, in apoplexiæ interna cauſa & exitu me non ætatem modo, ſed & alia attendere. Septuagenarius quidem erat, ſed *euſarcus* faber quidam ferrarius (*t*) quem apoplecticus inſultus, dextero toto latere reſoluto, occidit ſexta die. Cauſa tamen reperta eſt in atro ſanguine, qui ex turgente Laterali Carotidis arteriæ ſiniſtro ramo, eoque diſrupto, late effuſus, hemiſphærium cerebri ſiniſtrum totum undique ad ventriculorum uſque penetralia vitiaverat. Huc alia acceſſerant quæ longum eſſet deſcribere. Sed non omittendus eſt immanis tumor, reni ſiniſtro adhærens, magna ſanguinis copia plenus, nec ſine ſubſtantia quadam *lamellatim ſibi incumbente*, ut ſuſpicionem movere poſſit aneuryſmatis in ramo quodam Emulgentis arteriæ, cui minus alterum (velut ſupra (*u*), de Ramazzino verba facientes, conjecimus) in Laterali Carotidis ramo illo reſponderet. Verum qualiſcumque is eſſet tumor, illud certe negari non debet, preſſam ab ipſo incumbente arteriam Aortam minus ſanguinis admittere potuiſſe, pluſque ideo ad dilatandum aliquod, & denique perrumpendum cerebri vas, ſurſum contendiſſe. Hæc igitur ſi nobis in apoplectico quopiam nota ſit inferioris arteriæ compreſſio; non faciet magna quantumvis ætas, ne apoplexiam eſſe poſſe a ſanguine, inficiemur. Sua quoque in Legato illo Danico de quo ſupra (*x*) mentio injecta eſt, alia aliqua fuerit diſpoſitio, conjungenda cum jecinore *ad indurationem inclinante*. Natus enim annos quatuor & ſexaginta improviſa reſolutione ſiniſtri lateris, & mox apoplexia correptus, hora octava vivere deſiit, citius videlicet quam in Fabro, multi ſanguinis effuſione facta. Habuit autem præter hydatides in plexu Choroide plurimas, in ventriculo cerebri dextero *ultra quatuor uncias ſanguinis grumoſi, unde cavitas illa mire diſſoluta fuit*. Illud quoque interea velim animadvertas, obſervationem hanc utramque, ſi reſolutum hinc latus ſpectes, inde vero læſum oppoſitum in cerebro hemiſphærium, cum Valſalvæ obſervationibus omnino congruere. Quibuſcum alias pariter congruentes reperies, interque illas viri (*y*), qui etſi jam ſenium attigerat; temperamento erat tamen, & arte olim, & recentibus in victu erratis ad ſanguineam apoplexiam diſpoſitus. Verum alia ſcire fortaſſe avebis, primum videlicet, unde ſit, ut in iis ferme omnibus exemplis quæ his, & ſuperioribus Litteris ſive ex Valſalvæ obſervatione, ſive ex noſtra, ſive ex aliena deſcripſimus, aut indicavimus, ne iis quidem omiſſis duobus, quorum alterum ex illius, alterum ex noſtra, in Epiſtola Anatomica XIII. (*z*) propoſuimus; ut in iis igitur ferme omnibus, præſertim vero in quibus illa quidem præter naturam cava memorantur, aut non obſcuro indicio conjicienda ſignificantur, quæ intra cava ſanguis collectus, aut e quibus effuſus fuerit, ea fere aut in corpore Striato, aut in Thalamo nervi Optici, aut in utroque, aut juxta alterutrum, aut etiam utrumque; & tunc quoque non raro cum utriuſque, aut alterutrius perforatione, & dilaceratione comperta fuerint: deinde cur ſemel quidem, ut apud Wepferum (*a*), per lobum anteriorem cerebri ad frontem uſque producta, nunquam per poſteriorem ad ipſum occiput: & denique cum illa exempla ſint ad quindecim; cur in decem illa cava fuerint a dextris; in duobus a dextris, & a ſiniſtris; in tribus dumtaxat, a ſiniſtris. Profecto aut his in rebus, etſi a primo ſecus videatur, magnam ſibi partem caſus vindicat, aut, ſi multo longior accurate deſcriptarum obſervationum ſeries hæc ita ut plurimum ſe habere, oſtenderit; cauſæ in cerebri ſtructura, aut in ejus intimorum vaſorum diſtributione erunt perquirendæ, ut, puta ſi circa eas quæ dictæ ſunt, ſedes aut plura, aut amplioris diametri vaſcula ferrentur. Sic aliquando cum Striata corpora aſſulatim ſecundum horizontem perſecarem, animadvertiſſe memini in ſingulorum externo anteriore latere quandam quaſi foveolam; per quam ſanguiferum vas meabat manifeſtiſſimum: alias autem, oblique & lente ſecando, oſtendiſſe in eodem latere plura parallela inter ſe, & craſſiora quam alibi, fila rubicunda, id eſt vaſa ſanguifera. Accedere huc videtur minor ob ipſam proximam ventriculorum cavitatem, in horum parietum perforatione reſiſtentia. Cum vero ob hæc, aliave iſtiuſmodi eorum cauſam conjeceris quæ primo, & ſecundo loco quærebas; de tertio (*b*) minus eris fortaſſe ſolicitus, cum attenderis, dexteras pleraſque partes corporis eſſe ut plurimum in frequentiori motu conſueviſſe, quam ſiniſtras, & quod conſequitur, vaſa quoque non illarum modo, ſed & cæterarum quæ a dextris ſunt, ob communicationes, conſenſuſve laborare magis, & dilatari ſolita eſſe.

19. Super Valſalvæ autem jam toties commemoratis, & confirmatis obſervationibus, ſi reſolutæ ſint corporis ſiniſtræ partes; ad dexteras cerebri vitium eſſe: ſi dexteræ; ad ſiniſtras, non puto, eſſe plura quæ ex me quæras. Noſti enim quæ de hujus rei tum Explicatoribus antiquis, & novis, tum exceptionibus quibuſdam, tum additionibus, tum aliis cujuſquemodi ad eam ſpectantibus, habebam dicere, ea me ferme omnia in eam quam paulo ante memoravi, Epiſtolam Anatomicam (*c*) conjeciſſe, ut non attineat hic iterare. Unum tantummodo, aut alterum ad prima illa duo capita poſſum adjicere. Nam ſi forte legas, quod ad Explicatores illos antiquos ſpectat, Caſp. Hoffmannum (*d*) hæc ſcribentem: *Fuit hæc ante Galenum Aretæi ſententia, ... quam Caſſius Jatroſophiſta, problem. 41. ſequitur. Th. a Veiga .... nominat etiam Haly Abbatem, & Felicem, quos non vidi: Imo, quis ſit ille Felix, neſcio*: ſi hæc, inquam legas; nolim ſuſpiceris, omiſſum a me eſſe in eo Felice Explicatorem quendam perantiquum, & cum Aretæo, ac Caſſio nominandum. Iſte enim Felix, Hoffmanno ignotus, nimirum eſt hic idem Caſſius, quippe Caſſius Felix quibuſdam dictus, ut cognoſcere poteris vel ex Lindenio Renovato (*e*). Ad exceptiones autem illud ſpectat, aut certe ad illuſtrationem doctrinæ illius a Valſalva confirmatæ, quod etſi ubi alterum latus corporis eſt reſolutum, vitium, ſi organicum ſit, & ſub ſenſum cadat, in oppoſita cerebri parte eſt; non tamen viciſſim conſequitur, quotieſcumque ejuſmodi vitium in cerebri alterutra parte eſt, oppoſitum corporis latus eſſe reſolutum: eadem enim ratione fieri poteſt, ut hoc minime tunc ſequatur, qua interdum fit, ut vitiato utrinque cerebro, neutrum tamen latus corporis ſit paralyticum; ſive quod ea vitia ſine repentina cerebri laceratione, aut compreſſione ſint facta, ſive alia de cauſa, quam in ejuſmodi obſervationes incidentes, quærere, atque exponere conabimur. Nunc his ſuum in locum dilatis, cæteras quæ ad apoplexiam ſanguineam attinent, proponamus.

20. VIR ſenectuti jam propior, ex apoplexia, non continuo ille quidem, ſed plures poſt dies interierat: qui hemiplecticus eſſet, an non, pro certo ſcire non potui;

(*p*) l. 33. (*q*) n. 23. (*r*) n. 12. (*ſ*) Epiſt. 2. n. 14. (*t*) Act. Helvet. Vol. 1. (*u*) n. 8. (*x*) n. 12.
(*y*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 3. (*z*) n. 19. & 25. (*a*) Sepulchret. Sect. hac 2. Obſ. 18.
(*b*) Vid. tamen Epiſt. 11. n. 12. imo Epiſt. 62. n. 7. 9. 11. (*c*) 13. ab n. 14. ad 27.
(*d*) Comm. in Galen. de uſ. part. l. 10. c. 12. &c. (*e*) De Scriptis Medic. l. 1. Vid. *Caſſius Felix*

potui; nedum quæ ante apoplexiam pati conſueviſſet: hæc tantum accepi, cum apoplecticus decumberet, reſpirationem non difficilem, pulſus validos habuiſſe.

CADAVER Theatro datum eſt ſub finem Januarii A. 1731. Viſcera diligenter perluſtrata, nihil in Ventre; in Thorace autem quæ ad res præter naturam attineant, aut alicui videri poſſint attinere, habuerunt hæc. Pulmones erant undique pleuræ annexi. Cor pingue adeo, in homine alioquin non obeſo, ut ab anteriore facie inſpectans, nihil videres, niſi pinguedinem. Venæ Coronariæ valvula omni ex parte ſic affixa, eademque ſic foraminulis pertuſa, ut in XV. Epiſtola Anatomica (*f*) deſcripta eſt. Noviſſime arteria Vertebralis ſiniſtra ex ipſo Aortæ arcu inter ſiniſtras Carotidem, Subclaviamque profecta: quam cum inde, non ex Subclavia, ut ſolet, enatam, in Theatro oſtenderem, monui, hinc etiam fortaſſe hujus hominis apoplexiam aliqua ex parte repetendam videri poſſe. Aliquot poſt diebus, ut Exercitationum requirit ordo, cum ibidem Cranium reſeraretur, inveni, atque oſtendi ſanguinem effuſum ad ſelibram inter meningem Craſſam, & Tenuem, vel potius inter Craſſam, & membranulam quandam alteram, Arachnoidem puta: quæ membranula, ibi facta craſſiuſcula, cum effuſo ſanguine, anteriori oſſis temporis ſiniſtri regioni, eique viciniæ reſpondebat. Præterea in Falce propemodum media os erat, ejus proceſſus duplicatura interceptum, limbo inferiori propius, & ſecundum longitudinem poſitum, tres digitos tranſverſos, eoque amplius longum, ſeſquidigitum ferme altum, mediocriter craſſum, idque inæqualiter; cum enim in toto ipſo ambitu eſſet tenue, imo in utroque extremo in ſimplex videretur ſtratum ex parallelis oſſeis fibris deſinere; dextera, ſiniſtraque facie, & præſertim altera, in grandes quaſi bullas protuberabat, ut melius conſpici apud me poteſt; nam adhuc ſervo, obductum, ut erat, undique arctiſſime adhærente Falcis membrana. Denique Carotidum quæ ad baſim cerebri ſunt, poſterior ramus dexter æquo erat craſſior; ſiniſter pertenuis, neque cum iis ramis conjunctus qui ab arteria ſunt in quam conveniunt Vertebrales. Quorum illud etſi in aliis interdum vidi, atque adeo in altero quod tunc conſecabamus, hydropici cerebro, tenuitatem autem hanc tantam alterius, aut utriuſque multo ſæpius, nullam denique cum ramis de quibus dictum eſt, conjunctionem fortaſſe nonnunquam; tamen hæc quoque tibi volui ſignificare, ut intelligeres, ſi quid præterea adnotatione aliqua eſſet dignum, me non fuiſſe prætermiſſurum.

21. De cæteris, in iiſque de pulmonibus pleuræ undique adhærentibus ſine reſpirationis difficultate, erit alibi (*g*) ſcribendi locus. Illud tuli permoleſte, cum tantum os in Falce offendi, ex nemine ſciri potuiſſe, qua de re is homo conquereretur annis qui apoplexiam præceſſerunt. Ex quo enim Franciſcus Antonius Cattus Anatomicus Neapolitanus non ita contemnendus, ut ignotus eſſe debuerit iis, quantum video, omnibus qui de Medicis, aut Anatomicis Scriptoribus egerunt, ſicut primam in muliere quadam revera bipartiti uteri diſſectionem tradidit (*h*), ſic primus cœpit A. 1557. (*i*) Falcis *in durum os* ex parte aliqua *degenerantis* obſervationem proponere, alias etiam quas Botallus (*k*) deinceps, Hornius (*l*), Scheidius (*m*), Wepferus (*n*), Cheſeldenus (*o*), Vaterus (*p*), Gohlius (*q*), Mayerus (*r*), atque alii plures, quorum aliquos mox nominabo, ediderunt, eaſque inſuper quas Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis Hiſtoriæ, & Commentaria (*ſ*) exhibent, omnes perlegi: nec tamen meminiſſe videor oſſis quod ſupra deſcriptum æquaret; ſi paucas in tanto numero Falces excipias, in quarum una *os latum quatuor digitos* fuiſſe, indicavit Riolanus (*t*), & quam Volckamerus (*u*) invenit *ad dimidiam ſui longitudinem penitus oſſeam*, præſertim vero quam in Theatro hoc noſtro Anatomico *oſſeam omnino* vidit Offredus (*x*), cui parem vidiſſe crederes Henr. Albertum Nicolai (*y*), niſi *idem obſervaſſe*, adderet, Volckamerum, *ſimile* autem Offredum; ut dubites, de tota Falce, an de magna hujus parte intelligas, cum ſe *omnino oſſeam* ait deprehendiſſe: nec ſine aliqua ejuſmodi dubitatione ſis, cum quandam legas obſervationem, in qua vel ea vox *omnino* deſideratur. Cæterum quod ſcire avebam de iſto viro in quo illud a me os inventum eſt, neminem eſſe potuiſſe qui diceret, non ideo ægre tuli quia putarem, aut putem, inde magnum ipſi aliquod incommodum extitiſſe, niſi forte aut ponderis, aut diſtractionis ſenſum aliquem credere malimus; imo quia cupiebam id ipſum mea obſervatione confirmare quod ex plerorumque eorum quos nominavi, aut ſilentio, aut diſerta etiam narratione collegeram, niſi oſſa in Falce, aut ad Falcem, aut alibi in meningibus increſcentia intra eum quidem magnitudinis, & ponderis modum quo ad hoc tempus invenerunt, niſi, inquam, ita facta, & poſita ſint, ut meninges pungant, nullum fere ſolita eſſe per ſe gravius malum, ſed ne doloris quidem aſſiduum ſenſum inducere: ut videndum propter hæc cenſeam, an Volckameri, & Offredi, aliæque ejuſmodi obſervationes quibuſdam repugnent ex uſibus Falci adſcriptis.

22. Nec tamen negaverim, ejuſmodi, aut alia oſſa præter naturam aut genita, aut etiam aucta, poſſe interdum morbis capitis internis, & apoplexiæ nominatim, ſi aliæ accedant cauſæ, occaſionem præbere. Nam primum in ſene Tridentino (*z*), quem levi non ita pridem apoplectico inſultu affectum, graviſſimus alter, cum hora vix una a ſumpto cathartico medicamento alvum exoneraret, puncto temporis confecerat, non modo ligamentum inter os Sacrum, & Iſchium, ut in Adverſariis ſcriptum eſt III. (*a*) oſſeum factum deprehendi, ſed & oſſiculum intra ipſam cordis ſubſtantiam eo loco vidi quem altera Mitralis valvula obtegit, modica illud craſſitudine, ſed longum adeo, ut tranſverſum pollicem ſuperaret: arteriæ autem Magnæ internam faciem crebris hic illic oſſeis bracteolis opertam; ut ſi capitis rimari abdita licuiſſet, quam ſimillimum veri ſit, ibi quoque oſſa alia me fuiſſe reperturum. Deinde in pluribus apoplecticis ſenibus cerebri vaſorum tunicas reapſe offendi non uno in loco ab oſſeis innatis fruſtulis rigidas, præſertim Carotidum qua ad latera Sellæ Equinæ tantopere ſe inflectunt. In ejuſmodi ſane capitibus id præter naturam Corteſius (*b*) viderat, cum perinde ac ſi nihil niſi ſecundum naturam maxime ſe habens proponeret, in earum *cavitate* arteriarum, *qua attingunt glandulam* Pituitariam, *duo intus notatione digna, & a nemine hactenus obſervata contineri*, ſcripſit; *primumque eſſe, quia ſunt cellulæ quædam exiguæ; alterum, quod ſint oſſicula quædam parva* (qualia num poſtea Riolano (*c*) quoque impoſuere?) *eorum inſtar, quæ ad articulos digitorum reperiuntur ſigmoidea* (ſeſamoidea) *appellata: .... ſed non ſolum in hac parte arterias in ſe oſſicula continere, verum etiam in aliis, ut experientia ipſa hactenus probavit: quod quidem*, inquit, *factum fuiſſe puto non ſine maxima Naturæ providentia, quæ perpetuo curat eas apertas quodammodo, & elevatas eſſe, ut dilatationem ſuſtinere valeant*. Ego vero cum alibi, tum præſertim in cerebro ita moderatam eſſe naturam video quæ ad ſanguinis attinent circumitionem, ut ſiquid tamen morbi vi oriatur quod ſanguinis aut ingreſſum, aut egreſſum magis quam conſtitutum ſit, moretur, eoque motum tardiorem faciat, non ſine detrimento ſit: quorum illud arteriæ quoque efficiunt, ſe ob innata oſſa minus conſtringere, & urgere ſanguinem valentes, hoc autem quidquid aut venoſorum alveorum arctat diametrum, aut quædam quaſi diverticula his adimit, in quæ pro re nata redundantis ſanguinis pars quadantenus cedat. Sic quoniam in ſeniorum calvariis accreſcens oſſea ſubſtantia minora quædam occæcat foramina, ut puta, quemadmodum alibi

(*f*) n. 20. (*g*) Epiſt. 16. (*h*) Iſagog. Anat. c. 20. (*i*) Ibid. c. 3. (*k*) Obſ. Anat. 2. (*l*) Annot. ad eand.
(*m*) Differt. de duob. oſſiculis in Apoplect. (*n*) Exercit. de loco aff. in Apopl. (*o*) The Anat. of the hum. body Tab. XI.
(*p*) Abr. in Diſſ. qua Oſteogenia &c. in Proœm. & in Progr. quo Obſerv. Calculor. & c. (*q*) apud eund. in cit. Progr.
(*r*) Commerc. Litter. A. 1731. Specim. 42. n. 2. (*ſ*) A. 1711. 1713. 1734. & 1706. (*t*) c. 32. Comment. in Galen. de Oſſib.
(*u*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 6. Obſ. 71. (*x*) Earund. Dec. 2. A. 1. Obſ. 127. (*y*) Dec. Obſ. illuſtr. Anat. Obſ. 5.
(*z*) de quo Epiſt. 43. n. 28. (*a*) Animad. 45. (*b*) Miſcell. Medic. Dec. 1. c. 7.
(*c*) Animad. in Bartholin. Anat. l. de Venis c. 2. in fin.

alibi (*d*) indicavi, quæ Occipitales venas cum Lateralibus ſinibus communicare antea ſinebant; hinc etiam fieri, exiſtimo, ut plures ætate illa cerebri ſint morbis obnoxii. Venoſos autem alveos arctare non unius generis cauſæ queunt: in his, ſi Scheidium (*e*) audimus, oſſicula in Falce innaſcentia, ipſam videlicet ſuo *pondere aliquatenus deorſum trahendo, atque tendendo, unde ſinus longitudinalis .... falci continuus, ea imprimis parte anguſtior redditus, regurgitanti ſanguini non ſufficientem tranſitum concedat*. Quod ſi credibile eſt, ab altero Scheidii oſſiculorum *pondere ſuo, licet exiguo*, eſſe præſtitum; tanto id credibilius erit ab noſtro, quanto ut magnitudine, ſic & pondere ſuperabat.

23. Ejuſmodi tamen coarctationem ut exciperet illa intra cranium ſanguinis effuſio quam ipſe in apoplectica ſua invenit, merito cenſet, *neceſſum fuiſſe, ut ſanguis* tunc aliqua de cauſa *copioſior influxerit*. Idem nos quoque in apoplectico noſtro cenſemus, eoque facilius quod majori impetu ſanguis in cerebri arterias ferebatur. Cum enim ad eum impetum moderandum & harum tunicæ, ut ſupra etiam (*f*) dixi, tenuiores ſint creatæ, eoque minus ad urgendum ſanguinem aptæ, & anaſtomoſes ad illum impetum retundendum inter Carotides, ac Vertebrales inſtitutæ, & harum utræque priuſquam ad cerebrum accedant, non ſemel inflexæ, illud inſuper quod mecum velim animadvertas, additum eſt, ne præter Carotides, Vertebrales quoque arteriæ ab ipſo Aortæ arcu exiſterent, ad quem videlicet tanto impetu ſanguis a proximo corde alliditur, ut is frequentiſſimus eſſe ſoleat aneuryſmatum locus, ſed ex Subclaviis demum proficiſcerentur. Atqui ſiniſtra Vertebralis, non ex Subclavia, ſed ex ipſo Magnæ arteriæ arcu in noſtro apoplectico naſcebatur, in eam autem cum ſocia confluebat arteriam, quæ amplam quidem, uti dixi, cum dextera Carotide, nullam cum ſiniſtra anaſtomoſim habebat, ut impetum ſanguinis quanto magis per illam, tanto per hanc minus, imo nullo modo infringeret. Majori igitur impetu per ſiniſtram partem cerebri ſanguis excurrebat; ut minime mirari oporteat, ſi tenuiſſimorum vaſorum tunicis ab eo latere ſenſim magis, magiſque infirmatis, auctaque cum oſſe de quo loquimur, Longitudinalis ſinus coarctatione, ſanguis denique non modo a ſiniſtris, ſed etiam ad anteriora effuſus ſit, quippe unde in eam Sinus partem debebat pergere, cui parti impedimentum objiciebatur. Non ſum neſcius, ab aliis quoque, imo & a me alias (*g*) eandem Vertebralem arteriam ex Magnæ arcu enatam in nonnullis repertam eſſe, qui obnoxii morbis capitis eſſent, an non, nec ſcire ipſe potui, nec ab illis memini adnotatum. Idemque de ampla anaſtomoſi Baſilaris arteriæ cum alterutra Carotide, nulla cum altera dictum puta. Oſſiculum autem in quodam viro, nunquam propterea de capitis dolore queſto, ſuperiori Longitudinalis ſinus parti innatum eſſe, ſcio (*h*), quem ſinum inde premi, arctarique debuiſſe, intelligo. Sed hæc ſimul omnia, ut in noſtro, reperta fuiſſe, non recordor. Et de hoc quidem Apoplectico hactenus.

24. BONONIENSIS puer, quatuordecim annos natus, capillis nigris, a lumbricis vexari ſolitus, & facile, ſive corpus exerceret, ſive ad ignem conſideret, profuſioni ſanguinis per nares obnoxius, idemque ſpiritum vini paulo ſæpius bibens, quam conveniret illa præſertim ætate, repente ex alacri, & vivido ſine ulla, quæ quidem appareret, cauſa tardiuſculus, & obtuſior factus, paucis poſt diebus, cum mane priſtina illa comitate, & alacritate inter ſuos verſatus, etiam in prandio, fuiſſet, inventus eſt poſtea in lecto fuſus, quem vomitu ſordidaverat, manibus caput, ut ſi ipſo laboraret, ſubinde comprimens, ſine loquela, & paulo poſt ſine motu. Acceſitus Medicus venam ſecari jubet, unde meliuſcule habere viſus eſt. Spiritus quoque ſalis ammoniaci tum ad nares admotus eſt, tunc paucas ad guttas exhibitus. Mox in priorem reſolutionem torporemque relabitur ſic tamen ut quæ dicantur, aliquando intelligere certis ex nutibus videatur: pulſus eſt humilis, atque intermittens, prava reſpiratio, aliqua ad os ſpuma. Quas ob res cucurbitulæ imperantur: has cum in dorſo defixas non ſenſiſſet; feminibus adhibitas adeo ſenſit, ut non modo neſcio quid inclamaret, ſed & manu illas amovere tentaret. Verum iis quæ noviſſime dicta ſunt, malis perſtantibus, prioribus autem illis mox redeuntibus, hora noctis circiter nona vivere deſiit. CADAVER poſtridie, qui dies fuit X. Kal. Januarias A. 1703. inſpicientes, ſuras, & poſteriora femorum, aliaſque in quas jacuerat, partes a ſanguine qui eo decubuerat, multum livere animadvertimus. Capitis etiam, quod unum diſſecui, cum integumenta inciderem, atque diducerem, plus ſanguinis, quam ſoleat, ejuſque nigrioris, & fluidioris, effluxit. Ejuſmodi ſanguinis perpaucæ dumtaxat guttulæ in ſinu Falcis repertæ ſunt, cætera vacuo. In ventriculis Lateralibus, & tertio ſeri copia aliqua. At ſub cerebello, cujus æquo mollior eſt viſa ſubſtantia, in medio ferme, atrum concretum ſanguinem inveni ad duo circiter cochlearia.

25. Si hæc hiſtoria ut a me olim inter primas memoriæ cauſa ſcripta eſt, ita nunc tibi primo loco deſcripta eſſet; plura ad ipſam haberes adnotata tum quod ad ultimam hanc alacritatem, & ad curationem ſpectat, tum quod ad diſſectionem. Quæ quoniam antea partim in hac Epiſtola (*i*), partim in ſuperiore (*k*) poſita ſunt, nihil attinet hic iterare. Satis eſt admonere, ſi quid diſcriminis inter hanc hiſtoriam, aliaſque interſit hujus generis alibi propoſitas, velut eam quæ eſt in Epiſtolis Anatomicis (*l*); rationem quærendam eſſe in loco, tempore, modo, ac copia ſanguinis circa cerebellum effuſi, & hac quidem cum cranii, & cerebelli magnitudine quæ pro varia ætate varia eſt, comparata. Hæc autem hiſtoria extremo hoc loco poſita eſt, ut quemadmodum cæteræ, ſic ipſa quoque reſponderet ordine quo ad ejus fieri poſſet, hiſtoriis apoplexiæ ſanguineæ ex Valſalva deſumptis. Verum quia non tantum ab effuſo ſanguine, ſed etiam a remorato, & coacervato in cerebri vaſis ea eſſe poteſt apoplexia; idcirco prius quam finem faciamus, hujus quoque generis exemplum accipito.

26. PETRUS FASOLATUS Sculptor Patavinus, anno exacto ſexageſimo primo, habitior adhuc, nullique incommodo valetudinis obnoxius, illa eadem tempeſtate, atque adeo poſtridie quam Tita (*m*), mortuus eſt ad hunc modum. Nullum tulerat laborem, nullis, quibus alias cæteroquin pluries, agitatus fuerat curis, nulla de re queſtus erat. Imo cum plene cœnaſſet; abundare enim ſolebat in alimentis; & maturius ſolito lectum ſe petere velle, dixiſſet, ac petiiſſet; duabus poſtquam petierat, horis ab uxore, quæ una dormiebat, forte expergefacta, non ſolum jam mortuus, ſed frigidus, inventus eſt ita uti ſe primum in lecto compoſuerat. POSTRIDIE, dum Capitis integumenta inciduntur, dum cranium circumſectum attollitur, multum effluit ſanguinis. Hujus tamen nihil fuerat intra calvariam effuſum: nihil uſquam in cerebri, aut cerebelli ſubſtantia, quæ ad tactum quoque ita ſe habebat, ut ſecundum naturam ſolet, nihil, inquam, ruptum, nihil vitiatum. Aqua in Lateralibus ventriculis ferme limpida, nec ea multa: cujus pars aliqua etiam a lateribus cerebelli integri, ut dixi, an ex vertebrarum tubo? effluere viſa eſt. Verum fluidi ſanguinis tanta copia, quantam nunquam antea intra cranium vidiſſe memineram, vaſa omnia tum circum cerebrum, tum intra cerebrum diſtendebat, ut vel quædam vaſcula, quæ tenuiſſima eſſe conſueverunt, magnopere turgida (*) animadverterim. Juſſi nihilominus Thoracem quoque aperiri. Pulmones; etſi ad coſtas valide annexus erat ſiniſter; ſani erant tamen. Pinguedinis color in mediaſtino fuſcus; credidi a ſanguine in minimis vaſculis reſtitante. In pericardio cruenta aqua, neque ita multa. Cor magnum, vaſis ſuis propriis, & auriculis ſan-

(*d*) Epiſt. Anat. 4. n 11. (*e*) Diſſ ſupra ad n. 21. cit. quæſt. 4. & 5. (*f*) n. 9. (*g*) Epiſt. 15. n. 22. & Epiſt. 56. n. 10. & 21. (*h*) Commerc. Litter. A. 1737. Hebd. 34. (*i*) n. 12. (*k*) n. 21. & ſeqq. (*l*) XIII. n. 23. (*m*) Vid. ſupra n. 11. (*) Vid. etiam Epiſt. 60. n. 12.

ſanguine turgidis: qui grumoſus prodiit, dum cor, ut diligentius extra cadaver examinarem, a vaſis majoribus amputabatur: grumoſus quoque atque ater fuit in ventriculis cordis, nec tamen plurimus. Valvula Mitralis dextera alba: albæ quoque Semilunarium nonnullæ; ſed illa multo, hæ paulo duriores, quam ſoleant: in utriſque tamen natura membranea in naturam quaſi ligamenti degeneraverat. In media poſteriore cordis facie membranula quædam alba extabat, quaſi ruptæ hydatidis veſtigium. Exterius quoque per auriculam dexteram maculæ albæ. Cæterum arteria Magna, atque alia, quantum inſpicere potui, vaſa ſecundum naturam ſe habebant.

27. Me non præterit, videri poſſe tibi ad ſyncopen fortaſſe potius quam ad apoplexiam, fuiſſe hanc mortem referendam, ſpectanti videlicet, præter hujus celeritatem, tum citam, vel ea tempeſtate, & in lecto, refrigerationem, tum quæ in corde adnotata ſunt. Verum; ut ab his ultimis incipiamus, atque cum tanta illa ſanguinis copia quæ intra cranium inventa eſt, comparemus; his ſane cordis vitiis quæ expoſita ſunt, haud raro conſpicimus aliquanto majora in iis etiam in quibus ne levis quidem animæ defectio, nedum vehementiſſima ſyncope, acciderit. Illiuſmodi autem abundantia ſanguinis intra calvariam, quoniam in nullo præterea alio vidiſſe memini, effici apoplexiam, & Galenus docuit (*n*) *hoc pacto apoplexias provenire*, ſcribens, *multo nimirum ſanguine in principium animantis confertim irruente*, nec Petrus Salius (*o*) qui de apoplexia a ſanguine primus, ut ſuperioribus Litteris (*p*) memoravi, peculiare caput conſcripſit, fere aliter hanc fieri, intellexit, quam *ex cerebri venarum, arteriarum, ſinuumque nimia ſanguinis repletione, cujus ratione facta conſtipatio conſtrictior, unde ſpirituum non tantum tranſitus prohibeatur, ſed etiam & ipſi ſtrangulentur & ſuffocentur; ſit in cauſa, ut ſubito motus & ſenſus una cum detentione principum facultatum amittatur: ſicque vera & exacta ſuccedat apoplexia*. Et ſane tantum ſanguinis in omnibus quæ cranium complectitur, vaſis congeri non potuit, quin cum hinc oſſa circumſtarent, quæ nihil omnino cederent, inde vero mollis cerebri, & cerebelli ſubſtantia, non modo hanc intus, foriſque vehementiſſime compreſſerit, ſed etiam coarctatis vaſculis ſub ſenſum non cadentibus, motum ipſum ſanguinis, & quæ ſine hoc nulla eſt, ſpirituum ſecretionem interceperit. Hæc autem videntur accidere cerebello non poſſe, ut alias (*q*) ſcripſimus, ſine cita reſpirationis, & motus cordis ſufflaminatione, id eſt ſine celeri morte, & hac, ſi ita mavis, a ſyncope, ſed quæ a capite, non a corde, provenerit, aut ſi a corde quoque ob ea quæ dicta ſunt, vitia, tamen a capite multo potius, quam a corde. Ubi vero ſyncope eſt, undecunque hæc ſit, non eſt cur citam refrigerationem miremur; quanquam illam potius caloris imminutionem fuiſſe, crediderim, quæ frigus calenti mulieri viſa eſt. Hujuſmodi autem ſyncopes, quas potiſſimum indicaſſe videtur Herophilus (*r*), cum *repentinam mortem, nulla ex manifeſta cauſa venientem, fieri*, inquit, *paralyſi cordis*, ſi apoplexias vocabis a cerebello; me quidem judice, non valde errabis: quod enim in reliquo corpore apoplexia facit quæ a cerebro eſt, id in corde facit quæ eſt a cerebello, utrobique autem quæ utrinque eſt, qualem iſtam fuiſſe, cenſeo, quando cauſam utrumque illorum comprimentem ſpectavi, nec ulla incommoda præceſſiſſe inveni ex illis quæ ſyncopen quæ ab ipſo corde, aut proximis vaſis eſt, ſolent antecedere.

28. Quod ſi forte ajas, nulla quoque ex iis incommodis adnotata eſſe quæ ſæpe præcedunt apoplexiam; equidem fatebor: ſed ſimul contendam, id minus obſtare mihi, non ab organico cerebri, aut cerebelli vitio hanc apoplexiam repetenti, ſed ad congeſtum conſtipatumque in vaſis utriuſque ſanguinem referenti. Homo ſanguine abundabat, quod habitus corporis, & plenioris victus conſuetudo ſatis oſtendunt. Cœnatus plene, citius quam ſolebat, decumbit, id eſt tanto graviore ventriculo comprimit arteriam Magnam, ſanguinem ad inferiora ducentem, ut major ejus copia petat ſuperiora, eoque etiam major, quod ipſe, in decubitu, corporis ſitus quanto eſt opportunior aſcenſui ſanguinis ad ſuperiora, tanto eſt incommodior regreſſui ad inferiora, veluti etiam antea (*ſ*) comprobatum eſt. Quod ſi non ipſum Aortæ truncum diſtentus ventriculus premit; at ramos premit tum ſuos, tum alios ab ipſa ortos, & motui obſtat diaphragmatis, ut minus facilis reſpiratio, minus quoque facilem ſanguinis a capite reditionem efficiat. Ad memoriam nunc voca quæ natura inſtituerit, ut minore impetu, &, quod conſequitur, celeritate, & copia ſanguis in cerebrum ferretur: quorum ſunt pleraque a nobis ſupra (*t*) commemorata. Sic enim melius intelliges, tanto facilius, iis omnibus poſitis quæ modo dicebamus, congeſtionis ſanguinis ibi eſſe periculum, quanto magis hoc natura voluit declinare. Quod ſi una aliqua ex illis rebus quas natura vel ab ortu ipſo inſtituit, mutata, ut cum ſanguis ob brevius iter majori cum impetu ad cerebrum pervenit, quemadmodum in iis qui breviore ſunt collo (*parvicolles* Cælius (*u*) vocabat) propterea ſanguineæ obnoxiis apoplexiæ, facile accidunt in cerebri vaſis diſruptiones, non modo ſanguinis congeſtiones; quanto hæ facilius contingent, cum repente in homine qualem deſcripſimus, plures ſimul res mutabuntur! Ad eas enim quas diximus, hanc etiam adde, quæ ex illis colligitur & Ridleyi, & noſtris animadverſionibus olim indicatis (*x*), & ab Sinuum quibuſdam quaſi diverticulis, & duplicationibus, & ſitu præſertim in cranii baſi repetitis. Cum enim hæc omnia, atque alia, quibus & inſignis illa adjicienda eſt ad initium Internæ venæ Jugularis dilatatio, eo ſpectent, ut tardius e cerebro ſanguis redeat; tum vero multo magis augentur, ut tunc dictum eſt, certæ quædam cauſæ tarditatis ab ipſo cranii poſitu in ſupino corporis ſitu, eoque major congeſtionibus ſanguinis occaſio datur, unde etiam repetenda cauſa eſt, ut opinor, cur qui propter illius difficiliorem motum ſive a craſſitudine, & lentore, ſive a plenitudine ea reditus difficultas ſit, repente moriuntur, eorum plures in lecto mortui inveniantur.

29. At enim, inquies, cur in iſto homine cum eadem etiam antea eſſent, non idem tamen antea contigit, quamvis & plene cœnaſſet toties, & nonnunquam certe maturius pariter cubuiſſet? Nimirum quia antea erant quidem pleraque eadem, ſed non omnia. Nec vero vaſorum tantummodo robur dico, quod in dies magis, magiſque in ſenibus enervatur, ſed etiam, atque adeo potiſſimum tempeſtatem illam dico, cujus vi tot alii tam crebro per eos dies de improviſo rapiebantur. Nam poſt frigus non modo hyeme, ſed & eo qui præceſſerat, autumno, & eo quod ſucceſſerat, vere diuturna, & rara continuatione protractum, calor tunc primum, & is non gradatim, ſed totus ſimul ſe extulerat, ut repente propterea ſe expandente ſanguine, perinde eſſet ac ſi vaſa, hujus quaſi duplicata improviſo copia diſtenderentur. Quod cum ſuperius (*y*) jam ſatis explicaverimus, hic repetere non eſt opus.

30. Præſtat, ſiquæ præter eas quas ſubinde his duabus Epiſtolis indicavimus, Obſervationes prodierunt, ad ſanguineam apoplexiam pertinentes, eas quoque tibi ſignificare, non omnes quidem, ſed quæ in præſenti memoriæ occurrunt. In Principum perſonis tres ſuppetunt, duæ quæ ex Dioniſio in Lipſienſibus Eruditorum Actis (*z*) memorantur, a ſanguine in ventriculos cerebri effuſo, tertia quæ in Commercio Litterario (*a*), a ſanguinis in illius venis, & arteriis congeſtione, ob quam totum ſub Tenui meninge cerebrum lividum erat, & turgidum. Ad duas illas priores attinet quæ de opilionis uxore legitur in Actis (*b*) Cæſareæ Academiæ, & duæ fortaſſe, quas Dominicus Gagliardus (*c*) attigit, altera in ſene obeſo, & vix colli veſtigium habente, vini ſpiritui nimis dedito, altera in alio ob ſuppreſſum per adſtringentes pulveres ſanguinem e naribus profluentem: una autem certe, quippe ab eo qui refert, habita, in

(*n*) Vid. apud Salium de Affect. partic. c. 2. (*o*) Ibid. (*p*) n. 1. (*q*) Epiſt. 2. n. 24.
(*r*) apud Cæl. Aurelian. Chronic. l. 2. c. 1. (*ſ*) n. 13. (*t*) n. 23. (*u*) l. 2. cit. paulo ſupra, c. 12.
(*x*) Adverſ. 6. Anim. 6. (*y*) n. 13. (*z*) A. 1711. M. Septembr. (*a*) A. 1744. Hebd. 3. n. 2. (*b*) Tom. 3. Obſ. 121.
(*c*) Dell' Infermo Iſtruito. P. 2 Veglia 22. & 25.

Preſbytero plethorico, qui dum capitis diuturno dolori opem a Medico peteret, inter loquendum repente corruit mortuus ita, ut fruſtra ille ſcalpellum ſtatim educeret ad ſanguinem mittendum; hoc cerebri Laterales ventriculos quam maxime refertos invenit. Is Medicus fuit Vir Doctiſſimus Jo. Bapt. Molinarius: cujus egregium de Apoplexia Specimen (*d*) ſi quo tempore has ad te ſcribebam Epiſtolas, extitiſſet; non hoc unum, quod hic addo, ex eodem laudaſſem. Et hæ quidem Obſervationes poſt Sepulchreti editionem alteram prodierunt. Ante illam autem una inter cæteras, in qua etſi apoplexia ab externa cauſa fuit; ob hanc tamen ipſam digna eſt quæ minime prætermittatur. Quis enim facile putaſſet, agreſtem puerum ab irato ludimagiſtro vertice prehenſum, & celeri tractu cum impetu, & ſucceſſu quodam ad ſe raptum, ob id unum apoplecticum factum iri, & nocte proxima obiturum? Slevogtius (*e*) tamen vidit, cauſamque comperit. Scilicet in prehenſo vertice pericranium a perioſtio avulſum, ſanguinem per Craſſiorem meningem late expanſum, & ex vaſis quæ hanc ad ſubjecta alligant, diſruptis copiam ſanguinis intra lobos cerebri in ventriculos uſque effuſum deprehendit. Habes igitur hanc quoque acceſſionem ad illa quæ de ſanguinea apoplexia pollicitus fueram. Ea ſi tibi neque inutilia, neque ingrata fuiſſe, intellexero; alacrius deinceps ad alia pergam. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA IV.

Agitur de Apoplexia Seroſa.

Cum celebrem illam Apoplexiæ diviſionem in Sanguineam, & Seroſam non improbandam eſſe, ſcripſimus in earum quas ad te miſimus Epiſtolarum II. (*a*), minime nos fugiebat quid Viros cum inter veteres, tum inter recentiores doctiſſimos ab agnoſcenda Seroſa Apoplexia contineret. Nec vero nos ii ſumus qui quotieſcunque intra apoplectici calvariam aqua invenitur, continuo ab hac ejus morbum repetendum eſſe, exiſtimemus. Quin ultro permittimus, ut ex illis quas hujus generis proferemus ſeu Valſalvæ, ſeu noſtris diſſectionibus quot malueris, tot alio cenſeas attinere; modo hæc viciſſim largiaris, primum quod ex Varolio tibi in ea Epiſtola (*b*) deſcripſimus, *in ventriculis cerebri apoplecticorum non reperiri majorem excrementorum copiam, quam communiter in omnibus aliis*, id ut ipſi in iis quos forte incidit, uſuvenerit; in non paucis multo ſecus ſe habere: deinde eam aquam, etſi morbum in quibuſdam non faciat, augere tamen, eoque a Medicis neque ignorandam eſſe, neque negligendam: noviſſime vel paucam interdum, non modo multam, poſſe, nec una ratione, ipſam apoplexiæ cauſam eſſe, quod ſuis quidem locis ſubinde oſtendere non omittam. Quæ omnia ſi attenderis; præclare intelliges, ut opinor, & cur diviſionem illam Apoplexiæ retinuerim, & qua mente ad te tot, & tam varias mittam hiſtorias, ab illis, ut ſoleo, initio ducto quas in Valſalvæ ſchedis inveni.

2. VALERIUS ZANIUS quis fuerit, cum aliunde, tum certe ex noſtra Valſalvæ Vita non ignoras. Nunc de illo alia quæ ad rem præſentem ſpectant, accipies eo diligentius adnotata, quod ſæpe, atque adeo pene quotidie apud ipſum Valſalva erat. Zanii patrem apoplexia; patruum, ſeptuagenario majorem, veſicæ lapis abſtulerat. Ipſe habitu corporis obeſo, carnibus mollibus, collo toroſo, & brevi, facie valde rubente, vitæ ſedentariæ, & aſſiduis litterarum ſtudiis, in lauta, ut Nobiles viri ſolent, victus ratione, deditus, quadrageſimo exacto anno, calculis tentari cœpit, quos excernebat, ſimulque ſalſæ ſalivæ copia, quæ poſtea dentes omnes e ſuis alveolis excuſſit. Cum annum ageret ſexageſimum primum, defecit ea ſalivæ excretio, dolores autem vexare interdum cœperunt, caput gravantes. Circa annum tandem, quem non complevit, ſexageſimum tertium, poſtquam ſolemne dierum quadraginta jejunium; id quod annis ſuperioribus dubiæ valetudinis cauſa non fecerat; religioſe ſervaverat, queri incepit de dolore in mingendo; qui poſtea factus eſt acerbior, atque ut plurimum periodicus. Nam ſingulis fere menſibus, aliquando etiam crebrius, poſt multam aqueæ urinæ excretionem, ſub hujus finem recurrebat, cum mingendi difficultate conjunctus, dieſque aliquot perſtabat. Quibus acceſſerunt, poſt animi affectiones, dolores, caput gravantes, & his noviſſime ſenſus hebetudo, motuſque debilitas in parte corporis dextera. Autumno adveniente, œdemate pedes intumuerunt: quorum dexter, cute eroſa, ingentem copiam emiſit ſeri limpidi, quod ignis calore concreſcens, ovi albumen referebat. Ab hac tanta ſeri excretione adeo non levatus eſt æger, ut contra etiam in pejus rueret. Nam primum factus eſt ſomniculoſus: deinde, hyemali accedente ſolſtitio, auſtroque flante, ſine loquela inventus eſt, parte autem dextera fere immobili; neque enim, niſi acrius vellicata, movebatur, idque etiam leviter. Et a ſumptis quidem guttis pluribus ſpiritus ſalis ammoniaci loqui iterum potuit, & dexteram partem quaſi expedite movere: ſed quadrante horæ interjecto, aphonia iterum captus eſt, ſic tamen, ut omnia quæ dicerentur, ſe intelligere, oſtenderet; imo interdum verbum etiam aliquod, ſed cum conatu, & ſubmiſſa voce, proferret. Quinto tandem ab affectione ejuſmodi apoplectica die, vivendi finem fecit. VENTRE aperto, aere turgens ventriculus, renes molliores, ſani tamen, & ſana item veſica invenitur; quanquam lapidem continebat, parvæ pullæ ovum æquantem, forma ad ovalem, ſed depreſſam, accedente, ſuperficie valde aſpera, colore autem, non albicante, ut in patruo, ſed ſubrufo. Thorace recluſo, pulmones, niſi quod rubebant, ſecundum naturam reperti ſunt: cor magnum, in ejuſque dextro ventriculo leve concretionis polypoſæ inchoamentum; ſanguis enim ita erat fluidus, ut paulo ante cum forte ramus iliacus ſecaretur, non ſecus atque ex vivente homine, erumperet. Cranio exſecto, Craſſa meninx apparuit corrugata, ſub Tenui autem intra cerebri ſulcos ſtagnans ſerum adeo limpidum, ut ante hujus meningis ſectionem, vitrum pellucidum repræſentaret. Ejus copia ſeri major in dextero, quam in ſiniſtro cerebri hemiſphærio eſſe videbatur. Ejuſmodi quoque ſerum in majoribus ventriculis compertum eſt ad uncias duas, & hoc quidem ſalſo erat ſapore. Etſi vero ex eo omni ſero quod intra cranium fuit, non multum, ſinceri præſertim, colligi potuit; in tres tamen partes diviſum eſt: quarum ea quæ igni eſt impoſita, in auras tota abiit; altera, admiſto ſpiritu ſalis ammoniaci & levi agitata commotione eſt, & nonnihil ſanguinis, quod ei forte inerat, brevi ad fundum præcipitavit; tertia vero a ſpiritu vitrioli nullam paſſa eſt turbationem. Cæterum in ventriculo dextero plexus Choroides veſiculam habuit avellanæ magnitudine, cum in ſiniſtro parvas haberet. Arteriæ denique tum Carotides, tum Vertebrales interiore in tunica ubique corpuſcula oſtendebant disjecta, alba, firma; ſed non eadem firmitudine omnia; pleraque enim ad cartilagineam, aliqua duntaxat, ad oſſeam accedebant.

3. Duplici potiſſimum morbo afflictus eſt Zanius, utroque, ut videtur, hæreditario. Sed quod ad lapidem veſicæ attinet, videbimus alio loco (*c*). Nunc tantum quod ad eam attinet, quamvis imperfectam, qua confectus eſt, apoplexiam. Hujus cauſam Valſalva in effuſo ſero indagandam ſibi exiſtimavit. Et olim quidem, ſicut ex ſchedis ipſius didici, multa, & varia ſibi tentanda conſtituerat circa apoplexiæ cauſam: utrum ea induci arte poſſit, injiciendo in arterias beſtiarum Carotides has, aut illas res: utrum, iis ligatis arte-

(*d*) Part. 2 S. 1. n. 9. (*e*) Diſſ. de Dura Matre § 14. (*a*) n. 6. & ſeqq. (*b*) n. 7. (*c*) Epiſt. 42.

arteriis, animal ſentire pergat: utrum apoplecticorum hominum ſanguis ab aliorum differat, & qua in re: denique ſerum quod ſæpe intra eorum calvariam effuſum eſt, qua in re peccet, & quid inter ipſum, atque illud diſcrimen ſit quod intra eam ſæpe etiam in dolore capitis effuſum invenitur. Vides quomodo hoc ſerum in Zanio examinare conatus ſit, nec *concreſcibile* ad ignem, quale nonnulli putant, & quale ex pede emanarat antea, invenerit. At ſimul intelligis, quam ſit diligenter curandum, ne quid habeat admiſtum; facile enim aliquid ſanguinis inter diſſecandum admiſcetur: præſertim vero quam longa requiratur tentaminum ſeries, & quam caute, ſolerterque collecta. Dum hæc deſideratur, ſi conjecturis uti licet, atque id quod eſt manifeſtius, attendere; non incredibile eſt, ab ejuſdemmodi ſero tum dolorem capitis fieri, tum apoplexiam; ſed pro varia copia, & acrimonia illum, aut hanc, & hanc denique poſt illum. Sic habes in Sepulchreto (*d*), Matronam hemicraniæ diu obnoxiam, apoplexia poſtremo ſublatam, in cujus cranio inventæ ſunt *aquæ flaveſcentis, mediocriter ſalitæ, libræ medicinales circiter quinque*. Hanc Matronam cum Zanio compara: utrumque autem cum Viro cujus pariter ut capitis dolores primum, deinde apoplexiam, ſic circum cerebrum, & in cerebro aquam deſcripſimus Epiſtola I. (*e*). Nec quia in ejus aqua ſalſedo, quæ in duobus prioribus adnotata eſt, omittatur, credibilius eſt, defuiſſe, quam perquiſitam non eſſe. Nec quod ea copia qua in Matrona fuit, in eorum neutro fuit, idcirco propoſita conjectura abjicienda eſt prius, quam proximam hiſtoriam perlegas, & quæ ad ipſam adnotabimus.

4. PUBLICUS Bononiæ Juris Profeſſor, cujus faciei color ruber ad plumbeum vergens, ætas autem anni circiter ſexaginta, queſtus ad menſem de ſtomachi ſive debilitate quadam, ſive dolore, quo ejus vires adeo infirmabantur, ut in ambulatione vel brevi ſæpius quieſcere cogeretur; quiete enim levabatur; cum forte die quarto poſt primam Lunæ Martii quadraturam, flante auſtro, in ampliſſima ſederet Baſilica Sancti Petronii, repente cum incondito ululatu, & peculiari quadam corporis contorſione cecidit. Facies multum livebat, ſpuma circa os erat, ex alvo fæces prodibant, nullus edebatur motus. Itaque intra horulam mortuus eſt. PAULO poſt mortem facies palleſcit; tamen poſt horas viginti quatuor livor aliquis tum pone aures, tum nonnullis aliis corporis locis adhuc apparebat. Dum e Cranio cerebrum eximebatur, mediocri ſerum copia exibat. Vaſa cerebri ſanguifera non valde turgida: ad nonnullorum autem latus erat concretio ſeri *gelatinoſa*. Meninx Tenuis facile ſeparabatur. Cerebrum univerſum valde flaccidum, & colore quaſi diluto, in Lateralibus ventriculis ſerum habebat copia vix notatu digna, ſapore autem ſalſo. Thorace aperto, pulmones conſpecti ſunt quaſi atramento tincti; a pleura tamen ſoluti. In pericardio cum juſta aquæ copia cor flaccidum, nihilque in hujus ventriculis adnotatione dignum. Prope ipſum arteria Magna nonnullas oſſeas exiguas habebat ſquamas.

5. Ventrem non inſpexit Valſalva, credo, quia illam ſtomachi, ut æger vocabat, affectionem cenſuerit ad cordis flacciditatem pertinuiſſe, cum ſtomachi nomine in pluribus noſtrarum civitatum imam anteriorem thoracis regionem ægri ſoleant, ignari anatomes, deſignare. Ejuſmodi cor ſanguinem celerius præſertim, ut in ambulatione, affluentem videtur non multum ſane promovere potuiſſe: ad eandemque cordis infirmitatem attinuit fortaſſe ater ille pulmonum color. Ut ut eſt; apoplexia quæ hominem ſuſtulit tam brevi ſpatio, quippe flaccido & corde, & cerebro minus reſiſtere valentem, oriri potuit ab ſero illo, pauco quidem, ſed ſalſo, nimirum vellicante meningem Tenuem, qua etiam ventriculi conveſtiuntur, ut propterea inſultus initium fuerit epileptici inſtar, qui mox in apoplecticum degeneraverit. *Non eſt enim inconveniens, unum eundemque humorem modo apoplexiam, modo epilepſiam inducere, quando quotidie obſervatur, epilepticorum pleroſque a ſuperveniente apoplexia e medio tolli*, ut vere ſcribit Martianus (*f*), ubi non modo *convulſivos motus omnes a ſtimulata facultate dependere*, ſed & illud docet, Hippocratem *impoſſibile eſſe exiſtimaviſſe, cerebrum non convelli, dum ab illa materia acri irritatur*: & ſane in eo quem enarrat, vetuſtiſſimi Scriptoris loco diſerte ſcriptum eſt, *Apoplexiam fieri, ſi quidem cerebrum rodatur*; inde enim *& mens deſipit* (id eſt, ut recte Martianus explicat, non intelligit) *& cerebrum convellit, ac diſtrahit totum hominem*. Vides igitur, non eſſe a veri ſimilitudine alienum quod de ſententia tantorum Virorum exiſtimamus, a ſero vel pauco, modo irritans ſit, fieri apoplexiam poſſe, convulſione videlicet, &, quod conſequitur, conſtrictione meatuum cerebri, illam irritationem excipiente. Secundum hæc ſcies, qua ego ratione explicari poſſe, credam, quatuor, aut quinque perbreves fere Valſalvæ hiſtorias, quas ſine ulla adnotatione protinus ſubjiciam. Sive enim cum ſero non pauco, ut in duabus earum primis, neque perfectam apoplexiam, neque celerrimam mortem conjunctam legeris, ſive cum perpauco modo eadem, ut in tertia, modo omnino oppoſita, ut in reliquis duabus, inveneris; me in his quidem omnibus non tam ſeri copiam, aut paucitatem ſpectare, credes, quam aliam in aliis ejuſdem ſalſedinem, & acrimoniam conjicere.

6. VIR gracilis, annos quadraginta natus, febre acuta laborabat. Circa nonum diem de nocte amittit loquendi facultatem. Interrogatus nullum dat intelligendi ſignum. In artubus omnibus levis dumtaxat movendi, ſentiendique facultas remanebat. Facies rubra non erat. Tandem circa diem moritur decimum tertium. CEREBRUM inventum eſt ſecundum naturam ſe habens; niſi quod inter ipſum, & meninges ſtagnabat ſerum, & hoc ventriculi quoque erant pleni.

7. VIR alter annorum ſexaginta, coloris ſubflavi, ulcera in tibiis diu pertulerat. Iis ferme exſiccatis, aphonia corripitur cum omnium ſenſuum torpore atque hebetudine: & poſtridie moritur. SERUM inter meninges Spinalis medullæ, & cerebri, in hujuſque ventriculis compertum eſt.

8. MULIER, ſurda jam antea, pridie Kal. Januarii movendi facultatem amiſit, & pulſum eodem die. Toto corpore frigida erat; niſi quod pars ſiniſtra, in ſuperioribus præſertim, aliquem retinebat teporem. Modo citius, modo tardius reſpirabat: ſæpius autem facilem, & promptam habebat reſpirationem; tardam autem & querulam exſpirationem. Sic triduum vixit. IN CADAVERE ſanguis omnis fluidus fuit. In Cerebri ventriculis craſſioris ſeri paulum.

9. FŒMINA annum agens quinquageſimum ſeptimum, febrili frigore corripitur, cui calor cum ſiti, ſenſuque toto corpore doloris, & debilitatis ſuccedit. Febris bis quotidie iiſdem ſymptomatibus invadit: quin etiam, ſecundo die pulſus inæqualiter intermittit; ſed tertio intermiſſio ceſſat. His diebus multæ erant urinæ, & ſanorum ſimiles: quarum, progrediente morbo, copia imminuitur. Quinto, & ſexto die febris non bis, ſed ter recurrit, multumque affligit difficili reſpiratione, dolore capitis, ingenti ſiti, aridiſſima lingua, boni tamen coloris. Nocte quæ finis erat diei ſexti, mulier bene dormit: mane, ut lectus reconcinnetur, ſurgit, tuncque, ipſa fatente, vires perſtant. Febris, quæ matutino tempore aliis diebus ingruebat, non redit: dolor capitis omnino evanuerat: ægra jam ſibi ex morbo evaſiſſe videbatur: pulſus prementibus digitis bene reſiſtebat: facies tamen quiddam habebat cadaveroſi. Prandium recte ſumpſit; major tamen ſolito erat ſitis. Deinde cum muliere quadam alacriter loquitur. Vix hæc mulier diſceſſerat, cum rediens in cubiculum filia mortuam invenit. Lectus urina madebat. CADAVERIS cutis ferme tota purpureis, ad dorſum præſertim, & in cunctis artubus, maculis rubeſcebat.

(*d*) l. 1. Sect. 2. Obſ. 45. (*e*) n. 4. (*f*) Annot. in l. Hippocr. de Gland. verſ. 103.

Ventre aperto, ventriculus parvus, inteſtina, & renes florido ſanguine nonnihil turgentia, flaccidus lien, fellis veſicula cum pauca bile reperiuntur. In Thorace pulmones pleuræ nuſquam adhærentes, turgidi, nigris maculis diſtincti, a tergo ſanguine rubebant. Cordis ventriculus dexter exiguam polypoſam concretionem habebat. Cæterum hic, & ubique ſanguis erat valde fluidus. Cranio exſecto, dum cerebrum a Spinali medulla dividebatur, craſſius emanavit ſerum. Circa Tenuem meningem *gelatinoſa* erat concretio: in ventriculis ſeri paululum. Cerebrum ipſum nonnihil flaccidum.

10. Etſi conſtitueram inter has quinque Valſalvæ hiſtorias nihil interjicere; tamen facere non poſſum quin paulifper tecum mirer inexpectatam poſt tantam morbi remiſſionem, mulieris mortem. Namque, ut illum fatear non magni modo, atque acuti, ſed maligni etiam, ut vocant, non obſcuras notas habuiſſe; cum ea tamen malignitate non valde convenire videntur vires illæ quæ in fœmina jam morti proxima deſcribuntur. Attamen ſi omnia, ut par eſt, perpendamus, erant alia quæ ægræ Medicum, quicumque is fuerit, admonerent, ne remiſſioni iſti fideret, imo contra ut morbum tanto magis ſuſpectum haberet. Melior facta erat mulier. Sed quid erat illa ſolito major ſitis? quid in facie, ſemper nobis attendenda, aliquid cadaveroſi? quid denique, & quibus præcedentibus fauſtis indiciis, ex ægræ corpore nuper exierat, ut tanta iſta mutatio non præter rationem videretur? Nimirum prava illa materia quæ antea hic illic, irritando, turbas dederat, unam in ſedem corporis, eamque præſtantiſſimam, cogebatur, cerebrum. Non illa fuerat per corticem Peruvianum, qui necdum ea tempeſtate adverſus ejuſmodi febres in uſu erat, opportune correcta, aut ſuſflaminata: cujus vi corticis quoſdam quaſi apoplecticos ex maligna febre inſultus, ea per circuitus redeunte, procul dubio, ut in aliis qui inde perierunt, redituros, nos feliciter ante occupaviſſe meminimus cum in Nobiliſſimo Comite M. Antonio Trento, tum in S. R. E. Cardinali Eminentiſſimo Jo. Franciſco Barbadico Epiſcopo Patavino. Sed hæc alias (*g*). Nunc, quoniam materia quæ irritando, & convellendo propoſitæ mulieris cerebrum, mortem attulit, dubitare potes, an pauca fuerit, quando non ſolum in ventriculis ſeri paululum, ſed præter *gelatinoſam* circa meningem Tenuem, concretionem, craſſius quoque ſerum conſpectum eſt, quod, dum a Spinali medulla amputabatur cerebrum, emanavit fortaſſe ex proximo ventriculo quarto, nec prorſus abſimili dubitatione caret hiſtoria altera Jureconſulti, quæ ſupra (*h*) tibi expoſita eſt; accipe tandem hiſtoriam quintam, Valſalvæ, & mihi communem, Civis illius Bononienſis, de quo ob auditus gravitatem, hujuſque cauſam mentio facta eſt in Epiſtola Anatomica VII. (*i*).

11. VIR erat annorum circiter ſeptuaginta, facie pallida, auditu gravi, vertigini interdum, & virium languori obnoxius, tremulus præterea, id quod inde accidiſſe putabant, quod multos jam annos tractare conſueverat argentum vivum, magnam denique habens enterocelem in dextera ſcroti parte, cætera ſanus adeo, & robuſtus, ut Veneri non ſecus atque adoleſcens, cum uxore melioris ætatis perſtrenue operam daret. Quam & pridie ejus diei dederat, quo die cum alacer, & mente æque ac corpore vegetus, cum Viro gravi ſpatiatus eſſet, vix ſeſquihora ex quo ab hoc diſceſſerat, elapſa, in via mortuus inventus eſt. CADAVERIS artus ſuperiores valde rigidos, & contractos animadvertimus, & levem ad imas coſtas dexteras etiam tum calorem; exactæ autem erant horæ ab obitu viginti quatuor. Ventrem non attigimus. Thoracis viſcera, & vaſa diligenter inſpeximus, & contrectavimus: ſana omnia. In Capite adnotavimus os diſtortum in dexteram partem, ab eademque parte magnam quaſi ſugillationem, an ab ictu, cum in humum cecidit, an a ſanguine illuc in mortuo ob capitis poſitum defluente; pro certo ſcire non potuimus: ſanguis utique fluidus paſſim inventus eſt; nihil autem in calvaria, aut intra hanc quod ei reſponderet ſugillationi. Cerebrum mollius, flaccidius, decolor, in eoque pauxillum ſeri magis inter amovendam Craſſam meningem, quam in ventriculis, animadverſi. In his plexus Choroides turgidis veſiculis, ut ſæpe ſolent. In arteria autem Vertebrali ſiniſtra, qua confluxui jam erat proxima, lamellæ parvulæ, aliæ tendineam, aliæ cartilagineam, aliæ oſſeam naturam quadantenus referentes.

12. Si hæc ultima, aliaque ſeponas, quæ ut adjuvare apoplexiæ cauſas poſſint, in pluribus tamen non apoplecticis reperiuntur; nempe illud reſtabit pauxillum ſeri, in cujus acrimoniam rejicere queas convulſionis cerebri cauſam, cujus indicium cum diſtorto ore ſuperiores artus præbuere adeo præter modum rigidi atque contracti. Intra eos quindecim dies qui inciderunt in menſem Majum A. 1704. cum multos alios Bononienſes de improviſo ſuſtulerit apoplexia; minus mirum fuit hunc quoque hominem ſuſtuliſſe vertigini interdum, & virium languori, tremori autem ſemper obnoxium, præterea qui id ætatis adeo intemperans eſſet in re venerea. Illud moleſte fero, me nunc ſatis non meminiſſe, quæ ejus, & prægreſſæ tempeſtatis natura fuerit: quanquam cum is menſis eſſet quo ſæpe in Italia ſe primum intendere levior hactenus æſtus ſolet; veri ſimile eſt, in eum Majum conveniſſe quædam illorum quæ de Majo diximus (*k*) A. 1729. præſertim cum alios aliud atque hunc hominem, apoplexiæ genus interemerit, videlicet a ſanguine intra calvariam effuſo, in quibus Nobiliſſimus Bononienſis Senator fuit. Sed quoniam de ea tempeſtate nihilo plus Valſalva, quam ego, adnotatum reliquit; hoc omittemus, & noſtras, ut facere inſtituimus, ejus Obſervationibus ſubjiciemus, a Viro Ampliſſimo initium ducentes.

13. JO. BAPTISTA ANGUISSOLA Præſul meritiſſimus, ſtatura magna, colore ad rubrum vergente, urinæ vitiis obnoxius, annum ſexageſimum ſuperaverat, cum A. 1707. antiquo cruris ulcere occluſo, primum animi defectione in ſua cymba correptus eſt; erat enim Venetiis, ibique datam a Pontifice Maximo legationem obibat; domi deinde in ſuo cubiculo cecidit ſine cauſa; noviſſime prehenſus eſt apoplexia ita ut Medici jam proximam mortem præſagirent. Sed cum hæc omnia contigiſſent circa medium Quinctilem; non ante medium Sextilem defecit. Illi interea medicamenta quæ moverent alvum, ingeſſerunt; ſanguinem e talo, e cubito, e manu, e fronte miſerunt; cuti quæ exulcerandi vim habent, impoſuerunt: in vertice cucurbitulam defixerunt: ſpiritus quos vocant, aliaque id genus præbuerunt. Nunquam tamen obtinuerunt, ut æger loquendi, & dexteras, quæ reſolutæ erant, corporis partes movendi facultatem recuperaret. Inter hæc febris oborta eſt de genere putridarum: adverſus quam Peruviano cortice uſi ſunt. Suſpicio quoque facta eſt inflammationis thoracis. Poſtremo ſub altera parte menti aliquid abſceſſit: quam partem ſcalpello aperuerunt paucis ante mortem diebus; nec multum fuit quod exivit. Stertore demum, qui etiam antea ſæpe fuerat, ultimis illis diebus increſcente, vivere deſiit. Hæc ab ejus intimis omnia accepi, cum a me peterent, ut intereſſem diſſectioni, quæ ab Rinaldiis patre, & filio coram aliis Medicis peracta eſt. ABDOMINE inciſo, & diducto, hepar in convexa facie apparuit oblongis quaſi ſtriis diſtinctum ex rubro ſubfuſcis, a ſuperioribus ad inferiora pertinentibus, cætera ſanum; niſi quod in ſua veſicula tres, quatuorve habuit calculos, ut in prima quoque Epiſtola Anatomica (*l*) memoravi. Reliqua viſcera prorſus erant ſecundum naturam; ſi urinariam veſicam excipias, quæ tamen quod eſſet in ſe contracta, eo craſſioribus fortaſſe quam revera eſſet, tunicis viſa eſt. In Thoracis quoque viſceribus nihil morbidi inventum eſt. Nam quod pulmones neque duros, neque turgidos,

(*g*) Epiſt. 49. n. 30. 31. (*h*) n. 4. (*i*) n. 6. (*k*) Epiſt. 3. n. 11. & 13. (*l*) n. 48.

dos, neque ad pleuram alligatos, in eo culpare tamen aliqui non dubitarunt, quod ea facie nigricarent qua dorſum tangebant, nempe id immerito factum cenſui, mecumque ipſe cenſebis, ut qui id commune eſſe cadaveribus pene omnibus, ſicuti vel olim Chriſtophorus Guarinonius (*m*) indicaverat, minime ignoras, eo ſanguine videlicet mox ab interitu confluente, quo in ſupino corpore pondus trahit. Dum Cranii integumenta detrahebantur, rubor etiam tum eſt in pericranio animadverſus qua cucurbitula defixa fuerat. Inter diſſecandum cranium, ex ejus cavo aqua effluxit. Illo ſublato, Craſſaque meninge amota, ſub altera paſſim ad cerebri anfractus cinerea quaſi *gelatina* translucebat: vaſa autem, cerebri, & cerebelli ſuperficiem tenentia, aliquanto erant, quam ſoleant, ſanguine turgidiora. In cerebri ſubſtantia nihil erat quod reprehenderes; niſi forte laxitas. Cæterum in ventriculis omnibus aquam vidi, nec tamen multam.

14. Cerebri, & cerebelli vaſa, in hoc Præſule turgidiora, faciunt, ut duarum mihi rerum veniat in mentem. Quod ſupra (*n*) indicatum eſt, vel paucam aquam, modo irritans ſit, apoplexiam afferre poſſe, eo nitebatur quod poſſit convellere, & quod conſequitur, cerebri meatus conſtringere. Nunc velim, huc addas, tanto hanc conſtrictionem futuram eſſe pernicioſiorem, quanto magis vel ab alia cauſa acciderit, ut ii meatus conſtricti ex parte jam ſint, aut conſtringantur eodem tempore, puta a ſanguine quo vaſa omnia quæ intra cranium ſunt, plus æquo diſtendantur. Hinc alterum colliges, quatenus accipiendum ſit quod famigerati Medici docuerunt, inutilem, imo noxiam in ſeroſa apoplexia eſſe venæ ſectionem, & tam quidem noxiam, quam utilis eſt in ſanguinea, ſecundum hæc Celſi (*o*) ſententiam explicantes: *ſi omnia* membra vehementer reſoluta ſunt, *ſanguinis detractio vel occidit, vel liberat*. Equidem negandum non eſt, ſi ab aqua dumtaxat apoplexia ſit; perinde eſſe hanc atque aſciten per venæ ſectionem velle curare. Verum ubi factam ab aqua non multa conſtrictionem vaſa diſtendens ſanguis augeat; nonne conſtrictionem tuto minuet qui hunc detrahat?

15. Non eſt hic ſermo de hydrope cerebri, in quo aqua plurima, ſanguis paucus, & effœtus; ut ſi hunc minuas, ſub aquæ pondere vaſa penitus conniveant, & languidam ſanguinis circumitionem prorſus intercipiant. Addendæ tunc ſanguini ſunt vires, & cerebri, ac meningum fibris non ſecus laxatis, ac quæ in aqua macerantur, robur quoad licet per illa ipſa externa, internaque remedia conciliandum eſt quæ in ſanguinea apoplexia jure diximus (*p*) eſſe fugienda. Itaque ſicui ex malo corporis habitu apoplexia ſuperveniat; non temere ad illud auxilii genus decurram, ex cujus abuſu ſæpe malus habitus, ex hoc autem ipſa interdum apoplexia ſuboritur; habes enim apud Zacutum (*q*), hanc a Galeno, atque Avicenna adnotatam poſt immodicam ſanguinis eductionem, quo denique & quædam Cl. Trewii (*r*) obſervatio referri poteſt. Neque eo decurram, ſiquis, ſenex præſertim, ac debilis, & proprio aliquo capitis affectu, non ex conſenſu, laborans, ab incautis Medicis, quibus, cum potui, obſtiti, ad aquas acidulas potandas miſſus, inde redux, apoplexia corripiatur: leges enim in Sepulchreto (*ſ*) obſervatione confirmatum quod conjectura ſignificat, tunc *aqua plurima dilui cerebrum*. Sed contra ubi cum aqua turgentiam vaſorum eſſe, conjeci; ſanguinem mittere non diſtuli. Sic in Sacerdote Cive meo (cujus minorem fratrem, cum hæc ſcriberem, apoplexia ſublatum fuiſſe, accepi) obnoxio quotannis convulſivis hypochondriorum affectibus, ab hiſque per dejectiones aquoſas liberari ſolito, cum anno 1711. hæc incepiſſent quidem, ſed mox ſubſtitiſſent, dolor autem caput gravans ſuperveniſſet, & huic acceſſiſſet repentinus mentis ſtupor, atque aphonia; ego ſtatim atque accerſitus ſum, in cubito venam incidi juſſi: ex qua ſanguis adhuc fluebat cum loquendi facultatem recuperavit, ut vigorem quoque mentis poſtquam, cæteris quæ conveniebant, non omiſſis, ſanguis iterum miſſus eſt eodem die. Me namque conjectura eo duxit, ut illius quidem ſeri, quod per inteſtina exire non pergebat, partem aliquam intra cranium effuſam eſſe, exiſtimarem; ſed tamen conſtrictis inſuper, ut ſæpe in ejuſmodi convulſivis hypochondriorum affectionibus uſuvenit, ſanguiferis in ventre vaſis, illa propterea quæ ad cerebrum attinent, magis ſanguine diſtendi, crederem. Sic in aliis quoque feci eodem exitu, ſic etiam in pleriſque eorum facturus quorum proximas ſubjiciam hiſtorias, ſi ad eos forte advocatus eſſem, aut potius ſi præceps morbus tempus dediſſet, ut quiſquam ad eorum curationem advocaretur.

16. JUVENIS erat Venetus annos natus undetriginta, gibbus, biboſus, qui eſculenta neſcio quæ per urbem circumferens, infimæ plebi vendebat. Hoc dum faceret die quodam Octobris A. 1707. in ipſa via primum vacillavit, mox ibi cecidit, illico mortuus, livida facie, vino, quod biberat, per os, nareſque ſimul cum ſanguinolento humore, defluente. CADAVER cum Præcl. Santorino poſtridie inſpicientes, brachia ſubrigida, & contracta, ſqualidum corporis habitum ac fœdum, & ſuper hæc recentem in altero inguine bubonis cicatricem deprehendimus. Ventrem deinde incidimus: jecurque, & lienem magna; ſed hunc flaccidiorem, illud paulo durius, & albidius invenimus. Pancreas quoque durius fuit. Ventriculus antrum, quod vocant, pylori deorſum verſus ſub ipſo umbilico protendebat: Coli autem inteſtini pars illa quæ ventriculo ſubtendi ſolet, infra umbilicum per medium ventris ſecundum hujus longitudinem, valde anguſta, deſcendebat. Multo quam hæc, magis ab naturali ſitu vertebræ omnes, quæ ab ima cervice ad os Sacrum pertinent, aberrabant. Nam totus, qui his duobus terminis interjicitur, Spinæ tractus ſiniſtrorſum adeo curvabatur, ut curvaturæ medium ab recta linea quæ inter duos eos terminos ducta eſſet, tranſverſos digitos plus ſeptem diſtaret. Præterea erat Spinæ anterior facies ipſa quoque ita ſiniſtrorſum converſa, ut poſteriores vertebrarum proceſſus dexterum propemodum Spinæ latus tenerent. Quo ex poſitu ſequebatur, ut ſiniſtræ quoque coſtæ initiis ſuis Spinam a tergo operirent: inde autem antrorſum ſe continuo inflectentes, Spinæque latus complexæ, inter hoc, & ſe ipſas in thoracis cavo peranguſtæ fiſſuræ inſtar per totum id latus relinquebant. Hanc Spinæ flexuram deſcendens Aorta imitabatur arteria: nec dubium erat quin deſcriptus ventriculi, & Coli ſitus inde quoque magna ex parte occaſionem habuiſſet. Thoracis autem cavum quanto propterea & brevius, & anguſtius fuerit, facile intelligis. Nam etſi pectus multo convexius erat ad anteriora, quam ſoleat; multum tamen latitudinis ſiniſtrarum coſtarum ſitus detrahebat: Spina autem, & ſternum, quod ſegmentum annuli repræſentabat, quanto magis curva erant, tanto magis ſummum diaphragmatis fornicem ſupremis thoracis finibus propiorem faciebant; ut cordis, quod potius magnum erat, baſis ſumma ſui parte vix a jugulo tantillum diſtaret. In cordis ventriculis ſanguis paucus, iſque concretus, in auricula autem dextera polypoſa concretio, ſed exigua. Pulmones anterius paſſim, poſterius autem altero ſuperiore lobo cum pleura connexi erant per tenues, molleſque membranas. Spuma erat in bronchiis, alicubi etiam rubeſcens, ſed perpauca. Cæterum pulmones, Aſpera arteria, & larynx ſana.

Calvaria, quæ craſſa erat, ſublata, & Duræ meningis Sinibus inciſis, in eo qui Falcis dicitur, leviſſimam polypoſam concretionem, in Laterali autem dextero coactum in grumos ſanguinem conſpeximus: quo & minora turgebant vaſa, magis autem quæ dextera, eaque inferiore, cerebri parte per meningem Tenuem diſcurrebant. Sub hac meninge ſerum paſſim in cerebri anfractibus, ut ipſa propterea detrahentis manum tota facile ſequeretur. Nihil autem ſeri ex Spinæ tubo defluxit, & paucum in Lateralibus ventriculis inventum eſt: quo tamen non tunc primum irrupiſſe,

(*m*) Vid. Sepulchr. l. 4. S. 1. in Addit. Obſ. 8. & 13. (*n*) n. 5. (*o*) De Medic. l. 3. c. 27. (*p*) Epiſt. 3. n. 11. 12.
(*q*) De Medic. Princ. Hiſt. l. 1. hiſt. 5. in paraphr. (*r*) in Act. Nat. Cur. Tom. 4. Obſ. 136. (*ſ*) l. 1. S. 2. Obſ. 48.

piſſe, indicio erat pallor vaſculorum tum quæ per ventriculorum parietes feruntur, tum quæ Choroides plexus efficiunt. In iis plexibus erant præterea veſiculæ aqua plenæ. Quod reliquum eſt, cerebrum, & cerebellum optime ſe habebant: nec modo ſubſtantia non erant flaccida, ſed longe, cerebrum præſertim, firmiſſima.

17. In tanta cordis, & cerebri propinquitate, tantaque ob arteriæ Magnæ inflexiones deſcenſus ſanguinis difficultate, mirum non fuiſſet, in biboſo præſertim Juvene, ſi vas aliquod ſanguiferum intra cranium eſſet diſruptum. Minus igitur mirum eſt, quod ad aquam ſub Tenui meninge effuſam vaſorum diſtentio facile acceſſerit, per hanc repentium, & conſtrictionem adauxerit, ab aqua factam. Cur autem tanta cerebri firmitudo conſtrictioni non obſtiterit ſaltem ne hominem puncto temporis interimeret, cauſam puto, ſi forte quæris, hanc eſſe potuiſſe, quod cum cerebri corticalis ſubſtantia minus ſoleat firma eſſe, quam medullaris, ex qua præſertim; quia cum ſit in ſe conglobata, multo ampliores ſui portiones offert diſſecantibus; de cerebri firmitudine judicamus, quanto magis in hoc Juvene firma fuit medullaris, tanto major conſtrictio fuit corticalis, ut quæ hinc inter firmiorem medullarem ſubſtantiam, inde inter aquæ, & ſanguinis compreſſionem media interjacebat. Vel quoniam cerebellum ob id ipſum quod multo maxima ex parte conſtat ex ſubſtantia corticali, minus firmum ſolet eſſe, quam cerebrum, & in hoc Juvene certe fuit; tu, ſi prior illa cauſa non placet, fac ita cogites, quanto magis ſua firmitudine cerebrum obſtitit compreſſioni, tanto minus obſtare potuiſſe infirmius cerebellum. Cum enim ad cerebri molem effuſa aqua, & ſanguis diſtendens vaſa, acceſſiſſent, neque cranii parietes, quippe oſſei, quidquam cederent, ipſum autem cerebrum ob ſuam illam firmitudinem minus ſane, quam in alio homine, ceſſiſſet; relinquebatur videlicet, ut maxima in cerebellum vis fieret, unde mortem eſſe quam celerrimam poſſe, alio loco (*t*) oſtenſum eſt.

18. Neque eo turbari te, velim, quod ab aqua antea irritationem, & quod ab hac ſequitur, convulſionem; nunc vero compreſſionem deducam. Nam & convulſio, & compreſſio idem inferunt detrimentum conſtrictionis. Aqua autem cum ipſius naturam, & pondus ſpectamus, quin comprimat, dubitandum non eſt: cum vero acrimoniam; quin irritet, ac convellat. Itaque eadem aqua non raro poteſt & compreſſionem, & convulſionem inducere, comprimendo autem, aut convellendo, aut utrumque præſtando, in tenuiſſimis vaſculis ſanguinem remorari, unde turgeant majora, & compreſſionem adaugeant. Secundum hæc, nunc ſimul omnia convenientia, ut in hoc Juvene, cujus ſubrigida, & contracta brachia convulſionem quoque ſubindicarunt, alias non omnia, ut in Viro de quo ſtatim verba faciam, in quo nullæ ſunt animadverſæ convulſionis notæ, cauſas poteris gravioris, aut non ita gravis apoplexiæ, & celerioris, aut tardioris mortis conjicere.

19. STABULARIUS, prope annos ſexaginta natus, procerus, & obeſus, quippe multum & comedere, & potare ſolitus, ter antea in Patavinum illatus fuerat Noſocomium, ſemel ob febres nec graves tamen, & breves, iterum ob apoplexiam, qua depulſa, diſceſſerat, tertium, idque proxima æſtate; ob thoracis inflammationem, quo tempore incontinentiæ urinæ ſigna fuerant non obſcura. Quartum denique illatus eſt ob ſecundam apoplexiam, ſed eam mora, & incuria facile inſanabilem factam. Nam Decembri jam medio, tempeſtate frigidiſſima eo anno, 1725. cum pridie non eſſet animadverſus, poſtridie demum ſub noctem in ſtabuli angulo apoplecticus inventus eſt, nudus in ea jacens lodice qua nudius tertius ſe involverat. Dextero brachio magis erat reſoluto, caput attollebat, & conabatur ſi loqui poſſet. Servare tamen non potuerunt: nam ſive a mora aqua acrior facta, ſive mavis nova effuſione aucta graviorem alterum inſultum attulerit, ſive ſenſim magis atque magis urgendo confecerit, decimá ex quo ſic inventus fuerat hora, intempeſta nocte, vivendi finem fecit.

MORTUI corpus diligentiſſime, Studioſorum quoque gratia Adoleſcentum, per aliquot dies a nobis perluſtratum, hæc habuit adnotanda. Ventre patefacto, veſica urinaria ſtatim, omentum vero non niſi quæſitum, ſe oſtendit; totum enim inter ventriculum, & huic ſubjectum Colon inteſtinum latebat. Ventriculus valde contractus; mirum in ejuſmodi homine vel poſt noviſſimam illam inediam; & ſanus, niſi quod exterius in medio faciei poſterioris tuberculum erat ſubrotundum, ventriculo tamen concolor, quod ſectum, ex eadem fieri ſubſtantia viſum eſt, ex qua pleræque fibræ ventriculi. Tunc ad veſicam, quæ, Tenuibus inteſtinis ſurſum compulſis, ferme ad umbilicum uſque ſe extendebat, oculos, manuſque convertentes, totam pinguedine opertam, lotio autem diſtentam, ut mox ureteres pariter, & renes, deprehendimus. Hi quoque pinguedine obducti erant, eaque plurima, dura, ipſiſque arctiſſime adhærente. Ambo exterius inæquali ſuperficie, nec ſine indiciis tum veteris, tum præſentis vitii ulceroſi, interius vero quanto majori, quam ſolent, cavea, tanto minus craſſa circumcirca ſubſtantia, an quod ſæpius remorata urina diſtendendo extenuaſſet? an potius ab eroſione? ut ſubobſcure videbatur. Hæc omnia in rene dextero magis apparebant, qui & cellulam habuit mediocrem ex parte prominentem extrorſum, ex parte in renis ſubſtantia excavatam, humore urinæ ſimili plenam. Ureteres quoque etſi ambo erant ita amplificati, ut continuo exponam; tamen paulo minus ſiniſter fuit, quam dexter. Hic enim qua ex rene prodibat, gallinaceum æquabat ovulum, in ſummo truncatum; reliqua autem parte propemodum tota Aortæ arteriæ truncum Iliacis proximum non paulo ſuperabat, niſi quod prope ſuam in veſicam inſertionem aliquantum ſe contrahebat, orificio autem extremo minimi apicem digiti vix admittebat. In tanta dilatatione erat inſuper longior factus, ut excederet tranſverſos digitos triginta, ſi extenderes; ſæpius enim huc illuc ad angulum ſe inflectebat: quibus in locis interius a primo valvulis inſtrui videbatur; ſed hæc ſpecies, cum in rectum extenderes, prorſus abibat. Cum latitudine, & longitudine creverat quoque craſſitudo tunicarum; ut proclive mihi fuerit nonnulla de harum ſtructura perſpicere quæ non hic eſt opportunus deſcribendi locus. Porro veſicæ etiam tunicæ erant craſſiores factæ: ejuſque fundus quibuſdam in locis incipiebat quaſi exulcerari. Hæc, & colis glans nuda; erat enim cutis qua contegi ſolet, retrorſum, quaſi ut in paraphimoſi, rejecta; & neſcio quid obſtaculi, non magno ab extrema glande intervallo, immiſſo ſpecillo occurrentis, urethra autem a penis corporibus mox ſejuncta, continuo ſublati, fecerunt, ut hanc, initio a veſica ducto, ad finem uſque aperirem, & diligentius examinarem: ſed nihil vitii repertum eſt, ſi quaſdam albidas, oblongaſque excipias lineas, oblique ante alterum latus carunculæ Seminalis nonnihil extantes, duaſque harum ſimiles, quas trium circiter digitorum tranſverſorum intervallo ab extremo urinario meatu deprehendi.

Sterno ſublato, pulmones conſpecti ſunt utrinque ad dorſum concidentes, ut pinguiſſimum mediaſtinum omnino detectum relinquerent. Eorum dexter tota ferme laterali, & poſteriore facie cum pleura arctiſſime cohærebat: Sic & cordis univerſa ſuperficies cum pericardio, & ſuperficies item auriculæ dexteræ; arctius tamen ventriculus dexter, quam ſiniſter. In utroque horum ſanguis ater, & picem ferme liquidam referens; ſed is liquidam magis qui ater quoque profluxerat plurimus, cum vena Cava ad ſeptum Tranſverſum inciſa eſt. Arteriæ Carotides, per collum ſcandentes, valde amplæ. Sed Aorta ipſa, & quidquid ſciens omiſi vaſorum, aut viſcerum, ut ſilentio indicare ſoleo, ſecundum naturam ſe habebant: quin & muſculi erant bene rubicundi, nec colore ſolum, ſed & mole elegantes. Cerebrum denique diſſecui ſeptimo ab interitu die. Totum tamen valde notabili præditum duritie inveni; cum cerebellum eſſet mediocri

(*t*) Epiſt. 2. n. 24.

cri firmitudine; aqua autem copia non modica intra cranium fuiſſet. Nam præterquam quod cerebelli lamellas potui nullo negotio diducere, reapſe aqua ex cranio effluxerat a cervicibus amputato, & dum ſerra circum ſecaretur, effluebat, & ſub Tenui meninge adhuc inerat, & non pauca denique in Lateralibus ventriculis, me cerebrum, ut ſæpius ſoleo, in ſua ſede ſecante, deprehenſa eſt. Sic autem facere ſolitus ſum tum ad naturalem partium ſedem, ac poſitum certius cognoſcendum, ut jam olim adnotavi in Adverſariis (*u*), quod & poſtea alii ſecuti ſunt, & Majores indicarant, ut opinor, cum ſæpe cerebrum nobis non modo e cranio eductum, ſed & cranio inſidens, diſſectum pinxere: tum etiam ne ſi forte effuſa aqua, aut fluidus ſanguis ventriculis inſit; contrectato, & multifariam dimoto cerebro, abruptoque Infundibulo, aut locum mutet, aut magna ex parte elabatur. Quin etiam ne ex ipſis Sinibus ſanguis non concretus, amputatis venis Jugularibus, aut Cava, Superiore præſertim, effluat, a capite diſſectionem incipere ejuſmodi adhuc integrorum corporum, quandocunque licet, inſtitui; non ſemper autem licet, aut ob alia commodum eſt, ut neque in hoc fuit. Minuſque propterea miratus ſum, quod Sinus omnes, & Receptacula quæ ſunt ad Equinam ſellam, inania fuerint. Vaſa tamen quæ per Tenuem meningem diſcurrunt, juſto turgidiora conſpexi, plus tamen ſero, & aere, ut videbatur, quam ſanguine. Sed ad ventriculos ut redeam; in Septi interjecti duplicatura inveni pauxillum aquæ, in Choroidibus autem plexibus, qui diluto colore non erant, veſiculas plures, eadem plenas. Inverſo tandem cerebro, poſteriores ambos Carotidum arteriarum ramos, qui ut plurimum quidem ſunt perexiles, adeo dilatatos animadverti, ut ſi ita forent a natura, vix eorum Williſiana delineatio (*x*) eſſet digna reprehenſione. Nec minus dilatati erant qui cum ipſis communicant, ramuli, ab ea arteria emiſſi in quam confluunt Vertebrales. Sed præterea ramulorum eorum ſiniſter quodam loco, & Vertebralis quoque ſiniſtra prope eum confluxum albicabant. Quorum vaſorum utrumque cum propterea aperuiſſem; corpuſculum ibi inveni album, craſſiuſculum, ſubdurum, & jam ferme cartilagineum, quod ex illorum facie interiore cum introrſum protuberaret, non poterat cavum ex parte non obturare; nam vaſis utriuſque exterior facies æqualis erat, neque ibi ullo modo prominebat: itaque hoc vitium non ad oſſificationes tantummodo, ſed ad interiores quoque vaſorum excreſcentias attinere quodammodo videbatur. Noviſſime dum Pituitariam glandulam educere vellem ex ſua ſede; a levi ejus compreſſione mucus prodiit pellucidus, ſubflavus, cum eo qui ad oſculum uteri eſt, niſi quod non ita erat tenax, comparandus, pro mole glandulæ non paucus: quem in mucum abiiſſe crederes non modicam ejus glandulæ partem; nam exigua hujus, & informis reſtabat portio, eaque tactus, & viſus judicio ſecundum naturam; glandulæ autem reliquum, ejuſque Appendix nuſquam apparebant. Cæterum Infundibulum, quod paulo ante amputaveram, quantum extrinſecus aſpiciendo viſum fuerat, non ſecus ſe habebat, quam ſoleat.

20. Quo prolixior hiſtoria fuit, eo breviores erunt adnotationes. Nam de vitiis quæ in renibus, ureteribus, veſica, urethra deſcripſimus, erit alias (*y*) loquendi locus. Hoc unum hic ſatis eſt ex ipſis colligere, quod facile ad mortem attinuit. Cum fortaſſe vel plus multo quam ſolebat, homo bibiſſet, humoris autem epoti vel minus quam conſueverat, per cutis inviſibilia foramina, tempeſtate frigidiſſima prohibente, emanaſſet, urinæ autem viæ, & receptacula, in ſopito, & mox apoplectico eo etiam minus ſe contrahentia, quo minus ob deſcripta vitia ſentire, & conſtringere ſe poterant, jam magna vi lotii diſtenta eſſent, neque ars hoc educeret tum quia abdominis pinguedo veſicæ tumorem animadvertere, tum quia nota urinæ incontinentia hunc ſuſpicari, non ſinebat; ob hæc omnia factum crediderim, ut cum ſeri potulenti quo ſanguis redundabat, nihil amplius recipere, quippe diſtentiſſima, urinaria inſtrumenta poſſent; quod reliquum erat, in cerebrum aut irruerit, aut deſtillaverit, ſicque hominem confecerit. Cur autem cerebrum potiſſimum inundaverit, ex apoplexia, quæ olim præceſſerat, intelligas licet, quemadmodum etiam ex arteriarum illuc ſpectantium, & fortaſſe ex glandulæ quoque Pituitariæ vitio, quorum ab altero quid detrimenti impendere poſſit, alibi (*z*) ſubindicatum eſt, ab altero autem infra (*a*) indicabitur. Porro auriculæ cordis dexteræ cohæſio cum pericardio facile potuit efficere, ne illa impellendo in cor ſanguini quantum ab natura inſtitutum eſt, ſubſerviret, eoque hic minus expedite tum a cæteris partibus, tum a cerebro remearet. Cæterum illius auriculæ, & cordis cum pericardio, & pulmonis dexteri cum pleura arctior cohæſio tunc ortum habuiſſe credenda eſt quando thoracis inflammatio ſuperiore æſtate hominem afflixit; quanquam de ejus pulſibus, & reſpiratione poſt illud tempus nihil certi ſcire potui; tunc autem fuerant quales in ejuſmodi inflammationibus ſolent.

Illud denique huic hiſtoriæ addendum eſt, poſt biennium eodem menſe Decembri hujus hominis fratrem, pariter obeſum, ipſum quoque ab apoplexia periiſſe. Ejus pulmones pleuræ annexos, Aortam vero arteriam in thorace paſſim oſſeam fuiſſe, retulerunt. Quod facile credidi; nam ejuſdem arteriæ truncum toto illo tractu quo in ventre erat, vitiatum hic illic, & oſſeum factum inveni, cum ſemini, & lotio inſervientia organa diſſecarem. In his veſicam animadverti ea amplitudine, & in parte ea figura, ut ſæpe nimia urinæ copia diſtendi ſolitam fuiſſe, intelligerem. Cætera, & præſertim quæ in calvaria ſunt, ante fuerant humata, quam ea quæ nominata ſunt, viſcera inciderentur. Aorta vitiata ad memoriam revocat apoplectici alterius hiſtoriam, in quo & arteria non ſine vitio, quamvis minori, deprehenſa eſt.

21. N. FERRARINIUS, Sacerdos Veronenſis, qui olim Venetiis phthiſicus fuerat judicatus, Patavii autem ante decem annos hemicrania laboraverat, nunc anno exacto quadrageſimo tertio, canutus, facie interdum nimis rubicunda, gracili corporis habitu, nec tamen macilento, etſi alacer ad actiones, lætuſque videbatur, gravibus, quas diſſimulabat, curis vir alioquin ad iram pronus, valde anxius erat: queri autem ſolebat de quibuſdam intra thoracem doloribus, quorum ſedem manu ſterno impoſita deſignabat. Quin pridie ſe non bene habere, Chirurgo dixerat, ideoque remediis uti quam primum velle opportuno illo anni tempore; erat autem menſis ille Majus quo Tita (*b*), atque alii (*c*) in hac urbe repente obierant; quamvis tempeſtate ſicca, & calida facta, nonus jam eſſet dies ex quo id acciderat nemini. Cœnatus eſt tamen cum hoſpitibus hilariter; ſed intra modum: nec ſane, ſeu copiam, ſeu qualitatem attendas, peccare in cibis, aut potionibus conſueverat. At ſummo inſequenti mane in lecto mortuus inventus eſt, ſupinus, habitu dormientis, ſine ulla ad os ſpuma, tantum brachiis adeo rigidis, ut ſine vi diduci non poſſe, viderim, cum antequam adveſperaſceret domum ejus veniſſem cum Collegis meis Profeſſoribus Medicinæ Primariis. CADAVERIS facies, & cervices, & dorſum, & latera ex ſubrubro livebant. Cranium primum omnium ſecari juſſi. Id dum fieret, non paucus effluxit ſanguis colore propemodum obſoleto. Craſſa meninx ad Sagittalem ſuturam atra a ſanguine, cujus ne polypoſi quidem, copia aliqua inventa eſt in Falcis ſinu. Tenuis meningis vaſa ſanguine diſtenta, ut & illa quæ per Lateralium ventriculorum parietes, & per ſupremam partem repunt plexuum Choroidum, cætera pallentium. Quin medullaris cerebri ſubſtantia fuſca erat; crediidiſſem a copia ſanguinis, & ſane paſſim ſanguifera vaſcula per eam apparebant; niſi & hæc plura, & illam majorem in aliis vidiſſem, candida tamen ea medulla. In ventriculis aqua non pauca, multa etiam in cervicalium vertebrarum tubo a me

(*u*) VI. Anim. 10. (*x*) Cerebr. Anat. Fig. I. (*y*) Epiſt. 42. n. 19. 20. (*z*) Epiſt. 3. n. 22. (*a*) n. 36.
(*b*) Epiſt. 3. n. 11. (*c*) Ibid. n. 26. & Epiſt. 26. n. 35. Vid. ibid. & n. 17.

me eſt animadverſa. In cerebello nihil apparuit vitii, ut neque in cerebro, aut circa cerebrum quidquam quod peculiariter ad hemicraniam attineret; quæ fortaſſe exterior fuerat; qua olim vexabatur. In Pulmonibus, excepta ſanguinis copia nihil fuit quod adnotaremus. In pericardio nil ferme humoris. In cordis ventriculo dextero polypoſa concretio, Tricuſpidum valvularum fibrillis ex parte implicita, tres aut quatuor digitos longa, ſeſquidigitum lata, ſtructura valde compacta; ut qui polypos facile ponunt, hanc pro polypo ante mortem genito habere potuiſſent. Cum ea ſanguis ater ſemiconcretus, qualis & in proxima auricula. In ventriculo ſiniſtro ſanguis minus coagulatus, pauciorquè. Ejus columnæ quaſi inflammatæ, Semilunares valvulæ paulo quam æquum eſſet, duriores. Arteriæ Magnæ truncus a corde ad eum uſque locum unde incipit deſcendere, exterius quidem facie inæquali non ſecus ac ſi in tuberum modum quadantenus hic illic aſſurgeret: ſed interius toto eo ſpatio nihil, niſi ſuperficies rugoſa, vix duobus locis, iiſque exiguis indicia necdum maturæ oſſificationis: cætera per dorſum, & in cunctis aſcendentibus ramis naturali ſuperficie. Venter nihil habuit quod vitium oſtenderet notatu dignum. Hoc unum ex ejus inſpectione collegi, qua hora circiter eſſet mortuus. Nam cum cibi non eſſent amplius in ventriculo, neque ulla per meſenterium vaſa Lactea apparerent; hinc conjicere proclive erat, non multo antea quam mortuum invenerant, obiiſſe.

22. Apoplexia cenſui hunc Sacerdotem ſublatum eſſe, aqua intra cranium effuſa, quæ ſimul convellendo, quod brachia indicabant, ſimul, cum remorati ſanguinis copia comprimendo, cerebrum, ac cerebellum conſtrinxiſſet. Fuſcus ipſe medullaris ſubſtantiæ color ſententiam comprobabat meam; nam quidquid illud erat quod inter fibras cerebri paſſim depoſitum, eam ſubſtantiam infuſcabat, quantum ſpatii intra cranium demebat, tanto pernicioſior ut conſtrictio eſſet, efficiebat. Arteriæ quoque Magnæ vitium, ut alibi (*d*) indicatum eſt, credo ad apoplexiam inferendam conſpiraſſe. Nam quod de ſyncope ſuſpicari poſſes, cum quæ intra cranium conſpecta ſunt, tum ſubruber ipſe faciei livor; ne huc alia addam; ſatis infirmant. Neque a polypoſa illa concretione tibi facile imponi ſinas; poſſe enim, atque adeo revera poſt mortem pleraſque gigni vel iſta majores, & compactiores, ipſe quoque alias (*e*) cum Viro Clariſſimo, mihique jam inde ab eo tempore quo meus hic auditor fuit, magno ſuo merito longe chariſſimo Andrea Paſta confirmabo, nec ii qui plurima attente ſecant cujuſquemodi cadavera, diffitebuntur. At enim quoſdam hic Sacerdos intra thoracem dolores impoſita ſterno dextera ſolitus erat indicare. Audio: ſed vitia non deerant ejus portionis arteriæ Magnæ, quæ alte intra thoracem ſterno reſpondet: defuerant autem in alacritate illa, & promptitudine ad actiones indicia quæ cordis ventriculum dexterum ea concretione impeditum in vivente ſignificarent.

23. Verum cum polypis multum a quibuſdam tributum videam ad apoplexiam efficiendam; quid de hoc mihi videatur, & compertum ſit, non eſt hoc loco reticendum. Polypoſæ concretiones a veteribus quoque Proſectoribus adnotatæ ſunt, in his a Coitero (*f*), qui ſe, ſcripſit, *ex ſinubus duræ membranæ cerebri* phreneticæ mulieris, *ut alias ex ſuſpendio enecatorum cerebris, extraxiſſe fibras ſive filamenta craſſa, lumbricis non diſſimilia, ex alba pituita conflata: ſimiles ſumpſiſſe ex cordis ventriculis*: indeque ortum errorem exiſtimaſſe multorum qui vermes in cerebro, & corde ſibi viſos ajebant. At Nymmannus cum ejuſdemmodi concretiones circa Torcular deprehendiſſet; ab iis hanc ſedem obturari, cenſuit, unde ſanguis in totum cerebrum ferri credebatur; & ſic apoplexiam oriri. Habes Nymmanni dogma in Sepulchreto (*g*) ſecundum leges circumitionis ſanguinis ita inſtauratum, ut concretiones illæ non circa Torcular, ſed ad initium Internarum Jugularium venarum ſtatuantur, ſanguini obſtantes, non in cerebrum ituro, ſed a cerebro redituro: idque *frequentiſſime in apoplecticis contingere*, exiſtimetur. Illud quoque additum ibidem leges, ſi ejuſdemmodi concretiones e corde per arterias productæ, abrumpantur forte a ſanguine quamcunque ob cauſam vehementius commoto, ab ejuſdemque impetu ſurſum trudantur; ad anguſtiores partes, ſedeſque minime cedentes Carotidum, & Vertebralium arteriarum eſſe perventuras, ſicque omnem ad cerebrum aditum ſanguini obſtructuras. Imo nec illa omiſſa invenies (*h*) quæ Fracaſſatus comperta memoraverat in diſſectis, jubente Magno Etruriæ Duce, apoplecticorum cadaveribus, ſanguinis videlicet concretiones in ſanguiferis pulmonum vaſis, & cordis ventriculis. Sed ſi verum loqui volumus; ibi (*i*) Fracaſſatus ipſe faſſus eſt, *non Apoplexiam tamen, ſed ſyncopen hanc affectionem nuncupandam fuiſſe*. Quod vero ad duo illa attinet commemorata dogmata, quamvis polypoſas concretiones in viventium vaſis facile exiſtere, concederetur; non tamen facile eſſet omnes ſimul ad cerebrum aditus, aut a cerebro regreſſus, per eas ſanguini omnino obturari; niſi univerſa propemodum arterioſa, aut venoſa corporis vaſa, & cordis cava concreto ſanguine replerentur; unde tamen citius lenta ſyncope oriretur quam repentina apoplexia. Equidem in cadaveribus ſæpe inveni ejuſmodi concretiones vel in vaſis ad cerebrum pertinentibus; verum ſic forte contigit, ut eas perraro in apoplecticis deprehenderem, nonnunquam ferme exiguas invenirem, quod tibi & ſuperior, & hæc, & quæ ſequetur Epiſtola ſatis indicabit: ut meis quidem obſervationibus minime confirmare poſſim, id in apoplecticis eſſe *frequentiſſimum*: tantum abeſt ut mihi acciderit quod alicui, in Sepulchreto (*k*) leges accidiſſe, ut *quotquot apoplexia mortuos aperuit, in omnibus* illas *aut in corde, aut in cerebro, aut in ambobus reperiret*. Negas igitur, inquies, quod Martianus (*l*) expoſuit, *ſanguinis ſtationem fieri exiſtimaviſſe Hippocratem in venis, ſeu arteriis totius corporis, in apoplexia vero potiſſimum intercipi eas, quæ ſunt in collo, & in pectore*. Ego vero id tantum nego, ſeu potius de eo tantum dubito quod multis poſt Martianum certum videtur, & frequentiſſimum in rei quidem illa explicatione de qua paulo ante dictum eſt: quanquam ipſa vaſorum quæ in collo ſunt, interceptio quatenus huc faciat, ex Galeni vetuſtis quæ Salius (*m*) objicit, experimentis exiſtimandum eſt, de quibus cum iis quæ Valſalva habuit, comparatis longior nimirum ſermo faciendus eſſet, quam præſens inſtitutum patiatur; quamobrem alio (*n*) rejicietur. Nunc reliquas apoplecticorum hiſtorias propoſiti generis ſubjiciemus.

24. SALSAMENTARIUS, cujus erat taberna Venetiis contra portam Armamentarii publici, conſiſtente ætate, bono habitu, & ſubpingui; ex quo aliquot ante menſibus ægrotaverat, non amplius ita hilaris, ut olim, ſuit, nec tamen de incommodo queſtus eſt ullo quod ad caput attineret, ad quod neque illæ attinuerant ægrotationes. Huic pridie Nonas Sextiles A. 1708. nulla prævia evidenti cauſa, niſi forte ex cibo, in quo vel extremis vitæ diebus deliquit, valde intumuit bucca ſiniſtra, tumore inde ſe extendente infra mentum, atque auriculam. Neque eo minus in taberna fuit ſua, aut ea quæ facere, & comedere ſolebat, omiſit. Sed poſtridie Nonas vix e lecto, in quo noctem bene dormierat, ſurrexit, ſeque induit, cum repente magno, & vehementi cum impetu per cubiculum bis terve ambulavit, ſtatimque conſedit, atque ut ſe haberet, interrogatus, heu heu, heu reſpondit, ibique illico mortuus eſt. DISSECTIO ante veſpertinum tempus a Cl. Santorino habita eſt, inſpectantibus Protomedico, cujus ille vices iis annis gerebat, aliiſque cum eo Medicis, & in his nobis. Artus erant ſubrigidi, abdomen præpingue, qualia omentum, meſenterium, & mediaſtinum quoque. Tenuium inteſtinorum pars ad ſpithamam, eoque amplius, ex livido variegata. Lien æquo major, ac mollior, & convexa in facie quibuſdam latis quaſi maculis albicans.

(*d*) Epiſt. 3. n. 22. (*e*) Epiſt. 24. (*f*) Obſ. Anat. (*g*) l. 1. S. 2. Obſ. 1. cum Schol. (*h*) in Additam. ad Sect. cit. Obſ. 1.
(*i*) Diſſert. de Cerebro. (*k*) Sect. cit. Obſ. 37. §. 1. (*l*) Annot. in Hippocr. l. 2. de Morbis verſ. 64.
(*m*) De Affect. Particularib. c. 2. (*n*) Epiſt. 19.

bicans. Hepatis facies cava hic illic ex rubro liveſcens, limbus lividus, ſubſtantia omnis multo magis quam par ſit, ſcalpello reſiſtens. Thoracis cavum ferme totum pulmones implebant turgidi, & graves; multo minus tamen graves, quam turgidi; nam aerem quidem plurimum, ſerum non plurimum continebant: itaque mollitie erant, & colore naturali. In pericardio ſubcruenti ſeri mediocris copia. In cordis ſinibus, auriculis, vaſis nihil uſquam polypoſi; ſed ut in utroque ventriculo, & Pulmonari arteria, & Aorta ſanguinem animadvertimus omnino fluidum. Aortæ autem ſtatim ſupra cor diameter viſa eſt naturali major. Antequam Cranium ſecaretur, quæ natura eſſet, & quæ penitiores tumoris illius ſedes, cujus exteriores deſcripſi, quæſitum eſt. Parotis glandula ipſa erat integra; membranæ tantum quæ hanc, & proximas integebant partes, præſertim vero adipoſæ, ſtagnante in iis ſero turgebant: Sanguis vero & ipſe ſtagnans, imo, ut videbatur, quaſi effuſus, poſteriora pharyngis, aliaſque interiores colli partes maculaverat. Quæ cum vidiſſem; innui Santorino, ut pharyngem, arteriamque Aſperam cum larynge, annexiſque particulis e cadavere eximeret, ut hæc quoque contemplari poſſemus. Conſpectæ igitur ſunt membranæ, quæ linguæ radicem, tonſillas, & exteriorem undique laryngem conveſtiunt, lento ſubflavo ſero plurimum turgidæ ſic tamen, ut tonſillæ ipſæ, & canalium quos memoravimus, interiora ſecundum naturam ſe haberent. Ea dum eximeret, Jugulares Internæ venæ ſanguine plurimo diſtentæ apparuerant. Calvaria interea a Chirurgo adaperta, vaſa itidem cerebri, ac cerebelli ſuperficiem tenentia, nec ſecus quæ ſupra Calloſum corpus feruntur, turgidiora quam ſoleant, reperta ſunt a ſanguine hic quoque fluido; ut nihil omnino concreti ſanguinis in tota hac ſectione conſpectum ſit. Aqua autem obvia fuit ſub Tenui meninge, quæ facile propterea detrahebatur, nec pauca in ventriculis, & multa de vertebrarum tubo effluebat. In plexibus Choroidibus veſiculæ erant majores aliquanto quam ſæpius videre conſuevimus. Ipſi tamen minime albidi, nec cerebri, aut cerebelli ſubſtantia flaccida; ſed recte; nam & ipſe digitis tentare volui; conſtituta.

25. Hunc ego virum, niſi moriens locutus eſſet, neque ullos in ipſa morte reſpirandi conatus oſtendiſſet; ſuffocatione potius, quam apoplexia interfectum cenſuiſſem. In ejus diſſectione mihi, ut fit, venit in mentem diſſectionis alterius viri, quam aliqua ex parte non diſſimilem Bononiæ ante duos, treſve illos annos habueram, præſente Cl. Viro Jacobo Bartholomæo Beccario, nunc in Bononienſi tum Gymnaſio, tum Inſtituti Scientiarum Academia Profeſſore, imo hujus Præſide meritiſſimo, conſecante autem Medico pariter Experientiſſimo Heraclito Manfredio, qui in Noſocomio S. Mariæ de Morte ſumma diligentia, ac pari laude Aſſiſtentis Medici munus tunc gerebat. Simul eo tempore pro communi Medicinæ ſtudio, & mutuo inter nos amore ægrotantes viſebamus, ſimul quæ in mortuorum corporibus vitia laterent, quærebamus; ut in omnibus fere quas a me in eo Noſocomio adnotatas eſſe hiſtorias dico, velim duos illos Præſtantes Viros laborum meorum non teſtes modo, ſed & ſocios fuiſſe, intelligas.

26. AGRICOLA annos ad quadraginta natus, multis, acerbiſſimiſque, ob grave infortunium, animi perturbationibus affectus, denique ſub initium menſis Decembris A. 1705. ab ardente febre occupatus, in illud quod modo dixi, Noſocomium receptus fuerat. Poſt aliquot dies calor, & linguæ ſiccitas ſeſe remittere viſa ſunt. Contra, arteriæ, quæ ab initio molles fuerant, & alia vi in aliis pulſationibus ſe attollebant, vel magis inæqualiter movebantur. Ante diem XVI. Kal. Januarias mane pulſus erant pejores, atque humiliores. Oculi, quod inter initia quoque adnotatum fuerat, fixi, atque intenti. Sitis pariter permanebat. Verum præter hanc, nulla alia de re querebatur. Quin cum ſingillatim interrogaretur, internuſne calor, an quid præterea in capite, in thorace, in ventre, an uſquam alibi moleſtum eſſet, negavit: vix caput nonnihil videri grave, tarda, ac ſubmiſſa, ut ſolebat, voce, ſed tamen explicata, nec rauca, ſubjecit. Nondum erat ſemihora ex quo hæc reſponderat, cum ſubito ecce inter bibendum aquam, a Medico præſcriptam, qua aqua & diebus ſuperioribus uti conſueverat, ſub miniſtrorum oculis ſurſum retracto ſuperiore labro moritur. Ad horum clamorem confeſtim accurritur. In calente adhuc corpore omnes ubique pulſuum ſedes, ſi quid forte vitæ ſupereſſet, diligenter tentantur; ſed incaſſum: homo jam penitus erat mortuus. VENTREM poſtridie cum diſſecarem, in eo aliquanto plus humoris animadverti, quam ſolet: omentum autem ſurſum ita contractum, ut ſub coſtarum ſiniſtrarum angulo prorſus lateret. Inteſtinum vero Colon qua parte ſe demum flectit, ut cum Recto committatur, ante Ileum, ſub quo alias conditur, ita proſtabat, ut in medio ferme oſſa ipſa pubis contingeret, veſicæque, quæ lotio erat plena, inſideret. Exteriores inteſtini Jejuni tunicæ maculis quibuſdam ex rubro liventibus, raris tamen, atque minutis, diſtinguebantur, ex quibus, leviter vulneratis, fluidi ſanguinis guttulæ exibant. Ileum vero ſubrubrum erat, ac ſubdurum duobus in locis, quorum quidem alteri (nam forte altero in loco inteſtinum diſcindere oblitus ſum) ulcus ſuberat duos digitos latum, tres longum, quod exeſa interiore tunica, ad carneam uſque pervenerat, puro tamen ſinu, & oris minime tumentibus. In jecinore extremo erat livor, ſed qui non ita alte deſcenderet. De ejus veſicula, quæ inſolita quadam figura erat, bilem effudi craſſam, & turbidam, nec valde abſimilem aquæ in qua caro recens lota eſt. Lien magnus erat, & flaccidus. In Thorace pauca utrinque fuit aqua cruenta, qualis etiam in pericardio. Pulmones, niſi quod bronchiis plus paulo quam ſoleat, ineſſe humoris viſum eſt, ſani erant; quamvis pleuræ ab altera parte adhærerent, & ab utraque poſterius nigricarent, eandem videlicet ob cauſam, ob quam exterius quoque & cervices, & omne tergum, & reliquæ in quas cadaver jacebat, partes ex rubro præter modum livebant. Quippe ſanguis non concretus, non in grumos coactus, ſed omnino fluidus in cadavere hoc toto fuit; fluidum enim de Magna arteria prope ſeptum Tranſverſum inciſa, de vaſis quæ in collo ſunt, dum ab hoc caput amputaremus; paucis undecunque effluere vidimus: fluidumque ſine ulla vel minima polypoſa concretione in corde ipſo conſpeximus, quod flacciſſimum fuit, valvulaſque ad ſiniſtrum ventriculum attinentes, omnes habuit hic illic ſubduras, ſicut antea quam oſſeſcant, ſolent. Cerebrum quoque valde laxum erat, ſub ejuſque Tenui meninge alicubi quædam bullulæ, ubique mador conſpiciebatur. In Lateralibus ventriculis aquæ ſubcruentæ non multum. Vaſa tamen quæ per eorum diſcurrunt parietes, plexuſque ipſi Choroides minime pallebant. Utrinque in poſteriore plexuum parte veſiculæ erant, pellucido humore turgidæ. Denique glandula Pituitaria humilis adeo, & contracta, quaſi ut nulla eſſe videretur. His ita conſpectis, placuit mihi, ut (quod in quibuſdam hujuſmodi caſibus, & cadaveribus ſoleo) laryngem quoque, & huic proximas partes inſpiceremus. Erant autem dentes dentibus arcte adeo, & valenter commiſſi, ut non ſine maxima vi, ſummiſque conatibus diducere potuerimus; cum cæteræ quidem partes minime rigidæ, intentæve eſſent, neque præter ſuperius labrum, quod in moriente, ut ſupra, ſurſum retractum animadverterant, ulla alia nota apparuiſſet, quæ diſtentionem nervorum ſignificaret. Ore autem denique aperto, primum in conſpectum venit tumor, nuci juglandi ferme par, qui dexteram palati partem, qua molaris dens erat plurimum vitiatus, & exeſus, cum continente gingiva occupabat, & pure, ex parte cocto, turgebat. Porro membrana qua uvula, & contiguæ partes, atque exterior larynx ad extremum uſque epiglottidis apicem conteguntur, cum in ſummo livida erat, tum conciſa innumeras quaſi cellulas ſub ſe oſtendit, quarum tenues, & ſubrubri parietes quadam, ut ſic dicam, *gelatina* cellulas complente, diſtendebantur. Quæ his cellulis ſuberant, ea quidem ſana apparebant; at interior tamen laryngis facies ſubrubro colore prope glottidem infecta erat, ipſaque glottidis latera,

quæ cæteroquin albicabant, ut ſolent, multo magis quam ſoleant, connivebant.

27. In agricola hoc, non ſecus atque in Salſamentario, fluidum ubique ſanguinem fuiſſe, vides, ut in utroque pariter cum tumore ad oris latus oborto quam facile ſe conjunxerit lentioris ſeri collectio in cellulоſis membranis quæ exterius laryngem, vicinaſque partes conveſtiunt. Ob eam collectionem circa laryngem ſuſpicio primum nata eſt, Agricolam ſuffocatum obiiſſe præſertim inter bibendum. Sed nulli in moriente conatus animadverſi ad reſpirationem, ſi qua poſſet, expediendam, continuo ſuſpicionem hanc ſuſtulere. Reliquum igitur fuit, ut crederem potius, repente ex convulſione apoplecticum factum periiſſe. Convulſio autem cum in labri ſuperioris, tum maxime in maxillæ inferioris muſculis manifeſta, latentis illius quæ intra cranium fuerit, indicium eſt. Nec mirum, tam cito occiſum hominem flaccidiſſimo corde, cerebri autem ſubſtantia tam laxa, quam antea ſtupor oſtendebat non ſentientis veſicam lotio plenam, neque Ileum exulceratum, neque gingivam, & palatum deſcripta parulide, neque uvulæ, atque adeo laryngis exteriores membranas lenti ſeri congeſtione occupatas, in mortuo autem cerebri ipſa contrectatio, atque inciſio demonſtrarunt. Porro ad convulſionem inferendam non multam ſane aquæ copiam valuiſſe, non miraberis, qui vel paucas, modo acris; humoris guttas in nervo aliquo reſtitantes magnas ſcias diſtentiones nervorum efficere: non acrem vero iſtam aquam non poſſis exiſtimare quæ ex ejuſcemodi febre in cerebrum, ejuſque membranas, quippe in partes, ut in eo homine, maxime infirmas, repente incubuerit. Quod ſi mihi, ut aliquando Valſalvæ, præſto fuiſſet qui certos, in cadaveribus deprehenſos, humores guſtu exploraret, aut ſi inter diſſecandum ſubiiſſet animum cogitatio ratione alia aliqua, & fortaſſe non prorſus incerta, idem inquirendi; quid mihi de hoc quoque compertum eſſet, tecum perlibenter communicarem. Nunc hilari animo quæ poſſum accipe: aut quando non modo in his duobus, ſed in pluribus etiam aliis ex iis apoplecticis quos Epiſtola hac deſcripſi (*o*), fluidus ſanguis inventus eſt; vide, an hinc tibi cum Lanciſio (*p*) placeat acrium, & irritantium ſalium, in quibuſdam ſaltem illorum, vim, & redundantiam agnoſcere.

28. MULIER ſexagenaria, multos jam annos lecto affixa ob muſculorum contractionem artus inferiores moventium, cætera ſic ſatis valens, ut certe ſuperioribus præſertim diebus, cum aliquanto plura quam ſoleret, ediſſet; de improviſo oculos torquet, ſtatimque moritur. VENTRE, Thorace, Cranio a me perluſtratis in Bononienſi Incurabilium Noſocomio, anno, ut opinor, 1704. nihil in ſingulis iis caveis quod morbidum videri poſſet, animadverti, niſi aquam, eamque non multam.

29. Quanquam in contorſione illa oculorum ſignum convulſionis haud defuit; attamen ſi hic compreſſionem malis, aut cum convulſione ſimul compreſſionem agnoſcere; per me quidem licet. Sed fortaſſe hic, & ſuperius quoque dubitaveris, num recte faciam qui compreſſioni ab aqua, præſertim pauca, tantum tribuam. Nam primum minime ignoras, eſſe qui in ventriculis cerebri ſemper, eoque ſecundum naturam, ſtatuant pauxillum aquæ: deinde hanc vides, copioſiorem certe, quam in hydrocephalo interno eſſe non poſſe, & tamen Veſalium (*q*) qui in puella bienni, eo morbo affecta, *novem fere aquæ libras* invenit, teſtari, illam *ad mortem uſque ſenſibus omnibus integre eſſe uſam, & laxis* quidem, *infirmiſque, ſed non reſolutis fuiſſe articulis*: ad hæc, tumores intra cranium inventos eſſe, quos nulla conſecuta erat apoplexia, ex bene multis, vel in Sepulchreto obviis, diſſectionibus, præclare noſti. Verum; ut ab hiſce ultimis incipiamus; ipſe quoque olim in Adverſariis (*r*) adnotavi conſpectum mihi in tribus cranii oſſibus novæ oſſeæ ſubſtantiæ acceſſionem, ex qua multum illa introrſum protuberabant, cerebrumque comprimebant, neque tamen ab hac compreſſione ullum morbum, nedum apoplexiam, effectum fuiſſe. At ſimul admonui, idcirco, a me credi, non eſſe effectum, quod illa compreſſio paulatim facta, & aucta fuerat: idque adhuc credo, & te quoque credituturum exiſtimo; innumera enim exempla ſunt, ex quibus intelligatur, ut in detractione, ſic in additione, ſi paulatim, & per partes fiat, animalium corpora nullo, aut levi detrimento vel magnam ferre: at ſi repente, ac ſimul, ne multo minorem quidem ullo pacto ferre. Quod vero de tumoribus ejuſdemmodi, idem de hydrocephalo quoque dictum puta: ſenſim enim fieri ſolitum, non ignoras, ſicque iſtam, de qua Veſalius narrat, aquæ copiam *in menſibus plus minus ſeptem* collectam eſſe; ne quid dicam de cedentibus, cum hæc hydrocephali ſpecies incipit, cranii oſſibus. Poſtremo ut humidos ſecundum naturam cerebri ventriculos eſſe fateor; ita in omnibus, ſemperque, tantum aquæ continere, quantum in iis apoplecticis reperi, in quibus non multam fuiſſe, dixi, id vero in aliis atque aliis cadaveribus non raro a me habitis obſervationibus repugnat. Quæ cum ita ſint; non eſt cur dubites pernicioſam eorum cerebri compreſſionem agnoſcere, in quibus cum ferme nihil aquæ antea ineſſet, jam repente, aut intra perbreve temporis ſpatium copia aliqua effundatur, aut colligatur, præſertim ſi alia accedant quæ cerebrum ſimul in arctum cogant: quorum partim ſupra indicavi, partim cum hiſtoriam proximam tibi deſcripſero, mox ſubjiciam.

30. RUSTICUS ex agro Bononienſi, annos ſupra ſexaginta natus, a longo jam tempore ulcera in cruribus habebat ſordida, quæ ſanari, vehementer cupiebat. Itaque etſi malo ferme erat corporis habitu, nec niſi ſexto quoque die, injectis quæ alvum ſubducerent, hanc exonerabat; tamen nimis officioſum Chirurgum nactus, eo rem poſt tertium menſem perduxerat, ut purgata ulcera jam ſaneſcerent. Nondum cicatrix inducta erat, cum repente queri cœpit de ſumma capitis imbecillitate; & ſane arteriarum quoque pulſus exigui erant, & languidiſſimi. Poſtridie mane priſtina arteriis vis redierat, neque illibenter cibum ſumpſerat. Sed die tertio delirare primum, mox factus ſenſum toto corpore amittere: brachia tamen juſſus adhuc præbebat, ut arteriæ tangerentur: poſtmodum in utroque brachio ſigna animadverſa ſunt diſtentionis nervorum: demum omni ſentiendi, movendique vi orbatus, non ſine ſtertore vivere deſiit, humore flavo non multo ex utraque mortui nare exeunte. SECUI, inſpectante Valſalva, ineunte A. 1705. Abdominis muſculi optimo colore, ut & pinguedo ſatis copioſe ipſis impoſita, atque interjecta: ſed ad Spinæ latera in lumbis, pro pinguedine in cellullis membranæ Adipoſæ aqua erat. Colon inteſtinum ab dextero hypochondrio infra umbilicum ſe demittebat, Tenuibus inteſtinis antepoſitum; indeque ſe recurvans, hypochondrium ſiniſtrum petebat. Porro inteſtina, illudque inprimis, & Craſſa reliqua, duris hic illic recrementis diſtendebantur. Hepar minimis ravi coloris maculis, variegati inſtar marmoris, diſtinguebatur, & grave quiddam ſubolebat, veſiculamque, cum pauca bile, quaſi contractam habebat: ipſum tamen non erat durius quam ſoleat; ſed aliquanto majus. At lien prægrandis, viſuque fœdus, nec ſine magnis quibuſdam oblongis maculis, iiſque nigris, quaſi ab inflammatione: ſed hæc exterius; nam intus quidem non male habebat. Seminales quoque veſiculæ exterius nigricabant. Teſticulis vero ſingulis intra ipſam Vaginalem tunicam ſingulæ erant hydatides ſuperpoſitæ, magnæ; ſed major quæ ſiniſtro; medium tenentes, & ab omni ferme parte ſolutæ ac liberæ: quarum humor in cochleari ex orichalco igni impoſitus, non concrevit; ſed relicta quadam quaſi pellicula, evanuit. Cæterum in ventris, & thoracis cavo aqua pauca. Pulmonum dexter inferius, ſiniſter ſuperius, ille poſteriore, hic laterali facie, magnos ad tractus per telas membraneas pleuræ adhærebant, vel illic tamen omnino ſani, ut cætera quæ de more ſciens omitto. Dum cervicales vertebras a thoracicis dividebam, aqua ex harum tubo deſtillavit. Aqua etiam aperto Cranio, inter Craſſam, & Tenuem, itemque ſub Tenui cerebri meninge conſpecta eſt.

31. Alia ſunt in hac hiſtoria alio attinentia, quæ ſingula ſuo quodque loco explicabuntur: nunc ut ſo-

(*o*) n. 2. 8. 9. 11. (*p*) De Subit. Mort. Obſ. Phyſ. Anat. 4. in Schol. n. 4.
(*q*) De corp. hum. fabr. l. 1. c. 5. Vid. & Sepulchr. l. 1. S. 16. Obſ. 6. (*r*) VI. Animad. 84.

ut ſoleo quandocunque poſſum, univerſa, ne mutilæ, ut ſæpe in Sepulchreto, hiſtoriæ ſint, ſimul cum iis quæ ad rem præſentem faciunt, propono. Si apoplexiæ quæ ab aqua ſunt, ſemper tam lente, quam hæc, & paulatim fierent, aut quam illa quæ ex Sene alio, ab ſe diſſecto, a Præcl. Trewio (ſ) deſcripta eſt, aliæque ejuſcemodi; verum prorſus eſſet quod ait Martinnus (t), *apoplexiam a frigidorum humorum affluxu non derepente invadere, quemadmodum cæteris evenit*. Sed ut earum nonnullas quæ ex ſanguinis effuſione fiunt, paulatim increviſſe, Epiſtola oſtendit ſuperior (u), ita hæc pleraſque exhibet ab aqua factas, quæ de improviſo ingruerunt (x): quibus & alias potes adjungere, in primiſque deſcriptam a Brunnero quandam, & in Sepulchretum (y) relatam: inter cæteras autem quæ poſt ipſum cum Additamentis editum obſervatæ ſunt, illam pariter ſeroſam (z) qua ſenex miles, de nullo queſtus incommodo, quod præſertim ad eam ſpectaret, cum ruri eo die fuiſſet, cœnatuſque cubitum iviſſet, repente adeo abreptus eſt, ut ab uxore in lecto mortuus inveniretur.

32. Cæterum quæ poſtremo a nobis apoplexia deſcripta eſt, ſi ut convulſionis habuit conjuncta indicia, neque hæc quidem præter rationem, quippe ab aqua, uti videtur, facta, eroſivis fœta corpuſculis, quæ antea per crurum ulcera, ut in conſimilibus hiſtoriis quæ ſupra ex Valſalvæ ſchedis, & ex noſtris productæ ſunt, emanabant; ita ab aqua facta eſſet quæ non aliter ac premendo nocere poſſet, eaque, ut iſta ſane fuit, non multa; haud deeſſent tamen per quæ intelligere liceret, quemadmodum non multa aqua multum comprimere potuiſſet. Nam quæ cæteris non multa eſſet, eadem quibuſdam multa eſſe poteſt, iis videlicet quibus intra calvariam ſpatium anguſtius aut a natura eſt, aut ab alia aliqua ſive præcedente, ſive accedente cauſa, tunc nimirum cum aqua effunditur, aut augetur. Noli putare, inter has alterius generis cauſas quæ forte adveniunt, a me illam pro certo connumerari, quæ a Piccolhomino (a) ſine ulla ponitur dubitatione, *in plenilunio præ humiditate ita cerebrum turgeſcere, ut totam calvam impleat*. De hac enim re, quamvis propter Falloppii (b) obſervationem, haud temere perneganda, mihi quidem nihil liquet, ut contra de ſanguine liquet, ſicuti ſcriptum eſt ſupra (c), quacunque de cauſa cerebri vaſa omnia nimis diſtendente. Cui vaſorum diſtentioni ſi auctam forte eodem tempore vim addas qua arteriæ alternis dilatatæ cerebrum attollunt, quanto hanc magis augeri poſueris, tanto magis ſpatium quod intra cranium eſt, imminui, intelliges. Vaſa autem ſive tum ſanguine diſtendantur, cum aqua effunditur, ſive multo antea diſtenta ſint; res eodem redit. Sic in milite illo, quem, cum bene valens lectum petiiſſet, in hoc dicebamus (d) inventum ab uxore fuiſſe mortuum, conſpecta ſunt quidem etiam vaſa per cerebri ſuperficiem ſanguine turgida; ſed cum lectum petiit, neque ipſa turgida, neque aquam effuſam videtur habuiſſe. In gibboſo autem quodam Circumforaneo (e) vaſa quæ Choroidem plexum faciunt, cum mutata eſſent in corpus tumidum, ſubdurum, carnei coloris, quæ mutatio brevi tempore non poteſt fieri, ſatis oſtenderunt, mortem ſubitaneam qua ille homo ſublatus eſt, non propter ipſa tantummodo accidiſſe; multo enim antea accidiſſet; ſed etiam propter multæ limpidæ aquæ effuſionem, quæ cum ſpatium quod intra cranium erat, imminutum jam offendiſſet a tumido illo corpore, tanto celerius potuit, quod reliquum erat occupare, compreſſoque penitus cerebro, vitam repente adimere. Verum hæ omnes, aliæque ejuſcemodi cauſæ ad alterum de duobus generibus ſpectant quæ propoſuimus. Cauſas autem prioris generis, ſive quæ anguſtius id ſpatium in hominibus quibuſdam nullo non tempore efficiunt, quippe quæ ab ortu, aut a primis ætatibus uſque ſunt, repetere oportet aut a cerebri, & cerebelli mole æquo majori, ſi cum cranii capacitate comparetur, aut contra ab hac æquo minori, ſi cum illa conferatur: quæ quidem ἀσυμμετρία ſi haud ita raro inter alias occurrit partes; cur non aliquando inter has quoque? Equidem cum de alia in aliis cranii capacitate primum in Adverſariis (f) mentionem injeci, ad iſtam ipſam qua de hic agimus, rem illuſtrandam; eo, ſi quæris, me adduxerat alia in aliis craniis ſæpe animadverſa, & in nonnullis quidem altiſſima excavatio ad vaſa quæ per Duram meningem prominent, excipienda. Sed tacitam conjecturæ meæ cauſam plane confirmavit, atque amplificavit Vir Sagaciſſimus Hunauldius (g), quem Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſi, mihique ipſi ante diem ereptum, cum hæc ſcriberem cognovi ex litteris Celeberrimi, & erga me Liberaliſſimi Viri Reaumurii. Hunauldius enim animadvertit, nec raro, in puerilibus craniis præmature conſtringi, & ferruminari Sagittalem, & Coronariam ſuturas, proptereaque minime cedentibus oſſibus, augeſcens cerebrum arctari, premique adeo, ut in quo puero deletam jam prorſus utramque ſuturam conſpexit, in eo profundiores quam ſoleant, in ſincipitis, & frontis oſſibus excavationes deprehenderit ad cerebri anfractus excipiendos. Quæ cum ita ſint; probe vides quæ in quibuſdam aut ſemper eſſe, aut forte accedere poſſint cauſæ, quæ ſpatium detrahendo, efficiant, ut quæ aqua in aliis quibus eædem cauſæ non ſunt, uſque adeo non nocet, ea repente effuſa, aut ocyus addita, comprimendo afferat apoplexiam, eamque vel citius, quam par propemodum ſanguinis effuſi copia afferret in iis videlicet quibus amplius intra calvariam ſpatium foret. Non me fugit, Præſtantiſſimos eſſe Viros quibus non placet ullum in magnis corporis caveis agnoſcere ſpatium, ſed plenas adeo omnes ponunt, ut nihil quidquam addi queat. Locus hic non eſt ea de re fuſe, & diligenter ſcribendi, videndique, num cranium omnino plenum putare neceſſe ſit, cum ejus cavi continuata appendix, tubus videlicet vertebrarum, non ubique ſit plenus cerebri ipſius appendice, Spinali medulla, quippe, ut noſti, non parvum præſertim ad tractum, ſic attenuata, ut contingere ſuam nequeat Craſſiorem meningem; itemque num Calloſum corpus quod inferiore facie qua lacunar format Lateralium ventriculorum, convexum non eſt, ita ſe imponat Striatis corporibus, Thalamiſque Opticorum nervorum, protuberantiis nimirum non modo baſim, ſed & latera eorum ventriculorum facientibus (h), ut nihil prorſus intervalli relinquat; num pariter nihil omnino relinquatur ſpatii inter ventriculi quarti latera adeo prominentia; itemque inter cavas facies anterioris, & poſterioris partis ejuſdem ventriculi; nihil in canali qui Tranſitus dicitur ad eundem ventriculum; nihil demum qua meare poſſit humoris quidquam a ventriculis ad Infundibulum, & glandulam Pituitariam, quorum utrumque aliter poſſet fruſtra creatum videri. De his autem quærere hic omittimus, cum ſatis in præſentia eſſe poſſit quod diſerte iidem fatentur, cerebrum *cavitates habere, ut aliquando laxari inanitis cavis, aliquando comprimi poſſit, quando ea cava pleniora ſunt*, & alibi, *nullas arterias magis dilatabiles eſſe, quam quæ cranio continentur, verum eaſdem coarctari a cranio. Quando adeo ſanguis majori copia arterias piæ meningis replet, has majus ſpatium replere, & id ſpatium demi reliquis partibus encephali*. Hinc *a potu liquidorum ſpirituoſorum ſomnum* fieri. Quod igitur ſpatium ipſi quoque agnoſcunt, intraque naturæ modum imminui, & viciſſim reſtitui poſſe, dicunt, id, ut cætera, aliud in aliis eſſe corporibus, non dubitamus: & quibus igitur paulo amplius eſt, in iis ab eadem effuſæ aquæ copia non eandem cerebri compreſſionem, neque detrimentum idem futurum quod in iis quibus aliquanto anguſtius ſit.

33. Sed tu fortaſſe cum iis facis, qui aquæ effuſionem malunt nunquam apoplexiæ cauſam eſſe, ſed effectum ejuſdem cauſæ quæ apoplexiam facit, ut puta ſanguinis in vaſis quæ in cerebro, & circa cerebrum ſunt, reſtitantis. Quibus ego Doctiſſimis Viris hactenus in I. ad te Epiſtola (i), multoque etiam magis in Adverſariis (k), aſſenſus ſum, ut tamen non plus dederim quam quod aliis Sapientiſſimis Viris ſatis eſt, ple-

(ſ) Act. Nat. Cur. T. 4. Obſ. 135. cum Schol. (t) Annot. in Hippocr. l. 2. de Morb. verſ. 64. (u) n. 11. 20. 24.
(x) n. 4. 6. 9. 11. 16. 21. 26. 28. (y) l. 1. S. 2 in Addit. Obſ. 11. (z) Commerc. Litter. A. 1741. Hebd. 44. n. 1.
(a) Anat. Prælect. l. 5. Lect. 1. (b) Tract. de Vulner. c. 12. (c) n. 14. (d) n. 31.
(e) Commerc. Litter. A. 1736. Hebd. 46. (f) VI. Animad. 84. (g) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1734.
(h) Adverſ. indic. Animad. 10. (i) n. 5. (k) Adverſ. indic. Animad. 84.

plerunque rem ſe habere, ut illi conſtituunt. Feci igitur in his quas nunc mitto, Litteris idem fortaſſe quod in Foro, & Cauſis homines minus inconſiderati ſolent, qui ut id ab adverſariis impetrent quod æquum eſt, plus aliquanto interdum petunt. Satis enim mihi eſt, aquam vel convellendo, vel comprimendo, vel utrumque ſimul efficiendo poſſe interdum apoplexiæ cauſam eſſe. Si tibi eo arbitrio quod jam inde ab initio (*l*) permiſi, utenti non placet in hiſtoriis quas protuli, omnibus tantum ipſi aquæ tribuere, quantum ego viſus ſum; at in quibuſdam tribuere ne recuſa: rationeſque ſaltem attende, quibus ipſe rationibus oſtendere conatus ſum, aquam aut id revera feciſſe, aut certe facere potuiſſe. Quod ſi forte iis rationibus nihil egiſſe tibi videor, & aquæ effuſionem omnino effectum eſſe mavis, quam cauſam; vide, ne te invitum eo rationes adigant tuæ, ut ſanguinis quoque effuſionem non pro cauſa habeas apoplexiæ. Quod qui cenſuerunt, haud ſatis videntur attendiſſe, effuſiones ſanguinis non ſemper ab diſtentorum vaſorum ruptione, neque hanc ſemper a præſenti ſanguinis mora pendere; vaſorum enim tunicæ tum ab eroſione, ut alias (*m*) ſcripſi, pertundi queunt, tum poſtquam a prægreſſa olim, idque ſæpius, mora, aut impetu ſanguinis attenuatæ plurimum ſunt, repente a quovis, leviori etiam, qui accedat, impetu omnino perrumpi. Apoplexiæ autem quæ ſic effuſum ſanguinem conſequuntur, num a reſtitante in vaſis, an a comprimente extra vaſa cerebrum, efficiuntur? Certe quid compreſſio cerebri per ſe poſſit, arte, & caſu oſtenſum accepimus cum in brutis animantibus, tum in quibuſdam hominibus quibus fortuito pars cranii non parva adempta fuerat; manu enim ad cerebrum appreſſa, eadem quæ in apoplexia, ſymptomata accedebant; manu amota, paulatim abibant. Et ne ab ea quæ ab effuſo ſanguine fit, cerebri compreſſione recedamus; illud quod ſæpe viderunt Chirurgi, cogita, vel potius in Sepulchreto (*n*) lege. *Solam compreſſionem, a ſanguine intra ſpatium meningum ſtagnante, ad apoplexiam faciendam ſufficere, evincunt illi qui omnibus ſenſibus & motu privati, ſolo trepano a præſentiſſimo interitu vindicantur*. Ex quibus exemplis hoc quoque colligere ſimul poteris quod iis reponas, qui a compreſſione quidem apoplexiam agnoſcunt, ſed ab ea ſolum compreſſione quæ non ab una aliqua parte, ſed ferme undique cerebrum urgeat. Quibus & anatomica adverſantur exempla, velut duo illa quæ a Cel. Swietenio (*o*) ſunt commemorata. Eſt enim evidens, a ſanguine effuſo ad bina dumtaxat cochlearia, imo ad unum, comprimi undique cerebrum non poſſe. Ad ea ſi & noſtrum addas, Epiſtola ſcriptum ſuperiore (*p*); intelliges, duo cochlearia ſanguinis, partem cerebri tantummodo, idque exterius, prementis, inducere poſſe apoplexiam: qua autem ratione haud multus ſanguis, multum poſſit, ex iis cognoſces, quæ paulo ſupra (*q*) indicata ſunt.

34. Si igitur ſanguis effuſus, cerebrum premendo, apoplexiam facit; etiam aqua effuſa, pro rata portione facere poterit, aut certe ad quamcunque aliam cauſam, quæ ſola facere non poſſet, adjuncta, perficere: ut ſi forte ſanguini necdum in vaſis adeo reſtitanti, ut inferre valeat apoplexiam, effuſa interim aqua accedat; erit hæc effuſio, ſi ita vis, effectus illius retardationis; ſed compreſſio quæ ab effuſa aqua addetur, cauſa erit ultima apoplexiæ. Verum quamvis liberaliter in hac diſputatione tecum agam; ne tamen credas, me in alteram partem forte procliviorem; cujus rei cauſas procul habeo; quo jure, quave injuria plus aquæ tribuiſſe, quam par ſit; omiſſis hic partim, partim alium in locum rejectis cæteris apoplecticorum hiſtoriis in quorum cranio illam reperi, noviſſime tibi unam ſubjiciam in qua multum ibidem aquæ inveni, etſi apoplexia nulla fuerat. Ea hiſtoria expoſita, perpaucíſque ejus occaſione additis de uno ex multis modis atque rationibus quibus in cerebro aqua congeritur, his jam æquo prolixioribus Litteris finem imponam.

35. SENEX prope annos octoginta natus; olim, quod cicatrices oſtendebant, tibiarum ulceribus, nunc fœdis in cute ferme univerſa puſtulis affectus, in Bononienſe S. Mariæ de Morte Noſocomium ſub noctis initium recipitur. Arteriarum pulſus non frequentes illi quidem erant, ſed vi parum firma, eaque inæquali, neque in utroque brachio æque manifeſta. Lucebant oculi, intentique erant, & quaſi diverſa tuentes. Interrogatus, negat, caput dolere, aut grave eſſe, aut ſomnolentum. Vomuiſſe ſe, ait, idque lingua, ut videtur, titubante. Mens tamen, & ſenſus, & movendi facultas conſtant. Noctu ſenſim gravior fit: itaque moritur poſtridie mane. VENTRE aperto, ſana omnia inventa ſunt, niſi quod erant multo magis quam ſoleant, madida, hepar autem ſubalbidum, & duriuſculum, ejuſque veſicula referta ſubnigra bile, Colon denique inteſtinum; ſi id quoque huc cenſes attinere; ad craſſitudinem pollicis ſub ventriculo contractum. Hora erat a morte undecima, cadaver autem in aperto aere jacuerat, eoque frigido; medius enim erat menſis December A. 1705., inteſtina tamen adhuc calebant. Pulmones undique erant pleuræ affixi, a qua dum ſiniſtro in latere avellerentur, aqua prodiit, quæ ubi ſtagnaſſet, pro certo non potuit cognoſci. In corde, ut alibi quoque, ſanguis fluidus. Capite abſciſſo, aqua de maximo cranii foramine deſtillabat: & ſane ubique intra cranium fuit, præſertim vero ſub tota meninge Tenui, per quam, ſpumoſæ ſalivæ inſtar, bullulis videlicet paſſim admiſtis, translucebat. Plexus Choroides veſiculas aliquot aqua diſtentas habuere; ipſi tamen ab ea aqua quæ in ventriculis inventa eſt, minime albicabant. Cerebrum laxum erat: Pituitaria glandula quaſi nulla

36. Sive amplius in hoc cranio, pro mole cerebri, ſpatium fuit, ſive hujus vaſa; quæ neque turgida potui animadvertere, neque fore, arteriarum pulſus indicarant; minime turgebant, ſive lente omnino, atque paulatim aqua illa collecta fuerat; nulla, ut vides, hic fuit apoplexia; aqua tamen in cranio multa. Quo autem hæc modo collecta eſſet, facilius dicerem, ſi in ventriculis præſertim, ut non pauca fuit, ſic plurima fuiſſet, plexuſque in illis decolores. Nam Pituitariam glandulam uſque adeo extenuatam ſpectanti ſuſpicio non deeſſet, minus illam officio ſuo functam eſſe, non ſecus ac mammariam glandulam, & thymum, ac teſtes eo contractiores videmus, quo jam diutius in munere ceſſarunt ſuo. At ſi officium illius eſt deſtillantem e ventriculis humorem per Infundibulum excipere; cur non & multo plus aquæ in his fuiſſet, & in plexibus multo longioris, ut ſic dicam, macerationis indicia? Quæ ſane indicia, ut neque aqua plurima, nec in Agricola, nec in Stabulario fuerunt, de quibus ſupra (*r*) dictum eſt, cum in illo tamen ea glandula æque ac in Sene de quo loquimur, contracta eſſet, in Stabulario autem etiam vitiata. Quid ergo eſt? Num vulgo traditus hujus glandulæ uſus eſt in dubium vocandus? an potius, quoniam is ab ſtructura ipſa, & ſitu partium indicatur non obſcure, peculiari aliqua ratione eſt ita explicandus, ut quæ nos in tribus iis hominibus glandulæ vitia animadvertimus, defluxui humoris ventriculorum officerent quidem, ſed non quantum nobis debere officere viſum eſt? ut puta, ſi viæ præterea ſint aut quales multi eſſe arbitrantur, aut aliæ quæcunque, minus illæ quidem manifeſtæ, ſed plures, per quas pars humoris poſſit e ventriculis amandari. Sic enim, niſi hæ ſimul viæ obſtruantur; ventriculi aqua non complebuntur: ſi & hæ; magnus cerebri hydrops fiet. Itaque ut in illo hydrocephalo occluſas exiſtimo, in quo Hunauldius (*ſ*) neque in Pituitaria glandula, neque in Infundibulo vitium ullum ſenſibile invenit, ſic eaſdem quoque obſtructas crediderim in eo hydrocephalo in quo *glandulæ pituitariæ nullum veſtigium* fuit, ſicut habes in Sepulchreto (*t*), multoque etiam magis in altero in quo, ut ibidem (*u*) leges, illa *flaccida, & ſatis magna*, nec multo minus in tertio, & quarto ibi pariter (*x*) deſcripto, aut commemorato,

(*l*) n. 1. (*m*) Epiſt. 3. n. 3. (*n*) l. 1. S. 2. Obſ. 9. in Schol. (*o*) Comment. in Boerh. Aph. §. 1010. ε, & 4. (*p*) n. 14.
(*q*) n. 32. (*r*) n. 26. & 19. (*ſ*) Memoir. de l'Acad. R. des Sc. A. 1740. (*t*) l. 1. S. 16. Obſ. 7.
(*u*) Obſ. 8. Vid. tamen de utraque hac Obſervatione Epiſt. 12. n 4. (*x*) cit Sect. 16. in Addit. Obſ. 12. & in Schol. ad eandem in fin.

rato, in quorum altero *humor* fuit in ea glandula *unctuoſus*, *pellucidus tamen*, *ſtylo viſci inſtar adhærens*, in altero autem eadem, *qua infundibulum inſerebatur*, *gelatina quadam viſcida ad magnitudinem minoris fabæ penitus oppleta fuit*. In his igitur omnibus alias quoque vias impeditas fuiſſe, cenſeo: non ſic vero in illis tribus apoplecticis quos ſuperius propoſui, ut neque in illo quem deſcriptum habes in Sepulchreto (*y*), *in* cujus *glandula pituitaria*, *duplo majore ſolito*, *ſinus inventus eſt plenus muco*, *qui in gelatinam ſubflavam pellucidam concreverat*. In his enim non plus ei glandulæ tribuo, quam ut *ad aquæ cumulationem ſymbolum contulerit*, quæ ſententia auctoris quoque fuit hujus poſtremæ obſervationis Wepferi (*z*) in ea Scholiorum parte, quæ non ſecus ac ejus nomen, in Sepulchreto omiſſa eſt. Quam obſervationem, ut & duas illas quas de hydrocephalo, ultimo loco indicavi, ſi cum mea illa, in Stabulario habita (*a*), quod ad glandulæ Pituitariæ affectionem attinet, diligenter conjungas; facile intelliges, inter cæteros ejus morbos, viſcidi in ea muci congeſtionem haud ita raro contingere: quo fortaſſe tumor quoque referendus eſt de ſteatomatum genere, ab eodem, quem ſupra (*b*) laudavi, Manfredio A. 1707. in ea glandula deprehenſus. Et muco pariter illas quoque alias vias aliquando occludi poſſe, intelliges, ſi quam Pechlinus in Sepulchreto (*c*) deſcripſit, hydrocephali ſectionem relegens, animadverteris, ſub maxima limpidiſſimi ſeri copia *in ventriculorum fundo lentam fuiſſe & pituitoſam lympham*, *quæ ſe glutinis inſtar parietibus cerebri medullaris*, *& ventriculorum limbis applicaverat*.

37. Cæterum humoris in Pituitariam glandulam defluxum a ventriculis quidem cerebri omnibus Infundibuli occluſio impedit, velut ea quam Brunnerus (*d*), itemque ex quas Littrius (*e*), aliique, & in his Præcl. Hallerus (*f*) ab ſe viſas tradunt: a Lateralibus vero quatenus impedire poſſit orarum Fornicis cum baſi horum ventriculorum coalitus, aut ad hanc arctiſſima appreſſio, videndum eſſet. Verum aliquando Epiſtola hic, ut promiſi, finem habeat. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA V.

De Apoplexia quæ neque a ſanguine, neque a ſero eſt, ſermo habetur.

Præclare, ut ſolebat, Boerhaavius (*a*), Apoplexia, inquit, *bene dividitur in ſanguineam*, *& pituitoſam*; *ſed non perfecta diviſione*, *quum & ſeroſa*, *& atrabilaria*, *& polypoſa ſit*, *& alia*. Eademque nobis, quippe *anatomica inſpectione cadaverum* co morbo *extinctorum* pariter edoctis, ſi pauca quædam excipias, ſententia eſt. Itaque cum apoplexiam in ſanguineam, & ſeroſam diviſimus (*b*), non morbum ipſum diviſimus, ſed frequentiores potius cum aliorum, tum nominatim Valſalvæ, & noſtras apoplecticorum diſſectiones, cæteroquin diſerte faſſi, nonnunquam & alias, præter ſanguinem, & ſerum, apoplexiæ cauſas inveniri, quarum tibi aliquas, ut tunc promiſimus, hac Epiſtola proponemus. Seroſam autem potius diximus, quam pituitoſam, frequentiora pariter ſpectantes. Nam ut vera ſcripſiſſe, non dubitemus, Columbum noſtrum (*c*), cum ſe *diſſecuiſſe non ſemel*, ait, *qui ob fortem apoplexiam obierant*, *in eorumque cerebro magnam aquæ copiam reperiſſe*: *perſpicuam quidem*, *ſed glutinoſam*; ſic minus obvia vidiſſe, credimus, niſi forte cenſeas, aquæ illius quæ ſæpe ſub Tenui meninge (*d*) primo aſpectu *gelatinæ* inſtar apparet, ſpeciem potius, quam naturam, attendiſſe. Cæterum ſi ejuſmodi aquam reperit quæ reapſe pituitam illam referret, quam tunc vulgo cauſam eſſe exiſtimabant apoplexiæ; recte fecit quod ejuſmodi obſervationes in eum librum rejecit quem *de iis* inſcripſit, *quæ raro in Anatome reperiuntur*. Nec minus recte fecit Varolius (*e*) (cujus locum, alias quoque (*f*) productum, forſan æquius eſt ad hunc modum interpretari) ſi pituitam eandem ſpectans, negavit, *in ventriculis cerebri* apoplecticorum *reperiri majorem excrementorum copiam*, *quam communiter in omnibus aliis reperiri ſoleat*. Verum ad promiſſa efficienda, ab duabus Valſalvæ hiſtoriis initio ducto, pergamus.

2. VIR erat annos natus triginta tres, ſanguineo temperamento, gracilis, hernioſus, mero, & *tabacco* ſummopere deditus. Hic cœpit dolere parte capitis ſiniſtra, ad occipitium præſertim: quem dolorem ſecutus eſt dolor, & imbecillitas muſculorum colli in eodem latere. Primum febris vehemens fuit; ſed poſtea ſe remittere viſa eſt. Verum pulſus factus eſt non modo rarus, ſed & debilis, parumque renitens, ſimulque collabaſcere cœperunt vires, ut quivis corporis motus jam eſſent difficiles. Quin etiam poſt interruptum delirium, aphonia acceſſit, neque æger amplius movere ſe potuit, donec, lente moriens, poſt diem tandem quartum decimum vivere deſiit. E CRANIO dum cerebrum eximitur, in hujus baſi paululum purulentæ materiæ animadvertitur: qua abſterſa, dum cerebrum tractatur, ibidem nova conſpicitur. Nimirum per Infundibulum e ventriculis prodibat. Nam eadem ſiniſter, dexterque præſertim, redundabant. Quippe in hujus Striato corpore foramen erat, quocum ulcus ſinuoſum communicabat, tertiam partem occupans ſubſtantiæ, quæ a dextris baſim cerebri faciebat. A ſiniſtris nihil in cerebro erat vitiatum. His inſpectis, ob herniam diſſecto ſcroto, inteſtina reperta ſunt teſticulo, & circumjectis membranis tam valide annexa, ut neutiquam potuiſſent in ſuam ſedem reponi.

3. Si effuſus ſanguis in pus ſe converteret; tibi fortaſſe hanc diſſectionem cum aliis comparanti quæ Epiſtola III. deſcriptæ ſunt (*g*), hæc quoque apoplexia videretur ab effuſo ſanguine fuiſſe qui ſibi primum in ſubſtantia cerebri cavernam iſtam excavaſſet, mox in pus verſus, Striato corpore perrupto, in impoſitum ventriculum, ex eoque in alterum irruiſſet. Verum cum ſanguinem effuſum perſtare, non pus fieri, aliæ alias (*h*) a nobis productæ, producendæque hiſtoriæ comprobent; ſatius eſt conjicere, abſceſſum, paulatim in cerebro factum, vehementem febrem tunc excitaſſe, cum ex ejus materia pus conficiebatur, quo confecto, ſe febris, ut ſolet, remiſerit (*i*), mox autem cum, via ſibi facta per Corpus Striatum, pus in ventriculos redundavit, iſtam apoplectici generis affectionem acceſſiſſe. Extat Laubii (*k*) obſervatio, alibi quoque a nobis facile commemoranda, quæ conferri cum hac poſſet; rametſi multo ſerius poſt gravem febrim, apoplexia a pure ſucceſſit; ſi dilucidius indicata eſſet hujus ſedes. Apparet enim, effluxiſſe e cerebri hemiſphærio ſiniſtro ſupra os Petroſum; ſed non æque intelligitur ubi *verſus thalamos* (ambos ſcilicet, quemadmodum hæc ipſa verba ſignificant, ut prægreſſam omittamus utriuſque oculi affectionem) ubi, inquam, *verſus thalamos nervorum opticorum* pus fuerit *antea concluſum*. Longe ta-

(*y*) l. 1. S. 2. Obſ. 41. (*z*) Obſ. ex cadaver. Apopl. in Auct. Hiſt. 16. (*a*) ſupra, n. 19. (*b*) n. 25.
(*c*) in cit. Addit. ad S. 16. Obſ. 5. (*d*) Ibid. Obſ. 12. (*e*) Memoir. de l' Acad. R. des Sc. A. 1707.
(*f*) Icon. Anatom. Faſcicul. 7. in Explic. Tab. 1. ad *P*. not. *C*. (*a*) Aphor. de cognoſc. morb. §. 1012. (*b*) Epiſt. 2. n. 6.
(*c*) De Re Anat. l. 15. (*d*) Vid. Epiſt. 6. n. 12. 13. (*e*) De nervis Optic. Epiſt. 2. (*f*) Epiſt. 2. n. 7. & Epiſt. 4. n. 1.
(*g*) Vid. præſertim n. 4. (*h*) Epiſt. Anat. 13. n. 23. & Epiſt. Anat. Medic. 2. n. 15. (*i*) Hippocr. S. 2. Aph. 47.
(*k*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 39.

ge tamen obſcurior ſcaturigo eſt illius puris quod a Valſalva fuit in altera diſſectione conſpectum, ſi non poſt veram apoplexiam, at certe poſt affectionem de ejuſdemmodi genere. Nam res ad hunc modum ſe habuit.

4. MULIERI annos amplius quadraginta natæ ex valde imminutis menſtruis purgationibus obortus eſt in ſiniſtro crure cancroſus tumor: quo poſtmodum exulcerato, aliiſque in eodem crure ulceribus coortis, non levis dolor, & febris prope aſſidua acceſſit. Jamque annum, eoque amplius hæc pertulerat, cum diuturnarum moleſtiarum pertæſa, a Valſalva petiit, ut crus, jam nulla ratione ſanabile, amputaret. Quo annuente, & rem feliciter peragente, cum ad tertium ab amputatione diem ventum eſſet, lividus in mutilata parte apparuit color, qui cum biduum perſtitiſſet; adhibito emplaſtro ex emollientibus, & volatilibus parato, vividus color eſt reſtitutus. Interim febris in dies fit gravior, in acutamque degenerat. Parotis a dextris ſe attollit, adeoque intumeſcit, ut ad horas plus viginti quatuor ne liquidum quidem alimentum deglutire ſinat. Sed largis obortis ſudoribus, remittitur febris, parotis diſcutitur, & feliciter omnia videntur procedere. Quin etiam cum circa trigeſimum diem, ob erratum in cibo admiſſum, acuta febris rediiſſet, multoſque perſtitiſſet dies; per ſudores iterum ſublata eſt. Hæc quæ dicta ſunt, minime obſtiterunt, quin magis magiſque accreſcente cicatrice, curatio jam ad finem ſpectaret. Verum tertio circiter ab amputatione menſe, cum mulier e lecto exempta jam eſſet, affectione corripitur de genere apoplecticarum. Cum delirio enim, & convulſionibus, ſenſus, & motus imminutio in tota parte corporis dextera conjuncta erat. Quæ mala etſi ad aliquot interdum dies remitti videbantur; tamen vehementius redeuntia ægram de medio ſuſtulerunt. CRANIO exſecto, multum pus inventum eſt ſtagnans in ſiniſtro cerebri ventriculo: nec tamen læſio ulla in ipſo cerebro deprehenſa eſt. Verum ſuſpicio eſſe poterat, materiam, quæ antea in crus ferebatur, in caput illatam fuiſſe.

5. Suſpicio hæc tamen difficilem obſcuramque habet explicationem. Materia enim quæ olim in crus ferebatur, in cruris ulceribus pus fiebat; in cerebro autem nuſquam ulcus repertum eſt. Aut ſi ex diuturnis cruris ulceribus relatam in vias ſanguinis partem credimus purulentæ materiæ; cur non hæc potius ad vulnus defluebat necdum perſanatum? Omnino ſuſpicari mallem, acutarum febrium tempore in aliqua interna parte corporis coactam materiam, abſceſſumque factum; ni Valſalva ipſe qua erat diligentia in muliere inviſenda, & ſolertia in eorum omnium quæ incidebant, cauſis inquirendis, ſatis ſuperque ſigni dediſſet, nihil ejuſmodi ſubfuiſſe, quando nullam, præter caput, partem corporis ſibi diſſecandam putavit. Quid ergo eſt? Num puriforem potius humorem, quam verum pus, fuiſſe, credemus? Non ſinit ſumma in re Chirurgica Valſalvæ peritia, qui pus ſe inveniſſe, diſerte ſcripſit. Præſtat igitur, ut ex aliqua alia hiſtoria lumen expectemus, quam ut nunc temere aliquid, & præcipitanter effutiamus. Interea autem ad hiſtorias aliquot proprias tibi deſcribendas pergemus: quarum duæ primæ duabus, modo ex Valſalva propoſitis, quadantenus reſpondere videbuntur.

6. MULIER Patavina, Jacoba nomine, Angeli Zanardii uxor (fecit enim inventus in ſingulis ejus lateribus tredecim coſtarum numerus, ut quod in plebejis non ſoleo, nomen quærerem, atque adnotarem) cum annum ageret undeſexageſimum, apoplexia correpta eſt. Huic gravis ſupervenit febris. Ob hæc in Noſocomium illata, dies ibi aliquot ſuperſtes fuit. Etſi loqui non poterat; tamen primo quidem die intelligere videbatur; nam ſanum brachium Medicis tentandum ultro præbuit. Id erat ſiniſtrum. Dexteri autem artus ut ſenſu, ita etiam motu carebant: videbanturque inſuper quaſi a convulſione contracti. Sic & oculi dexteri connivebant palpebræ; ut fere clauſus appareret. Facies rubebat. Sorbitio difficilis non erat.

MORTUA muliere, cum hæc accepiſſem; eo libentius Studioſorum Juvenum gratia cadaver incidendum ſuſcepi, quod ſi noxa in cerebro organica eſſet, hanc a ſiniſtris ſecundum Valſalvæ obſervationes, tunc a me nuper edita Epiſtola (*l*) confirmatas, facile ſe viſuros ſperabant. Itaque cum Doctis pluribus Viris, ut cæteris, ita huic quoque diſſectioni, quæ diligenter habita eſt, & aliquot occupavit dies, frequentes interfuerunt. Sed hic non alia ferme, quam quæ aut præter naturam, aut præter ſolitum occurrerunt, perſcribam. Primum omnium, inæqualem corporis, quod alioquin juſta erat ſtatura, nutritionem animadverti. Cum enim truncus, & femora pinguia eſſent; crura, & pedes, & ſuperiores artus præſertim erant macilenti. Hora erat a morte decima tertia, cum Venter apertus eſt, tempeſtas autem frigida, quippe ultimis diebus anni 1740. Tamen fumantia viſcera acrem etiam tum calorem vel poſt aliam exactam horam retinebant. Omentum retractum erat ad ventriculum, qui parvus apparebat, cum inteſtina Tenuia, & pars Craſſorum aere eſſent ſubturgida. Illa autem ſurſum repulerat veſica, urina diſtenta, quæ nulla re, niſi propria operta pinguedine, ad ſex digitos ſupra os pubis ſe attollebat. Cum manu comprimeremus; lixivioſum lotium, non tamen fœtidum, vix guttatim prodibat. Erant enim vaſa ſanguifera in ſupremo urethræ orificio, & aliquo ſupra ipſum ſpatio valde ſanguine diſtenta, & nigricantia, ad eundemque modum, ſed paulo minus, per maximam partem internæ faciei urethræ pergebant, ut facile intelligeres, eſſe ea loca non modo inflammata, ſed gangrænæ jam proxima. Quin etiam interior veſicæ facies ſanguineis hic illic punctis diſtinguebatur. In uteri cavo aliquid ſubflavi humoris animadvertimus. Neque de ventris viſceribus ſupereſt quod adnotemus, ſi hepatis excipias veſiculam bile turgidiorem fuſca, ut videbatur, ſed quæ colore inficeret maxime flavo, quo & proximum veſiculæ inteſtinum Colon infectum erat. In ea bile concretiones erant quædam paucæ, parvæque, & molles, niſi quod una tamen in calculum denſata erat firmum, & durum, diametro æquantem apicem minimi digiti, ſuperficie undique granoſa, figura autem rotunda, ut unum ex iis bellariis referre poſſet, ex coriandri ſemine, inductoque ſaccharo ſic paratis, ut ſuperficies aſperula ſit; niſi colore fuiſſet cinereo, & quiddam quaſi pellucidi habuiſſet. In Thorace, pulmo dexter magna ex parte ad pleuram annexus, in ſummo autem poſterius adeo corruptus ex antiquo fortaſſe vitio, ut humorem graveolentem effunderet. Quo abſterſo, & viſceribus inde, & ex ventre detractis, duo animadverti, atque oſtendi, alterum in diaphragmate, alterum in coſtis, & vertebris, quæ tametſi ad morbum non attineant, tamen ob raritatem digna ſunt quæ minime tibi reticeantur. In diaphragmate erant duo proxima quidem, ſed inter ſe diſtincta, foramina ad venas e ventre in thoracem trajiciendas. Nam præter majus, quod in omnibus eſt, ad truncum ipſum venæ Cavæ tranſmittendum, alterum prope oram primi anteriorem patebat, unam traducens de hepaticis venis, paulo altius quam ſoleat, id eſt ſupra diaphragma, in Cavæ truncum inſerendam. Coſtæ autem erant viginti ſex. In ſingulis enim lateribus ſingulæ erant coſtulæ infra duodecimam, mobili junctura nexæ cum primæ lumbaris vertebræ corpore, ita autem breves, ut ſingularum longitudo tranſverſos duos digitos pollices minime ſuperaret, cum longiores, quam ſolent, ambæ duodecimæ viderentur. Vertebræ autem lumborum ſex erant, aut ſi primam ob annexas dumtaxat coſtulas (nam cætera, lumbarium fuit ſimillima) malis thoracis vertebris annumerare; hæ tredecim erant, lumbares quinque. Sed quinctæ corpus, magnitudine, & forma qua ſolet, præditum, iiſdemque adjunctis proceſſibus, niſi quod poſterior minor aliquanto erat, ornatum, ſic erat poſitum, ut antrorſum, dextrorſumque inclinaret. Minus alta cartilagine a Sacro oſſe dividebatur: quin etiam ſiniſtra ora cum eo connatum,

(*l*) Epiſt. Anat. 13.

tum, alio præterea modo cum eodem ſe conjungebat. Nam oſſea quaſi ala utrinque emiſſa, quæ, foramine pro nervis relicto, omne propemodum intervallum implebat, proceſſibus vertebræ Tranſverſis, & ſummis oſſis Sacri lateribus interpoſitum, his infimam ejus alæ partem per γίγγλυμον arcte committebat. Erat autem os Sacrum paulo brevius, facieque anteriore minus cava, & inter deſcendendum, nonnihil vergebat dextrorſum. Cæterum, ſi imam illam vertebram excipias, nihil in vertebris omnibus a capite ad eam uſque præter naturæ conſuetudinem inventum eſt.

Sed ad Caput, cujus potiſſimum cauſa hæc inſtituta diſſectio eſt, tranſeamus. Dum cranium ſecabatur, ſerum non paucum prodiit. Illius fornice ſublato, cerebrum ſua in ſede perſecantes, primum quidem Duram meningem craſſiorem animadvertimus. Per alteram autem meningem vaſa omnia ſanguine non ſecus ac ſi uſus eſſem injectione, multum diſtenta. Erat is ſanguis qualis in toto hoc cadavere ater, nec valde fluidus. Sub eadem meninge conſpiciebatur in cerebri anfractibus aqua pellucida, cujuſmodi aquam mox in ventriculis, Lateralibus dumtaxat, invenimus, cum plexibus tamen Choroidibus minime decoloribus, quamvis veſiculas habentibus aqua turgidas, & ex his unam, minimum uvæ acinum æquantem. Fuit hæc in plexu ſiniſtro: quo ſublato, animadverti Thalamum nervi Optici non eo quo dexter, naturali eſſe colore, ſed fuſco. Tunc aſſulatim cerebrum diſſecando, hujus quidem reliquam omnem ſubſtantiam reperi quam optime conſtitutam; ſed quæ a latere externo Thalami, quem memoravi, ſiniſtri erat ſubſtantia medullaris, ea permollis, & quaſi liquata, ac permiſta cum cruento quodam, ſed obſoleti coloris, humore deprehenſa eſt, ut nihil, niſi gravis odor deeſſet, ut plane fracidam pronunciares. Occupabat id vitium paulo plus loci, quam a maxima nuce juglande occupari potuiſſet, eratque color ille cruenti humoris in ejus medio manifeſtior. Fuit autem res eo facilius animadvertenda, quod cum cerebrum, ut dixi, alibi ſuo colore eſſet, nec cerebello tantum durius, ſed mira quadam ubique, & præſertim in toto dextero hemiſphærio, duritie præditum; in illo uno, quem deſignavi, loco ſubcruentum colorem, & ſubſtantiam quaſi diffluentem habebat.

7. Apoſtema ſui generis (*m*) fuiſſe hoc, credo, agnoſcente etiam Avicenna (*n*) apoplexiam a *repletione apoſtemante*, cujus vim in propoſita muliere effuſa aqua, & diſtenta ſanguine vaſa augebant. Accidit autem apoſtema circa eam ſedem, in qua plerumque magnas, quæ in apoplecticis occurrunt, organicas noxas inveniri, alias (*o*) indicavimus: quam ad ſedem, & ex apoſtemate quidem, in Viro erat quoque in prima Valſalvæ hiſtoria deſcripto (*p*). Porro in eadem, itemque in altera (*q*), & in hac pariter hiſtoria noſtra ejus confirmatam doctrinam vides, noxa in eo cerebri hemiſphærio inventa quod reſoluto corporis lateri oppoſitum erat.

8. Inflammatio autem qua noſtræ apoplecticæ veſica laboraverat, quippe tanta urinæ copia diſtenta, facit ut in mentem veniat ingentis illius collectionis urinæ, quam in Stabulario (*r*) a me deſcriptam eſſe, memineris, nec minoris, quam tibi in veſica anus, ex apoplexia pariter mortuæ, alio loco (*ſ*) deſcribam. Ex his atque aliis ejuſmodi Obſervationibus facile intelligis, quam facile poſſit accidere, ut qui apoplectici paulo diutius vitam trahunt, iis nova inſuper malorum acceſſio fiat ab urinæ retentione, eo minus animadverſa, quod cum pauca qui poſſunt, ſed ea liquida, deglutiant, lotium autem ſæpe ob infirmatas ſphincteris vires guttatim deſtillans, cubile humectet, his indiciis acquieſcunt miniſtri, ut minime credant de retenta urina ſibi Medicos eſſe monendos. Horum igitur partium erit jubere, imam ventris partem ſubinde attrectari, ut ſi tumor indicet, lotium non reddi, hoc arte aliqua, & ſi res cogat, immiſſa, quod in fœminis facillimum eſt, argentea fiſtula, manu emoliantur.

9. Sed de iis quoque duobus, quæ ob raritatem interjeci, a me aliquid fortaſſe expectabis. Dicam igitur quæ ibi continuo, ut ſolitus ſum, iis qui aderant, indicavi. Quod ad duo attinet foramina, in ſepto Tranſverſo adnotata, per quorum alterum una ex hepaticis venis trajecta, in thorace demum venam Cavam adibat; rarum id quidem eſſe; ſed multo rarius, quod ter intra duos menſes A. 1728. id ipſum oſtendiſſem, videlicet bis in Theatro menſe Februario, ſemel in Noſocomio menſe proximo. Verum non bina tantum, ut in tribus illis cadaveribus, ſed & terna me ſemel, iterumque (*) in diaphragmate vidiſſe foramina ſic ut maximum venam Cavam, duo minora totidem hepaticas venas tranſmitterent, ſemel Bononiæ A. 1700. in eo ſepto Tranſverſo, quod in Publica Anatome, conſecante me cum Valſalva, demonſtratum eſt, cujus ego ſepti rudem, mea manu deſcriptam, imagunculam adhuc ſervo, iterum Patavii ante A. 1726. quam unam obſervationem, antiquioris illius, ut fit, oblitus, in Epiſtola I. Anatomica (*t*) commemoravi; quem locum deſignat Solers in primis Doctuſque Anatomicus Albertus Hallerus (*u*), cum *rarius* hoc *eſſe quod* ego *obſervavi*, confirmat.

10. De Coſtarum autem numero, ut ſemel undecim (*x*), ita ſemel tredecim mihi viſas eſſe, non ſæpius, ajo, & vera Galenum (*y*) ſcripſiſſe, agnoſco, cum *hæc ita rara eſſe*, docuit, *ut inter mille vix unum tali coſtarum numero invenias:* priorem tamen numerum rariorem altero eſſe, ante omnes indicavit. Sed de altero numero, id eſt, ut ſint tredecim, Archangelus quidem Piccolhominus (*z*) verum credidit id quod ipſe ait, *omnem antiquitatem obſervaviſſe, ſi coſtæ naturalem numerum excedant, unam tantum, altero in latere, non duas, ſupereſſe*. Et ſane etiam Columbus (*a*) *unam tantum coſtulam* præter viginti quatuor invenerat, ut ea quæ ſubjecit, ſignificant, & quæ ad oram ſunt adnotata, confirmant. Veruntamen; ut Bauhinum (*b*) omittam, quem Picolhominus legiſſe non poterat, ternas denas in ſingulis lateribus coſtas ab ſe repertas memorantem ſic, ut a ſiniſtris octo eſſent legitimæ, a dextris ſex ſpuriæ; at Columbum ipſum, ſcire poterat, vidiſſe poſtea (*c*) etiam *coſtas vigintiſex:* & Falloppium (*d*) *in duobus cadaveribus* inveniſſe utrinque ad tredecim *adauctum numerum a duabus coſtulis ita parvis, ut rudimenta coſtarum potius*, quam coſtæ viderentur. Cum his Falloppianis mea maxime convenit obſervatio, ut in eo pariter quod adjecit, *coarticulationem illam, quæ in reliquis hominibus*, in *duodecima* thoracis *vertebra eſſe ſolet, in iis cadaveribus nihil variaſſe*. Quod autem dixit, *treſdecim* in iis ſe *reperiſſe* thoracis *vertebras; verum in lumbis*; id quod Columbus, & Bauhinus reticuerunt; *quatuor tantum*, id vero quatenus a meis diſcrepet obſervationibus, præclare intelligis. Etſi enim quædam ſunt unde ſuſpicari poſſis, quinctam a me deſcriptam vertebram ad os Sacrum attinuiſſe; attamen ſi pleraque attendas, aut potius ſi hæc quæ ſervamus, oſſa vel aliud agens aſpicias; procul dubio primo ipſo aſpectu cognoſces, eſſe illam potius inter lumborum vertebras connumerandam. Nec vero in obſervatione hac deſcribenda paulo fuſior fui, quod ignorarem, quot Anatomici poſt illos quos nominavi, ſimilia viderint; ſed quod nolui, te in hac legenda, quæ plerique omiſerunt, deſiderare. Noſti enim, propter omiſſam mentionem ſedis in qua decimæ tertiæ coſtæ fuiſſent inventæ, Hunauldium (*e*) harum originem ſic explicandam ſuſcepiſſe, ut ejus explicatio tunc quidem habeat locum, cum ibi ſunt ubi ipſe vidit, nempe ſupra duas coſtas ſupremas; ubi autem ego deprehendi, nimirum infra duas infimas, non habeat. Nec te fugit quorundam ſuſpicio, cum hoc loco reperiuntur, nihil videlicet eſſe aliud, quam Tranſverſos primæ verte-

(*m*) Vid. Epiſt. 9. n. 16. & ſeqq. uſq. ad 20. (*n*) Canon. l. 3. F. 1. tr. 5. c. 12. (*o*) Epiſt. 3. n. 18. (*p*) ſupra, n. 2.
(*q*) n. 4. (*r*) Epiſt. 4. n. 19. (*ſ*) Epiſt. 56. n. 12. (*) Vid. & Epiſt. 60. n. 6. (*t*) n. 26.
(*u*) Differt. de Muſc. Diaphr. ad §. 7. litt. *c* (*x*) Vid. Adverſ. Anat. 2. Anim. 32. in fin. (*y*) De Anat. Admin. l. 8. c. 1.
(*z*) l. 8. Anat. Prælect. 8. (*a*) De Re Anat. l. 1. c. 19. (*b*) Anatom. l. 2. c. 8. (*c*) l. 15. (*d*) Obſ. Anat.
(*e*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1741.

vertebræ lumbaris proceſſus aliquanto longiores; non, præter hos, veras coſtulas, mobili, ut ego oſtendi, junctura connexas. . Verum ad ea quæ omnino præter naturam ſunt, redeamus.

11. SARTOR, qui ſe vino implere conſueverat, aphonia correptus, intra biduum mortuus eſt. Plura de eo ſcire Alexander Bonis, quem tibi alias laudavi, Doctique alii Medici Veneti, ac Juvenes Rei Anatomicæ ſtudioſi non potuerant, qui conceſſum ſibi cadaver ut ipſe diſſecarem, cerebrique ſtructuram diligenter oſtenderem, a me petierant ſub finem Martii A. 1708. VENTRIS viſcera ſe recte habuerunt.

In Thoracis cavea ſiniſtra aquæ ſanguinolentæ nonnihil fuit. Pulmones graviores, & ſpumam, ſi premeres, emittentes; ſana tamen eorum ſubſtantia. Cor flaccidum, in ejuſque ventriculo dextero, & proxima auricula, arteriaque Pulmonari concretiones polypoſæ; nullæ a ſiniſtris, ſed in eo ventriculo paucus tantummodo ſanguis ſemiconcretus. Aggeres, ut Valſalva (*f*) poſtea appellavit, Semilunarium valvularum extantiores, & duritie firmioris quaſi cartilaginis. In arteria Magna, & Carotidibus ſanguis fluidus non ita paucus; multus vero ejuſdemmodi in Pulmonari.

Caput cum a cervicibus amputaretur; aqua e vertebrarum tubo exivit: quæ mox ſub Tenui cerebri meninge conſpecta eſt multa, non ſine ſpecie *gelatinæ*. Sed præcipue in oculos incurrebat alba quædam quaſi ſanies per anteriorum cerebri loborum ſuperficiem extenſa: quæ materia diligenter examinata, revera ſanies, ſed inodora, viſa eſt, in ipſa Tenuis meningis ſubſtantia inhærens, ſuperficie cerebri, quantum ſenſus judicare poterant, omnino illæſa. Ea autem meninx tota trahentis manum facile ſequebatur: & cerebrum, cerebellum, ac nervi ſumma erant flacciditate. Vaſa omnia, etiam tenuiora, atque intima, ſanguine turgida: Sinibus autem, præſertim majoribus, inerant polypoſæ concretiones. In ventriculis Lateralibus aliquid aquæ adnotavimus, & dilutum plexuum Choroidum colorem: denique in Pineali glandula minimum duriuſculæ materiæ fruſtulum.

12. Ne in fruſtulo hoc hæreas, vel noſtra facient Adverſaria (*g*), in quibus ejuſdemmodi in Pineali glandula materiam ſæpe nobis aliiſque animadverſam memoravimus, facientque Epiſtolæ ad te noſtræ (*h*), quibus id confirmatum videbis. Nec tamen puta, pro morbo a nobis non haberi. Habetur enim; ſed pro morbo, cujus effectus perobſcuri, & incerti ſint, quod alias nullis, alias aliis præeuntibus ſymptomatibus, aliaſque aliis conjunctis cerebri vitiis, occurrat. Et Joannes quidem Salzmannus, Medicus, dum viveret, Doctiſſimus in Diſſertatione *de Glandula Pineali lapideſcente*, poſtquam diligentius, quam hactenus quiſquam, ferme omnia, quæ tunc extabant, calculoſæ ejus glandulæ collegit exempla, minime dubitavit (*i*), quin dolorum capitis intolerabilium, aut fatuitatis cauſa ipſa fuerit tota lapidea facta in viro a Pfeilio apud Schenckium, in virgine a Drelincurtio apud Mangetum, in ſene a Kingio, ut eſt in Actis Anglic. deprehenſa. Verum Pfeilii lapis an glandula iſta fuerit, non conſtat, & Kingius graviora in cerebro mala ſimul invenit, Drelincurtius autem non ſaxeam modo glandulam, ſed ad ovi gallinacei amplitudinem auctam, ut ſi vel hydatis, vel quidquid aliud fuiſſet, ſua ipſa mole debuiſſet maximum afferre detrimentum. Quod vero ad naturam attinet hujuſce morbi, viſum eſt doctis quibuſdam Viris, & nominatim Jo. Valentino Scheidio in ea Diſſertatione (*k*), in qua cæteroquin egregie ipſum præiviſſe video celeberrimis Obſervatoribus, qui cerebrum, in lapidem, ut credebatur, converſum, oſſeam concretionem eſſe, tradiderunt; viſum eſt, inquam, illam quoque in glandula Pineali duriuſculam inventam materiam ad oſſium potius, quam ad calculorum naturam fuiſſe referendam. Quod ut de iis negare non auſim corpuſculis, quæ ab neutro noſtrum conſpecta ſunt, ita confirmare poſſum quæ ipſe deprehendi, ea certe inter digitos compreſſa, in aſperulas quaſi arenulas ſæpius abiiſſe, eoque friabilia; quod ipſe diſcrimen ad calculos ab oſſibus internoſcendos primo loco affert; evidenter fuiſſe. Huc illud accedit quod alias (*l*) ſcribam, inveniſſe me nonnunquam intra hanc glandulam materiam mucoſam, & ſubflavam, ſæpe autem eandem, ejuſdemque coloris materiam extra glandulam in anteriore ejus facie, & præſertim ad baſis anteriora (*m*), quæ materia non dura aliquando, aut vix ſubdura, alias, inter digitos compreſſa, aſperas jam continere arenulas non obſcure oſtendebat: iiſdem autem locis in aliis cadaveribus aut erat evidenter in minuta granula conformata (*n*), aut ipſa quidem aberat; ſed ibi erant ſubdura corpuſcula (*o*). Hæc autem corpuſcula ſive extra, ſive intra glandulam cum fere eodem quo illa arenoſa denique materia colore, ſubflavo nimirum, aut flavo, ſe nobis obtulerit, imo Vieuſſenio quoque (*p*), Laubio (*q*), Salzmanno (*r*); nonne veri ſimilius eſt, calculos eſſe, qui paulatim ex terreis materiæ illius particulis, aqueis magis magiſque abſumptis, concreverint, quam oſſicula? præſertim quando, ſi perpaucos exceperis, cæteri qui viderunt, *arenas*, & *lapillos* nominarunt, nec modo qui ſunt a Salzmanno laudati, ſed & alii qui antea ſcripſerant, & in his duo, quos Cel. Hallerus (*ſ*) indicat, Pechlinus, & Brunnerus, & qui poſtea, ut puta legendi in Actis Cæſareæ N.C. Academiæ (*t*), & præterea Vir Cl. Phil. Conradus Fabricius (*u*), & quoniam ſingillatim deſignari cuncti non poſſunt, is ſaltem quem noviſſime legimus, Solertiſſimus Martinettus (*x*), a quo in Ravennatis Archiepiſcopi diſſectione tres fuerunt hujuſmodi *calculi* deprehenſi. At enim is qui, cum meas horum extra glandulam occurrentium peculiares obſervationes attendo, longe primus omnium videtur eorum mentionem feciſſe, ſi a te inſpiciatur; Veteres Medici, inquies, pro oſſeis, aut cartilagineis corpuſculis habuere. Scilicet Galenus in eo de Anatomicis Adminiſtrationibus libro (*y*) cujus argumentum nihil ejuſmodi pollicetur (quo factum puto, ut ejus verba ab nemine fuerint, quod ſciam, in hanc rem producta; niſi forte ita, uti Veſalius (*z*), ob id reprehenſus ab Riolano (*a*), plerique intellexerint) Galenus igitur ſuis temporibus quæſitum eſſe, ſcribit, *num cartilaginoſum quippiam penes cerebri glandem, quæ a turbinis ſeu pineæ nucis ſimilitudine Græcis κωνάριον appellatur, vel oſſeum inhæreat? pari modo etiam, in quolibet ne corde, cartilagineam vel oſſeam quandam particulam ſit invenire, an in magnis duntaxat?* Nec te illud moveat quod utramque hanc quæſtionem ibi inter *frivolas* reponat Galenus. Ipſe enim ſecundam tum eodem Opere (*b*), tum eo quod inſcripſit de Uſu Partium (*c*), utilem eſſe, oſtendit, cum verbis non ita paucis tractavit, ex quibus *frivolam* qua mente dixerit, præclare intelliges. Primam autem cur redarguerit, ex Riolano (*d*) cognoſces. Nos autem utrumque os, non ut ſecundum naturam creatum, ſed ut præter naturam factum, hoc tempore ſpectamus: imo quod apud glandulam nos quidem hactenus offendimus, non ſecus ac quod in glandula, multo minus os, quam concretionem calculi ſimilem, viſum eſſe ut plurimum nobis, fatemur ob eas, quæ indicatæ ſunt, cauſas: quibus & hanc addes, ex materia viridi concretiones virides (hoc enim quoque colore hic lapillos reperit Veſtius (*e*)) exiſtere facilius poſſe, quam viridia uſquam oſſa pronaſci. Veruntamen ſiquando craſſiuſcula aliqua ſub manum redeant; non duritiem modo, aut combuſtorum, ut aliquando, nidorem attendere, ſed per alia inſuper experimenta inquirere eorum naturam conſtitui, intereaque rem, ut alias feci, in medio relinquere.

13. Quod mihi vel magis de vera ſaniei illius ſcaturi-

turi-

(*f*) Diſſert. Anat. I. n. 10. (*g*) VI. Anim. 9. (*h*) VI. n. 12. X. n. 17. XI. n. 11. (*i*) Theſ. 15.
(*k*) de duob. Oſſic. in cerebro apopl. quæſt. 2. & 3. (*l*) Epiſt. 21. n. 24.
(*m*) Epiſt 1. n. 10. Epiſt. 3. n. 14. Epiſt 8. n. 9. Epiſt. 14. n. 35. (*n*) Epiſt. 8. n. 6. (*o*) Epiſt. 7. n. 15. Epiſt. 8. n. 15.
(*p*) Neurogr. l. 1. c. 11. (*q*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 63. (*r*) Diſſ. cit Theſ. 13. (*ſ*) ad Prælect. Boerh. §. 296. not. p.
(*t*) T. 5. Obſ. 68. & T. 6. Obſ. 14. (*u*) Idea Anat. Pract. Sect. 4. (*x*) Lettera della Separaz. degli umori. (*y*) 4. c. 1.
(*z*) De corp. hum. ſabr. l. 1. c. 6. (*a*) in l. Galen. de Oſſib. poſt c. 32. (*b*) l. 7. c. 10. (*c*) l. 6. c. 19. (*d*) c. cit.
(*e*) apud Salzmann. Theſ. cit. 13.

turigine faciendum eſt, quam in propoſita Sartoris obſervatione deſcripſi. Ex pulmonibus intra calvariam fuiſſe translatam, ſuſpicarer, ſi illos, ut graviores inveni, ita uſquam læſos deprehendiſſem: quemadmodum ex calvaria ad urinæ vias transvectam eſſe aliquando, cum ex aliis, tum ex eo videtur quod Vir Cl. Hippol. Franc. Albertinus a ſe in Tonſore animadverſum narrabat. Quem ex longa ſub ſole mora cum dolor capitis, ſenſuſque ponderis in vertice, febris, delirium, nervorum diſtentiones, lethargus, reſolutio denique prehendiſſent, repentina urinarum copia liberavit, in quibus pus ſubſidebat: & annos quidem aliquot capite male habuit; ſed tamen, cum hæc mihi narrabantur, ſanus vivebat. Quid? quod ex ipſis pulmonibus in cerebrum (ut in Sartore me dixi fuiſſe conjecturum) aut ex pleura quoque pus traduci, nec Duretus dubitavit, & Paræus, ut videtur, invenit, ſicuti habes in Sepulchreto (*f*).

14. Sed præter pus in cerebro genitum, aut ad ipſum translatum, poſſe interdum alias cauſas, minus adhuc animadverſas, apoplexiam facere, aut ad ipſam faciendam convenire, non levis mihi ſuſpicio eſt ex iis quas tibi protinus ſubjiciam, diſſectionibus. Quarum primam, quamvis non præſente me habitam, non ſecus tamen proponam, ac ſi ipſe habuiſſem. Namque aderat Nicolaus Mediavia Proſector Publicus, & ex Sacro hoc Philoſophorum ac Medicorum Collegio Doctor meritiſſimus, cui non minus quam mihi, credo ob ſpectatam duodequadraginta jam annos ex quo ipſum in Re Anatomica exercere cœpi, fidem, ac diligentiam, pari cum aſſiduitate conjunctam; ut quotquot hoc omni, quod dixi, tempore Patavii habui diſſectiones, non modo cunctis ferme interfuerit, ſed etiam ſæpe adminiſtrando, plerumque conſecando, laudabilem operam, ac perutile auxilium præbuerit. Hic igitur quendam, cui in Patavino Noſocomio ægrotanti ipſe ex officio Medicus fuerat, cum mortuum incidi, ſe inſpectante, juſſiſſet, eodem die, qui dies fuit IX. Kal. Apriles A. 1740., rem mihi in hunc modum expoſuit.

15. SENEM, qui ex cruris ulcere laborabat, repente capitis dolor prehendit. Cum cerebro aliquid inſtare periculi videretur; eo ſtatim mane ſanguis eſt miſſus. Nihilominus hora vigeſima, ingruit apoplexia, cum dexterorum artuum reſolutione. Huic reſolutio acceſſit inferiorum omnium partium, & intra paucos dies mors. CALVARIA exſecta, arteria illa in quam confluunt Vertebrales, & quæ ſuper Calloſum corpus recta ducuntur, ſanguine erant turgidæ; reliqua vaſa non item. In ventriculo utroque Laterali non pauca aqua, & plexus Choroides pallidi. Septum Lucidum anterius diſruptum. Sed quod maxime in oculos incurrit, omnis medullaris ſubſtantia hemiſphærii dexteri valde fuſca erat; non ſiniſtri.

16. Hæc audienti mihi, confeſtim in mentem venit Sacerdotis Veronenſis, in quo apoplexia repente ſublato, totam, ut alias ad te ſcripſi (*g*), medullarem cerebri ſubſtantiam fuſcam factam adnotavi. Quidquid illud eſt; quod ſanguinem non videri, tunc monui; unde illa candida ſubſtantia inficitur, num inter apoplexiæ cauſas non eſt reponendum? Nam etſi in hoc Sene, cui prima reſolutio a dextris fuit, in eodem cerebri latere animadverſa eſt infuſcatio, non in oppoſito; ſcis tamen, Valſalvæ doctrinam fere in omnibus; non in omnibus; reſpondere (*h*). Sed age, ad minus obſcura veniamus.

17. ÆTHIOPS erat Venetiis annos ad triginta natus, toroſus, & bene valens, niſi quod iis ultimis menſibus factus erat obnoxius languori cuidam ventriculi, levi cum ſudore conjuncto, qui tamen languor cibo ſumpto illico tollebatur. Is cum circa medium Quinctilem A. 1708. hilariter cum Amicis verſaretur, jentaculo; nam matutinum erat tempus; jam uſus, in eoque eſſet, ut ſtans, tuba, ſicuti facere ſolebat, cum ipſis caneret, ſenſim, lenteque adeo retrorſum cecidit, ut Amici factum id ludendi gratia fuiſſent facile crediturі, niſi inter cadendum, tremores quoſdam totius trunci corporis animadvertiſſent. Homo autem eodem quo cadebat, puncto temporis eſt mortuus. SECANTI ut adeſſem, a me, ut ſolitus erat, petiit Cl. Santorinus. Hora erat a morte circiter duodecima. Cadaveris ſuperiores artus ſubrigidos, collum, tanquam reſtitante ſanguine, nigrius reliquo corpore, oculos quaſi viventis animadvertimus. In Ventre, ſi omentum excipias nimis breve, hepatis crepidinem ipſam liveſcentem, & lienis membranam in convexa facie certo quodam loco quaſi tendineam factam, eoque albicantem; omnia ſecundum naturam apparuerunt. Itaque nihil magis oculos moratum eſt noſtros, quam vaſa Lactea quampluгima, chylo diſtenta, & nodoſa, hinc multis radicibus Tenuia inteſtina ferme uſque ad oppoſitam ipſi meſenterio partem complectentia, inde vero hujus centrum verſus contendentia, in quo prælongæ, magnæque glandulæ ſpectabantur. Thoracem recluſuri, cartilaginum quæ coſtas cum ſterno conjungunt, inſolitam, ea præſertim ætate, duritiem mirati ſumus. Pulmones omnino ſani, quamvis dexteri latus alicubi, ſiniſtri vero ſuprema pars tota ad pleuram per membranea vincula annecteretur, intuſque ambo paulo plus ſeri quam ſoleant, continerent. In pericardio quoque aquæ ſubturbidæ copia æquo major. Cor tamen naturali firmitudine: in ejuſque thalamis ſanguis fluidus, qualis in Magna etiam arteria, & in Pulmonari præcipue inventus eſt. Per illius externam faciem in thorace toto ſanguifera vaſcula maxime conſpicua. Cerebro denique retecto, ſub Tenui meninge aqua apparuit: quin etiam in Lateralibus ventriculis, & in ſiniſtro præſertim, aquæ fuit plus quam ſecundum naturam ſolet: Choroides tamen plexus ſuo colore, & ſine hydatidibus conſpiciebatur: cerebrumque ipſum juſta erat firmitudine. Vaſa autem ipſius, & Sinus, inania potius, quam plena, quidquid habebant ſanguinis, ſine ulla vel minima concretione habebant; ut in toto hoc cadavere nuſquam ſanguinem niſi fluidum offenderimus. Sed nuſquam, niſi intra cranium, id vidimus, cujus potiſſimum cauſa hanc tibi hiſtoriam deſcribendam ſuſcepi. Scilicet ſanguifera vaſa quæ & in ſuperiore diſſectione memorata ſunt, ſupra Calloſum corpus traducta, aere cum pauco ſero intermiſto diſtenta erant. Sic illa quoque arteria, quæ per baſim ducitur medullæ Oblongatæ ex confluentibus Vertebralibus orta, & alia præterea per ſuperiorem cerebri ſuperficiem vaſa ab incluſo aere diſtenta pellucebant.

18. Etſi hujus tam repentinæ mortis cauſæ aliæ minime intra cranium videantur defuiſſe, ſi ea placeant quæ proxima Epiſtola propoſita ſunt; tamen ſive illas non omnino credas hic ſatisfacere, ſive hanc præcipue poſtremam putes, quandocunque occurrit, eſſe attendendam; quid de ipſa cenſeam, vel potius conjiciam, iis ſpectatis quæ jam circa hujus initium ſæculi propoſita, & diſputata ab Italis fuerant, non reticebo. Idque eo libentius faciam, quod non hujus tantum, ſed & aliorum quorundam ſanguinem animadverti ſpumoſum, & aereis bullis diſtinctum. Igitur vel ſecundum naturam aerem in humoribus ineſſe, & nominatim in ſanguine, certum eſt; ſiquidem ambiguis cæteris probationibus omiſſis, ſi ſegmentum vaſis, puta venoſi, viventis beſtiæ arctiſſimis utrinque vinculis conſtrictum, abſciſſumque in Boyleana machina ponatur; ut circumjectus aer ſubducetur, ita is qui cum ſanguine incluſus eſt, vas illud diſtendet. Et ſane niſi ſe res ſic haberet; hujus in quo noſtra ſunt corpora, aeris circumundique prementis vis, urgendo vaſa, motum ſanguinis ſufflaminaret, quem nunc admiſtus aer tuetur non impari conatu; nam cum æque atque hic exterior, *præter naturam coactus ſit*, ut Platonis (*i*) verbis utar, æque *ſecundum naturam renititur, ſeque revocare in contrarium* conatur: itaque dum neuter prævalet, ſalva res eſt. Verum ut hanc, atque alias, quas nunc memorare neceſſe non eſt, ſanguini præbeat utilitates, noxam autem nullam; ſit in minimas partes diſpertitus oportet, quæ inter minimas ſanguinis lateant probe interjectæ, & quaſi diſſolutæ. Nam ſi ex harum complexu ſe extricent, aliæque aliis occurrant; non ſecus ac perminuti hydrargyri globuli, in grandiores prompte coaleſcunt, & ex viſcidulo ſanguinis ſero ſibi quaſi tunicam conficientes, bullas conſpicuas efformant, ſive ut Platonis (*k*) vocibus iterum loquar, *vento incluſo humiditate protinus circumfuſa fiunt ampullæ, quæ ſigillatim propter parvitatem videri non poſſunt; junctæ vero ſimul & in grandiorem tumefactæ molem, conſpiciuntur*. Eæ autem ampullæ, ſive, iis diſruptis, aer ipſe ſolutus, ac liber, ſi aliqua copia ſit inter ſanguinis portiones interjectus, harum motui ſe opponit; neque enim ſinit, quæ poſteriores ſunt, eas quæ præcedunt, contingere, cum iiſque impulſum, a corde,

(*f*) l. 1. S. 1. Obſ. 40. (*g*) Epiſt. 4. n. 21. (*h*) Epiſt 2. n. 16. (*i*) in Timæo. (*k*) Ibid.

corde, & majoribus arteriis acceptum, communicare: quin tandem ut minus ipſe idoneus eſt ad eum impetum concipiendum, in paulo tenuiores arterias ægre compulſus, multo ægrius poteſt ulteriores anguſtias ſuperare, quod Anatomici in liquorum injectionibus, ſi forte aer interclusus obſtet, experiuntur. Ille interea dum tenuiora diſtendit vaſa, cum attigua alia coarctat, tum eorum quæ nimis diſtendit, vim ſe contrahendi vehementer infirmat. Quæ cum ita ſint; apparet, ſi pleraque certæ cujuſdam partis tenuiora vaſa aer obſederit, in ea motum ſanguinis, & quæ ab hoc pendent, interrumpi. Fac igitur, eam partem cerebrum eſſe, & continuo intelliges, cur inde oriatur apoplexia: laudabiſque Hollerium (*l*) diſerte ſcribentem, *fieri* apoplexias *etiam ubi arteriæ carotides intercipiuntur in plexu retiformi, flatu, aut alia quapiam re*: magiſque Hippocratem ipſum (*m*), cujus hæc ſunt: *ſi quidem plurimi flatus per univerſum corpus diſcurrant, totus homo ſyderatur: ſi per partem; pars illa percutitur*: & paulo inferius, ubi a flatibus Sacrum etiam morbum deducit, ſcilicet *quum plurimus ſpiritus per omne corpus univerſo ſanguini fuerit permixtus*: tum *enim*, inquit, *multæ oppilationes fiunt multifariam per omnes venas: quumque in craſſiores, & pleniores ſanguine venas aer prodierit, progreſſuſque diutius maneat, prohibet ſanguinis curſum, atque alio quidem loco conſiſtit, alio lentius penetrat, alicubi autem citius*. Hic quæres fortaſſe, qua ratione aer ex ſanguinis particulis quibus eſt intermiſtus, ſe extricet, ut has turbas det. Hac etiam de re quid conjiciam, proferam, ſi prius ultimam hiſtoriam ſubjecero, atque explicavero, in qua aer non in vaſis dumtaxat quæ intra cranium ſunt, ſed in omnibus, & magna quidem copia, repertus eſt.

19. PISCATOR Venetus annum ſuperans quadrageſimum, procerus, herniosus, ventris affectionibus flatulentis obnoxius, cum repente hiſce ſua in navicula correptus eſſet, illico ibi mortuus eſt. SECUIMUS poſtridie, qui dies fuit paulo ante Idus Octobres A. 1707. cum eodem, quem ſupra laudavimus, Amico Cl. Santorino. Venter tumebat a diſtentis aere ventriculo, & inteſtinis. Ille ſubrubens, venas quæ in Gaſtroepiploicam influunt, valde turgidas habebat. Ipſe vero Gaſtroepiploicæ, quæ una in cadavere hoc erat, truncus adeo tumidus fuit, ut ubique meum digitum indicem æquaret. Sed vix inciſus, detumuit; multum enim aerem cum perpauco ſanguine ſpumoſo, & nigro continebat. Inteſtinorum Tenuium extremus tractus ad ſpithamam, rubebat, niſi quod ad tres circiter tranſverſos digitos qua exigui arcus in modum ſe immittebat in herniæ ſacculum, gangrænoſo colore fœdabatur, ſubſtantia tamen adhuc, ut cætera inteſtina, ſatis firma. Eodem colore, ſed paulo minus, infectus erat ſacculus, qui laxe inteſtinum, cum ipſo minime cohærens, complectebatur, factus ex laxato peritonæo propius quidem, ſed tamen extra vaginam, qualis ea cunque eſt Spermaticorum vaſorum. Haud procul ſupra medium ferme oſſium pubis, alter erat ſacculus non major, quem pariter alias ſubire inteſtinum conſueverat, tunc inanis. Cava hepatis facies paſſim livebat, ſed ad exiguam altitudinem. In ejus veſicula, bilis ex nigro flava, & in hac calculus, qui nigredine, granoſa ſuperficie, & magnitudine morum referebat: is ardenti cereo ſtatim admotus, flammam non concepit. Magnus lien, nec tamen laxus. Pancreas duriuſculum. Serum cruentum jam antequam viſcera attingeremus, in ventris cavo conſpexeramus, ea copia, ut ſpongiis fuerit exhauriendum. In Thoracis autem cavo nihil ejuſmodi. Sed pericardium cordi undique ſic adhærebat, ut illud avellendo, hoc alicubi laceraretur. Cor flaccidum, & magnum. Niger in utroque ejus ventriculo, & ſpumoſus ſanguis, vix aliqua parte nonnihil concretus: qualis in auricula dextera, ſed non ſine aliqua magis compacta, exigua tamen, concretione: neque ulla fuit toto corpore vena, ubicunque inſpeximus, quæ nigro, ſpumoſoque ſanguine diſtenta non eſſet. Cujus & in Magna arteria, & in Carotidibus, per collum aſcendentibus, pauxillum fuit. Truncus autem Pulmonaris arteriæ non eo tantum, ſed aere quoque valde turgebat. Sani pulmones, quamvis Aſperæ arteriæ interiorem faciem fœdus humor inficiebat, ex cinereo colorem *tabacci* referens. Eadem arteria in collo, ſed larynx magis, erat intus ex nigro livida, & gangrænoſa: ſic & vicinia. Dum hæc inſpiciebamus, pus tenue, ceu ex rupto abſceſſu, e poſterioribus naſi foraminibus in pharyngem defluxit mediocri copia. In Calvariæ cavo cum Sinus, tum cætera præſertim vaſa quæ per Craſſam meningem feruntur, nigro, ſpumoſoque ſanguine turgida, eodemque vaſa omnia, quæcunque per Tenuem ſive in baſi, ſive in ambitu reliquo cerebri, & cerebelli, ſive per ventriculos ducuntur, etiam exiliora, longe turgidiſſima. Quin etiam ex diſſecta cerebri, & cerebelli ſubſtantia latiores, quam unquam viderim, ſanguinis guttæ ultro, omnique ex parte emanabant. Inter utramque meningem parum, ſub Tenui paulo plus ſeri fuit; quamobrem tracta, nullo negotio ſequebatur. Ejuſdem ſeri mediocris copia in Lateralibus ventriculis fuit. Plexus tamen Choroides, quamvis plurimas veſiculas aqua maxime diſtentas in poſteriore habebant ſede, rubicundi erant: cerebri autem ſubſtantia non modo non laxa, ſed firmiſſima. Cæterum in hoc eodem cadavere duo animadvertimus, quæ ſunt in Adverſariis (*n*) deſcripta, caveam intra initium Spinalis medullæ & magnitudine, ut cum parem, aut quæ ſaltem eo accederet, alteram nunquam antea, aut poſtea deprehendere potuerim, tunc quidem præter naturæ modum diſerte agnoverim, nunc vero ab aere ſe evolvente longe amplificatam fuiſſe, non dubitem: & interiorem ſcroti membranam, ex communicantibus undique inter ſe cellulis compactam, ab eodem aere vehementer inflatam. Quæ quidem inflatio eo magis fuit attendenda, quod ſcrotum cum prius quam cadaver attingeremus, vix eſſet tumidum, tantiſper dum ſectio habita eſt, ad eum modum ſe extenderat. Eo autem citius abſoluta hæc ſectio eſt, quod gangrænoſus ventris fœtor diutius ferri cum a nobis, tum ab iis qui ſecantes adjuvabant, non potuit.

20. Huic diſſectioni in parte ſimiles audivi, & legi. Sic Valſalvam memini dicere, in quodam cadavere ſibi & venas omnes, & cor aere diſtenta occurriſſe; verum neque id ſcriptum reliquit, nec qua morte homo ſublatus eſſet, memorabat. Sic Pechlinum, cujus nunc Obſervationes non ſunt ad manus, ex Cl. Verdrieſio (*o*) ſcio, *in cadavere hominis a multis ventris doloribus, pectoriſque anguſtiis tandem oppreſſi, non ſolum abdomen, & ventriculum ingenti flatuum copia repletum, utriſque inſtar diſtentum vidiſſe, verum & .... cordis cameram cum dextra auricula .... a copioſo flatu in immenſum adauctam: duabus nimirum partibus naturali majorem, cæterum omni cruore vacuam, & præterea toto corpore venas, etiam coronariam, paſſim flatibus diſtinctas, & mirificam ſucci purpurei, fluidique aerei alternationem, quemadmodum in quibuſdam Thermometrorum generibus obſervare licet, oculis oſtendentes*. Sic Cl. Jo. Henricus Grætzius (*p*) fœminam commemorat *miſere demortuam ex continuis lipothymiis, angore, & ſuffocationis anxietatibus, in cujus cordis cavitatibus ne guttula ſanguinis deprehendebatur, ſed illud totum flatu diſtentum conſpiciebatur*; *tympanitidem cordis dixiſſes*. Sic denique Ruyſchius (*q*) in altera *quæ ſubito ultimum diem obierat*, ſe inveniſſe, teſtatur, *cor ſtupendæ magnitudinis ab aere, quo plenum erat, abſque ullo fere ſanguine, id quod palam factum cuſpide cultelli; ea enim adacta, tam ſubito ſubſidebat cor, ac veſica aere repleta, & cuſpide cultelli attacta*. Sed hi omnes, id quod ipſe non vidi, cor aere diſtentum repererunt. Imo Ruyſchius inde mortuam eam mulierem cenſuit, quippe *nimia aeris copia, in corde copulata, ſanguinis aditum in cor præpediente*.

21. Videtur ad idem mortis genus mors illa quoque referenda, quæ immiſſo in quadrupedum venas aere, contingit, experimento, ut Brunnerus (*r*) vocabat, Wepferiano. Et ſane laudatus Verdrieſius (*ſ*) a Wepfero *inſtitutum* id *experimentum* memoravit, *qui, ore ſolum inflata jugulari vena, vaſtæ molis bovem aliquan-*

(*l*) Comment. in Hippocr. S. 3. Aph. 23. (*m*) De Flatib. n. 19. & 21. (*n*) VI. Anim. 14. & IV. Anim. 1.
(*o*) Differt. Epiſt. de infl. ureter. (*p*) Diſp. de hydr. pericard. in Proœm. (*q*) Reſp. ad Epiſt. Probl. 16.
(*r*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 73. (*ſ*) Differt. cit.

aliquando proſternebat atque enecabat: Rudolphus autem Jac. Camerarius (*t*) excitatum fatetur ſe ab eodem Wepfero ad ejuſmodi facienda pericula exemplo ſic ab illo occiſorum vervecis, & vaccæ. At ſi Wepferus ejus experimenti auctor fuit, multo antea inſtituerit, quam illi ſcripſerunt, oportet: nec memini tamen in ullo ex illius ſcriptis hujus rei mentionem reperiſſe, quæ ante annum 1667. evulgavit: quo quidem anno Redius (*u*) ad Stenonium ſcribens, commemorat, ſe utrumque ipſorum eodem experimento inſtituto, duos canes, & leporem ſtatim, ovem autem intra ſextam decimam horæ partem, vulpeſque item duas interfeciſſe: itaque ſe ex eo tempore affirmare conſueviſſe, cauſam intermiſſionis pulſus plerumque eſſe in aliquam majorem aeris bullam, per cor tranſeuntem, rejiciendam: quam ſententiam in Conſilio quodam (*x*) pro laborante pulſus intermiſſione declaravit. Sed quicunque primus vel ante Redium inſtituerit; Antonius Heydius in iis Obſervationibus quas edidit A. 1683. (*y*) cum aliquoties in canibus per Cruralem venam aerem injeciſſet, animadvertit, *ſtrependo per abdomen, momento fere temporis cor petere: canem convulſionibus corripi, reſpirationem, & cordis motum, quantum eſt percipere, ſubſiſtere adeo, ut canis pro mortuo diſſecetur*. Tunc *e vaſis intercoſtalibus nihil ſanguinis effluere. Aperto pectore, motum in cordis dextra auricula obſervari, diu perſeverantem. Cor una cum dextra auricula eſſe valde expanſum, e cujus ventriculis detruncato cono, prorumpere primo purum putum aerem, deinceps ſpumoſum ſanguinem, & tandem cruorem fluidum*. Heydium non ſatis aeris immiſiſſe, aut certe non tandiu ſectionem diſtuliſſe, quandiu ad prorſus occidendum canem requirebatur, ex Brunneri, & Camerarii experimentis facile intelligitur. Nam Brunnerus (*z*) experimento ad eundem modum inchoato, & ſtridore in præcordiis audito, cum paulo poſt canem ceu tetano correptum, concitatiſſime reſpirantem, proſtratumque inſtar certo morituri vidiſſet, & tamen poſt aliquod tempus ſurrexiſſe, tum poſt horæ ſpatium repetito experimento, mox convulſum ὀπισθότονον, ejectis fæcibus, reapſe mori coegit, vaſis pleriſque ſanguine turgentibus; & cum in arteriis nulli eſſent flatus, horum copia in vena Cava, & cordis auriculis collecta. Camerarius autem (*a*) in Jugulares venas injiciens aerem primum quidem pauciorem, & lenius, deinde, poſt intervallum aliquod, vehementius; etſi nunquam membrorum ullum rigorem, nullam unquam concuſſionem, ſed laxitatem potius, & quaſi reſolutionem ſemper animadvertit; primum quidem obmuteſcentem adnotavit, & quietum canem, & poſt octavam horæ partem ſibi ſenſim reſtitutum; at poſteaquam eſt vehementius aer immiſſus, ejulantem, & poſt frequentiſſimam hianti ore reſpirationem, morientem. Altero autem; nam ſic in duobus expertus fuerat; eorum canum diſſecto; cordis ventriculos, & vaſa aere adeo diſtenta invenit, ut a corde pericardium prorſus impleretur, & cordis vaſa Coronaria plus aeris, quam ſanguinis, continerent. Auricula autem præcipue dextera, quæ magis expandi nulla arte potuiſſet, nihil ſanguinis continebat: at e vulneratis ventriculis cum aere ſanguis omnino fluidus, & ſpumoſus profluebat. In univerſo denique corporis ambitu arteriæ pariter ac venæ bullas in minimis quoque ramulis manifeſtas exhibebant. Harderus (*b*) etiam in Jugularem canis venam, ſed validius, conjecit: qui poſtquam tantiſper ejulaſſet, reſpirare confeſtim deſiit, ſectuſque, cor prorſus diſtentum exhibuit, cujus tamen parietes, vulnere inflicto, illico conciderunt *flaccidi & enervati*, tantillum ſpumoſi ſanguinis continentes. Bullulæ quoque ſpumoſæ ubique conſpectæ ſunt. Denique Experiens Vir Sproegelius (*c*), ut hæc relegens cognovi, cum in eandem catuli venam immiſiſſet modicam aeris copiam, mors autem brevi, poſt leves quaſdam convulſiones, ſecuta eſſet; dexteram cordis auriculam, annexumque ventriculum aere diſtentiſſima deprehendit, ut ventris quoque omnes venas: cumque, iterato ſæpius in canibus experimento, hos inde continuo mortuos incidiſſet, videri confirmavit, ab aere cor ita diſtendi, ut ſe contrahere non poſſit, ſtatimque propterea ceſſare ſanguinis motum, tunc fluidi ſemper, imo fluidioris æquo ab ſe inventi, non, ut quidam affirmarunt, & aliquis in pulmone ſe vidiſſe, ait, coagulati: nam quod ad Bohnium (*d*) attinet; non quam aer injectus mutationem in ſanguine efficiat; ſed celeritatem qua occidit; de hac enim loquebatur; mihi quidem videtur ſignificare voluiſſe, cum *inſtar potentiſſimi coagulatoris, aut alterius veneni*, dixit, *animal enecare*. Neque illud tamen prætermittam, Valliſnerium noſtrum (*e*), cum Redii experimenta iteraſſet, animadvertiſſe, non modo canes citius, & a pauciore aere injecto mori, quam oves, verveces, & arietes; ſed etiam non mori oves, ſi paucus aer inditus eſſet.

22. Atque hæc memorare omnia volui, ut quid commune ſit, intelligi facilius poſſit: quæ item in effectibus diſcrimina pro varia vena in quam aer intruditur, aut varia hujus copia, & impulſu, & varia denique animantium natura, ſeu varia eorum ſanguinis, hujuſque viarum diſpoſitione. Imo quædam ſunt in quorum ſanguine multæ paſſim aeris bullæ ſecundum naturam conſpiciuntur, velut teſtudines, in quarum illis quæ marinæ ſunt, etiam tum viventibus cum primum Redius (*f*) vaſa ſanguifera deprehendit ſanguine reapſe frigido plena, hunc autem aereis bullis pleniſſimum, vehementer miratus, idem in terreſtribus quoque & fluviatilibus ſibi quærendum eſſe, conſtituit. Quod poſtea cum, ipſo hortante, ut opinor, Caldeſius (*g*) feciſſet, videtur in omnibus per pellucidas, ob tenuitatem, venarum cunctarum tunicas, bullas illas ingenti numero intra eorum ſanguinem fluctuantes vidiſſe, qui revera ſemper frigidus eſt, nec ſecus quam cæterorum animalium ſanguis, concreſcit. Nos certe ut in marina, ſic in terreſtri eas bullas conſpeximus: præterea & in viperis multas, & in variolo piſce, & in carpionibus ex Benaco, ut in erinaceo terreſtri Lanciſius (*h*), quæ animalium genera & ſanguinem habent frigidum, & motum cordis ferme omnia pertinaciorem. Eodemque fortaſſe ſpectat quod paulo ante (*i*) adnotatum eſt, ovinum genus, ut canino frigidius eſt, ita minus ab injecto in venas aere affici. Veruntamen ne æquo citius ad pronunciata univerſalia decurramus, a quibus perſæpe non ſatis cavent haud pauci naturæ indagatores; ſcire licet, in ſerpente, viperæ ſimili, fruſtra a nobis bullas in ſanguine quæſitas eſſe.

23. Jam vero ad calida, eoque etiam nobis ſimiliora, animalia revertentibus, manifeſtum eſt, quæcunque ex illis, poſt immiſſum aerem mortuis, diſſecta ſunt, hunc in corde, aut in cordis auriculis magna copia oſtendiſſe collectum, eorumque parietes diſtendentem adeo, ut qui viderunt, Brunnerus (*k*), Camerarius (*l*), Harderus (*m*): Sproegelius (*n*) in eandem ſententiam convenerint, immani, & pertinaci diſtentione ſua non ſecus eos parietes a contractione prohibuiſſe, quam lotium ultra modum in veſicam congeſtum ſolet: quin eorum parietum fibras inde pariter enervari, Harderus cenſuit: neque in alia ac ipſi, opinione; ſi probe attendimus; Heydius fuerat (*o*). Quæ ſi ad eas, ut par eſt, transferas quas ſupra (*p*) in medium attulimus, Valſalvæ, Pechlini, Grætzii, & Ruyſchii obſervationes, humani videlicet cordis aere pariter diſtenti; facere non poteris quin, ut illarum beſtiarum, ſic & eorum hominum mortem ad prohibitum cordis officium referas.

24. Quod ſi in Piſcatore, cujus tibi hiſtoriam deſcripſi (*q*), cor, aut ejus auriculas aere diſtentas offendiſſem; eodem plane mortis genere ſublatum cenſerem. Nunc vero, quamvis ob arteriam Pulmonarem, quam aere adeo turgentem conſpexi, circumitionem ſanguinis etiam in præcordiis impeditam agnoſcam; tamen quia nulla alia in parte æque vaſa omnia ſpumoſo ſanguine tumida inveni, atque in cerebro, & cerebello; non præter rationem me facturum exiſtimo, ſi ab ejuſdem ſanguinis motu ob aereas bullas impedito, quæ tenuiſſimarum in ea parte arte-

(*t*) Eph. cit. Dec. 2. A. 5. Obſ. 53. (*u*) Opere Tom. 5. (*x*) Conſulti Medici. (*y*) Cent. Obſ. Medic. Obſ. 90.
(*z*) Comment. in Panct. Secund. c. 9. (*a*) Obſ. cit. 53. (*b*) Apiar. Obſ. 25. in Schol. (*c*) Experim. circa venena §. 42.
(*d*) Circ. Anat. Prog. 4. (*e*) Suppl. al Giorn. de' Letter. T. 3. art. 2. (*f*) cit. Tom. 5. (*g*) Oſſerv. Anat. int. alle Tartarughe.
(*h*) De mot. Cord. Poſtul. 15 in Schol. & l. 1. S. 1. c. 2. Digr. 1. (*i*) n. 21. (*k*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 1. Obſ. 223.
(*l*) in Schol. ad Obſ. 53. cit. ſupra ad n. 21. (*m*) Schol. ibid. cit. (*n*) §. 42. cit. (*o*) Obſ. ibid. cit. 90. (*p*) n. 20.
(*q*) Supra, n. 19.

riolarum anguſtias obſidebant, earumque tunicas diſtendendo enervabant, ſimulque initia nervorum premebant, apoplexiam, ſubitamque illam mortem repetiero. Nec deſunt aliæ apoplecticorum diſſectiones, in quorum cerebri vaſis aer ſit animadverſus. Binas infra (*r*) ex Brunnero producam. Ipſi quoque Joanni Wilhelmo Albrechto, Anatomes Profeſſori Gottingenſi (*ſ*) cum quidam repente ingruens ſopor ſtatim ſenſum, & vocem, intra biduum autem vitam abſtuliſſet, ut Medici eſſent qui apoplexiæ nomine comprehendendum cenſerent, in cerebri vaſis evidentiſſime aer fuit. Attamen in his tribus aliæ erant in cerebro cauſæ unde vel ſine illo aere eſſe poſſet apoplexia, quarum vim cauſarum auctam quidem eo adjuncto, ſed non exortam putes. In propoſitis vero a me Æthiope (*t*), & Piſcatore non erant in cerebro, præter aerem, cauſæ cum illis comparandæ. Sed multo minus fuere in fœmina, quæ, ut Æthiops, ad ſenſum ſana, ſubito mortua conciderat. Ejus enim cadaver accurate, ut ſolet, perſecans Anatomicus Clariſſimus Philippus Conradus Fabritius (*u*) cum iſtiuſmodi apoplexiæ cauſam quæreret, non modo firmam, ut nos in illis duobus, cerebri ſubſtantiam offendit; ſed ne guttam quidem ſeri, nedum ſanguinis, effuſam invenit; ut diſerte confirmaverit, non omnem apoplexiam veram, & celeri eventu funeſtam ab effuſo ſanguine, aut ſero, aut ab illius in vaſis cerebri congeſtione eſſe repetendam; quippe in ea fœmina arteriis, veniſque cerebri, & Craſſæ meningis Sinibus repertis ſanguine quidem carentibus, *ſed aere diſtentis*.

25. Nunc illud unum reliquum eſt, ut interrogationi tuæ (*x*) ſatisfacere conemur, ſi forte conjecturis aſſequi liceat, qua ratione aer e ſanguinis particulis, quibus exacte eſt intermiſtus, ſe extricet, atque in tot bullas repente coeat. Et Littrius quidem poſuit (*y*), aerem cum omnibus noſtri corporis humoribus intime commiſtum perſtare, quandiu ſuum hi naturalem motum, & fluiditatem conſervant: ſi hæc duo imminuantur, continuo aerem ſe ſe ab illis expedire. Itaque cum in eorum cadaveribus qui paulo poſt magnas ſanguinis effuſiones deceſſerant, quamplurimos venarum ramuſculos inveniſſet aere plenos (*z*), & duas hujus rei cauſas proferret; hanc primam attulit, ob lentiorem, fractis videlicet viribus, ſanguinis motum, & ejuſdem quam reapſe videbat, craſſitudinem, & denſitatem, aerem ſe in libertatem reſtituiſſe, adjuvantibus ſanguinis particulis, quæ ut inter ſe propius accederent, & denſarentur, interjectum aerem exprimere debuiſſent. Verum ad illa quæ ponebat Vir Experientiſſimus, niſi alia adderemus, quæ ejus ſententiam, ut puto, illuſtrarent; ſequeretur facile, ut multo ſæpius in cadaverum vaſis evolutum aerem conſpiceremus. Hic autem non addo, quia in Æthiope nullam, in Piſcatore autem vix portionem aliquam exiguam invenimus concreti ſanguinis; ut alia nobis quærenda ſit explicatio. Haud inutile tamen fuerit Littrii explicationem produxiſſe. Cum enim idem effectus alias in aliis corporibus ab aliis cauſis eſſe queat, hic autem *ſæpius*, ut Ruyſchius (*a*) docet, *in ſubito morientibus* occurrat; juvabit profecto plures cauſas noviſſe, ut alias aliam ſeligas, quæ videlicet, ſpectatis omnibus, magis in rem propoſitam convenire videatur.

26. Qua mente alteram quoque conſiderabimus cauſam (quæ tametſi ad aeris evolutionem non attineat; ad ejus tamen nimiam, quam demum Ruyſchius, & nos ſpectamus, in ſanguine copiam attinet) cauſam, inquam, alteram conſiderabimus de duabus quas Littrius excogitaverat, vel potius, ſi de hac altera dumtaxat loquamur, a Meryo quadantenus acceperat. Hic enim (*b*) cum venam Cavam viventis canis ſupra Emulgentes punxiſſet, eamque, ut ſanguinem emittebat, ita aereis bullis ingredientibus ſimul cum ſanguine ab venæ radicibus, impleri, animadvertiſſet, eo majoribus, quo minus ſanguinis ſupererat; non dubitavit quin hæ bullæ ab aere eſſent qui ope reſpirationis in Pulmonarem venam trajectus, illinc per ſiniſtrum cordis ventriculum, Magnamque arteriam tandem in venæ Cavæ radices una cum ſanguine conveheretur. Hæc autem Meryo tanto facilior, atque adeo commodior erat explicatio, quod aerem vel ſecundum naturam per venam Pulmonarem in ſanguinem admiſſum, intime cum hoc miſceri, pernegabat, quippe jam aeris ſatis pleno, ut cum potionibus, & cibis, ita cum ſanguine, qui ex iis conficitur, intime permiſti: itaque hunc quidem intime permiſtum aerem cenſebat, non ſecus ac ſal aqua diſſolutum, cum ſecretis a ſanguine humoribus exire per emunctoria quælibet: illum autem alterum aerem per Pulmonarem venam immiſſum, æque ac ſal quod addas aquæ antea ſale ſaturatæ, ſemper impermiſtum perſtare, proptereaque e ſanguinis alveis non niſi cum ad arteriam Pulmonarem una cum ſanguine pervenerit, egredi poſſe, eadem videlicet uſum qua advenerat, Aſperæ arteriæ via. Cæterum Meryus ipſe (*c*) in alia olim ſententia fuerat, cenſens, immiſſum per pulmones aerem in horum venis cum ſanguine *exquiſite* miſceri, & nequando nimis auctus contractionem cordis impediat, *per inſenſibilem perſpirationem diſſlari*: quæ quoniam *tardius ſit in teſtudine*; ideo aerem in hujus vaſis abundare. Quæ cum ita eſſent; Littrius ſicuti antiquiorem hanc Meryi ſententiam in eo rerum ſtatu qui ſecundum naturam eſt, ſequebatur, ita imminuto per largas hæmorrhagias ſanguine, & denſiore facto, hactenus recentiorem illius ſententiam probabat, ut tunc miſceri intime aerem cum ejuſmodi ſanguine, ipſe quoque negaret, illiuſque bullas eodem quo Meryus itinere in radices venarum perduceret.

27. Neque eſt opus, nec licet omnia quæ ad aeris in ſanguinem, aut e ſanguine vias attinent, hic diligenter perpendere, *cum hæc*, quod alia de re Celſus (*d*) ait, *per multa volumina*, *perque magnæ contentionis diſputationes a Medicis ſæpe tractata ſint*, *atque tractentur*. Et olim fuerunt, & nunc ſunt, qui aerem vel per cutis poros ut admitti, ſic etiam emitti, contendant, idque ſpectaſſe Aſclepiadem, ajant, cum frictionibus tantum tribueret, ſcilicet ut diutius retento, eoque corrupto, aeri egreſſum, novo autem, & ſalubri aditum aperiret. Ex iiſdemque ſunt qui per Aſperæ arteriæ viam educant, atque inducant præſertim ea ratione quam præmonſtravit Jo. Alphonſus Borellus (*e*), humori videlicet aquoſo admiſtum, & quodammodo diſſolutum, qua ratione facile in venas, & lymphæductus ingredi poſſe, exiſtimant. Quorum aliquos mirari ſubit, qui cum ita & per pulmones, & per cutem admittant, non pariter cum chylo, in quo oſtendi poteſt eodem modo, ac in ſanguine dixi (*f*), miſtum intime, ſubire agnoſcant; ſed viam hanc aut ſileant, aut diſerte etiam negent. Nec me fugit, viciſſim eſſe qui ab his pene omnibus aperte diſſentiant. Et quod ad ipſos pulmones attinet, probe memini Celeberrimum Doctorem audire, cum de loco ſuperiore, negaret, ſi pulmones vel recentiſſimos, ſectis ad baſim cordis eorum vaſis, in aquam mediocriter calentem demiſſos, multo etiam magis, quam frequentior inſpiratio ſoleat, inflemus, vel minimam aeris bullam in aqua apparere, indicio manifeſtiſſimo, nulla ipſum aerem ratione in Pulmonarem venam tranſmitti. Veruntamen ex quo olim cum Amicis Venetis multa, & varia in beſtiarum, atque hominum partibus tentans experimenta, inflato pulmone, repetitis præſertim, & diutius in eum productis, nec tamen violentis, inſpirationibus, Pulmonaris venæ truncum vidi ſpumoſo humore compleri, & poſt alios, Bergerum (*g*) legi, qui injectam per bronchia aquam, nulla vi adhibita, in eandem venam cum ſpuma tranſire, injectam vero per arteriæ Pulmonaris ramum, per bronchia quoque redire, teſtatur; non ita amplius alienus ab eorum ſententia fui, qui illac aerem eo ſaltem modo quem Borellus docuit, non modo ſanguinem per innumera, & disjecta foraminula quo melius admiſceatur, ſubire; verum etiam ex eo prodire, exiſtimarunt; non ita alienus, inquam, fui; neque enim, ut ad ali-

(*r*) n. 30. (*ſ*) Commerc. Litter. A. 1736. Hebd. 12. n. 1. (*t*) Supra, n. 17. (*u*) Propemptic. ad Diſſert. Jo. Barth. Hoffmanni.
(*x*) Supra, n. 18. in fin. (*y*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1714. (*z*) Memoir. de la même Année.
(*a*) Reſp. ad Epiſt. Probl. 16. (*b*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1707.
(*c*) Vid. Du Hamel R. Sc. Acad. Hiſt. l. 4. S. 2. c. 3. n 12. & 13. (*d*) De Medicina in Præf. (*e*) De Mot. Animal. P. 2. Propoſ. 113.
(*f*) Supra, n. 18. (*g*) Phyſiolog. Med. l. 1. c. 4.

ad aliqua reſpondere poſſim eorum quæ objiciuntur; ad reliqua pariter reſpondere poſſe videor. Quod ſi tu potes; non ſolum jam ſatis habes unde cum Littrio intelligas, qua ratione aere ſanguis abundet poſt magnas hæmorrhagias; ſed & fortaſſe unde conjicias, cur interdum, his etiam non præcedentibus, idem contingat.

28. Si enim tenues illi meatus per quos aeri e ſanguine exeundum eſt, quacunque de cauſa conſtringantur, aut occæcentur, perviis cæteris perſtantibus qui aerem in ſanguinem admittunt, quippe non ut illi, in arteriam, ſed in venam Pulmonarem pertinentibus; vides profecto, nimiam aeris in ſanguine copiam cumulatum iri, & quam prope ad hanc conjecturam acceſſerit Thomas Bartholinus (*h*), cum per illam arteriam, ſcripſit, *in ſanis fuligines excerni in exſpiratione, quæ nihil ſunt aliud quam aereæ particulæ in ſanguine cordis, & reliqui corporis excitatæ* (ſive, ut antea dixerat, quam *aer, flatuſque ſuperfluus in crudo ſanguine*) *unde flatus in venis quoque, ex Hippocrate, & Galeno, moleſti, qui niſi cum fuliginibus evacuentur per commune corporis ventilabrum, non varia tantum ſymptomata inducunt doloris plena, ſed vel venas rumpere, vel univerſum corpus in tumorem elevare poſſunt, ſi reſtagnent*. Sed & Plato (*i*) non ſolum totam hanc conjecturam, verum etiam quam poſtea ſubjiciemus, attigiſſe videri poteſt: cujus me non piget hic verba deſcribere. *Cum ſpiritus ipſius cuſtos,* inquit, *& quaſi penuarius pulmo, diſtillatione occluſus, libera & expedita ſpiracula nobis non exhibet, & hinc quidem nullus mittitur ſpiritus, illinc vero pluſquam oportet, accipitur, tunc quæ reſpiratione & refrigerio carent, marceſcunt. Quod vero accipitur nimium, per venas traductum, eas contorquet, liquefacitque corpus.* Et paulo poſt: *Sæpe etiam intra corpus diſcreta & rarefacta carne innaſcitur ſpiritus: qui cum foras egredi nequeat, iiſdem quibus & ingreſſi aliunde ſpiritus, doloribus afficit. Sed ingentibus tunc affligit doloribus, quando nervis proximiſque venulis circumfuſus, hæc inflat.*

29. Verum ut hæ omnes fortaſſe, cæteræque his ſimiles explicationes aliæ alias poſſunt locum habere, ſic vereor ut in propoſitis a me hiſtoriis habeant, in quibus nec denſior ſanguis, nec lente promotus, nec imminutus antea fuerat, neque ullum occluſorum, conſtrictorumve in pulmonibus aeris meatuum indicium præceſſerat. Præceſſerant autem ſigna vitiatæ coctionis, ſive mavis ſolutionis illius quæ fit in ventriculo, & inteſtinis; nam languori ventriculi Æthiops, Piſcator vero flatulentis ventris affectionibus obnoxius fuerat. Num igitur ex male ſubactis cibis æquo plures, ob indicatam a Brunnero (*k*), aliamve rationem, prodeuntes aereæ bullæ, chyloque immiſtæ, Lactearum venarum oſcula ſenſim antea dilataverant, ut tandem plurimæ, quaſi agmine facto, ſimul in ſanguinem cum chylo irruperint? An quoniam, ut in ſanguiferis vaſis diximus (*l*) ſic liberæ, & explicatæ, ſibi poterant venas illas obſtruere, atque aditum per glandularum meſenterii anguſtias intercludere, credemus potius intime quidem permiſtas chylo, ſed tanto plures, quanto diutius ob languorem ventriculi, & inteſtinorum, materia chyli in his ſubſiſtebat, in vias ſanguinis perveniſſe, in iiſque demum expedire ſe, atque extricare cœpiſſe, inſolita cauſa aliqua præter naturam adjuvante? Quod enim videmus extra corpus, eundem humorem, alio affuſo nullas; alio autem, multo plurimas bullas emittere, id quoque intra venas cur aliquando non contingat? Videmus pariter de aliis extra corpus ſuccis, dum corrumpuntur, & putreſcunt, non minus propemodum bullarum, quam fœtoris, exire. Quam gravis autem odor ex Piſcatoris corpore exiſteret, quot ſubitæ corruptionis, atque adeo putredinis manifeſta ſigna apparerent, ſatis ſuperque ipſa per ſe docet hiſtoria. Certe ſub manibus, & oculis noſtris ſe paſſim aliæ, atque aliæ particulæ aereæ evolvere pergebant, ſolutis quibuſdam quaſi vinculis, quæ donec ſuam ſanguis naturam retinet, illas videntur coercere: poſſunt autem fortaſſe ante mortem aliqua aliquando, aut alicubi, ſi non ſolvi penitus, at ſic ſatis ſolvi incipere.

30. Sed in Æthiope ut obſcuriora putredinis indicia erant, ſic & bullæ pauciores, nulliſque in vaſis, niſi quæ ad cerebrum attinerent, conſpicuæ. Cur autem in his dumtaxat vaſis? Num quod per ipſorum parietes, quippe ex tenuiſſimis inter ſanguifera omnia tunicis conſtructos, magis quam per cæterorum, tranſpici poſſent? an potius ex peculiari quadam in iiſdem cauſa, ut puta ex ſumma anguſtia quæ bullulas vel perexiguas retinendo, cogeret; ut cum aliis ſe conjungendo, majores, & conſpicuæ fierent, & proximas vaſorum partes diſtenderent? an denique caſu aliquo id acciderit, non facile affirmabo. Quod ſi ex me id olim quærere potuiſſes, cum vulgo doctrina de vaporibus in honore erat, caputque cum *alembico* ſolebat comparari; proclive mihi fuiſſet rem expedire, & cum iis quæ in Æthiope videram, conferendo, ſaniorem fortaſſe in modum Avicennæ (*m*) dogma interpretari, cenſentis, dolorem capitis *plurimum fieri propterea quod arteriæ afferrent capiti vapores fraudulentos*. Nunc autem video, quod tu quoque poteris ex Sepulchreto (*n*) cognoſcere, Virum Doctiſſimum, qui ante me in rem eandem ex parte incidit, Brunnerum inexplicatam reliquiſſe. Cum enim in duorum, & apoplecticorum quidem, cadaveribus ad cerebri alterius latera *arterias peramplas, pene inanes, venas quoque inſignes, & in his flatus* inveniſſet, *in* alterius autem *venis ad ſinum longitudinalem ſpectantibus flatum* pariter deprehendiſſet, *& hinc inde pepuliſſet digiti apice;* in iis Scholiis quæ utrique diſſectioni ſubjecit, cum de aliis quæ in illis viderat, plura verba faceret, de eo flatu ne unum quidem fecit, ſive quod aliæ non deerant in cerebro evidentiores apoplexiæ cauſæ, ſive quod ex his ipſis facilius videbatur poſſe explicari, cur in proximis vaſis aer eſſet, ſive etiam quod in re ab aliis ad id tempus non agitata nihil temere audendum putabatur. Nolo igitur audaciorem me credas. Vale.

(*h*) Diatrib. de Pulm. ſubſt. S. 2. (*i*) in Timæo. (*k*) Gland. Duoden. c. 10. (*l*) ſupra, n. 18.
(*m*) Canon. l. 3. Fen. 1. tr. 2. c. 1. (*n*) l. 1. S. 2. in Additam. Obſ. 11. & 12.

EPI-

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA VI.

Agitur de reliquis Affectibus Soporoſis.

QUod ſcribis, miſſas ad te noviſſime Litteras eo magis placuiſſe, quo longior in ea diſquiſitione fui, quæ ad copiam aeris attinebat in ſanguine deprehenſam; me quidem gaudeo obſecutum eſſe in ea re voluntati tuæ. Sed velim ſimul animadvertas, ſi porro ſic pergam conjecturis, & explicationibus immorari; non facile ſpatium habiturum tot, quæ reliquæ ſunt in cæteris morbis, Valſalvæ, & meas Obſervationes communicandi, quod præcipuum, & te, meque dignius, initio ſcribendi propoſitum fuit. Parcius igitur in poſterum conjecturis, quarum veritatem præſtare non poſſim, indulgeamus; in hiſtoriis autem, quarum utique poſſim, ſi tu non abnuis, potiſſimum inhæreamus: quanquam ad eam quæ in Sepulchreto proxima ſequitur *de reliquis Affectibus Soporoſis* Sectionem (*a*) paucas quæ attineant, obſervationes habemus; ad duas autem Sectiones inſequentes (*b*), videlicet *de Catalepſi*, & *de Inſomniis*, & *Incubo*, de quibus vel in Sepulchreto perpaucæ ſunt, nullas. Scilicet Incubus, & ea, quæ cum ipſo conjungi ſolent, horrenda inſomnia & perraro contingunt, & non ante necant, quam in alios degenerent morbos. Catalepſis autem multo rarior affectio eſt, & denique cæteri, præter apoplexiam, Soporoſi Affectus, ſæpe hi quidem, ſed non ſoli, contingunt, ut pote qui fere cum morbis aliis, & nominatim cum febribus copulantur. Itaque plura de Soporoſis Affectibus fortaſſe alibi: imo hic quoque eas proferemus hiſtorias, in quibus ut peculiari quodam modo ipſi fuerint adnotati; tamen cum aliis fere conjuncti ægros de medio ſuſtulerunt. Primo autem loco quinque habebis ex Valſalva; nam quatuor in ejus ſcriptis invenio, reliquam olim de ipſo accepi, a qua protinus initium capiam.

2. ALOYSIUS RATTA, Bononienſis Senatoris frater, provecta Vir ætate, a longo jam tempore hypochondriacæ affectioni, & vertigini obnoxius, æſtate A. 1705. ſitire nimium cœperat, cum menſe, ut meminiſſe videor, Novembri morbo quem paucis deſcribam, repente correptus eſt. Pulſui enim bono juncta erant deliria, & quod præcipuum ſymptoma fuit, maxima ſomnolentia. Hæc intra biduum circiter Virum Nobiliſſimum confecere. VENTRE, & Thorace recluſis, ſana omnia inventa ſunt: & quamvis odor quaſi ejuſmodi ac in verminoſis ſolet, exiſteret, qui aliis lacrymas, aliis ſternutationem movebat; nuſquam tamen apparuerunt vermes. Cranio exſecto, in cerebri anfractibus aqua *gelatinoſa*: in ventriculis quoque, & qua Oblongata medulla in Spinæ tubum deſcendit, aqua fuit; ſed pauca utrobique.

3. Videtur cum affectione *Comatoſa* febris peſſimi moris fuiſſe conjuncta: quanquam & cerebrum, diuturnis incommodis obnoxium, cum propterea minus reſiſtere valeret cauſæ morbi, in ſe decumbenti, fortaſſe interitum acceleravit. Si ut vermium odor, ſic uſquam vermes apparuiſſent; haberes in Sepulchreto hiſtoriam (*c*), quacum hanc conferres; nam vel citius ſoporoſa a vermibus affectio puellam ſuſtulit undecennem. Ab eadem autem cauſa vel viros gravibus interdum ſoporibus premi, Ballonium ibidem (*d*) indicantem reperies. Sed age: febri pariter maligni generis ſupervenientem affectionem, quæ ad Carum referri poterat, videamus.

4. MULIEREM annos natam ad viginti quinque maligna febris prehenderat, cum ſurditate in principio. Die decimo ſeptimo ſoporoſus acceſſit affectus: qui adeo gravis factus eſt, ut interrogata ægra neque oculos aperiret, neque ulli reſponderet. MORTUÆ cerebrum inventum eſt omnino ſanum: parvam dumtaxat ſeri copiam, dum eximeretur, per Infundibulum emiſerat. In Tympani autem cavea, & proximis Sinuoſitatibus ſanioſa inerat materia.

5. Surditates in acutis morbis ſupervenientes, ſæpe inveniſſe Valſalvam cum aqua in Tympano redundante conjunctas, a me alibi (*e*) indicatum eſt. Hæc autem & una cum febre inceperat, & a ſanie erat. Porro in lethargicorum capitibus aliquando pus ineſſe, & Veterum illorum (*f*) doctrina indicat, qui lethargum in cerebri inflammatione, atque apoſtemate ponebant, & propoſitæ in Sepulchreto (*g*) Obſervationes confirmant. Quarum cum eam relegerem quæ puerum deſcribit ex ſoporifero capitis dolore mortuum, in cujus cadavere pus e cranii cavo per nares exierat, in mentem alterius hiſtoriæ venit, quam mihi narraverat Medicus, quem merito laudare ſoleo, Hippol. Franc. Albertinus. Parochus a longa ſub ſole mora; rure enim degebat; vehementi febre duplici Tertiana continua, & ad hanc deinceps accedentibus delirio, convulſionibus, lethargo adeo vexatus, ut a Medicis pro deſperato relictus, quarto decimo die moriturus crederetur, eo ipſo die multo & lotio, & ſudore emiſſo, febre quidem pene omnino ſolutus eſt. Verum cum lethargus nihilominus perſtaret, videns Albertinus, totius corporis victum eſſe communem morbum, non partis peculiarem, in qua videlicet latere apoſtema, ſuſpicabatur, & quidem anterius, propterea quia morbum a dolore ad frontem ſciebat incepiſſe, auſus eſt; ut ipſis narrantis verbis utar; apoſtematis diſruptionem tentare, ſubjiciendo ægri naribus pulverem nicotianæ, inclamandoque, ut ſurſum attraheret. Quo facto commota ſternutatio eſt, puſque e naribus ſanguinolentum, nec paucum, erupit. Hac igitur via expurgatus æger, jam die vigeſimo primo bene ſe habebat; niſi quod vertigini, auris ſibilis, aliiſque ejuſdemmodi erat obnoxius, & aliquot annos fuit. Sed hæc eo narrante, ſanus vivebat. Optandum eſſet, ut in quibus ejuſmodi obſervationes habere contingit, eorum capita, quandocunque morerentur, ſub manus caderent diligentis Sectoris, & qui ea quæ olim præceſſiſſent, non ignoraret; quemadmodum in II. ad te Epiſtola (*h*) interdum factum eſſe, oſtendimus; ut oculorum quoque judicio plane conſtaret, pus ex cranii cavo, non ex Pituitariis ſinibus, prodiiſſe. Sed hoc voto, cujus raro compotes fieri accidit, nunc ſepoſito; paucæ omnino; ſi vulneratorum exempla, ut hic facimus, excipias; tot inter quæ in Sepulchreto collectæ ſunt, obſervationes occurrent puris, in calvaria poſt ſoporoſas affectiones inventi. Aqua plerumque reperta legitur: quod etiam in his Valſalvæ, meiſque Obſervationibus animadvertes, ſive pauca, ut in ſuperioribus vidiſti, ſive multa, ut in ea quæ ſequitur proxima, videbis.

6. ADOLESCENTULUS annorum quindecim, vertigini obnoxius, ex improviſo in terram cadit, ſuppreſſis omnium ſenſuum functionibus. Poſt horam ad ſe redit, linguæ motu nonnihil læſo. Paucis poſt diebus in febrem incidit acutam, cui ſoporoſa affectio ſupervenit cum levibus motibus convulſivis. Facies rubet. Tandem moritur. MULTUM ſeri in cerebro ſtagnantis invenitur.

7. Ad tot illas quas paulo ante in Sepulchreto eſſe, diximus, a pluribus Auctoribus habitas aquæ intra cranium poſt ſoporoſos affectus obſervationes, extant aliæ quæ addi poſſint. Nos duas ex duobus, haud amplius, altero vetere, altero recentiore Anatomico indicabimus. Jacobus Sylvius (*i*) *in aliquibus ſpectaviſſe* ſe, ſcripſit, *qui caro, aut catoche mortui erant, repletos omnino humore ſeroſo* cerebri *ventriculos*. Gulielmus autem Cheſeldenus (*k*) ſe in lethargicis

(*a*) l. 1. 3. (*b*) 4. & 5. (*c*) Sect. hac 3. Obſ. 42. (*d*) in Schol. (*e*) Epiſt. Anat. 7. n. 6.
(*f*) Vid. apud Sennert. Medic. Pract. l. 1. P. 2. c. 20. (*g*) Sect. 3. cit. Obſ. 31. 33. 34. (*h*) n. 16.
(*i*) Calumn. Depulſ. 28. (*k*) the Anat. of the hum. body book 3. ch 14.

gicis ſemper cerebrum aqua plenum reperiſſe, teſtatur.

8. VIR ebrioſus, qui ad annum accedebat ſexageſimum, febre acuta laborans, in Noſocomium ultimo dumtaxat morbi tempore illatus, hebes jacebat, ut interrogantibus vix reſponderet. Stragula ſæpius abjiciebat, quaſi ingenti ureretur calore, qui, ſi tangeres, vix tepidus, imo ad extrema corporis frigidus percipiebatur. Pulſus interdum omnino latebat: interdum prodibat; ſed durus, parvus, intermittens. Reſpiratio tamen erat naturalis. Per hæc noviſſimis tranſactis diebus, prope quartum decimum eſt mortuus.

VENTRE, & Thorace apertis, ventriculus, & inteſtina levi rubore ſuffuſa inveniuntur, quaſi inciperent inflammari: in cordis autem ventriculis ſanguis craſſior; ſed tamen fluidus. Cranio recluſo, dum Craſſa meninx inciditur, & dum cerebrum eximitur, limpidum, ſed non multum, prodit ſerum. Sub Tenui quoque meninge, quæ leve inflammationis præbebat indicium, ſulci qui inter cerebri anfractus deſcendunt, eodem manebant ſero. Denique in Lateralibus ventriculis aliquantum ſeri, colore ſanguineo infecti, repertum eſt.

9. Febris hæc fuit λειπυρίας, ſicut in vivente adnotata, & in mortuo reperta ſignificant. Porro ſi eam quæ ad ipſam attinet, in ventriculo, inteſtinis, & Tenui meninge animadverſam inflammationem ſeponas, leviorem viſam propterea quod ἐρυσιπελατώδης erat, ut opinor; aqua videlicet reſtabit, ad quam hebetudinem iſtam referas tantam, ut ſemiſopiti inſtar, homo interrogantibus vix reſponderet. Frequens autem ebrietas tum inflammationis materiam ſuffecerat, tum cerebrum infirmando, ad aquæ illius ſecretionem diſpoſuerat: ad quam adoleſcentulum quoque de quo paulo ante dictum eſt, prægreſſæ vertigines crebræ, & denique apoplecticus inſultus paraverant.

10. VIR ſexagenarius dolore corripitur in ſiniſtra thoracis parte: in dorſum cubat. Circa diem decimum accedit ſoporoſa affectio, qua omnes interiores ſenſus omnino obſcurantur: vix ſe movet, & quando id facit, tarde & pigre facit. Acriter vellicantur pedes; nec tamen ullum oſtendit ſenſum. Moritur denique. IN THORACE ſiniſter pulmo induratus: in ventriculo cordis dextero polypoſa concretio.

Intra Cranium, circa vaſa Craſſam meningem perreptantia *gelatinoſæ* concretionis initium: in cerebri ventriculis paululum ſeri invenitur.

11. Thoracis dolor, & induratus pulmo hujus inflammationem deſignant. Cætera veternum graviſſimum, in imperfectam apoplexiam deſinentem, & hanc in mortem. Quam facile autem veternus, & pulmonum inflammatio conjungantur, ex Hippocrate, Ballonio, aliiſque colliges, quos ad hujuſcemodi Obſervationes (*l*) laudatos videbis in Sepulchreto (*m*). Eodemque ſpectant, præter aliquam, alias (*n*) ad te ſcribendam, noſtræ obſervationes duæ, quas hiſce quinque, jam ex Valſalva deſcriptis, ſubjiciemus.

12. SENEX annos natus undeſeptuaginta, pallidus, ab aliquo jam tempore de levi dolore cervicis conqueſtus; hoc aucto, in Bononienſe S. Mariæ de Morte Noſocomium receptus eſt. Vires erant debiles, pulſus quoque exilis, & frequens: homo qui cæteroquin bene videret, atque audiret, tardus erat ad intelligendum, & agendum, inſtar ſemiſopiti. Quod unum toto morbi tempore perſtitit, imo auctum eſt, cum cætera, & in his cervicis dolor, ſic ſatis mox remiſiſſent. Poſt aliquot autem dies queſtus eſt de pectoris dolore, qui noctu acceſſerat: cujus ſedem, manu ſternum tangens, indicabat. Quocirca ſanguinis paucæ unciæ continuo e manu detractæ ſunt, eaque præterea quæ incipiente pectoris inflammatione ſolent, & data, & exterius adhibita. Dolor poſt hæc intra unum diem receſſit ſic ut nunquam poſtea de illo aut de ullo thoracis incommodo conqueſtus ſit. Quoniam tamen abeunti dolori ſtertor ſucceſſit, ſtrepente in Aſpera arteria humore, iſque biduum duravit, vibratique interea facti ſunt pulſus; ſæpe, & diligenter interrogatus, numquid, & ubi moleſtum eſſet, non alia tandem reſpondit, niſi unde colligeres, grave ipſi caput videri, pungi præterea interius ad tempus dexterum. Interea etſi ſtertor deſierat, liberumque erat in utrum vellet latus decumbere; decumbebat autem ſæpius in dexterum; & denique etiam pulſus vibratio remiſerat; nobis tamen is rerum ſtatus non placebat: neque id immerito. Nam quarto aut quincto ex quo dolor abierat, die, qui dies fuit circa medium Januarium A. 1706. mane vel magis hebes, & ſemiſopito ſimilior inventus eſt; pulſuque, & viribus infirmioribus: nocte autem proxima cum cœnulam, ut ſolebat, ſumpſiſſet, paulo poſt alto ſuſpirio edito, continuo agere animam cœpit, atque intra horam mortuus eſt. VENTRE aperto, jecur albidum, & duriuſculum animadvertimus, ejuſque veſiculam bile multum diſtentam: ventriculum autem inferius quam par eſſet, locatum; ſanum tamen. Thoracis cavea dextera ſerum habuit non paucum, turbidum, & in parte quaſi ſanioſum; ſiniſtra autem paucum, idque cruentum. Hujus caveæ pulmo erat a latere per membranas alicubi ad pleuram annexus, & ſuperius habebat in ſuperficie particulam duram, vitium, ut videbatur, antiquum, cætera aere mediocriter diſtentus, &, ſi ſecares, multum effundens ſpumoſi humoris, an illuc ex dextero per bronchia expreſſi? quippe cujus ſubſtantia ſic facta erat dura, & compacta, ut continuo intelliges. Namque hic pulmo ſuperius quidem; qua parte cum pleura nexus erat; corruptus videbatur; tota autem reliqua, quæ multo maxima erat, parte prædurus, & valde tumefactus, manum, ſi attolleres, prægravabat. Colore exterius erat carneo. Interius quoque, quacunque ſecares, ex conſtipatis carneis particulis, quaſi ex tot globulis, conſtare videbatur, vaſculis hic illic diſtinctus ab incluſo ſanguine nigricantibus: itaque ſuperioris lobi ſuprema pars ob confertiſſima vaſa, tota erat nigra. Multus autem humor putridus ex diſſecto pulmone hoc dextero prodibat. A quatuor cordis orificiis totidem incipiebant concretiones polypoſæ, inde in reſpondentium vaſorum truncos productæ, & in truncorum quoque ramos, ut certe in Pulmonaribus vena, arteriaque conſpeximus. Majores illæ erant duæ quæ in venas juxta ſingulas auriculas ferebantur: quin & in auriculas ſe expandebant, præſertim autem in dexteram. Erant omnes maximam partem ex alba tenaci, & quaſi fibroſa ſubſtantia. Cranio exſecto, concretio polypoſa exilis, ſed illius ejuſdem ſubſtantiæ, in Falcis ſinu conſpecta eſt. Inter utramque meningem aquæ copia non modica. Multa quoque ſub Tenui ad cerebri ſulcos; imo, ut attentius inſpiciens cognovi, intra membraneam ejuſdem meningis ſubſtantiam in quaſdam quaſi mucoſas cellulas diductam; quamobrem aquam his cellulis interceptam mentiri quidem *gelatinam*, ſed revera eſſe fluidam, animadverti. In Lateralibus ventriculis pauca aqua, eaque cruenta: nec pallebant vaſa, per eorum ſuperficiem ducta, nec quæ Choroides plexus efficiunt; quorum in plexuum poſteriore parte hydatides erant. Pinealis glandula, minime laxa, intra ſe corpuſculum habuit inæquale, magnitudine minoris grani piperis, ſubſtantia duriuſcula; ſed neque oſſea, neque cartilaginea, neque manifeſte lapidea. Cerebrum, & nervi non valde flaccidi, Cerebellum pallidiuſculum eſt viſum. E Spinæ tubo vix paucæ aquæ guttæ defluebant.

13. Si ex verbis Hippocratis, tanquam ex oraculis, quædam excerpere, & ad rem noſtram accommodare fas eſſet; profecto ex iis quæ de lethargicis ſcripſit (*o*), in propoſitam hiſtoriam convenirent hæc: *ſoporati, decolores, ... cum pulſu ſepulto, ... cervicis dolore angi queruntur .... Quicunque ſervantur, fere purulenti redduntur*; id eſt, ut Duretus interpretatur, *ex pulmonum vomica: niſi ante ad exitium præcipitentur a peripneumonia, nata ex prolapſu materiæ corruptæ, & fractis jam viribus a lethargo*. Verum utcunque de his, & præſertim de iſto materiæ prolapſu ſentiendum eſt;

(*l*) Sect. hac 3. Obſ. 39. 48. & in Addit. Obſ. 4. (*m*) in Schol. ad cit. Obſ. 39. (*n*) Epiſt. 21. n. 33.
(*o*) in Coac. Prænot. Dureto interpr. l. 1. n. 145.

eſt; certe is de quo retulimus, Senex ſimul peripneumonia, & fractis a ſoporoſa affectione viribus periit. Sic enim, ut copioſe alibi (*p*) oſtendam, tumidus, & denſatus, & durus, & gravis pulmo a peripneumonia eſt quæ ſolvi non poſſit; quapropter & in noviſſima Valſalvæ hiſtoria ex indurato poſt thoracis dolores invento pulmone, hujus inflammationem intellexi (*q*). Solvi autem in ſene infirmo, & ſemiſopito non potuit, quippe qui mobilem adhuc, ſtrepentemque in bronchiis materiam expectorare nec valebat, nec conabatur. Itaque dolorem primum, mox & ſtertorem deſiiſſe non placebat nobis conjicientibus, quantum mali ſub ea quietis ſpecie facile deliteſceret. Quod eo magis auctum eſt, quia multa erat in effœto ſanguine materia ad concreſcendum, ubi quieſceret, prona, ſicuti polypoſæ poſt mortem concretiones tot tantæque docuerunt. Nec tamen a concretione ſub Tenui meninge illud repetendum erat quaſi mucoſum; namque in ſpeciem erat *gelatina*, revera aqua fluida: & quidquid mucoſi apparebat, ad divulſas, diſtractaſve meningis particulas, fibraſque ſpectabat. Quam ſpeciem & mihi, & aliis impoſuiſſe interdum, non dubito: quanquam ſuſpicionem injicere debuiſſet Wepferus, qui cum *gelatinam* ibidem conſpexiſſet non ſemel (*r*), adnotavit, *hac cultello ſauciata, aquam exſtillaſſe*. Non adnotavit quidem, unde illa exiſteret ſpecies. Sed neque ego cum unde exiſteret, animadverti; de vera illius ſede ſolicitus fui: quod diſerte hic tibi ſignificandum eſſe, cenſui, ut quandocunque in his Epiſtolis aquam ſub Tenui meninge offendiſſe me, ſcribam, aut eandem meningem in iis quidem locis nominabo, in quibus natura ab ea non disjunxit Arachnoidem, uno eodemque nomine, Veterum more, utramque comprehenſam intelligas, & memor tot *nexuum fibroſorum* per quos Ruyſchius (*ſ*) docuit ambas inter ſe connaſci, poſſis cum recentibus Anatomicis in laxatorum eorum nexuum interſtitiis aquam congeſtam exiſtimare. Aqua autem ea copia fuit intra cranium propoſiti ſenis tum quia illiuſmodi ſanguis lente meabat, tum quia in ea ætate ſero abundat, & caput, ut vires oſtendunt languidæ, infirmius eſt. Quod igitur in eo legitur libro qui inter Hippocraticos circumfertur, inſcriptus *de hominis ſtructura* (*t*), *cum cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit, hinc paſſionem quæ lethargus appellatur, hominem occupare*, id, ſi latius aliquanto accipias, hac, cæteriſque, ut diximus, in hac Epiſtola Diſſectionibus confirmatum vides, duabuſque præterea aliis ad ſoporoſas quoque affectiones pertinentibus, quæ Diſſectiones in I. (*u*), & II. (*x*) ad te Epiſtolas conjectæ ſunt, & fortaſſe aliis etiam videbis, ut certe ea ad quam tibi deſcribendam tranſeo, quando in ſuperioribus Litteris (*y*) quod habebam dicere de corpuſculis duris in Pineali glandula non ita raro occurrentibus, dictum eſt.

14. VIR exterus, iſque, ut videbatur, quinquagenarius in Noſocomio Patavino ex pulmonum inflammatione cum ſoporoſo per quatuor dies affectu, mortuus erat menſe Martio A. 1717. A CADAVERE amputatum caput, & detracta genitalia, ad me, tum forte quædam de utrorumque ſtructura recognoſcere cupientem, afferenda, ut ſolebant, curarunt Viri Clariſſimi, qui tum mihi in pleriſque ſectionibus adjutrices præbebant manus, in Publicorum Profeſſorum numerum poſtea meritiſſime adlecti, Julius Pontedera, & Jo. Baptiſta Vulpius. De Thoracis viſceribus, quoniam manifeſtiſſima pulmonum inflammatio fuerat, nec ego tunc eram ſolicitus, nec ipſi fuerunt. Ex genitalibus, quemadmodum ex iis quæ peculiaria habebant, alibi a me deſcripta, aliaſque proferenda, cognoſces, proclive erat intelligere, nullam ei viro notam Veneris voluptatem fuiſſe. In Cerebro autem; etſi aliud agebam; hæc quæ ad rem præſentem attinent, adnotavi, videlicet in ventriculis aquam, & ſub Tenui meninge paſſim & multam, & flavam: in vaſis autem, ſanguine diſtentis, polypoſas hic illic concretiones.

15. In hujus quoque cranio, ut ante indicavimus, fuiſſe aquam, vides. Sed erat hæc flava, ut in comatoſa etiam puella, in ſartore quem profundus ſomnus ſubinde prehendebat, & in puero lethargico, quorum ſectiones habes in Sepulchreto (*z*). Eo tamen noli ſtatim decurrere, ut illud improbes quod ex Carolo Piſone ibidem (*a*) profertur, ſerum ſanguinis *ſoporoſum* eſſe, *ſi excremento cerebri mucoſo, vel aliis humoribus (præter bilem) commiſceatur*. Nam in illa puella epilepticus inſultus, in eo puero ingens capitis dolor præceſſerant, ſartorem autem non hic modo, ſed ſubinde vigiliæ, ſubinde ſomnus male habebant: nec fortaſſe aliquid ejuſmodi, ſi quis diligentius quæſiviſſet, in viro deerat, cujus modo hiſtoriam propoſui. Nec me tamen fugit quod in idem quoque Volumen (*b*) relatum eſt, a Franciſco Sylvio in ipſa bile, quippe non ſecus ac opium, impenſe amara, *vehementiorem narcoſin* poſitam eſſe, & præter aquam, alia in veternoſorum capitibus, præſertim vero ſanguine diſtenta vaſa non raro inveniri: imo in quibuſdam (*c*) *cerebrum* ſatis exſuccum, *ac hydrope, aut colluvie ſeroſa, quibus lethargici plerumque afficiuntur, prorſus immune deprehendi*. Quorum ego nihil inficior: quin ultro addo, audiviſſe me, ſomnolentos a deglutito opio canes arterioſa omnia cerebri vaſa oſtendiſſe ſanguine vehementer turgida. Sed illud ajo, utile quidem eſſe ſcire, ſoporoſas affectiones in aliis aliter fieri ab alia cauſa; illud vero utilius, noſſe quid *plerumque* ex aliorum quoque confeſſione poſt affectiones illas ſoleat inveniri.

16. Nunc tamen quoniam de ſero, quod ut plurimum reperitur, ſatis dictum eſt; de vaſorum quoque diſtentione (quam & ipſe in eo ſoporoſo affectu eſſe, cenſui, in quo magna cum utilitate Occipitales venas incidi juſſi (*d*), & non raro, fateor, ſimul cum aqua inventam eſſe, velut Acta quoque Cæſareæ Academiæ (*e*), & noſtræ aliæ Obſervationes (*f*) confirmant) de illa, inquam, aliquid dicamus, præſertim cum in viro de quo loquimur, non defuerit. Huic quanto plus ſanguinis inerat, & quanto minus per inflammatos pulmones trajici poterat, tanto plus crediderim in venis quæ intra cranium ſunt, reſtitaſſe. Hæ enim venæ cum circumjectorum muſculorum carent adjumento, tum ſanguinem ab iis arteriis accipiunt, quæ ut tenuioribus tunicis ſunt, ita non magnopere illum compellere, nec a tergo valde urgere poſſunt. Quanto autem magis reſtitat ſanguis, tanto plus ſeri, ſi nihil prohibeat, ab eo ſecedit, tantoque magis ab utroque premitur cerebrum: porro quanto major hæc preſſio eſt, tanto gravior eſt ſopor; ut illa vel magis aucta, in apoplexiam hic degeneret. Itaque Sennertus (*g*) ſi adeo carus ingraveſcat, ut reſpiratio quoque lædatur, *tum apoplexiam in propinquo eſſe*, monet. Quin Boerhaavius (*h*) diſerte, *Carum eſſe apoplexiam levem*, ſcribit, *Lethargum autem leviorem apoplexiæ ſpeciem*. Quæ commemoro, ne mireris, ſi quas inter apoplexiæ cauſas poſui, eaſdem nunc eſſe agnoſcam ſoporoſorum affectuum cauſas. Cur autem cædem in quorundam capitibus, qui ex his affectibus periere, majores interdum eſſe videantur, quam in aliorum quos interemit apoplexia, ſatis ex iis quæ in IV. Epiſtola (*i*) indicata ſunt, per te conjicies; ego, ut initio dixi, nolo in hac quoque prolixius conjecturis indulgere. Id optimam in partem accipies: & valebis.

EPI-

(*p*) Epiſt. 20. & 21. (*q*) Supra, n. 11. (*r*) Sepulchr. l. 1. S. 2. Obſ. 47. & S. 15. Obſ. 3. (*ſ*) Reſponſ. ad Epiſt. Problem. 9.
(*t*) n. 3. (*u*) n. 2. (*x*) n. 20. (*y*) n. 12. (*z*) Sect. hac 3. Obſ. 12. & 43. & in Addit. Obſ. 1.
(*a*) Sect. ead. Obſ. 8. in Schol. (*b*) Ibid. in Schol. ad Obſ. 13. (*c*) Obſ. 30. (*d*) Adverſ. 6. Anim. 83.
(*e*) Volum. I. Obſ 152. & IV. Obſ. 39. (*f*) Epiſt. 10. n. 17. (*g*) Medic. Pract. l. 1. P. 2. c. 32.
(*h*) Aphor. de cognoſc. morbis §. 1045. & 1049. (*i*) n. 31.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA VII.

Sermo eſt de Phrenitide, Paraphrenitide, & Delirio.

CUr duæ quæ *Soporoſos Affectus* in Sepulchreto conſequuntur, Sectiones ſint a nobis prætereundæ, facile ex iis intelligis cauſis, quas ſub initium attigimus Epiſtolæ ſuperioris. Eædem autem ferme ſunt cauſæ, quare & Sectionem quæ duas illas proxime excipit, *de Vigiliis præter naturam* inſcriptam, prætereamus. Nam hæ quoque non ſolæ ſunt, cum interimunt, ſed cum gravioribus morbis conjunctæ. Itaque nullum invenies exemplum, in quo Vigiliæ dumtaxat proponantur, ex iis omnibus quæ ibi proferuntur: quæ tamen octo, haud amplius ſunt; imo ne octo quidem. Obſervatio enim VII. eadem ac IV. eſt: quod unum magis miror intra tam paucas lineas animadverſum non fuiſſe, quam plures in longiore inſequente Sectione VII. iterationes; ſiquidem Obſervatio XXXV. non alia eſt ac XXIII. nec XXXIV. alia ac XXIX. Atque utinam in ſuperioribus tribus Sectionibus eadem non obvia eſſet incuria. Certe in I. facile animadverti potuiſſet, Obſervationem XXXII. non differre a XVI. nec XXXIV. a XIX. nec LXIII. a XXXV. nec LXXXV. a XLIV. nec CIII. a XCV. Neque in II. Sectione Obſ. XXVIII. a XXIV. aut XXII. ab ea quæ in Additamentis eſt II. Neque in III. Sectione Obſ. XXIII. a XX. aut XXXVIII. a XLIV. Quod ſi hæc nobis occurrerunt aliud agentibus; credibile eſt, plura deprehenſuros eſſe qui diligenter quærant. Sed hæc, & cætera ejuſcemodi, viderint qui eos libros tertium vulgabunt. Nos; ut ad propoſitum revertamur; Vigiliarum exempla cum aliis morbis relaturi, jam ad iſtam VII. quam inſequi diximus, Sectionem tranſimus. Ea eſt *de Phrenitide, Paraphrenitide, & Delirio*. Hiſtorias autem quæ huc attineant, præcipue has quatuor in Valſalvæ ſcriptis invenimus.

2. ADOLESCENS annos circiter viginti natus, in Bononienſi S. Mariæ de Morte Noſocomio decumbebat. Lenta erat febris cum ſiti quidem, ſed urina, & pulſibus quadantenus ſanorum ſimilibus; ut levis videretur morbus. At circa octavum diem delirium ingens acceſſit, quod ſeptem dies perduravit. Hoc ceſſante, æger tamen quaſi amens jacebat, niſi quod nonnunquam pauliſper ſapere videbatur. Tandem moritur. CADAVER exterius ad lividum aliquantum vergebat, præſertim ſub manuum unguibus: & muſculoſa etiam caro ad ſubfuſcum potius, quam ad nativum rubicundum colorem. Sanguis quoque nigricans erat, & craſſior; fluidus tamen. In Ventre, & Thorace ſana omnia; niſi quod aquæ in pericardio veſtigium nullum. Cranio ſublato, *gelatinoſa* quædam concretio animadverſa eſt, quæ vaſa ſanguifera, per Tenuem meningem reptantia, a lateribus comitabatur. Ea meninge ad baſim cerebri lacerata, copia aquæ exivit, colore, & craſſitie vaccinum ſerum referentis. Cæterum totum cerebrum erat ſanum.

3. Malignam, ut vocant, hanc febrem, delirium autem quod ad ipſam acceſſit, Phrenitidem fuiſſe, manifeſtum eſt. Sed cur in meningibus nulla inflammatio? nulla vaſorum diſtentio? Num hanc credes, cum phrenitis in amentiam mutata eſt, ſolutam fuiſſe; antea autem non defuiſſe, eoque tempore ob lentum in diſtentis vaſis ſanguinis motum, eam aquæ copiam ſecretam eſſe? At neque in duabus proximis obſervationibus quidquam leges de vaſorum in meningibus diſtentione.

4. VIR annorum circiter triginta quinque dolore corripitur in thorace, cum febre. Dolore abeunte, accedit ad febrem delirium: quod, febre magis ſemper augeſcente, ad mortem uſque perdurat, quæ circa diem undecimum accidit. THORACE recluſo, pulmonum poſteriora dura aliquantum, & rubra inveniuntur. In utroque cordis ventriculo polypoſa concretio, in ſiniſtro autem propemodum major, mirante Valſalva, ut qui ad id tempus majorem ſemper in dextero animadvertiſſet. Dum e Cranio cerebrum eximebatur, paululum ſeri ex meningibus emanavit. In Duræ ſingulis majoribus Sinibus ſingulæ erant concretiones polypoſæ. Molle fuit cerebrum totum: in ſiniſtro autem ejus ventriculo plexus Choroides multum, varicum inſtar, turgebat.

5. De polypoſarum concretionum cauſis, illarumque diſcriminibus non eſt hic locus verba faciendi. Sed quæ cauſa peripneumoniam facere inceperat, ea videbatur in hoc viro ad caput translata, ibique perſtans ad mortem uſque, conſpicuam meningum inflammationem facere debuiſſe. Nec fecerat tamen: iſtæque in altero dumtaxat plexu Choroide quaſi varices antiquum facile vitium erant.

6. BAJULUS febre ardenti laborans, ingenti capitis dolore, cui delirium ſucceſſit, vexabatur. MORTUUS, inter utramque meningem paucum ſerum oſtendit, cujus pars inter ſanguifera vaſa in *gelatinæ* modum concreverat: in Sinu autem Falcis tenuem, longamque concretionem. Cæterum totum cerebrum ſecundum naturam ſe habebat.

7. VIR autem annos natus triginta quinque, in magnam incidit febrem: delirat: oculi lucent: pulſus eſt vehemens. Denique moritur. CEREBRUM eſt bene conſtitutum; niſi quod valde turgent ſanguine ejus vaſa, ventriculi autem ſeri habent aliquantum. Præter nonnullas in Corde polypoſas concretiones, omnis in hoc cadavere ſanguis eſt fluidus.

8. Ne mireris, uno hoc excepto, in reliquis de quibus dictum eſt, delirantibus Valſalvam diſtenta cerebri vaſa non vidiſſe; relege omnia delirantium exempla quæ ex ipſo retuli in Epiſtolis ſuperioribus (*a*); nam & delirium ex iis affectionibus eſt, quæ tametſi interdum, vel a gravioribus aliis ſejunctæ, poſſint occidere, ſæpius tamen cum aliis copulantur; nullum reperies, in quo diſtentionem vaſorum cerebri animadverterit, plura, in quibus aquam. Illud verum eſt, haud talia plerumque fuiſſe ea deliria, qualia creduntur conjunctam meningum inflammationem habere. Sed tamen etiam in Sepulchreto quædam extant Obſervationes (*b*) in quibus cum vel maxime credibilis eſſet, nulla fuit vera inflammatio, &, ſi vaſa diſtenta erant, *aquoſo & pituitoſo ſanguine turgebant*. Quin Williſii diſſectiones, & ſententia (*c*) proferuntur, cenſentis, a meningum inflammatione ſoporoſos potius affectus induci, quam phrenitidem, cerebro videlicet a reſtitante ſanguine compreſſo, aut ſi illa poſt phrenitidem inveniatur, tunc inveniri, cum phrenitis denique in carum, aut lethargum mutata eſt. Contra in pleriſque earum Obſervationum quæ de phreneticis, aut delirantibus in hanc Sepulchreti Sectionem relatæ ſunt, videbis meningum inflammationem, aut ſaltem earum vaſorum diſtentionem commemorari, quamvis ante mortem ſopore occupati non fuiſſent. Sunt vero Docti Viri qui hactenus Williſium ſequuntur, ut a meningum inflammatione phrenitidem non ſemper fieri, agnoſcant; ipſi autem negari non poſſe, credunt, cerebrum, aut ſaltem cerebri corticem ſemper in phrenitide eſſe inflammatum.

(*a*) I. n. 2. & 4. V. n. 2. & 4. VI. n. 2. (*b*) ex. gr. 13. 14. 16. hujus ſeptimæ Sect. (*c*) Ibid. Obſ. 1. cum Schol.

Quod tamen diſerte negabat Henricus Meibomius Anatomicus præſtantiſſimus, cum hanc theſim propoſuit (*d*): *In phrenitide ipſa cerebri ſubſtantia non inflammatur*. Ego vero non modo aliquando inflammari, non nego; ſed ad eas quæ in Sepulchreto ſunt, obſervationes addere alias poſſum, ut Lanzoni (*e*), qui in adoleſcente ex maligna febri delirante *cerebrum maculis nigris undequaque conſperſum, cum membranis lividis* invenit, prægreſſæ inflammationis haud ita obſcuris indiciis, & Möglingii (*f*), qui phrenetici cerebrum *ſecundum membranas undique inflammatum*, & parte aliqua *ſphacelatum*, vidit cum *ventriculis multo ſero repletis*. Sed cum has, aliaſque addidero; tot illas diſſimulare non potero, in quibus nulla uſquam in cerebro reperta eſt inflammatio, quæ, ne ab Sepulchreto diſcedam, ex fere omnes ſunt, quas proferri video ad oſtendendum, ſine meningum inflammatione fuiſſe phrenitidem. Quas inter, eam potiſſimum attendas velim, in qua egregius Anatomicus Coiterus (*g*) *nullam*, inquit, *nec in membranis, nec in cerebri ſubſtantia deprehendere quivi inflammationem*: huc autem adjungas quæ ſolers alter Proſector obſervavit, potius quam in Sepulchreto apud Rhodium ipſum (*h*) legenda. Rhodius enim cum repertam in uno phrenetico meningum, & cerebri inflammationem propoſuiſſet, *at Fabricius Bartoletus Vir diligens ac ingenuus mihi faſſus eſt*, inquit, *ſe in plurimis phreniticorum cadaveribus inveniſſe piam matrem ſine omni cerebri noxa inflammatam*. Quod ſi haud facile credis, tunc corticem ſaltem cerebri noxæ aliquid a contigua meninge non contraxiſſe; cave tamen putes, cum cerebri cortex eſt inflammatus, ſemper tunc eſſe phrenitidem. Nam Williſius idem qui ſæpius hanc abeſſe vidit cum eſſent meninges inflammatæ, docuit ibidem (*i*), tunc etiam abfuiſſe *nonnunquam*, cum *cerebri exteriorem ambitum* offendit *tumore phlegmonode obſeſſum*. Nec aliæ deſunt quæ id confirment, obſervationes, in hiſque ea quæ extat Sepulchreti libro IV. (*k*) *Tenuis* enim *meninx erat & ipſa rubicunda, ac ſub ipſa pus craſſiuſculum & ſubrufum*: *nequaquam tamen æger deliravit*. Quid ergo eſt? Cum omnia quæ dicta ſunt, attenderis; huc redeas, neceſſe eſt, ut aliæ alias cauſæ eſſe horum deliriorum videantur, eæque pro varia ſanguinis, humorumque natura, aut cerebri affecta parte, aut hujus a primordiis, morbiſve prægreſſis conſtitutione, aut ejuſmodi aliis, aut diverſa modo plurium, modo horum omnium conjunctione, aliter in aliis agentes, ut alias hunc, alias alium efficiant morbum. Erit igitur in nonnullis cerebri, in pluribus meningum inflammatio, aut certe vaſorum illa diſtentio, ſed non tanta, ut magis comprimat, quam irritet: in aliis effuſa aqua, ſed irritans hæc quoque; probo enim Bonetum (*l*) aut quemcunque alium ſcribentem, *purum putum ſerum, acrimoniæ expers, delirium excitare non valere*: in multis denique; ut alias omittam cauſas; utraque ſimul earum quæ modo dictæ ſunt. Quo ſpectant & Obſervationes quædam in Sepulchreto (*m*) legendæ, & complures meæ, quarum alias in aliis Litteris ad te ſcripſi (*n*), aut ſcripturus ſum, quinque autem in his continuo ſubjiciam.

9. SENEX annum agens octogeſimum, ob varia, ſed levia, valetudinis incommoda admiſſus in Bononienſe S. Mariæ de Morte Noſocomium, cum ibi eſſet, pulſu factus eſt non modo crebriore, & celeriore, verum etiam turgidiore, quam ejus ætati videretur convenire. Ad hæc, delirare cœpit, ſæpe item, quaſi ex convulſione, maxilla inferiore, & artubus tremere. Tunc interrogatus quas in capite moleſtias perciperet, pondus diſerte dixit, cætera negavit. Porro cum delirare pergeret, ac tremere ita, uti dictum eſt, ad quindecim, aut ſexdecim dies; tandem pulſus, qui nonnunquam humilis animadverſus fuerat, humilior eſt factus: indeque intra biduum, ſtertore ſuperveniente, ſimul delirandi, & vivendi finem fecit. VENTRE, ac Thorace quarta decima ab obitu hora apertis, viſcera ſunt animadverſa etiam tum calentia, quamvis toto illo temporis ſpatio cadaver ſub dio aeri frigido, quippe ſub initium A. 1706. expoſitum fuiſſet. Inteſtina qua inter ſe contingebant, & inferiore quoque facie rubebant nonnihil; limbus autem hepatis livebat: lienis denique multum flaccidi membrana qua convexam faciem veſtiebat, valde craſſa facta erat, & quaſi cartilaginea. Hæc in ventre. In Thorace autem dexter pulmo inferiore latere cum pleura cohærebat, in ſummo parvam quandam portionem duram habebat, in qua diſſecta, vaſa omnia pulmonis obſtructa, & ſicca videbantur; ut vitii antiqui veſtigium crediderim. Pulmonis vero utriuſque inferiores, & præſertim poſteriores, partes non modo nigræ erant, ut ſolent, verum etiam ſubduræ. Pericardium vix aliquid aquæ: cor autem concretiones duas habuit polypoſas, alteram in ventriculo dextero ſubflavam, & viſcidam, quæ in auricula, & prope Pulmonaris arteriæ orificium, quod tamen non ſubibat, alba fiebat, duriorque; alteram albam, & duram in ſiniſtro ventriculo, & initio arteriæ Magnæ. Hujus valvulæ, & Mitrales hic illic duræ; necdum tamen oſſeæ. Ipſius autem arteriæ truncus, ſi exterius inſpiceres qua ſecundum vertebras deſcendit; ſanguifera quibus ornatur, vaſcula oſtendebat multum diſtenta: ſi vero interius; ſquamulas paſſim duriores, multiſque in locis jam oſſeas, haſque etiam qua is truncus in ventrem pertinebat, & in ſuperiore aliquo ejus ramo; ſed prope cor minus duras: præterea inter ſquamulas, quibuſdam in locis, interior tunica deſiderabatur, ibique exulcerata, & corroſa videbatur tunica proxima, & in rubræ, putridæque ſubſtantiæ fruſtula, quæ prodibant, converſa. Cranium exſecturi, dum Temporales muſculos amovemus, valde ſtrigoſos animadvertimus, credo, quia jam diu minus valide ſe contenderant, ut pote in ſene propemodum omnino edentulo. Dum vero caput a ſumma Spina amputabatur, ex hujus tubo non multum, ex majori autem oſſis occipitis foramine magna vis aquæ prodiit. Quamobrem Craſſa meninx mox valde corrugata deprehenſa eſt. Sub Tenui tamen in cerebri anfractibus aqua ſupererat ejus ſimilis in qua caro recens lota ſit: cujuſmodi aquæ portio aliqua & in Lateralibus ventriculis fuit, quorum tamen vaſa non pallebant. Quin plura videram per Tenuem meningem vaſa, nigro, concretoque ſanguine pleniora: in Sinu autem Falcis polypoſam concretionem exilem, & longam. Cæterum etſi cranium, & cerebrum hoc neſcio quid ingrati olebant; cerebri, & cerebelli ſubſtantiam invenimus ſanam; niſi quod in illo non adeo, in hoc vero multum laxa erat.

10. Vel in ſene id ætatis, ut paſſim Magna arteria oſſea fieret, in delirio autem perpetuo quidem, ſed minime feroci, vides tamen, cum aqua, vaſorum diſtentionem in meninge Tenui fuiſſe. Jam vero ab hoc, unde conſulto incepimus, ad ſenem alterum, ſed non ita grandem natu, & ad delirium minus quietum tranſeamus, quando cætera quæ in prioris corpore inventa ſunt, habebimus alias commodiorem attendendi locum.

11. FIGULUS, annos natus ſeptuaginta, natura hilaris, potor ſtrenuus, poſt animi curas, laboremque in arte ſua majorem, quam ſoleret, eaque ætate ferre poſſet, ſimul in febrem incidit, & dolorem ſiniſtri lateris vehementem. Quare circiter Nonas Apriles A. eodem 1706. tum in idem Noſocomium ſtatim exceptus eſt, tum ſanguis ſtatim de ſiniſtro cubito emiſſus. Quarto die febris ſe valde intendit. Sexto autem delirium acceſſit tantum, ut vincire neceſſe fuerit, ne lecto deſiliret. Pulſus erat frequens, ſed æqualis: reſpiratio difficilis: nulla expectoratio. Itaque etſi eo die miſſus eſt ſanguis e talo, omnibus tamen in pejus ruentibus; poſtri-

(*d*) Coroll. 4. in calce Exercit. de Obſerv. rariorib. (*e*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 113. (*f*) Earund. Cent. 6. Obſ. 22.
(*g*) Sect. hac 7. Sepulchr. Obſ. 16. (*h*) Cent. 1. Obſ. Med. 40. (*i*) Obſ. 1. cit. (*k*) Sect. 3. Obſ. 10. §. 7.
(*l*) Sect. hac 7. l. 1. in Schol. ad Obſ. 27. (*m*) Sect. ead. Obſ. 16. & in Addit. Obſ. 1. (*n*) I. n. 14.

poſtridie, ſtertens, ſupinus, totoque corpore ſudore madens, eſt mortuus. CADAVERIS facies, humeri, & brachia non ſecus atque in ictericis, flavebant: cætera quoque; ſed minus: ilia autem erant ſublivida. Ventre aperto, animadvertimus omentum breviſſimum, ſurſumque retractum: lienis tunicam, qua imum gibbæ faciei veſtiebat, præduram: hepar vero cum diaphragmate tota convexa facie connatum, ſi limbum, ejuſque viciniam excipias. Hic ad aliquem tractum, faciei autem cavæ magna pars livore inficiebatur cum ſubſtantia proxima ad lineas duas; reliqua pallida, & marmoris inſtar variegata, tota autem duriuſcula. Bilis in veſicula erat pauca, eaque corrupti ſanguinis ſimilis, aut aquæ turbidæ in qua caro lota ſit. Nihil obſtabat quo minus in Duodenum inteſtinum deſcenderet; deſcendiſſe autem color oſtendebat eorum quæ inteſtinis continebantur. Hæc aere turgebant, iiſque adhærens pinguedo flava erat; ut perpauca etiam aqua, quæ in ima ventris pelvi fuit. Quæ autem pars Tenuium inteſtinorum in pelvi erat, illa ex fuſco ſubrubebat, ut vicina quoque ureterum portio. At veſica, & lotium quo diſtentam invenimus, utrumque flavebat: ſanguifera autem vaſcula cervicem verſus in poſteriori interiorique illius parte turgebant. In hujus veſicæ parietibus illas cellulas, & quaſi hernias vidi, quæ quoniam in Adverſariis (*o*), nec ſine conjectura de earum cauſa deſcriptæ ſunt, hic iterum deſcribantur non oportet, præſertim poſtquam apud Amicum quoque optimum, Virumque Experientiſſimum Heiſterum (*p*) multo plures videre potes delineatas. Hic unum addam: cum ex hujus Figuli domeſticis, atque intimis familiaribus quærendum curaſſem, numquid ſcirent, de ullo unquam veſicæ incommodo queſtum eſſe, diſerte negaſſe, ſicut etiam de hernia varicoſa: quam ad hunc modum ſe habentem conſpexi. Multiplices venæ, dilatatæ, & craſſæ factæ, totum undique teſticulum amplectebantur, cujus ſubſtantia ita erat compacta, ut in canaliculos, quemadmodum alias proclive eſt facere, diſſolvi non poſſet. Erat præterea infra teſtem corpuſculum exiguum oſſeum. Hæc omnia Vaginalis tunica comprehendebat, undique adnata, niſi deſuper, ubi veſiculæ erant duæ aqua flava plenæ. Alteri quoque teſticulo Vaginalis tunica erat adnata, niſi qua epididymidis corpus intercedebat; ibi enim erat ſpatium, ejuſdemmodi aqua plenum. Tunc deflexis ad penem oculis, neque in glande, neque in præputio quidquam de frænulo animadverti: lævia ibi omnia; vix albidum quaſi veſtigium, ubi frænum eſſe debuerat, aut olim fuerat. Aperta ab initio ad finem urethra, nihil dignum vidi quod hic adnotetur, niſi minuta quædam quaſi *tabacci* granula, quæ utrinque erant ad latera carunculæ Seminalis, & carunculæ quoque ipſi agglutinata eſſe videbantur. Tunc Proſtata glandula diſſecta, intra hanc eadem granula cum in parte ſiniſtra, tum præſertim in dextera fere tota, quoquoverſus ſecarem, deprehendi. Thoracem jam aggredientibus occurrerunt primum cartilagines, per quas legitimæ coſtæ inferiores cum ſterno committuntur, extrorſum a dextro latere protuberantes, quaſi aliquid interius ſubeſſet quod impuliſſet ad exteriora. Nihil autem ejuſmodi ſuberat: itaque conjeci, acceptum id eſſe referendum nimiis in puerili ætate muſculi Pectoralis dexteri contentionibus, & conatibus quos rudimenta fortaſſe illius artis exigerent. In recluſi thoracis cavo dextero ſana omnia. At in ſiniſtro multa aqua ſubflava: qua exhauſta, apparuerunt per faciem pulmonis ſtrata quaſi fruſta craſſæ cujuſdam, ut videbatur, membranæ flavæ, & facillime lacerabilis; ut quamvis reticulare quoddam opus in ſe intextum repræſentaret, concretionem eſſe cenſuerim craſſiorum particularum in ea flava aqua natantium. Erant ejuſmodi ampla fruſta per faciem præſertim inferiorem lobi pulmonis inferioris, itemque inter lobum, & lobum. Lobus autem is inferior durus erat ferme totus, & gravis: diſſectuſque ex denſa inventus eſt ſubſtantia compactus, non pulmonaris, ſed hepaticæ ſimili; ut vel me tacente, ex iis quæ ſuperiore Epiſtola (*q*) tradidi, peripneumonia affectum intelligas. Videbatur autem inflammatio tranſire in ſuppurationem cœpiſſe. Albida enim erat ea ſubſtantia, non rubra: & craſſa alba materia paſſim ex quibuſdam orificiis, bronchiorum, opinor, ſectionibus, exprimebatur. Lobus autem ſuperior in ſuprema quidem parte ſero turgidus ſpumoſo, ibidemque niger, & durus erat; ſed ita durus, ut vetus potius vitium, quam recens, exiſtimares: parte autem reliqua ferme exſuccus, nec multum diſſimilis ſani. Cæterum ad pleuram a latere, atque anterius nectebatur per plures inter ſe diviſos quaſi lacertos rubros, & craſſos, ſed membraneos. Nuſquam autem arctius pleuræ adhærebat, quam ad ſupremam illam partem: eratque ibi pleura craſſior, & facile a coſtis avellenda: id quod proclive erat facere etiam qua lobo inferiori ſuberat, ubi erat craſſiuſcula, & rubicundior. Pericardii facies exterior, ſiniſtra tantum, a vaſculis minimis ſanguine turgidulis rubebat. Intus pauca erat aqua, eaque flava. In auricula dextera, craſſa concretio polypoſa: in Pulmonari arteria, ejuſque ramis teres altera: teres quoque in arteria Magna: nec talia in ſiniſtris auricula, & ventriculo prorſus deerant. Harum omnium concretionum ſubſtantia ſecundum longitudinem ſpectata, partim erat ſinuoſa, & flava, partim fibroſa, & ſubrubra. Supra Magnæ arteriæ valvulas, ſub ipſa tunica intima, lamellæ erant oſſeæ: quin etiam primorum bronchiorum, non modo trunci Aſperæ arteriæ, ſemiannulos animadverti anterius, id eſt in media cujuſque parte, oſſeos factos; ut parum eſſent flexiles, &, ſi diſrumperes, aliquid oſtenderent in media illa parte quod medullæ inchoamentum videri poſſet. Ad Cerebri denique ſectionem progreſſus, in ſinibus Laterali ſiniſtro, & Quarto, itemque in Primo, & in venis aliquot, cum hoc communicantibus polypoſam concretionem albidam, firmam, exilem conſpexi. Vaſa autem reliqua, per omnem tenuem meningem repentia, etiam qua cerebellum conveſtit, adeo ſanguine diſtenta, ut trunculi turgerent, minimi autem ramuli eſſent luculenter conſpicui. Hæc vero in ſiniſtra dumtaxat parte ad hunc modum ſe habebant. Sed nec vaſcula per medullarem cerebri ſubſtantiam traducta, nec ea quæ parietes Lateralium ventriculorum perreptant, turgere videbantur. Plexus tamen Choroides non decolores, quamvis in ipſis hydatides, & in ventriculis omnino ſerum non deeſſet. Multum autem exterius fuerat in cerebri anfractibus, unde per Tenuem meningem translucens, *gelatinam* mentiebatur: ſed hæc revera nuſquam; fluxile dumtaxat ſerum fuit.

12. Noli expectare, ut tam longæ hiſtoriæ longa quoque reſpondeat explicatio. Alia nimirum alio attinent, quæ ſuo quodque loco in aliis Litteris non negligemus; hic autem omitti non debuerant, ne mutila eſſet hiſtoria. Peripneumoniæ, atque adeo Pleuropneumoniæ acceſſiſſe delirium, vides: quod & in aliis ſæpe (*r*) contigit, quorum caſus in alias rejicio Epiſtolas. Hunc vero producere malui in præſenti, quoniam vehementius fuit delirium, & quod Phrenitidem continuo appelles, *malam*, ut Hippocrates (*ſ*) docuit, *a pulmonis inflammatione*. Quin certior factus ſum, hic in quibuſdam quaſi epidemicis pulmonum inflammationibus, & ſpeciatim hyeme A. 1754. quibuſcunque ad has delirium acceſſit; pluribus autem acceſſit; eorum neminem evaſiſſe. Quo dignior fuit quæ litteris mandaretur fœminæ, utroque morbo implicitæ, felix ſanatio (*t*), non quod alii non ſerventur aliquando, ſed quod cum vehemens uterque eſſet, peſſimiſque ſignis comitatus, ſolutus eſt tamen per multa quæ ultra quatriduum alvus effudit graviſſime olentia, & ex atro rubeſcentia. Porro; ut ad

(*o*) III. Anim. 36. (*p*) Inſtit. Chirurg. Tab. 32. Fig. 1. & 2. (*q*) n. 12. & 13.
(*r*) Vid. & Jacotii Comment. in Coac. Sect. 2. l. 1. Aph. 21. (*ſ*) Sect. 7. Aph. 12.
(*t*) Act. Nat. Cur. Tom. 8. Obſ. 63.

Figulum redeam; ſicut pulmo, & pleura, & pericardium inflammata erant a ſiniſtris, ita & meninx Tenuis inflammata erat ab eodem latere, exemplo haud ſcio an ab aliis adnotato, ſed tamen fortaſſe non diſſimili ratione explicando, ac major in ea mala rubor quæ vitiato ab eodem latere pulmoni reſpondet, aliaque ejuſmodi quæ κατ' ἴξιν fiunt, ut Hippocratis loquuntur Interpretes, & in his Duretus (*u*), ubi illius exponit locum: *quibus peripneumonicis tota lingua fit alba & aſpera; pulmonis ambæ partes inflammantur: quibus autem dimidia; tantum illa pars quæ ſpectatur.* Illa autem explicandi ratio, etſi tam difficilis, & retruſa, aut certe, ſi ad nervos etiam confugias, ambigua ſit, quam ex eorum Scriptis qui eam cum antea, tum ætate hac noſtra excogitare conati ſunt, proclive eſt exiſtimare; nonnunquam tamen aliquanto minus difficultatis habere poteſt, velut hic, ſi illam pulmonis ſiniſtri ſupremam partem non ſolum duritie ſua antiqua, ſed nova addita tum a ſpumoſo ſero turgentia, tum a pleura, ibi craſſiore facta, compreſſione, nonnihil urgere potuiſſe, opinemur, ſiniſtram Subclaviam venam, & quod conſequitur, reditum ſanguinis a parte capitis ſiniſtra, quæ præterea infirmior, quam dextera, creditur, remorari. Utcunque id eſt (nam quæ poſſint objici, non ignoro; ſed quantulumcunque concedas, in re hujuſmodi ſatis habeo) illud certe quod propoſueram de vaſorum meningis Tenuis diſtentione, cum ſero effuſo conjuncta, verum in hoc quoque Phrenitico fuiſſe, vides. Nunc in Paraphrenitico illam diſtentionem vel magis, nec ſine aqua, fuiſſe, oſtendam.

13. VIR procerus, & macilentus, ex cannabis carminatione, quæ ars ejus erat, thoracis inflammationibus obnoxius, a quibus ſexies antea, aut ſepties vexatum ſe fuiſſe, narrabat, cum bilioſæ & viridis materiæ vomitu in una, cum delirio in altera; non ita pridem a pulvere inter carminandum excepto cum vocis organa læſiſſet, ut clangere potius, quam loqui videretur; propterea minus pulverulentam cannabim ſeligens, eamque ſeorſum a ſociis depectens, priſtinam jam propemodum vocem recuperaverat, quando ab onere ferendo laſſus, febrili frigore, & pungente ad lævam mamillam dolore correptus eſt. Quamobrem, eodem quo duo priores anno, circa medium Februarium, in idem eſt Noſocomium illatus. Cum domi oleum ſumpſiſſet ex dulcium amygdalarum nucleis recens expreſſum, & ſanguis e ſiniſtro brachio detractus eſſet; iterum ex brachio altero emiſſus eſt. Difficile enim reſpirabat, nihil expectorabat. In latus affectum ſæpius decumbebat. Bilioſa & viridia vomuerat. Quincto die phrenitis ingruit læta, ſeria, interdum ferox, hactenus tamen ut accedentium ora conſputaret. Medicus ex crure juxta talum mitti ſanguinem, juſſit, & raſo capiti quoddam cataplaſma imponi, quod quale eſſet, commodius cum de Maniacis ſcribam (*x*), docebo. Interea convulſivi motus cœpti ſunt adnotari leves primum, ut in tendinum carpi ſubſultibus, deinde majores. Noviſſime nec difficilis reſpiratio erat, &, ſi quæreres, ullum ſe uſquam dolorem, aut moleſtiam percipere, negabat. Sed clamabat interim, atque inſcius culcitam permingebat. Tandem pulſu debiliore facto, ſed nunquam inæquali, obiit paulo poſt finem diei ſeptimi.

IN CADAVERE latus colli dexterum livebat. Sic, Ventre aperto, jecinoris etiam limbus ad aliquem tractum, ſed ad exiguam altitudinem. Veſicula contracta, pauca intus bile, quæ dilutum *tabaci* colorem referebat. Ventriculus ſanus. Pancreas craſſius, & ſubdurum. In Thorace nihil erat ſeri effuſi. Pulmo dexter pleuræ undique per interjectas membranas arctiſſime alligabatur tum ad coſtas, tum ad ſeptum Tranſverſum: ſiniſter contra paucis in locis, idque ad anteriora. Sed viciſſim dexter quidem ſecundum naturam ſe habuit: ſiniſtri autem pars multo major morbida erat. Nam primum ſuperior lobus, alioquin ſic ſatis ſanus, tum ſtrigoſus erat, tum in ſummo, quaſi intra tuberculum, pus album continebat; quæ tamen, ut & illæ tot tamque arctæ pulmonis dexteri alligationes, præteritis inflammationibus videbantur imputanda. Verum lobus inferior rubens, durus, gravis, ejuſque denſata ſubſtantia, & in ſuperiore parte pus, aut puri ſimilis materia per bronchiorum ſectiones effluens, præſentem, quæ ſuppurare inciperet, commonſtrabant inflammationem. Pleura quoque ab eodem ſiniſtro latere ferme tota inflammata videbatur, cum ſanguifera ſua vaſcula nimis conſpicua haberet, ac tota facillime a coſtis una tractione avelleretur. Diaphragma autem in ea dumtaxat ſui tendinei centri, ut vocitant, parte quæ ſiniſtro pulmoni ſubjiciebatur, vaſa habebat, etiam minima, adeo diſtenta, ut ibi inflammatum eſſe, non dubitares. In pericardio aliquantum ſeri ſubrubri, & turbidi. Per omnia cordis orificia concretiones polypoſæ trajiciebantur, in ventriculis ortæ, in vaſa productæ, ex ſolidiore ſubſtantia omnes, ſi initium excipias illius quæ Pulmonarem peragrabat arteriam, craſſiſſimum quidem in ventriculo dextero, ſed ex ſubflava, & quaſi mucoſa ſubſtantia. Dum Caput abſcindebatur, longæ portiones concreti ſanguinis eductæ ſunt e venis Jugularibus, velut enſes e vaginis. Meningum vaſa fuerunt ſanguine quam maxime diſtenta. Et concretio quidem polypoſa, albida, compactæque ſtructuræ, non modo Sinum Falcis tenebat, ſed & in pleraſque pergebat venas, cum eo Sinu communicantes. In tribus reliquis majoribus Sinibus Craſſæ meningis erat ſanguis concretus. Tenuis autem meninx omnia vel minima vaſcula adeo ſanguine habebat turgida, ut valde ruberet univerſa. Serum in cerebri anfractibus ſuberat. In Lateralibus quoque ventriculis ſerum fuit, ſubrubrum, ſed paucum. Plures, nec parvæ, hydatides in poſteriore ſede plexuum Choroidum. Cæterum ſanguine erant diſtenta, eoque multo quam ſoleant, manifeſtiora non tantum vaſa quæ per Lateralium ventriculorum ſuperficiem ducuntur; ſed ſi corpora Striata, ſi Thalamos Opticorum nervorum leviter abraderes, aut ſi profundius tum ipſa, tum quamcunque velles medullaris cerebri ſubſtantiæ partem ſecares; vaſa proportione ad eundem modum ubique plena, & manifeſta occurrebant. In cerebri autem, & cerebelli diſſecto cortice vix ulla internoſcere licebat.

14. Quam noxius ſit pulvis, qui ex cannabe inter carminandum elatus, in arteriam Aſperam, & pulmones attrahitur, Ramazzinus noſter (*y*) docuit, tuſſim inde aſſiduam ſæpe, & aſthmaticam paſſionem Operarum deducens. Sed & acutis indidem pulmonum morbis pro ſanguinis conditione occaſionem præberi, qui chronicos alios poſt ſe relinquant, aut tandem ipſi vitam adimant, ex propoſita hiſtoria manifeſtum eſt. Nam poſtquam homo ex prima evaſit pulmonis inflammatione, non ſivit ejus opificium id viſcus omnino convaleſcere: itaque in alias deinceps, atque alias incidit, donec aliqua non bene expurgata, quaſi initium phthiſis relinqueret, ut macies, clangor, & illa præſertim puris collectio, velut intra tuberculum, oſtenderunt. Cui noviſſima denique Pleuropneumonia acceſſit, & huic Phrenitis, atque adeo Paraphrenitis, quæ hominem enecarunt. Paraphrenitidem autem dico, non ita accipiens, ut fortaſſe eſt a graviſſima diaphragmatis inflammatione, ſymptomatibus, quæ Boerhaavius (*z*) deſcribit, illis atrocibus ſtipata: quamobrem neque iis controverſiis me implico, quæ erudite ſunt in Commercio Litterario (*a*) agitatæ. Satis mihi eſt, hoc vocabulo nunc a te accipi affectionem, quam poſſis ad Paraphrenitidem quadantenus referre. Sive enim Paraphrenitidis nomine (*b*) delirium intelligas, quod, capite non primario affecto, contingit; certe hic præceſſerat pleuræ, & pulmonis inflammatio: ſive delirium ex inflammatione ſepti Tranſverſi; hoc quoque inflammatum deprehendimus. Noli tamen credere me cum ſepti ejuſdem vitio, & inflammatione delirium neceſſario conjungere. Novi enim Fernelii (*c*) adverſantem Obſervationem, vetuſtiorem iſtis quæ in Sepulchreto (*d*) proponuntur, Williſii. Quin etiam cum eorum neuter inflammationem diſerte memoret ejus præſertim ſepti partis quam unam maxime attendunt qui delirium ab diaphragmatis inflam-

(*u*) in Coac. l. 2. c. 16. n. 31. (*x*) Epiſt. 8. n. 8. (*y*) Diatrib. de Morb. Artif. c. 26. (*z*) Aphor. de cognoſc. morb. §. 909. (*a*) A. 1736. Hebd. 22. n. 2. Hebd. 41. n. 1. Hebd. 52. n. 2. & A. 1737. Hebd. 16. n. 1. (*b*) Vid. Sennert. Med. Pract. l. 1. P. 2. c. 6. (*c*) Pathol. l. 5. c. 11. (*d*) Sect. hac 7. Obſ. 1.

flammatione repetunt, tendinei videlicet ejus centri, ſed uterque carnoſæ partis vitia proferat; conſpexi ego tendineam quoque ejus partem inflammatam, cum vix confuſa, & ſubdelira morbi extremo tempore mens fuiſſet, quemadmodum de Peripneumonia ſcribens (*e*) indicabo. Veruntamen in Sepulchreto obſervationes duæ ſunt (*f*), altera Blaſii, Lælii a Fonte altera, quorum hic diaphragma ſuppuratum vidit poſt delirium, ille vero graviter inflammatum poſt phrenitidem. Quorum utrumque cum motus etiam convulſivos, a me pariter adnotatos, commemorare viderem, meminiſſem autem, a Galeno (*g*) ſcribi, *quibus inflammatum eſt ſeptum tranſverſum, hos convulſionibus eſſe opportunos*, tum vero a Blaſio animadverterem, non modo inferioris partis hepatis inflammationem, ſed & concretionem polypoſam in eodem atque a me, Craſſioris meningis Sinu, & in eaſdem propagatam venas fuiſſe conſpectam; non prorſus inutile fore, credidi, ſi in ipſis utriuſque libris eas perlegerem obſervationes. Sed quærendi labor propter ambiguam notam qua Blaſii Pars 6. deſignatur, & fallacem Conſult. Lælii numerum, 132. pro 130. indicantem ſane major, quam utilitas fuit; quanquam in deſcripta alterius obſervatione aliquid emendandum, alterius addendum inveni. Certior tamen factus ſum, Blaſium, qui caput aperuit; nam Lælius non attigit; Tenuis meningis inflammationem revera non memoraſſe; ut Paraphrenitidis exemplum habeas in ejus obſervatione luculentius, quam in noſtra, in qua videlicet, ſi non primum, at certe poſtea adeo inflammata ea meninx fuit, ut nunquam magis vidiſſe meminerimus. Verum utcunque hæc ſunt; cum Craſſioris quoque meningis inflammatione, aut certe affectu ad inflammationem accedente conjunctum delirium oſtendamus.

15. MULIER ex ictu capitis jam pridem in Patavino Noſocomio decubuerat, & ſana facta, diſceſſerat. Poſtea in febrem incidit: deliravit: mortua eſt.

CAPITE tantummodo, ſub finem Publicæ Anatomes, quam anno habebam 1736. in Gymnaſium illato, cerebrum a me ſua in ſede diligenter confectum eſt. Nullum uſquam peculiare illius ictus indicium. Craſſa meninx ſublata interiorem faciem oſtendit crebris coccineis maculis, quaſi guttis ſanguinis diſtinctam. Tenuis autem vaſa ſanguine turgida: ſub eaque alicubi ſerum: quod in ventriculis non fuit. In Plexuum Choroidum poſteriore parte veſiculæ. Ante glandulam Pinealem ſubflavæ materiæ pauxillum. Cætera ſana; niſi quod cerebellum fuit laxiſſimum. Nullo in vaſe quidquam polypoſæ concretionis deprehendi.

16. In gravibus deliriis, Craſſæ quoque meningis non vaſa modo *admodum turgentia*, ut Slevogtius (*h*) ait, ſed & ejus ſubſtantiam inflammatam haud raro inveniri, conſtat: quo iſtas ejuſdem poteris coccineas maculas referre. Cæterum ne in hac quidem muliere præter vaſorum plenitudinem, ſub Tenui meninge aqua defuit. Ubi nec in viro defuit, de quo Valentinus (*i*) febrim & deliria gravia perpeſſo; ſiquidem cum venis in toto cerebro valde turgentibus, *ſtatim ſub pia matre multum pituitæ, & aquæ flaveſcentis, gelatinæ inſtar condenſatæ*, repertum fuit. Sed & ventriculos multo ſero plenos ſupra (*k*) ex Möglingio retuli; ut alia aquæ in delirantium cerebro exempla omittam. Ea nunc in memoriam redigunt conjecturam quandam meam, de qua ut judicare facilius poſſis, paulo altius ordiar, neceſſe eſt. A. 1711. Februario menſe ineunte, cœperunt moris peſſimi febres in mea Patria vagari. Pulſus in omnibus, etiam robuſtiſſimis adoleſcentibus, quam exiles, & quam imbecilli, obſcuri, & confuſi: in plerisque ad carpos plurimi ſubſultus convulſivi, & ſoporoſa affectio: in quibuſdam ſingultus denique, & extrema dejectio virium cum faciei, & digitorum livore, aliiſque ejuſdemmodi. Primus omnium has febres animadverti, & vel poſt ea omnia quæ dixi, Superis bene juvantibus, ægros pro deploratis jam habitos feliciſſime ſervavi, ex quibus, annis ſuperioribus vivebant adhuc Cornelius Dentius Vir Patricius, qui multa, & diu emiſſa urina, & Ignatius Garavinius ingenioſus Opifex, qui alvo etiam ſoluta, convaluerunt. Circiter Februarii finem ſubſultus quidem convulſivi, & ſingultus, & livor ab iis febribus aberant; ſed accedere deliria inceperant, non tamen vehementia, & tunc ſolum cum febris augeſceret. Sic etiam affecti evaſerunt tamen, in his Patricii Ordinis Sacerdos Tullius Caſtellinus, quem memini cum ab iis evacuationum generibus, a quibus illi, & præterea a longo cutis madore nihil eſſet adjutus, minus male habere tandem cœpiſſe poſtquam ore lumbricum ejeciſſet rubicundum, teretem, longiorem ſpithama, & calamo quo ſcribimus, craſſiorem. Sed Martio demum menſe, etſi febres erant cum minus atrocibus in ſpeciem malis conjunctæ, quin pulſus, & lingua contra atque in illis prioribus, ſpem afferre videbantur; gravioribus tamen atque aliter ac antea deliriis poſt dolorem capitis ingruentibus, jam minus feliciter res cedebat. Atque ut Hippocraticam ſimplicitatem in utramque partem imitemur, a ſenioribus Medicis in media curatione advocati, ægros duos minime ſervare potuimus, Vincentium Mengazzinium honeſtum juvenem, & Hieronymum Gnocchium Patricium Virum, & Sacerdotem. Priori autem vehementem phrenitidem inſtare præſenſimus ex iis notis quas Majores docuere, inter quas illam præſertim adnotavimus quod ſibi æger pneumatica organa, quorum uſus eſt in Sacris Ædibus, jugiter audire videbatur, cujuſdam ſimilis, qui ultimis lethalis febris diebus *melodiam, ſeu concentum quendam ſuaviſſimum, cui tandem ſucceſſit delirium, perpetuo ſe audire*, Collectoribus dicebat Bibliothecæ Anatomicæ (*l*). In Gnocchio id viſum eſt adnotatione dignum, quod deliria tunc ſolum, & quidem illico adveniebant, cum toto corpore ſudaverat. Quæ res tametſi inde quoque poſſit repeti, quod per ſudorem multo ſero ſanguini adempto, quæ hujus reſtabant partes, ut minus dilutæ, ita acres magis, & ad irritandum idoneæ fierent; nihil tamen fortaſſe impedit quo minus ex eo deducamus unde videmur divertiſſe, ex aqua nimirum acri, in illis prioribus ut tunc præfrigida tempeſtas ferebat, copioſe adeo per renes, in hoc vero ſub meninge Tenui eodem tempore quo ſudor, eandemque ob cauſam a ſanguine ſecreta. Sed quoniam per diſſectionem haud licuit utra conjectura videri poſſet verior, inquirere; eo potius tranſibo, ut ſimul leve delirium ubi vix aquæ veſtigia inveni, ſive ratione, ſive caſu id factum eſt, fuiſſe, oſtendam, ſimul levioris delirii, id eſt Paraphoræ, ut hanc vocem Medici nonnunquam accipiunt, poſtquam Phrenitidis, Paraphrenitidis, & graviorum deliriorum protuli, exemplum afferam.

17. ANUS leviore febri correpta, quam Peruviano cortice Medicus pervincere ſe poſſe, ſperabat, hac non modo non cedente, ſed in acutam cum vaniloquio, degenerante, confecta eſt.

VENTRIS, & Thoracis nonnulla viſcera, præter caput, in Theatrum illata, non multis antequam ſuperioris mulieris cerebrum, diebus conſecuimus. Quædam præter ſolitum quidem, ſed non omnino præter naturam in rene dextero, & in ipſo corde ſe obtulerunt, quæ ut tunc non indigna viſa ſunt quæ omnibus oſtenderentur, ita nunc non videntur quæ apud te ſileantur. Nam ex eo rene ureteres bini exiſtebant, ſuperior ex ſimpliciore pelvi, & tenuior; inferior autem aliquanto craſſior, quippe ex pelvi quam multiplices tubuli in eam confluentes, majorem efficiebant, & magis extantem. Singulorum ureterum ut ortus, ſic progreſſus, & finis diviſus, tranſverſi digiti intervallo inter utriuſque orificia interjecto, oblonga ambo, & in eadem obliqua linea qua debebant, in veſicam patentia ſic ut alterum altero ſuperius eſſet. In Corde autem, pro venæ Coronariæ valvula, reticulum deprehendi haud aliter factum ac inter ejus valvulæ varietates penultimo loco in Epiſtolis Anatomicis (*m*) a me deſcriptum videbis. Verum hæc, ut dixi, non omni-

(*e*) Epiſt. 21. n. 35. (*f*) Sect. cit. Obſ. 15. & 37. quæ fuſius l. 2. S. 4. Obſ. 19. (*g*) De Pulſ. ad Tyr. c. 11.
(*h*) Differt. de Dura Matre §. 29. (*i*) Eph. N. C. Cent. 10. Obſ. 94. (*k*) n. 8.
(*l*) Tom. 2. in Adnot. ad Du Verney Tract. de Audit. Org. P. 3. (*m*) Epiſt. 15. n. 20.

omnino præter naturam, ut quæ in Magna arteria, præſertim verò in matrice conſpexi. In illa enim tum paulo ſupra valvulas Semilunares, tum ad lumborum vertebras alba intus vidi oſſium inchoamenta. Sed utero aperto, reperi in poſteriore, eademque ſuperiore fundi parte *excreſcentiam*, circuli ambitu, colore exterius cruento, a dextris ſiniſtrorſum porrectam, cujus oræ pars quaſi tertia, inferior, & ſiniſterior, ab utero ſejuncta erat, ut ſpecillo ſubjecto attolli poſſet, reliquum cum uteri ſubſtantia arctiſſime annexum, atque adeo ex eadem factum, niſi quod ſecando, magis alba, compacta, & dura in excreſcentia tota deprehendebatur. Nempe ſcirrhus, ſeu mavis cancri erat initium, occulti etiam tum, humillimi, plani, lævis, nec majoris, quam ut extenſi pollicis apice obtegeres. Si proximæ cervicis ſuperficiei ſtructuram, & hymenis annulum, exiguæ quidem altitudinis, ſed nuſquam dilaceratum, ſpectares; vix ullam, aut nullam viri notitiam mulierem hanc habuiſſe, intelligeres. Cranio tandem exſecto, & cerebro diligenter luſtrato, nihil uſpiam ſe mihi obtulit adnotatione dignum, niſi vaſa Tenuis meningis ſanguine diſtenta, & ipſa facillime, undecunque velles, trahentis digitos ſequens; ut tametſi aquam vix ullam viderim, non prorſus tamen defuiſſe, vel ex hoc indicio conjecerim.

18. Si forte expectas, ut priuſquam finem ſcribendi faciam, indicare aggrediar, qua in cerebri ipſius parte, & qua ratione, & qui motus fiant, cum deliria excitantur; me non ſatis adhuc videris noviſſe. Vix quædam generalia poſſem, eoque tibi, & cæteris perquam nota, atque illa ipſa timide, ac pedetentim, dicere. Cætera ei tempori condonanda cenſeo quo Medici laude dignum putabant omnia non modo abſtruſa, ſed vel ſupra captum noſtrum poſita ſic inquirere, ut cum invenire non poſſent, comminiſci non dubitarent. Quibus utinam in Sepulchreti Scholiis tantum loci datum non eſſet, quantum ipſæ hiſtoriæ morborum capitis, vel multæ ſimul, ſæpe non occupant, multoque minus in uno interdum eodemque Scholio (*n*) fuiſſent eadem iterata, talia præſertim, ut a veri ſimilitudine abhorrere, ex pene omnibus diſſectionibus intelligi poſſit, quas proximis Litteris perſcribam. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA VIII.

De Mania, Melancholia, & Hydrophobia verba fiunt.

SEquuntur in Sepulchreto Sectiones duæ, quarum altera *de Mania*, & *Rabie*, *ſeu Hydrophobia*, altera *de Melancholia*, & *Affectione Hypochondriaca* inſcripta eſt. De hac poſtrema ſeorſum agere non eſt animus cogitanti, hanc ad interitum non perducere, niſi aliis gravioribus adſcitis morbis, ut vel ea docent quæ in Sepulchreto producuntur, exempla: itaque ſimul cum iis morbis quod ad ipſam attinet, pertractabitur. Melancholiæ autem Mania; ut Williſii utar verbis in Volumine eodem (*a*) prolatis; *in tantum affinis eſt, ut hi affectus ſæpe vices commutent, & alteruter in alterum tranſeat*: quin ſæpius dubitantes Medicos videas, hinc taciturnitate, & metu, hinc loquacitate, & audacia in eodem ægro ſubinde alternatis, melancholicum, an maniacum pronuncient. Quo facilius tuli cum ſtultorum capita diſſecarem, atque utro laboraſſent delirio, quærerem, reſponſiones perſæpe ambiguas, nonnunquam inter ſe pugnantes, veras tamen fortaſſe in longo delirii curſu. Quamobrem etſi in diſſectionibus ad te ſcribendis cum utram in partem magis inclinaverit æger, ſciam; id indicabo: tamen quia plerumque id facere non potero; malui his unis Litteris quæ ad utrumque attinent delirium comprehendere, & poſtremo quæ ad Hydrophobiam ſpectant, adjicere, præſertim cum de his cunctis deliriorum generibus vix unam Valſalvæ hiſtoriam habeam, a qua, ut ſoleo, initium ducam.

2. VIRGINI annorum amplius viginti, inter Sacras Virgines ſe recipere maximopere cupienti, cum id negatum eſſet, illico ab audito repulſæ nuncio labare mens cœpit, ſtatimque incongrua ratiocinari, idque in dies etiam magis, ut cibum quoque ſæpius reſpueret. Sic aliquot exactis menſibus; quo tempore, præter febrem quæ erratico recurſu multoties invaſit, violentior ſine febre inſania acceſſit, ut aſſidentes impetere conaretur; labentibus ſenſim viribus, mortua eſt. CRANIO exſecto, ad latera Sinus Falcis exterius in Dura meninge exigua quædam corpora albida conſpecta ſunt, quorum nonnulla rotunda, alia oblonga, quædam abnormi figura erant, mollia tamen omnia: quæ ex concreto humore orta Valſalva exiſtimavit propterea quia in mortuis ex capitis vulneribus ſimiles ex ſtagnante circa eandem meningem pure concretiones viderat. In illo autem Sinu tenuis polypoſa concretio per totam longitudinem ſe extendebat. Cerebrum erat humidum: & in ventriculis ejus majoribus ſerum inerat, ſed paucum. In plexu autem Choroide glandulæ quatuor majores extuberabant, quæ in corpus induruerant ſolidum, luteum, & forma ad ſphæricam accedens.

3. Præter hanc Virginem, cujus delirium ex melancholico in maniacum degeneraverat, ſi ſtultos alios, ut ſæpe viventes curandi habuit, ſic & mortuos diſſecandi Valſalva occaſionem habuiſſet; non dubito, quin facile ipſe quoque in eorum cerebro eam quam ego hactenus in omnibus, duritiem fuiſſet adnotaturus. Quod vero ad corpora illa tumentia in plexu Choroide, & ad iſta attinet quæ in Dura meninge ad latera Sinus Falcis deſcripſit, corpuſcula; extuberantiam in eo plexu, opinor, majorem, neque tamen in ſtulto, alias (*b*) tibi commemoravi: hæc autem e Dura meninge ſe attollentia corpuſcula de eorum fortaſſe genere fuiſſe, ſuſpicor, quæ poſtea a Pacchiono glandulæ ſunt appellata, iis ipſis in locis interdum minus, nonnunquam maxime conſpicua. Sed quanquam hæc neque præter naturam ſunt, ut ſæpe inſculptæ in cranio foveæ ad eorum maſſulas excipiendas oſtendunt, nec vel ante duo ſæcula Anatomicis, poſt Veſalium (*c*) has *tubercula* vocitantem, fuerunt incognita, imo pro novis paulo ante quam Valſalva naſceretur, iterum propoſita ſunt; eo tamen quo iſtam Obſervationem ſcripſiſſe videtur, tempore rurſus quadantenus obſoleverant. Verum hæc alias omnia fuſius demonſtrabo, nec mea circa eorum corpuſculorum naturam tentamina reticebo. Nunc eam præſtat quam mihi in Maniacorum, & Melancholicorum cerebro ſemper obviam fuiſſe dixi ſingularem duritiem ſex ſeptemve prolatis diſſectionibus confirmare.

4. JUVENEM procerum, & robuſtum mania prehenderat A. 1729. Huic Medici ſub finem Junii ſanguinem ex Temporali arteria educi juſſerant ad libram unam. Horula vix erat ex quo id Chirurgus præſtiterat, cum Juvenis inventus eſt mortuus, exerta lingua. Ne in auxilii genus, Veteribus, & Recentioribus uſitatum, & M. Aurelii Severini (*d*) (pro quo Hildanum perperam a pluribus laudari video) aliorumque (*e*) felicibus, & nonnunquam, ut in robuſta Virgine, extemporaneis curationibus comprobatum, neve in immerentes Medicos, ut vulgus ſolet, aut in Chirurgum culpam conferas, tum ut de quibuſdam eorum quæ in cadavere adnotata ſunt, aptius ferre judicium queas; illud celandus non es, quod ſatis

(*n*) ad Obſ. 1. Sect. 6. l. 1. (*a*) in Schol. ad Obſ. 1. Sect. 8. ejuſd. l. (*b*) Epiſt. 4. n. 32.
(*c*) De hum. corp. fabr. l. 7. c. 2. & Explic. Fig. 1. ejuſd. libri 7. ad K. (*d*) De effic. Medic. l. 1. P. 2. ubi de Arteriot.
(*e*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 60.

ſatis occulere is qui admiſerat, non potuit, cum æger, impellente inſania, quæ modo vulneratæ arteriæ impoſita fuerant, dimoviſſet, eaque ſtatim, perpauco effuſo ſanguine, repoſita eſſent, indignatum neſcio quem, cujus erat cuſtodiæ commiſſus, cum in ventrem, & ad imam frontem pugnos miſero impegiſſe, tum inſano ipſo inſaniorem arctiſſimo cervicibus injecto vinculo, diſceſſiſſe. CADAVER poſtridie inſpiciens, minime ob ea quæ dixi, miratus ſum, faciem ex atro purpureo livere, & ad Naſalium oſſium ſedem, quæ digito tentans, fracta eſſe, cognovi, ferme nigricare, aut ventrem turgidum, alicubi ex viridi liveſcentem. Quin Thorace hactenus luſtrato, ut pulmones modice tumidos, in Aſpera arteria ſpumam, nec tamen multam, multum autem ſanguinem, eumque fluidum, in Pulmonari vena, & valvulas denique Pulmonaris arteriæ æquo duriores animadverterim, cum cætera ſecundum naturam conſtituta viderentur; confeſtim ad Cerebrum diligentius contemplandum tranſivi. Utriuſque meningis vaſa ater, & fluidus ſanguis diſtendebat, ut illa pariter quæ per ſepti Lucidi latera, cæteroſque ventriculi dexteri, & ſiniſtri parietes repebant. Quos ventriculos multa aqua turbida occupabat. Plexus tamen Choroides rubebant: eorumque poſteriore parte plures inſidebant veſiculæ, aqua plenæ, interque has aliqua mediocrem æquans uvæ acinum, per cujus veſiculæ tunicam vaſcula æque craſſa, & ad eundem modum ferebantur ac per vicinam plexus membranam. Cæterum nihil magis adnotatione dignum occurrit, quam cerebri durities. Sive enim medullarem hujus ſubſtantiam, ſive corticalem incideres, non modice duras percipiebas, quando cerebelli ſubſtantia ſaltem corticalis vel magis quam ſolet, mollis erat.

5. *In continendis* audacioribus inſanis *plagas quoque adhiberi*, Celſus (*f*) admonuit; non modo *eos qui violentius ſe gerunt, vinciri, ne vel ſibi, vel alteri noceant*. Sed hæc omnia intra modum, atque inſtar parentis qui coerceat liberos, non lictoris qui in damnatos deſæviat. Valſalvam memini, cum phreneticos, aut maniacos curaret, quorum brachiis vincula injicere conveniret, ſolicite inculcare domeſticis, & cuſtodibus ſolitum, viderent ne quid illi hinc detrimenti caperent: firma quidem vincula eſſe oportere, ſed neque arctiora, neque dura; ut loris ſubſui molliorem pannum, aut linteum vellet. (*g*) Quoniam maniacos a Valſalva curatos ſemel, atque iterum memoravi; quæres fortaſſe, ecquid in eorum curatione peculiare haberet? Ille vero quæ plerique ſolent auxilia in uſum trahebat; ſed, ut optimum Medicum decet, in aliis alia; in omnibus autem quanto pauciora poterat, & faciliora. Sic quoſdam memoria teneo ne ſanguine quidem miſſo, per ſolas ex melonum ſeminibus emulſiones reſtituiſſe, quibus nec papaveris ſemina addiderat, nec quem adverſus vigilias illis efficaciorem ipſe quoque expertus erat, ſyrupum de papavere: adeo interdum id levia præſtant quod vehementia non poſſunt! Spectatæ fidei Medicus mihi non ſemel affirmavit, cum forte in phrenitide inſuperabili quinque, aut ſex opii grana diſſolvi imperaſſet in iis aquis quæ, linteo exceptæ, fronti erant adhibendæ, hæ autem aquæ per aſſidentium errorem ægro eſſent potui datæ; nihil inde effectum vidiſſe. Quam in rem ſingularis erat opinio Franciſci Spoleti, Primarii olim in hoc Gymnaſio Rei Medicæ Profeſſoris: qui Byzantio redux, ubi feliciter vel in Regio illo Gynæceo medicinam aliquando fecerat, cum ea nobis confirmaret quæ de opio legimus multo illic quam apud nos, puriore atque efficaciore, quippe colore ad cinnamomi colorem vergente, odore autem maxime, ut noſtri loquuntur, narcotico, ibique tamen a pluribus, ei rei aſſuetis, non ut dormiant, ſed ut læti vigilent, ſumpto, eoque ad drachmam unam, aut ſaltem, quod Chymicus qui cum eo fuerat, Amicus noſter viderat, ad ſcrupulum unum; ſubjecit, hujus tanti inter nos, atque illos diſcriminis cauſam ſe in eo poſitam ſuſpicari, quod medicamentorum quorundam pondus multo majus contrarios effectus præſtare debeat, ac minimum, non ſecus atque, ajebat, ſi fibræ circumjectum filum modice adſtringas; fibram premes: at ſi vi multo majore; fibram diſrumpes, non premes: quaſi vero antequam diſrumpas, non maxime premas! Sed hoc volebat potius quod inverſo oſtendam exemplo, ſi levior ventulus agitet; flammulam augeri: ſi vehemens; extingui: quanquam ne ſic quidem intelligitur, cur id ibi aſſueti poſſint; inaſſueti, ut hic, non poſſint, id eſt vegeti a ſumpto opii ſcrupulo vigilare. Neque enim quæro, cur ibi non dormiant, aut cur non vigilent hebetes, & ebriorum inſtar; ſed cur vegeti plerique vigilent? non ignarus, & alibi, & apud nos fuiſſe nonnullos quibus paulatim aſſueſcentibus opii ſcrupulus, aut plus eo non modo eſſet innoxium, ſed etiam utile adverſus dolores; & eſſe inter Turcas qui multo plus opii quam dicebat Spoletus, devorent quidem, ſed inde temulenti fiant, ut qui maxime. Verum hæc longius nos ab hiſtoriis noſtris abducunt, ad quas cenſeo redeamus.

6. LANIO quartum decimum jam menſem ſtultus a poculo, ut ajebant, amatorio, denique ineunte A. 1719. vi, ut credebatur, frigidiſſimæ tempeſtatis, a qua ſibi minime caverat, mortuus eſt. VENTREM, & Thoracem perluſtrans, nihil adnotatione dignum animadverti, ſi in hoc cor excipias undique pericardio annexum; ſub illo autem levia præputii ulcuſcula, urethræ cicatrices, canaliculos noſtros perpaucos. Quod ad Caput attinet; quamvis aquam ſub Tenui meninge effuſam invenerim; tamen ea firmitudine cerebrum fuit; ut durius ad id tempus a me diſſectum eſſe, non meminiſſem. Porro in ſuperiore eademque poſteriore Calloſi corporis facie non illos extantes duos, ut Lanciſius (*h*) vocabat, *nervulos longitudinales*, ſed eorum loco ſulcos duos reperi non parum profundos. Fornice autem, qui & ipſe durus erat, haud procul ab ejus, quam appellant, baſi inciſo, & cum plexibus Choroidibus retrorſum revoluto, per ſingulas ejuſdem baſis radices ſingulos repere pellucentes quaſi lymphæductus conſpexi, qui utrinque pergebant per tractus illos medullares, quibus ornantur ſummæ oræ ventriculi tertii (*proceſſus* Lanciſius (*i*) *ſeu nervulos* a Pinealis glandulæ *baſi prodeuntes* appellitabat) per eoſque tractus rependo, paulo manifeſtius & lympham continere, & nodulis diſtingui videbantur, & denique illam verſus glandulam ſe inflectere; cui ab anteriore parte annexa erat parva congeries materiæ flavæ, in minuta grana conformatæ. Vehementer autem mihi diſplicuit, & ei qui aderat, Cl. Vulpio illam quæ, ut tibi deſcripſi, ita nobis apparuit, ſpeciem vaſculorum pellucentium, variis, ut ibi ab imparatis potuit, tentatam modis, ante evanuiſſe, quam pro certo quid rei eſſet, conſtituere poſſemus: quanquam illam moleſtiam minuit inuſitata cerebri firmitudo, qua allectus, plura intra ejus, & medullæ Oblongatæ ſubſtantiam facilius quæſivi, & dilucidius cognovi; ut iſtiuſmodi inſanorum cerebrum aptiſſimum cenſeam ad perſequendum interius nervorum origines, & tractuum ductum, & alia ejuſdemmodi, quorum in molliori, ut ſæpius eſt, cerebro multo difficilior, & obſcurior eſt indagatio: modo tamen poſtea in minus molli aliquo ſani hominis cerebro ſic ſatis eadem confirmentur.

7. Maniam a philtro quoque induci, certum eſt (*k*). Sed an maniacus is homo fuerit, incertum, præſertim ſi frigoris vi periit, cujus ſolent ejuſmodi ægri eſſe impune patientiſſimi. Quo indicio adducor, ut ſuſpicer, nec mulieres duas, quarum mox hiſtorias ſubjiciam, mania detentas fuiſſe tunc ſaltem, cum rigente hyeme altera anginam, altera thoracis inflammationem contraxit. Quoniam tamen illud plerumque, non ſemper, neque in omnibus verum eſt (*l*); rem in medio relinquemus. Sed quale id cunque delirium fuerit; illud videri potuiſſet confirmare Lanciſii ſententiam de ſede animæ cogitantis (*m*) quod a nobis in Calloſo corpore hujus ſtulti conſpectum eſt, ſi in

(*f*) De Medic. l. 3. c. 18. (*g*) Vid. Epiſt. 61. n. 13. (*h*) Diſſert. Var. VII. Fig. 1. litt. dd. (*i*) Ibid. Fig. 4. litt. gg. (*k*) Vid. P. Borell. Hiſt. Cent. 1. Obſ. 65. (*l*) Vid. Ettmüller. Prax. l. 2. S. 3. c. 4. art. 2. m. 3. (*m*) Diſſert. VII. paulo ante cit.

ſi in cæteris quoque aliquid ejuſmodi vidiſſemus (*n*). Verum quid raro, quid ſæpe, quid ſemper invenerimus, cum ad harum diſſectionum poſtremam (*o*) ventum erit, cognoſces. Interea quæ de pervulgatis quibuſdam internis maniæ, & phrenitidis remediis ad ſuperiorem hiſtoriam attigi, in memoriam mihi redegerunt quod tibi de externo quodam adverſus utrumque morbum auxilio ſuperioribus Litteris (*p*) me ſum pollicitus eſſe ſcripturum. Noli expectare ut hic memorem quod Valſalvæ amicus quidam Medicus, me audiente, confirmabat, ſe notum utrique eorum maniacum non antea perſanare potuiſſe, quam caput toties radendum curaſſet, quoties capilli ad digiti altitudinem creſcerent, quod dum primum fieret, multo plus ſordium cuti adhærentium, & male olentium animadverſum eſſe, quam quis putaſſet: neque ut proferam peregrinum aliquod remedium extrinſecus adhibitum ad ſomnum opportune conciliandum; quanquam Ramazzinus noſter mihi teſtabatur, opium quoque ipſum in vino diſſolutum, quo in pertinacibus vigiliis aut tempora madefieri, aut penicillos in nares immittendos intingi juſſerat, vix levem ſoporem feciſſe. Parabile erat auxilium, & Samonici verſibus dignum, quo adverſus phrenitidem, & maniam uti conſueverat Medicus, quem, ſi nihil aliud, longa certe ætas, atque exercitatio commendare videbantur. Is igitur caſeum ſecundarium recentem cum oleo violarum miſcebat, raſoque vertici imponebat, ter quotidie mutandum. Quæres, num utiliter? Dicam quod vidi. Robuſtus vir, ferrarius faber, a puero, ex terrore, tum incubo, tum vertigini obnoxius, hyberno tempore cecidit repente, & confuſis verbis de interno thoracis malo queſtus eſt. Continuo in Noſocomium illatus, nil ferme interrogantibus reſpondebat: clauſis oculis, lodice caput operiebat, amentis inſtar: calebat ſimul, tremebatque: neque ebrietas, neque ulla alia ejuſcemodi cauſa ſuberat, & febris aberat. Poſtridie de lecto proſilire, clamare, minari, ferire etiam; ut manifeſtus maniæ, vinculis coerceri debuerit. Continenter, & vehementius clamabat: ſimulque totum corpus convulſivis motibus agitabatur. Tum Medicus, vena juxta talum inciſa, ſanguinem ad libram detrahi, & id quod dixi, raſo vertici imponi, juſſit. Quid quæris? Sic intra horas duodecim omnino ſanus factus eſt, conſtantique jugiter mente, poſt aliquot dies domum rediit, caſune, an ob miſſum ſanguinem, an exterius quoque adhibito auxilio opis aliquid conferente? Qui inſanientium caput lacte fovent, non difficile poſtremum hoc credent. Tu ſive nihil in Re Medica negligendum cenſes, ſive in iis quæ ad te ſcripſi, nihil obſcurum relinqui cupis; a me tibi ſatis eſſe factum, intelliges. Sed nihilne, inquies, de tuo? Sine me, quæſo, duarum, de quibus paulo ante indicatum eſt, mulierum diſſectiones proferre. Tum, ut tibi obſequar, ineptire fortaſſe pergam; ſed ſive levia, ſive gravia, tamen non niſi certa, proponere.

8. MULIEREM ſtultam, annos natam ad quadraginta, angina ſuſtulerat. CADAVER in Gymnaſium illatum eſt ante medium Februarium A. 1719. cum publice Anatomen docerem. Cum ad ea quæ vellem, minime eſſet idoneum propterea quia non ita multis a morte horis abdominis muſculi jam virebant, neque inteſtina, quæ diſtenta erant, inflammatione omnino carebant; vix utero inſpecto, cujus parvitas indicio fuit, nunquam mulierem peperiſſe, idem confirmantibus mammis, quæ, etſi lactei ſeri aliquid habebant, tamen ipſæ quoque perparvæ erant; nihil in iis anguſtiis temporis, niſi Cerebrum, diſſecandum ſuſcepi. Quod non ſecus ac paulo ante in Lanio, prædurum inventum eſt.

9. FŒMINA altera, quam anno ſuperiore peperiſſe conſtabat, neque eo ſaniorem eſſe factam, per vias, ut antea, niſi quis prohiberet, diſcurrere pergebat, nemini, quod ſcire potuerim, nocens. Ante novem ferme annos inſanire cœperat ob occiſum pridie quam nuberet, quem amabat, virum. Tandem a thoracis inflammatione confecta eſt, ineunte Decembri A. 1725. CAPUT dumtaxat diſſecui. Sub Tenui meninge aqua erat non ſine aereis hic illic bullis: quas & alicubi in quibuſdam vaſculis confertiſſimas vidi, ut hæc replerent. Nulla vero aqua in ventriculis Lateralibus: in quibus vaſa, & Plexus rubebant. Baſi Pinealis glandulæ anterius adhærebat pauca materia ex albo ſubflava, quæ aggeries calculorum videbatur; ſed tactu explorata, neque calculoſa inventa eſt, & vix ſubdura. Cerebrum aſſulatim ſecando, medullarem ſubſtantiam non adeo candidam animadverti; ſubfuſca enim erat, idque hic fortaſſe ob ſanguifera vaſcula pleniora; nam quo longius a corticali ſubſtantia deſcendebam, eo minus fuſcam medullam conſpiciebam. Illud certiſſimum hanc eandem ſubſtantiam in toto cerebro, in ejuſque particulis, quæ intra ventriculos ſpectantur, inſolita fuiſſe duritie, nervoſque ipſos intra cranium firmiores, minuſque humidos inter ſecandum apparuiſſe. Cum autem in cerebro corticalis quoque ſubſtantia ſatis firma eſſet; in cerebello fuit molliſſima, quamvis *pedunculi*, & his vicina cerebelli interior medulla eſſent utique firmiores.

10. Nunc quid ego in ejuſmodi fœminis, viriſve ſine febre delirantibus non inutile ſim expertus, ſi dicam; actum agere videbor. Nam quod inter prima morbi initia, præſertim cum Melancholia eſſet hypochondriaca, aut locus, objectumve certum ineunti morbo occaſionem præberet, nil melius invenerim, quam ut continuo ingrederentur longum iter, comitantibus Amicis gratis, atque prudentibus: aut quod cum minime id liceret, ſaccharum, ut vocant, Saturni quibuſdam caute datum nonnihil opis afferre viderim, balneum aliis, non paucis autem longe plus quam auxilia omnia, ipſam temporis diuturnitatem; hæc, inquam, & ſimilia cum dixero, nihil quod non ſæpe legeris, dixero. Præſtat quam paucioribus verbis poſſim in re longa, & varia, perſpicue tamen, & diligenter, peculiarem deſcribere ſucceſſionem morborum, quorum poſtremus mania fuit, eaque brevi percurata. Cum A. 1711. Ludovico Albertino, Forolivienſis Eccleſiæ Archidiacono meritiſſimo, in difficillimo caſu, propitiis Superis, feliciſſime mederer, erat ei inter cæteros ſervus a pedibus viginti tres annos natus, gracilis, non bono colore, quem laboribus feſſum corripuerat febris, ineunte Septembri, aſſidua, & quæ, licet ad duplicem Tertianam accedere videretur; abnormis tamen erat, & varia, nec minus variantibus ſtipata incommodis. Nam modo lumborum, dorſi, capitis dolor, calorque, modo vigiliæ, alias hebetudo, vix ut interroganti reſponderet, interdum caloris interni ſenſus, & anxietas inexplicabilis, nonnunquam ſitis, vaniloquium, pedum frigus ingruebant; ſed alias alia, nulloque ordine. Illud plerumque perſtabat, parvitas, & imbecillitas pulſuum. Sanguis, intra octo primos dies bis de brachio emiſſus, ſero fuit croceo, parte reliqua dura cum primum, tum magis poſtea, tuncque inſuper cruſta inſidebat non tenuis, eaque lividula. Urinæ craſſæ primum, & ruſæ, deinde tenues, & quamvis copia reſpondebant potui, ac ſæpe etiam ſuperabant, & denique innatantia quædam oſtendebant; nunquam tamen hæc ad imum demittebant. Alvus ſemel reddidit liquida multa, alias fere qualia ſani ſolent, ſed flava interdum, ſemel duobus cum vermibus. Sudor bis toto corpore prorupit, ſæpius non niſi ex fronte, hincque interdum frigidus. Sanguis e naribus ſemel fluxit, non multus. Quin etiam dolor circa aurem, & manuum digitos obortus, viſus aliquando eſt naturæ conatum indicare aliquid ad eas partes deponendi. Per hæc ventum erat ad quartum decimum diem, cum motus apparuerunt convulſivi tum eo, tum diebus aliquot proximis. Iiſdemque tamen diebus æger alacrior, & meliore aſpectu; nam facie paulo ante fuerat ſubtumida, atque ſublivida. Iiſque deſinentibus motibus, cutis paulo poſt humerorum, & pectoris leviter rubra, ac ſubaſpera facta eſt: atque ut intelligeres, non inutilem quidem hunc eſſe naturæ conatum, ſed tamen non ſatis utilem; jam neque vigiliæ, neque ſitis, neque aliud ejuſcemodi incommodum amplius reſtabat: quin etiam pulſus ad naturæ normam valde accedebat. Verum neque ſtomachus vigebat, & facile e nari-

(*n*) Vid. Epiſt. 61. n. 6. (*o*) n. 13. (*p*) n. 13.

naribus vix emunctis ſanguis deſtillabat, & mox poſt ventris dolores fluida dejecta ſunt colore *tabacci*, & diebus poſt paucis non ſine frigore aucta eſt febris.

Itaque etſi totum propemodum Septembrem naturam adjuvare conatus ſum, ut res poſcere videbantur, nihil magis cavens quam ne aut ejus motus impedirem, aut ægri vires attererem; non modo hic non convaleſcebat; ſed morbus ex morbo oriebatur. Nam poſtridie quam febris, uti dictum eſt, nonnihil ſe intenderat, aſſiduæ de ſiti querelæ, & facies, ac pedes tumentes; & venter ſupra umbilicum æquali tumore ſe attollens, ſimul inſtare hydropem, ſimul adeſſe, oſtenderunt. Qui porro adeo confeſtim increvit, ut quanquam urinæ, me quoque leniter adjuvante, non paucæ erant, & mox vel magis profluebant; tamen non modo ſiti ſemper vehementiore facta, & aquoſo tumore ſub univerſam cutem ſe ſe extendente, ſed & ſicca tuſſi, eoque infeſtiore, quod decolor ſanguis vel per ſe de naribus ſæpe prodibat, & difficili reſpiratione cum ſtertore, viriumque, ac pulſus infirmitate ægrum urgente, eo res intra quinque, haud amplius, dies deducta eſſet, ut loquendi etiam facultate amiſſa, pro depoſito, & jam jam morituro ab omnibus haberetur. Mihi vero quantulumcunque in præcipiti caſu liceret neque antea, neque tunc omittenti, urinarum quæ fluere pergebant, copia aliquid ſpeculæ relinquebat: quam mox nonnihil auxere animadverſæ perminutæ quaſi arenulæ, quæ confertiſſimæ univerſa vitrearum matularum interna latera propemodum operiebant; hoc enim mihi in ægris pluribus adnotatum felicis morborum ſolutionis indicium, ut fuſius alias (*q*) ad te ſcribam, nunquam fallax ad id tempus deprehenderam. Et ſane æger paulo minus male habere, & jam loqui, moxque univerſi corporis tumor, & ſitis decreſcere, nec ſanguis amplius de naribus prodire. Stertor tum etiam perſtabat tamen. Sed triduo vix elapſo ex quo mors inſtare viſa fuerat, nulla jam ferme ſupererat ducendi ſpiritus difficultas, duobuſque additis diebus, nullum uſquam hydropis veſtigium; ut quot intra dies increverat, intra totidem evanuerit. Vix tuſſis recurrebat aliquando, quæ ſemel nonnihil ſanguinis, ſed bene colorati, e naribus excuſſit, & nonnunquam jam faciles ſomnos turbavit. Cui non difficile fuit occurrere, ut alvum quoque tunc nimis adſtrictam ſolvere, ſimulque detergere. Itaque poſt longum faſtidium cupiditas cibi oborta eſt, pulſuſque, jam antea haud amplius imbecilli, ſed frequentes, nunc minus crebri eſſe cœperunt, & alvus quotidie per ſe reſpondere, & vires paulatim reſtitui, ut jam in lecto ſedere diu ſine detrimento æger poſſet. Jam res in vado eſſe videbatur, niſi quod urinæ quarum copia, vel poſt hydropis ſolutionem, aliquot perſtiterat dies, cum ſenſim ad juſtum modum redirent; nunquam tamen ea quæ deſcendere ad imum ſolent inſpectanti mihi, qualia optabam oſtenderunt. Itaque cum huc aliquis, ut poſtea novi, in cibo, & potione error acceſſiſſet, urinæque non modo pauciores, ſed craſſæ, ruſæque apparerent, continuo bilioſa multa, nec ſine torminibus, dejici cœpta ſunt decimo ex quo hydrops omnino ſolutus fuerat die. Ego vero non inſcius, (*r*) *in morbis cum alter alteri ſuccedit, plerunque occidere*, etſi verebar, ne crebra, & copioſa, & cum doloribus conjuncta dejectio hominem, tot, & tam gravia quam deſcripſi, incommoda quinquaginta jam dies perpeſſum, affligeret adeo, ut rurſus erigere non poſſem; principio tamen pauliſper expectare conſtitui, & hactenus mederi, ne torminibus acrius diſcruciaretur. Non totum biduum expectaveram, cum ecce noctu hominem invadit quartus morbus, tertio adhuc perſtante, Mania videlicet, cujus gratia hanc ad te longiorem quam initio putaveram, deſcriptionem inſtitui. Et primum quidem exiſtimabam, eſſe phrenitidem; nam ſimul cum febre viſa eſt ſemel, atque iterum invaleſcere. Sed poſtea quam, vel febri abſente, animadverti furorem non abire, ut aſſidentibus non tutum eſſet ad ægrum, vinculis ſolutum, accedere; quin mania eſſet, non dubitavi: didicique, hoc inſaniæ genus poſt autumnalem diuturnam febrem poſſe excitari; tametſi hæc non fuerit de genere intermittentium, quas interdum excipi a peculiari quadam mania, Sydenhamius (*ſ*) admonuerat, & qui hunc in eo ſequitur, confirmavit Boerhaavius (*t*). Sed & aliis nonnunquam febribus hoc delirii genus ſuccedere, Obſervatio docet apud Borellum (*u*), itemque altera ab Ettmüllero (*x*) laudata. Hæc autem mea maniam exhibet, quæ febri quidem, ſed hydropi magis ſucceſſit, a quo alioquin maniam ſolvi, aut ſaltem imminui ſolitam eſſe, Hippocratis aphoriſmus (*y*), dubitante tamen Cl. Paſta (*z*), indicat: *a furore difficultas inteſtinorum, aut hydrops, aut ecſtaſis, bonum*. Qua cum ſententia Jacotius (*a*) alteram Hippocratis conferens: *in affectionibus hydropicorum comitiales morbi incidentes lethales*, hæc adſcripſit: *quamobrem ſi quæ juvare debent, non modo non juvant, ſed etiam in contrariam naturam tranſeunt, ut videlicet hydropi ſuperveniat gravis aliquis capitis affectus*; ..... *id peſſimum eſſe multis de cauſis conſtat*. Verum hæc de affectu ſuperveniente, non æque de ſuccedente accipienda ſunt. Itaque non ſine ſpe aliqua, mei inſani curationem aggreſſus ſum tametſi ob ea quæ ante pertulerat, neque illam imitari licebat, quæ eſt apud laudatum Borellum, ut balneo aquæ dulcis, aut venæ ſectionibus uterer, præſertim cum oculi, & facies hic non ruberent, nec arteriæ valde eſſent concitatæ; neque alteram a Syndehamio propoſitam, ut calidioribus auxiliis pugnarem, alvumque adſtrictam ſervarem; bilioſa enim, quamvis non ita crebro, neque amplius cum torminibus, dejiciebantur, quæ nec obeſſe videbam, & ſecundum illum ipſum quem ſupra memoravi, aphoriſmum profutura, ſperabam. Igitur pro venæ ſectione cucurbitulas, ſine ferro, in artubus inferioribus defigi, avellique juſſi, & deraſo capiti quæ ſedare, ſomnumque promovere dicuntur, imponi, & quæ idem faciunt, interdum ſub noctem dari, intra eum tamen modum, ut & virium, & dejectionum, quas ſervandas eſſe, ſtatueram, rationem haberem. Per hæc cum vigilias interrumpi, & nonnunquam miteſcere delirium viderem; illud unum inſequentibus diebus diſplicuit, alvum conquieviſſe. Aut enim hac via ſpes erat, poſſe tandem aliquando id prorſus ejici quod morbum adeo diuturnum, ac multiformem ſervaverat: aut quando viæ cæteræ incaſſum antea tentatæ fuerant, reliquum erat, ut novam aliquam, excitato ulcere, pararem, ſi forte per hanc demum expelli poſſet quod per cæteras non potuiſſet, ut puta *neſcio quæ vis maligna, & virus quoddam*; id enim, ſi Ballonio (*b*) credimus, *declarat ſubita mutatio, & tranſitus morbi in alium*. Itaque cum ducta alvus non ultra unum diem flueret, poſteaque non alia redderet quam quæ in ſanis ſolet, urina autem non pauca, & craſſa nihil proficeret; viam illam novam in altero brachio aperui medicamento adurente impoſito, qua via cito frequens humor ferri cœpit, proceſſitque aliquot dies, quibus æger quietior fuit, ut ſurgere, & per ædes ambulare ſine ſui, aut alterius noxa jam poſſet. Minus tamen reſipuerat quam ipſi opus eſſet; nam quod diutius ſervandum ulcus fuerat, nullo pacto a Chirurgo amplius attingi, voluit. Cum propterea ulcus ſaneſceret, neque mens adhuc ſatis conſtaret; auxilium quod antea optaveram, natura tulit. Bilioſis enim pluribus per alvum fluentibus, ſimul inſania reliqua, ſimul novi morbi periculo ſolutus eſt poſt primos Novembris dies. Nam quamvis paulo poſt ſui juris facto, eoque plus quam oporteret, edenti, atque ambulanti crura iterum intumuiſſent; facile evanuit tumor ſtatim ac ſibi in re utraque temperavit. Habes quantum junior animadvertere, agere, & autumare tunc potui in ſingulari exemplo ad morborum ſucceſſiones ſpectante, ad argumentum videlicet Medicis perutile, eoque a Baglivo (*c*) primis quaſi lineis adumbratum, nec minus tamen ab ipſo, ab Reuſnero (*d*), ab aliis deſideratum, putantibus ad ſuum uſque tempus fuiſſe neminem qui illud tractare aggreſſus eſſet. Aggreſſum tamen fuiſſe Proſperum noſtrum Alpinum, hæc Boerhaavii verba indicant (*e*): *Utinam poſſideremus ejuſdem Alpini librum* „ *de variis permutationibus morborum* „. Stephanum autem Rodericum Caſtrenſem

---

(*q*) Epiſt. 49. n. 21. (*r*) Hippocr. l. de Affection. n. 23. (*ſ*) Obſ. Med. circa Morb. Acut. S. 1. c. 5. (*t*) Aphor. de cogn. morb. §. 1125. (*u*) Cent. 4. Obſ. 42. (*x*) membr. 3. cit. ſupra ad n. 7. (*y*) 5. S. VII. (*z*) Not. ad eum Aphor. (*a*) Comment. l. 6. in Coac. S 2. A. 30. (*b*) Epidem. l. 2. ad Ver A. 1578. (*c*) Specim. trium reliquor. libror. de Fibra Motr. c. 1. (*d*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 8. (*e*) Prælect. in Inſtit. §. 942.

de hoc argumento Opuſculum edidiſſe inſcriptum *Quæ ex quibus*, admonuit Clariſſ. Gianella noſter (*f*) qui non propterea ſibi prætermittendum cenſuit, quin eandem materiam docte ac partite tractaret, præſertim cum illud Caſtrenſis opuſculum (ut in Lindenio Renovato videbis, in quatuor libros diviſum, & quater ſuperiore ſæculo typis deſcriptum) difficile ipſi adeo inventu fuerit, ut omni diligentia fruſtra quæſiverit. In illud ego his diebus forte incidi. Sed ne hic tibi quidquam de eo addam, prolixior narratio facit de Juvene, qui poſt tot morbos maniacus tandem redditus, brevi priſtinam ſanitatem recuperavit; ut jam tempus ſit ad eorum qui inſani obierunt, diſſectiones redeundi.

11. VIRI a longo tempore jam ſtulti, & febre non brevi in Noſocomio Patavino ſublati, collum dumtaxat & caput diligenter perſecui ſub finem anni 1723. Qua ex diſſectione ea tantummodo quæ huc attinent, in præſentia memorabo. IN COLLO arterias Carotides, & venas Jugulares Internas latiores offendi. Cranii fornice ablato, etſi aqua ſub meningibus fuit, nec in Lateralibus ventriculis, atque adeo inter duas Septi quo dirimuntur, lamellas defuit; cerebrum tamen durum inveni quincto jam, aut ſexto ab interitu die. Cerebellum contra molle erat, & flaccidum.

12. STULTI alterius Viri eaſdem partes habuimus in publico diſſecandas A. 1734. IN COLLO res animadverſa eſt, quæ tametſi ad præſens inſtitutum non ſpectat; tamen ob raritatem digna eſt quæ minime prætereatur. Muſculus uterque Sternothyroidæus omnino defuit: quamobrem Hyothyroidæi non interiore tantum latere, ſed etiam exteriore ad baſim uſque Scutiformis cartilaginis ſe extendebant, illud videlicet ſpatium occupantes quod ab ſuprema, contractaque Sternothyroidæorum parte in ejus quam dixi, cartilaginis facie, ut alias (*g*) expoſui, ac pinxi, obtineri ſolet. Quam ego faciem cum, ſublatis muſculis, attente ſpectarem, & cum aliis quæ ibi non deerant, laryngibus conferrem, multo minus quam has prominere vidi quo loco memorati quatuor muſculi deſinere conſueverunt. Præter hæc diſcrimina, aliud ullum in muſculis, & cartilaginibus reliquis ad laryngem, adjunctumque Aſperæ arteriæ truncum attinentibus, videre non potui. Nam etſi Cricothyroidæos, & Sternohyoidæos muſculos, quibus, hæc quæ dixi, in Theatro oſtendens, ſupplendi munus quadantenus attribui, validi, & magni erant; non tamen proportione validiores, majoreſve viſi ſunt. Num vero in laryngis motibus aliquid, dum is homo viveret, animadverſum fuerit peculiari adnotatione dignum, ſcire non potui, ut neque quo tandem morbo confectus eſſet. In Cerebro quod ad noviſſimum etiam morbum facile attineret, diſtenta vaſa conſpexi. Quod vero ad inſaniam, cerebri ipſius ſubſtantiam duram, cum interiores particulæ quædam, & in his Fornix, ac Pinealis glandula, eſſent laxiſſimæ. Erat præterea hæc glandula valde ſtrigoſa, & ex fuſco leviter ſubflava. Cæterum quod aquam ſub Tenui meninge non defuiſſe, indicabat, nullo ipſa negotio a cerebro, cerebello, & Oblongata medulla detrahi potuit.

13. Has ſex noſtras inſanorum diſſectiones ſi cum ea conjunxeris quam tibi deſcripſimus Epiſtola I. (*h*), omneſque cum illis quæ aut in Sepulchreto, aut aliis in libris habentur, comparaveris; continuo intelliges, ex iis quæ cæteri adnotarunt, nonnulla nunquam, aliqua raro, quædam ſæpe, alia ſemper a nobis quidem inventa eſſe. Nam quod Tenuem meningem, exempli cauſa, ne in eo quidem homine qui a philtro pariter factus eſſe credebatur inſanus, *intra cerebri anfractus*, ut ſolet, non *ſe inſinuantem* (*i*) deprehenderim, meum hac de re ſilentium oſtendit in Lanionis hiſtoria (*k*). Quod autem vermes non modo in cerebro non viderim, ſed nec me viſurum ſperaverim, ſatis I. oſtendit Epiſtola (*l*): quo gravius fero id quod Riolano (*m*) exciderat, relatum fuiſſe in Sepulchretum (*n*), videlicet *Vermis qui generatur in cerebro, & maniam inducit equo, an a putredine humoris? An ab apophyſi* cerebelli! *vermiformi in vermem degenerante?* Sed nec alia vidi, certe digniora quæ Sepulchreto addantur. Baglivus (*o*) ſe *Maniacos duos ſecuiſſe Neapoli*, affirmat, *duramque matrem adinſtar tabulæ duram, ac pene exſiccatam detexiſſe*. Etſi ibi non oportebat Williſium arguere his verbis: *debuerat inveſtigare, & examinare in* ſtultis *illis ſtatum meningum, nam differentiam inveniſſet*; in iis enim quos ego ſecui, certo ſcio, non fuiſſe; neque enim quod Epiſtola I. (*p*) deſcripſi in Dura meninge, huc, opinor, attinebat, & certo modicoque ſpatio continebatur; tamen utramque meningem poſtea Viri duo Experientiſſimi Littrius (*q*), & Geoffroyus (*r*) ſinguli in ſingulis maniacis alter duriorem, magiſque compactam, alter craſſiorem, & firmiorem invenere; ne de Falce dicam, quem proceſſum Geoffroyus ſimul conſpexit pene ubique oſſeis laminis obductum. Hanc firmitudinem, craſſitudinemve alterius, aut utriuſque maniacorum meningis, ab aliis præterea, ut apud Alexandrum Camerarium (*ſ*), & Cel. Swietenium (*t*) leges, inventam, poſt violentiora, aut longiora illorum deliria accedere, fortaſſe crederem, niſi a Wepfero (*u*) conſpectam eſſe, ſcirem, etiam poſt melancholica deliria, a Kingio (*x*) poſt fatuitatem, ab aliis autem (*y*), atque adeo a me ipſo (*z*) in iis repertam, quorum ſana utique mens fuerat. In mania tamen minus raram eſſe, video, quam grandiores illas glandulas in cerebri adytis ex Valſalvæ obſervatione deſcriptas (*a*): quanquam in melancholicis duabus (*b*) ſimilia quadantenus iiſdem in locis reperta ſcio. Neque illa mihi ſe obtulerunt quæ Santorino (*c*) in ſenibus duobus, ſed altero fatuo, altero leviter ſtulto, nimirum foveolæ lympha refertæ, aut ſubluteum corpuſculum in cerebri meditullio, multoque minus quod in fatuis aliis Williſius (*d*), Kerckringius (*e*), & Kingius (*f*) conſpexere, æquo minor cerebri moles.

14. Raro autem, atque adeo ſemel in ſtultis vidi profundos illos ſulcos in corpore Calloſo, aereas bullulas in ſanguiferis cerebri vaſis, & fuſcam hujus medullarem ſubſtantiam (*g*): quæ fortuito in ejuſmodi morbis fuiſſe pleraque, exiſtimo, & certe in aliis tibi deſcripſi, præter inſanos, neque in his a cæteris adnotata fuiſſe, video: quin Lanciſius (*h*) in fatuo, ut quædam aliter in Calloſo corpore obſervavit, ſic *albidiorem* fuiſſe cerebri ſubſtantiam, animadvertit. Contra, ſæpe vaſa cerebri diſtenta ſanguine, ſæpius aquam ſub meningibus, aut in ventriculis conſpexi, nec raro fortaſſe in lienem magnum, aut ſcirrhoſum incidiſſem, ſi quorum inſanorum cerebrum, eorum quoque reliqua viſcera ſemper tempus habuiſſem ſpectandi. Quæ ſimul omnia in maniaco vidit Cl. Hoyerus (*i*): diſtenta autem vaſa, & *piceo* quidem *nigerrimo ſanguine*, Præcl. Swietenius (*k*) in melancholica; ut plexum Choroidem *turgidum & inflatum ſæpe* reperit in maniacis Solertiſſimus Anatomicus Phil. Conr. Fabricius (*l*): aquæ effuſæ copiam, non modo in fatuo Kingius (*m*), aliique, ſed & in melancholica Wepferus (*n*), in maniacis autem etiam ii qui apud Swietenium (*o*) laudantur, hinc Aphoriſmum quem ſupra (*p*) memoravimus, exponentem, ſi maniæ hydrops ſuperveniat, bonum, reſorpta videlicet ex cerebro aqua, alioque tranſvecta: & lienes denique ſcirrhoſos cum laudatus Hoyerus (*q*) in quibuſdam poſt febres intermittentes ab ſe inventos ſcribit, *talia ſubjecta*, inquit, *plerumque antea gravia deliria melancholica .... experta erant*. Non ſum tamen neſcius, in tribus, adeo ex melancholia delirantibus, ut ſe occiderint, neque durum, neque magnum, imo in uno multo mino-

(*f*) De Succeſſione Morbor. l. 1. c. 1. (*g*) Adverſ. I. n. 6. & Tab. 1. ad litt. *q* dexteram. (*h*) n. 10.
(*i*) Sepulchr. l. 1. S. 9. in Addit. Obſ. 1. (*k*) ſupra, n. 6. (*l*) n. 8. & 9. (*m*) Anthropogr. l. 4. c. 2. (*n*) l. 1. S. 8. Obſ. 5. §. 3.
(*o*) Specim. l. 1. de Fibra Motr. c. 5. coroll. 10. (*p*) n. cit. 10. (*q*) (*r*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1705. & 1706.
(*ſ*) Diſp. de Apoſpaſm. Piæ Matr. (*t*) Comm. in Boerh. Aphor. §. 1121. (*u*) Auct. Hiſt. Apopl. Hiſt. 15.
(*x*) Act. Lipſ. A. 1688. M. Maj. (*y*) Vid. Sepulchr. l. 1. S. 1. Obſ. 1. (*z*) Epiſt. V. n. 6. & Epiſt. XLIX. n. 16. (*a*).....
(*b*)..... (*c*) ſupra, n. 2. (*d*) Wepfer. Hiſt. cit. 15. & Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1700. (*e*) Obſ. Anat. c. 3. §. 6.
(*f*) Sepulchr. l. 1. S. 10 Obſ 3. 9. 10. (*g*) Ibid. Obſ. 5. (*h*) Diſſ. Var. VII. (*i*) Act. N. C. Vol. 4. Obſ. 39.
(*k*) Comm. cit. ad §. 1010. 2. verſ. fin. (*l*) Idea Anat. Pract. Sect. 4. (*m*) (*n*) locis cit. (*o*) Comm. cit. ad §. 1124.
(*p*) n. 10. (*q*) Act. N. C. Vol. 5. Obſ. 68.

minorem quam æquum eſſet, lienem fuiſſe (*r*), & Præſtantiſſimum Heiſterum (*ſ*), qui duo ex illis ſecuit, pancreatis potius, & bilis vitia animadvertiſſe. Quæ obſervationes etſi dignæ ſunt omnes quæ in Sepulchretum referantur; velim tamen animadvertas, quot fere contineant aliis quoque morbis communia. Quo magis mirari ſubit, in iis maniacorum, & melancholicorum hiſtoriis quæ in Sepulchreto (*t*) proponuntur, cum ſæpe vitia ex his pleraque, atque alia vel communiora recenſeantur, vix ſemel commemorari illa duo, quorum alterum perſæpe, alterum ſemper nobis quidem in ſtultorum cerebro obvium fuit. Nam quater hactenus (*u*) Pinealis glandulæ vitia; ſepties autem, id eſt ſemper, duritiem cerebri deprehendimus. Quod ne caſu quodam accidiſſe, ſuſpiceris; protinus aliam adjiciemus hiſtoriam, nobiſcum a Mediavia noſtro A. 1729. poſtridie Kal. Januarii communicatam. Quo die aliis occupationibus diſtenti cum ipſi adeſſe non poſſemus, ſectionem totam ſpectatæ ejus diligentiæ commendavimus.

15. VIR ſine febre delirans, noctu, imprudentibus iis qui plurimos jam dies attente cuſtodierant, ita e cubili deſilivit, ut capite ad pavimentum, an ad parietem vehementer alliſo, continuo ibi mortuus ſit.

CRANIUM, & cerebrum nullum peculiare oſtenderunt ictus indicium. Aqua inter meninges pauca; in ventriculis dextero, ſiniſtroque non pauca ſic, ut ſemipleni eſſent. Quæ in his erat, ea ex flavo rubeſcebat. Plexus Choroides rubicundi: quin & vaſa cætera pleniora ſanguine, arterioſa autem firmioribus tunicis fuerunt. Dura meninx revera craſſior, quam ſoleat. Ad anteriorem Pinealis glandulæ baſim corpuſcula illa ſubdura. Sed quod maxime viſum eſt dignum adnotatione, cum cerebelli corticalis ſubſtantia mirum in modum laxa eſſet, cerebri autem ipſius paulo quam ſoleat, mollior, & dura quidem, ſed non adeo, medullaris portio quæ in cerebello conditur, ut etiam Protuberantia Annularis; durius fuit Spinalis medullæ initium, tota autem cerebri medullaris ſubſtantia, ipſa vero duriſſima inventa eſt.

16. Auctam Duræ meningis craſſitudinem ad aliorum paulo ante (*x*) memoratas obſervationes adjicito; Pinealis autem glandulæ vitium, & cerebri duritiem ad noſtras, imo & ad quorundam Doctorum Virorum. Et de Pineali quidem glandula in præſentia perpauci occurrunt. Quin Diemerbroeckius (*y*) cum plurimas indicet arenularum, & calculorum in ea glandula ab aliis habitas obſervationes, ab his tamen pariter obſervatum legiſſe ſe, negat, in quibus illa reperta ſunt, iis *quidquam incommodi circa animales actiones contigiſſe*: nec vero eos in quibus ipſe conſpexi, fuiſſe omnes ſtultos contra ac ſuperiores docent Epiſtolæ (*z*), contendo. Sed hæc ajo, primum etſi *hujuſmodi concretiones nuſquam non inveniri*, ut Santorinus (*a*) dicebat, *apud Anatomicos jam eſt manifeſtum*; in nulla tamen alia cerebri particula; id quod ipſi fuerat animadvertendum; ſæpe adeo inveniri: deinde, cum ſæpe in hac inveniantur, ſæpius nobis quidem accidiſſe, ut in ſtultis, quam in conflictatis uno alio aliquo morbi genere, conſpiceremus; & fatuus certe erat is in quo Edmundus Kingius (*b*), & ex mira oblivione ſtupidus in quo Berlingerius Gipſeus (*c*) lapideam factam invenere: noviſſime, præter id, alia eſſe vitia hujus glandulæ, & ea quoque in quibuſdam ſtultis deprehenſa, alterum, quod in eodem fatuo, de quo ſupra (*d*) indicatum eſt, animadvertit Lanciſius, tantam videlicet exilitatem, ut in viro trigeſimum ſextum annum agente, *cannabinum ſemen vix æquaret*, cujus diſſimilis non erat illa, quam tibi antea (*e*) in ſtulto viro valde ſtrigoſam, at ſimul laxiſſimam deſcripſi: alterum autem vitium, quod ab hoc diverſum, atque adeo, ſi illam ſummam laxitatem ſpectes, plane oppoſitum, in maniaco a Theodoro Zwingero adnotatum, ut *prorſus ruberet* ea glandula, *& ſolidior eſſet ſolito*, habes etiam in Sepulchreto (*f*).

17. In quo tametſi, ut pariter ſupra indicavi, una, haud amplius, ejus quoque rei quæ mihi ſemper in ſtultis deprehenſa eſt, Obſervatio extat (*g*), Henrici ab Heer, a quo videlicet in eo qui maniacus fuerat, cerebrum inventum eſt *durum*; non aliæ tamen deſunt quæ merito adjiciantur. Nam primum laudati ex Regia Scientiarum Pariſienſi Academia Viri (*h*) Littrius, & Geoffroyus in duobus iiſdem maniacis de quibus ſupra dictum eſt, cerebri quoque ſubſtantiam multo firmiorem quam ſoleat, cum cerebellum ſua ferme naturali mollitie eſſet, compererunt. Tum in illo ipſo fatuo, quem ſemel, atque iterum memoravimus (*i*), Lanciſius *univerſam cerebri ſubſtantiam ſolito compactiorem*, ipſumque Calloſum corpus *ſimiliter duriuſculum* animadvertit. Addendus his Santorinus (*k*), qui in ſene fatuo tum alia, tum cerebrum *multo firmius* invenit, *atque pars hæc eſſe conſuevit*; ut in eo quod & nos propterea antea (*l*) feceramus, & alias fecimus, *nonnulla perſpicue magis, ac commode & diſquirere, & dignoſcere præ majore ejuſdem firmitate potuerit*. Et Boerhaavius (*m*) fortaſſe alias ſibi notas attendebat hiſtorias, cum *anatomica ſectione conſtitiſſe*, ſcripſit, maniacorum *cerebrum ſiccum, durum, friabile, in ſuo cortice flavum* fuiſſe. Sed quanquam etiam Geoffroyus (*n*) magnam cerebri ſiccitatem deſcribit; tamen iſta univerſa illa dumtaxat ex mihi cognitis obſervatio complectitur, quam ut unam de cerebri duritie in Sepulchreto eſſe, dixi; ita unam ex omnibus quas legiſſe meminerim, animadverto, non inutiliter docere, illud tamen ipſum cerebrum *circa ventriculos, & baſim mollius, & humidius* fuiſſe. Neque enim in omnibus ſtultis omnes cerebri partes æquali duritie inveniri, imo nonnullas interdum magis quam deberent, eſſe molles, inter ſe collatæ, quas tibi deſcripſimus, ſectiones oſtendunt.

18. Cæterum etſi minus veri ſimile eſt, caſu factum eſſe, ut in iis ſtultis quos laudati Viri ſecuerunt, iiſque omnibus qui inciſi a me ſunt, iſta eſſet cerebri durities aut univerſi, aut certe, ut a me ſemper compertum eſt, medullaris ſaltem ejus hemiſphæriorum ſubſtantiæ; tamen ut rem minime negligendam, ſic non tanti demum faciendam arbitror, ut ex ea dumtaxat, ſtultitiæ cauſam ſpecioſis, quæ minime deeſſent, explicationibus repetamus, primum videlicet inquirentes, an eam duritiem efficiat ſiccitas, id eſt minor copia humoris, intime ſubſtantiam illam irrigantis, an auſterus aliquis, & adſtringens ſuccus, deinde vero utrum quacunque ex cauſa inducta, iſta durities ſapientiæ obſit, vias quaſdam tenuiſſimas arctando, an fibras ita contendendo, ut ad leviorem quemque motum multo magis quam æquum ſit, contremiſcant, an minus flexiles efficiendo, ut non niſi ad certos quoſdam motus, & tum ſemper ad eundem modum, agitentur: in quos, alioſque ejuſdemmodi inextricabiles diſputationum quaſi laqueos ne me induerem; ideo quæcunque alia potius quam conjecturas, ad propoſitas hiſtorias adnotavi. Atque ut intelligas, cur eam duritiem tanti non faciam; ſcias velim, in quibuſdam pariter qui minime ſtulti erant, cerebrum me non minus durum inveniſſe. Sic in mortuo ex thoracis inflammatione. Sic in altero qui ex femoris fractura obierat. Sic in quodam grandi natu, quem ipſa ætas magis ferme quam morbus, ad mortem ſenſim perduxerat. Sed quoniam Anatomicus Eximius Hallerus (*o*) *cerebra ſenum vel cultro judice, duriora eſſe*, indeque *mentis, & memoriæ debilitatem* repetendam eſſe, tradidit; grandævo iſto ſepoſito, ipſe recordari potes, cum ad te apoplecticorum ſectiones ſcriberem, in ea fœmina quæ tredecim utrinque coſtas habebat, mira cerebrum duritie eſſe memoratum (*p*), itemque duritie valde notabili in Stabulario (*q*), in quo tanta profecto fuit, ut cum ejus cerebrum diebus non ita multis inciderem poſtquam cerebrum diſſecueram illius alterius inſanæ fœminæ, quæ ſupra (*r*) deſcripta eſt; facile animadverterim id quod diſerte in adverſariis tunc adnotavi, duritie eadem ac hujus fuerat, ſtabularii quoque cerebrum fuiſſe. Eorum tamen apoplecticorum neuter

(*r*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 60. (*ſ*) Earund. Cent. 6. Obſ. 28. (*t*) cit. Sect. 8. & 9. (*u*) Vid. etiam Epiſt. I. n. 10. (*x*) n. 13. (*y*) Anatom. l. 3. c. 6. (*z*) V. n. 11. & VI. n. 12. (*a*) Obſ. Anat. c. 3. n. 8. (*b*) loc. cit. ſupra, ad n. 13. (*c*) apud Contulum de Lapid. Podagr. &c. c. 5. (*d*) n. 14 (*e*) n. 12. (*f*) Obſ. 1. Sect. cit. 9. in Addit. (*g*) 1. in Sect. 8. quæ 5. eſt in Sect. 4. (*h*) loc. cit. ſupra ad n. 13. (*i*) n. 14. & 16. (*k*) c. cit. n. 6. (*l*) ſupra, n. 6. (*m*) Aphor. de cognoſc. morb. §. 1121. (*n*) loc. cit. (*o*) Ad Prælect. Boerh. §. 475. not. *g*. (*p*) Epiſt. 5. n. 6. (*q*) Epiſt. 4. n. 19. (*r*) n. 9.

neuter decrepitus erat. Sed & aliis interdum in multo minori ætate non diſſimilia ſe obtulerunt. Satis ſit duos, treſve nominaſſe, Phil. Conr. Fabricium, Littrium, & Fantonum patrem. Fabricius (ſ) in fœmina mediæ ætatis, cum bene valere videretur, repente mortua, *ſubſtantiam cerebri tam firmam & ſiccam* reperit, ut id adnotatione dignum cenſuerit. Littrius (t) cerebri, cerebelli, & medullæ Oblongatæ ſubſtantiam viſus & tactus judicio denſiorem & compactiorem quam ſoleat, in damnato Juvene invenit, qui ut ſe ſupplicio ſubtraheret, capite ad parietem, in quem valentiſſime incurrit alliſo, continuo ſe haud ſecus occiderat ac is inſanus, de quo in noviſſima hiſtoria retulimus (u): cujus mortis internam cauſam non multo magis quam in damnato illo aſpectui occurrentem, ex ea poſſes, quam Littrius proponit, conjicere, ſi eadem utrobique animadverſa eſſent, nec ille ex denſitate iſta, tanquam ab ictu producta, repeteret. Fantonus autem vel in tenero infante (x) quem convulſiones interemerant, cerebri *ſubſtantiam medullarem, & Oblongatam medullam duriſſimam* deprehendit: de cujus rei cauſis quas conjecturas, & quam caute, modeſteque protulerit Clariſſ. Filius, non erit omnino ab re præſenti, ſi ex Scholio addiſcas, quod cum primum, tum ſecundis etiam curis expolitum paternæ Obſervationi ſubjecit. Satis igitur intelligis, cerebrum durum eſſe poſſe ſine ſtultitia. Adde nunc, & ſtultitiam eſſe poſſe ſine cerebri duritie. Neque enim in fatuis ſolum, a Tulpio (y), Kerckringio (z), Kingio (a), Scheidio (b) diſſectis, flaccidum laxumque cerebrum fuit; ſed hic poſtremus id *mente captis ut plurimum*, inquit, *familiare eſſe ſolet, ſicut haud raro in maniacis deprehendimus*. Quod etſi ab noſtris diſcrepat obſervationibus, ſecundum quas duritiem cerebri in hoc morbi genere negligendam non putamus; facit tamen ut nos minime pœniteat, non ipſam unice, aut præcipue ſpectandam eſſe, cenſuiſſe (c).

19. Jam vero quæ ad Hydrophobiam attinent, ut initio polliciti ſumus, adjiciamus. Etſi poſtquam Salius (d), Cæſalpinus (e), Codronchius (f), Aromatarius (g) confirmarunt, multos ſine delirio eſſe hydrophobos, plures paſſim hiſtoriæ, præter eas quas ipſe proferam (h) extiterunt quæ obſervationes comprobarunt Medicorum illorum longe præſtantium, atque adeo Theodorus Zwingerus (i) Hydrophobiam a Rabie ſic diſtinxit, ut non modo illam ſine hac eſſe poſſe, quod verum eſt, ſed hanc ſine illa, quod haud pariter eſt verum, eſſe non poſſe, docuerit; tamen quia Bonetus, qui cæteroquin aliquam hydrophobiæ *ſalvo judicio* exhibet Obſervationem (k), ſequi eos maluit, qui morbum hunc olim inter Maniæ ſpecies repoſuerant, & maniacorum diſſectionibus diſſectiones addidit hydrophoborum; nolo ab ejus ordine hic recedere, præſertim cum hydrophobiæ fatear delirium ſæpenumero adjungi aut melancholicum, aut ex hoc, & maniaco miſtum, aut maniacum adeo, ut quod Medicus Illuſtris Meadius (l) confirmat, *muſculorum vires ad prodigium uſque magnæ ſint*, videritque ipſe, *virum in lecto fortibus funibus deligatum rumpere uno omnes niſu*. Sed & alii (m) retulerunt, adoleſcentulum ab hoc morbo per vices ita furentem *ut a quatuor viris coerceri vix poſſet*: alii (n) quinquennem puerum, cujus *furori coercendo* ne *fortior* quidem *vir par erat*. Hæc autem attigi, ut intelligeres, poſſe, imo debere inter hydrophoborum diſſectiones magna diſcrimina intercedere pro eorum quibus vexati fuerint morborum varietate; ſiquidem ne febris quidem ulla, ut ex laudatorum Virorum fere omnium, aliorumque obſervationibus conſtat, eſt in hydrophobis non paucis, nedum ullum delirium. Noli enim exiſtimare, hoc ipſum quod aquam ſitientes horreant, delirium eſſe; neque enim horrent omnes: imo aliqui ad ſe afferri jubent, & bibere conantur. Non bibunt tamen plerique omnes, idque non ſine magna ratione. Nam conati quidam vel exiguam humoris portionem, & ſenſim deglutire, non levi cum incommodo, & dolore ſecerunt, ut puer de quo ad Regiam Londinenſem Societatem retulit Meadius (o), alii vero aut cum jam pejus haberent, aut cum plus bibiſſent, hinc aut obortis vehementiſſimis convulſionibus, aut ſuffocatione ingruente, mortui ſunt. Quorum illud accidit Virgini Mutinenſi de qua infra (p) commemorabimus; hoc iis de quibus Avicenna indicavit, hæc de hydrophobo, & aqua ſcribens (q) *& quandoque ſorbet ex ea, quare ſtrangulatur per eam, & moritur*. Cæteri autem, qui cum rationis eſſent compotes, ſunt, cur non biberent, interrogati, reſponderunt ob faucium gulæve *magnam anguſtiam & conſtrictionem*, ut Salius (r) teſtatur, & Aromatarius (ſ) confirmat. Et ſane iis in partibus reapſe habere videntur aliquid a quo potionis deglutitio prohibeatur, ut Cæſalpinus (t) comparaverit cum *quibuſdam anginoſis, quibus potus per nares effluit*, putaveritque, *iis convelli gulam*. Quæ cum legiſſet Aromatarius (u) per ipſi mirum viſum eſt, neque Salium, neque Cæſalpinum inde id quod ſibi ſtatuendum omnino cenſuit, minime deduxiſſe, hunc morbum *nihil aliud, quam anginam quandam eſſe*.

20. Ab illo ad hoc tempus multo plures morbi, quam cadaverum, obſervationes editæ ſunt. In his quædam videntur favere Aromatarii ſententiæ, ut quam habuit Th. Zwingerus (x) qui *interſtitia membranoſa cartilagineorum Aſperæ arteriæ circulorum* vidit *intenſiſſime rubentia*, & magis illa quam Chirurgus Meadio (y) retulit, faucium valde inflammatarum, & quam Tauvryus in Regia Scient. Pariſienſi Academia (z) narravit, gulæ inflammatæ, & nonnihil etiam Aſperæ arteriæ: quanquam duo priores pulmonem quoque memorarunt, in parte, aut omnino effuſi in veſiculas ſanguinis plenum: quem Zwingerus ſanguinem in corde quoque, vaſiſque magnis huic proximis concretum fuiſſe, & præterea inteſtina, & magis ventriculum rubicundis maculis diſtincta ſcripſit: Tauvryus autem ut nihil horum, ſic cætera illa fere omnia adnotavit, quæ cum horum parte apud Boerhaavium (a) recenſita videre poteris. Contra, adverſus Aromatarium diſſectio eſt quam in puero de quo ſupra (b) dixi, habuit Meadius; nam gula, cerebro, thorace, & ventriculo examinatis, nihil uſquam præter ſolitum invenit, niſi magnam in hoc bilis copiam viſcidæ ac virentis. Eæ quoque adverſari videri poſſunt, quas invenies in Sepulchreto (c) indicatas, & diſerte *magni nominis Medico* (Aromatario videlicet, ut puto) oppoſitas, qui hunc morbum *referebat ad inflammationem faucium, & conjunctam Anginæ ſpeciem. Sed aperta cadavera*; quod Rolfinckius, iis fretus Obſervationibus, continuo ſubjicit; *nulla inflammationis veſtigia oſtendere*. Attamen Aromatarius (d) ut erat in veterum Medicorum lectione non mediocriter verſatus, complura ex iis quæ ſibi objici poſſent, eorum auctoritate declinare ſtuduerat, anginam contendens eam quoque eſſe quæ fit in quacunque parte aut gulæ, aut trunci Aſperæ arteriæ, & quæ interdum acuta non eſt, imo ſine febre, quippe cum in viarum illarum aliqua anguſtia, vel obſtructione conſiſtat, ut quæ fit a convulſione dumtaxat, atque, ut alia ſciens omittam, a phlegmate, vias tantum occupante, nulla exiſtente inflammatione: & quanquam, ſicut in eodem Sepulchreto (e) vides, aut hanc ultimam anginæ ſpeciem, aut eam quæ laryngem occupat, videtur in hydrophobis conſtituere; tamen vel re ita accepta, ſatis Rolfinckii Obſervationes declinat. Quod ſi rem ita non contrahas; favere quoque credes quam in Sepulchreto (f) mox habes, Obſervationem Brechtfeldii, qui *to-*

tum

(ſ) Propemptic. ad Diſſ. J. B. Hoffman. (t) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1705. (u) Supra, n. 15.
(x) Obſerv. Anat. Med. 20. (y) Sepulchret. l. 1. S. 10. Obſ. 16. (z) Ibid. Obſ. 5. (a) ubi ſupra ad n. 13.
(b) De duob. Officul. & c. qu. 4. (c) Vid. etiam Epiſt. 61. n. 8. (d) De Affect. Particularib. c. 19. (e) Art. Med. l. 3. c. 34.
(f) De Rabie l. 1. c. 1. (g) Diſp. de Rab. P. 2. partic. 1. (h) infra, n. 22. 23.
(i) Eph. N. C. Dec. 3. A. 2. Obſ. 104. in Schol. addita poſtea extra ord. Sepulchr. l. 1. S. 13. in fin. (k) 8. in S. 8. l. ejuſd. 1.
(l) Tract. de Venen. Tent. 2. (m) apud Swieten. Comm. in Boerh. Aph. §. 1137. (n) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 54.
(o) Saggio delle Tranſaz. Filoſ. P. 2. c. 8. n. 3. (p) n. 29. (q) Canon. l. 4. F. 6. tr. 4. c. 7.
(r) c. 19. cit. (ſ) P. cit. partic. 7. (t) c. cit. (u) partic. ead. 7. (x) Obſ. cit. 104. (y) n. 3. cit.
(z) Hiſt. A. 1699. (a) Aphor. de cogn. morb. §. 1140. (b) n. 19. (c) l. 1. S. 8. Obſ. 19.
(d) Diſp. cit. P. 3. partic. 1. & 4. (e) Addit. ad S. cit. 8. Obſ. 1. (f) Ibid. Obſ. 2.

tum *œſophagum anguſtum valde* , *& quaſi conſtrictum* invenit.

21. Sed quanquam illud in Aromatario (*g*) a primo videri poteſt non eſſe improbandum quod ex uno inter hydrophobiæ ſigna maxime obvio naturam ipſius, & ſedem ſibi indagandam propoſuit ; noli tamen credere, me facile in ejus ſententiam ire . Neque id eo dico, quod hac poſita, non intelligatur , cur cibum plerique hydrophobi levi cum difficultate , non pauci quoque, ut Cæſalpinus (*h*), aliique viderunt , *bene ſumant* , ſive , ut laudatus Brechrfeldius loquitur , *ſolida quæcunque prompte per gulam demittant* : namque huic dubitationi , quæ & extra hunc morbum , in quibuſdam deglutiendi difficultatibus locum habet, plures occurrerunt, præter Salium ipſum (*i*) & Aromatarium (*k*). Ob alia igitur potius dico, quæ hic quoque vidit , ſed non ſatis diſſolvit , in primiſque ob admirabilem illam vim quæ cum hydrophobia conjuncta eſt, ſe per contagionem, longo etiam intermiſſo tempore, propagandi. Conſtat enim id quod Salius (*l*), cum eoque alii non credebant , vel ſine morſu ſæviſſimam eſſe ortam hydrophobiam a ſaliva tantummodo in nudam cutem decidente (*m*). Conſtat quoque , hoc certæ corporis parti virus inditum , ſæpe diu, nonnunquam ipſos fortaſſe viginti annos (*n*), ne dicam quadraginta (*o*), latere ſine ulla noxa donec ab aliqua , quæcunque ea ſit , cauſa excitetur , erumpenſque ex illa ipſa fortaſſe parte in alias, atque alias ad perniciem feratur : in ea enim ipſa parte latere , ſignum illud indicare videtur mox ſe prodituri morbi, quod *omnibus ignotum* Salius (*p*) olim *præcipuum & infallibile* animadvertit, *dolor* videlicet *quidam in loco jam commorſo*, & ſanato obortus , qui inde incipiens *per partem poſt partem* brevi ad cerebrum, ut ipſe adnotavit , aut certe ſurſum , puta a manu axillam, & thoracem verſus, ut Zwingerus (*q*) & Suramuccius (*r*), ſe extendit. Quis vero unquam ab *Anginoſi* ſaliva in cutem aſſidentium decidua anginam ullam vidit communicatam , nedum ejus fomitem, ſi forte communicatus eſſet , diu certa in parte latentem, atque ex hac demum ſe exerentem ? Impotentia enim deglutiendæ potionis nequaquam proprium hydrophobiæ indicium eſt, niſi cum aliis, & præſertim cum vi conjuncta ſe propagandi. At enim hydrophobia peculiaris quædam angina eſt ; & a certo quodam, & peculiari veneno orta . Hujus igitur veneni naturam is inveniat oportet qui hydrophobiæ naturam ſe comperiſſe , profiteatur . Sed neque hujus morbi ſedem comprobatam eſſe, video. Nam etſi Aromatarius (*ſ*) ait , quam ipſe propoſuit , *per Sectionem facillime patere poſſe* ; nullum tamen prorſus ejus rei anatomicum exemplum producit ſuum ; aliorum vero non poterat, quando ad ejus uſque ætatem nulla extabat, quod ſciam, hydrophobi diſſectio præter eam quam ex Capivaccio noſtro in Sepulchretum (*t*) relatam vides . Poſtea autem quæ habitæ fuerunt , eæ nempe ſunt quas ſupra indicavimus , quænum, & quatenus ipſi faveant, vides, ſi anginæ acceptionem contrahas : ſin autem quam latiſſime patere ſinas ; vereor ne tam generalis doctrinæ minor utilitas ſit, quam ut propoſito ſatis faciat.

22. Quid ergo eſt ? Ego quidem pro tam retruſa atrociſſimi alioquin morbi natura , fortaſſe pauciores adhuc habitas eſſe diſſectiones, addubito (*u*), atque ægre fero, nondum licuiſſe mihi hydrophobum , nedum plures, ut opus fuiſſet, hydrophobos perſecare , vel quod ejus rei copia non fieret , vel quod , ſi fieret, tum vero quaſi fato quodam graviſſimis occupationibus , aut valetudine minus commoda diſtinerer . Nam primum Bononiæ puerum vidi duodecim circiter annos natum, qui poſt dies amplius quadraginta, ex quo ejus partem illam , unde aliis longe celerius pernicies orta eſt, faciem videlicet , eamque in bucca momorderat canis, miſerrimo hoc morbo occupatus, anxius, clamans , facie rubens , ſtare loco neſciens , furentique prorſus ſimilis , ſed mente conſtans, eoque neminem lædens , patrem fruſtra manu retinentem ſecum per urbem circumducebat : quod ſi quis aquam offerret ; omni conatu renuebat , ſe inde ſuffocatum iri, ut ajebat , pro certo habens . Is poſtquam morbus ſe prodidit, ultra viginti quatuor horas non vixit : cadaveris autem incidendi facultas non eſt data : ut neque hic alterius pueri , quem ne horas quidem viginti ſuperſtitem fuiſſe , accepi ex quo potum cœperat averſari. Huic ante quinque menſes crus a cane morſum fuerat, incertum an rabioſo , quo minor in curatione vulneris , egregii alioquin coloris , cautio fuit : itaque ad cicatricem perductum eſt . Cumque , non brevi interjecto tempore , in illa ipſa cruris parte ulcus iterum apparuiſſet ; ratio iterum non defuit cur aliam ad cauſam referretur , quippe cum puer ſcabie, & tinea fœdus , pravis humoribus abundaret, atque etiam propterea multo citius, ſi Palmario (*x*), imo Aetio (*y*) fides habenda erat, prehendi hydrophobia debuiſſet . Interim ex improviſo inquietudo , & mox aquæ metus ad veſperam . Mane labra nigra , pulſuſque jam fere nulli . Ad meridiem mors.

Viciſſim totidem hydrophobos ſecandi copia facta eſt. Quod cum mihi, ut dictum eſt , non liceret ; petii a Mediavia noſtro, ut ipſe incideret , & quæ animadvertiſſet, referret. Utramque hiſtoriam ſubjiciam : tertiamque addam , Roma ex Noſocomio S. Joannis in Laterano ab eo qui ægrum pro officio ſæpe inviſerat, & mortuum diſſecuerat , ad me miſſam , Jacobo de Machy Pariſienſi, attento, & cordato Viro, qui poſtquam hic meus annos aliquot auditor fuerat , eo digreſſus, nec ſecus abſentem amans , quam præſentem obſervaverat, ibi ante diem tabe conſumptus , triſte mihi ſui deſiderium reliquit.

23. VIRO, quem ante aliquot menſes rabioſus canis momorderat, manifeſta denique hydrophobia correpto, datis antidotis , aqua in caput conjecta eſt . Hinc cum melius aliquanto ſe habere videretur , in balneum ire juſſus, homo qui non deliraret, & quæcunque fierent , auxiliandi cauſa fieri , agnoſceret, continuo illuc ire cœpit, hoc unum petens , ne ſponte ingreſſurum, vi mergerent. Sed ubi eo ventum eſt, cunctari, & ſe minime id poſſe , dicere . Itaque in aquam miſerunt deprimentes ſic , ut biberet . Flagitantem deinde ut ſe extraherent, extraxerunt , in lectoque collocarunt quietiorem . Non multo poſt tamen frigidus fieri cœpit, proximaque nocte eſt mortuus. CADAVER etſi decima ſexta a morte hora, non tardius, inciſum eſt , & tempeſtas magis ad frigus vergeret, quam eo tempore hic ſoleat ; erat enim medius September A. 1723. ; jam tamen adeo male olebat, ut feſtinare ſecantem cogeret, & animadverſa in ſua veſicula bile nigerrima , amputatum caput , & detracta thoracis viſcera in apertum locum aſportare, ubi diligentius inſpicerentur . Pulmones & ipſi grave olebant : nigrique erant. Cordis auricula dextera valde erat , quamvis non ab iis quæ contineret, dilatata ; ſiniſtra arctiſſima : in ventriculis polypoſæ tenues concretiones. Cerebri Dura meninx ſuis in Sinibus concretiones habuit ejuſdem generis, ſed facile diſſolvendas, & quaſi adipoſas. Sub ea meninge bullæ aereæ . Vaſa omnia cerebri ſanguine plena , ut Choroides plexus nigricarent . Nihil ſeri effuſum. Cerebri, & cerebelli ſubſtantia ſicca potius, quam humida. Aliæ præter has, partes ob eam cauſam quæ dicta eſt , inſpectæ non fuerunt. Illud univerſe adnotatum eſt, ſanguinem fuiſſe ejuſmodi, ut ad concretionem potius , quam ad ſolutionem, inclinaret.

24. Quod Medici caput hydrophobi multa aqua perfundi juſſerunt , quaſdam fortaſſe curationes non infelices ſpectarunt , quæ ferme ad eundem modum in Regia Scientiarum Academia Pariſienſi (*z*) fuerant

(*g*) Diſp. cit. P. 2. partic. 6. (*h*) c. cit. (*i*) c. cit. (*k*) Diſp. cit. P. 4. partic. 2. (*l*) c. cit.
(*m*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 6. & 7. Obſ. 142. Vid. & Epiſt. 61. n. 13. (*n*) Dec. ead. A. 9. & 10. Obſ. 43.
(*o*) Vid. Gaſp. a Reies Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. qu. 61. n. 11. (*p*) c. cit. (*q*) Schol. cit.
(*r*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. in Append. n. 6. (*ſ*) Diſp. cit. P. 4. partic. 2. (*t*) S. cit. 8. Obſ. 7.
(*u*) Vid. tamen alias infra, n. 31. & Epiſt. 61. n. 9. (*x*) l. de morſ. canis rab. c. 2. (*y*) Tetrabibl. 2. Serm. 2. c. 24.
(*z*) Hiſt. A. 1699.

rant commemoratæ. Quod hydrophobus ad balneum acceſſerit ſciens volenſque, minus mirum eſt, quam illum Meadii (*a*) puerum, in aquam demerſum, negaſſe, aquam ſe timere, in eaque pauliſper acquieviſſe. Quod denique cordis auricula dextera valde inventa ſit dilatata, nec ab iis tamen quæ contineret; facile ſic accipio, ut ab aere, qui nimirum conſpici non poteſt, diſtenta, ſicuti in aliis (*b*) interdum accidit, ſervaretur, cum aer in tanta humorum corruptione, quantam graviſſimus ille odor, & pulmonum nigredo oſtendebant, ſe ab illis evolvere non difficile poſſet (*c*), quod bullæ aereæ, ſub Craſſa cerebri meninge animadverſæ, confirmant. Ad eundemque fortaſſe modum illa intelligenda ſunt, quæ in ſectione hydrophobi a Brechtfeldio (*d*) ſcripta legeris: cordis *dextra auricula inſigniter tumebat, dexter ventriculus ſanguine grumoſo plenus, in ſiniſtro ſanguis plane fluidus*; cur enim quæ ventriculi non tumidi continebant, diceret; quæ adeo diſtenta auricula, non diceret? De cæteris quæ in eo cadavere conſpecta deſcripſi, poſt (*e*) videbo.

25. VIRUM ante menſem a rabido cane demorſum evidens hydrophobia jam tenebat. Hic vero delirabat, jugiter clamabat, febricitabat. Semel in aquam, ſerius fortaſſe, & jam debilior, immerſus, vix inde exemptus fuerat, cum miſerrimam alioquin amiſit vitam. CADAVER hominis, gravius adeo morbo vexati, vel poſt horas amplius viginti quatuor, & tempore anni ferventiſſimo, id eſt ante Quinctilis finem A. 1739. non valde fœtebat. Et facies quidem videbatur hominis quaſi tabe conſumpti; at corpus reliquum erat omne ſatis carnoſum, & nutritum. Collum eo livore infectum, ut vel poſtquam inter diſſecandum multum ſanguinis effluxerat, liveret tamen. Tumidus Venter, nempe ab inteſtinis, & ventriculo aere turgidis: quæ viſcera etſi cæteroquin ſecundum naturam ſe habere videbantur; vaſa tamen quæ per ventriculum repunt, non ſecus atque ab injecto liquore aliquo videmus, ſanguine diſtenta erant. In ipſo ventriculo præter aerem, aqua ex flavo virens. Magna jecinoris pars livida: ejus autem veſicula pleniſſima bilis, non nigricantis quidem, ſed fuſcæ.

Septum Transverſum non prorſus carebat inflammatione. Pulmones tota poſteriore parte non modo nigricabant, ſed tumebant etiam, a reſtitante, ut videbatur, ſanguine; duri certe non erant. Sanguis ater in hoc cadavere, non polypoſus quidem, ſed nec ſolutus. Gula in thorace, infimoque collo erat ſana.

At ſuprema pars gulæ quæ jam pharyngi vicina eſt, & pharynx univerſa, & larynx, & Aſpera arteria interiore facie ex rubro nigricabant, ut non inflammatæ modo, ſed gangrænæ eſſe proximæ viderentur. Nec tumidæ erant tamen; quin uvula perpuſilla ſpectabatur, etſi lingua erat craſſior. Pharynx autem uſque ad naſi poſteriora foramina, ſuumque ipſum fornicem plena erat ſpumæ ex flavo virentis.

Denique in meningibus vaſa ſanguine valde diſtenta, & ſubſtantia interior cerebri punctis ubique, & quaſi filamentis ſanguineis diſtincta. In Lateralibus ventriculis ſerum non multum, idque rubellum.

26. Quod adverſus hunc atrociſſimum morbum *unicum* eſſe *remedium* a Celſo (*f*) olim ſcriptum eſt, ægrum *in piſcinam projicere*, non tam crebro Medicis reſpondit, quam forſan crederes, tot eorum videns in hanc rem laudari apud Ettmüllerum (*g*). Nam Foreſti, & Tulpii, ad quorum *experientiam* provocatur, ſi productas Obſervationes legeris; non ad curationem attinere, ad quam iſta ſpectat, a Celſo propoſita, in piſcinam projectio, ſed tantummodo ad præſervationem, deprehendes. Eodemque redire agnoſcas; ſi unum de utcunque rabido mulo excipias; *plura illa exempla* ſic *curatarum Rabierum*, quæ apud Schenckium extare dicuntur: quin ab hoc illud (*h*) Andreæ Baccii proferri, unde non curatum; ne dicam auctum; ea ratione morbum intelligas. In eo demum quod indicatur, Paræi capite (*i*) tantum abeſt ut felix ſucceſſus comprobetur; remedii inutilitas confirmatur: & quanquam capite ſuperiore (*k*) narrare Aetius dicitur de Philoſopho, qui cum *ſe in balneum demerſiſſet, & de aqua intrepide hauſiſſet*, ſanus evaſerit; tamen ſi Aetium (*l*) inſpexeris, bibiſſe quidem invenies; ſe autem in balneum merſiſſe, non invenies. Unus igitur de tot qui laudantur, Auctoribus reſtat Helmontius (*m*), qui ſenem *jam hydrophobum*, per ternam in mare demerſionem *rabie* viderit *liberatum*, cui exemplo & puellæ illius curationem addes, quam in Hiſtoria legeris Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis (*n*). Pluribus tamen contra ceſſerit, neceſſe eſt, quando præter Baccium, & eum quem Paræus (*o*) indicavit, Cardinalem Ponzettum, non tantum Salius (*p*) ſe quoque *aliquando expertum, nullam in eo* auxilio *utilitatem inveniſſe*, ſcripſit; ſed & Cælius Aurelianus (*q*) diſerte, ut noxium, improbaverat. Julius autem Palmarius (*r*) admonuit, *iſtam curationem infeliciter ceſſiſſe, multorum experientia compertum eſſe*. Et ne forte credas, id propterea accidiſſe, quod non *piſcina*, ſed mari, ut Palmarius indicat, uſi eſſent; certe Aromatarius (*ſ*) de mari non loquebatur, cum hoc Celſi *periculoſiſſimum*, ait, *eſſe remedium; veluti quod facillime ſtrangulare ſolet*. Quid ergo eſt? Num minus feliciter res ſucceſſit, quod *ne infirmum corpus, in aqua frigida vexatum, nervorum diſtentio abſumeret*, cavere ita, uti Celſus docuit, neglexerunt, videlicet *a piſcina protinus in oleum calidum demittendo*, quod, hyeme præſertim, neceſſarium cenſent nonnulli? quanquam illum Meadii (*t*) puerum video in ipſa aqua calida cito convulſionibus fuiſſe prehenſum. An quod alterum Celſi præceptum non ſervarunt, *nec opinantem in piſcinam non ante ei proviſam projicientes*? quod Ettmüllerus (*u*) inculcat, tum Ridleyi Obſervatio (*x*) videtur ſignificare. An quod ſerius, id eſt *ſiti & aquæ metu* jam *oppreſſos* demerſerunt? quanquam his ipſis id remedium Celſus propoſuit. An quod illa neglexerunt quæ Boerhaavius (*y*) ante facienda eſſe, cenſuit? quæ ſi non omnibus, & omnino, at pluribus certe, & quadantenus, valde convenire poſſe, credo. An, quando in ſene illo, in illaque puella nihil horum magnopere obſervatum videtur; quin certe ille in mare, hæc in ſalſam aquam, nec inſcii, & oppreſſi jam morbo demerſi ſunt, neque poſtmodum in oleum calidum demiſſi; an veri, inquam, forte ſimilius eſt, ut alii hydrophobi aliter affecti & viventes, & mortui conſpiciuntur, ita non idem omnibus æque poſſe auxilium prodeſſe? Quo magis præſervationi opera danda eſt: quanquam non dubito, quin alia quoque ejus ratio in aliis ſervanda ſit. Atque utinam in omnibus ſignum illud quod primum a Salio adnotatum fuiſſe, dixi (*z*) ſe offerret, neque in eo quod inde videtur conſequi, dubitationis quidquam ſupereſſet; non adeo difficilis, ni partis conditio interdum obſtaret, eſſet præſervatio vel ab imminente jam morbo, ſi cum primulum dolores, aut pruritus, ut aliquando etiam contigit, aliæve mutationes in ſanata carne oborirentur, confeſtim paulo plus de hac abſcinderetur, quam olim fuerat demorſum, aut alte eadem inureretur, aut ſaltem id fieret, quod ex Gilberto Anglico, huc ſpectante, Foreſtus (*a*) retulit: *Primum conſilium eſt, ut non claudatur vulnus, & ſi clauſum fuerit, ſtatim aperiatur, ut putredo & ſanies effluat: quia ſolet latere venenum per multa tempora, &c.* Sed de præſervatione aliquid rurſus infra (*b*) attingetur. Nunc vero, ut id quod paulo ante dixi, magis pateat, hydrophobos alios aliter conſtitutos tum in morbo, tum in diſſectione inveniri; tertiam, quam pollicitus ſum, hiſtoriam ſic habe.

27. SENEX annorum ſexaginta, robuſtus ac nervoſus, temperamento cholerico-ſanguineo, a rabioſo cane mor-

(*a*) ſupra, n. 19. & 20. (*b*) Epiſt. 5. n. 20. (*c*) Ibid. n. 29. (*d*) ſupra, n. 20. (*e*) n. 30.
(*f*) De Medic. l. 5. c. 27. n. 2. (*g*) Prax. l. 2. S. 3. c. 4. art. 4. m. 1. (*h*) Vid. Schenck. l. 7. Obſerv. Med. 22.
(*i*) 14. l. 20. (*k*) 13. (*l*) c. 24. cit. ſupra, ad n. 22. (*m*) Demens Idea n. 47. (*n*) A. cit. 1699. (*o*) cit. c. 14.
(*p*) De Affect particularib. c. 19. (*q*) Acutar. Paſſ. l. 3. c. 16. (*r*) c. 3. l. cit. ſupra, ad n. 22.
(*ſ*) Diſp. de Rabie Part. 5. partic. 3. (*t*) ſupra, n. 24. (*u*) art. & m. cit. (*x*) Act. Erud. Lipſ. A. 1705. M. Mart.
(*y*) Aphor. de cogn. morb. §. 1144. (*z*) ſupra, n. 21. (*a*) l. 10. Obſ. Medic. 27. (*b*) n. 29.

ne morſus fuerat in ſiniſtro metacarpo ante menſes tres. Cum vulnus eſſet ad cicatricem perductum, ne hoc quidem perſanato, ullum ſenex hydrophobiæ indicium præbebat, niſi vigeſimo ante mortem die atrocibus minis, gravibuſque verberibus a quodam exceptus, ex eo tempore cœpiſſet miro atque inſolenti præter rationem timore agitari, ut non modo, quidquid increparet, ſemper contremiſceret, ſed & quicunque ignotus occurreret, proditorem continuo putaret, &, ſi quo poſſet, aufugeret, ac latebras quæreret. Ad hæc, luminis, & aquæ horror acceſſerat, cum in Noſocomium importatus eſt, in quo biduum vixit. Ibi aquam juſſus bibere, tarde, & coacti inſtar ſe contorquens, bibere tamen conabatur, & ſane cum difficultate, & moleſtia deglutire incipiebat; ſed prima potionis parte hauſta, reliquam haud difficile deglutiebat. Nunquam ſpuma ad os animadverſa eſt: ſpuebat quidem; ſed liquida erat ſaliva. Ad mortem uſque tum incredibilis ille pavor, tum ea aquæ averſatio, & ejus deglutiendi initio moleſtia, ac difficultas perſtiterunt. VENTRE aperto, inteſtina omnia conſpecta ſunt aere maxime diſtenta, præter quem nihil ferme aliud continebant. In ventriculo humor craſſiuſculus, non multus, nec viſcidus, colore cinereo. Pauca in ſua veſicula bilis, omnino crocea, croceoque colore Duodenum inteſtinum inficiens, & proximam veſiculæ, jecinoris partem. Iliacæ venæ ſanguine erant adeo turgidæ, ut naturalem gracilis inteſtini diametrum æquarent; at ſociæ arteriæ prorſus inanes. In Thorace, pulmones; ut Boerhaavii (*c*) verbis utamur; *coacervato omni fere cruore incredibiliter pleni:* poſteriore autem parte vel gangræna affecti dici poterant. In pericardio ſubflava aqua ad uncias fortaſſe tres: in corde ſanguis non multus, iſque nigræ picis ſimilis ſemiliquatæ. Vena ſine pari exiguam continebat ſanguinis copiam: omnino autem inanes erant per collum tam Carotides arteriæ, quam venæ Internæ Jugulares. Deglutiendi organa ſine ullo inflammationis indicio, niſi quod ad pharyngis ſummum levis quidam cernebatur rubor: membrana autem Epiglottidem cartilaginem veſtiens, criſpata. Meningum vaſa tum venoſa, tum arterioſa præter modum ſanguine plena, eoque, ut ubique, pernigro. Nervi Optici ſolito craſſiores, ſed laxiores, & flaccidiores. Nec vero cerebrum, cerebellum, Spinalis medulla ſicciora fuerunt, quam ſoleant, ut neque ventris, thoraciſque viſcera, & muſculi. In cerebri ventriculis ſubflava aqua ad uncias tres. Habita hæc ſectio eſt XII. Kal. Junii A. 1727.

28. Etſi mortis metus, minis, & verberibus incuſſus, ſimul videtur latens hydrophobiæ virus excitaſſe, ſimul ejus temperaſſe effectus; negari tamen haud poteſt, affectionem hanc ad hydrophobiam attinuiſſe, quippe cum & rabioſi canis morſus præceſſerit, & aquæ horror ſit conſecutus: niſi forte, cum Andreæ Sectatoribus, fuiſſe malles Pantaphobiam. Illi enim, ut eſt apud Cælium Aurelianum (*d*), memorabant, *eſſe pantaphobos, quos nos omnipanos dicere poterimus, ſiquidem omnia timere dicantur:* quem morbum, *ſi vere tamen eſſe poſſet*, hinc diſcerni Cælius voluiſſet, *quod non ſolius potus, ſed omnium rerum timorem faceret*. Verum ſi illam qualemcunque deglutiendi potus, quæ in propoſito ſene erat, difficultatem, multoque magis ſi præcedentem rabioſi canis morſum ſpectabimus; nihil eſſe cauſæ, intelligemus, cur propter alios fortuito adjunctos timores, ejus morbum alium ab hydrophobia ſtatuamus. Nam ſi forte non omnia, ſed aliqua dumtaxat, ut lucem, exempli gratia, præter aquam timuiſſet; num propterea alium morbum eſſe, diceremus? eos imitantes, de quibus pariter Cælius (*e*) meminit, qui *Aerophobiam* vocaviſſent, aeris videlicet timorem, niſi hic *generaliter phreniticis aſcriberetur*, nam horum *quidam* aerem lucidum extimeſcunt, quidam *obſcurum*. Verum communia, & per varios morbos vagantia a propriis ſunt ſecernenda: quanquam ſæpe accidit hydrophobis, ut aerem timeant. Neque id eo dico, quod, imminente morbo, ſoleat in ipſis animadverti, ut Cælius quidem (*f*) tradidit, *inſueta querela aeris, tanquam auſtrini, quamvis ſerena fuerit quies*. Sed eo dico, quod, præſente jam hydrophobia, plures agitatum aerem metuant. Sic ille de quo Zwingerus (*g*), *non ſecus liberum aerem, atque liquida horrebat*, & ſane *ſi feneſtræ, ſi fores aperiebantur, ſymptomata ſtatim vehementiora reddebantur*. Quæ alius, ut in Sepulchreto (*h*) leges, *diligentiſſime claudi curabat*, ſono, quem ſibi videbatur audire, *fulminei venti* perterrefactus. Is vero, de quo Prymius (*i*) retulit ad Regiam Anglicam Societatem, vel ab leviſſimo vento ſibi videbatur ſuffocari. In ſuffocationis autem periculum ab eadem cauſa incidebat mulier, cujus hiſtoriam ſcripſit Platerus (*k*): quanquam hæc non ab rabido animali hydrophobiam contraxerat, ut alii præterea quorum non pauca proſtant exempla; niſi forte cum quibuſdam ſuſpiceris, quoniam aliquando (*l*) & facillime ex contagione id virus contrahitur, & contractum latet longiſſimo tempore; a contagione aut minime animadverſa, aut e memoria prorſus elapſa, hos omnes aquam metuiſſe: tametſi viciſſim ſuſpicari quis poteſt, in ſpumam ejectam, aut in vulnus olim inflictum a non rabida fortaſſe beſtia immerito, ſi non ſemper, at nonnunquam conferri quod veneno ejuſdemmodi intus genito acceptum potius ſit referendum. Sed ne harum ſuſpicionum diſcuſſio nunc longius nos ab inſtituto ſermone abducat; de hoc poſtea (*m*) videbimus.

29. Hic vero ad quatuor exempla hydrophobiæ, cum aeris timore conjunctæ, quinctum addemus, promiſſam (*n*) Mutinenſis Virginis hiſtoriam ſubjicientes, ne forte pereat cum illa italica, in qua olim Bononiæ legimus, manu exarata (*) Reſponſione, quam Ramazzinus noſter ante hos propemodum octoginta annos ſcripſerat, ſed vulgare prohibitus eſt, adverſus Quartam Jo. Andr. Moniglia Cenſuram. Quinquageſimus erat dies ex quo ei Virgini labrum catulus momorderat ſuus, cum illa egregie valens, & nihil minus ſuſpicans, quam ſe mox hydrophobam fore, dum amniculum quendam forte tranſiret, hydrophobam manifeſto ſe oſtendit. Inter cætera quibus vexabatur, incommoda ſenſus erat venti tenuiſſimi, caput ferientis, quamobrem etiam atque etiam orabat, ut feneſtræ, atque oſtia accurate clauderentur: & ad quemvis motum vel minimum qui in cubiculo accideret, clamabat: ſi quis autem ſtragula excuteret, aut flabellum offerret: tum vero horreſcebat, & atrociſſimis convulſionibus prehendebatur. Fuit qui cogeret aquam tantopere inviſam potare, eamque multam. Quo facto, amiſſa loquendi facultate, & ſæviſſimis convulſionibus cruciata, poſt paulo vivere deſiit. Dum animam jam jam ageret, cum forte cruſtulum quiſpiam altera parte vino madefactum illi ad os admoviſſet; abnuit: tunc idem qua parte erat ſiccum, oblatum eſt; ipſa vero accepit, nec mandere recuſavit. Hæc ferme ſunt quæ memini legere in ea Ramazzini obſervatione: ex qua, aliiſque ipſe quoque colligebat, neque acutam febrem, neque delirium ſemper hydrophobiam comitari: cogere autem eo morbo affectos ut bibant, aut in aquam demergere, exitium ipſis accelerare: neque enim præter rationem aquam horrere, quippe qua non mentis, ſed deglutitionis vitio correpti, facile ſuffocationis periculum vereantur. Ego vero hanc Obſervationem retuli non ad id modo quod propoſueram, metum videlicet agitati aeris crebro cum hydrophobia copulari, ſed ad alia quoque confirmanda. Scilicet faciet hæc Obſervatio cum ea conjuncta quæ ex Foreſto mox producetur, & vel magis cum ea quæ de Baldo J. C. legitur apud Matthiolum (*o*), faciet, inquam, ut id comprobatum habeas quod ſupra (*p*) in puero a me viſum eſſe, dixi, quamvis a rabio-

(*c*) Aphor. cit. §. 1140. (*d*) Acut. Paſſ. l. 3. c. 12. (*e*) Ibid. (*f*) l. cit. c. 11. (*g*) Vid. Obſ. cit. ſupra, ad n. 19.
(*h*) l. 1. Sect. 8. Append. §. 2. (*i*) Saggio dell. Tranſaz. P. 2. c. 8. n. 4. (*k*) Obſ. l. 1. (*l*) Vid. ſupra, n. 21.
(*m*) n. 31. (*n*) ſupra, n. 19. (*) nuper interea, cum tota illa Controverſia, typis Mutinenſibus, ut audio, edita.
(*o*) Comm. in Dioſcor. l. 6. c. 36. (*p*) n. 22.

rabioſo cane ibi admorſa fuerit facies ubi venenum facile poteſt cum ſaliva communicari ; non celerrime tamen, ut in aliis ab earundem partium morſu, ſed poſt quadraginta dies ortam eſſe hydrophobiam. Faciet præterea, ne illorum prorſus obliviſcamur quæ Palmarius (q) addidit poſtquam admonuit, etſi balneum præcautionis gratia pleriſque profuit demorſis; non huic tamen remedio omnino fidendum eſſe, multorum mortes oſtendiſſe. *In pleriſque enim*, inquit, *aquæ conſpectus hydrophobiam, veneno in corpore commoto, celerius exſuſcitat, quod alioqui ſine ullo ægri incommodo diutius deliteſcere, & alexipharmaco extingui domarique potuiſſet*. Sic Monacho accidiſſe video, cui duobus prope menſibus ex quo catulus quem in ſinu habebat, genas, & labra momorderat, Foreſtus (r) narrat, aquæ metum obortum antea non eſſe, quam *per foſſam, baculo ligneo innixus per tabulam ligneam tranſiret*; *aquam* enim *videntem, metu percuſſum, tranſire non potuiſſe, niſi cum ingenti horrore ac metu; hinc ei hydrophobiæ primam originem* fuiſſe. Sic Virgini de qua dictum eſt, accidit, cujus mali cum exterior cauſa, tum prima quoque manifeſtatio ad eumdem prorſus modum ſe habuit; tametſi reliqua incommoda longe alia fuerunt. Noli tamen credere, me externum aquæ uſum, ſive balneo, ſive improviſa demerſione uti velis, pro noxio, aut inutili ad præſervandum habere, dummodo ſatis, & mature inſtituatur, quanquam Meadius (ſ) balneum, ſuo tamen cum remedio conjunctum, affirmat vel ſero admodum in uſum tractum æque interdum profuiſſe, de immerſionis autem, quæ apud Batavos in primis eſt uſitata, felici ſucceſſu valde inter ſe diſcrepant duo non ignobiles eorum Medici Tulpius (t) & Stalpartius (u). Certe enim cum Tulpius, & Meadius negent, poſt tot experimenta noviſſe quenquam, cui ſuæ iſtiuſmodi præſervandi rationes, cito, ſatiſque adhibitæ, non fuerint ſalutares; æquum eſt pro certo habere, ſic pleroſque ſaltem fuiſſe ſervatos. At ſi pleroſque; non erit profecto æquum credere, hos omnes ideo evaſiſſe quod veneno aut nihil, aut leviter infecti fuerint. Nec me fugit quid intereſſe poſſit inter morſum, & morſum, vel quod incruentus ſit, vel quod nimis cruentus (tametſi ad funeſta utriuslibet morſus exempla alia ſint in promptu quæ addi poſſint (x)) vel quod mordens canis necdum plane rabidus ſit, aut ſi etiam ſit, omnem modo ſalivam defixis in alios, aut in multiplices veſtes dentibus abſterſerit, aut ſiqua ſunt alia iſtiuſmodi. Illud tamen in tanto ſervatorum numero difficile in animum induxerim, ita illos omnes fuiſſe morſos, ut nihil, aut vix quidquam veneni contraherent, aut eorum qui revera contraxerint, neminem inter innumeros illos fuiſſe de quibus Tulpius, aut Meadius loquuntur. Quin multo veri ſimilius eſt ſpectantibus quid plerumque iis accidat qui poſt morſum nulla præſervante curatione utuntur, multo, inquam, veri ſimilius eſt, ex innumeris qui curatione alterutra uſi hydrophobiam effugerunt, pleroſque hac corripiendos fuiſſe, ni per curationem avertiſſent. Cæterum illis etiam quæ commemoratæ ſunt, in morſu varietatibus, non modo variis dumtaxat in mordente cane, morſoque homine fluidarum, firmarumque partium diſpoſitionibus ego quidem libenter tot illa tribuerim quibus hydrophobi differunt inter ſe, ut citius alii, alii ſerius erumpente morbo opprimantur, & ex utriſque alii aliter. Sunt enim qui vehementer delirent, & ſunt qui ad extremum uſque mentis ſint compotes. Sunt qui lucida, & candida, aut qui vel leviſſimum aeris motum ferre non poſſint, & ſunt qui poſſint. Ac ne omnia quæ ſupra narravi, aut retuli, hic repetam, nedum alia addam; ſunt qui potiones cujuſquemodi uſque adeo horrent, ut non modo ſi viderint, ſed ſi nominari dumtaxat audiant, exclament, tremant, convellantur, animoque deficiant. Quæ tametſi in pluribus fiant; tamen tantum abeſt ut fiant in omnibus, quemadmodum illi videntur credere, qui id eſſe contendunt hydrophobiæ ſignum *pathognomonicum*, ut minime deſint hydrophobi qui vinum bibant, nec qui ad aquæ mentionem non ſolum non cohorreant, ſed in balneum ire juſſi, continuo illuc ire incipiant vel morbo jam multum provecto (y), nec demum qui aquam, prima deglutionis difficultate ſuperata, haud difficulter potent (z).

30. Sed ut multa ſint in quibus hydrophobi, dum vivunt, differunt inter ſe; non minus multa ſunt, atque adeo plura ſunt in quibus cadavera eorum differunt. Quod ſtatim intelliges, ſi octo antea vulgatas horum obſervationes partim in Sepulchreto, partim apud ſuum quamque Auctorem, quem ſupra (a) indicavimus, plenius legendas, treſque inſuper quas nunc primum addidimus, inter ſe conferas. Namque ut ab exterioribus ad interiora procedas; in tribus livorem, huncque ipſum aut in digitis, aut in humero, & dorſo, aut in collo adnotatum comperies: ſemel corpus omne, quaſi ut in hectico, vehementer extenuatum; ſemel faciem ſolam: ſemel omnes muſculos ſicciores multo quam par ſit; id quod alias non memoratum, imo ſemel diſerte negatum: ventre autem, & thorace recluſis, ſemel quod de muſculis modo dicebam, tum memoratum, tum negatum: ſemel omentum penitus abſumptum, & meſenterii glandulas, & pancreas prorſus extenuata: ſemel ventriculum aere turgidum, & ſanguine diſtenta ejus vaſa: ſemel internam ejus tunicam corruptam, cæteraſque rubris maculis diſtinctas: quinquies humorem quidem in eo animadverſum: at ſemel multum, ter paucum, ſemel ſubflavum, ſemel viridem, ſemel ex flavo virentem, ſemel valde fuſcum, ſemel cinereum, bis viſcidum, ſemel non viſcidum: inteſtina ter aere diſtenta, ſemel nequaquam, ſed rubris disjectis maculis infecta: hepar ſemel flavum, & durum, ſemel magna ex parte inflammatum, & gangrænæ proximum, ſemel jam lividum: ejus autem veſiculam ſemel plenam, bis pleniſſimam bile, quæ ter aut nigerrima fuit, aut ad nigrum acceſſit, ſemel viridiuſcula, ſemel crocea, & tunc pauca. Hæc in Ventre. In Thorace vero hujus tota reliqua interna facies ex rubro livida, at diaphragmatis dumtaxat ad ambitum uno in cadavere; in altero diaphragma quoque non omnino expers fuit inflammationis: pulmones in uno, atque altero aridi & exſucci, in uno cum veſicis hic illic in ſuperficie; in quinque nigri ex toto, aut magna ex parte; in quatuor magna item ex parte ſanguine pleni: pericardium in uno parte aliqua ferme friabile; in duobus ſine ullo humore; in uno pauciſſimum habens; in uno autem ſubflavam aquam ad uncias tres: cordis auricula dextera in duobus aere dilatata: ipſum autem cor in totidem ſiccum; in uno flaccidum, & extenuatum; ventriculis in uno prorſus ſanguine carentibus; in uno polypoſas tenues concretiones habentibus; in tribus autem ſanguinem; ſed in uno haud multum, & picis ſimilem nigræ, ac ſemiliquatæ; in altero concretum ſine ullo propemodum ſero; in tertio autem ſic, ut dexter quidem ſanguine plenus eſſet grumoſo, cum ſiniſter plane fluidum contineret.

Quod ad collum, & fauces attinet, unius gula, ut in thorace, ita ibi quoque anguſta, & quaſi conſtricta erat; unius intus inflammata: pharynx autem in tribus, & Aſpera arteria in totidem aut levi, aut magna, aut in gangrænam jam vergente inflammatione correptæ; unius vero ſana gula; quorundam fauces ſine ullo inflammationis veſtigio fuerunt, unius membrana epiglottidis criſpata; unius larynx ex rubro livida, in quo & lingua craſſior inventa eſt, & pharynx ſpuma ex flavo viridi omnino repleta.

Porro cerebrum unius, & cerebellum ad ſiccitatem inclinabant; unius cum initio Spinalis medullæ multo ſicciora; unius vero nihil horum magis ſiccum quam ſoleat; quin Optici nervi laxiores; unius denique aut alterius cerebrum nihil habuit adnotandum.

Et

(q) l. de morſ. can. rab. c. 3. (r) l. 10. Obſ. Med. 27. in Schol. (ſ) Tract. de Venen. Tentam. 2. (t) Obſ. Med. l. 1. c. 20. (u) Obſ. rar. Cent. 1. in Schol. ad Obſ. 100. (x) ut Eph. Nat. Cur. Cent. 9. Obſ. 37. & Act. eorund. Vol. 5. Obſ. 5. (y) ſupra, n. 23. (z) n. 27. (a) n. 20.

Et rurſus in duorum ventriculis aqua effuſa; ſed in eorum altero ſubflava, nec pauca; in altero pauca, & rubella; in alio autem de ea nihil uſquam. In uno aereæ bullæ ſub Dura meninge; in ejuſdemque Sinibus laxæ concretiones polypoſæ. In tribus vaſa omnia cerebri valde ſanguine diſtenta. Et quod ad ſanguinem univerſe attinet, unius arteriæ ſanguine pleniſſimæ, venæ propemodum inanes; alterius autem venæ quidem ſine pari ferme vacua, ſed Iliacæ maxime diſtentæ, arteriæ autem ſociæ inanes, æque autem inanes per collum & Jugulares Internæ venæ, & Carotides arteriæ, ut æque plenæ intra cranium cum arteriæ, tum venæ, quod & in aliis duobus, ut modo indicavi, adnotatum eſt. In uno pariter nihil uſquam ſanguinis concreti, ſed omnis ſanguis maxime liquidus, & minime ad frigidum aerem concreſcens. Verum in altero concretus potius quam ſolutus; in altero non polypoſus, ſed nec ſolutus. Quin vaſa ad cor magna in uno prorſus concretum habuerunt, in ipſo autem corde qualis inventus ſit, ſupra dictum eſt. Denique in duobus, aut tribus ater fuit adnotatus.

Et ne omittamus quicquam ex iis quæ univerſe ſpectantur; duo male oluiſſe cadavera, adnotatum eſt; ſed id minus quod pejus debuiſſe videri poterat.

31. Nec minorem ſane varietatem in aliis hydrophoborum diſſectionibus inveni, quas antequam hæc relegerem, a Viris Doctis eſſe editas, aut memoratas novi, Richardo Meadio (*b*) de quo jam ſupra, Jano Planco (*c*), Laurentio Cajetano Fabbri (*d*), Dominico Brogiani (*e*), aliiſque præterea nonnullis (*f*), quorum ad me libri non ſunt allati. Quas obſervationes ut cum iis conferam quæ modo productæ ſunt, eodem ordine conſervato; ab alia quadam incipiam oportet Cl. Phil. Eberh. Dillenii (*g*) qui, cadaver incidere prohibitus, externos livores, & quaſi ſugillationes hic illic, & potiſſimum circa pectus adnotavit. Ex cæteris eſt qui ſemel abdominis muſculos inflammatos memoret, ſemel autem muſculos univerſe tumidos ac robuſtos. Eſt qui, tredecim inſpectis cadaveribus, ſcribat, pinguedinem ut plurimum ferme nullam, quin & omentum quaſi conſumptum fuiſſe: inter frequentiora autem plurimam in primis viis inflammationem, lacerationem, gangrænam. Alius in aliquo leviter, in aliquo multum inflammata omnia ventris viſcera.

Singillatim vero in quibuſdam ventriculi cavum fœtida, nigraque bile ſordidum, aliquando ſanguineis veluti punctis hic illic diſtinctum. Inteſtina in quopiam cuncta cum meſenterio levi inflammatione; in alio tumida aliquantum, & inflammata; in quibuſdam autem Ileum præſertim. Jecur non raro tenſum, turgidum, ſubfuſcum: ejuſque veſiculam alias ferme inanem, alias atræ bilis glutine diſtentam. Urinariam veſicam in tribus, ſimulque penem inflammatione correpta: cujuſmodi obſervationibus ſuſpectum reddi cantharidum uſum, intelligis, remedii alioquin adverſus hunc morbum non modo ab Arabibus olim commendati, aut in arcanis quibuſdam contra eundem pulveribus ab Scaramuccio (*h*), ab aliiſque latere crediti, ſed diſerte, quantum video, ætate hac noſtra non unam apud gentem laudati, imo apud Ungaricam (*i*) pro *ſpecifico infallibili* habiti in ſumma etiam hydrophobia curanda: quanquam ne ad præcavendam quidem facile inter noſtrates exhibebit is cui minus ignota ſint tot alia ad hanc rem dilaudata remedia ex eorum numero, quæ non adeo acria ſunt, & urinam cient. Ut ad Thoracem tranſeamus; inflammatum in nonnullis ſeptum Tranſverſum inventum eſt: inflammatorum autem pulmonum frequentiſſima indicia: faciles hic illic, ut in ventre quoque, viſcerum adhæſiones: ſine humore in aliquibus pericardium: cordis ventriculus ſiniſter in uno prorſus vacuus, cum dexter nigerrimum ſanguinem contineret; ſed in altero coccinei, & fluidi ſanguinis uterque plenus, non ſecus ac arteria Pulmonaris, & vena Cava. Ex iis vero partibus quæ thoracem inter, & cerebrum ſunt, larynx quidem rarius, minuſque inflammata; in aliquo tamen inflammati ejus omnes muſculi, & oſſis hyoidis, & linguæ, cujus papillæ aliquando tumentes, & in uno exigua quædam ad illius radicem tubercula, quorum aliqua ſuppurata apparebant. Sed pharyngis inflammatio ut ſæpe nulla, ita ut plurimum conſpecta eſt magna, præcipue linguam verſus. Quod, & ea quæ de pulmonibus, inteſtinis, & ventriculo dicta ſunt, ſi conferas cum iis quæ in iiſdem partibus deprehendit Cl. Kochlerus (*k*) cum generoſi Viri cadaver incideret, quem, nullo prævio rabidi animalis morſu, hydrophobia ſuſtulerat; quam inter ſe conveniant, miraberis. Ejusdemmodi hydrophobiam in milite quoque, & ab eadem externa cauſa obſervaverat (*l*) nempe a frigidiſſimo potu, cum uterque æſtuaret; ſed militem, aliis diſtentus occupationibus, diſſecare non potuerat. Ab eadem tamen cauſa hydrophobiam ortam viderat Cl. Genſelius (*m*), qui rubentes quidem pharyngis muſculos, & glandulas, ſed ventriculum totum quaſi exſiccatum, reliqua autem viſcera, & in his pulmones, offendit recte ſe habentia. Hic autem hydrophobus etſi ad lucis, alborumque linteorum conſpectum tremebat, & humores quoslibet ne aſpicere quidem poterat; non tamen, ut priores illi duo, a potionibus vel procul oblatis, aut ab harum mentione vehementiſſime angebatur, aut animo deficiebat. Quæ idcirco memoro, ut qui in his *pathognomonicum* hydrophobiæ ſignum ponunt, nec eadem facile videntur credere ſine rabioſi animalis morſu poſſe exiſtere, his duabus hiſtoriis ad tot alias quæ alibi, & præſertim apud Schenckium (*n*) proſtant, adjunctis, veram illam ſuam hydrophobiam etiam ſine contagione fieri poſſe, agnoſcant: quanquam ut agnoſcerent, ſatis eſſe debebant ex antiquis illis eæ dumtaxat quas memoriæ prodidit Marcellus Donatus (*o*): quis enim credat, de quinque ægris quos unus idemque Medicus intra paucos annos vidit iſtiuſmodi hydrophobia correptos, neminem fuiſſe qui ſe ab rabido animali infectum aut animadvertiſſet, aut meminiſſet; ſed omnes pariter, cunctoſque eorum domeſticos ſic fuiſſe aut ſtupidos, aut obliviosos, ut ne minima quidem contractæ labis ſuſpicio in eorum animis remaneret? Verum ad reliqua ſuſceptæ comparationis capita redeamus. Fuerunt in quibus Craſſa, & in quibus utraque meninx magis, minuſve inflammata, & turgidis nigro ſanguine vaſis reperta eſt, nec ſine parva quadam in uno ad verticem ſuppuratione; imo in cane rabido non ſine ulceribus. Cerebrum ipſum aliquando inflammatum, aut ejus cortex, ſed hic leviter, & magis fuſcus, aut ejus medulla ſanguineis punctis conſperſa: ventriculi autem in uno, aut altero minime humidi apparuere. Spinalis medulla ſolito ſiccior. Sed & corpus omne in uno aridum, & inflammatum; in altero ſuperficie tenus ab inflammatione violaceum. Quin fuit ab alio inter frequentiores obſervationes adnotata ſingularis ſolidarum partium, membranearum præcipue ferme omnium, ariditas, & tenſio.

De ſanguine autem, quo pleniſſimas fuiſſe arterias, alii ſcribunt, eoque fluidiſſimo, & vix in aperto aere coituro, non deſunt qui in uno doceant, arterias quidem eo plenas, ſed & venam Cavam fuiſſe; in altero autem ſanguinem omnem fuiſſe in venis, eumque ſero caruiſſe. Imo eſt qui confirmet, in tredecim cadaveribus ſanguine, non raro alioquin fluidiore, venas ſemper ab ſe viſas eſſe refertas; arterias autem inanes. Quocum in hoc quidem faciat, ſed in aliis, ut puta in ſolidarum partium ariditate, diſcrepet neceſſe eſt, qui in cadaveribus quatuor ſe quidquam eorum vidiſſe, negat, quæ, ex aliorum diſſectionibus plerumque eſſe, poſuit Boerhaavius (*p*).

Denique hydrophobæ corpus legi intra quindecim a morte horas totum vel media hyeme computruiſſe.

32. Cum igitur huc ferme redeat eorum ſumma quæ ex comparatis omnibus, mihi quidem notis hydrophoborum diſſectionibus colligi poſſunt; præclare intelligis, multo magis differre inter ſe mortuos, quam viventes. Dum enim vivunt, certe in eo conveniunt omnes;

(*b*) Tract. de Venen. Tentam. 2. (*c*) apud Simon. Coſmopolit. Epiſt. Apolog. pro Planco, & alibi.
(*d*) Diſſert. 3. intorno ad alcune malattie n. 62. (*e*) Tract. de Venen. Animal. P. 2. (*f*) apud Swieten. in Comm. in Boerh. Aphor. §. 1140.
(*g*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 54. (*h*) in Append. cit. ſupra, ad n. 21. (*i*) Commerc. Litt. A. 1735. Hebd. 11. n. 3.
(*k*) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 5. n. 2. (*l*) in eod. Commerc. A. 1740. Hebd. 36. n. 1. (*m*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 50.
(*n*) Obſ. Med. l. 7. ubi de Venen. ex Quadrup. Obſ. 17. (*o*) De Med. Hiſt. Mirabili l. 6. c. 1. (*p*) Aphor. de cognoſc. morb. §. 1140.

omnes, ut aquam ſine difficultate, & plerique ſine magno etiam horrore, & detrimento potare nequeant. Qua autem peculiari in re omnia cadavera eorum conveniant, non video. Nam quod olim, & nunc quoque a pluribus evidens ſiccitas in iis reperiri dicebatur; profecto neque reperitur in omnibus, nec in quibus reperitur, fortaſſe adeo attendenda eſt, cum remediis potius ſit, aliiſve cauſis haud raro accepta referenda, quæ magnas evacuationes aut ſub ſenſum cadentes, aut hunc, ut ſæpius, effugientes, fecerunt: quo multa ſpectant alexipharmaca, & acutæ haud raro febres, & aſſidui ſæpe clamores, & violentæ corporis agitationes, præſertim cum aut nihil, aut minimum bibatur; quamobrem videre potuiſti in Sene illo (*q*) qui & bibebat, nec maniaco agitabatur furore, ſed melancholico potius pavore detinebatur, non modo ſiccitatem nullam fuiſſe, ſed & pericardium, & cerebri ventriculos non parum aquæ continuiſſe. Nec vero magis quam ariditas illa, commune eſt hydrophobis cunctis quidquam eorum, quæ ſecando diximus eſſe deprehenſa. Ita enim in aliis alia ſunt, ut ſi ſpectes ſingulos; veras eſſe credas non modo ſingulas quas de hujus morbi ſede, & natura Cælius (*r*) recenſuit, Antiquorum ſententias, ſed & pleraſque alias quæ poſtea prodiere: at ſi ſpectes univerſos; nullam certam, unam eſſe veriſimiliorem, intelligas. *Trapati* quidem *eam partem, quæ morſu fuerit vexata*, ex eaque in alias morbum progredi, nemo negat, ut Cælius ait: & ex quo Salius (*ſ*) illud evidens aliquando ejus progreſſionis diutius dilatæ ſignum indicavit, ne tum quidem inde progredi, ſaltem ex parte, negandum eſt. Ex doloris autem ſurſum verſus progreſſione, ex iiſque in quas Salius hanc deſinere animadvertit, confuſione quaſi quadam mentis, & vertigine, & titubatione, non per venas, ſed per nervos id virus progredi videtur ad horum origines. Quibus in partibus, aut in motibus qui in iis fiunt, certa quadam, ſed inexplicabili, mutatione inducta, quæ pro alia in aliis diſpoſitione, major, aut minor, magiſque, aut minus diffuſa ſit, nihil jam hydrophobis accidet quod inde potiſſimum non liceat deducere. Quoſdam; ut in congenitis antipathiis alios alia, ſed hos magis, illos minus averſari videmus; aquæ capiet averſatio tanta, ut ejus vel nomen, non modo aſpectum, de improviſo horrere incipiant; alii non niſi periculo facto, & ejus deglutiendæ difficultate percepta, illam bibere ſe poſſe, negabunt. Delirabunt alii; quidam ſapient. Hos inflammationes corripient magnæ; iſtos nullæ. Sed ut his in rebus, in aliiſque varient inter ſe; tamen convulſio interior, exteriorve facile erit in omnibus, & pro hujus potiſſimum, & diſpoſitionis varietate, tanta illa varietas in viventibus, mortuiſque animadvertetur. Intelligis, nobis eorum conjecturam veri ſimiliorem videri, qui cum Democrito, & Gajo, Herophili ſectatore (*t*), *nervos*, & *cerebrum* principem hujus morbi ſedem eſſe, rebantur, a quorum opinione haud abſuiſſe præcipuos hujus ævi Medicos, noſti. Et huc quoque illud ſpectare, Vir gravis cenſebat, quod narrabat mihi adoleſcenti, cum Bononiæ ſtudiis Medicinæ operam darem, de Alberto Fabbri, Medicorum in ea doctiſſima Civitate paulo ante meam memoriam facile principe. Hic enim cum hydrophobi arteriam tangeret, ab eo manu altera arreptus, & valide retentus, mox in triſtitiam inciderat tantam, ut ſui jam pene impotem mentem interdum ſe ipſum interficiendi ſubiret cogitatio. Cum propterea ſeptem jam dies frequentiam fugeret; accidit ut in ſua perpetua mœſtitia defixus, maximo antea imbre perfunderetur, quam imminere, ſentiret. Locus erat ſolus, & a tectis longe remotus, ut ad hæc non niſi totus aqua madidus pervenire potuerit. Sed omni prorſus triſtitia abſterſa, pervenit. Quid ipſe crediderit, neſcio. Plures quidem initium fuiſſe illud hydrophobiæ, quo cerebrum primum tentaretur, arbitrabantur. Veri autem ſimilius eſt, doctum Medicum, memorem fortaſſe eorum quæ in Dioſcoride (*u*) legiſſet, ne idem ſibi quod Themiſoni, amicum hydrophobum curanti, accideret, non mediocriter pertimuiſſe, præſertim ſi eorum veniret in mentem quæ de morbo hoc, vel ſine morſibus contracto, non pauci tradiderunt Scriptores, atque, ut ſolent multi in ſuo periculo, omnia pro veris haberet (nam & Stalpartium (*x*) qui nihil eorum crederet, videmus tamen, poſtquam illorum qui ſe hydrophobos fore, ſuſpicabantur, arterias tetigerat, laviſſe manus) ob vehementiorem autem metum in melancholicum quaſi delirium incidiſſe, quod repentina aquæ perfuſio, quippe recentiſſimum, tanto facilius ſuſtulerit, ſi ejus generis auxilii adverſus hydrophobiam recordatio imaginationem, quæ morbum fecerat, ad tollendum adjuvit. Sed hæc ut volueris, ita accipies. Quod vero de convulſione dixi facile in hydrophobis omnibus conjicienda, vel una aquæ deglutiendæ difficultas videtur ſatis probabiliter indicare. Sive enim eſt nulla faucium, gulæve inflammatio; jam ſupra (*y*) vidiſti, ut ad illam explicandam difficultatem Cæſalpinus olim, & Aromatarius earum partium convulſionem poſuerint, Ridleyo (*z*) atque aliis inter recentiores ſequentibus. Sive eæ partes ſunt inflammatæ; videre potes, ut Cel. Swietenius (*a*) hanc inflammationem a crebra convulſione, ut effectum a cauſa, deducat, indeque etiam veri ſimilem rationem eliciat, cur citius ab hydrophobia confectus puer ſine illa fuerit inflammatione; ſerius autem mortuus juvenis ſine illa non fuerit. Sic aliæ etiam partes, & viſcera cur in aliis hydrophobis valde inflammata, in aliis minime reperiantur, a magis quoque, minuſve crebra, aut violenta eorum nervorum qui ad illa pertinent, convulſione deduces. Quin etiam *nimiam* illam *tenſionem & ſiccitatem nervoſarum membranarum*, ex qua Meadius (*b*) ſcite illud repetebat, ut *acutius quam natura ſua*, in hydrophobis *ſentiant*, ſicque *ſolitæ objectorum impreſſiones non gratum amplius ſenſum, ſed dolorem & moleſtiam faciant*, illam, inquam, tenſionem; ſi a ſiccitate tota non eſt, ut primis diebus morbi eſſe non videtur; a convulſionibus deducas, quarum hic effectus, ſi non in omnibus, in pluribus certe cadaveribus ſuperſtes reipſa eſt ab Solertiſſimo Brogiano (*c*) deprehenſus. Mitto cætera quæ a pluribus ſunt in medium adducta, ut hydrophobiam convulſivum eſſe affectum, probarent. Si igitur hoc in morbo tantum eſt convulſionibus tribuendum, neque earum cauſa, quippe inviſibilis in cerebro, nerviſque mutatio, ſed earum dumtaxat effectus, iique pro varia ipſorum vehementia, varioque tempore diſcrepantes, in demortuis ſub ſenſum cadunt; præclare intelligis, ad hæc ipſa quæ diximus, & nunc dicimus, aut comprobanda, aut infirmanda, pauciores adhuc eſſe habitas diſſectiones. Paucæ enim in tanto numero ſunt quas hiſtoria præcedat ſatis accurata non ætatis ſolum, & conſtitutionis illius hominis, ſed & modi, & temporis tum quo virus, & unde, contractum fuerit, tum quo perſtiterit, & qua ſymptomatum omnium, & quo die ingruentium, majori, minorive aſſiduitate, & ſævitia, tum deinde omnium, quo ad fieri poteſt, quæ in univerſis, & ſingulis cadaveris ejuſdem hominis partibus præter naturam reperta ſint: ne ſiqua forte prætermittatur; certa quædam alia non tam abſuiſſe, quam non ſatis quæſita fuiſſe exiſtimentur.

33. In his tamen ne facile putes, vermes fuiſſe quibus cerebrum ſcateret; tametſi in Sepulchreto (*d*) leges, conſpectos eſſe in rabioſi canis cerebro, & Aromatarius (*e*) ſcripſerit, *obſervatum fuiſſe generari quandoque vermem in anteriore parte capitis, tam in cane rabido, quam in homine*. Hoc enim accipiendum credo, non de cranii cavea, ſed de naſi, aut Sinus alicujus, cum hoc communicantis, receſſibus, ut alias (*f*) tibi ſignificavi. Neque alia ratione intelligo quæ paulo ſuperius in Sepulchreto (*g*) ex Epiſtolis; non ex *Obſerv.*; Bartholini producuntur de vermibus quos in *equis*, *bobus*, *& ovibus capiti ineſſe*, ruſtici dicuntur obſervaſſe, in *phrenitide* tamen, *& vertigine*; non in ea, qua de agitur *Rabie*: quo uno vocabulo quam variæ affectiones deſignentur, laudatus docet Aromatarius (*h*). Per hæc illis quoque occur-

(*q*) ſupra, n. 27. (*r*) Acut. Morb. l. 3. c. 14. (*ſ*) ſupra, n. 31. (*t*) apud Cælium ibidem. (*u*) De Med. Mat. l. 6. c. 36.
(*x*) Schol. cit. ſupra, ad n. 29. (*y*) n. 19. & 20. (*z*) Vid. Act. Lipſ. cit. ſupra, ad n. 26. (*a*) Comm. in Boerh. Aphor. §. 1140.
(*b*) Tentam. cit. ſupra ad n. 31. (*c*) P. 2. ibid. cit. (*d*) l. 1. S. 8. in Addit. Obſ. 3. (*e*) Diſp. de Rabie P. 4. partic. 7.
(*f*) Epiſt. 1. n. 8. & 9. (*g*) S. cit. 8. Obſ. 11. (*h*) Diſp. cit. P. 1. partic. 2.

occurres quæ in Scholio adduntur ad Obſervationem, primo loco a me in Sepulchreto nunc indicatam (*i*). Ea vermiculos quidem proponit in rabidi, ut dicitur, canis cerebro, vel potius *in majoribus bullis, e viſcoſo putrique cerebri liquore elevatis, vel ex motu interiori* animadverſos. Sed num cranium ſatis examinatum fuerit, ne qua via forte ex morbo alio pateret per quam vermiculi ſubiiſſent; num ſatis quæſitum, verine illi eſſent vermiculi, numve in eo gramine antea non eſſent, in quod prolapſum cerebrum longe diffluxerat, ipſa per ſe Obſervatio indicabit. Equidem vereor, ne ſi *Reyſius*, ut Auctor optabat, adſtitiſſet, non ita facile expuncturus fuiſſet quod ſcripſerat (*k*) *famam*, a Jacobo de Partibus commemoratam, quaſi *canina rabies a verme in canis cerebro nato prodiret, eſſe merum figmentum, a nemine, quod ſciret, confirmatum*. Noli tamen credere, ſi illa eadem Obſervatio accuratius habita fuiſſet; me nihilominus aſſenſum fuiſſe cohibiturum, quaſi nullo modo fieri unquam poſſe, exiſtimarem, ut vermiculi rabiem de qua loquimur, in cane cierent; quando Zwingerus (*l*) de cane refert adeo rabido, ut puer quem momorderat, ante diem quadrageſimum, hydrophobia atrociſſima correptus, perierit; qui tamen canis a rabie prorſus curatus eſt poſtquam herus levem ei in pede tumorem, quem jugiter ſibi mordebat, inde, quaſi in iram & rabiem actus, circumcurrens, aperuit, vermemque vivum, album, craſſiuſculum eduxit. Canem quidem rabidum fuiſſe, Zwingerus ſciebat, qui puero illi hydrophobo medicus fuerat. Canem quoque ea ratione curatum eſſe, quippe vicinus, haud ignorabat. Maluiſſem tamen, illum ipſe vermem examinaſſet, ut certius ſciremus, verum ex eo tumore vermem, non vermiforme aliquid exiiſſe.

34. Sæpe enim vermes facile creduntur qui non ſunt. *De cane rabido, vulgo affirmatur*, inquit Ettmüllerus (*m*), *ſub lingua ejus latere vermem quendam oblongum, quem alii a ſe ipſis viſum teſtantur, quo mature dempto, nullus canis rabidus fiat; eodem vero increſcente, Rabiem neceſſario ſupervenire; unde quidam ad præcautionem ſolent extrahere hunc vermiculum: quidam exiſtimant, non eſſe vermiculum, ſed pro ſanguinis congrumati particula in venis raninis ſub lingua collecti & ſtagnantis habent. Rem hanc ceu nondum ſufficienter exploratam in medio relinquo*. Viri hujus prudentiam laudo: quam ſi alii imitarentur; pauciores fabulas haberemus. Hanc inde ortam eſſe, non dubito, quod Plinius (*n*) ſcripſerat: *Eſt vermiculus in lingua canum, qui vocatur a Græcis lytta* (alyſſa), *quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt*. Plinio autem; ut cæteros nunc omittam; quadantenus adſtipulatum eſſe Sextum Philoſophum, Aromatarius (*o*) cenſet, quem *in ſuo de Medicina Animalium cap. 9.* teſtatum ait, *ſub lingua canis rabidi reperiri vermes*. Quod ego de Conſtantinopolitano Demetrio (*p*) non auſim dicere, ſi in ejus linguæ inferiore parte non vermiculum, ſed *vermiculi effigiem*, & *nervi albi ſimilitudinem* eſſe, ſcripſit: nec de Fracaſtorio (*q*), quanquam aliam ob cauſam; *vulnificum* enim *vermem* revera ponit, ſed, quantum intelligo, non ſub lingua: ibique ut Poeta, opinor, loquitur; namque ubi (*r*) ut Medicus, rabientium canum ſigna proponit, de verme in lingua, aut ad linguam ne verbum quidem. Haud equidem inficias iverim, veros ibi aliquando vermes reperiri; ſed eum quem Plinius in cunctis, ut videtur, canibus quaſi ſecundum naturam poſuit, & quem eximebant, vermem eſſe, diſerte nego. Quod & Codronchius (*ſ*) præ cæteris olim negaverat. *Sciendum eſt*, inquit, *illam partem, quam eximunt, non eſſe vermiculum, ſed nervum, vermis teretis figura*. Eodem autem anno quo id Codronchius ſcribebat 1609. editum eſt Caſſerii noſtri Pentæſtheſeion, in quo (*t*) inferiorem caninæ linguæ faciem pingens, vermiforme in ea corpuſculum oſtendit, quod & ſeorſum delineat, poſteriore extremo in longiſſimam caudam recta productum, quæ ſenſim in tenuitatem incredibilem ſe ſe contrahit. Aitque, *muſculum* eſſe, *quo* canes *lingunt*, ſive ad *lingendum factum*, eumque *in medio apicis linguæ occultari*, qui ſe *inventorem* habeat, quippe *aliis* ad id uſque tempus *ignotum*.

35. Fugit autem Caſſerium locus ille Plinii, ut me ejus, & Codronchii fugerant, cum idem corpuſculum in canum lingua olim animadverti, & ſæpius deinde ad examen revocavi, quod an alii Anatomici intra hos centum & quinquaginta annos deſcripſerint, aut delineaverint, neſcio. Ego vero non ob hanc potiſſimum cauſam plura de eo corpuſculo verba faciam; ſed potius ne cui docto homini; quod hac ipſa ætate accidiſſe, ſuſpicor; pro verme amplius imponat. Credo autem hic a vulgo nonnullis canibus adhuc eximi; cum enim in quindecim cujuſcunque promiſcue & generis, & magnitudinis, & ætatis quæſiverim; in quatuordecim inveni; unus modo ex iis quibus laniones utuntur, maximus omnium, ut multo majus habere debuiſſet, omnino non habuit: quod ſi tunc Plinii verba memoriæ occurriſſent; diligenter cicatricis veſtigium quæſiviſſem, quæ tamen luculenta non fuerit, neceſſe eſt; nam per ſe in oculos incurriſſet. Et in altero quidem cane, qui magnus erat, parvum id corpus pro canis magnitudine fuiſſe, memini; non ſic tamen in aliis vel æque grandibus. Imo in magno quodam inveni tres digitos tranſverſos longum, cum in mediocribus raro ſuperaverit duos, ſæpius æquaverit. Itemque in alio potius magno, quam parvo, cum lingua eſſet longitudine digitorum octo; trium ipſum, aut eo amplius fuit vel ſine tenuiſſima caudæ parte. Cum enim hoc teres corpus nihil magis, ſi figuram tantummodo ſpectes, quam fuſum referat, ſic utrinque extenuatur, ut anterius extremum quod ad ipſam ultimam apicis linguæ oram ſæpius, nonnunquam proxime ipſam extenditur, ſit minus & acutum, & longum; poſterius non modo ſenſim magis, magiſque ſe contrahit, ſed ubi non ita breve ſpatium emenſum eſt, repente in filum abit quaſi tendineum, pertenue, & albicans, quod corporis unde prodiit, longitudinem ſæpe æquans, raro ea minus, non raro majus, & ſemel, ſi non triplum, at certe plus quam duplum a me deprehenſum, per medium illud muſculorum qui hinc & hinc ſub lingua prominent, interſtitium pergit ad poſteriora, alte inter illos ſe condens. In eodem autem interſtitio ad anteriora producto & poſterius extremum, & corpus reliquum locatum eſt, ſed hoc tanto exterius, ut linguæ membranam ipſam contingat protuberans, per eamque tranſpiciatur. Quæ ubi leviter inciſa, & ſimul cum iis duobus muſculis ſic ſatis diducta eſt, tum vero illud cujuſdam lumbrici inſtar apparet; nam ad figuram albedo, & levitas accedunt. At ſi cultri, aut digitorum ope ab lingua dividas; id quod nullo negotio fit; læve quidem ea quoque facie conſpicis quæ latebat, ſed rubellum. Itaque hujus pars corporis quæ craſſior eſt, ex duabus conſtat ſubſtantiis inter ſe arctiſſime nexis, altera candida, ſubrubra altera, & quam facile carneam credas, ut illam alteram, quæ ad extrema etiam pertinet, tendineam. Verum nec rubella ex manifeſtis efficitur fibris; & candida durior eſt quam tendinea; ut media inter ligamentum, & tendinem eſſe videatur: quin digitis tractata, hic illic non ſemel mihi viſa eſt quaſi ad cartilagineam naturam propius accedere, nec raro, non perpetua, ſed quaſi diviſa in fruſtula, eaque inæqualiter diſtributa. Quotieſcunque autem medium hoc corpus, in tranſverſum diſſecui, ipſa quidem ſectio circuli ferme aream ſemper retulit; ſed alba ſubſtantia fere ſemper, rariſſime ſubrubra majus illius areæ ſegmentum occupavit. Nec totius areæ diameter uſquam magna eſt; imo vel ubi ab extremis maxime diſtat, perparva. Nec anterius extremum fiſſuram habet, aut aliud quod os referat; nec corpus quidquam intus mollis, aut cavi. Etſi vero proximorum muſculorum fibræ huic corpori adhærent; non tamen in ipſum abeunt, neque continuantur: quin ab iis muſculis eſt per tenuem interjectam membranam diviſum; ut facile propterea, uti dixi, & lævi undique ſervata ſuperficie, evolvatur: quod ſi in mortuis ſuccedit; quanto facilius ſuccedere credemus in vivis? Quæ cum ita ſint; ut proclive eſt intelligere, hoc illud eſſe quod, licet vermis non ſit, pro verme tamen e canum lingua demebatur;

(*i*) Obſ. 3. cit. (*k*) Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. qu. 61. n. 1. (*l*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 2. Obſ. 105. (*m*) art. & m. cit. ſupra ad n. 19.
(*n*) Natur. hiſt. l. 29. c. 5. (*o*) Diſp. de Rabie P. 2. partic. 5. (*p*) l. de Cura, & Medic. Canum, Gillio interpr.
(*q*) in Alcon. extremo. (*r*) De Contag. &c. l. 2. c. 10. (*ſ*) De Rabie l. 2. c. 10. (*t*) l. 2. Tab. 5. Fig. 4. & 5.

ſic pariter intelligitur, neque eſſe nervum, ut Codronchio, & aliis viſum, neque ullius vicini muſculi partem. Num vero ipſum muſculus ſit, quod Caſſerius credebat, & ad lingendum datus, an potius miſtum ex multiplici ſubſtantiæ genere peculiare corpus, quo pro longitudine tenuior canum lingua firmetur, ſuiſque in motibus adjuvetur, nunc quidem in medio relinquo, præſertim cum ignorem hactenus, num aliis pariter certis animantibus tributum ſit, & quid diſcriminis in linguæ motibus inter eos canes quibus eſt exemptum, & cæteros intercedat.

36. Etſi vero in calce Sectionis hujus (*u*) quæ *de Mania*, & Rabie eſt, adduntur in Sepulchreto Obſervationes duæ *de Furore Uterino*, & poſt Sectionem de qua ſimul egimus, proximam *de Melancholia* inſcriptam, Sectio altera *de Imaginatione, Ratiocinatione, & Memoria depravatis, & abolitis*; tu noli tamen expectare, ut huic ego longiſſimæ Epiſtolæ alia adjiciam. Nam neque Valſalvæ, neque mihi accidit, ut Furore Uterino abſumptas incideremus, & alia fortaſſe præter miram ovarii magnitudinem, quam in pluribus vidi eo morbo non laborantibus, intus vitioſa deprehenderemus; quando in Cæſareæ Academiæ Obſervationibus præter illam quæ fere ſemper (*x*), & clitoridis (*y*) quæ nonnunquam inventa eſt, magnitudinem, alia interdum, & in his uteri inflammationem, reperta legimus (*z*). Quas Obſervationes verſantibus, ut exempla occurrerunt (*a*) aliquot juvencularum quæ ſibi ipſæ mortem conſciſcentes, funeſtam memoriam Mileſiarum virginum, & Lugdunenſium mulierum (*b*) renovarunt, ita ſe obtulerunt alia, unde communis illius fœminei furoris cauſa cum peſtilentiæ quaſi cujuſdam cauſa comparari poſſe videatur. In non magno enim Comitatus unius tractu (*c*) æſtate A. 1698. tot ſimul fœminæ uterino furore laborarunt, ut Medicus ægras quas inviſeret unus haberet duodeviginti, quæ res morbum eſſe epidemicum, oſtendebat: in iiſdem autem ædibus ſæpe duæ, tres, pluresque mulieres eodem correptæ morbo comperiebantur, quæ res, aliæque contagioſum eſſe, indicabant. De illarum autem mentis Facultatum quæ paulo ante nominatæ ſunt, vitiis quæ poteramus, in has ipſas Litteras, aliaſque (*d*) contulimus: quæ repetere non placet, quemadmodum in Sepulchreto factum videbis: ubi de viginti Obſervationibus, ad memoratas Facultates ſpectantibus, quas Sectio decima proponit, primum tredecim videbis diſerte indicari in aliis Sectionibus fuſius deſcriptas fuiſſe; deinde ſi paulo diligentius conſideres, facile deprehendes, in illa ipſa Sectione decima quaſdam ſemel atque iterum poni. Sic X. Obſervatio eadem videtur ac III. XIII. vero eandem eſſe prorſus ac VII. XV. ac I. XVII. ac VIII. demonſtrabit Obſervatio XLIV. Sect. I. Libri Quarti; & XVI. Sect. XVI. Libri I. & V. Sect. IV. Libri ejuſdem; ne in alias modo inquiram, nec dicam, IX. quod & in Scholio ſic ſatis agnoſcitur, nihil ad rem attinere. Sed hæc hactenus. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA IX.

De Epilepſia ſermo habetur.

Vertigo, de qua in Sepulchreto, proxima Sectione XI. agitur, haud raro in apoplexiam, & ſoporoſas affectiones degenerat, ex quibus plures denique intereunt vertiginoſi. Quod cum productæ in ea Sectione Obſervationes, diſerteque I. & XI. oſtendunt, tum propoſitæ in Epiſtolis ſuperioribus (*a*) aliæ confirmant. Quæ cum ita ſint; præſtare arbitramur, ut iis hic minime repetitis, tranſeamus protinus ad Sectionem XII. quæ de morbo eſt, in quem etiam ſæpe vertigo abit, Epilepſia. Vertigines enim, ut recte Galenus (*b*) docuit, *proximæ ſunt morbis comitialibus, & iis quos apoplexias nominant*, ſic ut *præcedant epilepſiam, & apoplexiam*. Epilepſiæ autem per ſe, ut viſa eſt, mortiferæ unam, haud amplius, Valſalva reliquit obſervationem, eamque perbrevem, quæ ad hunc modum ſe habet.

2. VIR ſexagenarius, epilepſiæ obnoxius, febre corripitur. Huic ex improviſo ſupervenit epilepſia, ex qua moritur. INTER Craſſam, Tenuemque meningem, præter ſeri ubique copiam, portio etiam effuſi ſanguinis ad latus invenitur: item ventriculi ſero oppleti, in iiſque turgidæ glandulæ plexus Choroidis.

3. Si iſtam ſanguinis effuſi portionem, noviſſimis, ut veri ſimilius eſt, epilepticis convulſionibus tribuis, quæ a ſebre turgentia vaſa conſtringendo, horum, ubi laxiora erant, diſruptionem aliquam effecerint, quam ſtatim ſint, ut credibile eſt, & apoplexia, & mors conſecutæ; ſerum videlicet reſtabit, cui comitiales inſultus, aut ſaltem poſtremum hunc poſſis fortaſſe tribuere. Habes ſane vel in iſta ipſa circa quam verſamur, Sectione, in ejuſque Additamentis non abſimiles intra epilepticorum calvarias redundantis ſeri hiſtorias: quarum antiquiſſima eſt XVI. illa, Hippocratis, ab ovibus, ac *præſertim a capris, quæ frequentiſſime hoc morbo prehenduntur*, ad homines ipſos traducta, quæ hiſtoriæ etſi multæ ſunt (quanquam eandem eſſe V. cognoſces ac illam quæ verſa pagina profertur ſub num. X.) tamen fore tibi haud ingratum exiſtimo, ſi alias addam, unam ad ſæculum XVI. reliquas ad hoc noſtrum attinentes. Illa eſt Michaelis Gavaſſetii Novellarienſis, Medici quidem, ſed non *Profeſſoris*, ut quidam Scriptores vocant, *Patavini*. *Memini*, inquit, (*c*), *me vidiſſe Illuſt. Card. Commendonum ſexaginta motus Epilepticos ſpatio vigintiquatuor horarum ſuſtinuiſſe, atque tandem natura debilitata ſuccubuiſſe: quo mortuo ſtatim detracta calvaria, hydrocephalica paſſione laboraſſe comperi*. De tribus autem quas Vir Cl. Balthaſ. Walthierius ad me poſtremo die Martii A. 1727. Venetiis miſit, duas potiſſimum commemorabo, quæ ad propoſitam ex Valſalva magis accedunt. Eadem enim, vel eo majori ætate Vetulæ duæ, altera epilepſiæ jam diu obnoxia, altera cum anaſarca laboraret, tribus eodem quo obiit die horrendis epilepticis paroxyſmis correpta, ambæ quidem inter meningem Tenuem, & cerebrum, itemque in ventriculis aquam habuerunt, ambæ quoque plurimas in plexibus Choroidibus veſiculas aqua tumentes; ſed prima, hæc omnia multo magis quam ſecunda; ut cum hujus Laterales ventriculi eo ſero eſſent ferme pleni; in illa eodem omnes *ad crepaturam uſque* diſtenderentur, itaque vix attacti ingentem ejus copiam profuderunt. Longe minori tamen copia ſæpe in epilepticorum cranio aqua deprehenditur vel ipſorum quoque infantum, in quibus plurimam alias inveniri, hæc eadem Sepulchreti Sectio (*d*) docet. Obſervatione enim, exempli cauſa, VII. in annicula puella fuiſſe vides ad libras quinque; cum in puero, aliquanto majori, vix fuerit ad uncias duas, ut mihi Bononiæ etiam tum ſtudiorum cauſa degenti in hunc modum narravit diligens Obſervator, idemque Celeberrimus Medicus Hippolytus Franciſcus Albertinus.

4. PUER menſes natus XVII. primogenitus nobiliſſimorum Parentum, inter animi perturbationes conceptus, patre etiam a nervis minus valente, capite erat æquo grandiore, coque graviore, oculis triſtibus, altera thoracis parte depreſſa, cruribus non ſatis firmis, carnibus flaccidis. Hic jam antea cum vix annum compleviſſet, iis correptus incommodis, ut unciæ

(*u*) 8. l. 1. (*x*) Cent. 4. Obſ. 142. & Cent. 8. Obſ. 3. & Act. Tom. 7. Obſ. 30. (*y*) Ibid. (*z*) Ibid. & Dec. 3. A. 5. Obſ. 124.
(*a*) cit. 3. Obſ. Cent. 8. (*b*) apud Schenckium Obſ. Med. l. 1. ubi de Mania, & ex ea mortuis Obſ. 1.
(*c*) Decur. 3. Nat. Cur. A. 7. in Append. ad n. 8. (*d*) Epiſt. I. n. 10. & II. n. 13. (*a*) II. n. 9. 22. III. n. 16. IV. n. 11. VI. n. 2. 6.
(*b*) in Aphor Comment. 3. 17. (*c*) De Indic. Curat. c. 39. (*d*) Obſ. 5. §. 2. Obſ. 7. & in Addit. Obſ. 7.

ciæ duæ ſanguinis mittendæ fuerint, mox, ab his liber, epileptici aliquid ob dentitionem paſſus, noviſſime dum alter e caninis dentibus ſuperioribus prodire inciperet, verum eſſe oſtendit Hippocratis aphoriſmum (*c*), *febres* pueris, & *convulſiones* minantis *maxime cum caninos edunt dentes*. Nam febre primum, tum repentina graviſſima epilepſia prehenſus, jam ſtertens, & ſine ullo propemodum pulſus indicio ab accerſitis Medicis inventus eſt. Qui cum in ejuſmodi anguſtiis ſuccini oleo *nucham*, tempora, nares inunxiſſent, his ſalis ammoniaci non ſpiritum quidem, ſed levem ſpiritus odorem ſubjeciſſent, ad pedes columbas diſſectas applicuiſſent, paulum remittente ſe morbo, arteriiſque micantibus, ſanguinem detrahere ad tres uncias non dubitarunt. Unde reſpiratio quidem minus difficilis facta eſt, puerque, quaſi ad ſe rediens, ſublato brachiolo frontem perfricuit. Sed nihilominus, cum vi morbi oppreſſum caput minime relevaretur; quin Medicorum digitis, experiendi cauſa, propius oculos admotis, hi, quippe jam nihil cernentes, perſtarent aperti; intellectum eſt, ſervari puerum non poſſe: qui ſexta ab inſultus initio hora vivere deſiit. CRANIO a Medico doctiſſimo Petro Molinellio recluſo, non plus aquæ inventum eſt quam ante dixi, ejuſque, a ſectione fortaſſe, ſubcruentæ tum in cerebro, quod erat mollius, tum circa ipſum undique, ſed præſertim ad baſim.

Thorax ea in parte qua anguſtior fuerat, aliquid habuit effuſi ſanguinis: ſedeſque unde hic e pulmone exierat, quaſi eroſa, & corrupta videbatur.

5. Quæres, an tantillum aquæ credam poſſe tantas turbas ciere, quando vel ex Sepulchreto ipſo (*f*) intelligis, Fernelium, & Eraſtum admonuiſſe, ne a multa quidem ſæpe fieri epilepſiam, ſed ſoporoſos potius affectus, quod & noſtræ ſuperiores confirmant Epiſtolæ: quin Williſium (*g*), & multo ante Williſium Henricum Petræum (*h*) a ſubita epilepſiæ tum invaſione, tum ſolutione argumenta repetiiſſe, ex quibus apparere cenſebant, ne poſſe quidem ab aqua fieri: quod in iis caſibus non videtur negandum, in quibus nihil omnino invaſionem præcedit, & ſolutionem ſubſequitur quod cerebrum minus valere oſtendat. Non hic tamen ſequitur, haud poſſe comitiales inſultus in aliis caſibus ab aqua fieri, eaque etiam modica, ut infra declarabimus, ſi prius exempla aliquot illorum attulerimus, neque uno modo inter ſe diſcrepantium, in quibus nihil facile fuiſſe aquæ, nos quoque ultro, libenterque agnoſcamus. Nam primum de Patavino Viro Patricio annos nato ſexaginta quatuor olim audivimus, ſe cum annum ageret alterum & quadrageſimum, vehementi ira, & ſimul propemodum, prima epilepſia correptum ex improviſo, cecidiſſe, poſt multumque interjectum tempus cum eundem illum cui iratus erat, forte vidiſſet, iterum cecidiſſe, deinde autem vel eo non viſo, idem ſibi, & ſæpe quidem accidiſſe donec duobus illis, an tribus poſtremis annis non niſi quibuſdam mentis quaſi obſcurationibus nonnunquam tentaretur, ſive morbi vim longum tempus jam magna ex parte fregiſſet, ſive morbi cauſas nicotionæ herbæ pulvis, quem naribus, ut fit, attrahere cœperat, minuiſſet, ſic enim multum ſane humoris per eam viam effluebat. Quem ut credas ad primam epilepſiæ cauſam acceſſiſſe, non putes certe tunc feciſſe cum ſemel atque iterum inviſi hominis conſpectus repente proſtravit ſaniſſimum Virum.

6. Cum autem eum quem ſupra laudavi, clarum in medendo Magiſtrum ſectarer Hippol. Franc. Albertinum, memini generoſiſſimum inter Bononienſes Adoleſcentulum, nunc Senatorem Ampliſſimum, ex terrore epilepſia prehenſum, quæ ſæpiſſime revertebatur, ob eamque aqua utentem in qua herbæ betonica, primulaveris, meliſſa, & carduus benedictus coctæ fuerant, adjectis guttulis ſpiritus ſanguinis humani admodum paucis, urinam non ſolum ſupra potionum modum, ſed ad uncias nonaginta quotidie reddere cœpiſſe. Cum vero neque tanta urinæ vis, neque alvus ſæpius per ſe fuſior, inſultuum numerum, aut vehementiam minuerent; converſus ad me Albertinus, huic, inquit, ſi vel omne ſerum ars exhauriret, fruſtra foret, quando ſic nihil proficit ipſa natura.

Igitur hic intelligis, ſerum neque a primo, neque poſtea hunc morbum feciſſe. Quod & curatio confirmavit. Neque enim aquam educendo, quod ne initio quidem ſpectatum fuerat, ſed tumultuarios motus ſedando, intra diem quadrageſimum abſoluta eſt. Bis quidem ſingulis diebus per alvum oleum infundebatur, ſed ſimplex, ut nihil niſi diſtentos nervos remittere, laxoſque ſervare poſſet. Nam per eas acceſſiones multo magis quam cerebrum, interni vexabantur nervi, atque externi, compertumque fuerat, juvari ægrum, dum morbo concutiebatur, ſi Spina univerſa fricaretur molli palma, oleoque uncta ex dulcibus amygdalis recens expreſſo, in quo terreſtres lumbrici incocti, adjectumque eſſet ſuccini oleum. Ad ea autem quæ æger ſumebat, remedia opium utiliter additum eſt. Erant illa ex iis quæ propria adverſus nervorum morbos cenſentur, in vulgus notis: neque enim arcanis multum tribuebat Albertinus: quorum utinam pauciora, ſed certiora, circumferrentur. In quibus vel nuper extolli audivi lapillum qui in eo innaſcitur animalculo, cui nomen eſt apud Italos *lumacone ignudo*, ſic quidem ut non omnes epilepticos liberet: quin eos inſultus qui a terrore, velut ii de quibus nunc ſermo eſt, originem habuerant, multo rariores factos accepi ex quo calida ſorberi cœpta eſt, verbaſci floribus, Gallo homine monſtrante, theæ inſtar, medicata; perſæpe tamen quæ ſympathicam aliquam epilepſiam ſuſtulerunt, ad idiopathicam quoque tollendam non minus fruſtra, quam temere & inſcite prædicantur, hincque inutiliter arcanorum excreſcit numerus.

Sed Albertini remedia in propoſito caſu, illo quod lotium nimis ciebat, intermiſſo, ad humanum cranium non vetuſtum redibant, cujus radi particulas, in mortario teri, aqua ceraſorum nigrorum humectari, denique ſiccari in umbra jubebat, idque toties donec in pollinem abirent; magiſteria enim quæ vocant, merito improbabat: ex eo autem polline tabellæ conficiebantur, opio ea cura addito, ac diſtributo, ut vix amplius grano uno ineſſet univerſis quæ per intervalla unum intra diem capiendæ forent. Quæres fortaſſe, an ſanguinem miſerit? Ille vero jam miſerat ſtatim ac primus inſultus finitus eſt, miſſurus vel ſi gravem illum terrorem nulla eſſet epilepſia conſecuta. Sic enim ſolebat, credo quia poſt Malpighium ſuum (*i*) idem quod nos quoque aliquando, animadverterat, ab ejuſmodi animi affectu ſanguinem pronum fieri ad concreſcendum, qua ex re varii, & multiplices pronaſcuntur morbi, tum etiam quia ſi qua forte, ut ſæpe fit, conceptæ inde in cerebro pravæ diſpoſitionis reſtent veſtigia, quæ timoribus præter rationem, terrificiſque inſomniis produntur, ut illi ſanguinis concretioni, ita his quaſi convulſivis cerebri incommodis venæ ſectio adverſatur.

Mirabatur autem ſiquando audiebat, eſſe qui contra Cælii (*k*) monita, epilepticis ſternutationem moverent ambigua ſpe aut ſpirituum motus in meliorem mutandi, aut reſtitantis in cerebri vaſis ſanguinis promovendi. Illum enim motum, quem ſedari præſtaret, quis ſpondeat, ſic pejorem non fieri? Sanguinem vero, quem in ejuſcemodi morbo a convulſis fibris retardari, veriſimile eſt, num his magis irritatis, expediri credemus? Itaque ad apoplexias potius illas, in quibus ob reſolutas fibras ſanguis ſubſiſtit, aptius id auxilium exiſtimabat; quanquam hoc ejuſmodi eſſe in univerſum cenſebat, ut raro ad ipſum a peritis quidem Medicis ſit decurrendum. Nec facile ipſe, præter oleum ſuccini, quidquam epilepticorum naribus ſubjiciebat: ſpiritus autem qui appellantur, ad illius generis cujus modo dicebam, apoplexias, aliaſque ejuſcemodi affectiones rejiciebat, ob inde animadverſas noxas in calidis quæ Veteres dicebant, corporibus, & ex cauſa calida laborantibus, hyſtericarum præſertim,

(*e*) 25. S. 3. (*f*) Sect. hac 12. Obſ. 2. in Schol. & Obſ. 14. §. 2. (*g*) Obſ. 1. in Schol. (*h*) Obſ. 14. in Schol.
(*i*) Differt. de Polypo cord. (*k*) Morbor. Chron. l. 1. c. 4.

tim, quibus epilepſia prehenſis ejuſmodi odoramenta, ſi non aliud, capitis plenitudinem relinquere, expertus erat. Ægri autem caput, ingruente hoc morbo, ſublimius quo ad ejus fieri poſſet, locari, ac ſervari malebat; ſic enim in illo minus acervari humores, & ſpiritum facilius duci, reponebat iis qui forte objicerent, ita ex ore difficilius ſpumam excidere; quippe quæ, minus gravato capite, & pulmone, parcius proveniret, nec ſemper, ut, Pechlino (*l*) refragante, plerique putant, e pulmonibus exiſteret, ſed ex agitata potius in ore ſaliva fieret; nam hujus minime ſpumoſæ quoſdam quaſi rivulos animadverterat ex ore epilepticorum nonnunquam defluere, capite in alterum latus forte inclinato. Sed nimirum dum meo erga Præceptorem grato animo, & tuo, mihi perſpecto, deſiderio obſequor, ejus in medendo conſuetudines, rationeſque perſequendo, longius a propoſito abductus ſum.

7. Ad quod ut redeam; perſtringam paucis, quantum potero, quæ multa ac diu in cive meo Anaſtaſio Poggio, gravi, proboque Sacerdote animadverti. Agebat is annum duodeſeptuageſimum, ſubpingui habitu, & florido colore præditus, cum primum comitiali morbo correptus eſt, qui ſummam pulſuum raritatem, itemque corporis perfrigerationem poſt ſe reliquit. Sed hæc intra horas ſeptem victa eſt, nec, ſæpius redeunte morbo, amplius rediit: illa uſque perſtitit. Prima epilepſia dolori ſucceſſerat hypochondrii dexteri, per bilioſas dejectiones ſoluto: cæteræ, quæ leviores erant, fere ſuccedebant ſenſui cujuſdam quaſi fumi ad caput aſcendentis ex hypochondriis, quorum turgentia aſſidue ægro moleſta erat, & facile ab aſſumptis, liquidis præſertim, augebatur. Cum hæc ita eſſent, dolor autem capitis, omneſque hujus per ſe affecti notæ abeſſent; Seniores Medici, qui me ſibi ſocium in refractarii morbi curatione haud minus quam æger, optaverant, quin ex hypochondriorum eſſet iritatione, minime dubitabant. Et ſane ut in hac quoque habes Sepulchreti Sectione (*m*), extat apud Galenum hiſtoria illa Grammatici, *qui cum diutius a cibo abſtineret, epilepticus fiebat, non aliam ob cauſam quam bilem*: & pervulgata exempla ſunt adultorum (*n*), non puerorum modo (*o*), epilepſia vexatorum a lumbricis inteſtina obſidentibus: eodemque obſervatio Spigelii attinet (*p*) in catello a lumbricis ſic interempto, cujus noſtra haud ita diſſimilis eſt, ad Valliſnerium olim ſcripta, ab eodemque (*q*) vulgata. Sed & ab aliis male affectis ventris viſceribus hunc morbum oriri, noſti, quod & laudata Sectio (*r*) confirmat. Verum etſi Poggio noſtro ea curatio, me aſtipulante, adhibebatur quæ reſerandis, emundandis, leniendis hypochondriis conveniret; tamen acceſſiones nihilominus frequentes redibant; ut jam vereri inciperemus, ne caput quoque ipſum noxam contraheret, præſertim cum ad hujus celeriorem converſionem illæ nunc reverterentur, & ſenſum in capite ponderis cum hebetudine relinquerent, nec raro cum mucis aliquid ſanguinis emungeretur. Itaque cum jam inde ab initio ad minuendam plenitudinem ſanguinem a brachio ſemel atque iterum eduxiſſent, nec ea quæ capiti auxiliari ſolent, dare omiſiſſent; auctor fui, ut ſanguis ex iis quoque venis quæ ſunt ad anum, detraheretur, & alia atque alia quæ adverſus id morbi ut maxime propria ab nobiliſſimis laudantur Medicis, exhiberentur: quorum hæc nulli uſui fuerunt; illa autem ſanguinis detractio ſeu caput, ſive ea potius viſcera levarit quibus vena portarum inſervit, hactenus profuit, ut breve ad tempus inſultus quieverint. Cum iterum frequentius recurrerent, ſæpe ex uſu fuit ægrum ad ſedendum erigere, artuſque inferiores modo fricare, modo alterne vinculis injectis adſtringere, modo cucurbitulis ſine ferro affixis, & mox detractis vexare; ſic enim illi diutius intermittere videbantur. Certior quoque factus ſum, cum aliquando vel multo ſæpius ingruerent, arcuiſſe ipſos, imo jam quaſi inchoatos ſuppreſſiſſe ſpiritum ſalis ammoniaci ad nares admotum, etſi æger carebat olfaciendi facultate. Erant ii plerumque perbreves; ſed minime leves. Oculorum enim diſtorſiones, & artuum agitationes ſemper, & interceptio ſenſuum omnium, ſæpe ſtrangulatio, eaque interdum cum ſtertore, nonnunquam urinæ effluxio comitabatur. Peſſime autem habuit eo die in quem ſolſtitium incidit, eoque pariter in quem defectus ſolis. Sed ut caſu id factum credas; non tamen credes, fortuito accidiſſe, ut acceſſiones non modo non leviores, ſed graviores ſæpius ingruerent, quando urina ſive naturæ, ſive artis ope aucta erat (*ſ*). Nam & hoc curare aliquando debuimus, cum ægrum dormire incipientem ſubita difficultas ſpirandi excitaret, ac ſedere cogeret: quæ res nimirum hydropis thoracis ſuſpicionem eo magis ingerebat quod æger narrabat, jamdiu crus dexterum ſibi plerumque humore ſubtumidum eſſe conſueviſſe, nunc vero, id quod admoniti conſpiciebamus, tumorem jam per femur aſcendere. Facile autem fuit obviis, innoxiiſque remediis urinas augere, eoque hunc tumorem, illamque ſuſpicionem, quæ & poſtea omnino ſublata eſt, minuere; non ſic inſultuum vim, quæ urinis fluentibus, hiſque per ſe opacis nonnunquam & nigricantibus, adeo non minuebatur, ut contra etiam, quemadmodum dicebam, invaleſceret. Cum hæc atque alia, quæ promiſſæ brevitatis gratia prætereo, adverſus comitialis morbi incurſus nihil valerent, neque ea quæ ad hos retardandos, ſupprimendoſque profuiſſe aliquando, dixi, præſtare id pergerent; unum fuit quod conſtanter prodeſſet, opium, datum ſub noctis initium pondere dimidiati grani. Inſultuum enim frequentia, & vis, & ad has adjectæ vigiliæ ita ægrum alioquin debilitabant, ut induciæ nobis quovis pacto quærendæ fuerint. Sic autem nocturna quies, & ſomnus conciliabantur, tantumque aberat, ut inde caput grave, aut hebes fieret; gravitas, atque hebetudo, quas diurni inſultus reliquerant, tollebantur: quæ cæteroquin, cum opii uſus intermittebatur, perſtabant, & priſtinæ inquietæ vigiliæ urgebant. Quin poſt noctem quandam ejuſmodi, longe præ cæteris moleſtiorem, cum ad eam de qua initio dictum eſt, ſummam pulſuum raritatem inæqualitas repente acceſſiſſet ſic ut perſæpe vel multo rariores, deinde non magis quam ſolerent, mox rariores multo perciperentur, eaque res nos magis ſolicitos haberet propterea quod tunc morbus ſolebat pulſus primum omnino obſcurare, & deinde continuo invadere, cumque fruſtra quæ ad ſolvendum ſanguinem promovendumque laudantur, experti eſſemus; opio iterum dato, iterum quieta nox rediit, eamque pulſuum inæqualitatem minuit: quam continuatus quotidie ſub noctem opii uſus omnino ſuſtulit, & priorem raritatem etiam imminuit. Pulſuum autem raritas an ab epilepſia in hypochondriacis non rariſſime relinquatur, ſuſpiceris fortaſſe cum hanc noſtram, & Cl. Gerbezii (*t*) obſervationem contuleris, pulſum deſcribentis in robuſto viro hypochondriaco *ſubinde leviter inſultibus epilepticis obnoxio*, cum ſanus eſſet, *adeo tardum, ut priuſquam ſubſequens pulſus conſequeretur antecedentem, facile apud alium ſanum tres pulſationes præterirent*. Sed ad noſtrum ut redeam; poſtquam, nulla jam acceſſione per dies tredecim redeunte, opii intermiſſus eſt uſus, nocte quidem prima non mala, ſed inſequentibus, ob vigilias, eamque tandem, de qua ſupra dictum eſt, ſpirandi difficultatem, valde moleſtis, nihil niſi opium quietas noctes reſtituebat. Atque ut multa in pauca contraham; quod morbi aggreſſiones de frequentiſſimis, ut erant quotidie menſe Junio, eo redierint, ut una Quinctili, una, aut altera Sextili, nec plures Septembri fuerint, nullæ deinde proximis ſaltem duobus menſibus; & quod excurrit, donec ad Medicinam publice profitendam diſceſſi, opio tribuendum cenſuimus, opportune dato modo ſingulis noctibus, interdum alternis, denique pluribus intermiſſis. Eo enim tumultuarios motus qui ab hypochondriis, manifeſto haud raro ſenſu, ad tho-

(*l*) De aeris, & alim. def. c. 7. (*m*) Sect. 12. in Schol. ad Obſ. 19. (*n*) Ibid. Schol. ad Obſ. 41.
(*o*) Obſ. ead. §. 2 & Schol. ad Obſ. 15. in Additam. (*p*) Ibid. Obſ. 41. §. 1. (*q*) Conſideraz. int. alla gener. de' Vermi.
(*r*) Obſ. 39. cum Schol. (*ſ*) Vid. infra, n 11. (*t*) Eph. N. C. Cent. 7. in Append.

thoracem, caputque pergebant, compeſcere, & inducias naturæ, atque arti conciliare potuimus ad hypochondriorum viſcera, ut initio ſtatutum fuerat, ſed incaſſum inter primas illas aſſiduas turbas tentatum, ſatis emundanda, & confirmanda, a quibus dumtaxat, non a cerebro aqua redundante, ipſas fuiſſe repetendas hiſtoria hæc, aut ego quidem fallor, præclare oſtendit.

8. Quod ſi alia præterea exempla cupis epilepſiæ aut ab animi affectibus in homine ſano repente exortæ, aut aliunde quam a cerebro, initium capientis; complura inter ea invenies quæ a Schenckio (*u*) collecta ſunt: quanquam antiqua adeo eſt obſervatio incipientis *aut a latere, aut a manu, aut pede*, ut ipſius, tanquam facilius tunc curandæ, mentio diſerte fiat libro II. Prædictionum (*x*), qui ſi Hippocratis non eſt, at tam veteris, tantoque in pretio habiti Scriptoris certe eſt, ut ille hujus locus a Celſo (*y*) fuerit in ſua ſcripta ad hunc modum tranſlatus: *in quo ab una parte corporis venientis acceſſionis* (morbi comitialis) *ſenſus incipit, optimum eſt a manibus pedibuſque initium fieri: deinde a lateribus: peſſimum inter hæc a capite*. Cujus vetuſtiſſimæ prædictionis vim non ſatis fortaſſe attendit Williſius, qui illas ipſas quæ aliunde quam a capite, videntur incipere, epilepſias *non raro* a cerebro oriri, contendit, ut habes in Sepulchreto (*z*). Quod ut aliquando fiat, multo tamen rarius quam ipſe exiſtimat, fieri, cum memorata, & a Medicis confirmata prædictio docet, tum frequentiſſimæ comprobant, ſi recte attendantur, obſervationes. Quas ne aliunde quam a Sepulchreto, accipiamus; vide, quæſo, Tulpianam illam (*a*) comitialis morbi qui excitabatur *preſſa vel ſolo digito regione lienis*, tum alteram (*b*), & tertiam quoque (*c*) ejuſdem morbi ſic incipientis a pedis aut planta, aut pollice, ut ſi tempeſtive arctum cruri vinculum injiceretur; morbus non pergeret: ſin minus; ſuum inde ad ſuperiora, & per univerſum corpus abſolveret curſum. Sed & vetuſta, quæ apud Galenum eſt, in Sepulchreto pariter (*d*) memoratur hiſtoria; quanquam non ille *a pollice pedis*, ut ibi, & apud Saxoniam (*e*) leges, ſed *ex tibia* initium morbi fuiſſe, tradidit, ſubjecitque id quod huc facit, in Sepulchreto autem omittitur, acceſſionem quæ invadere quotidie conſueverat, reverti prohibitam, poſt alia a Medicis imperata, *ligato in medio membro, ſupra eam videlicet partem, quæ primaria diſpoſitione erat affecta*. Alias prætereo: quas ne forte paucas eſſe, credas; ſic habeto, vel unum Medicum Ramazzinum quondam noſtrum, ut de ſuperiore loco, cum forte ipſe quoque adeſſem, docebat, epilepticos plures vidiſſe, quorum inſultus a pede aſcendens, faſcia tibiæ injecta, cohibebatur. In his omnibus, in aliiſque ejuſmodi exemplis num Williſii explicationi locum *non raro* fuiſſe, credes, cum videas inter certam illam partem, & cerebrum commercio tempeſtive intercepto, prohibitum eſſe exorientem morbum; illo autem non intercepto, neque hunc fuiſſe prohibitum? Si enim a cerebro exoriebatur; cur ſemper illam partem primum adibat? aut ſi hanc ob injectum vinculum adire non poterat; cur aliam aliquam non adiiſſet? Ne vero dubitationis ſupereſſe quidquam poſſit; cur, ex illa parte ſi quis morbi cauſam demat; morbus amplius non revertitur? Proſtant ejuſmodi curationum exempla in veterum, & recentium Medicorum libris. Satis eſto ex illis indicare Marcum Gatinariam (*f*), id non præcipientem modo, ſed & ſua producta obſervatione confirmantem: ex his autem Medicum, de quo meminit Celeberr. Swietenius (*g*), caſus internoſcere diſerte docens (*h*), in quibus Williſium ſequi liceat, ab iis in quibus non liceat, cum ſint certe in quibus epilepſiæ initium neutiquam in cerebro credi poteſt, nempe tot illi in hoc quidem genere multo frequentiores quos produximus, in quibus, ut ejus utamur verbis, *ſemper ſigna incipientis paroxyſmi in eadem corporis parte obſervantur*; non *in variis*, ſive in aliis alias. Si igitur non in cerebro initium; nec ab aqua deduci poterit in cerebro ſtagnante. Verum ut non modo candide agnovi, ſed & multo fuſius quam opus eſſet, niſi ad te ſcriberem, qui a me hæc ſpeciatim requiris, confirmavi, multos eſſe caſus in quibus comitialis morbus ab aqua intra cranium effuſa non fieri, nec fieri videatur poſſe; ita viciſſim mihi dandum eſſe, arbitror, eſſe caſus in quibus contra vel a pauca aqua fieri queat: id quod poſt proximam Obſervationem oſtendam.

9. ADOLESCENS annos natus duodeviginti, cum viveret in paluſtribus locis, unde ulvam cædebat qua doliarii utuntur ad rimas explendas, facile in hydropem incidit, huncque univerſalem. Cum Patavium in Noſocomium veniſſet; ſumptis quæ urinam movent, nonnihil detumuerat, cum epilepſia, qua nunquam tentatus fuerat antea, prehendi cœpit, ſæpius reccurrente noviſſimis ſeptem diebus, cui deſipientia, & proclivitas ad ſomnum, his autem acuta febris ſe adjunxit. Tot morbis ſimul urgentibus par eſſe non potuit. CAPUT dumtaxat, cujus facies ab aqua intercute erat prætumida, ſectioni ſubjectum eſt ibidem XV. Kal. Apriles A. 1741. Calvaria avulſa, & luci objecta, futurarum omnium legitimarum ſedem univerſam oſtendit pellucidam ad ſemidigiti latitudinem. Quæcunque intra cranium ſunt, vaſa parum ſanguinis habuerunt; ſi Laterales Sinus excipias, atrum ſanguinem continentes. Sub Tenui meninge aliquid inſtar *gelatinæ* cum aereis bullulis eſſe videbatur. Cerebrum; non ita cerebellum; æquo durius inventum eſt. Laxus tamen Fornix, & Plexus Choroides, qui pallidi erant, multo laxiores; ut membrana, inter dexterum ſiniſtrumque interjecta, ſolo attactu laceraretur. Corporis Striati ſiniſtri pars anterior qua reſpicit dexterum, cum ea quæ in hoc ipſi reſpondebat, comparata, magis protuberans vel primo oculorum obtutu deprehendebatur, neque ullum in re hac erroris periculum ſuberat, cum cerebrum, ut ſolemus ſæpius, in ſua ſede diſſecaretur. Sana tamen exterius pars illa, &, quantum judicare potui, etiam interius; quanquam reticere non debeo, Mediaviæ meo viſam eſſe cineream ſubſtantiam, quæ albis ſtriis interponitur, quaſi nonnihil poroſam. Nec ſeptum Lucidum, nec Pinealis glandula, neque ulla uſquam alia pars cerebri, quod diligenter perſectum eſt, quidquam præterea vitii oſtendit, niſi quod pauca aqua, eaque ſubflava, in Lateralium ventriculorum cavo deprehenſa eſt.

10. Habes hiſtoriam, qualem protinus; ſic enim ſoleo; cum domum redii, chartis commiſi. Memoriæ enim meæ ejuſmodi in rebus diffido: itaque cave credas me facile ab hac deceptum, ſiquando aliquam forte mearum Obſervationum a me paulo aliter propoſitam legas ac ab nonnemine eorum qui interfuerint, relata ſit: quod huic cur acciderit, mirari magis poſſum, quam ſcire. Cæterum a me cauſas omnes tot morborum, atque adeo mortis hujus adoleſcentis te expectare, minime puto, qui animadverteris, nihil mihi, niſi caput, quod ſecaretur, oblatum eſſe, & ſi totum corpus perſectum fuiſſet; inter eos tamen morbos non minus ſaltem quam cæteri, exitialis, acutæ videlicet febris, cauſam Anatomicorum oculos perſæpe effugere conſueviſſe. Reſtat igitur, ut ex iis quæ in capite deprehendi, quæramus, an quidquam ſit, quod cauſa epilepſiæ, cui ſe deſipientia, & proclivitas ad ſomnum adjunxit, non ab re fortaſſe poſſit exiſtimari. Exiſtimari, inquam, fortaſſe poſſit; nam reapſe cauſam fuiſſe, aut non fuiſſe, neque meum, neque tuum, neque ullius hominis eſt in iſtiuſmodi caſibus pronunciare. Itaque ſepoſita cranii pelluciditate ad ſedem ſuturarum; longe enim aliæ fuerunt harum conſtitutiones, quæ ab nonnullis (*i*) epilepſiæ cauſa creditæ ſunt; animadverſa autem a nobis minus fortaſſe in adoleſcente attendenda eſt; in

cæ-

(*u*) Obſ. Medic. l. 1. ubi de Epilepſia. (*x*) n. 16. (*y*) De Medic. l. 2. c. 8. (*z*) Sect. hac 12. in Schol. ad Obſ. 44.
(*a*) Ibidem in Schol. ad Obſ. 39. (*b*) Obſ. 44. in Append. (*c*) in Addit. Obſ. 5. in fin. (*d*) in Schol. cit. ad Obſ. 39.
(*e*) Prælect. Pract. P. 1. c. 16. (*f*) De Cura Ægritud. ubi de Epilepſia. (*g*) Comm. in Boerh. Aph. §. 1084.
(*h*) Ibid. ad §. 1078. (*i*) Sect. hac Sepulchr. 12. in Append. ad Obſ. 32. & in Additam. Obſ. 4.

cæteris fere omnibus quæ adnotata ſunt, ſi non cauſam, at vim ſaltem quæ ad juvandam cauſam valeret ejus de qua loquimur, epilepſiæ, inquiri, & conjici poſſe, ſuſpicor; cauſam autem præcipuam poſſe in aqua poni quæ in ventriculis inventa eſt, ſive ea multa in vivo, ſeu pauca fuerit. Fuiſſe autem multam in hydropico, veriſimile eſt: quod videtur confirmare, Williſii quoque (*k*) judicio, plexuum Choroidum pallor, eorumque, & Fornicis laxitas, & illa quaſi *gelatinæ* ſpecies ſub Tenui meninge. Nec vero illud obſtat, quod pauca aqua intra cranium mortui reperta ſit. Facile enim potuit cum a cervicibus caput abſcinderent, multo maxima aquæ pars per tubum vertebrarum effluere. Quod ſi multa igitur fuit; tanto magis premebat laxum Fornicem, quanto magis reliqua cerebri ſubſtantia, quippe æquo durior, reſiſtebat, quantoque minus in ventriculorum cavo, quod cæteroquin ſecundum naturam, ſi non, quod aliqui contendunt, nullum; at certe exiguum revera eſt, quanto, inquam, minus in eo cavo erat ſpatii ob majorem alterius Striati corporis protuberantiam, ſive hæc a primordiis fuerat, ſive poſtea propter illos poros, intus additos, ſic excreverat: ventriculorum autem cerebri in epileptico *nimis anguſtorum* aliquam potes in Sepulchreto Obſervationem (*l*) inſpicere.

Sed ſi mavis, aquæ nihil e cranio defluxiſſe, & vel in vivente paucam fuiſſe; hac quoque ratione cauſa eſſe præcipua potuit iſtius epilepſiæ, quæ nempe eſſet cum proclivitate ad ſomnum, & cum ea quæ hanc fere conſequitur, deſipientia, aut ſpecie ſaltem deſipientiæ conjuncta ſic ferme, ut in ſomnolentis videmus. Nam ut pauca aqua Fornicem minus premeret; jam laxum tamen magis laxabat, eoque hominem ſomniculoſum facere poterat. Qui? inquies. Nimirum quia cum uſus Fornicis lateat, nihil ſuſpicari vetat eſſe ejuſmodi, ut ſi laxior ſit, dormitare oporteat. Hic jocari me forte credes. Atqui ita jocor, ut contendam, neminem tamen eſſe qui poſſit meam reipſa falſam eſſe ſuſpicionem, demonſtrare. Sed auferamus hæc; quando & dormitatio repeti fortaſſe poteſt ab illa quam fuiſſe vidimus in vaſis cerebri, ſanguinis paucitate, & ſatis hic eſt, explicata jam alibi a nobis dormitatione, illud oſtendere quod unum in Noſocomio quoque tunc oſtendendum ſuſcepimus, ab iſta ſive multa, ſeu pauca aqua epilepſiam potuiſſe excitari.

11. Cum enim ea quæ ſupra memorata ſunt, multæ quæ præfuiſſet, aquæ indicia enumeraſſem, & cauſa exempli, quomodo ſecundum Bellini (*m*) dogmata, ab nimia humoris copia modo hos, modo illos nervos aut contrahente, aut laxante repeti poſſit epilepſia vel nulla poſita vi ſtimuli, indicaſſem; illud alterum, prohibentibus temporis anguſtiis vix attigi, nimirum vi tamen etiam ſtimuli excitari poſſe, & in propoſito adoleſcente potuiſſe, præſertim cum indicium ſtimuli non deeſſet, quod & ibi dixi, ſubflavus videlicet aquæ color. Et ſane inter illos etiam Medicos qui ante recentiores floruerunt, in eadem hac fuit ſententia præ cæteris Saxonia noſter (*n*). Qui cum epilepticam convulſionem ex irritamento deduceret membranæ tenuis, cerebri ventriculos ſuccingentis, illuc proceſſit, ut ſcriberet, *aquam, dummodo non ſit permiſta cum ſucco bilioſo, & propterea non ſit coloris flavi, aut viridis, non facere epilepſiam.* Verum eſt quidem, non raro in epilepticorum capitibus reperiri *ſtagnantes aquas citrinas, ſerum flavum & acre, lympham ſubſulvam, ſalis more ferientem linguam, ſerum citrinum*, ut potes vel ex noſtra hac Sepulchreti Sectione (*o*) intelligere. Sed tamen Saxonia ſcire debuiſſet, Coiterum Anatomicum ſane præſtantiſſimum *in Epilepticis multoties vidiſſe* aquam *ſimilem* ejus quam in aliis ex capite laborantibus invenerat, hoc eſt *limpidam, tenuem, & puram*, hancque *pluries quam flavam, vel bili colore ſimilem*, quod & in eadem Sectione (*p*) habes, ut illis opponas quæ paulo poſt ex Saxonia ſequuntur Obſ. XIX. & præſertim ejus pronunciato quod paulo ante produximus, & in ſubjectis illi Obſervationi Scholiis pariter leges. Ex colore igitur flaveſcente, cum aquæ ineſt, ſtimulum quidem huic ineſſe, conjicimus; ſed non omnes quibus ſtimulare poſſit, rationes ad illum unum colorem contrahimus. Nam id *acre*, id *ſalis more feriens linguam*, quod modo memorabamus, vel in aqua limpida latere poſſe, quis dubitet? Vides certe in hujus Sectionis Obſervatione XV. *morbum comitialem ab humore limpido, calido, & ſalſo, aquæ fortis aurificum æmulo nonnunquam ortum:* neque in XIII. Obſervatione Mangoltius, aut in XVI. Hippocrates colore infectam aquam memorant quæ fecerit epilepſiam; ſed hic quidem pituitam in male olente cerebro *erodentem & colliquantem*, ille vero ſeri *ſaporem acrem, ſubacidum, & ſalſum, & parum exedentem* repertum ſcribit. Itaque cum Slevogtium (*q*) leges in cane epileptico aquam *citrinam atque turbidam* ad cerebri ventriculos reperiſſe, aut in Cæſareæ Academiæ Ephemeridibus (*r*) in epilepticis puero, & viro *multum ſeri flaveſcentis* intra, aut circa cerebrum occurriſſe; non magis in his eſſe potuiſſe ſtimulum credito, quam ubi ex iiſdem Ephemeridibus (*ſ*) ſcies, intra cerebrum juvenis, itemque puellæ, & infantis plurimum *lymphæ* fuiſſe inventum, quippe quæ, ſi non *procul dubio*, ut Gerbezius ibidem cenſuit; at non ſine magna veri ſimilitudine *acris* fuit. Quid, ſi aqua vel ſola copia irritare poteſt? Sed ſive multa ſit, ſive pauca, modo aut mora, aut ſimulantibus cujuſquemodi particulis additis ſubinde pluribus, aut paucioribus proportione ad aquæ copiam quæ tunc eſt, & ad membranarum magis minuſve tenſarum ſenſum, irritans fiat; ſatis, aut ego quidem plurimum fallor, intelligi licebit, qua ratione tunc poſſit comitialem morbum excitare, illudque etiam fortaſſis, qui factum ſit, ut propoſito adoleſcenti cum urina mota eſt, tunc primum acciderit epilepſia non ſecus ac Poggio (*t*) ſimul lotium, ſimul inſultuum vis augebatur; ſubducto videlicet humore quo ſtimulantia corpuſcula, quæcunque, aut ubicunque ea eſſent, diluebantur, quanto ille magis decreſcebat, tanto horum vires magis videbantur increſcere. Certe autem cauſa tanti morbi non ex mole, ſed ex vi æſtimanda eſt. Sic Fernelius (*u*) *alias circa meninges, alias in cerebri ſubſtantia putridam quandam & glutinoſam ſaniem fabæ quantitate* deprehendit, *quæ crudelis hujus & immanis affectus fomes fuerit.* Ad hæc tamen, duo poſſe dici, non ignoro, alterum, eſſe qui obſervationibus, & experimentis freti, pernegent, a membranarum cerebri irritatione convulſiones oriri; alterum, aquam iſtam, quam nos harum eſſe cauſam, conjicimus, effectum fortaſſe eſſe poſſe. Quorum illud erit infra (*x*) expendendi locus; hoc vero minime neceſſe eſt ut ad diſcutiendum aggrediar, ſive quia non ut convulſiones ſemper, ita ſemper aqua, quod vel iſta Sepulchreti Sectio (*y*) docet, eſt in epilepticis, ſive aliis etiam rationibus; cum ſatis hic quidem ſit illud unum regerere, me aquam interdum epilepſiæ eſſe cauſam, non pro certo affirmare, ſed ſuſpicari dumtaxat, ac conjicere: minime autem æquum eſſe, ſuſpicionem altera objecta ſuſpicione funditus convelli poſſe, exiſtimare. Sed ad reliquas in quibus aqua interdum fuit, interdum non fuit, noſtras, aut Amicorum Obſervationes pergamus.

12. VIR qui coquinariam exercebat, morbis urinariarum partium antea obnoxius, ob aſſiduam, nec levem, qua prehenſus fuerat, febrem in Bononienſis S. Mariæ *de Vita* Noſocomio decumbebat. Vidi ſanguinem quem miſerant, ita in vitreo vaſe concreviſſe, ut hujus undique parietibus adhærens, ſerum omne ſupra ſe extruſiſſet, quod paucum erat, & cruentum. Pejus habere pergebat, præſertim veſpere. Die ab initio febris circiter duodecima epilepticus mortuus eſt. Hujus ut morbum non multum ſane obſervaveram, ita diſſectioni non interfui: quam peregit idem qui

(*k*) Sect. proxima 13. Obſ. 7. (*l*) Sect. hac 12. Obſ. 28. & 29. (*m*) De morb. Capit. (*n*) c. 16. cit. ſupra ad n. 8.
(*o*) Obſ. 10. §. 2. & in Addit. Obſ. 7. 8. 16. (*p*) Sect. hac 12. Obſ. 6. (*q*) Diſſert. de Proceſſib. Mammillar. §. 33.
(*r*) Dec. 3. A. 6. Obſ. 181. & Cent. 10. Obſ. 94. (*ſ*) Cent. 3. Obſ. 14. n. 2. & Cent. 7. in Append. (*t*) ſupra, n. 7.
(*u*) in Addit. ad hanc Sect. Obſ. 1. (*x*) n. 21. (*y*) Obſ. 34. 36. 38. &c.

qui mihi poſtmodum narravit, Sebaſt. Ant. Trombellius, ſtudioſus tunc juvenis, nobilis poſtea Bononiæ Medicus, & Chirurgus. VENTER nihil aliud ſpectabile habuit, quam renes, quorum alter rotundus, & carcinoma quadantenus referens, calculos continebat; alter vero; credo, quod illius quoque ſuppleret officium; erat pene duplo major quam par eſſet. Thorax præter pleuram inflammatam, cor, & vaſa majora turgida exhibuit nigerrimo, & valde fluido ſanguine, & decima a morte hora calente. Caput denique vaſcula omnia, quæcunque per cerebri ſuperficiem repunt, rubicunda valde, & turgida oſtendit; in ventriculis autem cerebri aquam paucam, eamque lymphæ inſtar limpidam.

13. Si aquam hic accuſare non placet; referas licet epilepſiam ad cerebri vaſcula univerſa, quæ ſanguine ejuſmodi, a febre quoque agitato, & comminuto, adeo tumida, cum Tenuem, cui intexta ſunt, meningem diſtraherent, non irritare non poterant. Quod ſi non omnibus quibus ea turgent vaſcula, morbus comitialis oboritur; fortaſſe in ea minus tenſa meninge diſcriminis cauſa quærenda eſt. Non paucos profecto diſtentis iis vaſis in eum morbum incidiſſe, Sepulchreti eadem circa quam verſamur, Sectio indicat. Namque; ut XX. Obſervationem mittamus, quæ & ſub num. XXXIII. iterum propoſita eſt; in Additamentis Obſervatio II. quæ ipſa quoque rurſus pari inconſiderantia ſub num. XI. aſſertur, *inflammatam* exhibet cerebri partem, VI. autem ea vaſa *tenſa & turgida*, & XV. *turgidiſſima*. At enim, inquis, his omnibus non vaſorum turgentia ſolum, ſed & effuſus intra calvariam ſanguis fuit. Fateor; ſed in his omnibus non epilepſia tantum, verum inſuper apoplexia, ſi diligenter attendas, graviſſima fuit, quæ epilepſiam excepit; ut proclive ſit conjicere, donec vaſa turgida dumtaxat, & ruptioni proxima Tenuem meningem diſtrahebant, epilepſiam; cum vero jam rupta ſanguinem effuderunt, apoplexiam attuliſſe. Quod ne forte a me temere dictum putes; hanc etiam quam mecum Nicolaus Mediavia communicavit, perbrevem legito Obſervationem.

14. BAJULUS annorum circiter quadraginta, cum per eos dies, videlicet circa medium Sextilem A. 1729. multis ſe vel ſupra quam ſolebat, tum laboribus exercuiſſet, tum cibis, in primiſque fructibus impleviſſet; in comitialem incidit morbum, quo nunquam antea vexatus fuerat, eoque paucos intra dies in Noſocomio confectus eſt. CAPUT, quod ſolum diſſectum fuit, nihil quidquam habuit attendendum, ſi vaſorum cerebri turgentiam excipias.

15. Caſum Apellæi Lariſſæi, quem in extremo Scholio ad XIX. Sectionis hujus Obſervationem memorari vides, ſi in ipſo V. Epidemiorum libro (z) perlegeris; propoſiti ſimilem in eo cognoſces, quod ille hujuſmodi morbo interemptus eſt, cum eſſet *valde vorax multi cibi, & multum luctatus*. Simul fateberis, ad præcavendas hujus præſertim generis epilepſias, ſanguinem neque nimis per magnos labores æſtate præcipue exagitandum, neque multis cibis, fermenteſcentibus præſertim, augendum, & ſi forte auctus ſit, opportunis detractionibus eſſe minuendum ſecundum ea Medicorum felicia exempla, quæ in Scholiis ad Obſervationem XXXV. tertio loco invenies commemorata. Unde intelligas licet, tametſi turgentia intra cranium ſanguifera vaſa non eſſent ipſa, ut in certa meningum, aut cerebri diſpoſitione conjicimus, cauſa epilepſiæ; non fore tamen inutile rem noviſſe, quæ cauſæ vires fovere ſaltem, & augere poſſit. Quod & de aliis quibuſdam rebus dictum puta, quas in cerebro non epilepticorum dumtaxat conſpectas eſſe a nobis, ſuperiores cum his collatæ oſtendunt Epiſtolæ. Quidquid enim in quocunque cadavere præter naturam deprehendimus, non reticemus, & an morbi prægreſſi cauſa aut per ſe, aut cum aliis conjunctum, potuerit eſſe, perquirimus, conjicientes quidem ſæpius, raro ſtatuentes. Neque enim præterit, fieri poſſe, vera ut cauſa noſtros ſenſus omnino fugiat cum in aliis morbis pluribus, tum in his præſertim qui ad cerebrum attinent: itaque nihil uſquam vitii a perſpicaciſſimis Viris aliquando poſt epilepſiam, vel idiopathicam, fuiſſe repertum, ut Obſervationes docent quædam in Sepulchretum (a) relatæ; quanquam dubitare licet, an omnes habitæ fuerint poſt epilepſiam idiopathicam, & prudenter fecit Saltzmannus, cum in earum prima conjecit, fœminam quæ epileptica dicebatur, & vitioſi nihil in cerebro oſtendit, *aut epilepſia non laboraſſe, aut epilepſiam fuiſſe per conſenſum*. Et ſane Thomas quoque Bartholinus (b), *Epilepſia per inferiorum partium conſenſum raro*, inquit, *ſui in cerebro relinquit veſtigium*. Sed nos ad vitia cerebri ipſius peculiaria, & manifeſta veniamus.

16. MULIER annos nata ad ſexaginta, jam ferme a biennio epilepſiæ obnoxia, ante menſem denique, cum ab ea concidens, caput alliſiſſet, in hoc Noſocomium excepta eſt. Non apparebant a primo externa ſigna læſi cranii; ſed neque interna læſi cerebri. Illud poſtea intellectum eſt alliſum fuiſſe ad medium oſſis verticis ſiniſtri; quanquam ibi, cum os retexiſſent, nihil apparuit mali. Ad cerebrum autem nihil omnino attinebat, niſi epilepſia, ſed hæc conſueta, cujus acceſſiones ſæpe ad hunc modum recurrebant. Leviter primum tremebat, dein, quaſi rigida, immobilis, & taciturna jacebat, donec ad ſe rediret. Tunc ſemel quidem videri potuit deliraſſe; niſi quod credita eſt potius, quippe quæ ab acceſſione modo emerſerat. ob relictam ab hac quandam quaſi ſtupiditatem, minus apta reſpondiſſe. Noviſſime autem delirium evidens fuit, & cum acuta febre conjunctum, leve tamen, neque ullo præterea alio affecti cerebri indicio ſtipatum. Quin tres, an quatuor poſtremos dies, debilitato jam pulſu, mente iterum conſtitit, donec vivendi finem fecit circa medium Decembrem A. 1741.

CADAVERIS urinarias, & genitales dumtaxat partes, præter caput, diſſecuimus. In illis nihil non ſecundum naturam eſſe viſum eſt, ſi fundum excipias uteri, cujus interiorem faciem totam invenimus ex colore cruento ſubnigram, ſic tamen ut hic color parum alte in uteri ſubſtantiam deſcenderet. Id ad menſtruum ſanguinem non attinuiſſe, cum mulieris indicabat ætas, tum fruſtra tentata ſubjectis digitis uteri preſſio confirmavit; nihil enim ſanguinis prodiit. Cranium diligenter inſpectum a facie quidem interiore, non obtulit quidquam adnotatione dignum; quamvis exterius ea ruberet oſſis ſedes quæ ſupra indicata eſt. Quin etiam cum poſterior oſſis utriuſque ſincipitis externa facies quaſi depreſſa appareret; nihil in ea quæ intus reſpondebat, quod eſſet præter conſuetudinem inventum eſt. Meninges ubique integræ, ut ne vaſa quidem turgida haberent. Sed vix Dura detracta fuerat, cum animadverſum eſt, in cerebri hemiſphærio ſiniſtro tertiam anteriorem partem multo humiliorem eſſe ſua compari, multoque molliorem, neque in ſummo tantum, ſed ubique penitus ne baſi quidem excepta. Scilicet ob eam mollitiem ita ſubſederat: quæ mollities cum in corticali ſubſtantia erat, tum multo magis in medullari. Hæc enim potiſſimum in quandam quaſi *gelatinam* magna ex parte mutata erat, ex cinereo ſubfuſcam, & tamen ferme pellucidam: quod vitium priorem quoque Lateralis ventriculi portionem comprehenderat, quæ intra propoſitam hemiſphærii illius partem continebatur. Nuſquam gravis odor, nuſquam pus, aut ſanguinolenti aliquid in ea *gelatina*; ut peculiaris generis eſſet id vitium. Sana omnia in reliquo cerebro, & cerebello, vix ut aquæ, fortaſſe a ſectione rubeſcentis, tantum eſſet in ſingulis pariter Lateralibus ventriculis quantum cochleari uno capi poſſet. Aquæ etiam aliquid, dum cranium circumſecaretur, effluxerat.

17. Permirum omnibus qui aderant, videbatur, cum tantæ partis cerebri vitio tanto tandiu mulierem ita vixiſſe, uti ſupra expoſitum eſt, ſive id vitium ante capitis alliſionem inceperat; ſive poſt eam denique inchoatum erat. Quorum hoc indicare videtur vitii ſedes in eodem latere, in quo caput alliſum fuerat.

(z) n. 11. (a) Sect. hac 12. Obſ. 36. 38. §. præſertim 2. (b) Cent. 2. Hiſt. Anat. 92.

Illud tamen; ſi quidem epilepſiæ cauſa erat; morbus qui tanto antea infeſtaverat, plane requirit: nec alia mihi deſunt exempla ejuſdemmodi ferme corruptionis cerebri nullo ictu prævio, quorum unum, ſi Epiſtolam relegas V. (*c*) in altera muliere facile agnoſcas; quanquam medullaris illa quaſi colliquata, & inodora cerebri ſubſtantia habebat aliquid cruenti admiſtum, & apoplexiam fecerat cum reſolutione in oppoſito corporis latere, non epilepſiam, tametſi multo minus ſpatii occuparet: quod diſcrimen ſedi illi quam tenebat, maxime attendendæ, ad Thalami nervi Optici latus, eſt fortaſſe tribuendum, quantum tamen ſinit exemplum alterum, quod ita ſe habet.

18. VIR brevi ſtatura, gracili habitu, comitiali, quo prehendi ſolitus erat, morbo gravius recurrente, intra pauciſſimos dies ſublatus fuerat. CADAVERIS pleraſque partes cum diligenter ſcrutarer Aprili menſe A. 1722.; in Ventre animadverti renem dexterum majorem ſiniſtro. In Thorace exigua hic illic oſſis inchoamenta in arcu Magnæ arteriæ. In Capite præter alterius Vertebralis arteriæ, ejuſque in quam influit; arteriam Baſilarem vocitat Cel. Winslowius (*d*); inæquales nonnullis in locis dilatationes, nihil quidem in vaſis cæteris adnotandum fuit, quæ neque inania erant, neque ſanguine præter naturæ modum diſtenta. Nec aqua fuit uſquam effuſa. Verum ad extremam partem utriuſque Thalami nervorum Opticorum color ex fulvo nigricans indicium fecit vitii ſubjectæ medullæ: & ſane quantum hujus ſubſtantiæ alte eo deſcendente colore inficiebatur, tantum & æquo mollius fuit, & veluti ſemicorruptum aſpicientibus apparuit.

19. An huc attinet ea *macula*, de qua in Sepulchreto (*e*) affertur locus Henrici Petræi? *In ſectione Epilepſia defunctorum nullum obſtructionis veſtigium apparet, ſed modo macula, modo humor ater, & ſpumoſus, modo nihil prorſus*. Macula certe in utroque producto exemplo (*f*) mihi indicio fuit latentis proxime vitii, quod, altius ſecando, ſe prodidit. Cæterum ad hoc peculiare corruptionis cerebri genus referendum videtur quod in eximio Viro Alexandro Marchetti, poſt duos epilepticos inſultus non multis interjectis diebus forti apoplexia ſublato, animadverſum eſt (*g*). *Subſtantia* enim *corticalis cerebri admodum tenera erat, ut etiam leni attactu in fluidam ſubſtantiam converteretur, quaſi nunquam cohæſiſſet*. Eodemque referenda eſt, niſi quod longe profundior fuit, ea corruptio quam Erneſtus Gottl. Schmidtius (*h*), & Carolus Curtius (*i*), hic in juvene muliere poſt apoplexiam, ille in milite poſt graviſſimos dolores, & mala alia capitis, hujus ictum conſecuta, viderunt. Primus enim non modo totius hemiſphærii dexteri tranſmutationem deprehendit ita ut ejus ſubſtantia *gelatinæ cuidam liquidiori, ſive colliquamento potius ſimilis eſſet, leviſſimoque contactu difflueret*, ſed & eandem tranſmutationem ad hemiſphærium quoque ſiniſtrum *variis locis itidem progreſſam*. Alter vero dexterum totum hemiſphærium, & ejus meninges quoque offendit in mucoſam ſubſtantiam mutatas, ut cultri mucronem attollentem ſequens, in fili modum duceretur. Sed in apoſtema evidentius, aut non hujus generis tranſierat anterius hemiſphærii utriuſque extremum in ignoto viro, quem mortuum in via publica inventum, ſecuit Cl. Kaavius (*k*). Erat enim *in mucum flavum fœtidum verſus* cerebri *cortex, ut vaſcula piæ matris libera in illo fluctuarent*. Fœtor autem in nulla alia eſt ex propoſitis obſervationibus memoratus, imo in aliqua diſerte negatus, & defuit certe in quatuor noſtris, quarum ultimam in quadam anu, poſt apoplexiam mortua, habuimus, & alias (*l*) ad te mittemus. Verum; ut ad fœminam redeamus, quæ caput alliſerat (*m*); an quod ejus in cerebro vitium invenimus, ita ortum ſit, ut in tribus aliis per nos diſſectis, itemque in Marchetto, & Curtii muliere, an illam potius alliſionem, ut in milite Cl. Schmidtii, ſit conſecuta, judicium tuum facimus, & vel multo magis in uno, atque altero, de quibus jam ſcribemus.

20. VIRUM craſſo ligno in caput incidente percuſſum, epilepticæ affectiones, quibus etiam antea obnoxius fuiſſe dicebatur, multo ſæpius per eos quibus poſtea vixit, menſes, & certe ultimis hebdomadis corripiebant. Præterea tremore aſſiduo quatiebatur tanto, ut per vincula cavere debuerint, ne e lectulo excideret. Amauroſis quoque ſupervenerat; nihil enim jam cernebat, quamvis nullum in oculis appareret vitium, præter dilatationem pupillarum. Cæterum, quod ad reliquas attinebat actiones, quæ dicuntur animales, neque ipſe querebatur, neque aliis læſus videbatur, niſi quod minus promptus erat ad reſpondendum. Sic affectus, ſenſim denique mortuus eſt. CAPUT nobis diſſecandum ceſſit cum in Gymnaſio Anatomen doceremus menſe Februario A. 1728. Cranii fornix, ſi loca quædam exciperes, in quibus ſecundum naturam craſſus, introrſum protuberabat, ubique erat uſque adeo tenuis, ut credi vix poſſet. Quin certo in loco qui ad os attinebat ſincipitis dexterum, foramen habuit ellipſis propemodum forma, paulo minus quam ut apicem admitteret digiti minimi, membrana occluſum, nullo prorſus aut ad ejus oras, aut uſquam in cranio toto vel minimo cariei indicio. Ei tamen ita ut dixi, occluſo foramini, in ſubjecta Dura meninge foraminulum reſpondebat, ex quo ſerum colore fuſco prodibat. Foraminulum communicabat cum cavea, magni ovi capace, plenaque ſero ejuſmodi fuſco, in quo ſanguis concretus, non multus, ſubſidebat. Erat ea cavea abnormi forma, & inæquali intus ſuperficie, cui quæ partes cerebri circum proximæ erant, eæ pravo colore, qui ſemicorruptam ſubſtantiam indicaret, fuſco obſoleto inficiebantur; præſertim vero baſis cerebri ea pars quæ regioni poſteriori impoſita eſt orbitæ dexteræ, & corporis Striati item dexteri pars anterior, quæ inſuper ſubſidebat. Sed & nervi Optici ejuſdem lateris Thalamus, quamvis a cavea remotior, ſtrigoſus videbatur. Nervus tamen uterque Opticus, intra cranium, extraque inſpectus, uti etiam utriuſque oculi particulæ, diligenter a me diſſectæ, nihil uſquam vitii quod quidem ſub ſenſus caderet, oſtenderunt, ſive colorem, ſive magnitudinem, firmitudinemque, ſive ſtructuram ſpectarem. Cæterum etſi hemiſphærium ſiniſtrum cerebri nihil habuit eorum quæ in dextero adnotata ſunt; in Laterali tamen ſiniſtro ventriculo multa erat aqua pellucida, Choroides autem plexus decolor, cum paucis, parviſque veſiculis: tum cerebrum univerſum ſubflavo obſoleto colore, & vaſis nigro ſanguine valde turgentibus. Pituitaria denique glandula plurimum depreſſa, & parva; non tamen dura.

21. De amauroſi in utroque oculo oborta, quamvis eſſet cerebrum ab altera dumtaxat parte vitiatum, non eſt hic ſcribendi locus (*n*), ut neque de tremore illo aſſiduo, ſeu mavis motibus convulſivis. De abſceſſu autem epilepſiam in eodem viro ſaltem multo ſæpius ciente, conferas velim indicatam ſupra (*o*) Alexandri Marchetti diſſectionem; in ejus enim cerebro præter id quod ibi dictum eſt, abſceſſus quoque non ita diſſimilis fuit. Habes præterea in Sepulchreto (*p*) obſervationes Fernelii, & Smetii: quarum illas, etſi etiam alio loco repetitas videbis; malo tamen in primo legas, ubi ſe, ait, comitialis, qui in cerebro fit morbi *cauſam interdum deprehendiſſe cerebri abſceſſum eſſe: interdum corruptam meningis portionem calvæ adhærentem*. In propoſita enim a me hiſtoria utramque habes cauſam & cerebri abſceſſum, & meningis, parvam quantumvis, utriuſque tamen, corruptionem a perforante peſſimo humore inductam. At enim Williſius, inquies, hanc cauſam alteram non accipit, quippe qui, ut in Sepulchreto quoque (*q*) legeris, neque ex abſceſſu in Craſſa meninge excitato, neque ex pure inde fœtidiſſimo alteram quoque meningem exedente, neque ex magna illius, per terebellum imperiti Chirurgi, dilaceratione quidquam viderit

(*c*) n. 6. (*d*) Expoſ. Anat. tr. des Arter. n. 99. & ſeqq. (*e*) Sect. hac 12. Obſ. 14. (*f*) n. 17. & 18.
(*g*) Eph. N. C. Cent. 7. in Append. (*h*) Obſ. Chir. Tetr. Obſ. 3. (*i*) Diſcuſſioni di un raro morbo cutan, &c, in una Nota.
(*k*) Nov. Comm. Acad. Sc. Petropol. T. 1. Obſ. Anat. 3. (*l*) Epiſt. 57. n. 14. Vid. & Epiſt. 60. n. 4. (*m*) ſupra, n. 16.
(*n*) Vid. Epiſt. 13. n. 6. (*o*) n. 19. (*p*) Sect. hac 12. Obſ. 2. & 21. n. 1. & 2. (*q*) Ibid. in Schol. ad Obſ. 1.

viderit epileptici accidiſſe. Ego vero, præter hæc, Ridleyanum illud (r) minime ignoro experimentum, in cane habitum qui ex perforatione Duræ meningis, *convulſionis cujuſvis expers fuit*. Nihil horum negare auſim. Diſcriminis potius cauſam quæram inter hæc, & contrarias aliorum obſervationes, contrariaque experimenta. Atque ut de multis ad pauca ſermonem contraham; legiſti certe in Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis (ſ) deprehenſam in adoleſcente cauſam diuturnæ, & progreſſu temporis, vi, & acceſſionum numero creſcentis epilepſiæ, minima videlicet oſſicula, quæ baſim in Craſſa habebant, acutiſſimos autem apices ſic contra Tenuem meningem converſos, ut hanc non compungere, eoque magis, quo magis creſcebant, non poſſent. Vidiſti quoque; ut nunc alia Italorum experimenta prætereeam; vidiſti, inquam, in Bononienſis Scient. Academiæ Commentariis (t), cum Vir Cl. Petrus Paulus Molinellus retectam in parte vivo cani *Duram Matrem iterum & ſæpius pungeret, obſervaſſe, canem convulſionibus torqueri variis, præſertim cum ea pars Duræ Matris pungeretur, quæ maxime ad os adhærebat*. An igitur cauſam ejus, quod apparet, diſcriminis ab hac ultima experimenti parte repetemus, conjicientes id quod ratio quoque ipſa confirmat, niſi æque tenſæ meninges ſint, æquales ab earum irritatione effectus non eſſe expectandos. Quod vero magis ſint tenſæ, non ſolum adhæſio ad os, ſed & alia, ut vaſorum diſtentio in utraque, & juſto major durities cerebri in Tenui, quæ proxime ipſum conveſtit, poſſunt efficere. Quæ duo-fac memineris fuiſſe a nobis in quibuſdam, de quibus ſupra (u) dictum eſt, cadaveribus, & in hoc præſertim, quo de loquimur, ſi non conjunctim, at certe ſeorſum adnotata. Sic enim facilius conjecturas accipies quas in ægris illis propoſuimus de membranarum cerebri irritatione. Ad eundemque modum intelligere etiam poteris quod alibi in laudatæ Regiæ Academiæ Hiſtoria (x) relatum eſt de parvorum oſſiculorum aculeis ex altero latere Sinus Falcis Superioris extantibus, epilepticas acceſſiones cientibus, nullo levamine, niſi ex magnis ſanguinis detractionibus. Contra in illo Ridleyi cane Duræ meningis perforationem *hæmorrhagia* præceſſerat, quæ, ſi levior fuiſſet, non eſſet ab experimenti Auctore memorata. Unde laxitas tanto facilius eſſe potuit quod ea pars meningis quæ perforata eſt, oſſi amplius non adhærebat. Nihil autem prohibet in una, aut altera a Williſio, inter plurimas fortaſſe de induſtria, ſelecta, exeſionis, & perforationis meningum Obſervatione, laxitatis cauſas, ſi non ejuſdemmodi, at aliquas ſuſpicari: quæ laxitas ſi in Juvene, itemque in Duce illo fuiſſet, de quorum altero habes in hac Sepulchreti Sectione Obſervatione IV. de altero autem Obſervatione XXVII. & fuſius in Sectione Prima, Obſervatione LXIX. perperam a typographo inſcripta XLIX. non illi credo puſtulis *eroſa* Dura meninx epilepſiam attuliſſet, neque huic *ſat magnum os ad inſtar lapidis ſtellati acutum, ſuo acumine membranæ* Duræ *inflammationi atque corruptioni* æque facile *dediſſet occaſionem*, cum *Herculeo morbo* conjunctæ.

22. Illud autem acutum os *in medio cerebro* deprehenſum, cum meningem Craſſam acumine læſerit ſuo, facit, ut inter utrumque hemiſphærium ipſum poſitum fuiſſe, conjiciam, ſic ut ad Falcem, proximaſque meningum partes, non ad cerebri ſubſtantiam, attineret, præſertim cum Obſervationis Auctor, ut omnem amoveret ſuſpicionem oſſis a proximo forte diffracto olim cranio illuc delapſi, nequaquam dixerit id quod inculcare non omiſiſſet, nunquam præfuiſſe vulneratæ illius ſubſtantiæ gravia conſtantiaque ſymptomata; ſed tantum addiderit, *nullum animadverſum* eſſe *ſignum quondam diſrupti cranii, aut cicatricis relictæ*. Quæ verba me admonent, ut occurram dubitationi tuæ. Quærere enim potes, num in eo de quo agimus, viro animadverſum calvariæ foramen ablato inde a Chirurgo poſt ictum, an exeſo olim oſſi credam eſſe tribuendum? Neutram ego cauſam hic poſſe agnoſcere mihi videor, quando nullam, poſt ictum adhibitæ, chirurgiæ factam fuiſſe mentionem, ſcio, nullumque cicatricis aut ſupra, aut infra foramen veſtigium conſpexi, neque ullum cariei, quæ cranium affeciſſet, indicium; ut non ſecus ac Lanciſius (y) de non diſſimili eodem in oſſe viri apoplectici reperto foramine, interdum potius cogitaverim, in tenuiſſimo alioquin cranio imperfectam illam, neque oſſe expletam particulam a primordiis relictam eſſe. Veruntamen cum viciſſim recordor, deſcripti in cerebro abſceſſus caveam ei foramini ſubjectam, ibique utramque meningem foraminulo, cum cavea communicante, pertuſam fuiſſe, non parum ſane hærere me, fateor. Itaque Obſervationem huc potius adjungam Nicolai Mediaviæ, quam conferre cum hac poſſis; ſimul enim cum certis cranii exeſionibus abſceſſus cerebri, & comitialis morbus conjuncti fuerant.

23. MULIERI in ſuperiore frontis parte tumores duo venerei extabant ex iis qui *gummata* vocitantur. Ob eos dato hydrargyro ſaliva evocata eſt. Itaque ſiniſter excidit; dexter manſit. Unde ille exciderat, prominentia apparuit pulſans. Conſtabat, mulierem antequam hydrargyro uteretur, epilepſiæ obnoxiam fuiſſe: & ſane in media quoque curatione ſemel, hac autem abſoluta, iterum agitata eſt convulſionibus, ſpumis ore profluentibus. Denique, nulla parte corporis reſoluta, ſopore quaſi quodam, ut raro loqueretur, jam dies aliquot affecta, interiit circa medium Octobrem A. *1739*. CRANIO, & cerebro diligenter perluſtratis, inventum eſt, illam quam memoravi, prominentiam membrana quadam obtegi non tenuiore quam craſſior charta, ab noſtratibus dicta *cartone*; ſed flaccida, ut inter digitos contrita, facile diſrumperetur. Ea membrana utriuſque ibi meningis tenebat locum; ſuberat enim corticalis cerebri ſubſtantia, inde uſque ad medullarem æquo durior, non minus videlicet, quam hepatica eſt. Sed hemiſphærium reliquum ſiniſtrum, ſi poſteriorem partem excipias, contra erat multo mollius quam par ſit. In eodemque cavea erat, parvæ nucis juglandis magnitudine, lividis molliſſimiſque ex medullari ſubſtantia parietibus comprehenſa, ex qua in ſummo aperta humor primum nigricans, tum ſeri habitu, & colore, quo filamenta quaſi quædam innatabant, effluxit ſine ulla graveolentia. Imminebat hæc cavea anteriori parti Lateralis ventriculi, quocum minime communicabat, ut neque cum illa quæ deſcripta eſt, prominentia; quin ab hac diſtabat digitos tranſverſos circiter duos. Ceterum ei prominentiæ reſpondebat in cranio foramen ellipſis forma, oris undique æqualibus non ſecus ac ſi lima eſſent lævigatæ. Hæc a ſiniſtris. A dextris autem nihil in cerebro adnotatione dignum fuit. Quod ad cranium attinet; tumor ille qui non exciderat, dexter necdum ad interiorem cranii faciem exedendo pervenerat. Alio tamen loco, quo loco os prorſus deerat, craſſa quædam membrana ſuberat; an quod tumor inde alter, dato hydrargyro, alias excidiſſet?

24. Diſſectionem hanc ſi cum iis paucis compares, quæ ad veneream cranii cariem, & gummata ſpectant in ea circa quam verſamur, Sepulchreti Sectione de Epilepſia (z); pluris fortaſſe facies, quia gummata quid in cranio, & proximo cerebro conſecutum ſit, docet. Cæterum apoſtema ad gummata pertinuiſſe, non protinus, ut opinor, exiſtimabis (a), ſicuti ex adverſo attinuiſſe cenſebis duritiem illam, quæ in ſubjecta ipſi gummati corticali cerebri portione relicta eſt. Et illud tamen, & hanc in epilepticis aliquando inveniri, certum eſt. Quod de apoſtemate cum vel ex pluribus Sectionis ejuſdem Obſervationibus (b) pateat; nonnullas de ipſa duritie indicabo. Omiſſis igitur quæ ad cerebri univerſi firmitudinem attinent æquo majorem, qualis una eſt in Sectione eadem (c), altera in hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis (d), tertia a me ſupra (e) deſcripta eſt; certæ partis duritiem animadvertiſſe memineris Antonium Pacchionum (f),

(r) Act. Erudit. Lipſ. M. Maj. (ſ) A. 1711. Obſ. Anat. 6. (t) Tom. I. ubi Anatomica. (u) n. 9. 12. 14. (x) A. 1734. Obſ. Anat. 2. (y) De Subit. Mortib. Obſ. 1. mortuor. (z) Obſ. 3. & in Additam. Obſ. 3. (a) Vid. tamen Epiſt. 58. n. 9. (b) Obſ. 2. 20. 21. §. 2. & in Addit. Obſ. 5. (c) in Addit. Obſ. 8. (d) A. 1705. Obſ. Anat. I. (e) n. 9. (f) Epiſt. ad Scrok.

qui in epileptico Cardinali cerebri corticem qua inſigni hydatidi reſpondebat, *ad eam reſiſtentem conſiſtentiam deveniſſe*, invenit, *quæ plane ſcirrhoſa videretur*: Cel. autem Virum Joannem Fantonum (*g*) in pueri capite quem epilepſia ſuſtulerat, *præduram portionem Calloſi corporis cerebri, & nihil præterea morboſum* reperiſſe. Huc adde Cl. Viros Abr. Kaavium (*h*), & Balthaſarem Walthierium. Ille enim in claſſiario milite, epilepticis inſultibus diu obnoxio, & in horum poſtremo, qui longe violentiſſimus fuit, repente mortuo, cum alia, tum cerebri corticem non modo ubique *multum induratum*, ſed *multis in locis ſcirrhoſum, in aliis quaſi cartilagineum* præſertim *quo propior erat vertici*, deprehendit. Walthierius autem ad me cum aliis de quibus antea (*i*) commemoravi, Obſervationibus hanc quoque miſit, cujus ſummam continuo adſcribam.

25. VIR annorum triginta quinque, habitus gracilis, dolore capitis frontem verſus cum ſenſu ponderis correptus, bene multis quæ intra biennium celeberrimi imperaverant Medici, fruſtra peractis, incidit in curſum ſanguinis ex naribus, qui poſtquam magna copia erupit, per ſe dein fluere deſiit. Poſt id, orbatus olfaciendi facultate, deinde epilepticis prehenſus inſultibus, his ſæpius ad annos duos conflictatus, noviſſime obierat. CALVARIA recluſa, nihil ab natura alienum inventum eſt, niſi ad cerebri anteriora, ubi in ſiniſtro quidem latere aliqua ſanguinis copia effuſa, a dextris autem verſus eum proceſſum quem Criſtam Galli Anatomici vocant, cerebrum ipſum durum atque calloſum, arctiſſimeque connexum cum Dura meninge deprehenſum fuit.

26. Veri ſimile eſt, ſpiritus animales in tumultuarios motus reflecti quotieſcunque aliqua de cauſa velocius acti, ad certa quædam loca pervenerint cerebri ob calloſam duritiem, aut ob interpoſitum apoſtema prorſus impervia: quanquam & apoſtema videtur poſſe aliquid ex ſe in viciniam emittendo, turbas ciere.

Ut ut eſt, ſi a cerebri duritie, ſi ab apoſtemate, ſi ab ſui generis abſceſſu, ſi a vaſorum diſtentione, ſi ab aqua aut multa, aut pauca, aut flava, aut limpida, ſi ab aliis præterea cauſis epilepſiam fieri, aut; ſi harum aliquas pro effectibus habere mavis; at foveri ſaltem, ſervari, augeri poſſe, non negas; vides profecto, quam difficilis ſit aliquando ipſius curatio, atque adeo ut vires Artis excedat. Vides ſimul, cum has non excedit, quam varia curatio eſſe debeat, tunc quoque cum epilepſiæ cauſa intra cranium eſt, non modo cum extra ipſum, cujus etiam epilepſiæ, variæque ejus curationis aliquot ſupra exempla protulimus. Quamobrem nonnunquam immerito, ſæpe merito accuſantur Medici, iique præſertim qui una omnes epilepſias ratione ac modo aggrediuntur. Verum hæc per alios quoque morbos late patens neceſſitas variæ, ac multiplicis curationis ſummam facit in recte medendo difficultatem: quam ut Anatomici, varias unius morbi cauſas retegendo, magis ſemper magiſque demonſtrant; ſic utinam Medici varia variarum cauſarum ſigna adnotando, poſſent pariter magis, magiſque extenuare. Quod quidem deſperandum uſquequaque non eſt, modo utrique, illi quidem accurate ſecando, hi vero diligenter obſervando, unanimes, ut par eſt, in re tanti momenti ſuas quique partes agant. Quarum utraſque, aut certe alterutras ſuſcipe, quæſo, vel potius tuere, ut facis, ſi me deſerere non vides meas. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA X.

Agitur de Convulſione, & Motibus Convulſivis.

AFfectiones hæ quæ Sectione XIII. in Sepulchreto proponuntur, ſæpe adeo ſe aliis adjungunt, ut in pleriſque Obſervationibus diſerte admoneat Bonetus, ipſas ad Sectiones alias ſui Operis attinere. Noſtræ autem conſuetudinis cum minime ſit non modo in una; id quod ſubinde illi, atque adeo in Sectione hac quoque (*a*) excidit; ſed ne in variis quidem ſuſcepti Operis partibus eaſdem Obſervationes repetere; noli hic plurimas non infrequentis alioquin mali a nobis expectare: ſed ſi plures cupis; in iis quæres Epiſtolis, quas alias, ad Vulnera præſertim ſpectantes, mittemus, aut in pleriſque etiam earum quas antea miſimus, & præter cæteras, in poſtrema. Neque enim ſine convulſivis agitationibus vera eſſe poteſt epilepſia: quamvis illæ poſſint, ut ſæpius videmus, ſine hac. Cujus diſcriminis cauſam, cum illæ a cerebro ſunt, certam quidem, & exploratam ab eo requires qui ſcire ſe, credat, qua in cerebri parte qui motus fiant, cum ſentimus, aut cum ullo modo cogitamus. Ego qui nihil niſi conjecturas dare poſſim, hiſtorias malo, quam conjecturas proferre, quæ ſi rem debeant quoquo modo definire; hic quidem prorſus commentitiæ ſint, oportet: ſi veri ſimilitudinem ſequi; nimis generatim, univerſeque excogitatæ. His tamen potius quam illis utor, quandocunque uti neceſſe eſt, quippe quæ longe minus eſſe videntur erroribus obnoxiæ, multoque paucioribus tum verbis egent, tum poſtulatis, imo his adeo facilibus, atque perſpicuis, ut ponantur ſæpius, quam exprimantur: velut ſi dicam, irritationem quæ convulſiones facit, ſi ejuſmodi ſit, ut aut vi, aut modo, aut loco, aut ratione alia aliqua intercipere, aut omnino pervertere ſimul poſſit ad tempus aliquod eos motus, qui ad ſentiendum, cogitandumve in cerebro fiunt, tunc non convulſiones modo, ſed epilepſiam ipſam eſſe facturam. Sed ad hiſtorias Valſalvæ primum, tum deinde & noſtras veniamus.

2. JUVENI viginti ſex circiter annorum primum fauces nonnihil intumuerant; appetitus autem dejectus erat. His poſt aliquot dies acceſſit convulſio brachii ſiniſtri, ut totum immobile eſſet, atque inflexibile, deinde autem univerſo corpori idem accidit repente quod brachio acciderat; ut nullo modo jam æger poſſet in ullam partem ſe movere; ſed recto, ut jacebat, corpore immobilis, riguduſque perſtaret, niſi quod poſtea manus dumtaxat, & pedes movere nonnihil potuit. Illatus autem fuerat in Bononienſe S. Mariæ *de Vita* Noſocomium, ubi & febris, & convulſio qua tenebatur, agnita eſt, quam videlicet τέτανον appellant Græci. A primo quo hac toto corpore prehenſus eſt, die ad mortem uſque multum ſudavit. Mors autem, die quinto ineunte, novam contractionem quæ corpus in latus curvavit, ſecuta eſt.

IN CADAVERIS cute multæ rubræ maculæ; in Cerebro autem nihil adnotatione dignum occurrit præter perpaucum ſerum, idque ſalſum, in ſiniſtro ventriculo. Thorace aperto, in ſiniſtro ejus cavo aquæ unciæ aliquot repertæ ſunt: pulmo autem uterque multum rubens; ad dorſum præſertim: pericardium ſero omnino plenum. Sanguis parum ab naturali fluore receſſerat.

3. Affectioni huic non adeo frequenti illud inſuper acceſſit quod Mercuriali meo (*b*) viſum fuiſſet longe rariſſimum, ut corpus in alterutrum latus per convulſionem flecteretur. *Nunquam*, inquit, *videbitis convulſos in alias partes contrahi*, & in

(*g*) in Pacchion. Animadv. 22. (*h*) in Comment. cit. ſupra ad n. 19. Obſ. Anat. 2. (*i*) n. 3.
(*a*) Confer Obſ. 7. cum 22. §. 1. Obſ. 13. cum 33. Obſ. 19. §. 2. cum §. 4. (*b*) Prælect. Patav. l. 1. c. 25.

& in alias figuras, quam in tres enumeratas, videlicet ut aut recti ſint, aut antrorſum curvati, aut retrorſum flexi; nunquam autem dextrorſum, aut ſiniſtrorſum. Quod autem hunc tetanum per aliquot dies faucium præceſſit incommodum, num ſub eo latuit ipſius tetani initium? Sic enim hunc *aliquoties* animadvertit Wepferus, ut in Sectione hac (*c*) Sepulchreti leges, *in principio gulæ* incipientem cum *quadam degluriendi difficultate*, quam *tertio die* manifeſtus excipiebat tetanus. Porro multus ſudor qui perpetuo profluxit in eo Juvene, num id levaminis attulit, ut manus, pedeſque nonnihil moveri cœperint? Sane Bontius; quod in eadem Sectione (*d*) videas; experientia edoctus apud Indos, quos inter, hujus generis malum æque familiare eſt, ac alibi rarum, inter cætera commendat quæ ſudorem moveant. Sed hic fortaſſe utilior eſt cum affectio frigori ſucceſſit, cui temere calefactum corpus expoſitum fuerit, ut in milite quem memorat (*e*) *per integram noctem ebrium in ſolo decubuiſſe*, in tribuſque aliis, quos Patavii ſcio, cum mero calentes frigidæ ſe auræ commiſiſſent, pariter rigidos eſſe factos, pariterque *intra quatuor dies*, ægre uno evadente, periiſſe, quemadmodum per ſupervenientem malignam febrem is puer evaſit, quem ibidem (*f*) videbis *ex ſuppreſſo ſudore in paroxyſmo febrili* in tetanum plerarumque partium incidiſſe. Scilicet Hippocratis prædictionem (*g*) hi duo non ſecus ac illi, & ferme etiam Juvenis quo de loquimur, quanquam alii aliter, comprobarunt, quam Cornelius Celſus (*h*) ad hunc modum reddidit: *Ea mala ſæpe intra quartum diem tollunt: ſi hunc evaſerunt, ſine periculo ſunt*. Alibi tamen hujus morbi finem longius Hippocratem diſtuliſſe, animadvertit Doctiſſimus Swietenius (*i*), qui dilationem hanc nonnunquam accidere, accurate ſcripta, & in nonnullis cum hac Valſalvæ conferenda, tetani Obſervatione confirmavit.

4. Rubras autem maculas, quæ multæ cadaveris cutem fœdabant, an ſecundum Boerhaavii (*k*) placita ex eo deduces quod *muſculi nimis rigidi ſanguinem excludebant*, iſque propterea ſub cutem qua minus reſiſtit celluloſa tunica, ſe ſe effundebat? nam pulmonum rubor, iſque ad dorſum magis, præſertim cum ſanguis etiam poſt mortem ſuum conſervat fluorem, minus habet admirationis. Ob ejus autem, a muſculis excluſi, moram hic illic majorem, minoremve, faciliorem aqueæ partis ſecretionem factam intelliges, unde plurimus ille ſudor, & in cava hæc, aut illa ſeri effuſio: niſi hoc mavis ibi collectum credere viis per quas recedere debuiſſet, convulſione contractis. Quod ſi haud alias fuiſſe cauſas, ſuſpicaris, ob quas ſerum ſit in cerebro quoque animadverſum, ideoque pro tetani effectu, non pro cauſa, habendum videri, præſertim cum perpaucum fuerit, & in altero dumtaxat ventriculo deprehenſum; fac ſimul in mentem veniat, hoc tamen fuiſſe ſalſum; quæ res de pericardii, & thoracis ſero minime a Valſalva adnotata eſt; & majorem, aut certe extremam hujus convulſionis vim in altero potiſſimum corporis latere apparuiſſe.

5. VIRGO eadem ferme ætate ac Juvenis de quo dictum eſt, febre acuta laborans, convulſione circa diem ſeptimum corripitur, ut interrogata rideat ſardonio riſu: motus autem convulſivi ſunt adeo vehementes, ut vinculis in lecto debeat retineri. Hos motus comitatur delirium. Omnia hæc tamen una ante mortem hora quieverunt: quæ, aucto ſemper laborioſo reſpirandi conatu, die nona contigit.

E CADAVERIS aure dextera paulum ſeri emanaſſe, animadverſum eſt. Cerebrum autem omnino ſanum fuit: neque aliud adnotatum eſt, niſi dum Craſſa meninx quibuſdam locis, a calvaria avellendo, lacerabatur, nonnullas ſeri erupiſſe guttas, & e quibuſdam minimis, quæ forte diſrumpebantur, vaſis ſanguinem, multo dilutum ſero, effluxiſſe. In Thoracis cavo dextero, cujus pulmo ſterno, & coſtis a latere adhærebat, octo, aut novem ſeri unciæ ſtagnabant: quin eidem pulmoni qua claviculam ſpectabat, exterius quædam materia accreverat, mediæ inter pinguedinem, & *gelatinoſam* concretionem naturæ, qual's interdum in hydropicorum aqua natat, ut ſuſpicio eſſet, aliqua fortaſſe, ante hunc morbum, thoracis affectione Virginem laboraſſe. Polypoſæ concretiones, quaſi muci inſtar, ſingulæ ſingulis cordis ventriculis inerant; major tamen dextero, quam ſiniſtro.

6. Etſi non diffiteor, tam vehementium convulſionum cauſam prorſus latere potuiſſe; nec illud tamen negaverim, potuiſſe nonnullas illas ſeri guttas ea natura eſſe, ut Duram meningem vehementer irritarent. Neque enim ex mole, ſed ex vi irritamenta æſtimanda eſſe, Litteris ſuperioribus (*l*) oſtenſum eſt. Nec ſane commentitium eſt, ſerum in hujus generis ægrotantium cerebro deprehenſum, ejuſmodi eſſe, ut queat irritare; quando ſalſum inventum eſſe, cum exploratum guſtando eſt, & præcedens docet hiſtoria, & illæ confirmant quas habes in Sepulchreto (*m*) *ſeri ſalſi* indicia proferentes, imo repertum (*n*) *ſerum acre & ſalſugineum*, (*o*) *ſerum ſalſum*, (*p*) *humorem ſeroſum*, qui *acriter linguam mordebat*. Huc adde quam Joannes Saltzmannus (*q*) edidit, Juvenis, qui *convulſionibus graviſſimis* confectus, *notabilem ſeroſi humoris copiam ſub dura matre, ſolito tenuiore*, habuit ea *acredine*, ut illam meningem, ſubjectamque ipſi interiorem additamenti oſſis occipitis laminam exedere, imo inferiorem quoque perforare potuerit, ſicque exitum ſibi e cranii cavea parare. Acris igitur, irritantiſve naturæ eam quoque *lympham* fuiſſe, cujus *inſignem in ventriculis cerebri quantitatem* Michael Bern. Valentinus (*r*) deprehendit in puello *horrendis convulſionibus tandem denato*, ejuſdemque generis illud pariter ſerum fuiſſe quod a me tibi in propoſita, & ſubſequentibus Obſervationibus memoratur, ſatis, ut opinor, veriſimile eſt.

7. PUELLA quinquemeſtris febre, & alvi fluxu corripitur. Poſtridie febris dumtaxat permanet. Tertio die magna ingruit ſuperiorum artuum *clonica* convulſio: quæ ad thoracis quoque poſteriores muſculos extendebatur, ſed leviter; leviſſime autem ad Glutæos. Ad quincti diei finem remiſſa convulſio eſt; per intervalla tantum, nullo autem modo, cum puella dormiebat, ſe prodens, ſuccedente interim per univerſum corpus morbo regio. MORTUÆ cutis ubique, ſed præſertim in dorſo, maculis erat diſtincta ex ſubatro rubentibus. In Ventre nihil adnotatione dignum præter Rectum inteſtinum, atra nigredine infectum. In Thorace, pericardium plenum erat aqua, eaque flava: cordis autem ventriculus dexter concretionem habebat polypoſam, in Pulmonarem arteriam pertinentem, concreti muci inſtar. Sanguis reliquus erat omnino fluidus: tamen aeri expoſitus, poſt aliquod tempus concreſcebat. Intra Cranium denique omnia conſpecta ſunt ſecundum naturam ſe habentia, niſi quod inter Craſſam, Tenuemque meningem ſeroſus inventus eſt humor, qui circa ſanguifera vaſa *gelatinæ* in modum concreverat.

8. An convulſio, dormiente puella, ideo quieſcebat, quod hæc dormiret? an potius ideo hæc dormiebat quod illa quieſceret; dormientem alioquin excitatura? Hoc certe & veri ſimilius eſt, & in memoriam redigit quem mecum annis ſuperioribus ſermonem habuit Medicus Doctiſſimus, idemque Humaniſſimus Franciſcus Seraus, cum de *veſicantis*, ut hic vocitant, medicamenti vel in convulſionibus interdum utilitate loqueremur. Narrabat is, quinquennem puerum fuiſſe Neapoli, qui ante unum aut alterum annum in epilepticas convulſiones inciderat, toties recurrentes, quoties puer dormire incipiebat, unde hebes factus, & cruribus reſolutis, ut his inſiſtere amplius non poſſet, cum fruſtra innumeris uſus eſſet remediis, illo uno eſt perſanatus, impoſito, ut ipſe imperaverat, circa poſterius extremum Sagittalis ſuturæ.

(*c*) in Addit. Obſ. 2. & in Schol. (*d*) Obſ. 15. in Schol. (*e*) Obſ. ead. (*f*) Obſ. 32. in Schol. (*g*) Sect. 5. Aph. 6.
(*h*) De Medic. l. 4. c. 3. (*i*) Comm. in Boerh. Aph. §. 712. (*k*) Prælect. Acad. in Med. Inſtit. §. 732. (*l*) n. 11.
(*m*) Sect. hac 13. Obſ. 1. (*n*) Obſ. 3. (*o*) Obſ. 4. (*p*) in Additam. Obſ. 3. (*q*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 98.
(*r*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 1.

turæ. Cito enim inſultus, antea innumerabiles, pauciores fieri cœpiſſe, intra quindecim autem dies prorſus deſiiſſe, redeunte ſimul inſiſtendi cruribus, ambulandique facultate. Confirmabatque Vir Cl. non eo dumtaxat in caſu, ſed & alias in aliis *veſicantia* ſibi adverſus convulſiones reſpondiſſe; ut merito fecerit Hippocrates (*ſ*) cum docuit, *convulſionem fieri vel ex repletione, vel ex inanitione*: quas duas cauſas Galenus quoque præcipuas poſuit, etſi illam nonnunquam addidit (*t*), quæ pleriſque poſtea ita placuit, ut priores duas abjecerint, nimirum quæ *ex mordente & tenui humore* petitur, *qui nervoſa corpora rodat*, videlicet irritatio, noſtris tamen etiam temporibus ab doctis quibuſdam Viris ad *repletionem* relata. Utcunque id eſt, certe cum a repletione, ut in eo puero, convulſiones fiunt, non niſi ablata illa materia tolli, quæ aut gravando, aut diſtrahendo, eas facit. Hæc ferme ille. Quod vero ad reliqua attinet quæ in hiſtoria propoſuimus; morbus regius an ob eam cauſam ſe prodidit; quia convulſio bilarios etiam ductus conſtrinxerat, per quos bilis, ſalubrem fortaſſe fluxum factura, prodire jam cœperat? An bilis in ſanguine retenta, inter cauſas fuit quæ hunc fluidum ſervarunt? nam & alias fuiſſe cauſas, indicio eſt ipſius, aeri expoſiti, ſecuta concretio, ſive quod aqueæ particulæ, ſive quod aliæ, inteſtinum motum cientes, in auras abierint. An convulſioni atra quoque illa nigredo Recti inteſtini debebatur, ſive canales venarum adſtricti, ſanguinem dumtaxat morando, ſive ad gangrænam uſque retinendo, eam nigredinem effecerint? Nam de rubris in cute maculis, & de aquæ copia in pericardio ſatis indicatum eſt antea (*u*). Poſtremo quod non ſerum, ſed *gelatinæ* inſtar ad meninges inventum eſt; noli ſic accipere quaſi ibi ſerum defuiſſet, eorum memor quæ alibi (*x*) ſcripſimus de celluloſis tenuiſſimis pellucidiſque lamellis ita ſerum intercipientibus, ut ob earum interjectum, *gelatinæ* ſpeciem mentiatur.

9. PUELLUS, matre genitus valetudinaria, & quæ, præſertim cum ipſum utero gereret, variis, & complicatis obnoxia morbis, crebrius, ut hos ſedaret, muliebri conſilio, generoſi vini potionibus uſa fuerat; achoribus primum, dein ſcabie affectus, cum puſtulæ non maderent amplius, febribus correptus eſt. His, cum iterum puſtulæ ichore ſcaterent, abeuntibus, gravius ſævire ſcabies cœpit, infanſque maceſcere. Denique multis interjectis diebus, ſiccatis rurſus puſtulis, alvi fluxu, & convulſivis motibus crebro intra octiduum vexatus, circa menſis octavi finem, cum Inciſores dentes ſuperiores jam eſſent erupturi, vivere deſiit. VENTRIS ſana omnia erant viſcera, ipſiuſque hepatis magnitudo cæteris proportione reſpondebat. In Thorace, pulmo dexter undique pleuræ tenaciter adhærebat: & dexter tamen, & ſiniſter nullis diſtincti erant maculis, & omnino illæſi. Cor nullam polypoſam concretionem habebat. Inter Cerebri meninges mediocris ſeri ſtagnabat copia. Cerebri autem ipſius poſterior pars, non rotundata, ad cubicam potius formam videbatur accedere.

10. Apparet ex hac hiſtoria, quanti referat primum, matres, cum uterum ferunt, valere, nec meraciore vino abuti, deinde infantium achores, & ſcabiem intempeſtive non ſiccari. Nam dentitio quidem, ut alias ſcripſi (*y*), tum nervorum diſtentiones, tum ſimul opem laturos, ſi intra modum ſint, alvi fluxus inducit: ſed hi minus, illæ plus valent, ſiquando ſanguis irritantium particularum, quæ alia via ejici conſueſſent, tunc redundet copia, velut hic. Figuram autem externam cerebri, quæ cranii formam ſequi ſolet, poſſe, cum naturalis non eſt, indicare aliquid in ſtructura quoque interna quod ab naturæ inſtituto pariter abhorreat, & pronius illud ad morbos faciat, non videtur omnino negandum. Hactenus Valſalvæ Obſervationes propoſui; nunc ad meas tranſeo, initio a duabus capto, quas olim cum ipſo habui, chartæque; id quod ipſe facile non potuit, quippe occupationibus tunc maxime diſtentus; commiſi.

11. BARTHOLOMÆUS MANZOLIUS Marchio, & Senator Bononienſis graviſſimus, is quem Valſalva (*z*), & ego (*a*) ob colores quoſdam, miraſque alias ſpecies, ejus oculis obverſantes, memoravimus, cæteris quæ tum preſſe, & leviter attigimus, incommodis ad hunc modum eſt conflictatus. Jam olim, cum ætas vigeret, ea expectoraverat, iiſque ſimul affectibus correptus fuerat, ut Medici duo nobiliſſimi Fabrius, & Malpighius phthiſicum crederent. Evaſit tamen. Calculis deinde obnoxius erat. Ita ſenior factus vertiginoſis, aliiſque id genus capitis affectionibus ſexto ante mortem anno tentatus eſt. Intra noviſſimum autem, quem vixit, annum leviter quidem, ſed frequenter tum convulſivis, tum paralyticis inſultibus prehendebatur, torpore præſertim lateris totius modo dexteri, modo ſiniſtri, plerumque autem ſiniſtri: quem torporem, cum majoris aliquando mali incuteret metum, ſanguis ex brachio oppoſito miſſus, illico levavit. Difficultate quoque ſpirandi interdum vexabatur. Poſtea intumeſcere cœperunt crura, & denique exulcerari, & aquam emittere. Verum uno ferme ante obitum menſe detumuerant: quo tempore urina quoque imminuta eſt. Aſſidua jam erat ſpiritus difficultas, in eaque difficultate moleſtus quidam ſenſus, cujus ſedem ad tres ſupra umbilicum digitos, ſed interius, æger deſignabat, unde quoque, ajebat, affectionem incipere, & ſurſum quaſi efferri quotieſcunque gravioris reſpirationis acceſſio jam jam immineret. Nulla tamen ſitis, nullus in thorace ponderis, aut rei alterius ſenſus, unde æger crederet, aquam ſibi in illius cavo collectam eſſe; ut Medicis, id ſuſpicantibus, ſe aſſentiri poſſe, negaret; ſed convulſivos mallet incuſare ventriculi affectus, quibus etiam interdum obnoxius fuerat. Interea abdomen intumeſcebat: & convulſiones cum balbutie exercebant, ultimis præſertim diebus. Quin biduum extremum balbutientem, & aliena fere loquentem, & caput ſubinde, quaſi amplius ſuſtinere non poſſet, demittentem, acriores, quæ cum diſtortione oris demum ingruerant, convulſiones Virum Nobiliſſimum ſuſtulerunt. VENTER etſi in mortuo quoque tumebat, ſubjectique coli involucra aquoſus tumor diſtendebat, neque inter inguinum integumenta aqua deerat; nihil tamen ille, aut certe perparum effuſi habuit humoris. Scilicet aere tumida inteſtina extuberans abdomen effecerant. Hepar & colore, & firmitudine erat extra naturæ modum; ſed leviter. Renis autem utriuſque pelvis calculos granoſos, & ſubflavos continebat. Nec plura in ventre adnotavimus. Thorax vero maxima aquæ vi utrinque plenus fuit, & in hac pulmones ex purpureo nigreſcentes, nuſquam tamen duri, aut cicatricoſi, & vix parte aliqua, eaque modica, pleuræ annexi. In pericardio ſerum multum, in eoque cor laxius, ac latius, & ad hujus ventriculum dexterum concretio exigua polypoſa. Calvaria denique recluſa, multa inter meninges aqua, non pauca in cerebri anfractibus, ubi paulo glutinoſior videbatur, nonnulla etiam copia ad baſim, nonnulla in ventriculis. Choroides plexus palliduli, in iiſque veſiculæ aliquot tumentes. Cerebrum ipſum laxius.

12. Iis quæ in hoc cadavere adnotata ſunt, conſpectis, & cum morbi hiſtoria collatis, adeo Valſalva non dubitabat, multo antea in capite, quam in thorace, effuſam aquam fuiſſe, ut crederet, tunc demum in hoc effundi cœpiſſe, cum illud jam plus admittere non poſſet, videlicet haud multo ſecus quam capitis vulneribus puris copia redundantibus, hujus pars alio, & interdum ad thoracem ipſum transfertur. Mihi illud ſaltem minime negandum videtur, tunc potiſſimum in thorace aquam congeſtam eſſe, cum detumeſcentibus cruribus, & urina imminuta, aſſidua facta eſt ſpirandi difficultas: quanquam ad hanc ſubinde graviorem efficiendam convulſiones quoque videri poſſunt conveniſſe; indicante illo ſenſu incipien-

(*ſ*) S. 6. Aph. 39. (*t*) Meth. Med. l. 12. in fin. (*u*) n. 4. (*x*) Epiſt. 6. n. 12. 13. & Epiſt. 7. n. 11.
(*y*) Epiſt. 9. n. 4. & Epiſt. in Samonic. I. (*z*) Diſſert. Anat. 2. n. 9. (*a*) Epiſt. Anat. 18. n. 5.

cipientis ad tres ſupra umbilicum digitos, ſed interius, affectionis, indeque ad thoracem aſcendentis, fortaſſe magno meſenterii nervorum plexui earum quidem convulſionum cauſam inſediſſe. Verum ea res aliter a Valſalva explicabatur, nimirum prægravato, atque irritato ab aqua ſepto Tranſverſo, hujus appendices affici debuiſſe; ſibi enim alias quoque in Sacerdote ſimilem eodem in loco moleſtiæ ſenſum eſſe adnotatum, nec tamen quidquam poſt mortem uſquam inventum quod præter naturam eſſet, niſi aquam in thorace. Ut ut eſt, certe utraque explicatio partes reſpicit, anteriori lumbarium vertebrarum faciei aut proximas, aut inſidentes. Quam ſedem ne forte credas nimis poſteriorem eſſe, ut ab ægro Spina potius debuerit, quam abdomen deſignari; fac memineris, quantum illa vertebrarum facies ab extremis diſtet ſuorum proceſſuum poſteriorum, quantumque in anteriora recurvetur atque extuberet intra ventris cavum; ut non ægris modo, ſed & Medicis, minus Anatomes gnaris, viderim, nec ſemel, impoſuiſſe, duritiem, in macilentis præſertim, inſignem mihi in meſenterio, ſi Superis placet, inculcantibus, quam, manu admota, nihil eſſe, niſi eam, de qua loquimur, Spinæ faciem deprehendi: qua de re cum celebrem olim Medicum, ſeorſum abductum (ſic enim ſoleo) admonuiſſem, memini, ipſum, Anatomes contemptoribus valere juſſis, magnas mihi gratias egiſſe.

13. VIRO annos ſupra quadraginta nato, qui cannabem carminabat, pallido, ſed tamen, ut videbatur, bene valenti, ante biennium attolli cœperat pars ima pectoris prope cartilaginem Enſiformem: quæ res etſi nihil ipſi afferebat incommodi; diſplicebat tamen. Quapropter multa, alia ab aliis indicata, imponebat remedia; ſed incaſſum; nam magis magiſque, quantumvis ſenſim, tumor creſcebat; ut nonnihil jam in ducendo ſpiritu incommodaret. Acceſſerat ante quinquaginta dies in thoracis vertebris inferioribus dolor quaſi a re gravante ſimul, & pungente, qui dolor interdum hinc ad lumbos, inde ad ſcapulas extendebatur: cum his erat laſſitudo, & totius corporis infirmitas. Ante undecim autem dies totus artus inferior dexter ſtupore prehenditur, & mox priuſquam aliquid afferri poſſit auxilii, nervorum reſolutione, ſic tamen ut movendi magis, quam ſentiendi, facultas intercipiatur. Triduo poſt urina reddi non poterat, ut manu emoliri neceſſe fuerit: quod primis quidem ſucceſſit diebus; ſed poſtea aut nihil omnino educebatur, aut ſiquando lotium per argenteam fiſtulam profluere cum impetu inceperat; protinus quaſi re aliqua oppoſita, ſubſiſtebat: & ſane extremum fiſtulæ cavum animadvertebatur mucoſo quodam, & ferme purulento humore impeditum. Animadverſa quoque fuerant duo, cum primum fiſtula immiſſa eſt, alterum, eſſe aliquid prope veſicam quod fiſtulæ nonnihil obſtaret; alterum, abdomen univerſum tumere, incertumque erat quanto antea. Sitiebat æger: & cum jam præ dorſi dolore jacere non poſſet; ſi jacere conaretur, multo majori cum difficultate ſpirabat: crura tamen, & pedes nihil tumebant. Inter hæc torquere cœperunt ſuperiorum artuum, & trunci ipſius *tonicæ* convulſiones: quæ per intervalla recurrebant, ad quadrantem horæ perſtantes, eodemque tempore tum vomitum flavi humoris ciebant, tum menti, quæ alias vigebat, quaſi quaſdam offundebant tenebras. Jam vero ſiniſter quoque artus inferior non ſecus ac dexter, reſolutione captus fuerat. Denique cum pridie quam obiret, male adeo ſe haberet, ut pulſus amplius non perciperentur; hi rurſus paucis ante mortem horis redierunt, ægerque meliuſculus eſſe videbatur, diutiuſque tracturus. Sed (quod cautos facere debet Medicos, præſertim ubi convulſiones ſubinde redeunt) his de improviſo mox revertentibus ereptus eſt. IN VENTRE multam aquam vidimus, eamque turbidam: inteſtina autem nonnullis in locis per quaſdam flaccidas quaſi membranas inter ſe conjuncta. Lien, ſanus alioquin, exterius albicabat. Eodem colore erat jecur, niſi quod in medio faciei convexæ nigra macula apparebat circuli forma, nec major quam ut obolo operiri poſſet: ſub ea erat cavea non ita profunda, quam ſemiconcretus ſanguis implebat. Ren ſiniſter intus, haud procul a pelvis initiis, nonnihil albi puris oſtendit. Lotium, non maxima tamen copia, veſica continebat, cujus erant membranæ craſſiores factæ, interiorque facies diſtincta vaſis, quæ reſtitans ſanguis valde conſpicua reddebat. In urethra quæſitum, inventumque eſt quid prope veſicam argenteæ fiſtulæ nonnihil reſiſteret, quædam videlicet quaſi carneæ fibrillæ, quas alias quoque vidiſſe memini, hinc & hinc ab lateribus Seminalis carunculæ obliquo decurſu, & inter ſe parallelo deſcendentes, ibique per internam urethræ faciem extantes. Teſtes, iiſque circumjectæ tunicæ, ipſumque adeo ſcrotum ab inflammatione in gangrænam vergebant. Pectoris tumor priuſquam ſcalpello attingeretur, a me diligenter tractatus, omnino viſus eſt fieri ab imo ſterni oſſe, & ab annexis dexterarum coſtarum cartilaginibus, extrorſum, quæcunque impuliſſet cauſa plus quam deceret, curvatis. Nec me falſum diſſectio oſtendit, quæ & ejus curvaturæ cauſam docuit non illi fuiſſe oſſi, iiſque cartilaginibus continuo ſubjectam, ſed procul ſitam in ipſa thoracis Spina, quippe cujus non eſſe naturalem figuram, conſpeximus. Sed prius in thorace hæc dumtaxat adnotatione digna deprehendimus, in pericardio turbidam aquam non paucam: ad ſingula cordis oſtia polypoſas concretiones, albas, majoreſque in auriculis, exiles in arteriis: per Aortæ interiorem faciem disjecta hic illic parva, albida, ſubrotunda, nondum tamen dura, oſſis inchoamenta, eo crebriora, quo cordi propior erat arteria: ſepti Tranſverſi vaſa vel minima non ſecus atque ab anatomica injectione, a ſanguine in iis remorante conſpicua. Cranii fornice, & ſubjecta Craſſa meninge ademptis, paucæ effuſi ſanguinis guttæ ſupra Tenuem meningem ſub vertice conſpectæ ſunt prope latus ſiniſtrum Longitudinalis ſinus: vaſa autem quæ per eandem hanc meningem, hemiſphærium cerebri dexterum conveſtientem, reptabant, valde erant ſanguine diſtenta, & nigricantia. In anfractibus cerebri totius ſtagnabat aqua ferme limpida. In ventriculis aquæ vix aliquid. At multa ad magnum occipitis foramen ſic ut pronum eſſet intelligere, illac in Spinæ tubum non defluere non potuiſſe, ex quo reapſe mox effluxit, cum Spina ad imam thoracis partem diſſecta eſt. Ibi alba & ſana, quantum judicari poterat oculis, Medulla erat. Habita hæc ſectio eſt circa medium Quinctilem A. 1705. in Bononienſi Incurabilium Noſocomio, conſecante (ut fere in pleriſque aliis quas ibidem a nobis habitas memorabimus) Amico noſtro, & in diſſectionibus Alumno, Viro Cl. Laurentio Bonazolio, qui tunc adoleſcens munere ibi Aſſiſtentis Medici fungebatur, poſtea autem, quo ad vixit, eo functus eſt, & merito quidem, in Celeberrimo illo Gymnaſio, quod Valſalva ſecando, atque oſtendendo ſuſtinuerat.

14. Pertinet hiſtoria hæc ad morbos plures. Primum ad gibber, non ita ſæpe ea ſe ætate oſtendere incipiens: quæ cauſa, opinor, fuit, cur illa pectoris intumeſcentia multis impoſuerit, unde orta eſſet, non agnoſcentibus, atque adeo ne ſuſpicantibus quidem. Spinæ autem in latus flexionem, ſi non tunc ortam, at certe fuiſſe tunc auctam, ea pectoris curvatura, quæ antea non erat, ſatis probat. Num vero ab ictu, a caſu, a conatu aliquo potius quam a cauſa interna repetendum fuerit ejus flexionis initium, aut incrementum, incertum eſt. Pertinet deinde hiſtoria ad dorſi dolorem, in flexionem illam jam nimis auctam rejiciendum, fortaſſe & in aquam illam, ſicuti in ſimili dolore Wepferus (*b*) cenſuit, quæ in Spinæ tubo creſcebat. Cui aquæ facile artuum inferiorum paralyſis; ut paralyſi nervos quoque afficienti tum qui carneæ veſicæ membranæ, tum deinde & eos fortaſſe qui renibus ex parte inſerviunt, gemina iſchuria accepta referenda eſt, veſicæ videlicet primum, poſtea & renum; hi namque ſi ſuum plane munus exequi diebus ultimis perrexiſſent; longe major urinæ vis in veſica reperta eſſet. Ad eas igitur iſchu-

(*b*) Vid. Sepulchr. T. 1. S. 15. in Schol. ad Obſ. 3.

iſchurias quoque, & ad paralyſim hic attinet caſus.

Sed præterea attinet ad aſcitem, cui materiam facile ſufficiebat hominis ſanguis, non tam fortaſſe a natura, quam ab ſua arte pallentis, quæ quantum obeſſe poſſit reſpirationi, & quod conſequitur, ſanguini perficiendo, haud difficile eſt intelligere; & alibi (*c*) in parte indicatum eſt. Attinet denique ad convulſiones, quæ cum hominem confecerint; idcirco malui ad has potiſſimum hiſtoriam referre.

15. Erant hæ non externæ modo, ſed etiam, id quod conjuncti vomitus oſtendebant, internæ. Humor autem qui per hos ejiciebatur, non erat ejuſmodi, ut convulſiones inducere poſſe videretur, velut is *fuſcus*, aut *porri ſucco ſimilis*, quem convulſionum fuiſſe cauſam, inde Galenus (*d*) intellexit, quod, ipſo rejecto, illæ protinus conquievere: cujuſmodi ſane *æruginoſo, & atro* humore *plenum totum ventriculi fundum* hic repertum fuiſſe, ſcribit Mercurialis (*e*), in Bergomenſi Studioſo, quem immaniſſimæ convulſiones intra viginti quatuor horas ſuſtulerant. In propoſito autem Viro credibile eſt, excitatas eſſe ab aqua tum Spinalis medullæ, tum cerebri meninges irritante tunc demum cum retineri cœpit in ſanguine urinæ portio, unde aqua ſalſa fieret. Quod ſi nervi omnes qui muſculos artuum inferiorum adeunt, jam penitus reſoluti non fuiſſent; credibile eſt, ſi non æque ac artus ſuperiores, ipſeque adeo truncus, at convulſione certe aliqua prehendi inferiores quoque potuiſſe. Habes in Sepulchreto (*f*) indicatam hiſtoriam celebrem ex libro primo Epidemiorum, in qua mulieri quæ *ſtatim inceperat & ipſa dolere lumbis* extenſo ad collum, & caput dolore, *dextra manus languit, cum convulſione, apoplectico modo*. Agnoſcunt Enarratores & paralyſim, & convulſionem ejuſdem manus. Sed Valleſius, ut ibidem vides, non eodem tempore; Duretus (*g*) eodem quidem tempore, ſed paralyſim in nervo, convulſionem in muſculo; Martianus (*h*), ab utroque diſcrepans, & eodem tempore, & eodem in nervo. Si poſt tantos Viros licet aliquid ſubjicere; eodem quidem tempore, & in eadem parte utrumque affectum eſſe poſſe, non videtur negandum, præſertim cum Martianus luculentam ſuam proferat in hanc rem obſervationem; ſed tamen aliis potius nervis, quam iiſdem diſſimiles adeo affectus eſſe imputandos. Propterea dixi, ſi in viro de quo loquimur, non omnes illi nervi fuiſſent penitus reſoluti, id eſt ſi aliqui eorum qui inferiores muſculos quoſpiam movent, vel exiliores potius aliquas muſculi unius partes, quæ ſint movendo membro per ſe impares, ſi illi igitur ſaltem fuiſſent integri, potuiſſe, magna ingruente vi convulſionis, aliquo modo aliquam artuum inferiorum partem contrahere. Certe ipſa Coacarum verba, quæ exemplo Duretus explicat illius mulieris, Martiano videntur, non modo, ut Dureto quoque, non abſolutam paralyſim, ſed neque aliam convulſionem ſignificare, quam *motus convulſificos leves*. In artubus autem ſuperioribus hujus viri cum paralytici nihil eſſet, id eſt cum paterent nervi omnes vi convellenti; non mirum eſt, ſi graviſſimæ, & ad quadrantem horæ perſtantes convulſiones *tonicæ* ſæpe ingruebant. Quarum, & *chlonicarum*, videlicet convulſivorum motuum, cum eadem cauſa ſit; hoc uno maxime videtur differre, quod in his poſt breviſſima intervalla, & quaſi alterne; in illis continenter agat: quanquam in utriſque continenter agere fortaſſe, crediderim; ſed in *chlonicis*, quippe levius agentem, alterne ab naturali partium ſeu vi, ſeu pondere ſuperari: in *tonicis* autem vehementiſſime agere, ut ejus effectus, niſi quid aliud interpellet, perſiſtat porro, nec morte ipſa aliquando tolli omnino poſſe videatur. Neque enim perpetuum eſt quod ponit Cæſalpinus (*i*), *cadavera eorum qui ex convulſione perierunt, nequaquam tenſa conſpici, ſed relaxata*. Interdum enim id accidit quod *aliquando meminerat ſe vidiſſe*, Veſalius (*k*), alterum latus *etiam poſt mortem remanſiſſe convulſum in quodam qui in capite fuerat vulneratus*: atque ut alia omittamus exempla; Cel. Heiſterus (*l*) dum hominis in Noſocomio Norimbergenſi ex convulſionibus mortui cadaver in Altorfino Theatro poſt demonſtratas Operationes Chirurgicas, jam intus eſſet perſcrutaturus, abdominis muſculos ita *introrſum tractos* etiam tum reperit, ut linea alba proxime incumberet vertebris lumborum.

16. Quid autem illud ſit quod præſentis cauſæ actionem, ut dicebamus, interpellet, ut non niſi poſt longa intervalla, membra iterum contrahantur, plerumque adeo obſcurum eſt, ut nullis fere niſi ejuſmodi conjecturis locum relinquat a quibus nos diximus alienos eſſe. Verum ſiquid in convulſione perdifficiles habet explicatus; nonnulla certe habent longe difficillimos in hiſtoria, quam niſi Valſalva ſuis in ſchedis adnotaſſet, nec facile crederem, neque hic tibi deſcriptam darem. Puer duodecennis, diu, ſed per intervalla, doloribus ventris obnoxius, his noviſſime redeuntibus cum mercurium, ut vocant, dulcem ab Empirico quidem, ſed congrua tamen doſi, præſcriptum ſumpſiſſet; paulo poſt utroque oculo cæcus fit, artuſque ſuperior, atque inferior, & caput a dextris convelluntur, flexaque permanent. Poſt aliquot dies videndi facultas reſtituitur, tempore autem interjecto etiam capitis motus. Poſtremo dum conatur incedere, artus inferior is qui convulſus erat, vehementer dolet; ſed tamen naturalem motum recuperat. Tunc autem continuo artus ſuperior dexter, quem pariter convulſum fuiſſe, diximus, multo magis, præſertim ad cubiti flexuram, convellitur: ſed hæc quoque convulſio illico remittitur, & ſola manus extrema convulſa reſtat. Quod ſi nunc aliquis univerſos hujus manus digitos conetur extendere; tunc continuo ſana manus convulſione corripitur, valideque conſtringitur: at ſi unum quemlibet digitum; illico in ſana manu reſpondens convellitur digitus, convulſione tandiu durante, quandiu violenta alterius illius durat extenſio. Cæterum ex quo puer convulſionibus eſt captus, ventris dolores nunquam rediere.

17. JUVENEM ætate unius & viginti annorum, arte lanarium febris corripuerat, cui delirium acceſſit, ut vincire neceſſe fuerit. Remiſſo delirio, in Noſocomium hoc tulerunt, ubi ſtatim ſunt artuum ſuperiorum convulſivi motus, tendinumque in carpis ſubſultus animadverſi: in ſanguine autem miſſo nulla quidem cruſta, ſed ipſius denſa, compactaque ſubſtantia. Soporoſa gravis ſe adjunxit affectio; ut, tres noviſſimos dies nihil locutus, deceſſerit. CADAVERE hoc cum uſurus eſſem ad quædam non intra cranium dumtaxat, ſed & intra ſuperiorem Spinæ partem Diſcipulis oſtendenda, Thorace primum aperto, nullaque in eo re adnotatione digna, præter unum prædurum pulmonum lobum, animadverſa, hiſque, aliiſque viſceribus ex partibus, quæ amovenda erant, amotis, dum quincta thoracis vertebra a ſexta disjungeretur, multa aqua ex Spinæ tubo defluxit. Nonnulla quoque de Cranio exiit, cum mox circumſecaretur. Cujus fornice, ſubjectaque huic Craſſa meninge demptis, vaſa per Tenuem reptantia, ad poſteriorem partem ſiniſtri cerebri hemiſphærii nigro ſanguine diſtenta conſpeximus (qualis multum, cum vaſa colli ſecarentur, defluxerat) ibique ſub eadem Tenui meninge quibuſdam in locis quaſi *gelatinæ* ſpeciem, non ſine aereis bullulis; quanquam nulla erat uſquam graveolentia, neque id anni tempus, nimirum circiter medium Martium A. 1745. ut vix triduo a morte putreſcere cadaver deberet. Diſſectum cerebrum, quod erat prædurum, puncta paſſim per medullarem ſubſtantiam oſtendit ſanguinea, quæ mox in ſanguineas guttas ſe dilatabant, multi, fluidique ſanguinis indicia. Sed & in Lateralibus ventriculis, qui aquæ aliquid vix retinebant, Choroides plexus ex rubro propemodum nigricabant. Cæterum ii ventriculi æquo erant breviores. Verum id a natura: hoc autem quod dicam, a morbo partim acuto, & noviſſimo, partim len-

(*c*) Epiſt. 7. n. 14. (*d*) De loc. aff. l. 5. c. 6. (*e*) Prælect. ad Hippocr. Aphor. 1. libri 5.
(*f*) Sect. hac 13 in Schol. ad Obſ. 8. (*g*) In Coac. l. 2. c. 12. n. 9. (*h*) In Epidem. l. 1. Sect. 3. & in Coac. Sect. 2. verſ. 104.
(*i*) Quæſt. Med. l. 2. c. 16. (*k*) Chirurg. Magn. l. 3. c. 5. (*l*) Eph. N. C. Cent. 2. Obſ. 98. n. 2.

lento, & diuturno. Nam acuti morbi fuit quod Pinealis glandula colore erat roſeo; diuturni, quod faciebus non eſſet anteriore, & poſteriore, ut videre conſuevi, depreſſis, ſed turgentibus, aut ſi hoc etiam ab acuto, at certe ab lento quod duritie erat ejuſmodi, ut ea percepta & ſuſpicatus ſim, & reapſe intra glandulam inciſam plures exiguos quaſi calculos deprehenderim: in quibus unum milii grani mole, formaque; oſſea autem duritie, fortaſſe & natura, quantum nidor admoti flammulæ ſubindicavit. Denique Spinali medulla a cranio ad quinctam uſque thoracis vertebram diligenter inſpecta, vaſa ſanguifera vidi quæcunque per ejus Tenuem meningem diſcurrunt, ſanguinis adeo plena, in facie præcipue poſteriore, quaſi ab injecta rubicunda materia fuiſſent præter modum diſtenta. Sed & ſanguifera vaſcula ex iis quæ Spinales nervos, præſertim quoſdam, ſtipabant, turgidiora ſanguine animadverti. Ventrem non attigi.

18. Quod pulmonum lobus prædurus fuerit, nihil ad noviſſimum attinet morbum, in quo nulla vitiati ejus viſceris indicia ſunt animadverſa. Scilicet alterius morbi, & quidem gravis, aut reliquiæ illæ erant, aut fundamenta, minime in lanario miranda. Hoc enim Opificum genus ex pulmonibus plerumque laborare, atque adeo inde mori ſæpenumero, videmus; quippe qui oleo ſordidi, gravemque hujus halitum inter reſpirandum excipientes, in hypocauſtis vitam fere nudi degunt, ex iiſque ſubinde calentes exeunt, & ſeminudi in publicum prodeunt. Nec vero magis ad ultimam ægrotationem attinuerunt corpuſcula intra glandulam Pinealem reperta, ſive illa calculi, ſeu potius, in hac quidem, oſſicula fuerunt ſecundum alias (*m*) memoratam Scheidii ſententiam. Roſeus autem ejuſdem glandulæ color ab eadem videtur fuiſſe cauſa, a qua in Tenui meninge, imo in proximo annexoque plexu Choroide noviſſime ſanguis reſtitit. Quæ cauſa an convulſio fuit quæ Tenui criſpata meninge ſanguifera vaſa hic illic arctaverit, ut ibi ſanguinis curſu tardato, proximi vaſorum rami diſtenderentur? vides enim, idem accidiſſe circa medullam Spinalem qua parte nervis, qui convellebantur, Brachialibus certe proſpicit: imo vides, in ſuperiore quoque viro (*n*) eandem vaſorum diſtentionem circum alterum cerebri hemiſphærium fuiſſe: quod memoro, ne in hoc Juvene ad id quod præceſſerat, delirium dumtaxat referas. Attamen cum minime conſtet, ante delirium fuiſſe convulſionem, poſſintque vaſa a morientis, & mortui decubitu ac poſitu in certis quibuſdam partibus potius quam in aliis, a fluido ſanguine diſtendi; hic, opinor, præſtabit ponere id quod multus ſanguis indicat, qui ex colli vaſis defluxerat, & rubra illa puncta quæ ubicunque cerebri albam ſubſtantiam ſecares, apparebant, ut mox in ſanguineas guttas ſe dilatabant, videlicet omnia cerebri vaſa, quæcunque id cauſa feciſſet, fuiſſe ſanguine diſtenta. Qui dum ſibi per tenuiſſima illa vaſcula amplificare hic illic vias incepit, turbato in proximis medullaribus fibris ſpirituum motu delirium videtur excitaſſe; poſtea vero quam ea copia aggeſtus eſt, ut fibras illas premendo gravandove magis magiſque conſtringeret, ſoporem, & denique mortem attuliſſe. Fuiſſe autem ſimul aquam multam præſertim circa medullam Spinalem, conſtat, fortaſſe ob ſanguinem ſua ſibi copia moram injicientem, vel ab initio congeſtionis, effuſam in qua ſecundum memorata antea (*o*) exempla vim meninges vellicandi, leviorem tamen quam in viro de quo ante dictum eſt, ſuſpicari, nihil vetat, & ea quæ ſupra (*p*) indicata eſt, ratione qui convulſivi fierent motus, conjicere.

19. BAJULUS ſenex, certe canus, in idem Noſocomium illatus fuerat Kalendis Februariis anno eodem 1745. jam ſine loquela, & propemodum ſine pulſibus; at non ſine motibus convulſivis. Itaque eodem die mortuus eſt. Nec plura de ejus morbo ſcire licuit propterea quod nullus eum domi inviſerat Chirurgus, aut Medicus præter unum qui paulo ante ad ipſum adductus, ſic invenerat, ut modo dictum eſt.

CADAVER in Gymnaſium importarunt, quippe, niſi quod palmas habebat œdemate ſubtumidas, ſummum autem pectus minus altum a ſiniſtris quam a dextris, cætera idoneum viſum eſt ad Anatomen, quam tum docebam, magnum præſertim, & lacertoſum. Hæc tamen quæ dicam, ab naturæ modo plus minuſve recedebant. In Ventre jecur duriuſculum, intus extraque ex ſubalbo, & obſolete flavo variegatum, veſicula plena bilis ex viridi flaveſcentis. Lien magnus, turgiduſque: cujus membrana in facie convexa ſquamas habuit oſſeas duas, quarum altera non ita parva; at ſubſtantia, quamvis ſolito colore, nimis tamen laxa, & pultis inſtar. Renum alter meliori jure quam alias a non paucis fieri ſolet, figura poterat cum folio aſari comparari; multo enim erat altero brevior, magiſque in ſe contractus, atque curvatus. Habebat præterea non modo parvam in ſummo hydatidem, ſed etiam ſub propria ſua membrana ad extremum alterum duas caveas non parvas, humoris plenas, quales ego in Adverſariis (*q*) deſcripſi, & Williſius quoque, ut in iſta ipſa Sepulchreti Sectione (*r*) vides. Veſica cum inflata eſſet, figuram quidem oſtendit a me (*ſ*) animadverſam; at parvitatem ſimul, in tanto corpore admirandam, niſi incidendo, valde craſſis parietibus, eoque non ita facile extendendis reperiſſem; ut, quamvis cætera ſana eſſet, vitio aliquo, ad urinam attinente, laboraſſe hominem, ex his quæ dicta ſunt, intelligerem. Pectore integumentis, & muſculis exuto, manifeſtum fuit, ſummum ſternum a ſiniſtris minus alte produci quam a dextris, ſiniſtramque claviculam inferius propterea, quam dexteram, cum ſterno committi; ut ſic potius ab utero fuiſſe, credes, quam ex eo quod puer ſiniſtrum humerum gravioribus ſubjeciſſet oneribus. Pulmones a tergo, non rubentes modo, quod ſolent, ſed & duriores fuerunt, hactenus tamen, ut præteriti olim morbi indicium, certe non ultimi hujus, facerent. Eos dum a fronte contuebar, rem animadverti quam nunquam antea. Inter dexteros enim lobos ſuperiorem, atque inferiorem, corpus erat interjectum, latum ſeſquidigitum, longum tres digitos, quatuorve, album, quaſi ex pinguedine conſtaret, membranis quibuſdam intercepta. Sed diligentius perſcrutando cum ramos intus perſpicerem ex ſolitis cartilagineis fruſtis compactos, & dextero bronchio demum annexos, atque adeo continuatos; plane intellexi, fuiſſe olim tertium illum parvum, ſive medium dexteri pulmonis lobum, qui poſtea, quæcunque fuiſſet cauſa, quaſi effœtus, atque emortuus, ita ſubſtantiam, vaſaque ſua contraxiſſet, ut neque colore, neque mollitie, neque ſtructura pulmonem amplius referret. Intra pericardium durius quam ſoleat, cor erat pinguedine opertum: cujus valvulæ Tricuſpides, & Mitrales oras imas habebant, ut ſæpe alias vidi, craſſiores, duriores, & leviter hic illic quaſi glandulis tuberoſas; Semilunares autem non ſolum hic illic erant duræ, ſed & quibuſdam locis oſſeæ; ut minus poſtea mirum fuerit, in facie interna arteriæ Magnæ tum proxima, tum longe remota, videlicet in Iliacis uſque, albidas maculas huc illuc disjectas occurriſſe, futuræ olim oſſificationis indicia. Septum Tranſverſum, utra liberet facie inſpiceres ſive in ſua ſede, ſive ex hac detractum, omnino habebat foramen per quod gula trajicitur, multo quam ſoleat, brevius, ut nunquam ſic vidiſſe meminerim. Cranium denique cum circum ſecarent, aqua, ſed non adeo multa, ex ejus cavo defluxerat. Cerebrum inſpiciens, *gelatinæ* ſpeciem vidi ſub Tenui meninge, vaſa autem quæ per Lateralium ventriculorum parietes reptant, ſanguine tumidiora: ſed nihil præterea, perſecando, adnotatione dignum.

20. Omiſſis cæteris quæ ad hiſtoriam abſolvendam ſcripſi, quamvis alia alio pertineant; poſtrema hæc pauca reſtant quæ ad convulſivorum motuum cauſam videri poſſint attinere. Quod ſi in hoc

(*m*) Epiſt. 5. n. 12. (*n*) n. 13. (*o*) n. 6. (*p*) n. 15. (*q*) III. Animad. 33. (*r*) 13. Obſ. 1.
(*ſ*) Epiſt. Anat. 1. n. 61.

in hoc homine aliter rem conjicere forte malueris; non repugnabo. Erat enim maxime debilis, & morti jam proximus, cum in eo ſunt illi motus animadverſi. *In maxima autem debilitate ſpaſmi*, inquit Boerhaavius (*t*), *& in animale moribundo ſolent præcedere convulſiones*; non quod aucta ſit vis muſculorum ſe contrahentium, ſed quod imminuta ſit vis eorum antagoniſtarum, ut in paralyſi. Quo ſunt qui referunt illa Hippocratis: *Convulſio ex hæmorrhagia lethalis* in *aphor. V. n.* 2. *Convulſio ex helleboriſmo lethalis*, ibid. *n.* 1. Qui etſi memoria ex parte labuntur; tu a vero tamen non adeo fortaſſe aberrabis, ſi convulſionem quam mox (*u*) Hippocrates *malam* pronunciat, nimiæ ſive hæmorrhagiæ, ſive purgationi ſupervenientem, interdum ſaltem inopiæ adſcripſeris ſanguinis, & ſpirituum tantæ, ut cum in omnes æque muſculos influere non poſſint, horum illi cedant in quos minus, illi autem ſuperent in quos plus infertur, quod, ſi perſiſtat, convulſionem *tonicam* repræſentat: ſed ſi illæ vices, ſicut in ea ſumma rerum perturbatione facile eſt, mox aliter, atque aliter commutentur; ſubſultus nimirum, & *chlonicæ* convulſionis imago exiſtit. Neque enim revera, & proprie ibi eſt convulſio, ubi muſculi ob reſolutionem antagoniſtarum ſe contrahunt, contractique poſſunt facile, & ſine dolore, admotis manibus, extendi. In hoc igitur homine ſi imaginem potius quandam convulſivorum motuum, quam hos ipſos fuiſſe, volueris; ob ejus ſummam debilitatem, non pertinaciter refragabor.

21. Veras autem, & proprie dictas convulſiones, nulla interveniente paralyſi, ut ex nervorum puncturis, & vellicationibus cum in vulneratis hominibus, tum in beſtiis præſertim experiendi cauſa, excitari, notiſſimum eſt, atque inter omnes pervulgatum. Quod & dolor confirmat, cum *tonica* convulſione tunc præcipue conjunctus, cum muſculos contractos, ut paulo ante indicabam, manu quis extendere conatur, membrumque in oppoſitam figuram reducere. Sed & curatio comprobat ejuſmodi certe quæ in paralyſi noceret. Memini, de Albertino me audire, fuiſſe nefarium Chymicum, qui plus laboris, atque artis quam alii ad remedia, inſumeret ipſe ad venenum parandum præſentiſſimum, & quod ſi perficere potuiſſet, ſperabat halitu necaturum. Cum ergo multa, & varia quæ reticere ſatius eſt (plura enim de hoc genere imprudenter Medici præſertim quidam chartis mandarunt, quæ utinam poſſent aboleri) ſceleſtus ille in vitreum vas conjeciſſet, longoque tempore, ac magno, multiplicique artificio de malis jam multo pejora reddidiſſet; meritum ſceleris fructum cepit. Cum enim vas, inter transferendum prolapſus, perfregiſſet, impenſarum, temporis, laborum perditorum dolore propemodum inſanus, quidquid potuit effuſi liquoris, ſpongia continuo excipere, inque aliud vas exprimere auſus eſt. Ecce autem convulſionibus prehenditur tam vehementibus, ut raptim in cubile delatus, mox earum vi in humum dejectus ſit, ubi, cito interea accerſitus, Albertinus interveniens hominem invenit ſerpentis inſtar ſe contorquentem, atque oculis extantibus, exertaque lingua horrendum in modum mugientem. Cum in graviſſimo caſu pluribus auxiliis uſus eſſet; nihil æque profuit ac demittere totum hominem in tepidum oleum; ſic enim convulſiones quievere. Antonius autem Valliſnerius narrabat, cum Vir Patricius convulſivis affectionibus jam annum laboraret, nec cætera juviſſent; ſucceſſiſſe ſibi curationem nihil aliud imperanti, niſi ut loco cœnæ uncias duas ſumere aſſueſceret olei ex dulcibus amygdalis recens expreſſi. Verum in re obvia ſatis ſit duo hæc exempla, a Clariſſimis duobus Viris accepta, alterum acuti, alterum diuturni morbi, commemoraſſe. Hactenus de Convulſione. De Paralyſi autem proximis Litteris ſcribemus. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XI.

Agitur de Paralyſi.

UT ad Epilepſiam Convulſio ſe habet, de qua ſuperioribus Litteris ſcriptum eſt; ita ad Apoplexiam Paralyſis, de qua protinus ſcribemus. Nam quod proxime in Sepulchreto ſuccedit Sectio de Stupore, Torpore, Tremore, Horrore, Rigore, Anxietate; nimirum intelligis, harum Affectionum alias ad Paralyſim, alias ad Convulſionem, alias alio attinere: quod & Obſervationes indicant in eam Sectionem collatæ, quippe quæ, ſi de multis præcipuas excipias, aliæ ex aliis, ut videbis, Sectionibus depromptæ ſunt. Quin Sectio ipſa XV. quæ inſcribitur de Paralyſi, non paucas habet aliunde pariter repetitas. Nos vero conſuetudinem tuebimur noſtram, nullaſque huc ex ſuperioribus quæ de Apoplexia ſunt, Epiſtolis, aut ex aliis, quas olim accipies, ad Ictus, & Vulnera pertinentibus, Paralyſis obſervationes referemus. Itaque tres, haud amplius, dabimus ex Valſalvæ ſchedis, quatuor ex noſtris.

2. SEXAGENARIUS Senex alvi fluxu cum torminibus, & aſſiduis præterea vigiliis vexatus, cydoniorum oleo abdomen inungit. Et quanquam fluxus ad mortem uſque perduravit; inſequenti tamen nocte, nullo alio capitis prævio ſymptomate, ex improviſo corripitur hemiplexia, ut totam corporis partem dexteram immobilem habeat. At primo quidem die a venæ ſectionis ſenſu, & ab irritamentis plantarum pedum nonnihil & manum, & pedem movere potuit; poſtridie tamen nihil omnino potuit. Quod ad reliqua attinet; dexter oculus erat ſemiocclusus, malæ rubebant, vix loquebatur, & loquens balbutiebat; nutibus tamen ſic interrogantibus reſpondebat, ut ſenſus internos vigere, intelligeres. Facilis initio erat reſpiratio: ſed difficilis reddita eſt uno aut altero ante mortem die, quæ contigit ineunte die quarto.

DUM E CRANIO cerebrum eximitur, & præſertim dum Infundibulum a glandula Pituitaria dividitur, limpidum ſerum, & fluidus ſanguis erumpit. A ſiniſtris ad latera ſanguiferorum meningum vaſorum, paululum materiæ animadverſum eſt *gelatinam* referentis. A ſiniſtris pariter ſub Tenui meninge, ipſa cerebri ſubſtantia duobus in locis erat nonnihil eroſa: id quod in ejuſdem lateris ventriculo manifeſtius fuit. Nam Striatum corpus ob eroſionem, ab ſero quod in ventriculis ſtagnabat, fortaſſe factam, ab reliquo cerebro omnino ſeparatum inventum eſt.

3. Quæcunque demum cauſa fuerit iſtius ſeparationis corporis Striati; quam ſæpe ſoleat ab eorum alterutrius, aut ejus viciniæ læſione fieri hemiplexia, a nobis eſt III. ad te Epiſtola (*a*) ſatis oſtenſum. Huc adde quod Sepulchretum (*b*) docet, Williſium quoque inſpectis aliquoties cadaveribus *a longa paralyſi & graviſſima nervorum reſolutione defunctorum, deprehendiſſe ſemper hæc corpora præ aliis in cerebro minus firma, inſtar amurcæ diſcolorata, & ſtriis multum obliteratis.*

4. SENEX alter eadem ætate repente cadit, ſimulque dextera parte corporis ſentiendi, movendique facultatem amittit: interrogatus, vix reſpondet, idque balbutiens. Toto quo ſuperſtes fuit, tempore parum minxit, alvum autem nunquam, niſi ope enematum, exoneravit. Denique initio diei vigeſimæ primæ, difficili accedente ſuperexſpiratione moritur.

THORACE aperto, pulmones, & præſertim dexter, in poſteriore parte phlegmone correpti inveniuntur. Singuli ventriculi cordis ſingulas mediocres poly-

(*t*) Prælect. in Inſtit. §. 401. (*u*) Sect. 5. Aph. 3. & 4. (*a*) n. 18. (*b*) Sect. hac 15. Obſ. 1.

polypoſas concretiones habebant, in proxima vaſa productas. In Cranii ſectione Craſſiore meninge læſa, aqua limpida erumpit. Eadem in dextero cerebri ventriculo reperitur: in ſiniſtro autem æruginis colore infecta, quæ in ejus baſi ulceroſam cavitatem effecerat.

5. Baſim Lateralis ventriculi facit, ut noſti, corpus Striatum non parva ex parte. Ejus, aut viciniæ læſio minor, minuſve acuta, quam in priore, ſinere potuit, hominem diutius vitam trahere. Cæterum aqua æruginoſa an ulcus ipſa induxit? an ab ulcere producta eſt? Cum limpida eſſet in ventriculo dextero; in ſiniſtro videtur ab ulcere infecta eſſe eo colore, quem ſibi favere, fortaſſe exiſtimaſſet Williſius, quippe paralyſis ejuſmodi *ſemper* eſſe cauſam credens, *materiem extraneam, & quaſi vitriolicam*, id quod in Sepulchreto quoque (*c*) commemoratur. Quid autem ulcus illud fuiſſe putemus, poſterius (*d*) indicabimus.

6. SENEX annos ſeptuaginta natus, qui valde edax fuerat, apoplexia multo antea prehenſus, & poſt hanc paralyſi tota corporis parte dextera, parte altera ſæpius convulſivis motibus agitabatur: mente non conſtabat: calculos interdum cum lotio reddebat.

MORTUI Ventre aperto, conſpectum eſt omentum eo retractum, ut totam ventriculi anteriorem partem obtegeret. Hepatis autem ſiniſter lobus, qui ventriculi partem ſolet obducere, vix hunc tangebat, quippe abductus a diaphragmate, cui firmiter annexus erat. Porro ventriculus, etſi erat corrugatus; tamen, poſtquam extenſus fuit, inventus eſt amplior quam plerumque ſolet. Lien autem manifeſte erat duplo major quam par eſſet, colore autem perobſcuro. In rene ſiniſtro calculi deprehenſi ſunt quatuor, unus caſtaneæ magnitudine; reliqui minores. Thorax recluſus non eſt. Dum Cerebrum e cranio eximitur, ſerum quod inter Craſſam, & Tenuem meningem continebatur, emanat. In ventriculo ſiniſtro plexus Choroides habebat corpus phaſeoli magnitudine, ex variis conſtans hydatidibus: ſub eodemque ventriculo ſinus erat, cujus parietes ſubſtantia cerebri faciebat flava ac flaccida, quæ corrupta videbatur.

7. Senex hic tertius, quippe cæteris ætate provectior, ac præterea, quod ventriculi ipſa amplitudo confirmabat, edacior, non hemiplexia tantum, ut illi, correptus fuerat, ſed & *renum paſſionibus*, atque *apoplexia*, quas cæteroquin Hippocrates (*e*) inter ſenum morbos connumeravit, ad hæc deſipientia, denique & motibus convulſivis in ſiniſtra corporis parte, a ſero, ut opinor, falſo, quod ut inter meninges erat, ſic utrinque irritando, dexteram quoque convulſiſſet, niſi hæc antea reſoluta eſſet. Reſolutionis autem cauſam hic etiam vides ſub Laterali ventriculo, hoc eſt ſub corpore Striato ejuſve vicinia. Quod vero viciniam quoque comprehendimus, tum obſervationes alias propoſitæ, tum illa etiam facit qua Chriſtianus Vaterus (*f*) poſt alterius brachii paralyſim, officulum, vel *concretum* gypſeum duriſſimum in oppoſito nervorum thalamo deprehendit.

8. Eandem autem illam quam hoc in ſene, ultimo loco deſcripſi cerebri læſionem ut diuturnæ hemiplexiæ, ſic antiquæ etiam apoplexiæ cauſam fuiſſe, non dubito, eorum memor quæ ſecundum Brunneri obſervationem, & judicium ad te alias (*g*) ſcripſi. Nimirum quem Valſalva ſinum appellavit, cujus parietes corrupta faceret ſubſtantia cerebri, mediocrem olim cavernam, repente productam, fuiſſe cenſeo ea ratione qua alia ad te Epiſtola (*h*) declaravi, quæ arte deinde, & præſertim natura adjuvante, ſe contraxerit in ſinus modum. Sic eodem ſpectaſſe minorem illam cavernam credidi, ſemiſiccato muco plenam, quam cum longe ampliore, ſanguine referta, in apoplectica muliere deſcripſi (*i*). Nec multum fortaſſe a recto aberrarem, ſi ejuſdem pene fuiſſe generis illas quoque duas cavernas, dicerem, quas de Epilepſia ſcribens (*k*) in viro, itemque in muliere memoravi, minorem in hac, & ſero plenam, quod ex parte nigricabat, & fila quaſi quædam habebat, majorem in illo, & cum ſero, ſanguinis portionem intra inæquales parietes continentem: quanquam ibi malui apoſtematis, abſceſſuſve nomine complecti, cum videri poſſent illa quidem ab ictu, hæc vero ab lue venerea ſenſim productæ: quæ res; ne de utriuſque ſede quidquam dicamus; fortaſſe fecit, ne ad cætera incommoda apoplexia acceſſerit, aut artuum reſolutio: quæ neque ad vertiginem vituli acceſſiſſe legimus, cujus in cerebri ipſa ſubſtantia tres hydatides, ovi columbini magnitudine, humore limpido plenas deprehendit Brunnerus (*l*). Tamen quod ſenſim, & ab ſero magis quam ab ſanguine, cavernæ quædam producantur, non ideo ex eroſis, aut ex diſruptis vaſculorum cerebri tunicis fieri non poſſent. Imo poſſunt, modo levis adeo ſit eroſio illa, aut diſruptio, ut lente exſudet potius quam erumpat ſanguinis portio, eaque ſeroſa magis quam craſſa: quo facit ſanguinis ipſius in quibuſdam corporibus natura magis aquoſa, copia minor, motus ſegnior. Quod ſi hæ cavernæ diſrumpantur; non multo ſecus ac illæ quæ ſanguinis plenæ ſunt (*m*), nil aliud quam ulcera fuiſſe, in cadaveribus videri poſſunt: idque in eo qui ſupra (*n*) deſcriptus eſt, ſecundo ſene accidit, ut opinor, unde aqua infecta ſit æruginis colore. Nam in primo (*o*) fluidus, qui cum ſero limpido eruperat, ſanguis cavernam indicat, quæ Striatum corpus ab reliquo cerebro ſeparaverat, ad eas magis acceſſiſſe quæ minus lente fiunt, & III. Epiſtola (*p*) expoſitæ ſunt.

9. Quæ omnia cum bene perpenderis; tum legas velim in Sepulchreto (*q*) illam Wepferi obſervationem, in qua anatomen deſcribens hemiplecticæ Virginis, duas in dextero cerebri ventriculo proponit cavernas, alteram ovi gallinacei magnitudine nondum apertam, alteram, quam etſi in recludendo ventriculo forte diſruperat, tamen ex copia effuſæ aquæ turbidæ qualem in prima quoque invenit, *non multo* hac *minorem fuiſſe*, in ſubjectis Scholiis exiſtimat, præterea autem ait, *in fundo, & ad latera* ventriculi, *corpora Striata, & portionem corporis Calloſi exulcerata, inæqualia, & quaſi lacera apparuiſſe*. Verum ſi diligentius omnia attendas; proclive erit intelligere, *ſuperficiem* hanc quæ *inæqualis, & quaſi exeſa & exulcerata apparuit*, non extra diſruptam cavernam, ſed intra ipſam fuiſſe. Si enim caverna hæc fuiſſet, ut illa integra, *peculiari tunica, craſſitie pennæ columbinæ, veſtita*, aut certe, ſi, ut illa, *folliculo incluſa*, ut videtur indicare, cum ambas *folliculos* vocat; profecto & hujus tunicam, & ſedem, ut illius, deſcripſiſſet, neque magnitudinem ex ſola aquæ copia *divinare* coactus eſſet. Igitur nullo folliculo hanc quidem proprie comprehenſam crediderim; ſed ejus parietes illam ipſam fuiſſe ſubſtantiam, quæ, poſtquam caverna diſrupta eſt, quaſi exeſa, & exulcerata apparuit.

10. Cæterum laudatam alias (*r*) Valſalvæ doctrinam haud ſecus ac triplex propoſitorum ſenum diſſectio, hæc quoque Wepferi comprobat obſervatio. Fuerat enim hemiplexia in latere corporis ſiniſtro, cum læſio, ut vidimus, in ventriculo eſſet cerebri dextero: id quod antequam hanc Sepulchreti Sectionem diligentius verſarem, nunquam attenderam, ut neque in Obſervatione, quæ ibidem eſt, altera (*ſ*) Joannis Bauhini, in illo eodem ſiniſtro latere paralyſim, apoſtema autem fuiſſe in cerebri parte dextera. Sed nimirum non tam mirandum eſt, hæc me fugiſſe, quam Wepferum, qui rem ſemel iterumque jam viderat (*t*), parvi adeo feciſſe. *Non equidem nego*, inquit (*u*), *tumores iſtos ventriculi dextri ad Hemiplegiam ſiniſtri lateris ſymbolum ſuum contuliſſe, nam ipſemet cum plurimis aliis obſervavi uno latere affecto, oppoſitum paralyſi correptum fuiſſe: verum ſociam, & forſan primariam cauſam Hemiplegiæ, ſerum extitiſſe arbitror*, illud videlicet, quo poſtea cerebri porulos obſtructos fuiſſe, exiſtimabat. Niſi dixiſſet, id ſe *cum plurimis aliis* obſervaviſſe; ſuſpicari aliquis poſſet, idem quod Valſalva poſtea, id eſt ab interna cauſa factum in longa diſſe-

(*c*) Schol. ad hujus Sect. Obſ. 2. (*d*) n. 8. (*e*) Sect. 3. Aph. 31. (*f*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 165.
(*g*) Epiſt. 2. n. 16. (*h*) Epiſt. 3. n. 3. 8. 9. (*i*) Ibid. n. 6. (*k*) Epiſt. 9. n. 20. & 23.
(*l*) Sepulchr. l. 1. S. 16. in Addit. Schol. ad Obſ. 12. (*m*) Epiſt. 3. n. 3. (*n*) n. 4. (*o*) n. 2. (*p*) n. 3. 8. 9.
(*q*) Sect. hac 15. Obſ. 4. (*r*) Epiſt. 3. n. 16. 17. (*ſ*) 18. (*t*) Vid. Epiſt. cit. 3. n. 17. (*u*) in Schol. ad cit. Obſ.

diſſectionum ſerie animadvertiſſe. Nunc idem intelligimus quod *plurimi alii* antea, id eſt ab ictibus, & vulneribus, Wepferum vidiſſe. Porro non his tumoribus ſolum, parum tribuit, partem cerebri dexteram in ejuſmodi loco tandiu comprimentibus, & quod conſequitur, ſpirituum influxum in Spinalis medullæ ſiniſtram partem longo tempore minuentibus: ne huic quidem medullæ parti, quæ propterea fortaſſe *dextra minor videbatur*, plus cenſuit tribuendum. *Neque multum*, inquit, *ad hujus rei demonſtrationem confert medulla ſpinalis ſiniſtra minor dextra; ſi enim præternaturale quidpiam fuiſſet, æque pes ac brachium ad motum impotens permanſiſſet*; quaſi vero hoc diſcrimen plerumque in hemiplecticis non occurreret, nec ipſe paulo ante diſcriminis cauſam indicaſſet in labe adverſus remedia pertinaciori *nervorum axillarium, qui graciliores & teneriores ſunt nervis ex oſſe ſacro ad femora & pedes deſcendentibus*. Nam quod profuiſſe, ait, *curationem, quæ peragebatur ſerum diſcutientibus, abſorbentibus, & evacuantibus*; ſcilicet profuit, ſerum deducendo atque avertendo, quo tumores antea magis, opinor, diſtendebantur, natura primum adjuvante per *creberrimam copioſamque* mictionem, tum aliis etiam morbis, aſcite videlicet, ac late fuſo œdemate, & flavæ aquæ copia intra meninges redundante, in quam illa rejici poſſunt quæ alioqui tumores illos augeri, videbantur indicare. Quæ omnia tamen ſic velim accipias, ut dicta intelligas, non ut Wepfero ipſe adverſer, cujus memoriam, & egregia merita quanti faciam, non ignoras; ſed ne te quidquam celem de conjecturis, quales eæ cunque ſint, circa has res meis, quibus non plus tribues quam volueris.

Sed hiſtoriis Valſalvæ expoſitis, ad meas veniamus.

11. AGRICOLA annos natus, ut videbatur, ad quadraginta in Bononienſi S. Mariæ de Morte Noſocomio decumbebat. Is primum in thorace correptus fuerat dolore vago, cum punctionis ſenſu: tum linguæ deinde, & dexterorum artuum reſolutione, ut tamen movere nonnihil poſſet. Inter hæc notos agnoſcere, & intelligere videbatur: mox nihil. Vehemens erat pulſus, & frequens; ſed æqualis. Reſpiratio; ſi ultimum vitæ tempus excipias, non mala. MORTUI Venter maximum eorum quos ad id tempus videram, lienem oſtendit, cætera, ſenſuum judicio, ſanum: jecinoris autem limbum inferiorem liveſcentem. Thorax utraque in parte mediocrem ſanguinolentæ aquæ copiam habuit, tum pulmones pleuræ adhærentes poſteriore facie, cæterum, etſi intus extraque ibi rubebant, non duros. In pericardio aqua craſſa, ſed pauca, eique ſimilis in qua caro recens lota eſt. Cor flaccidum non ſecus ac cæteri muſculi, in ejuſque dextera auricula & ventriculo magna polypoſa concretio, muci inſtar ſubflavi. Hac firmior erat altera quæ Pulmonarem venam tenebat, aſcendens quaſi a quadam baſi, ab *excreſcentia*, cui annectebatur, coloris cinerei, valvulis Mitralibus innata. Dum e Cranio cerebrum educebatur, aqua erupit quæ inter Craſſam fuerat, Tenuemque meningem, imo inter hanc quoque, & cerebrum, a quo hæc propterea nullo negotio ſeparabatur. Vaſorum trunculi qui per ejuſdem meningis ſuperiora feruntur, ſanguine erant diſtenti. Subſtantia cerebri laxa. Lateralibus apertis ventriculis, natibuſque, & teſtibus cum Pineali glandula retectis, hanc pene totam ex flava, & duriuſcula, friabili tamen, materia conſtare, inveni; quatuor autem illarum protuberantiarum colorem ad flavum vergere. Dextero, & ſiniſtro ventriculo aliquid aquæ inerat, ejus ſimilis, niſi quod craſſa non erat, quæ in pericardio deſcripta eſt. Et ſuperficies quidem utriuſque ventriculi minus erat lævis, quam ſolet: ſed in ſiniſtro fuit præterea vitium quod magis in oculos incurreret. Nam præterquam quod flavus, & quaſi diffluens erat ille medullaris tractus qui interjicitur inter Optici nervi Thalamum, & corpus Striatum, hoc ipſum corpus, ſi cum dextero comparares, multo ſtrigoſius quaſi a tabe quadam factum, ſubſidebat, & ex ejus medio tuberculum prominebat maximæ fabæ magnitudine, & figura, colore autem rubro, qualis in cute conſpicitur cum recens ſugillata eſt. Quod ſectum, nihil peculiare oſtendit præter eandem rubedinem, cum reliquum Striatum corpus totum flaveſceret, eaque eſſet laxitate, ut quaſi difflueret.

12. Hiſtoriæ hujus alias partes conſiderabimus alio tempore. Nunc illud propter quod hic potiſſimum ſcripta eſt, vides, ut non minus quam quæ ſupra aut propoſitæ, aut commemoratæ ſunt, Williſii, & Valſalvæ doctrinas confirmet; hujus, quia vitium in latere fuit cerebri oppoſito ei corporis lateri quod erat reſolutum; illius (x), quia in reſolutione etiam nec diuturna, nec gravi, vitium fuit non modo in vicinia Striati corporis, ſed in hoc ipſo, & ſane ejuſmodi, ut decolor eſſet, ac minus firmum. Hæc poteris ad illa addere quæ ſcripſimus Epiſtola III. (y) de graviſſimis ut plurimum inter omnes partes cerebri corporis Striati, aut ejus viciniæ læſionibus: & ſi licet non ejuſdem generis vitia conferre inter ſe; vereri magis poteris, ne caſui imputandum ſit quod ex illis Obſervationibus pene omnes vitium exhibeant a dextris, quando hactenus in his Litteris deſcriptæ tres ex Valſalvæ ſchedis, una ex noſtris, omnes proponunt a ſiniſtris. Noſtræ hujus eſt; niſi quod viciſſim vitium proponit a dextris; in eo perſimilis Obſervatio Peyronii (z) quod in medio ferme Striati corporis durum tuberculum, fabæ multum depreſſæ craſſitudine, profert ex adoleſcente, cui latus oppoſitum cœperat paralyſi laborare. Nunc poſtquam tot a nobis hac, aliiſque Epiſtolis tum propoſita, tum memorata legiſti exempla noxarum gravium, quæ Striatorum corporum læſiones ſunt conſecutæ; jam tanto libentius probabis quod Cl. Langhanſius (a), ſpectatis obſervationibus noſtrarum ſimilibus, ſcripſit, has Striatas protuberantias eſſe partes cerebri nobiliſſimas, nec mirandum, cum maximam ejus crurum portionem faciant, & quod conſequitur, Medullæ trunco originem præbeant, ſi læſis ipſis, & cerebrum, & reliquum corpus magnis, ut oſtenſum eſt, morbis, ſæpiuſque funeſtis afficiatur.

13. SENEX, qui ex apoplexia hemiplecticus tota corporis parte dextera; ſi caput, quod valebat, excipias; neque ſentiendi, neque movendi ullam facultatem retinuerat, in Bononienſe Incurabilium Noſocomium admiſſus eſt. Ibi febre correptus, & ſpirandi difficultate; quam tamen neque ponderis, neque doloris ullius ſenſus in thorace, comitabatur; imbecillo ultimis diebus pulſu, & penis grangræna accedente mortuus eſt A. 1704. VENTER nihil, præter inteſtina aere turgida, præbuit adnotandum. Thoracis ſiniſtra cavea aquam habuit, ſed paucam; dextera ſuperiorem pulmonis lobum ex nigro purpureum, durum, compactaque ſubſtantia. Nihil aquæ in pericardio: cor autem adeo flaccidum, ut nunquam antea ſic vidiſſem; in ſe enim ita conciderat, vix ut digiti craſſitudinem æquaret. Sed & muſculi alii laxiſſimi. E Cranio, inter ſecandum, aqua defluxit non pauca; quæ mox & ad cerebri baſim, & in vertebrarum tubo conſpecta eſt. In Lateralibus etiam ventriculis aliqua ejus portio fuit: major autem fuerat, ut opinor, ſub Tenui meninge; hæc certe qua ſulcis inter anfractus cerebri interjectis reſpondebat, propemodum albicabat. Præter hæc, nihil in cerebro, aut cerebello adnotatione dignum, niſi quod in plexu Choroide, ſaltem a ſiniſtris, veſiculæ erant aqua turgidæ.

14. Senis hujus, quem pulmonis ſuſtulit inflammatio, hemiplexiæ cauſam noli credere a me facile in iis ſtatui veſiculis, quæ in parte reſolutæ oppoſita turgebant; ſic enim ſæpius vel ſine ulla paralyſi invenire conſuevimus. Multo autem minus in aqua ſtatuo intra cranium reperta, quippe quæ non ſiniſtram magis cerebri partem premebat, quam dexteram. Quod miror quoſdam, & in his Williſium, ut in Sectione iſta

Sepul-

(x) Vid. ſupra, n. 3. (y) n. 18. (z) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1741. Quatrieme Obſerv.
(a) Diſſ. de conſenſu part. corp. hum. §. 88.

Sepulchreti XV. (*b*) vides (niſi quid forte Lugdunenſis, nedum Genevenſis typographi incuria deeſt) non attendiſſe; neque enim ab illuvie ſeroſa & ſanguinea anteriorem cerebri cavitatem implente, unius potius, quam alterius corporis Striati compreſſionem, laterisque reſolutionem deduxiſſet. Quid ergo eſt? Mox poſtquam aliam ſubjecero Obſervationem, conjiciam (*c*). Neque enim tam difficile id puto, quam ſi ex me quæreres, cum Generoſiſſimus Senex (*d*) ſimul hemiplexia, ſimul ictero correptus eſſet, qui fieri potuerit, ut intra idem latus dexterum, quod erat reſolutum, ſe *accurate* adeo contineret aurigo, *ut etiam naſi dextrum latus icteritium eſſet, ſiniſtrum vero colorem naturalem retineret*, quando idem flavum ſanguinis ſerum non minus circumibat per ſiniſtrum latus, quam per dexterum; niſi forte credas, per laxiores hujus fibras lentius promotum, magis inficere potuiſſe.

15. ANICULA ex apoplexia jam tres annos hemiplectica ſic tamen, ut ſentiendi facultatem retineret, accedente ob decubitum, an aliam ob cauſam clunis gangræna, octo ante diebus in idem fuerat in quod Senem diximus, Noſocomium excepta. Ubi intra paucos dies vehementi dolore correpta eſt, primum reſoluti humeri, mox etiam linguæ: quæ inſpectæ partes nihil, quod ſub ſenſum caderet, vitii oſtendebant. Dolorem aphonia excepit, hanc mors, quæ ſenſim tamen, & ſine ullo reſolutionis incremento acceſſit. CAPUT, & collum dumtaxat hujus mulieris diſſecta ſunt. In collo id glandulæ Thyroidææ vitium deprehendi, quod alibi (*e*) deſcriptum, hic iterare minus attinet: præterea in quodam arteriæ vicinæ trunculo concretionem inter tunicas ex flava materia media inter mollem, atque friabilem, parvam illam quidem, ſed ita introrſum extuberantem, ut trunculi cavum anguſtius faceret: denique in altera Parotide parva fruſta ex materia quaſi tartarea, quæ mora poſtea in oſſeam duritiem tranſivit.

Verum antequam collum, & caput attingerem, dum illud a thorace dividerent, tantam vim aquæ ex vertebrarum canali tum ſuperiore, tum inferiore erupiſſe, teſtati ſunt, quantum vinarium vas, quod *boccale* vocitant, impleri poſſe, exiſtimarent. Itaque pauca circa cerebrum, pauca in ejus ventriculis ſuperfuit: præter quam, nihil aliud quod adnotatione dignum eſſet, invenimus.

16. Ex gangræna quidem, peſſimi generis particulas in alveum ſanguinis relatas, cum linguæ nervos, tum alios aliquos invaſiſſe eorum potiſſimum qui ob triennem humeri quietem minus fortaſſe reſiſtebant, doloreſque illos intuliſſe, non difficile eſt explicatu. Sed non propterea intelligitur, quomodo tanta aquæ copia intra cranium, & vertebrarum tubum congeſta ſit, & cum ſit, aphoniam quidem, & mortem, ſed non ſimul reliqua apoplexiæ legitimæ ſymptomata invexerit. Num quod paulatim ad tantam illam copiam pervenerit? (*f*) Et credere quidem poſſumus, jam tum ab hemiplexiæ initio multum aquæ in eo tubo, ſive, ut vocant, in Sacra fiſtula fuiſſe. Sic enim ſæpe in paralyticis invenitur, ut Coiterus præmonſtravit, cujus habes in Sepulchreto Obſervationes (*g*), tum deinde Wepferus, qui ad id facile inquirendum, omnibus jam e cranio detractis, tum ſtatuere hoc humilius ſolebat, ut per Sacræ fiſtulæ oſtium declivem ab ea egreſſum haberet humor: quod a pleriſque aliis in certorum quorundam cadaverum ſectionibus neglectum, nos certe aut eadem, aut alia ratione ſæpe inquirere non omiſimus, ut ex ſuperiore etiam Epiſtola (*h*) intelligere potuiſti. Wepferi autem obſervationes non in hac modo Sectione (*i*), ſed in II. quoque (*k*) videas, præſertim in quibus *multum*, aut *plurimum* ſeri ex oſtio illo exire, conſpexit. Nam in qua *ad unciam* vidit effluere, ea minoris facienda eſt, ſi quod ipſi, & Coitero videtur fuiſſe incognitum, ſecundum naturam quidem humoris aliqua copia in ima Sacra fiſtula eſt agnoſcenda; qua de re quid nobis exploratum ſit, erit alibi dicendi locus; neque enim difficile eſt, ut in cadaveris geſtatione, aut multiplici, ut ſæpius fit, volutatione ejus naturalis humoris portio ab imo ad ſummum fiſtulæ tranſeat. Verum cum aut copia multo majori, aut alia ac debeat, natura eſt, intelligere quidem licet, quemadmodum aut hac alia natura lædat, aut ea multo majori copia non jam nervos illos infimos Caudæ Equinæ, ſed ipſum longe teneriorem, quem circumfundat, Spinalis medullæ truncum aut magis premendo, aut laxando, inferat artuum reſolutionem: ſed qui fiat, ut cum illum undique circumfundit; tamen a dextero magis latere, quam a ſiniſtro, aut a ſiniſtro magis, quam a dextero, premat laxetve, ut lateris illius, non hujus, aut hujus, non illius paralyſim faciat, intelligere non licet. Igitur quæ nos difficultas circa aquam in cranio tenebat (*l*), eadem in Sacra quoque fiſtula detinet, niſi aliquid præterea huc adjiciamus.

17. Id autem repetendum videtur a præcedente alterius partis aut cerebri, aut Spinalis medullæ diſpoſitione, ſive hæc a natura ſit, ſive a morbo: ut ſi minus firmam quam altera, intimam habeat ſtructuram, aut ſi, velut in ea apoplexia quam alias (*m*) a meningum convulſione fieri, propoſuimus, alterum cerebri hemiſphærium a vehementiori ſuæ meningis convulſione magis quam alterum, conſtrictum fuerit. Jam vero ſi ad nativam, aut ſi ad relictam a morbo in altero latere imbecillitatem ejuſmodi, quæ per ſe quidem obeſſe vix poſſet, ſi ad eam, inquam, undique circumjectæ vis aquæ accedat; nimirum intelligis, cui vi firmius latus cerebri reſiſtat, aut Medullæ, eidem infirmius non poſſe reſiſtere.

18. Quod autem de cerebro, ejuſque appendice medulla Spinali per ſuarum meningum convulſiones læſis dicebam, idem quoque de nervis ab illo, aut ab hac proficiſcentibus & alias (*n*) dixi, & nunc etiam tanto libentius dico, quanto facilius eſt intelligere, non Tenuem modo, ſed & Craſſam meningem circum eos quos conveſtiunt, nervos undique poſſe contrahi, quam circa alterum cerebri, aut Spinalis medullæ latus. Sic in adoleſcente (*o*) qui ex vermibus inteſtina irritantibus, linguæ paralyſi corripiebatur, intra aliquot dies ſolvenda, ſed cum ventris torminibus recurrente ſingulis menſibus, rem ego ex convulſione explicabo per conſenſum quendam ad meninges quæ linguæ nervos cingunt, producta, levi quidem, ut facile paralyſis ſolvebatur, ſed cum inteſtinorum convulſiones redibant, ipſa quoque redeunte. Igitur ſi nervos quoslibet, non ex durioribus tamen, convulſæ aut meninges ſuæ, aut contiguæ muſculoſæ fibræ conſtringant, aut ſi non valde conſtrictos, & mox ſic ſatis reſtitutos circumfuſa aqua premat, aut laxet; reſolventur partes quibus ii nervi proſpiciunt: atque hinc quoque habebis unde intelligas quibuſdam in caſibus, quare cum eadem aqua omnes interdum circumfundat qui aut ex cerebro, aut ex Spinali medulla proveniunt, nervos; non omnes tamen laxentur.

19. Facile autem ad Spinales alterius lateris nervos, ſuarum meningum convulſione certo tempore, nec tamen arctius, circumpreſſos, attinebat caſus non vulgaris, qui Bononiæ A. 1705. in eodem quod ſemel atque iterum ſupra memoravi, Noſocomio diebus circiter octo ſpectatus eſt. Virgo erat annorum, ut mihi viſa eſt, quadraginta, quæ poſt diuturnum dolorem capitis, altero ſenſim reſoluta erat corporis latere ſic ut tandem neque ad motum, neque ad ſenſum hoc uti poſſet. Ita affectæ ſanum quoque alterum latus ſimilis paralyſis quotidie veſpertino tempore corripiebat, matutino autem adventante, integram omnino relinquebat. Quod poſtquam ſepties, aut octies contigit eadem ſemper, aut ſiquando non eadem, una, ut ſummum, hora citius, aut ſerius; tum vero thoracis inflammatio continuo acceſſit, eaque Virginem ſuſtulit, cujus diſſectio cadaveris, invitis nobis, omiſ-

(*b*) Obſ. 9. cum Schol. (*c*) n. 17. (*d*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 64. (*e*) Epiſt. Anat. 9. n. 38. (*f*) Vid. Epiſt. 4. n. 29. (*g*) Sect. hac 15. Obſ. 6. & 7. (*h*) n. 13. (*i*) Obſ. 3. (*k*) Obſ. 40. & 47. (*l*) n. 14. (*m*) Adverſ. 6. Anim. 84. & Epiſt. Anat. 13. n. 27. (*n*) Ibid. (*o*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 160.

omiſſa eſt ; Sed reſolutionum ab ejuſdemmodi cauſa alia quoque exempla a me alibi indicata ſunt .

20. Indicata ſunt etiam exempla earum quæ a convulſis circa nervos muſculoſis fibris videntur accidere. Nec vero negaverim, poſſe interdum ea quoque ratione explicari, quæ ſic a Boerhaavio (*p*) propoſita eſt: convulſi muſculi *duritas*, *ſi nimia fuerit*, *deſtruit muſculum*, *& relinquit paralyticum*, *uti ſæpe poſt convulſiones contingit fieri* : quanquam ubi ſimul cum motu ſenſus tollitur, non tam muſcularis fabricæ deſtructionem, quam compreſſi tunc nervi, modo ex durioribus non ſit, conſtrictionem præſtat incuſare, a qua una repeti utrumque poteſt. Quod autem eidem placuit (*q*), *paralyſes membrorum*, *ubi nullum ſubeſt cerebri vitium*, ideoque *auſcultantes medicamentis externis*, eas, inquam, *ſedem* habere in *tela celluloſa* qua omnia nervorum vaſa cinguntur; hæc quoque explicatio ſua laude digna eſt, ſi quis apte, nec ſine aliquo additamento utatur. Nam cæteroquin haud ſecus ac aliæ, ſuis ipſa quoque difficultatibus videtur premi. Vide enim in Sepulchreto (*r*), vel potius in eo ipſo libro (*ſ*) qui ibi negligentius deſcriptus eſt, quæ Wepferus in hydropicis, motu, & ſenſu viſcerum, atque artuum inferiorum pollentibus, animadvertit, ſcilicet *in abdomine nervos & plexus nervoſos non ſolum ſero copioſo inundatos*, *ſed etiam illos ipſos*, *aqua tenui membrana coercita*, *veluti gelatina*, *incruſtatos*, *in pedibus vero a planta ad coxam*, *ipſoſque lumbos œdematoſis*, *cutim*, *pinguedinem*, *membranas*, *imo ipſos muſculos inſtar ſpongiæ aqua turgidiſſimæ maduiſſe*; ut dubitandum non videatur, quin celluloſæ illæ telæ quibus nervorum vaſa cinguntur, ipſæ etiam aqua diſtentæ fuerint, & in aliis ſint, quos pene quotidie, & ſine ulla quidem reſolutione, videmus, hydropicis.

21. Sed etſi quod de nervorum affectionibus in libro habemus *de Locis in homine* (*t*); ſi tamen de iis nervis ibi ſermo eſt de quibus hic loquimur, *morbum* videlicet qui *in ipſos pervenerit*, *quieſcere in eodem loco*, *& difficile eſſe ipſum educere*; etſi, inquam, id ut plurimum verum eſt; minus tamen eſt, cum morbi cauſa in celluloſis conſiſtit eorum telis, ubi externis parere medicamentis, ut paulo ante indicabamus, expertus eſt Boerhaavius. Quin aliquando vel citius paret, quam ægro opus eſſet, ut cum recens reſoluta membra, corpore necdum ſatis præparato, thermarum balneis, aut lutis præpropere committuntur; ſerum namque morbidum ex ignobilibus ſedibus alio abductum, in nobiliores facile irruit, ut in cranii cavum, aut Sacram fiſtulam, cerebrum, aut medullam Spinalem, præſertim ubi ad apoplexiam, aut ad paraplegiam diſpoſitio eſt, male mulctaturum. Quo Williſiii (*u*) obſervationes ex parte refero, cum ex uſu, aliis paralyticis utiliſſimo, thermarum Bathonienſium, quorundam *membra plura atque prius affecta*, *gravius reſoluta* animadvertit. Eodemque facile ſpectat locus T. Livii (*x*) : *Cn. Cornelius conſul ex monte Albano rediens*, *concidit*, *& parte membrorum captus*, *ad aquas Cumanas profectus*, *ingraveſcente morbo Cumis deceſſit*. Quem locum etſi ab iis qui de thermis Cumanis, proximiſve Bajanis; earumque uſu ſcripſerunt, animadverſum eſſe, non memini; tamen quaſi de caſu in eo ſermo fiat, idem Livii ſignificat loquendi modus, alias (*y*) productus, & explicatus de Attalo inter concionandum obmuteſcente, & cadente: *concidit .... parte membrorum captus*.

Verum ad hiſtorias noſtras redeamus, atque adeo ad ultimam ipſarum veniamus.

22. MULIEREM, quam ſemel prehenderat apoplexia, rurſus corripuit, ſtupidamque, & ſemiparalyticam reliquit. Uno, aut altero interjecto menſe, febris invadit non mediocris, ut pulſus, ſitiſque commonſtrant, eaque in Bononienſi S. Mariæ de Vita mulierem conficit. CEREBRI vaſa nigro ſanguine turgidula: ipſum vero laxum adeo, ut Craſſam, quam detrahebamus, meningem quibuſdam in locis cum Tenui, corticalis quoque ſubſtantia ſequeretur. Cæterum aqua pauca in tertio ventriculo. Reliqua autem viſcera ſana. Quæ dum rimamur, & ex ſiniſtro cordis thalamo concretionem polypoſam extrahimus, interveniens forte Valſalva, alteram, inquit, reperietis a dextris. Quam, dextera inciſa auricula, mox vidimus inde in venam Cavam ſuis ramis pertinentem. Siniſtra tamen, non minus ramoſa, firmiorem habuit truncum, ſubſtantiam intus compactæ carnis referentem, quam corpus quoddam quaſi nerveum cingebat.

23. De polypoſis concretionibus erit aptior alibi (*z*) ſcribendi locus. Hic ſatis a laxo adeo cerebro ſtuporem mulieris, & ſemiparalyſim deducere. Neque enim ſatis ſpirituum ſecernere poterat, & ad membra mittere. Qua de re, ut maxime obvia, non attinet multa verba facere; tametſi ad id comprobandum vides in Sepulchreto (*a*) unam eandemque ſemel, atque iterum Obſervationem proferri tam paucis interjectis, ut minus mirum ſit, duas ferme ex Williſio (*b*) paginas in Scholiis ad Obſervationem III. deſcriptas, iterum pro Scholio ad Obſervationem XXX. eaſdem deſcribi. Cæterum hujuſmodi in primis ſunt paralyſes, in quibus fruſtra, ad tollendam cauſam, reſolutis partibus adhibentur remedia. Ad tollendam cauſam, inquam. Nam Valſalva ad fibrarum tonum aliqua ratione adverſus majorem laxitatem ſervandum ſe, dicebat, adhibere: eandemque ob cauſam cum ad avertendas apoplexiæ minas, ſanguinem e ſemireſolutis jam diu manibus aliquando mitti, imperaret, imperabat ſimul, ut aquæ loco vinum calefieret, in coque manus, ut tum fieri ſolet, mergeretur. Quæ, cum Valſalvæ conſuetudines ſcire cupias; nolui reticere. Porro aliæ, extra cranium quoque, paralyſis cauſæ ſunt, ad quas inutilis uſus eſt externorum remediorum. Harum ſelecta quædam exempla ſatis erit ex Cowpero (*c*), & Saltzmanno (*d*) commemorare. Uterque partium inferiorum reſolutionem accidiſſe, deprehendit, Cowperus ab interno tumore, qui duarum dorſi vertebrarum corpora ita exederat, ut per eorum cariem foramen aditum præberet digito ad medullam ipſam Spinalem immittendo; Saltzmannus autem ab eadem medulla, non pravo ejuſmodi humore læſa, imo plane exſucca in ſuperioribus lumborum vertebris: quod vitii cum in altero, ajat, *in omnibus lumborum vertebris* habuiſſe; perſpicuum eſt, non Medullam modo, intra ſupremas earum deſinentem, ſed & Equinæ, ut vocitant, caudæ partem non parvam (quæ utinam Saltzmannus diligentius, aut certe dilucidius propoſuiſſet) idem vitium occupaſſe. Signa autem quæ latentes has paralyſis ſedes quadantenus in vivis indicarent, his perlectis utriuſque Auctoris obſervationibus poteris exiſtimare.

24. Denique ne mireris, quod febris, quæ ſecundum alias Hippocraticas prædictiones apoplexiam excipiens ſolvit, fœminam quam propoſui, perdiderit; Martianum (*e*) vide, febrium conditiones diſtinguentem, illiſque prædictionibus hanc ex Coacis opponentem: *Apoplecticæ affectiones de repente exolutorio modo fientes*, *febre temporis progreſſu accedente*, *pernicioſæ*. Hæc vero febris; ut alia mittam; ſane uno, aut altero poſt menſe acceſſit. Satis de Paralyſi. Vale.

EPI-

(*p*) Prælect. in Inſtit. ad §. 401. (*q*) Ibid. ad §. 282. (*r*) Sect. hac 15. Append. ad Obſ. 5.
(*ſ*) Auct. Hiſt. Apopl. Hiſt. 13. in Schol. n. 2. (*t*) n. 9. (*u*) De Anima Brut. P. 2. c. 9. (*x*) Hiſt. l. 41.
(*y*) Epiſt. 3. n. 17. (*z*) Epiſt. 24. n. 26. & ſeqq. (*a*) Sect. cit. Obſ. 8. & 13. (*b*) c. cit.
(*c*) Act. Lipſ. A. 1699. M. Feb. ad Tab. 93. (*d*) Act. N. C. T. 2. Obſ. 102. (*e*) Annot. in Hippocr. l. 2. de Morb. S. 2. v. 67.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XII.

Sermo eſt de Hydrocephalo, & de Aqueis Spinæ Tumoribus.

HYdrocephali nomen etſi unum eſt; plures tamen, ut noſti, & ſede, & effectibus inter ſe diſcrepantes affectiones ſignificat, primum quidem; ut rem in pauciſſima contraham; aquæ congeſtionem inter cranium, ejuſque integumenta; deinde intra cranii cavum, idque aut oſſibus, quod fere in fœtibus fit, & pueris, diductis amplificatum, aut minime diductis ad eum modum perſtans ad quem conſiſtente ætate videmus: quanquam hoc ultimum genus ne ii quidem qui hydropem cerebri appellant, hydrocephalum omnes vocant. Primum illud atque exterius hydrocephalum etſi in viventibus conſpeximus, & præſertim in nobili infante, quem cum aliis Medicis conſulti, ſine Chirurgi ferro, ſanavimus; in mortuis tamen examinandi occaſionem nec Valſalva, nec ipſi habuimus. Interni autem primum genus, ſaltem poſtquam aqua exierat, iis in fœtibus vidiſſe me, credo, quos cerebro carentes diſſecui, velut poſtea declarabo. Alterius vero generis crebras tum Valſalvæ, tum mihi eſſe obſervationes, ex ſuperioribus Epiſtolis non una oſtendit. Quarum nullas in animo eſt hic iterare; ſed unam potius proferre, cui locum in iis Epiſtolis aptum non fuiſſe, cognoſces. Eam cum protulero, tum commemorabo quæ vidi, ad primum, ut puto, interni hydrocephali genus attinentia: nec alia de Spina, ut vocant, bifida, ſive de Aqueis hujus Tumoribus reticebo.

2. ANUS, poſtquam antiqua artuum ulcera, minus jam in dies, minuſque manantia, noviſſime arida apparuerant, ſenſim quaſi a ſenectute confecta, mortua eſt. CADAVER Gymnaſio huic ceſſit, cum altera quæ A. 1725. habebatur Anatome, jam ad finem ſpectaret. Igitur viſcera pleraque omnia ipſe perſcrutatus, jecur, & ſplenem animadverti magnitudine excedere aliquantum naturalem modum, nec ſubſtantia ipſa omnino eſſe ſecundum naturam. Multo autem erant æquo ampliores tum ureteres, tum renum pelves, indicio non obſcuro, fuiſſe olim mulierem calculis, aut aliis renum vitiis obnoxiam: quo & parvitatem cenſui attinere renis dexteri, dimidio minoris quam ſiniſter. Tuba ſiniſtra Falloppiana, fimbriis, interjectoque his orificio omnino deletis, in unum corpus extremo illo coaluerat cum ovario. Fundo uteri aperto, conſpecta eſt in ipſo hujus latere ſiniſtro excreſcentia, quæ magnitudine, & forma dimidiatum referebat lupinum, baſi dumtaxat utero annexa, facie autem utraque ſoluta, & lævi, nec ſecus ac fundi univerſa interior facies, rubicunda. Cranii, & quod conſequitur, cerebri figura erat abnormis, ut Epiſtola I. (*a*) deſcripſi; hæc enim illa fœmina eſt, de qua ibi in extrema quadam, ex parte huic ſimili, hiſtoria mentionem injeci, reliqua alibi pollicitus, quod hic videlicet præſto. Laterales ventriculi pleniſſimi erant aqua turbida. Choroides plexus albeſcebant. Corpora Striata, quocunque cultrum, aſſulatim ſecando, dirigeres, ex cinerea ubique ſubſtantia, mirantibus qui aderant, nuſquam medullares ſtrias, ſed disjecta ſolummodo medullaria puncta apparere. Cerebellum, ut medulla quoque Oblongata, flaccidum fuit. Denique Pituitariam glandulam cum valde humilem, ac ſubſidentem animadvertiſſem, diligenter extraxi, & primum ſine Appendice eſſe vidi, in Adverſariis VI. (*b*) deſcripta, & delineata, tum ejus corpus ex fuſco flavere, & in ſe contractum atque ſtrigoſum, præſertim quod ad altitudinem attinebat, multo minus quam ſoleat, ſurſum protuberaſſe.

3. Si antiqua, & noviſſima hujus fœminæ incommoda, accurate aliquis adnotaſſet, ex quo inquirendo cognoſcere potuiſſem; cum plura quæ, diſſecando, perſpexi, hic perpendere non omitterem, tum certe alio potius quam huc, obſervationem hanc retuliſſem. Quod fieri poterat de quibuſdam in hanc Sepulchreti XVI. Sectionem collatis, præſertim vero de ea quæ ſub num. VI. & de prima, atque altera quæ ſub num. VII. in Additamentis proponuntur; neque enim, quod etiam ſupra indicavi, pleriſque placet, ubi caput non tumet, ibi hydrocephalum agnoſcere. Non eſt tamen dubitandum, quin cum multa intra cranium aqua ſenſim magis, magiſque congeritur, ſi huic cedere, ut in tenellis, oſſa poſſent, tumor capitis eſſet oriturus: & quin aliquæ ex iis cauſis propter quas in illorum cranio aqua congeritur, eædem ſint ob quas congeritur etiam in adultorum, ut puta, præter hydatides, de quibus infra (*c*) dicemus, in plexu Choroide, aut alibi intra cranium diſruptas; ut puta, inquam, aut ea glandulæ Pituitariæ conſtitutio quæ nullam aquam tranſmittat, ut in Anglo illo (*d*) cujus cerebri ventriculis ſero plenis hæc ſuberat glandula parte altera prædura, altera abſumpta, aut ea aquæ natura, quæ ad hanc, aut per hanc glandulam tranſmitti non poſſit, quorum illud veriſimile eſt, cum aqua dumtaxat limpida; hoc vero, cum turbida ventriculos cerebri diſtendit, qualis in Viro Principe a Brunnero (*e*) animadverſa eſt, a nobis autem in ea quæ propoſita eſt, fœmina. In hac enim cum is ichor qui per artuum ulcera amandari conſueverat, in eos ventriculos divertiſſet, impedire ipſa ſibi, irritando, & corrrugando Infundibuli extremos tubulos, viam potuit in glandulam Pituitariam, quæ propterea, ut eæ partes ſolent quæ ab officio ceſſant humores excipiendi, ſubſederit, ac ſtrigoſa facta ſit. Quod ſi craſſum, nec irritans ſerum in eam glandulam ſe intrudat, exire autem nequeat; illud quod e ventriculis eodem illabi perget, glandulam quidem vehementer, ut Peyronius (*f*) vidit, tumidam reddet, ſed reliquo demum ſero illuc aditum præcludet. Cæterum in aliis aliunde eſſe poſſunt cauſæ propter quas vel tenui aquæ iter non pateat per eam glandulam. Eſſe autem ex naturæ inſtituto tenuem in ventriculis aquam, & limpidam, ſed vix plus quam ut ea ventriculi madeant, negandum non credo. Quod ſi plus forte in catulis illis invenit Littrius (*g*), quibus uno ictu abſciderat caput; at illi etiam tum lactentes erant; eſt autem in cavis omnibus fœtuum, & recens natorum animalium aquæ plus quam in adultis; itaque optandum fuerat, ut quod periculum in lactentibus fecit, idem feciſſet in adultis. In his enim aquam tum demum abundare, credibile eſt, cum aut plus æquo ſecernitur, aut cum aliqua cauſa eſt quæ illi iter ad Pituitariam glandulam intercludat, aut minuat. Quæ autem de glandula hac dico, eadem ſimul de cæteris quoque latentibus viis dicta volo, per quas aquæ exitum a natura paratum credo ſecundum ea quæ fuſius alias (*h*) ad te ſcripta, hic minime neceſſe eſt iterare.

4. Illud potius quod tunc me fugit, addendum eſt, in Sectione hac Sepulchreti XVI. tres unius hydrocephali proponi hiſtorias, ſingulas a ſingulis deſcriptas, ſub num. VII. a Cummio, ſub VIII. a Paiſenio, denique ſub V. in Additamentis a Pechlino. Hi enim omnes aderant, cum ab Hornio infantis illius cadaver Lugduni Batavorum A. *1666.* diſſectum eſt. Cum igitur primi duo in Ephemer. Nat. Cur. Dec. I. alter A. I. (*i*) alter A. IV. & V. (*k*) ſuam quiſ-

(*a*) n. 14. in fin. (*b*) Anim. 25. & Tab. I. Fig. 4. (*c*) n. *6.* (*d*) Act. Liſp. A. 1688. M. Maj.
(*e*) Eph. N. C. Cent. *6.* Obſ. 1. in fin. (*f*) Memoir. de l' Acad. R. de Sc. A. 1741.
(*g*) Hiſt. de la m.me Acad. A. 1711. Obſ. Anat. 7. (*h*) Epiſt. 4. n. 36. (*i*) Obſ. 47. (*k*) Obſ. 196.

quiſque deſcriptionem edidiſſent; Pechlinus tandem in Obſervat. Phyſ. Med. (*l*) ſuam addidit, non obſcure ſignificans, hiſtoriam illam non ſatis accurate àb aliis traditam eſſe. Eam ego, inquit, *quod rara ſit, minuſque pro ſui pretio deſcripta, curioſius exponam*. Et magna ſane vel in aquæ pondere ſunt diſcrimina, cum Pechlinus a quo in hoc quidem vix diſcrepat Paiſenius, uncias ponat *CLXIII.* quas Cummius dixerat *triginta ſex*. Cætera ipſe conferens intelliges, illudque in primis quod ad rem præſentem facit, cum Paiſenius ajat, *glandulam pituitariam flaccidam, & ſatis magnam* fuiſſe, Cummius autem contra neget, *de glandula pituitaria ullum apparuiſſe veſtigium*; de hac glandula Pechlinum ſilere; ut ſuſpicari quis poſſet, ab ſingulis ſingulas hydrocephalorum trium ab Hornio anno eodem ſectorum obſervationes deſcribi, niſi ejuſmodi obſervationem *raram* eſſe, ut ſane eſt, admoneret Pechlinus, & tot alia unam eandemque fuiſſe, ſatis oſtenderent. Cui potius igitur de tribus credemus? Brunnerus (*m*) qui ſingulos legiſſe poterat, Cummio certe in eo credidit, quod *glandula pituitaria plane defuerit;* neque enim aliam, quam Cummii deſignare poteſt deſcriptionem; tametſi in anno error eſt vel in exemplari (*n*) quod in Sepulchreto deſcribitur: neque enim ſemper hujus typographis, qui alioquin ſæpius erravere, imputandus eſt, ut neque obſcuritas illa tanta primæ in Sectione hac Obſervationis; ſiquidem ad eundem modum legitur in Opuſculo Bartholini (*o*), cujus tamen nomen Scholiis quoque in eam Obſervationem fuerat ſubjiciendum. Sed ut illuc redeam; ego ſingulis in eo credam in quo inter ſe conveniunt: ubi diſcrepant, aut hærebo, aut ſi peritiæ, diligentiæ, temporis quo ſcripſit, habenda eſt ratio: credam Pechlino. Verum utinam in Sepulchreto de tribus illis Obſervationibus hæc injecta eſſet debitatio. Habes quid modo cenſeam de duabus illis Obſervationibus, quas primo loco cum alias de Pituitariæ glandulæ officio ad te ſcriberem (*p*) in Sepulchreto indicavi.

5. Nunc iis in fœtibus quos ab interno hydrocephalo enectos puto, quid a me ſit obſervatum, commemorabo. Commemorabo, inquam; neque enim hic repetere oportet quæ alias edidi: ſatis eſt indicare, & ſiquid forte illuſtrationis gratia addendum eſt, addere. Igitur primum omnium relegas velim quæ de fœtu ſine cerebro nato, & a me Forolivii diſſecto, in Epiſtolis Anatomicis (*q*) propoſita ſunt, illudque in primis, cerebrum facile a primordiis non defuiſſe; ſed hydrocephalo extenuatum, & in aquam reſolutum, per foramen quod in ſumma erat Spina, abſceſſiſſe. Quod tunc facere, ſicut ibi ſum faſſus, *non vacabat*, ut *pleraſque aliorum hujus generis obſervationes expenderem, & cum hoc noſtro*; ſic enim putabam; *cogitato conferrem*, cum poſt libri editionem, otii aliquid nactus, mox facere cœpiſſem, gaviſus ſum incidens primum in Cl. Marcotii Commentarium (*r*), ex quo intellexi, non aliter ipſi fuiſſe viſum, ac mihi. Qui cum poſtea obſervationes cæteras, quas Wepferus (*ſ*), & Stalpartius (*t*) olim collegerant, & iis recentiores, quas Cl. Brinius (*u*) memoravit, aliaſque adnotaſſem, ut ſingulas huc magis attinentes ſeligerem, & quandocunque poſſem, conferrem; tot alias, interea novis prodeuntibus libris, vidi a Doctiſſimis Viris indicari, ut ſatis otii futurum mihi diffiderem ad cunctas, non dico perpendendas, ſed ne apud Auctores quidem reperiendas; tanta ſæpe Operarum incuria plerorumque ſunt aut nomina propoſita, aut loca deſignata!

6. Igitur collatione hac aliis relicta, nunc ſatis mihi eſt, in non paucis ſaltem eorum caſuum, quos perpendere licuit, intellexiſſe, cum cerebrum revera defuit, ob eam cauſam potuiſſe, ad eundemque modum deeſſe, de quibus paulo ante indicatum eſt. Quod ſi meum aliud aliquod plenius propoſitum, aut ſi Amicorum ineditum adhuc exemplum optas; videſis quod ſuum, meumque Valliſnerius (*x*) memoravit, in Adverſariis (*y*) a me deſcriptum, ut unum dumtaxat hic oporteat addere quod certius memini, videlicet cranii nihil præter hujus baſim fuiſſe, neque hanc totam; nam quidquid de ipſa eſſe ſolet poſt magnum occipitis foramen, deſiderabatur. Paucis autem antequam eam puellam ſecarem, menſibus, hoc eſt ſub finem A. 1711. cum forte Venetias petiiſſem, ab Amicis acceperam, & nominatim ab eo, quem alias (*a*) tibi laudavi, Alexandro Bonis, docto Medico, & diligenti, affuiſſe ſe non ita pridem cum Santorinus ipſe quoque deſcriptæ a me ſimilem puellam incideret (ſæpius enim; etſi in maribus hæc etiam accidunt; in ſequioris ſexus fœtibus videor noviſſe: certe ille quoque, de quo paulo ante dictum eſt, Forolivienſis fœmineus fuit (*b*)) vidiſſe igitur corpus optime nutritum, eaque magnitudine quæ conveniret juſto, ut hæc quæ ſtatim a partu mortua erat, partus tempore in lucem editæ: ſummum dumtaxat caput valde fuiſſe depreſſum: a quo cum ſublata eſſet membrana craſſa, capillatæ cuti penitus connata; non cranii fornicem, non cerebrum, quæ nuſquam erant, ſed quandam quaſi veſicam conſpexiſſe, in qua nihil niſi aqua flava: ab hac autem veſica quæ anteriora tenebat, prorſus ſejunctam, in cranii baſi, atque adeo in ipſa Oblongatæ medullæ ſede particulam, nucleo amygdalæ non majorem, quæ cerebelli loco eſſe poſſet. Intelligis, hic ab hydrocephalo, cujus aqua necdum univerſa effluxerat, deſtructum cerebrum, medullam Oblongatam, & cerebelli maximam partem: quod omnino una cum cæteris deſtructum, ſimul cum aqua effluxiſſe videtur in iis fœtibus duobus, quos a me diſſectos commemoravi. Nec ſane aliter ejuſmodi caſus eſſe explicandos, cenſuit ipſe quoque Illuſtris Hallerus cum alibi, tum in Opuſculis Anatomicis (*c*), quibus pro eximia ſua erga me humanitate meum, quale id cunque eſt, honeſtare voluit nomen, cum & ſuam hujus generis in fœmineo pariter fœtu accuratiſſimam, ut ſolet, obſervationem propoſuit, & alienas plurimas qua ſumma pollet eruditione, in hiſque expoſitarum ſimillimas memoravit. Cerebrum igitur a primordiis in ſuo fœtu non defuiſſe confirmat (*d*) iis rationibus, quæ non ſecus ac pleræque a Cl. Lauffero (*e*) productæ, transferri poſſunt ad alios fœtus hujuſce generis. Acceſſiſſe poſtea cauſam quæ aperiret vias per quas cerebrum e ſua theca effunderetur. Et ſane manifeſtas in pluribus fuiſſe, vides, ut foramen in Monſpelienſi (*f*), & Forolivienſi noſtro, & in noſtro altero Patavino (*g*), in quo necdum effluxerat totum. Hiatus autem in nonnullis fuerunt per quos totum prodierat. Sic in eo de quo Gullmannus (*h*), *occiput apertum* lego *cum pericranii extenſione magna, in qua tota cerebri moles erat incluſa.* Cujuſmodi ſive pericranii, ſive Craſſæ meningis ſive potius utriuſque herniarum, ut ſic loquar, cerebrum includentium exempla alia dabit Hallerus (*i*). Intelligis autem, quam facile poſſint diſtentæ, diſtractæque eo pondere membranæ diſrumpi tandem, incluſumque pondus emittere. Quod ſi cerebrum ſit hydrocephali aqua diſſolutum; hæc & pondus augebit, & per foramina interdum etiam exigua ut ſenſim elabatur, efficiet. Qua autem ratione aqua tum accedat, tum cerebrum diſſolvat, illud primum ſupra (*k*) quomodo propter impeditas Pituitariæ glandulæ, aliaſque vias contingat, ſatis dictum eſt: ob diſruptas autem hydatides poſſe etiam fieri, eſt indicatum. Has, nec mediocri magnitudine, haud ita raro intra cranium, imo intra cerebrum beſtiarum increviſſe, Obſervationes, alias (*l*) a me ex Sepulchreto indicatæ, ſatis oſtendunt: quas ſi perlegas; idem hominibus quoque nonnunquam accidiſſe, cognoſces. Humanis autem fœtibus aut hydrocephalo laborantibus, aut ſine

---

(*l*) l. 1. Obſ. 61. (*m*) Sect. hac 16. in Schol. ad Obſ. 12. in Addit. ad fin. (*n*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 1. Obſ. 152. in Schol. ad fin.
(*o*) Conſil. Med. de Comet. (*p*) Epiſt. 4. n. 36. (*q*) XX. n. 56. 57. (*r*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1716.
(*ſ*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 3. Obſ. 129. (*t*) Cent. 1. Rar. Obſ. 2. (*u*) Inquiſ. de Spirit. Animal. n. 35. & ſeqq.
(*x*) Iſt. della Generaz. P. 2. c. 17. n. 6. ad litt. *b* (*y*) II. Animad. 35. (*a*) Epiſt. 3. n. 17. & Epiſt. 5. n. 11.
(*b*) Vid. & Epiſt. 48. n. 49. (*c*) Opuſc. IX. (*d*) n. 9. (*e*) Diſſ. qua infans ſine cerebro &c. §. 3. & ſeqq.
(*f*) Marcot. cit. ſupra ad n. 5. (*g*) Epiſt. ibid. indic. n. 58. (*h*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 92.
(*i*) Opuſc. cit. not. 3. & 13. (*k*) n. 3. (*l*) Epiſt. 1. n. 6.

ſine cerebro editis, ut ſæpe hydatides in meningibus fuerint, is qui a Cl. Jo. Rud. Zwingero (*m*) deſcriptus eſt, & memorati Monſpelienſis, Forolivienſis, aliique commonſtrant. Quo etiam pertinere, facile credes totam illam notiſſimam ex innumeris compactam veſiculis, limpidiſſima aqua plenis, Wepferi (*n*) molem; niſi cum iis facere malis qui ad cerebri ipſius ſubſtantiam ſpectaſſe, exiſtimarunt. Certe autem Hallerus (*o*) cum obſervationem indicat Cl. Spoerlini hydatidum loco cerebri inventarum, tum, alibi *pluſcula exempla hujus fabricæ haberi*, admonet. Illæ igitur, aut hæ veſiculæ ſi vel a ſua ipſæ diſtentione forte diſſiliant, aquam intra cranium pro ſua magnitudine, & numero effundent: hæ autem quæ intra ſubſtantiam increverint cerebri, ut in eam alterna arteriarum pulſatione adiguntur, ſic prius etiam quam diſſiliant, quantum poſſint ad comminuendam, diſſolvendamque molliſſimam circumjectam medullam, excogitavit Laufferus (*p*). Verum quacunque ratione, & quocunque ex fonte intra cerebri thecam aqua præter naturam congeratur; ſane poterit, ſi necdum illud concreverit, ejus concretionem ſuo interjectu prohibere: aut ſi jam concreverit; inter ejus particulas ſe inſinuando, has ſenſim magis magiſque disjungere, donec ad minimas ventum ſit, facile cum aqua permiſcendas, neque ab ea amplius internoſcendas. Cujus ſenſim progredientis, ſed necdum perfectæ, disjunctionis luculentum habes exemplum in hydrocephalo recens nato, quem diſſecans Chriſtianus Vaterus (*q*) hemiſphæria cerebri conſpexit *ab aqua expanſa, & in modum braſſicæ capitatæ excavata, ubi nulli ventriculi, nullique anfractus, fibræ vero albicantes, & a copia ſeri valde turgidæ e baſi, & trunco medullæ ſpinalis, per totam cerebri compagem, velut vaſa lactea per meſenterium, denſiſſime ad corticem diſtributæ, & in via multis vicibus invicem quo ad ramos unitæ, ac complicatæ apparebant*. In altero autem hydrocephalo; ut perfectæ disjunctionis, atque adeo diſſolutionis exempla hic omittam ex infra (*r*) memorandis Kerckringii, Tombini, Laufferi obſervationibus; in altero, inquam, hydrocephalo, quem pariter recens editum incidit Rombergius (*ſ*), non ſolum disjunctionem propemodum perfectam, ſed disjunctarum particularum cum aqua permiſtionem ipſa indicabit aqua *loturæ carnium ſimilis*, præter quam, & Craſſam meningem *nihil diſtincti in diffluente cerebro videre* licuit. Nec mirum; aqua enim quæ jam ad menſuras quatuor hic creverat, quanta vi egiſſet, oſtendit, tum ad primam cultri impreſſionem *cum impetu prorumpens*, tum oſſibus cunctis quæ calvariæ fornicem faciunt, ita diductis, ut *magno inter ſe hiatu diſtarent*, & *hinc inde facili modo flecti poſſent*, cum in priore infante eſſent tantummodo, ut fere in hoc morbo ſolent, divulſa.

7. Scilicet aquæ in hydrocephalo ſenſim congeſtæ, ſi tener præſertim ſit fœtus, vis urgens manifeſta eſt, eoque magis, quo citius agere incipit in minus reſiſtentes cranii partes. Hinc hujus oſſium impeditus non acceſſus modo, ſed & ipſum alias pauciorum, alias plerorumque incrementum, ut prorſus deeſſe videantur. Verum inſuper nonnunquam accidit, ut univerſa tumoris moles non cranium tantummodo, ſed & corporis oſſa reliqua ſic premat, ut fœtus facies, & corpus in tranſverſum magis, quam ſecundum longitudinem, augeantur. Cujus rei exemplum eo libentius ſubjiciam, quod perlectis plurimis hydrocephalorum obſervationibus, nuſquam memini legiſſe. Sceleton eſt apud me ante annos quadraginta, aut eo plures confectum, ut vix id meminerim, ab eo qui dono dedit, audiviſſe fœminei fœtus eſſe, a magno interno hydrocephalo in matris utero enecti. Et ſane cranii cavum vel nunc habet triplo facile capacius quam fœtus novimeſtris, etſi ubi pleraque toto corpore oſſa ſpectes, minorem ſeptimeſtri facile agnoſcas; ubi vero dempto capite, altitudinem, vix quinquemeſtri majorem invenias. Nempe oblonga artuum oſſa omnia quanto craſſiora æquo ſunt, tanto ſunt etiam breviora; ut quæ cauſa obſtitit ne in longitudinem creſcerent, ea ut in tranverſum magis augerentur, feciſſe videatur. Sed & coſtæ latiores omnes, craſſioreſque ſunt: faciei autem præcipue quantum de longitudine demptum eſt, tantum de latitudine eſt additum. Namque hydrocephalum cum maximam ademerit longitudinis partem geminum frontis os non modo creſcere prohibendo, ſed ita in orbitas, interque eas deprimendo, ut de Naſalibus oſſibus nihil appareat; faciem in tranſverſum valde amplificavit, idque ſingulari prorſus modo. Sphenoidis enim oſſis proceſſum quem Præcl. Winslowius vocat Temporalem, huicque annexam Squamoſam Temporalis oſſis portionem utroque in latere extrorſum antrorſumque impulit, hanc vero ſimul ita deorſum ut ejus proceſſus Zygomaticus, qui ſecundum horizontem eſſe deberet, a poſterioribus antrorſum aſcendat. Addidit huc inſignem protuberantiam quæ faciem utrinque in tranſverſum augeret, completa per Craſſam meningem, oſſa quæ diximus modo, cum totidem quæ mox dicemus ita jungentem, ut cavum non modicum, cranii cavo ſic adjiciatur jam ſatis magno tum per ſe, tum per oſſis ethmoidis, tum multo magis per ſphenoidis inſolitam depreſſionem; ut nihil dicamus de oſſeo externo orbitarum pariete in ipſas compulſo. Jam vero ut reliqua intelligas, ſic habeto, cranium de quo loquimur ex duobus dimidiatis craniis coaluiſſe, quorum poſterius eo de quo hactenus diximus, eſt multo majus. Poſtea enim quam anterioris hujus os occipitis ab ſuo magno foramine ad tranſverſum pollicem retrorſum aſcendit, alterum amplius foramen videre eſt pariter in media baſi, non in vertebrarum tubum, ut prius illud, ducens, ſed in parem ſibi, ſibique continuatum canalem oſſeum, minimi tranſverſi digiti apice non longiorem, & priuſquam deſinat membrana occluſum. Ab hoc foramine ſuum aſcendit os occipitis longius quam in novimeſtri fœtu, ſed anguſtius. Sincipitis enim oſſa partem utrinque occupant debitæ illi ſedis, ut quæ ſicut ab anterioribus citius incipiunt quam ſolent, ita a tergo ſerius finiuntur. Huic tamen latitudini altitudo non reſpondet; ſed mediocris eſt adeo, ut non modo ad verticem nuſquam perveniant, ſed ab eo ſingula diſtent tranſverſos digitos minimum tres; intervallum namque, utrique interjectum, cum teneat Craſſa meninx, calvariæ fornicem ab occipitis oſſe pene ad orbitam uſque conficiens; hæc, quamvis reſiccata eſt, latitudinem ibi æquat digitorum circiter ſeptem, ut longitudine ſuperat novem. Oſſibus autem ſincipitis, quippe utrique cranio communibus, ut a fronte, quemadmodum propoſui, ſphenoidis oſſis proceſſus Temporalis, & ſquamoſa Temporalis oſſis portio anterioris cranii utrinque ſubjiciuntur, ſic quoque a tergo eadem oſſa quæ ad poſterius attinent cranium, ad eum modum ſubjecta ſunt, ut extrorſum, retrorſumque compulſa, & per haud parvulam Craſſæ meningis partem utraque inter ſe juncta, inſignem illam exterius convexam, interius cavam protuberantiam utroque in latere efficiant, qua faciei latitudinem, & cranii capacitatem non parum augeri, diximus. Denique Squamoſis ſingulis Temporalis oſſis portionibus Petroſæ quoque portiones reſpondent ſuæ: ſed quanquam oſſa temporum cranio poſteriori majora contigerint; tamen in duobus dumtaxat anterioribus membrana Tympani cum ſuo annulo apparet. Habes deſcriptionem haud vulgaris monſtri; ſed monſtri hydrocephali: ut poſtquam monſtroſæ conſtitutioni tot aſſignaveris quot volueris; plura tamen ſuperſint in cranii oſſium aliorum incremento prohibito, aliorum depreſſione, aliorum in latus impulſione, & diductione, quæ urgenti vi aquæ tribuere debeas.

8. Quod ſi aqua ſenſim in hydrocephalo congeſta vel in ipſa fœtus oſſa tantum poteſt; quanto plus poterit in molliſſimum, & pene diffluens ejuſdem cerebrum! Nam ſi in puero ſeptem, aut octo annorum quem Hunauldius (*t*) ſecuit, non modo in trienni, quem, ut habes in Sepulchreto (*u*), Hildanus, ita cerebrum extenderat, ut *circumvolutiones & gyri non conſpicerentur*, qui in ejus alioquin ſuperficie profundi ſunt, unde hæc tunc poſſit, quantum cranii anguſtiæ permittunt, amplificari; quid non aget in fœtus cerebrum, in quo nondum gyri illiuſmodi, & circumvolutiones ſunt, quæ expli-

(*m*) Act. Helvetic. T. I. c. I. (*n*) Obſ. 129. cit. ſupra ad n. 5. (*o*) not. cit. 3. (*p*) Diſſ. cit. §. 34.
(*q*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 166. (*r*) n. 13. (*ſ*) Eph. N. C. A. modo cit. Obſ. 111. (*t*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1740.
(*u*) Sect. hac 16. Obſ. 16.

explicari queant, ſecus ac Paiſenius (*x*), atque Pechlinus (*y*) in eo cujus caput *jam inde a nativitate ex hydrocephalo tumuerat*, videntur exiſtimaſſe. Et ſi parietum Lateralium ventriculorum craſſitudo vi aquæ fuerat in quinquenni illo Tulpii (*z*), non modo in trienni Hildani (*a*), aut bienni Veſalii (*b*), ſuperne, & ad latera uſque adeo extenuata, ut prima inſpectione nulla eſſe videretur, cum *inſtar alicujus craſſioris membranæ adhæreſceret undique arcuatæ diſſolutorum oſſium circumferentiæ*; nihil dubii eſt, quin tanto tenuiores, mollioreſque in fœtu parietes ſic poſſit aqua diſtendere, ut denique aut prorſus, aut propemodum deleat, ſæpiuſque per eos, & in unum cum ipſis tum conjuncta & cerebri, & cranii extenſa laxaque integumenta via ſibi qua minus reſiſtunt, aperta aut in utero, aut dum per hujus anguſtias in partu expellitur fœtus, cum diſſoluto, aut ſemiſoluto cerebro erumpat. Quod autem diximus de ſuperioribus, & lateralibus dexteri ſiniſtrique ventriculi parietibus, idem inferioribus quoque, totique adeo medullæ Oblongatæ, & cerebello, & medullæ Spinali accidere poterit; quanquam aliquanto difficilius. Et ſane Cl. Pitſchelius (*c*) cum in hydrocephalo qui duodeviginti menſes vixerat, quantum cerebri colliquatum eſſet, Oblongatæque etiam medullæ, perſcribit, nullam hujus trunci, nullam cerebelli diſſolutionem memorat. Quin certe Veſalius (*d*) in ſua illa bienni hydrocephala *cerebellum* vidit, *cerebrique* univerſam baſim ſecundum naturam habere, & Hildanus (*e*) in ſuo trienni *cerebellum* in tanta cerebri attenuatione excepit, & *reliqua in cerebri baſi*. Pechlinus quoque (*f*) in ſeptimeſtri Hornii *cerebellum* conſpexit *plane integrum*. Sed in eodem videbis tamen, *radicem cerebri jam in fibras diffluxiſſe*; ut intelligas, in tenerioribus, & multo magis in fœtibus ea quoque in cerebro vi aquæ diſſolvi denique, & abſumi quæ magis reſiſtunt, quia *in* illius *formatione*, ut Steno (*g*) de obſervatis in ſuo vitulo hydrocephalo verba faciens, animadvertit, ſtructura & nexu *jam ſunt perfecta*, *quando* cætera, ut *laterales* partes, *ſua adhuc capiunt incrementa*. Nos vero poſt tot alios, nihil in duobus de quibus ſupra (*h*) indicatum eſt, fœtibus, Patavino primo, & Foroliviensi, aut cerebri, aut cerebelli, aut medullæ Oblongatæ fuiſſe ſcimus: quin & Spinalis in altero (*i*) *potius rudimentum quaſi quoddam* pertenue, atque membraneum, quam medullam ipſam, deprehendimus. Hanc autem omnino ſimul cum cerebro defuiſſe, non modo ætate noſtra, ſed & antea obſervatum eſt. Wepferus (*k*) namque Fontanum memorat infantem vidiſſe, *loco cerebri, & ſpinalis medullæ aquam limpidiſſimam habentem*: tum refert, *abortum*, de quo Mauritius Hoffmannus, ut eſt apud Velſchium, ad Veslingium ſcripſit, *Norimbergæ 1641. editum eſſe ſine cerebro & ſpinali medulla .... in cervice perforatum, ita ut digitus in cavitatem vertebrarum thoracis immitti poſſet*: item Hornium A. 1665. fœtum ſeptimeſtrem diſſecuiſſe in quo *nulla interna cavitas cranii*, ut quod *totum* erat *oſſeum* ſolidumque, *uti nec ullum cerebri, vel cerebelli veſtigium*, Spinalis autem medullæ *ne γρυ quidem apparuit*, quippe cujus in ſolida ſpina tubus omnino deſiderabatur: denique Kerckringianam (*l*) Obſervationem indicat XXIII. monſtroſi fœtus, cujus *cranium nec cerebrum, nec cavitatem ullam habebat*, Spina autem ſuperius bifida *nullam continebat medullam ſpinalem*. Quibus obſervationibus ſuas hoc ſæculo addiderunt Littrius (*m*), Fauvelius (*n*), Meryus (*o*), Suëus (*p*), aliique fortaſſe (*q*), primus in fœtu octimeſtri, ultimus in ſemeſtri, reliqui in novimeſtribus duobus, quorum alter, nec ſine aliquo ſentiendi indicio, duas vixit horas, alter unam & viginti, nec ſine aliqua alimenti ſumptione. Ex his octo Obſervationibus nullam video; ſi tertiam excipias, & in parte quartam; quæ per capitis, Spinæque hydropem nequeat explicari, præſertim cum in prima etiam tum aqua eſſet in cavo utroque, in ſecunda autem perforatio, ſicut a me Forolivii (*r*) conſpecta ſit, ſpinalis tubi in cervice, in quarta porro, & octava hic idem tubus ad tractum multo longiorem, in quinta denique ab imo ad ſummum eſſet apertus.

9. In hunc autem Spinæ tubum congeri aqua poteſt tum quæ a cranii cavo deſcendat, tum quæ intra illum ſecernatur; ut modo ſit utriuſque ſimul hydrops, modo alterius, nec ſecus in fœtibus, & pueris, quam in adultis; ſed in illis multo magis ut in quibus haud aliter quam cranii, vertebrarum oſſa & facile poſſe, & revera cedere, compertum eſt: itaque dehiſcentibus alias aliquot, alias omnibus vertebris, & aqua urgente involucra Spinalis medullæ, alias minor, alias major in Spinæ poſteriore facie tumor exiſtit, qui hydrocephalo eſt analogus. Dehiſcunt autem vertebrarum oſſa ibi potiſſimum ubi ſedes futura eſt proceſſuum quos ſpinas vocant, non tantum, ut credunt, quia ibi tunc oſſa disjuncta ſunt; nam ſunt etiam a lateribus ſejuncta qua ad vertebrarum corpora annectuntur; ſed inſuper, ut ego arbitror, quia longe minor ad ſpinarum ſedem, quam a lateribus, reſiſtentia eſt impoſitorum muſculorum, & tendinum. Cur vero is tumor *rariſſime* occurrat *in inferiore, & exteriore parte oſſis ſacri*, ut experientiſſimus animadvertit Ruyſchius (*ſ*) miratus (*t*), *non eſſe frequentiorem in dicta parte*, ut quæ *ſemper in naturali ſtatu hiat*, cauſam eſſe, opinor, quod Craſſioris meningis tubus, Equinam, ut vocant, Medullæ Caudam cum aquæ, de qua alibi (*u*) dictum eſt, copia aliqua vel ſecundum naturam, continens, ad illam uſque infimam hiantemque partem non deſcendit. Aliquando tamen morbidæ aquæ vi deorſum urgente, illuc pervenire, & diſtentus extrorſum, ejuſdemmodi facere tumorem poteſt: itaque ibi etiam, ſemel Ruyſchius (*x*) vidit, & nos annis ſuperioribus non hinc longe in quodam infante viſum eſſe, ſcimus, ſed Genga præſertim vidit, & rariſſima, nec facile ſperanda in his tumoribus felicitate aperuit in eo caſu quem Summus dum viveret, Vir Lanciſius Cl. Fantono deſcripſit, apud quem (*y*) non una de cauſa relegas velim, ſed ob hanc potiſſimum, ut communem cranii, & Spinæ cavo hydropem fuiſſe, & ex illo in hoc aquam deſcendiſſe, intelligas. Cum enim contuſioni capitis hydrocephalum, huic vero is poſt menſem tumor ad coccygem ſuperveniſſet, credo quia in puero quadrimulo minus facile vertebrarum oſſa laxari, quam integumenta ad hiantem, de qua dictum eſt Sacri oſſis partem potuiſſent, non modo ex aperto hoc imo tumore multa diu aqua egrediente, caput paulatim detumuerat; ſed cum Genga, ex parte ſuperſtes in occipite, hydrocephalum manu comprimeret, *ſtatim*, quod vidit Lanciſius, *ex aperto in coccyge foramine ichor ſubpallidus proſiliebat*. Porro a cranio in vertebrarum tubum videtur aqua in aliis etiam Obſervationibus deſcendiſſe. In illo enim infante hydrocephalo quem deſcribit Mayerus (*z*), ex tumore hujus naturæ qui ad medium os Sacrum extabat, paulo ante mortem diſrupto, lympha turbida ſubſalſa effluxit: ſtylo autem poſt obitum per tumorem, & Spinam ad cerebrum uſque demiſſo, ex hoc pariter liquor turbidus promanabat. Quoniam tamen quæ intra cerebri meninges plurima inventa eſt aqua, ſubſalſa quidem ipſa quoque erat, ſed limpida; malo eam Obſervationem attendas quæ a Brunnero cum XII. conjuncta eſt earum quæ ſunt in Additamentis ad hanc Sepulchreti Sectionem. Nam tumore hujus generis in dorſo ſupra os Sacrum infeliciter, ut ſolet, exciſo, unde plus libra aquæ limpidiſſimæ effluxit, *caput infantis conſidere ſtatim & mole minui obſervatum fuit*. In ipſa autem Obſervatione XII. idem a contrario videtur probari. Cum enim tumor ejuſdemmodi in dorſo compunctus fuiſſet, unde aqua proſiluit limpidiſſima, quæ *ſexies* diebus inſequentibus effluxit *qualibet vice ad uncias tres, quamprimum*, inducta cicatrice, *nihil ſeri amplius extillavit*, puellæ caput attolli cœpit, & brevi *hydrocephalus vaſtæ molis emerſit*. Sic etiam in IV. ibidem Obſervatione Lechelius cum infantem deſcribat natum cum tumore ejuſdem naturæ ab ultima thoracis vertebra ad coccygem uſque pertinente, diebus

(*x*) (*y*) Obſ. cit. ſupra ad n. 4. (*z*) Sect. cit. Obſ. 14. (*a*) Obſ. cit. 16. (*b*) Ibid. Obſ. 6.
(*c*) Epiſt. ad Kulmum de Hydroceph. Interno. (*d*) (*e*) Obſ. modo citatis. (*f*) Obſ. cit. (*g*) Act. Hafn. Vol. 1. Obſ. 131.
(*h*) n. 5. & 6. (*i*) Vid. Epiſt. Anat. 20. n. 56. (*k*) ad Obſ. 129. cit. ſupra ad n. 5. (*l*) Spicileg. Anat.
(*m*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1701. (*n*) Hiſt. de la même A. 1711. Obſ. Anat. 3. (*o*) & A. 1712. Obſ. Anat. 6.
(*p*) & A. 1746 Obſ. Anat. 6. (*q*) Quin vid. etiam Epiſt. 48. n. 49. & ſeq. (*r*) Vid. Epiſt. Anat. cit. 20. n. 56.
(*ſ*) Obſ. Anat. Chir. 34. (*t*) Ibid. Obſ. 35. (*u*) Epiſt. II. n. 16. (*x*) Obſ. cit. 35. (*y*) In Pacchion. Animad. 6.
(*z*) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 127.

diebus inſequentibus, narrat, *interea caput ſenſim ſenſimque in molem præternaturalem extenſum* fuiſſe; ut videatur aqua, cui locus in Spinæ cavo non amplius ſupereſſet, in cranii cavo ſubſiſtendo, hoc ad eum modum amplificaſſe. Quæ hactenus ſcripſi cum perpenderis, & fortaſſe non improbaveris, ſi forte in Hippocratis locum incideris, qui ſic habet (*a*): *Alius morbus oritur ex defluxione capitis per venas in Spinalem medullam. Inde autem in ſacrum os impetum facit: quo medulla ipſa fluxionem perducit;* tanto facilius idem tibi forſitan quod Docto Viro, veniet in mentem, his verbis morbum de quo loquimur, deſcriptum videri, quanto magis eorum omnium quæ modo dicta ſunt, recordaberis. Verum neque hunc, neque ad infantium morbos eum locum attinere, cognoſces, ſi ea perlegeris quæ continuo ſequuntur, *& in coxendicum acetabula, ſive juncturas deponit, & ſi tabem fecerit, homo marceſcit, atque hoc modo contabeſcit, & vivere non expetit; ſtatim enim ſcapulæ dolent, amboque pedes, ac crura conſequuntur, & ſemper tandem pereunt multo tempore curati.* Quomodo enim infantes vivere expetunt, aut non expetunt? atque ut alia præteream; quomodo hic morbus eſſe multi temporis curationem ſinit? Quin etiam, ſi quis forte in duabus noviſſime commemoratis Obſervationibus putet, non aquam e cranio in Spinæ tubum defluxiſſe, imo contra in Spinæ tubo a principio congeſtam, poſtquam ad eam pervenit copiam, ut intra hunc, vel dilatatum, contineri amplius non poſſet, tum demum in cranium redundaſſe; ejuſmodi cogitato etſi non ita favent quæ in diſſectione utriuſque infantis obſervata proponuntur; tamen nonnullis aliis in caſibus ſane haud video quid magnopere adverſetur.

10. Neque enim omnes qui Spinæ, iidem, ut quibuſdam placet, capitis quoque hydrope tenentur; certe in ſuis quos ſupra deſignavi, Ruyſchius non meminit (*b*), neque; ut alios ſciens omittam; Tulpius: cujus tres hujus generis obſervationes, non in Sectionem hanc Sepulchreti, ſed in II. libri quarti (*c*) relatas leges; quanquam, ut in anatomica ſanarum partium deſcriptione Spinalem medullam a cerebro, cui natura continuavit, non disjungimus, ſic in morbidarum, atque adeo in morborum ipſorum tractatione illius hydrops ab hujus hydrope non videtur ſejungendus, nec tumores qui utrumque hydropem ſequuntur, inter externos cæteros collocandi haud magis quam qui interna aneuryſmata, diſruptis, extrorſumque compulſis coſtis, & pectoris integumentis, conſequuntur. Quod ſi; ad inceptum ſermonem ut redeam; ad eos quos hic tractamus, tumores duo illi attinent, qui in eadem Sectione II. alter ſub Obſervatione XIII. (*d*) ex Caſparo Bauhino, alter in Additamentis Obſervatione V. cujus Auctoris non adſcribitur nomen, proponuntur; neque in his ullam hydrocephali mentionem videbis. Attinere autem huc utrumque illum tumorem, credes, mollem, & veſicæ inſtar, humore plenum, in lumbari Spinæ tractu, ex quo factam ſeri effuſionem mors, nec multo poſt, ex convulſionibus ſecuta eſt. Nam quod ſerum purulentum, ac fœtidum, aut ſanguinis colore nonnihil tinctum prodierit; neque hoc mirandum eſt, ubi *inter vertebram lumborum antepenultimam & ultimam* ex eroſione foramen fuit in ventrem pertinens, neque illud, cum *duæ vertebræ lumborum deſiderarentur, integris reliquis*; namque & in iis de quibus agimus, aquoſis tumoribus multum de vertebris interdum abſumi, docet Jo. Ludovicus Apinus (*e*), & corruptione ipſos, ac gangræna facile corripi, exemplo quoque ejus quem dat pictum, confirmat Bidlous (*f*): nec quia ex ejuſcemodi, quos deſcripſerunt, tumoribus ichor exierit purulentus, aut materia aquoſa, fœtida, ac purulenta; idcirco Jo. David Mauchartus (*g*), & Jo. Henricus Linckius (*h*) dubitarunt, quin ad hoc genus attinerent. Si mecum igitur idem cenſeas de tumoribus illis duobus de quibus dicere cœperamus; duo conſequentur, alterum, Obſervationem illam Bauhini fortaſſe primam fuiſſe tumorum hujus generis; nam quæ apud Foreſtum (*i*) legitur, fortaſſe & ipſa, ſuo in genere prima, poteſt ad tumores ſpectaſſe, non diſſimilis quidem naturæ, & periculi, ſed tamen cum cranio magis, quam cum Spina, communicantes, quales in viventibus infantibus a nobis, & antea ab Ruyſchio, viſos, alibi (*k*) commemora[illegible]: alterum, id quod propoſuimus, non ſemper in quo hydrorachitis eſt, in eodem hydrocephalum eſſe debere, qua de re, cum hæc relegeremus, libenter vidimus, non aliter ac nos, ſenſiſſe Virum Præcl. Trewium (*l*). Huc adde aquam de qua etiam ſupra (*m*) indicatum eſt, intra imum Duræ ſpinalis meningis cavum ſecretam, quæ ſi naturalem modum ſuperet, ipſa per ſe hydrorachitim facere poteſt. Hanc autem aquam nonnihil viſcidulam, cave confundas, ut nonnulli, cum viſcoſo illo humore, ſicut Veteres, a me in Adverſariis (*n*) indicati, vocitabant, quo vertebræ intus obliniuntur: is enim neque aqua eſt, neque interiore uſquam, neque inferiore dumtaxat parte inhæret Craſſæ meningis, velut hæc, quam video a Cl. quoque Hubero (*o*) ſecundum naturam agnoſci, imo, quantum quidem ipſe tradit, etiam a *bono Malpighio in Poſth. p. 39. & cum eo a Bellino in Lemmatibus Opuſculis ſuis præmiſſis*, qui tamen *pro liquido nerveo habuerint, errore certe, quem recenſere fere pudet*. Verum num de iſta de qua nos, aqua locuti ſint, ipſe videris, itemque (*p*) num revera *nullam invenire poſſis obſervationem, medullæ ſpinalis defectum indicantem, præſente cerebro vel cerebello*. Mihi enim ex binis Caroli Raygeri (*q*) Obſervationibus bene penſitatis videtur in duobus maturis fœtibus cerebrum quidem maxime deformatum, ſed non deſtructum fuiſſe, cum in utroque *ſpinalis medulla eſſet nulla*, aut certe *nil niſi ſanguis concretus*, aut *ſanguini concreto ſimile*.

11. Verum ſive aqua illa qua ſpinales hi tumores diſtenduntur, inde ſit, unde modo indicabamus, ſive e cranio defluat, ſive utrinque proveniat; adeo ſimiles veri hæ illius origines ſunt, ut non fuerit aliunde *ordinario* quidem repetenda. Namque errorem, olim utcunque ferendum, exiſtimantium, in tumorem, qualem deſcripſit Bauhinus (*r*) *urinæ portionem ex veſica deferri*; quis poſtquam magis magiſque innotuit mali natura, jam ferat? Et tamen vel pejus erravit Chirurgus ille, quem merito exploſit Eruditiſſimus Platnerus (*ſ*), cogitantem, eo veſicam urinariam pertinuiſſe, quæ *infanti vel duplex contigiſſet, vel juſto capacior*: quod ego erratum hic non attingerem, niſi ſcirem, eandem opinionem haud multis ante annis alterius non ignobilis in Italia Chirurgi fuiſſe; ut jam tertio (*t*) qui humor ex his tumoribus effluxit, urina ſit exiſtimatus. Sapientius, ſed minus neceſſario, ex *hydrope interioris corticis medullæ ſpinalis* aquam hanc Vir magni nominis deduxit, qui cortex *dum eo turget, medullam ſpinalem ejuſque thecam dividat*. Credibile eſt, eorum traditionem ſecutum, qui (*u*) *in hoc affectu vertebras ita eſſe bifurcatas voluere, quaſi totaliter in duas partes eſſent diviſæ, ut laniones facere aſſolent*, atque adeo ipſam quoque Medullam; præſertim cum Tulpium citet, qui (*x*) *diſpeſcebatur*, inquit, *vitiata hæc ſpina in duas æquales partes ab ultima thoracis vertebra uſque in latera oſſis innominati, tegente hiulcum hunc hiatum peritonæo*. Quæ verba idcirco protuli, quia in Sepulchreto, quo dixi (*y*) has Tulpii Obſervationes relatas, incaſſum quæreres, multoque minus eas quibus illas vertebras delineavit, Figuras (*z*). Figuræ enim ab ipſis Auctoribus ſimul cum obſervatis ſuis editæ, licet ad hæc penitus intelligenda perſæpe utiles, interdum neceſſariæ ſint; nuſquam tamen ubi poterant, imo debebant, in Sepulchreto proponuntur. Sane Tulpius in primis, hunc affectum illuſtravit; ſed cum diligentius quæſivit, in rem videtur inci-

(*a*) l. de Glandulis n. 10. apud Marinell. (*b*) Obſ. cit. 34. 35. ut neque 36. (*c*) ſub Obſ. 13. etiam in Schol. (*d*) §. 1.
(*e*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 180. (*f*) Dec. 2. Exerc. Anat. Chir. 7. (*g*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 38.
(*h*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 74. (*i*) l. 3. Obſ. Chir. 7. (*k*) Epiſt. Anat. 20. n. 57. (*l*) Commerc. Litter. A. 1741. Hebd. 21. n. 1.
(*m*) n. 9. (*n*) II. Anim. 23. & 29. (*o*) De Med. Spinal. n. 6. (*p*) Ibid. n. 4. (*q*) 280. in Eph. N. C. Dec. I. A. 3. & 64. A. 8.
(*r*) Obſ. 13. num. ſuperiore cit. (*ſ*) Progr. M. Nov. A. 1754. (*t*) Huc adde & quarto ex n. 16. infra.
(*u*) apud Ruyſch. Obſ. Anat. Chir. 34. (*x*) Obſ. Med. l. 3. c. 30. (*y*) num. ſuperiore. (*z*) Tab. XI.

incidiſſe rariorem, ſi cum cæteris, & præſertim cum Ruyſchio (*a*) qui multo ſæpius vidit, conferatur; hic enim diſerte ait, *nunquam ſic vidiſſe*, atque aliam propterea Iconem (*b*) ſubjicit, qua diductas ſolum a tergo vertebras, ut invenerat, non etiam a fronte oſtendit: quarum corpora per ſulcum profundum diviſa conſpexit quidem Theodorus Zwingerus (*c*), ſed, ut in monſtroſo fœtu, poſteriorem ſedem obtinentia, nec ſine integra medulla Spinali. Quod vero ad medullæ ipſius diviſionem attinet; Brunneri quidem Obſervationem (*d*) legi quæ hydropi corticalis illius meditullii favere videntur. Inventa enim eſt *Spinalis medulla in meditullio perforata, & aqua referta, cuniculo illuc verſus tendente, ubi vertebræ hiabant, & aquoſus, ante hydrocephalum, in dorſo tumor fuerat.* Non tamen memini bipartitam hydropis vi Medullam legiſſe. Nam quod ad alium ejuſdemmodi tumorem nervos plurimos idem Auctor (*e*) tendentes vidit e Spina, indidemque vaſa ſanguifera emergentia eodem appellere, ut *ſubtus membrana ſpinalem medullam alias involvens appareret inanis, adeo ut vel omnis medulla ſpinalis hac exorbitans, in dictum tumorem terminari viſa fuerit*; cave putes, in tot nerviformes partes Medullam aquæ vi fuiſſe diviſam. Erat enim hic tumor *in dorſo ſupra os ſacrum*, hoc eſt in lumbari Spinæ tractu in quo Medullam ipſa natura in Equinam Caudam, id eſt in tot nervos diviſit, quos cum ſanguiferis vaſis illuc ubi minor reſiſtentia erat, ab aqua in tumorem fuiſſe compulſos, non eſt mirandum. Eodem in tractu erant tumores a Tulpio (*f*), a Lechelio (*g*), ab Apino (*h*) deſcripti. Itaque primus vidit in tribus illis infantibus *nervos ſpinalis medullæ per tumorem paſſim diſperſos...., extraque orbitam ſuam delatos*; alter, aperto tumore, *nihil ſpinalis medullæ reperit, filamenta quædam alba & tenuiſſima ſi excipias, quæ rudera potius membranæ, inveſtientis ſpinalem medullam, quam nervorum*, ipſe quidem exiſtimavit: tertius denique *ipſam medullam ſpinalem*, *ex cavitate ſecundæ adhuc integræ vertebræ lumbaris prodeuntem, inſertam conſpexit, ſaltem quoad alteram medietatem ſuam, medio tumoris vertici*. Quæ quidem Medulla cum ſecundum naturam ex ea vertebra prodire ipſa nequeat, ut pote quæ tota jam ſit in nervos diviſa; hæſitaſſe in hac Apini Obſervatione me, fateor, non ſecus atque in altera quadam Schraderi (*i*) (ut de illa Brunneri ſileam, quæ ſupra (*k*) indicata eſt) quanquam contraria prorſus de cauſa. Schraderus enim in ejuſdemmodi tumore, eademque in ſede animadvertendum credidit, Medullam hactenus integram, cum ad hiatum vertebrarum perveniebat, ibi *evaneſcere, & nil niſi membranoſa involucra relinquere* ſic tamen ut *in lateribus ſparſim, ſed ordine, ſe ſe offerrent nervorum* ex ipſa *emergentium initia*. Atqui res videtur ſecundum naturam ſic habuiſſe. Medullæ enim truncus, uti dicebam, ultra ſecundam lumborum vertebram non deſcendit; ſed orti jam ex ipſa nervi in latera ordine ſe demittunt. Attamen cum tumorem fuiſſe, ajat, *circa principium vertebrarum lumbarium*; fieri poteſt, ut pars Medullæ infima aut liquata eſſet, aut ſurſum retracta. In Apini autem infante res contra ſe habebat, Medulla infra illam ſecundam vertebram non ſolum deſcendente, ſed extrorſum ſe vertente, & in mediam internam faciem tumoris, qui *in regione* erat *ultimarum vertebrarum lumbarium* ſe inſerente, quemadmodum ex Iconibus plane intelliges, longe clarius exhibitis in ea Caroli Frid. Hocchſtetteri Diſſertatione (*l*), qua hæc ipſa præceptoris Apini hiſtoria expoſita eſt. Cum rem mirarer; incidi in Mancharti (*m*) Obſervationem, quæ in lumborum inferiori parte, quippe ex dehiſcentibus duabus infimis eorum vertebris, tumorem proponit, & in *hujus medio prominentem medullam ſpinalem in membranam* tumoris intimam, quæ ſub Craſſa meninge occurrebat, *ſe per fibrillas tenuiſſimas circumcirca extendentem & plane deſinentem*. Denique cum reperta ab Solertiſſimo Trewio (*n*) in tumore qui hiatui reſpondebat trium inferiorum vertebrarum lumbarium, & omnium Sacri oſſis, noviſſime perlegerem, adjectaſque Icones (*o*) prius inſpicerem, & inter ſe compararem; credideram quidem ex forma primum terete, deinde quaſi in acumen ſenſim deſinente, corpuſculum albicans *c, d, e* Medullam eſſe extremam infra omnes lumborum vertebras intra os Sacrum ſe demittentem. Et ſane Auctor quoque illud manifeſto vidit *plurimis fibris ſparſis cohærere cum partibus ſubjacentibus, ipſumque nil aliud eſſe, quam medullæ ſpinalis extremum, quod caudam ſic dictam equinam conſtituit, hic extra canalem ſuum foras*, id eſt intra tumorem, ſub cujus ſuperficie tranſpiciebatur, *productum*. Veruntamen cum poſtea ſcribat, fuiſſe illud *particulam conformationis peculiaris*, & *ſigillatim cohæſiſſe cum extremitate medullæ ſpinalis ejuſque propaginibus*: *extremum* vero *medullæ* hic *ad tertiam uſque lumborum vertebram exporrectum fuiſſe, mox autem in particulam illam c, d, e deſiiſſe, & nervoſas propagines ſparſiſſe*, cumque etiam affirmet, *in cavo ſimilis tumoris reperiri tantum medullæ ſpinalis filamenta, vaſis ſanguiferis intertexta, teſtante hæc* ſua quoque *obſervatione*; dubius hæſi, num ſatis ejus mentem aſſequerer, & an nervi ſolum equinæ Caudæ in unum quaſi corpus ſuperiori parte ab aqua compulſi, hic proponantur; ab iis autem quos paulo ante nominavi, ſic pro ipſo Medullæ trunco forte ſint habiti, quando ejus quod viderunt, corporis quæ interior fuerit natura, ſilent, an vero, quod malim credere (*p*), ſine ulla deceptione Medullam ipſam conſpexerint. Eſt Ruyſchii locus, interpretatione ſane dignus, ubi de hoc genere tumorum loquens (*q*), *infra eum tumorem*, inquit, *ſpinalem medullam ſæpe bene conſtitutam invenio*. Si de lumbari tumore accipias, & idem vidiſſe, credas, quod alios malim vidiſſe; conjicias neceſſe eſt, non *infra*, ſed *intra eum tumorem* ab Auctore ſcriptum eſſe. Attamen quia paulo ante dixerat ejuſmodi tumores *ſæpe in dorſo, aut lumbis* occurrere; verius fortaſſe erit de tumore dorſi intelligere; infra quem Medullam videre potuit, eamque bene ſe habentem. Sic certe vidit (*r*) *in inferioribus vertebris thoracis exiguam & ſanam portionem ſpinalis medullæ, in cavitate* autem *vertebrarum lumborum nervos quoque bene conſtitutos*, cum vertebræ non modo omnes colli, ſed & ex proximis thoracis totidem; ut Figuræ, quas deſignat, Kerckringii (*ſ*) oſtendunt; *poſtica parte bifidæ, nullaque ſpinali medulla præditæ*, hoc morbi genere tum in cervicibus, tum in dorſo laboraſſe fœtum, ſignificarent. Ex his habes, quomodo Ruyſchii, a quo (ut de Apino (*t*) ſileam) ejuſdemmodi tumores dorſi in aliis quoque viſos eſſe, non dubito, propoſitum locum, in quo ſunt qui hæreant, interpreteris, & ſimul quomodo ipſius, & Kerckringii deſcriptiones ejuſdem fœtus conjungendo, alteramque ex altera ubi opus ſit, emendando, illuſtrandove, unam perfectam atque abſolutam efficias.

12. Sed ſi medulla Spinalis, ut paulo ante poſui, aut certe ejus nervi, & vaſa (non ſecus ac cerebrum in hydrocephalo Cl. Waltheri (*u*), aliorumque, & pars cerebelli in hydrocephalo Lechelii (*x*)) extrorſum intra tumorem compelluntur; quæres ex me, qua ratione igitur intelligas quod a Viris Doctiſſimis indicatum eſt, hunc Spinæ affectum poſſe etiam tribui aquæ in cellulis ſtagnanti, quæ Craſſam meningem plurimæ exterius ambiunt, pingue illud ſecundum naturam continentes, quod *viſcoſum* a Veteribus *humorem* vocitatum eſſe, dixi (*y*); ut hic morbus perſimilis ſit hydropi peritonæi. Hydrops enim, inquies, peritonæi ea quæ circumdat, viſcera introrſum urget; non extrorſum trudit; nec eæ cellulæ ſunt ab anteriori, ſed a poſteriori maxime canalis vertebrarum parte, ut ſi turgeant, Caudam Equinam extrorſum nequeant compellere. At tu noli tamen credere, huic etiam aquarum, tumorumque origini aliquando locum aliquem

eſſe

(*a*) Obſ. cit. 34. (*b*) Fig. 37. (*c*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 29. (*d*) 12. in Addit. ad Sect. hanc Sepulchr. 16.
(*e*) Ibid. (*f*) (*g*) (*h*) Obſ. citatis hoc n. & 9. & 10. (*i*) Dec. 2. Obſ. Anat. Med. 2. (*k*) n. 9. primo loco.
(*l*) De Spina Bifida. (*m*) cit. ſupra ad n. 10. (*n*) Commerc. ibid. cit. hebd. 20. & 21. (*o*) Tab. 1. Fig. 11. & 12.
(*p*) Vid. n. 16. infra. (*q*) Obſ. 34. cit. ſupra ad n. 9. (*r*) Theſ. Anat. 8. n. 1. (*ſ*) Spicileg. Anat. Tab. 9.
(*t*) apud Hoechſtetterum n. 9. Diſſ. cit. ad n. ſuper. (*u*) Partus Monſtr. Deſcript. (*x*) Obſ. cit. ſupra n. 9. (*y*) n. 10.

eſſe non poſſe. Nam perraro quidem, ſed nonnunquam tamen, compunctis ejuſdemmodi tumoribus, & aqua educta, ſanitas reſtituta eſt, ut in illo infante quem deſcribit, & pingit Jo. Mauritius Hoffmannus (z). Cujus aquam tumoris ſi a cellulis deducas, Craſſæ meningis exteriorem faciem oblinientibus, in partu diſtractis, qui ei infanti, complicato corpore exeunti, difficillimus, nec ſine ſummo ruſticæ matris niſu, contigerat; veri ſimilia dixiſſe videberis: nihil enim æque ac poſterior illa pars Spinæ quæ in lumbis eſt, diſtrahi potuit in eo infantis ſitu; quare, ſalva reliqua parte, ex illa dumtaxat tumor, qui primum non erat, poſt aliquot dierum intervallum oriri cœperit. Fuerunt etiam qui tumorem, de quo ſuperius (a) dictum eſt, a Genga ad coccygem ſanatum, ab humore factum crediderint, qui ex cranii cavo illuc uſque inter oſſa, & Duram meningem viam ſibi per cuniculos paraviſſet. Sed qui cum Præcl. Fantono (b) rei difficultatem, anatome conſulta perſpexerint, atque inſuper promptum illum ſeri ex tumore exitum animadverterint ſtatim ac manu occiput comprimeretur, non aliud malent ei humori iter aſſignare, quam quod ab natura ipſa inter meninges paratum eſt, ſanationem magna ex parte quadrienni illius pueri ætati, & externæ hic quoque, non internæ, mali cauſæ tribuentes. Interna enim, & præſertim nativa cauſa & diu, & penitius tum fluidas partes, tum ſolidas lædit, haſque eo gravius, quo molliores ſunt, non, uti aucta jam ætate, firmiores. Huc illud accedit, quod Equina Medullæ Cauda ad coccygem non pervenit: quæ fortaſſe cauſa fuit, cur Ruyſchius (c) *inter omnes*, aut certe, ſi ejus proximam legas Obſervationem (d), ferme inter omnes, hujuſmodi correptos tumoribus, *nullum viderit infantem tam diu ſuperſtitem*, quam eum qui ad coccygem habebat. Sic enim tot nervos extrorſum inflecti, extrudi, lædi, abrumpi non contingit: ex quorum læſione oritur artuum inferiorum imbecillitas, & reſolutio, quam in pleriſque ſupra indicatis lumbarium tumorum exemplis diſerte memoratam invenies, atque in aliis præterea quæ omittimus, ex quibus duo videbis Joannis Burgii in Ephem. Nat. Cur. (e): quin etiam interdum ſphincteris ani, veſicæque paralyſim (f), ſæpius agnoſcendam, adnotandamque, ſi pueri ſæpius cum hoc affectu diu vitam trahere poſſent. Non poſſunt autem cum ob alias cauſas, tum ſæpenumero ob convulſiones, quæ læſiones illas nervorum ſequuntur, eoque citius, ſi hos, tumorem aperiendo, aut compungas, aut aeris injuriis exponas. Quæ convulſiones cur in duobus qui ſanati ſunt, pueris minime fuerint, ut neque artuum inferiorum reſolutiones, ex iis quæ de utroque dicta ſunt, intelligitur. Cum hæc autem omnia abfuerint, & malum ab externa cauſa ortum eſſe, conſtiterit; tunc præſertim obſervatis iis omnibus quæ caute Præcl. Trewius (g) admonuit, aliquid audere poſſe Chirurgus videtur; ſiquando tamen inter innumera funeſta exempla in fallaciſſimis hujus generis morbis audere licet.

13. Namque; ut ad hydrocephalum redeam; interni quidem Veteres Medici (h) duas agnoſcebant ſpecies, alteram, cum aquæ inter calvariam, & Craſſam meningem, alteram, cum inter hanc meningem, & Tenuem congeruntur, ſecundam ſpeciem lethalem, primam non inſanabilem eſſe, docentes, in qua ubi inter ſuturas diſtractas tumor apparet, eminentiorem locum ſecandum eſſe, præceperunt. Paræus (i) tamen diſerte negat, ſe quenquam vidiſſe qui convaluerit: & Jo. Francus (k) teſtatur, vel loco tumidiore aperto, & emiſſa aqua limpida, & pura, infantem *poſt aliquot horas in epilepſiam incidiſſe, & paulo poſt e vita diſceſſiſſe*: nec Grubelio (l) jubente, profuit per foramen *potentiali*, ut vocitant, cauterio paratum, incluſo penitus ſero exitum aperuiſſe, eo quoque infante *paucis diebus poſt* mortuo, quando ex iis quibus aqua educta non fuit, aliquos ſeptem, novem, duodeviginti, & triginta menſes vixiſſe, memoriæ proditum eſt (m); ne de eo quidquam dicamus quem novit, & ſecuit Riedlinus (n), annos ſolidos viginti quatuor hydrocephalo laborantem. Eſt quidem apud Cl. Fantonum (o) Wepfero adſcripta obſervatio ruſtici, qui impatiens diuturni, ſæviſſimique doloris capitis a ſero inter cranium, & meningem Duram concluſo, Veterinarium coegit ſibi ſinciput perterebrare, unde ſeri copia exſiliente, prorſus convaluerit. Sed fac, audaciam hanc feliciſſimam fuiſſe, fac eſſe Chirurgum qui in hydrocephalo infantis alicujus ipſam velit imitari, nec imitari ſolum, verum etiam, ſi Duram meningem incidere opus ſit, ut in graviſſimis capitis ictibus uſu venit, ſuperare. Quibus tuto indiciis, notiſque confidet, ut pro certo ponat, nunc inter oſſa & Craſſam meningem, nunc inter hanc, & Tenuem, nunc Tenuem inter, & cerebrum aquam eſſe? Neque enim deſunt triplicis hujus ſedis exempla, ut puta primæ in Veſlii (p) hydrochephalo, in quo & ſecundæ: hujuſque pariter in diſſectis a Laubio (q), & a Cl. Jo. Rudolpho Zwingero (r): tertiæ autem in Falloppii noſtri Obſervatione, quam habes in Sepulchreto (ſ), in aliiſque Mayeri (t), & Kaltſchmiedii (u). Fac tamen, ſi fieri poteſt, hæc quoque internoſcere, eandemque ſibi felicitatem quam aliquando in adultorum, eorumque, cum bene valerent, percuſſorum ictibus, in hydrocephalo infantum polliceri poſſe, in meningibus, ſi opus eſt, incidendis, & deinde, quamvis laxæ, aut laceræ, aut craſſæ factæ ſint, ad cicatricem perducendis; quid? ſi cerebrum humori quidem ſubſit, ſed tam flaccidum, vix ut in eo internoſcere quidquam liceat præter corticalem, & medullarem ſubſtantiam, velut in modo laudatis Mayeri, & Zwingeri obſervationibus: quid? ſi ſub corticali medullaris *tota corrupta, & in aquam converſa ſit*, ut in puero illo Tombini (x), de quo etiam in Sepulchreto (y) relatum eſt: quid? ſi totum cerebrum ſit in *aquam mucoſam*, aut in *limpidam, & ſanguine pauco tinctam* ſolutum, ut in illis Kerckringii (z), & Lauſſeri (a): aut quoniam hoc rarius eſt: quid? ſi ab incluſa ventriculis aquæ copia, ut in duabus, quas Bohnius (b) commemorat Dodartii obſervationibus, ea vis cerebro allata ſit, ut Laterales cum tertio ventriculo unam & continuam cavitatem efficiant, quod ipſum tanto minus conjici liceat, quod ex hydrocephalis quidam, ut duo illi infantes, *aliis morbis, qui nullo modo capitis affectus dici poſſunt, laborent*: aut quid? ſi ab incumbentium aquarum pondere, aut circumpreſſione ſit intima cerebri ſtructura inſanabiliter labefactata; nam vel exterior forma, & moles ipſa aliquando minime reſiſtunt. Sic hemiſphæria cerebri non amplius convexa, ſed depreſſa adeo, ut eſſet *altitudo eorundem in eodem plano horizonti parallelo, in quo Calloſum Corpus* erat, conſpexit Veſlius (c). Sic cerebrum eo redactum, ut *pilam palmariam vix mole æquaret*, invenit Paræus, non ſatis accurate in Sepulchreto (d) citatus. Sic, *exiguum inſtar oculi bovini ad ſeſcunciam accedens* vidit Stegmannus (e), adde *& ſimul totum putrefactum & corruptum*: quæ res ad memoriam reducit cerebelli quoque graves ab hydrocephalo læſiones, ut in modo laudata Veſlii, & vel magis in obſervationibus Littrii (f), & Jo. David. Maucharti (g), & in eadem Laubii quæ paulo ante indicata eſt.

Sed plerumque; tametſi hanc ſpeciem Antiquiores non poſuerunt; hydrocephali aqua eſt in ventriculis, ut Veſalius (h) in primis, tum deinde tot alii invenere, ut puta Schulzius (i), & ex modo, aut paulo ante nominatis Laubius, Mauchartus, Riedlinus, Littrius

---

(z) Eph. N. C. Dec. 2. A. 6. Obſ. 208. (a) n. 9. (b) Animad. ibid. cit. (c) Obſ. 35. ſæpius cit. (d) Obſ. 36.
(e) Dec. 2. A. 6. Obſ. 58. (f) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 127. & Sect. hac 16. Sepulchr. in Addit. Obſ. 12. verſ. fin.
(g) Commerc. A. & hebd. ſupra cit. ad n. 10. (h) apud Fabric. ab Aquap. de Chirurg. Operat. ubi de Hydroceph.
(i) Oper. l. 7. c. 1. (k) apud Schenck. Obſ. Med. l. 1. ubi de Hydroceph. mort. (l) Eph. N. C. Dec. 2. A. 10. Obſ. 42.
(m) Vid. Act. Helvetic. Tom. 1. c. 1. n. 6. (n) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ. 29. (o) Animad. cit. ſupra ad n. 9.
(p) Diſp. de mutuo inteſt. ingreſſ. P. 2. Obſ. 2. (q) Eph. N. C. Cent. 10. Obſ. 83. (r) c. cit. n. ſuper.
(ſ) 2. in Sect. hac 16. (t) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 127. (u) Progr. de nervis Optic. &c.
(x) Act. Lipſ. M. Nov. A. 1686. (y) Sect. cit. in Addit. Obſ. 8. (z) Sect. ead. Obſ. 11. (a) Diſſ. cit. ſupra ad n. 6.
(b) De Renunc. Vulner. S. 2. c. 1. (c) Obſ. ſupra cit. 2. (d) Sect. hac Obſ. 12. ſed Operum l. 7. non 8.
(e) Sect. ead. in Addit. Obſ 11. (f) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. A. 1705. (g) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 59. n. 9.
(h) Sepulchr. Sect. cit. Obſ. 6. (i) apud Lauffer. in Diſſ. cit. §. 23.

trius præſertim, qui in tanta aquæ copia quæ ventriculos diſtendebat, nihil ejus inter calvariam, & Craſſam meningem, nihil inter hanc, & cerebrum deprehendit. Mitto alios plures, præter Brunnerum tamen (*k*), & qui, ut ipſe, extenuationem ſubſtantiæ cerebri, in hujuſcemodi hydrocephalis haud ita raro conſpectam, memorarunt. Neque enim hæc eo tantum attigi, ut oſtenderem, quamvis Chirurgus ſit audax adeo, ut meninges hic perforet, ſæpe tamen aut nihil aquæ, aut non eam cujus major copia ſit, niſi cerebrum quoque perforet, eſſe educturum; ſed eo potiſſimum attigi, ut intelligeres, facile etiam poſſe accidere, ut dum nihil niſi Craſſam meningem perforare ſe, credit, cerebrum perforet. Velim igitur ad Veſalii Obſervationem illas quoque Hildani, & Tulpii obſervationes adjungas quæ a me ibi ſunt commemoratæ, ubi oſtendi (*l*), vi aquarum ventriculos diſtendentium, horum parietes ſuperiores præſertim, & laterales uſque adeo interdum extenuari, & cum meningibus ad cranii oſſa, aut pericranium affigi, ut mirum eſſe non debeat, ſi qui, nihil præter cranium incidere exiſtimantes, & Craſſam, & Tenuem meningem, & his, atque illis in membranæ modum adhærentem cerebri ſubſtantiam ſimul pertuderint. Lege ſis litteras Jo. Jacobi Scheuckzeri, ad Valliſnerium noſtrum (*m*) miſſas. Hydrocephalum infantis videbis in Noſocomio, *communi conſilio* Chirurgi ferro inciſum fuiſſe, cum *judicatum eſſet*, *aquas hærere inter Cranium*, *& Duram Matrem*. Videbis ſimul, *quam judicium talis modi in caſibus ſit difficile*. Cum enim convulſivi vomitus, qui mox primæ illi eductioni aquæ ad uncias circiter tres, ſucceſſere, ad vitæ uſque finem, qui poſtridie fuit, perſtantes, indicare crederentur, Duram meningem inciſam eſſe; anatome oſtendit, *non pertuſam* hanc *duntaxat*, *ſed & Piam cum ipſo cerebro*. *Fuit enim cerebrum ipſum ad membranæ tenuitatem fere extenſum capacitati internæ cranii par*, cum *aquæ moles*, *quæ* 8. *ad minimum fuit librarum medicarum*, *delituerit in ipſis ventriculis*.

14. Ex tanta cerebri extenuatione, & ad cranii fornicem adhæſione factum eſt videlicet, ut in memorato (*n*) Tulpii hydrocephalo, effuſis aquis, *plerique Medicorum præſentium*, *ſed præpropere*, *judicaverint*, eſſe illud *caput ſine cerebro*, itemque ut Steno in ſuo illo vitulo (*o*) *non parum temporis conſumeret quærendo cerebrum in ipſo cerebro*, *jamque hiſtoriis*, *antea ſibi non creditis*, *adhibere inciperet fidem*, *homines nempe ſine cerebro fuiſſe repertos*. Et ſane ad hunc fere modum & ipſe credo, quidquid veri ineſſe poteſt ejuſcemodi obſervationibus, eſſe explicandum, eorum in primis qui Tulpium, & Stenonem haud legerant, puta Garneri, Zacuti, & ſiqui alii in Scholiis ad horum obſervationes, quas in Sepulchreto (*p*) habes, cerebrum non reperiſſe ſcribuntur. Cum enim alius *cerebri vicem ſuppleviſſe*, ajat, *membranam craſſiorem*; alius, pro ipſo *duram meningem apparuiſſe duplicatam*, aquam limpidiſſimam in ſe habentem; facile intelligis, quid membrana illa craſſior, aut altera illa duplicatæ Duræ meningis lamina eſſe potuerit, & quid latere ſub ſpecie illa *cujuſdam mucoſitatis & phlegmatis valde indigeſti*, quæ *feſtinanter* inſpicienti Garnero intra meninges ſe obtulit. Certe, ut ibidem videbis Kerckringii Obſervationem (*q*) qui *cerebri loco aquam* ſe *reperiſſe mucoſam*, tradit, videbis quoque in ſubjecto Scholio haud aliter de mucoſa hac aqua, aut de cerebri extenuatione ſuſpicari Diemerbroeckium; & tamen Kerckringius non modo Tulpii hiſtoriam legerat, ſed etiam in ea ſua memorabat, & de hydrocephalo necdum ſemeſtri verba faciebat, cui intra uterum inchoata cerebri diſſolutio ſenſim increviſſe potuerat, donec cerebro prorſus ſoluto vivendi finem fecerit. Illud præterea objicit Diemerbroeckius; quod a pleriſque pariter ejuſcemodi hiſtorias edentibus omiſſum requiras, cerebellum, & Oblongata medulla deeſſent, an non, ſiluiſſe. Sed in Billotii (*r*) hiſtoria, quæ inter has ſolet referri, non modo hoc deſideres; verum etiam non penitus abſumptum pueri cerebrum fuiſſe, cognoſcas, quando *ejus ſubſtantiæ portio* quamvis *exiguum ovum mole vix æquans*, *reperta eſt*. Sic etiam in cane fatuo, ut videtur, aut vertiginoſo Elias Rud. Camerarius (*ſ*) (de ovibus enim quæ Kerckringius (*t*) aliive ſcripſerunt, lanionum fere obſervatione, & fide nituntur) Camerarius, inquam, *nullam penitus cerebri*, *aut cerebelli ſubſtantiam* vidit, *præter poſterioris portiunculam vix avellanæ medietatem æquantem*. Quæ etſi omnia non ſine admiratione, & quædam etiam non ſine aliqua diffidentia legiſſe me, fateor; tamen hoc quoque adjiciam. Memini, cum adoleſcens quotidie in Bononienſi Noſocomio verſarer S. Mariæ de Morte audire non ſemel Jo. Marcum Bigattum probum Virum, eundemque ibi Medicum Chirurgum, ſua laude dignum, cum ſuum Deceſſorem Jo. Galeatium Manzium Medicum, & Chirurgum, cum paucis, dum viveret, comparandum, id vidiſſe, aſſeveraret, quod ut accepi ſic tibi narrabo, nihil adjiciens, nihil detrahens. Cujuſdam vulnus curabat Manzius, quod ad Coronariam ſuturam inflictum, in cranii cavum perveniebat, cum æger circiter vigeſimo die duo pati cœpit, alterum, ut quoties vulnus retegeretur, toties convulſivis afficeretur maxillæ inferioris motibus; alterum autem, ut quotieſcunque interrogaretur, oculis quidem oſtenderet, ſe intellexiſſe, & reſpondere jam velle, ſed tamen per aliquod temporis intervallum primum incipere non poſſet verbum; quo demum incepto, cætera facile ſequebantur. Sic fere uſque ad vitæ extremum mentis compos viſus, denique inſultu quaſi apoplectico prehenſus, occubuit. Cranio reſerato, nihil intra hoc, niſi humor, inventum eſt, ſi fibras aliquot excipias rubras, & quaſi carneas, quæ vulneri ſubjiciebantur. Aſſenſum, ut ego audiens ſuſtinebam, ſic tu legens ſuſtineas, per me licet. Et ſane hæc ſunt ejuſcemodi, ut niſi ipſe videas, niſi diligenter etiam atque etiam perſcruteris, velut in hoc caſu quid fibræ eſſent illæ rubræ, & quaſi carneæ, & qua cum membrana fortaſſe, aut quibus cum nervis junctæ, & poſtquam etiam ſcrutatus fueris, vix credere tamen poſſis. Agitur hic quidem de cerebri abſumptione, ut in Zacuti, ut Billotii pueris vulnus capitis conſecuta. Sed in primo triennii ſpatium inter vulnus, & obſervationem fuerat interjectum; in altero totum abſumptum non erat cerebrum; in utroque cerebellum fortaſſe, & pars medullæ Oblongatæ potuit ſuperſtes eſſe: nec cerebri colliquatio in ſecundo fuit; ſed ejus ſubſtantiæ, ad nucis myriſticæ magnitudinem in quacunque medicatione erumpentis, amiſſio. At enim, inquis, nullum in quinquemeſtri Kerckringii puero præceſſerat vulnus, nullum in bienni Tombini (*u*), nullum in Neuholdii (*x*) puella novenni; & tamen in hac *medullaris* cerebri ſubſtantia *tota velut in gelatinam tenaciſſimam*, in ſecundo autem, ut diximus, *in aquam converſa*, in primo totum cerebrum in aquam mutatum. Mihi vero hæc ipſa mutationum ſeries videtur oſtendere, tanto difficilius contingere cerebri diſſolutionem, quanto longius ab ortu receditur, ut cerebri ſubſtantia firmior ſit. Quod ſi in viro tamen illo Garneri peracta eſt; at quanta, & quam diuturna pertulerit, videre potes. In eoque ipſo ut ſingulare id fuerit, inde licet intelligi, quod non facile ſit alterum in adulto ejuſdemmodi exemplum apud probatos Scriptores invenire. Quin mulier, de qua Kaltſchmiedius (*y*), etſi atrociſſimis capitis doloribus, iiſque poſt gravem capitis ictum, miſere adeo vexata, ut niſi aquæ copia per nares prodiiſſet, tandiu non fuiſſet victura, cum decimo tandem anno mortua eſſet, vi quidem ſeri diſtendentis cerebri ventriculos, corpus Calloſum ſic extenuatum oſtendit, ut *vix ſepti pellucidi craſſitiem referret*; cerebri tamen in mucum diſſoluti nihil ha-

(*k*) Sect. cit. in Addit. Obſ. 12. (*l*) ſupra ad n. 8. (*m*) Opere Tom. 1. S. 5. in fin. (*n*) ſupra ad n. 8. (*o*) Ibid.
(*p*) l. 1. Sect. 1. Obſ. 86. & Sect. hac 16. Obſ. 13. (*q*) Sect. ead. Obſ. 11. (*r*) Zodiac. Med. Gall. A. 1. M. Dec. Obſ. 3.
(*ſ*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. Obſ. 129 in Schol. (*t*) Spicileg. Anat. Obſ. 46. (*u*) ſupra ad n. 13.
(*x*) Commerc. Litter. Vol. 1. Specim. 22. (*y*) Progr. cit. ſupra ad n. 13.

habuit. Cum igitur totius adultorum cerebri in mucum, nedum in aquam diſſolutio ſic rara ſit, præſertim ſi quidquid cranio continetur, ſimul diſſolutum intelligatur; vides profecto cur propoſitum caſum audiens, aſſenſum ego ſuſtinuerim, qui vel de puero eadem, imo leviora aliquanto audiens, hærere ſolitus ſim, niſi amentem ſimul fuiſſe, & plantæ magis quam hominis vitam denique egiſſe, adjiciatur. At Redius (*z*) tamen, cerebro teſtudinibus exempto, has vidit, inquis, diu, & nonnunquam ſex ipſos menſes ambulare potuiſſe. Ego vero de perfectis, ut vocant, animalibus, atque adeo de homine hic verba facio; & tu mihi teſtudines narras, quas *facere motum* vel *corde ablato*, non ignoravit Ariſtoteles (*a*). Præterea ipſe indicare videtur Redius, teſtudinibus una cum cerebro facultatem cernendi, &, quod veri ſimile eſt, audiendi quoque, olfaciendi, guſtandi fuiſſe ſublatam, & Caldeſius (*b*) certe tandiu ſuperſtitis motus ſatis probabilem cauſam oſtendit, magnam videlicet, ſi cum exiguo earum cerebro comparetur, Spinalis medullæ craſſitudinem. Qua ex medulla ſpiritus repetere ii quoque ſolent qui vitam fœtuum cerebro carentium in utero volunt explicare, quos hactenus ſequi poteris, ne cum quibuſdam tamen ponas, aut in illis omnibus Medullam eſſe craſſiorem, aut quia multo plures quam cerebrum, emittit nervos, multo plus quoque ſpirituum tunc etiam præbere quando a cerebro unde ipſa accipere magna ex parte alioquin ſolet, jam nullos certe poteſt accipere, aut in illis cunctis ineſſe fœtibus, cum plures ſupra (*c*) memoraverim, qui nihil omnino, niſi forte aquam, intra cranium, & vertebras habebant. Sed cerebrum, & Medullam habuerunt, inquis, antea videlicet quam utrumque aut aqua diſſolveret, aut vis alia aliqua ſive opprimeret, ſive extruderet. Rectius hic quidem ſentis quam Explicatores plures, qui id minime attenderunt. Quod ſi ad primordia uſque rediens, nihil utrobique, niſi humorem, unquam fuiſſe, contendas, ſpiritus vero ab nervorum gangliis repetas, aliquid forſan tribuens ſuſpicioni quam olim (*d*) vix uno aut altero verbo attigi, in gangliis *fortaſſe aliquam ſpirituum fieri ſecretionem*; ego, tametſi nuper præſertim in gangliis adulti duobus altero mediocri, altero maxima craſſitudine præditis inter eos qui ad nervos Cervicales ſpectant, mox Brachiales effecturos, tametſi, inquam, iis in gangliis ſecundum longitudinem diſſectis, ſubſtantiam ex cinereo fuſcam præclare viderim, & oſtenderim, quæ cum alba nuſquam permiſta (cujus erat multo major copia, & exterior in gangliis ſedes) horum axem ſequebatur; non auſim tamen illi ſuſpicioni pondus addere: & ſi auderem; locum illi fortaſſe aliquem eſſe poſſe, crederem, in iis ad tempus aliquod ſervandis fœtibus quibus cerebrum, & Medulla abſceſſiſſent; non vero in iis quibus hæc nunquam fuiſſent. At ſi forte in ea ſententia nihilominus perſtandum tibi, quod credere non poſſum, exiſtimaveris; hoc unum dicam, ſi illa prima, & reliqua deinceps in utero vita cum ea tibi videtur conferenda, quam adulti homines, de quibus ſermo ſuſceptus eſt, agunt ſentiendo, cogitando, judicando, reſpondendo, atque, ut opus fuerit movendo; viceris: ſin contra; nobiſcum facies.

15. Habes de Hydrocephalo, & de Aqueis præſertim Spinæ Tumoribus eo plura, quo minus apud nos in vulgus ſunt noti. Perrari enim ſunt in his regionibus; non ſicuti in quibuſdam aliis, adeo frequentes, ut intra menſes quatuordecim Burgius (*e*) Vratislaviæ tres viderit. Quod ſi forte de utroque morbo plura cupis; de Hydrocephalo quidem tibi poterit ſatisfacere Vir Cl. Jo. Rud. Zwingerus (*f*), a quo, cum hæc relegerem, illius exempla non modo collecta vidi; ſed & diligenter ac diſtribute inter ſe comparata: de Aqueis autem Spinæ Tumoribus, præter Georgium Frid. Orthium in lectu digna, utilique Diſſertatione (*g*), quam, Præſide Jo. Salzmanno, ediderat, Viri Eruditiſſimi Platnerus (*h*), & Trewius (*i*): quorum ille cum de iiſdem Tumoribus aliquid attingeret, ipſe quoque plerorumque indicavit nomina qui eorum hiſtorias conſcripſerunt, hic vero cum Auctores alios addidit, tum ſuas propoſuit obſervationes, omnibuſque perpenſis argumentum hoc partite, fuſe, accurateque, ſi quis alius, pertractavit, nec quomodo conjiciat, curationem tentari, & abſolvi poſſe, prætermiſit. Quorum ſi omnium Scripta antequam has primum ad te Litteras mitterem in meas perveniſſent manus; dediſſem utique operam, ut nonnullos, quibus adhuc careo, libros nanciſcerer. Pleraque tamen quæ morbi utriuſque proſtant exempla, ut videre nunc poteris, commemoravi, & quædam alia aut iis quos laudo, prætervifa, aut necdum, cum illi ſcripſerunt, edita adjunxi, id quod omnibus qui ultimi ſcribunt, facile eſt. His interea quæ dare potui, uteris. Vale.

16. VIX Epiſtolam obſignaveram, cum illud non modo non ſperanti, ſed nec opinanti quidem mirifice accidit quod nunquam antea, ut PUER ad me conſilii cauſa afferretur ob tumorem ad lumbares vertebras extantem. Dum exuunt, ut inſpiciam; quæro, valeatne artubus inferioribus? & cum id negarent, pelluciduſne ſit tumor ac ſi aquam contineret? quod continuo affirmant, interrogationes quæ ad rem adeo facerent, mirantes. Quod ex reſponſionibus argueram, mox verum eſſe, deprehendi. Tumor erat mollis ſic ſatis, perque ejus parietes pleriſque in locis aqua concluſa manifeſtiſſime translucebat. Is ab ortu exiguus, intra decem menſes ad magnitudinem pugni excreverat, ut ea, non minus quam ſede, illum omnino referret quem pictum dedit Ruyſchius (*k*). Erat puer magnus, fortis, egregieque nutritus artubus etiam, quibus dumtaxat erat debilis, inferioribus: recte etiam conformatus, niſi quod æquo grandius caput, cæteroquin ſanum, in omnium oculos incurrebat; recte, inquam, iis quoque artubus quos modo dicebam, conformatus; ut ex novo hoc exemplo, ad plura alia addito, falli intelligerem, ſiqui intortis pedibus naſci omnes qui tumore hujuſmodi laborant, propterea exiſtimant, quod horum aliquot ſic natos eſſe, animadverterunt: quos inter an bene puellam referant a Stalpartio (*l*) propoſitam, ipſe judicabis: ego ut peſſime diſtortis pedibus fuiſſe, præclare video; ſic tumorem quo in lumbis deformabatur, ad eos attinuiſſe de quibus hic agimus, non ſatis video.

Sed ad puerum noſtrum ut redeam; non ignarus alienæ ſæpius nimiæ credulitatis, ex matre tamen quæſivi, ætate florente, nec minus ſana quam maritus, num primogenitum hunc ſuum utero gerens, in dorſum cecidiſſet, aut percuſſa eſſet, aut quidquam horruiſſet, timuiſſetve, aut denique cupidius optaſſet: quæ omnia tunc quidem diſerte negavit; quanquam poſtea, ut mulierculis ſolet, in mentem venit ficum concupiiſſe. Cæterum quod ad conſilium attinebat, cum præciſe negaſſem, eum quidem puerum ſanari poſſe; illud etiam atque etiam inculcavi, caverent, ne quis tumorem incideret; tanto enim citius puerum interiturum. Erant homines agricolæ, quemadmodum & parentes illius infantis quem ſupra (*m*) commemoravi, cui tumor ejuſdem naturæ cum cranii magis quam cum Spinæ cavo communicabat. Sed illi ſapientiores, qui periculum a me prædictum verentes, Chirurgis valere juſſis, infantem domum retulerunt quoad Deus ſineret, victurum. Hi vero vix a me digreſſi, cum in Chirurgum forte incidiſſent qui ſe quidem, ut cæteri & Medici & Chirurgi qui ante me, puerum plerique inſpexerant, nunquam ejuſcemodi tumorem vidiſſe, & qualis eſſet, ignorare, fateretur, ſed tamen quod cæteri ob id ipſum auſi non fuerant, ſe perſanaturum promitteret; hominis ætate ac confidentia permoti, facile quod cupiebant, crediderunt. Is igi-

(*z*) Degli Anim. viv. (*a*) l. de Juvent. c. 1. (*b*) Offervaz. int. alle Tartarughe. (*c*) n. 8.
(*d*) Adverſ. Anat. II. Animad. 34. (*e*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 6. Obſ. 58. (*f*) Act. Helvetic. Vol. 1. c. 1.
(*g*) De quibuſd. Tumorib. Tunic. Externis. (*h*) Progr. cit. ſupra ad n. 11. (*i*) Commerc. cit. ſupra ad n. 10. Hebd. 20. & 21.
(*k*) Obſ. Anat. Chir. Fig. 36. (*l*) Part. 1. Cent. 2. Obſ. Rar. 34. (*m*) n. 10.

Is igitur, tametſi poſtmodum certior fortuito factus fuerat eorum quæ ego reſpondiſſem, in propoſito conſtans ſuo, ferrum medio tumori impreſſit, exſiliente aqua pellucida, colore nonnihil urinæ ſimili, non pauca, at poſtremo inſtar ejus qua caro recens lota eſt. Aqua emiſſa, turundam Chirurgus craſſam indidit: qua educta novam quotidie emittebat aquam quoad puer vixit. Non vixit autem ad totum tertium ab inciſo tumore diem. Ex quo enim hic inciſus eſt, nunquam flere, & clamare deſtitit qui antea hilaris eſſet ac ridibundus, & mammam fere averſari cujus ſemper appetens fuiſſet. Interea toto corpore ſæpius tremere, facies autem prius nitida, & bene colorata jam collabi, atque palleſcere; omnia; ne multis; malum portendere. Unus tamen ille Chirurgus bene ſperabat vel paucis antequam mors ingrueret, horulis: quæ cum levi ſpirandi difficultate ſenſim advenit. Horum omnium denique admonitus, ægre tuli, temere hominem occiſum eſſe, & quod reliquum erat, tumoris interiora luſtrandi cupidus, continuo domum petii in quam parentes paulo ante mortem puerum tulerant, vicini, & Amici mei. Ibi cum Chirurgum forte offendiſſem, idem quod ego, cupientem, etſi hominis nuperam confidentiam tantam, audaciamque pernicioſam paululo acrius quam mea ferat natura, & conſuetudo, hic omnibus ſatis ſuperque ſpectata, reprehendere pro eo ac debebam, non omiſi; tamen, ut conſideratior, ac cautior eſſet in poſterum, jam docili, atque id petenti, continuo annui, ac pollicitus ſum, me tumorem diſſecanti affuturum, & quæ contineret, declaraturum. TUMORIS parietes etſi erant collapſi, & rugoſi, & ob hanc cauſam craſſiores; iis tamen preſſis e vulnere aqua exibat non pauca, quæ nonnihil graveolebat, urinæ pallidæ ſimilis: quæ ſimilitudo ſuperioribus etiam diebus, ut dixi, animadverſa, & inter Chirurgos vulgata, quoſdam hic quoque (*n*) permoverat, ut urinariam veſicam cum tumore communicare, ſuſpicarentur. Parietes duabus lineis in decuſſim ductis inciſi, dum caute, ut indicabam, diducerentur, manifeſto apparuit Spinalis Medulla, Tenui meninge conveſtita per quam diſtentis vaſculis totam rubentem, Medullæ corpus cum prodeuntibus nervis ad medium ferme illorum parietum ſecundum longitudinem arctius adhærebat (*o*), ut ab his ipſe debuerim leviter & ſuſpenſa manu ſejungere, evidenſque eſſet, cæteras Medullæ tunicas in unum cum iiſdem parietibus coaluiſſe. Nec diffluens erat Medulla, ſed etiam tum ſatis firma, quod ego inter digitos premendo percepi, & mox in tranſverſe inciſa, ſubſtantia circumcirca candida, intima cinerea, ſic ſatis ſolida utraque, confirmavit. Amplus autem erat quoquoverſus tumoris ſinus, oſſeis lumbarium omnium vertebrarum partibus quæ a tergo eſſe ſolent, in latera depreſſis, abſumptiſve ad earum uſque corpora, quæ tumoris parietem anteriorem faciebant. Nulla uſquam putredo, nigrities nulla. Etſi quæ tibi narravi, omnia tam certe perſpexi quam quæ certiſſime; Medullæ tamen ipſum corpus non ad primas lumborum ſubſiſtens vertebras, ſed ad os uſque Sacrum propemodum, ut oculis, manibuſque percepi, productum erat, an ob peculiarem hic ſtructuram? an quia arcte inter initia poſteriori tumoris parieti annexum, ut hic ſenſim increverat, extrorſumque ſe curvaverat, ſenſim ipſum quoque ſequi, augerive potuerit? Id igitur cupidum me fecerat ſuperiores porro vertebras, & caput denique, magnum adeo, aperiendi, præſertim cum hoc compreſſo, quanquam minime cedere viſum fuerat, aquæ aliquid ex evacuato tumore, antequam a nobis recluderetur, caſu, ut opinor, excidiſſet; nam eo diſſecto, & tum iterum compreſſo, capite, nulla excidit. Verum neque tempus, neque locus, neque potiſſimum reclamatio parentum, agreſtium, ut dictum eſt, hominum, & qui mihi vix, nec ſine lacrymis, conceſſerant, ut tumor perſecaretur, plura obſervare permiſerunt. Hæc, tibi pergrata procul dubio futura, adſcribere huc volui eo ipſo quo inſpexi die, qui fuit Pridie Nonas Septembris A. 1745. Iterum vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XIII.

Verba fiunt pauca de Catarrho, plura de Oculorum Affectibus.

EX cranii cavo in tubum quidem vertebrarum aquam defluere, a me quoque proxima ad te data Epiſtola confirmatum eſt. Sed Veteres non in eum tantummodo tubum, ſed & in oculos, aures, nares, os, thoracem, ventrem, artus humores e calvaria demitti, non dubitabant. Quam temporum potius, quam hominum, a vero aberrantem, doctrinam convellere, præcipuum Boneti in XVII. Sectione, quæ inſcribitur de Catarrho, ſtudium fuiſſe videretur, niſi in propoſito non ſatis conſtans, quædam ſubinde interjeciſſet quæ doctrinæ illi patrocinentur. Ea cum alibi, tum in quodam prolixo Scholio invenies, quod ex Williſio acceptum, ſubjecit §. 8. Appendicis ad Obſervationem XVI. quaſi ejuſdem Scholii partem in Sectione etiam ſuperiore non exhibuiſſet ſub Obſervatione VI. & aliis fortaſſe locis, imo ex ejus Scholii parte in hac ipſa Sectione XVII. non feciſſet Obſervationem VII. Mihi vero, cui actum agere non placet, ſatis eſt admonere, in quamcunque corporis ſedem Veteres catarrhum defluere, exiſtimabant, ea in ſede ſuas non deeſſe glandulas, e quibus plus æquo humores profluant, nec ſua vaſa e quibus inter fibras, membranaſque redundent; ut minime opus ſit e cerebro uſque arceſſere, & per impervia deducere. Manifeſtum id fiet aliis locis: hic autem in parte intelligi poterit primum quidem ex paucis quæ de Catarrho, ut vocant, Suffocativo attingemus, tum deinde ex aliquanto pluribus quæ de Oculorum Affectibus, de quibus videlicet eſt proxima Sectio XVIII. continuo adjicientur.

2. Catarrhi Suffocativi, aut Præfocativi nomen *in monumentis Græcorum haud inveniri*, ſed apud Meſuis Interpretem denique, Valeſcum de Taranta, Savonarolam, alioſque juniores, de Schneidero (*a*) cognoſces, qui & quam varia apud varios ſignificet, docebit: vel ſi tam longam refugis, tortuoſamque lectionem; ex parte indicabunt Obſervationes XI. XIV. & quæ duæ huic proximæ ſubjiciuntur in propoſita Sepulchreti Sectione XVII. Corruptorum aliæ pulmonum, aliæ cerebri flaccidi, aliæ polyporum cordis, aut cerebri, effectum deſignant. Quarum ego, aliarumque cauſarum, quæcunque reapſe valent ſuffocationem, aut hujus periculum repente afferre, effectum non credo catarrhi nomine æque dignum videri poſſe, ac effectum ejus conſtitutionis glandularum univerſæ Aſperæ arteriæ, ut plurimum exiguo tempore humorem effundant, præſertim ſi jam bronchia ſint aut ejuſdemmodi humore ſemiplena, aut ob aliam quampiam cauſam magna ex parte conniventia, atque impedita. Multa enim ac repentina ejus humoris defluxio ſive a laxitate, ſive a plenitudine ſit earum glandularum magna ſanguinis copia, quacunque de cauſa turgentium, & influentis quaſi a capite catarrhi ſenſum poterit afferre, & revera ſuffocare. Inſpice nunc Scholium ad Obſervatio-

(*n*) Vid. ſupra, n. 11. (*o*) Vid. ibid. (*a*) De Catarrh. l. 5. S. 2. c. 4.

tionem XIV. itemque extremum Scholium ad XVI: intelliges, me Williſium, & Fernelium ſequi, hunc in eo quod ad præfocantem catarrhum ſimul & pulmonum infarctum & defluxionem requiro; Williſium autem in eo quod defluxionem a capite non deduco, nec tamen a vaſis laryngis, & reliquæ arteriæ Aſperæ *immediate*, ſed per glandulas, in utraque alias deſcriptas. Suffocativo autem catarrho ſic explicato mortem imputandam crediderim Viri pietate, nobilitate, ac dignitate Eminentiſſimi.

3. JOANNES FRANCISCUS BARBADICUS S. R. E. Cardinalis, & Antiſtes Patavinus, natus annos duos ferme & ſeptuaginta, cum eſſet catarrhis obnoxius, facilius quam cæteri, in eam catarrhalem febrem incidit quæ omnes propemodum arripiebat Januario menſe A. 1730. ſed cum ſibi minus caveret quam cæteri; inter paucos illos fuit qui ea correpti, interiere. Nam ea nocte quæ diei ſucceſſit XI. Kal. Februarii illo ſe morbo prehenſum perceperat. Surrexit tamen poſtridie, ut erat magno animo, ſeque aeris injuriis expoſuit tum publici officii cauſa permotus, tum viribus confiſus, quæ, ut corporis color, & habitus, poſtquam ante duos menſes a brevi, ſed graviſſima febre (*b*) convaluerat, vel meliores quam priſtinæ, factæ eſſe videbantur. Quin & die proximo ſurrexit, & ſacrum fecit; ſed morbo interea ingraveſcente, decumbere eodem die, & Medicos tunc primum arceſſere coactus eſt. Verum de tribus qui in priore illa febre affueramus, Valliſnerius ſeptem ante diebus obierat, ego, & Medicus ejus ordinarius ex communi morbo adhuc languebamus: quod eo dictum puta, ne mireris, ſi quædam ad ægri incommoda, & mortem, omnia autem ad mortui ſectionem attinentia ex aliis, dignis ſane quibus crederem, diligenter interrogatis accepiſſe me, dixero. Vix enim cum ſemel, iterum, tertio etiam atque etiam advocarer, videre bis potui, non ſine aliquo meo periculo ad Virum Ampliſſimum, & de omnibus egregie meritum vectus primum VIII. Kal. deinde VII. & prima quidem ex quo decumbere cœperat, nocte dormiiſſe, accepi, & multa ac facile expectoraſſe, quod & tunc faciebat, craſſa, ut vidi, & tinctura quadam infecta, ut ex rubro flaverent. Naturalis erat aſpectus, & color, facilis tuſſis, facilis in utrum liberet latus decubitus, nullus in thorace ponderis, doloris, caloris ſenſus, levis ſitis, humida lingua, atque alba. Alvi recrementa, ut in ſanis ſolent. Urinæ ob tempeſtatem frigidam jam turbatæ, ſed, quod unum judicare poteram, decolores. Mens prompta; ſed verbum tamen quoddam cum quæreret, non provenit. Pulſus nec debiles, nec parvi; imo validi, & magni: non duri; ſed tenſi tamen nonnihil, iidemque frequentiſſimi. Reſpiratio quæ his pulſibus conveniret, & cum hac ſonus quaſi bullientis in pulmonibus catarrhi. Manifeſtum erat omnibus, non Medicis modo, ſpretum primis diebus morbum ab ſua natura degeneraſſe, gravemque, ac periculoſum, non levem eſſe, ut uni ægro, quod mihi minime placebat, videbatur. Multo autem magis poſtridie diſplicuit idem ægri de ſuo morbo judicium, cum audirem, inſomnem egiſſe noctem, & ſputa, meridianis horis facta jam pauca, & albida, tunc eſſe nulla; viderem autem reſpirationem crebriorem, altioremque, tametſi pulvinis cervicibus, dorſoque ſubjectis, nonnihil erigere ſtuduerant, ſitim auctam, ut frigidam cuperet, ſtomachum languidum, ut vini pauxillum poſceret. Quamvis autem cætera eſſent, ut pridie; quin pulſus eſſent molles, minuſque frequentes, iidemque ſatis & magni, & validi; nos tamen valde ſolicitos habebant cætera, illudque in primis quod, eadem tuſſi perſtante, nihil expectoraretur. Itaque cum ſuſpenſo animo, atque adeo triſti, & niſi expectoratio rediret, peſſima quæque ominante, diſcederem, Medicis cum alia, tum illud in primis commendavi, ut ſæpe ipſi, qui bene valerent, interviſerent, & pro re nata, ut ſolebant, & modo inſuper conſtitutum fuerat, adjuvarent. Rediit ex illis unus paulo poſt, neque in pejus deprehendit quidquam. Redierunt alii duo inter primam, atque alteram noctis horam, & pulſus vel meliores, ſputa autem aliqua ejici, invenere. Una ex quo ipſi abierant, hora non erat, non multa autem temporis puncta, ex quo viri alii, non Medici quidem illi, ſed apud ægros tamen diu attenteque verſari ſoliti, cum animadverterent nihil novi, in proximum cubiculum ſeceſſerant, cum æger ſe inclinans, ut neſcio quid quod e lecto exciderat, ex humo tolleret, neque id aſſecutus, famulum a cubiculo vocavit. Qui accurrens, cum herum in priſtinum ſitum repoſuiſſet, hic autem in eo perſiſtere ſe poſſe, negaret, ſed erigi vellet, ut reſpirare melius poſſet, ſenſit uterque imminere mortem. Quamobrem famulo, qui poterat, alta voce auxilium implorante, Sacerdos illico affuit, qui morientem invenit mentis adhuc compotem, ſibi, ut poterat, deficiente manu in crucis formam ducta pectus tangentem, & pio murmure ſacras ſubinde voces interjicientem. Ad hunc modum confeſtim, ut ſummopere optaverat, inter ejus manus vivere deſiit Pontifex multo longiſſima vita dignus, exacto vix quarto, ex quo morbus inceperat, die. CADAVERE ad condituram diſſecto, nec ſine pinguedine invento, ſanum Cerebrum, ſana omnia Ventris viſcera conſpecta ſunt, niſi quod jecur prægrande, ſubfuſcum, & duriuſculum viſum eſt; ſed facile a natura, cum peculiare vitiati ejus viſceris indicium neque antea, neque in hoc morbo fuiſſet ullum. Certe autem Thoracis Spina ad modum litteræ S jam inde a puero contorta, alterum illius cavum multo arctius faciebat, multoque minorem continebat pulmonem. In neutrum tamen cavum humoris quidquam erat effuſum. Nihil polypoſi in corde. Pulmones neque ad coſtas, neque ad diaphragma, quod ſanum erat, neque ullam ad partem ſuperficiem alligabant ſuam. Hæc autem erat albida, ut ſpeciem præberet quaſi oblitæ *vernice*, ut vocamus, quadam quæ ad lacteum colorem vergeret. Graves erant ipſi pulmones, ſed a catarrhali, quam continebant, materia, multa paſſim e bronchiis, quacunque incideres, erumpente. Certe eorum omnis ſubſtantia flaccida, non modo non denſa, aut compacta, reperta eſt.

4. Hiſtoriam hanc ſi cum iis contuleris quæ de Catarrho Præfocante ſuperius (*c*) attigimus; facile ex ſententia explicabis mea. Multa jam, uti ſectio confirmavit, in omnibus pulmonum bronchiis erat catarrhalis materia, ut per tenuem ſuperficiei membranam translucens, hanc propterea, ut opinor, quaſi albida *vernice* oblitam repræſentaret. Nihil jam ejus ejici poterat extremo die e pulmonibus quidem magis magiſque flacceſcentibus. Huc ob repentinos & incongruos motus alia de improviſo acceſſit, ſive ab larynge, & ſuperioribus Aſperæ arteriæ partibus decidua, ſive etiam ob inclinationem illam corporis ab altero pleniore jam fortaſſe, ideoque inutili pulmone in alterum ſemiplenum per quem reſpiratio adhuc ſervaretur, devoluta, qui ſi forte fuit ille multo minor; probe intelligis, quam facile, & quam cito a materia vel pauca quæ partim hoc modo incidiſſet repente, partim ſuperne defluere pergeret, ipſe quoque inutilis potuerit fieri. Sic repentinum explicabis interitum: quem repetere ab apoplexia, ut malebant aliqui in Principe quodam Sereniſſimo (*d*), tanto minus hic licet, quia præter *ſalvos ad extremum uſque halitum, ſenſus & motus voluntarios, una cum loquela, quibus, tanquam certiſſimis catarrhum ſuffocativum ab apoplexia diſtinguentibus ſignis, Medici adſenſum præbent omnes;* in cerebro nihil fuit quod culpares. Erat in eo quoque Principe *ſpina dorſi litteræ S ſimilis*, & ex inciſis pulmonibus prodibat *humor pituitoſus & ſubalbidus*: quo ſpectato, alii qui rectius ſentiebant, Medici ſententiam Heucheri referebant: *ſigillatim hi catarrho ſuffocati cenſendi ſunt, quibus ſerum, ſeu lympha ſanguinis, quacunque de cauſa, vitiata, copioſius reſpirationis organa occupat, & in bronchiis veſiculiſque pulmonum pertinaciſſime reſtagnat.* Cordis autem polypus, quem cum aliis olim accuſaſſes, in noſtro nuſquam fuit: quanquam de polypis cordis quid ſentiam, alias (*e*) ſcribam, & ſatis in præſentia eſſet Docti Viri (*f*) qui eos agnoſcit, diſſenſum proferre ab illis qui inde catarrhos ſuffocativos deducunt. *Evidenter ſatis in catarrhis ſuffocativis*, inquit, *cauſa exterius auditu percipitur, dum viſcedo in bronchia pulmonum copioſe delata reſpirationem reddit ſonoram ita ut quaſi in illis coqui materia videatur. Deinde facta poſt mortem ſectione; cauſa catarrhi ſuffocativi in manus & oculos incurrit, dum bronchia fere in totum viſcedine repleta reperiuntur.* Fuit igitur in Præſule Eminentiſſimo catarrhus ſuffocativus, pene dixi qualis ille fuit de quo Cl. Jo. Seb. Albrechtus (*g*) in alia Epidemia Catarrhali de ſexagenaria fœmina verba faciens, hæc ſcripſit, *catarrho ſuffocativo, febri peripneumonicæ ſuperveniente*

(*b*) Vid. Epiſt. 49. n. 30. (*c*) n. 2. (*d*) Hiſt. vide in Append. Vol. 7. Act. N. C. n. X. (*e*) Epiſt. 24.
(*f*) Act. modo citator. Vol. 4. in Append. n. IV. §. 7. (*g*) Commerc. Litter. A. 1743. hebd. 14. n. 1. in fin.

veniente, *repente periit*. In noſtro enim caſu defuere peripneumonicæ febris tum ſigna quædam præcipua, dum æger viveret, tum peculiaris illa in demortui pulmonibus labes, de qua alias (*h*) ſcribemus. Cæterum epidemica hæc noſtra catarrhalium febrium Conſtitutio tempeſtate ingruerat frigida, & ſicca, cælo diu noctuque ſereno, quam paulo ante conſtans præceſſerat tepida, auſtrina, pluvioſa. Noſti autem, Hippocratem (*i*), quamvis aliis anni temporibus, hanc tempeſtatum ſucceſſionem excipi docuiſſe variis morbis, in quibus diſerte *ſenioribus* minatus eſt *deſtillationes quæ cito interimunt*. Et ſane alii quidam ſenes tunc apud nos interiere, ſed pauci. Cæteros cujuſcunque promiſcue ætatis homines, occaſione, ut apparebat, frigidi aeris pene viritim corripiebant febris, tuſſis, ſputa catarrhalia; ſed omnia, ſi non negligeres, levia plerumque, brevia, ſalubria. Ac me quidem illa eadem quam mox dicam, facili ratione percuravi qua tunc ſolebam ſiquando hyeme catarrhalis febricula prehenderet; a qua me poſtea, meoſque tunc etiam cum quaſi epidemice recurrit, plures jam annos ſervavi ex quo in quotidiana hyemali cœna haud aliis herbis ad acetariam utimur, quam cocta braſſica. Scilicet ad prima ſuppreſſæ inſenſibilis perſpirationis, & ineuntis febris indicia, bene opertus decumbebam, tutiſſimoque omnium remedio utebar, perpauco alimento, eoque fluido, mane autem diluti juris unum aut alterum vaſculum calidi, ut omnia, bibebam, quietuſque expectabam dum per cutem, aut per veſicam, aut per hanc utramque prodiret viam; tunc porro tertium, & quartum addebam. Sic febris cito ſe remittebat, neque ita multo poſt abibat, niſi forte intempeſtive ſurgere auderem, & corpus necdum ſatis confirmatum novis aeris injuriis objicere. Porro eandem Conſtitutionem eodem pene tempore late per Galliam, Germaniamque eſſe vagatam, audivimus; ut de aliis ejuſcemodi alias in Medicorum libris relatum legimus. Quorum aliquas commemoravit Jo. Godfr. Bergerus in ea Diſſertatione (*k*) quam olim ſub avunculo Faſchio propoſuit, videlicet *epidemios catarrhos*, *quales anno* 1675. *per totam fere Germaniam ſaviere*, *& a Foreſto l. 6. obſerv. 3.* (ideſt A. 1580. per Belgium, Germaniam, & Galliam) *nec non Valeſco de Taranta Montiſpeſſuli anno* 1387. *annotati ſunt*: quo quidem anno in Æmilia quoque mea, longe adeo a Gallia diſſita, Januario menſe, epidemicæ tuſſes cum catarrhis, & lentis febribus vagatæ ſunt ita, ut nemini parcerent, quamvis paucos interemerint, ſicut hiſtorica meæ Patriæ monumenta (*l*) teſtantur.

5. Hactenus ſine humorum ex cerebro defluxu explicatum vidiſti Catarrhum, de quo Sectio eſt Sepulchreti XVII. Nunc attendes, num eo forte defluxu utamur in explicandis Oculorum Affectibus, de quibus eſt XVIII. in eoque præſertim ad quem primæ attinent Obſervationes, Amauroſim dico; quam olim barbari appellitabant *Guttam Serenam*; *Serenam* quidem ex eo quod claros oculos tunc videmus, ac ſine ullo quod ſub ſenſum cadat, vitio, ſi pupillam excipias plerumque ſolito majorem, & fere immobilem; *Guttam* vero quod ex cerebro in nervos Opticos obſtruentem irruere humorem, Medici non dubitabant, unde etiam quod repente hic Affectus ingrueret, deducebant. Quorum neutrum eſt neceſſarium; nam ſenſim quoque accidere, Brunneri (*m*), Laubii (*n*), Kaltſchmiedii (*o*) Obſervationes docent, præter alias, quarum duas habes in Sepulchreto (*p*), in quibus ſi præterea naturam perpenderis illarum cauſarum quæ amauroſim fecerunt, vel ea confirmari id quod dico, facile intelliges: & qui inter hujus affectus cauſas velint aliquando obſtructionem agnoſcere, in iis poſſunt cerebri ſedibus, unde ſpiritus in nervos Opticos feruntur. Nec ſane horum nervorum obſtructionem, niſi forte rariſſime, Platero ipſi, & Spigelio noſtro in hoc vitio accuſari placuiſſe, ex Scholiis cognoſces ad duas illas quas in Sepulchreto modo indicabam, Obſervationes. Quin etiam Platerum videbis amauroſis cauſam, convulſiones graves & crebras haud raro conſequentis, *non ab humoris affluxu deduxiſſe*, *ut alii voluerant*, ſed ab ipſis oculorum convulſionibus repetendam eſſe, docuiſſe; ſimul enim cum aliis partibus tunc oculos quoque *contorqueri ſæpe & convelli*, *admodumque exeri*, *& inflecti*, *attracto ſic nimium & tenſo nervo optico illis adnato*, *illoque ſimul contorto*, *& læſo*. Quæ doctrina confirmari poſſe videtur per aliam quam paulo poſt leges, Obſervationem (*q*), in qua nervi *ambo optici*, *non obſtructi vel anguſtati* inventi ſunt, ſed *intorti*, cum amauroſis *a pueritia* incidiſſet, qua nimirum ætate *convulſiones* juxta ipſius Hippocratis Aphoriſmum (*r*) maxime contingunt. Verum ejuſcemodi explicationibus quid, & quando, & quatenus tribuendum eſſe, arbitremur, alias (*ſ*) a nobis eſt declaratum: ubi plura quoque exempla producta ſunt amauroſis ex convulſionibus ortæ, & poſt has abeuntis. Quorum hic nolumus augere numerum, cum per te poſſis vel in ſolis Cæſareæ Academiæ Voluminibus (*t*), & præſertim in Lentilii *Paralleliſmo* (*u*), alia bene multa invenire. Illud ad ea quæ tunc ſcripſimus, addere ſatis eſt. Cum ibi (*x*) occaſione oblata a gemina hujus generis amauroſi ex Valſalvæ ſchedis propoſita, alia a nobis in Matrona quadam memorata ſit, leve in ſpeciem vulnus conſecuta *ſupra ſupercilium*, eademque per læſionem rami Ophthalmici e Quinto nervorum Pari, de orbita prodeuntis, & illac per frontem aſcendentis fuerit ſecundum ea quæ de convulſiva nervi Optici conſtrictione ante dicta erant, explicata; iſtiuſmodi explicationem poſſe magna ex parte ad illum quoque in Coacis (*y*) Hippocratis locum accommodari: τὴν δὲ ὄψιν ἀμαυροῦνται &c. id eſt *at vero obſcuratur viſus in vulneribus*, *quæ vel ſupercilio*, *vel paulo altius infliguntur*: cujus amauroſis cauſam in ejus loci interpretatione undenam repetere conati ſint Jacobus Hollerius (*z*), Deſid. Jacotius (*a*), & Ludovicus Duretus (*b*), videre poteris. An vero illi noſtræ explicationi locus eſſe queat in ea quoque amauroſi quæ ab Elia Camerario (*c*) propoſita eſt, velim cogites. Etſi enim hiſtoria illa plura habet, quorum pro certo cauſam tanto difficilius intelligas, quanto minus conſtat quo vulnuſculum tandem pervenerit; tamen cum inflictum fuerit punctim *in cantho ſiniſtri oculi interno in confinio palpebræ ſuperioris*; vides certe, ab eodem illo Ophthalmico Paris Quincti ramo nerveos ſurculos in eum locum pervenire, ſicuti præclare oſtendit nervorum omnium Faciei Tabula, quam incomparabili diligentia confectam Præſtantiſſimi Anatomes Profeſſoris Meckelii, Inclyta edidit Scientiarum Academia Regia Berolinenſis (*d*). Hæc autem omnia tanto magis gaudeo hic tibi addidiſſe, quod Epiſtolam hanc recenſens, ex libris ſerius quam voluiſſem, ad me allatis cognovi a Celeberrimis Viris, qui Valſalvæ, imo etiam meam hujus generis amauroſis obſervationem benigne memorarunt, & explicarunt, Hippocratis mentionem haud eſſe prætermiſſam. Neque enim unus id fecit Illuſtris Archiater Nicolaus Roſén (*e*), ſed & Eruditiſſimus, dum viveret, Auctor Platnerus (*f*) vel fuſius jam fecerat A. 1741. ut neque de Obſervatione Eliæ Camerarii, neque de tribus a me paulo ante nominatis, loci illius Coacarum Interpretibus ſileret, addito inſuper Martiano, cujus ego ibi interpretationem ubi eſſe deberet, necdum reperi. Ex iis etiam quas nuper legi, Diſſertationibus illa fuit Jo. Bened. Godofr. Oehme (*g*), quam ſi tu perleges; ex amauroſis cauſis, quarum ego complures quidem, ſed non omnes, hic enumerandas ſuſcepi, alias poteris colligere, tum præterea diſſectionem (*h*) quam Sepulchreto adjicias, Juvenis poſt hunc morbum extincti ab Hafnienſi Medico cum Docto, qui tum vivebat, Profeſſore Gunzio communicatam, necnon Obſervationis Valſalvæ, illiuſque ſimilium explicationem (*i*). Animadvertas autem velim, cum Ciliares nervi in conſenſum tracti ad explicandas amauroſes aut a Valſalva aut a me obſervatas deſcriptaſve ponuntur, non eſſe illos ut jam oculum ingreſſos ſpectandos, quippe in quo nihil tunc vitii ad Iridem attinentis conſpiciebatur, ſed ut nervi Optici involucra arcte comitantes, eaque, ſi diſtenti ſint, aut diſtendendo, aut conſtringendo ſimul cum incluſa nervi medulla comprimere valentes.

6. Porro ſunt aliæ etiam cauſæ quæ nervos comprimant

(*h*) Epiſt. 20. & 21. (*i*) Sect. 3. Aph. 12. (*k*) De Circul. Lymphæ c. 2. §. 7. (*l*) Marcheſi Supplem. Iſtor. di Forlì l. 6. all' A. 1387.
(*m*) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ. 69. (*n*) Earund. Cent. 7. Obſ. 39. (*o*) Progr. de Nervis Optic. &c. (*p*) Obſ. 1. & 5.
(*q*) Obſ. 8. (*r*) 25. Sect. 3. (*ſ*) Epiſt. Anat. 18. n. 3. & ſeqq. (*t*) ut Cent. 1. Obſ. 78. & 130. Act. Vol. 3. Obſ. 44. & Dec. 3 A. 9. Obſ. 36.
(*u*) Dec. ead. A. 7. in Append. n. 10. ad Obſ. 50. (*x*) n. 7. (*y*) Sect. 3. (*z*) Comment. in Coac. l. 1. S. 3. 19.
(*a*) Ibid. (*b*) in Coac. l. 3. tr. 2. c. 2. 12. (*c*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 55. (*d*) Hiſtoire A. 1752. Claſſ. de Philoſ. Experim.
(*e*) Diſſert. de Oſſib. Calvar. P. 1. §. 16. & not. *p*. (*f*) Vid. Act. Erudit. Lipſ. A. 1751. M. Sept. P. 2. ad pag. Probuſ. 167. & ſeqq.
(*g*) De Amauroſi. (*h*) §. 8. (*i*) Ibid.

primant Opticos, eoque amauroſim inducant, in Sepulchreto commemoratæ, & Medicis quoque Obſervationibus comprobatæ (*k*) nimia copia, & turgentia ſanguinis, arterias ac venas tumefacientis quæ intus extrave comitantur molliſſimam eorum nervorum ſubſtantiam. Qua explicatione recte utitur Boerhaavius (*l*) ad Aetii amauroſim exponendam, quæ *in morbis capitis fervidiſſimis & poſt phrenitidem ſequitur*, nec male uteretur, ut opinor, qui ſic explicaret illa quæ Rolfincius (*m*) memorat exempla *fœminarum, quæ quoties gravidæ, obcæcatæ ſemper fuerunt uſque ad partus tempus*, aliave cum Cel. Heiſtero (*n*) ad idem genus referenda. Huc addit Wepferus (*o*) *humorem* ex iis quæ modo commemoravimus, vaſis *exſtillantem, guttæ ſerenæ cauſam aliquando*. Sed compreſſionis Opticorum nervorum ex qua amauroſis oriatur, luculentiſſima intra cranium ipſum proferri exempla quædam videbis in Sepulchreto, ut cum (*p*) magna & gravis quaſi ſtruma in parte cerebri anteriore, nervorum eorum *exortui*, (illi videlicet manifeſtiori, & ultro in oculos *incurrenti*) *incumbebat*, aut cum (*q*) inſignis veſica, aqueæ materiæ limpidiſſimæ plena, eoſdem nervos *occuparat circa crucifixionem*, id eſt ubi inter ſe junguntur. Non eſt æque facilis declaratu obſervatio illa (*r*) in qua, cæcitatis cauſa repertus dicitur *lapis phaſeoli magnitudine in origine atque in ipſa nervorum opticorum ſubſtantia*; niſi forte intelligas, utroque in latere ſimilem fuiſſe lapillum; neque enim unus ea parvitate in amborum poterat nervorum eſſe ſubſtantia, amborumque originem premere, ſive manifeſtam illam accipias de qua dictum eſt, ſive alteram retruſiorem. Quam præclare intelligo in ea cæcitate fuiſſe compreſſam, in qua (*ſ*) tumor *pugni magnitudine cerebrum & cerebellum inter* jacebat, ab eodemque tumore quidem, non ab eo lapillo mortem quoque fuiſſe allatam. Ne vero mihi objicias forte Obſervationem aliam (*t*), in qua etſi uterque oculus patiebatur viſus diminutionem; tamen in dextera ſolum cerebri parte magnum inventum eſt vitium, aut eam ipſam quam tibi alias (*u*) deſcripſi, in qua eadem cerebri pars dumtaxat non levem habebat noxam, cum utrumque pariter oculum amauroſis teneret; utramque relegas velim Obſervationem. In illa enim; ut fuſius data eſt Sectione II. (*x*); cum videris, *in utroque oculo manifeſta ſuffuſionis exordia conſpici potuiſſe*; miraberis forraſſe, cur mox potius inter eas quæ ad Suffuſionem ſpectant, non fuerit indicata. Mea autem oſtendit certe, in ſiniſtra quoque parte cerebri ſuam labem non defuiſſe, cum in ejus lateris ventriculo multa eſſet aqua. Vides ſane in Sepulchreto (*y*), ut compreſſio cerebri ab aqua ſæpe in iis fuerit animadverſa quos Amauroſis, Amblyopia, Cæcitas affecerat. Aut ſi forte ſic non ſatis tibi eſſe factum, putas, expectanti fortaſſe, ut ſemper ab aqua deſuper urgente, ſive ea ventriculos, ſive etiam, quod rarum eſt, oblongos quoſdam ſacculos repleat, ſubjecti ii nervi adeo appareant depreſſi, ut in amauroſi ab ejuſmodi cauſis invenere Cl. Viri Cheſeldenus (*z*), & Kaltſchmiedius (*a*); at crebras illas epilepticas convulſiones attende, quæ utriuſque pariter nervi Optici intimam illam, quæ ſenſum fugit, ſtructuram facile pervertere potuerunt.

7. Sed fortaſſe inutilem operam ſumpſiſſe me, putas, iis quæ in te cadere non poſſunt, dubitationibus occurrentem. Quid enim ſi cum illis facias qui nervos Opticos non modo inter ſe jungi, ſed ita dexterum ſiniſtrumque permiſceri, arbitrantur, ut ſi alteruter ſupra conjunctionem prematur, noxa pariter ad oculum utrumque pertineat? Verum ſi hoc ponis; qui factum dices in paulo ante commemorata Obſervatione (*b*), ut gravis illa ſtruma, quæ cum in ſiniſtra cerebri ſede orta eſſet, utrique pariter oculo obeſſe debuerat, ſiniſtro obfuerit primum, deinde ut creſcendo dextrorſum quoque ſe dilatabat, & dextero? *In oculo ſiniſtro viſio obſcurari cœpit, & poſt menſem etiam in dextero*. Porro quæ tandem neceſſitas ejus permiſtionis; ſi quod ex Bartholino in Sepulchreto (*c*) etiam habes, *Veſalius*, *Aquapendens*, *Valverda aliquando obſervarunt, toto ductu diviſos* Opticos nervos *manſiſſe*, & eum tamen in quo ſic conſpexit Veſalius, ut alibi (*d*) adnotavi, *de viſu nunquam conqueſtum fuiſſe, viſuque præſtanti ſemper valuiſſe*? Nam Valverdus quidem de ſuis certum videtur ignoraſſe; Fabricius autem noſter, cum ſcripſit (*e*), quod ii nervi non decuſſentur, *Anatome interdum luculentiſſimam fidem præſtitit, cum aliquando ſeparati, non vincti reperti ſint*; his verbis fortaſſe Bartholino ſuas; mihi non alias quam illorum videtur obſervationes deſignare. Sed illa Veſalii obſervatio ejuſmodi eſt, ut vel ſola oſtendat, *de tot propoſitis qualiſcunque etiam conjunctionis utilitatibus, vix aliquam inveniri, quæ ſatis veriſimilis videri queat*, ut ibidem ſcripſi. Nec me adhuc pœnitet; tametſi Cl. Viri Danielis Bernoulli (*f*) rationem valde probem, cur ii nervi poſtquam inter ſe acceſſere, tum diverſi inflectantur; neque enim ea ut conjungantur, nedum ut permiſceantur, neceſſario requirit, neque adverſantem, ſed faventem habet eandem Veſalii obſervationem, cum, quamvis ſejunctos, ita pingat, ac deſcribat (*g*) curvatos, *quaſi non coalitus occaſione nervi congrederentur, verum ut commode per ſuum foramen e calvaria procederent: potiſſimum quum etiam hoc ductu progredientes, in oculi poſterioris ſedis medium non inſerantur*. Tandem; ut alia libens omittam; minime cum permiſtione illa conveniunt quatuor ibidem a me laudatæ Veſalii, Cæſalpini, Rolfincii, Cheſeldeni obſervationes, quarum oblitus videri poteſt Santorinus (*h*), cum ſuam, earum ſimilem, ita proponit quaſi tunc primum hæc controverſia dirimeretur ex eo quod ad cæcum oculum pertinens Opticus nervus qualis in orbita erat, talis ad ſuum uſque principium gracilior, & diſcolor ab eodem ſemper latere permaneret. Cæterum in hac controverſia quanti ſint ponderis ejuſcemodi obſervationes, oſtendunt ii quibus adverſantur, cum reſpondere conati, ſatis procul dubio non faciunt, ut Cæſalpinus (*i*), qui; ne aliud dicam; id ponit in eo cerebri hemiſphærio quod neque ſe affirmat vidiſſe, nec cæteri quos nominavi, viderunt, neque, ut diverſæ fuerunt cauſæ, videre potuerunt; nam quibuſdam ex Recentioribus ſatis mihi videor in Epiſtola Anatomica XVIII. (*k*) reſpondiſſe. Ibi tamen ingenue, ut par eſt, ſum faſſus, me ejuſmodi obſervationem iterandi percupidum, cum in homine, propter cerebrum antea ſepultum, non potuiſſem, in cane tandem expertum, nervi ad cæcum oculum attinentis diſcrimen ad conjunctionem uſque perſpexiſſe, inde vero ſuperiora verſus nullum agnoſcere potuiſſe, hujuſque rei cauſam in cæcitatem necdum fortaſſe ſatis diuturnam rejeciſſe. Verum cum ab eo tempore nullam rei perveſtigandæ occaſionem prætermiſerim, duaſque ſim nactus; eadem me infelicitas perſecuta eſt, ut ex iis intelliges quas protinus ſubjiciam, obſervationibus.

8. VIR quidam ex Etruria ingenti, fœtidiſſimoque cruris ulcere pene confectus, proptereaque in hoc Noſocomium receptus, mortuus eſt circa medium Januarium A. 1740. CAPITIS diſſecandi cauſa propter alias obſervationes acceſſeram, cum hominem altero captum fuiſſe oculo, animadverti: ſed unde, & quandiu; quod eſſet, ut dixi, alienigena; ſcire non potui: tu ex oculi deſcriptione conjicies. Cum ſiniſter oculus eſſet ſanus; dexteri qui peſſime ſe habebat, palpebræ nullum uſquam, ut neque ulla pars faciei, & reliqui capitis, prægreſſi olim vulneris, aut ulceris veſtigium oſtendebant: plurima autem in orbita, ut ſolet, erat pinguedo, cum muſculis, pallidis illis quidem, ſed minime ſtrigoſis, aut extenuatis. Oculus vero, in ſe contractus, minor erat vel plus dimidio quam ſiniſter. Facies illius anterior alba, ſine ullo Corneæ veſtigio, ſic in tres parvas prominentias erat diviſa, quaſi olim trifariam ſecta fuiſſet. Eas & reliquum oculi ambitum, imo multo maximam ſubſtantiæ oculi par-

(*k*) Append. ad Obſ. 2. hujus Sect. (*l*) Prælect. Inſtit. §. 516. (*m*) Diſp. de Gutta Serena c. 5. (*n*) Diſſ. de Amaur. n. 12.
(*o*) in Additam. ad hanc 16. Sect. Obſ. 3. (*p*) Ejuſd. Sect. Obſ. 1. (*q*) Obſ. 2. (*r*) in Addit. Obſ. 2.
(*ſ*) Ejuſd. Sect. Obſ. 10. (*t*) Ibib. Obſ. 14. (*u*) Epiſt. 9. n. 20. (*x*) Obſ. 18. (*y*) Sect. hac 16. Obſ. 7. 9. 12. 15.
(*z*) Saggio delle Tranſaz. &c. T. 2. P. 2. (*a*) Progr. cit. ſupra ad n. 5. (*b*) in hac Sect. (*c*) Ibid. Obſ. 26.
(*d*) Epiſt. Anat. 16. n. 14. (*e*) De Oculo P. 3. c. 11. (*f*) Comment. Acad. Sc. Imp. Petropol. T. 1.
(*g*) De corp. hum. fabr. l. 4. c. 4. (*h*) Obſ. Anat. c. 3. n. 14. (*i*) l. 2. Quæſt. Med. 10. (*k*) n. 40.

partem faciebat tunica Sclerotica, durior, & craſſior quam ſolet, quippe in ſe contracta. Hæc contractam pariter Choroidem concludebat, quæ etiam tum erat humida, nihil autem præterea; ut reliquæ omnes tunicæ cum humoribus cunctis, olim penitus abſumptæ, expreſſæve viderentur. Nervis interea tum in utraque orbita, tum intra calvariam retectis, cum inter oculorum Motores nullum appareret diſcrimen; maximum inter Opticos ſtatim ſe prodidit. Cum enim ſiniſter non ſecus ac ſuus oculus, eſſet ſaniſſimus; dexter magnum ad tractum cinereus erat, & extenuatus. Et primum quidem ab oculo ad tranſverſi digiti latitudinem, aut paulo amplius, nihil ſubſtantiæ nerveæ continebat, ſed humorem dumtaxat cinereum, turbidum, lentum, craſſiuſculum: quo levi preſſione expreſſo, inanis ſedes relinquebatur; ut tunicæ non jam nervi, ſed canalis alicujus eſſe viderentur; erant autem, ut in eo quoque de quo paulo ante memini, homine (*l*), factæ craſſiores. Inde vero continere incipiebant ſubſtantiam ſic ſatis firmam, ſed cinerei coloris: quem colorem intus, extraque, & cum eo manifeſtam gracilitatem nervus ſervabat illuc uſque ut proxime abeſſet ab ea ſede ubi cum ſiniſtro conjungebatur. Repente autem omne inter utrumque nervum evaneſcebat diſcrimen, ut dexter ſiniſtri perſimilis jam eſſet intus extraque antequam eam ſedem attingeret. In ea vero; non modo ſupra ad originem uſque; ſive exteriora diligenter inſpiceres, ſive accurate diſſecando nerveam ſubſtantiam tum quæ nervum utrumque jungebat, tum quæ ſingulos efficiebat, attentiſſime contuereris; nihil erat prorſus quod non ſecundum naturam utrinque pariter agnoſceres. Quod mei non modo qui ſecabam, ſed & eorum omnium qui aderant, in his Mediaviæ, judicium fuit, velut etiam in fœmina de qua continuo dicam, ibidem inſequenti anno Aprili menſe diſſecta.

9. MULIERIS, cujus noviſſimum morbum, & cætera quæ in mortua reperta ſunt præter naturam, opportuniore loco (*m*) ad te ſcribam, CAPUT cum inciderem; ſiniſtrum oculum vidi non eo majorem quem a dextris in Viro deſcripſi, ſed paulo minus labefactatum. Habebat enim Corneam, eamque non prorſus opacam; quanquam in medio ferme ubi olim fortaſſe ulcus, aut vulnus fuerat; nam certum ſcire non potui; maculoſa, & fuſca apparebat; quippe intus ad eam ipſam Corneæ partem arcte adhærebat Uveæ portio, quæ translucens, majus in Cornea vitium quam quod reapſe erat, mentiebatur. Reliquum oculi ambitum complebat tunica Sclerotica, in ſe contracta, eoque craſſior, Choroidem continens, ſibi plus æquo adhærentem. Choroidi autem membrana ſubjecta erat alba, craſſa, firma, quæ Retina olim, an Vitrea tunica, an utraque fuerit prius quam ſic craſſeſceret, hinc exiſtimabis, quod antrorſum pergebat, eam quoque totam obducens oculi partem ubi eſſe Ciliare corpus, & humor Cryſtallinus ſolent. Solent, inquam; neque enim uſquam in oculo hoc quidquam fuit illius humoris, quod pro certo agnoſci poſſet, aut Vitrei; ſed paucæ dumtaxat guttæ aquæ turbidæ, & fuſcæ. Haud procul tamen a Cryſtallini humoris ſede corpuſculum quoddam inveni durum, magnitudine, & ambitus forma a Cryſtallino haud multum diſcrepans, ſed paulo majus, & anteriore facie convexa, poſteriore cava, ut exiguam quandam quaſi ſcutellam repræſentaret. Factum erat magna ex parte ex lamina non tenui, oſſea, ſed non perpetua, quam adhuc aſſervo. Ejus corporis faciei anteriori reliquiarum Uveæ pars arctiſſime adhærebat; nam pars alia, ut antea dixi, annexa erat Corneæ. Cavam autem illius corporis faciem eadem illa alba conveſtiebat membrana, quæ Retina, an Vitrea, an utraque eſſet, tibi paulo ante exiſtimandum reliqui. Ab ejuſmodi oculo nervum Opticum ad initium uſque ſuum perſecutus, hæc animadverti. Gracilior dextero, & cum inciderem, ex ſubſtantia magis compacta, & ſubfuſca fuit tum in orbita, tum intra cranium; cum dexter nervus craſſitudine, albedine, ſubſtantiæ modo ſecundum naturam omnino ſe haberet. Verum id diſcrimen uſque ad conjunctionem durabat. In hac autem, & ſupra ipſam, quacunque ratione inquireres, nihil niſi ſanum utraque pariter ex parte conſpici poterat.

10. Quid aliud hic dicam, niſi minus felices mihi quam cæteris, obveniſſe occaſiones iterandi obſervationes Veſalii? Ter, ſi canem adjicias, quæſivi; nunquam in conjunctione Opticorum nervorum, nedum ultra hanc, ullum invenire diſcrimen licuit: quod ut infra ipſam præclare vidimus, cur & ſupra, ſi fuiſſet, agnoſcere non potuiſſemus? Tres certe oculos in quorum nervo perquiſivi, cæcos fuiſſe quam qui maxime, eorum deſcriptio ſatis oſtendit. At Cæſalpinus (*n*), ut in Sepulchreto etiam (*o*) habes, vel in eo vidit, cujus *viſus erat* tantummodo *imbecillis*; Santorinus autem (*p*) in eo, qui etſi cæcus jam diu fuerat, *nullam* tamen habebat *conſpicuam vitii notam*, ut neque is in quo Cheſeldenus (*q*) de cujus cæcitate ſcire nihil contigit. Num cæcitas illis omnibus diuturnior quam noſtris? At Veſalius (*r*) animadvertit ſatis vel in ejus adoleſcentis nervo, cui *ante annum* oculus a carnifice erutus fuerat. Num denique id forte eſt dexteri dumtaxat oculi peculiare, quando bis Veſalio, ſemel Cæſalpino, Santorino, Cheſeldeno a dextris ſemper videre id contigit? At præterquam quod non videtur illud veriſimile, nonne & is de quo dixi (*ſ*), Etruſcus dextero oculo captus erat? Quin etiam ex quo primum hæc ad te ſcripſi, cum aliæ ſe mihi obtulerint ejuſmodi inquiſitionum opportunitates, bis (*t*) pariter contigit, ut cum dexter jam diu cæcus fuiſſet oculus, inter Opticum dexterum, ſiniſtrumque nervum diſcriminis quidquam ultra conjunctionis locum internoſcere non licuerit. Quod tamen, præter eos quos nominavi, aliis quoque video licuiſſe. Nuper enim incidi, cum aliud quærerem, in locum Heilandi (*u*), ubi de infanticida hæc ſcripſit: erat *alter oculorum videndi potentia orbatus, nervo optico & flaccidiore, & juſto minore exiſtente, obſervata hac differentia etiam ultra combinationem in Sella Turcica ſolennem.* Igitur dum feliciorem & nos aliquando occaſionem expectamus, interea aliorum obſervationibus contenti ſimus. Noſtrarum tamen nos omnino non pœnitet primum quia docuerunt, non ſemper, imo nec ſæpe adeo in alterius oculi cæcitate id accidere quod occurrit Veſalio: deinde quia os intra oculum deprehendimus, quam rem non ita ſæpe occurrere, alias videbimus, ubi de multo rariore, id eſt de Retina oſſea, a nobis conſpecta, ſcribemus (*x*); id autem de quo modo dicebamus, oſſiculum, quamvis ita excavatum, & majuſculum, an facies, & portio anterior fuerit olim humoris Cryſtallini, qui denique magna ex parte ex fibris, membranuliſve conſtat (*y*), & maceratus amplificatur (*z*), an potius illius membrana, ipſo conſumpto, antrorſum compulſa, & craſſior facta (*a*), in medio relinquimus: noviſſime quia ſic varias cæci oculi a variis diſpoſitionibus, cauſiſve conſtitutiones aſpeximus, quas cum aliis conferre poteris ſive quas alias aut propoſuimus (*b*), aut proponemus (*c*), ſive quas alibi, & potiſſimum in Sepulchreto leges, ut puta cum in puero (*d*) *omnes humores in ſebaceam materiam converſi* reperti ſunt, aut cum in beſtiis (*e*) *modo nulli humores*, *ſed carne quadam calloſa interſtitium inter corneam & cryſtallinum oppletum, modo cryſtallinus plane cum cornea connexus, modo albugineus induratus apparuit*, præſertim vero ubi cæcitas eſſet cum Optici nervi extenuatione conjuncta.

11. Cujus ultimi generis illæ Obſervationes ſunt, quibus hæc præfixa ſunt argumenta (*f*) *Cæcitas ab extenuatione nervorum opticorum*, (*g*) *Amauroſis a ſubſidentia ventriculorum cerebri*,

---

(*l*) Vid. Epiſt. Anat. 18. n. 40. (*m*) Epiſt. 15. n. 8. (*n*) Qu. cit. ſupra ad n. 7. (*o*) Sect. hac Obſ. 17.
(*p*) c. cit. ſupra ad n. 7. (*q*) loc. cit. ſupra ad n. 6. (*r*) c. cit. ſupra ad n. 7. (*ſ*) n. 8.
(*t*) Vid. Epiſt. 52. n. 30. & Epiſt. 63. n. 6. (*u*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 7. Obſ. 157. (*x*) Epiſt. 52. n. 30. 31.
(*y*) Vid. Epiſt. Anat. 17. n. 30. & ſeqq. (*z*) Ibid. n. 32. (*a*) Vid. Epiſt. Anat. 18. n. 19. & ſeq. & n. 38.
(*b*) Ibid. n. 28. 29. 38. 40. &c. (*c*) Epiſt. 52. n. 30. & Epiſt. 63. n. 2. & ſeqq. (*d*) Sect. hac 18. Obſ. 25. (*e*) Obſ. 19.
(*f*) Obſ. 3. (*g*) Obſ. 5.

rebri, *& marcore nervorum opticorum*, (*h*) *Viſus debilitas in uno oculo ab extenuatione nervi illius viſorii*, (*i*) *Oculi dextri marcor & extenuatio ab ætate ineunte*, *ob nervum dextrum tenuiorem ſiniſtro ultra conjunctionem;* quaſi in iis quæ primo, & tertio loco memoratæ ſunt, ultra conjunctionem non fuiſſet extenuatio, ut certe fuit; ſunt enim illæ eædem quas ſupra (*k*) ex Rolfincio, & Cæſalpino laudavimus, ad quorum propoſitum, aliter ſi fuiſſet (*l*), neutiquam profecto attinuiſſent. Sed & illum oculi marcorem quis pro certo affirmat ab nervi extenuatione fuiſſe repetendum? Bartholinus. At Veſalius, cujus verba; quaſi alteram quandam Veſalii Obſervationem is retuliſſet; mox ſeorſum (*m*), nec omnia tamen quæ ad illam attinent, ſubjiciuntur, nihil ejuſmodi. Quin Cæſalpinus, & Rolfincius marcorem oculi ne memorant quidem. Huc adde non diſſimile Rolfincii (*n*) ſilentium in alia fœmina, cui *dexter nervus opticus tabe fuerat conſumptus*, ut ejus tunicæ coaleſcerent, *& in illo oculo etiam erat viſus abolitio*, quam obſervationem Patavii habuerat. Imo adde quam tertio loco paulo ante ex Sepulchreto indicavimus, Patavii quoque habitam ab Sculteto, & in muliere. Diſerte enim mihi videtur negare oculorum extenuationem. *Nervis opticis*, inquit, *ſenſim marceſcentibus* (*apparebant enim hic duplo minores quam in aliis reperiuntur*) *Amauroſis*, *ſeu Gutta Serena*, *illæſis undique oculis inducta fuit: bene enim adhuc nutriebantur*, *venis*, *& arteriis rite conſtitutis*. Et nos pariter (*o*) in cane in quo alter nervus erat gracilior, cæcum, qui reſpondebat, oculum vidimus *naturali magnitudine*, *& plenitudine præditum*, qualem in hominibus quoque Amauroſi, ut videtur, affectis Cheſeldeno, & Santorino occurriſſe, paulo ante (*p*) indicatum eſt. Quid? quod Rolfincius (*q*) ut oſtendat, ab Opticis nervis minime oculos nutriri; his, inquit, *obſtructis*, *unde oculi nutritio? Videmus autem in gutta ſerena auctum potius oculum*, *quam imminutum*. Quæ omnia cum perpenderis; minus Abr. Vatero (*r*) adverſaberis contendenti, quamvis ex una dumtaxat Cheſeldeni obſervatione, *manifeſtum eſſe*, *atrophiam oculi in* altero *Veſalii exemplo*, *non a nervi optici .... contabeſcentia*, *ſed ex alia cauſa*, *originem traxiſſe*. Quin ſiquis dicat, ne cæcitatem quidem, cum extenuatione ejus nervi conjunctam, ab hac ſemper eſſe repetendam; ſed interdum potius hanc illi ſuccedere vel quia a ſuo diu ceſſans officio is nervus, ut pleræque aliæ partes, contabeſcat, vel quia ex corrupto oculo pravis humoribus, per vaſcula, nervum ipſum intus extraque comitantia redeuntibus, oblædatur; is ſane refutari non poterit. Nam quomodo aut ſimul cum oculi corruptione quæ ab externis cauſis inceperit, ſe nervi extenuatio aliter conjungat, aut hæc in adoleſcente illo ſic ſatis fuerit a Veſalio (*ſ*) animadverſa, cui oculum ante annum eruerat carnifex? Illud prætereo quod alias (*t*) Obſervatione duplici oſtendam, nonnunquam extenuari nervum Opticum, nec reſpondentem oculum; quod mireris; cæcum fieri. Sæpe tamen ipſa nervi extenuatio, aut illud potius vitium nervi quod extenuatio conſequitur, cæcitatis cauſa eſt, ut in Amauroſi, de qua pauca reſtant huc ſubjicienda.

12. Atque ut illud omittamus, ſequi amauroſim cum Optici nervi corrumpuntur; nam & per ſe manifeſtum eſt, & cum aliis in Sepulchreto Obſervationibus (*u*), tum præſertim XXIII. confirmatur: aut cum illi, eorumve Thalami puris acrimonia percelluntur, quod Brunneri (*x*), & Laubii (*y*) Obſervationes commonſtrant; amauroſis etiam ſequitur, cum aut nervi ipſi diſtrahuntur, aut cerebri quædam partes quæ ipſis ſubſerviunt, vehementer concutiuntur. Quod factum non dubitamus in duobus quos ipſi vidimus, & conſilio, quo ad ejus fieri potuit, juvimus. Utrique gravis ictus capitis cauſa fuerat malorum omnium: utrique poſtea, nec poſt breve temporis intervallum, repente amauroſis utriuſque oculi, cum Byzantii eſſent, acciderat: utrique demum, cum tempore interjecto, in Patriam alter Bergomum, alter Licinianum ſeceſſiſſent, vitæ finem attulit, quod dicta confirmat, apoplexia. Alter is Eques fuit, cujus ab una eademque paralyſi in diverſis dexteri ſiniſtrique oculi muſculis effectus oppoſitos explicavi (*z*), Æneas Suardus Comes, Alter Medicus Doctiſſimus, quem tibi alias (*a*) laudavi, Franciſcus Spoletus (*b*).

13. Præter eas quas hactenus conſideravimus, Amauroſis cauſas, noli expectare, ut eam quoque hic perpendamus quæ XVI. Obſervatione Sectionis hujus in Sepulchreto propoſita eſt ex Rolfincio. Alibi (*c*) quid ipſe poſtea de ſua illa Obſervatione, quid alii, quid nos cenſuerimus, indicatum eſt, cum videlicet noſtras veteres; nam & novam aliquam habemus (*d*); diſſoluti in aquam inventi Cryſtallini, & Vitrei humoris non reticuimus. Cæterum quæcunque tandem veræ amauroſis cauſa ſit, cum in hac debeat inſpectantibus recte conſtitutus oculus apparere, quapropter ab aliis, ut dicebamus, Gutta Serena, ab aliis, ut a Rolfincio in ea Obſervatione, Cataracta Nigra vocitatur; maxime opportunum eſt iis qui certis de cauſis interdum audent morbum ſimulare, hoc potiſſimum correptos ſe fingere, & Medicis etiam, ut nonnunquam vidi, magni in vulgus nominis, imponere. Attamen ubi fraudis ſuſpicio eſt, nemo poteſt decipi, niſi qui forte nunquam cum Plinio (*e*) animadverterit, quam rari ſint qui *contra comminationem aliquam non conniveant*, *quantæque hoc difficultatis ſit homini*. Quin mihi in illiuſmodi ſimulatore cum ſuſpicionem augerent pupillæ nec dilatatæ, nec immotæ, memini ſatis fuiſſe digitos, quaſi per cauſam diligentius oculum obſervandi, tacite ad palpebras admovere; has enim, antequam tangerem, planus ille continuo occluſit, ſuamque ita fraudem invitus aperuit. Quam facilem adeo obviamque rationem miror Jo. Bapt. Silvaticum in alioquin utili libello omiſiſſe, qui *de iis qui morbum ſimulant*, *deprehendendis* inſcribitur, ubi (*f*) *ſimulata ſenſuum privatio qua ratione poſſit detegi*, oſtendit. Nam oculos quidem objicere, quod ipſe videtur indicare, *maximis ſplendoribus*, ob id ipſum periculoſum eſt experimentum, quod his, ait, viſum *non infeſtari modo*, *ſed etiam corrumpi*. Ego vero eadem illa ratione deprehendiſſe præterea memini, quendam neſcio quas acceſſiones fingentem, in quibus omni cum movendi, tum ſentiendi facultate ſe privatum neceſſariis poſtea, Mediciſque narrabat, & aſpera nonnulla ad ipſum excitandum auxilia pertinaciſſimo tunc ſilentio ferentem. Cum enim in una ex ſuis illis acceſſionibus apertos oculos forte ſervaret, ego autem his digitos intentarem; illico, priuſquam attingerem, nictando, & videre ſe, & movere poſſe palpebras, omnibus qui aderant, patefecit.

14. Longum de Amauroſi ſermonem habui, ſive de Cataracta Nigra. Nunc paulo breviorem de Suffuſione, ſive de ea Cataracta, quæ ob pupillæ in ipſa colorem longe alium ac niger ille qui eſt ſecundum naturam, ſimpliciter Cataracta dicitur, paulo, inquam, breviorem habebo. Nam quod hujus morbi, quamvis Cataracta appellati, cauſa non ſit præceps craſſi humoris in oculum, a cerebro præſertim, defluxus, quemadmodum Plempii verbis in Sepulchreto (*g*) contenditur, & quid veri de Cataractæ ſede, & natura ſit, aut non ſit cum in Plempii dictis, tum in iis quæ ex pluribus in Sectione iſta proferuntur, Obſervationibus, ſatis ex aliorum Scriptis, & meis quoque (*h*) intelligi poteſt. Sed & antea (*i*) quædam fuerant a me indicata, ex quibus pateret quan-

(*h*) Obſ. 17. (*i*) Obſ. 26. (*k*) n. 7. (*l*) Vid. Epiſt. Anat. 16. n. 14. (*m*) Obſ. 26. §. 2.
(*n*) Diſp. de Gutta Serena c. 4. (*o*) Epiſt. Anat. 18. n. 40. (*p*) n. 10. (*q*) Diſp. cit. c. 3.
(*r*) Diſſ. qua Viſus vitia duo &c. theſ. 9. (*ſ*) ſupra, n. 10. (*t*) Epiſt. 56. n. 21. & Epiſt. 63. n. 8. (*u*) Sect. hac, 13. 24.
(*x*) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ. 69. (*y*) Earund. Cent. 7. Obſ. 39. (*z*) Epiſt. Anat. 18. n. 6. (*a*) Epiſt. ſuper. 8. n. 5.
(*b*) Vid. Giornale de' Letter. d' Italia T. 12. Art. 13. (*c*) Epiſt. Anat. 18. n. 38. 39. (*d*) Epiſt. 63. n. 6.
(*e*) Natur. Hiſt. l. 11. c. 37. (*f*) c. 11. (*g*) Sect. hac 18. Schol ad Obſ. 20. (*h*) Epiſt. Anat. 18. & 19.
(*i*) Adverſ. Anat. 6. Animad. 75.

quando, & quatenus vel poſt Chaleſii, Pitcarnii, vel aliorum, ſi mavis, demonſtrationes, habere locum poſſint ea quæ inter Suffuſionis initia ſolebant dictitari, ut in Sepulchreto etiam (*k*) vides: *quamdiu obverſantur culices & atomi, id contingere* a corpuſculis in humore Aqueo natantibus: quanquam alias in poſtremis humoris Vitrei cellulis eſſe poſſe ea corpuſcula, alias in Optico nervo, & Retina tunica eas læſiones quæ pro culicibus, punctiſve imponant, & qua ratione harum, illorumve ſit varia ſedes internoſcenda, non reticui: quas inter læſiones ſi vitia poſueris vaſculorum quæ Retinæ intertexta ſunt, hic illic plus æquo tumentium; recte feceris, dummodo præter hanc, illas quoque alias interdum eſſe poſſe cauſas, agnoſcas.

Verba etiam illa quæ meis aquei ſub Cryſtallina tunica obſervationibus quaſi obiter, nec plura, interjeci (*l*), velim attente etiam atque etiam perpendas: *credidi, hujus humoris ſecretione prohibita, cryſtallinum ſiccum, & opacum fieri fere ut in extracto, exſiccatoque cryſtallino contingit*. Videorne tibi id quod ſit a vero alienum, ſcripſiſſe? & quod poſſis credere, ſicuti quidam referunt de Cataracta agentes, de qua mihi eo loco ne mentio quidem injecta eſt, fuiſſe præſertim a Petito Medico *refutatum*, quippe quem ſcias duodecim poſt me annis iſtud idem quod ego, docuiſſe (*m*). „ Cryſtallinus, inquit, ſicceſcere non „ poteſt donec liquore iſto (aqueo) humectatur; „ ſed ſtatim atque is illi deeſt, fit ſiccus, durus, & „ opacus. „ Profecto nec ipſe aſſequi poteram, quomodo, ſi non ſe ſimul refutaſſet, in eo me refutare potuiſſet. Quo libentius legi Epiſtolam (*n*), quæ ad meas denique pervenit manus, adverſus Hecquetum editam, in qua id feciſſe dicebatur. Quid quæris? Meam opinionem protulit; de ſua quæ prorſus fuerat eadem, ſiluit! Sed quid tandem objecit? Nempe ea, quæ ſi objecta eſſent ipſi; non adverſari opinioni ſuæ, reſpondiſſet, quippe ibi propoſitæ ubi de Cataracta ſermo non eſſet, quaſi vero fuiſſet ubi propoſui meam. Qui ſi fuit, cum hanc ejus conſenſu addito confirmavi (*o*); at novem annis ab illa ejus edita Epiſtola fuit, neque ut ille mox in eadem Epiſtola, de Amauroſis cauſa, ita de ea Cataractæ cauſa univerſe pronunciavi; ſed cum inter plures hanc quoque commemoraſſem, paulo poſt (*p*) de omnibus diſerte profeſſus ſum, me *nihil affirmare, ſed aliquid dumtaxat conjicere*. Non erat tunc igitur, cum eam Epiſtolam emiſit, cur objiceret, ſe nunquam in cadaveribus humorem Cryſtallinum cataracta affectum vidiſſe in quo ille aqueus deeſſet liquor; nam vere & ego de cataracta locutum me eſſe, negare potuiſſem, Hecquetus autem quem acriter urgebat, ſi diutius vixiſſet, reſpondere, nec vaſcula ſanguifera in ullo Cryſtallino humore ab illo conſpecta eſſe (*q*), quæ non modo eximius Anatomicus Winslowius (*r*) ſic ſatis ab ſe viſa indicavit, ſed tot alii Illuſtres Viri, ab Solertiſſimo Zinnio (*ſ*), qui & ipſe vidit, laudati, perſpexerunt: contra autem quos ſurculos Petitus (*t*) ſine ulla dubitatione docuerat, ab Sexto nervorum Pari Ciliaribus nervis addi, & oculi interiora ſubire, *nulla recentiorum induſtria*, ut idem Eruditiſſimus Zinnius (*u*) loquitur, *confirmari* potuiſſe. Verum ut, Hecqueto ſepoſito, ad me unum redeam; ne tum quidem cum poſtea ex opinione illa mea quandam inter tot alias cataractæ cauſam elici poſſe, conjeci, de *totali* humoris illius aquei defectu, ſed de ejus tantum diminutione conjecturam propoſui: quam diminutionem eſſe in eo morbo ab ſe viſam, nec Petitus negavit certe, nec, ſi negaſſet, jure negare potuiſſet, quia vel in oculis ſanis haud ſemper de eo humore tantundem reperitur, imo non raro paucus eſt adeo, ut deeſſe videatur: quamobrem ſicuti in quibuſdam perperam crederes, præter naturam eſſe imminutum, ita e contrario in aliis imminutum non eſſe, male poſſes exiſtimare. Quid? quod Petitus ipſe mox addidit id quod etiam alibi (*x*) faſſus fuerat, non deeſſe tamen cataractas, in quibus Cryſtallinus humor ob *totalem* aquei illius laticis defectum adeo ſiccus factus ſit, ut in pulverem conteri queat, ſicuti in pluribus cadaveribus deprehendit: ut ſi idem aliquando fieri, in Adverſariis ſcripſiſſem; non me potuiſſet refutare. Vides igitur, quo illius tandem redeat opinionis meæ refutatio: ut propemodum credam, id magis videri ipſum feciſſe, quam facere voluiſſe. Veruntamen cum in pervulgatis non unius Viri Docti Scriptis id feciſſe dicatur, & illud negaſſe, quod ab ipſo vides negari non potuiſſe, reſpondendum hic propterea cenſui, ne forte crederes, auctoritatem a me negligi Hominis, dum viveret, bene adeo de Re Anatomica meriti, ut vel mortui memoriam colere libenter pergam. Sed ad mea Adverſaria ut redeam; illud denique ad Suffuſionem attinens non omiſeram (*y*) ut ex ea luce, quam, preſſo oculo, videmus, indicium deducere conarer bene ſe habentis Retinæ tunicæ, quæ notitia in maxima, quam ſuffuſio, aut occluſio pupillæ faciat, cæcitate, ut ante curationem neceſſaria eſt, ſic fortaſſe abſque illo experimento ſatis haberi non poteſt: qua de re ſummopere optaſſem judicium legere Viri Præſtantiſſimi Georgii Auguſti Langguth, cum in ea Diſſertatione (*z*) quam de eadem luce conſcripſit, mea cætera non modo humaniſſimis verbis, ſed & ſuis ipſe experimentis comprobaverit. Hæc enim quæ utrique noſtrum ad eundem modum reſponderunt, illudque in primis quod cum Amico iterare voluit, ſi non generatim, ſed peculiariter explicanda ſuſceperis; utrius ſententiæ magis congruant, non difficile intelliges. Quo tamen pariter hic atque in Adverſariis ſepoſito, ſi experimentum ſolum attenderis, facile ab omnibus in ſe capiendum; non dubito, quin ſiquis tibi curandus ab ortu cæcus occurrat aut ob congenitas ſuffuſiones, aut ob pupillarum privationem; velis antea ecqua ſpes ſit curationis, experimento prompto adeo, innoxioque explorare: niſi forte credas, in ejuſmodi oculis, quamvis ſana ſint Opticus nervus, & Retina, nullum a preſſione ſenſum lucis excitari, quia curatos forte audiveris negaſſe, ſibi antea ideam lucis ullam fuiſſe, cum tamen vix fieri poſſit, ut oculi vel invitis preſſi, ictive fuiſſent nunquam. At tentare, ut dixi, nihil prohibet vel ob id ut ſcias an vere illud, aut quatenus negare potuerint: in cæteris autem qui diu quidem, ſed non ab ortu ſint cæci, ne iſtam quidem dubitationem fore, video; ſed in utriſque illam, fortaſſe unicam, & cui tamen, ob rari morbi conjunctionem, non ita facile ſit locus, quam poſtea in Epiſtolis Anatomicis ipſe indicavi (*a*). Sed ut illuc denique unde hic noſter incepit de Cataracta ſermo, revertamur; cum alibi poſſis non modo pleraque eorum quæ hic preſſius commemoravimus, ſed & Valſalvæ (*b*), & meas (*c*) ſuffuſionis Obſervationes perlegere; hic ea dumtaxat habebis quæ poſtea vidi ad eundem morbum referenda, in viro primum, deinde in fœmina.

15. STRUCTOR, ſeu faber, ut vocant, murarius, annos natus ad ſexaginta, jam diu vix aliquid cernebat, idque a latere, & in præclara ſolis luce. Mortui neſcio ex quo morbo, ſed eo tempore cum Anatomen publice docerem Februario menſe A. 1740. caput in Gymnaſium allatum eſt. Cum omnia frigore illo rigerent longe acerrimo, cujus adhuc facile memineris, vix ut neceſſariæ diſſectiones perfici poſſent; ejus ſectio capitis dilata eſt bene multos dies ad illud tempus quo ſub menſis finem frigus plurimum remiſerat. Hæc quare commemoraverim, mox intelliges. CAPUT plures in ſincipitis, & occipitis cute cicatrices primum oſtendit; homo enim ab alto olim ceciderat. Sed quanquam, detractis omnibus calvariæ involucris, hujus exterior facies ſub cicatricibus nonnihil albebat; interior tamen, & quid-

quid

(*k*) Sect. cit. Schol. ad Obſ. 22. (*l*) Adverſar. indic. Animad. 71.
(*m*) Memoir. de l'Acad. R. des Sc. A. 1730. Mem. de la Capſule du Criſtallin. (*n*) Lettre II. ſur les maladies des yeux.
(*o*) Epiſt. Anat. 18. n. 16. (*p*) n. 17. (*q*) Memoir. cit. (*r*) Expoſ. Anat. tr. de la Teſte n. 301.
(*ſ*) Deſcript. Anat. Ocul. hum c. 5. §. 4. (*t*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1727. (*u*) Deſcr. cit. c. 9. §. 8.
(*x*) Mem. cit. A. 1730. (*y*) Adverſ. 6. Animad. 73. & 74. (*z*) De Luce ex preſſione oculi. (*a*) Epiſt. 19. n. 9.
(*b*) Diſſert. Anat. 2. n. 15. & ſeqq. (*c*) Epiſt. Anat. 18. & 19.

quid ea continetur, illæſa erant; niſi quod cerebrum rigidum penitus ac durum, aquam autem, quæ ejus ventriculos Laterales impleverat, offendi gelu adeo concretam, ut apprehenſa manum tota ſimul ſequeretur, ventriculorum formam retinens non ſecus ac cera, quæ liquata in cavum quoddam injecta, poſtquam refrixit, eximitur. Et tamen frigus complures jam dies magis magiſque remiſerat, caput autem ipſum haud procul a foco ſemper fuerat; quin antea non ſemel cum videlicet exiſtimarent, mox eſſe diſſecandum, ſed eo præſertim quo demum diſſectum eſt, die multo propius ad ignem admoverant. Quod nunquam, niſi tunc mihi contigit videre, hic volui Italus ad Italum ſcribere: quanquam in ipſa Germania, & hyeme quidem multo quam ibi ſoleat, ſæviore, & in via, & in pueri infantis capite idem cerebro, & pauco humori qui in ipſo erat, accidiſſe, Schneiderus memorare non omiſit, ut in proxima Sepulchreti XVII. Sectione (*d*) jam videris. Scripſi etiam, ut ſcires, non modo poſt plurimos a morte dies, verum & poſt plures a frigore congelationes, & a calore regelationes, oculos nos demum incidere non potuiſſe, niſi jam flaccidos, atque adeo in ſe concidentes. Unde illud quidem incommodi accidit, quod olim Anatomicos, quippe ſolitos ultimam omnium cadaveris partium oculum, neceſſario flaccidum, conſecare, eo adduxit, ut Vitreo humori ſedem multo quam par ſit, minorem tribuerint, Cryſtallinum in centro fere oculi ipſius collocantes; ſic enim & nobis, alterum a fronte oculum incidentibus res ſe obtulere: quapropter alterum a tergo incidimus. Sed nihil præterea, ut opinor, multum obſuit noſtræ obſervationi. Nam primum Opticos nervos tum intra calvariam, tum extra præclare vidimus omnino inter ſe ſimiles, & ſimiles ſanis, niſi quod intra orbitas cum tranſverſos diſſecaremus, craſſioribus uterque pariter tunicis amicti apparuerunt. Sanam quoque, & ſine ullo cicatricis veſtigio utramque Corneam, & Scleroticam invenimus. Ne multis; vitium omne eſt in Cryſtallinis humoribus animadverſum; ſi in Vitreis excipias lentorem quendam quo digitis adhærebant, in longa fila pituitæ inſtar, ſe formantes, diductoſque digitos ſequentes: quod ne moræ, cæteriſque cauſis quas antea commemoravi, omnino tribuerem, diſcrimen fecit majoris in uno quam in altero, obſervati lentoris. Lentior enim is fuit, cui Cryſtallinus inſidebat colore flavo obſoleto; ſed minus in ſuperficie flavo: quæ & mollior erat; quanquam nec durus nucleus fuit. Alter vero Cryſtallinus ex albida in ambitu fiebat ſubſtantia; in meditullio autem ex fuſca: hæc a meditullio ad medium faciei utriuſque perveniebat, mollior quam albida, quæ tamen nec ipſa erat dura. Præterea hic totus Cryſtallinus non ſolum multo minus erat craſſus, quam æquum ſit; ſed etiam ad unum latus quadam ſui parte carens, eaque non parvula, ut circulari ambitu non eſſet. Nec alia in utrovis oculo quæ præter naturam ſe haberent, animadvertimus.

16. Si pro certo ſcire licuiſſet, exiguum id quod homo a latere, ut dictum eſt, videbat, utroque oculo, an altero, & a quo latere videret; proclivius eſſet dicere, an ideo videret quod alterius Cryſtallini humoris ambitus eſſet dilutius flavus, an quod alterius pars illa opaca a latere deeſſet. Nunc re hac in medio relicta, illud quod conſtat, dicemus, multo morbidiorem eum Cryſtallinum fuiſſe quem ſecundo loco deſcripſimus, quippe totum magis opacum, & ibi molliorem ubi ſolet præſertim in ſeneſcentibus eſſe durior: æquo præterea tenuiorem, atque inſuper mutilatum. Hoc autem num quia eam quæ deerat, partem idem invaſiſſet morbus, ſed acrior, qui partem mediam tum molliorem fecerat, quam par ſit, tum fuſcam, id eſt quaſi ſemicorruptam? Nihil horum in Cryſtallino altero: flavus autem quo inficiebatur, color ſæpe in ſeneſcentibus, & ibi præſertim ubi in hoc Cryſtallino, animadvertitur (*e*); quanquam hic fuiſſe longe minus dilutum, viſio in hoc quoque oculo ita ut diximus, impedita ſatis indicat. Cæterum duo quæ in priore adnotavimus, mutilatio, & fuſcus interius color, ejuſmodi ſunt, ut primæ exemplum in obſervatione habeas Cl. Morandi (*f*), qui Cryſtallinum, quamvis duriſſimo lapide non minus durum, ſuperiore tamen ambitu quaſi attritum, imo, ut icon (*g*) oſtendit, quodam præſertim loco deficientem invenit, idque non a Chirurgi acu, quam ſemper homo averſatus non ſecus ac noſter, fuerat: coloris autem intus non ſolum fuſci, ſed & nigreſcentis ipſe tibi alias (*h*) exemplum dabo.

17. ANICULÆ, cujus de morbo ultimo, & diſſectione aliis Litteris (*i*) ſcribam, cum cæcam fuiſſe, dicerent, oculos eximi juſſi. Quos cum inciderem, in altero nihil vitii, niſi opacitatem in parte Corneæ, inveni. Sed alter, etſi pleraque bene habuit conſtituta, humorem tamen Cryſtallinum ſecundum omnes dimenſiones adeo imminutum oſtendit, vix ut aliquid de eo ſupereſſet, idque album, & opacum, quamvis interius etiam tum humidum. Adhærebat autem cum Iride ad Corneam: ubi hæc magis opaca erat, & nonnihil excavata in foveolam ellypſis ambitu, colore autem infectam flavo obſoleto: hoc vitium ad exteriorem Corneæ faciem non perveniebat.

18. Veriſimile eſt, mala hæc, olim fortaſſe prægreſſæ, internæ oculi inflammationi fuiſſe imputanda. Illud certum, præter opacitatem Cryſtallini humoris, in qua fere Suffuſionis natura conſiſtit, conſumptionem quoque magnæ illius partis, & alienam ſedem, ac immobilem ipſi, atque Iridi contigiſſe. Cæterum neque hic, neque in Fabro de quo ſupra (*k*) dictum eſt, durities, & ſiccitas cum opacitate Cryſtallini conjungebantur; ut has omnes libenter Valſalva (*l*) fuiſſet Cataractas appellaturus. Cataractas autem ejuſmodi ad veram maturitatem tardius pervenire, non dubito: cujus generis de duabus quæ ſe intra annos aliquot manifeſtarunt in illius Fœminæ Primariæ (*m*) oculis, in quibus olim certas quaſdam ſtrias conſpexeram, alteram quidem fuiſſe video, alteram autem & antea cenſui, & adhuc cenſeo. Nam altera ex quo in certa Cryſtallini parte per albedinem quandam ſe prodidit, ita prorſus ſine ullo incremento permanet jam annos plures. Alteram autem quæ univerſum quidem Cryſtallinum dealbaverat, neque tamen longo jam temporis ſpatio opacum quantum oportebat, reddiderat, cum cæteri deturbandam ſuſcipere non auderent, neſcio quis magnus promiſſor advena, *qui properaret*, ut ait Cicero (*n*), *cui fora multa reſtarent*, inſciis omnibus, deturbavit illico, non ſic tamen quin aliquo interjecto tempore, albida iterum pone pupillam opacitas appareret, non tanta quidem illa, quanta a me alias (*o*) in Nobiliſſima Virgine memorata eſt; ſed ea tamen quæ non ſatis felicem curationem & teſtetur, & faciat. Non ſic alteri, Matronæ illius ſorori, quippe cui matura ſuffuſio depreſſa eſt. Nam Sorori tertiæ, in qua idem advena depreſſerat, multo citius fuerunt malæ curationis indicia. Tres intelligis cum eſſent Sorores, omnes eidem morbo, cui nemo trium Inclytorum Fratrum, obnoxias fuiſſe. Sic alias (*p*) ſcribam, una ex matre ſurdas natas fœminas omnes, mares nullos.

Nunc Virginis illius Nobiliſſimæ facta mentio ad memoriam redigit quod de mea in ejus oculis obſervatione judicium fuerit Cl. Viri Gunzii in libello, multa utique laude digno, qui, ipſo Præſide, Lipſiæ prodiit A. 1750. (*q*) Raram enim uſque adeo cenſuit, ut tot inter quæ eo opuſculo memorantur, una illa fretus, tertium Suffuſionis genus conſtituerit. Equidem ego quoque cum rem mente in omnes partes verſarem, fieri poſſe, indicavi (*r*), ut *hinc etiam Suffuſionis aliqua ſpecies extra* humorem *Cryſtallinum, ejuſque tunicam* eſſet *agnoſcenda*. Sed neque *raram adeo* credi-

(*d*) Obſ. 1. §. ultim. (*e*) Vid. Epiſt. Anat. 18. n. 26. (*f*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1730. (*g*) Plag. 28. Litt. D
(*h*) Epiſt. 63. n. 6. (*i*) Epiſt. 35. n. 12. (*k*) n. 15. (*l*) Vid. Epiſt. Anat. 18. n. 27. (*m*) Ibid. n. 19.
(*n*) Orat. pro Cluent. (*o*) Epiſt. modo indic. n. 22. 23. (*p*) Epiſt. 48. n. 48.
(*q*) Animadverſ. de Suffuſion. natura, & curat. c. 1. §. 15. (*r*) Epiſt. Anat. 18. n. 24. 25.

credidi, neque unde eſſet, ut ſemel iterumque diſerte dixi, quidquam volui ſine aliis, quibus hactenus carui, paribus diſſectionum opportunitatibus decernere, cum quidquid conjicerem, quibus obnoxium eſſet dubitationibus, nec ipſe neſcirem, nec lectoribus reticerem. Et ſperabam quidem, fore interea qui meas mihi dubitationes eximerent. Verum ut ſenex ille apud Terentium (ſ), nunc *incertior ſum multo, quam dudum*. Neque enim *poſui*, ſed quærendum propoſui, an glutinoſam illam materiam Cryſtallina tunica forte ſecernere perrexiſſet, idque egomet cum per alia, tum per ea ipſa, quæ mihi miror nunc objici (*t*), impugnavi. Quærendum etiam dixi, num illa forte materia, per humorem Aqueum diſperſa, poſtea ſe illi tunicæ agglutinaſſet. De quo pariter cum dubitandum eſſe, admonuiſſem, præſertim quia ſic fieri non potuiſſet, quin Iridi quoque, aliiſque partibus ſe agglutinaret; nunquam expectaſſem, inter cætera hoc reſponſum iri: tunicam illam Cryſtallini, *ubi homo ſomnum capit, quo tempore viſcoſæ particulæ quam maxime ſubſidere poſſunt, inferiorem utique oculi partem eſſe;* quaſi vero tunc etiam Iris non inferior eſſet maxima parte humoris Aquei, ut id quoque latus Corneæ in quod forte inter dormiendum caput vergat. Neque ſolum dubitationes ſic non tolluntur; verum his inſuper verbis augentur: *ex Aqueo humore illam materiam fuiſſe, tanto minus dubito, quanto certius eſt, humida corporis noſtri, præſertim quæ non continuo per vaſa moventur, perſæpe viſcoſam indolem acquirere*. Ego vero dubito primum, num is humor per jugiter invehentia vaſa, & per creberrimas Iridis, oculique agitationes non moveatur quantum ſatis ſit, ne viſcoſam indolem acquirat, deinde num hanc perſæpe acquirat, quando certe viſcoſæ in eo ſuffuſiones perſæpe non inveniuntur. Quin ex paucis hujus generis, quas ego indicaveram, illa quæ Wepferi eſt, ab Aqueo exiſtimatur ad humorem Cryſtallinum transferenda: quanquam Auctor mucoſam materiam non intra hujus tunicam fuiſſe, ſcripſit, ſed Cryſtallinum operuiſſe, nec tamen, ut fortuito, opinor, refertur, *circumcirca*. Alia omitto. Satis enim mihi eſſe debet, quæ contra ſine obtrectatione dicta fuerunt, eane jure ac ratione dicta ſint, pro veri ſtudio, ſine obtrectatione perpendiſſe. Quin etiam perlibenter confirmo, opuſculum hoc inter pauca eſſe quæ docte, diſtribute, perſpicue de Suffuſione ſcripta ſunt: cujus exempla morbi quæ apud probatos Auctores extant, cum propemodum omnia hic memorentur; nullum eſt quod ad certum non modo genus, ſed ad certam ſpeciem non referatur, ſignis per quæ internoſcantur, non omiſſis, rationis autem curandi ſive malæ noxis, ſive bonæ utilitatibus diligenter indicatis.

Quod vero omnia propemodum exempla proferri, dixi; ſi forte quæras ex me, quænam igitur deſiderentur; aliqua ex iis quæ ſcribenti occurrunt, non reticebo. Vir Præſtantiſs. Burc. Dau. Mauchartus (*u*) membranaceam, ſolidam, fibroſam, albidam cataractam in utroque canis oculo ab ſe repertam, aſſerit, cum Aqueus, per cujus ambas cameras extendebatur, cæterique humores pellucidi eſſent. Idem cum altero laudatiſſimo Profeſſore Joanne Zellero vidit utrique mulieris pupillæ antepoſitam ſic ut Corneæ prope hujus internum ambitum firme adhæreret, pelliculam tenuem, & ſubnigram, nec ſine iis humoris Vitrei, & Cryſtallini vitiis quæ a Cl. Keckio (*x*) ſunt memorata. Solers Anatomicus Jo. Chiſtoph. May (*y*) in fœmina cui ſuffuſiones olim depreſſæ fuerant, altera feliciter, infeliciter altera, qualem, & ubi inveniſſet illam, propoſuit; pro hac vero Cryſtallinæ, ut cenſuit, tunicæ faciem anteriorem non, ut in oculo primo, pellucidam, recteque ſe habentem, ſed admodum craſſam, & opacam deprehendit. Cel. Trewius (*z*) quod diſcrimen fuerit inter Cryſtallinos humores grandævi hominis, ſcripſit, in quorum altero incipiens erat ſuffuſio, in altero perfecta. Nec dubito quin Epiſtolæ meæ Anatomicæ aliud aliquod tibi ſint exemplum daturæ. Nam certe præter tot illas quæ ex ipſis acceptæ ſunt, Obſervationes, eam quoque habent (*a*) paulo fuſius deſcriptam membraneæ muliebris cataractæ, Cl. Balth. Walthierii, quæ, ut ibi indicavi, ab Inclyta quoque Londinenſi Regia Societate propoſita eſt. Noli autem mirari quod promiſcue, ut nunc venerunt in mentem, ſive ex cane, ſive ex hominibus exempla memoraverim; nam promiſcue iis quoque omnes utimur quæ ex quadrupedum genere ſumuntur, præſertim ſi peculiare aliquid habent, ut in Obſervatione Maucharti, quæ cataractam in prima etiam (quod rarum eſt) Aquei humoris camera exhibet: cui propterea adjungas Obſervationem Sprogelii (*b*), ut quæ uno quodam in cane, raro exemplo, ſimul exſuccos opacoſque humores Cryſtallinos, ſimul corrugatos, exſiccatoſque Vitreos, ſimul Opticos nervos ad fili mediocris tenuitatem redactos, aliaque præterea peculiaria commonſtrat. Sed ne plura de Suffuſione, quam de Amauroſi, verba fiant; ad alios Oculorum Affectus veniamus.

19. De Myopia tamen, & contrario huic Affectu ſatis eſt admonere, melius futurum fuiſſe, nihil in Sepulchreto quam id quod leges (*c*) proponi, jam olim rejectum a Plempio (*d*). Platerus quidem ingenioſus, doctuſque, ut eo tempore, Vir fuit, & qui, ſi non verum, ut quidam judicant, tum Retiformis tunicæ, tum præſertim Cryſtallini humoris officium primus oſtendit; ad verum utique propius acceſſit. Attamen, quaſi caſu acceſſiſſet, in iis quæ poſtea ſcripſit, non ſibi ſatis conſtitit, & certe de ſede Cryſtallini in iis qui vera Myopia laborant, illa poſuit, quæ contrario affectui conveniunt, & viciſſim: itaque vera horum affectuum cauſa, quæ quidem a majori in primo, a minori in altero Cryſtallini, & Retinæ diſtantia repetitur, Platero ſecus ac alii exiſtimant, ignota fuit. Quæ vero cauſæ aliunde petuntur, ut a Cryſtallino magis, minuſve aut convexo, aut denſo; hæ in Sepulchreto ne nominantur quidem: quanquam & his non minus quam primæ, *uſu* concavorum, aut convexorum *ſpecillorum* medeamur; ut mirer, Summo cuidam Viro excidiſſe, *hæc vitia*, denſioris videlicet, aut laxioris Cryſtallini, *medelam dioptricam non admittere*. Denique in Sepulchreto, *Nyctalopiæ* nomine deſignatur oppoſitus, ut in multis ſenibus videmus, Myopiæ, affectus, quem propterea Scheidius recte cenſuerat vocari poſſe Antimyopiam in illa docta, eruditaque Diſputatione, quæ *Viſus Vitiatus* inſcribitur (*e*). Sed quanquam ab ea Nyctalopia, quam juniores Græci intellexerunt (*f*), paulo minus diſtare videri poteſt is affectus qui opponitur Myopiæ, ut ab ea quam intellexit Hippocrates (*g*), ipſa Myopia; longe tamen alii ac hi affectus, ſunt tum illa, tum hæc Nyctalopia, & a cauſis longe aliis proveniunt: itaque neutra dioptricam illam admittit medelam: quid enim conſpicilla faciant aut ad primam, id eſt ad veſpertinam cæcitatem, quæ ab Retinæ quadam quaſi reſolutione, aut ad ſecundam, id eſt ad diurnam cæcitatem, quæ ab ejuſdem Retinæ nimia tenſione repetenda videri poteſt? Igitur ut hoc ſigno quod ab inutilitate conſpicillorum deduces, Nyctalopias ab duobus illis affectibus diſtingues; ſic & nomine diſtinguas oportet. Ad utram autem Nyctalopiæ cauſam cauſa quarundam ex vitio Retinæ occurrentium viſus hebetudinum magis accedat, ex eo quoque conjicies, quod his præclarum lumen incommodum eſt; illis autem opitulatur non ſecus ac ſurdis, aut graviter audientibus ob laxitatem, majores ſonos fuiſſe utiles, tradunt Holderus (*h*), & Williſius (*i*). Et quoniam cum aliis ex omnibus quæ memoratæ ſunt, Affectionibus pupillæ dilatatio, cum aliis autem conſtrictio haud raro, tanquam effectus cum ſua cauſa, conjungitur; cave, ne tunc morbi cauſam in circumjecta Iride eſſe, pronuncies; ut neque

(ſ) Phorm. Act. 2. Sc. 4. (*t*) c. 1. cit. §. 6. (*u*) Synechiæ §. 8. (*x*) in Præfat. ad Diſſert. ſuam de Ectropio.
(*y*) Commerc. Litt. A. 1733. Hebd. 4. n. 3. (*z*) Ejuſd. Commerc. A. 1745. Hebd. 36. n. 3. (*a*) Epiſt. 18. n. 20.
(*b*) Eph N. C. Cent. 7. Obſ. 71. (*c*) Sect. hac 18. Append. 2. poſt Obſ. 33. (*d*) Ophthalmogr. l. 4. probl. 39.
(*e*) Sect. 1. n. 32. (*f*) (*g*) Vid. apud Plenp. Ophthalm. l. 5. c. 26. (*h*) Act. Philoſ. Soc. R. in Angl. A. 1668. M. Maj. n. 1.
(*i*) De Anima Brutor. c. 14.

neque cum inchoatæ aut Cryſtallini, aut alterius humoris opacitatis indicia ſe produnt: ſed cum omnia quæ anteceſſerunt, aut comitantur, accurate perpenderis; tunc de cauſa eorum pupillæ affectuum judicato.

De morboſa autem ſive ejuſdem dilatatione, ſive Iridis ad Corneam adhæſione ſi legeris quæ Mauchartus (k) edidit; non unum invenies quod tibi utile eſſe poſſit tum meditanti, tum etiam medenti.

20. De iis pariter quæ de Oculi aut Dolore, aut Procidentia, aut Strabiſmo in Sepulchreto proferuntur, hæc tantum monebo. Quod ad primum attinet, aut XXIX. Obſervationem prætermitti debuiſſe, aut XXXV. Utramque enim eandem eſſe, facile cognoſces, non ſecus atque initium Scholiorum ad Obſervationis I. §. 1. idem eſſe ac pleraque verba, quæ mox in ejuſdem §. 2. repetuntur. De Procidentia autem quod ex Spigelio noſtro, diſſimulato ejus nomine, totidem propemodum verbis deſcripſerat Plempius (l), tu vero ſubjectum leges Obſervationi XXV. id quidem in leviore oculi prolapſu, ſeu potius non adeo immodica extra orbitam prominentia minime neceſſarium eſt; nam Opticus nervus non tenſus in orbita ſecundum naturam, ſed ita laxus eſt, ut oculum ſine diſruptione quatenus diximus, ſequi poſſit. Quod vero ad Obſervationem XXVII. additur ex Hildano, procidentiam quandam oculi explicante, quæ vulnus ſupercilio inflictum, & male curatum noviſſime ſecuta erat, niſi multo aliter ac ipſe fecit, res exponatur, non facile probari poteſt. Nam quod vulnus in Sinum Frontalem dexterum pervenerit, credibile eſt: quod autem ſanguine in eo Sinu putrefacto totus oculus infectus ſit ob naturalia *foramina ex cavitatibus iſtis ad oculos penetrantia*, quis concedat, niſi qui illa quæ de ejuſmodi foraminibus ex quorumdam opinatione paulo ante (m) attigerat; nequaquam dubitet cum Anatome conſentire? Si quem exitum id mali habuiſſet, aut ibi, aut alio, qui me fugit, loco ſcripſiſſet Hildanus; apparere poſſet, an non potius caries per oſſeum parietem inter illum Sinum, & oculum interiectum ſibi praviſque ichoribus viam in orbitam aperuiſſet.

Strabiſmi denique una haud amplius, Obſervatio (n) proponitur, eaque unius oculi, cum repetatur cauſa *ab alluente cerebrum humore multo* quo *nervi oculorum motores imbuti* convellerentur. Qua cauſa ſine ullo additamento poſita, minime intelligis, cur non ad utrumque pariter oculum ſtrabiſmus fuerit. In addito Scholio aliæ quidem memorantur ex noſtro Saxonia Strabiſmi cauſæ, *mala* videlicet *ſituatio vel pupillæ, vel cryſtallini*. Sed plures aliæ interea prætermittuntur. Nec vero internas dumtaxat dico, ut ſi pupillæ, & Cryſtallino utrinque recte poſitis, non ea in altero oculo Retinæ pars reſpondeat quæ debet, ſed altera, multo propior quam par ſit, cæcæ illi ſecundum naturam particulæ, cujus ſedes ad ipſam inſertionem eſt nervi Optici, ut niſi muſculi aliquanto alioſum traherent, in eam particulam incideret pars imaginis, quæ in Retina pingitur. Externas quoque, id eſt quæ extra oculum ſint, alias dico. Neque enim a ſola quorundam muſculorum oculi convulſione, ſed a paralyſi etiam eſſe Strabiſmus poteſt: quam cauſam diu ante Plempium Auctor docuerat *Finitionum Medicarum*, quæ Galeno adſcribuntur. *Strabiſmus*, inquit, *oculi muſculorum non omnium, ſed aliquorum reſolutio eſt, ob quam cauſam vel ſurſum, vel deorſum, vel in latera nutant oculi*. Sed & aliquo ex his muſculis imbuto humoribus, minus expedite per ipſum circumeuntibus, Strabiſmus interdum fit, ut in Uxore amici Juriſconſulti fieri vidi, quæ defluxionibus, ut vulgus appellitat, ad radicis naſi alterum latus eamque viciniam correpta, in illum oculi affectum incidit, a me intra non longum tempus, cum in Patria medicinam facerem, percuratum. Defluxionibus quoque modo una in gena, modo in altera non ita pridem vexatus fuerat Nobilis Sacerdos cum repente affectus eſt ea viſus depravatione, ut ſi oculos, ut fit, ad legendum demitteret, litteræ omnes aliæ aliis quaſi decuſſatim impoſitæ, & inter ſe confuſæ apparerent: quæ confuſio omnino tollebatur ſtatim atque alterutrum claudebat oculum, aut librum contra ambos oculos apertos quidem, ſed non demiſſos, imo, ſi vellet, etiam ſurſum converſos ſtatuebat. Aliqua tamen reſtabat confuſio, ſi librum ita ſtatutum, ad latus dexterum aliquanto transferretur; nulla, ſi ad ſiniſtrum. Mihi qui per litteras conſulebar, cum ex hoc quod noviſſime dixi, vitii eſſe aliquid in muſculo Abductore dextero videretur, cujus vires Adductori ſiniſtro non omnino ex æquo reſponderent, viſum quoque eſt idem vitium in Depreſſore proximo dextero vel magis eſſe conjiciendum, ſcilicet ut deprimere non poſſet oculum æque ac Depreſſor ſiniſter, cum alioquin reliqui oculorum muſculi naturalibus pollentes viribus, utrumque æqualiter & converterent ſiniſtrorſum, & ſurſum moverent, ſicque litterarum ſingularum imagines in iis pingerentur in quibus ſolebant, hujus, & illius Retinæ partibus; in alia autem alterius Retinæ, ſi dextrorſum, deorſumve, quippe inæqualiter, oculi agerentur; unde litteræ quaſi geminatæ, aliæ aliis viderentur impoſitæ. Levem igitur paralyſim, ſcilicet non graviorem, quam quæ ad leviter inæqualem motum intelligendum ſatis eſſet, in duobus muſculis conjiciebam; in neutra enim Retina poteram, cum ſinguli oculi in quancunque plagam verterentur, egregie videntes, egregie ſe habere omnes utriuſque illarum partes, præclare oſtenderent. Paralyſim autem, vel Convulſionem cum ex repentino affectus hujus adventu culpare deberem; paralyſim potius eſſe, credidi ob nullum adjunctum moleſtum ſenſum, nullamque motui cuiquam oculi reſiſtentiam: quibus, aliiſque ejuſmodi indiciis uti conſuevi ad illas in his, aut aliis partibus internoſcendas, quemadmodum eo quoque, cui in recenti hoc affectu locus eſſe non poterat, nimirum diuturnitate, & difficultate curationis, quæ plerumque in paralyſi quam in convulſione, ſunt majores. Accidit etiam id quod aliquando inveni, ut oculi muſculus aliquis ita cum proxima immobili parte coaleſcat, ut ipſe quoque immobilis fiat. Verum hæ plures, variæque, de quibus eſt dictum, externæ cauſæ omnes adventitiæ ſunt. Quid? ſi ab utero aliquis alterutrius oculi muſculus ſit brevior, aut longior; validior, aut infirmior; expeditior, aut impeditior quam ipſi conveniat. Nonne pro majori, aut minori ejuſmodi vitio ſtrabones, aut pæti naſcentur? Hæc, ut noſti, cum antea ad te ſcripſiſſem; prodiit Cl. Buffonii Commentarium (o), iis ſubnixum experimentis ad Strabiſmi cauſam, & facilem ſæpe curationem ſpectantibus, quæ doctrinæ, ſecundum quam ſcripſeram, magis communi adverſentur. Si tibi quæ deeſt mihi, ea forte copia ſtrabonum eſt, ut ejus poſſis experimenta iterare; quod experienti reſpondebit, id ſequere. Fac tamen animadvertas, de Strabiſmo innato, & ab interna cauſa orto ipſum magis quæſiviſſe, quam de adventitio, cujus externæ quæ ſint cauſæ, hic a me præcipue quæſitum eſt, ne ipſo quidem, ſi recte memini, repugnante.

21. Antequam de Lacrymalium viarum morbis nonnulla attingam, æquum eſt de inflammatione ſaltem Corneæ tunicæ, aliiſque ejus vitiis quædam ſubjicere, quando internarum oculi inflammationum nullas in Sepulchreto anatomicas obſervationes hic video, nec ipſe habeo; niſi quod memini in cane cæco Retinam ipſam vidiſſe ſanguineam, & ferme nigricantem, ut tanto facilius intelligam quid poſſit accidere Choroidi, quæ ob incredibilem vaſorum multitudinem mihi interdum (p) vel in ſanis oculis apparuit ſanguinolenta, illique ejus parti quæ Uvea dicitur, de cujus inflammationis & ſignis, & periculo, & curatione multa, ut ſolebat, paucis docuit Boerhaavius (q). Sed nos in Corneæ inflammationibus ſubſiſtamus. Quarum cauſæ quamvis ſæpe inſpicientium oculis obviæ ſint; tamen accidit nonnunquam ut pro effectibus accipiantur. Cujus rei duo, a me viſa, proponam exempla, alterum in Nobili Viro, alterum in Molitore. Hoc ad me adducto, ut quid vitii in Cornea ex gravi ophthalmia oriri inciperet, edocerem; in illius medio exiguam maculam animadverti circuli forma, albidam ad ambitum, in centro ſubnigram. Cum ſciſcitarer, quid cauſæ dediſſet inflammationi, ipſe autem inchoatam diceret ex

(k) Differt. de Mydriaſi, & Diſſ. de Synechia &c. (l) Ophth. l. 5. c. 32. (m) Vid. Cent. 5. Obſ. 1. (n) Obſ. 37.
(o) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1743. (p) Vid. Epiſt. Anat. 17. n. 2. (q) Prælect. in Inſtit. §. 841.

quo ſibi molam malleo exaſperanti quædam in oculum reſiliverant, quæ tamen continuo eluiſſet; ſuſpicatus quod erat, infixam aliquam lapidis, vel potius ferri particulam in Cornea, ubi erat macula, reſtitiſſe, indeque ortam quæ male haberet, inflammationem, magnetem modicarum virium ſemel atque iterum propius admovi, & ſubnigrum illud de quo antea dictum eſt, e macula jam nonnihil extare, continuo intellexi propterea quod in claudendo oculo ſuperior palpebra aſperi aliquid eo in loco percipere incipiebat. Sed ſive illa ferreæ ſcoriæ figura eſſet, ut profundiorem partem haberet paulo latiorem, ſive potius imbutæ humoribus turgenteſque Corneæ fibræ quam inter initia remiſſuræ fuiſſent, poſtea arctius complexæ infixam particulam retinerent; non licuit eo quidem die extrahere, imo ceſſandum potius cenſui ex quo homo ait, quoties magnes admoveretur, toties oculum quaſi rapi magnetem verſus, non ſine doloris incremento, ſentire. Igitur imperatis quæ hactenus omiſſæ fuerant, alvi ſubductione, & ſanguinis detractione, tum quæ dolorem mulcendo, fibras leniter laxarent, oculo adhibitis, non ita multo poſt ſimul cum lacrymis excidit ſcoria, qua elapſa, facillime omnia evanuere. Niſi autem per ſe excidiſſet; magnetem rurſus experiri in animo erat, firmato per aptum aliquod inſtrumentum oculo, ne moleſte adeo ſimul cum ſcoria attraheretur.

22. Vides, ut ex magneticæ attractionis, ſicuti vocant, phænomeno in ſpeciem inutili apud eos quidem Medicos qui ſi naturæ opera paulo attentius ſpectare te, videant, odioſa percontatione continuo quærunt, quid inde ad medicinam faciendam? vides, inquam, quæ inde exiſtere utilitas interdum poſſit & ad dignoſcendam morbi cauſam, & ad tollendam. Nihil enim dubii eſt quin ejuſmodi ſcoriæ aut inter initia cum fibræ nondum conſtrictæ ſunt, aut poſtea cum laxantur, facile poſſint eximi magnetis ope, aut ſaltem ita dimoveri, & protrahi, ut niſi per ſe excidant, volſellis queant apprehendi. Neque hæc in oculo tantum dico, ſed & in quacunque cui forte infixæ fuerint, parte, præſertim cum aliquando vix appareant, aut eo cum dolore, ut neque arripere poſſis, ſi velis, aut ægri, imprimiſque pueri, nolint. Cum autem ſcirem, Majores ſæpe emplaſtris quæ ad extrahendum imponerent, magnetem, in pulverem comminutum, admiſcuiſſe, qui ſic comminutus, alieniſque interceptus particulis, ſuam vim exerere non valeret; quærere cœpi poſt id tempus num antea, nemini, id quod credibile non videbatur, eadem quæ mihi utendi ratio adeo obvia, in mentem veniſſet. Cum a noviſſimis inciperem, in magno complurium ſilentio, inveni denique apud Kerckringium (*r*) acum gutturi inhærentem annos jam novem, per magnetis fruſtum extractam. Etſi ex ſuperioribus qui ſimilia præſtiterit, commemoret neminem; quærere tamen perrexi donec ab Hildani Indice admonitus, Obſervationem ejus legi (*ſ*) qua docet, ſcoria ferri, adnatæ infixa, quibus remediis tandem amota fuerit. Caſum equidem inveni, quem perlegas velim, in pleriſque tam meo ſimilem quam ovum ovo; ſed de magnete prorſus nihil. Tandem quod Index ille *copioſiſſimus* non oſtenderat, ſors obtulit. Aliud enim perquirens incidi in ejus alteram Obſervationem (*t*) *de ſcoria chalybis Corneæ infixa, ejuſdemque ingenioſiſſima curatione*. Hæc vero, aliis omnibus irritis, magnetis ope feliciſſime perfecta eſt. Porro ut Kerckringium fateri non puduit, quod tot Chirurgis in mentem non venerat, id ſe a Circumforaneo didiciſſe, ita neque Hildanum ab Uxore; eſt enim res, non auctor, ſpectanda. Illud de ſuo hic addidit, videndum antea diligenter, ne forte qua facie magnes ferrum repellit, ab ea facie oculo obvertatur. Quam vim etſi ſcio ab aliis in magnetis altera facie adverſus alterum magnetem, non adverſus ferrum, agnoſci; Hildanum vero hoc a magnete ſuo præſtari, & Matthiolum (*u*) idem ab ſuo quoque teſtatos, in ferrum incidiſſe credo magnetis vi imbutum; tamen non repugno quin ante experiaris; nihil enim prohibet, & perfacile eſt: illud autem hortor, ut modicarum virium magnetem, eumque caute ac ſenſim magis, ut licere intelliges, magiſque admoveas, ne forte ferrum arctius hærens, necdum tempeſtiva tractione, ejus, cui infixum eſt, partis dolores augeat.

23. Multo levior cauſa diuturniorem, & periculoſiorem ophthalmiam attulit Affini meo, de quo alterum exemplum eſt, quod promiſi, Thomæ Mangellio. Nemo enim fuit Medicorum, aut Chirurgorum quibus oculum inſpectandum homo ſane remediorum non ita amans tandem oſtendere coactus eſt, quin procul dubio cenſeret, inflammationis vi obortum jam ulcus in Cornea tunica, ejuſque curandi cauſa alius aliis cum internis, tum externis auxiliis metu obtemperantem jam ægrum diu, ſed incaſſum, fatigaret. Denique caſu factum eſt, ut Chirurgus animadverteret, incipere ex ulcuſculi fundo neſcio quid nonnihil extare ſquamulæ inſtar. Quod, cum tentantis ſpecillo facile obſequeretur, integrum exemit. Exemptum dum curioſius contemplatur, alam eſſe agnoſcit minoris muſcæ: & ſane eſſe, omnes qui tunc, & poſtea viderunt, ſine ulla dubitatione, ut in re evidentiſſima, confirmarunt. Tum enimvero in memoriam rediit Mangellius, ſibi inflammationem haud ante incepiſſe, quam muſca in oculum forte involaſſet, quam ibi inter palpebras celerius, ut fit, injecta manu occidiſſet, atque abjeciſſet. Totam vero non abjecerat; ala enim reſtitans, ſic ad Corneam ſe applicuerat, ut illinc ſine Chirurgi ope prorſus dimoveri, & reglutinari non potuerit. Sua igitur adhæſione irritando, ejuſmodi moverat inflammationem, ut circum turgentibus fibrillis, & minimis vaſculis, hæc ulceris labella, ala autem illa craſſiuſculo humore obſita, per ipſumque tranſpecta, ſordidum ulceris fundum mentiretur. Certe ipſa detracta, continuo omnibus in melius verſis, cito, ac facile, nulla relicta cicatrice, convaluit oculus. Non ſum neſcius, Falloppium noſtrum (*x*) ſe *bis eſſe paſſum ulcera oculorum*, ſcribere, *ex illapſu quarundam muſcarum minimarum*, quæ *duræ* ſunt, inquit, & *ſi cadant, vel illabantur in oculum, ſtatim ipſum exulcerant, & noctu maxime mordent*. Illa tamen nec minima, nec dura, nec noctu, nec mordendo, ſed tantum relicta ala, nocuerat, quæ ulcus ita ut dixi, omnino referebat; nam me quoque tunc peradoleſcentem ſpectaſſe, & ulcus crediddiſſe, præclare memini. Sed fac etiam ulcus fuiſſe; ala illa tamen amota, ſtatim, ut ablata cauſa, omnia remiſerunt. Tanti ergo intereſt primas morborum cauſas, & occaſiones, nihil negligendo, ſolicite, & diligenter inquirere.

24. Nunc quando de Corneæ morbis ita verba facere inſtituimus, ut quæ inſpectione quidem, ſed nulla adjecta diſſectione, animadvertere interdum licuit, propoſuerimus; miſſa faciemus quæ de albis quibuſdam, quæ in ipſius ambitu eſſe videntur, opacitatibus non ſine ſcalpelli ope deprehendimus; ſi enim volueris, ea poteris alibi (*y*) legere: quod vellem a Mauchărto eſſe factum, ubi (*z*) quemadmodum oſtendit, *non exigui hanc eſſe obſervationem momenti* in punctionibus aut inciſionibus prope ea loca inſtituendis, ita miratur, ejuſmodi opacitates, earumque naturam fuiſſe *præterviſas*. Hic igitur iis omiſſis, potius adnotabo, non raro, vigente ophthalmia, accidiſſe, ut Medici, Chirurgique mihi oſtenderint modo in Cornea albugines, modo trans Corneam quaſi pus, aut puriformem materiam, ut ipſis, mihique a primo ſane videbatur. Verum non ſemel animadverti, eam rerum ſpeciem in quibuſdam nihil aliud fuiſſe, niſi exteriora Corneæ ulcuſcula; quæ ſi e regione inſpiceres, ea quæ dixi, omnino mentirentur; ſed ubi ad latus recederes, & ex obliquo inſpectares, ſtatim ſua excavatione ſe proderent. Facile enim in acribus Adnatæ membranæ inflammationibus Cornea exulceratur; ut nihil æque metuerim in contumaciſſima quæ me adoleſcentulum ſub hujus initium ſæculi Bononiæ prehenderat, ophthalmia, cum acri ſubinde dolore conjuncta, ut ſæpius capere ſomnum non poſſem, niſi palpebris impoſita pulpa tepida pomorum dulcium. Multa commendata ſunt, multa adhibui, fruſtra omnia. Unum inconſulto reſpui, quod pluribus poſtea vidi plurimum profuiſſe, viroque præſertim Bononienſi qui ſic abacta dexteri oculi inflammatione, cum mox ſiniſter eodem morbo caperetur, incaſſum adhibitis cæteris, nullo potuit niſi eodem auxilio reſtitui,

cute

(*r*) Spicileg. Anat. Obſ. 44. (*ſ*) Cent. 4. Obſ. Chir. 17. (*t*) Cent. 5. Obſ. 21. (*u*) Comment. in l. 5. Dioſcor. c. 105.
(*x*) Tract. de Ulcerib. c. 58. (*y*) Epiſt. Anat. 16. n. 28. (*z*) Diſſert. de Maculis Corneæ §. 9.

cute videlicet quæ pone auriculam eſt, impoſitis iis quæ erodendi vim habent, exulcerata. Cum igitur omnia naturæ, & tempori commiſiſſem, & nonnihil jam levatus eſſem non ſic tamen, ut legere, & ſcribere tunc ſine moleſtia adhuc poſſem, cum rerum memoria magis quam præſenti ſtudio fretus, ſolemne examen ſubii, & in album Doctorum ſum relatus; in Patriam pauliſper ſeceſſi, ibique convalui. Quæ omnia eo dixi, ut intelligas, poſt quantum morbum quanta mihi oculorum ſanitas Dei præpotentis beneficentia conceſſa ſit, ut annos jam natus circiter duodeoctoginta, ſine conſpicillis æque propemodum videam ac videbam ante illam inflammationem. Quam ſi forte quæris qua ratione diutiſſime arcuerim in tanta, & tam aſſidua oculorum interdiu, & noctu contentione; non alia dicam, quam faciei, & palpebrarum lotione matutina, ab eo tempore ſic inſtituta, ut non temere quavis aqua uterer, ſed ea dumtaxat quæ modo e puteo hauſta eſſet. Hæc enim hactenus frigida eſt, ut ſine iis periculis quæ a frigidiſſima timet Hildanus (*a*), fibrarum vim quam prægreſſa ophthalmia infirmaverat, & reſtituere, & ſervare potuerit. Cujuſmodi aquam an velit Cl. Dethardingius in eo opuſculo, quod *de ſpecifico prophylactico oculorum* inſcriptum edidit Hafniæ A. 1745. pro certo ſcire non poſſum; quanquam Eruditiſſimus Hallerus (*b*), ex quo uno ejus opuſculi notitiam habeo, id ſpecificum eſſe, ait, *lotionem quæ aqua frigida fit*. Sed hoc certe ſcio, cum forte ejus quam dixi, aquæ tandem omiſiſſem uſum, inflammationem, quæ annos plus quadraginta abfuerat, cito rediiſſe primum quidem levem, & palpebras tantum afficientem, ſed diuturnam, deinde vero cum hic pleroſque æſtate arriperet, in membranam ipſam Adnatam graviter adeo incumbentem, ut in chemoſim degenerare jam inciperet. Quæ tamen ſine venæ ſectione ita uti alias (*c*) ſcribam, pervicta eſt. Itaque annos inde jam novem oculis ferme ut olim valeo, nec ullo adhuc egeo conſpicilli adjumento. Faxit Deus, ne magis magiſque ingraveſcens ætas illorum mihi utilitatem imminuat. Verum ab iis quos ipſe pertuli, ad eos quos in aliorum oculis exteriores morbos vidi, redeamus.

25. Unguis oculi; ſic enim quod πτερύγιον cum Græcis diceremus, latine Celſus (*d*) vocavit, idque novies, & nuſquam; nam propter dubitationes quorundam in manu, aut ære deſcriptis ejus libris quæſivi; lectione variante; igitur Unguis oculi frequentiorem originem, me in Adverſariis (*e*) conjeciſſe, non ignoras, ex membrana illa ſemilunari quam ad oculi angulum internum, ut videntur quidam indicare, propoſuerat Vidus Vidius de Anat. Corp. hum. libro VII. cap. IV. ibi, opinor, ubi deſcripta Caruncula, & Lacrymalibus Punctis, glandulam quoque interni anguli in homine! & cartilaginem, ſi Superis placet, atque hanc involventem membranam, commemorat. Ego vero non a belvinæ cartilaginis membrana, ſed ab ea quam ante carunculam humanam deſcripſeram, Unguis originem eſſe, conjeceram. Id attentius conſiderandi annis ſuperioribus occaſionem habui in viro quadragenario, cui in ſingulis oculis ſinguli ungues jam inde ab adoleſcentia oborti, tandem uſque ad Corneæ medium ſe extenderant, cum Patavium ad Experientiſſimum Chirurgiæ Publicum Profeſſorem Hieronymum Vandellium a quo curaretur, profectus, ad conſulendum me venit. Eſſe autem vidi illam ipſam membranam, quæ a lata baſi procreſcens, in trianguli modum ſe amplificaverat, Adnatæ non multum adhærens, imo ad longitudinis medium ita disjuncta, ut ſpecillum mediocri craſſitudine nullo negotio inter utramque Vandellius trajiceret, Corneæ autem, ad quam trianguli extremus vertex pertinebat, arctiſſime connata, ut cum æger oculum ad ea quæ a latere externo erant, aſpicienda converteret, totus neceſſario extenderetur Unguis: hincque etiam acciderat, ut Lacrymalis Caruncula præfixam ſibi membranam ſequens, & multo longior eſſet facta, & extra ſuam ſedem protracta. Quo baſi propior, eo minus membrana ab ſua natura recedebat, a vaſculis quibus inſternebatur, rubens, ut ibi libentius Pannum appellares; cætera albida, ut Unguem melius vocare poſſes: opaca tamen; quamobrem non pauca radiorum parte intercepta, æger Nyctalopia Hippocratica (*f*) quadantenus jam affici videri poterat; ſero enim melius cernebat quam meridie, & ſubobſcuro, quam lucido in loco, nimirum quia ob eam radiorum interceptionem ſe Iris, credo, dilatationi aſſuefecerat. Cæterum nullus oculorum dolor, nullum magnopere eorum motui impedimentum.

26. Jam vero de morboſa lacrymatione ſcribendum eſt. Quæ de hac in Sepulchreto legeris, aut omiſſa, aut non ita explicata eſſent, ſi quæ de naturali lacrymatione in eodem (*g*) proponuntur ex parte vera, conſtanter retineri, neque cum falſis quæ admiſta ſunt, confundi potuiſſent. Nunc de quatuor Obſervationibus, ad lacrymarum auctam effuſionem attinentibus, tres (*h*) ſunt quæ ejus rei cauſam exuberantem intra calvariam humoris copiam obtrudant, quaſi inde viæ paterent lacrymarum ad oculos: quod tanto minus erat faciendum, quia lacrymarum illa ubertas, in fœminis præſertim, aut a triſtitia, aut a dolore manifeſtiſſime proveniebat. Tunc autem Orbiculari palpebrarum muſculo, ut in flentibus videmus fieri, ſæpius, arctius, diutius contracto, tum glandula Innominata magis urgetur, ut plus humoris ſecernat, & inter palpebras effundat, tum ſimul tenues molleſque ejus humoris ad majorem Lacrymalem ductum viæ comprimuntur, ut minus humoris ejuſdem naſum verſus efferre queant. In reliqua autem Obſervatione XXXIII. *calculus in glandula*, ut ſcribitur, *lacrymali, ad oculi angulum internum ſita, occurrens*, cauſa quidem eſſe potuit morboſæ lacrymationis; ſed non quia *totam glandulam receptioni humiditatis ad nares transferendæ ineptam redderet*; neque enim hæc, glandula eſt, in quo adhuc aliquot errare, miror, ſed in ſuperficie tantum, Sebaceis minimis glandulis Caruncula obſita, neque illum in ſe humorem recipit: verum quia calculus non modo *inæqualis valde*, ſed pro ea ſede, etiam valde magnus, ut apud Auctorem inſpicienda delineatio (*i*) præclare oſtendit, Lacrymalia Puncta ab oculi contactu, & quod conſequitur, ab ejus humoris receptione arcebat, & tenues canaliculos, ab iis Punctis profectos, præterea comprimebat.

27. Et ſane crebriores diuturnæ lacrymationis cauſæ in diuturna viarum lacrymalium a palpebris ad naſi interiora compreſſione, obſtructione, coalituve conſiſtunt. Hunc, dum naſi interiora demonſtrarem, non perraro accidit, ut invenirem, ſemel videlicet in viro hydropico, cujus imum Lacrymalis ductus orificium cum a dextris tantum deeſſet, ipſum ductum coaluiſſe, deprehendi: iterum in muliere quam febris ſuſtulerat. In hac vero cum infimum utriuſque ductus oſculum exiguum eſſet, nec ſpecillum altius admitteret; mirari deſii, cum a palpebris immiſſurus, omnia quatuor Lacrymalia Puncta penitus occluſa ſpectavi. In altera autem fœmina cui ſiniſtri oculi cilia, omnia propemodum, neſcio cujus morbi vi exciderant, memini olim Lacrymale alterum Punctum, & qui ab ipſo incipere debebat, canaliculum, & reliquum totum uſque ad naſi intima ductum non occluſa modo, ſed coaleſcentibus parietibus in ſolidum ligamentum degeneraſſe; alterum autem Punctum cum ſuo canaliculo non ſolum patens inveni, ſed & cavum utriuſque duplo quam ſoleat, latius, quippe quod ſubiens quidem humor, ſed ibi ſubſiſtere donec digito exprimeretur, coactus, in eum modum dilataverat. In alio autem non memini ullam fuiſſe dilatationem, cui ductus uterque infra Saccum, ut vocant, impervius omnino fuit. Optandum fuiſſet, a quanto in ſingulis tempore, & num ob oculorum, an naſi interni inflammatione, ſuppuratione, exulceratione hæc accidiſſent, & quibus cum incommodis conjuncta, pernoſcere, id quod in plebe-

(*a*) Cent. 1. Obſ. 27. (*b*) ad Boerh. Meth. Stud. Med. P. 14. (*c*) Epiſt. 57. n. 9. (*d*) De Medic. l. 7. c. 7. n. 4. & 5.
(*e*) VI. Animad. 44. (*f*) Vid. ſupra, n. 19. (*g*) Sect. hac 18. poſt Obſ. 33. Append. 1. & Schol. ad Obſ. 1. in Additam.
(*h*) 1. modo cit. & 31. 32. (*i*) Blaſii Obſ. Med. Tab. 9. Fig. 10.

plebejis, perſæpe ignotis, nec de alio, niſi quo tunc urgentur, morbo in Noſocomiis queri ſolitis, fruſtra poſt obitum inquiritur. Sed duo tamen certa ſunt, his omnibus lacrymationem neceſſario fuiſſe, ab altero quidem oculo ſecundæ fœminæ, illique viro; mulieri autem primæ, & viro huic ultimo ab utroque: neque ulli horum lacrymales vias, adeo coalitas, reſerari potuiſſe.

28. In illis autem lacrymationibus, quarum cauſæ ſint aut harum viarum obſtructiones, aut ſi coalitus, is tamen qui in ſummis, imiſve orificiis dumtaxat contigerit, compreſſiones quoque, ſed quæ necdum majorem coalitum intulerint, arte autem poſſint amoveri, ut puta ſi polypus, aut ſi caro, ut in obſervatione Præcl. Molinellii (*k*), e proximo ulcere excreſcens imam ductus partem comprimeret; minime dubium eſt poſt felicia ingenioſorum Virorum experimenta, quin Chirurgia poſſit opitulari. Mitiſſima omnium eſt, quæ levioribus ſufficit obſtructionibus, Anelliana: de qua alibi (*) a nobis ſcriptum fuit. Hujus tamen illam partem quæ in tenuis ſpecilli per alterum Lacrymale Punctum in nares uſque immiſſione conſiſtit, ſe ante Anellium adminiſtraſſe, & ſic reſeraſſe naſalem ductum, Valſalva in Conſiliis a me perlectis affirmabat.

29. De Tumoribus autem Cyſticis in quos palpebrarum glandulæ dilatentur, deque horum curatione cum ipſe (*l*), tum ego (*m*) alio loco ſcripſimus. Reliquum eſt igitur, ut de vitiis Ciliorum unam aut alteram animadverſionem ſubjiciam. Leve illud videtur vitium quod in albo eorum colore eſt. Viſioni tamen noxium ſit in præclara luce, neceſſe eſt. Neque enim ſuperfluos ſatis arcere poteſt radios. Itaque apud Caſp. Hofmannum (*n*) extat cujuſdam exemplum, qui cum cilia haberet albida, quoties hæc pingebantur atramento, melius videbat. Incidi non ſemel in homines quorum pili ab ortu albi erant, iidemque omnes cæcutiebant. Num ob colorem dumtaxat ciliorum? Facile fuiſſet, ſi tempus, & locus denigrare cilia permiſiſſent, experimentum. Sed quid eſt quod de iiſdem audivi, ſi capillos tondeant, tum multo magis cæcutire? Longe graviora oculis & mala ſunt, & pericula imminent ex iis ciliorum vitiis quæ Trichiaſis, & Diſtichiaſis appellantur. Ciliis enim aut ad ipſos oculos converſis, aut pilorum alio ordine ſub ipſis *ſuccreſcente*, & *protinus*, ut Celſus (*o*) loquitur, *intus ad oculos tendente*, hi moleſte adeo irritantur, ut irritationem inſanabilis, niſi ea tollantur vitia, inflammatio excipiat, hanc autem facile cæcitas. Tolli autem illa ſic ut cito non redeant, nequaquam poſſunt, niſi per eas curationes quæ aut cum dolore, vel potius cum tormento, aut etiam cum palpebrarum limbi mutilatione conjunctæ ſint, quam, præter deformitatem, vereor, ne, forte clauſis poſtea per inductam cicatricem extremis ſebacearum quæ in tarſis ſunt, glandularum ductibus, non unum conſequatur aliorum morborum genus. Hæc cum ita ſint; peroptandum utique fuiſſet, ut auxilium ſaltem ad eam arcendam irritationem a Cl. Erndelio (*p*) propoſitum, parem ingenio quo excogitatum eſt, exitum haberet. Scilicet palpebras inter, & oculum nitidum ac perpolitum vitrum interjiciendum proponebat, haud aliter factum quam *artificialem*, ut vocant, oculum videmus, niſi quod ſine ulla pictura eſſet: ſic enim fore, ut pili quidem, ſed non lucis radii excluderentur. Verum ſive tenue adeo vitrum, ut radios non refringeret, periculoſæ oculis, fracturæ metum incuſſit, ſive ne inſenſibilis perſpirationis effluvia vitrum jugiter infuſcarent, aut oculos, æſtate præſertim, nimio calore afficerent, aut per moram acriora facta irritarent, aut moleſtam, & periculoſam tenuis vitri identidem eximendi, abſtergendi, reponendi neceſſitatem afferrent, ſive aliæ quæpiam cauſæ, quarum nullæ fere cadunt in *artificialis* oculi uſum, dehortatæ ſint; neminem legere, aut audire contigit, qui ab anno hujus ſæculi vigeſimo ſecundo quo id auxilii vulgatum eſt, ad hoc tempus in uſum traxerit, aut qui ejus notitia excitatus, melius aliquod excogitare conatus ſit. Doctus idem Vir modi conjecturam propoſuit quo pili in diſtichiaſi non ſuo loco prorumpant: quem locum altiorem videtur indicare quam in ea eſſet diſtichiaſi, cujus ad me deſcriptionem miſit Cl. Tabarranus (*q*). Hic enim ex oſculis Sebaceарum glandularum quæ paulo ante memoratæ ſunt, erumpentes vidiſſe ſe, credit. Ego pilos qui præter naturam ſint, ut in aliis aliam, ita hanc quoque parare ſibi viam poſſe, non dubito, per quam intra palpebras exeant. Nondum vero accidit, ut in vivis, nedum in mortuis, ut mallem, occaſio mihi daretur hæc diligentius examinandi. Nec mirum. Nam ſi membra quælibet humani corporis ex eo particularum numero conſtant, ut perdifficile ſit omnes ſingularum morbos in cadaveribus recognoſcendi occaſionem habere; quanto id difficilius erit in oculo? qui cum ſit ex tot, tam variis, tamque tenuibus tum in ſe, tum in iis quæ illi extrinſecus adjecta ſunt, particulis compactus, præterea eſt aeris, aliiſque injuriis expoſitus, & aſſiduo, niſi cum dormimus, uſui addictus; ut cum propterea ſit internis, externiſque innumeris morbis obnoxius, Ocularii Medici qui in iis tantummodo verſarentur, nec antiquis temporibus multi defuerint, neque hoc deſint. Satis igitur tibi ſit de iis quos videre ipſe potui, oculorum morbis has a me Litteras accepiſſe. Proximas de Aurium Affectibus habebis. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XIV.

Agitur de Aurium, & Narium Affectibus. Aliquid additur de Balbutie.

Cum minime ignores, vel plura de Auribus, quam de Oculis, a Valſalva, & a nobis edita eſſe; minime quoque miraberis, ſi vel pauciora de Aurium, quam de Oculorum Affectibus reſtent quæ hic tibi ex utriuſque noſtrum Obſervationibus perſcribantur. Itaque ad morbos Aurium Narium morbos adjungemus, præſertim quando Sepulchreti Auctor hos, illoſque duabus quidem, ſed brevibus, Sectionibus XX. & XIX. complexus eſt.

2. Sectionis XIX. Obſervationi primæ facile cognoſces præfixum eſſe argumentum a vero alienum: *aures purulentæ ab abſceſſu cerebri*. Nam contra, cerebri abſceſſus, cujus nulla prægreſſi indicia narrantur, conſecutus eſt ſuppreſſionem, ichoris per aurem effluentis. Sed neque altera Obſervatio, quæ in ſubjecto Scholio proponitur, facile fuerat alia quam hac ratione, explicanda, etiamſi poſt mortem, recluſa calvaria, ſanies quæ ſolebat olim ex aure egredi intra illam reperta eſſet. Quod cum alias (*a*) declaraverim, hic confirmare ſatis erit indicatis Verneyi Obſervationibus in III. Parte Tractatus de Organo Auditus: quo ex Tractatu cum in Additamentis ad Sectionem hanc XIX. & eæ, & aliæ produci debuiſſent; ne indicatæ quidem ſunt. Tu, illis inſpectis, quam ſæpe Medici in ejuſmodi judicio fallantur, intelliges, tunc quoque cum ſuppreſſo, velut hic, effluente per

(*k*) Comment. Bonon. Sc. Acad. T. 2. P. 1. in Medicis. (*) Adv. VI. Animad. 62. & ſeqq. (*l*) Tract. de Aure hum. c. 4. n. 4.
(*m*) Epiſt. Anat. 13. n. 2. (*n*) Comm. in Gal. de Uſ. Part. l. 10. c. 7. (*o*) De Medic. l. 7. c. 7. n. 8.
(*p*) Eph. N. C. Cent. 10. Obſ. 75. (*q*) in Epiſt. præfixa alteri Editioni ſuar. Obſ. Anat. (*a*) Epiſt. Anat. 7. n. 8.

per aurem pure, homines *quaſi repente moriuntur*. At enim, inquies, ſerum quod intra cranium deprehendit Verneyus, non erat ejus ſimile quæ per aurem prodibat, materiæ; hic autem quæ poſt mortem ex auribus, & naribus plurima effluxit, eadem videtur ſanies fuiſſe quæ ex aure olim effluebat. Quaſi vero non niſi e cranii cavo in aures nareſque erumpere poſt mortem potuiſſet! cum Sinus Pituitarii in naſi interiora pateant, in quæ & Euſtachiana Tuba; in illis autem Sinibus, & aurium cavis, *retenta* a Medicis, ſanies ſecerni, & coacervari potuerit. Sed vide, quam diſpar tibi, & mihi inſideat opinio. Ego certe etſi eandem quæ per aurem exire ſolebat, ſaniem non modo, ut dixi, vidiſſem in cranii cavo, ſed viam inſuper a carie factam quæ ab hoc in aurem pateret; non tamen continuo pronunciaſſem, a cerebro ad aurem perveniſſe, ſed potius contra, ab aure ad cerebrum. Quid ita? Dicam, cum duas quas ſubjicio, perlegeris Obſervationes.

3. PUERUM variolarum reliquiæ olim male habuerant ad aurem dexteram. Tumor denique obortus eſt, cum annum ageret duodecimum, pone eandem aurem, quæ ſurda erat, & pure manabat. Tumoris integumentis a Chirurgo ſecundum capitis longitudinem inciſis, pus non paucum effluxit quale ex aure prodibat. Aliquot poſt eam inciſionem horis convulſiones puerum prehenderunt, ut toto corpore ſubſiliret, vocemque invitus quandam, inter clamorem, & gemitum mediam, emittere cogeretur. Hæc, tum crebro recurrentia, facta deinde rariora, ad mortem uſque perſtiterunt. Eodem autem illo die quo primum convulſiones ingruerunt, acceſſit dolor qua integumenta, ut diximus, inciſa fuerant: eratque ſectionis illius certa pars ſenſu adeo exquiſito, ut ne leviſſimum quidem tactum ferret. Diebus inſequentibus, etſi pus fluere pergebat, cœpit æger delirare, viribuſque, ac pulſibus omnino deſtitui. Conquievit poſtea delirium, viſuſque puer nonnihil vires, pulſuſque recuperare, vegetis oculis aſpiciens, & loquens. Sed quanquam poſtremis ipſis vitæ diebus locutus eſt, ſpiritumque ſemper facile duxit; tamen iterum pejor factus, deceſſit ſub initium Februarii A. 1740. Quam cum mihi hiſtoriam narraſſent qui puerum curaverant in noviſſimo hoc morbo; viſum eſt, non a tumoris inciſione graviſſimas, quæ ipſum afflixerant, & ſuſtulerant, noxas; ſed a carie fuiſſe oſſis temporum quæ ſimul tumorem excitaſſet, ſimul in cranii cavum perveniſſet, & ſic denique in hoc etiam, aditum purulentæ materiæ aperuiſſet. Cum hæc reſpondiſſem in Gymnaſio quo allatum fuerat pueri caput; experiri continuo placuit, num me conjectura feſelliſſet.

FACIES colore etiam tum roſeo (quartus erat poſt mortem dies) pulchra, nec ullo modo cicatricoſa; ut proclive eſſet intelligere, variolarum vim minus olim in cutem ſe effudiſſe. Cranio aperto, inſpectiſque Lateralibus Sinibus Craſſæ meningis ſanguine plenis, eodemque turgidis vaſis per Tenuem diſcurrentibus, primum ventriculi dexter, ſiniſterque recluſi ſunt, & aqua in illo pauca, in hoc non pauca reperta eſt, credo, quia doloris cauſa in ſiniſtrum latus cubare malebat quam in dexterum; & ſane, attollendo ſenſim Calloſum corpus, viſum erat ruptum certo in loco ſeptum Lucidum; quanquam eæ partes cerebri erant laxiſſimæ. At certe is decubitus faciliorem introrſum fecerat effuſionem puris: quod, cerebrum mox attollentes, vidimus in cavo Sellæ Equinæ, & paulo poſt cum cerebellum removeremus, ad dexterum quoque hujus latus ſic ut puris aliquid deſcendiſſe videretur ad initium Spinalis medullæ. Aditus puris in cranii cavum, ut omnibus qui aderant, præclare oſtendimus, in ea facie erat Petroſi proceſſus oſſis temporum dexteri, quam faciem cum alii *poſteriorem*, alii *internam & inferiorem* vocitent; tu citius intelliges, ut opinor, ſi eam faciem dixero qua Petroſi proceſſus dexter, & ſiniſter reſpiciunt inter ſe. In ea enim facie ad illum ipſum angulum, ſi recte memini, qui inter Sinus duos Lateralem, & Superiorem ex adjacentibus Equinæ Sellæ, intercipitur, foramen fecerat caries forma propemodum circuli, lentis autem amplitudine. Inde pus inter eam faciem, Craſſamque meningem effuſum, hanc, & Tenuem eroſerat, qua dexterum cerebelli conveſtiunt latus, hocque inſuper ita vitiaverat, ut ſuperficiei pars viridis eſſet, ac purulenta, proxima autem quæ ei parti reſpondebat, interna cerebelli portio ad digiti pollicis craſſitudinem colore fuſco inficeretur. Erat pus omne quod intra cranium conſpectum eſt, viride, nec graveolens tamen: ut neque graviter olebat inciſi pone aurem tumoris cavum; ſed hujus parietes erant mundi; ipſum autem cum oſſeo Auditorio Meatu communicabat. Cariei terminis externo, internoque perſpectis, interjectos inter utrumque cuniculos perſequendi tempus defuit in Publica Anatome occupatis.

Quod tamen ad cauſam attinet exquiſiti illius ſenſus qui certa in parte labrorum vigebat aperti tumoris; tenuem nervulum animadverti, qui profectus, ut opinor, a Cervicalibus, ſupra illam ſectionem ſub communibus tegumentis aſcendebat ſecundum capitis longitudinem; ut pronum fuerit conjicere, ad aliquam illius partem inter ſecandum compunctam, aut nonnihil inciſam id fuiſſe referendum.

4. Vides, quam obnoxii apud vulgus falſis ſuſpicionibus ſint Chirurgi. Quorum ferrum cunctos quidem nervulos ſubcutaneos vitare non poteſt; ſed neque ſolis inciſis tegumentis occidere tamen poteſt, velut in hoc tumore aperiendo, qui utinam citius apertus eſſet, vel potius citius apparuiſſet, nimirum priuſquam caries ad cranii cavum perveniſſet. Cujus rei conjectura noſtra ex totius conſideratione hiſtoriæ tanto facilius ducta eſt, quod ſuam nobiſcum obſervationem, hujus magna ex parte ſimilem, vix quatuor ante menſibus communicaverat Nicolaus Mediavia, cariei videlicet a fiſtula ſupra apophyſim maſtoidem non modo in Tympani, ſed etiam in cranii ipſius cavum progreſſæ. Cum autem cariei ab iſtiuſmodi fiſtula vel in ſolum Tympanum propagationem Vir Experientiſſimus Verneyus (*b*) *raram ſatis* eſſe, faſſus ſit, & ſe *unam dumtaxat, aut alteram ejuſmodi obſervationem habere*; non minus tibi fore gratum exiſtimo quam mihi fuit, quod Mediavia eodem quo viderat, die mihi in hunc modum narravit.

5. JUVENIS antiquam, ut videbatur, fiſtulam ſupra dexterum maſtoidem proceſſum habebat: in quam injecta, redibant ex parte per aurem vicinam, qua tamen audiebat. Is in Noſocomium exceptus non propter fiſtulam, ſed propter febrem quæ acceſſerat; hac intra paucos dies augeſcente, ſic delirans, ut ad ſoporem inclinaret, mortuus eſt. CRANIO recluſo, vaſa cerebri omnia ſanguine turgida reperta ſunt, multa autem aqua virideſcens in ventriculis Lateralibus, in qua pus ejuſdem coloris ſubſidebat in ventriculo quidem dextero. Sed multo major ejus puris copia effuſa erat inter meningem Duram, & eam faciem Petroſi proceſſus oſſis temporum, quæ facies in ſuperiore Obſervatione (*c*) indicata eſt, ſicque inter utramque ſibi viam inde fecerat in tubum uſque vertebrarum. Plena erat quoque ejuſdem modi pure Tympani cavea. Progreſſa autem caries pone Aquæductum Falloppii, & Canales Semicirculares, eam de qua dictum eſt, faciem Petroſi proceſſus eroſerat ad modum rimæ non anguſtæ a poſteriore latere ejus foraminis quod ambas Portiones excipit nervi Auditorii. Quam rimam obtegens Dura meninx ibi quidem exeſa conſpiciebatur, ſed ad longitudinem minorem quam rima erat. Quanquam autem cerebrum juſtam habebat firmitudinem, & poſtridie mortis ſecabatur; ea erat id caput graveolentia, ut viam puris a rima ad ventriculum dexterum, & num præter Membranam Tympani, alia, & quæ læſa in aure eſſent, perquirere non licuerit.

6. Hoc tantum graveolentiæ diſcrimen quod inter utramque intercedit hiſtoriam, in anni tempus, ætatem, & humorum conſtitutionem rejicies in alio aliam; diſcrimina autem cætera in alias cauſas, ut ſoporis in majorem aquæ copiam in Juvenis ventriculo utro-

(*b*) Parte ead. Tract. cit. ſupra, n. 2. (*c*) n. 3.

utroque, pure etiam a dextris admiſto, ut viciſſim ſurditatis in cariem quæ auditus interna organa in puero vitiaſſet magis, ut convulſionum etiam, in læſum ejuſdem nervum, ut pulſuum, viriumque lapſum in labefactatum quoque ejuſdem cerebellum: Communia autem utrique incommoda in communes utrique læſiones, ut inexpectatam acceſſionem malorum adeo gravium in repentinam meningum ab affuſo pure irritationem, ut delirium in hanc ipſam, quæ ſanguinem in vaſis moraretur, propterea turgentibus, ut mortem denique in earundem meningum, & cerebelli, aut cerebri exeſionem. Sed illud maxime utrique commune fuit propter quod has tibi geminas deſcripſi hiſtorias, ut per cariem via inter aures pure manantes, & cranii cavum pateret, nec quiſquam tamen cum intra hoc pus conſpiceret ejuſdem naturæ, ſuſpicari poſſet, illam viam puri fuiſſe a cranii cavo ad aurem; ſed omnes contra, eorum quæ præceſſerant, ordinem attendentes, fuiſſe ab aure ad cranii cavum, faterentur. Cum autem manifeſtum ſit, multo aurem diutius quam cerebrum, & gignere pus, & ſine vitæ detrimento ferre poſſe; manifeſtum quoque eſt, quid potius in ejuſdemmodi quos initio (*d*) memoravimus, caſibus ſit judicandum. Sunt igitur aurium ulcera non temere claudenda non tam ob id quod rarius eſt, ne ſaniei exitus e cranii cavea per aures intercludatur, quam ob id quod longe frequentius eſt, ne ſaniei ex ipſis auribus intercluſo exitu, caries vel fiat, vel augeatur, ſicque multo facilius, & citius in cranii caveam perveniat. Cum binis autem quas tibi deſcripſi, Obſervationibus totidem conjungas licet, alteram Möglingii (*e*), Laubii (*f*) alteram. In utraque poſt fluentem ex aure ſaniem; purulentum circa aurem tumorem, tympanum abſumptum, cariem per os Petroſum ad cranii cavum productam, ichorem, aut pus intra hoc cum funeſtis denique cerebri malis fuiſſe, leges. Et quanquam in ſecunda aliquid credere jam inde ab initio *concluſum* intra cerebrum potes, unde viſus obſcuraretur; tamen non antea adauctum, & ad ſuppurationem perductum eſſe, intelliges, quam puris ex aure fluxu, qui viſus obſcurationem minuebat, deſinente, amauroſis primum, denique apoplectica ſymptomata, quorum nullum ante apparuerat, advenerunt, non adventura, ſi tanta illa puris copia, quæ ter quaterve e tumore externo, cum Meatu Auditorio communicante, profluxerat, & quæ certe intra cerebrum tunc fuiſſe non poterat, par eſſe omni illi putridæ materiæ quæ in aure, & circa aurem gignebatur, exhauriendæ, a cerebroque avertendæ potuiſſet.

7. In aurium diuturnis ulceribus vermiculos naſci, cum haud infrequens apud Medicinæ Scriptores, tum pervetuſta obſervatio eſt, ut ex Dioſcoride, Galeno, Aetio oſtendit Dodonæus (*g*): quibus antiquiores alios adde, ex quibus Plinius (*h*) remedia accepit *auribus verminoſis* inſtillanda, ad *vermiculos in his necandos* Non diſplicebit tamen, ſi quanto graviora mala quam Lanzonus (*i*), & Behrius (*k*) adnotarunt, ii vermiculi cierent in juniore Matrona, ſubjecero. Forte eram cum Valſalva in ejus Patria, cum illa hunc adiit, narravitque, ſe, quæ & olim virgo ſiniſtra aure edidiſſet vermem, alterum ante ſex illos menſes minoris bombycis forma edidiſſe poſt auris illius dolorem, & proximæ frontis, ac temporis, qui, verme cum pure ejecto, deſierat: Ab eo autem die non ſemel per varia intervalla dolore eodem correptam, ſed acriore, ut repente caderet, ſenſibus orbata ad horas duas, donec ſoluto dolore ad ſe rediens, paulo poſt vermiculum excerneret pari forma, ſed minorem, remanente ejus auris ſurditate, cutis autem proximarum partium ſtupore, cum pruritu quodam conjuncto. Non dubitavit Valſalva, quin Tympanum eſſet exulceratum: ad vermes autem, ſiqui ſupereſſent, profligandos aquam propoſuit, ex hyperico deſtillatam, in qua hydrargyrum agitaſſent. Tu alia apud alios, & præſertim apud Verneyum (*l*) videbis auxilia. Mihi certe, ne innaſcantur, neve alii poſt primos abactos, vermiculi generis hujuſce renaſcantur, nullum tutius videtur eſſe remedium, quam interdiu nunquam æſtate, & autumno aure in qua ulcus eſt, non obturata dormire. Tunc enim ſanie, & ulceroſa carne allectæ muſcæ illam ſubeunt, & inſcio homine, aut ova unde poſtea vermiculi exiſtunt, aut quæ viviparæ ſunt, vermiculos ipſos deponunt. Neque enim aliunde ſunt quam a muſcis: a quibus vel Homerus (*m*) olim, non a putredine, repetebat, Achillem inducens timentem, ne muſcæ in vulneribus interfecti Patrocli *vermes gignerent*. Qui ſi in exulcerato Meatu Auditorio ut rodendo ſatis habent unde creſcant, ita locum habere poſſent aptum ubi plures illas mutationes ſubirent, ab Solertiſſimo Reaumurio (*n*) deſcriptas, quarum eſt ultima, ut muſcæ fiant; minus eſſet difficile explicatu quod a Klaunigio (*o*) ſcriptum eſt, bimeſtres graviſſimas auris, & capitis moleſtias continuo deſiiſſe, cum ex illa aure muſca evolavit, quam quod videtur credidiſſe, eam muſcam toto illo tempore inhæſiſſe in Auditorio Meatu. Cæterum ad vermiculos ex auris penetralibus abigendos plurimum fortaſſe poſſet idonearum rerum fumus ſic ore prolectus, & per Euſtachianam Tubam in caveam Tympani compulſus, ut alias (*p*) memoravi; tametſi tunc de vermibus ex illa cavea eliminandis per Membranam Tympani, jam ab ipſis eroſam, nihil dixi, quippe cum inſtitutus ibi ſermo hanc ita illæſam requireret, ut poſſet reſilire, aeremque, etiam medicatum, qui illuc ex ore, labris, naribuſque compreſſis, per viam Tubæ compelleretur, mox per eandem viam retropellere, ad noxiam, congeſtam in Tympano, materiam expurgandam. Quæ cum relegeris; velim exiſtimes, quid tandem habeat novi eadem, ut mihi quidem videtur, medendi ratio, quæ in perbrevi quodam Medico-Chirurgico Scripto octo poſt annis propoſita eſt. Sed ad alia veniamus.

8. Obſervatio quæ hic in Sepulchreto eſt II. perlegenda autem Sect. II. ſub num. LIII. illa nempe eſt quæ a Verneyo (*q*) laudatur. Et ſane ipſa oſtendit, increſcente inter cerebrum, & cerebellum ſteatomate, compreſſiſque primum Opticis nervis ad originem, tum ſubjectis Acuſticis, denique aliis, amauroſim primum, dein ſurditatem, noviſſime mortem ſequi debuiſſe. Docet autem Verneyus id quod Scholii loco huic Obſervationi in nova Sepulchreti Editione addendum fuerat, qua ratione, etſi non quemadmodum oculus, ſic intimæ aurium partes ſub ſenſum cadant, ut illæſum eſſe utrobique organum æque cognoſcere intuendo poſſimus; tamen, ut dicebam, docet, quibus indiciis in aure quoque conjiciamus, vitium omne in nervo conſiſtere. A quo ſane veriſimile eſt eas fuiſſe, quæ alibi (*r*) a nobis in muliere, viroque commemoratæ ſunt tibi, ſurditatem, & auditus gravitatem ante utriuſque apoplexiam.

9. Ad Obſervationem III. non pauca in Scholiis de Tinnitus, aliorumque ejuſmodi ſonorum cauſis adjiciuntur, quorum loco alia, ex Verneyo (*ſ*) pariter ſumpta, ſubſtitui poterant longe meliora. In iis tamen Scholiis nonnulla ſunt minime contemnenda, velut illud de gravi in febribus quibuſdam auditu, ſigno non ſemper pravo, atque adeo interdum bono, præſertim ſi cum iis conjungatur quæ indicent, peccantem materiam ex auris interioribus ejici per Tubam Euſtachianam. Et ſane Valſalva in ſurditatibus quæ acutis morbis ſuperveniunt, aquam ſæpe inveniſſe in Tympano redundantem, alias (*t*) a me tibi indicatum eſt. Quatenus autem eam aquam, aliosve humores liceat, aut non per nova illius Foramina e cranii cavea in Tympanum, ut ipſe faciebat, deducere, fuſius mihi videor alibi (*u*) diſquiſiviſſe, quam

(*d*) n. 2. (*e*) Eph. N. C. Cent. 6. Obſ. 21. (*f*) Earund. Cent. 7. Obſ. 40.
(*g*) Medic. Obſ. Exempl. rar. in Annot. ad Valeſc. Tharant. (*h*) Nat. Hiſt. l. 20. c. 14. & 23.
(*i*) Eph N. C. Cent. 5 Obſ. 72. (*k*) Eorund. Act. T. 4. Obſ. 29. (*l*) Parte ead. Tract. cit. ſupra, n. 2. (*m*) Iliad. 19.
(*n*) Memoir. pour l' Hiſt. des Inſect. T. 4 Mem. 7. & 8. (*o*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 17. (*p*) Epiſt. Anat. 7. n. 14.
(*q*) Tract. & Parte cit. ſupra n. 2. (*r*) Epiſt. 4 n. 8. & 11. (*ſ*) Parte modo indicata. (*t*) Epiſt. 6. n. 5.
(*u*) Epiſt. Anat. 7. n. 5. 6. 7. 8.

quam ut hic oporteat aliud addere, quando ii qui poſt me de iiſdem Foraminibus ſcripſere, meam illam diſquiſitionem perlegiſſe non videntur. Nam vaſcula quidem ſanguifera ego quoque tranſire per illa vidi; ſed *in omnibus non occurrere*, admonui, ſic ut *ipſa penitus obſtruantur*: & profecto arteriolæ quomodo illa tunc etiam implere poſſunt, cum *ſane exigua* non ſunt? qualia certe, nec ſemel, & Valſalva, & ego deprehendimus. Sed actum, ut dixi, non agam. Ad tinnitum potius redibo. De quo in Diſſertatione quadam Cl. Viri hæc legi: *Rariſſima eſt obſervatio, quam Hieron. Mercurialis Conſult. Med. Tom. II. Obſ.* 100. *de viro, & Felix Platerus Obſ. Lib. II. p. 372. de fœmina commemorat, in quibus tinnitus adeo vehemens fuit, ut etiam ab adſtantibus audiretur*. Sed primus id *minime certum* fuiſſe, ſcribit. In alterius autem laudato libro nihil ejuſmodi invenire poſſum: tantum pag. 371. purulentæ auris fœtorem *etiam aſtantibus* fuiſſe *moleſtum*, lego. Quod ſi tu forte id quod ego non potui, invenias; vide, ne de ſono potius arteriæ, intra aurem pulſantis, ſit accipiendum, ſicut in Matrona quadam Verneyus (*x*) memorat: aut ſi revera ſibilus fuit; ab aere fuiſſe, credito, qui in Tympani cavea coacervatus, & mox concluſus, magna illinc vi repente erumperet per foramen quod in ipſa fortaſſe Membrana Tympani, aut ad ſupremam ejus oram ſibi poſſet aperire (*y*).

10. Surditatis a nativitate cauſam in deficiente Incude, aut in omnibus oſſiculis tertia parte minoribus Quarta proponit Obſervatio. Sed in altero Scholio, ſubjectaque Appendice dubitari video propterea quod perforata Membrana Tympani, fractiſque oſſiculis, auditum eſt. Quod Valſalvæ (*z*) obſervatio confirmat in fœmina quæ cum Membranam illam utrinque eroſam aut prorſus, aut maxima ex parte haberet, inde vero nihil oſſiculorum præter Stapedis baſim, hinc autem Incudem a Stapede omnino disjunctum, non ſurda tamen, ſed gravi dumtaxat auditu jam diu fuerat. Eodemque facile attinent Obſervationes Vieuſſenii (*a*), qui in pluribus, non ſurdis illis quidem, ſed tantum difficile, & imperfecte audientibus, idem in eadem Membrana deprehendit, prætereaque male corruptos muſculos oſſiculorum, hæc autem extra ſuum ordinem disjecta; perinde enim habendum eſt ac ſi deeſſent, quod ita locata ſint, ut ſuis muneribus fungi non poſſint. Hæc tamen velim tum de oſſiculis, tum de Membrana Tympani animadvertas. Si in hujus perruptione Stapes excidat: non jam Tympanum dumtaxat, ſed & molliſſimas Labyrinthi membranulas per apertam ſic Feneſtram Ovalem injuriis patere: itaque ab nemine cui Stapes totus exciderit, auditum diu conſervatum legiſſe memini. Tympani autem Membranam etſi Valſalva quoque (*b*) diſerte admonuit non eſſe omnino ad audiendum neceſſariam; tu noli tamen oblviſci, neceſſariam eſſe ad ea protegenda, quibus læſis, audire non poſſumus, Labyrinthum dico, a cujus Feneſtris injurias arcet exteriores, ut ſi vel major, vel crebrior harum violentia urgeat membranulas præſertim, quæ minus ab ortu firmæ ſint, vix fieri poſſit, quin ſaltem longioris temporis curſu prævaleat. Quod ſi nec fœminæ illi de qua paulo ante indicatum eſt, nec canibus accidit, in quibus Valſalva experimentum habuit quod Holderus (*c*), & Williſius (*d*) memoraverant; nempe citius quam accideret, natura in illa ex parte eroſam, in canibus perruptam Membranam Tympani ita reſarſerat, ut ab eodem Valſalva (*e*) compertum eſt. Nec mihi objicias, exteriores tamen injurias auditui eorum non officere, quibus in ea Membrana foramen eſt, per quod ore prolectum nicotianæ herbæ fumum extrudunt; niſi prius examen a me (*f*) inſtitutum perlegeris plerorumque Auctorum qui id vidiſſe dicebantur. Reperies enim primum, quam pauci ſint a quibus id viſum eſſe, conſtet; deinde neminem fortaſſe, qui id quod vidit, quot annis fieri potuerit, nobis teſtetur, ſalva audiendi facultate; denique animadvertes, eam eſſe poſſe illius foraminis ſtructuram, ut exire aer queat, non ingredi, eas autem anguſtias, ut parum aeris, nihil vero pulveris, aliorumque ejuſmodi ſubire per ſe poſſit qua non ſine conatu impulſus fumus prodierit.

Hæc igitur, cum incident caſus aut diſruptorum oſſiculorum, aut eroſæ, pertuſæve Membranæ Tympani, animo perpendes. Nunc ad reliquas, in Sepulchreto productas, Obſervationes redeamus.

11. In V. proponitur auditus læſio a cauſa, Veteribus incognita, videlicet a ſordibus aurium lapideſcentibus. Galenus quidem ſcripſerat (*g*), *e numero eorum quæ* auditorium *meatum obſtruunt, & ſordes eſſe quæ in auribus colligi ſolent*, nec Apollonii remedium *ad aurium ſordem* (*h*), nec ſua *ad ſordes aurium educendas* (*i*) reticuerat, ab Apollonio, ut videtur, accepta, unde & ſua Celſum (*k*) antea accepiſſe, credidero: quæ cum iis conferre poteris, quibus nunc alios, & ſe quoque uſos feliciter, docent Boerhaavius (*l*), & Dethardingius (*m*). Sed etſi Celſus (*n*) *ſordium coitum*, eaſque *duras* interdum, *emolliendas*, & *oriculario ſpecillo eximendas* propoſuit; ipſe tamen, & cæteri Antiqui concretos ex cerumine in auribus calculos haud ſecus atque ex bile in veſicula fellis, diſerte, quemadmodum in hac Obſervatione Caſſerius noſter, memoraſſe non videntur. Nec ſane frequentes ſunt, cum a Caſſerii temporibus, qui *rariſſimos* eſſe, dixit, unam eorum videam Caroli Joſephi Mülleri (*o*) Obſervationem vere laudari, quam & ipſe *longe* arbitrabatur *rariſſimam*. Quin, Patavii ſaltem, vel hoc quod dicam, rarum eſt cerumen hactenus concretum invenire, ut e Meatu quem oppleat, univerſum, quaſi gladius e vagina, aut turunda e fiſtula, trahentem ſequatur; niſi forte aures ab altiore cauſa ſurdæ ſint, eoque neglectæ, ut in viro, de quo alibi (*p*) mentionem feci, iterumque in anu vidi, cui facta erat oſſea illa membranula quæ cum Ovali Feneſtra baſim Stapedis connectit. Alias autem eſſe regiones in quibus vel paulo magis induratum cerumen frequens ſit adeo ut inde ortæ ſurditatis curatio a Chirurgis circulatoribus ſuſcipiatur, facile credo. Nam & in Gallia cerumen *inſtar gypſi inſpiſſatum*, totumque *meatum exacte opplens ſæpiſſime reperiri*, ex Verneyo (*q*), a Valſalva (*r*) antea laudato, ſciebam; ſed eam tamen curationem a *peritioribus* ibi *Chirurgis* adminiſtrari, in ipſo autem Belgio, audiveram, id quod poſtea lecta Cl. Godofr. du Bois Diſſertatio (*ſ*) confirmavit, hanc ſurditatis ſpeciem *raro curari, quia a paucis bene cognita*; ut non ab re duxerim (*t*) curationis, quam a ſe quoque, primo fortaſſis apud noſtrates, inſtitutam Valſalva (*u*) ſcripſerat, exitum referre, exemplumque addere ſurditatis alterius, ab acuto morbo decimum jam menſem perſtantis, ex cerumine, an ex alia materia? ab eodem manu curatæ, eaque occaſione quæ in ejuſmodi curationibus agere ſoleret, quanquam *cum aliis*, ut ibi diſerte monui, *communia*, ſtrictim attingere. Num vero eadem omnino Verneyus habeat, ipſe videris. Mihi certe illud omiſiſſe videor quod Verneyus ipſe narraverat *ex obſerv. 45. volum. primi Actorum Cl. Bartholini*; hujus videlicet conjugem *lapillos per meatum auris cum cerumine excreviſſe*, quam nimirum *cum cerumine* ſcirem *extraxiſſe arenulas*; non lapillos. Quod reliquum eſt, & ad propoſitam in Sepulchreto Obſervationem attinet, ſiquando cerumen ad calculi naturam acceſſit; certe acceſſerat in ea curatione quam Valſalva a ſe peractam memoravit: quæ res, & penitior in qua annos jam duodecim induruerat, Meatus ſedes ſummam ejus & peritiam, & diligentiam in illo per partes ſubinde, ut neceſſe fuit, exi-

(*x*) Tract. Parte ſæpe indicata. (*y*) Vid. Epiſt. Anat. 5. n. 16. & ſeqq. (*z*) Tract. de Aure hum. c. 5. n. 5.
(*a*) Tr. de l'Oreille P. 2. ch. 4. (*b*) n. 5. cit. (*c*) Act. Philoſ. Soc. R. in Anglia A. 1668. n. 1.
(*d*) De Anima Brutor. c. 14. (*e*) n. 5. cit. (*f*) Epiſt. Anat. 5. n. 14. (*g*) De Sympt. Cauſ. l. 1. c. 3.
(*h*) De Compoſ. Medic. ſec. loc. l. 3. c. 1. (*i*) De Remed. parat. facil. c. 10. (*k*) De Medic. l. 6. c. 7. n. 7.
(*l*) Prælect. in Inſtit. §. 551. 698. 850. (*m*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 81. (*n*) n. 7. cit.
(*o*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 6. Obſ. 162. (*p*) Epiſt. Anat. 5. n. 26. (*q*) Parte ſæpius cit.
(*r*) Tract. de Aure hum. c. 1. n. 12. (*ſ*) De Auditu §. 15. (*t*) Epiſt. Anat. 13. n. 3. (*u*) n. 12. cit.

eximendo, apud omnes commendavit. Neque tamen æger *coactus eſt denuo addiſcere voces & loquelam*, etſi *poſt multos annos auditum recuperaverat*; quippe qui, ut ſurdi paſſim facere ſolent, in ſua ſurditate loqui, ſicut antea, perrexerat; ut minime intelligam, quomodo a Præſtantiſſimo Viro potuerit; niſi forte de oblivioſo aliquo, necdum, cum ſurdus eſt factus, ſatis loqui docto; illud dici, quod certe de noſtris ſurdis accidit nemini. Quod vero bruta animalia, ut pote manibus carentia quibus aures purgent, *contra obvia ligna lapideſque auriculas confricent*, atque *id ni fecerint*, *ſurdeſcant*, recte quidem is docuit. Juvat tamen addere auricularum ob id quoque ipſis conceſſam tantam illam mobilitatem, *ut vario motu, undique facto, excrementa acria, & quæcunque negotium facere poterant, ex auribus facilius expellerent*, ut præclare cenſuit Caſſerius in eo ipſo capite, unde V. hæc Obſervatio deſcripta (*x*) eſt. Quid? ſi adjiciam auriculæ primam illam Meatus partem, ſive illum tubulum cartilagineum, *in quo ſordes aurium continentur* (*y*). Hunc certe ſi vel in Iconibus, ab eodem propoſitis brutorum ſpectaveris, ipſiuſque tubuli ſedem, ſtructuram, muſculos attenderis; ſane intelliges, hoc quoque tubulo multifariam tum ſimul cum auriculis agitato, tum ſeorſum producto, contractoque, ſordium exitum promoveri facilius poſſe.

12. Obſervatione VI. quippe quæ nullam peculiarem aut nervi Auditorii, aut ipſius auris conſpectam læſionem proponit, in medio relicta, Obſervationes ſequuntur adjectæ. Quarum prima quatenus ſurditatis inſanabilis cauſam ſtatuit Membranam Tympani *a prima conformatione craſſiorem*; ſi quidem craſſitudo hæc maxima ſit; probanda utique eſt: verum an Laurentius ita viderit, incertum eſt; certum autem, id ſcripſiſſe, non *lib.* 4. *cap.* 18. ſed lib. 11. cap. 13. Hiſtoriæ Anatomicæ, idemque in *ſurdo* alio *a nativitate* ab Lanzono (*z*) fuiſſe conſpectum. Quæ vero in eadem Obſervatione ex Bauhino ſubjiciuntur de multo & craſſo muco in cavea Tympani, eidem Membranæ ſæpius, in pueris præſertim, oppoſito, ut Fabricius noſter animadverterat, cujus teſtimonium in II. quoque Obſervatione inculcatur, ejuſmodi certe ſunt, ut, ea perſiſtente cauſa, nullum dubium ſit de ſurditate, aut magna auditus læſione. Veruntamen quouſque aliqui progreſſi ſint, Fabricii verbis abutentes, ſatis a nobis in Epiſtola quadam Anatomica (*a*) oſtenſum eſt, nunquam propterea negantibus id quod alias (*b*) ad te ſcribentes confirmavimus, ſanioſam materiam vi morbi in Tympano deprehendi: quo Schulzii (*c*) poteris Obſervationem referre.

Porro in V. Anatomica Epiſtola (*d*) ea fuſe, neque indiligenter, ſunt agitata quæ ad III. attinent Obſervationem, a Fabricio eodem acceptam. Membranam hic quidem alteram, Membranæ Tympani exterius adjectam, *bis* in puerulis invenerat *craſſiſſimam, & robuſtiſſimam*, eoque ſurditatis cauſam futuram. Quam tamen alii eandem fuiſſe, non dubitarunt, quæ poſt Kerckringium communis omnibus infantibus tum a Verneyo, Valſalva, Cheſeldeno, Walthero, Winslowio, tum ab Ruyſchio, Drakio, doctiſque aliis Viris comperta eſt. Sed cum hi cuticulæ expanſionem eſſe, traderent; quinque autem illi mucilaginoſam, ſubalbidam, mucoſam, quaſi diffluentem, craſſamque deſcriberent; verum utroſque, ſed aliud alios attendiſſe, deprehendi; nam & tenuis cuticulæ expanſio in fœtibus pariter atque adultis extimam Membranæ Tympani lamellam facit, & huic peculiariter in fœtibus, & infantibus recens natis ſimulatum ex molli materia imponitur integumentum. Quam materiam cum eandem illam ſebaceam eſſe, oſtenderim qua fœtus cutis oblinitur; vides quam proclive ſit intelligere, ſiccari illud potius, atque excidere, quam in craſſiſſimam, & robuſtiſſimam membranam in nonnullis degenerare, cui ſane rei longe minus inepta cuticula eſt. Quæ preſſe hic mihi attingenda exiſtimavi ſimul ut quæ mea de poſtrema iſta Obſervatione ſententia eſſet, intelligeres, ſimul ut ſi me uſquam inter eos connumeratum legeres, qui nihil aliud eſſe quam cuticulam, docuerunt, illam quaſi membranam quæ in recens natis Membranæ Tympani invenitur impoſita; indicata poſſes loca Epiſtolarum relegere. Quod & facias velim ubicunque aliqua, ut ſupra ad Obſervationem V. feci (*e*), non tam ne Valſalvæ, aut mihi, quam ne vero ipſi deeſſem, rurſus attingere coactum me ſenſeris.

13. De IV. in Additamentis Obſervatione duplicatæ Membranæ Tympani, cruſtæve ex denſato cerumine ipſi adhærentis, poſt ea quæ dicta ſunt, nihil attinet hic adjicere: ut neque de V. Manifeſtum enim eſt, ſi caro excreſcens obturet Meatum, auditum intercipi, ni illam demas. Qua autem hoc ſit ratione præſtandum, multi docent, in quibus, præter Equitem Marchettum noſtrum (*f*) qui adoleſcenti ſic nato, audiendi facultatem, præbuit; eſt in primis Verneyus (*g*); qui & alia auditum, auremque lædentia, videlicet altius in Meatum illapſa quemadmodum eximenda ſint, tradidit, non omiſſa, ubi neceſſitas cogat, auris inciſione. Paulus quidem, ut eſt apud noſtrum Fabricium (*h*), & Albucaſis, ut apud Marcellum Donatum (*i*), eandem olim, ſed alio, ut videtur, loco propoſuerunt, aptiore hi fortaſſe ad inſpiciendum, & ad agendum; Verneyus vero tutiore. Quod autem Donatus de ſiliquarum ſemine ſubjicit in Meatum indito; non infrequens hic eſſet in pueris caſus, niſi inter initia occurreretur. Sed cum inſtrumentis ad extrahendum immiſſis haud raro acciderit, ut ejuſmodi ſemina magis ſint introrſum compulſa; non ignotus mihi Chirurgus longe aliam rationem ſecutus in pluribus, feliciter exemit. Scilicet oleum dulcium amygdalarum, aut lac per ſiphonem auricularium vi immiſit; ſic enim ſimul cum iis humoribus regurgitantibus vidit ea ſemina referri, & prodire. Cujus ego rationem cum a Celſo (*k*) quidem præmonſtratam eſſe, dicerem, qui tunc *oriculario clyſtere aquam vehementer intus compellebat*, ſed & monitum Sculteti (*l*) objicerem, in aurium affectibus injectionum violentiam vetantis, *ne membrana tympani rumpatur*; reſpondit ille, ſe vero in nemine ex iis pueris, quibus ea qua dictum eſt, ratione eduxerat illapſa, quidquam in auditu detrimenti, vel tempore interjecto, adhuc animadvertiſſe. Veruntamen ad hujuſmodi ſuſpectas injectiones, aut ad inciſionem, a Fabricio (*m*) minime probatam, ne quis, niſi quam rariſſimis in caſibus cogatur deſcendere, cum alia, atque alia a Chirurgis propoſita, erunt antea in uſum trahenda, tum præſertim, ne illapſa inſtrumentis immiſſis ulterius urgeantur, ſed facilius apprehenſa eximantur, plurimum proderit ea facili ratione qua laudatus Fabricius ſolebat, Meatum quoad ejus fieri poteſt, dirigere ac dilatare, ſic autem directum, ac dilatatum, ſolis luce admiſſa, maxime colluſtrare, huc ſimul translata a naribus, Julii Cæſaris Arantii (*n*) conſuetudine: qui *cum ſolis æſtus, cœlo præſertim calidiore, ægrotanti, medico, miniſtris moleſtiam adferat; idcirco in lignea feneſtra clauſa artefactum foramen, ei muneri obeundo aptiſſimum excogitavit; ut per id ſe ſe inſinuans ſolis radius ad patientis internas nares recta perveniat*. Sed quoniam ſol non ſemper apparet; ex uſu quoque, ſi meliora deſint, eſſe poterit candelæ lumen noctu, vel, ſi interdiu, obſcuro in loco per ampullam cryſtallinam, aquæ plenam, ſic trajectum, ut plurimi ejus radii in Meatum incidant Auditorium. Igitur alterutra harum rationum, quæ & ad alios illuſtrandos receſſus, ut oris, & faucium, ſunt interdum, noctu præſertim, commodiſſimæ, illuminato, a Chirurgi latere, altero ſaltem pariete ejus Meatus; ſic enim & oppo-

(*x*) Pentæſth. l. 4. S. 1. c. 19. (*y*) Declar. Fig. 2. Tab. 1. l. ejuſd. ad CC. (*z*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 62.
(*a*) VII. n. 15. & 16. (*b*) Epiſt. 6. n. 4. (*c*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 223. (*d*) n. 1. & ſeqq. uſq. ad n. 13.
(*e*) n. 11. (*f*) Obſ. Med. Chir. 28. (*g*) Parte ſæpius cit. (*h*) De Chirurg. Operat.
(*i*) De Medic. Hiſt. Mirab. l. 2. c. 11. (*k*) De Medic. l. 6. c. 7. in fin. (*l*) Armam. Chir. Tab. 36. ad Fig. 5.
(*m*) loco indicato. (*n*) l. de Tumor. præter nat. c. 21.

oppoſitus reflexo lumine colluſtrabitur; illapſa melius percipi, certius apprehendi, & felicius extrorſum duci, non temere introrſum compelli, poterunt.

14. De duabus reliquis Obſervationibus pauca admonere ſatis eſt. In VI. proponitur cauſa, cur a nativitate plures ſenſu auditus priventur, quam ullo alio, ex nervorum origine, ut dicitur, detecta. Sed etſi Bauhino, ex quo iſta deſcribuntur, daremus; id quod minime dandum eſt; Mollem Auditorii nervi Portionem per Varolii Pontem, ſive per Annularem Protuberantiam ex cerebello pronaſci; non inde tamen ſequeretur, illam, etiamſi non longum iter conficiat, *facile mucoſis excrementis oppleri*. Quod autem continuo addit Bauhinus, *hinc etiam fieri quod ſemper a nativitate ambæ aures afficiantur, ut Caſſius docuit, cum ex morbo plerumque unam ſolum affici contingat*; nec Caſſius id; quod meminerim; uſquam docuit, & certe Problemate, quod in Bauhini Opere citatur, 17. longe alia ponit; neque neceſſarium eſſet, *ſemper* ambas aures affici a nativitate, tametſi ambæ Portiones Molles ex Protuberantia Annulari orirentur, niſi conſtaret, non modo in ipſa origine contingere ambas inter ſe, verum & ſemper in eadem ipſa origine vitium eſſe. Quod pariter reſponderem, ſi quis nunc idem explicaturus, utriuſque illius Portionis veriorem originem illi ſubſtituens, quæ Bauhini tempore proponebatur, in nova hac quæ Recentioribus demum innotuit, videri, diceret, utramque Portionem inter ſe contingere, in medio nimirum Calami Scriptorii. Hic forſan miraberis, a me Recentioribus id ipſum adſcribi quod olim (*o*) tribueram Piccolhomino, alii autem non huic ſolum, ſed & Varolio, imo Gabrieli Zerbo nunc tribuunt. Verum ſi utriuſque perlegas loca, ab iis deſignata, & primi Figuram I. (*p*) inſpicias; Varolium (*q*) deducere videbis nervos auditus ex ſuo Ponte: ſi Zerbum (*r*); invenies quidem ſcribentem *in origine* hos nervos *concurrere & uniri*: ſed & *conſimilem unionem habere nervos opticos in eorum origine*, præter aliam illam *circa medium deſcenſus*; ut continuo intelligas, non viſas, ſed cogitatas uniones in origine proponi: & ſane cum ſupra (*ſ*) de nervis Opticis ſcriberet, univerſe tradidit, *omnia nervorum* horum *paria apud originem* ſuam *uniri*, & cum de Acuſticis (*t*), de quibus loquimur, *oriri a ventriculo anteriori*. Quod ſi ego ea Piccolhomini verba in quibus *videri* ipſum *adumbraſſe*, dixi, quod poſtea indicavit Williſius, cum iis comparaſſem quæ de aliorum quoque nervorum origine ſcripſerat (*u*), Figuraque adjecta delineaverat; feciſſe illud quidem videri, dixiſſem; re autem vera non feciſſe. Tandem quod in VII. Obſervatione legitur de auditus acutie profecta a tergemino utrinque nervo auditorio; facilius crederem, ſi aut peritiſſimus aliquis Anatomicus nominaretur, qui id conſpexiſſet, aut ſi ipſe (*x*) minime animadvertiſſem, ſingulas ejuſdem nervi Portiones ſæpe in fibras attactu ipſo motuve diſſolvi, Mollem autem *facillime* interdum *in duas treſve craſſiores*, dum cerebrum attollitur, eæque Portiones ſecantur.

15. Etſi plures læſionum auditus cauſas hactenus memoravimus; cave credas majorem attigiſſe cauſarum partem. Eſt enim *Organum auditus*, ut præclare ait Boerhaavius (*y*) *inter omnia ſenſuum organa maxime compoſitum*; quamobrem *plurimæ* in eo *partes*, *& diverſiſſimis modis lædi queunt*; ut, quod alibi (*z*) vere affirmat, ſurditas *morbus unus ſit, & millecuplus*, id comprobante magno illo quem ipſe (*a*), aliique proferunt, cauſarum numero auditum lædentium. Quem tamen numerum in dies augeri poſſe, non eſt dubitandum, ut puta cum innumeræ membranæ quoquoverſum ductæ, & ſe mutuo interſecantes, totam caveam Tympani occupant; quod in ea aure inveni (*b*), qua hominem aut nihil, aut parum audiviſſe, indicia non deerant, itemque cum muſculus aliquis ex iis qui oſſiculorum in Tympano motui inſerviunt, immobilis, & ſtrigoſus eſt, ut in altero deprehendi (*c*), quem viventem, ſiquis divinare poſſet, de certis ejus auris incommodis non fruſtra, opinor, interrogaſſet. Sed & alios communes omnium muſculorum morbos a paucis quos alibi laudavi, memoratos, non mirum ſi in tanto numero Boerhaavius omiſit, qui poſt mala ab ſe enumerata, *plurima* præterea eſſe, ſcripſit. Ab aliis quoque ſurditatis plures variaſque cauſas videbis productis exemplis confirmari, quorum pleraque aut eadem, aut ejuſdem generis ſunt ac ſupra a nobis commemorata. Quæ utinam omnia ſpatium habuiſſent eo quo pollent, acri judicio examinandi, quærendique, an ab Auctoribus, quos laudant, ſingulis eæ res viſæ fuerint, & ſi fuerint, an eæ ipſæ fuerint cauſæ ſurditatis. Id quærentes animadvertiſſent inſuper, nonnulla aut non haberi, aut non ita haberi in quibuſdam ex libris indicatis. Valſalva enim; ut exempli cauſa de ipſo tantum dicam; non a muſculorum Tubæ ſed a Salpingoſtaphylinorum læſione deduxit, non ſurditatem, ſed *gravitatem auditus*: quanquam ego (id quod ad iſtius cauſæ examen attinet) ne gravitatem hanc quidem in eo fuiſſe, deprehendi (*d*), cui non ii tantum *læſi* erant muſculi, ſed *molle palatum abſumptum*. Cæterum ad Boerhaavium ut redeam; egregie ipſe (*e*) ſurditatis a lue Venerea ſæpe cauſam eſſe, cenſet, Tubæ Euſtachianæ concretionem, quæ videlicet ulcerum fauces exedentium cicatricem ſequatur. Ad *Paralytica* autem, quæ indicat, *vitia* (*f*) membranularum, aut nervorum *veſtibuli*, *labyrinthi*, *cochleæ* (pro qua Typographi perperam alibi (*g*) *ſpirales caveas tympani* ſcripſerunt) ad illa, inquam, aut ejuſcemodi vitia referri videtur poſſe ea ſurditas, qua vetulus, & debilis canis jam triennium tenebatur, demum per ſanguinis transfuſionem non ſecus ac debilitas illa, ſublata (*h*). Hactenus de Aurium Affectibus.

16. De Affectibus autem Narium primus eſt in proxima Sepulchreti XX. Sectione *Odoratus amiſſio*, aut *privatio*: qua de re ſex proferuntur Obſervationes: quanquam in III. & VI. quæ una eademque videntur, nulla fit hujus affectus mentio, ut neque in milite de quo in V. Quod ſi forte velis conferre III. cum autographo; non plura invenies: quærenda autem eſt in Rolfincii Diſſert. Anat. l. 2. cap. non XX. ſed XIX. quemadmodum & II. in Schneideri libro de Oſſe Cribiform. pag. non 118. ſed 518. Veruntamen ſi abſque ulla hæſitatione accipienda iſta eſſent quæ de Olfactoriorum nervorum defectu in Tabaccifugis proponuntur, qua de re pag. 503. dubitat Schneiderus; proclive eſſet intelligere, defuiſſe quoque olfactus ſenſum. Quem in Aſthmatico, a nobis diſſecto, minime dubitamus non æque in utraque nare viguiſſe. Erat enim ipſi is proceſſus oſſis ethmoidis qui Criſta Galli appellitatur, oblique adeo poſitus, ſimulque ita factus, ut ſedem foraminulorum per quæ olfactoriæ nerveæ fibræ in naſum trajiciuntur, tanto anguſtiorem altero in latere efficeret, quanto in oppoſito latiorem, itaque multo minor foraminulorum ejuſdemmodi numerus inde erat, quam hinc. Sed hæc rarior inæqualis vis olfaciendi cauſa eſt; illa frequentior quod, ut olim (*i*) quoque adnotavimus, Septum naſi in alterutrum latus, nec modice, in quibuſdam curvatur, ut illinc quidem odoriferis corpuſculis altiora atque ulteriora ſubituris magna ex parte ſe objiciat. Quæ res cum haud raro in naſi anatome occurrat; videant Chirurgi, ne in reconditis ejus vitiis explorandis, curandiſve id quoque a præſenti morbo eſſe ſemper credant quod ſæpe aliunde, & ſæpius ab ipſa natura eſt, aut tantundem ſpatii in altero naſi cavo ſe habituros, quantum in oppoſito invenerint, ab iis decepti qui, ejuſmodi varietatem non attendentes, abſolute ſcribunt „ naſum eſſe diviſum in duas magnas caveas æquales per „ ſeptum interpoſitum „. Huic oppoſitus eſt error alter,

(*o*) Adverſ. Anat. 6. Anim. 27. (*p*) ad litt. *h.* & *i.* (*q*) De nervis Optic. Epiſt. 1. (*r*) Anat. tot. corp. hum. in Anat. Aur.
(*ſ*) in Anat. nerv. Optic. (*t*) in Anat. nervor. quinti Par. (*u*) Anat. Prælect. l. 5. Lect. 5. (*x*) Epiſt. Anat. 12. n. 28.
(*y*) Prælect. in Inſtit. §. 563. (*z*) ad §. 698. 850. & ſeqq. (*a*) Epiſt. Anat. 5. n. 26. (*b*) Ep. Anat. 6. n. 22.
(*c*) Ep. An. 7. n. 15. (*d*) Epiſt. Anat. 9. n. 9. 10. (*e*) Prælect. cit. ad §. 852. (*f*) ad §. 850. (*g*) ad §. 563.
(*h*) Act. Philoſ. Soc. R. in Angl. A. 1668. M. Decembr. n. 2. (*i*) Adverſ. Anat. 6. in calce Explic. Tab. 2.

alter, eorum videlicet, qui Septum *eſſe*, ajunt, *ſemper, ſi pueros excipias, verſus alterutrum latus inclinatum*. Mihi quidem, in hac Anatomes parte frequentiſſime verſato, ut Septa multa videre contigit plus minus curvata; ſic etiam multa ſe obtulerunt ſine curvitate, aut inclinatione in ipſis adultorum corporibus: ut quanquam inter cauſas malæ hujus conformationis eſſe poſſe, non negem, celerius præ cæteris ſuperioris maxillæ oſſibus, Septi ipſius incrementum, unde ſe curvare cogatur; id tamen in omnibus accidere, nec ratio, nec obſervationes credere me ſinunt. Quod neque Cl. Lipſienſem Profeſſorem Quelmalzium (*k*) credidiſſe, intelligo, quando tot alias recenſens, quas aut conjecit, aut obſervavit, incurvationum illarum cauſas, hanc ne verbo quidem attigit. Eas te perlegiſſe non pœnitebit, ut neque detrimenta, moleſtias, impedimenta, quæ inde repetit. Illarum plures & ego agnoſco; hæc vero, imo & morbos alios ſive capitis, ſive oculi, ſive etiam viarum lacrymalium, quos ab aliis produci, video, non ſolum fieri poſſe, credo, dummodo Septi incurvatio magna ſit; verum inſuper ex his ſine ulla nota cauſa diutiſſime & pertinaciſſime vexantibus poſſe, ajo, Chirurgos adduci ad Septi curvitatem in ægro quem curandum ſuſceperint, conjiciendam, & indagandam. Ipſorum gratia nec illud prorſus omittendum crediderim, eſſe aliquando & hanc varietatem poſſe, quam nuper animadverti, dum naſi interiora cujuſdam anus meis Auditoribus demonſtrarem. Septum erat ipſum in neutram partem curvatum, aut inclinatum. Sed infra altitudinis medium, aliquanto propius poſteriora, quam anteriora, pars ejus modica erat cava in facie altera, in altera autem convexa, idque eo magis quod ibi oſſea quædam quaſi inſtita, oblique ducta, ſuperficiem Septi extollebat, ut propemodum ſuperficiem contingeret reſpondentis oſſis Turbinati. Modica pars illa erat, ut dixi; ſed quæ non modicum allatura eſſet Chirurgis impedimentum. His certe errandi periculum creat qui in iis partibus quæ minus oculis expoſitæ ſunt, omnia quaſi perpetua deſcribit: utilior autem eſt is qui, aut ſæpe, aut interdum quæ variare poſſint, oſtendit.

17. Jam vero omiſſis quæſtionibus, huc non ſatis attinentibus, quæ Obſervatione VII. adjectoque Scholio in Sepulchreto proponuntur, an Sinuum Frontalium membrana olfactui inſerviat, in iiſque odores interdum diutius inhæreant, velut in eo exemplo quod in laudato Schneideri libro pag. leges, non 112. ſed 122. & ſequentibus, ut certius ſcias, fœtorem quidem morbidi corporis, non *morbi* tamen, ut alibi legeris, *lethalis* in Mercatoris naribus viginti ipſos dies inhæſiſſe: his igitur omiſſis; quod ad Polypos narium attinet, in proximis Obſervationibus memoratos; optandum fuiſſet, ne iis in Scholiis quæ IX. Obſervationi ſubjecta ſunt, illorum natura, & origo ad eas referretur concretiones polypoſas quæ in Duræ meningis Sinibus haud raro conſpiciuntur: quanquam illud tandem additur, an hæ, illique *ejuſdem ſint indolis, ulterius eſſe diſquirendum*. Cæterum ipſi narium polypi variam tum naturam, tum originis ſedem inter ſe habent. Naturam quidem, ut apud Cl. Palfinium (*l*) is qui ex humorum coacervatione factus, naſi internam membranam ad magnitudinem ovi columbini diſtendente, ab ſummo ad imum apertus, atque ita curatus eſt; & apud Ruyſchium (*m*) illi qui *membrana involuti, ſubſtantiam pituitoſam & limoſam nacti* memorantur: ille autem in primis quem in Sepulchreto animadverti, non in hac quidem Sectione, ſed in ea quæ inſcribitur *de Catarrho* (*n*), deſcriptum inſtar *veſiculæ oblongæ, ... ſero plenæ, ... membranoſæ, ... ſæpe extra nares propendentis, ...* quæ *evacuabatur ſubinde exſtillante ſero*. Longe enim alia natura his eſt: ſi inter veros quidem polypos ſunt recenſendi; ac illis qui ex media inter glanduloſam, & carnoſam ſubſtantia fiunt. Dixi autem, ſi inter veros polypos ſunt recenſendi, propterea quia Maucharti (*o*) cenſura illa, *membrana narium pituitaria ſubjectis phlegmaticis aliquoties jam excidiſſe* (ideſt prolapſum paſſa) *obſervata eſt, ut ignaris impoſuerit pro polypo*, in aliquos cadit, ſi non ex modo propoſitis, at certe ex horum non diſſimillimis. Nec eandem prorſus ac veris polypis naturam fuiſſe, manifeſtum eſt, iis quos Slevogtius (*p*) commemoravit *cartilagineum* videlicet, *vel ſucceſſu temporis oſſeum, aut ad naturam lapidis accedentem, &, ſi fidem meretur, ligneum, viſum a Jobo van Meekren*. Profecto enim ſi hujus (*q*) caput a Slevogtio indicatum perlegeris; non ligneum fuiſſe, intelliges, ſed polypoſam excreſcentiam *fruſtum ligni in medio* continentem, ab ægro, quippe trienni puello, clam intra nares adactum, quod ſuppurationis, & excreſcentiæ cauſa fuerat. Sic etiam quem polypum antiquus Auctor libri II. *de Morbis* (*r*) inter alios ita deſcripſit, *videtur quidem caro eſſe: ſi vero ipſum attigeris, ſtrepitum edit velut lapis*; quanquam Salius (*ſ*) polypum cancroſum fuiſſe, putat; num polypum cancroſum fuiſſe, credes, ut Slenogtius indicaſſe videtur, qui ad naturam lapidis tantummodo accederet? an polypoſam excreſcentiam potius quæ calculum, aut calculos laxius complecteretur duriores? nam calculos e naribus fuiſſe excuſſos *forma & magnitudine dactylorum*, tradidit Th. Bartholinus (*t*); ut minores plures omittam, ab aliis adnotatos, ut a Khernio (*u*), & ab Riedlino (*x*), quorum ultimos Chirurgus, qui in nares immiſſo *inſtrumento ad corpus durum quoddam alliſerat*, apprehenſos forcipe, tam diu trahere perrexit donec extraxit. Denique ſi polypus, non quodammodo cartilagineus, vel ſucceſſu temporis oſſeus fuiſſe dicatur; apud noſtrum enim Equitem Marchettum (*y*), aliosque legi, aliquando polypos *in oſſeam fere duritiem occalleſcere*, Meekrenio (*z*) autem ſcio cartilagineæ duritiei polypum evellere conanti *fracturam paſſum eſſe forcipem magni alias roboris*; ſi igitur non quod duritie ad os accedat, ſed quod revera os ſit, polypus oſſeus dicatur, ut qui apud ipſum Slevogtium (*a*) erat, malim cum eodem (*b*) pro excreſcentia oſſium naſi, quam pro polypo, habere. Originis autem ſedem aliam aliis obtingere polypis, manifeſtum eſt. Nam Ruyſchius (*c*) non ſemel vidit intra Maxillarem Sinum hærentes; ex quo aliquando per ejus excretorium foramen in naſi cavum produci; Chirurgus deprehendit apud laudatum Palfinium (*d*), qui jure cenſet, ex aliis quoque Sinibus produci poſſe: quanquam mihi multo facilius videtur, ut ex eo, in quo inventos dixi, Maxillari proveniant, propterea quod cum muci ex hoc exitus difficilior ſit ob ipſius, & foraminis excretorii ſitum, mora addere, in quibuſdam præſertim corporibus, eam muco acrimoniam poteſt, ut membranulam qua intus veſtitur Sinus, erodat, ex eaque excreſcentis polypi initia præbeat. Alia autem ratione Boerhaavius (*e*) credidit ex Sinibus Pituitariis exiſtere polypos, quaſi, inſpiſſato muco ut prodire non poſſit, *totus denique Sinus aliquis repleatur, & membrana Sinus in pediculum educta per oſtium, in cavitatem narium propendeat*. Quam ego rationem facilius eſſem intellecturus, ſi mucus inter oſſeos Sinus parietes, eamque membranam, alicubi eroſione pertuſam, aut alia ratione aliqua intruſus atque congeſtus diceretur, ut ſic illam tandem a tergo urgens poſſet extrudere. Multo autem ut crebriores, ita etiam majores polyporum origines ſunt extra Sinus, ubi craſſior,

(*k*) Progr. de Narium, earumq. Septi incurvatione. (*l*) Anat. du corps hum. P. 2. tr. 4. ch. 14. (*m*) Obſ. Anat. Chir. 6. (*n*) l. 1. S. 17. Append. 1. ad Obſ. 10. (*o*) Diſſert. de Hernia incarcer. c. 2. (*p*) Diſp. de Polypis capitis §. 29. (*q*) Obſ. Med. Chir. c. 14. (*r*) n. 34. apud Marinell. (*ſ*) Comment. in hunc locum qui ipſi eſt text. 68. (*t*) Cent. 1. Hiſt. Anat. 33. (*u*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 46. (*x*) Dec. ead. A. 9. & 10. Obſ. 145. (*y*) Obſ. Med. Chir. 27. (*z*) Obſ. cit. c. 12. (*a*) Diſp. cit. §. 9. (*b*) Ibid. §. 13. (*c*) Obſ. cit. 77. (*d*) tr. cit. ch. 15. (*e*) Prælect. cit. ad §. 498.

ſior, & manifeſtius glanduloſa membrana eſt pituitaria. Ex hac enim oriri, vel hinc ſatis intelliges, quod inde etiam quo ipſa extra nares extenditur, pronaſcuntur. Sic in Actis Helveticis (*f*) longum, craſſumque polypum non ex naribus, ſed ex faucibus enatum leges. Sic in Commercio Litterario (*g*) polypum, qui hominem ſuffocaverat, inventum fuiſſe oſſi non modo vomeris, ſed & proximo oſſis occipitis additamento, ideſt pharyngis lacunari, adhærentem. Ex eadem vero membrana, quæ modo dictas partes conveſtit, inde multo ſæpius exiſtere polypos ubi narium internos parietes, aut protuberantias obducit, cum, uti dicebam, notius ſit; non ut id confirmem, ſed potius ut ſcias quid Valſalva, & ego viderimus, nonnullas ſubjiciam Obſervationes.

18. VIRO cuidam in utraque nare polypi excreverant. MORTUI aperta penitus cavea narium dextera, duo polypi conſpecti ſunt, ſinguli a ſingulis Spongioſis, ſive Turbinatis oſſibus pendentes. Erat illorum origo ex glanduloſa horum oſſium membrana, manifeſte adeo, ut quo huic erant propiores, eo magis glanduloſam naturam oſtenderent; quo autem magis recedebant, eo magis a glanduloſa natura degenerarent. Neque abſimilia in ſiniſtro narium cavo reperta ſunt.

19. Ut Obſervationem hanc ex Valſalvæ ſchedis, ita illud ex ipſius ore accepi, ſe cum aliter certus eſſe non poſſet, totum penitus polypum ſuo ferro exſcindi, tunc ne is iterum pullularet, non dubitaſſe aliquam ſimul ejus cui adhæreret, ſedis lamellam auferre; naturam enim facile id percuraſſe, & rem ex ſententia ſucceſſiſſe. Non ignoro, cum polypus, Ruyſchio præſente (*h*) excideretur, & *portio cartilaginea ſimul cum polypo ſequeretur*, non viſum hoc ipſi *laudabile*, ſed *ſatius eſſe polypum extrahere cum portione integumenti interioris*. Attamen quid contra Valſalvæ & viſum ſit, & ſucceſſerit, non reticendum exiſtimavi. Sed optandum eſt, licere potius rationem ſequi a Celeberrimo Viro Heiſtero (*i*) feliciter in Nobili Fœmina præmonſtratam, aut, cum id non licet, cavere ſaltem funeſta exempla dilacerati trunci naſalis arteriæ, cujus ſedem præcipuam idem (*k*) propterea indicavit, Præſtantiſſimus autem Hallerus (*l*) ſumma, ut arterias cæteras, diligentia eum quoque truncum propoſuit.

20. Ego vero; ut ad promiſſas obſervationes redeam; ſemel initia polyporum deprehendi, eaque in naribus intimis cujuſdam ſtulti, de cujus cerebro ad te alias (*m*) ſcripſi. Jam noſti ad imam Turbinatorum oſſium oram peculiares quaſdam & rubicundas narium membranæ haud infrequentes craſſitudines a me alibi (*n*) adnotatas, & pro glanduloſis eſſe habitas. In eo autem ſtulto vidi eas craſſitudines qua ad poſtremam Inferiorum eorum oſſium partem attinebant, in laxiores excreviſſe carunculas, ſingulas a ſingulis iis oſſibus pendentes. Quas cum in quamcunque partem inciderem; ita conſtructas animadverti, ut intra album reticulum, ſive mavis intra albos cancellos rubicundas areas complecti viderentur: quæ res ſimul glanduloſam earum craſſitudinum naturam confirmabat, ſimul glanduloſam polypoſarum carunculårum originem oſtendebat. Ad hanc fortaſſe referenda ſunt, quæ in duobus aliis viris, ſed aliis in ſedibus, & aliter ſe habentia, animadverti. In altero enim ad ſuperiorem naſi partem tres aut quatuor inter ſe vicinæ quaſi ſeſſiles verrucæ occurrebant, quarum ſubſtantia, quantum in earum exigua altitudine judicare potui, fungoſa videbatur. Erant hæ in altera naſi cavea prope foraminulentam laminam oſſis ethmoidis in Septo ipſo, ſi recte memini. Alterius autem viri, qui hydropicus ille fuit, in quo dexterum Lacrymalem ductum coaluiſſe, adnotavi (*o*), cum hujus orificium ductus fruſtra quærerem; animadverti, eam faciem oſſis Turbinati Inferioris, cui faciei orificium illud objici conſuevit, totam ferme, præſertim inferiora verſus, conſitam tuberculis confertiſſimis, forma & magnitudine granorum milii, niſi quod partim erant paulo majores, glandulas cinereo colore, & humore, quem preſſæ non pauciſſimum emittebant, referentibus. Erat is humor tenuis, & inodorus aquæ inſtar: tubercula autem diſſecta, etſi mole decreſcebant, non tamen oblitterabantur; ſed ſuam magna ex parte conſervabant ſubſtantiam, quæ concolor, & perſimilis ejus erat ex qua conſtabat membrana pituitaria. Itaque tametſi conſpicua oſcula nuſquam apparebant; ea tubercula nihil eſſe aliud, niſi auctas glandulas exiſtimavi, quarum aliquæ, ut præ cæteris jam grandeſcebant, ſic, creſcente illo quo diſtendebantur, humore, facile in carunculas poſſent excreſcere. In neutro horum hominum cum reliquos omnes interioris naſi parietes diligenter inſpicerem, uſquam, niſi ubi dixi, verrucæ, aut tubercula reperta ſunt.

21. Antequam ab extremo IX. Obſervationis Scholio recedamus, in quo vas ab Stenone inventum commemoratur, ex eoque etiam ſtillicidia narium repetuntur; quam vellemus, ut quantum ille (*p*) in ovibus, *ſtyli* videlicet *capax*, propoſuit, tantum in hominibus quoque reperire alii potuiſſent. Nec vero id dico ob illud tantummodo, ut ſic explicari facilius poſſet obſervatio Salmuthi, qui nares vidit *quemadmodum aliis ſanguine ſtillant*, ſic *pituita tenui cuidam ſtillare integrum triduum, per intervalla tamen*, ſicut in Sepulchreto ipſo (*q*) legeris. Sed potiſſimum dico ob multo rarius ſtillicidium in lectiſſima Veneta Muliere, pro qua A. 1745. ſub Junii finem conſultus ſum. Ex quo enim proxima hyeme coryza laboraverat cum frequenti acri ſtillicidio e nare dumtaxat ſiniſtra, poſt cætera, brevi ſublata, incommoda, ab eodem jam plures menſes, indidem ſemper, ſtillicidio male haberi perrexerat, tumque etiam pergebat, niſi quod ſimul cum coryza omnibus acredinis indiciis abeuntibus, poſtea guttæ, inſtar aquæ puriſſimi fontis, excidebant ea frequentia, ut unciæ dimidium ſingulis æquarent horis, muliere quidem non decumbente; nam decumbente, per naſi poſteriora foramina in fauces multo minori, quantum conjicere licebat, copia divertebant: jamque mulieris habitus, natura plenior, extenuari incipiebat, nihil omnino proficientibus auxiliis, quæ ad minuendum ſtillicidium a Medicis Præſtantiſſimis tum exhibita, tum adhibita fuerant. Veruntamen quod per unum ampliorem canalem, cujus orificium laxatum eſſet, facilius intelligi potuiſſet, per quamplurima tenuiora oſcula præter modum patentia explicatum eſt, quæ videlicet humorem antea emitterent, quam opportuna mora plurimæ aqueæ particulæ aliæ avolarent, aliæ in ſanguinem redirent: commendatiſque primum quæ ad alias vias humorem avocando, narium membranam allevarent, tum deinde quæ huic retinendi vim ſenſim reſtituerent interius, exteriuſque præſertim per idonea, & caute adhibenda ſuffumigia, præſcripta ſunt, analogiſmo in rariſſimi affectus curatione ab iis deducto quæ adverſus frequentiſſimum, puta fluorem uterinum, opitulantur. Stillicidium poſtea audivi, lente adeo imminutum, ut plures poſt menſes duraret, intra anni circiter ſpatium denique finem habuiſſe. Multo uberius quam hoc, ſtillicidium, ut *ſpatio viginti quinque horarum, circiter viginti puriſſimi laticis unciæ de narium dextra deſtillaverint*, leges quidem apud Bidloum (*r*). Verum id ex graviſſima, ab exteriore cauſa, ejuſdem naris læſione, unde ulcus, quamvis leviſſimum, totam intus occupaverat, & mox humor turbidus factus, & turundæ inditæ, pure conſperſæ eductæ ſunt. Per quas, immiſſa, injectaque medicamenta cito cohibitum ſtillicidium: æger autem poſt vehementia tum initio, tum poſtea conjuncta mala, intra ſeptem, aut octo menſes eſt mortuus.

22. Proximæ ſunt graveolentis ſanioſæve materiæ pro-

(*f*) Vol. 1. (*g*) A. 1731. Specim. 45. n. 4. (*h*) Theſ. Anat. 3. n. 80. (*i*) Inſtit. Chir. P. 2. S. 2. c. 71. n. 7.
(*k*) Diſſert. de Anat. maj. in Chir. neceſſ. c. 1. n. 2. (*l*) ad Prælect. Boerh. in Inſtit. §. 494. not. *e* (*m*) Epiſt. 8. n. 11.
(*n*) Adverſ. Anat. 6. Anim. 88. in fin. (*o*) Epiſt. 13. n. 27. (*p*) De Glandul. n. 8. (*q*) Sect. 17. Append. 2. ad Obſ. 10.
(*r*) Dec. 2. Exercit. Anat. Chir. 7.

deuntis e naribus Obſervationes quatuor, vel potius tres. X. enim, & XIII. una eademque ſunt evidenter adeo, ut permirum ſit, in tanta vicinitate id minime eſſe animadverſum. Quod autem ejuſmodi excretionum fomes intra cranium eſſet, credi olim poterat; nunc vero non poteſt. Cæterum ut Obſervatione XI. præclare oſtenditur, quod pus e moribundi naribus exierat, illuc e pulmonibus redundaſſe; ſic per XII. non conſtat, quod e lethargici pueri naſo egreſſum eſt, in hunc ex cerebri abſceſſu deſcendiſſe: quod Epiſtola quoque ad te VI. (ſ) ubi cum alia alterius pueri, hujus etiam hiſtoriam, ſuperius in Sepulchreto (*t*) propoſitam, ante oculos habebam, ſatis indicatum eſt. Quod ſi alia forte requiris; potes in Epiſtola V. (*u*) relegere, nihil puris intra ejus cadaveris cranium fuiſſe, e cujus naribus illud defluere, conſpexeram. Idem admonere Palfinium (*x*) videbis, recteque e Sinibus Pituitariis ejuſdemmodi excretiones deducere. Indidemque, aut potius ex aliis narium receſſibus intelliges deduxiſſe Fernelium eo loco qui in Obſervatione V. hujus Sectionis profertur: *circum eas ſedes abſceſſus interdum fiunt, nulla febre, minimo dolore, e quibus ruptis animadverti pus ſyncerum per nares affatim profluere, perinde atque e purulentis auribus, idque nullo incommodo valetudinis*. Quis enim hæc credat ejuſmodi Virum de abſceſſibus dixiſſe ad eas partes ſpectantibus, quas proxime nominaverat, *priores* videlicet *cerebri ventriculos, & eas propagines in quibus eſt odorandi ſenſus*? Certe non iis in ſedibus dixit, ſed *circum eas ſedes*. Quod ſi Palfinius (*y*), confirmante obſervatione Henr. Alb. Nicolai (*z*), præſertim cum abſceſſum in Frontalibus Sinibus bis ſe reperiſſe, dicat; ſi Palfinius inquam, ſuppuratione quæ in Pituitariis Sinibus contingat, motum iri, ait, *dolorem intolerabilem*; quanto hinc magis debere in meningibus moveri, tunc cenſuiſſet Fernelius, quarum altera propagines illæ intra calvariam veſtiuntur, alteri incumbunt; nam illarum nomine eaſdem ipſe quoque (*a*) propagines intelligebat, quas nunc primum nervorum conjugationem vocamus: atque, ut dolorem prætermittam; quomodo nulla tunc febris? nullum incommodum valetudinis? Sane vix hæc de abſceſſibus credi poſſunt, qui in naſi aliqua hebetioris ſenſus parte fiant. Cæterum ozænarum ſaniem non de aliis modo narium ſedibus, verum de ipſis quoque Sinibus interdum prodire, & præſertim de Maxillaribus, Drakius (*b*) oſtendit, ſed ex Cowperi, ſi recte memini, obſervationibus, quæ rem ipſam, dignoſcendi ejus modum, & quam facili ratione in illos ipſos Sinus immitti queant medicamenta, patefecerunt, non ſine Anatomes, cui illa omnia debentur, eximia laude. Nam ſi veteres Chirurgi, ut eſt apud Celſum (*c*), narem incidere, mox tranſuendam, docebant, ut ad longe minus abditam ozænæ ſedem ſua pervenire præſidia poſſent; nunc Anatome multo expeditiorem & optabiliorem rationem docuit, qua perveniant in abditiſſimam. An vero (id quod Epiſtolam hanc recenſens, in Programmate quodam (*d*) nunc primum legi Eruditiſſimi Gunzii) eandem curandi rationem Jo. Henr. Meibonius invenerit, & Henricus quoque ejus filius in uſum duxerit, alii videant. Ipſe enim, præter exitum per evulſorum dentium alveolos e Maxillari Sinu materiæ datum, cæterorum quæ a Cowpero ſunt, nihil, tanquam Meibomiis pariter notum, hic proferri, animadverto: quin idem ex parte fatetur Gunzius, a quo denique addita etiam alia, ad perficiendam eam curationem attinentia, non illibenter cognoſces. Quem autem ad modum transferri priora illa poſſint ad Sinus Frontales, per te ipſe intelliges, ſi horum ſedem attenderis, & propoſitam in ſuppuratione quæ in ipſis accidat, a Palfinio (*e*) terebrationem: quæ res non eſſet quidem optanda adeo, & ſua, ut idem paulo ante oſtendit, conjuncta habere poſſet incommoda: ſed tamen longe majora, & mortem denique ipſam non curata ozæna, & caries ſæpenumero attulere. Ubi vero naſi ulcus extra Sinus eſſet, nec conſtaret, ad quas omnino partes, & quatenus ſe extenderet, Valſalvam memini quidquid innoxiorum remediorum injiceret, per fiſtulam injeciſſe, cujus caput, & ſumma latera undique foraminulis pertuſa eſſent, nulla ut pars aſperſione careret. Idem quoque cum per ulcus exedi, & ſubſidere inciperet Septum naſi, ſimul internis externiſque pugnabat auxiliis, ne ulcus creſceret, ſimul leves tubulos naribus indebat ea forma, & magnitudine, ut concidentes naſi alæ minus, quo ad ejus fieri poſſet, ab naturali figura recederent.

23. Sequuntur quæ ad hæmorrhagiam narium attinent Obſervationes. Earum aliæ ad curationem pertinent, neque in mortuorum corporibus habitæ ſunt: aliæ vero in his quidem ſunt habitæ, ſed non ubi maxime debebant, in naſo videlicet. Itaque perpauca dumtaxat ſubjiciemus quæ ad utrumque genus attineant, a ſecundo incipientes. Cum frequentibus, aut magnis per nares hæmorrhagiis viſcerum labem conjungi, jecoris præſertim, & lienis, Obſervationes confirmant XIV. & XVI. præter alias quas addere potes, in primis unam Mauricii Hoffmanni (*f*). Nec mirum; nam ſive ea vitia effuſionem ſanguinis præcedunt; ita hujus diſtributionem naturamque pervertunt, ut cum difficilius per ventrem, facilius, ideoque copioſius per ſuperiora feratur, ſimul ob aqueam, aut acrem indolem exitum hinc ſibi aut inveniat, aut paret; ſive ſanguinis profuſionibus ea vitia ſuccedunt; in illius alveum ob imminutam reſiſtentiam multa affatim confluent, quæ ob id ipſum non reparent quod deeſt ſanguinis, ſed quod reſtat, obruant, eumque inertiorem, craſſioremve, & ad moram pronum tanto facilius efficiant, quod non niſi e bono ſanguine boni ſucci ſecerni poſſunt ad bonum chylum conficiendum. Igitur eorum viſcerum labes interdum eſt cauſa, interdum effectus hujus hæmorrhagiæ: & quamvis mox quæ erat effectus, cauſa fiat; nunquam tamen proxima cauſa eſt, ſed remota. Proxima quidem cauſa corroſio illa eſſet vaſorum, quam in XV. Obſervatione ait Boſcus, ſe *obſervaviſſe in Anatome* eorum *qui ſanguinis fluxu e naribus moriuntur*; ſi de vaſis quæ in caveis narium ſunt, locutum eſſe, conſtaret: nam quod de initio venoſi ejus Sinus qui Falcis Superior dicitur, videtur loqui; id certe initium intra nares non extenditur; ut quamvis eadem cauſa quæ vaſa intra has eroderet, illud quoque interdum eroſiſſet, ab illo tamen effuſus ſanguis, e cranio ſecundum naturam conſtituto, deſcendere non potuiſſet in nares, quemadmodum ex Schneidero cum in Scholio, illi Obſervationi ſubjecto, tum maxime in ea quæ proxime præpoſita eſt, II. Appendice adverſus plures egregios alioquin Viros, qui narium hæmorrhagiam ex illo Sinu deduxere, plane demonſtratum eſt. Hi qui fuerint, atque alia perperam, inter Schneideri verba, ne ſuſpicante quidem lectore prætermiſſa, aut oſcitanter deſcripta, Auctore ipſo inſpecto, cognoſces.

24. Quamvis autem Valſalvæ Obſervatio, Bononiæ etiam nunc cum laude commemorata, habita non ſit in corporibus mortuorum; non eſt tamen hic omittenda, quando etiam in Sepulchreto, ut ante dixi, Obſervationes producuntur, velut ea quæ in Appendice eſt I. ad curationem attinentes. Vir Nobiliſſimus poſtquam ad confirmandos articulos, lutis Euganeis abuſus fuerat, cœpit eſſe obnoxius narium hæmorrhagiæ, ſæpe adeo redeunti, ut ſingulis fere hebdomadis nunc minor, nunc major, nunc tanta ſanguinis copia effunderetur, ut ſummam virium, & capitis imbecillitatem relinqueret. Quadriennium, eoque amplius res ita ſe habuerunt: nam etſi eos annos, ut ipſius poſtulabat munus (erat enim inter primarios Magnæ cujuſdam Aulæ Miniſtros) in variis exegit, præcipuiſque Europæ Civitatibus, ubi plura tum coram, tum per litteras conſilia Medicorum accepit; omnia tamen fuerunt irrita. Tandem in Patriam redux, Valſalvam advocat eo tempore quo

major

(ſ) n. 5. (*t*) Sect. 3. Obſ. 34. (*u*) n. 19. (*x*) tr. cit. ſupra ad n. 17. ch. 15. (*y*) Ibid. (*z*) Dec. Obſ. III. Anat. Obſ. 10.
(*a*) Vid. Phyſiolog. l. 1. c 9. (*b*) Anthropol. book 2. ch. 10. (*c*) De Medic. l. 7. c. 11.
(*d*) edito A. 1753. in quo Obſ. ad Ozænam Maxillat. pert. (*e*) ch. 15. cit. (*f*) Eph. N. C. Cent. 9. & 10. in Append. I. Obſ. 5.

major ſanguinis fluebat copia. Nota jam antea Valſalvæ erant quæ Nobiliſſimo Viro contigerant, ut qui inter eos fuerat Medicos qui rogati ſua per litteras conſilia miſerant. Sed raro fit, ut Medici miſſa ab ægrotantibus ſcripta legentes, idem intelligant quod videntes intelligerent, ut tum accidit. Cum enim Valſalva animadvertiſſet, quotieſcunque æger forte contrectabat naſum, ſanguinis fluxum qui antea remiſiſſet, tunc iterum augeri, & cum meminiſſet plerumque vidiſſe in diſſectionibus ſanguifera vaſa intra nares valde turgida circa eam ſedem ubi alæ naſi digito plus minus tranſverſo ab imis naribus cum oſſe committuntur; ſuſpicari cœpit, ex iis vaſis tum ſanguinem effluere. Itaque eam ſedem immiſſo digito preſſit, & continuo ſanguis fluere deſiit ſic, ut neque ad fauces quidquam ſanguinis deflueret. Atque hoc facili remedii genere, ſemper poſtea reſpondente, æger qui ipſum didicerat, in uſum vocato, intra aliquot tandem menſes ſe ab hæmorrhagiæ recurſu tunc quidem liberum præſtitit (*g*).

25. Felix hæc Valſalvæ curatio indicat, turundas, ad ſanguinis fluxum coercendum in nares immiſſas, non tam adſtringentium, quibus tinctæ ſunt, medicamentorum vi, quam compreſſione ipſa aliquando prodeſſe poſſe, nempe cum ſanguis e vaſis exit aut iiſdem, aut iis certe quæ turundis premantur. Memini; ut de aliis ſileam; Viduæ cuidam pauperculæ ſanguinem e naribus poſt ſternutationem fluere cum impetu incipientem, horas ipſas novem profluxiſſe donec cum illac forte tranſirem adoleſcentulus, a flentibus mulieribus rogatus, cæteris quæ fruſtra alii ante me Medici, vena jam ſecta, nonnulla dederant, plura adhibuerant, laudatis, unum mutavi, nempe ut pro turundis mollibus, factæ ex contorto linteolo immitterentur: quo facto, ſanguis continuo ſubſtitit. Erant hæ quidem madefactæ urticæ ſucco (quo uno in nares attracto ipſe quoque compeſci interdum videram hæmorrhagiam) eoque commiſto cum ovi albumine, & fuligine ab aheni fundo deraſa, & in pulverem tenuiſſimum contrita. Sed & priores illæ turundæ medicamentis illitæ fuerant glutinandi, adſtringendique vi præditis; verum ob mollitiem ad comprimendum non aptæ. Ut ut eſt; tantum ſanguinis ex ejus Viduæ naſo prodierat, ut ſexdecim poſt dies ad me venerit, adverſus novum morbum conſilium petens, malum videlicet corporis habitum cum palpitatione cordis, & ſpirandi difficultate, ut ſæpius ſolet, conjunctum. Narrabat ſimul, cum ſanguis ſubſtitit, anxietatem quandam ſenſiſſe, quæ poſtmodum evanuerat: poſt aliquot autem dies menſtruum ſanguinem effluxiſſe, pauciorem ſane quam ſoleret, ac nigrum: &, quod minime diſplicuit, ſe plurimam urinam excernere. Itaque cum ſpe, non falſa, priſtinæ ſanitatis dimiſi, modo eam quam ſuadebam, vivendi normam ſervaret, ac nonnullis, quæ indicavi, remediis uteretur, facile parabilibus. Sed illuc ut redeam; cum vaſcula ſanguinem fundentia non ſemper ſint in iis naſi ſedibus quæ turundis inditis comprimi poſſint, aut, quod certius eſſet, ſiquando in ea parte Septi eſſent quæ in conſpectum veniret, inſtrumento non valde illius diſſimili quod Præcl. Trewius (*h*) alium in finem excogitavit; videndum eſt in graviſſimis caſibus, num ea premere forte liceat ratione illa, quam ad ſanguinem poſt exciſionem polypi cohibendum Cel. Heiſterus (*i*) a Cl. Dranio acceptam commemoravit, nunc præſertim quando ut faciliorem, minuſque incommodam eandem redderet, allaboravit Chirurgus Ingenioſiſſimus Goulardus (*k*). Quanto autem minus hujuſmodi fuerit auxiliis locus; tanto major cæterorum cura habenda erit: inter quæ ſiquando proxima deſperatio Medicum cogat animi defectionem tentare; videtur is minus probandus qui repentino incuſſo metu, quam qui injectis circum artus vinculis, ægroque ad ſedendum erecto id tentet; ſic enim vinculis illico ſolutis, ægroque iterum jacente, auxiliiſque ad id antea paratis refocillato facilius poterit animi defectionem tollere, quam ſi hæc terrorem ſecuta eſſet. Cæterum quæ ad ſervandas vires in contumacibus hæmorrhagiis dare oportet, videndum, ne ea ſint quæ aut motum ſanguinis incitent, aut copiam repente augeant. Sic Valſalva juſcula, cum oryza, aut hordeo confecta, dabat, & hæc ipſa parce, & per vices: quanquam temeritas aliquando felix fuit, ut ſauciato illi ſitibundo Juveni apud Schneiderum (*l*), & Adoleſcenti alteri, de quo ſcribit Lowerus (*m*): quorum uterque in immodico ſanguinis profluvio tantum ille cereviſiæ, hic juſculorum avide biberunt, ut illi ſanguinis guttæ prodirent *maxima ex parte aquoſæ*, huic autem *ipſis juſculis, quæ toties hauſerat, quam ſanguini ſimiliores*. Utrumque tamen ſervatum leges, imo Adoleſcentem poſtea *in virum robuſtum, & quadratum excreviſſe*; ut intelligas, ubi neceſſitas adigat, multo ſatius eſſe juſculis aliquanto largius datis, circulationem reliqui ſanguinis, quo ad ejus fieri poſſit, conſervare, quam eam ſinere nimia ſimul & hæmorrhagia, & abſtinentia finiri. Quod ſi forte quæras, ubi compreſſioni locus non eſſet, quibus Valſalva uteretur externis auxiliis; libenter dicam. Primum frigidam per ſiphonem in nares injici, jubebat, quam ſæpe viderat, ſic quidem immiſſam, plus quam ſperabatur, præſtitiſſe. Ubi vero non ſatis feciſſet; ad vini ſpiritum confugiebat. Nec tamen legiſſe poterat Experientiſſimum Schlichtingium (*n*) ſcribentem, vini *alchool*, *ſpecifici inſtar ab ſe, & ab alio Medico* Amſtelodamenſi *feliciter ſemper adhibitum fuiſſe*, ſenſim ſenſimque naribus attractum, quippe remedium non minus efficax ad hanc, quam ad vulnerum hæmorrhagias ſiſtendas. A quibus ad hanc narium Valſalva tranſtulerat, ut opinor, expertus videlicet, quantum valeret cum ſanguinem cogendo, tum præſertim inciſarum minorum arteriarum ora contrahendo; hinc enim eſſe videtur, quod, dente evulſo, cohibendo ſanguini nonnunquam par non ſit, tunc nimirum cum arteriolæ diſruptæ oſculum intra alveoli cavum non prominet, ſed ipſa tota intra hujus ſubſtantiam latet, non ſecus atque intra os tibiæ arteria illa ex qua moleſtam hæmorrhagiam animadvertit Petitus (*o*). Vides igitur, aliquando incidere poſſe caſus in quibus ne hoc quidem auxilio, ſanguinis per nares fluxum coerceas. Quod tanto magis de cæteris credes tum externis, tum internis, ubi ex utriſque tot legeris fruſtra a Medicis non raro adhibita, & nominatim ab Lentilio (*p*), qui prudenter indicat, aliam in aliis hæmorrhagiæ cauſam eſſe ſpectandam. Cum vetera aliquando monumenta verſarem Patriæ, & Provinciæ meæ; reperi A. 1200. *interitum hominum ingentem fuiſſe ex fluxu ſanguinis e naribus ſpatio 24. horarum in Etruria, & Romandiola*: & ſane ad eundem annum, quamvis unde flueret ſanguis, reticeat, hæc pariter habet Ariminenſis Hiſtoricus Clementinius (*q*): „ obierunt Arimini multi ex ſanguinis „ fluxu intra horas 24. innumeri autem Ravennæ, in „ aliiſque Urbibus Provinciæ „ noſtræ. Num cenſes, Medicos omnia quæ tunc in uſu erant, adſtringentia in primis, non adhibuiſſe? incaſſum tamen, ut vides; quippe epidemica cauſa incognita. De adſtringentibus autem ipſis quæ admoneat Lentilius (*r*), attende, illudque præterea, num ſit veriſimile, cum aſſumuntur, tam cito poſſe, tantiſque viribus ad ea potiſſimum ad quæ opus eſſet, vaſa, neque adſtrictis cæteris, pervenire. Et tamen nunc plures videas, urgente periculo, ad fungum coccineum Melitenſem decurrere, quem ne verum quidem fortaſſe habent. Ego enim ex quo me Eques Melitenſis, civis meus, docuit, quam exiguo numero, quippe in anguſtiſſimo ſcopulo, ii fungi in ſingulos annos proveniant, & qua cura, ut Viris Principibus dono mittantur, ſervari ſoleant; plurimum vereor, ne ii qui venales proſtant, ex alio qui prope Drepa-

num

(*g*) Vid. Epiſt. 25. n. 6. (*h*) Commerc. Litter. A. 1741. Hebd. 16. n. 2. & Tab. 1. Fig. 8. 9.
(*i*) Inſtit. Chir. P. 2. S. 2. c. 71. n. 10. (*k*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1740. (*l*) De Catarrh. l. 3. c. 3.
(*m*) Tract. de Corde c. 2. (*n*) Act. N. C. Tom. 6. Obſ. 20. (*o*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1732.
(*p*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 8. Append. n. 10. ad Obſ. 90. (*q*) Racconto Iſtor. della Fond. di Rimino l. 3.
(*r*) ad cit. Obſ. 90.

num eſt, ſcopulo, aut ex Africa afferantur, ſimiles quidem forma, & quadantenus etiam colore, ſed longe, ut idem dicebat, impares viribus.

26. Duæ quæ omnium poſtremæ in Sectione hac producuntur, Obſervationes, ambæ, ut dicitur, Romæ habitæ, ejuſmodi ſunt, ut altera quæ de hirudine eſt e naribus ad cerebri tunicas penetrante, ſimul proponatur, ſimul jure, ac merito rejiciatur; altera autem de Piſtore Suburrano tanquam certa exhibeatur, cui, *cum vicesies quater ſternutaſſet continue, ſuccedens proxime ſternutamentum 25. exitio fuit diſruptis arteriis & membranis cerebrum circumcingentibus*. De magnis a ſternutatione detrimentis equidem ipſe non dubito, quæ Medicæ teſtantur hiſtoriæ: quin etiam ſi ab ea velis in Piſtore illo vaſcula cerebri diſrupta eſſe, non ſecus atque in Vidua de qua paulo ante (*ſ*) dictum eſt, in narium tunica aperta fuerant; non valde repugnabo. Illud dubium eſt, an cerebri vaſa, & membranæ revera in eo Piſtore diſruptæ ſint. Famianus enim Strada qui Obſervationis quaſi teſtis producitur, in ea Proluſione quæ inſcribitur *Piſtor Suburranus* (*t*), nihil, quantum ego reperire potui, de eo habet, niſi relatum ſibi, *poſteaquam ter ac vicies continenti ſpiritu ſternuiſſet, vigeſimo quarto ſternutamento animam efflaſſe*; de cauſa autem mortis intima, nedum de cerebri inſpectione, ne verbum quidem. Sine hac vero in ejuſmodi conjecturis quam proclive ſit decipi, ſubjecta Obſervatio oſtendet, ab duobus non ignobilibus Medicis Salano, & Bigatto Bononiæ, cum ibi eſſem, habita ſub finem A. 1705.

27. VIR Patricius, annos natus circiter quadraginta, præpinguis, Baccho, ut ajebant, indulgens, ab aliquo jam tempore ſpirandi difficultati a cibo, & a ſcalarum aſcenſu obnoxius erat. Is crebro, & vehementer ſternutare ſolitus, poſt aliquot tandem ſternutationes, magna repente thoracis anguſtia, & reſpirandi difficultate ſe corripi, dicit: idque dicens, ſternutat ſimul, & moritur, ore, ut aliqui retulerunt, diſtorto. VENTER apertus ſana omnia habuit, ſi magnam pinguedinis copiam, in omento præſertim, excipias. Thoracis cavum, propterea (*u*) fortaſſe, paulo minus æquo viſum eſt. Pulmones lividuli. Nullæ in corde polypoſæ concretiones. Denique in Cerebri ventriculis aqua; ſed pauca: vaſa autem ejus diſtenta, & turgida; ſed integra.

28. Sternutationem, quæ convulſio quædam eſt ex inſtituto naturæ, ſiquando modum excedat, poſſe in veram convulſionem degenerare, facile intelligis: ab hac autem afferri poſſe apoplexiam, alias (*x*) a nobis accepiſti: id vero in iis præſertim corporibus accidit, in quibus cum ſanguis ob vivendi genus redundet, non poteſt tamen, obſtante alibi pinguedine, alia magis vaſa diſtendere, quam quæ cranio continentur. Quonam autem modo narium membrana irritata, in conſenſum trahere diaphragma poſſit, & in violentum ſternutationis motum concitare, mirari adeo Viros quoſdam Præſtantiſſimos video, ut ex notiſſima hac inter diaphragma, & nares ſympathia argumentum petant adverſus illos qui Partium inter ſe conſenſum per nervos exponunt. Nihil enim commercii eſt, inquiunt, nervis Olfactoriis qui ad primum Par cerebri attinent, cum diaphragmatis nervis qui ex Cervicalibus proveniunt; obliti videlicet nervorum qui a Pari cerebri quincto in narium membranam immittuntur, aut nihil potius opinantes idem Par quinctum ad Intercoſtales qui & cum Cervicalibus tot habent communicationes, & per diaphragma tranſeunt, attinere. Attinet autem, ſi non per duo illa filamenta, quæ a pleriſque antea ponebantur, & diuturnæ controverſiæ occaſionem dederant, at per ramulum quem Diligentiſſimus nervorum Perſcrutator Meckelius (*y*) aliquanto inferius a quincto in eoſdem Intercoſtales utrinque perduxit; ut non modo inter nares, ſeptumque Tranſverſum, ſed inter illas, & ventris viſcera conſenſum jam liceat explicare, velut eum quem in Procere Generoſiſſimo, pro quo conſulebar, annis ſuperioribus animadverti. Inſultus enim quibus erat obnoxius, de epilepticorum genere, eoſque ex hypochondriis incipientes, ſenſus præcedebat, ipſi moleſtiſſimus, fœtoris cujuſdam, quem nemo adſtantium percipere unquam potuit, ne oris quidem, & narium halitum eo tempore de induſtria excipientium quo ille maxime de fœtore querebatur; ut propterea mihi videretur, ab irritato in hypochondriis ramo aliquo nervorum Intercoſtalium eum motum in narium membranam propagari qui non abſimilis ejus eſſet quem res graveolens excitaret, donec creſcente Intercoſtalium nervorum irritatione, multo perturbatior motus cerebrum, & nervos omnes corriperet. Sed de Narium Affectibus ſatis.

29. Sectiones tres ſequuntur de Oris, de Vocis, de Faucium Affectionibus. Ad quas ſi dixero, non eſſe, cur Valſalvæ, aut meas Obſervationes magnopere expectes; fortaſſe mireris. Mirari tamen deſines, ubi animadverteris, non eſſe meæ conſuetudinis iterare hiſtorias, aut quæ aptiorem alibi ſint locum habituræ, in minus apto proponere. Igitur quæ huc ex parte aliqua attinerent, melius in aliis Epiſtolis leges. Interea nonnullas ad Sectiones haſce animadverſiones habebis, quæ hoc tibi conſilium commendent meum, aut aliquid a me adnotatum oſtendant. Quæ omnia cum poſſint haud ita multis comprehendi; non viſa ſunt ſeorſum ſcribenda; ſed huic potius Epiſtolæ conjungenda.

30. Sectio quidem XXI. plus triginta quinque exhibet Obſervationes. Sed præterquam quod Obſervatio II. eſt pars IX; XI. autem pars V; VI. vero, quod permirum eſt minime eſſe animadverſum, nihil eſt niſi compendium ejus quæ continuo ſequitur, VII; ſi totam Sectionem perlegas, nullam propemodum invenies Hiſtoriam quæ non ad graviorem alterum morbum attineat, interque alias ad eum ſpectantes non iteretur. Idemque animadvertes in Sectione etiam XXII. Huc adde; ut inſtitutum de XXI. ſermonem abſolvam; Obſervationem XXXI. aliaſque, ut quæ gemina Appendice proponuntur, non morbi in denatis obſervationes, ſed conjecturas potius eſſe, in parte etiam minus laudabiles. Quid vero de nonnullis aliis Obſervationibus dicemus? In XIII. æger dicitur *cerebrum ipſum excreatu per os expuiſſe*: quod etſi aliquis perlecta apud Fernelium ea quæ in Scholio ſtrictim narratur, hiſtoria, quadantenus fieri potuiſſe, non neget; non credat tamen facile, niſi baſis cranii ita perforata a carie in Obſervatione proponatur, ut ipſius cerebri ſubſtantiæ corruptam partem illac revera in fauces tranſiiſſe, conſtet. XXIX. & XXX. Obſervationibus argumenta præfiguntur, id quod veriſimile non eſt, confirmantia. Quis enim credat, prægreſſum olim dentium dolorem, in altera memoratum, fuiſſe *a ſero flavo circa* lethargici *corpus falciforme*, imo *intra ventriculum* cerebri *ſiniſtrum contento*? aut quis dentium dolorem, & cariem de quibus in prima ſermo eſt, fuiſſe *ab humore, e capite per meatum peculiarem in* Highmori Antrum *ſtillante*? Scilicet ea Highmori hallucinatio fuit, ut Antri foramen quod conſpexit, & Figura adjecta (*z*) delineavit, non pro emiſſario, ut eſt, ſed pro immiſſario haberet ejuſdem Antri. Denique; ne longus ſim; a veri quidem ſimilitudine non abeſt quod in Obſervationis XXXII. argumento proponitur, *a reſecto dente prominulo convulſiones & mors*; ſed dubium eſt tamen, num quod Caſp. Bartholinus in ea Obſervatione (*a*) ſcripſit, *ſtatim convulſa & epileptica decidit*, mortem ſignificet, an epilepticum dumtaxat inſultum.

31. Satis animadverſionum, inquis, expectans videlicet quæ ipſe adnotaverim, in iis præſertim, quibus ſæpe adeo torqueris, dentium doloribus. Verum ad ea quæ alias (*b*) attigi, vix habeo quod addam. Omnino aliis, quantum adnotare licuit, aliud prodeſt, imo

(*ſ*) n. 25. (*t*) l. 3. Proluſ. 4. (*u*) Vid. Epiſt. 27. n. 2. (*x*) Epiſt. 11. n. 17.
(*y*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc de Berlin A 1751. Claſſ. de Philoſ. Experim.
(*z*) Corp. hum. Diſqu. Anat. Tab. 16. Fig. 3. ad litt. d. (*a*) Inſtit. Anat. libell. 4 c. 12. (*b*) Epiſt. Anat. 13. n. 6. 7.

imo eidem aliud alias, pro varia nimirum cauſa, rerumque diſpoſitione. In me ipſo enim alias lac tepidum utile expertus ſum, alias inutile, utiliorem autem vini ſpiritum, camphora ſaturatum, alias neutrum. Quanquam autem acetum vereor; ſtatueram id quoque experiri, inter cætera, cujus *ſæpe ſe feciſſe periculum*, teſtatur Jo. Stephanus (*c*) confirmans, *dentium dolorem veluti miraculo conſopiri, ſi os colluatur aceto decoctionis tartari*. Sed multo melius fuit non opus fuiſſe hujuſmodi experimentis, quando a longo jam tempore me Deus his cruciatibus carere voluit. Nam & alii, ut noſti, eadem quæ Stephanus, polliciti fuerant, oſſiculo adhibito ex bufonis pede. Ego tamen novi Doctiſſimum Medicum qui fruſtra periculum fecerit, omnibus bufonis tum mortui, tum vivi extractis oſſibus, ne forte ob Auctorum diſcrepantiam in certo oſſiculo definiendo, aliud pro alio ſumeret, ſingulisque deinceps ſibi ad dentem, an ad gingivam admotis. Dicet aliquis fortaſſe, aut idoneo anni tempore illa oſſicula detracta non eſſe, aut iis gingivam non ita valide, ut oportebat, confricatam. Hoc potius crediderim, qui ipſe interdum levamen aliquod retuli ex gingivarum frictione: ſed cum digitos ad id meos, non ejuſmodi oſſiculum, adhibuerim; proclive eſt credere, non peculiari bufonis vi, ſed frictioni, quando huic locus eſt, iſtiuſmodi miracula accepta eſſe referenda. Talia quoque jactaſſe memini Virum cæteroqui non indoctum, ſi in eam narem quæ denti reſponderet, humor attraheretur ſtillatitius ex vini ſpiritu in quo nota ſibi herba eſſet macerata calefaciens, amara, cujus dato pulvere febres abegerat, in locis proveniens tum planis, tum montoſis, cujus humoris attractionem non maxima narium irritatio ſequeretur. Ego vero aſſenſum ſuſtinui, non tam quia herbæ nomen ſibi incognitum eſſe, ajebat, quam quia ſuum hoc remedium, quæcunque eſſet doloris cauſa, æque efficax, & præſentaneum eſſe, ſine ulla hæſitatione aſſeverabat.

32. De Guſtus autem privatione ob vitioſum nervorum ſitum, nunquam apud Columbum id legi quod in Sectione iſta XXI. Obſervatio exhibet XXXV. quin ſtatim animadverterem, ſi nihil erroris in obſervando admiſſum ſit, ſupervacuam eſſe diſquiſitionem aliam omnem ad controverſiam dirimendam, quinctum, an nonum nervorum Par, cum utrumque linguæ ſubſerviat, illud ſit quod huic afferat guſtandi facultatem, quando in homine, facultate hac privato, quinctum erat quod linguam non adibat. Ægre autem fero quod cum huic ſimilem, quod ad nervos attinet, obſervationem, ut iſtic pariter vides, alio in homine Rolfincius habuerit, pauca adeo, in re non levis momenti, verba fecerit, ut ſuus ille Sartor guſtu careret, an non careret, prorſus reticuerit. Hoc enim magis ſcire avebam, quam utrum viva quoque animalia, vitra, ſaxa, & cætera quæ Lazarus ille Columbi, voraret. Nam cum alii, quantumvis guſtu pollentes, non abſimilia, aut iis nocentiora devorarunt, ut puta cultrivorus ille Baſileenſis, cujus ventris non leviter læſi deſcriptionem, quam Columbus in Lazaro omiſit, apud Felicem Platerum minorem (*d*) habemus; tum vero alii, quod noſti, nervorum rami deglutiendo, conficiendoque ingeſta ſubſerviunt; ut ſatis non faciat Columbus mirantibus tantam hominis voracitatem, hac una propoſita cauſa, quod guſtu careret. Cæterum non te illud moretur quod ipſe quinctam nervorum Conjugationem fuiſſe, dixerim, quam Columbus, & Rolfincius quartam, ut diu conſueverant Anatomici, dixerunt. Si enim utrumque inſpicias ubi quartam deſcribunt (*e*), & cum Williſio (*f*) conferas; præclare cognoſces, & me verum dicere, & in breviſſimam illam Adnotationem, quæ huic in Sepulchreto Obſervationi ſubjicitur, errores non leves irrepſiſſe, quaſi eam quæ *Willis ſexta eſt*, indicaſſent, & ſextam hic *ferri in palatum*, doceret.

33. Jam vero ad Sectionem quoque XXII. de Vitiis Vocis aliquid adnotandum eſt. Obſervatio I. Aphoniam poſt diuturnam raucedinem proponit in fœmina, in qua Spigelius noſter *Aſperam arteriam totam inflammatam parte interiore* deprehendit *cum notabili nigredine*. Etſi inflammatio, in gangrænam jam degenerans, interius illam arteriam totam occupabat; ſatis eſt tamen ad aphoniam, prægreſſamque raucedinem intelligendam, laryngem ſpectare, quæ ſumma pars eſt, & quod ad vocem attinet, præcipua totius arteriæ, imo glottidem dumtaxat, quæ præcipua laryngis particula eſt. Nam ſi hæc una exaſperetur, ut rimula in tibia; continuo raucedo fit, uti Schelhamerus (*g*) adnotavit: qui & Gordonii prognoſticon explicat, *vocis raucedinem per annum quæ duravit, curationem non recipere*: ut illud etiam, *ſi longius procedat, vocem parvam efficere, tandemque adimere plane*, quod fœminæ Spigelianæ accidit. Sed minime nobis neceſſe eſt omnes de his rebus ſequi Schelhameri ſententias, & explicationes. Quaſdam tamen illarum præterea excipimus, in primis quam Dodartius (*h*) maxime comprobavit, vocem ipſam tunc gigni, cum aer ad glottidem alliditur; augeri autem, & modificari a reſonantibus cæteris, ad quas idem aer mox antequam a vociferante exeat, alliditur, partibus. Nam quod aliqui Doctiſſimi Viri contra Dodartium contendunt, *omnino vitia narium non loquelam ſolum, ſed vocem deſtruere, ... eroſoque palato vocem non vitiatam ſolum, ſed deletam paſſim legi Foreſt. L. 32.* obſ. 22. *eundemque vocem recepiſſe repoſita pro oſſe lamina, & eundem eventum ab Hildano obſervatum eſſe* Cent. II. obſ. 22. ego equidem (hæcque magis pro veri ſtudio, quam pro Dodartio, aut pro me, dici credito) ego, inquam, inconditam quidem vocem, ejuſque imminutam vim ejuſmodi in caſibus obſervavi, ſed nunquam deletam, niſi forte quæ cauſa palatum nareſque, eadem glottidem quoque, aut quæ ad glottidis utilitates neceſſario requiruntur, vitiaſſet. Neque ibi Hildanus adverſatur, qui lamina argentea a foramine, quod in palato erat *maximum*, detracta, *vix verbum unum aut alterum diſtincte ac articulate proferri potuiſſe*, ſcribit; id enim ad loquelam attinet, non ad vocem, velut etiam Foreſti obſervatio, qui ſine conſimili inſtrumento ægrum, inquit, cum *loqueretur, vix intelligi potuiſſe*; illo autem repoſito, *commode locutum*. Quod ſi caſus quem ex Amati Cent. 5. Curat. 14. Foreſtus ſubjicit, curſim perlectus, non modo ad loquelam, ſed ad vocem ipſam videtur ſpectare, quæ tunc *in totum deficeret*, nunc autem *recuperaretur*; tamen ſi cum Foreſti, & Hildani præſertim, obſervationibus diligenter conferatur; de vocis vi, & de loquela intelligetur; cum veri ſimile non ſit, foramen quod inſtrumento, clavi inſtar facto, claudebatur, majus illo fuiſſe quod Hildanus *maximum* dixit, nec ſi minus erat, plus detrimenti quam maximum, attuliſſe. Cæterum ſive humoris exuberantia fibras glottidis, quam inæqualiter diſtendendo, primum dumtaxat exaſperaverat, nimis diuturno affluxu ita laxet, ut omnem denique elaſticam vim amittant, ſive contra intima ſiccitas tum criſpando exaſperet, tum ſubſidentes, minuſque muſculorum motibus obſequentes faciat; eo res demum pervenire poterit aliquando, ut raucedo in vocis amiſſionem degeneret: quod nobili Oratori Q. Hortenſio videtur accidiſſe, ſi Samonico (*i*) credimus hæc ſcribenti:

Vel rabidus clamor fracto cum forte ſonore
Planum radit iter, ſic eſt Hortenſius olim
Abſumptus: cauſis etenim confectus agendis
Obticuit, cum vox domino vivente periret,
Et nondum extincti moreretur lingua diſerti.

Atque ut intelligas, Samonicum prægreſſam raucedinem indicaſſe; fac tibi eorum veniat in mentem quæ de hac Lucretius (*k*), ſæpius, ut alibi (*l*) oſtendi, a Samonico ſpectatus, conſcripſerat:

Præ-

(*c*) Comment. in Hippocr. de hom. ſtruct. (*d*) Mantiſſ. Obſ. 50. (*e*) De Re Anat. l. 8. c. 3. Diſſert. Anat. l. 4. c. 35.
(*f*) Cerebr. Anat. c. 22. (*g*) Diſſert. de Voce P. 2. c. 3. (*h*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1700.
(*i*) De Medic. c. Uvæ, faucib. & c. medend. (*k*) De Rer. Nat. l. 4. v. 531. & ſeqq. (*l*) Epiſt. in Samonic. I.

Præterradit enim vox fauces ſæpe, facitque
Aſperiora foras gradiens arteria clamor.
Quippe per anguſtum turba majore coorta
Ire foras ubi cœperunt primordia vocum,
Scilicet expletis quoque janua raditur oris
Rauca viis; & iter lædit, qua vox it in auras.

Sed de Hortenſii caſu alias (*m*) fortaſſe plura. Nunc de raucedine, & de ea quæ hanc interdum excipit, aphonia hæc attigiſſe ſatis eſto.

34. De Aphonia autem κατ᾽ ἐξοχὴν dicta, quæ cerebri conſequitur vitium, nonnulla adjiciamus ad Appendicem I. quam poſt Obſervationem XVIII. (*n*) videbis. Medium illam eſſe affectum inter apoplexiam, & epilepſiam in ea Appendice leges quod ſine ſenſu quidem, & ſine voce æger ſit, non tamen ſine motu, nec cum agitationibus convulſivis: poſſe interdum pro cauſæ vehementia in apoplexiam degenerare: & huc eam quoque Aphoniam attinere, de qua Hippocratis eſt aphoriſmus (*o*): *ſi ebrius quiſpiam repente* ἄφωνος *fiat, convulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut ubi ad horam pervenerit qua crapulæ ſolvuntur, vocem recuperet*: denique oriri Aphoniam hanc *fere a conſenſu partium infernarum, & vapore narcotico ſpiritus animales in cerebro ſopiente ſeu perturbante*. Non minus autem recte interjectum hic fuiſſe iſtud *fere*, quam a Celſo fuerit in propoſiti Aphoriſmi verſione, noſtra, quæ continuo ſubjicietur, oſtendet Obſervatio. Celſi autem verſio ſic habet (*p*): *qui ebrius obmutuit, is fere nervorum diſtentione conſumitur, niſi aut febris acceſſit, aut eo tempore, quo ebrietas ſolvi debet, loqui cœpit.*

35. AGRICOLAM virili ætate, ſtrigoſo habitu, fuſca ubique cute, ebrium aphonia prehenderat. In Noſocomium hoc intulerunt, vix caput moventem. Ibi intra quartum ab ebrietate diem exiliſſimis, & deficientibus pulſibus, non convulſus, fato ceſſit.

CADAVER a nobis in Gymnaſio diligenter perſectum eſt, non modo ut Anatomen abſolveremus ante Februarii finem A. 1737. verum etiam, ut in partibus pleriſque omnibus nonnulla recognoſceremus, quæ alio attinent. Id dum fieret, quæ præter naturam eſſent, hæc adnotavimus. In ventriculi facie interiore ad fundum nigra quædam puncta occurrebant, quaſi grana tabacci craſſiora: quæ paulo attentius intuitus, cognovi, parva quidem, ſed certa eſſe necroſis indicia; tum paulo ſuperius maculas duas animadverti nigras, & quandam prope has rubicundam, quæ aliquanto amplior erat, & vera erat, quamvis leviſſima, exulceratio. Mirabar autem quid eſſet, quod talia nuper, imo etiam majora vitia in ventriculo, & œſophago, & Duodeno inteſtino offendiſſem paupercuLæ mulieris, a cujus diſſectione Anatomen illam inchoaveram, cum longe alia ei domus, & ægrotatio fuiſſet, ut ſuo loco (*q*) ad te ſcribam. Cæterum viri quem tum ſecabam, illæſa prorſus & gulam, & inteſtina deprehendi, niſi quod in Ilei prima parte apparebat intus una aut altera prominentia, modica inſtar apicis minimi digiti, ex ſubſtantia, ut diſſecando perſpexi, rubicunda, nec glanduloſa: Cæci autem exigua quædam portio, Recti vero aliquanto major rubebat. Lien paulo craſſior, jecur paulo durius, & ſubpallidum viſum eſt, in cujus veſicula bilis ſubviſcida, colore viridi obſoleto. Urinaria veſica ſemiplena, & tunicis craſſioribus. Cruentæ, an ex diſſectione? aquæ in imo ventris pelvi quantum cyathus mediocris caperet. Thoracis utroque in cavo ejuſdemmodi aquæ tantundem. Cor exterius pinguedinis parum, in ventriculis polypoſas habuit concretiones. Valvulæ, utrique cordis venoſo orificio præfectæ, hic illic paſſim craſſiores, ibique duræ, & albicantes inventæ ſunt. Magna item arteria a corde ad eam uſque partem qua vertebris adhærere incipit, disjectas albas maculas intus oſtendebat, prima olim futuræ oſſificationis indicia. Cranii fornice, qui craſſior fuit, Duraque meninge, cujus in Sinibus aliquid polypoſæ concretionis animadverſum eſt, a ſubjecta Tenui remotis, in hac vaſa, nec multum tamen, ſanguine diſtenta apparuerunt, ſub eademque ad ſulcos cerebri limpida aqua, & in hac bullæ aereæ plures; tametſi id erat quod dixi, anni tempus, & vix ſextus a morte dies. In ventriculis quoque Lateralibus multa aqua limpida, & Choroides plexus pallentes. Quos dum retrorſum lente attollerem, animadverti eam Pinealis glandulæ qua ipſis annectebatur, partem flava ſubſtantia opertam, quæ mollis quidem per ſe videretur; ſed ſi inter digitos attererem, manifeſto erat quaſi arenoſa. Cerebrum ſub ſcalpello firmum; ſed quidquid, incipiendo a Fornice, medullare ſuberat, nervique ipſi valde laxi.

36. Vides igitur; ut cætera quæ alio in loco perpendentur, hic omittamus; neque per conſenſum dumtaxat, aut a vapore ſpiritus hic, & cerebrum affecta fuiſſe, neque convulſum hunc quidem hominem interiiſſe, cum ebrium aphonia cepiſſet, neque eo tempore quo ebrietas ſolvi debet, vox rediiſſet. Quodnam autem iſtud eſſe tempus, dicemus? Scio, in Hippocraticis libris aliud alibi indicari: tamen ſatis diſerte in II. *de Morbis*, qui inter eos circumfertur, ſcribi (*r*): *ſiquis ex ebrietate voce privetur, ... ſi febris ſtatim non corripuerit, die tertio moritur*; ut conſequi videatur, ſaltem intra diem tertium ebrietatem ſolvi debere. Sed facile Heurnio (*ſ*) credendum eſt monenti, *Galenum* quidem *dicere, ſecundo vel tertio die* ebrietatem *ſolvi, nam craſſo utebantur vino Græci· aliis in locis ſex vel ſeptem horarum eſſe ebrietatem; ſed efficientis, & ſuſcipientis rationem eſſe habendam*, videlicet, ut modo dixerat, *pro vini conditione, ægri peculiari natura, loco & tempore* illam *ſolvi*. Cum Heurnio ſatis conſentientem invenies Cl. Raymannum (*t*), qui ex ebrietate aphonum, & jam convulſionibus ſubinde agitatum, qua ratione ſervaverit, narrat. Mulierem contra ex ebrietate intra horas duodecim mortuam non ſine febricula, & levibus convulſionibus diſſecuit Littrius (*u*), qui ut plerarumque cæterarum partium jam pravam a non brevi tempore conſtitutionem memoravit, ſic optandum fuerat, ut quæ cerebri tunc eſſet, indicare aut voluiſſet, aut potuiſſet. (*x*)

37. Jam vero aliquid juvat indicare de longe minus gravi, breviſſimaque aphonia, quam adoleſcens in Patria curavi cum ſenioribus Medicis duobus, quibus me ſocium eſſe voluit Nobilis Vir Comes Alexander Monſignanus. Hic annos ſupra ſexaginta natus, gracilis, bilioſus, alta, ut ajunt, voce loqui ſolitus, obnoxius antea ſtranguriæ, arthritidi, hæmorrhoidum fluxui, tunc hiſce omnibus carens, quin etiam nullo rheumate, quod hyberno tempore ſæpe fauces afficere multa cum exſcreatione conſueverat, noviſſima hyeme correptus; ſub initium Maii cœperat, nulla prævia manifeſta cauſa, vocis, & ex parte etiam reſpirationis interceptione prehendi ſic ut conſtrictionis ſenſus circa laryngem, non alibi, eſſet. Repente illa & ingruebat, & ſolvebatur, idque ſine ulla excretione. Varium ingruendi, & durandi tempus. Hoc enim duas, ſummum, ſexageſimas horæ partes æquabat; ſæpius multo brevius erat. Sed quamvis ſingulis fere noctibus hora circiter ſeptima id mali invaderet; tamen interdiu ab oſcitatione, ſternutatione, tuſſi, non quidem ſemper, at ſemper a potandi actione movebatur, nec tamen ſi aqua, amygdalarum oleum, ſerum, emulſiones, aut quivis alius laudatus a nobis humor, ſed tantummodo ſi vinum biberetur: ſolebat autem antea quoque, cum vino, ut fit, vir ſobrius in menſa uteretur, tale aliquid pati, quamvis multo & levius, & brevius incommodum. Nunc autem ita hoc quidem erat, ut dixi: neque eo correptus æger quidquam ore poterat ſumere, nec ſtare loco; ſed ambulare cogebatur. Cæterum caput, thorax, & venter quoque, ac collum, ſi manu tentares, ut pulſus etiam, bene ſe habebant. Tonſillæ dumtaxat, eaque vici-

(*m*) Epiſt. in eund. II. (*n*) Sect. 22. (*o*) 5. Sect. 5. (*p*) De Medic. l. 2. c. 6. (*q*) Epiſt. 29. n. 20. (*r*) n. 22. (*ſ*) In cit. Aphor. n. 5. (*t*) Act. N. C. Tom. 6. Obſ. 1. (*u*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. A. 1706. Obſ. Anat. 5. (*x*) De hoc Aphoniæ genere Vid. Epiſt. 63. n. 13. 14.

vicinia quaſi ſubinflammatæ apparebant: eratque ſputorum copia, quorum ſapor manifeſte acidus ab ægro percipiebatur: eorumque eductio, per ſaccharum, ut vocant, hordei facilior reddita, affectus invaſionem arcere nonnunquam videbatur. Erat veri maxime ſimile, membranam qua laryngis pars ſumma, & proximæ ipſi conteguntur, eo exquiſitiore ſenſu præditam quod phlogoſi quadam afficiebatur, ubi acrius paulo irritaretur ab acidis particulis aut vini, aut humoris ob oſcitationem, ſternutationem, tuſſim, & copiam aliquando ipſam, uberius e glandulis circumjectis, in quibus mora magis vitiaſſet, expreſſi, contractam, criſpatamque in conſenſum trahere nervos, & muſculos, ut laryngem æquo arctius conſtringerent tanto facilius quod a natura ipſa erant, ut indicatum eſt, nonnihil jam ad id proni, & ab affectione hypochondriaca, quam ſanguinis fluxus per hæmorrhoides ſignificaverat, fortaſſe proniores. Quod cogitatum confirmavit eventus. Nam blande expiatis primis viis, & ſanguine parce e cubito primum, deinde e ſede quoque, unde a natura olim, ut dixi, conſueverat, educto, ſimul autem quæ mulcerent, laxarent, diluerent, acidumque ſaporem corrigerent, datis, cum aliquot jam noctes ſine aphoniæ inſultu ductæ eſſent, interdiu autem multo hæc rarius ingrueret, brevi itinere commendato, ſputa minus copioſa, minuſque acida facta ſunt, vinumque aqua dilutum ferri potuit, &, ne multis, intra diem quadrageſimum, an quinquageſimum ex quo inceperat, nec metus gravioris, longiorisve mali, aut redituri ſaltem expers, affectio prorſus victa, & ſublata eſt.

Huc placet addere, & ſimul tamen in medio relinquere quod æger idem, vir certe gravis, aſſeverabat, Romæ olim a ſe viſum in Viro Principe, qui ſimili affectu corripiebatur: hunc videlicet tolli conſueviſſe, ſi quis in aurem inſpiraret. Verum ſatis diſſimilis fuerit affectio, oportet; neque enim noſter ad ſui curationem nos advocaſſet, ſi a tam facili remedio eandem ſibi opem ferri, ſenſiſſet.

38. De Balbutie quoque eſt aliquid adjiciendum. Namque Obſervatione XXI. (*y*) inducitur Sanctorius noſter, hæc docens: *eſſe in media palati regione, ideſt in quarto oſſe ſuperioris maxillæ, in illis omnibus quos* ad id tempus *vidiſſet qui literam R exprimere non poſſent, duo foramina quæ nullo modo aperta & obvia inveniuntur in iis qui illo affectu tenentur: Ergo cauſam immediatam, quæ poſita ponit, fore illos duos meatus apertos*. Imo non apertos dicet aliquis non oſcitanter hæc legens, & præfixum Obſervationi argumentum attendens: *Balbutiem pendere aliquando a defectu foraminum quarti oſſis ſuperioris maxillæ*. Verum ſi Sanctorium ipſum inſpiciat; his contraria ſcripſiſſe, inveniet. Se enim in traulis vidiſſe, ait, duo illa foramina, *quæ nullo modo adeo aperta & obvia inveniuntur, in iis, qui illo affectu carent; ergo cauſa immediata, quæ poſita ponit, erunt*, inquit, *duo illi meatus plus juſto aperti*. Vide, quæſo, qua interdum incuria Auctorum verba deſcribantur! Hic tamen is Sepulchreti locus eſt, quem ſpectantes Viri Præſtantiſſimi ſcripſerunt, *SANCTORIUM balbutiem defectui ductus inciſivi tribuiſſe apud BONETUM Sepulchr. I. p. 473*. Qui ſi forte Sanctorii caput, quod ibidem citatur (*z*), inſpicere maluiſſent; procul dubio neque id crediſſent, neque ductum inciſivum intellexiſſent. Sanctorius enim paulo inferius hæc addit: *ſicuti diximus in media regione palati obſervari duos meatus qui faciunt traulos, ſimiliter obſervamus juxta dentes foramina (omnibus iis tamen ab ortu naturæ congenita) majora, per quæ pituita ſtillans, vel irrigans linguam in parte illa anteriori, blæſam locutionem facit, unde balbi, & ſemilingues ſunt*; ut manifeſtum ſit, a magis patente illo pone dentes Inciſores meatu, non traulorum, de quibus in hac Obſervatione ſermo eſt, ſed blæſorum vitium deduxiſſe: quæ duo balbutiei genera quantum differant inter ſe, erudita oſtendent Scholia ad proximam Obſervationem XXIV.

Hic quæres, cur hæc altera Sanctorii obſervatio in Sepulchreto omiſſa ſit, cum prior, quamvis perperam, proponatur? item quæ ſint igitur in eodem oſſe quarto, in mediaque palati regione alia illa duo foramina, quæ magis in traulis pateant, quam in cæteris? tandem quantum ſit his Sanctorii obſervationibus tribuendum? Ego vero ob eandem incuriam quæ primam adeo pervertit, obſervationem alteram eſſe prætermiſſam, non dubito. Foramina autem in media illa palati regione in tot quæ inſpexi, purgatis, aridiſque capitibus vidiſſe non memini, nec in ullo eorum video, quæ multa nunc etiam hæc ſcribens, præ oculis habeo; nec tamen facile crediderim, in tanto numero me nunquam in trauli caput incidiſſe, in quo videlicet, quippe magis obvia, atque aperta, ea foramina conſpicerem quæ in cæteris eſſent perobſcura. Quanquam autem ſuſpicari proclive ſit, quæ forte in aliquot animadverterat, ea Sanctorium ad traulos omnes tranſtuliſſe, nec deſint, vel ipſo perlecto, imo ex iis ipſis quæ ſcribit, oriri videantur difficultates, aſſenſum morantes; fatetur enim, vel quibus os a natura ſemper pituita redundet, non propterea traulos, aut blæſos eſſe; tamen ob ſpectatam in aliis Viri præſtantiam, æquius erit, ut opinor, non ante aliquid pronunciare quam in traulis pluribus, & blæſis res diligenter fuerit a peritis Anatomicis ad examen revocata. Sic Cl. Delius (*a*) cum in traulo quodam duplicem uvulam animadvertiſſet; prudenter monuit, inquirendum eſſe, an trauli alii uvulæ, vel tonſillarum vitium habeant. Quod ſi fiat; non improbabili ratione adductus, conjicio, repertum iri, ne in illo quidem quod traulus eſſet, id duplici uvulæ adſcribi poſſe. Cum enim plura hujus duplicitatis proſtent exempla, alibi (*b*), ut noſti, a me indicata; nec Zerbus, nec ii quos laudat Slevogtius, nec ipſe in eo ſaltem quem Bononiæ diſſecui, quidquam audivimus de iſtiuſmodi loquelæ vitio, cum fere omnes quænam eſſent incommoda cum uvulæ duplicitate conjuncta, diligenter quæreremus: nec certe illa Zerbi Lucretia, ſi vitioſe locuta eſſet, aut cantandi arti ſe dediſſet, aut cantando, *plurimum*, quod ipſe teſtatur, *delectaviſſet*. A gravibus autem hyoidis oſſis vitiis balbutiem aliquando eſſe, credibile eſt: & ſane a prava ejus figura *blæſos, balbos, & mutos fieri*, docuiſſe intelligo Eruditiſſimum Hahnium (*c*). Nec videntur poſſe muſculorum, qui linguam movent, directiones mutari, quin hujus motus ab naturæ norma declinent. Quod ſi Kerckringius (*d*) verum ſcripſiſſet de oſſe hyoide, cum *in fœtibus*, ait, *nequidem cartilaginem ejus apparere*; hinc quoque eſſe, non dubitarem, quod parvuli ſerius poſt ortum loqui incipiant, & cum inceperunt, *adhuc dimidiata verba tentent*, ſeu *balba dicant verba*, ut Minucius Felix (*e*), & Albius Tibullus (*f*) eorum loquelam expreſſere. Sed tamen illud os, quod fulcrum linguæ eſt, & aliquot ejus muſculorum, quam ſero undique perficiatur, & ex toto os fiat, ſatis indicat Illuſtris Albinus (*g*). Molinetto autem noſtro (*h*) viſum eſt, ideo *ſtatim ab ortu non loqui infantem*, quod ſtyliformis proceſſus, a quo muſculi Stylogloſſus, & Stylohyoidæus oriuntur, *in fœtu non apparet*. Quod ſi ita accipias, quaſi eſſe, negaverit; hallucinatus eſt, teſtante Caſſebohmio (*i*), ſe in quadrimeſtri fœtu vidiſſe, Kerckringio autem (*k*), vel in trimeſtri. Sin ita intelligas, ut præ exilitate, & flexilitate cartilaginis, ex qua tunc conſtat, non pluris fecerit, quam ſi nullus eſſet ad illorum præſertim muſculorum originem, actionemque firmandam; tueri ſic ſatis ab eo poteris quod, cum hæc relegerem, ejus objici ſententiæ vidi, petitum ex ſingulari Obſervatione Eximii Auctoris, Halleri (*l*). Hic enim in viro, annos nato circiter quinquaginta, cui

(*y*) Sect. 22. (*z*) Meth. vitand. error. l. 3. c. 9. (*a*) Act. N. C. Tom. 8. Obſ. 106. (*b*) Epiſt. Anat. 10. n. 21.
(*c*) Commerc. Litter. A. 1736. Hebd. 31. n. 1. ad §. 25. (*d*) Oſteogen. c. 11. (*e*) in Octavio. (*f*) l. 2. Eleg. 5. v. 94.
(*g*) Icon. Oſſ. Fœt. ad Fig. 152. (*h*) Diſſert. Anat. Pathol. l. 2. c. 1. (*i*) De Aure Hum. tr. 1. §. 43.
(*k*) Oſteogen. c. 5. (*l*) in Diſſert. Willigii inſcript. Obſerv. Botan. &c. §. 2.

nullum unquam loquelæ vitium fuerat, ſtyliformem offendit proceſſum ſeſcunciali longitudine, dimidia quidem inferiore parte oſſeum, dimidia autem ſuperiore cartilagineum. Tu vero; ut illud omittas, in eo homine fortaſſe potuiſſe muſculos de quibus loquimur, ex parte naſci e proximo oſſe temporum, ut eorum ſocium Stylopharyngæum nonnunquam hinc natum & Valſalva (*m*), & ego (*n*) deprehendimus; intelligis certe, cum ea quam Molinettus pro nulla in recens natis habebat, cartilagine exili adeo, & molli, non eſſe iſtam quæ pro ætatis incremento, tanto & craſſior, & firmior fuerit, comparandam: tum etiam noſti, quibus, & quot muſculis originem præbeant quædam laryngis cartilagines. Sed de hac Molinetti defenſione ipſe videris. Ego quidem undecunque ſint balbutiei puellorum cauſæ repetendæ; a pluribus enim cauſis præter eas quarum eſt facta mentio, repeti poſſunt; indidem adultorum balbutiem oriri, credo, quotieſcunque accidat, ut creſcens ætas ſive unam, ſive plures ſuperare nequeat illarum cauſarum: quas in tenellis pueris facilius, quippe qui omnes balbutiunt, animadvertendas, inquiſiviſſe juvabit, ut in adultis & ſagacius dignoſcere, & quo ad ejus fieri poſſit, tollere aliquando, & minuere conemur.

39. Poſtremo quod ad XXIII. Sectionem attinet, quæ eſt de Angina, permirum eſt, graviſſimi, & frequentiſſimi laryngis, & proximarum faucium morbi nullam in Sectione hac tota Obſervationem proferri, ex qua conſtet, quid in mortuis ex legitima angina repertum ſit. Aliæ enim earum quæ producuntur, Obſervationum ad pulmones, aut ad hos, & thymum attinent ſanguine infarctos, quorum illi pondere Aſperam arteriam deorſum traherent, hic vero aucta mole comprimeret; aliæ ad cerebri, aut aliarum partium vitia; ut ſuſpicari aliquis inexpertus poſſet, num ad laryngem unquam, & fauces hic morbus ſpectet. Certe autem in angina externus ſæpe circa has tumor, aut internus, ut non ſemel vidimus, & caute incidi imperavimus jam pus continentem, in larynge autem ea quæ prima laryngotomiæ, ut vocant, inſtituendæ cauſa fuit, anginam teſtantur ab inflammatione quæ modo dictas corripiat partes, exiſtere: & ſane; ut muſculos quibus arytænoides cartilagines adducuntur prætereamus; niſi quod aliis ſæpenumero glandulis accidit eiuſdem generis, ab eo prorſus immunes fingas quæ laryngem humectant; apparebit, fieri non poſſe, quin aliquando inflammationes, eæque pernicioſiſſimæ, noſtras puta Arytænoidæas glandulas prehendant, quibus intumeſcentibus, anguſta illac aeris vias intercludatur, neceſſe eſt. Verum hæc non eo dico, quod credam, te aliter exiſtimare; ſed ob id dumtaxat ut intelligas, eſſe hunc unum ex iis morbis, quorum peculiares, & nunc magis, nunc minus periculoſæ ſedes, natura, & effectus cum maxime quæri debuiſſent, non æque ac aliorum, per diſſectiones quæſita eſſe videantur (*o*). Quod a me ideo factum non eſt, quia denatos ex legitima angina perſecandi cum ſemel tempus, tum ſemper poſtea occaſio defuit (*p*): cum ſpuria autem fortaſſe, certe non ex ea mortuos unum, aut alterum diſſecui. Quorum in faucibus, & larynge quid adnotaverim, in IV. ad te data Epiſtola (*q*) releges: ad veram autem anginam referre ex parte nonnulla poteris, quæ cum de hydrophobia ſcriberem (*r*), commemoravi. Vale.

(*m*) Vid. Epiſt. Anat. II. n. 4. (*n*) Ibid. n. 8. (*o*) Vid. tamen Epiſt. 63. n. 16. & ſeq. (*p*) Sed vid. Epiſt. 44. n. 3.
(*q*) n. 24. & ſeqq. (*r*) Epiſt. 8. n. 19. & ſeqq.

J O.

JO. BAPTISTÆ
MORGAGNI
DE SEDIBUS, ET CAUSIS
MORBORUM
PER ANATOMEN INDAGATIS

LIBER SECUNDUS.

Quo agitur de Morbis Thoracis.

Clariſſimo Viro

GUILIELMO BROMFEILD

Londinenſi Chirurgo Experientiſſimo

Joannes Baptiſta Morgagnus S. P. D.

ANNUS eſt, & quod excurrit, Vir Clariſſime, ex quo litteras ad me dediſti quæ Tuæ magis Humanitati, quam meis promeritis, convenirent. Quod enim Guilielmum, Filium Tuum, Patre dignum, & comiter excepiſſem, & perlibenter Doctoris Philoſophiæ, & Medicinæ Inſignibus meis ipſe manibus ornaſſem, gratias mihi agebas illas quas magis ego Vobis deberem, quorum altero mittente, alter ad me audiendum, Anatomen docentem, uſque huc venit, & aſſiduus quotidie, attentuſque audivit, nullamque officii erga me, & benevolentiæ ſignificationem omiſit, &, quod præ cæteris gratum fuit, quædam mecum, quibus pro Tua ſingulari Solertia Rem Chirurgicam augere cogitabas, amice communicavit. Quod vero præter gratias, addebas iiſdem litteris, ſi quid iſtic pro me forte curandum eſſet, Te libenti animo eſſe facturum; nihil optatius mihi potuiſſe obtingere, ex hac epiſtola jam cognoſces. REGIÆ enim iſti Celeberrimæ SOCIETATI, quæ me inter ſuos ante annum 1724. benigne accepit, hos offerri libros cupio, leve quidem, ſi quod ex me habent, ſpectetur, grati, & obſequioſi animi ſignum: at ſi quod ex aliis continent; tributum ſpero viſum iri non indignum quod ipſi offeratur. Eodem enim illa pertinent quo Societatis inſtitutum, ut per Obſervationes promoveatur, illuſtreturque Naturæ hiſtoria, cujus utinam multo minorem partem facerent morbi, in corporibus tum ægris, tum mortuis examinati.

Quod examen quam utile ſit, etſi ratio, & experientia non ſatis oſtenderent; ſatis autem, ſuperque oſtendunt; tamen vel ſola Medicorum graviſſimorum auctoritas, eorumque exemplum luculentiſſime comprobarent. Vetuſtiſſimis enim temporibus cum hominum cadavera ſecare non liceret, in beſtiarum extis ſedes, & cauſas morborum ab Hippocrate, aut ab iis qui proxime illi ſucceſſerunt, fuiſſe quæſitas, ex antiquiſſimis libris patet qui aut ejus ſunt, aut pro Hippocraticis inter ejus Scripta leguntur. Quem morem tum Galenus, tum alii ante ipſum, & poſt ipſum Medici ſecuti ſunt, nec raro vel noviſſimis temporibus; hiſque etiam noſtris, data occaſione, non illibenter ſequuntur, quemadmodum apparet ex pluribus inter cæteras Obſervationibus a Boneto, & Mangeto in Sepulchretum Anatomicum, ex *Conſilio* quoque Thomæ Bartholini, relatis. Quo ſtudioſius vel ante, vel poſt Galenum donec tandem hominum cadavera incidere fas fuit, oblata hæc incidendi, rariſſima alioquin aut loco, aut tempore, facultas accepta eſt. Namque aliquot ante Galenum ſæculis in Ægypto quidem ab Regibus

gibus

gibus quoque, ut eſt apud Plinium (*a*), *corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecabantur*, & rurſus aliquot ſæculis poſt Galenum in Byzantina quadam Peſtilentia, ut præclare monſtrat Freindius Veſter in ſua eruditiſſima Hiſtoria Medicinæ ad annum 560. idem a Medicis factum eſt, *ſic morborum cauſas, & varia ſymptomata inveſtigantibus*. Ex quo autem eadem facultas denique in Italia dari cœpta eſt, & paulatim magis magiſque crebreſcere, illa eadem perveſtigandi ſtudium in Majorum animis non defuiſſe, ex libris conſtat qui ante finem ſæculi XV. aut poſt ſequentis initium prodierunt, ut puta Alexandri Benedicti, præſertim vero Antonii Benivenii: itaque non multis poſt eos annis Jacobus Carpenſis diſerte docuit, non modo ſanorum cadavera, ſed & ægrotantium ſeligi, hæc videlicet, cum indagandum eſt, *qualiter* alicui *membro ſit ægritudo*. Indagaſſe autem & qui deinceps ex Italis floruerunt, lectio oſtendit Maſſæ, Columbi, Falloppii, Euſtachii, aliorum, quos inter duo peculiariter nominandi ſunt Lælius a Fonte, & Dominicus Panarolus, quorum ille *Conſultationibus* ſuis, ab Stahlio ipſo laudatis, ſubinde adſcripſit quæ in ægrorum quorundam, de quibus loquitur, cadaveribus ſint deprehenſa, Panarolus autem ſuas inter Obſervationes plura, ut Benivenius, extiſpicia propoſuit.

Ubi vero poſt eos quos primos ex Italis memoravi, apud cultas Nationes cæteras hominum corpora ſæpius incidi cœpta ſunt, earum Medicis quantum cordi fuerit morborum ſedes, cauſaſque ſcrutari, innumera illorum Scripta demonſtrant, ut Veſalii, Coiteri, Caſp. Bauhini, Salmuthi, Spigelii, Th. Bartholini, Rolfinckii, Veſlingii, Rhodii, Hornii, Sculteti Ulmenſis, Wepferi, aliorum quampluirimorum. Cum enim eos dumtaxat nominaverim qui in Italia quoque, & Patavii præſertim, aut docuerint, aut didicerint, aut utrumque fecerint; vides profecto, quot ex eadem Germania, latiſſime accepta, prætermiſerim, etiamſi, quod & in Italis feci, ad recentiſſimos non deſcenderim, ex quibus duo præ cæteris Illuſtres Medici non fuiſſent reticendi Boerhaavius, & Hoffmannus, quorum uterque cum de morbis, & eorum curatione agerent, quid poſt ſingulos fere ipſorum per anatomen reperiri ſoleat, commemorarunt. Huc addamus, ſi fieri poteſt, quot ſuorum intra illud ſpatium temporis Gallia habuit eidem ſtudio addictos, aut, quoniam id fieri nequit, aliquot ſaltem ex tanto numero nominemus, Jacobum Sylvium, Joannem Fernelium, Guilielmum Rondeletium, Ambroſium Paræum, Jacobum Hollerium, Bartholomæum Cabrolium, Andream Laurentium, Joannem Riolanum. Sed quæ Regio; ut brevitatis cauſa quaſdam alias prætereamus; in hoc quoque ſtudii genere Magnæ eſt Veſtræ Britanniæ anteponenda? in qua quidquid excoli incipit, mirum eſt, quam cito, & quantopere promoveatur. Vir incomparabilis Harvejus ſuam *Anatomiam*, ut vocabat, *medicam* quam multis diſſectionibus morbidorum corporum deberet, & quam Medicinæ profuturam cenſeret, nemini ignotum eſſe poteſt, qui vel initium tantummodo inſpexerit ſecundæ ejus *de Circulatione Sanguinis* Exercitationis. Quam utinam Anatomiam, ſicut habebat

(*a*) Nat. Hiſt. l. 19. c. 5.

bat in animo, edidiſſet; certe ipſo dignam futuram fuiſſe, quæ ejus vulgatis Scriptis interjectæ ſunt Obſervationes, ad id genus attinentes, præclare oſtendunt. Oſtenduntque pariter quas ſuis quiſque libris interjecerunt Præſtantes Viri Highmorus, Warthonus, Gliſſonius, inprimiſque Williſius, quam libenter hac quoque in parte imitati ſint Harveii laborem. Omitto alios, & præſertim qui poſt illos ſcripſerunt: quos inter laudare poſſem quamplures, in hiſque Lowerum, Cowperum, & qui me & honeſtare, & donare ſuis Scriptis voluerunt, Meadium, Cochburnium, Ruttyum. Ab eo enim tempore ex quo Regia iſta Societas, aliæque, ejus maxime exemplo permotæ, ſua in publicum emittere Acta, Excerptaque inſtituerunt, neminem propemodum latere poteſt, quanta cura Medici quique præcipui, & Chirurgi cum Itali, Germani, Galli, tum egregie meriti Veſtrates Anatomen illam excoluerint, de qua ideo tam longum hic ſermonem ſuſcepi, non quod hæc Tibi minus quam mihi, cognita credam atque perſpecta; ſed ut de hiſce omnibus nunc recogitans, haud mireris, ſi propoſitum meum id perſequendi, quod niſi utiliſſimum foret, Medicæ Facultatis Magiſtri non omni & tempore, & loco ſumma contentione quæſiviſſent; haud mireris, inquam, ſi propoſitum hoc meum minime indignum putaverim quod Regiæ Societati offeratur.

Qua in opinione confirmor, cum eæ quas deſcriptas exhibeo, hujus generis Obſervationes non a me uno, ſed haud parva ex parte ab aliis ſint, & nominatim a Medico, Chirurgo, Anatomico Clariſſimo, & Societatis ejuſdem, cum viveret, Sodali, Antonio Maria Valſalva. Cujus egregiis laboribus ne idem forte accideret, quod tot aliorum accidiſſe dolemus; meæ non modo in Præceptorem pietatis, ſed & Studioſos adjuvandi cupiditatis eſſe duxi id facere quod ſi Andreæ Veſalii, Petri Caſtelli, Guilielmi Harveii diſcipuli olim facere potuiſſent; neque apud Joannem Schenckium, neque apud Theophilum Bonetum, neque apud Thomam Bartholinum querelas juſtiſſimas legeremus de irreparabili jactura a Medicis facta in poſthumis hujuſce generis trium illorum Scriptis. Schenckius enim perhibet in Præf. ad Obſerv. Veſalium Opus alterum Anatomicum conſcripſiſſe, quo *vel ex occultis diuturniſque morbis demortuorum corporum diſſectionum Hiſtorias fuſiſſime complexus fuerat*; Bonetus autem in Præf. ad Sepulchr. indicat qui Romanum Profeſſorem Caſtellum ducentas ſuas ejuſdemmodi Obſervationes editurum fuiſſe, ſcribunt. Et ſane Caſtellus ipſe in Epiſtola quæ Panaroli Jatrologiſmis præfixa eſt, *in meo Sepulchreto*, inquit, *bis centenas obſervationes, in cadaveribus a me factas, repoſui, quod Deo dante .... typis dabo*. Denique Thomas Bartholinus in Conſil. de Anat. Pract. ex cadaverib. morboſ. adornanda, ad quod *Acta* Regiæ iſtius Societatis jam tum *utramque paginam implere*, dixit, de Harveio hæc habet: *Incomparabilis Naturæ Myſta Guilielmus Harvejus, Angliæ immortale decus, haud ulli Veterum virtute ſecundus, cogitationes ſuas inter alia faventia ſtudia ad hanc Anatomen partitus fertur* (imo, ut paulo ante dixi, partitus fuerat) *ſed, neſcio quo fato, ſpem publicam implere non potuit. Mihi ſimilia tentanti illuſit Vulcanus, Opus*, ut mox ait, *pene confectum XX. annorum lucubrationibus, ſubripiendo*; ut quæ pericula tam gravibus, diuturniſque laboribus, viventibus, nedum mortuis, qui pertulerunt, immineant, omnes intelligamus. Quo magis me juvat officium hoc

præ-

præſtitiſſe Valſalvæ mortuo, atque adeo viventibus Medicis, & victuris, quod ejus Obſervationes aliquanto plures, quam Caſtelli erant, in tuto collocaverim, præſertim ſi mei hi libri, qui eas complectuntur, & vel propter hoc officium ſe bonis omnibus ipſi commendant, Regiæ Societati, Te meo nomine demiſſe offerente, accepti fuerint. Quorum alterum ab ſumma ejus Benignitate, alterum ab ſingulari Tua, Vir Clariſſime, Humanitate impetraturum me ſpero. Vale.

D. Patavii Prid. Kal. Septembr. A. CIↃIↃCCLX.

JO.

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI

AD AMICUM

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XV.

Scribitur de Reſpiratione Læſa a cauſis potiſſimum extra thoracem poſitis; ſed & a poſitis intra pulmones, calculis præſertim.

ETSI multo pauciores in Thorace, quam in Capite, ſunt Partes, neque in iis ulla, cujus fabrica, & fabricæ munera cæcis ſint tenebris involuta, ſicut eſt cerebrum; tamen inter paucas haſce Partes tanta eſt ſive ob vicinitatem, ſive ob nexum, ſive ob officia conjunctio, ut una læſa, plerumque cæteræ lædantur. Quæ res mihi a morbis Capitis ad Thoracis morbos, horumque ſedes tranſeunti magnam afferret, eamque haud raro inſuperabilem difficultatem cum in morbo principe a conjunctis reliquis ſeparando, tum in ejus prima ſede, ac præcipua definienda, niſi ad te ſcriberem, qui ut ſæpe in aliis, ita in hac re quoque nihil a me niſi probabilem conjecturam requires. Uſu id veniet maxime in Reſpiratione Læſa, de qua prima II. libri Sepulchreti Anatomici Sectio eſt. Nam præterquam quod morbus illam faciens ſimul in pulmonibus, ſimul in alia thoracis parte eſſe poteſt, interdum accidit, ut ſimul in pulmonibus ſit, ſimul in alia extra thoracem parte, ut in capite, in collo, in ventre. Quin Boerhaavius (a) eo proceſſit, ut ſcriberet, *vix ullam in corpore toto particulam ſupereſſe, cujus non aliquæ in negotio* reſpirationis *partes ſint*, & illud veriſſime ſubjecit, *ſummam in morbis difficultatem facere magnum numerum organorum, quæ ad actionem concurrunt, & quorum aliquod læſum totam functionem turbat, cum interim difficillimum ſit ſcitu, quæ ex toto numero proprie læſa ſit.*

2. Neque alia, opinor, cauſa impellere Bonetum potuit, ut huic Sectioni non modo quæ ad Sectiones quoque alias attinent, paſſim, diſerteque tot Obſervationes inſereret; ſed & eaſdem ſemel, atque iterum poneret, niſi earum ſingulæ non unius Partis vitium complecterentur: quanquam tot iteravit, ut ſi inter ſe conferas, multo ſæpius appareat, incuria potius feciſſe, quam de induſtria. Quæ ſi forte quæ ſint requiras; non omnes facile dixero; ſed eas dumtaxat quas aliud agens animadverti. Compara enim XVI. & CIV; Appendicem ad LXXVIII. & §. 2. LXXVII. (quæ ne forte dubites, an una revera Obſervatio ſint; inſpice Sect. VII. libri hujus II. Obſ. XCI.) LXXVII. §. ultim. & CXV; LXXXIX. §. 12. & CXII; CXL. §. 13. & CLV. §. 3. Sed hæ diſſitæ, ut memoria multo facilius, præſertim in tanto numero, labi potuerit. Videſis proximas. Confer igitur XLVII. & XLIX; LXIV. §. 6. & LXV; LXXXVII. §. 8. & LXXXVIII; CXXXIX. & CXL. §. 6.; CXLIII. & CXLVI. quas ad eandem mulierem ambas attinere, Sectio docebit XXI. libri III. Obſ. XLVIII. Eademque Sectio Obſ. IV. §. 9. perſpicue oſtendet, non aliam eſſe mulierem, cujus caſus hic indicatur Obſ. CLV. §. 4. ac §. 10. Quid? quod una quater repetitur non modo inter diſſitas, ſed & inter proximas Obſervationes. Vide enim §. 4. in Obſ. XLVI. (priorem dico; nam mox per incuriam altera Obſervatio eodem numero deſignatur) & continuo lege Obſ. CXXVIII. & poſt hanc in Obſ. CXL. §. 2. in eademque §. 12. & an verum dixerim, facile intelliges. Quis non crederet, in Additamentis ſaltem, quæ huic I. ſubjiciuntur Sectioni, repetitiones vitatas eſſe? At tu Obſervationem III. confer cum VI. utramque unam eandemque eſſe, cognoſces. Idemque perſpicies ſi XVIII. §. 1. 2. 3. adjectumque Scholium cum legeris; redeas ad Obſervationes, quas Bonetus ipſe propoſuerat ſub num. XCIII. & XCII. niſi quod hanc, cum Williſii ſit, Ballonio videtur adſcripſiſſe. Sed & XIX. eadem eſt quæ apud Bonetum proxima ſequitur, XCIV; quaſi non de aliis addendis, ſed de ſupra jam poſitis rurſus ex ordine deſcribendis ageretur: tantum abeſt, ut ad XIII. & ad XXVI. admoniti ſint lectores, videri illam hominis ejuſdem hiſtoriam hic ex Dominico de Marchettis; apud Bonetum autem ſub numero CV. ex Petro, Dominici Parente, acceptam, neque XXVI. Stephanum Blancardum, profeſſum alioquin (b) quæ ipſe non obſervaſſet, *ex aliorum relatu immiſcuiſſe*, non, inquam, ſumpſiſſe aliunde quam ex Obſervationibus tot annis ante ab Riverio editis, atque adeo eandem eſſe quam Bonetus ante Blancardum produxerat ſub numero CXXIII. niſi quod Bonetus Riverium quidem nominavit, nec ejus verba interpolavit, ſed plura in morbi hiſtoria, nonnulla uterque in cadaveris ſectione omiſit.

3. Quod ſi omnes Sectionis hujus Obſervationes accuratius fuiſſent in certa capita diſtributæ; cum utilius cæteri eas perlegiſſent; tum minus facile Collectoribus accidiſſet, ut memoria laberentur. Mihi igitur cum illud conſtans propoſitum ſit, nihil ut repetam; certo ordine opus eſt quo Valſalvæ & meas Obſervationes, huc præ cæteris attinentes, deſcribam. Nam etſi plures præterea habebam, in quibus, inter cætera incommoda, læſa quoque reſpiratio

(a) Prælect. ad Inſtitut. §. 601. (b) in Præfat. ad Anat. Pract. Rational.

commemoratur; tamen quæ magis viſæ ſunt ad Sectiones alias pertinere, eas omnes ad illas diſtuli; huc reliquas ſepoſui. Has autem; ne ab iis longe abeam quæ ſupra indicata ſunt; non incommode ſic diviſurum me credo, ut primum eas proferam in quibus præcipua læſæ reſpirationis cauſa extra thoracem eſt, tum eas in quibus eſt intra thoracem; ex his autem rurſus illas primum in quibus eſt in pulmone, tum illas denique in quibus in thorace quidem eſt, ſed extra pulmonem. Cum vero, quando extra thoracem eſt, ſedem maxime habeat aut in capite, aut in ventre, aut in collo; me juvat a capite initium ducere.

4. Williſius quidem in Scholiis Medicorum de Aſthmate Convulſivo doctrinam maxime illuſtravit, ſuiſque confirmavit obſervationibus, eorum præſertim, qui niſi erectum ſemper, aut pronum caput ſervarent, *ſtatim anheli* fiebant, *ac velut moribundi reſpirabant* cum retrorſum caput moverent, aut ſupini decumberent, idque non aliam ob cauſam, niſi quod ſeri acris colluvies ingens, quæ intra eorum cerebrum diſſecando inveniebatur, dum caput, ut diximus, reclinarent, verſus nervorum originem qui pulmoni inſerviunt, relapſa, illam vehementius urgebat, quemadmodum ex Sectionis hujus I. Obſervatione CLXIV. cognoſces.

Sed idem tamen ea melius omiſiſſet quæ in Scholio leges, eidem ſubjecto Obſervationi, videlicet *Medicos veteres primam ſolummodo Aſthmatis ſpeciem agnoviſſe*, quæ *omnino a ductibus aeriferis obſtructis, aut non ſatis patentibus procedit*; alteram autem, ſive Convulſivam ignoraſſe, quippe ſolitos hujuſmodi aſthmata *vaporibus a liene, utero, meſenterio, aut alio quodam viſcere ſatis immerito adſcribere*. Ut enim præteream Galeni, atque adeo Hippocratis locos, & quæ hujus Interpretes ſuper Aphoriſmo ſcripſere 68. Sect. 4. (nam Avicennæ verba, quæ pariter produci vidi (*c*), de aſthmate quidem ſunt *ex nervis, & nucha, & cerebro*, ſed per *catarrhum*, non per convulſionem illato) non ad alios hic provocabo, niſi quos in Sepulchreto poſſis inſpicere. Vide igitur Scholia ad proximas Obſervationes CLX. & CLXV. In illo cum de orthopnœa ab renis calculo ageretur, *cauſam ejus rei*, inquit Ballonius, *eſſe volunt, quod nervulus eſt a ſexta conjugatione pervadens diaphragma, & ad renes uſque perreptans, qui oppreſſus, ut in oppoſito femore ſtuporis ſenſum infert, ita in partibus ſuperis difficultatem nonnullam reſpirationis afferre poteſt*. In hoc autem altero Scholio Platerus, *majores præſertim nervi Septi, a dorſali medulla progreſſi, defluxionibus, aut aliis morbis*, inquit, *ſeparatim & ſolitarii infeſtati, dyſpnœam quandam pariunt; qualem in aſthmaticis, nullis aliis pulmonum affectorum indiciis apparentibus, continuo ægrotos infeſtare obſervavimus*. Num igitur hi veteres Medici de vaporibus hic verba faciunt, an de nervorum affectionibus? num aliam, niſi primam illam aſthmatis ſpeciem, quæ fit bronchiis obſtructis, aut compreſſis, omnino ignorant? Vide, quæſo, in eodem Scholio quæ paulo infra Plateri verba, Williſii ipſius verba ſubjiciuntur. *Juxta quod nervi diaphragmatis a muniis rite defungendis aut inhibentur, aut pervertuntur, reſpiratio difficilis varii generis producitur*. Num aliter Platerus? Et inferius: *Quod lienis perturbationi reſpiratio difficilis paſſim in hypochondriacis .... ſuccedat, ratio eſt, quia nervi ſplenici cum pneumonicis communicant*. Num ab renis perturbatione reſpiratio difficilis alio explicationis genere deducitur apud Ballonium? Equidem ignoro, qua ratione Veſalius id explicaturus fuiſſet quod in hydrocephala puella obſervavit, libro ſuperiore Sepulchreti (*d*) commemorata, *quoties caput ab adſtantibus movebatur, & nonnihil, quantumvis etiam leviter, erigebatur, gravem illico tuſſim puellæ moleſtam fuiſſe, cum difficili reſpiratione*. Sed tamen neque a vaporibus, neque a catarrho *illico* per nervos in pulmones decurrente, ejus rei cauſam repetiturum fuiſſe, credo, præſertim cum cerebri quidem, & nonnullorum aliorum viſcerum, pulmonum autem nullum omnino vitium adnotaverit.

5. Verum hæc ita accipias velim, ut cuique ſuum reddatur; non ut Williſio quidquam detrahatur. Ante quem potius mirandum eſt, non ſæpius Medicos id intellexiſſe quod omnes poſt ipſum intelligimus. Cum enim ex quo homines ſunt, proclive fuerit animadvertere, a terrore, ab ira, a gaudio, a mœſtitia, a fletu quam cito, & quam manifeſto mutetur reſpiratio, cumque Auctor vetuſtiſſimus libri *de Morbo Sacro* (*e*) diſerte, ac vere monuerit, *ex nulla alia nobis parte voluptates contingere, & lætitias, & riſus, & luſus, quam ex cerebro, itemque mœrores, & anxietates, triſtitiaſque, ac ejulatus, & querelas*; videtur ſane, ex his obvium Medicis eſſe debuiſſe, quam poteſtatem habet in reſpirationem cerebrum, naturalibus dumtaxat cogitationibus, ſeu quotidianis animi affectionibus nonnihil commotum, eandem, multoque majorem habere poſſe, cum vi morbi vehementiore irritatur, aut premitur. Cujus vis effectum & præclare vidit, & dilucide explicavit Williſius, modo in cerebro, modo in hujus appendicibus Medulla, & nervis attendens, modo convulſiones inde repetens, modo paralyſes, & horum alterutras modo in ipſorum pulmonum intimis fibris, modo in diaphragmate ſtatuens, aliiſque muſculis reſpirationi inſervientibus. Quod ad genus difficilis reſpirationis duæ attinent Obſervationes, Valſalvæ prima, noſtra altera, quas tibi continuo deſcribemus.

6. VIR annorum quadraginta evaſerat ex acuta febre, delirio, & ſoporoſo affectu ſtipata, cum paulo poſt, admiſſis in cibo, potuque, & aſſidua cannabis tractatione erratis, rurſus petere lectum cogitur valde læſa reſpiratione, ut erecta ſpiret cervice, idque cum ſibilo, & magna elevatione abdominis. Difficulter loquitur, & per intervalla, ideſt cum aerem exſpirat. Tuſſit: in faucibus ardorem ſentit: dolet, non internis, ſed externis thoracis, & ventris partibus: vigiliis torquetur. Demum quatuor, an quinque horis ab aſſumpto bolo, opium habente, cum in lecto amplius durare non poſſit, ambulat: lectumque repetens, improviſo obit.

VENTRE, & Thorace apertis, cætera viſcera ſana inventa ſunt omnia; imo vel in ipſis pulmonibus nihil eſt aliud animadverſum, niſi quod aere valde turgebant, nigriſque hic illic maculis diſtinguebantur. Parvula concretione polypoſa, quæ fuit in dextero ventriculo cordis, excepta, reliquus ſanguis naturalem quodammodo ſervabat fluorem. Cranio autem aperto, primum *gelatinoſa* ſeri concretio circa vaſa ſanguifera conſpecta eſt, per Tenuem meningem repentia: tum ſerum limpidum, Laterales implens ventriculos cerebri, quale & intra primas vertebras circa medullam Spinalem repertum eſt: denique ipſa cerebri compages æquo laxior eſt animadverſa.

7. Etſi facile poterant aliqui ſecundum ea quæ nos quoque, alias (*f*) ad te ſcribentes, commemoravimus, in hoc viro ſuſpicari, cannabis, quam tractabat, pulverem, ut fauces irritando, tuſſim, & ardoris ſenſum excitaverat, ſic etiam in pulmones irruendo, eoſque male multando, maxima ex parte orthopnœam intuliſſe; diſſectio tamen aliter docuit. Neque enim hic, ut in illo aſthmatico qui plumas quibus culcitæ farciuntur, ſolebat a detritis particulis expurgare, *pulmonis veſiculæ* inventæ ſunt *a tenui plumarum pulvere penitus infarctæ*, ſicut habes (in Additamentis ad hanc Sectionem (*g*); ſed nihil niſi maculæ illæ nigræ, quas Valſalva cum ſpectaſſet, minime ad morbi cauſam attinere, cenſuit, quippe quam ſatis intra cranium agnovit. Sed hanc, convellendo, an reſolvendo tantam illam reſpirationis difficultatem attuliſſe, dicemus? Signa non deſunt aliquot, cur reſolvendo videri queat. Si enim reſolutas credas pulmonum fibras; facile intelliges, hos aerem expellere non potuiſſe, eoque præturgidos eſſe deprehenſos, itemque cur opio dato, gravior facta ſit affectio, & mors conſecuta, fibris videlicet iiſdem magis magiſque laxatis: quæ ſi convulſione fuiſſent diſtentæ; inde capturæ fuiſſe videntur utilitatem potius, quam noxam. Neque externus ille thoracis, & ventris dolor

(*c*) Canon. l. 3. Fen; non 9. ſed 10. tr. 1. c. 38. (*d*) Sect. 16. Obſ. 6. (*e*) n. 16. (*f*) Epiſt. 7. n. 14.
(*g*) Obſ. 4. §. 2.

dolor convulſionis magis quam laxitudinis, indicium erat, ſcilicet ob aſſiduos ingenteſque muſculorum conatus in ejuſmodi reſpiratione ipſis proximiſque laxatis, diſtractiſque partibus. Cæterum hæc quæſtio ſive hoc, ſive alio potius modo tibi videatur dirimenda; agitari non poterit ob ſignorum defectum in Obſervatione mea: quam ſic accipe.

8. MULIER quadraginta circiter annos nata, liberorum mater, cujus ſiniſtri oculi vitia aliis ad te Litteris (*h*) deſcripſi, certis de cauſis, quas requirens ſcire non potui, ab iis quos habuerat, Medicis pulmonum infarctu laborare credita, cum in Noſocomio demum mortua eſſet, pulſibus per extremos illos dies humilibus, facie rubicunda, nullo delirio, nulla ſoporoſa affectione tentata, ſub initium Aprilis A. 1741. a nobis, plures tunc forte variaſque anatomicas perquiſitiones, ut ſæpius ſolemus, repetentibus, diligenter confecta eſt. IN VENTRE nihil quod præter naturam eſſet, deprehendimus, ſi teſtem ſiniſtrum, & uteri fundum excipias. Ille enim hydatide interiore diſtentus, caſtaneam æquabat: hic quodam in loco faciei internæ anterioris, itemque in altero poſterioris excreſcebat in ſubſtantiam ex fuſco rubentem, inæqualem, ambitu ſubrotundo, altitudine modica. Thorax pulmones habuit ſanos omnino atque integros, ut cor quoque. Sed Cerebrum, ſiquod unquam aliud, vaſa omnia oſtendit, quæ per Tenuem meningem diſcurrunt, ſanguine turgida: & ſanguinis multum in iis etiam fuit quæ per medullarem trajiciuntur ſubſtantiam. Cæterum cum cerebellum eſſet laxiſſimum, cerebrum ipſum laxum non fuit.

9. Mirum, hanc mulierem neque deliraſſe, neque ſopitam fuiſſe, ut dixi, illis ultimis diebus; an quod ante noviſſimum morbum, vaſa illa cerebri jam habere conſueſſet magis aliquanto diſtenta, quam æquum foret? Sic enim liceret utrumque intelligere, & cur minus quam cæteri, ſit paſſa ab adaucta poſtremo vaſorum diſtentione, & cur ab hac antea, majori fortaſſe ad eorum nervorum origines qui ſpirandi organis famulantur, magis illæ compreſſæ non ſecus pulmonum officia turbarent, ac ſi hi revera infarcti eſſent. Nec dicas, ſi res ſe ad hunc modum habuiſſet; mulierem fuiſſe antea de capite magis quam de thorace, aut ſaltem æque conqueſturam. Nam & queſta eſſe potuit; nos enim quibus antea obnoxia eſſet incommodis, ignorare coacti ſumus; & potuit etiam non eſſe queſta. Accipe enim quæ a Valſalva in Conſilio quodam ſcripta ſunt pro Nobiliſſimo Viro, qui cum recte valeret capite, convulſionibus tentabatur ad teſtes primum, inde ad univerſum quaſi ventrem, hinc denique ad caput. Scilicet in ejuſmodi caſibus ſe haud ſemel inveniſſe per diſſectiones, affirmabat, convulſionum originem in ipſo cerebro, quamvis nullum fuiſſet hujus laborantis indicium vel ipſo convulſionum tempore; cæteras autem convulſas, & dolore affectas partes vel ſumma cura examinatas ſine ulla omnino læſionis nota deprehendiſſe. Huc addebat, ſæpe in vulneribus quoque, imminentes convulſiones non illorum, ſed pharyngis antecedente dolore præmonſtrari (*i*); cum tamen conſtet, non in pharynge, ſed in vulneribus convulſionum cauſam eſſe, & doloris: qua de re tu Wepferi etiam poteris vel in Sepulchreto (*k*) obſervationes videre. Igitur cum reſpiratio difficilis eſt vitio nervorum, etſi tunc quidem facilius dignoſcitur, ſi cauſarum aliarum abſentibus ſignis, laborat caput; interdum tamen accidit, ut ab hoc ſit, cum omnino videtur illæſum.

10. Cæterum & ſæpe nervorum culpa, inſonte cerebro, turbari reſpirationem poſſe, in acutiſſimis doloribus manifeſtum eſt. Quamcunque enim hi corripiant partem, continuo mutari reſpirationem, videmus. Itaque ſive nervi qui ad reſpirandum inſerviunt, ſive illi qui cum his demum ſunt colligati, aut acrius irritentur, aut premantur, obſtruantur, intimeve pervertantur; ab alterutris nervis reſpirationem lædi poſſe, perſpicuum eſt. Et primis quidem; ut vetera Galeni (*l*) in nervis Coſtalibus mittamus experimenta, & vel ſola recentia, quæ hic in Sepulchreto (*m*) habes, a Lowero in Phrænicis inſtituta attendamus; primis, inquam, id eſt his Phrænicis inciſis, eadem continuo reſpiratio fit, quam in aſthmaticis equis conſpicimus; ut inde egregie Lowerus deduxerit hunc equorum morbum, quod nimis depreſſo diaphragmate nervi illi diſtracti, *relaxationem*, ſive *extra proprium tonum extenſionem* ſint paſſi. De nervis autem qui cum inſervientibus reſpirationi colligantur, quid attinet ſcribere? quando pene quotidie ut irritati reſpirationi officiant, in hypochondriacis, præſertim vero in hyſtericis videmus. Quin etiam ſupra (*n*) vel apud Ballonium oſtendimus, orthopnœam ab renis calculo ad eundem modum fuiſſe explicatam. Poſtea vero quam Williſius perſecutus eſt fuſius convulſorum nervorum effectus in diſſitis quibuſque partibus; Medicorum plerique, non modo cum oportuit, hanc illius ſequi doctrinam cœperunt; ſed haud raro etiam hujus facilitate & commoditate illecti, interdum quoque fallaci rerum ſpecie decepti, abuſi ſunt uſque adeo, ut cum organorum vitia non deeſſent, nihil niſi convulſiones in multis morbis, præſertim vero ad reſpirationem attinentibus, accuſaverint non ſecus ac Veterum plerique accuſabant vapores. Qui abuſus, niſi caveamus, quam facilis ſit, non una in proximis Epiſtolis (*o*) docebit hiſtoria.

11. Nunc vero cum in hac quidem, poſtquam difficilis reſpirationis cauſa in Capite ſpectata eſt, illud ſequatur ut pariter conſideretur in Ventre; paucis, ut in re a vetuſtis uſque temporibus pervulgata, me expediam. Vides enim Galenum hic in Sepulchreto (*p*) laudari, aperte id docentem in certis affectionibus ventriculi, hepatis, lienis, aut partis omnino ventris quæ reſpirationis organis ſit annexa. Seponimus hinc convulſiones, de quibus ſatis jam ſupra ex occaſione dictum eſt, in ventris viſcere quoque ortis. Nulla in hypochondriaco ſit convulſio: ventriculus tantum, aut proxima inteſtina flatibus turgeant; obſtabunt certe deſcendenti ad inſpirandum diaphragmati. Sic in aſthmatica illa Matrona, de qua eſt CXLVII. hujus Sectionis Obſervatio, *bene conſtitutos* pulmones, *inteſtina vero omnia*, inprimis jejunum, mire *inflata* ac *diſtenta* invenerunt. Hepar autem præter naturam adauctum, non tantum mole ſua deſcendenti, ſed & pondere officiet aſcendenti diaphragmati; itaque & inſpirationi, & exſpirationi adverſabitur. Hinc dyſpnœæ exempla ab aucto jecinore habes in eadem Sectione (*q*): nec deſunt ab nimia mole aliorum ventris viſcerum aut annexorum ſepto Tranſverſo, aut tantummodo ſubjectorum. Inter quæ illius præſertim memini, quod mihi adoleſcenti narrabat Albertinus. Genuæ quidam aſthmate vexabatur, cujus cauſam Medicus thorace contineri, non dubitabat. Conſultus cum eſſet Albertinus, latere illam potius in ventre, nec procul a diaphragmate, ſuſpicatus eſt ob certum quoddam in ventriculo ſymptoma in cibo capiendo, an poſt captum; neque enim hoc pro certo recordor. Illud recordor, ægri demum mortui obſervationem, a Viro docto, atque ingenuo, ejus Medico ad Albertinum miſſam, hujus ſuſpicionem comprobaſſe; nempe in pancreate morbus fuerat, quod in plures tumores excreverat totidem poma referentes; & ad cancri naturam vergentes. Sed Valſalvæ, & meas Obſervationes, huc ſpectantes, quoniam ob alia, præter reſpirationis, vitia ad alium ſervare locum præſtat, alibi habebis, in iiſque aliqua in quibus ob levem ad ſpeciem læſionem ventriculi, maxima erat conjuncta difficultas ſpirandi.

Hic unum ſatis fuerit admonere: propter imæ thoracis, & ſummæ ventris partis communes fines, non ſatis a pluribus Medicis animadverſos aliis non reminiſcentibus, nonnullis ignorantibus, quam alte intra diaphragmatis fornicem, circumcirca thoracis cavo infimo comprehenſum, ſubeat cum altioribus ſuis viſceribus ſupremum ventris cavum; ob id, inquam, haud raro acci-

(*h*) Epiſt. 13. n. 9. (*i*) Vid. Epiſt. 54. n. 2. & ſeq. (*k*) l. 1. S. 13. in Addit. Obſ. 2. & in Schol.
(*l*) De Anatomic. Adminiſtr. l. 8. c. 4. (*m*) Append. ad Obſ. 110. (*n*) n. 4. (*o*) Epiſt. 17. n. 26. & Epiſt. 18. n. 17. & ſeq.
(*p*) in Schol. ad Obſ. 158. (*q*) ut in Additam. Obſ. 12. & 17.

dere cum in aliis, tum præſertim in reſpirandi vitiis, ut cauſa quæ ad ventrem pertinet, thoraci perperam adſcribatur.

12. In Collo autem etſi cauſa difficilis ſpiritus in ſemiobſtructione, aut compreſſione trunci Aſperæ arteriæ conſiſtens, obvia plerumque ſolet eſſe, ut cum devorata quædam non pharyngem ſubeunt, ſed in laryngem forte illabuntur, aut cum prope eandem arteriam durus aliquis tumor increſcit, cujuſmodi in Sepulchreto non deſunt hiſtoriæ; tamen nonnunquam accidit, ut obſtructio, itemque compreſſio latere poſſint, minus ex ægri narratione, aut ex Medici inſpectione, quam ex conjectura dignoſcendæ. Quo pertinent deprehenſæ olim a Cl. Fantono (r) *in virili cadavere ulceroſæ arytænoides, earumque craſſities ita adaucta, ut anguſtiſſimus* in larynge *meatus ægro difficillime, qui dudum ſic vixerat, reſpiranti ſupereſſet*. Eodemque ſpectant non vulgares Obſervationes duæ, altera Valſalvæ, & mihi communis, altera Mediaviæ noſtri propria. Quarum illa habita eſt in ea Virgine, in qua primum vidi hymenis foramen bifariam diviſum per quandam ejuſdem ſubſtantiæ quaſi inſtitam, qualem ex aliis quoque poſtea adjectis obſervationibus in Adverſariis (ſ) deſcripſiſſe, iterumque cum ſejunctis ab hymene & columnis, & carunculis illis quas nunc aliqui *piſiformes* vocant, memoraſſe me, ſcio; ut naturalem autem, ſive Chirurgi opera non egentem, me, ut iidem ſcribunt, propoſuiſſe, ita neſcio, ut & certa quædam alia, de quibus agendi non eſt hic locus.

13. VIRGO igitur de qua modo dicebam, annos nata ad quadraginta, jam diu aſthmatica, imminuta inſuper voce, a Medicis procul dubio ex pulmonibus laborare credebatur, cum acrius aſthmate ingruente, de improviſo mortua eſt, & ab Studioſis adoleſcentibus in Bononienſe Anatomicum Theatrum illata A. 1704.

VENTRIS viſcera nihil quod præter naturam eſſet, habuerunt, ſi paulo majores teſtes excipias, duros, albos, prorſus ſcirrhoſos, quibus hydatides aliquot incumbebant. In Thorace autem ipſiſque pulmonibus nihil omnino vitii; ut jam omnes intra cranium morbi cauſam repertum iri, putarent. Sed & ibi recte conſtituta inventa ſunt omnia. Mirabantur cuncti qui diſſecta ex ordine viſcera diligenter inſpexerant; ſed multo nos magis qui diſſecueramus; cum ego, quin laryngem quoque aperimus, Valſalva? ſi forte & imminutæ vocis, & aſthmatis, & mortis cauſa ibi deliteſceret: neque enim eo tempore ad *horizontalem* glottidem, ad laryngis ventriculos, ad Arytænoidæas glandulas, ad articulos Arytænoidum, quæ necdum retexeram, aut reſtitueram, oſtendenda larynx in Publica Anatome aperiebatur. Cum ille annuiſſet, quæri continuo inter nondum ſepultas partes, & ad me referri laryngem, juſſi. Quam ubi a tergo ſecundum longitudinem inciſam, diduxi, continuo manifeſtum fuit quod quærebamus. Pus enim ex albo cinereum, & quaſi pultaceum, formatum in obturamenti modum, occludebat penitus cavum laryngis quod infra glottidem eſt: eoque loco tunica laryngem conveſtiens erat exulcerata, quemadmodum & qua proximos annulos aliquot Tracheæ arteriæ operiebat; quanquam hic levius. Quibus poſtremo Anatomes die in Theatro demonſtratis, ſatis omnibus factum eſt.

14. Cogitans poſtea, unde illiuſmodi puris tantum cogi in eum locum potuiſſet, ut viam prorſus obturaret, cœpi larynges diligentius incidere, conſpectiſque non modo glandulis ſub ea tunica conſitis, ſed & ventriculorum caveis in quas ea tunica ſe producit, tum ejuſdemmodi glandulas, tum inferius crus operiens glandularum Arytænoidæarum; non difficulter conjeci, exulcerationem in Virgine de qua dictum eſt, ut infra erat manifeſta, ſic in ventriculis quoque latere potuiſſe, in hiſque lentum pus moram trahere, præſertim corpore ad dormiendum compoſito, & aliquanto denſius fieri, & poſtea inter loquendum excidere, & ad illud addi quod e laryngis & proximis arteriæ Aſperæ parietibus depluebat. Sic aeri magis minuſve obſtando, magis minuſve difficilem reſpirationem feciſſe, donec ea tandem utrinque copia, eaque e ventriculis denſitate prorupit, ut exſpirando inde averti, foraſque ejici non potuerit, non ſecus ac de improviſo accidiſſe, vidit Mentzelius (t) a parva craſſiſſimæ pituitæ portione, inter duos primos arteriæ Aſperæ annulos fortuito ſubſiſtente, & hanc prorſus, firmiſſimeque occludente in ſana alioquin, vegetaque puella. Jam vero in propoſita Virgine, quæ nec vegeta erat, nec ſana, purulenta ſputa, & tuſſis, & ſenſus in larynge eroſionis, quæ, opinor, non defuerant, & difficultas reſpirationis, ac vocis imminutio, quæ certe fuerant, pulmonum exulcerationem mentiebantur: nec niſi accurata ſymptomatum cæterorum, quæ pulmones affectos confirmant, perquiſitio, ut puta num materia quæ ejiciebatur, de profundiore loco aſcendere perciperetur, num ſenſus in thorace eſſet ponderis, aut compreſſionis, num decubitus ſupinus, aut in latus difficilis, num aſcenſus per acclivia incommodus, & quæ ſunt alia hujus generis quo plura, eo magis attendenda; nec, inquam, niſi horum abſentia, perpetuus autem ab initio uſque dolor in larynge perſiſtens movere Medicum ad id conjiciendum poterant, quod revera fuit: quanquam tunc difficilius erat conjicere cujus exemplum non extabat.
Hanc igitur primam ex propoſita hiſtoria utilitatem elicies, ut quod ſemel obſervatum eſt, poſſe iterum nec forſan quam rariſſime fieri, in ægrotantibus ſuſpiceris: alteram deinde, ne in mortuorum diſſectionibus facile pronuncies, nullam morbi fuiſſe cauſam, quæ caderet ſub ſenſus, itaque in convulſiones internas, aut alia ejuſmodi affectiones rejiciendam eſſe quæ inviſibilibus corpuſculis deberi poſſint. Quod factum procul dubio fuiſſet in hoc caſu, niſi forte in mentem veniſſet, ut aliis perluſtratis partibus, hæc quoque particula noviſſime introſpiceretur, larynx: quam ubi de reſpirationis vitiis, & de repentina præſertim morte quaſi a ſuffocatione agetur, cave inexploratam omittas. Sed jam ad alteram Obſervationem veniamus.

15. MULIER octogenaria major, de ſpirandi, glutiendique difficultate, cum faucium ardore conjuncta, multos jam dies querebatur, cum in Noſocomium Patavinum excepta eſt. Ibi tam gravi paroxyſmo difficilis reſpirationis corripitur, ut eo propemodum exanimetur. Servatur tamen, conſequente ſputo graveolentis puris, cui ſanguis admiſtus erat. Cum mulier laryngem tanquam morbi ſedem non modo indicaret, ſed digitis prehendendo antrorſum traheret, & ſic paulo facilius ſpiritum duceret; introſpectæ ſunt fauces, & uvula quidem, atque aſcendentes ad ipſam muſculoſi arcus apparuerunt retrorſum acti; ut id pharyngis orificium quod ad os eſt, dilatatum videretur, eaque loca paulo magis ruberent quam ſoleant; ſed nihil præterea conſpicere licuit. Sic dies quindecim, aut eo amplius cum iis ſputis, & difficultate reſpirandi mulier perſtitit, donec magis hac urgente, irritis omnibus auxiliis, conficeretur circiter Kalendas Septembres A. 1725. COLLUM, in quo evidens erat, morbi cauſam latere, diſſectum eſt, eaque ad hunc modum inventa. In Aſperæ arteriæ tergo, intervallo tranſverſi pollicis infra cartilaginem cricoidem, tumor excreverat ad magnitudinem dimidiatæ nucis juglandis, gulam quidem retropoſitam premens; ſed arteriam illam multo magis; ut hujus viam ibi anguſtiſſimam redderet, in qua per oblongam patebat ſciſſuram. Hac dilatata, tumoris cavum inſpectum eſt putrida refertum materia, pariete autem comprehenſum interius duro, exterius vero ex quibuſdam quaſi milii granulis facto ſubflavi coloris. Ex quibus duæ quoque conſtabant glandulæ, tumori extrinſecus proximæ, ſingulæ modicum piſum æquantes; ut ex una, harum ſimili, ſed magis adaucta, effectum eſſe tumorem, appareret. Ex gula ſectione perducta ad pharyngem, hæc intus maxime rugoſa comperta eſt ſic tamen, ut digitis rugas

(r) Anat. corp. hum. Diſſ. 13. (ſ) I. n. 29. & IV. Animad. 23. (t) Eph. N. C. Dec. 2. A. 4. Obſ. 62.

rugas diſſolvere liceret, pharyngemque ad amplitudinem juſtam reducere.

16. Quæ in mortua conſpecta ſunt, præclaram per ſe præbent explicationem eorum quæ in vivente fuerant animadverſa, ut cum pene ad mortem deducta eſt inſtante tumoris, a pure maxime diſtenti, ruptura, aut cum Aſperam arteriam antrorſum digitis trahendo, ſicque tumorem a gula, atque adeo a reprimentibus vertebris, ut minus urgeret aeris meatum efficiebat. Duo tamen fortaſſe quæres, alterum, cur hic rurſus, quamvis tumore per exitum puris imminuto, mortis cauſam attulerit? alterum, quænam illæ fuerint glandulæ, quarum tres, & una præſertim, adeo intumuerint? Quorum hoc facile intelliges, ſi quas a tergo Aſperæ arteriæ olim pinxi (*u*), & quæ de iiſdem, interdum, ſed minus quam iſta, tumentibus obſervavi (*x*), Adverſariis in manus ſumptis, inſpexeris. Illud vero materiæ adſcribes partim etiam tum in tumore congeſtæ, partim inde in bronchia delapſæ, quarum illa viam, ut inventum eſt, aeri anguſtiſſimam relinquebat, hæc illuc ab exſpirato aere forte relata, magis anguſtam tantiſper fecerit, dum fœmina ætate, morbo, alimenti, ob deglutitionis diuturnam difficultatem, exigua copia, infirmiſſima extingueretur. Cæterum propter hanc ipſam deglutiendi difficultatem pharynx tandiu ferme otiata, in eas rugas interius ſe contraxiſſe videri poteſt. Cum hac autem hiſtoria illam conjunges quam retulit Vitus Riedlinus (*y*) *particulæ ſanguinis grumoſi, lapidis fere duritiem nacti, juxta Aſperam arteriam inventæ*, & hanc *comprimentis* in ſene, cui ante pluſculos annos graviter lapſo, inde primum ejus partis dolor, ſemper autem poſtea difficilis fuerat reſpiratio. Et facilius ſecundum hiſtoriam utramque annues Gabrielio (*z*), qui orthopnœam, cum ſenſu ad fauces ſtrangulantis materiæ, & vocis interceptione conjunctam, abactis autem triginta vermibus ſolutam, ab his factam cenſuit, gulam diſtendentibus, arteriamque illam urgentibus, præſertim cum in alio ex orthopnœa pariter improviſa mortuo vermes quamplurimos vidiſſet gulam occupantes, quin arteriam quoque adſitam, in quam ſibi viam erodendo paraverant. Sed etſi preſſio quæ a tergo fit, arctat magis, & facilius arteriam, quippe ab ea facie cartilaginibus non munitam; poteſt tamen ſiqua preſſio a fronte validior increſcat, adeo conſtringere, ut difficilem reſpirationem, & denique mortem afferat, quemadmodum ſarcoma a Vorwaltnero (*a*), & *glandula thymi ingens, tophis cretaceis referta*, a Chriſtiano Vatero (*b*) inventa, ut cordis polypos opus non fuerit advocare ad pueri mortem explicandam, quando ſummum ſternum non ſinebat, thymi partem, ut neque ſarcoma illud, quod *ſub ſterno ad jugulum* erat, antrorſum creſcere, ſicque ibi utriuſque incrementum urgebat arteriam ad vertebras, aerique tandem aditum intercludebat.

17. Hactenus de cauſa, gravem ſpiritum efficiente, ſeu Capiti, ſeu Ventri, ſeu Collo inſideat, ſcriptum eſt. Nunc de illa cum Thoraci inſidet nonnulla adjiciamus: quanquam ex parte ad thoracem quoque attinent quæ noviſſime commemoravimus, ut omnino attinent Obſervationes Laubii duæ, altera vomicæ cum incluſo acuto & aſpero calculo adhærentis poſteriori parti Aſperæ arteriæ circa hujus diviſionem primam; altera ingentis ſteatomatis, quo eadem arteria comprehendebatur: quas, ut pote alia habentes digna quæ perpendantur, in Centuriis (*c*) leges Cæſareæ N. C. Academiæ. Nos enim hic de cauſis acturi pulmoni ipſi inhærentibus, ad earum perquiſitionem feſtinamus. Illud quidem nemini dubium eſſe poteſt, quin omnia quæ aut nimis comprimant, aut infarciant, aut inflexiles reddant ac rigidas pulmonum cellulas, tenueſque aeris canaliculos, ad has pertinentes, ea ſimul lædant reſpirationem. Nimis comprimit, exempli gratia, ſanguis annexa iis vaſcula diſtendens aut copia, aut turgentia, aut quacunque remorante cauſa difficilius tranſiens per pulmones: quorum primum fit in plethoricis, tunc præſertim cum feſtinantes accelerant gradum; alterum in febribus fervidioribus; tertium videtur factum in Fœmina Principe (*d*) quæ difficillima reſpiratione correpta, habuit pulmonum vaſa *uſque ad livorem tumida*. Infarcit præter humores quos bronchiorum glandulæ ſecernunt aut viſcidiores, aut uberiores, tenuiſſimus pulvis, cum aere jugiter attractus, ut in eo de quo ſupra (*e*) mentio injecta eſt, plumarum expurgatore, & in lapicidis præſertim, quorum pulmones duri admodum cum ſecarentur, culter *quaſi per acervum arenæ*, duci videbatur, ut in Sepulchreto (*f*) pariter leges. Quæ res ut duros, ſic etiam inflexiles pulmones facit, & inexplicabiles, quorum alterum exſpirando, alterum inſpirando plane adverſatur.

18. Sed idem quod ab involantibus, fieri poteſt ab innaſcentibus cauſis, iiſque aut ſimul bronchia infarcientibus, aut non infarcientibus. Animadverti enim in diſſectionibus bronchia perſequens, oſſeas nonnunquam fieri eorum cartilagines vel prius quam ætas grandior ſit. Nam in decrepitis pulmonem *obdureſcere*, novit Ariſtoteles (*g*), & *fieri terreſtrem*, Littrius (*h*) autem, & Vieuſſenius (*i*), ille in viro octoginta annos nato, hic in Matrona aliquot annis majore aut quoſdam, aut omnes bronchiorum annulos eſſe oſſeos factos, ſcripſerunt: quanquam neuter diſerte docuit, an penitus etiam intra pulmones, imo cum *annulos* dixere, id credi poſſunt noluiſſe. Ego vero id vidi, & oſtendere adhuc poſſum in penitiſſimis pulmonibus, ubi loco cujuſque annuli plura inter ſe cartilaginea ſecundum naturam fruſta nectuntur: etſi nonnulli ex iis qui erudite collegerunt exempla omnium corporis humani particularum quæ oſſeæ aliquando factæ repertæ ſunt, non hæc modo, & pleuram, & internum oculum, quorum partem oſſeam conſpexi (*k*), ſed & facilius obvias trunci Aſperæ arteriæ cartilagines prætermiſerint. Cæterum ad meam obſervationem attinere quæ ex Columbo noſtro hic in Sepulchreto (*l*) memoratur, minus crediderim, quam ad tunicas vaſorum, propterea quod *in pulmonibus oſſa non parva* vidiſſe ſe, ſcribit.

19. Ab innaſcentibus autem cauſis ſimul bronchia poſſe & inflexilia fieri, & infarciri, non difficile intelliges, ſi calculos intra ipſa gigni, animadverteris. Equidem non ſum neſcius, Bronchiales glandulas, ut extra, ſic etiam intra pulmones calcis inſtar aliquando indureſcere. Idem tamen accidere multo ſæpius credo lento humori, aut puri in illorum cellulis diutius retento; in bronchiorum autem ramis, certe ſcio. Tu quoque fac legas, ut ego olim, pleraſque hiſtorias quibus centum propemodum Auctores calculos, tophoſve propoſuerunt tuſſi excluſos, aut in pulmonibus repertos; procul dubio mihi aſſentieris. Plures apud Rhodium (*m*) indicatas videbis, alias apud Henricum Meibomium (*n*), alias apud Sachſium (*o*), quarum penultimam; ne te moretur error typograghi; Paavii eſſe, ſcito; ſed plurimas; ut omittam cæteros; apud Scenckium (*p*), qui ante illos quas tunc potuit, non modo indicavit, ſed etiam deſcripſit. In Sepulchreti autem Sectionem hanc I. etſi vel quædam Crucii, Blaſii, Saxoniæ, Gendrotii relatæ ſunt, quas ab aliis indicari, non memini; tamen præter eas quæ, ut diſſectione carentes, ad inſtitutum non attinebant, aliquot in eadem, proximiſque Sectionibus omiſſas animadverti, quæ ex paulo ante laudatis Scriptoribus accipi potuiſſent, aut ex quibuſdam tunc editis Cæſareæ Academiæ Voluminibus (*q*), itemque ex aliis, ut Contulo (*r*), & multo

magis

(*u*) Adverſ. 1. Tab. 2. Fig. 1. (*x*) Adverſ. 5. Animad. 39. (*y*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 7. Obſ. 120. (*z*) Ibid. Obſ. 188.
(*a*) Ibid. Obſ. 144. (*b*) Dec. ead. 3. A. 9. Obſ. 161. in fin. (*c*) IX. Obſ. 15. & VII. Obſ. 40.
(*d*) Eph. earund. Cent. 8. Obſ. 79. (*e*) n. 7. (*f*) Addit. ad hanc Sect. Obſ. 4. (*g*) De Juvent. c. 14.
(*h*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. A. 1706. Obſ. Anat. 7. (*i*) Traité de la ſtruct. du coeur ch. 16.
(*k*) Vid. Epiſt. 21. n. 19. & 22. & Epiſt. 13. n. 9. 10. & Epiſt. 52. n. 30. 31. (*l*) Obſ. 46. primæ §. 6.
(*m*) Cent. 2. Obſ. Med. 3. (*n*) Exercit. Med. de Obſerv. rar. &c. n. 20. 21. (*o*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 2. Obſ. 181. in Schol.
(*p*) Obſ. Med. rar. l. 2. ubi de Pulm. Calcul. cum Strauſſii. Addit. (*q*) Dec. 3. A. 3. Obſ. 71. 72. 248. & A. 4. Obſ. 109.
(*r*) De Lapidib. Podagr. &c. c. 8.

magis Mortono (ſ), nedum ex iis libris qui necdum prodierant eo tempore, ut Centuriis (t), & Actis (u) ejuſdem Academiæ, Commercio Litterario (x), aliiſque.

20. Sed quoniam pleriſque eorum nunc ſorte cares, nec indigna tamen res tota eſt de qua paulo accuratius agamus; ſumma quidem perlectarum a me hiſtoriarum capita huc redeunt. Ex quo Ariſtoteles (y) in hoſtiarum pulmone calculos ſæpenumero animadverſos indicare viſus eſt, Aretæus autem (z), & Galenus (a) extuſſitas ab hominibus grandines adnotarunt, primi, quod ſciam, induratas in veros calculos ejici viderunt Trallianus (b), & Paulus (c). In ipſo autem hominis pulmone primus, quantum in præſentia memini, noſter invenit Curtius (d), ſed num ter, ut quidam ajunt, non memini, qui hæc tantum legiſſe me ſciam, *diſſecto corpore vidiſſe* ipſum *lapillos plurimos in pulmone genitos, inter quos aliquis erat, qui ad magnitudinem faſeli accedebat*. Porro quod ad numerum eorum attinet, ipſis Fernelius quoque (e) *interdum pulmones confertos* deprehendit, *plurimoſque* in juvene quodam inventos memoravit Geſnerus (f), *quam plurimos* in muliere Hildanus (g), *aliquot centum* in Studioſo Huldenreichius (h), in alio *innumeros* Raygerus (i); ut ſileam cæteros, eoſque etiam qui rejectos commemorarunt, de quibus duos nominare ſatis eſt, Hildanum (k), qui *infinitos* a phthiſico redditos ſcripſit, & Boerhaavium (l), qui a Vaillantio ejectos tradidit *quadringentos*, eoſque; ut de magnitudine etiam dicamus; omnes exiguos. Sed a granorum milii magnitudine ſæpe ad lentis, ad piſi, ad ciceris, ad fabæ magnitudinem creſcunt: quin Benivenius (m), & Prævotius noſter (n) extuſſitum viderunt, ille qui ad avellanam æquandam accederet, hic qui eam nucem ſuperaret. Grandes quoque fuerint, oportet, quos mirabatur Koehlerus (o) ſine inſtante ſuffocatione per glottidis rimam egredi potuiſſe, & ſane in tranſitu Aſperam lædebant arteriam: nec minus ipſe miratus ſum nuper, cum me Ciſiarius conſulens pro ſicca tuſſi, calculum obtulit mediocri oſſe mali perſicæ vix minorem, quem conatu immani expectoraverat, duoſque alios viciæ magnitudine, poſtea redditos, omnes ex dextero, nam inde aſcendere perceperat, pulmone. Major tamen fuerit qui ab Oethæo (p) deſcribitur, nucem æquans juglandem, a puella, id quod auget admirationem, annorum quatuordecim, & abſque ulla ſubſecuta evidenti læſione, extuſſitus, ſi Medici quidem ſatis ſibi a fœminea fraude caverunt. Sed eadem magnitudine intra pulmonem inventum ab Hildano (q) facile credo, ut columbini ovi a Contulo (r), quamvis inepte abuſo Malpighiana ranini pulmonis imagine, in qua nobis humanum calculum delinearet.

21. Habet tamen quædam non omittenda de ejus duritie, ſignis, & incipientis curatione. Cum enim plerumque hi calculi ſoleant eſſe ſimiles materiæ, in juncturis arthriticorum concreſcentis, friabiles, inſtar pumicis leves, cretacei, tophaceive, qualem ex Ciſiario (ſ) vidi; non crebro autem præduri, duri ſupra modum, duriſſimi, & vix ſemel ſilicea duritie, & pondere granorum viginti: is de quo loquimur fuiſſe dicitur *marmoreus ſtriatus*, & *ponderoſiſſimus*. Et cum haud raro aſthma, & orthopnœa comitari hunc morbum conſueverint, ſæpius autem diuturna tuſſis, eaque, niſi hæmoptoe, aut phthiſis adjungantur, ſicca (perrarum enim eſt, nunquam fuiſſe tuſſim, ut in Jo. Franci (t) Obſervatione, cum pulmones referti eſſent lapillis; multo autem rarius eſt, non modo tuſſim haud nominari; ſed diſerte negari, unquam; mitto de ullo dolore; de ulla difficultate pulmonum eſſe conqueſtum alterum (u), in quo erant hi calculis pariter referti, nec tamen, ſicuti in priore, exſiccati, ut minus irritabiles credi poſſent) cum ſymptomata, inquam, prædicta non raro, aut ſæpius eſſe conſueverint; adoleſcenti huic ſuo Contulus, valida oborta tuſſi copiam aquæ limpidiſſimæ e faucibus, narrat, profluxiſſe, creſcente in dies & macie, & dolore in medio thoracis vehementi, & quaſi ab infixo clavo, pertinaci & immoto. Non ſum neſcius, illum quem paulo ante dicebam nulla unquam tuſſi fuiſſe vexatum, aſſiduo pulmonum dolore in latere dextero laboraſſe, & quam diuturnos, & quantos laterum dolores is tulerit quem ſupra (x) ex Benivenio indicavi: quin Mortonus (y) docuit id quod prolatis etiam confirmavit hiſtoriis, ubi cum hæmoptoe horrendus thoracis dolor, pleuritici, vel peripneumonici æmulus, circa initium phthiſis contingat, rite ſuſpicari licere, hanc eſſe generis calculoſi. Sed tamen eſſe tunc calculos, ait, angulis, & aculeis præditos, & certe etiam Paulus (z) in hæmoptoico, qui aſperos tribulorum modo rejecit, dolorem commemoravit: ubi vero calculi læves ſint, nec ad lacerandum idonei, quamvis ſatis magni ſint aliquando, Mortonus tradidit, nihil incommodi afferre præter inanem tuſſim, & aliquam in pectore gravitatem. Verum nec Francus, nec Benivenius, nec Contulus ſuos angulis, & aculeis inſtructos fuiſſe, ajunt; itaque nullum ſanguinis ſputum attulerunt; ut conjicere proclive ſit, non pungendo ſemper, & lacerando, ſed pondere pulmonem a pleura, aut mediaſtino, cui forte affixus ſit, diſtrahendo, interdum dolorem facere, interdum ne ſic quidem, ſed aliter facere. Imo fuiſſe non raro ad lacerandum idoneos, & revera non ſemel laceraſſe, nec dolorem tamen ullum attuliſſe, ex iis intelliges quæ mox ſubjiciam, ubi quod de ſanatione adnotavit Contulus aliique, indicavero. Cum Medicorum plerique ad dolorem pacandum, maciemque arcendam, illi adoleſcenti lac eſſe dandum, ſtatuiſſent; Albertus Fabrius is quem tibi alias (a) merito laudavi, acerrime diſſenſit, ut qui unus morbi cauſam divinans, calculoſas in pulmonibus concretiones uſu lactis augeri poſſe, cenſebat: qua in ſententia fuiſſe poſtea Mortonum (b), videmus, ob eandem iſtam rationem, lacteam diætam non, niſi urgente neceſſitate, in phthiſi a calculis pulmonaribus permittentem: & ſane is cujus pulmones lapillis plenos a Franco inventos eſſe, dicebam, cupide adeo lac appetere ſolitus fuerat, ut hoc, etiam loco aquæ, & cereviſiæ biberet. Fabrii autem judicium comprobavit exitus. Lactis enim uſus calculum, aut certe dolorem auxit; mortemque acceleravit: cum alteri adoleſcenti, cujus morbum ex iiſdem omnibus ſignis ab eadem cauſa repetebat Fabrius, non lacte, ſed oleo amygdalino, aliiſque ejuſmodi, etiam ad lambendum, datis, illud conſecutus eſt, ut extuſſito lapillo, dolor paulatim abiret, perfectaque rediret ſanitas. Sic etiam Benivenius leniendo pectus, molliendo guttur, & Aſperam arteriam, calculum de quo diximus, extrudi viderat, omnemque dolorem cum inani tuſſicula amoveri.

22. Quanquam igitur vel calculis expectoratis, multo ſæpius ejuſmodi ægri pereunt, ſive quod cunctos haud ejecerint, ſive quod alios iterum gignant, ſive quod in pulmonibus peſſimas ab illis ſervent noxas, unde ex phthiſi, aut fere ex ſanguinis ſputo intereunt, mollibus videlicet pulmonibus facile etiam ab eo ipſo nixu læſis quem ad excludendum calculum edunt, ut recte docuit Boerhaavius (c); attamen exempla non deſunt, neque ea perrara, illorum qui redditis calculis, non modo longum tempus vixerunt, ut Petrus Borellus (d), Richardus Mortonus (e), Se-

(ſ) Phthiſiolog. l. 3. c. 6. (t) III. Obſ. 62. (u) Tom. 4. Obſ. 49. & Tom. 5. Obſ. 68. (x) A. 1743. Hebd. 13. n. 2.
(y) De Partib. Animal. l. 3. c. 4. (z) Morb. Diut. l. 1. c. 4. (a) (b) (c) apud Schenck. cit. ſupra ad n. 19.
(d) Comment. in Mundin. Anat. c. 34. in fin. (e) (f) apud Schenck. loc. cit. (g) Cent. 2. Obſ. 29.
(h) Eph. N. C. Dec. 1. A. 6. Obſ. 221. (i) Earund. Dec. 3. A. 3. Obſ. 248. (k) Cent. 6. Obſ. 22.
(l) Prælect. in Inſtit. §. 835. (m) apud Schenck. l. cit. (n) Vid. Rhodii Obſ. cit. ſupra ad n. 19.
(o) Commerc. Litter. A. 1741. Hebd. 8. in fin. (p) apud Schenck. l. cit. (q) Obſ. cit. ſupra 29.
(r) c. 8 cit. ſupra ad n. 19. (ſ) n. 20. (t) Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. Obſ. 72. (u) Earund. Dec. 1. Obſ. 181.
(x) n. 20. (y) c. cit. ſupra ad n. 19. (z) apud Schenck. l. cit. ſupra ad n. 19. (a) Epiſt. 8. n. 32. & Epiſt. 10. n. 11.
(b) c. indicato. (c) ad §. cit. ſupra ad n. 20. (d) Cent. 1. Ob. 67. (e) cit. c. ſupra ad n. 21.

Sebaſtianus Roth (*f*), Jo. Francus Hildeſius (*g*) teſtantur; ſed etiam convaluerunt, ut nonnulli ex his ipſis videntur, & certe alii de quibus dictum eſt paulo ante, & quos Trallianus (*h*), Wierus (*i*), Heſſus (*k*) memorant, iſque in primis, qui de ſe ipſo idem narrat, ſine ullo medicamentorum uſu poſt peregrinationem ſanatus, Oſwaldus Gabelchoverus (*l*). Omitto alios, & in his Pechlinum (*m*), & quem alias (*n*) tibi nominavi, Caſp. Deſid. Martinettum (*o*), quorum ille tres calculos ſine ulteriore incommodo extuſſitos vidit, hic duos, aſthmaticis, quæ antea vexaverant, affectionibus omnino abactis. Omittere tamen nequeo Zacutum (*p*), & Georg. Wolfg. Wedelium (*q*). Uterque enim priſtinæ ſanitati reſtitutos eos quoque proponunt, qui aſperos e pulmone ejecerant calculos, nempe unum gravem, durum, oblongum oſſis dactyli inſtar, eumque aſperum, itemque plures, alios piſi, unum fabæ magnitudine, illoſque omnes acutis angulis, tricuſpideſque: & orthopnœam quidem, & inanem tuſſim a primo, ab aliis autem levem hæmoptoem, & tuſſim inductam antea, memorant; dolorem ullum non memorant. Cujus mentionem ne ab illis quidem factam invenies qui ab aſperis calculis mortem, non modo cætera quæ mortem præceſſerant, incommoda, allatam tradiderunt. Collega enim Wieri (*r*) lapillum *inæqualem, aſperum*, Hildanus magnum illum de quo diximus (*ſ*), *undique aſperum*, Raygerus (*t*) unum *hinc inde acutum*, Jo. Seb. Albrechtus (*u*) viginti *valde aſperos*, Jo. Phil. Wolfius (*x*) multo plures *formæ omnes aſperioris* aut in pulmonibus deprehenderunt, aut extuſſitos conſpexerunt. Cum autem phthiſim, tuſſim, hæmoptoem, aſthma, dyſpnœam, febrem hecticam in illis ægris, aliique alia memoraverint; nemo ullam doloris mentionem injecit; ut hic levis fuerit oporteat, non horrendus (qualem propoſuit Mortonus (*y*)) quamvis calculi non ſolum idonei eſſent ad lacerandum; ſed etiam, ut in quibuſdam oſtendit ſputum ſanguinis, laceraſſent.

23. Quin ſanguis ea nonnunquam copia prodiit, ut occideret, velut generoſum illum Virum, quem Dodonæus (*z*), vehementem quidem tuſſim, at dolorem nullum memorans, calculum ſæpe excreviſſe, narrat, *qui in extremis aſperæ arteriæ ramulis ac propaginibus natus, loci figuram referebat, forma oblongus, teres, tenuiſque ſubinde adnatis brevibus ramulis*. Contra, nihil rejecit ſanguinis vir alter (*a*), qui levi dyſpnœa, nullo autem dolore vexatus, plurimas in utroque pulmone habuit tophaceas concretiones, *magnitudine avellanas ſat grandes æquantes; multis acutas uncis, qui ſe ſe bronchiorum pluribus ramis infigebant*. Scilicet *ab initio molles, aſſumſerant ſenſim continentium canalium figuram internam, ſicque uncos paſſim formaverant, ubi ex uno canali via in alterum patebat*. Conveniunt hæc cum Plateri (*h*) Obſervatione, qui pulmonares calculos *nunc planos, nunc inæquales, & pro ratione vaſorum tophi inſtar formatos aliquando ſectione ſe deprehendiſſe*, retulerat.

Jam vero poſt longum, ſed fortaſſe non inutilem, de his calculis ſermonem, illud conſtare, tandem vides, quod hujus initio propoſui, calculos inventos eſſe qui certe concreverint in bronchiis. In iiſdem autem bronchiis, itemque in cellulis in quas ultimi ipſorum deſinunt ramuli, pleroſque pariter concreviſſe eorum quos memoravi, minimorum præſertim, credibile facit eorundem haud raro ſine pure, & ſanguine ſecuta rejectio. Quod ſi crebri paſſim bronchiorum ramuſculi materia quæ ſic indureſcere poſſit, obſideantur; intelligis, qua ratione ab innata cauſa pulmones fiant *lapideſcentes*, & *tophos lapideos ementientes*, aut *materiam duram gypſeam* referentes, quales videlicet in Sepulchreto (*c*) commemorantur.

24. Denique non hoc tantum modo, ſed & aliis indureſcere pulmones poſſunt, ut cum ſcirrhoſi fiunt, aut, quod rarius eſt, cum tendinem carnemve referunt: quarum mutationum hujus quidem exempla habes, præter id quod alias (*d*) ex Valſalva accipies, apud Franciſcum Sylvium (*e*), & Jo. Bapt. Fantonum (*f*); illius autem alio in loco (*g*) ex me habebis, aut cum ipſam cocti hepatis ſubſtantiam repræſentant, quod cum eſt, bronchia non ſolum infarciri, & minus flexilia fieri; ſed ſimul maxime premi contingit. Verum cum hæc conſtitutio ad Sectionem pertineat de Pectoris, & Laterum Dolore; ad eam Obſervationes ejuſcemodi noſtras differemus (*h*). Et cum ad cætera, quæ memoravimus, mutationum genera attinentes hic quidem proferre nimis longum ſit; ſatis erit unam tophacei pulmonis adſcribere. Quam eo libentius accipies, quod non a me, ſed ab ſummo Anatomico, & Medico Malpighio eſt. Hic enim, cum Albertinus, a quo illam habui, in Bononienſi S. Mariæ de Morte Noſocomio Medici Aſſiſtentis munere diligentiſſime fungeretur, ſolebat, ſiquis obſcurior incideret morbus, rogatus inviſere, & quid ſibi videretur, illi indicare, velut in eo, quem continuo ſubjiciam, caſu factum eſt.

25. FŒMINA leviſſima ſcabie, ſed non levi macie affecta, ſubinde tuſſicula, quam nullum unquam craſſius ſequebatur ſputum, ſemper autem difficultate ſpirandi vexabatur, quam ſive ſupina, ſive in alterutrum latus jaceret, non propterea augebat, aut minuebat. Erecta quidem cervice paulo facilius ſpirabat; ſed tum gravis erat ponderis ſenſus quaſi a faucibus in thoracis cavum pendentis, easque anguſtas reddentis. Hanc fœminam, inquit Malpighius, probabile eſt, pulmones habere, ut ejus verbo utar, *tartarizatos*. THORACE ſic mortuæ aperto, ſtatim ac culter pulmonibus impreſſus eſt, horum ſtridor, non ſecus ac ſi arenaceas concretiones diſcinderet, Malpighii diagnoſim veram oſtendit, quam & continuata diſſectio planiſſime confirmavit.

26. Dici non poteſt, quanta admiratione excepta fuerit diſſectio hæc ab iis qui antea audiverant ex Albertino conjecturam Malpighii. Ad quam ipſe perduci probabili ratione potuit cum ſigna attente conſideraret, tum etiam propriis, aut certe aliorum ex parte aliqua obſervationibus adjutus. Nam cum tophaceis, gypſeiſve pulmonibus præter ſpirandi difficultatem, *tuſſim ſiccam* fuiſſe conjunctam, memoriæ fuerat litterarum mandatum (*i*), ut etiam virum qui crebro calculos extuſſiebat, *in medio thorace gravitatis cujuſdam pondus percepiſſe* (*k*): imo in plurimis *inanem tuſſim*, & *aliqualem gravitatem in pectore prementem*, ut ſupra (*l*) indicatum eſt, pati ſolitis Mortonus *lapides* in pulmonibus *cretaceos læves frequentes, atque aliquos etiam ſatis magnos* invenit.

Ægre tuli cum ipſe in ejuſdemmodi pulmones incidi, quæ, & qualia in viventibus fuiſſent incommoda, pro certo ſciri non potuiſſe, in viro præſertim jam ſeneſcente, cujus pleraque ſanguifera vaſa ſub finem Anatomes quam publice habui A. 1729. diligenter ſcrutatus, Vertebralem ſiniſtram arteriam inter Carotidem, & Subclaviam ejus lateris ex ipſo arcu Magnæ arteriæ naſcentem vidi. In illo pulmonum alter tophaceus fuit, cordis autem ventriculus dexter, & annexa auricula firmis, & in ſpeciem carneis, polypoſis concretionibus omnino repleta, cum ſiniſtra auricula, magiſque ventriculus nil fere niſi atrum ſanguinem ſemiconcretum haberent, itemque erant ſanguine venæ omnes maxime diſtentæ, cum arteriæ pro ſtaturæ modo contractiores viderentur, Magna autem ad partitionem in Iliacas, & inferius hic illic oſſeas lamellas oſtenderet; ſupra vero nihil uſquam hujuſmodi. Sed, ut dixi, quæ vivens pateretur, & quo ex morbo interiiſſet, ignoravi. Interea ne graviter feras quod pauciores fortaſſe quam expectares, his in Litteris Obſervationes Valſalvæ, & noſtras produximus; plurimas in proximis habebis. Vale.

EPI-

(*f*) (*g*) (*h*) (*i*) (*k*) (*l*) apud Schenck. loc. cit. ſupra ad n. 19. (*m*) Act. Erud. Lipſ. A. 1691. M. Maj.
(*n*) Epiſt. 5. n. 12. (*o*) Litter. ibid. cit. (*p*) De Praxi Med. Admir. l. 1. Obſ. 103. (*q*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 3. Obſ. 16.
(*r*) apud Schenck. loco indicato. (*ſ*) n. 20. (*t*) Obſ. cit. ſupra ad eund. n. 20. (*u*) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 49.
(*x*) Eorund. Tom. 5. Obſ. 28. (*y*) c. cit. ſupra ad n. 21. (*z*) apud Schenck. loc. cit. ſupra ad n. 19.
(*a*) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 13. n. 2. (*h*) Sect. hac Sepulchr. 1. in Schol. ad Obſ. 41.
(*c*) Sect. ead. Obſ. 47. §. 1. & 2. & in Addit. Obſ. 1. (*d*) Epiſt. 17. n. 10. (*e*) Sect. hac Sepulchr. Obſ. 50.
(*f*) Obſ. Med. 15. (*g*) Epiſt. 18. n. 30. & Epiſt. 45. n. 23. (*h*) Vid. Epiſt. 20. & 21.
(*i*) Vid. Sepulchret. Sect. hac 1. Obſ. 47. & 1. in Addit. (*k*) Sect. ead. Obſ. 46. primæ §. 11. (*l*) n. 21.

EPIſTOLA ANATOMICO-MEDICA XVI.

Agitur de Reſpiratione Læſa a cauſis intra thoracem, & primum ab hujus, aut Pericardii Hydrope.

SEquitur, ut quæ cauſæ intra thoracem quidem, ſed extra pulmones ſitæ, officiant Reſpirationi, videamus. Earum præcipuæ, & ſæpius quam aliqui putant, occurrentes aut ad aquam ſpectant effuſam, aut ad cordis, magnorumque vaſorum dilatationes. De utroque autem genere in Sectione quidem hac I. libri II. Sepulchreti Anatomici plures hic illic invenies Obſervationes; ſed de neutro Sectionem peculiarem. Mihi vero & commodius fore videtur, & utilius, ſi noſtras dividentes, his quidem Litteris complectamur quæ ad Thoracis Hydropem attinent, & Pericardii: quæ autem ad Cordis Aneuryſmata ſpectant, & Magnæ arteriæ, eas ad Epiſtolam proximam ſervemus. Igitur quæ ad illum pertinent, ex Valſalva quidem ſunt hæ novem.

2. MULIER annos nata circiter viginti duos, cachectica, ſitibunda, leviter tuſſiens, & aliquid catarrhalis materiæ exſpuens, nubit. Aliquot poſt nuptias diebus decumbere cogitur. Pulſus eſt celer, frequens, humilis: tuſſis moleſta, paucis cum ſputis: ſitis ingens. Pedes œdemate tumebant, eoque magis, quo magis ingraveſcebat morbus: quin jam facies quoque, brachia, & manus eodem tumoris genere occupabantur. Immoderati caloris ſenſus in ſiniſtra thoracis parte: interdum præcordiorum anguſtiæ: reſpiratio difficilis; ut augeſcente morbo, erecta cervice ſpirare cogeretur. Itaque intra paucos dies moritur.
VENTER paululum habuit ſeri, omnia autem viſcera ſana, niſi quod lien æquo erat major. Uterus quoque diſſectus eſt, ſi forte ut in recens nupta, aliquod appareret conceptionis inchoamentum. Inerant quidem veſiculæ duæ, & maſſa quædam informis. Sed hæc ex mucoſa fiebat ſubſtantia, cui alia adjungebatur ejus coloris, ut non multum eſſet concreto ſanguini abſimilis: eratque tota ab uteri parietibus omnino ſoluta. Contra veſiculæ, quarum altera parvæ lentis, altera parvi ciceris magnitudinem æquabat, cum iis parietibus ſic implicabantur, ut difficulter avelli poſſent. Verum nullis inſtruebantur ſanguiferis vaſculis, neque humor incluſus igne concreſcebat; cum ova, ideſt ovariorum veſiculæ, ex duplici conſtantes membrana, tum manifeſta habeant ſanguifera vaſcula, tum concreſcentem igne humorem, & albuminis ſaporem referentem, quemadmodum vel in hac muliere obſervatum eſt. Denique Tubæ utriuſque Falloppianæ in uterum ingreſſus prorſus erat clauſus.

Thorace aperto, pulmones inventi ſunt a pleura quidem omnino ſoluti; ſed duri; ut ſi propria peripneumoniæ ſigna præceſſiſſent, inflammatione laboraſſe videri poſſent. Erat aqua in utroque thoracis cavo ea copia, ut ejus portio in ſterni ſectione eruperit. Erat & in pericardio ad uncias circiter quinque. Cum utrinque ſumpta, igni fuiſſet impoſita; illa quidem; non hæc concrevit. Polypoſa concretio fuit in utroque cordis ventriculo; ſed major in dextero, quæ & per vaſorum oſtia ſe producebat, & in auricula præſertim ſe amplificabat.

3. Num veſiculæ muliebrium ovariorum ſint ovula, non eſt hic diſputandi locus; multo autem minus, an maſſa illa informis inchoamentum eſſet conceptus, quando utraque erat prorſus occluſa Tuba. Aquam in hac, & ſequentibus Obſervationibus pulmones circum prementem, eoque obſtantem ipſorum facili explicationi, præcipue attendimus, alia quæ eodem attineant, mox in loco non neglecturi.

4. FŒMINA viginti ſex circiter annorum, quæ uterum non ſemel tulerat, poſt animi perturbationes, toto corpore leviter, abdomine magis intumeſcit, difficulter, & erecta cervice reſpirat, neutrum in latus laborioſe decumbit, ingens in thorace pondus percipit, maxime ſitit, donec difficultate ſpirandi ingraveſcente, mortem obit. IN VENTRE pauca erat aqua; ſed ventriculus præturgidus, & hepar magnum, adeo diaphragma ſurſum pellebant, ut thoracis cavea minor fieret. Cæterum lymphæ ductus turgebant in ventre, cunctaque hujus viſcera bene ſe habebant, ſi indurata excipias ovaria. Thorax omnino aquæ plenus; pulmones nonnihil & duri, & rubri, variiſque maculis nigris diſtincti, cætera ſani. Dexter cordis ventriculus continebat polypoſam concretionem, & circa hanc grumoſum ſanguinem: qui in ſiniſtro, vaſiſque omnibus erat fluidus.

5. Quod Valſalva ita, ut reddidi, ſcriptum reliquit, neutrum in latus laborioſe decubuiſſe quæ difficulter, & erecta cervice ſpiraret; aut illic negantem particulam, ut fit, per incuriam omiſit, aut ad hunc modum eſt accipiendus, ut dicere voluerit, niſi una difficultas ſpirandi vetaret, utrumlibet in latus, ut fortaſſe experiendi cauſa imperaverant aliquando Medici, ſine labore pauliſper decumbere potuiſſe, quippe nulla hinc, aut illinc, ut in thorace æque pleno utrinque, moleſtia, aut dolore prohibitam. Quod autem in hac, & nonnullis aliis ejuſcemodi Obſervationibus turgentes lymphæ ductus commemorat; id accidiſſe, putabimus, aut ob ſerum in ſanguine redundans, aut ob eorum ductuum compreſſiones, obſtructioneſve in partibus ulterioribus, tantas aliquando, ut tenues quorundam ex ipſis tunicæ diſſiliant, corporiſque caveas inundet aqua. Caſum habes in Sepulchreto (*a*) deſcriptum adoleſcentis qui ſe Williſio, ac Lowero curandum tradidit. Is poſt immodicas equitationes, aliaſque corporis diuturnas exercitationes cum aliquandiu in ſiniſtra thoracis parte eum ſenſum habuiſſet qui eſſe ſine interna compreſſione non poterat, ibi tandem ſenſit diſrumpi ſibi quaſi vas quoddam; *indeque per ſemihoræ ſpatium in regione iſta humoris velut ab alto in pectoris fundum cadentis ſtillicidium non tantum ab eo percipi, ſed etiam ab adſtantibus audiri potuit*, res non ita facilis explicatu iis qui inter pulmones, & thoracis parietes negant ſpatii quidquam intercedere; vera tamen, ut poſtmodum comprobavit humoris, in eo latere congeſti, cum fluctuatio in agitatione corporis ab ipſo, ab aliiſque *evidentiſſime* percepta, tum eductio per immiſſam a Chirurgo fiſtulam primum, ſemper autem poſtea per foramen ab natura reſeratum, & ab arte ſervatum.

6. VIR ad quadrageſimum accedens annum, multas jam hebdomadas febre lenta laboraverat. Ad eam levis ſe adjunxit pedum tumor, tuſſis irrita, faucium ſiccitas. Anhelans, erectaque cervice reſpirabat: vix pulſus percipiebantur. Ex improviſo moritur.
Dum ABDOMINIS integumenta a ſubjectis muſculis ſcalpello ſeparantur, humor exit aquoſus in ſiniſtra umbilicalis regionis parte. Sana tamen in ventre omnia, ſi lienem excipias, triplo quam par eſſet, majorem. In Thoracis utroque cavo ſerum limpidum ſtagnabat: quod in vaſe vitreo ſervatum, poſt aliquot horas, nonnulla quidem, ſed disjuncta, & ad fundum vaſis, demiſit; nihil vero, ut ſerum in thorace repertum ſolet, in unum conjuncti, atque innatantis oſtendit. Pulmones ſani, & omnino liberi, niſi quod ſiniſtri inferior lobus per brevem, & tenuem nexum ad pleuram alligabatur. Dilatatum erat pericardium, & ſeri limpidi plus ſelibra continebat. Cor magnum, in ejuſque ventriculo præſertim dextero laxa concretio polypoſa: cujuſmodi res ſane rara eſt in eorum corde, quorum in caveis aqua ſtagnat. Ductus Thoracicus, & lymphæ quoque ductus in ventre adeo erant exinaniti, nullum ut eorum uſquam veſtigium apparuerit.

7. Hic

(*a*) l. 2. S. 1. Schol. ad Obſ. 75.

7. Hic quoque cum de polypoſa in corde concretione Valſalva loqueretur, negantem particulam fortuito omiſiſſe videri poteſt, eamque rem haud raram dicere voluiſſe, quando de his novem hydropis thoracis Obſervationibus vix duæ ſunt, in quibus illam defuiſſe, adnotaverit. Quod vero lymphæ ductus vacuos animadvertit in hoc cadavere, fortaſſe alia hinc cauſa ſignificatur quæ hydropem fecerit, ac quæ in fœmina proxima ſuperiore. Num vero ea cauſa fuerit diſruptio illorum ductuum, forſitan ex me quæres. Ut enim ſuſpiceris, inducet tum eorum vacuitas, tum effuſus limpidus humor, & pauca deponens, tum junioris Verneyi (*b*) obſervatio in aſciticis, quibus ſi non abſimilem humorem Chirurgus educat; venter brevi iterum extumeſcere, & nulla fere ſpes vitæ eſſe ſolet. Sed num hæc neceſſario, an veriſimiliter dumtaxat indicent eorum ductuum diſruptionem, haud ſatis tuto in quovis caſu determinari poſſe, cenſeo: in hoc autem ſi illorum inanitas diſruptionem ſignificaret; venter, ubi inanes ſunt animadverſi, ipſe quoque fuiſſet hydropicus. Cæterum cum hydrope hoc thoracis, præter cordis magnitudinem, pericardii hydrops, ut in muliere illa recens nupta (*c*), conjunctus, in eademque pulmonum durities, qua nec altera (*d*) omnino caruit, cujus præterea ſeptum Tranſverſum tantopere a ſubjectis viſceribus in thoracem urgebatur, hæc, inquam, omnia facient, ut opinor, eam gratiorem Obſervationem in qua nihil unde lædi reſpiratio potuerit, niſi thoracis hydrops, de quo præcipue agimus, proponatur, velut hæc erit quam ſubjicio.

8. ANUS ſeptuaginta annorum difficulter ſpirat, non niſi in dorſum cubat, levi tuſſi catarrhalem materiam exſpuit, multum ſitit: pulſus aliquando vix percipitur: dexter pes œdemate nonnihil tumet. Antequam moriatur, per horæ quadrantem humorem multum, æruginoſi coloris, vomitu ejicit. VENTRE aperto, inteſtinum Colon repertum eſt qua jam ventriculo ſuberat, deorſum ad pubem uſque ſe inflectens, hinc vero ſurſum donec ad conſuetam ſedem rediret. Ventriculus ejuſdemmodi continebat humorem, qualis per vomitum ejectus fuerat, in eoque natantem concretam ejuſdem coloris materiam. Ejus portio humoris ſepoſita, materiam quandam poſtridie ad fundum præcipitatam exhibuit. Portiones autem duæ reliquæ, cum alteri ſpiritus, quem vocant, vitrioli, alteri autem ſpiritus affunderetur ſalis ammoniaci, nullam tunc quidem mutationem oſtenderunt; mox tamen prima ſedimentum quoddam in fundo habuit, ſecunda nullum. In Thoracis cavea utraque ſtagnabat ſerum ad libras tres. Uterque pulmo ad anteriora alligabatur. In cordis ventriculo dextero mediocris erat concretio polypoſa, quæ per vaſorum oſtia ſe producebat.

9. Si quæ ad vomitu redditam materiam attinent, hinc removeas, quippe alio pertinentem, & Coli inteſtini minus quidem frequentem ſitum, ſed haud ita rarum tamen, & minime, quod animadvertendum, hic nocuum., & pulmonum alligationem, & concretionem illam polypoſam, quæ duo, certum eſt, in iis quoque paſſim deprehenſa eſſe, qui facile ſpiritum ducebant; nempe una reſtabit aqua in thoracem effuſa, quæ illum difficilem redderet. Hoc ſignum, & pedum tumorem, & ſitim, aut faucium ſiccitatem cum in tribus quoque ſuperioribus hydropicis animadvertas; in duobus autem pulſus humilitatem, & tuſſim aut irritam, aut fere irritam, & cum hac quæ nihil denique, niſi catarrhalem materiam educebat, comparandam; jam potes, opinor, in illis quoque tribus quid ad thoracis ſpectaret hydropem, quid ad alia, cum hoc conjuncta, ſuſpicari. Quæ tamen augere præſertim poterant ſpiritus difficultatem, ut cervice erecta ducendus eſſet. Itaque non miraberis quod anus in dorſum cubare poſſet; quod autem in neutrum latus, nimirum id aqua in utroque pariter cavo aggeſta, ſed neutrum adeo implens, efficiebat. Hoc, & aliqua eorum quæ hic attigimus, ut planius intelligas, hiſtorias attendito quæ ſequuntur, & cum hac, & ſuperioribus comparato.

10. JUVENEM mulierem tuſſis, ſitis, reſpirandi difficultas cum diu vexaſſent, tum præcipue ultimis vitæ diebus noctu premebant. Tuſſiens catarrhalem interdum expuebat materiam: in ſiniſtrum latus ob præcordiorum anguſtiam decumbere non poterat; itaque jacebat in dexterum. Pedes œdemate erant turgidi: facies quoque, & venter, ſed hic leviter, intumuerant. Tres circiter ante mortem dies erat quaſi ſomniculoſa, tardeque reſpondebat: biduum ultimum pulſus penitus deliteſcebant. IN VENTRE effuſum erat ſerum ad tres quatuorve libras. Hepar ſubpallidum, lien exiguus; cæterum utrumque ſanum. Vix ullum in ventre apparuit vaſorum lymphaticorum veſtigium.
In Thoracis ambabus caveis pulmones ſani; ſed in ſiniſtra liberi, in dextera pleuræ tenaciter adhærentes: rurſus in illa paucum ſerum; in hac vero quidquid loci inter pleuram, & pulmones relinquebatur, flavo erat ſero oppletum. In cordis ventriculis ſanguis fluidus, ſine ullo polypoſæ concretionis indicio. In Capite denique ſanum cerebrum, niſi quod Laterales ventriculi ſerum continebant, idque levi ſanguinis tinctura infectum. Hoc igni impoſitum, craſſa materia ad vaſis fundum demiſſa, ipſum totum in auras abiit. Quod autem ſerum in ventre, & in cavo item thoracis dextero fuiſſe, diximus, turbidum primum ab igne eſt factum, deinde ſenſim hoc quidem totum, illud autem fere totum, relicta in fundo nonnihil glutinoſa pellicula, avolavit.

11. Omiſſo quod ad ſoporoſam affectionem attinet, alibi a nobis tractatam, cujus hic cauſam ſerum; nec mirum in tali corpore; in cerebro quoque noviſſime effuſum fuiſſe, vides: atque adeo omiſſis quæ ad cætera pertinent ſigna, a te facile cum ſuperioribus conferenda, & eadem invenienda; duo quæ ſpectant ad difficilem reſpirationem non omittemus. Alterum, quod mulier in ſiniſtrum latus cubare non poterat, quippe quo, dextero penitus aquæ pleno, potiſſimum reſpirabat; itaque ſi dexteri aqua mediaſtino incumbens, hoc in ſiniſtrum thoracis cavum urgeret; jam per ſe non omnino ſero vacuum, & dextero alioquin ſemper minus; anguſtiæ præcordiorum ob magis impeditam reſpirationem vexabant. Alterum, quod hæc noctu præſertim erat difficilior. Id vero ſi eſſet ſignum hydropis thoracis, ut noſtri loquuntur, pathognomonicum; mirari deberes magis, in tot aliis ſeu Valſalvæ, ſeu noſtris Obſervationibus deeſſe, quam in hac una memorari. Qui tamen illud docuerint, plures acervatim nominari videbis a Cl. Reimanno (*e*), & egregios quidem Medicos. Primus autem ex iis fuit Carolus Piſo, ut Sepulchretum ipſum (*f*) monſtrabit, qui, & poſt eum alii id Obſervationibus comprobarunt ſuis, ibidem relatis (*g*). Nec vero negari poteſt, ſi ad cætera indicia hoc quoque acceſſerit, ut hominem a primo ſomno repente excitet gravior ſpirandi difficultas, veram ſæpe eſſe conjecturam, thoracis hydrope laborare, ſive quod a lecti calore ſanguis turgens ſatis ſpatii ad tranſeundum per pulmones aqua compreſſos, ut Williſius (*h*) indicat, non inveniat, ſive ob aliam potius cauſam; neque enim ſola aqua eſt quæ pulmones poſſit comprimere, aut ſanguifera per ipſos vaſa contrahere: quanquam veri ſimile eſt, rem, ſi generatim accipias, bene Williſium explicaſſe, cum in morbis quoque aliis idem fere accidere, adnotaverit laudatus Reimannus (*i*), quibus in morbis animadverto pulmones premi, & ſanguinis per eos vias conſtringi, aut impediri potuiſſe, ut hic a lecti calore non ſecus atque a corporis exercitatione turgens, pulmones, in eo præſertim corporis ſitu, permeare non valuerit. Quod ſi cauſa premens, aut conſtringens, vel ſi arctandæ in pulmonibus viæ, vel denique ſi tranſiturus ſanguis, ſi hæc, inquam, omnia, aut pleraque non ita ſe habeant, ut id ſequi debeat; non modo in iis morbis, ſed neque in thoracis hydrope cubans æger primis ſomni horis ab ingruente ſuffocationis periculo excitabitur. Itaque intelligis, recte Cl. Helwichium (*k*) monuiſſe, ex eo quod æger non ſic excitetur, minime conſequi hydrope thoracis non laborare: & ſane ad Obſervationes quas ipſe indicat aliæ addi poſſunt, inprimiſque Nobilis Adoleſcentulæ (*l*) cui *ſomnus prolixus* erat, & *in multam lucem productus*, & Senatoris Poloni (*m*) cui *nulla erat ſomni cum periculo ſuffocationis interru-*

ptio,

(*b*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1703. (*c*) n. 2. (*d*) n. 4. (*e*) Act. N. C. Tom. I. Obſ. 170.
(*f*) l. 2. S. 1. Schol. ad. Obſ. 137. (*g*) ead. S. Obſ. 81. 82. (*h*) Ibid. Schol. ad Obſ. 76. (*i*) Obſ. 170. cit.
(*k*) Eph. N. C. Cent. 10. Obſ. 32. (*l*) Sepulchr. l. 2. S. 2. Obſ. 3. in Schol. (*m*) Commerc. Litter. A. 1733. Hebd. 11. n. 2.

ptio, & plurimum tamen aquæ in utriuſque thorace repertum eſt. Intelligis quoque, cum idem Helwichius (*n*) viciſſim non dubitavit, quibus illiuſmodi interruptio ſit, hos vero thoracis hydrope laborare, intelligis, inquam, plus videri quam æquum ſit, tribuiſſe permultis quidem, ut ſupra indicatum eſt, Obſervationibus, quas & ſua ipſe confirmat habita in quadam Matrona, & aliorum in altera, & tu aliis confirmare potes, iiſque nominatim quas in Tinctore habuit Valliſnerii noſtri Patruus (*o*), & in viro quodam Illuſtris Buchnerus (*p*); ſed quæ tamen, ut veræ ſunt, ita non faciunt, quin illæ pariter veræ ſint quas oppoſuit Reimannus, eaque præſertim quæ Medicum exercitatiſſimum Jo. Jacobum Vicarium (*q*) eo adduxerat, ut ob iſtud in primis ſignum, *jurare ſe poſſe*, crederet, *infallibiliter ægrum hydrope pectoris laborare*, cujus mortui aperto thorace cum in dextero, ſiniſtroque hujus cavo *nec drachmam unam aquæ, aut ſeri inveniret*; nunquam ſatis laudanda ingenuitate mirabundus exclamavit, *quam fallacia ſunt ſubinde diagnoſtica!* Non me fugit, quam exceptionem poſtea excogitaverit, ſignum videlicet illud non valere, niſi pedes poſt ipſum, non ante ipſum intumuerint, nec quam ingenioſe ſtuduerint alii huic, cæteriſque objectis a Reimanno Obſervationibus occurrere. Sed neque exceptionem illam eſſe video qui ſequatur, nec mihi animus, nec opus eſt meas facere alienas lites, eam exceptionem, aut alias, atque alias examinando, cum vel ipſe, etiamſi non examinatæ accipiantur, exceptionum iſtarum numerus ſatis oſtendat, quam ſæpe, & quam facile illud de quo loquimur, ſignum, aut, ſi mavis, ejus ſimilitudo poſſit etiam bonos Medicos decipere, ut in morbis pulmonum, cordis, arteriæ Magnæ, pericardii, & in ſpaſmodicis ſuffocationibus quas non ſemel vidi eadem exacte hora, non modo intra non breve ſpatium unius, aut duarum, aut trium a primo ſomno horarum, recurrere, non jam hos morbos, ſed aquam in alterutro, aut utroque thoracis cavo eſſe, putent. Quamobrem neque hoc ſignum erit per ſe, & ſine crebra hæſitatione, morbi hujus maxime proprium, cum in aliis quoque interdum appareat, cumque haud raro, ut vel noſtræ, & Valſalvæ confirmant Obſervationes, in iis defuerit, in quibus poſt mortem hunc morbum fuiſſe, perſpectum eſt. Non erit tamen contemnendum, ſi ad alia, ut dixi, ſe adjunxerit, quibus potiſſimum aqua in thorace aggeſta plerumque ſolet ſignificari.

12. MULIER annorum ſeptuaginta, temperamenti ſanguinei, pinguis, dum filio pleuritico aſſidue inſerviret, pleuritide & ipſa correpta, multos poſt dies ab hac libera evaſit ſine ulla materiæ expectoratione. Sed pleuritidi continuo ſucceſſit in ſiniſtra thoracis parte ſenſus ingentis oppreſſionis; ut in lecto ſpirare non poſſet, niſi in dexterum cubaret latus. Catarrhalem exſpuebat materiam, valde ſitiebat, tumidos artus inferiores habebat. Ad hæc, quatuor poſt menſibus, immanis acceſſit diarrhœa, quæ crebrius in dies urgens, tres menſes perſtitit. Toto hoc temporis ſpatio febris certa periodo, cum frigore, calore, & dolore capitis recurrebat; pulſus autem erat durus, & celer. His omnibus perſtantibus, ſeptimo ab ineunte morbo exacto menſe, interiit. VENTRE aperto, jecur ſubcinereo colore, cætera ſanum: ſana quoque reliqua inventa ſunt viſcera, niſi quod in pancreate erat quædam arteria ad oſſeam duritiem perducta, cujus initio ſanguis ipſe concretus, deinde ſola ſanguinis fibroſa ſubſtantia denſata continebatur. In Thoracis cavo dextero nullum prorſus vitium. Siniſtrum vero aquæ plenum in qua filamenta quaſi quædam natabant. Pulmo autem in ea aqua illæſus, nonnihil dumtaxat flaccidus. In cordis ventriculo dextero magna concretio polypoſa, quæ inde ſe in venam Cavam extendebat.

13. Ne pleuritidi ſucceſſiſſe empyema, credas, cum cætera oſtendunt, tum aqua plurima cum ejuſdemmodi filamentis a gravibus thoracis inflammationibus in hoc reperiri ſolita confirmabit, ubi de iis inflammationibus agemus. Sanguinis autem fibroſam ſubſtantiam in arteria aliqua coercitam, ut in iſta oſſea fuerat, denſari adeo, ut viam denique ſanguini intercludat qui a tergo ſequitur, nempe illud eſt quod annis ſuperioribus docuit Cl. Chirurgus Petitus (*r*). Quod vero contra atque in fœmina de qua paulo ante dictum eſt (*ſ*), & plerumque fieri ſolet, non in illud mulier cubaret latus quod aqua erat plenum, forſitan cauſa quærenda eſt; ſi non in mediaſtino quod incumbenti aquæ hic fortaſſe magis reſiſteret; in latere ipſo oppoſito, quod cum prorſus eſſet vacuum ſero, ferre illam poſſet, ab incumbente aqua factam, ſui cavi diminutionem, quam non poterat in priore fœmina, quippe & ipſum aqua ſua impeditum aliqua ex parte.

14. MULIER quinquagenaria, corpore mediocri, colore pallido, cum annum ipſum dyſpnea laboraſſet, aucto tandem morbo in Bononienſe Noſocomium excepta eſt S. Mariæ de Vita. Reſpiratio erat maxime laborioſa, ſitis ingens, pulſus mediocriter celer, & parvus: quo in dies magis deficiente, ægra interiit.

VENTRIS viſcera omnia egregie ſe habebant.

In Thoracis quoque ſiniſtro cavo ſanus erat pulmo, & undique a coſtis ſolutus; ſed in ſeſquilibra ſubſalſæ aquæ natabat. Pulmo autem dexter arcte adeo pleuræ adhærebat, ut unum continuatum corpus cum hac efficeret: itaque nihil aquæ ab hac parte conſpectum eſt; niſi quod ex infimo pulmone, dum cultro a pleura divideretur, lacerato, nonnihil emanavit ſeri. In corde tres polypoſæ concretiones, denſatum mucum colore, & habitu referentes; in venis autem craſſus, & viſcidus ſanguis inventus eſt.

15. Quid fuiſſe dicemus cauſæ, cur paucum adeo ſerum, ſi cum ſuperioribus hiſtoriis conferas; idque in altera dumtaxat thoracis cavea, maxime laborioſam reſpirationem efficeret? An quod ſalinis imbutum particulis, pulmonum non tam copia premeret, quam aculeis quaſi quibuſdam ſubinde irritando, conſtringeret? Hoc noſti Albertinum (*t*) ſuis fretum obſervationibus docuiſſe, & per ejuſmodi ſalium irritamenta difficilem explicaſſe reſpirationem ab effuſo ſero *non adeo multo*, ſed eo *turbido, ac intenſe flavo*. Tale quidem in propoſita diſſectione non deſcribitur; ſed tamen, id quod in aliis non adnotatur, *ſubſalſum* dicitur.

Expectas fortaſſe, ut huc addam tam arctam illam alterius pulmonis, & pleuræ cohæſionem. Sed quantæ ſint lites de noxia, an innoxia cohæſione hac, vel uno inſpecto Sepulchreto ſcire potes. Inde enim Hippocrates, ſeu mavis antiquus Auctor II. libri *de Morbis* (*u*) eam, Salio interprete, *pulmonis ad latus prolapſum* vocavit, indeque laborioſam reſpirationem deduxit: nec ſolum ex vulnere, etiam a Chirurgis ad pus educendum, inflicto, ſed ab interna quoque cauſa oriri dicitur & ibi, & in libro *de Locis*, ubi diſerte pulmonem reſiccatum lateri *adhæreſcere* humido, ſcriptum eſt, & ſiccam pleuritidem facere, quod etſi quadantenus invertit, idem tamen Boerhaavius (*x*) docuit, cum qua *ſedes fuit pleuritidis*, ibi, ait, *pleuram, imperſpirabilem redditam, pulmoni ejus lateris adhærere*. Porro Hippocratem ſecuti ſunt alii, hanc quidem adhæſionem aliter explicantes, id eſt *viſcido ægrorum pulmonum ſero tranſudante*, & *glutinis vicem præbente* in *pectoris*, *ob interceptum ſpiritum, quiete & compreſſione* (*y*), aut *quando pulmones in magnam excreſcunt molem, ob catarrhoſam materiam imbibitam, & ita vix moventur* (*z*); ſed tamen ab ea cohæſione, in mortuis deprehenſa, difficilem qua vivi urgebantur, ſpirationem repetentes. Contra alii hanc inde repeti poſſe, negant, non ſuas tantum, ſed adverſantium quoque obſervationes proferentes; quando idem qui modo cauſam aſthmatis multorum annorum in ſumma pulmonum cum coſtis cohæſione inveniſſe ſe, dixerat (*a*), continuo fatetur, *ſimili modo annexos fuiſſe pulmones* in eo qui *egregius tamen curſor fuerat*, itaque *ejuſmodi adhæſionem ex neceſſitate aſthma non invehere*. Huic vero tot conſimiles ſunt obſervationes & aliorum, & noſtræ, ut brevitati in re pervulgata conſulendum putemus. Quin pulmones undique non

coſtis

(*n*) cit. Obſ. 32. (*o*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 74. (*p*) Eorund. Act. Tom. 6. Obſ. 50. (*q*) Eorund. Cent. 1. Obſ. 3. in Schol.
(*r*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1731. (*ſ*) n. 10. (*t*) Comment. de Bonon. Sc. Inſt. Tom. 1. in Opuſc.
(*u*) Vid. Sepulchr. l. 2. S. 1. in Schol. ad Obſ. 67. (*x*) Prælect. ad Inſtit. §. 606. (*y*) Sepulchr. S. cit. Schol. ad Obſ. 63.
(*z*) Sect. ead. Obſ. 64. §. 9. (*a*) Ibid. §. 8.

coſtis ſolum, ſed & diaphragmati, & mediaſtino arctiſſime annexi, nulla aliquando prævia difficultate ſpirandi, inveniuntur, ut in Additamentis ad Sepulchretum (*b*) Obſervatio, quæ Diemerbroeckii (*c*) eſt, monſtrabit XXIV. Minus autem amplæ cohæſiones, quales in eadem proferuntur, tot, & tam ſæpe ſuperioribus etiam Anatomicis ſe obtulerunt, ut aliquot eorum ex inſtituto naturæ, hominique utiles eſſe, cenſuerint (*d*).

16. In hac tanta diſſenſione ſummorum Virorum, non eſt facilis conciliatio. Nam quod ab nonnullis propoſitum vides (*e*), ſi laxa, & rara ſit adhæſio, reſpirationi non obſtare; obſtare autem, ſi arctior, & ubique ſit, aut ad amplos tractus; id vero minime reſpondet obſervationibus quæ paulo ante ſunt indicatæ. Nec quod rationi eorum qui obſtare, negant propterea quia pulmones utique debent *in inſpiratione, pectoris dilatati motum* ſequi, *cumque eo in exſpiratione coarctari* (*f*), altera a Magno Viro quaſi objecta ratio eſt in *lata accretione pulmonum cum pleura* hos *dilatato pectore non poſſe* tamen *deſcendere*, *neque diaphragma ſequi*; hinc poteſt aliquis conciliationem comminiſci, affirmando reſpirationem lædi ab adhæſione pulmonum tantummodo ad coſtas, non vero ad coſtas ſimul, & ad diaphragma; non, inquam, comminiſci id poteſt. Namque; ut alia omittam; in aliqua memoratarum Obſervationum vidiſti, cohæſionem fuiſſe cum coſtis dumtaxat, illæſa reſpiratione: cui ſimiles invenies multas, duaſque præſertim Cl. Hahnii (*g*), & quæ olim, ſimiliter a Piccolhomino (*h*) in familiari ſuo habita eſt, *pulmonis totius tenaciſſime adhæreſcentis undique coſtis omnibus*, *cum tamen in eo nulla fuiſſet reſpirandi difficultas*. Quid ergo eſt? Illud certe a me negari non poteſt quod promiſcue in cadaveribus virorum, & mulierum, cujuſquemodi morbo abſumptorum, diſſecandis plerumque invenio, & quod omnes vident fere quotannis, cum in Theatro viſcera thoracis ſuis in ſedibus oſtendimus, pulmones plus minus ad hujus parietes annexos eſſe; ut cum Diemerbroeckius (*i*) ſcripſerit, id *fere tertiæ hominum parti* commune eſſe, Tulpius (*k*) autem, *pulmonem paucis corporibus eſſe omnino liberum*; ad hujus aliquanto propius, quam ad illius, obſervationes meas fatear, univerſe ſumptas accedere. Num ergo paucis dumtaxat hominibus facilem eſſe reſpirationem, dicemus? ego ne id quidem fortaſſe dixero, quod dicunt aliqui, *faciliorem*, cum in adultioribus fere perpetuo hanc agnoverint adhæſionem reperiri. Nec tamen propterea cum illis facio qui a natura id eſſe, cenſuerunt, probe memor, vix in aliquo de tot fœtibus, a me diſſectis, connexionem ejuſmodi aliquam animadvertiſſe (quanquam *cum ea quempiam naſci*, non videtur credidiſſe Diemerbroeckius (*l*)) nec minus conſcius, tam raro in cæteris quæ ſtructura propius ad nos accedunt, animalibus eam inveniri, ut ſiquando paulo amplior occurrat, illa *de morbo ſuſpecta ſint*. Verum ut a natura non eſt; ſic neque, ut idem Diemerbroeckius putabat, vix unquam niſi a morbo eſt, puta *pleuritide*, *peripneumonia*, *aliove ſimili*, *cum exulceratione morbo*; neque enim credibile eſt, & ſæpe verum non eſſe, ſcimus, ſi paucos excipias, homines omnes reliquos ejuſmodi mala eſſe perpeſſos: ſed multo probabilior conjectura eſt quam ad me olim ſcripſiſſe memini Cel. Vernojum, quod ſolis, & prope omnibus hominibus, nec eorum tamen fœtibus commune ſit, id ab ridendi actione fortaſſe oriri, quæ illis ſolis, poſtquam ſunt nati, communis eſt. Cæterum unde unde ſit quod (ſepoſitis iis in quibus id a morbo effici potuiſſe, non eſt negandum) unde unde, inquam, in aliis ſit quod plerumque eſſe, certum eſt, qua autem potiſſimum parte, & quatenus, incertum; ut recte hinc Columbus noſter (*m*) admonuit, *poſſe* quempiam *vulnere thoracem perforante laborare*, *neque tamen ſpirare vulnus cerni*, ita prudenter hac etiam de cauſa Chirurgi faciunt, qui pleuræ perforationem digito potius perficiunt, quam ferro. Sed ad illud tandem ut redeam quod expectas; cum ab inventa adhæſione pulmonum reſpirationis prægreſſa læſio repetita eſt, vehementer ſuſpicor, aut cauſam aliam aliquam de tot quæ eam lædere profecto poſſunt, minus animadverſam fuiſſe, aut ſi nulla revera alia uſquam fuit, in ipſa illa pulmonis facie quæ pleuræ annexa erat, deliteſcere potuiſſe, ut puta criſpaturam aliquam, expedito humorum curſui hactenus obſtantem, ut irritari propterea nervi poſſent, & intima pulmonum officia turbare: quod; ſi aliam in aliis & humorum naturam, & nervorum diſpoſitionem conſideres; fortaſſe aut non prorſus diſplicebit, aut ad alia quæ tibi magis, atque adeo mihi ſatisfaciant, excogitanda in re difficillima excitabit.

17. VIRGO annorum quindecim, acuta febre, & diro præſertim dolore capitis; nam mitia cætera erant ſymptomata; torquebatur. Febris circa diem decimum videtur remittere. Verum paucis poſt diebus ad hanc accedunt magna ſitis, laborioſa reſpiratio, in ſiniſtra thoracis parte dolor. His duobus ultimis ingraveſcentibus, intra dies non multos, lingua, & mente libera, præter aſſidentium expectationem decedit. THORACE aperto, pulmones quidem ſani; at ſiniſtrum illius cavum ſero plenum invenitur non valde abſimili urinæ jumentorum, in quo concretiones quædam natabant albumen referentes. In dextero quoque cavo ſerum, at perpaucum fuit. Sed in pericardio ea copia, ut totum oppleret, craſſius autem eo quod in thorace conſpectum fuerat: & cum exterior cordis facies leviter eſſet eroſa; fortaſſe ab eodem ſero id factum fuiſſe, conjici poterat. Polypoſæ in cordis ventriculis concretiones denſatum mucum quodammodo referebant: major autem erat quæ in ventriculo ſiniſtro.

18. Quod febris ejuſcemodi ſe remittere viſa fuerit ſine ulla ejus materiæ, quæ ipſam faciebat, excretione, vehementer ſuſpectum erat: & ſane hæc in thoracis, & pericardii cava ſe effuderat, ea acrimonia prædita, quam dirus capitis primum, mox partis ſiniſtræ thoracis dolor indicabat, confirmavit autem eroſio cordis. Cum vero a capite ad thoracem & cor divertiſſet; non mirum, ſi lingua, & mens liberæ ad extremum fuerunt, & ſi mors citius advenit, quam in hydrope ſoleat, & aſſidentes expectarent: quanquam hydropes *ex acutis morbis oborti*, ut in *Prænotionibus* (*n*) habemus, *omnes mali ſunt*. *Neque enim a febre liberant*, *& valde doloroſi ſunt*, *ac lethales*. Quod vero concretiones illas in ſero effuſo Valſalva albumini aſſimilavit, de ovi albumine accipiendum eſt in calida denſato, quemadmodum in alia declarat Obſervatione (*o*). Noviſſime quod ad pericardii hydropem attinet, in nonnullis quoque hiſtoriis ſupra commemoratum, ſeorſum mox videbimus, ubi alterius Virginis morbum, & diſſectionem propoſuerimus.

19. VIRGO annos nata circiter viginti duos non niſi erecta cervice ſpirare poteſt, multum ſitit, & tuſſit, ſputumque ejicit quaſi purulentum, interdum & ſanguine tinctum, febricitat, facie intumeſcit, tandem moritur. IN VENTRE aquæ libræ aliquot ſtagnabant; ejus tamen viſcera omnia illæſa. Thoracis cavum dexterum plenum erat ſero: cujus minor copia in ſiniſtro fuit. Pulmonum ſubſtantia nullam oſtendit læſionem: quibuſdam ſolum in locis nonnihil rubebat; in aliis albebat. Pericardium totum aqua oppletum. In cordis ventriculis nihil, niſi ſanguis fluidus.

20. Satis de Thoracis Hydrope, & de pleriſque ejus indiciis, quantum ad Valſalvæ Obſervationes attinet, ſupra dictum eſt, ut minus in hac, ſicut in ſuperiore quoque hiſtoria fecimus, de illo nobis dicendum eſſe, cenſeamus, præſertim cum alia, præter ipſum, incommoda adjuncta fuerint: quanquam in hac Virgine ſputum non videtur fuiſſe revera purulentum, & quod nonnunquam ſanguine inficeretur, id facile eſt effectus fortuitus gravioris tuſſis exiſtimandum. Potius de Pericardii Hydrope, ut ſemel, atque iterum polliciti ſumus, hic aliqua ſunt adjicienda. Freindius (*p*) inter ea quæ Avenzoaris propria ſunt, & peculiaria, illud ponit quod de hoc hydrope loquatur, addatque, ſe tamen eum nunquam vidiſſe „ & Galenum „ ipſum ne verbum quidem habere de eodem. „ Æquum autem eſt ſic dictum accipere, quaſi nec Galenus

(*b*) Sect. cit. (*c*) Anat. l. 2. c. non 12. ſed 13. (*d*) Vid. Schol. ad illam Obſ. 24. & ad ſuper. Obſ. 64. §. ult. & ad 65.
(*e*) in iiſd. Schol. (*f*) Vid. Schol. 3. ad Obſ. 32. in Addit. (*g*) Act. N. C. Tom. 7. Obſ. 13. (*h*) l. 4. Anat. Præl. Lect. 8.
(*i*) Ob. 24. cit. in fin. n. 15. (*k*) Vid. Schol. ad Obſ. 65. cit. ad eund. n. (*l*) Vid. Schol. ad cit. Obſ. 24.
(*m*) Vid. Schol. ad §. 9. Obſ. 64. cit. ad n. 15. (*n*) n. 8. (*o*) Epiſt. 20. n. 36. (*p*) Hiſt. de la Medec. P. 2.

in homine unquam vidiſſet; quando alioquin nihil magis inter hujus aſſeclas eſt vulgatum, quam quod libro V. ſcripſit *de Locis Affectis* (q): *palpitationem videlicet cordis aut per ſe evenire, aut cum ſignificatione quadam, quod in humore cor ipſum moveatur: neque enim mirum videri debere, tantam humoris multitudinem cumulari aliquando in ambiente cor tunica, ut ipſum, ne attollatur impedire poſſit*; cum, ſicuti pergit dicere, & plurimum ibi humorem viderit in diſſectis animalibus, & hydatidem in ſimia, & in gallo ſcirrhoſum tumorem; *unde*, concludit, *veriſimilem conjecturam elici, homines etiam ſimilibus poſſe affectibus infeſtari*. Galenum igitur non modo de hoc morbo non prorſus ſiluiſſe, verum & ſagaciter hunc conjeciſſe, manifeſtum eſt, quin etiam notam aliquam ad ipſum dignoſcendum, & quandam rationem qua oriri poſſit, nempe ex ruptis intra pericardium hydatidibus, mihi quidem, ut poſtea oſtendam (r), videtur indicaviſſe. Pari autem æquitate ſi cum recenti Medico, alioquin docto, uti non potes, cui neſcio quomodo exciderit, hydropem pericardii *in artificum magis inventis, quam naturæ operibus quærendum eſſe*, at certe cum altero egregio, & ſupra a nobis laudato Viro agendum eſt, qui *Hydropem Pericardii affectum rariſſimum* eſſe, dumtaxat pronunciavit. Sic enim intelligemus, quaſi dixiſſet, rariſſimum eſſe per ſe ſolum; non cum aliis thoracis morbis conjunctum. Cum his enim, ut plures alii, ita nos quoque ſæpiſſime vidimus; ſolum autem, quod nunc meminerimus, nunquam. Quare & difficillimum eſt peculiaria ejus ſigna decernere, & diligentius ſunt ejus obſervationes, ſiquando ſolus inventus eſt, attendendæ velut hæc ex Valſalva noſtro.

21. VIR quidam, cui ab aliquo jam tempore pedes œdemate tumebant, levi corripitur febricula: reſpiratio difficilis fit, in dieſque difficilior, ut erecta cervice ſpirare cogatur: tuſſit, catarrhalem exſpuit materiam, plurimum ſitit. Denique moritur. CADAVERE diſſecto, pericardium aqua plenum invenitur.

22. Nunc vero te plurimum mirari, ſcio, nullum in ſolo pericardii hydrope ſignum legentem quod ſupra non legeris in eodem cum hydrope thoracis conjuncto, imo & in hydrope thoracis a pericardii hydrope ſejuncto. Quo magis credes, verum ſcripſiſſe Cl. Grætzium in Diſputatione (ſ) quam, Præſide Hoffmanno, edidit, cum diſerte negavit, ſe *pene ulla deprehendere ſigna quibus hos* duos hydropes *diſtinguere rite poſſit etiam exercitatiſſimus Medicus*. Hæc tamen continuo ſubjicit; *niſi forſan lipothymias frequentiores, ſpirandi vero difficultatem mitiorem in hydrope pericardii, quam thoracis eſſe, quis dixerit, prætereaque ægrum pericardii hydrope affectum fluctuationes aquarum, de latere in latus ſe ſe convertendo, adeo diſtincte, ac quidem alias in hydrope thoracis fieri aſſolet, non ſentire obſervet. Solent tamen*, inquit, inter initia hydropis pericardii *plerumque cachexia laborare pituitoſa, vel ſcorbutica, ſtipata faciei plumbeo colore, pallida viſcidaque urina, obſtructionibus viſcerum variis, functionum corporis inertia, virium languore*: creſcente autem morbo, *pulſus valde diminuitur, urina pallida, tenuis, pauca, frequentes interdum lipothymiæ, pondus cor aggravans, & conſtringens ſentitur, reſpiratio paulo exiſtit difficilior, febris lenta cum ſiti haud raro ſupervenit*, atque alia quæ omittit, *truculenta*; ut morbus ab initio *clanculum* aggrediens, & *ſucceſſive ſenſimque irruens* in eam demum quæ dicta eſt, *ſymptomatum acerbitatem* erumpat. Quæ omnia recenſui, ut conferas cum hiſtoriis non modo allatis a nobis, aut afferendis, ſed ab aliis quoque propoſitis, atque adeo cum ea (t) quæ ipſi Grætzio occaſionem præbuit illam Diſputationem ſcribendi. Etſi pericardium adeo extenſum, ut *totum*; ſic enim ait; *thoracis cavum repleret*, ab aqua fuerat ejuſcemodi, quæ univerſam cordis extimam faciem exederat, thoracis autem cavum erat propterea omni ſero vacuum; de ſignis tamen hæc tantùm legimus; ægrum *pondus gravativum in imo pectoris ſentientem, cæteriſque ſymptomatibus hydropem thoracis innuentibus diu vexatum*, tandem obiiſſe quaſi *hydrope thoracis, ut judicabatur*, confectum. Quod ſi ab ea diſcedis Obſervatione, & Sepulchretum adis, in quo plures ſunt aliæ deſcriptæ, ſive eas inſpicias in quibus alia quoque mala, & nominatim ſimilis cordis exeſio cum magno pericardii hydrope proponitur, ut LXXXVI. primæ in hoc II. libro Sectionis; urinam quidem fuiſſe, leges *paucam*, ſed *turbidam*, & *ſanguinem ſcorbuticum*; at miſſis aliis quæ alio evidenter attinebant, ut dolore ſiniſtri hypochondrii, unum reſtabit *aſthma*, quod & ex parte alio pertinebat, *violentiſſimum*; ſive eas quæras in quibus nihil niſi pericardium memoratur *plenum aquis*, aut *immanem in tumorem elatum*, *pluribus libris aquæ diſtentum*; pro ſignis omnibus hæc invenies, *cor vehementer palpitaſſe*, aut ægrum *jampridem palpitatione laboraſſe, & ſpirandi difficultate*, ut in §. 10. & 4. Obſervationis XXI. Sectionis VIII. in quam Sectionem, quippe ad Cordis Palpitationem ſpectantem, vel plures quam in eam I. relatæ ſunt hydropis hujus hiſtoriæ.

23. Quoniam ad ſignum ventum eſt, Galeni, ut ſupra (u) diximus conjectura indicatum; de eo, & de altero, ſimul tradito, *quadam* videlicet *ſignificatione, quod* in *humore cor ipſum moveatur*; an res ſæpius illi reſpondeat conjecturæ, videndum eſt. Noſter quidem Saxonia, ut in Sepulchreto (x) videbis, cordis ex hoc morbo palpitantis cum ſigna diceret pulſus molliores, ſpirationem frequentem, nullam ſitim, oculos concavos, tum *ſentire* ægros inprimis, tradidit, *cor in aqua quaſi natare*, idque referre ſolitum ſibi Patricium Venetum, qui *in pericardio aquæ magna copia, id quod ſectio oſtendit, laborabat*. Reimannus autem (y) etſi ex alio pariter noſtrorum Profeſſorum ſciebat, ſenſum in quodam Sene eundem fuiſſe; paucos eſſe, ait, homines ſenſus tam exquiſiti: & ſane in tot aliis, non dico ratiocinationibus (z), ſed Obſervationibus memorari, non videmus: Palpitationem autem in hoc affectu interdum deeſſe, productis oſtendit hiſtoriis. Quibus (ne forte perraras putes) noli obliviſci tum ſupra a nobis deſcriptas accenſere, tum infra deſcribendas, aliaſque, præſertim in Sepulchretum quoque (a) relatas ex Diemerbroeckio, negante in ullo omnium, quos ſecuit hydrope hoc etiam non mediocriter affectos, *ullam omnino cordis palpitationem* fuiſſe, ſed contra aſſeverante, *pulſum languidum, ac rariorem inveniſſe*; palpitationem autem *excitari potius a quovis liquore, etſi pauco, dummodo .... aliqua vellicante qualitate cor infeſtare poſſit*. Et aſſeclas quidem habet Diemerbroeckius ex recentioribus plures, ex quibus ut hoc probant omnes, ita illud aliqui confirmant propterea quia magna diuturnaque copia undique alluentis aquæ fibrarum cordis tonum & robur infringi potius, minuique, non dubitant. Verum & Obſervationes ſunt cordis in hoc hydrope non vellicati modo, ſed & exeſi, in quibus nulla palpitationis fit mentio, qualem produximus ſupra (b), qualeſque, imo ſpectabiliores in Cæſareæ Academiæ Centuria III. & IV. (c) & in Sepulchreto ipſo (d) reperies, præter eam quæ ſupra (e) indicata eſt: in quibus ſi forte eroſionem ſpecie magis, quam re, fuiſſe, ſuſpiceris; at vellicationem ſaltem, moleſtiamve a circum hærente materia cordi haud defuiſſe, fatearis. Innumeræ autem Obſervationes ſunt; quod ignorat nemo; in quibus cum pericardium aqua careret, longe alios, varioſque morbos comitata erat cordis palpitatio. Cujus rei meminiſſe oportet quandocunque hoc ſymptoma cum pericardii hydrope conjunctum legitur. Legitur autem perſæpe. Nam; ut aliis non utamur exemplis, niſi quæ in voluminibus proſtant laudatæ Cæſareæ Academiæ, neque in Sepulchretum referri potuerunt; quinquies (f) id invenies adnotatum. Sed quinquies pariter invenies, ſimul aut Aortam arteriam

(q) c. 2. (r) n. 33. (ſ) de Hydr. Pericard. §. 4. (t) in Proœmio, & §. 3. ejus Diſput. (u) n. 20.
(x) l. 2. S. 8. Obſ. 29. (y) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 170. (z) ut Sepulchr. cit. S. 8. in Schol. ad Obſ. 21. §. 4.
(a) Sect. ead. 8. Obſ. 22. (b) n. 17. (c) Obſ. 141. (d) l. 2. S. 2. Obſ. 3. cum Schol. (e) n. 22.
(f) Dec. 3. A. 5. Obſ. 154. Cent. 6. Obſ. 51. Act. Tom. 1. Obſ. 170. Tom. 2. Obſ. 7. Tom. 6. Obſ. 143.

teriam prope cor, aut venæ Cavæ ad hoc valvulas oſſeas factas, aut cor etiam ipſum æquo majori, imo nonnunquam ſtupenda magnitudine, aut pinguedine præter eam qua vix unquam caret, onuſtum adeo, ut auriculæ, ipſumque totum nil niſi magnum pinguedinis acervum primo aſpectu referrent, aut ſcirrhoſos, peſſimeque affectos pulmones, aut denique, nec id raro, hydropem thoracis cum pericardii hydrope conjunctum: thoracis autem hydropem, non modo illa alia quæ dicta ſunt, vitia, interdum adjunctam poſſe habere palpitationem, ex Obſervationibus aliis conſtat, quibus & eam addas licet quæ in iiſdem eſt voluminibus (*g*). At enim ſunt, inquies, exempla quoque, unde liqueat, palpitationes a pericardii hydrope proveniſſe; neque enim vel in Sepulchreto deſunt in quibus illæ cum hoc uno morbo conjunctæ memorantur, quemadmodum ſupra (*h*) agnitum eſt, & certe qui poſt has controverſias ſcripſit Medicus graviſſimus Boerhaavius (*i*) diſerte confirmavit, *ab hydrope pericardii, cordis miras palpitationes fieri*. Quid ergo eſt? Vera omnes obſervaſſe credendi ſunt; ſed alii in aliter diſpoſitis hominibus, alioque morbi tempore: itaque ſicuti ne hoc quidem ſignum pro inſeparabili, & omnino proprio eſt habendum, ita non contemnendum eſt, eoque minus, quo magis cum aliis conjunctum fuerit in hoc hydrope ſæpe adnotatis.

24. Qua autem ratione; ut illuc revertar; ab hydrope thoracis hunc diſtinguemus? Quam Grætzius indicarit, vidiſti (*k*); nunc accipe quam Reimannus (*l*). *Adeſt hic etiam*, inquit, *reſpirationis* difficultas, *præſertim a motu fortiori, vel aſcenſu acclivium, ea tamen cum differentia, ut oppreſſio reſpirationis magis ſit anxia, quam ſonora, adſunt lipothymiæ frequentes, tuſſicula ſicca, & magis fere quam in pectoris aſcite, lentaque corporis, ſine cauſa manifeſta, contabeſcentia*: quam etiam poſuit Carolus Piſo, & alia nonnulla quæ rationibus allatis explicat, ut videbis in Sepulchreto (*m*). Verum ſi obſervationes potius, quam auctoritatem, rationeſque requiras; neque apud Reimannum invenies, quæ ad hunc attineant de quo agimus, morbum, a morbis aliis, ut optandum erat, ſejunctum. Erant tamen quædam ante aliquot annos tunc editæ, quæ proferri poſſent, ex Vieuſſenio, & una multo antea propoſita a Stalpartio (*n*). Hic enim perſanatam ab ſe narrat prætumida ac pallente facie puellam, nunquam menſtruas purgationes expertam, in qua *diſtincte admodum, pulſante corde* (cujus *palpitatione laborabat*) *ipſius aquæ agitationem in pericardio audire licebat*. Et Galenus quidem, ut ſupra (*o*) vidimus, ſcripſerat, palpitationem cordis, quæ a pericardii hydrope ſit, fieri *cum ſignificatione quadam, quod in humore cor ipſum moveatur*, liberum nobis relinquens interpretari, an ea ſignificatio ab ægris percipienda ſit, ut paulo ante (*p*) dictum eſt accidiſſe nonnunquam, an a Medicis, qui ad pericardii regionem manum, auremve admovendo, aliquid ibi fluctuationis animadvertant, egregium utique præ cæteris ſignum futurum, & pro pathognomonico habendum, ſi quidem ſemper, & in iis quoque eſſe poſſet, quibus aut pericardium non multum aquæ adhuc habet, aut cor in aqua non vehementer agitatur, ſed languido & obſcuro motu vix contremiſcit, ſique nulla ſe interponere aliquando poſſet fallacia aut ab aquis in thorace ſtagnantibus, aut ab ipſo palpitationis motu, aut a cauſa alia aliqua Medicum facile decipiente. Quam fortaſſe ſuſpicati ſunt qui Stalpartii Obſervationem prætermiſere, cum præſertim non ſolum non eſſet per diſſectionem confirmata, verum etiam ob integram ejuſmodi morbi ſanationem nonnihil forſitan dubia reddita. Sed Vieuſſenius (*q*) etſi quatuor de pericardii hydrope obſervationes pollicitus, in tertia quæ ad pulmonum hydropem attinet, pericardium ne memorat quidem, in ſecunda autem cum aliis conjunctum morbis hydropem pericardii deſcribit; in prima tamen ſejunctum ab hydrope thoracis, aliiſque morbis proponit, ut pariter in quarta; niſi forte polypoſas concretiones mortem diu præcedere, tu quoque credas, pulmonum autem compreſſionem pro effectu; id quod eſt evidentiſſimum; pericardii maxime diſtenti non habeas. Prima igitur, quæ in puero fuit, hæc ſigna præbet. Principio ex hilari, prompto, optimeque colorato, triſtis, ſegnis, minus vividis oculis, pallidus, palbebriſque, & labris ad plumbeum colorem vergentibus eſt factus. Si paulo celerius incederet, aut ſcalam aſcenderet; perdifficilis fiebat reſpiratio, palpitatio autem cordis qua aſſidue vexabatur, violentior. Morbo deinde jam valde progreſſo, ciborum appetitum amiſit, & corporis vires, cujus extrema jugiter habuit ſubfrigida, pedes vero etiam tumidos, pulſum autem ſemper mollem valde, debilem, parvum, frequentem, & nonnihil inæqualem. Lenta denique correptus febre, confectuſque eſt. Obſervatio autem quarta, in qua pericardii multo maximus hydrops fuit, virum proponit melancholici temperamenti, qui egregie ſemper valuerat, donec anno ante laborare cœpit difficultate ſpirandi, quæ ſenſim creverat adeo, ut tandem a tribus, aut quatuor menſibus hominem cogeret dies noctesque in lecto, ne ſuffocaretur, ſedere. Erat tunc macilentus, nullo ne pedum quidem, manuumve tumore, utriſque autem plerumque ſubfrigidis, parum vividis oculis, facie autem, ſed labris præſertim; ne forte hic verba Auctoris latine reddens, obſcura, aut ambigua faciam; *d' un gris de fer obſcur*. Juſſus in dexterum, & mox in ſiniſtrum latus jacere, pari in utrumlibet cum moleſtia jacuit; in dorſum autem cum multo majori, tuncque faciei color obſcurabatur, pulſus magis fiebat & parvus, & frequens, & inæqualis, extremæ autem partes corporis paulo frigidiores videbantur. Hic quanquam tum etiam e lecto ad ignem accedere per ſe poterat; poſtridie tamen inter prandendum mortuus repente eſt, morbum, & mortem præcognoſcente, & prædicente Vieuſſenio. Qui ad morbum internoſcendum quæ potuerit ex prima illa pueri Obſervatione indicia ſequi, conferendo intelliges. Certe ad eundem morbum, quamvis cum aliis, & nominatim cum thoracis hydrope conjunctum, in alio mox puero dignoſcendum hinc ductum ſe eſſe, fatetur in ſecunda de illis quatuor Obſervatione, quod in toto morbi progreſſu, & ſub finem palpitatio cordis fuerat, color palpebræ utriuſque inferioris, & unguium plumbeus, mœſtitia multa, & alia aliqua eorum ſimilia quæ in puero primo: & ſane inter initia adnotaverat in puero hoc ſecundo faciem ſubpallidam, extrema corporis ſine calore, non prorſus liberam reſpirationem præſertim cum ſcalas aſcenderet, pulſum autem valde mollem, & nimis frequentem. Quæ omnia, a me infra conſideranda, tu interim ſi cum Grætzii (*r*), & Reimanni (*ſ*) ſignis contendas; quæ diſcrepent, quæ ſic ſatis ſimilia ſint, quæ denique eadem, continuo intelliges.

25. Forſitan hic quæres, in ſecundo puero quæ notæ adduxerint Vieuſſenium ad thoracis hydropem, præter pericardii hydropem præcognoſcendum. Quoniam puer crura habebat tumida, humili autem capite cubare non poterat, & quoties ſe in latus converteret dexterum, multo difficilius ſpirabat; ob hæc, inquit, credidi, in ſiniſtro thoracis cavo eſſe aquam effuſam: & ſane illud totum implere comperta eſt: Noli autem mirari, quod in viro quem pariter humili capite jacere non potuiſſe, dixit (*t*), nullus, niſi pericardii, hydrops fuerit; fuit enim hic præter omnem modum tantus, ut omnes propemodum pulmones diſtentum obtegeret pericardium: præterea illa duo alia deerant ſigna: denique hydropis quoque thoracis indicia nulla ſunt adeo peculiaria, ut non aliquando Medici vel peritiſſimi in eo dignoſcendo decipiantur: quod in juvene quodam ſibi, & ſummo alteri Viro accidiſſe, illuſtri ingenuitatis exemplo ipſe fatetur Vieuſſenius (*u*), quem Cl. quoque Schreyus (*x*) eſt imitatus. Quo magis tibi attendenda ſunt tum ea quæ ſupra

(*g*) Tomo eod. 6. Obſ. 50. (*h*) n. 22. (*i*) Prælect. ad Inſtit. §. 711. (*k*) n. 22. (*l*) Obſ. cit. ſupra ad n. 23. (*m*) in cit. ibid. Schol. ad Obſ. 21. §. 4. (*n*) Cent. 1. Obſ. 36. (*o*) n. 20. (*p*) n. 23. (*q*) Traité du Coeur ch. 1. (*r*) n. 22. (*ſ*) n. 24. (*t*) Ibid. (*u*) ch. cit. (*x*) Act. N C. Tom. 2. Obſ. 34.

ſupra (*y*) admonuimus de ſignis ejuſdem hydropis , tum Obſervationes ipſius noſtræ, quæ jam , ut ordo poſtulat, huc ſunt afferendæ . Erunt enim pleræque earum, uti etiam quæ de pericardii hydrope adjicientur , profecto ejus generis , ut non tam doceant, quam dedoceant ; nam & hoc facere non inutile eſt, ut perſpicue ; quod Vieuſſenius (*z*) ait ; appareat „ non „ tam facile eſſe thoracis hydropem cognoſcere , quam „ aliqui credunt Medici , nimium ſibi tribuentes, ana„ tomen ignorantes , & qui nunquam ſibi putarunt „ cadavera eſſe incidenda, aut cum ab aliis inciderentur, inſpicienda . „ Nam qui plura inciderunt , aut inſpexerunt , hi ſaltem, cum illi minime dubitant, ipſi dubitare didicerunt.

26. VIR Bononienſis cum difficultate reſpirabat , nec jacere poterat in latus ſiniſtrum : in dexterum non ſolum poterat ; ſed aſſidue jacebat. Etſi neque elatiore cubabat capite, nec tumidos habebat pedes; quæſivi tamen , num primis forte ſomni horis repentino quodam ſuffocationis ſenſu excitaretur ? Negavit . Querebatur autem de duritie quadam ad ſuperiorem partem ventris: quæ & manu admota percipiebatur , eo in loco , ut cuipiam poſſet induratum pancreas videri. MORTUI apertus Venter patefecit , id eſſe jecur , ſanum quidem , ſed depreſſo a dextris diaphragmate , cujus ibi natura haud amplius carnea videbatur , illuc quo diximus , compulſum. Thorax autem recluſus oſtendit , tantam illi diaphragmatis parti aquæ copiam incumbere , ut etiam mediaſtinum, quamvis craſſius factum , ſiniſtrorſum impelleret.

27. Diaphragma aliquando ab amplificato certa de cauſa pulmone dextero fuiſſe depreſſum adeo , ut jecur , alioquin ſanum , deorſum actum pro tumore a Medicis haberetur, audivi : ab aquæ autem copia , in ſiniſtro thoracis cavo cumulata , diaphragma *ea qua œſophagus progreditur parte inſtar ſacci verſus ſiniſtrum renem protruſum fuiſſe , ut ventriculus hepati ſuperjaceret* , in Sepulchreto (*a*) legi. Cæterum quæ hic mihi hydropis thoracis ſigna defuerint , ſatis intelligis. Homo tamen difficile reſpirabat , & in alterum dumtaxat latus jacebat. Quid, cum etiam hæc deſunt ? Credes fortaſſe , me hic producturum Ruffii in Virgine , & Wepferi in Adoleſcente Obſervationes : quas nimirum qui indicat , illam Virginem , ait, *thoracem totum aqua viroſa repletum habentem , ſine difficultate ſpirandi ad mortem uſque permanſiſſe* ; hunc autem Adoleſcentem, *licet in ejus dextri pectoris cavitate lib. tres , in pericardio autem lib. una ſeri inventa fuerit , tamen .... ad ultimum vitæ articulum ſemper humili ſitu decumbere valuiſſe* , quin *acclivia ſine impedimento, ſcandebat* , inquit , *atque currendo magis, quam lento gradu alta petiit*. Sed tu in Sepulchreto; nam & in hoc, ubi de Tabidis agitur (*b*), Obſervatio utraque relata eſt; hæc recognoſcens, invenies, Adoleſcentem quidem ea quæ noviſſime dicta ſunt , tunc feciſſe , cum effuſæ aquæ nihildum eſſe videretur; poſtea autem *difficilius reſpiraſſe*, & quamvis *incederet lento gradu , frequenter aerem diſtento pectore captaſſe*: Virginem autem *narium pinnas inter expirandum expandiſſe , nec tamen inſignem dyſpnœam adfuiſſe*. Satis eſt igitur, utrumque decubuiſſe, & Adoleſcentem certe, ſemper *humili ſitu*. Ego vero Obſervationem huc afferam a Mediavia noſtro eodem quo habuerat , die XIV. Kal. April. A. 1745. mecum , ut ſolet, communicatam: ex qua cognoſces , accidere nonnunquam , ut thorace quantumvis aqua pleno, non duo tantum quæ in propoſito viro ſigna non deerant, ſed & cætera, quæ præcipua habentur, deſint omnia.

28. LANARIUS, conſiſtente vir ætate , & gracili corporis habitu , ante aliquot dies inflictum cultro vulnus acceperat altera ſcapula , ut per ipſum hujus latum os immitti digitus poſſet . Manifeſtum erat , inter id os, & coſtas pus eſſe, quod etiam aperta illuc a decliviore ſede ex arte via, multum prodibat . Sed an intra thoracem quoque eſſet, & an vulnus in hujus cavum perveniſſet, ambiguum. Nam etſi cruenti aliquid in ſputis fuerat animadverſum ; non ſatis conſtabat , quippe in macilento lanario , vulneri , an labi , fortaſſe antiquæ , pulmonis id eſſet imputandum; præſertim cum alia omnia penetrantis vulneris , effuſique in thoracem humoris deeſſent indicia . Certe humili capite, & in utrum latus ſive Ars juberet , ſive ipſe mallet , aſſidue jacebat , neque ulla unquam ab inflicto vulnere ad vitæ uſque finem tentatus eſt ſpirandi difficultate. Sub eum finem pulſus erant duri , parvique. CADAVERIS Thorax intus, extraque diligenter inſpectus eſt. Et extra quidem amplus ſub toto lato illo oſſe erat ſinus unde pus fluere ſolebat , & in quo etiam tum fœdiſſima continebatur materia parietibus graveolentibus , & nigricantibus . Nulla tamen cum thoracis cavo fuit uſquam communicatio . Exteriorem inſpectionem confirmavit interior. In neutra enim thoracis cavea pus erat ; ſed utramque implebat aqua, eaque flava : qua noviſſime educta, nullum uſquam indicium apparuit viæ , aut cuniculi per quem ſinus de quo dictum eſt, cum thorace communicaret . Pulmones ad aliquem tractum pleuræ fuerant annexi, & qua diaphragma tangebant, *gelatina* quaſi quadam obducti . Qua abſterſa , cum inſpicerentur, & ſecarentur , etſi inventi non ſunt egregie conſtituti ; nihil tamen oſtenderunt vitii , quod magnopere attendendum eſſet , aut quod recens videri poſſet.

29. Quod ad vulnus attinet , omnino crediderim , non recta, ſed oblique inflictum fuiſſe , latoque ſcapulæ oſſe tunc forte ab ea coſtarum ſede quam verſus culter, per ipſum jam tranſmiſſus, pergebat, ſic ſatis abducto; itaque in cavum thoracis non perveniſſe . Quod vero ad aquam ; facile hujus congeſtionem poſt acceptum vulnus jacente , ideoque otiante homine , antea in aſſidua exercitatione , & calore verſato , increviſſe potius, quam incepiſſe. Verum ut ut fuerit; illud certe vides, tanti hydropis præcipua ſigna defuiſſe omnia; ut mirari minus debeas , ſi eorum quædam in tribus defuerint Obſervationibus , quas, ut prima illa , Bononiæ a me olim habitas , continuo producam.

30. ADOLESCENTULUS nulla manifeſta, quam accuſare poſſet, cauſa in difficultatem ſpirandi inciderat ante finem A. 1704. Ob hanc in Noſocomium S. Mariæ de Morte exceptus poſtea, & pluribus, variiſque remediis, ſed fruſtra, curatus eſt . Ex iis ſcio , venæ ſectionem ſemel , atque iterum imperatam , ſemel eſſe atque iterum viſam ſtatim quidem eam difficultatem nonnihil minuere ; ſed id levamen non permanſiſſe: quæ autem alvum moverent , ne id quidem præſtitiſſe; quanquam nec manifeſto nocuerunt . Sed hæc mihi narrata ſunt, cum primum inſpexi , idque non toto ante mortem triduo , pallidum , erectaque ſemper cervice reſpirantem. Cum inſpiraret , animadverti , imum pectus valde attolli. Nec ſitis , nec calor, nec alia ejuſmodi erant febris indicia. Pulſus tamen arteriarum frequens ; ſed cordis , quod , manu admota , palpitare videbatur, multo frequentior : quæ comparatio ſæpe , & diligenter inſtituta , ſemper ad eundem modum reſpondit , ut in eo pariter quod & arteriarum , & cordis pulſus mire eſſent inæquales . Aucta ſpirandi difficultate, obiit centeſimo circiter ex quo hæc inceperat, die. MORTUI erat tumidior facies , ut moribundi quoque fuerat ; ſed pedes non tumidi. Circum oculos, & in Abdomine livor. Quo diducto, omentum apparuit nigricans, & globulis, ab utraque facie , quaſi glanduloſis opertum. Sanus lien. At jecur exterius album , intus ad *tabacci* colorem accedebat : veſicula ejus ex albo flava , & valde contracta. Ipſum vero per tenues membranaceas telas ad proximas partes, & præſertim ad ſeptum Tranſverſum, etiam qua alioquin non ſolet , alligabatur . Erat autem peritonæum qua ſeptum illud conveſtit , aſperum parvis quibuſdam quaſi globulis, magnitudine, & forma variis . Porro aqua ex flavo virens in ventre non deerat. Thoracis vero utrumque cavum ejuſdemmodi aqua implebat : quæ dum ſpongiis exhauriebatur, videre erat his adhærentia cum *gelatina* qua-

(*y*) n. 9. 11. 15. (*z*) ch. cit. (*a*) l. 2. §. 7. in Schol. ad Obſ. 25. in Additam. (*b*) Sect. ead. Obſ. 91. & in Additam. Obſ. 48.

quadam varia fruſta quaſi membranularum. Dexter pulmo ad latus annexus erat per telas plures, quales cum jecinore deſcripſi: eoque manu ſiniſtrorſum reducto, pleura apparuit quæ ejus poſteriori parti reſponderat, hic illic tanquam minutis ictibus percuſſa, ut reſtitantem coccineum ſanguinem oſtenderet. Pulmo autem ſiniſter & ſuprema, & laterali tota facie valentiſſime cum pleura cohærebat, quæ iis in ſedibus, & præterea in ſubjecti diaphragmatis magna parte, & in mediaſtini anteriore, & qua hoc pericardio appoſitum eſt, non modo erat globulis exaſperata, ut peritonæi partem fuiſſe, dixi, verum inſuper ea erat & duritie, & craſſitudine, ut arteriæ Magnæ a corde exorientis parietes, nec paulo, ſuperaret, ex alba intus ſubſtantia conſtans, minutis particulis compacta: Pulmones ichore ſpumoſo, albidoque, ſi manu comprimeres, ſcatere conſpiciebas. Cæterum nihil habebant vitii, ut neque ipſum cor; niſi forte duas, treſve concretiones polypoſas magni facias exiguas, & pene mucoſas, quarum una in auriculam dexteram, duæ reliquæ pertinebant in Magnam, & Pulmonarem arterias, ſingulæ in ſingulas. Intra pericardium autem fuerat aqua ejus perſimilis quæ in ventre, & thorace deſcripta eſt, ſed copia vix majori quam modica. Quod reliquum eſt, Thyroidææ glandulæ ſiniſter lobus quid vitii haberet, hic eſſet adjiciendum, niſi id ſatis jam eſſet factum in Epiſtola Anatomica IX. (*c*), in qua Adoleſcentulum quem thoracis hydrope interemptum ajo, hunc ipſum fuiſſe, ſcito.

31. Cum multa, & varia ſuper hac hiſtoria adnotari poſſint; nos brevitatis ſtudio pauca ſeligemus. Et primum, quod ad pleuram attinet, difficile eſt veram cauſam aſſequi, cur in dextera poſteriore thoracis parte inflammatæ inſtar, reſtitante ſanguine, apparuerit. Nam ſi forte aquam accuſes ex flavo virentem, quaſi aculeis ſalinis irritando id facere potuiſſet, eandemque conjicias, in pericardio vellicando cor, pulſus adeo pervertiſſe; tunc vero diſpiciendum eſt, cur aqua eadem cum eſſet in ventre, & in ſiniſtro quoque thoracis cavo, neutrubi irritationis effectus ediderit, imo ne in reliqua quidem dextera thoracis maxima parte. Difficile etiam, mihi quidem, eſt dicere, cur pleura, cum certa ea in ſede appareret inflammata; nullum tamen afferret dolorem pleuriticum. Denique cur adeo & craſſa, & dura facta eſſet ad tot, & tam magnos tractus a ſiniſtris; ad nullum a dextris. Nam ſi ad aggeſtam aquam ſpectare id, credas; eadem hæc erat etiam a dextris; ut multo ſit in hac noſtra difficilior explicatio, quam in Obſervatione LXXV. quæ in II. libri Sepulchreti Sectione I. immerito, ut mox oſtendam, uni adſcribitur Franciſco Michino. In ea enim Obſervatione in eadem *ſiniſtra tantum thoracis cavitate* maxima proponitur aquæ copia, qua in cavitate etiam tantum erat *pleura admodum craſſa & calloſa, & ſimiliter pulmones, mediaſtinum, ſeptum tranſverſum .... erant calloſa fere.*

32. Utinam vero priora illa omnia tam poſſem dilucide ac facile explicare, quam animadverſionem meam de præcipuo illius Obſervationis Auctore. Vide enim Falloppii noſtri ſeptem illas quæ inſcribuntur *Obſervationes de Venis*: & in extrema Septima totidem verbis; niſi quod pauca alia, quæ mox proferam, interjiciuntur, & ſubjiciuntur; illam ipſam quæ Michino tribuitur, leges. Eas autem Obſervationes ad Falloppium attinere, cum hujus Inſtitutiones, Obſervationeſve Anatomicæ oſtendunt quandocunque de iiſdem rebus ſermo incidit quæ in pleriſque harum ſeptem Obſervationum memorantur; tum vero procul omni dubitatione confirmant verba illa quibus concluditur Quarta: *& hunc conſenſum venarum obſervavi ego Falloppius eo anno in pluribus cadaveribus.*
Verum ne forte putes, ab Editoribus Operum Falloppii Omnium huic temere adjudicatas fuiſſe Obſervationes Michini, aut Michinum ſibi tribuiſſe quæ eſſent Falloppii; ſic habeto. Cum hujus *Expoſitionem in Librum Galeni de Oſſibus* Michinus edidit Venetiis A. 1570. eique addidit ſeptem illas quæ pariter *tunc primum in lucem* proferebantur, Obſervationes, ingenue ipſum in libri fronte fuiſſe teſtatum, *omnia eſſe ejuſdem Authoris*, Falloppii videlicet, ab ſe autem *ejus diſcipulo ex fideliſſimo codice, dum ille ea publice profiteretur, deſcripta fuiſſe*: itemque iiſdem illis Obſervationibus hunc titulum, ſuo loco præfixiſſe, *Obſervationes Anatomicæ Gabrielis Falloppii a Franciſco Michino, de S. Archangelo, illo dictante, deſcriptæ*. Illud a Michino adjectum eſt quod inter Quinctam, & Sextam Obſervationem in ejus quidem editione ad hunc modum legitur: *Hæc omnia cum & ego vidiſſem, & obſervaſſem in uno ac altero cadavere eo anno* 1554. *& in privata, & in publica anatome, quam ſecuit, narravit, ac oſtendit eruditiſſimus Falloppius, ideo ad faciliorem hujus veritatis cognitionem volui apponere harum venarum figuram delineatam ab ingenioſiſſimo mihi tunc condiſcipulo Moybano germano.* Hunc, Joannem illum Moibanum, eruditum Medicum, fuiſſe exiſtimo, qui tunc, ſicut ex Mercklino (*d*) facile colliges, annum agebat duodetrigeſimum, ut cum Michino iis Falloppii diſſectionibus intereſſe potuerit, & Magiſtro petente Iconem illam delineare, quam inter has Obſervationes in Falloppii Operibus habemus, eandem, niſi quod multo minor eſt, quam appoſita a Michino. Et ipſe tamen Michinus, inquies, hæc vidit & obſervavit. Quidni? ſed, ut cæteri qui aderant, Falloppii diſcipuli. *Hoc obſervavi*, inquit in Obſervatione Quarta Falloppius, *non ſolum in unico cadavere, ſed & in pluribus, & aſtantibus patefeci*. Nempe qui patefacit, is auctor eſt obſervationum; qui aſtant dumtaxat, & vident, hi vero teſtes ſunt. Nec plus ſibi arrogat ipſe Michinus, ubi in calce Obſervationis Septimæ hæc leguntur: *Et quoniam eodem anno duos affectus præter naturam vidimus, qui forte raro contingunt, & rarius videntur: ideo volui eos hic apponere in ſtudioſorum gratiam*. Et continuo ſubjicit quid *viderint in cadaverculo puellæ*, & mox *In cadavere autem adulti vidimus*, inquit, *hydropem pulmonis*, eamque adjicit, de qua nunc loquimur, Obſervationem. Non dicit *reperi*, ſed *vidimus*, ut facile hic quoque intelligas *ſecante, enarrante, ac oſtendente* Falloppio, vidiſſe, præſertim cum hæc Obſervationi interjiciat; *& hunc morbum eruditiſſimus præceptor meus Falloppius empyema, vel thoracis hydropem dici poſſe aſſeruit*. Michini igitur ingenuitatem laudo, nec tamen, ut Marcellus Donatus (*e*) aliena ipſi tribuo. *Franciſcus Michinus*, inquit, *qui quaſdam anatomicas ſuas obſervationes typis edidit, in quincta ſcribit, ſe &c.* Quî enim Michini eſſe poteſt *quincta* Obſervatio, quam Michinus, ut cæteras, faſſus eſt, *dictante Falloppio, ſe deſcripſiſſe?* Credidiſſem potius; niſi quæ profert Donatus, Obſervationes haſce ipſas evidentiſſime deſignarent; alias quaſdam indicatas ab eo eſſe *Obſervationes Anatomicas*, quæ ab iis qui Medicorum, aut Anatomicorum Scripta recenſent, dum fere alii alios deſcribunt, Michino tribuuntur, *Venetiis* editæ A. 1554. eo nempe anno quo inter Falloppii diſcipulos, ut ſupra vidimus, hîc, non conſecandi, ſed diſcendi cauſa verſabatur! At enim diſſecuiſſe potuit antea. Fortaſſe potuit; ſed ne unum quidem verbum animadvertere mihi licuit inter ea quæ Falloppii edidit, aut in præfixa Epiſtola, data *ex Florentiola in Comitatu Placentino XII. Cal. Novembris* 1569. ubi Medicum fortaſſe agebat, quo ex verbo Anatomicum fuiſſe, intelligerem. Quæ etſi ita ſunt, neque unquam mihi, imo ne Eruditiſſimo quidem Hallero (*f*), ut hæc relegens, cognovi, alias quam has Falloppii, a Michino editas Obſervationes videre contigit, aut in unum aliquem incidere qui vidiſſet; non tamen propterea non editas eſſe, contendam. Satis mihi eſt, dum ipſo aſtipulante Michino, ſua aſſererem Falloppio noſtro, quædam attinentia ad primas hujus operum editiones, & ad Anatomes Hiſtoriam attigiſſe, quæ te, utriuſque ſtudioſum, a propoſito pauliſper abductum, opportune recrearent.

33. Morbum igitur qui in illa Sepulchreti Obſervatio-

(*c*) n. 39. (*d*) in Linden. Renov. (*e*) De Med. Hiſt. Mirab. l. 3. c. 9. (*f*) in Boerh. Meth. Stud. Med. P. 7. S. 6.

vatione LXXV. proponitur, *empyema, vel thoracis hydropem dici poſſe*, aſſerebat Falloppius: qui paulo infra de eodem morbo hæc etiam addebat: *De quo quidem thoracis hydrope loquitur Hippocrates in 2. de morbis cap. proprio, & in libro de internis affectionibus circa medium, ubi tractat de reliquis ſpeciebus aquæ intercutis, & hanc appellat pulmonis hydropem.* Itaque jam vides, cur ea ſic incipiat Obſervatio: *In cadavere adulti vidimus hydropem pulmonis.* Sic enim vocatus fuerat in proprio illo capite, quocum ſcite conjunxit Falloppius libri illius alterius locum, ut collato inter ſe utroque, eundem eſſe morbum, ex ſignis, & curatione intelligamus, qui utrobique proponitur, ideſt hydropem thoracis, educta, cum licet, per ſectionem aqua curandum. Quo autem modo aqua in thoracem effundatur, non aliter ſecundus indicat locus, ac mihi Galenus, quippe Hippocratem ſequi ſolitus, ſupra (*g*) viſus eſt, in pericardium effundi aquam, indicaſſe, id eſt ex ruptis hydatidibus, quæ ab Hippocrate *tubercula* ibi appellantur: *ſi tubercula in pulmone fuerint enata*, & *aqua repleta, & in pectore rupta*. Sic autem fieri *& in bove, & in cane, & in ſue*. Porro *videri talia multo magis in homine fieri quam in pecoribus, quanto etiam morboſiore diæta utimur*. Vides, ut vetuſtiſſimi illi Medici, quos nihil de his hydropis ſpeciebus attigiſſe, nonnulli putant, cum morbos, & morborum origines in hominum cadaveribus ſcrutandi copiam non haberent, in beſtiis inquirerent, ex iis autem quæ in his viderent, ſagaciter conjecturas ad humanum genus ducerent. Similia hodieque in bobus, & ovibus conſpici, pervulgatum eſt, & Willius præſertim, ac Williſius ſuis in Sepulchretum (*h*) relatis Obſervationibus confirmant: in ſue autem, cæteroquin ſano; ut cætera ejuſcemodi hic omittam, a me in beſtiis, hominibuſque conſpecta; hydatidem vidiſſe memini, quæ minorem ſui partem in pulmonis ſuperficie oſtendens, interius adeo ſe amplificabat, ut aquæ limpidæ uncias aliquot contineret. Sed in hominibus ut Falloppius in primis effuſam aquam vidit, ſic ejus diſcipulus Coiterus (*i*) etiam hydatides poſtea deprehendit. Poſtquam enim ſe *multoties*, dixit, *vel utramque pectoris cavitatem, vel alteram aqua plenam* inveniſſe, *unde cum Hippocrate aſſerere liceat, in pectore hydropem fieri*; duo ſubjicit exempla, alterum Profeſſoris Bononienſis, quem precibus adductus Hieronymi Cardani, ſui ſtudioſiſſimi, diſſecuit, alterum Virginis: in quorum illo hydatides invenit omnibus ventris viſceribus adhærentes, in hac vero unam quidem ad latus cervicis uteri, ſed tantam ut quaſi duplo major eſſet quam veſica urinaria, *aqua tenui lucidaque*, ſicut infra dicit, pleniſſimam; ut proclive ſit, conjicere, ex ſimilibus diſruptis veſicis aquam extitiſſe, quæ dexterum in utroque thoracis cavum implebat, præſertim cum in I. quoque libri II. Sepulchreti Sectione (*k*) ab aliis poſtea repertum hominum pulmonem legamus *veſicis plenum, quibus apertis*, aut *aqua exibat*, aut *humor pellucidus*, qui etſi tunc lentus erat *inſtar albuminis ovi*, tamen fluxilior antea in iiſdem, vel potius in aliis, quæ diſruptæ eſſent, veſicis fuiſſe poterat, & hydropem, qui erat in altero thoracis latere, feciſſe. Verum hic duo forſitan ex me quæres, alterum, quomodo hydrops pulmonis dici poſſit, cum, ruptis jam hujus hydatidibus, aqua in thoracem eſt effuſa? alterum, an hydrops thoracis iſta plerumque ratione fiat? Quod ad primum attinet, proprie quidem pulmonis hydrops tunc dici videtur, cum ſerum in ipſo hæret pulmone, quemadmodum Tozzius (*l*), & Albertinus (*m*) in cadaveribus ab ſe repertum deſcribunt, alia quæ ad eum pertinent morbum, non reticentes, cujus ſignis addi poſſe, indicavit Jo. Maur. Hoffmannus (*n*) querelas *de ponderis anguſtia preſſoria & gravitatis ſenſu, a jugulo per medium thoracem deorſum exporrecto*. Et quanquam extant Obſervationes (*o*) hujus hydropis cum thoracis hydrope conjuncti; ſæpe tamen accidit, ut hydatidibus, cum in his aqua pulmonum eſt, diſruptis, primus abeat, alter fiat, quem plures pulmonis hydropem vocare pergunt, ſive originem ſpectando, cauſam pro effectu malunt deſignare, ſive etiam Hildani (*p*) imitari exemplum, qui multa *aqua ſeroſa* circum cor in pericardio deprehenſa, non pericardii hydropem morbum illum, ſed *hydrocardiam* appellavit. Num vero thoracis hydrops, quod erat alterum a te quæſitum, iſta plerumque ratione fiat, in multiplici cauſarum varietate nemo, opinor, facile dixerit. Ad has enim inter cætera illud etiam attinet, quod aliorum poſtea, & Valſalvæ, & meis Obſervationibus (*q*) confirmatum videbis, laudatus autem Coiterus jam tum ſuis quas in Sepulchreto quoque (*r*) habes, adnotavit, diverſos *eſſe morbos, quos pectoris hydrops comitari* poſſit, & in his *peripneumonias, pleuritides, tabes, & hydropes*: quare *hujus aquæ collectionis in pectore non unam ſemper eſſe cauſam, ſed multas variaſque eſſe videri*. Atque ita egregius ille Anatomicus humana cadavera poſt præceptorem diſſecando, non modo illuſtrabat, verum inſuper amplificabat antiquiſſimorum Medicorum doctrinam. Ad quam reſpexiſſe Falloppium in eo quoque, exiſtimaverim, quod propoſitum morbum *empyema, vel thoracis hydropem dici poſſe*, aſſerebat (*ſ*), id eſt ſi vetuſtiſſima ſigna attendas, empyematis perſimilem. Æger enim, ut in loco illo eſt libri II. *de Morbis* quem Falloppius indicabat, *patitur talia, qualia is qui ſuppuratus ſit*; ſed, ut internoſcere poſſimus, *debilius, ac diuturnius*. Attamen & vehementia, & cito necantia vel hos interdum pati, qui aquam, non pus, habent in thorace effuſam, nonnullæ ex productis Obſervationibus (*t*) ſatis oſtendunt: & contra, ſignis illis carere nonnunquam omnibus, haud ita raro pleriſque; ut certe ei adoleſcentulo (*u*) unde hæc ſcribendi occaſionem cepimus, neque *febris* erat, neque *tuſſis*, neque *pedum tumor*, neque *unguium contractio*, & hydrops tamen erat thoracis. Cave autem credas, a me hæc ideo dici quod cenſeam, *veterem* doctrinam *oportere rejici, quod non habeat circa omnia certitudinem exactam*. Imo ideo dico, quia hoc ipſum, in libro *de Veteri Medicina* (*x*) ingenue agnitum, ii Medici quos ſupra (*y*) cum Vieuſſenio deſignabam, tunc maxime ignorare ſe, oſtendunt, cum apud populum nihil tam verentes, quam ne dubitare de abditi alicujus morbi natura videantur, id ſæpe faciunt quod merito Hippocrates (*z*) vituperavit, ut *morbum alium exiſtentem, alium eſſe*, pronuncient.

Sed ad promiſſas reliquas Obſervationes pergamus.

34. VIRGO Bononienſis annos nata duodeviginti, cum ſcabiem ungendo repuliſſet, graviſſima orthopnœa, ſine febre, ſine cæteris, quæ modo memorabamus, correpta eſt. Sanguine e brachio ad ſex ſeptemve uncias detracto, pejus habuit: e pede autem poſt dies aliquot ad uncias totidem miſſo, ita corruit, ut vehementiore facta ſpirandi difficultate, poſtridie interiret anno, ſi recte memini, 1703. CADAVER nuſquam tumidum, ſed juſta ubique pinguedinis copia teres, & ſine ullo ſcabiei veſtigio conſpectum eſt. Venter jecur habuit lividius, & durius quam ſoleat, ſana cætera, & in his lienem, etſi ſuperius hujus extremum erat propemodum ab reliquo lienis corpore omnino disjunctum, ut niſi per lateris alterius particulam continuaretur, duo futuri fuiſſent, lienes, non unus. Quæ in muliebribus diligenter obſervavi, minus ſunt hujus loci. Unum tamen, aut alterum propter illa tum quæ mox dicentur de mammis, tum quæ in Aphoriſmis (*a*) leguntur, non eſt reticendum. Hymenis, atque uteri ſumma erat integritas: hujus autem cavitas lento quodam humore ſcatebat, aquæ ſimili in qua caro recens lota eſt. Quo deterſo, ex media potiſſimum fundi uterini facie digitis ſubtus appreſſis, ſanguinea quaſi puncta prodibant, quæ,

(*g*) n. 20. (*h*) l. 2. S. 1. Obſ. 135. & Schol. ad Obſ. 75. (*i*) Obſ. Anat. (*k*) Obſ. 33. & 36.
(*l*) Medic. Part. Pract. ubi de Morbis Pect. (*m*) Comment. de Bonon. Sc. Inſt. Tom. 1 in Opuſc.
(*n*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 213. (*o*) ut cit. Sepulchr. Sect. 1. Obſ. 73. & 77. (*p*) Cent. 1. Obſ. 43. (*q*) Epiſt. 20. & 21.
(*r*) l. 2. S. 7. Obſ. 40. (*ſ*) n. 32. (*t*) Vid. n. 2. 17. (*u*) n. 30. (*x*) n. 21. (*y*) n. 25.
(*z*) De Morbis l. 1. n. 5. (*a*) Sect. 5. Aph. 39.

quæ, preſſione nonnihil aucta, guttulæ ſanguinis fiebant: ſanguine autem infarcti paſſim per ſubſtantiam uteri certi quaſi ſinus videbantur; ut minime dubitarem, quin ſigna hæc eſſent menſtrui ſanguinis, mox huic Virgini, ſi paulo diutius vixiſſet, erupturi.

Pectoris ſectionem aggredienti placuit ſororiantes mammas incidere, quod dum facerem, miratus ſum, non uno ex loco, nec ſine ejaculatione quaſi quadam, lac prorumpere. Mox ad primam cultri in coſtarum cartilagines altiorem impreſſionem ſubcærulea, qua thorax omnis implebatur, aqua erupit. Qua exhauſta, pulmonem quidem ſiniſtrum inveni aliqua dumtaxat poſterioris faciei parte, dexterum autem tota & poſteriore, & laterali facie cum pleura arctiſſime cohærentem. Pericardium quoque congeſta aqua adeo diſtendebatur, ut priuſquam inciderem, prædurum tactu, multo maximum cor mentiretur. Hoc vero juſta inventum eſt magnitudine, nihil ferme ſanguinis, ſed concretiones polypoſas continens ventriculo utroque, pinguedinis ſimiles ex albo flaventis. Caput, quoniam Virgo, a me ſæpe in Noſocomio interrogata, neque dolere, neque alio incommodo tentari, conſtanter reſponderat, non attigimus.

35. Inter morbos cæteros, qui ſcabiei repulſionem conſequuntur, jure hydropem, thoracis quoque, recenſeri, hæc noſtra vel clarius, quam Storchii (*b*) Viri Experientiſſimi, confirmat hiſtoria. Cæterum noli credere, Medicum non ignobilem, qui ſemel atque iterum ſanguinem miſit, id eſſe ſuſpicatum, & ſanguinem tamen eduxiſſe, aſtipulantem Valleſio potius (*c*) probanti quadantenus, quam Galeno haud laudanti præceptum quod extat in extremo ferme libro *de ratione victus in morbis acutis*, ut apud Valleſium latine redditum eſt: *ſi hydropicus difficulter ſpiret, fueritque anni tempus æſtivum, & ætas vigeat, & robur adſit; ſanguinem a brachio auferre oportet.* Nihil ejuſmodi in mentem venerat ſuſpicari, ut neque alteri illi Medico, a quo non ſecus detractum ſanguinem eſſe diximus (*d*) adoleſcentulo. Tu quid ægro utrique inde acciderit, adnotabis: utrique tamen ignoſces Medico, eoque facilius, quod neuter ex illorum erat numero qui ſe falli non poſſe, credunt, ſibi omnia, nihil cæteris tribuentes. Imo uterque, & præſertim alter, quot adhuc Arti, ſibique deeſſent, ingenue fatebantur, etiam in abditis morbis dignoſcendis, velut hoc, & pericardii hydrope, qui inſuper, ut in hac Virgine, ſic & in aliis tribus, quæ protinus afferam, exemplis ad thoracis hydropem adjungebatur.

36. MULIER quinquageſimum agens annum, a multis jam diebus difficulter, nec ſine ſono, ſpirabat. Et tamen difficultas neque decubitum prohibebat, neque ſomnum abrumpebat. Verum præterquam quod brachium alterum, quod dolebat, œdemate habebat tumidum (qualem tumorem in thoracis hydrope Fantonus pater (*e*), & Buchnerus (*f*), aliique, & in his Valſalva noſter (*g*) interdum adnotarunt) cum ad thoracis motum diceret fluctuationem in eo ſentire, pondus autem vel ſine motu; quin aqua in thorace eſſet, non videbatur dubitandum. Huc denique & pedum œdema, minime aucta difficultate ſpirandi, acceſſit tribus, an quatuor ante mortem diebus: quæ mulierem abſtulit, dum forte cibum capere inciperet. Hæc neque animi defectionibus obnoxia fuerat, nec unquam de ulla ad cor anguſtia, aut conſtrictione querebatur, neque de lumborum dolore, neque demum ullo de incommodo quod ad ventriculum attineret: quæ memorare hic volui partim ob alia quæ ante harum Litterarum finem, partim ob ea quæ continuo ſcribentur. ABDOMINE diſciſſo, contractus ventriculus inventus eſt, in eoque prope ipſum pylori annulum, ut in III. quoque Adverſariis (*h*) indicavimus, caruncula non parva, oblongo petiolo affixa ad tunicam illam interiorem, eodem atque hæc colore, ſi exterius aſpiceres; interius enim ex molli fiebat ſubſtantia e rubro albicante, ut nihil magis referret quam aliquam meſaræi glandulam, chylo imbutam. Pancreas qua Duodeno inteſtino adhæret, craſſius erat, & durius; ut minus miratus ſim, quod ejus ductus latior ſupra eſſet, quam ſoleat. Thoracis utrumque cavum plurimam aquam habuit, eamque vireſcentem. Pericardium quoque erat diſtentum aqua, eodem fortaſſe colore infecta: quod ideo dico, quia cum dies aliquot illud incidere diſtuliſſem, ut ratio poſtulabat Anatomes quæ in Bononienſi Gymnaſio habebatur, colore tunc fuit aquæ in qua caro lota eſt: quin eam ob moram videbatur imminuta; duas tamen circiter æquavit libras. Cor, ferme totum pinguedine obductum, nec ea tenui, concretiones in ventriculis habuit polypoſas. Capite demum aperto, nec inter meninges, neque in ventriculis Lateralibus aqua defuit.

37. Etſi vel in vivente facile erat intelligere, aquam eſſe in thorace; quæ tamen ſigna defuerint, & quæ vix tandem acceſſerint, vides. Quibus facile omnibus carere poſſemus, ſi unum illud ſenſus humoris, nulla prævia ſuppurationis cauſa, in thorace fluctuantis perpetuum foret. Nam interdum quidem non ab ægris modo percipi, verum etiam ab aliis eam fluctuationem audiri, olim Hippocrates iis in locis, in quibus de hoc hydrope agi, ſupra (*i*) diximus, ſatis docuit, cum ægrum, inquit, *humeris apprehenſum concutito, & deinde in utro latere magis fluctuet, audito*, & rurſus *qua parte ſtrepitum perceperis, ea ſecato*: idque non una recentium quoque Medicorum Obſervatio confirmat, qualem ſuperius (*k*) commemoravimus, & qualem Parentis ſui (*l*) edidit Cel. Fantonus; nam ad ægrorum ſenſum dumtaxat, pertinet hæc noſtra, & Cl. Virorum Jo. Davidis Maucharti (*m*), ac Jo. Philippi Wolffii (*n*). Sed tamen hoc ſignum neque eſt, neque eſſe perpetuum poteſt. Nam præterquam quod in noſtris cæteris, & in omnibus Valſalvæ fruſtra perquires, idem quoque accidet in pleriſque aliorum perlegendis, qui tam luculentam hujus morbi notam, ſi extitiſſet, prætermittere potuiſſe non videntur. Quin diſerte a quibuſdam adnotatum videbis, illam defuiſſe. Sic in ea Virgine, ſic in Polono illo Senatore, quos ſupra (*o*) memoravi; ut alios nunc omittam; cum ea aquæ copia in thorace eſſet, nullam, dum viverent, fuiſſe fluctuationem, in eorum hiſtoriis leges. Nec vero crediderim, ſuſpicari te poſſe, in his, illiſque omnibus tunc demum in thoracem effuſam, aut plurimum auctam fuiſſe aquam, cum morerentur. In illorum enim pleriſque indicia aliqua non defuerant aquæ antea effuſæ: & ſi de duobus præcipue quos modo indicavimus, ſermo ſit; in Virgine de qua potiſſimum ſuſpicionem iſtam apud aliquos videor legiſſe, quod tandem aquæ, præſertim *viroſæ*, augmentum a morte repetes, cum *placide, & ſine agone expiraverit?* aut in Senatore, qui cum *omnino bene ſe tunc habere ſibi videretur, ludens, ſtimulo naturæ alvum depoſiturus, & ſellam adiens, ſubita morte extinctus eſt?* Non eſt igitur hujus morbi ſignum perpetuum fluctuatio ab ægris percepta, nedum ab aliis audita. Sed neque, ut dicebam, eſſe perpetuum poteſt; ut ſi aqua ſit, quod etiam, præter laudatum Fantonum (*p*), alii monuerunt, aut omnino perpauca, aut tanta copia, ut thoracem prorſus impleat. Nam & *quibus ſuppuratis, dum concutiuntur, ... ſtrepitus quidem nullus ſit, verum difficultas ſpirandi fortis, & ungues lividi, hi*, ſicut ipſe alibi (*q*) docet Hippocrates, *pleni ſunt pure*. At ſaltem, inquies, eo temporis ſpatio quo ab exigua copia aqua creſcit, nec ad ſummam tamen adhuc pervenit, ejus fluctuatio videtur percipi debere. Videtur utique. Sed quidam certe non percipiunt, ut Senator, de quo dixi, qui nullam fluctuationem humoris

(*b*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 147. (*c*) Vid. hujus Comment. in Hippocr. locum indicatum: (*d*) n. 30.
(*e*) Obſ. Anat. Medic. 30. & 38. (*f*) Act. N. C. Tom. 6. Obſ. 50. (*g*) ſupra, n. 2. (*h*) Anim. 4. (*i*) n. 32. & 33.
(*k*) n. 5. (*l*) Obſ. Anat. Med. 29. (*m*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 100. (*n*) Eorund. Act. Tom. 5. Obſ. 34.
(*o*) n. 27. & 11. (*p*) Schol. ad cit. Obſ. 29. (*q*) Coac. Prænot.

in thorace ſe ſentire, aut *ſenſiſſe*, affirmabat: alii non attendunt: alii denique non indicant Medicis; ſigna autem reliqua tunc adeo pauca, levia, & morbis aliis communia eſſe poſſunt, ut ſiquis de illo interroget, præter rationem id facere videatur: humeris vero apprehendere, & concutere, aut aliter agitare non omnes ægros ſane licet. Quæ plane videbis in eo qui ſequitur, caſu conveniſſe.

38. MULIER ruſticana, non multo major annis viginti quinque, alba, pallidaque facie, cum ante quatuor nupſiſſet menſes, ad tres uterum jam ferebat, cum ob febriculam quandam erraticam in Noſocomium Patavinum excepta eſt, in quo menſem, aut eo amplius decubuit. Pulſus neque parvus, neque intermittens. Sitis nulla; etſi fere fructibus veſcebatur; quod in gravida non mirabantur. Nullus pedum tumor. Nullæ animi defectiones. Neque de anguſtia ad cor, aut anxietate, neque de ponderis ſenſu, neque omnino de ullo thoracis incommodo unquam eſt queſta; niſi quod tuſſicula quadam ſicca ſubinde, idque a multo jam tempore, ſed leviter, tentari conſueverat: tum etiam, ſi oblata ſumeret cum adhuc calerent, difficili reſpiratione corripiebatur; quam ob cauſam refrigerata petere ſolita erat. Extra quem caſum non incommode ſpirabat; tantum aberat, ut noctu ullo ſuffocationis ſenſu excitaretur, aut ſedere cogeretur. Itaque, ut dixi, cubabat, ſed in latus dexterum: in quod etiam cubans mortua eſt, cum ad febriculam nihil præterea mali acceſſiſſet, ſi dolorem ad lumbos excipias, de quo noviſſimo dumtaxat tempore conqueſta eſt. VENTREM intra horæ dimidium a matris obitu hactenus aperuerunt, ut proles, ſi viveret, ſacra ablui aqua poſſet: quod & feliciter peractum eſt. Infans enim, utero, membraniſque ſuis caute inciſis, continuo ſe quaſi exeruit, manuſque movit, nec niſi una poſt matrem hora mortuus eſt. Eo exempto, uterum cum adhærente placenta, & membranis, & corpus reliquum maternum, uno excepto capite, diligenter poſtea nos perſecuimus eodem, & inſequentibus diebus ante Kalendas Decembris A. 1724. Sed alia alio differentes, hic ferme nihil, niſi quod præter naturam fuit, ſcribemus. Cætera igitur omnia egregie conſtituta fuiſſe, credito, ut totus certe erat corporis habitus, juſta optimæ pinguedinis copia rubentibus muſculis impoſita, & interjecta, vix ut aquæ pauxillum inter eam apparuerit, ubi neque in vivente, ut diximus, neque in mortua, ante diſſectionem, eſſe videbatur, hoc eſt in extremis pedibus: quod ipſum tamen me non fugit poſſe ab aliquo ipſi uteri geſtationi acceptum referri. Major æquo lien aliquanto, hepar autem magis, ut quod & inferius quam ſoleat, & ad lienem uſque ſe extenderet. Exterius pallidum; intus ex ſuo, & ex tabacci colore leviter variegatum: nec tamen durum. Ventriculus in medio ferme ſuæ longitudinis contrahebatur, utrinque extuberans, ſed a dextris minus, quæ pars oblique deſcendebat; altera in tranſverſum poſita, fundo aliquantum antrorſum converſo, aeris, & humoris ſemiplena. Vermes plurimi teretes in Tenuibus inteſtinis, quæ ubi illi erant, & quodam præſertim in loco, ſubrubebant, ibidemque quaſi per vim dilatata protuberabant. Antequam Pectus incideremus, tumere collum animadvertimus a turgente glandula Thyroidæa: ex mammis autem lac facile exprimi. Thorace patefacto, ecce id quod cauſam præbuit & tum quæ prægreſſa eſſent, omnia diligentius inquirendi, & hic, ut fecimus, ſcribendi. In ejus cavo dextero plurima erat aqua ſubflava, in eaque craſſæ quædam, ſed mucoſæ, quaſi telæ. Cujuſmodi aquæ aliquid in ſiniſtro cavo etiam fuit, in pericardio autem tantum, ut eſſet propemodum plenum, nec ſine telis quales modo diximus, innatantibus. Denique in utroque cordis ventriculo erant polypoſæ concretiones quaſi ex muco quodam; in ſiniſtro tamen paulo denſiores.

39. Faciei pallor, febricula, ſicca tuſſis, & decubitus in alterum latus fuerant quidem in hac muliere; ſed reliqua ſigna, eaque præſertim quæ omnino propria eſſe dicuntur hydropis thoracis, non fuerant. Hydropis autem pericardii quænam fuerunt, inquis, peculiares notæ in hac, & duabus, de quibus proxime dictum eſt, fœminis? Priuſquam aliquid reſpondeam, ſine quartam proponam diſſectionem, quam Bononiæ habui cum Valſalva ſub finem A. 1704.

40. VIR erat annorum amplius quadraginta, qui Foro Cornelii Bononiam identidem ventitabat pedes, res traditas huc illinc, & viciſſim hinc illuc ferens. Is cum ſæpe vel ab itinere calens, biberet, poſtremo præſertim tempore quo aſſidue ſitiebat, rheumate ad fauces gravi, & febre correptus, in Noſocomium admiſſus eſt. Mox ibi de faucibus non amplius conqueſtus, ſuum in ventre morbum omnem eſſe, dicebat; nulla tamen de re querebatur magis, quam de Spinæ ad lumbos dolore, quo ea ſibi media diſſecari videbatur. Erant propterea qui inteſtinorum inflammatione laborare hominem, crederent: Valſalva autem in thorace eam eſſe, ſuſpicabatur. Erat autem pulſus debilis, humiliſque; ſed qui tamen ligatus, ut ajunt, videretur. Surgere, quaſi abiturus, ſæpe voluit. Per hæc intra tertium, an quartum ex quo in Noſocomium venerat, diem confectus eſt. VENTER nihil habuit quod ſecundum naturam non eſſet. In Thorace autem ab altera potiſſimum parte humor ſtagnabat, in quo fruſta natabant quaſi membranularum albiſſimarum; ut nihil magis referret, quam ſerum vaccinum, particulas retinens caſei ſecundarii. Pleuræ vaſa magis quam ſolent, rubebant, nec multo id tamen. Pericardium vero fuit adeo diſtentum, ut vix compunctum, aquæ ejus qua erat pleniſſimum, tenue quaſi filum ad non modicam altitudinem ejaculaverit. Cordis mucro plus æquo rubens, leviter inflammatus fuiſſe videbatur. Caput denique cum ſecarem, primum animadverti, pleroſque deeſſe dentes, qui autem reſtarent, hos omnes nigros, & alios magna, alios maxima ex parte carioſos, an quod calens, ſolebat bibere? an ex aeris cui ſe quacunque tempeſtate objiciebat, injuriis? Tum cranio recluſo, multum aquæ inter Craſſam, Tenuemque meningem inventum eſt. Illa, ſiqua alia unquam, extantibus ad Proceſſus lacertis prædita erat. Per Tenuem autem reptantia vaſa quacunque cerebrum circumveſtiebat, omnia ſanguine præturgida; non ſic quæ in ventriculis Lateralibus. Cerebri demum baſis, & huic proxima ſubſtantia flaccida.

41. Quod ſæpe homo ſurgere, quaſi mox abiturus, volebat, in eo deliri aliquid manifeſto erat, ejuſque cauſa in diſtentis adeo cerebri vaſis, aut in aquæ ei circumfuſæ acrimonia quærenda eſt. Nam in thorace quoque & pleuram, & cordis mucronem eadem quaſi inflammaſſe videri poteſt. Quid, ſi pars illius ex cranii cavo in Spinæ tubum delapſa, tam acerbum illum ad lumbos dolorem faciebat? nihil enim proclivius eſt, quam ubi aquam in plures effuſam corporis caveas videmus, & in alias aliquas effuſam conjicere. Id vero dico, ne forte credas, eum dolorem ita eſſe repetendum ab hydrope pericardii, ut cum aliam præter hunc habere cauſam non poſſet, inter peculiaria ſit ejus morbi ſigna fortaſſe numerandus, præſertim cum in illa quoque fœmina de qua noviſſime dictum eſt (r), lumborum dolor acceſſerit, & *graviſſimus* fuerit in Juvene, cujus hiſtoria, a Blaſio deſcripta, in Sepulchretum (ſ) relata eſt. Utrique certe, & huic potiſſimum Juveni is hydrops fuit; neutri tamen alia deerant, in quæ ille dolor rejici poſſet. Ipſe autem Valſalva in eo de quo loquimur, viro, non pericardium definite, ſed generatim aliquam thoracis affici partem ex dolore illo conjecturam ducebat. Quin facile meminiſſe potes quod alias (t) ad te ſcripſi, ut ſoleret moleſtum ſenſum

(r) n. 38. (ſ) l. 2. S. 1. Obſ. 60. (t) Epiſt. 10. n. 12.

ſenſum circa eam Spinæ ſedem ab affectis appendicibus preſſi, aut irritati ſepti Tranſverſi deducere ſic tamen, ut aquam in thorace, non in pericardio, congeſtam argueret. Et quanquam in cadavere de quo ibi loquebamur, ut in hoc quoque, utrobique reperta eſt; in alio tamen viro (*u*) qui *illa parte dorſi, in qua diaphragma mediam & infimam corporis regionem dividit, immanem patiebatur dolorem*, humor ſeroſus in thorace, non in pericardio, inventus memoratur. At enim pericardium, inquies, quo magis diſtenditur, eo magis tendineam, cui arctius alligatum eſt, diaphragmatis partem diſtrahit: quamobrem cum hanc non ſolum gravando, ſed & diſtrahendo afficiat; ab oppleto potius pericardio, quam thorace, videtur is dolor repetendus. Verum ſi res, ut conjicis, ita ſe habet; quid ergo eſt cur in nulla ferme cæterarum Obſervationum quas aut Valſalvæ aut noſtras his Litteris complexi ſumus, de eo dolore ægri conqueſti ſint? Num forte quia non adeo pericardium diſtentum fuit? Atqui non magis eſſe potuit, quam a Grætzio (*x*), & Vieuſſenio (*y*) repertum eſt; nec propterea ab ipſis eſt inter cæteras hujus mali notas is dolor memoratus. Relinquitur, ut dicas, in eorum ægris ſenſim pericardium fuiſſe diſtentum, in noſtro autem hoc viro celerrime, ut paulatim laxari ejus, & diaphragmatis fibræ non potuerint. Noli ergo uti aliis exemplis, a nobis, aut ex Sepulchreto petitis, in quibus contendere non potes, fuiſſe brevi tempore dilatatum. Ex adverſo autem Obſervationem relege Virginis (*z*), in qua intra dies non multos, aut eam lege, quam mox ſubjiciam, alterius Virginis, in qua repente multa in pericardio aqua congeſta eſt; cum tamen neutram ille affecerit lumborum dolor. Quod ego ſignum eo diligentius excuſſi, quod ab nemine, quod ſciam, pro hujus morbi indicio propoſitum, mihi in mentem venit, dum noviſſimam Obſervationem deſcriberem, quærere, an cæteris poſſet, quæ non ſunt perpetua, annumerari. Fortaſſe enim aliquando poterit, cum aliis conjunctum uſui eſſe, cum pericardium & celeriter, & maxime diſtenditur, quorum alterum ut in duabus illis Virginibus fuerit, alterum fateor non fuiſſe.

42. Interea ne illud quidem eſſe perpetuum, intelligis, quod tradunt (*a*), & ſæpius verum eſt, pericardii hydropem ſenſim fieri; nam breviſſimo tempore non ſecus ac hydrops thoracis, interdum fit, quod ſane cum Obſervationem perlegeris Cl. Löw (*b*), aut cum ipſe thoracis inflammationum hiſtorias proferam (*c*), multo etiam magis cognoſces: quibus eam quoque addes quæ ſeorſum alibi (*d*) ſcribetur.

Nunc illam adjiciam quam modo pollicitus ſum, eo pluris a te faciendam primum quod ex perraris illis eſt in quibus nihil niſi pericardii hydrops, inventum fuit, cui quidquid ægra paſſa fuerat, adſcribi poſſet, tum quia a Medico in quærendis, adnotandiſque ſignis omnibus diligentiſſimo mihi non ſemel narrata, ac confirmata eſt Hippolyto Franciſco Albertino. Eam conſulto ad extremum hunc locum ſervavi, ut ea propoſita, quid de cæteris hujus morbi indiciis habendum ſit, certius, ac facilius exponam.

43. MONACHA erat Bononiæ, cujus illuſtre tum Genus, tum Cœnobium hic memorare poſſem, ſi vellem, quam defluxionibus in gingivas, malaſque obnoxiam Medicus dato ex ſudoriferis lignis decocto ſanaverat: poſtmodum autem acuta febre correptam, pari felicitate ſanam fecerat. Cum poſſet una, atque altera curatione eſſe contentus; ut ſunt aliqui male ſeduli; Aprili menſe redeunte, urgere Virginem cœpit, ne tam opportunum remediis tempus, quibus ſe a defluxionibus immunem ſervaret, abire ſineret. Negare illa primum, quippe optime valens, & quæ ſatis ſibi ſuperque & decocto, & febre purgata videretur. Homine tamen eadem ſæpius inculcante, tandem annuit, invita, quaſi animus id quod accidit, præſagiret. Cum enim ejuſdem ſyrupi, ut vocant, aurei tantundem ſumpſiſſet quantum eo die in Cœnobio aliæ, hiſque omnibus id bene ceſſiſſet; ipſi quidem, quæcunque caſus adeo inſoliti cauſa fuerit, quinquagies propemodum alvum movit. Hinc magnæ ſeri dejecti copiæ cum ſitis, ut fere ſolet, intolerabilis ſucceſſiſſet, neque hæc ab juſculis largiſſime epotis remitteret, vim maximam dilutæ emulſionis ingeſſit: neque huic tantæ potionis copiæ urinæ copia reſpondit. Poſtridie cum in lectulo, ſurrectura, reſediſſet, ſeque induere cœpiſſet, ecce quadam cordis oppreſſione, & hanc excipiente animi deliquio corripitur. Exinde ea oppreſſio nunquam deſiit exacerbari quotieſcunque nimis aut loqueretur, aut moveretur. Plures accerſuntur Medici. Quorum ſententiæ cum valde, ut in ejuſmodi morbis fit, inter ſe diſcreparent; additur eorum concilio Quinctili jam menſe Albertinus. Ibi alius aneuryſma, alius polypum, alius tuberculum pulmonum conjicere: nec deerant qui de horum, aut de thoracis hydrope ſuſpicarentur. Ubi ad Albertinum ventum eſt (cujus me cautam cunctationem imitari in loco nunquam pœnituit potius quam nonnullorum audacem celeritatem) negavit, eſſe modeſtiæ ſuæ quod tot Viri, ætate, auctoritate, doctrina, ingenio, uſu præſtantes, tertio propemodum jam menſe ſatis definire non potuiſſent, id ſe, vix ægra tunc primum viſa, continuo decernendum ſuſcipere: ſinerent igitur, ſe iterum, tertiove ægram viſitando, morbi obſcuriſſimi naturam ex iis quæ inſpecta melius quam audita, fortaſſe intelligeret, perſcrutari. Quod cum diligenter feciſſet, atque ea non modo quæ adeſſent, ſed & quæ abeſſent, perattente conſideraſſet; convocato rurſus Medicorum concilio, primum quidem ſingillatim rationes attulit, quare minus ſibi veriſimile fieret, eſſe illum morbum ullum ex iis qui ſunt memorati, quam hydropem, & hunc pericardii: hydropem quidem; nam protinus ab ingeſtæ aquei humoris tanta copia ortus erat, cum hæc neque e corpore prodiiſſet, neque tam brevi tempore ſatis cum ſanguine miſceri potuiſſet, ut propterea pars ejus aliqua credenda eſſet in locum quempiam ſeceſſiſſe, facile a primordiis, ut fit, ad id magis quam alia, diſpoſitum: pericardii vero, quod nonnullos aquam in eo congeſtam habuiſſe per ſectionem deprehendiſſet, in quibus eadem, aut ſimilia, dum viverent, incommoda adnotaſſet. Accipe nunc quæ ab hac Virgine abeſſent, mala. Bonus erat faciei color: ſomni imperturbati. Recte alvus, recte menſtrua reſpondebant. Reſpiratio, ſive ſtaret, ſive ſupina jaceret, ſive in utrumlibet cubaret latus, æque erat facilis. Pulſus neque tenſi, neque duri, neque vibrati; neque ullo prorſus modo inæquales. Nulla in thorace palpitatio, aut magna pulſatio. Nullus in pulmonum regione dolor. Tuſſis nulla. Omnino erat nihil, ſi quæ ſupra dicta ſunt, & quæ mox dicentur, excipias; nihil, inquam, erat quod improbares, aut de quo illa conquereretur. Quibus permotus Albertinus in aliorum non ivit ſententiam. Pro ſua autem hæc eſſe, exiſtimabat, quod Virgo ſibi cor gravari, tanquam ſaxo impoſito, ſentiebat, & quod cum ſilens, & quieſcens oppreſſione illa cordis, de qua initio diximus, non angeretur; ſi aliquid agere, aut paulo diutius loqui vellet, continuo eadem angebatur, cujus ita ſenſum exprimere ſolebat, quaſi cum in magna conſtipati populi frequentia, undique conſtringimur, & coarctamur: eam autem cordis oppreſſionem levis quædam animi quaſi defectio comitabatur: pulſus vero ſemper, etiam cum quieſceret, debiles erant. Quæ res ſane perdifficilem reddebant curationem; nam præterquam quod ſi medicamentis elicere conarentur aggeſtum ſerum; metus erat, ne illo potius quod ſanguini neceſſarium eſt, imminuto, hic multo minus facile per cor mearet, aqua preſſum, & hujus tam diuturna mora jam flaccidum; illud certe erat evidentiſſimum, quæcunque remedia paulo eſſent majorum virium, idem factura quod faceret corporis motus; quæ autem leviora, ea vero aut nihil, aut non ſatis opis eſſe latura. Quod & accidit; nam ſicuti hæc proſpiciens, tunc prædixerat Albertinus, eo Virgo confecta denique morbo eſt.

(*u*) Act. N. C. Tom. 6 Obſ. 50. (*x*) Vid. ſupra n. 21. (*y*) Vid. n. 24. & 25. (*z*) n. 17. (*a*) Vid. n. 22.
(*b*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. Obſ. 154. (*c*) Epiſt. 20. & 21. (*d*) Epiſt 45 n. 16.

bo eſt. Nam cum annum ab ineunte morbo vitam traxiſſet; ad cætera addi cœpit momentarius punctionum ſenſus, ſubinde recurrens, in affecto loco, cum levibus ibidem convulſionibus, pulſus autem ſenſim magis magiſque infirmari, & quaſi obſcurari: quæ non fallacia proximæ jam mortis fuerunt indicia.

THORACEM, ad abſtruſi morbi ſedem, naturamque patefaciendam, recludere, Albertino permiſſum eſt, uno, haud amplius, ſocio addito Roberto Muratorio, ſeniore Medico, Viroque ſpectato. Sana igitur omnia inventa ſunt, niſi quod pericardium tumebat aqua ad uncias novem, cordis autem membrana manifeſto erodi cœperat, facile ab eadem aqua, longa demum mora acriore facta, unde ille eſſet punctionum ſenſus, eæque leves convulſiones.

44. Hiſtoriam habes qualem recens ab Albertini ſermonibus jam eo tempore conſcripſeram cum alia habentem quæ doceant, quid invitis non inculcandum a Medico, & quid in loco imitandum, tum illa certe quæ ad propoſitum morbum internoſcendum prodeſſe poſſint. Et quoniam in ea dictum eſt, in aliis quoque Albertinum ipſius ſigna adnotaſſe; poteris quæ de his in Commentariis de Bononienſi Scientiarum Academia (*e*) univerſe docuit, legere, & cum hujus Virginis Obſervatione conferre, quam, opinor, indicat ubi ſuperficiem cordis *leviter corroſam in muliebri cadavere conſpexiſſe ſe*, dicit. Nec te moveat quod ubi aqua erodens eſt, quædam fieri aliter ſcribat, quam in hac Virgine fiebant; neque enim huic aqua inter initia erodens erat, ut ad extremum fuit, cum maxime infirma vis fibrarum cordis vibrato pulſui efficiendo par amplius non erat, & leves tamen illæ ad cor adnotatæ convulſiones nonnulla tunc ſecus fieri, quam antea, etiamſi Virgo quieſceret, indicabant. Quam autem a motu accidere memorat ſpirandi difficultatem, *ſive potius*, ut dicit, *apnœam* mox evaneſcentem, vix differre, credes, ab iis brevibus animi quaſi defectionibus, quas cum in Virgine certe obſervaſſet, in Commentariis diſerte non exprimit. Cætera quæ in his habet, fere non diſcrepant, aut pro varia dumtaxat aquæ ſive copia, ſeu qualitate diſcrepant. Ipſa autem qualitas, etſi mora, ut diximus, mutari poteſt ea ratione quæ a Grætzio (*f*) expoſita eſt; vel initio tamen eſſe valde ab aquea diverſa poteſt, cum videlicet ſerum ſanguinis valde ipſum quoque diverſum eſt. Haud raro enim hoc vidimus e morbidis corporibus aut flavum emitti, aut ad viride, ad cæruleum, ad albidum vergens, non ſecus ac humor perſæpe eſt, quem effuſum in hujus, aut illius hydropici, ventrem, aut thoracem, aut ipſum denique pericardium conſpicimus; unde capere argumentum poſſent qui pericardii aquam, non per glandulas, ſed per ipſas tenuiſſimas arterias afferri, non dubitant; quanquam ubi certæ quædam particulæ in ſanguinis ſero nimis prævalent, eædem pariter in ſecretis per glandulas humoribus ita dominantur, ut ſaliva eorum, in quibus renes paulo diutius ab officio ceſſarant ſuo, viſa ſit colore, ſapore, odore nihil ab lotio diſcrepare (*g*).

Qualis vero ſecundum naturam ſit aqua pericardii, non recte arguitur ex illis Vieuſſenii (*h*) experimentis, in quibus ex iis qui pericardii hydrope diu laboraverant, acceptam, aut ad ignem, aut per ſe etiam, vidit coagulari, cum tinctura autem florum malvæ commiſtam, vireſcere, & ſal denique ab ipſa eductum, ſpiritibus, quos vocant, acidis in fermentationem cieri. Sic neque ego ex Valſalvæ experimento (*), in quo, aqua in ejuſdem cadaveris thorace, & pericardio ſtagnante, illius quidem portionem conſpexit, igni impoſitam, concreviſſe, hujus autem non concreviſſe, recte arguerem, humorem quo ſecundum naturam tum illud, tum hoc cavum plus minuſve madere invenimus, alium in hoc, atque in illo eſſe. Scilicet pro varia tum mora, tum morbida ſanguinis, & viſcerum conſtitutione hæc variari, non ratio ſolum indicat, ſed & plurima, ut in parte Valſalvæ quoque noſtri experimenta (*i*) confirmant.

Quod vero ad copiam attinet humoris pericardii, quem in ſanis quidem corporibus *modicum* inveniri, primus, ut opinor, docuit vetuſtiſſimus Auctor libri *de Corde* (*k*); in morboſis, & præſertim in hujus partis hydrope correptis non modo multum eſſe, aut plurimum, verum etiam interdum incredibili propemodum copia, vel ex ſuperius ſcriptis, aut commemoratis Obſervationibus manifeſtum eſt, videlicet ut minor, majorve ejus cauſa eſt, aut brevius, diutiuſve hæc perſiſtit, ſive ea in impedito humoris refluxu, ſive in aucto affluxu conſiſtat, hic vero aut a ſeri copia ſit in ſanguine redundantis, aut ab hujus circa præcordia retardato diutius motu ſive ob vitium aliquod organicum, ſive ob aliam quamcunque cauſam, aut denique; ut alia, & in his ruptos cordis lymphæ ductus omittam; ab diſſilientibus hydatidum folliculis. Has enim poſt Galenum, qui in ſimia, ut ſupra (*l*) indicatum eſt, animadverterat, alii intra belvinum, plerique intra humanum pericardium conſpexerunt. Wepferus enim (*m*) multas per exteriorem ſuilli cordis faciem paſſim disjectas deprehendit. Ballonius autem (*n*), & Cordæus (*o*) in mulieribus duabus cor hydatidibus obſitum fuiſſe, retulerunt. Rolfinkius (*p*) *nos*, inquit, *in cordis membrana in palpitationi ſubjectis ægris obſervavimus hydatidas*. Fantonus pater (*q*) in quodam homine *copioſiſſimæ*, *& croceæ lymphæ cor innatans* vidit, *cujus apex* erat *a corrupta hydatide ulceroſus*, in alio autem (*r*) *plurimas in ſuperficie cordis hydatides*. Præcl. Thebeſius (*ſ*) in Mercatore, cujus *thoracis dextrum latus una cum pericardio valde expanſo aqua plenum erat*, invenit *externam cordis membranam hydatidibus ſcabram*. Et ipſe quoque, ut alias (*t*) ad te ſcripſi, quaſi ruptæ hydatidis veſtigium in eadem conſpexi, & de magna quæ indidem pendebat hydatide ſum ſcripturus (*u*). Quæ omnia attingere hic volui, quo facilius intelligeres, ut hydrops hic pericardii & origine, & qualitate, & copia aquæ plurimum variare poteſt, ſic poſſe ejus etiam ſigna variari, ſicut in pulſibus præſertim ab Albertino (*x*) ſcriptum eſt, qui parvos & potius frequentes ſemper quidem, ſed tunc magis deprehendit, cum aquæ multo maxima copia erat; molles autem, cum illa pura, aut lenta; vibratos denique, ac tenſos, cum ſalſa, & vellicans fuit. Tu qualis, & qua copia fuerit, apud Vieuſſenium leges in illis duobus, quorum alteri, ut ſupra (*y*) narravimus, pulſum fuiſſe, indicavit parvum, frequentem, inæqualem, alteri autem præter hæc ſemper valde mollem, & debilem. Sero autem, ut cætera commonſtrant, viſcido intra craſſum pericardium, libræ pondus ſuperante, *exiguos* fuiſſe pulſus, *ac languidos*, in Vidua quadam generoſa adnotavit Hoffmannus (*z*). Qui cum ſubjicit, quid in Vidua altera obſervatum ſit a Ballonio (*a*), ſi hujus verba amanuenſes illius, aut typographi diligentius deſcripſiſſent, facile cognoſceres, *pulſum* mulieris *magnum*, *elatum*, *tardum*, *interciſum*, *& intercalarem habentem in pulſatione una atque altera intermiſſionem*, & quæ de ea referuntur cætera, ſi forte ad pericardii hydropem, at certe ad ipſum, non, ut hic ſpectamus, ſolum, ſed cum aliis conjunctum morbis, attinuiſſe. Ejuſmodi igitur Obſervationibus, quarum magnus ſuppeteret numerus, hic prætermiſſis, tanto minus attendendæ ſunt quæ ex Zacuto ab Doctis alioquin Viris in hunc modum proferuntur: *Zacutus Luſitanus ter vidit hunc affectum* (pericardii hydropem) *ubi ægri animi deliquio, cordis palpitatione, pulſu duro, parvo, nulla præcedente cauſa ſyncope oppreſſi vitam ducebant, & accedente febricula conſumpti ſunt: ob quam corporis conſumptionem nonnullis affectum hunc Tabis pericardii nomi-*

(*e*) Tom. 1. in Opuſc. (*f*) Diſp. cit. ſupra ad n. 22., §. 19. (*g*) Vid. Epiſt. 41. n. 5. (*h*) ch. 1. cit. ſupra ad n. 24.
(*) Vid. ſupra n. 2. (*i*) Vid. ſupra n. 6. & 10. (*k*) n. 1. (*l*) n. 20. (*m*) Sepulchret. l. 4. S. 3. in Schol. ad Obſ. 26. n. IV.
(*n*) Ibid. l. 3. S. 37. Obſ. 3. §. 12. (*o*) Ibid. S. 21. Obſ. 21. §. 14. (*p*) Ibid. l. 2. S. 8. Obſ. 6.
(*q*) Obſ. Anat. Med. 15. ult. edition. (*r*) Ibid. Obſ. 12. (*ſ*) Eph. N. C. Cent. 4. Obſ. 115. (*t*) Epiſt. 3. n. 26.
(*u*) Epiſt. 25. n. 15. (*x*) in Opuſc. cit. (*y*) n. 24. (*z*) Medic. Rat. T. 4. P. 4. c. 9. Obſ. 4.
(*a*) Ephem. l. 1. A. 1570. Conſtit. Hyem.

nomine inſignire placuit. Verum ſi locum in quo hæc ſcripſit, indicaſſent, quem eſſe invenies Obſerv. CXXXVII. libri I. *de Praxi Medica Admiranda*, aut ſi ipſi eam perlegiſſent Obſervationem; proclive fuiſſet intelligere, non de pericardii hydrope illa dici, ſive de humore in ejus cavum effuſo, ſed de parvo duriuſculo tumore in tunica, id cavum complectente, innato. His igitur merito ſepoſitis, ſi quæ in paucis huc attinentibus Obſervationibus de pulſibus ſunt ſcripta, ſpectemus; varios in variis eſſe, conſtabit, & ſi quid forte ſæpius ſit adnotatum, id ad parvitatem, debilitatem, frequentiamque referendum videri: quæ res ipſæ non modo quam variare poſſint pro vario morbi tempore, ſed etiam quot aliis ſint morbis communes, ſatis omnibus notum eſt.

45. Quod ſi nunc tandem pleraque alia ex iis quæ ſuperius (*b*) ex Cl. Virorum obſervatione, aut ſententia hujus morbi ſigna memoravimus, cum hiſtoriis comparemus quæ deſcriptæ ſunt a nobis, aut indicatæ; manifeſtum quoque erit, illorum alia perpetua non eſſe, alia ne frequentia quidem, velut animi defectiones, quæ crebrius in hoc, quam in thoracis hydrope, accidere dicebantur, tu vero in nulla ſeu Valſalvæ, ſeu Vieuſſenii, ſeu noſtra ſive alterutrius, ſive utriuſque hydropis Obſervatione leges memoratas, imo in quibuſdam ex noſtris (*c*) invenies diſerte negatas, vix in poſtrema, quæ Albertini eſt (*d*) quadantenus indicatas. Non equidem inficior, in iis fuiſſe quorum hiſtoriæ a Fiſchero (*e*), a Reimanno (*f*), a Löwio (*g*), ab Hoffmanno (*h*) traditæ ſunt. Sed ſi pericardii hydrops cum ſummo & diuturna hectica febre languore, ſi cum valvularum cordis vitio, ſi cum thoracis hydrope in tribus ægris prioribus conjunctus erat; nempe una ferme reſtat Hoffmanni Vidua in qua morbum ipſum de quo loquimur, deliquia animi, & crebriora quidem comitata eſſe, ſciam. Quo igitur modo ea poſſim; etiamſi tot aliis non convenirent morbis; in hoc ſæpius obſervari ſolita eſſe, dicere? Porro tuſſiculam illam ſiccam quæ fere major in pericardii, quam in thoracis, hydrope proponebatur, num majorem legiſti in iis quos utroque affectos deſcripſimus? In illis certe quos ego vidi, ne nominatur quidem, ſi mulierem unam excipias: in viro autem qui utroque & ipſe laborabat, tuſſim non fuiſſe, diſerte adnotavit Cl. Kellnerus (*i*). At erat, inquies, in aliis quos pariter affectos viderunt Löwius (*k*), Bonetus (*l*), Wepferus (*m*). Tantum abeſt, ut diffitear; miror magis, in tot aliis, quos dicebam modo, defuiſſe. Aqua enim in thoracis hydrope nervos phrænicos, pulmones, omnemque pleuram contingit, ut, ſi irritans ſit, non poſſit non vellicare, & ſic tuſſim ciere, cum in pericardii hydrope nihil eorum tangat, & quod conſequitur, non videatur æque, nedum magis, tuſſim motura: quanquam ſi valde irritans ſit; pericardium vellicando poſſit fortaſſe per hoc demum in conſenſum trahere annexum diaphragma; id quod tamen per tenuiorem, & multo ampliori ſpatio annexam pleuram vel magis poterit aqua thoracis. Sed tuſſiebant, inquis, ex Harderi (*n*), ex Schröckii (*o*), ex Erndlii (*p*), ex Reimanni (*q*) obſervatione illi etiam quibus, non thoracis, ſed pericardii hydrops erat. Tuſſiebant utique; ſed vomicæ non deerant aut pulmonem occupantes, aut inter hujus tunicam, pleuramque interjectæ: vel ſi hæ deerant, alia non deerant, unde ſeptum Tranſverſum ab inferiore ſaltem facie laceſſi poſſet. Quod ſi denique ſpectemus illos in quibus unus morbus fuit, hydrops pericardii; vir ſane quem Valſalva (*r*) ſecuit, tuſſiebat; ſed nec Vieuſſenius, nec Hoffmannus tuſſim memorant in ſuis, neque in Monacha animadvertit Albertinus. Qui cum in Commentariis laudatis (*ſ*) univerſe ſcripſit, *tuſſim* hunc Affectum *vel nullam, vel modicam adjunctam habere*; non majorem certe voluit, quam in hydrope thoracis. Ex adverſo autem quod plerique ajunt, leviorem in pericardii, quam in thoracis, hydrope, eſſe difficultatem reſpirandi, non raro ſaltem, idque oculorum, auriumve judicio, verum eſſe, libentius agnovero. Ea enim difficultas quanta eſſe plerumque ſoleat in hydrope thoracis, præclare oſtendit junior Verneyus (*t*), cum inter ejus ſigna illam primo loco ponit, eamque maximam, aut cum ex aſcitici ventre aquis eductis, illam aut nihil, aut parum levatam videns, aquas in thorace quoque ſtagnare, docet, idque aut aquarum e thorace eductione, aut cadaveris diſſectione luculenter confirmat, non ſecus ac olim Jacobus Oæthæus (*u*) ſuſpicionem confirmavit ſuam humoris in thoracem effuſi, cum etſi ventrem ſubtumidum, purgationum ope, *humorum mole ſublevaret*, tamen *ſpirationem difficilem* animadvertiſſet *non* eſſe *diminutam*. Quin relege quas tibi his Litteris deſcripſimus Obſervationes; & quam laborioſe reſpirare ſoleant eo morbo affecti, & quam ſæpe erecta cervice, recognoſce. Nec quod in eorum pluribus utrumque hydropem fuiſſe, leges; idcirco credito, a pericardii potius, quam a thoracis, hydrope, repetendam eſſe tantam illam reſpirationis difficultatem. Qui enim primum ſine ſecundo, & ſine aliis dyſpnœæ cauſis obſervarunt (intelligis, cur a me ſeponendæ hinc ſint Obſervationes Kellneri, Schröckii, Erndlii, Reimanni, Vicarii, & ejuſmodi aliæ quas ſciens prætereo), qui, inquam, ſine alio reſpirationi officiente morbo, unum pericardii hydropem obſervarunt; Hoffmannus in Vidua, Vieuſſenius in puero, Albertinus in Monacha orthopnœam certe non memorant. Imo Vieuſſenius, ut antea (*x*) diximus, in altero puero ad pericardii hydropem additum hydropem thoracis inde etiam conjecit, quod æger humili capite jacere amplius non poterat: & Albertinus non modo in illa Virgine, ſive ſtaret, ſive in dorſum, ſive in utrum liberet latus decumberet, æque facilem fuiſſe reſpirationem, affirmabat; ſed & univerſe ſcripſit, ſuis fretus obſervationibus (*y*), *difficilem in* hoc morbo *decubitum, & frequentem reſidendi neceſſitatem vix unquam incidere*. Valſalva autem (*z*) etſi in quodam viro, plurimum jam, ut videtur, hoc hydrope progreſſo, orthopnœam, quemadmodum ſemel Vieuſſenius quoque, ut ex quarta ejus Obſervatione ſupra (*a*) diximus, & mox iterum dicemus, in morbi ſummo progreſſu, animadverterat; tamen in Obſervationibus quas tibi alias (*b*) deſcriptas mittemus, duorum Juvenum quos abſtulit peripneumonia, cum primum ſcripſiſſet *decubuiſſe, demiſſoque capite minus incommode egiſſe*, alterum autem ſic *cubuiſſe*, ut *caput ſubmiſſum teneret*; hæc continuo ſubjecit, *ut plerique eorum ſolent, quibus pericardium ingenti aquæ copia turget*; & ſane erat in utroque ab aqua adeo dilatatum, ut in primo *pericardii hydrops merito vocari poſſet*, in altero autem *ingens occuparet thoracis ſpatium*. Lanciſius vero (*c*) cum ipſe quoque hujus hydropis ſigna afferret, hoc idem quod modo diximus, ſed multo aliter propoſuit. Nam eo laborantes *difficili* eſſe *anhelitu*, cum ſcripſiſſet; & uſque *ab initio non niſi extra lectum reſpirare poſſe*; denique *prope mortem*, inquit, *coguntur ad decubitum, videlicet quia pericardium una, aut etiam ſeſqui-altera liquoris libra turgidum diaphragmatis centro vim infert, neque alium ſtandi ſitum, qui ſit minoris incommodi, ægris permittit, quam horizontalem, in quo pericardium verſus jugulum aſcendens, diaphragma non amplius premit*. Non dubito, quin Vir Cel. in quibuſdam ſic obſervarit: neque id quod rationi conſonum eſt, nego, quod & Williſii (*d*) in eo Juvene obſervatio confirmat, qui cum thoracis hydrope laborare cœpiſſet, & ſupinus in lecto jacens, *caput*

(*b*) Vid. n. 21. 23. 24. (*c*) n. 36. & 38. (*d*) n. 43. (*e*) Act. N. C. T. 8. Obſ. 31. (*f*) Eorund. Tom. 1. Obſ. 170.
(*g*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. Obſ. 154. (*h*) Obſ. 4. ſupra cit. ad n. 44. (*i*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 1. not. 1.
(*k*) cit. in Eph. Obſ. 154. (*l*) Sepulchr. l. 2. S. 2. Obſ. 3. (*m*) Ibid. l. 4. S. 3. Obſ. 26. in Additam.
(*n*) Ibid. l. 2. S. 7. Obſ. 24. in Additam. (*o*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 118. (*p*) Earund. Cent. 3. & 4. Obſ. 141.
(*q*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. cit. 170. (*r*) ſupra, n. 21. (*ſ*) ſupra, n. 44. (*t*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1703.
(*u*) Sepulchr. l. 2. S. 1. Obſ. 76. (*x*) n. 25. (*y*) Comment. cit. (*z*) ſupra, n. 21. (*a*) n. 24.
(*b*) Epiſt. 20. n. 35. 36. (*c*) De Mot. Cord. l. 1. S. 1. c. 5. Prop. 23. in Schol. (*d*) Pharmac. Rat. P. 2. S. 1. c. 13. in fin.

caput a margine ejus , ut experiendi cauſa Williſius jubebat , *uſque ad pavimentum reclinari ſineret* , *illico perſenſit aquæ verſus claviculas decurſum*, *ſimulque illuc doloris metaſtaſim*. Neque tamen ſcio , an ſatis intelligam , cur ii pariter , non tam dico qui thoracis hydrope vexabantur , quam qui pericardii vel multo eo majori qui ab Lanciſio deſignatus eſt , non idem levamen decumbendo ſint conſecuti . Quin contra is qui multo maximo , ut paulo ante memorata Vieuſſenii Obſervatio oſtendit, urgebatur , poſtremis auctis jam morbi menſibus in lecto jugiter cogebatur ſedere ; nam ſi decumbere , quod ſuperioribus potuerat menſibus , conaretur , illico evidens inſtabat ſuffocationis , mortiſque periculum. Num forte ; ne de aucta ſanguiferorum vaſorum preſſione cum Vieuſſenio quidquam dicamus; ea cauſa erat, quod pericardium tanta aquarum copia diſtentum, jacente homine diaphragma quidem non gravabat; ſed prægravabat pulmones, quibus ſic incumbebat , tum mole etiam ſua horum expanſioni tanto magis officiebat, quanto ſurſum magis tunc aſcendente diaphragmate, ipſum quoque ſurſum contrudebatur . Quod ſi ita ſe res habet ; hoc quoque ſignum intelligis, ſive ut ab aliis, ſive ut ab Lanciſio propoſitum eſt, a varia congeſti humoris copia variari : quæ tamen in pluribus (*e*) videtur , cum eadem eſſet quam Lanciſius deſignat , aut etiam aliquanto major, neque ab initio ægros coegiſſe , ut reſpirandi cauſa extra lectum eſſent , neque extremo tempore ut jacendo ſpiritum ducerent : quin utro liberet modo minime propterea augebatur difficultas ſpirandi; etiamſi cum pericardii hydrope thoracis hydrops erat conjunctus. Quæ res quoque facit , ne ſignum hoc facilis decubitus pro illius peculiari habeamus, eoque id magis cum in iis pariter qui uno thoracis hydrope laborabant, idem ſit aliquando animadverſum (*f*).

46. Non me pœnitet Lanciſii Obſervationem, quamvis adeo a Vieuſſenii Obſervatione diſcrepantem, paulo ante protuliſſe. Ecce enim hæc relegenti a Petropolitana Imper. Academia Novi ejus Commentarii (*g*) mittuntur, in quibus, ut rara alia , ſic Cl. Schreiberi Obſervationem (*h*) invenio , pericardii quod *libræ circiter quatuor aquæ cruentæ* adeo extendebant, ut pulmonibus verſus poſteriora , & latera compulſis , ipſum *partes pectoris mediam, & anteriores laterales repleret*. *Ægro* tamen cum *tandem adceſſiſſet ſummum moleſtiæ reſpirandi incrementum* , ... *in alterutro pectoris latere cubare impoſſibile , ſed in dorſo jacere tolerabile fuerat* . Erant & huic pulmones pleuræ *valde adcreti* , quin etiam *ſcreatu* denique *rejecta alba , viſcoſa materia*, *multo ſanguine admixto*: præterea cordis ſuperficies omnis villis hirta , a ſero quidem formatis , ſed per quos ſiniſter ventriculus pericardio quam firmiſſime adhærebat . Nec palpitationes tamen , nec deliquia hic memorantur ; ſed *preſſio in pectore* , & *tuſſis ſicca perpetua* : quæ tu ſingula ad ea adjunges quæ de ſignis ſupra diximus , aut infra dicemus hydropis pericardii , tuſſi una excepta propterea quia hæc initio jam fuerat , cum interna thoracis inflammatio, ut videtur , morbum præceſſit , & quomodo pulmones deinde ſe haberent, ex dictis intelligis , & *ſupra diaphragma aliqua portio ſeri flaveſcentis fluctuabat*. Sed hic præcipue attendas , velim , cum tantus pericardii hydrops eſſet, orthopnœam tamen defuiſſe, qui in reſpirando corporis ſitus Vieuſſenii ægro, quæcunque tandem cauſa eſſet , adeo fuerat neceſſarius .

Et de animi deliquiis igitur , & de tuſſi , & de reſpirationis difficultate ſatis viſum eſt .

Nunc ad reliqua pergamus. Et ſitis quidem tam raro accidit pericardii hydropi, ut nollem, inter hujus ſigna fuiſſe commemoratam , præſertim cum Saxonia noſter (*i*) inter illa diſerte poſuerit , *nullam* eſſe *ſitim* . Attamen etſi e contrario in thoracis hydrope aut ſiccitatem faucium , aut ſitim in illis omnibus , quas ex Valſalva deſcripſimus , Obſervationibus invenies; ſit aliquando , ut in ipſo quoque nulla ſit , idque præter alias , & nominatim Ruſi (*k*) Obſervationem , non una ex noſtris confirmat hiſtoriis (*l*). Quamobrem ſitis abſentia , aut præſentia pro certo hos duos non diſtinguet hydropes . Sed multo minus pedum tumor, ut quem inter ſigna quidem recenſitum leges hydropis thoracis , eundemque tamen aliquanto ſæpius quam ſitim , in pericardii hydrope videmus fuiſſe, defuiſſe autem , nec rariſſime, in illo altero (*m*), & nonnunquam in conjunctis ambobus (*n*), vel noſtræ probant Obſervationes. Una ferme eſt fluctuatio , quæ interdum quidem in illo altero hydrope, ut ſupra (*o*) diximus, percepta eſt , cum in pericardii hydrope non recordemur legiſſe perceptam ad corporis quidem concuſſionem : quanquam illa hydropem eſſe thoracis, ſignificare poteſt , pericardii vero tunc abeſſe, non poteſt . Quod vero ad fluctuationem aquæ attinet in pericardio ipſo ab ægro , aut a Medico hac , vel alia qualibet ratione percipiendam, cum Grætzius (*p*) non ita *diſtincte* ſenſibilem, ut in hydrope thoracis, fore , cenſuit , tum ego, quando vel minus, vel nullo modo ſenſibilis eſſe poſſit, vel fallacia aliqua fortuita ſimulari , ibi non reticui, ubi, ſi hæc omnia auferre liceret , optimum præ cæteris ſignum futurum agnovi (*q*) .

Lenta vero febris, & *contabeſcentia* , triſtitia , faciei pallor , oculi minus vividi facti , extrema corporis ſubfrigida , & id genus alia non dubito quin ſæpenumero poſſint utrique hydropi eſſe communia : imo pleraque horum communia eſſe , vel ex Vieuſſenii ipſius alia Obſervatione (*r*) certo ſcio . Nec ſi vel plura ex iis quæ antea examinata ſunt , ſignis in aliquo ſimul extitiſſe, videam , in quo pericardii hydrops deprehendatur, propterea ſtatim de ſententia decedam; ſed prius cætera conſiderabo . Brunneri (*ſ*) Obſervatio eſt, quam, cum plures alias poſſem , hic potiſſimum exempli loco afferam , quia cum Sepulchreto addi poſſet ; edita enim fuerat A. 1687. fruſtra a me in eodem quæſita eſt. Pericardium ille aqua turgens reperit in juniore Milite, qui de dyſpnœa, & præcordiorum anguſtia querebatur, noctu vix , niſi , erecto corpore , dormire poterat , ſitiebat , pedes œdemate tumentes habebat, & plerumque *ſicce* tuſſiebat . At vero idem nonnunquam ſputum turbidum excutiebat, abdomen extumeſcens habebat , ſcrotum prætumidum, ſubtumidum autem totum corporis habitum , latere præſertim dextero, quo plerumque in lecto inclinabat. Præter hæc, atque alia quæ vel ante mortem animadverti potuerant, inter quæ nec cordis palpitationes, nec deliquia, nec vitia pulſus, imo hujus æqualitatem videas commemorari; per diſſectionem in ventre hepar vaſtum inventum eſt, aquæ autem libræ octo, eademque; ut cætera omittam; latus dexterum thoracis oppletum; ut ſi vel cuncta quæ præceſſerant, ſymptomata ex iis fuiſſent quæ ab nonnullis aut pericardii, aut thoracis hydropis propria eſſe dicuntur: læſionum tamen multiplicitas utrum potiſſimum ſignificaſſent, ſcire prohiberet.

47. Cum igitur hydropes hi duo per ea quæ hactenus conſiderata ſunt omnia , ſatis internoſci non queant ; relinquitur ut videamus ſitne ſignum aliud aliquod ita proprium hydropis pericardii , ut neque hic ſine eo ſigno eſſe poſſit, neque hoc ſine illo. Te autem credere, non puto quod a Vieuſſenio (*t*) propoſitum eſt, palpebrarum , labrorumque colorem qui ad plumbeum vergat , illud eſſe quod requirimus, cum in aliis quoque eſſe morbis queat , nec in Monacha (*u*) certe fuerit . An igitur potius ſenſus illi, quos Albertinus (*x*) confirmavit , id eſt ponderis cordi impoſiti , & oppreſſionis in quamlibet levi motu, & quaſi conſtrictionis ipſius cordis: confirmavit, inquam; nam & Grætzius (*y*) *pondus cor aggravans* , *& conſtringens* , creſcente hoc morbo , *ſentiri* dixit , quem ſane poſtea etiam Lanciſius (*z*) *cum cordis pondere* , ... *gravitate* , ... *præcordiorum anxie-*

(*e*) Vid. n. 27. & 36. ſupra, & Sepulchr. l. 1. S. 2. Obſ. 3. (*f*) Vid. n. 26. 28. (*g*) Tom. 3. (*h*) 5. inter Phyſic.
(*i*) Vid. ſupra , n. 23. (*k*) Sepulchr. l. 2. S. 7. Obſ. 91. (*l*) n. 30. 38. & Epiſt. 10. n. 11. (*m*) ſupra, n. 26. 28. 30.
(*n*) n. 34. 38. (*o*) n. 37. (*p*) n. 22. (*q*) n. 24. (*r*) Traité du Coeur ch. 16. Obſ. 1.
(*ſ*) Exercit. de Gland. in Duodeno §. 5. (*t*) Traité cit. ch. 1. (*u*) ſupra , n. 43. (*x*) Ibid. (*y*) Vid. ſupra , n. 21.
(*z*) in Schol. cit. ſupra , ad n. 45.

anxietate, ſcripſit, eſſe conjunctum; & Hoffmannus Viduam, quam eodem afflictam morbo memoravimus (*a*), *de magno pondere cor aggravante, & reſpirationem impediente ægrius conqueſtam fuiſſe*, tradidit. Huc virum referes, qui Fantono patri (*b*) *graviſſimo pondere pectoris ſe ſe opprimi*, dicebat, niſi forte *copioſiſſimo* pericardii ſero id minus imputandum ſuſpicaris, quam duro denſoque pulmoni, ut quemadmodum Franciſcus Sylvius (*c*) non raro offenderat, *minime membranaceus, ſed plane carnoſus videretur*. At facilius ſpectare huc, credes *preſſionem* illam *in pectore*, & *tantas* illas *cordis oppreſſiones*, quas in pericardii hydrope adnotarunt Cl. Viri Schreiberus (*d*), & Fiſcherus (*e*). Verum hæc etſi rationi quoque conſona ſunt; vereor tamen, ut ſint qualia quærimus, cum in accuratis Vieuſſenii Obſervationibus (*f*) videam prætermiſſa, in Obſervatione autem Olai Borrichii (*g*) diſerte negata, atque; ut Valſalvæ plures omittam; cum Senator Bononienſis (*h*), & mulieres duæ (*i*), in quibus omnibus pericardii hydropem conſpexi, nullam unquam de ejuſmodi ad cor aut ponderis, aut moleſtiæ ſenſu querelam habuerint: & quamvis earum altera in thorace pondus ſentiret; in ipſius tamen thoracis dextero, ſiniſtroque cavo magna vis aquæ erat effuſa. Unde factum eſt, ut alteram Fantoni patris (*k*) Obſervationem, & Gerbezii (*l*), Boneti (*m*), Kellneri (*n*), Reimanni (*o*), aliaſque paulo ante non produxerim. Nempe in hiſce de *onere magno pectori impoſito*, de *pectoris gravitate*, de *gravativo dolore ad ſternum imum*, de *pectoris ſtricturis*, & *anxietatibus præcordialibus*, de *anguſtia præcordiorum*, & de ſenſu *cordis ſibi compreſſi* querelas conjunctas quidem lego cum hydrope pericardii: ſed hunc ſimul lego in primis quatuor Obſervationibus cum hydrope thoracis conjunctum, in quincta autem cum amplitudine cordis, aliiſque ejus, & Magnæ arteriæ vitiis, quæ cordis magnitudo, *nec ea vulgaris*, erat etiam in quarta, neque in ſecunda defuerant alia, & nominatim *glanduloſum corpus ſcirrhoſum*, quod, *remoto ſterno, ſe exhibuit, extremo uno pulmonis dextri inferiori lobo affixum, altero autem mediaſtino, & diaphragmati*. Itaque etſi earum querelarum cauſam ex parte velim aquis tribuere in pericardio redundantibus; tamen quod in priore Fantoni Obſervatione feci, id in his quoque ſingulis facere coactus eſſem, ut pluſne iis aquis, an aliis cauſis imputandum eſſe, dubitarem, quæ aut ſuo, eoque majori, pondere diaphragma prægravarent, aut pulmones, & cor ipſum, aut vaſa, utroque pertinentia, coarctando, aliave aliqua ratione expedito ſanguinis per cor tranſitui officiendo, eos alios ſenſus inducerent de quibus dictum eſt. Poſt quæ minus neceſſarium eſſe, puto, Epiſtola præſertim longius, quam initio credidi, producta, an illi ipſi ſenſus vel ſine ullo pericardii hydrope, aliunde eſſe interdum poſſint, diſquirere, multoque minus de palpitatione, de pulſibus, de lumborum dolore, de quibus ſupra (*p*) ſatis dictum eſt, verba facere.

48. Quæ omnia cum ita ſint; diutius adhuc eſſe expectandum, facile credes, antequam ad hunc curandum morbum in uſum ducantur terebratio ſterni, & pericardii perforatio, ab Riolano in Anthropographia (*q*), & alibi (*r*) indicatæ, ſi juxta Schröckii (*ſ*), & Grætzii (*t*) monita, *certiſſime antea conſtare debet de ipſius ſeri abundantia in pericardio*. Necdum enim Ars, quantum video, adeo profecit, ut id certiſſime, & evidenter cognoſci queat. Utinam liceret, ſæpius repetitis obſervationibus, ſi non alia ſigna animadvertere, at ex iis quæ propoſita ſunt, quæ ſæpius, quæ rarius tum inter initia, tum ſaltem prope morbi finem, ipſum comitentur, ſtatuere. Non raro enim video, hoc detentos *ex improviſo, præter aſſidentium expectationem, inopinata morte, repentina morte* deceſſiſſe (*u*). Interea ubi aliorum abfuerint morborum indicia, illius vero quem huic valde affinem eſſe, conſtat, hydropis thoracis alia quidem abfuerint, ut fluctuationis ſenſus in thoracis præſertim partibus a corde remotioribus, ut ſpirandi erecta cervice neceſſitas poſt primas potiſſimum ſomni horas, ut decubitus in alterutrum latus multo difficilior; neque enim ſæpius accidit, ut par aquæ copia in utrumque thoracis cavum intra idem tempus congeratur; alia autem ejuſdem hydropis indicia vel nulla ſint, vel multo leviora, ut artuum tumor, ut tuſſis, ut ſitis; æger vero ad ipſam cordis ſedem pondus quaſi quoddam ſentiat, ad motum autem corporis opprimi cor, & quaſi conſtringi, ſpiritu quadantenus deficiente, hæc vero ipſa tollantur mox, aut leventur, cum quieti ſe reſtituet, commodiuſque hanc capiat decumbens humili capite: ubi, inquam, hæc omnia ſimul fuerint, aut ſaltem complura; ego quidem ob pleraſque earum, quæ ſupra aut deſcriptæ, aut commemoratæ ſunt, Obſervationum; etſi pro certo non pronunciabo; veri tamen ſimillimum, & maxime probabile eſſe, dixero, hydropem eſſe pericardii. Dixero autem tanto facilius, ſi præterea ex iis forte æger ſit qui tunc ſibi cor quaſi in aqua natare, ſentiunt, aut in quibus ſignificatio alia aliqua eſt aquæ in diſtento pericardio, non alibi, fluctuantis. Nec vero ubi complura eorum fuerint quæ memoravi, alia quædam contemnam ſigna, ut cordis in primis palpitationem; quanquam vix in una fuit a me tibi deſcriptarum tot Obſervationum animadverſa; ut extrema quoque ſubfrigida, ut pallorem faciei, labrorumque præſertim, & palpebrarum, ad plumbeum vergentem, & quæ ſunt hujus generis alia, quæ cum interdum aut quærere, atque attendere negligant Medici, aut ægri dicere, quippe rudes perſæpe homines, & gravioribus afflicti; non mirum eſſet, ſi, cum fuiſſent, in quibuſdam tamen prætermiſſa eſſent hiſtoriis. Hæc de Thoracis Hydrope, & hujus occaſione, etiam Pericardii in præſentia habui quæ ſcriberem. Vale.

49. HANC, ut ad te remitterem, Epiſtolam vix recenſueram, cum eximium de Cordis Structura, Actione, & Morbis Tractatum Summi Viri & Regis Potentiſſimi Gallorum Archiatri Petri Senacii Joannes Baptiſta Molinarius Doctiſſimus Medicus, Humaniſſimuſque, qui me illo ſciret jam quinctum ex quo editus fuerat, annum invitum carere, perliberaliter Vindobona uſque, huc ad me perferendum curavit. Nihil jam diu ægrius tuli, quam ſero adeo in meas perveniſſe manus ejuſmodi Opus, ex quo cum plura alia didici; tum illud non ſine ingenuo pudore, & magna admiratione intellexi, tantum mediocritati huic meæ a Præſtantiſſimo Viro tribui, quantum neque ego agnoſcere, neque tribuere quiſquam poſſit, niſi forte Amicus benevolentiſſimus, mecumque uſu, officiiſque omnibus conjunctiſſimus. Verum quod facere tandiu non potui, ut tantæ erga me humanitati gratiſſimo ſaltem animo reſponderem, non deſinam facere dum vivam. Nunc quod propoſitum flagitat harum Litterarum, neſcire te nolo, inter alios morbos Illuſtrem Auctorem ſcripſiſſe de Hydrope Pericardii (*x*) ea copia, ac diligentia, quas *frequens*, eoque ingenio, ac judicio, quæ *difficilis cognitu, & difficilior ſanatu*, ut vere ait, morbus requirebat. Partite, ac dilucide ejus cauſas, naturam, ſigna, curationem examinat. Et quod ad hanc attinet, auxilii ab Riolano propoſiti (*y*) locum ſic mutat, ut neque Mammaria arteria, neque cor poſſint vulnerari, ſed utiliter aqua e thorace educi, ſi forte hujus hydrops pro pericardii hydrope imponeret. Cujus tamen ſigna ea cura antea perpendit, & auget innixus & aliorum, quorum nonnulla Scripta mihi non erant in manibus, & ſuis Obſervationibus, ut ab hydrope thoracis, aliiſ-

(*a*) n. 44. (*b*) Obſ. Anat. Med. 15. (*c*) Sepulchr. l. 2. S. 1. Obſ. 50. (*d*) Vid. ſupra, n. 46. (*e*) Act. N. C. Tom. 8. Obſ. 31. (*f*) Vid. ſupra, n. 24. & 25. (*g*) Sepulchr. Sect. cit. Obſ. 86. (*h*) Epiſt. 10. n. 11. (*i*) ſupra, n. 36. 38. (*k*) Obſ. cit. 37. (*l*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 7. Obſ. 186. (*m*) Sepulchr. l. 2. S. 2. Obſ. 3. (*n*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 1. (*o*) Eorund. Tom. 1. Obſ. 170. (*p*) n. 23. 41. 44. (*q*) l. 3. c. 7. in fin. (*r*) Encheirid. Anat. l. 3. c. 4. (*ſ*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 118. (*t*) Diſp. ſupra ad n. 22. cit. §. 25. (*u*) Vid. ſupra, n. 6. 17. 24. 36. 38. & Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 121. & Tom. 6. Obſ. 143. (*x*) l. 4. ch. 5. (*y*) ſupra, n. 48.

aliiſque doceat morbis quo ad licet internoſcere: quo ad licet, inquam; neque enim difficultates omnes amoviſſe ſe putat, quod ſi putarem, ſapienter inquit, non eas ſatis me intelligere, oſtenderem. Sed quid plura? cum tibi copiam egregii Operis facturus ſim ſtatim ac in recenſendis quibuſdam aliis Epiſtolis ejus doctrina, & auctoritate uſus fuero: quod utinam in hac facere potuiſſem. Verum tu cum leges, plura ejus invenies loca per quæ tradita his Litteris confirmes. Quod ſi in quædam incides, ubi forte inter nos diſcrepemus; per mihi gratum fore, credito, ſi minus mecum, quam cum tanto Viro facere malueris. Iterum vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XVII.

Sermo eſt de Reſpiratione Læſa a Cordis, aut Magnæ Arteriæ intra thoracem Aneuryſmatibus.

NUnc thoracis interna Aneuryſmata ſunt proferenda, quæ & mole pulmones comprimunt, & ſanguinis per ipſos motum pervertunt, & ſæpe etiam pondere diaphragma prægravant; ut multifariam lædant reſpirationem. Præcipua, & frequentiora, alia Cordis ſunt, alia arteriæ Magnæ. Quorum antequam Obſervationes producimus, occurrendum eſt tacitæ cuidam interrogationi tuæ, unde videlicet factum ſit, ut cum morbi hi ſint, ut diximus, adeo frequentes, nulla tamen certa extet eorum mentio apud Medicos vetuſtiores. Nam quod huc aliquis attinere fortaſſe velit quæ legimus I. libro *de Morbis* (*a*) ubi aliquando in pulmone fieri vena dicitur *velut varix*, nomine autem venæ arteriam quoque, ut priſcis ſolebant temporibus, eſſe ajat intelligendam; is, ſi omnia perlegat, ibi agnoſcet quæ indicantur dilatationes, & in venis deſignari, & ejuſcemodi, ut denique diſruptæ, non jam nimiam copiam ſanguinis effundendo, citam mortem, ſed ulcus relinquendo, & purulentum pulmonem faciendo, lentam afferant. Neque aliter Martianus (*b*), & ante hunc Salius (*c*) intellexerunt. Quin etiam, cum mox ibidem legimus, *varicoſas* quoque *fieri*, *& intus elevari* venas lateris; Salius admonet (*d*), idcirco has ſignificari ab Hippocrate ad hunc modum *quæ intus in ſuperficie ſitæ ſunt*, ne quis forte illas intelligat, *quæ per intermedia coſtarum*, *& alia ſpatia interna perreptant*, ubi videlicet arteriarum Intercoſtalium dilatationes nonnunquam fieri, a poſteris animadverſum eſt: & ſane a varicoſarum earum venarum diſruptione, *ſuppurati* fieri ægri dicuntur a vetuſtiſſimo illo Medico. Sed & in libro *de Internis Affectionibus* (*e*), ubi *in pulmone varix*, hujuſque ſigna, & curatio proponuntur; non remittente ſe morbo poſt quatuordecim primos dies, *eadem* exhibenda indicantur, quæ *ei qui pulmone ſuppuratum habet*. Quanquam etſi hæc omnia quis velit ad aneuryſmata trahere nihilominus; erit hoc tamen, aliis diſſidentibus, non ſatis certum, aut, ſi certum credatur, incertum porro, ex conjectura potius, an ex diſſectionibus petitum, præſertim cum beſtiæ, quæ tunc pro humanis corporibus ſolebant incidi, raro morbis ejuſcemodi corripiantur: & tandem quos morbos frequentiores diximus, & de quibus tu quæris, illi ad cordis, & Magnæ arteriæ, non ad alias, attinent dilatationes. Hæ autem a priſcis illis Medicis cur non fuerint memoratæ, præcipuam cauſam, illam ipſam quam modo attigi, fuiſſe, cenſeo.

2. Poſtquam enim ad Anatomen inſtaurandam aliquanto ſæpius humana cadavera ſecari denique cœpta ſunt; mentio quoque fieri cœpta eſt illorum morborum. Certe video, ab Nicolao Maſſa (*f*) quendam indicari diſſectum A. 1534. *qui habebat cor magnum, & tantæ magnitudinis, quantam nunquam in alio homine viderat*; a Veſalio autem (*g*) *doctiſſimi viri cor, in cujus ſiniſtro ventriculo glanduloſæ, ſed ſubnigricantis interim, carnis libras propemodum duas reperit, corde inſtar uteri, ... ad ejus carnis molem extenſo*; tum etiam a Carolo Stephano (*h*) conſpectam *in cadavere*, *cujus propter aliquod vitium*, *dextra pulmonis pars omnino conſumpta ac corroſa eſſet*, *cordis auriculam ejuſdem lateris*, quæ *in amplam magnitudinem uſque adeo excreverat*, *ut triplo major altera videretur*. Poſt hos, alioſque, & nominatim Ballonium, qui cor memoravit (*i*) *majuſculi capitis magnitudinem adæquans*, & aliud, ut habes in Sepulchreto (*k*), adeo cum ſuis valvulis, & *Magna arteria diſtentum*, ut *triplo*, *aut ſaltem duplo* quam ſoleat, *amplius videretur*; Andreas Laurentius (*l*) Equitis Guicciardini *cor* invenit *prodigii inſtar in eam molem excreviſſe*, *ut thoracem fere totum contineret*, ſanguine *ad libras pene tres quatuorve* cordis *utrumque ſinum* diſtendente. Sed hunc caſum, alioſque deinceps eo frequentiores, quo crebrius cadavera inciſa ſunt, & alii paſſim memorarunt, eoque diligentius quæ in viventibus præceſſerant, adjecerunt, quo horum eſt utilior conjuncta notitia, & magis tamen, ſi Veſalium, & Ballonium excipias, a prioribus illis neglecta.

3. Neque aliter dilatationum arteriæ Magnæ certa ad Medicos pervenit cognitio. Sic Veſalius quidem, exempli cauſa, cum in dorſo circa vertebras tumorem quendam pulſantem animadvertiſſet, ea ſecutus quæ in exterioribus aneuryſmatibus antea deprehenderat, ibi eſſe, dixit, aneuryſma *ex dilatione aortæ arteriæ*. Sed tamen non ante Medici verum dixiſſe Veſalium, pro certo ſciverunt, quam cum ægro mortuo, eam arteriam dilatatam adeo invenerunt, ut *ovi ſtruthiocameli magnitudinem fere æquaret*, quemadmodum ex Sepulchreto ipſo (*m*) cognoſces, unde præterea intelliges, quid aneuryſma illud contineret, ac quatenus proximas vertebras, coſtaſque vitiaſſet. Conſpectum id anno eſt 1557. ſicque additum pondus iis quæ Fernelius ſcripſerat tum ubi docuit (*n*), cordis palpitationem *ſæpe arteriam foras dilataſſe in aneuryſma contracti pugni magnitudine*, *in quo & tactu*, *& viſu conſpicua erat pulſatio*, tum ubi externis aneuryſmatibus propoſitis, hæc ſubjecit (*o*): *Fit & nonnunquam* aneuryſma *in interioribus arteriis*, *maxime ſub pectore*, *circa lienem*, *& meſenterium*, *ubi vehemens ſæpe pulſatio animadvertitur*. Poterat enim hæc tradidiſſe ex conjectura: nec certe omnis pulſatio, quantumvis vehemens, ab aneuryſmate eſt; ut ex noſtris quoque Obſervationibus alibi (*p*) oſtendetur. Alioquin eximius Medicus Ballonius qui *nunquam memoria ſua tam alte palpitans pulſanſque hypochondrium contigerat*, quam in Joanne Formageo non ſe ita decipi paſſus eſſet, ut ſubeſſe aneuryſma non niſi ex repentina morte, & cadaveris ſectione, agnoſceret, quemadmodum candide fatetur in Conſilio (*q*) ſcripto A. 1575. Tot, puto, illos Hippocratis locos magis attenderat, qui tum in eo Conſilio, tum in Annotationibus (*r*) proferuntur, aut indicantur, in quibus de hypochondrii, aut ventris reliqui pulſatione verba fiunt, tanta nonnunquam quanta *neque a curſu*, *neque a timore circa cor generari poſſit* (*ſ*). Quos omnes ſi at-

(*a*) n. 10 apud Marinell. (*b*) Annot. ad cit. l. verſ. 219. (*c*) Comment. in ejuſd. l. S. 3. t. 19. & ſeqq.
(*d*) Ibid. ad t. 22. (*e*) n. 5. (*f*) lib. Introd. Anat. c. 28. (*g*) De corp. hum. fabr. l. 1. c. 5.
(*h*) De diſſect. part. corp. hum. l. 2. c. 33. (*i*) Epid. l. 2. in Conſtit. Autumn. A. 1575. (*k*) l. 2. S 8. Obſ. 26. §. 2.
(*l*) Hiſt. Anat. hum. corp. l. 9. qu. 18. (*m*) l. 4. S. 2. Obſ. 21. §. 7. (*n*) Patholog. l. 5. c. 12. (*o*) Ibid. l. 7. c. 3.
(*p*) Epiſt. 24. n. 34 & ſeqq. (*q*) 107. l. 1. (*r*) 5 & 6. (*ſ*) Epidem. Hippocr. l. 7. in Eratolai filio.

ſi attente perlegas; aut ad acutorum morborum ſymptomata pertinere, aut ſi ad morbos alios (*t*) pertineat, non ad aneuryſmata ſpectare, intelliges.

Sed poſt diſſectionem illam qua præcognitum a Veſalio aneuryſma conſpectum eſt, aliæ quædam illo ipſo ſæculo habitæ ſunt eodem attinentes. Quas inter cave referas, quaſi nihil dubitans (*u*) ut videtur facere Freindius (*x*), illam Paræi (*y*). Dilatationem enim, hic ait, ſe deprehendiſſe venæ pulmonaris, quam ſi non varicem, ſed *aneuryſma* dixit, nempe ob eandem rationem facere id potuit, ob quam, ut eo tempore ſolebant, illam venam deſignavit nomine *arteriæ venoſæ*. Sed præter illam Ballonii, de qua ſupra (*z*) indicatum eſt, & alias tum Ballonii ejuſdem in Mercatore (*a*), & in Coquo (*b*), tum aliorum, ejus ſæculo viventium, bene referes cum Freindio (*c*), Lanciſium (*d*) ſecuto, illam ipſam, quam ſupra pariter (*e*) commemoravimus Laurentii Obſervationem in Equite Guicciardino, qui, ut adeo dilatatum habebat cor, ſic etiam *arteriæ magnæ os ita patens* habebat, *ut brachii æquaret amplitudinem*. Hæc illa Obſervatio eſt, quæ in gallica Hiſtoriæ Freindii verſione „ caſus dicitur inveniendus apud Laurentium, edi„ tum per Guicciardinum „ novo documento, quanto ſibi tutius paulo ante noſtram memoriam Doctiſſimus ferme quiſque Auctor conſuleret, ſua ipſe noto Doctis cæteris idiomate ſcribens, latino.

4. Ceterum & ſæculo illo XVI. & proximi magna parte XVII. lentos adeo progreſſus habuit Aortæ dilatationum doctrina, ut A. 1595. cum Joannes Bapt. Silvaticus ſuam ederet *de Aneuryſmate Tractationem*, nullam earum mentionem in eo, late, & generatim pertractato, argumento injecerit, plurimis autem poſt annis docuerit Jo. Riolanus (*f*), *raro* aneuryſma *in Aortæ trunco, propter craſſitiem tunicarum accidere*: quin etiam A. 1670. Medicus cæteroquin eruditus Joach. Georg. Elſnerus, cum arteriæ Aortæ aneuryſma a Guilelmo Riva deprehenſum proponeret, Obſervationi præfixerit titulum de *Paradoxico Aneuryſmate Aortico*, & affirmare non dubitaverit, aneuryſma *raro vel nunquam in majoribus arteriis* accidere; *excitari* autem *potuiſſe in ipſa quoque aorta, ... mirum videri*. Quid? ſi nullum ipſi exemplum ſimile notum fuiſſet, contra atque ſub ipſum Obſervationis finem oſtendit. Obſervatio autem hæc eſt quam deſignare Lanciſius (*g*) voluit, cum ait, Aneuryſmatis Rivæ *iconem anno primo expreſſam cura Germani obſerv.* 18. *inſertam fuiſſe*. Ephemeridum namque Germanicarum Naturæ Curioſorum nomen, Operarum culpa ibi aut omiſſum, aut ita, ut deſcripſi, vitiatum eſt, non ſecus ac tot alia in poſthumis illis Summis Viri Scriptis paſſim videmus. Sed ab eo anno 1670. ad noſtra uſque tempora magis magiſque allaborantibus Anatomicis, tot Obſervationes ad priores illas additæ ſunt, ut non amplius miræ, aut raræ Aortæ dilatationes habeantur. Quin ſimul eo ventum eſt, ut præcedentibus harum cauſis, & occaſionibus, & ſignis ex ordine omnibus ſæpius animadverſis, & adnotatis, eum morbum, cujus olim, quantum vides, Medici notitiam habuerant nullam, & quem ſæculo XVI. tum demum cognoſcere inceperant, cum thoracis parietes jam attollens, tumore, & pulſatione ſe proderet; nunc minorem adhuc, & penitus abditum, atque retruſum internoſcere ſe poſſe, credant, & ſæpe internoſcant. Quamobrem minime fuerat reprehendendus Malpighius (*h*) quod inter *cognitiones ſui ſæculi*, quod & meum ex parte fuit, *dilatationem* retulit *arteriæ aortæ*, multoque minus ipſi objiciendum, *in ſchola Græca, Arabica, & Latina priſca, aneuryſmata innotuiſſe*, & *univerſos libros antiquorum de aneuryſmatibus loqui*. Neque enim de externis aneuryſmatibus quæſtio erat, ſed de internis, & nominatim arteriæ ipſius Aortæ. De quibus ſi quis ex ulla de tribus illis Scholis ſcriptum aliquid reliquiſſet; Silvaticum certe non fugiſſet, qui in Tractatione illa ſua ſe adeo oſtendit in ſingulorum lectione verſatum. Nam quod Aetius (*i*) ſcripſit, aneuryſma *in qualibet corporis parte fieri*, nempe ibi *externa* ſubintelligendum eſſe, manifeſtum eſt cum ex eo quod de externis tumoribus Sermone illo agit, tum ex perpetuo ejus ſilentio de internis, tanto periculoſioribus, aneuryſmatibus, cum externorum quidem ſigna, & curationem proponat.

5. Jure igitur Lanciſius (*k*) ſcripſit, cum Hippocrates *nullius aneuryſmatis meminiſſet arteriarum*, cumque *apud Galenum, Paulum, Oribaſium, Aetium, Actuarium, & Avicennam iſtius in arteriis mali plurima legantur exempla*; *apud eoſdem* tamen, *quantum videre potuit, altum eſſe ſilentium de Aneuryſmatibus cordis, ejuſdemque maximorum vaſorum, quæ deinde minoribus natu Chirurgis, & Medicis frequenti cadaverum ſectione innotuerunt*. Quorum aliquot Obſervationes ipſe memoravit, ut de Laurentii, & Rivæ Obſervationibus feciſſe, dixi (*l*); de Harvei autem, & Marchetti, & aliorum pariter feciſſe, inſpectis ejus libris (*m*) per te videbis. Non minus enim cordis, quam arteriæ Magnæ, dilatationes ante ſe notas fuiſſe, ipſe quidem nunquam diſſimulavit. Queſtus eſt tantummodo (*n*), quas apud Obſervatores Medicos legiſſet dilatationum cordis hiſtorias minus plene, atque accurate fuiſſe deſcriptas, quam cæteris, & ſibi præſertim opus eſſet, illorum doctrinam abſolutam, quo ad ejus poſſet, propoſituro. Eaſdem autem vocavit Cordis Aneuryſmata: quo nos quoque nomine promiſcue, & dilatationum cordis utemur, cum quia minime implicari hic volumus ea quæſtione, quid Græci Medici aneuryſmatis vocabulo proprie ſignificarent, tum quia aliquid tribuere æquum eſt Viro, de aneuryſmatum doctrina, ſi quis alius, optime merito; præſertim cum hunc ejus morem ſecutos videamus Medicos nobiliſſimos; niſi forte olim indicaſſe, credas, Ballonium Conſiliorum l. 1. non, ut eſt in Sepulchreto (*o*), *cap.* 15; ſed Conſilio 109. ſcribentem, *ſi in corde ipſo aneuryſma ſit*, lethalem eſſe affectum.

Proponemus autem, ut ſoliti ſumus, Valſalvæ primum, tum deinde noſtras Aneuryſmatum Obſervationes, hoc ordine diſtribuentes, ut primo loco Aneuryſmata Cordis, ſecundo Arteriæ Magnæ, tertio utriuſque proferamus, neque omnia tamen quæ habemus; nam plura opportunius ad alias Epiſtolas differentur, ad eaſque in primis, in quibus de Morte Repentina (*p*) ſcribetur. Hic autem illa deſcribemus quæ ad læſam attinent Reſpirationem, novam hanc doctrinam pro viribus illuſtrantes. *Apud nos*, inquit Albertinus (*q*), egregie de eadem meritus, *olim in læſa reſpiratione vel nunquam, vel perraro audiebantur nomina vitiatæ ſtructuræ cordis, & præcordiorum. Modo poſt obſervationes ſæpenumero inſtitutas in mortuis, eadem nomina plus nimio audiuntur, ac timentur in vivis*. Ne igitur in iis in quibus non ſunt, hæ dilatationes temere ponantur, & contra, ut in iis in quibus ſunt, facilius agnoſcantur, proderit Obſervationes, quas duabus proximis ſuperioribus Epiſtolis complexi ſumus, cum iis conferre, quas hac, & inſequente Epiſtola proferemus.

6. SENEX annorum circiter quinquaginta quinque, corpore athletico, colore ſubpallido, queri cœpit de dolore, thoracem gravante, in ſiniſtra præſertim parte, in quam cubare non poterat. Crebro, ſed non vehementer, tuſſiebat, & ſeroſa exſpuebat. Identidem pectoris oppreſſionibus vexabatur cum difficultate ſpirandi, & anxietatibus cordis. Pulſus primum quidem rarus, durus, vehemens, vibratus, factus eſt poſtea, perſtante duritie, celerior, & inæqualis. Abdomen non tumidum, ſed tamen tenſum. Mortuus eſt.

VENTER aquam habuit. Sed quanquam lien arcte adeo hepati nectebatur, ut ſine laceratione ſeparari vix poſſet; hæc tamen duo, & proxima quoque viſcera ſana erant. Lymphæ ductus per

(*t*) Vid. etiam Valleſii Comment. in cit. locum n. 4. & in l. 5. Epid. n. 11. (*u*) Vid. Epiſt. 24. n. 35.
(*x*) Hiſt. de la Medec. P. I. (*y*) Oper. l. 6. c. 32. (*z*) n. 2. (*a*) Paradigm. 13. (*b*) Ibid. 36. (*c*) P. cit.
(*d*) De Subit Mort. Schol. ad Obſ. ult. n. 8. (*e*) n. 2. (*f*) Encheir. Anat. l. 5. c. 46. (*g*) De Aneur. l. 2. c. 2. Prop. 22.
(*h*) Reſp. ad Epiſt. de Rec. Med. Stud. (*i*) Medic. Tetrab. 4. Serm. 3. c. 10. (*k*) De Aneur. l. 1. Prop. 2. (*l*) n. 3. & 4.
(*m*) Schol. ad Obſ. 2. Repent. Mort. n. 11. & de Aneur. l. 2. c. 6. Prop. 48. (*n*) Ibid. (*o*) l. 2. S. 8. in Schol. ad Obſ. 27.
(*p*) Epiſt. 26. & 27. (*q*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 1. in Opuſc.

per inteſtina, & meſenterium nulli; per Emulgentia vaſa nonnulli; per magnos autem vaſorum truncos ad regionem lumborum multi, & turgidi apparuerunt. In Thorace ſeroſus humor, in ſiniſtro præſertim cavo, quod totum implebat. Pulmones, atro infecti colore, & nigricantibus ubique maculis diſtincti, naturalem tamen ſervabant mollitiem. Cor magnum præter modum; dextera autem auricula dimidiatum cor æquabat. Qua vulnerata, fluidus non ſecus atque ex vivente, ſanguis erupit. Magnam tamen auriculæ partem mollis polypoſa occupabat concretio, quæ ex proximo ventriculo producebatur, in quo etiam erat concreti ſanguinis portio. Ejuſmodi concretum, ſed levius, ſanguinem continebat ſiniſter ventriculus. Arteria Magna qua ſecundum vertebras dorſi deſcendebat, ad duorum circiter tranſverſorum digitorum ſecundum ejus longitudinem tractum, a ſua ſede disjuncta erat.

7. Hæc disjunctio an eſſet ab ortu, an, cum tantummodo minus ibi arcta eſſet connexio, accedente ad nativam hanc diſpoſitionem pulſus vehementia, & vibratione Arteria disjuncta ſit, non facile dictu eſt. Sed dilatatio cordis, & auriculæ dexteræ hydropem thoracis, an hic illam præceſſerit, quanquam dubium eſſe poteſt; mihi tamen veri ſimilius ſit, cordis vitia fuiſſe priora, ſive qui primi fuerint pulſus, attendo, ſeu quanto facilius fieri ob illa hydrops poſſit, quam ob hanc illa. Videſis Lanciſium (r), & quæ de cordi proximis aneuryſmatibus ipſe tradit, transfer ad cordis ipſius aneuryſmata in iis præſertim, in quibus, ut in hoc ſubpallido Sene, diſpoſitio eſt ad hydropem. Nec tantum tribuas dolori thoracem gravanti in ſiniſtra præſertim parte, in quam jacere non poterat, ut oblitus cordis præter modum aucti, ejuſque auriculæ potiſſimum dexteræ, repetenda illa omnino cenſeas ab humore qui thoracem, & a ſiniſtra quidem magis parte, occupabat; nam id impedimento potius fuiſſet, ut fere ſolet, ne in dexterum, quam ne in ſiniſtrum cubaret latus.

8. VIR ſexaginta annos natus, orthopnœa corripitur. Vix de pectoris oppreſſione poteſt queri. Pulſus a naturali ſuorum motuum lege non declinat. Tandem ingraveſcente in dies reſpirandi difficultate, ſic inſpirans, exſpiranſque obit die ſexto. THORACE aperto, pulmones ad poſteriora duri aliquantum, atroque infecti colore inveniuntur. Cor prægrande, magnam polypoſam concretionem ventriculo dextero continebat: quæ in proximam auriculam expanſa, hanc adeo dilataverat, ut ingens æquaret marſupium: longaſque in vicina vaſa productiones mittebat, ut juſta ſanguinis copia prompte excipi non poſſet. In Ventre ſupra renem ſiniſtrum tumor rotundus apparuit, proximis quidem cæteris Partibus per membranas firmiter alligatus, reni autem Succenturiato arcte adeo adhærens, ut ex una parte continuatum cum ipſo efficeret corpus. Ex glanduloſa conſtabat ſubſtantia, quæ ad centrum ſinus habebat duos inter ſe diverſos, & ſeroſum quendam humorem continentes. Cujus portio humoris, igni impoſita, concrevit: altera, affuſo ſpiritu, quem vocant, ſulphuris, ſenſim colore atro infecta præcipitans, multarum horarum ſpatio concrevit tota: tertia, admiſto ſpiritu ſalis ammoniaci, fluida perſtitit jugiter.

9. Parſne eſſet hic tumor renis tantummodo Succenturiati, minus hic præſtat quærere, ubi quæ præceſſerint, ignoramus, ad eum renem attinentia, quam conjicere, quæ fuerit mens Valſalvæ in nonnullis hujus hiſtoriæ locis. Nam ut in ea deſcribenda, ſedulo, ut ſolitus ſum, cavi, ne quid ejus ſententiæ adderem, aut demerem, ita poſtquam id fideliter præſtiti, nunc mihi liberum eſſe, puto, rem ita intelligere, ut quod mortuum ait die ſexto, accipiam ex quo homo aut erecta cervice ſpirare cœpit, aut in Noſocomium aliquod exceptus eſt: quod autem ait, vix de pectoris oppreſſione queri potuiſſe, ſic intelligam, non quod hæc ferme abſuerit, imo potius quod tanta fuerit, ut ob reſpirandi difficultatem vix ei liceret loqui, ut de ipſa quereretur. Cæterum de pulſu quod vehemens, ut in priore, vibratuſque non fuerit, aut de hydrope quod non ſit pariter conſecutus; noli magnopere mirari. Namque aut diſpoſitio, aut tempus deeſſe potuit, ut hic fieret: cor vero aut ob magis enervatam auriculam dexteram, quippe in marſupii ingentis modum expanſam, minus ſanguinis accipiebat, aut adaucta ejuſdem cordis magnitudo magis amplificatis ventriculis, quam ſimul craſſioribus factis parietibus debebatur; ne quid dicam de amplioribus hic, & certe minus mucoſis concretionibus quæ cor non modo, ſed & vaſa obſidebant: & quanquam non ante eos poſtremos dies fieri cœpiſſent; pulſus tamen Valſalva non niſi his ipſis diebus potuerat explorare.

10. PUELLA annorum tredecim, ab ortu uſque ſere ſemper valetudinaria, poſtremis menſibus queri cœpit de laborioſa reſpiratione, tuſſique cum multo, craſſoque ſputo, & ventris intumeſcentia. Ad hæc, ultimis vitæ diebus facta eſt magis ſiticuloſa, & valde famelica; ſed a cibo ingens abdominis tenſio accedebat. Pulſus erat celer, durus, & parvus. Pectoris autem anguſtia aliquando uſque adeo invaleſcebat, ut non ſemel e lecto gemebunda improviſo ſurgeret. Tandem uno ex hujuſmodi paroxyſmis correpta, magno cum clamore, & impetu repente obiit. IN VENTRE copia ſeri flavi effuſi. Ventriculus, & inteſtina aere plurimum diſtenta. Lien prædurus, colore atro. Ren ſiniſter interius quadantenus inflammatus. Thorax ſeri tantum continuit, ut dum cartilagines ad ſternum ſecarentur, proſiliret. Thymus magnus. Pulmones ſani, niſi quod ſiniſtri ſubſtantia prope bronchia majora adeo induruerat, ut ſolidiorem carnem mentiretur. Pericardium quatuor, aut quinque uncias ſeri ſubflavi; dextera autem cordis auricula eam intus habebat ſanguinis copiam, ut diſtenta, magnitudinem cordis ferme æquaret. Uterque hujus ventriculus polypoſam concretionem, muci denſati quam ſimillimam, continebat; ſed dexter grandiorem. Quod reliquum eſt; tum pericardii, tum ventris ſerum, igni impoſitum, in auras abiit, cruſta dumtaxat relicta, quæ lateribus, & fundo vaſis adhærebat. Sed alterum tenuiorem reliquit cruſtam, quam primum, eamque nonnullis hic illic ſtriis diſtinctam in modum nitri *cryſtallizati* diſpoſitam.

11. Veri ſimile eſt, jam inde a primordiis non humores modo minus ſalubres, ſed & laxam firmarum partium, inprimiſque auriculæ dexteræ vim, & ſtructuram huic Puellæ obtigiſſe, unde fere ſemper valetudinaria fuerit, donec illa auricula in aneuryſma laxata, facile acceſſit in ejuſmodi corpore, ventris, thoracis, pericardii hydrops; ut non uno morbo, ſed pluribus, in thorace præſertim, ſimul urgentibus, violentiſſimo mortis genere extincta ſit.

12. VIRGO quæ ab nativitate uſque ſemper ægrotans jacuerat, ob ſummum præſertim virium languorem, anhelans reſpirabat, & tota cute colore quaſi livido infecta erat. Tandem cum ad annum circiter decimum ſextum peveniſſet, mortua eſt. COR habuit exiguum, & mucronem verſus, quaſi ſubrotundum. Ventriculus ſiniſter forma erat qua ſolet dexter, & dexter viciſſim qua ſiniſter: & quanquam hoc latior, parietibus tamen craſſioribus. Dextera pariter auricula tota duplo erat grandior, quam tota ſiniſtra, duploque carnoſior. Inter utramque etiam tum patebat foramen Ovale, ut minimum digitum poſſet admittere. De tribus valvulis Triangularibus juſtam una magnitudinem; duæ reliquæ minorem habebant. Sigmoides autem quæ Pulmonaris arteriæ oſtio præficiuntur, ad baſim quidem erant ſecundum naturam; ſed parte ſuperiore cartilagineæ videbantur; quin exiguum oſſis fruſtulum jam habebant: erantque ea parte ſic inter ſe colligatæ, ut vix foramen relinquerent, lente non majus, per quod ſanguis exiret. Erant autem ad illud foramen quædam exiguæ productiones carneo-membranoſæ, ea ratione collocatæ, ut valvula-

(r) De Aneur. l. 2. in fin.

vularum vices ſupplere poſſent, egredienti ſanguini cedendo, regreſſuro autem obſtando.

13. Huic etiam Virgini jam inde ab initio fuiſſe inchoamenta crediderim, ejus vitii ad oſtium arteriæ Pulmonaris, cui vitio, ſenſim magis magiſque adaucto, omnia quæ vivens patiebatur, & quæ in mortua deprehenſa ſunt, accepta facile ſint referenda. Scilicet minus expeditus ſanguinis in eam arteriam ingreſſus hinc efficiebat, ut æquo minor illius copia per eandem arteriam, ſociamque venam ad auriculam ſiniſtram, ſiniſtrumque ventriculum, ex hoc autem in omne corpus mitteretur, inde vero, ut æquo major ſanguinis copia in dextero ventriculo, dexteraque auricula, & venis omnibus reſtitaret. Unde totius cutis color quaſi lividus, & dexteri ventriculi, dexteræque auriculæ dilatatio, & foraminis Ovalis perſtans hiatus, quippe cujus valvulam multus ſanguis a dextris ſiniſtrorſum urgeret, paucus autem a ſiniſtris repelleret, ad oramque foraminis applicaret. Contrariis vero de cauſis auricula ſiniſtra, & ſiniſter ventriculus nec ſatis erant explicata, nec ſatis valida, & deficiente juſto ſanguinis ad cerebrum, omneſque partes influxu, & appulſu, virium ſummus languor, & anhela reſpiratio conſequebantur, hæcque eam etiam ob cauſam quod ab exili ſubeuntis ſanguinis portione amplum, & firmum vas, quale eſt Pulmonaris arteria, ut urgeri ſatis, & dilatari non poterat, ſic neque ſe poterat valenter reſtituere, illamque, ut par eſt, per pulmonem promovere. Quod autem in hac Virgine ſenſim, & a primordiis, cum laxiora adhuc erant omnia, fieri cœptum erat, idem, atque adeo plus multo ab non diſſimili, ſed alibi poſito, impedimento factum videbis intra perpaucos menſes in Viro, triginta circiter annos nato, cujus hiſtoriam deſcribit Vieuſſenius (ſ). Nam Mitralibus valvulis, oſſeis factis, orificium valde imminuentibus, per quod ſanguis ſiniſtrum adit ventriculum, hujus tum capacitas, tum craſſitudo parietum; quod Figura 2. Tab. 13. comparata cum Figura 2. Tab. 11. ſatis oſtendit; fuerant imminutæ, contra autem ambæ auriculæ cum adjunctis truncis; ſic enim vocat; Pulmonaris venæ, & Cavarum (quos Valſalva uno auricularum nomine comprehendit) & Pulmonaris arteriæ truncus, & ventriculus dexter multum erant dilatata, ejuſdemque ventriculi columnæ, & lacerti craſſiſſima facta, num ob aliam, quæ alibi (t) indicabitur, cauſam? an quia crebriores, & validiores motus, ut in artubus videmus, major muſculorum craſſitudo ſequitur? certe autem hæ cordis particulæ jugiter, vehementiuſque contrahi, & exerceri debuerant, ut conarentur tantam reſtitantis ſanguinis copiam in Pulmonaria vaſa contrudere, quæ ob difficilem in ſiniſtrum ventriculum ingreſſum non facile admittebant; hic autem ventriculus nullo ferme conatu opus habebat, ut exiguam ſanguinis portionem in Magnam arteriam conjiceret, quamobrem exiles, debileſque pulſus hic quoque nervorum, & totius corporis languorem teſtabantur. Cum hac hiſtoria, & explicatione velim conferas Obſervationem quandam ſatis conſimilem, in quam, poſtquam hæc ſcripſeram, forte incidi verſans Sepulchreti librum II. (u). Hactenus quædam cordis ventriculorum, & auricularum aneuryſmata protuli, a Valſalva deprehenſa. Nunc alia ſubjiciam, quæ reperit in arteria Magna.

14. SENEX annos natus ſeptuaginta quinque, promptiſſimo ingenio, ſanguineo temperamento, procera ſtatura, laudabili totius corporis conſtitutione præditus, aliquot ante mortem annis, & magis his ultimis macilentus eſt factus, ſimulque dolores quoſdam gravantes, quos jam diu patiebatur in ſiniſtra thoracis parte, a flatuum dumtaxat eruptione miteſcentes, graviores redditos ſenſit hac præſertim hyeme ineunte. Moleſta etiam tuſſi conflictabatur, per quam creberrime nunc ſeroſam, nunc globoſam, & compactiorem exſpuebat materiam. In concitatiore motu, gravi corripiebatur reſpiratione, eoque, de quo diximus, thoracis dolore, aliquando etiam cordis palpitatione, ob quæ ſubſiſtere cogebatur. Tandem III. Nonas Januarii paulo ante diei finem quodam animi quaſi deliquio capitur, copioſo ſanguinis ſputo, graviſſimaque reſpiratione cum ſtertore. A venæ ſectione circa primam noctis horam hæc miteſcunt, ſuperſtite ſolum dolore quaſi pungente ſiniſtri lateris, in quod, niſi cum moleſtia cubare non poterat: pulſus erat debilis, rarus, durus, vibratus, non ſæpe inæqualis. Hora quinta priora illa recrudeſcunt ſymptomata, reſonante ſtertore, & materia alba ſputo ſanguineo permiſta. Poſt mitiora aliquanto fiunt, donec hora decima, ſtertore, & ſputo deſinentibus, ore hiante, quaſi aerem identidem captaret, eſt mortuus. DUM THORAX aperiebatur, ex ſiniſtro hujus cavo proſiluit ſerum, quo, & concreto ſanguine totum id cavum repletum erat, altero illæſo. Pulmones parum ab naturali recedebant conſtitutione: ſolum circa bronchia, nigra animadvertebantur corpora, quaſi glandulæ. In pericardio tres ſeri unciæ: in cordis ventriculis ſanguis dumtaxat grumoſus, nec multus. Arteria autem Magna toto illo tractu quo a corde pertinet ad diaphragma uſque, in enorme dilatata erat aneuryſma, non æque tamen ubique latum, ſed aliis in locis minus, in aliis viciſſim magis. Adhærebat tenaciſſime quartæ, & quintæ thoracis vertebris, quæ dextrorſum nonnihil incurvari videbantur: & juxta has diſruptum erat, amploque hiatu ſanguinem in thoracis ſiniſtram caveam effuderat. Circa hoc foramen concretio erat polypoſa, in tubuli formam excavata: ipſum autem foramen ulcere circumdabatur; ut ſucco quodam erodente prius exulceratus arteriæ paries, deinde ulcere magis, magiſque profundo facto, ad eam tenuitatem redactus fuiſſe videretur, quæ ſanguinis impetum ferre amplius non potuerit. In Ventre adnotatione dignus fuit ren dexter, cujus dimidium inferius ſecundum naturam ſe habebat; alterum autem totum erat in amplam veſicam mutatum, ex tenui tantum membrana factam, per quam elegans, quamvis inæqualium arearum, vaſculorum rete ducebatur, quod, atramento per Emulgentem arteriam injecto, in conſpectum venit. Turgebat ea veſica ſero ad uncias circiter tres, quod igni impoſitum, urinoſum exhalabat odorem, & ebulliendo, & ſpumando, in auras abiit. Illud quoque Valſalvæ occurrit vel magis dignum quod adnotetur. Cum vaſa chylifera e Tenuibus inteſtinis ab octavo infra pylorum digito ad ulnas circiter duas crebra naſcerentur, centrumque peterent meſenterii, ille quem modo deſignavimus, inteſtinorum tractus certis quibuſdam diſtinctus erat albeſcentibus maculis, imo quaſi, ut ait, *cavernulis, irregulari*, atque alia aliis figura, & magnitudine præditis, ut aliæ lentem æquarent, aliæ duplo eſſent majores, nonnullæ autem minores: ex quibus etſi vaſa illa videre non potuit egredientia; ea tamen credidit iiſdem cum *ciſternulis* communicare, ut quæ certiſſime chylo eſſent turgidæ, cujus ſaporem cum exploraret, ſimilem, niſi quod magis ad ſalſum vergebat, lactis invenit.

15. Ut quærere omittamus, an nigra illa ad bronchia corpora glandulæ revera eſſent Bronchiales, præter æquum fortaſſe adauctæ; noli mirari, quod inter cetera quæ procul dubio morboſa ſunt, quædam noviſſime deſcripſerimus, quæ ad naturalem ſtatum magis attinere videantur. Iſtæ enim *ciſternulæ* multo huc magis ſpectare poſſunt quam illa magnæ partis alterius renis in veſicam mutatio, de qua alibi tum ſcripſimus, tum ſcribemus (x). Suſpicari enim licet, ideo illas *ciſternulas* apparuiſſe quod a tanto Aortæ intra thoracem aneuryſmate compreſſus Thoracicus ductus anguſtiorem viam chylo relinqueret, ut ſubſiſtere in ſuo per parietes inteſtinorum trajectu cogeretur, in eoſque ibi quaſi varices ſua vaſcula dilatare, aut, ſi mavis, lacuſculos quoſdam, ſecundum natu-

(ſ) Traité du Coeur ch. 16. (t) Epiſt. 18. n. 35. (u) in Additam. ad Sect. 8. Obſ. 3. (x) Vid. Epiſt. 38. n. 39. & ſeqq.

naturam minus conſpicuos, ad eum modum patefacere. Sane qui ejuſmodi ibidem *ciſternulas*, niſi quod panici erant magnitudine, conſpexit poſtea Santorinus (*y*), ipſe quoque, ut Valſalva, ſemel, & in eo vidit quem interfecerat aneuryſma. Cujus etſi non indicat ſedem; ibi tamen eſſe potuit, ubi chyli motum retardaret: certeque ipſe qui vix ſemel aliquid ejuſmodi animadverti, in prægnante cane memini animadvertiſſe; ut compreſſio aliqua viarum chyli non deeſſet. Utcumque eſt; Valſalvæ opinionem Santorinus, & ego plane comprobavimus, cum ille ex *ciſternulis* ipſis vaſcula emergere chylifera conſpexerit, ego vero non id tantum, ſed & alia minora quæ eas adirent. Sed ad certiores, gravioreſque propoſiti aneuryſmatis effectus veniamus.

16. A multo jam tempore hoc aneuryſma incepiſſe, diuturni illi dolores oſtendunt qui ſiniſtram thoracis partem gravabant. Quod autem a flatuum eruptione miteſcerent, poterat id huic ægro imponere, quemadmodum tot aliis vidi, nulla ſe propterea, niſi flatulenta, affectione vexari, credentibus. Scilicet thoracis parte ab aneuryſmate occupata, ſæpe œſophagus ita premitur, ut minime facilis ſit flatibus erumpendi via. Diſtendunt ideo ventriculum, & huic proximam œſophagi partem, moleſtiaſque augent, thoracis ſpatium vel magis minuendo, & aneuryſma comprimendo. Hæ igitur, flatibus denique eluctantibus, miteſcant neceſſe eſt. Non tamen tolluntur: quæ res, & ponderis, aut alterius incommodi ſenſus, qui rejici in flatus non poſſit, admonere Medicum debet, ne ſe, ut ægrum, falli patiatur. Sed hæc, atque alia alibi etiam explicanda, ſunt in hiſtoria hac faciliora. Nonnulla autem ſunt minus facilia, in quibus hæc duo: alterum, quomodo poſt dirupti aneuryſmatis ſigna, decem horas vivere, aut eo amplius hic ſenex potuerit; alterum, qua via copioſum illud ſanguinis ſputum extiterit. Quod ad primum attinet, Vir Clariſs. Paulus Valcarengus (*z*) in caſu quem cum propoſito quadantenus conferre poſſis, rem explicat ponendo, ſanguinem *non omnimode ſtatim* ab aneuryſmatis ruptione, *ſed paulatim effluxiſſe*. Quoniam autem illius æger ad quatuor circiter horas vixit, is autem de quo ſermo eſt, ad decem; ſuſpicari licet, concretionem polypoſam, quæ circa amplum aneuryſmatis hiatum in tubuli formam excavata reperta eſt, ſemel, atque iterum, ut bis rediens graviſſimorum ſymptomatum mitigatio indicat, quaſi obturatam fuiſſe portione aliqua non abſimilis concretionis, aut grumis etiam concreti ſanguinis, quos reliquus fluidus ſecum ex cavo ampli aneuryſmatis illuc abriperet, donec ſemel, atque iterum pars eorum e tubulo extruſa repetitæ per vices effuſioni aditum ſemiapertum, noviſſime autem omnino apertum relinqueret. Quod vero ad ſputum ſanguinis attinet, poſſis fortaſſe ab ejuſmodi aneuryſmate cuniculos aliquos in utrumlibet proximum aut œſophagi, aut arteriæ Aſperæ canalem excavatos concipere, qui propter obliquum ductum intra polypoſam illam concretionem, minus fuerint ab eo præſertim qui perquiſiviſſe non videtur, animadverſi. Cæterum, quacunque id ſit ratione explicandum, illud certum eſt, aliis quoque, dum aneuryſma intra cavum pectoris rumperetur, ſanguinem ſimul per os exiiſſe. Sic is quem laudatus Valcarengus deſcribit, *eodem tempore modicam ſanguinis copiam per exſcreatum eduxit*.

17. VIR quinquaginta quinque annorum, parvæ ſtaturæ, ſed robuſtus, & valde ſalax, qui ſe ciſiarii modo, modo rhedarii laborioſa arte tuebatur, ante decennium circiter multis, ac variis obnoxius eſſe morbis cœpit, febribus primum, deinde lienis vitiis, poſtea cachexiæ, hydropi denique. A quo, anno ante quam e vita excederet, liberatus, citrinum tamen cutis colorem, & difficultatem ſpirandi retinuit. Hæc a motu ingraveſcebat, non ſine quodam cordis quaſi angore. In jugulo, & temporibus arteriæ evidenter ſaliebant: pulſus erat durus, rarus potius, & vibratus, nunquam intermittens, nunquam inæqualis. In utrum liberet, cubabat latus. Sæpe tuſſiebat, & exſpuebat, ſed pauca, & ſeroſa. Miſſus ſanguis, poſtquam concreverat, perpauco ſecedente ſero, & hoc luteo, albam, ut in iis qui peripneumonia laborant, cruſtam oſtendit, tres digitos altam, cum rubra ſubjecta pars duos, haud amplius, eſſet. Cœpit deinde interdum animi deliquiis corripi, & ſenſim in pejus ruere, facie ultimis diebus intumeſcente. Tandem cum de lecto in lectum transferretur, ſubito eſt mortuus. VENTRE aperto, inteſtina conſpecta ſunt anteriore facie cum omento, laterali autem inter ſe nexa: ſed & cætera viſcera præter ſolitum, valide ad proximas Partes alligata. Sic etiam Thorace recluſo, pulmones pleuræ cohærentes, dexter quidem pleriſque in locis ubi ea coſtas ſuccingit, ſiniſter vero pene ubique, ut neque a mediaſtino, neque a diaphragmate, neque ab ulla ferme parte ſolutus eſſet. Circa bronchia quamplurimæ erant nigræ, duræque glandulæ, aliæ fabæ, aliæ hordei magnitudine. Arteria autem Magna indurata, intuſque oſſeis ſquamis prædita, dilatata erat, ut aneuryſma efficeret tres digitos latum, palmum longum: quin etiam circa quartam thoracis vertebram magis dilatabatur, ut ejus vertebræ excavato corpore, ipſa hujus occuparet locum: ubi erat nexa arcte adeo, ut ſine laceratione avelli non poſſet. Polypoſa concretio ex ſiniſtro cordis ventriculo orta, hoc aneuryſmate continebatur. In ſiniſtro thoracis cavo ſeri aliquid ſtagnabat, magnuſque præterea grumus ſanguinis, qui ex rupto fortaſſis aneuryſmate effluxerat; quanquam rupturæ veſtigium nuſquam apparuit manifeſtum.

18. Nullo fortaſſe in hominum genere ſæpius arteriæ Magnæ aneuryſmata ego, & Amici conſpeximus, quam in ciſiariis, qui ab noſtratibus *Vetturini* dicuntur, veredariis, aliiſque equo pene aſſidue inſidentibus. Nec mirum; nam vel cæteris quibus ſe exponunt, caſus, niſus, aeris injuriis omiſſis, nimia ipſa concuſſio, & ſuccuſſatio hinc motum ſanguinis concitando, & parietes arteriæ urgendo, inde vero hos, quippe concuſſos, in occurſum concitati ſanguinis ictuum ſubinde compellendo, ipſorum denique ſtructuram parietum laxet, ac vim infringat, neceſſe eſt. Quod eo quoque facilius contingit ubi ſalacitas, & morbi accedant, ut in hac hiſtoria. Iis morbis, & nominatim prægreſſo hydropi (*a*) eas viſcerum alligationes facile tribuerim, quæ in cadavere compertæ ſunt. Bronchiales autem glandulæ non omnibus quidem ita motæ erant eo tempore; non tamen ob id præſertim, ut in ſuperiore etiam ſene (*b*), adnotatas crediderim, ſed quod majori aut mole, aut numero, aut duritie quam in cæteris, ſoleant, ſe ſe obtulerint. De oſſeis intra dilatatam arteriam lamellis alias (*c*) ſcribemus, ut de proximis adſitiſque oſſibus excavatis. Hic ſatis eſt admonere, vel a primo, quod per anatomen recognitum ſciam, interno aneuryſmate vertebras quæ ipſi connexæ erant, fuiſſe excavatas, ut ſupra (*d*) indicavi. Cum eam in Sepulchreto hiſtoriam leges, id quoque animadvertes quod ad propoſitum facit, primum illud aneuryſma *ex ſaltu & concuſſione equi ferocientis originem habuiſſe*.

19. VIR annorum quinquaginta, laudabili corporis conſtitutione præditus, tribus, aut quatuor ante annis de gravi reſpiratione, a violentiore præſertim motu, queri cœperat. Huic tribus circiter ante menſibus in ſiniſtra juguli parte apparere incepit tumor durus, doloris expers, &, quantum indicari extrinſecus poterat, ad ſarcomatum genus referendus: qui paulatim auctus, craſſioris pugni magnitudinem æquabat; imo jam duos, alterum alteri impoſitos, repræſentare videbatur. Exceptus eſt homo in Bononienſe S. Mariæ de Morte Noſocomium, cum, ſenſim labantibus viribus, ſebricula ingruiſſet. Pulſus erat

(*y*) Obſ. Anat. c. 9. § 10. (*z*) De Aortæ Aneur. Obſ. 2. (*a*) Vid. Epiſt. 39. n. 30. (*b*) n. 14.
(*c*) Epiſt. 27. n. 20. & ſeqq. (*d*) n. 3.

erat aliquando celer, & durus, aliquando tum ordidine, tum vi inæqualis. Caput vehementi dolore, quin etiam ſubdelirio vexabatur. Reſpiratio magis vitiata, & cum ſtertore: vox autem ſic imminuta, ut ad fœmineam accederet; Thorax aliquantum dolebat. Hiſce addita mox eſt difficilis, imo prorſus impedita deglutitio: & tandem, facie, atque adeo toto capite valde rubente, mors ipſa XVI. Kal. Januar. A. 1688. TUMOR, qui, vivente homine, durus fuerat; mortuo, factus erat jam mollis. Cum incidi cœpiſſet; ſtatim ingens ſanguinis copia emanavit: cumque ad radicem uſque diſſecaretur, inventus eſt plenus ſanguine, partim in grumos concreto, partim fluido. Glandulæ quæ ad illam partem locari ſolent, valde induratæ, aliæ (premebant) œſophagum „ aliæ ipſam venam Jugularem, quæ „ multum in ſuis membranis craſſefacta erant. Hæc „ autem in trunco majori, uti etiam Aorta, oſten-„ debat ſui lacerationem. Tumore perluſtrato, „ Thorax inciſus eſt. „ Pulmones exterius nigris maculis hic illic diſtincti; intus vero globulis tartareæ materiæ pluribus in locis, ubique autem multo ſero referti. Dexter pulmo per multas fibras ad pleuram alligabatur: ſiniſter omnino liber; ſed valde erat inflammatus. Cordis ventriculus dexter continebat polypoſam concretionem, quæ venæ etiam Cavæ, & Pulmonaris arteriæ orificia occupabat. Ventre denique aperto, ſana omnia inventa ſunt; ſi Ilei inteſtini finem excipias, qui inflammatione affectus erat.

20. Anceps hæſi, an hanc Valſalvæ Obſervationem deſcriberem, &, ſi deſcriberem, quo referrem, num ad tumores quoſdam ſanguine turgidos; quales in Thyroidæa glandula non ſemel deprehendi (*e*), an ad alios, cum rupto venæ alicujus trunco communicantes, quos Valſalva (*f*), & ego (*g*) alibi memoravimus, an potius ad eas, de quibus nunc ſcribo, dilatationes arteriæ Magnæ. Huc denique magis animus inclinavit, cum gravem attenderem, quæ tanto antea inceperat, a violentiore præſertim motu, reſpirationem. Nam quod nulla tumoris adnotetur pulſatio; tot ſunt cauſæ quæ hanc poſſunt tempore progrediente obſcurare, ut mirari non oporteret, ſi ultimis illis diebus, quibus in Noſocomium admiſſo homine, obſervatus eſt tumor, ipſam animadvertere non licuiſſet. Eas cauſas attigi alias (*h*), & proximis Litteris (*i*) earum aliquam commemorabo. Sic igitur rem concipio, ut arteria Aorta ibi ubi, diſſecto tumore, lacerationem oſtendiſſe dicitur, ſe paulatim in eum ſaccum qui tumorem faciebat, ſurſum dilataverit; hic vero circumjecta omnia premendo, pleraque eorum effecerit, quæ in vivente ſunt animadverſa. Preſſæ enim arteria Aſpera, & larynx, eoque anguſtiores factæ, vocem minus gravem edebant: preſſæ gula, & pharynx difficilem primum, mox nullum alimentis tranſitum præbebant: preſſus denique truncus major Jugularis venæ, ideſt Internæ reditum ſanguinis ex ſuperioribus, & præſertim ex cerebro, impediebat, unde dolor, rubor, ſubdelirium. Quoniam tamen & Jugularis ejuſdem venæ laceratio indicatur, & nonnulla in ea diſſectionis parte ita a Valſalva ſcripta ſunt, ut fortaſſe aliter ac mihi, videri tibi poſſint accipienda; ipſa eo in loco Auctoris verba proferre malui qualia inveni, & hoc unum admonere, cum eam habuit Obſervationem, necdum annos natum fuiſſe tres & viginti: quanquam circa idem tempus & aliam habuit, in qua nihil hæſitemus. Ea erit prima de tribus proximis, in quibus ſimul Cordis, & Magnæ arteriæ aneuryſma conſpexit.

21. PAUPER annum agens ſexageſimum quinctum, cum ſanguineo eſſet temperamento, & corporis ſatis bona conſtitutione, ante aliquot annos tentari per intervalla cœperat oppreſſione quadam pectoris cum pulſu raro, tenſo, ac vibrato, conſequente animi, viriumque defectu. Menſe autem Decembri A. 1687. cum Tertianæ febris cauſa in idem Noſocomium receptus eſſet, cumque jam febris remediorum ope remittere videretur; pectoris anguſtiæ cum palpitatione cordis adeo invaluere, ut circa undecimum febris diem &, ſibi, & cæteris morti jam proximus videretur. Eadem tamen uſque ad vigeſimum tanta vehementia perſtiterunt, ut aphonum, & pene deſperatum relinquerent. At circa vigeſimum ſeptimum de gravi pectoris repletione quo poterat modo conquerebatur: circa trigeſimum autem remittentibus his paroxyſmis, pulſuque jam ad naturalem accedente, magnam cujuſdam quaſi *gelatinæ* copiam exſcreabat, cui multa erat ſubrubra pallida ſubſtantia admiſta. Æger interea cum ederet nihil, vinum, clam omnes allatum, large ingurgitabat; unde oculi primum dexteri; mox & ſiniſtri nata eſt inflammatio, ex hac autem cæcitas. Tandem ab aſſiduo decubitu, & excrementorum injuria, gangræna ad os Sacrum correptus, circa diem quadrageſimum obiit. THORAX, adjuvante Hippolyto Franciſco Albertino, qui in eo Noſocomio tunc Medici Aſſiſtentis munere diligentiſſime fungebatur, diſſectus eſt. Pulmones pleuræ arcte adhærebant: quæ tamen res in multis cadaveribus ſolet occurrere. Inciſi materiam ejus quæ exſcreabatur, ſimillimam oſtenderunt, niſi quod erat tenuior: pulmonum autem ipſorum ſubſtantia atro erat colore infecta. In pericardio ſerum ex atro ſubflavum, inſipidum, ad ſeſquilibram ferme: cor autem ea magnitudine, ut bubulum æquaret. Ventriculus ejus dexter caveam quidem ſecundum naturam, ſed craſſiſſimos parietes habebat. Siniſtri vero tanta erat cavea, ut poſſet cor alterum, naturali non majus, continere; ſed viciſſim parietes adeo tenues, ut vix motum cordis ſuſtinere potuiſſe videretur. Tanta hujus ventriculi capacitate non multo erat minor capacitas arteriæ Magnæ; ut hæc quoque non humana, ſed bubula videretur. Intus autem ejus membranea ſubſtantia in cartilagineam degeneraverat.

22. Vini intemperantia vel eo tempore, quid antea fieri ſoleret, indicio eſt. Facile prima inde morbi cauſa: & ſane Medicus Exercitatiſſimus Lanciſius (*k*) teſtatur, de centum, ſponte ortis, aneuryſmatibus plus quinquaginta *in guloſis & biboſis ſe vidiſſe*. Quis autem inter eos morbos præceſſerit, quis ſubſecutus ſit, difficile eſt pro certo dicere. Veri tamen ſimile eſt, factam prius fuiſſe arteriæ Magnæ, quam ventriculi unde oritur, dilatationem. Dilatatus enim cum tanta parietum extenuatione ventriculus non videtur poſſe ea vi ſanguinem extrudere in arteriam, ut hanc dilatet: hæc dilatata, ſimulque cartilaginea videtur utique ita ſanguini in venas uſque propellendo minus apta eſſe, ut compulſum a ventriculo cum propterea ex aliqua dumtaxat parte admittat, partem reliquam in eo reſtitare cogat, ipſumque dilatare, & quod conſequitur, morari etiam in pulmonibus, unde illæ pectoris oppreſſiones, & anguſtiæ, & hinc auctæ ſeparationes, expreſſioneſque e glandulis in bronchia influentibus, quemadmodum etiam ob moram ſanguinis in circumjecta cordi membrana, & crebros cordis diutius palpitantis ictus, hydrops ortus eſt ejuſdem membranæ, ſive pericardii.

23. VIR annos natus ad quinquaginta, lanam quotidie agitans ad culcitas conficiendas, queri cœpit de difficili reſpiratione, quæ cum ſibilo fiebat. Præcordiorum aliquando, & reſpirationis anguſtiis corripiebatur, quas vehemens ad lumbos dolor interdum excipiebat. Arteriæ in collo valde pulſabant. Ad hæc, nonnullis ante mortem diebus accedente ſanguinis ſputo, cum gravi, atque turbato reſpirationis motu vivendi finem fecit. IN THORACIS utroque cavo ſerum, diluti ſanguinis colore, ſtagnabat. Pars inferior ſiniſtri pulmonis, dexteri autem lobus unus ab effuſo intra eorum ſubſtantiam ſanguine nigreſcebant. Cor mole auctum, nullum in ſuis thalamis polypoſæ concretionis indicium oſtendit. Magna arteria prope cor dilatata erat in aneuryſma, cujus interni parietes oſſeis hic illic ſquamis obtegebantur.

E Cranio dum flaccidum cerebrum eximeretur, ex hoc

(*e*) Epiſt. Anat. 9. n. 39. (*f*) Tract. de Aure Hum. c. 4. n. 8. (*g*) Epiſt. Anat. 13. n. 4. (*h*) Ibid.
(*i*) Epiſt. 18. n. 20. (*k*) De Aneuryſm. Propoſ. 41.

hoc mediocris ſeri copia emittebatur: ſed major fuit circa Spinalis medullæ initium; in ventriculis autem pauca. Ventrem diſſecare, ut doloris cauſa ad lumbos inquireretur, vehemens graveolentia prohibuit: quanquam fruſtra ibi quærendam Valſalva tunc exiſtimabat, quippe quam ex nervis, alibi fortaſſe irritatis, repetendam potius cenſebat.

24. Niſi is dolor, reſpirationis, & præcordiorum anguſtias excipere alias conſueviſſet; fortaſſe ejus cauſam in illa etiam aqua ſuſpicari liceret quæ ut ſummam tubi vertebrarum partem ea copia tenebat, ſic, imo vel magis impleviſſe inferiorem, credi poſſet: nunc potius ſepti Tranſverſi vehementioribus in reſpirando conatibus adſcribendus videtur, quod extremo altero vertebris lumborum affigitur. Cæteram hic arteriæ Aortæ dilatationem libentius tribuerim vi nimiæ qua cor, mole auctum, ſanguinem in illam contrudebat; nam eidem quoque cauſæ oſſearum ſquamarum productio videtur aſſignari poſſe; quando oſſeum factum ejuſdem arteriæ initium eos dumtaxat cervos habere qui diutius, & crebrius currendo ſe exercuerint, non eos qui in Magnatum vivariis quieti aluntur, auctor eſt Boerhaavius (*l*). Sed ut hæc vi nimiæ ſiniſtri cordis ventriculi, ſic nimiæ vi dexteri illud imputandum eſt quod ſanguis ſuis demum diſruptis vaſculis, in pulmonum ſubſtantiam, hoc eſt intra veſiculas, unde per ſputum prodiit, effuſus ſit eo facilius quod non ita ſanum, firmumque id eſſe poterat viſcus ob aſſidue illapſum cum aere lanarum pulverem. Poſita autem ad aliquod tempus iſta Aortæ dilatatione, veriſimile eſt, ventriculos quoque cordis ab reſtitante ſanguine fuiſſe nonnihil dilatatos; ut molis augmentum non craſſitudini ſolum parietum, ſed & amplificationi ventriculorum deberetur. Idemque dictum putabis de ea quæ proxima ſequitur, Obſervatione.

25. MULIER annorum circiter ſexaginta, jam diu tuſſi interdum, & difficili reſpiratione, præſertim poſt violentiorem motum, laboraverat. Tandem pulſans tumor apparere cœpit ſub clavicula dextera ad ſternum: qui duorum aut trium menſium ſpatio uſque adeo crevit, ut alterum quaſi caput e medio ſterno enatum videretur; inde enim, globi propemodum ſimile, ad jugulum extendebatur. Senſus in eo caloris, & doloris urentis. Interea priſtina illa incommoda majora erant facta, atque alia inſuper acceſſerant. Namque a mediis humeris ad totas manus, & a ſummis pene cruribus ad totos pedes œdema pertinebat, eo ſpectabilius, quod cum a ſuprema parte ad mediam uſque multum eſſent humeri extenuati, inde repente illa non modica craſſitudo incipiebat: quæ res, quamvis non ita evidenter, in cruribus quoque poterat animadverti, ubi ſupremæ horum partes cum proximis conferrentur. Facies etiam intumuerat aliquantum. Sputa erant crebra, eaque ultimis diebus ferme purulenta. Pulſus debiles, & parvi. Nulla quies, niſi ſedenti. Nam vel levis quilibet motus, non modo ſupinus decubitus, continuo in ſuffocationis periculum conjiciebat. Idem & cibi, potuſve faciebat ſumptio; ut denique ab his prorſus abſtinere cogeretur. Itaque cum ſex dies abſtinuiſſet; inedia potius cum levibus convulſivis motibus, quam morbo ipſo, confecta eſt. IN VENTRE limpidum ſtagnabat ſerum. Hepar, & ventriculus inventa ſunt inferius quam ſoleant, locata. Colon inteſtinum a parte dextera non pergebat in ſiniſtram; ſed ubi ventriculi fundum attigerat, inde continuo per ventris medium ad Rectum inteſtinum deſcendebat. Alvi recrementa quæ multo ante obitum tempore dejecta non fuerant, prope omnia intra Coli initium continebantur. Reni ſiniſtro exterius adſtabat glandula, caſtaneæ magnitudine, colore intus ſubluteo. In Thorace ſtagnabat ſerum, quod ſpongiis fuit exhauriendum. Pulmo ſiniſter valde contractus, & quaſi inflammatus, in medio ſanioſum ichorem, hic illic autem parva tubercula continebat, quorum nonnulla erant ſuppurata. Sero pericardium abundabat. Cor aliquanto inferius, quam ſoleat, & totum ferme ſiniſtra in parte collocatum, duplo erat majus, neque ullas polypoſas concretiones habebat. Arteria autem Magna oblongum, ingentemque aneuryſmatis ſaccum ex ſe producebat. Hujus orificium ſacci cum arteria communicabat ad ſuperiorem & nonnihil anteriorem arcus ipſius partem ſic, ut communi quoque trunco Subclaviæ, & Carotidis dexteræ in ſaccum illum dilatato, hæ duæ arteriæ ex facie poſteriore incipientis ſacci prodirent. Cum autem ſaccus quo magis ab orificio diſtabat, eo latior fieret; primum quidem interiores thoracis Partes, & in his arteriam Aſperam, & œſophagum valde comprimebat: deinde vero cum anteriora thoracis oſſa, præſertim vero claviculam dexteram, tum proximas huic coſtarum, & ſterni partes aſſidua ſua pulſatione, & erodente ex ſe emiſſo humore penitus abſumpſiſſet; viam ſibi ad exteriora paraverat, muſculoſque, & integumenta attollens, illam quaſi alterius, ut dixi, capitis imaginem effecerat. Hæ autem quas extulerat, partes circumjectu ſuo prohibuerant, ne ſanguis facile diſrupto aneuryſmatis ſacco profunderetur. Exterior namque arteriæ tunica, quo magis a trunco recedebatur, eo magis extenuata, vix amplius agnoſci, & percipi poterat ubi extra thoracem ventum erat. Tunica autem interior ipſa quoque apud truncum quidem naturalem ſervabat conſtitutionem, & mox etiam ex tribus videbatur conſtare membranis, quæ ſingulæ in alias videbantur ſubdividi, ſed craſſiores, & quaſi carneas, & quæ, ſi firmiores fuiſſent, muſculoſum ferme corpus repræſentaſſent, cujus tendo in tunica hac interiore, ubi ex trunco erumpebat, eſſet ponendus. Attamen hæ quaſi carneæ membranæ, interiorem ſacci tunicam efficientes, quæ nonnullis in locis tranſverſi digiti craſſitudinem æquabat, aliis quibuſdam in locis erant laceræ, atque eroſæ; ut niſi aut exterior tunica, aut partium circumjectarum parietes prohibuiſſent, inde ſanguis erupturus fuiſſet. Cæterum intra ſacci caveam grumoſus ſanguis continebatur. Artus quoque œdemate tumentes diſſecti ſunt: nihilque ſeri inter muſculorum fibras inventum eſt; ſed omne inter muſculos, & cutem in dilatatis Adipoſæ membranæ cellulis concludi videbatur. Credibile autem erat, in iis quas diximus, artuum partibus ſubſtitiſſe ob debilitatum ſanguinis per arterias impulſum, eoque ſurſum compellere non valentem; nam certe propiores cordi artuum partes, nequaquam, ut ſupra expoſitum eſt, tumebant. Id ſerum ex brachio, multis in locis inciſa cute, expreſſum, colore aquam referens, cum igni fuiſſet impoſitum, neque turbidum factum eſt, & totum in auras abiit. Sed quod ex thoracis caveis acceptum fuerat, colore ad flavum ſaturatum accedens, & turbatum eſt, & paulo poſt in ſummo pelliculam duxit, hancque, procedente ſemper evaporatione, denique in imo vaſe reliquit. Serum autem ex ventre hauſtum, ut colore ad primum illud accedebat, ſic quamvis non ſecus ac alterum, avolaverit; nullo tamen modo turbatum eſt. Quin etiam cum ſingulorum portio, non igni commiſſa, ſed in vaſis vitreis ſeorſum eſſet aſſervata, alterumque brevi tempore multa in ſui medio natantia concrementa oſtendiſſet membraniformia, eorum ſimilia, quæ ſæpe apparent in vino; primum, & tertium multo pauciora exhibuerunt.

26. Plura in hac hiſtoria ſunt adnotatione digna, ſeu viventem mulierem, ſive etiam mortuam ſpectemus. In vivente illud inprimis, quod non modo a violentiore; ut plerique alii aneuryſmate laborantes; ſed & a levi quolibet motu, atque adeo a cibi, potuſve ſumptione in ſuffocationis periculum incideret. Similiora his, & aliis quæ in hac muliere deſcripta ſunt, non memini unquam conſpexiſſe, quam cum Octobri menſe A. 1705. medicus aſſiderem Marchioni Excellentiſſimo Aloyſio Pauluccio, Supremo Pontificiarum Copiarum Præfecto, & trium Ampliſſimorum S. R. E. Cardinalium ejuſdem cognominis Fratris filio, Fratri, & Avunculo, multo longiore, & feliciore vita digniſſimo. Hic enim ob ejuſcemodi mor-

(*l*) Prælect. in Inſtit. § 478.

morbum neque decumbere, neque inteſtinorum, aut veſicæ onus deponere, neque adeo alimenta deglutire poterat, quin fere paroxyſmus illico excitaretur, præſentem ſuffocationem, ipſamque propemodum mortem aliquando intentans. Nam repente exſilire e ſella, cui perpetuo, motum omnem cavens, inſidebat, ad feneſtram ſpe melius reſpirandi accurrere, cum ſtertore nihilominus ſpiritum ducere, tota facie livere, lotium, & cætera recrementa præter voluntatem ejicere, hæc, atque alia ejuſmodi crebrius accidebant. Nonnunquam autem anguſtia uſque adeo invaleſcebat, ut ſpiritu intercluſo ne ſtertere quidem amplius poſſet; ſed moribundi prorſus ſimilis antrorſum concideret ſuper brachia ſuſtentantium utrinque ſervorum, & cum denique ex tanto periculo evadere inciperet, ac forte interdum matulam poſceret, fruſtra propter penem, incredibilem prope in modum introrſum retractum, mingere tunc quidem conniteretur. Ægre tuli priuſquam is inevitabili fato ſuccumberet, fuiſſe mihi neceſſario e Patria Bononiam redeundum, ut publico, qui primus omnium habitus eſt, Conventui Illuſtris Academiæ, nunc Inſtituti Scientiarum dictæ; ex officio præeſſem. Sic enim haud licuit quem morbum cum paucis cogitando internoveram, diſſecando penitus examinare; non quin dubium fuerit, aneuryſma hœdini capitis magnitudine ad arteriæ Aortæ curvaturam per anatomen eſſe deprehenſum, quo gulæ, & magis arteriæ Aſperæ canales premerentur; hoc enim vel ille diſerte faſſus eſt Nobiliſſimi Viri Medicus, cæteroquin doctus, qui antea cum pleriſque referebat ad convulſiones quidquid ægrum male habebat, ob eam potiſſimum rationem, quæ, ut a Cl. Paſta (*m*) demonſtratum eſt, ſæpenumero aliis etiam impoſuit, aut imponere potuiſſet, non videri a perpetua cauſa, qualis aneuryſma eſt, effectus eſſe non perpetuos poſſe: Sed quod ſedem ejus aneuryſmatis magis perſpicue deſignare, & ad ſimplicem Aortæ dilatationem, an ad ſaccum pertineret, & id genus alia pro certo ſcire potuiſſem.

27. Neque enim dubito, quin memineris, fuiſſe olim (*n*) Aneuryſmata a me diviſa in ea quæ vas, æque in omnem partem expanſum, format, & in ea quæ ſacci inſtar e vaſis latere excreſcunt, meamque eſſe diviſionem ab Doctiſſimis Viris Schreibero (*o*), & Valcarengho (*p*) probatam: poſito autem ſacco ad hunc, vel illum modum, facile ab Littrio (*q*), & a Boerhaavio (*r*) rationem fuiſſe redditam nunc animi defectionum, nunc ſuffocationum, a mutato corporis ſitu ingruentium, ſanguine videlicet modo in ſacci fundum, decliviorem factum, ea copia relabente, ut jam non reſtet in arteris quod ſervandæ circulationi ſatis ſit, modo in oppoſitam ſacci partem ita recidente, ut bronchia, ſi forte proxima ſint, arctiſſime comprimantur, quod in propoſita accidebat muliere. Cæterum in Pauluccio ſive erat, ſive non erat Aortæ ſaccus; ea certe erat dilatatio, ut arteriæ Aſperæ impoſita, id quod reſupinato corpore fiebat, hanc arctius premeret, idque eo magis, quo plus ſanguinis illic ſubſiſteret, expanſionem ſimul, & pondus augentis. Facile autem ad quamvis vel levem mutationem ſubſiſtere & in ipſo, & in ea muliere conſueviſſe, alimenti deglutitio indicabat, qua gulæ proximum aneuryſma vix premi nonnihil poterat, aut agitari. Sic perpetui quidem, ſed non ſemper æque dilatati, aut gravis, aneuryſmatis effecta quædam poſſunt non eſſe perpetua. Sic etiam intelligis, ſi levis quæpiam accedat interna cauſa, aut alia, minus animadverſa, ut flatus per gulam eluctari nitentes, ut fortuitæ compreſſiones artuum, & quod conſequitur, vaſorum aliquæ, obſtantes ſanguini, ipſiuſque propterea motum in trunco Aortæ, & aneuryſmate pauliſper tardantes; poſſe in iſtiuſmodi quidem ægris vehementiſſimo paroxyſmo occaſionem præbere: & viciſſim, ſi artuum vaſa tempeſtive laxentur, cum ſubſiſtere in aneuryſmate ſanguis incipit; poſſe aliquando ita ejus motum expediri, ut paroxyſmus in ipſo initio feliciter intercipiatur. Utrumque horum in Pauluccio accidebat. Interdum enim cauſa apparebat nulla, cur paroxyſmo correptus eſſet. Alias autem imminentes jam, atque adeo inchoati paroxyſmi arte hac ſupprimebantur. Jam inde ab initio cum obſcurus adhuc morbus ſub larva falleret redeuntium quorundam dolorum per humerum ſiniſtrum, vicinaſque partes vagantium, levamen æger expertus erat a ſubjectæ manus, brachiique immerſione in aquam ſic ſatis calentem. Ex quo autem morbus aliis minus ambiguis indiciis, & iis præſertim de quibus dictum eſt, paroxyſmis ſuffocativis ſe prodere inceperat, ſubinde in horum progreſſu, aut declinatione eandem poſcebat aquam, ut manus dumtaxat lavaret, ac frontem, hincque ſe nonnihil ſemper magis levari, quam ullo alio remedii genere, aſſeverabat. Tunc ego, qui ægrum iis primum diebus viderem, & hæc audirem; quin potius, inquam, venienti paroxyſmo iſta ipſa ratione occurrimus? manus tamen non tantum lavando, ſed & ipſas, & brachia ad cubitum uſque merſa in eadem aqua, ſi res votis noſtris reſpondeat; tandiu detinendo dum indicia omnia imminentis paroxyſmi prorſus abeant, atque evaneſcant. Non diſſentientibus cæteris, ægro autem inprimis annuente, res tentata eſt eo exitu, ut cum paroxyſmi alii graves, alii leviores tribus proximis ſuperioribus diebus creberrimi fuiſſent, die quo ſic illis primum occurſum eſt, qui dies fuit Octobris ſeptimus, & quatuor inſequentibus nullus ſe exerere inſultus potuerit, cum plures ſeptimo præſertim die incepiſſent, cuncti autem ea quæ dicta eſt, ratione continuo reprimerentur. Et quanquam diebus proximis duo fuerint qui prohiberi non potuerunt, alii tamen nonnulli, & in his gravior quidam ingruens die quartodecimo, repreſſi ſunt remedio eodem; crede enim mihi, qui donec adfui, quidquid contigit, & quo die contigit, perattente, accurateque adnotavi. Atque utinam ea ratio arcendis omnibus par fuiſſet, ut eos quos dixi, certe arcuit, non minori ægri gaudio, quam ſi toties præſentem mortem repuliſſet. Eodem poſtea auxilii genere, additis brachiorum ſub eadem calente aqua frictionibus, haud inutiliter uſus ſum in duabus Virginibus, quas vehemens ad præcordia anxietas, alteram cum ſuffocationis ſenſu, alteram cum ſenſuum omnium interceptione, per vices corripiebat. Hanc enim Virginem ſic excitavi, & inſultum, alioqui non brevem, ut ſolebat, futurum, mox ſolvi; illi autem aliquod ſaltem levamen attuli. Et ne ab iis longius abeam, quibus eſſe organicum ad præcordia vitium, & ob id crebras cum difficultate ſpirandi anxietates, conſtabat, cum illud tollere nemo poſſet, has ſaltem prompte adeo, ut mirarentur qui aderant, præſertim in Nobiliſſimo Patritio Veneto, eodem facili auxilio leviores feci. Sed etiam in Principe Sereniſſimo, ad quem, non diſſimiliter affectum, conſilii cauſa accitus fueram, eadem ſpe idem proponere non dubitavi: quanquam Medici, qui, me continuo Patavium ad docendi munus regreſſo, mox inſtare mortem, pronunciarunt, in uſum trahere neglexerint, adeo in eo judicio decepti, ut plures menſes; id quod ego fieri poſſe, dixeram; aliis curantibus, Princeps optimus ſuperſtes fuerit. Quoniam autem internæ convulſiones, ut in illis Virginibus, ſæpe ejuſmodi anxietates inducunt, & ſæpe quoque, ut in cæteris qui memorati ſunt, addere ſe poſſunt ad organicum vitium, & ſic inſultuum accelerare adventum, & vim augere; idcirco ſi frictionum in calida aqua utilitatem revocare etiam volueris ad quandam motuum revulſionem, immerſionem autem in ſic ſatis calida ad relaxationem quæ ab artubus ad viſcera propagetur, non ſecus ac frigoris contraria actio a pedibus ſe introrſum adeo extendit, ut non raro colicos dolores inferat; me non ſolum non refragante, ſed valde probante, huc transferes quæ ad hunc modum Archiater docuit Illuſtris, Senacius (*ſ*) de cauſa cur ſæpe frictiones, & ſæpe itidem pediluvia pal-

(*m*) Epiſt. de Cord. Polyp. n. V. (*n*) Adverſ. 2. Animadv. 39. (*o*) Act. Erud. Lipſ. A. 1731. M. Aug.
(*p*) De Aortæ Aneur. Obſ. 1. (*q*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1707. (*r*) Prælect. in Inſtit. §. 826.
(*ſ*) Traité du Coeur l. 4. ch. 11. n. 19.

palpitationes cordis pacaverint. Sed ad fœminam, a Valſalva diſſectam (*t*) redeamus.

28. De quorundam viſcerum ſede, quam in ea mutatam animadvertit, non eſt cur multa hic dicamus. Nam Colon inteſtinum eam quam ex parte deſcripſit, habere, neque ita raro, a primordiis uſque, cum olim (*u*) admonuimus, tum ex pluribus harum ad te Epiſtolarum & potuiſti colligere, & poteris. Hepar autem, & ventriculum inferius detruſerat cor, ipſum quoque detruſum non ſuo tantum pondere, ac mole, ſed & ejus, a quo ſiniſtrorſum etiam compulſum fuerat, aneuryſmatis arteriæ Magnæ: nec vero detrudere illa duo viſcera cor potuerat, quin diaphragma interjectum deorſum compelleret. Hunc autem jure meritoque appellari poſſe Cordis Prolapſum, in Epiſtolis Anatomicis (*x*) poſui: quo nomine eum quoque libenter vocem qui a Pacchiono in *Prima*, atque *Altera Hiſtoria* (*y*) deſcriptus eſt; nam alios quoſdam, ab aliis frequentius propoſitos ob id tantum quod cor natura incumbere diaphragmati non videntur animadvertiſſe, non injuria rejeci: nec ſane in ejuſmodi errorem uſquam video Valſalvam incidiſſe. In vero autem cordis prolapſu diaphragma uſque adeo nonnunquam deprimitur, ut quaſi in cucullum quendam ſe deorſum extendat, quo cor amplectatur, ſicut in Marchione *du Palais* vidit laudatus Potentiſſimi Gallorum Regis Archiater (*z*). Sed ut magis, minuſve diaphragma, & cor deſcendunt, ſic magis, minuſve compreſſi ventriculi incommoda, & pulſationes cordis in ſiniſtro hypochondrio animadvertuntur, ut Pacchioni confirmant hiſtoriæ: itaque non ægri modo, ſed & Medici, non accurate omnia perpendentes, pro ventriculi morbo, & pro Cœliacæ arteriæ pulſatione poſſunt morbum cordis, hujuſque pulſationes accipere. Neque ab diſſimili ſepti Tranſverſi compreſſione haud raro accidit, ut pericardii hydrope affecti de dolore, & pondere conqueſti ſint, regionem ventriculi gravante. Te autem mirari non oportet, quod Valſalva in ea muliere nec de ventriculo querelas, nec pulſationes circa hujus regionem memoraverit. Cor enim haud multum, ſed aliquanto inferius deſcenderat: prætereaque ultimis quibus eam inviſiſſe videtur diebus, tanto graviora non deerant de quibus ægra quereretur, leviora, ut fit, prætermittens; ne de cordis pulſibus quidquam dicamus, qui tunc facile, ut in longo, permoleſto, & ad inediam denique cogente morbo, ipſi quoque parvi fuerint, & debiles.

29. Cæterum id quod aliis pluribus, Valſalvæ pariter eſt condonandum, ſcilicet quod eo tempore quo Obſervationem hanc habuit, videri quadantenus ipſi potuerint eſſe Aortæ membranæ, quæ polypoſæ erant concretiones, illi intus adhærentes, carnemque mentientes: quanquam ejuſmodi carnem non attinere ad arteriæ tunicas, monuerat Harvejus (*a*), quem omnium primum fuerunt qui crederent illam ſcriptis memoraſſe. Tu vero in illa ipſa, quæ ſupra (*b*) non ſemel a nobis laudata eſt, tanquam prima quæ aneuryſmatis in trunco Aortæ per diſſectionem habita ſit, Obſervatione invenies, ſanguinem *contentum fuiſſe concreto quodam cruore, ſeu carniformi materia fibris deſtituta, quam rurſus circumdebit ſubalbida & dura quædam ſubſtantia tranſverſi digiti ſpiſſitudine, colore & ſpecie lardo ſuillo elixato non abſimilis*. Quæ cum leges, velim attendas non ſolum id quod evidens eſt, concretionem iſtam fuiſſe duplicem, verum etiam an circum undique ducta fuiſſe videatur. Eademque fac attendas in facile prima diſſecti Aortæ aneuryſmatis tum delineatione, quæ ex Riva eſt (*c*), tum pleniore, quam Ruyſchius (*d*) dedit tunicarum (ſeu potius concretionum) innumerabilium *carnoſarum* deſcriptione, quæ *quaſi lamellatim* diſpoſitæ, aneuryſma conflabant. Mitto alias, quæ ſunt poſtea editæ, in quarum aliquot, velut in iſta Valſalvæ, utrumque eorum quæ dixi, non difficile a te poteſt agnoſci. Quod ſi eſt; ut certe ex meis quoque obſervationibus haud raro eſt, in iis præſertim aneuryſmatibus, quæ ſacci inſtar ab arteria propendent; minime grave futurum ſpero Doctiſſimo, meique amiciſſimo Viro, ſi has ſaltem concretiones, a me quoque olim (*e*) deſcriptas, habere pergam pro polypo ante mortem efformato. Neque enim pro vario cadaverum poſitu invenire ſolitus ſum ad unam aliquam, modo hanc, modo illam plagam, ſed in immoto etiam cadavere circum undique locatas, & adhærentes, eaſque colore quodam lurido, nedum obſoleto, ſubſtantia autem præter modum exſucca, ut quanto magis ab iis diſcrepant omnibus quas in cordis ventriculis unquam viderim, tanto magis ſignificent, non ſe, ut has eſſe noviſſime productas, quippe non ut hæ, ſanguinis ſimiles, qui unquam mihi ſe obtulerit, poſtquam pridie in vitreo vaſe concreviſſet, examinandum, ſed longe aliter ad tactum, aſpectumque ipſum ſe habentes. At enim in cunctis non occurrunt aneuryſmatibus, etiamſi craſſus, viſciduſque ſit ſanguis, arteriæ autem ſuperficies inæqualis, latitudo multo amplior, parietes infirmi, denique omnia ita diſpoſita, ut depoſitiones, adhæſioneſque contingere, ſanguinis videlicet motu valde imminuto, facile debere videantur; quin hoc ipſo in viventibus canibus obligata arctiſſime arteria omnino ſublato, polypoſa tamen concretio ſupra vinculum, ut Lanciſio (*f*) apparuerat, nequaquam apparuit. Ego vero non hoc ſolum Viro qui propter ingenium, diligentiam, doctrinam, & amorem erga me ſuum mihi eſt chariſſimus, libenter credo; ſed inſuper quod de aneuryſmatibus quibuſdam contendit, meis nonnullis, Valſalvæ autem pleriſque Obſervationibus ultro confirmo. Cæterum ut innumeros alios polypos quos nimia plerique facilitate in viventibus ponebant, recte ab ipſo in dubium vocatos eſſe, fateor, neque alium novi qui nervoſius de tota ea re diſputaverit, meliuſque hac in parte de Medica Facultate ſit meritus; ſic perpaucos quoſdam polypos ex tanto numero crediderim poſſe excipi, inprimiſque eos qui ubi diu aut ſublatus, aut plurimum impeditus fuerit ſanguinis motus, inveniuntur. Nam quod ab Lanciſio in canibus, idem ab aliis in hominibus compertum eſt, velut ab Experientiſſimo Chirurgo Petito (*g*), qui in mutilatorum arteria polypum deſcribit, ac pingit, ſupra ligaturam efformatum, huncque perfectum fere inveniri, dicit, non modo poſt vigeſimam, aut trigeſimam, ſed & poſt ſecundam ab amputatione diem. At ſi motus ſanguinis ſit non, ut ibi, omnino prohibitus, ſed valde tantummodo retardatus, ut in magno aneuryſmate; per mihi difficile in multis videtur, nihil tandem longo ſaltem ſpatio temporis ſecedere, nihil concreſcere, & adhærere e ſanguine aut lentius illac progrediente, aut etiam, ut in ſacciformibus aneuryſmatibus, propemodum ſubſiſtente. Per idem enim ſacci orificium, per quod facile illapſus, impulſuſque eſt, non poteſt facile totus redire: quæ res ab Littrio (*h*) inter cauſas ponitur, motum ſanguinis retardantes, ipſe vero haud ſcio, an non omnium præcipua ſit. Quid, ſi cum hac, præter cæteras illas univerſas cauſas, ægri aut ſyncopem, aut ſuffocationem timentis, perpetua fere, ut demum ſolet, quies conjungitur? Quod ſi vel ſic nulli fortaſſe nonnunquam ante mortem polypi gignerentur; peculiarem latere in eo homine cauſam, putarem, ob quam ne poſt mortem quidem gigni poſſent, aut vix poſſent. Verum hæc aliorum, inprimiſque ejus quem merito amo, ac laudo, Clariſſimi Viri judicio, arbitrioque permittam.

30. Antequam ſcribendi finem facio de aneuryſmatibus, a Valſalva multo ſæpius quam credidiſſet, per anatomen in arteria Aorta deprehenſis, committendum mihi non eſſe, intelligo, ut ſilentio id prorſus diſſimulem, quod tanta exitialis morbi frequentia permotus, cogitare cœpit, nimirum ut ipſi inter initia occur-

(*t*) ſupra, n. 25. (*u*) Adverſ. 2. Animad. 2. (*x*) XV. n. 53. (*y*) Oper. Edit. 4. verſ. fin. (*z*) l. cit. ch. 8. n. 4.
(*a*) De Circ Sangu. Exerc. 3. ſive ad Riolan. 2 (*b*) n. 3. & 18. (*c*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 1. Obſ. 18.
(*d*) Obſ. Anat. Chir. 38. (*e*) Adverſ. 2. Anim. 41. (*f*) De Aneur. Propoſ. 38. (*g*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1731.
(*h*) Mem. A. 1707.

occurrendo incrementum, progreſſumque interciperet. Occurrendi ratio illa eſt ab ejus ſtudiorum ſocio Hippolyto Franciſco Albertino (*i*) vulgata : quam ſi perlegeris ; continuo mecum exiſtimabis, neminem alium facile extitiſſe qui tam ſevera diligentia executus ſit quod Hippocrates (*k*) olim in venarum internarum varicibus, de quibus ſupra (*l*) dictum eſt, in hunc modum præceperat : *conducit autem talibus, ſi ab initio curandos ſuſcipies, ut & venæ de manibus ſanguinem emittant, & diæta e qua quam ſicciſſimus, & exanguiſſimus fiat*. Sed tantæ ſeveritati par utilitas reſpondit. Nam quod Hippocrates ſubjecit: *ſi curentur incipiente morbo, rurſus in loco venæ conſidunt ad latus, humileſque fiunt*, idem prorſus ab eadem curatione, in tempore adhibita, ipſis quoque accidit arteriis. Neque hoc Valſalva ex pulſationis dumtaxat, cæterorumque ſignorum diſceſſione intellexit, quæ aneuryſma incipiens comitantur; ſed & ipſis oculis uſurpavit. Cum enim Vir Nobilis, quem ſic perſanaverat, ex alio poſtea morbo forte interiiſſet; arteriam, in qua olim aneuryſmatis initium fuerat, contractam rurſus ad naturalem modum, ſed quaſi calloſam eo loco, deprehendit. Hoc quidem, ut multa alia annis illis poſterioribus Valſalva ſcribere prætermiſit : cum aliis tamen communicavit, ac nominatim cum Præſtanti Medico, ſpectatæque, ſiquis alius, fidei Viro Joanne Antonio Stancario, a quo ipſe, cum A. 1728. Bononia tranſirem, id, & quæ ſubjiciam, accepi. Scilicet miſſo, quantum oportebat, ſanguine, factiſque cæteris quæ poſtea ſcripſit Albertinus, cibum, potumque Valſalva magis, magiſque in dies ſingulos imminuere conſueviſſe uſque dum eo perveniret, ut pultis ſelibram mane daret, veſpere autem dimidio minus, neque aliud præterea, ſi aquam excipias, & hanc quoque intra certum pondus, quam aut gelu, ut vocant; cydoniorum, aut lapide oſteocolla, medicabat in tenuiſſimum pulverem comminuto. Ubi ſatis ægrum hac ratione maceraſſet, ut præ imbecillitate vix e lectulo in quo, ipſo præcipiente, jam inde a principio decumbebat, manum attollendi facultatem haberet, paulatim in dies ſingulos alimentum auxiſſe, donec rediiſſent neceſſariæ ad ſurgendum vires. Hoc autem addebat Stancarius, ut qui ipſe quoque juniorem Monacham, eadem ratione uſus, feliciter percuraſſet, primis illis quibus ſic curati ſurgere incipiunt, diebus pulſationem redire; ſed terreri non oportere; neque enim illam perſtare, imo demum omnino evaneſcere, neque amplius reverti, niſi forte homines nolint ſe intra moderatas vivendi leges continere. Juveni enim Doctori, qui id noluit, fruſtra ea curandi norma Valſalvam antea pulſationem abſtuliſſe; hanc enim reverſam iterum, & cum ea morbum hominem denique confeciſſe. Hæc, ſi velis, adjicere iis poteris quæ tradidit Albertinus, & mecum interea animadvertere, quam longe a Valſalvæ ratione, qui vel aquam non niſi intra certum pondus præbebat, eorum abſit conſilium, qui *thermopotationem* eodem affectis morbo commendarunt : & contra, quam prope ad illam curatio accedat quam Bernardinus Genga (*m*) feliciter expertus fuerat, Joannes autem Maria Lanciſius (*n*) merito confirmavit, ad exteriora aneuryſmata ab initio ipſo coercenda; ut niſi Hippocrates, quemadmodum ſupra indicatum eſt, quadantenus præmonſtraſſet, tranſlata ipſa per Valſalvam ab exterioribus ad interiora aneuryſmata videri poſſet.

31. Non ſum neſcius, fore plures, quibus multo gravior Valſalvæ curatio, quam aneuryſma ſuum, videatur eo præſertim tempore quo illa eſſe utilis poſſet; levia enim tunc incommoda, neque inſtans adhuc periculum ſibi ægros in morbo, quem non vident, blandiri ſinunt, longe aliter ſenſuros cum eo res dedicta fuerit, ut neque graviſſimæ, aſſiduæque moleſtiæ, neque mors ipſa in ſingulas horas impendens, nullo amplius præſidio vitari queant. Qui illam in cibo parſimoniam, cum ſanare poterat, ferre noluerant, inediam aliquando extremam, ut propoſita mulier (*o*), pati coguntur, quæ non ſalutem afferat, ſed mortem potius, quippe infirmiſſimo, exhauſtoque jam corpore, acceleret. Ob eandemque infirmitatem, & ſanguinis paucitatem, venarum ſectiones, quæ in tempore auxilium tuliſſent, exitio ſunt. Contra, quantum hæ, & parſimonia illa initio poſſint, nihil magis, quam utrarumque oſtendit utilitas Medicis nota, ſi vel moderate ad aneuryſmatis jam facti, necdum tamen nimis provecti, retardandos progreſſus, in uſum trahantur. Sed Anum ego Bononiæ vidi, quæ ob gravem oculorum inflammationem in Noſocomium excepta fuerat. Cum pulſus plenos, vibratos, & renitentes perciperem, in collo autem micantes Carotides arterias ſpectarem, ſiniſtram præſertim, quæ haud procul ab larynge in aneuryſma extuberabat, æquans nucem juglandem; quæſivi, recens, an vetus id eſſet, & hæc quæ referam, audivi. Ante novem annos cum ſe biduum aſſiduis laboribus, non ſine totius corporis contentione, fatigaſſet, ea quæ in collo animadverterem, oborta eſſe. Quæ cum Medicis duobus non ignobilibus oſtendiſſet; utrumque id quod evidens erat, aneuryſma eſſe, pronunciaſſe : ſed alium aliud conſilium dediſſe. Alterum enim, ut ſanguinem mitteret alternis menſibus, imperaviſſe : alterum, ne ſanguis mitteretur, ſed potius ut cibis parce uteretur, aliaque id genus præcepiſſe, ratione hac addita, notum ſibi fuiſſe hominem, cui dum ſanguis ex inciſa vena efflueret, aneuryſma eo ipſo tempore diſruptum eſſet : Quod ſive caſu factum eſt, nimis videlicet jam extenuatis, & ſemilaceris parietibus aneuryſmatis ruptura per ſe imminente, ſive hæc paululum accelerata fortaſſe eſt, nonnihil aucto, dum ſanguis e vena efflueret, reliqui in ejuſmodi parietes ſanguinis impetu; addi quidem hoc poteſt ad cæteras cauſas, cur extremo tempore, aut cum rupturæ jam jam inſtantis indicia ſunt, nihil a Medico movendum ſit, præſertim cum, præter Ballonianum (*p*), alterum haud ita abſimile exemplum non ignorem, quod mox ſubjicietur; non tamen prohibere debet utiliſſimum, incipiente, & progrediente aneuryſmate, venæ ſectionis præſidium. Quod & ei de qua narrare cœperam fœminæ etſi nimis placuit, ſatis tamen profuit. Prioris enim Medici conſilium omnino ſecuta, alterius autem vel ea in parte, quam & prior ille certe probaſſet, uſque adeo exoſa, ut quos, & quotcunque ſive occaſio ferret, ſive appetentia ſuggereret, in recta vivendi norma errores admitteret; novem tamen ipſos annos; etſi cordis quoque palpitationes interdum acceſſerant; ſine ullo prorſus incremento ea pertulit quæ in collo deſcripſi. Verum hanc imitari fœminam periculoſum; niſi quis forte tantundem gignat ſanguinis, quantum ipſa gignebat. Nam præter eum qui altero quoque menſe mittebatur, anno ante quam ipſe viderem, poſt tuſſiculam expectoraverat eam copiam ſanguinis, ut ad extrema pervenerit, neque in cachexiam tamen inciderit, imo denique gravi, ut dixi, oculorum inflammatione laboraret.

32. Nunc alterum illud quod paulo ante ſpopondi, exemplum accipe, haud ita, niſi fallor, ejus diſſimile quod Anui narraverat Medicus. Vir Nobilis annos natus amplius quinquaginta ſub initium Maji A. 1730. Patavium venit, ut me, ſimulque alterum conſuleret ſeniorem Medicum. Narrabat, ex quo ſibi recidivam ſcabiem ſulphureo unguento repuliſſet, ex eo tempore; decimus tunc annus erat; obnoxium paulatim eſſe factum moleſto cuidam ponderis ſenſui, & conſtrictionis, quaſi cum in medio œſophago bolus hæret : ejus ſenſus ſedem videri ſibi in thorace intimo contra mediam ſterni regionem; niſi quod nonnunquam, ſed raro, eo uſque extendebatur, ut in-

(*i*) Opuſc. cit. ſupra, ad n. 5. (*k*) De Morbis l. 1. n. 10. (*l*) n. 1. (*m*) Anat. Chirurg. l. 2. c. 24. (*n*) De Mot. Cord. & Aneur. l. 2. c. 1. Propoſ. 11. in fin. (*o*) ſupra, n. 25. (*p*) Vid. n. ſeq. in fin.

ut infimo ſterno reſponderet: Tunc vero & reſpirationem nonnihil lædi, & graviſſimum ſtuporem quendam diffundi per utrumque artum ſuperiorem. Et initio quidem eum ſenſum ortum ſibi eſſe dumtaxat inter ambulandum, præſertim per acclivia; poſtea vero etiam cum ſe inclinaret, eoque in ſitu permaneret. Perraro æſtate, aut ante prandium oriri: ſæpius hyeme, & a prandio, & cum lectum peteret. Plerumque cito evaneſcere, ſi ſtet: at nupera hyeme cum dormientem, quod antea acciderat nunquam, excitaſſet, duas, treſve horas, etiamſi ſurrexerat, perſtitiſſe. Cæterum neque pulſationem percipiebat ullam, neque intermittentes pulſus habebat; habebat tamen valde frequentes, & vibratos, cum ipſos, moleſto illo ſenſu haud prorſus abſente, exploraremus: quo etiam tempore arcte appreſſa circa mamillam ſiniſtram manu, cor aliquanto validius quam æquum eſſet, pulſare viſum eſt. Cum præter ea quæ dicta ſunt, nihil uſquam mali interrogando deprehenderemus, præſertim vero neque cephalicæ, neque hypocondriacæ affectionis veſtigium ſubeſſe; ambo ſuſpicari cœpimus, retropulſas olim irritantes, erodenteſque ſcabiei particulas non tam ganglio, aut plexui cuidam nervorum, præcordiis inſervientium, quam Magnæ fortaſſe arteriæ tunicis inſediſſe, ac dilatationi opportunam feciſſe. Ut in re tamen minus perſpicua id conſilium dantes, quod ſi non prodeſſet, nocere non poſſe, crederemus, omittendam non putavimus venæ ſectionem, quippe in homine firmis viribus, & laudabili habitu corporis, & rubra a puero uſque facie prædito, non nocituram, imo facile ſive a nervorum contractionibus, ſive ab arteriæ dilatatione morbus eſſet, eo præſertim verno tempore profuturam. Hoc etiam diſcedenti inculcaſſe me memini, ſi profuiſſe ſentiret, iterandam poſtea ante veris finem curaret; at ſi a prima turbari, aut debilitari ſe, animadverteret, prætermitteret, idemque in cæteris remediis faceret, uno excepto apto videlicet, quem accurate commendaveramus, rerum uſu, quas Medici vocitant non naturales. Igitur cum feliciter domum, quæ non ita longe diſtabat, perveniſſet, primiſque innocentiſſimis remediis uti cœpiſſet, e brachio autem dextero ſanguis miſſus eſſet ad uncias octo, viſum eſt ejus Medico mitti rurſus oportere propterea quia eſſet, ut dicebat, incenſus, & certe niger, ac valde viſcidus. Ubi autem quartus dies advenit, quo die conſtituerat eſſe mittendum, repugnare æger, monitorum meorum fortaſſe memor, ac debilitatem, quam percipere ſe, ajebat, opponere; & ſane duabus quæ proxime præceſſerant, noctibus vexatus aliquantum fuerat morbo ſuo. Sed cum ea debilitas neque ſolitam hilaritatem, neque ambulandi facultatem, neque pulſus, ut Chirurgus affirmabat, vigorem tolleret, hujus tandem vocibus victus, pedem, ut Medicus juſſerat, præbuit, ex quo ſex, haud amplius, unciæ ſanguinis emiſſæ ſunt. Quo facto, ſe a Chirurgo occiſum fuiſſe, dicens, animi defectione correptus eſt, moxque, cum ab hac relevatus eſſet, altera, denique cum alvi exonerandæ cauſa, per ſe e lecto ſurrexiſſet, tertia, ſimulque ſuo captus morbo, levari amplius non potuit, itaque vivendi finem placide fecit eodem, ideſt vigeſimo circiter ex quo Patavio diſceſſerat, die. Cum plerique ex ejus Civitate Medicum, ut fit, & Chirurgum incuſarent, quaſi temere, & præter rationem eo die ſanguinem mittentes, Virum Nobilem continuo inſecuta morte ſuſtuliſſent, noſque ea de re per litteras conſuleremur; quid ex ejuſmodi, qualem ſuſpicati eramus, morbo, vel nullo ſanguine emiſſo, perſæpe accidat, docuimus, motumque in illos animorum ſedavimus. Quod illi, ſi diſſecandi cadaveris facultatem habuiſſent, multo citius, ut opinor, per ſe feciſſent, mortis cauſam non ex eo qui per venam eductus fuerat, ſanguine, ſed ex eo qui, interno vaſe aliquo perrupto facile profluxerat, oſtendentes: quanquam Ballonius, cui non abſimiliter contigit, ut Formageus, cujus aneuryſma ſupra (q) eſt a nobis commemoratum, *tribus a venæ ſectione horis, derepente eo rupto interiret*, non negavit, *magna artis noſtræ, quæ multis eſt auxilio, calumnia* id ſibi acciddiſſe, & *turpem fuiſſe calamitatem*, agnovit. Sed ipſe qui morbum pro alio accepiſſet, prævertere calumniam non potuit: illi noſtra ſuſpicione, & iis quæ ægro inculcaveram, auditis, ſibi melius antea conſulere potuiſſent. Cæterum magno hic quoque deſcriptus a nobis caſus documento eſt, ne repugnantes ægri, in obſcuris præſertim morbis, ad aliquod remedium, quod magnum ſit, aut magni ſpeciem habeat, admittendum cogantur. Tu vero interea valebis, & meas aneuryſmatum Obſervationes per anatomen confirmatas, proximis Litteris expectabis.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XVIII.

Abſolvitur ſermo de Reſpiratione Læſa a Cordis, aut Magnæ Arteriæ intra thoracem Aneuryſmatibus.

Meas quoque accipe Aneuryſmatum intimi thoracis Obſervationes eodem ordine digeſtas, quem ſuperiore Epiſtola in Valſalvæ Obſervationibus ſecutus ſum, ut ſive illa in Corde, ſive in Magna arteria, ſive demum utrobique ſedem haberent, inde pariter intelligas, læſionem qua de agimus, Reſpirationis extitiſſe.

2. SUTOR annos natus triginta tres, obnoxius a a paucis annis ſpirandi difficultati, quæ vel ſedentem, ut ſutores ſolent, vexabat, & levibus quibuſdam animi defectionibus, pulſu tunc quidem, ſed non poſtea, inæquali, aliquando etiam vertiginibus, ſed iis quæ dixi, potiſſimum, ut ab eo accepi qui ante annum ipſi fuerat Medicus; denique circa medium Januarium A. 1739. mane cum in Noſocomium ſcalarum gradibus, qui plurimi ſunt, per ſe aſcendiſſet, lectuloque ſtatim exceptus eſſet, dolorem ad diaphragmatis regionem manu, & verbis indicabat, tuſſiebat, pulſus languidos, & nonnihil frequentes habebat, ſed qui neque intermitterent, neque ullo modo eſſent inæquales. Cum mors vicina adeo non videretur; viridia evomuit, & intra horæ dimidium ex quo venerat, vivere deſiit. CADAVER, ut Anatomen inchoarem, in Gymnaſium delatum, inſpiciens, habitu vidi ſic ſatis laudabili, quamvis minuta ſcabie, & colore quaſi cachectici fœdatum eſſet, pedibus tamen minime tumidis. Ventre aperto, in quo paucum ſerum ſubcruentum effuſum erat, magna pars inteſtinorum Tenuium ex fuſco ſubrubens conſpecta eſt; Colon autem ad tractum non parvum, & præſertim qua a dextero ad ſiniſtrum hypochondrium fertur, adeo contractum, ut non valde ſuperaret craſſitudinem digiti pollicis. Contractus quoque ventriculus, intus vero ſtriis inflammatoriis hic illic, & potiſſimum in rugis, diſtinctus, ſuperiore autem orificio jam livido, & ſubnigreſcente; bilis flavæ aliquid continebat: quæ in ſua veſicula etſi nigricans appareret, colore tamen ſaturate croceo veſiculam, & viciniam infecerat. Lien æquo craſſior, ſanus tamen, ſepto Tranſverſo tota facie gibba validiſſime annecteba-

(q) n. 3.

ctebatur. Præ cæteris incurrebat in oculos tenuitas arteriæ Magnæ quæ ab eo Septo ad diviſionem uſque, mulierculæ magis conveniſſet quam viro magnæ potius, ut hic, ſtaturæ: quam ego tenuitatem eram ex eo fortaſſe repetiturus, quod hic Aorta non ut ſolet, ſub arcu Appendicum diaphragmatis in unum convenientium, ſive non per dimidiatum foramen, ſed per foramen tranſibat in ventrem; niſi id foramen conſueta latitudine, longitudine autem fuiſſet duorum digitorum. Ne vero in re quam apud alios nunc quidem non memini legiſſe, obſcurus videar; ſic habeto, eo intervallo quod modo indicavi, a ſumma illius arcus parte retrorſum, deorſumque relicto, tendinem, linearum novem Bononienſium (*a*) longitudine, unius craſſitudine, ab interno latere Appendicis dexteræ in tranſverſum fuiſſe ductum in latus internum ſiniſtræ: ſicque inter hunc tendinem, & illum arcum Aortam in ventrem ſe trajeciſſe. His, atque aliis, quæ hic memorare minus attinet, perſpectis, cum vena Cava qua ex hepate diaphragma adit, incideretur, multum ſanguinis prodivit adeo craſſi atque atri, ut ſpongiæ adhæreret magis quam ſugeretur, ipſamque tingeret atramenti inſtar. Nec minorem copiam ejuſmodi ſanguinis per eandem venam exiiſſe poſtea invenimus, cum decimo poſt die, qui a morte erat decimus tertius, ſingulis interea ventris viſceribus ex ordine demonſtratis, ad cadaver rediimus, nihil tempeſtate ea frigida grave olens. Thorace reſerato, in utroque ejus cavo aquam limpidam, non tamen multam, deprehendimus, pulmonem autem dexterum ferme undique, ſiniſtrum vero ex parte dumtaxat aliqua pleuræ adhærentem. Uterque turgidus, ſed neuter gravis, aut in bronchiis, vaſiſque cæteris, aut ſubſtantia ipſa uſquam morboſus. Illud tantummodo animadverſum eſt, multo difficilius quam ſoleat, eam ſubſtantiam a bronchiis, cæteriſque vaſis diſtrahi, abrumpique potuiſſe. Sic etiam mox in Aortæ extima tunica avellenda, reſiſtentia major quam conſuevit, inventa eſt. Cæterum ad arteriæ Aſperæ in prima bronchia diviſionem glandulæ Bronchiales non modo plures, ſed craſſæ adeo fuerunt, ut mediocres uvarum acinos æquarent. In pericardio aqua rubens non multa: cor autem vel majus quam ſi duo corda in unum conjungeres. Et ambæ quidem auriculæ, & Sinus, ut vocitant, Pulmonaris venæ erant ampliores; ſed ventriculi, ſiniſterque in primis multo magis. Hic autem in latitudinem ubique creverat uſque adeo, ut omnium ejus parietum imminuta craſſitudo vix craſſitudinem æquaret parietis illius qui ventriculi dexteri eſt proprius. Lacertuli tamen illi qui intra ſiniſtrum ventriculum implicantur in retis modum, non propterea diſrupti, nedum abſumpti, conſpiciebantur. Nullum autem evidens ullis in valvulis erat vitium præterquam in iis quæ Aortæ orificio præficiuntur; valde enim ſtrigoſas vidimus, & in ſe contractas, tum ſubrigidas, atque duriuſculas, idque in ſummo præſertim ſingularum limbo. Ejus autem quem ſupra deſcripſimus, ſanguinis cum mediocris eſſet copia intra Aortæ initium, major erat in ſiniſtro ventriculo, idemque Coronariorum vaſorum ramos qui per cordis ſuperficiem ducuntur, ita repleverat, ut plures quam ſoleant, inter eos laterales anaſtomoſes ultro oculis ſe objicerent. Etſi autem nuſquam, non ſecus ac vena Cava, dilatata præter modum apparuit arteria Magna; non levia tamen vitia toto oſtendit trunco, & eo majora, quo magis hic ad cor accedebat. Cum enim ab Iliacis uſque intus eſſet magnis albidis maculis, inchoamentis videlicet futuræ oſſificationis, ita variegata, ut paucis parviſque locis ſecundum naturam ſe haberet; quo magis per thoracem aſcendebat, eo magis id vitium creſcebat, ut priuſquam ad ſiniſtram ventum eſſet ſubclaviam, manifeſtius eæ maculæ hic illic ad naturam accederent oſſearum ſquamularum. Verum tamen os nuſquam fuit, ne inter cor quidem, & illud orificium quod dexteris Subclaviæ, & Carotidi commune eſt: quo toto tractu lurida intus erat arteria, & inæquali pluribus in locis ſuperficie: quæ vitia pone ipſas etiam valvulas Semilunares oſtendebat. Sed & eo toto quem modo dicebam, tractu ea parietum duritie fuit, ut vi etiam magna adacto cultro vix poſſet diſcindi, apparente in ſectionibus ſubſtantia inter cartilaginis, & ligamenti naturam media. Cranium denique recluſum eſt. Sed præter meningum venas turgentes ſanguine atro, quali & plerique Sinus in quos eæ corrivantur, diſtenti erant, nihil quidquam dignum fuit adnotatione, cum in ventriculis ipſis cerebri nihil ſeri effuſi, nedum alibi morboſi quidpiam conſpiceretur.

3. Fuſe narravi quæ vidi, narraturus pariter cætera, ſi vidiſſem, aut pro certo ſciviſſem, ea videlicet quæ noviſſimis menſibus, aut ſaltem diebus præceſſerant. Præceſſerunt autem fortaſſis quæ ventriculum, & Tenuia inteſtina irritarent, ut conſpecta in utriſque, & viridium vomitus indicare poſſunt, ſive ea quæ irritarent, homo ingeſſit, ſive paulatim congeſſit, bilem puta, quam deſcripſimus, acidoſque humores. Aut etiam quacunque de cauſa jam phlogoſi correptum fuiſſe ponito ventriculum, ut ſtriæ illæ rubeſcentes oſtendebant, & ſuperius ejus orificium vel magis, quod hujus nigricans livor ſignificabat. Ex his ſatis intelliges, unde vomitiones, & pulſus languidi, & dolor ad regionem diaphragmatis, mortem proxime anteceſſerint, præſertim cum diaphragma tunc magis, magiſque laboraret ab impoſito cordis pondere, aucto a craſſo illiuſmodi ſanguine, qui tanto magis ſubſiſtebat, quanto minores expellentis cordis vires, quod ſignificabat pulſus, fiebant. Quo ſi addas compreſſionem quoque cerebri a ſanguine, ob languidum impulſum, in meningum vaſis reſtitante, &, quod conſequitur, exiguum ſpirituum ad cor affluxum eo tempore, quo magno fuiſſet opus; proclive erit aſſequi conſpirantes cauſas tam celeris mortis; non mirandæ tamen, ſi plura, ut Lanciſius (*b*) animadvertit, eorum exempla attendamus, quorum cor cum eſſet dilatatione affectum, eo facilius moveri deſiit, prægravatum nimirum, & mox, ſi quid accederet, oppreſſum onere ſanguinis remorantis: qualia exempla, ne apud Auctores, aut in ſuperiore Epiſtola (*c*) quæras, in quibuſdam proximis invenies Obſervationibus (*d*).

4. Unde autem factum dicemus, ut cor in hoc homine ſit dilatatum? Erat ei, ut diximus, magna pars trunci Aortæ præter modum anguſta: quæ res quantum ad dilatandum cor poſſit, & mox apparebit, & collata cum hac noſtra, Solertiſſimi Anatomici Meckelii (*e*) Obſervatio, in Virgine habita, confirmabit. Ad hoc vitium, a primordiis innatum, acceſſit poſtea in noſtro homine id vitæ genus quod progreſſum ſanguinis per eam arteriam vel magis difficilem redderet. Sutores enim non modo, ut cæteri ſellularii opifices, magnos illos inferiores arteriæ ramos non uno in loco ad angulos flectunt, flexoſque retinent; ſed inſuper quo magis antrorſum ſe curvant, eo magis ventris, ſæpe in eorum pleriſque cibo, & potione pleni, viſcera, & per hæc diaphragma quoque comprimunt, ut minus expeditus ſit per ventrem, ac per thoracem ſanguinis motus, arteriarum ramis, truncoque ipſo conſtrictis, & magis in anguſtum redactis. Ob has igitur cauſas obice poſito ut progreſſui ſanguinis per arteriam Magnam, ſic egreſſui e corde; majori hoc conatu impellere illum debuit per eam arteriam, & hæc majori quoque reniti, & ſe reſtituere, donec ob hæc ipſa, ejus ita ſtructura vitiata eſt, ut præſertim prope cor eam quam deſcripſimus, duritiem, in valvulis autem ſtrigoſam inſuper reſtrictionem contraheret.

(*a*) Vid. Valſalvæ de Aure Hum. Tab. 9. ad * (*b*) De Subit. Mort. Schol. 11. ad Obſ. Phyſ. Anat. 2. (*c*) n. 10.
(*d*) n. 8. & 14. (*e*) Memoir. de l'Acad. R. de Berlin A. 1750.

Tunc vero neque apte cedere hæc arteria ad ſanguinem excipiendum, neque ſe conſtringere ad promovendum jam potuit. Reſtitare igitur in corde aliqua ſanguinis portio debuit, & eo major quod valvulæ neque ob rigiditatem poterant ſatis ſe ad arteriæ parietes reclinare, ut egreſſum liberum permitterent, neque ob eandem rigiditatem, huicque additam ſtrigoſam contractionem ſatis ſe explicare, ut mox reditum intercluderent. Itaque ut in aliis, puta Verdrieſii (*f*), & Zwingeri (*g*), Obſervationibus, quorum ille Aortam prope cor intus oſſeam, hic Aortæ valvulas duras, & *cartilaginoſas* invenit, ſic in noſtra quoque haud obſcure vides, quæ cauſæ reſiſtendo cordi, & in eo, quanto plus ſanguinis, tanto magis irritaturi, & renixuri ejus adauctis conatibus, retinendo, potuerint ſenſim magis, magiſque cor diſtrahere, & dilatare, eoque hic facilius, quod & vitii utrumque genus erat in Aorta conjunctum, & ſanguis tum ſua craſſitie magis renitebatur, tum ſalibus fœtus erodentibus, quales vel ſcabies illa indicabat, abrumpere poterat minima (quæcunque ea ſint) vincula quæ cordis fibras connectebant. Quod ſi hoc forte, aut pars ejus aliqua laxior a primordiis, & infirmior fuit; tanto ipſum, aut hæc dilatari facilius potuit.

5. Neceſſarium autem videtur, ſi non hoc in caſu, at in nonnullis certe hanc ultimam cauſam agnoſcere, velut cum obex eſt ad Aortam, nec tamen ſiniſter, ſed dexter cordis ventriculus dilatatur, ut in eo Canonico cujus diſſectionem profert Lanciſius (*h*). Nam alioqui cujus ventriculi emiſſario opponitur obex, is fere ventriculus magis ſolet dilatari, ut puta ſiniſter, cum impedimentum eſt ad arteriam Magnam. Quamobrem dubito, num Lanciſius, ſi ſuis ipſe Scriptis ſupremam manum imponere potuiſſet, ea ſubjecturus fuiſſet: cum ad Aortam eſt obſtaculum, dilatationem *in dextris* cordis cavis *plerumque ſolere accidere: cum vero in ſiniſtris accidit, fere ſemper in auricula, non in ventriculo obſervari*, idque *patere in caſu relato* ab ipſo Boneto in hoc Sepulchreti *lib. 2. ſect. 7. obſerv. 49. ex Daniel. Horſtii animadverſione*. Nam ſi eum relegiſſet caſum; *ſiniſtram* quidem *auriculam majorem apparuiſſe dextra*, vidiſſet, ſed de ventriculorum magnitudine nihil ſigillatim; illud dumtaxat generatim dictum, *cor nimia quantitate exceſſiſſe, ut tam magnum adſtantes ſumme admirarentur*. Si vero non modo aliorum, ſed & ſui ipſius reſpexiſſet Obſervationes; continuo ſibi aliter ſentiendum, animadvertiſſet; niſi forte ne alterum quidem Celeberrimum Virum hoc per ſe editurum fuiſſe, arbitremur, *cor dextrum rarius, frequentius vero ſiniſtrum, ex Lanciſii experimentis aneuryſma pati*. Sed ego certe ſeu meas, ſive alienas ſpectem Obſervationes; plura ventriculi ſiniſtri, quam dexteri, inveniſſe, & legiſſe aneuryſmata, videor meminiſſe; ſiniſtræ autem auriculæ non multa: itemque ſiniſtri ventriculi aneuryſmata cum vitio aut proximæ Aortæ, aut hujus valvularum fuiſſe conjuncta, dexteri autem cum impedimento fere aliquo aut ad valvulas quæ ejus emiſſario præficiuntur, aut ad ſanguinis ipſas per pulmonem vias, aut denique ad immiſſarium ventriculi ſiniſtri; ſi quædam excipias in quorum obſervatione aut hæc quæ modo dicta ſunt, non perquiſita eſſe videntur, aut hæreditaria laxitas dexterarum fibrarum, Lanciſio ipſo præeunte (*i*), eſt facile agnoſcenda. Non eſt ergo tenuior, inquies, & quod conſequitur, infirmior paries proprius ventriculi dexteri, eoque dilatationibus opportunior? Eſt vero; ſi pares cauſæ, & ad eundem modum applicatæ, vi pari ad ventriculorum dilatationem nitantur. Sed de re in hunc modum propoſita minime hic inſtituta eſt diſputatio. Itaque cum ad emiſſarium ſiniſtri ventriculi obſtaculum eſt, neque hic tamen, ſed dexter, aut ſi uterque, dexter magis eſt dilatatus; videtur majus quidem robur quam ſoleat, obtigiſſe ventriculo ſiniſtro, minus autem dextero, ſive hoc a primordiis, ſive poſtea quacunque de cauſa acciderit, velut in eo homine, cujus morbi, & diſſectionis brevem hiſtoriam olim mecum communicavit Vir non minus humanitate, quam doctrina, & virtute, vel eo tempore, in primis ſpectatus, nuper autem magno merito ſuo Archiatrorum Pontific. Comes Marcus Antonius Laurenti. Sic autem ajebat.

6. QUIDAM affectione, Incubo ſimili, ſæpe vexatus, itemque difficili reſpiratione, ad quam ſe levis febris adjunxerat, detracto ſanguine convaleſcere ferme ex toto viſus eſt. Sed recrudeſcente morbo, interiit, facie, colloque liventibus. THORACE recluſo, & aqua in eo animadverſa, magnitudo cordis occurrit tanta, quanta nunquam antea, ob ſummam præſertim ventriculi dexteri, annexæque auriculæ dilatationem. Arteria autem Magna erat prope cor ad miram anguſtiam contracta.

7. Eſt etiam aliquando cum ſiniſtri ventriculi, ſed ſimul auriculæ dexteræ dilatatio invenitur, ut in ea Obſervatione, quam medio jam autumno A. 1708. Venetiis ab ſe recens habitam, & cum quadam Valſalvæ (*k*) a te comparandam, in hunc modum narravit Præſtantiſſimus Santorinus.

8. VIR qui antea laboraverat per intervalla brevi reſpirandi difficultate, noviſſime ſe mori clamans, vehementer ambulare per cubiculum cœpit, & demum in lectum concidens, illico mortuus eſt. THORAX plures libras habuit ſeri cruenti, non pari tamen utrinque copia. Arteria Magna ſquamis oſſeis, & inter has tuberculis quibuſdam, intus aſpera deprehenſa eſt. Cordis ventriculus ſiniſter, & auricula dextera dilatata. Caput poſt hæc recludere, ſupervacuum viſum eſt.

9. Quæ duabus proximis Obſervationibus propoſita ſunt, non dubito quin pleraque vel per ea quæ ſupra poſui, tibi ipſe explices. Unum potius, quod in neutra eſt, fortaſſe ex me quæres, an defuerit, & ſi præſertim in prima defuit, quid ergo ſentiendum ſit de Lanciſii (*l*) dogmate, quo ex dilatatione auriculæ, ac ventriculi cordis dexteri ſequi, tradidit, ut orificium quoque illud utrique interjectum, quod Triangularibus valvulis inſtructum eſt, dilatetur adeo, ut cum amplius haud poſſit his omnino præcludi, ſanguinis portio per rimas, inter has neceſſario hiantes, a ventriculo ſe conſtringente in venam Cavam repellatur, unde earum Jugularium venarum, quæ externæ cum ſint, omnium oculis in collo patent, conſpicua dilatatio, & mox, ſe dilatante ventriculo, par conſtrictio alterna contingant, quæ minus cautis Medicis pro arteriarum Carotidum pulſatione, & contractione aliquando imponant. Quæres igitur, an pulſatio hæc, ſeu fluctuatio Jugularium venarum in iis fuerit, de quibus modo dictum eſt: aut ſi non fuit; qui poſſit igitur illa *pathognomonicum ſignum merito dici* dilatationis dextrorum cordis cavorum?

Ego vero in illis fuerit, an defuerit ea pulſatio, pro certo dicere non poſſum, qui preſſe, ut fit in colloquiis, ſumma dumtaxat capita eorum quæ ad illas hiſtorias attinerent, a Clariſſimis, ſpectatæque fidei Viris acceperim. Illud tamen non me latet quod nec Lanciſium, in Nobili Matrona, aſthmaticis paroxyſmis obnoxia, in qua earum, & Brachialium præterea venarum pulſatio frequens erat, cenſuiſſe Hombergium (*m*), vehementiſſimam, ſine qua hæc nunquam accidebat, cordis palpitationem, illas quidem valvulas, ſi recte intelligo, non diduxiſſe, ſed eo dumtaxat impetu extrorſum verſus alterne coegiſſe, ut in venarum ſanguinem eos ſingulos concuſſus transferrent, tanto majores, quanto difficilius ſanguis, qui ventriculos valde dilataverat in arterias immitti poterat, jam polypis impeditas: quanquam cum id cor flaccidum, inſtar ſacculi ex corio molli, fuiſſe dicatur; in proclivi eſt ſuſpicari, orificium, ad venas pertinens, amplificatum fuiſſe, ut exacte a valvulis claudi non poſſet.

Utra-

(*f*) Eph. N. C. Cent. 6. Obſ. 51. (*g*) Eorund Act Tom. 1. Obſ. 18. (*h*) De Aneur. Obſ. 53. (*i*) Ibid. Propoſ. 47
(*k*) Epiſt. 17. n. 10. (*l*) De Aneur. *Propoſ.* 57. & 60. (*m*) Mem. de l'Acad R des Sc. A. 1704.

Utralibet autem utaris licet explicatione, ſi forte ob aliquas venarum ipſarum valvulas minus tibi facilis videatur ſanguinis per illas recurſus; nam aut dilatatæ venæ ſunt, ſicque a valvulis occludi non poſſunt; aut non ſunt, ſicque per valvulas concuſſiones quoque, magnæ præſertim, traducuntur. Sed alia præterea non me fugiunt, quæ Lanciſius, quippe edita poſt ejus mortem, ſcire non potuit. Namque Cl. Vir Morandus (*n*) cum alia in fœmina, præter palpitationem, & animi deliquia, aſſiduam animadvertiſſet pulſationem venarum Jugularium, quarum craſſitudo digitum pollicem æquabat, in ejuſdemque cadavere, ut prædixerat, auriculam cordis dexteram inveniſſet polypoſa concretione propemodum plenam, cujus rami per proximas venas in Jugulares uſque pertinebant; arbitratus eſt, ſanguinis portionem a polypoſa concretione prohibitam in ventriculum deſcendere, eam, inquam, portionem, quotieſcunque ſe contrahebat auricula, hujus conſtrictione in venas illas ſecundum ramorum polypoſorum directionem fuiſſe repulſam, itaque illas alterne dilataſſe. Poſtea autem Vir Experientiſſimus Andreas Paſta (*o*) in ea Epiſtola in qua fretus pluribus tum rationibus, tum obſervationibus polypos in corde, aliiſque ſanguinis receptaculis, vivente homine, in dubium ita revocavit, ut minime facilis videatur diluci da quidem, & firma, & plena reſponſio, diſerte propoſuit quid in tribus invenerit, qui *nonnullis ante obitum menſibus hac venarum colli pulſatione laboraverant, accedente per intervalla palpitatione cordis, ſpirandi difficultate, animi defectionibus, non ſine inæquali, intermittenteque continenter pulſu*. Se igitur, ait, nullum uſquam polypum, nullam auriculæ dexteræ expanſionem; ſed huic adjunctum ventriculum in altero duplo majorem, in altero vel multo ampliorem deprehendiſſe; in tertio autem ne hoc quidem, prohibente, opinor, in parte, ingenti quodam oſſeo annulo pericardii quod cordi arctiſſime adhærebat, quo certe annulo conſtringente ſiniſter ventriculus factus erat triplo minor, auriculæ autem dexteræ vix apparebant veſtigia, cum ſiniſtra, quam non comprimebat os, admirandum in modum eſſet dilatata. Quæ omnia cum ita ſint; videndum eſt nobis, quatenus ſigno uti liceat quod Celeberrimus propoſuit Medicus, Lanciſius.

10. Animadvertenti igitur mihi, de quinque modo indicatis Obſervationibus tres ſaltem eſſe, quibus, ſi non dexteræ etiam auriculæ, at dexteri certe ventriculi dilatatio reperta eſt, haſque cum Lanciſii Obſervationibus conjungenti, verum ab eo ſignum, ut in pluribus quidem, videtur propoſitum, hoc autem nunc ea quam ipſe excogitavit, ratione, nunc altera quam Hombergius docuit, eſſe explicandum; quanquam eſt facile, ut ſupra (*p*) innui, quemadmodum ventriculus ille, ita illud quoque ejus orificium dilatari, aut ſi parietes ventriculi nimis expanduntur, magis jam diſtare ab illo orificio eas ſedes quibus valvularum tendineæ chordulæ ſunt alligatæ, quam ut valvulis poſſint chordulæ ſatis obſequi, ut prompte, atque omnino valeant ſuum orificium occludere: niſi forte ſemper (id quod ejuſmodi in cordibus obſervandum erit) valvulæ quoque amplificentur, & chordulæ producantur. In Obſervatione autem Morandi, & in ea Paſtæ, quæ tertio loco prolata eſt, nulla, fateor, occurrit dexterorum cordis cavorum dilatatio. In utraque tamen impedimentum ſanguini, ventriculum dexterum ſubituro, agnoſcendum eſt: in illa enim indicat vel tanta venarum Jugularium dilatatio, cum palpitatione cordis, & animi defectionibus conjuncta; in hac vero decrementum ſiniſtri ventriculi, & mirifica auriculæ ejus expanſio; quantum enim hæc retardabant a ſiniſtris ſanguinis tranſitum, tanto plus ſanguinis videtur in dextero ventriculo cumulari, & advenienti reſiſtere debuiſſe, qui cum auriculam non haberet, in quam alterne diverteret, tanto majori copia videtur proximas venas diſtendendo earum parietes, hiſque affixas valvulas longius ab axe removiſſe, & ſic facilius traduci potuiſſe concuſſus, quos a palpitante corde ſurſum vehementius actæ Tricuſpides valvulæ ſanguini communicabant: quemadmodum eos in Morandi Obſervatione, cum venæ eſſent ad eundem modum evidenter diſpoſitæ, portio illa ſanguinis communicabat, quæ dexterum ventriculum (quæcunque eſſet vera certi impedimenti cauſa) ſubire non potens, ſurſum a contrahente ſe auricula repellebatur. Præter hos alii incidere poſſunt caſus, in quibus neque dextero ventriculo, neque ejus auricula dilatatis, ſanguis tamen, illo ſe contrahente, redeat ex parte per orificium utrique interjectum in venas, eaſque propterea alterne attollat: ut ſi valvula aliqua Triangularis ſtrigoſa, aut inflexilis facta ſit, eoque inepta ad ſuum officium præſtandum, aut ſi chordulæ aliquæ de quibus antea dictum eſt, eroſæ, aut diſruptæ, aut laxatæ non poſſint amplius ibi retinere valvulam, ut orificium occludat, ſed a ſanguine ſinant extrorſum inverti, ſicque apertam ejus regreſſui viam relinquere.

Hæc igitur omnia perpendenti ſic videbitur, ut opinor, ſignum ab Lanciſio propoſitum, ſæpius quidem indicare ventriculi dexteri dilatationem; interdum vero non hanc indicare, ſed vitium tamen ſemper aliquod, cujus aut ſedes in cavis dexteris cordis ſit, aut effectus ad hæc attineat ſic, ut circumitio ſanguinis per dexteram cordis partem ſecundum naturam non perficiatur.

11. Ut vero bene utamur ſigno hoc; primum omnium videndum eſt; ne forte aliquando non pulſatio, ſed turgentia quædam alterna ſit Jugularium venarum, violentæ inſpirationi, expirationive reſpondens, velut in eo Experimento, quod in alia ad te Epiſtola (*q*) deſcribemus: facile autem erit internoſcere, cum inſpirationum, an cum pulſuum numero magis congruat. Deinde ſi pulſatio revera ſit; attendendum eſt, ne forte quæ arteriarum Carotidum ſit pulſatio, eam venarum Jugularium eſſe, credamus. Quo ſpectantem invenio Galeni (*r*) locum. *Videntur*, inquit, *in vehementibus capitis doloribus, & præſertim ubi cum multa caliditate fiunt, pulſantes, & quaſi vibrari temporum venæ. Sæpius autem & colli jugularias, quæ videlicet in ſuperficie collocantur, motione pulſui cuidam non diſſimili agitari vidimus. Videtur quoque & in temporibus ex ſubjacentibus arteriis motio accidere, quo tempore illæ maxime pulſant*. Dixi autem, huc ſpectare Galeni locum, ſi ex ultimis verbis conjecturam capiamus, qua ratione illa quæ ſuperioribus ſcripſerat, explicaret. Sin autem malumus, ut fortaſſe debemus, aliud illis, aliud his verbis omnino ſignificaſſe; animadverſam igitur olim quoque fuiſſe fatebimur ipſam & Temporalium, & Jugularium venarum pulſationem. Nam Hippocratica illa *venarum jugularium pulſatio vehemens* ab Jacotio (*ſ*), & Dureto (*t*) de arteriis accepta eſt: quod facere in Galenica hac non licet, ubi ab arteriis diſerte venæ diſtinguuntur, & Jugulares venæ Externæ apertiſſime deſignantur. Sed quando has venas alterne attollat ſubjectarum arteriarum ingens pulſatio; haud difficile erit animadvertere, non ipſas tantum venas, ſed & partes colli proximas ſimul attolli, imo eas magis quæ Carotidibus e regione magis reſpondent.

Quod ſi ipſa vaſa pulſantia dilatata in collo extent, atque promineant: tum vero a Carotidibus venas, de quibus loquimur, diſtinguere licebit, ſi extimam harum ſedem, & parietum mollitudinem, illudque in primis cum Morando (*u*) attendamus, appreſſo digito quæ pars vaſis infra hunc erit, eam, ut circumitionis ſanguinis requirunt leges, detumeſcere: quæ ſupra, tumorem augere, aut certe ſervare. Nolo autem mireris, quod ad venarum pulſationes ab arteriarum pulſationibus internoſcendas, non adnotaverim, attendendum eſſe, alio, an eodem quo cor pulſat, tempore contingant; hinc enim interdum poſſe nos falli, intelliges poſtea (*x*). Præterea animad-

(*n*) Mem. de la même. A. 1732. (*o*) Epiſt. de Cord. Polyp. n. 9. & 13. (*p*) n. 9. (*q*) Epiſt. 19. n. 33. 34.
(*r*) in I. Prorrhet. Hipp. Comm. 3. n. 9. (*ſ*) l. 2. Comm. in Coac. S. 2. n. 41. (*t*) In Coac. l. 2. c, 10. n. 1.
(*u*) loc. cit. ſupra, ad n. 9. (*x*) n. 12.

madvertendum eſt, poſſitne alia aliqua eſſe propoſiti ſigni cauſa, quæ in organico vitio cordis necdum conſiſtat, ut puta in Virginibus chloroſi affectis. Lanciſius (*y*) namque etſi ad eundem modum in his Jugularium venarum pulſationem accidere, non dubitat, tunc præſertim cum per acclivia aſcendendo, recurſum craſſioris ſanguinis verſus dextram partem cordis accelerant, ex qua per obſtructa, aut compreſſa, aut convulſa pulmonum vaſa, æque celerem exitum habere non poteſt, etſi etiam addit, ſi diu ea pulſatio remediis non cedens perſeveret, vel his in virginibus, ut ipſe interdum obſervavit, illius partis cordis tandem fieri dilatationem; non eſt tamen cur antea hanc eſſe, exiſtimemus; quando nihil ſæpius accidit, quam ut ſimul cum chloroſi omnia abeant quæ eam comitantur incommoda. Cum autem neque hic morbus, neque alius ejuſmodi fuerit cum ea pulſatione conjunctus; ſignificari hac, ait (*z*), tanto magis dexterorum cavorum cordis dilatationem, ſi notæ aliæ adjunctæ ſint quæ ipſam commonſtrent, in quibus ponit cordis angorem, & palpitationem, pulſuſque plerumque magnos, & æquales, hos, & cordis oppreſſiones confirmante Albertino (*a*), & huc animi defectiones addente. Et cæteras quidem notas ſæpe reſpondere, intelliges vel eas relegens hiſtorias, quæ aut paulo ante (*b*) commemoratæ ſunt, aut hactenus in præſenti, aut primo loco in Epiſtola proxima ſuperiore (*c*) deſcriptæ. Sed in pulſibus fortaſſe hæreas, cum de tribus a Cl. Paſta (*d*) diſſectis ne unum quidem fuiſſe, memineris, qui inæquali, & intermittente continenter pulſu non eſſet, quanquam duo certe dilatatum ventriculum dexterum habuerunt. Velim igitur animadvertas, id ſignum a pulſibus petitum, non eſſe neceſſario verum, cum alia ad dexterorum cavorum dilatationem vitia adjiciuntur, qualia, Paſtam ipſum legendo, in duobus illis fuiſſe, invenies, non ſecus atque in Canonico, quem ſupra (*e*) ex Lanciſii Obſervatione memoravimus, cui pulſus inæqualitas, & intermiſſio non defuerant. Contra autem vide, in quibus Valſalva (*f*) ſimul eorum cavorum dilatationem, ſimul pulſus adnotavit, num hi, niſi forte poſtremo tempore, fuerint inæquales. Sed nec Sutor cujus tibi hiſtoriam deſcripſi (*g*), inæquales habuit, cum animi defectiones abiiſſent, ne proxima quidem jam morte. Atque, ut aliis quoque ſcias idem quod Lanciſio, Albertino, Valſalvæ, & nobis, accidiſſe; aſpice illam præſertim ingentem auriculæ dexteræ dilatationem, cujus imago, & deſcriptio a Petro Dioniſio editæ ſunt in calce Anatomes ſuæ (*h*). Auriculam quidem capite recens nati infantis majorem videbis; ſed nullam in pulſuum commemoratione, inæqualitatis mentionem invenies. At enim eſt alius qui poſt difficultatem reſpirationis, & intermiſſionem pulſus, repertam in alio ſcribat *dextri ventriculi cordis iſtiuſque auriculæ dextræ magnitudinem ita auctam, ut una cavitas inſignis adeſſet*. Utique; ſed neque in ſiniſtris, neque in Aorta, neque in pulmonibus quid vitii eſſet, aut non eſſet, adjicitur, ut neque ea pulſus intermiſſio diuturna fuerit, an ultimorum dumtaxat dierum: quanquam & pulſuum æqualitatem in dexteræ partis cordis dilatationibus ſæpe eſſe, propoſito huic noſtro ſatis eſt.

12. Cæterum hanc, & illam quæ ab Dioniſio edita eſt, Obſervationem duabus in rebus ſatis convenire, animadverto. Nam primum ſi in hac ex dextera auricula, & ventriculo una facta inſignis cavitas deprehenſa eſt; in illa orificium, utrique interpoſitum, mirandum in modum erat amplificatum. Deinde ſi in hac *auriculæ parietes erant craſſi, duri, & calloſi, & interius cartilaginoſi*; in illa auriculæ membrana interna, oſſea, ſquamoſaque ſubſtantia, ſimili duriſſimæ ovi teſtæ, obducta erat. Quæ cum ita eſſent; facile in utroque ægro Jugularium venarum pulſatio fuerit propter illam tantam ſæpius memorati orificii amplificationem; ſed in neutro certe fuit ab alternis contractionibus auriculæ dexteræ, ut quæ prohibente cruſta interna ſive cartilaginea, ſive oſſea, ipſaque hujus, aut parietum reliquorum duritie, contrahere ſe non poterat; ſed rigida, & inflexilis in perpetua dilatatione permanebat. Igitur cum in his, pluribuſque aliis caſibus, & in illo præſertim, in quo (*i*) vix ſupererant veſtigia auriculæ dexteræ, ea pulſatio a ventriculo repetenda ſit, quæ in aliis nonnullis ab auricula eſſe poteſt; ſi forte quæris, qua liceat ratione internoſcere, ab utro ſit eorum cavorum; licere tunc, dicam, ubi paulo minus frequentibus ictibus jam micent tum arteriæ, tum Jugulares venæ. Si enim obtutu ſimul in his fixo, ſimul digitis arteriæ aut temporum, aut carpi admotis, evidenter cernes, eodem temporis puncto venas illas ſe attollere quo pulſare ſenties arteriam; a contractione illas micare, intelliges, ventriculi dexteri: ſin contra; non ab hujus, ſed a contractione auriculæ annexæ. Noſti enim, arterias tunc pulſare, non cum auriculæ contrahuntur, ſed cum ventriculi, & viciſſim tunc ſubſidere, non cum ventriculi, ſed cum auriculæ contrahuntur. Itaque ſubſidentibus arteriis ſi venæ attolluntur Jugulares; harum pulſatio a dextero, qui tunc otiatur, ventriculo eſſe non poteſt: contra autem ſi arteriæ, & venæ illæ ſimul pulſant; neceſſe eſt, venarum pulſatio non ab otiante auricula, ſed a ventriculo ſit tunc agente, & ſurſum impulſis vehementer valvulis, ſi hæ quidem orificium claudant, venarum ſanguinem ſuccutiente, aut ſui portionem ſanguinis in venas repellente, ſi valvulis orificium non exacte, ut natura inſtituit, occludatur, cujus rei indicium veriſimile ab iis notis petendum eſt, quæ ſupra (*k*) indicatæ ſunt, dilatatorum cavorum in dextera cordis parte. Hæc de pulſatione Jugularium venarum in præſentia habui quæ dicerem. Cujus ſigni, meique hujus examinis ſi quam vides utilitatem eſſe poſſe ad cordis morbos abditiſſimos internoſcendos; vides ſimul, jure, an injuria adverſus Recentiores Medicos ſcriptum ſit: *exacta cognitio uſus valvularum cordis quid prodeſt Medico curanti in morbis cordis pro cognitione morbi?*

13. Sed ne forte credas, oblitum interea me eſſe promiſſarum (*l*) Obſervationum, ex quibus videlicet intelligas, non raro accidiſſe, ut quibus cor dilatatum eſſet, eos mors opinione celerior tolleret; tametſi plures habeo cum meas, quas alias ad Litteras rejicio, tum Amicorum; malo ad eam quam protuli ex narratione Cel. Santorini, alteram hic addere, qua memoriam recolam auditoris mei Angeli Nicolai Villii, probitate, & diligentia ornatiſſimi, cujus progreſſus in ipſo medicinæ faciendæ tirocinio mors intercepit. Sic autem ſub finem anni 1727. ad me ſcribebat.

14. VENATOR, qui erat quaſi aſſidue breviſpirus; hac enim voce uti juvat; cum dies jam octo ſe minus valere, diceret, ſed de ſtomacho dumtaxat quereretur; tandem, cum Sacris interfuiſſet, paucumque cibum ſub meridiem ſumpſiſſet, coactus ſe in lectulum reclinare, uxore vix advocata, vivere deſiit.

CADAVERIS cute, quæ erat cachecticis colore ſimilis, tenuiſſimaque Adipoſa membrana inciſis, mox Venter, & Thorax aperti ſunt. In illo ſana omnia. In hoc vero pulmones aere erant maxime turgidi, & undique cum vicinis partibus, ſi modo ſupremas excipias, connexi, & propemodum connati, magna ut vi opus fuerit qua a coſtis, a diaphragmate, a mediaſtino avellerentur. Intra pericardium humoris ferme nihil, cor vero flaccidum, ſed perquam magnum.

15. Videbatur Villio incommodorum omnium, atque adeo mortis cauſa in tantam illam pulmonum cum proximis partibus cohæſionem eſſe rejicienda. Ego vero Obſervationem ipſi commemoravi Diemerbroeckii (*m*), qui non ad illas modo partes omnes, ſed ad ſupremas quoque, annexos pulmones tam firmiter,

(*y*) Propoſ. 57. ibid. cit. (*z*) Propoſ. ead. & 60. (*a*) Comm. de Bonon. Acad. Tom. 1. in Opuſc. (*b*) n. 9.
(*c*) n. 6 8. 10. (*d*) ſupra, ad n. 9. (*e*) n. 5. (*f*) n. cit. 6. 8. 10. (*g*) ſupra, n. 2.
(*h*) L' Anatom. de l' homme. (*i*) ſupra, n. 9. (*k*) ſupra, n. 11. (*l*) ſupra, n. 3.
(*m*) Anat. l. 2. c. 13.

miter, ut non ſine magna dilaceratione avelli poſſent, in eo deprehendit, qui bene ſanus abſque ulla ſpirandi difficultate vixerat donec ſuſpendio necatus eſt. Sed ut aliquid illi etiam adhæſioni tribueremus ſecundum ea quæ aliis ad te Litteris (*n*) hac de re conjecimus poſtquam eandem illam Diemerbroeckii Obſervationem, aliaſque indicavimus; multo plus tamen, non dubitaremus, ingenti cordis, præſertim flaccidi, magnitudini eſſe imputandum ob præcipuas earum cauſarum, quæ ſupra (*o*) ſunt in Sutoris morte commemoratæ. Quin diſtenti cordis, eoque mediaſtinum ad pulmones, hos vero ad coſtas urgentis, & compellentis, effectus eſſe ex parte aliqua interdum poteſt ipſa pulmonum adhæſio quæ in Sutore quoque adnotata eſt, ut effectus certe vel ob eam conſtringentem compulſionem eſt difficultas reſpirationis. Quo magis miror aliquando cum in aſthmaticorum hiſtoriis explicandis vel maxime aucta cordis moles non attenditur, velut in ea quam Sectione I. libri II. in Sepulchreto (*p*) legere eſt. Etſi enim in pulmonum, pleuræ, & pericardio adhærentium, bronchiis ſanies non deerat, neque alia, valde ab naturali conſtitutione remota, in quibus ſiniſtri pulmonis ſubſtantia *compacta & denſa, ſubrubro pallidum hepatis parenchyma repræſentans*, hoc eſt lethali, ſed minime ibi agnita, inflammatione correpta; non erat tamen ullo modo inter cauſas illius aſthmatis cor omittendum, cujus tanta amplificatione circumitio ſanguinis, & quod conſequitur, per vaſa pulmonum tranſitus multum procul dubio retardari debebat. Erat enim *cor vaſtum, amplitudini pericardii reſpondens*, hæc autem adeo ingens erat, ut *pericardium* dicatur *totam thoracis cavitatem inveſtiiſſe*. Quanto aliter, ut in eadem Sectione (*q*) leges, magnus Medicus, Ballonius. *Quidam*, inquit, *difficulter ſpirabat, anhelus erat, macruerat. Omnes accuſabant pulmones. Aperto cadavere nil commemorabile in pulmone repertum. Cor; quod admirabile; majuſculi capitis magnitudinem æquabat: adeo increverat, ut omnis ſanguinis & ſpiritus eo facta ſit* συῤῥοὴ & συνδρομή. Et ſic ille quidem, ut eo tempore. Marcus autem Gerbezius (*r*) in Monacho, *cui tanta cordis moles erat, ut id ad bilancem poſitum triginta uncias civiles ponderarit*, pulmones vero parvi, extenuati, flaccidi, & corrupti, aperte indicavit, ſe conjicere, diuturnæ & intra ultimum annum auctæ anhelitus difficultatis, & deinde corruptionis pulmonum *unicam cauſam* cor fuiſſe, *quatenus* hos *mole ſua comprimebat, ſanguiniſque circulum per eoſdem remorabatur*. Hanc igitur cauſam tu quoque addes cæteris, ob quas motui ſanguinis per pulmones officit cor amplificatum, eoque difficilem ſpiritum reddit: quod ſymptoma paſſim leges cum eo morbo conjunctum non modo in noſtris, verum etiam in aliorum hiſtoriis, ut Hottingeri (*ſ*) in eo cujus cor bovino corde erat majus, auriculis ei magnitudini reſpondentibus; ut Zwingeri (*t*) in alio cui moles ingens cordis fuit cum inſigni hujus auriculæ dexteræ magnitudine; ut Fraundorfferi (*u*) in novimeſtri infante, cui tanta erat auricula eadem, ut totum cordis latus dexterum non modo obduceret, ſed & ultra mucronem extenderetur. Huc attinent; ut alias omittam; Obſervationes etiam Riedlini (*x*) qui cor vidit ſolito longe majus, tum Budæi (*y*), & Laubii (*z*), quorum alter cor extraordinariæ magnitudinis, alter autem triplo majoris invenit, & Graffii filii (*a*), qui auriculam cordis dexteram offendit conſuetam molem vel duplo ſuperantem.

Sed in omnibus hiſce caſibus ſi forte quæras, præter ſpirandi difficultatem, quæ fuerint in vivis animadverſa ad morbum de quo agimus, attinentia; in ultimo cum palpitatione cordis, quæ ab Hottingero quoque memoratur, crebras fuiſſe lipothymias, & mortem denique inexpectatam, reperies. In cæteris autem caſibus vix quidpiam huc referendum adſcriptum eſt, ſi Zwingeri hiſtoriam excipias, in qua pulſus parvus, languidus, & inæqualis, & Riedlini, in qua pulſus inæqualiter intermittens adnotatur; erant tamen in utroque ægro pulmonum quoque vitia, & humor effuſus in thorace, ut in eo pariter de quo Hottingerus. Symptomata autem illius quidem generis alia commemorata haud eſſe, non miror, ægri ætate nonnunquam, aut temporis quo interrogari potuit, brevitate, aut eorum qui retulerant, negligentia, aut rerum quæ ſcribendæ erant, numero, & varietate prohibentibus, aut cauſis denique aliis obſtantibus. Difficile enim credas, in famigeratiſſimo Viro Alexandro Marchetto (*b*) cum eſſet moles cordis admodum magna, & inſignis dexteræ hujus auriculæ dilatatio, ne reſpirationis quidem fuiſſe vitium aliquod, nedum alia eo peculiariter ſpectantia. Neque aliter de fœmina (*c*) credas, in cujus pariter hiſtoria nihil ejuſmodi reperies, cum tamen auricula eadem *tantum dilatata eſſet, ut* annexum *ventriculum non modo æquaret, ſed magnitudine ſuperaret*. At in Mercatore (*d*) cujus magnum & tumidum cor auriculam pariter dexteram multum habebat expanſam, idem Clariſſimus Obſervationis Auctor, Thebeſius anhelitus ſaltem difficultatem a multis annis adnotaverat, & *ſæpe alia*, quæ fortaſſe huc attinebant, *ſymptomata*. Atque ut de ſiniſtra quoque auricula, cujus dilatationis exempla pauciora extant, quam dexteræ, aliquid attingamus; præter ea quæ ex Cl. Paſta ſupra (*e*) indicavimus, & in hac, aliiſque ex noſtris Epiſtolis invenies, Schreyus (*f*) Vir ingenuus in ſeptenni puero cordis palpitationem, & celerem, debilemque pulſum animadvertit, cum ejuſdem cor *ſtupendæ magnitudinis adulti ſuperaret formam, auricula ſiniſtra ovi magnitudinem æquante*: multa autem in hujus, & Mercatoris thorace aqua fuit. Quod ſi alia conſiderare libeat dilatati cordis exempla; plura habes paſſim in his Epiſtolis memorata: tum præter ea quæ indicabit Cel. Swietenius (*g*), non pauca invenies aliorum, & ſua apud Eximium Virum Senacium (*h*) in eo capite, quo argumentum hoc peculiariter tractat ea copia, atque ſolertia, ut eo perlecto, plura non facile deſideres ſive de cauſis quæ cor dilatant, ſive de noxis a dilatato corde provenientibus, ſive de auxiliis ad has minuendas, ſive de ſignis non cordis modo, ſed partium ejus ſingularum dilatationem indicantibus, præſertim ſi, quod ad hæc attinet, ea ſimul attenderis quæ alibi (*i*) de iiſdem aut prænotavit, aut excepit.

16. Hactenus de Cordis Aneuryſmatibus. Nunc illud proximum eſt, ut Aneuryſmata proponam arteriæ Magnæ. Incipiam autem ab illo cujus hiſtoriam minime dignam puto quæ intercidat, ſive ob Virum quem ſuſtulit, ſive ob eos præſertim qui de ejus morbo ſcripſerunt. Fuit ille Mutinenſis Protomedicus Antonius Ferrarinius; hi vero Bernardinus Ramazzinus, & Marcellus Malpighius. Cum enim omnia Malpighii ipſius manu ſcripta Conſilia Medica (quorum neque numerus, neque aliquorum præſertim, ratio facile æſtimanda ſunt ex illis quæ nonnulli ediderunt, ejuſdem Conſiliis) Medicaſque ad ipſum undique miſſas Epiſtolas, Albertini ſui beneficio perlegerem; in illas forte incidi, quas a morbi quem dixi, initio ad finem uſque Ramazzinus conſulendi cauſa identidem ad Malpighium mittebat. Ex quibus omnibus, aliiſque interjectis chartis diligenter a me excerptam, digeſtamque hiſtoriam, hactenus ineditam, ſic habeto.

17. ANTONIUS FERRARINIUS melancholico, ut vocabant, temperamento, habitu autem ad cachecticum inclinante, jugiter exſpuere ſolitus ſalivam multam, hancque erodentibus ſalibus fœtam, cum annum jam ipſum ferina tuſſi vexatus eſſet propemodum aſſidua, ad quam denique acceſſerat aliqua ſpirandi difficultas, in motu præſertim per acclivia loca;

(*n*) Epiſt. 16. n. 15. & 16. (*o*) n. 3. (*p*) in Additam. Vid. Schol. ad Obſ. 34. (*q*) Obſ. 91.
(*r*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 223. (*ſ*) Ibid. Obſ. 89. (*t*) Dec. ead. A. 5. Obſ. 8. (*u*) Ibid. Obſ. 124.
(*x*) Earund. Cent. 3. Obſ. 45. (*y*) Cent. 2. Obſ. 106. (*z*) Cent. 10. Obſ. 84. (*a*) Cent. 5. Obſ. 24.
(*b*) Cent. 7. Append. n. 4. (*c*) Cent. 4. Obſ. 120. (*d*) Ibid. Obſ. 115. (*e*) n. 9.
(*f*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 34. (*g*) Comment. in Boerh. Aphor. §. 176. (*h*) Traité du Coeur l. 4. ch. 8.
(*i*) l. 4. ch. 4. n. 4. ch. 9. n. 7. & ch. 11. n. 9.

ca; repente ante finem Sextilis A. 1689. tanto pectoris angore intempeſta nocte correptus eſt, ut metuerit, ne protinus ſuffocaretur. Non pauca tamen catarrhali expectorata materia is angor ſublatus eſt. Sed biduo intermiſſo, cum alvum indito enemate exoneraret, eodem, quamvis minus gravi, angore prehenſus, & poſtea erecta cervice ſpiritum ducere coactus, miſſo ſanguine levamen ſenſit non modicum, ſed minime diuturnum. Nam vigiliæ ſæpius, moleſtiſſima interdum tuſſis, & ferme irrita, præcipue vero ſenſus quaſi laquei ſummam Aſperam arteriam conſtringentis male habebant; tametſi rurſus cubare aliquando poterat. Macies interea acceſſerat, & paroxyſmorum major gravitas, & frequentia. Pulſus tamen nihil unquam habuit febrile. Viſum aliis qui aderant, Medicis, repugnante Ramazzino, e pede ſanguinem eſſe mittendum: unde vires quæ ſic ſatis ad id tempus perſtiterant, multo ſunt infirmiores factæ; morbus autem vehementior. Jam enim angor cum Aſperæ arteriæ, & faucium conſtrictione quotidie invadebat, nonnunquam ter, aut quater, & ad horas duas, tanta violentia, ut nemo eſſet, quin jam jam ſuffocatum iri, exiſtimaret. Evadebat tamen, nihil ore ejiciens, ſudore autem totus diffluens. Sed ſive cibum, ſive aliud quidpiam deglutire conaretur, ſive ex lacte enema inderetur, non modo ex quovis humore alio; continuo is angor, eaque præſertim conſtrictio redibant. Cum hæc aberant; nullum uſquam dolorem, moleſtiamve percipiebat, ſi conſuetam ſpirandi difficultatem, quæ mediocris erat, excipias, & ſenſum auræ, ut ajebat, cujuſdam ex hypochondriis ad fauces aſcendentis. Quæ res, & repentina inſultus invaſio, ac diſceſſio, & aliquod interdum ex flatuum eruptione levamen, & temperamentum, ut dictum eſt, melancholicum ægrotantem, Medicum, & pleroſque alios movebant, ut paroxyſmos ferme ut in hyſtericis, ex irritatis dumtaxat, convulſiſque nervis repetendos putarent. Nam etſi inter initia alii craſſam materiam in pulmonibus congeſtam, alii tenuem in eos ex faucium glandulis defluentem conjiciebant; poſtea tamen plerique, ut dixi, eſſe convulſiones, cenſebant ex nervis per hypochondriacos ſuccos, quos nonnulli ex liene nominatim deducebant, ſubinde irritatis: quanquam aliqui a cerebro uſque irritamenta repetebant, epileptici quidpiam in paroxyſmis comminiſcentes. Nec deerant tandem qui cum minime intelligerent, qua ratione tot, tamque violentis paroxyſmis eſſe ſuperſtes poſſet, nec ſuperſtes ſolum, verum etiam viribus in tanta abſtinentia non omnino dejectis, faſcinationem ſubeſſe aliquam, ſuſpicarentur. Unus Malpighius, id quod ejus ad Ramazzinum pene omnes litteræ præclare oſtendunt, verebatur, ne præter nervorum irritationes, *magnum aliquod in ſtructura* lateret *obſtaculum*, *læſio aliqua organica*, *quam humores pleni erodentibus ſalibus intuliſſent*, cauteque propterea neque uſum narcoticorum, quæ ægro data interdum fuerant, neque balnea, quæ proponebantur, ſed alia minus ſuſpecta probabat, aut ipſe, ut ſolebat, commendabat. Denique intra ſeptuageſimum a primo inſultu diem ceſſit æger vehementiæ morbi ſui, cum toto eo tam longo ſpatio ſedere fere ſemper in lecto, aut in ſella coactus eſſet, ut facilius ſpiritum duceret, præſertim ſi inclinato ſederet capite, vel potius corpore in arcus modum antrorſum curvato; quem propterea poſitum fere aſſidue ſervabat.

ABDOMINE diducto, neque lien, neque ulla alia viſcera morbidi quidquam oſtenderunt. In Thorace quoque illæſi pulmones inventi ſunt. Sed in Aorta, ſupra cor ſe attollente, magnum aneuryſma conſpectum eſt, ex quo concreti ſanguinis libram, eoque amplius exemerunt, in cujus medio polypoſa erat contretio longitudine, & craſſitudine digiti indicis.

18 Cum alia in Ferrarinio fuerant, quæ poſtea in Marchione Pauluccio ex eadem cauſa obſervavimus, tum illa præſertim, quæ ad dicta alias (*k*) de Pauluccio nunc addes, quod auram quaſi quandam ex hypochondriis aſcendentem ſentiebat, & quod nullo ſitu commodius ſedebat, quam capite, & corpore in anteriora inclinato. Quarum quidem rerum ut altera poterat in errorem inducere, ſic altera avertere ab errore debebat. Nam ſi primam accipere velles pro hypochondriacæ convulſionis indicio, per quam unam horribiles illos paroxyſmos explicares; obſtabat altera, quæ longe aliud ſignificabat, videlicet eſſe intra thoracem quod Aſperam arteriam premeret magis, niſi ea corporis inclinatione ab ea nonnihil abduceretur. Ita rem exponebat Ramazzinus, cum diſſectionem modo propoſitam Malpighio nunciaret, ſimiliter ſane ac Reiſelium videbis in Obſervatione, illo ipſo anno edita, ac poſtea in Sepulchrerum (*l*) relata, explicaviſſe, cur puer *aſthma ſuum a ſumma anguſtia levari ſentiret*, *quando ſtans caput & pectus inclinabat ſcamno*; nimirum *quod cor oppido magnum*, *ſterno incumbens melius quieſceret*, *quam ſi ſupinos pulmones premeret*. Sic poſtea Vieuſſenius (*m*) rationem attulit, quamobrem miles minus difficilem ſibi faceret reſpirationem eodem poſitu in cubili ſedendo quem in Ferrarinio deſcripſimus, ſcilicet ne corculum quaſi quoddam concretione polypoſa maxime dilatatum Aſperam arteriam adeo comprimeret in ſupino, ut in ſuffocationis periculum adduceret. Neque alia fortaſſe cauſa fuerit, cur is quoque, cujus tantam dexteræ cordis auriculæ dilatationem ex Dioniſio memoravimus (*n*), eundem ferme ſervaret poſitum, niſi ut ab illius mole, & pondere minus pulmones paterentur. Cæterum eundem ſitum commodiorem fuiſſe alteri, Aortæ aneuryſmate in thorace laboranti, vidit Freindius (*o*), Albertinus autem (*p*) id ipſum refert inter ſigna quæ non leviter nobis indicent alveorum ſanguinis intra thoracem dilatationes. Neque aliud ſignificabat quod in ægro quodam obſervavit Pacchionus (*q*), *quotieſcunque magnum ſuffocationis periculum urgeret*, *toties ſubſidio & levamini fuiſſe caput inclinare*, *cluneſque ſublime erigere*; ſic enim *diaphragma pro aliqua ſaltem parte cordis onere*; id erat duplo majus; *relevabatur*; diaphragma, inquam; nam eadem inclinatio levamini erat, *ſive* homo *ſupinus*, *ſive pronus eſſet*. Alter vero æger, cui quoque fuit cor *mole majus*, a Beggio (*r*) deſcriptus, a ſuffocationis periculo evadebat, ſi *pectus genua verſus inclinaret*, aut *aliquantulum pronus ſederet*. Sed alia hujuſmodi exempla infra quoque memorabimus.

19. At enim, inquies, in I. Sectione libri II. Sepulchreti (*ſ*) itemque in XIII. libri ſuperioris (*t*) ex Obſervationibus Williſii conſtat, fuiſſe qui niſi caput aut erectum ſemper, aut antrorſum inclinatum ſervarent, alii continuo in cordis tremores, & ſpirituum deliquia inciderent, alii vero, quod ad rem præſentem magis attinet, ſtatim anheli fierent, ac velut moribundi difficillime reſpirarent, cum tamen neutri aneuryſmata in thorace, ſed utrique in cerebri ventriculis magnam ſalſi, aut acris ſeri colluviem haberent, quæ capite non erecto, aut non inclinato recidens verſus origines eorum nervorum qui præcordiis inſerviunt, horum immanes convulſiones excitaret.

Ego vero non hic de capite erecto, ſed de thorace potiſſimum antrorſum inclinato verba facio: illudque inſuper dico, quorum in cerebro tanta ejuſmodi ſeri copia eſſet, eos ſignis aliis capitis male ſe habentis carere non potuiſſe, quibus fere carebant plerique eorum de quibus a me dictum eſt, cum interea ſine indiciis non eſſent quæ præcipuam morbi ſedem in thorace ſignificarent, ſi ea quæ præceſſerant, cum iis quæ aderant, diligenter conjungeres. Alii enim graviſſimis animi affectibus perculſi, ut Pauluccius, & is, quem, Dioniſio auctore commemoravimus; alii diuturna, immanique tuſſi, ut Ferrarinius, agitati in morbum inciderant. Ut vero in ejuſmodi tuſſi quam crebro, quam violenter naturalis motus reſpirationis, &, quod conſequitur, etiam ſanguinis mute-

(*k*) Epiſt. 17. n. 26. (*l*) in Additam. ad Sect. 1. l. 2. Obſ. 29. (*m*) Traité du Coeur ch 1. (*n*) ſupra, n. 11 & 12.
(*o*) Hiſt. de la Medec. I. (*p*) Opuſc. cit. ſupra, ad n. 11. (*q*) Oper. Edit. 4. verſ. fin. Hiſt. 2. (*r*) Ibid Hiſt ſeq.
(*ſ*) Obſ. 164. (*t*) Obſ. 4.

mutetur, hujuſque in parietes ſuorum receptaculorum, vaſorumque, quæ in thorace ſunt, repentinæ fiant repercuſſiones, manifeſtum eſt; ita in affectibus animi quam varie, quam diu, quam vehementer per eaſdem illas vias modo concitetur, modo retardetur ſanguinis curſus, facile tunc poſſunt facies, reſpiratio, pulſus commonſtrare, ut mirandum non ſit quod ex magno in ſupprimenda, aut diſſimulanda indignatione conatu ingens illud dexteræ auriculæ aneuryſma non ſecus acciderit apud Dioniſium, quam tanta cordis, & Aortæ dilatatio ex eadem cauſa acciderat apud Harvejum (*u*), ut Amici ex inaudita morbi violentia hominem *veneficio a malefica affectum, aut cacodæmone obſeſſum* ante cadaveris diſſectionem, haud aliter ac de Ferrarinio eſt dictum, exiſtimarent. Atque ea eſt humanorum affectuum vis in ſanguinis alveis, ac receptaculis in thorace dilatandis, ut hinc etiam merito cauſam deduxerit Albertinus (*x*), quamobrem dilatationes illæ perraro in beſtiis; ſæpe adeo in hominibus reperiantur. Ubi igitur hæc, aut alia præceſſerint, unde aneuryſmata oriri poſſint; tunc orta jam eſſe, conjiciemus non modo cum affuerint pleræque notæ quibus illa oſtendi ſolita eſſe, idem tradidit accuratius, quam ut a nobis aliquid addendum ſit, verum etiam cum morbum alium in thorace abditum nullum eſſe, cæterorum ejus morborum cauſis, ſignis, & remediorum effectibus inter ſe comparatis, intelligemus. Male autem aneuryſma conjiceret qui hæc non attenderet. Sic alter de duobus viris quos deſcripſit Cl. Capperus (*y*), difficile quidem ſpirabat, & *adeo inflexo corpore .... ſedere cogebatur, ut caput intra genua quaſi recondere videretur;* nullum tamen aneuryſma, imo *cor* habuit *admodum parvum*. Sed alia aneuryſmatis indicia deerant, & manifeſto erat phthiſicus. Sic puer in Sepulchreto (*z*) propoſitus, cui non aneuryſma, ſed moles quædam carnea, pleuræ & coſtis proxime adhærens, mortem attulit, de pectoris dolore obtuſo, & difficultate reſpirandi querebatur, ut in obſcuro morbo, qui ab lateris alterius ictu ex graviori caſu initium duxerat, potuiſſet aliquis aneuryſma ſuſpicari, præſertim cum ſignum denique illud quadantenus acceſſiſſet, quod in Pauluccio, & Ferrarinio fuiſſe, diximus; neque enim puer capeſſere jam ſomnum poterat, *niſi menſæ decliviori inclinato capite*. Attamen alia, quæ in illis erant, aneuryſmatis indicia, & quidem potiora, in puero deerant. Nos autem non quædam, ſed pleraque attendi oportere, idcirco admonuimus, quia, ut omnia non ſemper occurrunt; nec certe in duobus illis occurrebant omnia; ita quædam tantummodo ſi ſpectes, ſæpenumero decipiaris.

20. Quæres fortaſſe, qua ratione fieri poſſet, ut cum in utroque illorum dilatatio eſſet arteriæ Magnæ; in neutro tamen ulla eſſet pulſatio? Hujus ſane abſentia utriuſque Medicorum pleroſque in errorem adduxit: quanquam ut pulſatio eſſe poteſt ſine arteriæ aneuryſmate (*a*), ſic arteriæ aneuryſma eſſe poteſt ſine pulſatione, ſive quod hæc in nonnullis, ipſis potius, quam Medicis, animadvertenda, leviter, & prius dumtaxat quam morbus ſævire incipiat, ſe prodat, ut fortaſſe in Ferrarinio, ſive quod in aliis inter initia retegentis ſe morbi Medicis occurrat, ut certe in Pauluccio priuſquam in Patriam rediret, deinde vero in utriſque adeo obſcuretur, ut nulla eſſe videatur. Cauſas autem obſcurationis cum tres olim (*b*) memoraverim, non hic repetam. De earum prima dumtaxat, quippe ad hos duos ægros maxime attinente, hic ſatis eſt illud addere, vel in externis aneuryſmatibus non raro illam, ut nos quoque vidimus, locum habere, & recte olim Paræum (*c*), cum inter eorum ſigna pulſationem propoſuiſſet, mox admonuiſſe, *ne fallamur ſignis ſupra commemoratis: nam nonnunquam in inſignibus Aneuryſmatis nec pulſum ullum percipere licet, ... quia* ſanguis *in thrombos coit & concreſcit*. Quod ſi veriſſimi hujus moniti Chirurgi poſtea aliqui non eſſent obliti, aut in parvis aneuryſmatibus id accidere non poſſe, credidiſſent; profecto neque ille Ruyſchii (*d*) Amicus tumorem circa talum nucis juglandis magnitudine, etſi *omnis pulſatio deerat* propter *ſanguinem coagulatum*, aperire auſus eſſet, neque Ruyſchius (*e*) iterum admonuiſſet, *non in omni aneuryſmate præciſe ſentiri pulſationem, quantumvis Authores eam tanquam pathognomonicum habeant ſignum. Si ſanguis in aneuryſmate coaguletur, nullam percipi pulſationem*. Addidit autem id etiam in maximis aneuryſmatibus expertum ſe eſſe, exemplumque attulit ingentis illius, quod ex trunco Magnæ arteriæ tribus circiter digitis ſupra cor incipiens, exteriora pectoris inſtar pulvinaris occupabat, cujus aneuryſmatis magna ex parte ſimile alterum poſtea deſcripſit Littrius (*f*): uterque autem adnotavit, aliquo ante mortem ſpatio temporis omnino obſcuratam pulſationem fuiſſe, idque repetendum eſſe a copia lamellarum de quibus alibi (*g*) dictum eſt, ſive polypoſarum concretionum, quas intus ſubſiſtens ſanguis magis magiſque adauxiſſet. Sic igitur obſervatio obſcuratæ pulſationis ab externis aneuryſmatibus ad illa quoque traducta eſt, quæ ut extrorſum ſibi viam feciſſent, ad intimum tamen attinebant Aortæ truncum: Deinde vero & ad illa quæ penitus ſunt abdita; univerſe enim Lanciſius loquitur Propoſitione LVIII. (*h*) & Albertinus quoque (*i*), ubi de aneuryſmatum pulſatione, ſi non prorſus deficiente, at certe longe minori facta, ac languida mentionem injicit. Etſi vero uterque horum de inveterato jam morbo ſermonem tunc habent, aliaſque inſuper præter eam quam diximus, cauſas attingunt; nihil tamen ſatis fortaſſe obſtat quominus in nonnullis citius eadem cauſa pulſationem intercipiat, id eſt qui demum in Paulucci, & Ferrarinii aneuryſmatibus concretus ſanguis circum undique inventus eſt, is concreſcere ocyus cœperit, & multo craſſiorem pro portione obicem inter Medicorum tangentium manus, & pulſationem, facile etiam ab his magis diſſitam eo tempore, interponere. Satis igitur intelligis, qui fieri potuerit, ut eum in utroque illorum eſſet aneuryſma, in neutro occurreret pulſatio. Qui fieri autem poſſet, ut cum ſemper eſſet is morbus, non ſemper eſſent paroxyſmi, ſuperiore Epiſtola (*k*) indicatum eſt. Itaque non quia pulſatio deſit, nec quia per longiora, aut breviora temporis ſpatia graviores morbi effectus non appareant, tu continuo exiſtima, ægrum aneuryſmate carere: ſed noli vel longioribus induciis fidere, niſi cum paroxyſmis ſimul omnia prorſus abeant aneuryſmatis indicia, nec illi jam redeant, ſi cauſæ redeant quarum occaſione excitabantur, ut corporis motus, deglutitio, aliave ejuſmodi, quæ in duobus propoſitis ægris ſolebant, in aliiſve eorum ſimilibus ſolent inſultus renovare.

21. Si forte hactenus miratus es, me qui in iis Litteris Obſervationes promiſerim meas, animadverſiones potius, quam obſervationes, protuliſſe, cum de quinque harum quas propoſui, una a me ſit, cæteræ ab aliis; mirari jam deſines, ubi animadverteris, maluiſſe me poſtea (*l*), mearum pluribus in alias Epiſtolas rejectis, alienas quidem, ſed ineditas, ne forte interciderent, communicare. Ne tamen id ægrius feras, quod libentius deberes accipere; quas ſubjiciam, ad unam omnes ex me habebis. Erit autem prima quæ cum poſtremo expoſita conveniat, ſive cauſæ genus velis attendere, ſive gravem in deglutitione moleſtiam, ſive ipſam denique aneuryſmatis ſedem ſpectare.

22. TUBICINEM Patavii vidi anno, opinor, 1723. quem ars ſua jam pridem conjecerat in aneuryſma inſanabile, obſidens pectoris intima, & ſuperiora. Id quo magis increſcebat, eo augebat magis deglutiendi moleſtiam, ſpirandique difficultatem, donec illius primum, mox hujus omni difficultate intercepta, hominem interemit. EX CA-

(*u*) De Circ. Sangu. Exerc. Anat. 3. (*x*) Opuſc. cit. ſupra ad n. 11. (*y*) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 47. (*z*) l. 2. S. 2. Obſ. 4. in Additam. (*a*) Vid. Epiſt. 39. n. 19. 20. (*b*) Epiſt. Anat. 13. n. 4. (*c*) Oper. l. 6. c. 32. (*d*) Vid. Anat. Chir. Obſ. 38. (*e*) Ibid. (*f*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1707. (*g*) Epiſt. 17. n. 29. (*h*) De Aneur. (*i*) Opuſc. cit. ſupra, ad n. 11. (*k*) n. 27. (*l*) ſupra, n. 13.

DAVERE quidquid ſedes morbi fuerat in Theatri Anatomici Atrium cum illatum eſſet; arcum vidimus arteriæ Magnæ cum ramo illo inſigni qui dexteræ Subclaviæ, & Carotidi originem præbet, ita dilatatum, ut Aſperam arteriam, gulamque comprimeret. Quod aneuryſma cum ibi ſecaret Cl. Vulpius, intimam illius faciem occupatam conſpexi polypoſa concretione craſſiſſima, cujus ſtructura quidem in eo erat ſimilis cæterarum quas antea videram, ut cæpæ inſtar reſolvi poſſet in laminas curvas, quarum aliæ alias comprehenderent; ſubſtantiæ vero pars magna erat dura, ex alboque ſubflava, ut nihil magis referret, quam duratum ſebum.

23. Materiam, *ſevum referentem*, intra aneuryſmata a Veſalio interdum repertam ſcribit Freindius (*m*) ex teſtimonio, ut videtur, Adolphi Occonis. Quod ego in hujus narratione minime invenio, ſive ut in Sepulchretum (*n*) relata eſt, ſive ut paulo fuſius legitur apud Schenckium (*o*): quanquam nihil frequentius eſt quam concretiones polypoſas ſebi, lardi, adipis ſimiles invenire, ut ſæpe harum rerum aut nomine, aut ſimilitudine eas concretiones olim, & poſtea indicaverint Obſervatores: neque in corde ſolum, verum etiam interdum in ipſis aneuryſmatibus. Sic in illo quod omnium primum diſſectum fuiſſe, creditur, exteriorem concretionis partem *colore & ſpecie lardo ſuillo non abſimilem* repertam eſſe, memoravimus (*p*). Sic Lanciſius (*q*) *polypeam ſubſtantiam inſtar lardi* in fornicem diſpoſitam in eo aneuryſmate deſcripſit, cujus *longitudo non excedebat longitudinis* Aortæ, *qua curva eſt*, *dimidium*; ut non videam, cur Freindius (*r*) ſic referat, quaſi *in tota Aortæ curvatura quiddam lardo ſimile*, *Cyſti incluſum*, Lanciſio apparuiſſet: ſicut nec video, cur ingens illud aneuryſma ab Ruyſchio (*ſ*) deſcriptum, & cum altero quod Littrius propoſuit, magna ex parte comparandum (*t*), ajat, *ſine externo quovis tumore totum* thoracis *cavum inferſiſſe*. Levia hæc eſſe, fateor, ſi propoſitum Freindii attendas, neque huic omnia fortaſſe imputanda; ſed tamen eadem, atque alia (*u*) inſuper, paucis in paginis, cum aliud agerem animadverſa, ut ſuſpicionem faciunt memoriæ, ſibi in ſcribendo præfidentis, ſic te reddent in legendo cautiorem.

24. Cæterum ut aneuryſmatis cauſam in Ferrarinio ex tuſſi ferina, diuturnaque deduximus (*x*), ita in Tubicine petendam credimus ex frequenti, & valida tubæ inflatione. Quidquid enim violenter, ac diu mutat naturalem reſpirationis motum, motum quoque ſanguinis mutat, ut modo cohibitus, modo incitatus, ſi qua forte vaſis alicujus minus robuſta pars ſit, hanc tandem ſive diſtrahendo, ſive urgendo dilatet. Quamobrem in aliis pariter qui tuba, aut fiſtula contentiore ſpiritu canunt, aneuryſmata non raro fieri, adnotavit Lanciſius (*y*), Albertinus autem (*z*) ex ejuſmodi artis genere indicium petiit, ex quo, cum aliis juncto, latentia adhuc aneuryſmata conjiciamus. Quod vero non omnes tubicines, neque omnes ferina tuſſi vexati hos in morbos incidant, aut firmior vaſorum quæ circa præcordia ſunt, ſtructura efficit, aut levior, minuſque aſſidua contentio, atque agitatio, aut denique minor copia ſanguinis, meliorque conditio, ut ſic ad eam quam diximus, cauſam aliæ diſtendentes, aut erodentes non accedant. Sic neque omnibus aut ferina tuſſi affectis, aut tuba, tibiave canentibus pulmonum ulcus eſt, aut arcta horum ad pleuram adhæſio, quamvis in duobus qui conſueverant ejuſmodi inſtrumentis uti, utrumque deprehenderint Cl. Viri Duiſingius (*a*), & Fabricius (*b*), qui attinere cenſuit ad numerum augendum eorum morborum, quibus hujus generis Artifices obnoxios eſſe, noſter docuit Ramazzinus (*c*), recte ille quidem; ſed ſic, ut alios pro varia diſpoſitione aliis ex iis morbis magis eſſe expoſitos, agnoſcamus.

De moleſta autem, & denique impedita in noſtro Tubicine deglutitione repetenda a mole, & poſitu, & ſede aneuryſmatis, ſic gulam nimium comprimentis, cum res per ſe manifeſta eſt; tum aliis quæ ſupra (*d*) poſita ſunt, exemplis confirmatur.

Poſtremo quod ad ſedem attinet aneuryſmatis in arcu ipſo arteriæ Magnæ, ſæpe adeo accidit, ut aut ibi, aut prope eum locum aneuryſmata reperiantur, ut ſi ab illo incipias quod ab Riva diximus (*e*) facile primum omnium fuiſſe delineatum, imo etiam ab iis quos ex Lazaro Riverio, & Ottone Heurnio adnotata habes in Sepulchreto (*f*), & per deſcripta ab Ruyſchio (*g*), ab Littrio (*h*), ab aliiſque deinceps, quos brevitatis gratia ſciens omitto, ad noſtra deſcendas, & in eo, aut ad eum quem diximus, locum reperta cum iis aliis omnibus conferas, quæcunque alibi ab interna cauſa leges exorta; miraturus ſis procul dubio, univerſas Aortæ partes tam raro in aneuryſma excreviſſe, in quæ iſta una ſæpe adeo excreverit. Cujus diſcriminis cauſam, quam olim in Adverſariis (*i*) attigi, non hic repetam, præſertim cum a Viris Doctis probatam poſtea fuiſſe, videam, & in his a Cl. Valcarengo (*k*), qui a Freindio, & a Michelotto oſtendit eſſe confirmatam. Duo addam potius. Alterum: quanto majori vi in obiectum Aortæ arcum a ſiniſtro cordis ventriculo ſanguis impellitur, tanto majori a mox contrahente ſe arcu in utramque proximam Aortæ partem repelli. Sed cum facilius recipiatur in partem illam quæ deſcendit, quam in eam quæ a corde aſcendit, quippe quæ & longe brevior eſt, neque in amplos ramos aperta, imo valvulis Semilunaribus occluſa; hinc ſequi, ut ſi in alterutram arteriæ partem vis facienda ſit, in hanc potius fiat, &, quod conſequitur, inter ſummum arcum & cor multo plura, quam in parte altera proxima, inveniri ſoleant aneuryſmata. Alterum: etſi non magis diſtet finis trunci Pulmonaris arteriæ a ventriculo cordis dextero, quam Aortæ arcus a ſiniſtro, neque magis reſiſtere truncus ille poſſe pro portione videatur viribus ventriculi dexteri, quam truncus Aortæ, ſiniſtri; tamen multo pauciora in illo, quam in arcu, aut prope arcum hujus, reperiri aneuryſmata, facile propter alium trunci Pulmonaris arteriæ poſitum, non ita objicientem ſe curſui adacti ſanguinis, neque hunc omnem, neque tam ſubito, violenterque inflectentem. Sed ad reliquas Obſervationes pergamus.

25. BELLUNENSI anno nato circiter quinquaginta, qui laneas telas forficibus magnis quidem, ſed non illis tamen maximis, ac graviſſimis, tondebat, ante annum attolli cœperat dextera pectoris pars ſuperior, cauſam præbente an meri potu quo uſus fuerat aliquanto liberalius? an Venereo morbo? an potius utroque ad eam artem addito, in qua, ut diximus, ſe exercebat? Quæ enim præceſſiſſent incommoda, aut quæ poſtea ſucceſſiſſent, ſcire non licuit, niſi quod ſaltem ex quo Venetias redierat circa Octobris initium A. 1707. ſive ambularet, ſive loqueretur, ſpirandi difficultate vexabatur: quæ tamen neque per paroxyſmos ingruebat, neque ſuffocationem intentabat, neque ſomnum abrumpebat: & ad artem hominis ipſa quoque facile relata eſſet ab iis præſertim quibus notum, probatumque fuiſſet in ejuſmodi artificum officina a Kerckringio (*l*) habitum experimentum. Sed præterea edere jam, aut bibere multum non poterat. Facies erat tumida, & ex rubro fuſca: vox obſcura, & rauca: ſputa craſſa: tumoris pulſatio aliquando, & certe ante viginti ultimos dies, vel eminus conſpecta fuerat. Hic ſub initium inſecuti Decembris inter domeſticos prima nocte verſatus, ut ſolebat, cum iiſque locutus, cum lectum petiiſſet, & mox ſe dormire velle, dixiſſet; poſt paulo moribundus inventus eſt cum ſtertore, & ſpuma ad os, atque nares, ſicque intra quatuor circiter horas eſt mortuus. CADAVERIS facies turgida, & livida: manus & pedes non tumi-

(*m*) Hiſt. Medic. ad A. 1640. ubi de Aneuryſm. (*n*) l. 4. S. 2. Obſ. 21. §. 7. partic. 2. (*o*) l. 5. Obſ. Medic. 5.
(*p*) Epiſt. 17. n. 29. Vid. Sepulchr. §. cit. partic. 1. (*q*) De Subit. Mort. Obſ. ultim. (*r*) loco indicato.
(*ſ*) Obſ. 38. cit. ſupra, ad n. 20. (*t*) Ibid. (*u*) Vid. Epiſt. 17. n. 3. (*x*) ſupra, n. 19. (*y*) De Aneur. Propoſ. 39. & 55.
(*z*) Opuſc. cit. ſupra, ad n. 21. (*a*) Commerc. Litter. A. 1741. Hebd. 44. n. 1. (*b*) in Propempt. edito Helmſt. A. 1751.
(*c*) Diatrib. de Morb. Artif. c. 37. verſ. fin. (*d*) n. 17. & Epiſt. 17. n. 25. & 26. (*e*) Ibid. n. 29.
(*f*) l. 4. S. 3. Obſ. 21. §. 10. & l. 2. S. 5. Obſ. 8. (*g*) Anat. Chir. Obſ. 37. & 38. (*h*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1707. & 1712.
(*i*) II. Animad. 41. (*k*) de Aort. Aneur. Obſ. (*l*) Vid. in Act. N. C. Tom. 5. Schol. ad Obſ. 85.

tumida: præputium vero, & glans tumebant, livebant, & grave olebant, quaſi in gangrænam vergerent; ſed urethram ſcrutari cum ipſe, & Cl. Santorinus vellemus, nec tempus, nec locus, nec qui forte aderant, ſinebant. Quamobrem Ventre aperto, in eoque durioribus animadverſis jecinore, & ſplene, & hoc inſuper æquo majori; omnis diligentia noſtra converſa eſt ad Thoracem. Et exterius quidem in ea pectoris ſede quæ inter axillam dexteram, & ſternum eſt, tumor prominebat in modum hemiſphærii, ſed depreſſi, a coſta quarta ad claviculam pertinens, ſterno propior, quam axillæ, cedens, ſi premeres, adeo ut intelligeres continuo, nulla ferme jam ſupereſſe oſſa, aut cartilagines, quæ ibi inter muſculos, & thoracis cavum interjicerentur. Et revera claviculam ruptam, & carie interius exeſam, ſupremarum autem coſtarum quatuor eam præcipue partem quæ diu ſolet eſſe cartilaginea, corruptam invenimus, aut abſumptam ab aneuryſmate, cujus magnitudo hœdinum caput ſuperabat, figura ad ovalem accedebat, ſedes autem a cordis baſi ad ſummum thoracem extendebatur. Erat autem aneuryſma ſacci inſtar, cujus ſiniſtrum latus per foramen, duos admittens digitos, cum latere dextero communicabat arteriæ Magnæ priuſquam hæc commune dexteris Subclaviæ, & Carotidi initium præberet. Fieri videbatur is ſaccus ex producta ejuſdem Magnæ arteriæ ſubſtantia, ſed magis alba, tenaci, denſa, nec minus craſſa. Hanc intus conveſtiebant curvæ laminæ multiplices, aliæ aliis impoſitæ, quaſi fibroſæ, reapſe polypoſæ, ſed exſuccæ: quæ ambitu ſuo tantum ſanguinis complectebantur ferme concreti, ut hic cum polypoſis iis laminis eductus, & lanci impoſitus uncias pependerit quadraginta. Aneuryſma pulmonem dexterum retrorſum, magiſque deorſum compulerat mole ſua; ut a compreſſione minor factus videretur. Inciſus album pus oſtendit, hinc illinc prodiens e diſſectis bronchiis. Pulmo ſiniſter ſanus erat. In utroque tamen thoracis cavo, ſed magis in dextero, ſeri copia fuit flaveſcentis, qui mucoſas quaſi pelliculas admiſtas habebat. Per mucoſam quoque & ſubflavam ejuſmodi materiam pericardium undique adhærebat cordi. In hujus auricula dextera, annexoque ventriculo polypoſa erat concretio: in Pulmonari arteria ſanguis: in ventriculo ſiniſtro neutrum. Denique arteria Magna deſcendens intus erat quibuſdam in locis inæqualis, nec ſine indiciis oſſificationis, per duritiem quaſi tendineam incipientis.

26. Etſi plura in hujus hominis thorace inventa ſunt, quæ uti, ſive incederet, ſive dumtaxat loqueretur, difficilem ſpiritum faciebant, ſic re aliqua addita, hunc intercludere, id eſt ſuffocare potuerunt; tamen, ſi forte mavis mora etiam injecta ſanguini, e cerebro redeunti, aliquid inſuper apoplectici acceſſiſſe; ſpectata deſcripti aneuryſmatis ſede, non valde repugnabo. Ibi enim erat, ut venæ Cavæ Superioris comprimere truncum poſſet in decumbente præſertim, & fortaſſe in dexterum latus: quo in ſitu videlicet non mole tantum eum truncum urgeret, ſed & pondere prægravaret, utrumque autem horum tanto magis efficeret, quanto plus ſanguinis tunc admitteret, quippe per Aortæ truncum ab anterioribus in poſteriora devexum, non aſcendentis in cubante, ſed potius deſcendentis, ut orificium ipſius ſacci ſubiret, huncque diſtenderet forte quantum nunquam antea diſtendiſſet, ſive quod ſacci parietes eo denique redacti eſſent, ut magis cederent, ſive potius quod ſanguinis major eſſet ea nocte aut turgentia, aut copia propter ingeſtum paulo plus meri, aut ob ſuppreſſam, ut frigida tempeſtate, inſenſibilem perſpirationem. Hæc igitur ita pones, uti volueris, quando & ſtertor, & ſpuma ad os, & turgida ac livida facies utrique generi mortis conveniunt.

27. Proximorum autem aneuryſmati oſſium, & cartilaginum corruptionem, abſumptionemve, qualem in propoſito viro, in aliiſque deprehendimus, non raro Anatome obtulit ſive gravi contuſioni aneuryſma ſucceſſiſſet, ut in Subcenturione, de quo Cl. Chriſtianus Vaterus (*m*), aut ut alia, vetuſtiora quoque, exempla omittamus, & noſtro magis ſimile proferamus, in viro, quem Cl. Schreiberus (*n*) deſcribit, coſtis, & cartilaginibus carie exeſis, muſculis autem aneuryſma, ſub ipſis diſruptum, obtegentibus; ſive nullo ictu prævio, ut in juvene, de quo Cl. Fackgius (*o*), arteriæ dilatatio ortum a ſanguine acriori, incrementum autem ab nimio, in luſu pilæ, brachiorum, & corporis motu cepiſſet, claviculæ proximæ labem afferens. Tu vero quam in coſtis, & clavicula cariem, abſumptionemque conſpeximus, repetes, ut malueris, a contigui aneuryſmatis aut pulſatione, aut erodente ichore; quanquam & pulſatio ubi non ſine carie excavat, non agit ſine ejuſmodi ichore. Vaſcula enim perioſtii, & perichondrii, & quæcunque alia, ut puta attenſæ his pleuræ, inter reſiſtentia illa corpora, & aſſidue, ac vehementer pulſans aneuryſma interpoſita, ideoque contuſa, atque extenuata, facile tandem hic illic rumpuntur, & quædam quaſi ulcuſcula faciunt, perminuta quidem, ſenſumque fugientia, humorem tamen inter lamellas membranarum illarum fundentia, qui mora acredinem contrahit, & erodendi vim, in quibuſdam præſertim corporibus, non mediocrem. Quæ de vaſculis etiam credito, per eam parietum aneuryſmatis partem reptantium, quæ pars ad reſiſtentia illa corpora urgetur. Sed erodens ichor non ſemper aneuryſmatis effectus eſt, quemadmodum nunc expoſui, verum etiam cauſa, ut alias (*p*) indicavi, rem poſtea multifariam explicante ingenioſiſſimo Lanciſio, nempe aut acribus humoribus in arteriæ alicujus percuſſa parte inter ejus tunicas remoratis, ut in iis aneuryſmatibus quæ, ut paulo ante memoravi, ictibus, contuſionibuſque ſuccedunt (*q*), aut ibidem ſine prævia externa cauſa ſubſiſtente ichore quodam eroſivo, ut in iis quæ in hypochondriacis, ſcorbuticis, aut hyſtericis corporibus exoriuntur (*r*), vel etiam e vicinis eroſis partibus in arteriæ parietes deſtillante, ut in iis quæ prope oſſa, carie Venerea jam affecta, contingunt (*ſ*). Nullus tamen dubito, quin erodentia corpuſcula, eorum humores qui lue Venerea infecti ſunt, inquinantia, ut in aliis etiam quæ minime oſſeæ ſunt, partibus ſubſiſtendo, ſe produnt, ſic in arteriarum quoque tunicis, non ſecus atque in ſcorbuticis, & hyſtericis dixit, haud raro ſubſiſtant, quas hic illic corrodendo infirment, eoque dilatationibus obnoxias reddant. Et ſane eroſionis manifeſta indicia, ut alibi (*t*) a me ſcriptum eſt, in ipſis tunicis arteriæ Magnæ, præſertim cum hæc eſſet; nam interdum etiam cum non eſſet; oſſeis ſquamulis hic illic intus obducta, ſæpenumero deprehendi. Quas Obſervationes ad alias Epiſtolas (*u*) differo, in quibus commodiorem locum ſunt habituræ. Quæ autem jam proferentur, etſi non ſine iis erunt ſquamulis; illuc tamen ſpectabunt quo ordo poſtulat, ad Aneuryſmata videlicet Cordis ſimul, & Magnæ arteriæ.

28. ANUM propemodum octogenariam, cum Bononiæ degerem A. 1702. ſæpius audiveram de ſtomacho querentem; ſic autem ibi vulgus ſolet partem inferiorem pectoris deſignare. Pulſus erant maxime vibrati: difficultas autem ſpirandi tanta, ut ſedere in lectulo cogeretur; quæ tamen remittebat interdum, dato oleo, ex dulcibus amygdalis recens expreſſo. Denique ita aucta eſt, ut mulierem ſuffocaverit.

THORACE reſerato, non pauca in hoc aqua a nobis conſpecta eſt; ſed in pericardio plurima, ut ipſum non mediocriter diſtenderet. Cor ea mole, parietum craſſitudine, thalamorum capacitate, ut juvenci videretur. In utroque horum polypoſæ concretiones non parvæ, in vaſa pertinentes. Aorta a corde ad primum uſque orificium ſuperiorum ramorum maxime dilatata, & toto ferme eo tractu operta intus ſquamulis oſſeis, nihil magis quam creberrimas albæ ceræ guttas referentibus poſtquam in pavimento refrixerunt. Siniſter pulmo, inferiore præſertim parte, laxior, & ſemicorruptus non ſecus, ac ſi diu fuiſ-

(*m*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 162. (*n*) Nov. Comm. Acad. Sc. Imp. Petropol. Tom. 3. inter Phyſ. n. 4.
(*o*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 74. (*p*) Adverſ. 2. Anim. 41. (*q*) De Aneur. Propoſ. 20. & ſeqq. (*r*) Ibid. Propoſ. 30. & ſeq.
(*ſ*) Ibid. Prop. 32. & ſeq. (*t*) Animad. indicata 41. (*u*) Epiſt. 26 n. 17. & Epiſt. 27. n. 2. 22. & ſeqq.

fuiſſet, ut ab Anatomicis interdum ſolet, in aqua maceratus.

29. Hiſtoriam, in multis huic ſimilem, apud Malpighium (*x*) leges, ſive pulſus vibrationem attendas, ſive copiam aquæ in pericardio, ſive thalami cordis præcipui, Magnæque arteriæ dilatationem, & huic intus adnatas oſſeas ſquamas. Quæ tria poſtrema in duabus quoque inſequentibus Obſervationibus animadverſa a nobis reperies. Quas antequam proferimus, & ipſæ, & duæ pariter quæ proxime ſcriptæ ſunt occaſionem præbent interjiciendi aliquid de opinione Cel. Viri ſuper aneuryſmatum cauſa, & oſſearum in his bractearum. Hanc eſſe poſſe exiſtimat in oſſium carie; ſed longe alia ratione ac paulo ante explicatum eſt (*y*). Scilicet cum plures arteriæ ſint oſſibus, tanquam fulcris, contiguæ; ſi forte caries os excavet, ibi deficiente fulcri reſiſtentia, pronam arteriam fieri ad dilatationem, ad conglutinationem cum oſſe carioſo, & ob deſtillantem ab hoc ſuccum oſſeum, etiam ad oſſearum bracteolarum productionem. Credibile eſt, ſi huic Scriptori id forte accidiſſet quod Præcl. Targionio (*z*), ut magnam foveam in thoracis vertebris excavatam videret, eique appoſitam venam ſine Pari admodum varicoſam; credibile, inquam, eſt, foveam potius pro varicis cauſa fuiſſe habiturum contra, atque habuit Targionius, cui facilius aſtipuleris ſi varix tunc cœperat, cum vertebræ necdum ob ætatem cedere deſierant. Cæterum opinionem propoſitam, quod ad peculiares quaſdam arteriarum dilatationes attinet, libens fateor, poſſe aliquando ex parte aliqua locum habere, velut in Ciſiario de quo Epiſtola ſuperiore (*a*), magiſque eo in caſu, cujus occaſione opinio iſta exorta eſt; erant enim in poſteriore Aortæ facie hemiſphærica quædam tubera, foveis reſpondentia, quæ in contiguis vertebrarum thoracis corporibus excavatæ, ſingulæ ſingulas illas hemiſphæricas dilatationes excipiebant. Attamen Aorta anteriore quoque facie erat dilatata, neque ea facies ſimilibus hemiſphæricis dilatationibus carebat: quorum neutrum a foveis illis eſſe poterat vertebrarum. Sic etiam apud me eſt ſiccata ex quodam homine arteria Magna cum oblongo aneuryſmatis ſacco, qui oriri incipit antequam ex illa rami ſuperiores exiſtant; ex ipſo autem ſacci initio peculiaris extuberat hemiſphærica dilatatio, capax extremæ partis cujuſque craſſiſſimi digiti pollicis: quod certe tuber, ut indicata ſedes oſtendit, nulli oſſi vicinum fuerat. Sed & eum quem in Viro Bellunenſi (*b*) deſcripſimus ſaccum, corruptas claviculam, coſtaſque attingentem, num hujus corruptelæ cauſa natum dicemus, cum ejus prima origo ex illa pariter eſſet arteriæ parte quæ & ab illis, & ab oſſibus aliis omnibus adeo diſtat? Legiſti præterea in ſuperiore Anus hiſtoria, in aliiſque pariter legiſti, & leges, in eadem Aortæ ſede fuiſſe aneuryſmata: fuiſſe etiam; ut de his quoque dicam; lamellas oſſeas. Num ab oſſibus, quæ remota, & integra erant, hæc repetemus? ne quid dicam de oſſeo ſucco, nuperis Cl. Hamelii (*c*) experimentis vel ibi in dubium vocato, ubi e fractis oſſibus effluere credebatur; ut ſi cum eo facias, tanto minus e carioſis jam videatur repetendus. Sed de oſſearum lamellarum in arteriis origine mox alia perpendemus, cum aliam protulerimus Obſervationem, quam Bononiæ pariter, biennio poſt ſuperiorem, habuimus.

30. VIR; cujus patruum abditus in thorace morbus ſuſtulerat, magna cum pulſatione conjunctus; veneri, præſertim cum junior eſſet, & conviviis nimium deditus; maturus vero animi affectionibus, curiſque gravibus vexatus, primum quidem ſimilem pulſationem ſentire, tempore autem interjecto, ſpiritum inſuper cum difficultate ducere cœpit cum per plana ingrederetur, multo autem magis cum per acclivia. Hæc difficultas ſingulis fere menſibus in peculiaris paroxyſmi modum uſque adeo invaleſcebat, ut homo jam jam ſuffocandus videretur, niſi propere ſanguinem mitterent; ſic enim levabatur. Denique levi febricula correptus eſt, qua maxime occaſione animadvertit Medicus, pulſus non modice peccare; neque enim ei febriculæ conveniebant, quippe vehementes, multumque vibrati, præſertim ſiniſter. Quæſivit continuo, numqua pulſatione pectus laboraret? hanc enim ſiluerat æger, quamvis diuturnam, ut diximus, & tantam, ut manum, ſub ſiniſtra mamilla admotam, ſæpe violentius urgeret, quaſique repelleret. Jamque ſpiritus non niſi erecta cervice trahi poterat: ſputa etiam quædam ſanguinea, perpauca tamen, reddebantur. Miſſus ſanguis, ſed ad uncias, haud amplius, duas, ſane optimus viſus eſt. Æger interea ſenſim macilentior, hectici inſtar, fiebat; nec tamen plurimum; pedes œdemate tumentes, vires debiliores, pulſus humilior, vibratione tamen non amiſſa, illaque perſtante ſub mamilla pulſatione. Quin die ex quo febricula invaſerat, circiter quadrageſimo, hora una prius quam obiret, maxima, ſi unquam alias, ea pulſatio facta eſt. VENTER nihil ferme præter naturam habuit, niſi lienem, juſta quidem magnitudine, ſed durum, & pernigrum. In Thorace nihil aquæ, ut neque in ventre, neque in pericardio, congeſtum erat. Cor vero maximum, venis, per ejus faciem reptantibus, dilatatis, & quaſi varicoſis. Secto ventriculo dextero, in quo levis concretio polyposa, & ſiniſtro, in quo nihil tale, ſimul omnes cordis parietes craſſiores inventi ſunt, ſimul ambo ventriculi dilatati, multo autem magis ſiniſter, in quo Mitrales valvulas ferme triplò majores quam ſoleant, columnaſque ad quas alligantur, ampliores animadverti. Magna quoque arteria a corde ad viciniam uſque Emulgentium multo latior, totoque eo tractu rigida ob crebras, quas intus oſtendit, lamellas oſſeas. Dum ea quæ dixi, inſpecta ſunt, & cor a vaſis eſt amputatum, ex his magna vis nigri, & ſemiconcreti ſanguinis excidit, cujus etiam oblongus quaſi cylindrus non ſecus ac gladius e vagina, ex uno eorum, puta Superiore vena Cava, eductus eſt. Pulmones, diſſecando, variegati, & ſpumoſo humore ſcatentes, & quaſi tendinea, ſi tangeres, duritie reperti ſunt.

31. Cum ſanguis a validioribus parietibus cordis violentius in arteriam Magnam contruderetur, hancque eo facilius fortaſſe dilataret, quod minus robuſta eſſet; aliquid enim avitæ hæreditatis ſubindicat ille patrui morbus; ſanguis autem a dilatata, & poſtea rigida facta arteria non ita ut par eſt, promoveri poſſet; nempe in proximo ventriculo, ſicut alibi quoque diximus, ſubſiſtere in parte cogebatur, huncque potiſſimum diſtendere; quanquam & in pulmonum vaſis, & ventriculo etiam dextero ob eandem cauſam, ſed paulo minus violenter, quippe *mediate*, & *ſucceſſive*, retardatus, hunc itidem dilatavit, ſed minus. Ex his igitur, & ex aucto cordis pondere, diaphragma prægravante, difficultatem ſpirandi intelligis, & ſputa illa ſanguinea: ex conatu autem utriuſque ventriculi eo majori, quo plus ſanguinis, & in vias alio ſanguine impeditas erat expellendum, num harum duritiem repetes, & rigiditatem? quarum illa in pulmonum, hæc in Aortæ diſſectione ſe prodidit. Si inde repetes; feceris ſecundum Boerhaavii, a plurimis receptam, doctrinam (*d*), non duriores modo, ſed & oſſeas per ſenectutem, & vitam laborioſam redditas partes a perpetuo, & juſto validiore motu deducentis. Sive enim longiori vitæ ſpatio valide, ſive breviori tempore, ſed multo validius, minima partium vaſcula urgeantur, & comprimantur adeo, ut immeabilia fiant, & tandem nulla; earum duritiem, & oſſeam demum rigiditatem intelliges. Verum cum ſciam, ab doctrina hac diſſenſiſſe tamen Cl. Viros, eorumque unum, cujus Diſputatio eſt in manibus, cum rationes, tum obſervationes præſertim, quibuſcum meæ, ut alias (*e*) oſtendam, in parte conveniunt, protuliſſe, ob quas diſſentiat; pedetentim, nec ſine diſtinctione quadam hic tibi cenſeo procedendum.

32. Itaque primum duriores ſenum eſſe partes, negari non poteſt, quando & Anatomici (*f*) vel ipſum illorum cerebrum firmius, & durius eſſe, confirmant, nec quiſquam annoſorum animalium carnes, ignorat, quan-

(*x*) Epiſt. de Struct. Glandul. (*y*) n. 27. (*z*) Prima Raccolta di Oſſerv Med. pag. 22. (*a*) 17. n. 17. (*b*) ſupra, n.25.
(*c*) Mem de l'Acad. R. des Sc. A. 1741. (*d*) Prælect. ad Inſtit. §. 415. (*e*) Epiſt. 27. n. 21. 22.
(*f*) Vid. apud Haller in extrema ad cit. Boerh. §. Adnot.

quanto difficilius dentibus, & ſtomacho conficiantur, aut igne ipſo coquantur. Hanc autem duritiem inde repetere, unde Boerhaavius cenſuit, licere credo. Rigida quoque, & oſſea facta ſeniorum quædam ligamenta, & membranas, & tendines, atque adeo partem muſculoſæ cordis ſubſtantiæ; ut alii (*g*), & nos quoque interdum (*h*) vidimus; cur ab eadem præſertim cauſa non dicamus, nihil eſt, opinor, quod magnopere obſtet. Atqui ex membranis, & muſculoſis fibris arterias conſtare, manifeſtum eſt. Videtur igitur, in his quoque eandem rationem poſſe locum habere, ſiquando ad eundem modum oſſeæ fiant: ſecus vero; ſi aliter. Sæpius autem aliter fieri, inficiari nequeo, cum disjectarum ſquamularum, de quibus hic ſermo eſt, & eorum quæ cum iis ſimul animadverti, venit in mentem. Sed ut libens hoc fateor; ſic & illo priore modo interdum fieri poſſe, credam; nihil enim video, cur quod aliis in tunicis agnoſcimus, id in tunicis arteriarum omnino negemus. Neque enim obſtat quod media ſit muſculoſa, ac jugiter in alterna contractione, & relaxatione verſetur, quando, ut modo dicebam, cordis ipſius carnem oſſeam factam eſſe, ſcimus. Nec officit celluloſum contextum, tunicis illis interpoſitum; ſiquidem ſecundum naturam inter ipſas coarctatum, celluloſi forma non apparet, niſi diſtractionis, aut aeris injecti ope, quare ſatis tuta a compreſſione tranſeuntia in tunicas vaſa non præſtat, & ſane membranas alibi, quibus ejuſmodi contextum ſubeſt, oſſeas nihilominus factas videmus: quanquam hic non tam vaſa ſpectamus tunicas petentia, quam ultimos eorum ramuſculos, per earum intimam ſubſtantiam diſperſos. Sed & vaſa quæ arteriarum tunicas adeunt, in ipſo celluloſo contexto elidi per ætatem, & coaleſcere, ſpectatis poſt injectionem inde fœtuum, hinc ſeniorum arteriis, & vaſis utrarumque collatis Boerhaavius (*i*) ex Ruyſchio indicavit, & diſerte Illuſtris confirmavit Hallerus (*k*). Nec vero propter celluloſam pulmonum ſubſtantiam, horum arteriæ ab hoc vitio immunes ſunt, cum exemplum (*l*) proſtet, in quo *arteriæ in pulmonibus, earumque rami penitus fuere oſſea.* Nam quod venæ quoque oſſeæ fiant, in quarum parietes non incurrit ſanguinis impetus, ut in parietes arteriarum, aut quod hæ non ſemper prope cor incipiant fieri oſſeæ, ubi a ſanguine compulſo magis urgentur; nempe illud multo rarius contingit; nec mirum eſt, ſi ob alias cauſas id interdum venis accidat, quod & cæteris membranis, aut ſi certi arteriarum tractus ſive a primordiis, ſive ex peculiari vitæ genere, & crebriore quodam corporis, aut artuum ſitu magis diſpoſita aliquando habeant intima vaſcula ad compreſſionem excipiendam a ſanguine arterias omnes diſtendente. Quæ diſpoſitio cum ab ortu ipſo eſſe queat in parvis etiam hic illic arteriarum particulis, aut in externis magis, quam in internis tunicæ intimæ lamellis; hinc quoque eſſe poteſt, ut non perpetuum os pergat, aut intimæ tunicæ facies intima, quamvis incurſui ſanguinis magis expoſita, oſſea ipſa non fiat, cum ea fiat, quam obducit.

33. Quod ſi forte quædam horum, quæ a me repoſita ſunt magis, ut te ad meliora reponenda excitarem, quam quod ſatis mihi placeant omnia; & ſane alibi (*m*) perſpicies, non multum pleriſque horum a me tribui; non continuo tamen illuc nobis decurrendum cenſeo, ut arterias fateamur nunquam ad eum modum in oſſeam naturam mutari, ad quem tendines, aliæve quædam partes mutantur. Quid enim ſi aliquando vel tota intima ipſa tunica, ſi arteria tota in eam naturam mutaretur? Falloppius (*n*); nam & veteres illi Anatomici hoc non ignorarunt obſervationum genus; cum illud diu ante Stenonium animadvertit, *aves ſeniores habere muſculorum chordas oſſeas propter nimium uſum & laborem, at juniorum avium chordas molles eſſe*; tum diſerte teſtatus eſt (*o*), *ſe vidiſſe in quadam vetula omnes arterias ſiniſtras oſſeas eſſe factas*. Coiterus autem (*p*) hoc inſuper de Falloppio ſcripſit, *Viros fide dignos ſibi Bononiæ retuliſſe, ſe ſe Patavii in corpore, a Falloppio diſſecto, vidiſſe arteriam aortam, ſive magnam, totam oſſeam*. Certe autem illa ejuſdem arteriæ deſcendentis portio tota oſſea fuerit, oportet, quam e nobiliſſimi Viri cadavere, cum duobus *cruralibus ramis ſpithamæ longitudine* exemit Harvejus (*q*); nam ejus *tunicas in calamum & tubulum oſſeum totaliter converſas* dixit, nec certe, ſi tunica aliqua ſuperfuiſſet, erat ejus argumento locus, *per ſoliditatem oſſis, facultatem* pulſificam *deduci non potuiſſe*. Omitto alias obſervationes, cum in hac Harvejus tantum dixerit, quantum ſatis eſt, ne propter ejus ſilentium aliter conjicere, nedum oſtendere, aut evincere facile poſſimus. Sed hactenus hæc, non ut diſſentiamus, ſed ut tantiſper aſſenſionem cohibeamus, dum verum nobis inquirentibus ſe magis prodat. Nunc ad reliquam dilatati cordis, & Magnæ arteriæ Obſervationem veniamus.

34. MULIER annorum, ut videbatur, circiter quadraginta, pinguiuſcula, quæ purgando lintea victum quærere conſueverat, cum intra ſexennium hoc ultimum propter ſpirandi difficultatem, quæ aſthmatis convulſivi ſpeciem habebat, ſæpe in Noſocomium veniſſet, neque pulſus unquam percipi in ejus carpis potuiſſent; eodem redierat ob eandem illam difficultatem, cum intra dies quindecim mortua eſt, craſſa, & purulenta, ut referebant, ſputa reddens extremo tempore. CADAVER, Publicæ Anatomes cauſa in Theatrum illatum, inſpexi. Nuſquam, ne ad pedes quidem, tumidum, neque omnino improbandum videbatur. Sed poſtridie a morte cum integumenta abdominis ſublata eſſent, muſculi virere cœperunt, tertio autem die multo magis, nec ſine teterrimo odore; quanquam Ventris viſcera mox retecta, neque livida, neque morbida conſpecta ſunt. Verum paulo poſt quam ventriculus, omentum, meſenterium, & alia quædam viſcera exempta fuerant, hæc omnia livere, & fœtere cœperunt, ut poſtridie pancreas viridi obſoleto colore infectum, nihil minus quam pancreas eſſe videretur. Interea autem non Theatrum modo, ſed totum propemodum Gymnaſium vehemens, & intolerandus fœtor impleverat, cum tamen gelida eſſet, ac nivoſa tempeſtas per eos dies, qui proxime antecesſerunt maximam illam vim frigoris quæ ſe IV. Idus Februarii A. 1740. exerere incepit. Etſi igitur propere auferendum, humandumque cadaver fuit; tamen antea integumenta ad utrumque carpum incidi, volui, ſi forte arteria eo quo ſolent Medici loco quærere, aut nulla eſſet, aut exigua, aut aliqua ratione impedita, thoracem autem ad inquirendam morbi ſedem reſerari. Et arteria quidem utrumque ad carpum fuit ſicuti, & qualis ſolet. Thorax quoque nihil habuit effuſi humoris, neque annexos pleuræ pulmones: qui turgidi, quidem erant, & referti humore ſpumoſo; at nihil præterea intus, extrave quod morbidum eſſet, oſtenderunt. Sed intra pericardium durius, & craſſius, & quaſi tendineum, invenimus cor magnum. Quod cum diſſecarem, animadverti, eam magnitudinem, & ventriculorum capacitatem cum extenuatione parietum, qui craſſiores erant potius, non eſſe conjunctam. Polypoſæ concretiones albidæ quidem, & craſſæ, ſed non duriores quam cruſta, in ſummo concreſcens ſanguinis emiſſi, imo facile diſcerpendæ, in utroque erant ventriculo, ſed præſertim in dextero, unde una longiſſima per arteriam Pulmonarem ſe ſe extendebat. Quibus amotis, cum ventriculorum intimam faciem, valvulas, auriculas, & magna vaſa diligentius perluſtrarem; omnia intra ſanitatis modum inveni, ſi hæc excipias. Adjectus ſiniſtræ auriculæ Sinus amplior erat, & interna ſuperficie magis quam ſoleat, inæquali. Aggeres, ut Valſalva (*r*) appellat, valvularum arteriæ Magnæ, hic illic craſſiores, duarum præſertim; ſic & unius earum quæ arteriæ Pulmonari præfectæ ſunt. Cum illos ſpectarem, facile fuit ani-

(*g*) Ibid. (*h*) Epiſt. indicata n. 18. (*i*) Prælect. cit. ad §. 471. (*k*) ad earund. §. 467. not. 2.
(*l*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 3. Obſ. 38. (*m*) Epiſt. 27. n. 21. 22. (*n*) De Partib. Similar. c. 10. (*o*) Ibid. c. 14.
(*p*) Obſ. Anat. (*q*) Exercit. Anat. 3. de Circ. Sangu. (*r*) Diſſ. Anat. 1. n. 10.

animadvertere, præter duo orificia unde Coronariæ incipiunt arteriæ, tertium hic inſuper fuiſſe, nec vero ad latus dexteri, ſed ſiniſtri, eaque magnitudine, ut tanta nunquam illud conſpexiſſe meminerim quod alias (ſ) ad dexteri latus deſcripſi. Sed multo facilius fuit agnoſcere, ab iis valvulis ferme ad eam uſque ſedem, unde primæ oriuntur Intercoſtales Inferiores, Magnam arteriam eſſe dilatatam. Quod non minus manifeſtum erat, quam toto eo tractu durioribus, & craſſioribus eſſe tunicis, facie autem interna pleriſque in locis flava, & indicia oſtendente proximæ in os mutationis, qualia etiam initium exhibuit alterius Subclaviæ. Quin ſtatim atque Aorta vocari deſcendens poterat, nonnullas parvas, ſed revera oſſeas laminas intus habebat, ibidemque non ſecus ac ſi diſtracta fuiſſet, fibras, nec anguſtum ad ſpatium oſtendebat ſuas. Poſtremo qua ad diaphragma accedebat, quibuſdam quaſi ſulcis ſecundum longitudinem ductis exarata videbatur.

35. De his quidem ſulcis alias (t) ad te ſcribam; nam & in aliis animadverti. De tanta autem illa a viſceribus, ventris præſertim, concepta ad inſolitam putredinem diſpoſitione, aut de pulſibus qui percipi non poterant, nihil habeo quod dicam, niſi hos forte convulſioni (u), illam vero peſſimæ, quæ ſe nuper adjunxiſſet, febri velimus imputare. Sed purulenta quoque, an potius puriformia ſputa noviſſime extiterint, in medio relinquam. Unum, quod necdum expoſui, tametſi in duabus quoque ſuperioribus hiſtoriis (x) memoratum eſt, explicare conabor: quomodo cum dilatatione ventriculorum cordis poſſit horum parietum non imminuta, ſed aucta potius craſſitudo conjungi; quod Vir Celeberrimus, præternaturale carnis muſculoſæ vel in cordis aneuryſmatibus augmentum negans, videtur aut non vidiſſe, aut non ſatis attendiſſe. Cordis ventriculi cum aneuryſma patiuntur, non omnem ſanguinem in arterias expellunt, &, quod conſequitur, ad eum quem ex venis excipiunt, portio addenda eſt quæ antea reſtitavit. Major igitur ſanguinis copia magis reſiſtet ſanguini ex ipſa cordis ſubſtantia per plures, ſed anguſtos, meatus in ventriculos redituro: quamobrem pars hujus ſanguinis intra parietes cordis ſubſiſtens, ipſos efficiet craſſiores. Quod ſi aneuryſma ventriculorum cum aneuryſmate conjungatur, ut in his tribus de quibus proxime diximus, arteriæ Magnæ; illud inſuper accedet, quod cum hæc promovere tunc nequeat pro eo ac par eſt, ſanguinem a corde immiſſum, multo plus ejuſdem ſanguinis, mox contrahente ſe arteria, in orificia repelletur utriuſque arteriæ Coronariæ: ideoque parietes cordis ſimul plus ſanguinis excipient, ſimul minus ex ſe ejicient, itaque eorum craſſitudo duplici de cauſa increſcet: eoque magis, ſi vel meatus per quos ejiciunt, natura auguſtiores ſint, aut pauciores, vel orificia per quæ excipiunt, majora, aut, ſicuti in hac muliere, nonnunquam plura. Neque tamen omnibus quorum ventriculi ſint dilatati, craſſeſcent horum parietes, imo in quibuſdam extenuabuntur, ſive quod non eædem, imo contrariæ ſint a primordiis emiſſariorum, & immiſſariorum iſtorum diametri, ſive etiam quod laxior ſit, eoque ad cedendum pronior ſtructura fibrarum interdum a natura, alias ab erodentibus ſuccis, qui plures de tenuiſſimis ex quibus illæ coaleſcunt, aut per quas inter ſe connectuntur, fibrillas diſſolverint.

36. Diu eſt, ut probe noſti, cum hanc ad te explicationem miſi. In qua nunc quædam eſſe, video, cum Illuſtris Viri Senacii Obſervationibus non conſentientia, præſertim ubi (y) diſquirit, num in facie interiore ventriculorum cordis revera pateant oſcula, ſanguinem in ipſos emittentia, quemadmodum videri poterant demonſtraſſe tot clari Auctores quos fere omnes ſequebantur. Velim igitur rem perpendas, & quas explicationis meæ particulas mutandas cenſueris, mutes, aut abjicias. Sed cum libros illius verſabis, ſæpe in alia incides huc attinentia. Confirmabunt enim quod propoſita noviſſime hiſtoria docuit, non omnia cordis, nedum Aortæ, aneuryſmata cum vehementioribus pulſibus, ut nonnulli videntur credere, eſſe conjuncta, & cur non ſint, cauſam haud unam indicabunt (z), & quod conſequitur, cur non omnia cordis aneuryſmata dilatent Aortam (a), & cum utrobique aneuryſma eſt, utrum alterius cauſa fuiſſe videatur (b), & quæ tunc indicia utrumque ſignificent, etiamſi obſcuræ ſint pulſationes (c): quæſtioneſque alias hujus generis; tametſi non minus difficultatis habeant, quam utilitatis; præclare tamen, nec minus perite quam ingenioſe, quoad rei natura patitur, ſolutas invenies. Nec deerunt monita, & animadverſiones quæ ex uſu eſſe poſſint, ut puta cum leges (d), cor aliquando eſſe dilatatum, nec videri, niſi impleas: idemque (e), niſi diligenter attendas, accidere interdum in Magna arteria, quæ non ab latere in ſacci formam, ſed æque ab omni parte ſit dilatata: & (f) ſanguini e cordis ventriculis exeunti officere auricularum dilatationes, arteriam illam, aut Pulmonarem comprimendo. Quibus addas licet, alterutrius arteriæ aneuryſma, attiguum premens alterius truncum, vel magis ſanguinis exitui obeſſe; premens autem alterutram auriculam, aut venas eo pertinentes, regreſſui obſtare. Sed ad Senacium ut redeam; præter ea quæ de multis pauca attigi, proprias etiam habet aneuryſmatum cordis ſimul & Aortæ Obſervationes, haſque non, ut Lentilius (g) ſine peculiaribus ſymptomatibus, imo cum pleriſque omnibus; præſertim in Marchione *du Palais* (h), inter quæ & illud, quod cum aliis aneuryſmatum indiciis conjunctum ſupra (i) perpendimus, ut jacere non poſſet, curato autem ad anteriora corpore ſedere cogeretur. Quem corporis ſitum aliquod levamen afferentem, cum ſignis aliis diuturni cordis vitii in Sene etiam legeris (k) in quo cor fuit *fere ſtupendæ magnitudinis*, arteria autem Magna ſtatim ac infra diaphragma pervenerat, *in craſſitiem pugni extenſa* erat: quam aneuryſma fuiſſe crediderim, cui polypoſa intus adhæreret materia; nam ſi membraneus fuiſſet folliculus, ſive apoſtema quod ſe in Aortam aperuiſſet; potius quam ipſum in hanc, ut creditur, pus ſuum derivaſſet, hæc ſuum, quippe tanto validius impulſum, in illud ſanguinem contruſiſſet.

37. Etſi Aneuryſmatum arteriæ Magnæ plura tibi exempla noſtra protulimus; & alia tamen alias in loco proferemus, neque eorum modo quæ in arteriæ ferme æquali in omnem partem dilatatione conſiſtunt; ſed & eorum quæ ſacci inſtar ad ejus latus excreſcunt; ne forte hæc credas perraro inveniri, quando caſu factum eſt, ut unum, haud amplius, ipſorum tum ex Valſalvæ obſervatione produxerim, tum ex mea. Viciſſim certe, cum aneuryſmata quatuor habeam, olim a Cl. Vulpio infarcta, & ſiccata, eaque omnia ſint in arteriæ Magnæ aut arcu, aut eo tractu qui inter arcum, & cor intereſt; eorum unum eſt primi generis, tria ſecundi. Quæ, ſiquando Patavium, ut cupio, veneris, apud me videbis. Interea vale, & me, ut amas, ama.

EPI-

(ſ) Epiſt. Anat. 15. n. 8. (t) Epiſt. 24. n. 34. 37. (u) Ibid. n. 7. in fin. (x) n. 28. & 30.
(y) Traité du Coeur l. 2. c. 5. n. 11. (z) l. 4. ch. 4. n. 4. & ch. 8. n. 9. & 10. (a) ch. 8. n. 6. (b) Ibid.
(c) ch. 4. n. 4. (d) ch. 8. n. 2. (e) Supplem. ch. 3. (f) l. 4. ch. 11. n. 2.
(g) Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. in Append. n. 3. ad Obſ. 31. (h) l. 4. ch. 8. n. 4. 6. 7. (i) n. 18. 19.
(k) Act. N. C. Tom. 3. Ob. 31.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XIX.

De Suffocatione verba fiunt multa, de Tuſſi pauca.

QUÆ de Læſa Reſpiratione quatuor ad te, & pleraſque bene longas, Epiſtolas miſimus; de Suffocatione, & Tuſſi hanc unam mittemus. Scilicet cum ſpirandi difficultas ſæpe tuſſim adjunctam habeat, ſæpius autem ſuffocatione finiatur; de illa ſcribere non potuimus, quin ſimul utriuſque harum, alterius diſerte, alterius vel ſubobſcure ſæpenumero mentio fieret. Idemque accidat neceſſe eſt in quibuſdam aliis deinceps tractandis thoracis morbis. Alibi igitur quæres ea quæ hic videbimur omittere. Sed neque plurimæ Obſervationes ſunt; ſi cum iis quas ſuperior complectitur Sectio (*a*), conferantur; quæ in hac II. de Suffocatione, aut in proxima de Tuſſi exhibet Sepulchretum, in quo tamen videas diſerte repeti plures, nonnullas quoque per incuriam iterari. Sic enim quæ hic ſub num. XXI. data fuerat, mox reponitur ſub XXIX. & quam Bonetus ipſe propoſuerat ſub XV. (*b*), eadem in Additamentis rurſus legitur ſub III. In proxima autem Sectione, eadem ſunt III. & 4. in XVIII; XII. & XV; 1. & 7. in XVII; 3. in XVIII. & 2. in XIX; XXX. & 6. in XXXVII; XXXI. & 8. in XVIII; & quod nemo facile crederet, duæ inter ſe proximæ 4. & 5. in XX.

2. Quoniam vero Suffocatio non ab internis ſolum cauſis accidit; ſed etiam ab extrinſecus advenientibus, quas quidem hactenus non attigimus; ab hoc genere incipiemus: & primo loco, quemadmodum ſoliti ſumus, aliquas tibi Valſalvæ noſtri Obſervationes deſcribemus: quibus poſt quaſdam noſtras, quæcunque eæ ſint, nonnulla quoque ab eodem, & a nobis habita experimenta ſubjiciemus. Tum vero ab eo genere ad alterum tranſeuntes internarum cauſarum, ſiquæ nobis erunt Obſervationes primum quæ ad Suffocationem, deinde etiam quæ ad Tuſſim peculiariter attineant, non reticebimus.

3. MULIER unius & viginti annorum ſuſpendio publice necata eſt. CADAVER ad dorſum, lumbos, nateſque, cute erat alibi ſubrubra, alibi ſublivida. Os diſtortum, oculi ſemiaperti, facies autem tota livida, quæ mox ab Jugularium venarum Externarum ſectione in pallidam mutata eſt. Sanguis enim fluorem ferme naturalem ſervaverat. Thorace recluſo, pulmones a pleura ſolvendi fuerunt, cui multis in locis ad utrumque latus adhærebant, dexteri autem imus limbus etiam ad diaphragma. Qua dorſum ſpectabant, levi phlogoſi correpti eſſe videbantur.

4. Faciei livorem a ſubſiſtente in ejus venis ſanguine fuiſſe, Jugularium venarum ſectio confirmavit, quæ & ſervatum ſanguinis fluorem oſtendit. Hoc autem poſito, quidquid in poſterioribus tum corporis, tum pulmonum partibus a Valſalva adnotatum eſt, facile intelligitur accidiſſe ex quo cadaver e patibulo detractum, ſupinum locatum eſt.

5. GRASSATOR, major quam ea mulier, annis haud amplius duobus, eodem ſupplicio affectus eſt. IN CADAVERE ad Publicam Anatomen tradito, exterius quidem facies, in qua oculi ſemiaperti erant, brachia, dorſum, nates alibi ſubrubra, alibi livida animadverſa ſunt. Interius autem nihil adnotatu dignum, niſi quod pulmones quaſi a phlogoſi rubentes apparuerunt.

6. Hic vero etſi reliqua ad eundem modum ſunt explicanda; id tamen quod ad pulmones attinet, cum a tergo ſolum non ſit conſpectum, a ſuffocatione videretur repetendum, ſi prior, & duæ quæ ſequuntur, conſentirent Obſervationes. Oculi autem in duobus de quibus dictum eſt, ſemiaperti, imo in eo de quo proxime dicetur, aperti, non multum profecto adjuvant illam Garmanni (*c*) adnotationem: *omnes fere violenta morte extinctos oculos obtinere palpebris tectos*.

7. SUSPENDIO necati, oculi aperti erant, & turgidi, facies aliquantum livens. IN VENTRE chylifera vaſa nonnulla circa lumbares glandulas, ad quas deſinere videbantur, conſpecta ſunt. In Thorace pulmones, qui ad pleuram ambo, & præſertim dexter, ſic adhærebant, ut ſeparari vix poſſent, a tergo ſubrubri. Polypoſæ concretiones in corde nullæ. In Capite ſanguifera Craſſioris meningis vaſa nonnihil turgida.

8. VIR gracilis, conſiſtentis ætatis, ob plura, & magna furta ſuſpenditur. Hic per intervalla, & præſertim inter ambulandum, obnoxius fuerat ſpirandi difficultati, tuſſique moleſtæ. VENTRE in Publica Anatome recluſo, nonnulla in meſenterio vaſa Lactea conſpiciuntur. Thorace autem, pulmones variis diſtincti maculis quaſi nigricantibus, a pleura tamen ſoluti, ſi dexteri ſuperiorem partem excipias; quæ ad pomi magnitudinem erat indurata, & peculiari infecta rubedine non ſecus ac ſi inflammata eſſet; hæc enim valide ad pleuram circa coſtas & qua claviculæ reſpondet, annectebatur. In pericardio ſerum vix ad unciæ dimidium; in corde nullus grumus ſanguinis inventus eſt. In Collo, muſculos qui os hyoides cum larynge, proximiſque partibus connectunt, carnificis laqueus diſruperat; ut illud os ab larynge eſſet ſeparatum. Ad Caput tandem ventum eſt. Cutis, cranium tegens, interiore facie ſanguiferis turgebat vaſculis. Cerebrum nihil, quantum judicare ſenſus poterant, ab naturali conſtitutione diſcrepabat. Muſculi, & cætera oculis circumjecta a ſtagnante ſanguine quaſi inflammata videbantur: tunica utraque Retina ſanguineo erat colore ſuffuſa. Alterius auris Membrana Tympani cum annexis oſſiculis ſanguine tincta; alterius tympanum ipſum levius quidem, ſed tamen ſolito majorem oſtendit rubedinem.

9. Quod in pulmone gravius erat vitium, id, procul dubio non ab recenti ſupplicio, ſed ab antiquiore cauſa aliqua repetendum, videtur hominem feciſſe obnoxium reſpirationis difficultati, & tuſſi moleſtæ, præſertim cum ſanguis, inter ambulandum concitatus, ad impeditam viarum ſuarum partem in eo viſcere perveniebat, per quod majori tum copia, & velocitate erat tranſeundum, ſimulque in proximas vias aeris ex vitiata illa in quam incurſabat, ſede aliquid facile exprimebat, quod irritando tuſſim moveret. Varias autem illas quibus pulmones diſtinguebantur, maculas quaſi nigricantes etſi ad ſuffocationem referri poſſe, non negaverim; tamen neque hoc pro certo affirmem, & in hac, & præcedentibus Obſervationibus non ea plane invenio, quæ in duobus, eodem ſupplicio necatis, deprehendit Bartholinus, ut in II. hac Sepulchreti Sectione (*d*) leges. Vidit enim in altero pulmones *grandes*, nec ſolum *variegatos*, *cæruleos*, *rubore inſperſo*, *marmoris inſtar*, quo illas poſſemus referre maculas; ſed & *ſanguine ſpumoſo tam plenos*, *ut non tantum externæ venæ tumidæ ubique in membrana apparerent*, *ſed in diſſectione cordis demonſtrantem ſe fere impedirent*: in altero autem *fiſtulam pulmonum ſpuma copioſa impletam*. Littrius quoque (*e*) in fœmina, quam duo viri, manibus conſtricto collo, ſuffocaverant, pulmones invenit valde tenſos ab incluſo aere, externam autem eorum membranam dilatatis vaſculis ſanguiferis to-

(*a*) 1. I. 1. (*b*) §. 1. (*c*) De mirac. mortuor. l. 1. tit. 5. §. 7. (*d*) Obſ. 23. & 24.
(*e*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1704. Obſ. Anat. 2.

ris totam diſtinctam. Sed & Paechionus (*f*) *in iis qui laqueo ſuffocati pereunt*, pulmones memorat *nigro ſuffuſos ſanguine, ac muco*. De ſpuma autem ſatis eſt Hippocratis aphoriſmum (*g*) inſpicere, præſertim ut latine redditus a Celſo (*h*) eſt in extremo VIII. capite libri II. *Neque is ad vitam redit; qui ex ſuſpendio, ſpumante ore detractus eſt*: quanquam de hoc aphoriſmo inferius (*i*) aliquid adnotabimus, & tu adnotata alia pariter videbis a Præcl. Langgutho (*k*): apud quem etiam inter cætera quæ reperit in ſuſpenſorum diſſectione (*l*), multo ſanguine turgidos pulmones invenies. Cur talia igitur Valſalva minime adnotavit? An quia ſerius ut Publicæ Anatomes ratio poſtulat, ad pulmones examinandos veniebat? Harveii (*m*) Obſervatio, quam non ſecus ac alias huic proximas, & ad ſuperiorem Sectionem attinentes, miror in Sepulchreto prætermiſſam, rem poterit, quadantenus illuſtrare. *Ego*, inquit, *aliquando in cadavere humano noviter ſtrangulato, intra duas horas a ſuſpenſione, aperto pectore & pericardio, antequam faciei rubor evanuerat, auriculam dextram cordis, & pulmones plurimum diſtentos & infarctos ſanguine, multis atteſtantibus oſtendi, præcipue vero auriculam, ad maximi hominis pugni magnitudinem, turgentem adeo ut diſruptam iri putares. Quæ moles die ſequente, refrigerato penitus corpore, & per alias vias cruore dilapſo, detumeſcens evanuerat*. Scilicet fluidus ſanguis, qualem in ejuſmodi cadaveribus obſervatum eſſe, diximus, facile ad inferiores, pro eorum ſitu, vaſorum partes delabitur, ad eaſque a refrigeratis, ideoque contractis fibris undique compellitur, ut ſic pulmonum haud æque tumere anteriora vaſa, ac poſteriora in ſupinis cadaveribus poſſint. Spuma autem, elapſo e bullis aere, in paucum ſubſidet humorem, facileque, dimoto corpore, effluxurum.

10. Quid vero cauſæ eſſe dicemus, cur Valſalva fluidum, ut retulimus, ſanguinem adnotaverit, illudque præterea diſerte, polypoſas concretiones in corde nullas, in corde nullum grumum ſanguinis inventum eſſe, quando in iſta ipſa Sepulchreti Sectione (*n*) ex Beslero poſitum eſt, in virgine quæ *ſuffocatione expiravit*, fuiſſe *cordis corpus grumoſo repletum ſanguine*, idque *in ſuffocatis* eſſe *familiare*? Dicemus nimirum, in ea Besleri epiſtolæ parte, quæ in citato ibidem Zacuti libro Obſervationem facit 64; non 63; ſicuti de virgine ſermo eſt, cujus ſexenni ægrotationi noviſſimus tandem acceſſit morbus, ſuffocatio; ita veri ſimile eſſe hujuſmodi potius ſuffocatos Beslerum intellexiſſe, quam eos qui cum ſani eſſent, repente externa vi ſtrangulati ſunt, quales fere a Valſalva proponuntur. Aliam enim his, atque illis, ut viſcerum, ſic etiam ſanguinis eſſe conſtitutionem, manifeſtum eſt non minus, quam craſſum, & grumoſum ſanguinem, quanto ineptior eſt ad pulmonum vaſcula trajicienda, tanto aptiorem eſſe, ut in iis ſubſiſtat, & ſuffocationem inducat. Quin ipſos etiam qui laqueo ſtrangulantur, ſi forte ſanguinem habeant ad concreſcendum proniorem, non grumos tantum, ſed polypoſas quoque concretiones in alveis ſanguinis habituros eſſe, non dubito, quales, ut alios omittam, a Coitero (*o*) fuiſſe intelligo ex Sinibus Duræ meningis *ſuſpendio enecatorum* extractas.

11. Porro idem ſanguinis fluor, qui in iis erat quos, cum ſani eſſent, violentia externa ſtrangulavit, admirationem minuit quod in iiſdem Valſalva cerebrum invenerit ab naturali ſtatu nihil diſcrepans, aut Craſſioris meningis vaſa nonnihil dumtaxat ſanguine turgida, cum interea cutis cranium tegentis interiora vaſcula, & quæ oculis circumjecta ſunt, aut per Retiformem horum tunicam, aut per aurium tympanum feruntur, adeo turgerent; ut aliæ harum partium inflammatæ viderentur, nonnullæ, ut Membrana tympani, & annexa oſſicula, tinctæ etiam ſanguine apparerent. Soluto enim laqueo, ampliſſimiſque viis Internarum Jugularium venarum redituro ſanguini recluſis, multo maxima hujus, quippe fluidi, pars e cerebri Sinibus, veniſque majoribus in hos deſinentibus, facile defluxit, cum is qui per anfractus, anguſtiaſque magis diſſitarum venularum minus expeditum reditum haberet, in iis ſubſiſteret, nonnullis earum exceptis, quas aut magis plenas, aut minus reſiſtentes laqueus ante diſrupiſſet, aut alia exterior violentia; nam Littrius in ea de qua ſupra (*p*) dictum eſt, fœmina tympani alterius Membranam, non cruentam modo, uti Valſalva, ſed laceratam deprehendit, ut unciam circiter ſanguinis emiſiſſet: quanquam pro vario ſtrangulationis modo major eſſe, aut minor vis cauſæ poteſt vaſa diſrumpentis, ut inferius (*q*) indicabitur; ut aliam in aliis cum venularum, tum membranarum ejuſmodi partium laxitatem, diſpoſitionemque omittamus, unde cæteroquin fuiſſe videtur, ut Cl. Anatomicus Phil. Conr. Fabricius (*r*) Corneæ oculi tunicæ *lamellam anticam in laqueo ſtrangulatis*, non ſemper, ſed *aliquoties, ab interna, ſeu poſtica ſecedentem* invenerit, & Egregius Vir Petrus Chriſtoph. Burgmannus (*ſ*) oculorum tunicas ſpectaverit in duo cornicula, digitorum ferme ſimilia, ſe conformantes, & paulatim deſcendentes ad buccas uſque unius de tribus in patibulo ſuſpenſis, rariſſimo quidem exemplo; neque enim *ſine exemplo* dices, ut Garmannus (*t*) olim dicere fortaſſe potuit, cum haud abſimile produceret ex Kornmanno, hujus ipſius verba proferens: *Chymiſtæ furcis ſuſpenſo duo cornua ex oculis longitudine inſtar digiti naſcebantur*: quæ verba deſcripſi, ne cum Burgmanno forte quæras, ſed non alia eſſe, ſcias, ac quibus Bertramus antea uſus fuerat apud Bartholinum (*u*).

12. Denique a vario pariter ſtrangulationis modo, variaque ſtrangulatorum conſtitutione illud in collo diſcrimen repetendum eſt, quod in aliis muſculi quidam diſrupti, in aliis nonnullæ etiam laryngis cartilagines, in aliis ſupremæ vertebræ luxatæ, vel potius fractæ, in aliis vero nihil fere horum reperiatur. Ruptos muſculos Valſalva in noviſſima hiſtoria (*x*) memoravit. Cum iiſdem vero etiam aliquam laryngis cartilaginem diſruptam ſcripſit in ea quæ continuo ſubjicietur.

13. SUSPENSUS laceros habuit muſculos Sternothyroidæos, & Hyothyroidæos, ut membranacea tantum ſubſtantia, illorum loco, remaneret circa Annularem cartilaginem. Quin hæc ipſa cartilago diſrupta erat. In Thoracis cavo ſiniſtro pleura hic illic inæqualis tuberculis multis, duriſque: horum alia lentis, alia ciceris, alia fabæ magnitudinem æquabant.

14. Tubercula hæc ad morbum attinebant, & hunc facile in ſquallore carceris contractum. Hunc enim ipſum virum, cujus ego cadaver ſimul cum Valſalva diſſecui in Gymnaſio Bononienſi A. 1703. adnotatum habeo, annum ferme fuiſſe in carcere, & præter ea tubercula duritie quaſi cartilaginea, & totam propemodum pleuram ejus lateris obſidentia, ſiniſtrum quoque pulmonem quibuſdam locis duriuſculum habuiſſe, in eodemque thoracis cavo copiam modicam humoris rubentis. Quæ autem cauſæ faciant, ut reorum, qui diutius in carcere detinentur, vix ullus inde egrediatur ſanus, Sepulchretum ipſum (*y*) commemorat, videlicet pravus ſemper aer, & ſæpe etiam victus, mœror aſſiduus, & deſes vita: quæ etſi quoſdam ex illis pingues reddat; non ego tamen hujuſmodi pinguedinis uſum probabo, ſed ejus quæ ex homine, dum bene valeret, forte interfecto apparata ſit. Sed ut redeam ad illa, quæ ad violentam attinent læſionem partium quæ in collo ſunt; maxima quidem ea fuit, quod ad cartilagines ſpectat, quam in ſuſpenſo milite invenit Cl. Profeſſor Weiſſius

(*f*) Oper. Edit. 4. in Prolapſ. Cord. hiſt. 1. (*g*) 43. Sect. 2. (*h*) De Medic. (*i*) n. 36.
(*k*) Diſp. de redd. rec. præfocatis ademta anima §. 11. (*l*) Ibid. §. 10. (*m*) De Circul. Sang. Exerc. 3. (*n*) Obſ. 32.
(*o*) Obſ. Anat. (*p*) n. 9. (*q*) n. 38. (*r*) Ideæ Anatom. Pract. Sect. 4.
(*ſ*) Diſſert. Epiſtol. de ſingulari tunicar. utriuſq. oculi Expanſ. (*t*) l. 1. cit. ſupra, ad n. 6. lit. 10. §. 10. & 11.
(*u*) Cent. 2. Epiſt. Med. 11. (*x*) n. 8. (*y*) l. hoc 2. S. 7. in adnot. ad Obſ. 12.

ſius (*z*). Annularis enim cartilago *in multa erat fruſtula diffracta*, *inferiorque tracheæ pars prorſus ab larynge abrupta*, ut ſanguis, nec paucus, tum per os, & nares effluxerit, tum in bronchia deſcenderit. Verum non cartilagines modo rumpi, ſed & vertebras interdum quaſdam, Columbus (*a*) videri poteſt indicaviſſe, negans, in ſuſpenſis caput luxari ſecundum obſervationes ſuas, *ſæpius Patavii*, *Piſis*, *Romæque* habitas, imo tantum eſſe, confirmans, ligamenti id prohibentis robur, ut animadverterit, *frangi facilius*, *quam luxari ſecundam vertebram poſſe*, *neque ſecundam ſolum*, *ſed primam quoque*. Id ſi ita fieri poſſe, agnoſcimus; tum Latinos proprie locutos eſſe fatebimur, cum hoc de quo loquimur, ſupplicii genus *cervices frangere*, ut eſt apud M. Tullium (*b*), dicebant. Sin minus; tum verius locutos putabimus, cum dixerunt *laqueo gulam frangere*, ut eſt apud Salluſtium (*c*), modo guttur intellexiſſe, ponamus, cum gulam dicerent. Laryngem autem inde aliquando rumpi, cum Valſalva vidimus; vertebras non vidimus: ſed neque tamen luxatas. Quod cum dico, non ita dico, quaſi aliquid in diſſenſione pronunciem quam animadverto inter Experientiſſimos Viros. Alii enim, ut legeris etiam apud Palfinium (*d*), deprehendiſſe ſe, ajunt, in iis ferme omnibus de quibus hoc ſupplicium ſumptum fuerat, vertebram colli primam omnino a ſecunda ſeparatam. Contra alii quod Columbus de his vertebris negaverat, non de his modo, ſed de omnibus negant. Nec vero neſcio, ſcriptum eſſe a Panarolo, exempli gratia; utar enim Obſervatione quam in Sepulchreto (*e*) habeas; ſe cervicis vertebram ſecundam luxatam per anatomen inveniſſe. Sed idem ſcio, id in eo reperiſſe qui ex arbore deciderat, ut vertebra ſimul frangi, luxarique potuerit (*f*). Igitur donec redeat occaſio hæc diligentius inquirendi, ægre feram, cum ea olim Bononiæ fuerit, non veniſſe in mentem id ut facerem, tum quia minus eo tempore his de rebus diſputabatur, tum quia ejuſmodi cadavera, quippe hominum, ob brevem ibi plerumque moram in carcere, plane ſanorum, me in iis quæ ſecundum naturam ſunt, perquirendis adeo detinebant, vix ut tempus ſupereſſet ad peculiares ſtrangulationis effectus vel obiter animadvertendos. Itaque ex iis quæ tunc in ſchedis adnotavi, nihil huc attinet, ſi perpauca quædam excipias, quæ continuo ſubjicientur.

15. JUVENIS annos nati viginti quatuor, ſuſpendio puniti, cadaver ad Anatomen Publicam A. 1705. Theatro Bononienſi conceſſum eſt. SCROTUM quaſi ſugillatum rubebat. Larynx omnino integra; ſed nec circumjecti muſculi rupti erant, imo nihil, aut parum læſi: neque aliud quidquam in Colli diſſectione obvium fuit, quod præter naturam videretur. Minima ſanguinis vaſcula, quaſi ex injectione, plurima præſertim in Capite eleganter apparebant. Sed tamen nullum intra cranium vitium inveni: neque miratus ſum, Craſſioris meningis Sinus inanes fuiſſe, qui ex antea amputatis cum capite Jugularibus venis multum profluxiſſe ſanguinis, animadverteram.

16. Molliſne juniorum larynx, laqueo cedendo, minus diſruptioni obnoxia eſt? Certe in junioribus ruptam Valſalva, ut vidiſti, non memoravit, neque ego memini vidiſſe (*g*). Cutis vero quæ ſcrotum efficit ut ſugillata appareret, ſanguinis copia fecit, e ſuſpenſo corpore in ea quæ minus compreſſa ſunt, vaſa defluentis. Sic e duobus de quibus proxime dicam, alterius videbis non modo ſcrotum pariter affectum, ſed penem inſuper tenſum fuiſſe.

17. FURES erant duo, vir, & juvenis, de quibus ſimul A. 1706. idem ſupplicium ſumptum eſt. UTRIUSQUE corpus citius quam ſolet, intra horam videlicet a morte quartam, de patibulo detractum, & eo delatum, ubi cum Amicis protinus diſſecare poſſemus, exterius adhuc tempeſtate frigidiſſima tepebat. Primum cum ſecaretur, & Magnæ arteriæ truncus ſub Emulgentibus ſecundum longitudinem incideretur; animadverſum eſt, fluidum ſanguinem tum a ſuperiore, tum ab inferiore trunci parte effluere, nec modica id copia: ſocius autem venæ Cavæ truncus valde erat ſanguine diſtentus. Priuſquam hæc conſpiceremus, adnotatum fuerat, Ileum inteſtinum ad aliquem tractum ex livido rubere, eoque loco teretes continere lumbricos.

18. Nolui hoc ultimum prætermittere, quoniam ſæpe etiam in ſuffocatis canibus, ibi phlogoſi quaſi quadam affecta inteſtina animadverti, ubi lumbrici nidularentur, ut is color, cum aliqua inteſtini extuberantia conjunctus, eorum mihi indicaret ſedes. Hic autem homo certe de nullo inteſtinorum incommodo queſtus fuerat; ut vermium agitatio aliqua, ejus mortem conſecuta, illuc verſus ſanguinem, quippe fluidum, ut dixi, concitaſſe videatur. Unde ſequitur, cum in cadaverum inteſtinis partem aliquam colore ejuſmodi infectam videmus, non continuo eo decurrendum eſſe, ut inflammatione, aut gangræna jam in viventibus tentatam pronunciemus; niſi ea quæ aut obitum anteceſſerunt, aut eum colorem in mortuis comitantur, id nobis commonſtrent; cum vel poſt mortem aliquando poſſit is color induci, præſertim cum diſſolutus ſanguis, & fluidus eſt.

19. JUVENIS autem cadaver præter ſcrotum ecchymoſi quaſi quadam affectum, tenſum adhuc penem oſtendit. Sexta circiter a morte hora diſſectum, intus calebat: ſeptima autem vel exterius teporem ſervabat. Sanguis erat fluidus. Cætera quæ de hoc, & ſuperiore cadavere ſcripta habemus, huc minime attinent, & nonnulla alibi ſcripta ſunt, velut infra umbilicum fuiſſe eam Coli inteſtini partem quæ ſubtenditur ventriculo, qui in hoc Juvene & ipſe inferius quam ſoleat, locatus erat; in primis autem quæ ad Lactea attinent vaſa, chyli plena, ferme ſemiconcreti, eoque magis reſtitantis, & frequentiſſimis valvulis quaſi nodulis diſtincta; nam reliqua in L. Animadverſione Adverſar. II. ex hoc ipſo juvene deſcripta habes.

20. Penis erectionem in cadaveribus, æſtivo tempore ad putredinem vergentibus, quomodo explicaret Ruyſchius (*h*), noſti. Sed propoſiti juvenis cadaver tunc a putredine maxime aberat, nec alias habebat inflatas partes, & frigidiſſima, ut diximus, tempeſtas erat. Paulus Zacchias (*i*) idem quod in hoc, in aliis etiam ſuſpenſis adnotatum eſſe *aliquando*, ſcribens, cauſam affert ei quo ſcribebat, tempori convenientem. Lanciſius autem (*k*) ejuſdem rei cauſam in eo prolaturus quem, prævio ſuffocativo anhelitu, univerſi corporis convulſio occiderat, ſimul affirmat (*l*), *perſeverantem poſt mortem penis tenſionem raro in ſtrangulatis non inveniri*, docetque, eſſe a convulſis fibris, reditum ſanguinis per colis venas intercipientibus. Quam ſi velis ſententiam ſequi; quippe convulſiones in ſtrangulatis vel ex ea oris diſtortione facile agnoſcens, quam ſupra (*m*) cum Valſalva adnotavimus; adde copiam ſanguinis in ſuſpenſi corpore deorſum labentis, eoque majorem, quod ultimis cordis pulſationibus tanto plus ſanguinis in arterias inferiores immittitur, quanto minus ob conſtrictum laqueo collum contrudi poteſt in ſuperiores. Unde facile illud quoque petendum fuerat, quod Columbus (*n*) in ſuſpenſa muliere ab inſtantibus menſtruis repetebat, videlicet venas vaginam adeuntes, *inſignes* fuiſſe, *& nigerrimas*: indeque illud etiam quod in viro vidimus, qui ſe in carcere ipſe ſuſpenderat. Cum enim totum corpus eſſet livido rubore ſuffuſum; tum multo magis, longeque præter ſolitum ſuffuſa erat urethræ facies interior: vix autem aliud in fœtido eo cadavere examinavimus, occupati Publica Anatome A. 1718. & minus commoda valetudine impliciti. Sed indidem certe meminimus, Valſalvam pariter deducere quod, vincta in vivis

(*z*) Commerc. Litter. A. 1745. Hebd. 24. I. ſub n. 7. (*a*) De Re Anat. l. 3. c. 2. (*b*) in Verrem l. 5. & in Vatin.
(*c*) De Conjur. Catil. (*d*) Anat. du corp. hum. tr. 5. ch. 8. (*e*) l. 4. S. 6. Obſ. 1. (*f*) Vid. etiam Epiſt. 56. n. 35. & 37.
(*g*) Sed Vid. Epiſt. 56. n. 37. (*h*) Theſ. Anat. 10. n. 95. (*i*) Quæſt. Med. Legal. l. 5. tit. 2. qu. 11. n. 5.
(*k*) De Subit. Mort. Obſ. har. 4. (*l*) Ibid. in Schol. n. 8. (*m*) n. 3. (*n*) De Re Anat. l. 6.

vivis canibus arteria utraque Carotide, a ſe obſervatum narrabat, tenſo illos fuiſſe pene. Cujus narrationis non eſſe oblitum me juvat, cum id caſu prætermiſſum animadverto in iis ſchedis in quibus cætera adnotavit, quæ conſtrictis in collo arteriis, acciderunt. Ejuſmodi autem Valſalvæ communicandis Experimentis, quæ in Epiſtolis Anatomicis (*o*) pollicitus ſum, me partite alias, & diligenter eſſe propoſiturum, nec eodem pertinens Galeni experimentum prætermiſſurum, adeo opportunus hic eſt locus, ut niſi eo utar, parem occaſionem haud facile ſperem meam liberandi fidem. Eo enim ſpectant, ut de cauſis quæ proferri ſolent, eorum mortis qui ſuſpendio puniuntur, judicium ferre poſſimus. Sed quoniam ab antiquiſſimis uſque temporibus aliis aliter ea reſponderunt experimenta; altius a nobis capiendum initium eſt, & pro veri ſtudio vetera, & recentia accuratius perpendenda ſunt, & inter ſe comparanda.

21. Primus omnium qui ligatæ in vivis utriuſque arteriæ Carotidis experimentum memoraverit, videtur plurimis fuiſſe Ariſtoteles, Columbo videlicet (*p*), Salio (*q*), Sanctorio (*r*), aliis. Mihi vero; ſi fas eſt modeſte ab Doctis Viris diſſentire; non illud videtur Ariſtoteles, ſed longe aliud, id eſt conſtrictæ utriuſque Internæ venæ Jugularis experimentum memoraſſe. Nec jam me movet is locus (*ſ*), quem unum ab illis video, & a Cæſalpino (*t*) indicari, quo preſſius rem attingens Ariſtoteles, *quibus in collo venæ apprehenduntur*, ii, inquit, *inſenſibiles fiunt*: neque enim me fugit, ſæpius priſcos venarum nomine arterias quoque deſignaſſe. Sed alio illo permoveor loco (*u*), ubi poſtquam ab Aorta venam Majorem, ſeu Cavam, diſtinxit, & Superioris Cavæ deſcriptionem ſuſcepit, & ad Jugulares pervenit, hæ, inquit, *qua ſciſſæ cervicem ſubeunt, juxta pulmonum arteriam tendunt, quibus interdum foris apprehenſis corruunt homines ſenſibus ereptis, & palpebris compreſſis, ita porrectæ, amplexæque arteriam, ad intervallum aurium feruntur, qua maxillæ faucibus coeunt*. Non ego hic cum Riolano (*x*), qui alioquin mecum venas Jugulares intelligit, meam hinc ſententiam confirmo quod dicantur in medio ſui accipere, ſeu complecti arteriam; neque enim Carotidem arteriam, & multo minus, ut Niphus (*y*) exponit, Aortam, ſed *pulmonum*, ut Ariſtoteles modo appellavit, *arteriam*, id eſt Aſperam, juxta quam in imo collo aſcendere dictæ ſunt, hinc & hinc pergentes porro, inter ſe excipere dicuntur. Jugulares enim venas, non Carotides arterias, hic deſcribi, manifeſtum eſt tum ex ſuſcepta, ut antea poſui, Cavæ Superioris deſcriptione, tum etiam ex eo quod, hac abſoluta, continuo de reſpondente ipſi Aortæ parte ſic traditur (*z*): *Vena etiam minor, quam aortam diximus nominari, eodem ſpargitur modo in ramos, qui partes venæ majoris conſequantur*. De Internis autem, non de Externis, venis Jugularibus ſermonem fuiſſe Ariſtotelis, aſcenſus earum juxta *Aſperam* arteriam ſatis comprobat; ne forte quod dixit *foris apprehenſis*, de Externis dixiſſe, putes.

22. Quod ſi ex me quæris, qua ratione id potuerit fieri; vix aliud dicam, quam quod olim Caſp. Hoffmannus (*a*): *An vidit Ariſtoteles tale quid quale Coſtæus l. 6. Diſq. Phyſiol. c. 6.* de circulatoribus, *aſſert*, qui in capra videlicet vinculo injecto nervis & vaſis jugularibus, quod pro arbitrio contrahere clam poſſint, aut laxare, modo illam concidere cogant omni ſenſu, & motu deſtitutam, modo ſinant reſilire. Et quoniam de *hominibus* diſerte locutus eſt Ariſtoteles; addit alibi (*b*) idem Hoffmannus, Benedictum 1. *Tract.* 34. ſcribere, *in Aſſyria moris eſſe, ut adoleſcentibus, quibus præputia adimere volunt, ligent venas circa guttur. His enim perire ſenſum & motum*. Huc nos locum Valverdi (*c*) adjiciemus: Carotidibus *obſtructis, ſive quavis tandem ratione occluſis, ſtatim*, inquit, *obdormiſcimus. Cujus quidem periculum feciſſe Realdum Columbum Piſis anno* 1544. *ipſe vidi in adoleſcente quodam in frequenti nobilium virorum corona, non minori eorum terrore, quam noſtrum riſu, qui id incantamenti vi effici, ipſis perſuadebamus*. Apparet, facilem eſſe debuiſſe occludendi rationem, quam joci cauſa adoleſcens ille admitteret, adſtantes autem incantamentum eſſe, putarent. Quo magis optandum erat, ut Valverdus hanc, aut Columbus exponeret. Quod neque ille fecit, ut animadvertit Riolanus (*d*), & Columbus multo minus, ut qui in maxime opportunis ad id locis (*e*) non ſolum id factum ſiluit, ſed omnino nervis in cane ſimul cum iis arteriis, quod ſæpe uſu venit, deligatis; non arteriis ipſis, vocis tribuit amiſſionem. Quem ſi perlegiſſet Hieronymus Rubeus (*f*); non dubito, quin ſcripturus fuiſſet, ſibi aquam hærere in Valverdi narratione, ad quam reſpiciens, *veriſimile eſſe*, negavit, *doctiſſimum anatomicum* Columbum *conjunctos nervos imprudenter una cum arteriis adſtrinxiſſe*: quanquam neque Ariſtotelis librum de Somno, & Vigilia attente ab Rubeo (*g*) lectum putabis, quem fugiſſe videntur illius verba, a nobis primo loco (*h*) propoſita; Quæ *inſignem, ac memorandam*, ut certe eſt, *Philoſophi authoritatem* vocabat quidam, cum forte apud Cæſalpinum legiſſet; iiſdem tamen abutebatur, contendens, quod Stenonius docuiſſet, *fibram muſcularem a ſanguine actuari pro motu*, id didiciſſe *ab Hippocrate, & aliis veteribus, necnon ab ipſo Cæſalpino in quæſt. Peripat. quæſt. 3. in fine, ubi argumentum ex ligaturis expreſſe proponitur, & refertur* locus ille Ariſtotelis, de quo dictum eſt. Quid? ſi locum illum alterum legiſſet in quo *corruere* homines dicuntur, aut quæ paulo ante de circulatorum capris, aliiſque hominibus prolata ſunt. Sed hæc omnia, ut vera evidenter eſſent, & quæ Cæſalpinus in extrema ea quæſtione attigit libri, quod addendum fuerat, V. non eo tamen ſpectabant, ut conſtrictis arteriis muſculos adeuntibus, horum continuo intercipi motum, intelligeremus, Galeno (*i*) præſertim dicente: *qualibet arteria vinculo excepta, nullam id in præſens noxam particulæ quam adit, afferre*; ſed eo tantum ſpectabant, ut conſtrictis vaſis quæ in collo ſunt, non amplius ex corde in cerebrum, nervoſque id quod neceſſarium eſſet, influere, perſpiceremus. Neque alio attineret Hippocratis (*k*) locus: *ut aliquis de repente voce privatus fiat, venarum interceptiones faciunt*, ſi ut laudatus Hoffmannus (*l*), hanc Hippocratis interceptionem venarum, *eandem* eſſe, putarent cæteri, *cum interceptione venarum in collo*, Ariſtotelis. Sed quoniam Galenus (*m*) *venarum interceptiones*, inquit, *appellat* Hippocrates *oppletiones quæ a copia exoriuntur*, & Hippocrates ipſe cum has interceptiones exponit quæ *ſano contingunt abſque manifeſta cauſa*, cor quidem, aut hepar memorat, cerebrum autem nequaquam; idcirco non auſi ſumus, experimentum de quo loquimur, Hippocrati notum dicere, quaſi ad hoc alluſiſſet, maluimuſque ab Ariſtotele initium capere. Nec te pigeat, quod experimentum, ab eo memoratum, non ad colli arterias, ſed ad venas ſpectare, oſtenderimus. Namque etiam de hoc altero videbis poſtea, quanti retulerit hic verba feciſſe.

23. Illud tamen quod ad colli arterias attinet, experimentum, ipſum quoque priſcis fuiſſe cognitum, præclare liquet ex Ruffo Epheſio (*n*), qui arterias *per collum ſubeuntes, Carotidas, id eſt Somniferas, antiquos*, ait, *nominaſſe, quoniam compreſſæ hominem ſopore gravabant, vocemque adimebant*. Tum illud ſubjicit, quod in errorem traxit Danielem Clericum, pereruditum alioquin Virum: *Cæterum noſtro ſæculo non arteriarum, ſed nervorum ſenſoriorum prope jacentium id vitium eſſe, compertum eſt*. Hinc diſce, inquit Clericus (*o*) „ nervos qui poſtea Recurrentes ſunt „ appellati, tunc recens inventos fuiſſe „ & quod conſequitur, alibi (*p*) ait „ eſſe animadvertendum, Ga- „ lenum ſibi tribuere inventum horum nervorum; quan-

(*o*) XIII. n.30. (*p*) De Re Anat. l.14. (*q*) De Affect. Partic. c.2. (*r*) Comment. in Art. Med. Gal. qu.35. & in I. Fen I. Avic. qu.108. (*ſ*) De Somno, & Vigil. c. 2. (*t*) l. 2. Med. Quæſt. 15. (*u*) Hiſt. Animal. l. 3. c. 3. (*x*) Anthropogr. l. 3. c. 9. (*y*) Expoſ. in hunc loc. (*z*) initio c. 4. (*a*) Comment. in c. 10. l. 8. Gal. de Uſ. Part. (*b*) De Thorace l. 2. c. 29. (*c*) Anat. corp. hum. l. 6. c. 11. (*d*) c. 9. cit. ad n. 21. (*e*) l. ibid. cit. & l. 7. (*f*) Annot. in Celſ. l. 4. c. 1. (*g*) Ibid. (*h*) n. 21. (*i*) De Pulſ. Uſu c. 2. (*k*) De Vict. rat. in Acut. n. 37. (*l*) Comment. in c. 12. l. 16. de Uſ. Part. (*m*) Comment. 4. in cit. Hippocr. l. n. 23. (*n*) De corp. hum. part. appell. l. 1. c. 34. (*o*) Hiſt. de la Medec. 3. Part. l.2. ch.3. (*p*) l. 3. ch. 7.

„ quanquam Ruffus Epheſius, qui ante ipſum vixit, de „ iiſdem jam fecerat mentionem. „ Scilicet Clericus non attendit, cum propiores quam Recurrentes, illis arteriis trunci ſint, unde hi ramuli inferius oriuntur, nervorum Vagorum; eos truncos Ruffum deſignare voluiſſe, quos certe haud dicit ſuo ſæculo eſſe repertos; ſed eorum (ſimul cum arteriis facile vinctorum) compreſſione id accidere quod ad arterias antea referebatur, id vero ſuo ſæculo compertum dicit. Huc autem ſpectant cum alii, tum hi præcipue Galeni loci, quos miror Clericum præterfugiſſe. *Vocare*, inquit (*q*), *vocales nervos conſuevi eos, quos ipſe inveni: nam præceptores mei eos dumtaxat qui apud arterias ſunt, cognoſcebant..... Atque idem eſt modus, quo gutturis muſculi læduntur, ſive recurrentes nervi, ſive hi qui juxta arterias ſunt, vitientur*, nimirum, ut paulo ante dixit, *vel inciſi, vel laqueo intercepti*. Itemque alibi (*r*) cum memoraſſet *nervos, qui carotidibus arteriis annexi, atque aſſociati ſunt*, ex eorumque nervorum; non ex arteriarum; conſtrictione *mutum ſtatim effici animal*, experimentis fretus, admonuiſſet, denique hæc ſcripſit: *Plerique vero & Medici & Philoſophi una cum arteriis nervos etiam vinculis conſtringebant, atque inde cum vocem illico concidere animali viderent, arteriis aſcribendam noxam illam cenſuerunt: ſoporemque appellarunt, non recte, niſi velint fortaſſe obmuteſcentiam ſoporem nominare*; nam præter vocis editionem *nulla alia functio neque tunc illico, neque poſt aliquanto noxam aliquam contrahit*, ut ſupra dixerat, *ſi nervi qui arteriis annexi ſunt*, etiam *præſecentur*. Sed tu interea qua in re diſcrepet ab Ruffo, & ab iis qui hujus ſæculo vivebant Medicis ac Philoſophis, præclare vides. Vides pariter, quatenus conveniat, aut non conveniat cum iis qui poſtea hoc idem experimentum iterarunt, quorum quidem, & Valſalvæ præſertim, obſervationes cum fuſe alias (*ſ*) propoſuerimus ſive quod ad nervos attinet Carotidibus proxime adſitos ſine his ligatos, aut ſectos, ſive quod ad eoſdem ſimul cum his arteriis conſtrictos (*t*); non eſt ſane cur hic repetamus. Nec quia poſt illas editas obſervationes, Cl. Abrahamo Enſio (*u*) accidit, ut in juniore catulo, iis ligatis nervis, *perire momento ſenſum*, videret; idcirco plurimum mirari oportet, quando & aliis interdum contigit; quæcunque ejus rei cauſa fuerit; ut idem, imo quemadmodum ibi (*x*) retulimus, illico mortem inde ſecutam conſpicerent: ſed quod longe ſæpius, atque adeo fere ſemper obſervatum ſit, id vero decet meminiſſe. Quin etiam cum Jo. Henr. Brunnerus (*y*) Illuſtri Avo dignus, hæc non ita pridem experimenta in cane, & cuniculis repeteret; nihil nnquam illiuſmodi, ſed alia potius animadvertit: quæ cum plerorumque, & nominatim Valſalvæ obſervationibus conferas velim, & cum iis quæ ad has adnotavi, ſive cum vincula quibus nervi conſtringuntur, non omnia idem efficere, admonui, ſive cum diutius vixiſſe animal cui nervi diſciſſi, quam cui vincti fuerant, animadverti. Illud quoque demonſtraveram, falli paſſim qui, ut in homine, ſic in brutis quoque animantibus putant Vagos nervos ab Intercoſtalibus ſejunctos per collum deſcendere, ut illi ſine his vinciri poſſint, aut ſcindi: cujus moniti non valde, ſi verum dicendum eſt, videntur fuiſſe memores plerique eorum qui poſtea hujus generis experimenta, diſquiſitioneſque aut expoſuerunt, aut commemorarunt. Verum hæc mittamus. Satis enim in præſentia eſt, ſi propoſiti non immemores, quæ ad ſanguifera pertinent vaſa in collo, ſine ullis nervis, adſtricta, Galeni, aliorumque experimenta ſpectemus. Galeni autem dixi, ut ſolitus ſum, quia ſiqui forte, animadverſo jam errore, vaſa ante ipſum ſine ullis nervis obſtrinxerunt, eorum ad nos minime pervenerunt obſervationes.

24. Igitur Galenus ubi de nervis id ſcripſit quod paulo ante retulimus, ibi (*z*) pariter docuit quid obſervaverit ſeorſum vinctis arteriis, aut venis inter cor, & cerebrum ductis, id eſt Carotidibus, & Internis Jugularibus. Et arteriis quidem conſtrictis, *animal neque mutum, neque ſopitum evadere: id quod plerique, qui poſt Hippocratem diſſectione male uſi ſunt, memoriæ prodiderunt*: Venis autem conſtrictis, *functionem evidenter interire nullam*: concluditque ita, ut dicat, *animal nec nervis quidem ſectis, nedum arteriis*, (omni tamen prohibito ſanguinis profluvio) *ſopitum effici: ſed ſi nervi lædantur, obmuteſcere: ſi arteriæ, nequaquam id fieri: ſi venæ, multo etiam minus*.

Porro obligatarum Carotidum *ſæpe experimentum* ſe *feciſſe*, alibi (*a*) confirmat, *nihilque paſſum animal neque ſtatim, neque poſtea*, quin ſe *aliquando* hoc obſervaſſe *totum diem, & ad profundam jam noctem mactaviſſe, ut qui putaret, tam diutinam experientiam non amplius fidelem ac tutam eſſe: poſſe enim in tanto temporis ſpatio, quo laquei* arteriis *circumnexi fuerant, aliquod ex principalibus membris per conſenſum læſum eſſe*. Denique alio loco (*b*) poſtquam aſſeveravit, ſic *per integrum diei ſpatium, ut ſæpe expertus fuerat, animal ſine noxa perdurare*, hoc unum addidit, cum idem currere coegiſſet, *diu probe currere vidiſſe, dein languidius, poſtea currere non potuiſſe*: porro cum rurſus coegiſſet, *nec rurſus diutinum curſum continuaſſe, ſed eum ſtatim remiſiſſe*. Atque hæc ſumma eſt eorum quæ Galenus, ligatis Carotidibus, obſervaſſe ſe, dicit, tribus a me quæ in calce paginarum indicavi, ejus inſpectis locis; nam quod præterea a Viris Doctis librum in hanc rem citari video *octavum de adminiſtr.*, nihil adhuc quod eo pertineat, in hoc potui invenire. Habuit Galenus aſtipulatores plures, & in hiſce ex iis qui experimenta iterarunt, Columbum, id quod ex ſupra (*c*) dictis licet intelligi, & Sanctorium (*d*), qui *vidimus*, inquit, *canem, cui fuerunt ligatæ carotides, qui ſpatio unius horæ poterat ſe movere, & ſentire: etenim poſt multas horas non eſt dubium, quin ob mirabilem conſenſum qui eſt inter cor & cerebrum, tandem moriatur*: & ne facile putes, poſt horæ ſpatium defeciſſe cani motum, & ſenſum; cauſam cur ita ſcripſerit, fortaſſe intelliges ex alio ejuſdem Sanctorii loco (*e*) ubi ait: *vidimus canem, cui ligatæ fuerunt carotides, deinde ex toto inciſæ, qui per aliquod ſpatium adhuc poterat moveri, deinde ob ſanguinis arterioſi defluxum vitam amiſit*: quem ſi eundem canem fuiſſe, credis; cur diutius ſenſum motumque non retinuerit, vides: ſin alium, bis pro Galeno reſpondiſſe intelligis experimentum. Inter eos autem qui ætate noſtra ſcripſerunt, Eximius Archiater Swietenius (*f*) cani, inquit, *ligavi* utramque *carotidem, nec potui obſervare, illum aliquid mali inde pati: inveni enim hoc animal poſt octo dies elapſos vegetum & alacre*. Eum quoque fuiſſe *per aliquot ſeptimanas optima ſanitate, & vivacitate*, Cl. Emettus (*g*) ſcribit, in quo idem ipſe peregerat, imo & Jugulares venas ſimul conſtrinxerat, quod in ſuo non niſi poſt octo illos dies Swietenius fecerat. Addit tamen (*h*), ſæpe repetito experimento, etſi nullus apoplexia captus, nullus mortuus canis ſit, *aliquando* accidiſſe, ut *per bihorii ſpatium ſomnolenti canes apparuerint*. Quod ſpatium longius adnotatum videris in eo cane, cui ligatæ fuerant ambæ Carotides apud Dioniſium (*i*), quippe inde nonnihil ſopito ad aliquot dies; tametſi poſt hos priſtinum vigorem, & promptitudinem ad actiones recuperavit. Et horum quidem; ſi poſtremos duos ex parte aliqua excipias, obſervationes cum Galenicis potes conjungere. Sed contra plerique alii minime Galenum ſecuti ſunt, ut Avicenna, qui, ut eſt apud Salium (*k*), *venis apoplecticis*; ſic enim Carotides vocabant Arabes; *ligatis, deperditur*, inquit, *ſtatim motus & ſenſus*: quocum feciſſe videtur Carolus Stephanus (*l*), & ex recentioribus Baglivus eo loco quem alias (*m*) protulimus. Ex iis autem qui periculum fecerunt, laudari video Drelincurtium (*n*), cujus experimentum etſi unum, brevique tempore protractum eſt; tamen ſatis Galeno adverſatur. Sic enim habet: *Arteriis caroticis conſtrictis, necdum recluſis, penduloque moloſſi*

(*q*) De loc. aff. l. 1. c. 6. (*r*) De Hippocr. & Plat. Decr. l. 2. c. 6. (*ſ*) Epiſt. Anat. 13. n. 27. & ſeqq. uſq. ad 40.
(*t*) Ibid. n. 30. & 31. (*u*) Diſſ. de Cauſſa vices cord. altera produc. n. 4. (*x*) n. 30. (*y*) Experim. circa ligatur. nervor. § 25. & ſeqq.
(*z*) c. 6. l. 2. ſupra, ad n. 23. cit. (*a*) De utilit. Reſp. c. 5. (*b*) De Pulſ. Uſu c. 2. (*c*) n. 22.
(*d*) quæſt. 35. cit. ſupra, ad n. 21. (*e*) qu. 108. ibid. cit. (*f*) Comm. in Boerh. Aphor. §. 170. n. 3.
(*g*) Tentam. de Morb. Cap. n. 30. (*h*) not. *a* ad n. 33. (*i*) L'Anat. de l'Homme Ed. 5. Demonſtr. 7. (*k*) De Affect. Partic. c. 2.
(*l*) De diſſect. part. corp. hum. l. 1. c. 88. (*m*) Epiſt. Anat. 13. n. 30. (*n*) Experim. Anat. Canicid. 1. n. 10.

moloſſi capite extra menſam, veternus illum oppreſſit; at erecto capite, ſiniſtraque aperta carotide, moloſſus ſe ſe concuſſit & exagitavit. Neque prorſus ſilendum eſt, Experientiſſimum Virum Lamurium (*o*); quanquam non ex propoſito id quærebat, & perbrevi tempore ſpectabat; cum earundem arteriarum truncos robuſto cani obligaſſet, hunc in ſoporem incidiſſe.

25. Inter experimenta adeo diſcrepantia, accipe quæ Valſalva, id unum, & ex propoſito quærens, non ſemel, ſed ter inſtituit, nec brevi, ſed longiori quam quivis alius, quod ſciam, temporis ſpatio protraxit, adnotando tum in viventibus canibus, tum deinde etiam in mortuis, quod ab nemine qui id unum experimentum ſuſceperit, factum legi; nam Drelincurtius (*p*) in eodem moloſſo tot ſimul tentaverat, ut pauca quæ ex mortuo deſcripſit, alio potius quam huc, referenda eſſe videantur. Igitur cum Valſalva Carotidem utramque arteriam in collo infimo cani obligaſſet; artuum motus nihil detrimenti paſſus eſt: demiſſum tamen manebat caput, & quaſi obtuſum apparebat. Inſequente autem nocte, multa ex ore ſaliva emiſſa, mane jam hebetudine illa diſcuſſa, hilari aſpectu canis oblata avide comedebat, cum aliqua tamen in deglutiendo difficultate. Sic commode quinque dies vixit, omnes pro re nata partes corporis expedite movendo; & per ædes ambulando. Interea vero labia, & caput, & colli anteriora tumere cœperant: & quamvis ſeri magnam copiam ex ore emitteret; tamen magis ſemper creſcente tumore, ac viribus paulatim deficientibus, ſexto obiit die.
In diſſecto collo repertum eſt, laceras quaſdam partes gangræna tentari cœptas eſſe: nihil autem per conſtrictas arterias meare ad caput potuiſſe. Jugulares Internæ nonnihil ſanguinis grumoſi habebant; cum venæ cæteræ, quæcunque per caput, extra cranium, feruntur, plurimo ſanguine tumerent. Sed paucus erat in vaſis cerebri, egregie alioquin ſe habentis.
In dextero cordis ventriculo initium concretionis polypoſæ. Denique tumor qui partes omnes occupabat colli, & capitis exteriores, ſtagnante fiebat ſero, quod colore & concretione *gelatinam* referebat.

Hæc quæ noviſſime Valſalva obſervaverat, cum per litteras Malpighio ſignificaſſet; gratias hic egit epiſtola, paulo poſtquam Romam venerat, data pridie Idus Decembres A. *1691.* ſimulque ad experimentum rurſus, nec ſemel, iterandum hortatus eſt, videndi cauſa, num ſemper illa quaſi *gelatina* occurreret, cæteraque ad eundem modum reſponderent.

26. Itaque alteri cani eaſdem vinculis conſtrinxit arterias: eandemque primis diebus vidit capitis demiſſionem, quod, ut collum quoque, nonnihil intumuerat, eandemque in cibo capiendo aviditatem, in deglutiendo autem difficultatem animadvertit: præterea manifeſtam muſculorum debilitatem. Sed accidebat ſæpe, ut ſanguis e vulnere manaret: quod cum fiebat, canis eo die reſpuebat omnino cibum, quem poſtridie, conquieſcente ſanguine, vegetior factus, avidiſſime appetebat. Per hæc exactis diebus pluribus, cum ſanguis omnino effluere deſtitiſſet, & canis æque propemodum jam valeret, ac antequam arteriæ obligarentur; vigeſimo ſecundo ex quo id factum fuerat, ſuperato die, necatus a Valſalva, ſectuſque eſt.
Carotidum altera infra injectum vinculum levem paſſa lacerationem, ſanguinem illac ſæpe fuderat, donec paucis ante mortem diebus ſic ſatis glutinata eſt. Sed qua vinculo conſtrictæ fuerant, ambæ connexis inter ſe parietibus in ligamentum induruerant inſtar umbilicalium vaſorum, ut nihil humoris, nihil aeris injecti tranſmiſerint (tu quales Swietenius (*q*), & quales Emettus (*r*) deprehenderint, apud ipſos videbis). Neque ullæ tamen arteriæ aliæ, & nominatim Vertebrales, factæ ne pauxillo quidem erant latiores. In cerebro nihil fuit adnotatione dignum, niſi quod circa Spinalis medullæ initium repertus eſt humor, cujus pondus tertiam circiter unciæ partem æquaret, natura autem perſimilis videretur humoris illius qui in cavo articulorum occurrit.

27. In parva quoque catella, vinctis arteriis Carotidibus, hæc obſervavit. Prioribus canibus vegetior fuit. Sed triduum, haud amplius, vixit; cibum ſemper omnino averſata, & quadam quaſi rabie percita, ut omnes allatraret. Diſſecta nihil adnotatu dignum obtulit: quanquam Carotides in hac pariter arcte conſtrictæ repertæ ſunt.

28. Non parvi momenti eſt pro Galeno, de tribus canibus in quibus Valſalva ejus iteravit experimentum, ne unum quidem fuiſſe qui aut ſopore, aut obmuteſcentia corriperetur. Nam quod latratum in primis duobus non memoravit, noli ideo credere, defuiſſe; cum videas in catella ipſa, niſi ut quadam rabie percitam ſignificaret, non fuiſſe memoraturum, in duobus autem prioribus vel quandam in deglutiendo difficultatem, ab aliis, quod ſciam, non animadverſam, adnotaſſe, indicio manifeſtiſſimo, tanto minus prætermiſſurum, ſiqua fuiſſet, omnibus in cane obſervatu facilem vocis imminutionem, non modo abolitionem. Cæterum ex iis quæ adnotavit, videntur quædam ad peculiarem ſingulorum canum diſpoſitionem potiſſimum attinere, ut quod catella cibum reſpueret, ac rabida quodammodo eſſet, aut quod primus ille canis præter magnam vim humoris ex ore emiſſam, ſero ſtagnante tumidum adeo collum, caputque haberet; niſi forte dicas, catellam citius quam hæc fieri poſſent, interiiſſe; in altero autem cane cum fluente ſæpius ſanguine, ſeri etiam partem per plagam exiiſſe, ut tumor qui in ipſo quoque attolli cœperat, non creſcere, ſed decreſcere potius debuerit. Sane aut aliquid ejuſmodi, aut alia in aliis quorundam vaſorum diſpoſitio videtur effeciſſe, ne eodem omnes tumore afficerentur, ſi vera hujus cauſa eſt a Valſalva in priore cane excogitata (*ſ*). Putabat videlicet, ſublato ſanguinis per arterias impulſu, eum quem reſpondentes venæ ferrent, in his ſubſtitiſſe, unde tanta illa ipſarum turgentia, & quod conſequitur, ſeri ſeceſſio, & ſtagnatio, præſertim cum, infirmato ob deficientem influxum ſanguinis, fibrarum robore, ſatis propelli non poſſet. Quod ſi cogitato huic objicias, in cerebro tamen ſerum effuſum non fuiſſe, neque ejus venas, Sinuſque, nec eas in quas hi deſinunt, Jugulares venas Internas reſtitante ſanguine tumuiſſe, quæ vaſa omnia Internis Carotidibus reſpondebant; fac tibi Vertebralium arteriarum veniat in mentem, quas etſi Valſalva minime latiores factas animadvertit (*t*); negari tamen non poteſt, tanto plus ſanguinis, quanto minus Carotides poterant, excepiſſe, & ad cerebrum tranſvexiſſe, & in Carotidum ramos, non illos tantum duos poſteriores, qui craſſiores beſtiis, quam hominibus, obtigere, ſed & plures alios minores, ſuis proximos ſurculis, cum hiſque communicantes, immiſiſſe, eaque ratione ſanguinis per cerebrum circumitionem quadantenus ſervaſſe, & quod conſequitur, ejuſdem inde per venas reditum adjuviſſe.

29. Atque hæc ipſa, quamvis aliter ab aliis explicata, ratio eſt, quamobrem olim Andreas Veſalius (*u*), & Chriſtophorus a Vega (*x*), non modo Recentiores, non experimentum quidem Galeni, ſed quod Galenus inde arguebat, negandum eſſe, exiſtimaverint. Quod ſi ab Recentioribus iiſdem quæras, cur idem experimentum repetens Drelincurtius (*y*) apoplexiam, ut ipſi ajunt, certe veternum ſequi viderit? non aliud fortaſſe diſcrimen proferre poterunt, niſi aliam aliis in canibus arteriarum diſpoſitionem.

Sin autem quæras, unde ergo ſtrangulationem cita mors conſequatur? ajunt, a conſtrictione ſequi Jugularium venarum, quippe illatum interea e Vertebralibus arteriis, quæ laqueo non poſſunt conſtringi, in cerebrum ſanguinem non referentium. Et ne forte dicas, nec Vertebrales tamen venas laqueo conſtringi poſſe, itaque per has ſanguinem reductum iri; animadvertunt alibi, tunc per Carotides quoque aliquid ſanguinis ad cerebrum importari; eminentia enim

Aſpe-

(*o*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1749 Exp 2. (*p*) loco modo cit. (*q*) (*r*) locis indicatis ſupra ad n. 24.
(*ſ*) Vid. enim infra, n. 32. (*t*) n. 26. (*u*) De corp. hum. fabr. l. 7. c. 19.
(*x*) Vid. apud Caſp. Hofman. Comment. in c. 10. cit. ſupra, ad n. 22. (*y*) Vid. ſupra, n. 24.

Aſperæ arteriæ has a laqueo ſic ſatis defendi, cum venæ Jugulares *pene nudæ cuti ſubjaceant*. Equidem fateor, Carotides interiores eſſe quam ſint Jugulares Internæ: addo etiam, compreſſioni magis reſiſtere ob tunicarum craſſitudinem, & ſanguinis impetum quo diſtenduntur. Sed tamen ipſæ quoque Jugulares Internæ prominentia Aſperæ arteriæ nonnihil defenduntur; nec certe illæ, ſed Externæ ſunt quæ cuti ſubjacent pene nudæ. Internas autem hic potiſſimum ſpectare convenit, ubi de ſanguinis e cerebro reductione ſermo eſt; non Externas. Nec ſane Externas, ſed Internas, quippe ductum ſequentes arteriæ Aſperæ, apprehenſas eſſe in Ariſtotelis experimento, ſupra (z) a nobis oſtenſum eſt: idque ex eo quoque confirmare licet quod Harderus (a) cum Externas in moloſſo vinxiſſet, ſoporemque inde cum ictu epileptico expectaret, nihil ejuſmodi conſpexit. At ſunt hoc tempore qui huc addant alterum illud Galeni experimentum, quod ſimul cum primo eſt a me antea (b) commemoratum. Verum cum Galeni propoſitum in eo quoque experimento fuerit, ut ligaret vaſa *quæ cerebrum cordi conjungunt;* nequeo animum inducere, ut credam, Externas ab illo, non Internas Jugulares venas fuiſſe conſtrictas. At enim, hic facile dices, ſi conſtrinxiſſet Internas; quî fieri potuiſſet, ut inde *functionem evidenter interire nullam* deprehenderet? præſertim cum Ariſtoteles ſenſus ſic eripi, confirmaverit. Utri, an neutri habebimus fidem? Rolfincius (c) enim habebat neutri. Harvejus autem (d) quoddam aliud Galenicum in vaſis pariter ſanguiferis experimentum nunquam habitum fuiſſe, pronunciavit. Pedetentim, quæſo, præſertim cum de ſummis agitur Viris, ne plus, minuſve quam dixerint, per incuriam affingamus. Rolfincius quidem non Galenico ſolum, ſed etiam omnibus reliquis experimentis fidem derogare ſe, dixit. Nulla tamen horum negavit; ſed vim tantum infirmavit quorundam, idem cauſatus quod diximus paulo ante, ſive arteriæ, ſeu venæ ligentur; ſemper reſtare Vertebrales, quæ ligari non poſſint. Quod ſi animadvertiſſet Cæſalpinus; non facile pro Ariſtotele priori illi Galenico experimento objeciſſet (e), *antiquos Carotidas vocaſſe non ſolas arterias, ſed omnes venas, ad cerebrum delatas;* quaſi vero ſic omnes apprehendere potuiſſet Ariſtoteles. De Harvejo autem ſeorſum videamus.

30. Utinam hic illius experimenti in quo immiſſa in arteriam fiſtula, nulloque prius circum hanc vinculo adhibito, infra fiſtulam pulſare arteriam; adhibito, non pulſare, Galenus (f) tradidit: utinam, inquam, vim infregiſſet dumtaxat, oſtendendo non animadverſæ a Galeno fallaciæ cauſam, nec ſcripſiſſet, Galenum, ac Veſalium *non cogitantes aut intelligentes difficultatem* ejus experimenti, quod non ajunt a ſe probatum, cæteris inſtituendum propoſuiſſe, in eaque re *Veſalii errorem, & aliorum inexperientiam* oſtendendam non ſuſcepiſſet. Nam ſi Veſalium (g), & multo magis ſi Galenum attente legas; ea aſſeveratione utrumque locutum eſſe, intelliges, qua nemo ſanus ſolet, niſi qui rei periculum fecerit, ad eamque paratus ſit omnibus qui voluerint, commonſtrandam. Neque aliorum oportebat *inexperientiam* ita accuſare, quaſi propoſita adminiſtratio eſſet propemodum impoſſibilis, & præterea ſi vinculum adſtringeres; arteria ſuperius dilataretur, inhibitoque propterea ſanguinis fluxu, inferius pulſaret obſcure admodum: ſin autem vinculum ſolveres; ſanguinis e vulnere proſilientis effuſione omnia perturbarentur. Namque; ut prætercam, antequam Harvejus ſcriberet, teſtatum eſſe Sanctorium (h), ſe quoque hoc Galeni experimentum in brutis *probaviſſe;* certe Vieuſſenius (i) poſtea feliciſſime peregit, neque cum vincula adſtrinxiſſet, inhiberi vidit ſanguinis fluxum, imo æque valide fere infra, ac ſupra tubulum, arteriam pulſare, aut cum mox nulla vincula adhibuiſſet, effuſione ſanguinis perturbatum eſt alterum experimentum, quod Sanctorius (k) ait a Galeno quoque fuiſſe propoſitum eodem, quo primum, capite, in quo ego quidem non invenio. At enim, inquies, utrumque ceſſit contra Galeni ſententiam. Fateor: neque unquam in animo habui ut hanc tuerer. Illud unum habui, ut oſtenderem, non oportuiſſe in dubium vocare Galeni fidem, quaſi experimentum quod alii capere potuerunt, ipſe capere non potuiſſet. Nam quod in capiendo falli ipſe, & Sanctorius potuerint propterea quod adſtricto vinculo, ob cauſam ab Harvejo animadverſam, aut aliam aliquam ejuſcemodi, obſcure adeo arteria pulſaret, ut pulſare non videretur, tanto facilius conceſſerim, quanto magis video, ipſum quoque Harvejum, non ſervatis omnibus quas Vieuſſenius poſtea inculcavit, cautionibus, multo minus quam hunc, pulſare conſpexiſſe. Una interdum cautio omiſſa in cauſa eſt, ut minus reſpondeant experimenta, velut experti olim ſumus in illo Pecqueti (l); ne a vaſis ſanguiferis, & ſanguinis per ipſa motu longius abeamus; quo ſcripſit, ligata arteria Crurali, ſanguinem qui ex turgente vena comite inciſa ſcaturiebat, *extincto prorſus impetu, guttatim primum exſtillaſſe, demum penitus fluxum compeſcuiſſe;* at relaxata arteria, *iterum ex vena pari vigore erupiſſe*. Sed quoniam pleraque eorum quæ in canibus duobus tunc obſervavimus una cum Homob. Piſone, Medico & Profeſſore Clariſſimo, & erga nos humaniſſimo, ab hoc ſunt edita, dilucideque propoſita (m); ſatis hic erit commemorare, neutram experimenti partem iis in canibus reſpondiſſe. Nam ſanguis e vena relaxata arteria, majori quidem vigore proſiluit, quam modo cum erat ligata; non tamen pari atque ante quam ligaretur: ligata autem arteria (id quod Piſo magis attendit) fractus quidem eſt impetus effluentis ſanguinis; ſed tamen in primo cane, qui vegetior erat, non deſtitit cum ſaltu aliquo, copioſeque effluere, & in neutro guttatim, multoque minus nullo modo exſtillavit: neque ante potuit fluxus omnino compeſci quam vinculum ſub elevatis nonnihil arteria, venaque, ut in Walæi Figura (n) vides, traductum, arcte circum femur adſtringi juberem in cane altero. Cum enim in hoc quoque eundem experimenti eſſe exitum, animadverterem; non dubitavi, Pecquetum forte in eum canem incidiſſe, in quo cum tenuiores, paucioreſque eſſent, quam in noſtris, rami alii qui ab arteria ſupra ligaturam orti, cum Crurali vena communicarent, aliud propterea ipſi, ac nobis, videre contigiſſet: aut etiam altius fortaſſe quam nos qui aliquanto infra inguen ſpatio injecimus, arteriæ vinculum injeciſſe. Itaque intelligis, non fuiſſe Pecqueto omittendum, quo loco vincienda arteria, aut femur eſſet, ſi modo idem volebat ab aliis conſpici, quod ipſe conſpexiſſet: quanquam interdum experimenti alicujus auctor, ut puta Valſalva, in eo proponendo nihil omiſit; fruſtra tamen; nam qui repetunt, aliquid manifeſto mutant, & quaſi nihil mutaſſent, experimentum ſibi non reſpondiſſe, mirantur! Sed hæc aut alias, aut potius nunquam.

31. Credas fortaſſe, me longius quam oportuiſſet, a propoſito eſſe digreſſum. Neque digreſſus ſum tamen. Erat enim propoſitum, ut poſtquam de arteriarum Carotidum ligatura Galeni experimentum perpenderam, de altero ejuſdem viderem quod in conſtrictione Internarum venarum Jugularium conſiſtit, nulla inde evidenter pereunte functione. Quod etſi creditu difficile videretur; dedi tamen operam, ut oſtenderem, non eſſe illius experimentorum fidem in dubium præpropere vocandam; ſed videndum potius, num, cautione quapiam omiſſa, aliquid humani paſſus ſit, ut puta ſi forte iis vix ligatis venis, mox vincula detraxiſſet, aut animal occidiſſet, ſecurus eorum quæ paulo diutius protracto experimento ſequi poſ-

(z) n. 21. (a) Eph. N. C. Dec. 2. A. 3. Obſ. 115. in Schol. fine. (b) n. 24. (c) Diſſert. Anat. l. 6. c. 41.
(d) De Circ. ſangu. Exerc. 3. (e) quæſt. 15. cit. ſupra, ad n. 21. (f) An ſanguis in arter. &c. c. 8.
(g) c. 9. cit. ſupra, ad n. 29 (h) Comment. in I. Fen I. Can. Avic. Doctr. 1. c. 2. & quæſt. 121.
(i) Neurogr. l. 1. c. 4. (k) locis modo cit. (l) Diſſert. de Circul. ſangu. c. 1. (m) Nov. in ſangu. Circul. Inquiſ. c. 7.
(n) I. in Epiſt. I. de mot. chyl.

poſſent, quippe qui adverſus vim pugnaret, quæ, ſi a corde in cerebrum per venas mitteretur, eſſet utique, ſicut alibi (*o*) in re ſimili contendebat, *momento temporis tranſmittenda*. Hoc autem dico eo fidentius quod cum de vinctis in animalis collo ſive nervis (*p*), ſive arteriis (*q*) verba faceret, experimenta ſe protraxiſſe, diſerte ſcripſit; de venis autem nihil, quod ſciam, ejuſmodi ſcripſit. Quod ſi hoc in venis habitum experimentum, ſæpius, ut illa, memoraſſet; facilius eſſet hac de re judicare. Verum ſemel, quantum in præſentia memini, de eo dixit (*r*), nec certe iterum *lib. de pulſuum uſu, cap. 2*; licet id Salius (*ſ*) indicet; commemoravit. Sed neque dixit, quo in genere animalium, nec qua in colli ſede venas conſtrinxerit. Quorum utrumque eos cogitaſſe, æquum fuerat, qui ejus vellent experimentum in dubium vocare. Nam quod ad primum attinet, Recentiores hæc fere ſolent in canibus, quos ille vel mortuos quam raro diſſecuerit, neminem fugere poteſt in ejus lectione verſatum: quibus autem vivis animalibus ad experimenta uteretur, quod ad nervos quidem attinet, ſcimus (*t*); quod vero ad ſanguifera vaſa, ſi recte memini, neſcimus: & tamen aliam in aliis animalium generibus eſſe poſſe vaſorum diſpoſitionem, aut communicationem, quis neget? quando haud raro in eodem genere, imo vel in uno eodemque animali, ſi quæ ſunt in dextero, & ſiniſtro latere inter ſe comparemus, varias illas eſſe, deprehendimus. Quamobrem & illud alterum ſpectare decet, id eſt qua in colli ſede ligatæ fuerint venæ Jugulares. Nam inter altiorem, & inferiorem ſedem, ſive ob eam quæ modo indicata eſt, ſive ob conſtantem cauſam vel in canibus diſcrimen eſſe, conjicias licet ex Cl. Lamurii (*u*) experimentis. Hic enim cum aliud inquirens, multorum viventium canum Jugulares Internas venas ſpectaret, haſque ad breve temporis ſpatium in duobus obligandas curaſſet; in primo quidem (*x*) poſtquam vinculum injectum fuerat infra earum biſurcationes, ſoporem adnotavit nullum; in altero autem (*y*) cum injectum eſſet, quo ad fieri potuit, propius thoracem, canis, inquit „ incidit in profundum ſoporem. „ Utinam plures, & diutius protractas, hujuſmodi haberemus Obſervationes, ut quod in ſuperioribus fecimus, conferendo inter ſe antiquas Galeni, & novas, ex his ducere firmiorem aliquam de illis conjecturam poſſemus. Sed nullæ ſuccurrunt in præſentia præter unam, aut alteram, quas infra (*z*) proferam, Galeno faventes potius, quam adverſantes. Favent quidem & illæ quas ex Emetto, & præſertim ex Cel. Swietenio ſupra (*a*) indicavi. Hic enim ſe *ligaviſſe*, teſtatur, *venas jugulares ſine ullo obſervabili malo*, quin etiam *poſt quatuor dies inveniſſe canem ſanum omnino*. Veruntamen cum in illis ipſis canibus aut ſimul, aut antea Carotides quoque arteriæ fuiſſent vinctæ; præclare vides non eadem prorſus ac Galenicum, hæc eſſe experimenta. Cætera quæ ſuppetunt, ad Externas aperte attinent Jugulares venas: quas etſi cum Internis communicare, ſcio, eaque ratione, & per ſe quoque non parum facere ad expeditiorem ex interiore cranio ſanguinis reditum; non tamen cenſeo, in hoc uſu eſſe cum Internis comparandas: & ſane Harderus cum in cane Externas vinxiſſet; non modo læſi cerebri, ut ſupra (*b*) etiam dictum eſt, ſymptomata non conſpexit, verum etiam in diſſecti cerebro *ſanguinis extravaſati parum omnino* deprehendit, *nec in ſinibus grumoſi veſtigia*, *firmiſſimo*, ut ait, *argumento, via hac præcluſa, aliam per venas maxime jugulares internas naturam ſibi paraſſe*. Prælectiones quidem Boerhaavii (*c*) Canicidia memorant Drelincurtii, unde pateat, Externis ligatis, ſtertere, tumere, ſuffocari canem. Verum ſi Canicidium indicant IV. (*d*) in eo quatuor alias ſimul venas, Crurales videlicet, atque Axillares, colligatas legimus, & in cane jam triduum non una ratione vexato. Sed fortaſſe alia Canicidia ſunt intelligenda quæ me fugiunt, an illa etiam quæ Drelincurtius ſcripta habebat, ut in calce eorum indicatur quæ typis vulgata ſunt? Nam & ibidem, & alibi (*e*) eædem Prælectiones ponunt alia Drelincurtii experimenta præter Carotides, Vertebrales quoque arterias ligantis, quæ in editis non memini legiſſe; ut neque *Stenonis* experimentum, alio loco (*f*) memoratum, *quo viſum eſt a vinculo venarum Jugularium animal apoplecticum factum*; niſi forte Prælectionum Auctorem, Summum quidem Virum, ſed ex tempore eas habentem, memoriam, ut fit, in rebus ejuſmodi fefelliſſe, exiſtimemus.

32. Sunt tamen qui Loweri (*g*) experimentum ad Jugulares Internas venas referre videantur; cum id Lowerus minime dicat, & quæ in vivo cane animadvertit, & in mortuo quæſivit, nullam cerebri læſionem oſtendant. Nam *poſt aliquot* demum *horas partes omnes ſupra ligaturam mire intumeſcebant, & intra duos dies canis quaſi angina ſuffocatus interiit, toto eo tempore non ſolum lacrymis copioſius fluentibus, ſed & plurima ſaliva ex ore*: poſt obitum autem partes ſub cute tumefactæ, nimirum *muſculi omnes & glandulæ ſero limpido maxime diſtentæ* repertæ ſunt; ut non levis in pleriſque ſimilitudo inter hunc canem, & primum illorum appareat, quibus a Valſalva obligatas fuiſſe retulimus (*) Carotides arterias, nec ſecus fortaſſe ac mox indicabitur, hujus ſit obſervatio explicanda cum ob alia, tum præſertim ob quoddam Jo. Bohnii (*h*) experimentum. Optandum fuiſſet, ut Peyerus (*i*) (nam & ipſe, Lowerum imitatus, *multum aquæ paſſim ſub cute capitis in membrana adipoſa atque muſculorum intercapedinibus congeſtum* vidit) ſcripſiſſet diſerte, utras cani venas ligaſſet; *Jugulares* enim ligaſſe, dumtaxat ſcripſit. Neque clarius locutus eſt Peyeri amiciſſimus Harderus (*k*), ubi iiſdem fere verbis idem *notaſſe alios ſecum*, retulit: quanquam credibilius eſt, haud alias venas, quam Externas, ut aliquot ante annis loco a nobis ſupra (*l*) indicato diſerte fecerat, ſignificare voluiſſe. Contra autem, Lowerum videtur intellexiſſe Pechlinus. Namque, ut in Sepulchreto ipſo (*m*) habes, *vulgato experimento jam olim cognovi*, inquit, *ligatis venis jugularibus internis in vitulo ſemimortuo cerebrum copioſe a reſtagnante ſero inundatum fuiſſe*. Denique Cl. Oederus (*n*) cum in cane vinxiſſet Externas, hæc obſervata a ſe, ſcripſit: *Neque intumuere multum venæ ſupra filum, neque multum aperti damni paſſus eſt canis, neque ſtupidus factus eſt, ſed pene per totum diem vegetus, continenter latrans, ſuffecit deinceps alii experimento. Portio infra filum ſingula reſpiratione evanida denuo replebatur*. An *inſpiratione* forte ipſe ſcripſerit, ex iis conjicies quæ paulo inferius (*o*) proferentur. Cæterum & ipſe perſpicuitatem in Loweri narratione deſiderat: *cum ait* „ *venas ſe jugulares* „ *ligaſſe*, *obſcurum eſt*, inquit, *ſolaſne externas*. Et ſane utraſque olim videtur intellexiſſe Noveſius (*p*), qui Externis ſimul, Internisque vincula injecit. Quod cum in uno, itemque in altero feciſſet cane, animadvertit quidem (id quod apud Lowerum non invenio) ſigna capitis facti ponderoſioris, & lacrymas aliquot; ſed canibus aliquo poſt tempore mortuis, nihil quidquam ſeri extra, aut intra cranium effuſi deprehendit: cenſuitque, vel cunctis ligatis venis Jugularibus, harumque ramis, perſiſtere, quamvis lentiorem factam, ſanguinis circumitionem, quippe redeuntis ut ipſe ait, per Sinus medullæ Spinalis. Præclare autem memini, cum Valſalvæ, & mihi Bononiæ hæc, quæ non multo poſt edidit, narraret Noveſius, ſubjeciſſe, ſe venas illas vincientem caviſſe diligentiſſime, ne quidquam præter nudas venas ligaret: ſuſpicari igitur, Lowerum ſimul cum iis venis adhærentes lymphæ ductus colligaſſe,

(*o*) An ſangu. in arter. &c. c. 8. (*p*) De Hippocr. & Plat. Decret. l. 2. c. 6. (*q*) Vid. ſupra, n. 24.
(*r*) cit. c. 6. (*ſ*) De Aff. Particul. c. 2. (*t*) Vid. de Anat. Admin. l. 8. c 8. & l. de Præcogn. ad Poſth. c. 5.
(*u*) loc. cit. ſupra, ad n. 24. (*x*) Exp. 3. (*y*) Exp. 4. (*z*) n. 32. (*a*) n 24. (*b*) n. 29.
(*c*) in Inſtit. §. 860. (*d*) n. 2. (*e*) §. 695. (*f*) §. 286. (*g*) Tract. de Corde c. 2. (*) ſupra n. 25.
(*h*) Circ. Anat. Prog. 6. in cane quarto. (*i*) Meth. Hiſt. Anat. Med. c. 6. (*k*) Apiar. in Schol. ad Obſ. 72.
(*l*) n. 29. (*m*) l. 1. S. 16. Obſ. 5. in Additam. (*n*) Differt. de Derivat. &c. §. 33. (*o*) n. 33. & ſeq.
(*p*) Lettr. de G. Deſnoves IV.

gaſſe, hiſque ob nimiam plenitudinem ruptis, ſerum illud limpidum extitiſſe. Quam ſuſpicionem Valſalva non improbabat, & confirmare liceret obſervatione quadam Drelincurtii (*q*). Utcunque id eſt; certe Noveſii obſervationes oſtendunt, potuiſſe Galenum læſionem adnotatu dignam nullam videre paulo poſtquam Internas adſtrinxiſſet Jugulares venas, quando, Internis ſimul, Externiſque conſtrictis, non plura Noveſius animadvertit.

33. Quæres fortaſſe, quid Vir experiens Valſalva iiſdem conſtrictis venis obſervarit. Ego vero cum propter hanc quoque cauſam diligenter olim ejus omnes ſchedas excuſſiſſem; nihil ad illarum vinctionem attinens; ſed alia tamen inveni, quæ quoniam ad eaſdem, & ad Carotides arterias pertinent, in vivis canibus ſpectatas, aut inciſas; hic tibi, ut ſuperiore promiſi Epiſtola (*r*), deſcribere, & quid ipſe, iiſdem iteratis obſervationibus, conſpexerim, paucis ſubjicere non gravabor. Valſalva igitur ſecta in collo cute, veniſque Jugularibus detectis, animadvertit, has venas ſanguine turgidas, aerem inſpirante cane, detumeſcere; exſpirante autem, viciſſim turgere, præſertim cum reſpiratio ad naturalem accedebat: eademque poſtea in aliis etiam canibus perſpexit, & quandam earum venarum ſyſtolem, ac diaſtolem. Præterea ipſas comprimendo, ſanguinem vidit, qui infra locum compreſſum erat, cor verſus fluere, quamvis a ſuperiore non urgeretur. In alio cane arteriam diſſecuit Carotidem, viditque id quod propter ramorum utriuſque Carotidis altiores inter ſe communicationes expectabat, a ſuperiore quoque diſſectæ arteriæ parte ſanguinem effluere, nec mediocri quidem copia, ſed minore impetu, quam ab inferiore. Sed hæc tamen quæ de Carotide, & ea quæ ſecundo loco de Jugularibus adnotavit, generatim quidem erant omnibus, iſta autem ipſa qua adnotavit, ratione haud omnibus, puto, æque nota erant eo tempore. Illa vero quæ primo loco de Jugularibus obſervavit, nemini fortaſſe ne hoc quidem tempore nota eſſent, niſi Præcl. Schlichtingii (*ſ*) obſervationes, anno editæ 1750. impuliſſent ad quærendam cauſam, cur in quavis exſpiratione cerebrum attollatur, in quavis autem inſpiratione ſubſidat. Illam enim cauſam cum Gottingæ, & Monſpelii inquirerent Sagaciſſimi Viri, in eandem ac Valſalva olim, obſervationem inciderunt, eoſdemque motus venarum, nemini, quod ſciam, præter illum, ad id tempus viſos, ad alias majores venas diligentia propria extenderunt. Quod unum, hanc Epiſtolam recenſens, addere hic volui inter ea quæ tanto antea ad te ſcripſeram: nec tamen propterea quidquam eorum quæ ſequentur protinus, omittere. A primo quidem tot, & tam conſtantibus tum Valſalvæ, tum Præſtantiſſimorum, quos modo indicabam, Virorum experimentis, quæ pro veriſſimis habeo, minime reſpondere videbuntur. Sed non ideo prætermittenda: imo non ſilenda eſſe, arbitror primum ut tot inter anatomica hujus generis experimenta unum extet, quod iis quæ ratio, imo oculi oſtendunt in corporibus viventium hominum haud repugnet, eſſe videlicet aliquando cum venæ inſpirationis tempore intumeſcunt, eædemque detumeſcunt tempore exſpirationis: deinde ut illorum experimentorum Scriptores Ingenioſiſſimi poſſint, ſi velint, congruenter ſuis quiſque explicationibus conſtituere, quæ cauſa tanti diſcriminis ſit inter illa, & meum experimentum, an eadem quam ad id explicandum, quod in vivis conſpici hominibus, dicebam, video eſſe commemoratam (*t*)? an alia, quæ ſi attentius legas quæ ego vidi ab initio ſtatim cujuſque inſpirationis, cum his magis congruat?

34. Cum enim ipſe ea quæ paulo ante deſcripſi, Valſalvæ repeterem experimenta ſub finem A. 1723; ſic obſervavi. Integumentis a dextera colli parte ita in cane ſeparatis, atque reductis, ut tota quæ ipſis obtecta fuerat, Jugularis Externa vena omnino pateret, tremulus quidam in ipſa motus, ſed & in proxima, quanta quanta retecta erat, colli parte conſpiciebatur. Mox attentius oculis in vena defixis, manu autem abdomini admota, evidentiſſime perſpexi, quotieſcunque hoc ab inſpiratione attollebatur, eodem tempore venam illam ſtatim tumere, neque prius detumeſcere, quam abdomen in exſpiratione ſubſideret; tunc enim ſimul venæ quoque turgentia manifeſto decreſcebat. Quæ cum Valſalvæ obſervationi adverſarentur, tanto diligentius & ipſe iterum, iterumque obſervavi, & ab iis qui aderant, Oculatiſſimis Proſectoribus Vulpio, & Mediavia, ab aliiſque attentiſſimis Viris, & Adoleſcentibus obſervari volui: ſemper autem ita ut expoſui, res ſe habuit: eoque minus videbatur errandi periculum, quo magis utraque reſpirationis pars, & certe inſpiratio, magna erat, & diuturna, & alterno ordine ſui ſemper ſimilis, ut non alia in tota illa fuerit obſervatione. Et optabam quidem eo tempore, ut tandem reſpiratio ad naturalem modum rediret, quo certius cum Valſalvæ obſervatione compararem meam. Nunc vero illæ ob quas hæc non reticui, cauſæ faciunt, ut minus ægre feram, non rediiſſe. Nec vero aliam præterea Jugularis venæ ſyſtolem, & diaſtolem videre potui, & illam ipſam forſaſſe Valſalva ſub his nominibus intellexit ſubſidentiam, turgentiamque Jugularis venæ, alternis reſpirationis partibus reſpondentem. In reliquis autem obſervationibus nihil fuit quod Valſalvæ adverſaretur. Nam ſummæ proximam venæ partem cum ita conſtrinxiſſem appreſſo digito, ut a ſuperiore ſanguine inferiorem penitus dividerem; ſanguis tamen qui infra digitum erat, intra breve temporis ſpatium defluxit, venamque inanem, aut ferme inanem reliquit. Denique his quæ dicta ſunt, iterum ac ſæpius perſpectis, Carotica ejuſdem lateris arteria detecta eſt, a proximiſque partibus ſejuncta, tum nonnihil elevata, & ad medium circiter longitudinis colli tranſverſa diſſecta eſt. Cum dubitaremus, num ſtatim a diſſectione, ut certe ab inferiore, ita etiam ab ſuperiore parte ſanguis effluxiſſet; ne dubii aliquid eſſet in reliqua obſervatione, placuit, ut Cl. Vulpius, qui adminiſtrans adſtabat, inter digitos utramque diſſectæ arteriæ partem, ſed alteram altera manu retineret hactenus ne conciderent, ſimulque modice alteram in alterum latus inclinaret, ne ſanguis occurreret ſanguini, remque confunderet, ſed proclive eſſet diſcrimina inter ſuperiorem, & inferiorem præclare animadvertere. Quod cum ille dicto citius feciſſet, evidentiſſimum fuit, ſanguinem ex utraque parte ad magnam diſtantiam proſilire, quamvis tenuiore filo, & minore impetu ex ſuperiore, idque diu, & donec voluimus. Non erat tamen ſuperius filum ea tenuitate, ut non ſatis appareret cauſa, cur vel olim admonuiſſet Galenus (*u*), ut in iis experimentis quibus ſanguifera in collo vaſa diſſecantur, *ne pereat ſtatim animal immodica ſanguinis profuſione enectum*, admonuiſſet, inquam, ut *prius* ejus *collum tum ſuperiore, tum inferiore parte laqueis duobus*, ſcilicet pone Aſperam arteriam traductis, *artie conſtringamus*, *deinde inter laqueos partem* vaſorum *in medio acceptam præcidamus*. Re ſatis jam obſervata, animadverſum eſt, arteriæ partem inferiorem qua ſecta erat, ſe adeo contraxiſſe, nihil ut propemodum efflueret. Sed pauxillo ex eadem extrema parte forficibus adempto, ſanguis continuo ad priſtinum illum effluxum rediit: cum interea muſculus Maſtoidæus, quem antea in medio collo tranſverſum ſecueramus, diſſectas partes ſua extrema verſus non contraxiſſet, ut nulla prorſus vi adhibita, eaſdem manibus prehenſas liceret alteram ad alteram adducere, ut inter ſe contingerent non ſecus ac paulo ante; vigente adeo etiam tum cane, ut his omnibus ſatis ſuperque inſpectis, & mox abdomine diſciſſo, multiſque partibus in ventre ſpectatis, & nonnullis circum vaſa laqueis adſtrictis cum thoracem denique recluderemus, cor tunc etiam valenter, conſtantique ordine micaret. Verum hæc alio attinent.

35. Nunc ad primum illud propoſitum (*x*) redeamus: a quo te gaudeo prolixa experimentorum recen-

(*q*) Experim. Anat. Canicid. 6. n. 4. 5. (*r*) n. 11. (*ſ*) Memoir. préſent. à l'Acad. R. des Sc. Tom. 1.
(*t*) Vid. Walſtorff Diſſert. ſiſt. Experim. circa mot. cerebri &c. §. 28. (*u*) cap. illo 6. cit. ſupra, ad n. 31. (*x*) ſupra, n. 20.

cenſione, atque examine abduxiſſe; longe enim minus triſte, atque horrificum eſt in vexatorum per experimenta canum, quam in ſtrangulatorum hominum cogitatione detineri. Ad hanc jam revertamur, oportet, de cauſis, quæ afferri ſolent, eorundem mortis exiſtimaturi, quando illa quæ ad id neceſſaria erat, experimentorum tum veterum, tum recentium conſideratione perfuncti ſumus. Ad nervos igitur qui per collum vaſa ſanguifera comitantur, laqueo conſtrictos, non video hoc tempore qui referant celerem illorum mortem: & ſi viderem; ad ea rejicerem antiqua, & nova experimenta, quæ ſupra (*y*) ſunt indicata. Nec ſane plures eſſe, exiſtimo qui ad compreſſionem referant arteriarum Carotidum: quos tamen iis perpenſis, quæ fuſe antea (*z*) propoſita ſunt, atque explicata, valde jam puto de ſua ſententia dubitaturos. Sed contra, pleroſque ſcio Viro Doctiſſimo aſſentiri, qui poſt Wepferum (*a*) non uno in loco docuit, adſtrictione Jugularium venarum prohiberi ſanguinis reditum, qui per Carotides arterias non omnino compreſſas, & multo magis per Vertebrales interea in cerebrum importatur; itaque confeſtim apoplexiam lethalem fieri, *neque aliam eſſe rationem mortis ſuſpenſorum*; ſic enim congeſtum in cerebro ſanguinem hoc, ajunt, vehementius comprimere, vel diſruptis etiam tenerrimis vaſis, in ventriculos, & anfractus effundi. Verum poteſtne plus ſanguinis in cerebrum ferri, quam nulla Carotidibus arteriis compreſſione adhibita, aut magis illius reditus impediri, quam vinculis tunc ſimul adſtrictis ſingulis circum ſingulas Jugulares venas, nec modo aut Internas, aut Externas, ut in Galeni, aut Harderi, Oederi, & fortaſſe etiam Loweri experimentis factum eſt, ſed Internas ſimul, & Externas, ſicut Noveſium feciſſe, diximus? Num ullam tamen, non apoplexiam dico, ſed ſoporoſam affectionem vidit horum quiſquam, quæ continuo ſit, aut mox conſecuta? Relege, quæſo, eorum experimenta, quæ ſupra (*b*) a nobis ſunt recenſita. Nihil certe ejuſmodi viſum invenies: aut ſi quibuſdam aliis nonnunquam accidit, ut a venarum, aut arteriarum, aut nervorum in collo vinctione aliter viderent; fac memineris, nos hic de ſuſpenſorum morte loquentes, cauſas quærere, non quæ interdum, ſed quæ ſemper, aut fere ſemper, & cito interimant. Quid ergo eſt? an aliæ, præter modo examinatas, ſunt cauſæ, quas potius accuſemus? ut ſupremarum vertebrarum luxatio, quam nunc ponunt aliqui (*c*), Wepferus autem (*d*) tunc ſuſpicari videbatur, cum ſuſpenſorum humeris inſultat carnifex, ac pede caput in tranſverſum agit. Sed neque in uſu id ubique eſt, & ubi eſt, ibi Columbus (*e*) negabat adeo, ſe luxationem inveniſſe, ut faciliorem vertebrarum fracturam eſſe, diceret, quam luxationem, & tandem ſive hanc, ſive fracturam eſſe, malles, unde ipſum medullæ Spinalis vitiaretur initium; hinc tamen potius mors illico, quam apoplexia, ſequeretur. Et ne forte oportere apoplexiam tunc ſequi, dicas, cum vertebrarum ſeu luxatione, ſeu fractura ſic Vertebralia quoque vaſa comprimuntur, aut læduntur, ut ne per hos quidem rivos in cerebrum ſanguis inferri, & ab ipſo referri poſſit; mittamus denique ejuſmodi caſus, quos communes ſuſpenſis omnibus non eſſe, diximus, nec certe iis fuerunt qui poſt ſuſpendium ab apoplexia, vel potius ab ſopore illo quo correpti fuerant, liberati ſunt, & videamus ſaltem qua ratione ſoporem illum, omnibus communem, effici, dicamus; nihil enim dubii eſt, quin cadem cauſa quæ ipſum efficit, ſi cito etiam atque etiam augeatur, cito ſit hominem jugulatura.

36. Cæſalpinus (*f*), *referunt*, inquit, *qui laqueo ſuſpenſi non interjerunt, in conſtrictione laquei ſtupore correptos eſſe, ut tandem nihil ſentirent*. Wepferus quoque (*g*) mulierem, & virum commemorans ſuſpendio ſuperſtites, illam omnium oblitam, inſtar *apoplecticæ* jacuiſſe, oſtendit; hunc *conſtricto laqueo ne minimum dolorem perpeſſum eſſe*, ... *& ſine omni ſenſu, aliquot horas profundo quaſi ſopore ſepultum* exegiſſe. Audivi ego de gravi, & verace Viro, furciferum qui ob eandem, ut credebatur, cauſam ob quam illi de quibus in Sepulchreto (*h*) narrat Cardanus, prorſus interfici carnificis teſte non potuerat, interrogantibus retuliſſe, primum ſibi quaſi ſcintillas ante oculos eſſe obverſatas, mox nihil, nihilque præterea, quaſi dormiret, omnino ſenſiſſe. Qui caſus ejus ſimilis ſatis eſt, quem narrat Baconus (*i*), niſi quod is qui ſe ſuſpenderat poſt *ſpeciem ignis*, cum *tenebras* jam id eſt nihil videret, breviſſimo illi ſuſpendio per Amicum præſentem continuo ereptus, colorem quendam pallidiorem videre cœpit: nullum tamen dolorem ſenſit. Denique ipſe fœminam vidi, cui nocturni fures, ut ſecuro animo expilarent domum, collum ſudariolo contorto ſic obſtrinxerant, ut interemptam eſſe, non dubitarent. Ea inventa eſt facie tumida, & livida, ore ſpumoſiſſimo, quod ideo adnoto, ut intelligas, aphoriſmum de quo ſupra (*k*) mentio injecta eſt, eſſe cum exceptione, ut ſæpe alios, admittendum; ſervata enim eſt Medicorum induſtria ſanguine de brachio, & pede miſſo, datiſque, cum primum potuit, cardiacis, ut vocant, medicamentis; quo ferme curationis genere ſtrangulatos alios evaſiſſe, additis fomentis, balneiſve calidis, apud Riolanum (*l*), & Baconum (*m*) videbis; ea igitur mulier poſtquam, ſudariolo detracto, adjuvari cœpta eſt, permultas horas etiam tum jacuit priuſquam ad ſe rediret. Vides, me plura exempla commemorare, ne quid ſtrangulatis commune ſit, dubites, ſimulque poſſis recogitando propoſita in canibus experimenta, num quid ejuſmodi conſtrictis in collo aut nervis, aut arteriis, aut venis, eorum pleriſque contigerit, animadvertere. Quod ſi non contigit; aliunde rei cauſam quæras, neceſſe eſt.

37. Et mihi quidem hæc omnia reputanti reſtare videtur quidpiam, de quo per experimenta quæri potuiſſet, id eſt an canibus aliter accideret, ſi non ſingula illa in eorum collo, ſed univerſa, injectis utrinque vinculis adſtringerentur. Aliud enim conſtrictis ſingulis, aliud univerſis, accidere poſſe, cum indicat ratio, tum confirmat experientia. Nam quid nervis, quid item arteriis ſolis obligatis fiat, cum poſſis ex hac, & ex Epiſtola noſtra Anatomica XIII. cognoſcere; ibidem (*n*) videbis, quam diſſimilia, & quanto etiam graviora acciderint, utriſque colligatis. Fac item, ut eorum tibi veniat in mentem quæ ſupra (*o*) de circulatorum capra, & de adoleſcentibus tum Aſſyriis, tum Piſano commemoravimus, ut illi atque hi intercepto ſenſu, & motu conciderent, & obdormiſcerent. Atqui illa certe ſic concidebat, cum vincula iis quæ per collum ſimul feruntur, vaſis, & nervis injecta contrahebantur; non eſt autem circulatorum arterias, venaſque diſcernere; ut veri ſimilius ſit, omnia ſimul fuiſſe compreſſa. Neque ipſis licet Anatomicis in tanta nervorum, & vaſorum utriuſque generis vicinitate, imo cohæſione hoc potius, quam illud, comprimere ſub illæſa cute: nec aliter feciſſe videtur Columbus (*p*). Idemque erit denique ſentiendum de experimentis Ariſtotelis (*), qui etſi verbis Jugulares venas, eaſque Internas deſignat; *foris* tamen *apprehenſas* dicit, *corruentibus hominibus*, *ſenſibus ereptis*, *& palpebris compreſſis*. Sane etiam Salius (*q*) de his ipſis loquens, non dubitat, ſimul venas, arterias, nervos fuiſſe conſtrictos. Et Riolanus (*r*) illo Ariſtotelis producto loco, *non conſtare*, ait, *inter antiquos authores de vaſis*, *quæ laqueis intercepta ſoporem inducunt*, *quoniam hæc vaſa venæ*, *arteriæ*, *& nervi*, *ſunt ita contigua*, *ut unum pro altero acceptum fuerit*.

38. Præterea in ſtrangulatis, de quibus hic potiſſimum quæritur, cum obvium ſit, non modo univerſa illa, ſed & Aſperam arteriam eodem tempore conſtringi; cur non hanc præcipue cauſam ad illas addendam eſſe, putabimus? Nec ſane opus eſt experimenta inſtituere ad proprium occluſionis hujus canalis effectum cito lethiferum comprobandum. Caſus ipſe non raro obtulit: ut cum Druſus, Claudii Cæſaris impu-

(*y*) n. 23. (*z*) n. 24. & quinque ſeqq. (*a*) Exercit. de loco aff. in apopl. (*b*) n. 29. 31. 32. (*c*) Vid. ſupra, n. 14. (*d*) Exercit. cit. (*e*) n. 14. cit. (*f*) l. 2. Quæſt. Med. 15. (*g*) Exercit. paulo ante cit. (*h*) l. 4. S. 12. Obſ. 11. (*i*) Hiſt. Vit. & Mort. (*k*) n. 9. (*l*) Anthropogr. l. 1. c. 18. (*m*) Hiſt. modo cit. (*n*) n. 31. (*o*) n. 22. (*p*) ibid. (*) Vid. ſupra n. 21. (*q*) De Aff. Partic. c. 2. (*r*) Anthropogr. l. 3. c. 9.

impuber filius, ſuffocatus eſt *pyro per luſum in ſublime jactato, & hiatu oris excepto*, ut tradit Suetonius (ſ), aut cum juvenis robuſtus, de quo habes in Sepulchreto (t), fruſtulo carnis in laryngem illapſo, & hanc totam obturante, *ſubito pereunte reſpiratione*, antequam advocaretur chirurgus, eſt *ſuffocatus*. Utinam rariſſime, imo nunquam talia acciderent, nec celeres adeo mortes ab ejuſmodi cauſa narrandas Petitus Chirurgus (u), & nuper quoque; ut alios præteream; Illuſtris Hallerus (x) habuiſſent. Itaque mirandum non eſt, pluribus, inter Recentiores etiam, ut Dioniſio (y), Langgutho (z), aliis placuiſſe ob hoc unum interire ſuſpenſos, quod reſpiratio intercipiatur, in eandemque ſententiam demum Viros Celeberrimos tranſiiſſe, quibus antea viſum eſſet, a conſtrictis venis Jugularibus id potius eſſe, quam ab impedito aeris uſu, repetendum. Et ne mihi objicias cum Wepfero (a), ſine reſpiratione urinatores, & hyſtericas vivere; quanquam has non omnino negat reſpirare, ſed ad ſenſum dumtaxat; ſcito, nunc in hiſce immorari me nolle, neque de præcipua inſpirati aeris utilitate diſputare; ſed hoc tantum dicere, ſi vaſorum, nervorumque ſimul facta compreſſio non eum ſatis credatur effectum, cujus cauſam quærimus, per ſe productura; at producturam eſſe, ubi conſtrictio eodem tempore accedat arteriæ Aſperæ. Illa enim ſanguinis per cerebrum circulatio, quæ Carotidibus arteriis, & Jugularibus venis omnibus compreſſis, vix per Vertebrales arterias, venaſque ſervari quadantenus poteſt; ſi reſpiratio prohibeatur, ipſa quoque facile prohibetur. Dilatante enim ſe aere a pulmonibus noviſſime hauſto, & quoniam a calido eo loco jam redire, ut ſolebat, non poteſt, validius minima vaſcula comprimente, quæ per eos ſanguinem traducunt, ſubſiſtat hic magna ex parte in pulmonibus, & ventriculo cordis dextero, & vena Cava, neceſſe eſt, ut reapſe in animantibus, intercluſo ſpiritu mortuis, Thomas Cornelius (b) deprehendit. Quo facto, ſimul arteriis Vertebralibus ſubtrahitur ſanguis, quem ad cerebrum convehant, ſimul venis, earum ſociis, difficilior fit ejus qui in cerebrum influxerat, ſanguinis in Subclavias reportatio, quippe Cava in quam hæ confluunt, a ſubſiſtente, ut diximus, ſanguine adeo diſtenta, ut interdum in ſtrangulatis animalibus, ex Cornelii ejuſdem (c) obſervatione, diſrumpatur. Nec jam dico, per pulmones non reſpirantes ſtatim nihil ſanguinis omnino tranſire; ſed minus, & deinceps minus, minuſque, ut quod tranſit, ſervandæ circulationi non ſufficiat; neque enim tunc, ut in hæmorrhagiis, tempus eſt quo ſe arteriæ ſenſim magis, magiſque contrahant, & ad modicam illam ſanguinis copiam ſe accommodent; ſed interea dexter cordis ventriculus adeo ſanguine dilatatur, ut mox conſtringere ſe non poſſit, nec vel exiguam copiam ſanguinis per pulmones ad ſiniſtrum, arteriaſque compellere. Quod ſi igitur impedita reſpiratio circumitionem ſanguinis per ſe impedit intra breve tempus; intra breviſſimum impediet per cerebrum eorum in quibus ob Carotides, & Jugulares, eodem tempore laqueo conſtrictas, vix tantum ſanguinis illud habebat, ut per Vertebrales arterias, venaſque ſervaret quadantenus circumitionem. Siquando autem priuſquam tranſitus ſanguinis per pulmones omnino impediatur, forte contingat, ut ob eas cauſas quæ ſupra (d) commemoratæ ſunt, aliquid ſanguinis influere tunc pergat per Carotides minus adſtrictas, quam ſint Jugulares; non modo ſanguinis circumitio per cerebrum ſubſiſtet; ſed ipſe ea copia cumulabitur, unde mox vaſa diſrumpantur, velut in ea muliere quam viri duo, ut antea (e) relatum eſt, manibus conſtricto collo, ſtrangulaverant. In illa enim ſanguinem effuſum ſupra baſim cranii, & in ventriculis invenit Littrius: cujus explicatio non ita diſcrepat ab hac noſtra. Secundum quam illud pariter intelligi licet, cur in ſuſpenſo fure, quem Petrus Nannius, cum Bononiæ eſſemus, diſſecuit, Sinus ruptus eſſet *Longitudinalis* meningis Craſſioris: multoque etiam magis, cur Lanciſius (f) in ſtrangulatis viderit *puncta ſanguinea ſpiſſo agmine candidam medullæ cerebri ſubſtantiam variegare*: noſque ipſi illa omnia quæ ad te alias (g) ſcripſimus, in cerebro, & pulmonibus cujuſdam maniaci, quem eodem mortis genere extinctum eſſe, pleraque indicabant.

39. Locus hic eſſet de iis etiam verba faciendi, quorum ſubitas mortes a denſiore, aut rariore inſpirato aere plerique repetunt, illo videlicet, non ſecus denique ac paulo ante dicebamus, minima pulmonum vaſcula conſtringente, hoc vero eadem non explicante, ut concidentia, ac corrugata minime ſanguinem tranſmittant: quanquam Cl. Greenwoodii experimentis (h) neque denſitate, aut gravitate, neque humiditate, neque elaſticitate a communi aere diſcrepare putei aer inventus eſt, in quem deſcendentes homines, aut demiſſæ faculæ citiſſime extinguebantur. Sed quoniam etſi ejuſmodi mortes non raro accidant, & ipſe A. 1731. pro Sacro Patavinorum Medicorum Collegio quid agendum, reſponderim, ne in ſepulchrum quoddam Ateſtinum deſcendentibus id amplius contingeret quod tribus nuper acciderat, ut continuo ſuffocarentur; tamen quia nullum ejuſmodi letho ſublati cadaver mihi, aut Valſalvæ oblatum eſt, in quo viſcerum, & ſanguinis conſtitutionem perſcrutaremur; diſquiſitionem hanc in præſentia tranſilio. Quod ſi forte quæris, cur ſuffocatos illos tres dixerim; nempe dixi tum quia ante quinque, aut ſex menſes veſpillo, qui in idem ſepulchrum deſcenderat, illico reſpirationis anguſtia correptus fuerat, tum etiam quia illorum trium aliquis, ululatu quodam emiſſo, reliqui non aliis motibus editis quam qui ſuffocantur, mortui ſunt, quidam etiam livido nigroque corpore. Neque aliter ferme cum decem illis actum eſt qui A. 1724. Veronæ cellam vinariam, ferventis uvæ halitibus plenam, unus poſt alium ingreſſi, idem fatum ſubiere, cum alii ululantis, mugientiſve ſonum edidiſſent, plerique autem mox humi ſe ſe jactarent, atque agitarent eorum inſtar qui ſuffocantur. Sed & in antro quod a canibus nomen apud Neapolitanos accepit, illico beſtias concidere non ſecus ac ſi eſſent mortuæ, niſi quod membra pleræque jactando, miſere ſe contorquent, experimentis ſuis edoctus Leonardus Capuanus (i) teſtatur. Et ne forte putes, has membrorum agitationes convulſivos potius ob affectum primario cerebrum, quam conſuetos eſſe motus in iis qui ſe ſuffocari ſentiunt; animadverte quæ apud Leonardum ſequuntur: *retracta inde ſemiviva animalia in aerem innoxium, ita reſtitui, ut ſi nihil mali paſſa eſſent*: quæ natura non reſpirant, ea in antro ſerius, & vix mori: canem, & ranas in eo mortuas, illum quidem contractos aliquantum pulmones, his vero eoſdem concidentes, aeriſque inanes habuiſſe. Quæ omnia attingere hic volui, ne facile credas quæ leges in Sepulchreto (k): qui vel muſti vaporibus, vel fumo carbonum extinguuntur, eos *placidiſſime mori: quod canibus etiam in antro illo dicto* ,, la grotta de' cani ,, *uſu venit*: qui omnes ſi ex pulmonum, non cerebri potius affectione morerentur, *næ illi brachiorum jactatione, tibiarum attractione, & totius corporis denique agitatione atque labore moleſtarentur*. Hæc ibi. Cæterum neque in antro illo vapores lethiferi altitudinem mercurii mutant in barometro (l): ſed non hoc tantum; barometrum quoque nullam oſtendit mutationem in caverna Pyrmontana (m), cujus, & antri Neapolitani phænomena ſunt inter ſe perſimilia. Quæ autem ſine diſſectione, aut per hanc obſervata ſint in eorum corporibus, quos aut carbonum, aut putei cujuſdam halitus extinxerant, *Commercium* docebit *Litterarium* (n), magiſque Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis Hiſtoria (o).

40. Sed etſi neque hominum ſubmerſorum cadavera incidere Valſalvæ, aut mihi datum eſt; tamen cum olim variorum generum animalia, quæ ſubmergenda curaveram, non ſemel diſſecuerim, quæ adnota-

(ſ) De duodec. Cæſarib. l. 5. c. 27. (t) Sect. hac 2. Obſ. 6. (u) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1742.
(x) Opuſc. Pathol. Obſ. 7. (y) (z) locis ſupra indic. ad n. 24. & ad n. 9. Vid. §. 5. (a) Exercit. cit. ſupra ad n. 35.
(b) Progymn. 7. (c) Ibid. (d) n. 29. (e) n. 9. (f) De Subit. Mort. Obſ. 4 in fin. ad n. 8. (g) Epiſt. 8. n. 4.
(h) Saggio delle Tranſaz. Tom. 5. n. 2. (i) Delle Mofete Lez. 1. (k) Sect. hac 2. in Schol. ad Obſ. 15.
(l) Vid. Mead de Venen. Tent. 6. (m) Commerc. Litter. A. 1737. Hebd. 8. (n) Ibid. A. 1736. Hebd. 14. n. 2.
(o) A. 1710. Obſ. de Phyſ. n. 5. & A. 1701. n. 4.

ta habeam, non reticebo. Nam Galeni (*p*) exemplum ſecutus, qui *accipere* ad diſſectionem ſimiam *in aqua ſuffocatam conſueverat*, non verebar, ne propterea nimis turgerent, citiuſve putreſcerent: hæc enim qui verentur, ea, opinor, cadavera intelligunt, quæ diutius in aqua fuerint, ut ceſſantibus nonnullis cauſis quæ internum aerem ſervabant compreſſum, hic jam ſe ſe explicet atque expandat, ut credere cum Cel. Senacio (*q*) malumus, quam ab aqua per cutis poros ſubeunte illam voluminis amplificationem repetere, ob quam ſubmerſorum corpora e fundo enatent, in ſummoque conſiſtant. Neque cadavera, niſi recentia, optabat, ut puto, Jacobus Sylvius (*r*), qui hominum aquis merſorum corpora cæteris anteferebat, quod in his omnia ſunt integra, *ſi aquæ magnam vim ex ventriculo manibus compreſſo per œſophagum effuderis*: quanquam hæc ipſa exceptio Sylvii, adverſantibus multorum obſervationibus, ſæpe tibi minus videbitur neceſſaria. Nam Platerus, ſicuti in Sepulchreto (*ſ*) habes, aliquoties expertus, paululum dumtaxat aquæ in eorum ventriculo deprehendit: ut ab aqua, aeris loco in arteriam Aſperam illapſa, mortuos potius exiſtimaret. Sed Wepferus (*t*) in ſubmerſo caſtore ne in pulmonibus quidem invenit, & Waldſchmidius (*u*) tandem *in ſubmerſis ne guttulam quidem aquæ in ventriculo, aut in thorace reperire unquam licuiſſe*, confirmavit, aſtipulantibus deinceps cum Beckero (*x*) ſive in homine, ſive in beſtiis, pluribus aliis Obſervatoribus, donec Littrius (*y*) paucam quidem in hominum pulmonibus, ſed multam in ventriculo aquam reperiſſe ſe, ſcripſit.

41. Mihi vero in iis quas dicam, beſtiolis hæc contigit obſervare. Porcelli duo Indici, mas, & fœmina; quorum ille qui & craſſior erat, multo diutius in aqua vixit; nihil hujus in ventriculo, nihil in gula, nihil in trunco arteriæ Aſperæ habuerunt: ſpumoſus dumtaxat humor manu e pulmonibus exprimebatur. Cum dubitaret aliquis eorum qui aderant, ne forte dum porcelli ex aqua auferrentur, ea quam gula, aut larynge præſertim hauſiſſent, defluxiſſet inobſervata; tertium pariter ſuffocari juſſi, capite autem arreptum ſic afferri, nihil ut poſſet effluere; res tamen ut in duobus primis ſe habuit, nec quidquam e compreſſis pulmonibus prodiit, niſi alba aquea ſpuma, nec ſane multa. Epiglottidem quæ his eſt animantibus perbrevis, non inveni depreſſam; itaque aditus in laryngem patebat. Erinacei quoque illam brevem, & hanc patentem habuere. In quorum tribus eadem quæ in porcellis quæſivi. Primus, eadem cautione ex aqua eductus, ſpumoſi aquei humoris portionem exiguam in ventriculo, nihil autem ferme in pulmonibus, qui erant flaccidi, oſtendit. Cum hic, mortuus antea viſus, ſub cultro vivum ſe prodidiſſet; duos reliquos, marem, & fœminam, volui ſub aqua detineri diutius; magna enim vi, non ſecus ac prior, fœmina præſertim, quamvis minor, emergere conabantur. Dum autem ſub aqua eſſent, omnes, ſed maxime fœmina, aereas ex ore bullas animadverti ſubinde emittere, quæ ad ſummum aquæ contendebant. In mortuorum ventriculis aquæ nihil: ex albicantibus pulmonibus ſpuma elici exprimendo potuit. Erant hi erinacei, ut prior quoque, ex eorum genere, qui naſo canibus ſunt ſimiliores: quo minus miratus ſum, pilos, qui collum, mentum, pectus, & huic ſubjectam abdominis partem, axillaſque, & inguina obtinebant, pulicibus, non ſecus atque in cane quopiam, refertos; incidebam autem hos duos ſub Maji finem. Sed in primo, quem extremo Octobri diſſecueram, nonnihil miratus eram, quod intra unum bronchiorum vermem deprehendiſſem vivum, oblongum, tenuem, album, cum ibi, aut in reliquis pulmonibus, Aſpera arteria, thorace, œſophago, ventriculo, inteſtinis, quæ omnia aperui, & diligenter ſum perſcrutatus, nec morbidi quidquam, nec vermem alium ullum potuiſſem reperire, ipſeque eſſet erinaceus valens ac vividus ut qui maxime. Quæ etſi ad hoc propoſitum minus attinent; tamen quando in hæc ſimul tunc incidi, hic nolui præterire; ut conferre hunc cum vermibus poſſis quos e pulmonibus extuſſitos Majores (*z*) tradiderunt, ſive ibi genitos, ſive aliunde potius cenſeas adveniſſe. In Talpa, quam ut in aqua ſuffocarent, laboraverant diu, & quam tamen ſemivivam diſſecui, ventriculus paucam aquam habuit; e pulmonibus autem, alioquin turgidis, non aqua, ſed ſpumoſus humor expreſſus eſt. Muris domeſtici nec ventriculus, nec pulmones quidquam habuerunt aquæ, in qua perierat. Neque in Glire noſtrate, eadem morte perempto, aliter inveni; nam etſi ventriculus ſubflaccidus humorem continebat; is certe non erat aqua. Hujus quoque laryngem non occluſam inveni, epiglottidem autem humilem adeo ut vix appareret. Quanquam autem non in ſubmerſis ſingulis, quæ diſſecui, animalibus minime depreſſam epiglottidem, minimeque occluſam laryngem memorem; nullum tamen omnium fuiſſe, ſcito, in quo hæc quæſiverim, quod ad eundem modum non habuerit.

42. Cum vero alias aliis de cauſis unum catulum, & feles duas, nocte proxima editas, inciſurus, meminiſſem, illum diutius in aqua vixiſſe, has vero, poſtquam diu conati eſſent ſub aqua ſuffocare, & ſuffocaſſe demum crederent, allatas, per menſam anatomicam reptare cœpiſſe; pluribus in felibus recens natis periclitari volui, viſurus quamdiu in aqua viverent, ſed præſertim, cum denique mortuæ eſſent, quid aquæ in ventriculo, & pulmonibus haberent. Igitur duas, ante duodecim horas editas, cum vivere in aqua natantes octavam jam circiter horæ partem, viderem; pertæſum eſt moræ, juſſique mergi, & ſic merſas retineri. Quod cum aliquandiu factum eſſet, mox vidi ſine ullo motu in ſumma aqua manentes, ut omnino crederentur extinctæ. Sed cum altera ibi relicta, alteram diſſecarem, totius corporis, & cordis præſertim, motus animadverti. Cæterum neque in hujus, neque in alterius, paulo poſt mortuæ, ventriculo quidquam, niſi lac ſemiconcretum inveni, ut caſeum ſecundarium referret. Sed utriuſque pulmones cum aſpicerem totos confertiſſimis bullulis plenos, per membranam extimam translucentibus, ratus, per laryngem, quam epiglottide non occluſam inveneram, aquam ſubjiſſe, diſſectione rem confirmavi; plurimus enim, exprimendo, per ſectiones humor exivit ſpumoſus, quo pulmones diſtenti erant. Totidem feles, ante horas ferme quadraginta natas, nec manu ſubmerſas, ſed tandiu in aqua relictas donec, quod non adeo longo tempore factum eſt, prorſus mortuæ viderentur, ſecare aggreſſus, etſi alteram dumtaxat, quæ aliquanto diutius in aqua fuerat, reapſe mortuam inveni; in utraque tamen illas per totos pulmones bullulas vidi; ſed aere hos magis, quam humore plenos deprehendi. Ventriculus autem illius quæ ſemiviva diſſecta fuerat, cum aquam contineret paucam; alterius erat aqua maxime diſtentus, quam priuſquam necari juſſiſſem, certe non potaverat: utraque autem arrepto capite ad me diſſecanda allata eſt; ne forte ex primæ ventriculo refluxiſſe aliquid, tu quoque, ut plurimi ſolent, ſuſpiceris. Eadem quoque cautione arreptas feles alias duas perpaucorum dierum, quæ ad eundem occiſæ fuerant modum, cum diſſecarem, aqueum in ventriculo utriuſque humorem vidi non ita paucum, multam autem albam aqueam ſpumam de pulmonibus expreſſi. Denique feles quatuor, editas nocte proxima, etſi ut capienda quædam poſtulabant experimenta, laſſari potius in aqua vehementer, quam ſuffocari, juſſiſſem; velim tamen, ſcias, omnium ventriculum ad ingentem proportione magnitudinem tumidum fuiſſe pauco quidem lacte ſemiconcreto, plurima autem aqua.

43. Ex cunctis propoſitis obſervationibus, inter ſe comparatis, id primum liquet, non multum denique opis ab aperto non modo Foramine Ovali, ſed & Tubulo Arterioſo expectandum eſſe ad ſuffocationem effu-

(*p*) De Anat. Admin. l. 1. c. 3. (*q*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1725. (*r*) Iſag. Anat. l. 3. c. 23.
(*ſ*) ſect. hac 2. Obſ. 44. (*t*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 2. Obſ. 251. (*u*) Earund. Dec. 2. A. 6. Obſ. 152.
(*x*) Tract. de Submerſ. morte ſine pota aqua. (*y*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1719.
(*z*) Vid. apud Schenck. Obſ. Med. l. 2. ubi de Pulmonib.

effugiendam: tum deinde felibus recens quidem natis non paucam in pulmones aquam, ſæpe etiam multam in ventriculum deſcendiſſe; cum adultis pluribus animalibus neutrum fere acciderit. Et vero Littrius (*a*) cum plures tum canes, tum feles mergendo necaret, in eorum ventriculo nonnunquam nihil omnino, ſemper autem multo minus aquæ deprehendit, quam in ventriculo hominum ſubmerſorum; aquam enim in his multam, quod ſupra (*b*) etiam diximus, ſolitus erat invenire; ut non videatur fuiſſe a viro Doctiſſimo inter eos referendus, qui contrarium docuere; imo Beckeri Obſervationes qui nihil aquæ in ventriculo, nihil in pulmonibus offenderat, inter rariores ponebat caſus: qua in re tamen vereor ut poſſimus Littrio aſſentiri. Namque ſi ad Beckerum eos adjungamus, quos laudavit Chariſius (*c*), & quos ſupra (*d*) ipſi laudavimus, Platerum, & Wepferum, & quos Chariſius addere potuiſſet, Kulmum (*e*), & Leprottum (*f*); ex his nimirum, atque aliis tot habemus obſervationes, ut raræ adeo dici non poſſint, præſertim poſtquam Regia ipſa Scientiarum Academia Pariſienſis in Monito illo commendatiſſimo, quod ad opem ferendam iis qui ſub aqua mortui creduntur, vulgandum curavit A. 1740. diſerte agnovit, per ſubmerſorum diſſectiones a peritis Anatomicis inſtitutas compertum fuiſſe, aquam plerumque non niſi paucam illorum ventriculo contineri. Huc porro aliorum; ne de meis iterum quidquam dicam; obſervationes accenſebis. Quas inter minime omittendæ ſunt habitæ a Medicis Clariſſimis (*g*), ut a Beckero tradita examinarent. Quemadmodum autem ille propoſuerat, *rem ſic ſe habere deprehenderunt*, *nullamque in ſtomacho catulorum ſubmerſorum invenerunt aquam*, & quamvis hanc *aliquando*, *ſub certis quibuſdam circumſtantiis* poſſe, non negant, *intra pulmonum canales & veſiculas ingredi*; tamen *communiter ſine pota aqua mori ſolere ſubmerſos*, affirmant. Nec Viri Experientiſſimi Halleri (*h*) ſunt hæc verba prætermittenda: *Non inutile erit monuiſſe, in vivis catellis* (quos ipſe demerſerat) *& pulmonem*, *& ventriculum ab omni aqua puros fuiſſe*, *etiam quando ſub aqua hiaverant*, *& linguam exſeruerant*. *Adeo vere Beckerus*. Sed quemadmodum hæc protuli, ut intelligeres, non videri hujuſmodi obſervata inter rariores caſus poſſe referri; ſic viciſſim non modo nolim obliviſcaris earum obſervationum quæ his adverſantur, verum alias inſuper præter illas quas memoravimus, exſtare, ſcias, tum a Chariſio (*i*) diligenter indicatas, tum quas addere iis poteris, a Genſelio (*k*), qui tamen excipit pulmones, & ab Olao Borrichio (*l*) propoſitas. Quod enim hic olim ſcripſerat, puellum inter natandum a marinis undis abreptum, merſumque profundo, ut ægre inventus ſit, mox inter frequentes rotantium manus ſubitæ morti fuiſſe ereptum, huc ideo ſpectare, animadvertes, quod inter rotationes illas oborto vomitu *ſalſam aquam copioſe rejecit*. Quin idem quem paulo ante laudabam, Hallerus in fœmina A. 1747. (*m*), & in altera A. 1748. (*n*), cum utraque diutius ſub aquis fuiſſent, diſſectis, compreſſo ventriculo, & pulmone, in illum deſcendiſſe aquam in utraque, deprehendit, in altera ex hoc regurgitare aquam vidit. Et quamvis ubi ex propoſito hoc argumentum tractat (*o*), priorem illam non memoret, ut errore typographi in anno deſignando ex una duæ videri poſſint eſſe factæ; tamen nova in ſubmerſis quatuor canibus, & una fele ſua addit experimenta, per quæ, ſi felem excipias, in omnium ventriculo aquam reperit, in pulmonibus autem omnium, ne fele quidem excepta, multam aqueam ſpumam. Tum alia adjicit, quæ infra attingemus, confirmata ſæpius non ſecus ac priora, a Cl. ejus auditore Evers (*p*). Quorum ego de his rebus Scripta pervellem multo antea exſtare potuiſſe quam hanc recenſerem Epiſtolam. Experimenta enim lego ea induſtria, & ſolertia capta, ut percipi liceret, an ſub aquis inſpirarent, & deglutirent animalia, nec dubitari, an eas revera, quippe certo colore infectas, in ventriculum, pulmoneſque demiſiſſent. Utroque autem demiſiſſe, per diſſectionem compertum eſt. Num omnia? inquies. Ad unum omnia. Quod in tanto præſertim experimentorum numero miraturum te, ſcio, tot aliorum tam varias, & diſcrepantes obſervationes non minus quam recentiſſimas iſtas, pro veris habentem, nec facile, ut opinor, exiſtimantem, poſſe vim diſcrepantium illarum ſatis declinari ponendo, ſic contigiſſe, quia frigidiſſima tunc aqua deglutitionem, inſpirationemque prohibuiſſet. Neque enim ferebant experimenta, quorum occaſione Hallerus in demerſis catellis nihil uſquam invenit aquæ, ut hæc eſſet frigidiſſima: nec ipſe unquam ad id, niſi egelida uſus ſum: nec Leprotti adoleſcentulus; ut alios omittam in Italia, Galliaque eodem genere mortis ereptos; eo anni tempore ſubmerſus eſt quo perfrigidæ apud nos ſint aquæ; in ventriculo tamen vix quidquam humoris habuit, in pulmonibus autem *ne guttam quidem*, in quos certe, ſi non per os, at per nares potuiſſet deſcendere.

44. Sed tamen unde hæc diſcrimina repetenda ſunt quæ inter alias aliorum, imo inter noſtras ipſas intercedunt obſervationes? Num quibus nihil aquæ in pulmonibus, & ventriculo eſt, ii laryngis; & gulæ aditum occluſerunt? quibus autem aliquid, aut multum eſt, hi vero aditum non occluſerunt? Fuiſſe enim video qui ex vario hominum, dum ſubmergerentur, conſilio rem ad hunc modum explicarunt, ut qui ob copiam deglutitæ aquæ ſubmerſos mori, audiverint, arctiſſime illi ingreſſum claudant; at qui ob prohibitam reſpirationem, aperiant. Sed in beſtiis cum varia hæc conſilia eſſe non poſſint; rem tamen in aliis earum quoque aliter invenimus. Deinde fac, alios homines aliud velle; qui volunt, quomodo laryngem occludent? Num glottidem conſtringendo? Sed quomodo conſtrictam ſervabunt, cum, ceſſante reſpiratione, ſpirituum influxus ceſſet in muſculos conſtringentes? Idemque ajo, ſi epiglottidem deprimere eos homines, dicas, ut laryngem prorſus operiat; quanquam muſculos qui valenter præſtare id poſſint, ego quidem necdum ſatis agnoſco. Reliquum eſt, ut convulſionem comminiſcaris, cujus vi illi, & qui gulæ aditum præcludunt, muſculi vel poſt mortem contracti maneant, non ſecus ac qui inferiorem maxillam ad ſuperiorem adducunt, reapſe erant in ſubmerſo illo adoleſcentulo, quem cum Leprotto (*q*) diſſecuit Plancus: os enim, ut Vir hic Clariſſ. quadrageſimo circiter poſt die, ideſt Nonis Maji A. 1722. ad me ſcripſit, os, inquam, mortuus ſervabat arctiſſime clauſum. Verum ego nec laryngem clauſam, nec epiglottidem depreſſam inveni (*r*) in iis animantibus, in quorum pulmones aqua ne poſt mortem quidem illapſa erat: neque aliter ullo in ſubmerſo invenit Littrius (*ſ*) is qui alioquin epiglottidem vel in illis qui poſt mortem in aquam projicerentur, non modo in ſubmerſis de quibus loquimur, depreſſam exiſtimaret, neque credibilem, neque cohærentem cum iis quas poſuerat, rem comminiſcens; qui enim ad epiglottidem deprimendam retrorſum attollere ſe lingua poſſet in mortuis, aut in eo poſitu ſervari, quam in viventibus tandem laxari, & antrorſum relabi, poſuerat? Huc illud accedit, linguam in porcellis Indicis, quorum in pulmonibus aquam non inveniſſe me, dixi (*t*), oblongam quidem eſſe; verum, ſi primam excipias partem, affigi adeo baſi oris, ut attollere ſe nequeat, & epiglottidem, cæteroquin ita brevem, vix ut totum protegere poſſit laryngis hiatum, deprimere. Quid? quod inter *communiter viſa & annotata* in cadaveribus ſubmerſorum a Chariſio (*u*) ponitur *lingua exſerta*: linguam autem exſertam epiglottis ob connectentia ligamenta *ſequitur neceſſario*, ut in re no-

(*a*) Hiſt. cit. ſupra, ad n. 40. A. 1719. (*b*) eod. n. (*c*) Specim. de Morte Submerſ. § 10. ad *e* prim. & *e* ſecund.
(*d*) n. 40. (*e*) Obſ. adject. Deſcript. Fœt. monſtr. §. 2. 3. (*f*) in Epiſt. poſt Comment. De Bonon. Acad. Tom. 1.
(*g*) Vid. Commerc. Litter. A. 1737. Hebd. 37. n. 1. ad 2. (*h*) De Reſpir. Experim. P. 2. ad n 39. not. *i*.
(*i*) cit. §. 10. ad *f* prim. (*k*) Eph. N. C. Cent. 6. Obſ. 85. (*l*) In Bartholin. Act. Med. Hafn. A. 1671. & 1672. Obſ. 95.
(*m*) not. *i* cit. (*n*) Opuſc. Pathol. Obſ. 62. (*o*) Ibid. (*p*) Diſſ. ſiſt. Experim. circa Submerſos.
(*q*) Epiſt. cit. ſupra ad n. 43. (*r*) n. 41. (*ſ*) Hiſt. cit. ad n. 43. (*t*) n. 41. (*u*) §. 8. Specim. cit. ſupra, ad n. 43.

re nota æque apertis utar Palfinii (*x*) verbis. Atque horum pleraque a me dicta putes, non tam ob Littrii, quam ob Dethardingii (*y*), & Aſſeclarum ſententiam. Hi enim ab adſtricta ad orificium laryngis epiglottide & reſpirationem intercipi, & aquam excludi; quaſi vero hæc in omnibus excluderetur; non dubitant: neque tamen eorum quiſpiam eſt qui in ſubmerſorum diſſectione epiglottidem depreſſam a ſe, aut ab aliis repertam dicat: contra autem non ſecus atque ego, apertam glottidem, elatam epiglottidem Evers quoque (*z*) in tot ſuis experimentis ſemper conſpexit, ut etiam in puero (*a*) cujus pulmones aqua ſubierat, uti & ventriculum. Illa tamen quam dixi, re poſita, Dethardingius præcipua ſtatuit ſubmerſorum auxilia eſſe illa per quæ epiglottis attollatur, aut, ſi id non poſſit, viam aliam aeri pro ea quam cartilago hæc intercludit, aperiamus. Itaque hanc immiſſo tum ſtatim in fauces digito, aut penna potius, peniculove ex ſetis irritandam, tum excitandam etiam poſteaquam ſub larynge arteria Aſpera pertuſa fuerit, ſubinde ad hujus vulnus digito appoſito, aut tuſſi imperata, ut alterutro modo impulſa ab aere, epiglottis attollatur. Quorum; ſi id quod poſuit, revera eſſet; pleraque certe & ego probarem; niſi ex iis quæ paulo ante dicta ſunt, multo promptius, idemque validius ad eam relevandam cartilaginem auxilium pateret, nempe linguam protinus digitis apprehenſam antrorſum protrahere. Verum etſi epiglottis depreſſa non eſt; eſſe tamen poteſt, irritis præſidiis cæteris, quæ plura laudato (*b*) Monito commemorantur, propoſitæ a Dethardingio bronchotomiæ locus vel ob eam quæ eodem Monito indicata eſt, cauſam, calidi aeris per fiſtulam aliquam propius in pulmones immittendi, aut ſi cum Recentiſſimis ſentire mavis, ut aqua, in pulmones illapſa, alteram quoque habeat viam per quam citius egrediatur: quanquam & hoc, & cæteris, non uſitatis modo, ſed exquiſitioribus etiam quæ a quovis adhuc propoſita ſunt, auxiliis ſe fruſtra uſos adeo fatentur ad canes plures, ſub aqua octo haud amplius *minuta* demerſos, in vitam revocandos, ut ſpem nobis fere omnem adimant ſubmerſis hominibus ſuccurrendi. Si quemadmodum partite, nervoſe, docte, ingenioſe argumentum tractarunt ſuum, ita ſpatium habuiſſent, quod certe non breve eſſe oportebat, perpendendi ſingula eorum ſubmerſorum, qui in vitam, ut loquuntur, revocati fuerunt, exempla; plura fortaſſe quam videntur credere, inveniſſent quæ opitulandi ſpem faciant etiam per remedia interdum non exquiſita, etiam ubi ſubmerſio non contingat in aqua gelida, aut glacie permiſta, unde impedita poſſit dici aquarum tum deglutitio, tum inſpiratio. Leges, exempli cauſa, in Cl. Langhanſii Epiſtola (*c*) Gottingæ edita A. 1748; hominem *per dimidium circiter diem* ſubmerſum, ut nullum prorſus eſſet vitæ ſuperſtes ſignum, *brevi priſtinam recuperaſſe vitam, ſolo ſpiritu ſalis armoniaci naribus ejus admoto*. Leges quoque in Actorum Cæſareæ N. C. Academiæ Volumine VII. (*d*) ex cauti Medici Vratislavienſis Kundmanni obſervatione, duos, quorum caput, alterius ferme quadrantem, alterius ferme dimidium horæ ſub aqua fluminis demerſum fuerat, per auxilia non ita exquiſita brevi tempore fuiſſe excitatos. Et, ne plura congeram, fac relegas quam facili ope ſit morti ereptus puellus ille, quem ſupra (*e*) ex Borrichio memoravimus. Num omnes, dicemus, in aqua gelida fuiſſe, ideoque illam non ingeſſiſſe? Puellum hunc certe non dicemus, qui, tametſi in regione frigida viveret, niſi anni tempus fuiſſet ejuſmodi, ut aqua jam egelida eſſet, cum ſociis *natatui* non *indulſiſſet*, nec eam, demerſus, *copioſe* in ventriculum; id quod de gelida negant; demittere potuiſſet. Reliqui tres quo anni tempore in aqua fuerint, adnotatum non video, niſi quod de uno Kundmannus ſcribit, fuiſſe *vigilia paſchali*: de altero autem mox aſſidua tuſſi oborta, *ſæpe ſanguinem grumoſum ex pulmonibus ejeciſſe*; quod pro indicio aquæ habere poſſes quæ inſpirata vim attuliſſet tenuiſſimis eorum vaſculis. Vides, me neque illa minus credibilia, neque multa, minuſque nota; ſed pauca, obviaque omnibus, memorare exempla, nulla autem ex calidioribus, aut magis temperatis regionibus petita, in quibus ut multo frequentior eſt, præſertim æſtate, natandi conſuetudo, ſic plurima, ſi quæſiveris, te non dubito eſſe inventurum. Hinc enim videtur Romanus Medicus Zacchia (*f*) eo facilius adductus, ut de ſubmerſi, & poſt horam e flumine exempti juvenis reſtitutione fidenter ſcriberet, *certum eſſe debere, non modo hoc miraculoſum non eſſe, ſed neque inter ea eventa connumerandum quæ multam admirationem audientibus excitare conſueverunt*. Sed ab his quæ in re graviſſima veri dumtaxat inquirendi, non contradicendi, ſtudium expreſſit, ad ſuperiora redeundo, cur ergo tandem, inquies, ſi in ſubmerſis omnibus per apertam, & minime protectam glottidem patet aditus in pulmones, hos non pariter in omnibus egelida ſaltem aqua ſubit? Docebit id Cel. Senacius (*g*), ad quem te, ad alia properans, libenter rejicio. Docebit ſimul, id quod conſequitur, notam, ab Littrio quoque (*h*) laudatam, ad eos qui vivi ab iis qui mortui in aquam projecti ſint, ex illapſa intro, aut non illapſa aqua internoſcendos, facilem alioquin, & in quæſtionibus medico-legalibus haud inutilem, non omni ex parte pro perpetua eſſe accipiendam.

45. Verum hic ſcio, me abs te interpellatum iri, vel properantem, de ſigno illo altero, ſimul ad eaſdem quæſtiones, ſimul ad ſuffocationem, qua de agimus, attinente, quod ex pulmonibus infantis petitur in aquam conjectis, ut ex illis vel ad fundum labentibus, vel in ſummo natantibus hic mortuus, an vivens editus fuerit, dignoſcatur. Quid quæris? Cum iis facio qui ſigno hoc, ſed caute, & prudenter, utuntur. Novi enim, quot exceptiones ſint adnotatæ intra non longiſſimam annorum ſeriem. Nam etſi Galenus (*i*) pulmonum ſubſtantiam non modo rubram ac denſam, ſed & *gravem* in fœtibus contra atque in reſpirantibus, eſſe indicavit, idemque alii poſtea; & in his Spigelius noſter (*k*) iteraverint; haud ſcio tamen, an cuipiam propterea in mentem venerit, ut ex hac re experimentum illud non niſi paucis ante meam ætatem luſtris excogitaret. Certe ne apud Zacchiam quidem, nedum apud Fidelem, & Paræum, ullam ejus mentionem invenire datum eſt iis in locis in quibus magis conveniſſet. Objectum igitur video, infantis qui vivens prodierit, pulmones tamen in aqua poſſe ſubſidere, ſi vel diſtenti ſatis ob virium debilitatem non fuerint, vel graviores aut a morbo ſint, aut ab ipſa etiam ſuffocatione: & poſſe contra, ejus qui mortuus exierit, pulmones innatare, ſi diſtenti ſint ab aere, quem aut evolverit putredo, aut ipſe, antequam exiret, inſpiraverit, aut aliquis poſtea, ut reſpirationem excitaret, per os immiſerit. Hæc autem, & ſiqua alia præterea ſubſint deceptionum pericula tum prænoviſſe, tum ad eum fere modum cavere oportet, qui protinus indicabitur.

46. Et primum de eo minime dubitandum eſt, quod ſe vidiſſe, Graviſſimus Vir teſtatur Laurentius Heiſterus (*l*) (nam quaſdam alias, cæteroquin non abſimiles, obſervationes, quod ad ejulatum ſpectat, deſperantium muliercularum teſtimonio non ſpontaneo niti, video) poſt vitam horarum novem, debilem quidem, & debili cum vagitu actam, pulmones, alioquin ſanos, non aliter ſe habuiſſe quam in iis qui nunquam reſpirarunt, & ſicuti in iiſdem ſolent, in aqua ſubſediſſe: quod non ita mirum videri debet, ſi cum laudato Auctore (*m*) animadverteris, aerem in cujuſque fœtus pulmones, pauciſſimum, & leni ac debili omnino conatu a nobis immiſſum, imparem eſſe, ut experimento ſæpe comperit; tot veſiculis expandendis, quot omnino debeat, ut pulmones in aqua natent. Quæ cum ita ſint; priuſquam ex horum ſubſidentia arguamus, mortuum infantem editum eſſe, indicia magnæ ejus imbecillitatis quæ-

(*x*) Anat. du corps hum. tr. 3. ch. 8. (*y*) Sched. de ſubven. ſubmerſis per laryngotom. (*z*) Diſſert. cit. ſupra, ad n. 43.
(*a*) §. 7. (*b*) n. 43. (*c*) De Cauſa a paſtu ſomnolentiæ. (*d*) Obſ. 124. (*e*) n. 43.
(*f*) Quæſt. Med. Legal. Tom. 3. Conſil. 79. n. 11. (*g*) Hiſt. cit. ſupra, ad n. 40. (*h*) Hiſt. hoc n. cit.
(*i*) De Uſu Part. l. 15. c. 6. (*k*) De form. Fœtu c. 18. (*l*) Diſſert. de fall. pulm. infant. exper. n. 10. & ſeqq.
(*m*) Ibid. n. 16.

quæremus ex matris prægreſſis, aut præſentibus etiamtum morbis, ex partus difficultate, ex cadaveris ipſius infantis conſtitutione, aliiſque ejuſdemmodi: quorum ſi nulla ſint, neque aliud obſtet; quin mortuus emiſſus fuerit, non dubitabimus. Sed contra evidens erit, non poſſe nos fidere ſigno propoſito, ſiquando pulmones non illa naturali, & fœtus propria, ſed morboſa gravitate præditos animadvertemus; vel quod ſcirrhoſi, vel quod inflammati, vel quod infarctu quocunque alio uſque adeo affecti ſint, ut vel ſi adulti hominis eſſent, non poſſent tamen in ſumma aqua conſiſtere, quod plerique, & nos quoque interdum experti ſumus. Nam & in fœtibus infarctus ejuſmodi aliquos eſſe poſſe, cum ratio indicat, tum obſervatio confirmat, ut apud Zellerum (*n*) illa in vitulo habita, qui vixerat ad dimidium horæ. Quod ſi ipſa denique ſuffocatio poſſit nonnunquam infantis pulmones tanta ſanguinis copia obruere, quanta obrutos in ſtrangulatis adultis memoravimus (*o*) ex aliorum, & Harveii in primis obſervatione; non ſe tamen ipſa ſub propoſito ſigno occultare poterit ſuffocatio. Namque ut hujus externa omnia deeſſent indicia; at certe alia ac ſoleat eſſe in fœtu, pulmonum conſtitutio, & amplificatum præſertim volumen admonerent, ne tametſi forte in ſumma aqua non innatarent, huic ſigno temere crederemus. Præterea in iis qui aerem duxerint, difficile eſt, ne aliquæ pulmonum particulæ tantum ex illo retineant, ut deſcendentibus cæteris, ipſæ non innatent: quæ particulæ tum aliter, tum diſciſſo in partes pulmone, & ſingulis in aquam conjectis, diligenter ſunt a nobis in hoc, & in ſuperioribus duobus caſibus inquirendæ, ne facile a ſubſidente pulmone in errorem trahamur.

47. Ne vero ejuſdem viſceris natatus viciſſim imponat; illud primum cavendum eſt, ne tametſi Docti Viri non defuerint qui fœtuum pulmones conſpexerint etiam poſt ſummam putredinem ad fundum ruentes; vera tamen eos ſcripſiſſe, negemus, qui contrarium vidiſſe ſe, affirmant: quos inter Clariſſimus eſt Profeſſor Weiſſius. Cujus ſi legas Obſervationem (*p*); ultro fatearis, qui numquam haurire aerem potuerit fœtus, ejus puteſcentis pulmones non aliam ob cauſam ad tactum fuiſſe *ſpongioſos*, & in aquam injectos *ſupernataſſe*, niſi quod *putredine*, aerem evolvente, *jam infecti* erant. Eodemque ſpectaſſe crediderim, Frid. Ruyſchium (*q*), cum ſcripſit, *nunquam liquori ſupernataturum pulmonem bene conſtitutum, ſi fœtus in utero materno moriatur*, ubi de illis queſtus eſt, qui ſibi olim ea in re adverſabantur, quæ controverſia haud ſcio an ea fuerit, cujus alicubi (*r*) mentionem injicit Boerhaavius. Cum ergo pulmonem haud *bene conſtitutum*; ſed putredine infectum deprehenderimus; etiamſi in aqua natet; non propterea fœtum eſſe vivum editum, pronunciabimus. Multoque etiam minus, quandocunque probabilis ſuſpicio erit, inter ipſos difficilioris partus conatus, ruptis jam membranis potuiſſe aerem ducere priuſquam in ea mora poſtea mortuus, ederetur, quemadmodum Palfinius quoque (*ſ*) inter cæteros admonuit: quanquam fieri vix poteſt, ut in hoc, & proximo ſuperiore caſu mulierculæ aſtutia fallamur, cum adjutrices manus uterque requirat, neque ſatis occuli, aut fingi quæ aut præcedunt, aut comitantur, aut ſubſequuntur, facile poſſint. Sed contra nullius negotii eſſet, illud ultimum mulierem comminiſci, ſe mortuo edito infanti, cum ſemivivum exiſtimaret, aerem, in os valentius ſufflando, quo ad reſpirandum excitaretur, immiſiſſe: eo igitur aere pulmones, in aqua natantes, diſtentos eſſe. Quin etiam ut in omne ſcelus prona quorundam hominum ſunt ingenia, poſſet inimico in mulierem animo quiſpiam, aut quæpiam, in cujus manus infans, mortuus editus, perveniſſet, clam omnibus id feciſſe, ut immerentem calumniaretur, quaſi ſpirantem occidiſſet. Verum ſi nulla ſint interna, aut externa vis, adhuc viventi illatæ, indicia; alia enim ſunt ac mortuo, & præſertim non ſtatim a morte, illatæ; hinc calumniam licet convincere; matri autem quæ aerem immiſiſſe ſe, dicat, eo magis tunc credere, cum adverſatur nulla ex rebus cæteris circumſtantibus, neque pulmonum diſtentio major eſt quam quæ ea quidem ratione effici in recens, aut minus recens mortuo fœtu, experimentis ſedulo in eam rem habitis, poſſit: quanquam hæc magis ne Medicis, ac Judicibus ſint prorſus incognita, attingenda a nobis cenſeo, quam ut in vulgus emanent, non aliter ferme ac quæ de venenis neceſſario ſcribuntur.

48. Habes qua ratione caute, & prudenter utaris propoſito experimento. Quod ſi nos preſſius hæc videmur expoſuiſſe; conferre potes cum iis quæ fuſius ſcripſit Vir Cl. Michael Alberti (*t*), qui, ut Heiſterus quoque (*u*), circumſpecte adhibendum experimentum, non abjiciendum, exiſtimavit. Nec aliud intelliges fuiſſe judicium Prudentium Medicorum Beherenſii (*x*), & Trewii (*y*), aliorumque, & ne Juris Conſultos prorſus omiſiſſe videamur, etiam Schoepfferi (*z*), quorum verſans Opuſcula, cum alios qui argumentum hoc tractarunt, cognoſces, tum præſertim quæ ad res attinent circumſtantes, ſive ad ſigna cætera Infanticidii, perſpicies, & qua arte hæc quoque ſint, ne decipiamur, examinanda. Sive enim abſint, ſive adſint, vim addunt, aut detrahunt experimento: quod alioquin reſpondet plerumque, ut vel mihi nuper in vitula, geminis, ut capite, & collo, & corde, ſic etiam pulmonibus prædita. Ex his enim contractis, denſis, ex rubro atris, & cum in juſtam aquæ copiam; exigua enim poteſt interdum fallere; vel fruſtillatim injecti eſſent, illico fundum petentibus, intellexi, mortuam eſſe editam, quam natam ſtetiſſe, & horas aliquot vixiſſe, ſcripſerant. Re igitur ab eo qui partui affuerat, diligentius, ut petii, exquiſita, alteris litteris certior factus ſum, revera mortuam prodiiſſe. Verum de cæteris quæ in ipſius diſſectione conſpexi, erit alias (*a*) ſcribendi locus.

Nunc tandem ad alterum genus Suffocationum (*b*), quod videlicet ab internis cauſis eſt, tranſeuntes, eo breviores in hoc erimus, quo in primo fuimus prolixiores.

49. ANUS, cui cancer, ſiniſtro labrorum angulo abſumpto, inde ulterius in os ſub lingua ſerpebat, cum thoracis affectionibus quas *catarrhales* ipſa dicebat, obnoxia eſſet, ſuffocata mortua eſt. CADAVER cum inciderem, laryngem, & viciniam integras, & purulentum tamen ichorem ſub glottide, & in proxima Aſpera arteria deprehendi: eundemque intra ſummam partem ſiniſtri ſuperioris pulmonum lobi, & alibi in ipſis. Lobi autem inferiores vehementer inflati erant. Ubicumque pulmones ſecarem, cinereo colore inveniebam, quem nigræ lineæ, & ramuſculi, vaſculorum videlicet in quibus ſtagnabat ſanguis, paſſim diſtinguebant. Cor quoque nigro ſanguine plenum, non omnino illo quidem concreto, nec tamen ſine polypoſis concretionibus, quarum una, forma, atque albedine lumbrico ſimilis, in pulmonare vas pertinebat. Valde etiam erant ſanguine diſtentæ Coronariæ venæ, & Jugulares omnes, harumque per collum rami. Magnæ autem arteriæ valvulam unam oſſeſcentem inveni: idemque crebris in locis vitium conſpexi in facie ejuſdem arteriæ interiore ad Iliacas uſque.

50. Mulier hæc redigit in memoriam virum, cujus cadaver circa idem tempus ibidem, hoc eſt in Bononienſi Incurabilium Noſocomio diſſecuimus. Nam & ipſi ulcus, ſed in penitioribus erat oris partibus, ſimiliterque larynge, & proxima arteria illæſis, eadem quæ in muliere, peſſime affecta erat pulmonis ſedes: & ipſe quoque ſuffocati inſtar deceſſerat. Sed ex ejus hiſtoria quidquid reſtat, ad Deglutitionis læſæ tractationem ſervamus; nam cætera quæ modo attigimus, & qua ratione ejus pulmones non ſecus atque hujus mulie-

(*n*) Diſput. quod pulm. infant. in aq. &c. Vid. Hiſt. (*o*) n. 9. (*p*) in Medit. Behling. ſup. caſ. rupti in partu uteri.
(*q*) Theſ. Anat. V. n. 40. (*r*) Prælect. ad Inſtit. §. 691. (*ſ*) tr. 3. ſupra ad n. 44. cit. c. 9.
(*t*) Differt. de pulm. ſubſid. experim. prud. applic. (*u*) Differt. ſupra, ad n. 46. cit. n. 22. (*x*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 28.
(*y*) Eorund. Tom. 8. in Schol. ad Append. n. 3. (*z*) Differt. Jurid. de pulm. infant. natant. &c. (*a*) Vid. Epiſt. 48. n. 57.
(*b*) ſupra, n. 2.

mulieris, oblædi potuerint, alibi (*) indicavimus. Hi igitur pulmonum vitio ſuffocati ſunt, ut vitio laryngis, & Aſperæ arteriæ alii, de quibus præter ea quæ ex Platero (*c*), & Kerckringio (*d*) legeris, alio loco opportunius ad te ſcribemus (*e*), aut ſcripſimus (*f*). Hic vero nullam præterea Obſervationem adjiciemus, niſi quam ab Exercitatiſſimo Santorino accepimus eodem quo habuerat die. Pertinet autem ad ſuffocationem ex vitio arteriæ Magnæ.

51. VIRGO, cui jam aliquanto prius ſanguis aut minus, aut nihil per uterum reſpondebat, difficilis autem, cum ſe moveret, facta erat reſpiratio, tandem velut ex convulſionibus, ſuffocata eſt. ABDOMINE diducto, animadverſum exterius in ipſa uteri ſubſtantia eſt tuberculum, eorum ſimile quæ *natte* vocitantur. Thorace autem recluſo, Magnæ arteriæ initium repertum eſt ea parietum craſſitudine, ut vaſis capacitatem non parum minueret. In ea erat arteria ſanguis; ſed multo copioſius in pulmonibus, quos prægravabat.

52. Quæcunque demum cauſa fuerit in arterioſis parietibus ejuſmodi craſſitudinis quæ vaſis minueret capacitatem, cujus rei in aliis arteriis exemplum habes apud Littrium (*g*); manifeſtum eſt, ob anguſtius factum arteriæ initium, ſanguinem non niſi minori copia, & minori vi per hanc emitti, & promoveri potuiſſe. Itaque in hac inventus eſt; ſed longe majori copia in pulmonibus, quorum in vaſis tanto plus ejus congeri, neceſſe erat, quanto minus poterat in Aortam immitti. Ex hujus igitur anguſtia & difficilis, præſertim moto corpore, oriebatur reſpiratio, & ſuffocatio denique nata eſt. Sed de hac ſatis ſuperque. Reliquum eſt, ne ob perpauca quæ de tuſſi ſcribenda habeo, peculiarem conficiam Epiſtolam, ut huic illa addam potius, quemadmodum initio pollicitus ſum,

53. Tuſſis cauſæ, non ſecus ac læſæ Reſpirationis (*h*), aliæ quidem in pulmonibus ſunt, aliæ extra pulmones. Harum autem aliæ in thorace, aliæ extra. Et rurſus quæ extra thoracem ſunt, aliæ in Capite, aliæ in Collo, aliæ in Ventre. Cum autem a cauſis, tot, & tam varias ſedes habentibus, tuſſis oriatur; eſt alias cum febribus, ut appellant, corruptivis ſemper comparanda, tunc autem ſolum cum ſalubribus, & depurativis, quando a materia oritur quæ vi ipſius tuſſis extrudi queat. Etſi enim febris, & tuſſis, utraque per ſe malum eſt; tunc utraque tamen eſt boni cauſa: quapropter ex ipſa corporis natura, & conſtitutione, quam naturam vocamus, utraque exiſtit, & peſſimo tunc conſilio ſupprimitur, quæ, ſi non adeſſet, optanda foret. Eſt enim aliquando in pulmonibus materia peccans, nec pauca, & quæ expelli poſſit; ſed nulla eſt tuſſis propter hebetem, ac deficientem ſenſum in tunica intima bronchiorum: quo fortaſſe attinent duæ in Sepulchreto Obſervationes XXV. & XXVII. Sect. I. ſecundi hujus libri. Contra autem, pulmones alias materia obſidet quæ nulla tuſſi poſſit everri, ut, exempli cauſa, Obſervatione XII. hujus III. Sectionis, aut ea quam aliis Litteris (*i*) deſcripſi, pulmonum tophaceorum. Nec ſecus tibi cogitandum eſt de tuſſis cauſis, quas ex ſuperiore via aeris, aut aliunde valeat, aut nequeat ipſa tuſſis excutere: quanquam nullas fere, ſitas extra vias aeris, poteſt, ſive in thorace ſint, ut cum in hujus hydrope (*k*) tuſſim interdum, ſed irritam, aut nihil certe ejus aquæ educentem memoravimus, ſive ſedem habeant extra thoracem. Habent enim in Capite, ut diximus, in Collo, in Ventre: quæ ſingula exemplis declarabimus.

54. Et primum tuſſis cauſam in Capite eſſe poſſe, vel ex eo omnibus manifeſtum eſt quod levem Auditorii Meatus ab auriſcalpio irritationem ſæpius tuſſis conſequitur; ſive irritatio per interiores membranas auris, Tubæque Euſtachianæ, & pharyngis demum ad laryngem uſque propagatur, ſive efficit, ut aliquid ex ea Tuba in pharyngem protinus deturbetur, hanc, & laryngem ſtimulaturum, ſive tandem certos quoſdam nervos in conſenſum trahit, ut puta membranis inſervientes quæ proxime cum intima laryngis tunica continuantur. Atque, ut dixi, ejuſmodi tuſſis excitatio nemini non cognita eſt. Anatomicis autem ea quoque nota eſt, quæ irritatis fit initiis nervorum, velut interdum in hydrocephalis. Perlegeſis in Sepulchreti ſuperiore libro (*l*) Veſalii Obſervationem ad id mali pertinentem; & ad levem capitis motum, gravem illico tuſſim excitatam reperies, cum in pulmonibus nihil vitii memoretur. Sic etiam in Obſervatione Lechelii (*m*) tuſſim leges, cum tamen præter cerebrum, nulla alia viſcera male haberent, & nominatim pulmones, ſed laudabiliter, optimeque conſtituta, & abſque omni culpa fuiſſe dicantur.

55. In Collo autem, non eſt qui neſciat, tuſſis cauſas ſæpenumero inſidere, nimirum in arteria Aſpera, præſertim vero in larynge, illaſque interdum per ipſam tuſſim, nonnunquam nullis Medicinæ præſidiis tolli poſſe, ut cum ita larynx vitiata eſt, quemadmodum poſt annuam tuſſiculam, & varii humoris exſcreatum deſcripſit Vir Cl. Fantonus (*n*). Lanciſius autem in quadam ad nos epiſtola ſcripſit, Malpighio, & ſibi de quibuſdam violentiſſimis tuſſibus olim colloquentibus, quas alii perperam inter convulſivas referebant, viſum eſſe inter eas potius collocandas, quas commovet paucus, ſed ſalſus & acer, humor, qualem illi exſcreabant ægri, ab laryngis glandulis præter naturam ſecretus: quibus quidem glandulis ipſe accenſuiſſet poſtea Arytænoidæas noſtras eo libentius quod has in quodam cadavere *aliquantum monſtroſas* inveniſſet. Noſtras autem diximus tum quia primus ipſe, Vir Eruditiſſimus, nobis tribuit (*o*), tum etiam quia non idem nobis, ac nuper Viro alteri, cæteroquin Doctiſſimo, unquam viſum eſt, ſcilicet has glandulas a Carpo, & Schelhammero fuiſſe præmonſtratas. Ne grave, obſecro, ſit tibi, ſi paulo prolixius rem examinavero; tanto enim diligentius faciendum hoc eſt, quanto plus auctoritati uterque tribuimus Illuſtris Viri. *Carpus* dixerat, inquit is, *ſuper glottidem carnem glanduloſam ſedere p. CCCXCIII. Addiderat Schelhammerus, ſubſtantiam glanduloſam arytænoidi inſidere l. c. p.* 11. Tu vero utrumque inſpice: locos ipſe ultro indicabo, ne retrorſum ibi quærendo per multas paginas, labores, neve ſic in aliud forte incidas huc minus attinens Schelhammeri opuſculum. *Diſſertatio* hujus eſt intelligenda *de Voce*, in cujus I. Parte, cap. 3. de Arytænoidibus verba faciens, *fulcimentum hæ ſunt*, inquit, *ſubſtantiæ alicujus peculiaris, quæ nullibi alias in corpore reperitur, quam commode expreſſit Galenus, dum adipoſam, cartilaginoſam, & membranoſam dixit*: nonnulliſque de hac ſubſtantia interjectis, ut ſimilarem eſſe, oſtendat, medioque ſe habere modo inter illa tria quæ memoravit Galenus, ſic protinus indicata pagina 11. concludit: *Hæc itaque ſubſtantia duplici arytænoidi cartilagini, ceu duplex criſta inhæret, mollis, laxa, levis, magis a ſe diſtans dum ſpiramus, ad ſe invicem accedens, ubi vocem edimus, plane occluſa, dum ſpiritum premimus. Hanc partem medio ſe habentem modo rimulam vocalem appellant, & glottidem. Lingulam Galeni interpretes verterunt*. Num ergo dicit, *ſubſtantiam glanduloſam arytænoidi inſidere*? ne poteſt quidem, cum illam dixerit eſſe ejuſmodi, ut *nullibi alias in corpore reperiatur*, idque etiam quincto capite extremo (*p*) confirmet. Iſtas igitur *criſtas*, vel *eminentias arytænoidum*; ſic enim alibi (*q*) vocat; nec uſquam ſatis explicatam glottidem Schelhammero relinquamus, undecunque illas confecerit, & quocunque hanc modo intellexerit; nam & muſculum *quem arytænoidæum proprium nominant*, ille (*r*) *ipſius gutturnii ſubſtantiam putabat*. Satis enim eſt, aperte, ut mihi quidem videtur,

(*) Epiſt. Anat. 9. n. 9. & 10. (*c*) Sect. hac 2. Sepulchr. Obſ. 4. (*d*) Ibid. Obſ. 0. (*e*) Epiſt. 28. n. 9. & 10.
(*f*) Epiſt. 15. n. 33. & ſeqq. (*g*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1712. (*h*) Vid. Epiſt. 15. n 3. (*i*) Epiſt. 15. n. 21.
(*k*) Epiſt. 16 (*l*) 1. Sect. 16. Obſ. 6. (*m*) Ibid. in Additam. Obſ. 4. (*n*) De Obſervat. Med. & Anat. Epiſt. 8. n. 8.
(*o*) De Subit. Mort. edit. Venet. l. 1. c. 18. ad n. 3. (*p*) Part. 1. (*q*) Ibid. c. 4. (*r*) Ibid. c. 3.

tur, conſtare, *glanduloſam* ab eo non *additam* eſſe *ſubſtantiam*.

56. Nec vero minus perſpicue, ut opinor, intelliges, cum a Carpo dictum eſt, *ſuper glottidem carnem glanduloſam ſedere*, non aliud omnino voluiſſe, quam ſuam epiglottidi inſidere glandulam, quod olim in Primis ipſis Adverſariis (*ſ*) admonui. Verba enim Carpi quæ in *Commentariis* habentur *ſuper Anatomia Mundini* (*t*) in poſteriore facie ejus quæ indicata eſt, paginæ 393. hæc quidem ſunt: *ut infra videbitur, natura ordinavit certam carnem adenoſam ſupra ſeu infra linguam fiſtulæ illi* (aeris) *adhærentem ad mollificandam epiglotim, ſeu laringam*. Sed *lingua* iſta *fiſtulæ* non eſt Carpo quod Interpretibus Galeni *lingula*, ſeu glottidis rima, ut paulo ante Schelhammeri verbis commemoravimus. Verum ea lingula omnino eſt, quam Celſus (*u*), ſuperiore pagina a Carpo laudatus, ita deſcripſerat: *exigua in* Aſpera *arteria ſub ipſis faucibus lingula eſt: quæ, cum ſpiramus, attollitur; cum cibum potionemque aſſumimus, arteriam claudit*. Scilicet ipſa eſt cartilago epiglottis, ut ante paucos verſus in iſta eadem pagina 393. Carpus oſtendit, hæc ſcribens: *proprius tamen epiglotis vi vocabuli indicat epiglotidam quæ eſt lingua fiſtulæ ſupra poſita cimbalari cartilagini*: quod cum paſſim toto reliquo eo commentario 29. confirmat, tum ibi maxime declarat, ubi (*x*) epiglottidem proprie dictam deſcribit *figura linguæ humanæ, ſive linguæ fiſtulæ* arte factæ, eo autem ſitu, ut *ſua parte acutiore tendat verſus meri* (id eſt gulam) *claudendo partem ſuperiorem cartilaginis cimbalaris*, hoc eſt arytænoidis, in cujus mox deſcriptione cum hanc duplicem eſſe, oſtendiſſet, ita (*y*) ſingulas laryngis cartilagines indicavit: *poſt* (ideſt præter) *iſtas duas* (cymbalares) *cartilagines, ſunt aliæ tres, ſcilicet clipealis cartilago: & cartilago nomen non habens: & cartilago dicta lingua fiſtulæ*: qua ipſe addita, loco trium quas antea ponebant cæteri, quinque eſſe laryngis cartilagines, concludit. Etſi vero hæc ita perſpicua ſunt, nihil ut poſſit eſſe evidentius; tamen hoc inſuper adde. Dixerat Carpus, ut paulo ante retulimus, *infra viſum iri* de ea carne glanduloſa appoſita ad linguam fiſtulæ, & de ejus utilitate. Ubinam igitur id præſtitum eſt? Non alibi omnino, quam ubi epiglottidem proprie appellatam deſcribens (*z*), *in ea carnem pinguem* agnovit, cujus etiam utilitates retulit in *humefacienda epigloti*, hoc eſt larynge, ipſaque epiglottide proprie dicta. Quem locum ut recte de epiglottidis glandula paulo inferius accepit is quoque Doctiſſimus Vir, qui priorem cenſuit ad Arytænoidæas pertinere; ita ubi animadverterit, ad eundem illum primum locum hunc alterum eſſe referendum; non dubito quin, pro ſpectata ejus ingenuitate, apud alios potius priſcos Auctores, quam apud Carpum, jam dicat, Arytænoidæas glandulas, ſi forte earum aliquod indicium extaret, eſſe quærendas: neque tamen apud Galenum, aut apud Fabricium, etſi *glottidem ipſam viſcoſam olim dixerint* ille *de util. part. L. VII. c.* 13. hic vero *l. c.* 9. ideſt de Larynge Parte I. cap. 9; nimis enim hæc quidem ſunt *obſcura veſtigia*. Quod ſi tu forte huc attinere potius crederes quæ Galenus ibidem ſcripſit capite 11. Fabricius autem 2; ſic ſaltem, primi verba produceres diſerte affirmantis, glottidis corpus *membranoſum eſſe, adipoſumque, & glanduloſum*, Fabricii autem, in porcis utique idem quadantenus confirmantis. Id enim, ait, dixiſſe Galenum *propterea quod ad unguem deſcripſit glottida porcorum, quæ adipoſa eſt, adipe tamen duriore ac denſiore, ut glandulæ etiam ſubſtantiam præ ſe ferat*. Sed quatenus, & ubi ſint Arytænoidææ glandulæ in porcis, non eſt hic videndi locus, neque an eas Galenus indicare voluerit: Fabricius certe *alias pleraſque* glottides *adipoſo & glanduloſo* illo corpore quod in ſuilla agnoſcit, *fere deſtitui*, affirmat, neque in ulla demum id ibi eſſe, indicat ubi ſitæ ſunt Arytænoidææ humanæ glandulæ, ſed omnino anterius, & inferius, ut perlecta citati capitis ea parte qua glottidem ipſe deſcribit, non difficile intelliges. Quæ num pro me, an potius pro vero dicta ſint, quod ſtudemus ambo in hiſtoria Anatomes illuſtrare, ille ipſe quem ſuo magno merito plurimi facio, Vir Eruditiſſimus judex eſto.

57. Nunc ad Tuſſis cauſarum ſedes revertamur. Harum erant reliquæ, illæ quæ in Ventre ſunt. Quarum eas maxime obvias video quæ diaphragmati ſunt propiores, in hepate præſertim, & ventriculo, nam in pancreate quoque, & in liene ex parte, quin etiam in renibus hic in Sepulchreto (*a*) adnotatas invenies. Sive contactu ipſo irritatur ſeptum Tranſverſum, ſive diſtracto, oblæſove peritonæo quod iis viſceribus, & faciei ſepti inferiori commune eſſe, noſti, ſive denique pulmones ipſi in conſenſum trahuntur affectis nervis qui tum illis, tum iis viſceribus proſpiciunt, tuſſes illæ, per ſe aridæ atque inanes, eorundem affectus viſcerum conſequuntur. Hujuſmodi cauſarum ultima ventriculo præſertim videtur convenire, inſpectis ipſis quos modo indicavimus nervis, hoc primum ex ventris viſceribus maxima copia adeuntibus: quanquam eſſe etiam poteſt qui credat, e ventriculo per œſophagum irritationem aut in adhærentem truncum Aſperæ arteriæ, aut in ipſam quoque laryngem, in quam intima gulæ membrana ſe ſe tandem immittit, aliquando propagari. Ut ut eſt; inanis tuſſis exemplum, ortæ, ut videtur, ob tumorem ventriculo annexum proferam: & continuo prolixiori huic Epiſtolæ finem imponam.

58. ANICULA ſeptuagenaria, nutrix olim ebrioſa, ſemper autem meri avida, a menſibus ſaltem duodeviginti famulatui inepta reddita erat ob hæc valetudinis incommoda, tuſſim in primis, eamque ſiccam, ſpirandi difficultatem, & capitis dolorem aſſiduum, quamvis modo auctum, modo remiſſum, & quæ hæc conſequebantur, vigilias, & cibi faſtidium, ut propterea pauca ederet. Hæc a fœminis contubernalibus accepimus, cum propter ea quæ in hujus cadavere inventa ſunt, alias exquirendas res curaremus, præſertim vero an de ulla in ventre duritie, tumore, ponderis ſenſu quereretur: quod ab illis negatum eſt. Noviſſime autem, cum paucis diebus quaſi peripneumonia laboraſſet, deceſſerat. CADAVER macilentum erat; eoque notabilior fuit pinguedinis globus, pugni magnitudine, qui ſub cute inventus eſt ad cartilaginem enſiformem (*b*). Ventre adaperto, nihil obſervatione dignius occurrit, quam tuber ſubrotundum, pondo, minimum, libræ, quod poſteriori ventriculi faciei annexum erat ad hujus quaſi medium. Erat illud exterius minoribus aſſurgentibus hemiſphæricis albis tuberibus inæquale, intus autem albo, & ſubfuſco, & ſanguineo quoque ob vaſa, colore variegatum: & durum cum eſſet ubique adeo, ut pro ſcirrho habere non dubitares; intus alicubi duritie oſſea præditum erat. Diſſecti bifariam ſectiones, digitos tranſverſos tres ſecundum unam diametrum, quatuor ſecundum alteram æquabant. Nullam cum ventriculi cavo habuit communicationem: iſque apertus, inventus eſt rugoſus, & omnino qualis in ſanis ſolet, ea etiam parte qua tuberi reſpondebat, ad ſpatium videlicet duorum circiter digitorum. Quin etiam tunicæ quæ intimam ad illud ſpatium operiebant, ſanæ erant, nec tuberi annexæ: quod per extimam dumtaxat ventriculo alligabatur. Hæc per tuberis faciem videbatur produci, & ſanguifera vaſa perferre, quorum unum, venoſum viſum, a tubere profectum per inferiorem ventriculi ſuperficiem repebat, craſſitudine ferme calami ſcriptorii. Omnino facile erat conjicere, minimam quampiam ex Conglobatis glandulam, extimæ tunicæ, ſubjectæve celluloſæ inhærentem, aut hujus aliquot, ſi mavis, cellulas congeſta ſenſim materia eas tunicas ſuo pondere ab reliquis diſtraxiſſe, in eamque molem excreviſſe. Cæterum lien aliquanto major quam æquum eſſet, intuſque palleſcens, ea fuit laxitate, ut videretur pultem quandam potius, quam id quod ſolet, continere. Jecur in tranſverſum longiſſimum, interiore ſubſtantia

(*ſ*) n. 3. (*t*) Comm. 29. (*u*) De Medic. l. 4. c. 1. (*x*) pag. 396. (*y*) pag. 397. (*z*) pag. 395.
(*a*) Sect. hac 3. l. 2. Obſ. 27. §. 7. Obſ. 22. §. 2. Obſ. 30. (*b*) Vid. Epiſt. 50. n. 24.

tia pallidula, & propemodum variegata, nec tamen dura. Arteria Magna quaſi flexuoſa, magiſque Iliacæ, ut quæ alicubi pene in diverticula turgere videbantur. Alba hic illic harum, & illius interior facies, nec ſine ſquamis oſſeis, parvis tamen, pauciſque in locis. Et hæc quidem in Ventre. In Thorace autem, & Capite pari uti diligentia non potui, quippe Anatome Publica diſtentus A. 1745. ad quam alia quædam minus inepta ſuppetebant cadavera; hujus enim muſculi erant laxiſſimi. Illud tamen ſcio, cor vitio, quod obvium eſſet, affectum non fuiſſe: pulmones autem annexos quidem pleuræ, & ſubduros, nihil tamen habuiſſe quod veram inflammationem, & multo minus quod inveteratum morbum oſtenderet. Qualis autem vera in pulmonibus inflammatio occurrat, proximæ Epiſtolæ demonſtrabunt. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XX.

Agitur de Pectoris, Laterum, & Dorſi Dolore.

TOt ſunt Valſalvæ, tum noſtræ Obſervationes ad Dolorem Pectoris, Laterum, & Dorſi, ſed præcipue Pectoris, & Laterum pertinentes, ut quamvis earum aliquot in aliis ad Te Litteris (*) ad quas etiam ſpectabant, ſcripſerimus, & ſcripturi ſimus; cogamur tamen reliquas dividere in Epiſtolas duas, quarum prima quæ Valſalvæ ſunt, altera quæ noſtræ, complectatur.

2. RHEDARIUM igitur ille vidit annorum circiter quinquaginta, qui etſi annum totum febribus vexaretur, atque adeo noviſſime etiam Peripneumonia, inani tuſſi, difficili reſpiratione, & quodam ſubdelirio ſtipata; nunquam tamen decumbere voluit, ſed ſua qualitercunque obiit munia. Itaque non niſi quincto, aut ſexto die a peripneumoniæ initio, in Noſocomium ſuis ſe pedibus contulit: ibi iiſdem ſymptomatibus valde agitatus, intra horas XXIV. vivere deſiit. IN VENTRE paululum ſeri limpidi: ſplen triplo major inventus eſt. In Thoracis cavo dextero unciæ aliquot ſeri turbidi: lobuſque pulmonis ſuperior, præſertim dorſum verſus, totus inflammatus, qui cum ſecaretur, minimi hic illic abſceſſus intus ſunt ubique deprehenſi materiam ſanioſam continentes. Pleura erat illæſa. Pericardii cavea ſuo humore ad dimidium uſque repleta. In corde polypoſæ concretiones, majores in auriculis, minores in ventriculis ad oſtia arteriarum, & ex his majores quæ in ventriculo dextero.

3. VIRUM quadragenarium, qui ut leve ſibi in crure vulnus curaretur, jam diu in Bononienſi S. Mariæ de Vita Noſocomio decumbebat juxta alterum virum quem magnus femoris abſceſſus demum ſuſtulerat, febris acuta prehendit cum tuſſi, ſputo ſanguine tincto, poſtmodum ad colorem viridem inclinante, difficili reſpiratione, dolore in latere dextero: quibus ſævientibus, in dexterum idem latus jacens, in quod facilem habuerat decubitum, circa quartum ab acuti morbi initio diem, obiit. PULMO ſiniſter ſanus, & liber. Dexteri ſuperior lobus, & proximi lobi pars ſuperior, qua uterque dorſum ſpectabant, tumore turgebant inflammato, & præduro, arcteque per membraneos nexus pleuræ adhærebant. Hæc tamen nullam inflammationis habebat notam. Singuli cordis ventriculi ſingulas concretiones polypoſas continebant non exiguas; dexter tamen majorem: & cum earum ſingulæ tum in auriculas, & venas, tum in arterias producerentur, in has minus quam in illas, producebantur.

4. Utraque hiſtoria aliquid per ſe docet notum quidem omnibus, ſed nunquam ſatis inculcatum, prima quidem, niſi magnis morbis tempeſtive occurratur, prævalidos etiam homines, eoque ſibi præſidentes, in quibus ille certe rhedarius fuit, opinione citius abſumi: altera, peſſime ſibi conſulere qui leves ob morbos in Noſocomiis diutius cubant, præſertim ſi prope ægros jaceant, aerem pravis halitibus inficientes; ad multo enim graviores morbos diſponuntur, quam is fuerat cujus abigendi gratia illuc conceſſerunt, velut iſti accidit viro, acutiſſima propterea correpto inflammatione, eaque maligna, ſi Fontanum audias, qui (*a*) ejuſmodi inflammationum cauſam in humore ſtatuebat tenui vireſcente, qui color in propoſiti ægri ſputis eſt animadverſus. Ceterum quod ad dolorem attinet, ejuſque cauſam, & ſedem, erit opportunior infra ſcribendi locus. Interea noli mirari, quod nullum Valſalva in prima hiſtoria memoraverit. Cum enim peripneumoniam dixit, non ſecus gravativum dolorem, quam febrem, etſi neutrum diſerte poſuit, ſignificavit. Non ſum neſcius, in hoc morbo nonnunquam dolorem videri nullum, ut alias (*b*) oſtendam, febrem autem leviorem (*c*). Verum id ipſum tunc non eſt omittendum; imo diligenter, quod utique Valſalva feciſſet, adnotandum. Nunc autem febrem, tanquam facile ſubaudiendam memorare prætermittit non una in hiſtoria (*d*), velut in duabus præſertim quas continuo ſubjiciam.

5. SENEX annos natus ſexaginta quinque, cum ante biennium brachii dexteri paralyſi correptus, ab eademque liberatus, ſæpius poſtea dolore capitis affici conſueviſſet; noviſſime ob pulmonis inflammationem in illud quod paulo ante memoravi, Noſocomium exceptus, multum de dolore, & ſenſu ponderis in ſiniſtra thoracis parte querebatur, materiamque purulentam expectorabat: cujus excretio cum per multas horas defeciſſet, ex improviſo prope vigeſimum tertium diem eſt mortuus. THORACIS cavum ſiniſtrum tumidus, ac durus pulmo totum replebat, ulcus continens, quod multa ſanie ſcatebat, per majorem etiam pulmonis illius partem diffuſa. Pleura autem erat omnino ſana. Cordis thalamus dexter concretionem polypoſam habebat, quæ ſe per venam Cavam quaſi ad cubiti longitudinem extendens, varias ejus partitiones imitabatur. Erat altera in ſiniſtro thalamo: ſed hæc in arteriam Magnam vix perveniebat. In Cerebri autem ventriculis aqua inventa eſt ad ſelibram: nec præterea quidquam in toto cerebro præter naturam deprehenſum eſt; ſi plexus Choroidis excipias glandulas, quæ valde turgebant.

6. Nihil magis in morbis ejuſcemodi accelerat mortem, quam materiæ expectorandæ ſuppreſſio. Hæc autem eo facilius accidit, quo vires ob ægrotationis diuturnitatem, ætatem, & nervoſi generis labem infirmiores ſunt: quæ omnia in propoſito ſene conjuncta vides. Quod autem in ejus cerebro conſpectum eſt, qualis fuerit prægreſſæ paralyſis cauſa, & ſæpius afficientis caput doloris, tibi poterit indicare, ad ea reſpicienti, quæ alias (*e*) de utroque affectu ad te ſcripſimus.

7. MULIER annorum circiter viginti ſeptem, quæ nupta ante quadriennium, nunquam conceperat, dolore in thoracis ſiniſtra parte afficitur cum ſpirandi difficultate, & tuſſi vehementi, quæ aliquid expectorabat. Moritur. THORACE recluſo, in hujus ſiniſtro cavo invenitur cum ſerum, albo infectum colore, tum pulmo a poſteriore parte inflammatus: ex cujus ſectione; etſi nullus apparebat abſceſſus; ſa-

nies

(*) VI. n. 10. 12. 14. VII. 4. XXII. 10. 16. 22. XXXVI. 23. XXXVII. 29. XLV. 16. XLVIII. 32. LII. 15.
(*a*) in hac l. 2. Sepulchr. Sect. 4. Obſ. 28. (*b*) Epiſt. 21. n. 5. & ſeqq. (*c*) Vid. infra, n. 26. (*d*) Vid. infra, n. 20.
(*e*) Epiſt. XI. & I.

nies cum ſanguine effluebat, nigræ autem hic illic per ejus ſubſtantiam maculæ conſpiciebantur. Ventre aperto, in teſtibus, veſicularum humor totus concretus deprehenditur non ſecus ac ſi ad ignem fuiſſent coctæ: unde veri ſimile eſt, ejus infœcunditatis cauſam extitiſſe.

8. Hanc quoque adjunges ad cæteras infœcunditatis cauſas. De quibus cum hic non ſit agendi locus; ad hiſtoriam alterius tranſibimus fœminæ, quæ ſæpe conceperat, & ad partus tempus accedebat, cum pulmonis inflammatione confecta eſt.

9. MATRONA nobilis, annos nata quadraginta quinque, præpinguis, ſero abundans, cui vel ſanæ gravis, præſertim a motu, reſpiratio erat ſemper, levis autem tuſſis non raro, crebrumque ſputum, ac pene quotidie poſt laborioſum nocturnum ſomnum vomitus mane craſſæ, viſcidæque materiæ, unde levari videbatur, jam plures enixa filios, pluresque etiam paſſa abortiones, cum denique A. *1689.* nonum menſem ab nova uteri geſtatione inchoaſſet, aerique frigidiori importune ſe expoſuiſſet, magno toto corpore rigore correpta eſt, quem par conſecutus eſt calor cum ingenti ſiti, ſpirandi difficultate, moleſtiore tuſſi, gravativo dolore in dextera thoracis parte, ad ſcapulam vergente, pulſu frequenti, celeri, duro, vomitu bilioſo (ex quo aliquod in ſpeciem levamen) & ea quæ inſequentibus etiam diebus permoleſta fuit, inquietudine, ac totius corporis jactatione. Secta in brachio dextero vena eſt, nec cætera ex arte omiſſa. Tamen ſæviore facto morbi impetu, altero die ad prima illa pulſus vitia intermiſſio quoque acceſſit, & erecta cervice reſpirandi neceſſitas, cum aquoſæ, & lividæ per ſputum, bilioſæ autem per ſeceſſum materiæ ejectione. Tertio die aucta ſpirandi difficultas, ſtertor, ſputa & pauciora, & valde craſſa, denſa, albeſcentia, interdum & flava: iteratæ dejectiones: pulſus vel magis inæqualis. Miſſus iterum eſt ſanguis, aliaque in uſum tracta remedia; ſed incaſſum. Nam die quarto pejora facta erant omnia: thoracis autem ille dolor, qui gravans, ut diximus, fuerat, pungens jam erat, præſertim cum ægra tuſſiret, aut corpus moveret: cui poſtmodum non abſimilis infimi ventris ſe dolor adjunxit, ut inſtantis partus faceret ſuſpicionem. Verum inſecuta nocte inter crebras inæqualitates, & intermiſſiones deficere pulſus cœpit, & conſopitis doloribus, remiſſa aſſidua illa totius corporis jactatione, ſuppreſſis ſputis, fatiſcentibus viribus, quincto ineunte die, vivendi finis eſt factus. VENTRE illico aperto, nonnihil inflammatus uterus, in hoc autem puella jam mortua inventa eſt, cujus alioquin viſcera, ut & cætera quæ in materno erant ventre, ſecundum naturam ſe habebant.

Sed Thorace matris diſſecto, pulmo dexter immanem inflammationem ac duritiem, & ſub his inchoatum jam abſceſſum oſtendit.

10. Etſi a primo fortaſſe deſiderabis, ut qua diligentia morbum, eadem Valſalva anatomen thoracis hujus Matronæ deſcripſiſſet; tamen neque durities pulſus, neque dolor ex gravante pungens factus, neceſſario indicant, præter pulmonis, quam memoravit, inflammationem, pleuræ quoque cujus nullam mentionem fecit, inflammationem fuiſſe. Quo de utroque ſigno cum infra iterum (*f*) in eandem ſententiam ſcribendi occaſionem ſim habiturus; hic de ſingulis vix pauca attingam. Pulſum enim durum fuiſſe in peripneumonicis; quorum pleura ſine ulla inflammatione reperta ſit, alias (*g*) videbis: nec Galenus, cujus auctoritate maxime nituntur qui in peripneumonia pulſum durum eſſe, negant, hoc ipſe negavit (*h*); imo diſerte, ut admonuit Schneiderus (*i*), *raro* ſaltem id accidere, falſus eſt, & cum bilioſa, velut in propoſito caſu, abundat materia. In tanta vero quæ in eadem erat pulmonis inflammatione haud mirandum eſt, ſi ejus quoque extima inflammata denique membrana fuerit, quod cum accidit, pungentem fieri dolorem poſſe ob nervulos in ipſam immiſſos, non dubitabat laudatus Schneiderus (*k*), idem poſtea confirmante Vieuſſenio (*l*), & *nerveas quamplurimas fibras* in eam *deſinere*, tradente. Nec dubitaverat antea Sennertus (*m*), nec dubitavit poſtea Auctor Scholii quod in Sepulchreti hac IV. Sectione adjicitur Obſervationi (*n*) (cujus locus apud Tulpium perperam indicatur) præſertim ſi *vel tenſio ſit valida*, *vel inflammatio magna*, quemadmodum in hac Matrona.

Ad cujus exitium vide quot, & qualia conſpiraverint. Primum erat præpinguis: quæ res ſignificat graviſſimam morbi cauſam; obeſa enim corpora minus pleuritidi, & peripneumoniæ ſunt obnoxia, ut animadvertit æque Diligens, ac Eruditus Medicus Trillerus (*o*): quod, cum memoria repeto peripneumonicos omnes a me aut viſos, aut curatos, verum eſſe, intelligo, & ipſe poteris perlectis eorum qui a Valſalva, itemque a me diſſecti fuerunt, hiſtoriis cunctis, hac, & altera (*p*) illius excepta, facile cognoſcere. Præterea nimia pinguedinis copia quantum pulmonibus, in decumbentibus præſertim, loci demat, quantoque reſpirationem, & expectorationem reddat difficiliores, ſatis eſt manifeſtum. Huc accedebat quæ iſta augeret, uteri diſtentio, quanta jam nono menſe eſt. Nec omnino defuit ejuſdem uteri inflammatio, tunc, opinor, inchoata, cum pungens ille infimus dolor falſam imminentis partus attulit ſuſpicionem. Sed & ipſa uteri geſtatio, ubi accedat peripneumonia, quanto hanc, & hæc illam periculoſiorem faciat, ſive morbi ſymptomata, ſive præcipua remedia ſpectes, non difficile cognoſces: crebras dico hinc tuſſis concuſſiones, dolorem, vigiliam; inde vero cum tenui victu, ſanguinis miſſiones, quando nec fœtui ſubtrahendum eſt unde nutriatur, nec ipſius, & matris vires ita extenuandæ ſunt, ut partui non poſſint ſufficere, vicino præſertim, velut hic. Quamvis autem Hippocratis (*q*) ſententia, *mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale eſſe*, non ſecus accipienda ſit, quam latine a Celſo (*r*) reddita eſt, *acuto morbo facile conſumi*; neque ſemper *facile* pro certe poſuit; aut ſi ibi poſuit, veteres illas, prægnantibus intolerabiles, curationes ſpectavit; nam poſtea & tot aliis, nec raro adeo, ut aliqui putant, & nobis medicinam facientibus, tenuique mediocriter victu, & ipſa, ubi res cogeret, ſanguinis miſſione, ſed caute, utentibus, Deo bene juvante hactenus contigit, ut matrem ſimul cum fœtu ſervaremus vel affectu interdum anginæ ſimili, ut in Jacoba Severia, cum interna thoracis manifeſtiſſima inflammatione conjuncto; non erant tamen noſtræ obeſæ, neque laxis, infirmiſque pulmonibus, ut Matrona de qua ſermonem habemus. Quæ cum eſſet jam diu tuſſi, & crebris ſputis obnoxia; procul dubio ita erat ad peripneumoniam diſpoſita, ut hujus prægravanti vi par eſſe non potuerit; neque enim ex levibus fuit, ut vetuſtiſſimus Auctor, aut, ſi mavis, Hippocrates (*ſ*) loquitur, ex *non pernicioſarum* genere, & *mollium*, quandoquidem non habuit *pauca*, ut hæ, ſed pleraque *eorum ſignorum* quæ idem recenſet. Erat enim *febris acuta*, *ſpiritus frequens ac calidus*, *& anxietas*, *& jactatio*, *& dolor ſub ſcapulas*, *& gravitas in pectore*, & *tuſſis vehemens*, & præter hæc alia inſuper, ut erecta cervice reſpirandi neceſſitas, & ſitis ingens, & gravia pulſuum vitia, & livida ſputa, & fuſa alvus crebrius, opinor, & copioſius quam oporteret, ut ſic *infra humore ſecedente*, ut idem Hippocrates (*t*) ait, *ſputi purgatio ſurſum non prodiret*, & ſane exinde facta ſunt ſputa pauciora, & valde craſſa. Quamobrem alibi (*u*) pronunciavit, *a morbo la-*

(*f*) n. 38. (*g*) Epiſt. 21. n. 16. & ſeq. (*h*) De Cauſis Pulſ. l. 4. c. 12. (*i*) Differt. de Peripneumonia c. 2. §. 26.
(*k*) Ibid. c. 1. §. 10. (*l*) Neurogr. l. 3. c. 4. (*m*) Medic. Pract. l. 2. P. 2. c. 3. (*n*) 20. §. 3.
(*o*) Vid. Commerc. Litter. A. 1741. Hebd. 2. n. 2. ad Aph. 14. (*p*) infra, n. 61. (*q*) Sect. 5. Aph. 30.
(*r*) De Medic. l. 2. c. 6. (*ſ*) De Morbis l. 3. n. 16. (*t*) Ibid. n. 17. (*u*) Sect. 6. Aph. 16.

bo laterali, vel pulmonia habito, alvi profluvium adveniens, malum. Non me fugit, quæ Medici contra, nec rariſſime, viderint, quidve excipiant propterea, Hippocratis quoque ipſius obſervationes quaſdam, ac ſententias laudantes. Attamen plerumque diarrhœa; niſi forte ex contingenti primis diebus opportuna ſit, aut in progreſſu critice ſuccedat; in hujuſmodi morbis noxia eſt. Sic; ut tot aliis omiſſis, duos illuſtris generis memorem Viros, Cives meos Thomam Auguſtinium Marchionem, Stephani S. R. E. Cardinalis fratris filium, & Joannem Gaddium Comitem, alterum annos tunc natum ſexaginta quinque, alterum octo annis majorem; in primo quidem peripneumonia correpto, perutilem in morbi fine diarrhœam obſervavi, quæ curationi ſummam manum impoſuit: ſed alterum, eodem morbo prehenſum, cui tertio die fluxus idem acceſſerat, ſputaque primum pauca, lenta, & quaſi arida effecerat, deinde cum viribus interceperat, fruſtra illum moderari, & has ſervare conatus, obtinere vix potui, ut ad nonum uſque diem vita produceretur. Quod & Virgini accidiſſe, duodeviginti annis ipſo minori, ex proxima cognoſces Valſalvæ hiſtoria.

11. VIRGO annum agens circiter quinquageſimum quintum, thoracis dolore, præſertim circa ſternum, corripitur, febricitat, capite dolet, difficile ſpirat, ingentem materiæ copiam exſpuit. Cum acceſſiſſet diarrhœa, cumque omnia facta eſſent graviora, reſpirandi autem difficultas tanta, ut non niſi erecta cervice ſpirare poſſet, circa nonum diem eſt mortua.

IN VENTRE animadverſa eſt fellis veſicula bile turgida, multumque induratus uterque teſtis.

Thorace aperto, ſiniſter pulmo inventus eſt cohærens adeo pleuræ, ubicunque hæc coſtas inveſtiebat, ut ſine laceratione ſeparari non potuerit. At dexter arcte adhærens toti mediaſtino, itemque pleuræ, ſuperiores coſtas veſtienti, dum manu tentatur ejus ab hac ſeparatio, ob fraciditatem diſrumpitur, ſimulque ex abſceſſu quem continebat, ingentem ejicit copiam materiæ ſanioſæ, ex rubro palleſcentis. Pericardium erat plenum ſeri. In cordis ventriculo dextero non parva polypoſa concretio, quæ proximam præſertim auriculam occupabat, & per communicantium venarum orificia ſe ſe producebat. Nulla in ventriculo ſiniſtro; leve dumtaxat in Aortæ, & venæ Pulmonaris initiis erat inchoamentum. Sanguis autem in hoc cadavere fluorem amiſerat.

12. Cætera quæ in hac legiſti Obſervatione, loco opportuniore commemorabuntur. Hic illud juvat attendere: cum dolor eſſet præſertim circa ſternum, vitiatum pulmonem toti mediaſtino arcte adhæſiſſe; quod videlicet ad ſternum alligatur. At alligatur, inquis, etiam ad thoracis vertebras, circa quas non memoratur dolor. Verum hoc eſt; ſed verum id quoque, in violenta reſpiratione, qua uti ea Virgo cogebatur, ſternum moveri; non vertebras; itaque illas magis affici mediaſtini partes quæ ad ſternum ſunt alligatæ. Ut ut eſt; ſi legeris in hac Sepulchreti IV. Sectione (*x*) Obſervationem II. & Scholium non modo ei ſubjectum, ſed & illud quod perperam ſubjicitur proximæ III. cum ſubjiciendum ipſum quoque fuiſſet huic II. itemque Obſervationem XXIX; animadvertes profecto, cum in mediaſtino ipſo, aut in pericardio, ad idem, ut noſti, attinente, annexoque inflammatio fuit, moleſtum ſenſum, non ad vertebras, ſed ad ſternum perceptum fuiſſe. Ad ea quæ diximus, proxima quoque hiſtoria ex parte referri poteſt.

13. LANIO quinquaginta circiter annorum, dolore prehenditur in dextera thoracis parte, atque etiam in medio ſterni. Supinus cubat, multum tuſſit, parum exſpuit. Erecta cervice ſpirare cogitur. Tandem die ſeptimo obit. PULMO dexter ſuperiore parte tota induruerat, & nonnihil ſterno, arctius autem mediaſtino adhærebat. Siniſter a tergo infectus erat colore atro. A ſiniſtris quoque thoracis cavea paululum habebat ſeri: quo pericardium plenum erat. In cordis ventriculo dextero polypoſa concretio adnotata eſt. Sanguis autem in hoc cadavere ad fluorem potius, quam ad concretionem, vergebat.

14. In ejuſmodi quidem morbis ſanguis ſolet ad concretionem vergere; unde & polypos, hoc eſt polypoſas concretiones repetunt, quas in Valſalvæ etiam, meiſque peripneumonicorum diſſectionibus plerumque adnotatas videbis. Quin eo res interdum procedit, ut ſanguis fluorem amittat, quod in ſuperiore Virginis cadavere (*y*) animadverſum eſt: ſed & in viventibus nonnunquam, cum maxime pernicioſa inflammatio eſt, ad concretionem adeo accedit, ut venis pertuſis, vix lentiſſime delabendo e foramine non parvo exeat: quod cum in aliis, tum potiſſimum in Maria Varania, quam inſuperabilis peripneumonia ſuſtulit, omni fruſtra artificio adhibito ut efflueret, accidiſſe memini. Verum contra, interdum fit, ut ſanguis in peripneumonicis ad fluorem vergat, ſive concretio quædam polypoſa adſit, ut in propoſito Lanione, ſive nulla, ut in tribus quæ ſequuntur, Obſervationibus. Harum prima tanto rarior eſt, quanto minus pueri, nedum recens nati, huic morborum generi obnoxii dicuntur ab Aretæo (*z*), confirmante Cl. Trillero (*a*).

15. PUELLA dierum quatuordecim, ſtertore afficiebatur, cum faciei rubore: lactis ſuctionem reſpuebat, ut arte in os immittere oporteret. His octo dies perſtantibus, vivere deſiit. PULMONES, præſertim qua dorſum ſpectabant, inflammati erant: & nigris quibuſdam maculis diſtinguebatur eorum ſubſtantia. In Ventriculo bilis plurima. In vaſis autem ſanguis naturalem fluorem ſervans.

16. VIRGO annorum viginti, dolore corripitur in ſiniſtra primum, hinc in dextera thoracis parte. In hanc cubare non poteſt; tuſſit: noctu delirat; convulſione afficitur adeo, ut retracta membra quædam remaneant. Tandem moritur. PULMO dexter nonnihil inflammatus, a tergo præſertim. Siniſter autem, qui undique pleuræ, coſtas, & diaphragma conveſtienti, adhærebat arctius, ut eximi ſine laceratione non poſſet, multum rubebat. In corde nulla polypoſa concretio: ſanguis dumtaxat in utroque ventriculo ater, & coagulatus. Ater quoque in vaſis, & craſſior; ſed tamen fluidus. Caput etiam, ac Venter diſſecta ſunt. In illo ſaniſſimum cerebrum: paululum dumtaxat ſeri circa ejus baſim. In Ventre autem, qui ante Sectionem animadverſus fuerat nonnihil tumidus, cauſa hujus rei inventum eſt Colon inteſtinum, multum aere diſtentum. Ceterum ſana erant viſcera omnia, ipſumque Colon: quanquam hoc, ubi ad ventriculum pervenerat, inde ſe deorſum infra ventris medium demittebat; hinc rurſus ad ſuperiora reflectebatur, ſuamque pergebat viam. Appendicula autem Vermiformis craſſitie calamum anſerinum, longitudine octo circiter digitos tranſverſos æquabat, oblique renem verſus dexterum porrecta.

17. JUVENIS prope annos triginta natus, poſt plures labores, levi, obtuſoque in ſiniſtra thoracis parte dolore corripitur, febricitat, difficulter reſpirat, nihil exſpuit. Durant hæc ad quartum decimum uſque diem, quo nonnihil remitti videtur morbus. Sed ex improviſo ingens accedit ſpirandi difficultas cum ſtertore, & ſputo materiæ ſpumoſæ roſei coloris, quam multam ſine tuſſi, ullave difficultate ejicit. Cum toto hujus morbi tempore in dexterum cubuiſſet latus, & nonnunquam etiam in dorſum; dum ex hoc in latus dexterum ſe converteret, mortuus eſt die decimo ſeptimo. THORACE aperto, illæſa pleura inventa eſt, pulmoneſque ab hac omnino ſoluti. Sed erat ſiniſter ubique inflammatus, ſi partem ſuperiorem excipias: ex qua tamen, quamvis ſana, duobus in locis ſtillatim ſanguis erumpebat; ut hujus libræ amplius quatuor, in eadem ſiniſtra thoracis cavea ſtagnantis, repertæ ſint. In corde nullæ polypoſæ concretiones.

18. In

(*x*) l. 2. (*y*) n. 11. (*z*) De cauſis Acut. morb. l. 1. c. 10. in fin. (*a*) loco ſupra ad n. 10. indic. Aph. 16.

18. In nulla harum trium Obſervationum polypoſas concretiones fuiſſe, vides. Quod ſi in tenera infante (*b*) qua in ætatula perraro (*c*) inveniri dicuntur, id minus mirandum eſt, in illa autem Virgine (*d*) quamvis fluidus, ſanguis tamen erat craſſior, & in cordis venrriculis coagulatus; nihil horum certe occurrit in ultima hiſtoria. Quin ſanguis in ſiniſtrum thoracis cavum ea copia effuſus, & vel in mortuo erumpens, ſuum indicat fluorem. Videtur autem tanto plus ipſius in ſuperiorem, quæ ſana erat, illius pulmonis influxiſſe partem, quanto jam minus admitti poterat in ſubjectam, quippe inflammatione omnino impeditam: itaque alio uſque & uſque a tergo influente, rupta denique ibi eſſe vaſa, nonnulla quidem, & exiliora, in viis aeris, unde roſeus ille ſputorum color, alia autem aliquanto minus tenuia in membrana extima pulmonis, unde tantum ſanguinis in cavea illa thoracis: & cum a ruptione, & effuſione ſanguinis in utrumque locum, omnia graviora facta eſſent, tum demum ingruiſſe mortem poſtquam inutili prorſus facta ab effuſo intus, extraque jam magis magiſque ſanguine illa etiam quæ ſana erat, parte ſiniſtri pulmonis, convertit ſe homo in latus dexterum, ſicque alterum, quo uno ſpirabat, pulmonem tum obruit demiſſo ex ſiniſtris in dextera bronchia cruento humore, tum compreſſit, cedente mediaſtino, pondere ſanguinis, circum ſiniſtrum pulmonem effuſi, addito ad pondus ipſius ab inflammatione gravis pulmonis ſiniſtri. Tot enim ſimul ferre non potuit pulmo dexter, qui antea unum hoc pulmonis ſiniſtri pondus ferebat.

19. Sed erunt fortaſſe nonnulla, quæ ſuper hac ultima Juvenis, & ſuper illa altera Virginis (*e*) Obſervatione ex me quæras. Illud primum, cur poſſet Juvenis in ſanum latus cubare, Virgo autem in ægrum magis cubare cogeretur, quemadmodum & Vir, quem diximus cum levem ob morbum in Noſocomium veniſſet, ex graviſſimo periiſſe (*f*), facilem in affectum latus habebat decubitum. Credibile eſt, hinc cauſam diſcriminis petendam, quod in Juvene ſolutus erat gravis pulmo; in Viro autem, & Virgine ad pleuram alligatus, ut ſi in latus ſanum jacere conarentur, illico pulmonis pondus pleuram diſtraheret, moleſtiamque crearet. Cætera quæ ad Virginem attinent, partim extra fines haud prorſus ſunt naturalis conſtitutionis, ut quæ in ventre deſcribuntur, partim ad alias tractata pertinent, ut quod in capite, partim facillima ſunt explicatu, ut puta doloris in ſiniſtram primum, inde vero in dexteram partem invaſio. Cum enim inflammationem efficiens materia in eo primum pulmone ſubſtitiſſet, qui, ut arctius ad coſtas, & Transverſum ſeptum adhærens, eam dimovere materiam minus poterat, magis hunc gravare perrexit; pars autem materiæ reliqua in altero qui ſolutus erat, nonnihil ſubſtitit, levioremque inflammationem effecit. Cæterum qui pulmo primum occupatur, aut quia magis quam alter infirmus eſt, aut quia ab inchoato morbo efficitur, minime mirum eſt, ſi majorem habeat inflammationem: quod & in proximo caſu fuiſſe, videbis.

20. SACERDOS annorum propemodum triginta, difficili corripitur reſpiratione, multum exſpuit: principio de dolore queritur in dextera thoracis parte, deinde in ſiniſtra. Die decimo obit. IN THORACIS utroque cavo erat ſerum, ſed non multum: cujus portio undique ſuper pulmones concreverat, tunicæ inſtar palleſcentis. Pulmo autem dexter ea parte qua ſpectabat dorſum, valde rubebat: induruerat quoque; minus tamen, quam in aliis ſolet peripneumoniis: circa medium vero gigni intus cœperat materia purulenta. Siniſter pulmo a tergo pariter leve inflammationis initium oſtendit. Pericardium æquo erat craſſius, & flaveſcente ſero turgebat: ex hujuſque ſeri concreta portione quaſi reticulare quoddam corpus effectum erat tum per extimam cordis, tum per intimam pericardii faciem: qua preſſa, ſeri guttulæ erumpebant. Cordis ventriculus dexter continebat polypoſam concretionem.

21. Hiſtoria hæc ubi dexterum pulmonem deſcribit, occaſionem mihi præbet alteram ſubjiciendi: ubi vero ſerum in thorace, & pericardio, alias plures. Ut a primo incipiam; verba illa attendenda ſunt, pulmonem induruiſſe quidem; minus tamen, quam in aliis ſolet peripneumoniis. Plerique autem credere videntur, pulmonis inflammationem in rubore ferme conſiſtere: quod aliquando fieri poſſe, non eſt negandum, ut ſiquando de genere eſt legitimi eryſipelatis. Verum in pleriſque inflammationibus denſus duruſque fit pulmo. Quod inter cæteros poſt Coiterum, cujus verba alias (*g*) proferam, Guarinonius olim, ut habes in Sepulchreto (*h*), animadvertit. *Raro*, inquit, *in cadaveribus pleuriſi extinctorum non pulmones plenos & duros* invenias. Wepferus autem, quod ibidem (*i*) leges, poſtquam de cujuſdam pulmonibus hæc ſcripſerat: *rubor tamen iſte non erat index notabilis inflammationis; nam ibi molles permanſerunt*; eo proceſſit, ut diſerte hoc adderet: *inflammati* enim pulmones *ſemper ſimul indurati deprehenduntur*. Durities autem, & denſitas ut plurimum ejuſmodi eſt, ut tunc ſecti aliud omnino quam pulmones videantur (*k*). Sic Valſalvæ in magna inflammatione ſolidiori carni viſi ſunt ſimiles, & in multis quidem cadaveribus. Quod in certo ſuo quodam Scripto repeti probabiliter poſſe, exiſtimabat, ab acido vitriolico, ſanguinem in pulmonaribus veſiculis coagulante, cum muſculorum quoque caro nihil aliud ſit, niſi filamenta membranea alba, quæ quoniam in ſuis finibus ſanguinem retinent, carnis acquirunt nomen. Utcunque autem id eſſet; ſic certe inveniſſe ſe, confirmabat; in pulmonibus hominum quos intra quatuor, aut quinque dies peripneumonia interemerat; ut non dubitandum ſit nobis, qua ratione affectos in iis deprehenderit quos intra ejuſmodi breve tempus hoc morbo confectos propoſuimus (*l*). Sed cum eo in Scripto id ageret, ut oſtenderet, intra paucos dies id accidere pulmoni poſſe; non inde conſequitur, in iis vero qui diutius vixerunt, non idem reperiſſe: quod cum aliæ paſſim ſubindicant, tum diſerte proxima confirmat hiſtoria.

22. SENEX, annos circiter ſexaginta natus, dolore prehenditur in dextera thoracis parte, febricitat, tuſſit, exſpuit, facilius decumbit in dorſum. Sputi copia major fit; ſed ob ſectam die decimo venam ſupprimitur. Itaque undecimo obit. PULMO ſiniſter ſanus, quamvis undique pleuræ adhærens. Dexter contra, quamvis a pleura ſolutus, dorſum verſus ſummopere inflammatus deprehenditur, ut ſolidiorem carnis ſubſtantiam referat. Duæ exiguæ, quaſi inter ſe æquales, concretiones polypoſæ ſingulæ in ſingulis inveniuntur cordis ventriculis.

23. Obſervatio hæc dat tanquam anſam ad plures annectendas priuſquam illas quas, ob ſerum in thorace, & pericardio inventum, promiſimus, tibi deſcribamus. Omittamus, quippe ſuperius (*m*) jam dictum, nulla re magis in peripneumonia accelerari mortem, quam ſputi ſuppreſſione. Hanc autem ſæpe accidere propter intempeſtivas, præſertim in ſenibus, miſſiones ſanguinis, etiam omittimus: quanquam plures ſunt Medici qui ægros ob id interimunt, quia neſciunt ipſi quieſcere. Quos inter ſeniorem quendam olim novimus, qui iteratis uſque, & uſque venarum ſectionibus, vehementiam quidem frangebat peripneumoniæ; ſed ægris adeo vires demebat, ut plerique cum expectorare non poſſent, in ipſa morbi declinatione ſuffocarentur; quando ibidem, in eademque Conſtitutione alter Medicus, qui ſanguinem quidem mittebat, ſed non extra modum, pene omnes ſervabat. Eſt certe vel ſenibus, quibus addere animos poterit

(*b*) n. 15. (*c*) Vide tamen Commerc. Litter. A. 1744. Hebd. 42. n. 1. ad art. 15. (*d*) n. 16. (*e*) n. 16. (*f*) n. 3.
(*g*) Epiſt. 21. n. 38. (*h*) Sect. hac 4. in Additam. Obſ. 2. (*i*) l. 4. S. 3. in Addit. Vid. Schol. ad Obſ. 26. n. 8.
(*k*) Vid. Epiſt. 21. n. 20. 28. (*l*) ſupra, n. 3. 9. & fortaſſe etiam 2. (*m*) n. 6.

felix caſus *Mareſchalli de Botzheim* nonagenario majoris (*n*); eſt, inquam, certe vel ſenibus in hoc morbo ſanguis detrahendus, & detraxi ipſe, cum res tulit, & licuit, etiam duobus continentibus diebus, ut in grandæva muliere, ad quam non niſi quincto peripneumoniæ die vocatus fueram, Anna Mazzonia, cujus ſanguis ſimul cum tota aqua in quam mittebatur, quippe a manu eductus, in *gelatinam* concreſcebat: ſed plus non detraxi in dies illos ſingulos quam uncias quinas, quantum videlicet ſinebant vires, non eæ modo quæ tum erant, ſed & quæ expectorationis cauſa ſervandæ fuerant, per quam ultra diem fracti jam morbi vigeſimum tertium feliciter productam, anicula evaſit. Verum ne contra ac promiſi, facere videar, hæc quoque omittamus: illudque unum in propoſito ſene ſpectemus, facilius in dorſum cubuiſſe. Cujus rei cauſa non ſemper ita in propatulo eſt, ut in eo caſu videtur. Cum enim pulmo dexter eſſet dorſum verſus adeo inflammatus, & gravis, a pleura autem ſolutus; neque aliquid diſtrahere, neque ſanam ſui partem, aut pulmonem alterum gravare poterat, ſupino corpore. Lanio autem de quo ſupra (*o*) dictum eſt, quomodo ſupinus cubare poterat, qui durum pulmonem ad ſternum habebat alligatum? An forte quod initio, ut rationi conſonum videtur, minus gravis eſſet pulmo, quippe necdum tanta congeſta materiæ copia? Quæ poſteaquam aucta eſt, tum denique amplius decubitum in dorſum ferre non potuit; ſed erecta, ut ſcripſimus, cervice ſpiritum ducere coactus eſt. At ejus qui ſequitur, caſus quam explicationem afferemus?

24. VIR annum agens circiter quadrageſimum, duplici autem laborans hernia, cum thoracis dolore, & difficili reſpiratione correptus eſſet, initio quidem facilius in latus cubabat dexterum, deinde in ſiniſtrum; in dorſum nullo modo poterat. Multum exſpuebat. Erecta cervice ſpirare cogebatur. Die decimo eſt mortuus. PULMONES ambo & adhærebant pleuræ ſic tamen, ut ſine laceratione ſeparari poſſent, & dorſum verſus inflammati erant, ac multum duri. Nihil aquæ in pericardio. In corde tres polypoſæ concretiones, una in ventriculo ſiniſtro; duæ autem craſſiores, firmioreſque, altera dexterum ventriculum, altera totam hujus auriculam occupabant. Quod ad hernias attinet, Cirſocelen, & Hydrocelen; hæc a ſero fiebat, cavum implente tunicæ Vaginalis, quæ compreſſa guttas aqueas emittebat; illa autem a varicoſa venarum ſcroti productione, quæ catenæ figuram haud ineleganter repræſentabat.

25. Cur hic initio in latus dexterum facilius jaceret, deinde in ſiniſtrum, in dorſum autem nullo modo, difficile utique explicatu eſt, ſi nihil niſi quod denique in cadavere eſt inventum, ſpectemus. Sed cum illa initio acciderent, & priuſquam erecta cervice cogeretur reſpirare; ratio poſtulat, ut quo ſe modo tunc in thorace res ſe habere poſſent, reputemus. Nihil autem prohibet quo minus morbificæ materiæ congeſtio major primum fuerit in pulmone dextero, deinde autem in ſiniſtro, donec par in utroque facta hominem coegit ſedere. Sed ante id tempus ut minus difficile in dexterum, mox vero in ſiniſtrum poterat latus decumbere, in dorſum tamen ideo non poterat, ut opinor, quia tametſi pulmones erant; ut Senis de quo proxime dictum eſt (*p*), pulmo dexter; inflammati, & graves; non erant tamen, ut ille pulmo, a pleura ſoluti. Itaque hic vir ſupinus jacere non poterat, quin pleura ad quam erant annexi, diſtracta ab anteriore parte moleſtiam faceret, eumque ſitum non permitteret. Cæterum quæ ad hernias ſpectant, ad alium attinent locum. Alterius dumtaxat hernioſi Obſervationem mihi revocant ad memoriam, in cujus peripneumonia aliquid eſt quod ad decubitum ſpectet, ut continuo perſpicies.

26. VIR annorum quinquaginta, fuſcum a primordiis colorem, & atrabilarium temperamentum nactus, Veneris aſſecla, XII. Kal. Januarii difficili reſpiratione, ut ſi a catarrho eſſet, prehenditur. Res paulatim gravior fit adeo ut XI. Kal. Februarii A. 1690. cogatur decumbere. Vox clangoſa, exſpuitio aquoſæ materiæ uberrima, difficillima eſt reſpiratio, cum ſenſu ad fauces quaſi ſtrangulationis: difficilis in utrumlibet latus decubitus, ſed in ſiniſtrum difficilior, graviorem facit reſpirationem. Hæc denique fit ſuſpirioſa: nec niſi erecta cervice ſpirare licet. Progrediente autem morbo, multa illa aquoſa ſputa in pauca, viſcida, lenta, & nonnihil graveolentia mutantur, faciliorque fit reſpiratio, illo tamen ſuperſtite ſuffocationis ſenſu. Levis ſemper eſt febris. Attamen pridie Idus Februarii vita cum morte commutatur. THORACE aperto, dexter pulmo ab naturali conſtitutione parum alienus invenitur. At ſiniſter pleuræ, nullo interjecto ſpatio cohærebat totus, ſubſtantiaque erat duriore, & inflammata. In ſingulis cordis ventriculis ſingulæ polypoſæ concretiones, &, quod necdum Valſalva viderat, in ſiniſtro major. Fauces, ubi majus fortaſſe vitium erat, examinare non licuit. Ventre diſſecto, lien undique per interjectas membranas ad vicinas partes alligatus reperitur, in eoque arterioſa vaſa cartilaginea. In dextera ſcroti parte cum hydrocele animadverteretur; ſecundo aqueus humor inter Albugineam tunicam, & teſtem convulſus, inventus eſt: cujus humoris limpidæ guttæ ex ea membrana, præſertim ad latus majuſculorum vaſorum compreſſa, diſtillabant. Is humor validiore ignis vi in albiſſimam concreſcebat ſubſtantiam; debiliore autem paulatim in auras diſſipabatur, lymphæque notas relinquebat.

27. Quod ad herniam attinet; quamvis ſub Albuginea tunica membranulam alteram tenuiſſimam viderim, quæ teſticuli ſubſtantiam proxime complectitur, & ſic aqua inter utramque membranam concludi potuerit; tamen iis quæ continuo ſubjiciuntur ſpectatis, malim credere, non ita ut fideliter deſcripſi, Valſalvam ſcribere voluiſſe; ſed inter Vaginalem tunicam, & Albugineam. Cæterum non unum eſt in hiſtoria hac quod animum ſuſpenſum teneat. Unde ſenſus ille quaſi ſtrangulationis? neque enim hic, ut in quibuſdam peripneumonicis, quos Gagliardus (*q*) memorat, pro *anginoſis* perperam habitos, a puris copia repeti poterat quæ eſſet in pulmonibus. Cur minor reſpirationis difficultas ex quo ſputa ex uberrimis pauca ſunt facta? Qua ratione levis febris conjuncta fuerit cum peripneumonia? hunc enim morbum fuiſſe in eo viro, Valſalva qui & viventem vidit, & mortuum ſecuit, non dubitabat; titulum enim huic Obſervationi adſcripſit *De Pulmonia*. Tandem; ut alia mittamus; cur difficilis decubitus fuerit in utrumlibet latus, cum alter dumtaxat pulmo affectus eſſet? imo cum hic eſſet ſiniſter, difficilior decubitus fuerit in ſiniſtrum latus? Quod ſiquid præceſſiſſet ejuſmodi, ut in latentis alicujus partis læſionem haud ſatis intellecti impedimenti cauſam conferre poſſemus, velut in eo quem protinus ſubjungam caſu; magis audere in proferendis conjecturis liceret.

28. ADOLESCENTULUS annos natus quindecim, inter rixam cadit, dorſumque allidit circa ultimam thoracis, & primam lumborum vertebram. In jacentem adverſarius inſilit adoleſcentulus, pectuſque genibus premit. Qui ceciderat, valde queritur de dolore circa alliſam partem: ubi tamen nulla, quæ notatu digna ſit, conſpicitur læſio. Capite multum dolet: & dum conſueta domi conatur obire munia, ſyncope corripitur. Mox primo ipſo die dejectus animadvertitur appetitus ciborum: & poſt unum aut alterum diem febris accedit. Erat antea perpetuus in thorace dolor. Huic additur reſpirationis difficultas, & tuſſis, quæ duo poſtea graviora ſunt facta: ſimulque

(*n*) Vid. Commerc. Litter. A. 1744. Hebd. 3. n. 1. (*o*) n. 13. (*p*) n. 22. 23. (*q*) Relaz. de' Mali di Petto.

que ſanguinea exſcreabantur, & ſubrubra dejiciebantur. Acceſſit delirium, & convulſio, ut omne corpus quaſi immobile remaneret: mors tandem circa decimum a caſu diem: quo toto temporis ſpatio nunquam æger flectere dorſum potuit, ſed extenſum ſervare coactus fuit. CADAVERE diſſecto, non major a facie interna circa alliſam partem læſio inventa eſt, quam ab externa conſpiceretur. Num forte læſio erat ad Medullam, nervoſve in vertebrarum interioribus, quæ rimari permiſſum non fuit? Cæterum Pulmonum ſuperior pars a dextris quidem inflammata: a ſiniſtris vero nonnihil dura comperta eſt, pulmone dextero valide ad pleuram adhærente, ſiniſtro autem ſoluto.

29. Tot interjeci Obſervationes, ad decubitum, ſitumque corporis ſpectantes, ut ferme te oblitum earum putem, quas promiſeram (r) ad ſerum pertinentes, in peripneumonicorum thorace, & pericardio collectum. Prima harum ſimul ad illud, ſimul ad decubitum attinebit, & præterea oſtendet, quatenus pulmonis inflammatio aliquando jecinoris inflammationem mentiatur.

30. CLERICUS, qui modo vigeſimum tertium inierat annum, jam ante triennium acuta febre cum parotidum eruptione laboraverat: a qua liber factus, in duplicem Tertianam inciderat, quæ poſtquam diu vexaverat, receſſit quidem, ſed pallidum faciei colorem, maciemque etiam quadantenus reliquit, præterea gravem aliquando reſpirationem, & nocturnum ſomnum interdum turbatum, urinas autem fere ſemper rubras. Ad hæc tandem acuta febris acceſſit, cui poſtridie ſe comitem addidit dolor, qui tangendo augebatur, infra ipſas coſtas nothas a dextris, infraque Enſiformem cartilaginem. Primis diebus vomitus fuit, & diarrhœa, tuſſis quoque nonnihil humida, ſed perpaucos poſt dies ſicca atque irrita. Difficilis erat utrum liberet in latus decubitus, ut non niſi ſupinus jacere poſſet: vehementis autem ægro quidem caloris ſenſus ad dorſum, renem verſus dexterum: pulſus celer, frequens, debilis, inæqualis, intermittens. Multum erat Valſalva incertus animi, quam eſſe morbi ſedem cenſeret. Attamen cum æger nullum in thorace doloris ſignum patefaceret, ſed propriis manibus ibi ſemper ubi dictum eſt, videlicet in regione hepatis, dolorem ſuum indicaret; tandem eſſe credidit hepatis inflammationem. Interea morbo in dies ingraveſcente, magiſque ſemper aucta ſpirandi difficultate, pulſuſque debilitate, ſeptimo exacto die mors acceſſit. CADAVERIS ſectio, *mei judicii*, inquit Valſalva, digna ipſo ingenuitate, *detexit errorem*. Nam in Ventre ſana omnia erant viſcera, ſi lienem excipias quadruplo majorem, quam par fuiſſet.

In Thoracis autem ſiniſtro cavo ſerum limpidum ſtagnabat ad duas, eoque amplius, libras: dexterum ſero plenum erat craſſiori, cujus partes aliquæ concreverant, ut corpora quaſi membranacea, in eo innatantia, mentirentur. Erant pulmones a pleura quidem ſoluti; ſed dexter, quamvis mole non adeo aucta, totus tamen ab inflammatione valde induruerat. Pericardium magis quam ſoleat, amplum, ſero quo repletum erat, ſic dilatante. Dexter cordis ventriculus præter mediocrem polypoſam concretionem, ſanguine coagulato plenus, a quo proxima auricula valde turgebat. Ejuſmodi ſanguis, ſed minori copia, in ſiniſtro quoque fuit ventriculo.

31. Quod Valſalvæ ipſi accidit, tanto facilius pleriſque aliis potuiſſet accidere, ut hepatis inflammationem eſſe, crederent, quæ erat pulmonis, ſicuti viciſſim pluribus accidiſſe, novimus, ut quæ erat hepatis, pulmonis, aut pleuræ eſſe, exiſtimarent, cujuſmodi exempla habes hic in Sepulchreto Obſervatione XXXVI. quam potiſſimum indico, ut videas, quæ ſigna in ea, tanquam hepatis peculiaria, enumerantur, magna tamen ex parte in propoſito quoque Clerico non defuiſſe. Adeo in Medicina facile eſt per ea ipſa interdum decipi, quæ facere videntur ad vitandas deceptiones! Accedebant in Clerico quæ a prægreſſis morbis relicta erant: ut ſiquis conjuncta ſpectaret cum iis quæ noviſſime ingruerant, multo facilius poſſet falli. Quin etiam alia quæ ad deſignandam jecinoris inflammationem fortaſſe requiras, aut ne ipſa quidem defuerunt; quanquam a Valſalva forte in eo rerum numero ſunt omiſſa: aut ſi defuerunt, fuiſſe tamen poterant iis dumtaxat poſitis vitiis quæ in cadavere deprehenſa ſunt: aut denique ſi hoc non facile concedis; concedas certe neceſſe eſt, pleraque hic ſigna fuiſſe hepatis inflammati; rarum autem eſſe, ut in medicina facienda unius cujuslibet morbi ſigna univerſa concurrere videamus. Quo magis cautos eſſe decet Medicos in ea parte quæ merito ab Hippocrate (ſ) *difficilis* pronunciata eſt, judicio videlicet, præſertim vero ubi in eadem regione corporis quæ affecta eſt, plura ſubſunt, velut hic. Nam pone jecur dexter pulmo ſuberat inflammatus, unde etiam caloris ſenſus ad dorſum, renem verſus lateris ejuſdem: & quanquam is pulmo non erat adeo aucta mole, erat auctus tamen, & ſerum præterea craſſius, quo thoracis cavea dextera opplebatur, ſeptum Tranſverſum deorſum, & antrorſum urgendo, hepar urgebat, & hoc viciſſim a coſtis ſpuriis, earumve cartilaginibus, & abdominis muſculis, præſertim inter reſpirandum, multoque etiam magis, ſi admoveres manum, repreſſum, inflammatum pulmonem comprimebat, moleſtumque efficiebat ſenſum. Huc adde quadruplo majorem lienis molem, quæ facile jecur a latere magis in arctum compellebat. Unde etiam repetes difficilem in dexterum latus decubitum; in ſiniſtrum enim eſſe debuiſſe, intelligis, a pulmone oppoſiti lateris gravi, & a tanta indidem ſeri copia, mediaſtinum in ſiniſtram thoracis caveam urgentibus, ſicque alteri, quo uno æger ſpirabat, pulmoni tanto magis officientibus, quanto is pulmo magis impeditus jam ex parte erat ſive ob ſerum in ſuam quoque caveam effuſum, ſive ob adjacentem proximo ſibi diaphragmati lienis molem. Hæc autem a tempore uſque prægreſſarum febrium diuturnarum non ſecus in hoc Clerico videtur fuiſſe, quam in illo Rhedario fuit de quo dictum initio eſt (t). Num vero & priuſquam febris hæc inflammatoria accederet, ſerum in Clerici thorace collectum fuerit, ſuſpicionem haud levem ea faciunt ſigna, quæ præceſſiſſe, narravimus. Quæ ſuſpicio cum in duabus quoque hiſtoriis, quas continuo ſubjiciemus, oriatur; poſt eas malumus quid in ſingulis de hoc ſentiamus, adjicere.

32. VIRGO annorum ſexdecim, cui menſtruæ purgationes ab octo jam menſibus ſuppreſſæ erant, cachectica, catarrhalem materiam exſpuens, nonnullam patiens in motu difficultatem reſpirationis, queri ſolita de quodam ardore, atque irritatione in ſiniſtra thoracis parte, repente orthopnœa laborioſa corripitur, ut nullo modo poſſit decumbere, ſputo ſanguineo-catarrhali, ſenſu ponderis opprimentis in eadem illa ſiniſtra thoracis parte, pulſu duro, extremorum frigore, & denique morte quarto ab initio orthopnœæ die. IN THORACIS utroque cavo aqua invenitur limpida, quæ ſepoſita, non aliter ac ſanguis mora concretam rubram partem a feroſa ſeparatam oſtendit, concretam in ſui medio ſubſtantiam, *gelatinæ* inſtar, ſecretam ab reliquo ſero exhibuit. Hoc quoque igni impoſitum, eodem modo quo ſanguinis ſerum, concrevit. Cæterum totus ſiniſter pulmo valde erat durus. In dextero cordis ventriculo prægrandis polypoſa concretio; in ſiniſtro altera, ſed minor. In Ventre autem animadverſa eſt fellis veſicula craſſioribus factis tunicis, exigua, & nullum vel leve bilis veſtigium ſervans.

33. SENEM annos natum quatuor & ſeptuaginta dextri lateris dolor prehendit, gravando potius, quam alia ratione, permoleſtus, moleſtior autem, ſi in oppoſitum latus cubet; itaque in dexterum dumtaxat jacet. Dolorem comitantur importuna tuſſis, cruentum ſputum, dolor capitis, vigilia, in primis autem vehemens febris cum pulſu duro, & frequenti, ſed non valde turgido. Die tertio moritur. THORAX dum aperitur, e dextero ejus cavo erumpit ſerum, quo illud totum opplebatur; num vi brevis adeo

(r) n. 21. (ſ) S. 1. Aph. 1. (t) n. 2.

adeo morbi ſecreto? an prius coacervato? Qui in eo cavo erat pulmo, ater, & phlogoſi affectus, durus præterea, & valde compactus, membrana autem extima facillime ſeparabili; per membranulas, ſcapulas verſus, pleuræ adhærebat. Pulmo ſiniſter vix labem conceperat. In cordis ventriculo dextero mediocris polypoſa concretio, majori ex parte ad auriculam pertinens; gracilior altera in ſiniſtro: illa in venam Cavam, & Pulmonarem arteriam; hæc in Pulmonarem venam ad brevem, in arteriam Magnam ad longum tractum producta: ambæ concreto ſanguine ſtipabantur.

34. Quod in hoc Sene Valſalva dubitabat, an ſerum ante pulmonis inflammationem effuſum jam eſſet in thorace, facilius id eſſet creditu, ſi ejus effuſionis indicium aliquod præceſſiſſet, velut in Virgine, & Clerico non unum prægreſſum animadvertimus. Cachectici prius erant uterque, & illa quidem uſque adeo, ut cyſtis nullum bilis veſtigium ſervaret; unde aliquis poſſet cui forte illa Drakii (*u*) improbabilis alioquin ſententia placeret de felle menſtruorum cauſa, argumentum ducere, hac diuturna ſuppreſſione eorum ſpectata, ad eandem ſententiam quadantenus confirmandam. Clericus vero urinas rubras, nocturnum autem ſomnum habebat turbatum. Denique; ut cætera omittam; neutrius fuerat prorſus integra reſpiratio. Quod etſi in cachexia eſſe ſolet; tamen & ſanguis in ea ſolet plurimo ſero abundare, & hoc facile hic illic deponere. Itaque ſi in his duobus exiſtimes, ſeri partem in thorace antea ſtagnaſſe, quam morbus noviſſimus reliquam adderet; facile aſſentiar. Nec in Sene tamen idem pertinaciter negabo, cum prægreſſa potuerint ob id quoque Valſalvæ eſſe incognita, quod decrepiti ſua pleraque incommoda ætati potius quam morbo, adſcribere ſoleant, eoque negligere: mirum autem videatur, tantam aquæ copiam tridui ſpatio in thorace acervari omnem potuiſſe.

Cæterum cave credas quod in tribus hiſce non diffiteor, in reliquis peripneumonicis quibus in thorace ſerum ſit effuſum, locum habere. Nam & Coiterus, ut alias (*x*) ad te ſcripſi, inter morbos *quos pectoris hydrops comitatur*, eſſe, animadvertit, *peripneumonias*, & in noſtris quoque, & Valſalvæ Obſervationibus tot reperies, in quibus uterque morbus conjunctus eſt, ut veri ſimile non ſit, eos omnes antea thoracis, & pericardii hydrope (nam hic quoque ſæpe adjungitur) laboraſſe. Quin pleroſque eorum, cum pulmonis inflammatione correpti ſunt, ſaniſſimos fuiſſe, conſtat: ut cum egregio aliquis habitu a labore calens, aeri ſe præfrigido expoſuit. Quod ſi huic inde & ſanguinis per pulmonum vaſcula circumitio retardetur, & humoris ex intima Aſperæ arteriæ, extimaque totius corporis ſuperficie inviſibiles quidem, ſed innumeræ jugiter prodeuntes particulæ cohibeantur; hæ per alia aliarum membranarum foraminula exitum molientur, earumque præſertim, quæ magis tunc calentes, magis quoque patulos habebunt poros, hoc eſt thoracem intus, ejuſque viſcera conveſtientium: iſque erit exitus tanto facilior, quanto difficilior ſanguinis per pulmones tranſitus, & moræ propior, quantoque crebriores, & validiores ad hunc expediendum thoracis conatus ſive reſpirando, ſive tuſſiendo. Sic enim ſimul ex membranarum poris uberius humor exprimetur: qui cum ſemel laxati fuerint, & dilatati, vel per ſe pergent exitum ſero faciliorem præbere. Hæc autem omnia in iis magis fient, quorum tum eæ membranæ magis erunt ad id paratæ atque diſpoſitæ, tum ſanguis magis fœtus aqueis corpuſculis. Quod ſi utrumque horum, & eorum quæ modo dicta ſunt aliqua contra ſe habebunt; tunc aut levior, aut nulla ſeri in thoracem, & pericardium erit effuſio. Nam vel in hactenus propoſitis Obſervationibus, ut partim ſunt in quibus aqua in thorace, & pericardio inventa deſcribitur, ſic partim ſunt in in quibus non memoratur, aliqua etiam in qua (*y*) diſerte adnotatur, nihil aquæ in pericardio fuiſſe.

Verum hic duos in quibus plurima fuit, Juvenes proponemus, quorum hiſtorias nos tibi alias (*z*) pollicitos eſſe, meminimus.

35. JUVENIS annorum propemodum viginti quatuor pungente corripitur dolore in læva thoracis parte, difficile reſpirat, multum ſitit, tuſſit; ſed nihil exſpuit. In affectam dumtaxat partem decumbit, demiſſoque capite minus incommode agit. Tandem in dies graviore facta reſpirationis difficultate, decimo ſexto die moritur. PULMO ſiniſter undique nectebatur valide cum proximis partibus, eratque inflammatus; quin circa claviculam jam ſuppuratus. Pericardium ingenti erat humoris copia dilatatum; ut hic merito ejus hydrops vocari poſſet. Parietibus erat valde craſſis, hiſque interius, ut cordi exterius, concretiones quædam albidæ ſubſtantiæ nonnullis in locis adhærebant. Cor quoque mole auctum erat: quod dum ſecaretur, fluidus ex ejus ventriculis ſanguis emanavit. In iiſdem tamen inerant & polypoſæ concretiones, major in dextero, minor in ſiniſtro.

36. ALTER, qui duobus circiter annis minor erat illo de quo modo dictum eſt, primum de dolore in ventre conqueſtus, hoc deſinente, dolore corripitur in thorace cum difficili reſpiratione, tuſſi, & ſiti moleſta. Pronus aſſidue cubat ſic tamen ut in dexterum vergat latus: caput autem ſubmiſſum tenet, ut plerique eorum ſolent quibus pericardium ingenti aquæ copia turget. Denique ingraveſcentibus ſymptomatibus, circa diem obiit eundem quo prior, decimum ſextum. IN THORACIS ſiniſtra cavea limpida ſtagnabat aqua, in qua ſanus, & ſolutus undique erat pulmo. Induratus vero, proximiſque partibus, & præſertim verſus ſcapulam valide annexus, qui in dextera: ubi humor erat vaccini ſeri ſimilis, in eoque concretiones quædam, referentes albumen in calida denſatum. In pericardio omnino ſimilis humor, ſimilibuſque cum concretionibus, interiori ejus faciei, cordis autem exteriori annexis ea copia inerat, ut pericardium hinc diſtentum, ingens occuparet thoracis ſpatium. Cordis ventriculi concretiones polypoſas dexter majorem, ſiniſter minorem continebant.

37. Quæ ad pericardii hydropem attinent, alibi (*a*) ex duabus hiſce Obſervationibus excerpſi, ac perpendi. De concretionibus autem interius illi, & cordi exterius adhærentibus, aut in effuſo in thoracem ſero innatantibus, duratumque albumen referentibus, non ſecus habendum eſt, ac de cæteris quæ aut in *gelatinæ*, aut in membranarum modum alias innatant, aut inſtar reticularis corporis, aut tunicæ alicujus, memoratarum partium ſuperficiei, ſæpe etiam pulmonum, & pleuræ impoſitæ reperiuntur, quemadmodum in hac Epiſtola (*b*), in aliiſque (*c*) deſcripſimus, & deſcribemus. Scilicet quod ego alibi, Valſalva autem etiam ſupra (*d*) diſerte dixit, ex concreta fiunt portione effuſi ſeri. Namque ut membranarum pori magis, aut minus ob eas cauſas quæ paulo ante (*e*) indicatæ ſunt, dilatantur, ita cum ſero plures, paucioreſve, craſſiores, aut tenuiores, quæ concreſcere poſſint, particulæ effunduntur, eoque varias iſtas concretiones tunc præſertim, ut opinor, efficiunt, cum languidior factus cordis, & pulmonum, & caloris ipſius motus, & denique poſt mortem omnino ceſſans, ſerum jam minus, aut nihil agitat, eaſque inter ſe implicari, aut etiam deponi particulas ſinit. Atque hæc ſcripſeram, cum forte incidi in Opuſculum Viri Docti, qui circa ejuſmodi concretiones plura experiens, ejuſdem ac Valſalva, & ego, naturæ exiſtimat; ſed in explicatione ut quædam habet in quibus convenimus, ſic & alia viciſſim in quibus diſcrepamus: cujuſmodi tamen de rebus ego quidem libenter non ſoleo diſputare. Illud potius dicam, nihil crebrius contra atque ipſe videtur credere, quam iſtiuſmodi concretiones occurrere, cum ſerum in thorace, aut pericardio multum depre-

(*u*) Anthropol. book 1. ch. 23. (*x*) Epiſt. 16. n. 33. (*y*) ſupra, n. 24. (*z*) Epiſt. 16. n. 45.
(*a*) Ibid. (*b*) n. 32. 30. 20. (*c*) Epiſt. 16. n. 17. 30. 38. & Epiſt. ſeq. & aliis. (*d*) n. 30.
(*e*) n. 34.

deprehendimus, quemadmodum hæc, aliæque noſtræ oſtendunt Epiſtolæ, præſertim cum pulmo *valde durus eſt .... æquabiliter, & ſolito major, & plus ponderans*, hoc eſt, ut nos intelligimus, inflammatus. Sed & præter noſtras obſervationes, aliæ, nec paucæ, aliorum ſunt vel in IV. hac; ne longius abeamus; Sepulchreti Sectione, ut Panaroli (*f*), qui cor totum albidum, & *tomentoſum* ob materiam, *tunicæ* ipſius adhærentem, propoſuit, ut Harderi (*g*), qui pericardium *intus hiſpidum, & velut holoſerico obductum* deſcripſit, cor autem *lympha craſſa circumdatum*, quæ *corticis in modum illud ambientis detrahi* potuit, atque ut una plures obſervationes complectar, ut Guarinonii (*h*), qui *vidiſſe* ſe, affirmat, *pleroſque lateris dolore & peripneumonia oppreſſos & extinctos*, in *quibus* vitioſa materia *cordi loricam albam efficeret*, ſive *cor quaſi lanugine, aut calce cooperiret* (*i*), ut ſupra (*k*) dixerat, ubi etiam teſtatur, in illiuſmodi cadaveribus non modo ſe *cavitatem thoracis ſæpiſſime aquoſi, albi tamen, humoris plenam conſpexiſſe*, ſed & *pulmones plenos, & duros*, quemadmodum antea (*l*) indicatum eſt, *& ſua membrana craſſiſſima facta deterſos, ac ſi eryſipelate fuiſſent affecti*. Videor autem hic mihi, ſecundum multiplices obſervationes meas quæ ſæpius, & quæ rarius occurrant, ſpectando, poſſe facilius credere, craſſiorem concretionem membraniformem, pulmonibus impoſitam, a Guarinonio fuiſſe conſpectam: nec ſine omni ſuſpicione ſum, concretionem fortaſſe ejuſdemmodi, ſed tenuiorem, fuiſſe, quæ ſupra (*m*) a Valſalva dicta eſt membrana extima a duro Senis pulmone facillime ſeparabilis.

38. Sed tu magis fortaſſe aves ſcire, cur in quibuſdam ex poſtremo allatis peripneumoniæ hiſtoriis nonnulla pleuritidis indicia fuerint, ut in priore Juvene pungens dolor, in Sene autem de quo ante ipſum proxime ſcriptum eſt, pulſus durus? Primum igitur, quod ad pungentem dolorem attinet, ſic habeto, qui inter Recentiores docte atque ingenioſe pro vetere pleuritidis ſede ſteterunt, vel ipſos non unum modum ultro agnoſcere, & proferre, quo, ſolis pulmonibus inflammatis, moleſtus dolor, atque etiam acutus percipi queat: eoſdemque minime diffiteri, pleuritidem, abſolute loquendo, abſque hoc dolore acuto punctorio, vel ſalrem levi tantum comitatam eſſe poſſe: quorum omnium fac memineris; vera enim ſunt, & cum Valſalvæ, noſtriſque Obſervationibus (*n*) videbis eſſe congruentia. Quæ ſicuti inter relegendum has Epiſtolas libenter cognovimus, ita etiam libenter vidimus, qua ratione alii Præſtantiſſimi Viri non dubitent, quin pulſus in peripneumonia modo eſſe poſſint duri, modo autem molles. Quamvis enim pulmonum arteriæ, ſi Bronchiales excipias, non ſint, ut cæteræ omnes, & in his Intercoſtales, cum Aorta continuatæ, ut cum hac tota ſuas poſſint communicare irritationes; tamen irritata pulmonum vaſa ea vehementia ſanguinem urgere in ſiniſtrum cordis ventriculum, ut hic irritatus ſanguinem vehementer in Aortam compellat, ſicque ipſam irritet, donec ob auctam inflammationem pulmonum compreſſa, & impedita horum vaſa minus vehementer, minorique copia ſanguinem in eum ventriculum, & hic in Aortam impellat, ſicque hac minus, minuſque irritata, minus duri pulſus atque adeo molles fiant. Quæ omnia tum de pungente dolore, tum de pulſus duritie in peripneumonia hic tibi volui commemorare, ut quæ ex his licet, addere poſſis ad illa per quæ utrumque in Matrona, cujus caſum multo ſuperius (*o*) deſcripſi, tibi explicare conatus ſum, itemque ad ea per quæ in propoſitis Sene, & Juvene ſingula etiam aliter nunc explicabo. Durities enim pulſus in Sene annos jam nato ſeptuaginta quatuor magis fortaſſe ætati qua rigent omnia, quam morbo, videri poteſt adſcribenda. In Juvene autem pungentem illum dolorem ſi ad validam inflammati pulmonis cum pleura connexionem retulero; nonne ita rem potero declarare, ut pleuram, quamvis haud inflammatam, diſtrahi intelligas, quoties diſtentus jam, ſed non omnino, ab inflammatione pulmo, inſpirato aere magis diſtenditur, & hoc ipſo omnia ſuperficiei ſuæ puncta aliud ab alio dimovere, & quod conſequitur, annexam pleuram quaſi divellere conatur. Sic ferme expoſitum videbis in Sepulchreto (*p*) caſum hujus noſtri ſimilem. Num ergo, inquis, pungens dolor eos omnes afficit quorum inflammatus pulmo ad pleuram adhæret? Non utique omnes, quod plures vel in hac Epiſtola Obſervationes oſtendunt; nam ut in earum aliqua pungentem ſcribere dolorem Valſalva forte oblitus ſit; in tot reliquis oblitum eſſe, non eſt credibile. Quid ergo eſt? Aliis fortaſſe minus arcta pleuræ, & pulmonis connexio; aliis pulmo ſuperficiem verſus adeo inflammatione impeditus, ac durus, ut ibi ab inſpirato aere diſtendi non poſſit; aliis denique eſſe alia cauſa potuit, cur vel ea poſita connexione, dolor tamen pungens non fuerit. Nam quare hic ſit, aut non ſit, aliquando cauſa in propatulo eſt; aliquando, ut verum fatear, non ita facile occurrit. Utrumque ex proximis intelligere poteris Obſervationibus.

39. VIR annorum circiter ſex & ſexaginta, cum diu catarrhalem exſpuiſſet materiam, denique ex frigidi aeris injuriis corripitur dolore pungente ſiniſtri lateris, plurimum tuſſit, febricitat. Cum a doloris uſque principio ingentem ſemper expectoraſſet materiæ copiam craſſæ, flavæ, lineiſque ſanguineis paucis diſtinctæ, tandem ſputo ſuppreſſo interit ſeptimo die. IN THORACIS ſiniſtro cavo aqua erat ſimilis ſeri vaccini; pulmo autem prædurus, ad mediaſtinum, & pleuram, coſtas ſuccingentem, valide adhærebat. Eodemque pacto pulmo dexter mediaſtino, & pleuræ qua diaphragma, & præſertim qua anterius ſummas coſtas conveſtit, alligabatur. Ad hunc ultimum locum latebat in pulmone ulcus cancroſum, ſedes fortaſſe morbi inveterati. Minor in ſiniſtro cordis ventriculo fuit polypoſa concretio; in dextero autem multo major, cui concreti ſanguinis copia adhærebat. In Ventre animadverſus eſt lienis color ad rubrum inclinans.

40. Si de ſede antiqui morbi, Valſalvæ conjecturam merito probas; intelligis ſane, quid catarrhalis materiæ nomine ægris interdum, utinam ne & Medicis quibuſdam, imponat. Sed hoc in tranſitu. Hic illud potiſſimum attendas velim, quo in latere pungens erat dolor, in eo quoque inflammatum pulmonem valide ad pleuram adhæſiſſe; inflammatum, inquam; tametſi Valſalva eam quæ in ejuſmodi morbo non prorſus defuiſſe, intelligitur, ſpirandi difficultatem, non ſecus ac in ſequenti, in aliiſque Obſervationibus febrem omiſit, cum titulum iis, ut huic quoque, adſcripſiſſet illam *De Pulmonia*.

41. MULIEREM annos natam ſexaginta prehendit pungens dolor in dextera thoracis parte, ut in hanc cubare nullo pacto poſſit. Tuſſi vexatur; pauca exſpuit: difficile quidem, ſed non difficillime, reſpirat: viribus eſt omnino proſtratis. Remittit poſtea dolor, ut ſine ullo labore decumbere jam poſſit in latus dexterum. Sed interea magis in dies deficiente pulſu, ægra quoque deficit. THORACE aperto, uterque pulmo adhærens pleuræ invenitur; ſed dexter arctius. Hic totus, & ſuperiore præſertim parte induruerat: in qua abſceſſus erat, quo inciſo, multum ſeri effluxit fuſci coloris. Hoc ipſo colore proxima quoque pulmonis ſubſtantia infecta erat, & ſphacelo quodammodo correpta. Siniſter pulmo, non ut dexter ex uno, ſed pluribus ex lobis conſtans, qua dorſum ſpectabat, leviter inflammatus, totaque extima ſuperficie reliqua nigris hic illic maculis erat diſtinctus. In pericardio multa aqua.

(*f*) Obſ. 20. §. 7. (*g*) In Additam. Obſ. 11. (*h*) Ibid. Obſ. 2. §. 2. (*i*) Vid. Epiſt. 45. n. 16.
(*k*) Obſ. modo cit. §. 1. (*l*) n. 21. (*m*) n. 33. (*n*) Vid. hiſtor. ſeqq. & Epiſt. 21. n. 17. & hiſtor. ſeqq.
(*o*) n. 9. & 10. (*p*) Sect. hac 4. in Schol. ad §. 10. Obſ. 20.

aqua. In cordis utroque ventriculo magnæ polypoſæ concretiones; ſed longe major in dextero. Ventre quoque diſſecto, intra extimam lienis partem corpus quoddam inventum eſt oſſeum, figura omnino ſphærica. Cæterum in hujus mulieris vaſis ſanguis pene totus concretus fuit.

42. Oſſe in liene, & majori in ſiniſtro contra atque inveniri ſolet, quam in dextero pulmone, loborum numero hic omiſſis, tanquam alio pertinentibus; niſi forte ob inflammationem tres dexteri pulmonis lobi in unum coaluiſſe videbantur; præclare intelligis, cum illa in ſphacelum cœpit degenerare, eam doloris remiſſionem ſecutam, quæ interdum Medicis quibuſdam, cætera non attendentibus, turpiter impoſuit, ut in Sectione hac Sepulchreti (*q*) etiam vides. Sed priuſquam ad ſphacelum fibræ quadantenus laxarentur, inflammatus is qui pleuræ arctius adhæſerat, pulmo, ipſam adeo divellebat, ut propter doloris vim non poſſet mulier id latus cubando premere, quod cæteri, cum doloris vehementia non tanta eſt, premere plerumque ſolent peripneumonici, iique præſertim quibus pariter ad pleuram annexus eſt pulmo. Quin etiam illi qui vetuſtis, recentibuſque temporibus pleuræ inflammationem ſine pulmonis inflammatione ſæpiſſime accidere, non dubitabant, pleuriticis *decubitum in latus inflammatum facilem eſſe*, docuerunt; *in ſua enim ipſius ſede* (pleuram) *collocari: in oppoſitam vero partem decubitum dolorem concitare*; *a pondere enim, & phlegmone, & ſuſpenſione in omnes membranæ* (pleuræ) *continuas partes .... dolorem protendi*. Quæ verba, & explicatio ſunt Aretæi (*r*). Ad quam hæc etiam alia addita fuit explicatio, quod ſicuti certum eſt, compreſſum in cubando latus, multo minus inter reſpirandum agitari, quam oppoſitum, quippe liberum; ſic minus agitari, extendive pleuram, apparet, quæ compreſſo, quam quæ libero adhæret lateri. Quas explicationes quatenus ad pleuram transferre liceat, ad quam inflammatus pulmo annexus ſit, vides. Sed interdum tamen illi iidem aliter accidere circa decubitum, animadverterunt; ut patet apud Cælium Aurelianum (*ſ*), ubi alia inſuper proponitur explicatio. Quam tamen ſi conſideres; iis convenire, intelliges qui facilius in latus affectum cubant, non *quibuſdam* illis, qui *ſupra patiens latus jacere prohibentur*; ut vel hinc appareat, hos rarius, primos autem creberrime occurrere. Neque enim obſtare debent quæ antea (*t*) apud Cælium leguntur: *ſequitur etiam ægros ſupra id latus jacendi difficultas, atque cum ſe ſupra contrarium latus verterint, dolor*. Nam etſi *id latus* nequeo cum aliis intelligere quod ſanum eſt, tum quia Cælius ſanum latus non memoraverat, ſed ægrum, tum etiam quia ſic *contrarium*, quod continuo memorat, *latus*, ægrum deberem contra frequentiſſimam obſervationem intelligere; tamen aut in mendoſiſſimis alioquin codicibus ibi vitium ſuſpicor, ut puta ſi ultima *jacendi* ſyllaba, ab oſcitantibus librariis repetita, pro *facilitas*, aut *facultas* orta eſſet vox *difficultas*: aut ſi *difficultas* legendum eſt; ſic accipio, ut moleſtiam quidem a decubitu vel in ægrum latus intelligam, nullo tamen modo cum eo dolore comparandam, quem facit decubitus in contrarium latus. Sic etiam in propoſita muliere Valſalvam quidem indicaſſe impotentiam video cubandi in latus affectum; ſed non propterea crediderim, non multo majorem fuiſſe cruciatum, ſi mulier in ſanum latus jacere conaretur; neque enim id negat: aut ſi non fuit; redire ad id cogor quod ſupra (*u*) faſſus ſum ultro, difficilis decubitus cauſas non ſemper in propatulo eſſe; ut ſi, exempli cauſa, non modo pleura, ſed & perioſteum, coſtas undique ſuccingens, ob arctiſſimum in hac muliere pulmonis nexum, & pulmonis, tum inflammatione, tum abſceſſu diſtenti, ita fuiſſet diſtractum, ut premi incumbentis corporis pondere ſine eximio dolore non potuiſſet. Utcumque id eſt, etſi Albertinum memini dicere, in peripneumonia decubitum modo in affectum, modo in oppoſitum latus eſſe faciliorem; tamen & Valſalvam memini, cum id fateretur, ſic diſtinxiſſe, ut illud in plurimis, hoc vero in nonnullis dumtaxat, ſibi animadverſum aſſeveraret, id quod Obſervationes quas ſcriptas reliquit, inter ſe collatæ, ſatis confirmant.

43. VIRGO annos nata viginti duos fixo dextri lateris pungente dolore cum tuſſi, ſputo, difficili reſpiratione, & febre corripitur. In nullam partem cubare, niſi in dexterum latus poteſt. Progrediente morbo, ſputum ſanguine tingitur, qui uno die non paucus prodit. Aliquot ante mortem dies doloribus ad ilia vexatur. Nono autem, convulſivis accedentibus motibus, in ſiniſtrum decumbens latus, e vivis excedit. IN VENTRIS cavo ſerum animadverſum eſt, lien prægrandis, & Tenuium inteſtinorum pars major inflammata. Thorace diſſecto, pulmo dexter pleuræ arcte adhærens inventus eſt, totaque ejus ſubſtantia inflammatione magna affecta, & ulcere inſuper qua pleuram ſpectabat certo in loco, inter quod ulcus, & pleuram ſeroſa erat materia. Pulmo autem ſiniſter, præterquam ad atrum vergebat colorem, nigris quoque hic illic maculis diſtinguebatur. In ſiniſtro pariter thoracis cavo aliquot erant ſeri unciæ. In corde concretiones duæ polypoſæ; quarum minor in ſiniſtro latebat ventriculo; major totam auriculæ dexteræ, multum dilatatæ, caveam implebat.

44. In quibus ſanguis eſt ad faciendas inflammationes idoneus, haud raro accidit, ut plures Partes aut ſimul, aut una poſt aliam inflammentur, thoracis præſertim, & ventris. Cujus rei præter Virginis hujus exemplum vel in his Litteris alia videntur ſubindicari; nam in Viro de quo paulo ante (*x*) dictum eſt, lienis color ad rubrum inclinabat ſub inflammato pulmone: in Juvene autem (*y*) priuſquam pulmo inflammaretur, dolor in ventre quid alicui hujus viſceri mali immineret, ſignificaverat. Cæterum huic Virgini pungens dolor mitior videtur fuiſſe, quam Mulieri cujus noviſſime (*z*) expoſui hiſtoriam. Virgo enim, quod Mulier non poterat, in affectum cubabat latus; quanquam & in alterum tandem jacuit poſtquam ſeroſa ulceris materia laxavit pleuræ fibras, ut diſtractionem facilius ferret ab appenſo pulmone. Ab hujus igitur, & pleuræ nexu cauſam pungentis doloris ea ratione quæ ſupra (*a*) indicata eſt, repetere licuit in his quidem tribus Obſervationibus. In totidem vero quæ ſequuntur, indidem repetere, niſi forte per conjecturam non licebit.

45. VIRUM quinquagenarium poſtridie Kal. Martii prehendunt acuta febris, loborioſa reſpiratio, dolor a ſterno uſque ad medios ferme abdominis muſculos, tuſſis permoleſta, quippe magnum dolorem faciens ad mamillam ſiniſtram, & coſtas nothas. In neutrum poteſt latus decumbere: non exſpuit: quincto morbi die moritur. IN STERNI exſectione paucum ſerum fuſcum e ſiniſtro thoracis cavo emanavit. Qui in eodem cavo erat pulmo valde induruerat, ad ſubviridem colorem vergens, nigriſque diſtinctus maculis: cum ſecaretur, ſeroſa, ac putrida colluvies cum miſto ſanguine erumpebat. In cordis ventriculis polypoſæ concretiones.

46. Hoc in caſu liquet utique, in quem exitioſum morbum pulmonis inflammatio degeneraſſet. Verum non liquet, cur decubitus neutrum in latus ferri poſſet, neque cur dolor a ſterno ad medios ferme abdominis muſculos pertineret; niſi forte permoleſtam, irritamque tuſſim accuſes, a qua magnus certe ille dolor ad mamillam ſiniſtram, & coſtas ſpurias fieri credebatur. Qui, ſi ut videtur,

(*q*) Obſ. 22. (*r*) Morb. Acut. l. 1. c. 10. (*ſ*) Acut. Morb. l. 2 c. 16. n. 98. edit. Almelov. (*t*) l. eod. c. 14. n. 91. (*u*) n. 23. (*x*) n. 39. (*y*) n. 36. (*z*) n. 41. 42. (*a*) n. 38.

tur, ac ſolet, pungens erat; ſatis ejus cauſa non intelligitur, niſi conjicias omiſſam forte a Valſalva inflammati pulmonis ad hæc loca adhæſionem: qua poſita, facilius appareat, quomodo in exſectione ſterni, cum thoracis neutra cavea ſero eſſet plena, prodire illud paucum, fuſcumque ſerum potuerit e ſiniſtra quidem thoracis parte, ſcilicet ob laceratam ſuperficiem annexi, & putrida, ſeroſaque colluvie redundantis pulmonis. Sed hæc ex conjectura dumtaxat. Quod ſi cum iſta peripneumonia conjunctam pleuræ inflammationem legeremus; pleraque intelligere facilius liceret, quæ ſane in pleuriticis quibuſdam contingunt, & a Cælio quoque Aureliano (*b*) adnotantur, ut dolor ad *pectus*, *atque ilium*, & *jacendi negata*, *atque diſplicens omnis poſitio*.

47. JUVENIS annorum circiter viginti ſex pungente corripitur dolore in dextera thoracis parte, cum febre, & tuſſi. Parum exſpuit. Circa octavum diem accedit delirium, noctu præſertim. Dolor abit; ſed reſpirationis difficultas ſemper gravior fit. Facilis eſt decubitus in utrumlibet latus. Die tandem decimo obit. PULMONES ambo induruerant toti: ambo dorſum verſus ad pleuram erant alligati; ſiniſter etiam a latere. Præterea cum ſubſtantia quædam alba, quaſi membranacea, univerſæ pleuræ, & pulmonibus impoſita eſſet, quaſi reticularis inſtar cujuſdam corporis laxi, & mollis; per hanc tamen nonnullis in locis pleura, & pulmones inter ſe erant firmiter colligata. In utroque thoracis cavo, ſed magis in dextero, multus erat humor colore ſimilis ſeri vaccini: qui tametſi, ſepoſitus nullam, ut alias quoque animadverſum fuerat, ſeparationem oſtendit; igni tamen impoſitus, ſanguinei inſtar ſeri concrevit. Pericardium ſero turgebat. Concretiones polypoſæ, in dextero cordis ventriculo major, in ſiniſtro minor.

48. Cum inſpectum non fuerit cerebrum; ſcire haud licet, an ibi quoque ſecundum ea quæ paulo ſuperius (*c*) dicta ſunt, aliquid fuerit inflammatorii, cui delirium imputandum. Huic autem imputo quod ſine ratione dolor abierit, eoque facilis decubitus factus fuerit in utrum liberet latus. Nam *quibus cauſa doloris*, *neque ſenſus ejus eſt*, *his mentem laborare*, poſt Hippocratem (*d*), ut noſti, admonuit Celſus (*e*). Sed pungens dolor cur in dextra fuerat thoracis parte, cum pulmo quidem, non dexter, ſed ſiniſter, ad pleuram eſſet a latere alligatus? Neque enim alligatio ad dorſum ſpectanda eſt, quia nec ibi dolor, & alligatio pulmoni ibi erat utrique communis. An igitur quæ alligationes ſub molli illa, de cujus origine, & natura ſatis antea (*f*) dictum, quaſi membrana quadam latebant, eæque ſatis firmæ, hic magis a nobis attendendæ ſunt? Verum hæ nonnullis in locis, atque ut videtur, utrobique indicantur. Reliqua igitur conjectura eſt, majores illas, firmiores, & delirio priores fuiſſe quæ in cavo erant dextero, in quo etiam plus effuſi humoris inventum eſt.

49. MULIER annos nata ad ſexaginta, habitu gracili, & temperamento ſanguineo, febre prehenditur vehementi, ſicca tuſſi, & pungente ſiniſtri lateris dolore ſic tamen, ut ſi in hoc cubet, non multum doleat. A ſanguinis miſſione adeo remittitur dolor, ut jam poſſit in quamcunque partem decumbere. Febris dumtaxat, & ſitis urgent. Craſſa aliquando exſpuit. Gravior fit reſpiratio. Tandem die decimo tertio moritur. PULMO ſiniſter omnino ſolutus a pleura; quæ prorſus illæſa erat; ſubalbidus, nigris diſtinctus punctis, carne durior, nonnulla oſtendit tubercula, ſanie ſcatentia. Pulmo ſiniſter (*ſic*) ſuperius quidem pleuræ per ſe adhærebat; ſed longe minus erat vitiatus, quippe nigris tantummodo conſperſus maculis, & jugulum verſus durior, parvum abſceſſum continebat. In pericardio ſeri uncia. In cordis ventriculo dextero polypoſa concretio magna, majori tamen ſui parte auriculam implens, indeque ſe in vaſa producens, In ſiniſtro ventriculo erat altera; ſed minor.

50. Hic vero qua conjectura utemur? Ea videlicet quam manifeſtus, ſed facile condonandus, Valſalvæ, vel potius ejus calami error ſuppeditat. Cum enim ſingulos pulmones deſcribens, neutrubi dexterum, ſed utrobique ſiniſtrum nominet; liberum nobis eſt ſuſpicari, quem primo loco deſcripſit, fuiſſe dexterum; quem ſecundo, fuiſſe ſiniſtrum. Ita res facile explicabitur. Hactenus per conjecturam cauſam deducere coacti ſumus pungentis doloris a pleuræ, & pulmonis connexione. Sed hiſtoriæ quædam ſunt, in quibus præter eam connexionem, etiam inflammatio aliqua pleuræ fuit, pungens vero dolor non fuit, quem tamen plures ab hujus membranæ inflammatione repetebant. De eo genere præter aliam, quam alibi (*g*) proferam, hæ duæ ſunt quæ ſequuntur.

51. JUVENIS annos plus viginti natus, qui chronica antea febre laboraverat, acuta corripitur cum dolore pectoris, difficultate reſpirandi, tuſſi, & paucæ materiæ exſpuitione, ſanguineo colore tinctæ. Hic primis acuti morbi diebus plerumque, ultimis aſſidue in ſiniſtrum jacebat latus. Circa decimum ſextum eſt mortuus. IN VENTRE ſplen triplo major. Thoracis univerſum ſiniſtrum cavum ſuus pulmo omnino replebat; adeo hic intumuerat! durus totus, & inflammatus, pleuræ autem undique annexus: quæ levi dumtaxat ſuffuſa rubore, inflammationis inchoamentum exhibebat. Pericardium humore, ſero vaccino ſimili, non opplebatur modo; ſed valde etiam diſtendebatur, ejuſque humoris nonnulla concrementa per cordis faciem ſternebantur. In hujus ſingulis ventriculis ſingulæ inerant polypoſæ concretiones exiguæ, & flaccidæ; paulo tamen major quæ in dextero: majoreſque ab ſingulis in auriculas, & venas ferebantur productiones, quam in arterias.

52. En jam tertium in hac una Epiſtola (*h*) qui poſt diuturnam febrem lienem habuit ingentem. Alios autem alibi quoque (*i*) adjiciemus. Sic etiam lienis infarctum *poſt omnem febrem chronicam*, *præcipue quartanam*, *in Hungaria conſtanter obſervari*, leges apud Cl. Kramerum (*k*); non modo in cadaveribus quorundam, *febribus intermittentibus defunctorum ſcirrhoſos lienes* animadverſos videbis a Cl. Hoyero (*l*). Porro qui ejuſmodi lienis morbis tenentur, quanto facilius in peripneumoniam incidant, ab Doctiſſimo Fantono (*m*) indicatum eſt. Quod ut Rhedario illi (*n*), & Clerico (*o*), ita huic etiam accidit Juveni. In hoc quidem inflammati pulmonis connexionem cum pleura fuiſſe, vides, & præterea membranam hanc, inflammatione haud prorſus carentem; dolorem tamen qui pungeret, memoratum non vides. Quod ſi pleuræ inflammationem, quippe hic leviſſimam, forte contemnis; at pulmonis cum ea connexionem longe ampliſſimam attendes. Quid ergo eſt? Tanta illa ejuſdem pulmonis magnitudo, ſuum ut cavum prorſus oppleret, cum duritie quoque ſuperficiei (*p*) conjuncta, fortaſſe efficiebat, ut pulmonis neque pondus, quippe undique ſuffulti, neque diſtentio ab inſpirato aere, quippe non cedente ſuperficie, afferre moleſtiam poſſet, eoque minus, quo magis & magnitudo, & durities progrediente morbo augebantur. Itaque primis diebus plerumque, ultimis aſſidue æger in affectum cubabat latus.

53. FAMULUS Equitis cujuſdam, annos natus ad quinquaginta quinque, de dolore queritur in medio thoracis: in dorſum cubare dumtaxat poteſt, & nonnihil in latus ſiniſtrum. Erecta cervice ſpirare cogitur. Die ſexto interit. PULMO ſiniſter dorſum verſus, totus, multumque induruerat, & pleuræ, quæ aliquantum rubebat, adhærebat valide, etiam qua hæc diaphragma conveſtit. Pulmo dexter ſanus erat; quanquam in eo thoracis cavo paululum ſeroſæ materiæ animadvertebatur ſimilis puri. Aqua in pericardio turbida. In cordis ventriculo dextero cum polypoſa concretione ſanguis erat in grumos coactus: qui alibi aliquem fluorem ſervabat.

(*b*) Acut. Paſſ. l. 2. c. 14. (*c*) n. 44. (*d*) S. 2. Aph. 6. (*e*) De Medic. l. 2. c. 7. (*f*) n. 37.
(*g*) Epiſt. 45. n. 16. (*h*) Vid. ſupra, n. 2. & 30. (*i*) Epiſt. 31. n. 2. & Epiſt. 36. n. 17. 18.
(*k*) Vid. Commerc. Litter. A. 1738. Hebd. 15. n. 2. (*l*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 68. (*m*) Schol. ad Patris Obſ. Anat. Med. 27.
(*n*) (*o*) n. ſupra indic. 2. & 30. (*p*) Vid. ſupra, n. 39.

54. Hiſtoria hæc ſatis, quod ad propoſitum ſpectat, ſimilis prioris, ſi ad ſimilem modum tum quod ad obſervationem, tum quod ad explicationem pertinet, a te intelligitur; non eſt cur plura addam. Verum ſcire fortaſſe cupis, an pungens dolor tunc ſaltem vexet cum pleuræ inflammatio perfecta eſt. Duos hujuſmodi ſubjiciam caſus, ex quorum primo vexaſſe, intelliges; ex altero autem non vexaſſe.

55. VIRO illi, cujus diuturna, & varia mala, ad ventrem fere attinentia, vitiatumque inventum jecur ſatis deſcripſi Epiſtola Anatomica III. (*q*), acceſſit denique dolor pungens in læva thoracis parte, & difficultas in hanc cubandi, cum facile poſſet in alteram, tuſſis quoque, & ſputi, in principio, aliquantum. Sputo ſuppreſſo, circa decimum ab illius doloris initio diem exceſſit e vita. PULMONIS ſiniſtri pars ſuperior tota in tumorem obduruerat, proximas undique partes comprimentem, nonnulliſque in locis per tenuia filamenta ſe pleuræ annectentem: quæ & ipſa inflammata erat. Dexter autem pulmo, valide alioquin cum pleura nexus, ut vix poſſet ſine laceratione ſeparari, inventus eſt ſanus. In pericardio mediocris aquæ copia. In cordis thalamis polypoſæ concretiones, in ſiniſtro exigua, ad arteriam Magnam porrecta, in dextero major, pertinens ad venam Cavam, & ad arteriam Pulmonarem.

56. VIR annorum circiter quinquaginta, qui multos jam annos lepra dextro in femore laboraverat, angina prehenditur. Hæc cum ad biduum perduraſſet, deſiit in dolorem quendam dorſi: cui poſtmodum acceſſit ſicca tuſſis, ingens ſitis, decubitus in ſiniſtrum latus, cum in dexterum ferri non poſſet, item dolor quidam gravans, qui zonæ inſtar in imo thoracis percipiebatur. Etſi febris ultimis diebus videbatur mitis, neque præter ea quæ diximus, ſigna ulla fuiſſent quæ thoracis inflammationem indicarent; tamen æger mortuus eſt nono ex quo decumbere cœperat, die. THORACIS ſiniſtrum cavum plenum ſeri purulenti repertum eſt: quo ex ſero quædam concreverat quaſi membrana, quæ pleuræ adhærens, hujus corruptionem mentiebatur. Pleura tamen, illi ſubjecta, inflammata erat; nec diſſimile quidpiam pulmones, quamvis leviſſime, paſſi fuerant. Exiguæ autem polypoſæ concretiones in magnis ad cor vaſis latebant.

57. Pungentem in hac, ut in ſuperiore hiſtoria memorari dolorem, non vides; tametſi pleuram in hac quoque inflammatam legis: imo, ſi cum pulmonibus conferas, ejuſmodi inflammatione affectam, ut ob hanc potiſſimum homo interiiſſe videri poſſit. Rara autem propter hoc ipſum uſque adeo Obſervatio hæc eſt, ut inter omnes ſive meas, ſive quas Valſalva ſcriptas reliquit, ei ſimilem non meminerim offendiſſe. Sed & Nannius (*r*) cum plurimos thoracis inflammatione ſublatos incidiſſet, præcipuamque læſionem in cæterorum pulmonibus deprehendiſſet; vix unum, aut alterum invenire potuit, quorum pleura dumtaxat inflammatione affecta eſſet; eos autem morbus intra biduum ſine ſputo ſanguinis interemerat. Quam ob rei raritatem, & mortis ab ea tantum cauſa intelligendæ difficultatem, & tunc dubitavi, & adhuc dubito, an potius febris peſſimi generis cum ea inflammatione conjuncta, homines confeciſſet, præſertim cum quandam ſolum pleuræ partem in iis ſe diceret Nannius inflammatam reperiſſe. Nam ſi pleuram totam ab axillis uſque ad ſeptum Tranverſum inflammatam conſpexiſſet, qualem unum, aut alterum caſum, haud plures, ex Diemerbroeckio in Sepulchretum (*ſ*) referri vides; aliquanto minus dubitaſſem; quanquam in priore hujus caſu erat inſuper pleuræ ſuppuratio, ex ejuſque abſceſſu effuſio puris in thoracem; in altero autem ea cauſa præceſſerat, quæ vel ſola poteſt citam mortem afferre, magnus videlicet frigidæ cereviſiæ hauſtus in exæſtuante. Quod ſi pariter deſcriptæ; non verbo, ut ibidem (*t*), indicatæ uſquam legerentur cunctæ Obſervationes Williſii, & Riverii; quot tandem eſſent, & quales, cognoſcere, & exiſtimare poſſemus. In noſtris certe regionibus quam rariſſimum eſſet, ſi quis in iis quos interna ſuſtulit inflammatio thoracis morbi *ſedem in pleura conſiſtere*, aut hanc *ſolam corruptam & putrefactam* inveniret.

58. Sed & perraræ apud nos ſint pleuritides, neceſſe eſt, quales tam crebræ occurrebant Diemerbroeckio, ut ſe in *multa pleuriticorum ſectione*, ſcriberet (*u*), *nunquam pleuritidem illæſa pleura factam inveniſſe*; *ſed in quibus pulmo pleuræ affixus adhærebat, in iis pulmonem, qua parte pleuræ adnectebatur, ſimul etiam affectum vidiſſe: in aliis vero, quibus pulmo liber a pleura erat, eum nihil affectum fuiſſe: .... tertiæ* autem, *vel quartæ* dumtaxat (non pleuriticorum, ut quidam intellexerunt) ſed *hominum parti contingere*, ut pulmo pleuræ affixus adhæreat. Lege enim omnes quas hactenus propoſuimus, undetriginta Valſalvæ Obſervationes: lege etiam noſtras, quas brevi ad te mittemus, duodeviginti. Ut nobis cadavera offerebantur eorum quos internæ thoracis inflammationes ſuſtulerant, promiſcue incidimus. Quid ego deprehenderim, videbis (*x*). Valſalva certe in quinque & viginti, tum in duabus præterea quæ mox ſubjicientur (*y*), nunquam pleuræ læſionem ullam memoravit; imo in nonnullis, in quibus potuiſſes aliter ſuſpicari, diſerte illæſam pleuram fuiſſe, admonuit. Vix in quatuor, de quibus a nobis poſtremo ſcriptum eſt, pleuræ inflammationem deprehendit. Sed in duobus (*z*) levem adeo, ſi cum annexi pulmonis inflammatione conferretur, ut ab hoc in illam; non ab illa in hunc progreſſam eſſe, exiſtimares. In tertio (*a*) erat quidem, ut etiam in quarto (*b*), non ita levis. Sed in illo tamen graviſſima erat in pulmone, quamvis nonnullis in locis tantum, & per tenuia filamenta ad pleuram alligato: in hoc vero, quo de agimus, nulla memoratur pleuræ, pulmonumque connexio; qui tamen haud prorſus inflammationis expertes erant. Quod ſi quæras, unde igitur mortuum cenſeam? neque pleuram, neque pulmones accuſabo; ſed purulentum ſerum quo altera thoracis cavea implebatur, eamque etiam partem, quæcumque illa fuerit, unde pus ipſum extiterat. Cum enim Hippocrates (*c*) doceat: *quicunque ab angina liberantur* (videlicet *ſubito*, ut Celſus (*d*) reddidit, id quod huic ægro videtur accidiſſe) *his ad pulmonem verti, & in ſeptem diebus perire*: *ſi vero hos effugerint*, *ſuppurari*, idque *aliqua parte*, ut Celſus loquitur; ego qui in ægro, poſt diem ſeptimum ſuperſtite, pus inventum fuiſſe, video, partem autem unde effluxit, non video; quanquam pulmonem, ſi hiſtoria ſineret, libenter culparem; liberum tibi facio Hippocratem ſic interpretari, ut cum pulmonem dixit, proximas etiam pulmoni partes, ut erat ſtudioſiſſimus brevitatis, indicaſſe cenſeas. Dolor autem ille dorſi qui anginæ protinus ſucceſſit, item ille alter gravans, qui zonæ inſtar in imo thorace percipiebatur; niſi hunc forte referre malis ad purulentum ſerum quo ſeptum Tranſverſum gravaretur; ſuſpicionem tibi fortaſſe aliquam, ſi non conjecturam, ſuppeditabunt. Qua ego interim in medio relicta, illud admonebo, ut in deſcriptione propoſita (*e*) illam attendas falſam membranam, quæ pleuræ adhærens, hujus corruptionem mentiebatur. Huc enim altera ſpectat Valſalvæ Obſervatio, ad hunc modum ſe habens.

59. MULIER quartum annum agens & ſexageſimum dolore corripitur in dextera thoracis parte, ut difficulter cubare in hanc poſſit, nec ſine dolore ipſam tangere. Frequens eſt reſpiratio, inanis tuſſis, celer, frequens, parvus, debilis pulſus. Die ſeptimo ſudor circa caput oboritur. Deficientibus viribus, nono circiter decedit. THORACE aperto, pulmo in cavo dextero occurrebat valde turgidus, ut hoc totum impleret, leviter adhærens ad pleuram ope cujuſdam quaſi membranæ, inter illum, & pleu-

(*q*) n. 9. (*r*) Vid. Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 1 inter Medica. (*ſ*) Sect. hac 4. Obſ. 14. §. 8. & 9.
(*t*) Ibid. §. 1. & 4. (*u*) Ibid. §. 10. (*x*) Epiſt. 21. (*y*) n. 59. & 61. (*z*) n. 51. & 53. (*a*) n. 55.
(*b*) n. 56. (*c*) S. 5. Aph. 10. (*d*) De Medic. l. 2. c. 7. (*e*) n. 55.

pleuram interjectæ. Quæ revera nihil aliud erat quam ſerum, quod poſtquam ex utriuſque poris exierat, ita concreverat, & ſe extenderat, ut membranam ſanie turgidam, atque adeo corruptam pleuram primo aſpectu mentiretur. Cujuſmodi ſpecies, inquit, impoſuiſſe videtur Riverio (*f*) affirmanti, ſe in pleuritide corruptam pleuram comperiſſe. Sed hic, diligentius quærendo, ipſa quidem pleura ſana inventa eſt; pulmo autem qua dorſum ſpectabat, magna cum duritie inflammatus. Cæterum alter pulmo multis quidem locis ad pleuram alligabatur; ſed erat illæſus. In pericardio multa aqua. In cordis caveis polypoſæ concretiones plures latebant, major in auricula dextera, minor in adjuncto ventriculo, quarum illa in venas Cavas, hæc in Pulmonarem arteriam producebatur: hac vero minores in ventriculo ſiniſtro duæ, impari inter ſe magnitudine; harum major in arteriam Magnam, minor in ſiniſtram auriculam ſe extendebat.

60. Riverius hallucinatus ſit, an non, & ſi forte ſit, an ea dumtaxat ratione, definire non auſim. Nam & aliam interdum eſſe erroris cauſam poſſe, ſcio. Quam, cum proximam hiſtoriam legeris, declarabo.

61. FŒMINA annos nata plus ſexaginta, plethorici habitus, & obeſi, prehenſa eſt Kalendis Decembris thoracis dolore in dextera potiſſimum parte, cum vehementi febre, magna ſiti, ulceroſa corporis laſſitudine: nec reſpirare poterat ſine dolore. Mittitur ſanguis, atque alia ex arte præſtantur; ſed fruſtra. Imo illa augerur laſſitudo, mens torpida fit, atque adeo ſubdelira. Tandem ſputum, quod antea modicum erat, nec glutinoſum, rotundum ejicitur, & purulentum: reſpiratio fit laborioſior: delirium accedit: & mors duodevigeſimo morbi die. THORACE recluſo; cum dexter pulmo a pleura, cui adhærebat, ſepararetur, multum purulentæ materiæ erupit, ſcilicet ex abſceſſu in pulmonari ſubſtantia, circa quam magna erat inflammatio; pleura tamen illæſa. Siniſter pulmo erat ſanus. Ventriculus dexter cordis mediocrem polypoſam concretionem; alter inchoamentum dumtaxat continebat ejuſcemodi concretionis.

62. Nunc ſi relegas quod etiam in diſſectione cujuſdam Virginis ſupra (*g*) a nobis ſcriptum eſt, dum manu tentaretur pulmonis a pleura, cui arcte adhærebat, ſeparatio, illum ob fraciditatem diſruptum eſſe, ſimulque ex abſceſſu, quem continebat, magnam ejeciſſe copiam ſanioſæ materiæ; facile intelliges, quam proclive ſit, ut illud accidat, de quo ante hos quinquaginta annos monui in Bononienſi Scientiarum Academia, quod monitum non indignum cenſuit cujus benigniſſimam mentionem faceret in ſuis immortalibus Libris (*h*) Princeps, & Dominus meus, beneficentiſſimus litterarum, quas ipſe eximie ornabat, Patronus, BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus. Fac enim, aliquos, ut haud ſemel ego vidi, vel celebres in vulgus Medicos, in ægris inviſendis multum, in cadaveribus autem introſpiciendis leviter, aut nihil exercitatos, hominis qui non ſine pleuritidis ſignis obierit, diſſectioni intereſſe, per inexpertum, ut ſæpe accidit, Chirurgum inſtitutæ, huic autem pulmonem a pleura removere conanti id contingere quod in hac Muliere (*k*), aut in illa Virgine (*l*), ut diſrupto repente abſceſſu in ea parte pulmonis quæ arctius pleuræ affixa fuerit, pus erumpat, puris vero, & dilaceratæ annexi pulmonis reliquiæ ad pleuram, ut ſolent, etiamtum reſtent adhærentes, cum pulmo reliquus, emiſſo pure ſtatim concidens, abſceſſus cavum contraxerit, & fere occultaverit, aut ſiquid hujus oſtendat, effectum potius, & partem cujuſdam proximi in pleura ſuppurati tumoris oſtendere videatur. Noli dubitare, quin continuo pronuncietur, ſatis eſſe quæſitum, pleuram ab ſe evidenter conſpectam putrefactam, corruptam, & collecto pure manantem, præjudicata opinione nullam erroris ſuſpicionem relinquente: qui perquam facile vitari potuiſſet, ubi reliquiis illis, cauti, & diligentis Proſectoris manu abraſis, ſub iis pleura aut leviſſime affecta, aut etiam, quemadmodum Valſalvæ contigit (*m*), ſana prorſus, & omnino illæſa retecta eſſet. Non propterea tamen nego, ſolertibus, & exercitatis Anatomicis magnam interdum pleuræ ipſius læſionem poſt thoracis internas inflammationes occurriſſe. Tantum quid de jactatis inter minus expertos Obſervationibus ſuſpicer, non reticeo.

Nunc quoniam a pleriſque eorum qui de ſede harum inflammationum, pleuræ aſſerenda, pulmoni autem abjudicanda laborant, omnem pene ſenſum viſceri huic adimi, animadverti; unam, haud amplius, eamque perbrevem, Valſalvæ Obſervationem, unde contrarium poſſit confirmari, ſubjiciam.

63. ANUS ſeptuaginta annorum, duos circiter menſes de interno thoracis dolore conqueritur: non tuſſit: non exſpuit: in neutrum cubare poteſt latus. Denique moritur. PULMO uterque nigris erat diſtinctus maculis: dexter præterea qua vertebras ſpectabat, durus, & exulceratus; quanquam nihil apparuit ſanioſæ materiæ. Ingentis magnitudinis polypus in ventriculo cordis dextero, hinc per ejus utrumque orificium in vaſa, & vaſorum ramos ſe producebat, & mole ſua multum auriculam dexteram dilataverat.

64. Si polypum, ſeu potius; quando ne illa quidem fuerunt polypi ſigna quæ vulgo proferuntur, ut neque auriculæ dilatatæ; ſeu potius, inquam, polypoſam concretionem, tunc polypi nomine etiam a Valſalva indicari ſolitam, vitæ ultimo tempore, non ſecus ac nigras illas pulmonum maculas, productam intelligis, (*n*) & auriculam per ſe laxam, eoque tempore ob infirmiſſimas ſuas vires minus reſiſtentem dilataſſe; reliquum eſt nempe, ut internus ille thoracis dolor haud alibi ſedem per duos menſes habuerit, quam in pulmone exulcerato.

65. Nunc quando bene longam ſeriem habes Valſalvæ Obſervationum; unam enim & triginta ante hanc ultimam propoſuimus; ſi forte quæres, utra in thoracis parte ſæpius fuerit inflammatio; longe aliter ipſi accidiſſe, invenies ac Doctiſſimis illis Viris, qui dextram ut plurimum ab ea affici, ſiniſtram autem rarius, ſcripſerunt. Namque ubi cadavera ſepoſueris in quibus Valſalva utramque partem inflammatam deprehendit; reliquorum ferme totidem reperies a ſiniſtris, quot a dextris inflammationem habuiſſe: idemque propemodum ex noſtris quoque duodeviginti, protinus mittendis, Obſervationibus cognoſces. At enim illud, inquies, non de pulmonum dumtaxat, ſed de pulmonum, & pleuræ conjuncta inflammatione ſcripſerunt. Tu vero ne ſic quidem cum illis congruere invenies Valſalvæ Obſervationes. Quarum cum quatuor, haud amplius, utramque conjunctam inflammationem proponant (*o*); eæ ipſæ omnes proponunt a ſiniſtris. Noſtrarum autem ſi una (*p*) congruit; altera (*q*) non ſatis congruit. Multo igitur & plures, & ampliores videntur requiri Obſervationum ſeries, ut de re hac aliquid pro certo ſtatuatur, ſuſcipiaturque ex Anatome explicandum, cur pleuritis a dextris frequentior, ſed mitior ſit. Cujus problematis enodatio quam Præſtantes Viri non minus modeſte, quam ingenioſe, dederunt, an magis per Anatomen illuſtrari, & perfici poſſit, cum minus præcox videbitur; tunc ipſe exiſtimabis. Interea autem valebis.

(*f*) Vid. ſupra, n. 57. (*g*) n. 11. (*h*) Vid. ejus Comment. loco cit. ſupra, ad n. 57.
(*i*) De Servor. Dei Beatific. l. 4 P. 1. c. 18. (*k*) n. 61. (*l*) n. 11. (*m*) n. 61. (*n*) Vid. Epiſt. 24.
(*o*) n. 51. 53. 55. 56. (*p*) Epiſt. 21. n. 33. (*q*) Ibid. n. 34.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXI.

Abſolvitur ſermo de Pectoris, Laterum, & Dorſi Dolore.

EOdem ferme ordine quo Valſalvæ Obſervationes, meas quoque ad te ſcripturus, ab iis initium capiam, in quibus intima Thoracis Inflammatio, illæſa prorſus pleura, ſedem habuit in pulmonibus.

2. MULIER ex peripneumonia, nec ſine pulſuum inæqualitatibus, mortua erat in Bononienſi Noſocomio S. Mariæ de Morte A. 1706. Martio menſe, cum ego pro Valſalva, Parmam accerſito, cadavera in Theatro Anatomico diſſecarem. PULMONES compactam, ut in hepate eſt, ſubſtantiam habebant: pericardium autem multam aquam. Cordis exterior facies primo aſpectu corroſa maximam partem videbatur: nec erat tamen; ſed inæquales concretiones, ipſi adhærentes, id mentiebantur: quibus nullo negotio amotis, extima cordis membrana lævis, & integra ſe oſtendit (*a*). Interiori quoque faciei pericardii adhærebant concretiones aliæ, a prioribus prorſus ſejunctæ, ſed ejuſdem generis; ut facile conjiceres, utraſque pariter ex craſſioribus, quæ ab illa aqua ſeceſſiſſent, particulis coaluiſſe. In cordis ventriculis, & auricula dextera magnæ albæ, nec firmioris tamen ſtructuræ, concretiones polypoſæ. In fellis veſicula calculi duo nigri, ſic ſatis duri, ad cubi formam accedentes, impari magnitudine; ſed neuter parva.

3. JUVENEM toroſum, annos natum duodeviginti, quem Venetiis intra octo circiter dies peripneumonia ſuſtulerat, Amici mei Viri docti a me petierunt, ut perſecarem menſe Decembri A. 1708. multo magis ut quæ ſecundum naturam eſſent, pleraque diligentius cognoſcerent, quam ut quæ ad morbum attinerent. Ad hunc tamen quæ ſpectarent, hæc demonſtravi. PULMO dexter arctius undique adhærebat viciniæ per tenuem quandam membranam. Ejuſdem ſuperior lobus duriſſimus, graviſſimuſque, quippe ex ſubſtantia hepar referente, quam & pars reliqua ejus pulmonis, & ſiniſtri pars maxima quadantenus oſtendebant. In ſiniſtro thoracis cavo aqua multa, eaque cruenta, & quaſi nigricans: cujuſmodi aqua, nec pauca, in pericardio quoque erat. Cordis auriculam dexteram, facile videlicet cedentem, ſanguis plurimus extremo, ut cenſui, tempore in ea reſtitans, multum dilataverat. Niger is erat, & grumoſus, nec ſine polypoſa concretione tenaci, & magna, cujus pars in ſubjectum ventriculum pertinebat: altera autem, huic ſubſtantia non diſſimili, ſed teres, in arteria erat Pulmonari. Nulla autem in ſiniſtro ventriculo, adjectaque auricula, in quibus ne ſanguinis quidem, niſi forte inter diſſecandum effluxerat, quidquam inveni. In Ventre aliqua aquæ copia fuit; jecur ad crepidinem lividum: inteſtina, alicubi ſubrubra, grave olebant.

4. SENEX annorum ſeptuaginta quatuor, ſtaturæ humilis, cauponas frequentare ſolitus, his ultimis annis obnoxius pulmonum inflammationi, hac noviſſime in Patavino Noſocomio intra octiduum confectus fuerat. Peculiaria ſymptomata, eo tempore animadverſa, non fuit qui accurate ſatis narraret: quamobrem ipſa, ut in duabus pariter ſuperioribus hiſtoriis feci ob eandem cauſam, non refero. Hoc unum quod pro certo ſcire potui, non reticebo. Nullo prorſus ſymptomate quod ſpeciatim ad deſcribendum cordis vitium attineret, hic laboraverat, non deliquiis, non palpitationibus, non pulſuum, qui parvi cæteroquin erant, inæqualitatibus, neque aliis ejuſdemmodi. Quæſivi enim hæc diligentius poſtquam ad abſolvendam Anatomen Publicam A. 1730. ejus cadavere uſus fueram. PULMONES undique erant pleuræ annexi. Dexteri pars ſumma dura, & nigricans: ejuſdemque pulmonis ſanguifera vaſa connexa arctiſſime cum bronchiis: interque ea vaſa unum animadverſum eſt quod ad tractum aliquot digitorum erat dilatatum; eo autem emenſo tractu, ad juſtam diametrum redibat. Sed & Bronchialis arteriæ truncum exiſtere vidi ex arteria Magna inſolita amplitudine, ut diametro eſſet triplo propemodum majori quam ſolet. A poſteriore autem ſuperficie ſiniſtri ventriculi cordis, intervallo gemini digiti tranſverſi ſupra mucronem, extrorſum prominebat tuberculum, mediocris ceraſi magnitudine, & figura, cujus dimidium exſtabat, dimidium intra ſubſtantiam cordis ſe immittebat. Erat inſtar alicujus hydatidis ex iis quæ intra alia viſcera, pulmones puta, aut renes, ita innaſcuntur, ut parte ſui aliqua promineant tamen. Sed compunctum paucam emiſit aquam; turbidiorem autem humorem retinuit. Qui ex prorſus aperto eductus eſt una cum membranula, in qua alba quædam erant, & mucoſa, tum particula quaſi tendineæ duritiei. Viſa eſt ea membranula locum intimæ tunicæ in tuberculo obtinere; nam exterior erat altera denſa, & albida, intus aſpera, & inæqualis, quæ univerſum cingebat tuberculum; ut ſuo quodam modo ad eos tumores videretur referendum, qui, ut Celſus (*b*) loquitur, *ex parvulo incipiunt, & diu paulatimque increſcunt, & tunica ſua includuntur*. Quam ego tunicam dum a circumjecta carne ſepararem, hanc ſanam reperi tum circumcirca, tum qua tuberculum inter, & ventriculi caveam intercedebat; neque enim illud ultra dimidium craſſitudinis ejus in quo creverat, parietis ſe multum extendebat. Denique ſiniſtra cordis auricula multo quam ſoleat, longior, & in facie interna. Aortæ frequentes oſſeæ ſquamulæ conſpiciebantur, ad curvaturam præſertim, & prope cor ſic tamen ut earum apparerent dumtaxat inchoamenta pone valvulas Semilunares. Cæterum illarum aliquæ etiam alibi, & nominatim ad Cœliacæ orificium, non deerant.

5. De cordis tuberculo hic primum dicam quod dixi cum id Auditoribus oſtenderem, ex hac quoque obſervatione intelligi, non ſatis cum vero conguere Pliniana (*c*) illa verba: *ſolum hoc viſcerum* (cor) *vitiis non maceratur, nec ſupplicia vitæ trahit: læſumque mortem illico affert*. Nunc addo: nec ſatis cum vero convenire plerorumque opinionem, nimirum cor læſum ſine aliquo, aut pluribus eorum ſymptomatum eſſe non poſſe, quorum nullum in hoc Sene fuiſſe, retuli. Quænam autem fuerint in Veslingii noſtri Obſervatione, rariore ob ſedem, ad idem tamen ac mea, genus attinente, Rhodius (*d*) qui illam propoſuit, peculiariter docere prætermiſit. Quantum enim certum eſt, exemptum e dextera illa cordis auricula, non polypoſum quidpiam fuiſſe, ut in aliis quibuſdam Obſervationibus dubitamus, ſed verum *in quo nihil puris, folliculum*, quippe *venulis ei ad nutritionem annexis*, tantum quoque evidens eſt, hydropem, & pus initio morbi excretum pro peculiaribus illius ſignis haberi non poſſe. Cæterum quod ad præſens attinet inſtitutum; pulmonum inflammationibus, quibus noſter Senex obnoxius fuerat, num illius tuberculi initium, augmentumque imputandum eſt? Vidiſti enim

(*a*) Vid. Epiſt. 25. n. 24. (*b*) De Medic. l. 7. c. 3. (*c*) Nat. Hiſt. l. 11. c. 37.
(*d*) Cent. 3. Obſ. Med. 4.

enim ex ſuperiore Epiſtola, atque adeo ex diſſectionibus, hac quoque productis, quam crebro in peripneumonia ſerum in pericardio cumuletur, idque craſſius, & alienis fœtum particulis, quæ aut ſecedentes cordi adhærere, aut quapiam alia ratione nocere poſſint vel poſtquam inflammatio finita eſt. Quin etiam videbis quæ de corde ex pulmonum inflammatione in non paucis dilatato infra (*e*) attingemus: & conjicere inde poteris, ut hic auriculæ ſiniſtræ evidenter, ita ſubjecti quoque ventriculi ſubſtantiæ, quamvis non ita manifeſto, vim fieri potuiſſe. Sed illa facile videntur, ſæpius prægreſſæ peripneumoniæ eſſe adſcribenda, quod Bronchialis arteria multo eſſet craſſior, quod vaſorum, bronchia ſtipantium, aliquod eſſet varicoſum, quod ea vaſa cum bronchiis multo arctius quam ſoleant, cohærerent, fortaſſe etiam quod pulmones undique cum pleura coaluiſſent. Curſu enim ſanguinis per hos a crebris inflammationibus retardato, & ex parte impedito, vaſa, & pulmones ipſi diſtendantur, neceſſe eſt, eoque illa arctius bronchiis, hi pleuræ ſe applicent; quæ autem a ſanguine tunc ſæpius per ſe viſcido, mora autem viſcidiore facto exprimuntur particulæ, glutinis inſtar partes cum partibus connectant. Cur autem plus humoris, magiſque craſſi, tunc exprimatur, utque præter pulmones aliæ ſimul partes, in ventre etiam, ſæpe inflammatione corripiantur, aliaque ejuſcemodi cum ſatis fuerint proximis Litteris (*f*) explicata; noli expectare, ut his iterem: quæ cauſa nimirum fuit, ut duabus hiſtoriis, ante hanc propoſitis, nullam adnotationem ſubjicerem. Quod vero in tribus hiſce Obſervationibus ſigna non retulerim ſigillatim quæ peripneumoniam comitata fuerant, non mea in perquirendo, aut deſcribendo incuria factum eſt, ſed eorum, ut dixi, qui ægros viderant: quanquam ſunt interdum cauſæ propter quas ne illis quidem ipſis qui ægros vident, pleraque, aut certe quædam ſigna perſpicere ſatis liceat. Juvat hic ſecundum ſingulas, quas proferam, ejuſmodi cauſas, ſingulas hiſtorias producere, initio capto ab diſſectione quam per illos eoſdem dies quibus primam (*g*), in eademque occupatione Bononiæ inſtitui.

6. STRUCTOR, ſive, ut vulgo appellitant, Faber Murarius annorum circiter triginta ex labore in febrem incidit. Huic ſe addiderunt periodici quotidiani rigores, quorum demum tempore cœpit delirare. Sed cum delirium, quod mox finiri quotidie conſueverat, aſſiduum denique factum eſſet, exinde æger in pejus ire. Erat delirium triſte, & querulum: pulſus æquales: ſanguis e naribus nonnunquam prodiit. Etſi venam ſemel, iterum, tertium ſecuerant, atque alia quæ e re ægri fore credebantur, non omiſerant; is tamen ſenſim quidem, ſed ſemper in pejus labens, mortuus eſt. CADAVERIS, nona a morte hora diſſecti, viſcera etiamtum fumantia calebant: & ſanguis ex eorum inciſis venis fluidus, caleſque exibat; tametſi polypoſæ concretiones eductæ ſint poſtea non modo e Cruralibus venis, ſed etiam e corde, unde in Pulmonaria vaſa alterius ſaltem lateris producebantur. Pulmones, ſi anteriorem partem excipias, quæ albida, & ſana erat, fere ubique naturalibus duriores fuerunt; a dextris autem, & ſuperiore præſertim lobo, duriſſimi, graviſſimique, diſtenti, rubri, ex denſaque ſubſtantia compacti. In Ventre ſplen magnus.

7. Delirio ſupervenientis peripneumoniæ quæ ſigna, ad doloris præſertim naturam, ſedemque attinentia, ſatis queas ab ægro accipere? Facile autem poteſt, id quod indicata, & producta in VII. & in ſuperiore Epiſtola tot monſtrant exempla, utrumque hoc malum conjungi tum ob polypoſas particulas ſanguinis pronas ad reſtitandum, tum etiam quia delirus ſæpe, diutiuſque obliviſcitur ſpiritum ducere, eoque ſanguinem per pulmones promovere: peripneumonicus autem, ut minus liberum habet ſanguinis curſum per pulmones, ſic hujus expedito a partibus regreſſui obicem habet jam paratum; addo, a ſuperioribus præcipue cum Superior vena Cava a diſtento pulmone premitur, velut in propoſito Structore. Itaque ſæpius rubere, ac turgere partes ſuperiores in hoc morbo exterius, videmus, ut proclive ſit quid interioribus quoque accidat, aut certe immineat, intelligere. Quo minus miratus ſum cum alias, tum maxime A. 1730. cum in publico cerebri anatomen docerem, de pluribus quæ aperta habebam, capitibus ne unum quidem fuiſſe, in quo cerebri vaſa diſtenta ſanguine non eſſent; quippe caſu factum erat, ut omnia ſumpta eſſent ex hominibus quos tunc vagans interemerat peripneumonia: nec defuit ibi in ſingulis effuſa aqua, ſicuti in thorace quoque peripneumonicorum ſæpenumero effuſam videmus. Sed de his Epiſtolam releges VII; nolo enim hic repetere quæ in illa ſub num. præſertim 11. & 12. huc attinentia propoſita ſunt.

8. Cauſa etiam eſt altera, cur ægri ab inflammato pulmone nullam aliquando moleſtiam percipiant, ſenſus hebetudo ſive ob cerebri, ſive ob nervorum, ſive ob pulmonis, aut pleuræ annexæ laxitatem. Et ob cerebrum quidem, nervoſque exemplum habes in duobus Senibus, quorum alterum in VI. (*h*) alterum in XI. (*i*) Epiſtola deſcripſi. Utrique erat pulmonis inflammatio. Sed alter ſemiſopitus ac tardus ad intelligendum, vel tum negabat, ſe moleſtum quidpiam in thorace ſentire, cum etiam tum percipere maxima ex parte debuiſſet. Alter vero ex apoplexia hemiplecticus qui tota corporis parte dextera nihil ſentiret, non mirum, ſi pulmonis, ab illa eadem parte inflammati, nullum prorſus haberet ſenſum. Reliquum eſt, ut idem a pulmonis, pleuræve annexæ laxitate poſſe fieri, exemplo indicem.

9. AGRICOLA annos natus ad triginta quinque cum ex alto cadens, dexterum latus contudiſſet, in Bononienſe S. Mariæ de Morte Noſocomium exceptus fuerat. Poſtquam curatione quæ conveniebat, adhibita, & reſpiratio & cætera ſatis recte ſe habebant, jamque homo dimittendus videbatur, cœpit is pane, aliiſque craſſis alimentis clam ſe adeo ingurgitare, ut in ardentem febrem inciderit, mox etiam in ſpirandi difficultatem, quam nullus tamen comitabatur thoracis dolor. Adminiſtrata ſunt quæ morbus requirere videbatur, inter quæ una, atque altera ſanguinis miſſio. Sed fruſtra omnia. Nam jacens, ut ſolebat, in dorſum, & ſtertens, & pulſibus, qui magni antea fuerant, vibratis, & frequentiſſimis cum per hæc ultimos traxiſſet dies, intra octiduum ex quo ardens febris invaſerat, mortuus eſt circa medium Aprilem A. 1706. CADAVER poſtridie ſecuimus, in quo prius laudabilem habitum, ſed faciem, & collum, ut in ſtrangulatis, livida, & livens quoque abdomen non ad ilia modo, ſed late etiam circa medium ſpectavimus. Pulmones undique ad pleuram adhærebant tum per membranas, tum per ſe, ut a primo videbatur. Verum ſi diligentius attenderes, inter pulmonum membranam, quæ ſana erat, & pleuram flava tenuiſque intercedebat concretio ita diſpoſita, ut alteram mentiretur membranam. Cum hac, ubi pulmonem avelleres, pleura ipſa ultro ſequebatur. Siniſtri pulmonis lobus inferior prægrandis, & gravis, totuſque durior, & hepaticam ſubſtantiam referens. Reliquæ pulmonum partes non illaudabiles. In pericardio multa aqua ſubflava, & turbida. In ſingulis cordis orificiis, & auriculis polypoſæ concretiones: quas inter maxima quæ in auricula dextera, inde ramos promittens in ipſas uſque Jugulares venas.
In Ventre ſe præ cæteris offerebant Craſſa inteſtina, quippe aere turgida. Sed magis attendendæ imæ Ilei partes, quæ ad magnos tractus undique ex atro rubebant, ſanguiferis vaſis non ſecus ac poſt injectam coloratam ceram, manifeſtiſſimis: gravis autem erat odor, qualis ſolet inteſtinis inflammatis. Hepar ſubalbum, niſi quod ad limbum liveſcebat, intus variegatum marmoris inſtar. Ejus veſicula pauca cum bile, nec prorſus naturali. Lien magnus, albicans, laxior.

10. Pleuram quæ adhærentes pulmones facillime ſequeretur, ſi laxam fuiſſe, agnoſcas; poſſis inde, ut opinor, aſſequi, cur pondus inflammati lobi non ſenti-

---

(*e*) n. 34. (*f*) n. 34. 37. 44. (*g*) n. 2. (*h*) n. 12. (*i*) n. 13.

ſentiret. Verum etſi hanc, aliaſve præterea cauſas proferri interdum poſſe, nec ſine veri ſimilitudine, cenſeam, cur peripneumonici quidam auctum adeo pulmonis pondus non percipiant; me tamen fateor in eorum nonnullis hujus rei cauſam, quæ mihi quidem ſatis placeat, non videre, multoque etiam minus, cur cætera hujus morbi ſigna ipſa quoque partim deſint, partim levia adeo, & obſcura ſint, ut vix cum inevitabilis mors jam imminet, a Medicis, imo ne tum quidem nonnunquam, ſed tantum poſt diſſectionem cognoſcatur. Intelligis, me de re loqui maximi momenti, & cujus notæ, atque indicia diligentiſſime ſint quærenda, ac perveſtiganda, ut ſiquando incidat, liceat noſcere, & ſatis tempore occurrere. Atque utinam Valſalva, a quo primam hujus rei mentionem audivi, in ſuis quoque ſchedis commemoraſſet, ſigniſque nonnullis deſignaſſet. Verum ſive hæc ob caſuum raritatem animadvertere, niſi ægris jam deſperatis, non potuit, ſive animadvertit quidem, ſed poſtremis annis, cum videlicet aſſiduis prohibitus occupationibus, vix amplius quidquam ejuſmodi, chartis mandabat; nihil certe in ejus ſcriptis reperire potui quod huc attineret. Igitur quod ab ipſo audivi, & ego vidi, communicabo, a brevi incipiens hiſtoria, cujus eam partem quæ ad morbum ſpectat, Valſalva narravit; quæ autem ad diſſectionem, illam vero ipſe vidi, ut qui cum Valſalva cadaver ſecui.

11. FRANCISCUS CORALLIUS Bononienſis, jam ſenex, catarrhali affectione, ut homines id ætatis ſolent, ſed levi adeo in ſpeciem detinebatur, ut ne dignam quidem crederet ob quam Medicum acceſſendum curaret. Itaque caſu factum eſt, ut cum poſtridie domo exire cogitaret, domeſticis autem id æquo maturius videretur, ab his Valſalva rogatus ſit, ut hominem ſibi notum, & familiarem obiter viſeret, ab eoque conſilio abduceret. Venit igitur poſtridie mane, & ea animadvertit indicia, quæ ſibi in quibuſdam aliis ejuſmodi caſibus adnotata vicinam mortem, præter adſtantium opinionem, ſignificaverant. Quamobrem ſevocatis domeſticis, nihil tale ſuſpicantibus, quid immineat, continuo demonſtrat, & quamvis æger nullum in thorace ſive gravantem, ſive pungentem dolorem percipiat, imo ſibi ipſe ſatis bene habere videatur; tamen pulmonis inflammatione, eaque jam deſperata, teneri, confirmat. Prædictionem comprobavit eventus; nam intra duodecim horas, aut eo citius mors ingruit. Morbi autem cognitionem ſectio cadaveris confirmavit. THORACE enim aperto, lobum ſuperiorem pulmonis dexteri tumidum, durum, ſanguine infarctum deprehendimus.

12. Hic minime dubito, quin duo quæras, alterum, qua ratione Valſalva rem explicaret? alterum, quibus ſignis fuerit ad dignoſcendum, prædicendumque permotus? Quod ad primum attinet; miranti mihi, qui fieri poſſet, ut infarcti pulmonis pondus minime ſentiretur, nihil aliud memini reſpondiſſe, niſi id quod ſimiliter mirarer, nempe ſcire ſe, plumbeum globum duas pendentem uncias, bellico inſtrumento quod *moſchetto* vocitamus, ejaculatum, in pulmone hæſiſſe, neque ponderis ſenſum feciſſe. De ſignis autem illis, ut in hiſtoria quæ aberant, memoravi, ita quæ aderant, non omiſſurus eram, ſi Valſalva pariter narraviſſet. Verum cum ſileret ipſe, ego autem per ſe editurum ſperarem; nolui tunc iteratis interrogationibus importunus videri. Caſus tamen fecit, ut quæ illa fuerint, conjicere me poſſe, credam ex iis quæ hic A. 1730. in Celeberrimo profeſſore Antonio Valliſnerio, quem eodem morbi genere nobis ereptum fuiſſe, cenſeo, non ſine magno animi dolore adnotavi.

13. In illa epidemica catarrhalium febrium Conſtitutione quam Epiſtola tibi deſcripſi XIII. (*k*) communi morbo prehenſus eſt pridie Idus Januarias, fere omnibus levi, & ſalubri; ipſi vero levi pariter in ſpeciem, ſed lethali, ſive quod laxioribus eſſet pulmonibus, ſive quod viſcida materia tunc plurimum abundaret, ſive etiam (quod tametſi annos natus ad LXIX. tamen ut cruda erat, & robuſta ſenectute) morbum in primo ipſo initio, nec ſemel quoque in progreſſu nonnihil contempſerit. Et is ſane erat qui videretur poſſe contemni. Namque; ut omittam quod a duobus accepi Medicis qui ſecundo die forte inviſerant alter ſub meridiem, alter ad veſperam, in pulſibus nihil ferme fuiſſe febrile, imo eos ad veſperam fuiſſe rariores, neque alia tibi narrem, niſi quæ vidi ipſe, & inveni; cum die quarto gratulatum quaſi ad convaleſcentem veniſſem, & cibo jam ſumpto ſedentem in lecto offendiſſem; faciem, reſpirationem, vocis vim, & cætera ejuſmodi, quorum ſpectando, audiendove ferri judicium poteſt, omnia qualia in ſano ſolebant eſſe, deprehendi. Tum ille, ut erat officioſus, vides, inquit, cujuſmodi meus fuerit morbus, neque me tibi purgare oportere, ſi te propterea non advocavi. Cum aſſediſſem, & ille tuſſiret aliquando; materiam, quam facile eduxerat, inſpexi, vidique ſic ſatis concoctam. Linguam oſtendit; viſcidula erat, & alba. Brachia porrexit; carnes erant, ut ſani hominis, pulſus autem æquales, & moderata magnitudine, ac robore, juſto inter ictus ſingulos intervallo, niſi potius paululo longiore, ut ad raritatem vergerent. Hæc ut dixi, die morbi quarto. Poſtridie miſi qui ſalutaret meo nomine. Vel magis alacrem eſſe, retulit, ut in lecto ſedens quandam epiſtolam dictaret. Sexto die, etſi ob publicum Gymnaſii negotium eram occupatiſſimus, mane tamen ſic in tranſitu inviſere Amicum volui. Ecce autem longe alium ac nudius tertius, invenio. Facies decolor, demiſſa, concidens; reſpiratio difficilis; vox humilis, & languida, & tanquam ex profundo educta; expectorata materia omnino perpauca, crudiuſcula, & permiſto hic illic ſanguine obſoleti coloris, infecta. Percuiſit illico animum tanta mutatio, eoque magis, cum mihi ut ſe haberet, quærenti, & cur iis horis; erant enim duæ ante meridiem, tempeſtas autem præfrigida; ſic in lecto ſederet? eodem ſe modo, vel etiam meliore, quam biduo ante videram, habere, reſpondit. Tum ego: num ſenſum aliquem ponderis, num dolorem quempiam, num calorem forte percipis in thorace? Diſerte negavit. Hoc tantum addidit, ſe in læva pectoris extima parte eam a tuſſi moleſtiam ſentire, quam omnes ſolent, eoque contemnere: quod vero ſiti, ut ſæpe etiam diebus ſuperioribus, vexaretur, ne propterea calorem ullum internum ab ſe percipi, ſuſpicarer; ſuæ enim ſitis ſedem adeo in viſceribus non eſſe, ut quidquid aquei coactus biberet, a ventriculo reſpui, ſentiret: eſſe illam ſedem non infra fauces; has enim viſcida obſideri materia, qua etiam eorum quæ ſumeret, ſibi guſtus obtunderetur, vini quoque, cujus pauxillulum, ut in morbo a lenta materia facto, ſe pridie, ajebat, hauſiſſe. Etſi mens, ut ex ſermonibus hiſce intelligis, quos non continenter tamen habuit, probe vigebat, etſi lingua, carnes, pulſus, niſi quod hi minus erant validi, non ſecus ſe habebant, ac die quarto, urinas autem, quas non vidi, confirmavit ipſe omnino bonas & ſemper fuiſſe, & adhuc eſſe; mihi tamen, præter expectoratæ materiæ qualitatem, ſummamque imminutionem, reſpiratio, vox, facies magis magiſque pene in ſingula momenta uſque adeo diſplicebant, meum ut dolorem, quantumvis occulere ſtuderem, vultu ipſo nonnihil proderem. Tum ille: quid dubitas? ad ſummam, huic pulſui; digitis autem carpum tangebat; credendum eſt. Sed me interea proditricis quorundam morborum naturæ non ignarum, & Corallii (*l*) probe memorem, iſta ipſa certiorem in metum agebant, quod tantum ſuum non ſentiret morbum, & quod cum pravis cæteris ſignis alia, & in his urinæ, ac pulſus præſertim non conſentirent: cur enim hic non frequentes; ſed rari potius? Quæſivi igitur, num ſanus rarioribus forte pulſibus eſſe conſueſſet? Quod cum negaſſet; ſubjecit, a ſexageſimo anno intermittentes, ut ſeniores non pauci ſolent, habere cœpiſſe; eas intermiſſiones his diebus deſiiſſe, indicio videlicet alicujus impetus paulo majoris. Hoc unum,

(*k*) n. 4. (*l*) ſupra, n. 11.

unum, & ſitim, febris alicujus indicium reperi in morbo uſque adeo jam progreſſo, ut intra viginti quatuor exinde horas Virum ſuſtulerit multo longiore vita digniſſimum.

14. Noli mirari, ſi forte aliquid hic a me habes paulo aliter atque in ejus Vita proditum eſt. Familiares enim quibus utebatur, Medicos, & amantiſſimam præterea Uxorem, & lectiſſimos Filios interea alium poſt alium epidemica febris prehenderat, ut cum extremis illis diebus omnes in lecto eſſent; ſatis abſolutam notitiam eorum quæ ipſe tum vidi, atque animadverti, ad Generoſiſſimum & Eruditiſſimum Vitæ Scriptorem mittere non potuerint. In eo rerum ſtatu, continuo dedi operam, ut Medici, & quidem experientiſſimi, advocarentur, ſi forte iis aliter ac mihi videretur, & meritiſſimus æger auxilio adhuc aliquo ſervari poſſet. Atque utinam ipſe deceptus eſſem. Sed actum jam erat, omniaque ſemper vel manifeſtius in præceps ruere pergebant, facie jam prorſus facta, qualis in cadavere eſſe ſolet, reſpiratione difficiliore, ſputis denique omnino ſuppreſſis. Ipſe tamen; ea erat deceptoris morbi indoles; Medicorum alteri ad veſperum redeunti, & quid ageret, roganti, melius ſe habere, reſpondit. Et quamvis totam noctem ſtertore, & magna ſpirandi difficultate vexatus, vix tandem mane perpaucis ante mortem horis, cum pulſus jam facti eſſent frequentes, & humiles, ſuum ſibi morbum impoſuiſſe, agnovit, ingenueque, uti ſolebat, iis qui aderant, faſſus eſt. Ex quibus hæc ipſe cognovi: etenim ex quo inevitabilem, atque adeo jam proximam Collegæ amiciſſimi jacturam perſpexi, præ dolore intereſſe non potui. Multoque minus cadaveris ſectioni, ſi habita eſſet, interfuiſſem: quanquam neque apud me, neque apud eos qui poſt me inviſerunt, Medicos Doctiſſimos dubium fuit, quin illum pulmonis inflammatio ſuſtulerit tanto perniciosior, quanto magis latenter, & occulte irrepſit, ut cum denique cognoſcere licuit, curare amplius non licuerit. Quo magis ſigna inſidioſiſſimi morbi a Medicis, quotieſcunque inciderit, adnotanda ſunt diligenter, ſi forte aliquod inveniatur quod aut perpetuo, aut crebrius ſaltem adjungat ſe morbo jam tum quando occultiſſime incipit. Nam etſi illa etiam quæ poſtquam prorſus confirmatus eſt, comitantur, haud omni careant utilitate non modo ne ab ægri fiducia, & aliquot non malis indiciis fallamur, verum etiam ut inſtans exitium prædicamus; tamen longe utilius eſt latens periculum, ni continuo occurratur, dignoſcere, morbumque inter initia oppugnare. Sed tibi fortaſſe in mentem nunc venerit ſuſpicari, quæ ego ſigna deſidero, illa jam a Sydenhamio (*m*), & Boerhaavio (*n*) animadverſa fuiſſe, & propoſita ubi Peripneumoniam, quam *notham* uterque vocitant, deſcripſere. Verum ſi eorum quæ viderunt ipſi, & eorum quæ ego in Valliſnerio adnotavi, deſcriptiones paulo attentius conferas inter ſe; an ejuſdem ſint morbi, vehementer dubitabis: quanquam nec ſatis illi conveniunt inter ſe. Nam potulentorum omnium vomitum, urinam turbidam, intenſeque rubentem, a tuſſi capitis dolorem tantum, ut hoc videatur in partes diſſilire, dolorem item omnis thoracis, & quædam alia quæ Sydenhamius proponit, Boerhaavius ne memorat quidem: imo in urina vix aliquid unde timendum ſit, ſpectari, indicat. Contra, docet ipſe, proſtratum eſſe jam inde ab initio omnem fere animi motum, videlicet, ut mentis Boerhaavii conſcius Vir Celeberrimus interpretatur, hebetudinem eſſe inſolitam, dum nullis fere animi motibus amplius afficiuntur tales ægri, ſenſuſque externos, & internos torpere: quod in Sydenhamio fruſtra quæras. Inter utrumque autem convenit, ſi paulo habitiores, & craſſi, aut ſi pituitoſi, frigidi, catarrhoſi liquoribus ſpirituoſis, vini maxime ſpiritui, plus æquo ſint addicti, aut ebrietati in primis a valide calefacientibus, eos præ cæteris hoc morbo corripi: nunc incaleſcere, nunc frigere, ſeu vagis horripilationibus affici: anhelos eſſe, ſive ſpiritum crebro ac celeriter ducere: opppreſſionem pectoris, ſive pulmonum coarctationem non deeſſe: nec unum, aut alterum quæ mox perpendemus. Nunc ſi ea in quibus duo iſti Medici peritiſſimi tum diſcrepant, tum conveniunt inter ſe, cum iis conferas quæ nos deſcripſimus, ſciaſque præterea, Valliſnerii colorem optimum, adſtrictum habitum, laudabilem in ciborum, potionumque uſu conſuetudinem; facile intelliges, quantum ejus morbus ab eo diſtaret quem illi deſcripſere. At enim, inquies, conveniebat in eo quod vix caloris, febriſve indicia de periculo monerent, cujus in urina, & pulſu vix ullum aderat præſagium. Conveniebat utique: etſi de inexpectato mortis periculo nihil habeat Sydenhamus, qui præterea fatetur quidem, nulla fere, præſertim in habitioribus eo morbo affectis, eſſe febris indicia; ibi tamen ubi docet, quomodo peripneumoniam hanc notham ab ſicco aſthmate internoſcamus, in illa, ait, manifeſta febris, atque inflammationis ſigna ſe prodere, quamvis minora ſint longe, ac obſcuriora, quam in vera peripneumonia. Sed fac, in his quoque utrumque Scriptorem inter ſe omnino convenire; nos tamen ſigna quærenda eſſe, dicebamus, per quæ, ſi idem qui inſidioſe adeo Valliſnerium ſuſtulit, rediret morbus, mature, aut ſaltem in medio curſu pernicioſum ejus exitum prænoſcere poſſemus: quod num per ea quæ tradiderunt illi, nobis liceat, jam ſatis vides. Multi enim ſunt ab initio fallaces morbi; ſed alius aliis dignoſcitur notis. Sic, ne a pulmonum inflammatione recedamus; quam fallaci ſpecie inciperet, quam exitioſum in finem deſineret illa quæ a Præcl. Jo. Geſnero (*o*) deſcripta eſt, videre poteris. In ea quoque pulſus, & urina, ſignaque alia nonnulla ad ſpeciem erant non mala. Sed horum fallaciam quæ ſatis oſtenderent, peculiaria indicia non deerant. Quod ſi morbi qui Wilh. Huld. Waldſchmidium poſt leves moleſtias aliquas catarrhales Medicæ Reipublicæ improviſo ſurripuit (*p*) eodem fere tempore quo Valliſnerium, ſed anno inſequenti, non ignota nobis eſſet deſcriptio; ſigna alia quam in hoc vidimus, facile quædam legeremus. Erat enim morbus, ægri quoque judicio, & ſenſu, levis adeo, ut inviſere ægrotantes ſuos ad extremum uſque diem perrexerit: quo ipſo die cum ſatis alacer ſurrexiſſet, mox ob magnum virium, ad id uſque temporis nec ab eo perceptum, nec ab domeſticis animadverſum, languorem decumbere coactus, non multis poſt horis, Medicis periculi magnitudinem fruſtra agnoſcentibus, vivere deſiit. Mihi vero de ſignis, per quæ Valliſnerii morbus, aut ejus ſimilior alius poſſet fortaſſe inter initia dignoſci, potiſſimum cogitanti; ex iis quæ die quarto in ipſo adnotavi, imo vel die ſecundo adnotatum fuiſſe, dixi, illud, exempli cauſa, inquiri poſſe videtur, an ſiquis cum cæteris catarrhalis febris indiciis pulſus non habeat plus, minuſve frequentes, ſed rariores potius quam ſanus habere conſueſſet, an, inquam, in eo ſe mox prodat ejuſmodi inflammatio pulmonis. Eſt certe animadverſione dignum, vel poſtquam hæc ſe prodiderat, pulſus tum etiam fuiſſe rariores. Huc adde, in eo quoque Suffocativo Catarrho, quem Schneiderus (*q*), ac Ettmüllerus (*r*) deſcribunt, rarum pulſum inter ſigna proponi: qui catarrhus etſi, ut vel cæteræ ejus notæ monſtrant, non eſt cum eo morbo quem nos deſcripſimus, confundendus; tamen ab utroque Auctore fieri dicitur, cum ſanguis, præſertim pituitoſus, ſeu viſcidior, aut quacunque ratione ſpiſſior redditus, in pulmonibus ſubſiſtit. Verum tu hæc melius; ipſe enim nihil adhuc definio. Hoc tantum dico, pro varia ſanguinis, & corporum, pulmonumque in primis diſpoſitione, varioque modo quo in his illius congeſtio accidit, veri ſimile eſſe, variari ſigna; ut modo præcipua omnia, aut pleraque inflammationis indicia occurrant, idque ut plurimum, modo nulla ferme illorum, aut etiam contraria, ut cum pulſus rarus eſt, denique nulla interdum, ſed pulſu tamen

---

(*m*) Obſ. circa Morb. Acut. Hiſt. S. 6. c. 4. (*n*) Aphor. de cogn. & cur. Morb. §. 867. & ſeqq. (*o*) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 8. n. 1. (*p*) Eod. Commerc. A. 1731. Specim. 25. n. 2. (*q*) De Catarrh. &c. l. 5. S. 2. c. 4. (*r*) Prax. l. 1. S. 14. c. 3. art. 4.

men plus minuſve frequenti, velut in hac, quam protinus ſubjiciam, hiſtoria.

15. SENEX nonagenarius, qui ob contuſum femur ab aliquo jam tempore in hoc cubabat Noſocomio, febricula, cujus nulla exterior cauſa, nullaque apparebant notabilia ſymptomata, noviſſime correptus, ſic ſatis frequentibus, & debilibus pulſibus, nunquam tamen intermittentibus, ſenſim intra paucos dies defecit ſub Novembris finem A. 1741.
IN THORACIS utroque cavo rubens aqua, non tamen multa. Ad pleuram, omnino, & ubique illæſam, ſiniſter pulmo adhærebat alicubi; dexter vero ferme nuſquam. Hic tamen in lobo inferiore tumidus ab inflammatione erat, ac durus. Cor tota propemodum anteriore facie, in ſene alioquin macilentiſſimo, pinguedine opertum. Cum diſſecando, valvulas quæ ad ventriculi dexteri orificia ſunt, omnes inveniſſem non modo non rigidas, aut craſſiores factas, imo quæ ad Pulmonarem ſpectant arteriam, viſæ eſſent ex tenuiore potius membrana, quam ſoleant; ubi ad alterum thalamum ventum eſt, æquo craſſiores occurrerunt Mitrales, Semilunares autem præterea oſſeæ omnes ad eundem modum, atque inflexiles, introrſumque protuberantes, ut a parietibus arteriæ diſtarent ſua facie interiore, & in medio limbo in craſſum corpuſculum excreſcerent, quaſi illud quod ibi maximum omnium delineavi in Adverſariis I. (*f*) non ſolum factum eſſet oſſeum, ſed mole etiam auctius. Magna tamen arteria a corde ad eam uſque partem qua vertebris adhæret, tum Carotides, atque Subclaviæ oſſeas ſquamulas non habuere: quæ in reliquo per thoracem Aortæ tractu conſpectæ ſunt.
In Ventre quoque eadem arteria, & Iliacæ iis ſquamulis non carebant. Pylori orificium ab una tantum parte, ſua quam vocant, valvula inſtructum erat; ab reliqua tota, eaque majori, nihil ejuſmodi extabat, nec unquam extitiſſe, apparebat: inſuper ipſum per ſe orificium multo amplius eſt viſum, quam ſoleat. Renis ſiniſtri ſubſtantia duobus in locis erat excavata, in altero magis, in altero minus: eæ caveæ humorem quaſi aqueum continebant, deſuper propria renis tunica concluſum. Veſica urinaria, ſana cæteroquin, excreſcebat in herniam, cujuſmodi alias (*t*) propoſui, hemiſphæricam, mediocrem, in quam, laxatis ipſius tunicis, patebat per orificium parvum, ſupra finem ureteris ſiniſtri apertum. Sed vera hernia altera, quæ olim inteſtini alicujus partem, aut majorem quam nunc, omenti continuiſſe videbatur, ad ſcrotum occurrebat. Erat ſacculus non ita parvus, ab dextero annulo, ut vocant, abdominis ferme ad teſticulum uſque pertinens inter eam tunicam quæ cum muſculo Cremaſtere adimitur, & membranam, ut videbatur, illæſam, obducentem Spermatica vaſa, quorum interno lateri ſacculus adjacebat. Ad idem enim latus inde unde dixi, per orificium digiti capax ſe peritonæum demittebat, dilatatum deinde in ſacculum, & craſſius factum. Omenti autem exigua, tenuiſque lacinia per id orificium in ſacculum delapſa, hujus parieti arctiſſime adnata erat.

16. Ex hac ſectione, cujus aliæ partes alio attinentes a nobis in loco memorabuntur, ſatis eſt, ſi id nunc attendas quod ſpectat ad pulmones. Quorum inflammationis, ſuis non ſtipatæ ſignis, cum exempla protulerim; ad ea jam tranſeo, in quibus illam videas indiciis ſaltem pleuritidis, quæ nuſquam erat, comitatam.

17. SENEM annos natum plus ſexaginta, ſimul febris, & pungens dolor corripuerat ad anteriorem partem lateris dexteri. Cubabat in dorſum. Lingua erat arida: pulſus magni, & frequentes. Poſt dies aliquod conſuetæ curationis, in Bononienſi Noſocomio S. Mariæ de Morte inſtitutæ, ita a febre, & dolore liber jam factus videbatur, ut ſenior ille Medicus pleniorem victum conceſſerit, poſt triduum autem ad abſtergendas morbi reliquias; ſic enim ſolebat; purgans pharmacum propinaverit. Cum ab hujus uſu multum homo comediſſet; nocte quadam proxima febris, & dolor illius ejuſdem partis redierunt. Pulſus erant duri, frequentes, magni, vibrati ad diem uſque ultimum, atque adeo ad paucas ante obitum horas; nam cum reſpiratio frequens eſſet quidem, nec tamen peſſima, & ſponte ſe in lecto erexiſſet ad ſedendum, ut victurus dies aliquot videretur, mox acccedente ſtertore, mortuus eſt, circa medium Aprilem A. 1706. CADAVERIS, eodem die ſecti, habitus illaudabilis, & macilentus, ſcabioſa femora, ſubſidens abdomen. Thorace recluſo, pulmonis dexteri ſuperior lobus magnus, duruſque ſe obtulit. Quem cum ſecarem, ſubſtantia factum vidimus hepaticæ ſimilem, pus autem, certe puris non abſimilem materiam ſimul cum ſpumoſo humore effluere. In ſiniſtro thoracis cavo aqua ex flavo viridis, mediocri copia. Pulmo qua diaphragma ſpectabat, itemque ad ſuperius latus, ibique arctius, pleuræ adhærebat, flava quadam, tenuique intercedente quaſi membranula. Pleura tamen nuſquam in toto hoc thorace apparuit læſa. Sed ad pulmonem ſiniſtrum ut redeam; lobus ejus inferior, ater poſterius, & durus, ex eadem ibi fuit ſubſtantia, quæ a dextris conſpecta eſt, nec pure caruit, quod album ex eo defluere vidimus, cum pulmones e thorace detraheremus. In pericardio aqua multa qualis paulo ante deſcripta eſt. Ad ſingula cordis orificia polypoſæ concretiones: quarum illa minima quæ ad auriculam ſiniſtram, maxima quæ per Aortam pergebat. Quam arteriam valde latam animadverti, æqualiter tamen, nec ſine indiciis ſupra valvulas inceptura oſſificationis. Ventre aperto, gravis ille odor perceptus eſt, qui ex inteſtinis ſolet inflammatis. Et ſane Tenuia ad longos tractus circumcirca rubebant. Hepar; cujus veſicula ſubjectum pylorum, & Duodenum inteſtinum tinxerat plurimum, tinctura tamen ad intimas tunicas non pervadente; limbum, & proximum in cava facie exiguum tractum lividum habebat. Lienis autem ima facies valde nigricabat. Pancreas duriuſculum fuit.

18. Vides igitur, pleuritidis ſigna in peripneumonia fuiſſe. Et certe cum hanc deſcripſit Hippocrates libro de Internis Affectionibus (*u*), *aliquando etiam in latere* dolorem eſſe, dixit. Quem locum Ballonius, ut in Sepulchreto ipſo (*x*) videris, non modo animadvertit, ſed inſuper Obſervationibus confirmavit ſuis *maxime* in iis quibus *aut thorax hydrope laborat, aut pulmo duriuſculus ſanie multa ſcatet*. Sapienter autem ab eo ſcriptum fuiſſe, non in iis tantum, ſed in iis *maxime*, vel proximæ noſtræ duæ Obſervationes indicabunt, paucis ante ſuperiorem hebdomadis habitæ, in eodemque Noſocomio.

19. LANIUS, annos natus duodeoctoginta, procerus, colore ex fuſco pallido, qui alias ſputo ſanguineo laboraverat, jam ante dies quatuor paulo infra ſiniſtram mamillam internum, eumque pungentem, dolorem ſentire cœperat, cum in Noſocomium admiſſus eſt. Pulſus erant non modo inæquales, ſed & crebro intermittentes, frequentes autem, & qui parum digitis explorantium reſiſterent: tuſſis crebra, eoque ſono qui latratui eſſet propemodum ſimilis: ſputa craſſa, in iiſque albæ particulæ quaſi polypoſæ: difficilis reſpiratio: decubitus dumtaxat in dorſum. Sanguis ea die quæ morbi videlicet erat quinta, emiſſus ad uncias octo, ſeri non plus habuit quam uno cochleari excipi poſſet: id erat turbidum: cruſta autem flava, in ſummaque ſuperficie quæ concava erat, lividis punctis diſtincta, duos digitos alta, ſciſſioni reſiſtens; at ſubjectum craſſamentum diffluens in tot quaſi grumulos. In ſputis poſtea apparuit ſanguis. Cum morbus nihil remitteret; vena iterum ſecta eſt die ſeptima. Tunc cruſta apparuit tenuis; ſerum autem, quod aurei erat coloris, juſta fuit copia, & craſſamentum naturali firmitudine. Sputo imminuto, & cæteris omnibus perſiſtentibus, cum homo amplius loqui non poſſet, in dexterum autem latus ſe convertiſſet, in hoc cubans, placide, & ſine

(*f*) Tab. 4. Fig. 3. (*t*) Adverſ. 3. Animad. 36. (*u*) n. 4. (*x*) Schol. ad §. 4. Obſ. 20. Sect. hujus.

& ſine ſtertore mortuus eſt octava die. THORACEM poſtridie ſecantes, pulmonem dexterum invenimus adhærentem ferme undique ad pleuram, ſic tamen, ut facile, illæſaque ſua membrana, ſeparari poſſet; ſi lobi ſuperioris ſupremam partem excipias. Hæc enim cum pleura connata erat, intraque ſubſtantiam ex livido atram plures continebat cellulas rotundas, parvas, proprio ſingulas folliculo undique comprehenſas, ut nullus, quantum obſervare licuit, pateret exitus, læves intus, & prorſus inanes: quas antiqui morbi, de quo indicatum eſt, veſtigia eſſe, cenſui. Odor ex inciſa hac pulmonis parte exiſtebat qualis ex acido ſero, ſive ex ore puerorum exiſtit quos lumbrici male habent. Siniſtri vero pulmonis ſuperior lobus nihil habuit vitii: nimio dumtaxat ſeroſo humore ſcatebat. At inferior gravis, rubens, durus ſubſtantiam omnem ſuam in hepaticæ ſimilitudinem mutatam oſtendit. Hic alicubi adhærebat pleuræ: latis autem, albiſque mucoſæ quaſi membranæ portionibus paſſim tegebatur: quali, ſed rubra, ſub perpauco turbido ſero ea quoque obducebatur diaphragmatis facies, quæ ei lobo reſpondebat. Facile autem erat ejuſmodi membranas ab illæſa ejus lobi, aut diaphragmatis facie amovere, & ab hac præſertim, cum pleura, thoracis parietes, ipſumque adeo diaphragma conveſtiens, raro ſpectaculo non ſolum cartilaginea duritie eſſet, aut oſſea, ſed ex magnis paſſim, nec tenuibus laminis revera oſſeis compingeretur, exſtarentque ex illa ejus ſuperficie qua thoracis cavum ſpectabat, præſertim ubi oſſeæ erant laminæ, creberrima tubercula oſſea, hemiſphærica, granorum viciæ magnitudine. Quæ omnia etſi in dextera magis, quam in læva thoracis cavea ſpectabantur; tamen in hac quoque multis in locis pleura ad deſcriptam conſtitutionem accedebat, in quibuſdam vero jam erat aſſecuta; in nullis autem erat ſubrubens, nedum inflammata. Pericardium mediocrem aquæ ſubrubræ copiam habebat: dexter autem cordis thalamus polypoſam concretionem carneo colore, planam, ſed amplam, & in auriculam proximam ſe extendentem, præterea aliam teretem, & denſiorem, quæ pertinebat in arteriam Pulmonarem. Ei ſimilis a ſiniſtro ventriculo ſubibat Aortam: minima omnium, cruſtæque non abſimilis ad ſiniſtram erat auriculam. Sanguis autem ater, & ſemiconcretus inerat præterea in thalamo utroque, Magnaque arteria.

Ad Ventrem denique convertimus oculos, ejuſque præſertim infimam partem. Ad ile enim dexterum in flaccidum, ſublividumque tumorem abdomen ſe attollebat. Quem, hoc diducto, ad Colon inteſtinum, aere ea in parte diſtentum, cum pertinere conſpiceremus; continuo ad tumores alios examinandos perreximus. Parvum, qui in ſiniſtro erat inguine, fieri vidimus ab inguinali glandula, unum tranſverſum digitum craſſa, duos longa, unum cum dimidio lata: quam incidens, maxima quidem ex parte colore, & ſubſtantiæ modo eſſe comperi ſecundum naturam, ex reliqua autem albam, & quæ ex parvis quaſi globoſis particulis conſtare videretur. Tunc ſcrotum, utrinque, ſed a læva præſertim, tumidum, a dextra autem in fundo rubens, diſſecando, tres hernias deprehendi. A ſiniſtris primam, ſacculum videlicet a ventris cavo pertinentem ad ſuperiorem uſque teſticuli partem, tunc quidem rugoſum, & nihil, niſi omenti bene longam laciniam, & quæ facile poſſet extrahi, continentem; ſed quem alias admiſſo inteſtino fuiſſe diſtentum, cum illæ ejus rugæ, tum præſertim Ilei, & nonnulla ex parte, etiam Coli inſoliti in ventre gyri, & complicationes indicabant. Herniæ autem aliæ duæ, alterius generis, ſingulæ intra ſingulas Vaginales tunicas, denſiores factas, ab aqua fiebant ſubflava: quam facile illuc ex diſrupta hydatide effuſam fuiſſe, cenſui, cum hujus mihi viderer reliquias agnoſcere in parvula quadam quaſi veſicula, craſſis, ut ſi contracti in ſe fuiſſent, parietibus effecta, propptereaque jam propemodum ſolida, carneique coloris: ea per pedunculum ab Albuginea tunica pendebat, qua hæc prope majorem epididymidis globum ventrem teſticuli conveſtit; quam omnino ſedem tum quæ dextero, tum quæ ſiniſtro adnata erat teſti, veſicula obtinebat (*y*). Canaliculi qui ſemini elaborando, ſed multo magis vaſa quæ ſanguini evehendo inſerviunt, præter morem ampla erant; ut Varicoſæ etiam herniæ quaſi initium quoddam utrinque eſſe videretur, a cæteris potius herniis, quam ab hominis ſalacitate repetendum, quippe cui ſine ullo prægreſſi unquam morbi veſtigio præputium non ſecus ultra glandem adſtrictum eſſet, ac in probis adoleſcentulis invenitur, qui necdum ullam veneris notitiam habuerint.

20. Quæ in prolixa hiſtoria legiſti, non omnia, ut vides, ad hunc attinent locum; tamen omnia, ut fere ſoleo, ſimul conſcripſi, ne quæ obſervatione conjuncta fuere, obſcurarem, ſi narratione dividerem. Ex iis quæ huc ſpectant, fuerunt in vivente albæ illæ quaſi polypoſæ particulæ quæ cum ſputis rejiciebantur. Facile fuerint re ipſa polypoſæ. Ut enim aliquando in utero, & inteſtinis ex viſcidis corpuſculis in unum compactis fiunt polypoſæ concretiones; cur non etiam in Aſpera arteria? Quin ut illas vidimus uteri, & inteſtinorum formam referentes, ita has pariter conſpeximus in adoleſcente præſertim qui A. 1704. in Bononienſi Noſocomio S. Mariæ de Vita ex peripneumonia decumbebat, qua etiam paucis diebus extinctum; ſed non diſſectum, quæcunque fuerit cauſa, fuiſſe, memini. Cum enim ſputa, eaque plurima expectoraret qualia nec ii qui diu ægris inſervierant, nec Medicus ipſe Exercitatiſſimus alias vidiſſe recordarentur, ex albis fruſtulis, ſanguine & ſpuma aſperſis, conſtantia; alicui noſtrum viſum eſt, ut ſputa illa examinis gratia in aquam conjecta agitarentur, quod dum fieret, fruſtulum vidimus ſe ſe dividere in ramos tres, hos autem ſingulos in ramuſculos plures, qui demum in capilli tenuitatem deſinebant. Poſtea autem apud Cl. Cheſeldenum (*z*) pictam conſpeximus ejuſmodi concretionem rejectam ex Aſpera arteria, ut hujus diviſionis modum oſtendat. Et tunc rediimus in memoriam, apud quos antea alias hujuſmodi concretionum imagines vidiſſemus: primum videlicet apud Ruyſchium (*a*), qui vel capillares expreſſit ramuſculos; ſed cum admonuit, vaſiformes ejuſmodi polypos *nulla in re ab arteriis, veniſque* in ſpeciem *differre, quam ſola cavitatis abſentia, cum ubique ſolidi, durique exiſtant;* in errore quem tollere volebat, invitus nonnullos, quorum parcendum eſt nomini, confirmavit, qui nimirum in iſtiuſmodi polypos, qui cavi eſſent, forte inciderunt. Buſſierius enim cujus quoque delineationem in Eruditorum Actis videram, quæ Lipſiæ eduntur (*b*), quomodo cavi formari poſſint, non ſolum docuit, ſed unum, qui erat cavus, ex univerſa Aſpera arteria puelli exemit, a quo dum viveret, extuſſitum venoſum pulmonum vas perperam credebatur. Sed & Cl. Nichollſius (*c*), qui poſtea etiam pictam dedit, expectoratam ab aſthmatico unam, & alteram concretionem, vidit utramque ramoſam, & cavam. Eodemque pertinuiſſe, non dubito, quamvis ramoſa non eſſet, *maſſam carnoſam rubentem inſtar carnis recens mactatæ, ſine ullo fœtore, ad articuli longitudinem, & minimi digiti craſſitiem, interius autem adinſtar vaſis cujuſdam venoſi*, qua per tuſſim ejecta, duodecennis puer (*d*) diu quavis hyeme vehementer tuſſiens, & viſcida exſpuens, continuo liberabatur. Ceterum extuſſitas concretiones ramoſas viderunt plures, & in his Illuſtris Senacius (*e*). Paſta autem noſter Experientiſſimus (*f*) cum tria protulit hujus generis exempla, ſibi conſpecta, tum etiam, nec ſine ſumma ratione, cum iis fecit qui eodem retulerant duo, quæ ſic a Tul-

(*y*) Vid. Epiſt. 43. n. 16. & ſeqq. (*z*) Anat. of the hum. body Tab. 19. (*a*) Reſp. ad Epiſt. Probl. 6. Fig. 4.
(*b*) A. 1701. Tab. 4. Fig. 5. (*c*) Vid. Commerc. Litt. A. 1733. Hebd. 37. & Tab. 2. Fig. 1. (*d*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 196.
(*e*) Traité du Coeur l. 4. ch. 3. n. 2. (*f*) Epiſt. de Cord. Polyp. n. 11.

Tulpio (*g*) propoſita fuerant quaſi exempla eſſent veri pulmonaris vaſis per tuſſim rejecti . Quo pariter referenda facile credes non modo recenſitum a Bartholino (*h*) qui non ſecus ac Tulpius , imaginem addidit, ſed & cætera , quæ apud Moellenbroccium (*i*) , & Mackium (*k*) , & alios fortaſſe leges , tanto autem magis illud *venæ fruſtum parvum per tuſſim excreatum e pulmone* , quod ex Nicolo Florentino memorat Marcellus Donatus (*l*) , quanto ea tempeſtate minus cognita erant quæ hac noſtra ſunt : quanquam mirari ſubit , Donatum, qui id, ait, *tanquam raro admodum contingens* , *omittere noluiſſe* , de Galeno , in cujus valde erat lectione verſatus , non ibi feciſſe mentionem , ſcribente (*m*), ſe *fruſtum quoddam vaſis* , *haud ita parvum* , *tuſſiendo rejici vidiſſe* , *quod ex pulmone fuiſſe eductum* , *plane intelligebant diſſectoriæ artis haud imperiti profeſſores : quotquot enim ad aſperam arteriam in collo perveniunt vaſa* , *omnia capillorum fere ſpeciem referre* . Num vero Hippocrates in ea Epidemiorum (*n*) hiſtoria quæ ſic incipit : *Pherecidæ poſt ſolſtitium hybernum nocte lateris dextri dolor* ; deſinit autem , ut recte agnovit Valleſius (*o*) , in his verbis, *ante mortem tuſſiendo rejecit velut ex muco fungos compactos* : *excrearat autem & antea parva alba lactea* , num , inquam , his ipſis verbis concretiones de hoc genere indicaverit , eo libentius in medio relinquam , quod hiſtoriam illam idem conſultiſſimus Interpres *vitiatam eſſe mille modis* , non dubitat , idque *ob vetuſtatem* , & *codicum corruptionem* . Illud ſatis eſt , ex iis quæ dixi , intelligi poſſe , ex polypoſo ſive ſanguine , ut in utero , ſive etiam ſero , ut in inteſtinis , in bronchia ejecto , mora fieri in eorum cavis ejuſmodi concretiones. Quo poſito , aliud quoque intelligi poſſe, cenſeo, hoc eſt unde fiat , ut penitus inflammati pulmonis ſubſtantia hepaticam repræſentet . Scilicet ubi non ſolum vaſa ſanguifera , ſed & bronchiorum rami , ramulique omnes ad quandam pulmonis ſedem pertinentes , & cum his communicantes veſiculæ polypoſis concretionibus infarctæ , oppletæque ſunt , ibi pulmoni id accidat, neceſſe eſt quod in libro *de Veteri Medicina* (*p*) ſic legitur : *quum* pulmo *ſuſcepit ipſe in ſeipſum humorem* ; *& vacua* , *& rara* , *ac parva penitus explentur* , *& pro raro ac molli durus* , *ac denſus evadit* , *& neque concoquit* , *neque dimittit* . Unde igitur ſit pro mollitie , & raritate , nova iſta durities , & oppletis quæ natura inanes erant , tenuiſſimis cunctis fiſtulis , & veſiculis , quaſi hepatica denſitas, præclare intelligis, &, quod conſequitur, pro levitate etiam pondus quod hepati conveniret . Color autem alias rubicundior , aut ater eſt , alias pallidior , ut rubra pars ſanguinis alias minus, magiſque conſtipata, alias parcius aut neutiquam prorſus cum polypoſa in utroque genere vaſorum ſubſiſtit ; neque enim ſemper eſt ſanguis qui, vi facta ſuis vaſculis , in arteriam Aſperam diſtillet ; ſed vel ſæpe ex hujus dumtaxat glandulis ſerum , fœtum uberrime particulis polypoſis , quippe quæ in morbis ejuſcemodi ea copia cum ſanguine circumeunt , quam oſtendit polypoſa cruſta in hujus emiſſi , & jam concreti ſumma parte , nec tenuis , plerumque ſpectanda : qualis in hoc quoque , de quo loquimur, Sene conſpecta eſt, cum primum quidem miſſus eſt ſanguis.

21. Cur vero tenuis in eo ſanguine fuerit quem poſt biduum emiſere , num cauſam fuiſſe , cenſebimus , quod polypoſæ materiæ pars magna interea in pulmone hæſiſſet, ejus adaugens infarctum ? Quam ſi cauſam forte non improbas; intelligis certe , quam intempeſtive lætentur nonnulli Medici, qui, cætera non attendentes, id unum ſpectant, tenuiorem , aut nullam in ſanguine jam eſſe cruſtam , quæ antea fuerat craſſa. Cave tamen , ne viciſſim iis in univerſum aſſentiaris, quos ego aliquando pronunciantes audivi , ſi in hujuſmodi morbis ſanguis, ſecundo miſſus, cruſta careat, id adeo malum eſſe, ut ſi tertio mittatur, intereant ægrotantes. Scilicet plura ſunt quæ caſu poſſunt efficere, ne cruſta exiſtat, extitura alioquin , ſi illa non accidiſſent, quæ ſæpenumero non attenduntur . Sydenhamius (*q*), qui longe alio tempore in Anglia floruit, ac quo ille vivebat quem tradidiſſe , ajunt Marcellus Donatus (*r*) , & Vincentius Baronius (*ſ*), *apud Anglos pleuritidem morbum .... rarum admodum conſpici* , *ut novum propemodum ſit illis malum*; cum certe ipſe *non alium* hoc *frequentiorem* offendiſſet, plura , ut noſti , de eodem adnotavit, quorum aliqua etſi noſtrates Medici non imitantur, exempli cauſa, ut *durante morbo* , ... *lecto quotidie eximatur* æger , *idque ad horas aliquot* ; bona tamen ſunt quædam alia, interque hæc, quæ de cruſta ſanguinis animadvertit, ſi non ſemper, ut alii (*t*) adnotaverunt, at ſæpe adeo reſpondentia, ut pro veris acceperit Boerhaavius (*u*). Quæ cum attenderis; facile intelliges, quam pronum ſit falli, cum ea cruſta aut tenuis, aut nulla apparet, niſi Medicus, concretum inſpiciens ſanguinem, ſciat, tunc cum mitteretur , primum per cutemne reperet , tum an minus pleno exiret filo, denique an calens adhuc fuerit agitatus . Hæc vero quotus quiſque in quibuſdam præſertim locis, inter inſpiciendum ſanguinem, exquirit? aut concreveritne in aere præter omnem modum frigido, an calido? poſtquam ab utrolibet ſeri præpediri ſeparationem, Doctiſſimus memoravit Senacius (*x*). Ob illa igitur, de ſanguine a me deſcripto propoſiti Senis, etiamſi forte tunc exquiſiverim, in meis ſchedis non adnotata, nihil de cauſa ejus mutationis definire paulo ante nolui, præſertim cum haud una illa in re mutatus ſit, nec ignorem, quæ ad miſſi ſanguinis obſervationes , & cauſarum inquiſitiones attinent omnium quæ tot, ac tam varia in ipſo ſpectantur, multa apud Medicos adhuc deeſſe, & diu facile eſſe defutura.

22. Quod vero ad pleuram attinet, in mortuo oſſeam inventam ; res ſane multo rarior eſt , quam ut a ſola ætate ſit repetenda . Seniores hoc plures diſſecuimus , in his illum de quo ſuperius (*y*) dictum eſt, annis circiter duodecim majorem natu, quam hic eſſet ; nec unquam alias in par ſpectaculum incidimus. Vix A. 1741. in ſene mediocris habitus , ex diarrhœa mortuo, cujus cadavere uſi ſumus ad plura ſecundum naturam ſe habentia Diſcipulis noſtris demonſtranda, cum pulmonem alterum a dorſo avellere ſine laceratione non liceret , animadvertimus inter coſtas, & pulmonem laminam oſſeam intercedere, cujus adhuc partem aſſervamus. Adhærebat ea lamina ſic ut detrahi tamen poſſet, coſtis aliquot, & ſpatiis illis quæ inter eas erant interjecta, proxime vertebras: quam vicinitatem in ſequenti etiam animadvertes hiſtoria. Sed præterquam quod dubitavi , eam laminam non tam ex pleura eſſe, quam ex pulmonum membrana ; nec latitudine pollicem , nec longitudine decem tranſverſos digitos multo ſuperabat , neque alibi quam eo in loco , quidquam ſimile occurrebat .

Cæterum Præſtantiſſimus Hallerus (*a*) aliquoties vidit pleuræ *calloſitatem* , præſertim vero in ſuſpenſo fure , ut *magnam* , *manuique parem ſedem occuparet* . Erat in hoc pariter *qua coſtas* pleura *poſterius* tegit : neque tamen *os erat* , *ſed callus*. Cl. autem Hottingerus (*b*) *pulmones ſiniſtro lateri accretos* , *pleuramque materia quadam cartilagini haud abſimili veſtitam* invenit , eaque a pleuritide qua ante aliquot annos mulier laboraverat, eſſe cenſuit. Fortaſſe & fur ille , & ſenes de quibus dictum eſt , ex prægreſſa olim inflammatione calloſam , oſſeamque factam eam membranam habuere .

Verum, ut his miſſis , ad primum illud propoſitum (*c*) revertamur; pleura non erat inflammata in ea de qua hactenus locuti ſumus , hiſtoria, neque pulmo ſanie multa ſcatebat , neque thorax hydro-

(*g*) Obſ. Med. l. 2. c. 12. 13. (*h*) Cent. 3. Hiſt. Anat. 98. (*i*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 2. Obſ. 91.
(*k*) Earund. Dec. 2. A. 10. Obſ. 102. (*l*) De Medic. Hiſt. Mirab. l. 3. c. 10. (*m*) De loc. aff. l. 1. c. 7. (*n*) l. 7.
(*o*) Comment. in eund. l. n. 82. (*p*) n. 40. (*q*) Sect. 6. cit. ſupra , ad n. 14. c. 3.
(*r*) De Hiſt. cit. ſupra, ad n. 20. l. 6. c. 4. (*ſ*) De Pleuripneum. l. 1. c. 2. (*t*) Vid. apud Swieten Comm. in Boerh. Aph. §. 890.
(*u*) Aph. § 314. & 901. (*x*) Tr. cit ſupra, ad n. 20. l. 3. ch. 4. n. 8. (*y*) n. 15.
(*a*) Progr. de indur. corp hum. partibus §. 2. (*b*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 10. Obſ. 231. (*c*) n. 18.

hydrope laborabat; & tamen pungens dolor infra mamillam perceptus fuerat. Nunc ad alteram, in his omnibus ſatis conſimilem, tranſeamus.

23. VIRUM annorum circiter quadraginta pungens corripuit dolor lateris dexteri cum febre, & calore magno. Cum domo, ubi ſanguinem miſerant, in Noſocomium illatus eſt, quarta videlicet inchoata morbi die, pulſu erat parvo, frequenti, & nonnihil inæquali; frequenti quoque, & debili reſpiratione. Supinus jacebat. Vultus erat ſoporoſi. Mens parum conſtabat. Noctem egit inquietam cum difficili reſpiratione. Hæc mane jam erat difficillima. Sic, addito ſtertore, obiit circa finem ejuſdem diei quartæ. THORACEM inſecuta nocte diſſecantes, nihil in pleura quod præter naturam eſſet, ſpectavimus, niſi quod propter Spinæ ſiniſtrum latus tribus, quatuorve exaſperabatur tuberculis, quorum color albus, durities inſtar oſſis. Ab ea parte pulmo ferme ſanus, fulvo cæteroquin humore imbutus quacunque ſecaremus. Qui vel uberius ex pulmone prodibat dextero. Hic vero & major, & gravior, & durior, ubique hepatis ſubſtantiam referebat, exceptis quibuſdam non exiguis tractibus in quibus ſubſtantia erat albida, & quaſi ad corruptionem vergente. In omnibus cordis orificiis aliquid polypoſæ concretionis, minimum ad ſiniſtram auriculam, multo plus ad dexteram, utrobique cum grumoſo ſanguine, inter utriuſque modum id quod polypoſi in Pulmonarem, & Magnam pertinebat arterias. Cranio recluſo, vaſa turgidula inveni quæ per Tenuem feruntur meningem: ſub hac autem aquam: cujus in ventriculis Lateralibus portio fuit aliqua, ſed ſubrubentis. Choroides plexus minime pallidi; nec ſine hydatidibus tamen. Ventre tandem aperto, Tenuia inteſtina conſpecta ſunt nonnullis in locis, iiſque perpaucis, leviter inflammari incipientia. Hepar duriuſculum viſum eſt: eratque lividum tum in limbo, tum per magnum cavæ proximæ faciei tractum; ſed hic ſuperficie tenus, non illic. Denique lien adeo laxus, ut digitis admotis nullo negotio diſcerperetur.

24. MULIER ætate conſiſtente eodem A. 1706. eodemque in Noſocomio haud ita multo ante tres illos de quibus noviſſime diximus, mortua eſt: cujus morbus ad hunc modum ſe habuit. Cum uterum ferret menſem jam tertium; abortum fecerat. Poſt hunc etſi ex utero tantum ſanguinis defluxerat, quantum ſatis ipſi eſſe videretur, etſi inſuper vena ſecta fuerat; tamen octavo, an decimo poſt abortum die, cauſa nulla prævia, quam ſciret, interna thoracis inflammatione correpta eſt: ob quam domi primum, deinde in Noſocomio cubuit ad diem uſque ultimum, qui trigeſimus circiter fuit poſt abortum. Ibi jacens ſemper in latus dexterum; nam in ſiniſtrum, dorſumve non poterat; præter febrem, ſpirandique difficultatem, de thoracis dolore querebatur, interiore illo quidem, non qui tangendo exaſperaretur; ſed cujus ſedem deſignare ſatis non poterat. Tuſſiebat; ſed aut nihil exſpuebat, aut ſi quidpiam, nihil certe quod attineret ad morbum. Surditas acceſſerat, & in auribus dolor: quamobrem quoque, ut opinor, ſanguinem cum e brachio antea miſiſſent, e pede quoque miſerunt. Verum incaſſum omnia. THORACEM, Caput, Ventrem non niſi poſt triduum, ſecare potuimus. In primo paucam utrinque, pauciorem tamen a dextris, aquam deprehendimus turbidam, atque ſubluteam. Pulmones, ferme ubique ad pleuram annexos, cum abſtrahere conarentur, pellicula ſequebatur quædam albida, & facile diſrumpenda, quæ pulmonum certe non erat membrana, quippe quæ omnino integra ſuberat, & illæſa: num vero ex pleura eſſet, ut videbatur, neque tunc ſatis conſtitui, neque nunc pro certo crediderim, cum membraniformium illarum, de quibus ſæpe dixi, concretionum venit in mentem: quas neque ad pleuram neque ad pulmones attinere, non ſæpius modo, cum recentes adhuc eſſent, & molles, ſed vel poſteaquam longa mora, & tempore ſiccatæ erant, mihi evidens fuit in nonnullis eorum qui ab hujuſmodi morbis olim evaſerant, cadaveribus, velut in eo quod, cum hæc ſcriberem, diſſecabam. Pulmonem enim dexterum, toti pene lateri, dorſoque proximo arctius, nulloque relicto intervallo cohærentem, avellens cum perpetuam, æqualem, ſiccam, denſam toto eo ſpatio reſtare membranam viderem, quæ ad pulmonem, quippe ſua integra membrana veſtitum, non attinebat, ad pleuram quoque minime ſpectare, animadverti propterea quod hanc omnino illæſam ei ſubeſſe membranæ, vidi, quam uno tractu non difficile ſequentem adimebam. Sed ad mulierem ut revertar; erant ejus pulmones inflammati, præſertim ad poſteriora; ſubſtantiam enim oſtendebant magis denſam, atque duriuſculam, & alicubi etiam nigricantem. In pericardio ſubrubræ aquæ, & turbidæ copia aliqua. In utroque cordis ventriculo polypoſæ concretiones quaſi ex muco quodam, colore inter album, & flavum medio. Cranii exſecto fornice, alia ejuſdemmodi, exiliſque concretio in Superiore Falcis Sinu, aqua autem modica ſub meninge Tenui conſpecta eſt; in ventriculis ferme nulla. Neque erat cerebrum omnino laxum: Choroides autem plexus bene ſe habebant. Glandula tamen Pinealis ea magnitudine, ut mediocrem uvæ acinum propemodum æquaret, vix leviter cultro tacta eſt, cum aquam turbidam, & paucam materiam ſubflavam, ac mucoſam emiſit, emiſſaque detumuit. Tunc auribus introſpectis, utriuſque Tympani Membrana nigricans, & flacciſſima viſa eſt, tum utrique proxime adjectæ cellulæ Maſtoidææ nimis humidæ: quin altero in Tympano materia quaſi purulenta: exterius autem in proximo occipitio, ad ſiniſtram præſertim partem, quidquid cellurarum in communibus tegumentis eſt, quaſi mucoſa aqua diſtentum. Utrinque tamen Parotis glandula, & Meatus Auditorius ſana fuerunt. Ventrem denique vel ob id recludere viſum eſt, quod ab epigaſtrio deorſum tumeret, ſique eum premeres tumorem, flatus continuo per os prodirent. Igitur jecor, omnium quæ ad id tempus videram, maximum, ventriculum in regionem umbilicalem compulerat. Hic erat aere tumidus. Illud vero durum ubique; colore tamen, quamvis ad album vergeret, non ita denique ab eo quo eſſe ſolet, alieno. In ejus veſicula, bilis quaſi nigreſcebat. Lien magnus; nihil tamen ad hepar. Uteri parietes viſi ſunt paulo craſſiores, exſangues tamen, ſive ipſos tranſverſos inciderem, ſive digitis ſubtus appreſſis ſanguinem ex intima quæ livida erat, fundi ſuperficie exprimere conarer. Tubarum altera in fimbriis appenſas hydatides ſic habebat, ut poſſet majus illius orificium clauſum videri. Verum utraque ſuo illo albo puriformi humore multo adeo ſcatebat, ut ſi Tubarum craſſiorem partem orificium verſus comprimeres; exiſteret ille, & hoc monſtraret. In Tubæ autem alterius medio corpuſculum intus erat, nigrum, forma uvæ acinum, nec ſine quodam quaſi petiolo, repræſentans, quod ſanguinis grumulus videbatur, & fortaſſe erat. Teſtes ſuperficie inæquali, & una atque altera nigra macula diſtincta. His maculis peculiaris ſuberat parva cyſtis, nigro globulo occupata. In unius autem globuli medio erat minor alia quaſi cavea colore ex nigro, flavoque miſto. Cæterum uteri, annexarumque partium odor gravis quaſi ſphaceli: in pelvi autem ventris pauca aqua ſubrubra, & turbida.

25. Hæc ultima, ob prægreſſum abortum quærendo, animadvertimus. Quæ in Pineali glandula adnotata ſunt, falſos eſſe quoſdam ejuſdem uſus, confirmant. Quæ in auribus, ea vero ad illa referenda ſunt quæ alibi (*d*) attigimus de cauſa ſurditatis in morbis acutis. Ad propoſitum attinent quæ in pulmonibus ſunt animadverſa. Unde tamen decubitus impotentiam in ſiniſtrum latus non repetes; ſed

(*d*) Epiſt. 6. n. 5.

ſed potius ab ingenti illa jecinoris mole, minus ventriculum gravante cum mulier cubabat in dexterum. Quantum autem a prægrandi hepate deorſum trudi aliquando ventriculus poſſit, Sepulchretum alibi (*e*) oſtendet.

26. Nunc a Bononienſi illa quaſi epidemica tunc inter pauperes pulmonum inflammatione ad Patavinam quandam tranſibo, quæ hyeme A. 1738. nuſquam magis quam in quibuſdam Monacharum Cœnobiis graſſata eſt, in uno autem maxime, ut quæcunque ea prehenderentur, omnes, nonnullæ etiam intra dies quatuor, interirent. Quæ cauſa videlicet fuit, ut cum jam novem deceſſiſſent; publice mihi mandatum fuerit, ut morbi naturam, etiam per diſſectionem, inquirerem. Non erat difficile intelligere, nihil in eo eſſe contagioſi, cum ex iis quæ ægris aſſederant, nulla morbum contraxiſſet, imo quæ ab ægris ſibi maxime caverant, illæ morbo correptæ eſſent, nec ſine peculiari cauſa, & diſpoſitione fere ſingulæ, nimirum alia veteris ulceris in crure occluſione, alia prævio in pectus caſu, quæ multum in hac ultima ægrotatione exſpuerat ſanguinem, alia ad phthiſim jam ante diſpoſita, aliæ denique alia cauſa quæ thoracis vires, pulmonumque infirmaſſet, ut quæ decrepita erant ætate. Sed tamen, cum earum quæ tunc ægrotaverant; etſi tres, neque ignobiles Medici alius aliis adhibiti eſſent; ne una quidem, ut diximus, ſervari potuiſſet; id vero non tam morbi vi, quam non bene cognitæ ejus naturæ, a multis, & a Monialibus in primis, adſcribebatur. Quam ego opinationem qua arte convulſerim, ex ſubjecta cognoſces hiſtoria. Cum enim decima jam mortua eſſet, Medicique illi, & ego ad ejus ſectionem conveniſſemus; priuſquam hæc inchoaretur, petii, ut quæ in ejus morbo adnotata eſſent, actaque, narrarent. Quod ſenior, qui eam curaverat, diligenter fecit ad eum modum quo mox referam; confirmantibus reliquis duobus, ſe quoque in cæteris non diſſimilia vidiſſe, & egiſſe, niſi quod unus qui oleum dederat ex dulcibus amygdalis recens expreſſum, ingenue addidit, inde ægram pejus habuiſſe. Verum ad eam quæ tunc diſſecanda erat, veniamus.

27. VIRGO annos nata ad quadraginta duos, quotannis hyeme non mediocri tuſſi obnoxia, optimo habitu, ſanguine abundans, in magnis, aſſiduiſque laboribus, ut ſuo inſerviret Cœnobio, verſata, noctu febri correpta eſt, qua primum toto corpore perfriguit, mox incaluit. Ad febrim, interjectis horis viginti quatuor, dolor pectoris acceſſit altera ex parte cum ſpirandi difficultate, tuſſi prorſus irrita, pulſibus ſubduris, & ferme ad mortem uſque digitorum preſſioni reſiſtentibus. Progrediente morbo, dolor ab illa ad oppoſitam pectoris tranſivit partem. Erat ſenſus ponderis intra thoracem. Neutrum in latus cubare licebat. Miſſi ſanguinis vireſcens ſerum, polypoſa cruſta, huic autem ſubjecta pars reliqua nigredine fuit ſumma, & duritie. Sanguis autem ſtatim ac dolor invaſit, & deinde alias, atque alias miſſus eſt juſta copia ejuſmodi in corpore, tum e brachiis, tum ſicut hic ſemper in fœminis ſolent, intra eundem diem etiam e pedibus. Neque præterea omiſſum eſt quidquam eorum quæ ejuſmodi in morbis hic præſtari ut plurimum conſueverunt. Attamen die ineunte ſeptima, mortua eſt. Quæ cum ego audiviſſem; fretus iis quæ poſt ejuſcemodi ſignorum præcipua ſemper inveneram, agite, inquam, ſecetur cadaver; morbi natura hæc facile reperietur, ut in pulmonibus ſubſtantia appareat jecinoris. IN THORACE igitur, per Chirurgum aperto, nihil fuit effuſi humoris, & nulla pulmonum cum pleura connexio, præterquam ad latus ſiniſtrum, & hæc quidem neque arctiſſime, neque multum ad ſpatium. Dum eam disjungeret, pulmonemque propterea premeret, inde ſerum turbidum effluxit, nec omnino paucum, an ex pulmone, ut viſum eſt, an ex interſtitio inter hunc, & pleuram intra oras connexionis relicto, eo magis incertum fuit, quod ibi nec pulmo, nec pleura peculiarem ullam oſtendebant læſionem; ſed ille ſubalba, craſſiuſcula quaſi membranula operiebatur, qualem ſæpe in ſuperioribus hiſtoriis, etiam qua pulmo ſolutus erat, deſcripſimus; pleuræ autem reſpondenti, ſuperficie tenus adhærebat rubicundum quoddam quaſi ſedimentum, quale in aqua ſubſideret in qua recens caro lota eſſet. Alio in loco ubi nulla fuerat adhæſio, pulmonis ſuperficies quaſi in tuberculum prominebat, quo inciſo, ſubalbum inſtar puris ſerum effluxit. Tum pulmones extrahi, juſſimus. Non modo graves erant; ſed etiam non uno in loco duri. Diſſecti denſam compactamque, ut prædixeram, hepaticæ inſtar, ſubſtantiam a ſuperficie introrſum ad magna ſpatia oſtenderunt, alibi rubriores fere, & ſubalbo illo ſero ſcatentes quod in tuberculo deprehenſum fuerat; ut evidens eſſet, utriuſque pulmonis inflammationem, quæ jam in ſuppurationem degenerabat, mortem attuliſſe. Cæterum in pericardio vix quidquam ſeri; in corde autem nihil polypoſi inventum eſt: quia ſiniſter ventriculus vix aliquid; dexter autem paulo plus habuit nigri ſanguinis, & minime fluidi.

28. His ita perſpectis, reverſus cum cæteris, ubi Antiſtita nos expectabat, non ignotus, dixi, ut timebatis, rariſque morbus tot Virgines ſuſtulit; ſed notiſſimi, & frequentiſſimi vehementia. Cujus rei id vobis argumento ſit, quod ante cadaveris diſſectionem tales pulmones inventum iri, prædixerim, quales revera inventi ſunt; neque enim hoc facere potuiſſem, niſi creberrime ex hoc ipſo morbo denatos incidiſſem: feci autem conſulto, ut vos ipſæ verum eſſe id quod modo pronunciavi, plane intelligere poſſetis. Sic metus, & opinatio illa ſublata ſunt: converſuſque ſermo eſt ad eam, quæ feliciſſime ceſſit, rationem proponendam, qua cæteræ poſſent, & præſertim quæ laxioribus, & imbecillis eſſent pulmonibus, morbum cavere; neque enim dubium nobis videbatur, quin ob hanc potiſſimum cauſam in iis quæ deceſſerant, vinci non potuiſſet peripneumonia. Quæres hic fortaſſis duo: alterum, qui primi olim in iis quos hæc inflammatio abſumpſit, pulmones animadverterint ſubſtantiam hepaticam referentes? alterum num poſt lethales thoracis inflammationes, ſicuti pulmones ad hunc modum affectos vidi, ita nunquam magnas pleuræ quoque læſiones offenderim? Quod ad primum attinet, haud facile nunc meminerim, an quiſpiam ante Lælium a Fonte diſerte adeo rem expreſſerit. Sed ejus oportet librum inſpicias. Nam etſi ejus Obſervatio ter ſaltem in I. Sepulchreti Volumine poſita eſt, ſemel ubi de Læſa Reſpiratione (*f*) verba fiunt, iterum ac tertium in Sectione hac de Pectoris Dolore (*g*); ſemper tamen id quod dico, omiſſum eſt. Vix tandem Voluminis III. libro IV. ſub tit. de Febribus, ad quem Lectores rejiciuntur, invenies, ſi diligenter excuſſa prolixa illa Sectione I. incideris in §. 6. Obſ. 45. Verum ibi hoc quidem leges: pulmonis *caro inventa denſa, dura, & rubra, quemadmodum eſſe ſolet hepatis caro*; ſed non leges tamen, morbum poſt quem ſic inventa eſt, ab Lælio ſine ulla dubitatione Peripneumoniam, ut reapſe oſtendebant ſigna, fuiſſe judicatum. Hujus igitur Conſultationem inſpicias oportet, quæ in Sepulchreto aut non deſignatur, aut ſic deſignatur, ut C. credas, cum ſit XCVIII. Poſt ipſum autem etſi alios, & quoſdam etiam hac noſtra ætate, in iiſque Jo. Bapt. Fantonum (*h*), Dominicum Gagliardum (*i*), Frid. Hoffmannum (*k*), ut infra (*l*) oſtendetur fuſius, ſic inveniſſe, non ignoremus; cui tamen acciderit; ſicuti Valſalvæ, quantum videtur, & nobis, ſi unam diſſectionem excipias, certe accidit; ut ſemper ad hunc inveniret modum, non facile recordamur. De altero autem, hoc eſt de pleuræ læſione inſigni, & quæ cum ea quam in pulmone deſcripſimus, conferri poſſet, ſi Valſalvæ, & meas, quæcunque ad lethales thoracis inflammationes attinent, ad unam omnes Obſervationes perlegeris; plane cogno-

(*e*) Vid. l. 2. S. 7. Obſ. 61. (*f*) l. 2. S. 1. Obſ. 24. (*g*) Obſ. 9. §. 10. & Obſ. 16. (*h*) Obſ. Anat. Med. 27.
(*i*) Relaz. de' Mali di petto. (*k*) Medic. Rat. Syſt. Tom. 4. P. 1. S. 2. c. 6. theſ. path. §. 12. (*l*) n. 40.

cognoſces, nunquam accidiſſe nobis, ut illam ſine hac, ſed ne cum hac quidem conſpiceremus. Sunt autem meæ non modo hactenus propoſitæ, ſed & quæ aliis in Epiſtolis (*m*) prolatæ ſunt, & quæ præterea in hac continuo proferentur. Læſionem quidem in illarum quibuſdam, & in his quæ ſequuntur, omnibus pleuræ invenies cum pulmonum læſione conjunctam; ſed num tantam, ut per ſe mortem afferre, aut certe magis quam illa pulmonum læſio, potuiſſet, ipſe exiſtimabis.

29. ANCILLA annorum undeviginti, paulo habitior Virgo, & plethorica, dum in menſtruis eſſet, quæ a tribus jam menſibus parcius quam antea, provenire conſueverant, ex auræ frigidæ occurſu correpta eſt pungente pectoris dolore, & difficili reſpiratione. Fixus hærebat is dolor infra mammam ſiniſtram, & tangendo augebatur, ut cubare in id latus non liceret. Illata eſt in Bononienſe Noſocomium S. Mariæ de Morte poſtquam domi vena ſecta fuerat brachii lateris ejuſdem. Perſtabant ea quæ dicta ſunt. Jacebat in dorſum. Frequentes erant pulſus, parvi, & parum, ſi premeres, digitis reſiſtentes; nec tamen inæquales: ſonus quaſi bullientis humoris in Aſpera arteria: profunda tuſſis, & prorſus irrita: lingua ſicca: alvus laxa, ſed intra modum. Huc per intervalla ſubdelirium acceſſit. Sanguis miſſus e brachio dextero, cum inſpiceretur poſt horas ſex, paucum ſerum, idque aurei coloris, & nonnihil turbidum, oſtendit, cruſtam autem craſſitudine duorum digitorum, colore flavo, ut lardum rancidum referret, corona in quam aſſurgebat, vaſis latera circumcirca attingente. Quæ cruſta, cum vas inclinaretur, in plures laminas ſe ipſa disjunxit, ſubjecta autem pars ſanguinis in plures grumos, non ſecus ac quodpiam pulmentum. Ab hac venæ ſectione eodem die nonnihil ſanguinis, vel potius ſeri leviſſime cruenti ex utero defluxit. Omnibus in pejus ruentibus, pulſuque profundiore facto, quaſi arteria introrſum retracta eſſet, cum ex ore humor efflueret aquæ inſtar ſpumoſæ, in qua caro recens lota ſit, ſub initium diei ſeptimæ vita defecit. CADAVER ſecui poſtridie, qui dies fuit XIV. Kal. Apriles A. 1705. Thoracis parietibus iis etiam quos facit ſeptum Tranſverſum, ubique adhærebant pulmones, paucis in locis per membranas, in multo autem pluribus, & præſertim ad latera, & dorſum, per ſe ipſos, ubi eorum membrana illæſa pleuræ ſe annectebat paulo quam ſoleat, dumtaxat craſſiori, & facile in duas laminas dividuæ. Siniſtri pulmonis ſuperior lobus ex dura totus, compactaque, hepaticæ inſtar, ſubſtantia, colore ad ſubalbum vergente. Reliqui omnes pulmonum lobi, quamvis ſpumoſo humore prorſus diſtenti, naturalem ſubſtantiæ modum ſervabant: ex qua diſſecta is humor prodibat, ſimul autem ex bronchiorum non paucis ramulis materia effluebat alba, omnino ſimilis puri; ex uno tamen; niſi forte fuit ſanguiferum vaſculum; alba quidem, ſed non fluida, comprimendo, exibat materia, pro polypoſa concretione a me habita. In ipſo Aſperæ arteriæ trunco, majorumque, in quæ ſe primum illa dividit, bronchiorum, aggeſtam hic illic, & concreſcentem materiam vidi ex albo cineream, qua lingua quoque obducebatur: ſubalbam autem, & craſſiuſculam ex oſculis exprimebam glandularum quæ a tergo iis truncis inhærent. Quæ autem majores ad primam illam diviſionem occurrunt, Bronchiales dictæ, non omnes ſanæ viſæ ſunt. Porro inter lobum, & lobum pulmonum quibuſdam in locis intercedebant albæ illæ quæ ſæpius ſupra deſcriptæ ſunt, hic duriuſculæ craſſiuſculæque, ſed tamen falſæ, membranæ. In pericardio copia aliqua ſubrubræ aquæ. In cordis ventriculis nihil ſanguinis, ſed polypoſæ concretiones ſolidæ maxima ex parte, & quaſi ex carnoſis membranis conſtantes; ex aliqua tamen etiam mucoſæ. Earum quæ erant in ventriculo dextero, altera ſe intra auriculam proximam dilatabat, & in Cavas pergebat venas; altera, quæ erat teres, ſe in Pulmonarem arteriam, ejuſque ramos extendebat. Per ventriculum autem ſiniſtrum una, teres pariter, dumtaxat tranſibat, inflexa hinc in Aortam, inde vero in ſiniſtram auriculam, & venam Pulmonarem, Celluloſæ membranæ, quæ memoratos magnorum vaſorum truncos cingunt, e pericardio egreſſorum, ob congeſtam aquam mucoſæ videbantur.

Abdomine diducto, gravis odor, qualis ex viſceribus inflammatis, & jam in gangrænam vergentibus. Sed hepar albidius erat: ſplen autem gangrænoſa quidem nigredine infectus, ſed non ita profunda, & ad mediocre ſpatium, idque inferius, ut diaphragma, quod ſanum erat, ea parte non attingeret. Graveolentia autem ex utero, adnexiſque utrinque, & a tergo partibus maxime exiſtebat. Circa ipſas erat aqua modica, eaque ſubrubra: omnes autem exterius livebant a prægreſſa inflammatione, quæ in ima parte Recti inteſtini, & pudendi quoque ſe ſuo rubore adhuc prodebat, vaſculis vel minimis quaſi ab injecta rubicunda cera conſpicuis. Quas dum omnes partes ſimul exſecarem, ut ſingulas inſpicerem diligentius, in oculos incurrerunt femina, ab igne quem multum, ac ſæpius ſibi ſubdere hyberno tempore ea Virgo conſueverat, fœdiſſime variegata: quod ſic in tranſitu adnoto, quia de quorundam ſententia videri poterat ob hanc cauſam debuiſſe proximis hyemalibus menſibus ſanguis ex utero magis, non minus, reſpondere. Teſtes, virilibus mediocribus non minores, ac molles, inter quamplurimas veſiculas majores, minoreſque humoris, ut ſolent, plenas, & ſanguiferorum vaſculorum, quæ innumera in his teſtibus obvia erant, ramuſculis inſtructiſſimas, ſinguli binas cellulas habuerunt, quarum altera corpuſculum nigrum perfecte ſphæricum, grumi ſanguinis exſiccati ſimillimum, continebat, altera autem nihil, conſtans ipſa ex membranula corrugata, quæ ex albo, & flavo vireſcebat, eratque in altero ſaltem teſte proxima ſuperficiei, ſi non hianti eo in loco, at certe non ſine indiciis prægreſſæ læſionis. Utero, & vagina apertis, in hac circa illius oſculum duo erant adhuc ſanguinis grumuli: quem nullo negotio exprimere licebat ex interiore illius cervice, præſertim autem ex fundo: cujus ſuperficies, quippe hic non tenſa, quendam quaſi mucum quo ipſa obducta eſſet, primo aſpectu repræſentaverat. Sed hoc minime eſt hujus loci, ut neque Tubarum ſitus, & rugarum vaginæ natura, & ſedes, & globoſæ carunculæ pone hymenem, hic integerrimum, locatæ, & alia ejuſcemodi, quæ mihi in hac, in aliiſque Virginibus adnotata, quidam Viri Docti partim non videntur vidiſſe, partim videntur a me olim eſſe propoſita, non meminiſſe. Neque etiam ſatis huc pertinent deprehenſus in hac Virgine Pituitariorum ſinuum Maxillarium, & Sphenoidæorum defectus, ut quorum uſus aucta magnitudine, & numero cæterorum ſupplebantur. At reliqua pertinent, quæ ſubjiciam. In Capite enim fauces, & vicinia quaſi ex inflammatione fœtere incipiebant. Ex aperto autem cranio odor ille prodibat, ut ſic dicam, acidus, qui ex ore verminantis pueri ſolet. In ſuperiore Falcis Sinu concretiones polypoſæ ſubalbæ. Vaſa per Tenuem meningem repentia paulo turgidiora. Inter illam, & cerebrum aqua, copia tamen modica, ut in ventriculis quoque Lateralibus, in quibus ſubrubebat. Plexus Choroides palliduli, hydatides paucas quidem, ſed majuſculas, habuerunt. Denique cerebrum paulo, cerebellum autem multo mollius fuit, quam ſoleat.

30. VIR annos natus ſex & quinquaginta, mediocri habitu, ſtatura procera, vita multis in rebus extra normam acta, cum in nolis ſacrarum turrium agitandis, qua ſe arte tuebatur, nimium haud ita pridem laborem ſuſtinuiſſet, aliquot jam dies dolorem tulerat leviter pungentem ad interiorem inferioremque ſterni partem, cum tandem is dolor valde auctus eſt, accedente, nec multo poſt, febre eodem die cum difficili reſpiratione. Interea alvus ſponte mota ſpumantem humorem bilioſum, & calidum bis terve ejecit. Denique in idem Noſocomium, in quo ante duas hebdomadas Virgo obierat de qua noviſſime dictum eſt, ſero adeo eſt illatus, ut vix ante finem diei ex

quo

(*m*) VI. n. 12. & VII. n. 11. & 13.

quo febris inceperat, quartæ ſanguis mitti e brachio potuerit. Is paucum habuit ſerum, cruſtam autem duos digitos craſſam, ex albo flavam. Quinta die pulſus plenus, & durus: nox ferme inſomnis: homo ſpirare non poterat. Ante ejus diei finem urina inſpecta ſaturo erat colore, nec valde pellucida: pulſus frequens, æqualis, non durus: difficilis reſpiratio, & cum gemitu: dolor ibidem: decubitus in utrum liberet latus: ſputum craſſum, ſpumoſum, variegatum ex flavo. Nocte proxima dolor, & tuſſis vexarunt. Mane dolor remiſſus: pulſus, & ſputa eadem, urina quoque, niſi quod rubella erat, pauca, & nonnihil turbata. Prope finem ejus diei, quæ ſexta erat, ſanguis miſſus eſt e manu dextera: ſed quoniam omnis in aquam effuſus eſt; ſic inſpectari, ut par erat, non potuit. Septima ineunte die æger aliquanto melior videbatur. Tamen circa illius diei finem dolor major, pulſus minor, & frequentior, ut reſpiratio quoque; lingua arida. Initio diei octavæ multus ſudor: quem Medicus, a quo hactenus interius, exteriuſque adhibita fuerant quæ a pleriſque ſolent, blande promovere inſtituit; ſed ſine levamine. Imo nox implacida, & ad ejus diei finem reſpiratio frequentiſſima, pulſus parvus, & parum preſſioni reſiſtens, ſputum crudæ, flavæque materiæ, quæ fluida erat, & ſine ſpuma, urina eadem. Die nona inchoata, cum brachia, ut vellet, e ſtragulis poſſet exerere, & tum etiam, quamvis cum difficultate, loqueretur, miniſtris propterea tunc moriturum non credentibus, mortuus eſt. THORAX utrinque aquam habuit, eamque a dextris ſaltem flavam & turbidam. Pulmo uterque ſuperius ad pleuram nectebatur, quæ ibi, & aliis quoque in locis thoracis dexteri craſſior fuit. In quo fruſta illius quaſi membranæ impoſita erant illæſæ alioquin ſuperficiei pulmonis. Hic valde gravis, totuſque ex ſubſtantia illa hepaticæ ſimili, ſed albida, & dura quidem, ac minus quam ſolet, cum ita denſa eſt; ut ſemicorrupta hic videretur, præſertim cum ex ſectorum bronchiorum orificiis, multis in locis, ſubalbus & turbidus prodiret humor. Per faciem tum pulmonis, mediaſtino qua pericardium continet, attiguam, tum mediaſtini ad eam ſedem, extenſum erat craſſiuſculum quoddam quaſi rete, ſubflavum, neque inelegans, facile detrahendum, quemadmodum & alterum quod ibidem præterea per mediaſtinum vidiſſes ſanguinei coloris. Nihil horum a ſiniſtris: quin ibi pulmo aut ſanus, aut ferme ſanus. In pericardio aqua inerat non pauca ejuſdemmodi ac in thorace dextero memoravi. Cor vel pro hominis ſtatura magnum; ſed valde laxum, concretiones habuit polypoſas, alteram quæ in auricula incipiens dextera, inde per ventriculum annexum in Pulmonarem producebatur arteriam; alteram paulo denſiorem, multo autem majorem, quippe quæ totum pene ſiniſtrum ventriculum occupabat, inde vero Aortam ſubibat. Ex hac cum extraherem, cylindrus ſecutus eſt ex ſanguine valde concreto ad ſpithamæ longitudinem. Nec minus concretus ſanguis erat qui vaſis ſaltem ſuperioribus, ut collum diſſecans perſpexi, continebatur. Laryngis, & pharyngis vaſa turgebant. Facies ex rubro livebat. Ibi in ſiniſtra auricula ſanguis erat ſemiconcretus. Caput tamen non incidi, aliis occupatus, ut vix altero poſt mortem die thoracem, ac ventrem diſſecare potuerim. Venter exterius livebat ad ilia. Interius tamen nihil niſi Colon inteſtinum reſpondebat ſanum, ſed aere diſtentum. Hepar in tranſverſum adeo porrectum, ut ſummam lienis partem, ſibi arcte nexam, totam obduceret, lividam crepidinem ad magnum tractum habebat. Livor, alioquin haud alte penetrans, proximam quoque cavam partem ad trium circiter digitorum ſpatium inficiebat. Cæterum non durius erat jecur; ſed paulo tantum albidius. Ejus veſicula intra paucam bilem, quæ tamen ſubjectam tinxerat externam faciem Antri pylori, calculos ad viginti continebat, alia alios magnitudine, ſed pleroſque parvos, unum maximum, qui, ut cæteri, intus, extraque nigricabat non ſecus ac ſi carbo eſſet, quem etiam rara, & friabili ſubſtantia referebat. Nullus horum, lucernæ admotus, flammam concepit, aut ſcintillas emiſit; leves tantum quoſdam crepitus interdum edidere. Lien magnus, etiamſi cum hominis ſtatura conferres; laxus, & exterius albicans. Ventriculus denique tota ſiniſtra parte exterius habuit utramque faciem magnis quibuſdam, & quaſi ramoſis maculis diſtinctam ex atro lividis. Hæ interius quoque apparebant, & ad œſophagum uſque producebantur, guttulaſque ſanguinis circum inter tunicas hærentes habebant; ut his omnibus inſpectis, de adjecta demum ventriculi inflammatione non dubitares.

31. Si ad has longas duas hiſtorias longas quoque animadverſiones adderem ſive ad morbum ejuſve curationem, ſive ad deprehenſa per ſectionem attinentes; quis foret Epiſtolæ modus? præſertim cum plura adhuc reſtent, minime omittenda. Satis eſt, ſi in illarum utraque duo attendas, alterum ad morbum, alterum ad ſectionem ſpectans. Ad morbum attinet color, in cruſta illa ſanguinis, flavus: quem mihi memini Albertinum dixiſſe, pejorem, & periculoſiorem inflammationem ſecundum obſervationes ſuas ſignificare. Quod & in meis, quantum recordari poſſum, reſpondit. Neque enim ſolum in his duabus, ſed etiam in ea quæ ſupra (*n*) in Lanione deſcripta eſt, in aliiſque præterea animadverti vel cum diſſectionem adjungere haud licuit, ut præſertim in viro ebrioſo, qui in eadem illa Bononienſi Conſtitutione, ſimul pungente dolore pectoris, & acuta febre correptus, vino quidem, ſed non venæ ſectione uſus eſt donec quarta morbi die in idem Noſocomium exceptus, illa primum die, mox & quincta iterum ſanguis e brachio mitteretur. Qui miſſus eſt quarta, is valde ſectioni reſiſtebat, tenuique opertus erat cruſta ex livido variegata, difficile ſecanda. Qui autem quincta, is vero cruſta obductus æque tenaci, ſed digitum alta, & flava, in grumos, dum inverteretur, ſe ipſe diſſolvit; adeo res mutatæ apparebant intra unum diem! Hanc eandem facilem craſſamenti ſanguinis in grumos diſſolutionem in Ancilla quoque (*o*), & in Lanio illo memoravimus, in quo intra biduum mutationem animadvertes, ſed contrario ordine. Hi omnes mortui ſunt, ut is etiam de quo dicere cœperam, ebrioſus, qui ad veſperum deceſſit diei ejuſdem qua iterum ſanguis mane miſſus fuerat. Semper cubuit in dorſum, jam inde a quarta die vertiginoſus, & delirans, lingua nigra, frequenti pulſu, & intermittente, quanquam ſic ſatis digitis reſiſtebat: ad quæ perpaucis ante mortem horis ſtertor, & ſublimis reſpiratio acceſſere. Jam vero quod ad ſectionem attinet; vides ſane, his quoque noviſſimis perlectis hiſtoriis, pleuræ læſiones, quas mihi quidem in hujuſmodi morbis accidit ut offenderem, ab eo multum abfuiſſe, ut mortis cauſa cenſeri poſſint. Craſſiorem videlicet pleuram inveni; ſed non adeo ut apud Riolanum ſcribitur, hic in Sepulchreto (*p*) memoratum, ut *decuplo ſolito eſſet craſſior*, nec lividam, & ſideratam, imo neque ab inflammatione rubentem. At ille, inquis, aliique invenerunt: quin & hoc addidit, *propterea ſcripſiſſe Hippocratem, cadavera pleuriticorum diſſecta apparere fulgurita, quod de partibus thoracis internis eſt intelligendum*. Ego vero aliorum obſervationes non nego: atque adeo meis, quas mox ſubjiciam, libens illas quoad potero, confirmabo. Quas hactenus tibi perſcripſi, eas hic dumtaxat recenſeo. Tamen ſi Riolanus, memoriæ minus confiſus ſuæ, Hippocratis locum relegiſſet, qui extat, opinor, in libro *de Victus ratione in morbis acutis* (*q*); nullum in eo eſſe diſſectionis indicium, ſenſiſſet, cum Veteres dicantur quoſdam pleuriticos *ſydere ictos* ob hoc etiam putaviſſe, *quod mortuis ipſis latus lividum reperitur, ut ſimile quid plagæ appareat*: imo cum Galeno (*r*) in ejus loci expoſitione agnoviſſet *in cute* apparere iſtum *nigrorem* non ſecus atque in *illis qui ita ex plaga affecti ſunt*. Quod autem Riolanum facere, præſtitiſſet; afferemus nos locum Cælii Aureliani (*ſ*), apertiſſime pro ipſo facien-

(*n*) n. 19. (*o*) n. 29. (*p*) l. 2. S. 4. Obſ. 14. §. 2. & 3. (*q*) n. 8. (*r*) Comm. 1. ad t. 35. l. cit.
(*ſ*) Acut. Paſſ. l. 2. c. 36.

cientem. Loquens enim de pleuriticis, & de pleura, hæc, inquit, *expirantibus ſæpe ægrotis nigra invenitur*. Nec vero exiſtimes, id dixiſſe conjectura fortaſſe fretum capta ex partium lateris externarum livore conſequente ægrotorum decubitum, præſertim ſi forte accidiſſet, ut quemadmodum in morbo ſolent, in morte quoque in idem illi jacerent latus. Neque in iſtam ſententiam addas, ſane id non dixiſſe de omnibus: & continuo ea verba quæ externum livorem indicent, ſubjeciſſe: *hos denique venenatos quidam putaverunt*. Quin ſi forte opinionem tuam inde potiſſimum confirmare te poſſe, crederes, quod Cælii ætate humana cadavera non ſecabantur; primum vide, num ætate Hippocratis, quem modo cum Riolano objiciebas, revera ſecari cœpta eſſent? deinde Cælium inſpice; intelliges, quo in capite id dixit, argumenta pro pleura ex Eraſiſtrato quoque attuliſſe, quem corpora humana incidiſſe, conſtat: denique ipſa relege quæ prima protulimus, Cælii verba; videbis, non conjecturæ, ſed obſervationi convenire. Cui ſi forte unum illud opponi igitur poſſe, exiſtimas, decubitum videlicet, de quo dicebamus, morientium, quaſi ſanguinis in decliviora delapſus non externa modo, ſed etiam interna lateris vaſa, eorumque ramuſculos diſtendendo, pleuræ quoque livorem, qui antea non eſſet, tunc effeciſſet; ſi forte, inquam, ſic exiſtimas; primum vide, num in latus quo dolent, cubare ſoleant pleuritici, deinde & illud vide, ne caſus objiciantur tibi pleuriticorum, qui, ut Dux Rupefoucaultius (*t*) erecta cervice ad obitum uſque ſpirare coacti, lividum tamen altero in latere & cutem, & pleuram habuerunt. Sed hæc tu videris. Neque enim mihi ſic rem explicare neceſſe eſt. Qui etſi livorem iſtum, & cætera quæ dixit Riolanus, in eorum pleura, de quibus hic loquor, conſpexiſſem; tamen non inde potius mortis cauſam, quam a tanto illo pulmonum vitio repeterem: nec ſane in his quæ ſequuntur, hiſtoriis, in quibus pleuram rubicundam, & liventem quoque interdum, ac ſemicorruptam nonnunquam, & valde craſſam inveni, te ipſum aliter puto eſſe exiſtimaturum.

32. MULIER annos nata ad quadraginta quinque, ex ulcere alterius cruris antiquo, ſicca autem ſcabie toto corpore, additaque ad ſcabiem lenta febricula male habebat. Scabie evaneſcente, ulcere autem acrius vexante, conſilium capit, ut in Bononienſe Incurabilium Noſocomium admittatur. Antequam in hoc veniat, proſpiciens fortaſſe, qua re ibi eſſet caritura, generoſo vino ſe ingurgitat, ut nihil ferme, niſi id, ſumat tridui ſpatio. Itaque nocte prima qua in Noſocomio jacuit, inquies fuit, & valde incaluit. Mane habuit melius. Pulſus tamen erat frequens, celer, durus, vibratus, non ita digitis reſiſtens, nec magnus. Hora eadem redit calor: accedit dolor pungens ad infimam legitimam coſtam ſiniſtri lateris, qui etſi, tangendo, non creſceret, neque in id latus cubando; decubitus tamen erat commodior in latus dexterum propterea quia decubitus in ſiniſtrum tuſſim movebat, quod ſemper in brevi hoc morbo animadverſum eſt. Abiit poſtea, neque amplius reverſus eſt dolor; ut meliuſcula ægra videretur, præſertim cum pulſus; etſi vitia cætera retineret; tamen minus frequens eſſet factus. Sed quarta die poſt horrorem incaleſcit, pejus habet, per tuſſim autem, quæ ſicca hactenus fuerat, pus reddit cinereum, lividum, fœtidum, incruentum. Non niſi erecta cervice ſpirare poteſt. Pulſus fit minor, & debilior, pus autem expectoratum nigricans. Leve delirium accedit. Febris per hos ultimos dies ſerius increſcit. In medio ſextæ diei quaſi ex repentina ſuffocatione mortua eſt, autumno A. 1705. THORAX utrinque habuit fœtidi cinerei ſeri non multum: pulmones autem leviter laxeque ad pleuram adhærentes. Hæc a ſiniſtris qua pulmo adhæſerat, aſpera hic illic, rubriſque exiguis quaſi tuberculis erat inæqualis. Pulmoni ejuſdem lateris; nam dexter ſanus nihil habuit eorum quæ ſiniſter; qua diaphragma contingebat, duæ flavæ ſuberant falſæ membranulæ, quarum altera ipſi, altera diaphragmati adhærebat. Erat is pulmo non ruber, ſed lividus, & hepate durior. Sectus pus intus oſtendit ejuſdemmodi atque expectoratum fuerat, præſertim in quibuſdam quaſi ſinibus, qui & puris flavi aliquid continebant. Eos ſinus tunica cingebat nulla durior, aut peculiaris: neque in arteria Aſpera quidquam erat. In vena Cava, & Pulmonari arteria concretiones erant polypoſæ minores: major in ſiniſtra fuit auricula. In ventre ſana omnia. Caput non diſſecui.

33. MILES ætate conſiſtente, habitu mediocri, vel potius ad macilentum inclinante, cum mortuus eſſet in Noſocomio Patavino ſub initium Martii A. 1743; mihi, qui tunc ibidem nonnulla de Re Anatomica ſtudioſæ Juventuti explicabam, ejus cadaver oblatum eſt. Antequam diſſectionis initium fieret, quæſivi, ut ſoleo, quibuſde æger quereretur? Cum reſponſum eſſet, primis diebus de pungente alterius lateris dolore conqueſtum fuiſſe, cum febre, tuſſi, & difficultate reſpirationis conjuncto, donec ferme ſoporoſus factus, & leviter delirans, trementibus digitis, & jam ſine pulſibus diebus illis ultimis, deceſſerat; non dubitavi, quin frequentiſſimæ illi diſcipulorum, Doctorumque coronæ hepaticæ ſubſtantiæ ſimilitudinem in pulmone, concretiones polypoſas in corde, circa cerebrum turgentia vaſa, & humorem aqueum facile inventum iri, prædicerem. THORACE igitur ibi protinus, & Capite mox aperto, viderunt omnes, pulmones, qui ferme undique, excepta anteriore facie, quæ & naturali propemodum erat colore, ad pleuram arctiſſime adhærebant, cum extracti eſſent, alterum ab altero magnopere diſcrepare. Dexter enim valde amplificatus, gravis erat, & durus totus; ſi parvam in ſummo portionem, & eam quam dixi, faciem exciperes; æquali præterea, & lævi, ut jecur, ſuperficie, ut ne vaſculorum quidem rete in hac appareret, intus autem compacta illa ſubſtantia quæ coctum jecur, & diſſectum repræſentaret. At ſiniſter pulmo vix a naturali in eo differebat, quod ſectus paulo durior, & rubrior, quam ſoleat, ex atro videbatur. Sed & pleura cum a ſiniſtris decolor eſſet, vel potius albida; in toto fere latere dextero rubicunda ex manifeſta inflammatione ſpectabatur. Nihil in thorace effuſi humoris: at pulmonibus ab Aſpera arteria abſciſſis; quæ valde lata huic viro obtigerat, glanduliſque Bronchialibus pluribus, & majoribus quam conſuevit, circa partitionem inſtructa; mox aquæ ſanguinolentæ, & ſpumoſæ non modica copia ſenſim defluxit a dextris, modica a ſiniſtris. In pericardio non pauciſſima aqua fuit ex flavo leviſſime rubeſcens. In utroque cordis ventriculo albæ polypoſæ concretiones inde per Magna vaſa longe productæ cum adhærente ubique nigro ſanguine, & grumoſo: quin aliquas, tæniarum inſtar, in Iliacis ipſis vaſis poſtea inveni, alias autem, aſcaridum ſimiles, in ſinus Longitudinalis initio. Sed partite, ut ſoleo, cætera quæ in capite, & ventre animadverti præter naturam, adjiciam. Cranium dum ſecaretur, non pauca aquæ copia defluxit. Mox per Tenuem meningem vaſa pleraque conſpeximus ſanguine turgida, ex medullari autem cerebri ſubſtantia paſſim inter ſecandum ſanguinis guttulas creberrimas minores, majoreſque exiſtentes, in ventriculis autem Lateralibus aquam multam, eamque turbidulam, Choroidibus plexibus non pallidis quidem, ſed nec ſine veſiculis plurimis, & in his quibuſdam majuſculis, aquæ plenis. Laxus Fornix: laxa medulla Oblongata. Ventre aperto, & omento, quod cum initio concreverat inteſtini Coli, inde ſoluto, & ad ſuperiora retracto, inſolitus apparuit ejus inteſtini poſitus, eoque hic non omittendus. Nam vix jecur attigerat, cum inde ſe infra umbilicalem regionem demittebat, unde oblique ſurſum in ſiniſtrum hypochondrium ferebatur. Hæc tota ejus pars dumtaxat, erat aere, nec parum, dilatata. Hepar denique, lien, pancreas non ſecundum naturam ſe habebant. Hoc enim ſubdurum erat: lien autem æquo non paulo major, & propterea humilior: hepar

(*t*) Sepulchret. S. 4. cit. Obſ. ult.

hepar quoque magnum, & majori ex parte albidum, neque, a dextris præſertim, ſi incideres, omnino ſanum: ejus autem biliarius ductus qua parte Communis dicitur, juſto latior.

34. VIRI quoque alterius cadaver ibidem mihi oblatum eſt ante finem Martii A. 1744. Cribrare triticum ars ejus fuerat, pulmonibus ſane inimica. Itaque pleuritidem antea paſſus, ex recidiva mortuus erat undecimo die. In qua de dolore querebatur, thoracem gravante præſertim a dextris, ſedere in lectulo coactus, ut ſpiritum duceret; multum tuſſiens, nec multa expectorans, eaque viſcida, & ſanguinolenta; facie rubens; pulſibus duris, maxime confuſis, inæqualibus, intermittentibus; nec ſine quibuſdam interdum tremoribus convulſivis. Sanguis bis, terve miſſus fuerat, cui craſſa polypoſa cruſta inſidebat. Quæ cum ab iis acciperem qui ſæpius in noviſſimo hoc morbo inviſerant, & cadaveris ſubtumidum ventrem, pedeſque, & extrema crura œdemate affecta ſpectarem; continuo illis, & reliquæ Auditorum coronæ dixi, facile hic effuſam aquam non in ventre modo, ſed in thorace etiam, ac pericardio nos eſſe viſuros: fortaſſe & concretiones ad cor polypoſas, & ruborem, aut vitium aliud pleuræ, aut pulmonis cum hac connexionem: facilius autem in eodem viſcere turgentiam, & ſubſtantiæ duritiem, ac denſitatem. PECTUS illico incidi cœptum. Quod dum fieret, per inciſuras cartilaginum, coſtas cum ſterno committentium, aqua exundabat: quæ turbida, & flaveſcens utrinque, ſed a dextris præſertim, multa inventa eſt, nec ſine quibuſdam concretionibus, quales in imo dolio per vinum natare ſolent. Ea exhauſta, neuter pulmo ad pleuram adhærens conſpectus eſt; ſed hæc in lateribus, ſiniſtro præſertim, in quo fortaſſe illa antea pleuritis fuerat, apparuit rubicundior. Pulmones, alibi fere molles, inferiorem partem dexteram habuerunt duram, & turgidam, & quæ ſecta, denſiorem oſtendit ſubſtantiam ex fuſco purpuream. Ex utroque bronchio in truncum arteriæ Aſperæ ſanguinolentus humor exprimebatur. Pericardium antequam incideretur, juſto amplius conſpectum eſt. Sed eo inciſo, manifeſtum fuit, eam amplitudinem non tam aquæ; etſi non pauca erat, eaque ejuſdemmodi atque in thorace dictum eſt; quam magnitudini cordis deberi, cujus non craſſiores quidem erant parietes, ſed ventriculi, dexter præcipue, dilatati, magnamque copiam atri ſanguinis continebant. Erat hic certe non fluidior, nec ullam tamen aut ibi, aut uſquam polypoſam concretionem oſtendit, excepta una, eaque tenui, cruſta in ventriculo dextero; ut me non pœnituerit, quod concretiones, & pulmonis ad pleuram adhæſionem non aſſeveranter prædixiſſem; tametſi illas ſemper in emiſſo hujus viri ſanguine, & quidem craſſas, conſpectas eſſe, hanc autem ubi pleuritis fuerit, a plurimis poni, non ignorarem, & ſæpius ipſe deprehendiſſem. Quod ſiquis narrare potuiſſet quæ facile ante ultimum hunc morbum, & ſaltem poſt primam pleuritidem fuerant indicia dilatati cordis, & hydropis in thorace incipientis; procul dubio eorum quæ in noviſſima inflammatione vehementer adeo hominem vexaverant, partem alio rejeciſſem quam in pulmonum morbum, qui denique inventus quidem eſt qualis a me prædictus fuerat, ſed non tantus, quantum ea ſymptomata requirebant. Dixi autem, poſt primam pleuritidem ſigna eſſe potuiſſe dilatati cordis. Huic enim, neque ita raro, id ex pleuritide accidere, hoc eſt ex pulmonum inflammatione, non una diſſectio indicat ſuperius propoſita. Sic Vir de quo proxime ante hunc ſcripſimus (*u*), ſic etiam Senex, de quo ſub initium dictum eſt (*x*), ille cor majus quam ejus vel procera ſtatura ferret, hic ſiniſtram cordis auriculam multo quam ſoleat, longiorem habuere. Sic Juvenis ille, ſecundus ex iis quos inter Valſalvæ Obſervationes deſcripſimus (*y*), cor mole auctum oſtendit. Nec vero mirum eſt, ſi viis ſanguinis per inflammatos pulmones compreſſis, & coarctatis, ille aut nimis diſtendendo, aut nimis irritando cor, & propria hujus vaſa, vim afferat ipſius parietibus, intimæve horum ſubſtantiæ. Et quanquam diſtentio major eſſe debeat in cavis dexteris, quippe quorum exonerationi obſtaculum tunc oppoſitum eſt in pulmonibus; tamen in ſubſtantia intima ſiniſtrorum quoque cavorum venæ diſtendantur, neceſſe eſt, ſanguine quo cava dextera nimis opplentur, obſtante ſanguini per Coronariæ venæ oſtium e ſiniſtris quoque redituro. Irritatio autem quæ a ſanguine fit vehementius compulſo, major ſit a ſiniſtris oportet, donec inflammatione nondum perfecta, viæ per irritatos pulmones ſunt magis patentes. Præterea aliis alia pars cordis eſſe poteſt aut ab ortu, aut poſt ortum proportione minus firma; ut pari cauſæ quæ aut diſtendendo, aut irritando vitiare cor poſſit, minus quam cæteræ hujus partes, reſiſtat. Itaque in aliis cor univerſum, in aliis partem ejus aliquam, præſertim vero a dextris, amplificatam interdum offendere poſt graves, aut repetitas pulmonum inflammationes, minime eſt mirum. Quæ cum poſſemus aliorum Obſervationibus confirmare; indicare malumus quas, hæc recenſentes, forte legebamus, Illuſtris Senacii (*z*), qui, ut apud ipſum videbis, neque rem aliter explicat, & ſæpe poſt ejuſmodi inflammationes cor ſe vidiſſe amplificatum, affirmat, præcipue a dextris, quemadmodum & nobis in propoſito Viro accidit. In quo ne alia quæ præter naturam occurrerunt, omittamus; Venter aquam habuit, nec paucam, ejus ſimilem quæ in thorace, & pericardio deſcripta eſt. Hepar durum, ex livido pallens exterius, interius autem crebris particulis albis variegatum.

Caput ſecare, aliis diſtenti occupationibus, non potuimus.

35. VIRI alterius conſiſtente ætate, ſano habitu, ſed ad macilentum potius, quam ad pinguem, vergente, cadaver incidimus eodem in loco, eodemque menſe, inſequente autem anno, cum plura ipſi in aliis ſecundum naturam animadverſa, recognoſcere, ut ſoliti ſumus, & frequentiſſimis Auditoribus demonſtrare inſtituiſſemus. Aderat cum cæteris Aſſiſtens Noſocomio Medicus. Hic ſciſcitantibus narrabat, cadaver tunc diſſecandum lapicidæ eſſe: cujuſmodi artificum pulmones ob involantem pulverem quantum opportuni morbis ſint, cum ratio indicat, tum obſervatio (*a*) confirmat. Huic primum febrim, mox pungentem ſiniſtri lateris dolorem, mox alvi fluxum, ut octies intra horas vigintiquatuor fluida egereret, non flava, neque cum moleſto ſenſu, mox gravantem in thorace dolorem adveniſſe. Serius, ut a plebeiis ſæpe fit, nec ullo domi præſidio adhibito, hominem ſub quinctam morbi diem in eum locum fuiſſe illatum, jam omnibus quæ dicta ſunt, laborantem, eaque ad extremum uſque perſtitiſſe. Miſſum ob morbi præcipui naturam, & violentiam ſanguinem denſiorem quidem fuiſſe, nec tamen cum cruſta polypoſa. Sputa, non ſine aliqua ſanguinis tinctura, apparuiſſe; verum non proceſſiſſe. Confuſa demum, & ſubdelira mente, mox etiam pulſibus, qui tenſi, nec intermittentes fuerant, ſenſim deficientibus, initio diei undecimæ interiiſſe. Quæ cum omnes audiviſſemus; tum ego, jam noſtis, inquam, in pulmone quid mecum videre ejuſmodi in morbis conſueveritis. Vidiſtis inſuper aliquando etiam in pleura læſionis aliquid: in diaphragmate quoque ego quidem nonnunquam vidi (*b*), cum peripneumonici mens labaſſet: at ſæpe aquam in thorace: multo autem ſæpius polypoſas in corde, vaſiſque annexis concretiones. Hæ tamen, & illa facile deeſſe poſſunt in hoc caſu; illa, cum tanta ſeri copia ſit per alvi fluxum ejecta; hæ, cum in miſſo ſanguine cruſta fuerit nulla.

THORAX, cum hæc dixiſſem, ſub oculis omnium continuo recluſus, nihil aquæ habuit. Pulmo uterque erat anteriore facie turgidus, & ibi quidem mollitie, & colore naturali: facie poſteriore, & inferiore, a ſiniſtris autem inſuper laterali pene tota, arcte ad thoracis parietes adhærens. Ubicunque adhæſerat, ibi inæqualis pleura, ad dorſum autem ſubnigra, in late-

(*u*) n. 30. (*x*) n. 4. (*y*) Epiſt. 20. n. 35. (*z*) Traité du Coeur l. 4. ch. 8. n. 3. (*a*) Vid. Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 85. (*b*) Epiſt. 7. n. 13.

latere ſiniſtro craſſior, & colore non naturali. Sed & diaphragma, quibus ejus partibus tum carneis, tum etiam tendineis annexi pulmones fuerant, iis in partibus ex fuſco erat rubicundius, & ſanguifera habebat vaſcula magis quam ſoleant, evidentia. Extracti pulmones prægraves erant, totaque poſteriore, & ima facie nigri, nigredine alte ſubeunte per ſubduram, compactamque ſubſtantiam, quæ durior, magiſque compacta, & denſa inventa eſt a parte ſiniſtra ad magnum tractum; cum ab anteriore parte, a dextris præſertim, mollis, & rara ſubſtantia, eaque roſeo colore ſecanti occurreret. In pericardio aquæ paulo plus quam ſolet. Cordis vaſa propria in plana præſertim facie, ſanguine turgida. Sic & vena utraque Cava, & auricula dextera ſanguine diſtendebantur. Hic autem erat nigerrimus; at ſine ullis polypoſis concretionibus: quæ neque in cordis ventriculis, neque ullis in vaſis uſquam apparuerunt: vix ſemigrumoſi aliquid in eo ſanguine, idque ipſum paucum.

Venter diarrhϾ etiam cauſa diſſectus, Tenuium inteſtinorum partes aliquas oſtendit quaſi inflammatas. Sed Colon, quod ſtatim in conſpectum venerat, quippe aere, quamvis non plurimum, tumens, recte ſe habebat, niſi quod à medio illius tractus per quem in tranſverſum ferri ſolet, ad umbilicum ſe inflectebat, unde ſurſum quidem, ſed non alte adeo redibat. Jecur vero pallidum intus, extraque, & veſicula inani aut certe bilis guttas vix paucas continente, quæ chartæ illita, colore quodam hanc infecit flavo, fuſco, atque obſoleto. Lien æquo & major, & laxior. Cranii ſectio, propter alias interjectas obſervationes, in diem quinctum dilata eſt; ut eam quoque fortaſſe ob cauſam laxiora omnia deprehenderim. In altera Falcati proceſſus facie officulum fuit abnormi figura, ſed planum potius, quam aſperum, non tenuiſſimum, magnitudine haud æquans unguem digiti minimi. Sub meninge Tenui in anfractibus quiddam *gelatinæ* inſtar. Per eam meningem ſanguiferorum vaſorum & plerique trunci turgidiores, & minimi ramuſculi paſſim manifeſti. Sanguine quoque abundabant ii qui ſunt in Plexibus Choroidibus, & qui per Oblongatam medullam repunt: nec crebra deerant ſanguinea puncta ubicunque cerebri medullam ſecares.

36. JUVENIS annos natus ad viginti quinque, pallidula facie, & qui ſtrumis antea, ac Venerea quoque, ut ajebant, lue laboraverat, cum a nimio, ut erat famulus, motu incaluiſſet, horrore, & febre correptus eſt cum dolore pungente, quem toto ferme pectore, proprie dicto, ſentire ſe, dicebat, magis tamen ad inferiora. Dorſo etiam dolebat, imo univerſo corporis ambitu, ut ubicunque tangeres, ibi dolorem ipſo attactu augeri, diceret. Cubare, niſi in dorſum, non poterat. Pulſus erat frequens, & parvus: ſitis nulla: calor internus: reſpiratio difficilis: ſputa fluida, & rufa. Quarta morbi die building bilioſa dejecit. Octava autem cum multum minxiſſet, lethalique ſudore maderet, obiit circa finem ejuſdem diei in Bononienſi, quod ſæpius memoravimus, Noſocomio ad medium Januarium A. 1706. IN THORACIS cavo dextero ſerum turbidum, & ſanioſum. In utroque pulmones ferme undique ad parietes, eos etiam quos diaphragma facit, adhærentes, ſiniſter quidem anteriore facie per filamenta dumtaxat; idem autem pulmo, & dexter quoque, reliquo propemodum toto ambitu per interjectam craſſam quandam quaſi membranam non modo arctiſſime connexi, ſed quodammodo etiam connati. Hæc membrana alba, tenax, & alicubi vix dimidio minus craſſa, quam digitus auricularis a dextris quidem; nam a ſiniſtris multo minus tum alba, tum craſſa erat; pulmones quos vi neceſſe erat avellere, ſequebatur. Eandem tamen ſi a pulmonibus, quod facile erat, ſeparares, eorum membranam ſubeſſe illæſam, & integram, perſpiciebas. Itaque pleuram eſſe, dixiſſes, niſi a ſiniſtris ſanam & integram pleuram ſua in ſede reſtitiſſe, animadverteres, per quam proximi tranſpiciebantur Intercoſtales muſculi, iique potius rubentes. A dextris tamen, pleuræ loco, membrana altera apparebat illius ſimilis, niſi quod paulo minus erat craſſa, quæ inde ſimul cum pulmone avulſa jam fuerat; quam alteram membranam ſi detraheres; albidos ſubeſſe Intercoſtales muſculos, conſpiciebas; ut hic quidem pleura morbi vi craſſior facta videri poſſet. At pleura certe qua pectoris muſculum Triangularem dexterum operiebat, ſemicorrupta erat, & levi digitorum affrictu lacerabatur. Is inflammatus erat muſculus: ſed & carnea pars diaphragmatis, quæ utrinque hujus centro propior erat, qua pulmones adhæſerant, inflammatæ ſimilis alicubi videbatur. Pulmones autem ad hunc modum ſe habebant. Siniſter uno in loco albam, & velut ex granis quaſi *tartarizatis* ſubſtantiam oſtendit, cæteris in locis ferme omnibus duram tantum, & denſam, & gravem; minus tamen anterius. Dexter vero vel magis fuit, quam ſiniſter, & durus, & denſus, & gravis. In pericardio aqua erat paulo majori copia, eaque turbida. Polypoſa concretio ex albo flava, ſed laxior, ex cordis ventriculo dextero per utrumque hujus orificium ſe producebat. Nec diſſimiles concretiones erant quæ per ambo ſiniſtri orificia pergebant. Quæ hinc, in venam; ab dextero autem ventriculo in arteriam Pulmonarem pergebant: eæ diviſæ in ramos, partitiones imitabantur horum vaſorum. Ventre aperto ventriculus, & inteſtina, Colon præſertim, aere multum diſtenta occurrerunt. Lienis inferior pars nigredine peculiari infecta erat non ſecus ac ſi inflammationem gangrænam excepiſſet; ea nigredo ad ſeſquidigitum introrſum pergebat. Contra hepar albidum, idemque maximum: in cujus veſicula cum pauca bile ex albo flaveſcenti calculos inveni plus ſeptuaginta, quorum maximi, qui perpauci erant, fabam non ſuperabant, minimi grano piperis minores haud erant: illi ad figuram ovalem, ſed non una ex parte depreſſam; reliqui ad cuboidem quadantenus accedebant. Intus madebant bile, & ex quibuſdam quaſi granulis conſtructi videbantur. Hæc cruſta, duplex ſaltem, undique concludebat, ſubviridis in pleriſque, in nonnullis ex parte alba. Omnes flammam ſemel conceptam alebant, & tunc ſubinde levi cum crepitu ſcintillabant. Ren dexter valde laxus. Arteriæ Aortæ truncus tum in ventre, tum inde per thoracem ad curvaturam uſque anguſtior viſus pro corporis, alioqui non parvi, & plerorumque viſcerum magnitudine. Caput non attigimus.

37. Pleuræ majorem læſionem quam in hac hiſtoria, conſulto in poſtremum locum ſervata, mihi quidem in thoracis inflammationibus videre non contigit. Veruntamen credisne, hunc ipſum Juvenem ob illam, an ob conjunctum pulmonum morbum interiiſſe? Nunc ſi noſtras omnes, & Valſalvæ Obſervationes relegeris, & cum aliis aliorum, quos infra nominabimus, tum veterum, tum recentium Medicorum contuleris; facile intelliges, longe proclivius nobis eſſe (ſi alterutrum omnino ſequi neceſſe foret) eorum ſententiæ adſtipulari, qui lethalem pleuritidem docent in ſola pulmonis, id quod ſæpe vidimus, quam eorum qui ajunt in ſola pleuræ, id quod nunquam deprehendimus, inflammatione conſiſtere. Et diſerte quidem Hippocrates; ut Praxagoram, Herophilum, & antiquiorem forſan Hippocrate Euriphontem Gnidium, atque alios prætercam, quos Cælius Aurelianus (*c*), eorum quoque rationes proferens, teſtatur, *in pleuriticis locum patientem* eſſe docuiſſe *pulmonem*; diſerte, inquam, Hippocrates in libro *de locis in homine* (*d*) non peripneumoniæ tantum, ſed & pleuritidis ſedem in pulmone collocaverat, hujus, cum altera; illius, cum ambæ ejus viſceris partes ſunt a copia influentis calidi humoris tumefactæ: quod ego diſcrimen revocandum eſſe in uſum, non contendo; hoc tantum ajo, præſtitiſſe (id quod Demetrius Herophilus (*e*) fecerat)

(*c*) Acut. Paſſ. l. 2. c. 16. (*d*) n. 24. (*e*) apud eund. Cælium l. cit c 25.

cerat) eodem uti, quam ob alios Hippocratis locos, quod veri hoc in loco fuerat, obſcurare. Quod an Martianus fecerit, hic non quæram. Sed videre poteris vel in ipſo Sepulchreto (*f*) cum de hoc eodem Hippocratis loco diſputaret, rectene contra ac Joubertus (*g*) *infinitorum cadaverum apertione* ſubnixus, illud affirmaverit, *raro evenire, unam pulmonis partem inflammari, altera permanente illæſa* : aut *dolorem oriri non ratione inflammationis pulmonis*, ſed lateris : & cum objecerit eorum Obſervationibus qui ſe ſcripſerant, *pulmones læſos in pleuritide ſemper reperiſſe*, cum objecerit, inquam, non mirum eſſe, ſi id *Romæ* obſervaverint, ubi *pleuritides, & peripneumoniæ ſint fere omnes de numero earum de quibus hoc in* Hippocratis *loco fit mentio*, continuo ſubjiciat, *quotidie* Romæ *obſervari cadavera pleuriticorum* in Noſocomio S. Spiritus, ſcilicet ex *Romano agro* illatorum *in quibus latus læſum & corruptum reperitur*, nulla pulmonum mentione habita. Tu vero fac tibi illarum Obſervationum veniat in mentem, quas Hoffmannus (*h*) memorat ſub ea tempora in eodem illo S. Spiritus Noſocomio a Petro Servio *vel in trecentis* pleuriticis *inſtitutas*, in quibus hic *ſemper lobum pulmonis infectum, materiaque repletum conſpexit, pleura aut nihil omnino ad ſenſum vitiata, aut leviter tantum quodammodo inquinata*. Tum vide, quanto cum his magis, quam cum illis noſtræ fere omnes Obſervationes conſentiant : quæ certe, ne quem tibi ſcrupulum injiciat Martianus, aliæ aliis in locis, aliiſque temporibus habitæ ſunt. Eædem ſingillatim, non ut Joubertus, generatim oſtendent, num rarius ſit, alterum dumtaxat, an ambos inflammari pulmones, itemque num pungens dolor ſemper lateris inflammationi debeatur. Quod non modo ſæpe non inflammatum, ſed ne ullam quidem interdum cum inflammato pulmone connexionem habens tunc reperitur ; id quod cæteroquin ab Diemerbroeckii (*i*) Obſervationibus diſcrepare, & cum Recentiorum quorundam placitis minus convenire, non ignoras. Quid? quod ſi noſtras quaſdam inſpicias, XVI. Epiſtola (*k*) tibi deſcriptas, Obſervationes, pleuram aliquando non ſine omni inflammatione fuiſſe, intelliges, at ſine lateris ullo dolore ; ut quærere omittamus, an huc plane attineant pleuritides *ſine punctorio lateris dolore* non uni Auctori adnotatæ apud Ettmüllerum (*l*).

38. Jam vero ſi noſtras omnes, ſimulque Servii Obſervationes attendas ; continuo intelliges, quam iis facile aſſentiri poſſis qui in lethali pleuritide *ſolam pleuram*, pulmone ipſo illæſo, *ſæpiſſime inflammari*, autumant, licet cum iis facere videatur Sydenhamius (*m*), qui *materiam peccantem in pleuram deponi*, cenſet, *nonnunquam & in pulmones*. Quanto aliter ii Medici, qui per anatomen quid ſæpius contingat, vel olim indagarunt, ut Coiterus (*n*), cujus verba omnia hic deſcribemus non modo quia cum Obſervationibus conſentiunt noſtris, verum etiam quia in hac Sepulchreti Sectione fruſtra perquiſivimus. *Anno ſalutis* 1563. *autumno cum per totam fere Italiam tuſſes, peripneumoniæ, & malignæ pleuritides epidemialium morborum inſtar graſſabantur, atque multos occidebant, inveni*, inquit, *in omnibus, quos ſecui, quaſi totos pulmones ſanguine media ex parte putrido repletos, turgidos, atque mirum in modum induratos : id ſpatii, quod pulmones non replerant, aqua loturæ ſanguinis non diſſimili plenum fuit : capita etiam magna aquæ limpidæ copia referta erant*. Vides, cum alia memoret, pleuram non memorare. Sed tu viciſſim objicere mihi Veſalium (*o*) potes, pariter in Sepulchreto prætermiſſum, qui cum de fœminis duabus mentionem injiciat, quarum alteram *ex laterali dolore extinctam fuiſſe*, conjiciebat, altera *ex inflammatione tertia die interierat* ; pleuram quidem, ſed non pulmones, commemorat. In illa enim *inflammationem*, ſcribit, *totam fere ſiniſtram ſedem membranæ coſtas ſuccingentis, præcipue tamen ad coſtarum radices, occupaſſe*. In hac vero *ſecundum venæ pari carentis ingreſſum, & ipſius propagines totam poſteriorem thoracis ſedem occupaviſſe, & ſibi ad morbi lateralis eſſentiam dignoſcendam egregium ſpecimen præbuiſſe*. Ego vero non hic dicam, Veſalium tunc aliud agentem, & ea obiter memorantem, pulmonum læſionem omittere potuiſſe eo facilius, quod illo tempore minus hæc controverſia agitabatur : ſed pulmones, ſi vis, illæſos in duabus illis mulieribus fuiſſe, dabo, dum tamen tu quoque des, in illis omnibus, quos certe multo plures Coiterus deſignat, pleuram ſine læſione fuiſſe, aut cum ea quæ negligi poſſet. Hic autem quid ſæpius fiat, profecto quærimus ; non quid nonnunquam. Neque enim vel in Epiſtola ſuperiore (*p*) quaſdam aliquando accidere Obſervationes, negavimus, quæ ſint iſtarum Veſalii ſimiles. Quin etiam ut iſtas Veſalii, ſic aliam aliquam, in hac Sepulchreti Sectione pariter omiſſam, Harderi videlicet (*q*) adderemus, niſi præter alteram mortis cauſam in cerebri cortice purulento propoſitam, minus dilucide ſedem indicaſſet multi puris, quod in thoracis caveam effuſum invenit ; accurate enim ejuſmodi ſedes ſunt definiendæ, neque, ut aliquando factum videas, marſupium idem in quo pus fuerit, aut adhuc ſit, modo ad pulmonem, modo ad pleuram eſt quaſi pro arbitrio referendum. Obſervationes igitur, in quas dubitatio non cadat, ampliorum, graviorumque, illæſo pulmone, pleuræ læſionum in pleuritide non negamus ; ſed oppido perraras eſſe, dicimus, ſi nimirum cum immani earum numero comparentur, quas & Coiterus, & Servius habuere, & qui idem quod Servius, in viginti pleuriticis obſervavit, Barthol. Vicarius (*r*), & Gagliardus (*ſ*), qui triginta circiter diſſecandos curavit, & Nannius (*t*), & ; ne de me, aut de aliis, quos infra laudabo, quidquam hic dicam ; Valſalva demum, qui plurimos inciderunt. Neque enim horum quiſquam in tanto numero diſſectionum unquam in pleuræ læſionem incidit tam gravem, tamque amplam, illæſis pulmonibus.

39. Quin etiam pleuræ inflammatio cum pulmonum inflammatione conjuncta non tam crebro in cadaveribus deprehenditur, quam Viri alioquin Doctiſſimi videntur exiſtimare. Quod verumne ſit, an ſecus, tunc optime intelligitur, cum magna ſeries Obſervationum ſpectatur. Si quæ Coiterus, Servius, Vicarius indicarunt, bene perpendas ; plurimas habes quas ad Valſalvæ, noſtraſque adjungas. Quibus has quoque addes, præter alias, quæ in Sepulchreto leguntur. Zwingerus (*u*), & Dillenius (*x*) pulmones duriores, & gangræna jam affectos viderunt, & cum cæteras partes iis in cadaveribus male ſe habentes deſcribant, neque pleuram nominant, & primus diſerte addit, *nullibi tamen adnatum* fuiſſe pulmonem in ægro qui cum lateris intolerabili pungente dolore ſanguinem extuſſiverat ; alterum autem pleuritis exquiſita ſuſtulerat, in peripneumoniam degenerans. Lanzonus quoque (*y*) in mortuo ex forti pleuritide pulmonis abſceſſum invenit *mortis ac morbi cauſam* ; de pleura ne verbum quidem. Imo in epidemica ejuſdem anni Conſtitutione cum ex pleuritidis ſignis plerique Medici inflammatam pleuram eſſe, cenſerent, aliis contra diſputantibus, aperto cadavere, ut *lis tanta dirimeretur* (*z*), alterum deprehendit pulmonem, *abſque ulla pleuræ læſione*, eryſipelate infectum, & tumefactum, & ex flavo maculoſum. Sed & Cl. Fiſcherus (*a*) in altera Conſtitutione, ut videret, in *controverſia de loco inflammationis tam acriter a quibuſdam agitata, quid ſen-*

tien-

(*f*) Schol. ad §. 5. Obſ. 14. hujus Sect. (*g*) Sect. ead. Obſ. 24. (*h*) Medic. Rat. Tom. 4. P. 1. S. 2. c. 6. §. 2.
(*i*) Vid. Epiſt. 20. n. 58. (*k*) n. 30. 31. 40. (*l*) Prax. l. 1. S. 18. art. 9. (*m*) Obſ. Med. circa Morb. acut. S. 6. c. 3.
(*n*) Obſ. Anat. (*o*) Epiſt. de Rad. Chyn. (*p*) n. 57. 58. (*q*) Apiar. Obſ. 53. (*r*) Vid. in Obſ. 87. Cent. 1. N. C.
(*ſ*) cit. ſupra, ad n. 28. (*t*) Vid. Epiſt. 20 n. 57. (*u*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. Obſ. 8. (*x*) Ead. Dec. A. 10. Obſ. 241.
(*y*) Ibid. A. 5. Obſ. 122. (*z*) Ibid. Obſ. 120. (*a*) Cent. 9. N. C. Obſ. 80.

tiendum eſſet, inciſo cadavere nihil aliud ſibi repertum narrat, quam pulmonis dexteri inflammationem, & concretiones polypoſas in vaſis majoribus pulmonaribus. Neque Præſtantiſſimus Geſnerus in ea quam ſupra (*b*) memoravi, fallaci quidem, ſed non ſine punctorio in lateribus, aut ſub ſcapula dolore, Urienſium pagi Conſtitutione, uno, altero, aliis diſſectis corporibus, pleuræ ullam refert inventam læſionem, cum pulmones utique inflammatos, aliterve intus, aut extra male affectos proponat. Denique ut alios omittam, prætermittere nequeo Illuſtrem Hallerum (*c*), qui cum ſuas pleuritidis, & peripneumoniæ quatuor Obſervationes ediderit, vix in una earum tradidit, *in pleura ſigna fuiſſe inflammationis*, in omnibus autem pulmones, ſcripſit, aut magno fuiſſe abſceſſu vitiatos, aut a ſanguine qui intra eorum veſiculas, cellulaſve deſtillaverat, aut ab albo humore intra eorum ſubſtantiam coacto graves, & in parte duros & ſolidos, quemadmodum in eorum inflammationibus, ſæpius accidere, ſupra (*d*) a nobis expoſitum eſt. Hæc cum ita ſe habeant; præclare intelligis, pleuræ inflammationem cum pulmonis inflammatione conjunctam minus crebro deprehendi, quam Medicus noſtra ætate nobiliſſimus credere videbatur cum *peripneumoniam*, ſcripſit, *ex ſe ipſa raro oriri*, *verum ſupervenire pleuritidi*, *& paraphrenitidi*. Quæ verba ad memoriam revocant Hippocratis locum, ſic a Dureto (*e*) latine redditum: *Peripneumonia pleuritidis ſuccedanea*, *tutior eſt primigenia*: qui locus Interpretum, & Medicorum ingenia torſit cum ob alias cauſas apud Cælium Aurelianum (*f*), & Ballonium (*g*) commemoratas, tum præſertim quia in Aphoriſmis (*h*) ſcriptum eſt: *A pleuritide peripneumonia malum*. Et Martianus quidem (*i*), atque Sennertus (*k*), quibus fortaſſe nimis auſi fuiſſe alii in textu emendando viderentur, rationem excogitarunt, qua, nulla verborum mutatione facta, rem non incommode intelligi poſſe, crederent, ſi nimirum, quod Sennertus ait, reputemus, materiæ parte in thoracis parietibus antea depoſita, pauciorem, minorique cum impetu in pulmones reliquam ferri, aut ſi, quod cenſet Martianus, vox ἀσφαλεστέραι non ita accipiatur, quod vulgo faciunt, ut tutiores tunc ſecurioreſve peripneumonias ſignificet, ſed *ſtabiliores*, ſive minus jam tranſmutabiles. Quarum interpretationum ne primam ſequar, facit aphoriſmus modo memoratus, quocum illam ut ſatis conciliem, non video: ne vero alteram, vel ipſe conſtans, quantum perſpicere potui, in Coacis uſus illius vocis, eive affinium, ut majorem non ſtabilitatem, ſed ſecuritatem, hoc eſt minus periculi omnino ſignificent (*l*). Quæ cum ita ſint; in mentem mihi olim venerat quærere, num forte liceret primam illam litterulam, quaſi librariorum incuria additam, a propoſita voce abjicere, ut mutatione omnium minima id quod ratio poſtulare videbatur, non jam tutiores, ſed periculoſiores eas eſſe legeremus peripneumonias quæ pleuritidi ſuccedunt: aut ſi id non liceret; num ſequi fas eſſet conciliationem a Petito (*m*) traditam, aut certe probatam, ut aphoriſmum accipiamus de peripneumonia, quæ perſtanti pleuritidi addatur, Coacarum autem locum de peripneumonia, in quam pleuritis mutetur. Tu autem videbis, num eo loco duæ iſtæ peripneumoniæ inter ſe comparentur, an potius hæc altera in quam pleuritis mutatur, cum ea comparetur quæ ſit *primigenia*. Quod ſi eſt, ut plane eſt; nempe illuc redimus, ut rationem quæramus, cur peripneumonias, quæ accidunt ægris, jam pleuritide, & ipſa pleuritidis curatione debilitatis, eas tutiores pronunciet Hippocrates, quam quæ, nulla prævia pleuritide, valentes robuſtoſque homines aggrediuntur? Illas ſane ipſas apud Ballonium (*n*) videbis cenſeri *lethales*, nec ratione ſolum, aut Galeni auctoritate, ſed & exemplis productis citioris inde mortis *Reginæ Navarræ*, & *Dominæ Dupuy*: ad quæ alia, atque alia ſæpe addiderunt deinceps Medici funeſta exempla, & non ita pridem Vir Clariſſ. Gianella noſter (*o*): tantum abeſt, ut eas peripneumonias; ſi quod ſæpius contingit, ſpectemus; credere in univerſum poſſimus *primigeniis tutiores*.

40. Verum ut ab his quæ ſuccedunt, ad illas quæ ſimul cum pleuritide ſunt, peripneumonias redeamus; non tam crebro eas quidem; id quod jam ſatis vidiſti; ſed tamen haud rariſſime occurrere, non noſtræ modo, ſed & aliorum Obſervationes demonſtrant. At certe multo minus crebro occurrunt illæ quibuſcum gravior pleuræ ſit inflammatio conjuncta. Teſtis eſt præ cæteris vel is Civis meus, qui de utroque ſimul juncto morbo peculiare volumen edidit, primuſque ambobus *Pleuripneumoniæ* nomen, ſi non impoſuit, at certe ſic confirmavit, ut nunc pervulgatum ab recentiſſimis etiam laudetur, Vincentius Baronius: cujus Obſervationes jam inde ab A. *1636.* typis commiſſæ haud ſcio cur non fuerint in Sectione hac Sepulchreti propoſitæ, in qua cæteroquin præter eam quam ſupra (*p*) indicavi, aliæ quædam non ſemel tantum, ſed bis ponuntur, ut quæ tum §. 7. Obſ. 9. tum §. 2. Obſ. 40. & quæ tum in extremo Scholio ad Obſ. 33. tum nono articulo Appendicis ad Obſ. 25. & quæ tum in hujus Appendicis articulo quarto, tum in ſecundo Scholii ad Obſ. 38. eædem leguntur. Baronius igitur (*q*), cum in noſtris illis regionibus Pleuripneumonia epidemice vagaretur, treſque eo morbo interemptos ipſe in Noſocomio patrio diſſecaret, *in nullo eorum latere abſceſſum*, *nec ullum alium in membrana coſtas ſuccingente inflammationis*, *aut tumoris veſtigium deprehendere* potuit, *præterquam in una tantum muliercula*, in qua ipſa tamen non inflammatam eam membranam, ſed *tabidam* invenit, ut arcte adhærentem pulmonem cum avellerent, ſequeretur. Ex ſingulorum autem morbi deſcriptione, quam ſectionibus præmittit, apparet, omnes acuto ac pungente lateris dolore fuiſſe cruciatos. Quin etiam, ut ſuarum ſimiles, his ſubjicit Plateri, & Zecchii Obſervationes: quorum ille in pleuriticis duobus *maculam tantum lividam* in pleura, cui quidem affixos pulmones ipſos potius male affectos deprehendit; Zecchius autem in pluribus, non illam, ſed pulmones vitiatos invenit, ut in Sepulchreto quoque (*r*) adnotatum leges: quanquam in extremo Tractatu *de Lateris Dolore*, qui ut *Methodo de Urinis* ſubjectus, ſic *Conſultationi* illi quæ editarum Venetiis eſt ultima, præpoſitus eſt; idem Zecchius ſcribit, in pleuriticis cum magno pulmonum vitio, pleuram *interdum prorſus illæſam*, *nonnunquam vero parum immutatam* repertam eſſe. Huc Jacotium (*ſ*) addito, cujus hæc ſunt verba: *experimento in diſſectione pleuriticorum raro tumere pleuram obſervamus*: & ne Valſalvæ, & noſtras diſſectiones ſæpius inculcemus; trecentas illas Servii (*t*) adjicito, in quibus pleuram aut nihil omnino vitiatam, aut *leviter tantum quodammodo inquinatam* offendit. Quemadmodum autem cum ſupra (*u*) oſtenderem ampliorum, graviorumque pleuræ læſionum, ubi ſalvi pulmones ſint, aut illius inflammationis cum horum inflammatione conjunctæ raritatem, non me certe ex iis eſſe, crediderim, qui *nullam pleuritidem a membranæ coſtas ſuccingentis inflammatione excitari*, contenderunt, nominati plerique a Cl.

(*b*) n. 14. (*c*) Opuſc. Pathol. Obſ. 13. & ſeqq. (*d*) n. 20. (*e*) Coacar. Prænot. l. 2. c. 16. n. 28.
(*f*) Acut. Morb. l. 2. c. 25. (*g*) Annot. 6. ad Conſil. 27. l. 1. (*h*) Sect. 7. Aph. 11. (*i*) Ad Coac. Sect. 2. n. 277.
(*k*) Medic. Pract. l. 2. P. 2. c. 16. (*l*) Vid. apud Duret. cit. cap. n. 17. cui adde n. 16. & cap. 17. n. 1. Adde cap. 15. n. 4. & l. 1. n. 149.
(*m*) Comment. in Aret. de Morb. Acut. l. 1. c. 10. (*n*) Annot. 6. cit. (*o*) De Succeſſ. Morb. l. 2. c. 6. (*p*) n. 28.
(*q*) De Pleuripneum. l. 1. c. 1. (*r*) Sect. hac, Obſ. 20. §. 29. & 1. (*ſ*) Comment. in Hipp. Coac. Sect. 2. l. 1. aphor. 1.
(*t*) ſupra n. 37. (*u*) n. 38. 39.

Tittwanno (*x*), ita hic pariter recte credes, non ideo me graves pleuræ inflammationes cum pulmonis inflammatione junctas negare, quod in diſſectionum maximo numero deprehenſas perraro fuiſſe, oſtendam. Neque enim earum oblitus ſum quæ in Sepulchreto recenſentur: ad eaſque addere alias poſſum, ut puta quas Gagliardus (*y*) indicat, & in pluribus quidem, a pulmone in pleuram extenſas, aut cum Hoffmannus (*z*) vidiſſe ſe, ait, *inflammatam & ſphacelatam pleuram*, vitiato parvis abſceſſibus pulmoni adhærentem. Hoffmannus tamen id *etiam*, quaſi nonnunquam, vidiſſe ſe, addidit, poſtquam id quod frequentiſſimum eſt, ſic in univerſum tradiderat: *In ſectione pulmones inveniuntur inflati, duri, inſtar hepatis, & aquæ fundum petentes*: quæ præclare quoque Obſervatione (*a*) confirmavit, eorum immane deſcribens pondus, & diſtentionem, & duritiem, quia *veſiculas quaſi carnea craſſa rubicunda ſubſtantia* habebant *infarctas*; & cum thoracis nullas omitteret internas partes: pleuram ne memoravit quidem. Gagliardus autem, ad triginta, ut dictum eſt ſupra (*b*) diſſectis, in aliis pulmonum ſubſtantiam ſic in hepaticæ ſimilitudinem invenit mutatam, ut in quodam Chirurgiæ ſtudioſo ſectus pulmo a ſecto ejuſdem hepate internoſci non poſſet, in aliis nigram, in aliis utroque illo vitio, quorum primum *phlegmonoſum*, alterum *gangrænoſum* vocat, promiſcue affectam. Ampliſſimus quoque Senacius (*c*) cum univerſe ſcribat, ſubſtantiam pulmonis „ indurari in pleuritidibus, & maſſam formare ſimilem hepati „ alibi (*d*) tamen cujuſdam Conſtitutionis pleuritides excipit, in quibus *gangrænoſum principium* accuſat, & in ægris, mortuiſque animadverſa non reticet. Tu quid inter Pariſienſem, & Romanam Conſtitutionem diſcriminis fuerit, conferendo utrumque Scriptorem, intelliges. Gagliardus enim tribus illis ſingulis vitiis ſua peculiaria adſcribit ſigna, & remedia. Sed ut phlegmonoſi in ſuppurationem abeuntis progreſſum in paulo ſerius extinctis ſatis dilucide oſtendit; ſic in gangrænoſi, & in miſti ex utroque deſcriptione perſpicuitatem deſiderabis; neque enim licet intelligere, phlegmone, an eryſipelate, an neutro inflammationis genere eæ partes eſſent affectæ pulmonis, quas gangræna corripiebat. Et progreſſum quidem ſubſtantiæ illius quaſi hepaticæ in ſuppurationem a me quoque tum in hac (*e*), tum in aliis (*f*) Epiſtolis adnotatum videbis: ſic etiam in dura, ac denſa illa eadem parte nigredinem (*g*): in eademque conſpexiſſe Valſalvam, cum *atrum, & phlogoſi affectum, durum, & valde compactum* pulmonem Senis (*h*) deſcripſit, tertio die mortui, & cum Mulieris (*i*) proſtratis omnibus viribus decumbentis, cujus poſtea remiſit dolor, *indurati* pulmonis partem *fuſcam*, & *ſphacelo quodammodo correptam*, & cum Viri (*k*) quincto die extincti pulmonem *valde induratum*, *ad ſubviridem colorem vergentem*, *nigriſque maculis diſtinctum*. Sed nec Valſalva, quod ſciam, in peripneumonicis pulmones, qui non eſſent indurati, nigros deprehendit, nec ipſe, niſi uno in Viro, de quo Epiſtola Anatomica ſcripſit XIII. (*l*): quanquam illos, quippe ad caput præcipue intentus, *curſim* inſpexi, & graviter quidem læſos fuiſſe, memini; ſed ea tamen nigredo a gangræna eſſet, an a ſanguine, qui non ita prorſus in eorum vaſis ſubſtitiſſet, ut ad gangrænam faciendam requiritur, adnotatum non habeo: ut neque intelligo, durine eſſent, an a ſphacelo laxati, & molles, cum Lanciſius in Romana illa epidemica peripneumonia (*m*) *præcordia rubentia uſque ad diaphragma* fuiſſe, ſcripſit, & *nigricantia ſanguine coacto*, id eſt, ut inferius (*n*) loquitur, *rubra, & ſphacelo tentata*. Verum utcunque id fuerit; hæ omnes pulmonum labes, in quibus commemorandis me a propoſito divertiſſe, fortaſſe credideris, videnturne tibi ejuſmodi eſſe, ut ſi cum pleuræ noxis, quantumvis gravibus, nonnunquam jungantur, his potius, quam illis, debeas ægrorum interitum imputare? Lanciſio id certe non eſt viſum, qui vel eos in quibus rami venæ Azygæ lateris primum inflammati *in varices abierant*, ad me ſcripſit, (*o*) *ex ſæva* quidem *pleuritide, ſed in peripneumoniam, & ſepti inflammationem faceſſente, diem ſuum obiiſſe*. Quin Riverio ipſi, dum contrariam tueretur ſententiam, veritas expreſſit verba hæc, quæ in Sepulchreto quoque (*p*) a te reperientur, nobiſque ſatis eſſe debent: *pleuritides vehementiores, quæ mortem inducere conſueverunt, in peripneumoniam ut plurimum degenerare*. Sed univerſe aſſeverat Medicus Præſtantiſſimus Trillerus (*q*), in vera pleuritide, *non pleuram ſolum affici, quod hactenus quidem temere creditum; ſed ipſam quoque pulmonum ſubſtantiam ſimul infeſtari, quod unicus medicinæ ocellus, anatome, docuit luculentiſſime*, & *nullam veram pleuritidem acutam ſine peripneumonia* agnoſcit. Denique; ut alios hic omittam; ſatis fuerit, Anatomicum Exercitatiſſimum Hallerum (*r*) negare, ſibi *unquam viſum, ſolam pleuram inflammatione ſua hominem necaſſe*.

41. Nec vereor interim dum in controverſia hac de veræ pleuritidis ſede diutius hæreo, ne tu forte Empiricos imitatus, quibuſcum mollius, quod ad illam attinet, egit Galenus (*ſ*), de re inutili tot verba a me fieri, arbitraris. Nam ſi Dogmatici ea tempeſtate, *contra illos parum idonea ſe reſponſione tuebantur*; at noſtris temporibus ſi Celeberrimos inter Dogmaticos Medicos duos conſulueris, Boerhaavium (*t*), & Hoffmannum (*u*); non facile credes, eadem curationis diſcrimina Empiricos illos per ſolam experientiam accurate, partite, dilucide adeo noviſſe, atque hi, anatome, & ratione duce, propoſuerunt, præſertim autem Boerhaavius. Ægre etiam feres, fuiſſe ætate noſtra ſeniorem Medicum, qui eadem omnes uti curatione, ſcripſerit, ſive pleuram morbus teneat, ſive pulmones, oblitus videlicet vel ejus diſcriminis quod ne ii quidem negant, qui cætera extenuare conantur, ſi res ad ſuppurationem vergat, tunc ſaltem requiri aliam curandi rationem, ſi pus in pleura ſit, adſitiſque muſculis, aliam, ſi in pulmonibus, & longe alia via ex illa, atque ex his, eſſe educendum. Non me fugit, alios quoque, & longe quidem eo peritiores, memoria noſtra fuiſſe Medicos, qui eandem fere, imo parem omnino medendi rationem docuerint utrique morbo convenire. Sed hi aut ſedem utriuſque in pulmone, aut ſimul utrumque eſſe, arbitrabantur, & quæ remedia utrique morbo communia, & recte quidem, ſtatuerent, ſatis intelligitur. Ille vero, ut omnem Anatomicorum operam in diſquiſitione hac inanem eſſe, dictitaret, idem affirmabat de univerſa curatione; quaſi illud ſaltem verum non eſſet, magis ſolicitum de morbo, & de celeri magnorum auxiliorum adminiſtratione Medicum fore, qui multo creberrimam ejus ſedem ſciat eſſe in pulmonibus, rariorem in pleura. Tu autem, ſi bene tuum novi animum ſciendi cupidum, & veri cognitionem rebus cæteris anteferentem, non iis modo quæ de morbo hoc mihi hactenus conſpecta eſſe, dixi, contentus non eris; ſed illud inſuper fortaſſe optabis, ut quemadmodum pulmonum membranam toties integram ſanamque fuiſſe, animadverti, ita & nonnunquam ipſam dumtaxat quaſi eryſipelate affectam, profundiore ſubſtantia illæſa, & minime infarcta, deprehendiſſem, ut ſedes omnes harum thoracis inflammationum per anatomen ex me cogni-

(*x*) in Procem. Mechaniſmi venæ Azyg. Pleurit. cauſæ. (*y*) cit. ſupra, ad n. 28. (*z*) cit. ibid.
(*a*) 1. in Enarr. Morb. cap. ibid. cit. (*b*) n. 38. (*c*) Traité du Coeur l. 4. ch. 3. n. 2. (*d*) l. 3. ch. 8. n. 9.
(*e*) n. 17. (*f*) Epiſt. 6. n. 11. (*g*) ſupra, n. 4. & 24. (*h*) Epiſt. 20. n. 33. (*i*) Ibid. n. 41.
(*k*) Ibid. n. 45. (*l*) n. 23. (*m*) Epidem. Rheum. A. 1709. c. 2. n. 6. (*n*) c. 4. S. 1. n. 7.
(*o*) Diſſert. de Vena ſine pari. (*p*) Sect. hac Obſ. 14. §. 4. (*q*) Vid. Commerc. Litter. A. 1741. Hebd. 2. n. 2.
(*r*) Opuſc. Pathol. Obſ. 13. (*ſ*) De Loc. aff. l. 3. c. 2. (*t*) Aphor. de cogn. & cur. Morb. tum §. 849. & ſeqq. tum §. 886. ſeqq.
(*u*) c. 6. cit. ſupra, ad n. 28. §. 2. & ſeqq.

cognitas haberes. At aliis quoque me diligentioribus, aut felicioribus aliquid relinqui, ne gravius feras: intereaque ex ea ſede, quam omnium frequentiſſimam eſſe, confirmavi, tibi ſatis ſit cum alia, tum hæc præſertim multo facilius intelligere. Primum, cur empyema ſæpe adeo non ſequatur, ut ſequi oporteret, ſi pus in pleura unde extrorſum nullus patet exitus ſecundum naturam, acervaretur. Alterum, quomodo tanta puris copia a pleuriticis quibuſdam expectoretur, aut in eorum thoracem effundatur, quæ ſi a pleura proveniret, exili ſane, tenuique membrana, *magnum profecto* eſſe *miraculum*, ut Aretæo (*x*), ſic & aliis videri poſſet. Nam quod ab inflammatione tam craſſa fiat, ut tantam poſſit materiæ vim continere, nec mihi unquam, nec Valſalvæ, nec ulli ex iis Anatomicis videre pro certo contigit, quorum longe maximum fuiſſe numerum Obſervationum, ſupra (*y*) dictum eſt. Ad pleuram autem pinguedinem addere, ut materiæ copiam non defuturam intelligamus, vide num liceat. Exterior enim pinguedo ad ſpuriam pleuritidem, non ad veram ſpectat, & latentem, de qua hic loquimur. Interior autem quantula demum ſit in non obeſis, minime ignoras; obeſos enim minus eſſe pleuritidi obnoxios, agnovimus alibi (*z*) cum Medico Diligentiſſimo Trillero. Tertium denique, ea poſita quam frequentiſſimam eſſe hujus morbi ſedem probavimus, a te facilius intelligendum, illud eſt, quomodo cruentum ſputum ſæpe adeo vel inter hujus initia ſe oſtendat.

42. Non ſum neſcius, quot rationes Viri ingenioſiſſimi excogitarint hujus explicandæ rei, quando etiam in ſola pleura ſtatueretur inflammatio. Quarum antiquiſſima Eraſiſtrati eſt, cujus verba, nobis a Galeno (*a*) contra diſputante ſervata ſunt. Quam rationem quamvis Sennertus (*b*), diſſimulato auctore, ſecutus eſſet, nunc tamen plerique ignorarent, niſi inter Italos Vir Doctus, idemque de Pleuritidis tractatione bene meritus in bono lumine collocaſſet, imo probabilem reddidiſſet, Eraſiſtrati verbis non modo ad nunc cognitam ſanguinis circumitionem accommodatis, ſed etiam per Bronchialem arteriam, quam Eraſiſtrato notam, ac Galeno, ſecus ac reſpondentem illi venam, ſermo utriuſque (*c*) ſatis oſtendit, ſingillatim expoſitis: qua in expoſitione tamen cum alia fortaſſe, tum illud certe optare poſſis, ut per *concavam arteriam* non Bronchialis intelligeretur, ſed Magna; nam & vena quod *maxima* ſit, *ob id ipſum cava nominatur*, ut a Galeno alibi (*d*) traditum eſt. Inter recentes autem ſputi illius cruenti explicandi rationes, ut vetuſtas alias, quas Schneiderus (*e*) jam ſatis refutavit, prætereram, nihilque de ramis venoſis dicam, a pleura in ramos venoſos pulmonis pertinentibus, ab nonnemine in rem hanc indicatis; ut nihil, inquam, de iis ramis dicam niſi quod ſi vel eſſent perpetui, quidquid inferrent, minime illud in pulmonibus ſubſiſteret, quippe ab anguſtis in latiores ſemper venas cum reliquo eorum ſanguine perrecturum, alio traducendum; at eam profecto rationem ſine laude omittere non poſſum, quibuſdam in caſibus fortaſſe locum habituram, quam per tubulos inter Venam ſine pari, & arteriam Aſperam injectionibus detectos mihi quondam ſignificavit Lanciſius (*f*). Verum ut ſummi Viri ingenium, & diligentiam probem; certe quotieſcunque pulmonem ipſum eſſe inflammatione affectum ſciam; non facile ego in pleura expectorati ſanguinis cauſam quæram, nec via recta, ampliſſimaque relicta, obliquos, anguſtoſque tramites ſequar præſertim donec meminero earum Obſervationum, quas olim in diſputatione mecum, ut ſolebat, amice habita in Bononienſi Scientiarum Academia propoſuit Nannius, preſſe nimium in vetere illa ſcheda indicatas, ex qua una potuit Vir cæteroquin non minus diligens, quam doctus, qui nunc magno ſuo merito illi Academiæ a ſecretis eſt, in ejuſdem Commentariis (*g*) deſcribere. Nannius enim ſic narrabat, ut ego illo eodem die memoriæ cauſa mihi adnotavi: in ea pleuritidum epidemia in qua vix unum aut alterum pleura dumtaxat læſa deprehendit, hoſque mortuos ſine ſputo ſanguineo, ut in Commentariis ſcriptum eſt, cæteros (id quod ibi minime leges) in quibus pulmones potiſſimum læſos offenderat, qui ſane quamplurimi fuerunt, omnes prævìis cruentis ſputis deceſſiſſe. Nunc itaque intelligis tum quare ſibi non omittendum putaverit, in duobus illis, ejuſmodi ſputa defuiſſe, tum quid mihi ab ejus obſervationibus in rem præſentem indicari videatur.

43. Eodem die memini quæ in Noſocomio S. Mariæ de Vita ipſe videram in duobus adoleſcentibus, ſed in alio alio tempore, cum Academia communicaſſe. Alter ex frigore externo correptus fuerat perforante dolore circa medium lateris dexteri, qui in eo, quem exiguum tenebat, loco ſe movere, & circumferre videbatur, linteis calidis admotis non remittebat, tangendo autem creſcebat, ut in id latus æger decumbere non poſſet. Noctu febris acceſſit cum frigore incipiens, cum ſudore autem deſinens. Quæ etſi erat intermittens; tamen cum rediret ſingulis noctibus, dolor autem idem perſtaret; in Noſocomium venit adoleſcens: ubi ſanguine emiſſo e brachio, latere autem inuncto ex oleo calido de lini ſeminibus expreſſo, ſedem quidem mutavit dolor, & naturam hactenus, ut potius gravando, quam perforando moleſtiam afferret; cæterum mucronata cartilago; ad eum enim locum tranſiverat; manum tangentis ferre non poterat. Cum hæc nono jam die ab initio doloris ita ſe haberent; ex improviſo tuſſi oborta, ſanguinis grumum fœtentem, majoris caſtaneæ magnitudine æger rejecit. Quo ejecto, omnia quæ dicta ſunt, abiere, ut nec febris nocte proxima, ſed ſudores potius redierint, deinde vero ne hi quidem. Igitur quærebam, unde is grumus? nam ex arteria Aſpera non videbatur ea magnitudine proveniſſe: e naribus autem intimis, etſi per extimas haud ita pridem ſanguis prodiiſſet, æger veniſſe conſtanter negabat; tum quæ præceſſerant, eorumque ſubita ſolutio, aliaque præterea ut ipſi crederem, faciebant. Relinquebatur, ut e ventriculo: quamvis nulla ad hujus regionem moleſtia primis diebus præſertim ſe prodidiſſet, neque ulla nauſea, ulla ad vomitum propenſio ipſam grumi rejectionem anteceſſiſſet. Certe autem ad ventriculum attinebat quod in altero acciderat Juvene. Is enim dolore lateris, tuſſi, cæteriſque pleuritidis indiciis affectus, & de his dumtaxat conqueſtus, niſi quod tamen ſimul nauſea tentabatur, cum ab iis quæ cæteros juvare pleuriticos ſolent, vel pejus ſe haberet; denique rejecto inter vomitum ſanguineum terete lumbrico, ſtatim ab iis, quæ dicta ſunt, omnibus liber eſt factus. Nec vero hanc Obſervationem eo die commemorabam, quod raram eſſe, cenſerem: neque enim me fugiebat, ex quo Gabucinus (*h*) unam ejuſdemmodi propoſuerat, quæ Donato (*i*) adeo mirabilis viſa erat, quot proditæ eſſent aliæ tum ab iis quos laudat Ettmüllerus (*k*), tum ab aliis, qui in Sepulchreto (*l*) memorantur: ad quas eſſe quæ addi poſſint, non ignoras præſertim ex Hardero (*m*), Kaygero (*n*), ex Viriſque aliis Clariſſimis, nominatim Joanne Baptiſta Verna (*o*), & Joſepho Antonio Pujati (*p*) Auditore olim noſtro, nunc Collega meritiſſimo, a quo uno plurimæ docte, ut ſolet, accurateque propoſitæ ſunt. Verum ideo commemorabam, quod ſermo de Pleuritide erat eo die in Academia inſtitutus ob litteras a Cremonenſi Medico, dum viveret, Experientiſſimo, qui condiſcipulus meus fuerat, Ignatio Pedratto ad me datas, in qui-

(*x*) De Cauſ. diuturn. Affect. l. 1. c. 9. (*y*) n. 38. & ſeqq. (*z*) Epiſt. 20. n. 10. (*a*) De Loc. aff. l. 5. c. 3.
(*b*) cap. 16. cit. ſupra, ad n. 39. qu. 3. in fin. (*c*) cap. 3. modo cit. infra medium. (*d*) De Venar. &c. diſſect. c. 2.
(*e*) Diſſert. de Pleuripneum. c. 1. §. 33. 34. (*f*) Diſſert. de Vena ſine pari. (*g*) Tom. 1. inter Medica.
(*h*) Comment. de Lumbric. c. 13. (*i*) De Medic. Hiſt. Mirab. l. 4. c. 6. (*k*) Prax. l. 1. S 18. art. 9.
(*l*) Schol. ad Obſ. 38. hujus Sect. (*m*) Apiar. Obſ. 96. (*n*) Vid. Act. Lipſ. A. 1691. M. Janu. in fin. ad Obſ. 26.
(*o*) Princ. morb. acut. Pleurit. P. 3. c. 11. n. 19. & ſeqq. (*p*) Dec. rar. Medic. Obſ. 7.

in quibus verminoſas pleuritides ſumma cura deſcribebat, quæ hyeme A. 1705. Farneſii, ubi tunc ille medicinam faciebat, in eaque vicinia epidemice graſſabantur. Ut igitur appareret, primum quidem, a vermibus inferri aliquando pleuritidis ſimilitudinem, quæ, ejectis vermibus, continuo evaneſceret; deinde autem, veram ipſam pleuropneumoniam interdum fieri, ſi porro illi irritare pergerent, & ſic ad thoracem non vapores neſcio qui, ſed conſtantes ſpaſmodicæ membranarum criſpaturæ traducerentur, quæ ſanguinem denique, præſertim lentum, in vaſculorum anguſtiis retinerent, viſum eſt, ut hoc licebat ex recentibus Pedratti Obſervationibus intelligere, ſic illud quoque recenti mea Obſervatione confirmare.

44. Quoniam vero in Sepulchreto nullam invenio diſſectionem, quæ in pleuritide verminoſa oſtendat, revera poſſe thoracis interiora inflammari, cum eæ quæ ex Quercetano proferuntur (*q*), lumbricorum cumulos dumtaxat exhibeant, in ventriculo, & inteſtinis repertos; quæ tunc Pedrattus in thorace mortuorum viderit, adſcribam; ſi prius tamen quæ in viventibus adnotavit, ex iis quæ tum ſcripſerat, tum coram addidit poſtea, cum plura poſt ſcriptam epiſtolam obſervaſſet, ſummatim ſignificavero. Juvat enim decipientium morborum Conſtitutiones plures, & alibi obſervatas, legiſſe, & inter ſe contuliſſe. Ille igitur ſic obſervavit. Lateris dolor obtuſus potius quam pungens, primum omnium exiſtebat, qui præterquam quod nonnullas habebat intermiſſiones, initio erat tolerabilis. Interea autem apparebant indicia vermium in ventre nidulantium: quin horum aliqui ut plurimum ex ore ejecti, aut cum alvi recrementis conſpiciebantur. Simul autem non ſine tuſſi, & hac vehementi, ſputa erant alba, non concocta, eademque ſanguineis quaſi filamentis jam tincta. Febris, quæ cum horrore inceperat, uno fere tenore, & curſu perſtabat: Pulſus; non, ut in pleuritide ſolent, duri, tenſive; humiles erant, parvi, inæquales. Ad quinctam uſque, aut, ſummum, ad ſeptimam diem morbus non modo non creſcere, ſed potius decreſcere, atque adeo jam propemodum victus eſſe videbatur, dolore, ac tuſſi abeuntibus, febre autem ipſa non mediocriter imminuta. Poſtea vero hæc omnia uſque adeo majora quam antea, fiebant, tantaque & ſpirandi difficultas, & virium dejectio adjungebatur, ut intra horas quadraginta ægri miſere inquieti, intus æſtuantes, toto autem corporis ambitu perfrigerati, &, quod certiſſimum erat mortis ſignum, cadaveris inſtar liventes, nullis tunc proficientibus auxiliis, interirent. Sed in morbi initio, ut denique animadverſum eſt, profuit iis qui firmis eſſent viribus dare quæ vomitum moverent, & nominatim quam benedictam vocant, Rulandi aquam, de qua confer quid in ejuſmodi pleuritidibus cenſeret Quercetanus; habes enim vel in Sepulchreto (*r*). Alvum autem in hoc morbo ciere oleo etiam ipſo ex amygdalis recens expreſſo, aut mercurio, ut vocant, dulci, ad abigendos certius vermes cum pauca myrrha, & corallina conjuncto, non ita proderat. Nam etſi hoc lumbrici mirifice expellerentur; mox tamen a dejectionibus exacerbabatur dolor, & creſcebat inflammatio. Oleum autem illud cum a primo expectorationem reddere faciliorem videretur; paulo poſt tamen, quaſi pulmones laxaſſet, aucta ſpirandi difficultate mortem accelerabat; ut omnino fuerit omittendum. At ſanguinis miſſione, quippe vires dejiciente, abſtinere oportebat, vix ut nonnunquam, maxime urgente inflammatione, partite tamen, ac parce, fuerit inſtituta. Sive igitur hic morbus ita erat explicandus, ut paulo ante (*ſ*) indicatum eſt, explicationem confirmante utilitate ex Rulandi aqua inter initia ſtatim id quod lentiorem ſanguinem facturum eſſet, ejiciente, ſive etiam aqua eadem quaſi antidoti inſtar cum Quercetano, aliiſque ſpectata, morbum hunc mavis peſtiferi aliquid habuiſſe, quod vermes comitarentur potius, quam facerent; nam & peſtilentes pleuritides interdum obſervatæ ſunt, quo illæ apud Ballonium (*t*) in Adnotatione I. referuntur quæ ab eo ſunt deſcriptæ initio Conſtitutionis Vernæ A. 1571. preſſius in Sepulchreto (*u*) commemoratæ; illud certum eſt cum multorum, quos deſcriptus morbus abſtulerat, cadavera tum Farneſii, tum in proximis oppidulis ſecarentur, viſcera quidem ventris in aliis aliter, ut propriæ ſingulorum affectiones ferebant, conſtituta apparuiſſe, ſcirrhoſa videlicet, obſtructa, aut alia ratione male habentia, præ cæteris autem valde affectum ventriculum, & tympaniticum in modum, inflatum, putridaque, & graveolenti humorum ſaburra onuſtum; ſed præcipuam læſionem in omnibus intra penetralia thoracis, fere eandem ac quæ propterea ex uno tantum ſubjicitur, deprehenſam eſſe.

45. VIRI quem modo propoſiti morbi vis atrocius, ac celerius abſumpſerat, PULMONES tumebant adeo, ut totum thoracis cavum implerent. Siniſter autem, quo in latere dolor fuerat, penitus inflammatus ac nigricans conſpectus eſt, præterea inferiora verſus albido ichore infarctus, abſceſſus inſtar. Pleura ubique inflammata, liveſcens, & nonnullis quaſi punctis ſanguineis diſtincta. Intercoſtales muſculi, Interni præſertim, & ſiniſtri, hactenus inflammationem contraxerant, ut ſugillati viderentur. Denique in cordis ventriculis, annexiſque Magnis utriuſque generis vaſis grumi fuerunt atri ſanguinis, nec diſſimiles polypoſæ concretioni.

46. Ex his quæ a nobis de Verminoſa Pleuritide relata ſunt, conjunctis tamen cum iis quæ de eadem ſupra (*x*) laudati Auctores ſcripſerunt, jam tibi facile apparebit, nulla eſſe veræ pleuritidis ſigna, quæ non aliquando in illa quoque ſint obſervata non modo cum jam in veram degeneraſſet, ſed tum etiam cum hujus tantummodo ſimilitudinem referret. Quo magis, in pueris præſertim, itemque in aliis qui ſoleant vermibus eſſe obnoxii, nec non in iis Conſtitutionibus quæ horum feraces ſint, cavere Medicos, oportet, ne forte pro vera habeant pleuritide aliquam in qua necdum aliud ſit, niſi pleuritidis ſimilitudo, ſolis anthelminticis curanda. Sed de pulmonis, & pleuræ, & utriuſque inflammationibus legitimis, aut nothis hactenus. De inflammatione autem diaphragmatis, aut mediaſtini, & pericardii quidquid vidi cum leve fuerit, & cum pulmonum inflammatione conjunctum; ſimul cum hac jam in his Litteris (*y*), aut in aliis etiam (*z*) indicatum eſt. Videre igitur poteris qui peculiares illarum membranarum inflammationes non conſpexerunt modo, ſed & earum ſigna adnotarunt. Neutrum enim ſolum ſatis eſt. Sic olim Avenzoar, cujus non brevem locum Zacutus (*a*) protulit, & fuſius ante Freindium (*b*) conſideravit, ſigna propoſuerat inflammationis Mediaſtini, quam ſe pertuliſſe, non dubitabat. Sic etiam Jacotius (*c*) non reticuit notas quas eidem morbo de Avicennæ quoque ſententia credidit convenire. Sic denique Heurnius pater (*d*) quibus ex indiciis conjiceret, Juvenem quendam eſſe indidem mortuum, legeris. Contra, Nicolaus Maſſa (*e*) qui apoſtemata etiam in mediaſtino vidiſſe, ſcripſit, de eorum ſignis nihil adjecit, cum illa quæ in Nobili Florentino pleuriticum apoſtema comitata erant, diligenter retuliſſet, cujus morbi, & diſſectionis in Sepulchreto nullam video mentionem fieri: & quamvis ſe *vidiſſe*, ajat, *& multos alios, a pleuritico apoſtemate mortuos, quo-*

rum

(*q*) Obſ. 38. paulo ante cit. & Schol. ad eand. in fin. (*r*) in eod. Schol. (*ſ*) n. 43. in fin. (*t*) Epidem. l. 1.
(*u*) Schol. ad Obſ. 28. hujus 4. Sect. (*x*) n. 43. & ſeq. (*y*) n. 35. 36. (*z*) Epiſt. 7. n. 11.
(*a*) De Medic. Princ. Hiſt. l. 2. hiſt. 23. (*b*) Hiſt. Medic. ad A. 980. (*c*) Comment. in Coac. Sect. 2. l. 5. aph. 65.
(*d*) Enarrat Hippocr. l. 5. aphor. 24. (*e*) l. Introduct. Anat. c. 27.

rum apoſtemata magna erant; tamen hæc ſuperius non memoravi, incertus, an ejuſmodi magna apoſtemata ad ea ſpectarent, de quibus agebam, an potius, ut in Florentino illo de quo dicebat, ad muſculos etiam proximos occupantia, frigida, antiqua, & multos annos perpetua tuſſicula, & gravante dolore permoleſta. Opus igitur eſt ſignis, per diſſectiones comprobatis, ut morbum dignoſcere, & accelerata auxiliorum adminiſtratione curare poſſis, aut ſi hoc non liceat, ſaltem de gravi periculo monere, & ne deceptus videare, quid in cadavere ſit inveniendum, prædicere. Utrumque autem quod ſimul requiri, dicebam, oſtendet Medicus præſtantiſſimus, Salius, vicinus meus (*f*). Qui cum junior in mediaſtino inflammatorium tumorem, nec parvum, primus omnium vidiſſet, quæ autem ſymptomata in ægro fuiſſent, diligenter adnotaſſet; poſtea non ceſſavit unquam ea cum illis quæ in ægris aliis ſimilia occurrerent, ſolerter conſerre: itaque & morbi ſigna conſtituit, de eoque docte periteque ſcriptam primam quam Medici habuerint, integram tractationem vulgavit. Obſervationem, quæ tractationis cauſa fuit, in hac habes Quarta Sepulchreti Sectione (*g*): in Sectione autem Prima hujus libri II. alteram (*h*) leges, quam inſequenti ſæculo litteris mandavit Panarolus, prætervisam iis quos de hoc morbo ſcripſiſſe, vidi: in qua utinam alia, quæ defuiſſe non puto, ſymptomata adſcripta eſſent, & inflammationis ſedes, quæ fortaſſe pericardium attingebat, dilucide eſſet indicata. Quorum alterum non deſiderabis quidem in Heurnii filii Obſervatione, pariter in Sepulchretum (*i*) relata; at ſignorum quæ fuiſſent inflammationis hujus peculiaria priuſquam in vomicas abiret, imo vel poſtquam abierat, nullum adnotatum invenies. Ut inflammationis, & abſceſſus Mediaſtini, ſic & Pericardii quotquot memorari exempla vidimus, ea tibi, ut perlegere citius poſſis, in Sepulchreto indicabimus. Primum igitur eandem illam quam Salii eſſe, diximus, Obſervationem inſpicies, ut quæ inflammatorium tumorem exhibet, in parte etiam ad pericardium attinentem; quapropter de utriuſque membranæ inflammatione Salius egit, certe antequam Rondeletii Obſervationem (*k*) inſpicere potuiſſet, quippe Lugduni editam eodem A. 1583. quo Salius Præfationem Idibus Martiis ſcribebat Faventiæ, libro ſuo præfigendam. Hiſtorias autem quas proximo ſæculo conſcriptas, ex Hildano, itemque ex Zacuto citari videris; binas; ne forte fallaris; ex eorum ſingulis citari, ſcito. Hildani enim primam reperies in Sepulchreto (*l*) haud procul ab ea Rondeletii, quæ modo commemorata eſt; alteram autem Sectione hac IV. (*m*). Ubi etiam eſt Zacuti propria (*n*), nec tamen eo quem ibi a typographo indicatum videbis, libro illius 2. ſed ſi conferre forte volueris; & ſane paulo aliter Auctor ſcripſerat; libro 1. perquirenda. Zacuti autem altera ad pericardium certe non attinet; imo illa eſt Avenzoaris morbi ſui deſcriptio. A quo ut mediaſtini, ſic etiam pericardii inflammationem, & abſceſſum eſſe memorata, cum Freindius (*o*) admoneat; quomodo Salium, & Rondeletium excuſabimus, nullam ejus mentionem facientes? præſertim cum hic ſcripſerit, eum *affectum neminem, quod ſciret, adnotaſſe*, & Salius, *mirandum eſſe, qua ratione praxim docentes*, utrumque affectum *ita neglexerint, ut ne horum quidem minimum fecerint verbum*: quanquam hic quos intelligeret, *noviſſimos* videlicet *Medicos*, ſua ſatis Præfatione declaravit, in ſuaque Præfatione oſtendit, cur Avicennæ, ut Jacotius non dum morborum omnium curationem, ſicut *Ordinarii Practici*, doceret, ſed dum Coacas interpretaretur, cenſuerat, inflammati mediaſtini cognitionem ipſe quidem tribuere non potuerit, tanto libentius tributurus Avenzoari, quod vetuſti alicujus Medici, ut tum ſolebant, auctoritate ſua ſigna pleraque ſic confirmaſſet. Verum, quod pro Rondeletio quoque dictum velim, tanta præ cæteris Arabicæ Scholæ Medicis Avicennæ fama invaluerat, ut quod in magno ejus Opere non extaret, fruſtra apud reliquos perquiri poſſe videretur. Longe difficilius eſt Ludovicum Mercatum excuſare, a quo ſcripta de hiſce affectibus (*p*), ſi cum Salii, quem ne nominat quidem, tractatione contuleris, ab Salio omnia ſumpſiſſe, ſtatim cognoſces. At quanto minus erga Salium grati, ut ſæpe fit, aliqui fuerunt qui eodem vivebant tempore, tanto gratior, æquiorve fuit hoc noſtro ſæculo nobilis Scriptor Freindius (*q*), gratique pariter fuerunt Archiatri duo Ampliſſimi, quos, hæc recenſens, qua parte de his Morbis ſcripſerunt, nuperrime legebam: imo alter Obſervatione ſua Salii Obſervationem diſerte confirmavit; alter quomodo, & quando a præfrigido aere inſpirato, aut a gelida potione mediaſtinum, quippe a pulmonibus interceptum, gulam autem intercipiens, non difficile inflammari poſſit oſtendit. Nec tamen Salio ingratum fuiſſe, crediderim Virum alioquin Doctum, qui cum anno poſtquam Freindii Hiſtoria Medicinæ prodierat, decimo Scriptum vulgaret ſuum, queſtus eſt, Mediaſtini inflammationem fuiſſe ab omnibus ad id uſque tempus prætermiſſam, cujus interim ſigna quædam produxit, inter ea quæ Salius propoſuerat, occurrentia; neque enim hic vel ſyncopen, ubi inflammatio pericardium attingeret, prætermiſit. Eam igitur querelam inde potius ortam putaverim, quod nec omnes omnia legere, nec quæ legerimus, omnium poſſumus meminiſſe. Cæterum animadverſa ab Salio ſigna relegens, illud fortaſſe miraberis, cum moleſtiam ad ſternum animadverterit, ad dorſi vertebras non adnotaſſe, aut cum illius rationem hanc redderet, quod mediaſtinum ad ſternum alligatur; non attendiſſe, ad vertebras quoque alligari: aut ſaltem non admonuiſſe (id quod fortaſſe erat) propius ſternum, quam vertebras, fuiſſe illas inflammationes: quod diſcrimen in locis quibuſdam Hippocraticis de *pleuritide ad dorſum*, aliter in Sepulchreto (*r*) explicatis, attingit Cl. Verna (*ſ*): quanquam Epiſtola ſuperiore (*t*) alia quoque a me ratio indicata eſt, cur mediaſtino affecto, accidere interdum poſſit, ut ſternum, potius, quam vertebræ, compatiatur. Sed vertebrarum facta mentione, id etiam mirari ſubit, cum ſæpe adeo capitis dolores per ſanguinis impetum aut moram in cerebri meningibus, aut per aliam aliquam harum læſionem, irritationemve explicentur, cur ad dorſi dolores, de quibus nominatim in hac Sepulchreti Sectione agitur, explicandos perraro ſoleat commemoratio fieri meningum Spinalem medullam conveſtientium, quæ nihil demum niſi illæ ſuperiores meninges ſunt in vertebrarum cavum productæ. In hac ipſa Sectione exempla etiam afferuntur dolorum thoracis ab aneuryſmate provenientium. Quorum; etſi in alia Epiſtola de Aneuryſmatibus plura ſcripſerim, aliaque in alia ſim additurus; unum, atque alterum exemplum ſeorſum hic proferam, primum quidem propterea quia vix aliud ejus aneuryſmatis indicium reſcire potuimus, quam dolorem intra thoracem; alterum autem, quia non ſolum ab aneuryſmate, ſed etiam ab jecinoris pondere is thoracis dolor videtur repetendus.

47. MULIER conſiſtente ætate, quæ alias in Noſocomio Patavino fuerat ob dolorem in ſiniſtra intima thoracis parte, in idem rediit ante medium Januarium A. 1717. de eodem illo dolore querens, nunc magna cum febre conjuncto. Pulſus erant vibrati: morbuſque omnino videbatur gravis, ſed noto adeo, ut mors jam proxima eſſe crederetur. Fuit tamen; nam poſtridie quam in Noſocomium venerat, mulier improviſo mortua eſt. THORACE aperto, hujus quaſi hydrops a primo apparuit. Sed cum infra

(*f*) De Affect. Particular. c. 6. (*g*) Obſ. 2. (*h*) Obſ. 125. (*i*) Sect. 4. Obſ. 27. (*k*) Sect. 8. l. hujus 2. Obſ. 4. §. 12.
(*l*) Obſ. ead. §. 5. (*m*) Obſ. 4. (*n*) Obſ. 29. (*o*) Hiſt. & A. cit. (*p*) De Intern. Morb. Curat. l. 2. c. 6.
(*q*) loco modo indicato. (*r*) Sect. hac 4. Append. ad Obſ. 39. (*ſ*) P. 3. c. 8. n. 9. & 12. libri cit. ſupra, ad n. 43.
(*t*) n. 12.

infra aquam magna concreti ſanguinis copia occurreret; intellectum eſt, hujus ſerum hydropis ſpeciem repræſentaſſe. Quærentibus, unde ſanguis prodiiſſet, magnum ſe obtulit Aortæ aneuryſma, idque perruptum. Quam arteriam cum diligenter ſpectarem; ſic obſervavi. Jam inde ab initio, æquo erat latior, intuſque inæqualis. Nec tam in manifeſtius aneuryſma ſe dilatabat priuſquam Subclaviam ſiniſtram emiſiſſet. Inde non in ſaccum quendam lateralem, ſed in omnem partem truncus ipſe ſe expandebat, ut cavum efficeret magnum, forma ad ſphæroidem accedens: ad cujus infimam partem, iterum ſe in arteriæ modum contrahebat, ſecundum inferiores thoracis vertebras, ut ſolet, deſcendens. At ſuperius, ubi dilatatam fuiſſe, dixi, hinc altiorem ſiniſtri pulmonis partem premebat, inde vertebrarum aliquot corpora, & laterales proceſſus, & proximam coſtarum partem, a ſiniſtris pariter, urgebat. Et hæc quidem oſſa omnia erant ibi valde excavata; illa autem pulmonis pars atra erat, tum dura adeo, atque compacta, ut mirabile hic officium, quod verbo attigi in II. Adverſariis (*u*) præſtaret. Scilicet aneuryſmatis interior facies, nullis in hac muliere corticibus polypoſis obducta, intimam arteriæ ſubſtantiam, ſicuti nonnullis in locis, perraris tamen, & anguſtis, laxam adeo oſtendebat, ut ex ea quaſi ſquamulæ nullo negotio avelli poſſent, ita & eandem, & extimam ubi cum pulmone aneuryſma arctiſſime conglutinabatur, exeſam, & prorſus deficientem ſpatio duorum digitorum commonſtrabat: eam autem parietis arterioſi partem ſupplebat mirifice, ſed evidenter, pulmo, ut neque per oras ſpatii illius ob firmiſſimam, amplamque conglutinationem, neque per pulmonis ſubſtantiam, quippe adeo ibi, & in ea vicinia compactam, quidquam ſanguinis exire poſſet: itaque nec cruenta ſputa mulieri fuerant, & ipſe incruentam prorſus arteriæ Aſperæ, & bronchiorum intimam faciem inveni. Cæterum nullum in corde vitium, nulla polypoſa concretio, ſi unam excipias, longulam quidem, ſed exilem, quæ ex ſiniſtro ventriculo per Aortam ad hujus uſque curvaturam pertinebat: quin ſanguis in corde, & alibi fluidus non minus, quam ater, conſpectus eſt. Abdomine, quod rugis non carebat, diducto, præter eum ſingularem, quem ex hac muliere ſatis in Adverſariis III. (*x*) deſcripſi, flexum, & ſitum incipientis Craſſi inteſtini, & jecur decolor; generationi attributæ partes nonnulla exhibuerunt digna adnotatione. Uterque enim teſtis erat niger, ſiniſter autem durus præterea, & ex parte plenus ſanguinis ſemiconcreti. Ambo ad Tubas, & proximas partes ſic annexi, ut pro certo ſcire non poſſes, ad quas potiſſimum attinerent hydatides circumjectæ, a dextris quidem multo minores; a ſiniſtris autem magna una, aliæque hujus parietibus adhærentes eo numero, ac magnitudine, ut univerſæ creditæ ſint aquam continere ad uncias quatuor. Hæc erat ſubflava: hydatidum autem ſingularum tunica duplex, quarum intima tenuior, vaſculis erat inſtructa albeſcentibus, ut tunc apparebant.

Tubarum utraque inter hydatides illas, & deinceps impervia, prope uterum autem craſſior facta, & non modo pervia, ſed dilatata: ibique ſiniſtra plena erat muci ferme limpidi Sed in uteri interna cervice, quæ hic erat prælonga, mucus fuit ex atro flavus, tenaciſſimus. Oſculi autem uterini corona quæ in vagina prominet, ac vagina ipſa oblita erat tota quadam albida materia, quaſi mulier; id quod pro certo ſciri non potuit; fluore quodam laboraret, eoque originem haud altiorem habente: quod muci color indicat longe alius in cervice, Tubaque deſcriptus.

Scire etiam fruſtra cupiebam, numquid mulier queſta eſſet de mammis. Has enim cum extra, intuſque ſcrutarer, & hic illic duriores quam æquum videretur, in rugoſis præſertim, ac procidentibus, animadverterem; comprimendo ſerum expreſſi, quod ex nonnullis papillarum foraminulis turbidum, & colore diluto quidem, ſed ad eum quem *tabacci* dicimus, proxime accedente; ex aliis autem prodibat colore omnino ex viridi nigricante. Quin ex inciſa glanduloſa mammarum ſubſtantia ſerum alicunde erumpebat viride, aliunde autem atrum: tamen eo ſero abſterſo ſubſtantia illa apparebat alba, ſatiſque ſana. Denique; cum aquam in Spinæ tubo eſſe, intellexiſſem; perluſtratis intus, extraque iis thoracis vertebris quas ad aneuryſma excavatas fuiſſe, dixi, harum vitium minime ad tubi cavum perveniſſe, manifeſtum fuit.

48. De viridi illo, atroque mammarum ſero aliquid ſcribam alio loco (*y*); ne a propoſito nunc divertam. Hic autem ſi forte miraris, aneuryſma, cujus vis oſſa illa excavaſſet, tanto molliorem pulmonis ſubſtantiam pariter vitiare non potuiſſe, aut eam ſaltem quæ erat circum hiatus oras, conglutinationem divellere; hortabor, ut Obſervationem legas Cl. Maloetii (*z*), in qua cum aneuryſma adhæreret trunco arteriæ Aſperæ, hujus autem cartilagines aliquot partem facerent parietis aneuryſmatis, ut pulmo faciebat in noſtro; ea tamen vis ſanguinis quæ illas cartilagines attriverat, & ex parte eroſerat, neque adhæſionem illam quæ circum erat, diſſolverat, neque tanto molliores, & tenuiores parietes reliquos aneuryſmatis corroſerat, aut perforaverat. Nimirum quæ ictibus magis cedunt, minus læduntur; quæ autem valentius reſiſtunt, ea vero detrimentum multo gravius accipiunt. Sic etiam; ut inter multa, recentiore exemplo utar; ex Cl. Schreiberi Obſervatione (*a*) cognoſces, cum ingens Aortæ aneuryſma ſub Pectoralibus muſculis Minori, & Majori ita eſſet diſruptum, ut foramen poſſet pugnum admittere, treſque ibi coſtas abſumpſiſſet; tamen neque intus pulmonem, quem repreſſerat, aut diaphragma, quocum concreverat, neque extra violaſſe muſculos, quibus occludebatur, Pectorales. Sed jam ad ultimam Obſervationem veniamus.

49. JUVENIS meraci vini potationibus deditus, eoque largioribus, quod ſitim ars ſua movebat, quæ erat coquinaria, poſt nimios in hac labores, cœperat ante menſem thorace, & ſtomacho male habere, & difficile reſpirare: mox etiam durities quædam ad umbilicum acceſſerat. Erant hæc omnia ſine febre. Sanguine bis, ſed intra modum, e brachiis miſſo, & datis quæ ad demulcendum, & expectorandum facerent, ita melius habuit, ut ſibi perſanatus videretur. Sed poſt dies octo, cum in eo ſolum peccaſſe ſe, diceret, quod debilioribus etiam tum cruribus nimis ambulaſſet; redierunt illa omnia, multoque graviora. Vidi ego cum demum in Bononienſe Noſocomium S. Mariæ de Vita eſſet illatus pridie Kal. Maji A. 1703. die a recidiva octavo, an nono. Facie erat albida, atque ſubtumida, frigidis pedibus, & a diebus jam tribus non ſecus ac crura tumentibus. Pauca mingebat, multum ſitiebat. Pari in quovis ſitu difficultate jacebat: ſed ſi caput attollere tentaret; ſudor in fronte prorumpebat. Cum de his, & de iis quæ ſupra dicta ſunt, quereretur; tum maxime de pectoris anguſtia, & ingenti præſertim pondere querebatur propemodum ac ſi, ut ajebat, molam ad pectus haberet frumentariam. Pulſus explorare cum vellem; fruſtra carpum utrumque tetigi; in neutro percipi poterat, homine, quod ad caput attinet, egregie valente, & quantum reſpirationis difficultas ſinebat, ſatis prompte omnia quæ dixi, narrante, & hoc inſuper addente, ſe nunc quavis nocte febre corripi, a qua tamen corpus incaleſceret dumtaxat a medio ſurſum. Cum ſcire averem, an tunc ſaltem pulſus ſe proderent, qui interdiu latebant; omnibus in pejus ruentibus ſic, ut poſtridie interiret, neque id, neque alia inquirendi facultas fuit, niſi per cadaveris diſſectionem: cujus ex ore plurimum ſanguinis prodierat.

IN THORACE, & Ventre aqua erat; non magna tamen copia. Sed in illo cor ex majoribus quæ unquam viderim, idque, ut auricula quoque dextera, quæ valde erat dilatata, & vaſa Coronaria, quæ ampla exſtabant, ſanguinis plenum atri, & ferme fluidi, ſine ulla polypoſa concretione. Magni autem hujus

(*u*) Animad. 39. ad fin (*x*) Animad. 14. (*y*) Epiſt. 50. n. 47. (*z*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1733.
(*a*) Nov. Comment. Acad. Sc. Imp. Petropol. Tom. 3. in Phyſic. Obſ. 4.

hujus cordis fibræ laxiſſimæ erant; ut vel ipſæ, quæ in ventriculis prominent, columnæ facillime ſequerentur trahentis digitos. In Ventre ea pars inteſtinorum Tenuium, quæ umbilico reſpondebat, quaſi inflammata videbatur ad palmi tractum. Sed lien, diaphragmati arctiſſime annexus, revera colore fuit præter naturam. Sic hepar quoque. Dura præterea hæc duo viſcera; ſed hepar magis, eoque gravius; ut minime dubitaverim, quin hujus pondere addito ad pondus cordis ingentis, & ſanguine oppleti, magis diaphragma gravaretur, deorſumque compelleretur, eodemque a diaphragmate urgerentur hepar, & viſcera alia proxima. Unde vero, & qua via ſanguis in cadaveris os pervenerit, cum diligentius quærendi tempus non eſſet; minime deprehenſum eſt.

50. Ex cæteris autem quæ in mortuo reperta eſſe dixi, proclive eſt quæ viventem afflixerant, explicare. Nec tamen faciam, ne, ſi plura addam, voluiſſe videar non jam epiſtolam, ſed librum mittere. Tu cum iis quæ de vero cordis prolapſu, ejuſque aneuryſmate ad te alias (*b*) ſcriptæ ſunt, Obſervationibus ſi hanc contuleris, ſuperiorem autem cum illis quæ de aneuryſmatibus arteriæ Magnæ (*c*); nec aliquid ab re alienum facies, & utriſque adjecta invenies pleraque eorum quæ hic conſulto prætermittuntur. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXII.

Verba fiunt de Sputo Sanguinis, & de Sputis Purulentis, Sordidis, Empyemate, & Phthiſi.

ÆQuum eſt tot Epiſtolarum longitudinem unius tandem brevitate penſare. Itaque minime prolixa hæc erit, etſi morbos de quibus tres in Sepulchreto extant Sectiones, & in his una longiſſima, comprehendet. Quod tamen ne incuria quadam, & præpropera feſtinatione factum credas; primum omnium cauſas accipe tum aliorum prolixitudinis, tum noſtræ brevitatis.

2. Multa quidem, & digna quæ multum laudentur in tribus illis invenies Sepulchreti Sectionibus V. VI. VII. ſive Obſervationes legas, ſive Scholia. Sed ſimul invenies tamen quæ facile nolles. Exemplo ſint in V. (*a*) *cordis ſubſtantia per ſputum rejecta*: (*b*) *hæmoptyſis ex ruptione alicujus vaſis in latere dextro, ſuſpenſorii hepatis*: (*c*) *in pulmonibus vena cava diſrupta*: in VII. autem (*d*) *tabes ob renes, præſertim dextrum, jecori per membranas peculiares, quibus veſtiebantur, quaſi adnatos*. Quid? quod aliquæ, & in his prima illa in Sectione altera (*e*) iterantur, ut Scholia quoque (*f*). Atque ut in una Sectione VII. ſubſiſtamus; confer, quæſo, Obſervationem LXIX. cum §. 2. XXIV; tum CXXXI. Obſervationis §. 1. cum 2; denique Obſervationem CXLIV. cum CLIV; intelliges, ſexies ea proferri quæ ter ſatis fuerat protuliſſe: iterari autem cum lectorum perturbatione, qui in tertia duos credent libros Thomæ Bartholini citari, cum unus idemque citetur; in ſecunda ambigent, Francofurti *ad Viadrum*, an potius Francofurti *ad Oderam*, ubi revera Obſervatio eſt habita, id contigerit; in prima denique cum in diſſecto Chriſtophori Richteri cadavere de *utero*; ſi Superis placet; verba, neſcio quo caſu, fieri animadvertent, quanta credis admiratione perculſum iri. Sileo Obſervationem (*g*) *Tabis a Glandula pyloro adnata* non eſſe obſervationem, ſed conjecturam, eamque, ſi quæ ego ibidem ſimilia vidi, & ſine tabe, attendamus, non ſatis firmam. Scholium quoque ſileo Obſervationi ſubjectum XXXVII. ad hanc nullo modo attinere poſſe, in qua neque de *matrona*, neque de *cerebro* ſermo ſit (qui & alibi (*h*) error admiſſus eſt): nec tanti eſſe quæ de actione hepatis, lienis, & pancreatis olim Diemerbroeckius comminiſcebatur, ut plures paginas in Scholio adjecto CLV. Obſervationi implere debuiſſent. Quid vero dicemus de Additamentis ad VII. eandem Sectionem? Mitto complures paginas *Conſultationibus* (*i*) occupatas. Mitto Obſervationes, in quibus ne nomen quidem eſt ejus quo de agitur affectus, Tabis, velut in IX. At certe Obſervatio III. cum parte ejus Scholii, jam antea in Sectione ipſa vel paulo fuſius Obſerv. LXII. producta fuerat, quemadmodum Obſerv. XCVIII. & LI. jam data eadem quæ in Additamentis Obſerv. X. & XXI. repetuntur, ſi pauca in prima harum addita excipias verba, & plura in altera, quæ Blancardus, ut ſolebat, aut omiſit, aut mutavit, quaſi non Thomæ Bartholini, ſed ſui ipſius illa eſſet Obſervatio, in quo cautior, quamvis non omnino vel in hac ipſa, fuit Bonetus. Ad hæc omnia, & iſtiuſmodi alia, quæ ipſe, diligentius inquirendo, fortaſſe animadvertes, ſi tot illæ Obſervationes addantur, quas Bonetus etſi ad alios titulos fatetur pertinere, non prorſus tamen hic prætermittit, tum aliæ de quibus ne id quidem fatetur, cum alio ipſæ quoque pertineant tamen, tum denique illarum ingens numerus, quas, ubicunque maciei eſſet cauſa, in VII. Sectionem conjectas videmus, in qua, ut libri hujus ſecundi inſcriptio *de Affectibus Pectoris* indicabat, non alia Tabes locum habere debuiſſet, quam quæ cauſas obtinet intra thoracem; neque enim de Tabe, ut de Reſpirationis læſione, cenſendum eſt, quæ, ubicunque ſit ejus cauſa, ipſa quidem ſemper thoracis evidens affectio eſt: ſi ergo hæc quæ dicta ſunt, attenderis univerſa; facile intelliges, unde factum ſit, ut quæ occaſione propoſitorum morborum in Sepulchreto prolata ſunt, tantum paginarum numerum occupaverint.

3. Nos autem contra, tantum abeſt, ut in hac Epiſtola velimus tibi aliquas Obſervationes ſemel, atque iterum narrare, aut quæ ad thoracem præcipue non attineant, huc diſſectiones conjicere; ne verbo quidem hic illas commemorabimus, quæ etſi huc quoque attineant; tamen alibi aut habuimus, aut habituri ſumus occaſionem ipſas proferendi. Quin etiam erant fortaſſe aliquæ ad phthiſim magis, quam ad peripneumoniam, ſpectantes, quas duabus proximis Epiſtolis cum de hac ageremus, referre ad ipſam maluimus. Nam etſi aliquando aut ſputa, aut febris ejuſmodi eſſent, magis ut phthiſi quam peripneumoniæ, convenirent, aut repertum in pulmone vitium non ita recens videretur; tamen cum Valſalva, qui ægros, & cadavera inſpexerat, diſerte adſcripſerit, ex peripneumonia eſſe mortuos, aut ego thoracis incommoda quæ præceſſerant, omnino ignorarem: quæ noviſſime fuiſſent, ſcirem; hæc potius, & ſententiam illius ſecutus, eo retuli quo aliqua certe ex parte ſpectabant, & unde tamen huc, ſi malles, revocare tibi liberum foret. Præter hæc, præcipuam cauſam accipe brevitatis noſtræ. Valſalva poſteaquam juvenis in phthiſis periculum venit, ut in ejus ſcriptum eſt Vita, cadavera iſtiuſmodi morbis abſumptorum minus, opinor, quæſivit. Ego vero, ut me tibi aperiam, illa fugi de induſtria adoleſcens, & fugio vel ſenex, tunc ut mihi, nunc ut Studioſæ, quæ me circumſtat, juventuti proſpiciam, cautius fortaſſe quam opus ſit; at tutius (*k*). Itaque non multa ille, ego vix aliquod diſſecui. Quorum nunc ordine hiſtorias deſcribam, & eorum primum quæ incidit Valſalva.

4. VIR quinquaginta annos natus, multos in itineribus labores paſſus, domum tandem redux, valde querebatur de pectoris dolore, & tuſſi, per quam paucam omnino exſpuebat materiam: commodius, capite demiſſo, jacebat: ventrem, & pedes habebat tumidos: multum ſitiebat: cum anhelatione reſpirabat: a cibo valde gravabatur. Ad hæc acceſſit ſanguinis ſputum. Sed hoc quievit; perſtiterunt cætera,

(*b*) Epiſt. 17. n. 28. (*c*) Epiſt. ead. & 18. (*a*) Obſ. 21. (*b*) in Schol. ad Obſ. 24. (*c*) in Additam. Obſ. 1. (*d*) Obſ. 126. (*e*) Sect. 6. Obſ. 14. (*f*) Ibid. ſecundum ad Obſ. 9. & ad 31. in Sect. 7. (*g*) CXXVIII. (*h*) ut Sect. 5. Obſ. 10. Schol. quod attinebat ad 9. (*i*) Obſ. 17. (*k*) Vid. Epiſt. 49. n. 32.

ra, niſi quod uno fere ante obitum menſe a dolore pectoris vacavit. Tres tamen, quatuorve ultimos dies in latus dexterum cubare non poterat. Tandem ingenti ſanguinis copia e pulmonibus erumpente, ſuffocatus eſt. VENTREM totum aqua replebat flaveſcens, non abſimilis ſeri quod miſſo, concretoque jam ſanguini circumjectum videmus. Nuſquam lymphæ ductus conſpiciebantur. Lien naturalem hepatis æquabat molem, arcteque adeo cum proximis partibus nectebatur, ut ſeparari difficile poſſet. Hepar aliquantum videbatur contractum, & intus, extraque pallebat: ejus veſiculæ craſſiores factæ erant tunicæ. Veſicæ autem urinariæ tunicis multæ hic illic cartilagineæ concretiones inhærebant. In Thoracis cavo dexrero pulmo ſanus, niſi quod inferiore parte multum rubebat. In ſiniſtro autem pulmo totus erat pallidus, contractus, & durus, ſanioſamque continebat materiam: præterea circumjectis partibus ita erat annexus, ut quaſi unum cum ipſis corpus facere videretur, nec poſſet, niſi violentia adhibita ſeparari. Pericardium quoque undique cordi annectebatur. Hujus ventriculi prorſus inanes fuerunt.

5. Quæres fortaſſe, quomodo ſiniſter pulmo contractus dicatur, idemque circumjectis partibus adeo annexus? Scilicet aut non undique omnibus annexus erat, ſed quibuſdam: aut ſi erat omnibus; non ambitu contractus, ſed intima ſubſtantia fuit, quamobrem contractus, & durus dicitur, ſanioſa materia quidquid ſpatii intra contractam ſubſtantiam relinquebatur, eo magis opplente, quod minus de ipſa tuſſis poterat ex duro, & alligato undique pulmone ejicere. Cujus hæc vitia cum pectoris dolor, tuſſiſque ſignificent, non poſt primum ſanguinis ſputum cœpiſſe, cumque doloris ejuſdem abſentia ultimo ante obitum menſe, indicet ſummopere auctam pulmonis duritiem priuſquam alterum multo exuberantius ſanguinis ſputum contingeret; veri ſimile eſt, ad utramque ſanguinis eruptionem multum contuliſſe duritiem illam, quæ primum vaſorum partem, noviſſime autem omnia arctando, ſanguinem coegerit primum quidem in eodem ſiniſtro pulmone vas aliquod nimis diſtendere, ac rumpere, poſtremo autem id facere in dextero. In hunc enim, ſanguinem, propemodum excluſum a ſiniſtro, contracto, duroque jam toto, ob idque pallente, vim feciſſe, tum impotentia illa extremis diebus in latus dexterum cubandi, tum ejuſdem pulmonis dexteri, cætera ſani, ingens ad inferiora rubor videntur commonſtrare. Et certe non modo in phthiſicis, qualis & vir iſte fuit, qui ore ſanguinem ejecerant, pulmonum durities & a Wirſungo (*l*), & ab Ingraſſia (*m*) reperta eſt, verum etiam in aliis, quibus nunquam purulenta, ſed cruenta ſemper fuerant ſputa, ut a Williſio (*n*), cujus hic fere ſum explicationem ſecutus, alibi ſecuturus aliam, ubi magis credam convenire. Cæterum quamcunque ſequi placeat in eo ſanguinis ſputo, de quo me conſuluit juvenis Sacerdos ex S. Dominici Familia; non erit facile cauſam reddere, cur iis potiſſimum contingat, de quibus ille referebat. Cum enim ex eo quærerem, pater, an mater, an alterius parentes, aut avi eo ſputo laboraſſent; diſerte negavit: illud vero continuo adjecit, ſe Armenio patre, matre autem Itala procreatum; animadverſum autem eſſe Venetiis in domibus aliis tribus, liberos quos Armenius pater, Itala mater genuiſſent, ejuſmodi malo fuiſſe obnoxios, cui parentes, avique non fuiſſent: jamque ſibi tres, aut quatuor germanos fratres eo ſputo correptos periiſſe. Scorbuticum autem id mihi, & ipſi ſanguinis ſputum videbatur. Sed ad Empyicorum Obſervationes tranſeamus.

6. ADOLESCENTULUS annorum circiter duodeviginti, cum ab dexteri pulmonis inflammatione congruo remediorum præſidio liber jam eſſe videretur; nova iterum corripitur febre cum tuſſi, purulento ſputo, & ſiti. Facies interim tumeſcit. Aſſidue in dexterum cubat latus, neque alium vel ad breve tempus ferre decubitum poteſt. Venter tumet. Denique poſtquam duos menſes, eoque amplius his fuerat vexatus, moritur. VENTRE, qui in cadavere detumuiſſe videbatur, diſſecto, non parva ſeri limpidi copia prodiit: nulla tamen in ejus viſceribus apparuit læſionis nota. Thorace aperto, dexterum hujus cavum pure omnino plenum invenitur, in eoque pulmo adeo contractus, ut principio deeſſe videretur. Quoniam autem dum cadaver antea moveretur, per arteriam Aſperam pus erumpebat; quæſitum eſt, num forte ex thoracis cavo per poros tunicæ pulmonis, an per ulcus quo hæc eſſet eroſa, in bronchia perveniſſet. Sed nullum in ea deprehendi ulcus potuit, quantum per intolerandum fœtorem inquirere licitum fuit. Neque cum pulmonis contracta ſubſtantia diſſecaretur magnum intus ulcus repertum eſt; ſed nonnullis tantum in locis exigua tubercula parvam puris copiam emittentia. Cæterum ſana erat pleura: pericardium autem aqua plenum.

7. Optandum fuiſſet, ut longiori, & accuratiori examine conſtitutio membranæ pulmonis explorari poſſet, ut de via puris non tam e thoracis cavo in pulmonem, quam e pulmone in thoracis cavum ſtatui aliquid liceret. Cum enim pleura ſana eſſet; relinquebatur, ut in illud ea puris copia excidiſſet e pulmone. In quo etſi ulcus minime repertum eſt magnum, ſed parva dumtaxat tubercula, unde pus quod e cadaveris ore effluxerat, exiiſſe, & paulatim in bronchiis collectum eſſe, exiſtimemus; pulmonis tamen contracta ſubſtantia, abſceſſus, qui in eo antea fuiſſet, caveam non modo plurimum minuere potuit, ſed etiam occulere. Neque enim ſicuti in viro de quo paulo ante (*o*) dictum eſt, in hoc quoque adoleſcentulo ita contracta pulmonis ſubſtantia erat, ut ambitus minime eſſet imminutus; quin hic adeo decreverat, ut a primo deeſſe pulmo videretur. Cujus tanti decrementi duplex potuit eſſe cauſa, altera ſubſtantiæ intimæ pulmonis magna per ſuppurationem conſumptio: altera ambitus pulmonis compreſſio a puris in thoracem effuſi copia tanta, ut illam hujus caveam omnino compleret. Utriuſque autem cauſæ quanta vis ſit, ex hiſce ipſis Sepulchreti Sectionibus intelligi poteſt. Non paucas enim, nec paucorum in iis leges Obſervationes (*p*), ex quibus conſtat, pulmonis præſertim alterius non multam modo, ſed univerſam prorſus ſubſtantiam ſuppuratione abſumptas fuiſſe. Quibus non deſunt quas addas. Ampliſſimus enim Senacius (*q*) nonnunquam pulmonis lobum totum vidit conſumptum, & in pus redactum, Laubius autem (*r*) pulmonem dexterum intra incredibilem ferme copiam puris craſſi, ultra medietatem abſumptum: quo referenda videtur Obſervatio quoque humaniſſimi Senis Dominici Paſſeri Medici Piſaurenſium Primarii, ad me ſcripta anno quo edita eſt, 1734. & quæ mirabilior eſt Marci Gerbezii (*ſ*) qui eundem pulmonem dexterum totum una cum Aſpera arteria præ putredine in pultem collapſum deprehendit. Et quanquam Jo. Tackius (*t*) ita vidit plane corruptum, ut latus dexterum pulmone deſtitutum fuiſſe, ſcripſerit; majori tamen admiratione afficeret Cl. Ritterus junior (*u*) qui in ſiniſtro latere alba purulenta materia ad medium uſque repleto, tradit, pulmonis illius, qui totus fere erat conſumptus, oſcula vaſorum fuiſſe aperta; niſi Celeberr. Anatomicus Hallerus (*x*) confirmaret, ſe loco pulmonis ejuſdem ſiniſtri, qui totus evanuerat, multum aquæ ſubſœtidæ, albuminis inſtar viſcidæ, offendiſſe, in eaque arteriam Aſperam, & vaſa majora arterioſa, & venoſa quaſi reſecta, patulo fine hiantia, ut ſanguinis effluxum quid moraretur, ægerrime invenires. Nam Platerus qui non ſemel in phthiſicis nihil penitus de pulmonibus alterius lateris ſuperfuiſſe, deprehenderat, *callo* ſaltem *aliquo vaſa cordis quæ illuc pertinebant, & arteriæ ramos obturata* conſpexit, quemadmodum in hac VII. Sepulchreti Sectione (*y*) leges. Quæ omnia ad priorem de duabus quas dixi, cauſis decrementi pulmonis ſpectantia, cum ipſe perpenderis; tum quod ad alteram attinet, velim inſpicias extremam partem primam illius Scholii quod ſubjectum eſt Obſervationi IV. Sectionis VI. ut ani-

(*l*) Sepulchr. l. 2. S. 7. Obſ. 6. (*m*) Ibid. Obſ. 102. (*n*) l. 1. Sepulchr. S. 21. Obſ. 7. (*o*) n. 4.
(*p*) S. 6. Obſ. 4. 11. & in Additam. Obſ. 1. §. 2. & Obſ. 4. & S. 7. Obſ. 20. & 55. 103. & cæt. (*q*) Traité du Coeur l. 4. ch. 3. n. 2.
(*r*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 107. (*ſ*) Eorund. Eph. Dec. 3. A. 3. Obſ. 6. (*t*) Dec. ead. A. 8. Obſ. 155.
(*u*) Eorund. Act. Tom. 6. Obſ. 14. (*x*) Opuſc. Pathol. Obſ. 17. (*y*) Obſ. 55.

animadvertas, e ſuppurato pulmone non illud tantum pus in thoracem effundi, in quod pulmonaris abiit ſubſtantia, ſed & longe majorem puris copiam, in quod illa abeunt magna ex parte quæ per vaſa in eum pulmonem conferuntur. Neceſſe ergo eſt, ut illo repleto thoracis cavo, tanto magis decreſcat pulmo, quanto magis pus adhuc creſcit, magiſque urget reliquam pulmonis ſubſtantiam, facile in arctum compingendam tum quia membraneæ, ex quibus conſtat, veſiculæ natura mollem, tum quia caveæ, a ſuppuratione intus relictæ magis inſuper cedentem efficiunt. Quin etiam ob has, aut aliam aliquam ejuſmodi cauſam factum puto, ut aliquando pulmo aqua multa circumfuſus, compreſſus adeo fuerit, ut pene deeſſe videretur. Sic Columbus (z) *inveni*, inquit, *partem thoracis pulmone deſtitui, hoc eſt, minimam pulmonis portionem adeſſe: quod vero reliquum erat cavitatis, ab aqueo humore occupabatur*. Sic alias quoque Valſalva, cujus alibi (a) proferetur Obſervatio, nullum primo aſpectu eſſe credidit pulmonem; adeo ſub multo humore contractus erat! Sic; ne longior ſim; laudatus Hallerus (b) *in hydrope pectoris* pulmones vidit *adeo compreſſos & innatos pleuræ, ut nullos adeſſe incauto videretur, certe tribus lineis vix craſſiores*. Ob eandem vero cauſam deceptionem ejuſcemodi accidiſſe in Obſervatione (c) quam Diſputatio exhibet LVI. inter Practicas ab ipſo collectas, probabilius eidem (d) videtur. Laudat tamen hiſtorias, huic Diſſertationi paſſim inſeitas, quæ ad pulmonum, & proximarum glandularum vomicas ſpectant. Eas tu perlegas velim. Reperias enim quas Sepulchreto adjungas, quantum videre potui, non ita paucas. Quarum nullam in his Litteris commemorare mihi licuit, ſero adeo Diſputationem illam accipienti, vix ut, Epiſtolis jam prope omnibus non recenſitis ſolum, ſed etiam deſcriptis, hic potuerim hæc interjicere.

Sed ad alias Valſalvæ Obſervationes, in quibus pulmonis imminuta erat moles, tranſeamus.

8. VIR annos natus prope quadraginta quinque, qui in paludoſis regionibus vixerat, queri cœpit de thoracis incommodis, in his de gravi, & a motu, difficiliori reſpiratione. Aliquot poſt menſibus corripitur febre vehementi cum ſiniſtri lateris gravante, & pungente dolore, ut difficile in ipſum cubet, ſiti magna, tuſſi moleſta, ſputo aliquando ſubrubro, pulſuque duro, & frequenti. Cum hæc remiſiſſent, poſtquam in Noſocomio unum menſem decubuerat, domum repetit, ſuperſtite ſiti, leviori dolore, & copia ſeroſi ſputi. Poſt dies circiter duodecim ardentior febris reſurgit cum ſiti majori, ſenſu ponderis in thorace toto, copioſo ſputo, moleſtaque tuſſi. Hypochondria, quaſi a circumjecta faſcia, dolent. Tandem moritur. IN VENTRE nihil aliud animadverſum eſt, niſi ſplenem nimium mollem fuiſſe.

In ſiniſtra autem Thoracis cavea pulmonis anterior facies pleuræ adhærebat; ſed reliqua ad dorſum accedens, a pleura ſejuncta, inter hanc, & ſuam craſſam valde factam membranam, ſinuoſam quaſi cavitatem comprehendebat, multa ſeroſa materia plenam, in qua membranea innatabant fruſtula, *gelatinam* referentia, qualia nonnullis in locis firmiter membranæ pulmonis annexa erant. Erat hic pulmo nigris intus conſperſus maculis, parvaque adeo mole, ut vix quartam naturalis pulmonis partem æquaret. Contra, pulmo dexter ſua aucta magnitudine illius parvitatem ſatis penſabat. Sanguis; ſi ejus nonnullos excipias grumos, in dextero cordis ventriculo repertos; eundem ferme quem in vivis ſolet, fluorem ſervabat.

9. Etſi Valſalva in hac diſſectione non aliud ſerum in thoracis ſiniſtro cavo, quam quod ſæpe poſt peripneumoniam ſolet, videtur deſcribere; ſanioſum tamen id fuerit, neceſſe eſt propterea quia huic morbo Empyematis nomen adſcripſit. Et ſane inflammationi ſucceſſit pulmonis minus feliciter judicatæ: qui & tanta iſta ſuæ molis imminutione quid prætcrea paſſus eſſet, ſubindicat. Quod vero ad nigras attinet maculas, quibus intus diſtinguebatur; ſi hic credis Olao Borrichio in ObſervationeCXVI. Sect. VII. (e) *vera vel præſentis, vel brevi ſequuturæ corruptionis* illæ erant *argumenta*; ſic enim *ſæpe* adnotaſſe ſe, ſcribit, *in pulmonibus mortuorum quos catarrhi infeſtaverant*: quanquam cum toties eas maculas Valſalva in hiſtoriis, Epiſtola XX. & alibi deſcriptis, memoraverit; exiſtimare poteris, num veri ſimile ſit, eos omnes, aut pleroſque fuiſſe catarrhis infeſtatos, ſicut in ea, ſi perlegas, Obſervatione conjicere videtur Borrichius.

10. VIR triginta circiter annorum, paluſtrium locorum incola, ex venerea lue thoracis inflammationibus obnoxius factus, diu in Ferrarienſi cubuerat Noſocomio, in quo ab ardenti quidem febre, ſed non a pectoris anguſtia omnino liber evaſerat. Hæc ſenſim moleſtior facta eſt. Quin etiam crura, venter, ac ipſum denique caput tumere cœperant, cum levi febre, ſiti, majori ſpirandi difficultate, lateris ſiniſtri, in quod libentius jacebat, dolore, crebra tuſſi, aſſiduaque ſeroſæ materiæ exſpuitione. Interea a decubitu adeo increverat capitis œdema, ut non paucus ichor ſiniſtra ex aure efflueret: donec langueſcente tandem pulſu ſic ut extremo biduo percipi vix poſſet, mors acceſſit.

EX CADAVERIS integumentis, & carnibus, dum ſcalpello via fieret ad interiora, ſerum deſtillabat.

In Ventre quoque ſerum inventum eſt pellucidum, ſed lutei coloris, quod igni impoſitum, pene totum in auras abiit, pellicula videlicet, ac ſtriis quibuſdam exceptis. Inteſtina pallida omnino, & acre turgida. Hepar vero atrum. Thorace recluſo, cum forte incideretur vena Mediaſtina, pari propemodum impetu ſanguis exſiliebat, ac in viventibus, cum vena ſecatur: fuit autem in toto hoc cadavere ſanguis valde fluidus, & quaſi fuſus, nulla, ne in ipſo quidem corde, apparente polypoſa concretione. Pulmo dexter per membranas exiles ſuperne ad coſtas alligabatur: a tergo inflammatus erat. Siniſtri autem pars ſuperior dura, & præ inflammatione quaſi carnea videbatur: inferior vero in fruſtula erat diviſa, in ſanie innatantia, quæ ſubſtantiam referebat quaſi *gelatinoſam*, & multa in eo cavo ſiniſtro erat. Pericardium undique adhærebat cordi arcte adeo, ut unum cum ipſo efficere corpus videretur. Alicubi erat cartilagineum, alicubi tam craſſum redditum, ut ſemipollicem æquaret: hæc autem craſſitudo debebatur ejus filamentis craſſioribus factis, & quaſi carneis, ac ovalia quædam corpora intercipientibus, quæ inciſa, ſerum luteum emittebant, eoque expreſſo foveas parvarum inſtar veſicarum repræſentabant.

11. Illud utrique huic viro commune fuit, ut cum paluſtrem incoluiſſent regionem, fluidum adeo ſanguinem haberent, hic autem ſecundus etiam magis, ut non modo empyemate, ſed etiam hydrope laboraret: qui morbus in priore quoque viro, ex parte aliqua fortaſſe cum empyemate conjunctus, cauſam præbuerit, ut deprehenſus in thorace humor, ſeroſus magis appareret, quam purulentus. Sed in hoc altero cum hydropis vis tanto major fuerit in reliquo corpore; num inde factum dicemus, ut quamvis ad cæteros morbos nova pulmonum inflammatio acceſſiſſet, levis tamen appareret febris? an hanc levem ideo apparuiſſe, quod pericardium, Malpighiana patefacta ſtructura craſſius, & cordi undique arctiſſime adhærens, majori hujus obſtaret agitationi? Cæterum lues venerea quæ primum fecerat hunc virum thoracis affectibus obnoxium, pulmonem procliviorem videtur ad corruptionem hanc tantam reddidiſſe. Certe ad luem illam non raro phthiſim tandem ſe adjungere, tum Medicinam, tum Anatomen exercentes non ignorant. Id poteſt ſcripta ad te alias (f) viri ſectio indicare, in quo ſimul genitalia peſſime affecta, & pulmonem purulentum deprehendimus. Sed & mulieris ob ſtultitiam vagantis, eoque minus ſibi ab inquinatiſſima plebe caventis, cum cerebrum diſſecaremus (g); corpus vidimus jam macie confectum; pulmonem autem magna ex parte refertum pure fuiſſe, audivimus. Sic eundem in meretrice valde læſum fuiſſe, acce-

(z) De Re Anat. l. 15. (a) Epiſt. 50. n. 4. (b) Ad Boerh. Prælect. §. 102. not. 17. (c) § 65.
(d) in Tabula Diſputation. Volum. 2. (e) l. 2. Sepulchr. (f) Epiſt. 17. n. 25. (g) Epiſt. 8. n. 9.

accepimus, cujus nonnullas, alias inſpeximus Partes ſub finem A. 1716. Hæc pus cum ſputis expectoraverat, & diu venerea febricula macerata fuerat, ut in cadavere *mammarum neque veſtigia extarent, ſolæ autem papillæ cernerentur*, quemadmodum in phthiſici corporis deſcriptione loquitur Aretæus (*h*). Sic in meretrice altera poſt ſimiles phthiſis notas, quales pulmones Valſalva invenerit, mox (*i*) videbis. Nunc enim priuſquam ad phthiſicorum tranſeamus hiſtorias, alia reſtat empyici, quam continuo deſcribemus.

12. VIR quidam a prægreſſis quibuſdam febribus liber exiſtimabatur. Sed poſtmodum conqueri de ſiti cœpit, difficilique reſpiratione, ut erecta cervice ſpiritum ducere cogeretur, de ſenſu item cujuſdam ponderis in medio thoracis. Decubitum in ſiniſtrum latus ferre nullo pacto poterat. Quod ſi præterea œdemate pedes intumuiſſent; nullo autem modo tumebant; haud alienum fuiſſet de hydrope thoracis dubitare. POST MORTEM autem empyema, ſive pus replens ſiniſtrum thoracis cavum, repertum eſt. Siniſtri pulmonis lobus ſuperior aliquantum induruerat: & qua claviculam ſpectabat, veſiculas, ex quibus conſtat, mirum in modum auctas habebat; ut nonnullæ avellanæ magnitudinem æquarent; cæteræ multo minores erant. Quædam globi figura, reliquæ oblonga, & ovali, omnes plenæ erant aeris, exterius autem ſanguiferis vaſculis circumcirca inſtructæ, quorum inoſculationes in una, aut altera apparebant. Una inſuper, minima quædam foraminula per interiorem faciem hiantia oſtendit.

13. Hic æger quare in affectum latus, in quod ſuperiores plerique poterant, cubare non poſſet, haud liquet, præſertim cum dolor nullus, ut in primo (*k*) de duobus viris proxime deſcriptis, eo in latere commemoretur. Sed neque eo in viro, a quo Epiſtola hac (*l*) incepimus Valſalvæ Obſervationes proferre, cum præter illas, quæ in ventre erant, cauſas, aliæ in thorace non deeſſent difficilem reſpirationem facientes, proclive eſt intelligere, cur non erecto, ſed demiſſo capite jaceret commodius. Multo autem difficilior videri poteſt explicatio Obſervationis Cl. Capperi (*m*) in quodam putridos corruptoſque pulmones habente, qui ultimis vitæ quinque horis ſupinus denique cubare potuit, cum antea adeo inflexo corpore in lecto ſedere coactus eſſet, ut caput inter genua quaſi recondere videretur. Hic vero phthiſicus alter eſt de duobus, quibus laudata adeo ab Sydenhamio (*n*) equitatio mortem acceleravit: quæ res occaſionem præbuit Ampliſſimo Præſidi Buchnero Scholium adjiciendi unde intelligas, quando in phthiſi illud exercitationis genus vetandum ſit, & quando non ſine ſpe commendandum. Nimirum ut in cæteris morbis, ita in hoc quoque non omnia omnibus proſunt auxilia. Itaque iis qui phthiſi obnoxii ſunt, ſiquis Medicus imperaret concionari, aut alio modo vehementer, & acute ſermocinari, aut canere, quia Sanctorius noſter (*o*) hæc non commendavit modo, ſed & eximii Sacri Oratoris exemplo comprobavit, qui in juventute huic morbo obnoxius, poſtea quotidie ingenti voce concionem habendo proſperam ſibi valetudinem comparaverat, neque ille tamen Medicus qua hic eſſet Orator, & qua item cæteri quibus id laudabat Sanctorius, pulmonum conſtitutione, attenderet; quot tandem credis in illud ipſum a quo retrahere vellet, malum temere eſſe præcipitaturum? Sane cum eſſet in juvene M. Tullio; ut ipſe de ſe tradidit in eo libro qui inſcribitur *Brutus*; cum eſſet, inquam, *ſumma gracilitas, & infirmitas corporis, procerum & tenue collum: qui habitus, & quæ figura non procul abeſſe putatur a vitæ periculo, ſi accedit labor, & laterum magna contentio*, ipſe autem *vi ſumma vocis, & totius corporis contentione diceret*; optimi & *Amici, & Medici hortabantur, ut cauſas agere deſiſteret:* itaque receſſit a foro, nec niſi biennio poſt rediit *prope mutatus. Nam & contentio nimia vocis reſederat, & quaſi deferbuerat oratio, lateribuſque vires, & corporis mediocris habitus acceſſerat*. Contra vero qui ſibi non temperant, Oratoribus, Lectoribus, Cantoribus quid in pulmone ſæpe accidat, noſter oſtendet Ramazzinus (*p*), atque idem viſcus ut exulceratum, purulentum, prorſus putridum fuerit juveni qui tibiis canebat, & cuidam Muſico, laudatus alias Duiſſingius (*q*) docebit, & Stegmannus (*r*). Quin ipſe memini, in Forolivienſi Juvene, qui acuta voce in Cæſarea Aula magno cum plauſu cecinerat, ſpirandi organa fuiſſe adeo exulcerata, ut vitio ad laryngem, fauceſque producto jam deglutire nihil poſſet, & dum vitellum ovi ſorbilis ingerere ſenſim vellet, ſuffocatus interierit. Quid autem Valſalva in pulmonibus alterius viderit, qui in eadem arte, ejuſque inſtrumentorum uſu verſatus fuerat, mox (*ſ*) leges. Prius enim de ejus hiſtoria quem noviſſime (*t*) propoſui, hæc pauca adjicienda ſunt, non liquere videlicet, unde pus extiterit quo cavum replebatur ſiniſtri lateris, an aliunde eo tranſlatum, an effuſum ex ſuperiore illa pulmonis parte aliquantum dura, in amplaſque veſiculas dilatata. Nam ſi quibus ſymptomatibus ſtipatæ fuiſſent prægreſſæ illæ febres, conſtaret, aut quæ pars alia corporis ſervaret aliquod læſionis veſtigium; poſſet eſſe primæ conjecturæ locus. Nunc etſi caveæ illæ pulmonis ad eum modum apparuerint, ut pro amplificatis ejus veſiculis poſſe accipi viſæ ſint; tamen ſumma illa ſedes in qua erant, & adjuncta durities ſuſpicionem fortaſſe aliquam movere poſſunt, conjecturæ alteri faventem, apud eos præſertim qui non caſu factum credant, ut in phthiſicorum diſſectionibus Valſalvæ acciderit eandem potiſſimum læſam invenire pulmonis partem, quemadmodum proxima oſtendet Obſervatio, & duæ confirmabunt, quæ poſt illam proferentur.

14. QUIDAM muſicæ artis, uſuſque hujus inſtrumentorum peritus, ætate jam conſiſtente, tribus ante annis in ſputum incidit ſanguineum, cui tuſſis cum exſpuitione materiæ, ut vulgo dicitur, *catarrhalis* ſucceſſit. Multis elapſis menſibus ſputum ſanguineum rediit, deinde alias quoque, donec poſt ſe expectorationem reliquit materiæ & multæ, & craſſæ, & pejoris notæ. Facilis quidem erat decubitus in utrum liberet latus, nulluſque in thorace dolor. Sed tuſſis noctu, & præcipue poſt cœnam moleſta erat. Gravis quoque erat reſpiratio, poſt motum præſertim, quantumvis levem. Ad hæc, multa ſitis: a cibo autem aſſumpto ſtomachi gravitas. Aliquot ante mortem hebdomadis crebri erant ſudores nocturni; & cum pedes aliquando intumeſcere, & poſtmodum omnino detumeſcere conſueviſſent; noviſſimis diebus haud amplius detumeſcebant. Accedente autem diarrhœa, qua multa ſeroſa materia profluebat, cum ſe, ut ſurgeret, veſtire cœpiſſet; defecit. PULMONES huic homini multis repleti erant tuberculis. Inſuper ſiniſtri pulmonis lobus ſuperior, & ſuperiore quidem parte, ſternum verſus, exterius prædurus, ulcus intus, nec parvum, habebat, in quo ſanies, quaſi pultis inſtar. Hic autem Valſalva animadvertit, phthiſicis quos ad id tempus ſecuerat, ulcus, & læſionem in ſuperiore fuiſſe pulmonum parte. Quod reliquum eſt; huic in dextero thoracis cavo ſeri quaſi ſelibra; in pericardio tantundem repertum eſt. Hoc pericardii ſerum, impoſitum igni, totum evanuit, niſi quod pelliculam reliquit in vaſis fundo.

15. MERETRIX viginti circiter annorum, plures jam menſes lenta febre, tuſſi, ſputo pejoris notæ, totius corporis macie laboraverat. Querebatur de dolore in ſiniſtra thoracis parte, in quam ſi decumberet, ferre vix poterat. Spirandi difficultate urgebatur. Huc acceſſit copioſum ſanguinis ſputum: quo repreſſo, diebus poſt duobus, auſtrali ſæviente conſtitutione, in qua ſimili morbo laborantes plerumque pereunt, vivendi finem fecit. PULMO dexter vix coſtis adhærebat. Uterque duris, & ad album colorem vergen-

(*h*) De Cauſ. & Not. diuturn. Affect. l. 1. c. 8. (*i*) n. 15. (*k*) n. 8. (*l*) n. 4. (*m*) Act. N. C. Tom 4. Obſ. 47. (*n*) in Diſſert. Epiſt. ad G. Cole. (*o*) Comment. in Art Med. Gal. c. 67. partic. 2. (*p*) De Morb. Artific. c 37. (*q*) Commerc. Litter. A. 1741. Hebd. 44. n. 1. (*r*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 109. (*ſ*) n. 14. (*t*) n. 13.

vergentibus ſcatebat tuberculis, glanduloſa corpora mentientibus. Præterea utriuſque pulmonis ſuperiores lobi ſuperiore ipſa parte vitia alia habebant. Nam dexter quidem ſternum verſus, ingens excavatum ulcus, & in ſe purulentam materiam continebat; ſiniſter vero latus verſus, duram ſubſtantiam ad pyri majoris magnitudinem, quæ ſubſtantiam indurati pancreatis quodammodo referebat, in ejuſque medio parvum ulcus, puris plenum. Serum in pericardio paucum: in cordis ventriculo ſiniſtro exigua polypoſa concretio; in dextero mediocris, cujus major productio in proximam auriculam inſerebatur.

16. VIRGO annos nata quatuor & viginti, poſt ſputum ſanguineum tuſſi vexatur, catarrhalem materiam expectorat, quæ noviſſime ſaniem refert, febricitat, thorace dolet, a ſiniſtra præſertim parte, in quam non poteſt decumbere, toto corpore maceſcit, pedibus exceptis qui ambo nonnihil tument, dexter etiam eryſipelate nonnullis ante mortem diebus tentatur. THORACIS ſiniſtrum cavum repletum ſero invenitur, portiunculis concreti ſanguinis quibuſdam in locis, tum pleuræ, tum infimo pulmonis limbo adhærentibus. Illa multum rubebat non ſecus ac ſi inflammata eſſet. Hic quoque, ut inflammatus pulmo ſolet, valde induruerat. Cavum autem alterum ſeri quidem parum, & pleuram ſanam habebat. Sed ejus pulmo, qua claviculam ſpectabat, aliquantum durus, in duritiei hujus centro ulcus recondebat. Pericardium vix aliquod ſui humoris veſtigium oſtendit. Cordis ventriculi erant concreto ſanguine omnino pleni.

17. Omiſſa Pleuripneumonia, quæ noviſſime in hac Virgine ad phthiſim videtur acceſſiſſe, eidem, ac Viro (*u*) commune fuit tum pedes tumidos habuiſſe, tum aquam in thorace; cum Meretrici (*x*) ut hæc abfuit, ſic ille quoque defuerit tumor. Eſt autem antiqua Coiteri obſervatio, hic etiam in Sepulchreto (*y*) laudata, aquæ in phthiſicorum thoracem effuſæ: quanquam id quod ait, ſe effuſam inveniſſe a dextris, quod latus *majori ex parte his malis obnoxium ſit*, etſi ſecundum ejus inſpectiones haud minus vere dictum eſt, quam in eadem Sepulchreti pagina (*z*) a Bontio, *nunquam ſiniſtrum* pulmonis *lobum ſolum adnatum* coſtis *ſe vidiſſe*, *ſed vel utrumque*, *vel dextrum*; tamen ejuſmodi res etiam contra ac ipſis accidit, neque ita raro, ab aliis ſpectantur. Sic etiam caſu factum credes, ut Valſalvæ contigerit in phthiſicis ad illud uſque tempus (*a*) diſſectis læſionem pulmonum præcipuam in ſuperiore parte (ubi certe in tribus deſcriptis modo cadaveribus fuit non ſecus ac in alio de quo Cl. Hoyerus (*b*)) deprehendere; niſi forte major a ſepto Tranſverſo, & inferioribus coſtis, & quod conſequitur, a majori agitatione diſtantia facit, ut in ſumma pulmonum parte facilius aliquanto hæreant quæ hos demum exulcerant. Nam tubercula quidem, unde non infrequens phthiſis ortus ſecundum Franciſci Sylvii (*c*), & aliorum obſervationes, tubercula, inquam, ut in Viro, & Meretrice animadverteris, ſic in aliis ſæpe in quavis promiſcue pulmonum parte reperiuntur. Et quamvis in puero, cujus ſororem, fratremque phthiſis ſuſtulerat, Valſalva (*d*) invenerit in ſuperiore pulmonum parte; in Virgine tamen quadam, cujus hiſtoriam continuo ſubjiciam, ne ipſe quidem certam in pulmone ſedem tuberculis fuiſſe, prodidit, ut neque in Adoleſcentulo de quo ſupra (*e*) dictum eſt; Mulieris autem, cujus eſt alibi (*f*) ſcripta diſſectio, pulmonem ſiniſtrum *hic illic* parva tubercula continentem vidit, quorum nonnulla erant ſuppurata.

18. VIRGO ex pavore incidit in febrem lentam, cum dolore ad pectus. Parotides, & colli ferme omnes glandulæ tumebant. Moritur. VENTER aquæ limpidæ aliquantum continebat. Omentum per quædam parva quaſi ligamenta cum meſenterio, & peritonæo nectebatur. Erant hæ tres Partes, & præterea inteſtinorum, uteri, & felleæ, atque urinariæ veſicæ ſuperficies protuberantibus, disjectiſque paſſim corporibus inæquales, variæ figuræ, & magnitudinis, ſic tamen ut per omenti quidem ſuperiorem partem eſſent minora, per inferiorem autem multo majora, & præterea conſerta atque inter ſe contingentia. In ſiniſtro pulmone tum ulcus erat, & ichor in hoc ſanioſus, tum præterea corpora ejuſmodi qualia in meſenterio, & aliis ventris partibus. Eorum nonnulla pus, quædam materiam quaſi pultis inſtar continebant, alia autem adhuc ſolidiora, quaſi glandularum Conglobatarum naturam referebant.

19. Recte Mortonus (*g*) animadvertit, *mirum non eſſe*, *ſi ſcrophuloſi*, *qui tumoribus glanduloſis in aliis partibus frequenter obnoxii ſunt*, *non raro etiam ejuſmodi tuberculis vel in ipſis pulmonibus afficiantur*: quin etiam phthiſis ſcrophuloſæ *certiſſimum diagnoſticum ſumendum eſſe a tumoribus glanduloſis in externo habitu corporis eam comitantibus*. Quam ego rationem, & dogma, aliorum quoque, & in his Cl. Laubii (*h*) obſervatione confirmante, ſecutus, in juvene Monacha, cujus videbam collum ita glandulis inæquale, ut in Virgine Valſalvæ erat, cum gravia, ut in phthiſi, thoracis incommoda pulmonibus adſcriberem quos non abſimiles tumores facile occuparent, præſertim cum alios in ventre quoque perſentirem; ejus Generoſus Parens poſtquam meam audivit opinionem, nimis vera, inquit, opinari te, credo, qui puellam, hujus ſororem, paribus incommodis abſumptam, cum amiſiſſem, ejuſque pulmones inſpici, juſſiſſem, tuberculis hic illic obſitos fuiſſe, acceperim. Ille idem Scriptor, ut ſæpe, & paſſim in cunctis phthiſicorum pulmonum partibus tubercula offenderit, ejus oſtendent Obſervationes, quæ in Sepulchreto etiam (*i*) extant. Earum una (*k*) triplicem materiæ, iis tuberculis comprehenſæ, varietatem commonſtrat, cum alia pure, alia ſubſtantia mellea, pleraque autem, & hæc quidem minora, materia ſteatomatoſa referta exhibet, cujuſmodi fortaſſe erat quam Valſalva in tuberculo grandiore vidit illius pueri, cujus paulo ante (*l*) injecta eſt mentio, referentem colore, & mollitie ſubſtantiam cerebri medullarem. Sed & alia continent aliquando, ut puta; ne longius a propoſita Valſalvæ Virgine abeamus; materiam quaſi pultis inſtar. Verum hæc, aut alia pro cauſarum, & corporum varietate, in progreſſu; antea autem, ut vel ex ejus Virginis inſpectione intelligis, ſolida tubercula Conglobatas glandulas repræſentant. Quin etiam poſſunt annis primis magna ex parte ſenſum fugere, creſcente autem ætate ſe prodere, tantoque citius augeri, & matura fieri, quanto citius cauſæ acceſſerint, exempli gratia, in eadem Virgine is pavor, qui humorum alioqui craſſorum, & viſcidorum motum in pulmonibus retardaverit.

20. Sic autem potiſſimum ingenitam phthiſim ſe ſe producere, cum Sylvio (*m*) exiſtimo, qualis futura erat in puero commemorato: alias vero, in aliiſque aliter pro varia in pulmonibus aut firmarum partium, aut fluidarum diſpoſitione. Namque pro hac varietate adventitiam quoque phthiſim, iiſdem poſitis contingentibus cauſis, quæ pleroſque aut non lædunt, aut parum, tardeve lædunt, in quibuſdam contra oriri facile videmus, & multum, citoque invaleſcere. Neque dubium eſt, quin cauſis quoque phthiſim in cujuſvis pulmone producturis hic magis reſiſtat, ſi ſaniſſimus ſit. Ejuſmodi autem cauſæ ſunt pulmonis inflammationes, & vulnera, ſi utraque male curentur, aliæque, & in his quæ extrinſecus illabuntur, ut puta globulus qui arteriam Aſperam ſubiit ſexennis pueri (*n*), cujus hiſtoriam cum legeris, facile ſuſpicaberis, operarum incuria aliquid eſſe peccatum; nam globulus *nuce juglande paulo minor* nec illuc introiſſet, & celerrimam ſuffocationem, non lentum morbum unde *pulmones pure repleri* poſſent,

(*u*) n. 14. (*x*) n. 15. (*y*) Sect. 7. Obſ. 40. (*z*) in Schol. ad Obſ. 38. (*a*) n. 14.
(*b*) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 118. (*c*) Sepulchret. Sect. 7. cit. in Schol. ad Obſ. 30. (*d*) Epiſt. 1. n. 2. (*e*) n. 6.
(*f*) Epiſt. 17. n. 5. (*g*) Phthiſiolog. l. 3. c. 1. (*h*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 106.
(*i*) Additam. ad Sect. 7. l. 2. Obſ. 34. 36. 37. 38. 40. & 43. (*k*) 38. (*l*) n. 17. (*m*) cit. ſupra, ad n. 17.
(*n*) Vid. Eph. N. C. Cent. 4. Obſ. 121. in Schol.

ſent, attuliſſet. Eſt etiam cauſa alia, nempe præfrigida multa potio, dum ab nimia exercitatione corpus æſtuat, ingurgitata, res fere pernicioſiſſima, quamvis non ex pulmonis tantum læſione. Namque; ut de ſanguinis alveis, gulæ proximis, nihil dicam; ventriculum quoque, in quem potio excipitur, inde primum fuiſſe vitiatum in phthiſico puero, non ſine ratione aliqua contendebat Lentilius (*o*). Cui ut in illo caſu non refragemur, nec in aliis fortaſſe in quibus multo prius ab exteriore illa cauſa læſiones ventriculi quam pulmonum, animadvertantur, unde mala ciborum confectio viſcidos, acreſve ſuccos pariet, qui & ſtomachum vellicando, tuſſim excitent, & in pulmonibus tandem ſubſiſtendo, irritandoque, cauſam præbeant phthiſi, qua ratione ille, ſi non Vateri (*p*), at Cel. Heiſteri (*q*) Obſervationem explicare forſitan maluiſſet; ut in nonnullis, inquam, minus refragemur; tamen vel in his caſibus negari non poteſt, adhærentes œſophago a fronte quidem tenuiores arteriæ Aſperæ, & primorum bronchiorum parietes, proximos autem ab utroque latere pulmones a præfrigida multa allabente, aut interlabente potione, ſi corpus æſtuet, aut protinus lædi, aut ad læſiones accipiendas, quod ipſum ſine læſione aliqua fieri non poteſt, vehementer diſponi. Hæ igitur, aliæque cauſæ, ſive ingenitæ, ſive adventitiæ phthiſicos faciunt, occiduntque pro earum, & corporum, & roboris varietate, vario modo: quod Obſervationes inſpiciens aut in Sepulchretum relatas, aut alias, ſubinde a me indicatas, ſtatimve indicandas, cognoſces. Pus in pleriſque, nec raro, ea copia fuiſſe invenies, ut pulmonem repleret, atque infarciret (*r*): contra in quibuſdam vix puris veſtigium (*ſ*); imo in quamplurimis a quodam Chirurgo diſſectis, ut in Sepulchreto (*t*) legeris, nihil. Quod factum ſi cum Sylvio (*u*) credas ob eandem cauſam ob quam ulcera etiam externa in moribundis exſiccantur; non adverſabor, adverſaturus, ſi cum eodem (*x*) univerſe dicas, *ſiquis phthiſicorum cadavera ſecuerit, non ita multum puris reperturum in ipſorum pulmonibus ...., a quo credi poſſit ſuffocatus æger*. Obſtant enim aliorum diſſectiones, in iiſque; ut alias ex modo indicatis præteream; Roderici a Fonſeca (*y*), & Cl. Jo. Adami Gorizii (*z*). Cujus Obſervatio purulentam materiam, pulmones & bronchia infarcientem, aliam *albam*, aliam *ſubviridem*, aliam denique *inſtar fæcum cereviſiæ* proponit: *fuſcam* autem vidit Præcl. Daniel Hoffmannus (*a*): *tabum* denique *atramento ſimile* Illuſtris Hallerus (*b*). In quibus autem, ſecto pulmone, ſanguis cum pure, & ſanie permiſtus effluxerit, ſupervacuum eſt memorare. Attamen cum Tozzius (*c*) non ſemel a ſe obſervatum ſcripſerit, *phthiſi peremptos in tam extremam ſanguinis conſumptionem perveniſſe, ut is ſolum in arteriis & venis ſuperfuerit, qui vix circulationi ejuſdem ſatis foret, reliquo penitus exhauſto*; ne forte id credas eſſe perpetuum; non eſt reticendum, in phthiſica (*d*), cui præ ſumma totius corporis macie, & conſumptione vix cutis pertenuis hærere oſſibus videbatur, inciſos pulmones *quantitatem ingentem ſanguinis*, cum pure & ſanie permiſti, effudiſſe: quin etiam addendum eſt, in duobus (*e*) quorum alter pus expectoraverat, uterque in pulmone exulcerato, & putrido multum habebat, etſi ex ore & naribus, alter vero inſuper ex omnibus partibus per quas contingunt hæmorrhagiæ, immanem ſanguinis copiam, nec ſemel excreverant, tamen ſecundi cadaver in rene ſiniſtro *magnam ſanguinis ſtagnationem*, & *in regione lumbari vaſa ſanguifera valde tumida & inflata* oſtendiſſe, primi vero eadem vaſa *ſanguine valde turgida* in *omento*, *ventriculo*, & *meſenterio*. Cæterum, ut illuc redeam, pus, & ſanies aliam in aliis naturam habent, aliumque odorem, & modo ſeorſum, modo una ſunt cum induratis pulmonum partibus. Quæ tum ex pleriſque indicatarum Obſervationum, tum ex his quoque intelliges quas pergam indicare. Sic in Juvene (*f*) pulmonum pars concava pure erat fœta, convexa autem ferme tota tophacea: & in Viro (*g*) pulmo dexter pus fluidum; ſiniſter materiam quandam induratam habebat. Et cum in quibuſdam (*h*) pulmones pleni ſcirrhis cartilagineis, aut ſteatomatibus duris obſiti, in aliis referti exiguis purulentis grandinoſis abſceſſibus, aut vomica, vomiciſve (*i*) deturpati reperti ſint; fuerunt alias inventi ſimul calloſi, & compacti, ſimul vomicis paſſim obſeſſi, itemque (*k*) penitus obſtructi, & exulcerati, aut (*l*) ſteatomatibus innumeris, & hic illic vomicis infarcti, aut denique (*m*) fœdati apoſtematibus multis, & tuberculis, quorum aliqua inflammata videbantur, alia adhuc erant immatura: qualia in propoſita Valſalvæ Virgine (*n*) fuiſſe, retulimus.

21. Etſi autem in tot quæ indicavimus, & in aliis, quæ, ut morbus eſt frequentiſſimus, prope innumera ſunt, exemplis tanta & cauſarum, & effectuum apparet varietas; ſi tamen hanc in aliis pro peculiaribus ſingulorum hominum conditionibus alio referas, unamque communem omnium, quos vides, effectuum originem quæras; hanc in humore aliquo facile agnoſces, qui ob quamcunque ſive ingenitam, ſive adventitiam cauſam in pulmonibus ſubſiſtens, modo, ſi craſſior ſit, & tenuiores particulæ abeant, ibi indureſcat, efficiatque propterea, ut aliquis aliquando qui ipſo pejor ſit, eroſurus humor ſubſiſtat, modo, ſi ipſe jam ſit per ſe acer, vel mora, aliorumve admiſtione acer fiat, citius, aut ſerius membraneas incipiat pulmonum cellulas erodere. Una autem eroſa, vitium ad proximas propagatur, fitque, pluribus abſumptis, manifeſtum ulceris cavum, quod circumjectarum a pure compreſſæ, eoque craſſiores factæ membranulæ duro circumcirca pariete poſſunt concludere, ut in externis ulceribus, fiſtuloſis præſertim, videmus. Nec tamen negandum eſt, effuſos humores, eoſque in primis qui fibroſis, ut vocant, abundent particulis, ipſos ſibi, his depoſitis, & ad cavi parietes agglutinatis, cyſtim conſtruere ex falſa ejuſmodi membranæ ſpecie, ut Cl. Maloetius (*o*) oſtendit. Valſalva autem in Scripto quodam italico ex iis quæ vulnerato pulmone animadverterat, non dubitabat, quin natura quædam interdum produceret filamenta membranea, a ſe bis, terve conſpecta, quæ progrediente tempore aucta, in firmum abirent folliculum, qui effuſum pus comprehenderet, ut in aliis qui diutius vixerant, ſe agnoviſſe, exiſtimabat. Utcunque id eſt; aliis etiam ex cauſis, ut ſatis ſuperque intellexiſti, quam ex ſuppuratis tuberculis, phthiſis pulmonaris fieri poteſt, nec ſi pus, aut ulcus peculiari tunica concluſum deprehenditur; continuo cenſendum eſt, a tuberculo eſſe, cujus adhuc tunica ſuperſtes ſit. Sed ea tubercula num veras, & quæ omnibus natura inſint, glandulas eſſe, credemus, atque adeo illas ipſas quas paſſim ad bronchiorum diviſiones vel intra pulmonem deſcribunt, & Bronchiales appellitant? quæ cum intra ipſum exiguæ ſint, ab accedentibus cauſis in diſpoſitis hæreditario præſertim vitio, augeantur. Num vero ut id credamus, juvat ſignum illud futuræ phthiſis, quod Mortonus (*p*) his verbis recenſuit: *matutina & diuturna phlegmatis nigri & viſcoſi excretio: quippe quod procedit a glandulis in pulmonibus juxta tracheam poſitis, humore nigricante repletis. Quod ſymptoma ſicuti ſcorbuticis & ſcrophuloſis familiare eſt, ita Phthiſim Aſthmaticam progreſſu temporis inſecuturam monſtrat.*

Et

(*o*) Earund. Dec. 3. A. 7. in Append. n. 10. ad Obſ. 6. (*p*) Dec. ead. A. 10. Obſ. 161. (*q*) Eorund. Act. Tom. 1. Obſ. 174.
(*r*) Eorund. Cent. 4. Obſ. 116. & 118. & Act. Tom. 1. Obſ. 59. & Tom. 2. Obſ. 19. & Haller Opuſc. Pathol. Obſ. 15.
(*ſ*) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 47. (*t*) Sect. hac 7. Obſ. 77. (*u*) Ibid. in Additam. Schol. ad Obſ. 2. (*x*) Obſ. ead.
(*y*) Comment. in Hipp. l. 7. Aph. 16. (*z*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 19. (*a*) Eorund. Act. Tom. 2. Obſ. 2.
(*b*) Obſ. cit. 15. (*c*) Comment. in Hippocr. l. 7. Aph. 16. (*d*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 83.
(*e*) Eorund. Act. Tom. 1. Obſ. 173. & Cent. 10. Obſ. 36. (*f*) Commerc. Litter. A. 1731. Specim. 46. n. 5.
(*g*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 2. (*h*) Vid. Halleri cit. Obſ. 15.
(*i*) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 30. n. 11. & A. 1745. Hebd. 24. n. 1. ad V. (*k*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 8.
(*l*) Eorund. Dec. 3. A. 9. Obſ. 243. (*m*) Dec. ejuſd. A. 7. Obſ. 9. (*n*) n. 18. (*o*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1732.
(*p*) Phthiſiolog. l. 2. c. 2. ad n. 10.

Et nuper quidem Viro Docto viſæ ſunt etiam ſecundum naturam liquorem ſuum in bronchia immittere *ob ſputa nigricantia concolora ſucco* ipſarum *glandularum*. Sed neque ſecundum naturam ſputa nigricant, & ſatius fore, crediderim, ſi eundem ſequaris ubi eas glandulas *certiſſime eſſe de conglobatarum genere*, affirmaverat, itemque ubi ob hanc cauſam negaverat, ſuum *aſperæ arteriæ ſuccum infundere*, itemque ubi, & recte, animadverterat, cum aliquæ ipſarum per faciem utramque pericardii ad diaphragma uſque ſpargantur, *ab omni cum aſpera arteria commercio remotas eſſe*. Ego vero cum de quatuor continenter inſpectis cadaveribus earum aliquas, ex prima illius arteriæ diviſione ſumptas, diſſecuiſſem, affrictamque ſectionibus chartam fuliginoſa quadam tinctura non ſecus ac ſi contritum carbonem multa aqua dilueres, infectam ſemel, iterum, tertium vidiſſem, ex quarto autem cadavere, quod hominis erat conſiſtente, ut cætera, ætate, glandulaſque eas habebat nec minus ſanas, nec minus intus, extraque nigricantes, nullum inde niſi ſubflavum, maxime dilutum, obſoletumque colorem retuliſſem; haud aliter in tribus illis prioribus atque in hoc quarto inveni tinctum quem aperueram, proximum Aſperæ arteriæ truncum, & prima bronchia, id eſt nihil quidquam vel leviter nigricantis coloris habentia. Quamobrem quocunque eæ glandulæ ſint intus colore infectæ; necdum a mea perpetua ſententia mihi diſcedendum cenſeo; ſed in eo adhuc permaneo, ut non facile ipſas credam cum arteriæ illius cavo communicare, præſertim cum aliæ non deſint glandulæ quæ, cum earum ſuccus in illud, & prima bronchia manifeſto influat (*q*), præbere in hæc aditum poſſint illiuſmodi ſanguinis fæci, ut Williſius (*r*) loquitur, cui quoque noti erant qui ſputa redderent atramenti inſtar nigricantia, non ſecus ac Salio in Commentariis ad verba illa Hippocratis (*ſ*): *ſaliva craſſa, ac fuliginoſa tuſſi rejicitur*.

Cæterum ut Bronchiales glandulas, eroſione aliqua facta, communicare interdum cum bronchiis præter naturam, non negavero; ita an eædem ſint quæ in phthiſicorum pulmonibus tubercula faciant, in medio ob eam cauſam relinquo de qua ſupra (*t*) dictum eſt, cum videlicet vix unquam ejuſmodi pulmones diſſecare voluerim, multoque minus hæc tubercula, & illas glandulas, præſertim quod ad ſedem attinet, diligenter accurateque inter ſe comparare. Unam propterea, haud amplius, paulo attentius habitam, hic a me Obſervationem accipies.

22. MULIERI agreſti, annos natæ ad quadraginta, tumor ad calcanei dexteri latus internum adeo increverat, ut modicum æquaret hominis caput. Ob eam magnitudinem, & quod ab ſteatomatis natura degenerans, factus jam erat cancroſus, in Venetum Incurabilium Noſocomium excepta fuerat mulier, & is tumor exſtirpatus. Sed cum repullulaſſet, annum jam alterum ibi permanenti mulieri, neque ullo de affectu conqueſtæ unquam qui ad thoracem attineret, accidit ut ad hujus ſiniſtram partem pungente dolore corriperetur, quem febris, & ſpirandi difficultas comitabantur. Semel, atque iterum miſſus eſt ſanguis, cui alba inſidebat cruſta, datum oleum ex dulcibus amygdalis recens expreſſum, neque alia omiſſa quæ in pleuripneumonia ex uſu eſſe conſueverunt. Per hæc, etſi nihil quidquam expectoratum eſt, illa ſublata viſa ſunt omnia. Verum dies necdum advenerat quadrageſimus ex quo inceperat pleuripneumonia, cum reſpirationis difficultas ingruere cœpit cum ſenſu anguſtiæ, & ſuffocationis, ut jam altiore capite, & dorſo cubare ægra cogeretur: & pulſus qui, cum fuerat inflammatio, intermiſerat, rurſus vel magis intermittebat. Nullus tamen dolor, nulla tuſſis, nullum ſputum, febris nulla; niſi quod ultimis tandem diebus febricula acceſſit. Qua, & ſpirandi difficultate illa identidem magis, noctu autem præſertim urgente, ad maciem, & ad extremam virium infirmitatem mulier redacta, vix ut exili voce de faucium eroſione, in quibus nil tale conſpici poterat, quereretur, mortua eſt die poſt novam reſpirationis difficultatem decimo quincto. Hæc cum ego, Amicique ab Noſocomii Medico, diligente, ac probo Viro, Senenſe Rinaldio accepiſſemus, rogatus ab omnibus, ipſoque Rinaldio adjuvante, cadaver diſſecui ſub Aprilis initium A. 1708. PECTUS cum incidere cœpiſſem, & cartilagines per quas coſtæ cum ſterno committuntur, ſecarem; cruenta aqua prodiit e ſiniſtro thoracis cavo: quod mox eadem plenum conſpexi. Cum ea; etſi nullus gravis odor ex ipſa, aut ex pulmone exiſteret; pus tamen permiſtum fuiſſe, non dubitavi, cum pulmonem ad imam anteriorem partem corruptum viderem, abſumptumque, magna ibi cavea ultro ſe oculis objiciente. Sed & diſſectus, hic illic oſtendit ad tractus non modicos ſubſtantiam, primo quidem aſpectu, & inquiſitione, ſteatoma, albedine videlicet, ac firmitudine aliqua referentem; ſed ubi cultro dimoveres, ſimiliorem purulentæ materiæ. Reliquus pulmo minime durus, rubicundo erat, quaſi a ſtagnante ſanguine, colore infectus. Multo quam ſiniſter, minus vitiatus erat pulmo dexter, ut qui intra non ſaniſſimam quidem, ſed tamen leviter peccantem, ſubſtantiam ſuam pauciora, & minora condebat illa quaſi ſteatomata, quæ peculiari tunica concludi videbantur. Cæterum uterque pulmo, ſed dexter arctius, ad thoracis parietes ferme undique adhærebat. In pericardio multa fuit aqua turbida, ſubflava. In omnibus cordis caveis polypoſæ concretiones, inde per Magna vaſa productæ, mediocri omnes firmitudine; ſed ea minima quæ ad ſiniſtram pertinebat auriculam. Venter quoque, cum exterius magna ex parte liveret, apertus eſt. Sed is livor inteſtinis deberi viſus, aere valde turgentibus. Omenti vix aliquæ erant reliquiæ. Hepar duriuſculum, albidum, variegatum, ejuſque veſicula bile pleniſſima. Lien prægrandis, & æquo durior. Durius quoque pancreas. Duri teſtes, albique, & grandiores, & in iis nigræ quædam cellulæ. Quamvis autem intra ſummam vaginæ partem annulum invenerim quem perſum vocant, ut mulierem uteri, vaginæve prolapſui obnoxiam fuiſſe, appareret; tamen eo annulo detracto, neque ita laxam vaginam comperi, ut facile ſe invertere deorſum poſſe videretur, & uterum ſua in ſede conſpexeram; itaque ejus annuli, & decubitus ope multum profeciſſe mulierem, exiſtimavi. Quod reliquum eſt, turbida aqua, nec tamen multa, ſtagnabat in ventre.

23. Empyematis ſimul, & phthiſicæ in pulmonibus diſpoſitionis exemplum habes. Dabo alterum phthiſis, in qua oſſiculum quoddam rejectum eſt, non quod ego cadaver ſecuerim; nam qui clam hominis conſanguineo ſecare aggreſſi ſunt, ne ipſi quidem perſecare potuerunt; ſed quod horum mihi ſpectata erat fides, æger autem, cum Bononiæ degerem, non ſecus atque ejus incommoda, maxime notus.

24. MEDICUS conſiſtente ætate, qui jam diu cachectica facie fuerat, poſtea autem etiam anhelus, & raucus, ſputa denique reddere cœpit varie colorata, inter quæ non exiguum fruſtum extuſſivit curvi oſſiculi, quod & mihi oſtendit, læve a cava parte, aſperum a convexa. Interea ſuffocationis ſenſu, neque ita raro, corripiebatur. Nocte demum quadam cum ſe melius habere, dixiſſet, horis poſt paucis inventus eſt mortuus, nihil omnino ſentiente qui inſerviendi cauſa in eodem cubiculo, atque adeo propter ipſum dormiebat. PULMONES cum extra, tum intus veſiculis obſiti erant, albo pure plenis, inæqualibus ſic ut majores uvæ acinum non excederent. In pericardio multum aquæ turbidæ. In corde vix una parvula concretio polyposa. Altiorem Aſperæ arteriæ truncum, & laryngem incidere, ob eam quæ dicta eſt, cauſam non licuit.

25. Et tamen eas potiſſimum Partes introſpicere oportebat, ut unde oſſiculum extitiſſet, cognoſceretur. De hoc enim alia aliorum ſententia fuerat, non-
nullis

(*q*) Vid. Adverſ. 1. Tab. 1. ad F. & Tab. 2. Fig. 1. ad O. O. O. (*r*) Sepulchr. l. 2. S. 1. in Schol. ad Obſ. 9. & ad §. 2. Obſ. 105. hujus 7. Sect.
(*ſ*) De Morbis l. 2. t. 117. (*t*) n. 3.

nullis inepte pro oſſis hyoidis particula, aliis vero pro annuli Aſperæ arteriæ, oſſei facti, portione habentibus: qui propius ad verum fortaſſe accedebant, quando vel ramulum ejus arteriæ in os converſum, & in phthiſici quidem pulmone, deprehendit Blaſius (*u*); nos vero non illius modo arteriæ annulos, ſed & fruſtula quæ intra pulmones annulorum loco plura conveniunt, ex cartilagineis facta oſſea, ut ſcripſimus ad te alias (*x*), obſervata habemus: bronchiorum autem fragmenta, qualia a corrupto pulmone avulſa, in ſanie intra phthiſici thoracem reperta ſunt, talia hominem *in magna quantitate excreare conſueviſſe*, teſtatur Bontius (*y*). Neque id ignoravit Hippocrates (*z*), cum *ſpuit pus*, ſcripſit, *& velut ulceris vicinos bronchia in pulmone cartilaginoſa*: quæ ad verba videſis quæ in rem noſtram Salius (*a*) adſcripſit. Quin Aretæus (*b*) ſermonem de iis habens qui pulmonis abſceſſibus laborant, ad propoſitum a nobis caſum vel propius acceſſit. *Rauceſcere* enim, & *breve ſpirare*, dixit, & *aliquando* eorum *quempiam ſubitanea ac multi humidi attractione ſtrangulari, quod arteria puris multitudine obſtructa, aerem non recipiat:* ab iiſdem autem *bronchia, id eſt aſperæ arteriæ circulos nonnunquam expui ob ulceris varietatem, ſi alte abſceſſus penetrat: quando & fragmenta viſceris expelluntur*. Cæterum hic quoque, ut verba ultima oſtendunt, latentia intra pulmonem bronchiorum fruſtula ſignificavit. Sed fruſtum iſtud oſſeum, a Medico rejectum, neque figura cum fruſtulis illis bronchiorum conferri poterat, neque magnitudine; ut ad majores arteriæ annulos eſſet referendum. Quin Valſalva ex larynge ipſa, cujus grandiores cartilagines haud raro oſſeas fieri, ſcimus, abſceſſiſſe, ſuſpicabatur, ex gravi etiam laryngis vitio improviſam Medici, ſubitamque mortem deducens propterea, quod duos in Noſocomio Incurabilium, laryngis ulcere alterum, alterum carcinomate laborantem, utrumque ſubito, & cum minus id expectaret, mortuum eſſe, animadverterat: quo Virginis quoque caſum, tibi alias (*c*) a me deſcriptum, referre poteris.

26. Laryngis facta mentio ad memoriam illud revocat adeo uſitatum ac tritum inter Veteres Medicos dogma de acri a capite in laryngem, pulmoneſque deſtillante materia, & phthiſim demum afferente. Quod dogma, ſi capitis nomine pharyngis fornicem, internaſque nares accipere dumtaxat velimus; cum vero interdum conſentire, non negabimus. Glanduloſam enim tunicam qua illæ inſtructæ ſunt, partes humorem aliquando ſecernere qui erodendi vim habeat, eroſiones quæ in ipſis accidunt partibus, ſatis videntur comprobare, unde & alii, & nos (*d*) ſputum ſanguinis interdum provenire obſervavimus, quod & ab iis quas oris vocant hæmorrhoides, proveniens, imponere pro pulmonari Medicis poſſet qui ſigna non attenderent ab Hippocrate (*e*) olim, ab Ariſtotele (*f*), & a Cælio Aureliano (*g*) propoſita, ab Helwichio autem (*h*) erudite, nec ſine obſervationibus, illuſtrata, ad quas poteris aliam addere Cl. Dethardingii (*i*). Itaque ſi ex altioribus quæ dixi, locis delabentem humorem, præditum erodendi vi, ſubjectum palatum mobile, & adjecta huic uvula ab larynge non avertant; nihil prohibet quin hanc ſubeat, ipſamque, & pulmones tandem erodat, aut vitiet. Quamobrem quibus ea palati pars cum uvula ab lue venerea, ab aliave cauſa abſumpta eſt, eos tuſſi, & phthiſi tandem obnoxios fieri, non unius Medici, atque Anatomici Obſervationes oſtendunt, ut ex Cl. Jo. Zachariæ Petſche (*k*), noſtriſque etiam Scriptis (*l*) cognoſces. Neque enim quod aliter in parte nobis videre contigerit, aut id quod vidimus, poſſe etiam aliter explicari, indicaverimus; idcirco eam quam modo memoravimus, & tunc etiam attigimus, explicationem prorſus diſplicere nobis, exiſtimaveris. Quin eadem poſita, planius intelligi rationem, fatemur, quæ Mercurialem (*m*) & Gavaſſetium (*n*) permovit, ut decubitum ſupinum, & demiſſo capite imperarent ad graviſſimas, diuturnaſque ab hoc in thoracem defluxiones, in œſophagum potius, & ventriculum avertendas. Sic enim primus eo uno auxilio Germanam mulierem liberavit; alter autem Virginem, jam ſanguinem ea de cauſa exſpuentem, a Medicis nobiliſſimis deſtitutam, & ab omnibus deploratam, eadem ratione juvit adeo, ut poſtea etiam perſanare potuerit.

27. Aetius vero (*o*) Aſperæ arteriæ ulcera curare docuit, ægro *ſupino reclinato, atque iis quæ capiti ſubjiciuntur, ſublimius inſtratis*, credo cum in laryngem nihil deflueret. Ea autem ulcera, maxime prope arteriæ extremum, aut in ipſo extremo, *ſanabilia omnino exiſtere*, ſuis etiam fretus experimentis, aſſeveravit. Quapropter videndum eſt, ne curatæ phthiſis exempla quædam, non ad pulmonis ipſius, ſed ad arteriæ potius ulcera attinuerint. Quod non tam de aliorum, quam de mea quadam curatione dictum velim, unde multum laudis adoleſcens retuli, cum in Patria medicinam exercerem. Res autem ad hunc modum ſe habuit. Vir erat Lucenſis, qui Stephanus Cheli vocabatur, longa ſtatura, habitu corporis exſucco, ſolers, atque induſtrius, in curis aſſiduis, gravibuſque negotiis verſatus, haſque etiam ob cauſas hypochondriacus. Hunc tuſſicula, quam tincta ſanguine ſputa comitabantur, jam diu male habebat. Seniores Medici cum alias herbarum permulcentium, & quæ pulmones juvare creduntur, ſuccis, alias lacte aſinino, alias *gelatinis* quas vocant, & jure teſtudinis, interdum lignorum dilutis decoctionibus, nonnunquam iis quæ adſtringendi vim habent, a chalybe ſumptis, & lapide hæmatite, ad hæc Villenſium aquarum potatione, & balneo ex aqua fluviatili, aliiſque ejuſcemodi ſi curare poſſent conati, adeo non profecerant, ut macilentiorem ægrum, morbum autem facerent deteriorem; adſtringentia enim minuere urinas, balnea in ſputis augere ſanguinem videbantur, Villenſes autem aquæ intra primos dies, quod minime tranſirent, omnino fuerunt omittendæ, & pleraque tandem ſtomachus averſabatur. Cum haud minus ægrum Medicorum, quam Medicos morbi pertæſum eſſet; ventum ad me eſt, qui tum reverentia erga ſeniores, tum communi apud omnes deſperati jam morbi opinione ductus, excuſationes attuli plures donec victus auctoritate, & gratia eorum quibus ægri ſalus cordi erat, ita manus dedi, ut ſcirent cuncti, me invitum, & nihil promittentem, alienæ obſequi voluntati non tam ut ægrum curarem, quam ne deſererem. Erat hic extenuatus, infirmiſque jam viribus, & ſomno brevi atque interrupto. Tamen cum febrem, ſaltem aſſiduam, abeſſe viderem, *rejici* autem *per ſputum*, ut Aetius loquitur (*p*), *purulenta pauca, ac cruenta*, neque alibi *ſenſum doloris manifeſte percipi*, niſi *juxta exulceratum* Aſperæ arteriæ *locum*, id eſt paulo infra laryngem: cumque ex omnibus quæ adhibita fuerant, auxiliis duo aliquid contuliſſe, invenirem, quæ ad ea ulcera ab Aetio (*q*) laudantur, arteriaca videlicet *ſub lingua detenta, ut paulatim liquefacta, in aſperam arteriam delabantur*, & exhibitum lac quotidie *recens mulctum ab adſtante adhuc animali*; ſpem aliquam, ſed tacitam, fovere cœpi, & rationem quærere efficiendi, ut quæ nonnihil profuerant, ea denique perſanarent. Uſi erant trochiſcis, qui in ore liquarentur, ex ſpeciebus diatragacanthi frigidi, & lacte, ut dictum eſt, aſinino, unde punctionum in Aſpera arteria ſenſus tunc cum illa adhiberentur, propemodum ſublatus fuerat, & vires cum ſomno nonnihil auctæ. Cum quærerem, cur igitur in eorum quæ juverant, uſu non perſtitiſſet; a trochiſcis quidem lædi ſibi ſtomachum, reſpondit; a lacte vero cum primum ea præſtari utilitas videretur; mox tamen priora omnia rediiſſe. Sed tu, inquam, *vitaſti* interea *ventum*, *& ſolem*? id enim ab Hippocrate (*r*) iis diſerte imperatum

(*u*) Sepulchr. l. 2. S. 7. Obſ. 164. (*x*) Epiſt. 15. n. 18. (*y*) Sepulchr. S. 7. modo cit. Obſ 12. (*z*) De Morbis l. 2.
(*a*) Comment. in ejuſd. l. t. 119. (*b*) De Cauſ. & Not. diuturn. Affect. l. 1. c. 10. (*c*) Epiſt. 15. n. 13.
(*d*) Epiſt. Anat. 9. n. 14. (*e*) Prædict. l. 2. n. 27. (*f*) De Partib. Animal. l. 3. c. 5. (*g*) Morb. Chron. l. 2. c. 11.
(*h*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 118. (*i*) Earund. Cent. 7. Obſ. 73. (*k*) Sylloge Anat. Obſ. §. 87.
(*l*) Epiſt. Anat. 9. n. 9 & 10. (*m*) (*n*) De indicat. Curat. c. 52. (*o*) Medic. Tetrabibl. 3. Serm. 1. c. 64. (*p*) c. 64. cit.
(*q*) Ibid. (*r*) De Morb. l. 2. t. apud Salium 112. & 114.

ratum memineram, quibus *ex fervido ulcere, aphtha appellato, pulmonis fiſtula laboraret*. Non vitaſſe autem, ſciebam: trochiſcos autem illos ex natura, & dulcedine ſua ſtomacho, quippe hypochondriaci, obfuiſſe, intelligebam. Cum igitur quæ mihi facienda, quæ vitanda eſſent, conſtituiſſem; forte accidit, ut meum communicare conſilium poſſem cum Paulo Piella, Medico inter Bononienſes præſtante, qui tunc nobiſcum in morbo graviſſimo curabat Joannem Baptiſtam Urſium Comitem, eum qui poſtea Cæſenatum Pontifex fuit. Paulus autem, etſi quæ a me propoſita erant, non improbabat; tamen cum ſputa attente inſpexiſſet, accepiſſetque, ſæpius ſic eſſe tenuia, & pauca, nec ſemper quidem, ſed tamen ſubinde fieri nonnihil ſanguinolenta; vereor, inquit, plurimum, ut ſanare poſſis hæc ulcera, quæ præterquam quod profundiorem ſedem fortaſſe habent, certe, ſi quid video, ad genus accedunt ejuſmodi herpetis, ut ſi vel in cute ipſa extaret, ſumma cum difficultate ad cicatricem perduceretur. Quod indicium, ut magiſtri, in re præſertim chirurgica, ſi quis alius, experientiſſimi fecit quidem, ut me nihil promiſiſſe, gauderem; ne tamen ea quæ conſtitueram, experirer, non fecit. Erat anni tempus quo & aeris injurias diligentiſſime vitare oporteret, nec propter ineptum pabulum a brutarum animantium lacte ſperari multum poſſet. Itaque primum omnium in tepidum, nec tamen humile, aut anguſtum cubiculum hominem includere ſe, jubeo, ibique, miſſis curis omnibus, amicos, ac familiares audire magis, quam ipſum loqui, idque ſubmiſſa, & minime concitata voce. Tum iis præſcriptis quæ lenire arteriam, nec ſtomachum lædere tamen poſſent, & hoc ad lactis uſum parato, muliebre lac impero primum quidem non ita multum, tentandi cauſa, tum deinceps, cum optime cederet, quantum ſagaci, & attento ægro ſelibram circiter æquare videretur, matutino tempore, tantundem veſpertino e mammis ſugendum horis quatuor, aut quinque ante prandium, cœnamque. Quorum utrumque erat mediocre, ſed hæc magis, ſine vino utrumque, & ſiquæ alia nocere poſſent; ſed non ſine pulte ex hordei farina, quæ radicis chinæ pulvere ad unciam in libras ſingulas, nullo autem ſaccharo, adjecto, lento igne fuerat quaſi in calcem redacta, & ex lacte, recens e vacca emulcto, quæ hordeo, & paleis; non faba, & fœno; paſcebatur. Nutricem quoque, ſanam in primis, ut idoneis uteretur alimentis, & horum, quo ad ejus fieri poſſet, varietatem ſugeret, admonueram; quæ res neglecta, una maxime videtur facere, ut ſæpe in medendo mulieris lac non præſtet lacti cæterarum animantium, quamvis illud *ut familiare, ejuſdemque nobiſcum naturæ, cæteris præferebant ad tabificos affectus* vel antiqui illi Medici, in primiſque Euryphon, & Herodotus, a Galeno (*f*) laudati. Per hæc ab extremo Novembri ad medium Majum diligentiſſime ſervata, ita homo reſtitutus eſt, ut ſexdecim ipſos annos egregie valuerit. Quibus elapſis, ejus ſanguis iterum corpuſculis erodentibus fœtus, hæc per biennium in cute ſub impetiginum forma depoſuit. Sed his de improviſo evaneſcentibus, imi pedes acerrimis doloribus cum aliquo tumore, ſed majori rubedine, capti ſunt. Quæ poſt dies viginti cum repente abiiſſent, ecce tibi per biduum urinæ ſuppreſſio: & poſt hanc crurum tumor ſæpe evaneſcens, ſæpe rediens, tum febres, tandem inter umbilicum, & pubem dura quædam interna protuberantia, atque alia præterea ventris incommoda, quibus conflictatus, vivendi denique finem fecit. Sed hæc omnia, abſentibus nobis, contigere: quæ ob id tantummodo commemoravimus, ut curationem illam noſtram perfectam, abſolutamque fuiſſe, intelligeres, cum homo non ſolum tandiu valuerit, ſed & poſtquam iterum ægrotare cœpit, tot inter morbos nunquam primo illo tentatus ſit. Quem cum phthiſim fuiſſe, vulgo exiſtimarent; non fuit phthiſicus in civitate, qui eundem ſibi curationis modum non præſcriberet; nemo tamen eorum evaſit.

28. Sunt & aliæ multo etiam profundiores arteriæ Aſperæ affectiones, quas vulgus ſæpius, interdum & Medici, cum phthiſi confundunt, in quibus tamen affectionibus ipſi pulmones ſani ſunt. Sic; ne alias (*t*) ad te ſcriptas Obſervationes hic repetam; ſic, inquam, Valſalvam memini dicere, in nemine ſe pulchriores, quam in Forocornelienſium Epiſcopo Zanio pulmones vidiſſe, cui vitiati credebantur ob multos, quos expectorabat, humores, a propriis videlicet bronchiorum glandulis ſecretos. Qui etſi revera non ſint purulenti; interdum tamen ejuſmodi ſunt, ut ſiquis purulentos eſſe, contendat, facile inter tot illas *puris formas ac ſpecies* quas Aretæus (*u*) ſic enumeravit, ut *prope infinitas eſſe*, diceret, aliquam reperiat, ad quam referre illos poſſe quadantenus videatur. Atque utinam cum dubitatio interdum aliqua injicitur, tunc certæ ſemper, & de quibus inter omnes conveniret, veri puris notæ ſignaque extarent. Nam quod Jacotius (*x*), exempli gratia, ita pus a pituita diſtinguit, ut illud cinericium ſit, hæc alba, illud fœtidum ſaltem modice, hæc nequaquam, illud ſecedens in partes maxime ſi in aquam conjiciatur, hæc glutinoſa; haud ſatis ſcio, qua ratione hæc omnia cum Aretæi doctrina conciliet, qui inter puris genera *glutinoſum* quoque, & *odore carens* diſerte collocaverat, præſertim cum ibi id fecerit Aretæus, ubi ab Jacotio laudatur quod *ſolo aſpectu pus a ſputo diſtinguendum* cenſuerit, *nec multam ſuppurationis notitiam haberi ab iis qui humiditates igne vel aqua explorant*, notans videlicet qui Hippocratis aphoriſmo (*y*), in Coacis (*z*) repetito, alteroque in his adjecto (*a*), ad pus dignoſcendum abutuntur, quando neuter, ſicut recte Jacotius admonet ad puris diagnoſim, ſed uterque manifeſto ad mortis prognoſim ſcriptus eſt, ſive phthiſici ſputum, igni impoſitum, gravius oleat, ſive ſubſidat injectum in aquam marinam, quæ vaſe quidem æneo contineatur. Quale vas cur requirat Hippocrates, etſi Duretus (*b*), & ipſe Jacotius cauſam reddere conati ſunt; vereor tamen, ut ſatis, non dicam tibi, ſed ſibi ipſis fecerint: & certe hic alter eo redit denique, ut Hollerium (*c*) ſecutus, referre parum credat, quo vaſe aqua illa excipiatur: quod num Hippocrati in tanta brevitate conveniat, ipſe videris. Joannes autem Hieronymus Zanichellius, Vir qui multa in re cum medica, tum chymica expertus erat, cum mecum Venetiis loqueretur de Amico utriuſque noſtrum Doctiſſimo Victorio Franciſco Stancario, quem Bononiæ phthiſis, tuſſim, & ſanguinis ſputum conſecuta, vexare jam cœperat, & tabidos mihi nominaret duos per eclegmata reſtitutos, alterum quidem per illud quod *rob* nucum vocatur, alterum autem per *rob* maturarum ebuli baccarum, certa quadam ratione confectum, nec quod ipſe pro arcano habebat, ſileret, balſamum ſulphuris cum balſamo copaibæ paratum, cumque inde, ut fit in ſermonem forte incidiſſet de iſto Hippocratis loco; credere ſe, oſtendit, per æneum vas aliquid detrahi marinæ aquæ, ut ſic reſiſtat paulo minus deſcendentibus ſputis, quam ſi alio ac æneo, vaſe contineatur; ad illud enim experimentum facilius certiuſque ineundum neque idoneam eſſe, ut multi arbitrantur, aquam puram, quippe minus quam oportet, neque item marinam, quippe paulo magis quam opus eſt, reſiſtentem. Confirmabat autem, ſibi hac ratione quam proponit Hippocrates, periculum ſæpe facienti, nunquam non Hippocraticam prædictionem reſpondiſſe: nec quorum ſputa nataſſent, eos ita brevi, ut quorum ſubſederant, periiſſe; ut non dubitaret, ſi poſtea, cum deterior videlicet factus eſſet eorum morbus, tum rurſus captum eſſet experimentum, non dubitaret, inquam, quin ſputa fuiſſent ad fundum lapſura. Nec vero collecta ſputa, quod multi faciunt, de pelvi in aquam dejici, ſed ab ægri ipſius ore, ut Hippocrates jubet, in aquam rejici, volebat, imo ab ipſo ægri pulmone, & id ſæpius, probe conſcius, nec ſputa ſemper a maxime vitiata pulmonis parte educi, & contra quid ipſis poſtquam educta ſunt, per

 moram

(*f*) De ſuccor. bonit. & vit. c. 4. (*t*) Epiſt. 4. n. 21. & Epiſt. 10. n. 11. (*u*) De Cauſ. & not. diuturn. affect. l. 1. c. 9.
(*x*) Comm. 1. in l. 6. S. 2. Aph. 9. Coacar. (*y*) Sect. 5. 11. (*z*) Aph. modo cit. (*a*) Aph. 10.
(*b*) in Coac. l. 2. c. 17. n. 3. (*c*) Comm. in cit. Aph. 10.

moram detrahi poſſit, ut alia eſſe quam ſtatim per ſe fuiſſent, in experimento videantur.

29. Sed Cælius Aurelianus (*d*) ubi plurimos commemorat Medicos qui non ad mortem prædicendam, ſed ad *diſcernendum purulentum liquorem*, ægrorum ſputa in aquam (marinam non dicit) mittebant, aut carbonibus imponebant, itemque Cornelius Celſus (*e*) ubi eorum mentionem facit, qui hoc altero utebantur ſigno, cum *de* phthiſi *dubitabant*; non obſcure videntur probare iſtiuſmodi conſuetudines: primus autem in phthiſicis ex ſanguinis rejectione ſputa ex lividis vel praſinis fieri *alba atque purulenta*, diſerte ſcribit, quod primo illi repugnat ab Jacotio (*f*) poſito inter pus, ac pituitam diſcrimini. Præterea ambo illi veteres Medici, quos plerique, & nos fere hac in Epiſtola ita ſequimur, ut eos tamen qui aliter ſentiunt, non improbemus, eam tabem in qua ſanioſa ac purulenta ſputa non ſint, phthiſim non vocarunt ne tum quidem cum pus in thorace, atque adeo in pulmone collectum eſſet. Itaque primus *phthiſicæ paſſionis*, & *empyicæ* vel tum diſcrimen eſſe, docuit, cum in hac pus rejicitur non paulatim per ſputa, ſed acervatim. Celſus autem non tradidiſſet (*g*), a phthiſicis *pus excreari*, ſi empyicos pro phthiſicis accipi, voluiſſet. Empyicos enim cum deſcriberet (*h*), ad eaque ſigna quæ Hippocrates prodiderat, aliquid, ut Ronſſeus (*i*) animadvertit, de ſuo adderet, ad venas attinens quæ ſub lingua ſunt, nihil tamen in iis quæ excreantur, mutavit. Hippocratem enim videbat non in eo tantum, quem potiſſimum tunc Celſus ſpectabat, Prænotionum (*k*) loco, ſed & in Coacis (*l*), inter ſuppuratorum ſigna conſtanter hoc ponere, quod *nihil memoratu dignum ſpuant*. Quod ſi alio in libro; is vero eſt qui inſcribitur de Locis in homine (*m*), antequam ſuppuratum ex eo conjectare doceret, quod *ſpiritum multum habet, ſubraucoſiuſque loquitur &c.*, eundem *pus excreare*, dixit; hoc aliter, aut poſt alia quam phthiſicos, ejicere, intelligebat, ſicuti ex laudati Cælii lectione colliges: & certe eo ipſo in loco alios eſſe Hippocrati phthiſicos, alios ſuppuratos, illud manifeſto monſtrat, quod paulo ante (*n*) dixit, *ſuppuratos ex his tabidis ſive phthiſicis græce appellatis, fieri, ubi corpus humectius factum fuerit: & contra ubi ſiccius fuerit factum, ex ſuppuratis tabidos*.

30. Verum ut ad eum a quo tibi fortaſſe digreſſus videor, ſermonem redeam; intelligis profecto, quam facile poſſint homines decipi in tanta aliquando puris agnoſcendi, judicandique difficultate, ut etiamſi phthiſis non in ſola pulmonum abdita exulceratione, ſed & in puris evidenti per ſputa expectoratione ſtatuatur; tamen ſibi interdum videantur jure credere, eam phthiſim fuiſſe, quæ non fuerit. Quod ita dico, ut non tamen veros phthiſicos nonnunquam ſanatos fuiſſe negem, inter initia præſertim, & pure non multo ibi collecto, unde apertum, facilemque in bronchia aditum haberet. Sed rarius id factum cenſeo, quam illi exiſtimant qui minime experti ſint, quanta Medici diligentia, & quanta ſimul ægri obedientia requiratur vel ad eas tollendas affectiones quæ fortaſſe vera phthiſis non ſunt, etſi ejus, quod ad pleraque attinet, conſimillimæ videantur. Quandam ejuſcemodi tibi deſcribere hic placet, ut ſi minus poſſim in his Litteris, mortuorum, ut ſoleo, diſſectionibus ſatisfacere, at ægrorum obſervationibus, fuſius, quemadmodum optari a te ſcio, & minutius deſcriptis, ſatisfaciam. Tu cum illam, felicemque ejus curationem perlegeris; tunc quo ſit nomine appellanda, exiſtimabis.

31. Comes Feltrienſis, non gingivarum modo, & dentium moleſtiis haud ſecus ac Nobiles Viri, ejus Fratres, ſed præterea narium exulcerationibus, & pruriginoſis per cutem herpetici generis affectionibus quotannis obnoxius, cum voluptatem quam ex venatione capiebat, ſecutus, ſummo mane per autumnum ſæpe ſe frigori objeciſſet, in rheuma inciderat grave, cui ſe tuſſis, & menſe demum Novembri ſanguinis ſputum adjunxit. Quapropter ſecta vena eſt, & cum ſputum ſanguinis rediiſſet, iterum ſecta: datumque caprinum lac, item *gelatina* eboris, & vitulini pedis, quæ in aqua conficiebatur in qua fervens chalybs ſæpe extinctus, & quæ præterea vim adſtringendi, & glutinandi habent, fuerant incocta. His Decembrem jam totum adhibitis, ſedari morbus viſus eſt; ſubinde tamen redibat tuſſis. Martio autem menſe omnia recruduerunt. Quamobrem decoctiones mane exhibitæ ſunt lignorum, & radicum, quæ adverſus defluxiones ſolent a multis Medicis laudari, herbis additis antiſcorbuticis, & vulnerariis; ſero autem antihecticum, quod vocant, Poterii, primum cum emulſione frigidorum ſeminum, deinde autem cum aqua bardanæ. Quibus, aliiſque ejuſdemmodi cum a medio Martio ad Aprilem totum uſus fuiſſet; lac caprinum iterum ſumpſit, ſimulque balſami Peruviani guttas ad duodecim, hæc autem diebus circiter quadraginta. Interea alter ſuperiorum artuum candente ferro exulceratus eſt; ulcuſque ſervatum. Ex his curationibus etſi aliquod interdum levamen perceperat; tuſſis tamen, & raucedo pertinaciſſime affligebant: quin illa ſævior facta erat, & ex imo uſque thorace oriri videbatur: ſputa autem ex albidis, & catarrhalibus colore jam alia alio eſſe cœperant, & alio pondere, aliaque tenacitate: ad hæc quidam anguſtiæ pectoris, & conſtrictionis ſenſus acceſſerat, internique ad ſternum caloris, quorum de hoc ſæpe, de illo autem aſſidue æger querebatur. Quæ omnia eo majorem incutiebant metum, quod fauces, antea rheumate vexatæ, melius ſe habebant ex quo illa acceſſerant, ſimulque cutaneæ maculæ factæ erant pallidæ, nec ullum pruritum afferebant; ut vis omnis morbi ad thoracem ſe convertiſſe videretur. Jamque ipſam etiam vocem, non modo reliqui robur corporis in homine annos necdum nato triginta duos, infirmari, maciem augeri, faciei, oculorum, & animi vigorem minui, omnes animadvertebant. Atque ita res ſe habebant, cum ſub Junii finem a me conſilium per litteras petitum eſt, ægrum enixe commendante eo, qui imperare poterat, Senatore Veneto Præſtantiſſimo, & Patavii tunc Præfecto, ac Proprætore Angelo Emo. Erant multa, ut vides, quæ metum facerent: nec deerant tamen alia, ob quæ nondum ſpem abjiciendam cenſerem, facilis noctu ſomnus, facilis decubitus in utrum liberet latus, appetitus ciborum non dejectus, minime poſt hos aucta pulſuum frequentia, nullus in ſputis fœtor, nullus in thorace ponderis ſenſus, nulla anhelatio. Et quanquam hæc ad me omnia vix ſcripta fuerant, cum æger, profunda urgente tuſſi, ſputa expectoravit, qualia nunquam antea, quinque vel ſex cruenta, & corrupta; non ideo ſententiam mutavi, præſertim cum certior fierem, ex quo illa ejecta fuerant, nullam eſſe amplius de ſenſu illo caloris, & conſtrictionis querelam. Itaque ut æſtivum illud tempus, & variæ morbi cauſæ, variique effectus ſuadebant, varia commendare inſtitui ſic ut alterum poſſet altero contemperari. Non eſt opus hic omnia, & quæ alia aliis, ſiqua forte non ferrentur, ſubſtitueram, tibi recenſere: ſatis eſt quæ ex illis potiſſimum in uſu fuerint, indicare. Quotidie mane pauxillum ſumebatur reſinæ terebinthinæ, qua fauces, pectuſque non leviter juvari, affirmabat æger. Poſt id, diebus viginti primis potabatur aqua, ut nunc vocitant, lactis, in quo erant fuerantque antea anagallis aquatica, hedera terreſtris, hyperici flores, & pauxillulum corticis ſaſſafras macerata, cujus aquæ potio ſemper quincta a prandio hora, etiam, iterata eſt. Sed matutinæ poſt dies illos viginti, ſubſtituta potio eſt juris viperini, cum ranis, & caudis fluviatilium cancrorum parati. Quo poſtquam uti cœpit, evidentius proficere viſus eſt; cutaneæ enim maculæ, uti ſperaveram, rurſus coloratæ, & prurigínoſæ factæ ſunt, & color ſimul faciei melior, & vires nonnihil auctæ, & corporis habitus paulo minus macilentus, rarior tuſſis, levior raucedo, ſputa pauciora. Cibus nunquam alius quam ex fœmineis gallinaceis pullis, ſive ut noſtrates vocant, & Varro (*o*) fortaſſe ſcripſit, *pullaſtris* quæ, ventre herbis farcto, quas ſupra memoravimus, elixabantur, & ex pulte quæ ex ori-

(*d*) Morb. Chron. l. 2. c. 14. (*e*) De Medic. l. 3. c. 22. (*f*) Vid. n. 28. (*g*) c. cit. (*h*) l. 2. c. 7.
(*i*) Enarrat. ejuſd. c. 7. (*k*) n. 16. apud Marinell. (*l*) n. 3. ante med. (*m*) n. 28. (*n*) n. 27.
(*o*) De Re Ruſt. l. 3. c. 9.

ex oriza, aut avena cum amygdalis conficiebatur. Potio in menſa aquæ ſemper, radice chinæ, & cortice ſaſſafras quam leviſſime medicatæ; extra menſam, aquæ Brandulæ, quæ æſtivo calore, & ſiti urgente, paulo etiam largius propinabatur. Hac curatione factum eſt, ut æger poſt medium Sextilem poſſet e Patria ſe Venetias conferre, & me Patavii ſub initium Septembris convenire, ſpei plenus, ut qui, per litteras ſignificatum, morbum levaſſem, viſum, & per me exploratum depellerem. Perplacuit, gravi in quo fuerat, metui fiduciam hanc ſucceſſiſſe. Homine autem per biduum quo hic fuit, diligentius obſervato, hæc etiam placuere, primum quod illa omnia quæ mihi ſpem fecerant, adhuc perſtabant; deinde quod conformatio thoracis nihil oſtendebat, unde poſſem diſpoſitum ad phthiſim conjicere; talis enim erat, ut lata ſcapularum oſſa proxime attingeret, non ut ab iis recedens, faceret, ut illa in alarum modum prominerent; tum quod nullus erat hecticus color, nulla pulſuum frequentia, nulla ſitis, nulla ſpirandi difficultas ne per acclivia quidem gradienti; tandem quod diuturna illa, & pertinaciſſima raucedo omnino eſſet a plurimis jam diebus ſublata. Adhuc tamen tuſſis, ſputa, macies me ſolicitum habebant. Magis enim macilentum videbam, quam ex litteris crediſiſſem. Sputa autem, etſi ex quo cruenta illa, & corrupta expectoraverat, nunquam ejuſdemmodi apparuerant; tamen nondum, matutina præſertim, colorem ex ſubflavo cinereum, ſaporem autem ſubſalſum amiſerant. Tuſſis denique, quamvis multo rarior facta per horas cæteras, moleſta adhuc erat veſpertinis, & matutinis, eaque oriri ex irritamento intra thoracem, quantumvis ſummum, videbatur. Augebat ſolicitudinem vicinum jam tempus quo morbus cœperat, quod non ſecus atque hyemem, non una res ægrum cogebat traducere in Patria. Ibi autem quam matura, diuturna, acria ſint frigora, cum illius ſedes, ac ſitus docebant, tum antiquum carmen, quod Cæſaris creditur, confirmabat,

Feltria perpetuo nivium damnata rigori (p);

quando contra, in ejuſcemodi morbis, Celſi (q) ætate, *Alexandriam ex Italia ibatur*. Quo magis etiam atque etiam inculcavi, quanta ſe ibi deberet cura, & diligentia tueri, & quanta remediis uti quæ tunc commendârem. Quæ inter cum lac præcipuum eſſet primum aſininum, deinde vaccinum; ipſe domum redux, illo ad menſem uſus, ſputa vidit adeo in melius mutata, ut copia, colore, cæteriſque omnibus conditionibus jam naturalem prope ſervarent modum; tum ad vaccinum lac tranſiens, & in eo diutius; ut imperaveram, ſi ſatis prodeſſe videretur; perſiſtens ſic ut ad extremum uſque Decembrem illud ſumpſerit, ſputis qualia ſecundum naturam eſſe debent, omnino jam redditis, omni irritamento, malaque affectione ſive thoracis, ſive faucium ſublatis, priſtinum & faciei colorem, & reliqui corporis tum robur, tum habitum recuperavit, integraque deinde valetudine fuit, eratque adhuc cum hæc recenſerem, anno ex quo convaluit, duodevigeſimo: tantum in adverſo & loco, & anni tempore, ſingulari Dei benignitate, unum remedii genus, lac, potuit, adjuvante ſumma ægri in ſe cuſtodiendo diligentia, & pari in utraque curationis parte ex animi mei ſententia adminiſtranda ſtudio, ac vigilantia Ludovici Alberti, Medici apud Feltrienſes ſolertiſſimi, & multo longiore vita digni, cujus litteræ VIII. Idus Januarii A. 1740. ad me ſcriptæ raram, minus a pleriſque ſperati, eventus felicitatem nunciarunt. Quam vere proximo ipſius qui ægrotaverat, vix a me amplius, niſi ſe indicaſſet, agnoſcendi, conſpectus gratiſſimus confirmavit. Habes quod promiſeram. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXIII.

Agitur de Palpitatione, & Dolore Cordis.

QUI proximis Litteris cum Valſalvæ aliquot diſſectionibus vix unam meam accepiſti, nunc contra, meas quidem aliquot, illius autem nullam habebis; non quod plures in ejus ſchedis non extent quæ ad Cordis Palpitationem, & Dolorem attineant, ſed quod locus ſingulis aptior in aliis quas aut miſi, aut miſſurus ſum, Epiſtolis eſſe viſus eſt. Nam ſive ea cordis incommoda cauſas habent procul a corde, ſive in ipſo, aut prope ipſum; tunc quidem fere accidit, ut alibi ſimul alia, & ſæpe graviora, mala ſe prodant; nunc autem raro fit, ut ſine aliis majoribus noxis cor palpitatione agitetur. Quamobrem noſtræ quæ mox proferentur, Obſervationes ipſæ quoque ex parte aliqua alio ſpectare videbuntur non ſecus ac plures in ea quæ huc reſpondet Sectione VIII. Sepulchreti, neque illæ tantum de quibus fatetur Bonetus, cum diſerte adſcribit, quibus præterea in Sectionibus fuſius ſint ab ſe antea propoſitæ, aut poſtea proponendæ; ſed & aliæ, eæque in primis, quarum Auctores aut nullum prorſus quo ægri vexarentur, affectum, aut alium quam cordis, indicarunt. Ad hoc genus referes Obſervationem VIII. in qua (a) ſcabies dumtaxat, & hydrops memorantur; palpitatio autem ſic in Scholio nominatur, ut, ſi animum attendas, fuerit, an non fuerit in ægrotante, pro certo neſcias. Illius vero generis Obſervationes eſſe X. & XVI. ne ipſe quidem negat Bonetus; quin ultro agnoſcit in Scholiis utrique adjectis, alia ac de quibus ibi agit, mala eſſe potuiſſe. Utrobique tamen, quamvis non conjecturæ dandæ fuerant, ſed Obſervationes, levius fortaſſe id feras, quam ubi quæ in Sectione hac non longiſſima jam ſemel attulerat, in eadem iterum ab ſe proferri, non ſenſit. Idem enim eſt quod legimus Obſ. VIII. §. 3. ac quod verſu ipſo primo Obſ. I. in qua cæteri qua diligentia deſcripti ſint, noſces, ubi cum Hollerii ipſius Scholio ad citatum caput, quod in ejus libro I. eſt, conferre volueris. Porro idem eſt quod Obſervationi XV. primum ſubjicitur, ac quod primum eſt in V. Idem quod in XVIII. ac quod in extrema I. Idem quod circa initium Scholii ad §. 6. Obſ. XXI. ac quod in fine eſt Scholii ad X. Denique puella propoſita §. 2. Obſ. XIV. haud alia eſt ac quæ §. 11. Obſ. XXI. &, quod facile non credas, niſi per te ipſe recognoſcas, in hujus ultimæ Obſervationis §. 8. unus idemque puellus eſt qui continuo ibidem reponitur §. 9. Nec vero in Additamentis ad hanc Sectionem minus oblivioſe res acta eſt. Ex illis enim Obſervationibus quæ in unam III. congeruntur, ſi duas illas quarum altera Civem quendam quinquagenarium, altera Virum nobilem proponit, cum illis compares quas ſupra Bonetus ſub num. XXI. §. 5. & ſub num. XIV. initioque adjecti huic Scholii, ſuis indicatis Auctoribus, protulerat, eaſdem ſtatim eſſe cognoſces, hanc Riverii, illam Hildani. Neque enim Blanchardus, qui in *Anatomia* ſua *Practica* tanquam ſuas, aut *ex aliorum relatu* (b) ambas (c) dederat novum in modum perſonatas, omiſſis quibuſdam; imo etiam additis nonnullis quæ in cadavere Hildanus non memoraverat, fucum tibi poterit facere, tanto minus crediturо, quia vel in ea Obſervatione quæ illas in Sepulchreto proxime præcedit, Ruyſchium, tanquam, ſe diſſecante, *præſentem*, nominat, qui ſe illud ipſum cadaver diſſe-

(p) apud. Bembum in Rer. Venetar. Hiſt. l. 9. (q) De Medic. l. 3. c. 22. (a) §. 1. (b) Vid. ejus Præfat.
(c) Obſ. 35. & 75.

diſſecuiſſe, poſtea, quod minime ignoras, oſtendit (*d*). Sed ut Blancardum cum ſuis iſtis artibus miſſum faciamus; quid attinebat denique Obſervationibus ex ejus libro deſcriptis, quæ ſaltem, quales eæ cunque ſint, ad palpitationem ſpectant, Obſervationem illam ſubjicere, quæ cum Aſphyxiæ tantum ſit, non ad iſtam, ſed ad proximam Sectionem omnino pertinebat? Nihil ejuſmodi mihi placet imitari. Hiſtorias nullas iterabo, & quæ ad alias magis ſpectare Epiſtolas videbuntur, eo differam: præſertim vero niſi quæ ipſe, aut Amici quos nominare poſſim, diſſecuerint, cadavera non deſcribam. Incipiam ab eo quod Mutinæ incidit Jo. Franciſcus Bernardonius, is qui poſtea illa in Aula Archiater fuit, tunc mecum Bononiæ, cum recentem diſſectionem narraret, ſtudiorum cauſa verſabatur.

2. MULIEREM quæ nobiles pueros educabat, cordis pulpitatio corripuit. Miſſus e brachio ſanguis magno auxilio fuit ad dies circiter duos. Quibus elapſis, palpitatio rediit ea vehementia, ut pectus attolli ad ſingulos ictus cerneretur. Simul erant is thoracis dolor, ea ſpirandi difficultas, ea febris, ut magnam facerent peripneumoniæ ſuſpicionem. Miſſus iterum e brachio ſanguis nihil profuit. Miſſum autem e pede mors intra horam circiter eſt conſecuta, quam pulſus indicavit ſenſim inde minor, minorque factus, minuſque reſiſtens comprimentibus Medici digitis, magis autem frequens. CADAVERIS ex ore multum ſanguinis effluxit. Tamen in Thorace, & Ventre ſana omnia. Caput, ut in quo nullum apparuerat morbi ſignum, non attigere.

3. Etſi propoſiti morbus, & obitus, cum iſta cadaveris obſervatione conjuncti, quacunque uti malimus via, & ratione, difficiles habent explicatus; crediderim tamen, internas convulſiones ex parte ſaltem aliqua ad illum faciendum conveniſſe. Namque; ut cerebrum abſolvamus; nervei plexus, nervique reſtant de quibus ſuſpicemur. Horum autem læſiones quis ſatis poſſit, ubicunque oporteret, inquirere? aut inquirendo, plerumque dignoſcere? quæ nimirum cauſa eſt, ut in ejuſmodi cadaverum inſpectionibus quam rariſſime quærantur. Attamen ſi certis quibuſdam in cerebro motibus cordis palpitatio continuo ſuccedit, ut vel ſanis accidit in nonnullis animi affectibus; quis neget, ſi in nervis fiant motus, qui proportione illis cerebri motibus reſpondeant, quis, inquam, neget, fore ut tunc eadem palpitatio contingat? Nam quidquid cerebrum in corde poteſt, per nervos poteſt inter ipſum, & cor, aut proxima vaſa traductos, per quos videlicet ii motus ad cordis, aut vaſorum carneas fibras perveniant, aut horum, ſi mavis, tunicas exterius conſtringant; ut jam perſpicue appareat, eundem ſecuturum eſſe effectum, ſi iidem motus qui a cerebro alias incipiunt, aliquando ab interpoſitis incipiant nervis, haud ſecus ac iis qui poſt amputatum pedem, de hujus pergunt dolore queri, idem effectus eſt a motu qui interpoſitis in nervis oritur, atque erat a motu conſimili, qui a vitiato uſque pede oriebatur. Recte igitur vel olim Saxonia noſter docebat, non modo *ex cerebro ortum ducere palpitationem cordis*, ſed & eandem *aliquando fieri ex ſolo nervorum vitio, nulla apparente læſione in cerebro*: quæ verba in Sectione hac quoque Sepulchreti, ſubjecta leges Obſervationi XLII. ex qua cæteroquin illud confirmatur quod paulo ante ponebamus, a certa in cerebro mutatione ac motu, illico motum naturalem cordis mutari. Quod ſi in tenella infante, quæ in *Commercio Litterario* (*e*) memorata eſt, nihil revera præter illas polypoſas concretiones inveniri poterat quod culparetur, palpitationes cordis ipſam inquietantes, eo facilius per convulſiones undelibet ortas explicabis, quod ex *convulſionibus mortua* eſt. Cæterum quæ dicta ſunt, ad nervos quoque transferre poteris cum Magnorum vaſorum, aut cordis nervis communicantes, ut quæ in hypochondriacis præſertim, & hyſtericis palpitationes haud raro accidunt, inde etiam aut omnino, aut in parte originem ducere, intelligas. Nervi enim ſunt in ejuſmodi corporibus multo procliviores ad abnormes repentinos motus ſuſcipiendos; quamobrem ſiqua alia, illa certe vel ab levioribus animi affectibus ſtatim corripi palpitationibus cordis, videmus. Et quanquam in mulieribus tribus, quarum protinus ſubjiciam hiſtorias, alias aliquas palpitationis fuiſſe cauſas, agnoſces; tamen quin illa quoque cum cæteris interdum convenerit, minime dubitabis.

4. UXOR Patavini cujuſdam Pictoris, annos nata quadraginta, liberorum quatuor mater, neque in cibo, neque in potu peccare ſolita, ſed natura delicata, eoque iracundior, nec ſane iræ cauſis, & mœſtitiæ carens, a longo jam tempore appetitu ciborum dejecto, menſtruis tamen purgationibus non deficiebatur, cum ſex ante menſibus de cordis palpitatione queri cœpit, qua ad mortem uſque aſſidue quidem, ſed interdum magis, alias minus vexata eſt. Huc aliæ accedebant querelæ de ſenſu eroſionis intra thoracem, & ad hujus ſpinam, & palpitationis ad Spinæ latus productæ, tum de perdifficili alimentorum in ventriculum tranſitu poſtquam per gulam jam prope ipſum deſcendiſſent, tandem de nervorum, ut dicebat, dolore in brachiis præſertim: quo ad cætera illa adjuncto, cum ſe œdema quoque addere cœpiſſet, præcipue in dextero artu inferiore conſpicuum; de Aortæ aneuryſmate opinio apud quoſdam non ignobiles Medicos confirmata eſt. Contra alii, cum facilem in utrum liberet latus decubitum animadverterent, pulſus autem non vibratos, non intermittentes, & in utroque brachio conſimiles, ad hyſtericam affectionem illa omnia referebant eo magis quod interea paroxyſmo quodam correptam ſcirent, in quo illam dentibus arcte inter ſe conſtrictis mulieres invenerant, quæ etiam interdum multis in locis frigidam a ſe perceptam dicebant. Inter has controverſias mulier denique, contractis jam pulſibus, inter loquendum mortua eſt. Quæ cum mihi omnia Collega meus Præſtantiſſimus, qui ſæpius mulierem inviſerat, Antonius Valliſnerius diligenter narraſſet, duoque a me peteret, alterum, ut quæ mihi de eo morbo ſententia eſſet, dicerem, alterum, ut ſecum cadaveris diſſectioni præeſſem; hoc continuo pollicitus ſum; ad illud nihil aliud tunc reſpondi, niſi poſt multa, etiam graviora, mihi non ſemel accidiſſe, ut in Magna arteria non aneuryſma, ſed interioris faciei vitia quædam tantummodo deprehenderem.

CADAVER non paucis interjectis a morte horis, tempeſtate frigidiore quam anni tempori conveniret; erat enim A. D. XII. Kal. Apriles 1726; adhuc calebat, laudabili habitu, ſed collo craſſiuſculo, ventre autem turgidulo ſic tamen ut nulla in cute appareret nota quatuor uteri geſtationum. Thoracis utrumque cavum, ſed præſertim dexterum, aquam habuit non paucam, minime graveolentem: pulmones ſanos, quamvis ſiniſtri facies ima, itemque poſterior ex parte aliqua, arcte illa ad ſeptum Tranſverſum, hæc ad dorſum adhæreret: denique in Aſpera arteria, in œſophago, ad ventriculum uſque aperto, in mediaſtino, pericardio, auriculis, vaſis omnibus majoribus diligenter intus, extraque perluſtratis, nihil quod culpare poſſes, ſi ea excipias quæ in corde tamen, & Magna arteria cenſui eſſe animadvertenda. Arteria enim hæc, & cor exterius aſpicienti mihi, & inter ſe, ac cum toto corpore comparanti viſa ſunt cor quidem majus, arteria autem contractior quam oporteret; neutrum tamen multo. Corde mox diſſecto, & exiguis duabus polypoſis concretionibus, quarum altera ad Tricuſpides valvulas, altera ad Aortæ initium erat, cum ſanguine ademptis, qui in ventriculis vix paulo, & modica in parte, minus erat quam reliquo in corpore fluidus, corpuſcula ad medium valvularum quæ arteriis præficiuntur, limbum animadverti duriora, & ſimul ampliora, unum præſertim, quam ſoleant. Sed hæc levia. Quæ in Aorta autem conſpecta ſunt, quamvis ipſa quoque primo aſpectu levia videri poſſent, tamen univerſo ejus trunco non per thoracem modo, ſed mox etiam per ventrem ſecundum longitudinem aperto, cognita ſunt multo graviora. Tota enim ejus interior facies a corde ad eam uſque ſedem quæ orificiis ſubeſt arteriarum Emulgentium, ſi cum

(*d*) Obſ. Anat. Chir. 69. (*e*) A. 1744. Hebd. 42. n. 2. ad art. 15.

cum reliqua uſque ad diviſionem in Iliacas conferretur; manifeſto ab naturali quæ in hac erat, albedine, & lævitate ad flavedinem inclinabat, & inæqualitatem, quæ oculis paulo attentius defixis ex eo eſſe videbatur quod alibi in leves protuberantias ſe attolleret, alibi in exiguos ſinus ſubſideret. Verum hæc omnia ſuperficie tenus; niſi quod paulo ſupra valvulas arctum erat ſpatiolum, ubi, quaſi ab eroſione, nonnihil excavata, diviſas, quæ ſuberant, fibras oſtendebat: in vicinia autem arteriarum Emulgentium lamella intima, leviter admoto ungue, nullo negotio abradebatur. Cæterum nulla uſquam in Aorta induratio. Sed vitium quod in tanto ejus tractu deſcriptum eſt, in aliquos ſaltem ex ſuperioribus ipſius ramis producebatur, quemadmodum horum in curvatura orificia introſpiciens, animadverti. In Ventre aqua fuit, neque ita pauca. Omentum contractum, & vix modica hic illic pinguedine reliqua, multo laxiſſimum. Peramplus ventriculus, & humore plenus. Jecur pallens, cujus veſicula paucam, & decolorem continebat bilem. Splen durus, nec magnus tamen. Uteri quoque, cætera ſani, duriores parietes, ſed & craſſiores. Dura etiam ovaria, & alba exterius, nec parva: intus cellulæ fuerunt, aliæ inanes, quarum unius erant parietes ſubflavi, aliæ humore ſanguinolento refertæ. Bene ſe habuerunt reliqua. Caput non ſecuimus. Collum craſſiuſculum fuiſſe, oſtendi, propter glandulæ Thyroidææ craſſitudinem, multo quam æquum eſſet, majorem. Diſſecta, parvis quaſi lobulis compacta videbatur, quos inter globulus inventus eſt humoris plenus, nihil magis quam expreſſum ex amygdalis oleum, referens. Sanguis in hoc cadavere multus fuit, & ubique, ut dixi, fluidus, ſi exiguas illas concretiones in corde excipias.

5. In fœmina iracunda, accedentibus iræ, mœſtitiæque cauſis, & appetitu ciborum dejecto, intelligis ſane, qualis ex alimentis chylus, & quales ex hoc humores conficerentur. Itaque ſi cum liquore illo oleaceo, quo Lanciſius (*f*) lævem, ac lubricam ſervari intimam arteriarum faciem, cenſuit, aſperæ, alienæque particulæ in Aortæ interiorem ſubſtantiam ſe inſinuarunt, & circa intimam tunicam ſubſtiterunt; non erit obſcurum, quomodo genitæ, nec quomodo eam quam ibi conſpeximus, afferre mutationem potuerint. Quod ſi etiam quæris, cur in illo potiſſimum Aortæ tractu, & ſuperiorum ejus ramorum ſubſtiterint; niſi hunc forte a primordiis fuiſſe infirmiorem ſuſpiceris; ex iis ipſis quos memoravimus, animi affectibus rationem duces. Nervi enim ob hos commoti, in majora potiſſimum (ut ea indicant quæ tunc & ſentiuntur, & apparent) in majora, inquam, potiſſimum agunt vaſa, & cordi propiora, ut mirari non oporteat, ſi quo tractu Magna arteria major eſt, ipſaque & ejus rami a corde minus diſſita ſunt, eo in tractu arterioſæ annulares fibræ in vehementiores, aut diuturniores ſine certa norma & lege contractiones tunc adigantur, ſicque ex vaſculis, inter ſe, & intimam tunicam interjectis, eo urgeant quo per ſe non irent, vel craſſiores, ſiquæ ſint, aſperioreſque particulas, hærendique ibi occaſionem præbeant. Quæ quoniam particulæ huc illuc adactæ, præter illam intimæ ſuperficiei mutationem, eroſionis quoque ſenſum, quippe aſperæ, poſſunt inducere; proclive erit intelligere unde eſſet ejuſmodi ſenſus qui mulieri moleſtus erat ad Spinam, itemque ille alter qui per brachia præſertim ſe extendens, aneuryſmatis ſuſpicionem augebat, cum ab arteria quidem facile eſſet, non tamen dilatata, ſed quadantenus eroſa, quæ tametſi ramos dat per omne corpus pertinentes, magis tamen brachia afficiebat, ad quæ ramos, ipſos quoque eodem correptos vitio, prope truncum ſaltem, mittebat. Jam vero ſi Aortæ non quaſi ab illito oleoſo quodam humore lævem, ſed aſperam, & inæqualem factam, ut diximus, intimam faciem attendas, minuſque propterea lubricam, & mollem, &, quod conſequitur, non modo tranſeunti, ſed & diſtendenti ſanguini minus cedentem, multoque etiam minus cedentem muſculoſam tunicam, ob fibras videlicet magis, minuſve, ſed ſæpe adeo convulſas, ut vel in cadavere truncum arteriæ aliquanto contractiorem invenerim; perſpicuum erit, quantum ob has omnes, & præſertim ob ultimam cauſam Aorta ſanguini reſiſteret; ut eſſet propterea cordi vehementius connitendum ad obſtacula ſuperanda, & ſanguinem, ſæpe ex parte aliqua in ſe reſtitantem, omnino extrudendum: quorum ex altero palpitationis cauſam, ex altero etiam auctæ cordis magnitudinis intelligimus. De hac autem cum alias (*g*) ad te ſcripſerimus; neque de ejus cauſis, aut effectibus; neque de ejus Obſervationibus nunc opus eſt plura dicere: ſatis eſt ex his illas in quibus cordis palpitatio adnotata fuit, indicare, velut quæ a Valſalva (*h*), a Meckelio (*i*), ab Schreyo (*k*) habitæ ſunt: cujuſmodi alias infra quoque commemorabimus. Habes præcipuarum hiſtoriæ propoſitæ partium explicationem, unde liberum tibi erit ſiquid forte placeat, accipere, negligere cætera, & nervorum convulſionibus paulo etiam magis uti, quam ego fecerim. Nam ſunt omnino in hac hiſtoria quæ ſine his minime videantur poſſe explicari, ut paroxyſmus ille in quo ſe adeo contraxerant muſculi, inferiorem maxillam attollentes, & obſtaculum illud alimentis oppoſitum, ne poſtquam proxime ventriculum venerant, in hunc deſcenderent, convulſis, ut puto, iis lacertis diaphragmatis, inter quos extrema traducitur gula. Sed jam vide, an proxima quoque Obſervatio poſtulet, ut nervos aliqua ſaltem ex parte accuſemus.

6. MULIEREM annos natam ſexaginta quatuor ingens cordis palpitatio vexabat. Simul utrinque in collo vaſorum pulſatio conſpiciebatur: in carpis autem pulſus erant inæquales, & ſubobſcuri. Reſpiratio difficilis; noviſſimis autem diebus difficillima, ut jam non poſſet, niſi erecta cervice, ſpiritus duci. Nuper quoque œdema acceſſerat utriuſque manus, ſed multo majus inferiorum artuum, cum ventris univerſi tumore conjunctum. Credebatur mulier aut polypo, aut aneuryſmate, aut magno alio aliquo ejuſmodi morbo laborare, cum mortua eſt in hoc Noſocomio circa medium Februarium A. 1741. Quando autem, & quas ob cauſas morbus cœpiſſet, poſt ejus mortem ſcire non licuit; Venetiis enim huc venerat paucis ante hebdomadis. CADAVER, e cujus ore ſanguis effluxerat, inſpexi poſtridie mortis, aut certe non ſerius biduo. Manus detumuerant; ſed ventris, & artuum inferiorum tumor perſtabat. Nihil facilius quam claviculas ab ſterno diſjungere, & cartilagines coſtarum incidere; ut niſi mulier ætatem quæ ſupra ſcripta eſt, faſſa ipſa eſſet, multo junior credi potuiſſet. Sterno ſublato, pulmones turgidi apparuerunt, iidemque albidi, niſi quod a tergo ſaturo colore, ut ſolent, rubebant. Molles erant, neque ulla ex parte ad thoracis parietes annexi. Non pauca aqua flava, & inodora tum in utraque thoracis cavea, tum in pericardio fuit; nec tamen plurima. Cordis ventriculi, & auriculæ ſanguine diſtenta, qui in grumos quidem concreverat, ſed polypoſi nihil habebat, vel poſtquam vacua facta fuerant, æquo majora conſpiciebantur, id quod in ſiniſtra præſertim auricula animadverti. Arteriæ quoque Pulmonaris, & Magna æquo capaciores; cunctæ autem valvulæ majores. Sed hæc tamen quæ dicta ſunt ferme omnia juſta inter ſe proportione: & cordis quidem, ejuſque partium, & memoratarum arteriarum, ſi conferres cum reliquo corpore, auctam magnitudinem cognoſceres; non plurimum tamen auctam. Cum hæc igitur ita ſe haberent, nec plurima, ut dixi, in pericardio, aut thorace fuiſſet aqua, & pulmones ſani conſpicerentur; cœpi diligentius tum cor, tum illas arterias, tum alia vaſa & extra, & intra pulmones inſpicere. Sed in corde nihil præterea adnotare potui, niſi in valvula majori Mitrali qua facie alteram ſpectabat, mediocre ſemilunare orificium, per quod ſpecillum inter valvulæ membranas ad lineam circiter ſecundum longi-

(*f*) De Aneuryſm. l. 2. c. 1. Propoſ. 6. (*g*) Epiſt. 17. & 18. (*h*) Epiſt. 17. n. 21. (*i*) Epiſt. 18. n. 4.
(*k*) Ibid. n. 15.

longitudinem aſcendebat: craſſitudinem vero, & duritiem in limbis potiſſimum unius, atque alterius ex valvulis arteriæ Magnæ. Hac autem arteria a corde ad diaphragma uſque ſecundum longitudinem aperta, toto eo tractu primum lineas quaſdam ſubobſcuras in longitudinem ductas ubique apparere, vidi, a corde præſertim ad curvaturam, circa quam uno in loco quædam etiam albida macula cernebatur: deinde tunicam intimam animadverti undecunque velles unguibus arreptam, aut impulſam, ad fruſta non parva nullo negotio detrahi poſſe. Tum Pulmonaris arteriæ trunco, ramiſque ejus aliquot diſſectis, in horum quibuſdam inveni ſanguinem quaſi in tubulos alicubi conformatum. Adhærebat ei ſanguini pauca polypoſa ſubſtantia: eratque ipſe colore quodam obſoleto; cum ſubſtantiæ illius nihil in corde, ut dixi, nihil alibi cerneretur; ſanguis autem eſſet ubique nigerrimus.

In Pulmonaris venæ ramis pariter inciſis, venaque ipſa Cava antea aperta cum quidquam non occurriſſet adnotatione dignum; bronchia diſſecta ſunt: in quibus erat ſpumoſus humor, qui etſi alibi purulentus, alibi ſanguinolentus videri poterat; reapſe tamen purulentus non erat. Tum ſectione a bronchiis per Aſperæ arteriæ truncum ad laryngem totam perducta, pariterque œſophago aperto, hiſque omnibus partibus, & pharynge perluſtratis, ne tinctura quidem ſanguinea uſquam apparuit; ut qua via ſanguis in cadaveris os veniſſet, obſcurum eſſet. Ventrem, in quo aquam eſſe, non dubitabam, aperiendi & tempus, & cauſa defuit; neque enim is, niſi ultimis tandem diebus, intumuerat, neque ullæ unquam de ipſo querelæ mulieris auditæ fuerant: ut neque de capite. Et Cerebrum ſane cum poſtridie, Publicæ Anatomes cauſa, diſſecaretur, nihil obtulit quod adnotarem, niſi majorem, quam ſoleat, copiam ſanguinis, ex ejus vaſis defluentem.

7. Si ex iis quæ in hoc cadavere animadverti, ſeponas omnia, quæ ut morbi violentiam augerent, morbum tamen ipſa non fecerant, ſed illum potius, tanquam cauſam effectus ſolent, ſunt conſecuta; ad pauca redeas, neceſſe eſt quæ pro morbi cauſa proxima accipias, niſi quidem ſuſpiceris, ex his ipſis alia pariter effectus fuiſſe, alia autem eſſe fortaſſe leviora, quam ut talem morbum ſola facere potuiſſe videantur. Utrumque enim crediderim ego de illo ſanguine, in quibuſdam ramis deſcripto Pulmonaris arteriæ: quem ſi forte ipſe malis, non extremo tempore, ſed diu antea ibi ſubſtitiſſe, & ſubituro a tergo reliquo ſanguini eum obicem poſuiſſe, unde arteriæ illius, & dexteri ventriculi cordis, adſitæque auriculæ dilatatio ſit repetenda; equidem cum objicere alia poſſem, unum illud quæram, unde igitur Aortæ, & ſiniſtri ventriculi, atque auriculæ dilatationem, & ſanguinis qui ſic diſtenderet, moram deducas? Quæ autem in valvulis adnotata ſunt, eorum aliquod ne ad ullum quidem morbum fortaſſe attinet, velut iſtud in altera Mitrali orificium quod in modicum interſtitium ducebat membranarum illam facientium. Ejuſmodi enim membranæ a membrana parvas disjunctiones ſine ulla ibi alia vitii nota, nec ſemel in valvulis cordis vidi, & ab ortu eſſe, exiſtimavi. Sic præſertim in una ex Aortæ valvulis ita ſejunctas membraneas laminas animadverti, ut ſpecillum inter ſe admitterent. Sed quoniam, ſicut alibi (*l*) dicam, cor erat hominis qui aneuryſmate ad Aortæ curvaturam laboraverat, ſi forte velis utramque hanc disjunctionem violento tranſeuntis ſanguinis incurſui deberi; morbi hic quoque erit effectus, non cauſa, quemadmodum & ea quæ in facie interiore Magnæ arteriæ conſpecta ſunt. Craſſitudo autem, ac durities limborum, quas in duabus ejuſdem arteriæ valvulis animadvertimus, ſi ipſæ quoque morbi effectus non ſunt; at certe a me ſæpe adeo in iis quoque repertæ ſunt, qui nullum circa cor affectum paulo graviorem paſſi fuerant, ut minime videantur pro cauſa eorum habendæ quibus hanc mulierem vehementer conflictatam fuiſſe, dixi. Quorum quidem indicium aliquod eæ præbuerunt in caveis cordis, annexiſque arteriis dilatationes; modicæ alioquin, omnes & proportione ferme inter ſe reſpondentes: ſic tamen ut quærendum relinquant, unde originem ipſæ habuerint. Quæ ſi forte repetatur a convulſionibus; nec a veri ſimilitudine alienum id fuerit, & ad violentiam morbi melius intelligendam erit accommodatum. Jam vero ad tres propoſitas Mulieres quartam adjungamus, in qua non tam palpitatio; etſi hæc quoque non deerat; quam moleſtus ad cor ſenſus erit nobis explicandus.

8. FŒMINA paulo minoris ætatis, ac quæ noviſſime deſcripta eſt, in eodem Noſocomio de cordis palpitatione interdum; ſed de ſpiritus difficultate, quem non niſi erecta cervice, ducere poterat, ſemper querebatur, multo autem magis de tanta ad cor anguſtia, atque anxietate, ut ſæpius quamprimum moritura videretur. Erant qui pericardio hydropicam crederent. Huic pulſus nunquam intermittentes: venæ autem amplæ erant. Mortua eſt cum ad Anatomen in publico abſolvendam Muliebria quærerentur paulo ante medium Martium A. 1731. THORACE, & Ventre apertis, aliqua utrobique inventa eſt aquæ copia; nec tamen hydrops pericardii. Arteriæ Magnæ valvulæ erant induratæ; imo una oſſea. Ipſe autem arteriæ truncus interiore facie paſſim oſtendebat aliquid aut oſſei, aut ad oſſeam naturam vergentis, ut ne ea quidem pars, quæ ad ventrem pertinebat, a me poſt Muliebrium oſtenſionem diſſecta, aliter ſe haberet. Neque enim ſolum ad latus orificii Meſentericæ Inferioris, & alibi, ſed vel ad ipſam in Iliacas diviſionem, inveni oſſeam: paſſim autem inæqualem, & colore hic illic ita albido, ut ſolet, ubi oſſea fieri incipit.

9. Negandum profecto non eſt, Aortam, cujuſmodi deſcripſimus, ſanguini a corde impulſo reſiſtere, eoque & palpitationem, & difficultatem ſpirandi, & anguſtiæ ſenſum illum efficere poſſe, quibus mulier angebatur. Sed illud ſimul declarandum eſt, quare de iis tot hominibus, in quibus ejuſmodi fuiſſe Aortam ad te alias ſcripſi, & ſcripturus ſum, plures certe iis affectibus, aut tam vehementer, non laboraverint. Quod ut fiat, alia procul dubio addenda ſunt ad vitium Aortæ, quæ in muliere hac fuerint, in illis non fuerint, ut puta vitium præſertim in organis aliud, aut alia ſanguinis conſtitutio, alia copia, & ſiqua præterea ſunt hujus generis; ne ſemper exquiſitiorem nervorum ſenſum, & convulſiones in medium proferre videamur. Sic in Verdrieſii alias (*m*) indicata Obſervatione poſt immanem cordis palpitationem, & aſthma violentum, Aorta quidem conſpecta eſt intus oſſea prope cor, ſed hoc quoque ſtupendæ magnitudinis, durumque, ac tumens. Sic in alio, qui diu variis conflictatus morbis, in horum initio plurimum obnoxius fuerat cordis palpitationi, invenit Cl. Plancus (*n*) non modo illam arteriam multis in locis oſſeam factam, ſed & Coronariam utramque cordis, hoc autem maximum, & præcipue auriculam ejus dexteram, quæ ampliſſima erat, & robuſtiſſima; ut intelligas vel ex uno hoc vitio, potuiſſe cor a validius contruſo in ſubjectum ventriculum ſanguine vehementius irritari, minuſque mireris, ſi forte in alias (*o*) memorata Gratſii filii Obſervatione nihil videbitur præter auriculam dexteram duplo majorem cauſa eſſe potuiſſe palpitationis. Denique; ne longior ſim; in Illuſtri Fœmina, cujus palpitatio cordis & aſſidua, & tanta fuerat, ut ab adſtantibus audiri, a remotioribus cerni poſſet, Magnam quidem arteriam totam calloſam vidit Cl. Cohauſenius (*p*); ſed etiam in corde ipſo, nedum in pulmonibus, ſcirrhos, ſanguinem vero viſcidum, & mucoſum. Itaque & in propoſita a nobis muliere præter oſſeam paſſim, aut ad oſſeam vergentem Aortam, hujus quoque valvulæ attendendæ ſunt. Quarum ut una erat oſſea, reliquæ induratæ, ita minus ſanguini obſequentes, augere obſtacula huic exituro potuerunt, & contra, non ſatis reditum intercludere eidem, mox repulſo a contrahente

(*l*) Epiſt. 58. n. 13. (*m*) Epiſt. 18. n. 4. (*n*) Epiſt. de Monſtr. (*o*) Epiſt. 18. n. 4.
(*p*) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 21. n. 4.

hente ſe Magna arteria, ut cum portio illius aliqua in ſiniſtrum cordis ventriculum tunc rediret quando hic alium, venientem a pulmonibus, ſanguinem debebat excipere; neceſſario fieret, ut tam portio redux, quam portio, propter obſtaculum paulo ante non extruſa, partem occuparent aliquam ejus loci, qui totus ex inſtituto naturæ adventuro e pulmonibus ſanguini debebatur. Quæ res denique & pulmones, & cor non prægravare non poterat, & hoc cogere, ut ſubinde majori conatu ſanguinem in ſe reſtitantem ejiceret. Hæc quæ ratio præmonſtrare videtur, non una Anatomicorum Obſervatio confirmat. Sic Vieuſſenius (*q*) in Viro, & Matrona, quorum utrumque cordis palpitatio, & cubandi humili capite impotentia diu vexaverant, cum pulſuum inæqualitate conjunctæ, inventas refert in Matrona quidem Aortam, ejuſque valvulas oſſeas, in Viro autem illam præduram, & tanquam cartilagineam, valvulaſque non modo oſſeas, ſed & limbis diſciſſis, iiſdemque lapideis revera factis, re, inquam, vera; ne forte credas, ut alibi aliquando, ita in corde quoque id quod eſſet oſſeum, pro lapideo impoſuiſſe. Nam præter eas quæ infra memorabuntur, conſimiles in Sepulchreto hic leges aliquanto vetuſtiores Obſervationes, ut Gregorii Horſtii majoris (*r*), qui *calculum ex tartaro concretum* deprehendit *membranoſæ valvularum* dexteri ventriculi cordis *ſubſtantiæ adnatum*, & Jo. Georgii Greiſelii (*ſ*), qui unam ex iis quibuſde loquimur, Aortæ valvulis *mediam* vidit *plane conſumptam, & deperditam; & illam partem ubi arteriæ adhærebat, etiam friabilem in ſimilem arenam*, ac fuerat *particula quædam alba inſtar unguis minimi digiti*, quæ in ſanguine erat paulo ſupra initium arteriæ Magnæ, pars videlicet valvulæ quam noviſſime ſanguis avulſerat; corde in ambobus, poſt palpitationem mortuis, non ſecus ac in Viro illo Vieuſſenii fuerat ventriculus ſiniſter, permagno. Igitur quod limbos valvularum Semilunarium lapideos ab ſe inventos ſcripſerit Vieuſſenius, non miraberis. Illud miraberis, quod ſemel, iterumque negaverit, ſe legiſſe unquam, aut audiviſſe, ullam in iis valvulis naturalis ſtructuræ mutationem eſſe ab Anatomicis deprehenſam, cum vel iſta Greiſelii, a Boneto edita, Obſervatione prætermiſſa, non deeſſent in pervulgatis libris aliæ oſſearum Aortæ valvularum, ut quam Raygerus in Miſcellaneis Nat. Curioſ. (*t*), & quam Ruyſchius in Obſervationibus Anatomico-Chirurgicis (*u*), quamvis addita Figura (*x*) minime ipſo digna, propoſuerant. Has conſecutæ ſunt poſtea; ut alias præteream; Cowperi, & aliorum Anglorum Obſervationes ſex (*y*), quæ valvulas eaſdem exhibent, aut in parte qua excreſcebant, aut omnino oſſeas, aut lapideas factas, aut gypſeas, aut denique ita denſas, contractas, & albidas, ut mox oſſeæ, aut lapideæ futuræ eſſe viderentur. Quibus Obſervationibus tres ſaltem, quatuorve alias addes Virorum Præclariſſimorum Theodori Zwingeri (*z*), Joſephi Exup. Bertini (*a*), & Alberti Halleri (*b*), qui eaſdem valvulas offenderunt primus in Sene qua parte cohærebant Aortæ, duras admodum, & cartilaginoſas, alter in duabus Virginibus oſſeas, & ſic diſpoſitas, vix ut calamus ſcriptorius inter eas tranſiret, tertius in Juvene ſabuloſam materiam inter ſuas membranas, oſſeas autem ſquamulas ſuis in tendinibus habentes ſic ut rigidæ eſſent, & inexplicabiles.

10. Noli tamen credere, in hiſce omnibus Obſervationibus cordis palpitationem memorari. Nam de quatuor ultimis in poſtrema tantum, eam leges, & cui potiſſimum vitio de tot aliis gravioribus quæ infra (*c*) dicentur, tribuenda eſſet, dubitabis: ut dubitares in prima quoque, ſi palpitatio præceſſiſſet; erat enim Pulmonaris arteria nonnihil cartilaginoſa, & cor juſto grandius, ut alibi (*d*) indicavimus; præceſſerant autem diuturnum aſthma, & thoracis hydrops: ut in duabus Bertini anxietates, animi deliquia, & omnimodæ pulſuum inæqualitates. Pariter de ſex illis Anglorum hiſtoriis ultima (*e*) dumtaxat palpitationem proponit ſic tamen, ut ab arcta pericardii ad univerſum cor adhæſione repetatur; qua de re poſt (*f*) videbimus; certe hæc, aliaque præter naturam, ut magna in primis ſiniſtrarum cordis cavearum dilatatio, non deerant. Quarta autem, & quinta nil aliud quam hydropem, & aſthma commemorant: cæteræ pulſus intermittentes, & ſecunda breviſſimam præterea reſpirationem, minus commodum decubitum, ſenſum quendam ad cor moleſtum, & animi refert defectiones; ut palpitationem, ſi fuiſſet, non videretur omiſſura. Hanc neque Ruyſchius (*g*) nominavit, cum aſphyxiam non modo, & lipothymias, quæ extremis diebus, ſed etiam aſthma, quod diu ante fuerat, non prætermitteret: conſulto, an ex oblivione, viderit qui Blancardo magis, quam ipſi, credat; hæc enim illa diſſectio eſt, cui Ruyſchium interfuiſſe dumtaxat, ſi Superis placet, ut initio eſt dictum (*h*), ſignificavit. At ſi illi credimus, palpitationem interdum non defuiſſe; credamus quoque neceſſe eſt, cor fuiſſe duplo majus, quam ſoleat: cujus ſiniſtri ventriculi dilatatio cum aliis quæ erant præter naturam, in pleriſque ſane earum Obſervationum proponitur, quas modo ex Anglis laudabamus. Illa quidem quam antea ediderat Raygerus (*i*), omnium minime videtur patere iſtiuſmodi exceptionibus, cum *in toto corpore nihil morboſum, nihil præternaturale repertum* ſcribatur, *niſi quod tres valvulæ ſemilunares, ad arteriæ magnæ ex ſiniſtro cordis ventriculo egreſſum ſitæ oſſeæ fuerint*. Si tamen omnia quæ de eo homine indicantur, diligentius perpendas, nulli incommodo obnoxium fuiſſe, fortaſſe arbitraberis donec repentina morte, quæcunque hujus cauſa fuerit, ſublatus eſt. Verum cum illæ quæ ex aliis Partium conjunctis læſionibus exceptiones repetuntur, ibi magis locum habere poſſint, ubi quæritur, quæ palpitationis cauſa fuerit, quam ubi quæritur, cur non fuerit; nos exceptiones, quas ſubinde indicavimus, eo ſervantes ubi de pulſuum vitiis, quæ ſimul aderant, verba faciemus (*k*): illis hic utemur Obſervationibus in quibus cum Aortæ valvulæ rigidæ eſſent, atque inflexiles, palpitatio tamen nulla commemoratur: quod incuria tantum, aut oblivione in illis omnibus acccidiſſe, veri ſimile non videtur, præſertim cum id certe mihi non acciderit, ſicuti relectis quibuſdam earum quas alias miſimus, hiſtoriarum facile cognoſces. Vide enim, ut in Sutore (*l*) eſſent eæ valvulæ in ſe contractæ, ſubrigidæ, atque duriuſculæ; nunquam tamen, cum de tot aliis quereretur, de palpitatione conqueſtum fuiſſe, accepi. Atque; ut Anum quandam (*m*) omittam, quæ cum Aortam, & unam ejus valvularum ſic ferme conſtitutas haberet, ut ea fœmina (*n*), a qua in hunc ſermonem ingrediendi occaſio data eſt, ſimilibus tamen Affectionibus minime vexabatur; Senes tibi deſcripſi duos (*o*), quorum incommoda omnia cum diligentius ſciſcitarer, de cordis palpitationibus nihil audivi, pulſus autem, ut in Sutore quoque; nam de Anu pro certo non memini; tunc potiſſimum cum ſunt attendendi, id eſt extra lipothymias, & graviorem febrem, non intermiſiſſe, compertum habui: & tamen utriuſque Senis Magna arteria oſſeis intus laminis prædita, valvulas oſtendit in altero hic illic duras, in altero jam prorſus oſſeas, inflexiles, & ſuo ipſas corpore quod ab orificii parietibus diſtabat, introrſum protuberantes, corpuſculis etiam quæ in medio limbo ſunt, oſſeis, & mole auctis: erantque præterea Mitrales valvulæ in hoc craſſiores, in illo non ſecus ac Semilunares, hic illic duræ. Sed & aliæ præter illas, mihi ſunt Obſervationes, earum non abſimiles, velut hæc.

11. ANUM decrepitam gangrænæ, quæ poſt ſuperatum

(*q*) Traité du Coeur ch. 16. (*r*) Obſ. 35. (*ſ*) Obſ. 13. (*t*) Dec. 1. A. 3. Obſ. 282. (*u*) Obſ. 69. (*x*) Fig. 57.
(*y*) Saggio delle Tranſaz. tradotte dal Derham Tom. 2. P. 2. c. 3. §. 7. 8. 9. 13. & Fig. Tab. 5. (*z*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 78.
(*a*) Quæſt. Med. an cauſa mot. altern. cord. multipl. n. 3. (*b*) Opuſc. Patholog. Obſ. 52. (*c*) n. 12 (*d*) Epiſt. 18. n. 4.
(*e*) c. 3. cit. §. 13. (*f*) n. 17. & ſeqq. (*g*) cit. ſupra, ad n. 9. (*h*) n. 1. (*i*) ſupra n. 9.
(*k*) Epiſt. 24. n. 21. (*l*) Epiſt. 18. n. 2. (*m*) Epiſt. 19. n. 49. (*n*) ſupra n. 8.
(*o*) Epiſt. 7. n. 9. & Epiſt. 21. n. 15.

ratum acutum morbum remanſerant, tandem ad ſummam maciem, & interitum deduxerunt. Ei ſemper ex quo primum illum morbum evaſerat, parvi, debileſque pulſus fuerant, primis diebus non frequentes, poſtea autem cum ſitiret, frequentes; ſed nunquam intermittentes, aut inæquales. Nulla cordis palpitatio, nulla ſpirandi difficultas; hæc enim omnia ſingillatim, re adhuc recente, quæſivi a Medico qui illam quotidie inviſerat: quæſivi autem poſtquam ſub Januarii finem A. 1739. in Gymnaſio cor ejus Anus perluſtraveram. Cum ea reſpondiſſet quæ modo ſcripſi, addidit, de ſtomacho tantum conqueſtam eſſe: quo nomine præcordia, ut plerique de populo ſolent, intellexiſſe conjecimus, cum alimenta appeteret, oblataque aſſumeret, nec diſſectio aliter indicaſſet. VENTRE enim recluſo, ſi excipias uterum, ſana fuerant omnia, ut ventriculus quoque, in ſe contractus. Uterus autem fundum habebat ferme totum intus ex ſubrubro atrum, ut gangræna affectæ Partes ſolent, eundemque inæqualem, præſertim quodam in loco, ubi ſuperficies in parvam humilemque excreſcentiam ſe attollebat. Ejus Tubæ circa longitudinis medium prorſus imperviæ. In Thorace, præter albidas interioris Aortæ maculas, & oſſeas nonnullas ſquamulas, illud maxime adnotandum fuit, quod ejuſdem arteriæ valvulas contractas, duras, oſſeas, & ad limbum in non parva quaſi tubercula craſſeſcentes invenerim.

12. Apparet igitur ex aliorum, noſtriſque Obſervationibus, cordis palpitationem contra atque cæteroquin non raro ſolet, haud ſemper conſequi ubi rigidæ, oſſeæque ſunt valvulæ Magnæ arteriæ: idemque apparet de pulſuum inæqualitate, & intermiſſione. Quorum vitia etſi ad proximam Epiſtolam attinent; hic tamen, ut cum valvularum illarum morbis erant, aut non erant conjuncta, ſubinde una eademque opera attingo, ne in ea Epiſtola opus ſit eaſdem Obſervationes repetere, ſed ſatis ſit indicare. Idque ipſum conſilium ſequi placet in plerarumque earum quas proponi video, cauſarum palpitationis examine.

Quarum illa primum conſiderandam ſe offert quæ in vicinarum valvularum Mitralium vitio aliquo conſiſtit. Sic Vieuſſenius (*p*) vehementiſſimam cordis palpitationem cum pulſu humillimo, debili, & omnino inæquali ex deprehenſa harum valvularum contractione, & in os mutatione deducit, quæ plurimum ſic imminuto illo, cui ſubjectæ ſunt, orificio, non multum ſanguinis admittentes, & (quod tu addes) ei quem admiſerant, reditum omnino intercludere non valentes, maximam ſanguinis partem cogebant in pulmonum vaſis, & dexteris cordis caveis, quas dilataverat, reſtitare. Sic Cl. Reimannus (*q*) cum eadem quæ modo dicebam, ſymptomata in ægrotante animadvertiſſet, *valvulas venæ cavæ Mitrales dictas* (quod nomen, & alia indicant, ſcribere voluiſſe *venæ pulmonaris*), & *unam* præcipue *harum*, deprehendit *cum lacertulis ſuis & columnis carneis ad latera ventriculi extantibus, aſperas, & penitus oſſificatas*. Sic Experientiſſimus Vir Morandus (*r*) in eo qui cordis palpitationibus obnoxius fuerat, alteram earum valvularum invenit in ſacculum dilatatam, pollicis capacem; credo, quod ſanguinis copia, aut impetus ſenſim amplificaſſet interſtitium, cujuſmodi me ſupra (*ſ*) dixi parvum aliquando inter valvulæ membranas animadvertiſſe orificio patente; cujus ſacculi parietes & craſſiores erant, & pluribus hic illic oſſiculis inſtruebantur. Erant tamen Aortæ etiam valvulæ tum craſſiores, tum oſſiculis duriſſimis inſtructæ: & Reimannus præter columnas, ut dictum eſt, oſſeas, arteriam illam lapideis intus adhærentibus concretionibus anguſtiorem, & pericardii hydropem ſimul conſpexerat: Vieuſſenius autem & thoracem, & pulmones ſero plenos, & vaſa Magna omnia, ſi arteriam excipias, dilatata deprehenderat. Sic etiam Præſtantiſſimus Vir Hallerus (*t*) poſt hæreditariam cordis palpitationem, Mitrales quidem valvulas totas duriſſimas & ſolidiſſimas offendit, & calculorum materia adeo plenas, ut paſſim diſſectis fibris creparent, ſed & carnem proximi Pulmonaris Sinus lapidoſam, & cordis ipſius partem ſemilapideam, & pericardium paſſim tum ſcirrhis obſeſſum, tum cordi adnatum; ut alia, & in his quæ de rigidis, & inexplicabilibus in eodem cadavere Aortæ valvulis retulimus antea, prætermittamus, multoque magis quæ in Anu quadam (*u*) conſpexit non modo in aliqua earundem valvularum, ſed & in proxima Aorta, arteriaque Pulmonari, corde ipſo, & ejus arteriis Coronariis, quippe graviora quam quod in altera Mitrali valvula erat, præſertim vero quia de morbis qui mulierem vexaſſent, nihil conſtat.

13. Sed huc adde eorum Obſervationes, qui cum oſſeas, aut rigidas, ſuiſque officiis impares Mitrales valvulas invenerint, minime in iis quæ viventes afflixerant, palpitationem memorarunt. Nam Peyerus de ea Virgine, a Glaſero, ſuo Præceptore, diſſecta, in qua illas mutatas vidit *in oſſeam plane ſubſtantiam, oſtium præcludentem*, cum haud uno in Scripto verba faciat (*x*), nihil uſquam commemorat, niſi ſubitaneum in bene valente hydropem, reſpirandi difficultate, & inopinatam ſuffocationem: quin pauciora habet qui de eadem Virgine ad Bonetum ſcripſit, Mangoltius (*y*). Nec Bellinus (*z*) lapidem ait, in altera valvularum Mitralium genitum, aliud niſi *maxime variam intermiſſionem pulſus produxiſſe, miriſque ægrum doloribus afflixiſſe*. Nec Cowperum, cujus ſunt quatuor de ſex illis Anglicis, ſupra (*a*) laudatis, Obſervationibus, cum in tribus proponat, aut pingat eaſdem quoque valvulas ex parte lapideas, vidiſti tamen palpitationem commemorare. Quam ſi fortuito, aut alio properantibus iis, diligentiſſimis cæteroquin, Scriptoribus, omiſſam contendas; non pertinaciter repugnabo. Neque aliter ſentiam, ſi volueris, de Hunauldio (*b*), qui nihil niſi phthiſim recenſet in ea fœmina, cujus valvulas Mitrales reperit hic illic oſſeas fieri incipientes, atque ita inter ſe glutinatas, ut arctata, ſanguinis in ventriculum via, ſiniſtra eſſet auricula amplificata. Rogabo tamen, ut Cl. Fantoni (*c*) Obſervationem legas, qui Mitrales valvulas *inſolita duritie & craſſitudine* invenit, in earumque *altera folliculos duos, in altera unum, ſingulos fere ciceris magnitudine, quibus apertis, putrida effluxit, ſubflava, & vireſcens materia*; hæc autem ſe in Sene quodam conſpexiſſe, teſtatur, in quo, *cum ex lenta febri, & ſtomachi, ut ajebat, languore diu ægrotaſſet, nulla unquam affecti cordis ſigna apparuerant*. Quod ſi miſſas ad te antea Epiſtolas relegas; Agricolam (*) reperies in quo *excreſcentiam* vidi cinerei coloris, iiſdem valvulis innatam, raram ſane vel in cæteris cordis valvulis affectionem, uti Lanciſius (*d*) animadvertit: nec tamen inter alia quæ ægrotantem male habebant, palpitatio fuit, aut pulſuum inæqualitas; quanquam hæc, ſi minus illi vehementes, frequenteſque fuiſſent, non defuiſſet fortaſſe. Sculptorem quoque (*e*) invenies, & Bajulum (*f*), nulli, donec improviſa apoplexia utrumque ſtatim confecit, morbo vel leviſſimo obnoxios, quorum illi altera Mitralis valvula, colore, naturaque mutata, facta erat multo quam æquum ſit, durior; huic autem & Mitralium, & Tricuſpidum nonnullæ ad limbum protuberabant in quaſdam quaſi glandulas, ex denſa, firmaque ſubſtantia compactas. Sed; ut brevis ſim; nec duos illos Senes, de quibus ſupra (*g*) cum de Semilunaribus valvulis ſermo eſſet, indicatum eſt, hic iterum commemorabo, quorum alteri Mitrales craſſiores erant, alteri hic illic duræ: & omittam complures alios, in quibus earum limbos duros, & tuberoſos inveni, quæ res aliquanto minus idoneas reddit officio ſuo, ſive a peculiari vitio illa ſit, ſive ab eo quod invehit ipſa ætas; nam & in vetulo cane ſic vidi; eſtque tum in his valvulis, tum in Tricuſpidibus, in quibus pariter

(*p*) Traité du Coeur ch. 16. (*q*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 170. (*r*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1729. Obſ. Anat. 7. (*ſ*) n. 6.
(*t*) Obſ. cit ſupra, n. 9. & 10. (*u*) Obſ. 51. (*x*) Meth. Hiſt. Anat. c. 6. in Schol. & Pæon. & Pythag. Exerc. 24.
(*y*) Sepulchr. l. 3. S. 19. Obſ. 3. §. 6. (*z*) De Morb. Pect. 1. (*a*) n. 9. & 10. (*b*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1735. Obſ. Anat. 6.
(*c*) De Obſ. Med. Epiſt. 8. n. 20. (*) Epiſt. 11. n. 11. (*d*) De Subit. Mort. l. 2. §. 7. & 8. Schol. ad Obſ. Phyſ. Med. 4.
(*e*) Epiſt. 3. n. 26. (*f*) Ibid. n. 4. (*g*) n. 10. in fin.

ter haud raro conſpexi, quaſi gradus, ut Cel. quoque Hallerus (h) cenſet, ad naturam oſſeam induendam. Quas vero oſſeas jam factas deprehendi, eas vero ob graviores quibuſcum junctæ erant, morbos, alio differam oportet.

14. Interea autem, ut vides, poſito aliquando, nec levi, valvularum Mitralium vitio, non continuo palpitationem cordis ſequi, aut pulſuum intermiſſionem; ſic etiam credito, ubi quicunque alius obex vel propior dexteris cordis cavis, quam illæ ſint valvulæ, illa ſanguinem remorando, dilataverit, non ſtatim fore ut palpitatio conſequatur; nam pulſuum quidem inæqualitatem minus tunc accidere conſueviſſe, Epiſtola XVIII. (i) indicatum eſt. At enim, inquies, illo ipſo loco a te agnitum, confirmatumque eſſe, memini, tunc palpitationem angere ægrotantes ſolere. Recte meminiſti; ſiquidem *ſæpe* tum eſſe palpitationem, agnovi. Sed num forte id nego? Quin libenter aliis inſuper adjectis Obſervationibus confirmabo. Satis nunc ſit illam indicaſſe Cl. Chomelii (k), qui Virum, cujus arteria Pulmonaris lapideis intus, extraque tuberculis obſeſſa erat, cor autem permagnum, crebris vexatum fuiſſe palpitationibus, adnotavit. Scilicet nullam ego ex propoſitis palpitationis cauſis negaverim cum hac interdum fuiſſe conjunctam; quaſdam vero etiam ſæpius, fatebor. Id tantum admoneo, ubi cauſa aliqua ejuſcemodi poſita ſit, non continuo eo decurrendum eſſe, ut palpitationem ſimul fuiſſe, omnino, & ſemper credamus. Vide enim, exempli cauſa, ejus diſſectionem Virginis (l), in qua præfectas Pulmonari arteriæ valvulas hic inter ſe colligatas Valſalva invenit, ut viam ſanguini vix relinquerent lentis diametro æqualem, qui propterea in dextris caveis cordis reſtitans, ipſas dilataverat. In iis tamen quæ viventem afflixerant, palpitationem minime adnotatam reperies. Quod ſi forte incidas in hiſtorias, ex quibus ſanguinis curſus per compreſſum extra, intuſve pulmonem retardatus, cordis palpitationibus cauſam videatur præbuiſſe, qualis inter alias Obſervationes illa eſt Cl. Grimmii, (m) qua Virum proponit incommodo hoc ferme perpetuo annum, eoque amplius vexatum, ejuſque pulmonem alterum effuſa aqua circumdatum, utrumque autem vix numerabilibus vomicis intus obſitum; hinc quidem ortam palpitationem fuiſſe, credito, ſic tamen, ut ſimul memineris, hanc vix unquam in tot fuiſſe, quos ſuperioribus Epiſtolis aut thoracis hydrope, aut pulmonum, ut in peripneumonia, duritie, & tuberculis, ut in phthiſi, confectos deſcripſimus.

15. Longum eſſet per omnes cauſas ire, quæ proponuntur, palpitationis, nolenti præſertim quæ alibi aut dicta, aut dicenda ſunt, iterare. Nam de cordis ipſius oſſibus, ulceribus, polypis erit in proximis Epiſtolis opportunior ſcribendi locus. De pericardii autem hydrope, a quo tot ſunt qui palpitationem repetunt, nihil attinet ad ea addere quæ de morbo illo, & de hac ipſi modo adjuncta, alias abſente, Epiſtola XVI. (n) ſunt ſcripta. Præſtabit igitur quaſdam alias hic pericardii affectiones quæ inter palpitationis cauſas proferuntur, unamque potiſſimum quam non ſemel vidimus in mortuorum corporibus, conſiderare. Nam concluſi intra ipſum flatus, & multo minus vermes nondum ſe nobis obtulerunt. Quin etiamſi plures in Sectione hac Sepulchreti Obſervationes (o) leguntur palpitationis, tremoriſve cordis a vermibus pericardii; tamen alibi certius, alibi gravius viſorum in eo vermium teſtimonium deſidero. Viſorum, inquam; neque enim vel in Sepulchreto ipſo deſunt magnorum Virorum nomina Franciſci Sylvii (p), Hartmanni (q), Ballonii (r), Hollerii (ſ), Riolani (t), aliorum, qui Veterum quorundam doctrinæ aſtipulati, vermes in pericardio, & corde ipſo aliquando ſine ulla dubitatione poſuerunt. At ſi quis viderit, quæratur; Riolanus quidem ait, *de hoc morbo tractaviſſe Salium*; ſed hoc ipſum, ubi tractaverit, minime dicit. Redeamus igitur ad Obſervatores oportet. Prima ex indicatis Obſervationibus (u) eximium ſane Auctorem habet Lowerum. Sed ſi attente legas, conjectura eſt, non obſervatio. Neque enim eos vermes vel ſemel conſpexiſſe ſe, dicit: qui ſi, ut credebat, *ſæpenumero* cor arroderent; non ipſe modo, ſed & alii intra pericardium deprehendiſſent. Secundæ autem Obſervationis (x) vermem ſi forte qui viderint, aut quo in Principe & quando viderint, quæris; ne ipſe quidem Obſervationis Scriptor hæc videtur ſciviſſe. Tertia (y) *ex M. S. Stockeri* eſt, qui tamen eos vermiculos a ſe conſpectos non dicit. Ultimam denique (z) ut totam legere poſſimus, ad Sectionem X. rejicimur. Verum poſtquam ejus paginas verſantes, hanc in ipſa eſſe VII. Obſervationis §. 1. agnovimus; neque eam prorſus intelligere ob typographi oſcitantiam, neque ob ejuſdem incuriam in eo poſſumus invenire ex quo deſcripta eſſe dicitur, Zacuti *lib. ÿ. prax. admir. cap. CX:* eſt enim libro I. cap. CXXXIX. In hoc autem ait Zacutus, vermem fuiſſe *mortuum*, *nigrum*, *cimicis magni forma:* quemadmodum in proximo capite deſcribit *anguiculum* in corde altero. Quorum hunc ſicuti ex deſcriptione ipſa polypoſam concretionem fuiſſe, intelliges, anguiformem; ita aliquid ejuſmodi quod nigrum magnumque cimicem referret intimo ventriculi cordis parieti adhærentem, mecum facile ſuſpicaberis præſertim poſtquam alias alibi (a) examinaveris hujus generis obſervationes. Nec vero hæc dico, quod nullum unquam inter pericardii membranas eſſe poſſe vermiculum pertinaciter contendam, cum inter Magnæ arteriæ tunicas ſæpe adeo in canibus deprehenderim (b). Sed eo dico, quod certiores legere Obſervationes velim priuſquam illud agnoſcam. Interea autem vermes qui cordi officiunt, eos eſſe, ajam cum Tralliano, ſub iſta Zacuti Obſervatione laudato, qui ſiniſtrum lædunt orificium ventriculi adeo in conſenſum cor trahens, ut καρδία appelletur, quæ ſententia pariter Sennerti fuit, ſub eadem Obſervatione ubi illa quarta nobis erat, producta. Sic autem faciliſſime intelliguntur quæ ſub ſecunda, & tertia ex Hartmanno, & Hollerio adnotantur de lumbricis in palpitatione cordis quæ a vermibus eſt, excretis, nec curatio ipſa Loweri, quæ prima Obſervatione producitur, ſi vermes revera abegit, multo aliter videtur eſſe explicanda.

16. Etſi vero pariter, ut dictum eſt, nondum mihi accidiſſe memini, ut pericardium aere diſtentum invenirem; tamen eo facilius Hollerio (c) credam graviſſimo Viro, qui id ſe *in diſſectis corporibus*, cordis palpitatione *peremptis, exploratum habuiſſe*, teſtatur, quod & ego aere turgidas cum alias caveas, tum vaſa quoque ſanguifera deprehendi (d), & alii, quos tibi alibi (e) laudavi, cor ipſum; ut, ſi cætera ſinant, per me tibi liberum ſit iis aſſentiri, qui palpitationem ab aere deducunt, non modo pericardium, ut hic in Sepulchreto Obſervatione XVIII. ſed & cor ipſum diſtendente, hoc tamen intra eum modum qui Obſervatione XXI. (f) a Franciſco Sylvio indicatus eſt. Dixi autem, ſi cætera ſinant, nonnullis de cauſis, quas inter locum habet evolutio aeris ex viventium ſanguine, haud ita facile in pleriſque eorum ponenda, in quibus alioquin commodum eſſet palpitationem ſic explicare. Quod tibi intelligere proclive erit ex iis quæ in V. Epiſtola (g) diſputavimus. Quin id ipſum quod in ea (h) dictum eſt, Redio placuiſſe in pulſus intermiſſione ut plurimum repetenda a majori aliqua aeris bulla, per cor tranſeunte, id, inquam, ipſum quam difficile viſum ſit diſcipulo ejus Bellino, hujus edita ſcripta (i) demonſtrant. Itaque, ſicuti de vermibus modo dixi, ita de flatibus nunc dico, plerumque hos cordi moleſtos eſſe, non cum ejus, aut pericardii cavum, ſed cum ſubjecta inteſtina occupant, & ventriculum. Quæ ſæpe flatus diſtendunt adeo, ut ſepto Tranſverſo,

(h) Ad Boerh. Prælect. §. 149. (i) n. 11. (k) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1707. (l) Epiſt. 13. n. 12.
(m) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 111. (n) præſertim n. 23. (o) 19. & 25. §. 1. 2. 3. (p) in Schol. ad §. 6. Obſ. 21.
(q) ad §. 1. Obſ. 25. (r) ad §. 1. Obſ. 27. (ſ) ad §. 1. Obſ. 7. Sect. 10. (t) Ibid. §. 3. (u) 19. Sect. hac 8.
(x) Ibid. Obſ. 25. §. 1. (y) Ibid. §. 2. (z) Ibid. §. 3. (a) Epiſt. 24. n. 23. (b) Epiſt. Anat. 9. n. 45.
(c) De Morb. Int. l. 1. c. 29. in Schol. (d) Vid. ex. gr. Epiſt. 5. n. 19. (e) Ibid. n. 20. (f) §. 6. (g) n. 25. & ſeqq.
(h) n. 21. (i) De Morb. Pect. 1.

& huic incubanti cordi incommodent. Sic autem maniſeſto patet quod in Scholiis, ad Obſervationem illam additis XVIII. ſemel, iterum, ac tertio inculcatur, flatibus erumpentibus levari, aut ſolvi palpitationem: qui ſi caveas cordis, aut pericardii, ut in ea Obſervatione ponitur, occuparent; viam certe per quam repente, atque affatim inde uſque erumperent, non haberent.

17. Denique ad eam venio palpitationis cauſam quæ evidenter occurrit, nec ita raro, & in qua tantum abeſt, ut aqua, aer, aut quidquam aliud ſe inter pericardium, & cor interjiciat; pericardium adeo cordi adhæret, ut tunc deeſſe, niſi accurata perquiſitione diſcernas, ſæpenumero videatur, hincque deceptos dubitet Cel. Hallerus (*k*) poſt Peyerum (*l*), Stalpartium (*m*), Freindium (*n*), Lanciſium (*o*), hinc, inquam deceptos fuiſſe illos qui humanum cor pericardio carens ſe vidiſſe, ſcripſerunt, quos inter, præter eos qui a modo laudatis Scriptoribus nominantur, connumerandus eſt Antonius M. Cananus apud Hippolytum Boſcum (*p*), & ex recentioribus Alex. Littrius (*q*), & Jo. Georgius Hoyerus (*r*). Peyerus tamen cum dubitationem illam ſuam ad hunc modum expoſuit: *opinari fas ſit, pericardium aut pulmonibus, aut ipſi cordi potius ita tunc adnatum præter naturam hæſiſſe, ut diſtinctum videri non potuerit;* alteram ſagacioribus reliquit rationem qua rem explicarent: quam rationem ſolertia, & induſtria Cl. Viri Abrahami Kaav Boerhaavii (*ſ*) bono in lumine collocatam videbis. Verum pericardii non ad pulmones, ſed ad cor adhæſionem, quam & ipſe ex morbo ignoto bis vidit, & de qua ſunt a nobis hic verba facienda, hanc, inquam, adhæſionem ſive repetas ab illius aquæ defectu, ſive a glutinoſis, viſcidiſque particulis aut cum hac ſecretis, aut deſtillantibus ex ulcuſculis, quæ in pericardii, aut cordis, aut utriuſque ſuperficie innaſcantur; rem ſemper facilius intelliges, ſi cauſa adjungatur quæ pericardium ad cor apprimat, & cordis ipſius diu languidus, & exiguus motus. Cave enim, aliter accipias quæ Hermannus Boerhaavius (*t*), eodem ac Peyerus (*u*), exemplo uſus, docebat: *Quando palpebræ excoriatæ fuerunt, unius aliquando noctis quiete concreſcunt. Ita pulmo cum pleura, cor cum pericardio connaſci viſum eſt.* Neque enim pulmo, aut cor prorſus quieſcere tandiu poſſunt; ſatis eſt tamen, ſi quieſcere propemodum videantur. Sic vero ibi etiam ubi ab eodem ſcriptum eſt (*x*): humido, qui disjuncta ſervet, *vapore deficiente, viſum eſt cor cum pericardio connatum poſt miſeras anguſtias & palpitationes homines occidiſſe, qualem hiſtoriam Peyerus habet*, ibi, inquam, pariter cavendum eſt, ne plus quam fortaſſe voluerit, Summum Virum dixiſſe, credamus. Nam Peyerus (*y*) cum reſpiratione difficillima *maximam* quidem *pectoris anxietatem*, nec tamen diſerte palpitationes adnotavit, etſi pulſum *debilem* ſemper, & *parvum*, *tremulum aliquando*, *ultimiſque duobus menſibus intermittentem atque ad extremum plane myurum & formicantem* fuiſſe ſcripſit. Nec vero in cunctis quæ ſub eo Boerhaavii loco indicantur, Obſervationibus, neque in aliis pluribus, quæ ſcribenti hæc mihi ſuccurrunt, anguſtiarum ſemper, nedum, palpitationum, fit mentio: quod ex iis intelliges quæ preſſe de ſingulis continuo attingentur.

18. Quatuor ex vetuſtioribus ſunt in Sepulchreto; ſed alia alibi, Gul. Ballonii (*z*), Oth. Heurnii (*a*), & hoc ſenioris, Philib. Sarazeni (*b*), qui *nemini antea*, *quod ſciret*, *obſervatam* hanc pericardii ad cor adhæſionem Hildano ſignificavit (*c*) eo quo Ballonius mortuus eſt, anno *1616.* (*d*), cujus ſane libri non niſi undevigeſimo poſt anno prodierunt. Sed A. 1578. Ballonius id noverat. Hæc enim leges inter illa quæ per ejus anni ver adnotaverat (*e*): *Accerſitus D. Duretus .... omnis palpitationis cardiacæ cauſam aut in oppreſſione, aut in excuſſione ponit. Illa eſt cum malum in corde ipſo eſt, aut circum cor. Ut cum nimia aqua inter pericardium crevit, aut cordi pericardium adhæreſcit.* Videri poteſt Dureto ipſi hoc cognitum. Sane ubi inter palpitationis cauſas id enumeravit Ballonius, nec a quo, nec quomodo obſervatum eſſet, indicavit. Sic enim ſcripſit (*f*): *Adhæſio pericardii corpori ipſius cordis, quod in duobus hydropicis obſervatum eſt.* Utcunque id eſt; hæ duæ quæ ſub Ballonii nomine proferuntur, Obſervationes, palpitationem ipſæ quidem cordis proponunt. Sed fruſtra hæc in Sarazeni, & Heurnii, quantum ex Sepulchreto apparet, Obſervationibus perquiretur. Difficilem uterque adnotant reſpirationem; Sarazenus, ut in re ipſi nova, alia inſuper, quæ ab uno Meckrenio (*g*) caſu fortaſſe confirmata eſſe, video; ſed de anguſtiis, pulſibus, palpitatione nihil. Sic etiam; ut ad Recentiores qui pericardium viderunt cordi adhærens, tranſeamus, & Meckrenii (*h*) Obſervationem, in qua nullum tamen de palpitatione, aut pulſus intermiſſione verbum, ob adjunctum cordis vulnus prætermittamus; Lowerus (*i*) etſi quæ mala præceſſerant, diligenter conſcripſit, & in iis *ad motum quemvis anhelationem*, pulſum *parvum & intermittentem*, dolorem *cum inſigni gravamine præcordia infeſtantem*, & *crebras lipothymias*; de palpitatione tamen ne verbum quidem interjecit. Peyerus autem (*k*) de iis quæ anteceſſerant duas, ſecum a Wepfero communicatas, diſſectiones, aliud non indicat, niſi *præcordiorum anxietatem* in altero dumtaxat ægro, qui *nunquam niſi pronus in genua provolutus, & cubitis ſuffultus, dormire, imo reſpirare valuit*. Stalpartius vero (*l*) ne illam quidem; tantum *continuam lentamque febrem*, ac *tuſſim* qua ejiciebatur *plurimum ſanguinis*. Sed Malpighius (*m*) nihil omnino memorat eorum quæ Landinum afflixerunt. Ad Sepulchretum autem ut redeam, eaque hic colligam quæ faciles poſſunt quærentes fugere, cum ſint extra hanc Sectionem per alias atque alias diſperſa; nec Garnerus (*n*), nec Helvigius (*o*) prægreſſorum malorum quidquam nominant, præter mammam exulceratam, & hydropem, cum adnatum pericardium cor aut exiguum admodum, & in ſe contractum, aut conſueto duplo majus complecteretur. Hiarnius (*p*) præter ſpirandi difficultatem, & alia nonnulla, ad immanem ventris tumorem ferme ſpectantia, vix *aliqualis cordis inquietudinis* facit mentionem. Plura quidem de malis diuturnis, & huc attinentibus, ſed nec pauciora de viſcerum noxis habet Stegmannus (*q*), qui palpitationem cordis, pulſus inæqualitatem, & dyſpnœam a pueritia uſque perpetuam narrans, ad cartilagineam quandam excreſcentiam juxta auriculam cordis ſiniſtram, ad copiam pinguedinis cor obducentem, ut non parum ejus augeret molem, ad aliaque, non modo ad pericardii adhæſionem, refert, idque ſapienter, præſertim cum hæc per fibroſos dumtaxat nexus fieret, eoſque ad pinguedinem quæ mediam operiebat cordis regionem, pertinentes. Sed ubique, & undique, ut cæteræ fere omnes, de quibus nihil excipiam, adhæſio fuit a Genevenſibus Medicis (*r*) in Juvene adnotata, cui *familiaris* erat cordis palpitatio. Contra, ab Hottingero (*ſ*) non hæc, ſed anhelatio in muliere animadverſa eſt, in qua pericardium corii inſtar craſſum factum, & durum, cordi affixum deprehendit. Littrius (*t*) in duobus nihil habuit quod memoraret; nam uterque ex vulnere mor-

(*k*) ad Prælect. Boerh. §: 132. not. *a*. (*l*) Meth. Hiſt. Anat. c. 6. in Schol. (*m*) Cent. 1. Obſ. Med. Anat. 37. in Adnot.
(*n*) Hiſt. Medic. ubi de Avenzoare. (*o*) De Mot. Cord. l. 1. Propoſ. 23. & in Schol. ad Hiſt. (*p*) De Facult. Anat. Lect. 4.
(*q*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1712. Obſ. Anat. 1. (*r*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 68.
(*ſ*) Nov. Comment. Imp. Sc. Acad. Petropol. Tom. 1. Obſ. Anat. 4. (*t*) Prælect. in Inſtit. §. 709. (*u*) Schol. cit.
(*x*) Prælect. §. 182. (*y*) c. 6. cit. (*z*) Sect. hac 8. Obſ. 20. (*a*) Sect. 1. Obſ. 74. (*b*) Ibid. Obſ. 94.
(*c*) Vid. Hildan. Cent. 4. Obſ. 32. (*d*) Vid. Ballon. Vitam. (*e*) Epidem. l. 2. (*f*) l. 1. Conſil. Med. 109.
(*g*) Obſ. Med. Chir. c. 35. (*h*) Ibid. (*i*) Tract. de Corde c. 2. (*k*) Schol. cit. ſupra, ad n. 17.
(*l*) Cent. 3. Obſ. rar. 37. (*m*) De Struct. Glandul. (*n*) l. 4. S. 2. Obſ. 7. §. 1. (*o*) l. 3. S. 21. Obſ. 21. in Addit.
(*p*) S. ead. Obſ. 36. (*q*) l. 2. S. 1. Obſ. 32. in Addit. (*r*) l. 3. S. 10. Obſ. 3. in Addit. (*ſ*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 10. Obſ. 231.
(*t*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1701. & 1706.

mortuus, alter femoris, cum alioquin bene, inquit, valeret; alter neſcio cujus partis, ſed intra horæ quadrantem, & hic quoque, tametſi id in utroque mirabile eſt, non male habuiſſe antea videtur. Quin etiam Ruyſchius (*u*) ubi cor oſtendit *connatum pericardio, idque a prægreſſa inflammatione harum partium, unde æger intolerabili dolore fuit correptus circa pectoris anteriora, non ſine febre continua*, neque alia addit, & quæ dicit, ea an ad tempus inflammationis referat, an ad illud quod conſecutum eſt, cum pericardium annexum jam erat, haud ſatis liquet. Contra autem apud Dioniſium (*x*) præter alia, & in his ſpirandi difficultatem, & pulſus vehementiam, atque frequentiam, violenta ac aſſidua cordis palpitatio adnotata eſt. Violentiſſima pariter hæc memoratur in ultima de ſex illis Anglicis Obſervationibus, de quibus ſuperius (*y*) mentio fuit. Sed quartæ adjecta, quæ Cl. Cheſeldeni eſt, nihil niſi hydropem, ac maciem commemorat. Sic etiam Lanciſius in duorum quos deſcribit (*z*), neutro, cum cætera, & in hiſce præcordiorum contractiones & oppreſſiones, ac lipothymias diligenter deſcriberet, palpitationem nominavit, imo in primo (*a*) vel pulſus *ut plurimum* fuiſſe *æquales*, admonuit. Verum a Vieuſſenio (*b*) aſſidua, cum levi pectoris oppreſſione, cordis palpitatio animadverſa eſt: quæ *violenta* ſaltem *juxta finem morbi* a Freindio (*c*) fuit adnotata, cum *pulſu* tunc *perpetuo incitato, ſæpius etiam inæquali & intermittente*. Sed Cantius (*d*) qui inter horum utrumque ſcripſit, hiſtoriam morbi quo extinctus erat homo, ab ipſo diſſectus, ignorabat. Abrahamus autem Vaterus cum in Programmate quodam (*e*) ſuam in cadavere aniculæ Obſervationem proponens, morbos qui prægreſſi fuerant, omiſiſſet; in Oſteogenia (*f*) denique de eadem, ut videtur, fœmina verba faciens, non palpitationem, ſed aſthma vehemens, cachexiam, œdema pedum, & lumborum inflammationem memoravit; ut neque in viro (*g*), in quo præter anxietates, & oppreſſiones cordis, quod hujus cum pericardio concretioni reſponderet, nihil fuit. Nec in nauta, de quo Cl. Laubius (*h*), quamvis pericardium cum parvulo corde, & diaphragmate firmiſſime concretum, duritie cartilagineum, craſſitudine pollicem æquaret, quidquam fuerat præter aſthma graviſſimum, quod huc referres, niſi & ſeri ingens copia quo venter, & thorax opplebantur, & vomicæ non paucæ, pulmonum vaſis majoribus accumbentes, aliaque illud facere potuiſſent. Pariter Cl. Daniel Hoffmannus (*i*) cum tot mala accurate deſcribat, quibus puella, cujus anatomen profert, fuerat conflictata, neque inter ea recenſet palpitationem, & diſerte adnotat, *nunquam* pulſum deprehenſum *vel inæqualem, vel intermittentem* fuiſſe. Celeberrimi autem Viri Heiſteri (*k*) Obſervationem cum Littrianis illis de quibus paulo ante dictum eſt, procul dubio comparabis, quippe in juvene habitam non modo non valetudinario, ſed cum æqualibus *in caupona largiter* compotante donec repente quaſi ebrius e ſcamno caderet, moxque ibi moreretur. Etſi vero Doctus Vir Jo. Guil. Agricola (*l*) pericardium cum corde pene toto concretum poſt thoracis inflammationem (poſt quam non ſolum Ruyſchius (*m*), ſed Hottingerus (*n*), aliique etiam viderant) accurate deſcribens, palpitationem cordis celerrimam ad finem uſque vitæ commemorat; non omittit tamen cordis mire auctam magnitudinem, ejuſque thalamorum, & auricularum, & venæ Cavæ capacitatem, plenoſque tuberculis pulmones. Quin etiam cum ter alias eandem viderit concretionem (*o*), & ſemel quidem ubi pulmones labe carebant; nullum de palpitatione verbum habet; ſed tantum ſuſpicatur, in malignis quibuſdam febribus ſummam inde eſſe debilitatem, lipothymias, & ſyncopes repetendas. Porro neque Præcl. Plancus (*p*), qui ex graviore ſterni ictu pericardii ad cor adhæſionem ſæpenumero animadvertit, hanc propter eandem cauſam in hydropico proponens, palpitationem memoravit. Quæ etſi fuiſſet; dubium tamen eſſet, ab adhæſione illa, an ab oſſeo annulo deduceres quo ima ſiniſtri cordis ventriculi pars cingebatur, non ſecus atque in Obſervatione quam pridem legeris, Cl. Jo. Sebaſt. Albrechti (*q*) dubitaveris, utrum cordis non ſine dolore palpitationem, & periodicum aſthma corruptis pulmonibus, adnato poſterius ad primam diviſionem arteriæ Aſperæ non exiguo tumori, cordis magnitudini duplo majori, cui vaſa quidem omnia ex eo prodeuntia, aut ipſum adeuntia, & dexter ventriculus, ſed neque ſiniſter, neque auriculæ reſpondebant, utrum his, inquam, omnibus, an potius uni pericardii connexioni per validiores breveſque fibras cum plana cordis facie ex majori hujus parte, & ad apicem uſque ipſum, tribueres. Cel. quoque Hallerus (*r*) cohæſionem *non integram* vidit, *quæ freni inſtar coercebat extremum* cordis *mucronem*; ſed de quibus homo quereretur, non addidit. In alio autem quem hæreditaria palpitatio vexaverat, paſſim quidem pericardium conſpexit adnatum cordi, ſed per ſcirrhos, & tot præterea, tamque gravia in illo eodem corde animadvertit, quemadmodum ſupra (*ſ*) dictum eſt, ut cui potiſſimum palpitationem adſcribas, minime liceat conjicere. In duobus pariter Præſtantiſſimus Kaavius cor, & pericardium connexa invenit, in altero per filamenta quorum longiſſima extenſum æquabant digitum, in altero arctius, præſertim qua cor diaphragmati incumbebat; ſed neutrius qui morbus fuiſſet, ſcire potuit, ſicut initio eſt indicatum (*t*). De tribus tamen viris quorum primum Egregius Chirurgus Fayus (*u*), alterum Medicus Doctiſſimus Paſta (*x*), tertium Hieronymus Queye tunc Medicinæ ſtudioſus (*y*) priuſquam decem de quibus noviſſime dixi, inciderentur cadavera, diſſecuere, primus diuturna, & vehementi cordis palpitatione, cui pulſus quoque reſpondebant; alter ſæpe illa, ſpirandique difficultate, præſertim a corporis, aut animi motu, laborabat, cum pulſu inæquali ſemper, & intermittente; poſtremus palpitationi inſolitæ, & ſubitaneis, ſed momentariis pulſus intermiſſionibus, crebriſque, ſed levibus, lipothymiis obnoxius vixerat. Hi omnes præter pericardium, ferme craſſius, cordi adhærens, quæ alia hujus, aut viciniæ habuerint, aut non habuerint vitia, mox indicabitur.

19. Jam enim ſi ex hiſce omnibus, quæ mihi, dum has Litteras ſcriberem, occurrere, & relegi potuerunt, Obſervationibus quinque, & quadraginta (*z*), primum ſex illas ſeponas, quæ nobis quid malorum præceſſiſſet, non indicant, deinde quatuor & viginti detrahas, in quibus nulla fit de palpitatione mentio; quindecim, haud amplius reſtabunt, in quibus ſit, Ballonii nimirum duæ, Hiarnii, Stegmanni, Geneventium, Dioniſii, Anglorum, Vieuſſenii, Freindii, Agricolæ, Albrechti, Halleri, Fayi, Paſtæ, & Queye, ſingulorum ſingulæ. Verum has ipſas ſi, poſtrema excepta, attente perlegas, & quot præter naturam, & qualia ſimul cum pericardii adhæſione in ſingulis propemodum reperta ſint, videas; multum dubitabis, num hæc adhæſio, an vitium quodpiam aliud, palpitationis cauſa fuerit. Nam; ut polypos qui in quarta, octava, nona, decima leguntur, prætereas, quos in eadem octava non præteribat Michelottus (*a*), recte alioquin admonens, cavendum eſſe, ubi plura ſimul vitia deprehendantur, ne ſine certa ratione unum aliquod potiſſimum pro morbi cauſa proponatur: utque aquam pariter minime attendas, quæ in Obſervatione decima tertia, & decima quarta certe, fortaſſe & in duabus illis quæ ex Ballonio ſunt, thoracem opplebat, ſed potius pro ipſius

(*u*) Theſ. Anat. 6. n. 36. not. 1. (*x*) Deſcript. d'une oreill. du coeur. (*y*) n. 9. & 10.
(*z*) De Subit. Mort. l. 2. Obſ. Phyſ. Med. 4. & de Mot. Cord. Prop. 23. (*a*) in Schol. ad cit. Obſ. §. 10. (*b*) Traité du Coeur ch. 1.
(*c*) ubi cit. ſupra, ad n. 17. (*d*) Impet. Anat. Tab. 4. (*e*) poſt Obſerv. rariſſ. calculor. (*f*) Theſi 20.
(*g*) Differt. de calcul. in veſica fell. generat. Theſ. 9. (*h*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 20. (*i*) Ibid. Obſ. 2.
(*k*) Obſ. Med. Miſcell. 4. (*l*) Commerc. Litter. A. 1735. Hebd. 8. poſt n. 4. (*m*) (*n*) ſupra cit.
(*o*) Commerc. Litter. A. 1736. Hebd. 41. in fine. (*p*) Epiſt. de Monſtr. (*q*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 21.
(*r*) Ad Prælect. Boerh. §. 182. not. *m*. (*ſ*) n. 12. (*t*) n. 17. (*u*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. A. 1735. Obſ. Anat. 8.
(*x*) Epiſt de Cord. Polyp. n. 13. (*y*) Differt. de Syncopa c. 3. Prop. 1. n. 1. (*z*) Vid. alias Epiſt 24. n. 3. in fine.
(*a*) Comment. Bonon. Sc. Acad. Tom. 1. in Opuſc.

diuturnæ palpitationis, ejuſve cauſarum effectu habeas; in pleriſque earum quindecim de quibus loquimur, Obſervationum alia invenies quæ multo magis te morentur. Namque; ut de iis nihil dicamus, quas cum proferremus, iſta indicavimus; in octava pulmones erant imbuti adeo ſeroſis ſuccis, ut thoracis cavum omnino implerent: in nona pericardii, cordi adhærentis, pars ſcatebat minutis abſceſſibus qui inflammationi ſucceſſerant: in ſexta, ſeptima, decima tertia, decima quarta, auricula alias dextera, alias ſiniſtra, aut ſiniſter ipſe ventriculus incredibilem prope in modum erant dilatata. Mitto cætera, ut in pleriſque harum quatuor, oſſa aut in arteriæ Magnæ initio, aut in pericardio, aut in tota auricula dextera, aut cum ſiniſtræ immani illa dilatatione conjunctam anguſtiam & parvitatem adjecti ventriculi, ut in decimaquarta, aut denique innatum pericardio ipſi qua coſtas reſpiciebat, tumorem, ovum modicum æquantem, & concreto ſanguine plenum, ut in decima tertia. Quo de uno tumore ut aliquid dicam; nam de cæteris ferme omnibus alibi dixi, & in parte, ut de ejuſmodi quoque tumoribus (*b*), dicturus ſum; vide, quæſo, pauca illa quæ in extremo libro I. de Aneuryſmatibus (*c*) ſibi inter ſcribendum, ut fit, memoriæ cauſa adnotaverat Lanciſius: *Adverte hic de ſignis agere, quibus diſtinguitur Aneuryſma cordis a pericardii tumore. Vidimus enim quemdam inauratorem, qui cum viveret, cordis palpitatione, & ſpiritus anguſtiis laborabat, quique palam Aneuryſmate certe tentatus credebatur; is poſt varias ſanguinis miſſiones a quibus alleviari videbatur, repente obiit. In cujus poſtea cadavere prægrandis abſceſſus, qui diſruptus liquorem meliceroidem effudit: occupabat autem pericardii baſim, unam inter, alteramque tunicam.* Hinc certe intelligis, poſſe aliquando vel unum per ſe tumorem pericardii, palpitationis cauſam eſſe.

20. Quæ cum ita ſint; vides profecto, in propoſita quæſtione, an pericardii ad cor adhæſio hujus palpitationem excitet, multo pluris eſſe faciendas Obſervationes illas per quas in cadaveribus nihil aliud vitii, præter eam adhæſionem, deprehenſum eſt. Cujus generis inter omnes quæ ſupra (*d*) indicatæ ſunt, quinque potiſſimum occurrunt, ideſt Sarazeni, Loweri, Genevenſium, Heiſteri, Queye. Et palpitationis quidem mentio fit in tertia, itemque in ultima. Sed in hac, ut in prima quoque, minime apparet, quomodo reliqua ſe habuerint viſcera, & vaſa: quorum vitia quædam poſſe interdum palpitationis eſſe cauſas, & ratio, & quæ ſubinde his Litteris ſcripſi, ſatis indicant. Lowerus autem, & Heiſterus cum in cæterarum cadaverum ſuorum partium examine, ut ex utriuſque deſcriptione patet, diligentes fuerunt, tum ſiquid illæ haberent vitii, facile præ cæteris, quippe in Re Anatomica præſtantes, uterque poterant internoſcere. Num vero eorum, aut Sarazeni Obſervationes palpitatio præceſſerit, ex iis quæ, ſingulas memorans, cum fide retuli, cognoſces. Sed ne forte credas, pericardium ipſis aut non undique, aut laxius cordi adhærens occurriſſe; Heiſterus certe fuiſſe, ait, *arctiſſime cum corde undique concretum, ita ut ſine laceratione nullo modo inde ſeparari potuerit*, Lowerus autem, *cordi toti ubique adeo arcte accreviſſe, ut digitis non niſi ægre ab illo ſeparari potuerit*, inſuper fuiſſe *craſſum, opacum, & velut calloſum*: quod addo, ne forte ſi in pleriſque earum Obſervationum, in quibus palpitationem fuiſſe, dixi, pericardium craſſum, durumque legeris; hinc illam potius, quam ab adhæſione, repetendam eſſe, ſuſpiceris; quanquam Heurnius, Peyerus, Hottingerus, Laubius, Hoffmannus, qui craſſum, durum, cartilagineum, carnoſum viderunt, palpitationem, ut ſupra (*e*) dixi, non adnotarunt.

21. Quæres hic facile (quando ad paucas adeo Obſervationes redimus) in quibus Valſalva, & & ego pericardium vidimus cordi adhærens, in iis fuerit, an non fuerit palpitatio? Quod ad illum attinet; cum ter viderit, ſemel in puero quo de alibi (*f*) ſcribetur, iterum autem, ac tertio in viris duobus, de quibus proxima ſuperiore Epiſtola (*g*) ſcriptum eſt; de puero quidem nihil adnotavit aliud, niſi macie confectum interiiſſe: in viris autem cum plura, & varia animadverterit; fruſtra ea releges, ut de palpitatione, & de peculiaribus pulſuum vitiis quidquam reperias: & tamen pericardium non modo undique cordi in his omnibus adhærebat, ſed in eorum altero, cui pectoris anguſtia fuerat (quam ſiquis malit, referre alio, poteſt) erat præterea alibi craſſiſſimum, alibi etiam cartilagineum. Ego vero ſepties inveni cordi adhærens, & quidem undique. Cujuſmodi hiſtoriarum quatuor ad te alias deſcriptas miſi, Stabularii (*h*), Piſcatoris (*i*), Lanionis (*k*), & telarum lanearum Tonſoris (*l*): in quorum nullo an cor palpitaſſet, neque an fuiſſent præcordiorum anguſtiæ, & pulſuum vitia, ſcire potuimus; nec mirum, cum Lanio eſſet ſtultus, reliqui autem alius alia cauſa repentino morbo ſublati: quanquam in Tonſore magnum, & vicinum cordi aneuryſma rem dubiam reddidiſſet, præſertim cum pericardium non per ſe cordi eſſet annexum, ſed per mucoſam materiam. At in Piſcatore tamen, & Stabulario, quorum utrique non ſecus ac Lanioni, per ſe adhærebat, & in primo quidem arcte adeo, ut ſine cordis laceratione avelli non poſſet, haud facile credo, magna fuiſſe thoracis incommoda, cum primus paulo ante mortem ferendo piſcatus labori par eſſet. Stabularius autem ante ultimam apoplexiam ter in Noſocomium exceptus, nunquam de palpitatione queſtus eſſet, imo in ea ob quam perpaucis omnino ante menſibus ibi cubuerat, thoracis inflammatione, præter ſolitam in eo morbo duritiem, ac frequentiam pulſuum, nullum in his vitium habuiſſet, quemadmodum ab iis qui curaverant, Medicis recente etiam tum rei memoria certior ſum factus. Nec tamen negaverim, poſtea, ob eamque ipſam, ut Henningerum, Ruyſchium, Agricolam adnotaſſe, dixi (*m*) inflammationem, pericardii adhæſionem incipere, & ſic fortaſſe quæ antea cordis, & pulſuum mala non erant, exiſtere potuiſſe. Reliquas autem tres meas Obſervationes, uno in viro, & duabus in fœminis habitas, in aliis ad quas magis attinent, Epiſtolis (*n*) leges: videbiſque, in una dumtaxat intermittentem pulſum, & palpitationem, hanc autem facile ab arctiſſima pericardii adhæſione non modo ad cor univerſum, ejuſque auriculam dexteram, ſed ultra baſim cordis ad Magna etiam vaſa, cum hoc communicantia.

23. Quid ergo eſt, inquis, quod Lowerus (*o*), Vieuſſenius (*p*), Michelottus (*q*) non modo ſpirandi difficultatem, ſed & pulſus intermiſſionem primus, cordis vero etiam oppreſſionem tertius, & palpitationem ſequi debere, docuerunt, poſita pericardii, duri præſertim, ad cor adhæſione? Nonne ob hanc pericardium contractius factum, annexum ſibi a natura diaphragma ſurſum retractum ſervat, ejuſque cum ſpiritus ducitur depreſſionem minus facilem reddit, idque eo magis quo pericardium ipſum durius eſt? Nonne deſcendens tamen tunc diaphragma, pericardium ſecum rapiendo efficit, ut tunc magis a pericardio cor conſtringatur, & ſic multo difficilius hujus cavearum expanſio fiat, unde oppreſſio, pulſus intermiſſio, & palpitatio conſequantur? Ego vero etſi de his tribus effectibus facilius fortaſſe rationem video, cur priores duo, quam cur tertius quoque contingat; tamen quid pro tertio pariter dici poſſit, non ignoro. Sed ubi frequentior, ut vidimus, experientia refragatur, ſupervacuum eſſe

(*b*) infra n. 23. (*c*) Propoſ. 5. in ipſo fine. (*d*) n. 18. (*e*) Ibid. (*f*) Epiſt. 49. n. 4. (*g*) n. 4. & 10.
(*h*) Epiſt. IV. n. 19. (*i*) V. n. 19. (*k*) VIII. n. 6. (*l*) XVIII n. 25. (*m*) ſupra, n. 19.
(*n*) XXIV. n. 11. XXX. n. 7. XXXV. n. 12. (*o*) (*p*) (*q*) locis indicatis ſupra, ad n. 18. & 19.

eſſe duco, ut rationibus examinandis immoremur. An potius antea conſiderandum eſt, num revera in iis omnibus Obſervationibus palpitatio defuerit, in quibus non eſt nominata? Alii enim per incuriam omittere, alii non animadvertere potuerunt, neque hi ob negligentiam tantum, verum etiam propter eam cauſam quæ ad Obſervationem quandam (r) in Sectione VIII. hac Sepulchreti in hunc modum adnotata eſt: *Contingit aliquando præſentibus cauſis, palpitationem cordis non accidere, quia longo tempore ægri decubuerunt, atque ob quietem tranquille ſanguis curſum ſuum peragit. Experientia enim cognitum eſt, cachecticis cor, ſi quieti degant, raro palpitare: a qualicunque vero motu, maxime in acclivium aſcenſu, vehementer concuti*. Sic inferius ad alteram Obſervationem (ſ) adſcriptum eſt: *Arduum eſt palpitationem cordis per conſenſum partium inferiorum inductam, ab idiopathica diſcernere: ſæpe enim contingit, ut quanquam cor intra ſe cauſam contineat, per periodos tamen redeat affectus, ut cum ſerum, pericardio incluſum, orgaſmo cietur, aut flatus accedunt*. Quæ etſi magna ex parte accipienda ſunt, & alio quoque non inutiliter transferenda, nequando organicum eſſe morbum, ob hanc unam cauſam negemus, quod ſua perpetuo non edat indicia; tamen num propter hæc quæ dicta ſunt modo, aliave ejuſcemodi ſatis infirmari credes vim omnium Obſervationum, in quibus ſine ulla palpitationis mentione adhæſionem pericardii ad cor propoſitam fuiſſe, oſtendimus? præſertim cum aliæ accedant Obſervationes diligentis, & cauti Viri Albertini (t), qui in illius adhæſionis ſignis, ſiqua forte eſſent, perquirendis tantum abeſt ut palpitationem memoraverit, contrarium potius, ſi attente omnia penſitemus quæ in eam rem ſcribit, animadvertit, motus videlicet cordis a pericardio tunc cohiberi per ſe quidem, ac reprimi, ut a nobis minime percipiantur, &, ſi nonnunquam percipiantur, ab alio eſſe vitio, ut puta auctæ ſimul magnitudinis cordis, & quanquam hujus, & pulſuum perturbati motus, ut in Loweri hiſtoria (u), quaſi polypus ſubeſſet, accedant, tamen *manu ad cordis locum appoſita, motum magis ſentiri a Medico*, cum polypus ſubeſt, quam in illa adhæſione.

23. Dum hos relego Albertini locos, ex quibus intelligi licet, ſæpe ipſum vidiſſe hanc qua de loquimur, pericardii adhæſionem, duo inſuper animadverto, alterum, ſæpius eandem Bartolettum quoque obſervaviſſe, cujus libris me in præſentia carere, minus tibi mirandum eſt, quam ſemper caruiſſe Bonetum, ut Auctorum Index oſtendit quibus in Sepulchreto uſus eſt; alterum, in Principe Viro, in cujus pericardio tumorem invenit Albertinus *ſanguineum*, qui *a dextris cordis ſecundum totam ejus longitudinem extendebatur*, ſigna anteceſſiſſe quæ *de organico varicoſi generis vitio fidem facere videbantur*: hæc autem ſupra eſſe, dixerat, cum pulſatio nulla eſt, aut *fere inſenſibilis*. Lanciſius autem, ut ex ejus Obſervatione conſtat, quam ſuperius (x) retuli, a pericardii tumore palpitationem cordis animadvertit, & a multo etiam minori Zacutus, qui ter morbum hunc ſe vidiſſe, affirmavit, in proxima ſuperiore Sepulchreti Sectione VII. (y); a te legendus, non libro qui ibi citatur, II. ſed I. ut intelligas in Scholio, quod ipſum quoque ex Zacuto eſt, locum in quo hic curationem qualemcunque propoſuit. Quid ergo eſt? An humor varius, qui tumore continebatur, ut citrinus apud Zacutum, & meliceroides apud Lanciſium, aliter ac ſanguineus apud Albertinum, irritando, palpitationem ciebat? An alia in aliis tumoris ſedes ejus varietatis cauſa fuit? Erat enim illa apud Lanciſium pericardii baſis, apud Albertinum autem pericardii latus, idque dexterum; nam Zacutus quænam eſſet, reticuit. Magni autem illud diſcrimen momenti eſſe poteſt, ſi forte a tumore qui ſit in baſi, major alterutra prematur, & coarctetur arteria, atque ita exituro e corde ſanguini obex ponatur, unde palpitatio; quod a tumore qui pericardii latus occupet, minus videtur timendum. Nec vero ajas, de quindecim illis Obſervationibus (z) in quibus palpitatio memoratur, decimam tertiam tumorem proponere, natura, & ſede ejus perſimilem qui ab Albertino conſpectus eſt. Tumor enim in illa decima tertia Obſervatione addebatur ad dilatationem magnam ſiniſtri ventriculi, & ad oſſeum Aortæ initium: & nos præterea conjecturas, quæ multis præſertim Obſervationibus non ſint innixæ, non ut ſequaris indicamus, ſed ut alias, atque alias, quandocunque liceat, Obſervationes nactus, cum his compares, & tunc denique probes, aut abjicias. Quod ſi forte accideret, ut conjecturam iſtam ultimam confirmares; tunc quæri etiam poſſet, an ex pericardii adhæſione cor palpitet, quando pericardium non cordis ſolum, ſed & arteriis, ab hoc prodeuntibus, ita affigatur, ut eas conſtringendo, viam coarctet ſanguini e corde erupturo, quemadmodum coarctabat fortaſſe in Obſervatione illa noſtra (a) quam cordis præceſſerat palpitatio.

Cujus hoc noſtrum cauſarum examen non eo ſpectare, credito, ut ullam earum omnino rejicias, ſed ut aliam aliter, alibique agentem, cum aliaque conjunctam, aut ſejunctam, alias palpitationem efficere, alias non efficere, mecum agnoſcas, & de ſingulis ferme non plus dicas quam quod in ipſo initio Sectionis hujus, Scholiographi, vel potius Hollerii verbis in Sepulchreto ſcriptum leges: *Excitari poteſt cordis palpitatio a tuberculo, abſceſſu*, aliiſque ejuſcemodi. Longe enim aliud eſt *excitari poſſe*, ac neceſſario excitari. Quorum hoc, non illud, nobis minus cum vero conſentire in re propoſita viſum eſt.

24. Te ſæpius miratum eſſe, non dubito, hanc Epiſtolam relegentem, quod nuſquam me niti animadverteris obſervationibus, doctrina, auctoritate Eximii Archiatri Senacii, quaſi de Palpitatione Cordis nihil ſcripſiſſet, aut longe alia ipſi, ac mihi ſententia eſſet. Ille vero de ea tot ſcripſit, & ego quæ his Litteris comprehenſa ad te miſeram, cum illis fere inveni adeo conſentientia, ut præſtare cenſuerim hic ſemel, ſed paulo fuſius, de ipſo dicere, quam centies obiter nominare. Si totum igitur, quod de hac cordis affectione conſcripſit caput (b), & quæ alibi quoque attigit, non curſim, ſed attento, ut par eſt, animo perlegeris; primum quæ de cauſis palpitationis doceat tum generatim, tum ſpeciatim, animadvertes. Et generatim quidem ab irritatione cordis ejus palpitationem deducit; ſpeciatim vero ab rebus irritationem facientibus, aut irritationis cauſam præbentibus. Quarum rerum alias extra cor, alias in corde ipſo eſſe, oſtendit. In his vitia cordis ponit, atque explicat unde irritatio naſcatur, ſive ſanguinis egreſſui obex, ſive ingreſſui opponatur, tum ſive cordis caveæ ſint dilatatæ, ſive conſtrictæ: qua occaſione egreſſum ſanguinis minus liberum ab auricularum dilatatione deducit, ut quarum, ſanguine diſtentarum, moles adſitos arteriarum comprimat truncos, quod eo facilius credes, ſi carneam modicam *excreſcentiam* inter illos in cordis baſi a Garnerio (c) repertam, memineris, ipſos comprimendo, perpetuam feciſſe palpitationem. Ad ingreſſus autem ſimul, & egreſſus ſanguinis impedimentum quomodo faciant valvulæ, auriculis ſubjectæ, ſi induratæ, & agglutinatæ parietibus cordis ſint, ut ipſe in quodam viro deprehendit, alibi (d) explicavit. Alibi quoque (e) egregie docuit, illiuſmodi impedimentum immerito ſæpius tribui polypoſis in corde concretionibus, præſertim cum certæ, evidenteſque in valvulis, & auriculis, vaſiſve majoribus cauſæ occurrant palpitationis, in quo Vieuſſenius, & Langelottus peccarunt. Tum ad cauſas quæ extra cor ſunt, ut nervos referat, videbis, ſive in cerebro, ſive alibi irritatos, & vel abſque nervis, ad compreſſa pulmonum vaſa: quæ dum præclare, ut ſolet, pertractat, admonere non omittit, quam caute incuſare hanc cauſam oporteat,

(r) 16. in Schol. (ſ) 31. in Schol. (t) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. I. in Opuſc. (u) Vid. ſupra, n. 18. (x) n. 19 in fin. (y) Obſ. 110. (z) ſupra, n. 19. (a) ſupra, n. 21. in fin. (b) Traité du Coeur l. 4. ch. 11. (c) Sect. hac 8. Sepulchr. Obſ. 23. (d) ch. 9. n. 5. (e) ch. 10. n. 10.

teat, ut quam ſolam palpitatio ſæpe non ſequatur. Porro; ut alia bene multa, eaque perutilia invitus prætercam, de quibus ipſi ex inſtituto agendum fuit, & in iis, ut incepi, ſubſiſtam, de quibus ſcribendi occaſionem habui, præſertim vero ad pericardium ſpectantibus; quomodo ex hujus hydrope accidat palpitatio, oſtendit: de ambiguis autem ſive illius tumorum indiciis, ſive non ita certis ejus vermium obſervationibus, alio loco (*f*) prudenter differit: ubi (*g*) etiam exempla deficientis pericardii infirmat, cordi autem adhærentis ſua quoque multiplici obſervatione confirmat: qualis autem adhæſio, & ad quas cordis ſedes, palpitationis cauſa, aut impedimentum ſit, docet (*h*): nec reticet, quam cautos eſſe oporteat, ubi ſimul cauſæ aliæ ſunt, & præſertim graviores, ne adhæſioni temere palpitationem adſcribamus, & generatim admonet, ubi ſimul cauſæ ſunt plures, peculiares ſingularum effectus internoſcere non licere; imo tunc univerſas efficere quædam poſſe, quæ ſingulæ nequaquam poſſent. Præclara illa quoque ſunt (*i*): quarum cauſarum, morborumve ambigua, & obſcura ſunt ſigna, aſſiduis perquiſitionibus eſſe a Medicis operam dandam, ut aliquando illuſtrentur: quod etſi conſequi non potuerint, eum interea fructum capturos, ut in pronunciando, curandoque cautiores ſint, Phyſicamque adjuvent, in qua, hiſtoria morborum omnium, quibus homines obnoxii ſunt, quamvis non niſi poſt obitum pateant aliqui, ipſa per ſe digna eſt quæ minime ignoretur. At ſi, velut in pluribus palpitationis cauſis feliciter contigit, accidat denique, ut ſatis internoſcantur; quanta inde utilitas ad prædicendum exiſtat, quanta ad curandum, nihil, mihi crede, oſtendere clarius poteſt, quam quidquid poſt cauſarum examen hic Summus Archiater, ratione, & experientia fretus, partite, & copioſe in multo majori parte ſubjicit indicati capitis de Cordis Palpitatione. Quo perlecto, haud amplius miraberis, in tanta auxiliorum copia quæ Veteres nobis adverſus illam reliquerunt, tot paſſim occurrere, quorum alia aliis repugnent evidentiſſime. Cum enim palpitationis cauſæ tam variæ ſint, & quædam adeo inter ſe adverſæ; variis quoque ſingulæ, adverſiſque remediis nonnullæ oppugnentur, neceſſe eſt. Cauſis igitur in ſuum quaque ordinem digeſtis, ex confuſo illo quaſi chao, ſingula, ut vere ait, remedia in ſuum quodque locum per ſe, ut ita dicamus, ſe ipſa diſtribuunt. Verum hæc ſatis non ad juſtam recte ſcriptis laudem reddendam; ſed ad tuum perlegendi deſiderium incitandum. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXIV.

Sermo fit de Pulſibus præter naturam.

SI de omni pulſuum vitio ſermonem inſtituere his Litteris vellem; infinitum laborem, inutilemque ſuſciperem. Quotus enim quiſque morbus ingruit paulo gravior, in quo non aliquid pulſus peccent? aut in quo per anatomen liceat veram hujus rei cauſam oſtendere? Satis erit igitur majora quædam pulſuum vitia, eoque Medici cogitationem, & Anatomici perquiſitionem ad ſe peculiariter trahentia, diligentius attendere, facto initio a maximo omnium: quod mihi quidem videtur in ea pulſuum exilitate ac debilitate conſiſtere, ut cum amplius non percipiantur, æger aſphyxia teneri dicatur, ſive jam eſſe ſine pulſu. Quo Valſalvæ noſtri Obſervatio ſpectat, ad hunc modum ſe habens.

2. VIR annos natus quinquaginta, cum multis antea diebus a peripneumonia liber evaſiſſet; rurſus in thoracis incidit morbum. Nam præterquam quod de ſiti, & inani tuſſi querebatur, in ſiniſtrum latus cubare non poterat. Quotieſcunque enim hoc tentabat, paulatim ſe id latus verſus convertendo; quo magis convertere ſe pergebat, eo magis ſentiebat, imminere animi defectionem: quam ut vitaret, ad ſupinum, aut ad oppoſitum redibat ſitum. An febricitaret, ex pulſu conjicere non licebat, quippe qui minime percipiebatur. MORTUI pericardium inventum eſt valde dilatatum, materiaque purulenta, multo diluta ſero, oppletum. Cor veſtiens membrana valde erat craſſefacta. Ex hac ad pericardium duæ ſolidæ, & firmæ productiones ferebantur, ſingulæ cylindri forma, craſſi, & brevis ligamenti inſtar, cor valide ad pericardium annectentis. Altera prope auriculam dexteram enata, ſecundum horizontem in pericardii anterius latus pergebat; altera autem ab ipſo cordis mucrone in mucronem pericardii, tenſa adeo, ut non poſſet ille ſyſtoles tempore baſim verſus accedere, niſi pericardium ſecum traheret, & quod conſequitur, diaphragma.

3. Secundum hanc quidem Valſalvæ animadverſionem proclive tibi videbitur hujus aſphyxiæ cauſam intelligere, corde videlicet ſic alligato, ut in extrudendo ſanguinem, vix leviſſime ſuo fungi officio poſſet. Cauſam quoque aſſequi te, credes, imminentis animi defectionis ex tentata converſione thoracis in latus ſiniſtrum, nimirum quia plurima quæ pericardium diſtendebat, materia, tunc hujus mucronem gravabat maxime, eoque reſiſtentias augebat cordi ſe contracturo, ut nullo jam modo ſuum exequi valeret munus. Veruntamen eſſe aliqua fortaſſe poſſint, quæ tibi obſtent rem ad illum modum intellecturo. Mitto ea quæ a Valſalva ipſo accepiſſe, memini, de vinculo inter pericardium ducto, & cordis latus in eo, cui varius decubitus varium pulſum efficiebat: & quæ de tremore cordis apud Albertinum (*a*) legeris, ſi ii concitatius ſe moverent, in quibus *tenui membraneo vinculo laxe cordi alligatum pericardium* invenit: & quæ in Sepulchreto (*b*) de pulſus inæqualitate in viro, cui *pericardium mediæ cordis regioni, & quidem adipoſæ ejus ſubſtantiæ*, ut ſuperioribus etiam Litteris dixi, *per fibroſos nexus adhæreſcebat*. Has enim alligationes omnes fuiſſe, diceres, laxiores, quam ut cordis motum impedire adeo poſſent, ut fieret aſphyxia, præſertim cum ad ejus mucronem non attinerent. Sed quid ad Præcl. Halleri (*c*) Obſervationem dices, qui *cor cum pericardio carneis fibris ex mucrone adſcendentibus connatum* vidit *ſine ullo, quantum novit, hominis incommodo*? Certe ſi aſphyxia laboraſſet, ignorari non potuiſſet. Num hanc quoque dices alligationem laxam fuiſſe, quam alibi (*d*); de eadem enim videtur loqui; *freni inſtar coercuiſſe* dixit *extremum mucronem*? Fac tamen fuiſſe laxam. Num laxa erat in tot illis Obſervationibus quæ ſuperiore ſunt Epiſtola (*e*) commemoratæ? In illis certe arcte pericardium ipſum non mucrone modo, ſed cordi univerſo adnatum erat: nec tamen ulla eſt in qua aſphyxia fuerit vel extremo tempore animadverſa. Quin etiam cum tres aliæ extent Clariſſimorum Virorum Joannis Fantoni (*f*), Benedicti Gullmanni (*g*), & ejuſdem quem merito laudabam modo, Alberti Halleri (*h*), quæ neſcio quomodo me fugerint illam Epiſtolam recenſentem; in prima nihil niſi *cor convulſive motum*, in tertia ne hoc quidem, in ſe-

(*f*) ch. 5. n. 2. & 3. (*g*) n. 4. (*h*) Vid. etiam ch. 9. in fin. (*i*) ch. 5. n. 1.
(*a*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. I. in Opuſc. (*b*) l. 2. Sect. 1. in Addit. Obſ. 32.
(*c*) Differt. de Vaſis cord. propr. not. ultima. (*d*) ad Boerh. Prælect. §. 182. not. *m* (*e*) n. 17. 18. & ſeqq.
(*f*) Anat. corp. hum. Diſſ. 11. (*g*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 4. (*h*) Opuſc. Pathol. Obſ. 49.

in ſecunda palpitatio cordis, inæqualitas pulſus, aſthma, aliaque diligenter, ſed non aſphyxia, memorantur; quamvis ſiniſter cordis ventriculus intus, extraque eſſet cartilagineæ firmitudinis; & pericardium tamen, in hac carnoſum, in prima cartilagineum, *undique cordi valide, arctiſſime, adcurate & pertinaciter*, ut in tertia quoque, annexum erat. Quid ergo reſpondendum eſt? Vide, an hoc forte: Valſalvam præter illam alligationem, inveniſſe membranam cordis extimam multo craſſiorem factam, pericardium autem oppletum ſeroſa materia, & purulenta. Craſſitudo enim illius membranæ faciebat fortaſſe, ne cor ſatis expandere ſe poſſet, & cum paucum propterea admitteret ſanguinem, neque modica hujus copia mox in arterias extruſa, nec vi qua extruderet, ipſas dilatare ſatis valeret, cohibitum ſcilicet ab alligatione, & præterea a materia illa, ut ſeroſa erat, laxatum, ut purulenta autem, peſſime affectum, ſive hæc ex pulmonibus in peripneumoniæ declinatione tranſlata huc fuerat, ſive peripneumonia habuerat etiam pericardii, & membranæ cordis inflammationem conjunctam: quorum utrum credibilius ſit, propter eorum quæ tunc ægrum afflixerant, & quæ in mortui pulmonibus apparuerint, ignorationem, haud liquet. Verum eſt quidem, utriuſque, aut alterius illarum membranarum inflammationem exceptam fuiſſe non ſemel ab utriuſque inter ſe coalitu ſecundum Ruyſchii, & Freindii Obſervationes, ſuperioribus Litteris (*i*) commemoratas. Sed verum eſt quoque, ſerum craſſis, & quæ facile concreſcere poſſint, particulis fœtum, ſæpe intra pericardium exprimi, eorum præſertim qui laborant peripneumonia, ſicuti ad te ſcripſimus alias (*k*). Ex ejuſmodi autem concretionibus, ſi tenues, disjectæque cordi adhæreant, poſſe effici inſtar pilorum; ſi conſtipatæ autem in unum aut plures quaſi faſces inter cor, & pericardium ducantur, fieri poſſe craſſa vincula illud ad hoc alligantia, alterum quidem ab Riolano (*l*) indicatum, utrumque autem per obſervationes a Weitbrechto (*m*) confirmatum eſt. Nam Riolanus hoc tantum ſcripſerat: *ſi aqua pericardii craſſa & viſcida fuerit; ejus craſſamentum in pilos convertitur. Unde cor piloſum in quibuſdam obſervatum fuit*. Eo tamen magis inclinat animus, cum præter pus, & craſſam factam membranam cordis, firmitudinem attendo vinculi a Valſalva deprehenſi, ut prima hoc potius ratione ſuſpicer, quam altera productum fuiſſe, nempe coalitu, neque illo arctiſſimo, qui ad mucronem tantum contigerit.

4. Cæterum ſi piloſi cordis injecta mentio te forte cupidum ſciendi facit, an quidquid de ejus inventis pilis ab Hiſtoricis, itemque a Medicis proditum eſt, cenſeam ad eundem modum eſſe explicandum, ad quem paulo ante indicabam; ſic habeas velim, dubia mihi, neque unam ob cauſam, videri pleraque ejus obſervationis antiquiſſima exempla. Nam quod in Ariſtomene Meſſenio Valerius (*n*) ſcripſerat ab Athenienſibus repertum eſſe, id factum Plinius (*o*) poſtea tradidit ab Lacedæmoniis, Pauſanias autem (*p*) Ariſtomenem, non captivum inter crudeles hoſtium manus, ſed liberum, & ab utriſque longe diſſitum, cum ad Generum apud Rhodios tranſiiſſet, *ex morbo obiiſſe*. Quod vero in exciſo Leonidæ corde a Xerxe conſpectum narrat Plutarchus (*q*), Ariſtidem qui de rebus Perſicis ſcripſit, ſecutus; a barbaro quidem, & inimico Rege id fieri potuit; ſed in viro ad extremum uſque fortiſſime pugnante non ſatis veri ſimile eſt, cor morbidi quidquam habuiſſe. Idemque a me dici, credito, de Lyſandro, qui exercitum ducens, ſub Haliarti mœnibus *in pugna cecidit* (*r*). Potuerat ſane ab interfectoribus Thebanis, & Athenienſibus, qui ipſum vehementer oderant, mortui corpus diſcerpi. Sed hoc factum neque Pauſanias, neque in Lyſandri Vita Plutarchus, qui redditum Lacedæmoniis corpus ſcripſit, ullo modo indicant. Unus, quod ſciam, memorat in Lyſandro, & in cane Alexandri Euſtathius apud Cælium Rhodiginum (*ſ*), ex Græcis addentem in Hermogene quoque Rhetoricæ artis Scriptore. Sed ut canem illum diſſecari potuiſſe, fateor; ſic rhetorem hunc non facile crediderim, quippe mortuum iis temporibus quibus hominum corpora diſſecare fas non erat, & ob eam in quam ex acerrimo juvenili ingenio diuturnam inciderat mentis hebetudinem (*t*) omnium potius miſeratione, quam ullius hoſtili odio, & rabie dignum, a qua, ut ſuperiores illi potuerant, credi poſſit ipſe pariter poſt mortem tractatus. Intelligis, cur in pleriſque antiquis exemplis dubitem, verearque, ne homines tanto ea facilius crediderint, quia cum Homerus ut prudentiam ſignificaret, quemadmodum putat Euſtathius (*u*), *denſum pilis cor* dicere viſus ſit, & præterea Nonnus (*x*) ut Sabinorum audaciam exprimeret, iis *cor denſis veſtitum pilis* tribuerit; eximiam quandam ſive prudentiam, ſive calliditatem, ſive audaciam exiſtimaverint, ſine piloſo corde facile eſſe non potuiſſe, præſertim quando; ut ad minus vetuſta exempla tranſeam; ejuſmodi cor in tribus latronibus, ſcelere, & audacia nobilibus inventum eſſe, legerunt apud Muretum (*y*), Benivenium (*z*), & Amatum Luſitanum (*a*). Qui in eo quem conſectum a ſe dicit, cujuſmodi fuerint pili, non indicat: ut neque Scultetus Noribergenſis (*b*), qui in audaciſſimo pariter Juvene, in Theatro hoc noſtro Anatomico A. 1650. diſſecto cor *undequaque piloſum* fuiſſe, ſcribit: nec denique Lanzonus (*c*), qui in plebejo, ab ſe inciſo, cor *undique pilis refertum* invenit. Quem tamen cum peripneumonicum fuiſſe, appareat, proclive eſt conjicere, non pilos, ſed viſcidas concretiones habuiſſe, quæ pericardium, cum a corde removeretur, ſequentes, ſua tenuitate, & albedine incanos pilos repræſentarent. An vero eidem conjecturæ ſit locus in cæteris qui modo ſunt memorati, non facile dixerim: quamvis in latronibus, quippe diu in teterrimo carcere macerari ſolitis, ut ſocios indicent, & facinora omnia confiteantur, cachexiam liceat, hincque non paucum, eumque craſſum fortaſſe, & viſcidum pericardii humorem ſuſpicari. Nec quia Juvenis in hoc Theatro diſſectus, ex accepto vulnere continuo obierat, ideo, quod ad cor, & pericardium attinet, optime, cum viveret, ſe habuiſſe, exiſtimabis, poſtquam legeris (*d*) *per plures annos de ardore cordis* eſſe *conqueſtum*. Quod ſi præterea animadverteris, neque Antonium Molinettum, neque Petrum de Marchettis, neque Dominicum filium, qui Parenti manus adjutrices præbebat, neque horum omnium Amicum Joannem Rhodium, qui tot hic habitas paulo rariores Obſervationes collegit, nullam, quod meminerim, hujus de qua dico, & cujus alii eorum ob injunctum munus, alii ob aſſiduam in Theatro frequentiam non conſcii eſſe non potuiſſent, nullam, inquam, hujus feciſſe mentionem, ne ibi quidem ubi Antonius, aut Dominicus de pilis poſtea, & de corde ſcripſerunt; ſi hæc igitur animadverteris; facile opinaberis, qui primo aſpectu viſi eſſent pili, eos accuratius dein examinatos, longe aliud fuiſſe compertos. Quin ubi ordo, & genus Juvenis illius venit in mentem, quorum utrumque in Theatrum inferri, & publice diſſecari prohibebat; confictum ab aliquo hunc caſum, & Sculteto alibi narratum crederem, niſi ex libris meæ hujus Inclytæ Nationis Germanicæ appareret, totum illud biennium, in quod is annus cadit 1650. hic ipſum fuiſſe, ſtudiorum videlicet cauſa, quod ſemper Germani fecerant, nec poſtea facere quoad cunctis integrum fuit, intermiſerunt. Qui aliter putant, ſi eos inſpicere potuiſſent libros; vidiſſent utique ſervatam eam conſuetudinem; ut innumeros, qui minus ſunt noti, prætercam; a Philippo Jacobo Sachſio, Jacobo Pancratio Brunone, Chriſtiano Mentzelio, Paulo de Sorbait, Jo. Sigiſmundo Elſholtio, Eraſmo Bartholino, Michaele Lyſero, Henrico a Moini-

(*i*) n. 18. & 19. (*k*) Epiſt. 20. n. 37. (*l*) Anthropogr. l. 3. c. 7. (*m*) Comment. Acad. Sc. Imp. Petropol. Tom. 6.
(*n*) Fact. ac Dict. Memorabil. l. 1. c. ult. (*o*) Natur. Hiſt. l. 11. c. 37. (*p*) De tota Græcia l. 4. (*q*) in Parallel.
(*r*) Vid. Pauſan. Oper. cit. l. 3. & l. 9. (*ſ*) Lect. Antiq. l. 4. c. 16. (*t*) Ibid. l. 21. c. 6. (*u*) Ibid. l. 4. cit. c. 16.
(*x*) apud Muret. Var. Lect. l. 12. c. 10. (*y*) Ibid. (*z*) De abdit. Morb. &c. Cauſ. c. 83. (*a*) Cent. 6. Curat. Med. 65.
(*b*) Trichiaſ. admir. (*c*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. Obſ. 122. (*d*) Trichiaſ. cit.

Moinichen, Jo. Daniele Majori, Marco Mappo, Gabriele Claudero, Henrico Meibomio, Michaele Ettmüllero, Jo. Nicolao Pechlino, Georgio Abr. Mercklino, Paulo Hermanno, Luca Schrockio filio, Carolo Raygero, Davide von der Becke, Gothofredo Schulzio, Jo. Fabricio, Jacobo Barnero, Jo. Mauricio Hoffmanno, Jo. Caſparo Sparr, Ferdinando Carolo Weinhart, Vito Riedlino, Franciſco Stockamero, Jo. Adamo Limprechto, Jo. Guilelmo Pauli, Jo. Georgio Wolckamero, Michaele Friderico Lochnero, Jo. Sigiſmundo Henningero, Georgio Dethardingio, & Jo. Adamo Genſelio, qui etiam, ut ſuperiorum non pauci, Doctor eſt hic creatus A. 1702. Satis autem mihi eſt; ne forte juniorum quenquam invitus prætercam; te ab anno illo 1650. per inſequentium annorum ſeriem ad initia uſque ſæculi hujus perduxiſſe, ut facile intelligas, num circa medium ſæculi ſuperioris tanta in Italia facta ſit rerum mutatio, ut Exteri ad Italos venire medicorum ſtudiorum gratia magis, magiſque intermiſerint, hac inter cæteras ratione permoti, quod in Italia toto eo ſæculo adhuc ſequerentur Galeni theorias; quaſi vero Thomas Cornelius, Leonardus de Capua, Marcellus Malpighius, Jo. Alphonſus Borellus, Franciſcus Redius, Laurentius Bellinus, Lucas Tozzius, Bernardinus Ramazzinus, & alii apud noſtrates, exteroſque celeberrimi, aut Galeni aſſeclæ fuiſſent, aut non poſt medium ſuperioris ſæculi ſua doctrina, ſuiſque ſcriptis Italiam ornaviſſent. Quo etiam tempore neque Carolum Fracaſſatum, neque Franciſcum Spoletum, nec Jo. Baptiſtam Scaramuccium, nec ipſum denique Pompejum Saccum in Galeni verba juraſſe, eorum lucubrationes oſtendunt, ut Dominici quoque Guglielmini, & Georgii Baglivi; nam utriuſque horum jam ante finem illius ſæculi quædam prodierant. Et quando me nihil, niſi veri amor, in hunc ſermonem deduxit; ſine, hoc quoque admoneam, quod pariter ad hiſtoriam ſpectat litterariam ejuſdem ſæculi, ut ſicubi legas, catalogum Profeſſorum Patavinorum ab anno 1611. ad 1694. haberi in Act. Eruditor. quæ Lipſiæ eduntur, Tomo I. (*e*) animadvertas, non alios in catalogo illo nominari, niſi qui Artes docebant eo A. 1682. ideoque nomina deeſſe Galilæi, Sanctorii, Caſſerii, Spigelii, Veslingii, Petri de Marchettis, Antonii Molinetti, Proſperi Alpini, Jo. Prævotii, Sertorii Urſati; ut alios, nec paucos, omittam illuſtres Viros, qui intra illud plus octoginta annorum ſpatium Gymnaſii hujus noſtri famam auxerunt.

Sed ad Scultetum ut redeam; etſi neque ex ejus, neque ex illorum quos ante ipſum indicavi, ſcriptis ſat liquet, verine unquam pili, an pilorum ſimilitudo intra pericardium reperta ſit; non tamen facile negaverim, fieri poſſe, ut quemadmodum ipſe intra Duram cerebri meningem faſciculum reperi capillorum (*f*), alii autem alios alibi pilos, atque adeo intra dexterum canini cordis (*g*) ventriculum (an illuc cum ſanguine ex purulentis, in quibus erant, partibus invectos?) ſic, inquam, fieri poſſe, non negaverim, ut aliquis nonnunquam cor revera piloſum aut invenerit, aut inveniat: quod ſi accidat, ſumma in examinando, comparandoque cum veris pilis diligentia Obſervatori commendanda eſt. Sic autem aſſenſum hac in re ſuſtinuiſſe, tanto magis gaudebam, cum hæc relegerem; quod Illuſtris Archiater Senacius (*h*), ubi agit de piloſi cordis obſervationibus, ipſe quoque haud aliter ſentiendum exiſtimat. Sed ab longiori quam initio putaveram, & non una tamen de cauſa haud inutili, ne dicam mihi neceſſaria, digreſſione ad inſtitutum revertamur.

5. In Valſalvæ ſchedis nullam aliam, præter eam quæ propoſita eſt (*i*), Obſervationem invenio quæ ad pulſus attineat peculiariter; cum multæ ſint alioquin ſimul ad hos quidem, ſed magis ad alia pertinentes, ut tibi propterea alibi aut deſcripſerim, aut ſim deſcripturus. Quapropter huc meas addam, quæ ipſæ erunt non ita multæ: nec mirari debes; nam in IX. quæ huc ſpectat, Sepulchreti Sectione cum Obſervationes proferantur quadraginta quinque; primum ſeptem delendæ ſunt, quippe repetitæ, ut facile intelliges, VIII. cum XXVII; XII. cum XLIII; XIII. cum XXXIX; XIV. cum XLIV; XVI. cum XXI; XX. cum XXXI; & XXXVIII. cum XLI. conferendo: ex reliquis autem diſerte admonet ipſe Bonetus, eſſe viginti quatuor ad alios titulos tanto magis pertinentes, ut ſub ipſis fuſius exhibitæ ſint: itaque de quadraginta quinque redimus ad quatuordecim. Verum, utcunque id eſt, accipito libenti animo quas dare poſſum, & primum hanc, quæ & ipſa attinet ad aſphyxiam.

6. SENEX jam tres menſes ex quo crus fregerat, in hoc cubabat Noſocomio, levi quadam, ſed pertinaci, febre detentus, cum præter expectationem repente animadverſum eſt, ſine pulſibus eſſe hominem, cui ne intermittere quidem conſueſſent, & qui nihil pejus quam ſoleret, eo ipſo tempore ſe habere, aſſeverabat. Quod ut confirmaret, protinus ſe erexit, & in lectulo conſedit. Tamen, neque ita multo poſt, reapſe eſt mortuus. CAPUT cum cervicibus, & pleriſque viſceribus a me diligenter perſectum eſt, ut ſtudioſæ Juventuti opportuno eo tempore; erat enim ſub initium Decembris A. 1730; multa demonſtrarem quæ non ſunt hujus loci. Quæ vero præter naturam aut erant, aut videri poterant, huc redeunt. Cum ex vertebrarum tubo, dum ab infimis cervicum vertebris reliquæ disjungerentur, nihil aquæ prodiiſſet; non pauca ex cranii cavo, dum circum ſecaretur, defluxit. Non pauca etiam fuit in Lateralibus ventriculis. Subſtantia tamen cerebri non modo non laxa, ſed omnium quæ mihi ſe obtulerint, fortaſſe duriſſima: nec pallida erant ſanguifera vaſa; imo atro ſanguine referta pleraque, Sinus præſertim. In duabus illis arteriis quæ prope ſuperiorem faciem Calloſi corporis inter utrumque hemiſphærium ducuntur, aereæ inerant bullæ: & tamen frigida erat tempeſtas, vix tertius a morte dies, & ne minimum quidem indicium putredinis. Carotidis arteriæ dexteræ, qua e Receptaculo exiſtebat, non parva parietum portio erat craſſior facta, & naturæ inter ligamentum, & cartilaginem mediæ, facie tamen intima etiamtum membranea: cujuſmodi vitium in aliis quoque majoribus cerebri arteriis jam inchoatum viſum eſt. Extra cranium autem multo gravius erat. Namque in altero colli latere, ad ipſam Carotidis diviſionem oſſea non modica lamella inter ejus tunicas inerat: ejuſdemque truncus totus erat plurimum dilatatus, cum juſtus eſſet in Carotide altera latitudinis modus. Thoracis tamen viſcera, & Magna vaſa cum perluſtrarem, nuſquam dilatationes animadverti: quamvis Aorta prope valvulas indicia oſtenderet futuri oſſis, eaque alibi etiam; quin mediocrem laminam haberet oſſeam ſub intima tunica, qua, Subclavia ſiniſtra emiſſa, deſcendere jam incipiebat. Polypoſæ autem concretiones obtinebant paſſim cordis ventriculos, præſertim dexterum, & Magna vaſa, in quorum uno fuit quædam earum albida, atque ita compacta, ut diſtrahenti valde reſiſteret. Ventris viſcera nihil habuerunt vitii, ſi renem alterum excipias, qui ſub ipſa propria tunica cellulam continebat, fabæ mediocris capacem, ſeri plenam. Ne hoc quidem omittam, ad latera Seminalis carunculæ granula quaſi *tabacci* occurriſſe: in pendula autem urethra vix unum fuiſſe, eumque tenuem ex omnibus a me inventis Canaliculis. Atque ut magis intelligas, me nihil eorum quæ in hoc corpore ab naturæ conſuetudine vel leviter recedere viderentur, neglexiſſe; hoc etiam accipe, ex gyro propemodum toto helicis auricularum, pilos huic homini pependiſſe longos adeo, ac confertos, ut μύϛαξ raro occurrat qui poſſet cum iis cirris comparari.

7. Videndum eſt tibi, veliſne brevem hanc aſphyxiam ab aqua deducere, intra cranium repente effuſa, quæ cum minus cerebro, quippe hic duriſſimo, nocere poſſet, cerebellum ita compreſſerit, ut immi-
nuto

(*e*) pag. 375. (*f*) Epiſt. Anat. 20. n. 58. (*g*) Act. Erud. Lipſ. M. Maj. A. 1684. pag. 215.
(*h*) Traité du Coeur l. 4. ch. 9. n. 1. & ſeq. (*i*) n. 2.

nuto ſpirituum in cor influxu, non poſſet hoc ſanguinem niſi debili primum, & inſenſibili impulſu, mox vero, cum mors videlicet ingruit, nullo prorſus in arterias immittere. Sic etiam relegens Epiſtolam ad te noſtram XIV. (*k*), videbis, puerum cujus cerebelli partem pus vitiaverat, pulſibus complures dies omnino caruiſſe. Quod ſi forte minus tibi placeat hac, quæ nec mihi perplacet, aut ejuſcemodi ratione alia rem explicare, quam ad concretiones iſtas polypoſas referre; plures quidem habebis, quibus auctoribus id facias; ſed recte, an ſecus facias, erit tibi diligenter etiam atque etiam conſiderandum. Scilicet me quidem non fugit, potuiſſe te in Sepulchreto legere Obſervationes duas aſphyxiæ, alteram (*l*) in Viro per diem integrum, alteram (*m*) in Virgine per viginti quatuor horas, utramque iſtiuſmodi concretiones in corde repertas deſcribentem; & poſſe ad eas addi ex aliis antea editis, quamvis in eo Opere prætermiſſis, Sebaſtiani Piſſinii (*n*) unam in nobili Matrona Clara Spada habitam, quæ cum ſine pulſibus fuiſſet *ad quadrageſimum diem, & ultra*, corpora iſtius generis in utroque exhibuit cordis ventriculo: quin etiam; ne a Sepulchreto diſcedamus; cordis Magna vaſa concreto ſanguine fuiſſe repleta in Viro *diutius* aſphyxia laborante (*o*), in altero autem qui ad eundem modum *quatuor ante mortem menſibus* affectus fuerat, *nullam aliam* deprehenſam eſſe aſphyxiæ tam diuturnæ *cauſam* præter decem, aut duodecim grumos ſanguinis craſſi, nigri, concreti in Aorta prope cor (*p*). Verum ne diſquiram, num in his omnibus Obſervationibus nulla præterea fuerit cauſa, & præſertim in hac ultima, quæ ut non uno in loco Sepulchreti (*q*) fuſius proponitur, a te poterit melius inſpici, aut in illa quam pertinere ad Virginem dixi, cui fuiſſe cor multo ampliſſimum, animadvertes; infra (*r*) erit opportunus admonendi locus, quid faciendum antea ſit, quam concretionum polypoſarum obſervationibus ſine facili erroris periculo nitamur. Interea vero illius tibi Juvenis veniat in mentem, quem in extrema Epiſtola XXI. (*ſ*) ſine pulſibus deſcripſi, corde autem non minus quam in ea Virgine, amplificato; ſed tamen ſine ulla ſanguinis concretione. Cujus fibræ cordis cum eſſent ſumma laxitate, dubium eſſe poteſt, an hæc magis, quam cordis amplitudo, aſphyxiam fecerit: quanquam ab utraque conjuncta factam fuiſſe, non videtur dubitandum. Sic etiam memineris, Epiſtola XVIII. (*t*) propoſitam fuiſſe mulierem corde illam quidem amplificato, ſed cujus frequentis aſphyxiæ cauſam ſatis poſſe intelligi, non credidimus, niſi addita convulſione. Nam etſi quotieſcunque aſthmate, ut videbatur, convulſivo prehenſa, in Noſocomium ventitabat, pulſus percipi non poterant; credibilius eſt tamen, in paroxyſmis dumtaxat non ſecus ac haud raro ſolent hyſtericæ, quam ſexennium illud totum continenter pulſibus caruiſſe. Qui enim continenter carent, tandiu poſſe vivere non videntur (etſi Riolanus (*u*) vel multo diutius vidiſſe ſe, dicat; ſed *cum ſumma*, quæ hic non erat; *virium imbecillitate*) niſi forte id ſit ab arteriis, quas Medici tangere conſueverunt, aut exilibus, aut non ſuo loco poſitis, aut certa aliqua ratione impeditis: quorum nihil in ea muliere deprehenſum eſt. Exiles autem ſunt, quibus in plures diviſæ, aut quibus Ulnares craſſiſſimæ obtigerunt: non ſuo loco poſitæ, cum profundius locantur, ubi per anatomen a Cl. Torrès (*x*) in fœmina repertæ ſunt, quæ, dum viveret, illis carere videbatur, aut cum per radii dorſum feruntur; hac enim iviſſe crediderim in Starkmannio (*y*), cui non ſolita in ſede, verum inter pollicem, indicemque ſaliebant. Impediri autem non una ratione poſſe, mox indicabitur.

8. Exempla alia illiuſmodi naturalis aſphyxiæ ſive utroque in carpo, ſive in alterutro, in Sepulchreto (*z*) adnotata habes; ut minime opus ſit quæ mihi in exercenda medicina occurrerunt, narrare. Simul habes, qua ratione cavendum ſit, ne utrumlibet iſtius aſphyxiæ genus nobis imponat: quanquam ſecundum non niſi eos fallere Medicos poteſt, qui alterutro dumtaxat contrectato carpo, pronunciant, quod Minadoum (*a*) feciſſe, miror; quanto enim magis terrere videtur pulſus alter, tanto minus alterius omittenda exploratio eſt: & ſi uterque abſit, tentandæ aliæ arteriæ ſunt, Temporales videlicet, ac Carotides, & denique etiam, cum licet, quæ ad inguina ſaliunt, Crurales; neque enim uſque adeo verum eſt, *non minorem* quam harum, *evidentiam, & magnitudinem* eſſe Carotidum, quas tamen ob minus a corde intervallum, non me fugit, peculiari eſſe in re hac attentione dignas. Eſt etiam utrumque aſphyxiæ genus aliquando ab impedimento adventitio ambarum, aut ſingularum arteriarum quas in carpis tangere conſuevimus: nec talia in Sepulchreto (*b*) deſunt exempla. Ad eaque illud pertinet quod Lanciſius (*c*) indicat, & nos vidimus, *in Marchione Paulutio*. Scilicet deſignat eundem Generoſiſſimum Virum, cujus de morbo, & diſſectione pleraque alias (*d*) ad te ſcripſimus: quibus hoc quoque addere pro certo potes, in carpo ſiniſtro pulſum percipi non potuiſſe. Num vero id ex eo fuerit, quod polypoſum corpus ferme implebat ſiniſtram arteriam Subclaviam, qua ratione conſimilis etiam Obſervatio, in nobili alio Viro poſtea habita, explicata eſt, an aliunde repeti potuerit; cum abſens, aneuryſma quod ad curvaturam Aortæ erat, ipſe non examinaverim, in medio relinquo. Memini certe cujuſdam Harveii (*e*) Obſervationis, quam in Sepulchreto non invenio, nempe in quo *aneuryſma* deprehenſum eſt *in dextra parte juguli, prope deſcenſum arteriæ ſubclaviæ in axillas, ab ipſius arteriæ exeſione prognatum, ... in illo pulſum ejuſdem brachii exilem admodum* fuiſſe, *eo quod*, inquit, *major ſanguinis portio & influxus in tumorem divertebatur*.

Unde vero in multo breviore morbo, peripneumonia, factum dicemus, ut ille de quo eſt Sectionis hujus Obſervatio XXX. *haberet pulſus in dextra manu fere abolitos*? an unde Obſervationis auctor ait, Saxonia, *quod durior majorque in dextro pulmone* eſſet *inflammatio*? Si inde fuit; num propterea fuit quod ab ejuſmodi pulmone proxima dextera comprimeretur arteria Subclavia? At ſi hoc ponimus; continuo nobis videndum eſt, cur in paribus, quæ certe non raræ ſunt, ſummi pulmonis alterutrius inflammationibus non parem pulſus ejuſdem lateris abolitionem deprehendamus. Omnino autem multo facilius pulmonum vomicam aſphyxiæ infantis cauſam a Spindlero (*f*) per anatomen detectam fuiſſe, credam, quam a pulmonis ſiniſtri vitio, quod ut ab ſe prædictum ex pulſu, ita quoque inventum Celebris Profeſſor olim ajebat, pulſum in ſiniſtro pariter carpo humillimum infirmiſſimumque eſſe factum agnoſcam.

9. Sed ut has ſingulorum, aut brachii etiam utriuſque ſive a natura, ſive a morbo provenientes aſphyxias omittamus, itemque illas quæ in arteriis omnibus, quaſcunque tangere poſſunt Medici, circa lethalium morborum finem haud raro etiam ad biduum, aut plures dies occurrunt nihil habentes admirationis, quippe cum ſumma conjunctæ deficientium virium omnium dejectione, & ſenſuum hebetudine; magna certe difficultas eſt in cæteris illis, de quibus ſupra dictum eſt, aſphyxiis. Ægri enim externis, interniſque ſenſibus ſatis vigent, loquuntur commode, ſe de latere in latus convertunt (*g*), quin prompte ſe erigunt aliqui (*h*), & quod noſter vidit Ramazzinus (*i*), juvenis quidam Hebræus, cui ad quatuor dies *nullibi arteriæ micabant, adeo robuſtus erat, & ad motum expeditus, ut etiam ipſa die, qua e vivorum ſtatione deceſſit, e lectulo ſurrexerit, &* *ſuas*

(*k*) n. 3. (*l*) Sect. hac 9. Obſ. 4. (*m*) in ipſo fine Sect. 8. (*n*) Epiſt. de Polypo Cordis. (*o*) Sect. hac 9. Obſ. 45.
(*p*) Ibid. Obſ. 7. (*q*) ex. gr. l. 2. S. 3. Obſ. 22. §. 2. (*r*) n. 30. (*ſ*) n. 49. (*t*) n. 34. & 35.
(*u*) Encheir. Anat. l. 5. c. 46. (*x*) Diſſ. de Corde inverſo. (*y*) Eph. N. C. Cent. 10. Obſ. 42.
(*z*) in Schol. ad Obſ. 1. Sect. hujus, & ad Obſ. 10. (*a*) Ibid. (*b*) in Schol. ad cit. Obſ. 1. (*c*) De Aneur. l. 2. Propoſ. 38.
(*d*) Epiſt. 17. n. 26. & 27. (*e*) De mot. cord. Exerc. 1. c. 3. (*f*) Vid. Act. Lipſ. A. 1691. M. Janu. (*g*) ſupra, n. 2.
(*h*) n. 6. (*i*) Conſtit. Epid. A. 1692. & ſeqq. n. 23.

ſuas veſtes induerit. Fuerat is quidem eo quatriduo totus gelidus, nec urinæ quidquam reddiderat. Sed perfrigerationes, & iſchuriæ renales erant alioquin illis in ægrotis *ſatis frequentes* (*k*): neutraſque, niſi forte circa aſphyxiæ finem, in pleriſque hiſtoriis adnotatas memini; certe in Cive illo meo, quem in Adverſariis (*l*) commemoravi, perfrigerationes ultima tandem nocte acceſſerunt, tuncque urinas jam nigreſcentes quidem; non ſuppreſſas; vidi. Jam pone quam malueris aſphyxiæ cauſam ex iis quæ ſolent, & quæ ſupra (*m*) memoratæ ſunt: quæro, cur ceſſante arteriarum motu, non continuo, ut in ſyncope, ceſſent motus, & functiones partium cæterarum? Dices, quod & ipſe agnoſco, in aſphyxia non modo cor non quieſcere; nam & Piſſinius (*n*) in Clara Spada fatetur, *manu ſiniſtræ thoracis parti admota, ſubobſcurum quendam cordis motum apparuiſſe*; verum ne arterias quidem, majores præſertim, & interiores, ſed tantummodo leviter micare. Non tamen perſpicue oſtendes, qui fiat, ut in tanta motus ſanguinis imminutione, ea poſſint ægri quæ paulo ante propoſita ſunt, nec pallor, frigus, hebetudo, loquendi, edendi, & ſe movendi impotentia in eo quem vidi ipſe, continuo acceſſerint: imo potentia in nonnullis reſtet, ut poſtquam *vixerint ad plures dies omnino gelidi*, rurſus, ut Ramazzinus (*o*) obſervavit, *excalefiant*; quin etiam ut poſtquam ſex dierum ſpatio pulſu caruerint, optime convaleſcant, quemadmodum ex Bartholino in Adverſariis (*p*) memoravi. Sed hæc tu, & poſteri fortaſſe videritis; mihi necdum hac in re plus liquere, quam ibi (*q*) ſcripſerim, ingenue fateor. Hic fortaſſe dices, multo difficilius intelligi poſſe, quomodo in iis vita ſervetur, qui ſub aquis diutius merſi, mortuis ſimillimi educuntur. In aſphyxia enim reſpirationem, & quod conſequitur, interiorem ſaltem quandam circulationem ſanguinis perſtare, quæ in illis ſimul cum reſpiratione omnino intercipiatur, neceſſe eſt propterea, quia ſine aere alterne pulmonum vaſa explicante, ex his nihil ſanguinis tranſire in ſiniſtrum cordis ventriculum poteſt, quo nihil in arterias extrudente, circulatio prorſus nulla eſt. Quis vero neget, hæc quoque eſſe intellectu difficilia? Sed tamen ii mortuorum ſimiles jacent; aſphyxia autem correpti ea præſtare pergunt quæ diximus, ut valentes homines ſolent, non modo ut viventes: idque ipſum eſt quod potiſſimum admirabamur. Olim fortaſſe obſcura hac in re luminis aliquid exiſtet, ſi mulieris quæ Lutetiæ Pariſiorum adhuc forſan vivit (*r*), cadaver, qua par eſt, & qua ibi ſolet, diligentia perluſtrabitur: quanquam illius aſphyxia ab ortu uſque eſt, & ſi cujuſmodi ſit corporis calore, & colore, & menſtruis purgationibus, & valetudine, itemque ſi prolis unicæ maciem, parvitatemque ſpectemus, paulo minus videbitur eſſe mirandum, quod nulla uſquam arteriæ ullius, ipſiuſque cordis pulſatio ne poſt vehementiſſimas quidem exercitationes, aut in febrium, quibus ſæpe obnoxia eſt, maximo calore percepta ſit.

10. Proxima eſt Aſphyxiæ ſumma pulſuum exilitas cum debilitate conjuncta, a natura interdum, ſæpius a morbo. A natura eſſe, cenſui in muliere exercitata, & robuſta, quam angina vehemens urgebat: itaque ab iis pulſibus minime abſterritus ſum adoleſcens quo minus tantum ſanguinis detrahi juberem, quantum morbus flagitabat. Me vero non eſſe deceptum, ſervata mulier comprobavit, in qua poſtea, cum optime valeret, eoſdem illos pulſus deprehendi, & ab arteriarum quæ proxime cuti ſubſunt, naturali exilitate deduxi. A morbo autem cum hi fuerunt, in aliis aliud accidit, ut invenirem, velut eæ quæ ſequuntur, ex parte monſtrabunt hiſtoriæ: ex parte, inquam; nam quæ, exempli cauſa, ſummam exhibent fibrarum cordis laxitatem, eæ ad te alias aut miſſæ ſunt (*ſ*), aut mittentur (*t*).

11. VIRO annos nato ad quadraginta ſub cute quæ latus alterum occipitis veſtit, tumor increverat, quem talpam, & teſtudinem vocant. Hic cum in abſceſſum degeneraſſet, hominem tandem ſuſtulit. Nullæ unquam fuerant de thorace querelæ, nulla difficultas reſpirationis. Pulſus hec ita frequentes, nec rari, neque intermittentes, neque ulla unquam ratione inæquales, in eo dumtaxat peccaverant, quod eſſent debiles, & perexiles. Quæ omnia mihi diligenter ſciſcitanti aſſeveravit qui eum ſæpiſſime inviſerat, Medicus, cum forte in Gymnaſio adeſſet, dum hominis thorax incideretur, & hujus viſcera me perluſtrante, ipſe quoque ſpectaret. PULMONES undique cum pleura cohærebant, laxi, & fœtidiſſimi. Cor quoque, & ejus auriculæ, quamvis hæ aliquanto minus, pericardium undique habebant adnatum. Aorta qua ſecundum thoracis vertebras deſcendebat, intus magna hic illic cujuſdam quaſi incipientis eroſionis oſtendit indicia, minora autem, ſed plura futuræ oſſificationis. Nihil præterea vitii in thorace animadverſum eſt. Cætera autem fere omnia, & in his Caput, non tam ob fœtorem ſecare neglеximus, quam ob melioris, interea allati, cadaveris incidendi neceſſitatem, ut Publicam, jam provectam, Anatomen eo anno, qui fuit 1727; abſolvere poſſemus.

12. Nunc cranium quoque ejus vellem hominis introſpexiſſe, ſi forte proximum tumori, & abſceſſui cerebellum aliquid haberet labis, ut cum iis conferrem quæ ſupra (*u*) de ejus in aſphyxia non tam compreſſione indicavi, quam vitio ex pure quod ab exteriore abſceſſu per cranii cariem ad ipſum pervenerat, commemoravi, aut cum iis quæ in alia Epiſtola (*x*) de muliere ſcripſi pulſus humiles, cerebellum autem laxiſſimum habente: quanquam tibi fortaſſe cauſarum ſatis in thorace ejus de quo loquimur, Viri inventum videbitur. Sed pulmonis undique cum pleura cohæſionem ad rem nihil facere, tot alia cadavera demonſtrant, de quibus vel in noſtris Epiſtolis legeris. Ejuſdem autem viſceris graveolentiam ſatius fortaſſe eſt a ſanie deducere illuc extremis diebus ex abſceſſu per ſanguinem convecta, ne quod etiam antea peccabant pulſus, id a pulmone repetere conemur. Denique Aortæ vitium illic fuit, unde arteriæ non proveniunt carpos adeuntes. Reſtat igitur illa cordis univerſi ad pericardium adhæſio, qua factum putes, ut illud intra hoc conſtrictum minus expandere ſe poſſet, quam ad juſtam ſanguinis copiam excipiendam, &, quod conſequitur, in arterias extrudendam requiritur, præſertim cum alteram alias (*y*) tibi ſim hiſtoriam ſcripturus in qua poſt exiles pulſus & debiles pericardium inveni undique, tametſi non arctiſſime, cordi annexum, in ſuperiore autem Epiſtola (*z*) Peyerum, & Lowerum commemoraverim, qui in iis quorum cordi pericardium fuit adnatum, pulſum hic *parvum*, ille *debilem & parvum* adnotavere. Sed viciſſim oblviſci non decet, Dioniſium, Freindium, Fayum, quos ibi (*a*) pariter laudavi, in ejuſmodi caſu pulſum vehementem, incitatum, & palpitationi, quæ magna erat, reſpondentem memoraſſe. Videtur igitur quidpiam aliud adjiciendum, aut non adjiciendum, ut cauſa in ſpeciem eadem modo hunc, modo huic oppoſitum efficiat pulſum. An vero, & quid adjectum fuerit in trium quos noviſſime diximus, Doctorum Virorum Obſervationibus, ex iis poteris conjicere, quæ in ipſarum examine ſunt indicata. Non unus quoque apud Illuſtrem Auctorem Senacium locus eſt, quem attente perlegens, melius poſſis de cauſis oppoſitorum inter ſe pulſuum exiſtimare, ut ubi (*b*) in palpitatione indicat, qui fieri poſſit, ut cum vehementibus magniſque cordis pulſationibus ſæpius quidem pulſationes arteriarum jungantur exiles, nec validæ; nonnunquam tamen & validæ, & magnæ: aut ubi (*c*), abſen-

(*k*) Ibid. n. 53. (*l*) II. Animad. 44. (*m*) n. 3. 4. 7. (*n*) Vid. ſupra, n. 7. (*o*) Conſtit. cit. n. 33.
(*p*) Animad. indicata. (*q*) Vid. & Animad. 42. 43. (*r*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1748.
(*ſ*) Epiſt. 13. n. 13. & Epiſt. 21. n. 49. (*t*) Epiſt. 30 n. 15. (*u*) n. 7. (*x*) XV. n. 8. (*y*) Epiſt. 35. n. 12.
(*z*) n. 17. & 18. (*a*) n. 18. (*b*) Traité du Coeur l. 2. ch. 11. n. 9. (*c*) l. 3. ch. 8. n. 9.

abſente etiam palpitatione, docet, cur ſint aliquando tum hi, tum illi arteriarum pulſus a pulmonibus repetendi: aut denique ubi (d) omnem de pulſibus doctrinam præclare explicans, quam in ſingulis pulſuum diſcriminibus conſuluiſſe non pœnitebit, hoc de quo loquimur diſcrimen debilitatis, & parvitatis (e) non modo ab languidis cordis viribus, aut ab ſanguinis inopia, ſed etiam ab aucta reſiſtentia arteriarum deducit, propter quam dilatanti cordis vi tanto minus cedant, quanto ſimul ob eandem reſiſtentiam minus ſanguinis poſſunt admittere (f). Augeri autem reſiſtentiam, docet, alias ob nimiam plenitudinem, nullum ferme ulteriori dilatationi locum, ut neque conſtrictioni, relinquentem; unde eſt, ut eo in caſu a miſſione ſanguinis & major pulſus fiat, & validior; alias autem ob arteriarum tunicas, ab nervis contractas, ut in hyſtericis præſertim contingit, cum arterias ad tenuis filamenti modum redactas percipimus, imo & pulſus certis in partibus ſupprimuntur, unde (g) tunc illæ, reliquis calentibus, frigent. Hinc illud quoque intelligere te poſſe, credo, quomodo aſphyxiæ quædam, breves interdum, nonnunquam longæ, & lethales fiant, neque in hyſtericis modo, ſed & in aliis nonnullis, in quibus niſi forte ab nervis, unde illas repetas, non facile apparet, velut in ea Obſervatione quæ ab Starckio (h) propoſita eſt. Verum ad noſtras jam redeamus.

13. VIR conſiſtentis ætatis, cujus ars erat cannabem carminare, venit ipſe in Bononienſe Noſocomium S. Mariæ de Morte Vere A. 1705. de dolore querens in hypochondrio dextero: & ſane ibi tumor, tangentis manui renitens, in jecinore eſſe videbatur: pulſus autem minimus erat, infirmiſſimus, frequentiſſimus, ſiquis alius, quem ad eam uſque diem offendiſſem. Hora poſtquam eo venerat, circiter quarta ſtomachi, ut ipſe vocabat, dolore tam acerbo prehenſus eſt, ut ex faciei pallore, ac ſudore, pulſibus quaſi omnino abolitis, reſpiratione autem, qualis eſſe in moribundis ſolet, jam jam moriturus videretur. Evaſit tamen narravitque, alias quoque conſimilibus paroxyſmis ſe fuiſſe correptum. Pulſus interea ad priorem, quam paulo ante deſcripſimus, conditionem redierant. Poſtridie Medicus ſanguinem e brachio mitti juſſit, & ea dari, & ad hepar apponi quæ plerumque in hujus tumoribus conſueverunt. Paucis poſt diebus cum is tumor paulatim evanuiſſet, ecce dolor in ipſa cordis regione ægrum corripit, cum ſpirandi difficultate conjunctus. Sanguis iterum, ſed parce mittitur: qui lente, nec multum, concrevit. Inde reſpiratio minus aliquanto difficilis facta eſt, pulſus autem vix pauxillulo minus malus. Hic proportione in temporibus quoque, eadem erat qua in carpis, parvitate & debilitate, vix ut ibi inveniri poſſet. Manum ad cor admovi: pulſabat frequentia pari, vi tamen mediocri. Eam autem pulſationem etiam multo infra cordis regionem produci, ut Seniorum alicui viſum erat, etſi ipſe percipere ſatis non potui; tamen hactenus ſenſi, ut præter concretiones polypoſas, & copiam aquæ in pericardio, quæ eramus antea ſuſpicati, auctæ cordis magnitudinis ſuſpicionem addiderim. Omnino cor laborare videbatur: & Cardiaca quæ vocant, remedia ipſe flagitabat æger. Tandem octava, an nona ex quo venerat, die, iis quæ dicta ſunt, manentibus, cum excoctum pomum, quippe dejecto jam appetitu, forte comederet, ac tranſeuntes ſalutaſſet, mox repente, pomum adhuc in manu habens, mortuus eſt: quod ſane, ut noſti, iis accidere, ſcripſit Hippocrates (*), qui *ſæpe, & vehementer ſine manifeſta cauſa animo linquuntur*. CADAVERE exterius hic illic, ſed facie præſertim, livido, Adipoſa autem membrana flaveſcente obſervatis, Thoracem aperuimus, & ad pericardium properavimus. Plurima in hoc fuit aqua, eaque ſubflava: cor autem ex magnis quæ viderim, ejuſque pinguedo fœda viſu. Polypoſæ inerant concretiones tres ex flaveſcente quaſi muco, ſed non ita molli, compactæ, maxima quidem in auricula dextera, in ventriculis reliquæ, ex iiſque altera in Pulmonarem, altera in Magnam arteriam productæ, ut nulla omnino fuerit noſtrarum ſuſpicionum, cujus pœniteret. Cæterum ſanguinis portio etiam aliqua atra, & in grumos concreta fuit; ſed pars major inſtar aquæ diffluens: quæ dum vaſa præſertim diſſecaremus Pulmonaria, & magna reliqua, animadvertimus. Antea autem vaſcula quæ per pulmonum ſuperficiem ducuntur, atra, neque adeo exilia, quippe ſanguine diſtenta, intuiti eramus, viſceris ſubſtantia inter illorum areas albicante, ſi partem ſuperiorem utriuſque pulmonis excipias: quæ nigra intus, extraque fuit, prædura inſuper, & ex qua diſſecta ichor undique defluebat craſſiuſculus, colore quem *tabacci* noſtrates vocitant. Ventre denique reſerato, ut quid in hypochondrio dextero dolorem, tumoremque feciſſet, cognoſceremus; hepar ſubdurum, & minimis tum albis, tum ejus quem modo dicebamus, coloris particulis inſtar marmoris variegatum ubique deprehendimus: quod attollentes, etſi pylori, & Duodeni inteſtini partem quæ bilis veſiculæ attigua fuerat, flaventem conſpeximus; bilis tamen, qua erat veſicula diſtenta, & dilatata, ipſa atramentum referebat; certe illius tunicas exterius nigreſcentes, intus autem jam prorſus nigras factas ſpectavimus.

14. Fieri poteſt, ut is tunicarum color minus a bile eſſet, quam a veſiculæ inflammatione, quæ jam in gangrænam degeneraſſet: quod ſi fuit; habes, unde magis intelligas doloris illius cauſam, qui initio hypochondrium dexterum urgebat: quanquam ab ipſa dilatatæ veſiculæ diſtractione dolorem potes repetere, ab eademque dilatatione, quæ fortaſſe major tunc fuerat, aut cum flatibus in ſubjecto inteſtino conjuncta, tumorem pariter qui tunc ſe oſtenderat. Quidquid autem vitii fuit in ſuperiore pulmonum parte, antiquum fuiſſe, credes, præſertim ſi quæ ars hominis fuerit, & quid ex ea in alio (i) viderimus, & adnotaverimus, veniat in mentem. Itaque ſi polypoſas concretiones illas, ut nunc conſuevimus, nec injuria, facere, ſeponas; duo hæc reſtabunt, plurima in pericardio aqua, & aucta cordis magnitudo, unde pulſus, quales deſcripti ſunt, repetas, & ea quæ cor per intervalla affligebant, &, quod conſequitur, reſpirationem turbabant. Quod ad aquam illam attinet; non tantum in Sepulchreto Obſervationem XVI. habes Sectionis huc pertinentis, in qua Obſervatione, etſi alia, & magni quidem momenti, ubi fuſius proponitur (k), leges in thorace deprehenſa, tamen a pericardio aqua pleno, pulſus formicans deducitur; ſed & in Epiſtola ad te noſtra XVI. plura invenies quæ convenire videantur, ut in Viro (l), cui pulſus debilis, humiliſque, fuiſſe pericardium aqua diſtentum, ut in Puero, & Viro (m) quos Vieuſſenius ſecuit, hoc morbo laborantibus pulſum fuiſſe debilem, parvum, frequentem, denique, ut in diſſectis (n) ab Diemerbroeckio, languidum, probantibus qui ab ea circumjectæ aquæ copia fibras cordis laxari, non dubitant: neque illud obſtare arbitraberis, quod idem Auctor pulſum tunc ſimul rariorem invenerit, cum ab aqua acri, qualem in Viro de quo agimus, flavedo indicabat, irritari cor fateretur Diemerbroeckius, unde eſſe poteſt pulſus frequentia. Ad illas adde Albertini (o) quas alibi quoque indicavimus, Obſervationes, pulſus frequentes ac parvos, quin etiam exiles, celeriores, deficienteſque pro minori, majorique in pericardio aquæ copia memorantis. Ponit quidem parvos, & frequentiores, ſed eoſdem vibratos, & tenſos ubi aqua velli-

(d) ch. 7. (e) n. 7. (f) n. 5. (g) ch. 9. n. 6. (h) Eph. N. C. Dec. 3. A. 10. Obſ. 171. (*) S. 2. Aph. 41.
(i) Epiſt. 7. n. 13. & 14. (k) l. 2. S. 1. Obſ. 88. (l) n. 40. (m) n. 24. (n) n. 23.
(o) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 1. in Opuſc.

vellicans eſt. Verum ibi de pericardii hydrope loquitur, qui ex ſe ipſo, & ſolus infeſtet. Nos autem eundem habebamus cum ea quam mox conſiderabimus, cordis amplificatione conjunctum. Nec vero te illud perturbet, quod aut in aliis Epiſtolis, in iiſque præſertim in quibus de Peripneumonia agebamus, longe alios pulſus aliquando cum ea aquæ copia propoſuerimus, aut in illa XVI. exiles, infirmoſque pulſus inter ſigna peculiaria hydropis pericardii non receperimus. In illa enim Epiſtola ſigna quærebamus, hunc a morbis cæteris perpetuo diſtinguentia, qualia ejuſmodi non eſſe pulſus, vel ex iis apparet quæ modo ex Albertino proferebantur.

In aliis autem Epiſtolis non diuturnus, ſed brevis hydrops, qui cordis fibras ſatis laxare, & infirmare non poteſt, fere nobis proponebatur; cum hic in Viro iis quos deſcripſimus, paroxyſmis jam antea obnoxio, & eos quos diximus, pulſus in Noſocomium afferente, non minus quam cordis aucta moles fuiſſe videatur longioris temporis.

15. Nec me fugit, cum aucta cordis magnitudine vehementes ſæpe, cum videlicet nihil obſtaret, vibratoſque fuiſſe pulſus, ut in Sene (*p*), cujus ex Valſalvæ ſchedis, & in Viro item (*q*), atque in Anu (*r*) quorum hiſtorias ex meis tibi alias deſcriptas miſi. Verum in neutro priorum pericardium aquam habebat, qua laxarentur cordis fibræ; imo cor Viri craſſioribus erat ventriculorum parietibus. Quæ res cum in Anus etiam corde fuerit; non ita mirum eſt, ſi hujus interiores fibræ a circumjecta plurima aqua infirmari non potuerint. Contra, in alio Viro (*ſ*), a Valſalva obſervato, ut in multa aqua pericardii cor magnum quidem fuit, ſed parietibus, quod adnotaverit, non craſſioribus; ita vix pulſus percipiebantur: iſque non ſecus atque ille de quo inſtitutus hic ſermo eſt, ex improviſo obiit. Quid enim poteſt cor majus, ubi ejus fibræ infirmæ ſint, niſi plus ſanguinis admittere, quam valeat extrudere? Impleatur itaque neceſſe eſt, eoque magis laxetur. Magis autem, magiſque laxatum, minus ſanguinis, minorique cum vi in arterias ejiciet, unde pulſus parvitas, ac debilitas. Laxitas autem fibrarum cordis, etiam in pericardii aqua non macerati, tanta aliquando eſſe poteſt, ut & cor ſenſim ampliſſimum fiat, & nulli denique pulſus percipiantur. Quod in eo accidit Juvene, quem ſupra (*t*) quoque commemoravimus, in extrema Epiſtola deſcripto XXI. Cujus ego Juvenis, & Viri pariter de quo hactenus locutus ſum, Obſervationes ſpectabam, cum dixi Cl. hujus Gymnaſii Profeſſori Homobono Piſoni (*u*), *me vidiſſe cordis augmentum cum pulſu exili*.

16. SENI quoque macilento quem anno ſecuimus 1743. menſe Decembri, pulſus fuerant debiles, & parvi quidem, ſed minime intermittentes, cum propter *incarceratam*, ut vocant, enterocelen illatus eſt in Noſocomium Patavinum. Qui ante hunc morbum ſic eſſent, an potius ob hunc ipſum, cum ea inteſtinorum inflammatione conjunctum, ut cita mors omnem curationem anteverterit, etſi pro certo ſcire non potui; tamen quæ in pluribus ejus corporis partibus, & in ipſo præſertim corde ſpectavi, frequentiſſimæque ſtudioſorum coronæ oſtendi, ejuſmodi ſunt, ut non indigna cenſeam quæ tecum communicentur.

CORDIS exteriorem faciem examinanti arteria ſe obtulit Coronaria ſiniſtra in canalem oſſeum ab ipſa origine ad tractum plurium digitorum mutata, qua baſis magnam partem amplectitur. Sed & rami illius prælongi, quem per anteriorem cordis faciem demittit, pars erat oſſea jam facta ad tantum ſpatium, quantum digiti tranſverſi tres operirent. Itaque via ſanguini utrobique patebat non per canalem membraneum, aut quem disjectæ lamellæ oſſeæ hic illic duriorem facerent, ſed per tubulum oſſeum perpetuum, vix nonnullis in locis minus durum, iiſque perexiguis, & cum tranſverſa lineola modorum exilis arundinis comparandis. Tum corde aperto, & polypoſis quibuſdam concretionibus detractis, etſi aggeres valvularum Magnæ arteriæ duriores multo quam ſoleant, & pene oſſeos vidi; nihil tamen oſſei aut in ipſis, aut in aliis valvulis, aut in illa arteria prope cor quidem, deprehendi. Sed aliquo a corde intervallo, & ad ſuperiorum arteriarum origines, & deinceps ad diviſionem uſque in Iliacas erat Aortæ interior facies ſæpe inæqualis ob oſſeas duriſſimas laminas, quarum plures amplitudine unguem æquarunt digiti pollicis: intimam tamen, quæ eas omnes operiebat, arteriæ tunicam uno tantum in loco læſam offendi, craſſiuſculo ibi humore ſe oſtendente, de quo, & de ipſa laminarum ſede quid in hoc homine, aliiſque obſervaverim, erit alibi opportunior ſcribendi locus (*x*). Squamæ autem oſſeæ neque ad diviſionem in Subclaviam, & Carotidem arteriam dexteras, neque in Iliacis defuerunt, neque in Splenica præſertim, in qua crebræ erant ad lienem uſque. Intra cranium tamen, itemque in artubus tum ſuperioribus, tum inferioribus nihil oſſei in arteriis animadverti, etſi in artubus hæ firmiores erant, durioreſque, & fortaſſe etiam latiores paulo quam ſoleant: quas dum ſecaremus, vidi in Cruralibus quod ſupererat ſanguinis, non fluidum quidem, ſed nec polypoſum. In Lateralibus vero Craſſioris meningis Sinibus polypoſæ erant concretiones ſic ſatis craſſæ. In Cerebri autem ventriculis dextero, ſiniſtroque non deerat aqua, neque in Choroide utriuſque plexu hydatides, & in iis quædam majores.

Sed ad Thoracem, & Ventrem ut redeam; in illo cum Aſperam arteriam, & primos ejus ramos inciderem, cartilagines paſſim oſſeas factas animadverti, eaſdemque in illius arteriæ trunco ad eam formam redactas, ut ſingulæ magis quam curvam unam, ut ſolent, lineam, bina trianguli referrent latera, anterius ad angulum convenientia: quam ob cauſam hic adnoto; neque enim oſſeas fieri in ſenibus eas, & laryngis cartilagines, rarum eſt, quod ex obſervationibus apparet, quas ex pluribus collegit Auctoribus Cl. Winklerus (*y*); ut rarum potius ſit, exercitatiſſimum, dum viveret, Anatomicum Caſſebohmium nunquam, ſicut ille narrat, oſſeas factas vidiſſe; nos certe utraſque non ſemel vidimus (*z*).

Venter autem etſi præter inflammata, ut initio dixi, inteſtina, viſcera omnia ſana habuit, & in his jecur, & lienem, quorum utrumque mediocri erat magnitudine; in jecinore tamen hæc fuerunt excipienda. Erat ejus veſicula in tranſverſum locata: & quanquam juſta & ipſa erat magnitudine, ſinum in jecinore habebat omnino nullum, in quem, ut ſolet, exciperetur; ut poſtquam ab eo viſcere, id quod nulla vi, nulloque negotio præſtiti, fundum illius omnem disjunxeram, vix ſedes, ad quam adhæſerat, agnoſci poſſet: quæ erat lævis adeo, & uniuſmodi, ut ſiquod forte fuerat vaſculum cujuſquemodi ab jecinore ad eum pertinens fundum, aut ab hoc ad illud, neceſſe eſſet exilitate fuiſſe incredibili, & quæ omnem fugeret ſenſum. Et veſicula quidem ita a primordiis uſque ſe habebat. Bilis vero in ea inerat nigricans, & ſubviſcida, mediocri copia, in eaque calculi ad viginti. Quos ut nigros vidi, continuo iis qui aderant, prædixi, id quod fuit, neque flammam concepturos, nec liquatum iri, ſed flammæ admotos, vix crepitus leviſſimos eſſe edituros. Mediocri erant, nec adeo varia magnitudine: omnes autem ex pluribus quaſi globulis conſtabant, quorum alii aliis impoſiti, modica ſui parte inter ſe contingebant.

Denique & ſcrotum inſpexi, unde paulo poſt hominis mortem, me abſente, inteſtinum detractum fuerat, & cum cæteris, ut cadaver diutius duraret, amotum. Teſtem, qui fuerat herniæ proximus, minorem altero, nec paulo, inveni. Sectus, interiorem ſubſtantiam habuit ex fuſco rubentem; cum alter colore haberet naturali. Inter hunc tamen, & Vaginalem tunicam modicum aquæ fuit; nec ad alterum ipſius teſticuli extremum defuit corpuſculum illud exſtans,

---

(*p*) Epiſt. 17. n. 6. (*q*) Epiſt. 18. n. 30. (*r*) Ibid. n. 28. (*ſ*) Epiſt. 16. n. 6. (*t*) n. 7.
(*u*) Vid. ejus Spicileg. Curation. S. 4. Obſ. 1. in fin. (*x*) Epiſt. 27. n. 22. (*y*) in calce Diſſert. de vaſor. corp. hum. Lithiaſi
(*z*) Epiſt. 7. n. 11. & Adverſ. Anat. I. n. 24.

exſtans, ſubrotundum, quod & alias (*a*) animadvertimus, & pro diſruptæ hydatidis reliquiis habuimus.

17. Multis ex diſſectione hac ad alium ad quem attinent, locum ſervatis, hic pauca de oſſea illa Coronaria arteria adjiciemus. Laurentius Bellinus (*b*) *vidimus*, inquit, *lapidem adnatum ramis coronariis majoribus, qua dextrum a ſiniſtro ventriculo dirimunt*. Sive cum Pechlino (*c*) oſſis, & *tofi*, ſive *lapidis* naturam in vaſorum, & membranarum rigidis indurationibus diſtinxit, ſive lapidis vocabulo omnes accepit, ut paulo inferius de aliarum arteriarum, & Mitralis valvulæ indurationibus a ſe viſis mentionem faciens, & eadem lapidis voce utens; difficile enim eſt, nunquam in oſſeas bracteas, ſed in lapideas ſemper concretiones incidiſſe; eodem res, quantum ad præſens attinet propoſitum, redit; alibi (*d*) enim quatenus ea diſtinctio locum habeat, diligentius videbitur. Ut Bellinus, locuti ſunt qui, in Sepulchreti libro I. (*e*) propoſitam, Obſervationem ſcripſerunt præceptoris ſui Drelincurtii, qui in eodem cadavere, in quo, ut nos, *lienalem arteriam hinc inde protuberantem atque tophaceam* deprehendit, *arteriam quoque coronariam cordis lapidoſam* invenit. Sed Thebeſius (*f*) vidiſſe ſe, ait, *ramos majores arteriarum .... per convexam* cordis *ſuperficiem ad cuſpidem decurrentes, hic illic ex parte oſſeos*. Denique Cl. Crellius *Obſervationem* edidit, ſtipatam Scholiis digniſſimis quæ perlegantur, *de Arteria Coronaria Cordis inſtar oſſis indurata*, eadem videlicet quæ poſtea a nobis ſic inventa eſt, ſiniſtra, pariter ab origine, & in ſuo præterea inſigni ramo. Utinam ſicut habemus in Sepulchreti libro II. (*g*) quæ mala, & quod mortis genus in eo præceſſerunt, in quo cordis venæ coronariæ repertæ ſunt oſſeæ, quamvis non ſine aliis internarum partium vitiis, ita quæ peculiaria incommoda in iis fuerint quibus ſociæ arteriæ erant oſſeæ, ſcire potuiſſemus; quando Lanciſius (*h*) naturam adipoſis faſciolis texiſſe has, cenſuit, ut caveret, ne quemadmodum aliæ arteriæ non raro, ita hæ in oſſeam ſubſtantiam duratæ, *a libera diſtentione atque elongatione, cum opus eſſet, prohiberentur*. Sed neque Bellinus, neque Drelincurtii Diſcipuli quidquam de prægreſſis morbis adſcripſerunt: Thebeſius eam rem *maxime funeſtam* eſſe poſſe, credidit; fuiſſe, non dixit: Crellius ne cadaver quidem reliquum videre potuit ſenis in cujus marcido fracidoque jam corde illam obſervavit: mihi denique, ut in pauperrimo, qui vix habuit qui paulo ante mortem in Noſocomium inferendum curaret, plura iis quæ ſcripſi, cum maxime cuperem, ſcire non licuit. Tandem, cum hæc relegerem, & quæ interea prodierant, hujus ipſius morbi cordis Obſervationes inſpicerem, in Clariſſimorum Viro um Scriptis extantes, Senacii primum (*i*), deinde Planci (*k*), noviſſime Halleri (*l*); primam, & ſecundam fuiſſe in viris palpitationi obnoxiis, animadverti. Sed cum in ſecunda, ut alias (*m*) retuli, aliæ non deeſſent evidentes cauſæ palpitationis; prima potiſſimum unde hæc fuiſſet in eo ſaltem caſu oſtendebat, quippe aliud nullum indicans vitium, niſi arterias coronarias oſſeas factas, ramoſque ſimiles coralii ramorum efformantes; ut proclive eſſet intelligere, ſive oſſei horum aliqui ramuli inter fibras cordis ſe immitterent, ſive exterius ſubſiſterent ipſas complectentes, utrolibet modo eaſdem aut in ſyſtole, aut in diaſtole cordis irritaſſe, & ſic juxta ea quæ alibi (*n*) Auctor docet, palpitationem induxiſſe. Hallerus autem unam quidem, aut alteram habitam in vetulis mulieribus, quibus alia quoque in os degeneraverant, Obſervationem profert; ſed quæ, dum eæ viverent, fuiſſent incommoda, non ſignificat propter eandem, opinor, cauſam, quæ me quoque de meo Sene plura ſcire prohibuit. Quod ut antea, nec diſſimilem ob cauſam, mihi accidiſſe, ægre tuli quod ad pulſus attinebat cujuſdam viri, cum ſub anni finem 1725. pleraque ejus viſcera ad me domum allata, Amicis inſpectantibus, diſſecarem. Tamen quæ a me tunc audita, & quæ conſpecta ſint, accipe.

18. VIR annos natus circiter ſex & triginta, ſtatura magna, qui molitoris famulus fuerat, in morbum incidit, qui thoracis hydrops videbatur. Itaque cruribus tumentibus, pulſibus humillimis, gonorrhœa inſuper laborans virulenta, mortuus eſt. IN THORACE non ſolum, verum etiam in Ventre fuiſſe aquam, retulerunt ii qui detraxerant viſcera: quin etiam Craſſa inteſtina quibuſdam locis fuiſſe inflammata, & graveolentia, ideoque cum cæteris viſceribus non eſſe miſſa. Vera dici, gravis odor confirmabat eorum quæ allata fuerant, ventris quidem maxime, ſed non leviter etiam thoracis. Itaque pulmonibus, qui gravi erant pondere, prætermiſſis, cor, & vaſa in quibus tunc forte quædam avebam recognoſcere, diligentius ſum rimatus. Polypoſis albidis concretionibus, quales in vena quoque Portarum, & Cava Inferiore fuerunt, ab auricula dextera ablatis, cum in reliquis cordis caveis nihil eſſet ejuſmodi, nihil autem uſquam appareret vitii, niſi in valvulis arteriæ Magnæ, idque maximum; hoc attentius intuens, atque examinans, ſic reperiebam. Eæ omnes valvulæ ſummo limbo, & huic proxima parte illius faciei qua reſpiciunt inter ſe, in breves, & inæquales extuberabant *excreſcentias*: quarum pondere prægravatæ, eo adducebantur univerſæ, ut anguſtiorem inter ſe relinquerent viam, per quam egredi ſanguis poſſet. Cum autem ſingulas inſpectarem valvulas, dexteram vidi breviore eſſe limbo, ſive minorem in tranſverſum eſſe factam; ſiniſtram autem per medium a limbo ad aggerem uſque imum diſruptam, ab ipſiſque rupturæ labris alias protuberare excreſcentias. Harum omnium ſubſtantia erat laxa ex parte, & flaccida, ut digitis, atque unguibus nullo negotio avelli poſſent; ex parte durior, ut cum inter digitos comminueres, perciperes, admiſtas eſſe particulas quaſi ad cartilaginis naturam accedentes. Excreſcentiis detractis, reſtabat valvularum ſubſtantia, ſed contracta, & deficiens, & id confirmans quod primo aſpectu viſum fuerat, id vitium ex eroſione quadam extitiſſe, præſertim cum interna ventriculi facies qua valvulis erat proxima, ipſa quoque oſtenderet aliqua eroſionis veſtigia. His viſis, & fruſtra in Aorta, cæteriſque vaſis, & corde iterum univerſo aliis perquiſitis quæ præter naturam eſſe viderentur, & Mitralium valvularum limbis tantummodo hic illic paulo craſſioribus, & durioribus animadverſis, ad reliqua examinanda tranſivi.

Ventris Partes aliquæ dumtaxat hæc pauca habuerunt quæ adnotarem. Hepar magnum, nec præter modum tamen, pallidulum fuit, totaque exteriore facie ſubfuſcum quoddam oſtendit reticulum quo albæ exiguæ maculæ intercipiebantur. Lien interius mollis, exterius quoſdam craſſos habebat ramos, ſi oculis crederes, quaſi adipoſos; ſed eorum ſubſtantia firmitudine erat tendinea, imo inter ligamenti, & cartilaginis naturam media. Glandulæ ad meſenterii centrum, & ad truncum venæ Portarum amplificatæ. Gonorrhœæ memor, ægre tuli, cum viſceribus non licuiſſe afferri penem. Igitur, quod potui, urethræ initium, & Proſtatam glandulam, & Seminales Veſiculas perluſtravi. Illud ſine ulla vitii nota, Seminalem carunculam habebat humilem. Proſtata erat parva. In Veſiculis aquoſum ſemen: ſed, ut in hydropico, minus id fortaſſe attendendum.

19. Hæc noſtra excreſcentiarum in Semilunaribus valvulis Obſervatio medium quodammodo obtinet locum inter raram illam Lanciſii (*o*), qui excreſcentias in iis carneas, & minus raras cæteras, Cowperi præſertim, & Vieuſſenii, qui, ut ſuperioribus quoque Litteris (*p*) commemoravimus, oſſeas, aut lapideas conſpexere. Quo magis optandum mihi fuerat ſi licuiſſet, cognoſcere, an ei de quo loquimur, viro pulſus unquam eſſe conſueviſſent intermittentes, ut hi

(*a*) Epiſt. 21. n. 19. (*b*) De Morb. Pect. (*c*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 9. & 10. Obſ. 31.
(*d*) Epiſt. 25. n. 9. & Epiſt. 27. n. 20. & ſeqq. (*e*) Sect. 12. in Addit. Obſ. 8. in fin. (*f*) Diſp. de Circul. ſangu. in Corde §. 4.
(*g*) Sect. 1. in Addit. Obſ. 31. (*h*) De Mot. Cord. Propoſ. 39. (*i*) Traité du Coeur l. 4. ch. 9. n. 5. (*k*) Epiſt. de Monſtr.
(*l*) Opuſc. Pathol. Obſ. 50. & 51. (*m*) Epiſt. 23. n. 9. (*n*) ch. 11. n. 2. (*o*) De Subit. Mort. l. 2. Obſ. Phyſ. Med. 4. §. 3.
(*p*) n. 9.

ut hi in ſuis obſervarunt, & inæquales; an, ut Lanciſius in ſuo, ut plurimum æquales (*q*). Verum, ut dixi, nihil aliud ſcire potui, niſi humillimos fuiſſe: quod alioquin ſatis convenit modicæ illi ſanguinis copiæ, quæ per viam, a valvulis anguſtiorem factam, Magnam ſubibat arteriam: neque diſcrepat ab noſtris in Anu, & Sene Obſervationibus, quarum illam in eadem Epiſtola (*r*), hanc in XXI. (*ſ*) propoſuimus. Cum enim Semilunares valvulæ utriuſque oſſeæ, in illa quidem limbis eſſent in non parva tubercula craſſeſcentibus, in hoc vero magis etiam introrſum protuberantibus; utriuſque pulſus fuerunt debiles, Anus parvi inſuper; neutrius intermittentes.

20. Nunc quando mentio facta eſt de pulſuum intermiſſione, quæ vel magis quam eorum exilitas, aut debilitas, ad Aſphyxiam accedit (quid enim intermiſſio eſt aliud niſi aſphyxia breviſſima, aut quid aſphyxia, niſi intermiſſio diutiſſime durans?) non ſunt hic ſine examine, hujus vitii cauſæ prætermittendæ, quo tantopere plurimi terrentur Medici, ſæpe merito, nec raro tamen præter rationem, veluti cum in ventriculo, aut inteſtinis ſubeſt cauſa, quæ aut per ſe evaneſcere, aut facile a Medico tolli poſſit. Quo enim modo a flatibus, illa diſtendentibus, cordis palpitationem fieri interdum, & ſolvi, diximus (*t*), eodem quoque, aut non ita diſſimili pulſuum intermiſſionem effici aliquando, & per ſe abire in pluribus qui noti ſunt nobis, manifeſtum eſt. Alias iiſdem illis in viſceribus materia eſt quæ idem faciat, irritando eorum nervos, quibuſcum noſti ut conſentiant facile nervi cordis. Ea autem materia interdum ejuſmodi eſt, ut nullo negotio inde poſſit averri. Sic memini, cum febricitanti Virgini mederer, & ad cætera intermiſſio pulſuum acceſſiſſet præter rationem; minime abſterritum eſſe me ab eo exhibendo, quod conſtitueram, medicamento, quo abſtergerentur ventriculus, & inteſtina; imo eo fidentius dediſſe: eodemque die & abſterſa hæc, & pulſus priori normæ reſtitutos fuiſſe. Et tu vel in Sepulchreto (*u*) legeris, vidiſſe Ballonium non id modo, ſed & alia ſimul languidi, & parvi pulſus vitia ad eundem modum ſublata. *Pro gradibus purgationis*, inquit, *pulſus reſtituebatur*. Quin etiam longe diuturna aliquando intermiſſio eſt, ut qua ſe *per ſexennium* laboraſſe, ſcribit Lanciſius (*x*); eademque tamen, ſi, ut in ipſo, *ex hypochondriorum conſenſu* eſt; his percuratis, omnino tolli; & *perfecte* poteſt. Quod autem de nervis dixi, qui in hypochondriis irritentur, idem profecto de iiſdem vel alibi, aliave de cauſa ad eundem modum diſpoſitis negandum non eſt. Fuit id mihi maxime evidens in quodam conſultiſſimo Rei Medicæ apud Bononienſes Profeſſore, qui cum forte animadvertiſſet, ſibi pulſum intermittere, ipſe autem inde anxius, atque ſolicitus, quaſi id fortuita ex cauſa eſſe non poſſet, identidem, ut fit, digitos ad carpum admoveret, crebriorem ſemper ſuo maximo cum mœrore fieri intermiſſionem, ſentiebat: idem vero poſtquam meum, quamvis juvenile, non aſpernatus conſilium, multo rarius ſibi pulſus tentare cœpit, eoque minus ſuum de his angorem animi augere; multo rarior intermiſſio facta eſt, donec ipſo tandem neglectu prorſus evanuit. Sed non eos tantum nervos qui cor adeunt, verum alios etiam qui arteriis, aut muſculis qui his apponuntur, inſerviunt, earum variare motus poſſe, ex ægro didici, qui cum graviſſimi morbi periculum vix evaſiſſet, magna ob adverſum nuntium importune delatum mœſtitia affectus, eoque majori, quo magis hanc occultare conabatur, mihi nihil tale expectanti pulſus exhibuit primum utroque in carpo, diebus autem inſequentibus in ſiniſtro tantum, omni peccantes inæqualitatum genere; ut cum in dextero eſſent eodem tempore maxime æquales, perſpicuum eſſet, cauſam ad ſiniſtram dumtaxat Brachialem arteriam attinere, quæ ipſa quoque mox levato mœrore, nerviſque ad priſtinam diſpoſitionem redeuntibus, ad naturales motus rediit.

21. Cæterum cum pulſuum intermiſſio eſt non ab impedimento, aut irritamento aliunde profecto, ſed a cauſa, quæ in corde ipſo, aut proximo Magnæ arteriæ trunco, aut ad alterutrum innaſcatur, magni eam facere oportere, fatendum eſt. Poteſt autem multiplex, ac varia eſſe, & in primis illa ipſa conſtitutio valvularum Semilunarium, de qua paulo ante (*y*) dictum eſt. Neque enim quod mihi aliter contigerit, idcirco negligo quod aliis contigit. Imo quod in aliis etiam valvulis Gregorius Horſtius, majorem dico, & Laurentius Bellinus obſervarunt, attendo. Ille enim, ut in hac IX. Sepulchreti Sectione habes, & fuſius, non in ſequente *de Syncope*, ſed in præcedente de Palpitatione (*z*) leges, calculum inſtar minoris caſtaneæ nucis adnatum conſpexit membranoſæ ſubſtantiæ valvularum dexteri cordis ventriculi; Bellinus autem lapidem genitum in altera valvularum Mitralium: uterque poſt pulſus intermittentes: quas Obſervationes in ſuperiore etiam Epiſtola (*a*) commemoravi. Horſtius tamen; nam Bellinus alias rem fuſius ſe executurum promiſit; in pericardio ſimul humorem putridum, & cor duplo majus invenit. Sed & Cowperus, & Vieuſſenius, ſicut in eadem Epiſtola (*b*) indicatum eſt, præter valvularum oſſeam, lapideamve duritiem, dilatationem ſiniſtri cordis ventriculi in iis qui pulſibus fuerant intermittentibus, aut inæqualibus, fere deprehenderunt. Forte autem accidit, ut cum valvulas nos vidimus ita mutatas, non ſimul invenerimus cavearum cordis amplificationem: itemque ut cum hanc ſeorſum invenimus, pulſus non fuerint intermittentes, quod Epiſtola præſertim oſtendet XVIII. (*c*), aut ſi in uno (*d*) fuerant, alia ſimul eſſent, quæ accuſari fortaſſe poſſent: nec Valſalvæ (*e*) aliter videbis accidiſſe. Quid ergo eſt? An quæ ſejuncta id ſemper non poſſunt; eadem conjuncta poterunt ſemper, aut fere ſemper intermiſſionem pulſus efficere? Cum ad hæc diſpicienda multo plures requirantur Obſervationes; ſatis in præſentia fuerit quæ ſemper non reſpondent, indicaviſſe.

22. Illam quoque intermittentium pulſuum cauſam hic (*f*) in Sepulchreto proferri video, de qua ſatis ſuperque ſuperiore Epiſtola (*g*) ſcriptum eſt, videlicet pericardii ad cor adhæſionem. Quam certe non ſemper id facere, his quoque Litteris (*h*) confirmavimus. Proferuntur hic (*i*) cordis etiam exulcerationes. Num vero cum his ſemper ſint pulſus intermittentes, proximis Litteris (*k*) quæremus, non minus, quam ſemperne cum iis exulcerationibus animi defectiones jungantur. Nunc vero, his, & cæteris, quæ non ita ſæpe accuſantur, cauſis prætermiſſis, unam potiſſimum attendemus, qua nulla ſæpius, cum de pulſuum intermiſſione, & inæqualitate agitur, a Medicis nominari ſolet, polypum. Nec deſunt qui credi velint, hunc notum fuiſſe Galeno, quippe ejus *conformationem ex multiplicibus pelliculis* deſcribenti in gallo, quaſi vero ibi (*l*) diſerte non loqueretur de *cordis tunica*, *ſcirrhoſo tumore affecta*, *perinde ac ſi plures craſſæ membranæ involutæ altera alteri fuiſſent*. Certe minus improbabilia dicerent, ſi cum Antipatri morbum eſſe cenſuit (*m*) ab obſtructione lævium pulmonis arteriarum ex *craſſis & viſcoſis humoribus*, aliquid polypi ſimile animo concepiſſe, affirmarent. Saltem quæ a cordis polypo fieri dicuntur, ab ea quam conjecerat, cauſa repetebat Galenus *omnigenam* primum *in pulſu inæqualitatem*, deinde vero in progreſſu *cordis palpitationem*, & *ſpirandi difficultatem*, denique repentinum *obitum*, aut certe hæc inde repetebat Salius (*n*) eandem conjecturam ſecutus, iiſque addebat *aliquam hydropis ſpeciem*, & *leipothymiam*. Cæterum qui in venis polypos non conjectura, ſed oculis, manibuſque deprehenderit, primus, quantum ad hoc tempus legiſſe memini, fuiſſe vi-

(*q*) Vid. §. 10. Schol. ad cit. Obſ. (*r*) 24. n. 11. (*ſ*) n. 15. (*t*) Epiſt. 23. n. 16 (*u*) Sect. hac 9. in Schol. ad Obſ. 8. (*x*) De Subit. Mort. l. 1. c. 19. §. 3. (*y*) n. 19. (*z*) Obſ. 25. §. 1. (*a*) n. 9. & 13. (*b*) n. 9. & 10. (*c*) n. 2. 28. 30. (*d*) Epiſt. 2. n. 34. (*e*) Vid. Epiſt. 17. n. 21. (*f*) Obſ. 15. (*g*) n. 17. & ſeqq. (*h*) n. 11. (*i*) Obſ. 11. & 42. (*k*) n. 19. & ſeqq. (*l*) De loc. aff. l. 5. c. [illegible] (*m*) De iiſd. l. 4. c. 8. in fin. (*n*) De Affect. Partic. c. 21.

ſe videtur celeberrimus ſua ætate Medicus, civis meus, Helidæus de Paduanis; ut ſi Schulzius viveret; atque utinam viveret; non ſibi amplius pœnitendum credere fortaſſe poſſet, quod *ex Italia non ſatis juſte rei hujus initia deduxiſſet*. (*o*) Helidæum enim, Spigelius (*p*) ſcripſit, in cadavere mortui a diuturna quartana reperiſſe *in corde, venis, omnibuſque membris fruſta magna, longa, alba, pituitoſa*. Nec vero Helidæus vivebat eodem quo Spigelius floruit, ſæculo XVII; hic enim unus eſt de multis erroribus quos typographus Piſſinii (*q*) admiſit, ſed *præterito*, ut Spigelius recte dixerat, id eſt XVI; imo Petrus Foreſtus, qui ante finem obiit ejuſdem ſæculi XVI. in extrema ſenectute (*r*), quanto ille antea tempore florere cœpiſſet, non obſcure ſignificavit, cum de ipſo ad hunc modum locutus eſt (*ſ*), *Helidæus, medicus inſignis, Præceptor meus*. Quem dixiſſem primum in corde quoque polypum animadvertiſſe, niſi *fruſtulum* illud *nigrioris carnis*, a Benivenio (*t*) antea inventum, meſpili forma in ſiniſtro cordis ventriculo ſupra arteriam, poſt dolorem cordis, & defectiones, a pleriſque pro polypo acciperetur pariter ac *glanduloſæ, ſed nigricantis interim carnis libræ duæ*, repertæ poſtea a Veſalio (*u*) in eodem ventriculo, inſtar uteri dilatato, poſt pulſum miris modis inæqualem, & varium: quanquam Donatus (*x*) utramque hanc carnem ſine ulla dubitatione inter *carneas excreſcentias* retulit, quas deſcribebat, partium cæterarum, non ſecus ac Schenckius (*y*) inter *carnoſas excreſcentias ventric. cordis*, & Riolanus (*z*) a polypoſis concretionibus *inſignem glandulam* diſtinxit, quam Poloni cujuſdam cor *in medio ſepto habebat*, & noſter miratur Paſta (*a*), cum alias nullas reperiat in toto Sepulchreto nigricantis polypi in ſiniſtro quidem ventriculo Obſervationes, quomodo polypi illi duo Benivenii, & Veſalii in eo ventriculo nigricaverint.

23. Sed illæ duæ ſive non fuerint, ſive potius fuerint polypoſæ concretiones, fuerunt certe, ut alias (*b*) a nobis oſtenſum eſt, tum quæ intra Magnæ arteriæ aneuryſma a Medicis deprehenſæ ſunt A. 1557. inſtar *carniformis materiæ*, & circum hanc inſtar *lardi ſuilli elixati*, tum quæ A. 1567. extractæ ſunt a Coitero (*c*) e Sinibus Duræ meningis, & e ventriculis cordis phreneticæ mulieris, alias vero e cerebro eorum qui ſuſpendio necati fuerant, eæque omnes *lumbricis non diſſimiles*, ſed *ex alba pituita conflatæ*. Qui cum Medicos monere jam tum cœpiſſet, ut caverent; videri enim impoſuiſſe ejuſdemmodi concretiones iis qui ſe intra aut cranium, aut cor vermes deprehendiſſe, affirmarent; ſatis mirari non poſſumus, egregii Viri monita uſque adeo fuiſſe neglecta, aut oblivione obruta, ut ab doctis cæteroquin Scriptoribus ea poſteris traderentur, quæ in Sepulchreto; ne vagemur latius; occurrunt. Leges enim, exempli gratia, Vidium juniorem (*d*) ſcribentem, ſe audiviſſe ab hominibus fide dignis, qui peſtiferis febribus interemptos diſſecuere, *vermes aliquando in ventriculis cordis fuiſſe genitos*. Sed non leges, quæſiviſſe ab illis, quo examine uſi, vermes a concretionibus vermiformibus diſtinxiſſent. Leges, Spigelium (*e*) in fœmina macie confecta *quatuor lumbricos teretes ſpithamæ unius longitudine* reperiſſe, *qui in ipſum truncum venæ portæ ſe inſinuaverant, ac toti corpori alimenti aditum obſtruxerant*. Sed quamvis apud Spigelium ipſum (*f*) hanc Obſervationem recognoſcas; videbis quidem eam habuiſſe, non A. 1562. quo necdum erat natus, ſed 1601. quo vix tertium & vigeſimum fortaſſe attigerat; qua autem ratione explorans dignoverit, veros eſſe vermes, non videbis. Miraberis potius, credidiſſe, illuc ex inteſtinis *per anguſta venarum meſaraicarum orificia* commeaſſe, & tandiu ibi *perſtitiſſe*, ut viam obſtruerent alimento. Namque ut vermes alii inteſtina aliquando; ſicuti nos quoque (*g*) in gallina vidimus, ſed mortua, perforaverint; quo tamen iſti ingenio illa quæ ipſe dicit, orificia ſelegerint, ac pervaſerint, & extra ſuam naturalem ſedem in omnino aliena tandiu vixerint, & *toti corpori alimenti aditum, & viam obſtruxerint*, non apparet. Apparet contra, difficultatem hujuſcemodi nullam reſtare, ſi quatuor ponas fuiſſe polypos qui lumbricos referrent, præſertim cum polypi in phthiſicorum cadaveribus perſæpe occurrant. Quid vero de anguiculo illo dicemus, quem in ſiniſtro cordis ventriculo apud Anglos inventum Zacutus (*h*), & Severinus (*i*) propoſuere? Non aliud ſane quam quod Epiſtola ſuperiore (*k*), in eundem obiter incurrentes, ſignificavimus, ſatis eſſe deſcriptionem legiſſe, ut polypoſam fuiſſe concretionem, intelligamus. Itaque etiam Severinus (*l*), etſi de eo anguiculo alia primum agitavit, & in his quidpiam quod alicui ad explicandam polyporum generationem vel noſtra hac ætate venit in mentem, vegetabilium potius generis, quam animalium, fuiſſe; tamen recte eo tandem rediit, ut cenſeret, ad concretiones, quas & ipſe viderat, ſpectare, quas nunc polypoſas vocitamus. Quem ſi Riolanus non legiſſet, aut ſi ipſe quoque eas concretiones non conſpexiſſet; minus aliquanto mirarer, in Encheiridio (*m*) hæc ſcripſiſse: *Vermes etiam in corde generantur. .... Memorabilis eſt hiſtoria Angli cujuſdam, cui cor eroſum fuit a verme: hiſtoriam leges apud Aurelium Severinum*. Denique, cum de verme alio, cimicis forma, de quo idem Zacutus ſcripſerat, proximis Litteris (*n*) jam dixerimus; videbis, ſub eadem Obſervatione, a Boneto alibi (*o*) repetita, adſcriptam alteram (*p*) vermium duorum, quos in atro, & grumoſo ſanguine, cordis ventriculos occupante, oſtendit iis qui aderant, Vir alioquin doctus, albo colore ambos, dimidium digiti longos, non modo proboſcide, ſed & auribus, oculiſque inſtructos, credo quibus in eo tenebricoſiſſimo loco, niſi tunc forte vitali credebatur flammula colluſtratus! uterentur. Ambo tamen erant mortui. Verum nunquam vixerant, ut opinor; ſed filamenta erant polypoſa altero extremo quaſi in proboſcidem gracileſcentia, & particulis atri ſanguinis, ut fit, inhærentibus, aures, oculoſque mentientia. At enim adhuc erat, inquis, *vivus* is vermis, quem in pericardio hominis Florentini, ſubita morte extincti, Medici repererunt. Quis hoc ait? Petrus Sphererius (*q*). Sed aderatne ipſe? Non videtur. An is qui narravit? Ne id quidem. Bononiæ degebam, cum rumor forte ſparſus eſt, nonnullis equis Nobilis Viri, qui repente mortui conciderant, diſſectis, lacertas multipedes in eorum cordibus fuiſſe deprehenſas. Ridebant docti. Semidocti tamen non deerant, quorum partim id fieri poſſe, contenderent, partim adderent, & rumori affingerent, lacertas illas non ſine motu, & vita fuiſſe inventas. Ibi Valſalva, quid diſputatione opus eſt? inquit. Lacertas iſtas inſpiciamus. Mortuo igitur mox equo alio in eodem ſtabulo ad eundem modum, inſpeximus: nec longo examine opus fuit, ut nihil aliud eſſe, quam polypoſas concretiones, perſpiceremus, quæ exteriorem lacertarum formam quadantenus imitabantur. Utrum exiſtimas tandem, lumbricos in ſanguiferis vaſis, & corde inveniri fato quodam his temporibus deſitos eſſe? an ſi Coiteri monita ex Majorum animo non excidiſſent; non ſæpius illos, quam poſteros, lumbricos in ejuſmodi locis fuiſſe inventuros? Sed ne forte ſuſpiceris, a me de induſtria eſſe factum, ut ab iis quæ in Sepulchreto ſunt, Obſervationibus non recederem ſive hic, ſive, ubi de vermibus pericardii agebam (*r*); præcipuas hic attingam ex iis quæ aut non relatæ in illud ſunt, aut referri non potuerunt: ſic autem attingam, ut plane intelligas, me non modo non oblitum eſſe eorum

rum

(*o*) Epiſt. add. ad Goetzii Diſſert. de polypos. concret. &c. (*p*) De Febre Semit. l. 1. c. 15. (*q*) Epiſt. de Polypo Cord.
(*r*) Vid. Freher. Theatr. Viror. erud. cl. P. 3. (*ſ*) l. 1. Obſ. Med. 12. in Schol. (*t*) Sepulchr. l. 2. S. 10. Obſ. 6.
(*u*) Ibid. Sect. hac 9. Obſ. 2. (*x*) De Med. Hiſt. Mirab. l. 5 c. 3. (*y*) Obſ. Med. l. 2. ubi de Corde.
(*z*) Anthropogr. l. 3. c. 12. (*a*) Epiſt. de Cord. Polypo n. 14. (*b*) Epiſt. 17. n. 2. & 29. & Epiſt. 4. n. 23. (*c*) Obſerv. Anat.
(*d*) l. 4. S. 1. Obſ. 62. §. 11. (*e*) l. 2. S. 7. Obſ. 163. (*f*) De Lumbr. lato c. 5. (*g*) Epiſt. Anat. 14. n. 44.
(*h*) (*i*) Sepulchr. l. 2. S. 4. Obſ. 6. §. 1. & 2. (*k*) n. 15. (*l*) in Schol. ad cit. Obſ. (*m*) l. 3. c. 8. (*n*) n. 15.
(*o*) l. 2. S. 11. Obſ. 3. §. 2. (*p*) in Schol. (*q*) Obſ. cit. §. 1. (*r*) Epiſt. 23. n. 15.

rum quæ ibi ingenue faſſus ſum, non contendi a me quod in canibus ſæpius vidi, id eſſe in hominibus nunquam poſſe, verum inſuper non repugnaturum tibi, ſi forte nonnunquam fuiſſe, credas. Fuiſſe enim potuit, neque uno modo. Primum enim ſi ea legeris quæ a me, & ab aliis conſpecta ſcripſi (*ſ*), in canibus, & quibuſdam aliis animantibus non unum eſſe locum, in quo rubelli, & acicularum tenuitate innaſcantur vermiculi, undeque exitum tentent, præcipue autem in vaſa ſanguifera; non valde miraberis, Thomam Cornelium (*t*) in ſturno convulſionibus vexato *cordis baſim teretium quorundam vermiculorum amplexu circumplicatam* inveniſſe, multoque minus, nobilem Chirurgum Lapeyronie (*u*) non uno in cane inter cordis baſim, & pericardium, nec ſemel in ventriculis ipſis, vermium glomeres vidiſſe. Quorum ſi neutrum ſimilitudine aliqua deceptum credis; minus deceptum exiſtimabis Lochnerum (*x*), qui *mire ſe moventes reptanteſque vermiculos* ab ſe deprehenſos affirmat, & *rubicundulos* quidem, atque ut ſatis exemplo indicat (*y*), *craſſitie, & longitudine aciculam æquantes*, eoſque in thalamo ſiniſtro cordis Virgunculæ, cujus bimeſtres cruciatus, roſioniſque ſenſum circa præcordia deſcribit, cum tremore, & palpitatione cordis, pulſus intermiſſione, defectionibus animi, ſudore frigido, & convulſivis motibus conjunctos. Optandum quidem fuerat, ut priuſquam eorum vermiculorum *nidum* in corde fuiſſe, pronunciaret, viſcere ob ſuas alternas conſtrictiones, eaſque, cum irritantur, vehementiores, minus idoneo ad vermiculorum nidificationem, moramque bimeſtrem; optandum, inquam, fuerat, ut ſubſtantiæ cordis eroſiones, & indurationes illas quæſiviſſet, a nobis in ejuſmodi nidis animadverſas, ne forte in tunicis vaſis alicujus fuiſſent non plurimum diſſiti, ut facile cor poſſet in conſenſum trahi, & a vermiculis tunc demum adiri, cum in morte, aut mox poſt mortem quoquoverſus e nidis aufugiunt vermes, quemadmodum a Valliſnerio (*z*) adnotatum eſt. Quod in canibus quoque, aliiſque animalibus tunc arbitror accidiſſe, multoque magis ubi non de vermiculis, ſed de teretibus agitur inteſtinorum, ventriculique lumbricis, revera aliquando intra pericardium repertis. Neque enim per ſanguifera vaſa, in quorum hi quidem tunicis haud nidulantur, ſed per brevem expeditamque œſophagi viam, quem non aliter ac inteſtina, nec rariſſime, perforent, ſe in proximum poſſunt pericardium conjicere. Qua ratione, & eo quo dixi, tempore huc perveniſſe, crediderim, illum Baglivi lumbricum, quem commemorat Clericus (*a*), itemque alterum, quem Cl. Hæhnius (*b*), cum a corde, cui affixus erat, abſtraheret, *ſtatim*, ait, *digitis ſuis ſe circumcinxiſſe, anguis ad inſtar*. Hic enim lumbricus in viro fuit, cujus, dum viveret, nulla quæ ad cor attineant, proponuntur incommoda; primus autem in eo qui cum doloribus ventriculi alia pertulerat mala, ad cor quidem, ſed facile in conſenſum a ventriculo tractum, ſpectantia. Dubitationes igitur, & conjecturas intelligis meas, quas non ante abjiciam, quam plures, nec ſine accuratiſſimo, quod ſæpius deſidero, examine, habitæ Obſervationes proferantur, quæ me illuc adducant tandem, ut quod fieri poſſe, & potuiſſe, non inficior, factum eſſe libens agnoſcam. Vides ſimul, ubi dignus Auctor eſt, cui credatur, & ab ſe viſos aut vermiculos, aut lumbricos, viventes ſcribit, a me fidem, ut par eſt, adhiberi. Veruntamen quot denique ejuſmodi extant Obſervationes? nam quarum memineram in præſentia, earum nullam hic a me prætermiſſam, aliquam etiam non viventis lumbrici admiſſam puto. At enim Verneyus, inquies, *obſervaſſe*, ſcribitur (*c*) lumbricum, terreſtrium ſimilem, & hunc viventem, intra Sinum Longitudinalem pueri quem aſſiduus vehemenſque dolor vexaverat ad naſi radicem, & poſt trimeſtrem lentam febrem, magnæ demum convulſiones ſuſtulerant. Mihi vero hunc ipſum caſum legenti in Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ (*d*), & verba ſingula perpendenti Verneyus viſus eſt potius rem ſibi narratam, quam *obſervatam* retuliſſe; ut nonnulla mihi ſuſpicio ſit, qui narraverit, ne ipſum quidem rem vidiſſe, ſed cum ab iis qui viderant, audiviſſet, fortaſſe a Sinu, ut fit, ad Sinum, a Frontali videlicet (*e*) ad Longitudinalem tranſtuliſſe. Itaque non agitur hic, ut vides, an Verneyo credamus: ut neque an Thomæ Cornelio (*f*), quando puellam memorans, in qua poſt moleſtos circum præcordia dolores, & frequentem epilepſiam, nulla alia interitus apparuit cauſa, niſi quod *vermes lumbricis ſimiles cordis vaſa exediſſent*, puellam quidem *noviſſe* ſe, ſcribit; vermes hos vidiſſe, non ſcribit, ubi vermiculos in illo ſturno, in glandulis, canis œſophago adnatis, in aliiſque aliorum quæ ibidem nominat, animalium partibus, ſemper diſerte ab ſe conſpectos fuiſſe, ait, & ab ſe pariter viſos *in cerebro etiam, & corde vermes multiformes, & interdum non minus copia, quam magnitudine mirandos*. Quæ verba tamen hos indicant vermiformes potius fuiſſe polypos, ut in puella quoque illa fuiſſe, conjiciebat Valliſnerius (*g*), fibras vermiformes ex albida, viſcidaque materia, cordis ulceri adhærentes. Sed quæ nobis venia danda non eſſet, ſi res ejuſcemodi hoc tempore pro vermibus facile acciperemus, ei & Viro, & tempori danda eſt, quo Coiteri monita aut neutiquam, aut negligenter adeo a pleriſque Doctis etiam Medicis legerentur, ut illas ipſas concretiones, quas lumbricis ſimiles, ſed reapſe ex pituita, ut ipſe vocabat, factas fuiſſe, docuerat, inter exempla numerarent verorum lumbricorum qui in corde, & cerebro deprehenſi eſſent. Fortaſſe non crederes, niſi ipſa verba producerem, quæ inter ſuorum vermium, quos pro veriſſimis habebat, enumerationem ſic interpoſuit Cornelius: *Ejuſdem pariter generis vermes a ſe quandoque obſervatos ſcribit Volcherus Coiter non in corde tantum, ſed in cerebro quoque eorum, qui ſuſpendio multati pariere*. Nihil verius poterat dici, ſi quod de ſuis Volcherus, idem de ſuorum quibuſdam Cornelius cenſuiſſet.

24. Sed jam tandem a prolixo, nec fruſtra tamen prolixo, de vermibus falſis, veriſque ſermone ad illam quæ in hunc adduxit, nempe ad ſuſceptam polypoſarum concretionum hiſtoriam revertamur. Quam; ne quis amplius ſuſpicetur, cordis polypum eſſe morbum novum, & ab novo ætate hac noſtra vivendi genere fortaſſe repetendum; ab Helidæi tempore inchoatam (*h*) ad Coiterum perduxeramus. Hujus Anatomici obſervationes, aliæ annis proximis excepere eorum qui in corde polypos, vaſiſve ſpectarunt, ut Jo. Baptiſtæ Canani, Gulielmi Ballonii, Thomæ Eraſti. Primus enim A. 1574. *pinguedinem ad magnæ candelæ ſebaceæ formam* in ſiniſtro cordis ventriculo invenit Oſtiarii Sereniſſimæ Ducis Ferrarienſis, ſubita morte extincti, ut ex Boſchio, illius diſcipulo, in Sepulchretum Anatomicum (*i*) relatum eſt. Quam Obſervationem ſi cum ea quæ proxime præcedit (*k*), conferas, utramque eandem eſſe, conjicies, ab iis ex quibus deſcribitur per incuriam *Oſtiarii* vocabulo omiſſo, ut quod in eo fuit, in Duce fuiſſe videatur. Id melius cognoſces, eam quæ indicatur, quartam Boſchii Lectionem inſpiciens pag. non 438; neque enim paginas 76. univerſæ excedunt; ſed 38: nec miraberis, quod Cananum & ibi, & quotiencunque ipſum nominat; ſæpe autem nominat; titulo ornet *Multum Rev.* Ex quo enim Julii III. Pontificis Maximi Archiater fuerat, videtur Clerici veſtem, & fortaſſe etiam plus quam veſtem retinuiſſe, quando Fioravantius (*l*) anno ſcribens ab ejus Pontificis obitu decimo quincto, cum hunc Cananum, etiam tum viventem, laudaret præ cæteris in oculorum anatome, ſic appellabat *il Rev. Monſig. Canan Ferrareſe*. Fuiſse autem Julii Archiatrum, didici ex Viro Doctiſſimo, Humanis-

(*ſ*) Epiſt. Anat. 9. n. 44. & ſeqq. (*t*) Progymn. Phyſ. 6. (*u*) apud Senac Traité du Coeur l. 4. ch. 9. n. 6.
(*x*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 1. (*y*) Vid. earund. Dec. 2. A. 6. Append. n. 1. Obſ. 13. (*z*) Riſp. alla Lettera di Monſign. d'Adria.
(*a*) Hiſt. Lat. Lumbr. c. 13. ubi de Vermib. Cord. (*b*) Act. N. C. Tom. 7. Obſ. 14. (*c*) Vid. apud Palfin Anat. du corps hum. P. 2. ch 3.
(*d*) A. 1700. Obſ. Anat. 10. (*e*) Vid. Epiſt. 1. n. 8. & 9. (*f*) Progymn. 6. cit. (*g*) Riſp. cit. (*h*) n. 22.
(*i*) l. 2. S. 11. Obſ. 5. §. 5. (*k*) Ibid. §. 4. (*l*) Cirugia l. 2. c. 16.

maniſſimoque Thyrſo Pagliarino J. C. & Canonico Ferrarienſi, qui & Canani longe rariſſimum donavit Opuſculum (*m*), confirmante quod ſi ad me ſcripſit, Proſpero Mandoſio (*n*), qui præterea nobile Canani Genus, & *germanum* ejus *fratrem* Julium S. R. E. Cardinalem commemorat. Quæ, atque alia ad Canani vitam, & Opuſculum attinentia, opportuniorem fortaſſe habebo explicandi locum. Nunc ſatis ſit hæc tibi ſic in tranſitu indicaſſe, ut me ſcias quod de hoc Anatomico, excluſus anguſtiis temporis, invenire non potui, cum illud poſt ſcriptum adderem Epiſtolæ Anatom. XV. (*o*), mox ita inveniſſe, ut ad ipſius tunc a me ſuſceptam defenſionem pondus maximum acceſſerit: quanquam nullam fore in poſterum cauſam ſpero eandem perſequendi. Gulielmus autem Ballonius; ut pergam dicere de Obſervationibus polyporum; in Conſtitutione Autumnali A. 1575. (*p*) quendam memorat in quo *veluti carunculæ* repertæ ſunt, *eæque oblongæ*, in orificiis vaſorum a corde ad pulmones pertinentium.

Denique Thomas Eraſtus, quemadmodum habes in Sepulchreto (*q*), in libro edito A. 1580. concretionem deſcripſit *flaveſcentem inſtar medullæ, quæ in oſſibus boum coctis invenitur*, deprehenſam in duorum cordibus, quorum alteri cum febre, & pleuritide, alteri ſine febre pulſus maxime fuerat inæqualis. Non eſt opus ut ſingulos memorem qui deinceps has concretiones in corde, & annexis vaſis reperientes, alii cum medulla pariter, alii cum pinguedine, alii cum ipſa carne compararunt. Neque enim vel ex ſuperioribus omnes quos poteram, nominavi: quamvis Smetius (*r*) A. 1576. in Principe Viro, cujus pulſus fuerant inæquales, inordinati, intermittentes, præter concretiones in ventriculis cordis earum ſimiles quas deſcripſit Eraſtus, ipſas inſuper *appendicibus aliquot præditas* adnotaverit: quas certe longiſſimas conſpexit Neretius (*ſ*) in peripneumonica, quippe quæ ex dextero cordis ventriculo carnoſæ, albidæ, flaccidæ Cavam venam ſubeuntes, *propagabantur uſque ad caput, & os ſacrum*. Per alterum autem ejuſdem ventriculi orificium Guarinonius (*t*) ſæpe vidit pituitam craſſam; ſic enim illas vocabat; in Pulmonarem arteriam ita ſe producere, ut initio tracto ſimul educeret ex cunctis arteriæ ramis omnem eam pituitam *ab illis in formam eorum redactam, ut arbor videretur*. Sed ejuſmodi quaſi arboris delineationem primus omnium, quantum recordari nunc poſſum, edidit poſtea Caſparus Bauhinus (*u*), ſimulque polypi tum dexteri, tum ſiniſtri cordis ventriculi (*x*) cum polypoſis, quæ in ventriculi utriuſque ſubſtantiam inſertæ fuerant, radicibus, & ſiniſtri polypi in arteriam Magnam, Subclavias, Carotides, & Vertebrales propagatione. Quæ omnia etſi materiæ *adipoſæ* nomine, qualem in hydropicis, & phthiſicis ſæpius obſervaverat, comprehendit; tamen in puella quadam (*y*) præter materiam *pinguedini ſimilem* in ventriculo dextero, in annexa auricula prætumida materiam quandam albam, *membranoſam*, craſſam, oblongam a ſe viſam commemoravit. Nec vero circa ea tempora, & deinceps donec Tulpius (*z*) A. 1641. ſuam cordis polypi Figuram, & deſcriptionem propoſuit, defuerunt alii, qui ab ſe quoque viſum memorarent: ex quibus unum ſatis eſt nominare, cujus libri in manibus erant omnium, Riolanum. Hic enim quæ in Sepulchreto (*a*) extant de *fruſtulis carneis, pugni magnitudine, invicem conglobatis* ab eo deprehenſis *intra ventriculum dextrum ad orificium venæ Cavæ in quibuſdam repentina ac inopinata morte ſuffocatis*, & nominatim in Epiſcopo Malleacenſi, eadem ipſe jam ediderat anno ſaltem 1626. in Antropographiæ capite ibidem indicato: ad quæ alia addidit poſtea, ut in poſtrema ejuſdem Operis editione legimus, quæ ad A. attinet 1649. Quin etiam ipſum *polypi* nomen quo deprehenſam a Tulpio concretionem qui aderant Medici *uno ore* appellaverunt, indicatum videtur, ut animadverterunt Viri Docti, a Fabricii Bartoleti libris, editis A. 1633. in quibus cum de viſis a ſe ipſo concretionibus verba faceret; *polypodis* vocabulo uſus fuerat.

25. Etſi vero a tot Medicis, & ab aliis; neque enim ſingulos nominare inſtitui, ſed ſumma dumtaxat capita, & tempora attingendo, Obſervationes pleraſque notiſſimas in ſeriem digerere, ſicque aliquam tibi Polypi hiſtoriam adumbrare; etſi, inquam, a tot Medicis viſus ille fuerat, & pro graviorum morborum, atque adeo ipſius mortis cauſa habitus; nemo tamen ante A. 1654. peculiarem de eo tractationem vulgavit, quo tandem anno ſuam *de Polypo Cordis* Epiſtolam emiſit Sebaſtianus Piſſinius Lucenſis Medicus, qua propriis, & quorundam tum Veterum, tum Recentiorum Obſervationibus propoſitis, aut indicatis, polypi quidem *nomen novum*, ſed *rem novam non eſſe*, faſſus, ſigna ejus afferre, & nonnulla de eo theoretica, & practica problemata ſolvere conatus eſt.

Hunc erat excepturus Michael Kirſtenius, is cujus Obſervationem, & Figuras polypi cordis edidit Thomas Bartholinus (*b*). Namque ut A. 1657. ad hunc ſcribebat Segerus (*c*), illi erat in animo *adornare Diſſertationem de affectibus Cordis*, qua mente *plures* hujus *polypos obſervaverat, & delineatos* Segero *oſtenderat: a quibus catarrhos ſuffocativos ideo oriri inprimis credebat, quia omnes illi, in quibus polypos hos obſervaverat, catarrho hocce extincti fuerant*, curſum videlicet ſanguinis *ejuſmodi concreſcentiis inhibentibus ac plane ſiſtentibus*. Quæ Diſſertatio num prodierit, ignoro: certe qui eam viderit, legiſſe non memini. Suam interim *de Polypo Cordis* inſcriptam A. 1666. emiſit Malpighius, illius materiam, ſtructuramque rimatus. Quæ Diſſertatio, non ſecus ac pleraque præcipua, quæ poſt illam, de cordis, & vaſorum polypis a tot aliis edita ſunt, cum ſit tibi longe notiſſima, hanc noſtram hiſtoriæ Polypi adumbrationem ulterius non producemus; ſed ad ea continuo tranſibimus, quorum cauſa illam præmittere non inutile exiſtimavimus.

26. Quod ergo ad polypi materiam attinet, qui hanc cum adipe, aut carne, aut membrana, aut pituita compararunt, minime illi arguendi ſunt, cum ſimilitudinem dumtaxat ſpectaverint, quæ aliquando oculorum judicio tanta eſt, ut aqua aquæ ſimilior non videatur. Qui vero non ſimilem modo, ſed eandem prorſus eſſe, putarunt, hi nullo, aut levi examine contenti, rei ſpecie decepti ſunt. Sic qui adipoſi eſſe generis, adeo crediderunt (*d*), ut mirarentur, quomodo vel in eo loco ita concreſcere potuiſſet, cujus calorem loci, docente Galeno, *vix digitus, vivo exiſtente animali, ſufferre poſſet*, perfacile ignis experimentum videntur neglexiſſe. Mirum autem eſt, cum pinguedinem eſſe crederent, aut de iſta Galeni doctrina, aut de illa concretione non dubitaſſe, vivo ne homine, an frigido jam facto cadavere potius accidiſſet: quanquam magis mirum eſt, multo recentiori tempore non defuiſſe qui polypi materiam ab ipſa cordis pinguedine, haud ſcio quomodo a ſuperficie ad interiora traducentes, derivaverint.

Sed qui polypos carnem, membranamve eſſe, cenſuerunt, ſi revera ſemper decepti non ſunt, ſed eorum nonnunquam fibras cum fibris cordis continuari, & vera per ipſos ſanguifera vaſcula produci, conſpexerunt, quorum mihi neutrum in polypis prope innumeris ſpectare adhuc contigit; non illi tunc polypos, de quibus hic agi-

(*m*) Muſcul. hum. corp. pict. diſſect. (*n*) Θεατρ. Pontif. Archiatr. (*o*) n. 66. (*p*) Epid. l. 2. (*q*) Sect. hac 9. Obſ. 3.
(*r*) Sepulchr. l. 3. S. 21. Obſ. 3. §. 24. (*ſ*) apud Schenck. Obſ. Med. l. 2. ubi de Cord. Excreſc.
(*t*) Sepulchr. l. 2. S. 1. Obſ. 14. & l. 4. S. 1. Obſ. 14. (*u*) Tab. 9. Fig. 2. in Append. ad Tab. Theatri Anat. (*x*) Ibid. Fig. 1.
(*y*) Sepulchr. l. 2. S. 8. Obſ. 14. §. 2. (*z*) Obſ. Med. l. 1. c. 27. (*a*) l. 2. S. 11. Obſ. 5. § 2. (*b*) Cent. 3. Hiſt. Anat. 17.
(*c*) Th. Bartholin. Cent. 2. Epiſt. Medic. 86. (*d*) Vid. Boſchii Lect. 4. & Bartholin. Cent. 1. Epiſt. Med. 2.

agimus, ſed cordis *excreſcentias* viderunt. Verum aliud eſt polyporum quaſi radiculas in cordis minimas foveolas, & foraminula ſe inſerere, vaſorum autem per ſe, aut intra ſe repentium quandam interdum ſimilitudinem oſtendere; aliud continuari fibras ipſas, & certis ac peculiaribus tunicis inſtructa vaſa ſub oculos, & ſcalpellum cadere hos polypos incidentium. Certe Valſalva ut olim inclinabat in hanc ſententiam, ita ſibi pluſcula per quendam polypum videre vaſcula viſus eſt, quæ & diligenter delineaverat; ſed ex ſimilium polyporum examine fallaciam ſenſit, & quæ antea dilineaverat, poſtea delevit. Tandem qui polypos pituitam eſſe, dixerunt, ſi aliud hoc nomine quam materiam ex qua cruſta fit, concreto ſanguini inſidens, ſignificarunt, non ita certe probandi ſunt, ut qui illam ipſam materiam intellexerunt. Quam enim aliam hoc tempore niſi illam materiam polypi præcipuam & peculiarem eſſe cenſemus? aut quod diſcrimen inter eam cruſtam, & polypoſam concretionem a Malpighio, & Williſio adnotatum fuiſſe, aut revera eſſe, tum hos legendo, tum illas diligenter, earumque ſtructuram examinando, comparandoque, invenire potuit Vir Cl. Andreas Paſta (*e*)? Illam autem materiam fuiſſe Veterum pituitam, inter cæteros præclare oſtendit Eximius Medicus, eorumque doctrinæ peritiſſimus, Salius (*f*). *Videmus*, inquit, *non ſolum utramque bilem cum ſanguine e vena ejectam concreſcere, ſed etiam pituitam ipſam, quæ adeo in ſanguinis ſuperficie nonnunquam concreſcit, ut vix gladio incidi queat, niſique hæc & limoſa pars ſanguinis ei admiſceatur, licet concreſcat ſanguis, quomodocunque e vena ejectus, non tamen ita cito concreſcit, nec ita dure coaleſcit, ſicuti ei contigit, quando copioſe ei admiſti ſunt & humores melancholici, & pituitoſi*. Quæ tibi volui omnia verba deſcribere, ut cum iis conferre poſſis quæ Vir Experientiſſimus ſcripſit Jo. Ludovicus Petitus in Commentario altero (*g*) de modo hæmorrhagias ſiſtendi, ubi ſanguinis partem rubram eo laxius concreſcere, animadvertit, quo minus de alba admiſtum habet, & contra; ut cruſta propterea duriſſima ſit, quod ex alba tantum parte coaleſcat. Sed illud præterea vel in cadaveribus ab eodem animadverſum videbis, ſanguinem qui in corde, & vaſis omnibus tum venoſis, tum arterioſis ita concrevit, ut pars alba ſit a rubra diſtincta, inferiorem quidem partem rubram habere, ſuperiorem autem albam „ modo cadaver frigi-
„ dum factum ſit in ſitu horizontali, ſicuti plerum-
„ que contingit. „

27. Verum etſi hæc de polyporum materia, & ſtructura adeo illius ſimili quæ in cruſta ſanguinis obſervatur, & de cruſtæ in ſuperiore parte quieſcentis, & frigefacti ſanguinis quotidie propemodum viſa efformatione, etſi hæc, inquam, ut erant notiſſima, ita injicere Medicis dubitationem debebant, num polypi diu ante mortem, an potius poſt mortem coaleſcerent, præſertim ex quo, modo memoratam, legerant, a Petito in cadaveribus habitam, Obſervationem; tamen niſi exiſtebat, creſcente in dies nimia iſta de præexiſtente polypo perſuaſione, niſi, inquam, exiſtebat is quem paulo ante laudavimus, Andreas Paſta, qui *tollere contra*

Eſt oculos auſus, primuſque obſiſtere contra (*h*);

equidem qui, aut quando finis apud pleroſque futurus fuiſſet, haud ſatis ſcio. *Primus* autem dixi, quia Kerckringius (*i*) magis univerſarum ſanguinis partium, quam albarum potiſſimum concretionem, id eſt polypum, impugnavit, aut ſi hunc impugnavit, tam molli brachio id fecit, ut cum multo firmior Malpighii (*) defenſio videretur, &, ſi nihil aliud quam Kerchringii objectationem attendas, etiam eſſet; magis magiſque ex quo prodierat utraque, proferre homines plerique pergerent obſervationes polyporum, unde prægreſſi & morbi, & obitus explicarentur. Fuerat aliquis infirma, & ſæpe etiam ægra valetudine quindecim, aut viginti ipſos annos. Si in mortui demum corde repertus polypus fuiſſet; hic jam inde ab initio extitiſſe, & perpetuus malorum omnium auctor fuiſſe dicebatur. Idem pariter accuſabatur, poſt morbum deprehenſus celeriter conficientem. At cor æquo majus, at cor, aut ejus auriculæ magnitudinis mirandæ, at pulmones peſſime affecti, & compreſſa arteria Aſpera ſimul conſpiciebantur. Polypi culpabantur tamen. Quenquam a me nominari non eſt opus, cum jam diu in omnium manibus ſcripta ſint quæ hoc teſtentur. Sed nocere tamen minus poſſunt, cum ſimul cauſas nobis proferant, quas verius incuſemus. Quæ vero eas non proferunt, ut haud improbabili indicio ſunt, eas ſæpe non fuiſſe quæſitas, ſic quantum detrimenti a polypis Res Medica retulerit, non obſcure ſignificant, cum in tot cadaverum inſpectionibus polypo reperto, ſatis quæſitum eſſe, pronunciaretur, & quid præterea in thorace, in ventre, in capite lateret, unde veriores morbi, & obitus diſcerentur cauſæ, perquirere negligeretur. Nec minus damni indidem, nec raro, cepiſſe Rem Juridicam exiſtimabis, cum apud Judices legeris polypum a Medicis reum factum alienæ culpæ, eorum videlicet qui aut enſe, aut fuſtibus, aut pernicioſo pharmaco ſanos, valenteſque homines occiderant, ſive noxa his rebus illata intus appareret, ſive poſtquam deprehenſus erat polypus, non eſſet diligenter quæſita. Nimirum ſe auferri ſinebant Medici hac ratione, non potuiſſe polypum tam cito poſt mortem formari: neque has duas alias attendebant, cruſtam non minus celeriter efformari in extracto ſanguine, & ſi polypus diu ante mortem cor occupaſſet, hominem illum ſic, ut fatebantur, valentem, & omnino ſanum futurum non fuiſſe. Quin ea ipſa res qua admoneri debuiſſent, polypos illos non eſſe morbos, horum videlicet frequentia (quotus enim quiſque hoc igitur morbo non laboraſſet?) eadem illuc ſe adduci patiebantur, ut docerent, polypum longe frequentiorem eſſe morbum, quam homines opinarentur; quando jam olim Guarinonius (*k*) de polypo, quem pituitæ nomine, ut ſupra (*l*) indicatum eſt, deſignare conſueverat, hæc in Obſervatione quadam, unde verum diſcendum fuerat, ſcripſit: *Cor ſine pituita illa ſolita in mortuis*: nec de ulla in cadaveribus alia re magis fortaſſe quam de ſanguine, vera illa ſunt apud Celſum (*m*) verba: *tale eſſe, quale mortui ſit; non quale vivi fuit*. Quam parum igitur apud pleroſque profeciſſet ſuſcepta obiter a Kerckringio polyporum impugnatio, ſatis ſuperque intelligis. Sed Paſta longe alia via ac ratione ipſos polypos ex propoſito aggreſſus, in dubium adeo revocavit tum Epiſtola in eam ſententiam edita, tum breviore altera, quæ a Viro Cl. Franciſco Roncallo Parolino Comite (*n*) vulgata eſt, ut perpauci mihi jam poſſe produci polypi videantur de quibus num diu ante mortem fuerint, non dubitemus. Et diu quidem eſt ex quo ipſe dubitare nonnunquam cœperam, non de concretionibus iſtis levioribus, quas cum in pleriſque cadaveribus viderem, ſæpe ſtomachabar, interdum ſubridebam, ſi quem forte eorum qui aderant, audirem inde repetentem morbi cauſam, quæ ſe alio loco ſatis prodebat; ſed de magnis, ac durioribus concretionibus, ut quas A. 1703. offendi utrumque cordis ventriculum, & Magna, his adjecta, vaſa omnia occupantes adoleſcentis, quem intra dies tres acutiſſimus ſuſtulerat morbus, qui cujus generis eſſet, non adnotavi; adnotavi autem ſuſpicionem hanc meam, videlicet cum perpauci dumtaxat, exigui, & molles una eſſent atri ſanguinis grumi, quo vita ſervari ne ad nonnulla quidem momenta potuiſſe videretur, poſt obitum

tum

(*e*) Epiſt. de Cord. Polypo n. 17. & ſeqq. (*f*) De Affect. Partic. c. 4. (*g*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1732.
(*h*) Lucret. de rer. nat. l. 1. v. 67. (*i*) Spicileg. Anat. Obſ. 73. (*) Op. Poſth. (*k*) Sepulchr. l. 4. S. 1. Obſ. 13. in Addit.
(*l*) n. 24. (*m*) De Medic. in Præl. (*n*) in Epiſtolis poſt Hiſtorias Morbor.

tum denique maximam ſanguinis partem in eas concretiones fuiſſe coactam. Neque aliter accidiſſe in iis, ſuſpicabar, quos Lowerus (*o*) ſcripſit a ſe diſſectos, *miratus*, corde, & vaſis adeo infarctis, *cor ullo modo conſtringi, aut reliquum ſanguinem adhuc fluidum, ad vitam & calorem in partibus conſervandum in vaſis iſtis præterlabi potuiſſe*; ne quid de eo dicam, in quo ab iis concretionibus alterius ventriculi cordis oſtium ita erat obturatum, ut *pennæ anſerinæ aditus in ventriculum, pro influxu ſanguinis vix reſtaret*, alterius autem oſtium *ægre digitis recludi potuerit*. Adjuvabant ſuſpiciones has tum hiſtoriæ ſimiles, tum alia, quorum partim paulo ante attigi, partim infra memorabo, tum ea quæ apud quoſdam Auctores legebam, ut puta apud Coiterum, atque Riverium. Quorum ille cum polypos vermiformes, ut ſupra (*p*) relatum eſt, non ſecus in iis qui ſuſpendio, quam in ea quæ phrenitide necata fuerat, inveniſſet, nec ratio appareret, cur in primis illis eſſe ante obitum debuiſſent; in altera quoque poſt mortem demum formari potuiſſe videbantur. Riverius autem, ut in Sepulchreto (*q*) leges, Obſervationem litteris tradidit caruncularum, quarum *major ad avellanæ magnitudinem accedens*, cum *arteriæ aortæ oſtium præcluderet* viri, qui pulſus inæqualitatem primum, deinde aſphyxiam paſſus obierat, credita ab Riverio eſt hæc effeciſſe, cum alia non deeſſent quæ accuſari poſſent, nec caruncula ejus dumtaxat magnitudinis præcludere in viro potuiſſe magnum illud oſtium videatur, præſertim cum in Scholio, ab eodem Auctore memoretur *caruncula ſimilis & multo major* in corde militis occiſi, qui *tamen ante bona fruebatur valetudine*. Vides certe, quid hinc pariter conſequatur: quanquam Riverius occurrere dubitationi non omiſit, diſcrimine illo prolato, quo plures quoque alios uſos eſſe deinceps, vidi, carunculæ in milite parietibus ventriculi in parte alligatæ, in altero ſolutæ, ut in hoc poſſet compelli in vaſorum oſtia, in illo non poſſet. Meas tamen omnes ſuſpiciones, dum res mihi magis diluceſceret, tacitus compreſſi, & facile adhuc comprimerem, rationibus quæ pro polypo proponi, aut reponi ſolebant, me, ut verum fatear, morantibus, niſi has Paſtæ ingenio, & diligentia plurimum denique infirmatas vidiſſem.

28. Et primum obſtare mihi videbantur polypi ſigna, quæ non ſine accurato, & cauto plerarumque omnium, quæ illius extarent, Obſervationum examine fuiſſe a Summis Viris propoſita, exiſtimabam. Et quanquam unum aliquod pathognomonicum ſignum raro in morbis haberi poſſe, non ignorabam, mirabarque, non defuiſſe memoria noſtra qui ejuſmodi in polypo ſignum eſſe, doceret, Carotidum, & Subclaviarum arteriarum pulſationem vehementiorem, ut quam ſine polypo ſæpenumero obſervatam ſciebam, quod & aliquæ ad te ſcriptæ confirmant hiſtoriæ (*r*); neminem tamen ferme legebam eorum a quibus polypi indicia ſunt commemorata, qui inter hæc intermittentem, aut ſaltem inæqualem pulſum non poneret, quem ſæpe etiam in adumbrata a nobis polypi hiſtoria (*ſ*) relatum animadvertere potuiſti, & indicatum ſcis ab nonnemine tanquam ſignum polypi pathognomonicum. Quem ego hominem vel ab ſenioribus ſuæ Sectæ Doctoribus refutatum non mirabar, cum mihi earum Obſervationum veniebat in mentem, in quibus aut ſine hoc ſigno inveneram polypos, aut cum hoc ſigno non inveneram: cujuſmodi eæ ſunt, quod ad primum attinet genus, quas in Epiſtola habes VII. n. 11. & 13. & in hac ipſa XXIV. n. 6; quod vero ad alterum, quas in Epiſtolis aliis habebis: quibus tunc addes quæ in Epiſtola ſunt XXI. n. 34. & in XXIII. n. 6. Sed & Epiſtolam relegens IX. cum in illam hiſtoriam (*t*) incides, qua conſtat, pulſuum inæqualitatem parco, ſed continuato, opii uſu fuiſſe ſolutam; illam, ſi bene te novi, a polypo ortam non credes. Verum etſi hæc tunc cognita ex parte ac perſpecta habebam; putabam tamen, ea paucas eſſe exceptiones, quales in Medicina perſæpe occurrunt, nec ſatis dignas quas diagnoſi opponerem a Viris Experientiſſimis conſtitutæ, præſertim cum me non fugeret, ſignorum vim non uno, aut altero ſeorſum accepto, ſed pluribus conjunctis eſſe ſpectandam. Sed ecce tibi Epiſtola Doctiſſimi Paſtæ, in qua (*u*) tot collectæ ſunt polyporum Obſervationes, etiam numero, aut mole valde ſpectabilium, poſt nulla polypi indicia a Clariſſimis Auctoribus deprehenſorum, ut propoſita illorum diagnoſis jam ſæpius inutilis videatur, aut ſi ratione duce excogitata eſt, dubitare cogat, non fuiſſe igitur ante mortem polypos, quorum in viventibus nullum prorſus ſignum extabat. Quas dum relego Obſervationes, invenio duas, alteram Wincleri, Borrichii alteram, quas diſcrimini illi objiciam Riverii (*x*), ab alligata, aut ſoluta caruncula ſumpto. Erant enim polypi in utraque illa Obſervatione *nulla parte adnati, nuſquam annexi, ſed liberi*, atque ſoluti; nihil tamen de pulſuum intermiſſione, aut inæqualitate adnotatur. Juvat huc addere obſervata a Cl. Joerdenſio (*y*), qui ingenue faſſus, *omnia illa ſigna ab auctoribus adducta ad cognoſcendum polypum jam factum, etiam collective ſumta, non ſibi ſufficere, ut inde certi quid de ejus præſentia ſtatui queat*, mox in ſingulorum examine, ubi ad pulſum venit intermittentem, hunc ſe *nunquam* in Polypoſis, *niſi moribundis*, obſervaſſe, teſtatur: & tamen in tot, quorum morbos, & diſſectionem aut peculiariter deſcribit, aut ſummatim indicat, ipſi accidit, ut *omnes polypos præter unicum, eumque omnium maximum, trabibus & columnulis cordis ventriculorum non alligatos, ſed liberos deprehenderet*.

Jam vero quando illud primum, videlicet ſine pulſus intermiſſione, aut alia inæqualitate polypum ſæpe inventum fuiſſe, ſatis oſtenſum eſt; omiſſis aliis quæ in promptu eſſent, & nominatim Cl. Trewii (*z*) Obſervationibus, alterum pariter, nimirum pulſus intermiſſionem, aliaſque, etiam mire variantes, inæqualitates ſine ullo polypo animadverſas fuiſſe, non una, ſed pluribus, ut par eſt, Præſtantiſſimorum Virorum Obſervationibus confirmemus, nec tamen omnibus, quibus liceret. Itaque primum ex Sepulchreto ſatis ſit de multis ſeptem, haud amplius, indicaſſe, Gregorii Horſtii (*a*), Nicolai Tulpii (*b*), Lazari Riverii (*c*), Lælii a Fonte (*d*), Joannis Prævotii (*e*) ſingulorum ſingulas, Hieronymi autem Cardani (*f*) binas. Quas ſi legeris; pulſum fuiſſe *intermittentem* reperies, *intermittentem* quoque *inæqualiter*, fuiſſe *inæqualem*, etiam *mire inæqualem*, *maxime inæqualem*, *omni inæqualitatis genere perturbatum*, *plurimumque in ſingulis differentiis variantem*, *ordine omnino nullo*: ſed cum in unoquoque ex his ſeptem ægris aut pericardii, aut cordis, quod in aliquot magnum fuit, aut pulmonis, ut in pleriſque, aliarumve partium vitia deſcripta invenies, in nullo polypum, aut concretionem polypoſam commemoratam videbis. Sed neque in aliis videbis, quas huc adjicies, hiſtoriis, Brunneri (*g*), Gullmanni (*h*), Lanciſii (*i*) pulſum proponentium *inæqualiter intermittentem*, *inæqualiter inæqualem*, *irregularem & inæqualem*, *inæqualem atque intermittentem*, cum quidquid morboſi poſt eos pulſus deprehenderunt in corde præſertim, arteria Magna, & vena Cava, non reticuerint. Quid? quod in puella quatuor, aut quinque annos nata, cujus morbum, & diſſectionem egregius Vir ſcripſit Verneyus junior (*k*), cum pulſus modo celeres, modo tardi, & præterea intermittentes, imo ad tempus per intervalla ſuſpenſi timorem incuterent de cordis poly-

(*o*) Tract. de Corde c. 2. (*p*) n. 23. (*q*) l. 2. S. 8. Obſ. 14. (*r*) Epiſt. 17. n. 23. & Epiſt. 23. n. 6. (*ſ*) n. 22. & 24.
(*t*) n. 7. (*u*) n. 4. (*x*) Vid. ſupra, n. 27. circa fin. (*y*) Act. N. C. Tom. 4. Append. n. 5. §. 5. & 6.
(*z*) Eorund. Act. Tom. 2. Obſ. 53. (*a*) l. 2. S. 8. Obſ. 35. §. 1. (*b*) Ibid. Obſ. 23. §. 1. (*c*) Sect. 5. Obſ. 21.
(*d*) l. 4. S. 1. Obſ. 45. §. 6. (*e*) Ibid. Obſ. 3. §. 10. (*f*) l. 2. S. 9 Obſ 33. & 22. (*g*) Eph. N. C. Cent. 6. Obſ. 1.
(*h*) Eorund. Act. Tom. 1. Obſ. 4. (*i*) De Aneur. Propoſ. 53. (*k*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1704.

polypo; nihil in corde adnotatione dignum inventum eſt; ſed ad ejus baſim ſcirrhoſus tumor nucis magnitudine, arteriæ Pulmonari incumbens, & per radices quaſdam cum Spina connexus. Clariſſimus autem Vir Joannes Targionius (*l*) ubi in Patricio Florentino cordis Magnorum vaſorum, & proximarum partium vitia deſcripſit, ne quis forte ob pulſum qui diutiſſime ſemper fuerat „ irregulariter irregularis, & intermittens „ polypum ab ſe omiſſum eſſe, ſuſpicaretur, diſerte addidit „ ne minimam quidem concretionem polypoſam fuiſſe repertam „. Quod ne de aliis, quos paulo ante laudavimus, ſuſpiceris; fac veniat in mentem cum diligentiæ plerorumque, tum omnium conſuetudinis, qua, cum polypi vocabulo necdum Medici ad eum quidem de quo loquimur, deſignandum utebantur, eum tamen aliis quæ ſupra (*m*) ſunt dicta, nominibus ſignificare non omittebant, tum quantum certa quædam pulmonis, aut cordis, aut vaſorum, huic annexorum vitia ad pervertendos pulſus valeant, tum denique ex illis dumtaxat pulmonis, & cordis vitiis (nuſquam enim *polypoſi quidquam* erat) Paſtam quoque (*n*) in duobus, quorum propterea cadavera perluſtravit, præter alia polypi ſigna, *inæqualem, intermittentemque continenter pulſum* ortum eſſe jam nonnullis ante obitum menſibus, deprehendiſſe.

29. Quoniam autem ad confirmandum, diu ante mortem fuiſſe polypos, dilatationes proferri ſolent cavorum in quibus inveniuntur, quaſi illæ tanquam effectus polypo, ut cauſæ, ſucceſſiſſent; non id Paſta facit quod ipſe in Adverſariis II. (*o*) feceram, ubi contrario etiam ordine rem ſe habere poſſe, oſtendi: imo illis ipſis hiſtoriis ex quibus elucere, credunt alii, dilatationes polypos eſſe conſecutas, non ſatis polypos in viventibus probari, patefacit (*p*), quia polypi non modo antea, ſed ne poſtea quidem in iis corporibus fuerint, neceſſe eſt, ſed poſt mortem denique gigni potuerunt; nam & dilatationes ſine polypis ſæpenumero inveniri, & polyporum ſigna, quæ in iis fuerant in quibus reperiuntur dilatationes, harum dumtaxat ſigna eſſe potuiſſe, planum facit. Qua una ex re mihi quidem videntur plura, ſed duo potiſſimum conſequi. Illud primum: qui polypi diagnoſim ex iis nobis conſtituerunt, quæ in ægris obſervaverant in quibus ſimul dilatationes, & polypi reperti ſunt, non ſatis caute ſe geſſiſſe. Sic; ne a Sepulchreti propoſita IX. Sectione recedam; ſi quis præfixos Obſervationibus, exempli cauſa, II. & X. titulos ſpectet, in illa *pulſus inæqualitatem* ortam procul dubio credet *ob cordis ſiniſtrum ventriculum ſubnigricante carne infarctum*, cum tamen ratio quoque habenda ſit ipſius cordis *inſtar uteri ad ejus carnis molem*, cujus pondus *libras duas* æquabat, *extenſi*: in X. vero Obſervatione *pulſus interceptio* eidem eſſe videbitur *a duobus polypis in corde*, præſertim cum ea Obſervatio, quæ ibi ex parte dumtaxat profertur, nihil præterea exhibeat, quod fuerit præter naturam. Magnum autem errandi periculum ab iſta mutilatas hiſtorias producendi conſuetudine properantibus lectoribus offertur. Quis enim credat, ubi de pulſibus agitur, ingens cordis ipſius vitium reticeri? Et tamem ſi eadem Obſervatio alio loco (*q*) ubi tota producitur, inſpiciatur; cum iis polypis fuiſſe invenitur *cor bovino majus, totam thoracis capacitatem replens*. Alterum, quod conſequi, paulo ante indicabam, polypi diagnoſim vel magis labefactat. Qui enim illam propoſuerunt, cum probe viderent, ſigna quæ afferebant, aliis morbis eſſe poſſe communia, illud addiderunt, ſigna iſta utilia futura, *deficientibus aliis indiciis, quibus affines morbi dignoſci ſolent*. Ita Piſſinius (*r*). Ante illum autem Riolanus (*ſ*), ubi de polypis mentionem injecit, hæc ſubjecerat: *qui premuntur ſpirandi difficultate cum pulſus interceptione, ſine tuſſi, ſine ulla ſuſpicione hydropis pulmonum, aut vomicæ, ſuſpectam habere debent repentinam ſuffocationem cordis*, a polypo videlicet. Alii denique aliter ejuſdemmodi exceptiones addiderunt. Sed quomodo indicia deerunt affinium morborum, ſi quæ polypi ſigna creduntur, ea dilatationibus etiam conveniunt, & *aneuryſmata ſeu aortæ trunci, ſeu lævi cordis ventriculi*, ut confirmat Cl. Paſta (*t*) *ſpecie polypi præ aliis fallunt morbis*? At enim, inquies, cum polypus ſine ullo aneuryſmate, ſine ulla alia cordis, vaſorumque læſione invenietur, cui prægreſſa ægri incommoda imputare liceat; hæc tunc ſaltem polypi ſigna fuerint, &, quod conſequitur, polypus ante mortem extiterit. Ne tunc quidem pro certo hæc conſequi, agnoſcit Paſta (*u*), ut qui ſigna omnia polypi in iis quoque interdum animadvertit quibus neque ulla erat earum læſionum, nec polypus: quamobrem ſicuti a cauſa alia aliqua, etiam oculos effugiente, ut puta, quod alibi (*x*) indicat, a cardiacorum nervorum vitio, tunc illa ſigna provenerint, neceſſe eſt; ita nihil prohibet quominus ab eadem in iis quoque proveniant, in quibus polypi deprehenduntur, præſertim cum tota Epiſtola ſatis oſtendat, quanto probabilius ſit, polypos non niſi poſt mortem compingi. Cum has Litteras ad te meas recognoſcerem, eximium de Corde Tractatum Illuſtris Senacii in manum ſumpſi, & caput (*y*) quod de Cordis Polypis eſt inſcriptum, perlegi, gaviſuſque ſum, ejus quoque judicio improbari (*z*) qui ſigna polypi, & in his pulſuum inæqualitatem polypo tribuere maluerunt, quam vitiis ſimul cum polypo deprehenſis, in hiſque dilatatæ cordis auriculæ: nonne huic dilatationi tribuenda erant, inquit, ſymptomata omnia, & ipſe polypus? Sed cum plurima alia habet ſingulari laude perdigna, tum illud in primis, quod difficilem ſe præbet in veris polypis & agnoſcendis, & dignoſcendis. *Raros* enim in tanto numero eſſe, ait (*a*) quos pro veris agnoſcat: & cum horum effectus eoſdem eſſe, affirmet, ac tot aliorum obicum, curſui ſanguinis per cor ſe opponentium; vix tandem ſoli pulſuum inæqualitati, eique varianti, hoc tribuit, non jam quod fecerant alii, ut inde polypos dignoſcamus, ſed tantummodo ut *ſuſpicemur*. Suſpicemur, inquam; neque enim fugere ipſum poterat, præter polypum, alios eſſe obices etiam inconſtantes, ut puta a varia nervorum irritatione, quæ ſi in nervos, exempli gratia, pulmonum cadat, variam ſanguini objiciat difficultatem e corde in pulmones exituro, aut ab his in cor redituro: quo exemplo utor, quoniam paulo poſt (*b*) video, ipſum quadantenus indicari; nam & alia colligi exempla poſſunt e capite inſequenti (*c*), & vel ſine his ſatis eſt dogma quod ab eo alibi (*d*) poſitum eſt, pulſus inæqualitatem a turbata eſſe nervorum & cordis actione. Quæ turbatio quamdiu ſimul durare, ſimul varia eſſe poſſit, nihil fortaſſe melius tibi oſtendet quam id quod nuper legebam in Volumine III. Commentariorum de Bononienſi Scientiarum Inſtituto (*e*). Cum enim Vir Cel. Molinellius quatuor canibus alterum nervorum Vagorum in collo obligaſſet, neque, ut Valſalva quidem ſolebat, ſtatim ſolviſſet; mox in omnibus motum cordis *nullo in genere æqualem, inordinatum, intermittentem nullo ordine*, in uno præterea cui nervum eundem etiam ſecuerat; motum illum *confuſum præter modum* animadvertit, nec ante diem XVII. XXIX. XXIII. XXVII. in ordinem iis canibus rediiſſe. Itaque ſi eidem nervo, aut alii ad cor ſpectanti, aut eorum origini læſio aliqua accidat gravis, quid hæc poſſit facere, intelligis, & quam ſapienter is quem laudabamus, Archiater ab ejuſmodi pulſu non diagnoſim polypi, ſed ſuſpicionem dumtaxat repeti poſſe, cenſuerit. At enim, fortaſſe hic dices, quid, ſi inæqualis pulſuum inæqualitas ultra diem undetrigeſimum, ut in pluribus accidiſſe novimus, producatur, & diutiſſime perſeveret? Huic etiam quæ-

(*l*) Prima Raccolta d'Oſſerv. Med. pag. 116. & 119. (*m*) n. 22. & ſeqq. (*n*) Epiſt. de Cord. Polypo n. 9.
(*o*) Animad. 40. & 41. (*p*) n. 5. 7. & ſeqq. & 13. (*q*) l. 3. S. 7. Obſ. 45. (*r*) Epiſt. de Polypo Cord.
(*ſ*) Anthropogr. ult. edit. l. 3. c. 12. (*t*) n. 27. (*u*) n. 6. (*x*) n. 11. (*y*) l. 4. ch. 10. (*z*) n. 10. (*a*) n. 9.
(*b*) n. 11. (*c*) ch. 14. n. 9. (*d*) l. 3. ch. 7. n. 9. (*e*) in Opuſc.

quæſtioni occurrit Paſta (*f*), atque utinam ne inciderent ſæpius eæ cerebri, aut nervorum læſiones, quæ neque ſanari poſſunt, neque mutari, eoque annos quam plures perſtant, & ad mortem uſque. Ejuſcemodi autem læſiones cum ſenſum plerumque fugiant; mirum non eſt, ſi aut cum vitiis cordis, aut ſine his in eorum cadaveribus qui varie inæquali pulſu fuerint, nihil quidquam, cui imputare hunc liceat, deprehendatur. Etſi enim illa cordis vitia ejuſmodi ſint, ut nunc quidem ad unum modum, mox ad alium ſe habere non potuerint; at ſe potuit ad illa addere nervorum læſio unde ea varietas exiſteret, quæ etiam ſine illis vitiis inde eſſe poteſt, ut non improbabili dubitatione a Paſta indicatum eſt.

30. Non eſt mihi in animo omnes ejus Epiſtolæ capita percenſere, quam legere per te poſſis, & fortaſſe jam legeris. Satis eſt, ſi dicam, nihil ferme eorum eſſe omiſſum, quæ hinc permovere homines debent, ut dubitent, num ſint in viventibus polypi, hinc vero, ut minus confidant iis rationibus quæ afferri ſolent, ut eos eſſe in viventibus, oſtendatur.

Quid ergo, inquis, a nobis interea faciendum eſt? Vir alter experiens, & doctus eſt expectandus qui ad illam Epiſtolam ſic reſpondeat, ut quod mihi quidem, ſicut alias (*g*) ſcripſi, non ita facile videtur, perſpicue, & firme illas omnes eximat dubitationes. Quod niſi fiat; caute equidem de polypis loqui pergam, nec committam, ut quæ mihi dubia ſunt, ea temere pro certis ponam. Neque enim amplius ea licet excuſatione uti, qua antea licebat. Scripſerat, exempli gratia, A. 1685. Zollicofferus in Diſſertatione de *Polypo Cordis* (*h*): *eo ritu, quo ſanguis pleuriticorum, cachecticorum, &c. venæ ſectione emiſſus, dum motum, partes ejus omnes antea miſcentem, & invicem obvolventem, paulatim perdit, craſſam albam & denſam, polypo noſtro ſubſtantia omnino ſimilem, in ſuperficiem protrudit*, talem *in ejuſmodi ſubjectis concretionem in corde & vaſis ejus poſt mortem æque ac in ſanguine emiſſo fieri poſſe, nihil eſt, quod me impediat credere, præſertim cum in illis ſubjectis a concretione illa polypoſa ſubſidentis & coagulati ſanguinis portiones aliquæ plerumque reperiantur, ſimiles ſanguini pleuriticorum craſſo & nigro*. Jam vero ſi ab eo tunc quæreres, cur poſt hæc, continuo illuc tranſiiſſet, ut non ſolum profiteretur, ſe tamen *nullo modo concedere, polypum omnem poſt mortem demum formari*; verum etiam de polypis eadem fere quæ cæteri, aſſeveraret; nempe eas quas ſubjicit (*i*), rationes ſui facti produceret: eæque ipſi ad juſtam excuſationem valerent, ut quæ ab nemine fuerant in dubitationem vocatæ. Nobis vero iiſdem utentibus quæ daretur venia? poſtquam illæ ipſæ, ut ſupra (*k*) oſtendimus, adeo ſunt a Paſta infirmatæ. Quod ſi aliis niti velimus rationibus, ut puta iis quas apud aliquos legeris, ad polypos ſaltem illos excipiendos qui ventriculorum parietibus adhærent, & tendineis valvularum ſive Mitralium, ſive Tricuſpidum fibrillis implicantur, aut qui duritie, & firmitudine ea ſunt, ut digitis nequeant diſſolvi, eoque oſtendant, ſe opus eſſe non breviſſimi temporis; has quoque Paſta (*l*) occupavit exceptiones. Nam quod ad duritiem, & firmitudinem attinet, commemorat, quantæ interdum eæ ſint in cruſta ſanguinis e vena emiſſi, & quam brevi tempore hæc gignatur. De adhæſione autem ad ventriculorum parietes, affirmat, ſanguinem, ſi cordis bubuli ventriculis loco vaſis vitrei excipiatur, modo materia æque ſcateat ex qua fit cruſta, non ſecus adhærere eorum parietibus quam polypi ſoleant: quod & de implicatione, opinor, dicere poterat cum fibrillis valvularum, quando animadverto, attuliſſe (*m*) ex Moinichenio exemplum polyporum qui *tendinibus mitralium valvularum implicabantur*, inter eas quidem Obſervationes quæ, cum in viventibus nullum fuerit polypi indicium, ad polypos attinent qui poſt obitum producti ſunt. Num vero illos ſaltem non niſi longo varioque tempore compactos polypos fuiſſe, credemus, qui ſint fibroſi, qui membranæ, tendinis, nervi, ſive aſpicias, ſive manibus hinc, & hinc trahas, naturam quadantenus æmulentur, qui ſtrata oſtendant alia aliis impoſita, aut qui denique tubulorum inſtar ſint cavi? Crederemus fortaſſe, niſi Paſta (*n*) obſervationes protuliſſet, unde illa omnia in cruſta quoque emiſſi ſanguinis luculenter conſpecta eſſe, conſtaret: quod vero ad cavos attinet polypos, quædam animadvertiſſet (*o*), ex quibus conjicere proclive ſit, cruſtam circumcirca ex quieſcente ſanguine, poſt mortem videlicet, intra vas aliquod, emerſiſſe, circumcirca, inquam, id quod facilius intelliges, ſi cadaver necdum calore intus deſtitutum, in oppoſitam faciem, aut latus, ſive lavandi, ſive alia de cauſa converſum fuiſſe, mecum poſueris, deinde vero inter diſſectionem, aut viſcerum extractionem grumoſum ſanguinem e cruſta circumjecta elapſum, hanc inanis tubuli inſtar reliquiſſe. At ſunt quidam morbi, inquis, ita cum polypo conjuncti, ut ab hoc proveniſſe omnino videantur. Nam primum Schulzius (*p*) œdemata producit duo, alterum in pedibus, & natibus adoleſcentis, alterum in dextero mulieris pede. Erat illi craſſus polypus in vena Cava ad Iliacarum confluxum; mulieri autem in Iliaca dextera. Polypum igitur in utroque, dum viverent, fuiſſe, apparet, qui expedito ſanguinis regreſſui ſe opponens, œdematis cauſa fuerit. Annuerem forſan, niſi alii in adoleſcente fuiſſent polypi, & *ſtupendi* quidem in corde, tum in communicantibus cum ipſo vaſis, nullique prorſus illorum effectus alibi ſe oſtendiſſent; & niſi morbus quo extincta fuerat fœmina, & cauſæ externæ, quæ fortaſſe præceſſerant pedis œdema, & aliine in aliis quoque diſſitis vaſis fuiſſent polypi, ſileretur. Proferes deinde quaſdam cordis, aut auricularum dilatationes, quas, cum alia tibi earum cauſa occurrerit nulla, contendas forſitan, ab eo quem intra illas conſpexeris, polypo inductas fuiſſe. Noli id contendere; tot enim vel inter antecedentes ſunt cauſæ dilatationum, & nonnullæ earum ita abditæ, aut antiquæ, ut ne ægri quidem ipſius Medicis, & aſſidentibus, ex quibus ſciſciteris, aliquando ſint notæ, videlicet graves, ſed diſſimulati, animi affectus, pulmonum alia ætate, aliiſque in regionibus prægreſſæ inflammationes vehementes, & quæ præterea ſunt ejuſmodi apud Ampliſſimum Senacium (*q*) legenda. Namque hæc, præſertim ſi in eos inciderunt, quorum cor ad dilatationem eſſet diſpoſitum, haud raro ipſum dilatarunt citius, aut tardius prout major minorve erat illa diſpoſitio; ut propterea unde, & quando factum eſſet dilatationis initium non ſemper ægri animadvertere potuerint. Denique trahere argumentum poſſes in ſpeciem multo validius ex Illuſtris Halleri (*r*) Obſervatione, quæ in vena mulieris Cava inter Renales venas, & Iliacas *nihil cavitatis loco ſuperfuiſſe*, proponit, niſi *fibroſam quandam, quaſi carneam, polypoſam & duram carnem*. Cum enim vena Spermatica dextera, ut ſanguinem ab inferiore Aorta illatum reduceret, immitteretque in venam Uretericam, ad Iliacam ejuſdem lateris ſpectantem, *enormiter* facta eſſet *latior*, atque adeo foret *unciali diametro*, & *perinde dilatata* eſſet ea quoque Ureterica; videtur polypoſa illa concretio quæ ſanguinis aſcenſum impediret, jam diu fuiſſe ante mulieris mortem. Veruntamen cum Hallerus ſcribat, venam ibi Cavam fuiſſe *concretam*, & exemplum ejus concretionis ex Mantiſſa Anatomica (*ſ*) Rhodii indicet, qui Cavam *arctiſſime coaluiſſe*, dicit, *ut ne ſpecillum quidem admitteret, haud dubie ab exulceratione*, & Solertiſſimus ipſe Hallerus *concretæ Cavæ venæ* in ſua fœmina *rationem ſe non intelligere*, fateatur, *cum in eo cadavere nulla cauſa, venam tantam comprimere apta*, reperta ſit, & Clariſſ. in Theatro Anatomico Gottingenſi Profeſſor Winklerus (*t*) de eadem illa fœmina, ut videtur, loquens (quamvis neque ætas, neque indicatus Obſervationis annus magno-

(*f*) n. 11. (*g*) Epiſt. 18. n. 9. (*h*) §. 13. (*i*) §. 14. (*k*) n. 29. (*l*) n. 20. (*m*) n. 4. (*n*) n. 20.
(*o*) n. 24. (*p*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 220. & Commerc. Litter. A. 1731. Specim. 10. (*q*) Traité du Coeur l. 4. ch. 8. n. 3. & 4
(*r*) Opuſc. Pathol. Obſ. 20. (*ſ*) Obſ. 21. (*t*) Differt. de Vaſor. Lithiaſi S. 1. §. 6. Adnot. 2.

magnopere conſentiat) in qua Spermatica vena Cavæ craſſitudinem æquabat, hanc totam *a coalitu* obſtructam vidiſſe ſe, ajat; conjicere proclive eſt, coalitum, ejus facile ſimilem, quem a me viſum alia tibi Epiſtola (*u*) deſcribam, ipſum quidem ante mortem jam fuiſſe, concretionem vero polypoſam ſub ipſo coalitus loco intra venam ibi contractam, vitæ extremo tempore, ut tot alias, productam eſſe. Quæ cum ita ſint, nec quidquam proferri videam, unde quod deducas, extra non injuſtas dubitationes poſitum ſit; vix perpaucas de tanto numero poſſe excipi concretiones, crediderim, quarum in viventibus alias inchoatas, alias perfectas fuiſſe, non inficiemur. Inchoatas in moribundis, aut in longiſſima ſyncope, & ob frigeſcentem jam ſanguinem inſanabili, adeo oppreſſis, ut mortuorum magis quam viventium omnino ſimiles videantur, ſi ſanguis quidem ejuſmodi ſit, qualis ſolet is qui ad cruſtam gignendam eſt maxime idoneus. Perfectas autem in aneuryſmatibus iis præſertim, quæ ſacci formam appenſi referunt. Ibi enim vidi ipſe, non *illius carnis concavæ ſpecie* quam polypi præbent aliquando in ventriculis, aut auriculis cordis, multoque minus, ut ullo modo pro *tunicarum aneuryſmatis excreſcentiis* poſſent haberi; ſed quales tibi deſcripſi Litteris aliis (*x*), ubi exceptionis hujus meæ cauſas ſic indicavi, ut hic iterandas non exiſtimem. Neque illud a vero alienum putabo, ut ſi ramorum cum aneuryſmate communicantium orificium aliquod a polypoſis illis quæ intra aneuryſma ſint, concretionibus ex parte operiatur, ut minus in ipſum influat ſanguinis, poſſint illæ incipere, vivente homine, in eum ramum ſe extendere, utque accedente ad debilem ex aneuryſmate ſanguinis motum, extremo in moribundis cordis languore ſanguinem jam minus, minuſque propellentis, concretio in ramo augeatur, & denique ex ſubſiſtente poſt mortem, refrigeratoque ibidem viſcido, ac polypoſo ſanguine undique compleatur ſic, ut cavi remaneat nihil: qua ratione alteram Halleri (*y*) Obſervationem facilius intelliges. Noli tamen credere, etſi in dilatatis arteriis polypos vel diu ante mortem agnoſcam, hinc ſequi, ut in dilatato etiam corde a me non minus agnoſci debeant. Fibræ enim dilatati cordis fere agere ſolent validius, ſicuti ex palpitationum violentia oſtendit Senacius (*z*), aut ſiquando tandem agunt debilius; nunquam tamen cum earum viribus in ſanguine comminuendo, expellendoque infirmiſſimæ in dilatata arteria fibrarum vires ſunt comparandæ.

31. Hic illud a te interrogari me poſſe, ſcio, ſi pauci adeo in viventibus ſunt polypi, quid igitur attineat non tam in Valſalvæ Obſervationibus, ex quibus mihi detrahere nihil licet, quam in meis, fere ſemper mentionem facere earum concretionum, quæ mortis cauſæ non fuerint, ſed effectus? Ego vero primum ob hoc ipſum commemoro, nimirum ut reapſe videas, verum eſſe in Italia quoque id quod Zollicofferi (*a*) præceptor Schachtius ajebat, *adeo non rarum in Belgio eſſe polypum, ut rarius quid ipſi videretur, ſi in morbo defunctis nullum reperiret*, idque cum videris, facilius credas, eum poſt mortem coaluiſſe, cujus ulla in tot viventibus indicia non eſſent. Deinde etſi in mortuis coaluerit, qualis tamen eſſet in viventibus natura ſanguinis, polypi abſentia, aut præſentia, & varia conditio ſignificant. Denique ſunt diſcrimina quædam inter eos polypos qui a dextris, & eos qui a ſiniſtris in corde inſunt, a Malpighio (*b*) adnotata, a Paſta autem (*c*) ex parte in dubium vocata. Scilicet plerumque illos ſubalbo, hos autem atro colore, illoſque majores, hos minores eſſe, Malpighius ſcripſerat. Paſta vero de colore dubitat; de magnitudine non diſſentit. Si rationem ſpectes a Malpighio indicatam additorum modo chyli, & lymphæ ad ſanguinem, dexterum cordis ſinum petentem, & amplitudinis hujus ſinus; eo inclinabit animus, ut Malpighio utrumque concedas, ſed magis, ut majorem a dextris polypi molem, cum ſimul attenderis, infirmiorem ſiniſtro eſſe ventriculum dexterum, ut non niſi minori vi premere, & expellere ſanguinem poſſit, & facilius mox laxari, ac diſtendi, cum propter deficientem magis, magiſque extremo tempore reſpirationem minus ejicit ſanguinis, quam accipiat. Sed tamen verum ut certe ſcias, Obſervationes ſunt colligendæ. Fecit id Paſta, ut ſupra (*d*) indicavimus, quod ad colorem attinet, proptereaque aſſentiri Malpighio non potuit. Fecimus nos, quod ſpectat ad magnitudinem, & omnes quæ in tota illius Epiſtola ſane plurimæ Obſervationes aliæ aliam ob cauſam proferuntur, inſpicientes, revera ſæpius in dextero, rariſſime in ſiniſtro majorem polypum fuiſſe, vidimus; imo creberrime in dextero tantum, perraro in ſolo ſiniſtro memorari, animadvertimus. Nec vero aliter Valſalvam obſervare ſolitum invenies ejus perlectis hiſtoriis omnibus, præſertim quas Epiſtola XX. complexi ſumus. Qua fretus longa obſervationum ſerie, non dubitavit, ut ex noſtra XI. cognoſces Epiſtola (*e*), cum a ſiniſtris polypum a nobis extrahi forte conſpiceret, alterum a dextris inventum iri, nec falſo, prænunciare.

Ad diſcrimina igitur iſtiuſmodi, atque alia inſuper, ut quod Malpighius (*f*) de ſubſtantia polypi a ſiniſtris denſiore adjecit, pro certo dignoſcenda, ut deinde eorum cauſæ quæ in graviſſima quam ſupra expoſuimus, de Polypis controverſia eſſe aliquando utiles poſſunt, inquirantur, profecto intelligis, non fruſtra quæ de ipſis in ſingulis diſſectionibus conſpecta ſunt, adnotari: quod utinam vel diligentius plerumque facere potuiſſemus.

32. Verum; ut tandem ad pulſus inæqualitatem, & intermiſſionem revertamur; ſive polypi ante mortem ſint, ſive non ſint in corde agnoſcendi, ex iis quæ ſubinde interjecimus, veriſſimum eſſe, apparet, hoc Cl. Fantoni (*g*) monitum: *iterum dico: ex vitiis pulſus ne temere de polypis judicium feramus, cavendum. Multos ſane decepit. Sectio cadaverum cautiores efficiat. Polypos enim reperias; & æqualis, & conſtans fuit pulſus: Polypi deſunt; & omne vitium fuit in pulſu deprehenſum.* Cæterum pulſuum vitia omnia, aut plures, ut noſti, aut ſingulas pulſationes attendendo, deprehenduntur. Plures attendendo, & omnes inter ſe, quod ad omnia attinet, comparando, inæqualitas, & quod ad numerum intra certum tempus, intermiſſio, & ſi hæc multo longiſſimum tempus duret aſphyxia cognoſcuntur, de quibus hactenus dictum eſt, præterea autem frequentia, aut raritas. Singulas autem pulſationes attendendo, celeritas, aut tarditas, durities, aut mollities, magnitudo, aut parvitas, vehementia, aut debilitas, & ſiqua ſunt alia huc addenda; fateor enim, hac in parte nimis largos fuiſſe Majores. Nec tamen ſi viciſſim Recentiores quoſdam parciores fortaſſe dixero, quam æquum ſit, id immerito a me dictum putabis. Neque enim profecto neceſſe eſt, ut frequentes omnes pulſus ſint celeres, neque ut omnes duri, aut omnes magni ſint vehementes, quod minus attendiſſe videri poſſunt qui celeritatem, duritiem, & nimiam magnitudinem, & his contraria vitia omiſerunt. At enim celeritas, aut tarditas puncto temporis quod una pulſatio vix durat, *tactu diſtingui non poſſunt*. Facile cum Bellino (*h*) hoc fateor *in ſtatu a naturali parum recedente*. Sed cum multum ab hoc recedit; nunquamne diſtingui poterunt? Si autem poterunt; quo tandem nomine tunc volent id vitii genus appellari? quandoquidem, id quod neceſſitas cogebat nulla, celeritatis, & frequentiæ, tarditatis, & raritatis vocabula, apud Veteres ſapienter diſcreta, jam uſu promiſcuo, non probante Sthalio (*i*) confuderunt. Certe apud eos videbimur pugnantia loqui, ſi celeritatem conjunctam cum raritate in ægrorum pulſibus nos inveniſſe, dicemus. Incidit id alias quoque; ſed nunquam magis quam in adoleſcente in quo non magnam pulſuum raritatem, maximam autem celeritatem

(*u*) 56. n. 10. (*x*) Epiſt. 17. n. 29. (*y*) Opuſc. cit. Obſ. 19. (*z*) ch. 8. cit. n. 5. (*a*) Diſſert. cit. §. 3.
(*b*) Diſſert. de Polypo Cordis. (*c*) Epiſt. ſæp cit. n. 14. & 23. (*d*) n. 22. in fin. (*e*) n. 22. (*f*) Diſſert. cit.
(*g*) in Schol. ad Patris Obſ. Med. Anat. 27. (*h*) De Pulſibus. (*i*) Excuſ. reſp. Exam. Pulſ. celer. & frequ. c. 4.

tem deprehendimus. Erat ex illis qui cannabem carminant, hypochondriaco quovis timidior; ſed robuſtus: cubabat autem ob thoracis inflammationem in Bononienſi Noſocomio S. Mariæ de Morte A. 1705. Majo ineunte. Ter miſſus fuerat ſanguis, quem non modo ſine cruſta, ſed difficile, & tarde concreſcentem, eum ſaltem qui ſecundo mittebatur, fuiſſe memini. Sputa ſecundo, & tertio die ſanguinea, deinde nulla, aut fere nulla; ſed nocturni ſudores crebri, inutiles primum, at circa diem decimum, & undecimum utiles adeo, ut pulſus qui vibrati, & frequentes valde fuerant, ut acuta febris requirebat, undecimo die hac finita, nec vibrati amplius, nec frequentes, imo rari eſſent, nec rari tamen valde extra modum. Sed cum ea raritate mox ſe conjunxit vibratio, celeritas autem tanta, ut cum arteriæ motus ambo, extrorſum videlicet, & introrſum, ſimul ſumpti non multo plus occuparent temporis quam ſoleant ſecundum naturam, primus triplo eſſet brevior, quam ſecundus. Quæ res biduum circiter perſtitit, donec vigiliis, & ſiti quæ etiam tum ſupererant paulatim abeuntibus, ſenſim pulſus quoque, vibratione, & celeritate imminuta, ad naturalem pene modum, ſicuti quarto decimo percepimus die, redierunt.

33. At ſine celeritate, aut tarditate, raritatem multo majorem deprehendimus in duobus præſertim Senibus ex quo primum epilepticis inſultibus, a ventre incipientibus, tentati fuerant: quorum alterius hiſtoriam alias (*k*) ad te perſcripſimus; alterius fortaſſe aliquando (*l*) ſcribemus, quem nudiuſtertius conſultationis cauſa inviſentes, cum ea pulſuum raritate invenimus, ut intra ſexageſimam horæ partem pulſationes ſint tantum viginti duæ, numero videlicet duabus circiter tertiis partibus minori quam oporteret, idque a pluribus jam menſibus. Videbis quidem in Sepulchreto (*m*) Rumlerum multo pauciores in Juvene adnotaſſe, ut *ſignum ſummæ imbecillitatis virium*, cum lenta febri conjunctæ. Sed neutri eorum de quibus loquimur, febris fuit ulla, aut ea virium infirmitas, ut e lecto ſurgere, & ſi non ſemper, ut Nobilis ille Veſalii Vir (*n*), aliquando certe, *veluti ſani, obambulare* non poſſent. Iiſdem tamen nec inæqualis ut plurimum pulſus fuit, nec varius ſive in altero, ſive in utroque carpo explorares, ut in ruſtico erat Adoleſcente quem Bononiæ vidi in Noſocomio S. Mariæ de Vita. Is olim cum eſſet duodecennis, ex arbore cadens, dorſum alliſerat, unde urina tunc fluxit ſanguinea, cordis autem aſſidua palpitatio ingruit, quæ etiam tum, nono poſt anno, vexabat, & quotannis ſolebat ter quaterve exacerbari, & ſpirandi difficultatem afferre, ut tum acciderat. In eo igitur cum carpos ſimul ambos tentarem, pulſus utrobique inæquales, & inordinatos reperiebam ſic tamen, ut pulſationes pleraſque attendenti manifeſtum eſſet, in ſiniſtro neque raras poſſe dici, neque frequentes, in dextero autem triplo fere quam in ſiniſtro, eſſe rariores. Qui ſi tunc forte obiiſſet Adoleſcens; aliquid forſan ad hujus diſcrepantiæ cauſam intelligendam non inutile deprehendiſſem, modo illa in minima non fuiſſet ex caſu vitiata nervorum ſtructura ad arteriam dexteram pertinentium. Ab nervis enim plura ſæpenumero eſſe, credo, pulſuum vitia, præſertim autem explicatu difficiliora. Nam *languidum* illum pulſum, & *rariorem*, quem in Sepulchreto (*o*) a plurima aqua turbida in pericardio deduci, vides, nec rarum adeo præter modum fuiſſe, apparet ex iſta ipſa loquendi ratione, nec in altero dumtaxat brachio, & ſic ſatis fortaſſe ex cauſa ibidem propoſita explicari poteſt: quanquam de tot, quas ſæpe produxi, aut commemoravi, non diſſimilibus aquæ in pericardio Obſervationibus haud ſcio, quot tandem rari potius, quam frequentis, qui præceſſerit, pulſus mentionem habeant. Frequentis autem pulſus facilis videtur explicatio, ſive irritans cauſa aliqua nervos cordis vellicet, ſive cor ipſum, idque interius, aut exterius: exterius quidem, ut cum acris aqua eſt in pericardio, quo refertur in iſta ipſa IX. Sepulchreti Sectione Obſervatio XIII; interius vero, cum ſanguis per cava, ſubſtantiamve cordis traductus, is eſt qui poſſit vellicare: ſive etiam illæ per quas ſpiritus in cor influunt, nervorum viæ poſt diuturnum cordis irritamentum adeo pateant, ut hoc ablato, pergant ii nihilominus, nec ad breve tempus, æquo crebrius in cor influere: quæ fortaſſe cauſa eſt, cur haud raro, pervictis jam febribus, ægri tamen, ſi nihil aliud quam frequentiam pulſuum, attendas, febricitare videantur, eoque a minus peritis, magiſque timidis Medicis in lectulo uſque, & uſque retineantur, cum inde paulatim, ut vires ſinunt, ſi convaleſcere quidem velimus, ſint extrahendi. Pulſuum autem durities cauſas plerumque ita habet maniſeſtas, ut per ſe pateant, pateatque, cur minus in ſenibus ſit attendenda, niſi forte aut nimium magna illa ſit, aut hi carnibus contra ac ſenes plerique ſolent, etiam nunc mollioribus, & quaſi teneris. Magnitudinis autem pulſuum ſi multo evidentiſſima cauſa non eſſet; ex illis conjici poſſet quæ ſupra (*p*) hic illic attigimus, cum de contrario vitio ageremus: nec vero morari hic vacat, ubi ſingulorum diſcriminum curſim, ut vides, quaſdam cauſas, quæ faciliores nobis videntur, quaſi exempli cauſa, indicamus; fontes enim monſtravimus ſupra (*q*), unde longe & plura, & exactiora haurire, cum libuerit, queas. Unum illud nunc reſtat, ut de pulſuum vehementia quæramus. Etſi enim cum verba fecimus de aſphyxia, & de pulſus debilitate, nonnullas indicavimus cauſas, quarum oppoſitæ vehementiam faciant, neceſſe eſt; accidit tamen aliquando, ut vehementia tanta ſit, & cum iis conjuncta, ut peculiaris ejus cauſa in cadaveribus; ſi forte ſub ſenſum caderet; quærenda eſſe videatur: quod in eo fecimus viro, cujus protinus ſubjicietur hiſtoria; ut qui ab aſphyxia orſi ſumus, vitiis intermediis jam percurſis, in contrario illi maxime vitio ſcribendi finem faciamus.

34. SUTOR conſiſtente ætate, nulla in re, ut ajebat, delinquere ſolitus, niſi in nimio vini potu, ante menſes circiter quatuor tentari cœperat univerſi corporis laſſitudine, & pulſatione ad regionem cordis, cum ſpirandi difficultate conjunctis. Quæ cum in dies creſcerent; Paulus Salanus Medicus Bononiæ exercitatiſſimus, aneuryſmate laborare hominem, cenſuit, nec ſemel detrahi ſanguinem juſſit. Noviſſime ad ea quæ diximus, acceſſerant animi defectiones, cum in Noſocomium S. Mariæ de Morte exceptus eſt. Erant eæ defectiones, & ſpirandi difficultas noctu graviores, tunc potiſſimum cum homo capere ſomnum volebat, illiſque ingruentibus, brachium dexterum acerbo dolore corripiebatur non ſecus ac ſi dilaniaretur. Aſſidua autem erat ad cordis regionem, indeque ad umbilicum uſque pulſatio tanta, ut majorem ſenſiſſe, aut vidiſſe vix meminerim. Nam viſu etiam tota percipiebatur: & quanquam major erat in pectore, ſic tamen ea quoque pars quam dixi, abdominis impoſitam manum percutiebat, ut cunctis non modo in thorace, ſed in ventre etiam aneuryſma eſſe videretur. Ajebat æger, eam ſe pulſationem ubique percipere, ut vel ad extremos pedum digitos perveniret. Et ſane Carotides quoque, & Temporales arteriæ, & quas ſæpius tangebamus, Radiales iiſdem magnis, vibratiſque pulſibus agitabantur. Pedes erant ſubtumidi. Vix quidquam cibi ſumebatur. Et quanquam febris erat nulla, & poterat æger cum minus difficilis fiebat reſpiratio, in utrum liberet latus cubare, capite autem egregie valebat; tamen graviter adeo morbum ferebat ſuum, ut mortem ſibi præoptandam exiſtimaret. Cujus voti compos factus eſt quarto ex quo in Noſocomium venerat, die. Cum enim forte ad alvum exonerandam ſurrexiſſet; vix in lectulum regreſſus, ſpiritum ducere, niſi erecta cervice, non potuit, in eaque ſpirandi difficultate mortuus eſt. CADAVER ſecuimus Kalendis Quinctilibus A. 1705. labra valde livida inter ſecandum adnotantes, atrum autem, & fluidum ſanguinem,

(*k*) Epiſt. 9. n. 7. (*l*) Vid. Epiſt. 64. n. 5. (*m*) Sect. hac 9. in Schol. ad Obſ. 2. (*n*) in cit. 2. Obſ. (*o*) Sect. cit. Obſ. 19. (*p*) ut n. 15. 19. (*q*) n. 12.

nem, qui, diſſectis circa jugulum integumentis, defluxit. Thorace aperto, flavum ſerum in cavo ejus dextero animadverſum eſt. In ſiniſtro tota pulmonis convexa facies ad pleuram adhærebat per interjectam craſſam, & mollem quaſi membranam, quæ hinc a membrana pulmonis, inde autem a pleura poterat ſine laceratione ſeparari, reliquiæ, & indicium, ut opinor, prægreſſæ olim peripneumoniæ. Pulmones ſani. In pericardio ſeri turbidi aliquantum. Cor potius magnum; ſed intra modum. In hujus caveis, vaſiſque, cum iiſdem communicantibus, nihil uſquam polypoſi; ſanguis ater dumtaxat, & leviter in grumos coactus. Cum omnia attente perſcrutarer, vix potui animadvertere in una de tribus valvulis quæ Pulmonari præficiuntur arteriæ, ſubduri aliquid, & ad cartilagineum accedentis in medio valvulæ; ad ejuſque limbum præſertim. Cæterum nulla cordis, nulla auricularum, nulla vaſorum ſive in thorace, ſive in ventre dilatatio. Quin etiam cum arteriam Magnam a corde ad diviſionem uſque in Iliacas aperuiſſem; nihil in tota ejus interna facie adnotare licuit, niſi leves quoſdam, & inæquales quaſi ſulcos, in longitudinem ductos, eoſque primum ab ipſo arteriæ initio ad eam uſque partem quæ adhærere incipit thoracis vertebris, & rurſus, ſed levius, qua ſub diaphragmate Cœliacam edit. Ventre priuſquam id quærerem, adaperto, & flavæ aquæ copia non ita modica in eo conſpecta, inteſtinum Colon ab jecinore ad finem uſque in peranguſtas cellulas coarctatum, & contractum quoque ventriculum animadvertimus, neutrum mirantes, quippe in homine, vix quidquam, ut diximus, plures jam dies comedente. Itaque nihil in ventris viſceribus præter naturam inventum eſt, niſi quod hepar erat duriuſculum, & maculis exterius diſtinctum, quædam quaſi granula mentientibus.

Cerebrum, quod reliquum erat, egregie conſtitutum deprehendi; quanquam Tenuem meningem non ita difficile fuit ab illæſo cortice detrahere. Denique e vertebrarum tubo nihil aquæ prodire, vidi.

35. Unde igitur tanta, & tam vehemens cordis, omniumque arteriarum pulſatio? Nempe indidem unde eſt in pleriſque Aortæ aneuryſmate tentari incipientibus. In his vero non ab aneuryſmate ipſo eſt, quod necdum eſt factum, & ſi factum eſſet, tunc potius, ut in dilatatis fluminum alveis videmus, impetum minueret fluentis humoris; ſed ab ea cauſa eſt, quæ aut ſola, aut cum aliis ipſum facit aneuryſma, vaſorum parietes violenter urgendo, infirmando, & extrorſum denique compellendo. Ea autem cauſa in aucta præter modum vi conſiſtit, qua cor in Aortæ initium, & hoc in proximam arteriæ partem, & pars hæc in aliam deinceps ſanguinem trudit, qui præſertim eo copiæ modo, & qualitate ea ſit, ut violentiorem illum motum & facilius poſſit accipere, & vehementius ad parietes arteriarum transferre. Quid igitur magis augeat cordis, & arteriarum vim, quam ea victus ratio, quæ vividiorum ſpirituum, & , ſi vis, magis etiam irritantium copiam præter modum adaugeat? Ei certe victus rationi non in hoc modo homine, ſed in aliis quoque aliquando vidi ejuſmodi univerſarum arteriarum pulſationem ſucceſſiſſe, in primis in viro Meldulenſi a quo ante hos circiter quadraginta annos conſultus ſum. Vidi præterea in aliis, in quibus Senex honeſtus fuit, civis meus, & Mercatores duo, alter Patavinus, alter Venetus: quorum hic florente ætate adhuc vivit, alter affecta mortuus eſt, cujus cadaver ut incideremus, nullis precibus ab uxore impetrare potuimus. Hos omnes fuiſſe bibaces, non credo, imo aliquem non fuiſſe, ſcio. Ab nervis tamen in his quoque omnibus eam pulſationem fuiſſe, crediderim, cum ſigna peculiaria aliorum morborum non eſſent, aut ſi eſſent, vel ad irritatos nervos haud obſcure ſpectarent, ut alibi (r) in Mercatore illo Veneto oſtendam, vel ad morbos attinerent, qui non niſi nervos irritando, poſſent illam pulſationem efficere, ut ex diſſectione Senis, quem modo dicebam, alias (ſ) intelliges, a calculis, renes veſicamque torquentibus, mortui. Sed & aliæ Obſervationes in mea me opinione confirmant. Nam præter quam quod una extat (t) in qua poſt pulſationem in cerebro, ſupervenit palpitatio cordis, & arteriarum, in extremis quoque digitis percepta, & ab utero eſſe hoc malum in Matrona Patavina, ſuſpicabatur Rhodius (u), & licet indidem arceſſere in famula, quam idem commemorat (x), a Platero (y) curatam; quæro ex te, quonam modo cor flaccidum pulſus facere per ſe poſſit non debiles? In Agricola tamen, cujus tibi in XI. Epiſtola (z) hiſtoriam ſcripſi, cor flaccidum fuit, pulſus vehemens. Scilicet aut quanto pauciores poterat deſcriptum ibi ejus cerebrum ſpiritus ſecernere, tanto plures ſecernebat cerebellum, vel, ſi mavis, Spinalis Medulla, & ad cor mittebat, aut cum reſolutione aliorum nervorum, irritatio, ut ſæpe accidit, aliquorum, & in illo cardiacorum, conjuncta erat, aut certe aliquid ejuſcemodi fuit. Atque ut Obſervationibus utamur, quæ ingentem arteriarum omnium pulſationem commemorant; vide, quæſo, duas quæ ex duobus celeberrimis Pariſienſibus Auctoribus in Sepulchretum relatæ ſunt. Altera (a) Ballonii eſt in Juvene, cordis palpitatione jam diu affecto, cui *omnes arteriæ evidenter in ſingulis fere partibus palpitare videbantur*. Paræi eſt altera (b) in quodam Veſtiario, qui *micantium impetu arteriarum omnium pulſum ſe percipere dicebat*. In primo *adeo omnes cordis valvulæ, & magna arteria diſtenta viſa eſt, ut cor triplo, aut ſaltem duplo amplius videretur*. In Veſtiario autem *arteria Venoſa* reperta eſt *in eam amplitudinem dilatata, ut manum in pugnum complicatam capere poſſet, & interna ipſius tunica oſſea*. Nunc quæro ex te, num vaſorum diſtentiones, dilatationeſque augeant impellentem fibrarum vim, & fluentis humoris impetum? an illam potius, & hunc minuant, quemadmodum paulo ante indicatum eſt? Quod ſi agnoſcis; veri igitur ſimilius videbitur, quæ cauſa in utroque antea fecerat aneuryſmata, eandem, vel his factis, perſtitiſſe, imo adeo validam ſecus ac frequentius accidit, fuiſſe, ut tantam illam arteriarum omnium pulſationem ſervarit.

36. Dixi autem *aneuryſmata*, Paræi quoque Obſervationem complectens, primum quia hic eadem voce uſus eſt, *aneuryſmate arteriæ Venoſæ*, tum etiam quia dubium mihi eſt, ne forte per incuriam ita ſcripſerit, cum vellet ſcribere *venæ Arterioſæ*, id eſt arteriæ Pulmonaris. Dubitandi autem cauſa eſt multiplex. Nam primum in hiſtoriis, quas legiſſe memini, omnino duabus maximæ dilatationis arteriæ Venoſæ, id eſt Pulmonaris venæ, tantum abeſt ut ingens illa memoretur univerſalis pulſatio; aut pulſus non memorantur, aut minimi, debileſque fuiſſe dicuntur. Illarum altera eſt Hildani Cent. 2. Obſ. 89; non ut perperam ab Lanciſii (c) typographis indicatur, 99: altera autem Vieuſſenii in Tract de Corde gallice ſcripto cap. 16. Quin etiam ſic mihi accidit, ut cum ejus venæ truncum, nempe ſinum in quem rami omnes ipſius influunt, æquo ampliorem offendi, pulſus præceſſiſſe, audirem, aut languidos, aut nullos, quemadmodum Epiſtolam relegens XVIII. (d) cognoſces (e). Deinde in utraque illa hiſtoria, cordis palpitationem, & ſpirandi difficultatem fuiſſe, lego: quas in Paræi Obſervatione non ſolum non video nominari, ſed credere debeo, abfuiſſe; cum *pila palmaria ludentem* extremis horis virum de quo loquitur, animadverto, quod exercitationis genus utrumque incommodum exacerbando, non voluptatem, ſed moleſtiam attuliſſet. Contra in eadem Obſervatione invenio quod neque in duabus illis occurrit, neque a venæ illius dilatatione videtur expectandum, ut *dolens* videlicet, *& tumens locus* exterius appareat. Solet id fieri ab dilatati aut cordis, aut arterioſi vaſis pulſatione; eſtque in hoc multo quam in venis, frequentius, ut *interna tunica oſſea*

inve-

(r) Epiſt. 64. n. 10. (ſ) Epiſt. 42. n. 13. (t) Commerc. Litter. A. 1736. Hebd. 32. n. 3. (u) Cent. 2. Obſ Med. 40.
(x) Ibid. (y) Obſ. l. 2. (z) n. 11. (a) l. 2. S. 8. Obſ. 26. §. 2. (b) Sect. hac 9. Obſ. 9.
(c) De Aneur. Propoſ. 53. (d) n. 2. & 34. (e) Vid. etiam Epiſt. 64. n. 7.

inveniatur: quanquam hoc ipſum quomodo Paræus de vena dicere potuiſſet, haud ſatis intelligo, qui venam *unica conſtare tunica*; non, ut arteria, *duas obtinere tunicas*, ſcripſerat (*f*). Vides igitur, quæ in ejus Obſervatione hæſitare me cogant. Neque enim faciunt, ut omnino *venam Arterioſam* ſcripſiſſe, credam; nam ſic quoque difficultates, non tot quidem, ſed tamen aliquot ex his quas attigi, ſupereſſent. Me quidem non fugit, hujus etiam venæ, id eſt arteriæ Pulmonaris, dilatatæ exempla haberi, quamvis multo quam arteriæ Magnæ, pauciora: ut in Rivæ illa Icone (*g*) qua primum majorum omnium vaſorum dilatationes pictæ ſunt, & in illa ipſa quæ paulo ante indicata eſt, Vieuſſenii hiſtoria, & apud Kerckringium (*h*), atque ut in iis Obſervationibus, quæ & prægreſſa habeant ſigna, & in Sepulchreto extant, ſubſiſtamus; Alardus Mauritius Egerdes (*i*) *magnitudinem præternaturalem* deſcribit Pulmonaris arteriæ, *quaſi aneuryſmate affectæ*, & *hinc inde ſacculos cruore coagulato turgidos habentis appenſos*: & niſi huc referenda eſt Scholiographi Hollerii (*k*) Obſervatio *abſceſſus* in eadem arteria, quem & Poterius (*l*) ait *in pluribus* ſibi obſervare licuiſſe, Cæſalpinus (*m*) certe proponit *arteriam quæ ducit in pulmonem, duplo latiorem naturali*. Cave enim credas cum Boneto (*n*), ſic eum *arteriam venoſam vulgo, Neotericis venam pulmonariam*, deſignaſſe, qui hos docuit in Quæſtionibus Peripateticis (*o*) ita loqui, ut nunc loquuntur, & ſibi conſtans in illo ipſo quem Bonetus laudat, Artis Medicæ libro VI. antequam iſtam ſcriberet Obſervationem, bis confirmavit (*p*), quam vocaſſent Priſci *venam arterialem*, omnino *veram arteriam eſſe*, arteriam, inquam, *in pulmonem ducentem*, cum *vena* ſit quam illi *arteriam venalem* dicebant, in cor *introducens ex pulmone*. Nunc igitur vide, cum dilatatione Pulmonaris arteriæ fuiſſe in Sancto illo Sene, de quo loquitur Cæſalpinus, & palpitationem cordis, & propter duas abruptas a cartilaginibus coſtas manifeſtum exterius locum quo ſe pectus, alterne tumens attollebat. Nec, ſi huc attinet Scholiographi illius Obſervatio, in hac deerat palpitatio cordis: cujus oblitus videri poteſt Bonetus, cum ejuſdem, opinor, Obſervationis partem alteram, ad ſyncopem facile attinentem, quæ Antipatro accidit, ipſe ad pulſus inæqualitatem referens (*q*), Obſervationi oppoſuit (*r*) conjecturam Saxoniæ, quippe de homine etiam tum vivo ſermonem habentis: quo in judicio num fallar, tu conſtitues, cum apud ipſum Saxoniam, illumque Scholiographum, non *ad cap. 35* ſed *ad cap. 30.* ea quæ nunc attigi, recognoveris. Quod vero ad reſpirationem attinet; minus hanc fore difficilem, ubi impedimentum, hoc eſt dilatatio, ad arteriæ Pulmonaris initium ſit, quam ad venæ finem, & ratio oſtendit, & ex iis quæ Bellinus (*ſ*) docuit, & Albertinus (*t*) obſervavit, colligi licet (*u*). At enim in pluribus, quæ indicatæ ſunt, dilatati hujus, aut illius vaſis Obſervationibus alia erant, in corde præſertim, vitia, a quibus potiſſimum tum quod deeſſent, tum quod eſſent quædam ſigna, repetendum eſt; in Alardi autem Obſervatione, nullum horum quæ quidem ſupra memorata ſunt, extat. Fateor, eoque hæſitare me, dixi. Sed tamen quo magis omnia expendo, & Paræi hiſtoriam relego, eo magis ſuſpicari cogor, in ea ſaltem deeſſe aliqua, ex quibus nonnulla, & vehementem illam in primis arteriarum omnium pulſationem intelligamus.

37. Cujus ad cauſam ut redeam, & ad ejus a me deſcriptam hiſtoriam; ſi per illam hanc credis non perperam explicatam; intelligis primum, tanto diligentius obſtandum initiis aneuryſmatum, ut Lanciſius (*x*) vocat, ſpuriorum, quanto manifeſtius eſt, vel priuſquam verum aneuryſma fiat, interdum ab illius cauſa defectiones animi, & non ferendam vim mali, & mortem quoque ipſam afferri: quæ vitari poſſent omnia per curationem idoneam, matureque inſtitutam, qualis in iis fuit, de quibus ſupra (*y*) ex Platero, & ex Commercio Litterario indicatum eſt, & illa præſertim blanda, & Lanciſianis ſimilis, quam Bonhomo adhibuit Prævotius noſter (*z*): quin ſola diæta quantum valeat, his perpaucis verbis indicavit Ballonius (*a*): *Cuidam omnes arteriæ micabant manifeſto. Mirum id fuit. Inſtituta diæta curatus eſt.* Deinde vides, cujuſmodi ſint in arteria initia illorum aneuryſmatum, quæ videlicet neque ab nativa illius imbecillitate, neque ab eroſione fiunt, nedum a vulnere, aut contuſione. Nempe vehemens impetus quo ſanguis ab nimium adaucta vi cordis, & arteriarum in has diutius urgetur, tam crebris denique, & æquo gravioribus ictibus, majoribuſque diſtentionibus earum latera, quantumvis per ſe ſatis firma, lædere incipit, tunicæ earum intimæ villos tenuiſſimos quidem, ſed arctiſſime compactos, ita diſtrahendo, ut prima læſio ſulcorum forma, quos deſcripſimus, ſe prodat. Hanc deinceps cæteræ in proxima tunica conſequuntur læſiones interdum citius, alias ſerius, ut major impetus ſanguinis, minorque arteriæ firmitas eſt, aut res contrario modo ſe habent: fitque tandem verum aneuryſma, ſive in omnem partem expanſum, ſive inſtar ſacci a latere appenſi, ut villorum diſtractio vel circum undique, vel uno in latere facta eſt. Sic Epiſtola XVIII. (*b*) relegens quæ in Magna cujuſdam fœminæ arteria deſcripſi, ſulcos hujuſcemodi in longitudinem ductos reperies in illa arteriæ parte quæ nondum erat dilatata: ſuperius autem certo loco non ſecus ac ſi magis diſtracta fuiſſet, arteriæ fibras ipſas apparuiſſe; quo loco nimirum credibile eſt, futurum fuiſſe, ut in ſacci formam excreſceret, ſi diutius vixiſſet mulier: denique ab eo ferme loco ad cor uſque arteriæ tunicas jam in omnem partem fuiſſe expanſas. Nec vero illud morari te debet, quod pulſus in ea fœmina percipi non poterant. Neque enim an ſemper ita res fuiſſet, aut eſſet, conſtabat: & ſi forte convulſionum vi id in artubus accidebat; tanto ob id etiam, major ſanguinis impetus in Aortæ ipſius tunicas eſſe poterat, quod miſtus eſſet ex *adaucto impetu recto*, & *reflexo*, ſicuti ab Lanciſio (*c*) indicatum eſt. Eademque a me de muliere illa altera dici, credito, cui ſimul in Aorta lineas, iſtorum ſulcorum non diſſimiles, ſimul ſubobſcuros in carpis pulſus Epiſtola propoſui XXIII. (*d*): tanto autem magis eadem dici, quod ingens in illa erat cordis palpitatio, vaſorum autem in collo pulſatio oculis ipſis occurrebat. Quales autem fuerint pulſus in aliis, quorum Magnam arteriam intus ſulcatam inveni, etſi ignotum eſt; nihil tamen prohibet credere, fuiſſe, interius præſertim, vehementiores, quam iis corporibus ſecundum naturam conveniret: imo in nonnullis eorum profecto veriſimile eſt, ut in Sacerdote de quo ſcriptum fuit Epiſtola IV. (*e*), & in Veneta muliere, de qua Epiſtola XXVI. (*f*) ſcribetur, cujus Aorta ſulcos, ſiqua alia, ſpectabiles oſtendit, cum dilatatione, & certo loco etiam cum eroſione conjunctos. Accedit enim haud raro ad impetum ſanguinis, progrediente morbo, & tempore, cauſa alia quæ vim habeat erodendi, unde initium accelerari poteſt legitimi aneuryſmatis, quemadmodum recte animadvertit Lanciſius (*g*), & generatim indicavit Fernelius (*h*). Spurii autem aneuryſmatis cauſa priuſquam legitimum fiat, id eſt antequam arteria ab impetu ſanguinis ſit dilatata (cujus rei ſignum pulſatio præbet ex anguſtiore jam facta latior) quo læſionis genere vitiare arteriam incipiat, ſub oculos jam a nobis poſitum exiſtimamus, ſimulque oſtenſum, vel eo tempore nonnunquam hominem poſſe ab illa eadem cauſa graviſſime torqueri, & vita privari. Hæc ad ea quæ Lanciſius docuit, adjunges, ſi tamen placuerint: & valebis.

(*f*) Oper. l. 2. c. 10. (*g*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 1. Obſ. 17. litt. R. (*h*) Spicil. Anat. Obſ. 16.
(*i*) Sepulchr. l. 2. S. 5. Obſ. 4. in Addit. (*k*) Ibid. S. 8. Obſ. 27. §. 1. (*l*) Inſign. Curat. & Obſ. Cent. 3. c. 22. in fin.
(*m*) Sepulchr. Obſ. 27. modo cit. §. 2. (*n*) in Schol. (*o*) l. 5. qu. 4. (*p*) c. 9. & c. 19. (*q*) l. 2. S. hac 9. Obſ. 6.
(*r*) in Schol. (*ſ*) De Morb. Pector. (*t*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 1. in Opuſc.
(*u*) Vid. tamen Epiſt. 64. n. 7. & 8. (*x*) De Aneur. Propoſ. 5. (*y*) n. 35. (*z*) apud Rhodium Cent. 2. Obſ. Med. 40.
(*a*) Paradigm. 15. (*b*) n. 34. (*c*) Oper. modo cit. Propoſ. 35. (*d*) n. 6. (*e*) n. 21. (*f*) n. 21.
(*g*) Oper. cit. Propoſ. 39. (*h*) Patholog. l. 5. c. 12.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXV.

Agitur de Lipothymia, & Syncope.

ASphyxia quidem, ut ſuperioribus Litteris (*a*) oſtenſum eſt, ſine Syncope eſſe poteſt: ſed non Syncope ſine Aſphyxia. Illud difficillimum intellectu eſt: hoc facillimum. Minime enim mirabile eſt, qui mortuorum ſimiles jaceant, in his ut cætera fere omnia vitæ indicia, ſic pulſus etiam deeſſe. Contra, non ſatis mirari poſſis, in quibus nullum arteriarum motum reperias, in iis pleraque eorum vigere quæ in hominibus non vivis modo, ſed ſanis etiam ſpectamus. Facilior igitur Syncopes, quam Aſphyxiæ, tractatio eſt: nec difficilior Lipothymiæ, quippe a Syncope non niſi gradu diſcrepantis. Harum utriuſque cauſas, quæ Valſalvæ quidem, & mihi in cadaverum diſſectione ſe obtulerunt, ex Epiſtola hac cognoſces. Ille igitur ſic invenit.

2. JUVENIS duodetriginta annorum, procerus, & pinguis, rubraque a natura facie, crebro ſtomachi dolori obnoxius, qui ſibi dum inclinato corpore caput demittebat, a ſtomacho aliquid ad fauces means ſentire videbatur, interdum ob virium debilitatem, laborioſe ſe movens, & anxie reſpirans; bis etiam animo uſque adeo deficiens, ut mortuus videretur; ſæpe quoque de dolore capitis, & vertiginibus conqueſtus; cum aliquot ante menſibus priſtinam pinguedinem amiſiſſet, rubrum tamen faciei colorem ſervaſſet, die tandem quadam, veſpertino tempore domum redit laſſus, & ſolito ſtomachi dolore vexatus: ventriculi regionem petroleo inungit, cœnat, noctemque placida quiete tranſigit; ut mane expergefactus, quærenti uxori quomodo ſe haberet, recte, reſponderit. Surgit, ut alvum exoneret. Dum lectum repetit, vix pedes attollere jam poſſe, vacillare, & quaſi cadere ab uxore conſpicitur. Tandem ad lectum pervenit, in eumque confeſtim ſe rejicit, hoc unum, & ſemel clamans: o morbum ingentem! Facie multum rubet, palleſcit poſtea, leve ad vomitum irritamentum oſtendit, lotium, & fæces reddit: brevi moritur.

MORTUI facies, & collum ad laryngis latera, cum livore tumebant. Ventre aperto, chylifera per meſenterium vaſa conſpiciuntur; a cœna autem ad mortem ſex circiter horæ interceſſerant. Lien duplo major erat. Ventriculus autem qua lienem ſpectabat, adeo tenuis, ut ne dimidium quidem ejus æquaret craſſitudinis quam in reliquis habebat partibus: illoque in loco ad ſuperiora multis intus erat ſanguineis punctis diſtinctus. In ventriculi autem cavo ſubflava inerat materia. Thorace recluſo, nil, niſi in corde, adnotatione dignum fuit, cujus auricula dextera adeo erat dilatata, ut tertiam cordis æquaret partem: dexter autem ventriculus copiam fluidi ſanguinis ingentem continebat, cum eaque minorem polypum, naturæ multum ab iis concretionibus diſcrepantis, quæ in eorum corporibus ſæpius occurrunt quos febris, aliive ejuſmodi morbi interemerint. Subſtantia enim erat multo craſſiore, atque aliter ac in illis compacta, colore autem carni ſimili.

Cranii fornice exſecto, dum Craſſa meninx incideretur, ſerum prodiit ad uncias duas: cujus paulum in ventriculis quoque cerebri repertum eſt, cætera ſani.

3. Cum ad ventriculi, capitis, & cordis morbos hæc attineat hiſtoria; inter hos ultimos referre malui propterea quia duæ illæ prægreſſæ animi defectiones, graves adeo ut hic Juvenis mortuus eſſe crederetur, cujus generis noviſſima fuerit, ex qua revera mortuus eſt, ſatis videntur ſignificare. Nam quicunque modus fuerit quo hujus ultimæ initium ingruit, & quæcunque capitis, nervorumque inæ conſpiratio, nihil magnopere obſtat quo minus in ſyncopen deſiiſſe arbitremur: quod confirmat ſubſecutus faciei pallor, nec recrementorum infirmat exitus, quippe cum ſphincterum laxatio interdum ſyncopi quoque communis ſit. Magnus certe inventus eſt in corde morbus. Nec vero id ob parvum illum polypum dico, cujus qualiſcunque ſubſtantia, ſtructura, & color apparuerint; non propterea decet eorum oblivisci, quæ ſuperiore Epiſtola (*b*) expoſita ſunt. Sed ob tantam illam dico dexterarum cordis cavearum dilatationem. Niſi enim fuiſſet ventriculus ille multum dilatatus; ingentem continere ſanguinis copiam non potuiſſet: neque cum hic tanta ſanguinis copia tumeret; non magna eſſe potuit proximæ auriculæ dilatatio, quæ tertiam adeo ampli cordis partem æquaret. Amplificatis autem cordis caveis, non inſolitum eſſe, animi defectiones accidere, præter Albertini (*c*) Obſervationes, illas ab dilatationibus repetentis *ſpeciatim caudicis venæ Cavæ, ſive auriculæ cordis dexteræ* ſic ut *non nunquam in ſyncopem cardiacam deſinant*, præter Obſervationem XI. quæ in Sectione X. eſt Sepulchreti, huc attinente, & alias fortaſſe ejuſcemodi, denique præter illam, quam alibi quoque commemorandi occaſionem habuimus, Graſſii Filii (*d*) de muliere lipothymiis crebro redeuntibus obnoxia, quæ demum, vix advertente quopiam, mortua, & pro apoplectica habita, nullum uſquam, niſi in dextera cordis auricula, vitium perſcrutantibus exhibuit, conſuetam molem vel duplo ſuperante, præter has, inquam, Obſervationes, oſtendunt aliquæ etiam ex noſtris, ut quæ de cannabis Carminatore ſuperiore Epiſtola (*e*), & quæ de Sutore XVIII. (*f*) deſcripta eſt, quorum utrique, illis defectionibus obnoxio, ſi vitam ſyncope ereptam dixeris, facile annuam. Sed inſuper leges in eadem Epiſtola XVIII. Obſervationes alias duas (*g*), quas cum propoſita Valſalvæ compares, explicatumque etiam invenies (*h*), quomodo dilatatum cor facile ſuccumbat denique oneri ſanguinis prægravanti, & celerem afferat mortem, præſertim ſi quid accedat unde illius expellentes vires imminuantur. Cujus rei cauſam in eo de quo loquimur, Juvene facile repetere ab nervis potes ſive ob acrem qui repente, læſum ventriculum corripuerit, dolorem convulſis, ſive ab aqua illa ſub Duram meningem improviſo effuſa, aut ſaltem aucta, & quidquid intra cranium erat, premente, adeo aut compreſſis, aut ſpirituum influxu ex parte privatis, ut ejuſmodi cordis motui ſervando pares amplius eſſe non poſſent. Itaque ſanguis in cavis ejus dexteris, &, quod conſequitur, in venæ Cavæ, & proximis hujus ramis Jugularibus cumulatus, ſubſtitit, eumque in collo ad laryngis latera, & in facie livorem, tumoremque effecit.

4. SACERDOS annos natus ſexaginta, per triginta circiter capitis, & ventriculi debilitate vexatus, ſiti quoque, & repentinis, præcipue dum ſtabat, animi defectionibus, cum pectoris anguſtia, & pulſus intermiſſione, in febrem tandem incidit Tertianam duplicem continuam, quæ acutior in dies facta, in ardentem, atque adeo lethalem degeneravit.

ABDOMINE diducto, omentum prægrande inventum eſt, quod ſe in funis modum intorſerat. Dexter ren deerat, neque ullum erat vaſorum ejus Emulgentium veſtigium: ſiniſter naturali erat magnitudine, & veſiculam aqua plenam, quam hydatidem vocant, fovebat. Thorace diſſecto, ventriculus cordis dexter ſatis magnam concretionem polypoſam oſtendit, quæ ad mediocrem tractum ſe per venam Cavam producebat; ſiniſter minorem, quæ venam Pul-

(*a*) n. 9. (*b*) n. 30. & aliis. (*c*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. I. in Opuſcul. (*d*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 24.
(*e*) n. 13. (*f*) n. 2. (*g*) n. 8. & 14. (*h*) n 3.

Pulmonarem adibat. Denique Cranio circumſecto, quod antiqui morbi ſedem continere exiſtimabatur, intra cerebri ventriculos aquæ multum, glandulæ autem plexus Choroidis plurimum tumidæ conſpectæ ſunt.

5. Hic Sacerdos ſi idem non fuit ac Monachus de quo mihi (*i*) Valſalva dixerat; bis alterius defectum renis ipſe viderit, neceſſe eſt. At ſi idem fuit, ut opinor, aut in Tractatu de Aure Humana (*k*) non ſiniſter ren fuerat ſcribendus, ſed dexter; aut hic non dexter, ſed ſiniſter. Verum alterlibet ren defuerit; cum eſſet is quo uno homo iſte præditus erat, naturali magnitudine, &, quod conſequitur, non tantum lotii ſecerneret, quantum duo ſecreviſſent; num inde pleraque deducenda ſunt ex iis incommodis quibus tandiu conflictabatur? num præſertim ex quo ad minorem ea qua opus fuiſſet, ſecretorii urinæ organi magnitudinem labes acceſſerat aliqua ab interna hydatide, quæ, ſi non aliud, at certe aliquid de ea magnitudine detrahebat, num, inquam, tunc ſaltem plus aquæ in cerebri ventriculis cumulari cœptum eſt? Nam antea quoque aliquam illius copiam in iis fuiſſe, capitis debilitas, & quæ ad thoracem attinebant incommoda videntur ſignificare, cum in illo nihil præterea, in hoc vero nihil per ſectionem deprehenſum ſit, quod merito accuſes. Verum undenam fiebat, ut præcipue dum ſtaret, illis corriperetur deliquiis? An quod nullus magis quam ſtantis, hominem laſſet corporis ſitus? An quod ventriculum, jam per ſe debilem, pondus tunc magis diſtraheret prægrandis omenti? Hoc autem unde ſic intortum? Si ex hiſtoria appareret, quid præter ea quæ adnotata ſunt, homini aut extrinſecus, aut interius accidiſſet, unde omentum diu in unum locum adigi, comprimique poſſet, rem exponere conarer ad eum fere modum ad quem Ruyſchius (*l*) ejuſdem coarctationem, mutationemque in farciminis formam explicavit. Ut ad illud redeam quod præcipue hic nobis propoſitum eſt, videlicet ad animi defectiones; noli mirari, ſi in hoc quoque homine non ſine interjecta nervorum mentione poſſim earum cauſam indicare, quando nihil niſi in cerebro, & ad ventriculum repertum eſt, ubi hanc fuiſſe, conjiciamus; nervi autem ſive ad originem compreſſi, ſive alibi irritati, quam ſæpiſſime, & evidentiſſime faciunt, ut animo deficiamus. Conſtat id ex tot deliquiis quæ homines prehendunt aut certis animi affectibus de improviſo perturbatos, aut teterrimis odoribus perculſos, aut acerbiſſimis nervoſarum partium, & ventriculi præſertim, doloribus correptos. Nec obſtare, credas quæ de cordis motu hoc tempore diſputantur, quaſi a nervis minime penderet. Aliud enim eſt abſque nervis poſſe ad tempus cor moveri: aliud iis læſis, & præſertim irritatis, non poſſe cordis motum vitiari, plurimum minui, atque adeo interrumpi. Illud primum ſicui alii, certe Ampliſſimo Senacio (*m*) erat notum, atque perſpectum. Sed num propterea negavit alterum? Imo vero ſi præclarum ejus de Syncope caput (*n*) leges; videbis ſane, haud aliter ac modo a me factum eſt, id mali ſubinde ab nervis ubi ubi irritatis, præſertim vero ſive in cerebro compreſſis, ſive ibi, aut in ventriculo ſtimulatis, deducere. Verum ne ab iis recedamus quæ in morbidorum cadaverum ſectione inveniuntur; hanc quæ ſequitur, Valſalvæ Obſervationem perlege, & nervos, ſi potes, minime incuſa.

6. VIR Nobiliſſimus, patre natus articulorum doloribus, & catarrhis obnoxio, a prima adoleſcentia varis, & ſcabie, mox virulentis gonorrhœis ſæpe, & penis ulceribus, denique in extrema juventute paternis illis doloribus vexatus, cum ab his omnibus liberari cuperet, diſparem curationis exitum habuit. Nam quod ad venereas illas noxas attinebat, eæ quidem facile remediis obſequebantur, nulloque relicto poſt ſe luis veſtigio, faceſſebant. Articulorum autem dolores, quamvis nec ſemel, & multifariam impugnati ab iis præſertim Medicis, qui, cum venerei ſubeſſe aliquid exiſtimarent, modo hydrargyrum, alias lignorum decocta exhibuerant, ſudorem concitantes, nunquam tamen ita abigi potuerunt, ut non ſubinde plus minus incommodi afferrent, articuloſque debilitatos relinquerent. Quos ut confirmaret, temere per ſe conſilio capto, Euganeis balneis, & lutis cum vel præter modum uſus eſſet; nec ſui voti compos eſt factus, & mox capitis doloribus non ſine plenitudinis ſenſu vexari cœpit, tum oculorum inflammationibus, & narium hæmorrhagiis. Quarum illæ eo magis ſiniſtro oculo nocuerunt, quod hic multis ante annis conſimili diu affectus morbo, ex eroſione Corneæ tunicæ albuginem contraxerat, quæ ſecundo hoc, pariter diuturno, incommodo aucta fuerat, ut nonnihil promineret, pupillæque e regione reſpondens, objecta duplicare videretur. Hæmorrhagiæ autem, irritis complurium Medicorum auxiliis, tandiu perrexerunt, donec Valſalva facile remedii genus indicavit, velut alias (*o*) de hoc ipſo Generoſiſſimo Viro ad te ſcribentes, ſatis expoſuimus. Sed cum poſtea caput aſſiduis curis, & graviſſimis cogitationibus magis, magiſque infirmaſſet; rediit creber ſanguinis fluxus, ſed e narium vaſculis, ut opinor, ſuperioribus, rediitque interdum oculorum inflammatio non levis, tum frequens, & repentinus faciei rubor, ſenſuſque caloris in capite, debilitatis autem cujuſdam ad infimum occiput, hæc autem omnia tunc magis, cum alvi, aut veſicæ excretiones minuebantur. Tandem ſeptimo circiter ante obitum menſe quotieſcunque aut ſcalarum gradibus aſcenderet, aut per æquum, & planum locum paulo celerius ambularet, aut brachia ita præſertim ut in veſtibus induendis facimus, moveret, tunc primum cœpit animadvertere, moleſtum quendam frigoris ſenſum ſibi ad inferiorem ſterni partem excitari. Qui ſenſus paulatim adeo mutatus eſt temporis progreſſu, ut poſt unum, aut alterum menſem frigus illud in dolorem acerbiſſimum deſineret, qui continuo ad caput aſcendere ægro videbatur: & tunc illico viſus, pulſus, & animus deficiebant. Et quanquam initio non niſi iis quos diximus, corporis motibus hæc ſuccederent; poſtea tamen vel ſine ullo motu ſibi deficere videbatur. Sed, quod mirum eſt, ad violentiores quoſdam motus, ut puta ſternutationis, aut tuſſis, nihil ejuſmodi, atque adeo nullam omnino patiebatur moleſtiam. Nunquam ſpirandi ullam difficultatem percipiebat; ſed capitis ſæpe debilitatem, ut interdum ſibi caſurus videretur, ni fulcrum aliquod apprehenderet. Sæpe etiam tum interdiu, tum noctu convulſivi motus aliquando univerſum corpus, alias partem aliquam corripiebant, palpebras præſertim, & brachium ſiniſtrum: nunc convulſio digitum quendam prehendebat manus dexteræ cum dolore: modo ſtupor eandem manum, & crus totum, huic reſpondens: nonnumquam utroque in brachio ſentiendi facultas omnino deficiebat: aliquando utrumque dolore afficiebatur: nec raro ad ſinciput dolor erat, aut conſtrictionis ſenſus ad occiput. Atque hæc omnia promiſcue ad diem uſque mortis ægrum torquebant. Cæterum fere ad eum uſque diem ciborum appetitus, ſomnus, naturalis corporis color, & hilaritas intrepidi animi conſtiterunt. Hæc cum ita ſe haberent; dici non poteſt, in quot, & quam varias ſententias & præſentes, & conſulti per litteras Medici non infimi nominis diſcederent, cum alii nihil eſſe, dicerent, niſi hypochondriacam affectionem, alii humorum ſiccitatem neſcio quam, alii nerveorum quorundam ramorum exſiccationem cum nimia humorum mobilitate conjunctam, alii ſpaſmodicum rheumatiſmum, aut convulſionem a ſalinis acribus particulis in thoracis, & artuum muſculos ſe inferentibus, ibique nervos ſtimulantibus, alii denique irritationem a virulentis ex lue venerea particulis, quæ in mediaſtino ſubſtitiſſent. Unus Valſalva pleraque eorum quibus æger torqueretur, a cauſa quæ intra cranium eſſet, repetebat, tum dolores capitis prope aſſiduos ſpectans, & convulſiones, quæ ad tot, & tam diverſas partes pertinebant, tum quæ poſt affectiones ex parte ſimiles aliquando in cadaveribus deprehenderat. Itaque ut cæteri auxilia proponebant, quæ peculiari cujuſque eorum ſententiæ convenirent; ſic ipſe quantum ea quæ ſanguinis copiam, aut turgentiam,

(*i*) Adverſ. Anat. III. Animad. 32. (*k*) c. 2. n. 14. (*l*) Obſ. Anat. Chir. 63. (*m*) Traité du Coeur l. 2. ch. 7. (*n*) l. 4. ch. 12. n. 2. 5. 7. 9. (*o*) Epiſt. 14. n. 24.

tiam, aut concitationem ad caput augerent, improbabat, tantum ea quæ his contraria præſtare poſſent, commendabat, præſertim cum videret, ſi turgentia fieret ad aliam aliquam partem corporis, tunc caput levari, eductoque ſanguine ex iis vaſis quæ circa imum inteſtinum ſunt, ægrum meliuſcule dies aliquot habuiſſe. Verum ut cauſæ morbum efficientis ſedem generatim ipſe cognoſceret, & quæ vitæ paulo diutius, & levioribus cum incommodis trahendæ convenirent; tamen peculiarem ſedem cauſæ, hujuſque naturam, remediis inſuperabilem, divinare non potuit.

CADAVERE enim diſſecto, cum reliqua omnia non modo in Ventre, & Thorace, ſed in ipſo etiam Capite ſana eſſent; in Falciformi Craſſæ meningis Proceſſu oſſa quinque inventa ſunt, alia alia forma, & magnitudine, ſed pene omnia acutis quaſi ſpinis horrentia. Maximum lineas Bononienſes quindecim longum, ſeptem in medio latum, unam cum dimidia craſſum, valenter annexum erat initio, & proximæ parti illius proceſſus, cujus etiam formam referebat. Hoc os aliquem ad tractum intercipiebant oſſa duo, quæ reliqua parte inter ſe arcte jungebantur. Sic conjuncta, latitudine æquabant lineas decem; ſed latius quinque erat longum; anguſtius novem, quod duas lineas erat craſſum, inferiori tamen latere, ſive quo Calloſum corpus ſpectabat, pertenue. Hujus extremo ſe reliqua duo oſſa annnectebant, proceſſum arcte intercipientia; nam etſi longius, quod lineas nimirum æquabat quatuordecim, erat, ut priora, a latere poſitum dextero; brevius tamen, quod novem æquabat, latus ſiniſtrum tenebat. Itaque univerſa hæc quinque oſſa partes duas tertias, & fere amplius occupabant longitudinis totius proceſſus ab anterioribus incipiendo, & retrorſum pergendo. Præter illa, oſſiculum erat, noviſſime fortaſſe efformatum, lentis magnitudine.

7. Exiſtimabat Valſalva, ab eo tempore quo æger Euganeis lutis abuſus, materiam quæ arthritidem facere conſueſſet, arcere ab articulis ſtuduiſſet, illius materiæ partem aliquam inter Falcati proceſſus fibras intercipi, & dolores capitis, quibus nunquam antea obnoxius fuerat, afferre cœpiſſe: eandemque ſenſim poſtea in ea quæ deſcripta ſunt, oſſa concreſcentem, poſtquam horum aculeis proximam utrinque meningem Tenuem incepiſſet compungere, in quibuſdam præſertim corporis motibus, eas convulſiones excitaſſe, a quibus cum cætera, tum illæ animi defectiones orirentur: quarum potiſſimum cauſa iſtius ægri morbum, & diſſectionem in hanc Epiſtolam retulimus. Ultro tamen fatebatur, ſatis illud explicari non poſſe, cur ad tuſſis, aut ſternutationis motus, quibus vehementius concuti meninges videntur, nihil eorum accideret. Equidem memini, cum tibi alias (*p*) pleraque oſſium, in Falcato proceſſu inventorum, exempla commemorarem, graves quidem ab illis noxas, cum meninges pungerent, allatas eſſe, dixiſſe. Verum non memini, in majoribus motibus non eſſe allatas, cum a minoribus afferrentur. Sic, exempli gratia, in ea Obſervatione quæ in Hiſtoriam Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis ad A. 1711. relata eſt, Juvenis ille qui ob iſtam cauſam epilepticis paroxyſmis, iiſque fere ſemper noctu prehendebatur; tamen interdiu quoque, ſi ambularet, a motu in eoſdem incidebat. Quod ſi non concuſſionem tantum, ſed majorem quoque in meningum vaſis aut copiam, aut impetum ſanguinis debemus attendere, unde meninges ipſæ magis ad oſſicula urgeantur, quemadmodum & ratio indicat, & Obſervationes confirmant Scheidii (*q*), & Hunauldii (*r*), quorum alter aliquod, alter unicum ab ſanguinis miſſione levamen cephalææ, aut epilepſiæ, ab ejuſdemmodi cauſa inductæ, adnotarunt; quis eſt cui ſanguinis in meningum vaſis aut copia, aut impetus magis augeri videatur ex levi brachiorum, quam ex violento tuſſis, aut ſternutationis motu? Sed etſi quod Valſalva intelligere non potuit, nos quoque intelligere non poſſimus; tamen, quod propoſito ſatis eſt, apparet, cum aliud præter illa oſſa toto corpore non eſſet, unde gravia, quæ præceſſerant, mala repeterentur, ejuſmodi autem oſſa acerbos dolores capitis, aut diras convulſivas affectiones in tot aliis excitaverint; apparet, inquam, hic etiam quid accuſare debeamus. Neque enim, ut in Præſule, quem Lanciſius (*ſ*) deſcribit animi deliquiis, cum ſe moveret, obnoxium, & convulſionibus tentatum, erat hic in corde, & cerebro quidquam, unde potius hæc repeteres, quam ab oſſibus, quæ in Præſulis quoque Craſſa meninge reperta ſunt.

8. At enim, inquis, exempla etiam extant oſſium in eadem meninge deprehenſorum, a quibus tamen ulla orta incommoda non adnotantur. Ego vero adeo hæc non nego, ut meis non dubitem Obſervationibus confirmare. Nam præter illud os magnum quod alias (*t*) deſcripſi, inveni alterum in viro, de quo alibi (*u*) ſermo erit, mediocris uvæ acini magnitudine, ſuperficie leviter granoſa, interjectum Craſſæ, Tenuique meningi, quod ſibi reſpondentem foveam excavaverat in diducto cerebri ſulco qua hemiſphærii ſiniſtri pars ſuperior ab anteriore ſuo extremo digitos transverſos quatuor diſtabat, ſeſquidigitum autem ab hemiſphærio dextero, foveæ parietibus, & circumjecta ſubſtantia ſecundum naturam ſe habentibus. Et ne longius a Falcato proceſſu abeam; A. 1726. & A. 1744. cum in Gymnaſio, ut ſolitus ſum, non unum cerebrum diſſecarem, in viro, itemque in muliere oſſa ibi ad hunc modum conſpexi. In illo ſub ipſo vertice, ad ſingula Longitudinalis Sinus latera, in ipſa Duræ meningis ſubſtantia, ſingula erant non parva oſſicula, quorum unum in plures oblongos, acutoſque quaſi denticulos deſinebat. In muliere autem, parva oſſicula erant tria, fere ſub vertice locata, quorum craſſiſſimum ab duobus lateribus, ſed ab uno præſertim, ſimiles emittebat denticulos; reliqua erant ſquamarum duarum inſtar, majoris, & minoris. Inerat illud in ipſo externo ſiniſtro latere Sinus paulo antea memorati; hæc inter ſe vicina, nec multum diſſita ab infimo Falcis limbo, dexteræ faciei ejuſdem Falcis ſic adhærebant, ut nullo negotio avelli poſſent. Quod ſi nunc quæras, cui aut dolori, aut incommodo ante noviſſimum morbum hi ſinguli fuerint obnoxii; me quoque perquiſiviſſe, dicam, & præſertim de muliere hac, quæ conſiſtente, ut videbatur, ætate poſt ſanguinis ſputum deceſſerat; ſed, ut in mendicis ſæpius accidit, nihil reſcire potuiſſe quod pro certo adnotarem. Num vero propterea ponendum pro certo eſt, nulla omnino ab iis oſſiculis incommoda fuiſſe allata? Non magis profecto, quam ubi Caſp. Hoffmannus (*x*) ſilet quæ detrimenta attuliſſet *os cartilaginoſum exacte rotundum*, quod *magnitudine thaleri imperialis*, Dura meninge utrinque tectum, invenerat, aut potius ut omiſſis minoribus, majora commemorem; quam ubi Dioniſius (*y*) ſcribit, ſe in noto artifice reperiſſe eandem meningem oſſeam factam propemodum totam, neque indicat, quibus is obnoxius fuerit malis. Scilicet aut quæ hæc fuerint, ſatis cognitum habere non potuit, aut ſi habuit, quod de noto, nec mendico, homine potius credo, in locum, & tempus opportunius id diſtulit: quod ſicubi fecit; ea perutilis fore videtur hiſtoria ad quoſdam illius meningis uſus, de quibus multum diſputatum eſt hac ætate, aut ex parte aliqua tuendos, aut omnino abjiciendos.

Illud præterea animadvertendum eſt, quod etſi oſſa meninges pungentia valde noceant, quemadmodum illud de quo meminit Petrus Borellus (*z*), *multis cuſpidibus horridum, in dura matre* deprehenſum, *unde dolores æger capitis diu paſſus fuerat*, & tot alia oſſa ejuſcemodi (*a*); tamen niſi ea forma, & poſitu ſint, ut poſſint meninges compungere, aut pondere, & mole aucta adeo, ut deorſum trahendo, aut premendo, Sinum

(*p*) Epiſt. 3. n. 21. (*q*) Diſſert. de duob. oſſicul. in Apopl. qu. 6. (*r*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1734. Obſ. Anat. 2.
(*ſ*) De Subit. Mort. l. 1. c. 20. n. 3. 4. (*t*) Epiſt. 3. n. 20. (*u*) Epiſt. 52. n. 32. (*x*) Apolog. pro Gal. l. 2. S. 4. c. 287.
(*y*) Deſcript. d' une oreille du Coeur extr. dilat. (*z*) Hiſt. & Obſ. Med. Phyſ. Cent. 4. Obſ. 99.
(*a*) ut Sepulchr. l. 1. S. 1. Obſ. 113.

num præſertim aliquem, & quem diximus, Falcis, arctare valeant, fere nullum, ut alias (*b*) ſcripſimus, ſui indicium ſunt præbitura. A quibus ut vides quantum; mitto numero, & magnitudine; at forma ſimul, & ſede illa diſcreparent quæ a Valſalva inventa ſunt; ita noli ejus Obſervationi alias objicere quæ cum ea non ſint comparandæ.

9. Atque utinam illa ſaltem quæ adeo nocent, oſſa non minus certas & peculiares, quam magnas, ſui ſignificationes præberent. Verum hæ ſunt tot aliis cauſis ſæpe communes, ut merito cenſuerit Scheidius (*c*), locum vix eſſe alicui ſuſpicioni eorum oſſium tunc etiam cum diuturna quædam capitis mala nullis remediis cedunt, neque ſatis unquam remittunt. Quod vero, etiamſi plane dignoſceretur; oſſicula hæc tolli non poſſent, neque ulterior eorum productio impediri, ſicut ab eodem (*d*) oſtenſum eſt. Quo loco vere, atque eleganter id dicit, quod & mihi olim venit in mentem, cum ſenior Medicus qui, ſtudio ab aliis diſſidendi, non raro in tricas ſe induebat, os quod ad Aortæ initium coaluiſſe in nobili Ægro, comminiſcebatur, diſſolvendum eſſe, proponeret Artis auxiliis; fieri enim poſſe, ut quod durum ex fluido factum eſſet, rurſus ex duro fluidum fieret: nos videlicet, inquit Scheidius, ejuſmodi auxiliis *non tam naturæ parſimonia, quam benignitate deſtitui*; nam quibus oſſa, vi morbi nata, ſolveremus, iiſdem ſimul cætera quæ natura ipſa oſſa conſtruxit, deſtruerentur.

An tamen remedia ſint quibus non jam facta oſſa diſſolvi poſſint, ſed facienda, aut certe augenda, in arteriis quidem, impediri, ex iis intelliges quæ aliis Litteris (*e*) perpendentur de oſſium in arteriis productione, a ſuppuratione quadam proveniente, & cum exulcerationibus earum conjuncta; nam quæ poſſent huic cauſæ obſtare, illi quoque poſſent effectui. Verum ut ut res ſe habeat in quibuſdam arteriarum oſſificationibus, num idem judicium de iis quoque ferendum ſit de quibus hic loquimur, mecum interea dubitabis. Neque enim cum oſſa in meningibus inveni, ſuppurationis indicia, aut exulcerationis, vidi adhuc, fuiſſe conjuncta: nec qualeſcunque oſſeas, aut, ſi mavis, oſſiformes tantummodo, bracteas vidi; ſed vera plane oſſa conſpexi. Nam; ut cætera prætercam veri oſſis indicia; ſi deſcriptionem releges (*f*) magni illius oſſis quod in Falce deprehendi; videbis certe, ut in ſimplex utrinque ſtratum ex parallelis oſſeis fibris deſineret: quo etiam oblongi illi, & acuti quaſi denticuli videntur attinere, in quos aliqua ex minoribus quæ ſupra (*g*) deſcripſi, extenuabantur. Hoc autem indicium quod in *ordine* conſiſtit *velut fibrillarum, ut in oſſibus obſervamus, recta excurrentium*, non ſolum ab laudato Scheidio (*h*), ſed ab aliis etiam Viris Peritiſſimis proponi, & confirmari, video, ad vera oſſa a duris alterius generis concretionibus internoſcenda. Sic Abrahamus Vaterus (*i*) ex *ſtriis albicantibus*, & ex *ſtriata textura* verum os a calculo conſtanter diſtinguit. Sic ab Joanne Saltzmanno *ordinata fibrarum juxta certam directionem diſpoſitio, merito*, judice etiam Cl. Crellio (*k*), *pro charactere veri oſſis ſuppeditatur*. Quantum igitur ad hoc tempus obſervare potui, non licet mihi cum Viris Doctiſſimis facere qui vera oſſa in arteriis potius, quam in meningibus, agnoſcunt. In his autem non ſolum intra cranium, ſed intra vertebrarum quoque tubum, ibique in ipſa Arachnoide, quod neſcio an aliis antea acciderit, ſi non os, at oſſis, ut puto, inchoamentum conſpexi. Scilicet in eo Sene, cujus pleuræ, an membranæ adnati pulmonis, quandam partem inveni oſſeam, ut alia Epiſtola (*l*) ad te ſcripſi, cum medullæ Spinalis, in ſua ſede a tergo retectæ integumenta Studioſis Anatomes demonſtrarem, diductaque Craſſa meninge, Tenuem inter & Arachnoidem aerem immiſiſſem; in hac, ſe totam attollente, particulam animadverti modici cucurbitæ ſeminis forma, & magnitudine, in tranſverſum locatam, albidam, jam ferme opacam, & facie interiore ſubaſperam, ac evidenter inæqualem. Hæc lateri ſiniſtro propior, undecimæ reſpondebat thoracis vertebræ: nec quidquam ejuſmodi in cæteris meningibus apparebat. Verum his miſſis, tribus Valſalvæ defectionum animi Obſervationibus, nonnullas ex noſtris ſubjiciamus.

10. MULIER paupercula, annos nata, ut videbatur, ad quinquaginta, aut plus eo, parva, & potius macilenta, cum ante annum ſyncope fuiſſet correpta ejuſmodi, ut pro mortua haberetur, ab eoque tempore etiam alias: noviſſime in lectulo mortua inventa eſt. CADAVER Theatro noſtro conceſſum fuit, unde Anatomen tradere inciperemus A. 1726.

In Ventre nihil adnotatione dignum, ſi lienem excipias nimis parvum, &, ubi incideres, diffluentem, tubamque uteri alteram, extrema parte cum ovario ſic connatam, ut orificium quod ibi eſt, omnino occluſum haberet. In Thorace ſiniſter pulmo annexus paſſim ad latus. In vena Cava, auricula dextera, & ex parte aliqua in ventriculo proximo craſſæ polypoſæ concretiones colore ex albido carneo, diſtractioni valde reſiſtentes, quibuſcum atri ſanguinis grumi cohærebant. In ſiniſtris cordis caveis vix aliquid ſanguinis. Mitrales valvulæ ambæ prope limbos, craſſiores, duræque factæ, ibi in ſeriem majuſculorum quaſi globulorum extuberabant, qui inciſi ſubſtantiam oſtendebant conſimilem tendinis. Vicinæ etiam Semilunares æquo, ſed minus, craſſiores: harumque una Arantii corpuſculum auctum habebat, & parva tantummodo ſui parte adhærens. Magna arteria ſtatim atque egreſſa erat, dilatabatur: prope autem orificia ramorum, ſuperiora petentium, interiore facie inæqualis, & ſubflava, & laxa adeo, ut ſubflavæ laminæ membraneæ, ſi digito tentares, nullo negotio avellerentur. Arteria quoque Pulmonaris æquo amplior viſa eſt. Sed ad cor ut redeam; hujus parietes quacunque incideres, ſectiones oſtendebant ex cinereo colore fuſcas, ac liventes; ſecabam autem cor die a morte decimo tertio, quod ideo dico, ut, ſi malis, id, & quidpiam in Aorta adnotatum poſſis ex parte aliqua huic moræ, quamvis hyemali illo tempore, tribuere. Idemque de nonnullis eorum quæ in cerebri diſſectione vidimus, dictum puta, eoque magis quod in aliis cadaveribus occupati, illam totum inſuper diſtulimus biduum. Caput cum a cervicibus amputaretur, aqua effluxerat non ita pauca. Tamen ſub Tenui meninge, & in ventriculis cerebri Lateralibus, & Tertio multa reſtiterat, minime turbida. Choroides plexus palliduli, niſi quod in medio a reſtitante ſanguine nigricabant. Iidem qua ſuperiorem ventriculorum partem ſubituri, ſe inflectunt, in grandes extuberabant veſiculas, a ſiniſtris præſertim, quæ plenæ erant aqua. Septum Lucidum; quanquam cerebrum, ut plerumque facere ſolitus ſum, in ſua ſede conſecabam; aut ruptum erat antea, aut inter ſecandum facile ruptum eſt; adeo enim erat tenue, & laxum, ut vix appareret. Sed & radices Fornicis, & Fornicis ipſius ſubſtantia erant quam molliſſimæ, ut cerebelli etiam cortex: qui non ſecus ac cortex cerebri, colore erat fœde pallido, & ad ſubflavum inclinante. Sed pars utriuſque medullaris, & cerebri præſertim, naturali erat firmitudine: in hac autem ſanguifera vaſcula paſſim conſpicua: quæ & in Tenui meninge hic illic ſanguine turgentia adnotaveram. Arteriæ Carotides ad cerebri baſim duriores, nec minus Baſilaris. Quin hæc circa ſuæ longitudinis medium cum ex albo flaveſceret, aperta inæqualem oſtendit ſuperficiem; ut appareret, vitium quod in Aorta ad initia ſuperiorum ramorum videramus, per horum aliquos eſſe intra cranium uſque propagatum. Denique Pituitaria glandula non ſolum ſubſederat præter modum; ſed nihil ferme ſubſtantiæ ſuæ amplius continebat.

11. Cum propter Aortæ, & Pulmonaris arteriæ dilatationem majoribus viribus cor egeret, ut ſanguinem eo, quo, illis adjuvantibus, ſolet, protruderet, eæ au-

(*b*) Epiſt. 3. n. 20. & 21. (*c*) qu. 6. cit. ſupra, ad n. 7. (*d*) qu. 7. (*e*) Epiſt. 27. n. 30. (*f*) Epiſt. 3. n. 20. (*g*) n. 8. (*h*) qu. 2. (*i*) Progr. ad Obſ. rariſſ. calcul. & Oſteogen. theſ. 27. (*k*) Obſ. de art. Coron. Cord. inſtar oſſ. indur. n. 9. (*l*) XXI. n. 22.

eæ autem vires canalibus qui illum ad cerebrum conveherent, vitiatis, vel ſolito eſſent minores; hinc, opinor, cor ſæpius quieſcere coactum fuit, donec ob adauctam intra cranium, vitio glandulæ Pituitariæ, aquæ copiam, viribus omnibus orbatum, ad perpetuam quietem redactum eſt, affectu ex ſyncope, & apoplexia miſto. Cæterum exempla defectionum animi ex Magnæ arteriæ dilatationibus alia fortaſſe aliis Litteris proferemus præter ea quæ dedimus alias (*m*) ex Valſalva deſcripta. Nunc ad alia tranſeamus.

12. VIR conſiſtentis ætatis ob grave ulcus alterius cruris, ſextum jam menſem in hoc cubabat Noſocomio, cum inexpectata ſyncope ſublatus eſt, ineunte Majo A. 1723. THORACE, & pericardio recluſis, in illo aqua non deerat cum quibuſdam concretionibus, *gelatinam* referentibus: in hoc autem cordis ſiniſtrum ventriculum animadverti æquo craſſiorem, & duriorem: quod cum a majoribus, & firmioribus eſſe crederem polypoſis concretionibus; inciſo corde, non niſi tenues quaſdam, & mucoſas in utroque pariter ventriculo inveni: neque craſſitudinem illam, & duritiem aliunde eſſe, quam a craſſioribus factis columnis carneis, intra ventriculum ſiniſtrum extantibus, cæterum ſecundum naturam intus, extraque ſe habentibus.

13. Num ſatis ſyncopes iſtius cauſam perſpexerim, non parum dubito. Quacunque enim ratione aggredior rem explicare; illud obſtat, non præceſſiſſe alias ſyncopes, aut ſaltem animi defectiones. Certe craſſitudinis in iis columnis incrementum puncto temporis fieri non potuit: cur igitur, ſi illo jam perfecto, ſyncope, ex propemodum perfecto nulla facta eſt lipothymia? Num igitur huc quoque aliquid addendum eſt, ut puta convulſio a pravis ichoribus ex cruris ulcere, ut pridem, quod *gelatinoſæ* illæ concretiones oſtendunt, in thoracem, ſic tunc repente in nervorum principium invectis? Per eam ſane haud multo ſecus quam in viro illo Piſtorienſe apud Lanciſium (*n*) cordis mucrone ad baſim violenter, ac pertinaciter contracto, ſimul improviſa Syncope induci, ſimul corde in ſe conglobato, hujus augeri durities, ac craſſitudo potuiſſet. Cor autem *convelli*, & ab Hippocrate olim, nec uno loco (*o*), dictum eſt, & ab Recentioribus quemadmodum muſculum eſſe, confirmatum fuit. ſic negari non potuit, iis eſſe malis facile obnoxium, quibus & cæteri muſculi, & quod conſequitur, etiam convulſioni; ut irritatis per ichores peſſimos nervis, fibræ cordis in pertinaci convulſione permaneant. Eſt viciſſim ubi cordis reſolutio, & laxitas in morbis ejuſcemodi culpanda videatur. Sic in hiſtoria, alias quoque memorata, Cl. Gretzii (*p*) cum in mortua *ex continuis lipothymiis*, nihil ſanguinis in cordis caveis deprehenſum eſt, ſed cor *totum flatu diſtenſum* adeo, ut *tympanitidem cordis dixiſſes*; ſive aer dum ea viveret, ſive potius a morte maxima ex parte a ſanguine ſe evolverit, eumque extruſerit; non facile intelliges, quomodo ad illum uſque modum diſtendere parietes, præſertim ſiniſtri ventriculi, potuiſſet, niſi laxiſſimi fuiſſent, & denique omnino reſoluti. Sed de paralyſi cordis erit etiam alibi (*q*) ſcribendi locus.

14. Quoniam cæteras, quas habeo, Obſervationes, ad morbos etiam de quibus hic agimus, attinentes, aliis ad te datis Epiſtolis (*r*) partim propoſui, partim ſum propoſiturus; duas perbreves ſubjiciam hiſtorias, quas, cum Bononiæ degerem, accepi ab Doctis, ſpectatæque fidei Viris. Earum mihi venit in mentem hanc Sepulchreti X. Sectionem verſanti, pluresque legenti, & inter ſe conferenti Obſervationes, quæ ad vitia attinent cum membranarum cordi circumjectarum, tum ipſius præſertim cordis. Sunt eæ membranæ, ut noſti, Mediaſtinum, Pericardium, & cordis membrana propria. De Mediaſtini inflammatione ſi ea legas quæ ibi ſub num. XVIII. producuntur, tres credas eſſe Obſervationes, cum duæ ſint; eadem enim omnino eſt quæ §. 2. & quæ §. 3. continuo proponitur: quod plane cognoſces ubi non tam verba attenderis, quæ neſcio qua licentia, aut quo caſu in alia alia ſint; quam earum primam cum ea conferens quæ legenda indicatur *tit. de Dyſpnœa*, id eſt hujus II. libri Sect. I. Obſ. CXXV. §. I. animadverteris, ex eodem, ejuſdemque Auctoris loco illam primam accipi, unde accepta dicitur quæ eandem ſequitur. Nec vero quæ protinus ſubjicitur §. 4. & ad pus attinet poſt pericardii inflammationem in hoc concluſum, dubium eſt, quin eadem ſit quæ aliquanto fuſius paulo ante data fuerat §. 2. Obſ. XIII. Quam ſi ubi tota deſcripta fuerat, videlicet *Sect.* non 3. ſed 4. *Obſerv.* 4. perlegeris; intelliges ad membranam quoque tertiam, hoc eſt cordis propriam, imo etiam ad cor ipſum exeſum in parte, & marcidum pertinere. Quod ſi demum quæras, ad hanc membranam, an ad pericardium, an potius ad aliam aliquam præter naturam, alterutri innatam, ſpectet illa *tunica quædam ſuperjacens ipſi cordi, plena humiditate quadam fœdi odoris*, quam tunicam, *cum quæreretur* ſyncopis *cauſa, in diſſectione corporis inventam eſſe*, teſtari Galenus dicitur Obſ. XII; vereor, ut ex hujus libris addiſcere id poſſis: & ſuſpicor, ſi quidem Commentaria illa, unde hæc ſunt deſcripta, Philothei ſint, aut Theophili, aut Stephani; alium enim aliis in codicibus auctorem præferunt; ſuſpicor, inquam, Galeni librum in quo ea res legeretur, intercidiſſe: ſin autem; quæ Galenus (*ſ*) ſcripſerat de emaciata magis in dies ſimia, & de tumore in ambiente ejus cor tunica, humorem, qualem hydatides, continente, ea fortaſſe ad ſyncopem, & ad graveolentem humorem incuria quadam eſſe traducta. Sed hæc, utcunque ſe habeant, Obſervationem quæ ſequitur, mihi ad memoriam reduxerunt.

15. MONACHUS cum aliis valetudinis incommodis, tum animi præſertim defectionibus conflictatus, vivendi finem fecerat. PERICARDIUM inventum eſt aqua plenum, & cordi ex parte annexum: a cordis autem mucrone magna hydatis pendebat.

16. Ex ruptis hydatidibus humore effuſo, pericardii hydropem fieri, alibi (*t*) a nobis memoratum eſt, inter cæteras hujus morbi cauſas hanc quoque recipientibus. Quam ſane in eo Monacho locum habuiſſe, veri ſimile eſt, aliis antea hydatidibus diſruptis, ejus ſimilibus quæ integra etiam tum reſtabat. Cum hydrope autem pericardii conjuncta aliquando eſſe deliquia, miſſæ ad te alias (*u*) Obſervationes oſtendunt. Sed cum hac eam potiſſimum conferes, quæ ſuperioribus Litteris (*x*) ex Valſalva deſcripta, pericardii ſimul hydropem exhibet, ſimul quaſdam ad cor alligationes cum hujus mucronis impedimento. Alterius generis non leve obſtaculum cordis motui deprehendit intra pericardium Lanzonus (*y*), cum fœminæ cadaver incideret a frequenti ſyncope mortuæ, tres videlicet ſubvirides calculos, quorum unus ea fuit magnitudine ut æquaret pondus unciarum duarum. Sed altera, quam ſum pollicitus, Obſervatio ad multo gravius, quippe cordis ipſius, vitium attinet, ulcus ſcilicet. Eam non pluribus, quam ſuperiorem, verbis comprehendam, quot nimirum ex ipſo Albertini ore accepi, qui ſub præceptore Malpighio noctes, dieſque ægro aſſederat.

17. PRÆFECTUS arcis Urbani crebro ad regionem cordis dolore, & hunc conſequente ſyncope corripiebatur. Caute a Malpighio, diligenterque curatus, videri poterat convaluiſſe, cum denique febre acuta prehenſus, confectuſque eſt. IN CORDE & polypi, & ulcus reperta ſunt.

18. Cave, hunc eſſe credas eundem arcis ejuſdem Præfectum, cujus morbum, & diſſectionem Malpighius ipſe (*z*) commemoravit, acutiſſimo dolori ad ſternum,

---

(*m*) Epiſt. 17. n. 17. & 21. (*n*) De Subit. Mort. Obſ. Phyſ. Anat. 4.
(*o*) De Morbo Sacro n. 18. De Nat. Mul. n. 46. De Morb. Mul. l. 1. n. 72. (*p*) Diſp. de Hydr. Pericard. in Procem.
(*q*) Epiſt. 26. n. 38. (*r*) XVIII. n. 2. & XXIV. n. 13. & 34. (*ſ*) De Loc. aff. l. 5. c. 2 (*t*) Epiſt. XVI. n. 44.
(*u*) Epiſt. ead. n. 43. & XXIV. n. 34. (*x*) Ibid. n. 2. (*y*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 7. Obſ. 75.
(*z*) Op. Poſth. ubi de Polypo cordis.

num, & brachium alterum obnoxii, & cor habentis quod geminum cor ſuperabat, cum ingenti polypo in auricula ejus dextera. Ille enim ex Baldeſchia, hic ex Paſſionæa, ſi recte memini, nobiliſſima Gente fuit: neque illi aſſediſſe Albertinus poterat, quippe mortuo A. 1667: neque demum morbus cum morbo convenit, aut diſſectio cum diſſectione. Cæterum te non puto ex iis fore qui Harvejo nimis addicti, ex ulcere dolorem cordis fuiſſe, mirentur, quod ipſe (*a*) *inſenſile* eſſe, docebat propterea quia adoleſcens cui raro caſu mucro cordis tangi poterat, cum tangeretur, non ſentiret; quaſi vero eum mucronem *caro fungoſa excreſcens*, uti narrat, non *obtexiſſet*. Equidem ubi ejuſdemmodi caro excrevit, aut ubi cor laxum ac flaccidum eſt, & ubi membranam propriam cum ſubjectis huic nervis, aut minus tenſam habet, aut ob diuturnam in multa pericardii aqua macerationem amiſit, tunc eſſe cordis ulcera ſine ullo ferme doloris ſenſu, inficias facile non ibo. Verum antequam hæc, aliave ejuſcemodi accidant, mirer, ſi cor erodatur, & exulceretur ſine dolore. Itaque cum Olaus Borrichius (*b*) Centurionis cor deſcribens, exteriorem hujus carnem profunde exeſam, in lacinias, & villos putreſcentes abiiſſe, narrat, minus id mihi mirum eſt quod tunc Centurio non doleret, *membrana* videlicet *cordis propria* ab acri humore quo pericardium diſtentum erat, jam *abſumpta*. Quod autem *de dolore cordis æger nunquam conqueſtus eſſet*; id vero mirum non eſſe non poteſt, niſi forte ponamus, membranam illam maceratione laxatam ſeceſſiſſe, aut certe maxime hebetem factam eſſe priuſquam acrior fieret pericardii humor, & ad erodendum idoneus.

19. Tam gravia cor mala, & diuturna ferre poſſe, incredibile priſcis Auctoribus videbatur, quanquam Plinius (*c*) rem multo magis quam Ariſtoteles (*d*), exaggeravit ſcribendo, ſicut alibi (*e*) memoratum eſt, *læſum cor mortem illico afferre*. Nam Ariſtoteles, etſi *in nulla hoſtia cor ita affectum viſum adhuc eſſe*, dixerat, *ut in cæteris viſceribus cernitur*; tamen vitiatis nonnunquam iis Partibus quæ ſunt maxime cordi annexæ, non negavit, *quæ morbo, vitiiſque ejuſmodi pereunt animalia, iis diſſectis, affectus morboſos in corde conſpici*: quos, puto, non credidit, ſic conſpicuos fieri puncto temporis. Nec vero Aretæus (*f*), neque Galenus (*g*) ab omni cordis læſione illico vitam eripi, docuerunt; cum diſerte hic ſcripſerit, quibus cordis vulnus ad ventriculum uſque non pervenit, ex iis *aliquos non ſolum ea die qua vulnerati fuerunt, ſed ſequenti quoque nocte vivere potuiſſe*; alter autem, ſi aphthæ e faucibus intra adyta thoracis deſcendant, non continuo, ſed *illo tantum eodem die ſtrangulare*. Idem tamen cor, dixit, *neque ulcera, neque ſanioſos humores ſuſtinere*, & Galenus ab inflammatione, aut eryſipelate, *dum fieri incipit, illico antequam augeantur hujuſmodi affectus, animal corrumpi*: itaque, ſicut antea ſcripſerat (*h*), *impoſſibile eſſe, ut abſceſſum cor ſuſtineat*. In eandemque ſententiam ire his minores Medici perrexerunt, priorum, atque adeo vetuſtiſſimi Scriptoris librorum de Morbis (*i*), qui *nullum morbum in corde oboriri*, tradiderat, auctoritatem ſecuti, nemo ſui culpa, ſed omnes temporis, donec longe aliud docere cœpit diſſectio cadaverum, non beſtiarum, ſed hominum, ut quos multiplex intemperantiæ genus, præſertim vero curæ, animique affectiones graviſſimæ, & longæ non raro cordis, & annexorum vaſorum morbis obnoxios faciunt. Aut prima, quantum meminiſſe nunc poſſum, aut inter primas Benivenii (*k*) Obſervatio fuit circa initium ſæculi XVI. qui in ſure, ſuſpendio necato, *abſceſſum* offendit *in ſiniſtro cordis ventre pituita redundantem*. Obſervationem hanc non ita multis poſt annis excepit altera Medicorum Viennenſium, a quibus auditam Matthias Cornax vulgavit multo poſtea in Explicatione addita Hiſtoriæ ſuæ (*l*): quæ Obſervatio in Sepulchreto prima eſt Sectionis hujus, exhibetque *pluſquam mediam partem cordis ſanioſam & putredine abſumptam*, ex parietum videlicet, ut ego intelligo, craſſitudine. Paucioribus interiectis annis, tertiam addidit Nicolaus Maſſa (*m*), cujus ſummam habes in Scholio ad Viennenſem Obſervationem, quantum memoria tulit Cornacis; nam Maſſa; ut alia præteream; vidit in ventriculo dextero *apoſtema notabile* interius, auriculam autem ſiniſtram, *quæ parviſſima erat, ulceratam totam exterius cum ſanie manifeſta*; ſed ulcus multo majus, *quam ſit dimidia pars corticis unius ovi gallinacei*, non in corde vidit, ſed *in ſubſtantia pulmonis in parte ſiniſtra*. Quam Cornacis hallucinationem, quamvis in Sepulchreto auctam, ubi ſcriptum eſt *magnitudine ovi gallinacei*, hic libenter præteriiſſem, niſi, uti mox videbis, neceſſario mihi fuiſſet commemoranda hic ſervaturo quod promiſi Litteris ſuperioribus (*n*), nimirum ut quærerem, num ſemper cum ulceribus cordis ſint & animi defectiones, & pulſuum intermiſſiones conjunctæ.

20. Cum enim Benivenii Obſervatio, nec paucæ ex iis multis quæ illam ſunt poſtea conſecutæ, aut prorſus, aut magis quam vellem, jejunæ ſint quod ad ea attinet quæ præceſſerant, memoranda, ut tanto pluris faciendæ ſint duæ illæ proximæ, Viennenſium, & Maſſæ, quorum illi ante lethalem ſyncopem multa & crebra eo anno prægreſſa docent animi deliquia, hic vero in mortuo alioquin ex vulnerati capitis in cerebro, & cerebello apoſtematibus, nihil ſignorum præfuiſſe quæ ad cor attinerent, indicare videtur; facile intelligis, mihi eſſe conſiderandum, an Cornacem ſequi debeam credentem ideo in hoc Maſſæ ægro non fuiſſe deliquia, quod cordis affectio recentior eſſet. Sequor autem eo libentius, cum pus animadverto, non modo in corde, ſed in pulmone etiam fuiſſe, ſcilicet utroque facile translatum ex capite, ſub extremo illo tempore cum homo, hemiplecticus, & mente alienata, moribundo ſimilis jacere potuit. Neque enim in jecur ſemper ex vulnerato capite ſaniem tranſvehi, ſed in viſcera etiam alia, Medicus, & Chirurgus Experientiſſimus deprehendit Molinellius (*o*): & quanquam huic contigit ſic obſervare, ut ea viſcera *nunquam non ex iis eſſent, quæ abdomine continentur*; nihil tamen repugnare, video, quo minus aliquando ea quoque ſint quæ thorace abduntur (*): neque aliter explicari facile poſſe, quæ Maſſa in pulmone, & corde hujus hominis invenit, quem ante vulnus *cognoverat ſanum, & nunquam conqueſtum de aliquo dolore, neque tuſſientem poſtquam vulneratus in lectulo manebat, &c.* Huc addere fortaſſe poſſem illam ſaniem, quam colore eodem quo ex graviſſimo capitis, & cerebri vulnere, ex ulceribus pariter ſtillantem, in brachio, & femore interea reſeratis, Vir Cl. vidit Daniel Hoffmannus (*p*), ut minime dubitaret, quin illa a capite in omne corpus ferretur. Sed mihi ſatis eſt, Magnum quoque Archiatrum Senacium (*q*), quem hæc præſertim recognoſcens, ſæpius lego, haud aliter ac a me factum eſt, Maſſæ Obſervationem explicare maluiſſe. Hac ergo ſepoſita, cæteras attendamus. Igitur in Sectione hac Sepulchreti X. quinque omnino ſunt in quibus cordis legitur exulceratio, videlicet I. ut diximus, II. VIII. X. & quæ in Additamentis eſt II. In Sectione autem IX. duæ, haud amplius, nimirum XI. & XLII. Omnes perlege. In his duabus pulſuum quidem intermiſſionem reperies; ſed non deliquia. In illis contra, hæc fere invenies; ſed non pulſuum intermiſſionem. Nulla igitur eſt ex his omnibus, quæ utraque habeat. Nam etſi VIII. illa Sectionis X. hunc præfert titulum: *Leipothymia exulcerationem cordis ſequuta*; re tamen vera, ſi non ibi modo, aut Sectione IX. ſub num. XLII; eſt enim eadem; ſed V. præſertim Sectione, ubi ſub num. XXI. fuſius ex Riverio auctore deſcribitur, perattente inſpiciatur; tantum abeſt, ut ulla inveniatur defectio animi

(*a*) De Generat. Animal. Exercit. 52. (*b*) in Bartholini Act. Med. Hafn. Vol. 1. Obſ. 89. (*c*) Nat. Hiſt. l. 11. c. 37.
(*d*) De Part. Animal. l. 3. c. 4. (*e*) Epiſt. 21. n. 5. (*f*) De Cauſ. Acut. Morb. l. 1. c. 9 (*g*) De Loc. aff. l. 5. c. 21
(*h*) Ibid. l. 1. c. 5. (*i*) l. 4. n. 13. (*k*) De abdit. morb. cauſ. c. 89. (*l*) Geſt. in utero fœt. mort c. 3.
(*m*) lib. Introduct. Anat. c. 28. (*n*) n. 22. (*o*) De Bonon. Sc. Acad. Comment. Tom. 2. P. 1. ubi Medica.
(*) Quin de his rebus Vid. quæ fuſius ſcribuntur Epiſt. 51. n. 21. & ſeqq. (*p*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 54.
(*q*) Traité du Coeur l. 4. ch. 7. n. 2.

animi quæ mortem præceſſerit; ipſam pulſuum intermiſſionem multis ante mortem diebus jam *deſiiſſe*, intelligemus. Sic etiam, ſi forte dubitas, in XI. Obſervatione IX. Sectionis aliquid deeſſe quod attineat ad deliquia; eandem quære ubi plenius propoſita eſt, ſub num. XXVII. Sectionis I; ſpondeo, fore, non modo ut nihil de iis reperias; ſed cum Riverio, a quo diligenter, ut prior illa, tradita eſt, fortaſſe putes, ſimul cum exulceratione cordis, dexteræ etiam ejus auriculæ dilatationem *cauſam fuiſſe tantæ pulſus inæqualitatis, & intermiſſionis*. Et quoniam ſupra (*r*) animadvertimus, quandam Sectionis X. Obſervationem, quæ ſub num. XIII. §. 2. iterumque ſub num. XVIII. §. 4. proponitur, ſi alibi (*ſ*) ubi tota perlegi poteſt, inſpiciatur, cor in parte *exeſum* & *marcidum* exhibere; ne forte putes, ibi ſaltem præter animi defectiones, intermittentes pulſus commemorari; pro certo habe, ne ibi quidem de his quidquam eſſe te reperturum.

21. Sed num aliæ, inquis, præter iſtas in Sepulchreto non producuntur, aut indicantur exulcerati cordis Obſervationes? In Sectionibus quidem his duabus IX. & X. aliæ præterea non producuntur; niſi forte ex IX. attinere huc velis XXIII. in qua cordis membrana *eroſa excoriataque* memoratur: quæ a me Obſervatio conſulto prætermiſſa eſt cum quia cor ipſum erat illæſum, tum præſertim quia nulla diſerte quæ conjuncta eſſent mala commemorantur, aut ſiquod deſignari videtur, id ad pulſuum frequentiam ſpectat, non intermiſſionem. Sed in Scholiis quibuſdam Sectionis X. Obſervationes quidem indicantur nonnullæ, ut ſub num. II. tum in ea Sectione, tum in ejus Additamentis videbis. Verum primæ, quæ Tulpii ſunt, ut cum ipſius conferas libro, deliquia habent; non pulſus intermiſſiones: alteræ, quæ ad Cabrolium auctorem ſpectant, ne ea quidem, ſed hoc tantum: *ne quis hinc iis mortem allatam arbitretur; ambo laqueo vitam finiere*. Quod ſi illius etiam mirificæ Obſervationis ratio habenda eſt, quæ ante has indicatur, Bernardini Teleſii, quanquam in ea non de eroſione, ſed de hectica ariditate conſumpti cordis, & ſalva *ejus tantum tunica*, prorſus deleti mentio fit, id eſt, ut ego intelligo, non ſecus atque in quodam phthiſico invenit Peyerus (*t*), *adeo extenuati, ut ſiniſter ejus thalamus vix mediocre corium, dexter vero ſimplicem tunicam parietum craſſitie æquaret*; certe nihil aliud leges apud Teleſium, niſi eum virum *diuturno morbo* fuiſſe *abſumptum*: quæres autem in citato ejus *rer. nat. l. 5; c.* autem 24; non 28. apud Meekrenium ipſum indicato, hiſtoriam hanc, niſi ea qua dixi, ratione explices, incredibilem: & ſi in ea pro *cordis tunica* tibi quoque ut Meekrenio, pericardium intelligendum videatur; cor ipſum, ut in hecticis non rariſſime accidit, cum pericardio connatum intelliges: quanquam autem vel minus credibilis videtur, quippe in ſano, repente mortuo, Obſervatio altera (*u*) *pericardii, continentis membranam cordis, parenchymatis penitus conſumti loco, ſanguine nigricante repletam*; quidquid tamen veri habeat; haud alia, opinor, quam prima illa ratione explicabitur. Sed præter Sectiones iſtas duas IX. & X. in quibus hactenus perquiſivimus, alias eſſe quæ Obſervationes alias proferant ulcerati cordis, minime dubito, & ex parte ſcio. In quibus tamen cave numeres quæ libro I. Sect. II. producitur ſub num. IX. Fucum enim Blancardus fecit Boneto, ipſum pro Obſervationis Auctore in Scholio habenti. Eadem eſt enim re, non verbis, ac altera de duabus quæ ſupra (*x*) a nobis, & a Boneto jure meritoque tributa Riverio eſt, ex quo primam quoque tacite ſumptam Blancardus (*y*) propoſuit. Sed cum illa inſuper quam poſt Riverianas conſideravimus, haud aliter egit: ut valde ſuſpicer, non uno loco & Boneto, & pleriſque aliis, & mihi fortaſſe impoſuiſſe. Itaque homine, ut veteris Poetæ (*z*) verbo utar, verſutiloquo dimiſſo, certiores Auctores quæramus.

22. Eſt igitur in Sepulchreti libro II. Sectione I. Obſervatio LXXXVI. quæ ſupra (*a*) commemorata eſt, Olai Borrichii in eo cui cordis exterior caro *profunde exeſa, in lacinias & villos carneos putreſcentes abierat*. Haud ita abſimilia obſervaſſe poſtea Peyerum (*b*), video, & Grætzium (*c*), qui ab ſe conſpecta non ineleganti Icone repræſentavit. Sed hic ſtrictim ſignificans quæ præceſſerant, *ſymptomata*, inquit, *hydropem thoracis innuentia, diu vexaverant*. Peyerus non plura indicavit, quam *adoleſcentem phthiſicum* fuiſſe, & *hydropicum*. Borrichius autem cum multo plura ſingillatim, & diſtincte proferat, nihil de animi deliquiis, nihil de intermittente pulſu attingit. Quod nec Bonetus ipſe facit, cum cætera enumeret Obſervatione CXXXIV. quæ videtur huc attinere propter cordis auriculam dexteram *pure refertam*, *quod e ventriculis manabat*. Minus id miror Sectione VI. Obſervatione XV. & Sectione VII. Obſervatione CIX. §. 1. & 2. Nam Rota, Fernelius, Trincavellius etſi antiqua hi cordis ulcera, ille *majorem* ipſius *partem*; quod ſic accipies, ut in Viennenſi illa hiſtoria ſupra (*d*) declaratum eſt; *exeſam* propoſuere; tamen ut caſus memorabant, non deſcribebant, alius empyema ægri diuturnum, alius conſumptionem paulatim factam, alius morbum longum, nec plura, indicarunt: quanquam ſi pulſus intermiſiſſent, aut animus deficere conſueſſet, credibile eſt, eorum aliquem id verbo ſaltem fuiſſe ſignificaturum. Quod vel magis de Marchetto noſtro credo, non *Dominico*, ſed Petro Equite, ejus Parente; nam Dominicus, etſi ejus *Opera Chirurgica* a magno Scriptore laudari, video, & fuit ſane Medicus, & Chirurgus nobiliſſimus, nihil tamen niſi *Anatomiam* edidit ſuam. Itaque Petri ſunt *Obſervationes Medico-Chirurgicæ*, quarum illa eſt XLVI. quæ ulcus proponit ad ſiniſtram uſque cordis caveam perveniens, & modo indicatis Fernelii, & Trincavellii Obſervationibus continuo ſubjicitur §. 3; ſed aliter atque ab Auctore ſcripta eſt. Qui cum præter maciem, *febrim* quoque, & *virium imbecillitatem* enumeraſſet, ut rationem redderet, cur fiſtuloſi illius ulceris, ſterni vulnus ſecuti, *nulla ſpe ſalutis* tentaretur curatio; non videtur deliquia, & pulſus intermiſſionem, ſi fuiſſent, prætermiſſurus. Nec dubito, quin Hollerius quoque, ſi illa Archidiaconum vexaſſent, qui *abſceſſum in cordis ſubſtantia* habebat, & mulierem, quæ *multos*; ſic utrumque fuiſſet in Scholiis ad ſuum caput *de Syncope* commemoraturus, ut ad proximum memoraverat caput (*e*) *de cordis palpitatione*, quæ illos afflixerat: & Bonetus pariter quod ad Archidiaconum illum ſpectat, ad VIII. quæ de eadem Palpitatione eſt, Sectionem retulit §. 2. Obſervationis VIII. etſi neſcio, cur Foreſtum potius, quaſi Auctorem, laudaverit, quam Hollerium, ex quo nominatim id Foreſtus, & plura alia quæ ſequuntur, deſcripſit. Cæterum quod in ejuſdem Obſervationis §. 1. de cordis ulcere in fœmina ita ſcriptum eſt, ut de hac illud tantum ſciamus, quod ob ſcabiem ad thermas miſſa, inde hydropica redierit, non hic magis utile eſt nobis, quam quod de corde eroſo in quodam ob diuturnum uſum acidularum vitriolatarum, Obſervatione pariter VIII. legimus Sect. XII. libri IV. Sed contra, perutiles ſunt quæ Sectione eadem leguntur inter poſthumas Obſervationes Jo. Bapt. Fantoni, XVI. & XXVIII. Neque enim ſunt ita jejunæ; ſed quæ ægros male habuerant, diſerte utraque, & præſertim prima, nos docent. Cum igitur cor alteri eſſet *exterius purulentum*, id eſt, ut Cl. Fantoni Filius poſtea edidit, *corruptum*, alteri *abſceſſu* in eo *jam diſrupto alteratum*; in neutro tamen defeciſſe animus dicitur, aut pulſus intermiſiſſe.

23. Atque hæ ſunt Obſervationes ulcerum, aut abſceſſus in corde aperti, in quas mihi hactenus contigit, ut, Sepulchretum verſans, inciderem, vel

---

(*r*) n. 14. (*ſ*) Sect. 4. Obſ. 4. l. 2. (*t*) Method. Hiſt. Anat. c. 6. in Schol.
(*u*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 6. Obſ. 25. & in Sepulchr. l. 2. S. 11. Obſ. 21. (*x*) n. 20. (*y*) Anat. Pract. Obſ. 40.
(*z*) apud Cicer. de Orat. l. 3. (*a*) n. 18. (*b*) in Schol. ſupra cit. ad n. 21. (*c*) Diſput. de Hydr. Pericard. §. 3. (*d*) n. 19.
(*e*) 29. libri 2. de Morb. Intern.

vel potius quas in eo, aliiſve libris memini legiſſe; neque enim omnes vidiſſe me, puto, aut quas viderim, meminiſſe. Et ſane hæc relegenti ſuccurrit Lancifii locus (*f*), ſcribentis, cordis ſuperficiem exeſam atque exulceratam ſe *bis aut ter* deprehendiſſe: *ſigna vero hujus affectionis communia fere eſſe cum indiciis, quæ præcordiorum aneuryſmata comitantur*. Sed neque id mirum, quia ipſe quidem invenit *plerunque* cum his complicatam: neque inter ſigna eorum aneuryſmatum neceſſario illa duo eſſe, de quibus hic quærimus, ex tot, alias ad te miſſis, aneuryſmatum præcordiorum hiſtoriis facile intelligis.

Videri etiam poſſent Meekrenii caput XXXV. (*g*) perlegentibus plures aliæ extare ulcerum cordis Obſervationes: & fortaſſe extant. Attamen ex iis quas profert, aut indicat, alias, ſi diligenter contuleris, ex illis eſſe, comperies, quæ jam a nobis ſunt perpenſæ, aliarum autem pleraſque in iis non invenies quos ipſe quidem deſignat, ſcriptorum locis; nonnullas etiam longe aliter habere, cognoſces, ac ipſe videtur indicare. Namque inter narrandum Obſervationem ſuam, cujus poſtremam partem haud facile eſt intelligere, *huic*, inquit, *exemplum ſimile*, id eſt cordis ulceris cum crebra animi defectione, *in diſcipulo ſuo Romæ a ſe diſſecto obſervaſſe ſe ſcribit Reald. Columb. de re anat. lib.* 15. Columbus autem eum diſcipulum refert quidem, *ſubinde in Syncopen incidiſſe*; verum non ulcus in eo fuiſſe, ſed *pericardium defuiſſe*. Quorum autem *in corde ulcera*, *abſceſſumve* conſpexit, quibus affectionibus, dum viverent, obnoxii eſſent, non dicit. Unus ſupereſt, quo, cum hæc antea ad te ſcripſimus, carebamus, Eximius Auctor, Senacius. Is eo capite (*h*), quod de Inflammationibus, Abſceſſibus, & Ulceribus Cordis inſcripſit, tot vitiati cordis Obſervationes commemoravit, ut ſi illas ſingulas, quod faciendi nobis in præſentia tempus deeſt, cum his contuleris, quas ſupra indicavimus, fieri non poſſit, quin præter has, reperias alias a Viro Eruditiſſimo animadverſas, certe autem quaſdam Lutetiæ Pariſiorum habitas, illamque præſertim in fœmina, quam ſicuti ipſe ægrotantem viderat, utinam cum mortua diſſecaretur, videre quoque potuiſſet. Tu igitur quotcunque invenies a nobis minime perpenſas, in iis ſaltem attendas, velim, an ſint ambo illa ſigna de quibus quærimus, adnotata. Etſi enim Senacius ipſe (*i*) diſerte negat, ex cordis ulceribus neceſſario ſequi pulſus inæqualitatem; cum tamen (*k*) hanc, & crebra deliquia inter ea commemoret ſigna quæ *ordinario* illa ulcera comitantur; videndum eſt tibi, de utroque ſimul, an potius, ut credimus, de ſigno ſaltem alterutro ſit intelligendus: nihil eſt unde melius cognoſcere id poſſis, quam Obſervationes illæ quæ apud ipſum peculiariter tibi reſtant conſiderandæ.

24. Quod ſi forte interim quæris, ex cordis eroſione quid Valſalvæ, Albertino, aut mihi adnotare contigerit, Epiſtolas potes ad te meas XVI. num. 17. & 43. & XXIV. num. 18. relegere. Nihil de pulſuum intermiſſione reperies, nihil de animi defectionibus, ſi leves quaſdam excipias, ab Albertino animadverſas. At leves, inquis, illæ erant eroſiones, & ſuperficie tenus. Fateor; ſed erant veræ, & ibi erant, ubi majorem cordi moleſtiam creari, ſupra (*l*) indicatum eſt. Veras autem fuiſſe, dixi, ne forte inter eas referres, in quibus videtur extima cordis facies eroſa, nec tamen eſt: cujus videlicet falſæ eroſionis exemplum Epiſtola propoſitum XXI. (*m*), & unde ea fiat, & qua ratione internoſcatur, tametſi preſſius, oſtenſum eſt. Scilicet ex pericardii humore, præter naturam ſe habente aliquando concretiones quædam cordi adhærent, quæ ſua inæqualitate, & colore eroſionem mentiuntur. Earum non ignaris proclive eſt fallaciam vitare, iis detractis, & ſubjectæ cordis membranæ integritate detecta. Itaque in iis Borrichii, Peyeri, & Grætzii quas ſupra (*n*) indicavimus, Obſervationibus noli id facile ſuſpicari, cum membranam illam quærentes, *abſumptam*, *alicubi* revera *corroſam*, & cor ea *privum* invenerint. Valſalvæ autem, & Albertino haud erant ejuſmodi concretiones ignotæ. Eæ alias alia mentiuntur, in his pinguedinem, & villos, piloſque, uti ſuperioribus Litteris (*o*) ſcripſimus. Itaque aſſenſionem ſuſtinuimus, cum aliquando audiremus, in quodam cui permoleſti fuerant cordis angores, præter pericardium flaviſſima aqua plenum, omnem cordis pinguedinem hic illic repertam eſſe quaſi a muribus exeſam. Nobis enim antea ſe ſe obtulerat ejuſdemmodi ſpecies in vetulo milite, de quo alias (*p*) ad te ſcribemus, nec paſſi eramus ut imponeret: quod neque Cl. Schreiberus eſt paſſus, cum poſtquam in Obſervatione, quam alias (*q*) retulimus, diſerte admonuerat, exterius cordi undique adhærentes *villos magnos*, *longos*, *latoſque*, *quaſi carnis fungoſæ teneræ .... e ſero ſanguinis formari intra pericardium ſtagnante*, imagines addidit villoſorum cordium accuratiſſime expreſſas, quas ſi quis inſpiciat rerum ignarus, continuo deceptus minime dubitet, quin corda repræſentent, quorum pinguedo, & reliqua ſuperficies paſſim fuerint corroſionibus profundius exeſæ. Num vero Sepulchreti libro II. Sect. II. Obſ. III. extima cordis facies, quæ deſcribitur *lanuginoſo panno omnino ſimilis*, *aut intimæ ruminantium animalium ventriculi tunicæ*, appareret *quaſi corroſa* ob concretiones, villos mentientes, a ſero depoſitas quo pericardium valde tumebat, an *procul dubio ab* ejuſdem *ſeri acrimonia* revera eſſet cum *extima cordis ſubſtantia*, ut in Scholio dicitur, omnino corroſa, in medio relinquo, ſicut in Obſervatione quoque Laubii (*r*), an revera cordis facies exeſa fuerit; etſi enim pericardium *ultra libram j ſanguinis atri congrumati* continebat; hic tamen aliunde quam a cordis facie deſtillaſſe poterat, & Laubius ipſe, hæſitanti ſimilis, rem ita proponit: *ſanguine illo ope ſpongiæ abſterſo*, *cordis ſubſtantia lamellis quaſi obſita & exeſa oculis ſe ſiſtebat*. Verum ſi reapſe cordis ſubſtantia in utraque Obſervatione corroſa, & exeſa fuit; dubitans enim utramque ſuperius præterii; animadvertas velim, inter ea quæ ægrotantes patiebantur, nullum de pulſuum intermiſſione, nullum de animi defectione verbum legi. Quarum cum tot hiſtoriis ſæpe neutra, nunquam utraque, haud raro alterutra dumtaxat fuerit; quid in propoſita quæſtione (*ſ*) exiſtimandum ſit, per te vides.

25. Quod ſi in apertis cordis abſceſſibus, & ulceribus res ita ſe habet; num forte aliter in concluſis ſe habebit? Quid præceſſiſſet, cum *tumores duros in ſiniſtro cordis ventriculo* vel *ad ovi magnitudinem*, ut in Cardinali Gambara invenit, reticet, ut ſæpius ſolet, Columbus (*t*): nec quod ad thoracis incommoda attineat, quidquam indicat Hildanus (*u*) in adoleſcente, qui *in cordis acumine tuberculum habuit album ad nucis avellanæ magnitudinem*: neque; ut ad Sepulchretum redeam; aliud, quam hydropem, Rhodius (*x*) in viro cui *folliculus* inerat in *dextra cordis auricula*, aut quam maciem Bartholinus (*y*) in bove, cui *abſceſſus pomi magnitudine* intra duos folliculos ſerum continens, dextero ventriculo adhærebat, aut quam *ſpirandi difficultatem cum febre* Gantius (*z*) in quodam, cui in baſi cordis *excreſcentiæ* erant *plurimæ*, in his una *ovo columbino par*, omnes materia molli infarctæ. Me vero; ut alios ſciens omittam; cum tuberculum offendi in corde Senis innatum, certiorem factum eſſe, noſti (*a*), neque intermiſſiones pulſuum, neque defectiones animi, neque cordis pal-

(*f*) De Mot. Cord. Propoſ. 23. in Schol. (*g*) Obſ. Med. Chirurg. (*h*) Traité du Coeur l. 4. ch. 7.
(*i*) Ibid. n. 1. in fin. (*k*) n. 3. (*l*) n. 18. (*m*) n. 2. (*n*) n. 22. (*o*) n. 4. (*p*) Epiſt. 43. n. 17.
(*q*) Epiſt. 16. n. 46. (*r*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 15. (*ſ*) n. 19. in fin. (*t*) De Re Anat. l. 15. (*u*) Cent. 1. Obſ. 51.
(*x*) l. 3. S. 21. Obſ. 3. §. 18. (*y*) l. 2. S. 7. Obſ. 112. (*z*) Ibid. S. 1. in Additam. Obſ. 2. (*a*) Epiſt. 21. n. 4.

palpitationes, neque omnino quidquam præceſſiſſe unde id tuberculum indicaretur. Quo minus mirari oportet, ſiquando repentinæ mortes illos occupant, qui nullo de incommodo querebantur, cum pars ad vivendum adeo neceſſaria, cor poſſit interdum, nullis peculiaribus comitantibus incommodis, ejuſmodi vitio laborare, cujus incremento parietibus illius perforatis, ſimul cum ſanguine vita amittatur. Quibus de mortibus proximas Litteras expecta, & Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXVI.

Verba fiunt de Morte Repentina ex vitio vaſorum ſanguiferorum quæ ſunt potiſſimum in thorace.

SUbitas Mortes, quamvis frequentiores factæ hoc ſæculo videantur, tamen etiam antea in Italia, aliiſque regionibus, variis ſubinde temporibus non infrequentes fuiſſe, aliis ad te Litteris (*a*) demonſtravimus. Confirmabit id; ut Plinium (*b*) omittamus, qui eſſe *frequentes*, ſcripſit, & cum plures ipſe memoraret, vel *plurimas prodidiſſe Verrium*, docuit; id, inquam, recentioribus exemplis confirmabit Sectio XI. Sepulchreti, inſcripta *de Morte Repentina*, ibi præſertim ubi aut Bartholinum (*c*) leges ſcribentem, *A.* 1652. *initio Februarii menſis, ob incoſtantem aeris intemperiem, multos in urbe* Hafnia, *inopinata morte ſubito extinctos*, aut Panarolum (*d*) docentem, *præcipiti & repentina morte* A. 1651. *brevi temporis ſpatio unum poſt alium* Romæ *occubuiſſe*. Huc Lanciſium (*e*) adde, qui idem ſub Alexandro VII. id eſt annis poſt paucis, ibidem accidiſſe, oſtendit, & in Hetruria, ut arbitror, circa idem tempus, antea autem, nempe circa initium præteriti ſæculi & Romæ, & Venetiis, & in aliis quoque Civitatibus.

2. Sed quandocunque, & ubicunque ejuſmodi contigerint mortes, cauſam aut in cerebro, & nervis, aut in pulmonibus, & arteria Aſpera, aut denique in corde, & ſanguiferis vaſis ab Anatomicis eſſe quærendam, neque ego dubito, & idem Lanciſius in egregiis libris, quos *de Subitaneis* edidit *Mortibus* (*f*), ſatis præmonſtravit. Cum igitur ea ſit a me cauſa in duobus primis ipſius ſedis generibus antea quæſita, cum Epiſtolas ad te ſcriberem de Apoplexia, & de Suffocatione; reliquum nunc erit, ut in tertio quæram, id eſt in corde, vaſiſque ſanguiferis, quæ thorace potiſſimum continentur. Nolo enim iterum, quod ſæpe fieri video in Sectione hac Sepulchreti, de Apoplecticis, aut de Suffocatis verba facere, nec de iis qui ob læſum aliquod ventris viſcus repentinam mortem obiere, antea ſcribere, quam incipiam de Ventre: quanquam ejuſmodi mortis proxima cauſa non in viſcere illo vitiato, ſed fere per nervos, aut ſanguifera vaſa in cerebro, & corde eſt. Scilicet in viſcere illo ventris, aut nervi ſic irritantur, ut cordis muſculum, meningeſve cerebri vehementius convellant, aut vaſa ita erodantur, ut ſanguine effuſo, repente juſta hujus copia cor, & cerebrum deficiat. Sed nos in loco de his videbimus. Nunc quæ Valſalvæ, & nobis in corde, & proximis dumtaxat vaſis ſe cauſæ obtulerint ſubitæ mortis, ſcribemus. Nomine autem ſubitæ mortis eam hic accipimus, quæ, ſive ejus præſenſio fuerit, ſive non fuerit, celerrime hominem rapit præter ipſius, aliorumve eo quidem tempore expectationem. Cujuſmodi mortis ex vitio aut cordis, aut proximorum vaſorum exempla occaſionem habuimus proponendi Epiſtola XVII. (*g*), XVIII. (*h*), XXI. (*i*), XXIV. (*k*), & XXV. (*l*). Jam vero eorum quæ reſtant, pleraque accipe: & primum ex Valſalva hæc tria, quæ ad vaſa attinent; nam quæ ad cor ſpectant, in proximas Litteras rejiciemus.

3. VIR annos quinquaginta natus, qui alias ſanguinem, ſed paucum, exſpuerat, anhelare quoque interdum ſolitus, dum malleo ambabus manibus arrepto, diutius, magnaque cum vi neſcio quid percutit, repente cadit, & uno, aut altero verbo auxilium implorat. Mox loquela amiſſa, anhelans, intra horæ dimidium pallente facie moritur. THORACIS ſiniſtrum cavum invenitur ſanguine omnino plenum, cujus magna pars concreverat. Eruperat hic ex eroſa arteria Magna, ubi deſcenſura ad vertebras ſe inflectit. Ibi enim in aneuryſma dilatata, reſpondentes vertebras excavaverat, & qua hæ excavatæ erant, ibi abſumpta arteria videbatur.

4. Quam cavere debeant conatum quemlibet ii quibus dilatata arteria eſt, hic etiam caſus oſtendit. Conatum enim auctus conſequitur ſanguinis impetus, quo extenuatæ, aut ex parte eroſæ arteriarum tunicæ perrumpuntur. Quod etſi multis illorum per ſe accidit, velut ei de quo protinus ſcribemus, Juveni; tamen & multis non accidit: cavendum autem eſt omnibus, ne ſibi ipſi mortem accelerent, quæ per ſe tardius eſſet ventura.

5. JUVENIS annorum circiter viginti ſeptem multum jam tempus tumore quodam pulſante in pectoris parte dextera inter coſtam tertiam, & quartam affligebatur, quo in tumore, dum ab uno ſe in alterum convertebat latus, fluctuantem materiam, eique motui obſecundantem ſentiebat. Anhelatione interdum correptus fuerat: quæ tamen brevi poſt ſectam venam remittebat. Dum Sacris intereſt, ex improviſo cadit, facie pallet, vix loquitur, cito moritur. IN THORACE aneuryſma conſpectum eſt magnum. Nam qua Carotides arteriæ erumpunt, incipiens, & ad ſternum ſe extendens, cui tam valide adhærebat, ut ſeparari ſine laceratione non poſſet, ſub clavicula etiam dextera ad tertiam, & quartam coſtam ſe producebat, quarum interiorem faciem excavaverat, aſperamque & inæqualem reddiderat. Denique intra pericardium perveniebat, ubi perruptum, ſanguine omne hujus cavum impleverat. Nulla in corde polypoſa concretio fuit.

6. Sed etiam ſine aneuryſmate interdum eroditur, effunditque ſanguinem arteria Magna, quod proxima perbrevis docet hiſtoria.

7. QUIDAM extremo Junio A. 1689. improviſa morte ſublatus eſt. CADAVERIS ſecandi venia a conſanguineis vix impetrata, Magna arteria inventa eſt rupta qua proxima eſt cordi, pericardium autem inde plenum omnino ſanguinis coagulati.

8. Noli

(*a*) Epiſt. 2. n. 2. & ſeqq. (*b*) Nat. Hiſt. l. 7. c. 53. (*c*) Obſ. 24. (*d*) Obſ. 9. (*e*) De Subit. Mort. l. 2. c. 3. n. 7. (*f*) l. 1. c. 5. n. 4. & c. 9. & ſeqq. (*g*) n. 10. 17. (*h*) n. 2. 8. 14. 15. (*i*) n. 17. (*k*) n. 13. (*l*) n. 2. 10. 12.

8. Noli mirari quod ad haſce Obſervationes vix quidquam, aut nihil adnotem. Namque ubi de Aneuryſmatibus ſcripſi, ſatis multa interjeci quæ huc conveniant, & hæ Obſervationes pleraque habent per ſe clara, & præter has, bene multæ mihi, nec ita breves, ſunt, quas his ſubjiciam. Quæ ut reſpondeant quo ad ejus fieri poteſt, propoſitis Valſalvæ Obſervationibus, ab Aortæ aneuryſmatibus initium capiam.

9. VIR ludo pilæ ligneæ, & meri abuſui nimis deditus, ex utroque in dolorem incidit brachii dexteri, mox & ſiniſtri, cum febre conjunctum. Apparuit deinde ad ſterni ſupremam partem tumor, furunculi inſtar majoris: qua ſpecie decepti vulgares quidam Chirurgi, pulſatione aut minime animadverſa, aut neglecta, ea quæ ad ſuppurationem perducere vehementius ſolent, impoſuerunt. Cum tumor increſceret, alii mollientia adhibuerunt, unde is imminui viſus eſt, delinitis videlicet, laxatiſque fibris, quas medicamenta illa priora irritaverant. Verum cum ea res ad integumenta communia potius, quam ad propria tumoris attineret; cito hic non modo priſtinam illam magnitudinem rurſus, ſed vel majorem in dies oſtendit. Itaque cum in Bononienſe Incurabilium Noſocomium anno, opinor, 1704. exceptus eſt æger, cydonium mediocre æquabat malum, & quod multo peius erat, exſudare ſanguinem quodam loco incipiebat, ut propius nihil factum ſit, quam ut cutem, ibi ad ſummam tenuitatem redactam, ipſe, inſtantis jam periculi ignarus, diſrumperet, dum oſtendendi ſui morbi cauſa ſplenia detrahere cœpiſſet. Quod, re ſtatim animadverſa, perficere prohibitus eſt, & quieſcere juſſus, & de proximo inevitabili e mortali hac vita diſceſſu pie ſerioque cogitare. Qui poſtridie contigit ex prænunciata, ſed non tam cito ab ægro expectata, immani ſanguinis profuſione. Ea tamen animi præſentia fuit, ut ſtatim ac prodire ſanguinem ſenſit, ſimul Deo ſe commendaverit, ſimul pelvim quæ ad lectulum erat, ſuis ipſe manibus ceperit, & quaſi alterius excipiens ſanguinem, tumori hianti ſubjecerit, dum continuo ex proximo miniſtri accurrerent, quorum mox inter manus defecit. CADAVER, antequam diſſecarem, inſpiciens, nullum amplius tumorem conſpexi, quippe qui, effuſo ſanguine, quo extrorſum attollebatur, ſubſederat. Pertuſa ibi erat cutis, & quæ cuti ſubſunt, amplo foramine, duos ſimul digitos admittente. Adipoſa thoracis membrana inter diſſecandum, aquam emittebat, qua & veſiculæ quædam turgebant, hic illic ex ſumma cute in pedibus & cruribus prominentes. In thoracis etiam utroque cavo aqua erat plurima, eaque ſubflava. Magnum autem erat aneuryſma, in quod anterior paries arcus ipſius Aortæ ſe expandens, ſummum os ſterni, huicque inſidentia clavicularum extrema, & coſtas proximas partim abſumpſerat, partim inducta carie vitiaverat. Qua autem oſſa abſumpta fuerant, aut carie infecta, ibi nihil omnino ſupererat de arteriæ tunicis: quibus alibi ſubſtantia undique intus adhærebat craſſa, exſuccam, & luridam carnem referens, punctis quibuſdam albicantibus diſtinctam, quam facile divideres in plures quaſi membranas, alias aliis impoſitas, natura ab iis quibus adhærebant, tunicis prorſus diverſas, quippe evidenter polypoſas. Quibus accurate perſpectis, nihil præterea occurrit adnotatione dignum.

10. Miſerabilis hujus viri exitus illud primum docet, quantopere inter initia curandum ſit omni artis auxilio, ne interna aneuryſmata incrementum capiant: deinde, ſi aut medentium inſcitia, aut ægri inobedientia, aut ipſius morbi vi tantum capiant, ut communibus ſolum protegantur totius corporis integumentis, tum cavendum eſſe, ne ſplenia, jam ſiccata præſertim, cutique adhærentia, temere avellantur: denique, ſi res eo pervenerit, ut jam ruptio cutis immineat, venæ autem ſectio, aut ob ægri conſtitutionem, infirmitatemque, aut ob alia quæ alias (*m*) attigimus, ſuſpecta ſit; præcogitanda eſſe omnia, per quæ dies ſaltem aliquot vita protrahatur. Scilicet præter ſummam quo ad ejus fieri poſſit, corporis, & animi quietem, ſummamque abſtinentiam, ut ne plus quam vitæ ſervandæ ſatis ſit, idque partite, & ex minime actuoſis, exhibeatur, præter eum corporis ſitum quo ſanguinis pondus attenuatam cutem non urgeat, & alia ejuſdemmodi, excogitandum eſt aliquod a Chirurgis præſidii genus, ut puta ſi quadruplicatum ex veſica bubula, aut ex molli aluta ſplenium imponeretur, cujus ſplenii oræ omnes per medicamentum quod valentiſſime id poſſet, ad proximam cutem, quæ circum tumorem adhuc integra & firma eſſet, agglutinarentur. Sed tu hæc melius; ipſe enim ſervandi vel ad unam horulam hominis ſtudio abreptus, fortaſſe ineptio. Faſcias autem arctas, & laminas elatere firmatas haud memoro, non tam propter illa quæ de noxis graviſſimis, progrediente tempore inde illatis animadvertit Lanciſius (*n*); neque enim hic agitur, ut quam diutiſſime vivat æger, ſed ne continuo moriatur; quam propter extenuatam cutem, cui preſſio eſt omnis periculoſa. Attamen de tribus ægris, cum hoc quem deſcripſimus, conferendis, a Wagnero (*o*), a Laſagio (*p*), a Lentilio (*q*) diſſectis, videre poteris, quid in ultimo ad profluvium ſanguinis retardandum, adhibitum ſit; quanquam in ſecundo dumtaxat, nihil jam niſi attenuata cutis reſtabat, quæ a ſanguine perrumperetur, quamobrem idem qui in noſtro, eventus fuit, ut ſtatim ac rumpi tumor cœpit, ſimul immanis hæmorrhagia, & mors ingruerint. Quod reliquum eſt; exemplum hoc meum celerrimi obitus ex aneuryſmatis ruptione externa, etſi huc minus ſpectare, fateor, quia repentinum dici non poteſt quod jam jam inſtare, & evidens erat, & prædictum fuerat; tamen protuli, ut oculis imaginem quandam ſubjicerem internæ aneuryſmatum ruptionis. Extenuatis enim haud ſecus ac cutem vidimus, dilatatæ arteriæ tunicis, hiatus fiat, & ſanguis profundatur, neceſſe eſt; quemadmodum alias (*r*) in muliere ex noſtra Obſervatione tibi deſcripſimus, in viro autem nunc deſcribemus ex Obſervatione quam extremo Novembri A. 1708. ab ſe habitam, nobiſcum Venetias tunc redeuntibus, poſtridie communicavit Diligentiſſimus Sanctorinus.

11. JUVENIS robuſtus, in triremibus vivere aſſuetus, affectioni obnoxius, quam homines Rei Medicæ rudes Venetiis *flatum* vocitant, & a flatibus eſſe, credunt, quamvis ſæpe ſit cum organico quopiam interno vitio conjuncta, a motu paulo violentiore ſpirandi difficultate corripiebatur. Duo præterea ab illius ſociis fuerant animadverſa, alterum, a cibo ſomniculoſum præter modum fieri ſolitum, alterum, ſæpe ad lumbos utramque admovere manum conſueviſſe, & valenter deorſum verſus fricare, quaſi ibi moleſtiam aliquam perſentiret, quæ iis frictionibus levaretur. Hic cum in domo meretricia ad ignem ſederet, inter loquendum repente obiit. CADAVERE inſpecto, cujus neque crura, nec venter tumebant, & hoc aperto, depreſſum apparuit diaphragma. Thoracis cavea dextera ingentem effuſi ſanguinis copiam habebat. Prodierat hic ex arteria Magna, quæ diaphragmati jam proxima, ibi ſuum ipſum truncum in aneuryſma, pugni magnitudine, dilataverat. Quod polypoſis, quaſi membranaceis, concretionibus refertum, a dextris quidem erat perruptum; a ſiniſtris autem corpora proximarum vertebrarum læſerat adeo, ut magna oſſea ſquama ab ipſis nullo negotio detraheretur. Cæterum nulla in Aorta oſſicula. Cor durum valde, & in ſe contractum.

12. Cor poſſe convelli, ſuperiore Epiſtola (*ſ*) ſcriptum eſt. Cujus rei exemplum habes, ni fallor, in hoc Juvene, ſed alii cauſæ tribuendum. Cæte-

(*m*) Epiſt. 17. n. 31. & ſeq. (*n*) De Aneuryſm. Propoſ. 38. (*o*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. Obſ. 179. (*p*) Act. Erud. Lipſ. Suppl. T. 3. S. 9. (*q*) Eph. N. Cent. 1. Obſ. 96. (*r*) Epiſt. 21. n. 47. (*ſ*) n. 13.

Cæterum quod a cibo hic fieret magis quam alii, ſomniculoſus, & aneuryſmati, & diſtento ventriculo adſcribendum videtur, qui etiamſi tunc fundum antrorſum vertat; tamen quanto plus ipſe ſpatii occupat, tanto minus; utcunque abdomen cedat; cæteris ventris viſceribus relinquit, ut compreſſis ibi ſanguiferis vaſis, ſanguis quo expeditius iter eſt, feratur ad cerebrum. Igitur ſi hinc alii proniores tunc fiunt in ſomnum, multo magis fiebat hic Juvenis, cui propter aneuryſma eo loco ſitum, jam minus facilis erat curſus ſanguinis deorſum. Reliqua proclive eſt explicare, in his aneuryſmatis ruptionem, in ea potiſſimum domo factam, ubi fortaſſe ad ignem non ſedebatur, cum ea contigit. Nimirum a mulierculis, & ab amicis honeſtandæ rei cauſa multa ſæpenumero confinguntur. Vide in alterius Juvenis non diſſimili in loco improviſa morte quid ſuſpicatus ſit Lanciſius (*t*). Ille quoque *calefaciendi cauſa ad ignem* acceſſiſſe dicebatur. Quid ſi ignis ille erat, de quo Parmeno, ſi probe memini, apud Terentium (*u*),

Accede ad ignem hunc; jam caleſces plus ſatis.

Sed tamen peccatorum ultor Deus non patitur ſemper, occultari, quomodo in delicto per delictum ipſum pœnas ſumat. Quod ſatis intelligi potuit in eo milite, cujus *mors ſubitanea in æſtu venereo accidens cum horribili clamore, ac jactatione corporis*, narrata eſt a Cl. Viro Chriſtiano Vatero (*x*), eaque a ſanguinis eruptione in pericardium, facile ex vena aliqua majuſcula (*y*), ſi revera nulla fuit *ruptura cordis, vel auriculæ*. Sed multo magis intellectum eſt in horrifico illo caſu quem proxima docebit hiſtoria.

13. MERETRICULA duodetriginta annos nata, macilenta, aliquot jam menſes, & dies præſertim ultimos quindecim de laſſitudine quadam, & faſtidio cibi, & rerum ferme omnium conqueſta, quo minus alimentis cæteris eo magis vino meraco, cui ſemper nimis dedita fuerat, utebatur. Ad hanc cum quidam ingreſſus eſſet ſcortator, & poſt modicum tempus egreſſus confuſo vultu, & turbato, ipſa vero, duabus, aut tribus interjectis horis, non appareret; vicini, qui hæc animadverterant, introgreſſi, non mortuam modo, ſed & frigidam invenerunt, jacentem in lecto ea corporis figura, ut dubitari non poſſet, quo in opere interiiſſet, præſertim cum virile ſemen conſpiceretur quod e locis muliebribus defluebat. Quæſitum eſt ex me, de ejus cadavere numquid vellem genitalia? an cætera etiam viſcera? Utraque reſpondi; non quod in illis, delapſo jam ſemine, peculiare aliquid me viſurum ſperarem, ſed ut quædam, ſæpius obſervata, recognoſcerem; nam in reliquis partibus, & facile, ut tum dixi, in magno quopiam perrupto vaſe conjicere me cauſam repentinæ mortis inventum iri. Tempeſtas erat fervidiſſima, quippe Nonis quinctilibus A. 1725. nec poſtridie mortis licuit, niſi tandem ſub veſperum, cadaver incidere. Itaque mutato conſilio, Mediaviam noſtrum miſi, qui inſpiceret omnia, præcipua vero dumtaxat ad me domum perferenda curaret. COLLUM ſub ipſo mento livebat, ſine ullo tamen indicio vis extrinſecus illatæ. Livebat quoque nonnihil dorſum. Tenſum erat abdomen, nec ullam oſtendebat notam unde conjiceres, mulierem uterum tuliſſe. Illo diducto, Tenuia inteſtina apparuerunt valde rubentia. Craſſa, præſertim inferiora, recrementis plena, ventriculus permagnus, quamvis inanis propemodum. Serum in ventre erat effuſum ad libram circiter, aquæ non diſſimile turbidæ in qua recens caro lota eſſet, acre autem adeo, ut extremos digitos ſenſu cujuſdam quaſi ardoris afficeret. In Thorace pulmones naturali undique colore, ut ne a tergo quidem nigricarent. Pericardium vero diſtentum adeo, ut per inflictum vulnuſculum ſerum exſiluerit, ejus ſimile quod in ventre deſcriptum eſt. Multum autem inerat, ſub eoque niger, & firmiſſime concretus ſanguis cordis faciem operiebat. Quod cum vaſis Magnis, & genitalibus poſtridie matutino tempore ad me allatum antequam inciderem, animadverti, neque ipſum, neque Magnæ arteriæ truncum eſſe dilatatum, imo utrumque ſua parvitate mulieris ſtaturæ, quam parvam potius fuiſſe dixerant, reſpondere. Tum eam arteriam ab inferiori extremo, quod ad ſeptum Tranſverſum fuerat, diſſecturus, cum vidiſſem, non multo ſuperius, latus ejus alterum ad tractum quinque aut ſex digitorum tranſverſorum nigricare; id eſſe cognovi a ſanguine in cellulas effuſo extimæ dumtaxat tunicæ; nam cæteræ bene ſe habebant. Vitium autem interius a ſiniſtro arcus Aortæ extremo incipiebat, & inde ad cor uſque pertinens, eo fiebat majus, quo arteria propius ad cor accedebat. Scilicet alibi indicia occurrebant ſubalba futuri oſſis, alibi quædam inchoata quaſi foraminula, ſulci alibi paralleli in longitudinem ducti: ſic paſſim arteriæ illa facies erat inæqualis. Verum ubi ventum erat prope valvulas Semilunares, quæ ſtrigoſæ videbantur, ſemidigiti intervallo ſupra eam quæ tenet poſteriora, erat orificium quod apicem digiti pollicis admiſiſſet, per quod Aorta cum ſubrotundo aneuryſmate communicabat, ſacculi forma ad ipſam appenſi. Superabat is ſacculus nucem juglandem ſuo viridi indutam cortice: atque ita erat a tergo Aortæ collocatus, ut cum ſiniſtrorſum nonnihil vergeret, officiis videretur ſiniſtræ auriculæ, adjective Sinus non obeſſe non potuiſſe. Ruptus autem in ſummo fuerat a ſanguine illinc in pericardium exundante per mediocre foramen, cujus oræ erant nigræ, & dilaceratæ. Sacculi interiorem faciem rubræ pelliculæ conveſtiebant polypoſæ, quas, ut fit in cæpis, facile poſſes in quot liberet dividere. In auriculis autem, & ventriculis cordis neque erat ulla polypoſa concretio, nec ſupererat ſanguinis quidquam.

His ita perſpectis, ad uterum, ovaria, & tubas oculos, & cultrum converti. Tubarum altera cum altero ovarii extremo habebat ſuam ultimam partem connatam. Hæc autem erat in utraque prorſus occluſa, ut neque orificium, neque fimbriæ uſquam apparerent. Cum vero ad eam partem eſſet tuba utraque aliquanto latior, quam ſoleat; inciſa exhibuit aliquanto etiam plus, quam ſoleat, humoris illius ſui, qui pro virili ſemine ab nonnullis acceptus eſt; ſed hoc ſpiſſior, & in fine etiam ſubcruentus prodibat. Ovariorum illud cui tubam connatam fuiſſe, dixi, veſiculas continebat plures, & majores. Et cum utrumque ſubrotundius, læve, ſuccoſum, & turgidum eſſet; majus aliquanto erat alterum, quod præter veſiculas ejuſdemmodi, habebat ab una parte ſub ipſa membrana nigrum ſanguinem, & ferme concretum, nec pro ovarii mole paucum. In utero denique nihil fuit adnotatione dignum, niſi quod ejus interior dumtaxat facies ex fuſco rubebat tota ad internos uſque oſculi fines. Hoc anguſtum erat; ſed albo quodam ac craſſiuſculo humore fœdum, qui cum diſſimilis eſſet tum virilis ſeminis, tum ejus muci qui ibi ſecundum naturam deprehendi ſolet, ſuſpicionem injecit fluoris alicujus, quo hæc fœmina laboraſſet.

14. Qui maris ſemen ipſum contendunt in mulieris tubas pervenire, ſimilitudine abrepti, quæ non *bonis* tantum *Medicis*, ut ait Hippocrates (*z*), ſed & Anatomicis interdum imponit, non illud totum exiſtimaſſent e genitali hujus mulierculæ defluxiſſe. Mihi vero, cui minime propoſitum eſt quod ſummi Anatomici aliquando ſe vidiſſe, teſtantur, ſed quod ſæpius quidam alii ac facilius ſtatuunt, in dubium vocare, ſatis eſt quæ ipſe animadverterim, retuliſſe. Cæterum eorum qui in venere improviſo ſunt mortui cum Donatus (*a*) multa exempla collegerit, non omnia tamen quæ poterat, commemoravit; quando unus Plinius eo ipſo, quem laudat, loco (*b*), non duo, ſed

(*t*) De Subit. Mort. Obſ. Phyſ. Anat. 2. (*u*) Eunuch. Act. 1. Sc. 2. (*x*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 163.
(*y*) Vid. infra, n. 26. & 27. (*z*) Epidem. l. 6. verſ. fin. (*a*) De Med. Hiſt. Mirab. l. 4. c. 17.
(*b*) Nat. Hiſt. l. 7. c. 53.

ſed quatuor produxit. Inter illa vero, mulieris nullum protulit, ſi eas excipias quas intolerabilis conſtupratium multitudo interfecit. Neque Schurigius (c) cum omnia undique hujuſmodi mortium exempla colligeret, ullum reperit quod ad fœminas attineret, duobus exceptis quæ non Medicorum hiſtoriæ, ſed Inſcriptiones quædam ſuppeditarunt, quæ veræ, an conficta eſſent, neque ipſe, neque ii ex quibus deſcripſit, quæſivere. Quamvis autem Valerius Maximus (d) ſic mortuos *non libidinis ſuæ, ſed fragilitatis humanæ ratione* dicat; *ſine namque vitæ noſtræ variis, & occultis cauſis expoſito, interdum immerentia ſupremi fati titulum occupare, cum magis in tempus mortis incidant, quam ipſam* (malim *ipſa*) *mortem accerſant*; tamen diſſectio, & ratio quoque ſatis oſtendunt, quantum libido, ad occultas illas cauſas accedens, mortem acceleret, ſanguinem concitando, & occulta aneuryſmata, aut infirma etiam intra cranium vaſcula diſrumpendo: quæ abſque ea, aut alia ſimili cauſa eſſet, multo diutius durarent, & uſque ad ſenium fortaſſe, velut in eo contigerat, quem anno ante quam illud ſcortum, in Gymnaſio incidentes, hæc quæ continuo ſcribentur, obſervavimus.

15. SENEX pinguis annorum circiter ſexaginta repente obierat ex apoplexia, ut credebant qui ipſum noverant tremore laborantem. PERICARDIUM retulerunt; neque enim hoc ego, ſed cætera incidi; tanta propemodum ſanguinis copia fuiſſe diſtentum, quantum vitrea duo vaſa, quibus ſanguis hic excipi ſolet e vena exiens, continerent. Cor erat magnum, Aorta autem arteria dilatata ſupra cor, & in curvatura etiam tota, oſſeis bracteis, quales paſſim in arteriis quoque artuum fuerant, interiore facie diſtinguebatur. Ab eadem facie, non magno ſupra cor intervallo, foramen digitum admittens, initium ſumebat, & obliquo trium ferme digitorum tranſverſorum itinere per tunicas ab imo ſurſum pergens, in facie demum arteriæ exteriore intra pericardium hiabat. Ea via ſanguis in hoc irruperat.

16. Etſi non conſtat, quo tempore aneuryſma inceperit in hoc Sene; credibilius tamen eſt, ea qua pleraque alia, ætate initium cœpiſſe. Certe autem ea quæ deſcripſimus, arteriæ vitia intra breve tempus potuiſſe fieri non videntur. Similia his ſui indicium annis duobus, aut tribus ante obitum præbuerunt in ea muliere, cujus eundem exitum ſtatim proponam.

17. MULIER pingui habitu, annos nata ad quinquaginta, ſobria, natura triſtis potius, & taciturna, annos jam quatuordecim vidua, nulli obnoxia morbo, niſi quod duobus ultimis, aut tribus annis poſtquam menſtrua defierant ſcilicet, flatu quodam, ut vocabat ipſa, vexari ſolebat ad cor, eamque viciniam; cum matutino tempore, bene valens ad opus ſurrexiſſet ſuum; textrix enim erat; eaque diſponeret quæ ad novam telam exordiendam ſunt neceſſaria, *ob* dixit, nihilque præterea; ibi enim ſtatim, ſicut brachia jugo habebat ſubnixa, mortua eſt. Erat idem menſis A. 1729. quo menſe, ut ad te olim (e) ſcripſi, tot alios ex hac Civitate repentina mors abſtulerat: itaque etſi in Agro ad eum locum qui Medoaci Pons vocatur, hæc fœmina extincta erat, illuc Medicus, & Chirurgus, quorum id erat officium, ſunt miſſi qui cadaver diſſecarent. CERVICES, & brachia erant rigida, ut non ſine vi flecti poſſent. Secto cranio, magna illico profluxit ſanguinis copia, viſumque eſt ipſis, vas aliquod inter cerebrum, & cerebellum eſſe diſruptum. Illud certius eſt, cum Thoracem introſpicerent, pericardium ſe obtuliſſe adeo diſtentum, ut cum vulnus inflixiſſent, cruentum ſerum exſiliret. Sanguinis autem pars reliqua concreta circum cor hærebat corticum inſtar craſſiorum. Nec ſolum hæc retulerunt: ſed cor ipſum cum annexis vaſis intactum ſecum attulerunt, ut ipſe diligenter examinarem. Quod poſtridie faciens, iiſdem, aliiſque adſtantibus, ſic inveni. Cor erat parvum, cæterum & pinguedine inſtructum optimæ notæ, & ſanis firmiſque, & quod ad ventriculum ſiniſtrum attinet, bene craſſis parietibus. Nihil in eo, aliiſve cavis, nihil in Magnis vaſis fuit ſanguinis, non dico fluidi, ſed ne concreti quidem, nedum polypoſi. Sana præterea omnia, ſi limbos excipias valvularum quæ Tricuſpides, & Mitrales dicuntur, quippe totos parvulis, ſubrotundis, quaſi carneis tuberculis diſtinctos, glandulas mentientibus. Sed hæc nimirum haud rara ſunt; quin multis jam in corporibus tibi deſcripta. Cum igitur cor ad hunc modum ſe haberet, neque in aliis quæ ipſi annexa ſunt, vaſis quidquam extaret præter naturam; una ſupererat, quam perluſtrarem, arteria Magna. Cujus cum eum tractum aperuiſſem, qui ad thoracis vertebras affixus fuerat, albidamque maculam primum, deinde longo ſupra hanc intervallo, alteram ea majorem, & flaveſcentem adnotaſſem, futuri olim oſſis indicia; oblongam, ſed modicam prominentiam pariter interius vidi qua arteria deorſum ſpectare incipiebat, ex naturali quidem ſubſtantia, ſed ipſam minime ſecundum naturam. Deinde antequam aperire ulterius pergerem, animadverti, ab ea ſede unde ſiniſtram emittit Carotidem ferme ad cor uſque Magnam arteriam eſſe multo quam oporteret, latiorem. Mox, ea diſſecta, conſpexi toto hoc amplo tractu quo dilatatam fuiſſe, dixi, intus aſperam, & inæqualem ob rigidas ac duras lamellas oſſeas ita crebras, atque confertas, vix ut exigua quædam intervalla relinquerent inter ſe. In quibus intervallis cum arteriæ tunicæ interiores exeſæ, & exulceratione quadam attenuatæ perſpicerentur; mirum erat, uno tantum loco haud procul a corde ad poſteriorem, eandemque ſiniſteriorem partem, id demum accidiſſe quod tot aliis antea poterat. Scilicet per unum ex ejuſcemodi intervallis ſibi viam ſanguis paulatim fecerat, & ſub tunicam venerat arteriæ extimam, quam ab intimis primum diducendo, attollendoque, ſicut ampla quaſi ecchymoſis docebat, quam ipſe ibi concreſcens effecerat, tum deinde magis, magiſque diſtendendo, uno in loco perruperat, intraque pericardium ſe effuderat. Cæterum qui rami ex tam vitiata arteria ad caput, humeroſque tendebant, ii erant omnes, quantum ex eorum annexa parte conjicere licuit, omnino ſani.

18. De lamellis oſſeis, & de conjuncta Aortæ exulceratione proximis Litteris quæremus, in quas propterea ſingularem Obſervationem differo, huc alioquin ſpectantem (*), mecum a Viro Cl. communicatam, improviſæ mortis ex ſanguine per foramen Magnæ arteriæ, plurimum vitiatæ, in pericardium illapſo. Sed tu interea miraris fortaſſe tam celeres mortes (f) ex non majori effuſi ſanguinis copia quam quæ poſſit pericardio contineri: cujus capacitatem ſic definiat Boerhaavius (g), ut cor fere duplo majus, Fantonus autem (h), ut præter cor, aquæ *libras fere duas* excipiat. Quod ſi non modo repletum, ut hi, ſed diſtentum etiam ponamus, quod fieri exitus cum ſaltu in Mulieribus deſcriptis (i) oſtendit, laxatum præterea, velut in Sene (k) uſque adeo, ut eam quam retulerunt, poſſet capere ſanguinis copiam; attamen obliviſci, ajas, non decere, quanto præter comparationem plus in hæmorrhagiis prodeat interdum ſine hominis morte intra horas duodecim, aut quindecim, ut Littrius (l) teſtatur; ne vetera exempla, quæ apud Schenckium (m) extant, commemorentur, librarum ſanguinis viginti intra quinque dies, imo intra unum diem, & duas noctes, aut librarum quadraginta intra dies ſex e naribus, aut viginti quinque intra dies tres ex utero profluentis, ſalva ægrorum vita: fœminas autem præſertim, & plus ſanguinis generatim habere, & majores hujus profuſiones facilius ferre, non videri dubitandum: quæ cum ita ſint, Mulierem de qua noviſſime diximus, fortaſſe ex apoplexia potius, quam ex rupto illo aneuryſmate extinctam eſſe. Hæc ſi dicas; a te petam, ut primum

(c) Spermatolog. c. 5. (d) Fact. ac Dict. memorab. l. 9. c. 12. (e) Epiſt. 3. n. 11. (*) n. 28.
(f) Vid. & Epiſt. 64. n. 13. (g) Prælect. in Inſtit §. 182. (h) Anat. corp. hum. Diſſ 11. (i) n. 13. & 17. (k) n. 15.
(l) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1714. (m) Obſ. Medic. l. 1. ubi de Narib. Promiſc Obſ. 4 & l. 4. ubi de Menſtr. hypercath. Obſ. 7.

mum attendas, quid diſcriminis ſit inter ſanguinem multum illico, & ſanguinem longe plurimum, ſed paulatim intra multas horas, dieſque effluentem; deinde inter effluentem ex ipſo prope originem, Aortæ trunco, & effluentem ex diſſitis ramis; denique inter effluentem intra pericardium, & effluentem extra corpus. Primum diſcrimen indicabit, non eſſe hic ſatis temporis, ut ſe contrahant vaſa circum reliquum ſanguinem, neque ut hic ſupplementi aliquid accipiat, unde ejus partes inter ſe, & vaſorum tunicæ ipſas contingant, ſine quo in gyrum agi ſanguis non poteſt. Ex diſcrimine altero ſimul intelliges, repente ſubtrahi juſtam copiam ſanguinis univerſo corpori. Ex tertio autem cor facile offendi inſolito exterius contactu ſanguinis, copiaque circumjecta impediri, quæ ſi pericardium diſtendit, cor etiam premat, neceſſe eſt. Nec te illud moretur quod in pericardii hydrope moveri cor pergat; aliud enim eſt paulatim augeri aquam; aliud ſanguinem repente effundi, & aliud aqua, aliud ſanguine urgeri, qui præterquam quod ſtatim atque effuſus eſt, ad concreſcendum ſit pronus, certe quanto aqua craſſior eſt, tanto accedit magis ad ſolidorum naturam, quæ, ſi cordi admoveas, illico ejus motum ſiſtendo, ſyncopem inducunt, ut admoti aut ſpecilli, aut digiti exemplis in duobus vulneratis hominibus accidiſſe, oſtendit Celeberr. Vir Senacius (*n*). Aut ſi hæc non ſatis ſunt; huc duo ſuperiora diſcrimina adde. Adde etiam truncum Aortæ dilatatum, & fibris carneis magna ex parte exeſis, rigida autem oſſicula intus habentem: quæ res quantum difficultatem afferant ſanguinis provectioni, ſatis manifeſtum eſt, & quod conſequitur, quanto majores exigant cordis vires, quæ ex iis quæ diximus, ut labefactatæ ſint, conſtat. Quod ſi hæc forte ſatis non facerent univerſa, malleſque adhuc propter eam ſanguinis copiam quæ intra cranium apparuit, fœminam hanc apoplexia potius, quam diſruptione aneuryſmatis, fuiſſe ſublatam; hiſtorias lege quæ ſequuntur, duarum mulierum, propoſitæ haud ita abſimiles, niſi quod nulla tamen, nedum ingens illa quaſi effuſi intra cranium ſanguinis vis fuit a nobis deprehenſa.

19. FŒMINAM annos natam plus triginta inopinata mors hic repente extinxerat circa medium Majum A. 1738. VENTRE, & Thorace recluſis, in illo nonnihil, in hoc nihil effuſæ aquæ a Mediavia noſtro inventum eſt; ſed oppletum ſanguine pericardium ex rupto intra ipſum Magnæ arteriæ aneuryſmate, in quod non modo hujus arcus totus, ſed & pars initio arcus ejuſdem proxima ſe dilataverat. Caput, & pleraque viſcera ego diſſecui. Intra cranium autem non plus ſanguinis deprehendi, quam ſatis eſſet ad vaſa quæ per Tenuem meningem repunt, mediocriter turgida ſicut erant, efficienda, & ad rubras guttulas quæ ex ſecta medullari cerebri ſubſtantia paſſim apparebant, ſufficiendas. In Lateralibus ventriculis aquæ turbidæ non multum, nec pallor in Choroidibus plexibus. Cætera huc non attinent, quæ in cerebro, nervis, auribus, aliiſque in partibus, & nominatim in Succenturiatis renibus animadverti; hæc enim ea mulier eſt, ex qua horum dexterum ſingulari forma præditum Epiſtola deſcripſi Anatomica XX. (*o*).

20. Nunc eam omnem Obſervationem ſubjiciam, cujus una dumtaxat particula in VI. fuit Adverſariis (*p*) propoſita. Quæ etſi prima earum fuit in qua aneuryſma Aortæ ruptum vidi intra pericardium; tamen conſulto a me tibi eſt in hunc locum ſervata, quia plura, & varia continet, pluresque, & varias adnotationes requirit.

21. VENETA Mulier, eadem ac noviſſime deſcripta, ætate; ſtatura, colore, habitu corporis laudabili, vel potius ſubpingui; plurium liberorum parens, ante annos decem correpta artuum inferiorum paralyſi, roris marini uſu ſana facta eſſe dicebatur, certe nulli poſt id tempus incommodo fuerat obnoxia, quod quidem eſſet adnotatione dignum. Verum ante plures menſes laborare cœperat, nec tamen aſſidue, ſpirandi difficultate, & tumore præterea ſecundum longitudinem colli pulſante in regione arteriæ Carotidis dexteræ; nunquam tamen (id quod ob ea quæ in mortua invenimus, adnotabis) de dolore, torpore, aut tumore brachii dexteri conqueſta eſt. Quatuor autem, an quinque ultimis diebus de moleſto quodam ſenſu querebatur non ſecus ac ſi coſtæ, ut ipſa dicebat, abdomen verſus conciderent; cum de improviſo circa medium Decembrem A. 1708. quodam quaſi animi deliquio prehenſa, & ſe mori, affirmans, ægre ab accurrentibus mulieribus ſuſtentata, & in lecto collocata eſt, ubi facie, labriſque præſertim, lividis, frigida, ſine ſenſibus, pulſu perexili, reſpiratione autem difficili, & lenta, citius quam horæ quadrans ab initio ingruentis mali præteriret, exceſſit e vita. CADAVERE inſpecto, quod nullum uſquam œdema, aut aliud adnotandum exhibuit, & Ventre aperto, inteſtinorum partes aliquæ ſe obtulere, ſi colorem attenderes, quaſi inflammatæ: qui color mox etiam in pancreate obvius fuit. Attentius autem inſpectando Tenuia inteſtina, in horum parte, ad palmi tractum, minima quædam, eaque innumera, ſubobſcure apparebant tubercula, quæ nihil aliud erant, niſi cellularum indicia, quæ inter carneam, eique ſubjectam tunicam aere diſtentæ, illam extrorſum attollebant; itaque per vulnerata proxima ſanguifera vaſa aere elapſo, eæ cellulæ conciderunt. In bilis veſicula quatuor, aut quinque lapilli, inæquali inter ſe magnitudine, condebantur, qui ad flammulam admoti, hanc concepere. Ex inciſa vena Cava ſanguis non paucus, ex Magna autem arteria non multus defluxit. Satis jam inſpectis, ventris viſceribus detractis, ſeptum Tranſverſum utrinque non in fornicis modum aſcendere, ſed deorſum potius concidere, manifeſtum fuit. Thorace recluſo, in utraque ejus cavea ſerum conſpeximus valde cruentum, ad paucas uncias effuſum: pulmones autem ſanos, quamvis nonnihil turgidulos; ſero enim, ut poſtea vidi, ejus ſimili quod modo dicebam, referta erant bronchia, præſertim ſiniſtrum. Interea pericardium tumens, ac livens ſanguinis in ſe effuſi indicium dederat: quo tamen non erat plenum; ſed paulo minus quam libram, continebat, cujus unciæ circiter duæ ſerum erant cruentum, ſanguis reliquus in laminam craſſam, & ſic ſatis firmam concreverat; cum quidquid ſanguinis in cadavere hoc conſpexi, nigrum quidem eſſet, ut hic, ſed omnino fluidum. Sanguine e pericardio detracto, cum videremus, Aortam ſtatim atque e corde egreſſa erat, manifeſto dilatari; ejus truncum, & ramos præcipuos perſecutus, deprehendi illum quidem fere uſque ad Emulgentes arterias, horum autem eum qui dexteris Carotidi, & Subclaviæ communis eſt, itemque harum utramque eſſe dilatatam ſic, ut Carotidis latitudo ab initio uſque ad diviſionem duplo, eoque amplius eſſet major, quam oporteret; Subclavia autem ad trium digitorum tractum non ſe quidem undique expandebat, ſed poſteriorem dumtaxat, & ſuperiorem parietem in prominens aneuryſma curvabat, quo, nulla prorſus re interjecta, duo, treſve nervi premebantur ex iis qui a cervicibus in artum contendunt ſuperiorem. Ex eo aneuryſmate, quod meum digitum pollicem excepiſſet, arteriæ prodibant duæ, quæ latiori quam æquum eſſet, initio, coni inſtar quo magis pergebant, eo magis contrahebantur donec ſeſquidigiti ſpatio emenſo, ad naturalem redigerentur modum. Harum una ad Thyroidæam glandulam pertinebat, magnam in hac fœmina, & nonnullis in locis duram. Quæ poſtquam exterius ſpectaveram; vaſa hæc omnia, imo eam quoque Aortæ partem quæ in ventre fuerat, ſecundum longitudinem aperire cœpi, ab Iliacis initium faciens. Ab his ad Emulgentes uſque nihil non ſanum animadverti, ſi maculas ſubalbas excipias, quæ aliquot in locis erant, & exiguos ſulculos, qui in paucioribus. At ſupra Emulgentes ut dilaratio trunci incipiebat, ſic inde ad cor uſque arteriæ parietes craſſiores erant multo quam ſoleant, non tamen ubique pariter, itemque duriores, & rigidiores; quanquam nihil

(*n*) Traité du Coeur l. 4. ch. 5. n. 5. (*o*) n. 53. (*p*) Animad. 24. in princip.

nihil oſſei uſquam inveni; paſſim vero ſubalbas maculas, paſſim non leves ſulcos parallelos, in longitudinem ductos, eo magis ſpectabiles, quod brevi decurſo ſpatio, ſulcis aliis tranſverſis, longe minus rectis, æqualibuſque, interrumpebantur, deinde alii prioribus ſimiles, & tranſverſis mox interrupti, ſequebantur, deincepſque alii ad eundem modum; ut in morbida conſtitutione ordo haud inelegans ſervaretur ad totum uſque Aortæ arcum; quin ab hoc in Subclaviam ſiniſtram ad unum pollicem, in proximam Carotidem ad duos, in alteram vero, quanta quanta erat, ſimul cum maculis, & tunicarum craſſitudine, ac duritie pergebat. Aneuryſma autem illud Subclaviæ ſtructuram cujuſdam quaſi auriculæ cordis referebat, ex inæquali, dura, craſſaque tunica conformatum, nec polypoſis intus corticibus ſuccinctum, ſed perexilem dumtaxat, ſubalbam, oblongamque laciniam ſibi habens adhærentem, præter quam unam, nihil aliud in univerſo hoc cadavere polypoſi deprehendimus. Truncus denique Aortæ ipſius ab eo loco unde primum ad ſuperiora emittit ramum, ad cor uſque, & maculis diſtinctus, & ſulcis erat exaratus, ſed his ita confuſis, & abnormibus, ut nihil niſi perpetua, & ſumma ejus faciei inæqualitas appareret. Sed præter hanc, quædam quaſi exulceratio occurrebat duobus circiter ſupra Semilunares valvulas digitis qua arteria dexteriora ſpectat, & poſteriora, in eaque exulceratione tria, quatuorve erant profundiora foramina, inter ſe proxima, ſingula lentis magnitudine, ſed forma anguloſa potius, quam rotunda: ab iis oblique cuniculi extrorſum acti, ad extimam Aortæ laminam pervenerant, ibi propterea ex fuſco rubentem quaſi ab inflammatione; multoque humore craſſiorem factam: in ejuſque rubedinis medio lacerata demum lamina, ſanguis ſibi viam in pericardium fecerat per foramen internis ſimile, & ejuſdem fere magnitudinis. Siniſter cordis ventriculus maxime erat dilatatus; ſed ipſi appoſita auricula valde contracta, & ſtrigoſa. In eo ventriculo, & in dextero ſanguis non deerat: in arteria autem Pulmonari multus fuit: neque eo Carotides, nec Jugulares carebant venæ. Cerebrum denique, & cerebellum laxiſſima deprehendimus; quamvis in ventriculis nihil eſſet aquæ, cujus pauxillulum alicubi dumtaxat fuit ſub Tenui meninge. Hujus vaſa erant ſanguine turgidula. Vertebrales arteriæ qua cranium ſubibant, paulo viſæ ſunt, quam æquum eſſet, latiores. Reliqua, in hoc cadavere a me & ab Amicis conſecantibus adnotata, alio pertinent.

22. Quatuor, minimum, aneuryſmata in hac muliere fuerunt, ventriculi cordis ſiniſtri, maximæ partis Aortæ, Subclaviæ dexteræ, & huic vicinæ Carotidis; ut non modo cauſæ appareant eorum quibus vexabatur mulier; ſed mirum ſit, non pluribus fuiſſe vexatam. Quod ad Carotidis aneuryſma attinet, quod ſua ſe prominentia, & pulſatione prodebat, etſi ultro fateor, a peculiaribus cauſis, eas potiſſimum arterias afficientibus, interdum ipſas dilatari; ſæpius tamen earum dilatationem cum Magnæ arteriæ dilatatione conjungi, atque adeo hujus eſſe propagationem, & effectum, nemo ex eo tempore negaverit, ex quo morborum cauſæ cœptæ ſunt creberrimis diſſectionibus inquiri. Priſci autem Medici, ſubſidio hoc carentes, nihil ejuſmodi ſuſpicari videbantur, & nihilo plus negotii ſibi dari in Carotidum aneuryſmate, exiſtimabant, quam ut revulſis, imminutis, correctis ſanguine, acribuſque humoribus, illa apponerent quæ ad contrahendas conſtringendaſque arteriarum tunicas valerent, quemadmodum ex perlecto Arantii capite (*q*), quo de iſto potiſſimum aneuryſmate agit, præclare intelliges. Quod ſi conſtringere quis tentet, cum producta eſt aneuryſmatis arteriæ Magnæ; hoc augebit, illud non tollet; ſed ne tunc quidem cum eſt ab erodente dumtaxat cauſa, velut exemplo Nobilis Matronæ producto, oſtendit Lanciſius (*r*).

23. De aneuryſmate autem quo Subclavia arteria dextera, nulla re interpoſita nervos premebat, artum proximum adeuntes, quærebam in Adverſariis VI. (*ſ*) ubi incuria neſcio qua *Subclavia ſiniſtra* pro dextera ſcripta eſt; quærebam, inquam, cur ejus compreſſionis nullum unquam in eo artu vivente muliere, extitiſſet indicium? At quæro adhuc. Cum enim dolores, ut ſæpe fit, & in Viro, cujus ſupra (*t*) ſcripta eſt hiſtoria, fiebat, aut torpores in brachiis accidunt eorum quibus in ipſo Aortæ ſupra cor trunco aneuryſma oritur; video, ab Doctis Medicis rem explicari per contractiones quæ ab eo trunco in Subclavias propagatæ, eoſdem quibus de loquimur, comprimant Brachiales nervos: cur igitur hos tanto magis non comprimat aneuryſma in Subclavia ipſa natum, eoſque contingens? Nam etſi alii non deſunt Viri Experientiſſimi, qui vel diu arctiſſime ligato, non modo compreſſo, nervo confirment, ſenſum denique, & motum in illa ad quam nervus contendit, parte omnino incolumem animadverti; hi non negant tamen, primo ſaltem poſt alligaturam tempore ſenſus, & motus jacturam fieri. An igitur compreſſionem quæ ſenſim fiat, ſenſimque augeatur, nervi, quaſi aſſueſcentes, impune ferunt? De hoc tu videris, ut de illis quoque tot experimentis, nuper, nec ab uno tantum, habitis in quibus aliter ac in modo indicatis, non negligendæ res occurrerunt, tum de illis etiam, quas hic conſulto prætereo, obſervationibus, ex quibus deducere fortaſſe liceat, nervorum aliorum ramulos cum inferioribus eorum qui ligati ſint, ramis communicantes, paulatim, aliquo interjecto tempore, ſic dilatare aliquando poſſe meatus ſuos, ut non ſecus atque in ſanguiferis vaſis accidit, iis e tranſverſo ſuppetias ferant. De his, inquam, de aliiſque tu videris. Neque enim quod tunc nolui, id ipſe nunc volo, obſcuris videlicet, ac longius circa nervos quæſtionibus implicari. Præſtat, ut quæ quiſque circa eos obſervamus, illa adnotemus, donec juſtus obſervationum oſtendat numerus quid ſequamur; aliorum interea certis quibuſdam conjecturis, & illationibus caute parcendo, quæ etſi facile defendi poſſunt, non omnes tamen hoc ipſum aſſequimur; quanto minus igitur nunc verum, alte adhuc abditum, aſſecuturi!

Sed tu illud potius fortaſſe hic quæres, cur quod vitium ab Aorta in dexteras, non pariter in ſiniſtras Carotidem, & Subclaviam ſit propagatum? Non una id cauſa factum crediderim. Nam primum cordi illæ propiores, quam hæ ſunt, ſi primam ſpectemus originem. Itaque cum æquo majores erant cordis vires; illæ citius quam hæ, cœperunt labefactari: quamobrem vitium quod in ſiniſtris poſtmodum inchoatum eſt, longius in Carotide, quippe cordi propiore, quam in Subclavia, productum vidimus. Deinde quæcunque ars, & conſuetudo fœminæ illius fuerint, de quibus nihil certi habeo; veri quidem ſimile eſt, multo ſæpius, multoque diutius, ac validius artu uſam eſſe dextero, quam ſiniſtro, locumque hic quadantenus eſſe explicationi Cl. Malvetii (*u*), qui Subclaviæ arteriæ dilatationem a crebrioribus, conſtantioribus, & valentioribus muſculorum artus dexteri in Artifice contractionibus repetebat, quippe ſanguine in ſic compreſſis ejus brachii arteriis retardato, &, quod conſequitur, magis cumulato in origine harum Subclavia, iis compreſſionibus minime obnoxia. Quid? ſi accedebat in muliere hujus dilatationis cauſa altera, thorax, *balenatiis*, ut Petronius (*x*) loquitur, *virgis* inſtructus, qui ſua ſub axillis nimia, ut ſæpe, duritie, atque adſtrictione arteriam tanto magis premeret, quanto hæc magis in iis de quibus modo diximus, motibus contra eam duritiem urgeretur, eoque ſanguinis, in Subclaviam a corde valentius compulſi, impetum in hanc reflecteret. Quod, ſi non improbas, ad cætera illa detrimenta addes quæ Solertiſſimus Winſlowius (*y*) ejuſmodi thoracibus, nimis axillaria vaſa conſtringentibus, imputavit. Denique ſi conjuncta hæc omnia non ſatis faciant; quod veriſſime Celſus (*z*) ſcripſit, veniat in mentem, *raro quenquam non ali-*

quam

(*q*) De Tumor. præt. nat. c. 38. (*r*) De Aneur. Propoſ. 31. (*ſ*) Animadv. 24. (*t*) n. 9.
(*u*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1733. (*x*) Satyric. (*y*) Mem. de la même Acad. A. 1741. (*z*) De Medic. l. 1. c. 3.

quam partem corporis imbecillam habere. Quod ubi poſueris; non modo cur Subclavia illa arteria aneuryſma habuerit; ſed etiam ad eam quam diximus, partem habuerit, ſatis intelliges.

24. Super aneuryſmate autem, cæteriſque ipſius Aortæ vitiis cum alia alibi adnotaverimus; hic pauca ſatis erit adjicere, quæ ad hæc potiſſimum viria attineant. Et primum quod Aorta craſſior, & rigidior eſſet, cum propter dilatationem videretur eſſe debuiſſe tenuior, & mollior, faciebant præcipue, ut opinor, creberrimæ illæ ſubalbæ maculæ, quæ ut futuri ſunt oſſis initia, ſic ex adaucta ibi ſubſtantia fiunt ad eam quæ in Ligamentis eſt, ut ſæpe obſervavi, accedente. Quod autem illæ, & cætera vitia eo crebriora, & graviora eſſent, quo aneuryſma a corde minus diſtabat, ab incurrentis ſanguinis impulſu fuiſſe, vides, tanto majori quanto propius erat impellens. Quapropter nec plura verba facienda ſunt, ut intelligas, qui factum ſit, ut cum aneuryſmatis pars intra pericardium eſſet, intra hoc, ſicuti in pluribus quoque aliis quos ſupra (*a*) deſcripſi, caſibus, ruptum ſit aneuryſma. Illud potius declarandum eſt, cur ad poſteriora arteriæ (*b*) ſit ruptum. Cum enim ibi pariter etiam in Textrice (*c*) apertum viderim, & ibi quoque fuerit orificium aneuryſmatis quod in ſcorto (*d*) deſcriptum eſt; minus veriſimile ſit, mulieres iſtas omnes eandem potiſſimum Aortæ partem imbecilliorem habuiſſe. Credibilius fortaſſe eſt, id ſimul ponderi, & incurſui ſanguinis e corde exeuntis deberi, ſicut arteriæ poſitus videtur indicare, quæ ut ab ortu ſe inclinare ad poſteriora continuo incipit, ſic partem illam ſuam & ponderi ſanguinis ſubjicit, & incurſui objicit. Scire quoque fortaſſe aves, cur, rupta arteria, non illico mulier hæc quoque ſit mortua. Credo, quia foramen a primo vel minus fuerit quam inveni, docente id ſanguine, minori quam in aliis, copia effuſo: quanquam minori copia effuſus, lenteque fuit ob vires etiam ſiniſtri cordis ventriculi, æquo olim quidem cum Aortam diſtenderunt, majores, tempore autem noviſſimo a vitiis omnibus Aortæ ipſius diu, valdeque reſiſtentibus, ita infractis, ut magna ejuſdem ventriculi dilatatio oſtendit. Qui lentus ſanguinis delapſus leviſſimo, quemadmodum pulſus ſignificabat, cordis motui omnino congruens, num id effecerit, ut idem ſanguis, quod nuſquam in toto reliquo apparuit corpore, in pericardio concreverit, an potius aqua in hoc fortaſſe ob cordis vitium antea morbida, an aliqua etiam cauſa alia, quæ me nunc fugiat, id præſtare potuerit, in medio relinquo.

25. De cordis autem aneuryſmate, & quod ipſum denique, nec raro, ſubiti interitus cauſa ſit, aliis Epiſtolis tum ſcripſimus, tum ſcribemus. Reliquum eſt, ut de ſenſu illo, ultimis diebus moleſto, quaſi concidentium coſtarum, aliquid ſubjiciamus. Priſcus Auctor libri *de veteri Medicina* (*e*), prandio omiſſo ab iis quibus eſſe uſui conſueverit, *viſcera pendere ipſis videri*, ſcripſit. Quod totidem verbis traditum fuerat libro *de Victus Ratione in Morbis Acutis* (*f*) ea quidem in parte quæ, Galeni (*g*) teſtimonio, *germaniſſima* Hippocratis *habetur*; neque aliter Plinii tempore cenſebatur, non ſcripturi alioquin (*h*) *unum laudibus ptiſanæ* volumen *dicaviſſe Hippocratem*; his enim verbis eandem quam Galenus partem deſignaſſe, extra dubitationem eſt, ſive plura attendit verba quæ de ptiſana hic fiunt, ſive hunc librum in codice legit in quo inſcriptus eſſet *De Ptiſana*, quomodo inſcriptum Galenus (*i*) vidit, & Cælius Aurelianus (*k*) citavit: quorum oblitus videri poteſt Duretus (*l*) Vir cæteroquin doctiſſimus, cum hanc inſcriptionem *a Plinio inductam* fuiſſe, credidit, cujus auctoritatem potius, quam græcorum, qui in manibus erant, codicum, neutrum illorum hac in re ſecutum arbitror, qui in nulla, quod ſciam, Plinium memoraverint. Hunc autem ipſum illa quæ protulimus, Hippocratis verba ſpectaſſe cenſet Dalechampius (*m*), cum alio videlicet loco (*n*) ſcripſit, *Hippocratem tradere, non prandentium exta celerius ſeneſcere*; hoc enim verbum ſic interpretatur, *dolore præcordia torqueri, veluti ſuſpenſis viſceribus*. Neque alia Thevartii ſententia eſt in Adnotationibus ad quoddam Ballonii Conſilium (*o*); niſi quod pro *ſeneſcere* cenſet *pendere & ſuccreſcere* eſſe legendum. Quid ſi huc ibi non reſpexiſſet Plinius? ſed ad locum ex libro II. *de Diæta* (*p*), ubi ſcriptum eſt: *ſemel in die cibum capere attenuare, & ſiccare, ... prandium* autem *contraria facere*, ſicque in Plinio reſcribendum eſſet *ſiceſcere*? Quid, ſi fere nulla mutatione *ſaneſcere*? ſpectante videlicet Plinio alium aliquem Hippocratis locum, quem omitto quærere, cum ſententia Plinii, ob hujus verborum in eo capite depravationem, minus mihi quidem perſpicua, & certa videatur. Sententia autem Hippocratis in illo priore loco minime videtur obſcura; tametſi aliud alii Interpretes voluiſſe, exiſtimaverint. Franciſcus enim Valleſius (*q*), *videntur*, inquit, *eis ſuſpendi viſcera, videntur ſcilicet ſurſum contracta, quia vaſis inanitis, velut convelluntur*. Alii contra intelligunt, videri viſcera ita ſuſpendi, non ut ſurſum, imo ut deorſum trahi ſentiantur, quo pondus videlicet, ſi ſuſpenſa eſſent, ipſa raperet, non ſecus ac fulcro quodam ſubtracto; id autem fulcrum antea fuiſſe ventriculum, cum cibo tumeret. Atque huc Dureti (*r*) pertinet interpretatio, quam legiſſe Ballonium (*ſ*), non dubito, iiſdem verbis idem tradentem. Hunc Thevartius in Adnotationibus non modo ſequitur, ſed & eam interpretationem alio Hippocratis (*t*) confirmat loco, in coſtarum fractura docentis, *moderatam ventris repletionem, coſtarum fieri directionem; verum vacuationem pendentes coſtas facere, & hanc dependentiam dolorem inducere*. Quem locum explicans Galenus (*u*) adeo non dubitat, *quin ventris tumor firmamentum*, ſive, ut mox loquitur, *ſedes ac ſuſtentaculum coſtis efficiatur*, ut affirmet, *qui majores ventres habent, iis ſi coſta frangatur, minori dolore vexari conſueviſſe; quibus vero graciles & contracti ventres ſunt, gravius dolere; cum infirmatas, ac ſuſpenſas coſtas ſentiant*. Sed facilius eſt, inquis, hoc intelligere, quo videlicet modo tumens venter coſtas, quam illud, quomodo tumens ventriculus viſcera ſuffulciat ſibi impoſita. Nam ut tumens fundum non deorſum, ſed antrorſum obvertat, ſuffulcire lienem, & ſiniſteriorem jecinoris partem poterit; dexteriorem tamen, quæ multo eſt gravior, non poterit. Tu vero huc adde, ajunt aliqui, ſubjecta huic parti, ipſique ventriculo inteſtina, & præſertim Colon; ſic intelliges, ut repleta hæc, eorumque vaſa tum jecur, tum ventriculum quoque ſuſtineant. Quibus ſi reſpondeas, non hoc te quærere eo tempore cum inteſtina, & eorum vaſa repleta ſunt, ſed cum ventriculus tantum; neque enim illum ſenſum quaſi pendentium viſcerum tunc demum tolli poſtquam ingeſta ad inteſtina, & Colon potiſſimum, atque eorum vaſa pervenerunt, & hæc impleverunt; ſed multo antea; iidem vero totam rem proponere diſtinctius ſcient, & ventriculo, primaque inteſtinorum parte impleta, quid huc faciant muſculi abdominis, perſpicue oſtendere, & fortaſſe etiam quid is vigor, quam, vix aſſumptis refocillantibus alimentis, in totum corpus diduci, percipimus, quid, inquam, is faciat in fulcris de quibus diximus, contendendis, & quadantenus attollendis. Satis ſuperque jam dictum puto, ut unde concidentium coſtarum ſenſus in ea muliere eſſet, intelligas, cujus vires, & ciborum appetitus ita languerent, ut Magnæ arteriæ, & cordis vitia illuc denique progreſſa quo oſtendimus, requirebant. Huc inſuper illud accedebat, quod in diſſectione animadverſum eſt; ut laxiſſimum cerebrum ſileam; diaphrag-

ma

(*a*) n. 5. 15. 17. 19. (*b*) n. 21. (*c*) n. 17. (*d*) n. 13. (*e*) n. 19. (*f*) n. 16.
(*g*) in l. 3. Epid. Comm. 2. in princip. (*h*) Nat. Hiſt. l. 18. c. 7. (*i*) in l. de Rat. Vict. in Acut. Comm. 1. t. 18.
(*k*) Acut. Paſſ. l. 1. c. 12. (*l*) Comm. in modo cit. Hipp. l. Shol. ad titul. (*m*) in Annot. ad cap. mox citand.
(*n*) l. 28. c. 5. (*o*) l. 2. 16. (*p*) n. 25. (*q*) Comm. in Hipp. l. de rat. Vict. in Acut. (*r*) in Schol. ad ea verba.
(*ſ*) Conſil. cit. 16. (*t*) De Artic. n. 51. (*u*) in eum Hipp. l. Comm. 3 ad t. 56.

ma priuſquam thorax attingeretur, utrinque, non aſcendere, ſed concidere: quod ſi extremis illis diebus aliquatenus jam fieri inceperat, ob vim ſe reſtituendi in illius muſculis infirmatam; facile vides, eas diaphragmatis partes unde jecur per dexterum, ſiniſtrumque vinculum, & lien quoque per ſuum ſuſpenduntur, horum viſcerum pondere trahi deorſum, ſimulque coſtas, quippe diaphragmati annexas, hoc ſequi debuiſſe.

26. Cæterum in caſus iis ſimiles qui a nobis ſupra deſcripti ſunt, antea quoque alios incidiſſe, ex parte ſcimus, ex parte autem ſuſpicamur. Boſchium ſcimus *bis* vidiſſe; ſic enim lege in Sectione VIII. libri II. Sepulchreti (*x*), id obſervatum ab illo *bis in cordis palpitatione laborantibus*, qui *aortæ arteriæ tunicis dilatatis*, *veluti a ſubitanea morte correpti ſunt*, *quia ſanguis ſpirituoſus velut præceps*, *in tunicam hanc*, *pericardium dictam*, irruerat, unde cor dilatari non poterat. Suſpicamur autem, cum in Sectione hac XI. (*y*) legimus, ab *ira repente mortuum*, *pericardium ſanguine repletum* oſtendiſſe: *inventos* autem *eſſe duos abſceſſus in trunco arteriæ aortæ prope cor*, *unde ſanguis exierat*. Certe credibilius eſt, aneuryſmata duo modica fuiſſe, polypoſis concretionibus farcta, quæ, non inſpecta intus Aorta, accepta ſint pro *crudis*, *& ſanguineis*, *ſive inflammatoriis abſceſſibus nondum ſuppuratis*: quales rumpi ab ira, & rupti tantum ſanguinis ſubito effundere non potuiſſent: quanquam vel ſpectata intus, extraque his noſtris temporibus arteria Magna, & exeſa ita, ut ſæpe vidimus, prope cor utrinque inventa, unde ſanguis in pericardium repente irruperat, tum hæc irruptio pro inſolito caſu, tum illa exeſio pro Aortæ abſceſſu, melius tamen intellecto, explicatoque, propoſita ſunt. Verum ut ad ſuſpiciones redeamus; hiſtoriam forte legeris hominis *maxime obeſi*, qui *conquerebatur de palpitatione*, *& dolore cordis*, *cum pulſu inæquali*, *& quandoque deficiente*: cujus poſt obitum, qui, *dum alvum exoneraret*, *repente* contigit, *pericardium inventum eſt plenum ſanguinis concreti*, *coloris nigerrimi*, *& fœdi odoris*; *in parte* autem *ſuperiori ita conformatum apparuit*, *ut renes ſuccenturiatos in ſubſtantia repræſentaret*. Equidem haud inficias iverim, tumores pericardio innaſci, qui intra hoc diſrumpi queant, fateorque, cum hujuſmodi re congruere odoris fœditatem; ſed hoc tamen ajo, ſi in eum caſum vir aliquis magis Rei Anatomicæ ſtudioſus incidiſſet, quæſiturum fuiſſe, unde tantum concreti, & nigerrimi ſanguinis, ſine ullo videlicet, quantum judicare oculi poterant, ichoris, aut puris indicio, in pericardium repente extitiſſet, integrave eſſent Magna vaſa; an quando circa hæc; ſic enim ille pericardii ſuperiorem partem intelligebat; ea apparuerat ſubſtantia, num ipſorum aliquod eroſum, aut pertuſum eſſet. Id enim accidere poteſt non Aortæ ſolum de qua hactenus verba fecimus; ſed & Pulmonari venæ, & Cavæ, ut mox dicemus, & arteriæ quoque Pulmonari, a cujus eroſione memorat Cl. Tabarranus (*z*) ſanguinem in pericardium irrumpentem, ſubitam mortem Romæ attuliſſe S. R. E. Cardinali Boncompagno, quem ego Bononiæ olim de pleriſque eorum quæ in modo deſcripta obſervatione legiſti, queri ſolitum, ex meis Præceptoribus, illius Medicis, audiveram. Igitur ab arteria Pulmonari, an a venis illis, an ab ipſa Aorta (nam & eum qui ab hac prodierat, ſanguinem haud coccineum, ſed nigrum offendimus (*a*)) ſanguis exierit, non minus in deſcripta obſervatione in medio relinquimus, quam in alia quæ apud Ramazzinum legitur (*b*), de *viro ſexagenario*, *præpinguis habitus*, ex cujus, *ſubita morte extincti*, *pericardio fere duæ libræ concreti ſanguinis extractæ ſunt*, aut in illa demum quæ in hac Sepulchreti Sectione (*c*) extat de milite, *ſubito poſt longum mœrorem mortuo*, qui, *viſceribus reliquis ſalvis*, *habuit in pericardio non aquam modo*, *ſed & copioſum ſanguinem concretum*. Ubi etſi in Scholio quoque inculcatum videbis, obrutum, oppreſſumque cor fuiſſe *tum ab aquæ copia*, *tum a ſanguine*; minime tamen neceſſe eſt, aliam aquam fuiſſe, credas, quam ſerum a concreta ſanguinis parte reliqua, uberiore, ut non raro fit, copia ſeparatum. In his igitur hiſtoriis illud certum eſt, ſanguinem ex majori, vel ſaltem mediocri vaſe aliquo, nec perexili, ſi præſertim id vena fuit, foramine pertuſo, in pericardium erupiſſe; e vaſe enim exiguo, aut per tenuius foramen, & lente defluens, ut tardius ad eam copiam exiiſſet, ſic mortem adeo ſubitam non attuliſſet. Quo autem ex vaſe eruperit, incertum eſt propter eorum qui profectoris vice fungebantur, aut imperitiam, aut negligentiam. Sanguine enim exempto, elutoque, illiuſmodi foramen latere non poterat, ſive id in ventriculis, auriculiſve cordis eſſet, quæ hic vaſorum nomine comprehendemus, ſive in vaſis illis cæteris proprie dictis, non maximis modo, ſed & mediocribus, qualia, præſertim ad baſim cordis, ſunt Coronaria; ſanguinem enim quo pericardium diſtentum erat in Matrona (*d*), itemque in Milite (*e*), repentina morte ſublatis, e rupta Coronaria arteria profluxiſſe, perſpectum eſt. Quod ſi foramen nihilominus oculos vel periti, attentique hominis fugiſſet; aer illud, aut aqua per venas cor verſus, & in cor, & ex corde in arterias, extra pericardium vinculo conſtrictas, juſta copia injecta, facillime retexiſſet.
Poſt mortem autem non ſubitam, de qua hic minime ſermo eſt, ſi intra pericardium ſanguis reperiatur, hunc ex tenuiſſimis vaſculis, meatibuſve ſenſim deſtillaſſe, credito, ut puta in duabus Cl. Laubii Obſervationibus (*f*), præſertim cum in earum prima apparuerit quaſi exeſa cordis ſuperficies. Idemque credito de aliis quas cum iis convenire invenies, ex pluribus quas præterea indicat Vir Doctiſſimus Senacius (*g*). Quas autem inter eas commemorat poſt repentinam mortem habitas, eas vero non facile putato ſine prægreſſa exeſione, aut ruptione magni alicujus, aut mediocris alvei ſanguinis haberi potuiſſe; exempli cauſa, ut in duabus diſerte refert, Aortæ, aut unius ex venis Pulmonaribus. Cæterum ſæpius contingit ruptio, ſi in arteriis, in Magna; ſi in venis, in Cava: in illa ob eas fere cauſas, propter quas alibi (*h*) in ipſa potius, quam in Pulmonari arteria, fieri aneuryſmata, ſcripſimus; in Cava autem vena ob eas cauſas, quas continuo attingemus. In Corde enim cur interdum id accidat, videbimus Epiſtola proxima.

27. Etſi omnis ſanguis ut per venam Cavam, ſic etiam per Pulmonarem tranſeat, neceſſe eſt; plura tamen ſunt quæ difficiliorem ejus tranſitum per illam facere, quam per hanc, poſſint. Primum oppoſiti, adverſique, ferme inter ſe alvei Superioris Cavæ, & Inferioris, ut ad aſcenſus hinc difficultatem, illinc deſuper ruentis ſanguinis pondus, & incurſus accedant. Deinde crudi adhuc, craſſioreſque ſucci, & necdum permiſti, effœtum Cavæ ſanguinem onerantes. Denique obices qui aut morborum, aut affectuum animi vi, aut quamcunque aliam ob cauſam expedito per venam Cavam ſanguinis motui plurimi ſe poſſunt objicere, quippe non in dexteris tantum cordis caveis, ſed & in Pulmonari arteria, & pulmonibus, & vena ipſa Pulmonari, & ſiniſtris cordis caveis, & arteria Magna. Contra Pulmonaris venæ caudex, ſeu mavis Saccus ſimplex eſt, compulſumque agitatione pulmonum ſanguinem excipit, & hunc vividum, comminutum, ac miſtum, neque hujus per ſe motui alia oppoſita habere poteſt obſtacula præter ea quæ poſt pulmones communia eſſe poſſe, diximus, etiam ſanguini per venam Cavam fluxuro. Quæ cum ita ſint, cumque nihilominus dilatationis Pulmonaris venæ, imo ejus etiam ruptionis minime deſint exempla (*i*); nam ut illud quod ex Paræo eſt, ſeponas (*k*); a Bellino (*l*) aliquando in repente mortuis *inventa eſt vena Pulmonaris ab auricula ſiniſtra divulſa*, quod

(*x*) Obſ. 26. §. 1. (*y*) Obſ. 8. (*z*) Obſ. Anat. n. 8. (*a*) ſupra, n. 21. (*b*) Conſt. Epid. Urb. A. 1691.
(*c*) Obſ. 14. (*d*) Commerc. Litter. A. 1732. Hebd. 41. n. 4. (*e*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 37.
(*f*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 15. & Act. eorund. Tom. 2. Obſ. 107. (*g*) Traité du Coeur l. 4. ch. 5. n. 3.
(*h*) Epiſt. 18. n. 24. (*i*) Epiſt. 24. n. 36. (*k*) Ibid. (*l*) De Morb. Pect.

quod Monſpelii vidit etiam Franciſcus Queye (*m*); tanto facilius tum dilatatio, tum ruptio accidet in vena Cava, quanto plures cauſas eſſe, oſtendimus, ob quas ſanguis in hac retardetur, &, quod conſequitur, cumuletur, cumulatus autem fibras tunicarum ejus infirmet, ac diſtrahat, unde urgente ſanguinis copia, primum vena in varicem dilatetur, deinde vero ob tunicarum extenuationem, quæ dilatationem ſequitur, aut etiam ob eroſionem, quæ diſtractioni fere ſuccedit, rumpatur. Sed varices Cavæ, niſi immanes ſint, minus incurrunt in oculos diſſecantis, quam aneuryſmata Aortæ; venæ enim propter tunicarum tenuitatem concidunt ſubtracto ſanguine, quod Cava in ventre inciſa, accidit. Quamobrem cum vitiorum Cavæ ſuſpicio eſt; diſſectionem a thorace incipies: aut ſi forte ſanguis, cadavere ab aliis antea perſpecto, & viſceribus ventris extractis defluxerit; aqua, aut aere quoad ejus ſatis eſt injecto, curabis, ut quæ Cavæ fuerit latitudo, cognoſcas: idque præſertim cum dexteras cordis caveas nimia aut dilatione, aut contractione affectas animadverteris, aut etiam ſiniſtras; hinc enim quoque, uti paulo ante dictum eſt, accidit ut retardato ſanguinis motu, Cava dilatetur: quod prima oſtendet ex Vieuſſenii hiſtoriis, capite XVI. propoſitis Tractatus de Cordis Structura.

28. Num vero hunc, an alium potius hujus venæ morbum indicaverit Aretæus (*n*), cum ſcripſit, *in hac vena* κίδματα *oriri, quando ſanguis copioſus erumpens, citiſſime vitam delet*, quærere prætermitto, cum propter variantes ibi lectiones, ut Petrus Petitus (*o*) malit, *Si rupta vena ſanguinem effuderit*, tum præſertim ob latius patentem vocis illius κίδματα ſignificationem, ex Galeno in Exegeſi ita expoſitæ *veteres ex fluxu affectus*. Illud certius eſt, Aretæum de hujus venæ ruptione loqui, & primum quidem in thorace, ut quæ continuo addit, oſtendunt: quanquam non apparet via per quam ex illa diſrupta ſanguinem in pulmones, Aſperamque, unde effluat, arteriam deducat. Sed quam Aretæus conjecerat venæ Cavæ diſruptionem, Anatome tandem oculis ipſis ſubjecit. Ut mittam exempla in ventre diſruptæ, quo incertus ſum, an attineat caſus quem Donatus (*p*) indicat apud Amatum Luſitanum, cujus in Scriptis necdum inveni; in thorace, atque adeo intra pericardium viderunt Laurentius (*q*), Hacquinetus (*r*), Puerarius (*ſ*), Lanciſius (*t*), alii. Sed omnes; ſi ſecundum excipias, cujus maxime jejuna, quantum Bartholinus retulit, eſt Obſervatio; cum aliis in vicinia morbis conjunctam invenerunt, primus cum Aortæ, & ventriculorum cordis dilatatione, quartus cum Aortæ dumtaxat, tertius cum membraneo quodam carneoque corpore, quod *venarum varicoſarum erat velut tomentum*, corde paulo minus, & hujus auriculis annexum, quo de corpore hæc ultima, aliaque leges in Sectione hac Sepulchreti (*u*), in quam ea hiſtoria cum aliquot ex modo indicatis, clarius aliquanto relata eſt, quam Puerarii verbis Sect. VIII. (*x*) deſcripta fuerat. Me enim minus ibi aſſequi poſſe, fateor, qua ratione hæc intelligam *diſrupta vena cava & effuſo ſanguine in pericardium, & cordis dextrum ventriculum*, quam in Obſervatione Laurentii, ſanguinis circumitionem ignorantis, ob venæ Cavæ *oſtium diſruptum, omneſque illas membranulas tricuſpides laceratas*, lethalem *in* dexterum quoque cordis *ſinum effuſionem ſanguinis factam eſſe*: quam, ut verum loquar cum in ventriculos dumtaxat, eamque ingentem, in pericardium autem non modo nullam memoret, ſed ne ſignificet quidem; ſuſpicor, nec tamen ſatis ſcio, an venæ Cavæ diſruptio acciderit in facie tantummodo interiore. Sed nimirum cordis ventriculi fato quodam negotium ſæpius faceſſunt in deſcriptis venæ diſruptionibus intelligendis. Vide enim Poterium quoque (*y*) repentinæ, quam narrat, mortis cauſam proponentem *diſruptionem venæ in ventriculo cordis*: & quam, aut ubi venam deſignet, mihi, ſi potes; declara. Idem quibuſdam aſthmaticis *venam arterioſam in ſiniſtro cordis ventriculo diſrumpi*, ſcripſit (*z*), vas, ut noſti, quod extra ventriculos eſt, & ad dexterum ſpectat, non ad ſiniſtrum. Certe optandum eſt id quod factum credo in Argentoratenſi Diſſertatione, quam necdum, niſi recenſitam (*a*), vidi, dilatati Sacci venæ Cavæ ruptionem proponente; optandum eſt, inquam, ut Lanciſii diligentiam, & perſpicuitatem non in iis modo quæ mortem præceſſerint, ſed & in iis quæ in cadavere ſe obtulerint, perſcribendis æmulentur illi qui in venæ Cavæ diſruptiones poſthac inciderint, præſertim quæ ſint ab aliis morbis ſejunctæ. A quibus utinam ſejuncta fuiſſet alterius inſignis venæ ruptio, quæ quoniam intra thoracem contigit, & inopinatam mortem attulit, minime eſt hoc loco a nobis prætermittenda, quibuſcum raram hanc ſuam Obſervationem communicavit A. 1718. Medicus Doctiſſimus, noſtrique amiciſſimus Heraclitus Manfredius.

29. MULIER quæ a longo jam tempore & credita fuerat, & erat phthiſica, improviſo mortua reperta eſt. THORACIS cavum ſiniſtrum, pulmonis lobum inferiorem morboſum exhibuit, quippe tria, quatuorve tubercula, puris plena, continentem. In cavo autem dextero pulmo quidem ſanus, at ſimul ſanguis erat concretus, ad libras quatuor. Effuſus fuerat a trunco venæ ſine pari: qui etſi ab ea effuſione conciderat, tamen ob immanem diſtentionem, tantum retinuerat latitudinis, ut facile poſſet cum vena Cava comparari. Hæc dilatatio ad palmum circiter in longitudinem ſe extendebat. Circa medium autem ejus longitudinis, patebat foramen, ellipſis forma. Per hoc ſanguis ſe ſe effuderat.

30. Nunc a venarum varicibus ad Magnæ arteriæ aneuryſmata redeamus, non rupta illa quidem; de iis enim jam ſatis vidimus; ſed repentinum tamen interitum afferentia. Quorum exempla hæc tria accipe, a me obſervata.

31. MATERFAMILIAS duos & quadraginta annos nata, diu valetudinaria, diuque obnoxia vixerat paroxyſmo cuidam ad hunc modum ſe habenti. A concitatis corporis motibus ingruebat moleſtus quidam angor intra ſuperiorem thoracis ſiniſtram partem, cum ſpirandi difficultate, & ſiniſtri brachii ſtupore: quæ omnia ubi motus illi ceſſarent, facile remittebant. Ea igitur mulier cum circa medium Octobrem A. 1707. Venetiis in continentem trajecta, rheda veheretur, lætoque eſſet animo, ecce tibi ille idem paroxyſmus: quo correpta, & mori ſe, ajens, ibi repente mortua eſt. CADAVER in urbem vectum, cum poſtridie a nobis inſpiceretur, ſublivida facie, cætera colore, & habitu omnino bono, ſuperioribus tamen partibus nonnihil ſtrigoſum viſum eſt. Cum autem ob ea quæ paulo ante narrata ſunt, mihi aneuryſmatis ſuſpicio eſſet ad arcum Magnæ arteriæ, a Thorace incepta diſſectio eſt. In hoc pari utrinque copia, nec illa exigua, effuſum erat ſerum per ſe cruentum; animadverſum enim fuerat, nihil ſanguinis in pectoris inciſione illuc excidiſſe. Sani pulmones, niſi quod diſſecti, ut poſtea vidimus, nimio redundabant ſpumoſo ſero. Cor potius magnum, & durum valde, ac robuſtum. Aorta ad curvaturam non parum dilatata, juſta alibi in trunco, ramiſque majoribus latitudine. Sed intus, ubicunque incideres, hic illic inæqualis, nec ſine oſſeis perfectis ſquamulis, nedum crebris inchoatarum indiciis. Quæ cum videremus; univerſum truncum, majoreſque ramos aperuimus: in illoque ab ipſa origine pone Semilunares valvulas, quæ duræ hic illic erant, & cum futuri oſſis initiis ad Iliacas uſque arterias deſcripta vitia animadvertimus. Per has tamen, perque alias, etiam ſuperiores, ac nominatim Subclaviam ſiniſtram, minime propagabantur, ſi primam excipias alterius

(*m*) Diſput. de Syncope c. 3. Propoſ. 2. (*n*) De cauſ. & ſign. morb. Acut. l. 2. c. 8. (*o*) Comment. ad hunc loc.
(*p*) De Med. Hiſt. Mir. l. 4. c. 9. (*q*) Hiſt. Anat. hum. corp. l. 9. qu. 18. (*r*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 1. Obſ. 101.
(*ſ*) Ad Burnet. Theſ. Med. l. 3. S. 58. in fin. (*t*) De Subit. Mort. Obſ. Phyſ. Anat. 5. (*u*) Obſ. 1. §. 1. (*x*) Obſ. 30.
(*y*) Inſign. Curat. & Obſ. Cent. 3. c. 60. (*z*) Ibid. c. 22. (*a*) Commerc. Litter. A. 1731. Specim. 47.

terius illius arteriæ partem, quæ Carotidi, & Subclaviæ dexteris originem præbet. Hinc oculos ad cor referentes, & ad cætera quæ ipſi annexa ſunt, vaſa, nihil uſquam conſpeximus vitii, niſi quod Pulmonaris venæ caudex paulo viſus eſt æquo major. In hoc, & in adjecto ventriculo ſanguis erat paucus, iſque, ut aliis omnibus in locis, niger, & omnino fluidus. Sed in Pulmonaris arteriæ trunco non paucus; quanquam in ventriculo dextero, ejuſque auricula nullus, facile quia per venam Cavam, paulo ante infra jecur inciſam, defluxerant. Ventris autem viſcera inſpicientes, ſic obſervavimus. Tenuia inteſtina pleraque ex ſublivido nonnihil rubentia. Ventriculus quaſi duplex ob pylori antrum, quadantenus a parte reliqua per conſtrictionem quandam diviſum; cætera ſanus. Jecur ſiniſtrorſum valde extenſum, in crepidine autem dextera, & huic continuato lobo ad ſpatium aliquod intus, extraque, magis ſaturo colore, & durius. Durius quoque pancreas, & a reſtitante ſanguine ex rubro nigricans qua parte ad lienem accedebat. Hic autem laxus, ut poſſet facile diſrumpi. Strigoſi teſtes. Uteri oculum dilatatum, & ſubſidens: fundus autem ſupremus eodem exterius quo Tenuia inteſtina diximus, colore infectus; nec ſine quodam gravi odore. Erat autem in ventris pelvi ejuſmodi ſerum, quale in thorace; ſed paucum. Cætera nihil adnotatione dignum habuere.

Caput non attigimus; jam enim multa nox erat, & mulier inter loquendum, ut dictum eſt, mortua.

32. Etſi in Sectione hac Sepulchreti Obſervationem legeris XXXV. cui præfixus hic titulus: *Mors ſubita in quodam, cui ventriculus vinculo quaſi ſtrictus videbatur*; tamen, ſi res, ut puto, ſimilis ejus fuerit quæ a me paulo ante propoſita eſt, ab ipſo ortu potius eſt quam ab adventitio morbo, repetenda, neque cum arctis illis quæ in Volvulo interdum occurrerunt, Tenuis inteſtini coarctationibus facile comparanda, multoque minus quaſi improviſi obitus cauſa accuſanda. Illa ſane fœmina in qua tibi alias (*b*) ejuſdemmodi ventriculum deſcripſi, paulatim lento morbo confecta eſt: nec repente alii obierunt in quibus alio fortaſſe loco (*c*) deſcribam. Hic vero ſatis cauſarum in Aortæ vitiis habemus. Primum inæqualis interna facies minus facilem reddit ſanguinis motum. Deinde oſſeæ in tunicis ſquamulæ, & crebra hic illic earum initia minus aptam arteriam faciunt ut ſanguini impulſo cedat extrorſum, eumque admittat, & mox ut ſe prompte reſtituendo contrahendoque eundem promoveat. Denique his addita ad curvaturam dilatatio tum remorando ſanguinem, tum minus propellendo quantum noceat, eſt a nobis, ut cætera illa, non ſemel expoſitum, ut non ſit fuſius iterandum. His ita poſitis ſi accedat concitatior, quacunque de cauſa, corporis, & quod conſequitur, ſanguinis motus; vides certe, eſſe imparem Aortam ei operi & magis, & celerius efficiendo, cui antea vix par erat. Acervabitur igitur uberior interea convecta per venas copia ſanguinis, reſtitanſque in Aorta ipſa, in corde & pulmonum vaſis, & vena Cava, non ea modo quæ in vivente hac muliere fiebant, angorem, ſpirandi difficultatem, ſtuporem brachii, aut quæ in mortua ſunt obſervata, dilatationem videlicet aliquam caudicis venæ Pulmonaris, & nimiam ſeri in bronchia, & thoracis caveas effuſionem, non modo, inquam, ea facere poterit, ſed pro partium diſpoſitione plura etiam, atque graviora. Quoniam autem illa omnia Aortæ vitia ſenſim quidem, ſed magis, magiſque in dies augebantur; non mirandum eſt, ſi eo demum pervenerint aucta ſimul fortaſſe aut copia, aut turgentia, aut certe ob inſolitum in Veneta fœmina rhedæ motum, ſanguinis concitatione, ut hic reſtitans, promoveri amplius non potuerit. Quod ſi hæc te forte univerſa non movent, quorum uno, oſſeis videlicet in Aorta ſquamulis, Vir Ingenioſiſſimus, quocum eam mulierem ſecui, Santorinus permovebatur, ut in extrema hac Epiſtola (*d*) oſtendam; ſed ſi te forte non movent aut quia oppletam reſtitante ſanguine Aortam, & ſiniſtrum cordis ventriculum non invenimus, aut quia ſtuporem illum brachii melius quam per diſtractionem diſtentæ Aortæ ad Subclaviam ſiniſtram, adſitoſque huic nervos propagatam, melius, inquam, per convulſionem quandam qua meninges circa origines eorum conſtringerentur, intelligere te poſſe, credis; tantum abeſt ut reponere quidquam velim; hortabor te potius, ut ſi convulſionem addere huc volueris; in corde potiſſimum agnoſcas. Fuerit hoc ſane a natura robuſtius cum Aorta comparatum, eamque propterea ſecundum Lanciſii (*e*) dogmata labefactaverit; cur, quæſo, poſt tot conatus in diu ſupplendis iis ipſis, quas infirmaverat, Aortæ viribus, non robuſtum modo, verum etiam prædurum invenimus? Relege ſis quæ de Viro quodam ſcripſimus Epiſtola ſuperiore (*f*). Multo autem facilius in fœminis, valetudinariis præſertim, viſcerum convulſio oritur; ut eam liceat cæteris tum paroxyſmorum, tum obitus cauſis accenſere ſic tamen, ut neque harum obliviſcamur quæ in viſceribus, vaſiſve præcipuis manifeſto occurrant, neque illam, niſi cum ejus quoque in viventibus, aut mortuis indicia ſunt, ad cæteras, uti plures faciunt, addendam putemus. Quod num faciendum in Sene fuerit, cujus protinus hiſtoriam proferam, ipſe exiſtimabis.

33. SENEX erat annorum, ut videbatur, ad ſexaginta, qui ante tres menſes in hoc fuerat Noſocomio, querens de ſpirandi difficultate, & materiam exſpuens illaudabilem. Is cum in agro nuper fuiſſet circiter Idus Martias A. 1742. ventumque frigidum excepiſſet, domum reverſus, noctu gravi correptus eſt reſpirationis difficultate. Itaque mane in idem Noſocomium adductus, poſtquam ad ignem tantiſper aſſediſſet, dum lectulum calefacerent, vix in eo ſe collocaverat, cum ibi repente mortuus eſt. Studioſa Juventus poſtridie a me petiit, ut vellem ejuſmodi obitus cauſam inquirere. Cum annuiſſem, juſſi interea dum venirem, cranium circumſecari.

CADAVERE inſpecto, cujus bonus erat habitus, nullo uſquam ſe oſtendente tumore, niſi quod facies ſubtumida erat, & ſubrubens, ſanguine autem ſimul ſpectato qui ad unam propemodum libram paulatim prodierat e cranio circumſecto, etſi non negavi, poſſe fieri, ut mortis cauſa intra cranium lateret; tamen oſtendi, videri mihi in thorace potius eſſe quærendam, cum hunc Senem ſpirandi difficultate laboraſſe, conſtaret; ullo autem affectu capitis, non conſtaret: in quo licet multum ſanguinis in iis reſtitet qui thoracis vitio ſuffocantur, ut vel ex facie horum livida, & tumente intelligitur; non propterea mortis cauſa princeps extra thoracem poſita eſt. Thorace igitur ſtatim inciſo, ſternoque ſublato, pulmones apparuerunt adeo turgidi, ut omnia implerent, molles tamen, & colore ex albo cinereo, & leves, ſicuti ipſis cum cæteris quæ in thorace ſunt, exemptis, poſtmodum percepimus. Nam dexter fuit antea a pleura ſolvendus, ad quam arcte, ſuperiore præſertim, & poſteriore etiam facie, adhærebat. Erat in utroque thoracis cavo aqua non pauca, nec turbida, ſed urinæ colore, qualis & in pericardio fuit plus aliquanto quam ſoleat in pleriſque. In cordis ventriculo dextero nigerrimum, & ferme fluidum, ut paſſim alibi, ſanguinem deprehendi, vix ut grumi aliqui non bene concreti, & levia, ac parva apparerent polypoſarum concretionum initia. In eo ventriculo, ejuſque auricula nihil animadvertere potui præter naturam, ſi valvulas excipias Pulmonaris arteriæ orificio præfectas, quæ paulo craſſiores ſunt viſæ, quam æquum eſſet. Sed cum auricula ſiniſtra, adſituſque Pulmonaris venæ caudex recte ſe haberent; proximus ipſis ventriculus, quamvis parietum craſſitudine ſolita, viſus eſt latior, & Mitrales valvulæ duræ, & craſſæ, Semilunares autem ſummo omnes limbo erant duro, albo, & quod præcipuum eſt, craſſiore adeo facto, ut Bono-

(*b*) Epiſt. 16. n. 38. (*c*) Epiſt. 30. n. 8. & Epiſt. 36. n. 2. (*d*) n. 36. 37. (*e*) De Mot. Cord. Propoſ. 33.
(*f*) n. 13.

nienſis unciæ (*g*) lineam æquaret unam & ſemis.

Porro arteriæ Magnæ truncus multum dilatatus ab iis valvulis ad vaſa uſque ſuperiora, ab his autem ulterius, quamvis minus, dilatatus tamen, parietibus inſuper a corde illuc uſque craſſioribus, & durioribus, facie autem interna paſſim, præſertim vero ubi major erat dilatatio, inæquali, nec ſine albis, ſubflaviſve initiis creberrimis futuri oſſis.

Tum pulmones diligentius ſcrutanti nihilo plus quam antea, mihi licuit deprehendere, niſi partem eorum quandam ubi ſubduri videbantur: quæ tamen inciſa naturalem conſtitutionem oſtendit, & humorem album quidem, & ſpumoſum, ſed non alium neque uberiorem, quam ex aliis eorum partibus exprimeres; ex omnibus autem exprimebatur omnino paucus. Cranii denique; nam Ventrem non ſecuimus; avulſo fornice, & mox ſecta Dura meninge, cujus proceſſus Falcatus viſus eſt craſſior, & durior, nihil extra, aut intra cerebrum, & cerebellum, quorum firma erat ſubſtantia, repertum eſt quod adnotares, niſi aqua in Lateralibus ventriculis non pauciſſima, ejus ſimilis quæ in thorace deſcripta eſt, plexus autem Choroides nonnihil decolores; ut manifeſtum eſſet, ſanguinem, qui, ſecto cranio, defluxerat, ex læſis a ferra meningum vaſis cum aqua fortaſſe quæ intra eas eſſet, prodiiſſe.

34. Quid inæqualitas Aortæ interior, quid ejus tunicarum durities, quid dilatatio demum poſſint impedimenti afferre ſanguinis motui, ſatis in iis quæ ſuperiori hiſtoriæ ſubjecimus, commemoratum eſt. His, quæ in Sene quoque fuerunt, adde aliquam ſiniſtri cordis ventriculi dilatationem, adde Sigmoidum, & Mitralium valvularum craſſitudinem, atque duritiem, adde in primis Semilunarium limbos tanto craſſiores, quam æquum erat, & duriores, quæ res, ſiquæ aliæ, motum cordis, ſanguiniſque perturbat, dum huic aut exituro ſe opponunt, motumque a corde acceptum infringunt, aut relabenti, minus prompte explicatæ, non ſatis ſe objiciunt; nec facile plura deſiderabis, ut intelligas, qui fieret, ut retardato per Aortam, ſiniſtrumque ventriculum ſanguinis motu, is in pulmonibus ſubſiſtens, ſpirandi afferret difficultatem, aut qui denique factum ſit, ut vitiis illis in dies creſcentibus, eo demum res proceſſerit, ut ſanguis, præſertim auctus ea humoris copia, quæ, niſi frigidus ventus obſtitiſſet, per inviſibilia corporis foramina erat exitura, promoveri amplius non potuerit. Nec te illud in hac, aut ſuperiore Obſervatione plurimum moveat, quod non iis in partibus accumulatum invenerimus ſanguinem in quibus retardatum eſſe, diximus. Nihil enim facilius accidit, quam ut, dum cadavera in omnem partem verſantur, & in transferendo, per ſcalas potiſſimum, modo in pedes, modo in caput inclinantur, ſanguis, fluidus præſertim, ut in his erat, magna ex parte locum mutet: idemque fiat, dum viſcera eximuntur, neceſſe eſt, quin etiam, ut tunc per jam inciſa, & poſtmodum per ea quæ in proximis partibus vaſa inciduntur, ſanguis defluat. Quod ſi nihilominus velis tribuere aliquid aquæ etiam illi quæ in cerebri ventriculis conſpecta eſt, & quidpiam comminiſci unde nervi, cordi, & pulmonibus inſervientes, repentini obitus cauſas adauxerint, ſicque etiam pulmonum turgentium illum tumorem explicare, quaſi aerem extrudere non potuerint; haud magnopere adverſabor. Sed paralytici aliquid, an convulſivi potius in eo excogitabis quem tibi continuo deſcribemus?

35. VIR honeſtus, necdum annos ſexaginta natus, lue olim venerea affectus, ut rheumatici, quibus torquebatur, dolores illi etiam cauſæ magna ex parte adſcriberentur, poſtquam hos ante quatuordecim, aut quindecim annos per ſudorem, ſolitis lignorum decoctionibus, & laconico evocatum, pervicerat, pinguis poſtea, ſed intra modum, erat factus ventre præſertim, & thorace, non ita cruribus. Hunc familiares animadverterant obnoxium per intervalla eſſe tuſſi, qua nihil expectorabat, item difficultati cuidam ſpirandi, a cibo potiſſimum. Cæterum cum robuſtus eſſet, & egregie valere omnibus videretur, niſi quod non ita pridem Amico dixerat, ſe capite eſſe confuſo; parciſſime cœnatus, levi primum tuſſicula correptus eſt, quæ mox adeo increvit, ut ſpumante jam ore accerſiri juberet Medicum. Sed hic mortuum invenit, oſtendente ad os, nareſque ſe ſpuma, unde poſtea ſanguinolenti etiam humoris quidpiam, ajebant, exiiſſe. Incidit hujus Viri obitus in Maji initium A. 1729. quo menſe, indicatum eſt cum hac Epiſtola (*h*), tum aliis, & ſpeciatim III. (*i*) & IV. (*k*) repente plures in hac Urbe, ejuſque Agro interiiſſe: quorum ſi diſſectiones inter ſe contuleris; plane intelliges, quamvis inopinata omnes morte, alium tamen alia cauſa ereptos eſſe, velut hunc, cujus thoracis, & capitis interiora cum meis Collegis Profeſſoribus Primariis hora ab interitu circiter trigeſima inſpiciens, ſic obſervavi. THORACIS, cujus latera ex ſubrubro livebant, pinguedinem, dum incidi cœpiſſet, non paucam adnotantes, eo mox aperto, non paucam in mediaſtino quoque conſpeximus. Pulmones intus, extraque fuſci, molles tamen, ambo cum pleura anterius nexi, ſiniſter autem undique, humidiores intus, neque nimis tamen, reperti ſunt, ut neque eſſent adeo graves, neque ex Aſpera arteria ſpumam, aut quidquam emitterent. In Thoracis utraque cavea, & in pericardio multo plus humoris, quam plerumque ſolitum ſit, ejuſque per ſe, non a ſanguine qui inter ſecandum incidiſſet, ſubcruenti. Cor, ejuſque auriculæ non modo nihil polypoſi, quod in hoc cadavere nuſquam vidi, ſed nihil ferme ſanguinis continebant. Cum hic, & in valvulis, & in Magnis, præter Aortam, vaſis, quæ aperiri ſingula jubebam, quanta maxima poteram attentione uſus, quidpiam deprehendere non poſſem quod eſſet adnotatione dignum; denique in Aorta ſubſtiti. Nam primum a corde ad curvaturam uſque viſa latior eſt. Tum albis maculis hic illic interiore facie diſtincta. Eadem præterea facie tota quaſi inæqualis. Et, quod mihi præcipuum viſum eſt, colore ex atro rubens, ut ſi inflammatione quadam eſſet affecta. Albæ maculæ extra dilatatum arteriæ tractum non apparebant. Cætera autem illa & per curvaturam, & qua ſecundum vertebras arteria deſcendit, pergebant, minus tamen, quam in primo illo tractu. Sic etiam cum per eum ramum ſe producerent, qui a dextris Subclaviam, & Carotidem arterias emittit, quanto ille magis ab initio diſtabat, tanto illa minus ſe prodebant. Capitis, cujus facies erat livida, ſectione protinus inſtituta, cum cranium recluderetur, nihil effluxit. Vaſa per Tenuem meningem ſanguine tumida; in Lateralibus autem ventriculis ſubcruentam aquam, ſed non multam, adnotavimus. Cæterum Choroidum plexuum color, & quidquid ſive in ventriculis omnibus, ſive in Oblongata medulla, ſive in cerebro, & cerebello, quæ duriora potius erant, quam laxa, diſſecando inquiri ſolet, omnia ſecundum naturam. Ventrem non attigimus.

36. Hunc Virum ſi tuſſi convulſiva ſuffocatum eſſe, dixeris; non modo non repugnabo, cum ſciam, inviſibilem hujus cauſam in nerveo quopiam ganglio latere poſſe; verum inſuper eſſe apud Lanciſium (*l*) exempla convulſivæ tuſſis, quæ repente homines occiderit, admonebo. Non propterea tamen cenſeo, eſſe omnino tibi negligenda quæ adnotavi in arteria Magna. Hic enim Vir tuſſi quidem obnoxius fuerat, ſed non eo cum impetu adorienti, ut proſpici, & prædici poſſet, quemadmodum in Lanciſii exemplis, eſſe aliquando ſuffocaturum. Videndum eſt igitur, quid Aortæ inflammatio poſſit ad mor-

(*g*) Vid. apud Valſalvam de Aure Tab. 9. ad * (*h*) n. 17. (*i*) n. 11. & 26. (*k*) n. 21.
(*l*) De Subit. Mort. l. 1. c. 18. n. 3.

mortem ſeu cum tuſſi, & convulſione forte conjuncta, ſeu non conjuncta, inopinato afferendam. Videndum eſt tamen antea quæ ab aliis tunc obſervata ſint, cum Aortæ fuit inflammatio, ne forte eo nos ſolæ cogitationes perducant, quo Obſervationes non conſentiant. Verum ubi Aretæi (*m*) locos inſpexeris in quibus hoc de morbo verba fiunt, ut nulla alia ſubeat dubitatio, certe hæc ſubibit, num ex cadaverum inſpectione ea quæ profert ſigna fuerint confirmata. Ab ejus vero ad noſtrum tempus qui hoc fecerit, mihi quidem in præſentia non ſuccurrit. Boerhaavium tantum (*n*) memini in bove qui vehementiſſimo curſu aufugerat, ſcribentem id morbi ab ſe viſum ita ut *aorta* eſſet *nigerrima*. Tu ſi plura ab ipſo, aut ab aliis ſcripta videris; me admoneto: cum ea legero; quæ nunc cogito, aut abjiciam, aut ſi confirmare licuerit, ad te perſcribam. Interea quædam alia, ab Amicis in arteria Magna, aut in alia aliqua intra thoracem, obſervata, unde aut repentina, aut certe præter opinionem cita mors provenerit, huc adjicere non omittam: & primum, quod ſupra (*o*) pollicitus ſum, quantum videlicet illuc attinere crederet Vir Præcl. Santorinus oſſeas in Aorta bracteas, quas, ſuis permotus Obſervationibus, vel ſolas non dubitabat repente hominem poſſe interficere. Enumerabat enim mihi, cæteriſque Amicis ſex, aut ſeptem ſic mortuorum exempla, in quorum corporibus nihil præter ea oſſicula invenire potuerat unde ſubitam repeteret mortem, in illis recentiſſimum ejus viri de quo alibi (*p*) ob deficientem Vermiformem Appendiculam mentionem feci. Sic autem narrabat.

37. SARTOR Venetus, ſtrenuus potor, quem præter quam de hernia olim, ulla de re ad valetudinem attinente queſtum eſſe, non conſtabat, niſi quod noviſſime alicui dixerat, videri ſibi non bene habere; eodem quo id dixerat, die cum apud notos quoſdam ad ignem ſedens, cephalos comediſſet duos, & novum bibiſſet vinum; erat enim jam medius propemodum October A. 1708; ibi non multo poſt heu, inquit, heu, nec plura; continuo enim mortuus eſt.

THORACE poſtridie aperto, non ſaniſſimi quidem pulmones; in pericardio autem aquæ copia aliqua reperta eſt. Sed cum evidens eſſet, neutra ex cauſa hominem ſic obire potuiſſe, cor autem, & cætera nihil adnotatione dignum haberent; Magna arteria a curvatura ad lumbos uſque crebras oſſeas intus oſtendit ſquamulas, quæ in utraque etiam Carotide ad modicam uſque altitudinem, non ulterius, conſpectæ ſunt.

Cæterum ſanguis erat fluidus, jecur pulcherrimum, ut reliqua, niſi quod ventriculus, ut plerumque in potoribus, valde amplus fuit, inteſtinorum autem quæ Appendicula caruiſſe diximus, pars cum annexi meſenterii portione in herniæ ſacco inerat, cujus orificium duos treſve digitos erat latum.

38. Cum hæc narraſſet diligenter, nos autem, ut fit inter Amicos, alius aliud de iſta, ab ipſo propoſita, mortis ejuſcemodi cauſa diceremus, neque illæ reticerentur cauſæ quæ oculos Anatomicorum effugiunt ſive intra, ſive extra cerebrum, memini, me ſubridentem ab iis quæſiviſſe, num inter eas etiam ponerent quam Piccolhominus (*q*) indicavit ubi ſe *Opinari*, inquit, *nervuli* cor adeuntis *obſtructionem repente factam, in cauſa eſſe ut nonnulli inopinato & derepente ex hac vita migrent*? atqui certe, inquam, non ignoratis, vel abſciſſis in collo nervis, cor adituris, non continuo mori animal; ut poſſit quidem nervorum cordis obſtructio, ad alias cauſas addita, mortem ſubitam afferre, ſola autem non poſſit, niſi forte ſimul univerſi obſtruantur; ſic enim veram fuiſſe Herophili ſententiam, intelligo, qui, ut apud Cælium Aurelianum (*r*) habemus, *repentinam mortem*, *nulla ex manifeſta cauſa venientem*, *fieri*, docuit, *paralyſi cordis*. Tum Santorinus ſex illa reliqua exempla protulit, nuper propoſiti ſimilia, & quantum ſe miraturum eſſe, ait, ſi in his omnibus præſto fuiſſet inviſibilis quæpiam cauſa, quæ cum manifeſta, id eſt cum oſſeis in Aorta ſquamulis, ſe conjunxiſſet, tantum oſtendit, ſibi quidem nihil eſſe dubitationis, quin ab his ſolis mors repentina proveniret tunc præſertim cum ab arteria, ejuſmodi vitio affecta, ſanguis eſſet promovendus aut copia auctus recentis chyli, aut hujus qualitate turgens, aut denique calore expanſus, quæ videlicet, ut in Sartore univerſa, ita alia in aliis conveniſſent. Cur autem ſic vitiata arteria promovendo tunc ſanguini impar ſit, alibi eſt a nobis, & ſupra etiam in hac Epiſtola (*ſ*) declaratum.

39. Sed facta deſideratiſſimi Amici mentio alterius mihi memoriam renovat, Sebaſtiani Antonii Trombellii Bononienſis Medici, & Chirurgi Præſtantiſſimi: cujus inopinatæ, citæque mortis genus ob id etiam nobis flebilius accidit, quod non ipſum modo, ſed & ejus Fratrem Joannem Chryſoſtomum, Abbatem, & Theologum, quod ejus Scripta oſtendunt, Eruditiſſimum ſingulari amore proſequebamur, atque proſequimur. Quam repentinus, ſævus, brevis illius morbus noviſſimus fuerit, & quam variæ Doctorum Virorum de eo ſententiæ, ignorare non potes. Quid ipſe, antequam de his quidquam audirem, ſim opinatus, ſi forte quæris; paucis dicam, ut habeas non quod præferas, ſed quod diligenter etiam atque etiam expendas, videaſque, num forte is morbus ad ea ſpectet quæ paulo ante (*t*) promiſimus. Nam ſtatim ac litteras perlegeram Joſephi M. Verlicchii, cujus mihi diligentia, ingenium, & aſſiduum in Diſciplinis Medicis ſtudium ex eo uſque tempore quo me hic audiebat, ſpectatum eſt, quibus litteris non minus quæ in mortuo, ab ſe diſſecto, animadverterat, quam in ægro, cui affuerat, perſcribebat; viſa mihi res eſt cum eo caſu quem deſcripſerat Vir Doctiſſimus, cujus quoque immaturam mortem deflevimus, Antonius Leprottus (*u*), eſſe quadantenus comparanda: idque ad Verlicchium reſcripſi: cujus opinionem cum mea conſentire, ex aliis, quas poſtea miſit, litteris, perſpicue omnia explicantibus, facile intellexi. Scilicet ut in eo de quo narrat Leprottus, ab ipſo, & a Cl. Jano Planco inventum eſt, ſanguinem ex diſrupta Bronchiali arteria effuſum ſub membranas, & per fibrarum interſtitia, quibus arteria Aſpera, & Magna, & œſophagus, cæteræque proximæ partes colligantur, viam ſibi longe lateque feciſſe, concretumque eas membranas in tumoris modum extuliſſe; ita in Trombellio ex diſrupta arteria alia aliqua effuſus ſanguis inter laminas oppoſitas, id eſt anterioris partis mediaſtini, per celluloſam hujus ſubſtantiam ſibi aditum videtur aperuiſſe, eaque copia ibi præſertim quo ſuopte pondere ferebatur, concreviſſe, ut prope ſeptum Tranſverſum ſolida mediaſtini craſſitudo digitos propemodum tres æquaret. Sic autem omnia tum quæ præceſſerant, tum quæ abfuerant, tum quæ in cadavere inventa ſunt, facillime videntur intelligi. Quæ ut ſingula minime perſequar, brevitatem pollicitus; at ſaltem quæ corpuſcula in amplo, moleſtiſſimoque herpete cutem antea corroſerant, eadem repreſſa, dicam, arteriam illam eroſiſſe: exeuntem autem ſanguinem, dum mediaſtini celeriter diſtraheret laminas, acerbiſſimum illum ad ſternum dolorem, quem divulſivum æger vocabat, effeciſſe, at cætera, quæ aberant, inflammati mediaſtini indicia facere non debuiſſe: tandem inter duas hujus laminas tantum ſanguinis, in grumos coacti, tam brevi præſertim tempore, aliunde repeti quam ex pertuſa aliqua arteria non poſſe. Sed pleraque horum, non modo reliqua, litteræ Verlicchii declarabant, quæ eorum quoque interrogationi occurrebant, qui, cum Leprotti æger dies aliquot vitam traxiſſet, cauſam quærerent, cur Trombellius ſit intra undeviginti horas ſublatus. Nam præterquam quod illa tanta inferioris mediaſtini diſtentione cor urgebatur, modico ſupra hoc intervallo erat in tunicis Magnæ arteriæ innatum ante hunc mor-

(*m*) De cauſ. & ſign. morb. Acut. l. 2. c. 8. & de eorund. curat. l. 2. c. 7. (*n*) Prælect. ad Inſtit. §. 827. (*o*) n. 32.
(*p*) Epiſt. Anat. 14. n. 62. (*q*) l. 5. Anat Prælect. 6. & l. 4. Prælect. 4. (*r*) Morb. Chron. l. 2. c. 1. (*ſ*) n. 32.
(*t*) n. 36. (*u*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 1. in Opuſcul.

morbum tuberculum, grandioris nucis magnitudine, humoris plenum ad vitellinum colorem vergentis, quod tuberculum cum intra arteriæ cavum non mediocriter protuberaret, neque amplius ſanguis, infirmatis cordis viribus, quod parvi jam facti, debileſque oſtendebant pulſus, id obſtaculum ita ſuperare poſſet, ut antea; nempe retardatus, cor magis magiſque, & pulmones ipſos gravabat: quamobrem diutius vis morbi ferri non potuit.

40. Habes quo mea de hoc morbo olim inclinaret opinio: cui tamen, ut dixi, nihil prius tribues, quam diligenter expenderis. Quod ſi quæras, ejus tuberculi indicia quænam in vivente eſſent, numque Obſervationes legerim præter illam quam paulo ante laudavi, in quibus res extent aliqua ſaltem ex parte earum ſimiles, quæ ſunt in Trombellio deprehenſæ; libenter quoad potero, ſatisfaciam. Et primum, illum accepi animi affectibus olim preſſum multo graviſſimis, non ita pridem levi aliqua cordis palpitatione, levibuſque deliquiis tentari cœpiſſe, ut a Medicis crederetur hypochondriacus. Quod vero ad tuberculum ipſum Aortæ attinet, cum ex Actis Eruditorum Lipſienſibus (*x*) Diſſertationem extare, intelligam Cl. Stentzelii *de Steatomatibus in principio arteriæ Aortæ repertis*, quæ in has regiones necdum, quod ſciam, importata eſt; eam, ſi in tuis iſtis habetur, fac inſpicias; nam ſi inſcriptioni reſpondet, eorum quæ requiris, non prorſus diſſimilia facile invenies (*). Ego ſiquid habeo quod ad interna ſpectet arteriarum tubercula, in proxima Epiſtola commemorabo. De ſanguine autem inter mediaſtini laminas effuſo unum, in præſentia memini, aliquid attigiſſe Riverium Obſervatione LX. Cent. I. Nam quod Blancardus quoque (*y*) ſimilia ſcribit; nempe adeo ſimilia ſunt, ut ſint eadem, Riverii nomine diſſimulato, verbiſque mutatis. Eam Obſervationem ſi apud Auctorem totam legeris; neque enim in Sectione hac Sepulchreti XI. (*z*) neque in I. (*a*) libri I. omni ex parte deſcripta eſt; invenies, cum in ægra quadam ſuſpicio fuiſſet, inter cætera, etiam inflammationis mediaſtini, cumque ea videretur convaluiſſe; ſubitam interveniſſe mortem, repertumque eſſe mediaſtinum *plenum ſeri ſanguinei*. Cæterum, quod generatim ſpectat ad ſanguinis e ſuis vaſis effuſiones, non in magnas corporis caveas, ſed in celluloſam ſtructuram ſub membranis coercitam, digna eſt quæ ob antiquitatem referatur Gilberti ſententia. Hic enim, ut ante trecentos quinquaginta annos ſcribebat Nicolaus Florentinus (*b*), docuit, *non ſemper ſanguinem qui exit propter rupturam venæ chylis* (id eſt Cavæ) *in concavitatem ventris effundi, ſed infra pinguedinem quam chyli & renes circumveniunt, retineri*: quod, a Gilberto fortaſſe etiam viſum, ſi exigua ſit venæ Cavæ ruptio, non ita rejiciendum eſt, ut illud eſt quod a Gilberto ſubjicitur de ipſius retenti ſanguinis mictione. Cætera quæ ſumus polliciti (*c*), propediem expectabis, & valebis.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXVII.

Agitur de Morte Repentina ex vitio Cordis. Denique pauca adduntur de Gibbere.

Ut ſuperiore Epiſtola de Subita Morte ſcriptum eſt, quæ vitia Sanguiferorum Vaſorum, ſive hæc rupta eſſent, ſive non eſſent, conſequeretur, ita nunc de illa ſcribendum eſt, quæ vitia Cordis ſive rupti, ſive non rupti conſequatur.

Rupti primam, quod ſciam, Obſervationem ab Harvejo (*a*) propoſitam inveni, qui nobilem Virum, ſæpe, præſertim noctu, paroxyſmo quodam correptum deſcribit, in quo a dolore pectoris *oppreſſivo* interdum lipothymiam, alias ſuffocationem timebat, donec *ingraveſcente morbo, cachecticus & hydropicus factus, tandem in uno paroxyſmo vehementer oppreſſus, obiit*. Huic *ex impedito tranſitu ſanguinis* (quodcunque id fuerit; neque enim dicit; impedimentum) *de ſiniſtro* cordis *ventriculo in arteria, paries ipſius ventriculi ſiniſtri, qui ſatis craſſus & robuſtus cernebatur, diſruptus & perforatus amplo hiatu ſanguinem effundebat; erat enim foramen tantæ magnitudinis, ut facile aliquem ex* Harveii *digitis reciperet*. Quam tibi Obſervationem deſcribere hic volui propterea quod ab nemine productam, ne a Boneto quidem, memini, niſi forte exiſtimas quæ hic Rolfinckii verba protulit, non in Sectione hac XI. ſed in VIII. (*b*) *irruptio* ſanguinis in cor *nonnunquam adeo vehemens eſt, ut ſeptum ipſum diſrumpatur, cujus tragici caſus exempla ſuppeditavit Harveus*; niſi, inquam, hæc verba exiſtimas ad Obſervationem illam attinere. Quod etſi ei quoque viſum eſt qui Indicem addidit ad tres primas Harveii Exercitationes, eam quam deſcripſimus, Obſervationem ſic deſignanti, *Septum cordis a retento ſanguine ruptum*; verba tamen, quæ protuli, ipſius Auctoris procul dubio longe aliud ſignificant. Huic Harveii Obſervationi alteram adjungo, quam Epiſtola XXV. (*c*) ſatis commemoravi, Petri de Marchettis (*d*). Nam etſi a fiſtula in *ſiniſtrum* uſque ventriculum tandem producta, hic apertus eſt; tamen ſive ab eroſione, ſive a diſtentione cor aperiatur, diſruptio denique ſemper eſt propterea quia ubi eo pervenit eroſio, ut tenuiſſima tantum ſuperſit cordis lamella, hanc a ſanguinis aut pondere, aut vi qua urgetur, pertundi, manifeſtum eſt: quamobrem etiam cum de aperta Aorta verba facerem, varias quidem ruptionis cauſas indicavi; ruptionem tamen vocavi. Tertiam Obſervationem, quam Morandus quoque Vir Cl. (*e*) memoravit, apud Bohnium leges, non in *Circulo Anatomico* illam quidem, ſed in libro, in quo tandem caſu reperi, *de Renunciatione Vulnerum* (*f*). Eſt autem *rupturæ ſiniſtri cordis ventriculi prope oſtium Aortæ*, cujus *nulla ſigna præceſſerant* in Viro nobili, habitus *formoſioris atque athletici*, qui *ad latus uxoris repente occubuerat*. Cujus tu ruptionis ultimam cauſam facile ſuſpicaberis, eorum memor, quæ Litteris ſuperioribus (*g*) ſcripta ſunt. Mortis autem hoc genus tale cenſuit Eruditiſſimus Bohnius, *quale vix unquam vidiſſent Profectorum oculatæ manus*. Quod ſane *rariſſimum haberi debere*, ſcripſit Vir alter Doctiſſimus Joannes Fantonus (*h*), cum ex adverſariis Parentis ſui retulit, *diſruptum hominis cor, quod vehementi ſpaſmo conflictatum fuerat, repertum fuiſſe, grandiore pericardio copiam ſanguinis continente*, ægre ferens, non plura Patrem adnotaſſe, illudque ſaltem, utro ex ventriculo ſanguis erupiſſet. Quæ cum ita ſint; non mihi diſplicet in quinctam rupti cordis Obſervationem A. 1707. Venetiis incidiſſe. Quam, ut ordo poſtulat, cum tibi diligenter perſcripſero; in Adverſariis (*i*) enim, aliud agens, vix indicavi; tum cæteras, quæ mihi quidem notæ ſunt, commemorare, & partim deſcribere non omittam.

2. MU-

(*x*) A. 173 . M. Maj. (*) Sed Vid. Epiſt. 64. n. 14. (*y*) Anat. Pract. Obſ 52. (*z*) Obſ. 20 (*a*) Obſ. 123.
(*b*) apud Donat. de. Med. Hiſt. Mirab. l. 4. c. 9. (*c*) ſupra, n. 2. in fin. n. 18. in princip; n. 26. in fin. &c.
(*a*) De Circul. Sangu. Exercit. 3. (*b*) Obſ. 11. (*c*) n. 22. (*d*) Obſ. Med. Chir. 47.
(*e*) Mem de l'Acad. R. des Sc. A. 1732. (*f*) Sect. 1. (*g*) n. 14. (*h*) Anat. corp. hum. Diſſ. 12.
(*i*) VI Animad. 84.

2. MULIER annos nata quinque, & ſeptuaginta, virili aſpectu, & valde obeſa, cum ad quinctum uſque & quadrageſimum annum fuiſſet gracilis; annis noviſſimis facta erat valetudinaria ſic tamen, ut de capitis dolore nunquam, nedum de graviore ullo, quod referri ad ipſum poſſet, incommodo, quereretur; ſed de aliis potius, in quibus familiares, quamvis minus accurate attendere ſoliti has querulæ anus lamentationes, tamen quædam præſertim memorabant quaſi deliquia, affectioneſque ejuſmodi alias; quas ipſa cum explicare neſciret, ſolebat communi, ut alias dixi, apud populares ſuos *flatus* vocabulo deſignare. Hæ ſemeſtri ultimo vitæ ſpatio factæ erant graviores. Tandem cum per eos dies cyathos aliquot hauſiſſet vini novi; medius enim October menſis elapſus erat; indeque aliquanto pejus ſe haberet, repente inter domeſtica, quibus forte ſedens intenta erat, opera, primum dixit, intus ſibi huc, & illuc neſcio quid moveri, mox videri ſibi domum vacillare, mox, ſtertore correpta breviſſimo, interiit. CADAVER poſtridie inſpicientes, ſanguineum ex ore prodeuntem humorem vidimus, dorſum ex rubro lividum, manuum digitos contractos, quos cum extendere conaremur, renitentes animadvertimus; non item brachia. Cum vero, cæteris Amicis adſtantibus, conſecante autem nobiſcum Cl. Santorino, communia corporis integumenta incidere cœpiſſemus; niger, & ſpumoſus ſanguis, qualem poſtea in pleriſque deprehendimus vaſis, effluebat. Adipoſam membranam alibi craſſam, ad pubem craſſiſſimam conſpeximus, ut digitos tranſverſos quatuor ſuperaret. Pectoris cartilagines, quæ coſtas cum ſterno committunt, ſcalpello non magis quam in junioribus, reſiſtebant, molles ſervante, ut opinor, eadem, qua corpus univerſum abundabat, pinguedine. Hæc, ſterno ſublato, hinc in thorace ea copia apparuit, ut mediaſtinum operiret, inde in ventre quanta eſſet, ex eo licebat intelligere, quod diaphragma altius in thoracem compulſum, tantum de juſto hujus ſpatio demeret, ut inſpicientibus mirum haud eſſet quod obeſi non facile, niſi paulo altioribus cervicibus, & ſummo dorſo, ſupini cubent. Pulmones, quorum ſiniſter facie poſteriore adhærebat ad pleuram, ſani erant omnino, quamvis interius a retento ſanguine nigricarent. Bronchia, & truncus arteriæ Aſperæ nihil in ſe effuſum habebant. Sed pericardium tantum habuit effuſi ſanguinis partim grumoſi, partim fluidi, ut priuſquam incideretur, ſphæroidem referret, cujus diameter ſpithamam propemodum æquabat. Spatii tamen non modicam in eo partem cor occupabat, propter adnatam pinguedinem magnum, qua torum ferme obducebatur. Hanc dum undique, inverſo etiam corde, a ſanguine, quo circumfuſa fuerat, purgabamus, certa quadam parte magis extuberantem, & penitus nigricantem a ſanguine intus ſubſiſtente animadvertimus. Erat ea pars in poſteriore cordis facie mucroni proxima: ibique pinguedo, attentius inſpecta, lacerationem oſtendebat in medio nigredinis illius. Tunc ſiniſtro in oppoſita facie ſecundum longitudinem aperto ventriculo, nihil fere in hoc ſanguinis invenimus, ſi grumulum excipias ad eam partem adhærentem quæ laceratæ pinguedini reſpondebat. Is grumulus lenta manu retractus indicavit rotundum foramen lentis magnitudine, quo ventriculi paries, ibi ſecundum naturam tenuior jam factus, pertundebatur; ut manifeſtum eſſet, illac ex corde ſanguinem primum ſub pinguedinem exiiſſe, deinde huc, & illuc per membraneas ejus cellulas ſe inſinuaſſe, eaſque diſtendendo, attollendo, urgendoque facile demum perrupiſſe. His ita perſpectis, alia in eodem ventriculo animadvertimus. Nam circa orificium quo ſanguinem admittit, in ipſa cordis ſubſtantia os erat tranſverſo pollice craſſius, forma annuli dimidiati, cui Mitrales valvulæ adhærebant, oſſeæ pariter factæ, niſi quod altera magnam ſui partem ſervabat ſanam, ut occludere poſſet orificium ob ea, ſi valvularum oſſeam partem adjiceres, ob ea, inquam, fere circum nata, & introrſum prominentia oſſa contractum; hæc enim grandæva illa mulier eſt, ex qua eadem in V. Adverſariis (*k*) deſcripſimus. Magnæ quoque arteriæ valvulæ partim erant oſſeæ, partim incipiebant oſſeæ fieri. In ventriculo autem dextero, annexaque auricula nihil adnotavimus, niſi quod ſanguine, ut fere ſiniſtra quoque auricula, omnino carebant, cum Pulmonaris arteriæ truncus eſſet eo plenus, qualem in pericardio videramus, multumque haberet, ſed in grumos coactum, Aorta, ut ipſam a corde ad Iliacos uſque ramos aperientes, conſpeximus. Hæc circa ſiniſtrum finem arcus ſui; nam illuc uſque ſana proceſſerat; magnis oſſeis ſquamis intus exaſperari incipiebat, quæ alibi magis, alibi autem minus crebræ, nec ſine cujuſdam non obſcuræ exulcerationis indiciis, toto paſſim reliquo trunco ſpectabantur: quin arterioſos ramos per ventrem aliquos, & nominatim ex iis quæ ad Cœliacam attinent, oſſeos jam factos deprehendimus. Ventre autem paulo ante recluſo, & nonnullis in locis, tametſi tempeſtas erat potius frigida, etiam tum calido, quod intra thoracem quoque acciderat, animadverſo, & omenti primum craſſitudine ob multam pinguedinem, quamvis cœnoſam, mox & meſenterii ſpectata, hæc adnotatione digna occurrerunt. Lien ſpumoſo ſanguine turgidus. Pancreas durum. Fellis veſicula valde contracta, & calculis plena ad quatuordecim, quorum octo minuti, reliqui majuſculi: hi ad cubi formam acccedebant; & cum ad flammulam ſtatim admoviſſem, hanc concipiebant. Ren dexter ſuperficie quodam loco exulcerata, alibi cicatricoſa: uterque, ſi contrectares, molles quaſi a lotio intus concluſo percipiebantur: diſſecti erant laxi propemodum ut lien ſolet, humidiſſimique, humore etiam ſeorſum alicubi quaſi in loculis quibuſdam ſtagnante. Cranium denique reſerantes, Craſſam meningem animadvertimus tanto arctius quam ſoleat, ad ſuturas, & prope ſuturas, præſertim Sagittalem, & Lambdoidem, affixam eſſe, ut ſine laceratione avelli non potuerit. Contra, Tenuis meninx attollentes digitos facillime ſequebatur; aqua enim ſuberat: quæ in Lateralibus etiam ventriculis conſpecta eſt, modica utrobique copia. Cerebrum ſanum, ut cerebellum quoque; ſed hoc laxius. Baſilaris arteria duriuſcula, ut & rami cæteri arterioſi qui circa cerebrum ſunt. Cum omnia e cranio exempta eſſent, cujus non mediocrem craſſitudinem, ſectionum latitudo oſtendebat; in ejus baſi, & in cava item facie oſſis frontis ea in conſpectum venerunt, de quibus in VI. Adverſariis (*l*) indicatum eſt. Scilicet os frontis ibi prominebat in conſertiſſima tubera, qualia pariter in cranii baſi, præſertim e Petroſis proceſſibus, ſed minora, atque disjecta ſe attollebant. Omnia ex ſubſtantia erant magis alba, quam uſquam in toto cranio, ut ex nova oſſeæ ſubſtantiæ acceſſione, & quaſi effuſione facta eſſe viderentur. Quorum ſingulorum ſuperficies etſi nitida erat, & lævigata; non potuerat tamen tanta univerſorum inæqualitas, & extuberantia non cerebrum valde comprimere, in quo cæteroquin nulla apparebat læſio, quacunque iis tuberibus reſponderat. Quod reliquum eſt, cum præter renes, & Aortam, cordis partem huic proximam, & tubas uteri, quæ albæ erant, e cadavere exemiſſem, ut poſtridie nonnulla, minime ad morbum attinentia, inſpectarem; miratus ſum, intra ejus noctis ſpatium, etſi tempeſtas de frigida multo frigidior erat facta, omnia tamen præter expectationem, graveolentiam concepiſſe incredibilem, & quæ prorſus ferri non poſſet.

3. Intolerabilem odoris fœditatem e cadavere pariter alterius fœminæ, & quidem pinguiuſculæ, opinione citius coortam, recordor, me tibi alias (*m*) commemoraſſe. Verum illa ſaltem in Noſocomio dies quindecim morbo fuerat macerata; hæc autem repente obiit; ſed viciſſim putredinis illud ſignum oſtendit, quod non eſt in altera animadverſum, in ſanguine bullulas. Quid vero eſt, quod ut obeſæ huic mulieri, ſic etiam aliis pingui habitu præditis, diſruptione improviſo facta, ſanguis eſt in pericardium effuſus, neque iis omnino paucis? Ut enim ſuperiorem ſolum

(*k*) Animad. 14. (*l*) Animad. 84. (*m*) Epiſt. 18. n. 34.

ſolum inſpicias Epiſtolam; quatuor invenies, Senem videlicet (*n*) ac Mulierem (*o*), quorum utrumque nos vidimus, duoſque alios (*p*), quos ab aliis conſpectos memoravimus. An pinguedo, quæ molles in hac Anu, ſicut opinatus ſum, coſtarum ſervavit cartilagines, fibras quoque in vaſis, earumque contextum laxiores ſervat, & diſtractioni, ſiqua diſtentio major incidat, minus reſiſtentes? cujuſmodi in hoc caſu diſtentionem ab novo, & efferveſcente adhuc vino eſſe factam, eo facilius credes, ſi poſt ejus vini uſum, ubi vitia cordis, aut vaſorum ſint, omnino fugiendum, quid Sartori Veneto (*q*) contigerit, & quid de repentino hujus obitu Santorinus cenſuerit, recordaberis, necnon eorum quæ de noxis ab ingeſtis *liquidis ipſo actu fermentantibus i. e. aere copioſiſſimo & valde moto ſcatentibus*, cum videlicet hujus particulæ a ſanguinis calore expanduntur, *majuſque occupantes ſpatium, vaſa extendunt*, Experientiſſimus docet Muſſchenbroeckius (*r*). An quantum ſub cute congeſtam, & adſtrictam pinguedinis copiam obſtare ſanguini, credimus, exteriora, & minora vaſa repleturo, tantum hic cogatur neceſſe eſt ut interiora, & majora vaſa, ac receptacula diſtendat, & ibi potiſſimum ubi laxiores ſunt, aut ex parte eroſi eorum parietes diſrumpat? An denique eroſio tanto facilius fit, quanto magis pinguedinis copia ſanguis abundat? Non me fugit, pleriſque omnibus contra videri, non dubitantibus, quin pinguedo corrigat erodentia corpuſcula, aut certe obruat, & irretiat. Mihi vero, cum ea nimia eſt, ſive ob id ipſum bona eſſe non poſſit, & idonea ad corrigendum, ſive premendo minima vaſcula, & humores in his retardando, faciat, ut mora acriores fiant, ſive acriores particulas ſic irretiat, ut intra corpus retineat, ſe tandem aliquando ubi magis, magiſque coacervatæ fuerint, data aliqua occaſione, exerturas; mihi, inquam; ne de modo, & cauſa diſputem; illud ſatis eſt, ſæpe eſſe in pinguibus eroſiones animadverſas, meque ipſum in hac, itemque in altera (*ſ*) pinguioris habitus Muliere, quibus pinguem etiam Senem (*t*) facile addas, eroſam intus arteriam Magnam deprehendiſſe. Quin renes quoque, multa, ſiquod aliud viſcus, pinguedinis copia obſiti, in hac fœmina exulcerationem non effugerunt.

4. Oſſea autem illa tubera, quæ in cranii interiore facie extabant, non ad exoſtoſes eas refero, quas poſt inſultus epilepticos, ibidem ab ſe, & Ravio viſas commemorat Boerhaavius (*u*), ſed ad novas oſſis, ut ſic dicam, vegetationes, quales in vertebris hominis centum circiter annos nati deſcripſit Poupartius (*x*) ſingulari, qua noſtræ quoque erant, albedine, & nitore. Quod ſi utræque, ſicut illi ſuæ, & noſtræ nobis videbantur, quaſi ab effuſione quadam factæ erant oſſei ſucci; minus faciles habebunt explicatus ſecundum recentes obſervationes, ſententiamque Experientiſſimi Viri, præſertim cum in noſtra Anu Craſſa meninx, quæ interni perioſtei locum tenet, nihil læſionis in ſe oſtenderet qua illa tubera obducebat, neque ad ea arctius, ſicut ad certas quaſdam alias cranii partes, adhæreret, nec mulier de ullo unquam dolore, aut morbo capitis queſta eſſet. Quæ res quomodo poſſit intelligi, & quid ex ea deduci, cum ſatis in Adverſariis VI. (*y*) ſit indicatum, hic iterare nihil attinet. Itaque ad promiſſam revertor ſeriem Obſervationum, quæ mihi quidem ſunt cognitæ, diſrupti cordis. Quas inter locus hic ejus eſt quam eodem circiter ac mea, tempore in hoc Noſocomio ab ſe habitam, mihi narravit A. 1708. probus atque honeſtus Vir Antonius Mariſatus, qui tunc ibidem Medici Aſſiſtentis munere fungebatur diligentiſſime.

5. FŒMINA, quæ palpitatione cordis laborabat, cum prandendi cauſa in lectulo in quo jacebat, vix reſediſſet, morior, ait, & quaſi illico mortua eſt. THORACE poſt duos treſve dies aperto, inventum eſt pericardium concreto ſanguine diſtentum. Hic autem prodierat ex ſiniſtro cordis ventriculo, quem ulcuſculum quaſi quoddam ad cuſpidem perforaverat.

6. Hic caſus ſatis ſimilis noſtri eſt; an vero illorum etiam quos Lanciſius obſervavit, etſi contrarium ex parte ſuſpicamur, tamen pro certo neſcimus. In poſthumo enim Opere *de Motu Cordis* (*z*) edito A. 1728. revera & ipſe eorum mentionem injecit qui *repentino interitu ob apertum ex tempore cordis foramen concidunt*, ſeque id *mortis genus* non modo vidiſſe, ſed *crebro etiam vidiſſe*, teſtatus eſt: qui locus, ut fit, Virum quendam fugit cæteroquin Eruditum. Atque utinam Lanciſius Opus illud ſuum explere potuiſſet; profecto neque has, neque alias, diſerte ab eo, & ſigillatim ſcriptas Obſervationes deſideraremus. Nunc quod quidem ad has attinet, nihil habemus aliud, niſi quod ibidem ſibi perſuaſum oſtendit, huic mortis generi opportuna *inter* cætera eſſe illa corpora in quibus puerili adhuc ætate cordis fibras non modo *languidiores*, nec *ſatis cohærentes*, ſed *etiam deficientes* invenit, ut nominatim *ſiniſtro in ventriculo locum quendam, ac veluti foramen perlucidum, quod externa, internaque tantum membrana, ne omnino dehiſceret, impediebat*. Recte autem ſcripſit *inter* cætera. Nam & ulceribus internis obnoxia, & quibus, ut dixit, *languidiores* fibræ cordis ſunt, eidem morti ſunt opportuna.

7. Utriuſque hujus ultimi generis exemplum protulit luculentum is qui de cordis ruptione plura hactenus quam quiſquam, collegit, ac ſcripſit Cl. Vir Morandus (*a*). Uterque caſus in annum incidit 1730. Alter in Fœmina Principe, ætate jam provecta, cujus ventriculum cordis dexterum exterius eroſum obſervavit Cl. Lemeryus, ut ulcus inde paulatim videretur ad ventriculi uſque cavum perveniſſe: qui propterea inanis erat, quippe effuſo intra pericardium ſanguine; cujus ſiniſter erat plenus. Alter in nobili Viro, quem Morandus ipſe diſſecuit, invenitque pericardium concreto ſanguine refertum, quem cor laxum adeo, ut ſpecilli dumtaxat pondere trajici poſſet, e ventriculo ſiniſtro effuderat per ſciſſuram octo circiter lineas longam, quæ in medio illius ventriculi reperta eſt. Cætera quæ ad eos caſus attinent, perlegere poteris apud eundem Morandum, præter eas quæ præceſſerant, cauſas, & notas: quæ num quia nulla fuerint adnotatione dignæ, an potius quod ſint ad ulteriorem tractationem dilatæ, in eo quidem Commentario non occurrunt. Sed in penultima, quantum ego novi, rupti cordis Obſervatione, ad exulcerationem pertinente, ſicuti utraſque earum ad me ſcripſit idem qui illam habuit, mecumque communicavit A. 1740. Medicus olim in Placentina Aula Spectatiſſimus Laurentius Marianus, ita nunc a me habebis.

8. EQUES erat Ornatiſſimus, annos natus quinque, & ſexaginta, ſed robuſtis membris, & proba humorum temperie, niſi quod ante annos aliquot diuturnis, & contumacibus crurum ulceribus laboraverat: quæ pertæſus, remediis qua internis, qua externis tandem perſanaverat. Is noviſſime rheumaticis doloribus ſubinde obnoxius, ſed levibus adeo, ut domo exire non prohiberent, quod & pridie fecerat, quam moreretur, iis acerbius prehenſus eſt V. Nonas Junias ad ſternum quidem, & brachia, non ſine capitis perturbatione. Quibus per ea quæ ſunt viſa magis idonea cum occurſum eſſet; jam circa meridiem magna ex parte relevatus, quamvis infirmo pulſu, alacriter ſe gerebat. A prandio cum quieviſſet, expergefactus, eoſdem quos mane, dolores ſenſit. Quapropter inambulare in conclavi cœpit; ſic enim illos facilius ferebat. Sed poſtquam ſatis id fecerat, cum lectum repetiiſſet, querebatur de fumis ad caput aſcendentibus,

& de

(*n*) n. 15. (*o*) n. 17. (*p*) n. 26. (*q*) Epiſt 26. n. 37 38. (*r*) Diſp de aeris præſent. in humorib. animal. c. 1. § 18. coroll. 4. & 5.
(*ſ*) Epiſt. 26. n. 17. (*t*) n. 15 (*u*) Prælect. ad Inſtit. §. 860. (*x*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1699. Obſ. Anat. 1.
(*y*) Animad. 84. (*z*) Propoſ. 28. (*a*) Mem de l Acad. R. des Sc. A. 1732.

& de pectoris anguſtiis, inquietuſque ſe ſe huc illucque vertebat. Quod cum ſpatio temporis non brevi feciſſet; repente ſe mori ſenſit, ſimulque pallens, & ſe agitans, illico interiit. ABDOMINE diducto, inventa ſunt omnia ſecundum naturam.
Pectore autem aperto, & pulmonibus, qui antrorſum compulſi erant, dimotis, pericardium deprehenſum eſt nigro, concretoque ſanguine diſtentum. Is e ſiniſtro cordis ventriculo exierat per ſciſſuram longam unciæ dimidium, & ſecundum illius longitudinem ductam, circa quam cordis fibræ non recenti corroſione exeſæ conſpiciebantur.

9. Nimirum quod Trombellii caſus (*b*) oſtenderat, hic nobis confirmat, quas eroſiones in cute nolumus, eas hinc depulſas, interiora haud raro invadere, & inopinatum exitium afferre. Quamobrem illud primum videndum eſt, ne ſine longa, eaque diligenter etiam atque etiam habita deliberatione exteriora ulcera, aliaque id genus diuturna mala perſanemus; tum ubi internis magis, quam externis perſanata remediis fuerint, ut id omne homo ſolicite fugiat unde iterum gignantur corpuſcula erodendi vim habentia: deinde ſiqua nova oriri incipiant incommoda, ut maturius ars ſatagat, ſi forte priores illæ eroſiones reduci poſſint; at ſi non poſſint, ut aliæ ſufficiantur; noviſſime ut cum prima interni, præſertim in thorace, morbi ſe prodiderint indicia, quamvis ea levia ſint, obſcura, ambigua, atque, ut comparando facile intelliges, fere in aliis alia, vereatur Medicus, ne quid intus monſtri alatur, ut ſi minus facere poſſit, acrimoniam, copiam, concitationem ſanguinis minuendo, ne tandem illud repente erumpat, det ſaltem operam, ut quam tardiſſime, nec ſe ſuam omnino apud ægri domeſticos ſuſpicionem antea occultante.

10. De ultima autem hujus generis Obſervatione, in potentiſſimo Rege habita, cujus ſiniſter cordis ventriculus inventus eſt oblonga ſciſſura diſruptus, non expectas, opinor, ut verba faciam, quippe de re non tibi modo, ſed univerſo terrarum orbi non incognita. Eam Obſervationem ſi cum cæteris, quas protulimus, novem conjunxeris; de decem, aut certe de octo; ſecunda enim ad fiſtulam ſpectat vulnus ſecutam, quarta autem manca eſt; unam, haud amplius, reperies quæ ventriculum dexterum diſruptum oſtenderit, cum ſeptem reliquæ ſiniſtrum omnes exhibuerint. Huc alias addito, de quibus cum hæc recognoſcerem, certior ſum factus. Namque ut illam prætercam, quam ex Santorino ambigue indicat Michelottus (*c*) tanquam ejus ſimilem, quæ a me ſupra (*d*) in Veneta muliere deſcripta eſt; in duabus certe quas in Viro Patricio, & in Medico quodam habitas, laudatus Marianus mihi poſtea ſignificavit, a me tecum aliis Litteris (*e*) communicandas, pertuſus erat ſiniſter cordis ventriculus. Undenam vero factum dicemus, ut ibi multo rarius contingat ruptio, ubi tanto ſæpius videtur metuenda, quanto parietis ventriculi dexteri craſſitudo, & robur minora ſunt, ſi cum ſiniſtro comparentur? Primum ſiniſtri pars ima in qua ruptio accidit in quincta, & ſexta Obſervatione propoſita (*f*), tenuior, & infirmior eſt, quam paries ventriculi dexteri. Deinde ſiniſtri vis quanto major eſt, quam dexteri, tanto magis, præſertim cum obſtaculum quodpiam ſe opponit ſanguini ab illo exeunti, parietem ipſa urget ſuum, ut ſiqua hujus pars aut ulcere, aut ratione alia aliqua ſive a morbo, ſive ab ortu debilior ſit quam naturalis requirat ſtructura, tantæ par eſſe vi nequeat, ſed ibi paries, quantumvis alibi, & proxime quoque ſatis craſſus, ut in Harveii Obſervatione (*g*), & robuſtus ſit, perrumpatur denique, & dehiſcat. Erat quidem præter eas quæ prolatæ ſunt, Obſervatio quoque Viri Cl. Chriſtiani Vateri (*h*) ventriculi cordis dexteri *non procul a mucrone, ubi ſepto, velut mediante ſutura, cohæret, ultra longitudinem unguis, rupti*. Sed quia nulla cordis prævia morboſa diſpoſitione, a graviſſimo ictu prætereuntis currus ea ruptio tota accidit illo eodem temporis puncto; propterea inter cæteras, quæ ad propoſitum faciebant noſtrum, haud eſt relata. Et de morte repentina a diſrupto corde hactenus.

11. Nunc quæ ex aliis accidit cordis vitiis eſt attendenda. Ex quibus cum ejus potiſſimum dilatationem prolatis alias (*i*) hiſtoriis oſtenderimus aut celeriores opinione, aut ſubitos omnino interitus attuliſſe, noſtræ autem conſuetudinis minime ſit quæ ſemel perſcripſerimus, iterare; juvat hic novam, quæ luculentiſſime id confirmet, Obſervationem producere. Ea Mediaviæ noſtri eſt, ſub initium Martii A. 1741. habita, & nobiſcum eodem quo habita eſt, die communicata.

12. JUVENIS, egregio corporis habitu, conformatione, & ſtatura præditus, cum jam diu ſpirandi difficultate premeretur; ſanguine e naribus ſubinde erumpente levabatur. Sed poſteaquam carere cœperat hac ſanguinis excretione, cum forte longum iter Tridento Patavium partim pedibus, partim jumento vectus, intra biduum confeciſſet, dum ſe ſtatim ab itinere, ad ſarcinulas inclinat, humi depoſitas, concidit illico mortuus. THORAX cum poſtridie incideretur, vaſa animadverſa ſunt colli, & capitis ſanguine turgida. Ubi vero apertus eſt, nihil in eo effuſum, nec pulmones uſquam ad pleuram adhærentes conſpecti ſunt. Erant hi a ſanguine lividi, in ipſis remorante: parvi præterea ob immanem cordis magnitudinem. Quod, inciſo pericardio, ubi erat non parum ſubrubri ſeri, inventum eſt vel bubulo majus. Et erant quidem auriculæ, dexterque ventriculus ampliores, quam ſoleant: maxima tamen magnitudo ad ſiniſtrum attinebat: neque ea parietibus debebatur qui ſolito non erant craſſiores; ſed ventriculi cavo, dilatato adeo, ut nihil magis, copia autem atri ſanguinis, nec in polypoſas concretiones, ſed in grumos nonnihil coacti, non modo, ut reliqua cordis cava, oppleto, verum etiam diſtento. Præter hæc, valvulæ, quæ ſunt ad ejus emiſſarium, Semilunares, non oſſeæ quidem, ſed duræ, & quod in oculos ſtatim incurrebat, perparvæ; contractæ enim erant, corrugatæque. Magna autem arteria, etſi æquo amplior non erat; tamen quo magis a corde recedebatur, eo tunicas habebat æquo tenuiores. Nec facies ejus interna ſulcis in longitudinem ductis, quamvis ſubobſcuris, carebat. Cæterum in corde, & thorace toto nihil præterea fuit quod ſecundum naturam non eſſet. Poſt hæc Ventrem, & Caput, de quibus nulla querela fuerat, aperire ſupervacuum eſt viſum.

13. Si quod natura præmonſtraverat, hic eſſet Juvenis ſecutus, ut ſanguinem, qui e naribus fluere deſierat, per ſectam venam opportune detrahendum curaret; aut non ita, aut tardius certe interiiſſet. Nunc magno documento Medicis fuit, quid faciendum ſit, ubi aliquis, ea præcipue ætate, eoque corporis habitu, ejuſmodi evacuatione carere incipit, præſertim ſi idem ſit cuipiam obnoxius morbo, ut hic erat difficultati reſpirationis. Cui quidem obnoxios fuiſſe pleroſque omnes quos tibi alias (*k*) ſcripſi cum dilatato corde repente mortuos, relectis eorum hiſtoriis, invenies. Sic etiam in hac Sepulchreti XI. Sectione (*l*) videre poteris, ut Auriga, in curru de improviſo extinctus, cujus cor erat *quovis bubulo majus*, ſæpe *ſe crederet ſuffocari*, niſi appreſſa thoracem, & abdomen manu comprimeret, non ſecus ac alter apud Harvejum (*m*), cui *cordis moles, & ventriculorum cavitates* ſanguine diſtentæ, *bovini cordis magnitudinem* æquabant, levamen in ſumma cordis & pectoris oppreſſione aliquod percipiebat, cum tota pectoris regio a fortiſſimo viro comprimeretur, & *ſicut piſtor* *panem*

(*b*) Vid. Epiſt. 26. n. 39. (*c*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 1. in Opuſc. (*d*) n. 2.
(*e*) Epiſt. 64. n. 14. & 15. (*f*) n. 2. & 5. (*g*) ſupra, n. 1. (*h*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 164.
(*i*) ut Epiſt. 18. n. 2. 8. 14. & Epiſt. 24. n. 13. (*k*) Vid. ſupra, ad n. 11. (*l*) Obſ. 24.
(*m*) De Circul. Sangu. Exerc. 3.

panem ſubigit, *depſeretur*, credo quod ſic juvaret utérque ſanguinis motum. Alterum quoque in eadem Sectione (*n*) leges repentino obitu raptum, corde *longe nativam molem excedente*, & *nigri ſanguinis pleno*: quem difficile ſpiritum duxiſſe, vel alia quæ adjuncta erant, ſatis indicant. Sectione autem II. libri hujus ſecundi (*o*) proponitur adoleſcentula, ſine manifeſta cauſa *ſuffocata ſubito*, cui cor *duplo majus ordinario*, in eoque, ut magis diſerte in Scholio legitur, *magna ſanguinis copia*: quæ cordis magnitudo, ſive ex morbo accidit, ſive fuit, ut ibidem creditur, ei adoleſcentulæ *naturalis*; cum propterea cor majori eſſet pondere, ideoque majori ad motum difficultate, aptior eſſe debuit ad ſanguinem in eo, &, quod conſequitur, in pulmonibus remorandum, præſertim in paralytica. Ob ejuſmodi enim cauſam egregie Lanciſius (*p*) cenſuit, quibus cor ab ortu conſueto majus obtigit, iis ſi vires moventes muſculos minuantur, ut puta vel a ſola provectiori ætate, facile ſanguinem in corde ſubſiſtere, hujuſque aneuryſma facere. Sed etſi ingens cordis moles ſive diaphragma prægravando, ſive etiam pulmones, ut in eo de quo loquimur, Juvene perſpicue apparuit, comprimendo, reſpirationi officit, ſicuti alias indicavimus; tamen vel ſola, quam hic attendimus, ſiniſtri ventriculi dilatatio facit, ut quanto minus ſanguinis in Aortam poteſt extrudi, tanto quoque minus e pulmonibus admitti poſſit; unde tum ſpirandi difficultas oritur gravatis ſanguine pulmonibus, tum mors denique repentina ubi is ventriculus magis ſemper, magiſque laxatus, ea tandem ſanguinis copia obruitur, ut ſe ſe nequeat contrahere. Copia autem ſanguinis, qua non his modo in caſibus, ſed & in aliis repentinarum mortium haud ita raro oppletus conſpicitur, veluti; ne longe hinc digrediar; in Fœmina illa principe, quam ſupra (*q*) ex Morando commemoravi, & in ancilla, de qua in hac ipſa Sepulchreti Sectione XI. Obſ. XI. & in aliis facile de quibus ibidem Obſ. IX. aut in Additamentis Obſ. I; ea, inquam, ſanguinis copia facit, ne ſine aliqua cauſarum, & rerum circumſtantium diſtinctione, aſſentiri iis poſſim qui ſcribunt ſic in univerſum; *in hominibus ſubita morte exſtinctis, ſolere cor dextrum ſanguine plenum, ſiniſtrum vacuum eſſe*.

14. Quæres fortaſſe, cur in propoſito Juvene cum eſſent cordis quatuor caveæ omnes dilatatæ, maxima tamen dilatatio eſſet ventriculi ſiniſtri? Scilicet quia hujus dilatatio cauſa fuerat dilatationis trium reliquarum, ſanguinem videlicet ob eam cauſam quæ paulo ante dicta eſt, minus admittendo, ideoque in ſiniſtra auricula, & pulmonibus, & ventriculo dextero adjectaque ei auricula retardando. Sed cur primus omnium dilatatus eſt ſiniſter ventriculus? Nimirum quia contractæ; quæcunque ejus rei cauſa fuerit; corrugatæque Semilunares valvulæ ſe explicare ſatis non poterant, ne ſanguis, conſtringente ſe Aorta, in ventriculum unde venerat, ſui partem remitteret: quæ pars fortaſſe minor fuiſſet, ſi tunicæ ulterioris Aortæ juſtam excepti ſanguinis copiam venas verſus compellere potuiſſent, id quod illarum tenuitas, hoc eſt minor carnearum, & elaſticarum fibrarum numerus non ſinebat. Verum hæc non fuſius explico, ut quæ partim ſunt per ſe clara, partim alias (*r*) ſatis expoſita.

15. Illud tamen ſemper eſt animadvertendum, cordis aneuryſmata haud ſecus atque Aortæ, non ita neceſſarias ſubiti interitus cauſas eſſe, ut ſunt cordis, aut Aortæ ruptiones. Imo dilatationes illæ, niſi eo demum pervenerint, ut nova alia cauſa extrinſecus, aut intrinſecus accedente, illico ceſſare debeat ſanguinis circumitio, lentam potius mortem afferent, quam repentinam. Cujus rei etſi multæ extant Obſervationes, neque in noſtris ad te Litteris deſunt; tamen quod ad cor attinet, de quo hic agimus, duas inſpice quas habes in Sepulchreto (*ſ*) alteram Thomæ Bartholini, in qua *cor tam vaſtum* proponitur, *ut ſæpe in bobus non majus ſit*, alteram Ottonis Heurnii, in qua cor dicitur *communem magnitudinem quater circiter exceſſiſſe*. Neutrius ægrum ſubita abreptum morte; imo utrumque lento morbo confectum invenies. Quin utriuſque in corde id fuiſſe inſuper animadverteres, cujus cauſa has duas potiſſimum Obſervationes memoravi. Nam primus ſub radice arteriæ Magnæ *cartilaginem* habuit *triquetram*, ſive *ſpongioſum nonnihil os & friabile*, *calculis nonnullis per urinam excretis haud abſimile*; alter vero *in villis ſepti intermedii tres calculos*, *piſi circiter magnitudine*, *non admodum adhuc ſolidos*, *ſed arenaceos & novaculæ cedentes*. Vides igitur, nec propter hæc alia cordis vitia mortem ſubitam accidiſſe: quam neque ei leges accidiſſe adoleſcenti (*t*), cujus in corde *os tribus articulis conſtans*, *cavumque*, *& arenoſa quadam materia repletum* invenit Platerus, neque ei Mercatori (*u*), cui dexter cordis ventriculus interius fuit *durus* adeo, *exaſperatus undique & quodammodo ſquamoſus*, *ut inſerta manus* Smetii *ſquamarum ſcabritie offenderetur*. Quæ ego, atque alia ejuſmodi exempla Amicis quibuſdam proferebam, ne facile improviſi obitus cauſam ab oſſibus repeterent conſpectis in corde viri, cujus diſſectio in hoc Theatro initium præbuit Anatomes A. 1745. In ejus corpore quæ præter naturam animadverterim, quando in ſermonem de illo incidi, hic paucis ſubjiciam.

16. MENDICUS, qui antea Lanarius fuerat, annos natus ad quinquaginta, grandi macie torridus, frigidiſſimo anni tempore; Januarius enim menſis ad finem vergebat; ut nudus in paleis dormire conſueverat, ſic mane inventus eſt mortuus in ſuo gurguſtio. VENTRE aperto, aliquanto plus humoris in hoc vidi, quam ſecundum naturam ſoleat: ventriculum autem valde diſtentum, omentoque, magna ex parte ſurſum retracto, altius opertum. Intus plurimum quidem habebat aeris, ſed & vini adhuc aliquantum, cujus erat colore infectus. Meſenterii glandulæ tum ad ejus centrum, ubi erant in modum gemini haud magni racemi conſtipatæ, tum alibi paſſim, ubi erant disjectæ, æquo majores, & ſubduræ. Lien parvulus, cum jecur quidem eſſet mediocre, arteria autem Splenica proportione craſſior. Cætera in ventre viſcera bene ſe habebant. In Thorace cor potiſſimum perluſtravi, quod non parvum erat, ſed flaccidum. Recte in eo omnia, niſi quod exterius in medio fere poſterioris faciei ſquamam oſſeam habebat non parvam, alteram autem multo hac minorem exterius pariter in auricula dextera. Erat ſquama utraque ſic annexa cordis, auriculæque membranæ, ut arctius tamen fibris carneis inhæreret, ſine quarum laceratione haud poterat ſeparari. Reliqua non potui in Thorace, nedum in Capite, diligenter inſpicere, cum magis idoneum cadaver interea nactus, hujus accurata obſervatione, præter conſuetum docendi munus, diſtinerer. In illo tamen priore vidiſſe memini interiorem Aortæ faciem vel pone valvulas Semilunares ſubalbis maculis diſtinctam, quas etiam prope ejus diviſionem in Iliacas, & in his ipſis animadverteram.

17. Vellem, ſi fieri potuiſſet, peculiaria quædam noviſſe, quibus hic mendicus, dum viveret, eſſet, aut non eſſet obnoxius, & tempus præterea habuiſſe ejuſdem, qui Lanarius fuerat, & valde macilentus, pulmones rimandi, & qui inopinatam mortem obierat, cerebrum incidendi. Nunc liceret aptius conjicere, quam in ejus obitu partem frigus, & quam, ſi forte ſic tibi placet, ſquamæ illæ etiam cordis oſſeæ habuiſſent: quanquam hæ mihi

(*n*) Obſ. 30. (*o*) Obſ. 33. (*p*) De Mot. Cord. Propoſ. 38. in fin. (*q*) n. 7. (*r*) Epiſt. 23. n. 9.
(*ſ*) l. 2. S. 7. Obſ. 83. & S. 8. Obſ. 15. (*t*) Sect. ead. 8. Obſ. 24. (*u*) Ibid. Obſ. 14. §. 9.

mihi quidem videntur non ita magnam, cum eorum venit in mentem quæ ſupra (*x*) dicebam me tunc Amicis commemoraſſe. Quod ſi tu exempla illa minus arbitraris huc attinere, quippe calculorum potius quam oſſium; non hic diſputabo, num corpora ea omnia revera fuerint calculoſa, &, ſi etiam fuerint, num cordi ipſa non officere potuerint, ſi meæ oſſeæ laminæ, quantum exiſtimas, officiebant; ſed exempla addam alia in quibus vera oſſa fuiſſe, nec tu, nec ego dubitabimus. Neque enim facere cum iis poſſum qui, arteriis exceptis, & Falcato Craſſæ meningis proceſſu, non videntur alibi oſſeas concretiones agnoſcere, ſed pro tartareis magis habent, & calculoſis: ut neque cum iis qui cor, & arterias fere ſolas cenſent in vera oſſa poſſe mutari. Sed & illis credo qui in corde aliquando & arteriis non veras oſſeas concretiones viderunt, & mihi ipſi credo, non modo aliis a quibus in corde, & arteriis vera oſſa conſpecta ſunt. Verum de arteriis poſtea. Nunc prius de corde videamus. Columbus noſter (*y*) cordis *ſeptum* vidit utique in nonnullis *cartilagineum*, & Veslingius item noſter (*z*) ſiniſtrum ventriculum, non oſſe quidem, ut aliqui ajunt, ſed *cartilaginea cruſta ſuccinctum intus* conſpexit. Et in Sepulchreti libro hoc II. Sect. I. (*a*), & II. (*b*) habes *juxta auriculam cordis ſiniſtram, cartilaginoſam excreſcentiam*; imo & auriculas ipſas *duriores & cartilagineas*. Ubi autem cartilago eſt, ibi verum os fieri poſſe, non videtur dubitandum. Quamobrem mirum non eſt quod alii, ut nos, in corde oſſa deprehenderint, nec quod Dioniſius, uti alias (*c*) retulimus, auriculam ejus dexteram oſſea ſquamoſaque ſubſtantia intus invenerit obductam. Quod ſi forte aliquis dicat, oſſa hæc ad membranas attinuiſſe, non ad carneas fibras, neque illas fuiſſe veras cartilagines, ſed ob duritiæ ſimilitudinem ſic vocatas non ſecus ac vagina uteri in vetulis eſſe dicitur cartilaginea, quanquam ea aut in membranis oſſa, aut eæ in fibris carneis duritiæ ipſa quoque officere debuiſſent cordis, & auricularum motibus; non repugnabo: ſed alia potius ratione aggrediar. Certum eſt enim, carneas ipſas cordis fibras ad tendineam naturam interdum deflectere. Itaque Albertinus (*d*) in quibuſdam vidit, *ſubſtantiam cordis a baſi ultra medietatem ipſius conſiſtentia, & colore quaſi tendinem evaſiſſe*: qualem mutationem mihi quoque liceret mea tibi, ſi opus eſſet, Obſervatione (*e*) confirmare. Poſſe autem ex tendinibus oſſa fieri, ætate præſertim ingraveſcente, cum Veslingii (*f*) Obſervatio indicat, qui ſi non *oſſeos*, ut quidam ſcribunt, at *propemodum oſſeos* invenit omnes tendines qui in ſenis capularis crura, tarſoſque ferebantur, tum aliorum haud ita raræ inſpectiones, conjunctæ cum iis quæ in brutarum animantium, & avium potiſſimum pedibus jam diu ſunt pervulgatæ, plane comprobant. Sed hæc dicta ſint, non quod oſſium deſint Obſervationes in carnea ipſa cordis ſubſtantia; ſed ut vera oſſa eſſe non potuiſſe, ne dicatur, niſi forte ab iis qui ne avium quidem illos tendines in oſsa converti, ſed in calculoſam potius ſubſtantiam, contra ſenſuum teſtimonia contenderent; certe enim; ut alia prætercam; ii tendines, oſsei ſic ſatis jam facti, donec tenuia filamenta, aut tenues lamellæ ſunt, a nobis haud ſecus ac ungues, aut cornea lamina, flecti poſsunt, a flexione autem continuo in rectitudinem ſe reſtituunt: qui ſi ex calculoſa, aut tartarea materia conſtarent, frangerentur illico, & in fragmina diſſilirent.

18. Verum ut ad exempla jam veniam; Cl. Reimannum (*g*) hic non citabo, quia cum propoſuit a ſe viſas *columnas carneas, ad latera* alterius *ventriculi* cordis *exſtantes, penitus oſſificatas*, illud continuo ſubjecit, *aut, ſi mavis, ſilicis inſtar induratas*; ſed potius antiquioribus Obſervationibus utar meis, quas tametſi annis habui 1707. & 1717; præclare tamen adhuc ſcio, me non ſilices, aut calculos, ſed vera oſsa in carnea ſubſtantia cordis vidiſse. Earum Obſervationum alteram habes in hac Epiſtola (*h*), alteram in III. (*i*), utramque ita ſcriptam, ut plane intelligas, quorum eſsent ea corda, eoſque repentina quidem morte raptos, ſed non propter id os fuiſse. Namque A. 1719. utrumque os tantummodo memoraveram, in V. Adverſariis (*k*) videlicet. Sed ibi tamen ſatis, ut opinor, indicaveram, neutrum illorum in ea cordis parte induruiſse, ubi tendo ſecundum naturam quidem ſit tam craſsus præſertim, quam alterius craſſitudo, alterius ſedes requirebat. Ex fibris igitur carneis, vi morbi antea quaſi in tendinem, ut puto, (*l*) mutatis, videtur utrumque conſtitiſse. Legi poſtea Boerhaavium (*m*), ut alibi *tendines fuiſſe* vidit *quaſi oſſeas feſtucas*, ſic vidiſse quoque *ſeptum cordis, ejuſque cava oſſeam naturam induiſſe*. Præcipue autem in Hiſtoria legi Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis anni quidem 1726. Chirurgum Clariſs. Garengeotum os reperiſse meorum utroque multo longius, ut ad ambos cordis ventriculos pertineret, neque exterius ſolum, uti mea, intra carneas fibras lateret, ſed etiam interius, ideoque planius intelligi poſſet, in os ipſas eſse mutatas. Ad hanc Obſervationem addi nunc video alteram oſſis multo amplioris, ut quod manus palmam propemodum æquaret, ſeque ab exterioribus cordis faciebus, & a poſteriore præſertim, ad interiores uſque fibras ventriculorum produceret, nonnihil jam cartilagineas. Nec cartilaginea interſtitia deerant inter oſseam ſubſtantiam. Invenies relatam hiſtoriam hanc ab Archiatro Ampliſſimo Senacio (*n*): qui ab ſe quoque conſpectum in alio ventriculum ſiniſtrum cum ipſis columnis ex oſsea ſubſtantia fuiſse, teſtatur (*o*). Nec vero fugiebant Doctiſſimum Virum eorum Obſervationes, qui non oſsa, ſed lapides ab ſe in corde viſos, ſcripſerunt, imo non parvum earum numerum collectum dedit (*p*), non reticens tamen, quas potiſſimum inter eas quoque, ex oſsea ſubſtantia, quamvis non bene formata, factas eſse, cenſeret, nec dubitans (*q*), quod ad cæteras attinet, in quibus melius illa formata eſt, quin carneæ fibræ cordis fierent oſseæ, poſt membraneas tamen, atque tendineas, aut ſi quæ partes cordis fieri poſſint cartilagineæ, quin hic gradus ſit, ut deinde fiant oſſeæ. Verum ut ad Garengeoti Obſervationem revertar, etſi os, ab eo deſcriptum, quanto erat noſtris illis majus, tanto magis imminuere debuit cordis vires, ut quæ, decreſcente ejus carnea ſubſtantia, decreſcunt, tantoque magis utrique cordis motui ſua inflexibili obeſse duritia; tamen in homine deprehenſum eſt, quem duos & ſeptuaginta annos vixiſse, lego, repentino autem caſu extinctum eſse, non lego, ut neque eorum quenquam in quorum cordibus aut calculi, aut oſsa ab aliis ſunt, ut dixi, obſervata. Unus eſset excipiendus Schombergius ille, quem, ut in Sepulchreto ipſo (*r*) videris, narrat Thuanus, *in curru ſuo, ... intercepto ſpiritu ſtatim enectum*, ſi mortis cauſam, quam ſubjicit, ſic intelligendam eſse, conſtaret, ut in Sepulchreto intelligitur, *pericardium* videlicet, *& cordis regionem* ſiniſtram *oſſea reddita*. Sed ſi Thuani verba perpendantur: *membrana, & carnea omnis pars quæ ſiniſtram cordis regionem tegit, & ad flabellationis aſſiduæ uſum dilatatur ac comprimitur, ex immodico calore & liberaliore victu tota oſſea reperta eſt, ita ut reſpirandi facultatem impediret*; plurimum vereor, ne pleriſque cum pericardii ſiniſtra parte, proxima, ut tunc loquebantur, caro pulmonis ſignificari videatur, in viro præſertim qui *jam a longo tempore*, *difficultate reſpi-*

(*x*) n. 15. (*y*) De Re Anat. l. 15. (*z*) Obſ. Anat. & Epiſt. Med. 15. (*a*) Obſ. 32. (*b*) Obſ. 2.
(*c*) Epiſt. 18. n. 11. & 12. (*d*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 1. in Opuſcul. (*e*) Vid. Epiſt. 45. n. 23.
(*f*) Epiſt. cit. 15. (*g*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 170. (*h*) n. 2. (*i*) n. 22. (*k*) Animad. 14.
(*l*) Vid. Epiſt. 45. n. 23. & 26. (*m*) Prælect. ad Inſtit. §. 478. (*n*) Traité du Coeur l. 4. ch. 9. n. 5. ad fin.
(*o*) l. 2. ch. 9. n. 10. (*p*) l. 4. ch. 9. n. 4. (*q*) n. 5. (*r*) l. 2. S. 2. Obſ. 27.

reſpirandi laboraret, ereptuſque *repentina ſuffocatione creditus* ſit.

19. Nec vero abs te hic interpellari me poſſe, puto objectis duabus ex hac Sepulchreti Sectione XI. Obſervationibus XXVI. & LVI. in quibus ſubita mors proponitur ex oſſeis factis Semilunaribus valvulis, aut Mitralibus. Nam inſuperabile obſtaculum quodlibet, non modo oſſeum, ubi ſanguinis e ſiniſtro cordis ventriculo egreſſum, aut in hunc ingreſſum *præcludat*, nec dubium eſt quin mortem afferat, neque ad hanc attinet diſputationem. Hic enim de oſſe quærebamus in ipſo corde, non arteriarum, aut valvularum ſubſtantia innato: quanquam hoc quoque a Majoribus os cordis vocitabatur. Sed ad Aortæ radicem in vetulis animalibus attinere, poſt reſtitutam Anatomen bene plerique judicarunt, quibuſcum fecit Riolanus (*ſ*), apud quem locos Galeni, atque adeo Ariſtotelis, aliorumque indicatos videbis. Neque tamen in magnis omnibus animalibus agnoſcebat Ariſtoteles, laudatus ab Ingraſſia (*t*) quod non in cunctis boum generibus, ſed in *quodam* reperiri, ſcripſerit: ſe enim, *plurima diverſorum boum, quantumvis veterum, corda cum diſſecuiſſet, in uno dumtaxat exquiſitiſſimum os inveniſſe*, idque ad Aortæ radicem pertinens; in cæteris vero *rariſſime oſſeam* ibi *dici poſſe cartilaginem, multoque minus os cartilagineum conſpexiſſe*. Eademque in hominibus obſervare interdum contingit. Sic Harvejus (*u*) in Viro nobiliſſimo, & fortiſſimo *partem magnæ arteriæ juxta cor in os rotundum converſam* memorat. Sed minus raro, præſertim in ſenioribus, os ibi conſpectum eſt alia forma. Sic Bartholinus (*x*) in Pontif. Max. Urbano VIII. *os triangulare* deſcribit: quod ego huc attinere, credidi non tam quia *in ſiniſtro cordis ventriculo* fuiſſe, dicit, quam quod *frequens id in ſenibus* eſſe, ſubjicit: tametſi cauſa quam profert, non placet, fieri hoc *ſumma* Naturæ *providentia, ut torpidus alioqui ſanguis velut ſtimulo addito ad motum incitetur*. Utrumque hoc os commemoravit Raygerus (*y*), cujus verba cætera ad citatam XXVI. Obſervationem ſi diligentius fuiſſent in Sepulchreto deſcripta, non id *in homine inſolitum*, ſed *inſolitum prope, ad minimum valde infrequens* legeremus. Verum Aortæ valvulæ ab eo quo ille ſcribebat, tempore non ita raro inventæ ſunt oſſeæ, quanquam ubi nihil præterea vitii fuit, rarius tam ſubita mors illis potuit jure imputari. Niſi enim ſanguini demum præcludant viam, ut paulo ante dicebamus; mortem ejuſmodi non afferunt: & ſane tot oſſearum valvularum exempla, quorum plura alias (*z*) tibi commemoravimus, cum ea raro fuere conjuncta, & priuſquam forent, jam alia non deerant mala, quæ aut ſimul efficere, aut prænunciare illam poſſent: quorum alterum; ut ex Commercio Litterario A. 1736. exempla hic addamus; in Obſervatione vides Cl. Trewii (*a*), cum præter rigidas, & omnino duras valvulas, Aortæ orificium *tantum non penitus occludentes*, ejuſdem arteriæ *totus ambitus prope principium ſuum durus* eſſet, *atque inflexibilis*; alterum autem in Obſervatione Cl. Krameri (*b*), qui ſubitaneam mortem aſthma præceſſiſſe ex valvularum *oſſificatione*, animadvertit. Recte igitur in ſuo caſu dubitavit Raygerus, an oſſeæ illæ valvulæ *tam repentinæ mortis cauſæ fuerint*, *cum circulationem ſanguinis impediviſſe*, ipſi *credibile* non videretur, nec mihi videatur, nullum, cui homo antea obnoxius eſſet, morbum legenti. Quod ſi *in toto corpore nihil* præterea *morboſum* repertum eſt, quod cum ipſis valvulis conjunctum, præcludere ſanguini exitum, aut aliter obſtare ejus motui poſſet; ne dicam non ſatis quæſitum; in nervis id latuiſſe, libentius dixero, vel potius in tam concitato ſanguinis motu eſſe agnoſcendum, cui, & copiæ ſimul impenſius auctæ reſpondere non potuerint valvulæ ſic affectæ; ſi hæc quidem, ut ego ſuſpicor, & tu conferens intelligere melius poteris, eadem hiſtoria eſt ac quæ ex Gayantio Pariſienſi Chirurgo a Cel. Senacio (*c*) memoratur. Neque enim homo *bonum* dumtaxat *jentaculum*, ſed & vini immanem vim ſumpſerat priuſquam repente interiret. Sic vero tanto magis vides, ad noſtram diſputationem oſſeas iſtas valvulas non pertinere, tum quia non ab illis tantum fuit repentinus interitus, tum quia illæ, ut ante dictum eſt, non ad cordis, ſed ad arteriarum oſſa attinent.

20. Quarum de oſſibus, ſæpe adeo, & fere in quavis ad te Epiſtola commemoratis, nunc ſequitur ut videamus verane ſint oſſa, an non ſint, quemadmodum non paulo ante (*d*) ſolum, verum etiam alias, nos facturos eſſe, ſpopondimus. Primum omnium, concretiones plures, quæ, duritie ſolum ſpectata, a feſtinante aliquo Anatomico poſſent pro oſſibus accipi, & fortaſſe interdum acceptæ ſunt, eſſe ab his accurate diſtinguendas, & lapideas, tophaceas, gypſeas, &, quod ſæpius accidit, calculoſas eſſe appellandas, ut varia ſingularum natura ad lapidis, tophi, gypſi, & calculorum qui crebrius in renibus, aut urinaria veſica concreſcunt, ſimilitudinem videtur accedere, extra omnem dubitationem poſitum eſt. Id vero ut paſſim in aliis corporis partibus, & nominatim in Pineali glandula (*e*), ſic etiam in arteriis habere locum, ultro agnovi Epiſtola XXIII. (*f*), ubi luculentam præ cæteris Greiſelii Obſervationem memoravi arteriæ partis *in arenam friabilis*. Et quoniam ibi de valvulis potiſſimum loquebamur; nunc obſervationem addo Cl. Chomelii (*g*) qui cum tubercula deſcribit lapidea, ſic interius, exteriuſque ſuperficiei affixa arteriæ Pulmonaris, ut alicubi externa, internaque communicarent inter ſe; omnia teſtatur „ „ ex pluribus lapideis granis „ fuiſſe compacta. Et quanquam mihi in tot arteriarum duris bracteis, & ſquamis nunquam ad hoc tempus accidit, ut ullam animadverterem quæ eſſet friabilis, in arenamque reſolvi poſſet, aut quæ ex lapideis granis compacta eſſe videretur; attamen quod mihi non accidit; id aliquando, aut, ſi vis, ſæpe aliis accidiſſe, nequaquam dubito. Nec dubito, eoſdem, ſuis injectis in prunas lamellis, nullum ab his, qualem ab oſſibus fœtidum nidorem percepiſſe, nullamque in ipſis vidiſſe nigredinem. Mihi vero, qui id in meis non ſemel expertus, & illum percepi, & hanc vidi, veniam dari, ſpero a Cl. Viris, ſi de meis aliter ſentiam, præſertim cum quæ etiamtum eſſent tenuiores, flexiles non ſecus atque ungues invenerim; craſſiores autem, atque duriores dum majori vi inflectere conarer, ad eundem modum rumpi viderim, ac ſi oſſeam lamellam rumperem, eodemque ſono in diſruptione edito, quem, dum rumpitur, edit lamella oſſea; nullam autem e qua inter rumpendum, quidquam pulveris, quantumvis perſiccata eſſet, excideret. Hujuſmodi igitur lamellas num lapideas, tophaceas, gypſeas, calculoſas dicam, an oſſeas? Dicas, inquies, potius oſſibus ſimiles. Sic Vernojus (*h*) in Aortæ aneuryſmate concretam ſubſtantiam, quod non æque ac calculus, eſſet friabilis, ſed flexilior, & igni impoſita, odorem oſſibus proprium exhalaret, *ſubſtantiæ oſſeæ propenſiorem* eſſe, cenſuit. Sic Cel. Hallerus (*i*) in alio ejuſdem arteriæ aneuryſmate ſquamas fuiſſe, ſcripſit, *oſſeas pleraſque, vel oſſium ſimiles*. Ego vero non quæram, an ita plus dixerint, quam oſſium ſimiles, nec dicam, primum tamen locutum ibi eſſe de ſubſtantia, quæ, *tactu judice*, *calculo* erat *ſimilis*, alterum de illis ipſis ſquamis, quas tanto Præceptore dignus Vir Cl. Winklerus in ei dicata Diſſertatione (*k*) *lapideas ſquamas* dixerat, quippe quæ (*l*) *nec combuſtæ nigræ factæ fuerint*, & omnes habuerint *conditiones* veræ lithiaſis. Non hæc, inquam, dicam,

(*ſ*) Comment. in l. Galeni de Oſſib. poſt. c. 32. (*t*) Comment. in l. ejuſd. c. 24. ad text. 3. (*u*) De Circul. Sangu. Exerc. 3
(*x*) Cent. 2. Hiſt. Anat. 45. (*y*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 3. Obſ. 282. (*z*) Epiſt 23. n. 12. 13. (*a*) Not. 1. poſt Præfat.
(*b*) Hebd. 9. n. 2. (*c*) ch. 9 n. 5. cit. ſupra ad n. 18. (*d*) n. 17. (*e*) Epiſt. 5. n. 12. (*f*) n. 9.
(*g*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1707. Obſ. Anat. 3. (*h*) Comment. Imp. Acad. Petropol. Tom. 6. Cl. Phyſ. art. 4.
(*i*) Opuſc. Pathol. Obſ. 18. (*k*) de Vaſor. corp. hum. Lithiaſi S. 1. §. 7. (*l*) S. 2. §. 5.

dicam; ſed hoc unum dicam, me quoque, cum oſſeas voco, non aliud quam ſimilitudinem, ſpectare, nec quando revera oſſeas, aut vera oſſa non modo in arteriis, ſed & alibi fuiſſe, ſcribo, aliud mihi velle quam ne forte ſuſpiceris, qualeſcunque duras concretiones a me temere, & nimis facile eſſe pro oſſeis acceptas; ſed ut certo ſcias, quas oſſeas voco, attente conſideratas, reapſe oſſeis tanto ſimiliores viſas eſſe, quanto lapideis, tophaceis, gypſeis, calculoſis diſſimiliores. Hoc igitur mihi ſatis eſt. Neque enim unquam in mentem venit, cum de his morboſis loquerer oſſibus, ipſis quoque eandem quam naturalibus, datam eſſe elegantem ſtructuram, aut perioſteum pariter, aut ſanguifera vaſcula, aut oleum medullare: quanquam miror, qui concretiones quibus hæc deſint, non oſſeas, ſed terreas vocandas eſſe, contendunt, eorum alios laryngis cartilagines, in quibus ob ætatem haud raro oſſeis factis nihil horum deeſſe, vidi (*m*), inter lithiaſis exempla referre; quod cur faciant, haud ſatis ſcio, cum induratas & meninges, & cartilagines præſertim, oſſibus veris maxime eſſe affines, ultro affirmaverint: alios autem nullas excipere cartilagines præter eas quæ antequam perfectum eſſet corpus, jam factæ erant oſſeæ. Hi ipſi ne meningum quidem concretiones excipiunt: imo diſerte quæ in Falciformi proceſſu fiunt, terreas eſſe, pronunciant. Nec vero Præſtantiſſimis Viris inficior, tales ab ipſis eſſe deprehenſas, &, quod generatim objiciunt, nihil ordinati oſtendentes, ne fibras quidem, vel ſi microſcopio utaris. Sed neque tu inficiari poteris, cum majus illud os, a me in eo proceſſu olim inventum, nullo microſcopio uſus, inſpexeris, aut ejus deſcriptionem (*n*) relegeris, ex iis eſſe quæ ibidem reperta Illuſtris Hallerus (*o*) nuper propoſuit *fibris parallelis ad pectinis modum terminata*. Omitto cæteros, alia Epiſtola (*p*) jam laudatos. Etſi enim fibrarum in morboſis concretionibus nullæ extarent obſervationes; certe etiam in callo qui conferventibus accreſcit oſſibus, poſtquam omnino perfectus eſt, fibræ nullæ, ſed denſa, & compacta ſubſtantia occurrit; num tamen propterea non eſſe callum naturæ oſſeæ, contendemus? De duabus igitur quæ præcipuæ creduntur pro ſententia de qua hic loquimur, rationibus, altera, quæ a ſtructura petebatur, ſatis a nobis perpenſa eſt, quibus præſertim ſat eſſe, dixerimus oſſeæ naturæ ſimilitudinem, & quibus perinde ſit, molles partium fibras in illam converti, aut ipſa incruſtari, & denique abſumi, modo quod negari non poteſt, id ſaltem detur, quæ mollium erat antea fibrarum ſedes, ab illa occupari. Altera autem ratio, inde petita quod duræ concretiones raro, ſi unquam, in aliis quam ſeniorum, corporibus deprehendantur, quorum videlicet ſanguis terrea materia abundat, morari nos minime poteſt, non oblitos, quod exempla attulerit Vir, dum viveret, Eruditiſſimus Crellius (*q*), ut evinceret, *arterias*, de quibus hic potiſſimum quærimus, *non in ſenibus tantum, ſed quavis ætatis periodo in os eſſe mutatas*; quamvis eandem illam, ſed alio explicatam modo, ſequeretur ſententiam. Quam explicationem, quippe ad arterias præcipue attinentem, hic prætermittere nullo pacto poſſum.

21. Crellii igitur explicatio, ſive mavis peculiaris ſententia eſt (*r*), quæ in arteriis oſſeæ bracteæ dicuntur, revera non eſſe oſſeas, ſed tophaceas ex pure concretiones, cujus tenuiore parte diſſipata, reſtitans craſſior induretur. Cum enim exiliora quæ intra arteriarum ſubſtantiam perrepunt, vaſcula lentis viſcidiſque obſtruuntur ſuccis, quorum in ſenibus, aut intemperantibus etiam junioribus copia eſt, facile fieri, ut obſtructionem inflammatio, inflammationem ſuppuratio conſequatur: pus autem effundi in celluloſum contextum, quo carnea arteriæ tunica ab intima ſeparatur, perque eas cellulas, quippe inter ſe communicantes, defluere modo plures, modo pauciores, ut ipſius copia major, aut minor eſt, in iiſque ſubſiſtens concreſcere. Hinc autem eſſe, cur hæ ſquamulæ inter duas illas tunicas inveniantur, niſi major, aut diutius perſtans ſuppuratio eas denique tunicas etiam corrumpat, & obruat. Nec ſibi obſtare nidorem illum quem injectæ in prunas reddunt eæ ſquamulæ; agnoſcit enim, non negat, ut alii de quibus ſupra (*ſ*) indicatum eſt, ut ſane Vernojus quoque (*t*), & Kulmus (*u*) eundem non ſecus ac nos, obſervarunt. Sed quod hi, & ante ipſos alii, in quibus Schrockius (*x*), & Scheidius (*y*) eo tanquam nota uſi fuerant ad oſſeas concretiones a calculoſis internoſcendas, id vero ſuæ repugnare ſententiæ, negat (*z*) propterea quia pus quoque, ex quacunque corporis parte acceptum, ſi in prunas injiciatur, nidorem, fœtidumque fumum, ejus omnino ſimilem quem oſſa, diffundat. Quæ ego, atque alia cum legerem, quæ adverſus tum Boerhaavii, tum cæterorum ſententias ipſe quoque objicit, & quæ jam tibi Epiſtola XVIII. (*a*) magna ex parte indicavi, non ſine mea, qualis ea cunque eſt, ad ſingula reſponſione, non poſſum non mearum, quarum pleræque ad te ſcriptæ ſunt, Obſervationum recordari, & ſingularum qui plerumque eſt inter ea quæ ego videram, & quæ Crellius ponebat, conſenſum agnoſcere. Quod enim oſſeæ lamellæ, nec raro, etiam longius a corde aut incipiant, aut crebriores, majoreſque fiant, & quod illas tunica arteriæ intima ipſa non habeat, ſed operiat, præſertim vero quod ſæpe cum iis lamellis eroſionis atque exulcerationis non obſcura conjungantur indicia, atque alia ejuſdemmodi in tot noſtris Obſervationibus legiſti, ut longum, & ſupervacuum eſſet hic tibi ſingulas deſignare. Juvat potius quædum earum nonnullas haberemus, diligentius inſpiciendo tunc adnotavimus, nunc autem huc attinere potiſſimum credimus, hic tecum ingenue communicare.

22. Atque ut ab eo Sene incipiamus, de quo ſpeciatim hoc tibi promiſiſſe (*b*) meminimus; tot illas, etiam ampliores, laminas tunica intima non modo operiebat, ſed arctiſſime ad omnem earum cavam, ſive interiorem faciem adhærebat integra quidem & illæſa, niſi quod ad unam dumtaxat earum hiabat: quo in hiatu materia erat, ſeu mavis humor craſſiuſculus ex albo flavus. A facie autem illius, & plerarumque laminarum convexa nihil negotii erat annullares carneæ tunicæ fibras ſejungere, eaſque illæſas. Erant tamen quædam laminæ quibus ab eadem convexa facie materia ejuſdemmodi ac modo deſcripſimus, ex albo flava adhærebat: ibi autem vix, ac ne vix quidem ullæ ſupererant carneæ fibræ, quippe exeſæ ad extimam uſque tunicam, quæ integra erat. Hic tibi velim alterius Senis veniat in mentem, de quo ſcripſi Epiſtola VII. (*c*). Ejus Aorta, quæ exterius propria oſtendebat ſanguifera vaſcula multum diſtenta, indicium videlicet perſtantis inflammationis, erat interius tum ſquamulis oſſeis prædita, tum quibuſdam locis ita exulcerata, ut non ſolum tunica intima, ſed proxima etiam carnea exeſa, in rubram putridamque ſubſtantiam quæ fruſtillatim prodibat, converſa eſſe videretur. In quadam autem Anicula, quam alias (*d*) deſcribemus, cum in ventre, tota paſſim eſſet Aorta, plureſque ejus rami flavis ſub tunica intima lamellis oſſeis diſtincta, paſſim quoque erat intus fœda ab humore craſſiuſculo fuſco, & ſanguinolento, qui hic illic, quaſi exulceratis ſtillaſſet ex locis, adhærebat. Mitto alias ejuſcemodi Obſervationes, & toties adnotata ſimul cum oſſeis bracteis quaſi eroſionis, & exulcerationis in arteriis indicia, id eſt exulcerationis ſui generis. Satis enim jam propoſita facere videntur ad fidem adjungendam ſententiæ novæ, quippe cum inflammatio, eroſio, purulentus humor, unde oſſeæ lamellæ concreſcant, ſimul inveniantur. Una etiam apparet, ſi hæ ſic fiant, poſſe ipſas nonnunquam tum ad interiora pervenire, tum ad exteriora ſe extendere ita continuata, ut in Chomelii Obſervatione (*e*) lapideas illas concretiones alicubi fuiſſe, legimus, tunicis videlicet per eroſionem utrinque tandem abſumptis; qua ratione qui ſententiam hanc ſeque-

(*m*) Vid. ex parte Adverſ. I. n. 23. (*n*) Epiſt. 3. n. 20. (*o*) Opuſcul. Pathol. Obſ. 49. (*p*) Epiſt. 25. n. 9.
(*q*) Obſ. de arteria cordis Coronar. inſtar oſſis indurata §. 2. (*r*) Ibid. §. 8. & 9. (*ſ*) n. 20. (*t*) citatus eod. n.
(*u*) Diſput. de Tend. Achill. &c. c. 1. (*x*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 3. Obſ. 19. in Schol. (*y*) De duob. Offic. in cerebr. &c. qu. 2.
(*z*) §. 9. (*a*) n. 32. (*b*) Epiſt. 24. n. 16. (*c*) n. 9. (*d*) Epiſt. 10. n. 24. (*e*) Vid. ſupra, n. 20.

ſequerentur, conjicere fortaſſe poſſent, explicandam eſſe Sculteti (*f*) Obſervationem qua truncus Aortæ proponitur *ad minimi digiti longitudinem totus oſſeus*, aliaſque hujus ſimiles, & eam quoque, ſed hanc difficilius ob multo longiorem arteriæ tractum ſine ullis prorſus tunicarum reliquiis, quam ex Harvejo acceptam Obſervationem nos huic ſententiæ objeciſſe (*g*) meminimus.

23. Verum hæc tria quæ poſtremo diximus, ſine profuſione ſanguinis ex eroſa arteria, perfici nequaquam potuiſſent. Cætera autem etſi plurimum videntur facere ad confirmandam, tuendamque novam ſententiam, num propterea planum eſt, concretiones iſtas quæ poſt inflammationem & ſuppurationem ortæ creduntur, tophaceas ſemper eſſe, non oſſeas? Mihi certe vel in iis omnibus cadaveribus quæ paulo ante memorabam, non tophaceæ ſunt viſæ, ſed oſſeæ, & quas diſrupi, eæ non aliter ac oſſis lamellæ, ruptæ ſunt, eodemque ſono edito. Aliud autem eſt, poſt inflammationes, & ſuppurationes ſquamas iſtas oriri; aliud, ipſas, cæteraſque non eſſe oſſeas. Illud ſæpe fieri, agnoſcere quidem poſſum; hoc, niſi interdum, non poſſum. Et ſane quid eſt, quod Majores (*h*) Aortæ baſim, in vetulis cervis induratam, os conſtantiſſime vocaverint, aut quod Ingraſſias (*i*) eandem in bove converſam in *exquiſitiſſimum os* inveniſſe ſe, dixerit? Num Ariſtoteles, Galenus, aliique exercitatiſſimi Anatomici, ne dicam Pharmacopolæ ipſi, qui per tot ſæcula illud os ſubinde in ſcobem redigere conſueverunt, tophaceum ab oſſeo internoſcere neſciebant? Aut quid eſt, quod ubi iſtæ in Aorta lamellæ, ſimul quoque in iiſdem corporibus aliæ partes in verum os mutatæ ſæpenumero inveniuntur? Sic Vieuſſenius (*k*) qua in Matrona tot arterias enumerat magna ex parte oſſeas factas, in eadem etiam annulos bronchiorum fuiſſe, narrat, in os converſos. Idemque, Epiſtolas noſtras relegens (*l*), viſum a nobis reperies in duobus, in quibus oſſeas lamellas habuit arteria Magna. In his autem ipſis Litteris (*m*) mulier illa deſcripta eſt, quæ ſimul, in arteriis id vitii oſtendit, ſimul os in cordis ſubſtantia, & novi oſſis additamenta in calvariæ facie interiore. Omitto ſciens meas alias huc attinentes Obſervationes, in iiſque aliquas, olim ineunte hoc ſæculo habitas, cum iiſdem in corporibus oſſeas bracteolas tum in arteriis, tum in pericardio conſpexi. Ex te igitur quæro, num veri ſimilius ſit, quæ in iiſdem cadaveribus eadem eſſe variis in partibus omnes dicerent qui viderent, & contrectarent, in cæteris quidem partibus fuiſſe oſſea, in arteriis ſolis tophacea, an ubique pariter oſſea? Tibi certe proclivius erit quibus in corporibus abundet ſanguis certis quibuſdam ſalinis, terreis, aliiſque ex quibus plerique oſſa cenſent compingi particulis, proclivius, inquam, erit iis in corporibus exiſtimare, eaſdem particulas iis in ſedibus reſtitantes, quæ ſive natura, ſeu morbi vi magis ſint diſpoſitæ ad eas particulas retinendas, in ſedibus iis omnibus concretiones demum facere ejuſdem generis, quam in cæteris unius, in arteriis ſolis alterius.

24. Vides igitur, novam a me hactenus ſententiam accipi, ne ortæ in arteriis ſquamæ pro tophaceis, ſæpius ſaltem, habeantur. Præterea illarum ortum vel ſine prævia inflammatione, aut certe ſuppuratione interdum accidere, non dubito. Inſpice, quæſo, in Epiſtola XVIII. (*n*) ut Magna arteria a corde ad primum uſque orificium ramorum, ſuperiora petentium, ea parietum duritie fuerit, ut vix ſumma etiam vi adhibita incidi poſſet propter ejus ſubſtantiam, quæ, ut in ſectionibus apparuit, naturam jam nacta erat mediam inter ligamentum, & cartilaginem. Quantulum deerat, ſi vixiſſet homo, ut oſſea tandem fieret? Num vero credemus, totum illum præcipuum, & tantum arteriæ tractum inflammatione, & ſuppuratione omnem ejus ſubſtantiam occupante potuiſſe jam antea laborare, ut mors, aut acutiſſimi ſaltem morbi ſigna non adeſſent eo tempore? Ejuſmodi autem morbus utique non præceſſerat. Quid vero, ſi tot in cadaveribus, in quibus eroſiones & exulcerationes arteriæ deprehendimus, non hæ ſemper, nec ſæpius fortaſſe, anteceſſerunt productionem oſſearum ſquamarum; ſed iſtas potius ſunt conſecutæ? num ex purulenta, quam tunc vidimus, materia, ex eroſis locis deſtillante, eaſdem ſquamas extitiſſe, putabimus? Imo hæ ſuis aſperis, & ſæpe extantibus plus minus oris intimam tunicam perrumpendo, eroſiones illas, & exulcerationes fecerunt. Neque enim poteſt arteria ſe contrahere, quin aſperitates, & quaſi aculeos oſſiculorum contra eam tunicam urgeat, neque ſanguis, a corde impulſus, arterias diſtendere, quin eandem tunicam ad aculeos illos apprimat. Vide, ut Bellinus (*o*) ab hiſce oſſiculis, quæ lapides, ut alibi (*p*) diximus, appellitabat, & inflammationem, & exeſionem ejus tunicæ diſerte repetat. *Lapides vidimus*, inquit, *in intima arteriarum tunica, qui hic illic eandem exederant, & veluti phlogoſi inflammaverant, & ad loca inflammata veluti cruſta affigebantur: dolor inde ſatis acer, & contractio arteriarum*. Sic etiam Abrahamus Vaterus (*q*), qui oſſicula ab arteriæ motu diſrupta eſſe in plura fruſtula, credebat, *horum*, inquit, *extremitates intimam tunicam perforaverant*. Et quanquam Brunnerus (*r*) dum Soceri Aortam deſcribens oſſibus pluribus diſtinctam, proponit ejuſdem variis in ſedibus *tunicam interiorem diſruptam, laceram ac fracidam, non citra ruptionis metum*, ambigat, *utrum vi & evulſione, an eroſione factum* id *fuerit*; tamen qui animadvertat, eam arteriam *oſſea aſperitudine intruſos offendiſſe digitos*, & *pupugiſſe prominentia quadam acuta*; non ab eroſione ſolum *id* eſſe *factum*, intelliget. Quod autem non ſine ruptionis periculo fuiſſe rem dicit; nimirum ſic reapſe accidit in Sene, & Muliere, de quibus ſcriptum eſt Litteris ſuperioribus (*ſ*). Vidimus enim ex dilatata utriuſque, & Mulieris præſertim, Aorta viam ſibi ad erumpendum feciſſe ſanguinem qua inter confertas aſperaſque lamellas oſſeas internæ tunicæ erant exeſæ: uſque adeo a vero aberravit Paræus (*t*) ut quod obſtaculum, & quaſi aggerem oſſeæ cruſtæ *naturæ providentia* in dilatata arteria opponi cenſuit ad impetum ſanguinis retardandum, id ipſum, arteriæ tunicas perforando, ſicuti in ejus quoque Obſervatione facile contigit, ſanguini exitum citiorem paret. Quod ſi tunicarum exeſio, inter oſſa innata, levior ſit, ut magis infirmare eas poſſit, quam pertundere, ſanguis autem validius urgeat; laxari ibi aliquando poterit arteriæ latus, & in ſacciforme aneuryſma extuberare, cujus parietibus illa intus oſſa affixa ſint. Quo poſito, minus fortaſſe erit difficile quam credebatur (*u*), rationem modumque invenire quo intra ejus generis aneuryſma, cujus vi claviculæ diductæ fuerant, fruſtum oſſis concluſum videri poſſet quod ſterno deerat. Conjicies enim, eam quidem ſterni particulam fuiſſe, ut fit, a proximo aneuryſmate ſenſim conſumptam; quæ autem intra hoc erat, fortuito eam formam magnitudinemque habuiſſe, ut eam quæ ſterno deerat, quadantenus repræſentaret. Cujuſmodi conjectura in illud quoque forſan convenit fruſtum coſtæ, quod ab Lentilio (*x*) intra alterum aneuryſma repertum legimus.

25. Cave tamen credas, me omnes arteriarum ſive leviores, ſive graviores eroſiones reperere ab oſſiculorum aſperitate. Hæc enim ſicuti interdum tanta eſt, ut ſatis ſit internam arteriæ faciem aſpicere, aut tangere, ne dubites, inde vulneratam, laceratamque fuiſſe, ita alias nulla oſſiculorum extat aſperitas, aut inæqualitas, & eroſio tamen ſe oſtendit. Quin aliquando nihil adhuc eſt oſſei, cum jam eroſa apparet arteria. Sic in Nauta, quem tibi alias (*y*) deſcribam, nulla erat in Magna arteria bracteola oſſea, maculæ dumtaxat ſubalbæ occurrebant; eroſio autem, ſi paulo attentius

(*f*) Trichiaſ. admir. (*g*) Epiſt. 18. n. 33. (*h*) Vid. ſupra, n. 19. (*i*) Ibid. (*k*) Traité du Coeur ch. 16.
(*l*) VII. n. 11. & XXIV. n. 16. (*m*) n. 2. (*n*) n. 2. (*o*) De Morb. Pect. ubi de Intermiſſ. Pulſ. (*p*) Epiſt. 24. n. 17.
(*q*) Oſteogen. th. 20. (*r*) in Append. ad A. 3. Dec. 3. Eph. N. C. (*ſ*) XXVI. n. 15. & 17. (*t*) Oper. l. 6. c. 32.
(*u*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1700. Obſ. Anat. 6. (*x*) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ. 96. n. 14.
(*y*) Epiſt. [illegible] n. 34.

tius inſpiceres, jam erat inchoata. Sic ne ab iis recedam quos deſcriptos habes in Epiſtolis antea miſſis; relege ſis XXIII; idem in Viro (z) a me adnotatum reperies: præſertim vero in XXVI. Venetam Mulierem (*a*) videbis, cui nihil in Aorta oſſeum, tanta autem hujus ſupra Semilunares valvulas fuit exulceratio, ut illac ſibi viam fecerit ſanguis per quam in pericardium prodiret. Nec mihi uni, ſed & aliis contigit ſimilia deprehendere. Vide enim, exempli gratia, ut Littrius (*b*) in eadem Aortæ ſede ulcus invenerit, cauſam, ut puto, cur una earum valvularum, quæ illi erat ſubjecta ulceri, ad arteriæ parietem ſe agglutinaſſet. Nullam tamen in illa arteria, nullam in valvulis vel minimam oſſeam commemorat ſquamulam, ut neſciam, quo caſu acciderit, ut aliqui inter plura exempla oſſearum valvularum primo loco poſuerint iſtam ipſam Littrii Obſervationem. Etſi igitur in arteriis tunc maxime eroſiones ſpectantur, cum intus oſſeis ſquamis diſtinctæ ſunt; tamen ne tunc quidem eroſiones ſunt omnes iiſdem ſquamis imputandæ, præſertim ubi hæ leves ſunt, nulliſque extantibus aſperitatibus; ſed non paucæ erodentibus iiſdem humorum particulis, quorum effectus vel antequam ulla oriantur oſſicula, non raro conſpici, oſtenſum eſt, & quorum in arteriarum tunicis multiplex genus, & origo alias (*c*) a nobis cum Lanciſio ſunt memorata. Præterea ſi forte accidat, ut ſanguinis multitudo ingens vim faciat trunco alicui arterioſo adjuvante peculiari corporis, aut partis ſitu; non eſt dubium, quin adhuc integris cæteris tunicis, intima agat rimas, id confirmante experimento Illuſtris Viri Senacii (*d*), in Carotide habito. A rimis autem illis non ſulcorum modo quorundam ex iis quos ſæpe in arteriarum facie interiore commemoravi, ſed & aliquarum exulcerationum originem deducere proclive eſt.

26. Quod ſi eroſiones igitur in arteriis interdum ſunt, ut dicebam, priuſquam ullæ oriantur oſſeæ ſquamulæ; harum utique poterunt aliquæ ex ea purulenta materia fieri, quæ antequam intima tunica erodatur, inter hanc & proximam ſubſiſtit tunicam, ut ab novæ ſententiæ Cl. Auctore propoſitum eſt (*e*). Neque huic facile objiciendæ ſunt quædam aut Leprotti, aut noſtræ Obſervationes circa ſedem, aut naturam macularum, quæ horum ſunt oſſiculorum inchoamenta. Nam quod maculas deſcribit Leprottus, (*f*) quæ *internam* Aortæ *ſuperficiem tum exaſperabant, tum per eam liquido exterius perlucebant, tunica vero ipſa arteriæ interna ſeorſum ab aliis diſſociata, facile illæ abradebantur*; nempe aut hæc ita accipienda ſunt, ut macularum materiam contegeret ea tunica, itaque per hanc tranſpicerentur, & hac ſublata, tunc denique illa abradi poſſet, aut ſic etiam ſunt fortaſſe ab aliquo intelligenda, ut materia illa in ea tunica inhæreret, eamque ſublatam ſequeretur. Quorum illud mirifice convenit cum ſententia nova: hoc autem explicari ſic poteſt, ut cum eadem conveniat, quippe celluloſo contexto in quo materia illa eſt, intimam cui adhæret, tunicam facile ſequente. Certe autem oſſeæ ſquamulæ hac tunica obductæ inveniri ſolent, non modo ſecundum inſpectiones meas, verum etiam aliorum, nec in arteriis tantum, ut adnotavit Vaterus (*g*), ſed in venis quoque, ut Furſtius (*h*); hic enim in cordis venis Coronariis oſſeis factis, *veſtiri utrinque os* vidit *tenui membranula*; ille autem, *manifeſto* apparere, *non intimam arteriæ* oſſeæ factæ *tunicam induratam eſſe, ſed mediam*. Neque ab hac Vateri multum obſervationes meæ diſcrepant in duabus Mulieribus, quarum alterius morbum, & diſſectionem in extrema Epiſtola deſcripſi XIX. (*i*), alterius autem in alia fortaſſe deſcribam. In prima cum ex flexuoſa illa Aorta oſſeam ſquamulam elegiſſem, cujus ſedem examinarem, viſæ ſunt inter ipſam, & tunicam intimam fibræ intercedere, annularibus inceſſu perſimiles, ſed ex ſubflavo albeſcentes, molles præterea non ſecus ac materia illa quæ adhærere ejuſmodi oſſeis lamellis ſolet. In altera autem Muliere cum arteriam Magnam a corde ad ſeptum uſque Tranſverſum aperuiſſem, & ſubalbis maculis paſſim diſtinctam animadvertiſſem majoribus, minoribuſve, quales pro bractearum oſſearum initiis habere conſuevimus, majorum complures diſſecui, omneſque factas deprehendi ex ſubſtantia minime in ſe, aut circum oras humida, eademque magis alba, magiſque compacta, quam illa eſſet ex qua ſani arteriæ parietes conſtabant. Sedem vero hanc habebat, ut ab intima incipiens arteriæ lamina, quam nonnihil introrſum attollebat, inde ſe extenderet convexam verſus arteriæ faciem, quam utique non attingebat; non plurimum tamen ab ipſa aberat. Quanquam autem ex obſervationibus hiſce intelligis, non ſemper materiam unde oſſeæ concreſcunt lamellæ, in contexto illo ſubſiſtere arteriarum celluloſo, ſed & circumjectæ carneæ tunicæ partem occupare; non hinc tamen conſequitur, non multo ſæpius intra contexti illius fines ſe continere. Sed ab ſede ad naturam macularum tranſeamus.

27. Dictum eſt modo, ſubſtantiam ex qua maculæ conſtant, magis eſſe compactam, magiſque albam, quam ſana ſit arteriæ ſubſtantia, exſuccam præterea: quin meas Epiſtolas relegendo invenire etiam poteris, indicia futuri in arteria oſſis, id eſt maculas, ſæpe ad ſubſtantiam accedere ligamentorum (*k*), & ſe in Viro quodam (*l*) prodidiſſe duritie quaſi tendinea. Hæc autem ſane videntur minus congruere cum purulenta, ex qua oſſa iſtiuſmodi conficiantur, materia, quam cum Boerhaaviana illa (*m*) vaſculorum, quæ ſenſum fugiunt, compreſſione, eorum cava oblitterante, & plura in unum ſolidum corpus firmum, ac durum magis, magiſque conſtipante. Quod etſi veriſimilius, atque adeo verum in multis videri poteſt; in multis enim ſimul exſucca prorſus macularum exigua inchoamenta, non modo maculas, deprehendimus, ſimul harum aliquas pariter exſuccas jam oſſeſcentes, alias vero ex parte oſſeas factas animadvertimus, qualia exempla apud Illuſtrem quoque Hallerum (*n*) invenies, iiſque objicies, qui maculas, aliaſque ejuſcemodi arteriarum indurationes pro callis habent ſic ſemper manſuris: etſi igitur in multis id quod diximus, verum, non modo veriſimile, videri poteſt; in aliis tamen vel noſtræ Epiſtolæ indicant poſſe aliter rem ſe habere. Inſpice enim III. ubi in Baſilari Mulieris cujuſdam (*o*) arteria albam deſcribimus maculam, magis ad ejus interiores, quam exteriores, parietes attinentem, quam non firmior efficiebat ſubſtantia, ſed mollior. Inſpice deinde Epiſtolam IV. invenieſque in Sene (*p*) arterias duas ad illius quam modo nominavimus, extrema pertinentes, corpuſculum ſingulas habuiſſe album, ſubdurum, & jam ferme cartilagineum, quod non ab exteriore, ſed ab interiore eorum facie extuberabat. Nonne veriſimile videri poteſt, ex molli materia, qualis in prima Obſervatione reperta eſt, ſubductis progrediente tempore, particulis tenuioribus, corpuſculum extitiſſe jam firmius, quale in ſecunda conſpeximus? aut certe, ſi hoc malis ad Boerhaavii rationem reducere, nonne apparet, aliqua ſaltem futuræ durioris concretionis initia ex molli fieri, inter tunicas arteriarum, materia? Quam ut in iis albam, ſic in aliis ex albo flavam, adhærentemque oſſeis lamellis, & has ipſas aliquando flavas, a me fuiſſe repertas, ex his etiam ipſis Litteris (*q*) cognoſcere potuiſti. Crellius quoque (*r*) *ex albo flaveſcentem* invenerat tum concretionem, quæ inter arteriæ tunicas jam *conſiſtentiam laminæ oſſeæ referebat*, tum circumjectam materiam, ex qua concreviſſe, non dubitabat, hancque *illi, quæ in atheromate vel meliceride alias continetur, ſimilem*. Quod & mihi magis probandum videtur poſtquam nuper legi ab laudato Hallero (*ſ*) in calloſis & flaveſcentibus Aortæ ſedibus *ſuccum flavum* eſſe conſpectum *pultaceum, non diſſi-*

(z) n. 11. (*a*) n. 21. (*b*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1713. Obſ. Anat. 3. (*c*) Epiſt. 18. n. 27.
(*d*) Traité du Coeur l. 1. ch. 9. n. 3. (*e*) Vid. ſupra, n. 21. (*f*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 1. in Opuſc.
(*g*) loc. cit. ſupra, ad n. 24. (*h*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 10. Obſ. 175. (*i*) n. 58. (*k*) Epiſt. 26. n. 24.
(*l*) Epiſt. 18. n. 25. in fin. (*m*) Vid. Epiſt. ejuſd. n. 31. 32. (*n*) Opuſc. Pathol. Obſ. 51. (*o*) n. 6. (*p*) n. 19.
(*q*) n. 22. & 26. (*r*) Obſ. ad n. 20. ſupra cit. §. 2. & 9. (*ſ*) Opuſc. cit. Obſ. 47.

diſſimilem ejus qui in atheromate reperitur, in eodemque corpore alias ſimillimas flavas ſedes jam *coriaceas*, *alias cartilagineas*, *alias denique oſſeas*, hujuſque progreſſionis a mollitie ad varios duritiæ gradus *ſæpe* ab eo obſervationem eſſe *repetitam*: quam inde etiam confirmare poſſis (*t*) quod convexa earum ſquamarum facies indicium ſervet originis ex molli materia ſuæ, nempe *tranſverſam directionem* ab adnatis carneis arteriarum fibris ſibi *totidem ſulcis inſcriptam*: quos quidem ſulcos, cum oſſeas ſquamas olim a tranſverſis arteriarum fibris evolverem, a me quoque in illarum quibuſdam animadverſos fuiſſe, memini. Nec diſſimili argumento Hallerus (*u*) utitur ad oſtendendum, amplas laminas oſſeas, in exteriore facie natas Craſſioris meningis, ex ſucco pariter coaluiſſe. Porro etiam cenſet (*x*), primam calculi renalis materiem ſibi aliquoties conſpectam eſſe *quæ plurimum cum cruſtarum arterioſarum primis rudimentis habeat affinitatis*, flavum videlicet mucum in Bellini, ut vocitant, canaliculis, eundemque gradatim duriorem factum; ut mihi in mentem veniat progreſſionis illius, quam in Pinealis glandulæ calculis a flava mucoſa ad arenoſam, & denique ad concretam, ſubduramque materiam animadverti, & tecum alias (*y*) communicavi. Certe autem quæ materia e renalibus illis extremis ductibus ſæpe a Cl. Bertinio (*z*) exprimebatur, & craſſitie, & colore, & terreis denique particulis cum Halleri convenit obſervatione. Quæ omnia etſi digna laude ſunt, & facile etiam, ut in pleriſque, probanda; mihi tamen quam varia occurrere nobis ſoleant in iis quæ ſecundum, longe autem magis quæ præter naturam ſunt, ſæpenumero animadvertenti, meaſque omnes cum aliorum obſervationibus conferenti, veniam datum iri, ſpero, ſi in aliis aliter rem contingere, præſertim quod ad eas attinet, quas hic perpendimus, arteriarum concretiones, iterum dixero. Mitto ſucci colorem, quem alium interdum vidi. At multos fuiſſe, confirmo, quorum cum eſſet arteria Magna illic oſſiculis, illic maculis majoribus, minoribus, craſſioribus, tenuioribus paſſim diſtincta, nuſquam, ne in exiguis quidem harum inchoamentis, quidquam ſucci licuit deprehendere. Si in omnibus oſſeas arteriarum bracteas effuſio præcederet ſucci flavi, intimam tunicam introrſum verſus attollentis, & paſſim *convexam*, *eminentemque* reddentis; certe intelligis, eas ſedes meos attente inſpectantes oculos effugere non potuiſſe. Neque ideo hoc dico, quod cenſeam, ſine ſucco morboſo pleraſque, & ſi vis, omnes maculas incipere, augeri, oſſeſcere; ſed ideo dico, quod in aliis corporibus effundi utique, in aliis autem ſine effuſione ſenſim dumtaxat a tunicarum arteriolis eum ſuccum afferri, & apponi, meæ mihi obſervationes ſignificant. Qui ſuccus ſi fœtus ſit particulis ejus generis, cujus ad os nutriendum a plurimis requiruntur, ſique eæ particulæ ad firmiores inter ſe contactus magis, magiſque contrudantur; inde fore concretiones, puto, quales mihi occurrere conſueverunt, oſſa referentes: ut tophaceas, gypſeas, aut alterius ejuſmodi naturæ futuras, ſi alterius generis particulis ſuccus ſit plenus, eæque citius ad contactus qualeſcunque perveniant. Cujuſmodi fuiſſe ſuſpicor quas extrema pars indicabit Obſervationis præclaræ Jani Planci, quam mecum Vir Solertiſſimus paucis poſtquam habuerat diebus per litteras fuſe, ac diligenter communicavit ſub finem A. 1728. Eam ego totam; nam plura, & varia continet, ut propterea ipſam pollicitus ſim tibi Epiſtola ſuperiore (*a*) cum de ſanguinis ex Magna arteria in pericardium eruptione verba facerem; totam, inquam, ex iis litteris excerpam ſumma fide, nec minori quam ſi mea eſſet, cura proponam.

28. VIR nobilis, qui ab anno undeſexageſimo non longe aberat, nigra facie, ſed bona corporis habitudine, quamvis ab adoleſcentia ad id tempus rebus venereis deditus, unde bubonibus, neque id ſemel, laboraverat, craſſis quidem & vulgaribus cibis, ſed generoſo vino, hujuſque ſpiritu, ut vocant, cupide utebatur. Multum quoque erat in alea: narrabantque colluſores, quotidie veſpertino tempore ſternutatione corripi ſolitum, ut horæ quadrantem aliquando, aut eo amplius ſternutaret, idque a biennio, aut triennio. Quo tempore extenuari etiam cœpit, nec parum, & interno quodam ſenſu affici non ſecus, ut noviſſimis ajebat menſibus, ac ſi deficeret. Verum non alio, ut ſe refocillaret, uti volebat remedio, niſi eodem quem diximus, vini ſpiritu. Itaque die quodam ſub veſperum domum reverſus, cum de eo ſemel, iterumque bibiſſet, familiares autem poſt id domo exiiſſe, crederent; ibi accidit, ut de improviſo, nemine ſentiente, moreretur, horaque demum poſt quincta, gelidum, ut hyems erat, cadaver inveniretur.

CRANIO poſtridie recluſo, & meningibus; nam Tenuis quoque tota trahentem undique ſequebatur; nullo negotio diductis, nihil intus quod eſſet præter naturam, deprehenſum eſt præter multum in cerebri ventriculis ſerum, idque ſubviride. Sed in Tenui meninge arteriarum trunci omnes, omneſque item earum rami, iique præſertim qui plexum Choroidem verſus contendunt, multo erant craſſiores æquo, & duriores; exſiccatique oſſeam pluribus in locis naturam oſtenderunt. Quin etiam per Duram meningem idem ferme in ejus arteriis, quæ craſſiuſculæ ipſæ quoque factæ erant, conſpectum eſt. In Thorace autem pulmones flaccidi, & majori ex parte nigri. Siniſter præterea ad pleuram qua coſtas, & ſeptum Tranſverſum conveſtit, arcte erat annexus undique, niſi qua copia aliqua animadverſa eſt ſanguinis concreti. Hujus multo major in pericardio copia fuit, quo irruperat, ut mox dicetur, ex Magna arteria. Cor aliquanto majus quam æquum eſſet, ob nimiam ſiniſtri ventriculi magnitudinem, & capacitatem, quæ duabus tertiis partibus capacitatem dexteri ſuperabat, cum hic præter magnam parietis proprii tenuitatem, lacertos intus haberet ſic intricatos, vix ut ſinus eſſe videretur. Arteria Magna, & Pulmonaris ampliores erant aliquanto quam ſoleant. Cæterum hæc ſana: illa vero primum rupta intervallo a corde digiti circiter tranſverſi. Et ruptio quidem non erat magna; ſed prope ipſam, & circa omnem Aortæ baſim vetus quaſi ſugillatio apparebat a nigro ſanguine ſub exteriore tunica reſtitante: quæ ſugillatio per univerſum pulmonem ſe extendebat, præſertim vero circum majores Pulmonaris arteriæ ramos. Præterea facies interior arteriæ Magnæ tota erat prominentiis, & puſtulis plena, quarum utræque per ejus omnes, quotquot aperti ſunt, ramos pergebant, & nominatim per Subclavias arterias, & Carotides, & cordis ipſius Coronarias: quæ poſtremæ erant inſuper valde dilatatæ, una præſertim, ut æquaret propemodum ſiniſtræ Carotidis latitudinem. In Ventre lien parvus, & valde laxus, cum jecur ſic ſatis bene ſe haberet; nam quod in ejus veſicula eſſet exigua bilis portio, id erat fortaſſe ex eo quod paucis a prandio horis mors intervenerat. Renes exterius valde flaccidi, interius autem ſine ullo, quod rariſſimum eſt, pelvi, hujus locum obtinente ſpongioſa quadam ſubſtantia.

Cum intra Ventrem nihil eſſet præterea adnotatione dignum, minime autem lateret tum id quod diximus, hominem venerea lue, nec ſemel, affectum fuiſſe, tum ipſi ante annos triginta plumbeum globulum, tormento jactum, in ſiniſtro femore inhæſiſſe; urethra, & femur inciſa ſunt. Et in illa quidem unum, aut duo, non amplius, eorum canaliculorum orificia reperta ſunt, quos in I. Adverſariis (*b*) habes deſcriptos, & pictos. In femore autem circum illum globulum membraneus folliculus, qui arcte ipſum undique complectebatur. His ita conſpectis, placuit Aortæ bonam partem eximere, ut diligentius poſſet intus, extraque perluſtrari. Animadverſumque eſt, exteriorem tunicam a trunco, ramiſque perfacile detrahi non ſecus ac ſi diu in aqua eſſet macerata. Ex illis autem interioribus prominentiis cum major aliqua incideretur, intus quoddam cavum, & in hoc ali-

(*t*) Ibid. & Obſ. 17. (*u*) Obſ. 49. (*x*) Obſ. 34. (*y*) Epiſt. 5. n. 12. (*z*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1744.
(*a*) n. 18. (*b*) n. 10. & Tab. 4. Fig. 4.

aliquid molliuſculæ materiæ inſtar pulticulæ , oſtendit. Minorum autem complures poſteaquam exſiccatæ erant, oſſeæ apparuerunt.

29. Eorum quæ ſunt in propoſita hiſtoria , alia alio attinent. Et ſane plura ſuperioribus Litteris expoſita ſunt. Ad has vero id potiſſimum ſpectare , vides, quod poſtremo loco adnotatum eſt. Scilicet quid prominentiæ minores continerent , majoris diſſectio indicavit, id eſt materiam pulticulæ ſimilem. Quando igitur ex hac, abſumptis per exſiccationem humidioribus particulis, os eſſe factum , apparuit , ſimul intelliges, ex molli materia initium cepiſſe concretiones quæ os referrent, albedine, opinor , & duritie ; neque enim eo tempore hæc agitabatur controverſia ; ſimul tam cita ejuſdem materiæ induratione ſpectata, mecum facile ſuſpicaberis , ſi concretiones illæ fuiſſent majores, ut experimento multiplici tentari poſſent, futurum fuiſſe, ut tophi , aut indurati gypſi , quam oſſis revera ſimiliores , deprehenderentur . Nec mihi alia de arteriis per meninges repentibus opinio eſt , quæ poſt exſiccationem oſſeæ hic illic apparuerunt. Veri enim ſimillimum eſt, idem prominentiarum genus quod ex trunco Aortæ in majores hujus ramos propagabatur , ex his porro per minores quoque illos perrexiſſe, eundemque effectum oſtendiſſe.

30. Quod vero idem Cl. Vir qui Obſervationem illam communicavit, iiſdem me litteris certiorem fecit, ſe aliquos diſſecuiſſe aliquando , repentina morte ſublatos, in quibus Aortam neque perruptam, neque dilatatam, ſed ejuſmodi ſolum puſtulis, & prominentiis affectam inveniſſet ; id neque multum abludit ab aliis quæ a me tibi alias miſſæ ſunt , minorum ad ſpeciem ejuſdem arteriæ vitiorum Obſervationibus , quæ tamen funeſti caſus ſunt conſecuti . Quo magis opera danda eſt , nequando temere negligantur ſiqua demum forte indicia ſe prodant, unde in ſuſpicionem quanto magis liceat probabilem deducamur puſtularum, aut eroſionum in Aorta latentium . Et eroſionum quidem ſigna nonnulla, a Bellino indicata, cum lapideas, ſive oſſeas bracteas quæ illas fecerant, ſimul memoraret, ſupra (*c*) non omiſſa a nobis videre potuiſti. Sed & ea confirmare oportet, & alia adjungere. Et quoniam Medicos adjuvat in dignoſcendo , quæ morbos præcedere haud raro ſoleant ; attendas velim, quid laudatus Plancus poſtquam alio ex ægro (*d*) arteriam Magnam propoſuit intus *veluti ulceroſam, & corroſam, variiſque puſtulis ſcatentem* , continuo ſubjecerit: *quod ſæpe obſervavi*, inquit, *in aliis cadaveribus, eorum præſertim , qui ſyphillide laborarunt, & ad Aneuryſma Aortæ , vel ad Pectoris Hydropem ſunt diſpoſiti*. Cæterum cum ejus arteriæ exulcerationes ab officulis ſæpius fiant , quemadmodum ſupra (*e*) indicatum eſt, puſtulæ autem interdum adeo ſimiles oſſium concretiones producant ; vides profecto , quam ſæpe in Aortæ vitiis ea convenire præſidia poſſint quæ adverſus interna ulcera ex uſu eſſe ſine ſanguinis concitatione , vel certe cum modica, ſolita ſunt. Nam aut oſſium effectui quo ad ejus fieri poteſt, obſtarent ad funeſtas Aortæ diſruptiones, & ſanguinis internas effuſiones , ſi altius pervadat , diſponenti , aut cauſæ obſiſterent ob quam duræ iſtæ concretiones gignuntur, eoque ipſas , ſi non tollerent, ſaltem augeri prohiberent. Sed jam ſatis de Repentinis Mortibus ſcripſiſſe videor , & de arteriarum in os converſione , qua de agendi cauſam ipſa dedit illarum tractatio.

31. Nunc de aliis oſſibus præter naturam ſe habentibus ſcribendi occaſionem præberet Sectio XII. qua Sepulchreti libro II. finis imponitur , inſcripta *de Gibboſitate*, & diſſectiones proferens gibboſorum , & rachiticorum . Sed ego rachitide affectos ſecuiſſe non memini, ut neque Valſalvam , neque ullum in Italia Amicum, ſi Experientiſſimum Virum excipias Antonium Benevolum (*f*) , qui ſuas ipſe , me quoque hortante, Obſervationes edidit, ingenue, & perſpicue ſcriptas, cum eorum quæ incidendo animadvertit, tum eorum quæ curando utilia in perdifficili alioquin morbo expertus eſt . Sed ab Exteris Scriptoribus plures habebis rachiticorum diſſectiones, quas pariter ad Sepulchretum adjungas. Namque ut verſes dumtaxat libros a Cæſarea Academia editos, ut Dec. III. A. 9. (*g*), Centur. III. (*h*), & Actor. I. (*i*), & V. (*k*) Volumen ; non unam invenies . Quod tamen ad duas attinet ultimas ; vide, num retractio, ſeu defectus ille pulmonis ſiniſtri , ut cor , ſive potius mediaſtini partem pericardium concludentem, totam non tegeret , ad *vitium* ſpectaret *conformationis* in rachiticis, an idem eſſet quod ſecundum naturam delineavit Euſtachius (*l*) , deſcripſitque poſtea Santorinus (*m*). Gibboſorum autem plures quidem ego diſſecui ; ſed quæ in iis vidi ad gibber attinentia , alia alibi expoſita ſunt tibi, aut exponentur , quippe cum alius alio morbo interierit . Quorum hiſtorias ſi legeris ; proclive erit primum perſpicere, id vitii nonnunquam (*n*) haud ante ſe prodere, quam circa annum quadrageſimum : deinde recte Severinum , ut in ſupra dicta Sepulchreti Sectione (*o*) videris, adverſus Cardanum admonuiſſe , non ſemper vitiis quæ in ſitu oſſium ſterni , & huic ſe annectentium coſtarum inveniuntur, neceſſarium eſſe , ut pravus ſitus vertebrarum quoque dorſi reſpondeat: quod noſtræ Obſervationes in Muliere præſertim quadam (*p*) , & ex parte in Sene (*q*) confirmant: quibus addes animadverſa in rachitico puero de quo Acta Nat. Cur. paulo ante citata (*r*), & quæ ex alio puello accuratiſſime deſcripſit Cel. Hallerus (*ſ*). Cæterum vera, ut in pleriſque, docuiſſe Cardanum, cum Severino fatendum eſt: imo vertebrarum vitioſum ſitum multo frequentiſſimam cauſam eſſe, ut coſtarum , & ſterni perverſus poſitus conſequatur , & aliorum , & meæ cæteræ oſtendunt Obſervationes . Quas inter ſi eam potiſſimum relegeris, quam Epiſtola IV. (*t*) propoſui ; ſimul intelliges, ut Spinæ diſtorſionem ſequeretur non coſtarum modo , & ſterni , ſed & plurium thoracis , & ventris viſcerum, ac vaſorum incongruus , & perverſus poſitus , ſimul conjicies , quantum a conſueto aberrare debuerint ſitu cum vaſa alia tenuiora, ut Thoracicus in primis Ductus, tum nervi plurimi, aliaque ejuſcemodi , quæ ſigillatim perſequi nec tempus, nec locus, neque præcipuum tunc propoſitum noſtrum ſinebant . Porro etiam Præcl. Helwichius (*u*) docebit, quantas in anguſtias diſtorta antrorſum Spina omnia thoracis viſcera in Matrona quadam compegiſſet ; laudatuſque Hallerus (*x*), ut longe ab ſua ſede dimota eſſet arteria Magna in altera fœmina , cujus Spinam in alias ac ſecundum naturam videmus , ſerpentinas flexiones gravia onera incurvaverant, quibus dorſo geſtandis vitam alebat . Ejuſmodi autem vitæ genus inter externas cauſas gibberis alioquin eſſe , in junioribus præſertim, cum ratio indicat, tum Cl. Nebelii (*y*) Obſervatio confirmat.

32. De cæteris autem cauſis a quibus plerumque Spinæ diſtorſiones fieri incipiunt , augentur , ſervantur, ſi Veteres conſulas ; vereor ut invenire poſſis quæ ſatis faciant , ubi videlicet ab eo receſſeris cauſarum genere quæ evidenter ab extrinſecus accidente injuria, violentiave proveniunt. Nec mirum , cum antiquitus hominum corpora non ſecarentur , multo autem minus gibboſorum . Poſtea vero quam ſecari tandem cœperunt , ſi in ejuſmodi corpora forte incidebant ; aut verbo *malam oſſium compoſitionem* indicaſſe ſatis ipſis videbatur, ut Veſalio (*z*) , cum *puellam* ſecuit *gibboſam, annum decimum ſeptimum prætergreſſam*, aut Spinæ laterales flexus in ſerpentis modum deſcripſiſſe, ac pinxiſſe, ut Hildano (*a*) , a quo primam fortaſſe hujuſmodi vitii Iconem habemus ex puella altera annorum octo. Inter hos duos tamen, præter Falloppium (*b*), Pinæus extitit, qui, ut in Sepul-

(*c*) n. 24. (*d*) Epiſt. de Monſtr. (*e*) n. 24. (*f*) Oſſervazioni 38. e ſegu. (*g*) Obſ. 240. (*h*) Obſ. 11.
(*i*) Obſ. 53. (*k*) Obſ. 146. & 147. (*l*) Tab. 9. & Tab. 15. Fig. 1. (*m*) Obſ. Anat. c. 8. §. 1.
(*n*) Epiſt. 10. n. 13. 14. (*o*) in Schol. ad Obſ. 6. (*p*) Epiſt. 45. n. 23. (*q*) Epiſt. 7. n. 11. (*r*) Tom. 1. Obſ. 53.
(*ſ*) Opuſc. Pathol. Obſ. 10. (*t*) n. 16. (*u*) Eph. N. C. Cent. 10. Obſ. 32. (*x*) Opuſc. modo cit. Obſ. 11.
(*y*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 109. (*z*) Epiſt. de Rad. Chyn. (*a*) Cent. 6. Obſ. 75.
(*b*) Vid. hujus verba Epiſt. 56. n. 36.

pulchreti quoque Sectione hac leges XII. (*c*), animadvertit, *ſæpiſſime* Spinæ vertebras *nunc plures, nunc pauciores ſimul conjunctas, ... & tanquam in unum os redactas*, eaſdemque *intro, vel extra, vel ad alterum latus* (id quod *frequentius* eſſe, infra docet) *inclinatum habentes*, *unde* omnes, quas nominat, gibberis ſpecies *fiant*. Quod autem dixi, infra docere Pinæum, non in Sepulchreto, ſed eo capite apud ipſum videbis, quod ibi indicatur, IX. (*d*), ubi de elatiore & tumidiore in puellis Gallicis ſcapula dextera, ejuſque rei cauſis pleraque ſcripſit, quæ ſua poſtea fecit in Encheiridio (*e*) Riolanus. Poſt Pinæum alii, in quibus nuper laudati Viri Helwichius, (*f*) & Hallerus (*g*) plurium vertebrarum in unum os coalitum adnotarunt in gibberoſis, Ruyſchius autem in primis, qui (*h*) in his *pluries* vidit vertebrarum aliquot corpora adeo inter ſe unita, & adacta, ut quædam ex ipſis non modo imminuta, ſed *in nihilum redacta* viderentur. Palfinius (*i*) vero initia tantæ imminutionis in ſceletis animadvertit gibboſorum infantum, videlicet vertebrarum corpora ad curvaturæ ſedem valde complanata, interiectaſque his cartilagines ibi tenuiſſimas.

33. Poſt obſervationes minus difficile videtur de cauſis inflexionis oſſium artuum, & Spinæ ipſius judicare. Quarum habes duo genera in Sepulchreto (*k*) propoſita, ex Gliſſonio unum, ex Mayovvio alterum. Utrumque genus in uberiore nutritione conſiſtit, primum quidem unius oſſium lateris, quam alterius, ſecundum vero oſſium, quam attenſorum muſculorum. Scilicet ſive alterum oſſium latus diutius nutriri pergat, quam oppoſitum, ut Haverſius (*l*) maluit, ſive utrumque pari tempore, ſed alterum uberius nutriatur, ut Gliſſonius poſuerat, nempe res eodem recidit, ut diutius, aut magis nutritum latus ſe ſe inclinet ad oppoſitum. Sic puta, ſi dexterum vertebrarum latus altius creverit, quam ſiniſtrum, Spinam inflexum iri ſiniſtrorſum: idemque futurum, ſi vertebris interpoſita ligamenta, ſeu mavis cartilagines minus auctam habeant, aut habeant imminutam altitudinem in latere ſiniſtro. Atque ad hunc fere modum intelliges primum cauſarum genus. Alterum autem, ſi muſculos qui ſint ad latus ſiniſtrum, minus augeri quam oſſa, poſueris, aut magis contrahi quam muſculi qui ſint ad dexterum latus, ſive hoc a convulſione, ſive a majori vi ſit qua præpolleant dexteris, eaque aut ab ortu, aut ob dexterorum vim, paralyſi, aut alia quacunque cauſa imminutam. Juvat enim hæc omnia ad Mayovvii cogitatum addere, eodem redeuntia. Nec me fugit quid ei cogitato Haverſius (*m*) objecerit, probantibus Cl. Viris, nimirum cum inter muſculorum extrema interponatur articulus, fore, ut muſculi breviores os trahendo in quod inſeruntur, ejus quidem ſitum mutent, ut ſolent; ſed non figuram. Verum; ut alia prætermittam; ubi de vertebris, & Spina agitur, velut hic, idem eſt vertebrarum ſitum, ac Spinæ figuram mutare. Sic in muſculis erat vitium in proceræ ſtaturæ viro adeo incurvato, ut Kerckringii Obſervatio oſtendit quam hic habes in Sepulchreto (*n*). In quo (*o*) illud quoque invenies quod probes, vel ſola muſculorum dorſi imbecillitate fieri, *ut nutans Spina curvetur*, eamque *fortaſſe cauſam eſſe unam qua ſenes omnes gibboſi exiſtant*. Quin etiam ubi diutiſſime muſculi ſervare perrexerint vel ſponte curvatam Spinam; vertebrarum quoque ipſarum, non modo interjectarum cartilaginum, figuram mutabunt; creſcent enim vertebræ ſecundum altitudinem ab ea parte qua curvaturæ convexum erit, decreſcent autem, aut certe minus augebuntur ab oppoſita, quippe in hac arctius inter ſe conſtrictæ; in illa, convexa videlicet, multo minus altera ad alteram appreſſæ, quam requirant naturæ leges. Hæc autem eo facilius contingent, quo magis ob teneram ætatem diſtabunt vertebræ a termino incrementi ſui, & quo minus erunt duræ, ſive hoc ſit ab eadem ætate, ſive etiam a morbo, ut in gibboſa illa Hildani puella (*p*) cui *oſſa ipſa adeo erant mollia, ut nonnulla ad inſtar ceræ tractarentur*; Spina autem erat *emollita*: itemque in gibbo adoleſcente annos nato XVI. de quo hic eſt II. in Sepulchreto Obſervatio, ad eundem fere modum ſe habebant *præcipue vertebræ*. Primum igitur cauſarum genus etſi per ſe ipſum nonnunquam exiſtere, & gibbum poſſe facere, non negaverim; ſæpius tamen eſſe illud exiſtimo effectum cauſarum ſecundi generis, hoc eſt contractorum muſculorum.

34. Et ſane ipſe quoque Meryus (*q*), a quo Spinæ in ſerpentis modum lateraliter inflexæ deſcriptionem, delineationem, & explicationem habemus, facile omnium quæ ad hoc tempus prodierint, optimam, quod in ſingulis vertebris vitii eſſe poterat, id pro effectu accepit adſitorum Spinæ muſculorum, ab altera parte trahentium, cum oppoſiti, ob nervorum obſtructionem reſoluti, nihil agerent. Veruntamen in hac quoque explicatione aliquid eſt, cujus poſſis cauſam quærere. Si enim Spina unam dumtaxat, puta ſiniſtrorſum, curvaturam habuiſſet; minime difficile eſſet rem intelligere, ponendo tantummodo, ut paulo ante indicatum eſt, reſolutos muſculos ab oppoſito, id eſt a curvaturæ convexo latere. Nunc autem cum infra primam curvaturam altera ſuccedat, ut in Hildani (*r*), & aliorum quoque non infrequentibus Obſervationibus, ſuperiori curvaturæ omnino contraria; apparet quidem, ſi iſta explicatione ſtandum eſt, hic etiam reſolutos muſculos ad convexum inferioris curvaturæ latus eſſe ponendos: ſed quomodo reſolutio iſta alterne, id eſt quæ ſupra a dextris eſſe dicebatur, infra contingat a ſiniſtris, non facile apparet. Ego vero in re ardua velim cogites, an forte curvatura ſuperior, quæ reſolutioni debetur muſculorum dexterorum, cauſa eſſe ipſa poſſit reſolutionis muſculorum qui inferius ſunt a ſiniſtris. Nervi enim, per foramina egreſſi quæ vertebrarum lateribus intercipiuntur, oblique magna ex parte deſcendunt, ut ſe in muſculos immittant qui ſubjectas vertebras movent. Igitur ſi curvatura ſuperior arcte adeo vertebras in cavo latere inter ſe urgeat, molliores præſertim ab ætate, aut etiam a morbo, ut illa foramina non paulo minora fiant; nervi aliqui, per hæc egredientes, ita comprimi fortaſſe poterunt, ut muſculi in quos ſe inſertum deſcendunt, reſolvantur. At hi a ſiniſtris ſunt. Erit igitur reſolutio hæc inferior in latere illi oppoſito in quo erat ſuperior; ut propterea prævalentibus muſculis dexteris, fiat curvatura inferior, quæ effectus ſit curvaturæ ſuperioris, & contra atque hæc, converſa ſpectetur. Verum hæc, cum plures non modo in ſanis, ſed in gibbis quoque Obſervationes requirant, addidiſſe me, putabis, non ut ipſe quidquam ſtatuerem; ſed potius ut te ad meliora excogitanda incitarem. Vale.

(*c*) Obſ. 6. (*d*) l. 2. (*e*) l. 6. c. 17. (*f*) (*g*) Obſ. cit. ſupra, ad n. 31. in fin. (*h*) Obſ. Anat. Chir. 68.
(*i*) Anat. du corps hum. tr. 5. ch. 9. (*k*) in Append. ad Additam. ad hanc Sect. 11. (*l*) Oſteolog. Nov. Diſc. 2. verſ. fin.
(*m*) Ibid. (*n*) Append. 1. ad Obſ. 7. (*o*) in Schol. ad Obſ. 1. (*p*) Vid. ſupra, n. 32.
(*q*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1706. (*r*) ſupra cit. ad n. 32.

FINIS LIBRI SECUNDI.


JO. BAPTISTÆ
MORGAGNI
P. P. P. P.

DE SEDIBUS, ET CAUSIS
MORBORUM
PER ANATOMEN INDAGATIS
LIBRI QUINQUE.

DISSECTIONES, ET ANIMADVERSIONES, NUNC PRIMUM EDITAS, COMPLECTUNTUR PROPEMODUM INNUMERAS, MEDICIS, CHIRURGIS, ANATOMICIS PROFUTURAS:

Multiplex præfixus eſt Index rerum, & nominum accuratiſſimus.

TOMUS SECUNDUS
TRES RELIQUOS LIBROS CONTINENS.



VENETIS,
MDCCLXI.

Ex Typographia Remondiniana.
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

Ampliſſimo Viro

PETRO SENAC

Potentiſſimi Galliarum Regis Archiatro Meritiſſimo

Joannes Baptiſta Morgagnus S. P. D.

CUM REGIÆ iſti Scientiarum ACADEMIÆ anno 1731. placitum fuerit (id quod , Vir Ampliſſime , qui vel ante id tempus magno Tuo merito jam eras ex eo Illuſtri Cœtu, minime ignoras) ut me honorem tantum non modo non ſperantem , ſed ne cogitantem quidem REGI Maximo proponeret quem inter Vos in Summi Anatomici Ruyſchii locum ſubſtitueret , neque ego niſi obſequioſi animi officiis unquam potuerim eximiæ illi Veſtræ erga me Liberalitati reſpondere , quippe hic aſſiduis occupationibus diſtrictus meis, quas , ſiqui alii , hi præſertim libri teſtantur de Sedibus , & Cauſis Morborum per Anatomen indagatis ; nunc tandem in mentem venit ab Humanitate Tua petere , ut hos ipſos velles , tanquam meos veridicos excuſatores , Academiæ offerendos curare . Nec dubium quidem erat , quin benigne eſſet auditura , ſi per Te mitterentur , ſicque ipſis daretur locus teſtificandi , quot , & quanta ab illa didicerim , & quoties Experientiſſimorum Academicorum , quos nominatim perſæpe laudo , bene meritis de Medica Anatome laboribus meos illuſtraverim . Sed altera ex parte a primo verebar , ne viderer minus verecunde facere , ſi primis , quas ad Te darem , litteris , adeo magnis in me Tuis , nullis meis in Te promeritis, non pro illis gratias agerem , ſed ut illis alia adderes , orare auderem . Egiſſem vero cumulatiſſime vel multo antea , imo & retuliſſem , ſi voluntati par eſſet in me facultas , ſicuti eſt ad gratiam habendam, quam certe , quantam maximam poſſum , & habeo , & ſemper habebo . Ea enim ultro in me contuliſti , propter quæ ſera poſteritas (ad illam enim Tuus de Cordis Structura , Actione , & Morbis immortalis perveniet Tractatus) eum hoc ſæculo , fuiſſe me , credet , quem ipſemet , hujus meæ conſcius mediocritatis non eſſe me fateor . Dediſti , opinor , hoc noſtræ , cui tantum ipſe faves , Italiæ , quantum certi quidam homines adverſari videntur; neque enim reapſe adverſo animo eſſe poſſe, exiſtimo , quos Italia , aut certe Gymnaſium hoc noſtrum nunquam provocaverit . Quod interea contentum erit Tuo , & aliorum , Tui ſimilium , Magnorum Virorum , & Regiæ in primis Academiæ iſtius judicio honorificentiſſimo , neque a poſteris reticendo , quæ cum lege cautum ſit , ne de exteris Nationibus univerſis plures ſibi optet Socios , quam octo ; binos ex uno hoc Gymnaſio optavit , me benigne , liberaliterque , ut dixi , meritiſſimo autem Amicum meum ſummum Marchionem Celeberrimum Joannem Polenum . Verum, ad Te ut redeam; quanquam de Academia loquens, a Te minime digreſſus ſum ; ea ipſa quæ ſponte pro Tua ſingulari Humanitate tribuere mihi voluiſti, ea, inquam, ipſa faciunt, ne, ſiquid Te rogem, vereri debeam, ne Tibi videar rogaſſe pa-

rum pudenter. Quin animum adderent, ut præter id quod ſupra expoſui, alia peterem, niſi excellens Tuus, de quo dicebam modo, Tractatus meas omnes ante occupaſſet petitiones.

Scilicet ſuperiore extremo ſæculo Medicus floruit, quem ſi diligentem morborum Obſervatorem fuiſſe, inficiaremur; non minus in ipſum injuſti eſſemus, quam ipſe in Anatomen fuit, ad quædam de ea pronuncianda decurrens, quæ, evidenter a me convicta, ne illius quidem amantiſſimi alioquin Admiratores defendere potuerunt. Imo cum forte animadvertiſſent, ex præcipuo ejus pronunciato in imperitorum animis conſequi poſſe, ut vel morbis confectorum diſſectio ad morborum cauſas indagandas prorſus inutilis videretur; pronunciatum quidem illud eſſe veriſſimum, falſi ſunt, conſecutionem autem eſſe injuſtiſſimam, oſtenderunt, jure utrumque, & merito. Erat enim illud pronunciatum, ut ſanitatis, ita & morborum, plerorumque ſaltem, cauſas eſſe noſtris ſenſibus omnino inacceſſas, quippe in occultis inviſibilium particularum conformationibus, & nexibus, & motibus, & viribus, eos motus, & nexus efficientibus, poſitas. Quod ut verum ſit; non inde tamen ſequitur, effecta quoque illarum cauſarum ſenſus fugere; cadunt enim in partes manifeſtas, ſuntque eæ ipſæ, quas in his deprehendimus, pravæ mutationes, evidentes internæ cauſæ plerorumque morborum. Itaque non injuria adverſus illum Medicum, ejuſque Conſiliarium & quicunque cum iis diligentiorum Anatomicorum labores credunt inutiles ad medendum, idem ferme dici poſſe, vel ipſi illi Admiratores concluſerunt, quod generatim, ut commemoravi etiam alias, contra ejuſmodi rerum utiliſſimarum contemptores juſte Fontenellius Veſter dixerat inter ea quæ ad Regiæ Scientiarum Academiæ Hiſtoriam A. 1699. præfatus eſt, & ante omnes antiquæ illius Epiſtolæ Auctor, quæ cum Hippocraticis libris circumfertur, ad Dionyſium ſcriptæ, *unuſquiſque ex his quæ ipſe non habet, judicat id quod in alio abundat, ſuperfluum eſſe*. Quæ omnia, ut in Italia non plurimis ante annis acta, noſtroque ſermone edita, hic Tibi memorare volui, Vir Doctiſſime, ut continuo intelligeres ſiquis mihi forte ex magni illius Medici ſententia exiguus ſcrupulus ſuperfuiſſet, hunc penitus evulſura fuiſſe quæ Tuis in Scriptis animadverti, cum ſecurus abditiſſimarum illarum cauſarum, quas nullo pacto aſſequi homines poſſunt, internas iſtas evidentes, quas in morbidis cadaveribus perſpicere licet, attendis, & quæ conſecutiones ex ipſis proxime fluant, acerrimo judicio conſtituis.

Ex iiſdem quoque Scriptis ſimul cognovi quid reſpondendum aliis cenſeas, qui cum iſtas evidentes internas morborum cauſas per corporum diſſectiones inveniri, fateantur, illud objiciunt, morbos tamen haud pauciſſimos non ſanari. Neque enim ſemper verum eſſe, ajunt, quod vetuſtiſſimus Auctor tradidit ejus, qui *de Arte* inſcriptus eſt, libri, *Medicum, ſi quidem ſufficiat ad cognoſcendum, ſufficere etiam ad ſanandum*, itemque is qui inde videtur ſumpſiſſe, M. Tullius libro *Tuſcul. Quæſt.* 3. *Medicos, cauſa morbi inventa, curationem eſſe inventam, putare*. Quæ utinam falſa eſſet objectio, nec ſæpe adeo ægri, vel cognita cauſa, morerentur. Veruntamen nonne cenſores hi ſimiles ſunt priorum? Illi, quia cauſæ inviſibiles cognoſci nequeunt, fruſtra alias quæri, contendebant; hi, quia cognita cauſa, non omnes morbi ſanari poſſunt, inutilem eſſe cauſarum perquiſitionem, contendunt. Quæ, malum, hæc utrorumque injuſtitia eſt?

Aut

Aut præſta , inquiunt, per Anatomen quæ ſupra hominum ſunt vires ; aut ſi id non potes , cætera nihili facimus quæ potes . Hoc enim denique ii Medici dicunt qui illa dicunt . Nihili igitur facient tunc etiam cum Anatome famam ipſorum tuebitur , oſtendendo , revera inſanabilem fuiſſe morbum quem vituperantium malevolentia , aut inſcitia falſo dictitet , fuiſſe ſanabilem , aut cum morborum quorundam vulgata ſigna Anatome vel dedocebit , vel dubia reddet , vel alia minus dubia indicabit , vel quæ nova , minuſve ſint nota , ſuggeret ad obſcurum morbum , aut ad certam quandam , inter multas , morbi cauſam , ſedemve dignoſcendam . Quæ omnia aliaque ejuſcemodi ſiquis forte ad curandum nihili faceret ; haud ſcio, an non ipſe potius nihili eſſet faciendus . Quod ſi nihil utile ad ſanandum cadaverum ſectiones docerent , quæ complura ad id neceſſaria docent , & ſolum qui morbi inſanabiles ſint , patefacerent ; non levem tamen , præter veræ diagnoſis , & prædictionis honorem , afferrent utilitatem , ne ægros videlicet tot ſupervacuis , & fortaſſe noxiis , remediis fatigantes , eorum obitum accelararemus , ſed contra , levaremus ſymptomata palliativa , ut vocant , curatione , morbique incrementum , quo ad liceret , tardaremus , nec temere pronunciantes committeremus, ut cadaveris inciſio errorem detegeret noſtrum. Hæc autem cuncta, ſummopere gaudeo , vidiſſe a Te, Vir Doctiſſime , confirmata , cum Tui Tractatus locis aliis , tum maxima ex parte extremo capite 5. libri 4. Huc merito addo , ex diſſectionibus ipſis Tuis, præter cætera , monitum poſſe colligi pertinens ad caute prædicenda illa quæ poſt certos morbos deberent ſecundum plerorumque expectationem in corporibus deprehendi . Nimirum ſicuti olim præcellens Medicus Ballonius Veſter ſcite adnotavit (*a*) , poſt terrifica , graviſſimaque ab affecto cerebro ſymptomata , *magno medicorum dedecore* , *ſæpe capita hominum morbo capitis conſumtorum aperta eſſe* , *in quibus nihil commemorabile repertum eſt* , *quod mortem intentaſſet* , *quum alioquin medicus aut abſceſſum* , *aut ſimile quid repertum iri* , *pronunciaſſet* ; ſic Tu quoque libro 4. capite 3. in malignis febribus , & peſtilentibus veriſſime admones , veneni illius ſubtiliſſimi a quo præcipites mortes ſunt , in nonnullis quidem caſibus viſibilem effectum in viſceribus occurrere ; at ſæpius nullum , quod ſub ſenſus cadat , ejus veſtigium apparere .

Me Tuum eximium attente, ut par erat, perlegiſſe Tractatum, ex his intellexeris ; id quod vel magis intelliges , ſi Tibi per graviſſimas occupationes otii aliquid interdum erit ad hos meos libros inſpiciendos. Utinam quod ex me habent, probare ita poſſis, ut Præfatio Tua oſtendit , probaturum fuiſſe meam Inventorum Anatomicorum Hiſtoriam . A qua perſcribenda plures abduxerunt me cauſæ, quarum non poſtrema fuit mihi ſatis cognita hinc mediocritas, atque adeo tenuitas mea, inde vero natura plerorumque hominum , qui , ſi alium alii præferas , aut ſiquid forte vel juſte non ad eorum voluntatem pronuncies , continuo iraſcuntur, & fremunt ; quapropter in his etiam libris, quibus alicubi attingo quædam ad Pathologicorum potius , quam ad Anatomicorum Hiſtoriam , ſed nonnunquam tamen ad horum quoque pertinentia, morem tueor meum , ne viventium , ſicubi forte diſcrepo , quenquam

(*a*) l. 3. Conſil. 71.

quam nominem ne eorum quidem a quibus nominatim provocatus eſſe videor, ſed ita reſpondeam, ut, niſi ſe ipſi indicent, non omnes continuo intelligant. Verum præcipua cauſa, pro eo ac debeo, mihi fuit, quod magis quam illam Hiſtoriam, haſce crediderim morborum, & diſſectionum hiſtorias ſtudioſæ noſtræ, pro qua potiſſimum ſcribo, Juventuti profuturas: hujus enim utilitas mihi commendata eſt a Munificentiſſima, eademque omnium, ut jure ipſe appellas, Sapientiſſima REPUBLICA, cui mea, qualiſcunque eſt, obſequentiſſima deſudat induſtria. Quod reliquum eſt, ſi Tua mihi Humanitas id quod initio oſtendi, & majorem in modum rogo, præſtare voluerit; magna ad merita erga me Tua, Vir Ampliſſime, fiet acceſſio. Vale.

D. Patavii Prid. Kal. Septembr. A. CIↃ IↃCC LX.

JO.

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI

AD AMICUM

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXVIII.

Quædam de Fame præter naturam, & de morte ex Inedia ſcribuntur: reliqua de Læſa Deglutitione.

DE quatuor Libris in quos Sepulchretum Anatomicum diviſum eſt, multo longiſſimus eſt Tertius, qui nimirum vitia complectitur Partium omnium, quæcunque peculiariter ad Ventrem attinent, nec virilem modo, ſed etiam muliebrem. Quo magis a me opera jam danda erit, quomodocunque potero, brevitati, ſi quidem velim ſuſcepti hujus pro te laboris aliquem finem reperire. Dare autem eam operam poſſe videor in iis maxime argumentis quæ ſingula in ſingulis primis quatuor Sectionibus proponuntur, *Inappetentia*, *Fames Præternaturalis*, *Sitis Morboſa*, *Deglutitio Læſa*. Neque enim; ſi ultimum demas; ulla eſt a Valſalva, aut a me inſtituta diſſectio, quæ potiſſimum ad hæc attineat argumenta. Quod ne mireris; fac cogites, quam raro accidat, ut aliquis moriatur quem, nullo graviore conjuncto, aut inſequente morbo, dejectus ciborum appetitus, aut nimia fames, ſitiſve conſumpſerit. Quamobrem ubi de graviore illo egimus, aut agemus morbo, ſi ibi ea etiam vitia ſimul invenies commemorata; quid opus eſt, ut alibi neceſſario dicta, aut dicenda, hic inutiliter repetantur? Verſa, quæſo has tres primas Sepulchreti Sectiones. Languentem, aut nullum appetitum cum magnis viſcerum læſionibus, ideſt cum magnis morbis; ingentem autem ſitim cum febribus, cum inflammationibus, cum hydrope, fere conjunctam videbis. Itaque Bonetus paſſim eaſdem Obſervationes alio loco proferri ab ſe, indicat, & nonnullæ etiam de quibus non indicatum eſt, alibi proferuntur. Quod minus mirandum eſt, quam in una eademque Sectione iterari Obſervationes eaſdem. In Sectione enim I. haud aliæ ſunt Obſervationes III. & IV. quam quæ in IX. Obſervatione eſt §. 7. & in X. §. 1. Neque aliæ in III. Sectione Obſervationes pariter III. & IV. quam quæ in V. ſunt §. 7. & 3. ut una eademque eſt quæ Obſervatione VII. §. 2. & quæ in Additamentis legitur Obſervatione IV. §. 1. præter alias quas ipſe fortaſſis animadvertes.

2. De II. autem Sectione hæc quidem non dico. Illud tamen dico, nimiam famem ipſam quoque fuiſſe cum graviore aliquo morbo conjunctam, ut varia paſſim aut in vivis incommoda, aut in mortuorum viſceribus mala commonſtrant. Præterea ſi certas quaſdam excipias quam rariſſimas, eaſque jam inde a primordiis inditas conformationes, puta deficientem pylorum, aut latiorem eundemque multo breviorem, minuſque in gyros contortum inteſtinorum tubum, ad quas miror non eſſe additas duas illas adeo vulgatas, quarum alteram adventitiam vidit Ruyſchius (*a*), alteram congenitam Dionifius (*b*); ſi illas, inquam, excipias; in pleriſque aliis Obſervationibus erit cur dubites, vera, an falſa inſolitæ famis cauſa proponatur, ut cum in liene, quaſi aliquid in ventriculum immittente, ea cauſa quæritur (*c*), aut cum in ventriculi amplitudine (*d*), quam potius nimiæ ingeſtorum copiæ effectum dixeris, quam cauſam, non ſecus atque in Sectione I. (*e*) in eo qui nihil jam diu comederat, exiguam contracti ventriculi capacitatem males effectum credere intermiſſæ comeſtionis, quam cauſam cur nihil ederet. Sed de liene, & de ventriculi magnitudine eo magis dubitabis, cum mox Appendicem legeris poſt Obſervationem VII. ipſamque X. Obſervationem. Hepatis vero inſolitam magnitudinem (*f*) an famis inſolitæ cauſam credes, ſive quod ventriculum magis foveret, ſive quod plus bilis ſepararet? an effectum, quod aucta ex copia molle viſcus haud aliter ac in ſaginatis anſeribus, amplificaſſet? Quod ſi de hepate illud cenſes; num de pancreate quoque (*g*) cenſebis? quaſi vero quia ductu erat præditum duplici, diſtinctoque loco inteſtina adeunte (id quod in aliis, etiam non famelicis, haud ſemel deprehenſum eſt) ideo multo plus ſecerneret ſucci, quæ res non ex ductuum numero, qui modici eſſe potuerunt, ſed ex viſceris, quod alioquin ſanum erat, ampliori, ſi forte erat, magnitudine omnino fuerat deducenda. Denique; ut alia omittam; dicendane *erat pica a ventriculo σφακελώδη exorta*? Non certe; nam lethalis hæc ventriculi diſpoſitio, ut in muliere fuerit jam morti proxima; tum procul dubio eſſe non poterat, *cum carbones illi in delitiis fuerant*.

3. Sed nihilne, inquis, in tota hac Sectione probas? Ego vero plura; tametſi in aliis meliorem delectum, in aliis acrius judicium deſidero. Alia quoque ſunt quæ non ſine dubitatione aliqua accipere poſſim: alia contra, quæ confirmare etiam poſſim. Vides exempli cauſa, quæ de pediculis aliquot a puero icterico devoratis Obſervatione IX. propoſita ſunt, ut in ventriculo in *monſtroſam magnitudinem*, & in *numeroſiſſimam multitudinem* excreverint, ut *famem inſatiabilem*, ſumptum *alimentum abſumendo*, intulerint. Num iiſdem illi, quibus homo, gaudent alimentis? num his adaugentur felicius? num ea ſedes ſatis idonea eſt, ut in ea vivant, neque potionibus obruantur, indeque ſimul cum iis quibus avide inhæreant, cibis ad inteſtina abripiantur; imo ut ſe ſe adeo propagent? Denique ſi in ea ſede vixiſſent; nonne cito intolerabilem, ut in ejuſmodi viſcere, eroſionem, eroſioniſque ſenſum potius feciſſent, quam famis? Sed nulla, quæ in mortuo tandem conſpecta ſit, memoratur eroſio. Itaque non una de cauſa aliquanto minus incredibilis videri poſſit Obſervatio quæ in Scholio adjungitur, alibi autem (*h*) ſub hoc titulo proponitur *Ventriculi dolor a veſiculis, pediculis plenis, illi affixis*: quanquam eo inclinat animus, ut ſuſpicer, in utraque corpuſcula, &, ſi mavis, animalcula conſpecta eſſe quadantenus pediculorum ſimilia, præſertim quando eum qui hanc alteram nar-

(*a*) Obſ. Anat. Chir. 74. (*b*) Anat. de l'homme Demonſtr. 2. (*c*) Obſ. 4. & ſeqq. (*d*) Obſ. 1. & 8. (*e*) Obſ. 5.
(*f*) Obſ. 2. (*g*) Obſ. 13. (*h*) l. hoc 3. S. 6. Obſ. 38.

narrat, non affuiſſe ipſum, conſtat; ille vero qui primam ſcripſit, diſerte ſe affuiſſe, non dixit; neuter autem an pediculi etiam tum viverent, ut ex motu ſaltem, animalcula fuiſſe, pateret. Sed quoniam non uni ex Doctis amicis meis rem viſam eſſe credibilem, poſtquam hæc ſcripſeram, animadverti; idcirco eo magis velim, ut ſcripta memineris non tanquam a pernegante, ſed potius tanquam a dubitante. Contra, ubi in Appendice quæ Scholiis Obſervationis ſubjicitur, de humanis lumbricis ſermo eſt, ſingulari ſua magnitudine, aut numero famem rabidam afferentibus, nihil eſt cur hæream. Sua hi in ſede, ſuoque pabulo verſantur: quod ſi eorum magnitudini, aut certe multitudini par non ſit; manifeſtum eſt, animal in quo inſunt, nutrimento fraudatum ſuo, incredibili fame, & ſæpe etiam ſiti vexari oportere. Utramque enim inde cum alii ſæpenumero, tum ipſe animadverti, & præſertim in eo catello, quem poſt illas mortuum cum diligentiſſime perſecarem, nihil uſquam morbidi invenire potui præter ingentem vermium numerum, ſicuti in Epiſtola ſcripſi, quæ a Valliſnerio noſtro (i) olim vulgata eſt. Sic etiam cum Bontii obſervationes indicantur (k) *boulimi, ac appetentiæ, caninæ* dictæ meſenterii infartus conſequentium, in memoriam redeunt quæ mihi quondam narraverat Albertinus, ſe in quibuſdam, hoc mali genere laborantibus, præcipue autem in puero adeo famelico, ut hinc ſæpe caperetur animi defectionibus, reperiſſe glandulas quæ in ventre ſunt tartarizatas, uti loquuntur, ſic ut duritie cultri aciem eluderent. Alvi autem fluxus, & qualis, intercepto videlicet per meſenterium chyli commeatu in his fuerit, an nullus fuerit; apud Bontium (l) enim leges fuiſſe lienteriam; pro certo non memini.

4. Diſſectiones quoque illæ placent quæ extremo loco productæ ſunt (m) hominum duorum quos diuturna cibi, potuſque abſtinentia confecit, placituræ etiam magis, ſi quemadmodum *venas, & arterias mirabiliter inanitas* oſtendunt, ut *ex vena cava vix duo*, aut tria *cochlearia ſanguinis effluerent, ex aorta* autem *nihil*; ita alia pariter quæ adnotatione ſunt digna, oſtenderent, puta eorum virorum annos, temperamentum, habitum, vires, abſtinentiæ dies ad unum omnes, ſymptomata quæ mortem anteceſſerunt, conſtitutionem viſcerum, & ſiqua alia ſunt ejuſmodi. Quæ diligentia perutilis fuiſſet præſertim in primo, quippe qui *corpore* erat *alioqui ſano*, cum ſe per inediam interimendi conſilium cœpit. Nam quos aut morbus cogit, aut morbi cruciatus eo adducunt, ut nihil ſumant, nec vivi, nec mortui quidquam certi docere poſſunt, cum ignores videlicet, quot dies ipſe ſortaſſe morbus de vita detraxerit, & quid inſoliti ipſa per ſe inedia viſceribus attulerit. Sic apud Cl. Peyerum, filium dico, (n) viri, ac mulieris diſſectiones habemus, quibus cauſa mortis inedia fuit; ſed in utraque vitia ejuſmodi legimus internarum Partium, ut cum ad morbos hæc attinuiſſe, agnoſcamus, cætera illa quæ paulo ante commemoravimus, non magnopere deſideremus. Contra, a Præſtantiſſimo Fantono (o) illorum pleraque adnotata ſunt diligenter in muliere quæ ad quinquageſimum, quo obiit, diem cibum pertinaciſſime repudiavit. Sed cum pauxillum tamen bis ſumpſerit, &, quod pluris faciendum eſt, aquæ potu, quamvis *pauciſſimo*, uteretur; non eſt cum eo viro de quo primo loco mentionem fecimus, comparanda. Aquæ enim potus quantum, humorum inopiam minuendo, & acrimoniam temperando, quæ duo famelicis maxime nocent, juvare poſſit ad eorum vitam producendam, Redii (p) experimenta comprobant, qui plures ſine ullo cibo capones ſervans, eorum quibus potum quoque negavit, nullum ultra nonum diem vixiſſe, animadvertit, cum ille cui quantum aquæ voluit, præbuit, quam diebus primis ſexdecim avidiſſime, ſæpiſſimeque bibebat, vigeſimum ſuperaverit diem. Nec facile credo, cum Pomponius Atticus (q) vitam ſimul cum morbo graviſſimo finivit intra quinctum inediæ diem, primum futurum fuiſſe, ut *ſubito febris decederet*, leviorque morbus eſſe inciperet, ſi ut *biduum cibo*, ſic potu quoque *ſe abſtinuiſſet*. Cæterum breve illud Attici levamen num forte ſit ex Hippocratis Aphoriſmo 47. Sect. 2. explicandum, quaſi pus tunc confici deſiiſſet, quod *per lumbos* poſtmodum *erupit*, an potius abſtinentiæ a cibo ſit tribuendum, quando Redius (r) incredibile eſſe, affirmat, quam pulchra inveniantur viſcera eorum animalium quæ fames extinxerit, arbitrium tuum eſto. Ego aliud tibi Redii dictum, quod ad ea pertinet, quæ ſupra in hujuſmodi obſervationibus requiſivi, Valſalvæ quodam experimento confirmabo. Multum, Redius inquit (ſ), robur atque ætas poſſunt in animalibus ad famem diutius ferendam. Experimentum autem Valſalvæ ea quam requirimus, diligentia ſcriptum, ſic habet.

5. CANIS paulo poſtquam editus fuerat, a maternis uberibus ablatus eſt, omnique alimento prohibitus. Tertio inediæ die convulſivis motibus toto corpore tentari cœpit modo vehementioribus, modo remiſſioribus. Die quarto interiit. VENTRE aperto, veſicula fellis inventa eſt bile abundans. Thorace recluſo, pulmones in latere dextero nigerrima oblonga macula tincti: cordis auriculæ multum dilatatæ a concreto ſanguine; quo & ventriculi erant pleni. Sed in omnibus quoque ſanguiferis vaſis præſertim autem in venis quidquid erat ſanguinis, erat concretum, ut nuſquam inventus ſit fluidus. Denique cranio exſecto cerebrum compertum eſt molle, & flaccidum, idemque necdum ſatis in duas ſubſtantias diſtinctum, vix ut corticalis internoſci poſſet a medullari. Utrumque auris Tympanum, pellucidæ *gelatinæ* plenum, Oſſicula habebat exacte quidem conformata, ſed membranaceam etiam tum mollitiem ſervantia.

6. Qui mortem præceſſerant motus convulſivi eorum quadantenus ſimiles ſunt, quos Valſalva animadverterat ante mulieris illius (t) obitum quæ ſex dies cibo, potuque ſe abſtinuerat. Quæ vero in mortuo catulo ſunt animadverſa, pleraque ſunt fœtus magis, quam animalis propria quod jejunium interemerit, nonnulla tamen utriuſque communia, ut fellis copia, quippe veſicula a flaccido ventriculo, proximove inteſtino haud compreſſa. Sed & quidquid bilis ex jecinore ad inteſtina defluit, eo magis in his apparet, quod aſſumptorum miſcela non tegitur. Nec ratio ſolum, ſed obſervatio quoque hoc confirmat tum in illis ferme omnibus animantibus quas fame necaverat Redius, ut ex Caldeſii (u) teſtimonio cognoſcimus, tum in hominibus inedia abſumptis, quod Peyeri (x), Fantoni, (y) Halleri (z) conjunctæ Obſervationes oſtendunt. Ratio quoque indicat, quoniam ab diuturna omnis potus, cibique abſtinentia, corporis humores acerrimi fiunt, & ad putredinem tendunt, facile fore, ut eorum qui inedia pereunt, cadavera graviſſime oleant, quemadmodum a Celeberrimo Scriptore cum de hominibus, tum præſertim de canibus traditum eſt: quod indicium, ad alia additum, haud inutile profecto eſſet non ſolum ſcire aventibus an aliquos homines jejunium magis, an morbus ſuſtulerit; verum etiam interdum, ut video, dubitantibus, an canes quidam ex inedia, an ex inſtitutis experimentis ſint mortui. Sed nos hæc aliis, periculum facturis, modo relinquentes, aliaque inſuper prætereuntes, in eo quod promiſimus, inſiſtamus. Canes quos Redius (a) omni prohibuerat cibo, & potu, quandiu ſic vixerint, ex eo intelliges quod aliqui ad triginta quatuor, aliqui ad triginta ſex pervenerint dies, parvus autem catulus, niſi vigeſimo quincto die ſe ex altiſſima feneſtra præcipitaſſet, plures alios videbatur eſſe victurus. Verum hic ut parvus eſſet catulus, non erat tamen modo natus, ut is qui, Valſalva obſervante, quartum ſuperare non potuit diem. Equidem miras eſſe poſſe in his rebus varietates, eo libentius fateor, quo magis tot, & tam varia exempla attendo longæ inediæ, quę ab Doctiſſimo Viro Beccario (b) & erudite producta ſunt, & diligenter penſitata. Illud tamen, ſi quam rariſſimas quaſdam excipias rerum, & corporum conſtitutiones ſatis

(i) Conſideraz. int. alla generaz. de' vermi. (k) Obſ. 12. (l) Vid. Sepulchr. l. 3. S. 10. Obſ. 1. (m) Obſ. 18. §. 1. & 2.
(n) Obſ. Anat. 1. & 7. (o) Diſſert. Anat. Renov. 1. (p) Oſſervaz. int. agli animali viventi &c.
(q) Vid. ejus Vitam apud Corn. Nepot. (r) Oſſerv. cit. (ſ) Ibid. (t) Epiſt. 17. n. 25. (u) Oſſervaz. int. alle Tartarughe.
(x) Obſ. 7. cit. ſupra ad n. 4. (y) Diſſ. ibid. cit. (z) ad Boerh. Prælect. §. 98. not. 2. & Opuſc. Pathol. Obſ. 24.
(a) Oſſervaz. cit. ſupra ad n. 4. (b) Vid. de Bonon. Sc. Acad. T. 2. P. 1. inter Medica.

ſatis cum vero conſentire, crediderim quod ab Hippocrate (*c*) traditum eſt, *minus* facile *adoleſcentes*, *omnium* autem *minime pueros* jejunium ferre, quod contra facilius ferant qui *ætatem conſiſtentem habent*, *ſenes* autem *facillime*, niſi forte ſint ætate confecti, ut ſapienter Celſus (*d*) Hippocratem interpretatur, ſic ejus ſententiam latine reddens: *inediam facillime ſuſtinent mediæ ætates, minus juvenes, minime pueri, & ſenectute confecti*: .... *maxime* vero is *cibo eget*, *qui increſcit*, quod diſerte Hippocrates quoque in proximo (*e*) docuerat aphoriſmo.

7. Hippocratis autem ſententiam mirifice una confirmaret hiſtoria, ſi ea quidem, ut perperam Cardanus (*f*) & Zambeccarius (*g*) credidere, hiſtoria eſſet, non poeticum Dantis (*h*) commentum de Hugolino Comite, & quatuor ejus filiis, inedia mori coactis (quod unum certum eſt) ſic ut omnes vixerint aliquot dies, triennis autem puer quarto, reliqui aliquanto majores pueri, aut adoleſcentuli quincto, aut ſexto die, pater denique, ut conſtanti erat ætate, aut cruda certe, viridique ſenectute, octavo deceſſerit: quæ omnia a Poeta, ut erat ea tempeſtate doctiſſimus, facile ſecundum Hippocratis aphoriſmum, certe ſecundum veri ſimilitudinem eſſe excogitata, Poeta ipſe, quod Clari illi Viri non attenderunt, ſatis eo loco indicat, ubi Hugolini animam hæc ſibi narrantem inducit, quæ aliunde, ut diſerte ait, *non poſſet intellexiſſe*, quippe quæ in tenebricoſis acciderant turris penetralibus, cujus claves ſtatim poſt illos incluſos, adverſarii in flumen abjecerant. Quod ſi igitur ad multiplices Hippocraticæ ſententiæ partes, ut a Celſo expoſitæ ſunt, comprobandas forte plures hiſtorias quæris, nonnullas quæ ſcribenti ſuppetunt, ex Romanis commemorabo. Ægrum Pomponium Atticum ſupra (*i*) diximus die quincto inediæ mortuum. Sextius autem Baculus, ut eſt apud Cæſarem (*k*), cum ita ægrotaret, ut *diem jam V. cibo caruiſſet*, adeo a morte procul erat, ut arma caperet, hoſteſque arceret, quippe ætate ea, ut non ita pridem munere functus eſſet primipili; Atticus vero VII. & LXX. annos compleverat. Sic mirari non oportet, Suetonium (*l*) cum Tiberium ſcripſit, *cibo per quatriduum abſtinuiſſe*, non modo quid noxæ inde retulerit, non adjeciſſe; imo ut *confeſtim Oſtiam deſcenderit*, docuiſſe; Tiberius enim tunc erat maxime conſtanti ætate. His alia ipſe juniorum exempla addes: nec facile, opinor, reperies, ubi ad pueros, infanteſque perveneris, qui iſtiuſmodi jejunia ſic tulerint. Nec vero ex Fernelii (*m*) obſervatione mihi fœtum objicias qui mirando ſane exemplo bimeſtre jejunium videtur pertuliſſe. Nam etſi mater quæ, *adſtantium omnium judicio, nihil cibi potuſve bimeſtri tempore voraſſet*, tandem in extrema, qua confecta eſt, febre *edidit partum*, *quem vitæ ſuperſtitem reliquit*; tamen quotieſcunque cibum potumve ad infimam uſque œſophagi partem detrudebat, inde vero mox retrahebat, rejiciebatque, credibile eſt, ſemper aliquam ingeſtorum portionem ultro citroque commeantium abſorbentia oſcula oris, faucium, œſophagi ſubiiſſe, ſicque hanc non ſecus quadantenus ac alia gravida apud Hildanum (*n*) per ſolos fere clyſteres nutrientes ſpatio ſex hebdomadum una cum fœtu, ſervatam eſſe. Quin credibile etiam eſt, tuberculum quod ventriculi oſtium claudebat, ut in mortua conſpectum eſt, in vivente, niſi forte extremo tempore, non tantum fuiſſe, ut orificium illud omnino obturaret; increſcunt enim jugiter ejuſmodi vitia, ut demum eo ſe extendant quo paulo ante non perveniebant.

8. Redigit in memoriam hæc Fernelii obſervatio Quartam, in qua & ipſa eſt (*o*), Sepulchreti Sectionem, de qua ita initio (*p*) mentionem fecimus, ut non deeſſe nobis indicaremus quæ ad ipſam, id eſt ad læſam deglutitionem attinerent. Nec deeſſent utique ſi quod in Sectione quoque hac fit, imitari placeret. Videbis enim, Obſervationem in ea IV. non niſi verbis aliquanto paucioribus differre ab XVII. idemque multo magis miraberis in XIX. collata cum ea cui proxime ſubjicitur XVIII. In ipſis autem Additamentis nonne altera pars Obſervationis II. totidem verbis iterat quod ſatis jam fuerat Sectione eadem in parte altera Scholii propoſitum ad VIII.? Nos vero ne illa quidem hic repetemus quæ in aliis Epiſtolis ex Valſalvæ, aut noſtra obſervatione protulimus. Sed quidquid reſtat, huc afferemus; cætera illa vix indicabimus. Reſtant autem ex Valſalva hiſtoriæ duæ. Quarum prima ad hunc modum ſe habet.

9. VIR annos quinquaginta natus queri incipit de impedita deglutitione. Impedimentum paulatim augetur: vox amittitur: in deglutiendo non levis dolor: cibi portio in faucibus remanebat, quæ ſenſim poſtea in os redibat, interdum, ut videbatur, corrupta: maceſcit corpus: nihil exterius præter naturam conſpicitur; ſiniſtra dumtaxat Maxillaris Interna glandula percipitur indurata. Repente, quaſi ſuffocatus, moritur. GLANDULA modo memorata, dura, habebat ad latus internum materiam albuminis ſimilem. Plures autem in pharynge, & ad ſummam laryngem tumores conſpiciebantur, qui carcinomatis habebant naturam.

10. JUVENIS quoque poſt conſimilia morbi ſigna, eodem ferme pacto mortuus, ejuſdem naturæ tumores oſtendit, præſertim ad ſupremam laryngis partem, & proxima pharyngis latera. Sed tumores nonnullis in locis jam erant exulcerati: ipſamque epiglottidem ulcus perforaverat.

11. Quod ad utriuſque repentinam attinet mortem, hinc confirmare poteris quod Valſalvam, hos duos fortaſſe ſpectantem, mihi dixiſſe, alias (*q*) ſcripſi, ex gravi laryngis vitio ſe bis ejuſmodi mortem obſervaſſe. A me quoque in Virgine obſervata eſt, de qua ibidem commemoravi, & fortaſſe etiam in Cantore præſtantiſſimo, quem manifeſtum in faucibus ulcus vexabat, ſummam afferens difficultatem deglutiendi. Sed quoniam id ulcus ad quas uſque partes ſe extenderet, neque in vivo definiri, neque in mortuo quæri licuit, idcirco rem pro certa compertaque non poſui, præſertim quoniam iſtiuſmodi ulcera aliquando eo non perveniunt quo putares, eademque perveniunt quo non putares. Quod præclare oſtendet caſus viri, eodem mortis genere abrepti: quem caſum etſi ex parte attigi in Epiſtolis Anatomicis (*r*), ex parte in alia quam ad te miſi (*ſ*); nuſquam tamen totum expoſui, ſed conſulto huc diſtuli, tanquam ad læſam deglutitionem pertinentem.

12. VIR erat, cui inter deglutiendum, potionum pars redibat per nares. Huic palatum oſſeum erat integrum; at molle, ſimul cum uvula, non recens ulcus abſumpſerat, ad cicatricem, quantum oculis perſpici poterat, jam perductum; ſed qua perſpici non licebat, etiam tum perſtans, ut vel ea quæ ſcreatu reddebantur, ſignificabant. Cum his tuſſis aliquando, & alia ejuſmodi, quamvis levia, & ambigua, ſuſpicionem movebant ulceris ſe ſe deorſum extendentis. Quam auxit ſubita mors ſuffocati inſtar. PHARYNGIS tamen inferior pars, & quæ hac intercipitur larynx, & huic ſubjectus arteriæ Aſperæ canalis erant omnino illæſa: quanquam ſiniſtri pulmonis ſuperiorem lobum, cum attrectarem, durum, cum ſecarem, magna ex parte peſſime corruptum offendi. Ulcus autem ad altiores pharyngis partes, & ad poſteriora naſi foramina ſe perduxerat, ibique perſtabat. Cæterum Ventre aperto, jecur, & inteſtina quibuſdam locis, intimoſque abdominis muſculos inveni quaſi ex prægreſſa inflammatione liventia, & grave olentia.

13. Ubi, & quo tempore id cadaver ſecuerim, in iis Epiſtolis reperies, quas paulo ante (*t*) indicabam, ibidemque, & Epiſtola quoque ad te XXII. (*u*) quæ de origine, & cauſis attigi illius pulmonum vitii. Quæ vero ad cauſas, modumque attinent, quo deglutitio in eo viro, aut in duobus quos a Valſalva diſſectos propoſui, lædebatur, adeo manifeſta ſunt univerſæ pharyngis, & laryngis neceſſarios in deglutiendo motus non ignoranti, ut minime opus ſit declarare. Huc ſpectant in Sectione hac IV. Sepulchreti, Obſervationes XVII., quæ in duabus ſunt Appendicibus quæ XX. Obſervationi ſubjiciuntur. Et quamvis ego, cum in ſenibus plures, ut alias dixi, laryngis cartilagines ſæpenumero oſſeas factas in-

(*c*) Sect. 2. Aph 13. (*d*) De Medic. l. 1. c. 3. (*e*) 14. (*f*) Comment. in cit. Aph. 13.
(*g*) Experim circa diverſa e viventib. exſecta. (*h*) Infern. cant. 33. (*i*) n. 4. (*k*) De Bello Gall. l. 6. c. 38.
(*l*) De duodecim Cæſarib. l. 3. c. 10. (*m*) Pathol. l. 6. c. 1. in fin. (*n*) Cent. 4. Obſ. 30. (*o*) Obſ. 21. (*p*) n. 1.
(*q*) Epiſt. 22. n. 25. (*r*) Epiſt. 9. n. 9. & 10. (*ſ*) Epiſt. 19. n. 50. (*t*) n. 11. (*u*) n. 26.

veni (x), epiglottidem nunquam oſſeam deprehenderim; tamen quin minus flexilis, minuſque obſequens fieri interdum poſſit, non dubito: quæ res alioquin ciborum magis, quam potionum deglutitioni videtur adverſari. Potiones enim ubi ad epiglottidem pervenerunt, hinc & hinc, qua ad laryngis latera quaſi ſulcus eſt, defluunt, & ad pharyngis imum labuntur: neque tunc quidem accidit, ut laryngem ſubeant, niſi aut nimia copia e ſulcis redundent, aut hi inflammatione, & intumeſcentia deleantur, aut ab irritatione excitata convulſio quædam, aut impar ob reſolutionem officio ſuo muſculus aliquis facilem potionum defluxum turbent: quorum hoc in Fœmina Principe poſt inſultum apoplectici generis, illud vero in nobili Comite animadverti, cujus ad te alias (y) permoleſtam, & convulſivæ, ſed breviſſimæ, anginæ ex parte ſimilem, affectionem perſcripſi. Hic autem nolim, epiglottidis conſiderationem, ubi de læſa deglutitione agitur, a te ſuperfluam credi poſtquam Cl. Targionius (z) in cadaver incidit viri cui, quanquam epiglottis omnino deerat, fortaſſe ab ulcere olim exeſa; non defuerat tamen in acuto ſaltem, ex quo noviſſime interierat, morbo loquendi vis, & deglutiendi ſine ulla difficultate. Nam etſi Arytænoidæi muſculi, qui craſſiores in illo erant, & validiores, potuerant adeo glottidem exacte occludere, ut inſolito in hominibus quidem exemplo, epiglottidis ſupplerent officium, ſicut aliæ partes nonnunquam uvulæ, nonnunquam linguæ aut ab ortu, aut a morbo deficientium munus ſuppleverunt (a), ſive accuratæ, dum ille viveret, obſervationes, & interrogationes aliud fuerant fortaſſe oſtenſuræ; cavendum certe eſt nobis, non quid monſtroſe in uno aliquo, ſed quid ſecundum naturam in cæteris fiat, ſpectantibus, ne illuc decurramus, ut epiglottidem in deglutitione quaſi inutilem exiſtimemus. Non ſum neſcius, eſſe hoc tempore Cl. Viros, quibus adeo aliter ac aliis deglutitio explicanda videatur, ut ſi cum iis facias, eam quam paulo ante attigimus, diſcriminis quo fluida, & ſolida ex ore tranſeant in fauces, explicationem haud requiras. Mihi vero, quamvis hic neque locus, neque tempus ſit totam, ut res poſceret, eorum ſententiam conſiderandi, certe in ea non unum eſt quod accipere non poſſim. Nec me præterit, quod hic etiam in Sepulchreto (b) legitur, a Paulo Barbetta, adnotatum, minime cum ea quæ ſupra expoſita eſt, explicatione conſentire. Verum ſi *loquelæ* ſimul erat *abolitio*, vitia alia fuerint neceſſe eſt, præter epiglottidis in potionum tranſitu laryngem *non ſatis claudentis*, rigorem, ſive *indurationem* cui uni omnia Paulus tribuit. Quid vero præter epiglottidem in alia quadam Obſervatione peccaret, in qua deglutitionem *tam ſolidorum*, *quam liquidorum*, impeditam fuiſſe lego, conijcere fortaſſe poſſem, ſi quod in cadavere deprehenſum eſt, intelligerem. Deprehenſa autem ſcribitur *epiglottis per ſpaſmum catarrhalem verſus œſophagi orificium adeo retracta, ut aſperæ arteriæ orificium maxime apertum exiſteret, ac neque liquida, neque ſolida propter metum ſuffocationis ingeri potuerint*. Nimirum aſſequi non poſſum, quomodo epiglottide illuc verſus adeo retracta, laryngis orificium eſſe poſſet maxime apertum, cum maxime opertum eſſe debuiſſet. Atque hoc fortaſſe modo ab Auctore ſcriptum putaſſem, niſi tunc non de glutiendo, ſed de reſpirando unice ægrum cogitare oportuiſſet.

14. Quod vero, ut ad Pauli Obſervationem redeam in Sepulchreto propoſitam; illa deglutitionis læſio in Scholio quod continuo additur, explicanda ſuſcipitur per *convulſos muſculos hyoideos*, *quia tunc ſurſum erigitur larynx*; id clarius exponi oportebat, præſertim cum muſculi qui eo poſſint nomine deſignari, & plures ſint, & ex iis aliqui contrarium quoque præſtent officium. Neque tamen dubium eſt, quin non modo os hyoides, & larinyx, ſed & quæ ad ipſa attinent, ſi gravius quid forte patiantur, deglutitioni afferre poſſint impedimentum. Hoc enim ortum memineris a luxatis appendicibus illius oſſis ſuperioribus, ut a Valſalva (c) proditum eſt, itemque a luxatis laryngis cartilaginibus, ut Boerhaavius (d) ſcribit ex obſervatione Cowperi, Thyroide puto a Cricoide dimota; nam librum in quo Cowperus id doceat, in manibus non habeo; quorſum an illa pertineant quæ legere potes in Actis Cæſareæ Academiæ (e), cogitabis; at modus tamen curationis ad Valſalvæ modum ſatis accedit. De muſculorum autem, vel ipſius etiam œſophagi convulſione, aut paralyſi nihil ferme attinet dicere, quando primæ exempla in hyſtericis perſæpe occurrunt, hujus autem rarioris quidem, ſed, ut paralyticæ affectiones ſolent, longe diuturnioris Obſervationes haud deſunt, ægris propterea aut fame abſumptis, ut apud Williſium (f), Helwichium (g), alios videre licet, aut nonnunqu.m per alimenta, chirurgici inſtrumenti ope in ventriculum compulſa, duodecim, aut quatuordecim menſes, alias ſexdecim ipſos annos ſervatis, cujuſmodi caſuum hunc habet idem Williſius Pharmaceut. Ration. Parte quidem I. Sectione vero 2. cap. 1. non, ut eſt in Sepulchreto (h), Sect. 3. cap. 3., illum autem, natura tandem vincente morbum, Jobus Baſterus A. 1682. cum Stalpartio (i), idemque raro exemplo vividus Senex A. 1744. cum Cæſarea Academia (k) communicavit. Et minus diuturnam quidem paralyſim, at ſine moleſta illius inſtrumenti in gulam intruſione, ſuperatam vidit Ramazzinus (l), cum ægram abſque ullo prorſus cibo, aut potu per clyſteres nutrientes, quorum diuturniorem uſum, utilioremque legiſſe non memini, dies ſex, & ſexaginta ſervaſſet, auxilii genus in deglutitionis, non modo ex paralyſi, ſed etiam ex quacunque alia cauſa, impedimento, ſemper vel quod facile, vel quod innocuum eſt, a Medicis tentandum. Porro ad levem quandam paralyſim referendum mecum, ut opinor, exiſtimabis, quod a Cel. Heiſtero narratum leges in Diſſertatione quadam Joh. Caroli Spies (m). Scilicet Vir nobilis, iſque jam ſenex, a longo tempore hoc patiebatur, ut cum deglutire omnia poſſet, ultimum tamen bolum non poſſet, qui propterea ab uno ſæpe paſtu ad alterum in faucibus remaneret, donec in ſubſequenti deorſum protruderetur, niſi forte prius ſcreatu, aut levi tuſſi opitulante reijceretur. Nimirum haud aliter id contigiſſe, credidi, quam in ſenioribus urina omnis, alia aliam urgente, extruditur donec ad ultimas guttas ventum ſit, quas infirma vis muſculorum jam nequit, ut in validiore ætate, prorſus expellere. Sic etiam in illo Viro priores boli inſequentium pondere propellebantur, donec ultimus eo auxilio carens, a pharyngis autem muſculis non ſatis adjutus, cogeretur ſubſiſtere.

15. Sed ut hoc, & pleraque de quibus hactenus dictum eſt, vitia ad pharyngem, & proximas huic partes attinebant, ſic alia in œſophago ipſo, viciniſve ei partibus occurrunt. De convulſione, & paralyſi nihil eſt opus iterare. Sunt autem alia duo, inter ſe pariter contraria, vitia, quæ difficilem poſſint facere deglutitionem, glandularum œſophagi ariditas (n), & œdematoſa turgentia (o). Præterea exulceratur gula aliquando: cujus rei habes in Sepulchreto (p) memorabile exemplum. Et quanquam ipſum per ſe ulcus, ſi dolorificum, aut ſaltem ſi amplum ſit, aut prominentibus labris, cujuſmodi erat a Brunnero (q) hic tibi perlegendo, conſpectum, deglutitionis uſu prohibet; tamen vel ſi nihil eorum eſt, ulcuſque ipſum ad ſanitatem ſpectare incipit, aut ex parte etiam pervenit; exiſtere haud raro ex eo poſſunt quæ obſtent deglutitioni, ut caruncula, callus, anguſtia, aut coalitus denique, a Franciſco Sylvio (r) memoratus. Et carunculam quidem ad gulæ finem indicaſſe olim videtur Galenus (ſ), cum ſcripſit, *accidere aliquando, ut etiam carnoſum aliquid (qualia ſæpe foris videmus) in ſtomacho naſcatur, quod vel omnino ciborum viam obſtruat, vel aliquatenus impediat.* Certe autem carunculam ex ſanato œſophagi ulcere ſubortam, vides hic in Sepulchreto (t) obſervatam. Gulæ autem calli etſi non omnes ab ulceribus ſunt repetendi,

puta

(x) Adverſ. I. 2. 23. (y) Epiſt. 14. n. 37. (z) Prima Raccolta di Oſſerv. Med. verſo il fine.
(a) Ephem. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 212. & Slevogt Diſſ. de Gurgul. §. 61. 63. (b) Obſ. 6. (c) De Aure Hum. c. 2. n. 20.
(d) Prælect. ad Inſtit. §. 806. (e) Tom. 6. Obſ. 90. (f) Pharm. Rat. P. 1. S. 1. c. 2. (g) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ 147.
(h) Sect. hac 4. in Addit. Obſ. 2. in fin. (i) Cent. Poſt. P. 1. Obſ. 27 (k) Act. T. 8. Obſ. 21. (l) Conſt. Epidem. A. 1691. n. 22.
(m) De Degl. c. 2. n. 9. (n) Eph. N. C. Cent. 1. Append. n. 10. Obſ. 162.
(o) Earund. Cent. 5. Obſ. 59. ubi I. M. Hoffm. & Benedict. Sylvatic. citantur (p) in Additam. ad hanc Sect. Obſ. 1.
(q) Gland. Duoden. c. 10. (r) Prax. Med. l. 1. c. 5. (ſ) De Sympt. Cauſ. l. 3. c. 2. (t) Obſ. 21.

puta ubi apud Cælium (*u*) legitur *initia atque ſummitas ſtomachi calloſa*, ut neque omnis anguſtia, velut illa quæ Sectione hac (*x*) poſt febrem ardentem, niſi forte in ea aphthæ, aut internæ variolæ (*y*) fuerint, propoſita eſt; tamen ubi ulcus præceſſit, aut adhuc perſtat ex parte, velut in milite (*z*) qui magnam in deglutiendo difficultatem, nullum autem prorſus dolorem ſentiebat, *coarctationem* œſophagi, & *calloſitatem* eroſioni quæ in hoc ſimul deprehenſa eſt, non ſublatæ undique, tribuemus. Nec dubium eſt, quin eadem cauſa, ut anguſtiam, ita & coalitum poſſit inducere, quo nomine cum Docto Viro Maucharto (*a*) hic intelligo eam coarctationem, quæ viam aut nullam, aut vix aliquam relinquat. Et ſane coalitus quem vidit ipſe (*b*) calloſum, & vix admittentem ſtylum tenuem, non fuit ſine ichore purulento. Veruntamen & ab aliis cauſis interdum coalitus fit, ut ille ex parte fortaſſis eſt factus, quarum alias infra (*c*) dicemus, aliæ autem ad tumores attinent in ipſis gulæ tunicis increſcentes, cujuſmodi obſervationes Sectio hæc Sepulchreti (*d*) exhibet, additque aliam lectu dignam Cl. Widmannus (*e*). Memorabile autem præ cæteris illud coalitus genus eſt quod fit per cartilaginem, cujus tria Sepulchretum profert exempla (*f*): tu autem duo præſertim adjunges, quorum alterum diligenter a Vallisnerio noſtro (*g*) deſcriptum, alterum eruditiſſima inſuper Diſſertatione (*h*) a Cel. Trillero eſt illuſtratum. Sunt Viri Præſtantiſſimi quibus id vitii *oriri videtur a potu aquæ fervidæ*, hoc ævo adeo frequenti: quod ego omnino inficias non eam. Sed mirabor tamen, cum ſæpe etiam Veteres, & certe cum Sinæ, ſuarum conſuetudinum retinentiſſimi, potu ſint uſi, utanturque ferventi, non ſæpius apud eos inventos eſſe, & inveniri qui læſa, aut impedita laborent deglutitione, ſed nec ſæpius apud nos, imo raro adeo cartilagineum œſophagum deprehendi, ut in Italia non meminerim qui adhuc repererit præter Vallisnerium, qui tamen in eo homine, & loco, & tempore id reperit, ut abs theæ, aut coffi abuſu repeti poſſe non videatur: omitto autem, Trillerum in ſuo a contraria omnino cauſa repetiiſſe (*i*). Ut ut eſt; coalitum dixi per cartilaginem, quia hic quoque œſophagum a cartilagine, ſi non omnino obturatum, ut in Stoffelii Obſervatione (*k*), at certe ſic impeditum in cæteris exemplis animadverto, vix ut exiguum reſtaret foramen. Quid vero ſi cartilago non extrorſum extuberaret; ſed patentem naturali amplitudine viam relinqueret? num putas, illæſam futuram deglutiendi facultatem? Mecum certe Victorius Gornia Medicus Experientiſſimus diſſectionem communicavit, in Germania habitam, cadaveris Celſiſſimi, & Eminentiſſimi Principis, cujus œſophagus exterius membraneus, interius autem erat cartilagineus, imo ſtomachum verſus ad pollicis latitudinem oſſeus. Princeps tamen ille non modo ultimo biennio quotidie duabus a prandio horis vomuerat; ſed de nulla unquam in deglutiendo moleſtia, aut difficultate conqueſtus fuerat. An igitur non ſecus ac ſanguis per oſſeam arteriam cordis vi, & retro poſitarum arteriarum propellitur, cibus quoque a validioribus pharyngis muſculis impelli poteſt per gulam non conniventem, neque explicandam, ſed patulam a rigidis parietibus perpetuo ſervatam? Tu ergo hoc videris, ſimulque Obſervatione hac ad quinque addita, quas ſuperius memoravimus, rurſus tecum reputabis, num fervidæ aquæ abuſui illud ſit vitium imputandum quod non linguam, non fauces, non ſuperiorem gulæ tractum, ſed infimum maxime occupaſſe de ſex iſtis exemplis quatuor oſtendunt. De duobus autem reliquis alterum a clavicularum regione incipiens proponit; ut unum ſit in quo cum pharyngis fine œſophagi initium cartilagine occluſum legatur: quapropter Stoffelius id quod cæteri ne cogitare quidem potuiſſent, quærebat, an ad laryngotomiæ, quam vocant, imitationem, inſtituere liceret pharyngotomiam, ſeu potius ſummi œſophagi inciſionem per quam fiſtula, alimentum invehens, immitteretur, certæ morti, ut ait, præferendo incertum remedium; ſed ſimul, quod dolendum; difficile adeo, & periculoſum, ut omnes intelligunt qui cum obvia Aſpera arteria, ſedem comparent ſummi œſophagi profundam illam, & tot muſculis, nerviſque, & vaſis inſignibus ſtipatam.

16. Partes autem œſophago proximæ ut non uno modo poſſint deglutitionem impedire, vel eæ oſtendunt Obſervationes, quas cum alias perſcripſerimus, hic ſatis erit, ut promiſimus, indicare. Neque enim eæ Partes nocere dumtaxat queunt ita comprimendo, ut via intercipiatur, quemadmodum tumefacta illa in octogenaria muliere glandula (*l*), aut dilatata in Tubicine arteria Magna (*m*), aut ambæ etiam facile in Viro, a Valſalva adoleſcente diſſecto (*n*); ſed & abſterrendo a deglutitione, quando via etiam aperta, compreſſæ ipſæ a deglutitis alimentis, ſuffocationis periculum afferunt, ut dilatata Aorta in fœmina, ab eodem ſecta (*o*), in Marchione Pauluccio (*p*), & in Medico Ferrarinio (*q*). Sed ad glandulas œſophagum comprimentes ut redeam, quid thymus poſſit tumefactus, & Sepulchreti hæc Sectio (*r*) indicat, & Verdrieſii Obſervatio (*ſ*) confirmat. Aliæ autem ſunt glandulæ, quæ, nulla re interpoſita, gulam ſua diſtentione prementes anguſtiam, & coalitum quoque efficiunt, in primis quæ Dorſales appellantur: idque intelliges ex eadem Sectione (*t*), magiſque ex quibuſdam tot Profectorum Obſervationibus, quas a me in Epiſtolis Anatomicis (*u*) indicatas, Sepulchreto poteris adjungere, ſecurus Maucharti (*x*) hæſitationis, cum eas ſaltem quæ ex Laurentio, & Diemerbroeckio ſunt; cæteras enim ſatis accepit; in ſuis eorum exemplaribus non occurrere, mirabatur, haud miraturus, ſi animadvertiſſet, cum poſt A. 1595. Laurentius; poſt A. autem 1679. Diemerbroeckius ſua uterque Scripta recenſuiſſent, auxiſſentque, par fuiſſe, me non illis prioribus, ſed poſterioribus uti editionibus, in quibus, ſi quæres, illa ipſa verba occurrent quæ a me ex utroque producta ſunt. At Mauchartus, ut pote Vir non minus hic cautus, quam humanus, ſaltem id dixit quod negari, ut puto, non poteſt, ſe in ſuis illis exemplaribus ea verba non reperiſſe. Alius autem Vir, cæteroquin Doctiſſimus, cum in Diſputatione ſua de Fiſtula Lacrymali inter alia quæ ex me ſumpſit, in locum Ariſtotelis forte incidiſſet ex libro II. de Generat. Animal. C. V. a me obiter in Adverſariis VI. (*y*) prolatum, eaque, ut a me producta ſunt, verba deſcripſiſſet; ſatis fidenter pronunciavit, *verba hæc loco quidem citato haud reperiri*, minime cogitans, alios aliter diviſis ac ſua forte eſſent, exemplaribus uti poſſe. Et ego quidem cum Sylveſtro Mauro tum *communem* Operum Ariſtotelis *in libros, & capita diviſionem*, tum *communem* pariter *verſionem*, vel potius ipſa Ariſtotelis verba ſecutus, ſperabam, ſiqui vellent conferre, ſecundum communem diviſionem quæſituros, aut, ſi forte ea carerent, in ſuis libri illius ſecundi editionibus locum facile in quo de fœcunditatis probationibus agitur, in eoque eadem verba, aut certe eandem ſententiam reperturos. Sententiam dixi, ne forte in verbo illo uno hæreas *colorent*; id enim Ariſtotelem voluiſſe, & ratio indicat, & Medici affirmant, in iiſque Niphus (*z*) qui centum viginti ante Mauri paraphraſin (*a*) annis eundem Ariſtotelis & librum, & locum explanaverat. Quin imo cum græco in textu, ut par erat, verbum quo uſus eſt Ariſtoteles, inſpicerem χρωματίζωσι, quod *colorent*, *tingant*, *inficiant* certe ſignificat; minime dubitavi, ſic eſſe reddendum, & facile, errore Operarum eſſe factum, ut in verſione pro *inficiant* inepte legatur *perficiant*. Quæ interjicere hic volui, nequando ejuſmodi hæſitationes, aut cenſuras in laudatis, nec ſemel excuſſis Diſſertationibus legentes, ex meo perpetuo ſilentio, magiſque ex

(*u*) Morb. Chron. l. 3. c. 2. (*x*) Obſ. 14. (*y*) Vid. Act. Hafn. T. 1. Obſ. 109. & Eph. N. C. Dec. 2. A. 9. Obſ. 45.
(*z*) Commerc. Litter. A. 1741. Hebd. 25. n. 1. (*a*) Diſſ. de Struma Œſoph. §. 18. 22. (*b*) §. 11. (*c*) n. 16.
(*d*) Obſ. 21. §. 1. & in Addit. Obſ. 2. (*e*) Act. N. C. T. 6. Obſ. 149. (*f*) Obſ. 8. 9. 20. (*g*) Opere T. 3. Oſſerv. 36.
(*h*) De Fame lethali ex calloſa oris ventric. anguſtia. (*i*) Ibid. §. 42. (*k*) 20. hic in Sepulchr. (*l*) Epiſt. 15. n. 15. (*m*) Epiſt. 18. n. 22.
(*n*) Epiſt. 17. n. 19. (*o*) Ibid. n. 25. (*p*) Ibid. n. 26. (*q*) Epiſt. 18. n. 17. (*r*) Obſ. 10. (*ſ*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 90.
(*t*) Obſ. 16. (*u*) Epiſt. 9. n. 46. (*x*) Differt. ſupra ad n. 15. cit. §. 6. (*y*) Animad. 65.
(*z*) Expoſ. in l. 2. Ariſtot. de Generat. Animal. (*a*) ejuſd. l. 2. c. 5. art. 3. ad n. 11.

ex eorum qui utramque ſcripſerunt, auctoritate, juſtas illas eſſe, exiſtimarent. Nam quod aliquis, cujus ne nomen quidem volui quærere, ſed illud tantum, num forte a me, quod negarunt, provocatum ſe poſſet dicere; quod, inquam, aliquis neſcio ineptus magis, an iniquus, annis ſuperioribus mihi dictus eſt quiddam aliter ac Summi Viri, Judiceſque idonei cenſuerunt, de mea olim in quoſdam libros neceſſaria, neque inutili, ſcribendi ratione temere, injurioſeque effutire; nunquam uſque adeo ineptiam, ut ſapientes homines credam quidquam expectare quod reponam: itaque ipſum, ejuſque ſimiles, ſiqui ſunt, ſuis ſomniis, quorum illum ridiculis audio delectari interpretationibus, relinquam. Dignis autem quibus reſpondeam Viris, ſi humaniter aliqua mihi objiciant (atque utinam ne multa eſſent quæ objici poſſent) libens ſemper, ſi non aliter, at modeſtia certe reſponſionis ſatisfaciam.

Nunc ad propoſitum revertens, præter glandulas Dorſales, a quarum turgentia Mangetum quoque coalitum gulæ vidiſſe, Mauchartus (*b*) memorat, alias eſſe dico non ſemper Anatomicis occurrentes; quanquam nec Dorſales ſemper occurrunt; imo potius, aut ſaltem ſæpius morboſas, quæ facere idem poſſent, ut quæ ab eodem Maucharto (*c*) propius œſophagi finem, & ad ipſum finem conſpectæ ſunt, facturæ erant, ſi magis intumuiſſent, ut illæ intumuerant quas Valliſnerius (*d*) ſimul cum ea in cartilaginem mutatione deprehendit. Idemque in fine ipſo œſophagi factum eſſe a tumore ſive ſcirrhoſo, ſive e dura pinguedine compacto, Boneti (*e*) præ cæteris, & Chirurgi a Maucharto (*f*) laudati Obſervationes oſtendunt. Porro alia, & ea quidem in omnibus, Pars eſt, quæ infimam gulam præter modum conſtringens, impedimentum afferat deglutitioni. Ea Pars diaphragma eſt, cujus inter lacertos extrema gula trajicitur. Quamobrem vides, cur in ſervo illo, cujus diaphragma Cel. Heiſterus (*g*) *valde inflammatum* conſpexit, fuerit *deglutitionis impotentia*, & cur hyſtericæ aliquæ mulieres in loco modo deſignato obicem deglutitioni oppoſitum ſentiunt, velut illa (*h*) in qua id deduxi a convulſis iis ipſis diaphragmatis lacertis, quos inter foramen eſt infimam gulam tranſmittens; ea enim mulier cum cibum jam prope ventriculum detruſerat, obſtaculum ibi percipiebat. Id ego foramen cum in nonnullis multo brevius, ut in ſene quodam bajulo (*i*) invenerim, in alio autem ſene, de quo alias (*k*) ſcribam, non ſecus atque œſophagum, qui ad eam ſedem multo latior erat, & rubicundior, ampliſſimum in latitudinem præſertim, offenderim; ægre tuli, de neutro fieri me potuiſſe certiorem, num quid ibi moleſtiæ aut difficultatis in deglutiendo percepiſſent.

17. Præter ea quæ dicta ſunt, animadverti, aliam eſſe Partem quæ gulam poſſit, & infimam quidem, comprimere. Ea jecur eſt. Cum enim in poſteriore hujus margine excavatio ſit, a Cel. Winllowio (*l*) commemorata, quæ locum cedit tum Spinæ, tum extremo œſophago jam in ventriculum ſe explicaturo; facile poteſt intelligi, ſi hepar ad eam potiſſimum ſedem prætumidum fiat, ac durum, Spinæ apprimere œſophagum poſſe. Et video quidem in ſectione hac ſepulchreti (*m*) inter cauſas læſæ deglutitionis memorari jecur, ſed non hac ratione officiens: quamquam ad hanc aliquanto propius accedere videtur Ballonius (*n*). Vera quidem, ſed in parte, longe alia ratio eſt, qua Cl. Fantonus (*o*) docet, cur ingenti hepatis mole, & pondere ventriculo in umbilicalem regionem detruſo, ejuſque orificio ſuperiore compreſſo, alimenta difficile, præſertim liquida, deglutirentur. Ait enim, *œſophagi*, ita *per vim elongati*, *cavitatem evaſiſſe anguſtiorem*, ipſumque compreſſione arctatum ſtomachum ingreſſuris cibis obſtitiſſe. Explicationis autem hujuſmodi priorem partem ad cætera addi poſſe, cenſeo, ut tanto facilius intelligatur in Sectionis hujus Obſervatione I. cur miles *opiſthotono correptus*, *nihil poſſet deglutire*. Cervice enim ad poſteriora reflexa, diſtenditur gula, & ſic quanto longior, tanto etiam anguſtior fit, anteriore ejus pariete ad poſteriorem accedente. Idemque explicationum genus habere in parte locum poteſt ubi Hippocrates (*p*) de ſuperveniente *colli perverſione* loquitur, ut æger *vix poſſit devorare*.

18. Non me fugit, proferri alias poſſe cauſas læſæ deglutitionis, quarum aliquas in Sepulchreto ipſo invenies. Non facile tamen inter has illam pro certo referes, quæ Obſervatione promittitur XIII. hoc præfixo titulo *Deglutitio difficilis ob Oeſophagum diviſum*. Hunc enim Blaſius in eo puero deſcribit quidem intra thoracem, ita diviſum, ut aliquanto inferius in unum rediret, ſive ut Anatomici nunc loquuntur, inſulam faceret. Sed de ulla deglutitionis difficultate ne unum quidem interjicit verbum; ut ea conformatio magis inſolita videatur fuiſſe, quam noxia. Longe aliter de illa cenſendum eſt quam Egregius Vir Joannes Grashuis (*q*) deprehendit, nempe œſophagi circa medium thoracis morboſam in ſaccum lateralem dilatationem, a qua ſubinde variantia deglutitionis pendebant ſymptomata, quæ nunquam ſine diſſectione intelligi potuiſſent. Litteras quamprimum, paulo fortaſſe longiores, expectabis, & valebis.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXIX.

Perpauca de ſingultu, & de hominum Ruminatione attinguntur. Cætera attinent ad Ventriculi Dolorem.

De proximis etiam Ventriculi vitiis, *Singultu*, *Concoctione Læſa*, & *Dolore* etſi in Sepulchreto tres Sectiones invenies, in ſingula ſingulas; noli a me totidem Epiſtolas expectare. Duo enim priora, gravia cum ſunt, ejuſmodi ſunt, ut alterum cum febribus, inflammationibus, vulneribus, aliiſque ejuſdemmodi, alterum cum aliis quos aut ſequatur, aut fecerit, majoribus morbis ſicuti conjuncta reperiuntur, ita ſint a nobis, eaſdem repetere hiſtorias nolentibus, ſimul cum illis proponenda. Quod tu præclare intelligere ſtatim poteris ac duas iſtas Sectiones inſpicies quæ de ipſis conſcriptæ ſunt. In VI. enim quæ de Concoctione Læſa eſt, pleræque Obſervationes quem ad morbum magis attineant, & quo loco fuſius productæ fuerint, diſerte indicatum leges. Ex reliquis autem quæcunque ſcriptæ ſunt accuratius, ſatis per ſe oſtendunt, an alio ſint referendæ. Sunt etiam aliquæ in quibus ne unum quidem de læſa concoctione verbum invenias, velut quæ ſub numero VIII. habetur §. 2. & quæ in Additamentis ſub numero I. Quid? quod aliqua, ut quæ proxime ſequitur, cum ad eos pertineat qui *concoquere*, *nedum continere cibum*, & *appetere ad extremum fere vitæ potuerunt*, cur iſtuc relata ſit, non apparet.

2. Sectionis autem V. quota demum quæque Obſervatio eſt, de qua ad Sectionem aliam non rejiciaris? aut ſi aperte non rejiceris, id fieri potuiſſe, ne dicam debuiſſe, non ſentias? Et tamen vel ſic quoque univerſæ denique Obſervationes non ſunt plurimæ; quanquam aliqua

(z) non

(*b*) Diſſ. cit. §. 12. (*c*) §. 11. (*d*) Obſ. ſupra cit. ad n. 15. (*e*) Sect. hac Sepulchr. Obſ. 22. §. 2. (*f*) Diſſ. cit. §. 9.
(*g*) Diſſert. ſiſt. Obſ. Med. Miſcell. Obſ. 15. (*h*) Epiſt. 23. n. 4. & ſeq. (*i*) Epiſt. 10. n. 19. (*k*) Epiſt. 37. n. 30.
(*l*) Expoſ. Anat. tr. du bas ventre n. 259. (*m*) Obſ. 26. §. 2. (*n*) in Schol. ad Obſ. 25. (*o*) in Schol. ad Patris Obſ. Anat. Med. 24.
(*p*) Sect. 4. Aphor. 35. (*q*) Act. N. C. T. 6. Obſ. 73.

(*a*) non ſemel poni videatur. Quamobrem ne præter modum brevis eſſet tota Sectio, interjectas fuiſſe crediderim Appendices quatuor, in quarum nulla inſpectum cadaver memoratur, eamdemque ob cauſam diſſectiones adjectas duas, quæ minus mirarer, ſi ubi de Vomitu agitur, propoſitæ eſſent, hominum ruminantium: neque id ſatis eſt; noviſſime ex Peyero tam longus de ruminatione ſermo eſt additus, ut Sectionem ſuperet univerſam. Ne tamen hæc a me notari credas quaſi omnino improbarem; fac tibi mei propoſiti veniat in mentem. Quin accipe nonnulla, quæ cum Appendices illas de Singultu, & ruminantium hominum Obſervationes perlegerem, aliud ex alio, ut fit, ſuccurrebant.

3. In ſecunda Appendice cum Thomas Bartholinus inter ſingultus cauſas tumorem memoret, nervos qui ſtomachum adeunt, comprimentem; *qualem*, inquit, *illi adfuiſſe ſuſpicio fuit quem Patavii perpetua ſingultiendi moleſtia novimus*: in memoriam rediit Jo. Rhodii Obſervatio (*b*) ad eundem pertinens caſum, quæ, ut ſubobſcura ſit, inſpici tamen a te poterit. Idem Bartholinus in Appendice tertia quærit, *cur ſola brachii vena ſecta* juvaret in quodam raro ſane quem deſcribit ſingultu? Quid? ſi Phrænica Superior vena, comes, ut noſti, Phrænici nervi, repente imminuta copia ſanguinis, illuc quo ea vena influit, redituri, & quod conſequitur, ipſa quoque parte oneris ſui levata, aut ſocium nervum minus premebat, aut aliquid unde hic irritaretur, abſorbebat? Et quando in his omnibus Appendicibus mentio fit auxiliorum adverſus ſingultum, neque externa in prima, atque altera reticentur; Valſalvæ memini facile, obviumque remedium in Nobili Comite reſpondiſſe, lac videlicet, quo fovebat abdomen; quamdiu enim lintea lacte madebant, tandiu ſingultum, ægro moleſtiſſimum, ſiſtebant: in quo tamen nec inutilis fuerat theriaca impoſita. Quod vero in Scholio quodam (*c*) tertiam inter & quartam Appendicem interjecto, adnotatum eſt de ſingultu qui cum febri cuidam, peſſimis ſignis ſtipatæ, ſuperveniſſet, lethalis non fuit, raræ quidem eſt obſervationis, negantibus inter cæteros duobus nobiliſſimis Medicis Franciſco Valleſio (*d*), & Hieronymo Mercuriale (*e*), ſibi unquam in ejuſmodi caſu aliter obſervare contigiſſe, atque Hipocrati in ea muliere quæ decumbebat in foro mendacum. Quin pariter in malignis febribus quas noſter deſcribit Ramazzinus (*f*), quotquot fuerunt ſingultuoſi, omnes periere, quorum uno diſſecto, *ventriculus nigris notis ſparſim compunctus* repertus eſt: quid autem in ſingultuoſi cujuſdam ventriculo deprehenſum ſit, diſces ex Cel. Halleri Opuſculis Pathologicis (*g*). Ledelius (*h*) tamen, poſtquam Epiphanium Ferdinandum produxit, *Deum teſtantem*, ſingultum *in febribus malignis & ardentibus ad mortem prædicendam ſe nunquam decepiſſe*, ſapienter monet, *ægrotum non* eſſe *derelinquendum quouſque anima adeſt, quia multoties monſtra fiunt in curationibus morborum*, velut in pannifice quodam ipſi accidit. Neque ei ſolum, ſed & aliis, ut Lanzono (*i*), Cl. Delio (*k*), & mihi in Forolivienſi illa Conſtitutione A. 1711. quæ a me tibi alias (*l*) deſcripta eſt. Duo enim ægri quos in ea primo loco nominavi, cum hæc ſcriberem, adhuc vivebant; tametſi eos quicumque tunc viderat, & Garavinum præſertim, mortui, quam vivi, dies jam aliquot ſimiliorem, & crebrum inſuper utriuſque ſingultum audiverat, continuo ſpem omnem eorum ſalutis abjecerat.

4. Quod vero ad homines attinet ruminantes, quorum exempla quotquot potuit, collegit Peyerus (*m*), & alia ad ruminationem quaſi ingenitam atque connatam, alia ad excitatam a morbo retulit; ſingulas ad ſingula hæc genera idem cenſuit attinere Obſervationes duas Viri nobilis, & Monachi, quarum utramque hic vides in Sepulchreto (*n*). Ambæ Patavii habitæ ſunt, primæque ſunt omnium; & ſolæ præterea quæ cum diſſectione conjunctæ ſint. Unum hic perperam additum eſt, *Monachum illum duo habuiſſe cornua*. Nam neque Rhodius (*o*) id ſcribit, in quo hallucinatur Peyerus (*p*), merito alioquin reprehendens Bartholinum, qui (*q*) addidit, & qui Bartholinum ſecuti ſunt. Certe Fabricius ab Aquapendente (*r*) cum eundem illum Monachum commemoraret, illud minime omiſiſſet, ut qui modo ſibi *addendum omnino* putaſſet, nobilis illius Viri ruminantis Parentem corniculum in capite geſſiſſe. Inter cæteros autem qui eam Bartholini hallucinationem deſcripſerunt, Ettmüllerus fuit (*ſ*), qui ſuam alteram inſuper addidit, nempe *in his ruminantibus obſervatum fuiſſe ſtomachum ſolito fibroſiorem & carnoſiorem, quaſi veſtimento muſculoſo eſſet indutus*. Utinam ſic tueri poſſemus, quaſi ſtomachi nomine œſophagum intellexiſſet; hunc enim in illo ſaltem Monacho revera *undequaque carnoſum inſtar muſculi* reperit Plazzonus (*t*), id eſt non modo qualem habent *omnes plane homines*, ut Peyerus (*u*) credi vellet; nam niſi multo magis fuiſſet carnoſus, Anatomicus haud ignobilis non id unum adnotaſſet, cum *reliquas univerſi corporis partes ſe recte habuiſſe*, pronunciavit. Sed pro Ettmüllero; ſi tamen ipſe illa ſcripſit; hac uti defenſione non poſſumus; quippe qui, ut omnia quæ eo capite præfatus erat, oſtendunt, ſtomachi appellatione ventriculum deſignabat. Gravior tamen ea Bartholini hallucinatio eſt qua ſcriptum reliquit in Anatome quartum renovata (*x*): *quin ventriculus duplex fuerit in* homine *ruminante apud Salmuthum, & alios, dubitare non licet*. Quod relatum miror in Sepulchretum eo in Scholio quod duabus ſubjectum eſt obſervationibus, contrarium docentibus, de quibus hactenus locuti ſumus, præſertim cum præter has, nullam, quod ſciam, ruminantis hominis diſſectionem, ne ex Salmutho quidem, proferre poſſet Bartholinus, cumque inſuper lepores, & cuniculi ruminent, neque duos tamen ventriculos habeant.

5. Ut vero nec Valſalvæ, nec mihi unquam contigit ut ruminantes homines videremus, nedum ut eorum cadavera incideremus; ita haud raro utrique accidit, ut hominum corpora diſſecaremus, quos gravis afflixerat Ventriculi Dolor, de quo Sectionem inſcribi VII. ſupra indicavimus. Quarum Obſervationum illas quæ in hanc magis Epiſtolam, quam in alias convenire credidimus, continuo accipies. Et has primum tres ex Valſalva.

6. VIR ſexaginta annos natus, temperamenti bilioſi, a multis jam annis de ventriculi debilitate, & dolore conqueri cœperat, cum circa eam regionem durities acceſſit, infra quam nonnulli præterea duri globuli, ſed hi quidem facile mobiles, percipiebantur cum aliqua totius ventris tenſione. Agitatus venter effuſum intra ſe humorem manifeſtabat. Crebri erant inteſtinorum rugitus, crebræ flatuum eructationes. Vomitus, aliquot ab aſſumpto cibo interjectis horis non ſemel redibat, qui alioquin primis morbi annis raro accidebat. Homo interim parum mingebat, multum ſitiebat, & de linguæ ſiccitate querebatur: pulſus debilis, & parvus erat. Tandem multo ſero per urinarias vias amandato, & detumefacto ventre, cum tamen cætera incommoda in dies magis ſævirent, vomituſque menſe vitæ ultimo eſſet quaſi ſeri fuligine infecti, & grave olentis, ut æger ipſe referre diceret putridæ carnis fœtorem; ſenſim diminutis viribus, & balbutienti ore defecit. VENTER libram etiam tum unam aut alteram ſeri continebat, aquæ ſimilis in qua caro recens lota eſt. Totum omentum contractum erat in quaſdam varii coloris extuberantias, quæ, ipſo moto, movebantur. Ventriculus ſero ſcatebat ejuſdemmodi ac vomitu reijciebatur: durus autem erat factus parte circiter tertia: hæc ad pylorum pertinebat, ipſumque adeo coarctaverat, vix ut tranſire confecta alimenta poſſent. Quamvis autem tota ea dura pars ſecta, albam intus ſolidamque, ex qua conſtabat, ſubſtantiam oſtenderet; ea tamen facie qua cavum ventriculi ſpectabat, putridam carnem & colore, & fœtore omnino referebat, quibuſdam ſanguineis punctis diſtinctam.

7. Du-

(*a*) Confer Obſ. 6. cum §. 6. Obſ. 7. (*b*) Cent. 2. Obſ. Med. 61. (*c*) ad §. 6. Obſ. 7. (*d*) Comment. in Hippocr. Epidem. l. 3. S. 2. Aegr. 12. (*e*) Prælect. Piſan. in eand. hiſt. quæ ibi 26. (*f*) Conſtit. A. 1792. & duor. ſeqq. n. 22. (*g*) Obſ. 14. (*h*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 7. Obſ. 127. (*i*) Earund. Cent. 1. Obſ. 61. (*k*) ex Act. T. 8. Obſ. 108. (*l*) Epiſt. 7. n. 16. (*m*) Merycol. l. 1. c. 6. & l. 3. c. 3. (*n*) Obſ. 10. & 9. (*o*) Cent. 2. Obſ. 59. (*p*) c. 6. cit. (*q*) Cent. 5. Hiſt. Anat. 61. (*r*) De Ventric. Inteſt. &c. ubi de Variet. Ventric. in fin. (*ſ*) Prax. l. 1. S. 4. c. 1. (*t*) Vid. Rhod. Obſ. cit. 59. quæ 9. in Sepulchr. (*u*) c. 6. cit. (*x*) l. 1. c. 19.

7. Duros illos, mobileſque infra regionem ventriculi globulos extuberantias fuiſſe vides in quas omentum ſe contraxerat: duritiem autem ſuperiorem fuiſſe ventriculi ſcirrhum, qui donec incremento ſuo non ſe extendit ad pylorum coarctandum, vomitus non ita frequens accidit. Dolor quoque primis temporibus levior fuit, quippe ab ſcirrhi pondere dumtaxat aliquo, & a repugnantia tunicarum quas obſidebat, ne cum opus eſſet, juſta extenſio ventriculi fieret, aut ſi fieret, ne pars earum quæ ſana erat, ſola omnem diſtentionem pati ipſa poſſet ſine moleſtia. Verum ubi ſcirrhus & auctus eſt, & in cancrum tandem, huncque exulceratum, degeneravit; magis magiſque dolores increſcere debuerunt. Sic autem affecto ventriculo, vitiataque concoctione, & natura ſanguinis, mirum non eſt, ſi cætera contigere, cum præſertim & durities illa ventriculi, & extuberantiæ in quas ſe omentum huic alligatum, contraxerat, libero humorum curſui obſtarent. Ex his rugitus, flatus, vomitus, aſcites, debilitas, mors intelliguntur.

8. MULIER quadraginta annorum, carnoſa, colore ſubflavo, cum cæpam aceto, & ſale conditam, ſimulque panem comediſſet ex caſtanearum farina confectum; illico de ſtomachi dolore queri cœpit. Quo magis, magiſque ſæviente, tribus ab eo cibo horis, cum ſudoribus frigidis lethali ſyncope ingruente, mortua eſt.

VENTRE ob veneni ſuſpicionem inciſo, omnia reperta ſunt ſecundum naturam ſe habentia, niſi quod ventriculus majorem in modum diſtentus erat, & nonnihil inflammatus; ſanguis autem fluorem quaſi naturalem ſervabat.

9. Et Valſalvæ quidem videbatur ſic conjiciendum, excitata ab ejuſmodi cibis incongrua effervescentia, conſecutam eſſe tantam illam ventriculi diſtentionem, quæ hujus ſanguifera vaſa comprimendo, ſanguini injecerit moram, unde inflammatio, & ab hac ſtomachicorum nervorum irritatio, unde ſyncope. Verum ut de caſtaneis, earumque inflandi vi experientia comprobet quæ Diphilus, & Mneſithæus ajunt apud Ludovicum Nonnium (*y*); eaſdem tamen multis Alpinis gentibus in frequentiſſimo uſu eſſe, neque idem negat, & vulgo non ignoratur, imo parari etiam ex illarum farina panem, quo veſcantur *ubi* ipſarum, ut Avantius quoque (*z*) ſcribit, *copia ſuppetit*. Num igitur cæpa ad ejuſmodi panem addita, dum acrimonia ſua craſſas caſtanearum particulas incidendo, nimiam aeris copiam educit, hic nobis accuſanda eſt? quaſi vero non iidem in alpibus ruſtici cæpas, ut res fert, cum eo pane manducarent. At enim mulierculæ huic, ut videtur, inaſſuetus, & infirmior fortaſſe ſtomachus; illis vero *dura*, ut Horatius (*a*) loquitur, *meſſorum ilia*. Credo equidem hæc multo iis magis qui mulierem norant, quam nobis cognita fuiſſe. Unde ergo veneni ſuſpicio, cum hæc omnia non ignorarent? Quod ſi mulier ſaltem immodica ejus cibi copia ſe ingurgitaſſet; minus de veneno ſuſpicati eſſent. Vides enim in VII. hac ipſa Sepulchreti Sectione (*b*) puellum quoque ab immoderato uvarum eſu *trium horarum ſpatio extinctum*. Sed tamen alia ſimul apparuit cauſa cur puellus ſic interiret. *Ventriculus enim perforatus copioſum ichorem viridem continebat, qui proculdubio*, inquit Obſervationis Scriptor Rhodius, *erat bilis æruginoſa*, cujus ingens erat acrimonia. Quid ergo eſt? In hac etiam muliere peculiare aliud aliquid, quanquam ſub oculos non cecidit, ſubfuiſſe, omnino crediderim, ut diſpoſita jam eſſet, ſi modo cauſa accederet aliqua, velut inſolitus cibus iſte, & flatulentus, diſpoſita, inquam, ita eſſet, ut quod inde tot alii minime ſolent, ipſa pateretur, ſive illud in iis eſſet ſuccis quos in ventriculo is cibus invenit, ſive in nervis quoque exquiſitiore ſenſu præditis ad irritationem ſuſcipiendam, & alio, id eſt ad cor potiſſimum, cui iidem ac ventriculo nervi inſerviunt, transferendam. Sic igitur, aut ad hunc fere modum intelliges quod Valſalva conjiciebat: quanquam pravæ diſpoſitionis in hac muliere vix indicium aliquod habemus ex colore cutis ſubflavo. In duabus certe aliis fœminis, quas poſt cucurbitæ comeſtionem ſive *cæpatæ piperatæ, & in clibano aſſatæ*, mox epota frigida, ſive *in lacte coctæ atque pipere bene conditæ*, mox bibita cerevisia frigida acidulaque, cita mors abſtulit; in iis, inquam, mala diſpoſitio magis patebat, cum alteri menſtruorum trimeſtris eſſet ſuppreſſio, alteri præter ſeptuagenariam ætatem, diuturna ventriculi debilitas, viriumque imbecillitas. Sed nimirum graviora quoque in alterius cadavere ante ſectionem, & in utriuſque, aut ſaltem in alterius ventriculo per ſectionem Chriſtophorus Seligerus (*c*), & Michael Erneſtus Ettmüllerus (*d*) adnotarunt.

10. BONONIENSIS Patricius, unum ſupra ſexageſimum annum agens, cum multos jam annos modo hemicrania, modo arthritide interdum vaga, alias fixa, modo renum calculis eſſet vexatus, noviſſime arthritide corripitur in manu dextera ſine ullo tumore, dolore autem miti, & qui, mox ſentiendi vi hebetiore facta, vix percipitur. Sana omnino fit manus; ſed interea ren dexter dolet. Hic quoque dolor, inani ſæpius, recurrente vomitione ſedatur: at ceſſante vomitu, arthritis dexterum pariter inferiorem artum prehendit, ægrumque ad ſuram, & ad cruris tarſique articulum valde torquet. Uno, aut altero interjecto die, is totus extremus pes ſentiendi, movendique facultate omnino privatur. Poſtridie tamen reſoluto pedi aliquis redit doloris ſenſus, ægro autem bonus & animus, & pulſus, qui intermittens alias, & inæqualis plerumque erat in brachio dextero. Tandem pridie quam moreretur, cibum reijcit aquoſa materia permiſtum: levemque dolorem cum pulſatione, atque ardore, ad ſtomachi regionem perſentit. Paulo poſt humorem flavum bis evomit. Inſecuta nocte parum dormit. Mane humili voce de tribus quæ a morbi initio aſſidue moleſta fuerant, valde conqueritur, ſiti, pravo oris ſapore, amiſſo appetitu: & febris, quæ aliquoties ſe ſe ante ex pulſu tantummodo prodiderat, manifeſta fit. Stomachi autem dolore, & pulſatione perſtantibus cum ingenti ad dorſum calore, pulſus, qui veſpere jam erat languidus, ex multa ſanguinis dejectione aboletur. Sanguini erat admiſſa materia graviſſime olens, & quæ liquatæ picis inſtar, immiſſum bacillum, ſi retraheres, ſequebatur. Interea pes multum dolet; reique ſenſus per crus aſcendentis habetur, ſenſuſque poſtmodum quaſi ponderis in imo ventris. In brachio autem dextero movendi vis ſenſim deficit, liventibus unguibus: idque brachium mox plane paralyticum redditur. Non paucis ante mortem horis crebri ad præcordia tremores percipiuntur. Poſtremo ſanguinis dejectione redeunte, ejuſdemque materiæ vomitu fortaſſe imminente, ut nauſea, & ſimilis ex ore quaſi fæcum graveolentia indicabant, æger ſuffocari ſe dicens, poſt ſextam & trigeſimam a ſtomachi dolore ineunte horam decedit. ABDOMINE diducto omnis inteſtinorum ſubſtantia invenitur a ventriculo uſque ad Recti finem dira inflammatione occupata, ut ne minima quidem eorum pars illæſa relinqueretur. Inteſtinis autem materia ſanguinolenta, dejectæ ſimilis, continebatur. Ventriculus, & renes ſani erant. In Thorace, poſteriora pulmonum, ſiniſtri præſertim, leviter erant inflammata. In pericardio mediocris aquæ copia. In corde polypoſæ concretiones nullæ.

11. Hippocratis aphoriſmus (*e*) *Quibus ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, ſive alio quovis modo extenuatis, atra bilis, ſive uti ſanguis niger infra exierit, poſtridie moriuntur*, niſi quod paulo citius videtur expletus, vel magis quadrat in hunc caſum, quam in eum ad quem a Ballonio, ut hic vides in Sepulchreto (*f*), traductus eſt. Ejus enim æger, quem dolores pariter ad ventriculi regionem vexaverant, pridie quam e vita excederet, *atrabilarium* quidem *excrevit ſanguinem*; ſed *per os*. Cæterum nec Ballonius quidquam vitii in ipſo ventriculo, & Valſalva hunc ſanum propoſuit. Uterque prope ventriculum illa indicavit, unde hic ſimul affici poſſet. Pulſatio autem quæ a Valſalva adnotata eſt, facile & reſtitantis ſanguinis in proximorum inteſtinorum parietibus, effectus erat, & ejuſdem exitus cauſa in eorum cavum. Urgendo enim uſque, & uſque aliqua demum ex infarctis vaſculis ruperit. Quo trahi for-

---

(*y*) Diætet. l. 1. c. 45. (*z*) Not. ad Feræ Cœnam, ubi de Pane non frumentac. (*a*) Epod. 3. (*b*) Obſ. 7.
(*c*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 1. Obſ. 139. (*d*) Earund. Cent. 9. Obſ. 66. (*e*) 23. §. 4. (*f*) Obſ. 19.

fortaſſe poteſt; ut ad Hippocratem redeamus; pars quædam ejus prædictionis (g): *circa ventrem palpitationes .... ſanguinis eruptionem ſignificant*. Utcumque hæc ſunt; illud certum eſt, pene omnem vim tam longi, & tam varii morbi, in vaſa denique inteſtinorum repente incubuiſſe, & conjunctum per vaſa, imo continuatum per ſubſtantiam ipſam ventriculum in conſenſum rapuiſſe. Sic in alio videbis in conſenſum tractum qui toto morbi tempore nigra dejecerat, itemque in alio, in quo inteſtinorum ſuperna pars liveſcebat. Hiſtorias habes has duas in ſuperiore Sectione V.(h), quæ ad ſingultum attinet. Habereſque facile in hac quoque tertiam (i) ubi inteſtina omnia ex inflammatione valde rubentia proponuntur, ſi ut diſſectio, ita morbus indicaretur, ſine quo illam, & fortaſſe alias, miror quomodo inter cæteras, quæ de Ventriculi Dolore ſunt, relatas legamus. Certe autem in Cæſareæ Academiæ Voluminibus (k) tum laborantis ventriculi in vivis, tum non hujus, ſed inteſtinorum aut inflammationis, aut malæ conſtitutionis haud unam in mortuis Obſervationem reperies. Sed de ea potius quæ modo ex Valſalva deſcripta eſt, ſi forte illud quæras, cur inteſtina ipſa, tam graviter affecta, dolore igitur non cruciarentur, quo conſentiens ventriculus tentabatur; a veri ſimilitudine non longe abhorrebo, ſi quo in homine tam crebro, tam facile tot nervi reſolvebantur, in eodem conjiciam eos quoque nervos reſolutos fuiſſe qui ad inteſtina pertinebant. Jam vero huc quaſdam ex noſtris etiam, ut promiſimus, Obſervationibus adſcribamus.

12. FOEMINA annorum ad quadraginta, quæ ſalſa plerumque comedere, vino autem generoſo uti conſueverat, a plurimis jam annis obnoxia erat ventriculi doloribus, quos dejectus ciborum appetitus & nauſea, mox etiam iteratæ ſanguinis vomitiones cum febre continua, vigiliis, ſiti ſequebantur. Et quamvis contrectatus venter nihil uſquam duri obſervandum præberet; ab regione tamen ventriculi etiam tum cum gravior aberat dolor, vel nulla preſſione adhibita moleſtus aliquis ſubinde ſenſus non aberat. Querebatur etiam de lumbis; ſed tunc ſolum cum aut aliquem majorem ſolito laborem ferebat, aut onus attollebat. Acceſſerat inſuper aliquando capitis dolor pertinaciſſimus. Adverſus omnia, quæ memorata ſunt, ventriculi incommoda, quotieſcumque gravius recurrebant, levamen ſemper attulerat ſanguinis miſſio: valde etiam profuerant copioſæ potiones aquæ in qua nihil niſi panis bulliret: ab diuturno autem lactis uſu non ſemel convaleſcere viſa eſt, animumque addebat ſanguis qui ſemper ſingulis menſibus per uterum ad mortis uſque tempus reſpondit. Hæc lente ad hunc modum advenit. Non ita pridem ſupra claviculas qua Externa jugularis vena decurrit, tumor utrinque apparuerat durus, dolorem creans, nec remediis cedens ſic ut in dies augeſceret, & reſpirationem jam difficilem redderet. Huc acceſſit febris aſſidua, veſpere increſcens, quacum aliquando rigor aliquis adnotatus eſt. Caput dolere, querebatur, præter ſtomachum qui perpetuo dolorem faciebat: quocum tamen nunquam hoc tempore ſanguinis vomitus fuit. Aſſidue ſitis moleſta erat, & ſenſus maximæ in ore amaritudinis, ex quo noviſſimis diebus gravis exiſtebat nidor; pus autem, quod animadverſum fuerit, nunquam exiit. Per hæc diutius vitam traxit, quam pulſus ex parvis, & imbecillis minores ſæpe, & infirmiores facti promittere videbantur, præſertim cum ultimis diebus quindecim nil niſi jus, & vini pauxillum ſumeret, nullum præterea alimenti genus, nedum remedii, jam ferens. CADAVER macilentum in Gymnaſium illatum eſt, ubi cum Anatomen docerem Februario menſe A. 1744. & jam Virilia demonſtraſſem, Muliebria ex ordine requirebantur. Ventre igitur aperto, omentum vidi ſurſum revolutum & extenſum, ut ſtatim in oculos incurreret tranſverſus Coli inteſtini tractus qui infra ventriculum eſſe ſolet, hic autem erat infra umbilicum. Quam in ſedem etſi non omnino detrudi, tamen quadantenus urgeri potuiſſe a ventriculo videbatur, quippe cujus fundi ſiniſtra pars inferius quam ſolita ſit, deſcendebat. Erat autem ventriculus vel exterius lividus non modica præſertim ex parte, idemque craſſioribus & durioribus tunicis, niſi qua jam fracidæ adeo erant factæ, ut tangendo rumperentur, effunderentque materiam cinereo colore, & graviſſime olentem, quæ pulticulæ inſtar fluidioris, ventriculi cavo continebatur. In hoc eruperat ex ventriculi pariete poſteriore, præter modum craſſo magnum ad tractum & introrſum tumente, ibique inæquali, fœdo, fracido, gangrænoſo, & eodem quo materia illa, colore lurido, ut peſſimi generis tumorem, aut abſceſſum ibi fuiſſe diſruptum, conſtaret. Sanus erat pylorus, & inteſtina omnia, ex quibus Colon fuit, ut par erat poſt longam cibi abſtinentiam, ab initio ad finem uſque contractum. Lien quoque ſanus, niſi quod proportione erat major, intuſque pallidulus. Sed jecinoris pars dextera albos aliquot oſtendebat ſcirrhos ſubrotundos inſtar mediocrium uvæ acinorum. Erant ii disjecti per ſuperficiem ſic ut ex parte intra viſceris ſubſtantiam conderentur; ſed aliquem vidi, jecur incidens, penitus conditum, cæteris prioribus ſimilem. Bilis multa fuit in ſua veſicula, & valde flava, quo colore viciniam infecerat. Renis ſiniſtri poſterior facies lineam obliquam habebat longam, & ſubalbam ex ſubſtantia quaſi tendinea, quam alte, cum renem ſecarem, productam perſpexi, ut ad tubulos perveniret, quibus papillæ excipiuntur. Credidiſſes facile antiquam vulneris cicatricem; adeo erat hujus ſimilis: verum nuſquam apparebat quærenti in proxima Adipoſa tunica, & muſculis ventris læſionis indicium. Parvus, humiliſque uterus, & dextrorſum valde inclinatus, eique lateri multo vicinior, quam ſiniſtro. Sed & ab illo brevius, quam ab hoc latere Rotundum erat ligamentum. Uteri cervix, & magis oſculum qualia in virginibus fere inveniuntur; ita erat illa introrſum extantibus obliquis lacertis, hoc vero foramine anguſto, & rotundo. Neque hymenis annulus, quamvis valde humilis, deerat, nullumque ruptionis oſtendebat veſtigium. Nihil tamen poſt illum ſubrotundarum caruncularum, & paucæ omnino, leveſque in vagina rugæ, & cutis quam ad imum abdomen animadverteram quaſi ex ſubalbo maculoſam, cum iis quæ dixi, non ſatis conſentiebant. Teſtes pro ætate, & mole uteri, magni, anfractuoſi exterius, intus autem ſiniſter quidem parvas inanes cellulas, craſſiuſcula alba membrana comprehenſas, alter vero in cellula non paulo majori nigrum ſemiconcretum ſanguinem continebat. Tubarum dextera ad teſtem pervia, cætera occluſa; contra, ſiniſtra ad uterum dumtaxat aperta. Mirum in cadavere macilento, niſi muliebre eſſet, pinguedinem in meſaræo fuiſſe non modicam, neque in omento defuiſſe, in dorſo autem & artubus inter muſculos, qui eleganter rubebant, multo plus pinguedinis quam voluiſſent, eos qui appararunt, inveniſſe. Sub ea flava pinguedine qua meſaræum lumborum vertebras, & his adhærentes operiebat magnorum vaſorum truncos, latebant glandulæ valde amplificatæ, arcteque adeo iis truncis annexæ, ut non ſine magno labore ſeparari potuerint. Erant eæ omnes glandulæ intus albæ, non prædutæ, ſed purulento ichore ſcatentes. Cæteræ per meſaræum non tumebant. At prope ventriculum unam ex lymphaticis animadverti craſſiorem factam, & duriorem, eaque erat colore lurido. Pancreas quoque tunc vidi craſſius totum, & ſimul aridulum, ac duriuſculum factum, ſi quandam ejus partem excipias, quæ excreverat in albam, & propemodum thymi ſimilem ſubſtantiam. Thoracem recludentes, primum omnium duas infimas Jugulares glandulas vidimus albicantes, & ad duos ſaltem tranſverſos digitos in omnem dimenſionem amplificatas. Hæ tumorem illum de quo dictum eſt, utrinque faciebant, durum; nam duræ ipſæ quoque inventæ ſunt; licet intus purulentum ichorem, cujus pars effluxit dum claviculæ, ſub quibus, & proxime ſterno ſubibant illæ, detraherentur. Erant his ſimiles colore, duritie, & ichore glandulæ reliquæ Jugulares. Hæ tamen multo minus excreverant. Axillares vero nec creverant, nec ullam aliam paſſæ erant mutationem. Contra, quæ ad primam locatæ ſunt diviſionem Aſperæ arteriæ, ex nigris albæ; ex parviſque factæ erant mediocribus uvæ acinis haud minores, firmiores præterea, & eodem quo tot alias glandulas

(g) Prædict. l. 1. n. 20. (h) Obſ. 1. & 6. (i) Obſ. 50. (k) Dec. 3. A. 9. Obſ. 222. & Act. T. 2. Obſ. 108. 2. loco.

dulas dixi, purulento ichore ſcatentes. Sana tamen vel ad jugulum arteria Aſpera, ut totus pariter ab imo ad ſummum œſophagus. Neque in pulmonibus, qui erant aere turgiduli, quidquam vitii animadverſum eſt: neque in corde, ſi tubercula exciperes ſubrotunda, depreſſa, ex duriuſcula, compactaque ſubſtantia, crebra adeo ut fere contingerent inter ſe, quæ totis limbis inſidebant Mitralium valvularum; in una autem Semilunarium quandam, quæ accreverat, quaſi ſquamulam, necdum tamen oſſeam. Cerebrum denique non modo non laxum, ſed ad durum vergens, ſecundum naturam ſe habuit, niſi quod in Lateralibus ventriculis copia erat aliqua pellucidæ aquæ, & plexus Choroides pallebat. Pinealis autem glandula fuit aliquanto magis quam ſoleat, & firma, & globoſa & magis ad album inclinabat. Quod, tametſi ipſam nunc plerique pro glandula non habeant, placuit tamen non omittere in eo corpore in quo tot glandulas vitioſas animadvertimus.

13. Animadverſio eadem facit, ut initium diuturni, & qui mulierem tandem confecit, morbi, in aliqua fuiſſe ventriculi glandula, ſuſpicemur, ſenſim aucta, & duriore, ac tumore ſuo obſtaculum ſanguini afferente, ut ex dilatatis propterea vicinis vaſculis non ſemel erumperet, in fœmina præſertim quæ generoſo vino, & ſalſis cibis abuteretur. Qua intemperantia poſteaquam glandulæ non moles dumtaxat, & extenſio paulatim adaucta eſt magis, magiſque; ſed & humoris incluſi natura pejor eſt facta, demum purulenta corruptio acceſſit, unde priuſquam dehiſceret tumor, tantum pravi ichoris in venulas, & in vaſa lymphatica ſe conjecerat, ut aliæ atque aliæ glandulæ eadem labe inficerentur. Si diutius mulier vixiſſet, quid pancreati, quid ſcirrhis hepaticis accidere poſſet, non difficile eſt conjectura proſpicere. Quod autem in veſicula multa eſſet bilis, mirum non eſt, ut ſuperiore Epiſtola (*l*) ſcripſimus, ubi diutius in ventriculo, proximiſque inteſtinis nihil fuit, quod hæc diſtendendo, illam comprimeret. Quod vero bilis colore, tincta vicinia eſſet; id ſæpe adeo in cadaveribus occurrit, ut de noxa inde repetenda aliquanto magis pronum ſit Scholium extremum ſequi, in Sectione hac Sepulchreti adſcriptum Obſervationi XVI., quam ipſam Obſervationem hic præſertim ubi tanta paſſim certarum læſionum copia eſt. Cæterum ſi forte alia cupis tumorum, aut abſceſſuum in ventriculo exempla; præter ea quæ in hac, & proxima VIII. Sepulchreti ſectione occurrunt; habebis quæ addas ex Cæſareæ Academiæ Monumentis (*m*), ex aliiſque præterea, & nominatim Friderici Hoffmanni (*n*) Voluminibus.

14. ANICULA aliquot jam menſes in hoc Noſocomio decumbebat tumoris cauſa abdomen attollentis, ad umbilicum, & infra, ſed dextrorſum magis. Quamobrem in ſiniſtrum latus cubare non poterat. Magnus erat tumor, eoque major videbatur, quod hypochondria, & pleræque aliæ ventris partes plurimum ob maciem ſubſidebant, univerſum quidem corpus obtinentem, ſed magis ſiniſtrum latus, an quod mulier ſemper in dexterum decumbebat? Si tumorem, manibus interceptum, huc illuc ageres; ſic ſatis mobilem percipiebas. Nihil autem fere dolebat. Contra, querela erat perpetua de moleſto quodam in ventriculo ſenſu. Quas ob cauſas non deerant qui conjicerent, in omento eſſe tumorem qui ventriculum deorſum traheret, eoque male afficeret. Cum moleſto illo ventriculi ſenſu vomendi interdum voluntas fuerat; non vomitus. Nunc autem erat præterea aſſidua quædam febris, quæ cum cæteris, de quibus dictum eſt, omnibus ad dexteram uſque perſtitit id eſt ad Octobris medium A. 1735.

VENTRE adaperto, manifeſtum fuit, tumorem eſſe in ovario dextero: quod in cellulas excreverat, materia plenas molli quidem, nec tamen fluida, colore autem ex cinereo flaveſcente, odore non gravi. Tumorem augebat adnata proxima Tuba, ipſa quoque multo amplior, & craſſior facta; cum uterus, & quæ ad ipſum attinent reliqua parva eſſent, & ſana. Alligatus erat tumor ad contiguum pelvis latus, ex parte autem quadam ad proxima etiam inteſtina ſic ut cum his moveri quadantenus poſſet. Ex inflammatione inteſtina livebant: nec male olebant tamen, ut nec ventriculus, quem ad me attulit is qui cadaver ſecuit, & cætera quæ hactenus ſcripta ſunt, diligenter narravit, Mediavia noſter. Cauſa afferendi fuit, ut dubitationem quandam ipſi eximerem poſtquam ventriculum perluſtraſſem. Erat hic contractus, facie interiore paſſim hic illic inflammatus, in ipſoque jugi medio habebat ulcus circuli ferme ambitu, cujus diameter aliquanto erat brevior tribus digitis tranſverſis, profunditate exigua, quippe cum crebræ in eo apparerent lenticulares glandulæ mediocri magnitudine, & adeo manifeſtæ, ut per oſculum quod in earum centro conſpiciebatur, ſetam immiſerim. Labris tamen paulo craſſiuſculis ejuſmodi ulcus cingebatur: & craſſa erat facta, dura, & magis quam alibi, etiam illa ventriculi ſubſtantia toto eo ſpatio quod ulceri exterius reſpondebat. Cum autem eſſet in medio fere ulcere ventriculus penitus perforatus; ex me quærebat Mediavia, num cenſerem, potuiſſe forte id foramen per incuriam cultro fieri, dum ventriculus eximebatur; nihil enim vel diligenti perquiſitione repertum eſſe, affirmabat, in ventre, præter aliquid ſeri in ima pelvi, quod fortaſſe ex ventriculo dici poſſet effuſum, cum tamen in muliere perpetuo decumbente multum videretur effundi debuiſſe. Ego vero etſi minus veri ſimile exiſtimabam, ſi cultro lædi fortuito ventriculus debuiſſet, in ea potiſſimum ſede læſum eſſe quæ medio ulceri reſponderet, nec forma, & magnitudo foraminis, quod capax erat propemodum apicis minimi digiti, eæ viderentur quæ facile ad cultelli mucronem, aut aciem referri poſſent; tamen ut ipſi, mihique ſimul verum dignoſcere cupientibus ſatisfacerem, iterum ac tertio foraminis oras accurate inſpexi. Quas cum viderem non modo calloſas, ſed inæquales, & quo magis extrorſum foramen pergebat, eo minorem ambitum complectentes, quæ duo certe ab exterioribus introrſum illapſus culter minime facere potuiſſet; non huic, ſed morbo imputandum eſſe foramen cenſui. Nam quod nihil effuſum eſſet in ventrem, inde fieri potuiſſe quod paulatim quidem extenuata eſſet membranula extima, nec tamen penitus niſi extremo tempore eroſa demum atque pertuſa, cum videlicet moribundæ mulieris contractus, & corrugatus ventriculus nihil haberet quod effunderet.

15. Incidi poſtea in Obſervationem Mercklini, quam hic quoque in Sepulchretum (*o*) relatam invenies, foraminis videlicet quod facile pollicis extremum admitteret, in elatiori pariter ventriculi ſede, ad quam a multis jam annis continuus fuerat dolor aliquis, non magnus quidem, ſed tamen ſatis moleſtus. Id foramen ab illo quoque Docto Viro creditum eſt poſt antiquam eroſionem apertum eſſe dumtaxat noviſſimo vitæ tempore; cenſebat enim, hanc diu protrahi non potuiſſe, ſi ut quædam pridie comeſta in ventrem effuſa animadvertit, ſic alia etiam antea fuiſſent effuſa. Sic pariter multo recentiorem Obſervationem explicabis, quæ in Commentariis legitur Inclytæ Sc. Academiæ Imp. Petropolitanæ (*p*), ſciſſuræ ventriculi per quam nihil in ventrem effuxerat, & quam tamen cultro ſuo factam eſſe, ſincerus, expertuſque profector ſacramento pernegabat: erat autem is quoque ventriculus manifeſte eroſus, præſertim in parte quæ fundo oppoſita eſt, hominiſque fuerat exacte referentis ſpeciem phthiſici, quem vomitus, fere aſſiduus, nulla arte ſedandus, necaverat. Sed neque a Tyſone (*q*) (qui humanis etiam in ventriculis perforationem ter dicitur inveniſſe) eadem in Marſupiali Americano deprehenſa, quidquam effuſi in ventris cavum repertum eſt. Non hic eas memoro perforationes e quibus nihil defluere in ventrem poterat vel quod in agglutinatum ventriculo inteſtinum Colon pertinerent (*r*), vel quod ab adnata jecinoris parte obturarentur (*s*). Illas quoque prætereo in quibus effuſio fuerit, an non fuerit, minime lego (*t*). Cum effuſione vero mortem aut citiſſimam conjunctam (*u*) video, aut certe poſt perpaucos dies non raro ſubſequentem (*x*), ſi a morbi gravioris facti die, perforationis dies numeremus, velut in lectu ſane digna Obſervatione Cl. Baronii (*y*), qui tametſi octavo die mortem conſecu-

(*l*) n. 6. (*m*) Dec. 3 A. 5. Obſ. 175. & A. 7. Obſ. 142. & Cent. 3. Obſ. 13. (*n*) Medic. Rat. T. 3. §. 1. c. 7. §. 26.
(*o*) Obſ. 48 (*p*) Tom. 7. (*q*) Vid. Act. Erud. Lipſ. Suppl. T. 3. S. 4. (*r*) Sepulchr. S. hac 7. Obſ. 13. S 1. & Brunner Gland. Duoden. c. 9. & Haller. Opuſc. Pathol. Obſ. 23. (*s*) Sect. ead. 7. Obſ. 5. ſecunda, & in Addit. Obſ. 3. & Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 13.
(*t*) in Schol. ad Obſ. 3. modo cit. primo, & tertio loco, & Sect. ead. Obſ. 7. §. 1. (*u*) Eph N. C. Cent. 5. Obſ. 43.
(*x*) Earund. Cent. 3. & 5. Obſ. 120. & Sepulchr. l. 3. S. 21. Obſ. 25. (*y*) Memoir. preſent. all' Acad. R. des Sc. Tom. I.

ſecutam refert, admonet tamen, in ſumma anteriore ventriculi parte foramen fuiſſe, ut perdifficile fuerit potiones in ventrem effundi, niſi tandem interjecto tempore, & in quibuſdam ægri motibus. Dixi autem non raro propterea quod etiam quaſdam extare ſcio perforati ventriculi Obſervationes in quibus aut illud non liqueat (*z*) aut contrarium potius apparere videatur (*a*). Sed hæc tu conferes, & perpendes.

16. Quæ etſi aut omnia, aut pleraque in ventriculo deprehenſa foramina ad ulcera pertinent, quæ citius, aut ſerius cunctas ejus tunicas pervaſerunt; hic tamen habes in Sepulchreto (*b*) plures alias ejuſdem viſceris tum intus, tum extra ulcerati Obſervationes, tametſi quædam repetuntur, ut V. poſterior; idem enim numerus V. per incuriam bis ponitur; in XLIII. §. 4. & VI. in XXVII. §. 2. Sed cum repetitiones ſint etiam aliarum ad alia ventriculi vitia attinentium, ut ejus quæ in XXVI. §. 5. eſt, in XXIV; nulla eſt quæ excuſatione dignior ſit, quam ubi XX. iterata eſt in Additamentis ſub numero II. Quis enim ea quæ Blancardus tanquam in *Cive* ſuæ *Civitatis* Amſtelodamenſis obſervata proponit, eadem eſſe ſuſpicaretur quæ Riverius in Aurifabro Monſpelienſi jam propoſuerat; niſi qui Blancardi in hiſtoriis transformandis ingenium edoctus, cum ſimilia ab Riverio tradita eſſe, meminiſſet, utramque inter ſe Obſervationem conferret, nec ſimilem modo, ſed unam eandemque prorſus eſſe, evidentiſſime deprehenderet? Verum ut ad eas quæ ad ulcera ſpectant, redeamus; inter cæteras digna eſt quæ legatur XLVIII. quæ ſi ante centum viginti annos extare potuiſſet, feciſſet, ut opinor, ne tam facile; ut de aliis taceam; a Geſnero ederetur quæ hic eſt XXXVI. de lacertis videlicet, ac ſerpentibus intra viſcera obortis, & per ſæviſſimos dolores *circiter tria hominum millia*, ſi Superis placet, enecantibus. Namque; ut Valliſnerii noſtri (*c*) rationes, & monita prætereamus, quæ utinam ab pluribus eorum qui ejuſdem generis Obſervationes poſtea tradere ſine ulla dubitatione perrexerunt, lecta fuiſſent, atque perpenſa; certe in ea quoque XLVIII. quam modo laudabamus, hiſtoria vir ab Hartmanno deſcribitur, qui lacertam ſibi in ventriculo ineſſe, firme adeo credebat, ut ejus formam delineare non dubitaret, alius autem apud Lucam Antonium Portium (*d*) ſe ibidem ranam habere, aſſeverabat, coaxantem aliquando, & in aquis, ſiquas ipſe potaſſet, natantem, &, ne multis, apud Brunnerum (*e*) mulier propter ſtomachi morſus, aliaque vivum animal in ventre alere credebatur. Hæc tamen pro eo animali, & ille pro rana, & primus pro lacerta, ventriculi tumores, & pleroſque exulceratos habuerunt. Fac igitur ad Sepulchretum addas duas ex his tribus recentiores hiſtorias cum ſuis quamque & ſignis, & diſſectionibus. Sunt autem cum aliæ aliquæ addendæ ex minus recentibus, ut puta quam apud Freherum (*f*) legeris de famigeratiſſimo Cardinali Baronio, quem tria ulcera in ore ventriculi per inſuperabilem nauſeam abſumpſerunt, tum, ex recentioribus præſertim, plures, ut Brunneri altera (*g*) cum ulceroſo tumore, ut Baſteri (*h*) generatim non ita diſſimilis, ut Præcl. Planci (*i*) duæ, calloſi ulceris utraque, item aliæ, in hiſque Illuſtris Halleri quædam; nam præter illam ſcirrhoſi ex aceti abuſu ventriculi (*k*), binas habet alias, quarum altera (*l*) in eo tubercula proponit plura, puris plena, altera (*m*) ventriculum ſcirrhis, & abſceſſibus inter membranas deformiſſimum qua Colo inteſtino adhærebat, quocum per ulceroſam patentem viam communicabat. Quas omnes Obſervationes attente relegens, ab illa Hermanni initio ducto, additaque inſuper alia Cl. Goritzii (*n*), facile animadvertes, perpaucas omnino eſſe in quibus læſio non eſſet aut in pyloro, aut prope pylorum; ut hac quoque de cauſa Frid. Hoffmanni (*o*) ſententia plerumque ſaltem a vero non abhorrere videri poſſit, ſcilicet pylorum potius & primario affici in cardialgia, præſertim cum in proxima quoque Sepulchreti Sectione VIII. (*p*) juxta illud orificium ventriculus intus exeſus, in hac autem (*q*) orificium ipſum & exterius valde tumens legatur, nec ſine vomicis albo pure refertis, interius autem ſcirrhoſum, & induratis albicantibus glandulis magis quam ventriculi pars reliqua, obſeſſum. Porro autem cum in laudatis Hermanni, & Baſteri Obſervationibus ita cum pylori ulceribus excreſcentias ejuſdem ſive glanduloſas, ſive fungoſas conjunctas videris, ut hæ quidem credi poſſint ex ulcerata pylori ſubſtantia procreviſſe; facile quæres, num excreſcentiæ quoque cæteræ, quas alii, noſque ipſi tum ad eam, tum ad alias ventriculi partes aliquando conſpeximus, ſint ex aliquo ejus ulcere prognatæ omnes exiſtimandæ? Vides enim, exempli cauſa, in Additamentis ad hanc Sectionem (*r*) a Paulino obſervatas in ventriculo *verrucas* duas circa ſiniſtrum orificium *cum radice* ſua *firmiter annatas*, alteram minoris pomi, alteram grandioris, avellanæ magnitudine, nullam autem ulceris unde exiſterent, mentionem fieri; quamvis antea maſſa, glandem æquans, multo cum ſanguine fuiſſet per vomitum rejecta: & ſane cutis verrucas videre ſoliti ſumus ſine ulcere. De ventriculi autem verrucis quæ Medici Arabes ſcripſerunt, leges apud Marcellum Donatum (*ſ*), & ex parte etiam habes in Scholio ad Appendicem quæ a Boneto ſubjicitur Obſervationi XIII. hujus Sectionis: quanquam verruca quæ ibi ex Avenzoare commemoratur, cum pomi eſſet magnitudine; non facile intelligitur, quomodo ex ventriculo egredi, & per Tenuia inteſtina ejici in Craſſa potuerit; ut proclive ſit ſuſpicari, non in ventriculo, ſed in ea parte Coli (*t*) enatam quæ ventriculi fundum contingit, præſertim cum vomitus nunquam, ſed dejectiones ſemper, modo varii coloris, modo ſanguineæ in illo ægro memorentur.

17. Quoniam vero quæ Arabes verrucas nominarunt, ea ſi non polypi inteſtinorum, aut ventriculi (cujus ferme generis fuiſſe crediderim molem iſtam carneam, quæ poſt complures ſanguinis vomitiones rejecta deſcribitur in Appendice de qua modo indicatum eſt) carneæ excreſcentiæ, ut verrucæ etiam Paulini eſſe potuerunt quæ pendulas ex radice verrucas quadantenus imitarentur; ſi ipſas quoque exulcerationi cuidam, aut eroſioni ſuam debuiſſe originem velis, non repugnabo. Sed potius quæram, idemne de quibuſdam aliis ſis crediturus, ut puta de illa non parva glanduloſa caruncula per oblongum petiolum ventriculo affixa prope annulum pylori, quam Epiſtola XVI. (*u*) a me tibi deſcriptam, poteris cum ea conferre quæ ex Prævotio noſtro in Sepulchreto (*x*) proponitur ad eandem ventriculi ſedem annexa per oblongam membranam, meæque in eo etiam ſimiles, ut opinor, quod fuiſſet innoxia. Cum enim ſic de ipſa ſcribatur, *hoc corpore in pylorum incidente, facile chyli exitus omnino præpediri, & varia ſymptomata oriri potuiſſent*; non ille igitur præpeditus fuiſſe dicitur, aut hæc orta; ut minime appareat, cur ei Obſervationi hic titulus præfigatur *Tabes a glandula pyloro adnata*. Mihi quidem iſtiuſmodi excreſcentiæ, & quæ ex cute pendula in quibuſdam ſpectantur, ac inter nævos maternos referuntur, originem videntur non valde habere diſſimilem, neque ad ulcera pertinentem. Nec tamen negaverim, poſſe facile, ut nævos illos, ab advenientibus injuriis abrumpi, & exulcerari. Sic in uno, aut altero, & præſertim in Sene quem tibi alias (*y*) inter eos deſcribam qui ex ictu capitis mortui ſunt, vidi a pylori annulo pendere laciniam quandam membraneo-nerveam, laceram, ut majorem olim fuiſſe, non dubitares, neque extremo limbo adhuc omnino ſanam. Sunt etiam aliæ a me in eodem annulo animadverſæ, non pendulæ, ſed ſeſſiles quaſi verrucæ, ut in Bajulo quem

(*z*) Sepulchr. l. 3. S. 8. Obſ. 14. (*a*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 91. & Cent. 1. & 2. Obſ. 151.
(*b*) Adde & ſeq. VIII. Sectionem. (*c*) Conſideraz. int. alla generaz. de' Vermi. (*d*) Vid. Act. Lipſ. A. 1704. M. Septembr.
(*e*) Gland. Duod. c. 9. (*f*) Theatr. Viror. erud. clar. P. 1. S. 2. (*g*) c. 9. cit. (*h*) Act. N. C. T. 8. Obſ. 16.
(*i*) Epiſt. ad Put. A. 1726. & Epiſt. ad eund. de Monſtr. (*k*) Opuſc. Pathol. Obſ. 21. (*l*) Ibid. Obſ. 22.
(*m*) Ibid. Obſ. 23. (*n*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 20. (*o*) Vid. Commerc. Litter. A. 1731. Spec. 44. in fin. (*p*) Obſ. 4.
(*q*) in Addit. Obſ. 6. (*r*) Obſ. 5. (*ſ*) De Med. Hiſt. Mir. l. 3. c. 5. (*t*) Vid. etiam Epiſt. 31. n. 21. (*u*) n. 36.
(*x*) l. 2. S. 7. Obſ. 138. (*y*) Epiſt. 52. n. 8.

quem ex tecto delapſum fractis pene omnibus coſtis alias (z) proponam, itemque in Sene de quo mentionem injiciam (a), cum in Gonorrhœæ tractatione vitia attingam Proſtatæ glandulæ. In utroque enim illi inſidebant annulo bina ſubrotunda corpuſcula ciceris magnitudine, in primo ſublivida, in altero rubentia, ſubſtantia in utroque glandulosa. Quin etiam in altero ſua ſingula ſubobſcure oſtendebant foraminula, quæ majora, & luculentiora videre licebat in proximis glandulis lenticularibus. Has enim habebat is homo amplificatas in continuato pylori antro, per quod duæ treſve ducebantur in longitudinem extantes lineæ ad duo illa ſubrotunda corpuſcula deſinentes: iis autem lineis ſingulis binæ vel ternæ inſidebant glandulæ, intervallo aliquo disjunctæ. Revocant hæ lenticulares ventriculi glandulæ mihi in memoriam Obſervationem earum aliam, huc maxime attinentem, quippe non in viro habitam in quo nulla, quod ſcirem, ut in modo memoratis, laborantis ventriculi extitiſſent indicia, ſed qui brevibus quidem, ſed acerbiſſimis, ejus doloribus confectus eſt.

18. VIRO annos nato ad quadraginta, lacertoſo, & gravibus diſtento cogitationibus, ante dies aliquot cœperat caput dolere, & ſenſus ardoris eſſe in mingendo, cum poſt cœnam, in qua neque nimium, nec inſalubris quidquam ſumpſerat, ſævis eſt doloribus in regione ventriculi correptus. Dolor capitis perſtabat. Dolores ventriculi augebantur. Per alvum, & per os multa viridis materia ejiciebatur. Per hæc, ineunte die tertio deceſſit circa medium Sextilem A. 1707. Venetiis. VENTRICULI aperti pars dextera ſana erat: in eaque confertiſſimas lenticulares glandulas cum Doctiſſimis Amicis ſpectavi ita uti in III. Adverſariis (b) ſcriptum eſt. Siniſtra in fundo multis erat maculis ſanguineis, & his vividis, diſtincta: quas inter, aliquot fœda ferruginea cruſtula obduci incipientes, rem ab inflammatione ad gangrænam vergere, oſtendebant. Ab eadem parte qua nullæ erant maculæ, & ſana interior tunica videbatur, nullo negotio ſanguinem exprimebam. Duodenum, & reliqua inteſtina vel interius ſpectata nihil morbidi habuerunt. Bilis veſicula duorum, aut trium digitorum intervallo ab infimo fundo ſe contrahebat, & rurſus antequam in meatum deſineret Cyſticum, dilatabatur ſic ut in duas videri poſſet diviſa. Thoracis parietibus omnibus pulmones per ſe adhærebant, mediaſtino quoque ad eundem modum annexi; ſani tamen; nam quod poſterior eorum pars rubebat, eodem pariter colore dorſum, & poſteriora brachiorum infecta erant. Neque in corde neque in auriculis quidquam ſanguinis. In cæteris, quas, cerebro excepto, inſpeximus, partibus nihil adnotatione dignum fuit.

19. Nullum ab hoc Viro in vivendi norma grave peccatum admiſſum fuerat, ut ab illo cujus ventriculum inflammatum, maculiſque nigris obſitum vidit Cl. Koehlerus (c): nulla erat prorſus aut incongrui medicamenti, ut apud Klaunigium (d), aut, ſicuti non ſemel in hac Sepulchreti Sectione, veneni ſeu fraude, ſeu caſu ingeſti ſuſpicio. Imo quædam, ut animadvertere potuiſti, præceſſerant quæ ſanguinis acrimoniam indicarent. Tamen ſi quid forte miraris, magis miraberis in muliere, cujus hiſtoriam a me tibi alias (e) promiſſam, jam accipe.

20. PAUPERCULA ruſticana fœmina, annorum, ut videbatur, circiter quinquaginta, obnoxia erat per intervalla difficultati reſpirationis, cum anguſtiæ ſenſu, & pulſu duro conjunctæ, magnaque arteriarum omnium agitatione, ut harum alternus motus ſub oculos caderet in ipſis manibus, non modo in collo, atque temporibus. Ubi reſpiratio angebat, Noſocomium hoc adibat, miſſoque multo ſanguine, qui erat duriuſculus, liberabatur. Sic annos quatuor vixerat, cum domi ventriculi doloribus correpta, ibi intra horas viginti quatuor mortua eſt. CADAVER nobis ad Anatomen publice tradendam A. 1737. ante Januarii finem conceſſum eſt. Omnia ordine rimantibus, hæc in Ventre viſa ſunt digna quæ adnotarentur. Ventriculus magnus, & ſemiplenus; cum ipſo aperto, inſpectoque, mirum eſſet, non omnia per vomitum fuiſſe rejecta. Erat enim pluribus ac variis eroſionibus exulceratus, recentibus, ut videbantur, ſed jam affectis nigredine gangrænoſa. Earum aliæ ad jugum erant creberrimæ, & perminutæ, cujuſmodi in proxima quoque Duodeni inteſtini parte conſpiciebantur: majores aliæ per fundum disjectæ, magiſque ubi ventriculus ab œſophagi fine expandere ſe incipiebat: nec œſophagus ipſe carebat ejuſdemmodi eroſionibus; ut ab ingeſtis, quæ qualia fuiſſent, neque conſtabat, neque ex ea quæ in ventriculo reſtabat, materia judicari ſatis poterat, illatæ eſſe viderentur. Lien æquo aliquanto major, & laxior, maxima ex parte diaphragmati, ex aliqua ventriculo agglutinatus, an ob hujus magnitudinem? Uterus ſiniſtrorſum valde inclinatus; itaque ſiniſtrum quoque Teres ejus vinculum brevius dextero. Alteri uterinæ cervicis lateri intus ſuo retuſo vertice adhærebat membrana pyramidis forma, parva, craſſiuſcula, alba, quam reliquias eſſe cenſui hydatidis, aqua olim diſtentæ. Veſica urinaria ab oſculis uſque ureterum ſanguifera vaſcula oſtendebat adeo ſuo rubore conſpicua, ut quamvis eſſent perminuta, eorum inter ſe communicationes haud melius perſpici potuiſſent, ſi injecta rubicunda cera fuiſſent repleta. Sic conferta utrinque in urethram pertinebant, cujus interiorem faciem conferta vel magis, eoque non ita pulchra, occupabant. In Meſaræi diſſectione, quod pinguedine, eaque optimæ notæ, ut cæteræ partes, plus quam a primo credidiſſes, abundabat, glandulas vidi ſanas quidem, ſed juſto majores, cum plures earum fabis eſſent vel grandioribus pares. Meſentericæ arteriæ Superioris initium Cœliacæ quoque commune erat. Coronaria ventriculi diametro erat longe ampliore quam ſoleat. Vena autem Cava, dum ſupra, itemque infra jecur, quemadmodum in Theatris Anatomicis fieri eſt ſolitum, incideretur, ne guttam quidem effudit ſanguinis. Thoracis utrumque cavum habuit aliquantum aquæ nullo colore infectæ, pulmones autem aere turgidos, & pleuræ a tergo, & ab lateribus annexos. In corde, & Jugularibus venis, in quibus plus ſanguinis fuit, quam in venis inferioribus, aliquid polypoſi. Cordis parietes a ſiniſtris evidenter craſſiores quam par eſſet, cum a dextris viderentur æquo tenuiores. Nulla tamen ventriculorum, aut venarum, aut arteriæ Pulmonaris dilatatio, aut trunci denique arteriæ Magnæ. Erat quidem in hujus valvulis aliquid ſubduri, in ipſoque trunco tum prope cor, tum alibi paſſim initia futuræ olim in os mutationis, flavo dumtaxat quodam colore indicata, quin etiam dura jam facta paulo ſupra diaphragma, ubi ampliora erant, & magis extantia: ſed juſta erat truncus ubique diametro. Non ſic in ramis omnibus hæc ſe habebat. Nam præter Coronariam illam de qua dictum eſt, cum arterias Carotides inter ſe compararem, evidenter major latitudo occurrebat ſiniſtræ, quam dexteræ. Cumque illa, vix ſeſquipollicis ab origine ſpatio emenſo, in duos, inſolito exemplo, divideretur ramos, ſub ea diviſione aliquanto magis ſe dilatabat, quam in pleriſque arteriæ ſoleant ad ſuas partitiones: idemque ad Subclaviæ utriuſque diviſionem primam in majores ramos animadverti. Cranio denique circumſecto die a mulieris obitu duodetrigeſimo, cerebrum non modo ſine ulla noxa, ſed neque fœtens, neque pejus cæteris quæ ſimul diſſecuimus, longe recentioribus, inventum eſt.

21. Habes in craſſitudine æquo majori ſiniſtrorum cordis parietum cauſæ illius partem quæ violentius agitabat arterias, in harum autem nonnullis dilatationibus, pluribuſque mutationis in os initiis effectus ejuſdem agitationis: quæ omnia cum iis conferas quæ alias (f) ſcripſimus de Spuriis, ut Lanciſius vocabat, Aneuryſmatibus. Habes præterea quod ad propoſitum in primis attinet, acerbiſſimi doloris ventriculi cauſas in hujus eroſionibus. Quarum non ita diſſimiles cum brevi poſt tempore in ebrii quoque, Epiſtola XIV. (g) deſcripti ventriculo invenerim; ut illa mittam quæ paulo ante (h) in Veneto illo Viro a me conſpecta

(z) Epiſt. 53. n. 37. (a) Epiſt. 44. n. 19. (b) Animav. 4. (c) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 5. n. 2.
(d) Eph. N. C. Cent. 3. & 4. Obſ. 145. (e) Epiſt. 14. n. 35. (f) Epiſt. 24. n. 35. & ſeqq. (g) n. 34. (h) n. 18.

ſpecta propoſui; animi pendeo, num omnes ingeſtis neſcio quibus, an ſuccis veneficis imputem intus genitis. Quod etſi in aliqua velim facere hiſtoriarum harum; minus in ultima poſſe videor, in qua via quoque ad ventriculum, gula, iiſdem eroſionibus affecta erat. Sed de obſervatis per anatomen, venenorum in ventriculo effectibus cum ipſe malim ſuo loco ſemel agere, quam ibi, atque hic, ut in Sepulchreto factum video; propterea illuc (*i*) rejiciam quæ huc addere ſuperſedeo: ut pari de cauſa alio differam quæ ad dolorem ventriculi ſpectant ex conſenſu cum aliis partibus, & nominatim cum renibus.

22. De iis autem ventriculi doloribus, qui neque a veneno ſunt, neque a cauſis fiunt extra illum hærentibus, ſi quæ ad ea, quæ ſupra legiſti, adjungere forte cupis; adjungas in primis, cenſeo, Obſervationem Illuſtris Viri Heiſteri (*k*) qua cardialgiam vehementiſſimam deſcribit a magno acervo lumbricorum illatam, qui ventriculum circa ſiniſtrum orificium, ubi hærentes invenit, ita læſerant, ut ſanguinolentus eſſet, & quaſi eroſus: idque in adulta muliere; non in pueris, in quibus minus eſt mirum, a Boneto, & Saxonia noſtro, ut in hac habes Sepulchreti Sectione (*l*) haud diſſimilia fuiſſe deprehenſa. Quamvis autem Sectione eadem complura proponantur exempla (*m*) doloris ventriculi a calculis in ipſo concretis; tamen nova ex Lanzono (*n*), ex Contulo (*o*), ex aliis adjicias licet. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXX.

De Vomitu verba fiunt.

CUM Ventriculi Dolore, de quo ſuperioribus Litteris ſcriptum eſt, ſæpenumero conjungitur Vomitus, de quo hic ſcribendum. Animadvertere id poteris cum illas relegens, tum Sectionem VIII. Sepulchreti pervolvens, & cum VII. conferens. Invenies enim Obſervationes plurimas, in quibus uterque illorum proponitur, nec paucas, quæ in utraque pariter Sectione exhibentur. Nos vero noſtrum tuebimur inſtitutum, nec quas alibi aut protulimus, aut ſumus prolaturi, earum ullam hic producemus. Selegimus igitur ex omnibus Valſalvæ, duas, alteram ad diuturnum, alteram ad brevem, utramque ad funeſtum vomitum attinentes. Quarum hæc prima eſt.

2. VIR annorum circiter quinquaginta quatuor, jam ante quinque, aut ſex menſes nonnihil emaciari toto corpore inceperat, cum ineunte menſe Auguſto A. *1689.* moleſtus acceſſit vomitus materiæ quæ aquam, fuligine infectam, referebat. Ejuſdemmodi materia interdum eodem tempore, interdum abſente vomitu, etiam per alvum, nec tamen ſemper, dejiciebatur. Interea vix ullus in ventriculi regione percipiebatur dolor. Sed cum Medicus ſal abſinthii dediſſet, eas ſtomacho moleſtias creavit, ut nunquam poſtea datum ſit. Tandem ſæviente vomitu cum ejuſdem materiæ excretione, languidis ſenſim factis pulſibus conſecuta mors eſt Idibus Novembris. CADAVERIS omnes articuli flexiles erant: quod in aliis haud ita crebro occurrit. In ventriculo pylorum verſus, tumor erat cancroſus exulceratus, hicque fieri viſus eſt ex glandularum congerie, quæ preſſæ, humorem promebant ſimilem humani ſeminis. Ventriculus autem tres libras materiæ continebat ejuſdem ferme naturæ ac quæ vomitu ejiciebatur. Inter ventriculum, & lienem erant duo glanduloſa corpuſcula fabæ magnitudine, colore, & ſubſtantia non multum abſimilia tumori qui in ventriculo deſcriptus eſt. Hæc in Ventre.
In Thorace autem pulmo dexter nonnihil a tergo inflammatus: ex omni autem utriuſque inciſi pulmonis parte ſerum prodibat. A cordis ventriculo dextero polypoſæ concretiones in Pulmonarem arteriam pertinebant; minor ab ſiniſtro in venam ejuſdem nominis.

3. Si compares inter ſe tumores ventriculi duos, hunc, & quem pariter ex Valſalva deſcripſimus Epiſtola ſuperiore (*a*), quorum utrumque in brevibus ſuarum Obſervationum Indicibus cancri nomine deſignavit, & conjunctum vomitum habuiſſe, ſcripſit, quaſi aquæ fuligine infectæ; miraberis fortaſſe, cur ſævos ille, hic leves adeo afferret dolores, & cur hic cum preſſus humorem daret non fuliginoſum; hoc tamen colore tantam humoris copiam tingeret. Verum nigerrima rejici ab iis quoque in quibus nullus hujus generis tumor eſt, tum ex aliis Obſervationibus, tum ex aliqua earum intelliges quæ infra proferentur; ut minime neceſſe ſit, illiuſmodi colores a cancris deducere, in ventriculo exulceratis. Diſcrimen autem illud dolorum niſi ab humoribus repetas in primo ægro magis, quippe ſeniore, & bilioſo temperamento, quam in hoc, irritantibus, qui tamen, addito ſale abſinthii, laceſſentes adeo facti ſunt; conjicies, leves dolores non ſecus atque in illo, primum quidem fuiſſe, verum poſtea quam per ſal abſinthii ſic irritatus tumor eſt, ut demum exulceraretur, multo acerbiores & factos eſſe, & ad finem uſque perſtitiſſe.

4. VIR nobiliſſimus annos natus duos & quadraginta, cum ex Germania in Italiam veniſſet, paucis poſt menſibus Bononiæ in febrem incidit tertianam duplicem, mitioribus, in primis quidem acceſſionibus, ſtipatam ſymptomatibus; ſed in quarta vehementiſſime affligentem. Nam frigus quod vigeſima hora invaſerat, vix tertia noctis hora remittebat: moleſtiſſima erat ſitis, lingua aſpera, difficilis reſpiratio, laſſitudo, pulſus parvus, ac debilis, dolor, & plenitudinis ſenſus in ventriculo, anxietas denique, & inquietudo tanta, vix ut pauliſper in eadem lecti parte conſiſteret. Hæc omnia non niſi poſtquam, magis ſæviente calore, ſtillatarum aquarum potio tandem conceſſa eſt, mitiora ſunt facta; ſed paulo dumtaxat, & breve ad tempus. Nam paulopoſt omnia, magis exacerbata, totam illam noctem vexarunt. Diluculo vomitum inſtare, ſenſit: nec tamen vel digitis ſæpius ſibi in fauces immiſſis vomitionem primum ciere poterat; mox tamen materiam ejecit ad libras quatuor, colore aquæ ſimilem in qua *coccolata* ſoluta ſit. Innatabant quædam quaſi membranarum portiones ejuſdem prorſus coloris: odor autem erat qualem ſæpe ſolent febricitantium corpora exhalare. Ab hoc vomitu etſi ventriculi affectio paululum remiſſa videbatur; reliqua tamen non modo perſtabant, ſed vel acrius torquebant incommoda. Mane ſecta vena ſanguinem Medicus detraxit: is in primo vaſculo concrementum æquo mollius, tenuem in ſummo cruſtam, lacteum ſerum oſtendit; ſed in altero minus ea omnia ab naturæ norma recedentia. Hoc, aliiſque præſidiis in uſum tractis, iterum paucas poſt horas tantundem ferme ejectum per vomitum eſt deſcriptæ materiæ: quod paulo poſt iterum, iterumque accidit; ut quæ eo die ſic reddita ſunt, ſexdecim circiter libras æquaverint univerſa. Inſecuta nocte eadem ſæviebant ſymptomata, accedente inſuper ſiniſtri brachii tremore; qui, præcedente delirio, ſæpius recurrens, præſertim dum aeri brachium exponebatur: mane in paroxyſmum quaſi epilepticum degeneravit, quo non brachium modo, ſed & os, oculi, femur quoque ſiniſtrum immaniſſime convellebantur. Hæc longo horarum ſpatio perdurarunt: tandem paralyſis illud corripuit brachium. Redire nihilominus pergebant epileptici inſultus tam crebro, ut intra horam plus viginti numerarentur. Inter- ea cre-

(*i*) Epiſt. 59. n. præſertim 21. (*k*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 86. (*l*) Obſ. 14. (*m*) Obſ. 29. 31. & 32. (*n*) Act. N. C. T. 1. Obſ. 64. (*o*) De Lapidibus, Podagra & cæt. c 9. (*a*) n. 6.

ea crebriores quoque erant vomitiones, & materiæ quidem porracei coloris, in qua fragmenta quaſi membranularum innatabant. Singultus inſuper, qui poſt memoratam paralyſim circa meridiem inceperat, jam vehementius torquebat. Et licet omnia nonnihil a prandio ſedata viderentur; tamen cum adveſperaſceret, graviora fiebant; ut pulſu, & viribus magis magiſque tota nocte fatiſcentibus cum æger nunc modicis vomitionibus, nunc delirio, & ſingultu, ſæpius autem diris, quamvis brevioribus, ſpaſmodicis inſultibus vexaretur, mane duodecima hora deficeret. ABDOMEN erat tumidum, ut inteſtina quoque. Hæc, & ventriculus qua facie anteriora ſpectabant, eodem illo erant colore infecta quo materiam diximus fuiſſe quæ vomitu ejiciebatur. Ventriculus intus inflammatus, minimis quibuſque vaſculis multum ſanguine turgentibus. Bilis veſicula etſi inanis erat, turgida tamen, aere videlicet, conſpiciebatur. In Thorace pulmo dexter arcte adhærebat ad pleuram: ipſeque, & ſiniſter nigro erant colore tincti, & ichoroſa materia plena. In dextero cordis ventriculo tenuis polypoſa concretio fuit.

5. Exitium quod indicaverat quarta, huic Viro dies attulit ſeptima. Quod ſi priuſquam tanta vis morbi ventriculo incubuiſſet, ex indiciis quibuſdam priorum dierum quid immineret ſuſpicatus Medicus, quicunque is fuit, maturo atque apto corticis Peruviani uſu occurrere potuiſſet; fortaſſe ægrotantem ſervaſſet. Verum contigere hæc, quantum ex ſuperiore etiam Obſervatione conjicio, eo tempore quo necdum febrifugo cortice uti audebant ratione illa qua nunc conſuevimus, & qua primus Bononiæ annis poſt paucis feliciter uſus eſt ingenioſiſſimus Medicus Dominicus Gulielminus in generoſiſſimo Viro ex Gente Malvezia, quem proxima alioquin exacerbatio pernicioſæ febris, ut aliis acciderat, interemiſſet. Cæterum unde porracea tinctura eſſet qua rejectus humor inficiebatur, inanis veſicula fellea oſtendit. Sed alii in ventriculo, & inteſtinis ſucci cum bile convenerunt etiam antea, cum longe alio colore tincta rejiciebantur. Utro autem horum colorum ea viſcera tincta eſſent, cum ſatis Valſalva ſuis in ſchedis non aperuerit; nec mihi diſerte in hiſtoria licuit indicare.

6. Jam vero accipe hiſtorias alias, in duo pariter genera diviſas, vomitionum aut ad diuturnas, aut ad breves attinentium. Ex iliis autem prima eſto quæ exemplum profert vomitus quo diuturniores non multi reperientur: eademque eſt quam tibi, cum de Palpitatione Cordis ſcriberem (*b*) a me peculiariter promiſſam memini.

7. NOBILIS Matrona Patavina, quæ ab ortu uſque ſæpe adeo lac rejiciebat, ut nutrix victuram deſperaret, adulta nihilominus, nupta, & jam plurium liberorum parens, cum quartum annum ageret & trigeſimum, cœpit in puerperio ſæpius vomitu laborare, a quo duobus poſt menſibus ſe liberam fore in poſterum, credidit, cum globum rejeciſſet quendam, diametro duos pollices ſuperantem, materiæ tunc mollioris, ſed quæ mox acri expoſita, duriſſima poſt triduum inventa eſt. Verum ſpei non reſpondit eventus. Vomitio perſtitit, & quamvis a pluribus Medicis diu, multumque modo leniter, alias vehementius oppugnata; ad mortem uſque, id eſt viginti quatuor ipſos annos perduravit. Redibat quotidie duabus a prandio horis. A cœna non redibat, niſi poſtridie mane. Et licet alimenti genera mutarentur; ſemper recurrebat ad eundem modum, materiamque ſemper ejiciebat ſubalbam, craſſam, ductilem. Quam ſi mulier conaretur retinere; magnas in ventriculi regione patiebatur moleſtias donec redderet; reddebat autem non ſine conatibus: ſed a vomitu omnia ſedabantur. Alvus nihil, niſi ſolicitata, egerebat: quod jam diu uno, ſine ægræ noxa, obtineri poterat remedio, pilulis, ut Venetiis vocant, S. Fuſcæ, quarum perpaucæ, noctu retentæ, mane leniter, ut ſolent, alvum ſolvebant, ſed nihil fere præter aquoſa dejicientem. *Coccolata* quoque retinebatur, & ventriculum juvabat. Hujus regionem ſi manu explorares; nihil ibi, ut neque in reliquo ventre, percipiebas quod eſſet præter naturam. Ad ea quæ narravimus, acceſſerat biennio ante obitum pulſus intermiſſio. Matrona tamen ſolita vitæ munia domi foriſque obire non deſtitit, donec minus bene ſe habere, ſentiens, & debilior facta, noviſſimum vitæ menſem in lecto exigere coacta eſt. Ibi cum omnia, & in his *coccolata* quoque, nauſeoſa jam eſſent, febris animadverſa eſt quæ horis pomeridianis quotidie, vix aliqua tamen pulſus facta mutatione, increſcebat, noctuque calorem augebat. Pulſus erat potius magnus, ſed, ut ſolebat, intermittens. Cum propter alvi duritiam Medicum exoraſſet, ne obſtaret ſibi conſuetis pilulis uti cupienti; immanis oborta eſt cordis palpitatio: quæ etſi paucis unciis ſanguinis e brachio detractis, ferme ſtatim ſedata eſt; mox tamen iterum ingraveſcens totidem e pede coegit detrahere, unde rurſus imminuta eſt, non ſic tamen, ut poſtea in ſiniſtrum latus cubare ſineret. Nulla miſſo ſanguini cruſta inſidebat. Dies poſt aliquot, duritia alvi rurſus urgente, lene clyſma palpitationem incitavit. Cum adverſus hanc externa remedia nihil prodeſſent, interna autem ab ægra quæ alimenta vix aliqua, & invita ſumeret, pauca omnino admitterentur, in quibus ſtillata ceraſorum, aut meliſſæ aqua, & compoſitionum caſtoreum habentium nonnihil, quibus ſemel opii granum adjunctum eſt, nec quidquam eſſet quod aut vomitum averteret, aut palpitationem ſedaret; poſtremis quinque diebus pulſu infirmiſſimo, perexili, & formicante facto, palpitatione autem perſiſtente, alvus ſponte ſoluta eſt vel nimium; ut fæpe, & multa, etiam dura, ejiceret. Itaque perſtantibus cæteris, & paulatim extremis corporis frigeſcentibus, vivendi finem fecit Matrona optima, & ob id etiam vita multo longiori digna, quod mandavit moriens; id quod perpaucæ mulieres facerent; ut diuturni ſui vomitus cauſa per anatomen quæreretur, ſi forte illa inventa, auxilium ferri poſſet filiis, in quibus erat quæ jam vomitionibus tentari inciperet, adverſus hæreditarium morbum; eodem enim quo ipſa vomendi incommodo, mater quoque, jam ante plures annos extincta, laboraverat. Itaque cum a me petiiſſet Nobiliſſimæ Familiæ nomine Collega meus Ornatiſſimus Valliſnerius filius, ut diſſectioni præeſſe vellem, cumque a Medico Spectatiſſimo qui annos poſtremos duodecim, miti, ut decebat, curationis genere Matronæ affuerat, Petro de Marchettis, Petri Equitis nepote, ea omnia quæ hactenus ſcripta ſunt, accepiſſem; coram ipſo, aliiſque Medicis, in quibus Cl. Vir fuit, auditor olim meus, Dominicus Militia, diſſectionem accurate inſtituendam curavi ſub noctem ejus diei, quo die mane ægra deceſſerat, VI. Idus Aprilis A. 1744. CADAVER macilentum erat, nec tamen plurimum, & ſine artuum œdemate.

Venter aquam habuit ſubflavam non paucam: omentum pauca pinguedine inſtructum, magnam inteſtinorum partem obtegens, annexumque ad peritonæum latere ſiniſtro: ventriculum contractum, & ubi accedere incipiebat ad pylori antrum, ibi contractum magis, ut in duos quadantenus eſſet diviſus, parietibus & colore, ſi exterius aſpiceres, ſecundum naturam; ſed facie interiore quaſi ab inflammatione rubentem. Inerat pars aquæ, an juſculi noviſſime ſumpti, cum quibuſdam craſſioribus portionibus viſcidæ illius materiæ quæ vomitu ejici conſueverat. In pyloro ipſo, & Duodeno inteſtino nihil morbidi præter internæ faciei colorem, ejus ſimilem qui in ventriculo dictus eſt. Pancreas juſta alioquin magnitudine, quantum quantum erat, adeo candidum fuit, lobulis autem, cum diſſecari juſſiſſem, diſtinctis adeo, & exſuccis, ut ſi aliquanto duriores fuiſſent; erant enim duriuſculi; non modo ad ſcirrhi naturam accedere, ſed in ſcirrhum jam prorſus converſum pancreas eſſe, pronunciaſſem. Lien, & jecur interius ſana, etſi ille exteriore tota facie, hoc inferiore a dextris pallebant. Sed fellis veſicula parietibus cunctis tam craſſis erat, ut nunquam ſic vidiſſe meminerim: itaque etſi bile erat plena, quippe in ea quæ tot dies tam pauca ſumpſiſſet, eaque bilis nigra erat adeo, ut interiorem veſiculæ faciem atro colore infeciſſet; facies tamen ejuſdem exterior albicabat. Ob illam quam modo attigi, cauſam, ut ventriculus fuerat, ſic inteſtina omnia, & Tenuia præſertim, valde erant contracta, ut ea etiam quæ nuperrime præceſſerat, nimia alvi

(*b*) Epiſt. 23. n. 21 in fin.

alvi evacuatio requirebat. Una ex omnibus inteſtinis Appendicula Vermiformis paulo erat turgidior: eademque exterius rubebat. In meſenterio, & reliquis Ventris Partibus nihil non ſecundum naturam animadvertimus. In Thorace autem utrinque erat aqua, nec pauca, nec parum ſanguinolenta. Utrinque pariter pulmones, alioquin ſani, per crebra, craſſa, longiuſcula membranea filamenta ad latera alligabantur. Pericardium arctiſſime adhærebat omni cordis ſuperficiei, & auriculæ dexteræ, & magnorum vaſorum ad cor pertinentium. Cor tamen juſta fuit tum parietum craſſitudine, tum capacitate ventriculorum. Quorum uterque plenus erat pariter ſanguinis, qualis ex inciſa quoque vena Cava multus extitit, atri, & magna ex parte in grumos coacti, ſine ulla vel minima polypoſa concretione. Valvulæ quæ cordis orificiis venoſis præficiuntur, etſi albicare viſæ ſunt; non duriores tamen fuerunt. Ex reliquis autem eæ quæ ad initium appoſitæ ſunt Arteriæ Aortæ, ſummos limbos & craſſiores, & cartilaginea duritia habuerunt. Arteria ipſa bene intus, extraque conſtituta: neque ulla omnino præter ea quæ dicta ſunt, in Thorace vitia apparuerunt. Caput cur attingeremus, cauſæ nihil fuit.

8. Quæ vitia in pericardio, & corde reperta ſunt, quatenus ad palpitationem, & intermittentem pulſum attineant, aliis a me locis (*c*) eſt indicatum. Quæ vero in fellis veſicula, & pancreate, illa ad vomitum ſpectare, exiſtimo. Crederem fortaſſe illam etiam ventriculi contractionem, per quam in duos quadantenus videbatur diviſus; niſi eandem tibi ſtructuram in duabus aliis mulieribus (*d*) deſcripſiſſem, quarum neutra vomitioni obnoxia fuerat, ut neque Fœmina Princeps, neque aliæ præterea (*e*) in quibus ita ſe ventriculum habuiſſe, memini. Mihi enim forte accidit, ut conformationem iſtam cum vidi, in mulieribus, ſicuti & Valſalva (*f*), viderem: unde ſuſpicari cœpiſſem, an hæc quoque annumeranda eſſet detrimentis cæteris quæ ſibi illæ creant per conſtrictos ad ſummum ventris thoraces duros, & quæ duriora his addunt ad umbilicum ferme producta; niſi animadvertiſſem, in cujuſquemodi ſortis fœminis illam fuiſſe, nec in fœminis ſolum, ſed & in viris ab Riolano (*g*), & a Celeberrimis Auctoribus Heiſtero (*h*), & Fantono (*i*) eſſe deprehenſam. Horum autem nemo, ut neque Cl. Viri Petſchius (*k*), & Amyandus (*l*) qui in fœminis viderunt, ullam cum poſſent, & aliqui, ſi ita accidiſſet, etiam deberent, ullam, inquam, de vomitu in iis viris, fœminiſve mentionem injiciunt. Quod ſi in VIII. hac Sepulchreti Sectione Obſervationem (*m*) invenies Blaſii, qui ventriculum duplicem offendit in viro, creberrimis vomitionibus diu vexato, has illum videbis non ab ea duplicitate, ſed a magna anguſtia repetere ejus foraminis per quod alter ventriculus cum altero communicabat: cujuſmodi anguſtia in iis quas ego obſervavi, nunquam fuit. Quid? quod ſi Obſervationem illam apud Blaſium (*n*) legas; conjunctam cum altera animadvertes ejuſdem generis, in qua etſi anguſtia inter ventriculum utrumque non modo magna, ſed *maxima*, & *ſumma* fuit, homo tamen, niſi quod valde famelicus, erat *bene ſanus*, & quod conſequitur, vomitionibus haud obnoxius. Quod ſi nihilominus in propoſita Matrona iſtam ventriculi ſtructuram ipſam quoque aliquid ad vomendum feciſſe, malueris, quippe a primordiis facile junctam cum prava illa veſiculæ, & pancreatis diſpoſitione, quæ, creſcente ætate, manifeſtior facta vomitum induxerit inſanabilem; non pertinaciter repugnabo. Certe autem craſſitudo tanta in veſiculæ tunicis minus obſequentem hanc reddebat ventriculi, primorumve inteſtinorum preſſioni, ut fortaſſe non ſatis ex ea bilis, quæ erat inſuper adeo vitioſa, exprimeretur. Pancreas vero exſuccum, & ad ſcirrhi naturam vergens, quanto minus ſucci, minuſque ad ſuos uſus apti ſecerneret, facile potes exiſtimare, ſimulque colligere, quam imperfecta ob utriuſque illius humoris defectum, ac vitium in Duodeno inteſtino fieret chyli elaboratio, quantunque ibi reſtitaret craſſi, viſcidique, & ejus inteſtini tunicas in diurnis præſertim corporis agitationibus ſic irritantis, ut in motum denique inverſum cieret. Quo ſi tibi liceat addere ſtructuram illam ventriculi minus ſortaſſe idoneam ad alimenta, ſi non conficienda, at ſatis expedite in id inteſtinum compellenda; tanto erit proclivius cauſas intelligere vomitus iſtius tam diuturni.

9. Verum ut de una earum dumtaxat, id eſt de pancreatis vitio, brevitatis gratia, verba faciamus; videſis hic in Sepulchreto non modo Obſervationem LIII. & quæ ſequuntur, ſed alias etiam cum ſupra, tum præſertim infra ſub num. LVII. (*o*) & LVIII. (*p*) aliiſque indicatas; & cum pancreatis vitiis conjunctum vomitum reperies. Equidem ex iis non ſum qui neſcio quos non morbos, & vomitus vel ſanguinis, *a ſolo pancreate* deducendos arbitrabantur (*q*): imo hoc viſcus, nec raro, ſine vomitu male affectum fateor a me, ab aliiſque deprehenſum. Ejuſdem tamen morbos a vomitionibus non ſejunctos & me conſpexiſſe, & ab aliis ſæpe conſpectos audiviſſe, negare non poſſum. Sed meis quidem Obſervationibus erit alibi opportunior locus. Hic vero nonnullas aliorum commemorabo. Et primum accepi a Malpighii Aſſecla, Præceptore meo, docto, cum viveret, Bononiæ Medico, Jacobo Sandrio, plures ſibi adnotatas eſſe diſſectiones eorum qui vomitionibus obnoxii fuerant, humoris præſertim colore *tabaccum* referentis; in iis autem omnibus male pancreas habuiſſe. Heraclitus autem Manfredius, is quem tibi alias merito laudavi, cum ex Patria in quam ad menſes aliquot ſeceſſeram, Bononiam rediiſſem anno, opinor, 1704. hanc ſuam mihi narravit Obſervationem: quam hic tecum magis quia ad ſuſceptum de pancreate ſermonem, quam ad ordinem promiſſum attinet, communicabo.

10. VIR robuſtus, nulla manifeſta cauſa præcedente, conatu vomendi aſſiduo angebatur, ſed præter remedia, & alimenta, quorum retinere nullum poterat, pauca, & raro, & hæc aquea, ac fere amara evomebat. Ad hæc, torquebatur magna ſiti, crebris quibuſdam animi defectionibus, & dolore præſertim non ſecus ac ſi a canibus diſcerperetur, ad communes fines thoracis, & ventris: quem ſi tangeres; duri, aut renitentis percipere nihil poſſes. Cum his, humilique pulſu, intra undecimum circiter diem eſt mortuus. VENTRE aperto, jecur maximum conſpectum eſt, ſed ſanum. Sana quoque inteſtina, & ventriculus. Et meſenterium quidem non ſine aliqua obſtructione. Sed pancreas æquo majus, totumque & tuberculis ſubrotundis, neque exiguis, inæquale, & duritie ad cartilagineam accedente. In Thorace multum, in pericardio autem plurimum aquæ, ejus ſimilis in qua caro recens lota eſt. Cor valde parvum: in ejuſque auricula dextera quidpiam albicantis polypoſæ concretionis.

11. Cur tumores pancreatis, niſi forte & ipſi maximi ſint, & ægri valde macilenti, difficillime tactu percipi queant, retruſa viſceris ſedes facit, & quidquid manui ſe interponit, præſertim vero turgens flatibus ventriculus, aut jecur, ut in hoc viro, ampla, & dilatata magnitudine. Qua in difficultate quibus aliis ſignis uti liceat, cum indicaret Riverius (*r*), in iis petenda a proximi ventriculi dolore, aliiſque ſymptomatibus non omiſit. Cæterum pancreas multifariam poteſt vomitum concitare, ut cum ventriculum contiguum, qui ſenſu præſertim ſit exquiſitiore, duritie, aut aſperitate irritat ſua, aut adaucta etiam magnitudine obſtat, ne ſatis poſſit dilatari. Aſſumptorum enim omnium vomitus impeditam ventriculi dilatationem conſequitur, ſive ipſe dilatari ſe, non patiatur, quippe craſſis ſcirrhoſiſque factis ejus tunicis, ut in Cel. Virorum Obſervationibus Laubii (*ſ*), & Halleri (*t*): ſive; nam perinde ſe res habet, oppoſita ſint obſtacula ejus dilatationi, velut ingentia ſteatomata, quæ juxta ventriculum conſpexit Cl. Verdrieſius (*u*), aut maximum illud corpus, quod ibi pariter in duabus fœminis inventum, deſcriptum leges apud Præſtantiſſimum Heiſterum (*x*). Obſtacula autem eſſe poſſe etiam ipſa ventriculo contigua viſcera, ſi præter

(*c*) Epiſt. 23. n. 21. & 23. & alibi. (*d*) Epiſt. 16. n. 38. & Epiſt. 26. n. 31. (*e*) Epiſt. 37. n. 28. (*f*) Epiſt. 36. n. 2.
(*g*) Anthropogr. l. 2. c. 20. (*h*) Diſſ. ſiſt. Obſ. Med. Miſcell. Obſ. 6. (*i*) De Obſerv. Med. & Anat. Epiſt 3.
(*k*) Syllog. Anat. Obſ. §. 84. (*l*) Vid. Commerc Litter. A. 1734. Hebd. 25. in fin. (*m*) n. 26. (*n*) P. 4. Obſ. Med. 9.
(*o*) §. 5. 7. (*p*) §. 2. 4. (*q*) Vid. Ibid. Obſ. 74. in fin. (*r*) Prax. Med l. 13. c. 4. (*ſ*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 41.
(*t*) Opuſc. Pathol. Obſ. 21. (*u*) Eph. cit. Cent. 6. Obſ. 16. (*x*) Epiſt. de Pilis, Oſſib. p. n.

ter modum tumida, & dura fiant, annis ſuperioribus comprobavit immaturus interitus doctiſſimi, amiciſſimique Archiatri, cujus inſanabilem vomitum fuiſſe, accepimus, ab jecinore, & pancreate, quæ ſua & mole, & duritie interceptum ventriculum comprimebant. Sed pancreas; ut de eo potiſſimum loqui pergamus, præſertim cum facile adeo ſit quæ de eo dicuntur, ad jecur quoque transferre; tunc etiam provocare vomitum poteſt, cum eum ſecernit ſuccum qui aut acrimonia moleſtus ſit Duodeno inteſtino, aut inertia, aliove quopiam vitio faciat, ut in eo inteſtino male abſoluta alimentorum confectio relinquat ibi quæ ſint incommoda, aut denique paucitate impar ſit cæteris uſibus, & in his illi quo fellis ſimul influentis, præſertim acrioris, vim temperat, ne acrius afficiat eas tunicas, motumque invertat: qua de re conſulere etiam poteris Frid. Hoffmannum (*y*), cenſentem, iſtam ipſam fuiſſe cauſam, cur uno eodemque oſculo & bilis, & pancreaticus ſuccus inteſtinum illud adire ſoleant, & cur Brunneri canes, dempto pancreate, vomitibus bilioſis finem vivendi fecerint. Itaque ubi humanum pancreas eo redactum ſit, ut nihil prorſus humoris ſeparet; quanto facilius ſequi illa poſſint quæ diximus, præclare vides. Sed & aliter induci a pancreate vomitio poteſt, ut ſi memoratum inteſtinum, ad quod latiori extremo ſe pancreas affigit, ſua aſperitate & duritie, aut aucta magnitudine ad eundem modum irritet, aut premat ad quem de ventriculo indicatum eſt. Secundum hæc, aut alia ejuſcemodi, licebit tibi pleraſque omnes, huc attinentes, hiſtorias explicare, multoque illas magis, quæ ſimul pancreatis, ſimul Duodeni ineſtini vitium conjunctum habeant, velut hanc quam continuo ſubjiciam ab exercitatiſſimo Profectore Mediavia noſtro ſub initium Octobris habitam A. *1733.* & mecum ab eo uſque tempore communicatam.

12. MONACHUM, genere, & moribus nobilem ex ſacra Capuccinorum, ut vocant, Familia, multiplex morbus, hydrops præſertim, vomituſque confecerant annum agentem trigeſimum tertium. CADAVERIS univerſæ cuti aquæ aliquid ſuberat; itaque & pedes œdemate tumebant aliquantum. Venter autem nec valde tumebat, nec plus aquæ intus habuit, quam libras circiter duas. Jecur, & lien æquo majora: illud præterea ſubalbum, lobulis conſpicuis, durum. In ventriculo nihil adnotatione dignum fuit, ſi plexum excipias digitos latum ad duos, longum ad quatuor, ex glandulis confertiſſimis, lente quidem minoribus, ſed manifeſto oſculo præditis: is plexus erat in ventriculi fundo prope antrum pylori. Digiti autem intervallo infra pylorum Duodenum inteſtinum nigricabat, & paulo inferius ſcirrhoſum erat. Pancreas quoque durius fuit. In Thoracis utroque cavo aqua non pauca. Pulmones contracti. Cor non ſine concretionibus polypoſis: & ejus valvularum aliqua non ſine oſſea portione. Oſſis autem olim futuri initia in facie interiore apparebant arteriæ Magnæ ab ramis ſuperioribus uſque ad Emulgentes. Ea arteria, in procero alioquin corpore, vix digitum craſſitudine ſuperabat: erantque cætera ſanguifera vaſa ipſa quoque proportione anguſtiora.

13. Ut hæc vaſorum, in ejuſmodi præſertim corpore, magna anguſtia initium fortaſſe fuerat morborum omnium, ita pancreatis, magiſque Duodeni inteſtini duritiem vomitionum fuiſſe cauſam, non dubito. Sive enim id inteſtinum a compreſſione ſtringatur, ut olim animadvertit Riolanus, quem hic in Sepulchreto laudatum videbis (*z*), ſive ob ſcirrhoſas tunicas ſe minime poſſit conſtringere, oppoſitas haſce cauſas idem effectus ſequitur, ut illapſura ex ventriculo cum minus facile aut excipiantur, aut ulterius promoveantur, nempe in ventriculo reſtent pleraque, ibique corrupta, aut mora ipſa gravia, & moleſta impellant ad vomitum: cujus rei luculentum exemplum etiam protulit Cl. Molinellius (*a*). Idem contingat, neceſſe eſt, cum pylorus vitiis afficitur ejuſdemmodi. Plurima autem hic in Sepulchreto habes exempla, ut Obſervatione XI. & XVII. & pleriſque aliis inſequentibus ferme uſque ad XXVI. & rurſus in LVI. §. 13. in Additamentis autem Obſervatione I. & VIII. quin etiam alibi, ut libro I. Sect. IX. Obſervatione non ſolum XXXIV. ſed inſuper, ſi *ſubverſiones* illas attendas, XXXIII. Inter illas autem quas Sectione VIII. hac leges, cum ad Obſervationem perveneris XXI. non ita diſſimilem alterius quæ a Joanne Bohnio (*b*) eſt, in illaque vomitionem ciborum omnium, & mortem denique intra decimum diem conſecutas invenies pylori occluſionem a nummo devorato exiguo argenteo; veniet procul dubio in mentem nummi illius argentei tanto majoris quem ſolers Chirurgus *du Luc* (*c*) inde, atque adeo extra corpus cum aliis auxiliis, tum hydrargyri præſertim & pondere urgentis, & *amalgamatione*, ut Chymici loquuntur, imminuentis feliciter deturbavit, cum jam lævi ad pylorum dolores incepiſſent cum vomendi voluntate. Sed ne longius ab iis pylori impedimentis quæ non caſus, ſed morbus facit, abeamus; præter Obſervationes illas quas in Sepulchreto indicavimus, aliæ ſunt, nec paucæ, quas adjicias, ut quæ in Voluminibus extant Cæſareæ Academiæ (*d*), in Actis Eruditorum Lipſienſibus (*e*), in Commercio Litterario (*f*), & ſiquæ præterea aliæ ſunt inter multas ab Eruditiſſimo Trillero commemoratas (*g*). Ex quibus omnibus Obſervationibus reperies aliquot ſimul ea confirmantes quæ paulo ante attigimus cum de Pancreate, & Duodeno inteſtino diceremus, & nonnullas etiam ad Epiſtolas nuper ad te miſſas attinentes. Hujus generis ſunt duæ quoque Cl. Fantoni (*h*) hic neutiquam prætermittendæ. Nec denique nobis deſunt, quamvis non ita mirabiles, ut ejus ſecunda eſt, quædam aliæ: quarum unam cum Epiſtola ſuperiore ſcripſerimus (*i*), non hic iterabimus: alteram autem, quam in Epiſcopo Brixienſium habuimus, ad eas differimus quæ ſpectant ad Ventris Tumores (*k*): tertiam, nobiſcum ab laudato alibi Mariano communicatam, in qua calculi, & callus arcte adeo pylorum obturabant, ut ne a mercurio quidem pervadi potuerit, cum abſolutam acceperimus, ad te mittemus. Una eſt quæ non incommode proferri hic poſſit, Bononiæ habita A. 1703. ſub initium Decembris, conſulto autem ad hunc locum ſervata, cum alio etiam ex parte aliqua conveniſſet, ut ex pulſuum obſcuritate intelliges conjuncta cum ſumma fibrarum cordis laxitate.

14. SACERDOTI ex Inclyto Ordine S. Auguſtini, cujus nomen inter Sacros Oratores non erat obſcurum, aliquot annos nato ſupra quadraginta, poſt ſtudia, itinera, labores alios cœperat non ita multis ante menſibus tenſio quædam percipi ad dexterum hypochondrium. Acceſſit deinde frequens vomitus quarta a ſumpto cibo hora. Alia deinceps addita ſunt. Noviſſimis denique morbi hebdomadis ita res ſe habebant. In ventre magna durities, in dextero autem hypochondrio maxima; ſed nullus, ſi premeres, dolor qui contra per ſe oriebatur, & acerbus quidem, in altero hypochondrio hora confectionis ciborum. Rejiciebatur humor aliquando colore infectus quaſi *tabacci*, alias multo magis fuſco, atque atro, alias vario, & maxima ex parte ab his diverſo: nec deerant qui dicerent, ſe non mucoſa tantum, ut alii, ſed & quædam quaſi ramenta membranularum in eo humore animadvertiſſe. Hi ob hanc etiam cauſam ab reſina terebinthina non eſſe temere diſcedendum, ajebant, quæ una ab ſtomacho retinebatur, cum remedia cætera rejicerentur. Pilulas autem improbabant, aloem, gummi ammoniacum, & tartarum, ut vocant, vitriolatum habentes, quas alter Medicus proponebat, æger autem, in dejectionibus, ut plerique ſolent, magnam ſpem ponens, præoptabat. His igitur ſumptis, immanes ſecutæ ſunt vomitiones, atque inde ex malis res fieri multo deteriores cœperunt. Nam pulſus obſcurus antea, obſcuriſſimus factus, febris lipyriæ ſimilis: urinæ velut ictericorum. Itaque intra

(*y*) Diſſ. de Pancreat. Morb. §. 4. (*z*) Schol. ad Obſ. 23. (*a*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. T. 2. P. 1. inter Medica Obſ. 1.
(*b*) Eph. N. C. Cent. 3. & 4. Obſ. 121. in Schol. (*c*) Hiſt. de l'Acad. R. des. Sc. A. 1740. Obſ. Anat. 4.
(*d*) Cent. 7. Obſ 87. & Cent. 8. Obſ. 20. & Cent. 10. Obſ. 10. & Act. T. 4. Obſ. 107. & 135. & T. 6. Obſ. 151.
(*e*) A. 1711. M Sept. ex Dionis Diſſert. (*f*) A. 1743. Hebd. 16. n. 2. cum Hebd. 17. n. 2.
(*g*) Diſſert. de Fame Lethali &c. §. 29. (*h*) De Obſ. Med. & Anat. Epiſt. 2. & 3. (*i*) n. 6. (*k*) Epiſt. 39. n. 21. & ſeqq.

intra paucos dies, pedibus œdemate nonnihil tumentibus, pulſu jam nullo, ſine gravi ſpirandi difficultate, ullave mentis perturbatione, æger vivendi finem fecit. ABDOMINE diducto, jecur longe maximum inventum eſt, ſteatomatibus plenum, & ſubſtantia his interjecta, thymi excocti inſtar, alba, & lobuloſa, ſed dura. In fellis veſicula cum livida bile novem calculi, alii alia forma, qui omnes primum ad viridem colorem vergentes, poſtquam ſiccati ſunt, flaveſcebant. Lien perpuſillus, ut nummi argentei quem ſcutum vocant, magnitudinem non ſuperaret. Pancreas extenuatum adeo, ut deeſſe a primo videretur. Ventriculus intus fuit nigris maculis diſtinctus: flaccidus alibi, ſed in pyloro calloſus, ut cedere opportune, & ſatis dilatari non poſſet. Thoracis quoque viſcera flaccida, & laxa; ut cordis caro, ſi diſtraheres, facillime ſequeretur. Præter hæc, nihil animadverſum eſt morbidi; ut ne humoris quidem eſſet in thorace, aut ventre effuſi quidquam.

15. Sive lien a primordiis uſque, ut credibilius fortaſſe eſt, huic Sacerdoti exiguus obtigit, ſive per Hepaticam arteriam averſus a Splenica in amplificatum jecur ſanguinis curſus lieni ſimul, & pancreati extenuationem attulit, ſive hanc demum magis magiſque præter omnem modum adaucta hepatis moles, durities, pondus induxerunt; vides utique, nec ſatis auxilii ad bilis ſecretionem ab ejuſmodi liene hepar, neque ſatis ſucci ad bilem contemperandam a tali pancreate Duodenum inteſtinum habere potuiſſe. Mutata igitur cum ob eam cauſam, tum magis ob jecinoris vitia, bilis natura, quod vel hujus color, & concreti in veſicula calculi oſtenderunt, & quod conſequitur, mutato chylo, & ſanguine, & ſecretis ab hoc tum alibi, tum in ventriculo, inteſtinis, pancreate humoribus, minime difficile eſt eorum perſpicere originem, quæ homini acciderunt, præſertim vero tantæ illius quæ in rejectis apparuit, colorum varietatis. Ex humoribus enim ab naturæ modo recedentibus non mirum eſt, ſi colores præter naturam exiſtant, ut neque ex varia, quippe in ejuſmodi morbis, & conatibus, eorum tum omnium, tum ſingulorum ſecretione, miſtura, mora, ſi modo hi, modo illi magis colores exoriantur. Mirum eſt potius, ſiquando in iis qui nullum pravarum iſtiuſmodi ſecretionum indicium dedere, vomitus repente fiat ſucci alicujus, eo infecti colore quem minime expectares. Cujus generis Obſervatio eſt quam A. 1718. ad me ſcripſit idem quem ſupra (*l*) nominavi, Doctiſſimus Vir Manfredius. Ea vero ad breves attinet vomitus, ut continuo perſpicies.

16. FABER ferrarius mane domo egreditur cum perlevi ſtomachi dolore. Quo poſtea graviſſimo facto, homo ex ore ejicere humorem incipiens atramenti ſimillimum, ante veſperam moritur. VENTRICULUS æque atrum, inodorum, grumoſumque humorem continebat ad libras duas. Inteſtini Duodeni interior facies pene tota, ventriculi autem tota eodem colore infecta erat. Extima quoque hujus tunica in ea facie qua reſpicit diaphragma, nigerrimam habebat maculam, digitos quatuor amplam quoquoverſus: mirumque erat, intermedias tunicas non alio uſquam colore quam *tabacci*, tinctas eſſe vel qua illi ſuberant maculæ, ut ibi non nigræ ipſæ, nigerrimo tamen utrinque colore intercíperentur.

17. Macula hæc gangrænoſa fortaſſe fuit. Nigredinem autem internam ventriculi, & Duodeni inteſtini ne gangrænoſam tantummodo credam, humor facit, qui ſic tingere per ſe poterat, in ventriculo repertus, & ex parte ejectus, atramenti ſimillimus. Quem ſi bilem atram fuiſſe, putes; miraberis paulo minus hominis mortem, cum Hippocratici aphoriſmi (*m*) memineris, hanc illi prænunciantis, *cui protinus in recenti morbo, bilis atra vel infra, vel ſupra ſe oſtendit*, ut Celſi (*n*) verſione utamur. Sed undenam tanta iſta nigredo? An ab effuſa in illud inteſtinum bile quæ per ſe eſſet nigerrima? Videre enim potes in Cl. Virorum Budæi (*o*), & Schoberi (*p*) Obſervationibus fellis veſiculam magnam, eadem illa materia nigricante turgidam quam ægri vomitu ejiciebant. An bilis cum antea eſſet ſubnigra, ab admiſtis in eo inteſtino certis quibuſdam aliis humoribus, tanto nigrior facta eſt? An atri aliquid etiam a ſanguine acceſſit, ex eroſis in graviſſimo illo dolore vaſculis effluente? Cave enim credas, eum omnem humorem ſanguinem fuiſſe. Nam neque cadere iſtiuſmodi hallucinatio poteſt in ſolertem adeo, ac peritum Obſervatorem: neque ea demum fuiſſet effuſi ſanguinis copia, quæ tam cito poſſet ejuſmodi virum interimere. Sane etiam Hoffmannus (*q*) juvenem deſcribens a nigris vomitibus, & dejectionibus mortuum, etſi in ventriculo diſrupta apparuerunt ſanguifera vaſa, non tamen a ſanguinis effuſione, quippe quæ vel major tam cito non occidat, ſed a ſanguinis putredine, cerebrum inficiente, mortem deduxit: ſecuta autem hæc erat non, ut in noſtro, intra paucas, ſed intra viginti quatuor horas, neque inodora, ſed intolerabili fœtore tum ejecta, tum in ventriculo reperta materia fuerat. Nec Matrona Budæi, nec Mercator Schoberi, quamvis multo citius hic, quam illa, interiit, celeri adeo ac is de quo loquor, Faber, letho abrepti ſunt, & tamen corrupta, & fœtida ejecerant, eaque copia ut ſanguinis parum in vaſis reſtaret. Sed qualis, dum viverent, hic fuiſſet, tum prægreſſa, tum internæ in mortuis gangrænæ, aliaque oſtenderunt. De ejuſmodi autem ſanguine, humorem nigrum quem Veteres atram bilem vocabant, aut præ cæteris augente, aut in ipſum degenerante legere poteris quæ Doctiſſimi Archiatri duo ſcripſere, nempe laudatus Schoberus (*r*), & multo fuſius, ac luculentius Illuſtris Swietenius (*ſ*). Et nomine tenus ab iis differre credes Hoffmannum, cum juvenis de quo dictum eſt, & mox fœminæ (*t*) caſum, diſſectionemque attente legeris. Nigras enim utriuſque vomitiones, & dejectiones ex ſanguine quidem, ſed putrido, fœtidoque deducit, explicatque juvenis citiorem mortem *eodem modo ac* eorum *qui ſphacelo partium tantum externarum afficiuntur*; infectis enim ab ejuſmodi ſanguine cerebri, nervorumque ſpiritibus, *vitam cum viribus ſubito perdunt*. At ſiquis alius, is certe peſſimus, & pernicioſus, quocunque appellemus nomine, in Fabro humor, aut ea potius humorum miſtura fuit, & cum veneno ingenito comparanda. Neque enim quivis niger ſuccus tantos inferre ſtomacho cruciatus poteſt, neque tam præcipiti letho abripere: quod ex ſuperiore quoque cognoſces Sepulchreti Sectione VII. cum poſt dolorem ventriculi, hunc inventum leges *nigro ſucco ex dimidio plenum* (*u*) aut in ejus fundo *atramento ſimilem materiam*, (*x*) aliave ejuſdemmodi.

18. Injecta ſanguinei vomitus, & veneni mentione, fortaſſe ex me quæres, cur exempla proferam nulla vomitus veri ſanguinis, neque ulla ejus qui pleraque hauſta, aut devorata venena conſequitur; cum præſertim in VIII. hac Sepulchreti Sectione tot utroque ex genere producantur? Sed venenorum effectus quo differam in extremis ferme ſuperioribus Litteris (*y*) indicatum eſt. Vomitus autem ſanguinei Obſervationes præter illam quæ iiſdem Litteris (*z*) eſt propoſita, reſtant quidem aliæ, ſed commodiorem aliis in Epiſtolis locum habituræ. Ibi fortaſſe quid de pluribus ſentiendum ſit, non ſilebimus quæ in Sectione hac ſanguinem vomitu rejectum ab liene deducunt. Nam quæ a pulmonibus repetunt (*a*), illæ ſaltem cum ea confeſſione proponuntur, unde intelligatur, in hanc Sectionem non conveniſſe: quæ tamen confeſſio ibi deſideratur ubi puris vomitus ex ingenti derivatus eſt pulmonis vomica (*b*). Eſt contra, ubi qui vomitus verus fuit, ut ſimiles circa idem tempus deje-

(*l*) n. 9. (*m*) 22. S. 4. (*n*) De Medic. I. 2. c. 6. (*o*) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 105.
(*p*) Earund. Cent. 3. & 4. in Append. n. 12. c. 1. (*q*) Medic. Rat. T. 4. P. 2. S. 1. c. 3. Obſ. 2. (*r*) Append. cit. c. 2. §. 5. & 6.
(*ſ*) Comm. in Boerh. Aphor. §. 1091. & ſeq. paſſim. (*t*) c. 3. cit. Obſ. 3. (*u*) Obſ. 25. (*x*) Obſ. 26. §. 1. (*y*) n. 21.
(*z*) n. 12. (*a*) Obſ. 75. §. 1. & 2. (*b*) Obſ. 65.

dejectiones oſtendebant, ſanguinis videlicet *cum fruſtulis carnoſis*, id eſt polypoſis, repetitur, ſi Superis placet, *ex corde per pulmones & aſperam arteriam!* (*c*) nempe quia cor *repletum* inventum eſt *materia tali* qualis vomitu ejecta fuerat. Nec vero expectabis, ut opinor, in hac Epiſtola eas a me Obſervationes, quæ etſi vomitum conjunctum habent, proprie tamen aut ad Iliacam Paſſionem ſpectant, & ad Hernias quas vocant *incarceratas*, aut ad Vulnera certarum Partium, ipſiusque in primis ventriculi, aut ad morbos alios quorundam viſcerum quibuſcum ventriculus conſentit. Nimirum ejuſmodi omnes Obſervationes quo ſint a nobis differendæ, præclare intelligis: quin etiam pleraſque de hoc genere ita in hac Sectione produci, animadvertes, ut ad alias in quibus fuſius conſcriptæ ſunt, diſerte rejiciamus. Sed ad ſatis magnum harum numerum aliæ inſuper accedunt, quæ bis in hac ponuntur Sectione: quod intelliges, XXIX. comparando cum LIX. §. 5; XXXVIII. cum XLIII. §. 1; LVII. §. 9. cum VI. earum quæ in Additamentis leguntur, & fortaſſis alias. Idemque de Scholiis dictum puta, in quibus eadem iterantur, ut oſtendent quæ I. & quæ III. Obſervationi ſubjiciuntur, cum iis collata quæ XIII. & quæ item V. & aliis fortaſſe adjecta ſunt.

19. Cum I. illam quam modo commemoravi, Obſervationem relegerem, & quæ de rejectis polypoſis fruſtis, & quæ de vomitu ſunt morbos conſequente Partium cum ventriculo conſentientium; redii in memoriam quarundam rerum, quas ſi huc addam, legas fortaſſe non invitus. Williſius igitur in ea Obſervatione affirmat, *ſi bilis conſtans ſuffuſio in partibus vicinis, aut contiguis* ventriculo, *accidat*; quia tunica hujus extima propterea multum ac crebro irritatur, *frequentem vomitionem excitari*, idque ſe *in pluribus poſt obitum diſſectis obſervaviſſe*. Quæ ego non modo a Præſtantiſſimo Viro conſpecta credo, ſed etiam fateor, eam aliquando eſſe fellis acrimoniam, & irritandi, ac penetrandi vim poſſe, ut vomitus inde fortaſſis accidat in hominibus præſertim exquiſitiore ſenſu præditis, & ſi bilis tinctura late ſe expandat, & ad ventriculi interiora pervadat: quod Platerus, ut in ſuperiore VII. Sectione (*d*) eſt, in iis maxime animadvertit *quibus viventibus perpetui ventriculi ardores moleſti erant*. Non una tamen cauſa eſt quæ me ab aſſenſu nonnihil tardet. Nam primum dubito, num viciniam inficientes bilis particulæ, vivo adhuc homine, e veſicula elabantur, an poſt mortem dumtaxat, cum tunicarum vis ſe remittit, & quæ inter fibras & fibras ſunt, interſtitia laxantur. Deinde ſæpe adeo, quod proximis quoque Litteris (*e*) ſcripſi, veſiculæ vicinas partes in cadaveribus flavere, conſpicimus, ut inde non peculiares quorundam noxæ, ſed pleriſque, dum viverent, communes repetendæ eſſe viderentur. Denique niſi conſtet; id autem non conſtat; cum eam ibi tincturam animadverterunt Egregii Viri, nihil aliud in iis corporibus fuiſſe, cui aut ardoris ſenſus, aut vomitus poſſet imputari; dubitare fas eſt, num ei cauſæ hi ſint effectus adſcribendi. Exemplum juſtæ hujus dubitationis in catella dabo quam juvenis Bononiæ perſecui. Huc enim attinet maxime, & Obſervationes, in canibus quoque habitas, tum alibi haud raro proferri video in Sepulchreto, tum in hac ipſa etiam Sectione (*f*).

20. C A T E L L A junior poſt magnos vomitus repente erat mortua. P Y L O R I antrum qua bilis veſiculam contingebat, flavedine infectum reperi, quæ ab exterioribus ad interiora pervaſerat, in tunica tamen ſubſiſtens intima, ut materia quæ ventriculo continebatur, ovi albumen referret etiam colore. Dum quæro, ſitne aliud adnotatione dignum, flavam pariter eſſe video in diaphragmate centri ejus tendinei partem, quod cum pertenue ſit, ea præſertim ætate, flavedinem in thoracis cavum tranſmiſerat ſic ut contigua aliqua particula, quamvis leviſſime, flaveſceret. Cunctis Partibus jam inſpectis, & ſanis inventis, ſubiit animum inteſtina ſecundum longitudinem perſecare. Multus erat in iis mucus, in eoque prope ultimam Tenuium partem lumbrici teretes decem, ſinguli paris ferme craſſitudinis, & longitudinis quoque; hæc autem erat digitorum tranſverſorum ſeptem.

21. Num igitur flavæ illi tincturæ, quamvis non ventriculum modo, ſed & tendinem iſtiuſmodi inficienti, an lumbricis tot, ac talibus, ſive in ventriculum irrepſerant, ſive ubi erant, perſtiterant; eas tribuere males irritationes, quæ convellendo, magnos illos vomitus, & repentinam demum mortem intulerint? Hærebis ſaltem, nec primum illud pro certo affirmabis. Sed longe magis hæreres; ut ad alterum tranſeam; ſi forte crederes quæ in Additamentis ad hanc Sectionem (*g*) poſita ſunt de Altemburgenſi ancilla quæ lacertas, bufones, ranas, aliquando etiam non mortuas, ſed *in ſextum diem*, ſi Superis placet, *viventes*, ex ore, ano, aut etiam, quod ajebat ipſa, genitalibus ejiciebat! Factum bene, quod Viri Docti qui hæc primi ſcripſerunt, non ajunt, ſe cum vivæ iſtæ beſtiæ excluderentur, affuiſſe; ne ſub ipſis eorum oculis fucum iis factum a fœminis præſtigiatricibus inviti dicere cogeremur. Equidem nihil veri fuiſſe exiſtimo in rebus iſtiuſmodi quas reapſe mulier excerneret, niſi extimam quandam, & fortuitam eorum animalium ſimilitudinem: corpus autem materiamque illarum ex polypoſis concretionibus, viridi bilis colore infectis coaluiſſe. Accidit forte multis ante annis, ut optima Virgo, & honeſto loco nata, extremis ſolemnium jejuniorum diebus queri inciperet de moleſto quodam angoris, & ponderis ſenſu quo ventriculus hora potiſſimum confectionis ciborum afficiebatur. Acceſſit deinde faciei pallor, & manifeſta corporis macies. Exactis denique a querelarum initio menſibus circiter duobus, corripitur paulo ante meridiem tribus immanibus, & cum ſumma virium, animique defectione conjunctis, vomendi conatibus, quorum primo nihil quidquam, altero non multum amariſſimi, & ſubflavi humoris, tertio autem, cum adeſſet is qui hæc ad me ſcripſit Medicus, in puram argenteam pateram id rejicit quod ut mihi ab eodem accurate deſcriptum eſt, ſic a me tibi deſcribetur. Parva planta, ſeu mavis herbula, digitum circiter longa, radiculis, caule, & tribus in ſummo foliis prædita, quorum unum erat denticulatum, reliqua ſemicirculum plane referebant, viridia omnia. Caulis autem ſuperius albus, inferius viridis, niſi quod ſanguinolentis quibuſdam ſtriis perexilibus diſtinguebatur. Poſt tres quatuorve horas jam ſicca herbula ſe quidem contraxerat; colorem tamen retinuerat. A multis, & in his ab nonnullis rei Herbariæ peritis priuſquam crebra contrectatione decreſceret, & prope friabilis fieret, cum diligenter inſpecta eſſet; nemo omnium fuit, qui cujus eſſet generis, diceret. Cæterum Virgo, illa ejecta, nullam poſtea ventriculi moleſtiam ſenſit; quin colorem, & corpus, cum hæc ad me non multis poſt diebus ſcriberentur, jam manifeſto reparabat. Ex me autem quærebatur, quid de inaudito hoc vomitus genere ſentirem. Nec vero erat, cur hic cogitarem, idem forte potuiſſe accidere quod in quorundam Obſervationibus, ut puta Lentilii (*h*) qui vidiſſe ſe, ait, *vomitu rejectas lactucas, cum floribus naſturtii* Indici, *borraginis, roſarum, colore ſuo parum aut nihil immutatis, quos ante dies quatuordecim & ultra* mulier Illuſtriſſima *comederat*. Ut enim cætera prætermittam; ea Virgo ab herbarum eſu, & ab acetariis natura abhorrebat. Alterutrum igitur relinquebatur, ut herbiformem aut excreſcentiam, aut polypum e ventriculo ejeciſſet. Hujus præcedentia incommoda, & immanes in evomendo conatus, & ejecti corporis ſanguinolentæ ſtriæ, & albus color; nam quidquid viridis erat, id a bile induci potuerat cum acidis ſuccis commiſta; ea, inquam, omnia conjecturam alterutram confirmare videbantur: Utram autem ſequi præſtaret, id vero aut novæ quædam ſtomachi moleſtiæ,

(*c*) in Additam. Obſ. 10. (*d*) Obſ. 16. (*e*) n. 13. (*f*) Obſ. 68. (*g*) Obſ. 5.
(*h*) Vid. Append. ad A. 1. Dec. 3. Eph. N. C. in Parall. ad Obſ. 92.

ſtiæ, aut nullæ, ut tunc quidem ſe res habebant, eſſe a me quidem putabantur indicaturæ. Huc igitur ſumma rediit eorum quæ conſulenti ſtatim reſcripſi: neque poſtea quidquam audivi amplius de hac Virgine.

22. Utilius tibi fortaſſe erit quod ultimo adjiciam loco de vomitu ad Partium morbos ſpectante quibuſcum ventriculus conſentit. Id ne, ut cætera, ad morbos differam earum Partium, hoc unum facit quod nulla eſt quam adjiciam cadaveris diſſectio. Collega fuit noſter Vir Nobiliſſimus, celebris Scriptoris nepos, & ſua ipſe quoque laude dignus. Qui cum annos eſſet natus ad ſexaginta, vomitibus cœpit vexari crebris, & permoleſtis, quamvis uno interdum die quieſcentibus. Rejecta peculiare nihil habebant. Medici pro Viri dignitate aderant tres qui tunc peritiores exiſtimabantur, & facile erant; certe erant ſeniores. Hi cum mali ſedem in ventriculo eſſe, non dubitarent; quæ ad ſanandum hunc facerent, & plurima, & varia, & diu ſatis adhibuerunt; ſed incaſſum omnia; donec æger, macilentior jam factus, remediorum pertæſus, conſilium per ſe cœpit hæc cuncta abjiciendi, & rus ſecedendi. Unde, neque ita multo poſt, in urbem regreſſus, ecce tibi magno ſine cauſa frigore toto corpore ſub noctem corripitur, eaque ipſa nocte multum cum urina ſanguinem reddit. Hunc eadem via mox conſequitur multum puris. Itaque ſanguineis, & purulentis urinis alterne ſe excipientibus, cito dejectæ vires ſunt, & intra dies quam pauciſſimos vivendi finis eſt factus. Ex hoc morbi exitu proclive fuit intelligere, vomitus cauſam non in ventriculo, ſed in iis Partibus fuiſſe quæ ad lotium pertinent, renibus præſertim, qui nempe illum ſolent facile adeo in conſenſum trahere, & ad vomitiones concitare. Simulque intellectum eſt quid ſignificarent crurum non ſtupores quidem, ſed dolores tamen, de quibus jam inde ab initio morbi plurimum queri ſolebat æger, quid inſolitus mingendi ſtimulus, ut urinam vix ac ne vix quidem retinere poſſet dum matulam ſumeret, noctu potiſſimum, quid denique duritia quædam circa regionem, ut Gliſſonius (*i*) vocabat, epicolicam dexteram. Hæc utique, etſi de lumbis conqueri æger non ſolebat, indicii aliquid dare poterant, cum inutilibus præſertim curandi ventriculi experimentis conjuncta, alibi quam in hoc, vomitus cauſam hærere, & in renibus, dexteroque potiſſimum, congeſtum fortaſſe aliquem materiæ morbificæ eſſe factum. Cui ſuſpicioni pondus addi aliquod ex eo potuiſſet, quod tu ſemper in obſcuris ægrotationibus quæres, & curationi pertinacius reſiſtentibus, nimirum cui morbo obnoxii fuerint Majores. Hac enim interrogatione compertum eſſet, in Generoſiſſima hac Familia frequentia fuiſſe renum mala. Atque hæc quæ audito Collegæ caſu, & prægreſſis indiciis cognitis, mecum ipſe reputavi, non ut quenquam, mortuum præſertim, inſimularem, cujus rei cauſas procul habeo, ſed ut tua adjuvarem ſtudia, ſcripta putabis, & valebis.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXXI.

De Alvi Profluviis agitur Incruentis, & Cruentis.

QUæ in Sepulchreto Anatomico ſunt in ſectiones quatuor diſtributa, *Cholera Morbus*, *Alvi Profluvia Incruenta*, *Dyſenteria*, & *Excrementa Alvi præter naturam*, ea omnia malumus his unis Litteris complecti. Noſtri autem hujus conſilii ſic cauſas accipe. Primum Cholera *commune ſtomachi atque inteſtinorum vitium videri poteſt*, ut recte ait Corn. Celſus (*a*); *nam ſimul & dejectio, & vomitus eſt*. Nos autem de ſtomachi vitiis agentes, aut de inteſtinorum acturi, non poſſumus in iſtud utriſque ſimul commune vitium non incurriſſe, aut incurrere; ut minime neceſſe ſit hic ſeorſum de eo verba facere, perpauca præſertim; nam Bonetus ipſe qui Sectionem de eodem IX. conſcripſit, vix tres paginas, quarum multo maximam partem Scholia faciunt interjecta, complevit. Deinde nihil, ut noſti, iterare nos volumus. Ipſe vero longe aliud conſilium ſecutus, adeo non dubitavit iiſdem quoque hic uti quas alibi habet, Obſervationibus, ut vel in Sectione iſta breviſſima aliquam earum poſuerit, Sectionem autem XII. non modo pluribus earundem, ut duas reliquas, reſperſerit, ſed pene totam ex iis concinnaverit. Huc accedunt Scholiorum partes non ſolum in diverſis Sectionibus repetitæ, ut quod ex Graafio in X. (*b*) exhibetur, in XII. (*c*) repetatur, ſed in una etiam eademque Sectione, ut puta cum in X. & quæ ex Williſio, & quæ ex Ballonio Obſervationi VII. ſubjiciuntur, illa in Appendice (*d*) quæ Obſervationem ſequitur XXVIII. hæc vero huic ipſi Obſervationi continuo adſcribantur. Præterea; ne ab eadem Sectione X. recedamus; tot ſunt quæ de Sanguinis Transfuſione, & de Chirurgia, ut vocant, Infuſoria adjecta ſunt ad Obſervationem VI. ut ſuperent totam Sectionem IX. Denique ad Dyſenteriam, de qua inſcripta eſt XI Sectio, illæ profecto non attinent ſanguineæ dejectiones quæ vulnus cito conſequuntur inflictum ventriculo, aut jecinori. Binas tamen allatas huc video ſub num. XXV. iſtiuſmodi Obſervationes. Quorum cum mihi imitari nihil liceat; propterea nec tanta eſſe rerum copia poteſt, ut nequeat una Epiſtola comprehendi. Alvi igitur profluvia in ea quæ Incruenta ſunt, & in ea quæ Cruenta, dividens; de primis duas continuo proferam Valſalvæ Obſervationes.

2. ADOLESCENS, cui toto vitæ ſpatio vel cum egregie valeret, lubrica alvus fuerat, ad vigeſimum accedebat annum, cum in tormina, & crebras ſanguinis dejectiones, id eſt in dyſenteriam incidit. Hæc poſt duodecim, aut quindecim dies in flavam diarrhœam, ſine torminibus, mutata eſt: quæ cum remediorum ope nonnihil remiſſa videretur; febris tertiana ſimplex acceſſit, quæ intra menſem finiebatur. Dejectione perſiſtente, improviſo acuta febre correptus eſt, quæ manifeſtas acceſſiones habebant. Pulſus erant frequentes, celeres, molles, parvi, debiles. His ſe addidit mentis ſtupor, non levis ſurditas, peculiaris quædam intumeſcentia anterioris ſiniſtræ partis thoracis. Ita obiit circa diem ab acuti morbi initio XIV. cujus morbi tempore qualia eſſent quæ dejiceret, aſſidentes non adnotarunt. VENTER, etſi nullo modo tumere videbatur; tamen multum continebat ſanioſi ichoris, qui ex inteſtinis prodibat, pluribus in locis ad quendam tractum perforatis. Is tractus Ilei finem, & proximum inſuper Colon, ad duorum palmorum longitudinem, comprehendebat. Erant ibi hæc inteſtina eroſa, exulcerata, & facie interiore etiam gangræna affecta, ut facilius perforari potuiſſet, intelligeres. Prope hunc tractum nonnullæ meſenterii glandulæ excreverant in tumorem, in quo ichor non abſimilis ejus qui in ventris cavum eruperat: ipſa autem tumoris ſubſtantia mollis, ac flaccida erat, & ad corruptionem inclinare videbatur. Lien triplo major quam ſecundum naturam. Thoracis cutis, & muſculi, qua intumeſcentia erat, cum ſecarentur, multum ſeri emittebant, præſertim ad ſterni ſuperius latus: inde enim a finibus Pectoralis muſculi, & Subclavii ſerum, quaſi rivulorum in modum ſcaturiebat. Cæterum pulmones ſani. Intra pericardium, ſerum, aquæ ſimile in qua caro recens lota eſt. Cor ſi tangeres; molle adeo laxumque inveniebas, ut non muſculoſum, ſed membraneum vide-

(*i*) Tract. de Partib. Continent. c. 2. n. 10. (*a*) De Medic. l. 4. c. 11. (*b*) ad Obſ. 25. (*c*) ad Obſ. 15. (*d*) §. 2.

videretur. In ejus ventriculis ſanguis fluidus, atque ita ſpumoſus, ut agitatum Tonſorum lixivium referret. Sed & omnes venæ tantam concludebant aeris copiam, ut tametſi paucum ſanguinem continerent, valde tamen eſſent turgidæ, in primis ramus quidam major earum venarum quæ attinent ad lienem; ille enim ramus cum magis dilatari non poſſe videretur, vix ullum ſanguinis veſtigium ſervabat. Intra Cranium paululum ſeri inventum eſt: cerebrum ipſum nullum uſquam læſionis oſtendit indicium.

3. Magna vis putredinis; ut a poſterioribus incipiamus, ad priora illa ſtatim reverſuri; in hoc cadavere apparuit ex tanta aeris qui ſe evolverat, copia. Summa cordis laxitas cum parvis illis, ac debilibus pulſibus conveniebat. Lienem magnum haud raro alias poſt non breves, eaſdemque multiplices febres fuiſſe, adnotavimus. Sed, ut miſſis aliis, ad ea veniamus quorum potiſſimum gratia hanc tibi hoc loco Obſervationem retulimus; vides primum, quanto demum ſteterit ei adoleſcenti alvum perpetuo lubricam habuiſſe, id eſt non jam moderate humidam; neque enim Hippocratis aphoriſmum (*e*) ignoramus; ſed æquo demum, & facile etiam ab incongrua vivendi norma, humidiorem effectam. In laxa itaque inteſtina is ab redundantibus vitioſiſque humoribus factus eſt impetus, ut ferendo paria non fuerint. Dyſenteria primum vexata fuerant. Hæc exulcerationum, ut videtur, reliquit initia, minus animadverſa, quia tum inteſtina jam magis laxata, doloribus non ita acriter percellebantur, tum ſanioſus ichor a flavo occulebatur, quod ſucceſſerat, alvi profluvio. Hoc autem ſucceſſerat, relata in ſanguinem ex inteſtinis vitiatæ in ipſis vel magis, deterioris materiæ parte. Qua reduce iterum in inteſtina ſimul cum bile, aliiſque ſuccis, quorum conceptacula, & ſedes hæc irritabat admiſta, non profluvium modo ſervabatur, ſed & eroſiones augebantur; ut infirmiſſima demum ubi erant hæ facta inteſtina & gangræna prehenderentur, & peſſimo ichore pertunderentur. Relatam autem, ut paulo ante dicebam, in ſanguinem pravam illam materiam non tam conſecutæ febres, quam proximus exulcerato inteſtinorum tractui meſenterii tumor oſtendit. Mali enim ichores cum ex eo tractu ad vicinas glandulas per chyliferos ductus aſſidue traducerentur, earum denique intimam ſtructuram depravarunt, ut ſibi intercepto tranſitu, jam in iis manifeſto ſubſiſterent, eaſdemque in tumorem attollerent.

4. Hinc autem cauſa accedebat alia, quæ profluvium augeret, videlicet reſtitantes in canali inteſtinorum ichores illi qui antea per vias, nunc intercluſas, efferebantur. Cujuſmodi cauſa cum in pleriſque eſt earum viarum, non modo auget alvi profluvia, ſed facit, illudque in primis quod appellant cœliacum: quocum vide ne cœliacum, qui a Celſo (*f*) deſcribitur, morbum confundas. In hoc enim *alvus nihil reddit*; in illo autem ipſe quoque chylus profluit, permiſtus nimirum cum recrementis, ut cinereo ferme colore ſint ea quæ egeruntur, non candida, ut putant qui chylum, minime animadvertunt, non niſi intra ſua vaſcula ſecretum haberi a cæteris inutilibus alimentorum partibus. Nec qui alba egeri ſe vidiſſe, ſcripſerunt, aliud ſignificarunt quam albicantia, ſi videlicet cum recrementis naturalibus conferrentur, aut ſi alba voluerunt, vel pus illud fuit, vel puris ſimilis mucus, vel res alia ejuſmodi; ut puta ſi quis non tam cœliacus, quam lientericus, ingeſtum lac dejiceret non mutatum. Neque enim ut in cœliaco, ita in lienterico profluvio conficiuntur alimenta, ſive inepti ſint ad id quibus confici deberent, ſucci, ſive accepta, præpropero motu ejiciat ventriculus, ſive laxus ipſe, aut reſoluto, minuſque conſtricto pyloro elabi ſinat; quanquam lienterici nihil fuit in Sene illo cujus pylori orificium tibi alias (*g*) deſcripſi, cum ipſum per ſe multo quam ſoleat, amplius, tum præſertim nullo extante annulo inſtructum majori ex parte. Sed neque cœliaci quidquam erat; quo tamen etiam in morbo ſunt Viri Doctiſſimi qui *nimis amplum* pylorum credant. Ego vero tunc in ventriculo nihil deſidero; ſed aliquando in tubo potius inteſtinorum, ſive accelerato motu antea deturbet excepta, quam ſatis chyli ſecedere ab his poſſit, ſive retardato, & languido eum qui ſeceſſit, ulterius non impellat; ut reſtitans in primis ſuorum vaſculorum radiculis, ſeceſſuro non ſecus obſtet, ac quando obſtructarum, ut paulo ante dicebamus, glandularum meſenterii vitio porro pergere prohibetur: ne de cicatricibus, radicularum oſcula occæcantibus, quidquam addam; cujus tu rei, ut obſtructionis quoque earum glandularum in cœliacis, exempla reperies in Sepulchreto (*h*). Lienterici autem fluxus, vel ad ipſum accedentis Obſervationes habebis quas addas ex Cæſareæ Academiæ Voluminibus (*i*) non ſine illarum quidem, aliarumque glandularum obſtructionibus, ſed cum ventriculi ſimul, omni robore orbati, alias & ejus, & inteſtinorum prope omnium parietibus ad papyri tenuitatem redactis. Verum ab his in quæ forte incidimus, & quæ nihilominus hic attigiſſe, haud inutile prorſus fuerit, ad Valſalvæ Obſervationes redeamus.

5. INFANS menſes natus XVII. diarrhœa tentabatur. Huic febris acceſſit cum tuſſi, & quodam gingivarum, ac narium pruritu, quem crebra digitorum ad eas partes affricatione ſignificabat. Creſcere interim diarrhœa, & cum dejectiones antea flavæ, aut virides fuiſſent, primum ſanguinea tinctura infici, tandem, idque circa diem ſeptimum, & cum ſingultu, in nigerrimas commutari. Nono ineunte die, ſponte, an vi adſtrictorii cujuſdam remedii, de mulierculæ conſilio ad pedes appliciti, omnino ſubſtitere. Verum ſeptem, aut octo vix horis interjectis, præcordiorum anguſtiis preſſus, & aſſidua totius corporis jactatione concuſſus, nono eodem moritur die. INTESTINA aere turgida paucam nigerrimam, qualem antea excreverant, materiam continebant. In meſenterio multi adipoſi ſacculi, etſi hora a morte jam tranſierat vigeſima quarta, minimas tamen pinguedinis oſtenderunt particulas quæ tumultuario inter ſe motu agitabantur. Pulmones ad dorſum nonnihil nigricabant, dexter præſertim: ſani erant tamen. In pericardio aquæ parum: in corde autem nullum polypoſæ concretionis indicium. In Cerebro paucum ſerum inventum eſt.

6. Diarrhœa cum tuſſi, & narium pruritu conjuncta, lumbricorum in hoc puello ſuſpicionem movere poterat: qui nulli tamen ſunt deprehenſi. Sed gingivarum pruritus reapſe dentitionem ſignificabat. Sic enim is qui hæc vidit, Valſalva cenſuit cum Obſervationem hanc in ſuo parvo Indice ſic deſignavit, *Diarrhœa cum dentitione difficili, atque convulſivis motibus*. Dentitio autem quam facile convulſiones excitet, neque ignotum eſt, & nos alias (*k*) duobus ad te ſcriptis funeſtis infantum caſibus confirmavimus, ſimul indicantes ubi oſtenderimus, qua ratione alvi fluxus etiam moveat, & qua hi, ſi intra modum ſint, convulſiones arceant. Hinc intelligis, eoſdem fluxus, qui ſemper alioquin non ſine periculo repente ex toto ſubſiſtunt, quanto majori ſubſiſtant eo tempore. Quod ſi quæ dejiciuntur, ſint inſuper deterrima; ea vero cohibita, non mortem ſolum, ſed celerrimam, acerbiſſimamque poſſunt afferre. Hic autem maligna atque exitiali fuiſſe natura, & eorum color, & ſingultus, & quicunque is fuit in pinguedinis particulis motus, inſolitus adeo ut paucis præter Valſalvam id crederem, ſatis ſuperque commonſtrant. Sed ut de colore tantum dicam; noli credere, quia ſanguineæ tincturæ nigerrimus ille ſucceſſit egeſtorum color, nihil hæc fuiſſe niſi ſanguinem. Neque enim is erat Valſalva, qui aut ejectum, aut reſiduum in mortui inteſtinis ſanguinem, ſi quidem ſanguis fuiſſet, facile agnoſcere neſciret. Igitur aut tinctura illa quæ ſanguinea a mulierculis credita eſt, aliqua peſſimi humoris portio fuit, tunc primum erumpere, & quæ inteſtinis antea continebantur, inficere incipientis, aut

(*e*) 53. S. 2. (*f*) l. 4. c. 12. (*g*) Epiſt. 21. n. 15. (*h*) Sect. hac 10. Obſ. 2. & 4. ac 5.
(*i*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 65. & Cent. 6. Obſ. 94. (*k*) Epiſt. 9. n. 4. & Epiſt. 10. n. 9.

aut ſi revera ſanguinea fuit, ex vaſculis quibuſdam ſtillavit quæ deterrimi humoris acrior quædam pars eroſerat. Is autem humor recens additis ſive in cyſti fellea, ſive in cavo inteſtinorum ſuccis aliis, qui cujus generis eſſe potuerint, Graafii experimentum, in Sepulchreto quoque (*l*) deſcriptum, quadantenus indicabit, nigerrimum illum colorem adſcivit, & peſſimam Veterum bilem atram pernicioſis effectibus repræſentavit. Quam acerbam, & celerem mortem illi quoque Fabro ferrario attulerit, de quo proxima Epiſtola (*m*) ſcriptum eſt, certe meminiſti. Nonnunquam tamen, ſed perraro, & difficillime accidit, ut aliquis ſervetur. Quod in altero Fabro ferrario cum videre mihi contigerit A. 1710; ſumma ejus obſervationis capita huc tibi adſcribere non gravabor.

7. Gracilis, ſed ætate, & viribus validus Juvenis, nec arte minus ſua, quam temperatura aduſtus, hæmorrhagiis per nares obnoxius, cum diutius iis caruiſſet, primo vere febri mali moris prehenſus fuerat. Primarii in mea Patria Viri qui fabrum hunc ingenioſiſſimum diligebant, a me petierunt, ut vellem me ſocium addere ſeniori, id non abnuenti, illius Medico. Petendi cauſa fuit res in anguſtum redacta. Ad cætera enim acceſſerat eo die tantus ſanguinis e naribus curſus, ut cum intra horas quinque ad libras ſeptem effluxiſſet, neque ulla hactenus arte tardari poſſet; vires jam hominem, ipſique propemodum pulſus deficerent. Data communiter ab utroque noſtrum opera eſt, ut his omnibus occurreretur. Sed vix ſanguis ſubſiſtere inceperat, cum id accidit quod metuebamus, ne exacerbata, uti ſub meridiem fieri conſueverat, febris ſanguinis fluxum renovaret. Dum rurſus opem ferimus, ecce tibi, nigræ dejectiones incipiunt. Quas cum proclive eſſet credere partem eſſe ſanguinis, quæ per poſteriora narium foramina in fauces, & ſtomachum defluxiſſet; negabat æger, quidquam ſibi perceptum ſanguinis in gulam ex faucibus deſcendentis: idque confirmabant ea quæ interim per vomitum forte rejecerat, in quibus ſanguinei, aut atri nihil fuerat. Tunc vero inſpectis linteis omnibus quibus dejecta exceperant, cum atrum quidem, at ſanguineum nuſquam colorem cernerem; non modo vulgatarum Hippocratis prædictionum venit in mentem, ſed & Juvenis illius apud Ballonium (*n*), qui noſtri admodum ſimili caſu cum poſt nimiam per nares hæmorrhagiam, dejeciſſet nigricantia; decimo ſeptimo interiit febris die. Eoque major erat metus, quod cum Ballonius in ſuo nihilominus ſuſpicaretur, ſanguinem in ventriculum e faucibus defluxiſſe; in noſtro minus id licebat, ut diximus, eoque minus, quo magis omnia perpendebamus. Cum enim Veteres Medici quibuſcum facit Sennertus (*o*), nigras dejectiones in eas dividant quæ ſunt ex ſanguine, & quæ ex humore melancholico naturali, & quæ demum ex atra bile, duaſque primas minori cum periculo eſſe, doceant, ultimas vero omnium peſſimas quæ videlicet *nigræ* ſint, *ſplendentes*, *atque acres*; nigerrimæ erant certe quas nos videbamus, eædemque ſplendidæ, atque, ut æger querebatur, etiam acres. Inſecuta nocte eadem egeſſit, niſi quod fluida erant paulo minus. Poſtea vero non amplius talia: ſed lac quod clyſteribus injiciebatur, primum quidem colore *tabacci* infectum reddidit, proximis autem diebus ex fuſco ſubflavum: nihil autem quod non graviſſimo eſſet odore. Verum quanquam hæc ita ſe omnia habuere; Dei tamen benignitate evaſit æger, priſtina omnino ſanitate reſtituta; ſed non ante diem vigeſimum quartum a nigris dejectionibus, quæ ſexto circiter contigerant febris die, nec ſine multis, variis, gravibus incommodis, quibus poſt illas eſt conflictatus. In iis fuere ventris dolores, ſitis, lingua aſpera, nigra, &, quamvis ſæpe biberet, arida; dum biberet autem, ſonus quaſi potionem in profundum dejiceret, vox rauca, & humilis, manuum tremores, & tendinum ſubſultus in carpis, pulſuum inconſtantia, ſæpe autem parvitas, & magna, ſi premeres, infirmitas, nonnunquam ſumma, & vix explicanda inæqualitas, frequentia autem ſemper, maxime vero cum febris, id quod ſæpenumero accidit, vehementius urgebat, reſpiratio varia, ut aliquando alta fuerit, aliquando etiam non ſine difficultate, ſomnus primum laborem faciens, deinde nimia, & prope aſſidua dormitatio, ſopor etiam palpebris concidentibus, & oculis tamen non omnino opertis, nonnunquam mens haud ſatis conſtans, tarditas in reſpondendo, & difficultas in conformandis vocibus, & oblivio monendi, cum alvus, aut veſica erant exoneranda, auditus gravitas, ſupinus decubitus, quaſi ſublata eo tempore ſe in latus convertendi facultate, quando alias muſculorum vires, & promptitudo ad alimenta capienda majores plerumque in toto hoc morbo fuere, quam ejus gravitas, & ea quæ memoravimus, ſinere poſſe videbantur. Quorum cum plura, & peſſima omnium præſertim, non ſemel, nec breve ad tempus ſimul ſe oſtenderent; diu fecerunt, ut nos quidem metui eſſemus, quam ſpei, propiores, cæteri vero, quicunque ægrotantem videbant, jam deſperatum pronunciarent. Nihil vero æque adjuviſſe, nobis viſum eſt, atque urinæ, quæ ubertim profluxerunt; nam ſudores pauci, & rari, neque unquam toto corpore apparuerunt, alvus autem nec multa, nec quæ prodeſſe poſſent, fere egeſſit, quanquam in his aliquis interdum lumbricus eſt animadverſus.

8. Sed nigræ iſtiuſmodi dejectiones peſſimæ ſunt non tam copia, quam effectibus ſæpenumero, ſignificatione autem cauſæ, deterrimi videlicet humoris, ſemper. Aliæ vero pariter incruentæ, ut flavæ, virides, aqueæ, aliæve hujuſmodi interdum non doloribus tantum, ſed & copia ipſa exitiales ſunt. Hæ autem omnes plerumque originem debent irritamento cuipiam inteſtina vellicanti, undecunque in ipſa deſcenderit: perinde enim ut a medicamentis violentiſſime purgantibus immodicam humoris copiam dejici videmus, ita ab ingenito, aut demiſſo illuc ex arteriis ſucco aliquo ſtimulante idem contingere, credendum eſt. Nam præter pancreas, jecur, & hujus veſiculam, exiguæ quidem, ſed propter ampliſſimam inteſtinorum ſuperficiem innumeræ viæ ſunt per quas in hæc quidpiam inſoliti ex ſanguine venire poſſit. Eædemque innumerabiles viæ, ubi diu, atque acrius inteſtina inceſſantur, ſeri incredibilem vim convehunt. Neque enim cum vulgo putandum eſt, quidquid flavi, aut viridis humoris egeritur, id omne eſſe bilem, præſertim poſtquam ex Diemerbroeckii experimento, quod in Sepulchreto etiam habes (*p*), ſatis intelligi licet, quantillo bilis quantum aquæ tingatur. Nec quod tormina tunc affligant, id copiæ imputare admiſtæ bilis neceſſe eſt; quando diarrhœas *aquoſas & fere limpidas* Williſius (*q*) deſcripſit, quas tamen ob adjuncta *ventris tormina* dyſenterias maluit appellare. Et illæ quidem Londini autumno præſertim A. 1670. plures, pridie ſanos, & valde robuſtos, adortæ, intra XII. horas eo redigebant, ut jam jam morituri viderentur, non ob maximam egeſti humoris copiam; nam *tanta*, inquit, *meri ſanguinis effuſio non id parere* potuiſſet. Contra autem copia ipſa immanis dejecti ſeri cum mulieri de qua narrat Marcellus Donatus (*r*) ſtatim attulit animi defectionem, tum Notarium de quo Poterius (*ſ*), ad mortem propemodum perduxit; neuter enim Auctor de doloribus quidquam memorat; ſed ille *tantum aquæ claræ quantitatem*, ait, *unica excretione expulſam*, *ut ſubjectum vas multæ capacitatis repleverit*, hic vero *per integrum diem ſupra 40. libras materiæ ſeroſæ ejectas*. Neque tamen aliquid irritamenti in his fuiſſe, negaverim, cum ſeri in ſanguine redundantia, & aliqua fortaſſe inteſtinorum laxitate conjunctum. Hoc tantum ajo, neque dolores videri fuiſſe ea acerbitate quæ commemoratione digna eſſet, neque poſt effuſam tam cito ſeri tantam copiam quidquam præterea requiri, ut ea quæ utrique acciderunt, intelligantur. Tam cito

(*l*) ad Obſ. 15. Sect. 12. (*m*) n. 16. (*n*) l. 1. Conſil. 98. (*o*) Medic. Pract. l. 3. P. 2. S. 2. c. 10.
(*p*) in fin. Schol. ad Obſ. 3. §. 1. Sect. 9. (*q*) Pharmac. Ration. S. 3. c. 3. (*r*) De Med. Hiſt. Mir. l. 4. c. 20.
(*ſ*) Obſerv. Cent. 2. c. 62.

cito enim vaſa ſanguifera ſe contrahere non poſſunt, ut adeo imminutum ſanguinem arcte contingant quantum opus eſt ut juſtum in motum agatur, orbatus præſertim magna ex parte humore ſuo, ideoque magis reſiſtens, ne quid dicam de ejuſdem humoris neceſſitate, ut prompte, ac rite ea ſecernantur a ſanguine, ſine quibus vita ſtare non poteſt, nec quæram, pejuſne igitur ſit, ubi de ingenti, & celeri e vaſis effuſione agatur, ſerum ſolum, an ipſum quoque ſanguinem ſimul exiiſſe; nam etſi citius, ac facilius reparabile ſerum eſt; ſanguis tamen qui non ſine ſeri neceſſaria portione in vaſis reſtet, neque ſecretionibus ineptus eſt, nec magis quam antea, reſiſtit cauſis in motum adigentibus.

9. Atque utinam mihi hæc potius diſputando agitare, quam ulla ex parte unquam contigiſſet experiri. Sed A. 1733. dum permotus, ut par erat, litteris Ampliſſimi Cardinalis Annibalis Albani, conſilii cujuſdam medici cauſa Forolivio Piſaurum, & Piſauro Forolivium mutatis ad celeritatem equis eo, & redeo, alvi fluxu aqueo corripior tanto, ut intra horas duodecim egeſſerim libras, minimum, ſexdecim aquæ propemodum limpidæ. Leves erant dolores: non creberrimæ, ſed magnæ egeſtiones: quæ neſcio quem habituræ fuiſſent finem, niſi me quædam moleſta nauſeola admonuiſſet, ut tepido jure hauſto experirer vomitionis auxilium. Quæ, etſi ad eam minime natura proclivis ſum, prompte adeo feliciterque ſucceſſit, ut ſubviridi rejecto corpuſculo quod parvum coctæ herbæ folium videbatur, ſimul nauſea, ſimul alvi fluxus omnino conquieverint. Sed verumne folium eſſet, &, ſi erat, quando, aut ubi comediſſem, invenire non poteram, niſi forte in via, cum quidpiam, dum equi mutabantur, cito, ut fit, in diverſorio caperem, illud quidquid erat, non animadverſum devoravi. Quanto autem in periculo fuerim, tunc magis intellexi, ubi poſtridie mihi corpus vidi, & faciem præſertim, ac manus haud ſecus ſubſediſſe, quam ab diuturno, graviſſimoque morbo, tantam vero oris, & faucium ariditatem ſenſi, ut quamvis identidem colluerem, nihil proficerem, aquam autem qua ejus rei gratia uſus eſſem, cum ex ore in pelvim ejicerem, ſubnigram in ipſo ore factam ſpectarem. Hæc autem, & laſſitudo duos treſve dies ita durarunt, ut ſenſim minuerentur. Sed dejectus ciborum cujuſquemodi, &, quod in tanta ariditate magis mireris, etiam potionum appetitus perſtiterunt aliquanto diutius, donec aſſus piſcis, & vini quoddam genus ſuapte natura ſubamarum ab ſtomacho appeti, & bene ferri cœpta ſunt. Quæ volui omnia minute perſequi, & ad te ſcribere, quippe non ab alio accepta, aut in alio animadverſa, ſed a me in me ipſo percepta, eaque, ſi cuncta diligenter contuleris, apud eos qui de Diarrhœis ſcripſere, minus obvia, ne Carolo, quidem Piſone excepto, qui *perfectam hujus diarrhœæ* (aquoſæ) *deſcriptionem* dicitur *dediſſe* (*t*). Ut enim totum, quod ſimul citatur, caput perlegas *de Diarrhœa Seroſa* inſcriptum (*u*), caſum quem cum meo compares, non reperies.

10. Cujus ſi forte cauſas quæris, primariam in ventriculo fuiſſe vides: nec dubita, quin poſſit ab irritamento, ventriculum afficiente, motus & irritatio, unde ſeri expreſſio eſt, ad inteſtina propagari. Inſpice præ cæteris Jo. Riolani, parentem dico, Obſervationem, quam hic etiam habes in Sepulchreto (*x*): Matronam videbis intra horas circiter quatuordecim extinctam dejectionibus *ſimilibus aquæ albæ, chyloſæ quidem, ſed liquidæ* ea copia ut *impleret magnam pelvim quoties dejiciebat*, cauſam autem hanc eſſe repertam, *ventriculum in ſuo fundo ulceratum*.

Sed undenam tanta aquæ copia? Quod ad meum quidem attinet caſum, hoc primum dicam, ea proxima æſtate uſum eſſe me ad temperanda generoſa illa vina, quorum dumtaxat copia eſt in mea Patria eo tempore, majori quam pro conſuetudine, aquæ portione, cujus pars aliqua, etſi cum eo fluxu correptus ſum, egregie valere mihi, & aliis videbar, fortaſſe aliqnanto plus quam opus eſſet, in meis ſubſtitiſſe humoribus poterat. Deinde iis qui ante biduum præceſſerant, tribus diebus, eoque ipſo quo fluxus cœpit, magnos fuiſſe imbres & prope aſſiduos, ut multum aquæ ex pluvio aere combibere pulmonibus, & toto corpore potuerim. Denique id mihi accidiſſe ineunte Octobri; vidiſti autem, aquoſa profluxia, a Williſio deſcripta (*y*), & videre poteris quod a Poterio deſcriptum indicavi (*z*), autumno contigiſſe, & prope idem anni tempus, illud etiam quod a Marcello Donato (*a*), nec alio tria prima quæ a Piſone (*b*) memorantur. Scilicet cum refrigerari aer incipit, is aqueus humor qui per æſtivos calores e corporibus cum per ſudores, tum per inconſpicuam perſpirationem ubertim manabat, retinetur jam, & ad eum additur quo certis de cauſis certorum hominum corpora tunc magis abundant, ut minime mirandum ſit, ubi accedat inteſtinorum irritamentum, ut in me acceſſit cum magna præterea ob celerrimum itum, & reditum, nec via brevi, corporis, & humorum concuſſione, minime, inquam, ſit mirandum, ſi nonnunquam accidat quod tunc mihi.

11. Quod ſi pluribus, quas attigi, cauſis non contentus, aliam inſuper aliquam inquirendam putas; ſatius id erit, quam ſi in illarum una, tempore videlicet autumnali, acquieſceres. Idem enim tempus, idem annus, eadem Londinenſis Civitas incruenta quidem, & conjuncta cum torminibus, alvi profluvia graſſantia per populum habuere; ſed adeo tamen diſcrepantia, ut ſi Williſii (*c*), & Sydenhamii (*d*) deſcriptiones inter ſe conferas; mireris plurimum, cum profluvia uterque proponat quæ autumno A. 1670. Londinenſem populum vexavere, alterum *aquoſa*, alterum *mucoſa* deſcribere, neque illum aliqua ſaltem mucoſa, hunc aquoſa commemorare. Quid ergo eſt? Equidem crediderim, in Urbe, ſiqua alia, tum ampliſſima, tum frequentiſſima utrique accidiſſe, ut nulla fere alia profluvia viderit, quam quæ deſcripſit. Diſcrimen autem inde fuiſſe, quod ut in variis magnæ Urbis partibus varia eſſe aeris conſtitutio, ac miſtura poteſt, & variæ hominum artes, aliaque ejuſcemodi, ita alia hominum corpora ſero abundaverint magis fluido, alia autem magis lento, ac mucoſo; ut licet commune eſſet omnibus ad inteſtina irritamentum; idem tamen haud eſſet quod in omnibus exprimeretur. Quod ſi mucus, aut ſerum colore etiam ſubinde aliquo infecta egerantur, ſive hunc bilis addat, ſive ita per ſe prodeant; plures jam diu ſunt Medici, qui Anglorum illorum exemplum ſecuti, modo crebræ, nec ſine acerbis torminibus ſint dejectiones, minime dubitent profluvia ejuſmodi, quamvis incruenta, dyſenterias appellare. Sic memini, cum Bononiæ olim degerem, epidemica iſtiuſmodi profluvia quæ Mutinæ graſſabantur, fuiſſe a Mutinenſibus Medicis Dyſenterias vocitata in litteris quas dabant ad Bononienſes, his illam appellationem haud improbantibus. Quales præ cæteris litteras apud Albertinum legebam, miſſas ab eo quem tibi alias (*e*) laudavi, Jo. Franciſco Bernardonio, in iiſque inter alias hiſtoriam hic minime prætermittendam, quippe cum diſſectione conjunctam. Cum enim ob eadem quæ in dyſentericis, tormina ſuſpicio orta eſſet ſanguinis ſub aliis coloribus deliteſcentis; Bernardonius per anatomen voluit eam aut tollere, aut comprobare. Rem autem, ut præſens quoque mihi poſtea confirmabat, ad hunc modum invenit.

12. SACERDOS, alvi profluvio laborans, varios cum acerrimis inteſtinorum doloribus humores egerebat, in quibus tamen nec ſanguinei, nec purulenti apparuit quidquam. Is decimo tertio obiit morbi die. INTESTINA omnia diligenter, nec ſemel, intus perluſtrata, nuſquam eroſionem ullam, nedum

(*t*) Vid. Commerc. Litter. A. 1734. Hebd. 42. poſt num. III. (*u*) Obſerv. de præterviſ. hacten. Morbis ab Aqua ortis Sect. 4. c. 1.
(*x*) Sect. 10. Obſ 18. (*y*) ſupra, n. 8. (*z*) (*a*) Ibid. (*b*) c. 1. ibid. cit. n. 9. (*c*) Vid. c. cit. ſupra ad n. 8.
(*d*) Obſ. Med. circa Morb. Acut. Sect. 4. c. 3. (*e*) Epiſt. 23. n. 2.

dum exulcerationem, oſtenderunt. Imo, quod mirabilius viſum eſt, illo quo obliniuntur, muco, uti vocant, non carebant.

13. Sed num ſic pariter in cruentis dyſenteriis? Cruentas enim hic dicam, ut ab incruentis ſecernam, de quibus proxime dictum eſt; dyſenterias alibi, & mox quoque ſine alterius vocis adjunctione eas appellaturus, ut Græci ſolebant Medici, quæ ſunt cruentæ; *tormina* antiqui Latini Medici vocitare conſueverant. Utrumque ex Celſo (*f*) in primis eſt notum. Hic vero non dubitat, in dyſenteria *intus inteſtina exulcerari*, cruoremque ex his *modo cum quibuſdam quaſi mucoſis excerni*, *interdum ſimul quædam carnoſa deſcendere*, vetuſtiores Medicos, & in iis Hippocratem (*g*) ſecutus, qui tamen *velut carunculas* dixerat. Et ſæpe quidem exulcerantur inteſtina: non tamen ſemper. Quorum utrumque oſtendendum eſt. Sunt enim primum nonnulli, quales audivit etiam Cl. Fantonus (*h*), qui vix unquam id fieri, ajunt. Quibus ut ipſe proprias Obſervationes oppoſuit duas, ſic tu alias addes tum ex Sectione hac XI. Sepulchreti, tum aliunde petitas, & nominatim ex Brunneri Commentario (*i*). Hic enim in Dyſenterica oſcula glandularum Duodeni inteſtini *arroſa* vidit: quin & in aliis diuturno alvi fluxu laborantibus *ulcera ceu cancroſa* inteſtinorum conſpexit (*k*), in alio autem (*l*) quem fluxus cœliacus, & in alio (*m*) quem lienteria male habuerat, *ulceroſam* in hoc Coli inteſtini *diſpoſitionem*, in illo per totum inteſtinorum tractum *ultra ſexaginta* numeravit *ulcuſcula*: quæ commemorare hic volui ſimul ut noſceres, quæ cauſæ interdum accedant, ut irritatis ubi ulcera ſunt, inteſtinis contactu eorum quæ illac tranſeunt, tanto citius hæc propellantur, chylo nec perfecto, nec extracto, ſimul autem ut intelligeres, ſi in hujuſmodi fluxibus inteſtina ulceribus interdum corripiuntur, quanto facilius corripi iiſdem poſſint ubi dolorum acerbitas indicat, tanto majorem eſſe acrimoniam, nempe in dyſenteria. A qua ne recedere videamur; duas attende Valſalvæ Obſervationes, id eſt non eam modo quæ ſupra (*n*) deſcripta eſt, adoleſcentis in quo poſt dyſenteriam diarrhœa ſine torminibus ſuccedente, ultimam partem Ilei inteſtini, & primam Coli invenit exulceratas; ſed & hanc quam protinus ſubjiciemus.

14. VIR annos triginta natus, dyſenteria corripitur. Diu hæc durat donec accedit ſanguinis ſputum, & mors. IN VENTRE Tenuia quidem inteſtina illæſa reperta ſunt: at Craſſa nonnullis in locis atro colore infecta, glanduliſque, aliis penitus eroſis, reliquis omnibus cruento humore in ipſo excretorio oſculo imbutis. In hepatis veſicula pauca bilis. In Thoracis cavo inferiora verſus non parum ſanguinis effuſi. Ad inferiora quoque pulmones infarcti erant, arcteque adhærebant ſuis lateribus pleuræ, quæ & ipſa evidenter læſa. Ventriculus dexter cordis polypoſam concretionem habebat.

15. Quæ in thorace ſpectata ſunt, alio attinent. Quæ autem in ventre, ſunt hujus loci. Sed quoniam ea quæ de inteſtinorum glandulis Valſalva adnotavit, cum iis conſentiunt tum quæ in Sectione hac Sepulchreti (*o*) videbis ex Peyero produci, tum quæ in prima vidiſti ex paulo ante (*) indicatis Brunneri Obſervationibus; id tantum quod de pauca in cyſti bile, Spigelio adverſaretur, ſi hic, quod aliqui Docti Viri ajunt, cyſtim *magnam in dyſentericis* eſſe, pronunciaſſet, cum *ſæpe* dumtaxat ſe vidiſſe, tradiderit (*p*). Quod; ſi totam hanc Sectionem excutiamus; ab aliis ſemel obſervatum videbimus. Unus enim Cummenus (*q*) in fœmina *folliculum fellis maximum & bile repletiſſimum* animadvertit. Nam Bontius (*r*), & Lamonjerius (*ſ*) diſtentum quidem invenerunt; ſed hic pure, ille *albo* humore *inſtar pultis ex amylo*, ut *bilis ne veſtigium* quidem *relictum eſſet*; cum Spigelius a *copia bilis qua impleatur*, adeo grandem indicaverit. Sed Franciſcus Platerus (*t*) non modo bile non diſtentum, ut neque alii videntur, qui ſilent, ſed *plane vacuum* invenit. Porro æger Plateri, ulcerata habuit inteſtina poſt *dierum aliquot* dyſenteriam; ne forte putes, non niſi in diuturna hoc accidere. Innumera autem erant ulcuſcula, quippe in toto Ileo inteſtino, eaque *trium digitorum latitudine* inter ſe diſtantia, ut conferri hæc quadantenus poſſint cum Obſervatione Cl. Baſſii (*u*) qui poſt dyſenteriam idem inteſtinum diſtinctum vidit ulceribus *ad diſtantiam pene tranſverſi digiti*, *nonnunquam pollicaris articuli uno fere tractu ſeu ſerie procedentibus*, quemadmodum pictura quoque (*x*) expreſſit; niſi quod Jejunum magis, quam Ileum videtur repræſentare; deſcriptionem confirmante, in qua eadem quæ paulo ante indicavimus, Peyeri placita comprobantur veriſimili conjectura, quod cum illius dicti glanduloſi plexus deeſſent, horum autem ſedes ſingulas occupare viderentur ſingula ulcera, credibile fieret, initia eroſionum in iiſdem plexibus qui tandem omnino conſumpti eſſent, extitiſſe. Quin Brunnerus in ea Obſervatione (*y*) in qua plus ſexaginta numeravit ulcuſcula, *non alibi* hæc, *quam in ipſis plexibus*, *ſedem habuiſſe*, teſtatus eſt. Sane autem in alvi fluxibus per has potiſſimum, aut alias glandulas irruere humores in inteſtina, ipſarum etiam magnitudo oſtendit, ut in aliis quibuslibet dum plus ſecernunt, adaucta. Ita in quo poſt diuturnum alvi fluxum idem Brunnerus (*z*) circa finem Jejuni inteſtini ulcera deprehendit, non modo ibi pariter *tubera* vidit *glanduloſa*, ſed & inteſtinorum tunicam interiorem craſſam factam, & quæ *a principio uſque ad exitum tota quanta glanduloſa*, *glanduliſque luxurians videretur*. Et de ſuis Duodeni glandulis (*a*), *ſolent*, inquit, *craſſiores eſſe in iis qui ex morbo inteſtinorum*, *diarrhœa aut dyſenteria moriuntur*: eaſdemque *induruiſſe* etiam, ait (*b*) in dyſenterica illa in qua earum oſcula *arroſa* vidiſſe, diximus.

16. Cæterum hæc ultima Brunneri Obſervatio, & duæ quas paulo ante (*c*) ex Platero, & Baſſio retulimus, & pars illius quæ ſub initium hujus Epiſtolæ (*d*) ex Valſalva propoſita eſt, vel ſolæ ſatis oſtendunt, præpropere ſcriptum eſſe a Panarolo, ſicuti hic in Sepulchreto (*e*) habes, *in ſuperioribus* dyſentericorum *inteſtinis non poſſe fieri excoriationem & corroſionem*, *ut accidit in craſſis*, *præcipueque in Colo*. Video quidem in pleriſque Obſervationibus, quas inter duæ illæ etiam ſunt Cl. Fantoni (*f*), ſic eſſe repertum, & facile Panarolo crediderim, ſic pariter *in ſectione* fuiſſe *quamplurimorum* quos indicat: ejus quoque rationi aſtipulabor, humorem corrodentem in Tenuibus inteſtinis facillime fluere; in Colo autem ob cellulas reſtitare: quin etiam addiderim, in Tenuibus ſæpe chyli, ſæpius remediorum aquea, & mucilaginoſa portione admiſta temperari; in Craſſa autem inteſtina, poſtquam illa ſeceſſit maxima ex parte in vaſa chylifera, tunc ipſum deſcendere. Hæc, inquam, omnia & video, & fateor. Attamen, ut rationes alias omittam quibus oppoſitum interdum accidere poſſe, oſtenderem; nulla non dico rationum vis, ſed ne Obſervationum quidem tanta multitudo eſſe poteſt, qua id quod reapſe aliquando conſpectum eſt, fieri non poſſe, evincatur.

17. Sed ſive in Tenuibus, ſive in Craſſis inteſtinis ſint ulcera; ſatis ex his cunctis Obſervationibus apparet, in iis dyſentericis in quibus habitæ ſunt, exulcerata fuiſſe inteſtina. Num vero in iis quoque dyſentericis quorum non liceat diſſectionem inſtituere, ideo exulcerata credenda ſint, quod cum cruore quædam quaſi mucoſa, ut ait Celſus (*g*), & carnoſa interdum egeſſerint, operæ pretium eſt diligentius conſiderare. Et olim quidem non dubitabant, quin ab ipſo hujus morbi initio corpora quædam pinguia excerne-

(*f*) De Medic. l. 4. c. 15. in princ. (*g*) Sect. 4. Aphor. 26. (*h*) De Obſerv. Med. & Anat. Epiſt. 4.
(*i*) in Pancr. ſecund. c. 7. (*k*) c. 10. (*l*) c. 7. (*m*) Exercit. de Glandulis in Duodeno §. 6. (*n*) n. 2.
(*o*) Schol. ad Obſ. 4. (*) n. 13. (*p*) De hum. corp. fabr. l. 8. c. 13. (*q*) Obſ. 1. (*r*) Obſ. 6. (*ſ*) Obſ. 19.
(*t*) in Addit. Obſ. 3. (*u*) Obſ. Anat. Chir. Med. Dec. 3. Obſ. 7. (*x*) Tab. XI. Fig. 1. (*y*) ſupra ad n. 13.
(*z*) c. 7. ibid. cit. (*a*) in ear. demonſtratione anatomica. (*b*) ibid. (*c*) n. 15. (*d*) n. 2. (*e*) Obſ. 15.
(*f*) ſupra, n. 13. (*g*) ſupra ibid.

cernerentur, quæ intimam eſſe pinguedinem inteſtinorum, cenſebant. Quorum errorem illi rejecerunt qui non ad intimam, ſed ad extimam inteſtinorum faciem pinguedinem eſſe, demonſtrarunt, & cum ipſis Caſparus Hoffmannus (*h*), qui etiam alvo egeſtum quoddam corpus albicans quod exſiccatum afferebatur, pro pinguedine perperam haberi, oſtendit, quia flammam, ad quam admovebatur, nullo modo conciperet, fumumque prorſus inodorum emitteret. Nunc autem quæ indidem egeſta, facto hujuſmodi periculo revera adipoſa deprehenderunt Tulpius (*i*), ac Stalpartius (*k*), non deſunt Viri Docti qui *procul dubio* proveniſſe doceant ex ea pinguedine quæ in celluloſa eſt exteriore inteſtinorum tunica. Mihi vero ubi nulla, ut in iis caſibus, aut tabificæ colliquationis ſuſpicio ſit, aut profundæ inteſtinorum exulcerationis; minus diſplicebit cum Stalparrio, & quem hic citat (*l*), Riverio ejuſmodi pingues dejectiones a pinguibus largius devoratis, neque confectis repetere; tunc a celluloſa illa uſque tunica repetiturus, cum ulcera eſſe, agnoſcam quæ pinguedini aditum in cavum inteſtinorum aperiant, ſi modo hæc in puris tunc, aut ichoris modum non prodeat. Sed quia multo rarius, ac tardius in dyſenteria inteſtina exulcerantur, quam alba iſta quæ pinguedo credebatur, materia appareat; quid igitur ipſam eſſe, aut unde dicemus? Nimirum mucoſam, ut Celſus quoque, ſicut paulo ante dictum eſt, appellavit, & vocitant recentiores, ſi minus craſſa ſit, aut ſi magis, etiam polypoſam. Scilicet ut irritatæ veſicæ glandulæ, ſic glandulæ quoque inteſtinorum plus ſecernunt humoris ſui, eumque non qualem ſolent, cum recte valent. Iraque mucoſa, & albida utrobique apparet materia. Quod ſi inſuper ea in ſanguine diſpoſitio ſit, ut facile in polypos coaleſcat; erit ille humor magis ad concreſcendum pronus, eoque magis ubi ejuſmodi ſanguis, in cavum inteſtinorum aut exſudans, aut effuſus, ad illum ſe addiderit. Sic enim dum ſanguinis pars in Coli inteſtini cellulis reſtitabit, ſecedente aquea, & ſubſidente rubra portione, eæ quæ relinquentur ſanguinis, ut vocant. fibræ facile poterunt in concretiones polypoſas compingi, quæ ſua albedine, ut toties olim in corde, aut vaſis fucum fecerunt, & pro pinguedine acceptæ ſunt, ita mox cum recrementis detruſæ, hic quoque pro pinguedine haberi poterunt.

18. Alterutra igitur, vel utraque, vel aliqua etiam ratione alia ex iis quas indicavit Lanciſius (*m*), poterit pro varia ægrotantium conſtitutione, & pro varia morbi natura, & tempore, ac loco denique, & modo quo lentæ retineantur, diſponanturque materiæ, non ſolum origo intelligi pinguium iſtorum, ut videbantur, corporum, ſed & ramentorum, imo & grandium quæ egeri dictæ ſunt, membranarum, facillime autem quorundam ex illis aliis corporibus quæ carnoſa a Celſo ſunt appellata, ſi videlicet non tota rubra ſanguinis portio ſit ex ejus albis coaleſcentibus fibris expreſſa. Unde etiam intelligas licet, quam caute uti oporteat illa Hippocratis (*n*) prædictione: *A dyſenteria habito ſi veluti carunculæ exeant, lethale eſt:* nec ſane is qui de polypis præclare egerat, illud prætervidit Doctiſſimus Paſta (*o*). Cæterum quam nunc mucoſam, aut polypoſam materiam dicimus, eam Majores pituitoſam fere, ac viſcidam vocitare conſueverant, & aliqui in his etiam quæ hic explicamus, agnoſcere. Sic, ne multo vetuſtiſſimos quæram, animadverto, Jacobum Berengarium (*p*) hæc ſcripſiſſe: *& ego vidi in inteſtinis meis generari coria ex flegmate, & carnem flegmaticam aliqualiter rubeam ad quantitatem notabilis nucis*. Nec aliam Fernelius (*q*) materiam credidit firmi illius corporis, medioque ductu pertuſi quod pedis longitudine egeſſit Caroli V. Imper. Legatus, ſic priſtinæ valetudini reſtitutus. De Gabucino, & Platero ſileo, quorum ſententiam commemoravit Sennertus (*r*), nec Lanciſius ignoravit, cum utrumque ultro faſſus eſt (*ſ*) ante ſe tænias inteſtinorum quaſdam vermes non eſſe, docuiſſe. Ipſum autem Sennertum (*t*) vel magis laudo, quod ejectas a dyſentericis qui convaleſcant, membranas *mucoſum* eſſe *extrementum*, cenſuit, *quod in inteſtinis hanc formam accipiat*: neque neceſſarium eſſe, ut ipſum ſeu ſua, ſeu ſanguinis admiſti forma ſemper excernatur; ſed poſſe aliam induere; nam *videmus quotidie*, inquit, *fibras ſanguinis in aquam calidam effuſas albeſcere*. Vides, ut propius ad id acceſſerit quod magis diſerte anno demum 1685. indicavit Zollicoferus (*u*), cum videlicet de iis polypis verba faciens, qui extra alveos ſanguinis reperiuntur, & in illis de polypo tunc reperto a Sponio in pelvi renali, *quo forte*, ait, *etiam referri poſſet concretio illa pituitoſa, quam Juſtus Lipſius per alvum, inteſtinorum forma, & illa ipſa eſſe autumans, excrevit*. Quod ipſum denique diſertiſſime, nec dubitantis in modum, præclare ac multifariam illuſtravit, & confirmavit Lanciſius.

19. Apparet igitur, poſſe in dyſenteria pinguia ad ſpeciem corpora, & carnoſa, & membranea quoque dejici, nullo ulcere inteſtina afficiente: quanquam Sennertus (*x*) neget, ſe, & Cratonem *talia ramenta, & membranas quas deſcribunt alii, videre potuiſſe*, etiam ubi eſſent ulcera. Hæc enim fuerant certe in iis quorum ipſi minus credibiles videbantur ſanationes a Meichſnero (*y*), & Saxonia propoſitæ. Illius enim æger cum pure ſæpe excreverat membranas *ſpithamæ longitudine*; hujus autem ægra *ulnæ longitudine* membranam ex Recto inteſtino exulcerato. Equidem in Pantheo, quod citat Sennertus, quid Saxoniæ nomine editum ſit (*z*) minus attendendum crediderim poſt juſtas hujus de Panthei editore Uffenbachio querelas (*a*), præſertim cum in Prælectionibus Saxoniæ Practicis, quæ hic poſtea editæ ſunt, nihil a me quidem iſtiuſmodi reperiatur, ſed hoc tantum (*b*); quod & ipſum Sennerto diſplicet; Saxoniam *quatuor vidiſſe dyſentericos in quibus in dies excernebantur portiones inteſtini tam magnæ, ut ſæpe excederent menſuram trium vel quatuor digitorum*; ex quibus duæ mulieres ſanatæ ſunt. Harumque una fortaſſe fuit, quam ſibi Patavii a Præceptore Saxonia Caſparus Hoffmannus (*c*) ſcribit oſtenſam quæ in dyſenteria excreverat *partem inteſtini palmum longam*, videlicet, ut opinor, ſi univerſæ illæ excretæ portiones conjunctæ intelligerentur. Illud tamen ibi egregie fecit Sennertus quod ultro faſſus eſt, *multa fieri poſſe quæ* ipſe *non vidiſſet*. Sane ſi perpauci anni additi eſſent ejus vitæ; Tulpii (*d*) legiſſet Obſervationem qui ab acribus inteſtinorum torminibus eorumque exulceratione accidiſſe vidit, ut tota inteſtini Recti interior membrana ita ex hoc prodiret, ut inde pendula ab ipſo, & pluribus Medicis duos treſve dies ſpectari potuerit, prohibente illius firma ad podicem adhæſione celeriorem delapſum. Sed & mihi hic obtigit Kalendis Juniis A. 1729. ut ob conſimilem caſum enixe rogarer ut Hebræum Mercatorem Jacobum *del Vecchio* conſilio juvarem meo. Huic in febris malignæ declinatione dolor ad Rectum inteſtinum moleſtiſſimus obortus erat cum ponderis, & impedimenti ſenſu: & denique cum ſanguine exire nuper ex ano inceperat, quam inde pendentem conſpexi, craſſa quædam, ut videbatur, membrana, ad ſex digitos tranverſos longa, pollice latior, colore ex cinereo livida, ut gangræna tentatæ membranæ ſolent: neque excidebat tamen, quippe intra inteſtinum continuata, eique annexa, quantum animadvertere Chirurgus poterat, leniſſime explorans; nam etſi ab ejus exitu dolor factus erat mitior; ſanguis tamen ſubinde prodibat, febris autem ea hora major erat, quam mane fuerat. Itaque iis quæ viſa ſunt convenire, cum ſeniore ægri Medico tunc conſtitutis, diſceſſi. Hic autem inſecutis diebus certiorem me fecit, excidiſſe membranam, per ſphincteris potius conſtrictionem, ut videbatur, abruptam, quam integram: ſanguinem iterum, & pravum ichorem exiiſſe; ſingultum, qui omnes perterre-

terre-

(*h*) Apolog. pro Gal. l. 2. S. 4. c. 122. (*i*) Obſ. Med. l. 3. c. 18. (*k*) Cent. 1. Obſ. 61. (*l*) in Schol. ibid.
(*m*) Diſſ. de tripl. inteſt. polypo. (*n*) S. 4. Aph. 26. (*o*) in Not. ad hunc Aphor. (*p*) ſuper Anat. Mundin. Comm. 7.
(*q*) Pathol. l. 6. c. 9. (*r*) Medic. Pract. l. 3. P. 2. S. 2. c. 7. qu. 3. (*ſ*) Diſſ. cit. Epiſt. 2. ad Bianciard. (*t*) qu. cit.
(*u*) Diſſ. de Polypo cord. §. 6. (*x*) qu. cit. (*y*) apud Schenck. Obſ. Med. l. 3. ubi de Dyſent. Cur. Obſ. 4.
(*z*) Panth. l. 3. c. 23. ut citat Sennert. (*a*) Vid. Saxon. Præf. ad libros 3. de Pulſib. (*b*) P. 2. c. 19.
(*c*) c. 122. cit. ſupra ad n. 17. (*d*) Obſ. Med. l. 3. c. 17.

terreret, acceſſiſſe: Sibi tamen aliquam propterea ſpem ſupereſſe, quod meminiſſet ægri patrem, cui jam grandævo, ſimilis, ſed brevior, membrana e podice exciderat, ſe medente, evaſiſſe, cum hoc quidem ut recrementa continere poſtea non potuerit: hunc autem filium; etſi in parente neque maligna febris præceſſerat, neque ſingultus acceſſerat; annum tamen vix ageret quadrageſimum quinctum. Nec ſpes fefellit probabilem illum Medicum, cognomento *Marina*, quocum iterum ſtatutis iis quæ, ut res tunc ſe habebant, ad priora addi poſſent, factum eſt ut pure dejecto, nec pauco, ægrum extra lectum viderim pridie Nonas Julias, jam vires, & corporis habitum, coloremque manifeſto reparantem, nec fæces modo, ſed & ea quæ injiciebantur retinentem. Dolor quidem aliquis tum etiam erat; ſed is plane levior, neque in ea ipſa ſede amplius, in qua antea fuerat moleſtiſſimus. Itaque hic etiam, ut æger Tulpii, atque alii quos, brevitatis gratia, ſciens prætereo, ſanatus eſt, atque adeo ſanus adhuc vivebat, cum hanc hiſtoriam ex ſcripto dictarem ſub finem A. 1747. (*e*)

20. Etſi vero hos evaſiſſe, conſtat; tamen ſi ex me quæras, an æque conſtet, veras membranas dejeciſſe, facile negabo. Neque enim video ſatis earum naturam quæſitam eſſe, quod fortaſſe, ut mihi, ita aliis quoque non licuit in corruptis fracidiſque corporibus. Video autem, etiam ubi ulcerata inteſtina ſint, imo ibi facilius polypoſas formari poſſe concretiones, ſive teretes, quales trium aut quatuor palmorum longitudine ſe vidiſſe a dyſentericis excretas, affirmavit Lanciſius (*f*), ſive planas membranæ forma, qualem unum ferme palmum longam, egeſtam a Matrona conſpexit ulcere inteſtini Recti laborante, ejuſdemque eſſe generis, ſuſpicatus eſt Vir Cl. Joſeph Ant. Pujatus (*g*). Sed priores illas ut conſtare nego fuiſſe membranas, ſic conſtare nego non fuiſſe, eaſque præſertim quæ inteſtino magis adhærere, quam polypi ſoleant, viſæ ſunt. Atque ut meam tibi opinionem aperiam; credo, poſſe interioris tunicæ inteſtinorum partem aliquam morbi vi ſeparari, atque excidere haud aliter ac ſæpe videmus, idem contingere a fervidiorum alimentorum contactu ei membranulæ qua oris partes conveſtiuntur. Quod certe fit ſine ulla, nedum ſine plurima ſanguinis effuſione, ſine convulſionibus, aliiſque pernicioſis incommodis quæ timent nonnulli ab innumeris vaſculis, nervuliſque ad intimam tunicam inteſtinorum pertinentibus, ſi quidem hæc ſeparari credatur; cum tamen ad intimam quoque oris tunicam maximus pertineat vaſculorum numerus, & nervulorum. Nec dicas, eam quæ tunc in ore abſcedit, membranulam cuticulæ eſſe continuationem, aut certe ei proportione reſpondere. Nam idem qui in prolabiis, & buccis hanc *epitheliam* vocavit, ejus ſimilem *epitheliam* in gula quoque, ſtomacho, & inteſtinis oſtendit Ruyſchius (*h*), itaque me, ſi de alia parte non vis, de hac ſaltem loqui, credito, quam humorum acrimonia, aut poſt inflammationem ſuperficiaria gangræna ab reliqua interioris tunicæ parte ſolvat, & recrementis ſecum abripiendam, & devolvendam relinquat. At enim aliquando membranæ dejiciuntur, inquies, ut Saxonia (*i*) loquitur, *ſatis craſſæ*; cuticula autem eſt tenuis. Utique, niſi humore plurimo imbuatur; hinc enim fieri, cenſuit Cl. Fantonus (*k*), ut ſæpe eam videamus ex *veſicantium* uſu *craſſeſcere* adeo, ut inde in plures laminas eſſe diviſibilem, aut conſtare ex ſpongioſa ſubſtantia, conjecerit. Quod ſi rem ne ſic quidem ſatis a me explicari, contendas; at tu viciſſim mihi explica Benevoli Chirurgi Experientiſſimi Obſervationem (*l*) detracti ex ano canalis membranei longi digitos tranſverſos ad ſex, lati quantum ſolet inteſtinum Rectum, craſſi autem adeo, ut ani ſphincter aut totus, aut pene totus cum eo canali excidiſſe videretur: & ſane cum ad inteſtini ulcus, & cætera quæ ab eo pendebant incommoda, tum ad aſſiduam quæ ab illius canalis exitu relicta fuerat, retinendorum excrementorum impotentiam medicis, & chirurgicis præſidiis tollendam anno propemodum opus fuit. Qua igitur ratione tam craſſam inteſtini partem ſalva vita excidere potuiſſe, intelliges, eadem intelliges multo facilius, quî tanto minus craſſa interior tunica nonnunquam exciderit. Si hoc autem vel in iis qui evaſerunt, facile agnoſcis; quanto in illis magis qui perierunt? Et vero ſi militi affuiſſes de quo Bontius, aut ægris illis de quibus Sylvius in hac XI. loquuntur Sepulchreti Sectione (*m*), & membranas quas facile in lethali dyſenterico fluxu egerebant, vera eſſe interioris tunicæ fruſta, dixiſſes; num inciſis eorum cadaveribus, te tui dicti pœnituiſſet? Minime gentium. Cum Sylvio enim *abraſam hinc inde* eam tunicam, cum Bontio autem *plane abraſam* inveniſſes. Num undique? Quod ſatis diſerte Bontius non dicit, Piccolhominus (*n*) dicit in Obſervatione, quæ quocunque modo intelligatur, digna erat certe quæ in Sepulchretum referretur. In *dyſenterico* enim *immaniter cruciato*, *qui primos cibos capiens levi quodam horrore quatiebatur*, vidit *totam & ventriculi*, *& inteſtinorum tunicam interiorem*, *a ſummo ad imum* (*mirum viſu*, *auditu*, *& creditu*) *abraſam*; *quod* autem *reliquum erat*, *& apparebat*, *carnoſum videbatur*, inquit, *ab ore ventriculi ad podicem uſque*, *ut diceres*, *eſſe veluti faſciam latam totam carnoſam; ventriculum item tanquam veſicam quandam totam carnoſam*. Sed de hac Obſervatione, in qua, ut ea quæ mox ſubjicit, oſtendunt, carnearum fibrarum inflammationem Auctor ipſe agnoſcebat, infra quoque (*o*) mentio fiet.

21. Nunc quando ſatis ſuperque oſtenſum eſt quæ a dyſentericis ejiciuntur membranæ forma, ſæpe falſas, nonnunquam veras eſſe membranas, nec niſi cum veræ deprehenduntur, inteſtina exulcerata ſignificare; eadem proportione oſtendenda eſſent de iis pariter quæ ad ſpeciem carnoſa egeruntur, niſi jam ſupra (*p*) ſatis eſſet indicatum, quomodo polypi hæc quoque referre poſſint abſque ulla inteſtinorum exulceratione. Unum igitur commonſtrandum relinquitur, non ſemper ex falſa carne ea corpora omnino compingi, cumque id ex eorum conſtabit examine, ulcus aliquod inteſtinorum eſſe ponendum, ſi modo in ventriculo indicium ulceris nullum ſit: quod ob verrucas illas, ut Arabes vocabant, excipio, de quibus Epiſtola ſcriptum eſt XXIX. (*q*). Ibi autem etſi carneas excreſcentias eſſe poſſe diximus ſine exulceratione; cum abrumpuntur tamen, & excidunt, ulcus fieri debere in eo unde abruptæ ſunt, loco, id vero neque negavimus, & per ſe manifeſtum eſt. Porro tunc ita de ventriculo verba faciebamus, ut eadem transferri poſſe ad inteſtina, appareret, imo quandam Avenzoaris verrucam ob magnitudinem quam in ventriculo, ſi epigaſtrium tangeres, habere videbatur, non in iſto, ſed in attiguo potius Colo natam eſſe, ſuſpicabamur. Quam ſuſpicionem juvat hic exemplis ejuſdem in univerſum generis ita confirmare, ut ſimul denique id quod propoſuimus, oſtendamus. Jo. Baptiſta Corteſius (*r*) locum Galeni proferens ex quo intelligatur, non modo indurata ſtercora, ſed & *moles alicujus corporis præter naturam in inteſtinis exiſtentes*, jam ab eo recenſitas fuiſſe inter cauſas quæ alvum obſtruant, Galenicum dogma hac ſua Obſervatione confirmavit, habita in cadavere Comitis de Caldarinis Patricii Bononienſis. Scilicet *in cavitate Coli inteſtini reperta fuit ingens portio carnis*, *quæ ſua mole erat impedimento*, *quo minus excrementa deſcendere poſſent*, *& ex hujuſmodi morbo malæ inteſtinorum compoſitionis interemptus eſt*. Quam ego cauſam *maximæ*, ut ipſe ait, *conſiderationis* hic tibi volui Auctoris verbis ob id etiam deſcribere, quod in eorum Catalogo quorum Obſervationes in Sepulchretum ſunt relatæ, ut Piccolhomini, ita & Corteſii nomen fruſtra quæſivi: itaque nec Obſervatio hæc in Sectione XIII. quæ *de Adſtrictione Alvi* inſcribitur, uſquam invenitur; ſed ejus loco alia quædam (*ſ*) memoratur Williſii, quaſi conſtaret, *excreſcentias quaſdam carneas*, quæ *inteſtinis majoribus inſtar auricularum muris adnaſcebantur plurimæ ex utroque inteſtinorum Coli, & Recti latere ad certa quaſi ſtadia inſtar ramorum arboris gemellæ prodeuntes*, quaſi, inquam, conſtaret, non exterius has, ut mihi quidem videtur, fuiſſe, nec fortaſſe aliud quam Adipoſas Coli, Rectique Appendiculas, in quibus, abſumpta pinguedine, ſanguifera vaſcula ruberent; in tabido enim Viro hæc obſervabat Williſius, qui *ſimile quiddam in alio*

(*e*) imo Vid. etiam Epiſt. 65. n. 6. (*f*) Diſſ. cit. Epiſt. 1. ad Bianciard. (*g*) Dec. Medic. Obſ. n. 6. Obſ. 1. (*h*) Theſ. Anat. 7. n. 40. (*i*) c. 19. ſupra ad n. 19. cit. (*k*) Anat. corp. hum. Diſſ. 2. (*l*) 18. delle Quaranta. (*m*) Obſ. 6. & 16 (*n*) L. 2. Anat. Prælect. 15. (*o*) n. 26. (*p*) n. 17. & 18. (*q*) n. 16. & 17. (*r*) Miſcell. Med. Dec. 4. c. 8. (*ſ*) Obſ. 1. § 4.

alio tabido conſpexiſſe ſe, ait. Sed perinde ac ſi certum eſſet, interiora tenuiſſe, & ſic alvi adſtrictionem feciſſe, caſus puelli in Scholio ſubjicitur, qui egeſta maſſa carnea ingenti & notam ſervante qua inteſtinis adhæſerat, a pertinace alvi obſtructione liber evaſerat. Tu vero aut Williſio inſpecto, aut alio Sepulchreti libro (*t*) in quo fuſius Viri ejus hiſtoria propoſita eſt, cum ea quæ dixi, recognoſces, tum illud in primis intelliges, qui *ſpuria paralyſi* teneretur *totius corporis membra quævis occupante*, ut nullam fere ſe movendi facultatem haberet, in illo alias præterea cauſas alvi, niſi irritaretur, adſtrictæ, magnopere non fuiſſe quærendas. Verum ut ad excreſcentias quæ certe in cavo eſſent inteſtini Coli redeamus; præter *carnoſam* illam, quam in Sepulchreto fruſtra quærimus, *inteſtinum colon intercipientem*, ab Joanne Rhodio (*u*) in Monacho adnotatam, qui *colicis doloribus cum vomitu chyli vexatus, clyſteres ſine excrementis reddebat*; unius, ſed maxime huc attinentis, exemplum eſt in altera de duabus illis Cl. Fantoni Obſervationibus quas ſupra (*x*) tantummodo nominavimus. In viro quem gravis dyſenteria tandem interfecerat, *non procul a Cæco ulceratum Colon* invenit, *unde purulentus, & ſanguine permiſtus humor manabat; ibique præterea carnoſum, craſſum, & rotundum corpus, tranſverſos fere octo digitos longum, quod tenui principio exortum, eoque uno tanquam pediculo alligatum ulceroſæ tunicæ, cæterum in tubo inteſtinali pendulum non modicam ejus partem occupabat: magnum*, inquit, *inteſtini polypum diceres; id enim totum corpus libræ unius medicæ pondus ſuperabat*. Excreſcentiam hanc cum ulcere, & facile, ut in longa dyſenteria, ab ulcere fuiſſe, vides: nec dici ideo magnum polypum potuiſſe, quod polyporum de quibus ſupra dictum eſt, naturam haberet, ſed quia naſi polypum, a cujus ſimilitudine ſunt illi appellati, non figura modo referret, ſed natura quoque; hanc enim ſolers ille cautuſque Anatomicus *carnoſam* pronunciavit.

22. Nec tamen dubito, quin excreſcentiæ inteſtinorum interdum poſſint ex utraque natura conſtare, ut ſi carneis fimbriis, & inæqualibus, impolitiſque ſuperficiebus adhærere incipiant viſcidæ puris, aut ſucci inteſtinorum, aut ſanguinis effuſi particulæ: hiſque aliæ deinceps, aliæque, ut radix, & nucleus ex vera ſint carne, circumjectum autem adjunctumque molis corpus, hujuſque appendices ex non vera. Conſultus ſum A. 1736. pro Nobili Viro, qui poſt ſæpe repetitas ſanguinis dejectiones, mox cum bilioſo alvi fluxu, & aſſidua, primum levi, deinde acuta febre conjunctas, cum hæc, & gravia ejus ſymptomata ab remediorum maxime convenientium uſu nihil remitterent, imo illud eorum quod erat præ cæteris grave, nempe ventris dolor, ex acerbo repente factum eſſet acerbiſſimum, poſt multum ſanguinem egeſſerat, Chirurgi manu adjuvante, corpus quoddam longitudine propemodum palmi unius, & ſemis, craſſitudine autem, & figura aliis in partibus alia. In ſummo enim informe caput referebat quaſi ranæ grandioris, ore hiante; reliquum corpus exterius ferme teres, intus cavum, erat tranſverſos duos digitos craſſum donec paulatim gracileſcendo in caudam deſineret, ſemipalmum longam, & prope extremum bifidam. Qui memineris, quid in extrema ferme cenſuerim Epiſtola ſuperiore (*y*) de ranis, bufonibus, lacertis ano ejectis, facile exiſtimabis quid crederem cum ea legerem quæ modo referebam: nec vero occaſio hic ulla erat ſuſpicandi quod de Molitore quodam (*z*) ſcriptum leges, cujus diſſectio ob recrementa ſemper chyloſa per ſeſquiannum egeſta, digna alioquin eſt quæ inſpiciatur, & cum iis quæ de Cœliaco fluxu ſupra (*a*) attigimus, pro veri ſtudio conferatur. Dicebatur autem per dormientis os bufo irrepſiſſe, multumque intus nocuiſſe, donec per alvum deturbatus eſt obeſus & mortuus: quem utinam Præcl. Obſervationis Auctor teterrimo, noxioque fœtore minime prohibitus eſſet per ſe attente inſpectare, & ſcalpelli ope examinare. Certe autem quod ad noſtrum attinet, doctus quoque Medicus a quo conſulebar, ſpretis vulgaribus opinationibus, ad Lanciſianos polypos ejuſmodi corpus attinere, arbitrabatur. Attamen cum præter fibroſa exteriora ligamenta per quæ inteſtino videbatur annexum fuiſſe, mollem & diſtractilem ſubſtantiam atri fere coloris deſcriberet ex qua conſtabat, eamque ex ſat validis fibris quibus variæ glandulæ interjicerentur, compactam; cum ſanguinem qui antea effluxerat, nec ſemel ad libras, eo detracto corpore, deſiiſſe, memoraret, purulentas autem albicantes, ſubcinereas, graviſſime olentes ſucceſſiſſe materias, quæ recrementorum exitum modo præcedebant, modo ſequebantur, & maximo ſemper cum dolore, haſque, & acutam febrem perſtitiſſe donec vulnerariis datis remediis, quæ deinde balſamica exceperunt, ipſæ, & incommoda reliqua primum minuerentur, & denique tollerentur; ut nulla, a me ferme, niſi quæ ad præſervandum facerent, æger (qui multos poſtea annos vixit) poſtularet; eo inclinavi animum, ut conjicerem, initium, & radices iſtius corporis excreſcentias fuiſſe prope extremum inteſtini Coli obortas. Hanc enim ſedem dolor ille acerbiſſimus indicabat, qui nimirum ubi Colon priuſquam in Rectum deſinat, quoſdam ſolet habere flexus, infra umbilicum incipiebat, illinc autem Meſocoli adhæſiones ſecutus, ad dorſum uſque extendebatur. Eas igitur radices, cum erodi, exulcerari, abrumpi cœperunt, ſanguinem effudiſſe, cum vero profundius, & circumcirca, dolorem inſuper, & cætera creviſſe: interea autem ſanguinis deſtillantis fibroſas, aliaſque viſcidiores partes excreſcentiis adhæſiſſe, eaſque auxiſſe, conjunxiſſe, in eamque ſpeciem qua penitus denique avulſæ exierunt, conformaſſe. Quoniam tamen ex ejuſmodi corporibus quæ per anum ejecta legi, vix unius modo venit in mentem, a Peyero (*b*) memorati, quod *vaſis ſanguineis* fuerit *præditum*; ſicuti ubi aliquod his præditum vaſis præclare videam, pro certo ad excreſcentias referendum eſſe, pronunciabo; ſic contra, probe conſcius, quam facile a polypoſis concretionibus fieri fucus, & imponi multifariam poſſit, non niſi ſuſpicando, & conjiciendo, aliquid ejuſmodi, de reliquis reſpondebo, quæ aut veris illis vaſis careant, aut cauti, experientiſque Chirurgi judicio pro certiſſimis excreſcentiis non agnoſcantur. Sic Valſalvæ olim credidi, cum mecum ſanguineos ichores inſpiciens a dyſenterico deſperato egeſtos, in iiſque fruſtulum quoddam, ſi colori dumtaxat crederes, nihil niſi grumum ſanguinis repræſentans, ille ubi perattente examinavit, penituſque perſpexit, pro ulcerati inteſtini excreſcente particula ſine ulla dubitatione agnovit. Sic etiam Viro peritiſſimo Molinellio (*c*) credidiſſem, ſi cavum corpus, ſpithamam longum, quod homo diu multumque dyſenteria cruciatus, ipſe ſibi ex ano eduxerat, ex *fungoſa ulcerum carne* eſſe, pronunciaſſet, id quod, ut eſt prudens in primis, cautuſque, minime voluit, ſed ei carni *haud abſimile* tantum dixit. Neque aliud ſpectavit fortaſſe Cl. Struvius (*d*), qui cum æque longam, & pollicem latam *membranoſo-carneam*, ut diſerte ait, *quandam maſſam* cum *multa pinguedine intertexta*, fortiſſimo niſu indidem detruſam, proponeret; dubitationem, ut opinor, oſtendere voluit ſuam, hunc Obſervationi titulum præfigendo *De maſſa polypoſa per alvum excreta*: & præceſſerant tamen ea quæ non ſecus ac dyſenteria, potuerant excreſcentiæ carneæ juſtam ſuſpicionem movere.

23. Dum hactenus oſtenderem, poſſe in dyſenteria egeri cum ſanguine adipoſa, membranea, carnoſa corpora, nec inteſtina tamen eſſe exulcerata propterea quod ea corpora ſæpenumero non ſunt reapſe quæ videntur; ſubinde veritus ſum ne forte ipſe mirareris, non videre me, vel ſolum ſanguinis exitum ſatis indicare eroſa, aut rupta ejus vaſa; ut exulceratio aut jam facta, aut inchoata ſaltem, neceſſario ſit agnoſcenda. Verum ſi forte miratus es; mirari continuo deſines, cum hæc quæ paucis perſtringam, attenderis. Eſt Cl. Wagneri Obſervatio (*e*), in qua cum alia in dyſentericæ viſceribus a ſe conſpecta proponit, in hiſque illud pro Spigelio adnotandum (*f*), *veſicam*

(*t*) I. Sect. 13. Obſ. 1. (*u*) Act. Hafn. Vol. 4. P. 1. pag. 86. (*x*) n. 13. & 16. (*y*) n. 21.
(*z*) Eph. N. C. Cent. 3. & 4. Obſ. 163. (*a*) n. 4. (*b*) Exercit. I. de Gland. inteſtin. circa finem.
(*c*) Vid. Comment. de Bonon Sc. Acad. T. 2. P. 1. inter Medica Obſ. 2. (*d*) Act. N. Cur. T. 1. Obſ. 195.
(*e*) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 171. (*f*) Vid. ſupra n. 15.

ſicam *bilis* fuiſſe *turgidam*, tum hoc præſertim, nihil uſquam inteſtina habuiſſe vitii, niſi quod cuncta pariter *tenuia*, *& craſſa omni humore mucoſo deſtituebantur*, & Rectum erat gangrænoſum. Quod ſi ullum in ipſis adnotaſſet ulcuſculum; tum vias ſanguinis quem ægra dejecerat, quærere non debuiſſet in extremis ipſis venarum oſculis, quippe quas ſcirrhoſæ in meſenterio glandulæ, ſpaſmique conſtrinxiſſent, ut ſanguis *immediate* per ea oſcula in inteſtina *regurgitaret* non ſecus ac cœruleus in eaſdem venas injectus humor, *cœrulei ſudoris indicium* tunc ipſi exhibuit intra inteſtina *manifeſtiſſimum*. Præterea eſt Obſervatio Whartoni, a Gliſſonio propoſita in Tractatu de Ventriculo, & Inteſtinis, quæ cum aliquanto aliter in Sepulchreto (*g*) ex Tractatu eodem deſcribatur, nullo certo hujus indicato loco; ſi a te legetur cap. 23. n. 11. oſtendet, poſt *enormem*, a pharmaco, ſanguinis vomitum, *nullam in ventriculo*, qui nonnihil ſanguinis vel poſt mortem continebat, *comparuiſſe venam ſive ruptam*, *ſive exeſam*, ſed *dorſo cultri interiore tunica deterſa*, tunc *innumera ſanguinis punctula in ſuperficie deterſa ſenſim comparuiſſe*. Num vero deterſione iſtiuſmodi, ut cenſet Gliſſonius, quaſi cuticula quædam abraſa fuerit, neque aliter in vivente pharmacum egerit, cum ipſa quoque interior tunica non ſecus ac cutis deraſa cuticula, cruenta cerneretur; an potius ſanguinis copia quam pharmaci violentia acciverat, dilatatæ extremæ arteriolarum viæ & ſanguinem paulo ante effuderint, & tunc dorſo cultri quidquid ſanguinis habebant reliquum, exprimente, protulerint, malim, te ex iis quæ Boerhaavius (*h*) non uno loco de anaſtomoſi ſcripſit, exiſtimare, quam ipſe dicere. Exempla attende quæ ibi profert, & alibi etiam, ut puta cum de retento menſtruo ſanguine per alias vias emiſſo verba faciens, (*i*) *vidi*, inquit, *hujuſmodi hæmoptoen*, *quæ in conſuetudinem abierat*, *ut ſanguis floridus ſingulis menſibus*, *abſque detrimento ſanitatis*, *cum levi tuſſicula excrearetur*. *Vidi ubi evomebatur ſanguis*: *vidi per alvum deponi*, *& per ſudorem*. Confer inſuper exempla alia, quæ bene multa addit ad ſingula iſta Eruditiſſimus Hallerus (*k*): & in quocunque invenis id factum *abſque detrimento ſanitatis*, abſque exulceratione pariter factum credito non ſecus atque cum per ſudorem ſanguis exibat, cutem ibi integerrimam viſurus fuiſſes, neque aliud in hac deterſa, quam *innumera illa ſanguinis punctula* quæ in deterſa ventriculi interiore tunica conſpexit Whartonus. Transfer hæc a ventriculo ad inteſtina, & ſine horum exulceratione, ſanguinis fluxum intelliges. Aut ſi adhuc nonnihil hæres; ſepone jam Obſervationem iſtam Whartoni, & præter exempla quæ dicta ſunt, fac tibi ſanguinis fluentis e naribus veniat in mentem. Num ruptæ ſemper, aut exeſæ venæ, arteriæve? num exulcerata ſemper narium tunica? Si illæ ruptæ, aut exeſæ; quî fit ut ſanguis ſæpe nullo prorſus remedio adhibito, per ſe ſubſiſtat? Si hæc exulcerata; quomodo nihil, non dico puris, ſed ne doloris quidem conſequitur? Nunc quod in narium tunica fieri, intelligis, idem cogita fieri poſſe in tunica intima inteſtinorum, præſertim cum injecti per arterias humores facile adeo per utramque tunicam in narium caveas, & inteſtinorum trajiciantur (*l*). Pone igitur auctam ſanguinis copiam, auctum impetum, latiores autem factas in iis præcipue qui natura laxas antea haberent, arteriarum ad intima inteſtinorum ultimas vias aut reſolutione quadam, aut cauſa alia aliqua, ut puta nimia in alvi profluviis humectatione; nec difficile cum Boerhaavio ſanguinem illinc effluere per anaſtomoſim, intelliges.

24. Vide autem, ne unum dumtaxat, ſed plura ſimul eorum ponas quæ dicta ſunt. Nam cum Boerhaavius ſic docet (*m*): *quando ſanguis per portarum venam*, *ejuſque ramos nequit tranſire*, *tunc ipſe purus ſanguis per anaſtomoſin ex vaſis meſentericis effundi poteſt*; niſi hæc continuo adderet, *quorum oſcula dilatata ſunt*: dubitare aliquis poſſet, qui Ortlobium (*n*) legiſſet, conſtricta vinculo in vivis canibus illa vena, *ſanguinem ad inteſtina ſincerum prorumpere*, *nunquam ſe obſervare potuiſſe*, *quamvis tota inteſtinorum tunica coccineo quaſi colore imbueretur*. Nimirum in ſanis iis canibus vaſorum oſcula non erant dilatata. Erant autem vel maxime ob circumjectarum fibrarum laxitatem in Comitis illius de quo ibidem loquitur Ortlobius, *inteſtinis ſphacelatis*; in his enim *venas meſaraicas orificiis apertis*, *ſanguine grumefacto*, *quaſi cera refertis*, *hiaſſe*, vidit. Hæc autem attigi propterea quod *aliquando* in dyſenteria *vera inflammatio adeſt*, *& funeſta gangræna ſequitur*, ut paulo poſt illa quæ retulimus, ſcripſit Boerhaavius (*o*). Et ſane vera ſcripſiſſe, oſtendunt in Sectione hac Sepulchreti XI. complurium Obſervationes (*p*), Valſalvæ autem præter eam, quæ ſuperius (*q*) allata eſt, hæc quoque altera confirmat.

25. MULIER ex dyſenteria moritur. INTESTINA reperiuntur inflammata. Huic mulieri ren ſiniſter omnino deerat; ſupplebat autem dexter, duplo quam ſecundum naturam major, duplici pelvi, ac duplici uretere inſtructus. Ureter autem uterque ad dexteram tendebant veſicæ partem.

26. Sepoſitis iis quæ a primordiis fuiſſe, intelligis, ad dyſenteriam attinet inteſtinorum inflammatio. Revoca nunc ad memoriam, & cum hac Obſervatione, aliiſque conjunge quam ex Piccolhomino ſupra (*r*) deſcripſi. In ea namque ſive abraſio tanta fuit, quæ Obſervatori ipſi uſque adeo mira viſa eſt, ſive potius cum abraſione, ſi vis, non modica, inflammatio ejuſmodi, ut quemadmodum in Ortlobii canibus (*ſ*), tota inteſtinorum tunica multum ruberet; certe Piccolhominus quoque inflammationem agnovit. Cum autem hæc eſſe non poſſit quin ſanguinis tranſitus per illos venæ portarum ramos impeditus intelligatur; quid hinc conſequi poſſe, dixerimus (*t*), ſi aliquid aliud accedat, jam noſti, vel prius quam inteſtina, impetu ſanguinis adhuc perſiſtente, vergere incipiant in gangrænoſam laxitatem. Sic Brunnerus (*u*) in milite quem diarrhœa laborantem ſupervenientes ſæviſſimæ convulſiones occiderant, ſimul per totum inteſtinorum, Tenuium præſertim, tractum, inſignem qua nec ventriculus carebat, inflammationem, ſimul in hoc grumos ſanguinis, in illis mucum rubicundum deprehendit, indicio manifeſtiſſimo, diarrhœam jam incepiſſe in dyſenteriam degenerare, quamvis nihil adhuc gangrænoſi in iis viſceribus appareret. Facile autem in gangrænam, atque adeo, ut dixi, in ſphacelum tranſire poteſt inteſtinorum inflammatio: unde factum fortaſſe eſt quod adoleſcenti mihi Medicus exercitatiſſimus narrabat, ſibi aliquando accidiſſe, ut in dyſentericis, poſtremis ante mortem diebus febris abiiſſe videretur, ut ſi cætera non attendiſſet ſigna, turpiter falli potuiſſet. Verum de inteſtinorum morbo fallaciſſimo, ſphacelo erit alias (*x*) opportunior ſcribendi locus. Nunc de membranis dejectis ſive cum ſanguine, aut pure, ſive abſque his, ſive in dyſenteria, ſive extra ipſam aliquid ad ea quæ ſcripſimus ſupra, addendum eſt. Deſideravimus certe, nonnullarum naturam diligentius examinari potuiſſe. Lentilius (*y*) puta, quodnam eſſet inteſtinum egregie ſtatuit, unde membranæ provenirent quæ per intervalla cum, vel ſine cruore plures, paucioreſve per alvum ſecederent. Quod autem has cenſuit valvulas eſſe conniventes, liberum cuique eſt credere, aut non credere; imo vel hoc ipſum, fuiſſe membranas. Ut enim ab ægra quantum apparet, ille aberat; nihil aliud videre potuit, niſi eas fuiſſe *diverſæ magnitudinis*, *& quæ ſiccatæ pelliculas e veſica ſuilla retorrida mentirentur*. At Jo. Mauricius Hoffmannus (*z*) cum ab alia excretas attentius examinaret, quas pro intima tunica inteſtinorum alii acceperant, mucum eſſe agnovit viſcidiorem *ſupra valvulas conniventes coagulatum*, *& in ſpeciem membranæ condenſatum*: neque ab eo diſcrepat, Actor. N. C. Volumine V. (*a*), Cl. Treylingii

(*g*) l. 3. S. 8. Obſ. 7. in Additam. (*h*) Prælect. ad Inſtit. §. 707. 775. 814. &c. (*i*) ad §. 667. (*k*) in not. ad cit. modo §.
(*l*) Vid. not. Haller. ad §. 497. earund. Prælect. (*m*) ad §. cit. 814. (*n*) Hiſt. Part. & Œcon. hom. Diſſ. 8. §. 7.
(*o*) ad §. 815. (*p*) 3. 9. 19. §. 1. & 2. (*q*) n. 14. (*r*) n. 20. (*ſ*) ſupra, n. 24. (*t*) Ibid.
(*u*) Exercit. de Gland. Duoden. §. 4. (*x*) Epiſt. 35. (*y*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. in Append. n. 6. ad Obſ. 68.
(*z*) Dec. ead. A. 9. & 10. Obſ. 60. (*a*) Obſ. 126.

gii judicium de examinata ab ipſo quaſi membranacea vagina quadam, ab Ruſtica dejecta, *quamvis figuram inteſtini Coli cum valvulis conniventibus adæquaret*. Contra, in alio Apitius (*b*) minime dubitavit, quin egeſtæ membranæ eſſent fruſta intimæ tunicæ inteſtinorum: & plura quidem vel ex earum inſpectione protulit cur id crederetur: quanquam illud quod primo loco poſuit fuiſſe *tubuloſa forma exactiſſime præditas*, tum ea quæ modo laudata eſt, tum Obſervatio quoque infirmat Cl. Verdrieſii (*c*), qui alio in viro penitius contemplatus, non aliud eſſe quam *fiſtuloſam pituitam* maniſeſtiſſime deprehendit, quæ *concreſcens, ad continentis inteſtini figuram ſe accommodaverat*. Sed num dicemus, inquies, idem accidiſſe intra Cæcum inteſtinum, quod olim Beckerus (*d*) pene affirmabat, ſe vidiſſe dejectum, quippe *corpus membranoſum, digiti majoris longitudinem & latitudinem adæquans, patulum & eroſum ab una, ab altera vero parte clauſum?* Hæc enim continuo ſubjecit, *triplici tunica, tenui, carnoſa, ac rugoſa conſtans*. Imo quid dicemus, aio ego ad tres alias Obſervationes, in quibus non Vermiformis Appendix quæ a latere eſt videlicet, ſed ipſius inteſtinorum tubi non brevis pars per anum ejecta proponitur? Utinam Georgio Franco (*e*); nam ejus æger, non, ut Beckeri, aliorumque, ſuperſtes fuit, ſed paucis ab ejuſmodi egeſtione horis deceſſit, permiſſum fuiſſet in cadavere ſedem recognoſcere, unde *integra tenuis inteſtini pars, ſpithamæ longitudine & ultra cum annexa meſenterii adhuc portione*, avulſa eſſet, quam ipſe ob conniventes, quibus intus prædita erat, valvulas, ex Jejuno eſſe, ſuſpicabatur: quanquam ſi hujuſmodi avulſio miranda eſt; coalitus eſt longe magis mirandus, quem inter eas inteſtini partes, unde intermedia portio avulſa eſt, concipere oportet in duobus aliis ægris, quorum neuter, ſi ex inteſtinis apertus aditus in ventris cavum relictus eſſet, ſuperſtes eſſe potuiſſet. Verum Jo. Petrus Albrecht (*f*) & Andreas Weſtphal (*g*) cum eorum hiſtorias protulerunt, ingenioſe excogitarunt, præceſſiſſe intuſuſceptionem, ſive prolapſum inverſæ ſuperioris inteſtini partis intra proximam ſequentem ſic ut per inflammationem, & gangrænam abruptio prolapſæ partis non ante contigerit, quam aliqua eſſet in abruptionis loco inter excipiens, exceptumque inteſtinum conglutinatio. Nam quod ea quæ dejecta eſt, vera fuerit inteſtini portio, etſi *non pauci*, quod ad primam attinet Obſervationem *dubitarunt*, Bruchmannus autem, & Hoffmannus, quod ad ſecundam, aut inteſtini dumtaxat tunicam, aut mucum, tunicæ ſimilem, crediderunt; tamen nec primæ teſtes defuerunt, & Docti alii Viri, in primiſque Magnificus Ordo Medicorum Gryphiſwaldenſium, ad quos miſſum fuiſſe dicitur examinandum quod in ſecunda egeſtum eſt, pro hujus veritate pronunciarunt. Unum animadverti quod excogitatæ intuſuſceptioni in neutra ſatis reſpondere videri poſſit. Nam valvulæ, ut in inverſo, quemadmodum ponunt, inteſtino non *interiori* in facie, ſed in exteriori occurrere debuiſſent, neque *exterius* adhærens omenti, aut meſenterii quædam portio, ſed interius: quanquam dici poteſt, non ut tunc erant eæ facies, ſed ut ante ſecundum naturam fuerant, eſſe indicatas, aut inteſtinum ex inverſo fuiſſe in ſtatum priſtinum revolutum ſive dum per reliquum ad anum uſque canalem, inter acerbiſſimos dolores multifariam ſe agitantem, devolveretur, ſive dum per ani anguſtias exiret, ſive tandem poſtquam exierat, per manus ipſas examinantium. Utcunque id eſt, ubi cuncta perlegeris, quidquid hiſce Obſervationibus dandum exiſtimaveris: per me enim tibi liberum eſt ſive cum accipientibus, ſive cum dubitantibus, ſive cum aliquid concedentibus facere, minus, opinor, miraberis, ſi quos dyſentericos vel poſtquam veras ex inteſtinis aut membranas, aut carunculas egeſſerint, poſthac audiveris evaſiſſe.

27. Etſi de Dyſenteria multo plura ſcripſi, quam initio conſtitueram, tamen priuſquam finem facio, aliquid placet addere de Teneſmo, non ut in Sepulchreto (*h*) hic fieri video, ab aliis cauſis, de quibus alibi dicetur, ſed ab dyſenteria dumtaxat illato. Credo equidem in hujuſce fluxus fine id quo inteſtinum Rectum ad egerendum irritatur, ſæpe in vitio ejuſdem inteſtini non conſiſtere, ſed ab reliquiis provenire acrium mucorum, & ſanguinis, ſi hujus præſertim obſoletus in mucis ſit color, in cellulis proximi inteſtini Coli reſtitantibus, ab iiſque paulatim, & identidem per Rectum ad partem hujus imam, & irritationis minus patientem demiſſis. Mirum dictu eſt, quam diu quædam, non pauca etiam, nec per ſe viſcida, in Coli cellulis ſubſtitiſſe videantur. Quæſitum eſt ex me A. 1744. docti, atque ingenui Medici nomine, ubinam cenſerem, comeſta piſa quinque ipſos menſes in hominis ventre morari potuiſſe? Affirmabat enim ſua in civitate virum eſſe qui cum Junio menſe multum, ac ſæpius illa ediſſet, correptus Octobri dyſenteria, & ſingultu, non ante ſanari potuerit, quam, Decembri ineunte, piſa ad duas libras dejecit integra adeo, ut a pluribus mirantibus Medicis plura ſint eorum ſervata. Idem autem ejus viri patri olim, ſed ad pauciores menſes, accidiſſe, narrabant. Reſpondi, ſi hæc vera eſſent; neque enim rem in ea civitate, multis teſtantibus, pervulgatam, negare honeſte poteram, præſertim qui multo difficiliora creditu apud idoneos Auctores legiſſem; & ſi duobus illis hominibus eadem eſſet quæ cæteris, ventriculi, & inteſtinorum ſtructura; non videre me, ubi minus difficile hærere illa potuiſſent, quam in Coli inteſtini cellulas complures diſpertita: conjuncta enim viam ejus inteſtini, nedum Tenuium, obſtruxiſſent, ventriculo autem oneri graviſſimo, & moleſtiſſimo fuiſſent, quippe ad id pondus, nec manſa, ut res oſtendebat, nec ſatis fortaſſe antea cocta, nec ex viridibus, & tenerioribus, ſed ex flaveſcentibus jam, & dureſcentibus. Eſſe forſitan iis hominibus illas cellulas natura aliquanto ampliores, & laxioribus fibris, ſed certe propemodum iis eſſe in tubo inteſtinorum viſcidiſſimas, tenaciſſimaſque materias, ut pote qui parum adeo cibos mandere conſueſſent; per eas igitur irretita piſa, & quaſi agglutinata ad cellularum parietes, tandiu ſubſtitiſſe, donec dyſenteriæ torminibus, & dejiciendi conatibus deturbarentur.

28. Verum etſi in teneſmo illo explicando qui dyſenteriam excipit, ſæpe, quemadmodum vidiſti, cum Sydenhamio (*i*) ita faciam, ut ulcus in Recto inteſtino minime agnoſcam; noli tamen credere, me ejus dogmati ſic adhærere, ut interdum non verear, ne ulcus, aut aliud ibi grave vitium dyſenteriam conſequatur, jam uſque ab adoleſcentia edoctus exitu cujuſdam poſt dyſenteriam in illo inteſtino doloris, de cujus cauſa alia alii meorum Præceptorum ſententia fuerat. Cum enim in Fœmina Primaria poſt dies circiter quindecim per ſe deſiiſſet dyſenteria, quereretur autem illa de infimi inteſtini dolore, ſemper quidem cum recrementa egereret, ſed tamen ſubinde etiam punctionibus quibuſdam moleſto; credebat alter, hunc eſſe, ut in delicata muliere, ab levi dumtaxat intimæ tunicæ abraſione; alter autem, id eſt Albertinus, qui animadverteret, cum eo dolore conjungi præter febrem, aſſiduum ponderis ſenſum, non ſine quodam ad femora, imoſque lumbos conſenſu, teneſmum autem nullum, aut fere nullum; gravius aliquid verebatur, donec aucta febri cum rigore, aperte jam abſceſſus manifeſtationem prædixit. Quam prædictionem cito comprobavit exitus, dejecto pure ad uncias duas, & eo qui diſſenſerat, ut Senex erat ingenuus, non fatente modo, ſed, id quod pauci faciunt, veram alterius prædictionem laudante. De graviori autem, & minus in vulgus noto ejuſdem inteſtini vitio ſermonem injiciendi occaſio dabitur Litteris proximis (*k*) Vale.

EPI-

(*b*) Dec. cit. A. 9. & 10. Obſ. 179. (*c*) Ephem. earund. Cent. 1. Obſ. 90. (*d*) Earund. Dec. 1. A. 4. Obſ. 68.
(*e*) Earund. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 177. (*f*) Dec. ead. A. 3. Obſ. 129. (*g*) Diſput. quæ partem inteſt. Jejuni &c.
(*h*) Obſ. 29. & ſeqq. (*i*) Obſ. Med. circa morb. acut. S. 4. c. 3. (*k*) n. 6. & ſeqq.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXXII.

Sermo eſt de Alvi Adſtrictione, & de Hæmorrhoidibus.

CONtrarium illi de quo nuper ad te ſcripſimus, vitium *Alvi Adſtrictionis* in multis quidem animadvertimus tum ſine manifeſto valetudinis detrimento, etſi ad hebdomadas, atque adeo (quod & Cl. Zevianus noſter (*a*) adnotavit) ad menſem nonnulli dejicere ſolerent nihil, tum, idque ſæpius, cum evidenti læſione, quam mors ipſa conſequeretur, ſociatum. Tamen ejus vitii Obſervationem, cum diſſectione conjunctam, vix unam habemus, quam hic tibi deſcribamus; nam cæteras, quippe vomitionibus, volvulo, aliiſque ejuſmodi affectibus adjunctas, ab his ſejungere non eſt viſum. Quod ſi in Sepulchreto quoque factum eſſet; ad multo minorem numerum hujus XIII. Sectionis Obſervationes redirent. Videbis enim ad pleraſque adnotatum, quanam in Sectione alia legendum id ſit quod ab iiſdem avulſum eſt. Sed & alias eſſe, ad quas idem fuerat adnotandum, tres dumtaxat quas inſpicias, paginæ præclare demonſtrabunt, 193. 197. 203. Lege enim in prima, Obſervationis III. §. 2. Credes, huc unice attinere. Sed continuo §. 3. indicium dabit, idem ibi eſſe bis poſitum, & quod utrobique deeſt, alibi quærendum, id eſt hujus III. Libri Sectione VIII. Obſ. XV. Similem repetitionem indicabit in altera illa pagina, Obſervationis IX. §. 2. cum §. 8. collatus; neque enim quia in hoc, turpi errore, typographus ſcripſit *in latere ſiniſtro ſub regione hepatis*! res non eadem eſt quæ in illo bene ſcribitur *in latere dextro*, quod perſpicue oſtendet tibi quæ ibi deſignatur proxima Sectio XIV. paulo fuſius hanc hiſtoriam proponens Obſ. 8. §. 1.

Tertia demum pagina quid iteretur, & quid nihilominus omittatur, continuo ſignificabit, ubi Obſervationis XII §. 9. cum §. 3. comparaveris, utrumque autem cum indicata ab hoc Sectione VII. ubi rem fuſe deſcriptam leges Obſ. XXXIII. Sed repetitiones has, adeo inter ſe vicinas, monſtraſſe ſatis eſto. Ex magis diſſitis, quas tibi inquirendas relinquo, unam prætermittere non poſſum, difficilius ob ſolitum Blancardi fucum agnoſcendam. Legas, quæſo, Obſervationis I. §. 6. & quæ de Sutore narravit Formius, conferas cum iis quæ in Additamentis, Obſ. III. de Bajulo ſcripſit Blancardus: eamdem utrobique rem eſſe, intelliges; ſed Formii Sutorem, ne facile agnoſceretur, in Bajulum a Blancardo mutatum. Cujus talia artificia ſi ad te ſcribens, ſæpius retego; ideo facio, ut aſſenſum ſuſtineas cum apud doctum alioquin Scriptorem leges, Blancardum *in Anatomia* quidem *ſua Reformata plagii vix excuſandi reum ſe ſe feciſſe .... Majorem vero laudem mereri ejuſdem Anatomiam Practicam Rationalem*, eum videlicet librum, ex quo illa quæ tibi exempla produco, in Sepulchretum ſunt relata.

2. Nec tamen aliæ hiſtoriæ deerant quæ ad hanc attinerent Sectionem, ſive aliunde, ſive ex Sepulchreto ipſo petendæ. Exempli enim cauſa, fabrum in hac Urbe viderat Saxonia noſter (*b*), *poſt longam alvi ſuppreſſionem, & ingentes ventris dolores, partim uſu clyſterum acrium, partim aliorum remediorum multos ejicientem lapillos magnitudine nucis avellanæ, coloris flavi, uſque adeo duros, ut vix infringi potuerint*. Cui Obſervationi non incommodus in Sectione hac locus, aut ibi fuiſſet, ubi (*c*) alvi adſtrictio a calculis deducitur bilariæ veſiculæ, aut ſi duriores illi, majoreſque viderentur, quam ut inde poſſent repeti; quamquam bilis canales nonnunquam multum dilatati inveniuntur; ibi ſaltem, (*d*) ejuſdem adſtrictionis cauſa proponitur calculus, caſtaneæ magnitudine, Colo inteſtino adhærens. Vel cum aliæ plurimæ, aliis Sectionibus jam fuſius expoſitæ, Obſervationes in hac iterentur; cur hic omittitur admiranda illa Maniaci hiſtoria (*e*), qui cum omnia quæ offendebat, ingurgitaret; nonnunquam ad quindecim & ſexdecim hebdomadas ex prætumida alvo nihil dejiciebat? aut, ne hinc longius abeamus; cum inter exempla hic prolata infantum qui occluſo podice nati, ea via egerere nihil poterant, Obſervatio Holtzachii (*f*) in uno eorum habita qui ſtercus per colem reddebant, ex proxima Sectione (*g*) repetatur; cur altera conſimilis prætermittitur, quæ ibi (*h*) ex Hildano producta fuerat, aut duæ Mœbii (*i*), quarum prima perſimilis earum eſt, ſecunda autem ad puellulam ſemeſtrem attinet, quæ alvi fæces *per vulvam* excernebat?

3. Ex genere hoc ultimo eſt Mercurialis Civis mei (*k*) Obſervatio, quæ maxime, ſiqua alia, celebris eſt apud Medicos ſcriptores Danielem Sennertum (*l*), Thomam Bartholinum (*m*), Joannem Rhodium (*n*), alios. Sed ab Rhodio, quippe annos triginta ſeptem Patavii commorato, & hic Obſervationes ſuas colligente, atque edente A. 1657. mirum eſt, non quæſitum, quid accidiſſet iſti eidem *puellæ Hebræi*, *Theutonici dicti*, quam clauſo podice natam Mercurialis *in hac Urbe* viderat fæces *per vulvam emittentem*, & nihilominus contra atque *dubitari* a quibuſdam poterat, *ſuperviventem*. Verum cum minime ignoraret Rhodius ex ſimili, & æque celebri Benivenii (*o*) Obſervatione, puellam alteram non ultra ſextum decimum annum vixiſſe; facile crediderit, hebræam quoque iſtam non plurimis poſtquam Mercurialis viderat, annis; viderat autem ante A. 1583; mortem obiiſſe fortaſſe eandem, ex inteſtinorum cruciatu videlicet, induratis, puta, & craſſioribus aliquando factis recrementis quam ut via non naturali prodire poſſent, nec idonea fortaſſe ut emollientes lubricanteſque clyſteres commode tranſmitteret ad inteſtina. Sed ſive in puella Benivenii id facilius accidit quod non niſi octavo quoque die alvum exonerabat, ſive hebræa Patavina felicior fuit; certe, ſi Rhodius quæſiviſſet; vivere etiam tum anno exacto ſeptuageſimo (non modo ut Herbomenſis quædam (*p*) vigeſimo) deprehendiſſet: quin etiam fuit Rhodio ſuperſtes annos multos, ut quæ raro vel in ſaniſſimis exemplo, centum ipſos annos vixit, ſicut mihi teſtabatur is qui illi anui nonnunquam fuerat Medicus, Iſaacus Cantarinus, cum de Mercuriale, ut erat doctus Senex, mecum forte verba faceret A. 1719. Semper autem ſuum illa pertulerat malum, probe memor conſilii quod parens acceperat a Mercuriale. Et ſane ubi alia via ab natura ipſa aperta eſt per quam ſatis amandare liceat recrementa; incommoditas præferenda eſt multis, variiſque periculis, quæ, niſi neceſſitas ipſa cogat, minime ſunt, de prudentis quidem hominis conſilio, ſubeunda. Nam niſi podicis foramen membrana dumtaxat opertum eſſe, intelligatur, ut facili, tutaque inciſione parari exitus poſſit urgentibus deſuper excrementis, quemadmodum in puello quem Cl. Baverus deſcripſit (*q*), potuiſſe, oſtendit anatome, temere inſtituta ſectio accelerabit haud raro infantis mortem, & infamia horrendum faciet auxilium, pluribus, ſi prudenter adhibeatur, profuturum. Quid enim? ſi Rectum inteſtinum, quantum quantum eſt, nullum habeat meatum, ſed inſtar funis ſolidum ſit, ut hic in Sepulchreto, XI. proponit Obſervatio (*r*), aut

(*a*) Del flato &c. l. 2. c. 11. (*b*) Prælect. Pract. P. 2. c. 19. (*c*) Obſ. 12. §. 2. 3. 7. 8. (*d*) Obſ. 9. §. 4.
(*e*) l. 1. S. 9. in Addit. Obſ. 1. (*f*) Obſ. 11. §. 6. (*g*) Obſ. 24. §. 1. (*h*) §. 2. (*i*) Obſ. 22.
(*k*) De Morb. Puer. l. 1. c. 9. (*l*) Medic. Pract. l. 4. P. 1. S. 1. c. 1. in fin. (*m*) Cent. 2. Hiſt. 63.
(*n*) Cent. 2. Obſ. 91. (*o*) De abdit. morbor. cauſ. &c. c. 86. (*p*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 10. Obſ. 75.
(*q*) Act. eorund. T. 4. Obſ. 147. (*r*) §. 4.

aut ſi; ut alia aliorum vitiorum omittam exempla; ſi, inquam, totum illud deſit inteſtinum, cujus rei ibidem (ſ) reperies Obſervationem. Nonne inciſionis idem eſt exitus quem ibi leges, aut apud Schenckium (t), cum in Sichardi pharmacopolæ puella ſectionem quidem aggreſſus eſt Chirurgus, ſed *Rectum inteſtinum minime invenit?* ut neque ille alter qui perforavit *ad longitudinem fere minimi digiti* in uno videlicet de duobus infantibus quos carentes toto illo inteſtino vidit Ruyſchius (u). Nec vero hujuſmodi exempla quam rariſſima ſunt, cum etiam Cel. Vir Heiſterus (x) ſemel, atque iterum ſibi viſa confirmaverit, unumque (y) plene deſcripſerit: nec deeſt præterea quod alibi legas, quamvis obiter a Cl. Hoyero (z) memoratum. Quin aliquando illud quoque accidit quod decipere facilius poſſit, nempe ut Recti inteſtini pars infima non deſit, quæ immiſſo per anum digito ad ſpatium perbreve ſatis patens, ſpem faciat felicis inciſionis, quaſi nihil niſi interjecta aliqua membrana communicationem intercluderet cum ſuperiore inteſtini parte, & tamen pars hæc reliqua nuſquam ſit; ſed Rectum alterum ſit inteſtinum quod fæcibus plenum, longius ab ano ad ſummum Sacrum os ſe inflectat, occluſumque ibi, & firmiter concreſcens finiatur, quemadmodum a Cl. Petro Chriſtophoro Wagnero (a) conſpectum eſt. Equidem Chirurgum non ſemper culpaverim, ſi recens natus poſtridie quam ſectus eſt, intereat, ut ille cujus duo fraterculi ipſi quoque imperforato podice nati fuerant (b). Ut enim tot alios, eodem vitio affectos, vixiſſe legi ſeptem, decem, duodecim, pluresve dies; ſic etiam legi, aliquos, cetera ſanos, nulla pariter ſectione vexatos, triduum non ſuperaſſe. Veruntamen niſi per anatomen conſtet, Chirurgi opus mortis cauſam non attuliſſe; omnem accelerati interitus ſuſpicionem non effugiet is præſertim qui, non cunctis rite perpenſis, præceps, quaſi ad minime periculoſum auxilium, ad ſectionem decucurrerit. Quamobrem cum via alia, quamvis incommoda, ſatis patet, non conſtat autem, Rectum inteſtinum ad interfemineum uſque ſic deſcendere, ut cute, aut membrana non craſſiſſima ejus canalis operiatur; non eſt ibi per ſectionem quærendum quod fortaſſe in ſupremam, exempli cauſa, vaginæ partem finitur. Nam niſi eo uſque perveniat inciſio; nihil efficitur; ſi vero eo uſque perveniat; præter hæmorrhagiæ, aut nervorum diſtentionis periculum, duo alia reſtant, ne via ab natura in vaginam aperta nihilominus claudi prorſus non poſſit, itemque ne altera ab arte patefacta, propter ſphincteris defectum, incommodum non tollat, ſed duplicet.

4. Quod ſi nullus omnino exitus pateat alvi fæcibus, certæ infantis morti anceps curatio eſt præferenda. Neque enim ita a natura cum cæteris animantibus actum eſt, ut cum inſecto illo quod Gallis dicitur *Formica-leo*, cui ſecundum obſervationes Hiſtorici inſectorum incomparabilis, Reaumurii (c) nec podex eſt, nec ſenſibilia alvi excrementa. Quod ſi vacca, de qua Ariſtoteles (d) ea quæ acceperat, memoriæ tradidit, clauſo podice fuit Perinthi, *cui cibi excrementum extenuatum, per veſicam tranſmittebatur, diſſectuſque anus denuo propere coaleſcebat, nec reſecando evincere vitium poterant*; nempe ultimum inteſtinum fortaſſe, ut ego ſuſpicor, in veſicam deſinebat; inutiles autem ſectiones ea quæ paulo ante dixi aut de perveniendi illuc quo opus eſt, aut de viæ ab natura apertæ occludendæ difficultate confirmant. Neque alia mihi ſuſpicio olim fuit, cum Bononiæ eſſe Virginem audivi, quæ nihil per inteſtina, ſed omnia, diſſoluta lotio, redderet per veſicam. In quam non ſemel illud inteſtinum ſe inſeruiſſe, tres, quas in Sepulchreto (e) conjunctas habes, Obſervationes teſtantur, aut certe duæ, ſi tertia eadem ac prima eſt, quod citata in illa Sectio hæc XII. (f) videtur indicare. Quod ſi nemo eorum qui in his deſcribuntur, infantum ſuperſtes fuit; cauſa fortaſſe rejicienda eſt, ſi minus in arctam nimis inter Rectum inteſtinum, & veſicam communicationem, qualis a Cl. Sandenio (g) delineata proponitur, at in anguſtiam, longitudinem, flexus urethræ virilis, imparis propterea craſſiſſimo ob admiſta inteſtinorum excrementa lotio diutius emittendo (h). Ut ut eſt; quotieſcumque conſtat, nullum exitum patere alvi fæcibus; non eſt cunctandum donec hæ retentæ infantem gravius lædere incipiant, eoque ipſo curationi minus opportunum reddere, ſed ancipiti hujus exitu omnibus indicato, neceſſario audendum eſt, ſemper tamen caute, ac perite audendum, ne forte ab Anatomes ignaro veſica, aut in fœmellis vagina convulneretur, præſertim ubi altius ferrum adigendum eſt. Nam præter craſſiſſimam membranam, ſpongioſa interdum caro, & adeps ad duos digitos interjecta eſſe poteſt, ut ex Sepulchreto (i) intelliges, imo aliquando, ut ibidem (k) leges, ad *duos auricularis digiti articulos* mediocris viri, intimus coalitus aſcendit; & puer tamen *exigua* in perforando *cruentatione*, & congrua ſuccedente curatione, ſervatus eſt, ut ex longe alio morbo *anniculus* demum, ut videtur, interiret, quod ex perlecto alibi (l) qui male ibi omittitur, ejus Obſervationis fine cognoſces. Quarto autem jam anno, & fortaſſe adhuc vivere, intelliges alterum quem per inciſionem, *articulo pollicis* longiorem, ſanavit ſupra laudatus Hoyerus (m): ut illum præteream quem ſervari potuiſſe, oſtendit Cl. Huberus (n), ſi *carneo-pinguedinoſam* maſſam, quam in mortuo conſpexit, jam in vivo *ad duos fere digitos latos* ferro inciſam infantis pater ſiviſſet paulo altius perfodi; ſic enim in cavum proxime deſinentis inteſtini perventum eſſet.

5. Verum ut hoc vitii genus aliquando, etiam cum vix ſperabilis videtur curatio, ſanari poteſt; ſic inſanabilia ſunt plura, uti cum occluſio, aut adſtrictio eſt in aliquo ſuperiore inteſtino, cujus rei tum hic in Sepulchreto, tum alibi a me quoque habebis exempla. Quibus adjicies non modo indicatam ſuperiore Epiſtola (o) carneam magnam excreſcentiam, intra Colon a Corteſio repertam, ſed & annulum ex glandulis ſcirrhoſum, quem ibidem Præcl-Haaſius (p) deprehendit, vix tenui ſtylo patentem, itemque ejuſdem inteſtini callum, ferme cartilagineum, quem ejus cavum valde coarctantem ex Fratris Obſervatione propoſuit Cl. Chriſtianus Wenckerus (q), tum Coli antequam ad Rectum accederet, magnam partem contractis adeo tunicis, ut mirum non fuerit, fæces deſcendere non potuiſſe, qualem adnotavit Laubius (r), & multo magis idem vitium, ſimul ad majorem Recti partem extenſum, quale Vir alter, dum viveret Experientiſſimus Waltherus (ſ) conſpexit. Et ne ab hoc ultimo inteſtino recedamus; ſæpe in ipſo inſanabilis coarctationis cauſa eſt externa compreſſio. Ita in Sectionis hujus Sepulchreti Obſervatione XI. (t) tumor quidam velut glanduloſus, utrinque Recti ſuperiorem partem comprimens, a quonam bene internoſci, nedum curari, potuiſſet? A tumore autem ejuſmodi potius, quam a ſumptis *pharmacis quibuſdam calidiſſimis* (u), quæ non ſecus ac ignis membranas ſolet, arefacerent, & contraherent inteſtinum, hujus coalitum deducendum fuiſſe, non dubito; ſi modo coalitus erat in Recto, cum cereæ candelæ *portio ad cubitalem longitudinem* intromiſſa eſt, ut ait Donatus, quod niſi candela inflexa retracta eſt, aut niſi inteſtina erant aliter ac ſolent, diſpoſita, non video quomodo ullo in homine fieri potuerit. Sed coalitum, ubi ubi is fuerit, inde potius fuiſſe unde diximus, repetendum, altera ejuſdem coalitus indicabit hiſtoria, ex Tulpio huc (x) relata. Scilicet hic vidit a duobus veſicæ calculis depreſſum adeo illud de quo loquimur, inteſtinum, *ut coarctatum produxerit plurima membranoſa filamenta, intertexentia tam arcte interiorem ipſius fiſtulam,* ut

(ſ) §. 17. (t) Obſ. Medic. l. 3. ubi de Inteſt. Recto Obſ. 6. (u) Adverſ. Anat. Dec. 2. c. 10.
(x) Inſt. Chirurg. P. 2. S. 5. c. 163. n. 1. (y) Eph. N. C. Cent. 3. & 4. Obſ. 193.
(z) Earund. Cent. 6. Obſ. 59. (a) Commerc. Litter. A. 1735. Hebd. 46. n. 4. (b) Eph. cit. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 281.
(c) Memoir. pour l' Hiſt. des Inſect. T. 6. Mem. 10. (d) De Generat. Animal. l. 4. c. 4. in fin.
(e) l. 3. S. XI. Obſ. 24. §. 1. 2. 3. (f) Vid. Obſ. XI. §. 6. (g) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 194.
(h) Vid. tamen Epiſt. 65. n. 6. (i) Obſ. cit. XI. §. 14. (k) Ibid. in Schol. ad §. 4. (l) Eph. N. C. Dec. 1. A. 3. Obſ. 257.
(m) Obſ. 59. cit. ſupra, ad n. 3. (n) Act. N. C. T. 8. Obſ. 24. (o) n. 21. (p) Commerc. Litter. A. 1742. Hebd. 45. n. 2.
(q) Differt. ſiſt. Virgin. ventric. perforatum §. 5. (r) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 41. (ſ) Differt. de Inteſtinor. anguſtia §. 20.
(t) §. 2. (u) Vid. Schol. ſubject. (x) Obſ. 14. §. 5.

ut nihil excretorum potuerit amplius tranſmittere, qua plane ratione conſpexerat alias (*y*), *ſimilia filamenta obſtruxiſſe gulam, a carcinomate coarctatam*. Sed & hic Recti inteſtini coalitus erat non una de cauſa inſanabilis, ut perlecta apud Tulpium ipſum (*z*) illa Obſervatione cognoſces. Porro vel ſine parietum nexu arctatum Rectum inteſtinum quantum alvi exonerationi obſtiterit, aliæ, quas ad Sepulchretum adjunges, docebunt Obſervationes, ut Riedlini (*a*) qui in mortuo ex alvi obſtructione *maſſam* invenit *carnoſam partim, partim glanduloſam*, pugno majorem, inteſtinum prope veſicam urinariam comprimentem, in quo etiam *excreſcentiæ carneæ* erant plures: ut Jannellii, & Lanciſii (*b*), qui Matronæ inſuperabilem alvi adſtrictionem inductam videre a Coli ima præſertim parte ita dilatata, & gravi, ut Rectum verſus urgeret uterum, illudque in anguſtias redigeret: denique ut Cl. Haſeneſtii (*c*), qui plurimas adipoſas appendices ad Recti latera exterius pendentes, & pyri minoris figuram referentes, non alvi quidem obſtructionem, quippe molles, attuliſſe, ſed ejus tamen exonerationi *multum obfuiſſe*, animadvertit.

6. Eſt præterea ejuſdem inteſtini aliud vitium, de quo nullam in Sectione hac Sepulchreti video fieri mentionem. Ruyſchius in Obſervationibus Anatomico-Chirurgicis (*d*), itemque in Adverſariis (*e*) deſcribit nomine *ſcirrhoſæ inteſtini Recti incraſſationis, & miræ coarctationis*, tunicis videlicet, pollicis craſſitiem ferme ſuperantibus, & adeo induratis, ut anceps hæſerit, carneæ, an cartilagineæ eſſent dicendæ, cavo autem ad eam anguſtiam redacto, ut vix tenue ſpecillum immitti nonnunquam poſſet, nec niſi ſummis conatibus recrementa extrudi, eaque aut guttatim, aut culmo gramineo vix craſſiora. Hunc affectum *raro obvenire*, ait, eoque, *paucis innotuiſſe*: nec ſane apparet, ab eo viſum eſſe in pluribus, quam duobus; ut inter ea numeraverit quæ a Bidloo nunquam conſpecta exiſtimabat (*f*). Ego Valſalvam acceſitum Faventiam memini, me comitante, ad Ampliſſimum Virum, quem eadem ſigna eodem teneri morbo, aut certe qui ad hunc propius accederet, demonſtrabant. Qualem & in aliis antea, mihi dicebat, a ſe obſervatum, per anatomen quoque, ut puto; nam in ejus diſſectionibus nihil ejuſmodi inveni; ſed tantum in aliis chartis quidquid ad ægros attinet duos quos annis aliquot poſt vidit, ut Conſilia pro iis ſcripta demonſtrant. In utroque eorum difficultatem, & dolorem in egerendo ad glandulas refert in Recto inteſtino craſſiores factas, & in parte exulceratas, ex iiſque in altero illorum tumorem, annuli inſtar circumcirca prominentem intra inteſtinum percipi, ſcribit, tribus circiter ſupra imum podicem digitis. Ipſe quoque ſuperiore æſtate conſultus ſum pro Nobili Matrona, cui plures jam menſes alvi fæces non niſi in modum inſtitarum compreſſas dejicienti, & nullo, niſi hæmorrhoidum, vitio ſe laborare, exiſtimanti, inventum nuper fuerat inteſtinum circum ſuperiorem partem ſphincteris ani undique ad ſpatium duorum digitorum tumens, arctumque adeo, ut digiti apex ſine vi, & moleſtia immitti non poſſet. Huic cum tumores antea fuiſſent alii ad inguinum, & axillarum glandulas, & puſtulæ, atque exulcerationes, cumque etiam tum pus, quamvis non multum, ante fæces dejiceretur; idem facile quod Valſalva in illis ægris digito perceperat, in hac quoque eſſe, cenſui, & quærentibus reſcripſi, præſertim cum me meæ quoque nonnullæ Obſervationes moverent. Quarum quæ ſimul cum diſſectione a me adhuc ſervata eſt, eo libentius ad te ſcribetur, quod affectum hunc, aut certe ejus ſatis ſimilem, *inter rariores*, *merito* deſcribi quidem in Commercio Litterario (*g*) video quantum in vivente obſervari potuit; ſed ægri, ex paſſione Iliaca alibi mortui (*h*), nullam anatomicam inſpectionem reperio. Et quamvis alio in libro (*i*) legam, fuiſſe in puello *inteſtini Recti eam labem, qualem Ruyſchius Obſervationum Anatomicarum Obſ. 95. & 96. duplici ſpecimine refert, ſcilicet ad ſphincterem tendens magna ſcirrhoſitate circum circa obriguiſſe*; tamen cum idem vitii genus, commune fuiſſe reliquis etiam inteſtinis, animadverto, tum illud præſertim, *alvum ab initio ſegnem, temporis autem progreſſu admodum lubricam, & cibos crudos vix ingeſtos inanimadvertenter ut plurimum egerentem*. Itaque meam Obſervationem ſubjicio, quæ ad hunc modum ſe habuit.

7. FŒMINA annos nata plus quinquaginta, ex affectione, ut ipſa ajebat, hæmorrhoidum inciderat jam ante triennium in multo gravius inteſtini Recti vitium, propter quod denique excepta eſt in Bononienſe Incurabilium Noſocomium circa anni finem 1704. Hanc Valſalva fœminam cum dumtaxat interrogaſſet; ne digito quidem ad explorandum immiſſo, ſtatim deſperato morbo teneri pronuntiavit, & ad me, qui proximus aderam, converſus, hoc ejus ſimile vitii genus eſt, inquit, quod menſibus ſuperioribus Faventiæ, cum mecum eſſes, deprehendi (*k*), nempe hic quoque Rectum inteſtinum circumcirca tumor intus occupat glanduloſus. Hæc autem mulier etſi cum aliis morbi hujus indiciis, nullum percipiebat dolorem; multum tamen fœtidæ, & tenuis, & craſſioris materiæ egerebat. Itaque ad ſummam maciem adducta, intra unum aut alterum ex quo advenerat, menſem poſt febres, cum frigore ingruentes, mortua eſt.

INTESTINUM Rectum ſecundum longitudinem inciſum, & explicatum cum ipſe inſpicerem, ſic reperiebam. Sex ſeptemve ſupra anum tranſverſis digitis incipiebat durius, & craſſius fieri, & in conferta corpora figura, & magnitudine maximarum fabarum, introrſum undique extuberare. Levi erant ſingula ſuperficie, ſubſtantia autem ſolida & compacta. Durities ac craſſitudo inteſtini, & moles corporum eorum quæ nihil magis quam Conglobatas glandulas colore quoque referebant, eo magis augebantur quo magis deſcendebatur. Infima tamen pars inteſtini quanta tranſverſo digito operiri potuiſſet, cum ſana eſſet, ab ipſo demum extremo ano pendebant excreſcentiæ duæ, eratque circum anum cutis leviter exulcerata.

8. Nunc ut intelligas, Valſalvæ, & noſtras Obſervationes minus quam a primo fortaſſe apparet, ab Ruyſchianis differre, comparando invenies, ægrum quoque Ruyſchii primum (*l*) alvi fæces cum *ichoroſa & purulenta materia* excreviſſe, alterius autem (*m*) morbum a quibuſdam Medicis creditum *hæmorrhoides eſſe*: quorum utrumque in pleriſque etiam accidit ægrotantium noſtrorum. Quin credo, inter cauſas cæteras, quare hoc vitium, quamvis fortaſſe non ita rarum, paucioribus innotuerit, nec fere niſi ſerius, immiſſo tandem digito, agnoſcatur præcipuam illam eſſe, quod ægri & Medici nihil plerumque ſubeſſe mali, niſi hæmorrhoidum, arbitrentur. Itaque in illo altero Ruyſchii caſu eas eſſe per inciſiones auferendas, ſtatuerunt, idque etiam incaſſum, ut neceſſe erat, tentatum eſt. Et ſane ſi vel ejuſmodi eſſet id, quod deſcripſimus, morbi genus, ut Chirurgi ferro adimi poſſet; ipſa tamen, ſicut ab Ruyſchio, & a nobis conſpecta eſt, ſæpe altiſſima morbi ſedes nullum ei curationi locum relinqueret. Non me quidem fugit vetuſta illa quæ inter Hippocratis libros circumfertur, ſententia (*n*) *Rectum inteſtinum & ſecans & reſecans, & conſuens, & urens, & putrefaciens, etiamſi graviſſima hæc eſſe videantur, nihil læſeris*. Sed neque illud fugit, hoc dogma a peritiſſimis Chirurgis ad eam ferme inteſtini partem referri, a cujus profundiore inciſione plerique olim ne ſphincterem ani diſcinderent, ejuſque in perpetuum tollerent vim & officium abſtinebant. Quem metum niſi aliorum obſervationes magna ex parte ſuſtuliſſent; poſſem tibi confirmare, audiviſſe me Valſalvam cum diceret, ſe periculo facto in canibus, deprehendiſſe, ſphincterem illum, quanta quanta erat, craſſitudine diſſectum, iterum ſuas recuperaſſe vires, ſuoque munere, quamvis non ita valenter ac antea, functum eſſe, idemque in homine, occaſione data, animadvertiſſe. Quin etiam in ſcheda ejus quadam, poſt id tempus ſcripta, hæc legi, perſanatum ab eo eſſe virum A. 1708. cui abſceſſus, & huic adveniens gangræna partem alterius natis corroſerat cum tota ea ſphincteris

por-

(*y*) Vid. ejus Obſerv. Medic. l. 3. c. 2. in fin. (*z*) c. cit. (*a*) Vid. Act. Erud. Lipſ. M. Jul. ubi ejus Curæ Med. referuntur.
(*b*) Eph. N. C. Cent. 10. in Append. n. 4. (*c*) Commerc. Litter. A. 1740. Hebd. 30. n. 1. (*d*) Obſ. 95. & 96.
(*e*) Dec. 2. c. 10. (*f*) Reſponſ. ad Bidl. (*g*) A. 1742. Hebd. 35. § 3. n. 1. (*h*) A. 1744. Hebd. 2. §. 3. n. 2.
(*i*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 65. (*k*) Vid. n. proximo ſuperiore. (*l*) Obſ. ibid. cit. 95. (*m*) Obſ. 96. (*n*) l. de Hæmorrhoid. n. 1.

portione quæ illi reſpondebat, ut fæces præter voluntatem redderet: hunc igitur, ad vitæ extremum adductum, evaſiſſe, & ulcere perfecte conglutinato, ſphincterem in priſtinum ſtatum rediiſſe. Verum etſi hæc vera ſunt, tamen quo magis a ſphinctere altius receſſeris, eo periculoſior inciſio accidet, ſive craſſiore aliquo ſanguifero vaſe læſo, ſanguinis effluxum coercere non poſſis, ſive nervum pungas, unde lethalis is dolor, quem obſervavit Fabricius noſter (o), videtur proveniſſe, ſive etiam neutro vulnerato, inteſtinum dumtaxat perfores, ſicque fæcibus exitum aperias in ventris cavum: quæ pericula in cæcis atque abditis inciſionibus vitare quis poſſit?

9. Ob has igitur, aliaſque cauſas ſatis per ſe manifeſtas cum efficaci curationi non ſit locus, relinquitur, ut cum Ruyſchio (p), & Valſalva quam *palliativam* appellitant, neceſſario amplectamur. Laudabat ille emollientia, & dolorem lenientia enemata. Nec improbabat alter, niſi continuo refluerent: quamobrem modicas injectiones potius, & inſeſſus commendabat, addito etiam quo ad æger ſine moleſtia perferre poſſet, apto, & perforatis lateribus tubulo, per quem humorem illum in quo inſideret, ad morbi ipſam ſedem admitteret, admiſſumque interea dum inſeſſu uteretur, ſervaret. Humorem autem varium pro varia morbi conſtitutione laudabat, modo calcis, quam vocant, aquam, plus, minuſve, at ſemper dilutam; modo thermalem illam quæ ſupra Bononiam eſt, diciturque Porrectæ Veteris, quam interdum quoque potui dabat; alias, cum exulcerationem minime adjunctam eſſe, cenſebat, communem aquam incoctis quæ magis ex uſu futura crederet, medicabat. Sic varia etiam aſſumenda præbebat, in his reſinam terebinthinam, cui aqua ſuperbiberetur medicata herbis vulnerariis (quacum aliquando reſinam illam, vitello ovi ſolutam, commiſcebat, & ad injectiones utebatur) nonnunquam autem, cum anni tempus eſſet calidius, reſina omiſſa, aquam in qua eædem, aut aliæ pro re nata incoctæ eſſent herbæ, ſed pro aquæ copia pauciores; ut quam largiſſimus prope inſtar thermalium aquarum eſſe poſſet earum uſus; bibi volebat: hyeme vero vinum, in menſa quidem, idque domeſticum, in quo, autumni tempore, cum in dolio ferveret, radices ligna, folia, quæ magis convenire, crederet, fuiſſent macerata. Utriuſque ego conſilia, & exempla hactenus ſecutus ſum, ut alia aliis magis commendans, fere quæ adverſantur lui Venereæ admiſcerem, ut pote quam ejuſmodi affectus præcedere plerumque ſolitam animadverti, multoque minus omitterem quæ in duris tumoribus reſolvendis magnam interdum tuliſſe opem, cognovi. His enim ſæpius quam iis quæ proprie emolliunt, utendum credo, ne forte nimium laxatis fibris, partes ingruenti materiæ cedant, & tumor increſcat, omnemque exitum fæcibus intercludat: itemque dandam quidem operam, ut hæ molles ſint, ne duræ, craſſæque ſibi ipſæ anguſtiorem jam viam obſtruant, aut, ſi tranſeant, nimia vi in tumorem facta dolores moveant, & ulcera, ſiqua ſint, augeant; nec tamen ad illud obtinendum, ob has ipſas cauſas, utendum pharmacis quæ aut ipſa acria ſint, aut acres, multoſque humores illuc verſus concieant.

10. Alvi Adſtrictionem, de qua breves has ad te Litteras ſcripſi, duo conſequuntur morbi, alter ſæpius, id eſt Hæmorrhoidum affectio, alter haud ita raro, id eſt Ani Prolapſus. De hoc, credo quod ſcires nullam eſſe in Sepulchreto Sectionem, jam pridem longum Conſilium quoddam flagitaſti, quod a me ſcriptum inaudiveras, ego vero, quale id cunque eſt, mittam Epiſtola proxima. De Hæmorrhoidum autem affectione Sectio quidem extat in Sepulchreto (q); ſed brevis adeo, ut ſi Scholia demas, vix dimidium paginæ impleat. Quapropter malumus de Hæmorrhoidibus nonnulla huc addere, quam cum eo pervenerimus, Epiſtolam ſcribere, præſertim cum diſſectiones quæ ad earum morbos proprie attineant, neque inter Valſalvæ Obſervationes, neque inter noſtras ferme inveniamus. Quod igitur duram alvum ſæpe, ut paulo ante dictum eſt, conſequanrur hæmorrhoides, neque dubium eſt, & a Boerhaavio (r) ſic explicatur, quod in nixibus ad egerendum neceſſariis *comprimuntur inteſtina, ſanguis arterioſus promovetur, venoſus retardatur, adeoque ſtagnat in vaſis inteſtini recti, putreſcit, ſicque diſpoſitionem ad hæmorrhoides inducit*. Non ſum neſcius, ob alias etiam cauſas ſtagnare ſanguinem in venis ejuſdem inteſtini. Cum enim harum intimæ ad Portarum denique truncum pertineant; ſi forte accidat, ut eæ ſive in via, ſive in termino, aut hic circumjectarum partium convulſione, diſtentione, obſtructione diutius ſtringantur, premanturve; proclive eſt intelligere, ſanguinem facile iis in venis remoraturum: Sic meſenterio convulſo, ſic inteſtinis flatuum copia nimis tumentibus, ſic obſtructo jecinore, id non difficulter fieri poſſe. Quo ſpectat Veſalii Obſervatio, quæ prima, eademque præcipua eſt de tribus quæ in perbrevi illa quam paulo ante indicavimus, Sectione leguntur. Neque enim in eo qui ſanguinis ex hæmorrhoidibus fluxu per intervalla laboraverat, lien ſolus durior fuit, ut fortaſſe credes quintum libri III. de Fabrica Corporis humani caput inſpiciens, quo ex uno ea Obſervatio in Sepulchreto deſcripta eſt; ſed & *jecur fuit mira duritie*, quod ex XV. capite cognoſces libri V. ubi Veſalius paulo minus preſſe eundem caſum propoſuit, veramque ſimul quam iis temporibus ille non poterat, ex parte ſaltem cauſam intelliges, cur interna hæmorrhoidalis vena *ſub coli inteſtini fine, & tota recti longitudine pollicis fere craſſitiem æquaret*. Nimirum haud ſatis facile erat, ſanguinem per jecur ejuſmodi tranſire. Sed cur igitur, inquis, non ſubſtitit in aliis pariter venis ad Portarum truncum pertinentibus? Nempe ob hoc dixi, te cauſam illam ex parte ſaltem eſſe continuo aſſecuturum. Adde igitur; ut alia omittam; maximam, quæ inter cæteras illas venas huic uni peculiaris eſt, longitudinem, ut multo ex hac quam ex illis, difficilius ſit ſanguinem promoveri ſurſum, præſertim ut humani corporis requirit ſitus, quæ una haud dubie ex cauſis eſt, quare alia animantia hæmorrhoidibus non ſint obnoxia. Quod ſi quibus in corporibus expedito ſurſum ſanguinis motui quodpiam eſt impedimentum, in iis quæras, cur in tibiis potiſſimum venæ in varices ſe dilatent, eandem præcipue invenies cauſam quam hæmorrhoidibus aſſignamus. Hæmorrhoides autem *nihil aliud eſſe quam varices venarum ani*, diſerte vel in Sepulchreto (ſ) habes docentem Walæum: idemque alio loco leges confirmantem Boerhaavium (t), ubi aliquanto fuſius, nec ulla putredinis injecta mentione, eadem quæ paulo ante ex eo retulimus, declaraverat. Quantum autem eæ venæ ſe expandant, in viro quodam (u) animadverti bono corporis habitu, & ad plenum accedente, quem ex vulnere ſub axilla mortuum Bononiæ ſecui A. 1706. Huic extremum inteſtinum, quod hæmorrhoidibus obnoxium fuiſſe, apparebat, cum eſſet intus varicoſis venarum nodis inæquale; majorem ex his perattente inſpiciens, miratus ſum, cum ipſo qui non modico alioquin diſtendebatur ſanguinis grumo, non niſi tenuiſſima ſanguifera vaſcula communicare, ut evidens eſſet, aliquam perexilem venam in eam fuiſſe amplitudinem dilatatam.

11. Ne igitur hæc contingant, quæ aut ſine acerbis plerumque, & præſertim in egerendo, cruciatibus minime fieri, notum eſt, ſi quidem varices iſti turgeant, nec rumpantur: aut ſine profluvio ſanguinis; ſi rumpantur; immodico interdum, & ea poſt ſe relinquente quæ hæmorrhoides non magnopere eſſe optandas, ſatis ſuperque docuerunt; primum plenitudo vitanda eſt; neque enim ut mulieribus in quibus neceſſarium id erat, ita viris apparatæ ab natura viæ ſunt, per quas opportune ſanguis minuatur; ſed a morbo aperiantur, oportet, tunc aliquando ſalutari, ſæpe autem periculoſo, ſemper incommodo. Deinde illa fugienda ſunt quæ alvum præduram faciunt; nec ea tantum dico quæ perminuta oſcula adſtringendo glandularum, inteſtina, & quæ his continentur, humectantium, non ſatis humoris prodire ſinunt, ſty-

(o) De Chirurg. Oper. c. de An. Fiſt. in fin. (p) Obſ. cit. 96. in fin. (q) l. hujus 3. Sect. 15. (r) Prælect. in Inſt. §. 774. in fin. (ſ) in Schol. ad 1. Obſ. Sect. cit. (t) Prælect. cit. ad §. 112. (u) De hoc Vid. Epiſt. 44. n. 22.

ptica videlicet atque acerba crebrius, aut largius ingeſta; ſed conſuetudinem etiam dico multo parcius edendi, & præſertim bibendi, quam ferre poſſit natura. Sic in Sarpii Vita legimus, cum ipſe junior parciſſime ederet, nihil autem vel plures ad dies biberet, in diuturnam alvi adſtrictionem incidiſſe, qua non modo ante triduum fere, interdum ante dies ſeptem nihil dejiceret, verum ut dejiceret tandem, iis uti nixibus cogeretur, unde multos ob hæmorrhoides dolores, & moleſtum ani prolapſum pertulit annos plurimos. Quod ſi iis quæ diximus, aliiſque ejuſcemodi vitatis, nihilominus æquo durior eſſe alvus pergat, neque uſus crebrior adjuvet mollientium ciborum; nulli alii ſubſidium illud poſtpones, ne hæmorrhoides ob nixus oriantur, quo claros Medicos uti video, ne ortæ, ſint adeo inter nitendum moleſtæ. Iniiciunt hi ante dejectionem unciam lenis cujuſpiam olei, in primiſque ſeminum lini: quo nos quoque cum duriora recrementa mollienda ſunt, imumque inteſtinum lubricandum, ſæpe uti ac feliciter conſuevimus, eodem fere pondere, aut certe non multo majori, ne continuo refluat, imo ut diutius retineatur: quanquam ſic olivarum quoque oleum interdum præſcripſimus ab eo uſque tempore ex quo narrabat Ramazzinus, in puerpera Matrona ſeptem jam dies nil dejiciente, cum multa, ac varia nihil proficerent, rediiſſe in memoriam quod legiſſe dicebat, ſi recte memini, apud Martinum Rulandum, ut binas horis ſingulis uncias communis olei injiciendas curaret, eaque ratione alvum ſolviſſe.

12. Matrona hæc ad memoriam redigit, quod ab Illuſtri alia Fœmina remedium adhiberi audivi, quæ tumentibus hæmorrhoidibus a longo jam tempore vexabatur. Quas, ut me conſulendi cauſa huc venerat, cum oſtendiſſet, ipſe autem quærerem, qua ratione tumentes adeo reponere ſine intolerabili moleſtia poſſet; continuo reſpondit, ſe multa & varia expertam, nihil utilius inveniſſe pinguedine quæ circa renes ſit canis rufi. Ea igitur rite præparata inungere ſe egreſſas inter deijciendum hæmorrhoides; eaque ratione aut ſine dolore, aut certe cum multo leviore, jam diu reponere ex quo ab aliis qui periculum antea fecerant, id ſecum pro arcano fuerat communicatum. Equidem canis pinguedine interius, non modo exterius, uſos interdum Medicos, antea noveram: ad eum autem uſum, & ex certi canis certa parte acceptam, non videor meminiſſe. Longe facilius cauſa agnoſci poteſt utilitatis duorum quæ dicam; ſunt enim magis, quamvis non eundem ad morbum, aut non eundem ad modum, pleriſque ſaltem uſitata. Nempe Albertinum vidi tumentium hæmorrhoidum cruciatus in Procere quodam lenire admotis cucurbitarum interaneis, aut injecta aqua in qua hæc fuerant decocta. A Procere autem altero generoſiſſimo atque ampliſſimo quippe Proregis munere nuper functo, cum medica a me pro ſibi cariſſimis conſilia quæreret, injecto forte de hæmorrhoidibus ſermone, accepi, ipſi quidem in harum doloribus ita prodeſſe linteola, ſubinde admota, quæ maderent tepida in qua lini ſemina, & conciſæ radices althææ decocta eſſent ad tertias, ut cruciatus non modo ſedarent, verum etiam, ſi ſtatim atque hi inciperent, admoverentur, increſcere hæmorrhoidum tumorem non ſinerent, nec, quod conſequitur, diſrumpi, & ſanguinis profluvium fieri. Ubi autem hoc nimis urgeret, Valſalva; ut ad Medicos redeam; tria præ cæteris laudabat, a quibus videlicet acciderat ut mirabiles effectus videret: primum, theriaca recenti, pondere ſex circiter drachmarum, admiſtis quatuor, aut ſex etiam, in magno fluxu opii granis, regionem umbilicalem linire. Alterum, vitriolum in calcem redactum, quod Chymici appellant *colchotar*, parti unde ſanguis profluit, adhibere. Tertium, curare, ut æger imum inteſtinum extrorſum premat, ſi forte, ut nonnunquam accidit, apertum vaſis ſanguiferi foramen in conſpectum veniat: tunc autem vitrioli fruſtulum, ſicut hæmatitem pictores ſolent, in extrema quapiam fiſtula aptatum, ei foramini tantiſper apprimere, dum cruſtam inducat. Hoc autem quo proponebat, ordine aliud poſt aliud adhiberi, volebat, ubi nimirum priora non reſpondiſſent.

13. Et quoniam non de novis remediis hic agitur, aut de inuſitatis curandi rationibus, ſed de iis quæ proficua ex ipſo Illuſtrium Ægrotantium, aut gravium Medicorum teſtimonio comperta ſunt, in primiſque de Valſalvæ noſtri conſuetudine; hanc tibi pernoſcere cupienti illud quoque adjiciam: Si forte in hominem incidiſſet, chirurgicam opem non temere flagitantem, ne immodico in poſterum curſui ſanguinis per hæmorrhoides obnoxius eſſet; non ſecuturum fuiſſe, niſi forte in recenti morbo, & curandi quidem ratione alia, non, inquam, ſecuturum fuiſſe Auctorem libelli *de Hæmorrhoidibus* inſcripti (x), *oportere* docentem *nullam hæmorrhoidem ſine uſtione ſinere, ſed omnes exurere;* ſed Auctorem potius Sectionis VI. Aphoriſmorum (y) admonentem, *a diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi una non ſervetur, periculum eſſe, aquam intercutem, vel tabem advenire*. Hoc enim vel in ulcerum ani curatione diligenter cavebat. Sic quendam qui ſexdecim jam annos iis ulceribus laboraverat, cum mihi octavo a curatione anno ſatis bene etiam tum valentem oſtenderet; unum enim ulcus, inquit, idque minus quam cetera moleſtum, conſulto intactum reliqui. Hæmorrhoides autem, an ulcera eſſent quæ primarios duos Equites male haberent, cum in controverſia foret; memini, continuo ipſum in utroque ulcera eſſe, oſtendiſſe. In altero enim cum digitum altius immiſiſſet, certam indicavit cæteris ſedem ulceris, in cujus videlicet orificium digiti apex exceptus, annulo quaſi quodam conſtringi videretur; ſic enim ſæpe Recti inteſtini, ac vaginæ ulcera ſe habere, ut os anguſtius in capaciorem ſinum ſe dilatet. In altero, ne digito quidem immiſſo, tum ulcus eſſe, tum non ita altum eſſe, oſtendit; erant enim inter alios quidam cenſentes, id quod excerneretur, mucum eſſe a glandulis Recti inteſtini etiam altioribus expreſſum. Quos facile convicit ipſo ægri teſtimonio, qui cum fateretur, id ſibi jugiter effluere; conſequebatur, ejus materiæ ſcaturigines ſupra ſphincterem non eſſe. Ea autem materia cum purulenta a Valſalva ipſo, cujus in ejuſmodi præſertim re ſpectatiſſimum erat judicium, procul dubio pronunciaretur, atque adeo oſtenderetur, jam nulla relinquebatur dubitatio, quin ab ulcere eſſet deducenda. Tanto autem pluris illud ejus judicium faciebant, quod nemini erat obſcurum, præclare ipſum, ſi quis alius, nota ea habere atque perſpecta quæ in Scholiis quoque commemorantur ad Obſervationem illam (z) I. Sect. XV. de mucoſis quibuſdam, & ſubalbis ſordibus, e podice interdum prodeuntibus, quæ, ut nonnullis pro pure impoſuerint, a Medicis tamen Doctiſſimis agnitæ ſunt non ſecus ab hæmorrhoidalibus venis excerni, quam ſæpe albus fluor (quæ comparatio erat Plateri, in iiſdem Scholiis laudati) ab uteri vaſis abſque ulla ulceris ſuſpicione excernatur. Quod a te facile eadem ratione explicabitur qua ejuſmodi uterinum fluorem a nobis in IV. Adverſariis (a) explicatum videbis, nimirum ſi, qui vaſorum hiatus effundebant, ſanguinem, cum magis patebant, eoſdem, non prorſus, ſed magis tamen adſtrictos, ſinere, intelligas, non ſanguinem amplius, ſed ejus dumtaxat ſerum, viſcidum per ſe in quibuſdam, aut mora mucoſum factum, ſenſim deſtillare, aut a recrementis expreſſum, tranſire. Hæc habui quæ de Hæmorrhoidibus adjungerem. Vale.

EPI-

(x) n. 1. (y) Aphor. 12. (z) ſupra ad n. 10. (a) Animad. 27.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXXIII.

Agitur de Recti Inteſtini Prolapſu.

De Prolapſu Recti Inteſtini non modo nulla in Sepulchreto Anatomico Sectio eſt; ſed ne ullæ quidem uſquam extant, quantum ipſe in præſentia memini anatomicæ Obſervationes. Quibus, tanquam firmis fundamentis cum inniti ſoleat quidquid ſolidi circa plerorumque morborum internas origines, & continentes cauſas Medici ratiocinantur; propterea haud mirum eſt, de eo morbo necdum prodiiſſe, aut certe meas ad manus perveniſſe Tractatum, qualem de nonnullis vel rarioribus, levioribuſve vitiis habemus, qui ſatis videlicet prælucere, & minuere laborem poſſit his quibus ſuper illo prolapſu verba ſint non temere, inconſultoque facienda. Quo nos Tractatu carere nunquam magis intellexi, quam cum illud a me Conſilium quæſitum eſt, cujus exemplum tibi, jam diu petenti, cum his Litteris me ſum pollicitus eſſe miſſurum. Mitto autem quale tum fudi, niſi quod hic tibi latine reddidi. Quæ vero ſic, ut Conſilia, aut ſtatim fere, aut intra perpaucos dies ab Ægrotantium Amicis flagitata, a me quidem funduntur, nullam ſcio habere gratiam poſſe, niſi celeritatis. Quamobrem nemini præterquam iis pro quibus ſunt, illorum copiam facio: ab iiſque exierint neceſſe eſt, quæ te legiſſe plurima ſcribis meorum Conſiliorum exempla; niſi forte quædam, ſicut interdum accidiſſe perſpexi, mihi temere a deſcribentibus ſuppoſita ſunt. Quanquam autem neque hoc ſatis probem quod hic habebis, imo aliud aliquod libentius fuiſſem miſſurus; hoc tamen, ſi non inſervire poterit, ut quæ Conſilia revera ſint a me internoſcas, indicabit ſaltem pleraſque ex iis rebus quas de hoc morbo vellem ab Anatomicis fuiſſe quæſitas. Scriptum erat igitur in hanc ſententiam.

2. Utinam quantum evidens morbus eſt, & cauſa quæ morbum auxit Generoſi, & Doctiſſimi Viri, tantum mihi notæ eſſent internæ cauſæ, a quibus initio ille eſt factus, & a quibus adhuc ſervatur, & quod multo plus intereſt, quæ magis efficaces rationes ſint ejuſdem bene curandi. Morbus quidem Prolapſus eſt Recti inteſtini: Cauſa autem qua auctus eſt, nimii ac diuturni egerendi conatus. Sed quo ab his modo auctus fuerit, unde, & quod initium habuerit, & quibus a cauſis adhuc ſervetur, ſive, ut loquuntur Medici contineatur; hæc vero omnia in tanto præſertim temporum, & locorum intervallo, mihi ſubjicere eſt difficillimum, ſcire autem propemodum impoſſibile. Quod ſiquis eſſet qui ſymptomata, & criſes obſervare potuiſſet pertinacis illius, moleſtæque febris, cui ſucceſſit initium morbi hujus; & tunc, & cum poſtea auctus eſt, & hoc quoque tempore diligenter perſpicere, quale ſit ſuperius, & inferius extremum tubi prodeuntis, & quæ hujus ſit *conſiſtentia*; illi forte minus difficile eſſet veras morbi cauſas conjicere.

3. Hæ; ſi vel *conjunctarum* dumtaxat genus ſpectetur; multæ eſſe poſſunt, multumque inter ſe diſcrepantes. Eruditiſſimus Civis meus Hieronymus Mercurialis *(a)*, & Ambroſius Paræus *(b)* unam præcipue afferunt, nimirum ſphincteris ani relaxationem, quæ inteſtinum exire ſinat. Sed neque medica experientia patitur, ut facile aſſentiar, quippe ea edoctus, ne veræ quidem ſphincteris illius paralyſi ſtatim ſuccedere ſolitum eſſe inteſtini exitum, ſed tempore demum interpoſito: & in noſtro præſertim ægro intelligo, quam robuſtus adhuc is muſculus ſit, utque alii omni, etiam violento, reſiſtat motui. Joannes autem Riolanus *(c)*; parentem dico; ad ſphincteris relaxationem Levatorum quoque ani relaxationem adjungit; hancque pars magna Medicorum agnoſcit. Ego vero ſitne hæc, & ab initio fuerit in hoc caſu, neque audacter negare velim, neque pro certo affirmare poſſim. Hoc tantum ajo, ſi forte etiam ſit, certe amplius ſolam non eſſe. Ex Anatome enim ſcio, inteſtini partem quæ extra podicem reſtare poſſit ob hanc tantum cauſam quod ab iis muſculis non relevetur, eſſe infimam, & paucorum digitorum; non eam quæ ſupra hanc eſt, & octo aut decem circiter digitos longa, imo ſexdecim, aut viginti, ſi duplicata, ut eſt ſe extrorſum invertendo, ſpectetur.

4. Alias igitur cauſas hic cogitare neceſſe eſt, illamque inter cæteras quæ ab Docto Medico conſulente attingitur, id eſt inteſtini divulſionem a meſocolo, aut aliam aliquam cauſam quæ eodem redeat, & facilior ſit, ut puta relaxationem, ſenſim factam, ultimæ ejus meſocoli partis, quæ vinculi loco eſt tum Recto, tum proximo illi in quem hoc deſinit, flexuoſo, & mobili tractui inteſtini Coli. Non me fugit, recentiſſimis quibuſdam Medicinæ Magiſtris veri ſimile non videri, totum inteſtini corpus prodire, ſpectantibus hujus vinculorum firmitudinem, arctumque nexum cum uteri vagina in fœminis, cum veſicæ autem collo, & vicinis partibus in viris, & Obſervationem præterea quam ex Cowpero *(d)* proferunt, hominis, qui poſt diuturnum ani prolapſum, hujuſque tandem ex nimia intemperantia ſphacelum, cum propendentium corruptarum partium exſtirpationem ſuſtinuiſſet, non modo priſtinam recuperavit valetudinem, ſed etiam ab ani prolapſu immunis omnino vixit. Credunt itaque ipſi, & Cl. Junckerus *(e)*, non totum inteſtini corpus, ſed internam dumtaxat tunicam relaxatam, & craſſam factam ſe ſe invertere, atque exire: quibus illud favere, non negaverim, quod ad eundem hunc modum accidere in uteri, id eſt in vaginæ frequentioribus prolapſibus creditur, quos multi cum raris utique ipſius uteri prolapſibus male confundunt. Verum etſi neque id me præterit, nec quantum membranæ poſſint relaxatæ, & humore imbutæ longiores fieri, & craſſiores; tamen cum relego quod ſe in quibuſdam vidiſſe, ſcribit, Fabricius noſter ab Aquapendente *(f)*, ani videlicet *procidentiam ita longam, ut cubiti menſuram æquaret, atque ita craſſam, ut ambos cubitos ſimul junctos metiretur* (qui locus exciderat forte Junckero *(g)*, cum a Muralto *(h)* memoratum, pari longitudine prolapſum *fidem fere ſuperare*, cenſuit) cum igitur talia relego, eo mihi in certis quibuſdam caſibus inclinare videtur animus, ut credam cum Viro Cl. Polycarpo Schachero *(i)*, neque prima illa, neque ſecunda hac ratione rem accidere, ſed tertia potius quæ ab ipſo propoſita eſt. Scilicet immota infima Recti inteſtini parte, quam firme adeo cum vicinis connexam diximus, ſuperiorem hac partem reliquam intra eam cum recrementis prolabi, inverſamque extra anum prodire. Satis enim eſt meſocolon ibi relaxari, ubi Rectum continet; aut, ſi prolapſus longior ſit, ibi præterea, ubi ad proximum illum pertinet mobilem, & flexuoſum Coli tractum, qui ſicuti aliis longior contigit, aliis brevior, ut in Adverſariis III. *(k)* diximus; ita plus minuſve extendi, & deſcendere poteſt, & Rectum prolabi ſinere. Quod ſi ne additamentum quidem hoc meum ſatis eſſet; tum vero de alio inſuper cogitarem, ut ſi præter illas tres ſuperiores, quarta proponi poſſet ratio, ſecundum quam & id fieret quod modo in tertia diximus, & præterea interna tunica, ut in ſecunda dictum eſt, relaxata, & inver-

ſa

(*a*) De Morb. Puer. l. 1. c. 10. (*b*) Oper. Chirurg. l. 7. c. 18. (*c*) Meth. Med. Sect. 3. ubi de Ileoſi.
(*d*) Anat. of hum. 601. T. 39. F. 7. (*e*) Conſp. Medic. Tab. 110. (*f*) De Chir. Oper. c. de Ani Procid. (*g*) Tab. cit.
(*h*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 1. Obſ. 113. in Schol. (*i*) Diſp. de Morb. a ſitu inteſt. p. n. c. 2. §. 3. (*k*) Animad. 6.

ſa procidens, per infimum exeuntis inteſtini extremum prodiret, ipſumque, ſe addendo, longius faceret.

5. Non eſt quidem meæ conſuetudinis longiore oratione uti in theoretica medicorum Conſiliorum parte; neque enim ignoro, ægrorum pleroſque eſſe Empiricorum ſimiles, non dubitantium, ut ait Celſus (l), *has latentium rerum conjecturas ad rem non pertinere, quia non interſit, quid morbum faciat, ſed quid tollat.* Hic tamen aliter mihi agendum exiſtimavi, non modo quia doctiſſimus is Æger eſt qui conſilium requirit meum, verum etiam quia tametſi quædam animadverſiones quas ex iis deducam quæ hactenus dixi, non oſtenſuræ eſſent adverſus Empiricorum opinationem eorum quæ dixi, utilitatem; certe cum prolapſus quo de loquor, cum una poſſit, aut cum altera, aut cum pluribus ex variis quas attigi, cauſis eſſe conjunctus, mihi autem ob ea quæ initio (m) ſunt indicata, non liceat ſine maxima difficultate, & quod conſequitur, ſine maximo errandi periculo, quacum illarum reapſe conjunctus ſit, definire; oportet ſaltem ut per quandam *inductionem*; id quod facio; colligam, ſive una, ſive altera, ſeu plures hic ſint earum cauſarum, veri ſemper eſſe ſimile, ut in relaxatione quadam conſiſtat, & hac quidem, ſicut ejus oſtendit effectus, viginti ab hinc annis, eoque amplius inchoata, paulatim autem poſtea adaucta.

6. Ex quo ut Indicatio exiſtit relaxatis partibus reſtituendi primum illum juſtæ arctitudinis modum, nexum, ſitum, vigorem; ita nemo eſt vel leviter in Re Medica verſatus, qui non continuo intelligat, difficillimum, ne dicam impoſſibile eſſe id aſſequi. Quod ſi, ut generatim Galenus docuit (n), ſedis vitia & affectus *difficilem curam accipiunt*; quæ cauſa fortaſſe fuit, cur quidam olim Medici in eorum dumtaxat curatione ſuum omne ſtudium locarent (o); quanto difficilius hoc poterit contumax adeo, & vetuſtum ſanari? Multo quidem majorum prolapſuum, velut is erat quem ex Muralto commemoravi (p), ſanationem legiſſe memini. At antiquorum, & qui a viginti jam annis affligerent, certe non memini. Itaque ſatis nobis hic eſſe deberet, ſi cum tolli relaxatio nequeat; palliativa ſaltem, ut vocant, curatione aut prohiberetur, aut minor, & levius ferendus redderetur quotidianus illius effectus, qui gravis eſt adeo cum propter moleſtiam, tum quia morbum auget, tum etiam quia in ſummum aliquando periculum poteſt adducere vel nimis aucto eo quod procidit, vel ſerius repoſito, vel ab aeris injuriis vitiato, vel denique minus cohibito a ſphinctere, qui temporis decurſu relaxari poteſt tunc præcipue cum fractum ætatis robur minus huic relaxationi poterit, & ei quæ jam adeſt, ne magis augeatur, obſiſtere.

7. Sed quemadmodum ad hanc tollendam fruſtra adhibita eſſe, intelligo, medicamenta quæque validiora; ſic pariter video, adverſus relaxationis effectum in palliativa curatione incaſſum tracta fuiſſe in uſum inſtrumenta multa, & varia, ideoque alia a me requiri, illiuſque in primis deſcriptionem, quod fuiſſe olim dicitur a Monacho ingenioſiſſimo Paulo Sarpio excogitatum. Ego autem vereor, ne ad iſta quæ jam ſunt adhibita, ea tandem referri poſſint omnia; ſi quod præcipuum eſt, ſpectemus; quæ mihi quidem cognita ſunt, interque hæc illud quoque Sarpianum, quando ejus nullam deſcriptionem invenio præter hanc quæ apud Rhodium (q) legitur: *Hæmorrhoides in ſuum repoſitæ locum, ne denuo procidant, annulo ferreo dextre cohibeantur: quem ſummi ingenii Viro Paulo Servitæ Veneto plures magno commodo acceptum referunt. Annulum vero aluta utrinque continet, quæ perinæum, & clunes verſus, faſciis quatuor ejus capitibus adſutis, lineo cingulo innexis firmatur.* Ad annulos igitur, jam in uſum tractos, inſtrumentum Sarpii attinet: ad eundemque, nedum ad *tabulas* Hippocratis (r) *anguſtiſſimas* id redit quod ab Riolano (ſ), duobuſque aliis Gallis Blegnyo (t), & Dioniſio (u), & ante hunc etiam a Muralto (x) laudatur, nimirum tabula, foramine pertuſa ejuſmodi, ut egerentis inteſtinum tranſire ne ſinat: quam tabulam Muraltus veſtiri jubebat panno cæruleo ex *Indigo*, non *terræ Madagaſcar*, ſed *inſularum Antillidum*. Eodemque tandem recidit quod, nullo inſtrumento adhibito, ſuadebat Paræus (y) ſcribens, *rectus ſtanſque ſi alvum exonerare poſſit, nunquam egerendi contentione inteſtinum excluſum iri*. Verum cum Æger, nobis propoſitus, exonerare alvum nequeat, niſi, omni artificio amoto, inteſtinum exire ſinat; terere mihi tempus videar, ſi alia ejuſdemmodi excogitare coner, nec potius cauſam quæram, cur inutilis hic uſus ſit ejuſcemodi inſtrumentorum, ut hac cauſa cognita, aut ſolertis Chirurgi alicujus excitetur ingenium ad longe aliud, quod utile eſſe poſſit, inveniendum, aut ſi hoc omnino fieri non poſſe, intelligatur, pars affecta nullis in poſterum inſtrumentis vexetur.

8. Et primum credibile ſane hic non eſt, ideo exire inteſtinum neceſſario eſſe ſinendum, quod recrementa nimis craſſa, & dura tranſire nequeant per inſtrumenta illa quæ ſunt memorata; id enim ſi eſſet, jam pridem fuiſſet proviſum, & ne accideret, opportuna aut vivendi norma, aut modici aptique humoris injectione perfectum. Itaque relinquitur, ut totius inteſtini, aut internæ ejus tunicæ relaxationem tantam eſſe, credamus, ut illud, aut hæc, detrudentibus excrementis, deſcendens, multis, magniſque rugis, quarum aliæ aliis imponantur, valvulæ inſtar efformet, quotieſcunque artificio præſertim aliquo cohibitum, ſe prorſus extendere, & explicare non queat, ſicque apertum recrementis exitum dare. Quod ſi eſt; omnia ejuſmodi artificia ſunt removenda, per quæ cum ea inteſtini pars inter deſuper adactas fæces, & inſtrumentum comprimatur; nulla inde ſperari utilitas, imo vel major noxa timeri aliquando poteſt. Illorum loco novum quoddam requireretur inſtrumentum, quod non ſolum exterius, ut illa, infimam ſuſtineret inteſtini partem, ſed ſimul eo perveniret, ut fulcire interius, ac opportune dilatare poſſet parietes relaxatos, ne rugarum, & valvularum inſtar, ſe ante fæces invertendo, his, cum exituræ ſunt, intercluderent viam. Oporteret hoc inſtrumentum eſſe ejuſmodi, ut facile immitti poſſet, atque intra modum dilatari ſtatim ac inciperet naturalis neceſſitas poſcere, neque ullum ſive lateribus, ſive præſertim ſumma ſui parte inteſtino læſionis periculum afferret: ad quod avertendum ſumma quæque illius partium, priuſquam immitteretur, molli aliquo ac recenti conveſtiri poſſet parvi animalis inteſtino. Notum ſpeculorum, quæ vocant, artificium quibus Chirurgi utuntur ad vaginam uteri, ipſumque adeo Rectum inteſtinum dilatandum, poſſet fortaſſe prudenti, ac ſolerti inſtrumentorum excogitatori facilius ſuppeditare multo meliorem, minuſque incommodam ideam hujus inſtrumenti quo ſatis eſſet extenſam ſervare eam inteſtini partem quæ facile dilatatur, illam videlicet quæ eſt ſupra ſphincterem; per hunc autem qui magis dilatationi reſiſtit, non plus viæ apertum relinquere quam quod tranſituris mollibus & quaſi fluidis excrementis ſufficeret; talia enim ut ſint, per vivendi normam, uti dicemus, nihilominus curandum eſt. Sed cum probe ſciam, machinarum pleraſque, ubi ad uſum trahuntur, ſpei, & cogitationi minus reſpondere ſolitas eſſe, in hoc autem ſpeciatim caſu præclare videam quæ oriri detrimenta poſſent non modo ſi inexperta manus inſtrumentum immitteret ac dilataret, verum etiam ex ipſa frequenti immiſſione, ac dilatatione, atque adeo ab ipſo inteſtini, dum fæces expellerentur, motu, & compreſſione, cumque tandem ne illud quidem ſcire pro certo queam, relaxationem haud altius incipere quam quo pervenire inſtrumentum poſſit, profiteor, de hoc me non alia mente ſermonem inſtituiſſe, niſi ut alios ad commodiorem aliquam, faciliorem que ideam quærendam excitarem: quam ſi tuto, & ſine ullius periculi ſuſpicione ad uſum deduci poſſe conſtaret; tum vero experimentum ejus capere, neque ab re profecto, neque inutile fortaſſe foret.

(l) De Medic. in Præf. (m) n. 2. (n) De Comp. medic. ſec. loc. l. 9. c. 6. (o) Vid. I. Gal. adſcr. de Partib. Art. Med. c. 2.
(p) n. 4. (q) Cent. 2. Obſ. Med. 94. (r) De Fiſtul. n. 4. (ſ) Sect. cit. ſupra, ad n. 3.
(t) L. Art de guerir les hern. P. 2. S. 2. c. 8. (u) Cours d'Oper. de Chir. Dem. 4. (x) Schol. cit. ſupra ad n. 4.
(y) cap. cit. ſupra ad n. 3.

9. Quando autem; id quod propter modo indicatas cauſas plurimum vereor; pro explorato haberent omnes, in palliativa curatione nullum hic reſtare cuivis inſtrumento locum; tunc nihil negotii Medicinæ relinqueretur, niſi ut videret, num forte in curationibus quæ ad tollendam iſtam relaxationem jam pridem inſtitutæ ſunt, prætermiſſum fuiſſet remedium ullum, quo ſi non vinci, at aliqua ſaltem ex parte imminui morbus poſſet.

10. Ex Chirurgia quidem multa olim adverſus hunc morbum trahebant auxilia. Laudabat Riolanus (*z*) cucurbitulas duas, ſingulas ad latera ſingula imi Sacri oſſis admotas, ſive ad clunes, ut memorat Schacherus (*a*), inde aliquid commodi tunc expectans, cum princeps mali cauſa hæret in languidis ani muſculis. Ego non multo plus hinc ſpero, quam a cauteriis duobus ad infimam Spinam adhibitis, quæ, Arabum aſſeclas ſecutus, Mercurialis (*b*) propoſuit, Marcus autem Aurelius Severinus (*c*) confirmavit; niſi in eo forte adhibenda eſſent, cujus habitus longe alius eſſet ac Ægri noſtri, & prolapſus ab nimia humoris copia aut factus, aut ſervatus. Quod vero ad famoſum auxilium attinet antiqui illius Chirurgi Leonidæ, quem Vir Cl. Daniel Clericus (*d*) eundem credit ac Leonidem Medicum Epiſyntheticum, a Cælio Aureliano (*e*) memoratum; nec varia aliorum judicia omittam, nec meum reticebo. Igitur cum diæta nihil profeciſſet, neque medicamenta contuliſſent, malo jam inveterato, cenſebat Leonida, & neceſſarium eſſe, & minime periculoſum externam ſedis partem extremam cauteriis aliquot inurere; ſic enim cicatrice ſolida ſuccedente anum in ambitu conſtringi, & prolapſum tolli. Apud Aetium (*f*), qui hanc, aliaſque Leonidæ nobis curationes ſervavit, legi hæc aliquanto diſtinctius poteſt: quam Fabricius quoque ab Aquapendente (*g*), & Riolanus (*h*) commemorarunt. Severinus (*i*) autem non modo ipſam memorat; non modo ſuis multis obſervationibus confirmat, ignem huic parti, in aliis morbis tamen, adhibitum, ſibi feliciter ceſſiſſe; ſed ignavos Medicos vocat, per quos ipſi non licuit eodem ignis præſidio Virum curare ex Equeſtri Surgentiorum Familia, cujus prolapſus, ut Ægri noſtri, vicennalis erat, nullamque pariter ex omnigenis medicamentis opem retulerat. Contra, Nicolaus Blegnyus (*k*) ejuſmodi curationem abjicit, ut non minus moleſtam, quam noſtris temporibus inuſitatam. Petrus autem Dioniſius (*l*) a ſe unquam negat eſſe viſam, ejus Auctores crudeles vocat, ipſam vero vel audientibus horribilem: creditque, ſi quis forte eſſet qui eam tentare vellet, neminem fore qui non adverſaretur, idque merito propterea quod ſine illa ſanari poſſunt hæc mala: quanquam hoc qua ratione probare ipſe poſſet, non apparet, quando nullum proponit auxilium quod ſanando huic noſtro par eſſe videatur. Mihi vero minime neceſſe hic eſt aut ignavis Severini, aut crudelibus Dioniſii aſtipulari. Nam etſi non nego, Leonidæ curationem eſſe poſſe utilem in humili, & parva relaxatione, idque obſervatione Cowperi, quæ ſupra (*m*) indicata eſt, quadantenus confirmari; in relaxatione tamen hac noſtra, quæ tanta eſt, & tanto altius videtur incipere, multum vereor, ut ſatis, atque adeo ut quidquam omnino eſſet profutura.

11. Interea melioribus me Judicibus ulteriore examine relicto harum curationum quibus Chirurgi olim utebantur, ad conſiderandum tranſeo inſtrumentum recentius, cujus uſum pluribus in prolapſibus fuiſſe proficuum, Auctor teſtatur. Is Blegnyus eſt (*n*), quem paulo ante memorabam, vir ſane ingenioſus. Accipiebat hic galli indici ingluviem ejuſque orificium arcte ad extremum alterum brevis tenuiſque argentei tubuli circumligabat: per alterum autem extremum, bacillum, in ſummo obtuſum, immittebat ad fundum uſque ingluviei illius, ſicque hanc primum, tum deinde tubuli juſtam partem, adſtringentibus remediis illitam, in podicem inducebat; partem reliquam extra ſervabat ita factam, ut cum bacillum detraxiſſet, hujuſque loco extremam fiſtulam parvorum follium in eandem tubuli partem inſeruiſſet, atque aeris tantum intruſiſſet quantum implendæ ingluviei ſatis eſſet, redire aer priuſquam æger vellet, non poſſet, itaque retentus partes relaxatas fulciret, efficeretque, ſubinde, ac diu repetito uſu, ut eæ priſtinum ſitum, vigoremque, quo ad ejus fieri poſſet, recuperarent. Sed inſtrumenti hujus accuratam deſcriptionem, ac delineationem, firmandique modum apud Auctorem videre præſtat. Equidem Dioniſio (*o*) facile in eo aſſentior, quod neque incommodo careat inſtrumentum hoc, neque uſum præſtet retinendi in ſua ſede inteſtinum eo tempore quo maxime opus eſſet, id eſt cum alvus exoneratur, quandoquidem eximi tunc debet, & mox, repoſito inteſtino, reponi. Illud tamen nego, eundem, ut ipſe ait, præſtare effectum quem faſciæ, & cætera exterius adhibita. Quin, excepto incommodo non adeo gravi, & quod manu opus eſt cauta ad inſtrumenti repoſitionem, non prorſus inutile hoc crediderim inter initia præſertim hujuſmodi relaxationum. Cogitari etiam poſſet, an pro ingluvie illa, inteſtino uti præſtaret molli ac tenuibus tunicis prædito bruti alicujus, ea longitudine, & latitudine qua liceret, ac opus eſſet, arcte intus clauſo ad ſuperius extremum, illito autem exterius eo remedio quod poſt alvi exonerationem infra (*p*) commendabo: quod inteſtinum ubi ſic ſatis immiſſum eſſet, injecto mox aere, aut etiam interdum humore aliquo, ab re non alieno, penitus diſtendi poſſet, aut certe hactenus, ut dejiciendi cupiditatem non moveret. Non hoc facilius, ſimulque innocentius invenire auxilium proclive fortaſſe eſt ad reponendam, retinendamque in nativa ſede relaxatam tunicam, ipſumve inteſtinum, ut hac ratione levamen illius vinculis afferatur, unde quantum poſſunt, ſe reſtituant, vireſque recipiant. Cæterum ſicut inter initia, ut dixi, aliquid utilitatis inde ſperari poſſe, crederem, & plus certe quam a turundis, quas alii eadem ſpe adhibent, remediis corroborantibus imbutas & illitas; ſic quantum expectari indidem poſſet in morbo inveterato, non videre me, fateor.

12. Quod ad Pharmaceuticen attinet, tanto me decet eſſe breviorem, quanto conſulentis Medici litteris certior fio, uſurpata jam fuiſſe remedia, quæ poterant, omnia de genere glutinantium, vulnerariorum, adſtringentium, & nervos juvantium, & quanto pleniores ejuſmodi remediis video omnes Medicorum, & Chirurgorum libros. Quamvis autem iiſdem litteris commemorari tantum videam fotus, ſemicupia, injectiones, cerata, ſuffitus, aliaſque ejuſcemodi formas, exteriorum omnes remediorum; non tamen dubito, quin ſimul in uſum venerint quæ iis reſpondent, interiora. Equidem præclare intelligo, quod his præſidiis obtineri hactenus non potuit, id multo minus in poſterum eſſe ſperandum, cum factus interea ſit gravior morbus, magiſque ejus cauſæ ſint confirmatæ. Verumtamen donec ætas, & robur vigent, repetenda fortaſſe eſſet, certe repetita caute, prudenterque nihil noceret, diuturna, & valida curatio. In qua optima quæque corroborantia medicamenta propinarentur, quæ potius tamen ex iis eſſent quæ nervos juvant, quam quæ adſtringendi vi pollent; his enim adſtricta alvus majoribus ac pluribus ad egerendum nixibus opus haberet, quibus magis magiſque augeretur morbus. Quam etiam ob cauſam abjicienda omnino illa ſunt quæ purgantia nuncupantur; ad læſam enim partem ducunt, in eaque permoleſta, & noxia relinquunt irritamenta. Quod ſi alvum ſolvere neceſſe ſit; iis quæ mox in Diæta memorabuntur, aut eorum conſimilibus plane innocuis utendum eſt. Ex illis autem remediis quæ exterius adhibentur, ſummopere mihi placerent, ſi formam ſpectes, ſemicupia, atque injectiones; ſi materiam, thermarum aquas corroborantes.

13. Diætetica reſtat, cujus rectus uſus omnino neceſſa-

(*z*) Sect. cit. ſupra ad n. 3. (*a*) §. 9. cap. cit. ſupra ad n. 4. (*b*) cap. cit. ſupra ad n. 3. (*c*) De effic. Medic. l. 2. P. 1. c. 50.
(*d*) Hiſt. de la Medec. P. 2. l. 4. S 2. c. 1. (*e*) Acut. Paſſ. l. 2. c. 1. (*f*) Medic. Tetrab. l. 4. Serm. 2. c. 8.
(*g*) c. cit. ſupra ad n. 4. (*h*) Sect. cit. (*i*) Part. cit. c. 95. (*k*) cap. cit. ſupra ad n. 7. (*l*) Demonſtr. ibid. cit.
(*m*) n. 4. (*n*) cap. paulo ante indic. (*o*) Demonſtr. paulo ſupra indic. (*p*) n. 13.

ceſſarius eſt, cum & vires adjuvet præſidiorum quæ a Chirurgia, & Pharmacia deſumuntur, tum etiam quia, ſi hæc aut nequaquam, aut fruſtra repetantur, nulla præter illam jam ratio ſupereſt, qua, & facilius quidem, innocentius, frequentius, curare poſſimus, ut minus moleſte ſaltem, minorique cum periculo feratur morbus. Victum proponit Mercurialis (*q*), qui ſiccandi vim habeat: nec dubium eſt, quin is victus faciat ad roborandum. Verum ſi recte perpendantur gravia, & crebra detrimenta quæ ab alvi fæcibus provenirent ea victus ratione induratis; facile videbitur eſſe a nobis, præſertim poſtquam repetita fuiſſent incaſſum medicamenta corroborantia, victui qui ſiccandi vim habeat, eum qui humectandi vi polleat, anteponendum, qui nempe victus ſimul excrementa mollia ſervaret, ſimul eorum acrimoniam corrigeret. Medicus cautiſſimus Franciſcus Redius (*r*) in Conſilio adverſus dolorem & fluxum hæmorrhoidum, cum inteſtini prolapſu in alvi exoneratione conjunctum, jubebat, mane bibi ad ſelibram jus carnis non ſalitum in quo bulliiſſent ſatis multæ violæ martiæ, & poſtquam hæ non niſi ſiccatæ haberi poſſent, earum loco aut cichorea, aut borrago, aut bugloſſa, aut ſonchus, aut prunus recens, ſiccuſve, appianum malum, aut ejuſcemodi aliud. Seri uſum commendabat depurati, edulcatique *julapio* ſive ex *tinctura* violarum martiarum, ſive ex appianis malis. Uſum quoque lactis aſinini, aut caprini laudabat. In prandio, cœnaque inter alios cibos pultem ſemper, ſed hanc ſimplicem, & jure plurimum abundantem, in qua poma bulliiſſent, aut herbæ aliquæ ex iis quæ ſupra dictæ ſunt, interdum hordei quoque, aut orizæ aliquid. Carnes elixas ſæpius malebat, quam aſſas. Omiſſiſque aromatibus, & mero, prandium, cœnamque ſemper claudi cocto pomo, vel pyro, aquam ſuperbibendo ad uncias tres, *julapio* ex cortice citrei mali edulcatam. Ab his quæ ex Redii Conſilio retuli, non multum recederem in hoc caſu, aut tantum dumtaxat, quantum ſatis eſſet, ne alvus nimis forte lubrica fieret. Quod ſi Rediana iſta vivendi ratio non ſufficeret; ſufficere autem diuturno uſu deberet, alvo hactenus molli reddendæ, ut ad eam exonerandam neque nixibus opus eſſet, nec longa mora; tunc vero ne in eo quidem Redium imitari diſpliceret, ut interdum pulpæ caſſiæ drachmas darem binas, mane ante jus de quo dixi, ſumendas, totidemque iterum paulo ante cœnam, ſi necdum quidquam egiſſent priores duæ. Si vero nihilominus dura, & ſicca recrementa fieri pergerent; non ea per nixus & conatus, ſed ope enematum excludenda eſſe, cenſerem. Hæc autem ſelibræ pondo, haud amplius, quo facilius retineri poſſent ad juſtum tempus, ex ſolo autem carnis jure, aut ex emulſione, ut appellant, hordei, aut orizæ quæ ſemuſta antea, & cocta eſſent, & id quoque ad Redii imitationem. Qui denique multis effert laudibus unguentum quoddam (*manteca* vocitatur) flavum ex roſis, quale a Seplaſiariis conficiebatur Magni Etruriæ Ducis, affirmans, prolapſum inteſtinum multo facilius, citiuſque reponi, ſi ejus extremum liniatur unguento illo, quo præterquam quod dolor leniri, humorum autem acrimonia retundi, poterit, inquit, læſa, ac debilitata pars non parum corroborari. Cæterum inteſtini repoſitionem minus difficilem reddent præſcripta vivendi ratio, & in cibo parcitas. Sic enim neque in proximo Coli tractu copia excrementorum cumulabitur, quæ res illi obſtare ſolet repoſitioni, nec ſanguis gignetur qui aut redundantia ſua, aut vitio alio infirmam partem faciat craſſiorem. Quod cum accidere etiam queat a violentis motibus, & exercitationibus; has quoque omittere oportebit, nec minus; ut paucis complectar omnia; quidquid longo adeo tot annorum ſpatio, multo experientia ipſa melius, quam poſſit Medici cujuſve conſilium, noxium eſſe, demonſtraverit.

14. Hæc, multis ac variis occupationibus, ſtudiiſque diſtentus, habui quæ in difficillimo caſu animadverterem, ac reſponderem, optans ab Nobili, Eruditoque, pro quo ſcripta ſunt, Viro, ut qualiacunque ſint, grata habeat, ab Experientiſſimo autem qui me conſuluit, Medico, ut iis hactenus utatur quoad pro ſua prudentia, rebuſque circumſtantibus licere, credet, ab Deo tandem immortali, ut quidquid decretum, actumque fuerit, propitius fortunet.

15. Habes Conſilium, quale tum ſcripſi, anno videlicet 1725. poſtridie Idus Sextiles. In quo præter ipſam prolixitudinem, alia quoque ſunt quæ ne mihi quidem nunc ſatis placeant. Verum in res incidens minus tractatas, neque hæc, neque illam vitare potui. Atque utinam ab eo tempore extitiſſet aliquis cujus anatomicæ obſervationes optatam huc attuliſſent lucem. Sed eæ, ut Schacherum, doctiſſimum Virum (*ſ*), & me tunc latebant, ſic adhuc latent. Quæ autem in cadaveribus quærenda ſint eorum præſertim quorum inteſtinum procidere conſueverit ad miram longitudinem, Conſilium tibi indicabit noſtrum, nec tamen fortaſſe omnia. Quis enim ſciat, num aliquando aut nimio humore laxata, aut congeſtorum recrementorum copia, aut violentis, diuturniſque in egerendo nixibus diſtracta, ac divulſa ea vincula quæ ex ſupremo Recto in proximum Colon ducuntur, faſciolas tres referentia, non ita ſinant tum aliquot ex ultimis Coli cellulis tum plurimas ex iis quæ intra has ſunt, tranſverſis rugis extendi, ut prolapſi inteſtini longitudo augeatur. Videndum igitur erit, ubi illiuſmodi cadavera, quæ adhuc deſidero, incidenda obvenient, quomodo illa etiam vincula, illæque cellulæ ſe habeant, aut ſi utraque perſiſtant, an interiores ſaltem rugæ magna ex parte ſint explicatæ ac deletæ, quæ res una maxime interiorem tunicam in qua illæ ſunt, deorſum extendi ſineret, trahente videlicet continuata interiore tunica Recti inteſtini, quam ſe invertere, & ſic prodire, ſecuti recentes in primis Rei Medicæ Scriptores, in Conſilio (*t*) poſuimus. Quæ tamen ipſa inverſio quatenus fieri, agnoſcique poſſit, nunc in iiſdem cadaveribus pariter quærendum cenſemus. Neque enim hic, ut alibi (*u*), agitur de parte dumtaxat aliqua, eaque cum quadam quaſi cuticula quæ abſcedat, comparanda, ſed de tota ipſa interiore inteſtini Recti tunica: quam a muſculoſa ſic diſſolvi, ut tamen non emoriatur, nec graviſſima habeat conjuncta ſymptomata, difficile eſt creditu apud eos qui innumeras; mitto fibrillas, & nervulos; arteriolas tantummodo, ac venulas, utramque tunicam jungentes, animadverterint. Hæc igitur vaſcula an adeo laxari ſenſim, extendique poſſint, ut magnæ præſertim inverſiones tunicæ interioris requirunt, quas non pauci hic fieri cenſent; an tumorum exemplum, in quibus conſtat immanem accidere vaſorum extenſionem, hic locum habent, ubi craſſeſcere quidem interior tunica dicitur, ſed flexilis tamen plerumque, & apta ad repoſitionem ſervari; an denique inverſiones hæ, quæ non ſecus in Recto inteſtino, ac in vagina uteri, proponi ſolent, cum re ipſa, & quatenus conveniant, non aliunde certius, quam ex accuratiori cadaverum inciſione addiſcetur. Nec vero in magnis præſertim Civitatibus rariſſima eſſe poteſt ejuſmodi cadaverum diſſecandorum occaſio. Non paucis enim hic morbus funeſtus eſt, inflammatione videlicet, gangrænaque inteſtinum corripientibus, cujus repoſitio negligenter nimis dilata ſit. Sed in iis etiam quos aliud mortis genus ſuſtulerit, aliquando accidit, ut quædam ſe offerant quorum ad hanc rem utile eſſe poſſit examen, ſive Recti inteſtini prolapſui obnoxii fuerint, ſive quacunque ex cauſa, ut in milite quodam gregario (*x*) *Coli in inteſtinum Rectum prolapſus, ſeu devolutio* occurrat, quæ in illo quidem *ad ſpithamæ longitudinem* fuit. Non Rectum autem dumtaxat, verum etiam Colon ipſum procidere, non dubitavit Salmuthus (*y*), cum lactentis puelli Obſervationi (*z*) qui in gravioribus epilepſiæ paroxyſmis inteſtina extrudebat *ſatis magna longitudine*, hunc titulum fecerit *Procidentia inteſtini Coli ex Epilepſia*. Atque utinam perſecuiſſet puellam (*a*) annos natam circiter quatuordecim, cui ex neglecto acriore teneſmo *totum tandem inteſtinum Rectum cum parte Coli ad longitudinem ſpithamarum duarum, & amplius fuit protruſum*. Cum enim ſatis reſtitui in ſuam ſedem non poſſet, gan-

(*q*) cap. cit. ſupra ad n. 3. (*r*) Opere dell' ult. Ediz. T. 4. verſo il fine. (*ſ*) §. 3. cit. ſupra ad n. 4. (*t*) n. eod. (*u*) Epiſt. 31. n. 20. (*x*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 103. (*y*) Obſ. Medic. Cent. I. (*z*) 31. (*a*) Obſ. 30.

græna autem Recti extremum jam occupaſſet; mortua eſt, ipſo mirante, quomodo tanta inteſtinorum portio excidere e meſenterio potuiſſet. Quod ſi plura, & varia cadavera diligenter perſecari tandem potuerint ſive eorum qui ex prolapſu tunc primum, aut non ſemel antea perlato interierint, ſive eorum qui cum eidem, & ad magnam quidem longitudinem (*b*) ſenſim adaucto obnoxii eſſent, aliique alio inde incommodi, & moleſtiæ modo affecti, ex quocumque morbo deceſſerint; non dubium eſt, quin proclivius futurum ſit de illius cauſis, & curatione conſulentibus reſpondere.

16. Sed me caſus tunc propoſiti conditiones ſicuti in theoretica parte ad quædam minus fortaſſe veriſimilia adduxerunt, ita in parte etiam reliqua impulerunt facile ad nonnulla quæ optari queant potius, quam fieri. Quod ſi ægrum non ea peculiaris neceſſitas tenuiſſet, ut artificia amoveret omnia, & procidere inteſtinum ſineret, ſi quidem recrementa vellet ejicere; non defuiſſent auxilia quæ proponerem, ut cum ea ejicerentur, in ſua illud ſede perſtaret. Erat primum Sarpii annulus: quo de annulo præter ea quæ retuli ſupra (*c*) ex Joanne Rhodio, hæc etiam in Sarpii Vita legiſſe memini; cum ipſe hoc morbo diu laboraſſet, plura autem ſubinde, ſed fruſtra omnia tentaſſet, quærere demum inſtrumentum aliquod cœpiſſe, quo inteſtinum contineret, itaque poſt multa unum denique inveniſſe ad id aptum adeo, ut tametſi ad finem uſque vitæ morbum pertulerit; nullius tamen actionis propterea impedimentum ſenſerit, haud ſecus ac ſi illo careret morbo, idemque ita facile, & prompti uſus, ut aliis pariter, quibuſcum ipſum communicaverat, eadem præſtiterit. Quod ſi Vita illa ob Auctoris (quicunque is nunc ab laudando alibi Summo Viro fuiſſe credatur) ſi ob Auctoris, inquam, aut veram quarundam rerum, aut verſute ſimulatam inſcitiam, ut in Epiſt. Anatom. (*d*) haud aliter illa uti voluerim, niſi refellendi gratia per ipſam, ut loquuntur, *ad hominem* qui illam objecerant; ſi forte igitur hac quoque in re ſuſpecta eſſet; alterum non defuiſſet inſtrumentum, quod a Valſalva noſtro videram in quodam Conſilio memorari. Scilicet cum æger ad exonerandum ventrem ſellam peteret, præſto eſſet hujus operculum in medio perforatum, ibique firmiter tubo inſtructum plumbeo, cera exterius, & in ſumma ora circumlito, non latiore duabus tertiis unciæ Bononienſis partibus, & longo quidem uncias circiter duas, ſed non ultra ſemunciam intra podicem admittendo, nec ſine cauti Chirurgi ope, cum prima ejus fierent experimenta, ut ſi feliciter cederent, neque in tubi dimenſionibus aliquid eſſet variandum, hac ratione ejici excrementa poſſent, nec tamen inteſtinum emitti. At ſi neutrum inſtrumentum ſpei reſpondiſſet; intelligis enim vel ex iis quæ in Conſilio attigimus, quæ noxæ poſſent, nedum quæ moleſtiæ interdum ex ejuſmodi præſidiis exiſtere; alia erant præterea quæ poſſent excogitari. Vides enim, exempli cauſa, qualem Cl. Baſſius (*e*) invenerit annulum, qui *nullum fæcibus egerendis ponens obſtaculum*, facile, uti ſcribit, & geſtetur, & poſtquam morbum ſuſtulit, extrahatur; ſuſtuliſſe enim, ait, vel diuturnum, brevi, atque adeo intra menſes duos. Sed de prolapſu Recti inteſtini hæc attigiſſe ſatis ſit. Proximis Litteris ad alios morbos pergemus. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXXIV.

Sermo eſt de Inteſtinorum Dolore.

ETSI pars maxima Obſervationum, ex quibus Sectio conſtat XIV. tertii libri Sepulchreti Anatomici, ad Dolores ſpectat Inteſtinorum; tamen multæ etiam in ea ſunt quæ ad alia Ventris attinent viſcera, ex utriſque autem nonnullæ in quibus non internæ, ſed extrinſecus accidentes cauſæ, ut ictus, & vulnera dolorem fecerunt. Quod mihi exemplum ſequi non placet, ut qui aliarum ventris partium dolores alibi ſuo quemque loco tibi aut propoſui, aut ſum propoſiturus, & de ictibus ac vulneribus ſeorſum pariter ſcripturus. Moleſtus autem repetitionibus eſſe nolo: quæ adeo non vitantur in Sepulchreto, ut in hac ipſa Sectione bis poſitas offendamus Obſervationes plures (*a*), in Additamentis autem ad eandem, non agnito Blancardi fuco, tres ſub hujus nomine repetitas XV. XVI. & XXIII. quarum duæ poſtremæ in Sectione ipſa (*b*) jam fuerant, ut prima in præcedente Sectione VIII. (*c*), veris Auctoribus adſcriptis, propoſitæ. Sed neque in eo mihi ſatis placet Sepulchreti Auctorem imitari, ut Obſervationes in eas dividam quæ ad Colicum dolorem attineant & quæ ad Iliacum, non quod omnino improbem hanc diviſionem; quanquam Diocles Caryſtius, ut Celſus (*d*) docet, non tenuioris, ſed plenioris inteſtini morbum εἰλεόν nominabat, Alexander autem Trallianus, ut apud Salium (*e*) eſt, *non aliud eſſe ileon* cenſuit, *quam colici affectus intenſionem, ac incrementum*, & Salius (*) in utroque illorum inteſtinorum eſſe poſſe ilei primariam ſedem, & cauſam, oſtendit; ſed quia non adeo facile eſt, ut multi putant, dolores internoſcere utriuſque inteſtini, nec, quod conſequitur, per animadverſa in ægris ſigna ſatis luculente hujuſmodi obſervationes dividere.

2. Nam quod dolores dicuntur eſſe acerbiores Iliaci, quam Colici, & facile etiam ſunt, ſeu vaſorum copia id fieri cenſeas, ob quam multo quoque ſæpius Tenuia inteſtina, quam Craſſa, inflammata reperiantur, ſive potius nervorum numero, præſertim ſi villi quibus prima uſque adeo abundant, ad papillarum genus ſunt referendi; certe quidem alius alio doloris impatientior eſt, & alia in alio, ac magis, minuſque gravis doloris cauſa; ut minime proclive ſit, uter revera majori torqueatur cruciatu, ſtatuere: unde etiam fortaſſe fuit, cur Galenus, cujus adverſos inter ſe locos conciliare ſtudet Ballonius, ſicut in Sepulchreti Sectione hac (*f*) vides, alibi Iliacos, alibi Colicos vehementiſſimos eſſe, ſcripſerit. De vomitu autem, quem in illis magis violentum, atque aſſiduum eſſe, docuit, recte in Sepulchreto (*g*) eos Colicos dolores excipi, invenies, quorum ſedes ſit in eo Coli tractu qui ventriculi fundum contingit. Et ne longius ab Sepulchreto te abducam; ex eodem (*h*) pariter admoneri poteris, quam ſæpe exceptionibus obnoxium, & propterea fallax illud quoque ſignum ſit, quod videtur alioquin præcipuum, quippe a ſedibus ipſis petitum tenuioris, plenioriſque inteſtini. Franciſci enim Sylvii verba reperies docentis, *ſæpe ad umbilicum uſque, & quandoque uſque ad veſicam inſigni anfractu per medium abdomen volvi Colon*. Quod ſi verum eſt, cum ſuum hoc locum deſerat, Tenuium autem inteſtinorum occupet; intelligis plane, quam falli poſſit is, qui ſedibus hac in re plurimum tribuat. Nimirum non illi

(*b*) Vid. Epiſt. 65. n. 6. (*c*) n. 7. (*d*) 15. n. 68. (*e*) Dec. 1. Obſ. 4.

(*a*) Confer Obſ. 1. §. 2. & Obſ. 20. §. 14. Obſ. 1. §. 13. & Obſ. 24. §. 2. Obſ. 1. §. 14. & Obſ. 19. §. 4. Obſ. 2. §. 1. & §. 2. Obſ. 5. §. 2. & Schol. ad §. 8. Obſ. 19. Obſ. 8. §. 11. & Obſ. 14. §. 3. Obſ. 28 & Obſ. 30. §. 4. (*b*) Obſ. 20. §. 12. Obſ. 3. (*c*) in Additam. Obſ. 5. (*d*) De Medic. l. 4. c. 13. (*e*) De Affect. Particul. c. 11. (*) Ibid. (*f*) Schol. ad §. 5. Obſ. 5. (*g*) Schol. ad §. 2. Obſ. 25. in fin. (*h*) Schol. ad Obſ. 41.

illi ſolum tunc decipientur quos redarguit Sylvius; verum ii præterea qui Sylvium ſequantur. Cum enim ea Coli pars quæ ſubeſſe in tranverſum ventriculo ſolet, non ibi fuerit, ſed deorſum adeo ſe incurvavit; tunc errabunt certe qui idcirco eam dolore correptam eſſe, negent, quod ventris ſuperiora transverſus, cinguli inſtar, dolor non torqueat; ſed & illi hallucinabuntur qui in ventris *ambitu ac circumferentia exortum dolorem vere colicum dicendum* eſſe, cum Sylvio credant; nam dolor qui tunc in ſuperiore ventris ambitu exoriatur, in Colo quod illinc abſit, eſſe non poterit.

3. Verum autem id eſſe quod Colo ſæpe accidere, Sylvius admonuit, non paucæ, tum Valſalvæ, tum noſtræ, tibi aut jam propoſitæ, aut proponendæ Obſervationes confirmabunt: quanquam non omnia in quibus id vidimus, corpora in his Epiſtolis commemorandi occaſionem habebimus; diu enim eſt ex quo id cœpimus animadvertere vel priuſquam in eum incidiſſemus Sylvii locum, ut II. noſtra Adverſaria (*i*) oſtendunt. Sed in III. quoque Adverſariis (*k*) aliam infimi Coli ſedis varietatem adnotavimus, hic minime prætermittendam: quamvis ibi pariter ob eandem cauſam eos more noſtro laudare non potuimus qui ante nos illam animadverterant, Spigelium (*l*), & Riolanum (*m*); quibus tamen contra ac Valſalvæ, & nobis videtur ſæpius Colon occurriſſe valde in fine flexuoſum, rarius ductu ſimpliciore. Verum utcunque id eſt, cum ii flexus in quibuſdam non modo verſus inguen dexterum Colon extendant, ſed interdum, ut vidimus, ad umbilicalem regionem attollant flatibus præſertim turgidum; hinc certe apparet, quam facile dolor qui in eo ſit, temere tunc ad Tenue inteſtinum, cujus illæ ſunt ſedes, referri poſſit. Hoc igitur varietatum utrumque genus minime infrequens eſt ſive a primordiis, ſive a morbo etiam, quod Riolani (*n*) verba ſubindicant: *vidi*, inquit, *Colum inteſtinum inter jecur & ſplenem non directe protenſum, ſed in S Romani modum inflexum, & ad umbilicum uſque PROLAPSUM*: Spigelius autem (*o*) vel clarius, & magis univerſe ſcribens, idem inteſtinum, ait, *præter naturam in colicis doloribus, dum flatibus diſtenditur, e ſua ſede naturali abire*. Quod ſi ob hanc cauſam accidiſſe, velis, ut in apoplectica Muliere (*p*) quæ iis fuerat doloribus obnoxia, Colon invenerim non modo cum paucis, rariſque cellulis, ſed etiam amplioribus quam ſoleat, gyris extremam ſui partem umbilicum verſus contorquens, non repugnabo, præſertim cum Franciſcum Sylvium intelligam ex Obſervatione quæ in Sepulchreti Sectione hac, eſt XV. fuſius autem deſcripta legitur in IX. Sectione libri I. ubi eſt XLVIII. intelligam, inquam, iiſdem cruciatibus laboraſſe aliam fœminam, cenſuiſſe non tam quia omentum *non omnia* inteſtina tegens, aut hæc *nonnihil* loco mota adnotaſſet; hoc enim haud raro, illud vero ſæpiſſime occurrit; quam, niſi plurimum fallor, quia utrumque paulo ante expoſitum varietatum genus in eadem fœmina, ut videre poteris, deprehenderat. Quod ſi ob ejuſmodi tantum cauſam ſedes mutarentur inteſtini Coli; eſſet tamen errandi periculum eo magis timendum, quod illis de ſedibus in iis potiſſimum ſermo ſit qui ei ſolent eſſe cauſæ obnoxii. Verum in iis etiam quorum eſt ventriculis amplior, aut jecur grandius, tranſverſa illa Coli pars quæ his ſubjicitur viſceribus, tanto inferior eſt, quanto hæc majora. Huc cauſæ accedunt quæ ventriculum deprimunt, & cum eo Colon, ut in Veneto Juvene accidiſſe vidimus (*q*) ex abnormi Spinæ inflexione. Sed præter morbos, conſtitutiones quoque ſunt corporum ſecundum naturam, in quorum aliis aliæ ſunt Coli ſedes. Nam etiam ab ortu, ut paulo ante indicatum eſt, aliter poteſt eſſe locatum, & gravidis aucto utero ultimis menſibus tranſverſa illa Coli pars altior eſt, ſicuti Spigelius (*r*) animadvertit.

4. Quæ cum ita ſint, cumque ex his ſatis appareat quamobrem dolorum quibus inteſtina torquentur, Obſervationes non ita dividam, ut alias ad Iliacos, alias ad Colicos referam; qua malim diviſione uti, indicandum eſt. Primum igitur eas afferam in quibus dolores erant a cauſa non extrinſecus quidem adveniente, ſed tamen ſub oculos cadente; deinde vero illas in quibus cauſa omnino intra corpus latebat. Prioris autem generis has duas ex Valſalva accipe.

5. VIR quadraginta annos natus, ſanguineo-bilioſi temperamenti, qui levem aliquando ad inguina herniam patiebatur, a carduorum eſu in Iliacam incidit Paſſionem. Levis quidem ad inguina apparet tumor: ibi tamen ullo ſe torqueri dolore, æger negat; in ventre fatetur, ob fæcum retentionem valde indurato. Remediis irritis, die morbi ſeptimo lethali vomitioni ſuccumbit. VENTRE aperto, inteſtina aere turgida conſpecta ſunt, & ad eam partem livida ac nigra qua ſe haud ita procul a Cæco duplicabant, & cum annexa meſenterii portione, quæ quaſi carnea videbatur, in herniæ ſacculum immittebant, digitos quatuor longum, orificio autem anguſtiore, ut per hoc redire non poſſent in ventrem poſtquam ab illapſa materia diſtenta fuerant. Erat hic ſacculus in dextero inguine, ex peritonæo quidem factus producto, & dilatato, ſed non ex hujus proceſſu; ut plures olim crediderunt; qui vas ſemen deferens, vaſaque Spermatica comitatur: imo huic proceſſui, & his vaſis, ſanguine valde tumentibus, ab anteriore parte incumbebat: eratque intus, ut intercepta inteſtini portio, colore nigricante, ſive potius ex atro viridi infectus, quaſi a vitriolo tinctus eſſet. In ſiniſtro autem inguine alter erat ſacculus, ejus quem deſcripſi, ſimillimus, niſi quod eam ex qua fiebat, membranam, & fibras, & vaſa colore, ac cæteris conditionibus habebat a naturalibus non diſcrepantia. In Thorace ſana omnia. Erant tamen cum grumoſo ſanguine polypoſæ concretiones ſubluteæ, major in dextero, minor in ſiniſtro cordis ventriculo; ſed neutra extra ventriculos ſe producebat.

6. Manifeſta erat cauſa doloris hujus, videlicet *incarcerata*, ut loquuntur, hernia. De qua in his Litteris crebra quidem erit commemoratio; ſed tantum quatenus compreſſa inteſtini parte, hujus, & proximæ ſanguifera vaſa ſtrangulat: ex quo ut dolor, inflammatio, ſphacelus fiant, non neceſſe eſt explicare. Cetera de herniis, & de portione peritonæi quæ comitatur vaſa Spermatica, alibi (*ſ*) attingemus. De Iliaca autem Paſſione ſcribetur ſubinde in hac Epiſtola quantum propoſito erit ſatis. Jam vero facile intelligis, cum ea oritur, ut plerumque, ob interceptum inteſtinum, tunc acervata ſupra interceptionem materia diſtendi inteſtina ſuperiora, ab hac autem diſtentione alteram exiſtere doloris cauſam, quam auget ipſa quoque acervatæ materiæ corruptio ex mora. Verum unde factum eſſe, dicemus, ut in propoſita hiſtoria ibi æger dolorem eſſe, negaret, ubi vitium erat maximum? An quod nulla inflammatione prævia, ſphacelus interceptum occupaſſet inteſtinum? Id autem an fieri poſſit, alias (*t*) videbimus. An potius quia cum æger illud negabat, jam inflammatio degeneraſſet in ſphacelum? Sunt enim alia quoque in ea hiſtoria, ut a Valſalva ſcripta eſt, quæ non accuratiſſime mandatam chartis fuiſſe, indicent. Sed neque in proxima ullam doloris mentionem injecit, qui tamen num abeſſe potuerit, ſatis ipſa per ſe monſtrabit.

7. VIR annum agens quinquageſimum, laborans enterocele, ardenti febre corripitur, & nonnullos poſt dies vomitione humorum, qui fuligine infecti videbantur. Urinam primum difficile, deinde nullo modo reddit. Catheter a Chirurgo incaſſum immittitur; namque ubi prope veſicam pervenit, in obicem incidit. Itaque his vexantibus incommodis, æger moritur. VENTRE, ac ſcroto diſſectis, inteſtina in hoc illapſa, inflammatione affecta inveniuntur: & quan-

(*i*) Animad. 2. (*k*) Anim. 6. (*l*) De hum. corp. fabr. l. 8. c. 5. (*m*) Anthropogr. l. 2. c. 14. (*n*) Ibid.
(*o*) c. cit. (*p*) Epiſt. 3. n. 2. (*q*) Epiſt. 4. n. 16. (*r*) c. cit. (*ſ*) Epiſt. 43. n. 6. & 7.
(*t*) Epiſt. 35. n. 19. & ſeqq.

quanquam nulla in ipſis eſſet exulceratio; tamen paululum ſanioſi ſeri in eorum interſtitiis conſpicitur. Indicium quoque ſanioſi ejuſmodi humoris in ventris pelvi animadvertitur. Veſica erat urinæ plena; quamvis nullam intus haberet læſionem. Obex autem qui prope veſicam, Chirurgo ſe obtulerat, nihil erat aliud quam unum ex foraminibus per quæ ſemen egreditur, ſic dilatatum, ut in ipſum extremus catheter ſe conjecerit: idem enim ſpecillo quoque accidit, per apertam ex parte mortui urethram ad rem explorandam immiſſo.

8. An id foramen Sinus fuit potius, in Seminali caruncula a me poſtea deſcriptus, in eo homine præter modum amplificatus? Nam ſi alter fuiſſet ex ſeminis ductibus; hujus fluxu videtur homo laborare debuiſſe. Certe autem ejus orificium Sinus nunc minus, nunc majus occurrit, quod a Cl. quoque Viro Henrico Baſſio (*u*) adnotatum eſt. Sed mihi ex quo Sinum A. 1719. vulgavi (*x*), quotannis in Theatro, nec uno interdum in cadavere, oſtendenti, nunquam amplius obtigit, quod nunc meminerim, ut ſeminis ullum ductum qui in illum influeret, deprehenderem, multo autem minus ut videretur, quemadmodum ipſi, *hicce hiatus eſſe aliquando levis inciſura, ſeu ſulcus poſt flacceſcentiam harum partium demum apparens*. Num vero, quemadmodum Sinus ille, ita quoque caruncula intra quam eſt, amplificata eſſet, ſicque & Sinus orificium tenuiori fortaſſe catheteri objicere, & urinæ ſuppreſſionem facere poſſet, tametſi veri ſimile eſt; tamen cum Valſalva nihil præterea addiderit, eo libentius in medio relinquam, quod; ut cauſam prætercam a Walthero (*y*) memoratam; graviter affectis vicinis partibus, adeo non inſolitum eſt veſicam in conſenſum trahi, lotiumque non expellere, ut Sennertus (*z*) inter ſigna inflammatorum inteſtinorum hoc recenſuerit: quin etiam olim Cælius Aurelianus (*a*) inter cætera Ileon comitantia mala *veſicæ, & officii ventris perfectam abſtinentiam* poſuit. Verum de ſuppreſſione urinæ alibi.

Nunc iſtis duabus Valſalvæ Obſervationibus aliquot ex noſtris ſubjiciamus.

9. JUVENI agricolæ cum ante annos ſeptem inteſtinum delapſum eſſet in ſcrotum dexterum, hinc autem in ſuam ſedem repoſitum, ſubligaculi ope retentum, nullam donec hujus non omiſſus eſt uſus, attulerat noxam. Omiſſo autem denique, accidit, ut cum duos jam circiter menſes teneretur intermittentibus febribus, & ſe nuper laganis, aliiſque ejuſmodi craſſis ex ſubacta farina eduliis impleſſet; inteſtinum eodem relaberetur. Ex eo die qui fuit pridie Kal. Novembres A. 1705. vomitione corripi cœpit amaræ materiæ. Huc die morbi quarta ſingultus acceſſit, & ſcroti dolor. Hunc impoſita mataxa, calente lixivio imbuta, levare viſa eſt. Sed cum vomitus, & ſingultus perſtarent, & ventris inſuper dolores, ac ſitis affligerent; illatus eſt die ſexta in Bononienſe Noſocomium S. Mariæ de Morte. Ubi nec Chirurgi manus quidquam profuit, & Medici auxilia vix levamen aliquod attulere. Singultus enim ſublatus eſt, ut vomitus quoque; ſed hic breve ad tempus cum emplaſtrum quod vocant de cruſta panis, regioni ſtomachi fuiſſet adhibitum, enema autem injectum ex oleis ſeminum lini, & *violato*. Die ſeptima primum vidi. Dolor in ſcroto erat levior. Pulſus minus quam heri fuiſſe, audiveram, frequens: ſed humilior, & infirmior quam ejuſmodi juveni conveniret. Sitis perſtabat. Neque alvus, niſi injectis quæ dicta ſunt, oleis, fæces reddebat. Quin cum hodie enemate uſi eſſent ex carminativa, ut vocant, decoctione, cui deſpumatum mel additum cum drachmis duabus electuarii quod dicunt benedictam laxativam; vomitus rediit amarorum, in quibus teres lumbricus; injecta vero vix tandem multas poſt horas reddita ſunt. Die octava lumbricus alter ejectus eſt. Abdomen cum tenſum eſſet, id quod etiam pridie adnotaveram, & ſub manu reſonans quaſi ut in tympanite, non erat tactus vel paulo rudioris impatiens ne in epigaſtrio quidem, ubi quoſdam quaſi morſus æger ſentiebat. Cum quærerem, an etiam calorem? negabat. Pulſus heſterno in cæteris ſimilis; ſed tamen multo frequentior. Lingua ſicca. Urinarum color ſaturus. Sub oculis livor, & vel ſine hoc facies quæ minus placeret. Nox inquieta. Die nona omnia eadem: imo facies, & pulſus pejores. Hi enim vel magis erant frequentes: cum autem premeres, minus reſiſtebant, aut nihil. Illa ad eam accedebat quam vocant Hippocraticam. Et cum anxius ſuperioribus diebus æger eſſet, ac voce flebili, & corporis, membrorumque ſitum mutaret identidem; hæc cuncta magis animadvertiſſes hac die. Nam præter dolorem in toto ventre aſſidue perſtantem, morſuum ſenſus per intervalla hic illic recurrebat cum ubique, tum in epigaſtrio præſertim. Nullus erat; nam quæſivi; pulſans dolor, nulla uſquam pulſatio. Nec dolor quem in ſcroto aut proxima ventris parte ſentiebat, erat his ultimis diebus præcipuus. Cæterum cum pulſum tentarem; ſiccam quidem, & aſperam cutem, nec tamen æquo calidiorem animadvertebam. Cibo ſumpto, meliuſcule habebat. Levari quoque ſe, dicebat, enemate illo ex oleis, & pridie, cum inditum eſſet, confirmaverat. Hac autem die cum alterum injectum eſſet ex jure, in quo ſemina coriandri bullierant, & ſaccharo; dum redderet, cibum vomuit. Sub veſperam dormivit. Poſtmodum ut ſe haberet, interrogatus, in epigaſtrio neſcio quid pulſare, & aliquem in ventre eſſe caloris ſenſum, reſpondit. Interea vomitus fluidioris quam hactenus, materiæ, hujuſque ſubflavæ per intervalla vexabat. Quo totam noctem, & cæteris quæ dicta ſunt, perſiſtentibus, mane, die morbi decima, vivere deſiit.

VENTER magnam vim effuſam habuit ejuſdem quæ vomitu rejiciebatur, materiæ: eademque & ventriculus, & Tenuia ad herniam uſque inteſtina valde erant diſtenta: in eoque univerſo tractu unus, haud amplius, lumbricus fuit duorum ſimilis qui inter vomendum ejecti fuerant. Craſſa autem inteſtina erant vacua, & alba, & ſana. Sanus quoque ventriculus. Sed proximum huic inteſtinum qui bilarium, & pancreaticum ductum excipit, ibi ad ſex circiter digitos, erat adeo ex inflammatione lividum, ut jam gangrænam oleret. Levior inflammatio, & nondum liveſcens, hic illic tenebat Jejunum, & Ilei partem multo maximam. Reliqua enim pars, quæ propius videlicet accedebat ad Colon, gangræna potius quam inflammatione, occupabatur, quemadmodum herniæ oſtendet deſcriptio. Erat ſacculus pyri forma, ex tunica factus non minus craſſa & firma quam arteria Pulmonaris. Is non ſcroto ſolum, & darto, ſed & Cremaſtere muſculo, eaque cui hic incumbit membrana communiter cum teſte, & vaſis ad hunc pertinentibus operiebatur. Teſtis autem ſacculo ſuberat, vaſa ab interno latere exterius adhærebant, & prope orificium ſacculi, non per hoc ipſum, ventrem adibant. Erat id orificium annuli inſtar craſſioris quem peritonæum, & circumjectus tendo efformabant: admittebatque præter Ileum inteſtinum, & annexi huic meſenterii particulam, omentum quoque cujus propterea nullam ferme partem videram, quæ a ſiniſtris inteſtina obtegeret, quia dextrorſum erat ad herniam tractum: nec modo ad ſacculi fundum perveniebat, ſed inde in teres corpus ſe conformans, quod niſi incidiſſem, ex compreſſa omenti ſubſtantia factum eſſe, non cognoviſſem, ſurſum redibat, & ad Ileum interceptum, haud procul ab orificio ſacculi, ſe annectebat. Ad ſacculum autem quidquid in eo omenti erat, annexum paſſim inveni per interjectum quoddam corpus rubens, & flaccidum, ut facile poſſet ab omento, & ſacculo ſeparari, nec aliud quam membraneæ cellulæ eſſe videretur, ſeri, & ſanguinis plenæ. Ileum vero nec ſacculo annexum erat, neque ad ejus fundum perveniebat; ſed paulo infra orificium, in arcus modum ſe curvans, eadem, qua venerat, orificii via redibat in ventrem; ut, ſi explicares, non plus ex eo inteſtino quam ad quatuor, aut quinque

(*u*) Dec. 1. Obſ. Anat. 5. §. 9. (*x* Adverſ. 4. Animad. 3. (*y*) Diſſert. de Collo viril. Veſicæ &c. §. 3.
(*z*) Medic. Pract. l. 3. P. 2. S. 1. c. 2. (*a*) Acut. Paſſ. l. 3. c. 17.

que digitos interceptum eſſe, invenires. Id omne gangræna affectum, nigricabat; ſed multo ibi magis ubi in orificio ſacculi conſtringebatur: cujus orificii annulus non minus niger, ac fœtens erat, quemadmodum & proxima ſuperior Ilei pars; imo hæc adeo fracida erat, ut diſtendentis humoris vim ferre non potuerit, ſed foramine pervia non ita parvo, illac in ventris cavum effuderit. Ex reliquis ejus viſceribus, quæ, ut inteſtina, non parum adhuc calebant, cum XIII. a morte hora cadaver inciſum eſt, jecur quoque vitium contraxerat; in limbo enim erat nigrum, in cava autem facie, cum cyſti, quæ mediocris erat, ſubnigrum. In Thorace ſana omnia, tametſi in dextero cordis ventriculo polypoſa fuit concretio ſubflava, & mollis, quæ inde albidas appendices ſuas in venas uſque Jugulares extendebat.

10. De multis quæ adnotari huc poſſent, quædam infra opportunius, nonnulla etiam attingemus ſtatim ac Obſervationem alteram adſcripſerimus, quam menſibus circiter quatuor poſt priorem in eodem Noſocomio habuimus.

11. MULIER annos nata plus quinquaginta, quæ duos jam & triginta, hernias pertulerat binas, a ſiniſtris ambas, alteram ad umbilicum, alteram ad pubem, cum forte ab loco non ita alto cecidiſſet, nihil inde mali, niſi contuſionem retulerat ad alterius ſcapulæ, & humeri fines. A qua cum facile convaleſceret, cœpit interea jam aliquot a caſu diebus adſtrictam alvum habere, & paulo poſt fluidam ſubflavam materiam evomere, idem quod recrementa alvi ſolent, omnino olentem. Vomitus cum alias, tum præſertim duabus, aut tribus poſtquam cibus ſumptus fuerat horis ingruebat. Pulſus nec frequens, nec digitorum preſſioni minime reſiſtens, parvus erat valde, præcipue a vomitu, minorque fiebat in dies. Cum enemata nihil proficerent; bis datus eſt mercurius ad drachmas duas, primum fruſtra, ſecundo autem eo cum effectu, ut alvus ter ſolveretur, ſemel quidem atque iterum ſolidis recrementis dejectis, tertio autem fluidis. Nec detrimentum afferri eo remedio viſum eſt. Mulier tamen hora circiter duodecima ex quo mercurium ſecundo ſumpſerat, mortua eſt, quarta, an quincta poſtquam vomitus inceperat, die, ſemi hora autem ex quo noviſſime vomuerat; cum toto morbi tempore neque manifeſta febri, neque convulſione laboraſſet, dolores autem ventris moderate adeo tuliſſet, ut de his nihil habeam adnotatum. ABDOMINE inciſo, ac diducto, odor gravis extitit. Jejunum inteſtinum, & Ilei proxima pars eadem quæ vomitu ejiciebatur, materia, tota erant diſtenta. Ilei autem pars reliqua, & Craſſa contracta. Jejunum quibuſdam in locis diſtinctum ſecundum longitudinem ſtriis vividius rubentibus, in cæteris rubebat ex fuſco, ut Ileum quoque ferme ubique. Sed hoc non ita procul ab Jejuno multo gravius affectum invenimus ad digitos tres, aut quatuor; quam videlicet ſui partem cum annexo meſenterio in herniæ inferioris ſacculum immittebat curvatum in arcus modum. Hæc enim etſi neque ad ſacculum, neque ad hujus orificium, quod referebat annulum quaſi quendam, alligabatur, gangræna tamen correpta, ex ſanguineo colore nigricabat, feroque cruento diffluebat. Nullum autem inteſtinum, ſed pars omenti dumtaxat, ſuperiorem herniam ſubibat, quæ exterius inſpecta, in duos erat quaſi monticulos diſtincta; interius autem uno ex ſacculo fiebat, in quem ſe laxaverat peritonæum. Præter inteſtina, cum cætera Ventris viſcera inſpiceremus; Thoracem enim, & Caput non reſeravimus; hepar duriuſculum, lienem laxum, & quibuſdam tantum locis exterius lividum animadvertimus. Uteri vincula nigricabant: ipſe autem valde parvus, & tenuibus parietibus. Quibus inciſis, apparuit eorum ſubſtantia in medio livens adeo, ut ad gangrænam inclinare videretur. Cum uterum paulo inferius quam ſoleat, locatum animadvertiſſem; ſubiit vaginam inſpicere, ut quantum in hanc procideret, perſpectum haberem. Accidit autem, ut labiis vix diductis, & vaginæ orificio detecto per hoc propendens appareret quoddam corpus quod a primo accipere aliquis pro uteri oſculo potuiſſet. Verum cum haud ita inferius poſitum uterum modo vidiſſem, ut ſi vel maximus eſſet, pervenire illuc poſſet; ipſum cum vagina protinus e cadavere detractum perſecui, invenique adeo craſſius factum glanduloſum urethræ corpus, & vaginam, laxam alioquin, rugiſque omnibus carentem, deorſum trahens, ut extremo ſuo quod urethræ orificio pertuſum eſt, propendens oſculum uteri mentiri poſſet, minuſque perito chirurgo, nedum obſtetrici, facile imponere.

12. Sed hæc ultima alio attinent. Quæ huc ſpectant, nunc attendamus. Quod fœmina iſta de ventris doloribus vix quereretur, eademque ſine febre eſſet, num inde repeti poſſe, credis, quod *Ileos* in ea fieret *ratione abolitæ virtutis expultricis*, ut Salius (*b*) loquitur, ſive ab *atonia* ob *nervos inteſtinorum obſtructos*, ut Ruyſchius (*c*)? Ille certe fieri tunc, ait, *nullo præſente dolore;* hic vero non dubitabat, quin ob eam cauſam in muliere quadam *ſine notabili dolore, & ſine febri* fuiſſet. Verum ne quæramus nunc quod infra (*d*) videbimus, num inteſtinis ita ſe habentibus, materiæ ex his in ventriculum retrudi, & compelli poſſint, ut vomitu rejiciantur, & ne ſigna cætera iſtius conſtitutionis quæ Salius enumerat, num fuerint in deſcripta a nobis fœmina, diſquiramus, profecto neque Salius, neque Ruyſchius tunc inflammationem eſſe putant inteſtinorum; ſed hanc ſeorſum uterque memorat, & primus diſerte in eadem *febrem* ponit, *& una cum ea dolores vehementes, & qui multum ægros diſtorqueant*. Num igitur in hac fœmina in qua inteſtinorum fuiſſe inflammationem, manifeſtum eſt, ſimul erat eorum atonia? Verum nullam ex tot hujus cauſis quas Salius commemorat, præceſſiſſe, conſtabat. Sed de febre an inflammatis inteſtinis, abeſſe nonnumquam poſſit, rurſus erit alibi (*e*) videndi locus.

13. Jam vero ſi quæ inflammationem conſequuntur propoſitis duabus hiſtoriis ſpectemus; proclive erit intelligere, quam feſtinare oporteat occurrere volentes huic morbo, & quæ auxilia, ubi jam multum proceſſerit, ſuſpecta habere, globos puta plumbeos, & mercurium. Nam ſi ſphacelo fracida inteſtina, ut in Juvene illo agricola (*f*), ne materiæ quidem reſiſtunt quam continent; cavendum hoc ipſum eſt, ne aſſumptis, niſi quantum neceſſitas cogat, illa augeatur, non modo ne rebus graviſſimis deglutitis, aliam quam quæ oporteret, viam aperientes, interitum acceleremus. Quod multo ibi facilius accidit, ubi ea ſimul conſtrictio eſt quæ nihil, niſi repoſito inteſtino, tranſire ſinat. Eadem enim conſtrictio tum proximum ſuperius inteſtinum vitiando, impar reddit diſtentioni, & ponderi ſuſtinendo, tum quæ illud diſtendant, & gravent, eo ipſo in loco remoratur, ubi inteſtinum maxime infirmum eſt. At enim, inquies, Hoffmannus (*g*) tamen in volvulo ex intercepto in bubonocele inteſtino fœminam ſervavit dato ad ſelibram argento vivo; quanquam non deſunt quibus hic caſus ferme incredibilis videatur. Mihi vero eo credibilior videtur, quod jam ante Alphonſus Khonius (*h*) idem mali ex intercepto in oſcheocele inteſtino in viro ſuſtulerat dato eodem argento ad uncias novem. Sed quamvis gravia erant utroque in caſu ſymptomata; minor inteſtini conſtrictio eſſe potuit, nec certe res adhuc ad ſphacelum acceſſerat: ut neque in tot volvuloſis acceſſerat quos paſſim legimus vel majori aſſumpti remedii illius pondere fuiſſe ſanatos. De his igitur quibus firma adhuc ſunt inteſtina, nunquam is mihi metus fuit, quippe tunc ortus cum in diſſecto illo agricola quam male haberent, conſpiciens, quomodo in aliis quoque, multum progreſſo jam morbo, infirmata eſſe poſſent, conjeci. Miratuſque ſum ab eo tempore ad hunc diem quo hæc relegebam, in nullum *Practicæ* Medicinæ Scriptorem, quod meminerim, incidiſſe, qui cum de eo auxilii genere adverſus hunc morbum, quod plerique omnes fecerunt, ſermonem haberet, de juſto hoc metu quidquam moneret, præter unum cujus Opuſculum (*i*) no-

(*b*) c. cit. ſupra ad n. 1. (*c*) Obſ. Anat. Chir. 91. (*d*) n. 30. (*e*) Epiſt. 35. n. 20. (*f*) n. 9.
(*g*) Medic. Rat. T. 4. P. 2. S. 2. c. 4. Obſ. 3. (*h*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 79. (*i*) Monita Medica c. 7. S. 2.

noviſſime legi, Medicum eximium Meadium, ſerio admonentem, *non diu* in Ileo argenti vivi uſum, ſi nihil cetera proficiant, *tardare oportere*; *quoniam metus eſt*, *ne*, *quod non raro fit*, *inflammationi ſuperveniat gangræna*, *qua corruptis inteſtini tunicis*, *in abdomen effunditur ponderoſum metallum*. Non puto autem, a te nobis objectum iri Cl. Wahrendorffii (*k*) Obſervationem, quæ Ileoſum proponit, cui ſelibra mercurii data in Colon uſque pervaſerat, neque tamen fracidum ventriculum, aut Duodenum inteſtinum ſphacelo contaminatum perruperat. Cum enim æger *poſt triduum* ab hauſto mercurio deceſſerit; facile intelligis, eo ſpatio temporis inflammatione quæ in Jejuno, & Ileo adhuc erat, in Duodeno, & ventriculo in ſphacelum qui antea non eſſet, degenerare potuiſſe. Nec valde abſimili reſponſione uſurum te credam, ſi quis Schroekium (*l*) objiciat, qui in diuturna alvi obſtructione libras argenti vivi circiter duas ad initium & finem Ilei inteſtini deprehendit, & in minutiſſimas disjectum particulas adhæſiſſe vidit Ilei tunicis, neque has perforaſſe, etſi inteſtina non inflammata quidem, ſed infirmata eſſent adeo, ut paulo durius contrectata *aliquibus in locis* rumperentur. Dies enim inter ultimam remedii exhibitionem, & mortem interceſſerant plus viginti, ut diſtenta aere, & fæcibus inteſtina fraceſcere extremo demum potuerint tempore, neque conſtat an ita fracida eſſent ad ea quoque loca in quibus ſubſtiterat argentum vivum.

14. Quæres fortaſſe, cur ægris a me deſcriptis repoſitum non ſit inteſtinum? & cur non repoſito, in nonnullis tamen materiæ pars a Tenuibus ad Craſſa tranſierit? Quod ad primum attinet, puta, alios ſerius quam oportuiſſet, in Noſocomia eſſe delatos, alios tempeſtive quidem, ſed eo tempore cum fere omnes in pleriſque Italiæ Civitatibus Chirurgi necdum ſatis auderent ferro uti ad reſerandas anguſtias, inteſtini repoſitionem aliter prohibentes. Quod vero has materiæ pars in nonnullis trajecerit; primum animadvertas velim, quæ per clyſteres educta diximus (*m*), jam antequam inteſtinum conſtringeretur, infra conſtrictionis locum fuiſſe; poſſe autem in volvuloſis non modo artis, ſed etiam naturæ ope quæ infra eum locum ſint, educi, & ratione, & experientia cum ſua, tum Hippocratis (*n*) in muliere quæ cubabat apud Tiſamenum, adverſus communem eo tempore doctrinam confirmavit Salius (*o*), niſi quod id accidere, ait, dum fit morbus, non vero dum factus eſt. Sed in propoſita a nobis (*p*) fœmina id contigiſſe in fine lethalis morbi, manifeſtum eſt, nec ea tantum quæ infra conſtrictum inteſtinum eſſent, ſemel atque iterum fuiſſe dejecta, ſed denique etiam eorum fortaſſe partem quæ ſupra, præſertim autem mercurium, niſi forte exiſtimas, hujus & ſimplicis, & ſine ullo dejectorio remedio, & doſi perexigua dati eas fuiſſe vires, ut per inteſtini interceptos parietes, necdum quidem ſphacelo, ſed gangræna tamen correptos propagare potuerint neſcio quam irritationem. Quod cum facile credi nequeat: veri ſimilius videbitur, minus arcte in hac fœmina, quam in juvene agricola (*q*), conſtrictum fuiſſe inteſtinum, ut mercurii pondus, mutatione ſitus corporis, & vomitus coagitatione, ac preſſione adjutum, potuerit brevem illum inteſtini tractum emetiri, & ea deinceps quæ infra erant, ſanis adjuvantibus, ad exitum promovere. Sed & quodpiam ex iis exemplis proferre juvat in quibus aliquid dejici toto morbi tempore non eſt deſitum.

15. MARIA, uxor Antonii Franciſcati, aurigæ Patavini (fecit enim rariſſimus quem in illius arteria Pulmonari offendi, valvularum numerus, ut nomen, & cætera quæ ad eandem attinerent, diligenter perquirerem) annos nata undequadraginta, mediocri corporis habitu, colore non malo, multoque minus icterico, plurium viventium liberorum parens, quorum ultimum jam ſex menſes lactaverat, cum morbo hoc noviſſimo correpta eſt, nulli unquam alii obnoxia, ſi parvam herniam excipias, unde hic demum originem habuit, cruralem, id eſt femoralem, ex qua cum per ſe reponere conſueviſſet quidquid illud erat quod e ventre illabebatur, nunc autem aliquot jam dies conata, non poſſet, febri, & vomitu, & cæteris quæ accedere ſolent, afflicta eſt, niſi quod aliquid tamen dejicere ſemper potuit. Serius quam opus fuiſſet, in hoc eſt denique Noſocomium illata, ubi cito morituræ ſimilis, vitam traxit complures dies, quorum ultimis ſe habere meliuſcule videri poterat, & ab enematibus injectis levari, donec XII. Kal. Decembris A. 1704. mortua eſt. VENTRE poſtridie adaperto, ſimulque herniæ ſacculo retecto, craſſo, & in plures quaſi tunicarum laminas non difficillime dividendo, animadverſus hic eſt a Terete quidem ligamento uteri omnino ſejunctus, ad Cruralia autem vaſa, quibus a latere interno adjacebat, annexus: neque anguſto eſſe orificio; ſed anguſtias omnes ab impoſito infimo eſſe limbo muſculi abdominis Obliqui Externi, quem limbum vocant ligamentum Poupartii, vel potius Falloppii; cum revera tendo ſit muſculi illius (*r*), qua in re mecum faciunt Solertiſſimi Viri, in his Heiſterus (*ſ*), &, ſi attente legas, etiam Platnerus (*t*). Sub eo igitur limbo intercipiebatur pars aliqua proximi Coli inteſtini ſic tamen, ut per hoc via ſatis pervia reſtaret, paries tantum intercluderetur qui ſacculi orificium ſpectaverat. Is paries, cum ſacculo cohærens, erat niger, & fracidus; proxima extra ſacculum inteſtini pars viridis. Virebant quoque, & grave olebant pleriſque in locis interiores ventris parietes. In hujus tamen viſceribus nihil morbidi adnotavi, niſi in hepatis veſicula quæ æquo aliquanto major, cum bile non atri coloris, ſexdecim calculos habebat vix diſpari inter ſe magnitudine, parvos quidem omnes, nec tamen minimos, ſuperficie autem flava, & ex pluribus faciebus planis confecta. Quorum unum ita, ut erat, humidum cum flammæ admoviſſem, comburi non ſine ſcintillis, ac liquari, vidi, flammam vero alere, non vidi. Corpus reliquum cum diligenter eodem, & inſequentibus diebus perſecaremus; erant enim cætera viſcera idonea & ad obſervandum, & ad docendum, muſculique omnes egregie rubebant; nihil uſquam ſe obtulit nobis quod ad hunc locum attineat, niſi forte in cerebri medullari ſubſtantia crebra puncta ſanguinea, & quæ horum cauſa erat ſanguinis multitudo, ſicut eo diſtentæ vena utraque Cava, & venæ influentes, præſertim Azygos, ſignificabant; ſiniſter autem pulmo totus hinc pleuræ, inde mediaſtino annexus,& denique Thyroidæa glandula aliquanto craſſior quam par eſſet: cum plura alioquin occurrerent non indigna quæ alibi memorentur. Ex quibus illud unum hic minime præteribo, quod antea non modo non videram, ſed neque audiveram, aut legeram a quoquam viſum, ut neque poſtea ab exteris Viris Eruditiſſimis; humaniter me inviſentibus, audivi, Quæ videlicet cauſa fuit, cur meas quaſdam obſervationes Cl. Morando (*u*) quam pauciſſimis, ut fit, verbis indicans, cæteras quippe alias a me, ab aliiſve etiam habitas diſerte prætermittens, hanc unam exciperem. Scilicet in fœmina quæ nulli morbo ad circumitionem ſanguinis attinenti, obnoxia, ad eam quam ſupra dixi, ætatem pervenerat; & cujus cordis, adjectorumque vaſorum particulæ quæque, a me accurate perſpectæ, nihil vitii, nihil præter conſuetudinem habuerant, in oſtio arteriæ Pulmonaris, trium valvularum loco, quatuor deprehendi, & frequentiſſimæ, quæ aderat, Doctorum Virorum, & Juvenum ſtudioſorum coronæ demonſtravi, cæterarum quæ ibi ſpectari ſolent, conſimiles, niſi quod una ſecundum omnes dimenſiones erat, nec paulo, major, quemadmodum huc veniens; nam etiamnum in apto humore aſſervo; aliquando conſpicies: ea ſedem inter cæteras anteriorem ac ſiniſteriorem obtinebat. Verum, cum hæc recen-

(*k*) Act. N. C. T. 3. Obſ. 131. ante fin. (*l*) Eorund. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 299. (*m*) n. 9. (*n*) Epidem. I. 3. S. 2.
(*o*) c. cit. ſupra ad n. 1. (*p*) n. 11. (*q*) n. 9. (*r*) Adverſ. Anat. 3. Animad. 1. (*ſ*) Compend. Anat. not. 4.
(*t*) Inſtit. Chir. §. 793. (*u*) Hiſt. de l. Acad. R. des Sc. A. 1741. Obſ. Anat. 7.

recenſerem, gaviſus ſum hanc Obſervationem rariſſimam quidem, ſed non unicam, a me ſupra dictam fuiſſe. Nam tandem inter tot illas, & tam varias, quas cum Præceptore Caſſebohmio habitas, edidit Cl. Jo. Zacharias Petſche (*x*), in quandam incidi alterius fœminæ, cujus *arteria pulmonalis quatuor valvulas habebat, nempe tres majores, quartam vero minorem*. Ejus Aortam fœminæ duos, haud amplius, ramos ſurſum miſiſſe, legimus; ſed quot annos, & num ſana vixerit, & quo ex morbo deceſſerit, non eſt additum.

16. Nunc rem alibi quam in corde, ubi natura ſibi adeo conſtare ſolet, non magnopere attendendam, relinquens, ad herniam redeo parvam quidem, ſed lethalem. Et ſane quanto ab ægris ob parvitatem magis herniæ negliguntur, tanto ſæpe fiunt demum periculoſiores, ut illa fuit cujus ſacculus *vix extremitatem digiti indicis recipiebat* (*y*). Cum ſacculo enim exiguo facilius conglutinatur, arctiuſque in eo conſtringitur inteſtinum. Accedit ob neglectam parvitatem, ægrorum ſilentium tunc etiam cum ventris doloribus torqueri incipiunt; ut ſcite Cel. Werlhofius (*z*) medentes admoneat, *ne prætermittant in colicis pathematibus inquirere in hernias, quæ ſæpe vel exiguæ ſunt, & ab ægrotis inſuper habentur, vel pudore occultantur*; & ſibi certe, quamvis iterum, iterumque inquirenti, accidiſſe non ſemel, refert, ut id ægrotantes ad extremum fere uſque inficiarentur. Mihi vero in æque pio, ac nobili, doctoque Juvene, nunc autem Ampliſſimo Viro accidit, ut cum a cæteris Medicis, & a me pariter quo magis inquirebatur, eo minus ulla deprehendi poſſet cauſa recurrentium identidem ventris dolorum, accidit, inquam, ut ex hac ipſa cæterarum cauſarum abſentia ſuſpicarer, eam qua de agimus, forte ſubeſſe. Quam ſuſpicionem minime vanam eſſe, cognovi, interrogans, an forte juvaret ſupinus corporis ſitus. Affirmante enim ægro, & tumore quem ipſe ob parvitatem ne animadverterat quidem, reperto, moxque inteſtino ſuam in ſedem repoſito, in eaque conſtanter ſervato, nulli amplius redierunt dolores. Sed hi moleſti potius quam graves, fuerant. Colicos autem, ut dicere inceperamus, ab herniis ſæpe dolores fieri, cum frequens experientia oſtendit, tum fœmina confirmat a Præcl. Weiſſio (*a*) diſſecta, iis doloribus ſæpe vexata ob herniam in eadem ſede in qua noſtræ quoque mulieri fuiſſe, diximus, ſed non Coli modo, verum etiam Ilei portionem, omentique concludentem, fellis pariter veſicula calculis, ſed multo pluribus, onuſta quam in muliere a nobis deſcripta. Cujus herniam raram, ut ait Littrius (*b*), vocare poſſumus, ſi cum frequentiſſimis quas Tenuia faciunt inteſtina, comparetur. Deſcribit ipſe in nobili fœmina huic noſtræ ſimilem, ſive id ſpectes quod in mortua ſecando invenit, ſive dejiciendi facultatem quam in vivente obſervaverat. Sedes dumtaxat altior fuit. Memoratur altera ejuſdem generis apud Palſinium (*c*), qui iſtam Littrii, iſtam, inquam, anni 1714. non videtur legiſſe. Legerat autem Hildani (*d*) Obſervationem, quam auctor ipſe cum attentius perpendiſſet, ad eundem ac Littrius, modum explicaverat (*e*): imo aliam, etiam Pariſiis jam A. 1671. ſic explicaſſe invenio Bienaiſium, ut is qui aderat, inſequente anno ſcriptis tradidit J. H. Lavaterus (*f*). Cur enim bubonocele laborans ægra *excrementa liquida toto compreſſionis tempore (ad diem uſque ſeptimum) per alvum dejeciſſet*, ejus *rei*, inquit, *cauſam* laudatus *Operator inteſtinum ex parte conſtrictum, reperit*. Sed & Ballonium (*g*) animadverti, cum ſcripſit, *in inguen prolapſa cæci inteſtini apophyſi*, etſi hæc computreſcat, *non eſſe neceſſe ea ſequi ſymptomata, quæ conſequi ſolent in aliorum aut tenuiorum, aut craſſorum inteſtinorum affectu*, cum hæc, inquam, ſcripſit, non obſcure indicaſſe, ſive ex Craſſis, ſive ex Tenuibus inteſtinis propendens pars quæpiam inſtar appendicis illius, in hernia aliqua intercipiatur, poſſe alvum reſpondere ſecus ac cum totus intercipitur inteſtini cujuſpiam tubus. Eſſe autem interdum præter naturalem illam alias aliquas appendices, quas & diverticula vocant, herniæque ſacculum ſubire, certum eſt, ſive illæ ſenſim præter naturam producantur, ſive a prima origine quibuſdam corporibus ſint datæ. Cave enim credas, eſſe omnes præter naturam, præſertim vero ex inteſtini latere in herniæ ſacculum prolapſo omnes fuiſſe efformatas; nam interdum, ut infra (*h*) dicetur, ad ea pertinent inteſtina quæ ab ſedibus abſunt in quibus herniæ contingunt. Itaque cum Littrio (*i*), & Meryo (*k*) cenſebis quidem, eas appendices quas ipſi viderunt, illo fuiſſe modo formatas, aut certe auctas: quin ſi tres illas quas Schrockius (*l*) vidit in adoleſcentulo, ventris doloribus, ſed non ob hernias, quæ nuſquam erant, ſæpius cruciato, eas quoque a morboſa aliqua cauſa ortas, adauctaſve eſſe, volueris; non multum fortaſſe adverſabor. At ſi alias quaſdam, ut puta quæ a Weitbrechto (*m*) in muliere deſcribitur, fibris eodem modo ac in aliis inteſtinis, conſpicuis prædita, non a prima origine fuiſſe, dicas; certe non potero adſtipulari. Hujus autem generis illam fuiſſe, non dubito, quam in Vetula deprehendi, quippe eadem parietum ſubſtantia, & craſſitudine ex Ileo qua propius Colo erat quam Jejuno, ad perpendiculum pendentem: quæ addas velim ad breviſſimam ipſius in Adverſariis (*n*) deſcriptionem, quando Hunauldius (*o*) aliam, a ſe viſam, deſcribens, id cupiit minime prætermitti. Neque alterius generis fortaſſe erat quam in Lanario (*p*) vidi, ab illa in his diſcrepantem, quod brevior erat, & hemiſphærica, & contra meſenterii inſertionem poſita ubi Ileum ſe ita flectebat, ut angulum faceret, vel abſciſſo meſenterio perſtantem; in illa enim ipſa prominentia anguli extuberabat haud aliter, ſi poſitum dumtaxat ſpectes, ac quæ ab Ruyſchio eſt in Muſæo Anatomico (*q*) delineata. Quas præterea vidi, deſcriptas non habeo; perpaucas autem omnino vidi, cum tot cadaverum inteſtina examinaverim.

17. Hinc fit, ut quo magis conſidero, eo magis cenſeam, Ruyſchii verba in Theſauro VII. (*r*): *ejuſmodi diverticula, ut plurimum, ſi non ſemper, in Ileo occurrunt*, aliter eſſe ac a primo videtur, accipienda, nimirum cum ſunt, in eo ut plurimum eſſe inteſtino. Certe in eo viderunt qui a me aut nunc, aut alias (*ſ*) memorati ſunt, & præter illos Henricus Meibomius (*t*) olim, deinde autem alii, & in his Experientiſſimi Viri Waltherus (*u*), & Schlichtingius (*x*), & Cl. Bonazolius (*y*) nuper; ut de me in parte ſileam, qui tamen; ne hoc omittam ad ipſius attinens Obſervationes; in quibus vidi, ii maniaci non fuerant, neque in maniacis quos incidi, vidiſſe memini. Conſpexi etiam ſemel atque iterum in anſeribus, in uno præſertim ea latitudine, ut pro reliquiis ejus ductus haberi non poſſet qui olim ad vitellum attinuerat. In his quoque cum eo inteſtino communicabat quod Ileo reſpondet, imo cum illa hujus parte quæ Craſſo inteſtino propior eſt; id quod in homine & mihi, & cæteris accidiſſe video qui locum quidem Ilei ad quem attineret, diſerte ſignificarunt. Unde confirmatio accedit cauſæ a Præcl. Fabricio (*z*) indicatæ, cur morboſæ Appendices in Ileo potiſſimum inteſtino contingant. Si enim quæ ad Ileum ex ſuperioribus inteſtinis deſcendunt, ob maximam chyli partem in vaſa Lactea jam dimiſſam, eam *ſpiſſiorem conſiſtentiam* nanciſci incipiunt quæ tenues urgere tunicas poſſit, atque diſtendere; ea certe erit ſpiſſior, quo magis per Ileum progreſſa fuerint, ſicque plus chyli, & reliquæ fluidioris partis dimiſerint. Itaque diverticulum, quod & ipſe vidit, ad duos,

(*x*) Diſſert. qua Sylloge Anat. Obſ. &c. §. 47. (*y*) Vid. Act. Lipſ. Suppl. T. 1. S. 12. in Relat. libelli Launay.
(*z*) Commerc. Litter. A. 1735. Hebd. 1. n. 3. (*a*) Commerc. cit. A. 1745. Hebd. 24. n. 1.
(*b*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1714. (*c*) Anat. du corps hum. tr. 1. ch. 8. (*d*) Cent. 1. Obſ. Chir. 55.
(*e*) Cent. 6. in Obſ. 71. (*f*) Diſſ. de Inteſtinor. Compreſſ. theſ. 6. (*g*) l. 1. Conſil. Medic. 103. (*h*) n. 17.
(*i*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1700. (*k*) Mem. A. 1701. Obſ. 1. (*l*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 50.
(*m*) Comment. Acad. Imp. Petropol. T. 4. (*n*) III. Animad. 5. (*o*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1732. Obſ. Anat. 2.
(*p*) de quo Epiſt. 36. n. 22. (*q*) Fig. 3. ad Thec. C Repoſ. 3. n. II. (*r*) n. XV. 3. (*ſ*) Adverſ. III. Animad. 5.
(*t*) Epiſt. de Vaſ. Palpebr. (*u*) Progr. de Aneur. (*x*) Act. N. C. T. 6. Obſ. 20.
(*y*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. T. 2. P. 1. inter Anatom. (*z*) Progr. Helmſtad. editum Janu 1750.

haud amplius, palmos a fine Ilei diſtabat. Quid ergo eſt, inquis, cur ita Ruyſchium intelligamus quaſi nonnunquam ad aliud quoque inteſtinum diverticula pertinerent? Scilicet cum meas relego Obſervationes, aliquid illi aliquando accidiſſe, credo non abſimiliter ac mihi accidit qui in Recto ſemel, iterum in Duodeno ejuſmodi quidpiam vidi. In Recto quidem, ut in Adverſariis (*a*) propoſitum eſt; in Duodeno autem viri apoplectici duobus ferme digitis infra pylorum cellulam, non multum extuberantem, ſed orificio digitum admittente, nulla cinctam tunica præter extimam, ſic tamen ut nullum omnino ſive præſentis, ſive præteritæ exulcerationis ibi, aut in ventriculo, totove inteſtinorum tubo extaret indicium.

Sed cum diverticula hæc, quando ſunt, Ileo, ut diximus plerumque obtingant, longiſſimo omnium inteſtino, ibique locato ubi herniæ fieri ſæpius ſolent; non mirum eſt, ſi ex Ileo potiſſimum, hernias ſubeant. Tunc autem contingere poſſe, ut nulla ſequantur herniæ ſymptomata, Ruyſchius cenſuit (*b*). Littrius autem antea (*c*) diſerte docuerat, ejuſmodi herniæ cuncta ſymptomata lentius ſe prodere, & minus violenta eſſe, quam in herniis cæteris in quibus totus ſtrangulatur inteſtini tubus, in primis autem hinc internoſci, quod nunquam dejectio impeditur. Addit alia, in quibus hoc etiam, abdomen neque tumere, neque tendi, neque flatibus oppleri, ut in herniis communibus. Quæ etſi rationi, ob liberam tunc inteſtinorum viam, eſſe videntur conſentanea, & approbatione ſunt Palfinii (*d*), aliorumque non immerito confirmata; tamen ut intelligas, nihil bene adeo eſſe in Re Medica conſtitutum, ut nonnunquam fallere non poſſit; Obſervationem huc addam meam, in Adverſariis (*e*) indicatam quidem, ſed non perſcriptam, ex qua apparebit, quanto aliter res in ægro ſe habuerit, cujus hernia ſic inteſtini partem intercipiebat, ut per hoc tamen apertam relinqueret viam.

18. BAJULUS Bononienſis, aſſiduis laboribus fractus, ut cum quinquageſimum annum ageret, multo ſenior appareret, herniam habebat ad inguen dexterum, digiti pollicis magnitudine, quæ aliquando evaneſcere videbatur. Is circa medium Martium A. 1706. nulla prævia cauſa, niſi forte quod poſt mediocres tempeſtates repente ingruerat nivoſa dies, ventris dolore prehenſus eſt, vago quidem, ſed acerbo, quaſi a canibus; ſic enim ajebat; morderetur. Qui dolor etſi, ventri neſcio qua inunctione adhibita, remittere viſus eſt; recruduit tamen, nec unquam poſtea eſt imminutus. Ob hunc cum in Noſocomium illatus eſſet S. Mariæ de Morte ſexto jam morbi die, non calentibus quidem carnibus, nec pulſu valde frequenti, ſed parvo tamen, & qui prementibus digitis parum reſiſteret, eoſque inæquali ictuum vi percuteret, toto abdomine tympani inſtar diſtento, magis autem infra hypochondrium dexterum, ubi quædam quaſi Coli inteſtini cellulæ manu percipi videbantur, hernia autem duriore facta, quamvis negaret, præcipuam in ea eſſe doloris ſedem. Cibum vomebat. A quatuor jam diebus dejicere nihil poterat. Flatus ipſos fruſtra egerere conabatur. Datum eſt oleum e dulcibus amygdalis recens expreſſum; e ſeminibus autem lini injectum clyſtere ad uncias decem. Hoc quale injectum eſt, reddidit; illud vero evomuit, conqueſtuſque eſt, ſe ab eo turbatum atque agitatum. Quærentibus quid os ſaperet; toxicum, inquit. Multum ſitiebat. Vomitus perſtabat. Diebus ſingulis inſequentibus ſeptimo, & octavo ſingula enemata injecta ſunt, alterum compoſitum cum *benedicta laxativa*, alterum ex lacte, & vitello ovi; ſed nihilo plus præſtiterunt, quam illud prius. Cum recrementorum nihil unquam dejiceretur, & cætera quæ ſunt dicta, manerent, pulſus autem; quamvis poſt diem ſextum non amplius inæqualis; debilior, ac minor fieret ſic, ut die nono mane percipere vix poſſemus, & jam cute corrugata, frigeſcente corpore, æger neque palpebras attollere valeret, & vix amplius loqui, petiit tamen vinum, paulatimque deficiens, proxima tandem nocte placide obiit. CADAVER ſqualidum, & ſiccum, cute rigida, nec ſine ſcabie aliqua, inſequenti nocte diſſecuimus. Ex aperto Ventre fœtor qualis ex gangræna ſolet. Omentum in herniam uſque extenſum, totum ex inflammatione rubebat, ſi latas quaſdam quaſi lineas exciperes in tranſverſum ductas. Lien aliqua ex parte morboſo livore infectus erat, introrſum quoque, tametſi ad parvam altitudinem, propagato. Ventriculus dextrorſum multo magis quam ſoleat, ſe porrigebat, diſtentus totus materia ſubflava, nihil magis quam ſtercus fluidum, referente, qualis inteſtina etiam Tenuia a ventriculo ad herniam uſque impenſe diſtendebat. Quidquid autem ex Ileo ad Craſſa uſque reſtabat; reſtabat autem multum; & Craſſa ipſa omnia valde erant contracta, atque alba; ut manifeſtum eſſet, nihil per Ilei partem tranſiiſſe quæ ad herniam pertinebat; quamvis non ipſe inteſtini tubus herniæ orificium ſubiret, ſed extra hoc prætervectus, nihil aliud immitteret, niſi parietis ſui portionem, in ſemiovalis cavitatis modum laxatam. Erat ejus cavitatis qua ſenſim ab inteſtino incipiebat, major axis trium circiter digitorum ſecundum inteſtini longitudinem; minor axis multo brevior, quippe per anteriorem inteſtini faciem digituli intervallo a meſenterii inſertione ad inferiorem faciem ſe extendens. Illis ex initiis paulatim cavitas magis, magiſque, ut ſemiovalis requirit figura, ſe contrahebat, donec ad pollicis profunditatem in medio deſcenderet. Hanc igitur ſive cavitatem malis, ſive diverticulum appellare, hernia ſolam intercipiebat, non reliquum inteſtini tubum, ſimulque cum omenti extrema parte concludebat. Quorum neutrum poterat ex ipſa retrahi, quippe non modo intercluſum orificio ſacculi quaſi nervoſo, verum etiam nexibus, minus quidem validis, ſed creberrimis, ſacculo alligatum, intus, qua erant ii nexus, ſubaſpero, cætera lævi. Hunc peritonæum faciebat, extrorſum laxatum prope externum latus Spermaticorum vaſorum: aſſidebant autem hinc, & hinc glandulæ Inguinales tumentes duæ, quarum altera, ſacculo propior, albam in parte ſubſtantiam oſtendit. Inteſtinum ſacculo proximum, & multo magis inteſtini diverticulum ex rubro nigricabant. Illinc inteſtinum ſuperiora verſus; nam ad inferiora, ut dixi, album erat; magnum ad tractum ex rubro ad lividum inclinabat: quidquid autem inde ad ventriculum uſque pertinebat, ob conſerta pleriſque in locis evidentia ſanguifera vaſcula plane rubebat. Idemque color meſenterium obtinebat. Thoracem quoque recludere placuit. Pulmones undique; ſi dexteram anteriorem excipias faciem; pleuræ, præſertim ad latera, & dorſum, ubi hæc erat craſſior, adhærebant, nuſquam autem magis quam ad ſummam dexteram thoracis partem, ad quam pulmonis ſubſtantia, velut ex antiqua læſione, erat prædura, inferius autem, a dextris pariter, non paulo compactior, quam ſoleat. Cæterum pulmones multo, ubique ferme, humore imbuti erant. In pericardio aquæ nihil, cor autem flaccidum, & in ſingulis orificiis polypoſas habens concretiones, ut in ventriculo etiam dextero, & ſiniſtra auricula, leviter compactas omnes, & pleraſque mediocres; minima enim erat quæ in illa auricula; longiſſima quæ in arteriam Pulmonarem, ejuſque ramos pertinebat.

19. Non dubito, quin ex me quæras, cur tametſi via per Ileum inteſtinum reſtabat aperta; nihil tamen illac tranſiiſſet? Equidem plures ſuſpicari cauſas poſſum; veram pro certo affirmare nullam poſſum. Erat ibi inteſtinum ab inflammatione maxime læſum, ſimulque ob ſui portionem diſtractam, atque interceptam irritatum. An ibi igitur periſtalticus ceſſabat motus, quo materiæ ulterius promoverentur? An convulſio erat aliqua per quam ea tubi pars in vivente magis, quam in mortuo, contracta eſſet? An denique hoc ipſum inflammatio præſtabat, vaſa, & parietes magis, dum vita maneret, turgida reddendo, quæ poſt mortem laxata ſint? Certe aliquid ad cauſam hanc tertiam attinens indicat Littrius (*f*), ubi a no-

(*a*) Animad. cit. 5. in fin. (*b*) n. 3. cit. (*c*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1700. (*d*) c. cit. ſupra ad n. 17.
(*e*) Animad. ibid. cit. (*f*) Vid. ſupra, n. 16.

a nobili illa fœmina, cujus hernia Coli portionem intercludebat, conjicit, cur plura, & ſæpius interdum, alias vero pauciora, & rarius dejicerentur. Neque hoc objicias, in illa tamen, quamvis inflammatum eſſet inteſtinum, & hujus portio intercepta, plura ſemper, aut pauciora illac trajici potuiſſe, ut in ea quoque muliere cujus hiſtoriam propoſui n. 15. Nam ut omittam, alium in aliis eſſe poſſe læſionis gradum, aliamque inteſtinorum vim, alium ſenſum; certe in illis fœminis de Colo ſermo eſt, in hoc autem viro de Ileo, quod; ne quæram an acutioris ſit ſenſus; anguſtius profecto eſt multis partibus, quam Colon; ut ſi vel major hujus, quam illius, ſecundum latitudinem intercipiatur portio, amplior in Colo via reſtet, ampliorque parietum, in quibus promovendi vis eſt, extenſio, & cum his ligamenta illa tria, id eſt faſciæ muſculares, quas intra ejuſmodi hernias intercipi, tanto minus veri ſimile eſt, quanto difficilius eſt, ibi laxari Coli parietem, ubi earum aliqua munitur exterius: quæ exterior ſedes, & magis compacta faſciarum ſubſtantia illud quoque præſtare poſſunt, ne ipſæ facile adeo vitium contrahant. Ex his intelliges non modo cur propoſita a Littrio iſtiuſmodi herniarum diagnoſis facilius poſſit in Colo, quam in Ileo, reſpondere; verum etiam cur in ipſo Ileo, ubi diverticuli orificium anguſtius ſit, quale ab eodem Auctore (*g*) delineatur, non cum ita amplum eſt, uti mea in Bajulo proponit deſcriptio: facilius, inquam; neque enim præſtare auſim, ubi anguſtius ſit orificium, ſemper nihilominus reſponſuram. Atque hæc, ut noſti, ad te ſcripſeram, cum a Cl. Benevolo miſſum accepi librum (*h*) quo herniam, ſecundo loco, deſcribit factam, ut ipſa cadaveris confirmavit diſſectio, ab Ilei Appendice in ſcrotum ſe extendente. Quæ tametſi cum eo inteſtino per orificium communicabat in mortuo quidem non majus, quam ut mediocris avellanæ æquaret diametrum; æger tamen quindecim primis morbi, ejuſque ſæviſſimi, diebus nihil per alvum, omnia per vomitum, & cito quidem ſtercoris ſimilia, ejecerat. Præterea inteſtinum Ileum qua parte herniæ reſpondebat, erat ad ulnæ dimidium colore non prorſus naturali, valde autem corrugatum, & anguſtius; unde proclive erat conjicere, a diſtenta, inflammataque Appendice vehementer tractum, hinc inflammatione tentatum, & depreſſum, convulſumque fuiſſe. Hiſtoriam hanc conjungas velim cum propoſita Bajuli hiſtoria, conjecturas autem, adnotatis in diſſectione ſubnixas, ad ea adjungas quæ de cauſis ſuſpicabar, cur Littrianæ ejuſcemodi herniarum diagnoſi res aliquando non reſpondeat. Quod ſi non Appendix ſolum, ſed ipſum quoque Ileum intra herniam intercipiatur, & inflammatione, gangrænaque vitietur, ut in Meryii Obſervatione (*i*); manifeſtum eſt, alvum tunc ſupprimi, & cætera fieri quæ in iſtiuſmodi Ilei affectionibus accidere ſolent: ſolent, inquam; nam etſi pleriſque hæc contingunt; ſunt tamen quibus nec alvus quidem prorſus adſtringitur, nedum recrementorum, aut his ſimilium vomitus non fiunt, ut puta iis quos Cl. Viri Wolffius (*k*), & Cohauſenius (*l*) deſcripſere, ut minus oporteat mirari quod non aliter acciderit illis quorum morbus, & diſſectio a Cl. Storchio (*m*), & Bajero (*n*) propoſita ſunt, cum in hernia eſſet pars Coli intercepta, non Ilei, quod tamen erat totum cum magno Jejuni tractu in altero ea inflammatione affectum, qua Colon carebat.

20. Iis allatis, indicatiſve Obſervationibus in quibus inteſtinorum dolores a cauſa erant ſub oculos cadente, ad eas tranſeo in quibus cauſa penitus intra corpus latebat. Ab iis autem incipiam quæ propter vomitum & inflammationem ad eas magis accedunt quæ hactenus deſcriptæ ſunt. Duæ primæ ad Valſalvam ſpectant.

21. VIR gracilis, annorum quinquaginta, ob plures in venationibus labores, de magno ad guttur, & pectus calore queri cœpit. Hic eas deferens partes, ſe ad lumbos prodidit, itemque in ventre, ubi pun-

gente adjuncto dolore hominem adeo vexabat, ut ne tactum quidem ferret. Primis ægrum diebus frigidus rigor invadebat crebrius. Diebus autem quinque, aut ſex ante mortem, Volvulus acceſſit cum fæcum rejectione: qui ſenſim ægri vires atterendo, ad interitum perduxit circa trigeſimum ab decubitu diem.

VENTER plenus ſanie inventus eſt totus, quæ omentum, & inteſtina inter ſe colligaverat. Erant hæc valde inflammata, ut jecur quoque, & lien, quem altius ſane quam jecur, inflammatio occupaverat. Ren ſiniſter ſub interna membrana; non omni tamen ex parte; effuſum ſanguinem continebat. In omento, & in limbo meſenterii, præſertim ubi cum inteſtino Colo nectebatur, multi parvi abſceſſus, & ulcuſcula animadvertebantur.

22. Cum primum abſceſſus fieri cœpti ſunt; incommoda non ventrem modo, ſed & lumbos quo ſe meſenterium alligat, afficiebant. Ubi illis ſuppuratio accidit; crebri hanc indicabant frigidi rigores. Effuſa autem ſanies ulcuſcula ibi reliquit; ventrem implevit. Cum, mora acrior facta, tunicas viſcerum, & inteſtinorum præſertim irritavit; omnium inflammationem concivit, horumque præterea motum invertit. Hinc Volvulus. Tu cum Virorum Clariſſ. Maucharti (*o*), & Verdrieſii (*p*) Obſervationibus, non propter Volvulum qui vix in una indicari videtur, ſed propter ventris dolores hanc poteris comparare, præſertim cum in earum utraque meſenterii pariter abſceſſus fuerint, in altera aperti, ut ſanie refertus eſſet venter, in altera clauſi, inteſtinis autem quæ hic illic ſphacelus infecerat, inter ſe, & cum omento arcte cohærentibus.

23. VIR alter eadem qua prior ætate, eodemque habitu, colore autem pallido, cum ante biennium ardenti febre correptus, ab ea denique ſine ullo ſenſibili criſis veſtigio eſſet liberatus; magna poſtmodum ſiti, capitis, & ventriculi ſumma debilitate, & virium larguore afficiebatur. His quotidie vexatum ingens interdiu cordis oppreſſio invadebat, quam noctu, dum ſomnum capere vellet, univerſi corporis tremor excipiebat. Phthiſi aliis Medicis, Valſalvæ autem aqua intra cranium redundante laborare cenſebatur, qui & ea præſcripſit remedia quæ hydropicis ſolent eſſe communia. Ille vero interea multum cum combibonibus meri ingurgitans, magno ventris dolore corripitur, vago tamen, cum flatibus, cum materiæ bilioſæ vomitu, & cum pulſus celeritate conjuncto. Poſtridie mane cum dolor non modo ſævior, verum etiam certa in parte fixus eſſet, quæ tacta, vehementer dolebat, inflammationem Valſalva veritus, ſecari venam, imperavit. Omnibus tamen præſidiis irritis, die quarto ineunte æger moritur. IN VENTRE ſana reliqua inventa ſunt; ſed magna Ilei inteſtini pars inflammata. In Thorace permagna polypoſa concretio in dextero cordis ventriculo, quæ inde in venam Cavam producebatur. Intra Cranium tandem ſeri multum, quo & ventriculi cerebri erant pleni. Prægrandes erant, multoque ſcatebant ſero glandulæ plexus Choroidis: & compages cerebri laxa erat.

24. Quam periculoſe magnæ ſolvantur febres ſine ulla criſi, prima hujus hiſtoriæ pars confirmat. Quam verum autem fuerit Valſalvæ utrumque judicium, quæ per diſſectionem in capite, & ventre comperta ſunt, monſtrant. Quod vero in hoc ægro, non Volvulus, ut in priore, ſed vomitus dumtaxat fuerit, ne quæres quidem, ubi hujus ſectionem cum prioris, aut cum inſequentis cadaveris ſectione comparaveris. Quam, ſi recte memini, in Bononienſi Incurabilium Noſocomio habuimus A. 1705.

25. SENEX annos natus quatuor & ſeptuaginta, gracilis, vinoſus, ante menſem incedere ſic inceperat, ut ſiniſtro potiſſimum cruri incumberet. Quod domeſtici magis quam ipſe, animadverterant; nihil certe ipſe de hoc dicebat, aut uſpiam dolere ſe, oſtendebat.

(*g*) Mem. de l'A. 1700. (*h*) Due Relaz. Chirurg. (*i*) cit. ſupra ad n. 16. (*k*) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 68.
(*l*) Commerc. Litter. A. 1742. Hebd. 26. n. II. ad 3. (*m*) Act. cit. T. 7. Obſ. 101. (*n*) Commerc. cit. A. 1745. Hebd. 40. n. 2.
(*o*) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ. 14. (*p*) Act. cit. Tom. 1. Obſ. 87.

debat. Duodeviginti poſt diebus dolore ventris correptus eſt vago, nullaque cum febre conjuncto, quem ipſe, nemine conſulto, theriaca ſumpta expulit. Sed duodecim interjectis diebus ortus circa meridiem dolor eſt ad ſummam regionem iliacam dexteram ſimul gravans, ſimul ei ſimilis, ut ajebat, quem mordentes afferrent canes. Tumebat is locus; ſed nec colorem mutaverat, &, ſi tangeres, mollis erat: manu autem profundius appreſſa, durum percipiebas. Pulſus, cæteroquin laudabilis, celer, & frequens erat. Oculi intra orbitas ſubſidebant. Lingua ſicca. Nox mala. Die morbi altera pulſus major, & vibratus. Dolor, & tumor ſe ad ventris medium extendebant, qui demum ſiniſtrorſum quoque perrexerunt. Sanguis e dextero brachio miſſus ad uncias ſeptem, nihil ſeri; craſſam autem & flavam habuit cruſtam. Nauſea erat quidem, non ea tamen, ut cibus reſpueretur. Alvus ſine moleſtia exonerabatur. Nox peſſima. Die tertia pulſus humilis: ructus crebri, amari, acidi: loquela quaſi a convulſione vitiata; mens ſubinde non conſtans, ut inania, & nugæ, quas æger narrabat, oſtendebant. Die quarta artus identidem convellebantur, totumque corpus rigidum ad quadrantem horæ permanebat: quæ dum fierent, nulli erant pulſus: & viciſſim, ſoluta convulſione, hi quoque redibant, & ſanorum quidem in cæteris ſimiles; ſed humiles, & prementibus digitis non reſiſtentes. Poſtea difficili facta reſpiratione; etſi lingua demum erat jam humida, neque homo amplius delirabat; fæces vomuit, & paulo poſt ad veſperam diei ejuſdem convulſus, mortuus eſt. ABDOMINE diducto, ſiniſter jecoris lobus inventus eſt laxus, & ſphacelo prorſus vitiatus. Ventriculus, & inteſtina, Tenuia præſertim, hic rubra, iſtic livida, illic nigra. Coli autem initium qua muſculos contingebat, cavam oſſis ilii faciem operientes, ſimul cum ipſis & gangræna omnino occupatum erat, & ſic connexum, ut ſine laceratione ſeparari non potuerit. Illinc videbatur effuſum eſſe quod in ventris cavo conſpectum fuerat ſerum lividum, & puri admiſtum, cui nempe ſimile inteſtina continebant.

26. Quod ad initium attinet hiſtoriæ hujus; a veri ſimilitudine non valde abhorret, natum ſenſim fuiſſe in iis qui modo memorati ſunt, muſculis vitium aliquod unde proximi Crurales nervi dexteri comprimerentur, inde autem fuiſſe, cur homo ſiniſtro magis cruri inter ambulandum incumberet. Quod ad vitium inflammatione, & corruptela poſtea accedentibus, peſſimi ſucci ita nervos illos vellicaverint, ut corpus univerſum convelleretur. Nec fortaſſe in puero quem Iliaca paſſio, arroſis putrido inteſtini tabo iiſdem muſculis, interfecit, aliunde magis repetendæ erant convulſiones totius corporis, & crurum præſertim, quas in hac Sepulchreti XIV. Sectione (*q*) leges ſic ut ipſe quoque convulſus tandem moreretur. Quem autem ad modum Senis inflammatio prorepſerit in contiguum inteſtinum, & cætera quæ deſcripſimus, explicare non eſt opus. Itaque ad Obſervationem tranſeo, quam iſta Coli pars inflammata ad memoriam revocat, biennio ante quam ſuperiorem haberem, mecum a Viro Doctiſſimo, humaniſſimoque M. Antonio Laurentio Archiatro, cum hæc ſcriberem, Pontificio communicatam.

27. MULIER quæ anno ante in dorſum ceciderat, ingenti nuper, clamoſo, profundoque in ventre dolore, cum vomitionibus conjuncto, dies aliquot conflictata, deceſſerat. VENTRICULUS repertus eſt mire contractus, Cæcum autem Veterum inteſtinum a ſemifluidis flavis ſtercoribus ita dilatatum, ut ventriculum mentiretur. Id inteſtinum prehenderat inflammatio, quæ per vicina quoque viſcera ſe ſe diffundere incipiebat.

28. Si caſus ille ad cauſas attinuit quæ hunc mulieris morbum fecerunt; credibile eſt, ita in dorſum cecidiſſe, ut dexterum tamen ventris latus, & Coli partem in eo latentem afflixerit. Quæ propterea vi ſua qua ſtercora ſurſum propellit, magis in dies magiſque imminuta, ab iis denique omnino reſtitantibus in eum modum cum ſubjecto præſertim Cæco expanſa fuerit, & ob tunicarum diſtractionem acerbiſſimo dolore affecta, ob vaſorum autem compreſſionem inflammata. Quod ſi mulier aliquanto diutius vitam traxiſſet; fortaſſe ipſa quoque, ut aliquot ex iis de quibus ſupra dictum eſt, fœdum in modum, & miſerandum ſtercora vomuiſſet, vel potius ſtercorum quam ſimillima. Hac enim ſimilitudine decepti, plerique in Volvulo ea rejici, crediderunt quæ jam in Craſſa inteſtina tranſiiſſent, id quod rarius quam ipſi putant, accidere, interjecta oſtendit Bauhini valvula, oſtenduntque alia quæ ſunt a nobis in Adverſariis (*r*) commemorata. Similitudine autem decipi, non difficile eſt demonſtrare pluribus in medium prolatis ejuſmodi vomitus Obſervationibus vel in iis quibus a Craſſis inteſtinis ad os via erat omnino intercluſa. Vide enim; ut cæteras omittam ubi hanc arctiſſima hernia viam, aut obſtructio, aut coalitus intercipiebant; vide, inquam, exempli cauſa, hic in Sepulchreto (*ſ*) Henrici ab Heers Obſervationem. Puero hernioſo ſimul cum omento Ileum inteſtinum agyrta ferreo conſtrixerat filo, ut tranſire nihil poſſet. Puer autem *per os ejectis ſtercoribus* mortuus eſt. Huc adde Cl. Haguenotii (*t*) complura in felibus, & canibus experimenta: qui vinculo injecto eidem inteſtino, ſtercora vomebant. Quis a primo e Craſſis hæc rediiſſe, non exiſtimaſſet qui Tenuia fuiſſe occluſa neſciret? Nempe quæ ex ventriculo detruduntur ad inteſtina, illius, & mox horum ſuccis, & pancreatico, & bile admiſtis, pluribus autem in chyli ductus particulis amandatis, ſi quam in Craſſis deberent, eam in Tenuibus, inflammatis præſertim, habere moram cogantur; eandem in his referent, quam in illis, odoris fœditatem, & ſtercora etiam, ſi quis velit, non injuria poterunt appellari, ut docuit Piccolhominus (*u*), negans propterea, neceſſarium eſſe, reliquias cibi in Craſſa pervenire, ut ſtercoris acquirant naturam. Verum ut minime in hoc homines fallantur; ex hoc tamen ipſo in errorem rapiuntur, cum e Craſſis ea redire, exiſtimant, quæ redeunt e Tenuibus.

29. At enim e Craſſis uſque inteſtinis provenire poſſe, demonſtrant ſuppoſitoria, & clyſmata ab ileoſis per os ejecta. Ego vero de ſuppoſitoriis ſatis in Adverſariis (*x*) dixiſſe videor quid ſentirem, ut de clyſteribus quoque. Sed quoniam horum per vomitum rejectionem legi poſtea apud non ignobilem Auctorem, *frequenter* accidere, apud alium autem hanc eorum rejectionem ſine inverſo inteſtinorum motu nova quidam ratione explicatam; nonnulla tibi ſuper utraque re hic addere conſtitui. Et quod ad primam attinet; Galenus quidem cum inverti in Iliaca paſſionem, imo & extra ipſam, inteſtinorum motum, non uno in libro (*y*) docuit, tum inſuper III. de Symptom. Cauſis (*z*) ſemel, iterumque affirmavit, *clyſteris aliquid nonnullis in ventrem* (id eſt ventriculum) *ſubiiſſe, ita ut vomerent: præterea ſtercus in lethalibus ileis*. Sed ab ejus tempore uſque ad ætatem Jo. Matthæi de Grado (*a*), id eſt a ſecundo ad decimum quinctum Æræ Chriſtianæ ſæculum qui id confirmarent, non memini legiſſe. Extitit deinde ſæculo decimo ſexto qui id vidiſſe ſe, ſcriberet Julius Alexandrinus (*b*), ſed *non tam ſæpe, aliquando tamen*, ut bis Jo. Francus Hildeſius (*c*). Sæculo autem proximo, & hoc ipſo non pauci utique. Legere enim potes Abelis Roſcii (*d*) Obſervationes tres, Danielis Sennerti (*e*), ut videtur, & Joannis Henrici Lavateri (*f*), & Lucæ Schröckii patris (*g*), & Joannis Meryi (*h*) ſingulorum ſingulas, plures autem Collectorum Bibliothecæ Anatomicæ (*i*): & præterea ſine Iliaca, aut Colica paſſione, unam Petri Borelli (*k*), alteram Friderici Loſſii (*l*), tertiam Georgii Segeri (*m*), quar-

(*q*) Obſ. 21. in Additam. (*r*) III. Animad. 9. (*ſ*) Obſ. 24. §. 3. (*t*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1713.
(*u*) l. 2. Anat. Prælect. 11. (*x*) Animad. cit. (*y*) De nat. facult. l. 3. c. 13. & in Hipp. de Vict. in Acut. Comm. 3. n. 33.
(*z*) c. 2. (*a*) apud Donat. de Hiſt. Mir. l. 4. c. 3. (*b*) apud Schenck. Obſ. Med. l. 3. ſub tit. Variar. rer. Vomit.
(*c*) Ibid. (*d*) apud Hildan. Cent. 6. Obſ. 70. (*e*) in hac 14. Sepulchr. S. Schol. ad Obſ. 20. §. 13.
(*f*) theſ. 6. cit. ſupra ad n. 16. (*g*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 5. Schol. ad Obſ. 195. (*h*) Obſ. 1. cit. ſupra ad n. 16.
(*i*) Tom. 1. P. 1. in adnot. ad Peyer. Exercit. 1. de Gland. Inteſt. (*k*) Cent. 1 Obſ. 17. (*l*) Vid. Schol. modo cit. in Eph. N. C.
(*m*) Earund. Dec. 1. A. 9. Obſ. 94.

quartam Gabrielis Clauderi (*n*), quinctam denique Petri Rommelii (*o*); tot enim erant quarum in præſentia recordabar. Alias ipſe facile invenies. Verum ſi vel totidem reperires; non rariſſimam, opinor, clyſterum per os rejectionem diceres; frequentem non diceres. Plerique enim Medici, etiam exercitatiſſimi, nunquam viderunt: quod eorum Scripta oſtendunt, ubi de hiſce Obſervationibus mentio incidit, aliorum quidem teſtimonium, non ſuum, proferentium.

30. Videamus nunc, qua nova ratione clyſmatum per os rejectio explicata ſit. Poſitum eſt, inteſtina omnia in Volvulo plena eſſe, aut ferme plena humorum tum in ipſa jugiter influentium, tum ab ægris ingeſtorum: eſſe autem ad podicem obſtaculum quodpiam, illorum quidem impediens exitum, ab immittentibus autem clyſmata ſuperabile. Tunc igitur ſic injecta, plenitudinem inteſtinorum, & diſtentionem augentia, accedente muſculorum abdominis, & diaphragmatis alterna compreſſione, quo minor reſiſtentia eſt, illuc urgeri, & commiſta cum iis humoribus per vomitum denique extrudi. Non reſiſtere autem Bauhini valvulam, quippe quæ, poſita inteſtinorum omnium plenitudine, aperta ſervetur. Nec inverſo horum motu opus eſſe, præſertim cum in beſtiis, ob injectum Ileo vinculum jam vomitu correptis, non potuerit is motus animadverti; imo ne periſtalticus quidem, ſi quæ ad finem ſunt hujus Explicationis, attendas, ſatis in vivis, ſaniſque animantibus agnoſci amplius videntur. Hæc omnia cum primum legi, etſi quædam erant quæ non facile probari poſſe, intelligerem; tamen, quod nunquam in veri inquiſitione omittendum eſt, id cœpi facere, ut non modo quæ contra, verum etiam quæ pro iſta Explicatione afferri poſſent, attenderem. Itaque nonnulla eorum quæ ſuis tum rationibus, tum experimentis confirmaverat ingenioſus Auctor, animadverti, meis quoque comprobari. Nam quod ad inteſtinorum ab obſtaculo ad ventriculum uſque plenitudinem ſpectat, hæc meis quoque humanorum cadaverum, quibus ipſe caruiſſe queritur, Obſervationibus in ejuſmodi morbis comperta eſt, ut tibi propoſitæ oſtendunt Agricolæ (*p*), Bajuli (*q*), & magna ex parte Mulieris cujuſdam (*r*) hiſtoriæ. Poſita autem non Tenuium modo, ſed & Craſſorum inteſtinorum plenitudine, ultro apparere *impedimentum* illud videbam, quod in Adverſariis (*ſ*), generatim, quærendum eſſe, indicaveram, quo impedimento *ad tempus interjecto* Bauhini valvula *rite occludi non poſſet*; ad tempus, inquam; nam ſi perpetuum ſit, non intelligetur, qua ratione poſt trajectos per illam clyſteres, ad officium ipſa vel continuo redierit, ut in quibuſdam ex iis caſibus viſum eſt, qui paulo ante (*t*) ſunt indicati. In illis enim non ſatis faceret eorum explicatio qui in ileoſis valvulam rumpi, aut paralyticam fieri, conjecerunt. Quam ego ultimam conjecturam ne tunc quidem habere locum, credo, cum initium Coli plurima congeſta materia dilatatum ponitur præter modum. Nam etſi valvula ob reſolutas duorum, ex quibus componitur, inteſtinorum carneas fibras eam, qualiſcunque eſſet, vim amitteret ſe conſtringendi; duo tamen, quæ nos addidimus, Fræna ita ſunt hinc, & hinc in tranſverſum per internam Coli faciem locata (*u*), ut admirabili uſu quanto magis hoc dilatatur, tanto ipſa magis rimam valvulæ adſtringant, quam utilitatem perſæpe in vita præſtare, cenſeo, cum multa forte in ea Coli parte materia eſt, muſculi autem abdominis conatu magno contenduntur: quæ autem de hujus ſtructura valvulæ, de ejuſque Frænis in Adverſariis ſcripſi, & pinxi, ut accipi a te, non dubito; ſic ea, & quædam alia quæ ad me attinent, vellem ab nonnnullis paulo attentius fuiſſent ſpectata: ſed de his alibi. Denique, ut alia omittam; quod abdominis muſculis, & diaphragmati illa tribuatur actio quæ inverſo motui inteſtinorum tribui ſolet, non ſine ratione hoc fieri, ii poſſunt caſus comprobare, in quibus Ileon contingere ob vim expultricem abolitam, ſive ob atoniam inteſtinorum, de Salii, & Ruyſchii ſententia ſuperius (*x*) indicatum eſt. Quo loco, Boerhaavii (*y*) quoque auctoritas produci poteſt, aſſeverantis, ſe *in* Craſſis *inteſtinis nunquam, in numeroſis vivorum animalium ſectionibus vidiſſe motum periſtalticum*, ideoque mirantis, *rejici tamen per os ex Craſſis clyſmata*; hæc enim *aliquando accidere, teſtibus graviſſimis viris*, non dubitabat.

31. Verum cum hæc propoſitæ Explicationi favere, animadvertiſſem; alia ſe objiciebant quæ evidentiſſime adverſarentur. Ne longior ſim; illud in primis, quod ſi plena, aut fere plena inteſtina omnia ponuntur; non poteſt intelligi, quomodo non commiſti, ut dicuntur, cum aliis humoribus, ſed ſinceri clyſteres vomitu rejiciantur, iique non longo interpoſito tempore, neque præcedente, poſtquam injecti ſunt, immani humorum qui a Recto ad ventriculum inteſtina impleant, aut quaſi impleant, rejectione. Lege enim Roſcii, Schröckii patris, Collectorum Bibliothecæ Anatomicæ quas ſupra (*z*) indicavimus, Obſervationes, in Volvulo habitas; lege etiam quas ex Loſſio, Segero, Claudero, Rommelio memoravimus (*a*), ubi nec Volvulus erat, ut validiores muſculorum compreſſiones credi poſſent, nec præter levem in uno, aut altero alvi adſtrictionem obex ullus qui humores in toto pene inteſtinorum tubo coercuiſſet. Invenies paſſim clyſteres *totos*, *integros*, eoſque *ſinceros*, *ut fuerant applicati*, *nihil prorſus immutatos*, per os ejectos poſtquam *per horam* fuerant *in inteſtinis retenti*, *poſt horæ circiter ſpatium*, *poſt horæ quadrantem*, *horæ quadrante vix elapſo*, *momento temporis*, nulla uſquam commemorata inter clyſmatis injectionem, & rejectionem, humoris vomitione, nedum tanta, quantam intelligis, ſi plena fuiſſent inteſtina omnia, eſſe debuiſſe. Cum igitur nec plena hæc, nec quaſi plena eſſent; profecto apparet, aliam eſſe explicationem quærendam, ex qua eluceat tum quæ cauſa ab Recto ad ventriculum clyſteres compelleret, tum quæ Bauhini valvulam apertam ſervaret. Videndum eſt autem nunc præſertim quando non deſunt qui diaphragmatis, & muſculorum abdominis ad vomitum ciendum vires in dubium vocant; videndum eſt, inquam, ne quod ad primam attinet cauſam, præpropere abjecta illa ſit quæ in motu inverſo inteſtinorum ab antiquis uſque temporibus reponebatur. Ut enim is motus ubi ligata, diſtenta, inflammata, reſoluta ſint inteſtina, non facile eſſet agnoſcendus; cur ibi negandus ſit ubi nihil iſtorum eſt? nihil autem eſſe poterat in iis Obſervationibus quæ, nullo præſente Volvulo, habitæ ſunt, neque erat, etiam hoc præſente, aut certe neceſſe non erat ſemper, ut eſſet in magna inteſtinorum parte, in eaque nominatim quam hic potiſſimum ſpectamus, id eſt in Craſſis inteſtinis. Cur igitur omnino, & ſemper cauſam illam rejiciamus, nullaſque illi partes tradamus? Num forte quod periſtalticus motus vix amplius ſit agnoſcendus? Quid ergo? Adeone mutata eſt natura animalium, ut noſtra ætate vix amplius id appareat quod vetuſtiſſimi illi Obſervatores perſpexerunt, quos ſecutus Cicero (*b*) *tum aſtringere ſe ſe inteſtina*, *tum relaxare* ſive ad terendum cibum, & conficiendum, ſive ad ejus depellendas reliquias, diſerte ſcripſit? Sed ne cuipiam forte ex iis quos in prope extrema ad II. Adverſaria Præfatione deſignavi, hic quoque Ciceronis locus *in acerbam ſatis exprobationem* a me *allegari* videatur; præſtat multa quæ hic reponere liceret, negligere, & a Priſcis ad Recentiores venire. Num igitur tot obliviſcemur Obſervationum, non aliorum modo, ſed & noſtrarum in canibus, ovibus, cuniculis vivis diſſectis, cum ſæpe in oculos ne quærentium quidem incurrit, is motus, atque adeo etiam, ut præſertim, in cuniculo accidit, alterne antiperiſtalticus.

Sed

(*n*) Earund. Dec. 2. Obſ. cit. (*o*) Earund. Dec. 3. A. 7. Obſ. 39. (*p*) ſupra, n. 9. (*q*) n. 18. (*r*) n. 11. (*ſ*) III. Animad. 9. (*t*) n. 29. (*u*) Adverſ. 3. Fig. 1. (*x*) n. 12. (*y*) Prælect. ad Inſtit. §. 816. in fin. (*z*) n.29. (*a*) Ibid. (*b*) l. 2. de Nat. Deor.

Sed in hominibus quoque fuiſse alterum, aliquando utrumque perceptum, oſtendere jam nihil attinet, quando exempla protulit Cel. Hallerus (c): quibus tamen illud addere, ſi volueris, potes Matronæ, immanem omphalocelen habentis, viſæ a Collectoribus Bibliothecæ Anatomicæ (d). Idemque Hallerus (e) vel antequam tot ederet experimenta (f), præſtitit, ne quia magno Præceptori ipſius acciderat, ut nunquam, ſicut dixi, in Craſſis inteſtinis videret periſtalticum motum, idcirco nemini viſus exiſtimaretur; ſiquidem Wepferum nominatim laudavit, qui in his quoque evidenter perſpexit, nec periſtalticum modo, verum etiam antiperiſtalticum, ut cognoſces ex Wepferi loco, huc pariter in Sepulchretum (g) relato.

32. Ex his quæ in utramque partem expendimus, licebit tibi intelligere, ad ea quæ in Volvulo contingunt, ardua præſertim, nec ſatis adhuc perſpicua, explicanda non facile ullam probabilem cauſam omnino eſſe abjiciendam. De cauſis autem quæ obſtaculum faciunt materiæ per inteſtina deſcendenti, ſi forte ex me quæris, utrum illam celebrem olim horum contorſionem unquam invenerim, aut ſaltem intus, ut vocant, ſuſceptionem, quæ vel ſæpius eſt etiam ab Recentioribus confirmata; ingenue reſpondebo, in neutram ſic quidem, ut poſtea (*) explicabo, adhuc incidiſſe. Non tamen propterea; quod ad primam attinet; ullum ex deſcriptis ejus generibus ſuſpectum mihi eſt, niſi quod ſalva meſenterii cum inteſtinis connexione intelligi non poteſt.

Altera autem, ſive inteſtini intra inteſtinum ſuſceptio non modo ſalva meſenterii connexione intelligitur; verum etiam ob iſtam ipſam connexionem maxime noxia eſt. Cum enim inteſtini pars proximam ſubit, ſimul annexi meſenterii portio ſubeat, neceſſe eſt. Itaque ſi paulo ibi diutius inhæreat, & cauſa aliqua conſtringens accedat; retardato per ejus vaſa motu ſanguinis ſic turgebit, ut ingreſſi inteſtini exitum, & per hujus cavum deſcenſuræ materiæ tranſitum impediat; ne quid dicam de ſphacelo ob circumitionem ſanguinis prorſus interclusam demum ſuperveniente, ut laudatus Hallerus (h) vidit, & hominem extinguente. Eo autem magis omnia ibi conſtipantur, quo major inteſtini complicata portio in proximam ſe conjecit; tanta enim aliquando fuit, ut ex inteſtini ſpatio ſemipollicem longo educta, duos fere palmos æquaverit (i). Tanto autem major ſubit, quo majores, aut diuturniores cauſæ ſunt, quæ ſubeuntem impellant, & quæ excipientem dilatent. Inter has cauſas plerumque eſt flatus; inter illas autem nonnunquam eſt pondus, ut in Obſervatione eorundem quos ſemel, iterumque laudavimus, Bibliothecæ Anatomicæ Collectorum (k) rara non ob id tantum, ſed etiam quia in colo ſuſceptio acciderat, in quo qui viderint, perpaucos legiſſe memini præter Ruyſchium (l), idque, ut fatetur, ſemel, cum in Tenuibus inteſtinis toties vidiſſet, ut ſæpius nemo. Cæterum nulla frequentior cauſa creditur, quam convulſivi motus: quos id poſſe, Peyeri monſtrat experimentum laceſſitis non uno in loco viventis ranæ inteſtinis: leges illud in Sepulchreto (m). Idem confirmare mihi videntur Obſervationes cum Peyeri ipſius (n), tum præſertim Ruyſchii (o). Ille enim in puellæ Ileo in quo ſuſceptiones tres, lumbricos *alicubi* vidit *velut conglomeratos*; Ruyſchius autem ipſam ſuſceptam Ilei virilis portionem *repletam vermibus circulariter poſitis*, iterumque *ſuſceptionem* ejuſdem inteſtini *verminoſam* oſtendit *e puero*. Inteſtina autem a vermibus poſſe vehementer laceſſiri, manifeſtum eſt. Quin eximium Medicum Heiſterum (p) cum in Tenuibus duodecennis pueri inteſtinis duplicem ſuſceptionem inveniſſet, eademque inteſtina *lumbricis repletiſſima* animadverteret, *in praxi notatu dignum* exiſtimavit, *præſertim ſi juniora tractamus ſubjecta*, paſſionem Iliacam a lumbricis quoque oriri poſſe. Et hinc fortaſſe fuit, quod ſuſceptionum pleraſque in pueris viderim adnotatas. Eorum quæ hactenus commemoravi dum quædam paulo diligentius attendo, non poſſum facere quin Obſervationem huc addam meam, quam legens, ſi mirari forte incipias, me paulo ante negaſſe, inteſtini ſuſceptionem mihi eſſe conſpectam; at mirari deſines ubi ea perpenderis quæ poſt Obſervationem adſcribam.

33. VIRGO ad quinque & quadraginta annos nata, capite ob lapſum graviſſime icto, non modo inter initia, ſed ſemper vomuit; dies autem in hoc Noſocomio vixit plus XXI. ſic quidem ut ſæpe jam jam moritura videretur. VENTER; hujus enim dumtaxat viſcera, neque hæc morbi cauſa, inſpexi; tepida etiamtum inteſtina habebat; tametſi non paucis a morte horis tangebam, & una certe ex quo abdomen apertum, diductumque fuerat, cum aliud interea expedirem, tranſacta, tempore anni frigido, quippe circa medium Decembrem A. 1724. tempeſtate autem frigidiſſima. Inteſtinorum Tenuium pars flatu erat diſtenta, ea præſertim quæ Cæco ſuberat, itaque hoc cum Appendicula antrorſum verterat: pars reliqua non ſine fœtore aliquo ſubrubra erat. In hac ſuſceptionem vidimus, de qua loquimur, non minus evidentem, imo etiam longiorem aliquanto quam ab Ruyſchio eſt delineata (q). Sed dum qua in ſede inteſtinorum eſſet, & quam arcta, aveo diſtinctius cognoſcere, ideoque ut ab altero Tenuium capite incipiam, inteſtina leviter, ut fit, hinc illinc dimoveo, hoc quidem præclare intellexi, illud vero dignoſcere amplius non potui. Nam Tenuibus cunctis ab uno capite ad alterum, & ab hoc rurſus ad illud accurate percurſis, nuſquam ſuſceptio illa apparuit, & ne veſtigium quidem, indicio manifeſtiſſimo, minime arctam fuiſſe. Tunc; quod reliquum erat, Tenuia inteſtina aperiens, in Duodeno materiam conſpexi liquidis fæcibus ſimilem; in proximo autem Jejuni tractu lumbricum teretem, in eodemque tractu, & vicina Duodeni parte ſanguineas hic illic maculas quibus intus utrumque, quaſi ab inflammatione quæ irritationem conſequi inciperet, diſtinguebantur. In cæteris autem inteſtinis, ventriſque viſceribus complura quidem animadverti, oſtendique, ſed non ad morbos attinentia; ſi nonnulla excipias adnotata in muliebribus, & in veſica, vel potius in urethra. Hac enim ſecundum longitudinem inciſa, ex vaſis ſanguiferis quæ parallela per interiorem ejus faciem apparebant, nigra quædam hic illic prominere videbantur quaſi corpuſcula, ut a primo pro exiguis varicibus acceperim. Sed cum mane in ſolis lumine inſpectarem, varices non eſſe, intellexi; quin etiam num in iis vaſis eſſent, plane dubitavi. Nam duo majora, quæ in ipſis erant communibus veſicæ, & urethræ finibus, peculiaria eſſe vidi fuſca, & ſubrotunda corpuſcula, eaque cum tangerem, dura ſenſi; ut calculos ſui generis eſſe, crediderim, ſub intima illa tunica concretos, eamque attollentes; reliqua autem quæ infra erant, ut minora, ita minus dura, nec ſubrotunda, ex ejuſdemmodi materia, ad eundemque modum fieri, ſed necdum eſſe perfecta. Cum hoc, novum fortaſſe, morbi genus, urethram procedente tempore coarctaturum, & jam facile nonnihil lædentem, animadvertiſſem; uterum ſecui, ſi forte manifeſtius ſcaturigines invenirem ſubalbi, & craſſiuſculi humoris quo nimis humectatam vaginam conſpexeram. Sed præter conſuetudinem nihil vidi, niſi prominentem veſicularum acervum parvulum, ut ejus area ambitum unguis non excederet digiti minimi. Erat in facie anteriore caveæ ipſius uteri dexterius, propiuſque ſupremam partem ejuſdem caveæ, quam cervicis; ut ſuſpicatus ſim primum, eſſe inchoamentum excreſcentiæ, cujuſmodi a me ſæpe alias in cavo uteri deſcriptas legiſti. Et prominentia quidem id confirmabat: ſed non conveniebat natura veſicu-

(c) Ad Boerh. Prælect. §. 93. not. 6. (d) Tom. I. P. I. adnot. penult. ad Warthon. de Meſent.
(e) Ad cit. Prælect. §. 107 not. 3. & §. 109. not. 30. (f) De Reſpir. P. 3. (g) Schol. ad §. 2. Obſ. I. hujus Sect. (*) n. 34.
(h) Strena Anat. n. 9 (i) Vid. Sepulchr. §. 2. modo cit. (k) Adnot. cit. ſupra ad n. 29. (l) Adverſ. Anat. Dec. 3. 5.
(m) Schol. ad §. 8. Obſ. 20. (n) §. modo cit. (o) Theſ. Anat. 4. n 14. & Theſ. Nov. n. 57.
(p) Eph. N. C. Cent. I. & 2. Obſ. 198. n. 3. (q) Obſ. Chir. Anat. Fig. 74.

ſicularum quæ prominentiæ faciem tegebant; erant enim ipſæ, & mucus, quem continebant, ejuſdem omnino generis, & ad eundem naturalem modum ſe habentis, cujus erant infra in cervice aliæ plures, olim a me verbis, & pictura ſatis expreſſæ (r); non hydatides, quales hic quoque non deerant ad tubas, & prope ovaria, alba, dura, ſtrigoſa. Sed veſiculas, mucum limpidum, & in fila ductilem continentes, tam alta ſede, quam in hac Virgine, collocatas, ibique in acervum collectas, non niſi raro vidiſſe memini. Quæ ſi ſemper ad hunc modum ſe ſe habuiſſent; una ex magnis difficultatibus Nabothi ſententiæ defuiſſet.

34. Verum hæc alias. Nunc ad inſtitutum ſermonem redeamus. In Virgine hac vides, inteſtini partem in proximam ſe conjeciſſe: ab hac parte fuiſſe flatum, qui dilataret; ab illa autem lumbricum, qui laceſſendo contrahere, inflammationemque ciere poſſet: pertinacem vomitum non defuiſſe, ut neque in Duodeno jam materiam liquidarum fæcum ſimilem. Hæ res omnes fecerunt, ne hiſtoriam hic prætermitterem. Graviſſimus autem ictus capitis, qui per ſe concitare vomitum ſolet, in Tenui inteſtino levior, & quæ noviſſime inchoata videretur, inflammatio, neque aliter fortaſſe quam XIX. Epiſtola (ſ) indicata eſt, explicanda, præſertim vero laxa adeo ſuſceptio, ut faciliime, nulloque ſui relicto veſtigio, evanuerit, eo me impulerunt, ut hanc neque pro vomitionum cauſa habuerim, neque inter eas connumerem de quibus in præſentia verba facio. Neque enim hic ſpecto quas facile evolvendas, neque ita raro, invenimus, quales fuiſſe puto tres illas quas ſine ullis Volvuli ſignis in Jejuno puellæ inteſtino vidit Abrahamus Vaterus (t), qualeſque fortaſſe erant, quando nulla de iis ſignis mentio injicitur, propoſitæ in eodem trium cadaverum inteſtino ex obſervatione Cl. Hommelii (u), & ne longior ſim, quales erant certe quæ plures, & varia in ſede, ut aliqua etiam ex infimo Colo in ſummo eſſet Recto inteſtino, a Cel. Hallero, non in Strena Anatomica, ex qua unam ſupra (x) laudavi, ſed in Opuſculis Anatomicis (y) deſcriptæ ſunt. Quin etiam nonnullæ occurrunt non æque facilis evolutionis, ut quæ a Cl. Jo. Phil. Burgravio (z) *ſatis arcta* reperta eſt, nullo tamen, quod memoret, conjuncto ſigno Iliacæ paſſionis, an quod nulla acceſſerat inflammatio? quanquam hæc neque ad alteram acceſſerat ab eodem (a) conſpectam, & fuerant tamen ſaltem quædam tormina, & vomitus remediorum, an quod duplo altius in hac altera ſe ſe immiſerat inteſtinum? Sed neque Hortmannus (b) parum alte intruſum, idque tribus locis, inteſtinum deprehendit, neque ex iis omnibus æque facile educendum, quin ibi *exterius turgidulum & ſanguinolentum*, *tumoris etiam in extracta* portione *manente veſtigio luculento*, nec lumbricus deerat prælongus in iiſdem Tenuibus inteſtinis: nulla tamen Volvuli memorat indicia; imo *alvum ſuum officium feciſſe*, adnotat, *nimirum* quia *non prorſus omnem viam* ſuſceptiones *obſtruxerant*. Multo quoque longiorem, quippe ultra pedem geometricum, Jejuni inteſtini portionem in proximam ſui partem & illapſam, & *multum* ibi *coarctatam*, *& compreſſam*, & *livido colore tetram* invenit Jo. Guil. Widmannus (c) poſt dolores quidem acerbiſſimos, & vomitus fere continuos, nec tamen fæcibus ſimilium, neque cum alvi, quod ajat, ſuppreſſione, nempe quia illapſa ea portio, quamvis anguſte, etiamtum *pervia* reperta eſt. Itaque multo magis pervias binas illas ſuſceptiones, non modo breviores, minuſque compreſſas, fuiſſe, crediderim, quas in Ileo inteſtino cum incipiente gangræna offendit Vir Cl. Jo. Rod. Zuingerus (d), alioquin notas aliquas, ſi præceſſiſſent, Iliacæ paſſionis non omiſſurus: contra autem minus pervias totidem fuiſſe quas ibidem reperit Valentinus (e), eadem quæ Widmannus, ſigna referens, nec dubitans, quin ſtercoreus vomitus, ſi diutius vixiſſet puellus, acceſſurus fuiſſet: quem acceſſiſſe in altero, intelliges, deſcripto ab Hoffmanno (f), ſuſceptione quæ in eodem inteſtino erat, ſimul flatibus, ſuperiora inteſtina diſtendentibus, ſimul putrido humori viam intercludente, qui eodem ac per vomitus ejiciebatur, colore, in ventriculo conſpectus eſt. Ad has, Obſervationem præſertim addes Cl. Weiſſii (g), qui in mortua poſt atroces ventris dolores, cum pertinaci alvi obſtructione, & tandem cum Volvulo conjunctos, invenit Ileum extremum in Colon illapſum, cum hujuſque membranis concretum, ac contractum adeo ut tranſitum occluderet *liquamini fœtido & ſemiſtercoreo*, quo inteſtina Tenuia *mire diſtenta*, & inflammata conſpiciebantur. Nec denique omittenda eſt, quamvis in cane habita, Obſervatio quam Cl. Wahrendorffius (h) propoſuit. Cum aliquot jam hebdomadas nihil omnino dejeciſſet, ſed aſſumpta quælibet, vehementer ejulans, vomuiſſet, tandem mortuus, nullam inteſtinorum inflammationem, nullumque in his obicem oſtendit, niſi quod *circa inteſtini Recti principium mutuus ingreſſus ad longitudinem duarum unciarum apparebat, omni meatu hinc adeo arcte clauſo, ut ne flatum quidem tranſmitteret*. Ex his omnibus Obſervationibus, quas ego, ſicut ſoleo, ut haberes quas Sepulchreto adderes, commemoravi, facile intelligis, plus ad Volvulum inducendum viæ occluſionem, aut magnam, perſtantemque coarctationem, quam inflammationem, valere; itaque *intuſſuſceptionem*, quæ illam non faciat, qualis ſolet eſſe levis, & facillime ſolvenda, hic a nobis attendi non oportere. Quod ad genus eas refero quas mihi hactenus videre contigit, ex eoque genere, ultro fateor, quod Rei Anatomicæ & Chirurgicæ Auctor noſtro ſæculo haud ignobilis ponebat, occurrere in multis ſine ullo dolore, naturali morte ſublatis. Sed dum hujuſmodi Obſervationibus tantum tribuit, ut commentitiam omnino crederet aliorum doctrinam qui inter cauſas Volvuli ſuſceptionem inteſtinorum proponunt; cum ipſo facere non poſſum, ni tot contrariis aliorum Obſervationibus, atque adeo rationi ipſi velim adverſari. Ut enim agnoſco, minime neceſſe eſſe, gravioris mali quidquam oriri ubi laxior ſuſceptio ſit, & quæ viam non valde coarctet; ita ſi laxa non ſit, viamque diutius occludat, aut fere occludat; hinc vero Volvulum fieri, aut dolores, inflammationes, aliave generis hujus, contendo, quemadmodum in hiſtoriis vides quæ in Sectione hac Sepulchreti ſub num. XX. in aliiſque, & nominatim in Ruyſchianis (i), & quibuſdam præterea illarum quæ hic, aut ſupra (k) indicatæ ſunt.

35. Cæterum non a ſuſceptione tantum, aut hernia, aut inflammatione inteſtinorum, verum etiam a cauſis aliis, hæc aut occludentibus, aut ſtimulantibus Volvulum fieri, tum aliorum Obſervationibus, tum noſtris quoque, tecum alias communicandis, manifeſtum eſt: & ab occludentibus quidem cauſis neceſſario, modo cum his paulo diutius vita duret; ab ſtimulantibus autem, aliquando. Et occludentes quidem cauſæ interdum ad ipſas inteſtini alicujus tunicas ſpectant, ut pura annulus ille ſcirrhoſus, XXXII. Epiſtola (l) indicatus; nam eum denique vomitus ſtercoracei ſunt conſecuti: alias autem ad ea pertinent quæ inteſtinis continentur, nec ſcybala tantum, ut in exemplo quod refert Hoffmannus (m), cum ad pondus librarum circiter viginti congeſta, Colon totum adeo diſtenderant, ut demum rumperent in Ileoſo quodam Celſiſſimo Principe; ſed & calculoſa materia modo circum felleos lapillos, modo circum aureos deglutitos nummos, per diuturnam intra inteſtina moram ſic adaucta, ut via intercluſa eundem attulerint morbum, quarum rerum; ut aliarum prætercam; exempla in Cæſareæ Academiæ libris (n) invenies. Porro & quæ ad cauſas ſtimulantes referre

(r) Adverſ. Anat. 1. n. 32. & Tab. 3. (ſ) n. 18. (t) Progr. edito A. 1727. M. April.
(u) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 42. in fin. (x) n. 32. (y) Obſ. 27. (z) Act. N. C. Tom. 7. Obſ. 5.
(a) Eorund. T. 5. Obſ. 80. (b) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 207. (c) Earund. Cent. 6. Obſ. 89.
(d) Earund. Cent. 7. Obſ. 83: (e) Earund. Cent. 3. Obſ. 1. (f) Medic. Rat. T. 4. P. 2. S. 2. c. 4. Obſ. 4.
(g) Commerc. Litter. A. 1745. Hebd. 24. n. 1. ad II. (h) Act. N. C. Tom. 3. Obſ. 132.
(i) Obſ. Anat. Chir. 91. & Adv. Anat. Dec. 3. 5. & Theſ. Anat. 10. n. 62. & alibi. (k) n. 32. (l) n. 5.
(m) c. 4. paulo ante cit. §. 13. (n) Act. T. 7. Obſ. 100. & Cent. 1. & 2. Obſ. 154.

ferre poſſis, in iiſdem (*o*) reperies, ut cum Juvenis, in abdomen cadens ſic ut intus rupta veſica effuſoque lotio in ventris cavum, inſolita acrimonia laceſſita inteſtina, quod eorum inflammatio, & hanc conſecuta gangræna oſtendit, ſuum periſtalticnm inverterunt motum, aut cum ex ſimili matris caſu contuſum fœtus jam maturi abdomen in cauſa fuit, ut ſubſiſtens, putreſcenſque in vaſis inteſtinorum ſanguis pares in his effectus, irritando, induxerit, infante nihil omnino per alvum, omnia autem, ipſumque meconium per os reddente, miſereque intra octavum ab ortu diem obeunte. Quod ſi convulſiones ſtimulus cieat; quid eæ poſſint, non ſolum ſuſceptiones, ut ſupra (*p*) diximus, producendo, verum & ſine his, inteſtinorum motum invertendo, monſtrabunt experimenta Brunneri (*q*); nepotis dico, Avo digni; per quæ apparet, excitatis in beſtiarum inteſtinis convulſionibus, recrementa quæ jam per alvum exire non poterant, in ventriculum, & gulam aſcendiſſe. Morbum autem, proxime ad Volvulum accedentem ob tormina vehementiſſima, & continuum vomitum, & inteſtina Craſſa præter ſolitum coarctata, cum Tenuia valde eſſent turgida, & rubentia, & inſigni copia ſanguinis effuſi, fluidique referta, non ſine ſpaſticis contractionibus explicavit Cl. Kulbelius (*r*). Quarum identidem recurrentium an reſiduum effectum ſervarint eadem inteſtina, partes inæquales habentia, & per intervalla inæqualia præter naturam anguſtas in Anatomico Jo. Wilhelmo Albrechto, Ileo hæmatiti, dum viveret, perſæpe obnoxio (*ſ*) ipſe exiſtimabis.

36. Sed inter cauſas quæ ſtimulando, Iliacam paſſionem interdum afferunt, vermes recenſendi ſunt. Aliquando enim, ut ſupra (*t*) indicatum eſt, convulſiones movendo, intuſuſceptiones, & Volvulum faciunt: quem & ſine his excitare poſſe non eſt dubitandum. Alias inteſtinorum dolores tantum creant. Interdum ne hos quidem. Imo nonnunquam accidit, ut plurimi in iis ſint in quibus, dum viverent, vix ullum vermium indicium fuerit: quod relegens noſtram mulieris ruſticanæ hiſtoriam, Epiſtola deſcriptam XVI. (*u*), aut quæ olim de cane illo venatico ſcripſimus, (*x*) in quo erant tæniæ ad ſexaginta, ſatis confirmatum videbis. Et contra, ſigna interdum ſunt lumbricorum; neque ulli inveniuntur tamen, ut puellus docet quem tibi ex Valſalva deſcripſi Epiſtola XXXI. (*y*) & ne in re obvia longior ſim; alter quoque, cujus hic in Sepulchreto (*z*) hiſtoria eſt. Sed de vermibus, ventris dolores cientibus, alias incidet fortaſſe ſcribendi occaſio, quærendique fuſius, num ut viventium ſæpe inteſtina laceſſunt, ita in cunctis quæ proferuntur, hiſtoriis ad oſtendendum, inteſtina perforaſſe, ante mortem, an poſt mortem perforaſſe credendi ſint, &, ſi illa ante mortem pervaſerint, an qua abſceſſus, aut ulcus aliquod ipſis viam ex inteſtinis aperuerit. Multæ enim, & variæ producuntur Obſervationes: quarum ſaltem aliquot hic tibi indicare ſatis fuerit ex iis quas addere Sepulchreto poſſis. Videſis in Actis Cæſareæ Academiæ (*a*) primum duas. Quarum altera quanto magis inteſtina ab ſummo ad imum copia lumbricorum incredibili referta proponit, tanto fortaſſe videatur credibilius reddere, ipſos, præſertim amari elixirii copia inſtigatos, in vivo perforare inteſtina cœpiſſe, e quibus parte jam dimidia extabant. Parem, imo majorem lumbricorum numerum Molinettus noſter (*b*) deprehendit; nam præter eos quibus plena, & infarcta erant inteſtina omnia, alii ex his, cribri inſtar perfoſſis, exierant, qui ventris ſpatium undique repleverant. Sed hæc in mortuis conſpecta, ut quæ a me quoque (*c*) in gallina.

Quid cum in vivis? Extat quidem antiquiſſima Hippocratis (*d*) Obſervatio in Dinii puerulo, e cujus umbilico *aliquando* exibat *lumbricus magnus*. Sed cum ibi ex vulnere prægreſſo *fiſtula* relicta eſſet, per eundemque locum & lumbricus, & bilioſa prodirent; perforatum utique Tenue inteſtinum eſſe, conſtabat; a vulnere tamen; a lumbrico enim, ne ſuſpicabatur quidem gravis Interpres Valleſius (*e*). Extat etiam; ne ab iis quæ cum diſſectione cadaveris juncta ſunt, præter propoſitum longius digrediamur; extat, inquam, in Actis paulo ante laudatis (*f*) exemplum quindecim lumbricorum, ex hypochondrio dextero, & reſpondente huic lumbo egredientium, per tumores tamen utrobique ortos, & ſuppuratos, quorum origo tumorum tribuitur quidem vermibus, Colon inteſtinum rodentibus, at ſimul congeſtæ in eodem vitioſæ, corruptæ, erodentique ſaburræ. Cum leges igitur in Centuriis ejuſdem Cæſareæ Academiæ I. (*g*), & VII. (*h*) alias iſtiuſmodi Obſervationes; etſi in altera, ob brevitatem fortaſſe, nullius tumoris, aut abſceſſus mentio fit; quid ſuſpicari aliquis poſſit, conſiderabis. Mihi enim hic, ut dixi, propoſitum eſt exempla indicare, ad varias cruciatuum inteſtinorum cauſas ſpectantia; non quo modo, ac ratione ea contigerint, quærere. Hoc cum quæremus, illud quoque erit inquirendum quod Plateri, ad Volvulum etiam attinens, Obſervatio (*i*) perquirendi anſam præbet, nimirum an lumbrici ſint vivipari. Conſpexit ille convoluta, intorta, implexa, mireque diſtenta pueri, vel potius adoleſcentuli inteſtina, non modo recrementis, & flatibus, *ſed & vermibus vivis, oblongis, quamplurimis repleta, qui rurſum aliis minoribus referti erant*. Obſervationem hanc in Sepulchreto quoque leges tum Sectione circa quam verſamur XIV. (*k*) tum etiam XXI. (*l*), eoque magis attendes, ſi in Diſſertationem incideris qua Solers Medicus Zamponius deſcribit Cl. Planco dejectum ab alio puero lumbricum, mox ſuis ſub oculis parientem minutos vivos vermiculos ad duodetriginta. Sed hæc ad Teretes vermes attinent omnia.

37. Nam quod de Tæniis, & Aſcaridibus legiſſe memini, ſingula illarum internodia multis aſcaridibus fuiſſe repleta non ſecus ac ſi pro his ovariorum officio, vel potius uteri fungerentur; aut ego quidem plurimum fallor, aut ejuſmodi eſt, ut de eo mihi non putem eſſe quærendum, ut neque num *tæniæ aſcarides ſint, quæ ſe mutuo retineant*, præſertim cum qui id docent, *aſcarides in ſolo eſſe recto inteſtino*, fateantur, itemque num aſcarides *vermes ſint corporis humani quaſi proprii; aliæ vermium ſpecies rariores ſint*, aliaque de hoc genere, quæ aliter, ut puto, deceat interpretari, atque a primo ſignificare videntur. Certe Valliſnerius (*m*) non aſcarides, ſed *cucurbitinos* quos cum aliis vocabat, vermes ſe ſe mutuo retinere, & ſic tæniam facere, non dubitabat, uſus inter cætera ſimilitudine, qua ad aliam rem vel Homerum (*n*) olim uſum eſſe, video, veſpertilionum qui in antri magni receſſu pendentes a petra, mutuo tenentur. Sed eam quam Valliſnerius tuebatur, ſententiam ego ſæpenumero ſum miratus in tot a me diligenter inſpectis, examinatiſque tum quadrupedum, tum piſcium, tum avium quoque tæniis confirmari non potuiſſe: quod facile agnoſces, ſi attente legeris obſervationes quas ipſe Epiſtola Anatomica XIV. (*o*) vulgavi, imo illam etiam quam cum mea ad ſe ſcripta Epiſtola edidit olim Valliſnerius (*p*): quibus ex obſervationibus potius colligi tibi videbitur, eas ſingulas tænias ſingulos prælongos vermes, quam plurium catenas fuiſſe. Jam vero mirari deſii ex quo cognovi, Cel. Winslowii induſtria repertum denique eſſe ductum, & per fluidiſſimæ materiæ injectionem confirmatum, qui unus per omnem tæniæ longitudinem pertineret. Qui ductus ſi quo ego, aut quo Vallisnerius ſcribebat, tempore notus fuiſſet, vulgataque eſſent experimenta per quæ conſtat, aquatiles vermes, in partes plures diviſos, tres circiter menſes ſine alimento vixiſſe, & nova obſer-

---

(*o*) Cent. 7. Obſ. 30. & Act. T. 3. Obſ. 131. (*p*) n. 32. (*q*) Experim. circa ligat. nerv. §. 31.
(*r*) Commerc. Litter. A. 1737. Hebd. 20. n. 2. (*ſ*) & A. 1736. Hebd. 12. n. 1. (*t*) n. 32. (*u*) n. 38.
(*x*) Epiſt. Anat. 14 n. 48. (*y*) n. 5. (*z*) Obſ. 1. §. 2. (*a*) Tom. 1. Obſ. 172. & Tom. 5. Obſ. 68. prope fin.
(*b*) Diſſert. Anat. Pathol. l. 6. c. 4. (*c*) Epiſt. Anat. 14. n. 44. (*d*) Epid. l. 7. haud ita procul a fine.
(*e*) Comment. in eum l. n. 105. (*f*) Tom. 6. Obſ. 93 (*g*) Obſ. 39. (*h*) Obſ. 7. (*i*) l. 3. Obſerv. ubi de Extuberantia.
(*k*) ſub n. XXI. §. 1. (*l*) ſub n. XXII §. 4. (*m*) Conſideraz. int. alla generaz. de' vermi &c.
(*n*) Odyſſ. l. 24. ſub initium. (*o*) n. 47. uſq. ad 55. (*p*) in calce modo cit. libri.

obſervatione in altera quoque tæniarum ſpecie credibilius factum eſſet, in extremo illo tenuiſſimo quod cauda videbatur, eſſe tæniarum caput; cum ipſe facilius quæ videbam, intellexiſſem, tum ille aut argumenta alia pro ſua ſententia quæſiviſſet, aut eam potius, ut Vir erat veri ſtudioſiſſimus, abjeciſſet. Verum hæc quæ dixi, poſt illud tempus producta ſunt, ut ex Diſſertatione cognoſces Experientiſſimi Bonneti ſuper Tænia accurate, erudite, ſolerterque ſcripta, Regiæque Pariſienſi Academiæ Scientiarum oblata (q). Ea Diſſertatio quærendi alia nobis fortaſſe occaſionem dabit, alio tempore proferenda. Nunc inſtituti memores, ab his, in quæ obiter incidimus, illuc revertentes, cum quædam reſtare videamus, eaque conſideratione, & ſcitu digna, ex iis quæ ad Dolores attinent Inteſtinorum, hæ autem Litteræ longiores ſint; reliqua in proximas rejiciemus. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXXV.

Abſolvitur ſermo de Inteſtinorum Dolore.

Plura quidem Inteſtinorum Doloris, & hunc conſequentium Inflammationis, & Gangrænæ exempla noviſſimis Litteris complexus ſum. Tamen reſtant alia tanto digniora quæ a te, cæteriſque junioribus Medicis attendantur, quanto aut breviore tempore, aut fallaciore remiſſionis ſimulatione abreptos ægros conſpicies. A primo genere incipiamus, atque adeo ab Juvenis, qui nobis, cum Bononiæ eſſemus notiſſimus fuerat, caſu tam præcipite, ut pene prius mortuum audiverimus, quam ægrotantem. Res, ut diligenter a Valſalva non ſcripta quidem, ſed tunc narrata nobis eſt, ad hunc modum ſe habuit.

2. LÆLIUS Lælii Forocornelienſis, Medicinæ ſtudioſus, ſolitudinis amans, & natura facile iraſcens, cum optime, ut ſolebat, valeret, nulla omnino prævia cauſa, niſi quod patrem animam agere tunc ſciebat, triſtemque ejus mortis nuncium ægro animo expectabat, circa medium Novembrem A. 1705 hora noctis quarta, an quinta, repente acerbo corripitur dolore umbilicalis regionis, modo quidem hic, modo illic magis urgente, ſed nunquam extra certum quoddam ejuſdem regionis ſpatium egrediente. Ad ejus clamores excitus hoſpes, de conſilio vicini cujuſdam Medici philonium exhibet Romanum. Hoc vomitu rejicitur; jam enim vomitus cœperant bilis porraceæ, quæ deinde æruginoſa facta eſt, & demum prope mortem atra ſic tamen, ut ad ferrugineum vergeret. Mane, hora ab doloris initio decima, advocatur Valſalva. Qui, facie quæ minime placeret, abdomine tenſo, & ad tactum dolente, pulſu humili, & quaſi ligato, & qui percipi ſatis non poſſet, urina ex rubro fuſca, & maxime turbida, aliiſque hujus generis animadverſis, cum tantum tam brevi tempore factum detrimentum videret, aliarumque, hujus non ita abſimilium, Obſervationum ſuarum recordaretur; intra horas viginti quatuor moriturum pronunciat. Tamen ne id æger continuo intelligeret; oleum dari jubet e dulcibus amygdalis recens expreſſum, oleo autem violarum, addita camphora, abdomen inungi, & ſeniores duos Medicos accerſiri. Cum hi, quatuor poſt horis, ægro jam Sacris expiato, veniſſent; optimum, inquit, adoleſcentem, civem meum, ea vi morbi prægravatum videbitis, ut niſi quid in vobis auxilii ſit, verear, ut ferre diutius poſſit; nam quod ad me attinet, ingenue fateor, quo juvare poſſim, non videre. Simul rem narrat, & ad ægrum introducit. Illi vero convulſione opprimi, cenſent, ideoque e pede ſanguinem eſſe mittendum: magnam quoque abdomini cucurbitulam eſſe affigendam. Modeſte repugnante Valſalva, vincit de miſſione ſanguinis ſententia duorum Senum. Bis vena pertunditur: primo ex vulnere nihil exit; ex ſecundo ſanguis quidem proſilit; ſed continuo impetum amittit, languideque adeo exit, ut tametſi vena mox clauſa ſit, pulſus amplius percipi non potuerit. Acceſſit poſtea leve delirium: oculi aliquid convulſivi oſtendebant: reſpiratio difficilis facta eſt: & mors denique ea quæ proxime ſecuta eſt, nocte ingruit ſecundum Valſalvæ prædictionem. CADAVERIS abdomen, cum attrectaret, ſenſit is, aliquid effuſi humoris ſubeſſe. Sanguis erat fluidus, effuſus, ad ſeſquilibram: ſed & in bronchia aliquid ſanguinis effuſum fuerat. Cæterum in ventre gravis odor; nec tamen graviſſimus. Inteſtina magnam partem, præſertim quæ ſuperiora tenent, hic illic rubebant; Ileum vero jam livere incipiebat. Peritonæum cum alibi, tum præcipue qua diaphragma conveſtit, nigris erat maculis diſtinctum. Sed qua ventriculum, hic intus ſecundam naturam ſe habentem, exterius amicit, nigris tuberculis potius, quam maculis, erat inæquale. Quæ tubercula etſi a primo glandulas mentiebantur; re tamen vera; nam & ipſe oſtendente Valſalva, illorum aliquot mox vidi; nihil erant aliud niſi ſtagnans ſanguis, aut, ſi mavis, gangrænæ initium.

3. Ea cum mihi oſtenderet, ſimulque omnia quæ tibi deſcripſi, narraret; quæſivi, cur venæ ſectionem nec ipſe imperaſſet, nec, cum imperarent alii, probaſſet? Rationem, inquit, in promptu non habeo qua tibi dilucide ſatisfaciam: ſed habeo tamen obſervationem. Sic enim animadverti, inflammatis inteſtinis miſſionem ſanguinis male cedere: quin ſæpe etiam obſervavi, vel per ſe ægros in eo morbo repente, præterque opinionem in præceps ruere, ut quocumque uti remedio verear ejuſmodi in quod ea culpa conferri poſſit, quæ in morbi naturam eſt conferenda. Hæc tu legens, quid ergo? ajes. Si copia quis boni ſanguinis propemodum laboret, ſi viribus vigeat, acerrimo autem prehendatur dolore inteſtinorum; huic ſanguinem, auctore Valſalva, non mittemus? quid aliud hoc eſt, niſi inflammationem, quam prohibere poſſes, permittere? Quid? ſi dolor is a convulſione ſit; non huic per ſanguinis miſſionem occurremus; imo eo periculoſius conſtringi vaſa ſinemus, quo erunt pleniora? Pedetentim, quæſo; nam iſti quem deſcribis, homini quis tibi ait, Valſalvam ſanguinem non continuo fuiſſe miſſurum? Longe enim aliud eſt antequam fiat inflammatio, aut etiam dum fieri incipit in iſtiuſmodi præſertim homine, venam ſecare; aliud, cum facta eſt, & vires languent, & omnia in præceps feruntur, ſubire; ut Celſi (a) verbis rem eloquar; *ſpeciem ejus ut occiſi, quem ſors ipſius interemerit*. Scilicet hujus morbi curſus ſæpenumero opinione celerior eſt, ut ſi horas ſpectes, incipere tum etiam cenſeas, cum, ſumma jam illata noxa, ad finem properat exitialem: itaque ſiquo in alio, in hoc certe morbo verum eſt illud Hippocraticum (b) *occaſio præceps*. Fuerat hæc in Lælio iis primis horis cum perperam, nedum fruſtra, philo-

(q) Memoir. préſentés à l' Acad. R. des Sc. Tom. 1. (a) De Medic. l. 5. c. 26. (b) Sect. 1. Aph. 1.

philonium datum eſt. Præterierat, cum Valſalva, nedum cum ſeniores Medici, accerſiti advenerunt.

4. Nam quod illi ex iis ſignis unde Valſalva victum morbi vi, inſuperabili jam facta, Juvenem, oppreſſum ipſi convulſione adhuc ſolubili exiſtimarunt; nempe venæ ſectionis exitus utri verum pervidiſſent, oſtendit. Negari utique non poteſt, magnas in hoc morbo ſæpe convulſionis eſſe partes, eo autem majores, quo acrior eſt dolor, ſive hic convulſionem moveat, ſive a convulſione moveatur, & quo item citius ad lethalem terminum decurrit. Sic intelligo, cur Boerhaavius (*c*) cum exquiſitum inteſtinorum ſenſum ab ingenti numero papillarum nervearum deduxit, tum hæc continuo ſubjiciat: *quare homines celerrime pereunt ab inflammatione, & excoriatione inteſtinorum, & ſi ſumma doloris ſit vehementia, intra unicam horam hominem validiſſimum interimit*. Sed & ſæpe in vehementi inteſtinorum dolore manifeſta convulſionis indicia vel magis quam in Lælio (*d*), ſe produnt. Sic; ne horrendas convulſiones hic memorem, quæ in Obſervatione (*e*) proponuntur, ſive ſymptomata, ſive diſſectionem ſpectes, huc attinente; ſic, inquam, memini in Patria mea grandem natu, ſed viribus firmis Virginem, cuidam ventris dolori obnoxiam, quem ſenior ejus Medicus Colicum eſſe, non dubitabat, cum ſub finem A. 1709. eodem, ſed graviore, prehenſa eſſet, nullis tamen, ſive pulſus, ſive urinas, ſive alia ſpectares, comitantibus febris indiciis, cumque per clyſterem qui bilioſa eduxerat, valde eſſet levata, morboque in dies magis, magiſque remiſſo, a Medico amplius non inviſeretur; memini igitur, cum domeſticæ mulieres loco enematis quod alternis diebus ad veſperam injiciebatur, ſuppoſitorium ex melle indidiſſent, ſtatim ani dolore tam atroci correptam eſſe, ut mane inveniri pulſus non poſſent: fuiſſe autem eo cum dolore tantam conſtrictionem ani conjunctam, ut clyſma nulla ratione immittere liceret: mox vero cum ei contractioni, & dolori per emollientia anodyna mederi ſtuderent, repente ejuſdem partis relaxationem non ſecus ac ſæpe ſolet in cadaveribus, ſuperveniſſe, & circa meridiem, ipſam mortem. Igitur fac, eſſe convulſionem. Num ſanguine emiſſo, facile tolles? Quid, ſi ea cauſa nervos convellat quæ perdifficile vinci poſſit, aut ſi forte ad tempus breviſſimum vinci, mox, ut in convulſivis affectibus perſæpe fit, vehementius inſurgat? Accipe quid, me degente Bononiæ, acciderit. Monachus erat, ſenex quidem, ſed quam robuſtiſſimus. Hunc nulla ex manifeſta cauſa, niſi forte ex frigore, & labore, ventris dolor de improviſo invadit tantus, ut hominem nec ſtare loco ſinat, & clamare cogat. Fruſtra oleum amygdalinum datum eſt, fruſtra injecta enemata, fruſtra ſanguis e pede miſſus. Nullo auxilio quidquam juvante, intra horas haud amplius duodecim, cum dentes bis terve inter ſe colliſiſſet, mortuus eſt. Non adverſus utiliſſimum, ſi tempeſtive utaris, auxilium, ſanguinis miſſionem hæc ſcribo. Sed quid cito accidere vel poſt hanc in morbis ejuſdemmodi poſſit, ubi prævaleant convulſiones violentiſſimæ, admoneo, ut & ſcias ipſe, & ante docere alios queas, non eſſe temere magnum auxilium culpandum, ſi forte ejus uſum continuo exitus infelix conſequatur. Quoniam vero, quidquid præmoneas, turpis ſemper apud pleroſque calamitas eſt, ſi cita mors auxilium magnum excipiat; intelligis ſane, cur Valſalva ejuſmodi remediorum uſum in his morbis vereretur.

5. Quid vero, ſi cadaveris diſſectio omnem Medico excuſationem eripiat? Poteſt enim convulſio, ut non redeat; eam tamen, intercepto in conſtrictis vaſculis ſanguine, inteſtinis noxam cito, & præter opinionem intuliſſe, qua præſente, ſanguis mitti nequeat ſine culpa. Vidiſti in Lælio quam cito inteſtina non modo inflammationem, ſed & livorem contraxiſſent. Pars nulla fortaſſe facilius, & citius quam inteſtina, nihil ejuſmodi ſuſpicante Medico, abit in grangrænam, & nigra fit. Quod etſi productis alibi hiſtoriis, aut in hac Epiſtola (*f*) producendis vel aptius monſtrare poſſem; hic tamen placet Obſervationibus duabus oſtendere, quarum ſingulas ab ſingulis Præceptoribus accepi meis, eodem Valſalva, & Jacobo Sandrio. Hanc igitur a Valſalva.

6. VIR erat qui ab aliquot ſaltem menſibus quotidie hora a cibo quincta, an ſexta ventris doloribus capiebatur, quaſi tot dentibus laceraretur. Huc acceſſerant flavæ materiæ fluxus, & macies, cum repente apoplexia invaſit, levis quidem, & quæ poſt diem unum aut alterum remitti viſa eſt, manibus aliquam movendi facultatem recuperantibus, mente autem paulo minus oppreſſa, tamen quincto die lethalis. CADAVERE perluſtrato, ſana omnia inventa ſunt, ſi cerebrum, & Ileum inteſtinum excipias. In illius enim ventriculis ſerum fuit non paucum, a quo Choroides plexus pallebant. In Ileo autem ſeptem, an octo annularia ſpatia, eaque nigricantia: quibus in ſpatiis glandulæ ciceris magnitudine, materia alba pleræque oppletæ. Hæ glandulæ non collectæ erant in acervos, neque interius locatæ, ſed disjectæ, interque inteſtini tunicas extrorſum potius prominebant.

7. Apoplexiæ cauſa, quippe huc non attinente, ſepoſita, dolorum cauſam quotidie certa hora illa recurrentium vides, nimirum glandulas in Ileo amplificatas, ſive illæ, quod Valſalva, quarundam aliarum exemplo edoctus, cenſebat, cibariæ materiæ per Ileum devolutæ preſſionem ferre ſine dolore non poterant; ſive ab novo chylo earum in parte obſtructarum anguſtias eluctari nequeunte diſtendebantur: quod & ipſarum natura, quæ Valſalvæ non ita diſſimilis viſa eſt earum quæ in meſenterio ſunt, indicabat, & alba illa qua pleræque infarciebantur, materia quadantenus confirmabat. Cæterum hic præſertim attendas velim, quam facile, & quam cito ea ſpatia omnia in quibus erant illæ, nigredinem traxerint. Sed inertiam, inquis, fibrarum inteſtini apoplexia auxerat, quo minus per vitiata glandulis ea ſpatia ſanguinem poſſent promovere. Fateor; ſed non propterea vitiatas alias partes occupare gangræna ſolet tam cito cum accedit apoplexia. Quæ nulla certe præceſſerat in Obſervatione altera, quam Sandrius habuit ad hunc modum.

8. N. CUPELLINIUS Colica laborans affectione, cum ſedens emulſionem biberet, adſtanti famulo, cape, inquit repente, cyathum porrigens quem manu tenebat, & hoc dicens, retrorſum cecidit mortuus. CORPORE toto confecto, nihil aliud vitii repertum eſt, quam inteſtini Coli inflammatio, quæ ad nigredinem vergebat.

9. Ex hac Obſervatione tum quod propoſui, intelligis, tum etiam quæ facile noxa in eodem inteſtino eſſe poſſet in Virgine quoque Forolivienſi de qua paulo ante (*g*) dictum eſt. Nec te moretur quod nulla prævia fuerint febris indicia; quandoquidem in his ipſis Litteris (*h*) viſuri ſumus, an ſine febre inflammatio eſſe poſſit, imo an ſine inflammatione ſphacelus. Verum alia antea expedienda ſunt quæ ad celeritatem ſpectant qua inteſtina lethalem inflammationem concipiunt.

10. SERVUS quidam a pedibus, nempe is quem Epiſtola etiam Anatomica XV. (*i*) commemoravi, alia de eo ſcribens, quæ hic minime iterabuntur, ſtatura breviore, habitu pingui, cum famulari amplius non poſſet, annos jam aliquot mendicabat, vinoque, cum poterat, utebatur paulo uberius. Itaque etiam poſtremo vitæ die cum domum rediiſſet, ac male habere ſe diceret; nihil ut

ſe

(*c*) Prælect. ad Inſtit. §. 91. (*d*) de quo ſupra n. 2. (*e*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 7. & 8. Obſ. 145. (*f*) n. 16. & 18.
(*g*) n. 4. (*h*) n. 19. & ſeq. (*i*) n. 70. ad fin.

ſe curaret, niſi vinum, & panem ſumpſit, mox de ventris doloribus queſtus, cum his circa mediam noctem eſt mortuus. Cadaver poſtridie in Gymnaſium illatum eſt, ubi ſub initium Februarii A. 1736. Anatomen docebam. ABDOMINIS muſculis, qui laxi erant, inciſis, & ventre unde gravis exiſtebat odor, patefacto, vidi Tenuium inteſtinorum non modicam partem altius intra imam pelvim ſe demittentem, ut ad veſicæ uſque cum Recto conjunctionem perveniret, quidquid ibi ſpatii eſt, complens. Sed hæc a primordiis, aut certe non recentia. Illud recens quod & ea, & cæteræ inteſtinorum Tenuium partes nonnullis locis valde erant arctæ, ibidemque fuſcæ, alibi autem rubicundæ, vel minimis vaſculis a remorante ſanguine ita diſtentis, ut ſi rubens cera fuiſſet injecta. Nec Craſſa inteſtina aliter hic illic ſe habebant, præſertim vero ad Coli initium. Jecinoris erat crepido ſubnigra. Lien æquo major. Arteriæ Magnæ truncus non ſine quibuſdam parvis oſſiculis per ventrem ferebatur. Cava autem vena multo nigro, fluidoque ſanguine referta erat.

11. Non adeo quidem breve ſpatium fuit quo inteſtinorum inflammatio mulierem, de qua proxime ſcripturus ſum, interemit: breve tamen fuit, & fortaſſe brevius quam videatur, ſi non tam ægrotationis, quam inflammationis conſtaret initium. Quod etſi minus certum eſt; tamen cætera quæ de hac fœmina nota habeo, non ſunt mihi prætermittenda, quippe pollicito, cum de Cordis Palpitatione (*k*), & de Pulſibus (*l*), imo & de Oculorum Affectibus (*m*) ſcriberem. Hæc enim Anicula illa eſt cujus oculi dumtaxat, quemadmodum ſe haberent, eo loco propoſui; reliqua in alium diſtuli.

12. ANUS paupercula, oculis capta, parvo corpore, & exili, a tertio jam die ægrotans, in Patavinum Noſocomium illata eſt, quaſi thoracis inflammatione teneretur. Nam ex ipſa nihil certi elici poterat, ut pote quæ viribus erat tam dejectis, pulſibus autem infirmis adeo, & exiguis, ut eodem illo quo illata eſt, die mortua efferretur. Cadaver anni tempore opportuno, videlicet ſub initium A. 1742. utilius fuit quam a primo ſperaſſem, ad plura Studioſis adoleſcentibus oſtendenda. Quod dum agerem, in hæc quæ adnotabo, morboſa incidi. IN VENTRE inteſtina erant inflammata, ut jecur quoque. Eodem attinebat quod utero aperto, fundi interior facies colore eſſet non minus rubicundo, quam ſi nuper fœmina in menſtruis fuiſſet. Qua autem fundus ſe contrahebat in cervicem, facieſque internæ anterior, & poſterior ad angulum in latere dextero conveniebant, ab ipſo angulo membranula profecta, non minima, in tranſverſum ducebatur ad faciem poſteriorem, limbo toto inferiore cum hac cohærens, cætera ſoluta atque extans, ut contra ac valvulæ cervicis ſolent, cavum ſurſum, non deorſum, converſum haberet: itaque ſuſpicatus ſum, non eam a primordiis, ſed fortaſſe a difficili partu aliquo; peperiſſe enim mulierem conſtabat, uterum autem dextrorſum videram inclinatum; originem habuiſſe. In Thorace ſani, & prorſus illæſi pulmones. Sed pericardium undique annexum cordi perpetua quidem ſed non firmiſſima cohæſione ſic ut nullo negotio digitorum ope, ſine ulla ipſius, aut membranæ cordis laceratione, disjungi potuerit. Ad magna vaſa non adhærebat: facie autem qua cordi adhæſerat, albam quamdam oſtendit maculam, uno tantum in loco, eamque mediocre ad ſpatium ſe extendentem. In cordis ventriculis niger, ut ubique, ſanguis; nullæ autem polypoſæ concretiones. Sed hæ teretes, albæque, & nonnullæ craſſæ, & firmæ, longæ etiam, ut quæ ab auricula dextera ad Internas Jugulares venas pertinebant, a cordis orificiis in vaſa, arterioſa quoque, productæ paſſim reperiebantur. In oculis denique quid deprehenſum ſit, in ea Epiſtola ſcriptum eſt, de qua noviſſime indicavi.

13. Etſi propoſitæ hactenus hiſtoriæ docent, quam cito interdum afferre exitium poſſint dolores inteſtinorum ſive inflammationis vi, ſive etiam convulſionis, & quod conſequitur, quam cautum Medicum eſſe deceat, & ſuſpicioſum ſæviente hoc morbo; tamen ut multo magis ſuſpicari, & cavere debeat, ne morbo ſe remittente, & quaſi abeunte, inani ſpe nonnunquam fallatur, tibi inſequentes Obſervationes oſtendent.

14. ADOLESCENTULUS vino, & vini, quos vocant, ſpiritibus deditus, non ita pridem cum febre laboraret Intermittente, ventris dolore correptus fuerat, quem flatus, per inferiora emiſſi, ſuſtulerunt. Verum poſt dies aliquot rediit dolor: quem cum domi tollere non poſſet; die tandem a reditu doloris ſexta exceptus eſt in Noſocomium Bononienſe S. Mariæ de Vita. Erat dolor in hypogaſtrio aſſiduus, ſed levis, niſi quod ſubinde increſcebat, & tunc ſæpe venter ibi magis intumeſcebat, &, ſi manum admoveres, plures ibi duros quaſi globulos percipiebas. Sed cito hæc evaneſcebant omnia donec iterum per intervalla redirent. Stomachus quoque condolebat, & jam alimenta vomitu rejiciebat cuncta, non modo medicamenta, in his opium ipſum. Itaque cum alvus niſi per clyſmata non reſponderet; inſtitutum eſt ſimul id curare, ſimul medelæ aliquid, & nutrimenti per clyſteres immittere ex jure, & mollientibus herbis paratos, nullo tamen doloris levamine, ut ne antea quidem cum per injectum non ſemel oleum e lini ſeminibus expreſſum recrementa educerentur. Inutiles quoque ex eodem oleo, aliiſve, abdominis inunctiones fuerant. Levius æger in lectulo ſedens, quam cubans, dolorem ferebat; quamobrem vel cum dormiret, ſedebat. Melius quoque habebat, & facilius capiebat ſomnum inani ſtomacho, quam ſi quid forte retinuiſſet: quæ res, & quarundam aliarum quæ ſæpius ſignificant vermes, notarum abſentia, faciebat, ne a lumbricis dolor eſſe exiſtimaretur, tametſi unum teretem longiorem nudiuſterius ore ejeciſſet. Poſtremo quædam ex alimentis cœpit retinere, atque adeo prandium quoque. Genæ rubebant, quod ipſe ex defluxione in faciem eſſe, ajebat, cui videlicet erat obnoxius. Sitiebat. Abdomen univerſum diſtentum erat. Quincto jam die ex quo in Noſocomio eſſe cœperat, allocutus ſum, ut ſolebam, circa horam XVI., bruma enim inſtabat A. 1703. Meliuſcule ſe habere, dixit: idque confirmabat vultus, & ſermonis alacritas, & firmior, ut in ſedente, corporis vigor; nam pulſus neque unquam habuerant, neque tunc habebant quod diſpliceret: febris certe nulla tunc erat, neque unquam toto eo tempore quo in Noſocomio fuit, a quoquam, niſi forte ſemel, potuit animadverti. Cum hæc ita eſſent; quis tunc crederet quantum monſtri aleret? Attamen duæ vix erant horæ ex quo ſic ego, & cæteri qui inviſebant, ſtudioſi Juvenes, & Viri obſervaveramus, cum repente præ doloris acerbitate clamare cœpit, idque aſſidue ad nonam uſque noctis horam. Vomuit interea, & ad veſperam jam pulſus ſibi non amplius percipi, admonuit; nec revera ab iis qui aderant, percepti ſunt. Ubi ea quam dixi, hora fuit, continere ſe non poſſe, ait, quin e lectulo ad alvum exonerandam deſcenderet. Dum exonerat, animo linquitur, ſicque intra ſemihoram moritur. CADAVER poſtridie dum lavant; magna vis ex ore effluit quaſi ſanguinis putridi, ſtercore fluido diluti, *tabacci* colore, & graviſſime olentis. Itaque abdomen factum eſt in hypogaſtrio nonnihil flaccidum: & quanquam in epigaſtrio, quod livebat, cæteriſque partibus durum eſſet adhuc, atque diſtentum; minus tamen erat, quam in vivo. Ubi cultro ventum eſt ad ventris cavum, illico exſiliens prorupit multus humor, ejus perſimilis qui ex ore effluxerat; ſic autem prorupit, ut illi ipſi qui ſecabat, non modo nobis qui aderamus, dubium fuerit, an ex ventris cavo extiterit in quod antea eſſet effuſus, an ex inteſtino diſtento, ideoque ſimul cum peritonæo facile convulnerato. Mox certe cum abdomen diductum eſt, eo humore plenus ap-

(*k*) Epiſt. 23. n. 21. (*l*) Epiſt. 24. n. 12. (*m*) Epiſt. 13. n. 17.

paruit venter. Tenuia autem inteſtina omnia tam atra, quam carbo eſt. Eodemque ſphacelo lien quoque, ſaltem ex parte, vitiatus erat. Ventriculus tamen, quantum extrinſecus judicari potuit, ſanus fuit, & quidquid pariter de Craſſis inteſtinis ab extremo Ileo ad ſiniſtrum uſque hypochondrium pertinet: cætera enim inquirere prohibuit incredibilis odoris fœditas, eo etiam major quod per incuriam, & feſtinationem perforato inteſtino aucta interea proluvies fuerat, quacum teres mediocris lumbricus prodierat.

15. Vidiſti, cum Adoleſcentulus jam melius habere videretur, quantum vitii eſſet in Tenuibus inteſtinis omnibus. Sed putaſne factum priuſquam in Noſocomium veniret, an poſtquam venit? Si primum; quinque igitur dies tantum mali ſine iis notis quæ comitari ſphacelum ſolent, delituit. Si alterum; quomodo ſine inflammationis ſignis, & ſine aſſidua præſertim febre ortum eſt? Atque eadem fere te a me interrogari poſſe, credito, cum eas quæ inſequuntur, Obſervationes producam, aut cum illam Segeri legeris, quæ in hac Sepulchreti XIV. Sectione (*n*) extat. Nimirum Senex poſteaquam dies jam aliquot de ventris doloribus, quibus erat obnoxius, conqueſtus fuerat, non tamen adeo gravibus, ut decumberet; tandem circa veſperam ex horto ſuo domum rediens, tam acerbos paſſus eſt, ut nullis remediis proficientibus, obierit poſtridie circa horam quartam matutinam: & inventa quidem ſunt alia in pancreate, jecinore, liene antiquiora vitia; ſed illud recens, quod *inteſtina, præſertim tenuia, cum colo nigerrima* fuere. Num ergo hoc intra paucas horas factum eſt ex quo Segerus juſto celeriorem deprehenderat arteriæ motum? Sed de his videbimus etiam infra (*o*). Nunc ut ad noſtrum Adoleſcentulum redeamus; ſi conſtitiſſet, non ex temere vulnerato, ſed ex antea diſrupto inteſtino putidiſſimam illam proluviem effuſam eſſe in ventris cavum; tunc animi defectionem, & conſecutum hanc obitum fortaſſe accidiſſe, conjiceremus cum in alvi exonerandæ conatibus fracidam aliquam diſtenti inteſtini partem ipſe ſibi perrupiſſet. Sic enim Wepferus quoque, ut pariter in Sectione hac Sepulchreti (*p*) leges, in atrociſſimis doloribus *inteſtina diſrupta* commemorat, *ac ſordes omnes in cavum effuſas cum repentina ægrorum interemptione*. Quam illico tamen non ſemper neceſſario ſequi, duæ in Sectione eadem Obſervationes (*q*) Fernelii, & Riverii, commonſtrant: nec diſcrepat una ex noſtris Epiſtola ſuperiore (*r*) deſcripta. Ad has, an ad illas attinere credas quæ in Commercio Litterario (*ſ*), & in Actis Cæſareæ Academiæ (*t*) leguntur, arbitrium tuum facio. At certe ad illas attinet quæ nuper a Cl. Galeatio (*u*) propoſita eſt; adeo ſubito virum necaverant tormina, cujus venter plenus pariter recrementorum inventus eſt quæ e rupto irruerant inteſtino. Jam vero funeſtam hiſtoriam, quamvis dolores non modo remiſerant, ſed omnino abierant, proferamus.

16. MULIER gracilis, ſtatura brevi, bilioſo, ut vocant, temperamento, annos nata ad quadraginta, a tribus circiter vidua, ab octo ſine menſtruis, & propterea, ut credebat, ſubinde ſanguinem exſpuere ſolita, ſic tamen, ut mihi de pharynge potius, quam de pulmone, prodiiſſe videretur, noviſſime ex ira, & animi ægritudine in dolorem incidit, ob quem in Bononienſi S. Mariæ de Morte Noſocomio decumbere coacta eſt ſub initium Martii A. 1706. Erat is dolor quaſi a cultris ſcindentibus, primum infra ſiniſtram mammam, quam ſedem non relinquens, ſe poſtea extendit etiam infra dexteram, ſed levior, ut in hoc latus cubare ſineret. Ad tactum enim creſcebat: difficilemque faciebat reſpirationem. Invaſerat cum febrili rigore: qui diebus ſingulis recurrebat; nec febris tamen intermittebat. Rubebat facies: moleſta erat ſitis; ſed tuſſis magis, ut quæ exaſperabat dolorem. Sputa ſæpe cruenta; alias alba, craſſa, ſpumoſa. Senſus aliquando quaſi rei ad jugulum aſcendentis. Dolor denique circa umbilicum non ſecus ac ſi canes morderent. Alvus erat laxa. Miſſus eſt ſanguis e pede: & alia quæ utilia fore credita ſunt, adminiſtrata. Diebus poſt paucis; nulla prævia critica evacuatione, adeo remiſere omnia, ut Medicus fœminam jam bene habere, pronunciaverit. Surgit ipſa: ſed fatiſcentibus viribus, mox ad lectulum redire cogitur, ubi in ſe contracta, ut a frigore ſolemus, & ſine pulſibus invenitur. Quærentibus, an thoracis, an ventris dolore conflictaretur, neutrum amplius ſentire ſe, ait. Eodem die fœtidum dejicere ſanguinem cœpit. Deliravit poſtea: & tendinum qui ad carpos ſunt, convulſivi ſubſultus ſe ſe oſtenderunt. Per hæc debilior facta, ut loqui amplius non poſſet, die ab ineunte morbo XVI. vivere deſiit. ABDOMINE, quod ſubſidebat, inciſo, & diducto, fœtor, qualis ex gangræna ſolet, cum odore illo miſtus, qui ubi lumbrici ſunt, quaſi ex acida materia videtur emitti. Nec ſane lumbrici teretes deerant in Tenuibus inteſtinis, quæ fere omnia ex rubro colore ad lividum, nigreſcentemque inclinabant. Idem morboſus livor ſimam lienis faciem inferius occupabat, in ejuſque ſubſtantiam nonnihil pergebat. Pancreas craſſius factum, ex induratis quaſi globulis conſtabat. Duriuſculum quoque erat jecur, cujus veſiculam calculi ad centum viginti in bile pallidula diſtendebant. Horum qui maximi, viginti circiter, avellanæ magnitudinem æquabant. Cætera quæ ad hos attinent, in Adverſariis (*x*) primo loco deſcripſi. In quibus (*y*) de ſitu quoque uteri hujus Viduæ indicatum eſt, ob brevius Rotundum vinculum ita in dexterum pelvis latus retracti, ut medium pelvis ſine utero eſſet. Porro qua ſiniſtra Tuba ex utero emergebat, prominebat puſtula albo pure turgida, lupinum æquans; ſubſtantia autem uteri quam puſtula excavaverat, hac pertuſa, & educto pure, nigreſcebat. Tubæ non albam, ſed ex colore carneo flaveſcentem continebant materiam. Teſtes contracti, cum paucis intus veſiculis: & alterius tunica quaſi cartilaginea. Thoracem aperiendo, pulmones anteriore facie perpaucis in locis ad pleuram per membranulas alligatos invenimus, cætera ſolutos: ſanos quoque, ſi dexteri anteriorem excipias partem, cujus compacta, ſed non maxime, erat ſubſtantia. Nihil in pericardio humoris: in flaccidi autem cordis ventriculo dextero, & ad omnia orificia polypoſæ mediocres concretiones. Quibus autem e pharyngis ſedibus cruenta ſputa proveniſſent, in Epiſtolis Anatomicis (*z*) ſcriptum eſt. Caput denique cum a cervicibus abſcinderetur, per maximum occipitis foramen aquæ non exigua copia prodiit: quæ, cranio reſerato, ſub Tenui quoque meninge, a ſiniſtris præſertim, inventa eſt. In Lateralibus cerebri ventriculis ſubrubrum ſerum, & plexus Choroides multis hydatidibus inæquales, quæ tactu facile diſrumpebantur. E medullaris ſubſtantiæ ſectionibus qua puncta ſanguifera ſe oſtendebant, plus ſanguinis quam ſæpius ſoleat, exprimebatur. Ex hoc cerebro, ut etiam ex lingua, pharynge, ipſiſque adeo, quos diſſecui, oculis idem ille de quo in Ventre dixi, vermium odor exiſtebat.

17. Si quæ ad delirium, ad convulſiones, ad cruentum ſputum, ad pectoris dolores, ad alioſque affectus, quos hic non attendimus, ſeponas, & dolores tantum inteſtinorum reſpicias; facile intelliges, cum hi, ut cætera, nulla præcedente critica evacuatione, ſe adeo remiſerunt, ut valere mulier crederetur, nec ipſa amplius dolorem ullum ſentiret; tunc inteſtina livere jam, & nigreſcere cœpiſſe, quod dejectio ſœtidi ſanguinis illo ipſo die orta; ut de aſphyxia nihil dicamus; commonſtrabat. Omnino nihil ſuſpicioſius eſt, quam repente, & præter rationem dolores evaneſcere. Recentem mihi ſuam narrare in hanc rem Obſervationem memini ſagaciſſimum, & experientiſſimum Medicum, quem in Valſalvæ Vita laudavi, Petrum Molinellium. Melancholico temperamento præditus adoleſcentulus febre acuta cum faucium inflammatione, & deliriis corripitur. Circa XIV. diem

(*n*) Obſ. 6. (*o*) n. 19. & ſeqq. (*p*) in Additam, Obſ. 3. (*q*) 23. & 21. §. 4. (*r*) n. 9. (*ſ*) A. 1742. Hebd. 45. n. 2. (*t*) Tom. 8. Obſ. 47. (*u*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 3. inter Medica. (*x*) III. Animad. 28. (*y*) IV. Animad. 25. (*z*) IX. n. 14.

diem cætera abeunt, febris aſſidua perſiſtit; & quamvis ſudet æger, & plurimum mingat; febris tamen, niſi quod uno tandem die abfuiſſe viſa eſt, ad diem pervenit XXXV. Cum ex tanta febris vel poſt ſudores, & urinarum copiam diuturnitate non leve quoddam ſubeſſe vitium, ſuſpicaretur Molinellius; ecce tibi, nullo prævio aſſidentium, aut ægri errore, improviſa æruginoſa diarrhœa, quam dolor paulo ſupra veſicæ regionem comitabatur. Quæ ut repente advenerant, ſic repente quoque, & cito evanuerunt. Tunc enimvero graviora Medicus, nec ſine cauſa, timere. Univerſum enim abdomen incredibilem in modum induruit, cum interni caloris ſenſu, & ubi tangeres, etiam doloris: ſimul pulſus jam nulli, deliria, tandem difficilis reſpiratio, & ſine convulſionis ſignis, mors intra tertium ex quo abdomen induruerat, diem. Quamquam autem mirabatur, ex effœto, ut poſt diuturniorem, nec levem, ægrotationem, ſanguine oriri inflammationem potuiſſe; tamen quin orta eſſet, non dubitabat; ego vero, quin gangræna quoque. Sed quod ob negatam incidendi cadaveris facultatem, pro certo ſciri in adoleſcentulo illo non potuit, potuit in fœmina Principe, cujus mecum ab uno ejus Medicorum communicata hiſtoria, quippe earum ſimilis quæ ſuperius deſcriptæ ſunt, hic minime prætermittetur.

18. CELSISSIMA PRINCEPS annos nata quatuor & quinquaginta, artubus non pinguis, ventre pinguiſſima, cujus pulſus poſt duos quoſque laudabiles ictus continuo totidem humiles, & diſparis celeritatis exhibebat, cum ex graviſſimo inteſtinorum dolore, veſicam in conſenſum trahente, & lotii reddendi facultatem intercipiente, evaſiſſe videretur; paucis omnino poſtquam is dolor ſiluerat, diebus interjectis, nigra dejectione, & poſt hanc morte correpta eſt.

VENTRE adaperto, inteſtina quædam, & ventriculus gangræna affecta deprehenſa ſunt; fellis autem veſicula exſucca, & in ea calculus parvi pyri magnitudine: in renibus arenulæ potius, quam calculi.

In Thorace cor, & pericardium pinguedine prægravata.

19. Sive hæc prægravans pinguedinis copia, ſive etiam hæreditarii aliquid, ut ea indicant quæ de Rege, ejus Parente, olim memini legiſſe, illas pulſus inæqualitates faciebat; gangrænam certe inteſtinorum prægreſſæ potius, cum dolor urgeret, inflammationi, quam atræ bilis, ut vulgo dictum eſt, dejectioni tribuendam putaverim. Neque enim dejectio etiam ventriculum infeciſſet, & in Vidua de qua paulo ſupra (*a*) ſcriptum eſt, nigra quidem, ſed putridi ſanguinis, non atræ bilis, egeſtio obitum anteceſſit. At enim non veriſimile eſt, inquis, plures, & exercitatos in primis Medicos, quales ad Principum curationem ſolent advocari, non cognoviſſe inflammationem, neque hujus in gangrænam degenerationem. Ego vero de aliis, præſertim in morbo quem ipſe non viderim, non ſecus ac de me vellem, judicare ſolitus, conſuetudinem hic quoque tuebor meam neminem temere inſimulandi, & niſi tu diſſentis, hanc, nulla prævia inflammatione, gangrænam ajam acceſſiſſe. Magno auctore id faciam, Fernelio (*b*), qui poſt dolorem immaniſſimum, *extremum pedem aliquando repente ſphacelatum* vidit, *ſine rubore conſpicuo*, ut denique *miſer extingueretur ſine febre, ſine ſymptomatis admodum gravibus*. Etſi igitur ſphacelum *indivulſam magnæ inflammationis pediſequam eſſe, plurima Medicorum turma cenſet*; tamen haud raris, Fernelianæ haud abſimilibus, Obſervationibus ſpectatis, diſerte ſcripſit Fridericus Hoffmannus (*c*), *quare quin etiam interne in viſceribus idem ſine prævia inflammatione, ... fieri poſſit, non eſt quod dubitemus*. Quod ſi forte in ipſis inteſtinis requiris exempla; Segeri poteris Obſervationem relegere (*d*): vel potius, quando in illa quam acerbiſſimus erat dolor, & celerior arteriæ motus deprehenſus eſt; ſi alteram Friderici Ortlobii (*e*), quæ pariter in Sepulchreto (*f*) etiam eſt, leges; inteſtina a dextris *livida, nigricantia, ſphacelata* fuiſſe, invenies, idque, ut in Scholio ipſe miratur Ortlobius, *ſine præviis doloribus abdominis*, & *ſine prævia febre manifeſta*.

20. Quoniam tamen in ipſo Ortlobii ægro *obſcuri* ventris *dolores* præceſſerant, neque, ut in illo, de quo ex Fernelio paulo ante dictum eſt, pede, aliiſque exterioribus partibus, ita in viſceribus quoque *ruborem conſpicuum* non eſſe prægreſſum, quiſquam eſt qui teſtificari poſſit; ſphacelum quidem inteſtinorum accidere interdum poſſe nulla præcedente inflammatione, non negabis; ſed quæres ſimul, poſſitne aliquando ejuſmodi inflammationi ſuccedere, cujus præcipua, & pervulgata ſigna non extent? Ut a Sepulchreto non recedamus; vide, quæſo, in hac ipſa XIV. Sectione (*g*) Obſervationem Riverii. Ileum inteſtinum circa finem, cum adjuncta meſenterii portione, *gangræna*, atque adeo *ſphacelo* affectum reperies in eo qui cum laboraſſet ex inteſtinorum dolore primo die morbi, protracti uſque ad XIII.; *nullus* autem *dolor adeſſet*, *neque ulla febris* ſecundo die, magnam die tertio, & ſequentibus dubitationem injecerat Medicis, cum *inflammationem teſtari videretur febris, quæ tertio* illo *die ſupervenit, ſitis, & linguæ ariditas; ſed quomodo inflammatio inteſtinorum adeſſe poſſet citra dolorem, concipere non poterant*. Num ſphacelum primo jam die factum credes? Duodecim ergo dies ſic homo vixerit? Deinde quomodo ſphacelo facto, febris quæ antea non erat, acceſſit cum linguæ ariditate? Certe ſuperiore Epiſtola videris, in Sene (*h*) pulſus ex febrilibus factos demum ſanorum ſimiles, linguam autem ex ſicca humidam, quo in Sene inteſtinorum partem adhuc rubram, partem vero lividam, nigram, gangræna occupatam deprehendimus, indicio non obſcuro, noviſſime hanc ex inflammatione in gangrænam tranſiiſſe. Sed quod ad dolorem attinet, aliæ noſtræ Epiſtolæ ſine illo fuiſſe inteſtinorum inflammationem, commemorant. Namque ut ſileam, in XXIX. (*i*) nullo inteſtina dolore vexata legi, quæ omnia maxime eſſent inflammata; illud enim propter eorum paralyſim accidiſſe, conjeci; certe non erant in aliis ægrotantibus reſoluta, ut puta in duobus, Epiſtola XXI. (*k*) propoſitis; & tamen, etſi inflammata reperta ſunt, nulla audita fuerat de eorum dolore querela. Atque ut ægram memorem, de qua recordari facilius poſſis; mulier ſuperioribus Litteris (*l*) deſcripta eſt, cujus Tenuia inteſtina maxima ex parte rubebant; eademque doloris ferme expertia viſa fuerant. Sed nec ſignum alterum inflammationis præcipuum febris, toto morbi tempore in ea muliere unquam fuerat: in Bajulo autem, paulo poſt illam propoſito (*m*), febris, ſive non valde frequentes pulſus, ſive non calentes carnes, attenderes, levis erat; inflammatio tamen non levis; ut locus in eo non eſſet, multoque minus in muliere, laudandæ alioquin Ballonii (*n*) ſententiæ. Qui poſtquam dixerat, *videri æquum eſſe ut febris inſignis internas inflammationes conſequatur*; tamen continuo Galenum ſecutus *volentem magnas eſſe inflammationes in partibus internis, ut acuta febris ſequatur*, ſic, inquit, *ſi ſit phlogoſis mediocris, ad manum mordax febris non inſequitur*.

21. Quæ omnia cum ita ſint; quando cum aliis inflammatorum inteſtinorum ſignis, vehementem dolorem, & acutam febrem in ægrotantibus deprehendes; jure quidem meritoque credes Rei Medicæ Auctoribus hæc duo inter præcipuas notas magnæ inteſtinorum inflammationis ponentibus. Nec tamen ſiquando alterum, vel utrumque horum aut abeſſe, aut vix eſſe, invenies; continuo putabis, aut nullam eſſe inflammationem, aut levem, neque gangrænam, & ſphacelum in eorum eſſe inteſtinis non poſſe in quibus duo illa præceſſiſſe, non videris. Optandum ſane fuiſſet, ut Medici cum ſigna hujus inflammationis, & conſequentis ipſam gangrænæ propoſuerunt; hoc monitum non omitterent in morbo qui per fallaciam ejuſmodi, nec raro, præceps

ceps

(*a*) n. 16. (*b*) De abdit. rer. cauſ. l. 2. c. 15. (*c*) Diſſert. de Morb. hep. ex anat. deduc. §. 19. (*d*) Vid. ſupra, n. 15. (*e*) Eph. N. C. Dec. 1. Obſ. 143. (*f*) l. 3. S. 1. Obſ. 11. (*g*) Obſ. 21. §. 4. (*h*) n. 25. (*i*) n. 10. 11. (*k*) n. 9. & 17. (*l*) n. 11. (*m*) n. 18. (*n*) l. 1. Conſil. Medic. 112.

ceps ac repentinum affert exitium. Nec raro, inquam. Nam memini, cum Adoleſcentuli tibi ſupra (*o*) deſcripti, caſum mirabundus narrarem Valſalvæ, atque Albertino, continuo utrumque confirmaſſe, non abſimilia occurriſſe ſibi, nec ſemel. Quo tempore cum mihi inculcaret Albertinus, vigilandum, & cavendum eſſe in doloribus inteſtinorum: ſe enim poſt leves dolores, aut certe cum minime magnis, nulla manifeſta febre, nulla convulſione, nullo vomitu, animo, ac corpore ſatis vigentibus, de improviſo vidiſſe ægros in præceps ruere, & cito eripi ab latente inflammatione, ex ſphacelo nec opinato inteſtinorum; cum hæc, inquam, mihi inculcaret; quæſivi ex perattento illo Medico, & diligentiſſimo Obſervatore, quibus igitur ex ſignis proximum intelligere periculum, & prænunciare ſaltem poſſemus. Ille vero ex pulſu, inquit, abdomine, facie. Pulſus enim humilis, & debilis potius, & qui, ſi bene attendas, ſibi ſubobſcure diſſimilis ſit: abdomen autem tenſum, & durum, & cum dolore quodam: facies denique inſoliti aliquid, ſed in aliis aliud, oſtendens, ut interdum oculos quaſi exterrefactos, alias livorem quendam circum labra, animadverterim; hæc, inquit, fere; nam aliquando linguam etiam adnotavi haud bene ſe habentem, & quamdam ſitim; mihi accidit, ut in ejuſmodi caſibus ſe obſervanda præbuerint. Sic ille ingenue, ut ſolebat, quæ requirebam, ſigna indicabat. Quorum mihi veritas cum in aliorum, tum præſertim in Thomæ Aleotti caſu perſpecta eſt, probi æque, ac nobilis Civis mei. Cum enim poſt dolores quoſdam ventris, quibus erat obnoxius, cubaret, nec eadem qua ſolitus erat, celeritate convaleſceret, me autem per eos dies; autumnus erat, ſi recte memini, A. 1711. incommoda valetudo domi retineret, miſſuſque ſub veſperam ejus Medicus qui me conſuleret, nonnulla ex iis ſignis narraſſet, quæ modo commemorata ſunt, ipſe autem, interrogando, quædam alia ex iiſdem non deeſſe, intelligerem; reſpondi nihil tale opinanti, ad ægrum rediret, quem ſi vel tantillo interea pejorem factum animadverteret, continuo admonendum curaret, poſſe magnum inſtare periculum; ut ſibi, & poſteris conſueta religione, prudentiaque proſpiceret. Quid quæris? Perpaucis poſt horis æger manifeſto in pejus ruere cum cœpiſſet, atque ea de quibus tunc demum admonebatur, ſtatim perfeciſſet, intra illam ipſam noctem Vir optimus præcipiti caſu ereptus eſt.

22. Verum cum ea ſit natura Medicinæ, ut eadem non ſemper ad eundem modum reſpondeant; hæc quæ diximus, ita accipe, ut ſiquando pleraque eorum indiciorum videas convenire; ſuſpiceris ſaltem, cauteque deinceps, & perattente cætera obſerves. Interea autem haud prorſus inutile fortaſſe erit, ſi cum iis quæ ſuperiore, & hac quoque Epiſtola ſcriptæ ſunt, Obſervationibus hinc pleraque Albertini ſigna conferas, inde vero quæ a Medicis tradi ſolita ſunt, ut inteſtina eſſe inflammata, cognoſcamus. Pulſus ille humiles, ac debiles potius animadverterat, quales fere Epiſtola ſuperiore agnoſces num. 9. 11. 18. 25. hac vero num. 2; ne quid dicam de aſphyxia ibidem, & num. 14. & 16. demum adnotata. Animadverterat quoque abdomen tenſum, & durum, faciem autem, oculoſve inſoliti aliquid oſtendentes: quibus de rebus, niſi quod num. 11. & 16. nihil ſcriptum eſt; ſub cæteris omnibus qui modo memorati ſunt, numeris quid obſervatum ſit, reperies. Medici autem Scriptores in abdominis quidem tenſione conveniunt. Sed plura addunt alia quæ inteſtinorum proculdubio inflammationem ſignificant, illam tamen evidentem, & quam cuncti facile agnoſcant; non hanc qua de loquimur, obſcuram, & de qua vix pauci ſuſpicentur. Inter ea ſunt in primis acuta febris, & dolor vehemens: ſine quibus tamen hanc inflammationem fuiſſe, ſupra (*p*) eſt a nobis oſtenſum. Præterea quod ad febrim dumtaxat pertinet, legeſis Obſervationem a Cl. Roſa (*q*) perſcriptam: *univerſum inteſtinorum ſyſtema* fuiſſe *inflammatione corruptum ac ſideratum* reperies; & tamen *in toto morbi decurſu ne minimam quidem pulſus intenſionem aut motus febriles obſervari potuiſſe*. Et hic quidem peculiarem caſum deſcribebat A. 1745. Sed ante ipſum; non ante meorum Præceptorum, meique ipſius Obſervationes; ea ediderat Cel. Simſonus, quæ Illuſtri Archiatro Swietenio (*r*) juſtam occaſionem præbuerunt ejus laudandi, & confirmandi verbis illis, quæ etſi apud non unum ex noſtris Italis hiſce annis poſtremis repetita videris; tamen hic quoque juvat exſcribere: *ſaluberrimum in Praxi Medica monitum poſuit Simſonus, ne decipiantur Medici, credentes, nullam inflammationem adeſſe, ſi febris abſit. Cum ſæpe fixos dolores inteſtinorum & ventriculi inflammatio producat, licet nulla febris obſervetur, pulſu explorato*. Viden, ut Vir Graviſſimus hoc contingere *ſæpe*, dicat: ut *ſaluberrimum in Praxi Medica* id *monitum* eſſe, non dubitet. Nempe id erat quod anno ipſe 1703. (*ſ*) omiſſum ab iis, quos hic intelligo, Medicis fuiſſe, mirabar, qui ut ſingulorum morborum, ſic etiam inflammationis inteſtinorum ſigna docuiſſent. Sic igitur quod ad febrim. Quod vero ad dolorem attinet; hic addendum eſt, proponi ab iiſdem Medicis cum pulſationis, & non modici caloris ſenſu conjunctum, qualem in nulla invenies noſtrarum Obſervationum; imo aliquam (*t*) leges in qua cum de pulſationis, & caloris ſenſu nominatim quærerem, diſerte utrumque negatum eſt. In pluribus (*u*) potius reperies ſic ab ægris dolorem deſcriptum, quaſi canes morderent.

Ponuntur etiam ab iiſdem Scriptoribus alvi adſtrictio, & aſſidui vomitus, præſertim ſi inflammata ſint Tenuia inteſtina, ut recrementa denique per os reddantur. Sed nihil horum certe invenies relegens quæ ſupra (*x*) ſaltem de Servo, de Anu, de altera Muliere propoſita ſunt: quin huic ultimæ laxa erat alvus. Sitim quoque; non levem hanc dico quam aliquando animadvertit Albertinus; ſed moleſtam illam, quam ajunt, & acutæ febri convenientem, in pluribus fruſtra perquires. Mitto cætera, neque enim mihi propoſitum eſt Scriptores quos magni facio, redarguere; ſed tantummodo quæ præcipua inflammatorum inteſtinorum ſigna traduntur, ea non ſemper adeſſe, oſtendere.

23. Cæterum laudare eoſdem pro eo ac merentur, ſatis non poſſum, cum admonent, facile, ac ſæpius eorum viſcerum inflammationem in gangrænam ac ſphacelum deſinere, ejuſque rei indicium eſſe, ſi omnis ſubito evaneſcat dolor. Nimirum ex eadem illa cauſa eſt, quod ſi hoc accidat in dyſenteria, cito ægri pereant, cum minus id ipſi, & cæteri timent. Habes in Sepulchreti libro hoc III. Sect. XI. (*y*) ingenuam, & Hippocrate dignam, Drelincurtii confeſſionem, qui dyſenterici cruciatibus continuo ſilentibus cum *triumphum ceciniſſet*, tribus poſt diebus *detriumphavit*, ægro ſine doloribus pereunte ob viſcera mirum in modum *ſiderata*. Noſque alias (*z*), ad te ſcribentes, ſphacelo inteſtinorum factum conjecimus, ut poſtremis dyſenteriæ, & vitæ diebus viſa ſit aliquando ipſa quoque febris abiiſſe; in his autem (*a*), & ſuperioribus (*b*) Litteris unde eſſet, & quid portenderet in ventris doloribus, horum, aliorumve ſymptomatum non ceſſatio modo, ſed & remiſſio quæ præter rationem accidiſſet, oſtendimus. Cave tamen viciſſim credas, in quibus ſphacelus inteſtinorum ſit, in iis ſemper dolores ceſſare; edoctus Adoleſcentuli hiſtoria (*c*), qui cum ultimas quindecim vitæ horas ob immane dolorum tormentum jugiter clamare coactus eſſet; tamen inteſtinorum partem multo maximam tam nigram habuit, quam qui nigerrimam. Scilicet reliquam integram hactenus partem interea poteſt aut dira inflammatio, aut cauſa alia aliqua torquere, ut puta con-

(*o*) n. 14. (*p*) n. 20. (*q*) Act. N. C. Tom. 8. Obſ. 47. (*r*) Comment. in Boerh. Aph. §. 371.
(*ſ*) n. 14. & 21. (*t*) Epiſt. 34. n. 9. (*u*) Ibid. & n. 18. & 25. & in hac Epiſt. n. 16. (*x*) n. 10. 12. 16.
(*y*) in Addit. Obſ. 4. (*z*) Epiſt. 31. n. 26. (*a*) n. 14. 16. 18. (*b*) n. 15.
(*c*) ſupra, n. 14.

convulſio, aut, quod in eo Adoleſcentulo, in aliiſque (*d*) ejuſmodi morbo laborantibus haud raro obſervavimus, inteſtinorum lumbrici. Num vero fortuito acciderit; an quod bilis vitium pravæ irritanteſque chyli reliquiæ conſequantur, ut in quorundam ex illis cyſti fellea calculos alii (*e*), & nos (*f*) offenderimus, in medio relinquimus.
Inter peſſima autem ſigna, & proximam mortem indicantia jure meritoque reponimus nigras dejectiones cum dolorum ceſſatione conjunctas, quas ſupra (*g*) commemoravimus: ad quas illa quoque addenda eſt quam cum omnium inteſtinorum non dolore quidem, qui ob paralyſim nunquam fuerat, ſed magna inflammatione tibi in alia Epiſtola (*h*) deſcripſimus. Proximam de Hypochondriorum Tumore ac Dolore expectabis, & valebis.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXXVI.

Verba fiunt de Tumore, & Dolore Hypochondriorum.

OB eas cauſas quæ XXXII. Epiſtola (*a*) ſunt indicatæ, quam breviſſimam, quæ ſequitur in Sepulchreto, de Hæmorrhoidibus Sectionem tranſilientes, ad duas ei proximas XVI. & XVII. confeſtim venimus, utriuſque argumenta, Hypochondriorum Tumorem, & Dolorem, his unis Litteris complexuri. Ii enim duo affectus haud raro conjuncti ſunt, velut ex illis unde incipiemus, Valſalvæ Obſervationibus proclive erit tibi intelligere.

2. MULIER quadraginta annorum, coloris flaveſcentis, duritiem in dextera ventris parte diu tulerat, ad os uſque ilium, & infra deſcendentem. Dolebat, eam partem ſi tangeres. Sitiebat. Per menſem circiter ante obitum de ventriculi dolore poſt cibum aſſumptum querebatur, & difficile reſpirabat. Poſtremis aliquot diebus, vomitus: duobus autem ultimis, acerbiſſimus dolor acceſſerat.
VENTER aqua plenus inventus eſt flava, amara, & ad ignem concreſcente. Ventriculus in medio anguſtus, ut ibi pylori arctitudinem æquaret, ſicque duos quodammodo repræſentaret ventriculos. Hepar in molem ingentem excreverat. Nam lobo dextero quaſi ad ventris fundum perveniebat. Hujus lobi ſubſtantia tota indurata, multiſque in locis diſtincta corporibus albicantibus, quorum nonnulla majora avellanam adæquabant; cum diſſecaretur, alicubi eroſionis oſtendebat initium, ſuccorumque imminentem putrefactionem. Siniſter autem hepatis lobus itidem induratus, ibi ventriculum premebat, ubi hunc arctiorem fuiſſe, diximus. Veſiculæ fellis tunicæ craſſæ erant factæ, cavum autem valde anguſtum, quo atra, craſſa, viſcida bilis continebatur. Lymphæ ductus nullo modo ſe prodebant in hoc ventre. In Thorace pulmones ſubalbi, maculis ſubnigris variegati: quorum ſiniſter nonnihil ad dorſum alligabatur; dexter undique erat ſolutus.
Ventriculi cordis fluidum ſanguinem continebant; ut vix in dextero leve eſſet polypoſæ concretionis initium.

3. In aliis etiam Epiſtolis (*b*), tribus productis Obſervationibus ventriculum quaſi duplicatum deſcripſi, non tamen quanta hic conſtrictione diviſum; quamvis vel hac majorem in viro, niſi quod famelicus erat, cætera ſano, ex Blaſio commemoravi (*c*). Nec dubium mihi fuit, quin hujuſmodi ſtructuræ ventriculi eſſent a primordiis (*d*): itaque in jecinore, quantumvis in duabus primis Obſervationibus ſiniſtrorſum ultra æquum extenſo, neque ibi tamen duro, earum conſtrictionum cauſam non quæſivi, præſertim cum in tertia jecur eſſet intra naturales fines: neque in eadem tertia ab ea potiſſimum ventriculi conſtrictione vomitus, & ventriculi dolores deduxi, ut qui in prioribus nequaquam fuerant. Hic tamen eoſdem a conſtrictionis illius anguſtiis repetam, quippe magis poſtremo tempore, magiſque, ut videtur, præter conſuetudinem auctis a creſcente in dies jecinoris duritie eam ipſam ventriculi partem peculiariter comprimentis. Nam & ratio, & multiplex Obſervatio confirmant quantum ventriculi munia perturbet ipſius compreſſio, & depreſſio ab adaucta jecinoris mole: ut videbis ex Bartholini (*e*) in ſexenni puella, Fantoni autem patris (*f*) in Sacerdote Obſervationibus, quorum hic hepatis molem habebat *totum* implentem *epigaſtrium*, illa vero *univerſum* fere occupantem *abdomen*. Jecur quidem vel minime morboſum tenuiorem ſui partem nonnunquam ad lienem uſque protendit, ut alibi (*g*) commemoravimus: morboſum autem aliquando nullos propemodum extenſionis per ventrem ſuæ habet terminos. Quorum neutrum ignorare Medici, & Chirurgi debent, ne ab eo quod plerumque eſt, nonnullis in caſibus decipiantur. Sed ubi ſanum jecur fuerit, ſuſpicioni tantum eſt locus, ut puta ſi tunc forte inflictum ſiniſtro hypochondrio vulnus cum aliis ſit conjunctum ſymptomatibus quam quæ viſceribus ſolent; quæ ibi omnes locari ſciunt, vulneratis. Cum vero ægri jecinoris ſigna non deſunt, ut in propoſita muliere flaveſcens color, & durities ex hypochondrio incipiens dextero; minus difficile tunc eſt illuc quoque extenſum jecur agnoſcere quo ſe eadem continuata durities extendit. Num vero in muliere altera, cujus hiſtoria ſequitur, doloris, ſi manu premeres, continuatio eo uſque aſcenderet, ut idem doceret, cum Valſalva qui tunc junior obſervata in vivente preſſius ſcripſit, id reticuerit; a nobis conjici magis poteſt, quam affirmari.

4. SEXAGENARIA Mulier diu queritur de dolore ſupra umbilicalem regionem: ſitit, tuſſit, exſpuit catarrhalem materiam. Poſtremo difficile reſpirat: pauciſque ante mortem diebus, repente multum intumeſcit venter, œdemate pedes occupantur. Tandem, ſenſim illo deficiente dolore, fit vivendi finis. IN VENTRE magna limpidæ aquæ copia: nullum vaſorum lymphaticorum veſtigium. Lien naturali duplo major. Hepar durum: cui annexa fellis veſicula plena erat calculis lævigatis. Alia autem in parte veſicularum congeries hepati inhærens cernebatur, quibus laceratis, ſerum effluebat. Intra ſubſtantiam autem ejuſdem viſceris eam partem verſus qua diaphragma ſpectabat, cavum abſceſſus inventum eſt, plus tertia jecinoris parte occupans. Eruperat, diaphragmate perforato, materia abſceſſus in dexteram Thoracis caveam, quæ tota ſanioſo pure plena erat. Pulmo tamen ſanus fuit.

5. Nunc quando abſceſſus hepatis in quam partem eruperit, intellexiſti; non dubito, quin mecum optes, potuiſſe a Valſalva diligentius perſcribi ſigna omnia, poſtrema præſertim, ejuſmodi caſus,

(*d*) ſupra, n. 16. & Epiſt. 34. n. 9. & 33. (*e*) Vid. Obſ. 47. cit. ſupra, ad n. 22. (*f*) Epiſt. 34. n. 15. & ſupra n. 16. 18.
(*g*) num. iiſd. (*h*) 29. n. 10. (*a*) n. 10. (*b*) Epiſt. 16. n. 38. Epiſt. 26. n. 31. Epiſt. 30. n. 7. (*c*) Ibid. n. 8.
(*d*) Epiſt. 26. n. 32. (*e*) Sepulchr. l. hoc 3. Sect. 1. Obſ. 4. (*f*) Obſ. Anat. Med. 24.
(*g*) Adverſ. 2. Animad. 2.

caſus, qui fortaſſe ante ipſum occurrerat nemini. Stalpartius (*h*) enim cum de quodam ſcriberet, cui pus ex jecoris abſceſſu non affatim, neque in thoracis caveam ſed modice, & in pulmonem per fiſtulam diaphragma perforantem, utrique viſceri connatum, tranſibat; nullum contra ac pro ſua multiplici lectione ſolitus erat, exemplum addidit rerum ejuſmodi quas alius per anatomen conſpexiſſet. Poſt illum autem; ſi quidem fidei non incertæ Obſervatores quærimus, ut ſane debemus; neminem legiſſe nunc memini, qui idem, nedum quod Valſalva, deprehenderit. Qui ſymptomata quidem quæ colligere potuit, ſcripta reliquit. Sed inter ea vides, quo tumor ventris, & pedum œdema ſint referenda. Difficilis autem reſpiratio ſic affecto hepate, integro autem diaphragmate eſſe poteſt, ut tuſſis etiam, cujus in iſta muliere tanto magis ambigua erat ſignificatio, quod materiæ catarrhalis excretionem conjunctam habebat. Extant hic in Sepulchreto (*i*) abſceſſuum hepatis hiſtoriæ ad viginti. Sed nulla fere eſt in qua non majorem curam deſideres in ſignorum obſervatione, ſi illam (*k*) excipias Noribergenſis viri, quæ a Coitero deſcripta eſt. Verum in illo vomica ſimam hepatis tenuerat partem, ut appareat, in ventris cavum ſe *aperuiſſe*. In eademque ſima parte juveni fuerat quem ſecuit Paawius (*l*); ſed hæc pus non effuderat; ut foramen *duos pugnos admittens*, quo diaphragma *exeſum* erat *qua parte in ſiniſtro latere jecoris accumbit*, non a puris eruptione factum intelligatur: præterea nihil indicatur eorum quæ obitum anteceſſerant, ut neque in altero (*m*) in quo idem Paawius duo in jecoris gibba parte invenit ulcera introrſum penetrantia. Nec peculiaria ſigna leges in Blaſii Obſervatione (*n*) hepatis ita ſuppurati, ut ſola ejus tunica pus a diaphragmate ſejungeret arcte adnexo. Hæc commemoravi, ut magis intelligeres, quanto optabilius eſſet, id a Valſalva potuiſſe præſtari quod cæteri non præſtiterant, nimirum quod ad ſigna attinet jecoris abſceſſibus fere communia quæ defuerint, aut non ex iis ſaltem quæ adnotavit Coiterus, præter tuſſim & ſitim, quas Valſalva quoque memoravit: ex ſignis autem rupti abſceſſus num ea fuerint quæ a Coitero ſunt in hunc modum indicata: qui in dextero hypochondrio, ſubjectaque regione fuerat, *tumor deſiit, durities evanuit; eodem die aliquot animi deliquiis correptus animam dedit*. Nam Valſalva nihil memorat, niſi dolorem qui ſupra umbilicalem regionem fuerat, *ſenſim defeciſſe*, materia videlicet abceſſus magis magiſque ex hoc in thoracem traducta. Cujus actioni quid tum detrimenti acceſſerit, ne indicat quidem; nihil videlicet attingens de difficiliori facta reſpiratione, ut nihil de animi deliquiis.

6. Hæc ultima, ſi hiſtorias illas tot perleges quæ ſunt in ſepulchreto paulo ante deſignatæ, non magis quam citam mortem, adnotari, invenies in iis quibus ſe vomica hepatis in ventris cavum exoneraverat (*o*), ſi virum excipias, cujus caſum a Coitero deſcriptum (*p*) commemoravi: & contra, piſtorem leges (*q*) *interdum leipothymia tentatum*, cujus ſuppurati hepatis *intacta ac integra membrana* erat. Attamen utrumque eorum quæ in hiſtoriis illis minime ſcribuntur, ſæpe adeo Medicis, & in his Præceptori meo Albertino occurrit, ut ſolicite moneret, ne cum ſigna eſſent abſceſſus in hepate jam perfecti, æger moveretur; non quod ignoraret, motum ab egregiis alioquin Auctoribus tunc eſſe præceptum, quod & memoria noſtra feliciter ceſſiſſe nonnunquam, legimus; ſed quod hinc cenſeret, fortuna fieri, ſi pus ſic diſrupti abſceſſus, illæſa hepatis membrana, per bilarii ductus ramos ad inteſtina derivaretur; inde autem perſpiceret, quam facile ea potius perrupta membrana, in ventris cavum effundi poſſet, ægrumque illata ſyncope confeſtim necare. Hoc enim, ſe adoleſcente, meminerat Bononiæ accidiſſe, cum præſtans Medicus, idemque nobilis Chirurgus, illos ſecutus Auctores, motum imperaſſet virgini cui jecur erat ſuppuratum; profuſo enim in ventrem pure ægram mox inter mulierum quibus innitebatur, manus interiiſſe. Poſtea autem vel ſine motu, aut certe ad levem motum, ut fit, in lecto, aut dum e lecto ſurgitur, idem contigiſſe, animadverterat cum in aliis, tum præſertim in Marchione generoſiſſimo, cujus erat abſceſſus in ſima jecinoris parte. Quibus Obſervationibus adductus, ſuſpicabatur, non ita abſimile mortis genus in nobili alio Viro, cujus morbi ſigna omnia alias (*r*) tibi diligenter perſcribam, ab non adeo abſimili cauſa eſſe repetendum. Eo autem minus probabat motum, quod abſceſſus, tantus aliquando, aut ejus generis eſt, ut tametſi caſu per bilarios ductus exitum inveniat; ſanari tamen ægri non poſſint ea felicitate quæ ipſi obtigerat in primaria Matrona, itemque in famula, quarum utramque diuturna quidem diligentia, ſed non aliis medicamentis, quam reſina terebinthina, & ſero, deinde ſuccis hederæ terreſtris, & conſolidæ mediæ, mihi aſſeverabat, ſe percuraſſe. Namque ubi jecinoris vomica ſibi ipſa exitum aperuit per abdominis muſculos, cujus rei exempla duo Bononiæ proferebantur, vel tunc etſi non internis modo, ſed & externis, ipſi apoſtematis cavo adhibitis, remediis data opera eſt, ut jecur ſanaretur; tamen in altero dumtaxat id fuerant conſecuti: in altero autem, ex quo materia aliquando exibat aquæ ſimilis in qua caro recens lota eſt, aliquando flavi aliquid, conſequi idem non potuerunt; ſed æger denique mortuus eſt: quanquam huic tumorem non tam naturæ vis, quam artis error aperuerat. Medicus enim, quamvis nominis haud obſcuri, ſociuſque Chirurgus, minime attendentes, icterum anteceſſiſſe, itemque alia hepatis labem indicantia, tactu ſe decipi, ob eandem fortaſſe cauſam paſſi fuerant, quæ a Fantono patre (*ſ*) in extenuatione impoſitorum muſculorum abdominis deprehenſa eſt, ut in his eſſe tumorem qui in hepate erat, exiſtimarent; itaque mollientibus adhibitis ſuppurationem importuniſſima ſedulitate concitaverant. Intelligis quid improbem. Neque enim is ſum qui ubi natura ipſa ſuppuratum jecoris tumorem ad abdominis urgeat muſculos, pus ibi diutius ſinendum cenſeam quod in dies augeatur, & mora pejus factum, ſanguinem inficiat, viſceris partes alias, aliaſque erodat, ſibique viam quo minus expedit, aperiat, ut puta in ventriculum; in hunc enim quoque per amplum foramen irrupiſſe, Cl. Vogelius (*t*) deprehendit, aut in thoracem, ut ſupra oſtendimus, aut, quod minus raro accidit, in ventris cavum, unde miſera, & lenta mors, ſi periculum effugiatur citiſſime, ut Albertinum vidiſſe, diximus (*u*), & Illuſtris confirmat Swietenius (*x*). *Periculum eſt*, inquit, *ne animi deliquium, & ſubita mors ſequantur illo tempore, dum abſceſſus* jecinoris *rumpitur: venæ portæ enim rami antea a vomica preſſi, nunc pure elapſo liberi, a ſanguine impetuoſius irruente rumpi facile potuerunt, præcipue cum a pure acriori tam diu accumbente maceiati fuerint, & quaſi ſemi exeſi*. Igitur hunc ipſum, alioſque graves Auctores ſecutus, priuſquam hac acciderent, ægram, ejuſque neceſſarios docerem, quanta, & quam varia pericula imminerent, ſi puri exitus quantocyus non daretur: eoque tamen caute, ut par eſt, dato, ſalutem non ſemper, ſed interdum ſperari poſſe, idque Hippocratis aphoriſmis (*y*) ſi-

(*h*) Obſ. rar. 46. Cent. 1. (*i*) Sect. 17. Obſ. 2. (*k*) §. 6. (*l*) Ibid. §. 7. 8. (*m*) §. 8. (*n*) §. 16.
(*o*) §. 2. & 5. (*p*) §. 6. (*q*) §. 14. (*r*) Epiſt. 40. n. 28. (*ſ*) Obſ. Anat. Med. 13.
(*t*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 90. (*u*) n. 4. (*x*) Comment. in Boerh. Aphor. §. 939.

(*y*) ſignificari ; imo , nec ſemel , eos quoque hepatis abſceſſus fuiſſe perſanatos, e quibus apertis longe alia fluxerint ac quæ optabat Hippocrates, cujuſmodi exemplis etiam illud addes, quantumvis longa, & difficilis curatio fuerit, quod a Cl. Jo. Petro Albrechto (*z*) propoſitum eſt. Sed jam illuc unde divertimus , redeuntes , ab iis quæ in ſexagenariæ Mulieris hiſtoria Valſalva non attigit, ad ea quæ adnotavit, veniamus.

7. Congeriem hepati inhærentem veſicularum, quas cum laceraret , ſerum effluebat , noli credere , aliud fuiſſe , quam hydatides , ut ipſe diſerte adſcripſit ſeorſum , quæ morboſo hepati non ita raro ſolent exterius inhærere . Plurium , & facile majorum , a ſeri copia diſſilientium effectum ex aliqua ſaltem parte fuiſſe , puta , eam limpidæ aquæ copiam quæ in ventre effuſa inventa eſt . Noli igitur haſce ejuſdem naturæ cenſere, cujus erant peculiares illæ veſiculæ , flavoque humore plenæ quas ex Valſalvæ obſervatione in III. Epiſtola Anatomica (*a*) deſcriptas legeris. Eas autem hiſtorias , tametſi omnes ad hepatis morbos , quædam autem ad ipſius abſceſſus pertinent, non hic interabimus , propoſitum ſervantes noſtrum longe abhorrens ab ea incuria qua in his Sepulchreti XVI. & XVII. Sectionibus complura invenies repetita . Ut enim in illa omittamus eandem eſſe Obſervationem XII. ac XVIII., in hac certe eædem ſunt quæ in II. Obſervatione §. 10. & §. 20. indicantur, itemque IV. ac quæ in XI. §. 4. & quæ in proximo §. 8. ac quæ in II. §. 15., & in eadem illa XI. quæ §. 2. ac quæ §. 6. , ne quid de iiſdem dicamus quæ totidem iterantur verbis in Scholiis ad XVI. & ad XVIII. Obſervationem . Nos autem nihil ex iis quæ tunc ſcripſimus, hic repetentes, tria dumtaxat ad illas Valſalvæ hiſtorias adjiciemus.

8. Et primum ad eam quæ ibi num. 8. propoſita eſt, illud quod eo loco neceſſe non erat, addere hic decet : ſerum quo venter redundabat , nidoroſum halitum emiſiſſe ejus ſimilem qui ſæpe ex febricitantibus, nec raro etiam ex eorum urina percipitur : igni autem impoſitum , brevi ex limpido ita factum eſſe turbidum, ut vaccinum ſerum non recte depuratum referret: tandem vi caloris totum in auras abiiſſe. Neque hoc omittendum eſt , circa lumbares glandulas leve ſe prodidiſſe indicium vaſorum lymphaticorum, quæ multum erant exinanita.

9. Ad eam autem quam proximam illi hiſtoriam ſubjecimus (*b*) , nihil quidem ad ejus complementum ex Valſalvæ obſervatione addendum ſupereſt poſtquam hoc tibi in alia Epiſtola (*c*) ſatis deſcripſimus . Illud potius a me fortaſſe expectas , ut quoniam veſiculæ, in ea hiſtoria deſcriptæ, intra unam maximam, quaſi intra marſupium continebantur, Valſalvæ de iis judicium adverſus complures tuear, quorum ab annis præſertim aliquot augeri numerum video, cenſentium, veſiculas cyſticis tumoribus, qui in jecinore , aliiſque viſceribus interdum occurrunt, comprehenſas, nullo modo ad amplificatos glanduloſos folliculos attinere. Mihi vero neque placet, neque neceſſe eſt in eum relabi ſermonem ; quando Valſalvæ judicium non ea dumtaxat hiſtoria, nec qualiumcunque veſicularum obſervatione nitebatur. Videre etiam potes, ut Valliſnerius, qui pariter diu ante illos veſicas, veſiculis aliis fætas , conſpexit, in eo ipſo Scripto quod tunc indicavi , non veſiculas qualeſcunque pro glanduloſis folliculis dilatatis acceperit. Nec vero in cyſticis dumtaxat jecoris tumoribus veſiculas Valſalva offendit; namque in ea certe, quam tibi paulo ante complevi , hiſtoria hepar totum ex veſiculis compactum deprehenderat : quanquam ne in ipſis quidem cyſticis ejuſdem viſceris tumoribus extra omnem dubitationem poſitum eſt, ad glanduloſos folliculos nullo modo attinere poſſe concluſas veſiculas. Quid enim, ſi harum non diſſimiles aliquando externi cyſtici tumores oſtenderunt? Num quia partes externæ ſunt, idcirco glanduloſis carent folliculis? Sed enim, ut dixi, his nolo iterum diſputationibus immorari.

10. Præſtat ut in ultima ex illis Valſalvæ hiſtoriis (*d*) id quoque attendamus quod in ea Malpighius diſerte laudabat, bilarium videlicet ductum ingenti orificio cum abſceſſu hepatis communicantem , reliqua autem tota parte dilatatum, ut manifeſto appareret quomodo veſiculas ex abſceſſu potuiſſet excipere, & in Duodenum inteſtinum traducere. Quo minus dubitandum eſt, quin ſæpius per corroſos ramos ſanguinem, & pus , ex hepatis vomicis exceptum tranſvehat ad inteſtina, quemadmodum ſupra (*e*) commemoratum eſt, & bilarii ductus juſto ampliores , oſculum vero per quod bilis in Duodenum influit, minimi digiti facile capax , evidenter confirmarunt in quadam puella (*f*) quæ cum per alvum plures libras puris per vices excreviſſet, pus in pluribus hepatis abſceſſibus, in iiſque ductibus, & in illo inteſtino multum habuit. Quæ cum ita ſint , reique conſimilis manifeſtum, & crebrius in renibus habeatur exemplum, unde ureteres pus, & ſanguinem transferunt ad veſicam ; mirari ſubit , Doctiſſimos tamen Viros interdum uſque adeo videri oblitos patentis illius ex hepate viæ, ut alii venas meſentericas, quaſi hæ non ab inteſtinis ad jecur , ſed ab jecore ad inteſtina humores conveherent, *purulentas diarrhœas ſæpe fieri, atque ipſum corruptum hepar egeri*, doceant; alii autem intelligere ſe poſſe, negent, quomodo illæſo ventriculo ſanguinem vomere, & dejicere potuiſſet is in cujus ſingulis longe amplificati jecinoris lobis ſingula magna apoſtemata inventa fuiſſe , non ignorent . Verum ad eas quas necdum edidimus , Valſalvæ Obſervationes redeuntes, duabus , quas ſupra deſcripſimus, ad hepar attinentibus, totidem ad lienem ſpectantes addamus.

11. JUVENIS annorum circiter viginti , quod ex nativa corporis ſalubritate valetudinarius jam quaſi a biennio fieri cœpiſſet, cauſam rejiciebat cum in venationem, ſaltationem, aliaque ejuſmodi quibus indulſerat plurimum, tum in proprium artificium; linum enim carminabat. Pallidus autem factus erat , & hypochondriacorum more , de levibus ventris , thoraciſque affectionibus identidem querebatur. Tandem æſtate A. 1688. magnus, duruſque in ſiniſtro hypochondrio ſe ſe prodidit tumor , cum ponderis ſenſu, difficilique inter ambulandum reſpiratione. His repente acceſſit largus ſanguinis vomitus cum magna virium jactura, tumoris incremento, & febre. Remediorum ope primis diebus a vomitu, deinde etiam a febre liberatus, cum per tres menſes proximos chalybeatis uſus eſſet, tumoris quoque durities ſublata eſt : ejuſdem tamen magnitudo perſtitit , cum pallido, & quaſi citrino faciei colore. Januario autem menſe bis terve redeunte ſanguinis vomitu, in vehementem incidit febrem cum pulſu celeri, duro , ac parvo, utriuſque hypochondrii dolore, pondere, tenſione, ſitique inextinguibili. Placidiſſimo tamen obitu ſublatus eſt nono, an undecimo febris die.

CADAVERE diſſecto , mirum fuit, quam modica in vaſis omnibus ſanguinis portio ſupereſſet. Itaque Ventris viſcera inſueto pallore, & quaſi candore ad ſe oculos alliciebant; ſi ſplenem exciperes , qui naturalem ſervabat colorem ; ſed auctus adeo erat, ut hepar mole ſuperaret , pendereṭque libras quatuor cum ſemiſſe. Nec erat æquo durior , niſi quod ad convexam faciem uno aut altero in loco ſolidiorem alte recondebat ſubſtantiam majoris nucis magnitudine . In Splenicæ venæ trunco polypoſæ concretiones latebant , quæ cum ejus venæ ramis perbelle ſe vel intra ſplenem dividebant. Hepar valde pallidum , rubris dumtaxat hic illic maculis diſtinguebatur . Fellis veſicula hepate pallidior,

(*y*) 44. & 45. S. 7. (*z*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. Obſ. 22. (*a*) n. 8. 9. 10. (*b*) n. 9. (*c*) XXI. n. 55. (*d*) n. 10. (*e*) n. 6. (*f*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 73.

lidior, atque adeo albicans, bilem continebat paucam coloris maxime diluti, cui ſimilis in ventriculi fundo non deerat. Cætera in ventre ſana. In Thorace pulmones qua anteriora ſpectabant, pallidi; qua dorſum, ex atro purpurei, & inflammati apparuerunt: diſſecti autem multum ſeri emiſerunt ſpumoſi. In dextero cordis ventriculo parva concretio polypoſa; in ſiniſtro ejus tantummodo inchoamentum.

12. Permulta quidem ad hiſtoriam hanc poſſent adnotari. Sed brevitatis ratio habenda eſt, nec multa attingenda. Largus in hoc Juvene, nec ſemel iteratus, ſanguinis vomitus faciles explicatus habuiſſet eo tempore quo per venam, vas breve dictam, ex liene aliquid mitti in ventriculum, non dubitabant. Sed poſteaquam circumitio ſanguinis, & experimenta aliter docuere, aliter quoque eſt res explicanda; ut puta, ſi dicamus, quanto minus ſanguinis in obſtructum ſplenem per cœliacam arteriam inferri poteſt, tanto plus per alios ejuſdem arteriæ ramos ad ventriculum importari, aut ſanguinis a ventriculo reditum per vas breve, impediri a tumido ſplene, vas illud inter ſe, & turgentem ſæpe ventriculum valde premente; ut alterutra, aut utraque, aut alia aliqua, harum non abſimili ratione intelligi poſſit, ſanguinem ſibi ex vaſculis nimis diſtentis exitum in ventriculi, ad id præſertim diſpoſiti, cavum aperire. Nec tibi id forte obſtare videatur quod Juvenis hujus ventriculum ſanum fuiſſe, indicetur; nam ſanguinem per oſcula plurima quidem, ſed tenuiſſima, intra illum, laxioribus fortaſſe inſtructum fibris, fuiſſe effuſum, putabis. Quod ſi Veteres ipſos, aut qui illos ſequi aliquandiu perrexerunt, diſſectionesque inſpicias ab ipſis habitas, & in Sepulchreto (*g*) collectas, eorum qui ſimul lienis vitio, & vomitu ſanguinis laboraverant; nullam præter unam (*h*) invenies, quæ in ventriculo vas aliquod manifeſte apertum oſtendat. Scripſit illam Riolanus libro Anthropogr. 2. ibi indicato, nec tamen *cap.* 15. ſed 17. ſub finem. Cui quidem rem, ſed ut paulo ante explicabam, facile credam quod ad vas breve attinet ad minimi digiti craſſitudinem dilatatum: credam etiam, ſi vis, deprehendiſſe in ventriculum idem vas adapertum; quanquam ibi procliviorem eſſe video ad ea augenda quæ ſuam iſtam confirment ſententiam. Mitto enim quod ex V. Epidemiorum libro ei quem ſanguinis vomitus ſuffocaverat, cum refert *ad ſplenem & deorſum multum ſanguinem prodiiſſe*, nihil addat de congrua horum verborum interpretatione, quaſi mallet, de ſanguinis intra ventrem exitu (quem perantiquus ejus libri Auctor, quippe tunc inuſitata hominum anatome, vidiſſe non poterat) quaſi hæc, inquam, ſic mallet intelligi, quam de perrubris in cute maculis, ut Valleſius (*i*) explicat, ad lienis regionem, & infra apparentibus. Hoc igitur mitto. Sed mittere nequaquam poſſum quod in Cardinali Cibo, poſt eundem vomitum mortuo, *notaviſſe*, ait, *Valuerdam lib. ſexto, capite quinto*, videlicet *compreſſo liene ventriculum repleri ſanguine, qui per vas breve derivabatur*. Neque enim Columbus, qui cadaver ſecuerat, quidquam de experimento illo attigit, ut qui non plura de ea ſectione verba ſcripſit, quam quæ in Sepulchreto (*k*) leguntur: & Valuerdus, qui attigit, iis verbis uſus eſt, ut compreſſo liene, ventriculus interius, an exterius *ſanguine turgeſceret*, ſatis aſſequi non poſſis; quin Sanctorius, qui utrumque Auctorem inſpexerat, ſic intellexit, ut quod in Scholio videbis, ei Columbi Obſervationi ſubjecto, ſcripſerit: *dum comprimebatur ſplenis regio, ad orificium ventriculi ſanguis reſtagnabat*. Sed & plures, cum poſt immanes, lethaleſque cruenti humoris, aut ſanguinis ipſius vomitus diſſecti eſſent; nullum quærentibus aperti, aut eroſi vaſis indicium in ventriculo oſtenderunt; imo vas breve, etſi lien æquo eſſet longe major, nimis exile, & cujus radices ad ventriculi exteriores quidem, minus vero interiores tunicas pertinerent: cujuſmodi Obſervationes poteris vel in Sepulchreto (*l*) invenire. Itaque ſanguis aut ab inteſtinis, in quæ erupiſſet, deductus eſt, aut per vaſa bilaria ex hepate, quod maluit Cel. Swietenius (*m*), cum in ſic mortuo luſtrans magna cum cura omnia ventris viſcera, nec ullum vas ruptum, nec ullam inſignem labem uſquam potuit deprehendere. Et ſane Præcl. quoque Budæi (*n*) extat Obſervatio, a me alias indicata, in fœmina, quæ materiam plurimam cum vomuiſſet inſtar ſanguinis congrumati, & corrupti, quamvis ejuſdemmodi materia vas breve plenum, & craſſitudine digitum fere æquans haberet, ventriculi tamen ſubſtantiam ſine ullis venis conſpicuis exhibuit, veſiculam autem fellis magnam, eademque materia turgidam; ut proclive ſit intelligere, unde hæc in ventriculum, qui multam etiam tum continebat, veniſſet. Quæ nolim a me dicta credas, quaſi nunquam e vaſe brevi, mutata ad tempus, præter naturam, ſanguinis directione, poſſet hic in ventriculum irrumpere. Neque enim me fugit, poſt ſanguinis vomitum quid in Matrona Georg. Wolffg. Wedelius (*o*), in Puella Jo. Dan. Dolæus (*p*), Stangio, & Hillero ſociis, in Juvene autem Hoffmannus (*q*) repertum ſcripſerint: quarum ego Obſervationum ultimam alias tibi commemoravi, duas autem primas eſſe eaſdem cenſeo quas apud Stahlium (*r*) memini legiſſe. In ſingulis iis cadaveribus lien aut æquo major, aut durior fuit: vas quoque breve aut craſſius, aut ſanguine ex parte turgidum, aut nigro ſaltem colore in ventriculi interioribus conſpicuum, ibique ramis aut diſruptis, aut eorum aliquo ſic in ventriculum pervio, ut illuc ſtylum, aut flatum, aut etiam ſanguinem leviter compreſſo illo vaſe, admitteret. Etſi vero aliquis minime ignorans, quam non difficile per laxas in cadaveribus diſtentorum ramulorum tunicas aut ſtylus, aut impulſi flatus, humoreſve viam quæ antea non pateret, ſibi poſſint aperire, dubius forte hæreat in quapiam harum Obſervationum; tamen per me eas tibi probare licet, dummodo memineris, paucas eſſe, ſi cum cæteris comparemus: nec facile cum Wedelio ſtatuendum eſſe (*ſ*), *frequentius vomitum cruentum oriri reſerato p. n. vaſe brevi*. Nec quamvis reſponderet in omnibus quod in ſtudioſo Juvene animadvertit, tunc potiſſimum vomitum ſanguinis redire, cum æger in dexterum cubat latus, ideoque decubitum, ut ipſe jubebat, in ſiniſtrum eſſe neceſſarium, inde ſequeretur, prorumpere ſanguinem e vaſe brevi, quaſi nulla alia præter ipſum vaſa ad ſiniſtram ventriculi attinerent partem. Verum ſive iſtæ, ſive aliæ tum manifeſte in ventriculo pateant ſanguinis viæ, ſive, quod plerumque accidit, minime pateant; nam etiam in Petropolitanæ Inclytæ Academiæ Commentariis (*t*) hominem leges repentina morte ſublatum pleno omnino ſanguinis concreti ventriculo, & hoc *perfectæ integritatis*, cum *in liene e contra putredinis notæ deprehenſæ* fuerint; ſive igitur manifeſtæ ſanguinis viæ in ventriculo pateant, ſive non pateant; tu ſemper ad aliquem ex iis qui a me, ab aliiſve indicati ſunt, modum, aut ad conſimilem tum quas memoravi Obſervationes, tum illas quoque explicabis quæ in Sectione hac Sepulchreti XVI. (*u*) occurrunt lienis non ſemel intumeſcentis, ſed poſt largiſſimum cruenti

ſeri,

(*g*) l. 3. S. 8. Obſ. 71. & ſeqq. (*h*) Obſ. 73. (*i*) Comment. in eum loc. n. 37. (*k*) Obſ. cit. 73. §. 2.
(*l*) in Addit. ad cit. Sect. 8. Obſ. 11. & 13. (*m*) Comment. in Boerh. Aph. §. 950. (*n*) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 105.
(*o*) Earund. Dec. 1. A. 9. Obſ. 20. (*p*) Earund. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 257. (*q*) Medic. Rat. T. 4. P. 2. S. 1. c. 3. Obſ. 2.
(*r*) Diſſert. de Vena Port. porta malor. S. 3. (*ſ*) Obſ. 20. cit. (*t*) Tom. 1.
(*u*) in Schol. ad Obſ. 13. & 14.

ſeri, aut ſanguinis vomitum detumeſcentis, quibus adjungere poteris quam ex paternis Scriptis edidit Jo. Mauric. Hoffmannus (*x*): quanquam ubi per diſſectionem quod minus ægrum, aut quod ſanum ſit, pro certo non conſtet, ea poteſt culpa immerito in lienem conferri, quæ in proximam aliam partem, ipſumque ventriculum ſit rejicienda.

13. Quærere hic potes, cur igitur in propoſito Juvene, cujus lien culpa procul dubio non carebat, non modo hoc viſcus a largo ſanguinis vomitu haud detumuerit; ſed & increverit? Nimirum ad laxi viſceris jam nimis infirmatum robur cum acceſſiſſet a magna ſanguinis profuſione virium univerſi corporis ſumma jactura; ægrius potuit per illud traduci & promoveri ſanguis, præſertim ab ea profuſione inertior factus; itaque magis reſtitare in eo viſcere coactus eſt, ipſumque magis magiſque laxare. Multo autem mirabilius videri poteſt, quomodo cum rediit noviſſime bis terve ſanguinis vomitus, conſequi potuerit febris illa vehemens, iiſque ſignis ſtipata quæ inflammationem aliquam in hypochondriis (cujus indicia fortaſſe rubræ eæ maculæ fuerunt, hepar hic illic diſtinguentes) ſignificare videbantur. Sanguis enim reliquus in vaſis omnibus, copia erat adeo modica, inertia autem ejuſmodi, ut ex diſſectione intelligi licuit. Nam paucitatem, præter rem ipſam, pallor quoque viſcerum, & quaſi candor indicabat, idemque inertiam ſimul, præſertim cum pauca bile, & coloris maxime diluti conjunctus. In cachecticis quidem ſæpe cerebri corticem valde pallidum, medullam autem ſolito candidiorem animadverti, quippe ſanguiferis vaſculis tum quæ plurima ad illum pertinent, tum quæ rariora per hanc trajiciuntur, aliis inanibus, aliis ſemipellucidis; eoque nihil ferme officientibus etiam exterius inquirenti ſedes unde ex medullæ trunco nervorum radiculæ egrediuntur, ut ad res haſce facilius ſpectandas, aut oſtendendas, interdum ejuſmodi cerebra præoptaverim. Attamen ipſa bilis paucitas, ipſeque adeo dilutus color an acriores particulas in ſanguine retineri, ſignificarent, exiſtimare tu poteris. Ego interim quæram, quid illud eſſet, vel potius quid non eſſet quod lien iſtius Juvenis ad convexam faciem uno aut altero in loco alte recondebat ſolidioris ſubſtantiæ, majoris nucis magnitudine.

14. Habes in altera de duabus quas initio nominavi, Sepulchreti Sectionibus, id eſt in XVII. Obſervationem (*y*) lienis *ſteatoma* recondentis, *adipoſa materia conſtans nucis magnitudine*. Habes in Sectione eadem Obſervationes complures lienis ex parte cartilaginei, aut oſſei facti, aut etiam, ut Pechlinus (*z*) aſſeverat, lapidoſi, ad quas adjungere alias poteris tum ex præcedente Sectione (*a*) tum ex I. ſuperioris libri (*b*). Sed ego quod in hoc Juvene deprehendit Valſalva, neutrius generis fuiſſe, credo; perfacile enim utrumque fuiſſet cognitu: nec certe ipſe cum in Anu de qua ad te ſcripſi Epiſtola XX. (*c*) intra extimam lienis partem os invenit, affirmare dubitavit, ſe corpus quoddam oſſeum figura ſphærica reperiſſe. Igitur aut alterius cujuſdam generis fuiſſe, putaverim, aut ſi illorum quæ diximus, alterutrius; ſecundi potius, id eſt oſſis, lapidiſve inchoamentum, quam primi. Eſt enim illud multo in liene frequentius, ut non ſolum tot in Sepulchreto indicatæ Obſervationes oſtendunt, ſed & aliæ paſſim apud Anatomes Scriptores facile reperiendæ confirmant. Itaque ex noſtris quoque non pauciſſimas in Epiſtolis, alias aut miſſis (*d*), aut mittendis, invenies. Non illud quidem negaverim, id ſæpius in ſenibus, quam in juvenibus, animadverti, itemque in tunica potius, quam intra hanc. In tunica enim, aut certe exterius poſt primos illos, Andernacum (*e*), Veſalium (*f*), Columbum (*g*) id plerique adnotare perrexerunt. Tamen & in juvenibus hoc aliquando conſpectum eſt, ut a Cl. Fantono, (*h*), & a me ipſo (*i*): neque Obſervationes deſunt quæ oſtendant intra tunicam quoque. Carolus enim Stephanus (*k*) olim admonuit, lienem ob id etiam eſſe alte incidendum, ut *ſiqui ſint in ejus ſubſtantia calculi (ut nonnunquam reperti ſunt) videamus*: & tu hic leges in Sepulchreto (*l*), inventum in ſplene formoſæ fœminæ, & hujus juvenis, *lapidem caſtaneæ magnitudine*: Sectione autem XVIII. (*m*) lienem ſupra modum magnum *lapidibus plenum albiſſimis*; in alio (*n*) *multos continentem calculos*; ut cæteros, [& in his *binos ſatis grandes, pluribuſque aliis ſociatos*, quos commemorat Lentilius (*o*), omittam: & ipſe alias deſcribam tibi in quo ab oſſea lienis tunica oſſeum corpus introrſum pertinens deprehenderim, quo & illud pertinuiſſe crediderim quod a Valſalva in Anu viſum paulo antea dicebam. Quid? quod non *membranam* ſolum *exteriorem*, ut quidam ſcribunt, ſed totum ſenis cujuſdam lienem lapideum factum Regiæ Scientiarum Academiæ oſtendit Littrius (*p*): noſque hic in Gymnaſii Muſæo alterum habemus, ante hujus initium ſæculi ex cadavere depromptum quod publice in eodem Gymnaſio diſſecabatur.

15. Quem lienem cum hactenus deſcripſerit nemo; haud tibi ingratum fore ſpero, ſi id ipſe præſtem qui, annuente Muſæi Præfecto Cl. Valliſnerio filio, diligenter quo ad ejus fieri exterius licuit, examinavi. Longus eſt ſeptem transverſos digitos; latus, qua eſt latiſſimus, quatuor, ad alterum autem extremum plus duobus; nam altero in angulum deſinit: craſſus uno in loco ut minimus digitus, alibi dimidio minus, pluribus autem in locis, ad oras præſertim, multo tenuior. Figura eſt abnormi; & curvus ſecundum longitudinem: ſuperficie inæquali & tuberoſa, magis tamen in cava facie, quam in convexa. Circum oras ferme undique exſiccatæ reſtant membraneæ tunicæ reliquiæ: hæ illinc in faciem utramque pergunt, ſed manifeſtius in cavam, quæ membrana adhuc evidenter conveſtita eſt, ideoque flavo colore apparet, ſed valde fuſco; at convexa ex flavo albicat, ſi quædam excipias loca in quibus non ſecus atque in cava, membrana ſupereſt. Veri autem ſimile eſt, cum ab diaphragmate ad quod arctius adhæreret, lienem avellerent, ita a convexa hujus facie membranam divulſiſſe, ut ad illud pene tota affixa reſtaret, nonnulliſque ex locis etiam tota, ſimulque, cum ea ibi cohærentes, lamellæ indurati lienis; unde hiatus quidam oblongi, & foramina orta ſint, quorum in cava facie vix ullum eſt, ut nullum prorſus eorum per quæ olim ſubibant vaſa, locorum indicium. Per eos hiatus ſi introſpicias; non ſolidum ubique eſſe hunc lienem, intelligis, imo cavernoſum, & inanem multis in partibus eſſe, vides; ut mirum non ſit, decem, haud amplius, drachmas pendere: quamvis lapis ille quem paulo ante (*q*) memorabam in ſplene inventum, caſtaneæ magnitudine, *pondere* eſſet *unciarum duarum & ſemis & drachmæ unius*. Is enim *laminis, ovorum putaminibus invicem cruſtatim involutis, ſimilibus concretum* erat; ut inania minime interjicerentur ſpatia, ſicut in liene hoc Patavino, & fortaſſe etiam in Pariſienſi illo, cujus pondus unciæ unius & ſemis fuiſſe, ſcimus, dimenſiones autem ignoramus. Idem quo in homine repertus ſit, nempe morbis qui ad lienem referrentur, non obnoxio, & qua ex ſubſtantia conſtare videretur, lapidea videlicet, notum eſt. De noſtro autem hoc dubium; illud vero, quantum accepi ab eo qui diſſectioni interfuerat, Deceſſoris mei filio, longe aliter ſe habuit. Cadaver enim erat bajuli nec-

(*x*) Eph. N. C. Cent. 9. & 10. in Append. n. I. Obſ. 6. (*y*) 17. (*z*) in Additam. Obſ. 2. (*a*) in Addit. Obſ. 1. & Schol. (*b*) in Addit. Obſ. 31. & Schol. (*c*) n. 41. (*d*) Epiſt. 7. n. 9. & 11. Epiſt. 10. n. 19. Epiſt. 24. n. 18. (*e*) apud Bauhin. Theatr. Anat. l. 1. c. 43. in adnot. (*f*) De Fabr. hum. corp. l. 5. c. 9. (*g*) De Re Anat. l. 15. (*h*) De Obſ. Med. Anat. Epiſt. 8. n. 10. (*i*) Epiſt. 24. n. 18. (*k*) De Diſſect. part. corp. hum. l. 3. c. 40. ubi de Liene. (*l*) Sect. 16. Obſ. 20. (*m*) Obſ. 22. (*n*) Obſ. 25. §. 9. (*o*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 7. Obſ. 136. (*p*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1700. Obſerv. Anat. 7. (*q*) n. 14.

necdum ſenis, quem diri atque inſanabiles in regione ſplenis dolores non ſolum debilitaverant, ſed etiam in hoc, ubi mortuus eſt, Noſocomio cubare coegerant. Quod autem ad lienis hujus ſubſtantiam attinet, tametſi Valliſnerius pater, cui noviſſime donatus fuerat, ſua manu hæc inſcripſit *Milza oſſeffatta d' uomo*, & quædam particulæ, in facie cava extantes, videntur oſſeæ; tamen ubi alteram faciem inſpectes, facile males, ut quo verbo ſæpe in bovis cerebro lapideo credito (*r*) uſus eſt, eodem hic quoque eſſet uſus, & oſſeo-lapideum inſcripſiſſet, facturus, ut opinor, ſi potuiſſet quantum in illo operæ, & temporis, tantum in hoc quoque collocare. Expeditius autem eſſe potuit Lanzoni (*ſ*) judicium, qui in Fabro ferrario annos nato quinquaginta quinque, natura melancholico, & prævia quartana febre mortuo, cum inter alia durum adeo lienem offendiſſet, ut cultro non cederet, ſed *malleolo percuſſus, in tres diviſus partes, uti ſaxum, frangeretur;* non dubitavit quin *petrefactum* pronunciaret.

16. Equidem ſæpe antea inſpectavi, & nunc maxime, hæc ad te ſcribens, membranam inſpecto quatuor tranſverſos digitos longam, duos latam, a convexa humani lienis facie, me præſente, jubenteque detractam. Converſa illa pene tota videtur in planas, & tenues bracteas, quas ſive ab externa, ſive ab interna facie contempleris, oſſeas omnino, & ſine ulla dubitatione, ſtatim agnoſcas. Sed inter illas, & in parte ex illis, tubercula excreſcunt parvula exterius; interius autem majora incumbunt, ſuperficie inæquali, & granoſa, quæ intra lienis ſubſtantiam ad ſemidigiti altitudinem ſe immittebant; hæcque excreſcentiæ quædam videntur quaſi ex effuſo ſucco, medio inter oſſeam & calculoſam naturam, concreto. Cujus ambigui generis magna ex parte ea mihi videtur ſubſtantia, unde lien, ex Gymnaſii Muſæo deſcriptus, induruit. Quem examinans, didici, aliquando fortaſſe, certe non ſemper, id eſſe verum, quod ex ea quam modo dicebam, membrana, ex aliiſque conjeceram, videlicet ſplenis converſionem in oſſeam lapideamve naturam in tunica incipere, & in hujus quidem ut plurimum illa parte quæ convexam, ideoque alternæ diaphragmatis preſſioni obnoxiam, inveſtit. In ea enim parte, quotieſcunque id mihi videre accidit, vidi, videruntque alii, quicunque fere certam quandam in qua id deprehenderint, tunicæ ejus partem deſignarunt; rarum enim eſt quod in oppoſita ſede Pechlinus (*t*) invenerit: illucque referendum credebam Boſchi monitum, in Sepulchreto quoque (*u*) productum, de *ſuperiore tunica lienis, verſus abdominis muſculos vergente, ita dura reddita, ut ſcirrhus intra lienis ſubſtantiam falſo eſſe videatur*: ut tu quoque eodem referendum facile credes quod in nobili Sene adnotavit Præſtantiſſ. Plancus (*x*) videlicet *in membrana Lienis* qua ad peritonæum arcte adhærebat, oſſificationem, aut quod alii (*y*) in fœmina trium & triginta annorum, *dimidiam externæ ſuperficiei* ejuſdem viſceris *portionem penitus in cartilaginem verſam*. Nam quod ejuſdemmodi converſionis initium, nempe *in dorſo lienis, ejuſque media ſuperficie, oblique tranſverſim, albam, tendinoſam, & duriuſculam ſubſtantiam* Solertiſſimus deprehendit Weiſſius (*z*), aut quod vetus Anonymus apud Cl. Targionum (*a*) *duobus locis, quibus coſtis adhæſerat, tantam duritiem* lienis, *ut ea pars oſſea, ad minus cartilacea, ſed duriſſima, videretur*, illuc quo dicebam, attinuiſſe, minus, ut puto, dubitabis. Ex illa igitur parte tunicæ quæ convexam lienis faciem operit, vitium deinde in reliquam tunicam propagari, conjiciebam, & ſic denique ſplenem univerſum complecti, quemadmodum Bauhinus (*b*) reperit, &, ſi recte intelligo, Columbus (*c*) pariter, iique præterea qui hic in Sepulchreto Obſervatione XVI. indicantur. Tum vero magis magiſque excreſcentem undique introrſum ex tunica duram illam materiam, totam viſceris ſubſtantiam comprimere, delere, ejuſque locum occupare. Quod ut interdum, ſicuti dicebam, fortaſſe accidat; profecto in deſcripto a me (*d*) ſplene non accidit, quando ejus tunicæ quidquid ſupereſt; magna autem pars ſupereſt: non modo oſſeum, aut lapideum non eſt; ſed ejuſmodi etiamnunc eſt, ut exterius humectatum; id quod non uno loco expertus ſum; non ſecus ac reſiccatæ membranæ ſolent; ipſum quidem dumtaxat non ita multo poſt remolleſcat. Sed hactenus hæc. Nunc ad alteram Valſalvæ Obſervationem ex iis quæ ad lienem attinent, tranſeamus.

17. MULIER duodetriginta annos nata, gracilis, nupta quidem, ſed infœcunda, chronica olim febre vexata, quæ ſplenis molem auctam adeo reliquerat, ut tumor ſub tactum manifeſto caderet, ſubpallidum ſervabat colorem, & febre interdum, cum rigore invadente, ad dies aliquot tenebatur.

Cum ante biennium ſanguis menſtruus fluere deſiiſſet; mox cutaneo, ſed contumaci, ulcere ſiniſtri cruris laboravit: cujus ad ulceris latus intumeſcente poſtea crure, abſceſſus eſt factus. Hic etſi abunde expurgatus ad cicatricem accedere videretur; tamen cum tempus inſtabat quo ſanguis ex utero effluere debuiſſet, exacerbabatur, augebatur, & feroſi ichoris multo plus emittebat, ac viciſſim quo longius ab eo tempore dies procedebant, eo minus. His igitur ipſis diebus cum pridie non modo paucus, ſed & graveolens, ichor prodiiſſet, neque ulla præterea nova imminentis fati acceſſiſſent indicia; ecce diluculo in lecto ſedere cogitur, de præcordiorum anguſtia, & de ſumma pectoris anxietate, ſe huc illuc verſans, ſic queritur, ut aliquando verbum proferre vix poſſit, multam ſpumoſam, & ſanguine tinctam materiam exſpuit: atque ita intra horam moritur. VENTRIS cavum a ſiniſtris ferme totum lien implebat, mole, in longitudinem præſertim, auctus, ut libras octo cum ſemiſſe penderet. Interiora viſceris ab naturali conſtitutione diſcrepare non videbantur: exterius amplificata vaſa tum ſanguifera, tum lymphatica apparebant, ut hæc paſſim per lienis tunicam pulchro ſpectaculo ſe proderent.

Spermatica vaſa violacei coloris ſanguinem continebant; ut ibi diutius remoratum eſſe, intelligeres. Teſtes pene toti ſcirrhoſi erant; ne quis infœcundam fuiſſe juvenem mulierem, miraretur. Nulla inerat veſicula, ſi unam in ſiniſtro excipias, quæ, dimidiatam avellanam æquabat. Hæc teſtis ſubſtantiæ tenaciter adhærens, & ſanguiferis diſtincta vaſculis, non limpidum, ſed ſubfuſcum continebat humorem: quo effuſo, corpus in conſpectum venit lutei coloris, lentis magnitudine, & quaſi forma, ſed veſiculæ intus adnatum, ut vix promineret: ipſum aggeris inſtar minimi quidam cingebant globuli. Erant etiam alia in eodem teſte, eodemque colore quædam corpora, ſed neque ea figura, neque eo aggere prædita.

Quod ad Thoracem attinet, ſana erant omnia, niſi quod pulmones rubore ſuffuſi, multam, cum ſecarentur, materiam emittebant ejuſdemmodi, qualem noviſſime exſpuiſſe mulierem, ſcripſimus.

18. De ſterilitate a vitio ovariorum, & de ſuffocatione a pravis humoribus, repente in pulmones incumbentibus, non eſt hic ſcribendi locus, ut neque de nuptiis, nec prolem edentibus fœminis, magno tandem cuidam morbo ſæpius obnoxiis, neque de mulierum quibuſdam abſceſſibus ad cicatricem ſpectantibus, & ad hanc tamen, nec raro, difficile perducendis propterea quod redeunte eo tempore quo illæ per uterum purgari ſolent, abſceſſus jam propemodum percurati, humorum turgentia, & motu in

corpus

(*r*) Conſideraz. int. al creduto cervello di bue impietr. (*ſ*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 7. (*t*) Obſ. cit. ſupra ad n. 14.
(*u*) Sect. hac 17. Obſ. 21. (*x*) Epiſt. de Monſtris. (*y*) in Commerc. Litter. A. 1734. Hebd. 29.
(*z*) & A. 1740. Hebd. 35. (*a*) Prima Raccolta di Oſſervaz. Med. (*b*) (*c*) locis ſupra indicatis ad n. 14.
(*d*) n. 15.

corpus univerſum, & præſertim in partes infirmiores nitentibus, importune recrudeſcunt, id quod in crure nobiliſſimæ in primis Matronæ pluribus continenter menſibus accidiſſe, meminimus. Ad alia igitur hujus loci magis propria tranſeuntibus febres occurrunt diuturnæ, quæ magnos lienes relinquunt, & crurum ulcera, quæ magnos lienes conſequuntur. Et cum his ſane ulcera illa conjuncta quædam etiam ex noſtris ad te miſſis Litteris (*e*) oſtenderunt. Sed ab antiquiſſimis uſque temporibus idem fuiſſe adnotatum, locus docet libri II. Prorrheticorum (*f*): quem cave legas, ut hic (*g*) in Sepulchreto productus eſt in Scholio ad Obſervationem XVI: *quibus ſplenes magnos habentibus ſanguis prorumpit, nec os olet, horum tibiæ prava ulcera habent*; in græco enim autographo ſcriptum eſt μήτε αἱμοῤῥαγίαι γίνονται, id eſt *neque ſanguinis eruptiones contingunt*, ut fidelius alii converterunt: itaque ad fœminam iſtam cui ſanguis per uterum non erumpebat, acommodari quadantenus ſententia hæc poterit. In eandemque, ut gracilem, id quoque conveniret quod in eodem Scholio ex Spigelii obſervatione continuo ſubjicitur, *macilentos facilius, quam pingues, in tumidos lienes incidere*.

Quod vero hi tumores diuturnas febres conſequantur, non una ad te noſtra oſtendit Epiſtola (*h*), nec una in Sectione hac Sepulchreti Obſervatio (*i*) commonſtrat. Quibus adde ſis Chriſtiani Vateri (*k*) Obſervationem in Studioſo qui febribus intermittentibus diutius conflictatus, lienem exhibuit auctum ad humani capitis magnitudinem, & quod adnotatum eſt ab Egregio Anatomes Profeſſore Weiſſio (*l*), *quotieſcunque* cadavera ſecando, in prægrandes lienes incidit, fere ſemper comperiſſe, eos homines laboraſſe aliquando febre graviore, *eaque vel intermittente, vel ſynocha continua*; ut hic omittamus quæ de ſcirrhis, & quæ de infarctu lienis poſt intermittentes chronicas febres, & quartanam præſertim, ex Viris Cl. Hoyero, & Kramero alias (*m*) memoravimus, quorum obſervata utinam ne apud nos quoque crebris ejuſmodi febrium, ſed male curatarum, confirmarentur exemplis. Quæ a priſcis etiam Medicis fuiſſe animadverſa, Hippocratis, vel potius Polybi hæc verba teſtimonio ſunt (*n*): *Morbus*, id eſt ſplenis tumor, *fit, cum ex febribus, & mala curatione, bilis, aut pituita, aut ambo in ſplenem incubuerint*. Laxum enim per ſe viſcus, & celluloſum, & ex quo lentus eſt ſanguinis reditus, quippe hepar antea quam venam Cavam ſubeat, trajecturi, maxime opportunum eſt tumoribus, præſertim ſi diuturno morbo exiguis ejus viribus infirmatis, ſanguine autem inerti facto, quædam in hoc relicta ſint quæ aut corrigi, aut extra corpus ejici debuiſſent. Segnitie enim motus ſanguinis ob has cauſas adaucta, dum is, quaſi limoſa aqua extra alveum, in lienis cellulas divertit, in iis, ſi quid habet graviorum quam natura ferat, corpuſculorum, deponit, ſicque reditum ſibi ex parte obſtruendo, magis ipſas, magiſque diſtendit. Quarum diſtentione quanto magis totus lien diſtenditur, tanto infirmior fit, magiſque propterea obnoxius iis quæ deinceps influunt, magna ex parte retinendis. Itaque incredibilem aliquando in modum excreſcit, ut vel olim Ætius *inguina contingere* in quibuſdam, ſcripſerit, ſicut in Scholio leges paulo ante deſignato, niſi quod cum id ſcripſiſſe dicatur *lib. 7.* ipſe vero contractæ ex Veteribus Medicinæ libros confecerit omnino quatuor, ſingulos in quaternos Sermones diviſos, illud tibi inquirendum eſt Tetrabibl. 3. Serm. 2. cap. 16. Hic autem, & gravior ille in Prorrheticorum ſententia error, dum verba Diemerbroeckii deſcribuntur, nec laudati ab eo Auctores inſpiciuntur, in Sepulchretum traductus eſt. Interjecit is poſtea (*o*) ut opinor, exempla maximorum lienum, in eo ſubſiſtens qui pendebat libras viginti tres. Verum Boſcus (*p*), ſi recte quidem ipſum intelligo, a parente ſuo inventum ſcripſerat, qui *pendebat libras triginta & tres*. Inter recentiores autem quam illæ ſunt, Obſervationes etſi legiſſe non memini quæ lienis pondus proponerent ad illud accedens; tamen haud contemnendæ ſunt quæ ex Henrico Alb. Nicolai (*q*), anteaque ex Mauricio Hoffmanno (*r*) editæ fuerunt. Hic enim pondere librarum quindecim, ille vero ſelibra inſuper graviorem ſplenem invenerunt, uterque ita, ut diaphragma in ſiniſtro latere ad coſtas ſuperiores compelleret, Henricus autem ut ſimul ad regionem uſque iliacam propenderet. Sed in infante Preuſſius (*ſ*) a ſiniſtro hypochondrio per univerſum illud latus ad pubem uſque magnitudine ſua extenſum vidit; vel longius autem Vercellonus (*t*), ad imum nempe abdomen uſque protenſum, ut cum ulterius progredi non poſſet, ſurſum ſe reflectere, & pone uterum, in maſſam pugno æqualem terminaretur. Non eo quidem ſe extendebat quem reperit Jo. David Mauchartus (*u*) in coni formam mutatum; magnus erat tamen, ut qui baſi diaphragmati annexa virili caput non mediocre æquabat: pondere quoque non ſuperabat libras quatuor cum unciis totidem; ſed id continebat quod Obſervationem hanc rariſſimam facit, nimirum tantum aquæ intra tunicam quandam, hydatidis inſtar, opinor, quæ ejus viſceris interiora omnia occupaſſet, ut Mauchartus *lienis hydropem* vocare hunc affectum non dubitaverit; aquæ enim eruperunt libræ quatuor. Sic empyematis latiorem ſignificationem ſpectans, poteris lienis empyema dicere ab Antonio de Haen (*x*) repertum, cum id viſcus quod inflammatione ſua pleuritidem antea mentitum fuerat, *pure albo, craſſo, copioſo plenum* deprehendit.

19. Nunc priuſquam a Valſalvæ Obſervationibus ad alias tranſeam, nolo quandam ex ipſo omittere, unde intelligas, quæ interdum viſcera præter ea quæ in hypochondriis ſunt, poſſint ibi ſummas, atque adeo lethiferas moleſtias creare, præſertim ſi ad illorum, quantumvis leves ad ſpeciem, læſiones convulſio accedat, quam in Obſervatione hac non dubito acceſſiſſe.

20. VIRGO corripitur ingenti vomitu, & febre. Ille ſedatur; hæc remanet. Vehemens ſub nothis ſiniſtris coſtis accedit dolor, a quo intra biduum interficitur. IN VENTRE ſerum limpidiſſimum inventum eſt. Ventriculus, & inteſtina ab incluſo aere valde turgebant. Ren uterque naturali triplo major: ſiniſter vero inter propriam membranam, & huic ſubjectam ſubſtantiam paululum ſanioſæ materiæ continebat, ab ea præſertim parte qua lienem ſpectabat. In Thoracis cavo aquæ pauxillum: Pulmones ſani, niſi quod nigris maculis, ſed pauciſſimis, diſtinguebantur. Pericardium erat ſero plenum: E cordis ventriculis fluidior ſanguis effluxit: erat tamen in dextero polypoſæ concretionis inchoamentum.

21. Renis ſiniſtri aucta moles, & vitium non ſemel in ejuſdem lateris hypochondrio tumorem, doloremve excitarunt. Docent id aliquot hiſtoriæ in Sepulchreti has duas Sectiones relatæ, ut in XVI. illa quæ §. 2. exhibetur Obſervationis XXII. & in XVII. Sectione duæ quæ §. 9. leguntur Obſervationis XXX. ubi hæc ait Ballonius: *non credebant, dolorem eſſe nephriticum; & tamen erat. At ſitus doloris, & partis decipiebat.* A dextris etiam id poſſe nonnunquam accidere, hiſtoria indicat quæ primo loco proponitur in eadem Obſervatione XXX.

Sed quæ ultima in hac legitur, idem poſſe fieri, oſtendit, non a ſubjectis modo, ut renes ſunt, ſed a ſuperioribus etiam partibus, ut puta a ſepto tranſverſo, puris copia prægravato, & deorſum compulſo; ſic enim potius quam per conſenſum quendam & cognationem hiſtoriam illam explicandam eſſe, conjicio, quemadmodum ab eodem ſepto, vi aquæ, aut

(*e*) Epiſt. 4. n. 30. Epiſt. 12. n. 2. (*f*) n. 42. (*g*) Sect. 16. (*h*) Epiſt. 16. n. 6. Epiſt. 20. n. 2. 30. 51. Epiſt. 31. n. 2,
(*i*) 11. 13. 17. (*k*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 165. (*l*) Cmmerc. Litter. A. 1745. Hebd. 24. n. I. ad 7.
(*m*) Epiſt. 20. n. 52. (*n*) De Affection. n. 21. (*o*) Anat. l. 1. c. 16. Edit. Patav. (*p*) De Facult. Anat. Lect. 2.
(*q*) Commerc. Litter. A. 1732. Hebd. 33. n. II. ad 5. (*r*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. in Append. n. I. Obſ. 5.
(*ſ*) Earund. Cent. 3. Obſ. 11. (*t*) Earund. Cent. 7. Obſ. 9. (*u*) Earund. Cent. 9. Obſ. 41.
(*x*) apud Swieten Comment. in Boerh. Aphor. §. 958.

aut craſſioris ſeri depreſſo, tibi alias (*y*) monſtravi duritiem, aut dolorem in ſuperioribus ventris regionibus creatum eſſe. Nunc autem ne ab renibus, ab aliiſve quæ hypochondriis ſubjectæ ſunt, partibus recedamus; huc tibi addendam cenſemus Cl. Bonfiglii (*z*) Obſervationem, quam ſi attente legas; facile intelliges, inveteratum, qui olim in hypochondrio dextero percipiebatur, tumorem nil aliud fuiſſe quam renem qui magis magiſque augeſcendo, e ſua demum ſede in iliacam regionem prociderat, ubi quintuplo naturali major repertus eſt. Quod vero ad alias attinet Partes, Cl. Gœkelius (*a*) oſtendet, ab omento ſcirrhoſa pinguedine aucto lienem totum ſic involutum fuiſſe, ut propterea in viventis hypochondrio ſiniſtro is tumor, eaque renitentia fuerit, ut lienis *ſcirrhum exacte mentiretur*. Schrockius autem (*b*), Hurterus (*c*), Gerbezius (*d*) in altero hypochondrio adnotarunt tumorem, & dolorem ab ſcirrho qui inteſtinis Ileo, & Colo arctiſſime adhærebat, aut a Colo ipſo in eam molem elato, ut vi facta in jecinoris ligamenta, hoc e ſua ſede ſiniſtrum verſus hypochondrium compulerit, vel dolorem dumtaxat, qui eidem jecinori falſo imputabatur, cum a meſenterio eſſet, quod erat *mox* ſub eo viſcere *exeſum* ferme ad palmæ latitudinem. Sed ad proprias viſcerum quæ in hypochondriis ſunt, noxas revertamur.

22. Quoniam vero tibi multo ſæpius Obſervationes deſcripſi tumentis aut hepatis, aut lienis; idcirco ad eas quas hactenus ex Valſalva protuli, hic paucas adſcribere ſatis erit, tumoribus viſceris utriuſque communes.

23. LANARIUS, quadraginta circiter annorum, venerat in Noſocomium Patavinum propter hypochondriorum, ut ipſe dicebat, obſtructiones. Vera dicere, cum malus faciei color, & infirma totum jam annum valetudo, & febricula qua ſæpe tentatus fuerat, nec eo ipſo carebat tempore, indicabant, tum præſertim admota hypochondrio utrique manus, dextero potiſſimum, confirmabat. Cum ibi jam remediorum ope aliquid profeciſſe videretur; ecce acuta prehenditur febre, ſignis ſtipata internæ thoracis inflammationis, eaque intra decem, an duodecim dies conficitur. CADAVER, unde Anatomen inchoarem A. 1746, in Gymnaſium illatum eſt: quod inſpiciens, candidum, neque omnino macilentum, neque tumidis pedibus eſſe, vidi. Abdominis muſculi cum vix biduo poſt mortem ſecarentur, idque Januario menſe, laxi erant, imaque parte ad colorem ſubviridem inclinabant. Tamen quæ Ventre continebantur, ſecundum naturam ſe habebant; ſi hæc exciperes. Jecur amplum præter modum; ut ejus nimia magnitudo in omnium oculos ſtatim incurreret, & quamvis non malo exterius colore; interius tamen ex ſubpallido fuſcum, totumque præterea ſive intus, ſive extra, attentis oculis inſpectares, fuſcis quibuſdam punctis diſtinctum, & durius, quam ſoleat, quod & digitis, & cultro, dum multifariam ſecundum omnes plagas inciderem, animadverti. Id dum facerem, illud quoque adnotavi, nuſquam cum ullis venarum ſectionibus punctum aliquod flavum apparuiſſe, quod nimirum indicio eſſe ſolet ramulorum, quos ſimul transverſos incideris, hepatici ductus, ſive illi ob parciorem in hepate hoc bilis ſecretionem in ſe quadantenus concidiſſent, ſive potius quod hæc pallidior, & minus apta ad tingendum eſſet: & ſane in cyſti, pro mole hepatis, parva, & exili, pauca erat bilis, & colore quaſi ad cinereum vergente. Lien duplo major fuit quam ſolet, ſecundum omnes dimenſiones; cætera, quantum judicare potui, non improbandus. Splenica arteria ab origine ad finem, contra ac videre conſuevimus, nihil uſquam tortuoſi habens, nihil, ut ſic dicam, varicoſi, uno, haud amplius, excepto loco circa longitudinis medium in quo vix nonnihil inflectebatur. In meſaræo durum corpus increverat mediocris ceraſi magnitudine, & pene figura, ſed inæquali, & granoſa facie; natura inter oſſeam, & lapideam media: cujus alterum latus arterioſus, venoſuſque ramus arcte in tranſitu perſtringebant; non ſubibant; inde ad inteſtina pergentes, quæ duobus circiter ab eo corpore diſtabant digitis. Ileum appendicem, ſeu mavis diverticulum illud habuit, quod cum Epiſtola XXXIV. (*e*) deſcripſerim, hic ſatis fuerit memoraſſe. Præſtat adnotare alia quæ in hujus hominis ventre conſpexi. Vena Iliaca Exterior ſiniſtra prope Interioris confluxum dura erat, nec tamen oſſea, quippe tunicis ibi ad brevem tractum craſſioribus dumtaxat factis: quibus apertis, extare vidi in venæ cavo ab uno latere qua nullis oſculis erat pertuſa, chordulas, & quaſdam minores quaſi valvulas. Sed longe magis attendendum eſt; quamvis fuit præter conſuetudinem potius, quam præter naturam; quod in renibus vidi, & eorum arteriis. Longi illi erant ad novem circiter digitos; ſed pro hac tanta longitudine anguſti, niſi quod paulo erant in ſuperiore extremo latiores. Inſolita quoque erat Sinuum longitudo, vaſa excipientium, & emittentium, eoque facilius animadvertenda, quod tota ea pars deerat ſubſtantiæ renum quæ anteriorem Sinuum parietem faceret: itaque majores ex iis ramis qui lotium in pelvim convehunt, toti patebant, patebantque ſanguifera vaſa omni ea parte quæ intra Sinus condi ſolet. Sed cum ad renes ſingulos binæ, id eſt ſuperior, & inferior pertinerent arteriæ, & totidem venæ; hæ quidem e Sinibus ita exibant, ut in ſuperiorem tranſverſam venam oblique aſcenderet inferior. Arteriæ vero neque jungebantur inter ſe, & tam inferior, quam ſuperior, ſine obliquitate in traſverſum ferebantur, itaque inferior non Sinum petebat, ſed infra Sinum, infimum propemodum renis latus. Ex his intelligis, inferiorem utramque arteriam multo inferius quam renum arteriæ ſoleant, oriri debuiſſe: & ſane ex Aorta vix pollicis intervallo ſupra diviſionem in Iliacas, oriebantur: &, quod fortaſſe multo rarius eſt, non ex Aortæ lateribus, ſed ex ipſa media anteriore ejus facie, ita propinquæ inter ſe, ut earum orificia vix ſepto tenuiſſimo ſepararentur. Inde profectæ, utrinque ſimiles, & æquales, in nulloſque ante inſertionem diviſæ ramos, eo quo dixi, inſerebantur; cum ſuperiores arteriæ, aliquanto, ſed non multo, his craſſiores, neque origine, neque ramis ab iis diſcreparent quas ut plurimum videre ſoliti ſumus. Cætera, melius cadaver interea nacti, pari diligentia perſequi non potuimus. Itaque Caput non attigimus. In Thorace demum pulmonem dexterum annexum pleuræ, durumque deprehendimus: in pericardio cruentam aquam ad aliquot cochlearia: in corde venas duas quæ per faciem ejus poſteriorem ſecundum longitudinem decurrebant, ſanguine turgidas, & quaſi varicoſas.

24. Sepoſitis quæ ad præſens inſtitutum non attinent, ſi ea dumtaxat quæ ad tumentem lienem ſpectant, & ad tumens, obſtructumque jecur, attendamus; lienis arteria, ſi forte a primordiis ſine flexibus non fuit, videri alicui poterit hos amiſiſſe, dum impedito in durum jecur arterioſi ſanguinis curſu, major hujus copia in Splenicam illam arteriam influere coacta eſt. Quantum autem, obſtructo jecinore, arterioſi intra ipſum ramuli comprimantur, minuſque ſanguinis admittant, cum ratio indicat, tum evidens obſervatio nonnunquam oſtendit. Confirmavit enim mihi Cl. Vir Jo. Baptiſta Vulpius, bis ſibi accidiſſe, ut hepate obſtructo, arteriæ Hepaticæ truncum dilatatum adeo inveniret, ut in eum poſſet immittere digitum pollicem. Cæterum ſic affecto jecinore, quam facile res ad cachexiam ſpectet; in propoſito homine, præter alia, pauca illa, & decolor bilis non obſcure commonſtravit. Quod ſi gravius vitium hepar occupet; ſæpius non ad cachexiam modo, verum etiam ad hydropem gradum fieri, frequentiſſimæ docent Obſervationes. Quas inter vel propter reperta in ſcirrhoſo hepate, vel propter

(*y*) Epiſt. 16. n. 26. & Epiſt. 30. n. 30. & 31. (*z*) N. C. Cent. 9. Obſ. 4. (*a*) N. C. Cent. 6. Obſ. 94. ad n. 7. (*b*) & Cent. 1. & 2. Obſ. 186. (*c*) Ibid. Obſ. 184. (*d*) & Dec. 3. A. 7. & 8. Obſ. 186. (*e*) n. 16.

pter ejus pondus, dignæ ſunt lectu, a Cl. Roſtio (*f*), & Uſenbenzio (*g*) propoſitæ. His potes eam quoque addere quam continuo ſubjiciam.

25. BAJULUS conſiſtentis, ut videbatur, ætatis, nullo unquam tentatus morbo, dum gravius attollit onus, illico non levem ad lumbos moleſtiam ſentit, quæ tunc biduum cubare cogit, in reliquum autem tempus ita debilitat, ut ne viginti quidem librarum pondus ſine lumborum incommodo jam poſſit tollere. Menſe interjecto, ſibi viſus eſt, dum in lectulo ſe converteret, aquæ in ventre agitationem audire, mox quoddam quaſi corpus percipere quod ex hypogaſtrio in ſcrobiculum, ut appellant, cordis aſcendens, ibique ſubſiſtens, initium faceret tumoris prædurì, nec modici; quo ſimul & febricula afflictus, quinto jam menſe ex quo grave illud onus ſuſtulerat, in Noſocomium hoc venit, & ea quæ dixi, narravit omnia. Id erat certum, aſſiduam tunc eſſe febriculam, & noctu exacerbari, tumorem eſſe in ſcrobiculo illo, & infra imas coſtas quoque, præſertim dexteras, & in ventre eſſe aquam effuſam. Crevit hæc interea; ut cum mihi forte occaſio eſſet in Noſocomium aſcendendi, uno exacto circiter menſe ex quo ibi decumbebat, & rogatus, ventrem hominis contrectarem; vix alibi quam in ſcrobiculo, tumorem perciperem, abdomine videlicet aqua diſtento. Erat is tumor prædurus, nonnihil inæqualis, & ſi vel premeres, doloris expers. Quæſivi, num pondere moleſtus eſſet? num dolore aliquo, ad jugulum uſque producto? num tuſſis aliquando vexaret? Diſerte negavit hæc omnia. Cum autem quærerem, an tum etiam increſceret tumor? imo, ait, ſubſedit, minorque eſt factus; credo, quod creſcens aqua obſcuraret: & ſane qui alias tetigerant, minorem eſſe factum, non agnoſcebant. Subpallida erat hominis facies; non flava, non lurida: ne album quidem oculorum, a me perattente inſpectum, ullo modo flaveſcebat. Supinus plerumque cubabat: quanquam poterat in utrum liberet latus. Sitiebat quidem; ſed non valde. Spiritumque ducebat incommode; nec tamen incommodiſſime. Quibus eo diligentius adnotatis, quod hominem haud longo poſt tempore interiturum, & rimandi viſcera copiam nobis factum iri, proſpiciebam, incerto ex parte ſuſpenſoque de univerſa tumoris ſede judicio, diſceſſi. Ille vero exileſcentibus demum pulſibus, ſana uſque ad extremum mente, & loquens, placide obiit initio Aprilis A. 1745. decimo quarto poſtquam videram, die.

CADAVER autem cum poſtridie ſecaretur; graviori negotio impeditus, adeſſe non potui. Pro me tamen diſſectioni præfuit Mediavia noſter: a quo hæc accepi eodem die. Corpus macilentum, & nuſquam, niſi leviter ad ſcrotum, multo autem levius ad pedes, œdemate affectum. Venter multam effuſam aquam habuit, non graveolentem, non craſſam, non a quibuſdam quaſi membranulis innatantibus turbidam, ſed pellucidam, vergentem tamen ad eum colorem quem in oleo amygdalino videmus. Omentum, retractum in hypochondrium ſiniſtrum, integrum quidem fuit; ſed ex ſubviridi fuſcum. Ventriculus parvus, & contractus. Lien duplo major, quam æquum eſſet, ſubalbus exterius, intus alba quædam habens, nec tamen dura. Hepar autem longe maximum; ut eorum qui aderant, aliqui libras pendere ad quatuordecim, judicaverint. Certe, etſi non multum infra coſtas ſe extendebat; ventris univerſam regionem ſuperiorem, & proximæ huic partem, anterius occupabat: ſiniſtrorſum autem adeo excreverat, ut Suſpenſorio ligamento, quod craſſius alioquin factum erat, plurimum in eam partem curvato, fiſſura umbilicalis ad ſiniſtrum latus eſſet cartilaginis enſiformis. Totum erat hepar durum, & extuberantibus maculis, digito pollice non anguſtioribus, paſſim diſtinctum, iiſque ſubflavis, cætera pallidum. Hæc exterius. Interius autem; ſi paucas exciperes hic illic intermiſtas hepaticæ ſubſtantiæ portiones; totum viſcus conſtabat ex ſubſtantia, quæ non facilius poſſet quam mammaria glandula, diſſecari: ea ex albo flaveſcebat, & preſſa, ichorem quaſi purulentum emittere videbatur. Denique Cyſtis erat prorſus exigua.

26. A niſu in extollendis oneribus cum faber ferrarius, itemque mulier, de quibus loquitur Cl. Schmidius (*h*), quiddam ſibi intus rumpi, non ſine aut magno, aut urente dolore in regione hepatis ſenſere; neutrum eſſe deceptum, apparuit ex iis quæ in fabri cadavere inventa ſunt, & ex iis quæ mulieri acciderunt. Sed quid noſter Bajulus ſibi ad lumbos læſerit, cum illud onus attollere conatus eſt, quidque aſcendentis inſtar corporis impoſuerit, etſi vera fortaſſe conjectura aſſequaris; demonſtrare tamen haud facile poteris. Illud certum, creſcente jecinoris vitio, & tumore, in ventre aquam, ſive ex parte antea fuiſſet, ſive non fuiſſet, creviſſe. Nempe tumor ipſe hepatis, & pondus in perpetuo ſupino decubitu venarum Cavæ, & Portarum truncos, plurimoſque ſimul lymphæ ductus premebat, ut ex horum quibuſdam ruptis, aut, ſi integri hi erant, ob ipſam moram ſanguinis, plus aquæ in ventrem effunderetur. Accedebat cauſa quæ lentum, & inertem ſanguinem faceret, tantum videlicet ſcirrhoſi hepatis vitium; ut bilis neque idonea ad ſua munera, & pauca certe; id quod cyſtis confirmabat parvitas; ſecerneretur: quamobrem bonus neque chylus, neque ſanguis conficiebatur. Huc lienem adde & mole, & conſtitutione peccantem: qui tametſi quid agat peculiariter, definire non poſſumus; in univerſum tamen quin utrumque tandem, aut alterum illorum humorum juvet, non dubitamus. Cur vero in hoc, & priore viro, & in tot aliis, in quibus numerare poſſem tum infantem illum Preuſſii (*l*), tum mulierem apud Portium (*m*), niſi idem ſæpe adeo in diſſectionibus conſpiceretur; cur, inquam, lien ſimul, & hepar tumida reperta ſint, te quæſiturum non exiſtimo, probe memorem unde ſanguinem utrumque viſcus accipiat. Cum enim arterioſum quidem ab eadem Cœliaca arteria habeant; utrolibet primum tumente, eoque minus accipiente, plus in alterum influet. Sanguinem autem venoſum cum jecur recipiat in parte ex ſplene, eumque, ut cenſemus, ſecretioni bilis profuturum; utique ſi jecur tumeat; plus ſanguinis in ſplene reſtitabit: ſi vero ſplen; ineptior ad tranſitum per jecoris anguſtias ſanguis ab ejuſmodi mittetur ſplene, minuſque idoneus ad optimæ bilis ſecretionem, ut ſi craſſior, ac viſcidior ſecernatur, ex parte in hepate remoretur, ejuſque & ipſa adaugeat molem.

27. Cæterum hæc, & quædam alia in hac Epiſtola ad non abſimilem modum propoſita, ſic accipias velim, ut ſi juſtum tempus datum ſit actioni cauſarum harum, nihilque ſit quod ipſam impediat; effectus quos diximus, conſequantur; ſæpe enim, ut paulo ante indicatum eſt, conſequuntur; non ſemper. Exemplis juvat rem illuſtrare. Latomum ſecuit Jacobus Sylvius (*n*), qui hepar habebat magnum, & cocti inſtar pallens, ac tenerum; lienem vero cinerei coloris, & cum ſcirrhis duobus parvis exterius, intus autem velut excoctum. Cur non magnum quoque? Ne forte credas ob teneritudinem dumtaxat, quæ aucto jecoris ponderi æquipollens, facilem per hoc viſcus tranſitum ſanguini conſervaret; ſcias, raro exemplo, fuiſſe in illo homine *ramos tres inſignes, qui ab ſiniſtra vena Emulgente ad lienem ferebantur*, id eſt, ut nunc circumitio ſanguinis docet, per quos magna ſanguinis pars, quæ per jecur difficile tranſitura, ſplenem reſtitando diſtendiſſet, in Emulgentem venam diverteret. Num vero iidem tres rami ſanguinem citius quam ferat lienis natura, ex ipſo aſportantes, jecur autem parte ejus auxilii quod illius munus ab liene requirit, orbantes, longo temporis decurſu aliquid contulerint ad ea vitia quæ utroque in viſcere ſunt animadverſa, ipſe exiſtimabis. Secundum ea quæ paulo ante dicta, aut nunc indicata ſunt,

---

(*f*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 178. (*g*) & Cent. 9. Obſ. 27. (*h*) Commerc. Litter. A. 1734. Hebd. 34.
(*l*) Obſ. cit. ſupra ad n. 18. (*m*) Act. Erud. Lipſ. A. 1704. M. Septembr. in Relat. ejus Opuſculor.
(*n*) Obſerv. adject. Iſagogi Anat.

ſunt, proclive erit tibi exempla alia explicare, ut Riolani (o), ut Fantoni patris (p), quibus in exemplis indurato, auctoque jecinore, lien non modo non major quam ſoleat, ſed exiguus, ut vix unciam penderet, aut ſola ferme ejus veſtigia apparerent, inventus eſt. Pone enim, quæcunque ejus rei cauſa fuerit, imminutum ſplenem: jam intelligis, quanto plus arterioſi ſanguinis, & quanto minus auxilii ad ſecernendam probam bilem in jecur pervenerit. Aut pone viciſſim, ex qualibet cauſa, mole & pondere auctum jecur, ut totum occupet epigaſtrium, quemadmodum in exemplo Fantoni, & ventriculum in umbilicalem regionem detrudat: jam conjectura facile aſſequeris, quam comprimi una poſſit tum lien molle viſcus, ac laxum, tum Splenica arteria unde ſanguinem accipit quo nutritur, & quo juſtum ad modum extenſus explicatuſque ſervatur: quæ arteria cum ſub pancreate feratur, huic ſecundum longitudinem affixa; vides profecto, quantum premi in Riolani exemplo debuerit, in quo pancreas totum ſcirrhoſum, amplitudine ſua, & pondere jecur ipſum æquabat. Nam quod in alio cadavere lienis veſtigium unguis latitudine invenerit; fortaſſe ex majore, aut diuturniore Splenicæ arteriæ compreſſione fieri potuit; cum pancreas non ſolum ibi quoque ſcirrhoſum deprehenderit, ſed & cartilaginis inſtar durum.

28. Verum pancreate ſepoſito, ut ad lienem, & jecur redeam; ſane tanta eſt inter utrumque hoc viſcus commercii viciſſitudo, ut ſi altero vitiato, in altero quoque vitium ſit, id nullam habeat admirationem: habeat vero, ſi vitium in alterutro dumtaxat occurrat, velut cum in Sepulchreto (q) legis: *hepar grande, & multis in locis durum; .... reliquis viſceribus ventris naturalis erat conſtitutio*: aut (r) *hepar fere exſuccum & pallidum; .... Lien autem & Renes naturaliter habebant*. Attamen vel longo in morbo, ubi majus in aliis viſceribus, quam in jecinore, vitium deprehenditur, minime neceſſe eſt, ut in hoc quoque a longo tempore vitium fuerit: id quod de altera præſertim ex modo indicatis Obſervationibus dictum volo. Cavendum præterea, ne quædam interdum quæ a natura ſunt, pro morbi effectibus, cauſiſve accipiamus: cujuſmodi fuiſſe, crediderim, *aliquot* illas ſplenis *inciſuras* quæ in hac Sepulchreti XVII. Sectione, Obſerv. XIX. videntur inter morboſa connumerari, non ſecus ac *rimas* iſtas, *ſive fiſſuras jecoris*, quæ in præcedente Sectione Obſerv. XVII. tanquam cauſæ *doloris* nonnunquam *hypochondrii dextri* proferuntur. Satis ejuſmodi hallucinationes convincit crebra, atque attenta fiſſurarum utriuſque, aut alterutrius viſceris obſervatio, ſæpius in cadaveribus cujuſquemodi, nec ſine aliqua utilitate, occurrentium, ut alibi (ſ) a nobis ſcriptum eſt. Sed etſi non omnium reddi poſſet ratio quæ de alterius viſceris integritate cum alterius vitio conjuncta legimus; non eſſent demum hæc ſola quæ præter rationem interdum accidere viderentur. Namque; ut a propoſita Bajuli hiſtoria haud diſcedamus; certe non ſatis apparet, cur tanti illius ponderis quo jecur erat, moleſtiam non ſentiret: neque cur inter ſigna quæ abfuiſſe, adnotavi, quædam præſertim, læſo adeo jecinore, abeſſe poſſent. Nimirum hæc documento ſunt, ne præpropere quibuſdam in caſibus negantes, aut affirmantes, quidquam pro certo pronunciemus. Et ſane interdum in Medicina quædam occurrunt quanto iis quæ modo attigimus rariora, & mirabiliora, tanto magis cautum redditura Medici judicium in dignoſcendo, & quod conſequitur, in agendo. Ex illis duo, ut ab aliis accepi, tecum hoc loco, non ab re futura, communicabo; ad tumorem enim, læſionemque attinent viſcerum duorum, quæ in hypochondrio ſiniſtro ſunt, lienis, & ventriculi. De liene Mediavia noſter in vivente primum, deinde & in mortuo ſub finem A. 1735. hoc obſervavit.

29. VIR macilentus, inter alios quorum cauſa in Noſocomio hoc cubabat, morbos, tumorem etiam habebat in lumbo ſiniſtro qua hic ſub ipſa infima coſta vergere incipit ad externum latus. Is tumor inſpectantium oculis alias quidem magis, alias minus, nunquam tamen non ſic ſatis patebat; contrectantium autem manibus ita cedebat, quaſi humorem contineret. Homo tandem ſuis morbis ſuccubuit. VENTER apertus quid faceret eum tumorem, oſtendit. Scilicet tumidi ſplenis, & præmollis pars ima eo quo diximus perveniens, a ventriculi autem, & inteſtinorum flatibus modo magis, alias minus illuc compulſa, in macilento, ut dictum eſt, corpore id efficiebat quod inconſiderato alicui, & temerario Chirurgo, magno cum ægri detrimento, imponere facile potuiſſet.

30. Libro Prædictionum II. (t) poſtquam alia de habentibus magnos lienes dicta ſunt, tum hæc continuo ſubjiciuntur: *ſi vero etiam in pedibus tumores acceſſerint; aquam etiam habere videbuntur. Verum & ventrem, & lumbos inſpicere oportet*. Apud illos igitur qui ſunt oracula Hippocratis interpretati, videas velim, num ſit aliquis a quo lumborum inſpectio ad magnos ipſos lienes, quorum alia proxime præcedunt ſigna, referatur. De ventriculo autem quod ſcribam, legit mihi A. 1730. laudatus alias Petrus de Marchettis ex litteris vicini Medici, utrique noſtrum ſpectati, cui probe cognita erant ea omnia quæ nuperrime ibi unde ſcribebat, accidiſſe in hunc modum narrabat.

31. Mulieri ad ventriculi regionem tumor increverat quem contrectans Chirurgus cum ad ſuppurationem perducendam cenſuiſſet; quantumvis iis quæ ad id ſunt idonea impoſitis, ad illam perducere tamen non potuerat. Denique eum tum res finem habuit, ut tumor evaneſceret, cute ubi is fuerat qui nihil quidquam humoris emiſerat, quaſi in cicatricis modum ſe contrahente. Poſt hæc mulier concipit, uterique geſtatione, & partu, & puerperio feliciter exactis, cum recte valeret, lactantique optime lac proveniret, tertio jam præterito ex quo pepererat, menſe, repente ſibi ex ea cicatricula aliquid humoris ſtillare ſentit. Inſpicit: vinumque eſſe, videt, quod modo biberat. Aliquid etiam ex ſumpta pulte illac, ſi conaretur, extrudere poterat. Is rei tamen exitus fuit, ut mulier perſanaretur, integraque eſſe pergeret valetudine, ſicut aliis quoque litteris, a Marchetto, ut mihi pro ſua humanitate gratum faceret, interrogatus Medicus confirmavit.

32. Exempla quidem perforati ventriculi foramine ſive intra ventris cavum latente, ſive extrorſum aperto, non ita pauca legere poteris in Hiſtoria Virginis per viginti ſeptem annos hoc morbo laborantis, edita a Cl. Chriſtiano Wenckero (u), eademque Sepulchreto adjungere; ut enim eorum ægrotantium neminem ſanare licuit, ſic omnes licuit poſt obitum diſſecare. Felicem tamen, nec ejus abſimilem quem modo tibi deſcribebam, caſum reperies in Programmate quod Ettmüllerus filius ad Diſſertationem adjecit ſuam, *de prægrandi pedis inflammatione* inſcriptam. Quo in Programmate cum ea ſimul videre poſſis quæ ad perfectam attinent ſic læſi ventriculi ſanationem ita ut nihil ex eo in ventris cavum exciderit; huic ego Epiſtolæ jam ſatis longæ nihil addam, niſi ut me, quod facis, ames, & bene valeas.

EPI-

(o) Anthropogr. l. 2. c. 16. (p) Obſ. Med. Anat. 24. (q) l. 3. S. 14. Obſ. 36. §. 4. (r) Ibid. Obſ. 20.
(ſ) Epiſt. Anat. 1. n. 35. (t) n. 42. (u) Argentorati A. 1743.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXXVII.

De Ictero ſermo eſt, & de Calculis Bilioſis.

SÆpe adeo cum hepatis vitiis, de quibus potiſſimum proximam ad te Epiſtolam ſcripſi, conjungitur Morbus Regius, ut recte in Sepulchreto duabus de illis vitiis Sectionibus continuo ſubjecta ſit XVIII. Sectio quæ de hoc Morbo inſcripta eſt. Ad eum ſpectat hæc Valſalvæ noſtri Obſervatio.

2. SACERDOS juvenis, paulo poſt quandam animi perturbationem, regio correptus morbo decubuit, cum dolore ad regionem ſtomachi, & vomitu, quo cibum ſæpe, & medicamenta rejecit. Interim alvo dejecta albeſcebant. Uno aut altero exacto die, inquietus æger, & quodammodo hebes animadvertitur, ut narratorum obliviſceretur. Medici febrem, niſi tertio exeunte die, non adnotarunt: quo tempore ſe prodidit magno impetu cum delirio, & convulſionibus ejuſmodi, ut æger dentibus omnia rodere cogeretur, & ingenti niſu propemodum ſuperaret adſtantium vires: cum his vomitus urgebat ſubobſcuræ materiæ. Mane vena ſecatur, unde ſanguis cum impetu exſilit: cujus ſerum, ubi a concreta ſeceſſit parte, immerſum linteolum flavo inficiebat colore. Ceſſat convulſio: ſed æger quaſi ſoporoſus jacet, vix ſe movet, admotaſque cucurbitulas ſentire, vix oſtendit. Reſpiratione, niſi quod interdum ſuſpirioſa, quaſi naturali utebatur. Quarto tranſacto die, obiit. VENTRE aperto, jecur inventum eſt flaccidum, & ad ſubpallidum vergens: in ejus veſicula, bilis ſubobſcura. In ventriculo materia ejuſdemmodi ac noviſſimis diebus, ut dictum eſt, evomuerat: in tunica ejus interiore circa orificium ſiniſtrum disjecta quaſi puncta rubentia. Multæ autem hic illic per ventrem minimæ glandulæ a ſtagnante ſanguine inflammatæ. Thorace recluſo, pulmones aere tumentes, a pleura ſoluti, ſi quoſdam per ſejunctas membranulas nexus excipias, quæ ſiniſtrum ad pleuram alligabant. In pericardio parum aquæ. In cordis ventriculis ſanguis concretus. Cranio circumſecto, inciſaque Dura meninge, ſeri nonnihil prodiit: in vaſorum ſanguiferorum quæ per Tenuem meningem repunt, interſtitiis *gelatinoſa* quædam, ſed levis, concretio adnotata eſt: cerebrum autem valde laxum, neque omnino naturali colore, quem fortaſſe bilis tinctura vitiaverat. Dum ad cerebrum eximendum, intra ſummum vertebrarum tubum Spinalis medulla ſecabatur, ab externo hujus medullæ pariete, quaſi ex diſſecto lymphæ ductu, ſeroſa materia, nec breviſſimum ad tempus, emanavit.

3. Quid poſſint animi perturbationes in regio morbo inferendo, cum crebræ in Medicina exercenda obſervationes oſtendunt, tum propoſita evidenter confirmat. Neque id mirum attendentibus, quantum cum animi perturbationibus nervi conſentiant, & quantum iidem valeant nervi in afficiendis ſanguiferis, & excretoriis vaſis, & in ſecretorio ipſo intimo, quale id cunque ſit, organo, & quod conſequitur, in humorum ſecretionibus, & excretionibus vitiandis & impediendis. Cogita, in quibuſdam magis conſentire nervos hepaticos, aut ſi alii etiam nervi conſentiant, facilius tamen in certis corporibus hepatis vaſa, & ſecretorium organum nervorum actioni cedere; & cur in iis oriatur icterus ab animi affectibus, continuo intelliges. Sic apud Hoffmannum (*a*) de fœmina leges, cui *quoties ob prægreſſam animi commotionem .... novi accedebant inſultus febriles, protinus icterus cum omnibus revertebatur ſymptomatibus*. Quod ſi addas certas ſanguinis, aut materiæ bilis ab eo ſecernendæ, aut viſcerum cæterorum diſpoſitiones; tanto magis & rem intelliges, & originem ſymptomatum graviſſimorum, quæ interdum ad icterum accedunt, & mortem afferunt opinione celeriorem. Hæc ferme omnia, ut in propoſita Sacerdotis Obſervatione agnoſcimus, ita exemplis magna ex parte non abſimilibus illuſtremus. Quorum primum nobis Bononiæ degentibus; ibi enim, nec multis ante annis id contigerat; ab doctis, gravibuſque Viris narratum eſt, & a Valſalva ipſo qui ſectioni affuerat, confirmatum.

4. JUVENI peringenioſo, Sacris & litteris addicto, truculentus & minax vir *ſclopetum* necopinanti ad pectus intentat. Magno ille terrore perculſus, poſtridie ictericus fit, mox delirus, ut notorum agnoſceret neminem, ſed identidem clamaret, oh facinus indignum! tum convulſivis agitationibus tantis correptus, vix ut retineri poſſet multorum manibus, intra horas a delirii initio viginti quatuor extinctus eſt. CADAVERIS ſectio nihil oſtendit quod videretur magnopere adnotatione dignum, ſi vaſa excipias ſanguifera per Tenuem meningem repentia, quæ nigro ſanguine plurimum diſtenta reperta ſunt.

5. Poterat a nobis hoc exemplum inter ea referri quæ ad Deliria attinent, aut etiam ad convulſiones. Sed quoniam a terrore primum omnium malorum apparuit icterus; hic maluimus recenſere. Hunc contractio feciſſe videtur hepaticorum nervorum: bilis autem materia, magna ex parte in ſanguine retenta, acrior, ut in Juvene, & cerebrum, ut in Litterato, maxime afficiens, cætera attuliſſe.

6. Exempla apud Medicos Auctores alia, cum Valſalvæ exemplo (*b*) in multis comparanda, non quæremus, cum duo hic in Sepulchreto (*c*) habeamus, Ballonii unum in adoleſcentulo, Comitis Chaulnei filio, Guarinonii alterum in Cardinali Sfortia. Huic icterico cum febris eſſet primum latens, ut Medici, niſi poſtquam acrior eſt facta, non agnoſcerent, levi deſipientia correptus, poſtea febre acriori facta, jactatione ſumma corporis, dein ſubita epilepſia bis exagitatus, denique tribus ante mortem diebus convulſiones varias ſuſtinens, tamen leniter conſumptus eſt, jecinore, & reliquis prope omnibus corporis partibus luteo colore majorem in modum infectis, pulmonibus autem quales in iis offendi ſolent qui diu inter moriendum ſpiritus difficultate cruciati ſunt. Adoleſcentulus vero ex facili & lepidulo moroſus factus & ſubtriſtis, repente ictero occupatus, poſt dies quindecim, cum nil tale cogitaretur, ſtridebat dentibus, convellebatur nocte, velut ecſtaticus erat, & poſt ejulatus magnos, & convulſiones mortuus eſt, cerebro ejuſmodi ut in eo non fuiſſe mortis cauſa videretur, pulmone valde vitiato, ſed hepate vitioſiore quod erat velut ὑπόχλωρον; ſic enim ſcribendum eſt, & ſcribitur a Ballonio, ut videbis, librum ejus inſpiciens, qui citatur, Epidemiorum II. (*d*) pagina, non quæ indicatur, 244. ſed 258. quæ vox cum ſignificet ſubviride, aut ſubpallidum; ſane perſpicis, in hoc quoque hepatis colore Adoleſcentulum cum Valſalvæ Sacerdote conveniſſe. Convenerunt autem omnes in illa mentis hebetudine, quam Ballonius quaſi ecſtaſim, Guarinonius levem deſipientiam, Hippocrates autem, vel certe Prædictionum (*e*), & Coacarum Prænotionum (*f*) Aucto-

(*a*) Medic. Rat. T. 4. P. 4. c. 12. Obſ. 5. (*b*) ſupra, n. 2. (*c*) Obſ. 6. & in Additam. Obſ. 5.
(*d*) Edition. quæ una tunc erat, & diu fuit, Pariſien. (*e*) l. 2. n. 4. (*f*) n. 2.

Auctores μώρωσιν vocarunt *malamque eſſe ex morbo regio*, docuerunt; *fatuitatem* reddunt Interpretes, & hos ſecutus Zacchias in Obſervatione id confirmante, huc in Sepulchretum (*g*) relata. Quod ſi ut in cunctis illis convulſiones, ita non in cunctis furioſum delirium fuit; nempe alia in aliis ætas, temperatura, & diſpoſitio ſanguinis, bilis, & viſcerum fuit. Sic in Cardinali ſanguis liquidus, & nihil uſquam habens concreti inventus eſt, qualem in ictericis eſſe, affirmat Boerhaavius (*h*), ut *ex vena miſſus minime cogatur*: in Valſalvæ autem Sacerdote & miſſus concreverat, & concretus in cordis ventriculis fuit; quamobrem circa ſtomachum rubentium punctorum forma, & hic illic per ventrem ſtagnans, multarum exilium glandularum inſtar quæ inflammatæ eſſent, apparuit: cujuſmodi ſanguinem aliquando in aliorum ictericorum corde eſſe ab Anatomicis deprehenſum, indicata Zacchiæ Obſervatio, itemque altera Bartholini, hic quoque in Sepulchreto (*i*) producta, ſatis oſtendunt; ne meam in Figulo, magna ex parte icterico, aliaſque (*k*) tibi deſcripto, hic memorem, aut Valſalvæ in Puella illa icterica (*l*) alteram, hoc magis attentione dignam, quod, præter mucoſam in corde concretionem, cum ſanguis reliquus eſſet fluidus, aeri tamen expoſitus concreſcebat. Sed ad illam ſanguinis ad concreſcendum diſpoſitionem, aliæ tum in ipſo, tum in cerebro accedant oportet, ut grave delirium fiat. Nec tamen refert, ſi cerebrum ne tum quidem, neque cum immanes convulſiones fuerunt, magnopere læſum appareat. Fugere enim oculos poteſt id quod in illo erat delirii cauſa: irritatis autem vel extra cerebrum nervis, aut, quod in Sacerdote illo ex diſſectione conjiciendum eſt, Spinali medulla, horribiles poſſunt convulſiones exiſtere.

7. Non inventum eſt tamen in eo cerebrum omnino illæſum, ſive id quod in meningum ſectione animadverſum eſt, ſive colorem ipſum cerebri attendas, qui non prorſus erat ſecundum naturam, & tinctura bilis facile inductus a Valſalva credebatur. Cerebri enim ſubſtantiæ, quamvis ipſa quoque aliquando in hoc morbo flava inventa eſt; non multas tamen ſic inventæ Obſervationes legiſſe memini, fortaſſe propter vaſorum, intime cerebrum pervadentium, exilitatem primum, deinde raritatem. Et certe non ita pridem cum ad tradendam cerebri anatomen plura, ut ſoleo, in Theatro capita haberem, cumque in uno faciei, & reliquæ cutis, & Conjunctivæ oculorum membranæ flavedine animadverſa, cujus eſſet hominis, quæſiviſſem, & aſthmatici, regio morbo affecti, & pridie mortui eſſe, audiviſſem; per exteriorem quidem Tenuis meningis faciem celluloſa hic illic non modica ſpatia vidi ex ſubviridi flaventia, mox tamen cerebro diſſecto, non alium ac natura fert, in hoc colorem deprehendi. Et rurſus cum poſtea ſimilis oblata eſſet occaſio, etſi in Lateralibus ventriculis paucam, quæ inerat, aquam ſubflavam conſpexi, plexuſque Choroides ad eum colorem nonnihil vergentes, & Pinealem ipſam glandulam, breviorem alioquin, minúſque mollem, & cui ad baſim anterius pauxillum adhærebat, non arenoſæ, nec flavæ, ſed albæ, ſubſtantiæ, verſus ſummum autem quidpiam intus ineſſet quaſi ſanguinis, vaſiſve ſanguiferi; etſi, inquam, eam glandulam vidi ex ſuo cinereo colore inclinantem ad ſubflavum obſoletum; reliqua tamen; nam perſecui; omnia nativum ſervabant, ut quidquid medullare eſſet, offenderim candidiſſimum. Sic etiam hic in Sepulchreto (*m*) poſt diuturnum icterum, cerebri ſubſtantiam videbis ſatis albam fuiſſe; quamvis non meninges modo, Craſſa præſertim, ſed & cranium extra, & ex parte intus quoque eſſet flavum. Nam & oſſa ipſa interdum hic morbus inficit, flavedine, ut quidam monent, nunquam e ſceletis eluenda. Ut flava eſſent oſſa in fœtu icterico, Kerckringii oſtendit Obſervatio, hic quoque in Sepulchreto (*n*) legenda: nec mirum, cum pro ſanguine humorem, fellis inſtar, flavum invenerit, qualem a Veſalio pariter in Patricio Florentino Martello fuiſſe repertum, ex Sectione hac eadem Sepulchreti cognoſceres, ſi ejus diſſectio, ut bis (*o*) proponitur, ita ſemel tota, ut alibi (*p*), exhiberetur. Tu vero in iis omnibus locis, non Marcellum, ſed Martellum legito: & Helmontium (*q*) ipſum credito in Obſervationes haud abſimiles incidiſſe, cum in meſentericis duorum ictericorum venis id vidit, unde *virus excrementoſum, ſeu cruorem flavum & ſtercoreum, ſive ſtercus liquidum flavum, ſecundæ digeſtionis prolem, ſurſum p. n. raptum in venas, & totum corpus diſperſum*, icteri auctorem eſſe, commentus eſt; cum bilis ſit quæ non proportione, aut propter copiam, aut propter jecoris, ut in Martello, vitium a ſanguine ſecreta, ſic denique in hoc abundat aliquando, ut miſſus ſanguis, & urina quæ tunc redditur, ſimillima appareant (*r*), idque non in morituris ſolùm, ſed & in iis interdum qui ſunt evaſuri (*ſ*). Quod & illis, aut certe illi icterico accidit, *cui*, ut Baglivus (*t*) refert, *loco ſanguinis, e naribus, & e cucurbitulis ſcarificatis aqua flava ſolummodo prodibat*, non ſecus atque, ut habemus apud Lowerum (*u*), is evaſit adoleſcens, cui ſanguine per magnum, & diuturnum profluvium e naribus emanante, & juſculis interim large refecto, humor jam effluebat, juſculis quam ſanguini, ſimilior.

8. Ex Partibus autem quæ a flavo ſanguine ſæpius, ac facilius infectæ animadvertuntur, membranæ præſertim ſunt adipoſæ, & quæ in oculis conjunctivæ appellantur. Pinguedinem Valſalva aptiſſimam omnium credebat ad croceum colorem trahendum, ubi ſerum ſanguinis paululum modo flaveſcat. Croceam enim in multis regio morbo non affectis deprehenderat, & præſertim in tribus quos eodem ferme diſſecuit tempore, nimirum in hydrocephalo, in vulnerato, & in alio quem ardens febris conſumpſerat.

In oculi autem albo flavedo in hoc morbo tam obvia eſt, ut inde Veteres permoti videantur ad credendum, arquatis lutea omnia apparere. Quod vocatum eſſe in dubium a Mercuriali meo *in prælect. Bononienſibus*, ſcribit Hoffmannus (*x*), qui *in Patavinis* (*y*) fortaſſe, vel potius *in Variis Lectionibus* (*z*) voluit ſcribere. In his enim cum Varronis, Lucretii, Sexti Empirici, Caſſii Medici, Galeni ipſius teſtimonia id affirmantium protuliſſet, cæterorum qui de Medicina ſcripſerunt, ſilentium, ſuique ipſius in ictericis innumeris contrariam obſervationem oppoſuit. Poterat autem & aliorum frequentiſſimas obſervationes cum ſua conjungere, nec dubitare quin etiam poſteros habiturus eſſet multo maxima ex parte aſtipulatores. Certe vel nuper cum poſt Sydenhamium (*a*), Boerhaavius quoque (*b*) idem quod Veteres illi, ſcripſiſſet; diſerte faſſus eſt Vir Eruditiſſimus Hallerus (*c*), ſe *non evidentia ejus rei experimenta invenire*, nec legiſſe, *Corneam* in ictericis *flavam fuiſſe* inventam: in humoribus autem oculi non levem, ſed magnam omnino coloris mutationem requiri, ut puta cum ab effuſo in Aqueum ſanguine, ex Yveſii obſervatione, rubrum apparuit lumen. Et ſane videtur mihi Boerhaavius cum illud iterum (*d*) ſcripſit, & Obſervationem alteram ſuam, Yveſianæ ſatis ſimilem, produxit, exiſtimaſſe, *aliquid bilis ſe humori Aqueo admiſcentis*, cum ſanguine in hunc effuſo comparari poſſe. Verum ob vaſorum, oculi humoribus inſervientium, exilitatem fortaſſe, ut de cerebro quoque intimo dictum eſt (*e*), non ſæpius accidit, ut bilis tinctura ad hos perveniat. Mihi ſaltem, ictericæ mulieris oculos diligenter olim diſſecanti nihil

pror-

(*g*) Obſ. 7. (*h*) Prælect. in Inſtit. §. 773. (*i*) Obſ. 24. (*k*) Epiſt. 7. n. 11. (*l*) Epiſt. 10. n. 7. (*m*) Obſ. 3.
(*n*) Obſ. 34. (*o*) Obſ. 8. §. 4. & Obſ. 20. (*p*) l. 2. S. 11. Obſ 36. §. 1. (*q*) Vid. in hac Sepulchr. 18. Sect. Obſ. 20.
(*r*) Vid. apud Hoffman. ſupra ad n. 3. cit. cap. 12. §. 4. (*ſ*) Ibid. (*t*) De Experim. circa Bilem. (*u*) Tract. de Corde c. 2.
(*x*) §. 4. modo cit. (*y*) l. 1. c. 32. (*z*) l. 6. c. 12. (*a*) Proceſſ in Morb. curand. ubi de Ictero.
(*b*) Prælect. ad Inſtit. §. 544. (*c*) Adnot. ad eum locum. (*d*) Prælect. modo cit. §. 840. (*e*) n. 7.

prorſus flavedinis in ullo de tribus humoribus inventum eſt: nec vero magis in Cornea tunica: quam unam, ut in ictericis aliis, & nominatim in eo quoque Figulo de quo ſupra (*f*) commemoratum eſt, cum accuratius inſpicerem in magna proximæ Adnatæ flavedine, nunquam flavam videre potui. Aliquando tamen, ſed rariſſime, fieri poteſt, ut flava in hoc morbo objecta appareant, nimirum ſi Cornea tunica bile tota ſaturata ſit, neque *tum ſolum*, quod & Mercurialis concedit, verum etiam ſiquando oculorum humores ſumma flavedine infecti ſint: quorum alterutrum, aut ſi mavis, utrumque in binis exemplis fuiſſe, credito, quæ pro Veterum ſententia ſe vidiſſe, teſtatur Hoffmannus (*g*), itemque in tertio; neque enim plura legiſſe memini; quod a Cl. Scardona (*h*) additum eſt.

9. Eſſe autem poteſt in nonnullorum oculis major aut numerus, aut diameter vaſculorum ad Corneam tunicam, & ad humores pertinentium, ſimulque in eorundem hominum ſanguine materia bilis aptior ad ea vaſcula pervadenda, & ad tingendum, ſive hoc pendeat ab ejus materiæ natura, ſive a copia. Videmus enim, poſteaquam ſecreta eſt, & in veſicula ſua depoſita, in aliis magis, in aliis minus facile per hujus membranas tranſire, itemque ſaturatiore in aliis flavedine, in aliis leviſſima, aut nulla contiguas partes inficere. Scilicet ſanguis unde provenit, in aliis eſt, ſi cum Williſio loqui malis, cujus verba hic vides in Sepulchreto (*i*) producta, *ad dyſcraſiam ſulphureo-ſalinam nimis evectus*, in aliis autem *ſulphur* habet *nimis depreſſum*: quam etiam ob rem ut illi ſunt ad icterum maxime proni, ita hi, inquit, *morbi iſtius* gaudent *immunitate*, ut vidit in pluribus cachecticis, & phlegmaticis, quantumvis *hepatis, quoad plurimos ejus ductus, obſtructione & induratione laborantibus*. Quæ tamen caute oportet accipere, aut tempora diſtinguere, & mutationes quas icterus ipſe inducit, attendere; ne poſtea cum ibidem legeris Hildani (*k*), aut Graafii (*l*) Obſervationes, mireris. Ille enim *pituitoſum, & cacochymicum*, ſcribit, *interdum etiam Icteritia annis aliquot laboraviſſe*; Graafius autem Icterici bilem fuiſſe *plane ſeroſam, & tam levi flavedine imbutam, ut immiſſa in eam lintea vix ulla flavedine tingerentur*. Quod vero ad ejus materiæ, cujus de natura dixi, copiam attinet; mirum quanta hæc eſſe in quibuſdam poteſt, ſi ad eam quam nativa corporis conſtitutio, anni tempus, cibi potioneſque, aliaque ejuſdemmodi in unum forte conveniendo, accumulaverint, alia inſuper accedat, ut ſi febris, ſi immoderatus ſub ſole motus, ſi venenum, etiam a mordente beſtia immiſſum, ſi denique ejuſmodi aliud eas quoque ſulphuris particulas quæ magis in ſanguine conſtrictæ, & depreſſæ erant, ſolvat repente, atque evehat, ut tot jam ſint, quot ſecernendis jecur par eſſe non poſſit. Eſt alius præterea vel notior modus quo bilis materia in ſanguine augeatur, ut ſi ex ea quæ ineſt, parum vel nihil ſeparetur ſive ob aliquod ipſius ſanguinis, aut intimi ſecernentis organi vitium, ſive ob complurium Hepatici ductus ramorum, aut ejus ipſius trunci, aut Communis impeditam viam. Hac enim impedita, etiamſi bilis, jam ſecreta, in ſanguinem, ut plures exiſtimare pergunt, non redeat; nova immitti in plenos diſtentoſque ductus non poterit, ideoque cum quantum jugiter ab alimentis materia bilis in ſanguine augetur, tantum ex ea non dematur, creſcat ipſa in dies, abundetque, neceſſe eſt.

10. Ea autem quam diximus, via impediri poteſt a rarioribus, aut frequentioribus cauſis. Ex rarioribus ſunt quæ hic in Sepulchreto leguntur, Communis ductus ad capillarem anguſtiam redactus (*m*) aut inſtar chordæ ſolidæ in ſe contractus (*n*), induratuſque (*o*), aut plane ac ſolide oſſeus (*p*), aut a circumjectis aliquot glandulis compreſſus (*q*). Ad frequentiores autem cauſas primum convulſiones attinent, & hinc ortæ *criſpaturæ*, ad initia uſque ramuſculorum ductus Hepatici propagatæ, eoſque ut pote anguſtiſſimos, conſtringentes, atque occludentes. Quarum hic effectus etſi propterea ſub ſenſum cadere non poteſt; tamen rationi eſt adeo conſonus, ut a nobis facile ad icteros illos explicandos ponatur qui aut a vehementibus animi affectibus, aut a doloribus originem habeant. Sunt quoque Doctiſſimi Viri qui ſic eum explicant icterum quem viperæ venenum fecerit, non diſſentientibus nobis, ſi modo tunc alvi recrementa albeſcant, ut valida quam ex convulſione ponunt, orificii Communis ductus conſtrictio omnino requirit: quod ſi magis flava eſſe pergant, & nos ea ratione rem intelligere pergemus, quæ paulo ante (*r*) priuſquam ullum memoraretur viarum impedimentum, expoſita eſt. Porro inter cauſas frequentiores, ſunt obſtructiones recenſendæ cum in aliis, tum in bilariis quæ præſertim hic attendere placet, vaſis accidentes, ſive horum obſtructionem faciant ſecretæ cum bile particulæ quædam æquo craſſiores, & viſcidiores, ſive geniti ex his, & bile calculi, unde Hepatici ductus rami, aut truncus ipſe, aut ductus Communis infarciantur. Cyſticum non dixi propterea quod hujus obſtructio per ſe non poteſt bilis iter ab hepate ad inteſtina impedire; quamvis multi ſuperiori tempore, & nonnulli hoc noſtro fuerint qui, fruſtra monente Wepfero (*ſ*), *obturato collo veſiculæ bilariæ non ſequi Icterum, niſi ductus Communis quoque obſtruatur*, ipſi quidem a calculo in cyſti, non modo in Cyſtico ductu, hærente arquatos homines fieri, exiſtimaverint. Qua de opinione ut præclare intelligas quid cenſendum ſit; quidquid ex hac Epiſtola reſtat; reſtant autem quam plurima; circa bilarios verſabitur calculos, quando ea quæ hactenus attigi, ſatis eſſe tibi poſſunt ſimul ad cæteras morbi regii pleraſque cauſas perſequendas, ſimul ad aperiendum ad ea aditum quæ de bilariis ſive in hepate, ſive extra hepar calculis ſunt proferenda.

11. Qui calculi in hepate gignuntur, *ſæpenumero* in diſſectionibus reperiri, auctor eſt in Sepulchreto (*t*) Platerus, Henenius autem (*u*), *ſæpe tantos, ut vix credatur*. Quorum utrique ſic accidiſſe, non negavero. Quod vero Matthiolus (*x*) rationibus quibuſdam ſubnixus, credidit, lapides *in jecore, ut in renibus frequentiſſime* gigni; ſane ſi innumeras propemodum, Valſalvæ, & meas humani jecinoris diſſectiones attendam, non facile ejus opinioni poſſum aſſentiri. Cum enim calculos pluribus in renibus uterque invenerimus; vix uno in jecinore mihi olim accidit ut invenirem, Valſalvæ autem in nullo, quod ſciam.

Quæ cum dico, nihil aliud, niſi iſtam inter hepatis, & renum calculos comparationem ſpecto, minime ignarus vel ex Sepulchreto ipſo, a quot præclaris Viris ſint in jecinore inventi, aut commemorati. Nam præter tres illos quos nominavi, Falloppium etiam noſtrum (*y*), Scaligerum (*z*), Trincavellium (*a*), Dodonæum (*b*), Camenicenum (*c*), Peucerum (*d*), Blaſium (*e*), Heerium (*f*), Dobrzenskyum (*g*); ſic enim hujus nomen ſcribendum fuerat; produci video: quibus addere alios poſſim, in his Columbum (*h*), Foreſtum (*i*), Reverhorſtium (*k*): quorum tamen nemo pro frequentibus iſtiuſmodi Obſervationes proponit. Hos ſi inſpicias ſingulos; fortaſſe miraberis, præter Dodonæum, Camenicenum, & Dobrzenskyum, neminem eſſe qui icteri in iis ægris mentionem faciat, aut Communem inſuper ductum calculo occluſum, aut jecur lapillis plenum deſcribere. Sed mirari deſines, ubi animadverteris, ad omnem bili viam intercludendam non ſatis eſſe, paucos, & parvos

(*f*) n. 6. (*g*) §. 4. cit. (*h*) Aphor. de cognoſc. & cur. morb. l. 3. c. 10. Comm. ad n. 8. (*i*) Schol. ad Obſ. 1.
(*k*) Obſ. 8. §. 13. (*l*) Obſ. 10. (*m*) Obſ. 14 (*n*) Obſ. 17. (*o*) Obſ. 25. §. 7. (*p*) Obſ. 16. (*q*) Obſ. 11.
(*r*) n. 9. (*ſ*) in Additam. ad hanc 18. Sepulchr. Sect. Obſ. 4. (*t*) Sect. 17. l. hujus 3. Schol. ad § 1. Obſ. 13.
(*u*) Obſ. cit. §. 2. (*x*) Sect. hac 18. Schol. ad §. 12. Obſ. 8. (*y*) Obſ. 11. cit. §. 6. (*z*) §. 4. (*a*) §. 7.
(*b*) Sect. 18. cit. Obſ. 4. (*c*) Ibid. Obſ. 8. §. 12. (*d*) cit. Obſ. 13. § 3. & 8. (*e*) 9. (*f*) 10.
(*g*) Sect. 16. Obſ. 5. (*h*) De Re Anat. l. ult. (*i*) l. 19. Obſ. Med. 14.
(*k*) Diſſert. de Mot. Bilis §. 52.

in hepate calculos increviſſe, nec vero etiam magnos, niſi ibi hæreant ubi majores Hepatici ductus ramos obſideant, & omnino aut comprimendo, aut obſtruendo occludant, id quod pauci, ſed innumeri, & totum jecur *undequaque*, ut loquitur Dodonæus, *implentes*, non *ſparſim*, ut Foreſtus vidit, per illud disjecti; cum in minoribus quibuſque ejus ductus ramis faciant, idem nempe efficiunt, ac ſi ipſum obturarent truncum.

12. Dixi autem comprimendo, aut obſtruendo, bili viam a calculis intercludi. Neque enim ſi quis calculos aliquando ajat in ipſis glanduloſis hepatis acinis concreſcere, eoque facile attinuiſſe *minores* illos quos *in externa hepatis ſuperficie* vidit Riedlinus (*l*); adverſari velim: quanquam ſæpius credo in ipſis gigni Hepatici ductus ramis, ut qui diligentius perſecuti ſunt, invenere. Ruyſchio (*m*) certe ut nihil frequentius, in bobus quidem, & ovibus, acciderat, quam calculos in poris bilariis deprehendere, ſic nihil *rarius* contigit, quam eoſdem *in ipſo hepatis parenchymate* reperire; ut quamvis jecinora plus centum perquam attente *excarnaverit*, in uno dumtaxat calculum offenderit *in parenchymate abſconditum, poro bilario nullo modo affixum*. Nec alio quam ad eoſdem bilarios ramos antiquas referre poſſum Plateri (*n*) Obſervationes calculorum hepaticorum, *tophum coralloidem ramoſum, ... cavum intrinſecus* repræſentantium, præſertim cum Gliſſonium (*o*) lego perſimiles in bovinis jecinoribus Obſervationes *tubulorum tantæ longitudinis, ut ſi modo integri eximi potuiſſent, plurimas pori bilarii ramificationes continuata lapidea ſerie, coralli inſtar, retuliſſent*, diſerte ab ſe habitas fuiſſe intra eundem porum, ſive ductum, docere. Cujus ramos Reverhorſtius quoque (*p*) in hominis cadavere calculoſa cruſta intus obſeſſos deprehendit. Nec ipſe alibi quam in iis ramis, calculos in jecinore humano (*q*) inveni. Sed neque alibi eos quoque fuiſſe lapides, opinor, qui a Columbo (*r*) & Cameniceno (*ſ*) in Portarum vena credebantur inventi: cujus opinionis meæ rationes; quamvis non ſatis a gravibus quibuſdam Auctoribus animadverſas; cum alias (*t*) propoſuerim, hic minime interabo. Hi igitur calculi cum denique ex canaliculatis, accreſcente uſque, & uſque ſimili materia, ut contingit in aquæductibus, ſolidi facti, eas quas dixi, vias omnino occupaverint, nihil dubii eſt quin bili iter intercludant.

13. Illud etiam dixi, jecoris calculos, quamvis magnos, niſi ibi ſint ubi eas vias poſſint occludere, mirum non fore, ſi morbum regium non inducant. Quem fuiſſe equidem credo; nam pro certo nunc ſcire non poſſum; in quodam homine cujus hepar in faciei cavæ centro lapidem habuit forma & magnitudine ovi columbini, quemadmodum ante multos annos Amicus ad me Anatomicus qui cadaver diſſecuerat, ſcripſit. Minime autem miror quod is morbus non fuerit in mulieribus tribus, quæ etſi multo majorem lapidem, aut plures, gravioreſque intra hepatis membranam habebant, ibi tamen habebant, ut potius extra id viſcus, quam in eo, eſſe viderentur: quæ cauſa fuit, cur ſupra non memoraverim. Ea enim membrana, incluſo pondere diſtracta, & deorſum extenſa, ſacculum in duabus effecerat palmi longitudinem; nam in tertia non niſi pendulus deorſum folliculus deſcriptus eſt. Obſervatio hæc ultima eſt Benivenii (*u*) omnino alia, ut conferendo intelliges, ac ſecunda, quæ ex tertio capite ejus libri in Sepulchreto (*x*) proponitur. Ejus autem ſimilis; niſi quod in ſacculo non plures, ſed magnus unus calculus cum multo glutinoſo humore concluſa erat, nec mulier unquam, niſi de calore hepatis conqueſta eſt; Obſervatio ſubjicitur Georgii Greiſelii (*y*). Quorum ego exemplorum memor, cum animadverterem, pendere igitur infra jecur poſſe præter cyſtim ipſam fellis amplificatam, aliam interdum quaſi cyſtim, humore etiam diſtentam, quæ etſi omnino præter naturam eſſet, illam mentiretur tamen; idcirco in icterico Laurentio Bacchetto, Medico olim Patavino, cujus morbi, & diſſectionis hiſtoriam poſt Cl. Dominicum Militiam (*a*) duo alii Docti Viri ediderunt, ita me geſſi, ut opinionem quidem indicarem meam; ſed nihil pro certo affirmarem. Pendebat illi infra jecur tumor, quem manu abdomini admota ſtatim perciperes, globoſus, mobilis, ut manu qua comprehendebas, facile poſſes dextrorſum, aut ſiniſtrorſum compellere. Cum aliis aliud, quemadmodum apud Militiam leges, ſingulorum opiniones indicantem, eſſe videretur; mihi ſemel, poſt alios inviſenti, eſſe cyſtis fellea viſus eſt, ab humore præter modum diſtendente amplificata, deorſumque producta, quod Medico, ægri Amico, qui me domum humaniter reducebat, Dominico Stephanellio ſolicite ſciſcitanti ita dixi, ut tamen pro certo non affirmarem. Quod ſic deſignaveram, evidenter adeo confirmavit diſſectio, ut rei deſignatio prætermitti a quibuſdam, res vero ipſa ab nemine reticeri potuerit. Videram id alias, & nominatim in Sene, ex quo in Epiſtola I. Anatomica (*b*) jam deſcripſeram. Memineram autem multo ſæpius legiſſe, nec modo apud Veteres, ut cum Veſalius (*c*) in Martello eandem cyſtim invenit *duorum pugnorum magnitudine*, aut cum Fernelius (*d*) a bile exuperante *in ingentem* nonnunquam *diſtendi magnitudinem*, ſcripſit; ſed apud Recentiores quoque, ut puta Zwingerum (*e*), qui *ſextuplo circiter majorem* vidit, præſertim vero juniorem Verneyum (*f*), & Yungium, cujus vel monſtroſioris amplitudinis Obſervationem commemorat Abr. Vaterus (*g*); ut poſt illam non credam eſſe operæ pretium alias quæ deinceps productæ ſunt, indicare, nec quærere amplius, quanta cyſtis reperta ab Lanciſio fuerit, quam propter inſignem longitudinem deſcribere Pacchionus in animo habebat, ſicuti eſt in hujus litteris A. 1710. ad me datis: quanquam minime negligendæ ſunt Obſervationes duæ quas nuper apud Ampliſſimum Swietenium (*h*) legebam, Illuſtr. Edimburgenſium altera, qui cyſtim octo libras bilis continentem, idque in duodecenni puero, deprehenderunt, ipſius alteram, qui in muliere cyſtim eandem comperit diſtentam adeo, ut ad os uſque Ilium dexterum perveniret, quod inter os, & coſtas imas vel antequam macilentiſſimum cadaver incideretur, ſua ipſa mole protuberaverat. Sed & in Polono Senatore (*i*) *mirum in modum* extenſam invenere, ut in vivo *manibus palpari poſſet*. Verum ut ad illa redeam quæ eo tempore, id eſt A. 1732. jam edita fuerant, etſi eorum probe memineram; non oblitus tamen trium illarum quas primo loco indicavi, propendentis ab jecinore ſacculi Obſervationum, neque moniti quod in extremo eſt libro VI. de Morbis popularibus vel *bonis Medicis*, nedum aliis, *ſimilitudines parere errores*, imitari Baglivum nolui, quem, ſi viveret, ac quæ ſunt apud Valliſnerium noſtrum (*k*), & Scheffelium (*l*) legeret, pœniteret ſane, dum quaſdam, non omnes quas poterat, Obſervationes attendit, præpropere ſcripſiſſe, (*m*), *cum icteros videris pertinaces, vel ſanatos, ſed recidivantes; pro certo habeas, eos a calculo veſicæ felleæ progigni, ac proinde inſanabiles prædicito*.

14. Cujus de veſicæ calculis, quippe extra hepatis ſubſtantiam poſitis, ut, quemadmodum promiſimus, verba faciamus, ipſorum quidem in hominibus tam crebræ Obſervationes habentur, nullo ut modo poſſit harum numerus cum illarum quæ ad calculos jecinoris ſpectant, comparari. Hujus ſi diſcriminis cauſam quæras; non unam invenies ubi cauſas attenderis quæ tam frequentis calculorum in cyſti generationis redduntur. Veslingius noſter (*n*) cyſticæ bilis craſſitiem, & diuturnio-

---

(*l*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 45. (*m*) Obſ. edit. cum Dilucid. Valvular. in Lymphat. 24. (*n*) Schol. cit. ad Obſ. 13.
(*o*) Anat. Hep. c. 7. (*p*) §. 52. cit. ſupra, ad n. 11. (*q*) Epiſt. Anat. I. n. 43. (*r*) (*ſ*) locis cit. ad n. 11.
(*t*) Epiſt. I. cit. n. 49. (*u*) De abdit. nonnull. &c. c. 94. (*x*) Sect. 17. Obſ. 13. §. 1. (*y*) Ibid. §. 11.
(*a*) De Morb. Exitial. Nob. Virgin. (*b*) n. 43. (*c*) Epiſt. de Rad. Chin. (*d*) Pathol. l. 6. c. 5.
(*e*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 78. (*f*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. 1701. (*g*) Diſſert. qua Calcul. in veſ. fell. &c. theſ. 5.
(*h*) Comment. in Boerh. Aph. §. 950. & 935. (*i*) Commer. Litter. A. 1733. Hebd. 11. n. 2. (*k*) Opere T. 3. P. 6. Lett. 37. Annot. 1.
(*l*) Diſſert. de Lithieſi fell. §. 28. (*m*) De Experim. circa Bilem. (*n*) Synt. Anat. c. 4.

niorem in cyſti moram, & hanc augentes Cyſtici meatus anguſtias, & valvulas indicavit. Quas cauſas ita peculiares cyſtis invenies ut peræque ad Hepaticos ductus transferre non poſſis, mirandumque ſit, graviſſimum inter Recentiores Medicum, has ipſas propoſiti diſcriminis cauſas agnoſcentem, minus animadvertiſſe, bovino quoque generi eſſe communes, in quo ut ibi fatetur hepaticos calculos eſſe frequentiores, ita cauſam aliquam indicare ſimul debebat hujus alterius inter humanum, & bovinum genus diſcriminis. Sed quæ Veslingius præmonſtraverat, ab aliis interea illuſtrata atque aucta fuerant, ſive majorem craſſitiem bilis in quibuſdam hominibus, & diſpoſitionem ad concreſcendum adnotando, ſive æquo diuturniorem moram ob Cyſtici ductus ſpaſmodicas criſpaturas, & conſtrictiones, aut ob infirmatam in laxatis veſiculæ tunicis ſe contrahendi vim agnoſcendo. Quæ tunicarum infirmatio tanto deinceps major ſit, quanto plus bilis retinetur, non ſecus atque in urinaria veſica accidit, cum ab lotii retenta copia ejus reſolvuntur vires: qua ſimilitudine & Galenus (o) olim, & Verneyus junior (p) hac noſtra ætate uſus eſt: unde cauſam intelligis fere præcipuam cur immanes illæ fiant cyſtis amplificationes de quibus paulo ante dictum eſt. Huc alia inſuper addidit in primis Abrahamus Vaterus (q), cujus nomen haud erat ab iis qui eadem poſtea ſcripſerunt, reticendum. Is enim ob fundi cyſtis declivitatem cum difficilem bilis aſcenſum; ob ductus autem obliquitatem non expeditum tranſitum animadvertiſſet; utraque hac cauſa ſpectata, cenſuit, compreſſa a ventriculo cyſti, non niſi tenuiorem, & maxime fluxilem bilis partem extrudi, ſpiſſiorem autem ſemper in ſanis quidem relinqui, quæ facile concreſceret, niſi mox novo hepaticæ bilis affluxu inſtaurata dilueretur. Hæc autem inſtauratio ubi æquo paucior, aut etiam viſcidior bilis ſecernitur, cum rite fieri non poſſit, hinc tanto facilius ſpiſſiorem illam in calculos abire. Vatero autem, quin etiam Veslingio quadantenus Fernelius (r) præluxerat, cum *originem* his calculis *eſſe*, ſcripſit, *e flava bile, quæ proprio conceptaculo diutius coercita, nec tempeſtive vacuata, nec novæ influxu renovata, mirum in modum obdureſcit*.

15. Cum igitur tot, & tam faciles in tanta humanæ vitæ infirmitate, & intemperantia præſto ſint cauſæ ob quas cyſtici calculi producantur; mirari non oportet, quod ſæpe adeo a Veteribus, & Recentioribus inventi ſint. Nam poſtquam Gentilis (ſ), & Nicolus (t) lapidem hic in veſica fellis, ille autem in hujus meatu ſe vidiſſe, teſtati ſunt, Benivenius (u), Veſalius (x), Curtius (y), Falloppius (z), Fernelius (*), Stephanus (a), Columbus (b), Coiterus (c); ut minus clari nominis Auctores præteream; Obſervationes protulerunt ſuas: ex quo autem humana cadavera multo ſæpius incidi cœpta ſunt ad hunc uſque diem, nemo fere de Re Anatomica, aut Medica ſcribens, de ea veſicula paulo fuſius loquendi occaſionem habuit, quin calculos ibi ab ſe viſos commemoraverit; ut jure ajat Cl. Profeſſor Fabricius (d), fere ſæpius felleæ, quam urinariæ veſicæ, calculos eſſe adnotatos: quibuſdam autem in regionibus vel longe frequentius occurrere, ab Ill. Hallero (e) oſtenſum ſit. Quamobrem noli mirari, ſi dixero, cum hæc ſcriberem, ante oculos habuiſſe Obſervationes, minimum, ducentas, ex quibus undeviginti meæ ſunt: mireris potius, quod non legerim, aut non meminerim multo plures. Nec tamen quas dixi, tam paucæ ſunt, ut ſecundum illas ſi quærenti tibi reſpondeam, quid frequentius aut rarius in cyſticis calculis occurrat; temere videar reſpondere. Potes autem illud in primis quærere, in quibus crebrius reperiantur? Scripſit enim olim Carolus Stephanus (f), eſſe *potiſſimum in mulieribus provectioribus* a ſe conſpectos, hoc autem ſæculo Fridericus Hoffmannus (g), *rarius in hominibus ætatis florentis, frequentius vero in ſenibus*, itemque *in fœminis crebrius, quam in viris, reperiri*. Multo igitur verius eſt Hoffmanni pronunciatum primum, quam ultimum. In memoratis enim Obſervationibus video, marium ferme parem, ac fœminarum eſſe numerum. Senes autem, quantum ab Obſervatoribus indicatum eſt, cum promiſcue utriuſque ſexus inveniam unum, & ſexaginta; juniores amplius octo non invenio: ex his autem nullum infantem, unum puerum; minorque in his octo, ætas eſt annorum duodecim, major undetriginta. Nimirum tenuiores, vividioreſque, florente ætate, ſunt ſucci, quam inclinata, & celerius quoque in gyrum acti, id quod vidit Hoffmannus, quam in minus operoſa præſertim, ſeniorum, & mulierum vita. Quapropter a muſculorum otio repetit laudatus Hallerus (h) *frequentes calculos veſicæ felleæ, quos in reis diu carceri incluſis reperit*. Eodemque referes quod in minime agitata bile contingere vidit Ill. Swietenius (i). Eam enim *cum in vaſe vitreo puro reliquiſſet, ut putreſceret; in fundo vaſis grumos calculoſos invenit*. Media tamen ætas, licet actuoſa ſit, non habet ſuccos cum florente comparandos, quo fit, ut non æque poſſit intemperantiæ, & animi affectionum injuriis reſiſtere, quarum utriſque vel magis, quam ſenilis, obnoxia eſt. Huc ſi addas plebejarum mulierum magnam partem non ita deſidem vitam agere: & ſi hæc omnia cum iis conferas quæ ſupra (k) de cauſis, cyſtis calculos gignentibus, ſcripta ſunt; nempe Obſervationes cum ratione convenire, facile intelliges.

16. Quod ſi jam quæras, verumne ſcripſerit Reverhorſtius (l), cum adnotandum eſſe, monuit, hos calculos, *quo ſint e corpore juniore, eo quoque eſſe remiſſioris, id eſt, pallidioris coloris, & in media ætate eſſe coloris flavi, in provectiore autem obſcurioris coloris, imo nigricantis*; multo facilior reſponſio erit. Neque enim quid frequentius ſit, hic quæritur; ſed quid perpetuum; ut vel meis dumtaxat inſpectis Obſervationibus, affirmare poſſim, præpropere id ſcriptum fuiſſe. Nigerrimos enim calculos, non modo nigricantes, in pluribus etiam mediæ ætatis deprehendi; in Juvene autem annorum viginti quinque, & in Anu ſeptuaginta quinque (quorum ille junior, hæc ſenior fuit inter eos omnes e quorum cyſti hactenus exſecui calculos) fuerunt hi non ita diſſimili inter ſe colore, ut neque nigricarent in Anu, nec valde pallerent in Juvene, præſertim ſi cum cineraceo conferam, quem reperi in muliere annos nata unde ſexaginta. Sed ne mei unius ſtes Obſervationibus; juniorem certe non legi fœminam, in qua cyſtici calculi inventi ſint, quam Virginem illam annorum undeviginti, quæ ſuperiore libro a Boneto (m) deſcripta eſt. In ea tamen lapilli omnes *flavi* fuerunt, *& bilem colore referentes*. Contra, provectioris ætatis erat mulier illa annorum trium & ſexaginta cujus hiſtoriam accurate propoſuit Cajetanus Tacconus (n), & nigro inſuper ictero affecta. Attamen cuncti hujus calculi non modo *ad albidum, ſive dilute croceum colorem accedebant*; ſed & corticibus, cum intus crocei eſſent, inſtructi erant *albicantibus, lucidis, argenteam matris perlarum interiorem faciem ſimulantibus*. Scilicet non tam ætas, quam materia ſpectanda eſt, ex qua fiant, aut facti fuerint; neque enim ſemper ejus in qua reperiuntur, bilis colorem imitantur; hæc autem pro vario aut ſanguinis, aut organorum vitio, in pari etiam ætate diſpar interdum eſſe poteſt, vel fuiſſe, aut ſub eodem etiam colore non ejuſdem generis illas particulas ex quibus potiſſimum calculus fieret, abſcondiſſe. Sic Abr. Vaterus (o), ſic Cl. Trewius (p); ut alias & noſtras, & aliorum Obſervationes prætereamus; in bile *craſſiſſima & nigricante calculum* ille *candicantem* invenit,

(o) De loc. aff. l. 5. c. 7. haud ita procul a fine. (p) cit. ſupra ad n. 13. (q) Obſ. rariſſ. calcul. 3. §. 1. (r) c. cit. ad n. 13.
(ſ) (t) apud Donat. de Med. Hiſt. Mir. l. 4. c. 30. (u) (x) cit. ſupra ad n. 13.
(y) Comment. in Mundin. Anat. ubi de Hepate in fin. (z) Obſ. Anat. (*) cit. ad n. 14. (a) De diſſect. part. corp. hum. l. 3. c. 42.
(b) De Re Anat. l. ult. (c) Obſ. Anat. (d) Propempt. ad Diſſert. Jo. Barth. Hoffman. (e) Opuſc. Pathol. Obſ. 33.
(f) c. 42. modo cit. (g) Medic. Rat. T. 4. P. 2. S. 2. c. 3. §. 12. (h) Experim. Anat. de Sangu. mot. c. 6.
(i) Comment. in Boerh. Aph. §. 950. (k) n. 14. (l) Diſſert. de motu bilis §. 57. (m) Sepulchr. l. 2. S. 4. Obſ. 35.
(n) De raris quibuſd. hepat. Affect. Obſerv. (o) Diſſert. qua calcul. &c. theſ. 4. & 5.
(p) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 32. n. 3. & Hebd. 36. n. 4.

invenit, alter in bile *vitellina* calculum exterius *maxima ex parte albidum*, *reliqua brunnum*, qui *leviſſima frictione candidiſſimus* reddebatur, intus autem, ſi *ruſeſcentem quandam maculam* exciperes, *pallidum*, & in viro quidem ille, hic in ſene, non in aliquo adoleſcentulo.

17. Nec magis Reverhorſtio ſavent qui *ordinario* hos calculos *atros*, *ſubnigros*, *aut fuſcos deprehendi*, generatim ſcripſerunt: quanquam ut ſæpe coloris ejuſmodi calculos a Majoribus, ab aliiſque inventos ſcio, & ipſe fateor, ſæpius annis poſterioribus mearum Obſervationum, quam prioribus, inveniſſe; ita non paucæ aliæ meæ, & multo plures aliorum Obſervationes memoria excidant, neceſſe eſt, antequam *ordinario* occurrere iſto colore, facile credam. Kentmannus, ut eſt apud Schenckium (*q*), cum de iiſdem calculis univerſe ſcriberet, *omnes* ſunt, ait, *colore ad flavum accedente*, *qui cum ipſis augeſcentibus paulatim in croceum mutatur*, & ſane exempla mox profert *quaſi ſubluteorum*, & *lutei*, a Falloppio noſtro hic deprehenſi. At enim multo plura apud eundem Schenckium ſubjiciuntur alterius coloris: Utique: ſed his alia opponenda ſunt, ut Joannis Franci (*r*) qui lapillos *crocei coloris* vidit, ut Cæſalpini (*s*) qui colore eodem conſpexit, ut Boſchi (*t*) qui *citrino*, ut Panaroli (*u*), & Dobrzenskyi (*x*) qui *flavo* repererunt. Nec vero prætermittendi ſunt Hoechſtetterus (*y*), Schelhammerus (*z*), Steinius (*a*), Bierlingius (*b*), a quibus *lutei*, *flaveſcentes*, *crocei*, neque Horſtius (*c*), neque Helwigius (*d*), a quorum utroque cum inventi eſſent immani numero; ab illo ex parte, ab hoc omnes *ſubflavi* conſpecti ſunt. Huc addes Platnerum (*e*), & Bezoldum (*f*), quorum alter *fulvos*, alter *ex luteo albicantes* deprehendit, tum alios complures, & in his laudatos Edimburgenſes (*g*) qui in duodecenni illo puero *flaveſcentes*, Cl. Trewium (*h*) qui vel poſt exactum annum quartum & ſeptuageſimum *extrinſecus leviter flaventes* viderunt, multo autem magis Cel. Hallerum (*i*), ut qui vel in fœmina *centum annos*, ut ajebant, *nata* calculos fortaſſe omnes, quendam certe *flavum* eſt conſpicatus. Idem in altera Vetula (*k*) cum ſexdecim inveniſſet; tredecim *flavos* fuiſſe, ſcribit: *albo* autem luteos in ſuſpenſo (*l*). Sed & Weitbrechtus (*m*) in ſene *flavos* offendit. Obſervationes, præter has, alias aut paulo ante memoravi, aut memorabo poſtea: alias vero, nec ita paucas, ſciens præteribo; neque enim in animo eſt omnes, ſed tot dumtaxat indicare, quot ſatis ſint ad oſtendendum, non *ordinario* igitur atros, fuſcoſve cyſtis lapillos inveniri. Imo Vaterus (*n*), Hoffmannus (*o*), Bezoldus (*p*) cum de horum calculorum coloribus generatim verba facerent, inter eos qui *communiter*, aut *frequentius* obſervantur, duo primi *flaveſcentes* poſuerunt, Bezoldus autem *ſæpiſſime ad flavedinem inclinare*, diſerte ſcripſit.

18. Quamquam autem ex iis qui lapillos cyſticos memorarunt, bene multi quo eſſent colore, ſiluerunt; tamen qui non ſiluerunt, tot ſunt, ut ſatis appareat, plerumque aut flavos, aut nigros occurrere. Plerumque diximus, quia cærulei quoque conſpecti ſunt, ut a Coitero (*q*), Neretio (*r*), & Goritzio (*s*), qui & *punctula rubra* adnotavit, an ex adhærentibus laceratæ hic illic cyſtis particulis? ea enim calculus arcte adeo includebatur, ut vi debuerit extrahi: Rubri, ut a Cameniceno (*t*) & Bartholino (*u*): Cineracei, ut a Fabricio noſtro (*x*) & Boſco (*y*): Albicantes, ut ab Reverhoſtio (*z*), Vatero (*a*), Hallero (*b*), Swietenio (*c*), atque adeo colore argenteo, ut a Platero (*d*): Colore aureo, ut ab eodem (*e*), ab aliiſque in parte; neque enim omnes hic nominandos ſuſcepimus: denique Colore viridi, aut ſubviridi, qui multo quam noviſſime dicti, aut alii brevitatis cauſa omiſſi, frequentior eſt, ut eundem ſæpius, cineraceum aliquando, aureum ex parte nonnunquam; cæteros necdum vidimus. Vidimus tamen & variegatos ita uti Epiſtola ad Schrockium data (*f*) deſcripſimus, Gerbezius (*g*) autem ex fuſco & albo, Baeumlinus (*h*) ex albo luteo alios virideſcentes, alios, eoſque in eadem illa cyſti plurimos, puniceis & luridis maculis diſtinctos conſpexerunt. Ex quibus quidem, & ex aliis coloribus modo commemoratis nullum proprie nigrum dixeris. Huc inſuper calculos addito, qui omnis, aut omnis propemodum coloris expertes ſunt; qualis erat magnus ille, ut cyſtim non modo repleret, ſed etiam diſtenderet, a Sculteto (*i*) repertus, *inſtar cryſtalli pellucidus*, aut quos Regius olim Chirurgus Tamponettius (*k*), & Manchius (*l*) deprehenderunt, hic *pellucidum*, *utcumque friabilem*, *avellanæ magnitudine*, ille autem *magnitudine ovi columbini*, *gummi inſtar concreti lucidum*, & *mollem* (ut ad memoriam reducat a Cel. Heiſtero (*m*) deſcriptum, qui ſub rugoſa ſuperficie *ſubſtantiam & colorem fere habebat gummi arabico paulo ſolidioris haud abſimilem*) aut qui a Bezoldo (*n*) pingitur, *cryſtalliformis plane pellucidus* ab Henrico Alberto Nicolai inventus, & Obſervatione V. (*o*) indicatus. Sed & candicans ille atque albicans, quem ſemel, atque iterum memoravimus ex Vatero (*p*), *pellucidus* & *tranſparens* fuit: cui, ſi colorem minus attendas, adjungere ex Sepulchreto (*) triginta illos poteris a Scharpio repertos, *carbunculi inſtar pellucidos*, & fortaſſe octoginta quoque ab Sanctorio noſtro (*q*) inventos, *ſimiles lapidibus chryſolitis*, credo, ut Plinius (*r*) chryſolithos dixit *aureo colore tranſlucentes*. Quod ſi nihil, niſi ſplendorem in cyſtis calculis ſpectare vellemus, commemorandi hic eſſent alii, ut ex Griſelio (*s*) ille qui ovo gallinæ paulo minor, confractus *reſplendeſcebat ac ſi nitro plenus fuiſſet*, aut ex Jo. Theodoro Schenckio (*t*), & Jo. Rhodio (*u*) multis partibus minores, qui effracti pariter, *inſtar cryſtallorum tartari*, aut talci *modo* ſplendebant, ut *talci* quoque inſtar quem primum ex Trewio memoravi (*x*): quin & mihi (*y*) quorundam nucleus ſplendentibus hic illic diſtinctus quaſi punctis apparuit. *Cæruleos* autem illos *ſplendidos* Neretii (*z*), aut Plateri (*a*) illos *nunc argenteo*, *nunc aureo colore ſplendentes*, exterius videlicet dumtaxat; diffractos enim non lego; minus ad eos attinuiſſe, exiſtimo, de quibus modo dicebam. Ad quos attinere magis potuiſſe illos credo quos deſcripſit Baglivus (*b*) *ſcintillas veluti emittentes*, *quaſi eſſent congeries nigri ſalis cryſtallizati*. Certe autem, & præcipue attinent duo quos propoſuit non ita pridem Cl. Morandus (*c*), alterum ex Præcl. Viri Geoffroyi, alterum ex ſua obſervatione, illum intus ex parte, hunc vero exterius, intuſque etiam maxima ex parte ſplendentem, & propemodum omnino pellucidum: attinentque alii ab aliis, & nominatim a Præſtantiſſimo Hallero (*d*) deſcripti, quos non ſine illo *cryſtallino*, ſi interea apud Hildanum uſquam reperire potuero, infra cum de ſtructura lapillorum cyſtis ſcribetur (*e*), opportunius memorabo.

19 Nunc enim pauca antea de varia eorum magnitudine, numero, figura, ſede attingenda ſunt. Fuit igitur aliquando cum unus cyſtim non implens modo,

(*q*) Obſ. Med. l. 3. ubi de veſic. fell. lapid. Obſ. 1. (*r*) Ibid. (*s*) Quæſt. Med. l. 2. in ipſo fine. (*t*) De Facult. Anat. Lect. 2.
(*u*) Jatrol. Pent. 5. Obſ. 22. (*x*) Eph. N. C. A. 1. Obſ. 129. (*y*) Obſ. Med. Dec. 10. Caſ. 9.
(*z*) (*a*) apud Scheffel. Diſſ de Lith. fell. §. 10. (*b*) Sepulchr. l. 4. S. 1. in Additam. Obſ. 12. (*c*) Ibid. l. 2. S. 7. Obſ. 125.
(*d*) Ibid. l. 3. S. 7. in Addit. Obſ. 1 (*e*) Progr. edit. 17. Mart. A. 1746. (*f*) Diſſert. de Cholelitho Caſ. 1.
(*g*) cit. ſupra, ad n. 13. (*h*) Commerc. Litter. A. 1734. Hebd. 6. n. 5. in fine. (*i*) Opuſc. Pathol. Obſ. 33. Hiſt. 4.
(*k*) Ibid. Hiſt. 11. (*l*) Ibid. Hiſt. 13. (*m*) Commerc. Litter. A. modo cit. Hebd. 9. n. 2.
(*n*) Diſſert. ſupra ad n. 13. cit. theſ. 3. (*o*) c. 3. ſupra ad n. 15. cit. §. 2. (*p*) Diſſert. modo cit. §. 5. (*q*) Obſ. Anat.
(*r*) apud Schenck. Obſ. cit. ſupra ad n. 17. (*s*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 20. (*t*) Epiſt. ad Matthiol. (*u*) Cent. 3. Epiſt. Med. 86.
(*x*) apud Schenck. Obſ. cit. (*y*) De Facult. Anat. Lect. 2. (*z*) §. cit. ſupra ad n. 16. (*a*) Diſſ. ibid. cit. theſ. 4.
(*b*) Obſ. cit. ad n. 17. Hiſt. 1. & 6. (*c*) Comment. cit. ſupra ad n. 15. §. 935. ad 2. (*d*) Obſ. l. 3. ubi de Terreſtr. Excret.
(*e*) Ibid. (*f*) in Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 147. (*g*) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ 57. (*h*) Commerc. Litt. A. 1743. Hebd. 28. n. 2.
(*i*) Armata. Chir. Obſ. 61. (*k*) Zodiac. Med. Gall. A. 1. April. Obſ 7 (*l*) Ibid. Maj. Obſ. 8. (*m*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 181.
(*n*) Diſſ. de Cholelitho §. 5. Fig. 4. (*o*) Dec. Obſ. Illuſtr. (*p*) theſ. 4. hic cit. & 5. (*) l. 3. S. 17. in Addit. Append. ad Obſ. 2. §. 1.
(*q*) Comment. in l. Fen I. Can. Avic. Qu. 76. (*r*) Nat. Hiſt. l. 37. c. 9. (*s*) Vid. in modo cit. Sect. 17. Obſ. 13. §. 11.
(*t*) Vid. ad Sachſii Gammarolog. Epiſt. addit. 7. ad c 14. (*u*) Cent. 3. Obſ. Med. 45. (*x*) ſupra, n. 16. (*y*) Obſ. cit. 147.
(*z*) (*a*) locis paulo ante cit. (*b*) De Experim. circa Bilem. (*c*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1741.
(*d*) Opuſc. Pathol Obſ. 33. (*e*) n. 23. & 24.

modo, ſed & diſtendens repertus eſt, ut paulo ante dicebamus, imo diſtendens etiam *admodum*, ut videbis in Sepulchreto (*f*). Fuit cum illam æquans, cujus ibidem (*g*) non unum habebis exemplum. Alias *ſemiovum gallinaceum*, ſicut invenit Falloppius (*h*), alias ovum columbinum (interjectos enim ut primo, & ſecundo, ita ſecundo, & tertio magnitudinis modos tranſilio) æquaſſe, compertum eſt, quomodo poſt Coiterum (*i*) viderunt plures, & in his Valliſnerius noſter (*k*) in ultimo ex Gente Gonzaga Mantuanorum Duce, ratus, hunc etiam morbum hæreditarium eſſe propterea quod Bartoletus (*l*) quoque calculum ad cyſtis orificium offenderat in Ferdinando Gonzaga, Mantuanorum item Domino, argumento non improbabili, ſi ab hoc Ferdinando qui nullos reliquit filios, Dux ille ultimus proveniſſet. Multo autem infra eam magnitudinem plerumque inveniuntur: quin ſunt nonnunquam adeo exigui, ut Veſalius (*m*) in Martello cum *milii ſeminibus* comparaverit. Cujus cyſtis, duorum pugnorum magnitudinem, ut ſupra (*n*) etiam dixi, facile adæquans, cum eſſet ejuſmodi lapillis *quodammodo plena*; hinc quantus ſit interdum eorum numerus, potes æſtimare. Qui reapſe numerarunt poſt Falloppium (*o*) qui *centum viginti tres* cum grandiore illo invenit, non modo *trecentos*, ut Bartoletus (*p*), aut *ſex & trecentos*, ut Plateri (*q*) Frater, quibus vel ipſe plures deprehendi, ſed ultra *ſeptingentos*, ut Mentzelius (*r*), imo *ultra mille*, ut Graſeccius (*ſ*) olim, repererunt; ut mirum ſit, quoſdam de numero cyſticorum calculorum in univerſum loquentes, in Joach. Camerarii (*t*) numero, id eſt 143. ſubſtitiſſe. Quid? quod exemplum jam proſtat ex Cl. Storchio (*u*) nobilis Senis in quo eorum *ultra duo millia numerabantur*, itemque alterum ex Faſchio (*x*), qui in cyſti ingenti cujuſdam Gladiarii *3646. granula bilis concretæ reperiit, quæ curioſis etiam oſtendere ſolebat*. Quanquam vero aliquando, ut paulo ante indicatum eſt, uno plures non ſunt; multo ſæpius tamen uno plures inveniuntur. Quod ad figuram porro attinet; ſunt quidem aliqui ad ſphæricam, ad ovalem, ad aliamve minime anguloſam accedentes, ut vel ſimilitudines monſtrant quibus tunc Obſervatores ad deſcribendum utuntur, nucis alicujus, aut oleæ, aut ovi, aut aliis ejuſcemodi: ſed plerumque ſunt anguloſi. Illos veſiculæ ipſius figura aut vitio contracta, magiſque globata, aut naturalis, cum eam implent, ita conformat, ſive uno plures non ſint, ſeu plures quidem ſint, ſed ita adhuc molles (nam vel majuſculi interdum (*y*) caſei recentis mollitiem ſervant) ut in ejuſmodi formam compingi poſſint univerſi, quemadmodum in Sepulchreto (*z*) vides loco bilis *orbicularem unum ex novem aliis figuræ triangularis, ſibi invicem incumbentibus, facilique manu reparabilibus, lapillis conſtantem lapidem*, cui ſimilis, niſi quod ob ponderis exacte æqualem, eoque propemodum incredibilem, partitionem multo admirabilior, Obſervatio extat (*a*) *globi calculoſi uncias duas & ſemis ponderantis*, qui ex cyſti, nihil aliud includente, detractus, *in ſexaginta minores calculos obſcure flavos, friabiles, ſingulos pentaedros, & ſcrupulum unum ponderis æquantes, diſceſſit*. Sed & alia proſtant cyſticorum calculorum exempla, qui ovum columbinum referentes (*b*), *ex minoribus concreti videbantur*, aut etiam *ex meris granulis compacti* (*c*), ſive *compoſiti* (*d*) erant. Num vero ejuſmodi granula prima eſſe dicemus initia calculorum cyſtis omnium? Haud raro certe in veſicula reperta ſunt; nam ad eas potes quas hic produximus, alias atque alias eorundem Obſervationes adjungere, ut in Virgine de qua Verneyus junior (*e*), ut in Viro de quo Cl. Jo. Sebaſt. Albrechtus (*f*), cum in illa bilis eſſet in tot parvos grumulos concreta, in hoc autem *inſtar ſacchari granulati, ſeu ſeminis milii excorticati formata*, & ne longior ſim, ut in tot aliis (*g*) in quibus calculi cum eſſent *ſuperficie granoſa*, ſive *mori forma undique tuberculoſi*, videntur granula ad ſuperficiem adhæſiſſe, cum eaque concreviſſe. Qui igitur calculi ex concretæ bilis granulis conſtant, illorum hæc eſſe initia, non eſt dubitandum. Atqui in cyſti ſimul cum calculis multa quoque *arenoſa mucoſaque materia* (*h*), & *larga quantitas ſabuli* non ſemel reperta eſt, ut *tanquam matricem calculorum procul dubio conſiderandam eſſe*, cenſuerit idem qui reperit, Cl. Bergenius (*i*). Itaque ſi ſabuli grano, tanquam nucleo, bilis accreſcat; vides, aliud initium horum quidem calculorum eſſe dicendum. Huc adde alia, a me alias animadverſa, & commodius infra (*k*) commemoranda: facile intelliges, non omnium eſſe initium poſſe granulum concretæ bilis. Sed quoniam calculos plerumque anguloſos eſſe, diximus, unde angulorum originem repetemus? Si molles adhuc plurimi, iique rotundi, in unum ſive ovalem, ſive ſphæricum, ut in duobus paulo ante productis exemplis, ita compingantur, ut ex cujuſque ad alium appreſſione novas illas acquirant formas, dein vero ex cauſa aliqua ſecedant; unde orti ſint anguli, proclive eſt aſſequi. Verum quia perraro ejuſmodi occurrunt exempla; plerumque angulos ab rotundorum inter ſe affrictu repetemus. Affrictum enim quis neget, ubi facierum lævorem animadvertat, aut magnos duos illos cyſticos calculos qui apud Hildanum (*l*) extant delineati, aſpiciat? Eorum alter *tantum excavatus eſt, ut tertiam fere partem alterius excipere poſſit*, quod *a continua frictione unius contra alterum factum eſſe; certum eſt*, inquit ille, qui in veſicæ quoque urinariæ calculis videre interdum a ſimili cauſa haud abſimilia potuerat. Magnum quoque illum aſpice, qui ex tribus conſtans partibus cyſtim extenderat, a Cl. Bechmanno (*m*) deſcriptum, & delineatum. Cum videris quantum media præſertim pars inferiorem ſubiret, exactamque ſuperficierum inter ſe contiguarum polituram attenderis; affrictui certe id deberi, confirmabis.

20. Quot autem angulis cyſtici calculi, & qualibus, & quemadmodum politis, ſeu qua figura ut plurimum præditi ſint, haud facile eſt ex aliorum Obſervationibus conſtituere non ſolum ob magnam ſæpe in iis etiam qui una eademque veſicula concluduntur, varietatem, verum inſuper ob neglectam ſæpius vel ab iis qui minus debebant, in deſignandis figuris propriam vocum ſignificationem, aut eam quæ ad intelligendum ſatis eſſet, illarum deſcriptionem. Veſalium (*n*) quidem cum lego in Senenſi J. C. duodeviginti calculos deſcribentem *trianguli imagine æquis undique coſtis ac ſuperficiebus formatos*; tetraedrum proprie dictum mihi videor intelligere. Sed cum plures alii *triquetros*, aut *triangulos*, aut *triangulares* dicunt, neque ſcio, priſmatis, an pyramidis forma viderint, neque; utralibet viderint; æqualibus, an inæqualibus planis comprehenſos. Contra ubi Greiſelius (*o*) repertos ſcribit lapillos quatuor majores *cubicos*, una cum innumerabilibus pene aliis minimis, etiam, quantum videre licuit, *cubum referentibus*; non dubito quid ſibi velit: dubito autem, cum alii, nec pauci, *quadratos* ajunt, aut *quadrangulos*, aut *quadrangulares*; vides enim, quam varia parallelopipeda his poſſint vocibus ſignificari. Attamen cum eos omnes calculos qui apud me ſunt; ſunt autem quamplurimi; diligenter inſpicio; primum perdifficile eſſe, intelligo, ut *regularis* omnino figura in anguloſis calculis reperiatur, & Veſalium ipſum, ac Greiſelium credo, formam illum quæ ad tetraedrum, hunc quæ ad tubum accederet, deſignare voluiſſe: deinde exiſtimo, qui triangulares, aut quadrangulares dixerunt, figuram indicaſſe ad tetraedrum, aut ad cubum quomodolibet accedentem: denique arbitror, cum utraque hæc forma, quippe, ſi ita intelligas, imperfecta, facies quaſdam plerumque offerat, quæ a primo hujus, aut illius ſimiliores videantur,

(*f*) l. 3. S. 10. in Addit. Obſ. 1. (*g*) Ibid. S. 13. Obſ. 12. §. 7. & S. 18. Obſ. 8. §. 14. (*h*) apud Schenck. Obſ. 1. cit. ſupra ad n. 17. (*i*) Obſ. Anat. (*k*) Epiſt. ſupra cit. ad n. 13. Adnot. 2. (*l*) Vid. Rhod. Cent. 3. Obſ. Med. 2. (*m*) Epiſt. de Rad. Chin. (*n*) n. 13. (*o*) Obſ. 1. modo cit. apud Schenck. (*p*) Obſ. 2. Rhod. modo cit. (*q*) l. 3. cit. ſupra ad n. 17. (*r*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 9. Obſ. 181. (*ſ*) apud Schenck. in fine Obſ. 1. modo cit. (*t*) in ead. 1. Obſ. (*u*) Commerc. Litt. A. 1735. Hebd. 59. n. 4. (*x*) Vid. in Obſ. 68. Tom. 5. Act. N. C. (*y*) Eorund. T. 3. Append. n. VIII. App. 1. ad Obſ. 10. (*z*) l. 3. S. 17. Obſ. 14. §. 5. (*a*) Act. modo cit. T. 5. Obſ. 129. (*b*) Commerc. Litt. A. 1745. Heb. 24. n. 1. (*c*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 20. (*d*) Halleri Opuſc. Pathol. Obſ. 33. Hiſt. 13. (*e*) cit. ſupra ad n. 13. (*f*) Act N. C. Tom. 4. Obſ. 49. (*g*) Eorund. Act. T. 1. Obſ. 20. cum Tab. 3. Fig. 3. & 4. & Eph. Cent. 5. Tab. 1. Fig. 3. 4. 5. & 6. & Halleri Obſ. cit. Hiſt. 5. (*h*) Commerc. Litt. A. 1733. Hebd. 45. poſt n. 6. (*i*) & A. 1739. Hebd. 39 n. 1. (*k*) n. 22. (*l*) Cent. 4. Obſ 44. (*m*) Commer. Litter. A. 1742. Hebd. 32. n. 1. cum Tab. 2. Fig. 10. (*n*) Epiſt. de Rad. Chin (*o*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 3. Obſ. 45.

tur, multos ad illam; & multos quoque ad hanc retuliſſe; at ſi lapilli in omnem partem diligentius verſentur, eam ut plurimum figuram agnoſci quæ a me olim in Epiſtola I. Anatomica (*p*) indicata eſt. Eſſe autem perſæpe plurium quam utraque illa figura poſtulat, angulorum, ſatis illa quam ibi, ut dicebam, indicavi, commonſtrat: multo autem plurium, & eo plurium, quo plures in una cyſti ſunt calculi, Kentmannus (*q*) quidem olim docuit; ego vero ut illud primum interdum ſic eſſe, fateor, ita num & alterum, haud ſatis ſcio; imo ſi Greiſelii, & meas quaſdam Obſervationes attendo, verum eſſe non ſemper, ſcio. Sed quotcunque anguli ſint; ubi aliqui ſunt valde acuti, aut ſuperficies calculorum aſperior, poſſunt hi, ſi majus ſimul pondus accedat, cyſtim non modo irritare, ſed nonnnnquam etiam perrumpere. Cujus ruptionis rariſſimum quidem in Sepulchreto (*r*) exemplum habes. Irritatio autem phlogoſes poteſt, & ulcera, & excreſcentias, a me quoque viſas (*ſ*), & ſi cum Wepfero (*t*) urinæ, & fellis veſicam inter ſe conferamus, tunicarum ſaltem craſſitudinem facere. Urinaria enim veſica *a calculis ob continuum attritum ſæpe quadruplo craſſior evadit*, quod ait ille, & nos in loco (*u*) videbimus. Deprehendit ipſe ab eadem, ut putat, cauſa *craſſiores debito* cyſtis tunicas, ut alii interdum, in his non ſolum Diſcipuli quidam noſtri (*x*), ſed & Doctiſſimus Trewius (*y*), qui non ſine purulenta materia invenit, præſertim autem Cl. Bezoldus (*z*) qui tunicas illas *duriores*, *craſſioreſque*, *& quaſi cartilagineas* deſcribit, licet aliunde, quam ab iis quos in ſuo, & modo indicatis exemplis continebant, calculis cauſam quærat, & certe alias aliunde eſſe poteſt (*a*). Cæterum ſæpe eſt eorum ſuperficies lævis, ut Veſalius in Juris Conſulto illo vidit, præſertim ſi ex flaveſcentibus ſint, quos præterea vel ſiccos cum tangimus, non ſecus ac ſi ſapone obliti eſſent, percipimus, cujuſmodi quaſi unguinoſum lævorem in quibuſdam etiam ſubviridibus vel magis adnotavimus (*b*).

21. Quod vero de irritatione diximus, tunc quoque cum inter cyſtis increſcunt tunicas, modo aſperi, aut majores ſint, locum habere, non dubitamus. Sic autem explicari poſſe, credimus, Gendrottii (*c*) Obſervationem dyſenteriæ ortæ ex jugi bilis in Duodenum inteſtinum eructatione, cum duo majuſculi, & inæquales calculi in cyſti eſſent, membrana ſingulari obvoluti. Genitos autem exiſtimabis in cyſtis glandulis, in iiſdemque auctos, ſedem ſibi inter eas tunicas, quas inter eæ quoque glandulæ ſunt, extendiſſe. Memineris enim parvos bilarios calculos a me (*d*) fuiſſe iis in glandulis manifeſto orificio patentibus, eoque minus in dubium vocandis, repertos olim, & demonſtratos. Quos etiam a Cl. Galeatio in meæ perſimili, niſi quod orificia illa non apparebant, Obſervatione ſolerter fuiſſe inventos, & agnitos, perlibenter poſtea cognovi, cum Volumen editum eſt primum Commentariorum de Bononienſi Scientiarum Academia (*e*). Sed & alium ſic a me inter cyſtis tunicas animadverſum exiguum calculum infra (*f*) indicabo. Tuum nunc erit diſpicere, num in ea quam ſupra (*g*) memoravi, Greiſelii Obſervatione, illa cyſti *in fundo adnata alia tunica, quæ alium aliis omnibus majorem talem cubicum lapidem continebat*, ad eundem ſit modum intelligenda. Mihi certe minus dubium eſt, quin explicari ſic poſſit Cl. Elleri Obſervatio quam, ſi recte memini, legi ante aliquot annos in IV. Miſcell. Berolinenſium Volumine. Parvum enim calculum rotundum, & ſubflavum quem in cyſtis fundo concretum, & membrana, ex pelliculis veſicæ illius producta, circumdatum deprehendit, facile crediderim, in aliqua ex ejus glandulis concreviſſe. Quin eo quoque inclinat animus, ut fieri poſſe, exiſtimem, ne alibi concreverit calculus, ut indicia omnia oſtendunt, bilarius, cujus pars craſſior in ſacculo quodam latebat inter cyſtis tunicas comprehenſo, pars autem altera cervicem cyſtis obturabat (*h*): tantum abeſt, ut Obſervatione illa pervinci, credam, nullas cyſti glandulas obtigiſſe. Et ſane ab duro ejuſmodi craſſoque corpore non poteſt cervix illa obturari, quin alia facile premantur cyſtis actionibus neceſſaria, aut univerſa ipſa ab irritatione ſe ſe contrahat, & criſpet; ut mirari poſtea non oporteat, ſi ejus glandularum ſecretio aut prohibeatur, aut vitietur. Atque eadem ferme a nobis dici putato de illorum quoque experimentis, qui in vivente beſtia cyſtis meatum injecto vinculo conſtrinxerunt. Hujus igitur glandulas non comminiſcuntur Anatomici, ſed ex certis agnoſcunt obſervationibus, cujuſmodi plures ſunt a nobis in I. Epiſtola Anatomica (*i*) memoratæ. In qua tamen non tantum *aliquas*, *cervici proximas* glandulas commemoravimus; niſi forte Vir Doctus quæ ibi de veſica urinaria diximus num. non *96.* ſed *63.* ea, ut ſit, memoria lapſus, ad fellis veſiculam attinere, inter ſcribendum exiſtimavit.

22. Nunc quando de cyſticorum calculorum magnitudine, numero, figura, ſede plura attigimus quam in animo habebamus, etſi non pauca inter ea ſcripſimus quæ ad illos internoſcendos, cum per alvum egeruntur, eſſe poſſunt haud inutilia; jam de cæteris quæ ad id multo utiliora cenſentur, ſtructura, levitate, & ad flammam concipiendam proclivitate verba faciamus. Quod ad ſtructuram attinet, ex quo Kentmannus (*k*) docuit, hos calculos, ſi frangas, intus apparere *plenos anguſtis circulis ſe invicem ambientibus, ita ut videre ſit cuivis ſaltem obiter advertenti, quomodo lenta & viſcoſa bilis a centro adusque ſuperficiem ſenſim adhæreſcens accreverit*, nemo fere extitit qui de eorum ſtructura, & creſcendi modo ſermonem habens, non Kentmanno aſtipularetur. Erant tamen aliqua, ſæpius, & in variis calculis repetitæ obſervationis ope partim corrigenda, partim addenda. Nam quod in ſectionibus, circuli concentrici appareant, verum eſſe id poteſt in rotundis calculis, ſive ii ſint ſphærici, ſive etiam aut cylindrici, aut ovales, modo in his utriſque ſectio ad axis perpendiculum fiat, ut in partibus quoque calculi quæ hemiſphærii, coni, aut cylindri ſint forma, quemadmodum, exempli gratia, in majori illo vides de duobus quos pinxit Hildanus (*l*). Anguloſos autem calculos ſi bifariam ſeces, ſtrata ex quibus compinguntur exteriora a circulorum forma longe abeant, neceſſe eſt, quæ interiora pariter, quantum hactenus vidi, imitabuntur: nec tibi aliter icon oſtendet, ab ſæpius laudato Trewio (*m*) propoſita. Itaque rectius locutos exiſtimo qui, figura omiſſa, ſtrata ſtratis tantummodo impoſita deſignarunt, ut Boſcus (*n*), qui *cortices concretos unicuique* ex novem calculis, *quemadmodum ſunt cæpe*, fuiſſe, dixit, ut Hildanus (*o*), qui ſuos *per laminas concretos*, & ne longior ſim, ut Malpighius (*p*), qui *tot involucris ſe ſe amplexantibus conflari*, ſcripſit; locutos, inquam, rectius, quam qui de anguloſis verba facientes, circulos nobis memorarunt, quod feciſſe Ottonem Heurnium, ex Sepulchreto (*q*) cognoſces, ubi calculum deſcribens *figura triquetra in pyramidale faſtigium extenſa*, in eo *apparuiſſe*, ait, *circulos corticales, ſibi inſidentes*. Neque hæc in Kentmanno corrigere ſatis eſt. Ex nigris enim calculis tum ſphæricis, tum anguloſis, qui apud me ſunt, nunc pleriſque ſtrata nulla prorſus oſtendunt: vix aliqui, ex anguloſis firmiores, habent extimum, idque ſuboſcurum; reliqua ſubſtantia ejuſmodi eſt, ut Veteribus quicunque in hos forte inciderunt, & nominatim Picolhomino (*r*) indulgendum ſit, quod *in cyſti bilem exuſtam, carbonis inſtar, in calculos ſubnigros* (imo nigerrimos, ſi hos vidiſſet meos, vere dicere potuiſſet) *converti*, ſcripſerit. Quam veniam in tanta ſæculi hujus luce pervellem dari iis poſſe Doctiſſimis alioquin Viris qui obliti, poſt tot morbos, immani cum calore conjunctos, nullos ut plurimum in cyſti lapillos deprehendi, arbitrati ſunt, quoſdam horum, ſine ulla bile forte inventos, magnæ

(*p*) n. 44. in fin. (*q*) apud Schenck. Obſ. 1. cit. ſupra ad n. 17. (*r*) l. 3. S. 14. Obſ. 5. §. 4. (*ſ*) Epiſt. Anat. 1. n. 43. (*t*) in Auctar. ad Obſ. de Apopl. hiſt. 13. in Schol. n. 5. (*u*) Epiſt. 42. (*x*) Epiſt. ad Schrock. de qua ſupra n. 18. (*y*) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 140. (*z*) Diſp. de Cholelitho §. 6. (*a*) Vid. Sepulchr. l. 3. S. 21. Obſ. 4. §. 11. (*b*) Epiſt. modo cit. ad Schrock. (*c*) Zodiac. Med. Gall. A. 1 Maj. Obſ. 6. (*d*) Epiſt. Anat. 1. n. 56. (*e*) Vid. in Opuſc. (*f*) n. 29. in fin. (*g*) n. 19. 20. (*h*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. A. 1735. Obſ. Anat. 1. (*i*) n. eod. 56. (*k*) apud Schenck. Obſ. 1. ſæpius cit. (*l*) Obſ. 44. cit. ſupra ad n. 19. (*m*) Commerc. Litt. A. 1734. Tab. 1. Fig. 5. (*n*) De Facult. Anat. Lect. 2. (*o*) Obſ. modo cit. (*p*) Op. Poſth. (*q*) l. 2. S. 1. Obſ. 74. (*r*) l. 2. Anat. Prælect. 20.

gnæ prægreſſæ febri imputandos, quæ omni bilis parte aquea abſumpta, reliquum in lapides convertiſſet. Sed nec ſatis eſt excipere hos nigros calculos, ut cætera quæ Kentmannus docuit, vera ſint, videlicet ſaltem reliquos *plenos* eſſe aut *circulis*, aut aliuſmodi ſtratis *a centro aduſque ſuperficiem*, ſeu, quod alii generatim dicunt de omnibus hactenus cognitis, ex ſtratis concentricis fieri, ad minimum nucleum applicitis. Tu enim quæ in Adverſariis (*ſ*), quæ in Epiſtola I. Anatomica (*t*), & quæ in Epiſtola ad Schrockium miſſa (*u*), a me de nuclei natura, mollitie, magnitudine præſertim, in tot, & tam variis calculis obſervata ſint, vide; nolo enim hic iterare. Intelliges certe, non parvum pro horum mole meditullium, & eo majus, quo aucti erant magis, idque molli, humidaque bile plenum, offendiſſe, & quod conſequitur, non modicam interius ſingulorum partem ex ſtratis illis adeo non conſtare, ut quærendum ſit, quomodo per illa jam firma ſtrata permeare bilis introrſum queat. Alia quoque intelliges, quæ hic conſulto prætermittuntur, ut puta cuboidæos quos nos quidem ſecuimus, calculos non ex minimis aliis fieri ejuſdem figuræ, ſed, ut cæteri de quibus loquimur, ex bile ſtratis circumveſtita: hæc ſæpe vario eſſe inter ſe colore, & interdum alterne vario: nec raro denique facta conſpici ex confertiſſimis lineolis, centrum verſus contendentibus.

23. Qui lineolarum ductus quandam horum calculorum ſtructuram nunc mihi ad memoriam revocat, ab ea quam Kentmannus propoſuit, diſcrepantem. Neque enim ſolum confertiſſimæ iſtæ quas modo dicebam, in ſingulis ſtratis lineolæ, ab aliis quoque ante me, ut puta a Mauricio Hoffmanno (*x*) cum *ex laminis ſtriatis quaſi concretos* calculos deſcripſit, facile animadverſæ, verum etiam multo evidentiores lineæ, aut a centro ipſo ad ambitum perpetuo ductu pertinentes, interdum conſpectæ ſunt, ut a Baeumlino (*y*), qui in calculis, quod ad colorum ordinem ſpectat, cum quibuſdam a me deſcriptis maximam, ut ait, partem convenientibus, *ſpiculas quaſi ſalinas* a centro ad peripheriam *ſtriatim* decurrentes perſpexit, *ut minus ex lamellis*, quam ex ſtriis facti viderentur. Sic etiam Trewius (*z*) in alio calculo *nullam deprehendi potuiſſe*, teſtatur, *ſtructuram lamellatam*, cum *radii potius a centro quaſi ad peripheriam, ſed confuſe, excurrentes cernerentur*, quod addita delineatio (*a*) confirmat. Sed Mauritius Reverhorſtius (*b*); ne illos qui antea ſcripſerunt, omittam; ubi ex plurimis calculis quos e Senis veſicula extraxerat, ſectiones unius, an duorum delineat, in altera quidem corticem ad circuli modum adumbrat, in utraque autem non tenues lineas a centro ad peripheriam radiatim contendentes. Joannes autem Baptiſta Contulus (*c*) cum Icones, qualeſcunque ut cætera, exhibeat lapidum in eadem cyſti repertorum, in iiſque unius, ab ſe inventi, *in extremitatibus diaphani*, ſectionem quoque, ut videtur, alterius exhibet neſcio unde ſumptam, in qua plura quidem circularia ſtrata, ſed multo plures lineæ conſpiciuntur a centro ad ambitum pertinentes. Porro a Malpighio (*d*) deſcriptam memini peculiarem ſpeciem calculorum, quos credebat *e mucoſa quadam* concreviſſe *ſubſtantia, quæ ſaponem æmuletur, vel magis camphoram*. Eos igitur *mira* ait *eſſe compage; lapidem namque judaicum figura æmulari, & interius elegantibus lamellis a peripheria ad centrum deductis compaginari, quæ de facili ab invicem ſeparantur*. Quanquam autem arbitrabatur *in hepate* gigni, *& in ejus poro*, credo quia ejuſmodi lapidem, quem Amicus Bonfiliolus ſervabat, repertum audiverat apud Germanos *in jecore* Viri Nobilis; tamen ejuſcemodi alterum, quem vidiſſe ſe, ſcribit, a Matrona ſibi nota *poſt ingentes dolores, & longam ictetitiam per alvum excretum*, ibidem genitum fuiſſe, pro certo ſcire non poterat. Namque & ex fellis veſicula procul dubio fuiſſe quoſdam calculos per ſedem ejectos, infra (*e*) oſtendetur, & in ipſa quoque concreſcere nonnunquam aliquos ſtructura haud abſimili, cum ex dictis non obſcurum eſt, tum continuo aliis Obſervationibus comprobabitur. Ille enim Vateri pellucidus calculus qui ſupra (*f*) a nobis eſt memoratus, non modo in ſuperficie ſtrias ſalinas tenuiſſimas micantes habebat, ſed & *ſtriatim concretus* erat: aut ſi quid in hoc forte dubii eſt; nihil certe erit in deſcriptione, & imaginibus illorum duorum quos ex Morando indicavimus (*g*). Eorum enim uterque ſplendidas, pellucidaſve lamellas habet, alter quidem cum ſtratis circumjectis, alter vero ſine his, radiatim a centro ad ambitum contendentes. Et nuper Ill. Hallerus (*h*) alios propoſuit *cryſtalli modo micantes & ſemipellucidos*, quorum unius, ſponte rupti, ſubſtantia interna *ſelenitica quaſi, micans, ex centro flavo radiatim extrorſum porrecta ad corticem, in cruſtas & laminulas facta erat*. Reliqui minores *ſimiliter intus ſelenitæ modo laminoſi, ſplendidi*.

24. Hæ Obſervationes omnes cum aliis junctæ, quas de ſplendidis, pellucidiſque cyſtis lapillis antea (*i*) commemoravimus, te ad ſuſpicandum facile inducent, calculos plures ex iis qui alvo dejecti ſunt, non cyſtis, ſed ventriculi, & inteſtinorum fuiſſe præpropere exiſtimatos propterea quia a magis vulgata cyſticorum natura, ſtructuraque nimis abeſſe viderentur. Occurrit in primis quem ex Cornelio Gemma deſcripſit Donatus (*k*) *intus ſubſtantiam* oſtendentem *inſtar vitri purioris, aut cryſtalli pellucidam multis ſtriis atque radiis in unum centrum confluentibus*. Illud ſuſpicioni videtur obſtare quod eſſet *prægrandis*. Sed præterquam quod infra (*l*) indicabitur, quantum poſſint bilarii ductus dilatari, imo quantum inventi ſint dilatati; tu cum Gemma credito ex diuturni doloris & tenſionis ſede in dextero ilio ſub coſtis ſpuriis, in Cæco inteſtino, non concretum quidem, ut ipſe arbitratur, ſed mora auctum ſubſtantia illa alia exteriore partim fuſca, partim atra, in eam molem excreviſſe. Ita & magnum alterum quem deſcribit, pingitque Bezoldus (*m*) ſtratis auctum in via putato, quæ multo pauciora eſſent ubi concreverat *nucleus quaſi cryſtallinus*, quem videntur Icones non ſine quibuſdam ſtriis, ad ejus ambitum a centro ductis ſic ſatis adumbrare. Hujus autem calculi dejectionem multo longiores dexteri hypochondrii dolores præceſſerant: nec Bezoldus (*n*) fieri poſſe non cenſet, quin a veſicula fellis provenerit. De duabus, quas ſubjicit, Obſervationibus dejectorum lapidum alterius magni, alterius minoris, ipſe quod malueris, ſtatues. Prima enim certam nullam antiqui in ventre doloris ſedem, ſecunda nullum dolorem indicat. Cum tamen proponi in illa calculum legeris, cujus *rutilans interna ſubſtantia meros oſtendebat circulos ſtriis interſectos*, & Obſervatoris, Scroeckii patris, delineationes (*o*), ab deſcriptione hac non abhorrentes, inſpexeris; fortaſſe ne hunc quidem calculum a ſuſpicione rejicies tua. Minorem autem, de quo apud Auctorem Brechtfeldium (*p*) non plura quam apud Bezoldum invenies, quærens forſitan, num quando is, ut tres priores, & ille inſuper a Malpighio (*q*) viſus, a fœmina dejectus fuit, eſſet illa, ut de tribus iſtis novimus, vetula; hunc, inquam, minorem ſatiſne erit tibi fuiſſe *interius inſtar cryſtalli albicantem, & rutilantem*, arbitranti in nimis preſſa deſcriptione, potuiſſe facile ſtructuram omitti, quæ ut in pellucidis etiam aliis, ſupra (*r*) a me commemoratis, ſi diffracti fuiſſent, apparuiſſet fortaſſe qualis in poſtremis deſcripta eſt. Verum ne forte ſuſpicionibus liberius indulgeas, fac tibi viciſſim Cl. Chomelii Obſervationis (*ſ*) veniat in mentem: qui in decrepita Matrona ſacculum deprehendit, in quem ſe tunicæ inteſtini Duodeni laxaverant, bene multos calculos continentem, quorum ſi exterius inſpectorum deſcriptionem legas, ſimulque ſcias, interius ex circumjectis ſtratis compactos, & propius centrum ex ſtriis radiatim pergentibus,

(*ſ*) III. Animad. 28. (*t*) n. 47. (*u*) Vid. ſupra ad n. 20. (*x*) Eph. N. C. Cent. 9. & 10. Append. I. Obſ. 35.
(*y*) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 28. n. 2. (*z*) Ibid. Hebd. 36. n. 4. (*a*) Tab. 1. Fig. 26.
(*b*) Diſſ. de Mot. Bil. Tab. 2. Fig. 3. (*c*) De Lapidib. &c. c. 11. (*d*) Op. Poſth. (*e*) n. 46. (*f*) n. 18. (*g*) Ibid.
(*h*) Opuſc. Pathol. Obſ. 33. Hiſt. 7. (*i*) n. 18. (*k*) cap. 30. cit. ſupra ad n. 15. (*l*) n. 46.
(*m*) Diſp. de Cholelitho Caſ. 2 & Fig. 2. & 3. (*n*) Ibid. n. 7. (*o*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 9. Obſ 90. Fig. 3. & 4.
(*p*) in Act. Med. Hafn. Vol. 1. Obſ. 100. (*q*) ſupra, n. 23. (*r*) n. 18. (*ſ*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1710. Obſ. Anat. 3.

quas inter disjectæ erant albæ ſplendenteſque particulæ; facile pro bilariis habeas. Et tamen genitos in eodem inteſtino cum Chomelio agnoſcas, neceſſe eſt, niſi forte de duobus quæ dicam, alterutrum malis. Scilicet aut eum ſacculum cum bilis Communi meatu qua inter ejus inteſtini membranas oblique fertur, communicaſſe, ab illoque calculum primo unum, deinceps alios qui membranas aucto ſuo pondere laxaverint, accepiſſe; aut primum illum calculum ſtatim atque e meatu inteſtinum ſubierat, in hoc quacunque de cauſa ſubſtitiſſe, & tunicas gravando, urgendoque extrorſum, deorſumque, ſibi, & inſequentibus aliis calculis ſacculum paraſſe. Sed etſi utramque explicationem confirmare fortaſſe poſſes, illam quidem exemplo ſacculi in quo ejuſdemmodi lapilli erant ac in cyſti, qui ſacculus Solertiſſimo Galeatio (*t*) ibi eſſe viſus eſt ubi Communis bilis meatus jam prope finem pervenerat ſuum: alteram autem explicationem non alio auctore, quam Chomelio ipſo, quippe ſacculi efformationem haud aliter repetente a calculo in Duodeno inteſtino genito, quam tu a calculo in hoc illapſo: etſi, inquam, hæc poſſes fortaſſe dicere; nolim tamen, te nimis videri ſuſpicacem.

25. Atque utinam ad cyſticos ab inteſtinorum calculis internoſcendos, ut ſane utilia ſunt, ita ſatis omnino eſſent quæ cenſuit Reverhorſtius (*u*). *Proba horum calculorum*, inquit, *id eſt, an revera calculi ex veſica fellea ſint, necne, eſt quod hi calculi igni admoti, flammam non tantum concipiant, ſed & in aquam projecti minime fundum petant, ſed eidem ſupernatent propter bilis particulas oleoſas; hos lapillos componentes*. Verum ut de cæteris bilariis calculis hic non quæram, an ſic a cyſticis diſtinguantur; certe Bidlous (*x*) cum paucis poſt annis ſcriberet, *calculos ex bile oriundos aquis innatare, atque igne, cujuſcunque ſint coloris, figuræ, & magnitudinis, comburendos exiſtere*, continuo hæc addidit, *ut plurimum autem*: quam additionem an quiſquam de multis illa ejus verba producentibus, aut indicantibus animadverterit, haud ſatis ſcio; me quidem fateor, non ante hoc tempus animadvertiſſe. Præterea; ut de levitate prius dicam, de *inflammabilitate* poſtea dicturus; Scheffelius (*y*) admonet, Reverhorſtium a Valentino *refutari tum calculo ſimili aquæ non innatante, tum ægagropilis aquæ innatantibus, licet non in cyſtide generentur*. Sed & plurimis ante hos omnes annis Ottonem Heurnium (*z*) tradentem lego, tres in cyſti fellea inventos ab ſe calculos *aquæ injectos non nataſſe*, *ut multi ſcribunt*, *ſed ſubſediſſe*. Scilicet alias (*a*) a me nominatos deſignabat Fernelium, Riolanum, alioſque, in quibus etiam fuit Hollerius (*b*). Quos, & Reverhorſtium nihilominus ſequi homines vel Præſtantiſſimi diu perrexerunt, quos inter ſatis eſt Ruyſchium (*c*), & Bergerum (*d*) nominaſſe: nec deſunt adhuc qui ſequantur, hos calculos, ſine ulla exceptione, innatare in aqua, ſcribentes. Et ſane experimenta illis ſic reſpondebant: quemadmodum & aliis vel tunc, vel poſtea, ut Cunrado (*e*), Tremelio (*f*), Trewio (*g*), Edimburgenſibus (*h*), aliis. Quibuſdam vero minime reſponderunt, ut Jo. Conrado Fabricio (*i*), aut partim non reſponderunt, partim reſponderunt, ut Lanciſio (*k*), qui decem *aqua & vino ſubſidentes* vidit, eoſdemque *aceto innatantes*, ut Weitbrechto (*l*), qui totidem e cyſti *exemtos*, *ſtatimque aquæ injectos*, *aqua ſpecifice graviores*, *ſiccatos autem leviores* deprehendit. Ego vero cum primum nonnullos (*m*), deinde plures in aqua deſcendere, animadvertiſſem; quærere inſtitui, num ad certa quædam capita exceptiones poſſent revocari. Sed cito intellexi (*n*), exceptionem a colore non poſſe repeti. Quæſivi igitur, num aliunde. Verum ex illis obſervationibus quas cum Schroeckio communicavi (*o*), proclive tibi erit perſpicere, quam difficile id ſit in tanta non ſolum inter diverſos, ſed inter eoſdem calculos, ſi modo tempus, aut aliud aliquod mutes, varietate. Tamen cum ea quæ ſemel, atque iterum hac de re ſcripſi, perlegeris; quædam non inutilia cognoſces ad præpropera de ſede in qua oblati calculi concreverint, coercenda; nonnulla quoque invenies quæ poſtea ab illuſtri etiam Medico, ſive is mea legerit, ſive non legerit, ad eundem fere modum ſunt adnotata. Quærenti autem tibi, unde ſit, ut alii ex his calculis innatent, alii ſubſidant, num quia plus illis, his minus inſit oleoſarum particularum, quæ ſive ob certam figuram plura inter ſe ſpatia relinquendo, ſive aliam quamlibet ob cauſam ſolent, ut olea paſſim, reſinaſque videmus, ſupernatare, an quia primi, quacunque ex materia fiant, plura quam alteri, interſperſa habeant ejuſmodi intervalla, aere videlicet plena, cujus immanem ſane copiam cyſticis lapillis contineri, Cel. Hallerus (*p*) credit ex Haleſii obſervatione; id tibi igitur quærenti non diſplicebunt fortaſſe quæ de emiſſis, aut ad eos adhærentibus in aqua bullulis obſervavi, ſi quid forte ad illorum præſertim reditum explicandum facerent qui primum delapſi, mox ſe in ſupremum locum reſtituunt, aut reſtituere nituntur. Obſervationes autem meas cum iis conferre juvabit quæ de bullis ad immerſa alia corpora adhærentibus, earumque ad attollendum vi attigit olim Stancarius meus (*q*), multo autem copioſius Petitus Medicus (*r*) eſt perſecutus. Quem dum leges, illud etiam diſces, quid calor additus aquæ poſſit ad efficiendum, ut quæ alioquin ſupernatarent, deſcendant: quæ res, ad felleos calculos translata, oſtendit aliam inſuper cauſam, unde experimenta variare poſſint, faceretque adeo, ut ſuſpecta mihi eſſent illa quæ frigidis anni temporibus fere habui poſt editam Epiſtolam Anatomicam I; niſi in tepida habuiſſem, non in fervente.

26. Cur vero inflammabiles ſint, manifeſtius eſt, quam ut inquiri nunc debeat. Qua de eorum proprietate mentionem factam eſſe, non memini ante Corteſii (*ſ*) tempora, qui *experientia*, inquit, *compertum eſt, lapillos in folliculo bilis enatos, pinguedinis inſtar cremari*. Quis deinde id commune eſſe illis omnibus, affirmaverit, quod nonnulli etiamnum credere videntur; quis *ut plurimum* dumtaxat verum eſſe, admonuerit, indicatum eſt paulo ante (*t*). Quæ autem mihi varia ſint in variorum combuſtione obſervata, & quos concipere, alere, & ſervare flammam; quos ſecus viderim, cum in Adverſariis (*u*), & Epiſtola illa Anatomica (*x*), tum in extrema altera quam ad Schroeckium dedi (*y*), perſcriptum eſt. Ex quibus cum alia, tum illud præſertim intelliges, quæ circa *omnes*, certæ etiam ad ſpeciem naturæ, a Celeberrimo quodam Medicinæ Scriptore tradita ſunt, de omnibus in quibus is fecit periculum, non de omnibus in quibus ego, aliique fecimus, eſſe accipienda. Scilicet ſub eadem externa ſpecie alia in aliis calculis particularum ex quibus conſtant, natura, & numerus latere poteſt: imo aliquando ne latet quidem, ſi diligentius inſpicias. Viro Illuſtri Hallero (*z*), cui tot, & tam varios exemtos e cyſti calculos non in aquam conjicere, ſed flammæ placuit admovere, accidit, ut præter eos quos calcarios vocat, reliqui omnes flammam conciperent, in his nigri quoque. Sed num etiam intus nigri? Certe nigros Hiſtoria II. X. XI. deſcribens, in hac, itemque in X. non niſi *exteriorem cruſtam*, non niſi *corticem* memorat quæ *nigra* fuerint; in II. autem *decuſſo cortice extremo, tenui, nigro, ſucceſſiſſe*, ait, *bilioſam flavedinem*. Aliam igitur ex accurata deſcriptione fuiſſe, intelligis, naturam eorum qui, experiente ipſo, flammam conceperunt, aliam illorum quos non modo exterius, ſed interius quoque, aut præſertim interius nigerrimos, flammam ſcripſi aut

non

(*t*) Comment. de Bonon. Sc. Inſt. T. 3. inter Medica. (*u*) Diſſ. de Mot. Bil. §. 57. (*x*) Vindic. contra Ruyſch.
(*y*) Diſſ. de Lithiaſi Fell. §. 14. (*z*) Obſ. cit. ſupra ad n. 22. (*a*) Animadv. ibid. indicata.
(*b*) De Morb. Int. l. 1. Schol. ad c. 48 (*c*) Theſaur. Anat. 5. n. 32. (*d*) Phyſiol. Med. l. 1. c. 14.
(*e*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 171. ad n. 7. (*f*) Act. N. C. Tom. 8. Obſ. 10. ad d. (*g*) loco indic. ſupra ad n. 23.
(*h*) cit. ſupra ad n. 13. (*i*) Propemptic. cit. ſupra ad n. 15. (*k*) De Subit. Mort. l. 1. c. 20 n. 4. (*l*) cit. ſupra ad n. 17.
(*m*) Epiſt. Anat. 1. n. 43. (*n*) Ibid. n. 45. 46. (*o*) Obſ. indic. ſupra ad n. 20. (*p*) ad Boerh. Prælect. § 250. not. *r*.
(*q*) Vid. Vallisner. Oper. T. 1. P. 6. (*r*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1731. (*ſ*) Miſcell. Med. Dec. 2. c. 9. (*t*) n. 25.
(*u*) III. Animad. 28. (*x*) n. 49. (*y*) Obſ. indicata ſupra ad n. 20. (*z*) Opuſc. Pathol. Obſ. 33.

non concepiſſe, aut non ſervaſſe, per quæ potiſſimum experimenta vulgo notum factum eſt, eſſe cyſticos quoſdam calculos non inflammabiles. Hiſque alios, quamvis non nigros, poſtea adjeci, quos hic non eſt opus commemorare.

27. Poſt longum adeo ſermonem de his calculis factum præſertim ut quando e corpore ejecti ſunt, dignoſcantur, jam verba de iiſdem habenda ſunt cum intra ſuam latent veſiculam, ſi fieri poteſt, cognoſcendis; ne forte oblitum me, credas, unde nobis in hanc tractationem ingreſſus fuerit. Scilicet fuit ab ejus reprehenſione qui pertinacem icterum, aut recidivum, *certum* eſſe illorum ſignum, pronunciaverat. Quanto cautius Fernelius (*a*), qui nihil aliud ait, niſi tunc *ſuſpectos eſſe debere*; & ponebat tamen illud in primis, ſi ductus uterque cyſtis, id eſt Hepaticus, & Communis (*b*) fuiſſet obſtructus. Quod ſi ne ejuſmodi quidem icterus certum lapillorum cyſticorum eſt ſignum; dici non poteſt, quantum decepti ſint ii qui ſine ictero eſſe illos non poſſe, exiſtimarunt. Quam opinationem, in quorundam Medicorum animis adhuc ſuperſtitem, ut penitus convellamus, confirmare pro certo poſſumus, cum omnes quorum in cyſti calculos ipſi deprehendimus, undeviginti fuerint, quatuor autem in quibus Valſalva, ne unum quidem ex his omnibus regio morbo fuiſſe infectum. Quoniam autem tres Valſalvæ, & totidem noſtræ Obſervationes ad Epiſtolas poſtea ſcribendas (*c*) attinent; interea poteris quatuordecim illas quarum alias aliis in Litteris (*d*) ad te antea miſimus, rurſus videre, & cum iis tribus conjungere quas continuo ſubjiciemus.

28. ANUS paupercula cadendo graviter percuſſerat caput. De quo uno ejus omnes querelæ erant quoad vixit; vixit autem non paucos dies donec ſenſim deficeret. Nulla huic pulſuum inæqualitas, nullum icteri veſtigium fuit. Quæ duo cur adnotem, indicabunt illa quæ in corde, & fellis veſicula, cum aliud agerem, animadverti. Neque enim ut detrimenta ab ictu illata cognoſcerem, cadaver incidi. CORPUS erat pingue, & cutis tamen prædura. In Thorace nihil mihi quidem occurrit animadverſione dignum; nam eorum qui forte aderant, nonnullis ſecus viſum eſt de concretione polypoſa quam in cordis auricula dextera offendimus albidam, & ſi diſſolvere manu tentares, non leviter reſiſtentem, quaſi non ejuſmodi cruſtam ſæpenumero ſpectaremus inſidentem miſſo concretoque ſanguini, aut huic fœminæ inæquales, quos ex polypis repetere illi conſueverant, fuiſſent pulſus. In Ventre geminus propemodum apparebat ventriculus; adeo priuſquam ad pylori antrum perveniret, ſe ventriculus repente contrahebat. Cyſtis fellea ſemiplena bile, non ſecus ac auripigmentum, vivide flava, hoc colore tinxerat vicina quæque. In ea bile decem erant calculi diſpari quidem magnitudine, ſed nullus parva. Cætera quæ ad eos attinent, leges in Epiſtola ad Schroeckium (*e*); hæc enim ea mulier eſt de qua ibi tertio loco verba fecimus, ubi, & quando eam ſecuerimus, indicantes. Indidem cognoſcere ſimiliter poteris de fœmina altera, cujus protinus huc adſcribemus hiſtoriam reliquam: eſt enim illa de qua primo loco iiſdem in Litteris ſcriptum eſt.

29. MULIER ſuperiore paulo minor, annos tamen nata ferme ſexaginta, colore non modo non icterico, ſed optimo prædita, biboſa, & ſepties nupta, non alio de morbo, niſi de eo quo confecta eſt, thoracis inflammatione queſta, cum a nobis non ob morbum, ſed ut ventris rimaremur viſcera, conſecaretur, nonnulla in genitalibus, ſed magis in bilis veſicula oſtendit non indigna quæ huc tranſcribantur. UTERUS exterius in ſummo fundo tuberculum habuit figura, & magnitudine minoris avellanæ, ex parte prominens, ex parte intra uteri ſubſtantiam latens, ſcirrhoſa duritie, colore intus extraque albo, ex particulis conſtans multiplicibus quæ contractas in ſe cellulas quodammodo referebant. Intra uteri autem cavum ex media fundi anteriore parte quædam extabat mollis, & pene *gelatinoſa* excreſcentia. Etſi vero teſtes, ſicut ætas ferebat, ſtrigoſi erant, & peranguſti; cervix tamen uteri, & vagina aliter apparuere, quam in ſeptem virorum uxore expectaſſes. Nam multæ in hac etiamtum rugæ & extantes vel ad ipſius longitudinis medium; in cervice autem figura ad virgineam accedens, & valvulæ in altero latere conſervatæ, ut perpaucorum liberorum parentem fuiſſe, crediderim, quod exiles ad imum abdomen rugæ confirmabant. Quod vero ad fellis veſiculam attinet, etſi multo hæc erat brevior quam pro jecinoris, ſani alioquin, magnitudine; neque enim ad hujus limbum illius fundus perveniebat, imo duos ferme diſtabat digitos; tamen cum bile pauca, & flava continebat calculos ſaltem trecentos triginta, quos multo maxima ex parte fuiſſe exiguos, propoſita cyſtis brevitas ſatis per ſe ipſa indicat. Reliqua de his calculis obſervata qua in Epiſtola ſcripſerim, paulo ſupra (*f*) dictum eſt: quanquam cum plura, nec levia in ea deſcribenda peccaverint operæ typographorum, tum in ea potiſſimum parte plus verſu integro omiſerunt. Præter tot quot diximus calculos, cyſtis cavum occupantes, unum inter tunicas latentem ſcalpello retexi, nigro colore, & parvitate eorum ſimillimum quos in cyſtis glandulis alias a me inventos ſupra (*g*) commemoravi; hic tamen glandulæ oſculum non ita evidenter patebat.

30. SUTORIS perſenis, eoque jam propemodum omnino edentuli, ætate, & catarrho intra biduum, an triduum, ſine febre, ut ajebant, confecti, ſine ictero certe, ut ex cute candida manifeſtum erat, cadaver illatum eſt in Gymnaſium ſub Januarii finem, me Anatomen docente A. 1744. Cum igitur ibi totum fuerit diligenter confectum; quidquid præter naturam vidi, hic referam, ab iis orſus quæ noviſſime obſervata ſunt. CRANII fornice difficulter avulſo ob Craſſæ meningis arctiſſimam adhæſionem ſicut lamina hujus exterior affixa ad os frontis remaneret, cerebrum inventum eſt, ut cerebellum quoque, mollius, & in ſubſtantia medullari ſubfuſcum: ejus tres ventriculi aqua pleni pellucida & pura: Choroides plexus pallidi: Pinealis glandula in mediocris uvæ acini formam, & magnitudinem ab aqueo, ut videbatur, humore, a quo molliſſima erat, diſtenta: Pituitariam autem, ſi deſuper inſpiceres, contractam & ſubſidentem videres. Arteriarum quæ per cerebri baſim feruntur, & trunci, & rami, quanquam non ut ſanguifera intra ventriculos vaſa, diſtenti ſanguine, imo inanes erant; tamen æquo latiores conſpiciebantur. In Thoracis cavo aquæ turbidæ, & fuſcæ copia modica. Pulmones ad dorſum concidentes, quippe omnino fere a pleura ſejuncti. Ut cor æquo amplius, ſic & truncus Aortæ latior. Huic autem præfixæ valvulæ ad aggeres, ut Valſalva appellabat, oſſeæ factæ; quin unius ipſum alterum latus ex oſſea conſtabat ſquama. Cum vero interius per univerſum Aortæ truncum, ramoſque ipſius Iliacos albedo multo ſæpius hic illic quam oſſeæ bracteæ, propagaretur, harum unam vidi in curvatura, alteram prope Lumbarium par tertium, utramque non parvulam, & membrana hinc arteriæ intima, inde carneis annularibus fibris interceptam: quin verum os etiam fuit ad Iliacæ alterius in Externam, Internamque diviſionem. Præterea cum ipſæ Aortæ truncus infra Emulgentes inciperet ſiniſtrorſum ſe flectere, prius autem quam Iliacas promeret, dextrorſum iterum redire; idem vitium in Iliacas adeo pergebat, ut crebris flexionibus Splenicam propemodum arteriam referrent. Sed & Carotides, & Vertebrales eodem hoc vitio non omnino erant immunes. Quæ ramorum quoque flexiones fecerunt, ne deſcriptam modo trunci incurvationem prorſus imputarem contiguis lumbarium vertebrarum exoſtoſibus, quæ ſe ad hunc modum habebant. Craſſa illa ligamenta quæ inter earum vertebrarum corpora ſe interponunt, omnia, ſi infimum excipias, anteriore facie, ad utrumque præſertim latus, æreæ inſtar bullæ ita prominebant, ut tranſverſum minimum digitum eæ dexteræ, ſiniſtræque prominentiæ ferme æquarent. Siniſtræ omnes prominentiæ

(*a*) Patholog. l. 6. c. 5. (*b*) Vid. ejuſd. Phyſiolog. l. 1. c. 7. Vid. etiam infra n. 33.
(*c*) Vid. Epiſt. 38. n. 20. Epiſt. 49. n. 2. Ep. 56. n. 7. 9. 31. Ep. 57. 10. (*d*) Vid. Epiſt. 3. n. 4. Ep. 4. n. 13. Ep. 5. n. 6. & 19. Ep. 21. n. 2. 30 & 36. Ep. 24. n. 16. Ep. 26. n. 21. Ep. 27. n. 2. Ep. 30. n. 14. Ep. 34. n. 15. Ep. 35. n. 16. Ep. 36. n. 4.
(*e*) Vid. in Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 167. (*f*) n. 28. (*g*) n. 21.

(an quod prius quam dexteræ, cœpiſſent?) erant oſſeæ. Dexterarum autem ea tantum quæ intervallo reſpondebat inter vertebram tertiam, & quartam, oſſea eſſe videbatur; nec erat tamen; ſed lamina oſſea quæ ſuperficiem faciebat corporis vertebræ quartæ, extabat, ſeque ita extans, ſurſum producebat, eamque prominentiam cruſta oſſea operiebat: ſub qua cruſta ſervabatur prominentis ligamenti natura. Siniſtrarum prominentiarum cum unam ſcalpro, continuatum autem ligamentum cultro in tranverſum diſſecuiſſem; lineæ quidem illæ concentricæ ubi ſolent; ſed lurido, & quaſi cinereo colore infecta omnia apparuerunt.

Ad Ventrem tandem quæ pertinent reliqua, nobis hæc obſervanda præbuerunt. Omentum annexum erat a dextris tum ei parti inteſtini Coli quæ proxima hujus initio eſt, tum vicinis ei parti inteſtinis Tenuibus, & peritonæo. Ventriculus non ſolum anguſtior; ſed minus bona figura præditus. Pylori autem annulus duobus in locis nonnihil tumebat. Prope alterum orificium intus in ventriculo ſubrotunda quædam, & parva quaſi glandula extabat, quæ diſſecta pro tumore cyſtico agnita eſt; ut pote qui ex ſubſtantia fiebat quidem alba, firma, & in unum corpus ejuſdem figuræ compacta; ſed id corpus a continente membranula facillime ſejungi potuit. Proximum autem tumori illi orificium ventriculi, id eſt ſtomachus, erat ampliſſimum, ut continuata quoque gula ad quatuor ſaltem ſupra ventriculum digitorum altitudinem, quo toto ſpatio intus erat, quam reliquo, rubicundior. Quin etiam foramen, in ſepto tranſverſo ad eam tranſmittendam apertum, multo quam ſoleat, in latitudinem præſertim, amplius vidi, & ſuperiore extremo recta in tranſverſum linea, non angulo, terminatum. Cum eam omenti partem quæ ventriculo adnata eſt, diligentius inſpectarem; animadverti a ſiniſtris haud procul ab hujus fundo, glandulæ inſtar, exiguum quendam lienem, ab omento, in quo erat, ſanguifera vaſcula accipientem, colore, tunica, ſubſtantiæ modo, niſi quod hæc erat paulo humidior, lienis ſimillimum, ea autem figura, & magnitudine, ut cum mediocris gallinæ ſplene poſſet comparari. Præter hunc non deerat alter lien, ſanus, & ſani pariter hepatis magnitudini reſpondens, quæ juſta erat, vel potius paulo minor. In fellea cyſti cum pauca, & viſcida bile calculi inerant ſex, ſeptemve non exigui, quorum maximus mediocris uvæ acino haud minor fuit, fere ſubrotundi, inæquali tamen quaſi ab adhærentibus minimis aliis ſuperficie. Si tenuiſſima quædam puncta excipias ſubflavi coloris per hanc disjecta; omnes intus, extraque pernigri, nec colore modo, ſed ipſa quoque ſubſtantia carbonem referentes. Hi poſtquam ſiccati ſunt, per ſe plerique in fragmina abierunt. Antea autem etſi leves eſſe videbantur, qui in aquam conjecti ſunt, fundum continuo petierunt: qui vero ad flammam admoti, neque hanc ullo modo conceperunt, neque ulla ex parte liquari potuerunt. Minorum unus illic fuerat ubi ſe veſicula in ductum jam contrahit; neque tamen bilis egreſſui obſtiterat, ut veſicula, priuſquam incideremus, compreſſa, animadvertimus. Denique cum in renibus nil eſſet adnotatione dignum; aperta veſica urinaria, in poſteriore ejus facie ſupra orificium alba quædam apparuit, exigui inſtar inverſi pyri, protuberantia aliquanto major quam erat caruncula ſeminalis, ad quam uſque ſe producebat, in exilem tamen humilemque lineam contracta, ima illius protuberantiæ pars, quæ intra urethræ initium prominens, cum Proſtata glandula continuabatur; ut cum ex eadem, ex qua hæc eſſet, ſubſtantia, quin Proſtatæ excreſcentia eſſet, nemini ex illis qui in earum partium diſſectionibus magis exercitati aderant, eſſe dubitandum videretur.

31. Utinam ſicuti quæ in toto erant hujus Senis corpore præter naturam ob id ſaltem ne quædam te fugerent quæ nonnunquam occultæ eſſe poſſunt non levium fortaſſe morborum cauſæ; ſicuti, inquam illa adnotavimus, ita quinam in vivo plerorumque eorum effectus præceſſiſſent, nos minime lateret. Sed illud in præſentia ſcire ſatis eſt, cum eos calculos in cyſti haberet; ictericum tamen non ſecus ac deſcriptæ mulieres, & tot alii ſupra (*h*) indicati, non fuiſſe. Quod ſi uni mihi ſic obſervare contigiſſet; facile ſinerem, qui contrariam adhuc fovent opinationem, illud negligere, aut diſſimulare. At præter ſimiles quas alias (*i*) produxi, Hominum Graviſſimorum Obſervationes, & Valſalvæ illas quas indicavi (*k*), tot ſuperſunt aliæ, ut omnes me enumerare poſſe diffidam. Quaſdam igitur ſatis ſit ad priores illas addidiſſe. Lælius a Fonte (*l*) ſenis Epiſcopi *veſicam felleam repertam fuiſſe levibus lapidibus repletam*, ſcribit, *& tamen nunquam icteritia fuiſſe detentum*. Eadem prorſus de Vetula quadam teſtatur Pechlinus (*m*), & de muliere quæ Lipſiæ capite mulctata eſt, Ettmüllerus (*n*), cum *in folliculo fellis copioſos* gereret *lapides majores, & minores*, Valliſnerius autem noſter (*o*) ſe nunc plurimos felleos calculos, nunc unum magnum in plurium cadaveribus deprehendiſſe qui *nunquam* fuerant arquati. Baeumlinus (*p*) quot cyſtis calculos in ea repererit in qua *icterici quid* non apparuerat; quot Fabricius (*q*) in ea quæ *ad ſenſum* erat *ſana*; quot denique Hallerus (*r*) in alia quæ *ſaniſſima videbatur*, itemque in vetula in qua *icteri nulla ſigna*, videre per te poteris: nec vero ſuſpicaberis, in tot aliis ipſius hiſtoriis in quibus nulla icteri mentio eſt, hunc fortaſſe non defuiſſe, quando animadverteris, ubi illarum ſummam colligit (*ſ*), ſcribere, hos calculos *plerumque abſque ictero eſſe, per experimenta ſua conſtare*. Cæteros, & in his Vaterum (*t*) ſciens omitto, cum ad eos quos nominavi, non illos tantum addere oporteat quos infra (*u*) adducam teſtantes, ſe cum iis calculis nullam prorſus noxam conjunctam vidiſſe, ſed illos etiam qui cum incommoda reliqua deſcribant, aut memorent eorum in quibus cyſtici fuerunt lapilli, icterum, quod vitium in oculos ultro incurriſſet, omnino prætermiſerunt, in quibus noli credere, tantummodo eſſe Reverhorſtium (*x*), Contulum (*y*), Riedlinum (*z*), Hoffmannum (*a*), Baſſium (*b*), aliosque ex magis recentibus. Sepulchretum dumtaxat verſa. Invenies Bonetum (*c*), Mortonum (*d*), Greiſelium (*e*), Kentmannum (*f*), Huldedreichium (*g*), Cnoffelium (*h*), alios; neque enim tempus mihi eſt ad omnes ſingillatim indicandos, quos cum legerem, non potui exiſtimare, morbum regium, ſi ſuos infeciſſet ægros, fuiſſe facile prætervituros.

32. Quid ergo eſt, inquis, quod plurimi viciſſim teſtes vel in Sepulchreto ipſo producuntur, qui cum cyſticis lapillis hunc conjunctum morbum viderunt? Non ideo certe quod his poſitis, hic quoque neceſſario poni debeat. Sic enim vidiſſent omnes. Igitur ob cauſam aliam aliquam. Exempli enim gratia; ne a Sepulchreto recedamus; habes in Helwigii Obſervatione (*i*) icterum cum iis calculis; ſed etiam cum hepate marcido, & putreſcente: habes illos quoque in Veſalii (*k*), & Verzaſchæ (*l*) Obſervationibus; at ſimul jecur magnum, durum, & viride, aut ſcirrhoſum, flavum, exſangue. Eſt alias pro hoc vitiorum genere aliud vitium, ut cum Beckerus (*m*) calculos non modo in veſica fellea, ſed pariter in poris choledochis repertos proponit. Alias vero utrumque eſt. Sic Deodatus (*n*), & Dobrzenſkius (*o*) tum durum jecur, tum calculos ſimul in cyſti, ſimul in iis ductibus fuiſſe, referunt. Mirum autem non eſt, materiam bilis ad regium morbum faciendum in ſanguine remanere, cum illam jecur aut ſecernere, aut ſecretam, ne reliquæ ſecretionem prohibeat, extra ſe mittere non poteſt. Huc autem referendam eſſe illam quoque veterem Obſervationem (*p*) in matre

(*h*) n. 27. (*i*) Epiſt. Anat. I. n. 50. 51. (*k*) ſupra, n. 27. (*l*) Conſult. Med. 139. in fin.
(*m*) Apud Scheffel. Diſs. ſupra ad n. 13. cit. §. 16. (*n*) Prax. l. 1. S. 17. c. 3. art. 4. (*o*) Adnot. cit. ſupra ad n. 13.
(*p*) (*q*) loc indicat. ſupra ad n. 23. (*r*) Opuſc. Pathol. Obſ. 33. Hiſt. 7. & 11. (*ſ*) Ibid. Hiſt. 10.
(*t*) Diſſ. ſupra ad n. 16. cit. theſ. 9. (*u*) n. 38. & ſeq. (*x*) Diſſ. ſupra cit. ad n. 16. (*y*) loc. ſupra ad n. 23. cit. c. 25.
(*z*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 45. (*a*) cap. ſupra ad n. 15. cit. Obſ. 1. (*b*) Dec. 4. Obſ. Anat. 9. (*c*) l. 2. S. 4. Obſ. 35.
(*d*) S. 7. Obſ. 43. (*e*) S. 11. Obſ. 46. (*f*) l. 3. S. 7. Obſ. 33. (*g*) S. 14. Obſ. 36. (*h*) S. 17. Obſ. 14. §. 5.
(*i*) Ibid. S. 7. in Additam. Obſ. 1. (*k*) S. 18. Obſ. 8. §. 4. cum Obſ. 20. (*l*) Ibid. in Addit. Obſ. 6.
(*m*) Sect. ead. Obſ. 8. §. 1. (*n*) Ibid. §. 10. (*o*) S. 16. Obſ. 5. (*p*) S. 18. Obſ. 8. §. 5.

matre habitam Profeſſoris Bononienſis, facile intelligeres, ſi integra proferretur. Tu vero hanc, ut illam Veſalii quam paulo ante indicabamus, bis in una eademque Sectione legas oportet; eſt enim (quis a primo crederet?) iſta ipſa quæ infra (*q*) etiam ponitur: quod facile cognoſces, utramque inter ſe, & cum ea conferendo quæ in Sectione alia (*r*) propoſita fuerat, vel potius cum illo a quo habita eſt, Coitero (*ſ*); etſi enim toties repetita eſt in Sepulchreto; ſemper tamen neglecta fuit Auctoris dubitatio, minime alioquin prætermittenda; neque enim ſcripſit *regio morbo laborarat*; ſed *regio*, *ni fallor*, *morbo laborarat*. Vides igitur, producta teſtimonia infirmari, ſi quis recte attendat, eorumque ſimul numerum minui, cum quæ erant ſingula, bis, quaſi gemina eſſent, in medium allata eſſe, oſtenditur. Sic & Timæi iteratam Obſervationem (*t*) deprehendes; non ſecus ac Guarinonii (*u*), & aliorum fortaſſe: verum in nulla magis mireris, quam in ea Fontani (*x*), quæ cum modo eſſet prolata ſub numero XXII; continuo una eademque, vix aliquot mutatis verbis, ſub XXIII. proponitur. Sed tamen ultimæ duæ Obſervationes alio, non ad lapillos cyſticos, ſpectant cum ictero quidem, ſed cum gravi ſimul aut jecoris vitio, aut bilariorum canalium obſtructione conjunctos, quo attinent priores illæ, atque aliæ quædam multo recentius vulgatæ. Quarum aliqua ſi proferatur, facile alia etiam ratione infirmari poſſit, ut cum Vaterus (*y*) Matronam ſcribit, cujus in cyſti triginta calculos invenit, ictero laboraſſe. Hoc enim fatemur; ſed illud quod continuo ſubjicit, ſimul attendimus, ab ictero liberatam annos tres circiter & viginti integra uſam eſſe valetudine, & tandem apoplexia interemtam. Nam ſi ob id tantum quod calculi jam tum in cyſti laterent, ictero illo prehenſa eſſet; tam longum poſtea trium & viginti annorum ſpatium, quo non modo latebant illi, verum etiam augebantur, ſine ictero non exegiſſet. Ejuſcemodi & illis reſponſum dabis qui objicerent Weitbrechti (*z*), & Galeatii (*a*) Obſervationes. Uterque enim poſt regium morbum, olim prægreſſum, calculos in cyſti deprehenderunt: quanquam illud quoque reſpondere potes, a primo ſimul jecur ſubdurum eſſe deprehenſum; ab altero durius, multiſque tuberculis refertum; ut ea ſileam quæ ſupra (*b*) attigi, unde intelligas, alios lapillos alio olim fuiſſe loco, ut bilem tunc ſubire inteſtinum facile prohiberent. Ad illa autem exempla in quibus non modo prægreſſus, verum etiamtum præſens icterus cum cyſticis calculis erat conjunctus, ut Lanzoni (*c*), Verneyi (*d*), Swietenii (*e*), Halleri (*f*), aliorumque Cel. Virorum, ſiquis forte opponat; ſatis ex iis quæ paulo ante dicta ſunt, habes quod referas. Primus enim ſimul *multis hydatidibus obſitum* conſpexit jecur; alter dimidia ex parte adeo exſiccatum, ut pollicis craſſitudinem non æquaret; tertius *luridum*, *durum*, *exſuccum*, ... *ſcirrhoſis tuberculis aſperum*; quartus denique cum in tot hiſtoriis duas tantum exhibeat ictericorum, ſecundam, & nonam, in illa idem viſcus proponit *morbidum*, & *ulceroſum*, in hac *magna ex parte putridum* cum *veſicula fellea* tota *conſumpta*, ut *in media putrilagine calculus repertus ſit*. Suſpicor autem, ſi quorundam aliæ, quæ proferuntur, Obſervationes non obiter ſcriptæ, ſed pari diligentia & habitæ, & traditæ eſſent; futurum fuiſſe, ut præter cyſtis calculos, ſæpe alias ſimul in vicinia, & præſertim in hepate, intra quod, niſi perquiras, latere etiam poſſunt, læſiones compertas legeremus. Producuntur etiam aliquando Obſervationes minus recentes, ſed vel minus, ut verum fatear, ad rem facientes, ut puta Dominici noſtri de Marchettis (*g*), quaſi icterum a cyſtis calculis vidiſſe ſe, diceret. Ille vero cum ait, *obſtructa veſicula ab aliqua materia aut lapide* (*aliquando enim inveni in ipſa veſicula tres*, *aut quatuor lapides magnitudine ciceris*) *icteritia flava excitatur*; lapides quidem ab ſe ibi inventos dicit; ſic autem ut tunc veſiculam obſtruerent, & icterum propterea facerent, profecto non dicit.

33. Verum ſepoſitis ob animadverſiones illas quas hactenus indicavi, his omnibus Obſervationibus, aliiſque earum ſimilibus, cum quædam reſtent, ad quas nihil fortaſſe poſſit iſtorum dici; quæres ex me, qua ratione aliquando calculi veſicæ felleæ arquatos facere homines queant, & num illa qua Marchettus, aliique exiſtimarunt, ſi veſicam, aut potius ejus proprium, id eſt Cyſticum ductum obſtruant. Nam ſine ictero obſtructam ipſam fuiſſe, conſtat vel ex iis Obſervationibus quas ſupra (*h*) commemoravimus, cum videlicet plena erat lapillorum. Quanquam autem cum plena his eſt, nihil bilis poſſit emittere, &, quod conſequitur, res eodem redeat ac ſi ejus meatus eſſet occluſus; tamen ut tibi ſatisfaciam, occluſi illius meatus Obſervationes ſine ictero infra (*i*) proferam; hic autem illud dumtaxat quod ſupra (*k*) indicatum eſt, ad memoriam revocabo, non Cyſticum, ſed Hepaticum, & Communem ductum illas eſſe vias per quas bilis ab ipſo jecinore ad inteſtina amandatur; ut niſi hæ viæ aut excreſcentia, aut conſtrictione aliqua, aut viſcida craſſaque materia, aut calculis ſive in ipſis viis, ſive in hepate, ſive etiam in cyſti genitis, ſed in eas vias extruſis, impediatur, non poſſit bilariorum quidem meatuum cauſa bilis in hepate, ideoque ejus materia in vaſis ſanguiferis ad regium morbum efficiendum retineri. Cavendum autem eſt, nequando in Veterum Obſervatorum vocibus quibus ad Hepaticum, aut Communem ductum ſignificandum utebantur, erremus, non hunc, ſed Cyſticum intelligentes. Ipſi enim utrumlibet illorum ductuum pro cyſtis meatu, ut antea (*l*) quoque indicavimus, Fernelii locum explicantes, quemadmodum ferebant dogmata eorum temporum, accipiebant, Cyſticum autem ductum, quantum apud Mundinum (*m*) videre eſt, *colli* veſiculæ, non pori, aut meatus, aut ductus vocabulo deſignabant. Itaque cum apud Donatum (*n*) leges, Albucaſim docuiſſe, & confirmaſſe Nicolum, *in meatu veſicæ fellis oriri carneam excreſcentiam*, *quæ illam obturando inſanabilis icteritiæ eſt cauſa*, tametſi a me quoque olim fuiſſe, dixi (*o*) in ipſa veſicula deprehenſam; noli tamen facile credere, in hac, aut in Cyſtico ductu ortam ab illis eam intelligi de qua loquuntur, quippe quæ aliud quam veſiculam, ſi reapſe erat icteri cauſa, obturabat. Sic cum Gentilis, quemadmodum ſupra (*p*) indicatum eſt, ſe lapidem, ſcripſit, *in poro veſicæ fellis*, *ſeu meatu adinveniſſe*; quid hoc nomine accipias, vide. Te cautum reddet Sepulchreti ipſius lectio, ubi (*q*) Camenicenus ſic ad Matthiolum ſcribit, *meatus ille qui ex folliculo fellis in hepar eſt*, *liberrimus erat*, id eſt Hepaticus ductus. Dixerat autem paulo ante, *ille meatus qui ex folliculo fellis in inteſtinum deſinebat*, *lapide obſtructus erat*: quem non Cyſticum fuiſſe, ſed Communem, præter ea quæ dicta ſunt, illud quoque tibi indicabit, quod *folliculus fellis* in illo icterico *pleniſſimus erat bile*. Neque aliter accipies in Coiteri Obſervatione (*r*) verba illa, *in meatu a veſica bilis ad duodenum ictericæ magnus* calculus, *qui eum meatum undequaque obſtruxerat*, præſertim cum ab ipſo (*ſ*) folliculum felleum alibi ita deſcriptum animadverteris, ut nulla Cyſtici mentione facta, *duos* dicat *obtinuiſſe poros*, *alterum per quem ex hepate bilem trahit*, *alterum per quem ex ſe ſe bilem in duodenum inteſtinum tranſmittit*. Scilicet præceptoris Falloppii (*t*) dogmata in eo quidem ſecutus eſt, ut Cyſticum ductum non ſecus ac Veteres illi, pro veſiculæ cervice haberet; non in eo tamen ut ab hepate ad inteſtinum uno, eoque recto, meatu deferri, bilem, agnoſceret, cui *mea-*

tui

(*q*) Ibid. Obſ. 25. §. 6. (*r*) S. 8. Obſ. 36. (*ſ*) Obſ. Anat. (*t*) S. 18. Obſ. 8. §. 11. & Obſ. 25. §. 4.
(*u*) Ibid. Obſ. 33. & in Additam. Obſ. 5. (*x*) Sect. ead. (*y*) theſ. 9. cit. ſupra ad n. 31. (*z*) cit. ſupra ad n. 17.
(*a*) cit. ſupra ad n. 24. (*b*) Ibid. (*c*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. Obſ. 36. (*d*) cit. ſupra ad n. 13.
(*e*) ad §. 950. cit. ſupra ad n. 15. (*f*) Opuſc. Pathol. Obſ. 33. (*g*) Anat. c. 4. (*h*) n. 31. (*i*) n. 39. (*k*) n. 10.
(*l*) n. 27. (*m*) Anat. ubi de Kyſti fell. (*n*) De Med. Hiſt. Mirab. l. 5. c. 3. (*o*) ſupra n. 20. (*p*) n. 15.
(*q*) l. 3. S. 18. Obſ. 8. §. 12. (*r*) Ibid. S. 8. Obſ. 36. (*ſ*) Tab. Intern. hum. corp. Part. (*t*) Obſ. Anat.

tui medio in ductu natura *veſicam cervice implantaverit*.

34. Non Cyſticum igitur, ſed Hepaticum ductum, quem unum agnoſcentes, clarioris dumtaxat doctrinæ, & conſuetudinis gratia in Hepaticum, & Communem dividimus, ſive excreſcentia, ſive calculo, a Falloppio (*u*) quoque ibi ſæpius obſervato, ſive craſſa viſcidaque materia, ſive alia ratione impeditum requirimus, ut viarum bilis majorum vitio ortum icterum fateamur. Nam & craſſa obſtrui materia, & bile ipſa poſſe, non dubitamus qui olim in cane male affecto non Pancreatici ſolum, ſed & Communis ductus finem concreta materia quaſi gypſea & ſubflava occluſum invenimus. Ettmüllerum (*x*) autem legimus in Lipſienſe Icterico deſcribentem *infimum porum viſcida pituita penitus obſtructum adeo ut poſt abſciſſionem hujus meatus biliarii ne gutta quidem bilis profflueret, quia bilis ibi contenta craſſiſſima atque tenaciſſima erat*. Sed me hoc loco a te interpellari poſſe, ſcio, quærente, cur igitur Nobilis Gallus, quem Scultetus (*y*) diſſecuit, cum *porum bilarium ea parte qua duodeno inſeritur, lapillo, piſum magnum adæquante adeo obſtructum* haberet, *ut ne tantillum bilis per eum expurgari potuerit*, regio tamen morbo infectus non eſſet? Ego vero in ſingulari adeo caſu, niſi ad eas confugere velim ſanguinis conſtitutiones (*z*) in quibus materia bilis, atque adeo bilis ipſa vix ulla flavedine poteſt inficere; ſingularem quandam bilariarum viarum diſpoſitionem ſubfuiſſe, dicam, neceſſe eſt: qualem videlicet Falloppius (*a*) bis terve a ſe viſam teſtatur, Communi videlicet ductu paulo ſupra inteſtinum Duodenum *in geminum canalem diviſo*: quam diviſionem, ſed inter ejuſdem inteſtini tunicas, *in duos ramos inſignes, ſeparatis oſculis intra inteſtinum hiantes* ſemel quoque vidit Abrahamus Vaterus (*b*). Sic enim oſculo altero obſtructo, via bili aperta reſtat per alterum ad inteſtina. Eſſe etiam potuit alius aliquis præter conſuetudinem ductus, ut quem in muliere *bene habita & pingui*, & *ſic ſatis valida*, cum cyſtis infarta eſſet calculis & occluſa, Bartholino (*c*) inſpectante, offendit Veslingius *ab hepate prodeuntem, poro bilario, a calculis quoque conſtipato, vicinum, qui in jejunum inteſtinum terminabatur*, aut quem Bezoldus (*d*) ab ſe viſum deſcribit, & pingit Veslingiano ſimilem, modo non ad Communem, ſed ad inteſtina perveniret, aut quos ſemel atque iterum a Diemerbroeckio oſtenſos idem commemorat (*e*) ſeorſum a Communi inter veſiculam & inteſtina porrectos; ut magna pars bilis vel recta, vel per illum ferri ad hæc poſſet. Quas vero continuo ſubjicit Andreæ a Lacuna Obſervationes, ad eas ex parte attinentes quæ ſupra (*f*) a nobis indicatæ ſunt, lapidum ſine ictero in cyſti concretorum, eoque nomine productas in Epiſtola I. Anatomica (*g*), ſi apud Auctorem ipſum potius, quam apud Riolanum legere potuiſſet; illius maluiſſet verbis, quam hujus, uti, qui memoria lapſus, tribus in verſibus tria retulit cum iis quæ Andreas tradiderat, non congruentia. Sed his miſſis, ad alia pergamus.

35. Cum ſupra (*h*) genera quatuor propoſuerim cauſarum, Communem, aut Hepaticum bilis canales impedientium, trium autem ſolummodo exempla protulerim; miraris fortaſſe cur quarti, id eſt conſtrictionis illorum nullam produxerim Obſervationem. Sed mirari deſines ubi has Litteras adeo prolixas relegendo, id, quantum licuit, antea (*i*) factum per exempla quidem ex Sepulchreto indicata, animadverteris. Quod ſi alia forte aliunde quæris; minime deſunt. Illuſtre eſt ob ægri perſonam quod de Andrea Mauroceno, Senatore, & Hiſtorico Veneto nobiliſſimo doctus ejus Medicus tradidit Aurelius Palazzolus (*k*). Icteri enim quo Maurocenus confectus eſt, inſuperabilis cauſa fuit viarum conſtrictio; quippe *occalluerat ductus qua bilis in primis ad inteſtina fertur*. Meadius autem (*l*) poſt icterum pertinacem, eundem meatum vidit qua cum Cyſtico in unum coit, quaſi injecto vinculo ita contractum, ut *ſtylum non caperet*, nec qua ulla bilis portio qua cyſtis, & jecur diſtendebantur, poſſet ad inteſtina pervenire: ea autem contractio ab ſcirrhoſo, atque adeo cancroſo proximi pancreatis tumore inducta eſſe videbatur. In Actis quoque (*m*) Cæſareæ Academiæ Icterici extat Obſervatio, cui propter ſcirrhoſum pancreas, erat Communis ejuſdem Canalis exitus non ſine *firma concretione* præcluſus. Rariorum igitur cauſarum, quæ ſive ex tubo ſolidum corpus efficiendo, ſive extrinſecus premendo Communem bilis ductum conſtringunt, exempla neque ſupra, neque hoc loco reticui, idem facturus in conſtrictionis cauſis frequentioribus, ſi harum effectus ut rationi ſunt maxime conſoni, ſic poſt mortem facile caderent ſub ſenſum. *Criſpaturas* dico ſpaſmodicas, ob quas orificium ſaltem ductus Communis, aut tenuiorum Hepatici ramuſculorum pars maxima conſtringantur: niſi forte huc credimus Cl. Jo. Georgii Maureri (*n*) Obſervationem ſpectare. Vir Illuſtris poſt vulnus, minime penetrans, in regione hepatis acceptum, bilioſa tertiana febre, & regio morbo, aliiſque deinceps correptus, cum evadendi ſpem præbuiſſet, & quod ad icterum attinet, ferme jam bene ſe haberet, mox vehementi, iterata, & longa animi commotione accedente, quam cito repentina faucium, & pulmonum inflammatio excepit, non ſine *metu, & anxietatibus ob mortem imminentem*, hanc intra triduum obiit. Habuit autem; ut cætera omittam; intra cyſtim quidem calculos tres, eoſque non parvos, ſed & *orificium ductus choledochi, totumque hunc canalem ita obliteratum, vel conſtrictum, ut ne minimo cuidam ſtylo, multo minus bilis guttulæ amplius concederet tranſitum*. Fuerit ſane ejus ductus cavum ita conſtrictum quando cutis flavebat, alvi autem recrementa *albicabant*, & *tarde* ac *difficile* detrudebantur. At certe non erat amplius eo tempore quo cuti erat *prorſus naturalis floriduſque color* reſtitutus, fæceſque *in magna copia, & naturaliter tinctæ* prodibant. Veri igitur ſimile videri poteſt, ſpaſmodicam conſtrictionem, quam animi quies, & curatio nuper laxaſſent, per novas animi ejuſcemodi commotiones, & lethalia ſymptomata intra illud triduum rediiſſe. Utcunque id fuerit, ſi tu interea quæ de *criſpaturis* dixi quas ſpaſmus faciat aut certos animi affectus conſequens, aut (*o*) ab irritamentis & doloribus cum aliarum, tum proximiorum præſertim jecinori Partium excitatus; ſi hæc, inquam, cum veri ſimilitudine congruere agnoveris, & quod ad irritamenta potiſſimum ſpectat, pauliſper attenderis; facile rationem illam invenies quam ex me quærebas (*p*), cur poſitis in veſicula calculis, regius morbus aliquando naſcatur, etiamſi nulla alia ſimul cauſa ſit de tot illis quas ſupra indicavimus, a qua repeti is morbus queat. Agnitum id olim eſt a nobis cum ſcripſimus (*q*), *ſive calculi, a me reperti, nondum ea fuerint magnitudine, aut pondere, aut figura qua ſatis lædi cyſtis poſſet, ſive eo nunquam compulſi fuerant, ut bilis exitum prohiberent*, fieri ob has rationes potuiſſe, ut in quibus illos inveneram, *nullam peculiarem, quæ quidem manifeſta eſſet, noxam, ſed ne ictericum quidem colorem inducerent*. Irritata videlicet cyſti aut magnitudine, aut pondere, aut figura præſertim calculorum tunc maxime cum in cervicis anguſtias coacti, a bile quam ſic in cyſti retineant, dum hæc a ventriculo, aut inteſtinis comprimitur, uſque & uſque magis urgentur, ſpaſmum inde oriri, & contractiones, ac *criſpaturas*, quæ per continuatos bilis majores ductus hinc ad inteſtinum Duodenum, inde vero ad jecur propagentur, viiſque ſic contractis, icte-

(*u*) Ibid. (*x*) art. ſupra cit. ad n. 31. (*y*) Obſ. cit. ſupra ad n. 18. (*z*) Vid. ſupra n. 9. (*a*) Obſ. cit.
(*b*) Differt. qua nonum bilis diverticulum &c. theſ. 7. (*c*) Cent. 2. Hiſt. Anat. 54. (*d*) Diſſ. de Cholelitho §. 6. & Fig. I. litt. f.
(*e*) §. cit (*f*) n. 31. (*g*) n. 50. (*h*) n. 33. (*i*) n. 10.
(*k*) Vid. in Adnot. a Cathar. Zeno additis ad Vitam hujus Mauroceni ab Nic. Craſſo ſcriptam. (*l*) Monit. Med. c. 9. S. I.
(*m*) Tom. 8. Obſ. 30. (*n*) Ibid. Obſ. 70. (*o*) ſupra n. 10. (*p*) n. 33. (*q*) Epiſt. Anat. I. n. 50.

icterum poſſe fieri, non dubitabamus, ut diſerte poſtea ab Hoffmanno (r) expoſitum eſt. Itaque icterus cum tunc ſolum poſſit conſequi lapillos cyſticos, & quod hi tunc irritando faciunt, id facere aliæ, alibique poſitæ cauſæ, ipſique animi affectus queant; non erit igitur ille perpetuum, neque proprium horum lapillorum indicium.

36. Verum ſi icterus non eſt; num eſt eorum aliud aliquod peculiare, & perpetuum ſignum? Perquam vereor, ne quod Fernelii (ſ) tempore, id noſtro, & poſterorum futurum ſit, id eſt ne *manifeſtæ* inveniantur *notæ quibus* illi *certo ac facile detegi poſſint*; ſed, ut de ictero vidimus, in *ſuſpicionibus* hæreamus. Non me quidem fugit, Cl. Viros fuiſſe & veteres, & recentes qui has notas laudabili induſtria animadvertere, cunctiſque approbare conati ſint. Coiterum (t) namque in primis video ſuas aliquot horum calculorum Obſervationes edidiſſe, ut *ex iis addiſcerentur ſymptomata, hoc malum ſequentia*. Verum hæc ad diuturnum icterum, & in una in qua Communis etiam canalis obſtructus erat, ad continuum ciborum vomitum reducuntur. Quorum de primo ſatis ſuperque dictum eſt. De altero autem, ab aliis quoque commemorato, quam ſæpe abſit, & a quot præterea cauſis, & quam variis effici poſſit, eſt certe omnibus manifeſtum. Alii alia addiderunt poſtea, quæ non ſum ſingula perſecuturus, quando id quod de vomitu dixi, de colico dolore, aliiſque ejuſmodi facile apparet eſſe dicendum. Quid? quod oppoſita ſigna proferri, video, ut puta alvi, & adſtrictæ, & fuſæ. Nec me quidem id movet quod in Sepulchreto (u) hoc alterum *vix concipi* tunc *poſſe* dicitur: bilem enim, lapide totam veſicam implente, omnem ab hepate jugiter ad inteſtina defluere, intelligo, eaque, ſi acrior forte ſit, vehementius ſtimulare. Sed illud dumtaxat noto, ſi modo unum, modo alterum; id quod non diffiteor; verum eſt; neutrum igitur perpetuum, & peculiare horum calculorum ſignum eſſe poſſe.

37. Sed communibus his miſſis, ſi quæ per ſe calculus facere poſſit, quæramus; ad ea ferme redibimus quæ ſcripta eſſe a nobis in I. Epiſtola Anatomica, paulo ante (x) memoravimus. *Calculus ex ſe ipſo*, ut ait Boerhaavius quoque (y), *dum quieſcit, nihil mali facit, niſi ponderis ſenſum, ſed irritat mole, pondere, aſperitate*. Hæc quæ ipſe de urinario dicit, ſi ad felleum transferamus; credisne, ponderis ſenſu ſe proditurum qui levior urinario ſit, & ſenſim augeatur? Diu igitur expectandum erit, dum majus denique pondus acquirat. At ſignum quo tandiu, & pleriſque in caſibus ſemper carebimus; eritne tandem tunc ſaltem ſenſibile, & extra dubitationem poſitum? Senſibile profecto erat in Comite de quo Hildanus (z), quippe *a multis annis, quotieſcunque in lecto ſe ſe ex una in alteram partem circumvolveret, pondus magnum, moleſtum, & ex una in alteram partem delabens, e regione hepatis percipere poterat*. At calculi ejus ingentes pendebant duodeviginti drachmas cum ſemiſſe, idque exſiccati; nam recentes multo erant graviores. Num tamen graviores fuiſſe, putas, quam tot illos ſimul inventos a Greiſelio (a), qui univerſi drachmas pendebant triginta? Virum autem illum, in quo invenit, id pondus unquam percepiſſe, non adnotavit. At enim eum ſenſum obſcurabat fortaſſe immanis in illius ventre pinguedinis copia. Num ergo omnes fuerunt pinguiſſimi in quibus grave calculorum pondus repertum eſt? Præpinguis ſane haud fuiſſe videtur mulier (b) in qua calculorum pondus æquabat drachmas viginti quatuor, ut neque Sacerdos (c) in quo viginti, nec Vir Illuſtris (d) in quo pendebant ferme tantundem. De horum tamen nemine legitur; imo de nemine eorum quibus veſicula calculis prægravata eſſet, quod de illo Comite, legiſſe memini, dum ſe in lecto circumvolveret. Ad quem reſpexiſſe, temporum ſpectata ratione Stieberum (e) crediderim, cum ejuſmodi Obſervationi alteram objecit *lapillorum pluſquam ducentorum* in viri ejus cyſti *qui de dolore gravativo dextri lateris nihil unquam conqueſtus fuerat*. Sed fac, plures de eodem illo ſenſu de quo Hildani Comes, fuiſſe conqueſtos. At fac ſimul, illorum tibi ſacculorum veniat in mentem, qui calculis graves a jecinore pendebant (f), aut ipſius etiam felleæ veſiculæ quæ ingenti copia bilis craſſiſſimæ non ſemel reperta eſt mirum in modum diſtenta. Intelliges ſane, ad eundem locum eundem ſenſum non a calculis ſolum, &, ſi a calculis, non ab iis tantum quos fellis veſicula includat, aliquando eſſe poſſe. Iiſdem autem, aliiſque exemplis etiam diſtentionem, quam non æger modo, ſed & Medicus, admota ad eum locum manu, percipiat, & quod conſequitur, molis calculorum effectum, horum notam ambiguam præbere, manifeſtum eſt. Aſperitas reſtat. Quam primum dico, ut de pondere jam dixi, & dicere poteram de mole, non eam ſemper eſſe quæ irritare poſſit, & irritando, ſe prodere. Deinde dico, vel cum ejuſmodi eſt, alias copia, alias craſſitie interjectæ bilis, veſiculam ab irritatione defendi; multo enim rarius hic accidit quod ſemper fere in urinaria veſica, ut omni humore ejecto, nihil niſi calculus reſtet a quo veſicula compungatur, præſertim cum hæc non ad eundem modum atque illa, ſe poſſit contrahere, & circa lapidem conſtringere: quod etiamſi poſſet, non videtur tamen veſicæ utriuſque ſenſus pariter exquiſitus; ne forte ad turgentiam, quæ tamen non ſemper eſt, ventriculi, aut inteſtinorum confugias qua cyſtis ad calculum apprimatur. Denique dico, in iſtis ipſis viſceribus qua parte contiguam premere veſiculam queunt, eſſe ab alia cauſa eundem punctionum ſenſum poſſe, qui a calculo eſſet in veſicula; imo eſſe in hac poſſe aut ab retentæ bilis acerrima vi, aut a ſpaſmo aliquo; ut irritamenta aut credi in veſicula poſſint quæ in ea non ſint, aut ſi forte ſint, aliunde ſint quam a calculis.

38. Quæ hactenus diſputavi, eo redeunt, ut intelligas, nullum ſignum horum calculorum eſſe perpetuum, nullum peculiare. Sed ne forte ſuſpiceris, errorem aliquem, ut ſæpe fit, ſubeſſe rationibus; experientia ſtemus. Sepono meas omnes & Valſalvæ Obſervationes (g), in quarum nulla ſignum ullum fuit eorum calculorum, quos tamen in veſicula invenimus. Sepono quæ alias (h) ex Gerbeſio, & Loſpichlero produxi, aſſeverantibus, cum cyſtis calculis homines *citra querelam diu ſanos vixiſſe*, & *incolumes valuiſſe*. At ſi alii præterea idem teſtantur; æquum eſt, ut eorum quoque omnium recorderis quæ nunc ſeponimus. Rolfincius (i) igitur, Medicus ſua tempeſtate graviſſimus, ubi quales in cyſti calculos invenerit ipſe, deſcribit, generatim ait, lapides *in veſicula fellis ſæpius per aliquot annos ſine noxa latere, nonnunquam ſine dolore, nonnunquam dolorem inferentes*. Lemeryus pater (k) notum eſſe, confirmat, eos lapides non ſolum non mortem, imo „ ſæpe vel nullum incommodum afferre „. Vaterum in ea quæ triginta illorum gerebat, diuturnam & *integram* uſque ad finem *valetudinem* obſervaſſe, jam ſupra (l) dictum eſt. Galeatius (m) pariter affirmat, diſſectæ a ſe mulieri *nihil accidiſſe aut in eo, ex quo mortua eſt, morbo* (hydrope) *aut antea, quantum quidem novit, quod* fellis veſiculam *affectam eſſe, indicaret*, cui tamen quatuor inerant calculi, quorum major, & *anguloſior cyſtici canalis orificium obſtruxerat*. Themelius (n) quoque cum *quoſdam* felleos *notatu dignos lapillos*, in meretrice ab ſe repertos, commemorat, geſtatos *abſque ulla ſanitatis læſione* fuiſſe, indicat. Roncallus (o) denique; nolo enim alios, quam qui ſcribenti occurrunt, hic nominare; ſeptem refert parvæ nucis juglandis magnitudine in ejus

(r) c. 3. ſupra ad n. 15. cit. §. 19. & P. 4. S. 12. c. 12. §. 10. (ſ) c. 5. ſupra ad n. 13. & 27. cit. (t) Obſ. Anat.
(u) l. 3 S. 10. Additam. in Schol. ad Obſ. 1. (x) n. 35. (y) Prælect. ad Inſtit. § 790. (z) Obſ. ſupra cit. ad n. 22. (a) Obſ ſupra cit. ad n. 19.
(b) Eph. N. C. Dec. 3. A. 7. & 8. Obſ. 123. (c) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 129. (d) Commerc Litter. A. 1742. Hebd. 28. n. 1.
(e) Sepulchr. l. 3 S. 17. Obſ. 14 §. 3. cum Schol. (f) Vid. ſupra n. 13. (g) Vid. ſupra n. 27. (h) Epiſt. Anat. 1. n. 51.
(i) Diſſert. de Gutta Ser. Corollar. 4. (k) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1703. Obſ. Anat. 1. (l) n. 32.
(m) cit. ſupra ad n. 21. (n) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 10. propius fin. (o) in Epiſt. addit. ad Hiſt. Morbor.

ejus cyſti quæ octavo jam menſe uterum ferens, & toto eo temporis ſpatio, & jam pridem *bonum habitum, bonamque nutritionem, & colorem præſetulerat*; ut manifeſtum eſſet, niſi puncto temporis; id quod credibile non eſt; illi concreviſſent, *ſanitatem* vel iis præſentibus *perdurare poſſe*. Satis igitur; niſi quid me fallit; oſtenſum eſt, nullum cyſticorum lapidum perpetuum eſſe ſignum, &, quod conſequitur, nullum plane proprium, & peculiare.

39. Quid ergo eſt, inquis, quod Medicus Experientiſſimus Wepferus (*p*) hæc ad Verzaſcham ſcripſit: *nec collum veſiculæ biliariæ obturatum, exiſtimo, quia de cardialgia, ſeu dolore tenſivo, qui aſſe tegeretur, juxta cartilaginem enſiformem, altum eſt ſilentium*? nonne ſaltem hoc ſignum, ubi calculus obturaſſet collum veſiculæ, inſeparabile exiſtimabat? Tu vero attendas hic velim, neque de calculo nominatim verba feciſſe, & præter calculum eſſe alia (*q*), quæ ut cæteros, ita etiam Cyſticum bilis ductum poſſint obſtruere. Deinde, etiamſi calculus hunc obſtruxerit, non modo non icterum, quem unum tunc abfuiſſe, videre potuit Bezoldus (*r*), exemplisque evicerat Pechlinus (*ſ*); ſed nihil quod affectam cyſtim oſtenderet, eſſe conſecutum, adnoravit, ut paulo ante dictum eſt, Galeatius: neque aliter fere obſervavit Reverhorſtius (*t*): nec in duobus Phil. Jac. Hartmannus (*u*): nec in tribus quidquam contra ac diximus, habet Hallerus (*x*): nec denique is qui accurate ſymptomata ægri omnia recenſere potuit, Trewius (*y*). Et quanquam Tacconus (*z*) adjunctos quartanæ febri immaniſſimos dolores in hypogaſtrica regione fuiſſe, ſcribit; tamen non modo non ſimul regium morbum, ſed ne dolores quidem illos fuiſſe, ait, ad enſiformem cartilaginem pertinentes, ut paulo ante in alia muliere, calculis in Communi ductu poſitis, diſerte ſignificaverat. Vides igitur, ne tum quidem cum meatus Cyſticus, ut erat in cunctis cadaveribus indicatis, a calculo obſtructus eſt, conſtans, & perpetuum ejus ſignum eſſe illum dolorem qui a Wepfero deſcriptus fuit.

40. Etſi vero hic a nobis indicia quærebantur calculi, non in eum dumtaxat meatum intruſi, ſed in univerſum in fellea veſicula exiſtentis; non tamen inquirere pigebit, an Wepferi ſignum calculi proprium ſit in Communem ductum illapſi, quando ipſius, in veſicula ſubſiſtentis, eſſe non poteſt, ut ſupra (*a*) cum de diſtentionis ſenſu aliquid attingeremus, ſatis indicatum eſt. Nam quod in Sepulchreto (*b*) Obſervatio occurrit cui hic præfigitur titulus, *Dolor circa cartilaginem xiphoidem, a calculis in ventriculo, & veſica fellea*; cave credas titulo Obſervationem reſpondere: quam ſi perlegas; ventriculi quidem fundo, ac ſubſtantiæ pertinaciſſime adhærentes plurimos calculos invenies; in veſica autem fellea, aut alibi ullum fuiſſe, non invenies. Ex hac potius Obſervatione diſces, non eſſe igitur proprium calculorum in Communi ductu exiſtentium indicium illud quod calculos ventriculo infixos ſignificabat. Quin etiamſi præter hos, alii in Communi extitiſſent ductu; eſſet tamen dubitationi locus, utris eum adſcribere dolorem oporteret, non ſecus ac cum in aliqua doloris ejuſdem hiſtoria, ſimul in eo ductu calculi, ſimul in jecinore pene toto prava materia, & vitia graviſſima proponuntur, in altera autem multi per hepar tumores, & ab horum uno meatus ille valde compreſſus: quanquam ſi compreſſio, aut obſtructio Communis Canalis ipſa afferre credatur cauſam ejus de quo loquimur, doloris; non erit hic igitur peculiaris nota lapillorum in illo hærentium, cum ſine calculis poſſe & comprimi, & obſtrui, ſupra (*c*) ſatis oſtenſum ſit, nihilque prohibeat exiſtimare, interclusam in eo bilem adeo & multam, & acrem interdum eſſe, aut mora fieri, ut æque ac calculi, & diſtendere canalem poſſit, & laceſſere. Noli credere, induſtriam, ſolertiamque verum quærentium, & Rem Medicam juvare nitentium minoris a me duci quam a Cl. Viro, qui propoſiti doloris explicationem probat per Suſpenſorii hepatis ligamenti firmam ad peritonæum qua enſiformem cartilaginem obducit, alligationem: ſed mox eodem quo & ego, veri ſtudio, & amore permotus, hæc ſubjicit: „ non in calculoſis jecinoris affectibus tantum, verum & in phlegmonibus, aliiſve ejuſdem viſceris tumoribus, qui non procul ab hujuſce ligamenti radicibus conſiſtunt, opportuna hæc ſunt ad varia hujuſcemodi inde ſuborta ſymptomata explicanda, & præcipue dictum cartilaginis mucronatæ dolorem, qui in ſimilibus circumſtantiis hepatis inflammationes non raro comitari conſueſcit. „

41. Non modo autem hoc ſignum commune eſt morbis aliis ſive extra jecur, ſive in jecinore, ſive in Communi ipſo ductu commemoratis: ſed ne tum quidem occurrit ſemper cum in eo ductu lapilli ſunt. Quicunque enim bilarii calculi per alvum ejecti ſunt, per illius meatus anguſtias ad inteſtina pervenerint, neceſſe eſt: & tamen cum dejectorum ejuſmodi lapidum tot extent Obſervationes; in quot tandem harum præceſſiſſe dolorem legimus ad cartilaginem enſiformem? Non me præterit, haud omnes dejectos lapides a jecore eſſe repetendos. Quin ultro fateor, ex quo ante Galenum (*d*) cœpti ſunt adnotari, cum prope innumeræ ad hoc uſque tempus collectæ ſint a Donato (*e*), a Schenckio (*f*), a Rhodio (*g*), a Schröckio patre (*h*), ab aliiſque eorum Obſervationes, magna ex parte videri mihi in ipſis inteſtinis, aut in ventriculo genitos. Nam in ventriculo quoque gigni, antiqua indicant exempla, quorum primum recenſet Donatus (*i*) cum civis meus „ Magiſter Jo. Juliani de Furlivio miſit Gentili lapidem in quantitate unius nucis vomitu expulſum poſt dolorem ſtomachi, cujus lapidis durities erat ſupra duritiem gypſi, figuraque ejus erat ſicuti figura ovi: „ cui ſimilem, niſi quod jujubæ magnitudinem non ſuperabat, colore autem ſubalbo, nec ſtratis evidentibus præditum, in Patria olim vidi, quem fœmina, pariter poſt diuturnos ventriculi dolores vomuerat. In ipſis autem inteſtinis concretos cum alii nuper, nec ſatis fortaſſe idoneis exemplis, ſe probaſſe, crediderint; mihi illud præ cæteris huc aptum videtur quod ex Ballonio (*k*) petes, *lapidis in* Peronii *inteſtinis perforati, ut liquidiori materiæ via pateret*; ex terreis enim viſcidiſque particulis inteſtino circum adhærentibus videtur paulatim creviſſe, cæteris per medium tranſeuntibus, viamque apertam ſervantibus. Sed & lapides omnium maximos, & totos ex ejuſmodi una eademque materia factos, ut certe in inteſtinis augmentum, ſic & initium cœpiſſe, quis neget? Quin etiamſi quoſdam fuiſſe, legam aut magnitudine, aut colore, aut figura ejuſcemodi, ut ad cyſticos facile aliquis referre poſſet, ut puta (*l*) qui *alias majores, alias minores piſis* erant, aut *avellanis, qui coloris fulvi*, aut *majori ex parte flavi*, qui *triangulares*, aut aliter *anguloſi*, qui denique, ut uno exemplo plura complectar, *& colore, & magnitudine, & forma meſpilorum ſeminibus aſſimilabantur*; hos tamen omnes libenter omittam, præſertim cum quæ præceſſerint, aut non ſatis diligenter, aut nullo modo adſcripta ſint. Ad illos veniam, quos qui deſcribunt, aut Viri alii graves pro cyſticis, aut certe pro bilariis, nec ſine cauſa, habuerunt. Sed Fernelius quem ipſe alias (*m*) nominavi, haud plura habet quam *poſt diuturnum icterum, oborto alvi profluvio, hujus naturæ innumeros calculos inſtar piſi, aut hordei in pleriſque exturbari*, ſe deprehendiſſe. Coiterus (*n*) pariter

(*p*) Sepulchr. l. 3. S. 17. in Schol. ad Obſ 6. in Additam. (*q*) Vid. ſupra n. 33. & 34. (*r*) Diſſ de Cholelitho Caſ. 1. n. 6.
(*ſ*) Vid. Act. Erud. Lipſ. A. 1691. M. Maj. in recenſ. l. ejus 1 Obſ. 58. (*t*) Diſſ. de Mot. Bil. §. 57.
(*u*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 5. Obſ. 72. & 77. (*x*) Opuſc. Pathol. Obſ. 33. hiſt. 4. 13. 14.
(*y*) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 32. n. 3. (*z*) cit. ſupra ad n. 16. (*a*) n. 37. (*b*) l. 3. S. 7. Obſ. 32.
(*c*) n. 10. & 34. (*d*) Vid. apud Schenck. Obſ. Med. l. 3. ubi de Inteſtin. Lapid. Obſ 1. (*e*) cap. ſupra ad n. 15. cit.
(*f*) Obſ. 1. modo cit. (*g*) Cent. 2. Obſ. Med. 74. (*h*) Obſ. ſupra ad n. 24. cit. (*i*) cap. modo cit. (*k*) l. 2. Conſil. Medic. 24.
(*l*) Vid. apud Schenck. Obſ. 1. modo cit. (*m*) Adverſ. 3. Animad. 28. (*n*) Obſ. Anat.

riter ſibi notam fœminam ſcribit *moleſtiſſima ac admodum diuturna icteritia per calculi cum alvi recrementis excretionem liberatam*. Salomonem Alberti *ſæpe ab ictero diuturniori calculos per alvum dejici, obſervaſſe*, ex Præcl. Hallero (*o*) ſcio; an plura autem dixerit, neſcio, quippe ejus *Oratione*, quam hic citat *II.* careo, non illa quidem quæ in tribus eſt editis A. 1585. ſed quæ eſt in quatuor vulgatis A. 1590; hanc enim deſignari, non dubito, quam inſcriptam eſſe video apud Lindenium (*p*) *de felle ad inteſtina reſtagnante &c.* Malpighium, lapidem a Matrona dejectum *poſt ingentes dolores, & longam icteritiam* ſcripſiſſe, dictum eſt ſupra (*). Ruyſchium (*q*) aſſervaſſe *calculum e veſica fellea per anum ejectum*, legi; non quæ dejectionem anteceſſiſſent. Alios autem ſciens omitto, qui aut non plura quam Ruyſchius, aut ne tot quidem quot Malpighius, de prægreſſis indicarunt.

42. Præſtat igitur ad eos tranſire qui doloris ſedem tunc præcedentis memorarunt. Hoffmannus pater, ut filius (*r*) refert, *acutiſſimos* fuiſſe, ſcripſit, *dextri hypochondrii dolores*. Dillenius (*ſ*) poſt dolores idem hypochondrium *bene diu* occupantes, ſucceſſiſſe *colico-nephriticos*. Bartholinus (*t*) ex Tinctorii Obſervatione *multas querelas de dextri lateris dolore protenſo ad inteſtina*. Lentilius (*u*) *circa regionem hepatis dolorem ſummum, cum tumore, de quo tamen dolore jam per decennium conqueſtus* æger *fuerat*. Wolfſtrigelius (*x*), qui fuſius quam cæteri, deſcripſit, prægreſſos *ſæpius dolores, colico-nephriticos æmulantes, ſæviſſime* demum *recruduiſſe*: recidivo, ut ſæpe ſolet, hoc morbo *dolorem lumborum, & lancinationem circa hypochondrium dextrum, ubi locus inſertionis cholidochi ductus in duodenum eſt*: iterum recidivo *dolorem, qui quidem colicum potius æmulabatur, cum non circa lumbos & hypochondrium dextrum, ſed potiſſimum verſus umbilicum perſentiretur*. Valliſnerius tandem noſter (*y*), qui omnia ipſe quoque diligenter eſt perſecutus, cum in Patria ſua primum, deinde hic etiam Patavii conſimiles caſus obſervaſſet; quod ad dolores attinet, nihil aliud ſcripſit, niſi „ ſæviſſimos in regione hepatis fuiſſe, & ſe umbilicum „ verſus extendiſſe. „ A Vatero (*z*), & tanto magis a Bezoldo (*a*) propoſiti caſus a me conſulto ſunt præteriti ob calculorum magnitudinem, qui ut facile in veſica fellea initium habuerint, cum incrementum tamen accepiſſe in inteſtinis videri poſſint, ab his potius quam a Communi bilis Canali tunc proveniſſe dicerentur. Et Vaterus quidem *vehementiſſima ventris tormina* fuiſſe, ſcribit, *quæ primum regionem umbilici occuparunt, tandemque in regione lumborum ſubſtiterunt*. Bezoldus autem poſtquam *per ſex & ultra annos doloribus hypochondrii dextri* ægra *mirum quantum* fuerat *defatigata*, lapidem tandem fuiſſe dejectum *non abſque torminibus*. Nullum igitur in his cunctis Obſervationibus indicari dolorem vides qui ad cartilaginem enſiformem pertineat.

Sed neque indicatus a duobus Hoffmannis Jo. Mauricio, & Friderico. Ille enim (*b*) *anteriora* quidem memorat; ſed ita memorat, ut *diuturnum dolorem tenſivum & vellicantem* fuiſſe, dicat, *ſub hypochondrio dextro anteriora verſus moleſtum*. Hic vero (*c*) præter *intolerabilem in dextro latere & ſub coſtis ſpuriis dolorem* etſi hæc addit; *circa ſcrobiculum cordis perſiſtebat dolor vehemens preſſorius, qui etiam ad umbilicalem uſque ſe extendebat regionem*; tamen neque ſcrobiculus cordis cartilaginem enſiformem comprehendit, aut ſi hic velis comprehendere; meminiſſe oportet, in ea Obſervatione non de *lapide* verba fieri, ſed de *amurca biliofa*, *ductum choledochum obturante*; ut ſic potius confirmari poſſent illa quæ ſupra (*d*) diſputavimus de ambiguitate hoc ſignum conſecutura, quæ certe alia quoque conſequitur ſigna in proxima Hoffmanni Obſervatione (*e*). Cæterum in ultima (*f*) ubi de calculis ipſis agitur, ductum illum obſtruentibus, *acutus* proponitur, *& vix tolerabilis hepatis regioni firmius inſiſtens dolor, intercurrentibus inteſtinorum doloribus, qui per intervalla remittebant*. Denique ſcripta a peritiſſimo Archiatro Swietenio (*g*) inſpice, ubi quæ tunc accidant, a ſe obſervata proponit; de dolore ad enſiformem cartilaginem reperies nihil. Cum autem, omnibus quas protulimus, Obſervationibus penſitatis, extenſum dolorem ad cartilaginem illam nunquam, ad umbilicum autem, ſive ad umbilicalem regionem haud ſemel animadverteris; ſi forte velis explicationem petere non ab Jejuno inteſtino, in quod Duodenum ſe producit, ſed ab Suſpenſorii hepatis ligamenti illa parte quæ Euſtachio (*h*) melius quam Reverhorſtio (*i*) nota, comitatur Umbilicale vinculum, aut etiam ab hoc vinculo; per me non minus licebit, quam ab Suſpenſorii parte reliqua, cum ſe nonnunquam, ut ab aliis obſervatum eſt, ad enſiformem cartilaginem extendet dolor.

43. Si ergo bilarii calculi, ut hactenus oſtenſum eſt, & mox (*k*) confirmabitur, ne tum quidem cum molientes exitum, uſque adeo moleſti ſunt, peculiari, conſtanti, perpetuo quopiam ſigno ſe ſe indicant; quanto minus id poterunt in ſua veſicula quieſcentes? At enim calculorum quoque in renibus, & urinaria veſica inhærentium ſigna, inquis, perſæpe ambigua ſunt, nec tamen a Medicis in tanta rei obſcuritate contemnuntur. Ego vero neque illa quæ de cyſticis proferuntur, contemno; ſed ad ſuſpicandum potius, quam ad eos pro certo cognoſcendos apta eſſe, conqueror (*l*). Quod ſi in ſuſpicionibus ſubſiſtendum eſt; non ſolum commendo qui his pondus aliquod addere nituntur augentes numerum indiciorum; ſed inter illos nomen ipſe quoque profiteor meum. Itaque etſi cyſtis lapillos non ſemper cum bile conjungi, ſcio, quæ amurcam imitetur, nec ſemper cum urinariis calculis; tamen neque Sylvii ſuſpicionem, quam in Sepulchreto (*m*) etiam habes, omnino ſpernendam eſſe, credo, verentis, ne qui ejuſcemodi bilem vomunt, in eorum cyſti lapilli concreſcant, neque meam alteram tibi ſuſpicionem reticendam. Ipſe enim cum præter illos quos ſimul felleis, ſimul urinariis calculis obnoxios alias (*n*) a me viſos memoravi, alios quoque viderim, alios legerim, inter verſandum autem eas quarum parte in his Litteris ſubinde uſus ſum, Obſervationes quamplurimos pariter invenerim; non fortuito hæc accidere, facile intellexi. Ex iis quos ſic affectos legi, unum haud omittam, dignum præ cæteris qui ob ſua in Medicam Facultatem merita commemoretur, Michaelem Mercatum (*o*). Hic nephriticis cruciatibus confectus, cum lapides duos, nec parvulos, in ureteribus, in renibus autem ſexaginta tres aut minores omnes, aut quoſdam ſaltem, ut Præceptor ejus ſcripſit Cæſalpinus, *ingentes* haberet; in cyſti etiam fellea, quamvis ictero, quod memorent, nunquam tentatus, habuit ſex & triginta, obſcuri coloris, & angulares, ciceris magnitudine. Quis autem cum hæc de Mercato, tum in illis inſuper tot Obſervationibus legens, Epiſcopum illum Lælii a Fonte (*p*) ex renum quoque lithiaſi laborare conſueviſſe, Hoechſtetteri (*q*) Comitem arenulas, & lapillum in renibus habuiſſe, Wepferi (*r*) Vietorem in papillari caruncula alterius renis lapilli fruſtulum, Borrichii (*ſ*) fœminam ex veſica utraque calculos effu-

(*o*) ad Boerh. Prælect. §. 348. not. *m* *. (*p*) renovat. de Script. Med. l. 1. (*) n. 23.
(*q*) Præf. ad Theſ. Animal. I. (*r*) Medic. Rat. T. 4. P. 2. S. 2. c. 3. in fin. (*ſ*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 246.
(*t*) Cent. 4. Hiſt. Anat. 49. (*u*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 7. Obſ. 136. (*x*) Earund. Dec. 1. A. 2. Obſ. 89.
(*y*) Epiſt. ſupra ad n. 13. cit. (*z*) Differt. qua Obſ. rariſſ. calcul. Obſ. 3. (*a*) Diſſ. de Cholelitho Caſ. 2.
(*b*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 7. Obſ. 244. (*c*) paulo ante cit. capite 3. Obſ. 4. (*d*) n. 40. (*e*) c. eod. 3. Obſ. 5.
(*f*) Ibid. Obſ. 6. (*g*) Comment. ſupra ad n. 15. cit. §. 950. (*h*) Tab. Anat. II. Fig. 3. & 4.
(*i*) Diſſ. de Mot. Bil. Fig. 1. (*k*) n. 44. & ſeq. (*l*) Vid. n. 36. (*m*) l. 3. S. 18. Obſ. 9. (*n*) Epiſt. Anat. 1. n. 48.
(*o*) Vid. ejus Vitam, & Teſtimonia, Metallothecæ ejuſd. Vaticanæ præfixa. (*p*) Conſ. cit. ſupra ad n. 31.
(*q*) Caſ. cit. ſupra ad n. 17. (*r*) Hiſt. cit. ſupra ad n. 20. (*ſ*) Vid. Bartholin. Act. Hafn. Vol. 5. Obſ. 65.

effudiſſe, Mortoni (*t*) aliam renem alterum iiſdem refertum geſſiſſe, Reverhorſtii (*u*) ſenem eoſdem in renibus, & veſica urinaria, & ne forte hæc non niſi in ſenibus animadverſa fuiſſe, credas; Boneti (*x*) Virgini duodeviginti annos natæ a lithotomo exemtum eſſe lapidem ovi anſerini magnitudine: ad hæc Bergerum (*y*) in Juris Conſulti utraque veſica inveniſſe, Lanciſium (*z*) in rene quoque Viri Exc. Horatii Albani & magnum lapidem, & puſillos, Hoffmannum (*a*) denique in Viri generoſi rene non parvum, in veſica urinaria multo majorem; omittam enim ſciens alios quamplurimos, & in his Jo. Bapt. Contulum (*b*), Chriſtoph. Cunradum (*c*), Vitum Riedlinum (*d*), Tob. Ferd. Pauli (*e*), Jo. Caſparum Grimmium (*f*), Jo. Sebaſt. Albrechtum (*g*), Jo. Jacobum Treylingium (*h*), Chriſtoph. Jac. Trewium (*i*), qui in duobus adnotavit, Jo. Storchium (*k*), & Iſr. Cregutum (*l*); hos, inquam, alioſque (*m*) omittam, quando præter Baglivum (*n*), hoc adeo inter conſueta ponentem, ut rationem quæſiverit, *cur exiſtentibus calculis in veſica fellea, germinent quoque in urinaria, & contra*, unus pro multis eſſe poteſt Abrahamus Vaterus (*o*) diſerte confirmans, *ſæpiſſime certe in veſica fellea* calculos *obſervatos eſſe in iis qui calculo ſimul viarum urinariarum laborarunt*; Quis igitur talia legens, & tot conſimiles attendens caſus, non continuo intelligat id quod Vaterus, *manifeſtum eſſe, cauſas* utrorumque calculorum magna ex parte *eſſe communes*? Quod cum poſueris; mecum facile arbitrari incipies, ubi ad cæteras felleorum calculorum notas hæc quoque acceſſerit, ut homo urinariis calculis obnoxius ſit, aliquid ponderis eſſe ad reliquas ſuſpiciones acceſſurum, præſertim ſi juxta ea quæ ſupra (*p*) adnotata ſunt, is homo neque infans, neque puer ſit, imo ætate ſit jam media, aut ſenili: quæ animadverſio ab ætate deſumpta, ſi cum aliis jungatur, juvare etiam poterit ad dejectos inteſtinales calculos ab iis qui in cyſti geniti eſſent, diſtinguendos. Sic Cl. Carlius (*q*) cum quendam calculum qui inter cyſticos referebatur, ab adoleſcente dejectum annorum XVIII. ob id *præſertim* ad hos pertinere, non credidiſſet, quod *illa ætas non ferat iſtiuſmodi morboſam diſpoſitionem* (nec certe niſi quam rariſſime; in eoque minime inter ſe conveniunt fellei calculi, & urinarii) cognovit poſtea, ejuſdem Juvenis ex dyſenteria mortui jecur inventum eſſe *tam ſanum, quam vituli ſaniſſimi eſſe poteſt*: calculus autem, ut ille fuerat, *duarum unciarum & dimidiæ* ſi vel multum incrementi cepiſſet in inteſtinis, aliquod ſuæ priſtinæ moræ, tranſituſque ſaltem veſtigium in affixis jecori veſicula, & ductibus reliquiſſet.

44. Etſi vero, quaſcunque commemoravi, felleorum calculorum notæ ſunt, ut ex iis apparet quæ hactenus dixi, & Hoffmannus (*r*) admonet, *collective ſumendæ & conſiderandæ*, & quoniam omnes in omnibus eſſe non poſſunt, pleræque ſaltem, & in his præcipuæ, attendendæ (præcipuis autem voco quæ crebrius ſolent animadverti, ut puta cum lapides in Communem ductum deſcendunt certa a dextris doloris ſedes, icterus, vomitus, anxietas, recidiva; ſic enim fere animadverti in pluribus earum Obſervationum quæ ſupra (*ſ*) ſunt indicatæ) etſi, inquam, ita ut dicimus, faciendum eſt; tamen obliviſci nunquam decet, quam facile ſubeſſe poſſit deceptio. Confer enim cum pleriſque ex his vel præcipuis notis Obſervationes illas duas quas etiam antea (*t*) indicavi, ejuſdem Hoffmanni; vera intelliges a me dici. Idemque intelliges, cum poſtquam ſcripſit (*u*), *eſſe quædam ſigna haud fallacia, quæ calculorum in ductibus biliariis indicant præſentiam*, & præcipua ex illis enumeravit, paulo poſt (*x*) ſigna profert maximi calculi in cyſti fellea inhærentis, præſertim autem cum ſymptomata deſcribit (*y*) icteri non ab ullo calculo, ſed a ſpaſmodica dumtaxat *ſtrictura* illati. Accidit tamen haud raro, ut quemadmodum in urinariis calculis, ſic in biliariis quoque habeamus ſignum longe omnibus anteferendum, videlicet cum eorum aliquis, aut fragmentum ſaltem quodpiam ejicitur. Quod quidem ſignum, ab naturali ipſo rationis lumine præmonſtratum, cum alii antea, & in his Vaterus (*z*), præcipue autem, & fuſius Valliſnerius (*a*) memoraſſent; mirari quis poſſit, cur inter ſigna iſta *haud fallacia* ſit ab Hoffmanno prætermiſſum, præſertim cum ante quinquennium hæc ipſe quoque (*b*) docuiſſet: „ inter hæc vero omnia, quæ jam monuimus, ſigna, „ nihil datur certius vehementes a calculo felleo prognatas dijudicandi paſſiones, ac ſi ipſi cum excrementis per alvum ſecedant; & tum non ſecus ac „ in calculis renalibus, quando hi ex ureteribus in „ veſicam fuerunt delati, omnes ſimul & ſemel dolores cum reliquis gravibus afflictionibus ceſſant „ atque exſpirant, ictero ſalrim excepto, qui non „ ſimul, ſed ſenſim tandem evaneſcit. „ Præcedentibus igitur indiciis calculorum qui in bilarios ductus intruſi, exitum ſibi in Duodenum inteſtinum moliantur, ſi inter alvi recrementa, quæ tum diligenter ſunt a miniſtris eluenda, & per cribrum aliquod, ſicuti Valliſnerius monebat, trajicienda, bilarius aliquis calculus inveniatur; non eſt dubium, quin hoc ſignum eam lucem afferat, quæ non niſi incerta, & ſubobſcura a tot aliis notis ſperari poterat.

45. Sed cautione opus eſt, nequando inteſtinalem forte calculum pro bilario, ſive ut vocabuli ambiguitas omnis hic declinetur, pro hepatico, id eſt in hepatis canalibus, aut cyſti ejus genito, accipiamus.

Eſt quædam Hoffmanni Obſervatio (*c*) viginti lapidum vomitu ejectorum, quos etſi non plane incredibile exiſtimabat ex bilariis ductibus proveniſſe; conjiciebat tamen, *in ipſius* potius *duodeni flexura a bile craſſiori, & terreſtriori ſucceſſive concreſcere, & progigni potuiſſe*; erant enim anguloſi quidem, & colore ex flavo viridi; ſed ea magnitudine ut ſine ventris in dextera parte torminibus, quæ nulla præceſſerant, Communem ductum permeare potuiſſe non viderentur. Icterus tamen horum anteceſſerat ejectionem, & *ſtatim* ab hac; quod permirum videri debuit attendentibus Hoffmanni exceptionem, paulo ante (*d*) memoratam, *ſublatus* eſt. Si ergo ut bili exitum, in Duodeno obſtantes, præcludebant, ita bilis aut per ſe, aut mora acrior facta eſſet, aut ipſi acutioribus fuiſſent angulis; facile vides, non modo icterum, ſed & dolores a dextris, & quæ hos alia conſequuntur, prævia habere, & ſua ejectione etiam tollere potuiſſe. Verum illa ſimul conjungi poſſibile magis, quam frequens eſt: & nulli in propoſita Obſervatione prægreſſi a dextris dolores ſatis cautum Medicum facere potuiſſent. Quorum, aut icteri, & magis utrorumque abſentia cautum pariter facere debet, ubi calculi qui cyſtici alioquin videri poſſent, ex alvo dejiciuntur velut in iis quæ protinus indicabuntur, exemplis. Et primum calculi tres (*e*) (*f*) (*g*) dejecti occurrunt, quorum ſive globoſam, aut ovalem figuram, ſive colorem exteriorem, aut interiorem, & alia quædam attendas; non facile perneges cyſticos eſſe potuiſſe, præſertim ſi nonnullos in veſicula aliquan-

(*t*) Phthiſiolog. l. 3. c. 14. hiſt. 5. (*u*) Diſſ. ſupra ad n. 42. cit. §. 56. (*x*) Sepulchr. l. 2. S. 4. Obſ. 35.
(*y*) Phyſiolog. l. 1. c. 14. (*z*) Oper. Tom. 2. Diſſ. 10. (*a*) cap. 3. ſupra ad n. 42. cit. Obſ. 1. (*b*) De Lapidib. c. 25.
(*c*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. in Obſ. 171. (*d*) Earund. Cent. 3. Obſ. 45. (*e*) Earund. Cent. 9. Obſ. 76.
(*f*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 20. (*g*) Eorund. T. 4. Obſ. 49. (*h*) Eorund. T. 5. Obſ. 129.
(*i*) Commerc. Litter. A. 1734. Hebd. 6. n. 5. & A. 1743. Hebd. 32. n. 3. (*k*) Commerc. Litt. A. 1735 Hebd. 52. n. 4.
(*l*) Differt. de Calc. in corp. hum. generat. &c. §. 31. in fin. (*m*) Vid. Epiſt. 57. n. 12. (*n*) De Experim. circa Bilem.
(*o*) Diſſ. ſupra ad n. 16. cit. theſ. 8. (*p*) n. 15. (*q*) Commerc. Litter. A. 1731. Specim. 51. n. 1.
(*r*) cap. 3. ſupra ad n. 43. cit. §. 15. (*ſ*) n. 42. (*t*) n. eod. id eſt Obſ. 4. & 5. (*u*) Ejuſd. Tom. 4. P. 4. c. 12. §. 11.
(*x*) §. 17. (*y*) Obſ. 1. (*z*) Diſſ. ſupra ad n. 16. cit. theſ. 12. (*a*) Epiſt. ſupra ad n. 13. cit. Adnot. 1.
(*b*) Tom. 4. paulo ante cit. P. 2. c. 3. §. 18. (*c*) Ibid. Obſ. 2. (*d*) n. 44. (*e*) Commerc. Litt. A. 1740. Hebd. 19. n. 2.
(*f*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. Obſ. 21. (*g*) Act. N. C. Tom. 7. Obſ. 100.

aliquando repertos eſſe non ita diſſimiles, recorderis; ſed tormina quidem, & ventris dolores fuiſſe, legens, nec tamen in dextero hypochondrio, imo iliacam regionem in uno exemplo gravantes, lapides inteſtinales fuiſſe, credes, idque eo facilius quod non ictérum, ſed volvulum in his ſingulis tribus caſibus videbis commemorari. Succedunt exempla alia tria. Quorum primum (*h*) ſi ullam de regio morbo mentionem haberet, neque dejectos *abſque ullis doloribus* lapillos proponeret; horum deſcriptio tanto magis faceret, ut pro cyſticis agnoſceremus, quod magnitudine cum iis minime comparandi erant qui tribus ſuperioribus, & totidem inſequentibus exemplis memorantur. Horum alterum (*i*) dolores quidem colicos, ſed non ad dexterum hypochondrium, neque cum ictero conjunctos exhibet. Quamobrem calculum, quamvis concentricis, ut Icon oſtendit, corticibus præditum, & intus, extraque flavum, libentius cum ejus Obſervatore crediderim in aliquo inteſtino genitum bilis ingreſſui propiore. Sic in tertio exemplo (*k*) aſſentior Cl. Albrechto, in Colo inteſtino ortos exiſtimanti calculos, quos alioquin deſcribit figura triquetra, in aqua natantes, flammamque concipientes, aſſentior, inquam, non tam quia ſub obſcura exteriore flavedine albiſſimam, quæ tamen *inſtar durioris ſaponis* ſolida erat, materiam continebant, quam quia in dextero quidem hypochondrio vehemens dolor non defuerat; ſed, ut *ſevi impurioris* ex combuſtis *odorem*, aliaque præteream, nihil uſquam ad icterum pertinens video adnotatum. De quatuor denique exemplis quæ juvat adjicere, ſi calculum quem Cl. God. Guil. Mullerus (*l*) ſic in tranſitu, memorat, ut *felleum* vocat, & ex ſtratis aliis alia complectentibus conformatum pingit, ſic plenius potuiſſet deſcribere, & quibus præviis, aut comitantibus ſymptomatibus ejectus fuiſſet, adjungere; fortaſſe abſque ulla dubitatione acciperem: ut certe accipio quos Præcl. Jo. Phil. Burggravius (*m*) poſt atroces, eoſque recidivos, dexteri hypochondrii dolores, nec ſine icterico tum in facie, tum in lotio colore proponit dejectos. Sed & quoſdam a Cl. Brunnero (*n*) viſos, quantumvis ſine ictero fuerint, accipiamus neceſſe eſt propterea quia jam in jecinore inchoatos per anatomen deprehendit. Nempe vir, annos ferme decem perpetuo ventris, dextrique potiſſimum hypochondrii, dolore vexatus, premente primum, tendente, & obtuſo, poſtea vero interdum lancinante, dein acerbiſſimo, neque dexteri hypochondrii ſedem mutante, noviſſime intolerabili, calculos dejecit leves, flavos, lamellata compage, augulosos. Is poſt triduum mortuus, habuit in cyſti, quæ magna erat, maſſam ex fulvo obſcuro cæruleam & virideſcentem, eamque mollem, in medio autem ductus Cyſtici, & in Communi ubi oblique hiat in Duodenum inteſtinum, hærentem materiam paulo quidem minus mollem, ſic tamen ut ab iis ductibus in globulos conformata eſſet duos *oblongo-rotundos*, in Colo denique calculos quindecim in unum globum compactos, ſed facile ſeparandos, nondum adeo duros, ut qui fuerant dejecti. Itaque negari non poterat, hos fuiſſe in bilariis ductibus inchoatos, & per gradus minus molles factos, mora demum in inteſtinis duratos. Quod ſi *per totum morbum nullum ſignum icteri ſe ſe manifeſtavit;* aut credito, materiam in vivente facile molliorem, quam altero poſt mortem die cum in ductibus reperta eſt, non omnino bilis exitui obſtitiſſe, & dolores ſua fortaſſe acrimonia magis, quam obſtaculo, creaſſe; aut reminiſcere eorum quæ in ſingulari aliquo ejuſmodi caſu indicavimus ſupra (*o*), ut vel obſtructo Communi ductu, poſſe nonnunquam abeſſe icterum, intelligeres. Quod cum ſpectarem, paulo ante dixi, icteri quidem, ſed magis & icteri, & dolorum a dextris abſentia cautum Medicum fieri oportere; ut magis reliqua ſimul omnia prius quam pronunciet quidquam, attendat. Quamobrem; ut exemplum quartum ſubjiciam; non ita facile ab hepaticorum numero eos calculos excludam quos olim Fr. Slare (*p*) ab nobili fœmina *valde cruciata doloribus hepaticis* vix aliquot poſt hos horis bis vidit excretos: etſi enim preſſe, ut fit, reſcribens, forte omiſit quæ ad arquatum morbum attinebant, lapillorum tamen odorem, combuſtorum videlicet, colorem, ſaporem felleis convenientem, præterea in aqua levitatem, & *combuſtibilitatem* non omiſit. Quæ utinam duæ ultimæ notæ aut nunquam prorſus in inteſtinalibus, aut ſaltem ſemper in hepaticis calculis adnotarentur; certe eſſet Medicis multo proclivius cavere, ne hi temere, ut olim verebatur Matthiolus (*q*), pro illis acciperent. Verum duo illa ſigna, quibus cum Reverhorſtio (*r*), plerique utebantur, haud raro fallere, oſtenſum eſt. Quod ſi Valliſnerius (*ſ*) cavendum admonuit, ne calculi quidam propterea quia neque arderent, neque innatarent, præpropere ex hepaticorum numero rejicerentur eo tempore quo perpaucis dumtaxat experimentis illa cœperamus ſigna infirmare; quanto id nunc magis cavendum eſt, cum ea nobis adeo creverint experimenta, ut exceptiones ad certa capita reduci poſſe non videantur (*t*). Sed & quantum cyſtici calculi variare poſſint non colore tantum, & forma, verum & ſtructura ipſa externa, internaque, & ſubſtantiæ etiam modo, ut vel pellucidi nonnunquam ſint, ideo ſupra (*u*) diligenter eſt adnotatum, ne ſi forte aliqui interdum occurrant ab iis qui plerumque ſolent, vel plurimum diſcrepantes, continuo hepaticos non eſſe, pronuncies; ſed proprietates antea cæteras ſingillatim, & quæ præceſſerint, quæ ſint comitata, quæ ſubſecuta ſigna, perpendas.

46. Nec vero ipſa; ne de immani numero quidquam dicam; lapidum magnitudo abſterrere te ſemper debet, ne propterea hepaticos eſſe, cenſeas. *Inſignis* certe illum fuiſſe *magnitudinis* quem fœmina quædam per ſedem excreverat, teſtatur Vaterus (*x*): & tamen fœmina, paulo poſt ejus excretionem mortua, in veſica fellea quinque alii minores inventi ſunt *ita figurati, ut videri poſſet, quomodo majori illi, corculum referenti, adhæſiſſent*. Cum iis igitur ipſum quoque in cyſti fuiſſe, intelligis, neque magnitudine prohibitum ſua quo minus inde exiret, atque in cavum inteſtinorum perveniret. Magnus quoque erat is, quippe *pollicis articulum æquans*, quem Cel. Swietenii (*y*) Socrus, periodicis icteri paroxyſmis obnoxia, poſt acerbiores in ipſa Duodeni inteſtini ſede cruciatus, biduo interjecto dejecit, foveis duabus in ſuperficie excavatum, binos reſtare ſignificantibus, qui ipſi quoque poſtea prodiere non multo priori illo minores. Cui tamen ſua non obſtiterat moles, ne ductuum eluctaretur anguſtias. Nec mirum; nam etſi anguſtus ſit Choledochos ductus, etſi anguſtior, & valvulis impeditus Cyſticus; membranei ſunt tamen, eoque ferre poſſunt prope incredibilem dilatationem. Itaque Cyſticum *ordinario octuplo majorem*, *ut pollicis craſſitiem adæquaret*, invenit Bezoldus (*z*), in *ejuſque tractu medio calculum notabilis magnitudinis*. Et ipſe, ut alibi (*a*) ſcriptum eſt, *Communem*, *Cyſticum*, *& Hepaticum intra hepar uſque*, *dilatatos adeo* conſpexi *ut perimetrum duobus transverſis digitis æqualem haberent* in ſene, cujus in cyſti, præſertim vero in Hepatici ductus ramis calculos deprehendi. In muliere autem, cujus fellea veſicula magnum calculum, quamvis necdum induratum illum quidem, continebat, Communis canalis qua in Duodenum influit, peranguſtum alias, orificium dilatatum adeo conſpexit Heiſterus (*b*), *ut parvum digitum facile immittere*

(*h*) Eorund. T. 3. Obſ. 82. (*i*) Eorund. T. 8. Obſ. 121. (*k*) Eorund. T. 3. Obſ. 57.
(*l*) Eorund. T. 6. Obſ. 69. circa medium. (*m*) Eorund. T. 5. Obſ. 78. (*n*) Commerc. Litt. A. 1738. Hebd. 18. n. 1.
(*o*) n. 34. (*p*) Vid. Commerc. Litt. A. 1735. Hebd. 5. in adnot. ad n. 2. (*q*) l. 5. Epiſt. Medic. 3.
(*r*) Vid. ſupra n. 25. 26. (*ſ*) Adnot. 1. cit. ſupra ad n. 44. (*t*) n. 25. 26. (*u*) n. 16. & ſeqq.
(*x*) Diſſ. ſupra ad n. 16. cit. theſ. 3. (*y*) Comment. ſupra ad n. 15. cit. §. 950. (*z*) Diſſ. de Cholelitho Caſ. 1. n. 5.
(*a*) Epiſt. Anat. 1. n. 43. (*b*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 181.

in illud potuerit. Et Henr. Albertus Nicolai (*c*) cum *inſigniter* ad veſiculam uſque expanſus eſſet idem canalis, ejus orificium non minus quam Heiſterus, patens invenit. Sed vel amplius viderat junior Verneyus (*d*). Laxius autem Trewius (*e*) cum bilariis ductibus pariter dilatatis. Quorum diametrum triplo quam ſolet, majorem deprehendit Kniphofius (*f*). Aliis hujus generis, quæ in promptu eſſent, Obſervationibus ſuperſedeo; nam & hæ ſatis ſunt, & mox (*g*) quaſdam, in quibus una erit multo maximæ dilatationis, ſum producturus. Cum igitur adeo canales iſti & dilatari poſſint, & dilatati inveniantur; non eſt cur lapides vel grandiuſculos per eos tranſire potuiſſe, dubitemus, niſi cum in hypochondrio dextero non ii præceſſerint dolores qui dilatationem illam ſignificarent. Itaque ut Hoffmannum laudo quod de viginti illis magnitudinis inſignis lapidibus (*h*) verba faciens, non plane incredibile cenſuerit, in ductibus de quibus loquimur, *minimos felleos calculos primum poſſe hærere, ſenſim a præterlabente bile augmentum capere, & ſucceſſive horum ductuum ingenti dilatatione facta ibi diutius ſubſiſtere;* ſic eundem iterum vel magis laudo quod dubium ſe, imo in alteram ſententiam proniorem oſtenderit propterea quia *ſine præcedentibus lateris dextri torminibus* lapides illi ejecti fuerint. Bezoldo (*i*) quoque id in laude pono, quod vel præviis per ſexennium, & eo amplius hypochondrii dextri doloribus cum denique lapis dejectus eſſet, licet ipſe, nec ſine rationibus, e bilariis ductibus extitiſſe, arbitraretur, profeſſus eſt tamen, ſe nolle *mordicus* iſti *inhærere ſententiæ*, credo quia pro tanta lapidis mole non ibi tunc demum fuiſſet inſolita quædam, & maxima omnium doloris atrocitas cum pervictis tandem orificii Communis ductus anguſtiis, ſe repente lapis in Duodenum inteſtinum effudit: quibus in anguſtiis ſi diutius ſubſtitiſſet; non poterat certe, niſi rara quædam ponatur bilariorum ductuum diſpoſitio, non regium morbum, de quo altum ſilentium, intuliſſe. Pervellem æque commendare poſſe Abrahamum Vaterum (*k*), doctum alioquin, & ſagacem Medicum, qui dejectos duos *inſignis magnitudinis* calculos e cyſti uſque fellea veniſſe, non dubitat, quamvis *nec dolor*, nec *alud incommodum ab ipſis antea perceptum eſſet*, & vel tunc ventris cruciatus non dexterum hypochondrium, ſed *primum regionem umbilici occupaſſent, tandemque in regione lumborum ſubſtitiſſent*. Nec tamen ſuis ipſe caret rationum momentis. Sed dum inter has exempla profert maximæ oſculi uteri arctiſſimi in partu dilatationis, tantæque exilium ureterum diſtentionis in calculoſis, mirum eſt, non illi occurriſſe, neque illud tamen, neque hos acerbis carere doloribus, cum dilatantur.

47. Verumtamen quid pro Vatero dici poſſit, videamus. Extat apud Schenckium (*l*) Traſſelmanni Obſervatio in qua Viri Principis *meatum bilis Duodeno inſertum* nobis, ut ipſe invenerat, *latum, & ventriculi inſtar inflatum*, ac *calculis undequaque refertum* majoribus minoribuſque deſcribit. Si forte quæris proximam mortis cauſam; vigil coma fuit in lethargum degenerans. Si quæ antea moleſta fuerint; præter incredibilem ſitim, qua perpetuo, dum viveret, ille torquebatur; nihil quidquam invenies. Num Medicum, ut apparet, diligentem, qui hoc adnotaverit, ſi forte icterus, ſi quis ad dexterum hypochondrium dolor, ſi aliud quod ad meatum calculis adeo diſtentum attineret, Principem proprium male habuiſſet, aut ignoraturum, aut in non breviſſima Obſervatione præteriturum fuiſſe, credis? At ſi non credis; præter ductum alterum qui bilem ad inteſtina deferendo, icterum prohiberet, agnoſcas neceſſe eſt, poſſe aliquando Choledochum meatum increſcentibus intra eum ſenſim & numero, & magnitudine perpaucis antea calculis, & perminutis, præter modum quidem, ſed paulatim adeo, lenteque diſtendi, nihil ut de ipſo homo conqueratur. Verum ut ut credas, illud ſemper mecum exiſtimabis, perrara hæc eſſe, ſimulque animadvertes, aliud de quieſcentibus calculis, aliud de Cyſtici totius, & de Communis ductus ad finem anguſtias vi ſuperantibus ferendum eſſe judicium. Equidem id non requiro, ut quemadmodum in Tinctorii (*m*) Obſervatione poſt dextri lateris dolorem protenſum ad inteſtina, cum calculis excernatur *materia cruenta & purulenta;* ſatis mihi eſt, ut Bartholino (*n*), *ſola ductus cholidochi*, ab ipſo alias viſa, *dilatatio*; quæ ſicuti nonnunquam calculis ad extremas anguſtias hærentibus, eaſque, ubi dimoveri incipiunt, ſuis angulis lædentibus non ſine ſic inducti abſceſſus diſruptione demum fit, & puris ac ſanguinis dejectione, ita plerumque cum multo minori violentia fit; ſed fere nunquam ſine dolore. Deſcripta eſt a me alibi (*o*), & ſuperioribus etiam Litteris (*p*) commemorata Valſalvæ Obſervatio, in qua cum ingenti hepatici abſceſſus cavo ſuperior pars ductus ejuſdem communicabat, pars autem reliqua ita erat amplificata, ut digitum admitteret, ſicque oſtenderet, quomodo, vivente homine, veſiculas plures quam ducentas, quibus etiamtum ille ſcatebat abſceſſus, ad inteſtinum tranſmitteret. De multis qui olim per eum meatum ejecti fuerant, ſanguinis grumis nonnullos ad anguſtias ſubſtitiſſe, eaſque urgente deſuper coercita bile, ipſoque ſanguine, dilataſſe, veriſimile eſt. Illud certum, & morbum regium, & vomitiones, & dolores præſertim, anteceſſiſſe, qui hypochondrium dexterum adeo laceſſebant, ut ſæviſſimas excitarent ſæpenumero nervorum diſtentiones. Quæ, atque alia, ibidem propoſita, ut magna ex parte in tantum hepatis morbum rejicias; aliquam tamen partem ſi quis referat ad Choledochi meatus dilatationem, facile pernegare non poſſis. Quam ſi in ductu non ab anguloſis, aſperis, magnis lapidibus laceſſito, imo a perfluentibus ſæpius ſanguine, & ichoribus laxato, ſine doloribus factam eſſe, non negas; vide, num ſine doloribus tunc fieri, dicturus ſis, ubi infimæ illæ anguſtiæ non ante laxatæ eſſent, imo a calculorum irritamentis contractæ?

48. Noli expectare, ut has nimis jam longas Litteras, multa de Curatione hujus morbi addendo, longiores faciam. De qua ſatis erit perpauca attingere. Diximus (*q*), id mali ſæpius eſſe recidivum, nec certius cognoſci, niſi cum aliquis dejectus fuerit calculus, quem ex hepate proveniſſe, dolores ad hujus regionem prævii commonſtraverint. Igitur Curationis pars una erit dare operam, cum ejuſmodi acerbiſſimi dolores redierint, ut calculus ex anguſtiis illis ſe expediat. Altera poſtquam ſe inde expedierit, ut ſi quis alius reſtat calculus, ſi fieri poſſit, diſſolvatur. Tertia, ne procreetur novus. Sunt autem hæ ſingulæ Curationis partes ita, uti poſuimus, diſtinguendæ, nec tempora cuique debita, ut quidam facere videntur qui remedia promiſcue congerunt, temere confundenda, ſed rei natura, & analoga urinarii calculi ſimiliter diſtincta Curatio, præ oculis habenda eſt.

49. Cum igitur ſæviſſimi urgent dolores, ſatagendum eſt, ut hi conſopiantur, non ſolum ne æger torqueatur, & in periculum inflammationis, aut nervorum diſtentionis conjiciatur, verum etiam ut calculus anguſtias ſuperet. Quo enim hic magis ductus irritat, eo magis ad calculum ſe contrahunt ductus, itaque & ſuos augent cruciatus, & illi tranſitum intercludunt. Ergo etiam atque etiam laxandum eſt: & ad ea quæ per ſe laxant atque emolliunt, ſunt eundem ad finem adjicienda diluentia, demulcentia, anodyna, & temperatiſſima antiſpaſmodica, &, ſi intolerabilis dolor cogat, etiam opiata. Nec ſolum interius datis, ſed etiam exterius adhibitis, quantum per hæc licet, laxandum eſt, clyſteribus dico, inunctionibus, fotibus, balneis. Quibus omnibus, ubi plenitudo ſanguinis ſit, non video cur non hujus miſſio proponatur, non modo ne forte inflammatio fiat, verum etiam ne vaſculorum turgentia anguſtiæ viarum augeantur. Porro ut quæ laxant,

(*c*) Commerc. Litt. A. 1732. Hebd. 33. n. 11. ſub 4. (*d*) loco indicato ſupra ad n. 13. (*e*) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 140. (*f*) Eorund. T. 8. Obſ. 30. (*g*) n. 47. (*h*) Obſ. ſupra ad n. 46. cit. (*i*) Diſl. modo cit. Caſ. 2. & §. 7. (*k*) Obſ. 3. ſupra ad n. 42. cit. §. 2. & ſeqq. (*l*) Obſ. Med. l. 3. ubi de Cholidocho Meatu Obſ. 3. (*m*) Vid. ſupra n. 42. (*n*) in ead. Obſ. (*o*) Epiſt. 3. Anat. n. 10. (*p*) n. 10. (*q*) n. 42. & 44.

xant, commendo omnia, ita quæ irritant, vehementer ſuſpecta habeo. Detrimentum enim quod inferunt, ductus ad coarctationem adigendo, certum eſt; utilitas autem quam ab impulſione, & extruſione calculi plures expectant, incerta. At enim exempla, inquis, calculorum circumferuntur, quos valida pellentia, aut fortiora emetica, & purgantia eduxerunt. Fateor. Sed felicem caſus temeritatem quis conſulto imitari audeat qui non ſciat (quis autem pro certo ſciat?) vias ſatis jam eſſe laxatas, ut nihil niſi ultima impulſio, & agitatio deſideretur; non vero adhuc rem contra ſe habere, & in eas anguſtias conjectum præpropere iri calculum, unde nil poſſit expedire, quo magis & cruciatus creſcant, & pericula augeantur. Et ſane video Hoffmannum (*r*) docentem, emetica *ſæpe deprehendi ſumme pernicioſa, ... ſi ductui cyſtico inhæreſcens calculus graviores circa præcordia efficit anxietates*; Reverhorſtium (*ſ*) autem, quemcunque ductum calculus obſtruat, vomitoria *anceps eſſe remedii genus, libenter fatentem*; Scheffelium (*t*) denique; ut alios brevitatis ſtudio ſciens omittam; quod ad purgantia remedia attinet, diſerte ſcribentem: *nollem id facile imitari, metuens, ne ſimul calculi ſic conſtituti, ut expelli non poſſint, moveantur, ſicque dolores exaſperentur*, quos vel ira dumtaxat, ſicuti continuo oſtendit, in ejuſmodi ægris, non modo purgantium ſtimulus, facile concitat.

50. Intelligis, ipſum de purgantibus medicamentis etiam tum loqui, cum dolores, ejecto calculo, conquieverunt: quæ pars altera eſt Curationis. Vel tunc igitur ob eas quæ modo indicatæ ſunt, cauſas, a purgantibus abſtinerem, & lenioribus potius remediis inteſtina abſtergerem, ne forte ejectus in ipſa calculus aliqua in eorum ſede ſubſiſtens, ea incrementa caperet quæ ægro eſſent aliquando nocitura. Cave autem, ne me propterea timidiorem voces, aut ſi forte vis, etiam voca; id enim minus vereor, quam ſi audaciorem vocares in eo videlicet morbi genere in quo ſupra (*u*) oſtenſum eſt, quieſcentibus calculis nihil ſæpenumero moleſtiæ percipi. Quapropter in hac quoque altera Curationis parte noli mirari, quod miſſis pellentibus, id ſolum faciendum propoſuerim, ut ſi quis forte reſtet calculus, diſſolvatur, dummodo hoc poſſit fieri. Neque enim me fugit quam parum ſpei, & promiſſionibus reſpondere ſoleant quæ ad id laudantur, ſive innoxia ſint; quæ libenter acciperem, ſeu nimis acria, aut quocumque modo irritantia; quæ vitarem. Nec illud mirum; quando vel extra ipſum corpus diu ſervatos in iis humoribus calculos, quibus diſſolvi intra corpus creduntur, minime ſolutos conſpicimus, niſi ex mollioribus forte ſint, quales Borrichius (*x*) vidit *in aqua calida pene totos colliqueſcere*, & poſt illum Hoffmannus (*y*), noſque etiam in non calida, ductis fiſſuris, ut ad Schroeckium ſcripſimus (*z*), in fragmenta abire. Quin & per ſe interdum in fruſtula abeunt quidem, ut in nigris nonnullis animadvertimus; aut etiam in humorem, ut quem Lanzonus (*a*) *in viridem liquorem ſponte eſſe diſſolutum*, adnotavit. Nam etſi ut iſtum calculum deſignet, *totum ſuccum ſelleum ſaxeum reperiſſe* ſe, dicit; aut *ſaxei* vocabulo, ut converſum in calculum diceret, abuſus eſt, aut cruſta magna ex parte ſaxea viſa eſt, cum ſubſtantia interior molliſſima eſſet. Contra poteſt junctura eſſe mollior; ſubſtantia autem valde compacta. Sic Platnerus (*b*) calculi qui *parum preſſus, mox dilapſus eſt, fragmenta* vidit *nec calida, nec vini ſpiritu, quamvis loco calido per plures dies ea contegerent, ſolvi potuiſſe*. Sic etiam Bezoldus (*c*) cum fruſtula tum in illa, tum in vini ſpiritu etiam *rectificato per tempus* reliquiſſet, *plane diſſoluta* fuiſſe, non vidit. Nec vidit Hoffmannus (*d*) eos quidem *lapides cyſticos, qui ſolidioris fuerant texturæ, & ſaturatioris coloris*. Valliſnerius (*e*) contra nullo humore melius diſſolvi, expertus eſt, quam calefactis ſpiritibus vini rectificato, & reſinæ terebinthinæ. Et de vini quidem ſpiritu conſentientem habuit Auctorem quem laudat Hallerus (*f*); de ſpiritu autem altero diſſentientes alios, & in his Tacconum (*g*), qui de utroque ſpiritu plane diſcrepat. Idem; ne nimius ſim, cum poſſis apud eos quos nominavi, & alios quoque, hæc, in aliiſque humoribus facta pericula per te videre; idem, inquam, cum ex iis de quibus primum locutus eſt, calculis unum quem in ſpiritum nitri injecerat, *tenerrimum* viderit *evaſiſſe*; eos de quibus noviſſime verba facit, ab eo ſpiritu *nihil mutatos eſſe*, affirmat, quod & Valliſnerius (*h*), & Bezoldus (*i*) pariter animadverterant. Ex his varietatibus illud inſuper addiſces, ignorari a nobis quo potiſſimum lithontriptico in hoc, aut illo caſu uti deberemus, ſi conſtaret, hos calculos, ut plerumque minus duri ſunt, magiſque friabiles, quam urinarii, ita per ſua lithontriptica facilius diſſolvi: quanquam in utrorumque comparatione non ſubſtantia ſolum, & junctura ſpectandæ ſunt, verum etiam quanto citius, & quanto plus diſſolventis humoris ad urinarias vias, quam ad bilarias, feratur. Quam ob animadverſionem factum eſt, ut in prima hujus Curationis parte cum largiſſimus calidæ potus a pluribus proponatur, ſiluerim, non pariter taciturus, ſi hærente in renibus, aut ureteribus calculo idem proponeretur. Si tamen quæras, ex tot, & tam variis quæ in hac altera Curationis parte a pluribus promiſcue laudantur, remediis quænam præcipue ſeligerem; non alia magis reſpondebo, quam quæ magis mihi videntur innoxia, ut puta aut taraxaci ſuccum, quando hoc Boerhaavius ab diſcipulo Scheffelio (*k*) dicitur *ſæpe calculum hepatis feliciter curaviſſe*, aut recentis graminis, nemini poſt Gliſſonium (*l*), & Sylvium (*m*) ad hunc uſum non celebrati. Certe autem hæc una herba quid ad id poſſit, oſtendit in quodam paupere Ill. Swietenius (*n*). Qui cum morbum hunc in aliis quoque per graminis, & taraxaci decoctiones, perque alia, diuturno, & conſtanti uſu ingeſta, averruncarit, *ſemper in fæcibus tunc inveniſſe ſe*, ſcribit, *calculos, vel grumos ſaltem calculoſos magna ſatis copia*. Quamvis autem non propterea ſe certum habere, fateatur, fuiſſe illos *calculorum comminutorum partes* potius quam exigua novorum calculorum inchoamenta, qualia in cyſti, nec ſemel, reperta eſſe, jam ſupra (*o*) demonſtratum eſt; tamen Gliſſonii obſervata, quæ & ipſe agnoſcit, ſatis oſtendunt calculoſos illos tubulos (*p*) in bilariis boum meatibus hyeme innatos, recentis graminis paſtu diſſolvi; neque enim *tempore circiter quadrageſimæ, aut Paſchatis, imo antea* eos *ſæpe* tubulos, ſed & poſtea repeririſſet.

51. Denique Curationis pars tertia novos gigni calculos prohibebit, primum ſi quæ vitia ſint in jecinore, itemque in ſanguine emendare poterit, unde calculorum productio pendeat: deinde ſi ea removeat a quibus vitia illa induci conſueverunt. Sunt ea vitia in jecinore quidem infirmum robur, obſtructio, alia hujus generis, in ſanguine autem viſcidarum, terrearumque particularum copia, & æquo lentior, per jecur præſertim, motus. Porro inducuntur hæc vitia ciborum, potionumque inſalubrium crebriore uſu, prava eorundem digeſtione, non reſpondente ciborum copiæ in diluentibus parſimonia, nimio ſomno, vita ſedentaria inclinato præſertim antrorſum corpore, graves animi affectiones, & quæ alia per te vides a Medico eſſe removenda. Sed nimirum hæc pars Curationis ſatis eſt a pluribus pertractata. Quoniam tamen aut ægri non diuturna obedientia, aut jecinoris in integrum reſtituendi difficultate, perſæpe accidit, non ſecus atque in urinariis videmus calculis,

(*r*) c. 12. ſupra ad n. 44. cit. in Cautel. §. 1. (*ſ*) Differt. ſupra ad n. 16. cit. §. 66. (*t*) Diſſ. ſupra ad n. 13. cit. §. 30.
(*u*) n. 37. 38. (*x*) apud Bartholin. Cent. 3. Epiſt. Med. 85. (*y*) cap. 3. ſupra ad n. 44. cit. §. 6. (*z*) Obſ. ſupra indic. ad n 20.
(*a*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 62. (*b*) Progr. ſupra ad n. 17. cit. (*c*) Diſſ. de Cholelitho §. 5. (*d*) §. 6. paulo ante cit.
(*e*) Epiſt. ſupra ad n. 13. cit. (*f*) nota *r* ſupra ad n. 25. cit. (*g*) ſupra ad n. 16. cit. (*h*) Epiſt. cit. (*i*) Diſſ. cit. §. 6.
(*k*) Differt. ſupra ad n. 13. cit. §. 31. (*l*) Anat. Hepat. c. 7. (*m*) Prax. Medic. l. 1. c. 45. n. 13.
(*n*) §. cit. ſupra ad n. 46. (*o*) n. 19. (*p*) Vid. ſupra, n. 12.

lis, ut novi nihilominus progignantur; utile ſaltem erit dare operam, ut quoad ejus fieri poſſit, molles, & laxi bilis canales conſerventur, ne novis tranſituris calculis valde reſiſtant, ſed facilius obſequantur, id quod per aſſiduam, moderatam tamen diluentium conſuetudinem erit curandum.

52. De lithotomia quæ in veſica quoque fellis nuper excogitata eſt, noli mirari quod ſupra non fecerim mentionem. Nam primum dolores qui ab lapillis exitum molientibus excitantur, non ab iis dumtaxat moventur qui a cyſti, ſed etiam ab iis qui ab Hepatico proveniunt ductu. Deinde qui maximi in cyſti lapides ſunt, quorum præcipue cauſa lithotomia hæc quibuſdam videtur optanda, illi nec exitum moliuntur, nec magnopere, ſæpius ſaltem, moleſtiam creant. Huc illud accedit, quod niſi veſiculam cauſa aliqua arcte cum peritonæo connectat, ejus eſt ſectio perniciosa; ea autem connexio ut vi morbi in nonnullis fuerit, in quibus caſus, velut ſæpe alia, ſic & novam hanc lithotomiam excogitandi occaſionem præbuit; tamen quam raro vel in morbida harum partium conſtitutione occurrat, norunt Anatomici; & cum eſt, quam non facile ſit pro certo internoſcere, ſciunt Chirurgi. Noviſſime etſi in ſecando nihil eſſet periculi; num in perſanando nihil erit difficultatis? Sunt ante oculos exempla fœminarum trium, Bononienſis (*q*), Francofurtenſis (*r*), Gottingenſis (*ſ*), quibus tumore in epigaſtrio oborto, eoque arte, aut ſponte aperto, illac cyſtici calculi prodierunt. Primam perſanatam lego: alteri fiſtulam relictam, per quam tenuis, & chymoſus quidem, ſed *flavus* humor deſtillat: tertiæ ulcus, quod cum ſanie *calculos ſubinde felleos* emittit. Quæ ultima hiſtoria Chirurgos poteſt in dubitationem adducere, claudendumne poſtea vulnus ſit, an propter novorum lapidum metum non omnino claudendum. Non me quidem fugit, antequam tumor omnes antepoſitos occupet muſculos, & ſuppurationem late moveat, & cuniculos ſibi pus faciat, tanta diligentia induſtriaque, ut in Francofurtenſi muliere, curandos; non me, inquam, fugit, rem tunc cedere felicius debere veſiculam ferro aperientibus quæ jam arcte cum peritonæo concreverit: hujuſque concretionis ſigna ab ſolerti Chirurgo fuiſſe indicata. Veruntamen ut in re nova, licet magnam interdum poſſit utilitatem habere, mihi expectandum potius dum tempus pluribus iteratis exemplis dubitationes, pericula, difficultates tollendo, confirmet, quam feſtinandum in ea perinde ac ſi jam undique perfecta eſſet, proponenda, exiſtimavi.

53. Habes de bilariis calculis non eam tractationem quam cupiebat Valliſnerius (*t*); ſed quantum mihi curſim licuit ad illa addere de quibus minus fuſe antea ſemel, iterum, ac tertium ſcripſeram. Quod ſi Soſigenes, ut eſt apud Plinium (*u*) *trinis commentationibus, quanquam diligentior eſſet cæteris, non ceſſavit tamen addubitare, ipſe ſemet corrigendo*; noli mirari, me hominem quidem non negligentem, ſed tamen cum pleriſque eorum qui hactenus de iiſdem calculis ſcripſerunt, minime comparandum, tribus illis prioribus quartam hanc commentationem adjeciſſe. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXXVIII.

Agitur de Hydrope Aſcite, Tympanite, Peritonæi, & de aliis quos Saccatos vocitant.

Longiſſimis quæ ad te nuper a me datæ ſunt, Litteris vereor ne multo longiores ſuccedant, cum prolixam adeo in Sepulchreto eſſe video Sectionem XXI. cujus nunc ſequi argumentum debeo, *de Ventris Tumore, Hydrope*. Nam in XIX. quæ *de Scorbuto*, aut in XX. quæ *de Cachexia*, *Anaſarca*, *Leucophlegmatia* inſcripta eſt, non eſt cur morer; quando iis in Civitatibus ubi vitam duxi, perraro, ſi unquam, a Scorbuto aliquis confectus eſt, alibi autem confectorum diſſectiones paſſim reperies, & ſingulares quaſdam apud Poupartium (*a*), & Meadium (*b*); tres autem iſti alii morbi ejuſmodi ſunt, ut longe melius, aut certe commodius alio referantur. Itaque iſta quæ ipſis tribuitur, Sectio, ubi Scholia detrahas, & Obſervationes, quæ ut diſerte admonemur, ad febres, phthiſim, ventris dolores, tumoreſve, melancholiam, paralyſim, dyſpnœam, ſyncopem, aliove attinent, & quarum aliqua interdum repetitur (*c*); ad non ita multas reducitur, quarum plures alio pariter, & nominatim ad ventrium hydropes ſpectant. Quorum qui nobis tractandi ſunt, Aſcites, & Tympanites ſi ſoli materia eſſent XXI. Sectionis; fortaſſe non longior ſuperiore hæc eſſet Epiſtola. Verum cum præter illos, plerique inſuper ex reliquis tumoribus ventris in ea Sectione proponantur; hos conſtituimus in Litteras proximas rejicere; has autem non de aliis ferme quam de utroque illo hydrope, & Peritonæi, & aliis quos Saccatos vocitant, exarare. Nec tamen Obſervationes illas, huc quoque attinentes, quæ alibi, & præſertim cum de Thoracis hydrope ſcriberemus, traditæ ſunt, hic iterum expectabis; ſed alias ſive ex Valſalva, ſive ex nobis. Ejus ſunt igitur quæ continuo ſequuntur.

2. VIR annorum ſexaginta, hernioſus, difficultate ſpirandi, ſitique corripitur. Venter, pedeſque intumeſcunt. Siti tandem remiſſa, moritur. ABDOMINIS adipoſa membrana, & muſculi cum ſecarentur, ſeroſa in interſtitiis materia apparuit: quæ in ventris etiam cavo occurrit. Cum hujus ima ſiniſtra parte ſacculus ex peritonæo factus, communicabat, inteſtinorum portionem continens. In Thorace pericardium ſero ſcatebat. Fluidus in ventriculis cordis ſanguis fuit.

3. Quæcunque hydropis in hoc viro cauſa fuerit; nam etſi irruentibus in herniam inteſtinis, aliquem interdum diſrumpi in diſtracto meſenterio lymphæ ductum poſſe, non eſt negandum; tamen id quam rariſſime accidere, &, cum accidit, ſimul cum lympha chylum effluere, non ignoramus; quæcumque igitur cauſa fuerit; ad aſcitem duos alios hydropes acceſſiſſe, vides, anaſarcam, & pericardii. Rarum enim eſt, ut ſimplex ſit: quod & inſequentes fere omnes comprobabunt hiſtoriæ.

4. JULIA Bonetti annos nata quinquaginta quinque, gracilis, & utrinque gibba, cum paucis antea menſibus de minus facili reſpiratione queri cœpiſſet; denique III. Kal. Decembres A. 1688. in Bononienſe S. Mariæ de Morte Noſocomium ægra illata eſt. Laborioſe reſpirabat, idque magis in ſiniſtrum latus cubans, quam in dexterum. Quod ſi in lecto ſederet: tum vero ſpirandi difficultas adeo ingraveſcebat ut

(*q*) Vid. Taccon. ſupra ad n. 16. cit. (*r*) Act. N. C. Tom. 6. Obſ. 69. (*ſ*) Haller Opuſc. Pathol. Obſ. 33. hiſt. 8.
(*t*) Epiſt. ſupra ad n. 13. cit. Adnot. 2. (*u*) Nat. Hiſt. l. 18. c. 25. (*a*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1699.
(*b*) Monit. Med. c. 16. (*c*) Vid. Obſ. II. §. 6. & 9.

ut quaſi ſuffocaret. Omnibus irritis auxiliis, augeſcente in dies ſpirandi labore, debili & languido pulſu, leviuſculis, ſed crebris animi defectionibus tentata, facie tumida, & quodammodo liveſcente, obiit Idibus Decembris. VENTRIS caveam aqua limpida opplebat. Omentum ſine pinguedine quibuſdam veſiculis refertum erat. Thoracis cavum dexterum quatuor circiter aquæ uncias; ſiniſtrum autem quantum poterat, continebat, ut in ſterni exſectione efflueret. In hoc cavo pulmo nonnihil tumefactus, & purpureus, ut ſi inflammatione correptus eſſet; in altero parum, aut nihil ab naturali conſtitutione recedebat. Cordis ventriculus dexter cum multo concreto ſanguine concretionem quoque habuit polypoſam digiti craſſitudine quæ tum in venam Cavam, tum in arteriam Pulmonarem producebatur. In ſiniſtro ejuſcemodi concretionis tantummodo inchoamentum apparuit.

5. Uter præceſſerit hydrops, thoracis, an ventris, non eſt facile in ejuſmodi hiſtoriis pronunciare. In hac tamen ſi propter illius depravatam adeo ſtructuram, ipſum quoque velis primum aquam collegiſſe; non repugnabo. Cæterum ob eandem ſtructuram illa accidiſſe, crediderim, quæ contra ac fieri ſolet, in hac fœmina obſervata ſunt, ut difficilius ſpiraret in id latus cubans in quo pulmo tumens, & plurima aqua erat, utque in lecto conſidens, propemodum ſuffocaretur.

6. VETULÆ cœpit autumno intumeſcere corpus univerſum, reſpiratio fieri difficilis, & ſitis moleſta. Ad hæc, niſi quod ſitis ſub finem deſiit, acceſſit tuſſis cum ſputis catarrhalis materiæ, & difficilis in ſiniſtrum latus decubitus, ut propterea in dexterum fere ſemper cubaret: in quo decubitu & mortua eſt, cum pulſus jam ſe ſe adeo contraxiſſent, vix ut amplius perciperentur. CADAVERIS cutis, & muſculi dum inciderentur, ſerum manabat multum. Serum etiam Ventrem implebat, qui ingenti, ſed tamen molli tumore protuberaverat. Hoc ſerum, vitreo vaſe exceptum, lotii referebat colorem, unoque, aut altero circiter interjecto die, concrementum innatans oſtendit adeo firmum, ut ne agitato quidem vaſe, in partes divelleretur. Reliquus humor, igni impoſitus, paulo poſt turbidus, & craſſior factus, mox levem concretionem in lateribus vaſis exhibere cœpit: progrediente autem evaporatione, pelliculam in ſummo efformavit: ſed poſtquam ſic infra dimidium decreverat, ſimilis omnino evaſit cremoris hordeacei. Hepar maculis ſubalbis hic illic diſtinctum majoribus exterius, minoribus intus, pallebat. Lien prædurus. Lymphæ vaſa circa lumbos, infraque per interiora ventris, ſatis manifeſta per ſe occurrebant.

In Thoracis ſiniſtra cavea undique ſolutus erat pulmo; at in dextera toto ambitu ad pleuram multis, iiſque implicitis, membranarum nexibus alligabatur: quas ſi membranas contrectares; multum ſeri, in earum interſtitiis concluſi, prodibat. Cordis ſinibus magna copia ſanguinis continebatur, fluidi, diluteque rubentis, ut in vaſis omnibus: eratque cor intra ſerum, quo pericardium non oppletum modo, ſed & valde fuerat dilatatum. Hoc pericardii ſerum, etſi colore, & firmo per ſe producto concremento ſeri ſimile viſum eſt quod ventre continebatur; ad ignem tamen non concrevit, ſed perpetuo liquidum, ſenſim avolans, levem dumtaxat in fundo vaſis cruſtam reliquit. Utriuſque ſeri ſalinæ particulæ inſpectæ, nec certæ figuræ inventæ ſunt: particularum tamen illius ſeri figuræ ab hujus figuris nonnihil diſcrepabant. Concrementum autem illud quod in pericardii ſero innatavit, forma erat propemodum ſphærica, & ex parvis quaſi veſiculis in unum congeſtis effici videbatur.

7. Solebat Valſalva cum aquam in corporis caveas effuſam inveniebat, qualis ipſa eſſet, non modo attendere, ſed & per varii generis experimenta quærere, ſæpe igne utens, nonnunquam certarum rerum admiſtione. Solebat quoque lymphæductuum ſedes inſpicere, & ſive ii turgerent, ſive nullo modo ſe proderent, adnotare. Utramque hanc ejus conſuetudinem cum in pleriſque aliis quas reliquit, hujus generis Obſervationibus, tum in ea præſertim animadverteris quam modo propoſuimus. Quærebat, ut credo, ratione utraque, unde aqua extitiſſet, an a diſruptis iis vaſculis, an aliunde; ſi forte poſt longam Obſervationum ſeriem eo perveniret, ut ex aquæ portione e vivente hydropico eductæ hanc ex iis vaſculis effluxiſſe, dignoſcens, morbum inſanabilem pronunciaret. Poſita enim illa diagnoſi, ut puta in exemplo alias (*d*) tibi commemorato, hæc prognoſis conſequitur, priſcis æque incognita, ac vaſa illa: quorum inventione *non mutatam* eſſe in hoc morbo *prognoſim*, inconſulto quidam contendebant diligentioris Anatomes reprehenſores; illa autem ſic mutata, medendi quoque rationem mutari, quod iidem negabant, manifeſtum eſt; cur enim Medicus fortioribus eos vexet remediis, quos debet dumtaxat qua ratione diutius in vivis ſervet, non qua ſanet, cogitare? Sed Valſalvæ longa opus fuiſſe ejuſmodi Obſervationum ſerie, idcirco dicebam, quia lympha ipſa in variis, & vario tempore varia eſt. Quin Reverhorſtius (*e*) addebat inſuper loci unde provenit, varietatem, a læſis hepatis vaſis lymphaticis eum aſcitem eſſe, ſcribens, in quo aqua extrahitur flava, & amara. Quem ut ſequi auctorem minime neceſſe eſt; ita haud ſatis tutum arbitror iis adſtipulari qui cum Boneto (*f*) docent, a lymphæ ductibus eſſe eam aquam hydropicorum, quæ *limpida* ſit, *coloris expers*, *aut levicule tincta*; a venis autem, quæ *ſeri* inſtar ſit *modo ſinceri*, *modo aliis humoribus commiſti*, *urinæ colorem referentis*. Etſi enim in ægro de quo ipſe loquitur, cujus urinæ lixivium nigrum potius, quam nigricans, eſſe videbantur, non niſi ex lymphæ ductibus effluere in ventrem potuiſſet aqua limpida illa quam deſcribit; at in aliis quorum aliter urinæ ſe habeant, aliunde poteſt proveniſſe.

8. Deinde quæ prius lympha erat limpida, ſi mora, & viſcerum quæ vel ipſa denique corrumpat, putrilagine admiſta mutetur, num propterea a lymphæ ductibus non exiiſſe credenda eſt? Huc fallacias adde quæ ſæpe, niſi quis diligenti attentione caveat, imponere poſſunt in cadaverum diſſectione. Nam quæ aqua primum effluit, erit aliquando limpida, non quod in ægro ſic eſſet, ſed quod in mortuo ſubſidentibus craſſioribus particulis, quæ in ſummo eſt aqua purior eſt facta. Contra aliquando pura cum eſſet, ab ipſa fit diſſectione impura. Sic olim animadverti, cum in hydropica quadam a ſterno coſtas dividere cœpiſſem; limpidam prorupiſſe: cum omnes diviſiſſem, ſterno ſublato vidiſſe ſubrubentem: denique cum viſcera contrectaſſem, & incidere vix inciperem, quidquid reſtabat aquæ colorem rubrum contraxiſſe. Quæ tanto magis attendenda ſunt, quanto minus aquæ ineſt, aut ſupereſt, ut vel pauco ſenſim, & quaſi clam admiſto ſanguine poſſit inſici. Sunt & quæ ab læſo viſcere aliquo, vel ante Sectionem, ut indicabam, admiſcentur, minus deceptura ubi & viſceris læſio magna eſt, & major eorum copia. Sic apud Schacherum (*g*) cum eſſet conjunctum aſciti ovarium plurimum auctum, & vitiatum; mirum non fuit, aquam ſatis alioquin, ut videbatur, limpidam, per evaporationem *mox in ſubſtantiam pinguem coaluiſſe ita, ut partem unam aquæ evaporatione abacta, tres vero partes reſidua portio ſebacea efficeret*. Sic etiam Albertinum memini audiviſſe cum diceret, quorundam hydropicorum aquas, evaporatione adhibita, ex minima parte avolaſſe, ex maxima (credo ob aliquam ejuſcemodi cauſam) concreviſſe, cum aliorum, eodem adhibito ignis gradu, ex maxima avolaſſent, ex minima

(*d*) Epiſt. 16. n. 5. (*e*) Diſſ. de Mot. Bilis §. 21. (*f*) Sect. hac 21. Schol. ad Obſ. 18.
(*g*) Diſſ. de Virgine Aſcit.

nima concreviſſent. Tunc vero maxime cavendum eſt, cum viſceris læſio eſt adeo parva, ut facile poſſit oculos ſecantis effugere; ne ſi quidpiam vi ignis concreſcat, non veram ad originem id referatur. Ex his, atque aliis quæ conſulto prætereo, intelligas velim, cur iſtiuſmodi Obſervationum, quas non contemno, ſed cautiſſima diligentia habitas requiro, magno numero Valſalvæ opus fuiſſe, dixerim, ut, in quibus fallacia aliqua ſubeſſe poſſet, iis neglectis, cæteras comparatas cum ſimilibus in lympha, & in ſero ſanguinis experimentis, ad eos fines, quicumque illi eſſent, quos ſibi propoſuerat, utiliter adhiberet. Ad ejuſmodi comparationem hortatur Cl. Phil. Frid. Gmelinus (*h*), ubi ſua in tenaci Aſciticæ cujuſdam aqua proponit experimenta. Alia leges, in humore quem *ſaccati* hydropis veſiculæ continebant, habita a Cl. Jo. Chriſtoph. Pohlio (*i*). Minus multiplicia, quippe evaporatione dumtaxat adhibita, habet Ill. Senacius (*k*). Peculiaria reperies quædam, nimirum ad lacteum hydropem attinentia, ortum quidem, ut videtur, non ex chylo tantum e diſruptis chyliferis vaſculis effuſo, quemadmodum in Littrii (*l*) Obſervatione, ſed ex illo cum multa communi aſciticis aqua miſto, reperies, inquam, in Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis (*m*). Quales autem plerumque ſint eductæ ex hydropicis aquæ, & quam variæ, alias in ejuſdem Academiæ Commentariis (*n*) docuit junior Verneyus ſimplicius certe, quippe nulla addita externa ope, ſenſibus dumtaxat fretus, ſed multo commodius, & ad prognoſim utilitate latius patente.

9. Verum ne Vetulæ cujus propoſita hiſtoria eſt (*o*), obliti eſſe videamur; ſi hanc cum illa quæ proxime præcedit, gibberæ hiſtoria (*p*), & cum prima viri (*q*) comparaveris; intelliges, vetulæ decubitum haud alium fuiſſe ac quem thoracis latus magis laborans requirebat. De ſiti autem ante mortem remiſſa in viro, ſublata in vetula ſic fortaſſe poteris exiſtimare, quod aut ſentiendi vis prope obitum jam hebeſceret, aut diſtento jam ventre quod humoris in ſanguine ſupererat, ejus pars ad fauces madefaciendas tunc iret, catarrhali materia quam vetula exſpuebat, id indicante. Neque enim neceſſe eſt, ut in hydropicis omnibus ſerum ſanguinis ad ſitim tollendam ineptum ſit, id eſt muriæ ſit, ut interdum ab nonnullis guſtando perceptum eſt, multo ſimilius, quam aquæ.

10. VIRI quinquaginta annos nati, qui univerſali hydrope laboraverat, VENTER, etſi nulla exterius apparebat ſenſio, aqua erat plenus. Hepar coloris atri, lien aliquantum auctus, reliqua ventris viſcera ſana erant. Lymphæ ductus valde turgebant: & cum multæ eſſent glandulæ infra Emulgentia vaſa juxta venam Cavam, & arteriam Magnam circumjectæ, ii ductus ex meſenterio ad has glandulas, ex his in Thoracicum ductum ferebantur.

In Thorace aqueus humor: pulmoneſque nigris maculis variegati. Pericardium hydrope proprio uſque adeo erat expanſum, ut aere diſtentam urinariam bovis veſicam magnitudine æmularetur. Ut omnia hujus corporis vaſa proportione magna erant, ſic & cor magnum; ſiniſtra autem ejus auricula ita erat dilatata, ut dimidiatum cor quaſi æquaret. Cor vero exteriorem membranam a ſiniſtris eroſam, vaſa intorſionibus varicoſis ſpectanda habebat: in ventriculis autem ſanguinem continebat fluidum ſine ullo concretionis indicio.

11. Creditu difficile eſt, Valſalvam, cum pericardium uſque adeo aqua diſtentum, auriculam autem ſiniſtram ita amplificatam inveniſſet, ut hinc fortaſſe, quemadmodum retardatus ubique ſanguinis motus, ſic univerſalis hydrops magna ex parte ſit conſecutus; creditu, inquam, difficile eſt, non quæſiviſſe diligenter omnia de quibus æger conqueſtus eſſet, aut ſi peculiare quid audiviſſet, non adnotaſſe. Quod tamen ad pericardii hydropem attinet, cum Vetula quoque de qua ſupra (*r*) diximus, pericardium aqua haberet valde dilatatum, videre potuiſti inter ſigna quæ in ea hiſtoria ſunt recenſita, num ullum eſſet pericardii potius hydropis, quam cæterorum quæ præter naturam ſimul inventa ſunt, peculiare. Decubitus certe neque antea difficillimus, nec extremo tempore neceſſarius, nec humili capite fuiſſe dicitur: quæ cum iis conferes quorum a nobis ibi mentio facta eſt ubi illius hydropis alia ab aliis propoſita ſigna pro veri ſtudio examinavimus (*ſ*). Ne vero ex proxima, quam ſubjiciam, Obſervatione ſuſpicari incipias, ejus peculiare ſignum eſſe ſupini decubitus neceſſitatem, cum tot aliæ faciunt in quibus alter ſine altero fuit, tum illa præſertim faciet quæ proximam continuo ſequetur.

12. ANUS ſeptuaginta annorum difficile reſpirabat, multum ſitiebat, ſicca tuſſi vexabatur, non niſi in dorſum cubare poterat. Cum hæc diu perduraſſent, tumerentque pedes œdemate; mortem obiit. VENTER aqua plenus erat. Lymphæ ductus circa arteriam Magnam qua Emulgentes promit, turgebant; in meſenterio, atque alibi vix apparebant. Renes parvi, nec ſine hydatidibus.

In Thorace pulmones ſani: & mediocris ſeri copia. Hoc autem plenum erat pericardium: in quo cor duplo majus quam ſecundum naturam, flaccidam concretionem polypoſam continebat: auriculæ autem ſanguinem, a quo valde turgebant. Cæterum naturalem ſanguis fluorem, coloremque in hoc cadavere ſervabat.

13. SENEX annorum totidem, pedum œdemate, magna ſiti, & tuſſi corripitur adeo interdum dolorifica, & vehementi, ut ſuffocari videatur. Catarrhalem materiam exſpuit: difficile reſpirat: decumbere, niſi ſupinus, non poteſt: humili, & debili eſt pulſu. Moritur. IN VENTRE aqua ſtagnabat: & lymphæ ductus ad Emulgentium vaſorum diviſionem adeo tumebant, ut tres quatuorve eorum, ſinguli anſerinæ pennæ craſſitudinem æquarent. Lien prægrandis, exterius nonnulla corpuſcula oſtendebat granorum milii inſtar. In Thorace pulmo uterque ad dorſum, ad latera, ad ſternum adhærebat, interſtitiis inter ſe, pleuramque relictis, aquam continentibus. Contra in pericardio nihil humoris: & ipſum per fibras multas membranaceas cordi ſe annectere jam incipiebat. In cordis ventriculis concretus ſanguis, & in auricula quoque dextera, in qua primo aſpectu placentæ uterinæ portionem referebat. In ſiniſtro ventriculo polypoſa concretio, ab omni parte ſeparata.

14. Vides igitur utraque hac collata Obſervatione, cum ſupinus decubitus utrobique eſſet neceſſarius, non utrobique pericardium ſero plenum fuiſſe, imo in Sene humoris nihil habuiſſe. Quod ſi viſcerum inter ſe compares vitia; gravia quidem reperies in utroque; ſed non eadem. Nec ſanguinis utrique eadem conſtitutio; imo, quod in ſuperioribus etiam hydropicis animadvertere potuiſti, alii prorſus alia. Anui enim fluidus fuit; Seni concretus: & quod polypoſi habuit, in illa flaccidum laxumque, in hoc compactius, & quod raro a Valſalva adnotatum eſt, in ſiniſtro ventriculo, non in dextero. Ejuſdem igitur decubitus variæ ſunt cauſæ, nec raro difficiles habent explicatus, ut alias (*t*) oſtenſum eſt, & duabus quæ ſequuntur, Obſervationibus inter ſe, & cum proxima ſuperiore collatis, oſtendetur.

15. FŒMINA gracilis, annum agens circiter duodetrigeſimum, quæ jam ante menſes quatuor vulnus acceperat ad umbilicum, difficile ſpirabat, valde ſitiebat, nonnihil exſpuebat, de dolore querebatur in ſiniſtra thoracis parte, in quam, ut neque in dorſum, cubare non poterat. His omnibus ingraveſcentibus, moritur. IN VENTRE ſana erant

(*h*) Commerc. Litt. A. 1745. Hebd. 52. n. 3. (*i*) Act. N. C. Tom. 8. Obſ. III. (*k*) Traité du Coeur l. 4 ch. 3. n. 4. & ch. 9. n. 2. (*l*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. A. 1710. Obſ. Anat. 7. (*m*) A. 1700. (*n*) A. 1703. (*o*) n. 6. (*p*) n. 4. (*q*) n. 2. (*r*) n. 6. (*ſ*) Epiſt. 16. n. 45. (*t*) Epiſt. 20. n. 25. & alibi.

erant viſcera omnia; ut vel in ipſis inteſtinis, qua umbilico reſpondebant, nihil vitii animadvertere licuerit præter colorem quaſi nigricantem. Ventris tamen cavea ſabflavæ aquæ libras tres, quatuorve continebat. Thoracis quoque ſiniſtrum cavum aqua erat plenum omnino ſimili, niſi quod in hac concretiones quædam innatabant, pelliculárum inſtar. Hac in aqua pulmo erat ſaniſſimus, & ab omni adhæſione liber. Pulmo autem dexter cavum ſuum exacte implebat, quippe ad pleuram undique adhærens arcte adeo, ut ſeparari vix poſſet: eratque aliquantum induratus, ut phlegmone quodammodo tentari videretur. Uterque cordis ventriculus laxam concretionem polypoſam continebat; dexter tamen majorem, quam ſiniſter. Cæterum lymphæ ductus in hoc cadavere nullo modo turgebant.

16. ADOLESCENS annorum circiter ſeptemdecim, corripitur difficili reſpiratione, ſicca tuſſi, maxima ſiti. Parum mingit. Latere dextero nonnihil dolet, in hoc aſſidue cubat. Tandem interit.

VENTER aqua plenus: inteſtina, & ventriculus albida: totum hepar durum: lien, niſi quod paulo major erat, cætera ſanus. Lymphæ ductus non turgebant, ut aliquoties in quibuſdam hydropicis, ſanis viſceribus, eſt obſervatum. Thoracis cavum dexterum aqua redundabat. In eodem pulmo induruerat: & tota ea facie qua diaphragma, & qua mediaſtinum ſpectabat, his adhærebat. In pericardio parum, aut nihil ſeri. In omnibus vaſis, etiam quæ ſunt in viſceribus, ſanguis fluidus.

17. Cur in latus dexterum hic aſſidue decumberet, ſtatim intelligis ſimul ac cogitas, aquæ copiam quæ in eodem erat latere, niſi in hoc cubaret, fuiſſe alterum, quod ſanum erat, prægravaturam. Sed Mulier (*u*) cum a ſiniſtris aquæ copiam haberet, cur in ſiniſtrum decumbere latus non poterat? Nempe etiam pulmonum rationem habeas, neceſſe eſt, quorum ſiniſter ſanus erat Mulieri; dexter non ſanus Adoleſcenti. Veruntamen cur Mulier cubare in dorſum non poterat? Sic enim neutrum latus alteri aut aquæ pondere, aut mole pulmonis, phlegmone tentati, offeciſſet. Senex (*x*) certe cum utrumque pulmonem ſic undique ſimul alligatum, ſimul aqua in circumjectis interſtitiis collecta circumpreſſum haberet; in dorſum non modo cubare poterat, ſed debebat. Vides igitur, cur decubitus dixerim non facile interdum poſſe explicari. Præſtat autem hac de re non plura iterum hic verba facere; ſed Valſalvæ reliquas Obſervationes ſubjicere, in quibus cum hydrope conjunctam lymphæ ductuum turgentiam non vidit, id quod in duabus quoque deſcriptis modo hiſtoriis animadvertere potuiſti: etſi facile neque tu, ut puto, neque ego certe ſatis perceperim, cur in poſtrema dixerit, turgentiam illam aliquoties in quibuſdam hydropicis, ſanis viſceribus eſſe obſervatam: quod profecto haud potuit ad Vetulam (*y*), ad Virum (*z*), ad Anum (*a*), ad Senem (*b*) referre, in quibus ut illa turgentia fuerit, ſana tamen viſcera non fuerunt. Alias igitur ſuas Obſervationes reſpexerit, neceſſe eſt, exempli gratia illam, tibi alias (*c*) a me deſcriptam, in qua cum hydropicæ cuncta ventris viſcera bene ſe haberent, ſimul turgebant vaſa lymphatica: nec fortaſſe aliud hic noluit, niſi in illis etiam hydropicis quorum ſana ſint ventris viſcera, turgentia interdum ea vaſcula reperiri.

18. JUVENIS annos natus circiter duodetriginta, magnopere edax, & potulentus, cum aliquot jam annos aliqua reſpirationis difficultate laboraſſet, tandem in hydropem incidit univerſalem. Huic ſeptem ferme ante mortem diebus acceſſit major ſpirandi difficultas, cum tuſſi, ſputo, & dolore in thorace.

IN CADAVERE Venter, & Thorax ſubfuſco ſero pleni inveniuntur, eodemque colore infecta viſcera omnia, ſi inteſtina excipias, & ventriculum. Hic naturalis magnitudinis modum valde ſuperabat. Lien quoque triplo quam par eſſet, major. Bilis erat pallida. Lymphæ ductus nulli in conſpectum venere.

Siniſter pulmo erat multum inflammatus, ex quo accelerata mors jure credita eſt, & ad pleuram per membranas annexus, quarum interſtitiis deſcriptum ſerum concludebatur.

19. Hypotheſis vi potius, quam Hippocratis auctoritate, aut hydropicorum diſſectione, adductos olim pleroſque fuiſſe Medicos, ut jecur primum, deinde & ſplenem hydropis auctores facerent, vel ex Sepulchreto cognoſces ſive ubi (*d*) in Hippocraticis libris non unum, aut alterum, ſed plura hic culpari viſcera, oſtenditur, ſive ubi (*e*) bene multis productis hydropicorum extiſpiciis, inſons fuiſſe utrumque illud viſcus, demonſtratur. Et certe quæcunque Pars, imo quæcunque cauſa diutius poteſt ſanguinis, aut lymphæ curſum morari, aut humoris quo caveæ corporis madent, præter modum aut ſecretionem augere, aut exitum deinde imminuere, morbo huic poteſt originem præbere. Venter autem præter hæc, peculiares habet Partes e quibus humor in ejus cavum effunditur aliquando. Fuit, inquit Piccolhominus (*f*), qui plurimum bibens, & nihil, vel cathetere immiſſo, urinæ reddens, ventre ſenſim mirum in modum intumeſcente, denique mortuus, calculis penitus dilaceratos renes oſtendit, ut manifeſtum eſſet, ex his lotium in ventrem defluxiſſe, eumque diſtendiſſe. In Sepulchreto, ubi hanc Piccolhomini Obſervationem fruſtra quæſivi, habes alias Plateri (*g*), & Dodonæi (*h*) aſcitis, ſalvo hepate, & liene, ab urina facti effluente ex rene, aut ex veſica, quæ exulceratio perforaverat. Quod autem præterea indicat Dodonæus (*i*), minime dubium eſt, idem eventurum, ſi forte ureteres perrumpantur, aut erodantur, præmonſtrante Galeno (*k*), & confirmante inter alios Euſtachio (*l*), præciſis illis in viva beſtia, & abdomine conſuto, inventum iri ventris caveam *totam lotio plenam, veluti ſi aqua intercute laboraret animal*: idque ruptis iis canalibus in viris duobus accidiſſe, Abr. Vateri (*m*), & Winharti (*n*) docent hiſtoriæ. Quod ad genus Obſervationum referenda illa eſt Cl. Berneri (*o*) in ſexenni puero cujus urina cum e renibus egredi non poſſet, hos ita diſtenderat, ut per ipſorum ſuperficiem via ſibi aperta, in ventris cavum deſtillaret, inteſtinaque circumfunderet. Quin etiam huc pertinent ulcera, ventriculum eo loco perforantia, ut potionibus magis, quam cibis, exitum præbendo, aſcitem vel facere poſſint, vel augere. Sic accidit in Obſervationibus Doctorum Virorum Samuelis Gratſii (*p*), Ad. Chriſt. Thebeſii (*q*), Rud. Jac. Camerarii (*r*), & Jo. Georg. Hoyeri (*ſ*). Porro ad illa quæ ex Sepulchreto indicata ſunt, hepatis, & lienis in hydropicis inſontium exempla, nova minime deſunt quæ addantur. Videſis; ut alia, in iiſque illud quod paulo ante memorabam, Vateri; nam huc quoque, imo præcipue, attinet; ea, inquam, vide quæ a Cæſarea ſuppeditantur Academia (*t*), inter quæ eſt quoddam (*u*) ubi jecur peſſime affectum eo facilius omnes credidiſſent, quod ægra nulla de re magis, quam de ejus viſceris dolore conqueſta erat. In eo tamen, ejuſque cyſti labes nulla; ſed in proxima meſenterii parte deprehenſa eſt eroſio tanta, ut palmæ latitudinem ferme æquaret. Quæ omnia ut vera ſint; non erat tamen a quibuſdam in contrario adeo decurrendum, ut jecur, aut ſplenem contenderent perraro, ſi unquam, eſſe culpandum. Leges, exempli gratia, in aliqua ex ſuperioribus proximis Sepulchreti Sectionibus (*x*), *Medicorum vulgo quidem nil ſolennius eſſe, quam lienem contumeliis afficere, quaſi omnium prope malorum eſſet pancrene*. Certe illos in hoc erraſſe, fatendum

(*u*) n. 15. (*x*) n. 13. (*y*) n. 6. (*z*) n. 10. (*a*) n. 12. (*b*) n. 13. (*c*) Epiſt. 16. n. 4.
(*d*) Sect. hac 21. Schol. ad §. 4. Obſ. 7. (*e*) Sect. ead. Obſ. 1. & ſeqq. (*f*) l. 2. Anat. Præl. 23. (*g*) Sect. cit. Obſ. 8 §. 2.
(*h*) Ibid. Obſ. 25 § 23. (*i*) Ibid. (*k*) De natural. Facult. l. 1. c. 13. (*l*) Tract. de Ren. c. ult.
(*m*) in Progr. edito Witemberg. Januar. A 1720. (*n*) in Append. Tom. 2. Act. N. C. ſub n. III. (*o*) Eorund. Actor. T. 1. Obſ. 219.
(*p*) Eph. N. C Dec. 3. A. 3. Obſ. 40. (*q*) & Cent. 3. & 4. Obſ. 120. (*r*) & Cent. 5. Obſ. 43. (*ſ*) & Actor. T. 4. Obſ. 124.
(*t*) Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 13. & 168. & A. 6. & 8. Obſ. 186. (*u*) Obſ. ead 186. (*x*) Sect. 18. Obſ. 3.

eſt. Verum cum id continuo ſubjicitur, *Exta autem a fato conſulentibus rarius nihil, quam vitii quicquam in eo detexiſſe*; ſi hoc ab aliquo generatim, aut ut in aſcite præſertim, accipiatur, quantum a vero abſit, cum ingens in Sepulchreto ipſo (*y*), Obſervationum oſtendit numerus; tum de novem quas ex Valſalva produxi, quinque (*z*) confirmant, in quibus aut prædurus inventus eſt, aut æquo major, imo, ut in noviſſima, unde hæc ſcribendi data nobis occaſio eſt, triplo major. Quod ſi de jecinore ſermo ſit; videbis in illarum quatuor aut pallens, & maculoſum, aut atrum, aut omnino durum, aut cum bile pallida fuiſſe. Nec mirum, ſi morbus quem in primis a retardato motu ſanguinis oriri, diximus, a vitio haud raro proveniat viſcerum per quæ tarde lenteque ex inſtituto naturæ ſanguis traducitur, ut ſiqua nova accedat remorans cauſa, non niſi tardiſſime moveri queat. Itaque ad Valſalvæ Obſervationes, & ad eas quæ in Sepulchreto extant, paſſim occurrunt quas adjungas, ut cum haud paucas ubi quæras, indicavero, nullus dubitem, plures alibi ſupereſſe. Vide, exempli cauſa, quæ in aſciticis duabus Virginibus per diſſectionem conſpexerit junior Verneyus (*a*), itemque in plurimis eodem morbo affectis Naturæ Curioſi (*b*): nec omitte quæ in Viro illuſtri Cl. Bechmannus (*c*). Ex his omnibus aſciticorum diſſectionibus ne unam quidem perleges, quin jecur male ſe habuiſſe, cognoſcas. Simul autem in earum aliquot diſerte adnotatum animadvertes, ut male ſe quoque lien habuerit. Nec aliæ deſunt ex quibus intelligas, cum in eodem morbo *hepar non admodum a naturali ſtatu diſceſſiſſet*, *lienem magnum* fuiſſe, *& duriuſculum*, aut cum hepar *prorſus naturaliter* eſſet *conſtitutum*, lienem *ſolito majorem*, *& totum quantum ſcirrhoſum*, *tamque durum* fuiſſe, ut *non ſine difficultate ſcindi & dividi novacula potuerit*. Quorum exemplorum alterum eſt Lentilii (*d*), alterum Cl. Cohauſenii (*e*). Non tamen diffiteor, quæ vitia his viſceribus, aut pancreati, meſenterio, aliiſve Partibus ventre concluſis, initio non eſſent, ea poſſe, hydrope diutius protracto, aliquando induci. Sed indicia ſæpe ſunt, ea vitia anteceſſiſſe, ſive omnia ſpectentur quæ ægrum ante hydropem male habuerint, ſive quædam attendantur quæ occurrunt in mortui diſſectione, velut proxima indicabit hiſtoria,

20. MULIER hydrope aſcite laboraverat. CADAVER incidendo, nulla, niſi Ventris, cavea inventa eſt quæ eſſet aquæ plena. Inteſtina aere non erant diſtenta. Hepar autem erat durum, ejuſque veſicula lapidem, omne ejus cavum occupantem, continebat. Lymphæ ductus nullo modo apparebant.

21. Hæc una eſt ex reliquis illis Valſalvæ Obſervationibus quas tibi Epiſtola ſuperiore (*f*) pollicitus ſum, ut plene intelligeres, non magis ab illo, quam a me, regium morbum ſimul cum cyſtis felleæ calculis fuiſſe adnotatum. Porro minus veri ſimile eſt, tantum lapidum non a longiſſimo antea tempore fuiſſe inchoatum, ut demum ad totam cyſtim opplendam perveniret; nec, quod conſequitur, ſine antiquo vitio fuiſſe id jecur, in quo tandiu bilis ſecreta eſſet idonea ad ejuſmodi lapidem perficiendum Quod vero diſerte interjectum eſt, inteſtina aere non fuiſſe diſtenta, eo attinet, ut intelligatur, etſi poſſint Aſcites, & Tympanites conjungi; non ſemper tamen, ut videntur quidam credere, id fieri. Quin ut rarius accidit, aſcitem, quemadmodum in propoſita fœmina, nullum alibi hydropem conjunctum habere, ſic minus ſæpe fit, ut in aſciticis concluſa ventriculo, & inteſtinis magna vis flatuum, in tympaniticis autem aqua multa præſertim, & necdum inveterato morbo, effuſa in ventrem occurrat. Et ſane pauca fuit in muliere de qua protinus dicetur.

22. FŒMINA annum agens circiter trigeſimum, poſt diuturnos artuum dolores, multa ſcabie, eaque humida, correpta eſt. Quam ut abigeret, de conſilio Empirici unguento quodam eſt uſa. Sic brevi quidem ſiccata eſt ſcabies: ſed acuta febris oborta eſt, ingenti calore, & ſiti, ac ſæviſſimis capitis doloribus ſtipata. His poſtmodum acceſſerunt delirium, ſpirandi non modica difficultas, totius corporis levis tumor, ventris tamen non levis, magna inquietudo, mors denique ſexto ex quo febris lecto affixerat, die. IN CADAVERIS diſſectione animadverſum eſt, ſcalpello cuti, & carni impreſſo, nihil aquoſi humoris prodire, ut manifeſtum eſſet, univerſalem illum de quo dictum eſt, tumorem non œdematis inſtar, ſive anaſarcæ fuiſſe: quod & digito preſſi pedes oſtendebant, nullum preſſionis veſtigium ſervantes. Venter quoque tumidus, & valde tenſus, cum aperiretur; non aqua, ſed inteſtina, & ventriculus erupere, nihil niſi aerem continentia, quo uſque adeo diſtendebantur, ut ventriculus plus quam dimidium caveæ ventris impleret. In hanc tamen caveam effuſa inventa eſt libra una, aut altera limpidi ſeri: quod ignis vi primum quidem leviter concreſcere viſum eſt; ſed poſtea, ferme inſtar aquæ pericardii, totum in auras abiit, niſi quod in fundo vaſis flavam quaſi pelliculam reliquit. In Thorace pulmones reperti ſunt ad pleuram annexi per quaſdam quaſi membranas, *gelatinoſum* corpus referentes, quæ tot erant, ut appareret, minus libere ſe dilatare potuiſſe pulmones. Eas ſi ſecares; pellucidus humor prodibat. Cor ad dexteram cum pericardio connectebatur per fibras nonnullas membraneas: ejus ventriculis ſanguis inerat fluidus; ſed tamen in dextero tenuis polypoſæ concretionis inchoamentum eſt animadverſum. Caput ſecare non licuit.

23. Multa, atque humida ſcabies quæ mulierem a diuturnis artuum doloribus liberaverat, importune retropulſa, mortem attulit. Scilicet acres particulæ quæ artuum membranas antea compungere ſolebant, jam per ulcuſcula in cute producta, ſalubriter ejiciebantur. His autem ulcuſculis ſiccatis, in ſanguine reſtitantes, internaſque partes irritantes, & acutam febrim, & mala cætera, quæ hanc comitabantur, graviſſima invexere, in iiſque tympanitem. Quæ hydropis; ſic enim Majores vocarunt; ſpecies etſi diuturnis morbis, ut ait Littrius (*g*), ordinario ſuccedit; nonnunquam tamen fit in acutis, velut hic; imo etiam in multo acutioribus, ut ipſe vidi, & alias perſcribam. Et poſt diuturnos quidem, magnoſque morbos proclive eſt cum ipſo intelligere, ex effœto ſanguine tot, taleſque ſpiritus non poſſe exiſtere, quot, qualeſque inteſtinorum, & ventriculi requirunt fibræ, ut aeri qui in utrorumque cavo eſt, ſatis renitantur, ſi præſertim ille multus ſit, multumque rarefactus; ne viſcerum eorum parietes incredibilem in modum diſtendat. Sed in acuto hoc morbo erat aer utique ad rarefactionem pronus; ut vel in vaſculis quæ ſub cute ſunt, & per quæ fortaſſe minus meabat libere, ſe quadantenus expandere videretur, & leve quaſi emphyſema inducere. Effœtum tamen ſanguinem, & hinc debiles eorum viſcerum tunicas num credemus fieri potuiſſe, ſi non ab longitudine, a vehementia ſaltem morbi? quanquam ut eram hic acerbiſſimis capitis doloribus, & inquietudine, ac delirio ſtipatus, non tam ſpirituum inopiam, & languorem, quam copiam, abnormeſque motus indicabat. Nec tamen propterea in Williſii ſententiam tranſibimus, fuſe, etiam in Sepulchreto (*h*) relatam, qui contra ac poſtea Littrio placuit, a copioſo, inordinatoque ſpirituum influxu in fibras viſcerum illorum, tympaniticam ipſorum diſtentionem repetebat; quaſi vero fibræ circa membraneos tubos diſpoſitæ, cum ipſæ inflantur, non horum cavum

(*y*) Vid. quot ſub Obſ. 6. & 7. & alibi congerantur. (*z*) n. 6. 10. 13. 16. 18. (*a*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1701. & 1703.
(*b*) Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 276. & A. 7. & 8. Obſ. 153. & A. 9. & 10. Obſ. 239. 241. 248. & Cent. 1 Obſ. 3. in Coroll. 3. & Cent. 3. Obſ. 12. & Cent. 8. Obſ. 27. & Cent. 9. Obſ. 64. & Cent. 10. Obſ. 86 & Act. Tom 6. Obſ. 15.
(*c*) Commerc. Litter. A. 1742. Hebd. 32. n. 1. (*d*) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 168. (*e*) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 25. n. 2. Caſ. 3.
(*f*) n. 25. (*g*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1713. (*h*) Sect. hac 21. in Schol. ad Obſ. 22.

vum potius conſtringerent, diſtentionique reſiſterent. Equidem præſtare, credidero, ut hic ex utraque ſententia tertiam quandam conflatam ſequamur, exiſtimantes, abnormi ſpirituum influxu contractas hic illic, & convulſione adſtrictas fibras, naturales horum tuborum motus, &, quod conſequitur, multi, & multum rarefacti aeris expulſionem intercepiſſe, qui propterea fibras cæteras in iis in quibus concludebatur, tractibus tanto magis urgens, quanto magis & copia, & vi augebatur, harum quidem primum, deinde & illarum quarum prægreſſa convulſio robur infractum reliquerat, perviciſſe renixum, ſicque infirmatis denique, laxatiſque omnibus, univerſos hoſce tubos dilataſſe. Adeo autem convelli poſſe carneas inteſtinorum fibras, ut omnem intercepto aeri exitum intercludant, repertæ haud raro in diſſectionibus arctiſſimæ hic illic inteſtinorum conſtrictiones oſtendunt. *Obſervatores non pauci enarrant*, inquit Cl. Corn. Henr. Velſe (*i*), *& ipſi in cadaveribus ſæpiſſime vidimus: quum inteſtinum hic laxum, molle, diſtenſile, flaccidum, illic durum, contractum, rugoſum, non ulterius digitis coarctandum, nec liquidis eſſet patulum, ſed maſſam fere referret ſolidam*. Hæc autem poſtquam dixit *per totam inteſtinorum longitudinem interdum alternari*, ut in cadavere infantis vidit; quid interclusus elaſticus aer, ob calorem loci magis magiſque expanſus, efficiat, hac ſua comprobat Obſervatione (*k*). *In puella bienni vidi*, inquit, *portionem inteſtini Coli adeo violenter* ab incluſo aere *amplificatam, ut referret veſicam conſtantem tunicis ob ſummam elongationem quam pellucentiſſimis, reliquo ejuſdem inteſtini tractu & ſupra, & infra hunc tumorem, per ſummam contractionem extrinſecus ſulcato, & prorſus impervio*. Huc addas velim pariter imperviam contractionem quam inter ſuperiorem & inferiorem virilis Coli partes, aere maxime diſtentas, vidit Præcl. Baſſius (*l*). Laxatis autem; ut in iis qui victuri ſunt, neceſſe eſt; iſtiuſmodi conſtrictionibus, jam infirmiſſimas ſub tanta preſſione factas eſſe fibras, a me tibi non opus eſt inculcari, ut neque tractus illos certos in quibus aut preſſio, aut aer fuerant, totis hujus viribus expanſum iri, idque eo magis, quo fuerint hæ, aut eſſe perrexerint validiores. Itaque non miraberis in Laubii (*m*) Obſervatione, ſi ventriculus eſſet corrugatus, Colon vero adeo diſtentum, *ut vir robuſtiſſimus facile totum brachium intrudere potuiſſet*, aut quod Litrrius (*n*) ſæpe viderit Cæcum, & Colon femoris virilis craſſitudine, imo quod Platerus (*o*) vel in puero inteſtina conſpexerit quæ eandem craſſitudinem *certis in locis adæquare* videbantur. Viciſſim eſt alias (*p*) immanis adeo præ cæteris ventriculi diſtentio, ut contiguam jecinoris partem, & diaphragma non modo altius compuliſſe, ſed & deſcendere prohibuiſse, ægrumque in id periculum propterea conjeciſse interdum credita ſit, ut præſentaneum, intentatum adhuc, auxilium expoſceret quo aeri confeſtim exitus pararetur ope acus oblongæ per ſiniſtrum hypochondrium in ventriculum demittendæ. Sed de hoc infra (*q*). Cæterum quam diſtentus eſset ventriculus in propoſita (*r*) quoque Valſalvæ fœmina, animadvertere potuiſti. Unde nacti occaſionem ſumus tympanitis certis in caſibus non ſine præviis convulſivis adſtrictionibus explicandi. Quod ſi in omnibus forte malueris Litrii explicatione uti; eo minus pertinaciter repugnabo, quod in omnium progreſsu ad ipſam nihilominus, ſi vera ſunt quæ paulo ante dicebam, eſt redeundum.

24. Et ſic quidem tympanitis cauſæ tum poſt diuturnum morbum, tum in acuto intelligentur, cum rarefacti aeris copia, & vis inteſtina, & ventriculum, & quod conſequitur, his appoſitum abdomen diſtendet. Sed eſt alia tympanitis ſpecies, cum idem aer, extra eorum viſcerum cavum rarefactus, ipſum dumtaxat extendit abdomen. Hujus muſculi, ob id etiam creati, ne rebus ſecundum naturam ſe habentibus, ea viſcera præter modum diſtendantur, ubi juſto, quæcunque ſit cauſa, laxiores fuerint, non modo eorum diſtentioni non obſtant; ſed inter cauſas, cur hæc facilius, majorque contingat, videntur eſſe reponendi. Ubi vero aer extra illa viſcera laxius abdomen urgebit; tanto hoc citius, magiſque extendetur, quod aeris viribus non inteſtinorum etiam, ac ventriculi parietes, ſed nihil tunc niſi unum diſtendendum objicietur abdomen. Nec tamen hæc ſpecies frequens eſt, ſeu ſola, ſive cum priore conjuncta; imo adeo rara eſt, ut nec Williſius (*ſ*), nec Littrius (*t*) viderint, atque adeo alter ſcripſerit, non poſſe ab ſe intelligi, alter per ſua experimenta omnino refutari. Ego vero neque ideo aliquid negaverim, quod ſatis intelligi non poſſit, neque crediderim, quod in plurimis non ſit, id in quibuſdam non eſſe: nec fortaſſe alia egregiis illis Viris mens fuerit; ſed tantum haud ſatis aperte indicata. Alii autem minime dubitant, quin ex humoribus in ventrem effuſis, ibique corruptis poſſit aer, præſertim in iis corporibus in quibus vi morbi non fuerit bene, *intimeque commixtus*, ſe ſe explicare, aut pariter ex quopiam corrupto viſcere, aut denique (id quod facillimum eſt) ex inteſtinis parte aliqua pertuſis prodire. Id autem facillimum eſſe, dixi propterea quia Cel. Hallerus (*u*) in maxime diſtentis hujus morbi vi inteſtinis aerem animadverrit ſibi viam feciſſe per eorum parietes in cellulas uſque ſub extima tunica ſitas: quin memini, Cl. Spoeringium in Reg. Sc. Suec. Academiæ Commentariis ad Annum, opinor, 1742. (neque enim, cum hæc ſcriberem, in manibus erat liber) tradidiſſe, in viro cujus inteſtinum Colon duris ſtercoribus erat plenum, aerem ſupra hoc obſtaculum inteſtinum adeo expandiſſe, ut ejus membranis vi illata, non amplius, niſi extima ipſarum contineretur; ut proclive ſit intelligere, quantillum tandem reſtaret, ut ex inteſtini cavo in ventris cavum erumperet. Sed non aer modo, verum etiam exeſio, aut gangræna inteſtina perforando, flatibus exitum dare poſſunt, ut ex ventriculo non ſemel fecerunt. Sic in duabus quæ ſupra (*x*) memoratæ ſunt, Camerarii, & Hoyeri Obſervationibus cum ille eſſet perforatus, non mirum fuit quod vix leviter inciſo tumente abdomine, primum omnium, non ſine ſono, & fœtore, flatus proruperint. Idem tamen accidere etiam cum inteſtina non ſunt pertuſa, aliæ oſtendunt Obſervationes, ſive ea ſint gangræna affecta, ut apud Meadium (*y*), ſive ſimul ad gangrænam inclinent, ſimul exterius pravo ſint humore perfuſa, intus autem flatibus turgida, ut apud Cl. Gullmannum (*z*), ſive nihil ſit ejuſmodi rerum, niſi quod & ipſa, & ventriculus immanem ſint in modum inflata, ut apud Mercklinum (*a*), ſive demum ne hoc quidem, ſed inteſtina *prout alias in ſanis, ſe habeant*, ut apud Cel. Heiſterum (*b*). Sed in his duobus, in aliiſque, ſiqui forte occurrant, ejuſmodi caſibus, quibus viis aerem in ventris cavum perveniſſe, dicemus? Eſſe quaſdam poſſe, aliaſque alias quas mente non aſſequamur, fatendum eſt. Sed tamen cum flatulentos quoſdam tumores interdum certis in viſceribus conſpiciamus; cur non poſſit aer, ut alibi, ſic in ventris cavo interdum coire? Fellis veſiculam, exempli cauſa, aere, ſub exteriore tunica concluſo, turgidiſſimam invenit Jo. Bapt. Fantonus (*c*), Cl. autem ejus Filius (*d*) non ſemel vidit, quod & alii, ſub extimis hepatis, lienis, & meſenterii præſertim, membranis innumeras, variæque amplitudinis quaſi veſiculas aere diſtentas: conjecitque, ut ex hydatidibus diſruptis aqua deſtillare pergens in ventrem, aſcitem facit, ſic ex diſſilientibus his bullis erum-

(*i*) Diſp. de mutuo inteſt. ingreſſ. P. 1. §. 14. (*k*) Ibid. §. 15. (*l*) Dec. 3. Obſ. Anat. 9. (*m*) Act N. C. Tom. 2. Obſ. 20. (*n*) Mem. cit. (*o*) Sect hac Sepulchr. 21. Obſ. 22. §. 4. (*p*) Act. cit. Tom. 1. Obſ. 49 cum Schol. (*q*) n. 25. (*r*) n. 22 (*ſ*) (*t*) locis indicatis n. 23. (*u*) Opuſc. Pathol. Obſ. 26. (*x*) n. 19. (*y*) Monit. Medic. c. 8. (*z*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 89. (*a*) Earund. Dec. 3. A. 3. Obſ. 142. (*b*) Earund. Cent. 5. Obſ. 84. (*c*) Obſ. Medic. 18. (*d*) in Schol. ad eam, ult. Edit.

erumpentem aerem, ſi ſecedens a ſanguine in ventris cavum irruere non deſinat, tympanitem eſſe facturum. Verum etſi rei cauſas intelligere non liceret; certe res ipſa negari non poſſet. Nam ſe plane ſimile in adoleſcentula vidiſſe, confirmat, ac in puella conſpexit Ballonius (*e*), id eſt tumefactum ventrem, cum poſt mortem denique pungeretur, magno edito ſono, totum ſubſediſſe. Idem autem quod Ballonio, aliis quoque accidiſſe, & in his Valleſio, ex Sepulchreto ipſo (*f*) cognoſces, & ſimul qui, cum diſtenta aere eſſent inteſtina (*g*), aut cum aqua effuſa eſſet in ventre (*h*), in hujus cavo offenderint aerem: his autem quos poſſis adjungere, ex paulo ante commemoratis recentioribus Obſervationibus ſatis intelligis.

25. Quæ ne forte ideo contigiſſe, ſuſpiceris, quod ſimul cum peritonæo inteſtinum aliquod compunctum ſit, quippe huic ob diſtentionem omnino attiguum, & pertenue factum in ſuo pariete; animadverte, ubi ſimul aſcites fuit, aquam inter peritonæum, & inteſtina fuiſſe interjectam; ubi vero aſcites non fuit, difficile factu fuiſſe, ne tunc aut poſtea indicia ſe prodirent pertuſi inteſtini, quorum nullum, cum illud idem mihi aliquando obſervare contigiſſet, diligenter attendendo perſpicere potui. Huc adde quod plures Sepulchreti Obſervationes (*i*) docebunt, & ratio confirmabit, leviter perforato inteſtino, aerem quidem foramini proximum erumpere, eum autem qui procul, cætera inteſtina diſtendit, aut non protinus exſilire, aut ſi exſiliat cito, non ea tamen celeritate effugere, ut totius ventris ſubſidentia ad eundem modum ſequi, atque in diſploſa veſica, uno puncto temporis videatur, quemadmodum magnis illis quos laudavimus (*k*), Viris viſum eſſe, eorum bene perpenſis verbis, facile agnoſces. Vel ſi id non concedis, & plane vis, eodem temporis veſtigio quo leviter aliquod compunctum ſit inteſtinum, ex inteſtinis omnibus aerem prorumpere; dic igitur, quomodo Gullmannus (*l*) ea mox viderit flatibus *turgentia*, vel quomodo Mercklinus (*m*) poſtquam aer magno cum ſono ex leviter inciſo abdomine eruperat, & hoc *confeſtim totum conciderat*, *inſtituto extiſpicio* conſpexerit *ventriculum una cum omnibus omnino inteſtinis immane quantum inflatiſſimi utriculi adinſtar diſtentum*. Huc adde Obſervationem ad hanc dirimendam controverſiam ab Heiſtero (*n*) propoſitam. In muliere quæ *ventrem habebat valde diſtentum*, cum ſubito eſſet mortua, idem accidit quod vidiſſe Mercklinum, diximus, *ſimulac exiguum vulnus peritonæum perforaverat*; ſed non inteſtina ab aere occurrerunt expanſa; imo hoc fuit illud cadaver in quo *inteſtina prout alias in ſanis, ſe habebant*. Hic non dicam, ſi antea ab incluſis flatibus adeo fuiſſent diſtenta, eorum aliqua indicium hujus diſtentionis ſervatura fuiſſe, ſive craſſitudinem, ſive ſedem ſpectares. Hoc unum dicam, cum tot rogati & Medici, & Chirurgi Amſtelodamenſes adeſſent, in iiſque Anatomicus eximius Ruyſchius, præter ipſum, juvenem quidem, ſed jam tum præſtantem in eadem Facultate, Heiſterum; non poſſe me adduci, ut credam, ſi quidpiam ultra peritonæum fuiſſet inciſum, non continuo eorum aliquem fuiſſe agniturum. Hic autem a te expectari, non puto, ut in hac, aliiſque hujus generis Clariſſimorum Auctorum Obſervationibus ſuſpicio altera tollatur, id eſt aerem quo abdomen erat diſtentum, poſt mortem denique in ventris caveam ſe effudiſſe; ventris enim tumor in iis, dum viverent, jam ante fuerat, de quibus loquuntur. Veſiculas autem illas aeris plenas quas cum Fantono (*o*) commemoravimus, vel in viventibus eſſe poſſe, flatulenti externi tumores docent qui in ægrotantium ſcroto, aliiſque partibus a Chirurgorum pleriſque agnoſcuntur, & a Gorgia olim inter umbilici hernias, ut apud Celſum (*p*) leges, propoſiti ſunt. Non me fugit quid noviſſime dubitatum ſit. Verum ex pauco inter tunicas ſtagnante humore multum aliquando rarefacti aeris ſe poſſe extricare, non dubito, & cum Venetiis degerem, aut omnia non modo me, ſed experientiſſimos Chirurgos, & Medicos feſellerunt, aut qui in Tonſore quodam ſub communibus abdominis tegumentis non anguſtus circulari ambitu increverat tumor, quem poſtea perſanatum vidi, ab incluſo aere efficiebatur. Nec facile video, quomodo ſine aere tumores illos explicarem quos Vir Cl. Daniel Hoffmannus (*q*) in puerpera adnotavit interdiu ſub ipſa abdominis ſuperficie varia magnitudine diſcurrentes, nec ſine ſtrepitu ſe dilatantes, ſub veſperam autem evaneſcentes, idque per hebdomadas aliquot. Certo autem ſcio, inflationem quam in extremo puellæ morbo junior Verneyus (*r*) conſpexit undatim creſcentem donec omnem corporis truncum occuparet, & ſicubi premeres, ſenſum præbentem velut aeris ſub digitis non ſine crepitu diffugientis, hanc, inquam, certo ſcio ab aere ſub cutem ſe expandente extitiſſe; cute enim abdominis vix inciſa, intolerabilis fœtor erupit, ſicque tumor ille univerſus evanuit. Tu vero quod ad ventoſos tumores attinet, perlegas velim quæ de eorum productione ab Littrio edita ſunt in Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis (*ſ*). In Commentariis autem ejuſdem Academiæ (*t*) ab eodem Verneyo quædam propoſita invenies ad Tympanitis ſecundam ſpeciem, cum Aſcite interdum conjunctam, internoſcendam, tum ad cavendum, nequando aut propter ſimilitudinem fluctuationis aliquam, Aſcitem potius quam primam Tympanitis ſpeciem eſſe, pronuncies, aut contra, propter nullum fluctuationis ſenſum Aſcitem neges: quod ut caveas quædam etiam ex noſtris facere poteſt Obſervationibus (*u*). Quibus de rebus utilia quædam attigit Medicus quoque Præſtantiſſimus Werlhofius (*x*) indicans, quomodo Tympanites, præſertim ubi inveteraverit, ſenſum ponderis non excludat. Quod vero ad curationem attinet, cum tympaniticam abdominis inflationem, octo jam annos perſtantem, larga dumtaxat ſanguinis e pede miſſione ſublatam leges a Cl. Chriſtiano Michaele Adolpho (*y*), fatente, *a flatibus non fuiſſe*; unde igitur fuerit, cogitabis. Flatulentam autem Tympanitis utramvis ſpeciem quam ſit difficile curare, nil magis oſtendit, quam remedium quod Præclari Viri coacti ſunt excogitare, paracenteſim. Sed quis acum illuc immittere voluerit quo non videret, nemo adhuc, quod ſciam, ex cautioribus Chirurgis inventus eſt. Qualis certe is olim non fuit qui tympanitici, pro aſcitico habiti, cum abdomen, ſpectante Helmontio (*z*) tum juvene, perforaſſet, fruſtra expectavit aquarum exitum. *Extracto* enim *phlebotomo*, *repente ſidit abdomen*, *& quamprimum æger periit*; *editus autem flatus immenſe putidus*, *& cadaver olens*. Etſi vero mortui corpus non eſt diſſectum; nihil tamen fieri facilius poteſt, quam ut acu educta, aer prodiens breve quidem levamen afferat aliquando; ſed mox alia quoque exeant quæ in ventrem defluentia, non multo poſt viſceribus lethiferam invehant labem. Quid? quod in eam inteſtini partem defigi acus poſſet in qua cum aeris plurimum ob immanem ibi diſtentionem eſſe crederetur, revera minimum eſſet; neque enim ut Littrio (*a*) obſervare contigit, multum aeris ineſt ſemper tympaniticorum inteſtinis; parum autem materiæ, hujuſque fere viſcidæ. Nam contra, hac plena ex dimidia parte inteſtina reperiebat junior Verneyus (*b*): Cl. autem Leonhardus Hurterus (*c*) in tympanitico puero cum miraretur Craſſa præcipue inteſtina diſtenta adeo, ut Colon ſua mole jecinori vim attuliſſet, & ſiniſtrorſum compuliſſet; materiam intus invenit tanta copia quanta id facere potuerat, pultiformem, ſpumeſcentem, & ex albo flaveſcentem: quæ res in morbo quem adſtricta alvus comitatur, tunc, opinor, maxime conjicienda eſt

(*e*) hic in Sepulchr. Obſ. 23. §. 2. (*f*) Ibid. §. 1. (*g*) Ibid. Obſ. 22. §. 4. & in Additam. Obſ. 75.
(*h*) Ibid. Obſ. 24. & in Addit. Obſ. 26 (*i*) Obſ. 75. cit. & Obſ. 22. §. 2. & cæt. (*k*) n. 24. ad fin. (*l*) (*m*) n. eod.
(*n*) Ibid. (*o*) Ibid. (*p*) De Medic. l. 7. c. 14. (*q*) Commerc. Litter. A. 1737. Hebd. 11.
(*r*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1704. (*ſ*) A. 1714. (*t*) A. 1703. (*u*) n. 30.
(*x*) Commerc. Litter. A. 1735. Hebd. 36. n. 4. (*y*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 244. (*z*) Ignot. Hydrop. n. 44.
(*a*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1713. (*b*) A. 1703. (*c*) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 184.

eſt cum aut paulo ante quam morbus evidenter inciperet, multa ægri ingeſſerunt, aut non perpauca poſtquam incepit, porro ingerere perrexerunt.

In abdominis autem perforatione ad alteram tympanitis ſpeciem ſolvendam, quid periculi eſſe poſſit, ſi forte prima ſpecies cum ea jungatur, aut pro ſecunda prima imponat; internoſcere autem perdifficile eſt; ex iis intelligis quæ paulo ante dicta ſunt.

Sed de hoc, & de univerſo curationis genere in tympanite, & de una ab altera ſpecie per conjecturas, quo ad ejus licet, internoſcenda, & de morbi hujus natura, & cauſis fac legas quæ erudite, ingenioſe, periteque ſcripſit Cl. Zevianus (*d*), qui ſi, ut pro ſuo erga me ſingulari amore ſcripta illa in meo, quale id cunque eſt, nomine apparere voluit, ſic antequam hanc ad te Epiſtolam darem, mittere potuiſſet; nonnulla quæ me fugerunt, in hac minime deſiderares. Apud illum igitur reperies. Ego enim illuc jam tranſeo, ut ad multas quas tibi ex Valſalva deſcripſi, hydropis Obſervationes, non multas, ne hæ nimium excreſcant Litteræ, ex meis attexam.

26. VIR quidam cum aſcite, tum præſertim anaſarca ingenti laborabat, quæ eo videbatur major quod cum emaciatam faciem, & reliquum caput non occuparet, membra cætera, ſi cum hoc conferrentur, & præcipue inferiora, ſpeciem monſtroſiſſimæ craſſitudinis præ ſe ferebant. MORTUUM anno, ſi recte hoc memini, 1704. in Bononienſi Incurabilium Noſocomio diſſecui magis ut anaſarcæ, quam ut aſcitis naturam inquirerem. Inquiſivi autem; nam crura jam corrumpi incipiebant; in femoribus, & in ſcroto. Femorum cuticula hic illic a ſubjecta aqua in veſicas attollebatur, quarum aliqua erat pugni magnitudine. Adacto uſque ad os cultro, cum ſectiones inſpicerem, Adipoſam membranam craſſiorem factam, ejus autem Malpighianas cellulas aquoſa pinguedine refertas deprehendi, vel potius aqua maxima ex parte, quæ propter creberrimas interjectas cellularum membranulas, *gelatinam*, ut in Adverſariis (*e*) ſcripſi, mentiebatur. Atque ut Adipoſa membrana ſe ſe propagat non modo inter muſculos, ſed inter faſciculos quoque fibrarum ex quibus muſculi compinguntur; ita in locis hiſce omnibus eandem *gelatinæ* ſpeciem referebat. Nec alia mihi ſe obtulit ſpecies prætumidum ſcrotum incidenti. Cellulas enim in primis quæ darton efficiunt, quippe Adipoſæ membranæ continuatas, aqua diſtenderat. Aqua igitur ex his, illiſque cunctis ſectionibus prodibat, & ſi velles, facile exprimi etiam poterat; ſed non tota; plurima enim inter cellularum membranulas reſtitabat. Itaque cum ſcalpellum ad abdomen tranſtuli, etſi inter ejus tegumenta nullam fere aquam offendi; non tamen defluxiſſe tam cito per femorum, & ſcroti ſectiones credidi; ſed potius ab ingenti, quæ ventrem implebat, & abdomen diſtendebat, aquarum copia ex hujus integumentis detruſam, dum homo viveret, ad inferiores artus fuiſſe, exiſtimavi, aut, ſi mavis, cum ab his porro aſcenſura eſſet, ob eandem quæ modo indicata eſt, integumentorum abdominis a ſubjectis aquis preſſionem, inter ipſa non eſſe admiſſam. Ventris autem viſcera quemadmodum ſe haberent; neque enim id mihi, ut paulo ante dixi, tunc propoſueram; diligenter non adnotavi.

27. Vides igitur, tumoris quem anaſarca facit, ſedem, & cauſam non ſub cute dumtaxat in Adipoſa membrana eſſe; verum etiam, ubi tumor præſertim non modicus eſt, in omnibus ejuſdem membranæ appendicibus, ut cum præter ipſam hæ quoque tum inter exteriores muſculos, & his ſubjectos, tum inter muſculorum faſciculos diſtendantur, magnus tumor efficiatur. Vides ſimul, quid ſit quod *gelatinæ* ſpecie non raro imponat; nam & pinguedinis oleum eædem interjectæ membranulæ ipſæ etiam faciunt, ut in ſanorum cadaveribus minus quam in viventibus revera eſt, appareat fluidum. Nec tamen negaverim, ſive ob ejus reliquias olei plures interpoſitas, ſive quod viſcidior ſit aqua incluſa, ſive quod mora, & anni tempore craſſior fiat, eſſe præter membranas aliquid interdum quod eam nobis ſpeciem objiciat. Glaſero hoc ultimum unice placuiſſe, ex Sepulchreto (*f*) cognoſces; cum idem quod ego, alii, & in his Peyerus (*g*) & Wepferus (*h*) maluiſſe videantur.

28. VETULAM quæ ex hydrope aſcite, ſed non ita magno, deceſſerat, cum in Noſocomio Patavino ſecaremus ſub finem A. 1716. hæc obſervavimus. VENTER, ubi exhauſta fuit effuſa aqua, jecur oſtendit multis albis, nec tamen præduris, tumoribus intus, extraque obſeſſum; in pancreate autem ſimilem unum, ſed duriorem, multoque majorem, ut quod totam illam hujus viſceris occupabat partem qua ad Duodenum inteſtinum ſe annectit. Renis alterius; nam alterum non inſpexi; membrana propria craſſior facta, trahentem facillime ſequebatur: canaliculi quoque craſſiores quam ſolent, eoque multo evidentiores. Uterus interius non male habebat. Sed exterius altero in latere conſpicuam quaſi ex vulnere cicatricem oſtendebat, cum in ventris cute nulla eſſet: in latere autem oppoſito haud procul a cervice in ſubrotundum tumorem protuberabat, qui cum ſubjecto fundi pariete, ipſum magna ex parte concludente, diſciſſus, ſubſtantiam exhibuit ex rubro lividam, neque tamen reliqua uteri duriorem. In teſtibus veſicæ craſſæ, albæ, quarum in cavea nihil erat: multo major una aquoſum continebat humorem. Thorax ſanus, niſi quod effuſam, ſed non multam, habebat aquam. Cerebrum egregie conſtitutum, & firmum ne hanc quidem habuit.

29. Satis erat cauſarum; ut cætera nunc omittamus; in pancreate, & jecinore, tum ut chylus, & ſanguis minime ex naturæ inſtituto conficerentur, tum ut lymphæ, & ſanguinis motus in ventre tardaretur. Forte accidit, ut cum aliquando animi, & ſtudiorum cauſa adoleſcens ruſticarer, in ovium gregem inciderem, ex quo laniones alias juſto, alias vili pretio mercabantur. Sciſcitanti mihi diſcriminis cauſam, illæ enim, dixerunt, ſanæ ſunt, hæ vero durum habent jecur, & in ventre aquam. Cum venter non his magis, quam illis, tumeret, neque aliud morbi appareret indicium; vana eos dicere, crediddiſſem, niſi fidem feciſſent ipſæ mox, inſpectante me, occiſæ, & apertæ. Signo autem hoc uſi fuerant. Superiorem ovium palpebram attollentes, & eorum quæ ſunt oculo circumjecta, colorem animadvertentes, ex rubro ſanas, ex albido morbidas internoverant; ſic quoniam corpus reliquum pili operiebant, nuda ab his loca non ſecus ac Medici faciem ſolent, contemplabantur, idque eo utilius, quo plura ibi, & conſpectiora vaſcula luculentius ſanguinis naturam oſtendunt. Non hæc ego narrarem tibi, niſi Boerhaavium (*i*) nuper vidiſſem, idem, ut opinor, ſignum indicantem, & diſerte a veterinaria Medicina ad humanam traducentem ſic ut tunicæ adnatæ, & carunculæ oculi pallido colore *ſignificari*, doceat, *aquoſam cacochymiam*, & cum *ſanguinem rubrum deficere*, ex illo ſigno cognoſcimus; *adeſſe vitia omnia quæ hunc defectum ſequuntur*. Certe plura horum adeſſe poſſunt, aut non multo poſt conſequi. Sic inter eas oves quas a me eo tempore inſpectas dixi, una fuit, quæ etſi non meliori jecinore, quam cæteræ, nec minus hydropica; præpinguis erat tamen, alboque, & ſolido adipe, omentoque pulcherrimo. Scilicet recentior huic erat morbus: quod ſi cum illo tandiu vixiſſet, quam cæteræ; minus pulchro omento, atque adipe fuiſſet prædita. Ad prima enim vitia ſubinde alia atque alia accedunt; ut in hominum, ad quos redeo, cadaveribus videre eſt, quæ viſcera tanto vitioſiora plerumque oſtendunt, quanto illos diutius aut hydrops, aut morbi hydropem præcedentes maceraverint. Utriuſque caſus exemplum afferam: & primum ſecundi.

30. CASPARUS LOMBRIA Patricius Venetus, bilio-

(*d*) Del Flato &c. l. 2. c. 28. & l. 1. c. 27. 28. (*e*) II. Animad. 16. (*f*) Sect. hac 21. Obſ. 21. & Schol.
(*g*) Ibid. Obſ. 3. §. 1. & Schol. (*h*) Ibid. Obſ. 17. §. 5. (*i*) Prælect. ad Inſtit. §. 868.

bilioſo, ut vocant, temperamento, amplo corpore, atque robuſto, eoque magis, in omni vivendi genere, præceptionum medicarum ſecurus, poſtquam annum exceſſit quadrageſimum, longo, & vario morbo correptus, in eoque refrigerantibus potionibus præter modum uſus, e morbo quidem evaſit, ſed ventre aliquanto tumidiore. Qui cum remediorum ope detumuiſſet, nihil magnopere habuit animadvertendum, donec alvi quidam fluxus recurrere per intervalla, nec ſine violentia aliquando, cœperunt. Ab his ſitis, quæ alioquin ipſi quaſi innata erat, augebatur, urinæ autem, quæ magna copia reddi ſolebant, tunc ſaturatiſſimæ factæ, minuebantur. Vires tamen nihil detrimenti capiebant donec circa extremam hyemem anni 1722. qui erat ætatis ejus quadrageſimus ſeptimus, diarrhœa, qua antea multa flava, & fluida egerere octo, aut decem diebus conſueverat, menſem pene totum detinuit, prodeunte variorum colorum materia, plerumque autem cruda, & ſeroſa, nec ſine ſpuma. Quæ diarrhœa cum aptæ curationis ope deſiiſſet; mox, neglecta vivendi norma, vel gravior reverſa eſt. Conquieverat iterum, cum tremor jam ab ineunte uſque ætate leviſſimus, deinde poſt primam illam ægrotationem toto corpore manifeſtior, ſubinde autem ab alvi fluxibus gravior factus, ſocias ſibi novas quaſdam capitis affectiones adſcivit. Cum propter illum tremorem jam olim Medici, quibus diligentius parendum fuerat, generoſis vinis interdixiſſent, ob has autem novas affectiones parcam ſanguinis miſſionem permiſiſſent; in ſummo hujus concremento cruſtam, & hanc ex dimidia parte colore viridi conſpexerunt. Curatione tamen opportuna adhibita, jam vires, color, cibi appetitus, urinarum copia ſic ſatis reſtitui videbantur, cum pertædere ægrum cœpit, neque ultra diem trigeſimum uti non inutilibus remediis voluit. Ad horum omiſſionem mox acceſſerunt violenti corporis, & animi motus. Quos, intra quindecim ab omiſſione remediorum dies, initium repente excepit funeſti morbi. Abdomen, quod ſæpe antea a multis flatibus tumeſcere, ſed mox detumeſcere conſueverat, aſſiduo moleſtiſſimoque tumore tendi cœpit, & manu percuſſum, tympani inſtar reſonare: tumere etiam nonnihil pedes: urinæ flammeo colore fieri, multumque imminui: ſitis urgere. Cum hæc animadverſa eſſent extremo jam Majo, & Michelottus, qui adverſus hunc tympanitem incaſſum pugnare cœperat, ante medium Junium in Galliam cum Viris Ampliſſimis Venetis Legatis eſſet profecturus, mihi ægrum, eodem tempore Patavium tranſeuntem, maximopere commendaſſet, ut niſi aſſidue cum ejus Medico inviſere poſſem, at ſæpius ſaltem, cum per alias liceret occupationes, conſilio juvarem meo; ego, necdum ægro viſo, ex attenta dumtaxat eorum quæ ſummatim nunc ad te perſcripſi, lectione aliorum viſcerum labem, aliorum infirmitatem conjiciens, de ægro ſanando deſperavi: neque id Affinibus reticui probe conſciis, toto illo ſeptennio nunquam propemodum morbo aliquo vacaſſe, & interroganti mihi illud confirmantibus quod in calce eſt librorum de Morbis, *ex alio morbo corpus liquefactum ad hunc deveniſſe*. Igitur quæ ibi continuo ſubjiciuntur, diſerte iiſdem enunciavi: *ſi quidem igitur ſubito occupaverit* hic *morbus hominem*, *moritur nempe alio morbo diutiſſime jam affligente*. Neque alia mihi poſtquam ægrum vidi, ſententia fuit: in quam deinceps venerunt ad unum omnes quotquot ea tempeſtate Patavii magis florebant Medici. Nam etſi flatibus ſupra, infraque interdum prodeuntibus, abdomen amplius, ſi manu percuteres, non reſonabat; tamen hujus tumor, & cætera quæ dicta ſunt, non modo non decreſcebant, ſed quamcunque iniret aliquis medendi viam, in dies augebantur, ut non jam tympanitem æger huc attuliſſe, ſed præcipitem aſcitem videretur; cui mox thoracis, & denique cerebri hydrops ſe adjunxit, quemadmodum ex iis quæ adſcribam, ſignis cognoſces. Principio, ſi abdominis latus ſiniſtra complectens, latus alterum repetitis dexteræ modicis ictibus impelleres; alliſæ ad ſiniſtram aquæ fluctuationem percipiebas. Sed haud multis interjectis diebus, venter non modo aqua plenus, ſed præter modum tumidus, ac diſtentus, impellenti manui reſiſtebat: & ſimul œdemate non pedes ſolum, aut crura, ſed femora quoque valde turgebant, facie, & artubus ſuperioribus maceſcentibus. Inter initia tuſſis quædam, deinde nulla; ſed cum primum æger poſſet in utrum liberet latus cubare, non potuit poſtea, niſi in dexterum: & licet toto morbi tempore decumbere potuerit; bis tamen ante poſtremas hebdomadas e lecto exſilire ab imminentis ſuffocationis ſenſu coactus eſt, qui ſenſus ut repente venerat, ſic illico abibat. Tandem ultimis ferme decem diebus quodam quaſi ſopore tenebatur, & ſæpe aliquo, ſed leviſſimo, delirio. Tunc etiam cordis vires, quæ fuerant diu validæ, ſubinde infirmiores fiebant: cæterorum autem muſculorum vires prope uſque ad ultimum non defecerunt. Si febres excipias duas, quæ multis ante mortem diebus ingruerant, altera non ſine longis horroribus, & tremoribus, intra biduum tamen finita, altera autem & levior, & brevior; ſi harum, inquam, tempus excipias; pulſus nihil vitii habuerant, niſi quod ſæpe, ſub veſperam præſertim, frequentiores ipſi, & carnes calidiores deprehendebantur. Initio moleſtior ad epigaſtrium ſenſus, imo dolor inter enſiformem cartilaginem, & umbilicum: qui poſtea non ibi, ſed hic, illicque per ventrem percipiebatur; punctionis autem ſenſus ad hepatis regionem manebat. Somnus, & cibi appetitus, qui principio mediocres fuerant, ſæpius, procedente morbo, deficiebant: ſitis autem magis magiſque torquebat. Alvus per ſe multa, liquida plerumque, & flava; alia nonnunquam, & hæc viſcida, dejiciebat. Contra, urina ſemper quam pauciſſima fuit, eaque flammea, & ſaturata. Cum æger, Affines, Medici nihil magis optarent, quam ut uberius hæc proveniret; dicere non poſſum, quot, & quæ ad eam promovendam ſumpſerit. Nullum eſſe credo levius, validius, ſimplex, compoſitum medicamentum, quod ullo ex regno, ut loquuntur, ad id pertinere exiſtimetur, quod a tot Medicis propoſitum, aut ab ægro captum non fuerit. Verum, ut ſolet reluctante natura, incaſſum omnia; nunquam urina vel minima ex parte aut increvit, aut mutata eſt, niſi quod diebus ante mortem circiter quindecim, & noviſſimis iterum diebus pauxillum quid tabacci colore in imo depoſuit, quod cum diligentius examinarem, ſanguinem eſſe cum ichore miſtum, deprehendi, & iis quorum intererat, ut diureticorum finem tandem aliquem facerent, oſtendi. Eorum aliqua, ſed minus importuno tempore, minuſque ſuſpecta, non ſanandi ſpe, ſed ne æger intelligeret, me deſperaſſe, ipſe quoque laudaveram, in his levia quædam ex reſina terebinthina. Sed cum animadvertiſſem, ne odorem quidem illum, quem ſolent, violarum martiarum ab his urinas traxiſſe, iiſdem, atque adeo renum viæ vel magis quam antea, diffiſus, ad inteſtinorum potius viam eſſe redeundum, cenſui, præſertim cum tartarus, ut vocant, purificatus, quo per intervalla utebamur, nullo cum incommodo multa, & ſæpe aquoſa per alvum deturbaret, & aliquot horarum levamen ſemper afferret adverſus moleſtum quendam ſenſum qui ad ventriculi regionem percipiebatur. Verum nec via hæc proficua fuit. Audiverat æger ex Michelotto, juvencæ urinam ſibi feliciter, nec ſemel, adverſus anaſarcam ceſſiſſe. Itaque experiendi cupido, etſi neque anni tempus, neque alia aliqua ejuſmodi erant ac malebat Lemeryus (*k*); indulſi tamen in remedio ejuſdem generis ac *urina ovium*, *aut urina aſinorum*, quas apud Avicennam (*l*) legeram a quibuſdam olim adverſus hunc morbum fuiſſe laudatas, & quod denique non per renes tantum, ſed & per alvum movet aſciticorum aquas, ut Lemeryi obſervationes docent; ſed ea lege indulſi, ut ne plus unciis ſeptem primo die biberet, ſingulis deinceps diebus binas additurus. Et primo quidem die quidpiam paſſus eſt, quod Lemeryus, cum alia recenſeat, non adnotavit. Nam paulo poſtquam biberat, caput quaſi ebrietate qua-

(*k*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1707. (*l*) Canon. l. 3. Fen 14. tr. 4. c. 13.

quadam tentatum eſt, ſed quæ non multo poſt evanuit, nec diebus inſequentibus rediit, quamvis plus biberetur. Cum eſſet quincto die perventum ad uncias tredecim, neque æger plus mingeret, ſed plus dejiceret ſic ut eo die aquam ad quatuor, aut quinque libras alvo redderet nullo virium detrimento; non aliud tamen hinc levaminis, quam quod a tartaro, obſervatum eſt, ventre nihil prorſus detumeſcente, imo artubus inferioribus magis tumentibus. Quamobrem tunc id remedii intermiſſum eſt. Aliquo poſt tempore ad idem voluit redire æger. Bibit quinque continenter diebus octonas ſingulis uncias. Nihilo plus profecit. Quin altera de qua ſupra indicatum eſt, ingruente febre, prorſus omittere eſt coactus. Fruſtra quoque, utinam innoxie in morbo quem augere facilius eſſet, quam minuere; fruſtra, inquam, remediis aliis eſt uſus de eodem genere ſive deglutitis, ſive in alvum injectis, ſive etiam abdomini impoſitis. Nam cum ſenior quidam Medicus ebuli, & abſinthii ſuccos imponere juſſiſſet; nihil inde niſi inanis egerendi cupiditas accidit, & pruritus cutis ad hepatis regionem, ubi lividæ venulæ apparuerunt. Itaque ſuccos illos abjecit: neque aliud abdomini, ſiquando mulcendi eſſent ventris dolores, cum utilitate adhibuit, niſi vervecis omentum oleis delibutum violarum, abſinthii, & amygdalarum dulcium. Verum hæc antea. Nunc ad morbi finem, & ad diſſectionem veniamus. Suffocati inſtar mortuus eſt prælivida facie, & humeris, aqua autem & ſanguine ex mortui ore, & naribus prodeunte. CADAVER poſtridie, qui dies fuit III. Nonas Sextiles anni quem ſupra memoravi, ut condiretur, diſſectum eſt. Artus ſuperiores quibuſdam nigris quaſi peticulis diſtincti erant. Ab inferioribus autem œdema per dorſum ad ſcapulas uſque ſe producebat. Venter aquæ fœtidæ ex viridi flavæ copiam habuit quantam maximam præter omnem modum diſtentus habere potuit. In ea fruſta quædam, omenti opinor, natabant quaſi ex mucilagine purulenta. Ventriculus, & inteſtina, nil fere turgida, nigricabant, ut meſenterium quoque. Jecur durum, intus, extraque totum conſtans ex tuberculis, id eſt glanduloſis lobulis evidentiſſimis, & evidentiſſime diſtinctis: nec tamen naturali majus. At lien magnus, ſubſtantia compacta, ex qua inciſa nihil ſanguinis effluebat. Renum alter ichorem in pelvi habuit. In Thorace, a dextris præſertim, aquæ plurimum ejuſdemmodi atque in ventre. Sic etiam in pericardio, in quo tamen non multa. Pulmones turgidi, & nigricantes. Cor ſine ſanguine, nedum ſine concretionibus polypoſis.

Caput; quoniam cadaver condiebatur, ut non longius quam Venetias in paternum ſepulchrum inferretur, nobis attingere nec neceſſe fuit, nec licuit.

31. Ex quo Joannes Poſthius, ut hic habes in Sepulchreto (*m*) ſubſtantiam hepatis in aſcite *interius totam granuloſam* offendit, *granis nimirum quantitate piſorum ubique apparentibus*, plures aliæ ſimiles Obſervationes in eodem morbo habitæ ſunt. Extant ibidem aliæ quatuor, Wepferi una (*n*), cui hepar *ceu corpus ex plurimis glandulis conglomeratum apparuit*, Ruyſchii altera (*o*), Brownii tertia (*p*), Hartmanni quarta (*q*), quibus idem viſcus *totum e meris glandulis magnis*, aut *e glandulis*, aut *ex lobulis* conſtare viſum eſt. Non poſſunt autem minimæ jecinoris partes adeo amplificari, quin aut interjectas alias, aut vaſcula ſaltem ſanguifera comprimendo, hepatis muneri, & ſanguinis per ventrem motui plurimum officiant. Itaque Poſthius, & Brownius fruſtra aquam eduxerunt, quæ *vitiato jecinore ſubinde renata eſſet*, ut Eraſiſtratus apud Celſum (*r*) monebat. Nam quod hic reſpondet, *emiſſo humore medicinæ locum fieri* ad jecur ſanandum; profecto ejuſmodi non eſt hoc hepatis vitium, ut medicinam admittat. Quod etſi non niſi per diſſectionem apparet; tot tamen alii ſunt illius, & aliorum viſcerum morbi qui curationem non recipiunt, ut cum læſorum viſcerum indicia ſunt, non ſit temere ad aquarum emiſſionem decurrendum. Quamobrem hanc Nobili, de quo dictum eſt, ægro nemo tot Medicorum propoſuit. Cæterum quod plures cum Ballonio (*ſ*), & Sanctorio noſtro (*t*) verentur, ne peritonæi, & inteſtinorum inflammatio, ac gangræna aquæ eductionem conſequantur, non injuria facere videri poſſunt perlegentibus exempla eorum quibus educta aqua fuerat, quorum multa ſunt in Sepulchretum (*u*) relata. Quibus celebre illud in primis addes quod Cl. Scherbius (*x*) deſcripſit viri, cui calculus in Receptaculo chyli concretus, hujus, & lymphæ expedito in Thoracicum ductum aſcenſui ſe opponens, ejuſmodi aſcitem attulerat, ut ſepties aquæ a Chirurgis fuerint eductæ, quippe novis ſemper ſuccreſcentibus donec ſexdecim poſt ultimam eductionem horis vivere deſiit. Etſi vero non a viſcerum labe, ut præclare vides, hydrops hic originem habuit; tamen *omentum totum fere conſumtum inventum fuit, reliquaque viſcera gangræna obſeſſa*; nec mirum, inquit Scherbius, *dum tractu temporis id in omnibus hydropicis ſit conſpicuum*. Sed me veri ſtudium non ſinit reticere quæ pro paracenteſi dici poſſunt, verbis iſtis ultimis ne ipſis quidem omnino repugnantibus, imo ex parte aliqua, ſi recte attenderis, adjuvantibus. Igitur; ne quæram, num ſemper id aquæ emiſſionis, quocunque hæc inſtrumento, modoque, aut quotquot vicibus peragatur, & intrudentis ſe aeris effectus ſit, quod haud raro morbi ipſius eſſe, cadavera oſtendunt hydropicorum quibus, licet aqua emiſſa non ſit; tamen inteſtina, ut in noſtro, nigricant; certe non paucæ feliciter ratione hac abſolutæ curationes eandem tuentur, tuenturque ipſæ diſſectiones, quæ, ægris ob aliam cauſam intereuntibus, patefecerunt *bene ſatis conſtituta* inteſtina, *nullum* autem in abdomine, nedum in peritonæo qua pertuſum fuerat, *veſtigium inflammationis*, *nedum ſphaceloſæ corruptionis*, ut verbis utar Polycarpi Scacheri (*y*), Virginis jam diu aſciticæ ſectionem, mortuæ *octavo poſt operationem die*, multaque per vices educta aqua, proponentis.

32. Sed rara adeo apud nos ſunt, aut certe erant felicis hujus curationis exempla, ut Bononiæ diu moratus neminem unum audiverim Medicum qui ea ſe vidiſſe, affirmaret, cum infelicia, externis Chirurgis, nec vulgaribus, eam inſtituentibus, & ipſe ibi viderim, & ab omnibus acceperim. Quin memini, Albertinum phthiſim, & aſcitem inter ſe comparantem, illam ter ab ſe, quantumvis confirmata eſſet, perſanatam fuiſſe, dicere; ventris autem hydropem, qui confirmatus eſſet, etiamtum nullum. Aqua enim, ajebat, ſi a Chirurgo emittatur; ægros mori, video: ſi a Medico ad renum, aut inteſtinorum vias validius urgeatur; quæ remedia ad has compellunt, non tam illam quæ in ventrem effuſa eſt, quam quod ſeri in ſanguine adhuc reſtat, non magis in illas vias, quam in ventrem qua jam data porta eſt, ejiciunt. Sic nuper accidiſſe, narrabat, generoſo in primis Viro, cui data ab Empirico ejuſmodi remedia urinarum quidem copiam, ſed ventris ſimul tumorem auxiſſent ita, uti in mortui ſanguiferis vaſis nihil ferme potuerit inveniri. Neque tamen quas audiverat, aut legerat admirabiles aſciticorum curationes diſſimulabat, quarum Bononiæ vel quinque per ſcroti punctionem perfectæ eſſe ferebantur. Sed cum alios crederet anaſarca potius laboraſſe, quam aſcite, alios aſcite, ſed nondum confirmato, alios hydrope peritonæi; non multos ſane relinquebat, quorum ſanatio naturæ potius, ut putabat, quam arti deberetur Et magnæ ſunt certe cum in aliis ſæpe, tum in hoc morbo nonnunquam ſanando naturæ vires. Accidit in mea Patria, ut cum puer nobilis ſemel, atque iterum ardenti febre correptus, aquæ plurimum tum in prima, tum in ſecunda ægrotatione bibiſſet, utramque exciperet aſcites ingens, uterque autem aſcites ſolveretur, magna vi aquæ ſponte dejecta, ſponte, inquam;

(*m*) S. 21. Obſ. 4. §. 21. (*n*) Obſ. 32. (*o*) in Additam. Obſ. 34. (*p*) Obſ. 49. (*q*) Obſ. 50.
(*r*) De Medic. l. 3. c. 21. (*ſ*) in Schol. ad §. 1. Obſ. 5. hujus Sect Sepulchr. (*t*) Ibid.
(*u*) Obſ. cit. & 2. & 4. §. 1; & 6. §. 1. & 11; & 11. §. 1. & in Additam. Obſ. 49. & 64. & 76. & 86.
(*x*) De Calculo Receptac. chyli, hydr. cauſa. (*y*) Diſſ. ſupra ad n. 8. cit.

quam ; nam & vulgo id notum erat , & ejus mihi confirmavit Medicus , non ſibi facile earum curationum honorem detracturus. Eaſdem nimirum vias ſatis ſibi reſeraverat natura per quas humorem in ventre ſtagnantem reſorberet, alioque amandaret , quibus in Mercatore illo Meadii (z) uſa eſt , cum aquas omnes , poſtridie per abdominis perforationem educendas , nocte ipſa una in vaſa iterum recepit , in iiſque retinuit . Verum cum eadem natura neque per ſe , neque blandis invitamentis , neque paulo acrioribus ſtimulis excitata quidquam molitur , num , ipſa adverſante, acerrime, & periculoſe agendum eſt? an potius, ubi omnia permittant, aquæ emiſſione utendum eſt, auxilio primum, ut exiſtimare licet, ab eadem natura indicato?

33. Quod enim umbilico immani aquæ vi aperto, egrediens hæc aſcitem ſolverit , non id primo , opinor, Benivenius , & alii quos Donatus (a), & Gabelchoverus (b) laudant, viderunt ; ſed priſci olim homines , iidemque adnotarunt , quibus ſimul omnis prorumperet, eos mori ; quibus vero paulatim, partiteve exiret, eorum aliquos convaleſcere. Itaque naturam recte operantem Medici , ut ſolent , imitari potuerunt , & Hippocrates (c) deinde , ac Celſus (d) monere, ne omnis ſimul aqua emittatur ; mortiferum enim id eſſe: cujus rei cauſas Viri Docti noſtra hac ætate complures expoſuerunt, & in iis Verneyus junior (e), Werlhofius (f), Meadius (g), copioſius autem Ill. Senacius (h). Quorum explicationes ea quoque confirmare videtur Obſervatio (i) omnis , ſine animi defectu eductæ materiæ , ſed ob hujus tenacitatem lente adeo , ut tres ferme horæ ſint impenſæ: quod minus tibi mirum accidet, ubi ex Cl. Targionio (k) noveris , fuiſſe hydropicum , cui tam denſa *gelatina* ventrem implebat , nulla ut arte ab experientiſſimo Chirurgo educi potuerit . Sed nulla res magis illas confirmavit explicationes , quam ſecundum ipſas feliciter excogitata ratio omnis ſimul aquæ innoxie emittendæ , nimirum , abdomen non modo poſtquam emiſſa eſt , quod & laudatus Verneyus (l) poſt uberiorem eductionem jubebat , faſciis adſtringendo , verum etiam , idque præſertim , magis magiſque dum educitur . Qua ratione is qui primus & excogitavit , & adhibuit Medicus eximius Meadius (m) cum alios , tum præcipue mulierem a ſe perſanatam memorat , cui *ſimul & ſemel* aqua omnis emiſſa eſt pondo librarum *ſexaginta* , alteram autem annos ſex , & ſeptem menſes ſervatam, ex qua toto illo temporis ſpatio, incredibili, niſi res inter omnes Londini conſtaret, copia educta eſt, *libræ* nimirum *mille nongentæ & viginti* . Sed quam caute hæc ſint & ſuſcipienda, & facienda , nobiles , quos nominat, inter Anglos Chirurgi propoſuerunt : quanquam & ipſi nota eſſet hydropica quæ, diſrupto per ſe abdomine , & plurima aqua effuſa , ſuperſtes fuit , cui ſimilem alteram leges a Nebelio (n) deſcriptam . Utrique nimis diſtentum abdomen prope umbilicum crepuerat . Porro extant aliæ per ipſum umbilicum ſponte erumpentium aquarum , ſed fere nunquam ſimul omnium, felices Obſervationes, non ab illis modo quos ſupra diximus , ſed & ab aliis (o) productæ . Nec tamen Medici , ut aſcitem ſolverent , aperire umbilicum perrexerunt , contrariis alii Obſervationibus permoti , experientia autem plerique edocti, quanto ibi facilius abdomen, diſtendente aqua, extenuatur , tanto difficilius & vulnus poſtea, nec raro, conſaneſcere , & minus commode in præſentia obturari, ne plus aquæ prodiret, quam ferre ægri vires valerent , neque eam demum totam , niſi perincommode ægro in ventrem cubante , poſſe detrahi . Nam quod emitti per umbilicum præſtaret , quia ſic recluſa vena Umbilicali aquoſus ex hepate humor per illam non in ventrem effunderetur , ſed e corpore ejiceretur, opinio fuit quæ ſerius nata ex hypotheſibus, & ex ſententia quorundam , cujus meminit Avicenna (p), nonnullis demum Obſervationibus confirmari viſa eſt. Extiterunt enim, ut in Sepulchreto (q) hic vides , qui venam illam , jam olim in ligamentum contractam , aſſidua dixerunt aquarum alluvione emollitam, recludi iterum, & tum ſerum ab hepate exſuperans per umbilicum excernere, ſeque dilatatam adeo tunc inveniſſe, ut catheterem , & pennam anſeris admitteret, eſſetque aqua ſatis copioſa plena . Ego vero ut in nonnullis apertam , ut eſt a primordiis , ſervari potius, quam rurſus facile reſerari, concederem, neque poſt ortum in omnibus, quemadmodum Schultzius (r) tradidit , ab umbilico ſurſum retrahi ad jecur, ut ad illum amplius non perveniant ; non viderem tamen , quomodo ex Sinu venæ portarum ſerum dumtaxat acciperet; ſanguinem relinqueret. Quæ non tam propter Platerum, & Hildanum dico, quam propter Rolfincium, utroque recentiorem . Nec tamen Obſervationes eorum nego : ſed tantum ſuſpicor, non venam ipſos Umbilicalem, ſed thecam ſolum reperiſſe patentem , & aqua plenam, qua theca a duplicato peritonæo illa vena augetur . Laxantur enim facile in hydropicis membranæ, earumque intercapedo redundante aqua impletur. Adjuvat hanc meam ſuſpicionem Obſervatio , quæ non Riolani eſt , ut Rolfincius putabat ; ſed tamen apud Riolanum (ſ) extat . *In quadam muliere hydropica* vena Umbilicalis, inquit , *inventa fuit fiſtuloſa, & per eam aqua inter peritonæum & abdominis muſculos effundebatur* . Sed diuturnioris hydropis caſum , ut ſumus polliciti (t), ſubjiciamus.

34. VIRGINI annos viginti natæ cum ſanguis per uterum reſpondere deſiiſſet ante annos duos, dolores ad hypochondria primum orti ſunt, tum deinde venter intumuit. Hunc tumorem, variis incaſſum remediis uſa , annum circiter jam tulerat , cum in Noſocomium hoc Patavinum excepta eſt. Ingens ventris erat moles : ægra tamen hæc quoque , totum menſem quo ibi fuit, cubare potuit uſque ad extremum; cubabat autem plerumque in ſiniſtrum latus . Sitiebat , ſed non multum , niſi cum febricula qua tenebatur aſſidue, interdum augeſcebat . Paucas quidem reddebat urinas, nec tamen valde rubentes. Subinde querebatur de iis de quibus indicatum eſt, ad hypochondria doloribus, qui convulſivi , non tamen acerrimi, eſſe videbantur . Non unis adhibiris auxiliis , nihil profectum eſt : lotium auctum eſt nunquam . In illis quædam erant quæ moleſtiam crearent, ut gummi ammoniacum cum reſina terebinthina: quamobrem & omiſſa ſunt . Noviſſime cum alvus ex dura facta eſſet laxior; fœtida liquamina cœperunt effluere, ſed non purulenta. Horum perſiſtente fluxu cum venter non decreſceret , vires in dies frangerentur ; nimirum id accidit quod in extremo libro IV. *de Morbis* prænunciatum de hydropico eſt : *at ubi etiam alvus valde fluida fuerit , citiſſime moritur & ſentiens , & loquens* . Itaque conſtante uſque ad ultimum mente, vivendi finis eſt factus circa medium Decembrem A. 1744. Poſtridie , cum hæc accepiſſem, & frequentiſſimis Auditoribus expoſuiſſem, nonnulla ex iis prædicens, quæ mox ſub eorum oculis inventa ſunt ; diſſectio ibi ſtatim incepta eſt.

CADAVER macilentum erat, ſuperioribus præſertim artubus , nec tamen plurimum . Inferiores artus levi adeo affecti erant œdemate , ut vix, niſi digito appreſſo , dignoſceres , idque ne ad ſumma quidem femora perveniebat. Venter ampliſſimus, ſed non tenſus , ut neque umbilicus , quamvis promineret. Pertuſo ad alterum latus Abdomine , paulatim vis aquæ ingens emiſſa eſt , in manibus relinquentis eundem ſenſum quem lixivium in quod eas immiſiſſes . Quæ prima effluxit , ſubflava fuit, & tenuis ; reliqua minus tenuis , & quaſi albida . Utramque in maximo quodam vaſe relictam cum poſt

(z) Monit. Med. c. 8. in fin. (a) De Med. Hiſt. Mirab. l. 4. c. 21. (b) Sect. hac Sepulchr. in Schol. ad §. 1. Obſ. 6.
(c) Sect. 6. Aph. 27. (d) De Medic. l. 2. c. 8. (e) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1703.
(f) Commerc. Litter. A. 1735. Hebd. 37. n. 2. (g) c. 8. ſupra ad n. 32. cit. (h) Traité du Coeur l. 4. ch. 12. n. 3.
(i) Commerc. Litter. A. 1745. Hebd. 52. n. 3. (k) Prima Raccolta di Oſſerv. Med. (l) Mem. cit. (m) c. 8. cit.
(n) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 122. (o) Act. N. C. Tom. 8. Obſ. 79. (p) tract. ſupra ad n. 30. cit. c. 5.
(q) Obſ. 13. cum Schol. & Obſ. 14. (r) Diſſ. de vaſis Umbilic. nator. & adultor. (ſ) Anthropogr. l. 2. c. 12. (t) n. 29. in fin.

poſt horas viginti quatuor inſpicerem, viſa univerſa eſt albida; ſed cum paulatim de vaſe in vas effunderetur, ſubflava potius apparuit: neque multum pro aquæ copia in fundo ſubſederat humoris ſubalbi, craſſiorisque ab admiſtis etiam omenti fruſtulis, ab aliiſque de quibus poſtea indicabitur. Cæterum neque aqua, neque cadaver fœtebat, etſi Tenuia inteſtina tribus in locis nigricare inceperant, non ultra latitudinem tamen tranſverſi digiti. Eorum inteſtinorum pleraque tumebant aere, ſed non ita multum. Craſſa, ut ventriculus, prorſus inania connivebant. Si omenti partem exciperes modicam quæ ventriculo adhærens, reliqua erat, partes ejus cæteræ quaſi in fruſta diſcerptæ erant, ab illa, & inter ſe omnino ſejuncta, quorum unum ſe conformaverat in teres, rubicundum, & molle corpus ulnæ propemodum longitudine. Jecur tota convexa facie, ipſoque imo anteriore limbo cum diaphragmate cohærebat: a quo ubi diviſum fuit, magis extuberantem illam faciem habere conſpectum eſt; quam ipſi, & Virginis ſtaturæ, ad parvam vergenti, conveniret. Perſectum, paulo ubique, præterquam in Spigelii lobulo, & pallidius, & durius inveni: bilem autem in ejus veſicula paucam, ex flavo ſubfuſcam, turbidam, viſcidam. Lien, niſi quod æquo major, intus ſanus fuit: ut ſanus erat lien alter, multis partibus minor, quippe diametro digiti tranſverſi, qui ſubrotundus inter vaſa hærebat, membranaſque ad majorem alligatas, huic vicinus, ſed omnino ſejunctus, interna ſtructura eadem prorſus, eodemque colore. Sed in majoris lienis tunica, præter aliquot hydatides, corpuſcula paſſim prominebant ſubrotunda, alba, & dura, magnitudine varia, pleraque tamen milii granis aliquanto majora. Extabant eadem hic illic in facie interiore peritonæi, & in exteriore inteſtinorum, Tenuium præſertim, in qua erant pariter hydatides. Harum maxima parvum pomum rotundum æquabat, diametro digitorum duorum, vaſis ex inteſtino ſanguiferis per illius membranam ſe producentibus, & in ramos dividentibus. Aquam continebat nullo ferme colore præditam, ex parte autem mucoſam. Pancreas ſubdurum fuit. Glandulæ autem quibus ultra naturalem modum auctis quaſi plenum erat meſaræum, duritie, & albedine fuerunt omnino ſcirrhoſa. Præcipuum tamen, & peculiare vitium in teſtibus, tubis, ipſoque utero deprehendi: quod in utero non niſi per ſectionem ſe prodidit; in teſtibus autem, & tubis ultro in conſpectum venit. Hæ enim partes utroque pariter in latere una cum alis veſpertilionum inter ſe ita coaluerant, & craſſefactæ in unam quandam tuberoſam, informem, non modicam maſſam concreverant, ut nullo prorſus modo alteram ab altera internoſcere liceret, nedum ſejungere. Utriuſque maſſæ ſuperficies non parvo ſpatio lacera, ac per ſe aperta inventa eſt non ſecus ac ſi magnum quoddam ſteatoma ſe diſrupiſſet. Quocum propterea comparavi, quia ex materia fiebat nihil magis, quam ſemiſiccatum ſebum referente; ita erat alba, & ſi contrectares, unguinoſa, & ſpecillo immiſſo facile cedens. Eam ſi diſcerperes, quaſi ex tot fruſtulis conſtare, perſpiciebas. Erat autem omnino inodora. Ut partes quas nominavi, in ſebum converſæ videbantur; ſic ubi uteri fundum, qui ſanus exterius, & parietum quoque majori portione fuit, altius incidiſſem, reliquam totam interiorem eorundem parietum ſubſtantiam in materiam converſam vidi ejus ſimilem quæ modo deſcripta eſt, niſi quod colore nonnihil ad cinereum inclinabat. Eademque materia fundi cavum refertum erat, ex eaque quod minus ſolidum eſſet, per cervicem, quæ a materiæ ipſius reliquiis, facile abſtergendis, albicabat, excidere in vaginam conſueviſſe videbatur. Cæterum cervix intus, extraque integerrima erat, ejuſque, ut fundi etiam, magnitudo haud amplior, quam ejus ætatis Virginem deceat, niſi quod oſculum internum uteri paulo amplius viſum eſt. Ventris partes reliquæ, & renes in primis, erant ſanæ. Magnæ tamen arteriæ truncus minori quam par eſſet, latitudine apparuit. Diaphragma autem altius in thoracem aſcendens, multoque id magis a dextris qua a protuberantia, ut diximus, hepatis urgebatur. Quod cum venam Cavam incidendo, a diaphragmate detraheremus, non plurimus ex ea ſanguis, & is niger, nec concretus, effluxit. Thoracis parietibus omnibus, id eſt inferioribus quoque, pulmones ubique erant arctiſſime annexi. Siniſtri pars ſuperior quodam loco erat aliquanto durior, nec tamen evidenter vitiata. In pericardio aqua multa ejuſdemmodi ac in ventre. Cor laxum, in eoque & vaſis Magnis non multum ſanguinis, nigri quidem, ſed minus fluidi quam in Cava Inferiore vena, quamvis ſine ulla polypoſa concretione. Caput dum a cervicibus abſcinderetur, aliquantum aquæ tum e vertebrarum, tum e cranii cavo defluxit. Sed & Laterales cerebri ventriculi aquam non omnino paucam habuerunt ſubfuſcam, & turbidam, plexus autem Choroides pallidos maxima ex parte. Cerebrum tamen fuit ſic ſatis firmum: cerebellum permolle.

35. Multa ſunt in propoſita Obſervatione, quæ ſi perſequerer ſingula, Epiſtola hæc longe quam ſuperior, prolixior eſſet. Intelliges id ex iis quæ de hydatibus tantum ſcribam. Nam etſi rarum illud uteri vitium perquam dignum eſt de quo ſcribatur; erit tamen in aliis, & fortaſſe proximis Litteris (u) id faciendi opportunior locus; hydropis enim de quo in his ſermo eſt, proxima certe cauſa non illud fuit, ut fuerunt, quantum exiſtimo, diſruptæ hydatides. Nempe ut in exteriore inteſtinorum, & lienis facie aliquot extabant quæ necdum diſſilierant, ſic prope innumeras tum in illis, tum in aliis Partibus fuiſſe, arbitror, quæ diu antea perruptæ, ſuum in ventris caveam humorem effudiſſent. Et ne multis te detineam; meæ me in Albuginea, & Vaginali teſticulorum tunicis perſæpe habitæ Obſervationes (x) illuc adducunt, ut credam hydatidum, ſive tunicarum in quibus increſcunt ipſæ, membraneas laminas earum humorem complectentes, poſtquam diſruptæ hunc effuderunt, ſe ſuaque vaſcula in carunculæ formam primum contrahere, & niſi novus illac humor effluere pergat, indurari, & exſiccari denique ſic, ut alba illa, & dura ſubrotunda tubercula repræſentent alia aliis, ut hydatides fuerant, majora, aut minora, qualibus in deſcripta Virgine intima peritonæi facies, ejuſque productio per extimam lienis, & inteſtinorum exaſperabatur. Legeſis in Sepulchreto (y) Obſervationem Jacobi Wolffii, ubi aſciticæ *inteſtinis adhæſiſſe ſparſim*, ait, *carunculas quæ apertæ fundebant ichorem*. Lege quæ de altera aſcitica ex Bilgero (z) producuntur, *univerſa inteſtina quaquaverſum, & ambo latera circa diaphragma multis millibus granulis, inſtar ſuum grandinoſarum*, *referta*. Cum his junge editas poſtea in aliis hydropicis Obſervationes, ut puta Cl. Anhornii (a), qui peritonæum vidit in adoleſcente *nodulis glanduloſis, limpidam, ſi preſſi* eſſent, *plorantibus conſitum*, in muliere autem *hinc inde* habens *plura tubercula glanduloſa, fabæ adinſtar majora & minora, extuberantia, quæ preſſa limpidam lympham plorabant*, itemque Clariſſimorum Stegmanni (b) & Goetzii (c), quorum ille in viro pancreas animadvertit *veluti ſemine milii conſperſum*, hic vero in Virgine, ſacco qui humorem continuerat, *ſparſim adnata* intus *varia tubercula diverſæ magnitudinis, a piſi majoris ad minoris ſeminis cannabis magnitudinem accedentia, nunc ſolitaria, nunc racemoſa, ſcirrhoſa, dura, diſciſſa nihil liquoris aut gelatinæ plorantia*. Relege demum quæ de duris granulis, aut tuberculis in peritonæi, aut pleuræ interiore facie extantibus, alias (d) ad te a nobis ſcripta ſunt, cum effuſa aqua in magnis caveis quas illæ comprehendunt membranæ, etiam tum eſſet; facile propoſitam ſuccedentium mutationum ſeriem agnoſces. Annis ſuperioribus accidit, ut in fœmina quam aſcites ſuſtulerat, tunica exterior inteſtinorum omnium

(u) Epiſt. 39. n. 36. (x) Vid. Epiſt. 43. n. 16. & ſeqq. (y) in Additam. ad hanc Sect. 21. Obſ. 65.
(z) Sect. ead. Obſ. 20. §. 16. (a) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 100. n. 2. & 7. (b) Earund. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 168.
(c) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 208. (d) Epiſt. 16. n. 30. & Epiſt. 22. n. 18.

invenıretur creberrimis tuberculis ſubrotundis diſtincta. Pars ad me Tenuium allata eſt, ut quid illa eſſent tubercula, judicarem. Lenticulares turgidulas glandulas, cum primum aſpicerem, referebant: at ſine oſculo erant, & ſolidæ, neque ex glandulosa, neque ex carnea ſubſtantia factæ, ſed inter utramque mediæ quadantenus videbantur. Cenſui, nihil veri ſimilius a me poſſe ſtatui, quam ſi diſruptarum hydatidum reliquias eſſe, conjicerem, in ſe contractas, ſed necdum ſatis, ut ſiccæ eſſe poſſent, & duræ. Nec me deterruit tantus, quantum ſic fuiſſe oportebat, hydatidum numerus, probe memorem innumerarum quas in Profeſſore Bononienſi Peregrino olim Coiterus (e) deprehendit. *Ubique*, inquit, *meſenterio, peritonæo, inteſtinis, lieni, hepati, denique omnibus viſceribus veſiculæ inæquali magnitudine, eæque aqua limpida plenæ, adhærebant*. Et ne ab aliorum Veterum Obſervationibus, imo ne ab Sepulchreto, in quo & iſta Coiteri non prorſus omittitur (f), te longius abducam; vide, ut Philippus Perſius (g) in fœmina, quæ, ut noſtra Virgo, ex ſuppreſſis menſibus inciderat in hydropem, ejuſmodi veſicis pendulis (*numerus exceſſiſſet nongentas*) *ſcatentes* invenerit *renes, uterum, ventriculum, inteſtina, cor, pericardium, hepar, & lienem*: itemque ut in altera Mauritius Cordæus (h) intus omnes, aliaſque Partes, mitto intus, *tectas hiſce oppreſſaſque foris cyſtibus pendulis* variæ magnitudinis, & formæ, *aqua citrina oppletis*, quæ *octingentarum numero facile ſuperaſſet*; ne tertiam memorem, quippe necdum effuſo in ventrem humore, quæ cum uterum ferre putaretur, *totum corpus internum* habuit, *Epiploum, Meſaræum, Hepar, Lienem, Pulmones, Cor quoque ipſum, & Peritonæum obſita veſiculis aqua puriſſima plenis*, ex Ballonii (i) Obſervatione.

36. Vides igitur quæ paſſim in noſtra Virgine tuberculis aſperæ erant Partes, in aliis hydropicis, hydatidibus confertiſſimis fuiſſe obſitas, inteſtina, lienem, peritonæum. Quin hoc aliquando tot obducitur, ut ipſum *vix in conſpectum veniat*, ſicuti reperit, pinxitque Ruyſchius (k), aut in filamenta, & veſiculas reſolvatur aquæ plenas, quemadmodum in ventris cavo reſolutum agnovit Paawius (l) ſimul cum omento, cum utrumque ſuis in ſedibus deſideraretur. Sed omentum, quamvis peritonæi productio ſit haud ſecus ac lienis, & inteſtinorum tunica extima, & hydatides in ipſo quoque, nec raro, innaſcantur, ut plures oſtendunt Obſervationes, & in his Boſchii (m), Malpighii (n), Valſalvæ (o), & Goekelii (p); tamen adeo tenui ſtructura eſt, ut illas ſæpius coercere inter ſuas laminas diu non poſſit: quamobrem creſcendo citius plerumque diſſiliunt, ipſumque ſimul diſcerpunt, & vitiant; hancque ego unam ex præcipuis cauſis exiſtimo, cur aſciticis plerumque; id quod noſtræ quoque acciderat Virgini; minime integrum omentum maneat. Indeque Hippocrati (q) occaſionem datam puto ſcribendi: *quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, iis ventrem aqua impleri*. Qui enim in brutis animantibus hydatides, ut ad te alias ſcribentes commemoravimus (r), pulmonum vidit, idem in iis illa animadverterit quæ modo dicebamus, videlicet omenti nonnunquam hydatides, ſæpius vero illam quam Galenus (ſ) requirebat, *exceſſionem*; aquam autem a vicino hepate in omentum deduxerit, ut a viſcere *aptiſſimo* ad hydatides, ſicuti Galenus ait, *in ea quæ ipſum ambit exterius, membrana generandas*, quippe cum *videatur & in jugulatis animalibus hepar his aliquando plenum*. Priſcorum autem Præceptorum in beſtiis habitas Obſervationes, poſtquam humana incidendi cadavera facta copia eſt, Medici ut horum inſpectione confirmarunt, ſic illorum cogitata retinuerunt de hydropis cauſa ſæpius ex aqua effuſa e diſruptis veſiculis, in quocunque tamen hæ ſint viſcere, deducenda: quanquam vel poſtea identidem ad brutas animantes redierint, ſi forte nonnulla quæ ad hydatidum examen attinent, luculentius conſpicerent: quod nec me; quo ad licuit, prætermiſiſſe, ex his quæ ſubjiciam, intelliges.

37. Ex maximis certe hydatidibus illa fuit quam in bubulo jecinore vidit Caldeſius (t); novem enim libras pendebat tota; tunicæ autem ſolæ uncias ſexdecim. Quæ tunicæ cum eſſent tres; ſingulæ ferme & ex aliis pluribus conſtabant laminis, & robuſtæ erant, atque carnoſæ, exterior præſertim magis quam cæteræ, firma, & muſculoſa, ex fibris conſtans inter ſe maxime implicitis; cum interior eſſet infirmiſſima, & tenuis: media autem colore aureo, & rugoſa, affixa habebat fruſta quædam ex gypſea, vel potius oſſea materia. Aqua, his tunicis comprehenſa, limpida, & ſubſalſa, variis admiſtis liquoribus nihil prorſus mutata eſt: ut neque bulliendo magis concreverat, qua cæterarum, in quibus fruſtra id tentavit, hydatidum. Si cum ſtructura deſcripta eam conferas quam in ſuis illis tot veſicis animadvertit Cordæus (u) (nam Perſius (x) nil habet de ſtructura, ut neque Ballonius (y) niſi quod *triplicem* ſingularum *tunicam* adnotavit) intelliges facile, quantum Caldeſio profuerit ſuæ hydatidis magnitudo. Cordæus enim hæc tantum vidit, *ut binæ illas membranæ conficerent, valde candicans interior, altera tunicæ ventriculi ſimillima, tenuior aliquanto tamen, ſed ei quidem concolor*. Mihi vero; quanquam dubium eſſe non poteſt, quin eorum quæ conſpexit Caldeſius, quædam fuerint illius hydatidis peculiaria; necdum contigit, ut in tam magnas inciderem, quam voluiſſem, & cum incidi, ut liceret aliter quam exterius ſpectare. Vel ſic tamen nonnulla adnotavi non indigna fortaſſe quæ in aliis ejuſmodi ſedulo inquirantur. Unam enim vidi olim in vitulo dierum quindecim, rotundam, diametro ſex ſeptemve digitorum, pendentem a ſima ſupremaque jecinoris parte, in quam ſe aliquantum inſerebat, arcte affixa ad duorum, aut trium digitorum tractum: ab eaque parte ſanguifera accipiebat vaſa, ſed pleraque ea ratione, quam ut firmiter memoria teneo, ſic tibi ſignificabo. Namque ut per ejus veſicæ membranam, alioquin ut inter digitos arripiendo percipiebam, non tenuiſſimam, licebat tranſpicere, non aquam modo quam continebat, ex ſubviridi leviſſime flaveſcentem; ſed etiam, quoniam aqua illa erat pellucida, quidquid in ipſa innatabat; ita ex hepate per medium veſicæ cavum ferri videbantur quidam vaſorum trunculi, qui oppoſitam aſſecuti veſicæ partem, ſe in hujus exteriorem faciem reflecterent, per eamque in ramos, ramuloſque diviſi, rete quaſi quoddam efficerent. Verum ut hoc rete, eoſque ſanguiferos ramos certe quidem conſpiciebam, & tenuiſſimas quaſi pinguedinis ſtrias, eoſdem ſtipantes; ita incluſos illos natanteſque trunculos, quos ſtriæ ejuſdemmodi comitari videbantur, cum tantummodo tranſpicerem; fruſtra ab illis petii qui eam mihi veſicam oſtenderant, ut incidere liceret, cum aliis porro oſtendere ſe velle, dicerent, quibus paulo ante polliciti eſſent. Ab iis vero, aut incluſos trunculos non ſatis attendentibus, aut quid ex illa eorum per veſicæ cavum traductione conſequeretur, non bene animadvertentibus, nihil reſcire aliud potui, niſi aquam, ſubſalſam fuiſſe, & minime ad ignem concreviſſe. Non multo poſt vitulinam, hydatidem alteram vidi, ea quidem minorem; neque enim ovum gallinaceum ſuperabat; ſed pro animalculo in quo deprehendi, multo maximam. Erat id columba vetula, ova tamen etiam tum edens, quæ cum ſaniſſima videretur, de improviſo in nido mortua inventa fuerat. Repentinæ mortis cauſam, cum exterius nulla appareret, interius quærens, cerebrum, pulmones, cor ſana offenderam, niſi quod hujuſce ventriculi omnino erant vacui, & ipſum exangue; cum denique ad jecur perveniens, & hujus rei, & mortis cauſam perſpexi. Jecur enim erat lividulum, & in

(e) Obſ. Anat. (f) Sect. hac 21. Obſ. 21. §. 8. (g) Ibid. §. 6. (h) Ibid. §. 14. (i) Sepulchr. l. 3. S. 37. Obſ. 3. §. 12. (k) Theſ. 7. n. 37. & Tab. 2. F. 3. (l) Sepulchr. S. hac 21. Obſ. 3. §. 8. (m) Ibid. Obſ. 21. §. 2. (n) Exerc. de Omento. (o) ſupra n. 4. (p) Eph. N. C. Cent. 6. Obſ. 94. (q) S 7. Aph. 55. (r) Epiſt. 16. n 33. (ſ) Comment. in Aphor. cit. (t) Oſſervaz. int. alle Tartarughe. (u) (x) (y) ſupra ad n. 35.

& in ſummo nigricans , & æquo mollius , ruptoque ibi magno vaſe ſanguifero , plurimum ſanguinem profuderat , circa illud ipſum viſcus , interque inteſtina concretum . Acceleratam eam vaſis diſruptionem credidi a preſſione ingentis hydatidis de qua dicere jam cœperam . Extremum alterum hæc intimæ ovarii ſubſtantiæ infixum habebat , ut minores aliæ de quibus mox dicetur : per ſuperficiem autem diſcurrentia ſanguifera vaſa , intus vero ſubflavam aquam , non una , quantum exterius judicari poterat , cavea comprehenſam , ſed in multas, quæ tranſpiciebantur , cellulas diviſam . Membranæ ipſi , hydatidem efficienti , ad illud de quo dixi , extremum vitelli aliquot minuti inhærebant, cæterorum quibus ovarium ſcatebat , perſimiles : his tamen duriores aliquanto erant, magiſque ad albedinem inclinabant. Ex ovario præter vitellum unum majorem , & jam jam caſurum , nonnullæ aliæ pendebant hydatides , omnino conſimiles deſcriptæ , niſi quod triplo circiter minores erant , nec per ſe ovario , ſed per longum petiolum annectebantur . Erant denique nonnullæ aliæ , minima faba non majores , inter ipſos vitellos conſitæ , ſed hæ cæteris multo magis albæ , & aqua limpida plenæ . Coctione tamen neque hæc, neque ſubflava cæterarum aqua concrevit : vitelli autem, qui maximæ illius extremo inhærebant, ut minus molles antea fuerant , ſic magis quam reliqui , induruerunt . Cum cellulas quas intra majores hydatides tranſpexeram , mox recognoſcere intus vellem; pauliſper forte avocatus ſum : famuli autem intempeſtiva ſedulitas, qui me ſatis omnia perſpexiſſe, credebat , interea, ægre me ferente, illuc abjecerat, unde recipi non poterant.

38. Noli mirari, ægre me tuliſſe quod ea quæ in vitulo , & columba tranſpexeram , perſpiciendi copiam non habuerim . Quæ enim hydatides aut ſanguifera vaſa per medium cavum traducta , aut hoc in cellulas multipliciter diſtinctum oſtendant , earum originem haud ita facile repetes aut a ſimplici glandulosa veſicula , cujus ſit oſculum obturatum , aut ab uno aliquo vaſis lymphatici utrinque demum occluſo interſtitio quod inter binas & binas valvulas intercedit : Ex quo Warthonus his lymphæductuum interſtitiis ad hydatidum efformationem explicandam uſus eſt ea ratione quæ in Sectionem hanc (z) Sepulchreti fuit non ſemel tantum, ſed bis relata , non pauciores fortaſſe , quam qui ſimplici glandula uſi ſunt , aſſeclas habuit , & nonnullos etiam qui ad eam explicationem quædam addendo , probabiliorem ut redderent , elaborarunt . Quorum ego omnium induſtriam laudo : imo pro Warthoni ſententia tot illas facere veſicas , crediderо , quas Perſius (a) viderat *duplicatas , velut in carpionibus eximuntur*, quippe bina, necdum ſejuncta , interſtitia repræſentantes , ut *funiculos* quoque illos *pellucidos* , *ex tenuibus veſiculis quaſi concatenatis conſtantes* , quorum multos in aquis aſciticorum interdum conſpexit Meadius (b). Verum ut hydatides alias ex ſimplici glandula, alias ex ejuſmodi interſtitiis certa quadam ratione poſſe repeti, non diffiteor ; at omnes quomodo repeti poſſint , non video . Diu enim eſt ex quo Ruyſchius (c) admonuit, plurimas interdum hydatides in uteri placenta, ut nos quoque conſpeximus , deprehendi , aliiſque item in Partibus in quibus lymphæductus nulli inveniuntur . Itaque cenſuit , *hydatidas eſſe extremitates vaſorum ſanguiferorum , quæ priorem ſuam mutaverint naturam , atque in vitioſam degeneraverint fabricam* . Sunt & qui, ſi aquoſus humor non modo ex lymphæductuum parietibus nonnihil læſis , verum undecunque effluat intra circumjectas membranulas , attollere has , & in hydatides conformare , exiſtiment . Quorum ſententiam ſi quis paulo ſtudioſius illuſtret , aptam reddet fortaſſe ad pleraſque hydatides explicandas, nec difficile intelliget ob interjectam membranis celluloſam fabricam, & vaſa ſanguifera per hanc traducta , unde ſit cur hydatides aliquæ (d) appareant in cellulas diviſæ, & cur (e) per medium aliarum cavum vaſa trajiciantur : ad quæ *exiles* illas *duas fibras* ſi forte referat , quas in tot hydatibus animadvertit Tyſonius (f) ab altero harum extremo *procedentes ac fluctuantes intra* ipſarum *liquorem* ; veri paulo ſimiliora dicere videri poterit , quam cum ille ejuſmodi hydatides inſecta eſſe , conjiciebat , quæ alimentum ſibi exſugentia per duos illos quaſi tubulos in ventrem demitterent . Quod ſi pendentes ex tenui longoque petiolo hydatides incidant explicandæ , quales Ruyſchius (g), qui etiam pinxit (h), aliique, & nos ſæpe vidimus ab ovariis potiſſimum , proximiſve mulierum partibus , non modo ex columbæ illius ovario pendulas ; ſuſpicari eidem licebit , abruptis a ſanguifero trunculo cæteris hydatidis cujuſpiam cellulis, aut effuſo quem continebant , humore concidentibus , extremam aliquam annexam reſtare , quæ humorem adhuc retineat ſuum . Et ſane cum filamento per quod aliqua ejuſmodi pendebat , manifeſto interdum ſanguiferum ſimul vaſculum ferri vidimus (i).

39. At ſunt aliæ , & majoris quidem momenti cum ob viſcerum quibus innaſcuntur , læſionem , tum ob faciliorem ejus quo de hic agitur , morbi productionem attendendæ. Hactenus de iis fere diximus quæ in ſuperficie extant viſcerum , aut ab ea propendent . Latent autem ſub ipſa aliæ , aut plerumque non multum prominent, veluti præſertim in renibus . Grandiorum cellularum nomine deſcripſi olim in Adverſariis (k) , & ſæpe ad te ſcribens (l) , ut in variis cadaveribus non ego modo , ſed & Valſalva conſpexerit , ſignificavi . Sed & alias vidi , nec tantum in ſue unam , quæ nucis ferme capax fuiſſet , verum in corporibus item humanis ſatis magnas . Harum tamen nulla , ſi quam ex Stabulario quodam (m) indicavi , unam excipias , ultra renis ſuperficiem ſe attollebat, ut ne illa quidem in Sene (n) a Valſalva conſpecta, quæ renis dimidium occupabat . Et alias tamen prominentes vidi , præſertim in Vetulis duabus , quarum alterius ob hanc unam dumtaxat cauſam , brevem hic tibi Obſervationem adſcribam.

40. ANUS gibbera , & clauda obierat in Noſocomio Patavino poſt medium Martium A. 1747; illuc nuper illata ob affectum de genere apoplectico , nihil manifeſte lædentem , niſi linguam. Quamobrem cum cætera mulieris mala ſatis ſciri non potuiſſent , ipſe vero aliis Partium ſecundum naturam ſe habentium obſervationibus tunc diſtinerer , quæ ad eas ſpectabant , in ejuſdem quoque cadavere cum inquirerem ; vix hæc quæ præter naturam eſſent , animadverti . IN VENTRE arteriæ Magnæ truncus ab Emulgentibus ferme incipiebat paulatim quo magis deſcenderet , eo magis ſe dilatare, donec paulo ſupra diviſionem ſe totum expanderet in aneuryſma diametro quoquoverſus digitorum duorum . Inde ſenſim rurſus contrahebatur ſic tamen , ut Iliacæ ipſæ ad magnum tractum multo quam par ſit, apparerent latiores . Inæqualis harum , ſed magis aneuryſmatis erat interior facies , ubi concretiones haud deerant non modo polypoſæ , ſed & in tunicarum parte aliqua oſſeæ . Horum Aortæ vitiorum magna ex parte cauſam fuiſſe , crediderim in diſtorta Spinæ figura , quæ convexitatem cum in thorace haberet ad partem dexteram , in lumbis habebat ad ſiniſtram , eoque ſecum rapiebat Aortam . Quo minus miratus ſum , in ſiniſtro fuiſſe rene vitia illa quorum gratia hanc tibi Obſervationem deſcribo . Nam ex ejus renis inferiore extremo hydatis protuberabat , mediocris pomi magnitudine . Aquæ erat plena rubellæ , etſi per tunicas tranſpecta nigricare videbatur . Eæ tunicæ exterius erant duæ , quarum extima nihil erat aliud , niſi renis membrana adipoſa, hic ob ſummam maciem carens omni pin-

(z) Schol. ad §. 8. Obſ. 10. & ad §. 2. Obſ. 21. (a) Ibid. §. 6. (b) Monit. Med. c. 8.
(c) Adverſ. Dec. 1. c. 2. Vid. & Theſ. 6. Tab. 5. F. 3. & ſeqq. (d) (e) n. 37. (f) in Additam. ad hanc Sepulchr. Sect. Append. ad Obſ. 49.
(g) c. 2. cit. (h) Obſ. Anat. Chir. Fig. 68. (i) Vid. Epiſt. 43. n. 19. (k) III. Animad. 33.
(l) Epiſt. 4. n. 19. Ep. 10 n. 19. Ep. 17. n. 14. Ep. 21. n. 15. Ep. 24. n. 6. & Ep. 25. n. 4. (m) Epiſt. 4. n. cit.
(n) Epiſt. 17. n. cit.

pinguedine, altera erat membrana renis propria, quam non copia tantum, ſed & pondus diſtraxerat aquæ incluſæ quippe in ea ſede, & ſitu illam deſuper urgentis. Itaque cum eſſent alibi in eodem rene minores hydatides aliæ duæ; membranam illam ultra ſuperficiem renis non extulerant, ſub ea videlicet concluſæ, ut cæteræ frequentiores cellulæ, & ſuam ſibi ſedem in renis ſubſtantia excavantes. In qua major quoque hydatis ſuperiori ſuæ parti ſedem in hemiſphærii pene modum excavaverat; ut non alterius ac illæ generis eſſe, intelligeres: ejus hemiſphærii diameter unius erat digiti pollicis.

41. Alterius Vetulæ diſſectionem alias (*o*) habebis, in qua ren itidem ſiniſter, extremo tamen ſuperiore, in hydatidem, ſibi innatam, valde extendebatur, ut quæ aquam, leviter ſubflavam, continebat ad uncias quatuor. Ad majores hujuſmodi hydarides *magnum* illum facile referes *aqueum*, ut Harveius (*p*) vocabat, *abſceſſum*, *inſtar ovi gallinacei*, *flaveſcente aqua repletum*, *quæ orbicularem cavitatem* in rene altero *impreſſerat*, cum minores alii eſſent pariter in facie anteriore utriuſque renis hominis maxime grandævi, non ſine urinæ ſuppreſſione demortui. At certe referes *veſicam inſtar nucis juglandis grandioris*, *aqua limpidiſſima diſtentam*, *& dimidia parte renis ſubſtantiæ inhærentem*, quam Doringius (*q*) in Bucretio invenit, cujus idem ren multum ſabuli, alter autem calculum habebat. Veſicæ illi æquales duas, humore quodam aqueo oppletas colorem lotii referente, memini olim reperiſſe in virili cadavere quod Bononiæ, abſentis Valſalvæ loco, in Theatro Anatomico diſſecui, ejuſdemque renis in quo ipſæ, & calculi erant tres albidi granorum viciæ magnitudine, dilatatam pelvim: hominem autem mortuum cum urinæ quidem in ſua veſica ſuppreſſione; ſed non ex hac tamen, cum aliæ eſſent multo graviores cauſæ, quas hic memorare neceſſe non eſt (*r*). Verum hæ duæ hydatides ſub propria renis membrana, ut pleræque, coercebantur. Nec aliter ſe habuiſſe videntur quas *in hydropicis ſæpenumero a ſe compertas* ſcribit Williſius (*ſ*) ubi in Viro Illuſtri fuiſſe, ait, *in medio dextri renis cavitatem ingentem a pelvi diſtinctam*, *eaque multo ampliorem*, *aqua limpida impletam*, renem autem ſiniſtrum *plures hydatidas*, *& cavitates aqua limpida repletas continuiſſe*. A ſero autem in ſubſtantia renum alicubi remorato conjicit exiguas primum cavitates fuiſſe efformatas, quas deinde paulatim auctum, magis magiſque dilataverit: & vides profecto, aquam *limpidam*, *limpidiſſimam*, *rubellam* in illis caveis eſſe inventam. Nec vero mihi (*t*), quamvis ex colore, atque odore ſæpius urina eſſe viſa ſit; dubium tamen ſæpius quoque defuit, quin potius *humor* eſſet *urinæ ſimillimus*, non ignoranti, ſerum ſanguinis perſæpe aut eſſe per ſe ſubflavum, aut mora in viſceribus fieri; certe haud raro humorem, undecunque is ſit, in hydatibus ſic inveniri (*u*); ex renibus autem, ubi diutius retineatur, poſſe trahere lotii odorem, ſimulque animadvertenti, hujus quidem generis caveas ſua intima, undique uniformi, tunica eſſe concluſas, ut nullam unquam aut mihi, aut aliis, quod ſciam, cum renis pelvi, aut tubulis manifeſtam communicationem reperire licuerit. Igitur quod longe aliter ſe res haberet in Obſervatione Plateri (*x*), ubi diſſectis quæ renum corpori adnatæ erant, veſicis aqua plenis, *aqua profluebat*, *foraminaque patebant*, ut non iis veſicis hoc eſt tribuendum, ſed ulceribus multis, quæ ut renes ab interioribus ad exteriora uſque perforaſſe, dicit; ſic nihil vetat quin ad veſicarum uſque cavum quædam ſibi foramina aperuiſſent. Qua ex Obſervatione modus quidem alius & ratio apparet, qua poſſint hæ renum hydatides multo citius, ac certius aſcitem facere, ubi ſint ulcera cum pelvi communicantia; citius enim hæc ad magnas illarum caveas, quam ad renum ſuperficiem pervenient, illaſque invecto acri ichore, multoque lotio perrumpent, & hoc jugiter in ventrem effundent, non ſecus ac per ſe effundere debuerunt in alia Plateri Obſervatione (*y*): effuderantque in ea quam ex Piccolhomino cum priore illa Plateri ſupra (*z*) indicavimus. Cæterum vel abſentibus ulceribus, ſi hæ hydatides eo ſint numero, aut magnitudine, ut renis utriuſque ſubſtantiam multam deleverint, aut conſtipaverint; minime dubium eſt, quin valde imminuta lotii ſecretione, hydrops facile contingat. Quod ſi inſuper diſſiliant, effuſoque humore, excernere aſſidue alium pergant, hinc aſcitem fore, manifeſtum eſt.

42. At ſi id facere non pergant, ſed nova circum exinanitas ſuccreſcente renis ſubſtantia coaleſcant; hydrops quidem non oritur, pauco quem effuderant, humore haud ſecus atque is quo interiora ventris madent, per abſorbentium vaſorum oſcula abſumpto; in rene tamen cicatrix reſtat varia magnitudine, & profunditate, ut diſrupta hydatis plus minuſve de renis ſubſtantia excavaverat. Relegeſis quam Epiſtola XXIX. (*a*) in muliebri deſcripſimus rene longam, & ſubalbam quaſi ex tendine lineam, non per ſuperficiem modo, ſed etiam alte intra corpus ipſum renis perductam, antiqui vulneris cicatrici adeo ſimilem ut veſtigia inflicti vulneris, ſed fruſtra, in proximo ventris pariete quæſiverimus. In aliis autem Epiſtolis deſcribemus tibi alias renum cicatrices minus profundas, ſed depreſſas tamen, eaſque circuli ambitu comprehenſas, qualis ea fuiſſet quæ coalitum majoris illius hydatidis ſecuta eſſet, quam in Vetula, paulo ſupra (*b*) propoſita, obſervavimus. Ex his intelligis, quomodo ex hydatidum obſervatione cicatrices in renum ſuperficie haud raro obvias explicemus. Ad idem autem exemplum, aliorum quoque viſcerum cicatrices explicari poſſe, credito, cum exteriores ſunt, neque eas vulnera, aut ulcerum ſigna præceſſerunt, velut erat quæ in uteri latere aſciticæ Anus his ipſis Litteris (*c*) memorata eſt. Habet enim etiam uterus hydatides ſuas eo interdum numero quem ſatis indicant Obſervationes Adolphi Occonis (*d*), & Cl. Adami Chriſtiani Thebeſii (*e*), ea autem magnitudine, ut unam, ſicut alias (*f*) tibi indicavi, viderit Coiterus (*g*), *ex matricis colli dextero latere prognatam, naturali veſica duplo quaſi majorem*, *lotio*, ſive, ut verius infra loquitur, *aqua tenui lucidaque pleniſſimam*, *& duabus tunicis*, *ut naturalis veſica*, *præditam*, *ſed nullo meatu aquam vel immittente*, *vel emittente*. Sed & jecinoris, & lienis hujuſcemodi cicatrices, ut puta quam in Nob. Virgine deſcripſit Hæchſtetterus (*h*) (cavendum enim eſt, ne fiſſuræ quædam nos decipiant, quæ ſæpe a primordiis extant) tales, inquam, cicatrices conſimili modo explicari poterunt. Nam utriuſque viſceris hydatides vel frequentiores occurrunt, ſive omnino exterius adſitæ, qualem in ſuſpenſo Coiterus (*i*) *ſub liene* deprehendit *duorum pugnorum magnitudine aqua pleniſſimam*, & *a vicinis partibus abſque læſione ſeparavit*, ſive prorſus in profundo abditæ, quæ in hepate a Glaſero (*k*), Diemerbroeckio (*l*), aliiſque memorantur. Quo facile referes Lyſeri (*m*) Obſervationem *aquæ citrinæ*, *quæ ad tres & plures libras proruit* ex alte pertuſo Hebrææ viventis jecinore, & Mancharti alias (*n*) tibi deſcriptum, ut ipſe vocabat, *lienis hydropem*, ſicque animadvertes, ubi forte viſcera ab intus collecta humoris copia demum perrumpantur, quantum augere eum poſſint, qui antea faciebat hydropem, & quantum videri poſſint ab eo corrupta qui circum ſtagnabat, cum ab illo fuerint quem continebat. Sive igitur hujus ſecundi generis, ſive primi hydatides fuerint, ſive denique inter utraſque has mediæ, quales hic

(*o*) Epiſt. 60. n. 6. (*p*) Sepulchr. l. 2. S. 1. Obſ. 17. (*q*) Ibid. l. 3. S. 14. Obſ. 48. (*r*) Vid. Epiſt. 41. n. 10.
(*ſ*) Sepulchr. l. 1. S. 13. Obſ. 1. (*t*) Vid. Animadv. ſupra ad n. 39. indicat. (*u*) Vid. ſupra n. 35. 37.
(*x*) Sepulchr. S. hac 21. Obſ. 8. §. 2. (*y*) Ibid. Obſ. 11. §. 4. (*z*) n. 19. (*a*) n. 12. (*b*) n. 40. in fin.
(*c*) n. 28. (*d*) Sepulchr. S. hac 21. Obſ. 55. §. 9. (*e*) Eph. N. C. Cent. 3. & 4. Obſ. 117. (*f*) Epiſt. 16. n. 33.
(*g*) Obſ. Anat. (*h*) Sepulchr. S. cit. Obſ. 12. §. 2. (*i*) Obſ. Anat. cit. (*k*) Sep. S. cit. Obſ. 4. §. 11.
(*l*) Ibid. Obſ. 19. (*m*) apud Barthol. Cent. 2. Epiſt. Med. 73. (*n*) Epiſt. 36. n. 18.

hic potiſſimum attendimus, id eſt ita in viſcere innatæ, ut in ejus tamen ſuperficie quoque ex parte ſe oſtendant; ſunt, ut dicebamus, in jecinore, aut liene vel frequentiores. Sic ultimi hujus generis duas nuper vidi in cujuſdam Vetulæ jecinore, alioquin ſano, quod oram anteriorem, figura nunquam antea a me conſpecta, circa medium falcatam habebat, lobumque ſiniſtrum non minus propemodum, quam dexterum, ſe ſe deorſum producentem. Sub membrana, faciem convexam operiente, ambæ hydatides ex parte aliqua apparebant, reliqua intra hepar conditæ, parva una, haud modica altera (*o*). Sic plures in ſuis liene animadverti, inſipidæ, aut leviter ſubdulcis aquæ plenas. Sic in alterius jecinore haud procul a crepidine unam ceraſi magnitudine. Sed in alio magnitudine varia, numero ingenti, nec tantum, ut in prioribus, ſemiſepultas, ſed & plures omnino intus conditas: omnium aqua craſſiore, alboque ſolliculo comprehendebatur. Valde amplificatum erat id jecur, craſſiuſque habebat, eoque multo quam ſoleat, magis in oculos vel minus attentos incurrens albidum rete quo lobuli intercipiuntur, ſive extra, ſive intus ſpectares. Hi ſani; ut cætera viſcera; eſſe videbantur: ſed cyſtis, contracta plurimum, pro felle non multas continebat guttas muci cujuſdam nullo fere colore præditi, ut illum bilis *albicantem propemodum colorem* in memoriam redigeret quem Veſalius (*p*) ſe vidiſſe, teſtatus eſt antequam Diemerbroeckius & poſt ipſum alii qui pariter in Sepulchreto laudantur, aliique deinceps *candidum*, *lacteſcentem*, *lacteum* pro bile humorem conſpicerent. Verum ne ab iis de quibus loquimur, lienis, & hepatis hydatidibus recedamus; ad ipſarum genus ſpectare fortaſſe credes, quas in hominibus Hunerwolffius (*q*) deſcribit præter *adnatas*, *hepati & lieni etiam innatas*, aut quæ Horſtio (*r*) *in* puelli *hepate*, *& liene foveæ aqua plenæ apparebant*; Quod ſi quæ in vivo præceſſerant, ſcire cupis; in altera Sepulchreti Obſervatione (*ſ*) leges, in qua diſſectio eadem repetita eſt: quod in longa adeo Sectione hac XXI. minus, quam in pleriſque aliis, mirandum eſt, nec ſemel (*t*), accidiſſe: eamdemque ob cauſam, & ſimul ob ſucoſas Blancardi deſcriptiones venia danda eſſet, quod in Additamentis, tanquam novæ hujus Obſervationes (*u*), eæ reponantur, quas Bonetus antea in Sectione hac ipſa (*x*) produxerat, veriſque Auctoribus Jodono, & Pareo attribuerat (*y*); niſi, quod ne Blancardus (*z*) quidem fecerat, una Jodoni Obſervatio diſcerpta eſſet in duas XXIX. & XXX. vel potius ex Blancardi Scholio in primam, altera facta eſſet Obſervatio. Sed & Eggerdeſi Obſervationi (*a*) quæ ad Thoracem attinet tota, nullus hic eſſe debebat locus, ubi agitur dumtaxat de Ventre; aut certe quod in duabus (*b*) huc pariter haud ſpectantibus factum eſt, minime omittendum, ut eſſe *extra proprium locum* ſignificaretur.

43. Mihi vero longe alia ratio eſt, cur hic tibi de Thoracis viſceribus perpauca verba interjiciam. Neque enim ſola Ventris viſcera illiuſmodi hydatidibus, & quod conſequi mihi videtur, cicatricibus obnoxia ſunt: Pulmonibus, atque adeo cordi hydatides illas increſcere, ex Veterum, Recentiorum, & meis quoque Obſervationibus tibi alias (*c*) oſtenſum eſt. Si ergo aliquando aliqua earum quæ a nobis definitæ ſunt, cicatricum in alterutro occurrat viſcere, ut certe mihi in exteriore cordis facie cujuſdam leporis occurrit, quod animantium genus quam crebro hydatidibus tentetur, vel ex unius Redii (*d*) lectione ſatis conſtat; quid vetat, ne qua in parte ſemiconditam hydatidem viderim, in eadem ex hydatidis inanitione, & coalitu cicatricem deducam? Igitur ut in Ventris, ſic etiam in Thoracis viſceribus earum quas dixi, cicatricum originem ab hydatidibus deduces. Quarum ſecundum quoque genus (*e*) eſſe in pulmonibus fortaſſe agnoſcendum, conjicies ex aqua intra ipſos in quibuſdam quaſi ſaccis collecta, ut bis quoque conſpexit Ampliſſimus Senacius (*f*).

44. Sed aliam hic a me facile expectas originis non cicatricum, ſed hydatidum quarundam explicationem, quales videlicet in leporibus conſpexit Redius (*g*) non modo intra jecur acervatim conditas, & inter ſe colligatas, ſed & ſub ejus, & totius alimentorum canalis extima tunica, interque meſenterii membranas ſine ulla cum his cohæſione, imo & liberas plures, ac omnino ſolutas in ventris cavo animalculorum inſtar quæ ſe huc illucque conferre poſſent, degentes; ut in mentem ipſi venerit, quod & Tyſonio poſtea, ut ſupra (*h*) dixi, perquirere, an inſecta quædam, vel potius embryones eorum eſſent: quarum conjecturarum hanc jure a Tyſonio rejectam video; primam autem; ut cætera omittam; haud ſatis cum experimentis congruere, quæ limpidiſſimam qua plenæ erant, aquam ignis vi nunquam concreviſſe, oſtenderunt. Tyſonius vero, quamvis primæ iſti conjecturæ addictus cum propter alia, tum quia ſuarum hydatidum, quæ ex aliis ſumptæ erant beſtiis, intima tunica nullam cum extima qua undique cingebatur, cohæſionem habebat; falſus eſt tamen, hanc extimam *vaſis ſanguineis inſtructam eſſe*, neque hydatides cunctas eſſe hujus generis, ſpeciatim quæ in ovariis hydropicarum mulierum ſæpe inveniuntur, factæ videlicet ex amplificatis veſiculis; ſive ut ipſe credebat ovulis; quæ ſecundum naturam in iis ſunt, itemque eas quas ex aperto latere dextero paulo infra coſtas ſpurias fœminæ tunc ægrotantis, poſtea autem perſanatæ, erumpere vidit cum multa aqua limpida ad quingentas, ejuſmodi pariter aqua turgidas. Repertæ deinde ſunt ab Hunerwolffio (*i*), & Hartmanno (*k*), ab illo in muliere hydatides quæ *præter liquamen gummoſum album*, *in ſe continebant alias tenuiores veſicas*, *lymphæ plenas*, ab hoc autem in cane intra unam, eandemque membranam, quæ omenti erat, plurimæ ſimul comprehenſæ, ut illa membrana divulſa, *ad levem preſſuram* hydatides *proſilirent*, quarum liquor coctione non concreſcebat, *coagulum* tamen *quoddam* ſecum habebat, tunica autem ſingularum propria ex pluribus aliis membranis compacta, denſa erat adeo, ut diſciſſa non collaberetur, eademque lævem pinguedinem tangenti offerebat, cujus *multum* hydatides coctæ *exudaverant*. Minime quoque connexæ erant inter ſe quas Vir Cl. Alexander Camerarius (*l*) bene multas deprehendit, aquam continentes limpidam, comprehenſas autem membraneo ſacco, quo ſimul ſteatoma virilis jecinoris concludebatur. Cum mihi necdum contigerit, ut in ejuſmodi inciderim hydatides: aliorum tibi Obſervationes quas facile conferre poſſes, indicare hic malui, quam eorum quæ perſcrutari ipſe non potui, explicationem afferre. Tentavit id Hartmannus in ſuis, eo adſcripto Scholio (*m*) quod ut tibi placeat, plurimum vereor. Quæres potius, an ſint quæ magis probes apud Viros alios Doctiſſimos, præſertim vero apud illos qui de inorganica tumorum cyſticorum efformatione ſcripſerunt, aut qui natantes veſiculas in tumorum eorundem humore ſæpe his temporibus memorarunt. Ego vero etſi in quibuſdam hydatidibus ea tranſpexi quæ ſupra (*n*) indicavi, imo in fœmina, tibi alias (*o*) deſcripta, tenuem intimam hydatidum tunicam inſtructam vidi albicantibus vaſculis, in ſuc autem in quaſ-

(*o*) Vid. Epiſt. 65. n. 8. in fin. (*p*) Exam. Obſ. Fallopp. (*q*) Sepulchr. Obſ. 4. cit. §. 14.
(*r*) in Additam. ad eand. 21. Sep. Sect. Obſ. 82. (*ſ*) Sect. ead. Obſ. 3. §. 12. (*t*) Ibid. Obſ. 6. §. 7.
(*u*) Confer Obſ. 4. §. 8. cum Obſ. 6. §. 12; Obſ. 20. §. 12. cum §. 17., Obſ. 21. §. 2. cum §. 7. Obſ. 55. §. 2. cum §. 17; & §. 13. cum §. 16. & cæt. (*x*) Obſ. 29. 32. & fortaſſe aliæ. (*y*) Obſ. 48. & 38. (*z*) Anat. pract. Rat. Obſ. 84.
(*a*) in Addit. ad hanc Sect. 21. Obſ. 61. (*b*) Ibid. Obſ. 76. & 79. (*c*) Epiſt. 16. n. 43. & 44.
(*d*) Oſſervaz. int. agli anim. vivent. &c. (*e*) n. 43. (*f*) Traité du Coeur l. 4. ch. 3. n. 4. (*g*) Oſſervaz. cit.
(*h*) n. 38. (*i*) in Additam. ad hanc Sepulchr. Sect. Obſ. 82. (*k*) Ibid. Obſ. 83. (*l*) Act. N. C. Tom. 3. Obſ. 120.
(*m*) ad cit. Obſ. 83. (*n*) n. 37. (*o*) Epiſt. 21. n. 47.

quaſdam quaſi cellulas conformatam; veſiculas tamen, quæ Anatomicis occurrunt, aquæ plenas, omnes unius generis eſſe, exiſtimo, ideoque aliarum originem eſſe alia ratione, aliquarum vero non una, ſed pluribus in unum junctis rationibus fortaſſe explicandam. Speciatim autem de iis veſiculis, quæ plures ſub una tunica aut inter ſe colligatæ, aut ſolutæ, & in humores ejus quem continent, ſimili natantes, aut in ventris cavum effuſæ inveniuntur, quæ viderit, & quæ conjecerit Cl. Morandus (*p*) perlege.

45. Et hujus præſertim generis eas veſiculas fuiſſe, crede, ex quibus ſingularem quendam hydropem fieri, ſcripſit Aretæus (*q*). Scilicet *veſiculas quaſdam puſillas, crebras, humoris plenas, ex loco ubi aſcites fieri ſolet*, prodeuntes vel in homine videre potuit, cum ventris parietes ad aquam educendam pertuſi eſſent, non ſecus ac Tyſonium aliunde prodeuntes ingenti numero vidiſſe, diximus (*r*), & Morando (*ſ*) ex parte aliqua accidiſſe, leges. Nam quod Aretæus addit, fuiſſe qui *affirmarent, hujuſmodi ampullas per inteſtina* in ventris cavum *tranſiiſſe;* nimirum hoc illud eſt, niſi quid me fallit, quod negat, ſe *unquam vidiſſe*, non hunc, cujus ſignum profert, hydropem, quemadmodum cum aliis credidit Petrus Petitus (*t*), qui ut ipſe non conſpexerat, ſic neque Aretæum conſpexiſſe, putavit. Qui vero ex inteſtinis in ventris caveam eas veſiculas tranſiiſſe, dicebant, ea fortaſſe quæ Redium vidiſſe, retuli (*u*), in bruto aliquo animante offenderant: quorum narratione paulo aliter, ut fit, ab iis qui audiiſſent accepta, quaſi ex inteſtinorum cavo eæ veſiculæ proveniſſent, impelli potuit Aretæus ad ea continuo ſubjungenda, quibus narrationem illam, ſic acceptam, improbabilem eſſe, oſtenderet. Cæterum ſignum quod protulit hydropis hujus, ſic videlicet ſcribens, *ſi abdomen perforaveris, parum admodum humoris effundes; ab interiori namque parte veſica occluſit: at ſi in veſicam inſtrumentum impuleris; iterum ſuccus emanabit*; inſuperabilem monſtrat tollendi ejuſcemodi morbi difficultatem, niſi ſi forte uno in loco poſitæ, atque ita diſpoſitæ eſſent veſiculæ, ut in illa Tyſonii fœmina (*x*), itemque in Ruſtico hydropico apud Riverium (*y*): quanquam in univerſum ubi ex hydatidibus, aut cum hydatidibus hydrops eſt, cujuſquemodi hæ generis ſint, modo multæ ſint, aut magnæ; fruſtra abdomen perforatur. Nam præterquam quod quæ jam diſſilierunt, pergere poſſunt humorem effundere; *aperta una veſica*, ut Tulpio (*z*) præeunte, recte admonuit Thomas Bartholinus (*a*), *reliquas non evacuat, quanquam cohæreant racemorum uvæ in morem;* non modo ſi aliæ ab aliis disjunctæ ſint. Itaque ad alias cauſas cur ea chirurgia vel tunc etiam cum cætera omnia viderentur favere, ſæpenumero non reſponderit, hanc quoque addito, quod, ut Ruyſchii (*b*) utamur verbis, *cum* hydatides *ſæpiſſime* eſſe *contingat in hydropicis, raro, ſi unquam, evadunt, paracenteſi in abdomine inſtituta*. Hoc autem dixit occaſionem præbente hydropica, cujus tum peritonæum, tum meſenterium hydatidibus referta erant. Quod aſciticorum meſenterio perſæpe accidere, cum tot aliæ veteres, tum recentiores quoque in Voluminibus Cæſareæ Academiæ Obſervationes (*c*) oſtendunt. De cæterarum autem Partium quæ in ventre ſunt, hydatidibus cum ſatis ſuperque exemplorum hactenus produxerim; unum de ventriculo addam ex Jacobo Yongio (*d*) in ea muliere, cujus mirabilem caſum explicare nequeas, niſi ad eam cauſam ad quam in diabete ſolent, forte reſpicias. Cum enim per totum morbi decurſum tantum fere urinæ redderet, quantum potulenti ingerebat; non facile apparet unde aqua exiſteret, cujus ducentos & quatuordecim ſextarios, undetrigeſies intra octo menſes inſtituta paracenteſi, emiſit. Huic igitur mulieri hydatides plurimæ in ventriculo erant, ac inteſtinis.

46. Quæ mihi Obſervationes ſunt ad Tympanitem ſpectantes, cum propter complicatos morbos alibi locum vel commodiorem ſint habituræ; pro iis duas præſtabit ſubnectere, ad Peritonæi Hydropem attinentes, morbum; ut de eo quædam præfemur; a vetuſtiſſimis quidem non deſcriptum, nec tamen primum a Tulpio (*e*), aut Bogdano (*f*), ut credere ipſi videbantur, & plerique crediderunt, propoſitum. Id non eo dico quod Stratenus ſimillimum, a ſe conſpectum, Tulpio, ultro hoc fatenti, narraverat, nec quod Stalpartius (*g*) aliquid ejuſmodi a Marcello Donato ſcriptum affirmat. Marcellus (*h*) enim ut adverſus Fernelium oſtendat, hydropicorum aquas per inviſibiles meatus in ventris cavum traduci, etſi, inquit, hoc cavum proprius eſt earum aquarum locus; *nihilominus & intra peritonæum, ac reliquas partes inferiorem ventrem conſtituentes, aquæ portionem pluries reperiri ex ſectione comprobatum eſt.* Ne dubites, quæ ſint eæ partes reliquæ; illud continuo addit quod male a Stalpartio omiſſum eſt: *ita ut nonnulli Arabum ſectatores locum aquæ proprium in Aſcite inter ſiphac, & mirach* (id eſt inter peritonæum, & quæ huic exterius apponuntur) *eſſe contendant; nec non etiam videmus in hoc morbo detentis aquam ad coxas tibiaſque pervenire & cæt.* Ex hoc igitur exemplo vides quam portionem aquæ ipſe intelligat illis etiam in partibus fuiſſe inventam, qualis videlicet ubi anaſarca conjungitur cum aſcite. Nam quod ad eam attinet opinationem nonnullorum longe ab ſuis Haly (*i*), & Avicenna (*k*) diſcrepantium, neque ad eam comprobandam illa idonea eſt Obſervatio, neque alia ulla a Donato profertur, quamvis Stalpartius ajat, Donatum poſtquam ſcripſit, hydropem nonnunquam fieri a copioſo frigidæ potu, ſi *humidum in peritonæum delatum ſit*, Donatum, inquam, *ita pergere: Jacobus Camenicenus, epiſtola ad Andr. Matthiolum lib. 5. epiſtolar. ſcripta, refert de quodam, cui aqua inter tunicas peritonæi, nec non inteſtinorum adinventa fuerit*. Donatus (*l*) enim poſtquam ex Aretæo (*m*) diſerte laudato ea deſcripſit verba de humore tunc in peritonæum deducto non ut ibi colligatur, ſed ut inde *in ilia guttæ effluant* aſcitem facturæ, *quæ prius in aerem verſæ per tranſpirationem digerebantur*; poſtquam igitur hæc quoque deſcripſit, & alia, atque alia addidit minime ad peritonæum attinentia, ſed ad viſcerum in aſciticis imbecillitatem, & ad venarum hepatis obſtructionem; ut hanc probet, tum denique illa Cameniceni Obſervatione utitur lapillorum eas venas impedientium in hydropico, *cui aqua inter peritonæum, & inteſtina adinventa fuit*. Sic enim ipſe ſcribit Donatus, recte, ut Matthiolus quoque in reſponſione ad Camenicenum, illa hujus interpretans verba, *cum tranſiiſſemus muſculos abdominis, invenimus aquam illam citrinam vocatam, intra peritonæum, & inteſtina: de quo ab aliquibus dubitatum tamen fuiſſe video*; id eſt ab iis de quibus paulo ante dictum eſt, Arabum ſectatoribus, non inter peritonæum, & inteſtina, ſed inter peritonæum, & exteriores partes aquam aſciticorum eſſe, opinantium. Quæ eo fuſius perſecutus ſum, quo plures vidi, Cameniceno, & Donato minime inſpectis Obſervationem hydropis peritonæi cum Stalpartio, quem innominatum ſecuti ſunt, tribuiſſe, in quibus Nuckius (*n*) fuit, & is qui cum Donati obſervatione quæ nulla eſt, ſe ſuam hujus morbi comparaſſe, ſcripſit.

47. Quis igitur, inquis, hunc ante Nicolaum Tulpium deprehendit? Joannes Acholzius, Medicus, & Profeſſor Viennenſis Primarius. Hic enim A. 1581. coram Cæſareis Medicis, ac Chirurgis cum diſſectioni præeſſet mulieris hydropicæ; aquæ inſtar lixivii obſcuræ ingentem copiam non in ventris cavo reperit, ſed inter peritonæum, & ventris integumenta, quippe muſculis uſque adeo a ſubtus diſtendente

aqua

(*p*) Mem. de l. Acad. R. des Sc. A. 1722. & Hiſt. A. 1723. (*q*) De Cauſ. & ſign. morb. diut. l. 2. c. 1. in fin. (*r*) n. 44.
(*ſ*) Mem. cit. (*t*) Comment. in cit. locum. (*u*) n. 44. (*x*) Ibid. (*y*) Obſ. hinc ind. decerpt. 15.
(*z*) l. 2. Obſ. Med. c. 34. (*a*) Act Hafn. Vol. 1. Obſ. 8. (*b*) Theſ. Anat. 7. n. 37.
(*c*) Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 239. & Cent. 3. & 4. Obſ. 117. & Act. Tom. 2. Obſ. 34. & cæt.
(*d*) Vid. in Act. Erud. Lipſ. A. 1713. M. Jul. (*e*) l. 4 Obſ. Med. c. 44. (*f*) Obſ. Anat. Chir. 11.
(*g*) Part. 1. Cent. 2. Obſ. rar. 28. in Schol. (*h*) De Medic. Hiſt. Mirab. l. 4. c. 21. (*i*) Theor. Medic. l. 9. c. 31.
(*k*) c. 5. ſupra ad n. 33. cit. (*l*) c. 21. cit. (*m*) c. 1. ad n. 45. ſupra cit. (*n*) Adv. Cur. c. 9.

aqua extenuatis, ut quod non raro ſolent, *quaſi nulli conſpicerentur*, aut ex parte etiam mutatis in corpus quoddam continuum ex veſiculis, aqua, mucore, glandulosa materia refertis, quod ampliſſimi illius ſacci anteriorem parietem faciebat, cum interiorem membrana faceret, qua viſcera omnia ſic operiebantur, ut antequam hæc incideretur, nulla eſſe viderentur. Lege, quæſo, Obſervationem, fuſius in Sepulchreti hac Sectione (*o*) deſcriptam, quamvis cum alio attinentibus confuſam; & præclare intelliges fuiſſe illum peritonæi hydropem ex aqua de glandulosis illis tumoribus effluente, quorum & ejus vitio miſerandi illi dolores facile ſunt adſcribendi, qui aucto jam morbo, fœminam aſſidue torſerant. Nec vero hæc hiſtoria primum in Sepulchreto edita eſt; ſed jam ab A. 1598. extitit inter *Conſilia Medic.* (*p*) a Scholzio vulgata, in libro videlicet non ſemel typis impreſſo, & omnium manibus, ſuperiore præſertim ſæculo, ſubinde verſato. Sed & alias in Sepulchreto Obſervationes animadverti ante illam Tulpii habitas, quæ ad hunc morbum referri aut poſſint, aut debeant: quanquam nemo adhuc, quod ſciam, cum cæteras commemoraret, harum fecerit mentionem. Poteſt fortaſſe illa Spigelii noſtri, qui cum in Moravia eſſet, *hydropem ſpurium* in fœmina adnotavit, *inter abdomen proprie dictum & muſculos qui introrſum quaſi incurvantur* (an incurvabantur? an res ſe habuit, ut in Acholzii Obſervatione?) Inde (quod in Sepulchreto (*q*) deeſt) *humoris nigri libræ decem promanarunt*. Id factum A. 1614. tametſi ab Rhodio (*r*) tertio & quadrageſimo poſt anno editum eſt. Sed, niſi prorſus fallor, huc ſpectat quod Hoechſtetterus (*ſ*) in Nob. Virgine obſervaverat A. 1628. quamvis paulo pluribus interjectis annis ab Nepote vulgatum, & quamvis Auctor, ſacci in quo ingens vis craſſi fœtidique humoris incluſa fuerat, anteriorem partem peritonæo, alteram autem in qua plures glandulosos, & in his majores quatuor, invenit tumores purulentos, omentum credidit. Cum autem partem hanc ſacci interiorem ajat *membranoſum corpus fuiſſe expanſum, quo omnia viſcera, & inteſtina tegebantur*; omentum quidem habere potuit agglutinatum, ipſum vero, ut credo, peritonæum fuit. Sed hoc tu melius diſpicies; habes enim & Obſervationem, & Scholium, in quo aliquæ ipſius hiſtoriæ partes ſunt, in Sepulchreto (*t*).

48. In eodem velim inſuper attente perlegas Obſervationes Paawii duas (*u*), Dodonæi unam (*x*), & cum perlegeris, animadvertas, ullane tibi ſuboriri incipiat ſuſpicio, earum aliquam ex aliqua parte ad hæc attinere de quibus loquimur. Scilicet Paawius in duabus hydropicis, altera anno 1601. altera inſequente diſſectis, lienis, renum, jecoris ipſius *ne veſtigia quidem* invenit, niſi quod hujus ultimi viſceris in altera *venoſi ſolummodo ductus, iique perpauci*, erant *ſuperſtites*. Quanto minus mirum, ſi peritonæum ſuſpicemur magna aquarum copia diſtentum, introrſum quibus locis forte erat magis attenuatum, minuſque viſceribus quibuſdam adnatum, crepuiſſe; quibus contra erat, ſubſtitiſſe, itaque nonnulla viſcera ex parte aliqua ſe oſtendiſſe, alia autem delituiſſe, paucaſque illas venas pertinuiſſe ad ipſum peritonæum (*y*): nec vero Paawium in approperata, quippe in peſſimæ notæ cadaveribus, *ventris*, ut ait, *apertione* diligentius rem quæſiviſſe. Dodonæus autem in ea quæ duos jam annos ventrem prætumidum geſſerat, cum haud aqua ex hoc aperto, ſed inteſtinales ſordes nigræ, quales in cloacis ſunt, effluxiſſent ad libras amplius ſexaginta, ultro fatetur, in tantis ſordibus non licuiſſe inquirere ex quonam læſo inteſtino provenîſſent; viſcera tamen omnia, ſi omentum excipias, quod in putrida abierat fruſta, prorſus integra fuiſſe; at peritonæum aliquot locis a ſuperioribus partibus ad inferiores uſque fiſſum. Hic, fateor, ex læſo demum inteſtino fæces profluxiſſe, & hydropicæ jam diu collectas aquas coinquinaſſe, nihil habet admirationis. Sed plurimum habent hæc, ventris tumorem tantum *cum facie optime colorata, & nullis morbi notis in urina apparentibus*, & nullo pedum tumore, tandiu mulierem tuliſſe. Indicia hæc ſunt, ut infra (*z*) videbimus, hydropis peritonæi, quocum illud quoque multo facilius congruit, quod viſcera tam longo tempore integritatem ſervarint ſuam. Porro introrſum compulſum peritonæum poſſe ad aliquod inteſtinum adhærere, & læſionem ita communicare, ut fæces in humorem demum quo peritonæum diſtenditur, tranſeant, indicat Cl. Chomelii (*a*) Obſervatio, pariter in muliere habita, cui non ſecus ac illi de qua ſermo eſt, a partu venter tumere cœperat. Facile igitur ſuſpicari te poſſe, crediderim, diffiſſo tandem, ut viderunt, peritonæo, ex diuturno hujus hydrope aſcitem repente eſſe factum (*b*), auctaque dum illud diſſiliret, annexi inteſtini læſione, fæces plurimas diebus illis ultimis in ventris cavum profluxiſſe. Hæc autem Dodonæi Obſervatio edita cum aliis ab ipſo eſt anno eodem quo ſuam habuit Acholzius, 1581., Evidens enim erratum eſt operarum, ubi in *Lindenio Renovato* prodiiſſe illius Obſervationes ſcribuntur A. 1518. cum Auctor natus agnoſcatur A. 1517: quod minime hic adnotaſſem, niſi eundem animadvertiſſem errorem in *Bibliothecam* quoque *Scriptorum Medicorum* tranſiiſſe. Obſervatio etiam apud Riolanum (*c*) extabat, neque in ultimis dumtaxat Anthropographiæ Editionibus, *aquæ inter peritonæum, & abdominis muſculos effuſæ*. Verum ne forte diceres ſic explicandam, ut verba illa Donati explicavi (*d*); hoc loco malui prætermittere.

49. Anno denique 1651. a Tulpio morbus de quo loquimur, conſpectus eſt, & mox ſub novo *Hydropis Peritonæi* nomine promulgatus (*e*), diſerteque affirmatum eſt, & *omnem aquarum congeriem delituiſſe inter duas peritonæi tunicas, quæ induerant craſſitiem digiti annularis*. Eandem hiſtoriam; ne forte aliam, ut quidam, credas; edidit poſtea is qui cadaver inciderat, Jobus Meekrenius (*f*), ſed fuſius edidit, nec reticuit, unum ex tot Medicis Walæum veram illius hypropis ſedem, vivente adhuc ægra, conjeciſſe. Habet tamen & Tulpius aliquid, in fuſiore ea deſcriptione non reperiendum: quamobrem hujus quoque poterat deſcriptio in Sepulchretum referri, & ſeorſum quidem potius, quam ut ex utraque una fieret, quod apud Stalpartium (*g*) factum videbis ſic, ut ſæpe ignores, quæ Tulpius ſcripſerit, & quæ Meekrenius. Bogdanus (*h*) quoque in muliere, ab ſe diſſecta, peritonæum adnotavit *pollicaris digiti craſſitie, rugoſum, & rigens*; id quod, & quæ de viſceribus continuo ſubduntur, perperam in Sepulchreto (*i*) ſunt prætermiſſa. Sed humorem, amurcæ ſimilem, non inter tunicas peritonæi, ſed *intra abdominis muſculorum tunicam & peritonæum contentum* fuiſſe, ſcripſit. Nimirum quod Tulpius, & plerique deinceps alii pro exteriore peritonæi lamina acceperunt, ipſe pro muſculorum tunica accepit cum Berengario (*k*) ſic olim docente: *veritas eſt, quod ad ſenſum apparet una pellicula ſubtilis valde inter verum ſiphac* (peritonæum) *& muſculos latos* (Tranſverſos) *ventris, maxime in parte carnoſa muſculorum, quæ pellicula eſt panniculus circumvolvens muſculos & cæt.* Ex hac etiam pellicula a multis conflari ex parte nunc, video contextum celluloſum peritonæi, quibus cellulis ab diſtendente aqua diſruptis, cavum fiat *inter peritonæum, & tendines muſculorum tranſverſorum*, ſive, ut melius alii, *& muſculos tranſverſos*. Sed num peritonæum præter iſtum contextum, exteriorem laminam habeat nullam, numve contextus ipſe lamina vocari non poſſit, haud opportunus hic eſt ad quærendum locus. Satis eſt indicaſſe, ante hæc ultima tempora non defuiſſe qui hujus hydropis ſedem

(*o*) Sect. 21. Obſ. 21. §. 16. (*p*) Conſ. 339. (*q*) Sect. cit. Obſ. 12. §. 6. (*r*) Cent. 3. Obſ. Med. 6.
(*ſ*) Obſ. Med. Dec. 10. Caſ. 7. cum Schol. (*t*) Obſ. cit. 12. §. 2. (*u*) Sect. cit. Obſ. 70. & 71. (*x*) Ibid. Obſ. 20. §. 10.
(*y*) Vid. infra n. 56. in fin. (*z*) n. 58. (*a*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1728. (*b*) Vid. infra n. 52.
(*c*) Vid. ſupra n. 33. in fin. (*d*) ſupra n. 46. (*e*) Obſ. ſupra ad n. 46. cit. (*f*) Obſ. Med. Chir. c. 52.
(*g*) in Schol. ſupra ad n. 46. cit. (*h*) Obſ. ibid. cit. (*i*) Sect. hac 21. Obſ. 12. §. 4.
(*k*) Comment. 5. in Mundin. Anat.

ſedem inter peritonæum, & muſculos collocaverit. Equidem Bogdanus quo anno illa ſcripſerit, neſcio; at certe A. 1665. ipſa edidit Bartholinus (*l*). Sed & duodecim ante annis Olaus Rudbeckius (*m*) non dubitaverat, quin *inter muſculos abdominis & peritonæum* poſſet *tumor hydropicus procreari*. Anno autem 1677. in Virgine aquam deprehendit Gerardus Blaſius (*n*) *intra muſculos abdominis & peritonæum*. Hic tamen inter duas quoque peritonæi laminas idem contingere poſſe, cenſuit. Quod & contigiſſe dicendum eſſet in pleriſque Obſervationibus, niſi qui contextum celluloſum diſrumpi, ajunt, reſpondere poſſent, exteriorem hujus partem, ad muſculos adhærentem, tunc ſæpe craſſam adeo ac denſam fieri, ut pro altera peritonæi lamina imponat, imo nonnunquam pro toto peritonæo: quod Hoechſtettero (*o*) aliiſque videtur accidiſſe, in his Paulo Mothio, cujus in Matrona Obſervatio ſic propoſita eſt a Bartholino (*p*), quaſi aqua plurima congeſta fuiſſet inter peritonæum, & membranam denſiorem, viſcera omnia operientem, venis copioſis, & amplis refertam, cui ad hepatis regionem magnus abſceſſus erat adnatus, cum tres minores inferiorem membranæ partem prope inguina occuparent. Quæ Obſervatio edita eſt A. 1657. Annum autem indicavi quo eſt quæque memoratarum Obſervationum vulgata, ut pleraſque intelligeres in omnium fuiſſe manibus ante A. 1668. quo Drelincurtius Publicus Profeſſor ibi eſt creatus ubi aliquis ejus Diſcipulorum cum illam fuſe hiſtoriam ſcriberet hydropis peritonæi, a Drelincurtio acceptam, quæ in Additamentis ad hanc Sepulchreti Sectionem adjecta eſt (*q*), illud ſane haud dignum eruditiſſimo Præceptore interjecit, *parilis eventus nec volam, nec veſtigium exſtare vel apud Veteres, vel apud Neotericos, uno excepto Cl. Tulpio*.

50. Jam vero cæteras indicare ſatis erit Obſervationes ejuſdem hydropis, quæ poſt annum illum 1668. ad annum uſque ſunt editæ 1692. quo Drelincurtii ſucceſſor Nuckius (*r*) ſuam ipſe vulgavit, communicatam antea cum Stalpartio, & ab hoc editam (*ſ*). Fuerunt autem præter eas Hoechſtetteri, & Blaſii, de quibus ſupra (*t*) dictum eſt, tres illæ quas, ut pleraſque alias, videbis in Sepulchretum (*u*) relatas ex Sculteto, Helwigio, & Sponio: quibus addes Kniſelii (*x*) unam, quam in Sepulchreto deeſſe, non miraberis, cum animadverteris, deeſſe Nuckianam! Ex quo autem Nuckius (*y*) ſolertia ac induſtria ſua hunc morbum illuſtravit, extiterunt primum Obſervationes tres, in Sepulchreto deſcriptæ, Gahrliepii una (*z*), Drelincurtii altera, quam paulo ante (*a*) commemoravi, & Simonis Zylii tertia, quæ cum eadem conjuncta eſt. Non potuerunt autem in Sepulchreto locum habere, quippe poſt ſecundam ejus editionem vulgatæ, Obſervationes reliquæ omnes, quas ſinguli ſingulas propoſuere Littrius (*b*) primum, qui morbi explicationem, ſigna, prognoſim, curationem diligentius quam alii ad id tempus, adjecit, deinceps vero Hieronymus Laubius (*c*), Lucas Schröckius (*d*), Joannes Palſinius (*e*) ex Faveletii communicatione, tum Cl. alii Viri, Jo. Georg. Hoyerus (*f*), Jo. Hermannus Furſtenavius (*g*), Jo. Chriſtoph. Pohlius (*h*), denique Jo. Henr. Reſpingerus (*i*). Horum igitur, & eorum omnium qui ſupra nominati ſunt, mihi erant in manibus Obſervationes, ad te ſcribenti, nec dubitanti, quin aliæ præterea extare poſſent cum Veterum, tum præſertim Recentiorum. Quas inter noli credere, oblitum me eſſe recenſere hic quam non ſine ſolertiæ, & dexteritatis laude Chomelius (*k*) propoſuit, addens & alteram, ſed utramque in viventibus dumtaxat habitam. Ego vero in hac quidem ſecundum temporum ordinem recenſione cum aliis adnumerare conſulto omiſi non ſecus ac duas quarum alteram ex Bartholino, quaſi hujus, non Brechtfeldii, eſſet, alteram ex amico Medico produxerat Nuckius (*l*), non quod de hoc morbo agentibus non perutiles cenſeam; nam & ipſe earum aliqua tum ſupra quo ad licuit, uſus ſum, tum infra fortaſſe utar; ſed quia nulla ipſarum eſt anatomica inſpectione comprobata. Cæterum & hæ quatuor, & ejuſdemmodi aliæ infra proferendæ, in fœminis habitæ ſunt, ut reliquæ etiam non modo quæ indicatæ ſunt ab Rudolpho Jacobo Camerario (*m*), qui id ipſum animadverterat, ſed & omnes inſuper aliæ quæ a me hactenus memoratæ fuerunt, aut poſt memorabuntur; ut necdum, ubi vix unum exceperis (*n*), niſi in ſequiore ſexu, peritonæi hydrops ſit obſervatus. Qua de re, ac de aliis quas, tot hiſtorias inter ſe conferens, peculiariter adnotavi, mox aliquid ſcribam poſteaquam primus, quod ſciam, Italorum, duas quas pollicitus ſum, adjecero; ne forte credas, cum de tot illis mulieribus nulla fuerit ex Italia, noſtrates fœminas huic morbo obnoxias non eſſe, rariori quidem, ut nec Valſalva, nec ipſe adhuc in eum diſſecando inciderim, non ſic tamen raro, ut Mediavia noſter in Noſocomio hoc bis non viderit, qui mecum utramque Obſervationem ſuam in hunc modum communicavit.

51. MULIERI necdum inclinata ætate, colore laudabili, venter univerſus tumebat. Narrabat, priuſquam id ſibi accideret, tumorem quendam percipi potuiſſe ad ſiniſtrum umbilici latus, inæqualem, eaque magnitudine, ut impoſitam manum ferme æquaret. Cum alii vel ob id aſciticam crederent, alii ob naturalem faciei colorem aſſenſum ſuſtinerent, mortua eſt.
ABDOMINIS muſculis Tranſverſis inciſis, aqua erupit plurima putidiſſima, quam a ventris cavo peritonæum ſeparabat. Ea exhauſta, tumor de quo mulier dixerat, in conſpectum venit, innatus peritonæo, factuſque ex magnis duabus, tribuſve quaſi veſicis quarum parietes craſſi erant adeo, ut aqua educta quam continebant, minime ipſi ſubſederint.

52. MULIER altera duodecim circiter poſt priorem annis, id eſt, A. 1625. in Noſocomium venit, ipſa quoque morbo non minus, imo vel magis inveterato. Ajebat enim, ſibi quadrageſimum annum agenti; tunc autem agebat quinquageſimum; tumores quoſdam in ſuperiore ventris parte obortos, diſpertitos, nec dolore, ſi quis tangeret, carentes: hos, multis, & variis cum interius, tum exterius incaſſum adhibitis, increviſſe, & ſe pejus ſemper habuiſſe. Etiam tum, quamvis totum eſſet abdomen diſtentum, licebat oculis, non modo manu, tumorem internoſcere; in unum enim, disjuncti antea, tumores coaluerant inæqualem, dolorem, cum tangeres, afferentem, poſitum inter cartilaginem enſiformem, & umbilicum ſic tamen ut neutrum attingeret. Non alius quam alibi, erat ibi cutis color: eamque ſi digitis arripere, & attollere velles, non poteras; ut propterea in ipſis abdominis muſculis quidam tumorem eſſe, crederent. Alii vero faciei colore ſpectato, qui ad flavum inclinabat, & maximo, de quo mulier præcipue querebatur, reſpirationis incommodo, ad viſcerum aliquod attinere tumorem, cenſebant. Nullum tamen erat læſi ventriculi, aut inteſtinorum indicium. Interea cum ad levem qua tenebatur, febrem nigræ vomitiones acceſſiſſent; mors vitæ miſeræ finem impoſuit. VENTRIS, qui minus quam in vivente fuiſſet, tumidus animadvertebatur, integumentis, & muſculis diligenter ſeparatis, & cum his tendine ipſo Tranſverſorum, ſubjecta apparuit horum muſculorum & tendini, & carni membrana tenuis, quam inter, & alteram, cujus craſſitudo unam æquabat lineam unciæ Bononienſis, cavum comprehendebatur non modo tumorem continens lunatum membranæ exteriori, verum etiam deorſum, & ad

(*l*) in 2. edit. Cultri Anat. Lyſer. (*m*) Exerc. Anat. exhib. duct. hep. aquoſ. c. 9. (*n*) P. 1. Obſ. Med. 18.
(*o*) Vid. ſupra n. 47. (*p*) Cent. 4. Hiſt. Anat. 25. (*q*) Obſ 41. (*r*) (*ſ*) cit. ſupra ad n. 46. (*t*) n. 47. & 49.
(*u*) Sect. hac 21 Obſ. 12. §. 1. & in Addit. Obſ. 25. & 48. (*x*) apud Zeller. Diſſ. de vaſ. lymph. admin. c. 1. n. 13.
(*y*) c. ſupra ad n. 46. cit. (*z*) in cit. Addit. Obſ. 81. (*a*) n. 49. in fin. (*b*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1707.
(*c*) Eph. N. C. Cent. 4. Obſ. 162. (*d*) Earund Cent. 5. Obſ. 23. (*e*) Anat. du corps hum. P. 1. tr. 2. ch. 4.
(*f*) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 32. & Tom. 5. in Obſ. 68. (*g*) Eorund. T. 8. in Obſ. 78. (*h*) Ibid. Obſ. 111.
(*i*) Act. Helvet. Vol. 1. (*k*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1728. (*l*) c. cit. (*m*) Biga Obſ. Med. c. 1.
(*n*) Vid. n. 59.

& ad latus utrumque ſe extendens, ut plurimam concluderet aquam, colore ei ſimilem in qua caro recens lota eſt, odore teterrimo, craſſitie autem qua parte ſubſederat, purulenta: cujus aquæ copia æſtimari potuit ad libras triginta non tam ex ea quæ in illo cavo reperta eſt quam ex illa quæ, eroſa ferme e regione ventriculi, inferiore cavi membrana, in ventrem ſe effuderat, idque circa extremum, opinor, tempus, indeque minus tumidum abdomen apparuiſſe. Cæterum peculiaris ille epigaſtrii tumor e firma compactus erat, duraque ſubſtantia, ex albo flava, in qua paucæ alicubi cellulæ adnotatæ ſunt. Membranæ autem cavum complectentes, non uno loco erodi jam cœperant, & nigreſcere ea quidem facie qua inter ſe reſpiciebant, eademque erant inæquales. Sed qua facie membrana inferior ſpectabat ventrem, lævis erat, niſi qua pars aliqua omenti, & Craſſi inteſtini ad illam, nec firmius tamen, ſe annectebant. Erat quoque hinc cum eadem membrana, inde cum infima lumborum vertebra connexus quidam quaſi funiculus: qui diſſectus, ſanguinem fudit. Porro inteſtina quaſi inflammata; omentum vero, & ventris cætera erant ſana, ſi jecur excipias pallens, & aliqua ex parte ſub cultro ſtridens, ut ſi arenoſæ particulæ inter ejus ſubſtantiam admiſtæ eſſent.

53. Nunc quando hydropis peritonæi Obſervationes; ut ſeponantur quæ dubitatione aliqua non carent, ſatis multas habemus quas inter ſe conferamus; aliquanto minus difficile eſt de illius cauſis, natura, ſignis, curatione quædam ſubjicere. Quod igitur ad cauſas attinet; ubi Nuckius (*o*) lymphæductuum ramos inter muſculos abdominis, & peritonæum repere, quod & Rudbeckius (*p*) dixerat; imo inter duplicem peritonæi laminam, luculentius demonſtravit, illiuſque cogitatum ſecutus eſt, quod iis ramis obſtaculo aliquo intercluſis, hydatides, his autem ruptis, hydrops peritonæi oboriatur; continuo illud quoque adjecit, eſſe illius intercluſionis periculo helluones ſpeciatim obnoxios, & mulieres uterum ferentes. Utriſque enim hinc muſculis abdominis præter modum extenſos, reniti, inde vero aut ventriculum, & inteſtina, aut uterum ſua plenitudine extrorſum urgere, ut interceptis inter hanc preſſionem, & illum renixum lymphaticis vaſculis, proclive ſit nobis intelligere, proximos aliquos ipſorum ſurculos retardata lympha, diſtendi aliquando adeo poſſe, ut diſſiliant. Et ſane in pluribus ex laudatis Obſervationibus legimus, accidiſſe eum hydropem complurium liberorum matribus, imo nonnullis paulo poſt abortum, vel partum difficilem, ut in Obſervatione Kniſelii (*q*), quin etiam ſtatim, aut fere ſtatim a partu, ut in Obſervationibus, ſi plane attinere huc credas, Dodonæi (*r*), & Chomelii (*). Verum ut geſtationem uteri inter hujus hydropis cauſas facile admittimus; ſic tamen intelligere haud poſſumus, cur hic morbus vix ſemel in aliis quam in fœminis, ſit obſervatus. Neque enim eæ omnes gravidæ fuerant, & ſterilis certe illa erat de qua Furſtenavius (*ſ*), imo non paucæ Virgines, ut hiſtoriæ monſtrant Hoechſtetteri (*t*), Strateni (*u*), Drelincurtii (*x*), Schröckii (*y*), Palfinii (*z*), Hoyeri (*a*), imo etiam Tulpii (*b*); deſcripta enim ab hoc mulier vel antequam nuberet, *a primis* uſque *annis* ſemper vixerat *cum* ventris *intumeſcentia magna*, ut narrat Meekrenius (*c*). Num igitur ad cauſam illam alteram redeuntes, has omnes Virgines voraciſſimas fuiſſe, comminiſcemur? Sed neque hoc vitium, niſi raro, in fœminas cadit, neque marium, in quorum complures cadit, vix unus adhuc, quod ſciamus, inventus eſt qui hoc hydrope correptus ſit.

54. Conjicies fortaſſe, cauſam eſſe addendam aliam, mulierum peculiarem, præſertim quam Camerarius (*d*) indicat, cum *in pleriſque omnibus* hujus morbi hiſtoriis legiſſe ſe, ait, utrem quo aqua continebatur, cum uteri potiſſimum larere, ejuſve appendicibus fuiſſe connexum, itaque ſe in ea quam deſcribit, fœmina inde utris originem deduxiſſe, qui non alibi æque nexus eſſet, quam in ſede alterius ovarii, & tubæ, quæ duo videlicet deſiderabantur. Sic etiam poſtea ejus Filius (*e*) alterius utris deſcripſit initium cum dexteris ligamentis uteri, dexteroque ovario obliteratis, id eſt cum eorum ſede, reliquiiſve connexum. Antea autem Meekrenium (*f*) video idem ovarium deficiens adnotaſſe, imo ejus tubam in peritonæum, utrem faciens, ſe producentem, in illudque degenerantem pinxiſſe: eodemque hoc verbo uſum fuiſſe Gahrliepium (*g*), cum eaſdem particulas, interjectumque tubæ ligamentum abſumpta in continuatum peritonæum, quod plures complectebatur utres, ſignificaret. Omitto alios, in his Laubium (*h*) a quo deſcriptus peritonæi ſaccus, aliunde vel ſolis digitis ſeparabilis, firmiſſimam habuit circa fundum uteri connexionem: imo etiam Littrium (*i*) cujus ſacci membrana interior nullo alio fuit cum viſcere connexa, niſi cum extremo ſiniſtræ tubæ, quam ſibi firmius affixam ita diſtraxerat, ut longiorem duplo reddidiſſet. Sed prætermittere Sponium (*k*) nequeo, a quo communicata Obſervatio ſaccum exhibet, non modo ab omnibus viſceribus ſine laceratione ſeparandum præterquam ab eadem tuba quacum erat continuatus, verum etiam ita cum uteri cavo communicantem, ut ex ægræ naturalibus aliquid aſſidue deſtillaverit ſeri ejuſdemmodi ac ſaccus ipſe ad libras centum & quadraginta continebat; itaque communicatione per ſpecillum quoque confirmata, veri ſimile viſum eſt, tubam ſuos in ſacci parietes produxiſſe. Et Camerarius quidem pater, qui pleroſque horum nominaverat, modum quoque attigit, poſt aliquem ex noſtratibus, quo modo ſi reditus ſanguinis ex ovario in vena Spermatica præpediatur, poſſit ex hac, quippe inter duas peritonæi laminas repente, ſerum inter ipſas ſecedere juxta Loweri (*l*) experimentum, atque ita eas ſejungendo, ſaccum inchoare. Quas Obſervationes etſi veras agnoſcamus, cauſam autem, ſi paulo quam nunc fecimus, accuratius exponatur, & probabilem fateamur, & ad alias etiam aliquando venas per eandem ſedem diſcurrentes transferri poſſe, videamus; tamen ovaria, tubas, uterum in hoc hydrope ſine labe fuiſſe, aut intelligimus, aut ſcimus in Helwigii (*m*), Kniſelii (*n*), Pohlii (*o*) & Mediaviæ (*p*) Obſervationibus: & quod magis ad ſuſceptum ſermonem attinet, in nulla ex memoratis Virginibus, ſi unam excipias, vitium habuiſſe, conſtat; imo in pleriſque non habuiſſe, cum ſana ventris omnia fuiſſe dicantur viſcera, ſatis apparet. Cum igitur hæ nec gravidæ fuerint, neque in utero, ejuſve appendicibus quidquam geſſerint quod huic morbo originem, quæ peculiaris mulierum eſſet, præbere potuerit; manifeſtum eſt, ad duas quas protulimus, cauſas alias aliquas addi oportere aut ſequioris ſexus proprias, aut in eum magis, quam in noſtrum, cadentes.

55. Interea dum tu cæteras quæres, nonnullas ipſe annumerabo, ſanguinis videlicet in ventris inferiores partes ſingulis menſibus confluxum, vitam ſedentariam, ad ejus reditum promovendum minus idoneam, debiliorem muliebris corporis adverſus internas externaſve inſalubres cauſas renixum, & cum hoc tamen conjunctum peſſimum morem, & nunquam ſatis improbatum, ventrem thoracibus, præſertim durioribus, ac rigidioribus, adſtringendi. Namque ut ad cætera, ab his illata, detrimenta, a Cel. Winslowio (*q*) animadverſa, hoc inſuper adjun-

(*o*) c. 9. ſupra ad n. 46. cit. (*p*) c. 9. ſupra ad n. 49. cit. (*q*) cit. ſupra ad n. 50. (*r*) (*) cit. ad n. 48.
(*ſ*) ad n. 50. (*t*) ad n. 47. (*u*) ad n. 46. (*x*) ad n. 49. (*y*) (*z*) (*a*) ad n. 50. (*b*) (*c*) ad n. 46.
(*d*) ad n. 50. (*e*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 160. (*f*) cit. ad n. 46. (*g*) (*h*) ad n. 50.
(*i*) (*k*) Ibid. (*l*) Tract de Corde c. 2. (*m*) (*n*) (*o*) cit. ad n. 50. (*p*) ſupra n. 52. in fin.
(*q*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1741.

adjungamus ; dum inferior illorum pars aſſidue , atque arctius premit quidquid abdominis inter pectoris fines, & ſumma ilium oſſa interjicitur , proclive eſt intelligere quid obſtaculi tum lymphæ , tum ſanguinis motui in iis quoque vaſis quæ inter muſculos ſunt , & peritonæum , objiciatur , præſertim ubi ventriculus , & inteſtina , ſi non cibis, potionibuſque, at certe flatibus diſtenta , ab interiore parte urgeant , & ad thoraces illos apprimant . Quod ſi non propterea lympha , aut ſerum ea quam indicavimus (r) ratione in eam intercapedinem effundatur in iis potiſſimum quarum fluidæ, aut firmæ partes ad id præ cæteris ſint diſpoſitæ ; at accidere iiſdem poteſt, ut retardatæ lymphæ, aut ſanguinis pars aliqua , initia ibi efformet tumorum , qui longo poſt tempore aucti, ſic peritonæum a muſculis diducant, ut avulſæ, diſruptæque vaſorum lymphæ propagines eum hydropem faciant quem per ſe conſtrictio non effecerat, iidemque ad ſuppurationem demum perducti, purulentis ichoribus hydropem augeant. Eos ego tumores parvos adhuc , atque disjectos in Matrona generoſiſſima quam a puellari uſque ætate eo arctioribus, & rigidioribus thoracibus uti coegerant , quo magis ne diſtorta fieret , metuebant , manu epigaſtrium explorando , percepi , atque ut thoracibus aliis, aliterque uteretur , continuo ſuaſi . Iidem autem tumores, jam grandes facti , qua in abdominis regione eſſent duarum mulierum quarum noviſſime propoſui hiſtorias (ſ), videre potuiſti. Nec vero in alia regione tumores erant , ſive abſceſſus omnino ſex quos Laubius (t) , nec major de quatuor illis , quos Mothius , ut ſuperius dictum eſt (u), ſacco adnatos invenere . Sed & qui inferiora ſacci occupabant in eadem Mothii , aut in Nuckii (*), & Littrii (x) Obſervationibus quomodo ab iis thoracibus fortaſſe potuerint originem trahere , non difficulter intelliges , ubi infimæ thoracum partes , & ejus præterea quæ anterius ſecundum longitudinem in medio ipſarum adjicitur , aſſulæ , quam urgeant , ſedente muliere , abdominis ragionem, & quæ huic ſubſint tum lymphæ, tum ſanguinis vaſa, in memoriam revocabis.

56. Cum inter hydropis hujus cauſas tumores peritonæo innatos acceperimus , qui non ſolum divellendo, ut poſt alios modo dicebamus, aut lymphæ , & ſanguini obicem ponendo , facere illum poſſunt , ſed & ubi ſuppurati ſunt , pravis ichoribus augere ; hinc facile illud etiam ſequi , intelligitur, ut ad explicanda quæ in collecta aqua ſæpe ſunt , putredinem , fœtorem , erodendi vim, & dolores creandi , haud ſemper neceſſe ſit diuturnam aquæ ipſius moram incuſare, ob quam denique ſalinæ ejus , ac ſulphureæ particulæ ab aliis ſe expediant , eaque efficiant. Quod ſi mora ſemper id poſſet; certe poſt annos quatuor, poſt decem, poſt multo plures , ut in Camerarii patris (y), in Schröckii (z) , in Meeckrenii (a) Obſervationibus ea omnia ut maxime attuliſſet , quorum aut nihil fuit , aut fere nihil . Sed neque tumor, ſive abſceſſus fuerat. Cæterum tumores ſæpius apparent aut ex glanduloſa materia, aut in cellularum, veſicarum, globulorum formam diſpoſita, uti ab Acholzio (b), Hoechſtettero (c), Bogdano (d), Kniſelio (e), Mothio (f), Littrio (g), Reſpingero (gg), Mediavia (h) adnotatum videbis, iique aut creberrimi , ut a primis quatuor , aut etiam alicubi in unum adeo coacervati , ut Acholzio obſervante , *latam manum craſſitie æquaverint*. Et Malpighius quidem (i) ubi Littrianæ explicationi quadantenus præivit , ibi inſuper ex natura glanduloſa membranæ peritonæi illud deducebat, quod in hoc morbo *non obſtante dilatatione, naturali craſſius fiat* ; eam enim eſſe *proprietatem folliculorum glanduloſorum morbo affectorum* : & ſane ſi Schröckium (k), Laubium (l), Sponium (m) , Drelincurtium (n), Nuckium (o), Littrium (p) leges , quanto craſſius ſit inventum , cognoſces, at multo magis, ſi Kniſelium (q) qui alicubi *dimidii digiti craſſitie* vidit , multoque adhuc magis , ſi eorum quæ ex Tulpio (r) retuli, & Bogdano (ſ) , recordaberis. Igitur ſi craſſitudinem hanc cum Malpighio explicare malueris; ex adauctis ſecretoriis organis quantum ibi augeatur concluſi humoris ſecretio, intelliges , præſertim cum magnam vaſorum ad ipſa ſpectantium dilatationem attenderis . Præclare enim hic vidit Bogdanus venas epigaſtricas internas, earumque *extremitates* , *tubercula ſimilia nuci avellanæ habentes, ac ſi papillæ forent, etiam ſciſſa*, Kniſelius (t) autem *venas extenſas admodum* , *ad globulos terminantes*. Eandemque dilatationem , præter Mothii hiſtoriam ſuperius (u) propoſitam, indicant venæ mammariæ, & hypogaſtricæ (an epigaſtricæ ?) ad auricularis digiti craſſitudinem amplificatæ apud Palfinium (x) . Quantum vero inter ipſum peritonæum, & abdominis muſculos dilatare ſe poſſint vaſa ſanguifera , nihil magis oſtendit , quam inter hos , illudque inventæ ſanguinis nigerrimi libræ octoginta ab Antonio de Pozzis (y) in plethorica, eademque hydropica Virgine.

57. His ita additis, atque explicatis humoris fontibus, minus admiranda accidet immanis aquæ copia quæ in peritonæi hydrope a pluribus reperta eſt: cujus hic maximam ſummam non indicamus, veriti, ne aliæ apud alias Gentes menſuræ , in errorem aliquem nos adducant. Organorum autem ſecernentium variæ , quippe affectorum præter naturam , diſpoſitiones, cum varia ſanguinis conſtitutione conjunctæ , admirationem minuent , ſi pro limpido, & fluido ſero alium in aliis humorem ſæpe hic deprehenſum legemus, imo in nonnullis, ut a Gahrliepio (z), & Camerario filio (a) , *gelatinæ* inſtar, aut glutinis : aut ſi in aliis minus pravum, in aliis autem peſſimæ naturæ humorem , ichoreſve ad exulcerandum, atque adeo ad partes ipſas abſumendas idoneum , ſi quidem revera in Acholzii (b) fœmina nulli ferme erant amplius abdominis muſculi , nec potius in aliam quaſi formam converſi , aut macie , ut apud Nuckium (c), aut nimia ipſa diſtentione, ut apud Gahrliepium (d), & ex parte apud Littrium (e) videtur, extenuati.

58. Ad hæc quæ circa hujus morbi cauſas, & naturam curſim attigimus , præſtat quædam de ſignis addere. Ab Aſcite per hæc internoſces: primum quia multo lentius quam illa , primis præſertim temporibus, plerumque increſcit, ut ferme omnia oſtendunt exempla, quæ inter neſcio cur hic ſpectaverint aliqui Blaſii (f) Obſervationem, de tempore nihil habentem: plerumque autem dixi , ne errare tibi videar , ſi forte huc attinere non dubites Amici Nuckii (g), & Chomelii (h) hiſtorias , quorum illa *menſtruo ſpatio*, hic vel breviore jam nimium auctum ventris tumorem viderunt. Deinde naturalis hic perſiſtit faciei color, ut Drelincurtii (i), & Littrii (k) Obſervationes docent, Chomelii (l) autem altera indicat : quin Nuckius (m) diſerte hoc primus inter ſigna propoſuit ; quanquam ab Dodonæo (n) olim , video, fuiſſe deſcriptam Virginem cui *toto quo* ventris tumorem geſſit, *tempore*, *facies perpetuo elegantis & vividi* , *ut in ſanitate* , *perſtitit coloris* ; tumor tamen a lotio erat , quod pertuſa ulceribus veſica in ventris cavum effuderat . Tertio vires , & actiones cum colore conſentiunt, eodem teſtante Nuckio, & comprobantibus exemplis , non illis dumtaxat tribus quæ modo dicebam , ſed & aliis pluribus , Meekrenii (o) in primis, agilitatem cum eo pondere prope incredibilem adnotantis , imo etiam uteri geſtationem , & partum , quem & Laubius

(r) n. 54. (ſ) n. 51. & 52. (t) cit. n. 50. (u) n. 49. (*) (x) cit. n. 50. (y) (z) Ibid. (a) n. 49.
(b) (c) n. 47. (d) n. 49. (e) n. 50. (f) n. 49. (g) (gg) n. 50. (h) n. 51. 52.
(i) Reſp. ad Epiſt. de Recent. Medic. St. (k) (l) (m) (n) (o) (p) (q) cit. ad n. 50. (r) (ſ) ad n. 49.
(t) ad n. 50. (u) ad n. 49. (x) ad n. 50. (y) Eph. N. C. Dec. I. A. 4. Obſ. 41. (z) cit. ad n. 50. (a) ad n. 54.
(b) ad n. 47. (c) (d) (e) ad n. 50. (f) ad n. 49. (g) (h) ad n. 50. (i) (k) (l) (m) Ibid.
(n) Medicinal. Obſ. c. 34. (o) cit. ad n. 49.

bius (*p*) ſic ut viveret infans, retulit, tres autem partus Scultetus (*q*) *cum decenti ſemper evacuatione*. Vel crebrior Obſervatio fuit ſervatæ purgationis in ſingulos menſes, ut apud tres illos quos de colore laudavi primo loco: quibus addes Camerarium patrem (*r*), & Shcröckium (*ſ*); ſed aliæ poſt illam purgationem aut ab ætate jam ceſſantem, aut, quod ſæpius ſuppreſſam, riteve non reſpondentem, in hunc hydropem inciderunt ſic ut nuptæ ſe gravidas eſſe, exiſtimarent, virgines male audirent. De ſiti, & urinis tametſi Nuckii (*t*) mulierem lego, *quamvis urgente ſiti, ut plurimum multum biberet, non niſi parum urinæ excreviſſe;* in aliis tamen aut altum de his ſilentium animadverto, aut generatim ſcriptum, recte, ac certe ſine inſigni moleſtia, tanto illo excepto ventris onere, vixiſſe, aut diſerte etiam, ut ex Drelincurtio (*u*), *urinam immutatam perſtitiſſe excretionis tempore, conſiſtentia, colore, & hypoſtaſi*, & ex altera Chomelii Obſervatione, Matronam ſine ſiti, naturalibus autem urinis fuiſſe: & has præterea in illa Nuckii muliere *pallidiuſculas*, non, ut in aſciticis, ſaturatas fuiſſe, video; earum autem paucitatem, & ſitim multum progreſſo jam morbo, & cum aliis, calculis præſertim renum implicito, adnotari. Nam diutius progreſſo morbo; hunc enim ad annos fere, imo (quæ res ipſa faciet ut tunc ſaltem ab aſcite internoſcas) imo, inquam, non ſolum ad annos quatuor, ut Littrius (*x*), aliique, ad ſex ſeptemve, ut Laubius (*y*), ad octo, ut Bogdanus (*z*), & Kniſelius (*a*), ad novem, ut Scultetus (*b*), ad decem, ut Nuckius (*c*), & alii viderunt, atque ad his plures, ut ſupra (*d*) indicatum eſt, perferri poſſe, conſtat; diutius igitur progreſſo morbo, rarum eſt, pleraque de indicatis bonis ſubſiſtere. At ſatis eſt ad internoſcendum, pleraque diutius fuiſſe: quod & de aliis quæ addenda ſunt protinus, verum eſt. Nam quarto, nullus initio, ſi Gahrliepii (*e*) caſum excipias, nullus niſi prope extremum tempus, nec tamen in omnibus, pedum tumor: nulla cæterarum partium, & corporis macies, nulla ſpirandi difficultas, nulla febricula, nullus dolor. Sed morbo progrediente, accedere plerumque ſolent hæc omnia, præſertim ſi cum aqua tumores inſint qui ad ſuppurationem veniant, & ſaccus exulceretur: quanquam ſummæ, vel ſine his adjectæ, maciei deſcriptionem ex Drelincurtio (*f*); aſſidui autem, & intolerabilis, noctu præcipue, doloris ex Acholzio (*g*) habemus. Quincto medicamenta nihil proficiunt, nec ſive per alvum, ſive per veſicam deducere coneris, ventris tumor imminuitur; ſed ægre potius vires, ſi præſertim quis acrius urgeat, decreſcunt, ærumnæ augentur; ut nullius exemplum legiſſe meminerim, quæ datis remediis in hoc hydrope non modo ſanata ſit, ſed, quod in aſcite haud raro contingit, ſit breve ſaltem ad tempus nonnihil levata.

59. Verum hæc ſigna ut ad utrumque hunc hydropem internoſcendum adjuvent; ita haud ſcio, quantum eadem valeant ad diſcernendum hunc de quo agimus, a peculiari quodam alio hydropum genere. Scilicet animadverti, eundem Nuckium, cum pleraque enumeratorum ſignorum proponit, ut ſi bona adhuc ſint, a Chirurgo aqua e peritonæo eliciatur, non videri ſatis meminiſſe quid aſſeveraſſet capite proximo ſuperiore (*h*). Ego, inquit, *experientia didici, illas, quarum facies colore grato eſt roſea, quæ ſatis bene comedunt, bibunt, alvum deponunt, urinamque ſine notabili moleſtia excernunt, quarum corpora nec purgantibus, nec diureticis, nec diaphoreticis multum auſcultant; illas, inquam, ordinario affectu uteri, tubarum, vel ovariorum laborare hydropico, lymphamque peculiari ſacculo incluſam, nulla arte* (chirurgica etiam intelligit) *curari poſſe*. Cætera autem, quæ non attigit ſigna, ratione ipſa duce facile perſpicis, ea quoque & harum Partium, & peritonæi hydropis eſſe poſſe communia. Videamus igitur hydropis peritonæi ſigna reliqua. Sunt enim quæ ex inſpecto, & contrectato abdomine deſumuntur. Facillimum ſane illud eſſet quod memini legere a Clariſſimo quodam Viro propoſitum, videlicet hoc in hydrope minimam ſemper eſſe abdominis circum umbilicum prominentiam, quia ibi peritonæum non poteſt a muſculorum tendinibus ſeparari. Verum ſe res aliter videtur obtuliſſe Hoechſtettero (*i*), Drelincurtio (*k*), Nuckio (*l*), quorum primus umbilicum vidit in hoc morbo *expanſum & plane dilatatum*, alter *projectum*, tertius ita *prominentem, ut pugni magnitudinem facile ſuperaret*. Quid? quod ruſticæ mulieri, a Cl. Brehmio (*m*) deſcriptæ, umbilicus non modo ad ovi anſerini magnitudinem prominebat, verum etiam ſponte diſruptus eam ſeri limpidi inodori per exiguum hiatum alternis ſemper diebus copiam effudit, ut ingenti ventris tumore penitus ſublato, ægra convaluerit. Sed quoniam Auctori hunc hydropem fuiſſe peritonæi, *magis veroſimile* videtur; æquum hic eſt, ut certius, & per anatomen, quemadmodum fere ſoleo, confirmatum exemplum proferam, idque ex Præcl. Anhornio (*n*). Adoleſcenti, qui eo facilius aſciticus credebatur, quod non ſemel antea ex anaſarca laboraverat, cum ad pugni altitudinem excreviſſet umbilicus, eoque per ſe ruptus ſeri plurimum profudiſſet, ut jam ſanitas rediiſſe videretur, rurſus autem poſt duos menſes collecto humore extaret umbilicus, eumque effunderet, tertium denique tumor, qui bis evanuerat, abdomen diſtendit; ſed jam tabeſcenti profuſus ſimiliter latex adverſus mortem auxilio non fuit. Diſſectio nihil ſeri in ventris cavea; ſed quidquid ex illo reliquum erat, *inter duplicaturam peritonæi* deprehendit, ubi & illius fontes, *plures* videlicet *tubulos lymphaticos, ceu nodulos glanduloſos, qui limpidam preſſi plorabant*, oſtendit. Quæ fuſius retuli propterea quia hoc illud unum hydropis peritonæi exemplum eſt quod hactenus mihi quidem licuit in virili ſexu reperire. Nam quod tibi in mentem venire fortaſſe poſſet caſum legenti eximii Viri (*o*) cui poſt febrem cum Colica gravi, his declinantibus, intumuerat venter, detumuit autem cum ſponte ruptus, jam antea prominens, umbilicus *triginta & multo amplius libras puris veri, & fœtidiſſimi*, & deinceps quoque non paucum effudit, ſuperſtite fiſtula umbilici cum duobus ad hujus latus ſcirrhis quaſi glanduloſis; quod igitur ſuſpicari fortaſſe poſſes, referendum eſſe caſum hunc ad hydropem peritonæi; primum conſideres velim, quam a tua ſuſpicione diſcrepans opinio fuerit Medici longe peritiſſimi, quanquam *problematis* loco rem propoſuit; tum deinde etſi in eandem ſedem in qua ille hydrops fit, morboſa materia tranſlata eſſet, aut, ſi mavis, ibi collecta; non hanc ſerum ulla ex parte, ſed pus omnino verum fuiſſe. Ego vero ne Gabbriellii quidem (*p*) ſingularem in muliere Obſervationem auſus ſum inter peritonæi hydropes ſupra connumerare; quamvis aquæ copiam prope incredibilem non in ventris cavo, ſed *inter peritonæum, & muſculos* fuiſſe, deprehenderit. Neque enim mihi ibi ſecreta videbatur, quæ nonnullis adhibitis medicamentis hydragogis tanta copia tridui ſpatio dejici potuerit, ut ventris tumor immanis prorſus ſubſederit; quod in hac quidem hydropis ſpecie non accidere, ſupra (*q*) dictum eſt. Et ſane ei mulieri cum hydrops ortus eſſet poſt lienis inflammationem, id viſcus unum ex omnibus male affectum inventum eſt, *ſinibus* in eo *nonnullis ulceroſis* per interjectas membranulas *canaliculum quendam conſtituentibus, per quem a liene ſeroſitas tranſmittebatur inter peritonæum & muſculos abdominis*. Verum; ut ad ſignum redeam a ſubſidente umbilico, circumjectave proxime parte deductum; malim cum laudato Reſpingero (*r*),

(*p*) (*q*) (*r*) (*ſ*) (*t*) (*u*) ad n. 50. (*x*) (*y*) Ibid. (*z*) ad n. 49. (*a*) (*b*) (*c*) ad n. 50. (*d*) n. 56.
(*e*) cit. ad n. 50. (*f*) ad n. 49. (*g*) ad n. 47. (*h*) 8. Adenogr. (*i*) cit. ad n. 47. (*k*) (*l*) ad n. 50.
(*m*) Act. N. C. Tom. 8. Obſ. 79 (*n*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 100. n. 2. (*o*) Commerc. Litter. A. 1735. Hebd. 37. n. 2.
(*p*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 279. (*q*) n. 58. in fin.

ro (r), cujus quoque Obſervatio ei ſigno adverſatur, malim, inquam, credere, cum propoſitum eſt, caſus quoſdam fuiſſe ſpectatos in quibus aut necdum progreſſus eſſet morbus, aut certe aqua pauca eſſet. Unde intelligas licet, tametſi huic ſigno ea quæ paulo ante objecta ſunt, objici non poſſent, inutile tamen ipſum fore, cum hydrops peritonæi ad umbilici regionem non ſe extenderet, itemque eo tempore ad illos alios concluſos hydropes, quippe inter muſculos, & peritonæum minime ſitos, ab hoc de quo loquimur, internoſcendos. Quod & de aliis ejuſdem ſignis vereor, quæ a Viris, cæteroquin Doctiſſimis proponuntur. Sunt hæc. Si venter eandem fere conſervat figuram, tametſi corporis ſitus mutetur. Si tumor peculiarem habet circumſcriptionem. Si ventris eſt locus aliquis in quo, ſi ab altero latere percutiatur, nullus in oppoſito ictus, nulla fluctuatio percipitur. Verum, ut ab hoc ultimo incipiam, & omittam, Nuckium (ſ) inter ſigna, aut certe inter bona ſigna morbi hujus id poſuiſſe, *ſi fluctuationem fere nullam perſentiat ægrotans*; Hoechſtetterus (t) de ægra ſua in extremo Scholio adnotavit, magnam ventris molem ſonitum quidem dediſſe pulſam, tympani inſtar; *fluctuationem* autem *aquæ nunquam* fuiſſe perceptam, & Camerarius pater (u) ne in mortua quidem, cum ventrem nimirum & liberius licet contrectare, & validius percutere, viſum eſſe quid potius humidi, quam ſolidi, continere, ſcripſit, *nulla* videlicet *percipienda fluctuatione*. Non proderit igitur hoc tertium ſignum, niſi ubi liceat fluctuationem animadvertere. Alterum autem, a peculiari tumoris circumſcriptione petitum, juvare non poterit, cum hic hydrops abdomen totum diſtendet ſic, ut *venter ſatis æqualiter tumidus* ſit, ut idem Camerarius loquitur, ſive, ut Drelincurtius (x) vidit, *æqualis* ſit, *non acuminatus*, *nulliſque hinc inde monticulis extuberans*. Cum vero certa regione tumorem circumſcriptum oſtenderit; neque an ex hydrope is ſit, & ſi ex hydrope, an peritonæi, an earum de quibus Nuckius ajebat, Partium, ſatis propterea apparebit, ubi tumor inferiora teneat: quanquam vel tubæ unius hydrops quam alte nonnunquam poſſit, lateque ſe extendere, plus ſatis oſtendit illa Munnickii Obſervatio quæ in *Bibliotheca Anatomica* (y) edita eſt. Poſtremo quod ad primum illud ſignum attinet; utile erit fortaſſe cum aquæ peritonæo coercitæ minor adhuc erit copia. Sed cum hæc adeo increverit, ut venter, quemadmodum in Meekrenii (z) pictura vides, ad media femora, aut ad genua fere, ſicut Helwigius (a) deſcribit, propendeat, imo hinc crura, inde totum pectus, ut Palfinius (b) refert, operiat; tunc certe non eſt credibile, ſi mutetur corporis ſitus, ventris figuram non mutari. Cætera autem quæ adduntur, ſigna poſtquam aqua educta a Chirurgo eſt, per ſpecillum, per contrectationem, per injectionem quærenda, præterquam ſera ſunt, ejuſmodi etiam ſunt, ut morbum hunc ab aſcite quidem, ſed non ab aliis illis hydropis generibus ſecernant.

60. Cave putes, quæ hactenus examinata ſunt, a me ſigna improbari. Caſus enim dumtaxat excepi in quibus pleraque inutilia eſſe poſſint. Difficile autem accidet, ut pleriſque in caſibus inutilia ſint omnia, præſertim ſi prima morbi tempora diligentius attendamus, & quæ tum rerum facies fuerit, accurate ſpectemus, ut puta ſi ab epigaſtrio tumor inceperit, aut ſi ab hypogaſtrio, immobilis tamen fuerit, dum cubans fœmina in alterum ſe converteret latus, neque ſtanti interni ad pubem ponderis ſenſum, aut mingendi difficultatem attulerit: quanquam progrediente etiam morbo, indicia eſſe poſſint unde certas Partes, exempli gratia uterum, inſontes exiſtimemus, ut ſi rite pergant menſtrua reſpondere, aut ipſum, & tubas, & ovaria hydropico, aliove tumore non gravari, conjiciamus, ut ſi mulier nihil eorum ſentiat quæ modo diximus. In ſumma laudandum eorum propoſitum, & ingenium eſt qui primi nobis tradiderunt morborum ſigna. Noſtrarum tamen partium eſt, ut collatis pluribus quam ipſi potuerint, & morborum, & diſſectionum hiſtoriis, diſpiciamus, quo ſigno tutius, & quando, quo autem ſecus, nec ſine erroris periculo uti poſſimus.

61. Sic etiam in hujus hydropis, id eſt peritonæi, curatione; ut de hac quoque, uti promiſimus, aliquid attingamus; quid melius a Tulpio (c), & Meekrenio (d) fieri potuit, quam ut paracenteſim, a Walæo, & Coſtero, vivente muliere, commendatam, hujus inſpecta per anatomen morbi natura, & ſede, adverſus peritonæi hydropem unice laudarent? Scilicet hinc inutilia remedia cætera, inde autem illam videbant & expeditius, & tutius inſtitui poſſe, quippe viſceribus ab aqua penitus ſeclusis, eoque integris, unde in hoc hydrope diutius ſervatus, ut diximus (e), corporis vigor cum actionum incolumitate, procul dubio eſt repetendus. Iiſdem rationibus permoti cæteri & Medici, & Chirurgi in eandem ſententiam iverunt, Nuckio (f) præſertim non dubitante, quin lymphæductus diſrupti, iterum claudantur poſtquam educta aqua, inter ſe contrahentes abdominis muſculos, & peritonæi laminas comprimuntur, quod in aſcite, ſi ab ruptis vaſis lymphaticis ortus ſit, minime habeat locum, & abſolutas hac ratione duas hydropis peritonæi curationes producente, Amici unam, alteram, quam attinere huc cenſuit, ex Thoma Bartholino: ad quas alias porro addidiſſet, ſi tunc extitiſſent, ut quam Cl. Degnerus (g) in dextera inferiore abdominis parte, & vel magis quam in abdomine univerſo, laudato Brehmio (h) referente, ipſa per ſe natura perfecit, clara in illo caſu aqua, in hoc autem ſero limpido, & inodoro profuſo. Sed poſteaquam animadverſum eſt, non ita ſemper habere ſe peritonæi ſaccum, ut fuit a Tulpio, & Meekrenio conſpectus, ſed tumoribus, abſceſſibus, ulceribus ita affici aliquando, ut detrahi quidem aqua poſſit, at non propterea ejus, & puris ſcaturigines ſiccari, & hanc ob cauſam Matronam de qua Littrius (i), & mulierculam de qua ſcribit Laubius (k), ſervari non potuiſſe, licet illi intra biennium tredecies, huic intra decem menſes ſexdecies aqua educta ſit, ut ſumma in hac fuerit librarum ultra ſeptingentas viginti; tum vero non ita expedita ſemper, & ſecura, ut a primo, hæc curandi ratio jure meritoque viſa eſt. Quod tanto magis tibi viſum iri, non dubito, quanto plures, ex ſuperioribus etiam temporibus, a me Obſervationes productæ ſunt, in quibus illa peritonæi vitia non defuere. Itaque præter eas fœminas, quas dumtaxat exceperat Tulpius, quarum vires jam fractæ ſint, & quas poſtea, ob cauſas varias quidem excluſerat Nuckius, ſed fere omnes ad idem caput referendas, bene ſapienterque alias inſuper addidit Littrius, admonens, quanto cum metu infelicis exitus curandas ſuſcipiamus eas in quibus non modo inveteratus valde ſit morbus, & valde extenſus, verum etiam in quibus detracta aqua craſſa, & graveolens ſit, & pravi coloris, & in quibus tumor aliquis, aut durities, emiſſa videlicet aqua, in parte aliqua percipiatur ſacci peritonæi. Quod ſignum poſtea in Laubii fœmina manifeſtum fuit, nec non aliud, huc adjiciendum, ſcilicet puncto dextro latere, nihil niſi pus effluxiſſe, dum ex altero, compuncto eodem tempore, aqua profluebat. Verum ſigna hæc ultima ad præcognoſcendum exitum ſpectant, non ſuſcipiendæ, ſed ſuſceptæ jam curationis.

62. At priuſquam a te ſuſcipiatur, exquiras diligenter, velim, num durities, aut tumor aliquis antea fuerit, quem nunc magna diſtentio abdominis occultet; præterea num dolor, non eum dico quem illa ipſa diſtentio parit, ſed ulceroſus, teſtis eroſionis, ægram torqueat, aut certe aliqua in parte arctius a te contrectati abdominis excitetur. Non me fugit, quam feliciter in magna etiam ſuppuratione, & certa ero-

(r) (ſ) cit. ad n. 50. (t) ad n. 47. (u) (x) ad n. 50. (y) Tom. 1. in Adnot. ad Graaf. de Mulier. Org. ubi de Oviduct.
(z) cit. ad n. 49. (a) (b) ad n. 50. (c) (d) cit. ad n. 49. (e) n. 58. (f) cit. ad n. 50.
(g) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 2. (h) Vid. ſupra, n. 59. (i) (k) cit. ad n. 50.

eroſione, utraque tamen recenti, Chomelio (*l*) res ſucceſſerit, nec quid Littrius (*m*) adverſus hæc ulcera primum injiciendo, deinde ſcite comprimendo, vinciendoque, imo etiam adverſus tumores, deſuper incidendo, & curando proponat. Scio quoque, levandi, non ſanandi cauſa, ubi tumores, & pus eſſent, a Laubio (*n*) aquam fuiſſe eductam. Verum hic mihi tecum ſermo eſt non de inchoatis ab natura, aut ab arte curationibus perſequendis, ſed de libere, nec ſine juſta perſanandi ſpe ſuſcipiendis. Igitur has etiam quas modo addebam, ægras, cum poteris, vitabis. At ſunt præterea in quibus tumores a diſtento abdomine haud prorſus occulantur, ſive quod minor adhuc aquæ copia ſit, ut in altera ex iis quas ipſe produxi (*o*), Obſervationibus, ſive etiam quod humor, aut materia quævis alia, craſſior non perpetuo quodam ſacco, ſed in plures caveas diſpertito, contineatur ſic ut aliæ illa magis turgeant, aliæ minus, quales in mortuæ Obſtetricis diſſectione offendit Camerarius Filius (*p*), qui prudenter paracenteſim, ab alio commendatam, inſtituere noluerat propterea quia *inæqualem abdominis molem, & diverſum diverſarum regionum reniſum* animadverterat. Quid enim in hoc caſu, aut in illo etiam quem Gabrliepius (*q*) deſcripſerat, paracenteſis facere potuiſſet? Materia enim ſive glutinis, ſive ſpermatis ranarum ſimilis per amplius inflictum vulnus, non modo per conſuetum foramen, haud effluit: & ſi tenuis, imo tenuiſſima etiam ſit; ubi multis, ut in utraque illa Obſervatione, interſeptis diſcluditur, tametſi ex una quam perforaveris, cavea exeat, non propterea ex reliquis prodit, ideoque hic accidat neceſſe eſt, quod in aſcite contingere diximus (*r*) quando is ex hydatidibus fit, etiam connexis inter ſe. Quem caſum cum inter varia aſcitis genera videam referri; nolui *ſaccatum* hunc, ut Obſervatores appellarunt, *hydropem* hoc loco prætermittere. Nam etſi materia, & interſeptis diſcrepat ab hydrope frequentiori peritonæi; huic tamen innaſcitur: nec quod rarior ſit, idcirco a nobis omitti, imo vel propterea commemorari debuit, ne ſiquando forte occurrat, temere iterum cum aſcite, aut cum altero magis noto peritonæi hydrope confundatur.

63. Quin juvat alios quoque, ſaccatos pariter dictos, hydropes, antequam finem ſcribendi faciam, commemorare. Quidam ſunt ab iis qui proponunt, ſic vocati, qui tamen ad frequentiorem attinent hydropem peritonæi, velut is de quo Diſſertationem edidit Cl. Schefflerus (*ſ*), idem quod ego, cenſens (*t*), quippe ingenti illa ſeri copia *intra duplicaturam peritonæi* collecta, ſaccumque ſic efformante, cui magnum adnatum erat ſteatoma. Alii vero differunt, ut quem deſcribit Cl. Anhornius (*u*) incredibili propemodum humoris vi inter peritonæum, & craſſius durumque factum omentum concluſa in ea cui *facies pro corpore emaciatiſſimo coloratior & pedes tumoris expertes*: cujuſmodi ſigna, ut alia quoque, ſubinde non omittam, ut poſſis cum meis ſuperioribus dubitationibus (*x*) conferre. Sic quoque junior Verneyus (*y*) fœminam annos ad triginta natam, cui venter ante ſeptem jam annos tumere cœperat, bono colore, appetitu, ſomno, & ſatis adhuc ad agendum expeditam fuiſſe, refert, cujus, poſt ſeri alias alius naturæ eductionem mortuæ aperto ventre, magnum ſaccum vidit, plures cellulas continentem, inter ſe minime communicantes, quarum ſingulæ materiam peculiarem, ab aliiſque diverſam concludebant. Idemque aſciticam ſecuit, cujus in ventre ingentem præterea cyſtim deprehendit, ſero ſubrubro plenam. Sunt & hydropes ſaccati qui ad hos alteros, an ad primos illos attineant, ex anatomica deſcriptione haud ſatis liquet, ut perlectis quæ de ſacco ſcribuntur, in Virgine quadam (*z*) inſpecto, citiſſima poſt emiſſam aquam morte abrepta, facile exiſtimabis.

64. Et quamvis Epiſtola proxima quæpiam de Ovariorum Hydrope ſcripturus ſim; tamen quoniam & ipſe inter ſaccatos hydropes refertur; hic potius; ne ibi forte ſim aut rurſus æquo longior, aut minus perſpicuus; attingam illa quæ facile cum iis conjungas quæ antea (*a*) de eodem morbo interjicere opus fuit. Sunt & hujus aliæ Obſervationes certæ, aliæ dubiæ. Proferamus utriuſque generis exempla, quæ addere poſſis ad Sepulchretum. Inter certas igitur incipientis, aut parum progreſſi hujuſce hydropis Obſervationes extant habitæ a Camerario filio (*b*), a Goetzio (*c*), & a Maggio, ac Dodio (*d*). Primus humorem ineſſe ovario comperit ad uncias quatuor, alter ad libras tres, ultimi ad libras tres & ſemis, iidemque; nam duo primi nihil ſignorum huc pertinentium quod adnotarent, acceperant; ſciſcitando compererunt, ſæpe fœminam de pondere queſtam eſſe quod in imo ventre ſic percipiebat, ut quod in latus cubaret, ei lateri pondus incumberet; ſi in alterum ſe converteret, in hoc pondus transferretur. Sed & illæ de quibus Riedlinus (*e*), Vacherius (*f*), Schacherus (*g*) ſcripſerunt, poſtquam ſingulis ovarium, & venter jam mirum in modum excreverant, narrabant tamen prima quidem abdomen ſiniſtro latere tumere cœpiſſe, quo tempore nihilominus & conceperat, & feliciter pepererat, alacris vel extremo in morbo, & robuſta, quippe quæ præter ventris tumorem, quod ſibi moleſtum eſſet, haberet omnino nihil: ſecunda, ſibi primum omnium ante ſex ſeptemve annos hypogaſtrium a ſiniſtris doluiſſe: tertia ante annos aliquot initium ſibi malorum dolorem ventris fuiſſe quem verbis explicare neſciret, deinde paulatim increſcente tumore, hujus pondus in id latus in quod corporis ſitus requirebat, labi conſueviſſe. Hæ duæ, ſicut & prima, nihil levaminis ſenſerant a cujuſquemodi medicamentis: ſed non, ut prima, parum tulerant moleſtiarum, poſtremo præſertim tempore, cum requiem capere in lecto nequirent, niſi genibus flexis innixæ, & corpore antrorſum inclinato, caput ſubſtratæ culcitræ imponerent: cujuſmodi quadantenus poſitum in ſua quoque fœmina ad requiem capiendam neceſſarium adnotavit Schefflerus (*h*): ea autem peritonæi, tres vero de quibus loquimur, ſiniſtri ovarii hydrope laborabant, quod in tertia hic illic dehiſcens, aſcitem inſuper ſibi adjunxerat non ſecus ac in Vidua illa accidit, quæ a Cl. Baſſio (*i*), & in femina alia quæ a Cl. Gutermanno (*k*) deſcripta eſt. Feliciores in hoc ovarii tumore, quamvis ad ſummum aucto, fuerunt aliæ, ut Virgo quam Cl. Gullmannus (*l*) refert quindecim nihilominus annos *gaviſam eſſe ſanitate integra; nam menſtrua erant regularia; appetitus, ſomnus &c. vigebant*; niſi quod ultimis duobus annis ſæpius lipothymiis corripiebatur: itemque ut feminæ duæ quas diſſecuit Jo. David Mauchartus (*m*). Hæ quomodo ſe habuerint ultra ſeptennium quo, ſi poſtremas fere excipias hebdomadas, nunquam decumbere coactæ ſunt, ex verbis, quæ præmittit Obſervationi licet conjicere: Quæ hydropicæ „, nec pallent, ſed roſeum potius genarum ſervant decorem, nec pedes habent tumidos; „ ut potius, aucto licet in dies abdomine, gracileſcant cum reliquis artubus, & corpore; hæ, ſi diu „ abſque notabili actionum læſione, ſarcinam hanc „ circumferant, appetitum habeant bonum, non admodum ſitiant, nec tuſſiant, alvus autem faciat „ officium, urina naturalis ſit, & moles abdominis „ nec purgantibus, nec diureticis obediat, & præcipue „ malum a partu difficili, puerperio infelici, molæ „ geſtatione, aut abortu ducat originem, nec ſigna „ cachexiæ concurrant, hydrope ovarii ſeu ſaccato „ vel cyſtico dicto, ſemper tenentur. „ Sed his verbis

(*l*) (*m*) (*n*) ad n. 50. (*o*) n. 52. (*p*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 160. (*q*) cit. ad n. 50. (*r*) n. 45.
(*ſ*) Hiſt. Hydr. Saccati. (*t*) § 4. (*u*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 100. n. 7. (*x*) n. 57.
(*y*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1703. (*z*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 17. (*a*) n. 58. n. 59.
(*b*) in Obſ. 160. cit. ſupra ad n. 62. (*c*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 207. (*d*) apud Valliſner. Iſtor. della Generaz. P. 3. c. 5. & Tab. 12.
(*e*) Eph. N. C. Cent. 7 Obſ. 56. (*f*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1739. Obſ. Anat. 3.
(*g*) Differt. de Virgine Aſcitica §. 10. 13. & cæt. (*h*) cit. n. 63. (*i*) Dec. 4. Obſ. Anat. 8. (*k*) Act. N. C. Tom. 3. Obſ. 105.
(*l*) Eorund. T. 2. Obſ. 80. (*m*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 14.

bis Præſtantiſſimi Viri; ſi ita accipiantur, quaſi de nullo alio, niſi ovarii, hydrope ſcripta exiſtimemus, adverſari, intelligis quæ de nonnullis aliis tum ſupra (*n*) oſtenſa ſunt, tum infra oſtendentur. Porro quod ad ſigna attinet illius hydropis, Præcl. Trewius (*o*) ubi ſuam ejus Obſervationem proponit, fuiſſe, ait, inter illos qui viventis fœminæ abdomen examinarunt, alios qui *hydropem ſaccatum ſubeſſe, pronunciarent;* alios vero qui *ex eo quod facta percuſſione, fluctuatio haud ſatis manifeſte percipi potuerat, illum in dubium vocarent:* tum ipſe quærit, *quando abdomen in molem præternaturalem expanditur, ſimul ponderoſum & grave eſt, fluctuatio vero, ventre percuſſo, ſatis accurate percipi nequit*; quærit, inquam, *an inde concludere liceat, ovarii hydropem præ aſcitide morbum eſſe appellandum?* Verum Cl. Targionius (*p*), qui, ſiquis alius, & immanem ovarii hydropem conſpexit, & diligenter, atque erudite de hoc morbo ſcripſit, cum Matronam proponat, quæ annos a primo initio ad finem triginta quatuor ipſum pertulit, nimio quidem, donec ætas ſivit, menſtruorum fluxu, & crebris denique vomitionibus, & aliqua in aſcendendo ſpirandi difficultate vexata, & ſuperiore parte corporis extenuata, cæterum & bene comedens, & ad ultimam uſque vitæ hebdomadam ſtare potens, ſeque, ut vellet, movere, &, quod mirabilius eſt, in utrum liberet latus, aut ſupina, humilique capite non incommode cubare; eandem, refert, & dum viveret, & mortuam, ventrem habuiſſe quem aqua eſſe plenum, tactu dignoſcebatur, quippe quo vel leviter manu percuſſo manu altera oppoſito lateri admota, non ſecus atque in aſciticis, fluctuatio perſentiretur. Et ſaccus tamen omne ventris cavum, ſaccum aqua, ad libras centum quinquaginta æſtimata, adeo implebat, ut ipſo vix leviter inciſo, eruperit maximo impetu. An diſcrimen hoc inde repetendum, quod in Trewii fœmina aqua erat plures in cellulas diſpertita; in Targionii autem Matrona cavo uno, ut nihil obſtaret fluctuationis propagationi, comprehenſa? Fortaſſe hoc dicerem, neque ſine aliqua, ut poſtea (*q*) indicabitur, ad curationem utilitate, ſi Camerarius pater cum fluctuationem, velut ſupra (*r*) dictum eſt, nullam potuit percipere, cellularum aliquam ſuo in magno ſacco injeciſſet mentionem. Tu diligentius de his quæres tum apud illos quos nominavimus, tum etiam apud eos quos facile omiſimus (*ſ*) ex quibus Cl. Benevolus (*t*) tibi eſſet in primis conſulendus, ſi qua diligentia magnum illum in quem ſe ovarium expanderat, ſaccum deſcripſit, eadem & cætera deſcribere potuiſſet.

65. Hactenus eas commemoravimus Obſervationes quæ procul dubio ad ovarii hydropem ſunt referendæ. Nunc, ut promiſimus, & quaſdam addemus, in quibus dubites, an idem liceat. Duas leges Cl. Jo. Mart. Brehmii (*u*), in quibus magnus ſaccus aquæ plenus alter annos quatuordecim, alter biennium geſtatus, hic cum veſica urinaria *arctiſſime* erat *adnexus*, ille *in fundo* uteri *verſus latus ſiniſtrum adcretus, ibidem variorum ductuum & canalium ope originem ſumſiſſe, videbatur*. Cum ovariorum, tubarumve nulla fiat mentio non ſecus atque in hiſtoria quadam ante hos quinque & triginta annos in Urbibus duabus huic proximis, edita, tanquam hydropis utero incluſi, cum tamen aquam uterus non contineret, ut debuiſſet, tuque in Obſervatione præſertim Henrici Alb. Nicolai (*x*) videre potes, ingens cyſtis, aqua diſtenta, ab ipſo uterini fundi ſiniſtro latere ad diaphragma uſque ſe extolleret. Nempe hic quoque hæream neceſſe eſt, etſi non ignorem, haud immerito Riedlinum (*y*) cenſuiſſe, *hydropem, quem Uterinum nominant, plerunque in teſticulis & originem, & ſedem ſuam invenire, unde & ſacci illi ſæpe tam magni, tam inſignem aquæ copiam continentes, & inteſtina contegentes .... derivantur*. Cæterum & junior Verneyus (*z*) duas magnas ejuſmodi cyſtes ortas ex latere ſiniſtro uteri, & ovarium quidem complectentes, ſed in altera fœmina non dilatatum, quod ajat, intraque aliam minorem cyſtim concluſum, in altera dilatatum quidem, ſed nihil ad cyſtis qua comprehendebatur, magnitudinem. Conjeciſſem fortaſſe, extimam ovariorum tunicam, ab aqua expanſam, magnas illas cyſtes feciſſe, niſi has ex uteri latere natas dixiſſet.

66. Sunt etiam exempla hydropis ad Falloppii Tubam attinentis, certa alia pariter, alia dubia. Certis accenſeo quod a Munnickio miſſum, *Bibliothecæ Anatomicæ* Collectores ediderunt (*a*). Satis enim eſt Iconem inſpicias, ut tubam dexteram ſe ipſam dilataſſe, intelligas, ad aquæ libras centum & duodecim continendas, quo morbo infelix Virgo duodeviginti annos laboravit. Par ferme quem propoſuit Siboldus; ſed major quem Cyprianus, tubæ hydrops fuit, quantum ex Actis Eruditorum Lipſienſibus (*b*) video; neuter enim illorum, cum hæc ſcriberem, erat in manibus. Nec dubito, quin hydrops cornuum uteri in tubis revera fuerit, cum Tulpii (*c*) ipſum deſcribentis, Figuram inſpicio, quæ, ut illa Munnickii quoque, & cæteræ, in Sepulchreto deſideratur. Atque utinam Sponius, cujus Obſervationem ſupra (*d*) laudavi, delineationem cum ea junxiſſet; illum mihi exemiſſet ſcrupulum, quem deſcriptio non poteſt. Suum ipſe ſaccum pro tubæ habet dilatatione, tubam autem ovarium amplexatam, inde *per ſemipedis ſpatium altius* provectam deſcribit, *quam ſitus ipſius naturalis poſtulabat*, cum ſaccus ad cartilaginem uſque enſiformem perveniret. Verum tuba æquo longius produci per ſacci faciem tunc ſolet, non cum ipſa, ſed cum aliud in proximo, ut puta ovarium, hydropicum eſt, quemadmodum Verneyus (*e*), & ſic ſatis Targionius (*f*) viderunt, Schacherus (*g*) autem, & Maggius ac Dodius (*h*) etiam delinearunt. Itaque cum Sponius ovarium minime hydropicum proponat, incautum autem Chirurgum præcipiti ſectione ſimul cum muſculis peritonæum incidiſſe, queratur; hunc hydropem inter alia hydropis peritonæi exempla recenſeri poſſe, credidi (*i*). Quod ſi tibi ſecus videtur; ut illud, aliudque aliquod, me non adverſante, inde eximas; ſatis ibi exemplorum reſtabit. Sed quo tandem referemus Obſervationem Rolfinckii (*k*), qui ſiniſtrum uteri ligamentum *ſuperius* aqua adeo diſtentum invenit, ut *totam* ventris *occuparet cavitatem*? Num credemus, exercitatum, ut ille erat, Anatomicum, ſi annexi ovarii, aut tubæ dilatationem vidiſſet, non agniturum fuiſſe? An præter cæteros, ei ligamento proximos, hydropes, peculiarem præterea ab aqua inter duas ejus membranas congeſta illius hydropem ligamenti ponemus? Id vidit in fœmina, quæ, licet abdomen ingentem in molem excreviſſet, nec menſtrua jam toto triennii ſpatio reſponderent, appetitu tamen erat integro, & munia familiaria, quamvis ægre, obibat, donec ſubito extincta eſt, quemadmodum altera Brehmii (*l*) mulier, cui tamen erat cor prægrande, & Targionii Matrona; neque enim ex tot quæ commemoravi, hujuſmodi morborum exemplis, alias præter tres haſce nunc memini, quæ inopinato deceſſerint.

67. Nunc ſi quæ inter recenſendum ſingulorum fere horum hydropum Obſervationes, ſubinde ſigna memoravi, attento animo colligas; quantum inter ſe, & quantum cum peritonæi hydrope conveniant, facile animadvertes, intelligeſque, ſi gravis ventris moles jam longum tempus (Verneyus junior (*m*) plus biennio a primo initio requirebat) perduraverit: ſi tumor, ut in gravidis, paulatim increverit ſine multo incommodo, & ſine ulla, aut ſaltem ſine magna coloris cutis mutatione: ſi purgantia,

(*n*) n. 58. 59. (*o*) Commerc. Litter. A. 1734. Hebd. 44. (*p*) Prima Raccolt. d'Oſſerv. Med.
(*q*) n. 70. (*r*) n. 59. (*ſ*) Vid. Epiſt. 65. n. 17. (*t*) Oſſervaz. 9. (*u*) Act. N. C. Tom. 6. Obſ. 94.
(*x*) Dec. Obſ. Illuſtr. Anat. Obſ. 9. (*y*) Obſ. 56. cit. ad n. 64. (*z*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1703.
(*a*) cit. ſupra ad n. 59. (*b*) A. 1685. M. April. & A. 1701. M. Febr. (*c*) Obſ. Med. l. 4. c. 45. (*d*) n. 50.
(*e*) (*f*) (*g*) (*h*) cit. ſupra ad n. 64. (*i*) n. 50. (*k*) Sepulchr. Sect. hac 21. Obſ. 61. & 55. §. 24.
(*l*) cit. ſupra n. 65. (*m*) cit. ibid.

tia, & diuretica medicamenta nihil levaminis attulerint: ſi artus inferiores non niſi ultimis temporibus intumuerint: ſi hæc, inquam, fuerint; non aſcite fœminam, ſed concluſo aliquo hydrope fere laborare: nec tamen neceſſe eſſe, ſiqua ex iſtis nota defuerit, tunc eo non laborare. Fuerunt enim & quæ de ventris, exempli gratia, intimis doloribus quererentur, preſſis videlicet viſceribus, & præſertim inteſtinis, ſacci, certo in loco magis affixi, aut prominentis, proximo pondere, & diſtentione, quod in ovarii, au ſimilis alicujus Partis magis quam in peritonæi hydropem cadere, intelligis. Eſſe poſſunt, at longe rarius, etiam nonnullæ quibus levaminis quidpiam afferant data medicamenta, ſi aquam forte educant, non quæ cyſti incluſa, ſed quæ in ventris cavum effuſa ſit; eſſe enim & hanc aliquando, ſed fere paucam, laudatus adnotavit Verneyus, tuncque id contingere cum plus aquæ capere cyſtis non poteſt, & hinc eſſe quod artus inferiores non niſi ſerius, ut dictum eſt, intumeſcant. De ſignis autem per quæ propoſitos hydropes unum ab altero internoſcas, ipſe intelligis, nihil eſſe poſſe quod a me expectes; ea enim inter ovaria, & tubas, & ligamenta quibus committuntur, propinquitas eſt, & ea neceſſitas officii eorum omnium ad opus generationis, ut neque a tumoris ſede, neque ab intercepta in muliere gignendi facultate, quodnam eorum hydropicum ſit, liceat deducere. Quin etſi concipiat interea mulier; inſontes eſſe illas Partes, quî credes? quippe cum ſcias, ſatis ad id eſſe, ſi ab altero latere ſanæ ſint. Earum tamen aliquam, ovarium præſertim, ut quod ſæpius ſolet, tumere poſſe, conjicies, cum ſe tumoris initium ad illarum ſedem prodiderit. Poſſe, inquam, conjicies; nam vel ibi tumor, nec in illis tamen, eſſe poteſt. Videndum quoque tunc eſt, ne tumor ſit forte alterius generis, ut puta cum Gandolphius (*n*) ovarium utrumque invenit capitis æquans magnitudinem, & pondus ſuperans librarum quinque, ſed ex una eademque compacta ubique ſubſtantia, aut cum alia in fœmina idem morbi genus in ovario altero conſpexit pondo librarum circiter quatuordecim: ſed & alius modi tumores ibidem haud rariſſime occurrunt, ſteatoma in primis (cujuſmodi & mihi (*o*) ſe obtulit) quod nonnunquam ovarii hydropem mentiri, admonuit Schacherus (*p*). Tu vero quæ anteceſſerint, & quæ comitentur, ſolerter omnia perpendens, tunc facilius hydropicum eſſe tumorem, ſuſpicaberis, cum temperatura corporis, victus, morbi fuerint, aut ſint quibus mulieres ad hydropem diſponantur. Qua autem ratione, conjicere potius debeas aquam inter muſculos, & peritonæum, quam intra hoc eſſe congeſtam, ſupra (*q*), quantum in ejuſmodi morbis licet, indicare conati ſumus, & ſi quid ad hydropes alios per levem ſaltem conjecturam internoſcendos nobis interea aut legentibus occurret, aut cogitantibus in mentem veniet, proximis Litteris (*r*) non omittemus.

68. Quod ſi difficile eſt hydropes quos memoravimus internoſcere; multo eſt difficilius perſanare. Nec vero dicas, ipſam oſtendiſſe naturam, qua id ratione faciamus, cum mulieri de qua Brehmius (*ſ*) ſcribit, emiſſo, ut antea diximus, per exiguum foramen alternis diebus humore, ſanitatem reſtituit. Nam hydrops ille videtur fuiſſe peritonæi non ſecus atque revera fuit, cum ter eandem viam, referente Anhornio (*t*), utiliter quidem primum, ſed poſtea feliciter natura tentavit. Nos vero qui de hydropis peritonæi curatione ſupra diximus, hic de eorum quærimus curatione quî ſacco incluſi, ventris cavo continentur. Certe autem junior Verneyus (*u*), Chirurgus, ſiquis alius, in paracenteſi exercitatiſſimus, diſerte negat, ſe ullam quæ ſaccato hydrope teneretur, vidiſſe ſanatam; quin plures, quæ ſatis bene valentes, nullaque alia, niſi oneroſi ventris, moleſtia preſſæ, cum ab hac per eductam aquam liberare ſe vellent, brevi, ait, periiſſe, diu cæteroquin; imo interdum diutiſſime, ut ſæpe indicata exempla oſtendunt, victuras. Sed & alii paſſim viderunt, paracenteſim in his morbis citam mortem eſſe conſecutam. Nec mirum; nihil enim crebrius accidit, quam ut ad aquam non bonæ jam per ſe naturæ, ſicut ejus color plerumque fuſcus oſtendit, aut ad ſacci partes jam laxas, vitiatas, ulceroſas accedens aer funeſtas cito mutationes inducat. Hinc enim potiſſimum eſt quod etſi a primo plurimum allevatæ & ſibi & aliis ægræ videantur; tamen pro aqua primum educta non ita pravæ naturæ, ea quæ ſecundo, aut tertio educitur. aut deinceps effluit, viridis, aut nigra, aut turbida, & fæculenta ſit, aut ſubcruenta, aut graviſſime olens, denique non ſine pure, ut laudati Chirurgi Obſervationes relegens in muliere ad triginta, & in virgine ad ſexaginta annos natis, & Riedlini (*x*) unam, & Anhornii (*y*) unam & alteram in fœminis tribus, facile cognoſces. Quid futurum putas, cum aqua jam per ſe purulenta, aut fœtida eſt? In Tubis vidit Tulpius (*z*) novem aquæ puriſque libras. In ovario humorem fœtentem Maggius ac Dodius (*a*) invenere. Quid? cum ſacci interior facies abſceſſibus plena eſt, ſicuti deprehendit Verneyus. Porro ut aqua nec purulenta ſit, nec fœtida, & ſine abſceſſibus ſaccus; certe ſæpius aut intus affixas habet hydatides, aut aquam, materiamve aliam in plures minores ſaccos diſpertitam: qua ex re fit ut educta aqua ab uno latere, ab altero abdomen non detumeſcat, aut ejus effluxus cito deſinat, & ſi tunc Chirurgus cannulam urgeat, obicem ſentiat: quid tunc, quæſo, agendum eſt? num ſacci ſinguli ſunt aperiendi? Trewio (*b*) *plus quam decies* membranea minorum ſaccorum interſepta aperienda fuerunt, ut aquam omnem ex majori qui univerſos continebat, educeret. Num quod in mortua ad perſcrutandum, idem in viva licet ad curandum? aut ſi liceret, num intra abditum ventris cavum videre quis poſſet minores ſacculos, & hos ſingulos pertundere, nullum autem inteſtinum, partemve aliam proximam convulnerare? Præterea quid, ſi innumeræ, ut ſæpe eſſe dicebamus, eſſent hydatides; quid? ſi cellulæ non omnes aquam, ſed aliæ materiam caſei, vel pultis ſimilem, ut in Miegii (*c*) Obſervatione continerent: quid? ſi magnus inſuper ſcirrhus ineſſet, qualem conſpexit Verneyus. Mitto cætera; nam vel ex hiſce jam ſatis, ſuperque intelligis, cur hic paracenteſis non modo inutilis, ſed & noxia miſeræ mulieri contingat.

69. Fac etiam, ſaccum eſſe unum, nulliſque interſeptis diviſum, ut præter Maggium, ac Dodium (*d*), Vacherius (*e*), Benevolus (*f*), Targionius (*g*) invenere, neque abſceſſibus, neque cellulis variam materiam continentibus, neque tumoribus vitiatum (nam Benevolus quoſdam intus prominentes globos, quorum aliqui vel ovis majores, Targionius autem ſarcoma, renis magnitudine, parvos abſceſſus in ſe condens, adnotarunt) fac denique, non peſſimæ naturæ aquam ineſſe. Quid tum poſtea? Crediſne, rem ſic fore expeditam? Negat Targionius. Qui cum illa timet, ne interjectum forte omentum, aut inteſtinum, aut viſcus aliud aliquod vulneretur, & ne aquæ pars ex perforato ſacco in ventris cavum effundatur, quorum hoc tamen vitari poſſe, ait, ſi mulier prona cubet, tum hæc maxime, quæ Schorkopffius (*h*) olim, veretur, ne ſacci evacuati membrana gangrænam, aut ſaltem ſuppurationem ob aeris præſertim acceſſum contrahat, aut ſi non contrahat, rurſus, ut cæteri *folliculati* tumores ſolent, humore ſuo, id eſt aqua repleatur. Et mihi certe accidit, ut, dum hæc ipſa recenſerem, ab ſterili femina conſulerer, quæ cum diſtentum abdomen ſuperiore anno geſtaſſet, non ſine majori in ejus ſiniſtro latere renixu, & fruſtra medicis uſa eſſet auxiliis, repente circa ver anni hujus cum forte inter ridendum

(*n*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1707. Obſ. Anat. 4. (*o*) ſupra n. 34. (*p*) Diſſ. ſupra ad n. 64. cit. §. 13. (*q*) n. 60. (*r*) n. 40. (*ſ*) (*t*) cit. ſupra ad n. 59. (*u*) cit. ad n. 65. (*x*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 67. (*y*) Eorund. Cent. 9. Obſ. 100. n. 3. & 4. (*z*) cit. ad n. 66. (*a*) ad n. 64. (*b*) Ibid. (*c*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 85. (*d*) (*e*) (*f*) (*g*) cit. ad n. 64. (*h*) Diſſert. de Hydr. Ovar. th. 25.

dum paulo vehementiùs concuteret ventrem, ecce non ſine crepitu quodam ſentit, diſrumpi aliquid in eo, ipſumque continuo molliorem factum, inſolitum autem in imò pondus, cum ſenſu, qui antea nunquam fuerat, fluctuationis, & delabentis cujuſdam ponderis in id latus in quod ſe converteret. Quæ cum remediorum ope multum ſeri per renes, & inteſtina educentium abiiſſent; quindecim, haud amplius, dies mulier ſibi viſa eſt optime valere. Nam poſt illos, iterum priorem ad molem tenſionemque abdomen rediit, bono, ut ſemper antea, faciei colore, pedibus nihil tumentibus, & præter ventris dolores quoſdam per intervalla moleſtos, gravemque ejus molem, & menſtruorum imminutionem, quæ cuncta etiam antea fuerant, corpore agili, robuſto, egregieque ſe habente. Ne igitur cyſtis vetere emiſſo humore, novo diſtenderetur, opus eſſet, quemadmodum in exterioribus folliculis fit, totam ipſam poſſe aut abſumere, aut exſtirpare. Quorum primum in magno, & inter viſcera abdito ſacco quis proponat, aut ferat? Alterum autem propoſitum quidem ſcio, animos addente notiſſima, ſed æque rariſſima, illa Abr. Cypriani curatione; an vero aliquis intra hos triginta, eoque amplius ex quo propoſitum eſt, annos tentaverit, neſcio. Quæ prohibere potuerint, non difficile intelligis: quorum pleraque ut mittam; ſi radice una cui vinculum facile poſſet injici, cyſtis ſemper niteretur, ut in Maucharti (*i*), aut in Schröckii (*k*) Obſervatione; aures fortaſſe præbere inciperes. Sed quid? ſi radix multiplex, aut ſi una, latiſſima; non, ut apud illos, *anguſtior*, aut *pollicis craſſitie*: quid? ſi cyſtis alio, atque alio arctius alligata, & procul etiam ab ea abdominis ſede, quam, Cyprianum imitatus, incideris. Hic tamen ab ulcere per quod ſentire licuit fœtus duodecimeſtre cadaver, quo loco incidendum eſſet, didicerat, non ſecus ac Degnerus (*l*), ſi hydropicus inter peritonæum, & muſculos ingens tumor diſſiliendo, non amplum, ſed anguſtum aditum reliquiſſet, pariter immiſſo ſpecillo ſatis ſcire poterat qua ferro eſſet patefaciendus, ut cyſtis, bubula veſica major, quæ per ſe excidit, a Chirurgo exſtirparetur.

70. Nulla igitur, inquis, in ſaccato interno hydrope curationis ſpes erit, quoniam cyſtim neque abſumere licet, neque exſtirpare? Sperabat tamen aut ſanationem, aut magnum levamen junior Verneyus (*m*), ſiquando educta aqua, accideret, ut ſe contrahentis cyſtis parietes inter ſe coaleſcerent, ſicque extrema vaſorum clauderent aquam importantium: id quod accidiſſe, conjiciebat, in Virgine annos nata ad viginti, cui venter jam ferme a biennio tumere cœperat, cutis colore non mutato, itemque in Vidua Matrona quæ provecta jam ætate ſex ſeptemve annos ventrem tulerat mirandæ molis, quarum utrique detracta aqua, alteram ita perſanaverat, ut nupſerit, filioſque ediderit, alteri levamen longum attulerat, ut quæ plus biennio nihil mali perceperit, donec paulatim venter ad priorem illam rediit magnitudinem. Requirebat autem, ut cyſtis ſoluta etiam tum eſſet, ſicut eſt uterus in prægnantibus, nimirum ne ſi huc illuc eſſet alligata, eo parietes alter ad alterum accedere, & coaleſcere prohiberentur. Requirebat etiam, ut opinor, ne uno plura cyſtis eſſent cava, alioquin coalitum prohibitura. Quod utinam diſerte requiſiviſſet: nam fortaſſe, ut ſolutam eſſe cyſtim, ex ejus ſedis mutatione corporis ſitus mutationes quaslibet ſequente intelligi ab omnibus poſſe, facile credidit; ſic unde cyſtim uno eſſe cavo conjiceremus, indicaſſet. Id unde conjici poſſet, mihi quidem, ut ſupra (*n*) dixi, venerat in mentem; ſed de eo amplius quærendum eſt, ut de hoc inſuper, quomodo cyſtis parietes non eſſe tumoribus, aut abſceſſibus vitiatos, dignoſcamus. Requiſiverat autem in primis, ne tanta eſſet aquæ copia, ut viſcera altius compulſa nimiæ inter cyſtim, & diaphragma compreſſioni fuiſſent obnoxia: quod tamen in Vidua illa ſua mirum eſt non accidiſſe. Verum difficile eſt mulieres invenire, quæ priuſquam aqua graventur plurima, ſe paracenteſi ſubjiciant: quin fere cum vires amplius non conſtant, & vitiata, aut certe affecta ſunt viſcera, tunc demum quodcunque auxilii genus efflagitant. Eſt tamen, inquis, exemplum fœminæ (*o*), quæ re eo perducta, ut *vix cutis oſſibus hæreret*, tandem aquæ eductione admiſſa, quamvis mala ſigna primis, & inſequentibus diebus ſe proderent, ſic tamen ſanata eſt, niſi quod ventris fiſtula ſuperſtes fuit, ut filium conceperit, & pepererit, & corpulenta, ac vegeta aliquot annos vixerit, donec febre epidemica ſublata eſt. Hic non dicam, juvenem fuiſſe mulierem, neque dicam, dum venter tumeret, gravem ſpirandi difficultatem, tuſſim, pedum tumorem abfuiſſe: hoc unum animadvertam, ſigna hæc & ſaccato interno hydropi & hydropi peritonæi eſſe communia, neque ex hiſtoria conſtare, illo potius, quam hoc, laboraſſe mulierem, præſertim cum altera (*p*) ex iiſdem ſignis tubæ pariter hydrope laborare credita, poſtquam aqua effuſa bene ſe primis diebus habuiſſet, mox autem pravis ſymptomatibus ingruentibus, ſeptima ab aquæ effuſione die mortua eſſet, aquam illam, quod candore omni laude digno minime reticetur, inter peritonæum, & induratum omentum congeſtam fuiſſe, diſſecantibus oſtendit. Quin, ut pro eodem veri ſtudio nihil ipſe quoque reticeam tibi, ſic habeto, ſiquis forte contendat, duas illas Verneyi curationes potius ad peritonæi hydropem attinuiſſe, nil mihi ſuppetere quod reſpondeam, præſertim cum illam quæ perſanata eſt, Virginem per anatomen inſpectare non potuerit, Viduam autem, quam fortaſſe poterat, non inſpectarit: imo ubi utramque illam curationem primum propoſuit, ibi, ut ſupra (*q*) dixi, ex iis quæ ſaccato interno hydrope tenerentur, nullam ſe vidiſſe ſanatam, diſerte ſcripſerit.

71. Interea dum alii certiora doceant, præſtare, credidero, ſi cautum Medicum Targionium (*r*) imiteris, & in *palliativa*, quam Schorkopffius (*ſ*) quoque *potiſſimum* commendaverat, ſaccati interni hydropis curatione ſubſiſtas. Plura habet Targionius ad id monita quæ ſeligas, & prudenter ſequaris, ne ultimo quidem illo neglecto, cum ejuſmodi hydropes jam magni ſunt, vitandos eſſe eos corporis poſitus, motus, conatus unde nimium cyſtis viſcera premat, aut ipſa ab his prematur. Quam facile enim interdum vel non ita magnæ cyſtes rumpantur, hiſtoria monſtrat quæ a me tibi ſupra (*t*) narrata eſt. Vehementior enim riſus in ea muliere idem facit quod in viro fecerat, de quo nobis Obſervationem reliquit Hoffmannus (*u*). Ab nimio enim riſu bene arguit, ſaccum in thorace eſſe ruptum, plurimum aquæ continentem, quia ſtatim ſpirandi anguſtia quæ antea fuerat cum fixo lateris ſiniſtri dolore, in ſuffocationem mutata eſt; hæc vero cum ægrum brevi ſuſtuliſſet, in ſiniſtro thoracis cavo & multa aqua inventa eſt, & plures ibidem *membranæ, & veſiculæ dilaceratæ, a vertebris & coſtis ſeparatæ, quæ non obſcure* ſacci diſruptionem *indicabant*, & repentinam acrioris fortaſſe aquæ effuſionem. Nec vero ſemper ita facile eſt effuſam eliminare per vias urinæ, ut in illa muliere tunc fuit; in viro enim vel tempus defuit. Unde etiam facilius intelliges, quanto in errore verſentur qui adverſus ejuſmodi præſertim hydropes violentioribus utuntur remediis, vomitus, aut dejectiones moventibus. Et ſane Wepferus (*x*) in muliere, poſt vomitum enormem aſcitica facta, cum ovarium mole majus, mireque lacerum inveniſſet, ex hoc aquam in ventrem effluxiſſe, arbitrabatur. Quod & ipſe de fœminis illis duabus exiſtimabis quas a Schachero, & Gutermanno ſimul aſciticas, ſimul hydropico ovario hiante,

---

(*i*) cit. ad n. 64. (*k*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 8. Obſ. 233. (*l*) cit. ſupra ad n. 61. (*m*) cit. ad n. 65.
(*n*) n. 64. in fin. (*o*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 100. n. 5. (*p*) Ibid. n. 7. (*q*) n. 68.
(*r*) cit ſupra ad n. 64. (*ſ*) theſ. 25. ſupra ad n. 69. cit. (*t*) n. 69. (*u*) Medic. Rat. T. 4. P. 4. c. 14. Obſ. 7.
(*x*) apud Scorkopffium modo cit. th. 23.

te, aut diſrupto inventas commemoravi (*y*) ſi utriuſque hiſtorias (*z*) perlegens, cujuſmodi pharmaca ſumpſiſſent, & quæ ab eorum ſumptione pertuliſſent, animadverteris. Sed dum tibi gratificari cupio, eo me provectum vix tandem ſentio quo certe a primo non putabam. Finem igitur ſcribendi facio. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XXXIX.

De reliquis internis Ventris Tumoribus præter naturam verba fiunt.

CUM de Aſcite, & cæteris ventris univerſi tumoribus ſatis ſuperiore Epiſtola ſcriptum ſit; nunc ſequitur, ut de iis ſcribatur, qui certas quaſdam illius Partes diſtendunt, ſupremis tamen, & infimis nonnullis exceptis, ut quarum tumores aliis tibi Litteris (*a*) expoſiti ſunt. Válſalva igitur eorum qui ad medias, & qui ad infimas Partes attinent, has quinque Obſervationes reliquit.

2. GEORGIUS MARCHESIUS Patricius Forolivienſis, magno interno tumore ventris laborans, ad dorſum, & ad ſiniſtrum lumbum dolebat. Urinam ſæpe, inteſtinorum autem recrementa ſummis cum conatibus reddebat. Cibos appetebat. Tamen omnibus demum corporis partibus macie omnino extenuatis, niſi quod jam diu a duro tubere ſiniſtrum ſcrotum, noviſſimis autem diebus quindecim a magno œdemate pedes tumebant, cum horum ſiniſtrum eryſipelas corripuiſſet, poſtridie generoſus hic Juvenis obiit. VENTRE aperto, ad hujus centrum ingens tumoris moles apparuit, viſcera undique comprimens adeo, ut ſi non prorſus extra ſuam ſedem, at certe eſſent contractiora, pluribuſque in locis ſublivida, cæterum, quantum oculis perſpici poterat, ſana. Pendebat tumor a meſenterio, tota anteriore facie omento opertus extenuato, multiſque partibus lacero. Quo ſeparato, atque amoto, melius aliquanto tumoris figura in conſpectum venit. Hæc abnormis erat: duæ autem parte ſuperiore protuberantiæ hypochondria verſus ſingula ſingulæ extendebantur, ut altera jecur, altera ſplenem non modo obtegerent, ſed & ſurſum vehementer compellerent. Ne ventriculus quidem extra omnem preſſionem erat, nonnihil ipſum urgente medio tumoris corpore a quo duæ illæ protuberantiæ diſcedebant. Pondus autem univerſi tumoris eſſe poſſe videbatur librarum circiter quinque, & viginti. Sed & aliis in partibus extra tumorem turgebat omne meſenterium eadem ſubſtantia quæ tumorem efficiebat, quocum tumor etiam alter conjungebatur ejuſdem naturæ, qui in teſticulo ſiniſtro erat. Scilicet utriuſque natura fuit quæ cancroſorum tumorum, & quorundam præſertim qui in mammis obſervantur, magna ex parte ſimilis. Corpora ex quibus conſtabant, pleraque ad glanduloſam ſubſtantiam accedebant, & tubera, ſive, ut noſtrares vocant, *tartuffi* figura repræſentabant. Varia erant magnitudine: aliaque inſtar pinguedinis albicabant, alia carnis inſtar rubebant, multa etiam quaſi a concreto ſanguine ſubnigra erant. In corporum interſtitiis nonnullis pus, ſed in aliis ichor, in aliis flavum ſerum ſtagnabat. Ad nullam autem tumorum partem plus ſeri quam ad illam quæ in teſticulo, fuit.

3. Habemus nunc omnia quæ ad hiſtoriam hanc attinent, cujus particulam alias (*b*) protuli, reliquâ pollicitus cum Valſalvæ Obſervationibus ex quibus ſelectas, in calce ejus Diſſertationum edere in animo tunc habebam. Et ſane haud inter poſtremas hæc eſt, ſi tumoris ſimul extenſionem, ſimul pondus attendamus. Nam quod ad illam ſpectat, non me quidem fugit, magnos alios meſenterii tumores ſumma parte ita ſe ad jecur, aut ſplenem aliquando extendiſſe, ut alterutrius viſceris in ſcirrhoſam molem converſi ſpeciem Medicis objecerint. Verum hic præterquam quod ſupremis appendicibus & jecur obtegebat, & ſplenem, inferiorem raro exemplo eo uſque producebat, ut cum tumore conjungeret teſticuli ſiniſtri. Leges quidem a Cl. Viris Hebenſtreit (*c*), & Matthia (*d*) propoſitum ſteatoma, quod ad meſenterium ſpectans, teſtem alterum intra ventrem ad ſe retraxerat, non ſe deorſum ad ipſum extenderat, & quanquam in ſecunda Obſervatione ad femur productum, Cruralia vaſa circumveſtiebat; in neutra tamen ad jecur, lienemque aſcendebat. Tumoris autem pondus in hac utraque Obſervatione, magiſque in alia quæ infra (*e*) commemorabitur, utique erat majus, quam a Valſalva inventum eſt. Attamen deſcriptum ab hoc tumorem ex magnis fuiſſe qui in meſenterio reperti ſunt vel ſpectato pondere, quis poſſit negare? quando Whartonus (*f*), qui plures memorat, non graviores duobus proponit, quorum alter, ab eo obſervatus, pendebat circiter ſeptem libras, alter autem a Paræo, libras decem cum dimidia, quantumvis *mirus*, *& prope incredibilis* dicatur.

4. Quod ad ea attinet, quæ in vivente ægro adnotata ſunt, non expectabis certe, ut dicam, cur tametſi cibum appeteret, toto corpore extabuerit, ſi qua iter ſit chylo in ſanguinem, neque cur adeo intumuerint pedes, ſi qua venæ Iliacæ traducantur, & Cava Inferior, cogitaveris. Porro tumoris pondus, & moles non chylifera ſolum, aut ſanguifera vaſa, ſed & veſicam, & inteſtina urgebant. Quamobrem cum illa extendi, hæc autem facile dilatari non poſſent; lotium ſæpe æger, recrementa autem alvi cætera magnis cum conatibus reddere cogebatur. Quorum hoc alterum, & ob eandem quidem cauſam, in hoc morbo ſæpe fieri, indicatum eſt a Fernelio (*g*), utrumque autem, vel certe alvum pigriorem, & difficilem mictionem obſervata a Paræo, eundemque ad modum explicata videbis in eo quem paulo ante (*h*) commemoravimus, caſu, qui in Sepulchretum quoque (*i*) relatus eſt. In eo caſu dolor ſimul indicatur, qui, ut in noſtro, dorſum lumboſve prægravaret; noſti autem, quas ad vertebras ſe alliget meſenterium. Qui dolor, & difficilis mictio in proxima pariter Valſalvæ hiſtoria non defuerunt.

5. MULIER annos nata ad ſexaginta, a multis jam menſibus de tumore quodam in umbilicali regione conqueſta, vexari dolore cœpit gravativo ad dorſum vergente, cui comes erat interdum mingendi difficultas. In dies augebantur & tumor, jam quantus uteri in prægnante eſſe poteſt, & conſequens ex tumoris incremento deſcriptus dolor, præſer-

(*y*) n. 64. (*z*) Schacheri Vid. §. 16. in fin. (*a*) Epiſt. 36. & 38. ex parte. (*b*) Epiſt. Anat. 2. n. 67.
(*c*) Diſſert. de Partium coaleſcent. morb. §. 17. (*d*) Commerc. Litter. A. 1737. Heb. 48. (*e*) n. 8. (*f*) Adenogr. c. 11.
(*g*) Pathol. l. 6. c. 7. (*h*) n. 3. (*i*) Sect. hac 21. Obſ. 38.

ſertim cum ſe mulier cubans ex uno in alterum convertebat latus. MORTUÆ aperto Ventre, tumoris ingens apparuit moles. Hæc baſim habebat in meſenterii centro, & cum renis dexteri Adipoſa membrana nectebatur; ad finem autem Coli inteſtini ſic adhærebat ut ſine laceratione dividi non poſſet. Tumoris ſubſtantia quibuſdam in locis firma, in aliis autem erat mollis, ut ſteatomatis referret materiam. Multis ren dexter ſcatebat arenulis, & valde dilatatam pelvim habebat. Reliqua autem viſcera ſana erant.

6. Etſi non eſt dubium, quin ad renem quoque iſta in mingendo difficultas, & vergens ad dorſum dolor aliqua ex parte attinerent, cum ille arenulas lotio adderet, membranamque ſuam diſtracta communi altera, id eſt Adipoſa, nonnihil ſimul divulſam non habere non poſſet; tamen & diſtractio illa ab annexi tumoris pondere fiebat, & difficilis ſæpe mictio ultimo tempore prægnantibus accidit ob uteri prætumidi molem, quacum erat, ut diximus, iſta tumoris moles comparanda: quæ ſi forte a dextris, ut annexio illa indicat, magis prope renem protuberabat, hinc facile etiam intelligi poſſet, quomodo ſæpius compreſſo uretere, & impedito lotii deſcenſu, ea contigiſſet pelvis dilatatio. Sed utcunque hoc eſt; illud miraberis fortaſſe in propoſita utraque hiſtoria, præter dolorem illum ad lumbos, & dorſum, qui diſtrahentis tumoris pondus neceſſario conſequebatur, nullum peculiarem memorari qui ad tumorem ipſum pertineret, aut ad eas ſaltem quæ hunc intercipiebant, meſenterii membranas. Verum mirari deſines ubi cum Valſalvæ hiſtoriis conſentire Veterum, & Recentiorum obſervata, & ſcripta, oſtendero. Veterum nomine Benivenio antiquiores hic non intelligo, qui circa initium floruit ſæculi XVI. Nec tamen eo vetuſtioribus hos meſenterii morbos incognitos puto. Nam etſi hominum cadavera incidere non conſueverant; at brutarum animantium haud raro ſolebant, in quarum aliqua non id offendiſſe, incredibile eſt, quod ego vel in parvula gallina vidi. Erat ea non minus macra, quam vorax; ventrem tamen æque tumidum gerebat, ac ſi ovum, quod per ætatem necdum poterat, mox eſſet editura. Tumorem hunc faciebant ſcirrhoſa corpora ſubrotunda, plura fabæ, quædam caſtaneæ magnitudine, inteſtinis interjecta, nonnulla etiam affixa, granoſa ſuperficie omnia, atque etiam ſtructura, niſi quod ex majoribus aliquod multam continebat ſubſtantiam, undique iis præduris granis comprehenſam, ſimilem albi, & teneri, ſed exſucci, ſebi, qualem ſuperioribus Litteris (*k*) deſcripſi in utero, & ovariis cujuſdam mulieris. Sed hic ovarium cum perminutis vitellis ſanum, ut pancreas utrumque, &, ſi valde auctam magnitudinem excipias, jecur quoque, & lien, quin & ipſa inteſtina erant ſana. Mihi igitur non fit veriſimile, nunquam a coquis, a laniis, a victimariis ullum in meſenterio tumorem animadverſum, & Medicis fuiſſe oſtenſum, cum Galenus, ut alias (*l*) tibi commemoravi, ſcirrhoſum circa cor tumorem in gallo inſpexiſſe, videam, & ad homines tranſtuliſſe. Crediderim potius, quæ in libro aliquo priſci Medici ea de re attigerint, longo tempore, ut tot alia, intercidiſſe. Nam ſi Julius Pollux, ut legi apud Ingraſſiam (*m*), *circa meſenterium etiam ſtrumas fieri, voluit;* certe aut a Medico aliquo ipſe Grammaticus id ſumpſerit; aut ſi forte per ſe vidit; creditu difficile eſt, a Grammatico admonitos Medicos, quicunque ab ſæculi II. fine ad XVI. initium ſcripſerunt; Commodo enim imperante, ut Galenum, ita & Pollucem vixiſſe, ajunt; nullum de ejuſmodi meſenterii morbis verbum feciſſe.

7. Benivenius (*n*) igitur *callum* (durum tumorem intelligo) inter venas meſaraicas pueri invenit, eas premendo obſtruentem. Ingraſſias autem (*o*) in Nigri ſuſpendio puniti, meſenterio ſtrumas circiter ſeptuaginta offendit, præter totidem ferme tumores, extimæ inteſtinorum tunicæ adhærentes, quorum in tumorum utroque genere cum alii ciceris parvitate, alii ovi gallinacei magnitudine, plurimi inter hos medii eſſent, continebant omnes aut liquidam & mucoſam, aut gypſeam, lapideamque materiam. Benivenius tamen cum cætera pueri mala commemoret, nullam injicit mentionem doloris. Ingraſſiæ autem quicumque Nigrum illum cognoverant, magno conſenſu retulere, *ſaniſſimum*, quod ſane permirum eſt, *donec ſuſpenderetur, extitiſſe*. Nec vero Fernelium (*p*), cum univerſe docuit, meſenterii tumorem *nullo dolore affligere*, ſine obſervationibus dixiſſe id, credo, quanquam hanc ſui dicti cauſam continuo ſubjecit, *quod pars ipſa doloris ſit expers*. Id vel magis de Arantio (*q*) credo, quippe qui tumores ibi obſervaſſe videtur *nucis pineæ, & capitis pueri magnitudinem interdum ſuperantes*, & certe ſigna ita proponit, ut ſtructuram ſimilem ejus quæ a Valſalva (*r*) in Marcheſio deſcripta eſt, ante oculos habuiſſe, appareat. Eſt enim tumor, inquit, *tuberoſus, atque inæqualis eo quod plura glanduloſa corpora connexa, & mirifice aucta ſibi invicem cohæreant, inæqualeſque tumores tuberis terræ in modum efforment*. Attamen hoc primum omnium ſignum tradit, *tumorem eſſe indolentem*. Fortaſſe hic dices, a Benivenio, atque Ingraſſia duros, frigidoſque, ut vocabant, tumores fuiſſe obſervatos, nec alios facile Fernelium, & Arantium deſignare voluiſſe. Certe autem cum Benivenius (*ſ*) alterius generis tumorem deprehendit, qui jam in magnum meſenterii abſceſſum degeneraverat, fuiſſe alvi tormina, adnotavit, quæ in dies creſcerent, ægrumque intolerabilia facta occiderent. Pariter legiſſe te vel in Sepulchreto, non dubito, dolores colicos, aut colicis ſimiles a meſenterii abſceſſibus, & apoſtematibus, Mermanno (*t*), Folio (*u*), Wepfero (*x*), Sennerto (*y*) atteſtantibus, inductos. Me vero non fugit, hæc poſſe objici: quorum pars non fugerat Marcellum Donatum (*z*), quem de meſenterii tumoribus legiſſe video pleraque eorum quæ hactenus dixi, de quibus quidem ſua tempeſtate jam facta eſſet in libris mentio. Is autem cum aperte, ſiquis alius, contenderet, dolore nullo, effatu digno, tentari meſenterium propterea quia ex partibus ipſum conſtituentibus nullas ſenſu præditas agnoſcebat præter nervos, & membranas, quarum tamen partium ob plurimam adjectam pinguedinem ſenſum valde hebetem fieri, non dubitabat; dolorem a Benivenio adnotatum, non meſenterii, ſed inteſtinorum fuiſſe, cenſebat. Scilicet arbitrabatur, in eo potiſſimum inteſtinorum tractu quocum male affecta meſenterii portio jungeretur, multæ abſceſſum facientis materiæ pondere aut comprimente, aut deorſum trahente; ne de acri ejuſdem exhalatione quidquam dicamus, fuiſſe dolorem excitatum.

8. Nobis vero etſi minime neceſſe eſt omnia quæ Marcellum ſenſiſſe, diximus, probare; illud tamen negari poſſe non videtur, *alvi torminibus*; hac enim voce uſus eſt Benivenius; inteſtinorum potius dolores, quam meſenterii, deſignari, aut ſicui forte id dubium ſit quia mox verba hæc adduntur, *omnia viſcera ſana videbantur, jecur, lien & inteſtina omnia nullam doloris notam oſtendebant*: at certe aliis, quas memoravimus, hiſtoriis diſerte ſcribi *dolores Colicis ſimiles*, aut *Colicam*. Et ne forte putes, hæc tantum contingere, cum abſceſſus eſt; Platerum (*a*) lege, & Whartonum (*b*), qui *Colicos dolores* in iis adnotarunt, in quorum meſenterio ille tumores *glanduloſos* & *duros* invenit, non uno in loco inteſtinis adeo connatos, ut hæc coarctando, impedirent excrementorum deſcenſum, hic vero tumorem unum, ſed tantum, ut in alterum latus inteſtina detruderet, eumque *glanduloſum & carneum magis quam humoralem*. Quod ſi in Valſalvæ (*c*), & aliorum quas ſupra (*d*) attuli, Ob-

(*k*) n. 34. (*l*) Epiſt. 16. n. 20. (*m*) De Tumor. tr. 1. c. 1. comm. 2. (*n*) De abdit. morb. cauſis &c. c. 37. (*o*) comm. cit.
(*p*) 6. ſupra ad n. 4. cit. (*q*) l. de Tumor. p. n. c. 44. (*r*) ſupra, n. 2. (*ſ*) l. cit. c. 33.
(*t*) (*u*) (*x*) (*y*) l. 3. S. 14. Obſ. 30. §. 10. & §. 13. & ſeqq. (*z*) De Medic. Hiſt. Mirab. l. 4. c. 7.
(*a*) Sepulchr. Obſ. 30. cit. §. 11. (*b*) Adenogr. c. 11. (*c*) n. 2. & 5. (*d*) n. 7.

Obſervationibus, a tumoribus hujus generis ii dolores inducti non memorantur; in aliis credibile eſt, inteſtina æque compreſſa non fuiſſe, in aliis autem non æque aut acres, aut multas fæces habuiſſe: quod ultimum de muliere præſertim credes, cujus meſenterium, ut apud Coiterum (*e*) videbis, erat quidem *ex multis, iiſque ſatis magnis ſcirrhis conflatum*, ipſa autem vix aliquid poterat vel liquidum deglutire. Sic alias aliquas, ſi non eaſdem, ſubfuiſſe cauſas etiam in quibuſdam meſenterii abſceſſibus, dices; neque enim omnes legimus cum doloribus conjunctos. Cruciatus quidem apud eundem Auctorem (*f*) memorantur in magni abſceſſus deſcriptione; ſed qui ad reddendæ urinæ difficultatem, & ad alia quæ proponuntur, incommoda referri poſſunt, cum de ventris, & inteſtinorum doloribus nulla mentio injiciatur. Quin Donatus (*g*) Obſervationem profert ſuam non mediocris abſceſſus, ut multa oſtendebat ſanguinolenta & purulenta dejecta materia, & ulcus ſordidum ad ſpithamæ longitudinem in meſenterio relictum, cum tamen in longa ægrotatione nulla unquam, niſi extremo die, audita eſſet de dolore querela. Sed multo quam cæteræ, mirabilior eſt Hearnii hiſtoria, quam in Sectione hac XXI. Sepulchreti (*h*) habes. In ea cum reliqua deſcribantur, ne unum quidem verbum eſt de ventris dolore. Quæ res non tam mira eſt propter duodecim, aut eo amplius libras materiæ fluidæ quæ in triplici tumore erat, quam propter univerſi tumoris pondus, libras æquans Suecicas quinquaginta quinque, & ſedem quæ totum fere meſenterii ſpatium erat. Huc illud accedit quod tumor inteſtinis arcte annectebatur, ut a Duodeno ad Ilei medium, quaſi cum his in unum coiviſſet, ſine ruptione ſeparari non poſſet, & quod ægri deſiderio, quippe aſſiduo, & ferme canino appetitu affecti, vix ſufficiebat aſſumptorum copia: ut neque pauca hic recrementa, neque inteſtina non compreſſa liceat ponere, ſed omnino alia quæpiam cauſa ſit ab eo excogitanda qui rationem velit reddere abſentium dolorum, id quod infra (*i*) facere conabimur. Nunc enim aliæ in quibus non aberant, Obſervationes ſunt indicandæ, quas Sepulchreto poſſis adjicere. Dolæi (*k*) eſt una, in qua tumor aliquanto minor quam a Valſalva (*l*) deſcriptus, ſtructura autem non abſimili, cum diris tenſionibus, moleſtoque ſenſu quaſi vivi in ventre catelli alerentur, conjunctus erat; ſed tumor a meſenterio quidem oriebatur; cæterum *variis locis inteſtinis tenuibus erat affixus, immo inteſtina ipſa illius ſubſtantiam permeabant*. Altera Obſervatio Verdrieſii (*m*) eſt, qui poſt ventris tormina meſenterium totum *ſteatomatoſum*, nec ſine ingenti abſceſſu; at ſimul inteſtina *arcte invicem cohærentia* proponit. Tertia Laubii (*n*) eſt in eo qui ventris doloribus valde moleſtis conflictatus, tubercula in meſenterio quidem habuit; ſed & inteſtina ſimilibus plurimis abſceſſibus *ſteatomatoſis* ſcatebant. Contra in nobiliſſimo Comite meſenterium totum pinguedine multa ſcirrhoſa ſebacea obſitum, & *tormina* tamen *defuiſſe*, adnotavit Goekelius (*o*). Itaque, ut concludam; in productis non Veterum modo, ſed & Recentiorum Obſervationibus aut dolor non legitur cum tumore meſenterii conjunctus; aut ſi legitur, non in meſenterio potius ipſo, quam in inteſtinis fuiſſe, conſtat. Minuſque conſtat in Jo. Sculteti hiſtoria, quæ in Sepulchreto (*p*) etiam extat; neque enim ſatis apparet, ventris cruciatus extra inteſtina fuiſſe: & ſi appareret; cum acerrima, quæ in ſex meſenterii tumoribus fuit, materia omnes lumborum vertebras multum dicatur corroſiſſe; non deeſſet Obſervationes cæteras attendentibus altera extra meſenterium aut dolorum, aut originis dolorum ſedes: ut certe non deeſt in eo quod ſequitur, exemplo.

9. MULIEREM annorum duodetriginta dolores in ventre, cum levi interdum febricula conjuncti, per quadriennium vexaverant: tandem ſæviores facti, e vivis ſuſtulerunt. CADAVERIS Abdomen nullam exterius tenſionem, quæ in vivente circa umbilicalem regionem fuerat, jam oſtendebat. Ad meſenterii tamen centrum duo erant tumores. Quorum alter ovi anſerini magnitudine, renem verſus dexterum vergebat, intus exulceratus, nihil tamen continens purulenti: alter vero multo erat major. Nam & ad ſiniſtrum pergebat renem, ſic inter hujus exteriorem, interioremque tunicam ſe inſinuans, ut renem totum contegeret, nec niſi ſummo cum labore ab eodem poſſet evelli; & ad os uſque pubis ejuſdem lateris ſe extendebat, craſſitudine quibuſdam in locis duos, in aliis tres digitos æquans. Hic primo aſpectu concretum ſanguinem referebat. Sed totus firmis, datis a peritonæo, membranis veſtiebatur: ex ſubſtantia autem conſtabat, multis in locis, fibrarum carnearum ſimillima, niſi quod hic erant infectæ colore atro, & alicubi laxæ adeo erant, ut concretus ſanguis viderentur.

10. Si, ut ſuſpicor, ita pro certo haberem, a Valſalva etiamtum adoleſcente habitam eſſe diſſectionem; facile in tumore hoc altero aneuryſma aliquod deſcriptum crederem. Sed ut nihil aliud fuerit, quam quod tunc ipſi viſum eſt, unus videlicet ex iis de quibus hic agitur, meſenterii tumor; certe ad pubem uſque, & ad dexterum operiendum renem extendere ſe non potuit, quin urgeret, comprimeretque inteſtina, nec inter renis illius tunicas ſe inſinuare, & ad harum propriam, renemque ipſum arcte adeo ſe affigere quin longas graveſque crearet moleſtias, quæ tametſi ad eam ſedem attineant; tamen quam ſæpe ad inteſtina ſe extendant, utque horum potius, quam renis, dolores haud raro eſſe videantur, minime ignoras. Interea nolim credas, eam mihi ſententiam eſſe, ut nullus eſſe poſſit meſenterii tumor qui ſedes ipſe doloris ſit: tantum velim, non aliter accipias omnia quæ a me hactenus producta ſunt, atque animadverſa, quam ut ſcias, nullam eſſe ex tot Obſervationibus unde liquido appareat, in tumore ipſo dolorem fuiſſe.

11. Quod ſane mirum eſt ſive nervorum meſenterii copiam ſpectes, ſive ejus glandularum officium. In mammis enim longe minor proportione ineſt nervorum numerus: quarum glandulæ tumores ſi cruciatum ideo acerbiſſimum afferrent, quod *chylus crudus, ad acorem concipiendum aptus, in alias partes glanduloſas ita crude & copioſe, ut in mammas, concurrere non poteſt*; ſane multo magis in meſenterii tumoribus dolor ſæviret (cujus glandulas, cum illa ſcripſit, non videtur attendiſſe Vir Doctus) quippe in quod chylus confluit & omnis, & multo crudior. Dilui in meſenterio lympha, diceres, eoque progredi ulterius, non, ut in mammis, immorari; niſi tumor ipſe incipiens & lymphæ, & chylo remoram faceret, mox illam, nimirum tenuiorem, præterlabi ſineret, chylum retineret. An igitur dolor, cum ad meſenterium attineat, in inteſtinis videtur, nervis qui ad hæc tendunt, compunctis, non ſecus atque in amputato jam pede? An humor qui poſſit compungere, non omnibus ineſt meſenterii tumoribus? An quibuſdam horum ineſt humor qui nervorum ſenſum, laxando, hebetet? An interdum tumorum duritie intercepti nervi haud aliter atque ab injecto vinculo, ſentiendi muneri impares fiunt? Sed hoc poſito, illud poſtea non intelliges, quomodo Laubius (*q*) *circa umbilicum tormina* adnotavit, cum *abſceſſus ſteatomatoſus pugni virilis magnitudinem ſuperans, durus, compactus in parte poſtica meſenterii, ubi vertebris lumbaribus annectitur, ſitus, vaſa majora illius loci circumdaret*. Sic enim videtur impoſitos iis vaſis nervos, meſenterium, & inteſtina adituros, intercipere, & premere debuiſſe. Fac igitur aliud aliquod ad id excogites, cætera autem quæ modo attigi, diſpicias, aliudque ad alias Obſervationes accommodes. Quarum nullam, earum quidem quas nos attendimus,

(*e*) Obſ. Anat. (*f*) Ibid. (*g*) c. 7. paulo ante cit. (*h*) Obſ. 36. §. 1. (*i*) n. 11.
(*k*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 258. (*l*) n. 2. (*m*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 87.
(*n*) Eorund. Tom. 2. Obſ. 108. partic. 2. (*o*) Eph. N. C. Cent. 6. Obſ. 94. (*p*) l. 3. S. 14. Obſ. 30. §. 12.
(*q*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 108.

dimus, ſic explicare te poſſe, credas, ut Bierlingius (*r*) indicavit, qui *per tot ſæcula tot Auctores deceptos*, ſi non ſemper, at *multoties*, cenſebat, dum magnæ illius in centro meſenterii glandulæ verum uſum, & chyli receptaculum ignorantes, ex hoc poſt mortem chylo etiam tum repleto, & diſſecto *plerumque abſceſſum meſenterii feciſſent*; quaſi aut abſceſſus quos plerique propoſuere, non longe alio ac chylus eſt, humore pleni deſcriberentur, aut magna illa glandula ut in quadrupedum genere, ſic etiam eſſet in humano. Mitto aliam haud raro quorundam abſceſſuum & tumorum ſedem, & plerorumque aut numerum, aut magnitudinem vel in vivis animadverſam. Nec quod Cl. Hallerus (*ſ*) exiſtimat, *aliquando magnas quidem, ſed ex recepta in junioribus lege glandularum conglobatarum*, meſenterii glandulas *pro morboſis habitas eſſe, cum eſſent ſaniſſimæ*, inficias ibo. Sed cum aut multo majores ſunt quam ea lex riquirit, aut duriores; non eſt certe huic ſuſpicioni locus, ut puta in illa pueri, quam ex Benivenio produximus (*t*) diſſectione. Hic enim *callum* non appellaſſet, neque eo dixiſſet venas meſaraicas obſtructas *omnes* fuiſſe, niſi tumorem *inter* illas venas reperiſſet tum durum, tum ſatis amplum. Cæterum quod ad duritiem attinet, varia in his tumoribus ſpectanda eſt tum natura, tum ætas. Quam ſæpe illa ad ſteatoma accedat, ex productis pleriſque Obſervationibus animadvertere potuiſti. Et alias tamen eſt longe alia. Vide, exempli cauſa, Themata illa Medica egregii Anatomici Salomonis Alberti, quæ cum tribus ejus Orationibus edita ſunt, ad Morbos Meſenterii, & Pancreatis ſpectantia. Cum alia invenies, quibus nonnulla confirmantur quæ ſupra (*u*) ſcripſimus, tum hæc præſertim: Humores in meſenterio putrentes, *nonnunquam* ipſum *in tumorem attollere, laxum primum mollemque illum, proceſſu temporis vero humoribus ſenſim ſicceſcentibus*, adeo *durum tactuique renitentem, ut in partibus ad umbilicum & imum ventrem attinentibus, vel os, vel calculum concreviſſe putes*. Alias vero contra accidit, ut quæ erant dura, putreſcendo remolleſcant. Quo, inter cæteras, Obſervatio etiam pertinet Andreæ Veſtphali (*x*), qui cum in ægræ ventre, maxime autem circa umbilicum deprehendiſſet *tumores duros multos, qui demum tractu temporis emolleſcebant*; in mortua glandulas meſenterii *pleraſque exulceratas* offendit, *alias vero adhuc induratas*. Sed jam de iis qui ad infimam Ventris partem attinent, tumoribus videamus.

12. FŒMINA quadraginta annos nata, olim ex abortione fœtus ferme quinquemeſtris, duritiem quandam circa uterum cœpit animadvertere, ibidemque pungente dolore, levi quidem, ſed aſſiduo, tentari. Aliquoties febricitavit. Tumor interea excrevit, ſic tamen, ut eſſet mobilis; nam modo in medio, modo ad latera percipiebatur. Multum capite dolebat: cum labore alvum exonerabat: vomitus interdum moleſtus erat: dolor autem in tumore adeo aliquando excruciabat, præſertim cum ab animi ægritudinibus augebatur, ut ardentem febrem accenderet, ferrique vix poſſet. Hæc quæ dicta ſunt, intra decennium contigere: quo tempore nunquam concepit. Denique immobili facto tumore, & dolore: ac febre acutiore ſævientibus, e vivis exceſſit. VENTRE adaperto, tumoris ingens moles a Valſalva comperta eſt, ut prægrande hominis æquaret caput. Erat in poſteriore uteri pariete, Rectum inteſtinum vehementer premens, & circumjectis partibus arcte alligata. Carnoſa exterius colore quidem videbatur; ſed ſubſtantia firmior erat; intraque hanc ſinuoſas caveas continebat duas, quarum parietes carnem putridam referebant. Altera inanis erat; in altera ſeroſa materia concludebatur. Ovariorum quoque ſedem hic tumor occupabat. Itaque nullum eorum veſtigium inventum eſt, niſi quod ad tumoris latera veſiculæ ſero turgidæ conſpectæ ſunt, quarum nonnullæ ovo columbino erant pares. Collecta ex iis ſeri pars igni impoſita eſt, pars affuſis acidis ſuccis admiſta. Neutra ullo modo concrevit.

13. Nulla eget hic caſus expoſitione: adeo quæ in mortua reperta ſunt, iis evidenter reſpondent, quæ in vivente fuerant animadverſa. Scilicet abortionem conſecuta durities, & dolor, & manifeſtus demum tumor, & horum ſedes, & nulla intra decennium, quamvis florente ætate, conceptio, ſatis uteri tumorem ſignificabant: nec dolor capitis, vomitus, & cruciatuum in tumente parte ab animi præſertim triſtibus affectibus incrementum alio pertinebant: cruciatuum autem acerbitas, & febres pravam tumoris naturam indicabant, ut exonerandæ alvi potius, quam veſicæ, difficultas cui potiſſimum inſideret uteri parti. Unum erat, ſi Arantium (*y*) audires, quod non ſatis conveniens videri poſſet. Is enim cum proferret notas per quas a meſenterii tumoribus uteri tumores diſcernamus, hi *dolent*, inquit, *æquales, ovali forma præditi ſunt, neque loco prorſus moventur*. Noſter diu mobilis fuit, multo diutius, & ſemper fortaſſe futurus niſi arcte ſe demum ad proximas partes alligaſſet. An igitur in ejuſmodi dumtaxat prægrandes jam factos, & alligatos uteri tumores Arantius inciderat? an verbis uſus eſt, quæ magis fortaſſe quam in animo haberet, immobiles tumores hoſce ſignificare videantur? Utcunque id eſt; longe facilius erat in propoſita hiſtoria, quam in ea quæ proxime ſequitur, ante diſſectionem intelligere, quæ pars in imo ventris tumorem faceret: neque hoc tamen ſagacitatem Valſalvæ fugit, quemadmodum protinus cognoſces.

14. MULIER gracilis, annorum circiter quadraginta, cum hyſtericæ affectioni multum eſſet obnoxia, ejuſque præſertim gravioribus paroxyſmis, qui convulſivis motibus univerſum corpus, præcipue autem ventris viſcera concutiebant, cumque nonnullos tandem cæterorum graviſſimos paſſa eſſet; animadvertere cœpit manifeſtam quandam cum in epigaſtrica regione depreſſionem, tum in hypogaſtrica extuberationem. Illa nunquam mutabatur; hæc ſæpe intra unum diem. Nam majorem, & prædurum tumorem cum oſtenderet; ſæpenumero hic repente concidebat. Item cum alimenta ſumebantur; hæc eodem uſque præcipitari mulier ſentiebat, eaque pars inde magis attollebatur, graviorque fiebat ponderis ſenſus, qui ſemper ibidem erat: interjectis autem quatuor, aut quinque horis, dolores acerbiſſimi, & tormina, & animi defectiones excitabantur. Ægra ſæpe querebatur, ſibi omnia viſcera; ſic enim ajebat; e ſuis ſedibus eſſe prolapſa. Coctiones manifeſto vitiatas habebat: febricitabat: erat valde emaciata. Cum tres menſes ſic, ut diximus, affecta vixiſſet; deceſſit.

IN CADAVERE id inventum eſt quod Valſalva in conſilio prædixerat, ventriculus ad hypogaſtrium prolapſus, vix ut quatuor tranſverſi digiti inter ipſum, pubemque intercederent. Hic autem alium habebat poſitum ac Editores *Bibliothecæ Anatomicæ* (*z*) ex quadam Virgine repræſentarunt. Pars enim illa ventriculi quæ gulæ reſpondet, hic uſque adeo in longum producta erat, ut fundus totus eſſet in hypogaſtrio.

15. Rara quidem hæc diagnoſis Valſalvæ fuit; ſed non minus rara Obſervatio. Ut ab hac incipiam; animadvertas, velim, multifariam eſſe poſſe ventriculum in hypogaſtrio. Aliquando enim ea eſt amplitudine, ut in muliere quam in Noſocomio hoc ſecui circa medium Decembrem A. 1717. ventriculi fundum non magis ab oſſe pubis diſtare, quam in fœmina modo propoſita, viderim, & iis qui aderam, oſtenderim tanto id magis admirantibus, quia ventriculus erat inanis. Cum enim aut flatibus, aut humoribus incluſis præter omnem modum diſtenditur, poſſe eo pervenire, ut fœminæ aut pro jam diu prægnantibus, aut pro aſciticis habeantur, notum eſt ex Obſervationibus Moinicherii (*a*) in primis, & Jodonii (*b*), quorum hic ventriculum

per

(*r*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 2. Obſ. 152. (*ſ*) not. 2. ad §. 128. Prælect. Boerh. in Inſtit. (*t*) n. 7. (*u*) n. 4. & 7.
(*x*) Diſſert. de parte inteſt. Jejuni & cæt. c. 3. §. 60. (*y*) c. 44. ſupra ad n. 7. cit.
(*z*) Part. I. ad Gliſſon. Tract. de Ventric. & Inteſt. c. 2. (*a*) (*b*) Sepulchr. Sect. hac 21. Obſ. 42. & 48.

per medium diſſectum invenit *ulnam Pariſienſem ſuperare*, ille vero in Theatro hoc noſtro vidit *totam abdominis regionem occupare*, *ipſaque inteſtina cooperire*. Quam extenſum quoque in eo Cl. Widmannus (*c*) deprehenderit, qui vix credibili panis, nec minori cerviſiæ copia ſe quotidie implere conſueverat, illius oſtendit deſcriptio. Interdum vero non propter auctam magnitudinem, ut regiones alias ventris, ſic hypogaſtrium quoque, ſui aliqua parte occupat; ſed juſtum ſervans magnitudinis modum, aut altero extremo, ut puta dextero, quemadmodum in memorato (*d*) exemplo *Bibliothecæ Anatomicæ*, quo & Meryi (*e*) alterum addas licet; aut totus deorſum ruit. Ruere autem poteſt aut ad inferiora tractus, aut eo compulſus. Trahebatur in Veſalii (*f*) ægro a graviſſimi omenti pondere *ita deorſum ex ſua ſede*, ut ipſum ventriculi munus deficeret, ortiſque ſingultibus mors ingrueret. Trahebatur quoque a Tenuibus inteſtinis pene omnibus, ut in illa Meryi Obſervatione, in ſcrotum devolutis, aut in prælongum alterum ſaccum, ut in alia Chr. Henrici Papen (*g*). Deorſum autem compellebatur in aliis corporibus a Valſalva (*h*), aut a me (*i*) diſſectis, urgente aut depreſſo diaphragmate, aut prægrandi jecinore: cujus ultimi generis præſertim ſunt duæ Obſervationes Fantoni patris (*k*): quæ omnia exempla hic commemoro, ut generatim indicem depreſſionis cauſas; non quod revera in hypogaſtrium uſque detruſus eſſet ventriculus. In hypogaſtrio quidem ab Ruyſchio (*l*) conſpectus eſt, cum mulieris ab aſthmate mortuæ cadaver incideret. Sed neque cauſa indicatur, cur ipſe *cum inteſtinis, loco ſuo naturali relicto*, *hypogaſtrium occupaſſet*, nec quæ inuſitatæ huic ſedi incommoda in vivente reſponderent: quas ob cauſas ſciens omitto alias, minoris præſertim, deſcenſus Obſervationes. Quæ autem nuper adnotavit Cl. Vir Molinellius (*m*), ad conjunctum potius morbum alterum, ut opinor, attinebant, videlicet ad ingentem, durumque tumorem, initium prorſus occludentem Duodeni inteſtini, unde non ſolum difficillimus, ac diuturnus omnium vomitus, & macies ſumma, & ictericus color, verum etiam ventriculi repeti poteſt *magnitudo* illa *tanta*, *ut ad regionem uſque pubis deſcenderet & hypogaſtrium occuparet fere totum*, ut & œſophagi juſto major longitudo, & quod conſequitur, *ventriculi prolapſus*. Namque ut ob illius tumoris pondus annexus pylorus depreſſior erat, ſic ob viæ ab hoc ad inteſtina occluſionem, cibi, potioneſque tum diutius immorando, ventriculum amplificaverant, tum denique ſæpius irritando, & in violentas contractiones, quod difficillima vomitio indicabat, adigendo, connexum cum altero orificio œſophagum diſtraxerant, & longiorem fecerant; ut in hoc caſu ad ventriculi magnitudinem prolapſus acceſſerit, iſque a cauſis deorſum non compellentibus, ſed trahentibus.

Nunc Valſalvæ Obſervatio, ſi cum his omnibus Obſervationibus conferatur, quam rara fuerit, apparebit.

16. Valſalva igitur non partem ventriculi aut ob auctam magnitudinem, aut ob mutatum alterius extremi ſitum, ſed totum fundum in hypogaſtrio, non in regione umbilicali, deprehendit. Convulſiones viſcerum quæ ventre continentur, graviſſime huc illum detraxerant, eam partem extenuando, eoque longiorem efficiendo, quæ gulæ continuatur. Nam etſi Molinellius (*n*) gulam ipſam factam longiorem vidit, Fantonus autem pater in prima (*o*) de duabus quas commemoravi, Obſervationibus crebras adnotavit ægrotantis querelas de lingua quæ ſibi baſim verſus retrahi videbatur, indicio haud obſcuro, ut Filius Doctiſſimus interpretatus eſt (*p*), deorſum tracti productique œſophagi, nec facile tantæ longitudinis quam Valſalva conſpexit, pars aliqua rapto ad inferiora œſophago neganda eſt; tamen quando illum ipſe agnovit ad ventriculum attinere, inficiari non decet, huic multo maxima ex parte fuiſſe tribuendam. Quod niſi ob hæc quæ modo animadverſa ſunt a nobis, diſcrimina ſingularis eſſet inter cæteras Valſalvæ Obſervatio; certe ob illud eſſet, quod cum in cæteris ſimul aliquæ aliæ peſſime affectæ erant ventris Partes, ut omentum, jecur, ren alter, pancreas, Duodenum, aliudve inteſtinum, & ; ne ventriculi ipſius noxas alias omittamus; aut pylorus pene obſtructus, aut parietes omnes maxime laxati; in Valſalvæ Obſervatione nihil horum, ſed, dempta illa ſupremæ ventriculi partis productione, quidquid erat vitii, in hujus prolapſu viſceris conſiſtebat; ut ad peculiaria hujus morbi addiſcenda ſigna facta eſſe videatur. Quæ ſane ita in ea expreſſa, & perſpicua ſunt, ut difficultas quæ major a nobis in hoc fuiſſe, quam in dignoſcendo tumore uteri, dicta eſt (*q*), non ex indiciorum obſcura ſignificatione, ſed ex indicati morbi raritate ſit æſtimanda. Verum nec raritas ipſa poteſt ſagacitati eorum obſtare qui ſolerter ſigna inquirere ſciant, atque perpendere, quippe *in ſectionibus*, ut Valſalva erat, *ac in operationum atque utilitatum internarum* Partium *inventionibus exercitati*: quæ duo Galenus (*r*), poſtquam docuerat, quemadmodum ipſe cujuſdam ventriculum parvum, & rotundum, alterius autem veſicam parvam, & prominentem, aliaque his obſcuriora cognoviſſet, in Medicis qui *facultatem dignoſcendi* talia *conſequi cuperent*, omnino requirebat.

17. Idem tamen paulo ante (*ſ*) docuerat, *quæ intra corpus ſunt*, *non omnia poſſe cognoſci*, & (*t*) quæ ſub ſenſum non cadunt, *ea tentare oportere quam maxime fieri poteſt*, *ſi non certiſſima ſcientia*, *artificioſa ſaltem conjectura comprehendere*: cumque hæc quæ retulimus, omnia de iis internis conſtitutionibus dixiſſet quæ ſunt a natura, mox (*u*) eas quæ ſunt a morbo, dignoſcendas eſſe, indicavit, *ex operationum læſionibus*, *aut his quæ excernuntur*, *aut doloribus*, *aut tumoribus præter naturam*, *aut horum quibuſdam*, *vel omnibus*. Et docte quidem, ut tantum decebat Magiſtrum, monſtrati ſic nobis ſunt loci, & quaſi fontes ſignorum. Sed ea ſæpe implicatio morborum eſt, is Partium conſenſus, atque vicinitas, ut raro *certiſſima* illa *ſcientia* ſperanda ſit; crebrius *artificioſa conjectura tentanda*, & modeſte verecundeque proponenda. Quod cum alias facere conſuevi, tum in quibuſdam non ita pervulgatis caſibus mihi faciendum exiſtimavi, qui inter illos erunt quos jam tibi eo ordine ſubjiciam, ut iis qui ex Valſalva propoſiti ſunt, ſi non tumorum natura, & ſede, at regione ſaltem media, aut ima quam in ventre occupabant tumores ipſi, reſpondeant: quanquam is unde initium ſumam, paulo altiorem ex parte obtinebat locum, neque ab uno (*x*) eorum qui ſupra deſcripti ſunt, natura diſcrepabat, ſi modo aneuryſma in illo, & in hoc noſtro agnoſcendum eſſet, in quorum altero ob hiſtoriæ ſignorum brevitatem, in altero ob nullam conſecutam ſectionem rem pro certa affirmare non licet.

18. Honeſta, & pia Virgo annos nata quatuor & quadraginta, cui ſanguis hactenus ſingulis menſibus ubertim per uterum reſponderat, cum fluere uno jam, atque altero menſe omnino intermiſiſſet, queri cœpit de palpebrarum, & oculorum pruritu, & de brevibus quidem, ſed recurrentibus, cordis, ut ipſa quidem ajebat, palpitationibus. Cum hæ repente graviores factæ eſſent, & aſſiduæ; advocamur. Tum ægra ut earum nobis ſedem indicet, non pectus ſibi, ſed epigaſtrium tangit. Manum huic imponimus, & durum quoddam, ac grande corpus magno impetu vibrari, & manum ferire, percipimus. Ingentem dixiſſes aneuryſmatis ſubeſſe tumorem, identidem pulſationes ingeminantem, occupantem autem non modicam in medio partem & ſupremæ, & proximæ ventris regionem. Nec aliter aliis viſum eſt. Mihi vero cum iis conveniebat quidem, nihil ad cor eas pulſationes attinere, quippe cum in pectore nulla eſſet vibratio, nihilque pulſus, utroque in carpo tentati, oſtenderent quod a naturali modo abeſſet,

(*c*) Act. N. C. Tom. 6. Obſ. 149. (*d*) n. 14. in fin. (*e*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1701. Obſ. 5.
(*f*) De corp. hum. fabr. l. 5. c. 4. (*g*) Epiſt. de Hern. Dorſal. (*h*) Epiſt. 17. n. 25. (*i*) Epiſt. 21. n. 24.
(*k*) Obſ. Med. Anat. 5. & 24. (*l*) Obſ. Anat. Chir. 56. (*m*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 2. P. I. in Medic.
(*n*) n. 15. in fin. (*o*) Obſ. 5. (*p*) Schol. ad eand. Obſ. (*q*) n. 13. in fin. (*r*) Art. Med. c. 74.
(*ſ*) c. 71. (*t*) c. 72. (*u*) c. 75. (*x*) n. 9.

eſſet, niſi quod paulo eſſent frequentiores. Sed de aneuryſmate aſſentiri non poteram cum propter alia, tum præſertim quia pulſationum illarum tempora minime cum pulſuum temporibus congruebant. Erant enim valde inæqualia earum intervalla, ut vis quoque; nam ſæpius validiſſimo impetu, interdum & minus valido feriebatur manus, cum interim nihil in pulſibus ad carpos mutaretur. Longe tamen facilius erat dicere quid non eſſe, quam quid eſſe videretur is tumor ingens, & durus, ut antea indicatum eſt, & quaſi circuli ambitu comprehenſus, qui a lumborum vertebris ſubinde ſe attollebat ad feriendam manum, continuo autem ſe ita ſubducebat, ut vel in gracili Virgine haud proclive eſſet deprehendere quo ſe retraxiſſet, donec iterum ſe extolleret, manumque percuteret. Quanquam autem illud erat obvium, in hyſtericarum mulierum ventre quoſdam haud raro quaſi globos percipi, qui ab inferioribus aſcendentes, eas male habeant; ex adverſo non minus erat obvium, cum ejuſmodi pulſationibus illos non conjungi, ut aneuryſmata repræſentent. Attamen & hoc, & cæteris quæ contra dici poſſent, animo percurſis, & iis ſimul animadverſis quæ rara ſæpenumero, & præter opinionem illis in mulieribus occurrunt, eo inclinari me ſenſi, ut conjicerem, quidquid illic eſſet, ad affectum hyſterico-convulſivum facile poſſe revocari. Sed mea vix indicata conjectura, omnique, ut ad ægrotantium lectulos conſuevi facere, cum de remedio alioquin convenit, omiſſa controverſia; ſanguinem ut mitterent, ſicuti evidens prægreſſa cauſa requirebat, continuo aſſenſus ſum. Quo facto, ita ægra melius ſe habere cœpit, ut poſtridie nulla amplius ſupereſſet palpitatio. De qua nunquam certe ad menſes quatuor, aut quinque quibus ego in Patria poſtea manſi donec A. 1711. huc ad tradendam Medicinam venirem, illa amplius queſta eſt. Quo autem morbo aliquot poſt annis ſublata ſit, cum hic eſſem, neque ejus cadaver diſſecuerint, pro certo ſcire non potui.

19. Arteriæ quæ, ſi in aneuryſma dilatentur, pulſationem poſſint nimiam edere in ea ventris ſede quæ in propoſita hiſtoria indicata eſt, Cœliaca ſunt cum craſſioribus ejus ramis, Meſenterica Superior, Emulgens dextera, & Arteria Magna: ſed hæc multo omnium ſæpiſſime, rariſſime autem reliquæ, ſi excipias Cœliacam. Nam ad cauſas cæteris communes, ut puta eroſionem, conſtrictionem, aliaſque ejuſmodi, peculiarem inſuper Cœliacæ mecum addes, ubi animadverteris crebros illos tortuoſos flexus per quos in Splenico ejus ramo ut ſanguinis curſus ad lienem retardatur, ſic in ortos ante illa obſtacula ramos, in ipſumque Splenici initium, & perbrevem Cœliacæ truncum tum magna pars ſanguinis, tum hujus impetus reflectitur, ut ſi aliqua ex aliis accedat cauſis, quæ gravius, & diutius agat, facilius aneuryſma naſcatur. Sed etſi tot ibi ſint arteriæ, nec una cauſa ob quam dilatentur; plura quoque ſunt quæ cautos reddere nos debeant, ne pulſationem aliquando pro aneuryſmatis jam orti indicio perperam accipiamus. Primum eſt grandis macies, ut ex iis etiam colligimus quæ olim Berengarius (*y*) admonuit, ut aliam redargueret quorumdam Medicorum in emaciata muliere deceptionem. *Mediante magna arteria*, inquit, *maxime in corporibus extenuatis*, *percipitur magna pulſatio in regione ſtomachi*, *& inteſtinorum*. Nec dubitavit Proſper Martianus (*z*) vel maximam illam pulſationem ſic explicare quæ in eadem prorſus ſede in qua noſtræ Virgini, Eratolai filio fuiſſe ſcribitur libro VII. Epidemiorum (*a*) his verbis: *in medio umbilici*, *& oſſis pectoris*, *circa hanc regionem appoſita manu*, *talis erat palpitatio*, *qualis neque a curſu*, *neque a pavore circa cor generari poſſet*. Hæc autem de Martiani ſententia, *nihil aliud erat*, *quam motus arteriæ magnæ*, *qui in aliis a carne interjecta obſcuratur compeſciturque*; ſed in ægro illo, quippe macie extrema confecto, ita erat eorum imminuta craſſitudo quæ inter manum, & arteriam interjiciuntur, ut hæc *& facilius elevaretur*, *& perciperetur magis*: *& quamvis id omnibus arteriis corporis ſit commune*, *obſervatur nihilominus frequentius*, inquit, *in medio umbilici*, *ac oſſis pectoris*, nimirum quia nuſquam major arteriæ truncus manui nullo oſſe interjecto ſubjiciatur: eodemque loco aliæ, paulo ante memoratæ, pulſant arteriæ. Alterum unde falli Medici ex pulſatione poſſent, multiplex quidem eſt: ſed ab eodem Martiano (*b*) ad plenitudinem contrahitur ſive ea ſit in arteriis, ſive in venis, ſive in carne, quæ arteriis appoſitæ, ipſaſque *comprimentes*, efficiant, ut *majori impetu* eleventur, cujus rei exempla affert in magnis inflammationibus, & in iis tumoribus qui ad ſuppurationem tendunt. Præiverat autem Valleſius (*c*) in hiſtoriæ enarratione ægri illius de quo modo dictum eſt. *Fit multis ægrotantibus*, inquit, *eo in* ventris *loco pulſus quidam inſignis*, *ejus arteriæ quæ per ſpinam deſcendit*, *ob affectum phlegmonoſum ejus loci*, *qui quidem pulſus aliquando fit in acutis morbis*, ... *aliquando etiam manet poſt acutos morbos* .... *fitque affectio eo loco cancroſa*. Sed etiam ubi durum corpus aliquod arterias premat, pulſationem harum percipi, ſupra (*d*) docuerat, explicans cur uxoris Gorgiæ, cui multo diutius quam noſtræ Virgini, ſuppreſſi erant menſes, *quoqueverſus* illa *converteretur*, *pulſus* in ventre perciperetur, *& pondus*. Nam *duratus uterus*, inquit, *velut alienum pondus*, *fertur quocunque convertitur corpus*, *& arteriæ quæ comprimuntur*, *nitentes ſe ſe efferre*, *ſentiuntur pulſare*. Quam doctrinam deinceps ſecuti Medici animadverterunt, ut in Sepulchreto (*e*) etiam vides, compreſſa ab inſigni pancreatis, aut glandularum meſenterii obſtructione atque turgentia arteria Cœliaca, aut Magna, violentam percipi, ut ſæpe in hypochondriacis, aliiſve, pulſationem.

20. Quæ, & alia his analoga ſi ad Virginem transferas de qua dictum eſt; primum cognoſces, deſcriptam in ea pulſationem non ob maciem; erat enim gracilis, non extenuata; perceptam eſſe. Deinde etſi plenitudo erat aliqua ob menſtruum ſanguinem haud fluentem; non ab illa tamen dumtaxat fuiſſe; neque enim in eo uno fuiſſet loco: nec vero ab inflammatione, aut tumore qui ad ſuppurationem vergeret, neque demum ab inſigni pancreatis, aut meſaraicarum glandularum obſtructione, quorum omnium morborum nulla erant indicia. Reliquum eſt igitur, cum hæ, aliæque his ſimiles comprimentes cauſæ abeſſent, ut pulſatio eſſet aut ab alia cauſa aliqua, aut ab aneuryſmate. Ut hoc credi poſſet, faciebat a primo ampla moles corporis manum impoſitam percutientis. Quod ſi, ut Albertinus (*f*) ſcripſit, *pluries* ipſe *indicavit ex eo quod vaſis diametrum non auctam perciperet*, *validas*, *aſſiduaſque arteriæ cœliacæ*, *vel aortæ in abdomine pulſationes fuiſſe ſine dilatatione*, nec ipſius *judicium eventus fefellit*; videbatur hic e contrario, dilatatio non deeſſe, quando pulſantis corporis tanta diameter ſentiebatur. Veruntamen fatendum eſt, non æque facile eſſe in hoc altero judicio interdum non falli, cum videlicet latum corpus quo manus pulſatur, & dilatata arteria eſſe poſſit, & tumor, arteriæ impoſitus minime dilatatæ. Nam ſi arteria grandior ſit, & a comprimente tumore ad vehementius pulſandum coacta, hunc ipſum, quem non æquo graviorem ponimus, attollet ſecum, & contra Medici urgebit manum. Hoc quod omnes ita vident, ut negare poſſit nemo, aliquando in ipſis exterioribus contingens partibus ſuſpenſos Chirurgos tenet, velut hic in puellæ cujuſdam collo tenebat mediocris tumor, adeo contiguus ſiniſtræ arteriæ Carotidi, ut hujus, quam comprimebat, & validiores pulſationes efficeret, & cum ipſa pulſaret. Erat tamen, ut diligentior perquiſitio, & integra ſanatio demonſtrarunt, totus in tumida quadam, & pure intus jam plena, glandula Jugulari. Sic etiam ob pulſationem quæ ſub bronchocele perſentiebatur, complures

---

(*y*) Comment. 9. ſuper Anat. Mundini. (*z*) Annot. ad verſ. 55. Sect. 2. Coacar. Prænot. (*a*) n. 3.
(*b*) Annot. modo cit. (*c*) Comment. in l. 7. Epidem. n. 4. (*d*) in l. 5. n. 11. (*e*) l. 1. S. 9. in Schol. ad Obſ. 38.
(*f*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 1. in Opuſc.

plures eum rumorem aneuryſma eſſe, exiſtimaverant, quem Severinus (*g*) ſicuti ob compreſſas arterias Carotides pulſare, crediderat, ita poſt mortem diſſecando, ait, veram ſe opinionem ſuam oſtendiſſe. Quod ſi vel exterius non deeſt errandi periculum; quanto erit magis in iis Partibus quæ alte inter viſcera conditæ ſunt? Vide, ut ingenuitate nunquam ſatis commendanda Cl. Viri Jo. Phil. Burggrafius (*h*), & Petrus Tabarranus (*i*) memoriæ tradiderint quæ ipſis contigere. Ille pulſationem ab umbilico ad cordis uſque ſcrobiculum pertinentem, & tantam, ut ſæpe ab adſtantibus audiri poſſet, triginta autem & quatuor ipſos annos perdurantem cum non ab legitimo arteriæ, in meſenterio inſignis, aneuryſmate, quippe ejus diametro vix paulo amplificata, ſed ab ſpurio, ut Lanciſius vocabat, fieri poſſe, ſuſpicaretur, idque ob nimiam diuturnitatem inſanabile exiſtimaret; datis poſt tot aliorum, incaſſum adhibita, remedia nonnullis quæ interea humorum cruditatem ſaltem corrigerent, præter omnem ſpem vidit pulſationem intra non longum tempus feliciſſime ſublatam. Tabarranus vero ſub regione epigaſtrica non pulſationem modo, ſed & tumorem pugni magnitudine cum deprehendiſſet, eaque cum cæteris aneuryſmatis legitimi notis conjuncta; miratus eſt poſtquam hujus loco ſcirrhoſum dumtaxat ad meſenterii centrum tumorem conſpexit, vaſis Magnis tam arcte adhærentem, ut Aortam non comprimere, ejuſque pulſationibus non attolli non poſſet. Hæ te Obſervationes juvare poterunt; me cum de Virgine illa quam deſcripſi, ageretur, non poterant, non ſolum quia tot luſtris poſt editæ, ſed & quia pulſationes in utraque Obſervatione eodem prorſus tempore quo in arteriis cæteris, fiebant. Aliis igitur quas paulo ante attigi, dubitationibus adductus ad cætera inquirenda, nec tantum aneuryſma, quantum eſſe illud debuiſſet, fieri potuiſſe, intellexi, tam brevi tempore, ac ſine ullis gravioribus, quæ præceſſiſſent, aut ſubſequerentur, incommodis, & pulſationes minime arteriarum motui reſpondentes, in aneuryſmate eſſe non poſſe. Itaque ad aliam potius cauſam rem cenſui attinere. Scilicet, ut preſſius ſupra innui, ad hyſtericas internas convulſiones, quæ hic illic inteſtina quædam, & meſentericos Aortæ ramos per inæqualia temporis intervalla majori vi conſtringentes, ſimul ex inteſtinis illis quaſi globum quendam efficerent, coercito, rareſactoque aere diſtentum, ſimul Aortam, ut pote impedito ex ea ſanguinis in meſentericos ramos effluxu, vehementius pulſare ſubinde cogerent, & impoſitum globum impellere. Sed quoniam per diſſectionem, ut dixi, minime licuit, non ſubfuiſſe ei tumori ullam arteriarum dilatationem demonſtrare; ad alium tumorem veniam, eadem in ſede poſitum, ſed permanentem hunc quidem, & per anatomen exploratum. Qui cum ex rarioribus fuerit, & in ea Perſona, & iis diſcrepantium opinionum controverſiis agitatus, ut paucis ejus hiſtoria nec comprehendi poſſit, nec debeat; non miraberis, ſi hanc fuſius, quam ſoleo, partite, ac diligenter proponam.

21. FORTUNATUS MAUROCENUS, quem ab Illuſtribus in Veneta Republica Muneribus, Ampliſſimaque Domo (erat enim Franciſci Ducis qui ex ſubacta Peloponeſo cognomen invenit, Fratris filius) Religionis amor in Venerabilem Caſinenſium Monachorum Familiam traduxerat, Merita autem ex hac ad Tarviſinum, & deinde ad Brixianum Epiſcopatum evexerant; jam inde ex quo propter novum vitæ genus, rarius in publicum prodire, ut plurimum autem, cum totus eſſet in Sacrorum librorum lectione, ſedere aſſueverat, paulatim hypochondriacæ affectioni, & ſanguinis per hæmorrhoides fluxui obnoxius factus, tamen, hoc intra modum recurrente, vel magis quam vellet, ſanus vixit, pinguiori videlicet corpore, præſertim autem abdomine, donec ætate increſcente, is fluxus primum minui, deinde jam nullus eſſe incepit. Namque eo imminuto, dolores quidam ventris, quos a flatibus eſſe, credebat, moleſtiam interdum creabant, ſæpe repentini, & momentarii, nonnunquam paulo longiores. Ubi vero anno jam ſexageſimo emenſo, nihil amplius fluebat ſanguinis, moleſtiores fieri cœperunt, autumno præſertim, quem ultimum vidit, anni 1726. quo tempore etiam ex febribus laboravit. Sed has cortex Peruvianus compeſcuit; illos opportune effluens rurſus ex hæmorrhoidibus ſanguis levavit. Inſecuta hyeme, cum iterum, ac tertio & febres, & dolores rediiſſent; eodem ſuperveniente fluxu levatus eſt ſemper, nunquam perſanatus: quin ea tempeſtate primum animadverti cœpta eſt durities in ventre quædam, & rumor. Ob has cauſas proximo vere Brixia Patavium ſe contulit. Erat cum cæteris incommodis alvi adſtrictio conjuncta. Quem ut primum, & leviter ſolveret, cum ſenior Medicus rhabarbarum mandendum, *paſſulis* admiſtum, interdum daret, indeque æger ſibi paulo melius habere videretur; additis ab ſeniore altero Medico remediis validioribus, pejus habuit, quemadmodum & ab aliis quæ data ſunt ad alvum movendam, ægro clyſmata averſante. Sed & quidquid auxiliorum, alio ſpectantium, exhiberetur, cum vix ſemel, aut iterum ſumpſiſſet, reſpuebat, videlicet cogente ventriculo, qui jam crebro interea vomitionibus ſubverſus contumaciſſimis, & nulli cedentibus remediorum generi, cibos, potioneſque rejiciebat aut cito, aut ſiquid diutius retineret, ut coctum pomum quod retinuit horas octo & quadraginta, ſæpius tamen evomebat nihil mutatum. Præter cibum, aquam etiam ejiciebat multam, ut humoris qui ſumptus fuerat, menſuram ſuperaret, eamque nullo ſapore, aut colore præditam: neque in tam crebris vomitionibus quidquam unquam aut amari perceptum, aut colorati, ſi cibos excipias, animadverſum eſt. Cum hæc, atque alia, & tumor potiſſimum, de quo mox dicetur, Medicos terrerent; venit huc Venetiis Vir Summus Michael Maurocenus, Præſulis Frater, Eques, & Senator Præſtantiſſimus, treſque alios Medicos, in quibus & ego fui, advocari juſſit, ut ægro inſpecto, conſilia cum hujus Medicis conferrent. Invenimus ab aliquot jam diebus lecto affixum, facie, & artubus extenuatum, carnibus, ut ſanorum, tepidis, pulſibus autem paulo frequentioribus: quæ duo ita ſemper eſſe, nobis ejus Medici confirmarunt, niſi quod pulſuum crebritas paululum ad veſperam, noctuque augeretur. Præcipue a nobis petitum eſt, ut tumorem accurate examinaremus. Erat is non tactus modo, ſed & viſus; nam ſub hunc quoque cadebat; judicio, circuli fere ambitu, cujus diameter transverſos octo æquabat digitos, medius inter Enſiformem cartilaginem, & umbilicum locatus ſic, ut aliquanto ſpatio; ea erat pinguis ventris prominentia; ab utroque diſtaret, modice ab ambitu medium verſus aſſurgens, cute autem ejuſdem ac alibi, coloris obductus. Si contrectares; tuberoſum inæqualiter tota ſuperficie, ambituque ipſo tumorem ſentiebas non ſecus, ac ſi ex glandulolis corporibus eſſet compactus, quod & renixus, ſi premeres, confirmare videbatur. Cum premeres, itemque cum flatibus æger vexaretur, doloris ſenſus, non tamen vehementis, in tumore oriebatur: præter quos caſus nulla erat de eo querela, niſi tanquam de impedimento quodam, fixaque, ſed levi, moleſtia. Utraque manu tumoris latera comprehendens, facile ipſum huc illucque ducebam. Neque erat difficile cognoſcere non eſſe in ventris parietibus; ſed his tamen eſſe quam proximum. Cum quæ erant ſupra, infra, ad latera tumoris, manu diligenter explorarem; niſi quod infra umbilicum, Medicis, ægroque negantibus, quidquam ibi eſſe præter naturam, explorare non perrexi; nihil, quantum per interjectam abdominis pinguedinem licebat, nihil, inquam, renitens, nihil durum, nihil inæquale, nihil quod preſſum moleſtiam crearet, perceptum eſt. His, & lotio, in quo non erat quod culpares, & aqua de qua dictum eſt, vomitu rejecta, & ſiquid videbatur præterea inſpiciendum, aut interrogandum, ſatis cognitis, cæteris autem quæ

ſupra

(*g*) De recond. Abſceſſ. nat. l. 4. c. 6. (*h*) Act. N. C. Tom. 6. Obſ. 131. (*i*) Obſ. Anat. Edit. 2. n. IX.

ſupra tibi expoſita ſunt, a Medicis, & Præſule ipſo auditis, ad conferenda inter nos conſilia coram Senatore illo Ampliſſimo, ac permultis aliis ſive dignitate, & doctrina præſtantibus Viris, ſive Rei Medicæ ſtudioſis, ſeceſſimus.

22. Ibi ex Medicis qui curationi præerant, alter de tumoris natura, & ſede multa diſſeruit, quorum hæc ſumma fuit; Tumorem a ſe credi ſcirrhum, ſed illegitimum, quod compreſſus doleret: ſedem autem habere aut in omento, quia & mobilis, & extimus eſſet; aut ſi quis mallet, in meſenterio; nam & hoc mobile, & magna illa præditum glandula, quam Aſellii pancreas vocant, cujus tumor excreſcere poſſet adeo, ut ad ventris anteriora perveniat, quemadmodum ſe vidiſſe in quodam cadavere, ajebat (quaſi vero aut id pancreas in homine eſſet, aut glandulæ tumorem ad immobile meſenterii centrum, ut pancreas illud, poſitæ, ſic totum ducere in alterutrum latus manu liceret:) Quod ad pertinaces vomitiones ſpectaret, videri eſſe in pylori annulo excreſcentiam quandam, obſtantem alimentis illac tranſituris; hæc autem retenta ventriculum irritare; certe cauſam vomitus ultra eum annulum non eſſe, quod nullum unquam appareret in rejectis indicium bilis. Itaque ob vomitiones maciem demum ſummam, & lentam mortem vitari non poſſe; ob tumorem autem etiam citam, purulenta ex eo materia una cum ſanguine in ventrem effuſa. Attamen ſi quid a Medico præſtari adhuc poſſet, non auxiliis exterius adhibitis, ſed internis eſſe tentandum. Nam de mittendo ex hæmorrhoidibus ſanguine antequam vires fatiſcerent, ſe cogitante, ægrum abnuiſſe: nunc viribus jam fatiſcentibus, locum amplius non eſſe. Tumori autem quæ antea fuiſſent impoſita, non modo ut inutilia, verum etiam ut gravia, & moleſta, ægrotantem rejeciſſe: quamobrem vitatis omnibus quæ pus movendi vim haberent, ceratum Noribergenſe ab ſe quidem commodius exiſtimari; ſed omnino internis remediis eſſe nitendum, iis videlicet quæ validius & inciderent, & diſſolverent, & quæ alvum magis quam rhabarbarum, & multo magis quæ urinam moverent. Ad hæc præſtanda cum plura, & valentiora, ut ſolebat, laudaret; mercurialia quoque, & chalybeata, ſi ferri poſſent, neque a nobis, quibus conſideranda proponeret, improbarentur, ſibi quidem convenientia videri, dixit. Poſt quem ejus Socius, cætera tranſmittens, niſi quod jecur inſuper, & lienem obſtructa credidit, pauca quidem verba fecit; ſed de remediis multum diſſenſit, negans, aliud quam rhabarbarum ſibi proponere licere, quo uno uſus eſſet antea ſine incommodo, cum alia quæ eſſent addita, omnia magna cum moleſtia, nec ſine detrimento vidiſſet adhibita.

Tum eorum qui mecum venerant, alter aliquanto plura locutus, de tumoris natura, & ſede in omento, & de excreſcentia in pylori annulo quæ prior dixerat, minatuſque fuerat, diſerte probavit: de remediis ab utroque diſſedit. Rejecit enim purgantia quæ vocant, omnia, ipſumque rhabarbarum: lignorum, ut loquuntur, decoctum cum modica viperæ portione, niſi forte ob febrim hæc calidior videretur, propoſuit.

23. Ego vero etſi quatuor potiſſimum eſſe, dixi, quæ attendi a nobis oporteret, tumorem, vomitum, maciem, febrim; eos tamen qui ante me locuti eſſent, laudavi, quod tumorem ſpectaſſent præcipue, qui ut reliqua anteceſſiſſet, ita eorum cauſa videri poſſet. Tumoris autem ipſius cauſam a me quidem credi in ſanguinis per venam Portarum minus expedito motu eſſe facile agnoſcendam, quem diuturna ſeſſio, affectio hypochondriaca, ſanguinis per hæmorrhoides fluxus, utilis, cum fuit, aut rediit, noxius cum decrevit, aut deſiit, non obſcure ſignificarent. Ab retardato igitur eo motu irritationes ortas, & criſpaturas, & dolores, & tumoris initium denique in aliqua earum Partium, a quibus rediens ſanguis in eam venam eſt excipiendus. Eſſe autem illas, præter omentum, & meſenterium, alias quoque, præcipue autem inteſtina, magis ſane quam meſaræum, vicina tangentium manibus, nec minus, quam iis annexæ meſaræi partes, imo vel magis quam eæ præſertim quæ centro ipſius ſunt propiores, huc illùcque mobilia. Huc illud accedere quod ſic facilius tum diuturnæ alvi adſtrictionis, tum fortaſſe etiam tam crebri qui ad hanc acceſſerat, vomitus, poſſemus rationem proferre. Conſtrictis enim iis quæ in iſta ventris regione ſunt, inteſtinis Tenuibus, non viæ diametrum dumtaxat, & periſtaltici motus vim minui; ſed & irritamenti aliquid ad proximum, continuatumque ventriculum non difficile propagari. Quin dolorem etiam qui manu premendo, aut ſaltem qui vexantibus flatibus, ibi fiebat, dilucidius intelligi, ſi tumorem ad ipſa inteſtina attinere, conjiceremus. Veruntamen non hæc a me dici, quaſi aliorum ſententiæ conjecturam præferrem meam, quam omnium judicio ſubjicerem, nihil ipſe, ut in re ardua, & perobſcura, definiens, ideoque nec quod aliis viſum eſſet, contemnens. Nam etſi magnos in omento tumores ſine doloris commemoratione legere (*k*) conſueviſſem, imo in Medici uxore, aliis conſentientibus, agnoviſſem optime nutrita, & colorata, omniſque incommodi, nedum, ſi premeres, doloris experte; poſſe tamen aliquando eſſe ejuſmodi in omento tumoris naturam, duritiem, & formam, ut premendo, aut in ipſo, aut in contiguis Partibus dolor excitetur: qua de re non dubitaſſe ſcirem Viros Doctos (*l*). De grandibus autem meſenterii tumoribus, quod detruſis ad latera inteſtinis, & omento, ſubſint ipſi anterioribus ventris parietibus, hoſque contingant, non una poſſe Medicorum, & Anatomicorum Obſervatione (*m*) confirmari. Porro augeri difficultatem veræ ſedis tumorum internoſcendæ in hujuſmodi pinguibus, amplis, & inteſtinorum cruciatui obnoxiis ventribus. Nam præterquam quod multa inter manum, & viſcera interjecta pinguedo obſtat explorationi, eſſe in his ventribus haud raro viſcera, & inteſtina præſertim aliqua, extra ſuas ſedes retracta, aut compulſa. Sed ut non una eſſe poſſet doloris ſedes; ſic & contumaciſſimi vomitus varias eſſe poſſe cauſas. Nec me quidem fugere, ex ipſo pylori annulo interdum excreſcentiam quandam ſe attollere, qualem & ipſe nonnunquam vidiſſem, quæ ſi ſatis magna ſit, ut in Medico, Amicis noto ſteatoma quoddam fuit, alimentis tranſitum intercludat: ſed tamen non ignorare, tot in eo loco, aut prope eum locum tum intus, tum extra eſſe poſſe cauſas idem efficientes, ut ſi vel multas enumeremus, veram fortaſſe non aſſequamur. Exempli enim gratia, duris undique circa eum locum, & craſſis factis ventriculi tunicis, viam anguſtiorem fieri, alimenta non propelli, quale genus vitii fuiſſet Patavii in pio Sacerdote deprehenſum, non modo in aliis de quibus cum alibi (*n*), tum in Sepulchreto (*o*) legiſſem. Atque, ut ſilerem, eundem prorſus effectum fore, ſi ex commemoratis vitiis aliquod propiorem ventriculo obſideret Duodeni inteſtini partem (*p*), certe in eodem Sepulchreto extare Obſervationem quandam (*q*), non valde, ſi probe meminiſſem, diſſimilem ejus de quo loqueremur, caſus, ut ſermo de tumore omenti habitus eam mihi ad memoriam revocaſſet, quippe cum omentum grandem ex duriſſima pinguedine tumorem in epigaſtrio haberet, ſimili circumjecta materia pylorus adeo conſtringebatur, ut hinc inſanabilis vomitus, pertinax alvi adſtrictio, & macies contigiſſent.

De qua non eſſe opus multa dicere in eo qui non modo alimenta, ſed plus etiam rejiceret humoris, quam ſumeret, ſive ea aqua ex ſaliva eſſet quæ multa in ventriculum ſæpe inanem deſcenderet, ſive etiam ex hujus tunicis per crebros vomendi conatus exprimeretur: quanquam inſuper chyli, ex perpaucis confecti quæ inteſtina ſubirent, partem aliquam intercipere poſſet tumor qui aut ad illa, aut ad meſenterium atti-

---

(*k*) Wharton. Adenogr. c. 12. Vid. etiam ſuis locis pleraſque Obſerv. indicatas in hac Sepulchr. Sect. 21. ſub Obſ. 33. itemque in Additam. Obſ. 73. 80. 85. 88. (*l*) Vid. Sect. modo cit. Schol. ad Obſ. 54 & in Addit. Obſ. 80. verſ. fi.
(*m*) Vid. River. Prax. Med. l. 13. c. 5; Wharton. l. cit. c. 11; Scultet. Armam. Chir. Obſ. 62. & cæt.
(*n*) Vid. Epiſt. 30. n. 13. (*o*) l. 3. S. 8. Obſ. 17. & ſeq. (*p*) Vid. confirmatum Epiſt. 30. n. 12.
(*q*) l. cit. S. 21. Obſ. 80.

attineret: Quo ex tumore, aut certe quem ob tumorem quædam in ventre moram trahentia, eoque vitiata, ubi in ſanguinem rediiſsent, ita cor irritare, atque arterias poſse, ut hac denique, aut ſimili ratione aliqua conjicere licerem febris originem.
Ex his quæ hactenus dixeram de quatuor initio propoſitis, etſi apparebat, in quibus a cæteris diſcreparem; tamen erat facile intelligere, non poſse me in eo diſsentire quod morbum ſtatuerant inſanabilem. Idque ultro faſsus ſum: hoc tantum diſerte addidi, timere me, ne alia potius ratione quam per effuſionem puris, cujus tunc procul eſsent indicia, tumor interitum afferret. In morbo igitur inſanabili dandam operam, ut quæ accelerare mortem poſsent, iis quo ad fieri liceret, obſtando, vita diutius produceretur. In illis non una ratione eſse vomitum, maciem afferendo, vires minuendo, tumorem concutiendo. Vomitus autem ſi cauſa præcipua tolli non poſset; at poſse alteram minui, quæ ex parte aliqua fortaſse, ut ſolet, ipſum foveret, alvi adſtrictionem. Exorandum omnino eſse Præſulem, ut clyſteres admitteret, id præſtituros, aut, ſi inutiliter præſtarent, nutrituros. Quod ſi perſtaret in recuſandi propoſito, & ſi rhabarbarum ſine ullo revera incommodo ſic ſatis alvum antea ſolviſset; me non quod probarem, ſed quod cætera partim non convenirent, partim manifeſto nocerent, neceſſitate ipſa adductum, atque coactum non abnuere. Cæterum irritantia, & injucunda omnia eſse fugienda, eaque etiam de cauſa modicam me viperæ portionem haud improbare, quod, inſcio ægro, incoqui in juſculis poſset quibus nutriretur; niſi mallent aliquid de illius *gelatina* in his diſsolvere: neque enim donec levis adeo eſset febris, viperæ calorem, vel ſi tantus eſset quantum plerique credere videntur, in parva adeo alterutrius parte nocere poſse. Atque eadem fere a me dici de tantillo radicis aut ſarſæ parillæ, aut potius chinæ. Quod de mercurio injecta eſset mentio; primum non eas eſse ægri vires, ut de eo cogitaremus: quæ ſi eſsent; multo libentius ſecundum ea quæ de tumoris cauſa dixeram, modicam ſanguinis miſſionem probaturum me eſse ex hæmorrhoidibus: deinde ſi tumoris natura ea foret quam ipſi cenſerent, & quam inficiari non poſsem, tactus judicio indicatam videri quaſi ex ſcirrhoſis, ſtrumoſiſve glandulis; minus certe mercurium, quam millepedes convenire, eoque hos magis quod movere ſimul lotium poſsent, ſi id quidem e re eſset, ſicuti propoſitum fuerat. Sed nihil magis e re eſse, ut dixiſsem, quam vitam protrahere: idque factum iri, ſi ingrata omitterentur, gratiora, eademque nutrientia darentur. Ex his quæ diutius ſtomachus retineret, aut non tota rejiceret, diligenter attendendum, iiſque potiſſimum utendum.

24. Etſi ita brevis, ut plerumque in Medicis Colloquiis ſolitus ſum, eſse non potueram; longiori tamen oratione uſus eſt qui noviſſime verba fecit ſenior Vir, clariſque Profeſsor. Sermo ejus omnis huc rediit, ut tumoris naturam eandem quam cæteri, agnoſceret; ſedem haud aliam, quam meſenterium ſtatueret, omento; nam de inteſtinis nullam prorſus mentionem fecit; ob id maxime rejecto, quod ſenſu careret, ac ſine dolore incideretur. Cæterum inſanabilem morbum eſſe, confirmavit: medicamentoſa probavit alimenta, in his viperam diſerte: purgantia damnavit, & validiora remedia omnia: non ſic millepedes, ut quibus pauperis puellæ ſtrumas ſe perſanaſse, meminiſset. Habes eorum ſummam quæ in eo Colloquio dicta ſunt. Noli autem mirari, quod cum preſse indicaverim ſententiam quatuor Medicorum qui præ cæteris eo tempore hic florebant; fuerim in mea exponenda fuſior; ſic enim feci, ut in iis explicandis quæ poſt Præſulis mortem deprehenſa ſunt, poſſim eſse brevior. Ea contigit duodetrigeſimo circiter a Colloquio noſtro die. Sed inchoatam morbi hiſtoriam pertexamus.

25. Quid poſtea egerint Medici duo quibus ab initio fuerat commiſsa curatio, non quæſivi; neque enim poſt dictam ſententiam id ſoleo. Audivi tamen quod Patavii omnes, poſtridie rhabarbarum, ſed non intra priſtinum illum modum, ideoque non ſine ægri moleſtia, dediſſe. Ab hoc denique impetraſſe, ut clyſmata interdum adhiberentur: ſic aliquo cum levamine recrementa eduxiſſe. Poſtremo cum accidiſſet, ut biduum ſine ulla vomitione tranſigeretur, ſpem ægri ſervandi, neſcio ex quo fonte, in vulgus emanaſſe: quæ utinam rata eſſe potuiſſet. Verum mox rediiſſe vomitum, & vel pejora quam prius, omnia. Interea externus huc venit Medicus, populi opinione præſtantiſſimus: quem hic quidem rem deſperatam dixiſſe, ajebant; alibi autem addidiſſe, morbum mercurii ope potuiſſe ab ſe vinci, ſi antea veniſſet. Nec defuit qui, illo abeunte, ſe ſuo quodam remedio ſine ulla dubitatione victurum, ſponderet. Hoc erat infuſio, ut vocant, ligni nephritici, qua Venetiis quaſdam fortaſſe durities ventris diſcuſſerat. Aliquoties Præſuli dedit; ſed incaſſum. Jamque in dies aucta macie, viribus autem decreſcentibus, morbus ad finem properabat. Certa hora æger lodices poſcebat, quaſi frigeret; alia, non niſi leviſſima ferre poterat operimenta, ob æſtum videlicet, ſed interiorem; exterius enim tepidum ſemper, nunquam frigidum, nunquam calens corpus quiſquam percepit. Reſpiratio ſemper bona. Pulſus neque duri, neque intermittentes, neque ullo modo inæquales fuerant unquam: ſed frequentiſſimi facti erant diebus ultimis, & humiles adeo, ut a Medicorum altero nulli jam amplius eſſe crederentur. Acceſſerunt convulſivi tendinum ſubſultus, & leviſſimum interdum quaſi delirium. Diebus iiſdem ultimis vomitiones perdurabant; ſed amari, & graviſſime olentis humoris, & ſic nigreſcentis, ut ſanguinem aliqui eſſe putarent; ſed immiſſa charta poſtquam reſiccata eſſet, colore ex ſubviridi dilute flavo bilem fuiſſe oſtendit. Per hæc ventum eſt ad VIII. Kal. Quinctiles, quo die pomeridianis horis tam gravi correptus eſt paroxyſmo, ut tunc moriturum crederent. Evaſit tamen. Sed poſtero die ſimili paroxyſmo horis iiſdem redeunte, mente ſibi conſtans, humili autem voce pia quædam verba identidem proferens, cum ſe in alterum latus, quod ſuperioribus diebus facere ſine auxilio non poterat, per ſe convertiſſet, mox placide optimus Antiſtes ex hac vita migravit.

26. CADAVER cum eſſet condiendum prima nocte, ut triduo proximo juſta fierent, omnes qui conſilia contuleramus, advocati ſumus. Ibi cum ab Antiſtitis Medicis, & familiaribus Sacerdotibus ea accepiſſem quæ tibi de poſtremo morbi tempore pro certo retuli, mox inſpectantibus Sociis, & ſtudioſis bene multis, ipſe præfui diſſectioni. Abdomen, etſi macies artus multo magis, & faciem, quam ipſum extenuaverat, hactenus tamen ſubſederat, ut vel ab hac cauſa credi poſſet, tumorem magis quam antea videramus, extrorſum aſſurgere, & protuberare. Nihilominus ſub tota abdominis cute pinguedo erat alta digitos duos. Patefacto ventris cavo, in quod ſerum fuerat ſanguinolentum vix ad tres libras effuſum, duo ſimul omnium oculos in ſe converterunt. Hinc enim tumor, de quo adeo diſputatum fuerat, magni inſtar globi, vel potius hemiſphærii apparuit, ſi colorem, fœtorem, ſuperficiei inæqualitatem attenderes, ſpecie fœdiſſimi carcinomatis. Inde autem novo, & inuſitato ſpectaculo quidquid ſpatii intra ventrem eſt ab umbilico deorſum, id omne, ſi Coli inteſtini ſiniſtram inferiorem partem, Rectumque, & quod ex meſocolo ad hæc ſpectat, & urinariam veſicam exciperes, vacuum prorſus a viſceribus, & inane conſpiciebas. Quæ me res continuo admonuit, quid tumor eſſet: idque & mea primum, deinde & omnium inſpectio confirmavit. Scilicet Ileum totum inteſtinum, & Jejuni proximi pars aliqua, ſuis relictis quæ infra umbilicum ſunt, ſedibus, ſurſum retracta, & coacervata, & inter ſe arctiſſime conjuncta magnum illum, & prominentem tumorem per ſe fecerant, nulla omnino addita ſcrophuloſa, aut ſcirrhoſa, aut cancroſa ſubſtantia. Nam ſuperficiei inæqualitas ab ipſis erat crebris inteſtinorum flexibus, & inæquali poſitu ac conſtrictione, ut hic magis, illic minus protuberarent: color au-

tem nigricans ferme ubique, nonnullis videlicet interjectis minoribus ſpatiis, quæ adhuc rubebant, inteſtinorum inflammationi, magna jam ex parte in gangrænam degeneranti, manifeſtiſſime debebatur, eo nimirum intercepto demum in Portarum venam ſanguinis reditu, de cujus retardatione ſupra (*r*) a nobis dictum eſt: gangrænam denique ſequebatur, ut ſolet, odoris fœtidas. Erant inteſtina quæ tumorem faciebant, plena propemodum materiæ, qualis in Craſſis eſt ſtercus non valde molle, quantum uno illorum poſtea diſſecto, cognovimus; ut evidens eſſet, remorante materia quæ in Craſſa cito ſolet deſcendere, & flatibus additis, potuiſſe tumorem ſic ad tactum reniti, ut in vivente perceperamus. Etſi vero ob arctam, quam dixi, inteſtinorum inter ſe connexionem, opus fuiſſet longiſſimo tempore, ut ſcalpello alterum ab altero ſejungeretur; manibus enim hinc, & hinc trahendo nihil proficiebatur; tamen circa medium & ſummum ferme tumorem cum minus difficilis eſſet ſejunctio, hæc ibi ſaltem peracta eſt, & tumoris interiora in conſpectum ſunt data, quæ pariter a ſubtus coacervatis inteſtinis fiebant, & ex parte aliqua a meſaræo, quod neque durum, neque craſſum factum, neque nigrum omnes perſpicere potuerunt, ſed omnino ſanum, & pinguedine refertum, ut ſecundum naturam ſolet, ex albo flaveſcente. Cum omentum hactenus nulla ex parte ſe oſtendiſſet; oculos converti ad ſupremam ventris regionem, ubi inter tumorem deſcriptum, & diaphragma ventriculus ſubſidebat: cumque ne ſic quidem appareret, ſed alba quædam quaſi faſcia, dura, gravis, & craſſa ab uno ad alterum hypochondrium in tranſverſum ducta, ventriculi fundo, & huic ſubjecto inteſtino Colo firmiſſime ſe annecteret, quorum utrumque ſuo pondere, & craſſitudine deprimebat; vix tandem illam eſſe omentum, agnovi: quod mox & cæteri, bene perpenſis omnibus, confirmarunt. Scilicet Tenuia inteſtina in tumorem aſſurgentia, illuc omentum olim repulerant, quod in ſe complicatum in unum illud coaluerat corpus, faſciæ inſtar, æquali ſuperficie, ſed non craſſitudine. Alibi enim hæc fuit unius, duorum alibi, alibi trium digitorum, ut ex ſectionibus perſpectum eſt: maxima autem craſſitudo animadverſa eſt potiſſimum prope lienem, ut rigida durities quoque, ſic ut ſub cultro inter diſſecandum ſtrideret: cæterum uniformis erat ubique ad aſpectum ſubſtantia; ſed durities alibi quaſi ligamenti, alibi propemodum cartilaginis. Sic igitur ſe habuit omentum, ſub tactum in vivente non cadens, quippe inter multam abdominis pinguedinem, & cedentia viſcera ventriculum, & Colon, ob depreſſam autem ſedem, & firmiſſimas connexiones neque inter manus comprehendendum, ut prominens ille inteſtinorum tumor, neque in utrum liberet latus movendum. Tum ventriculus inſpectus eſt. Exhauſto plurimo quem continebat, humore nigricante, & teterrimi odoris, qualis in noviſſimis vomitionibus rejiciebatur, interior facies apparuit ex ſubrubro fuſca, an ab illo humore ſic infecta? an etiam ab inflammatione? In pylori autem Antro quibuſdam quaſi concreti ſanguinis grumulis hic illic fœda videbatur, qui diligentius inſpecti, nihil erant aliud, niſi parva, & depreſſa tubercula, intus quidem alba, & firma, ſuperficie autem gangræna affecta, nonnulla ovali, alia aliis figuris, & poſitionibus, pleraque autem ita ex pluribus efformabantur, ut aſteriſcos quaſi ramoſos, ſive flexuoſis, & biſurcis radiis inſtructos, repræſentarent. Sed quo magis ab Antri initio ad pylorum accedebant, eo fiebant minora, rariora, & demum ſolitaria. Quod maximum ex omnibus fuit, vix ad parvæ fabæ magnitudinem perveniebat. In ipſo pyloro non ſunt hæc, nedum excreſcentia ulla, obſervata: quin via inventa eſt illac non ſic contracta, ut immitti, ſicut juſſimus, digitum prohiberet. Sed erant tamen ibi, & in toto propemodum Antro pylori, itemque in prima, huic proxima, Duodeni inteſtini parte duræ adeo, & craſſæ tunicæ, ut cum minimi digiti apicem craſſitudine æquarent, rigida duritie non multum cederent deſcripto omento, cui alba quoque compactaque ſubſtantia erant ſimiles, & ex hac ipſa nonnihil quibuſdam in locis prominente, illa tubercula efformabantur, de quibus paulo ante dictum eſt. Jecur intus, extraque pallidum, & duriuſculum, ſed naturali figura, & magnitudine. Ejus veſicula bilem nigreſcentis amurcæ ſimilem continebat. Sanus lien, ſana reliqua viſcera, Thoracis quoque, ubi pericardium, & cor pinguedine operta conſpecta ſunt. Unum tamen in Ventre eſt pancreas excipiendum: quod qua ratione ſe haberet, cum inquirere vellemus; Sociis quia nox jam longius procedebat, & odoris fœditas gravis erat, & firmiſſimæ illæ omenti connexiones citiſſime utique, ad retegendum pancreas, diſſolvi non poterant, viſum eſt ſatis eſſe quæſitum.

27. Et ſane ſi prægreſſa attenderes, & tumorem præſertim, cujus de natura, & ſede, præcipua dum Antiſtes viveret, quæſtio fuerat, ſatis quæſitum videbatur. Atque ego quidem cum a ſectione una cum Sociis rediens, a Viro graviſſimo interrogarer, quid tandem repertum eſſet, continuo pro omnibus reſpondi, nihil quod in Colloquio jam aliquo modo indicatum non eſſet, ac jure inſanabile pronunciatum. Neque aliter narrationem concluſi, ad ſupra (*ſ*) laudatum ſcribens Eximium Senatorem, Præſulis Fratrem, cum pro eo ac debebam, obſervatorum ſummam poſtridie miſi: quam ut gratam habuit, ſic apud ſe retinuit. Nec vero etſi poſtmodum in omnium manibus eſſe, audivi, unam, atque alteram eorundem ſummam, emittere propterea volui meam, tum quia multo illæ magis inter ſe, quam a mea, diſcrepabant, tum quia nunquam volui minime neceſſarias controverſias ſuſcipere. Quæ autem minus neceſſaria, quam quæ poſſet ipſorum qui diſſecuerant, Chirurgorum teſtimonio dirimi? Quod recentiſſima in re quæſivi, non ut tunc proferrem, ſed tantummodo ut in promptu haberem ſicut habeo, ſiquando tota a me Obſervatione producta, exiſteret forte aliquis cui dubitationis quidpiam injiceret particula aliqua earum ſummarum. In quibus ne nunc quidem quid deeſſet, dicam, aut quid ſupereſſet, aut quid denique a vero aberraret: quin nec mentionem ullam de iis feciſſem, niſi a te forte aliquando viſas miraturum, crediſſem, a me diſſimulari. Hoc tantum dicam quod tunc cæteri omnes qui ſectioni interfuerant, ultro dicebant: recte alterum fateri, tumorem de quo controverſia fuerat, ex Tenuibus fuiſſe inteſtinis in magnum globum conjunctis, & coacervatis; ſed illud non recte, fuiſſe etiam ex *meſenterio duriſſimo, eodemque colore* (*nigro* videlicet ac *gangrænoſo*) quo infecta erant ea inteſtina, & denique *tumido*. Sic etiam recte alterum contra affirmare, *album fuiſſe meſenterium, ſine ullo tumore, & duritie;* illa vero non recte ubi oblitus, ſe quoque in Colloquio (*t*) ſcirrhum meſenterii æque ac omenti, conjeciſſe, non ſine acerbitate aliqua eum carpit qui ſcirrhum in meſenterio conjecerat, itemque ubi de inteſtinorum coalitu, & de omenti ſcirrho verba facit eo artificio, ut qui rem ignoret, ne ſuſpicetur quidem, inteſtina in unum globum coacervata, atque aſſurgentia fuiſſe, eoque tumorem de quo erat quæſtio, effeciſſe, imo cogitet, nihil hunc aliud fuiſse, niſi illum omenti ſcirrhum, qui certe non *in ſuperiore umbilici parte*, ſed multo ſuperius incipiebat, neque ullo modo extabat, ſed planus, depreſſuſque jacebat. Quanto magis ſeniores duos illos Medicos decuiſſet, omni prætermiſſa, quæ nulla amplius eſse jam poterat, de ſede tumoris controverſia, Hippocratis (*u*), & Galeni (*x*) illuſtre exemplum imitari; & candide fateri, ſe in ejus conjicienda natura fuiſse deceptos, quando mihi non tam gratum erat tacite, quod de vera ſede mentionem unus injeciſsem, quam moleſtum palam, de natura communem cæteris deceptionem haud prorſus vitare potuiſse.

28. Magni enim intereſt eorum qui Rei Medicæ ſtudio

(*r*) n. 23. (*ſ*) n. 21. (*t*) ſupra, n. 22. (*u*) Epidem. l. 5. n. 14. (*x*) De loc. aff. l. 2. c. 5.

ſtudio ſunt dediti, tuique ipſius, cujus præſertim cauſa tam longum hunc ſermonem inſtitui, non ignorare, aliquando in ventre tumorem extitiſſe qui etſi ex inteſtinis ipſis eſſet, inæquali tamen ac tuberoſa ſuperficie, & renixu quinque Medicis, iiſque, ſi me excipias unum, ſagaciſſimis, & exercitatiſſimis, pro ſcirrho impoſuerit. Hoc, niſi fatentibus ingenue nobis, innoteſcat; quis ad internoſcendum, ſigna perquirat? Neque enim apud noſtros facile reperientur Auctores, cum plane ſimilem nuſquam meminerim hiſtoriam legiſſe. Legi quidem in Actis Cæſareæ Academiæ (*y*), inventa eſſe *omnia inteſtina arcte invicem cohærentia*, aut *præcipue tenuia tam inter ſe, quam cum meſenterio ubique tam tenaciter concreta, ut* cum ipſo *ceu unam maſſam, aut unum glomum* efficerent: quin etiam legi, in adoleſcentula, ventris doloribus ſæpe obnoxia, reperta a Cl. Fantono (*z*) *cuncta fere inteſtina in unum veluti corpus conglobata*, & inter ſe *arctiſſime conglutinata*: & tu legere poteris in hac Sepulchreti XXI. Sectione (*a*) *inteſtina omnia conglomerata, & veluti in globum acta*: itemque (*b*) *inteſtina ita ad ſuperiora retracta, ut vix mediam abdominis capacitatem implerent*. Sed in nulla harum Obſervationum invenies, ita retracta, & conglobata fuiſſe, ut extrorſum in circumſcripti, & peculiaris tumoris formam prominerent: imo in duabus ultimis ne fieri quidem id poterat, quippe interjecta, ut in hydropicis, aqua plurima qua univerſum abdomen diſtendebatur: ut neque poterat in alia aſcitica, cujus *inteſtina omnia* vidit Th. Bartholinus (*c*) *ad dextrum hypochondrium detruſa, ut initio inteſtinis caruiſſe*, apparuerit, aut in milite, eodem quo ea, morbo laborante, cujus inteſtina deprehendit Laubius (*d*) *mire contorta, & in unum quaſi globum umbilicum verſus coacta*. Poterat autem fortaſſe id fieri; ſed factum diſerte non adnotatur; in Cardinali Campegio, cujus *inteſtina omnia* (excipienda fuerant Coli pars, & Rectum) *ad hypochondria redacta erant; propterea cavitas inferior abdominis inteſtinis deſtituta erat, & ſpina detecta*, ut vidit Columbus (*e*) *cujus rei novitatem*, a nobis pariter in Præſule noſtro conſpectam, *non poterat*, inquit, *ſatis mirari excellens Auguſtinus Riccus Lucenſis*. Poſtea in fœmineo fœtu vel mirabilior nobis apparuit ejuſmodi novitas. Aperto enim ventre, & ſanguine qui in eo effuſus erat, deterſo, nullum præter ea quæ modo excepimus, uſquam conſpiciebatur inteſtinum; reliqua enim omnia cum toto propemodum meſenterio latebant ſub hepatis cava facie, erantque ea ratione concluſa, quam tibi opportuniore loco (*f*) fortaſſe exponemus. Hoc autem ante diſſectionem ſuſpicari potuiſſet nemo propterea quia ob effuſi illius ſanguinis copiam, abdomen infra umbilicum non ſubſidebat: & quamvis ſubſediſſet; quis tandem non hepati potius, ut in fœtibus ſemper amplo, hic fortaſſe ampliori, imputandum exiſtimaſſet, quam inteſtinis ſurſum pone ipſum retractis? Nam Philippus quoque Jacobus Hartmannus (*g*) in trienni puella ingentem quidem tumorem viderat a coſtis ſiniſtris ſpuriis ad pubis confinia protenſum; nec divinare potuerat factum ex *inteſtinis in unum corpus coalitis cum majori parte omnis meſenterii* ita ut *dorſum ſolum liberum conſpectui pateret*: nec addidit quidquam, unde ſi rurſus accideret, illius natura cognoſceretur. Columbus tamen (*h*) quædam interjecerat, unde notas colligere poſſemus nonnullas ad ipſam internoſcendam. *Quamobrem*, inquit, *Medico licebat abdomen Cardinalis attrectanti magnæ arteriæ motum perſentire, & una cum illa durities perſentiebatur. Illa vero durities nihil aliud erat, quam vertebrarum corpora*. Quibus ego indiciis uti non potui in Antiſtite, cum abdomen ob eam cauſam quæ ſupra (*i*) indicata eſt, infra umbilicum non attrectaverim: & ſi attrectaſſem; multa pinguedine impediente, neutrum, opinor, percepiſſem, minuſque arteriæ Magnæ, aut primarum Iliacarum motum, cum pulſus nec validi, nec magni eſſent: quas ob cauſas neque Medici, neque æger videntur animadvertiſſe, non negaturi alioquin, infra umbilicum quidquam percipi præter naturæ conſuetudinem. Verum in quibus minus pinguedinis abdomen habeat, non inutiles erunt hæ notæ, dummodo nec pinguedinis nihil ſit, & ſuſpicio abſit dilatatæ, aut alias ob cauſas præter modum ibi pulſantis arteriæ Magnæ; ſic enim vel interjectis inteſtinis, non hujus tantum pulſatio, ut in hac Epiſtola (*k*) oſtenſum eſt, ſed & vertebrarum durities, ut in alia (*l*) diximus, perſentiri poſſet. Igitur in corpore neque obeſo, neque maxime extenuato, neque iis ſuſpicionibus obnoxio, ſi pulſatio, & multo magis ſi durities ſimul illa percipiatur; ſurſum retracta eſſe inteſtina conjiciemus: addetque conjecturæ non leve pondus, ſi abdomen ſimul æquo depreſſius infra umbilicum, ſupra autem turgidius animadvertatur. Quod ſi cum his ſignis in ſuperiore eadem regione peculiaris, & mobilis tumor, qualis in vivente Præſule deſcriptus eſt (*m*), ſe ſe attollat; non modo cavendum eſt, ne propter renixum, & ſuperficiem inæqualem, ac tuberoſam, ad ſcirrhorum, aut ſtrumarum genus facile referamus; verum inſuper quærendum eſt, quibus indiciis illuc magis adduci poſſimus, ut ex inteſtinis fieri, conjiciamus. Erunt ea indicia, ſi ægrum ſæpenumero Tenuium inteſtinorum doloribus, & ſanguinis ex hæmorrhoidibus fluxui, licet poſtea imminutus fuerit, aut ſuppreſſus, obnoxium fuiſſe, intellexerimus; ſi tumor, vexantibus flatibus, dolore afficiatur; ſi alvus magis magiſque ex quo tumor incepit, adſtrictior ſit, aliaque de eodem genere quæ aut in propoſita a nobis hiſtoria leguntur, aut ex ea in mentem venire poſſunt. Eſſent autem hæc peculiaria magis indicia, ſi tumor gravior interdum, aut levior ab ægro, durior autem, majorve, aut mollior, minorque a Medicis quoque animadverteretur, quemadmodum in hernias accidit inteſtinorum. Et quamvis id rarius in tumore hoc noſtro contingere poſſe videatur ob creberrimos flexus, non levem conſtrictionem, & arctiſſimum præſertim inteſtini cum inteſtino coalitum, periſtaltico eorum motui officientem, quæ videlicet cauſæ materiam unde renituntur, in ipſis, ut vidimus, remorantur, ac retinent; tamen credibile eſt, ſi diligenter, ſæpius, ac variis temporibus illa perquiſitio repetatur, iiſque potiſſimum quibus jamdiu nihil, & quibus plus nuper recrementorum dejectum ſit, aut quibus major, quibuſque minor flatuum copia vexet; credibile eſt, inquam, aliquod ejuſmodi ſignorum aliqua ex parte poſſe deprehendi. Hæc mihi fere in mentem venerunt de tumore hoc cogitanti. Alii alia, & tu quoque pro tuo mihi ſpectato ingenio potiora adjunges. Quo facilius id facias, alteram, quamvis aliis cum morbis implicitam, neque a me qui ægrum non vidi, ſatis fortaſſe exacte deſcriptam, Obſervationem ſubnectam, quæ ad ejuſmodi tumores quadantenus, certe autem ad hanc Epiſtolam attinet, ad imamque regionem Ventris, quæ, ut propoſitus ordo poſtulat, jam a nobis ſpectanda eſt.

29. MONACHO ex S. Franciſci Cœnobio quod in Patria mea eſt, cum aſcitis mediocris indicia eſſent, repente copioſæ vomitiones viſæ ſunt ventrem depleviſſe; niſi quod in hypogaſtrio tumor apparuit ea duritie, ut ſcirrhoſus crederetur. Hoc manibus compreſſo tumore, flatus per inferiora excludebantur. Perſtabat vomitus, ad quem cum aſſidua, & incredibilis nauſea, alvi autem adſtrictio inſuperabilis acceſſiſſent; hujus denique recrementa, aut certe ſimillima iis materia evomi cœpta eſt. Itaque etſi nullus in ventre dolor, nulla inflammationis ſigna adveniſſent, æger mor-

(*y*) Tom. 1. Obſ. 87. & Tom. 6. Obſ. 134. (*z*) De Obſerv. Med. & Anat. Epiſt. 4. (*a*) Obſ. 3. §. 8. (*b*) Obſ. 20. §. 6. (*c*) Cent. 1. Hiſt Anat. 2. (*d*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 64. (*e*) De Re Anat. l. 15. (*f*) Vid. Epiſt. 67. n. 17. (*g*) Eph. N. C. Dec. 3. A 9. & 10. Obſ. 105. (*h*) loc. cit. (*i*) n. 21. (*k*) n. 19. (*l*) Epiſt. 10. n. 12. (*m*) ſupra, n. 19.

morbo confectus eſt. Quo animam agente, cum ejus ad me Medicus, Vir ſpectatus, veniſſet petitum, ut poſtridie, ſi commodum eſſet, diſſectioni præeſſem, mihique ex febricula in lecto cubanti, quæ modo dicta ſunt, retuliſſet; tu vero, inquam, præſto; egregie enim potes; & ſicuti quæ præceſſerunt, narraſti, ita quæ reperies, fac ſciam: nam quæ de aſcite, de tumore, de flatibus, dum hic premeretur, exeuntibus, & de Ileo demum ex te audivi, cohæſionem, implicationemque aliquam inteſtinorum mihi videntur ſignificare. Poſtero autem die, qui fuit poſtridie Idus Novembris A. 1709. cum ad me humaniter rediiſſet, nos vero, inquit, ſic invenimus: VENTRE aperto, inteſtina lividiſſima, nec tamen marcida. Tenuia certa ſui parte mire inter ſe implicita, & per nexus ex firma denſaque ſubſtantia tendineæ inſtar, & propemodum cartilagineæ inter ſe juncta, illum tumorem efficiebant durum adeo non modo ob hanc interjectam, connectentemque ſubſtantiam, verum etiam ob fæces, quibus illa referta erant, in parvos quaſi globulos conformatas. Ejuſdemmodi globuli non ibi dumtaxat, ſed & in proximo erant Colo inteſtino donec haud multo ante quam in Rectum deſineret, impervium fieret ad aliquem tractum, quo tractu cum incideremus, non ex albidis, ſed ex carneis omnino fibris compactum deprehendimus. Ventriculum autem intus ſublividum, & concoloris humoris plenum.

30. Vides alium quoque non ignobilem Medicum ad eundem modum, ob eandemque cauſam fuiſſe deceptum. Cujus mihi Obſervatio, ut tunc adnotata eſt, ita ſi duodevigeſimo poſt anno in memoria fuiſſet; prodeſſe poterat procul dubio ad ejus quem fuſius tibi deſcripſi (*n*) tumoris non ſedem modo aliquanto fidentius, ſed & naturam multo verius conjiciendam: quanquam in Monacho & multo minor, neque ita prominens, nec mobilis fuit, quod ſciam, aut ullo cum dolore, & ejus preſſionem flatuum exitus per inferiora erat initio conſecutus, ſive quod Colon inteſtinum necdum penitus coaluiſſet, ſive ejus quæ patula ſervata eſt, flexuoſa extrema pars tumori ita ſubeſſet ut hoc preſſo, comprimeretur. Huc alia accedebant diſcrimina, cartilaginea in primis interjecta durities, & prægreſſus hyprops aſcites: ex quo etiam ad cætera indicia adjuncto cur aliquam, ut dixi (*o*), ſuſpicatus ſim inteſtinorum cohæſionem, hæ fuerunt cauſæ. Nam primum videram A. 1699. cum Valſalva in Bononienſi Incurabilium Noſocomio ventrem aperiret mulieris ex aſcite mortuæ, inteſtina quaſi undique cum peritonæo, præſertim vero inter ſe, prorſus cohærentia, & quaſi connata, pleraque connectente cartilaginea quadam ſubſtantia, quæ alicubi, & ad Colon præcipue, tranſverſi digiti craſſitudinem æquabat. Deinde Ruyſchium (*p*) legeram in altera, eodem confecta morbo, inteſtina memorantem *non ſolum undequaque peritonæo, verum etiam ſibi invicem connata*. Et ex Valſalva audiveram in eo qui, ut hic Monachus, prægreſſo hydrope laboraſſet, fuiſſe inter ſe nexa inteſtina, ut in ejus, tibi alias (*q*) deſcripta, habes hiſtoria. Et in alia, pariter ad te miſſa (*r*) invenies, ut vidiſſem ipſe in viro cujus venter multam habebat aquam, inteſtina jam nonnullis in locis per quaſdam flaccidas quaſi membranas inter ſe juncta; eæque fortaſſe erant primordia cohæſionum quæ, abeunte aqua, firmiores fiunt, perſtantque deinde, ipſa etiam, ut non raro fit, redeunte: materiam autem ex qua ejuſdemmodi membranæ oriantur, tibi ſatis alibi (*ſ*) indicaſſe memini. De qua, etiam inteſtina connectente, etſi idem atque ego, opinari videam Cl. Viros; tamen non per eam ſemper colligari inteſtina, cenſeo: ſed & aliis modis quos cum de pulmonum ad pleuram, aut de cordis ad pericardium adhæſione ad te ſcriberem (*t*), commemoravi. Et ſane ubi coalitus fit vel ex ſola inflammatione, a qua, ut Ruyſchii (*u*) verbis utar, *videmus ſæpenumero viſcera ad ſe invicem contrahi, & uniri*; multiplex eſt explicandæ unionis modus, nimirum ſive eos cum pleriſque ſequaris, a quibus ſiccitas contingentium inter ſe ſuperficierum ſpectatur, ſive eos a quibus earundem viſciditas, ab aucta humorum perſpiratione, quos retardatus (id quod addere poterant) ſanguinis motus reddit viſcidiores. A quorum primis, &, ſi bene attendas, etiam ab alteris cum receſſerit, nec ſine propoſita cauſa, is quem ante diem amiſimus, Crellius (*x*), rem aliter explicare poſſet neceſſe eſt. Verum ne ab hydrope longius abeamus; proclive etiam eſt, velut idem agnovit (*y*), coalitum viſcerum in eo morbo intelligere, ſi paulo acrior illa ſit in qua macerantur, aqua, ut vel leviter ipſorum ſuperficiem erodat. Quid? ubi purulenta eſt, ut erat in altera de duabus quas ſupra (*z*) ex Sepulchreto commemoravi, Obſervationibus, in qua inteſtina comperta ſunt ad ſuperiora retracta. Sed nec ſigna deerant eroſionis in altera, in qua hydropicæ inteſtina conſpecta ſunt in unum conglomerata, & veluti in globum acta. Vides igitur, quot Obſervationibus adductus fuerim, ut ubi cum cæteris illis indiciis aſcitem fuiſſe, audirem, inteſtinorum aliquam cohæſionem eſſe poſſe, ſuſpicarer.

31. Sed quoniam inteſtina cohærere quidem poſſunt inter ſe, neque tamen ſuis relictis ſedibus, ita conglomerari, ut alia aliis impoſita, ex ſe tumorem, & quaſi globum efficiant; ſi forte quæris conglomerationis cauſas; haud ſcio, an aptiores excogitare poſſim quam dolores: quorum vi tum ſedes inteſtinorum mutentur, tum cohæſiones fiant. Et mutari quidem primas haud raro in iis qui inteſtinorum doloribus ſunt obnoxii, aliis Litteris (*a*) ex ejuſmodi corporum Obſervationibus oſtenſum eſt, ut cum interclusi flatus diſtentum Colon alio tunc urgent, aut deturbant: quam cauſam ad Tenuia inteſtina ſi transferas; intelliges facile, quomodo dilatatæ quædam eorum partes ſe poſſint illuc attollere ubi non erant, & eas quæ ibi erant, detrudere, & ſibi ſubjicere. Huc adde earum quæ convulſivis ob dolores contractionibus torquentur, motus: adde ejuſmodi in meſaræo contractiones, quibus criſpatum annexa Tenuia inteſtina adducat ſive aliquot, ſive pleraque, ſive omnia; & multo clarius apparebit, cur in minores, majoreſve globos cogantur. Quod ſi diutius in novo eo poſitu ab iis quæ dictæ ſunt, cauſis retineantur, & alterum ad alterum apprimantur, apparebit ſimul, cur ob dolores cohærere ibi incipiant inter ſe, præſertim ſi adjungas expreſſas ab iiſdem contractionibus & plures, & viſcidiores ex eorum ſuperficiebus remorantium tunc humorum particulas, per quas denique in corporibus præcipue in quibus dominetur viſcidum, quaſi per quoddam gluten eædem ſuperficies inter ſe conjungantur. Nec vero novum eſt connecti ob dolores, & conglutinari inteſtina. Sic enim; ne ab Sepulchreto longius te abducam; in ea quæ diuturnis eorum cruciatibus confecta fuerat (*b*), deprehenſa illa ſunt *multis in locis mutuo connexa*; in altera autem quæ poſt *ingentes*, & *incredibiles* ventris dolores obierat (*c*), conſpecta ſunt *inteſtina Tenuia protuberantia omnia arctiſſime inter ſe connexa*. Quod verbum *protuberantia* ſi ita accipias, quaſi in unum prominentem globum coacervata ſignificet, ad eundemque modum quæ ex Fantoni Obſervatione retulimus ſupra (*d*) *in unum veluti corpus conglobata*; ſimul ex dolore & connexa, & conglomerata inventa fuiſſe, intelliges, non ſecus atque a nobis in Epiſcopo reperta ſunt (*e*): quanquam in his aliis Obſervationibus peculiaris & circumſcriptus extrorſum tumor non memoretur, neque in una earum poterat, in qua ingens copia effuſi cruenti ſeri totum abdomen diſtendebat. Etſi vero non, ut Epiſcopus, ſic etiam Monachus (*f*) doloribus

(*n*) ſupra, n. 19. (*o*) n. 29. (*p*) Obſ. Anat. Chir. 45. (*q*) Epiſt. 17. n. 17. (*r*) Epiſt. 10. n. 13.
(*ſ*) Epiſt. 20. n. 37. (*t*) Epiſt. 16. n. 15; Ep. 18. n. 15; Ep. 23. n. 17. (*u*) Obſ. cit 83.
(*x*) Diſſert. de Viſcer. nexib. inſolit. n. 14 (*y*) Ibid. n. 12. (*z*) n. 28. (*a*) Epiſt. 34. n. 4.
(*b*) l. 3. Sect. 14. Obſ. 16. §. 4. (*c*) Sect. 21. Obſ. 41. (*d*) n. 28. (*e*) ſupra, n. 26. (*f*) n. 29.

ribus cruciabatur; tamen his antea caruiſſe, pro certo non ſcio.

32. Quod autem non haberet hic, ut Epiſcopus, inteſtina dumtaxat conglutinata, ſed per ſubſtantiam quaſi cartilagineam inter ſe nexa; id neque mihi mirum eſt qui pariter poſt aſcitem id viderim, ut dixi (*g*), cum Valſalva, neque ignorem, peritonæum ipſum, cujus demum productio eſt extima inteſtinorum tunica, in hydropicis valde craſſeſcere, imo *temporis ſucceſſu cartilagineam duritiem acquirere* ex obſervatione Pauli Barbette (*h*), qui id, ut *in paracenteſi abdominis ſcitu neceſſarium*, admonuit. Sed & ſine aſcite per dura ejuſmodi vincula inteſtina aliquando connecti, Saporiti Obſervatio docet apud Valliſnerium (*i*). *Invenimus inteſtina Craſſa*, inquit, *præcipue ubi in vicinia Duodeni flectuntur, mediis protuberantiis calloſis invicem, & cum adjacentibus conſolidata, ut obſcurum eſſet unum ab altero diſtinguere, &, quod pejus erat, eorum ſubſtantiam ad inſtar duriuſculæ cartilaginis concretam, & craſſam, ut nulla fere cavitas amplius ſupereſſet*. Qualem ſubſtantiam, & anguſtiam in Recto inteſtino deprehendit Ruyſchius (*k*), cum illud cuneo ferreo, malleoque ligneo ab Sacro oſſe dividere coactus eſt. Sed olim Benivenius (*l*) inteſtinorum idem, ut videtur, vitium, quod in vivente præſenſerat cum alvum prementi neſcio quid durum reniteretur, poſt obitum invenit. Aliamque ex Hollerio Obſervationem profert Donatus (*m*), aliaſque ex aliis Stalpartius (*n*). Apud quem (*o*) cum exempla indicantur ejuſmodi etiam coalitus, qui referri ad eum poſſit quem ad extremam Coli partem in Monacho noſtro inventum dixi, aliaque inſuper extent in Sepulchreto (*p*); non aliud addam, niſi hoc tamen peculiare in Monacho habuiſſe, quod ibi Colon ex fibris omnino carneis conſtare videbatur: an quod ex prægreſſo ulcere ſic ruberet? Quod ſi fuit; inteſtinorum doloribus antea, ut conjiciebamus, carere non potuit. Sed jam ad viſcerum alterius generis, tumores veniamus.

33. MULIER annis, ut videbatur, quadraginta non multo minor, jam ante annum profluvio ſanguinis ex genitalibus laboraverat. Hoc uterinus fluor exceperat, quo colore, aut odore, incertum; illud certum, cum acerbiſſimis hypogaſtrii, & huic ſubjectarum partium, nocturnis præſertim, doloribus fuiſſe conjunctum, & cum tumore, in quem unum coaluiſſe, dicebat, tubercula quædam, disjecta olim in medio hypogaſtrio percipienda. Erat nunc is tumor in ea ipſa ſede, eo tamen uſque aſcendens, ut ab umbilico vix duobus diſtaret tranſverſis digitis, proportione latus, adeo prominens extrorſum, ut vel eminus in oculos incurreret, ſubrotundus, æqualis, ſi tangeres, & renitens. Aſſiduum acceſſerat urinæ ſtillicidium, dolor ſpaſmodicus ad guttur, nauſea, & vomitus aliquando, macies, febris. Quibus malis omnibus ſic debilitata, & fracta ſub initium A. 1741. venit in Noſocomium Patavinum, ut intra ſex, ſeptemve dies defecerit, nemine dubitante, quin ex cancroſo uteri tumore deceſſiſſet. Et cancer quidem uterum ex parte eroſerat; ſed tumor ad ipſum non attinebat, ut per diſſectionem inveni, & magnæ Doctorum, ac Studioſorum Juvenum coronæ oſtendi.

VENTRE enim patefacto, continuo apparuit, veſicam urina diſtentam; id quod nemo, jugiter lotio, ut dictum eſt, deſtillante, inducere in animum potuiſſet; magnum illum tumorem fuiſſe. Coaluerat illa anteriore facie alte ſupra pubem cum ventris parietibus: & ſi anterioris ejuſdem faciei, ac ſummi fundi non modicum ſpatium exciperes, ſuos reliquos parietes omnes ex dura albaque ſubſtantia digiti craſſitudine habebat, ut, urina educta, perſpeximus, cujus magnam vim continebat non lixivioſæ, non craſſæ, non grave olentis, ſed ferme aquoſæ. Intima veſicæ facies ſana erat, tenuibus dumtaxat & raris ſanguiferis vaſculis diſtincta nonnullis locis; ut veſicæ orificium, ad quod ſæpe conferta eſſe ſolent, iis vaſculis omnino careret. Ab ejus orificii lateribus ſingulis ſingula intra veſicam prominebant alba corpora, abnormis figuræ, pollicis apicem æquantia, producta ex ſubſtantia urethram ambiente, quæ ſubſtantia hic erat tota facta craſſior, & dura, & alba, quo colore ipſa quoque intus erat urethra. Porro tota illa ureterum pars quæ inter veſicæ membranas traducitur, magis quam ſolet, intra veſicam prominebat donec in oſcula deſineret conſuetis ampliora; valdeque dilatati erant toti ureteres, quorum erat alter lotio, alter aere quaſi plenus. Sed & renum, ſanorum alioquin, & pelves, & pelvium tubuli erant dilatati. Urinariis Partibus inſpectis, genitales perluſtravimus. Et primum teſtes arctius ad parietes Pelvis annexos albo utrumque colore, quorum ſiniſter magnam caſtaneam, dexter minorem nucem æquabat. Et hic quidem aquæ pauxillum, intra aliquam fortaſſe veſiculam continebat, cætera albus, ut exterius, & durus: at ſiniſter ſub tunica nihil, niſi mollem, albamque ſebi inſtar materiam habebat. Uterus vero, ſi fundum ſpectares, albus exterius, & lævis; intus, & in parietibus ſanus, niſi quod hi erant æquo molliores. Sed cervicis exterior facies inæqualiter a tergo turgebat: ex parietibus autem & cervix ipſa, & vagina ab ſummo ad imum ferme, fiebant craſſioribus, albiſque, & duris, quorum interior facies, ipſumque uteri oſculum eroſa erant, atque exeſa profundis ulceribus, & diſcoloribus. Erant enim alba quibuſdam in locis, ex atro cruenta in aliis, cinerea in nonnullis. Ex omnibus autem putrida materia, iis coloribus infecta, cultri manubrio facile abradebatur donec ad duram albamque ſubſtantiam, ex qua parietes conſtare dixi, perveniebatur, qualem in ſubſtantiam converſum quoque erat quidquid a vaginæ lateribus eſſe pingue, & membraneum ſolet. Sed quanquam a cervicis & vaginæ anteriore facie ſic mutatæ fuerant, uti dixi, & veſica, & urethram ambiens ſubſtantia; inteſtinum tamen Rectum a vagina, quæ multo alioquin magis erat exulcerata quam cervix, illæſum potuit ſeparari. In tota autem hac diſſectione gravis odor perceptus eſt nullus. Cætera inſpicere nec neceſſe fuit, nec vacavit. In ventre tamen nihil oculis præterea occurrit quod morbidum videretur, cum ventriculum maxime contractum, & inteſtina quoque omnia æquo contractiora adnotaverim; quorum neutrum in ea mirum eſt, quæ vix aliquid, ob nauſeam, cibi admitteret, admiſſumque, aliquando, ut dixi, rejiceret.

34. Multiplicem ad cautos reddendos Medicos utilitatem habet hæc Obſervatio. Quis enim qui ex disjectis olim tuberculis unum factum eſſe tumorem, & hunc, ſive prægreſſa, ſive præſentia attenderet, cum uterini cancri indiciis conjunctum audiiſſet; quis, inquam, non uteri ipſius tumorem eſſe, exiſtimaſſet? Hic tamen non ad uterum, ſed ad diſtentam attinebat veſicam, quæ dum ſe altius efferre inciperet, proxima inteſtina ſurſum urgendo, & partes eorum aliquas inferiores comprimendo, illam fortaſſe diviſorum tuberculorum ſpeciem ex iis efficiebat. Quis item qui lotium a veſica non retineri, ſed jugi ſtillicidio effluere intellexiſſet, ſuſpicatus id quod erat, fuiſſet, magnam tamen lotii partem in veſica reſtitare, quod dextere immiſſo catethere educi ſaltem ex parte poſſet non ſine magno miſeræ mulieris levamine? Nam quod Ruyſchius (*q*) eam denique veſicæ plenitudinem in puerpera deprehendit, quæ pariter nihil urinæ in veſica, quamvis magna ejus copia diſtenta, ſe credebat habere, haud abſimili, ut videtur, ſtillicidio decepta; ſcilicet nullum omnino ſignum in ea erat puerpera læſi uteri, ad quem tumor ventris poſſet referri. Et ſane in altera muliere (*r*), cui fœtus indicia erant uterum gravantis, nemo alio quam ad uterum, retulit ventris tumorem, quem tamen magnus faciebat abſceſſus qui inter anteriores increverat veſicæ tunicas. Ubi igitur fœmi-

(*g*) n. 30. (*h*) Anat. Pract. l. 4. c. 2. (*i*) Opere Tom. 3. P. 3. (*k*) Obſ. Anat. Chir. 95.
(*l*) De abdit. morbor. &c. cauſis c. 34. (*m*) De Medic. Hiſt. l. 4. c. 10. (*n*) Cent. 1. Obſ. 56. & in Schol.
(*o*) in eod. Schol. (*p*) l. 3. Sect. 13. (*q*) Adverſ. Anat. Dec. 2. c. 9. (*r*) Vid. Sepulchret. Sect. hac 21. Obſ. 23. in Additam.

fœminis hypogaſtrium tumeat, etſi læſi uteri non deſint notæ; de veſica tamen quæ ante uterum ſita eſt, non eſt omnis prætermittenda ſuſpicio: nec quia jugiter ſibi deſtillare urinam, ajant, non propterea habendum pro certo eſt, nihil de ipſa reſtitare: neque demum tametſi conſtet, exulceratam cum utero eſſe vaginam; idcirco lotii adjunctum quandoque ſtillicidium ſemper eſt ab annexæ urethræ, veſicæque exulceratione repetendum. Neutra enim hic erat exulcerata. Sed raro & cauſæ, & effectus exemplo, ſcirrhoſa utriuſque durities ſimul urinæ incontinentiam, ſimul retentionem faciebat. Duri enim urethræ parietes ita conſtringi non poterant, ut veſicæ orificium ſatis occluderetur. Et duri item maxima ex parte veſicæ parietes contrahi nequibant, ut urinæ requirit extruſio: neque hanc adjuvare ſatis poterat eorum pars reliqua non dura, quippe quæ cum anteriore ventris pariete, tota propemodum, coaluerat: impediebant autem aliquantum duo illa craſſa corpora quæ a lateribus orificii extabant. Quas ob cauſas omnes mirum non eſt, ſi tantum retineretur lotii, quantum non modo amplificatam veſicam impleret, ſed & ureteres, & renum pelves, ac tubulos dilataret.

35. Quæ ferme cum ſuper urinariis Partibus, iis qui aderant, expoſuiſſem; tum de genitalibus quædam eorum quæ hic habebis, continuo adjunxi: Scirrhis eſſe uterum ſuis cum appendicibus maxime obnoxium, morbo perdifficili, niſi cito cognoſcas; inſanabili, ſi in cancrum degeneraverit. Ex Magiſtris meis alterum, nempe Albertinum, auditum a me eſſe cum diceret, ſe tumorem uteri, qui tangenti videbatur ſcirrhoſus, ſolo chamæpitys uſu, nullo exterius adhibito auxilio, nullaque excretione conſecuta, feliciter diſcuſſiſſe: alterum vero, id eſt Valſalvam, in ſcriptis Conſiliis ſive pro uteri, ſive pro mammarum cancroſis tumoribus, affirmare ſolitum fuiſſe, inter magis efficacia ad tardandum utrorumque incrementum præſidia uſu ſibi compertam eſſe venæ ſectionem quotannis quater, bis videlicet vere, & bis autumno inſtitutam. Eſſe autem manifeſtum, in his vires; rationi conveniens, in illis ſcirrhi cauſas eſſe attendendas. Nam ut chamæpitys incidendo, abſtergendoque ex Majorum Obſervationibus viſcerum obſtructiones, & mammarum durities tollat; me tamen ut non illis facile quæ uteri profluviis, quemadmodum in noſtra hiſtoria, obnoxiæ eſſent, ſic libentius iis daturum quæ ex articulorum doloribus tranſlata ad uterum materia, in levem nuper hujus obſtructionem incidiſſent; menſtrua enim ciet, ſed arthritidis cauſæ, ut noſti, adverſatur. Porro multum diſcrepare inter ſe extenſiones, ſpecies, ſedes, origines ſcirrhorum uteri. Extenſum late hunc fuiſſe ad vaginam quoque, & annexas huic partes, non modo a lateribus, ſed ab anterioribus etiam, urethram videlicet, ac veſicam qua facie uterum hæc ſpectabat. Fuiſſe totum ex uniformi alba, duraque ſubſtantia, eaque iſtiuſmodi, ut vel in cancrum exulceratum converſa, cujus odor ſolet eſſe fœdiſſimus, nihil grave oleret. Sedem huic, quod ad ipſum uterum attinet, fuiſſe cervicem totam, cum ſint quibus cervicis, aut fundi pars, aut fundus totus præbeant ſedem. Origines denique aliis eſſe interius, aliis exterius. Quæ cum preſſe, & ſic etiam quæ ad ſebum attinebant in teſte altero deprehenſum, attigiſſem; finem dicendi feci.

36. Tibi vero eorum quæ tunc preſſius dixi, ultima nunc paulo fuſius explicabo. Scirrhorum uteri origines, ſive primordia non ſemel tum interius, tum exterius vidiſſe me, credo. Et de interioribus quidem alius erit opportunior ſcribendi locus (ſ); hic exteriora memorabo. In externa igitur uteri facie prominere vidi tubercula, in ejus proxima ſubſtantia defixa, alias ex rubro liventia, alba alias, & ſcirrhoſa duritie, ut meas relegens Epiſtolas (t), aut eas quas ſum ſcripturus (u), inſpiciens, cognoſces. Ea amplificari, & excreſcere in ſcirrhoſos tumores, exiſtimo. Nam puſtulam quam alias (x) tibi deſcripſi, in eadem ſede a me viſam, & corpuſcula quæ Valſalva disjecta vidit (y), & tuberculum quod Santorinus (z), quippe hoc de genere cyſticorum tumorum, cætera vero aut ibi pus jam habentia, aut, quod ſimilia alibi oſtendebant, idem poſtea, aut materiam pultaceam habitura, longe alio pertinere, non dubito. Ulcera enim uterus exterius quoque nonnunquam habet, nec ea dumtaxat, ſed & excreſcentias, ex quibus ingentes duas in Sepulchreto (a) leges deſcriptas, quarum altera conſtabat tunica *veluti lardea*, *aut ſebacea*, altera etiam *pinguedine referta* erat. Quas duas potiſſimum indico, quia ibidem (b) Severini producitur locus fatentis quidem, *in uteri exteriore habitu ſæpenumero melicerides, & atheromata viſenda ſe obtuliſſe*; at ſteatomatum non recordantis, an *ullum unquam* ibidem, ſi recte, intelligo, videre *obtigiſſet*. Sed certe in eadem Sepulchreti Sectione, ut exemplum (c) omittam maximi uteri, qui *totus pinguedinem quaſi cartilagineam referebat*; facile enim ad ſcirrhos magis, quam ad ſteatomata, id pertinet; certe, inquam, *in collo uteri abſceſſus*, *ſteatomatis naturam referens* ex Ballonio memoratur (d), *ſteatomatis* autem *uteri fundo adhærentis* diſerte meminit Rhodius (e), alterumque deſcribit Goetzius (f): & nos tibi ſuperioribus deſcripſimus Litteris (g) ipſam fundi uterini ſubſtantiam, non ſecus ac teſtes, & tubas, in ſebum converſam; quod vero intus fit, nihil mirum eſt, ſi etiam exterius fiat, modo ſebaceæ quibus ſanguis abundet, particulæ, ut in parietum uteri interiora, ſic in exteriora importentur: quanquam rariora uteri, quam teſtium ſteatomate affectorum habemus exempla. Omiſſis igitur quæ ad ſcirrhos ſpectare, non credo, pro eorum primordiis cætera accipio, quæ ſupra commemoravi, & alia ejuſdemmodi, velut illam quam uteri fundo exterius adnatam Paawius (h) deſcribit *excreſcentiam candidam*, *magnitudine verrucæ*, *quæ diſſecta*, *nihil intus continebat*, *ſed ſolida omni ex parte erat*, & multo magis quos proponit Ruyſchius (i), *parvos tumores rotundos*, *admodum ſcirrhoſos*, *vel potius ſcirrhos*, *utero* cuidam *non ſolum pedunculi ope*, *verum etiam abſque eo*, *connatos*, qui uterus iiſdem, aliiſque magnitudinis variæ, erat undique obſitus. Quæ duo ad totidem exempla addes; neque enim plura, hujus quidem generis, protulit Crellius in eo Programmate (k), quo *tumorem* ipſe quoque *fundo uteri externe adhærentem* mori fructus magnitudine, durum, ſolidumque deſcribendum ſuſcepit. Hujus autem generis dixi; nam alterius quoque memoravit quæ apud ipſum videre poteris; quin etiam oſſeos, aut quaſi oſſeos in Commercio Litterario (l). Nec deeſſent, ſi de his agere hic vellemus, uteri Obſervationes, qui ſcirrhoſo tumore aut affectus videretur ob plurimos lapides quibus ejus infarciebatur ſubſtantia (m), aut ſcirrhoſus revera eſſet ſive dimidia ex parte (n), ſive totus (o) ita uti pondus æquaret librarum quatuor, & quadraginta: & in promptu etiam eſſent tumorum hiſtoriæ, quorum ſedes Medico attrectanti facile imponeret, ut pro uteri ſcirrhis acciperet, cum ad hunc neutiquam, ſed aut ad veſicæ fundum (p), aut ad aliam aliquam proximam partem (q) attinerent. Verum ne ab ſuſcepto de ſcirrhoſis externis tuberculis ſermone diſcedamus, imo ut eum abſolvamus; ſi forte quæras, qua ratione ſcirrhoſa quædam tubercula inveniri poſſint quæ per anguſtiorem pedunculum ab utero, ut Ruyſchium vidiſſe, diximus, aut a viſceribus aliis pendeant; etſi non uno modo intelligi id poteſt; hic tamen ſatis mihi erit illum tibi in memoriam redigere, quo ſimiliter pendentes hydatides, & harum, effuſo humore,

---

(ſ) Epiſt. 47. n. 26. & ſeqq. (t) Ep. 38. n. 28. & Ep. 37. n. 29. (u) Ep. 56. n. 20. (x) Ep. 35. n. 16.
(y) Ep. 22. n. 18. (z) Ep. 19. n. 51. (a) Sect. hac 21. Obſ. 54. §. 1. & 18. (b) Ibid. Schol. ad Obſ. 37.
(c) Obſ. cit. 54. §. 15. (d) Ibid. §. 11. (e) Cent. 3. Obſ. 46. (f) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 207. (g) n. 34.
(h) Sepulchr. Sect. cit. Obſ. 4. §. 32. (i) Theſ. 6. n. 30. (k) Vitembergæ A. 1739.
(l) A. 1735. Hebd. 51. n. 2. in fin. & A. 1742. Hebd. 45. in fin. (m) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 77. (n) Cent. 9. Obſ. 31.
(o) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1748. (p) cit. Eph. Cent. 1. & 2. Obſ. 186. (q) Eph. earud. Dec. 3. A. 7. & 8. Obſ. 123.

more, in dura tubercula mutationem ſuperiore Epiſtola (*r*) explicavi; nam utero quoque ſuas eſſe hydatides, ibidem (*ſ*) ſatis oſtenſum eſt. Hic autem ab uteri tumoribus jam ad ovariorum tumores eſt tranſeundum: de quibus tamen nunc tanto pauciora verba faciam, quanto plura facienda fuerunt Litteris ſuperioribus: ad quæ hæc quoque poteris adjungere.

37. MULIER annos nata, ut videbatur circiter quadraginta, gravi intra thoracem morbo oppreſſa, ſero adeo in Bononienſe Noſocomium S. Mariæ de Morte ſub finem Aprilis A. 1706. illata fuerat, ut mox obiens, quibus in vita conflictata eſſet incommodis, neminem docere potuerit. Hujus ego inciſurus cadaver, ut quorundam ventris viſcerum fabricam diligentius recognoſcerem, cum duo adnotaſſem, in habitu non prorſus illaudabili præter areolas & papillas, nihil mammarum extare, abdomen autem nullis eſſe rugis ſulcatum, ut nunquam geſtatum eſſe uterum, appareret; animadverti ſimul tumorem quendam non acuminatum, ſed planum, qui hypogaſtrium, & huic proximam umbilicalis regionis partem nonnihil attollebat. VENTRE igitur aperto, cauſam cur ibi tumeret abdomen, eſſe vidi corpus quoddam, maximi pugni magnitudine, a quo impoſita inteſtina extrorſum, & ſurſum compellerentur. Erat id corpus in pelvis medio, ſubrotundum, tuberoſa ſuperficie, nonnullis tamen in locis plana, & lævi, ut a primo nihil aliud eſſe, quam tumefactus uterus videri poſſet. Re autem vera teſtis erat ſiniſter, qui in eam molem excreverat. Ejus denſa tunica parvis quibuſdam abſceſſibus hic illic erat inæqualis, quorum aliqui, per ſe aperti, pus emittebant album, quale continebant eorum plurimi. Ex ipſo teſtis corpore tenuis, nec multus, ichor ſanguinolentus exprimebatur, cum pure miſtus. Cum autem penitus aperuiſſem, & in aqua ſatis agitaſſem; plane perſpeximus, præter aliquot fibras, & vaſa, unamque, aut alteram cellulam mediocri uvæ acini magnitudine, quæ intra nigram tunicam comprehendebat quidpiam ſimillimum concreti ſanguinis; perſpeximus, inquam, reliquam multo maximam, id eſt pene totam hujus corporis ſolidam partem nihil eſſe aliud, niſi conſtipatarum rubeſcentium veſicularum congeriem, ut numero eſſent ob parvitatem incredibili, omnes autem ſordido ſero diſtentæ. Neque tamen fuit odoris fœditas valde gravis: neque tuba proxima oblæſa, quanquam exterius, ut altera, hydatides habuit: neque uterus ipſe, cujus lateri deſcriptum corpus erat annexum, inde quidquam vitii præterquam in extima membrana, contraxerat. Nam perſecui, & hoc unum, quod huc minime ſpectaret, adnotavi, fuiſſe in lateribus ejus caveæ parietem anteriorem per interjectas membranulas cum poſteriore connexum. Teſtis alter, modicus, ſuperficie inæquali, huic contiguam veſiculam dumtaxat unam habuit, majuſculam ſub craſſa alba tunica paucum humorem continentem: cætera albus erat, & durus: ex aliqua tamen exigua ſui parte, albi puris pauxillum emiſit.

38. Sæpe adeo mulieribus, præſertim ſi cum fœminis conferas cæterorum animalium, accidunt teſtium vitia, tumores præſertim ſive hydropici, ſive alterius generis, ut facilis ſit conjectura, pleraque horum non ſine culpa affectuum animi contingere. Quid enim hi poſſint in humorum curſu retardando, perturbandove, non ignotum eſt. Accedit tamen ſanguinis menſtruus in uterum, adjectaſque huic partes confluxus, quem ſæpius, & multifariam ab naturæ modo aberrare, ſcimus. Huc adde gravidi uteri molem, & pondus, quo ſtanti, ſedentive mulieri teſtes ad pelvis oſſa apprimuntur, multo autem magis in difficili partu vehementiſſime nitenti, aut intempeſtive in eo qui facile futurus eſſet, niſi plerarumque imperitarum obſtetricum præpropera feſtinatio acceleraret. Ob has igitur, aliaſque cauſas haud mirum eſt, ſi crebro muliebres teſtes vitiantur, & tument, augenturque adeo, ut non rariſſime aſcitem mentiantur, velut in ea Obſervatione, quæ in eodem Bononienſi Noſocomio a Viro Doctiſſimo, ac Diligentiſſimo habita eſt, qui mecum & priorem, & tot alias habuerat, Heraclito Manfredio. Ut ipſe ad me, qui jam Venetiis degebam, illam ſcripſit, ſic ego tecum communicabo.

39. FŒMINA quæ aſcitica putata fuerat, mortua eſt. VENTER non effuſa aqua, ſed tumore opplebatur teſtis ſiniſtri. Erat is tumor pondo librarum quatuor & viginti: refertus pro majori parte viſcido & nigro humore, quem cum aqua lutulenta, quæ per medias urbis vias lente fluit, poſſes comparare. Cætera veſicæ tenebant, inæquali magnitudine, inter ſe non communicantes, quarum alias flava, & viſcida materia, alias lympha implebat, quæ igni impoſita, non concrevit. Etſi nullam ad partem erat annexus præterquam ad ſiniſtrum ſummi uteri latus; immobilis tamen, quocunque corpus verteretur, omnino erat propterea quia inferiorem quandam ſui appendicem, ex hydatidibus multis conſtantem, cum uterum inter, & inteſtinum defigeret, exacte adeo imam pelvim replebat, ut dum inde vi extrahebatur, non ſecus auditus ſit ſonus, ac cum ſuas a cute cucurbitulas Chirurgi avellunt.

40. Cum in abditis morbis cæteris, tum in hoc ſpeciatim conjiciendo, ob eam etiam cauſam plura oportet indicia conjungere, quod eorum aliquod caſu interdum abeſſe poteſt, velut hic. Nam inter illa, poſita eſt aliqua tumoris mobilitas a Schorkopffio in Diſſertatione quam *de Hydrope Ovarii Muliebris* Baſileæ edidit A. 1685. (*t*) non vulgari, ut eo præſertim tempore, laude dignam vel ob acceptas ab nobili Medico atque Anatomico Wepffero ejus morbi Obſervationes (*u*), quas non tam miror Nuckio (*x*) fuiſſe incognitas, quam in iis ad Sepulchretum Additamentis hic prætermiſſas, in quibus (*y*) Harderi verba deſcribuntur eam Diſſertationem, eaſque Obſervationes diſerte laudantis. Attamen primis fortaſſe morbi temporibus, quæ propterea in ejuſmodi caſibus attendenda eſſe, dixi Epiſtola ſuperiore (*z*), fuiſſe potuit in propoſita fœmina tumoris mobilitas: quemadmodum iiſdem temporibus eſſe poteſt in tubæ hydrope *tumoris figura ſemicircularis* ex Brechtfeldii (*a*) conjectura, quam ſecutus eſt Schorkopffius (*b*), ut quo ſigno ovarii, & tubæ hydropem internoſceremus, doceret: ſed progrediente morbo, tumorem non minus hydropis in tuba, quam aneuryſmatis in arteria, ad ovalem, aut ſphæricam figuram accedere, non dubito, quod Munnickii delineatio hydropicæ tubæ confirmat, ei Obſervationi addita, quæ a nobis eadem Epiſtola (*c*) laudata eſt. Cæterum dum plures teſtium muliebrium tumoris cujuſquemodi hiſtorias attenderem, venire in mentem cœperat, fortaſſe ad alia ipſius indicia adjungi hoc poſſe, quod is in hypogaſtrii ſiniſtra parte incipiat. In teſte enim ſiniſtro, non dextero, tumorem fuiſſe animadvertebam non modo quem Manfredius (*d*), aut ego quoque obſervaſſem (*e*), verum etiam quos conſpexiſſent Kerckringius (*f*), Wepferus (*g*), Harderus (*h*), Nuckius (*i*), Drelincurtius (*k*), Reiſelius (*l*), Gahrliepius (*m*), Verneyus junior (*n*), hicque in duabus, Rud. Jac. Camerarius (*o*), Maggius ac Dodius (*p*), Riedlinus (*q*), Schacherus (*r*), Alexand. Camerarius (*ſ*), Gullmannus (*t*), Gutermannus (*u*), Baſſius (*x*), Vacherius (*y*), Benevolus (*z*), Targionius (*a*). Quin etiam ubi teſtis utriuſque tumor fuit; multo major ab Hunerwolffio (*b*) in ſiniſtro deprehenſus eſt: nec ipſe obli-

(*r*) n. 38. in fin. & n. 35. (*ſ*) n. 42. (*t*) theſ. 21. (*u*) theſ. 16. 17. 23. (*x*) Adenogr. c. 8.
(*y*) Schol. ad Obſ. 47. (*z*) n. 60. (*a*) Bartholin. Act. Haſn. Vol. 1. P. 1. Obſ. 103. (*b*) theſ. 22. (*c*) n. 59.
(*d*) n. 39. (*e*) n. 37. (*f*) Spicileg. Anat. Obſ. 10. (*g*) apud Schorkopff. th. 17. (*h*) Ibid. th. 15. (*i*) c. cit.
(*k*) Ibid. (*l*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 10. Obſ. 27. (*m*) Earund. Dec. 3. A. 2. Obſ. 61. (*n*) Hiſt. de l'Acad. R. de Sc. A. 1703.
(*o*) Biga Obſ. Med. c. 1. (*p*) apud Valliſner. Iſtor. della Generaz. P. 3. c. 5. & Tab. 12. (*q*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 56.
(*r*) Diſſert. de Virg. Aſcitica. (*ſ*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 160. verſ. fin. (*t*) Eorund. T. 2. Obſ. 80.
(*u*) Eorund. T. 3. Obſ. 105. (*x*) Dec. 4. Obſ. Anat. 8. (*y*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1739. Obſ. Anat. 3.
(*z*) Oſſervaz. 9. (*a*) Prima Raccolta di Oſſervaz. Med. (*b*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 9. Obſ. 99.

oblitus ſum, hydatides tibi aut intra ſiniſtrum dumtaxat (*c*), aut multo majores ad hunc (*d*) a me conſpectas deſcripſiſſe. Cum tantum in tot Obſervationibus conſenſum attenderem, jamque in eo eſſem, ut diſcriminis cauſam fortaſſe a minus expedito, certe per longiorem viam confecto reditu ſanguinis ex ſiniſtro teſte in venam Cavam repeterem; in memoriam redii, non pauca tamen a me lecta fuiſſe tumorum exempla qui ad teſtem dexterum attinerent. Hunc enim Veſalius (*e*) vidit in novem decemve magnas hydatides excreviſſe. In eodemque poſtea, cum ſero ad novem libras diſtentus eſſet, *hydropis teſticulorum* exemplum a Caſparo Bauhino (*f*) propoſitum eſt: qui (*g*) cum Hildano (*h*) alias dexterum pariter conſpexit ovi anſerini magnitudine, pilis oblongis, & mucoſa materia plenum. Eos Blaſius quoque (*i*) rebus cum aliis in ejuſdem lateris teſte deprehendit in multo maximam molem aucto. Et cum alii præterea, a me infra (*k*) nominandi, in teſtium tumoribus pilos invenerint; fuerunt quidem, ut tum dicam, qui in ſiniſtro, nec pauciores tamen qui viderint in dextero. Ejuſdemque tumorem teſtis; ne multis te detineam; conſpectum leges a Chriſtophoro Hardero (*l*), a Theodoro Zwingero (*m*), ab Lebenwaldio (*n*), a Gandolphio (*o*), a Klaunigio (*p*), ab Jo. Dav. Maucharto (*q*), a Miegio (*r*), ab Alexandro Camerario (*ſ*), a Trewio (*t*), a Mediavia etiam noſtro, quemadmodum a me tibi alias (*u*) ſcriptum eſt. Nec vero diſcrimen invenio inter ſiniſtri teſtis, dexterique tumores in una eademque fœmina, ſive olim ab Heintzio (*x*) ſive poſtea ab Nabotho (*y*), & ab Laubio (*z*) deſcriptos: neque ipſe inter eos vidi quos ſuperioribus propoſui Litteris (*a*): aut ſi diſcrimen invenio; in majori eſt dexteri magnitudine, ut in Bauhini (*b*), Gandolphii (*c*), Goetzii (*d*) Obſervationibus. Poſtremo ſi de adnatis hydatidibus ſermo ſit; quas in infante Kerckringius (*e*) deprehendit *magnitudine ovi columbini*, non ad ſiniſtrum, ſed ad dexterum teſtem fuiſſe, adnotavit. Erant procul dubio utrinque multo plures Obſervationes; ipſe enim quarum in præſentia recordabar, eas tantummodo commemoravi, non tam ut caſu factum fuiſſe, intelligeres, ut a primo tot mihi ſe objecerint in latere omnes ſiniſtro, quam ut plurimas in promptu haberes, ſi forte inter ſe conferens, aliqua ex nonnullis poſſes elicere ad conjiciendum abditum, eundemque frequentem morbum non inutilia.

41. Nec vero quod de pilis diximus intra fœminarum teſticulos a Bauhino, & Blaſio inventis, perrarum eſt. Nam Bauhinus (*f*) ita illam Obſervationem propoſuit, ut neque unam, neque primam eſſe, indicaret: poſtea autem & Blaſius, ut dixi, & alii, in quibus Wepferus (*g*), & Andreas Veronici (*h*), ſed hi duo a ſiniſtris, a dextris autem Stalpartius (*i*), & Cel. Hallerus (*k*): &, ne plures addam, una in Civitate ſemel, atque iterum, mea memoria, Docti Bononienſes Viri adnotarunt, nuper quidem Menghinus ac Bonzius (*l*) ſiniſtro in teſte, ante annos autem tres & quinquaginta is quem ſupra (*m*) laudavi, Manfredius in dextero. Huic enim connatum fuiſſe, ad me ſcripſit, globum prægrandis ovi magnitudine, comprehenſum alba, & quaſi cartilaginea tunica, quibuſdam tamen locis tenuiore, & nigricante: intra eum globum delituiſſe pilorum glomerem, ab ea tunica omnino ſejunctum, & quodam quaſi ſebo delibutum: intra glomerem autem nucleum quendam, ex quo vaſa aliquot in continuatam teſtis ſubſtantiam pertinebant. Quæ vaſa, & nucleum ab aliis non memini animadverſa, ut neque a cæteris duo quæ Bauhinus adnotaverat, pilos videlicet albos, concludenti tunicæ infixos; nullos autem in mulieris illius pube, quanquam puella non erat, imo puerum jam ediderat. Sed dum hæc recenſerem, in Programma incidi *de Ovarii Tumore Piloſo*, Lipſiæ editum A. 1735. a Polyc. Gottl. Schachero, qui non modo alios memorat pilorum, & pinguis materiæ in fœmineis teſtibus, a dextris præſertim, Obſervatores; ſed ab ſe quoque in ampliſſimo ſiniſtro teſte eadem reperta deſcribens, pilos potiſſimum, ſi quis alius, diligenter proponit, nec verbis ſolum, verum etiam Figuris, eoſque ex *interna tunicæ incraſſatæ ſuperficie prodiiſſe*, confirmat, quam propterea cum externa capitis cute capillata conferre non dubitat. Quin a Cl. quoque Targionio (*n*) conſpectos pilos fuiſſe, animadverti, craſſæ tenacique tunicæ altero capite haud aliter inhærentes, ac cuti ſolent. Qua vero ex cauſa intra teſticulos pili naſcantur, ſi veri quidem pili ſunt, difficile eſt dicere: nec difficilius tamen quam intra partes alias. Nam & Cornelius Celſus (*o*) in thyroidææ glandulæ tumoribus *interdum etiam minutis oſſibus pilos immiſtos* includi, ſcripſit, & alii, laudati a Cel. Heiſtero (*p*), alibi, ut nos ipſi (*q*) intra proceſſum Tranſverſum viderimus Craſſioris cerebri meningis. Sed hæc quoque Epiſtola jam longior eſt; ut videndum nobis potius ſit, quemadmodum per Obſervationem aliquam, quæ Valſalvæ illi ultimæ (*r*) reſpondeat, finem faciamus. Erit hæc, ſi non prolapſi ventriculi, at prolapſi lienis, ab ejuſdemque Manfredii accipietur litteris humaniſſimis, quibus A. 1718. ut duas non vulgares alias, alio tempore tibi deſcriptas, ita hanc pariter communicavit.

42. VIR erat cui venter ad utrumque inguen tumebat. Sed tumor ſiniſter, quem herniam eſſe, conſtabat, cum mortem, ileo inducto, attuliſſet; occaſionem præbuit ſciendi, quid eſſet dexter. VENTRE enim adaperto, lien ad inguen dexterum inventus eſt, unde, quantumvis concuſſo inter eruendum e ſepulchro cadavere, dimoveri non potuerat. Lien is fuit pondere librarum circiter trium, craſſitudine digitorum tranſverſorum quinque, latitudine duodecim, longitudine totidem. Annexus erat ventriculo per quendam quaſi funem, ſub inteſtinorum parte latentem, craſſum digitos pollices duos, ex vaſis factum ſanguiferis, quæ craſſiuſcula tunica, capſulæ inſtar, complectebatur, ut colore, & quadam vaſorum contorſione ſimilis eſſet funiculi umbilicalis; quanquam exterius appendices habebat quaſdam, reliquias fortaſſe laceratarum membranarum, quæ primo aſpectu illas adipoſas appendices referebant quibus inſtructa ſunt inteſtina Craſſa. Rami venarum ad lienem attinentium valde erant dilatati: quæ autem vas breve dicitur, facile digitum indicem admittebat.

43. Etſi Blaſius (*ſ*) cum eandem, quam Ruyſchius (*t*) poſtea, prolapſi lienis Obſervationem vulgavit, aliquanto plura quam alter, ſcripſit de iis quæ in vivente, & poſt mortem ſunt animadverſa, & in his *vaſa ſplenica mirum in modum & longitudine, & capacitate aucta*; neminem tamen legiſſe memini, qui in ejuſmodi caſibus diligentius quam Manfredius, funem deſcripſerit Splenicorum vaſorum. Cæterum quod ad cauſas attinet morbi hujus, agnoſco quidem nimis auctum lienis pondus, quo membranea vincula, ad ſeptum tranſverſum annectentia, laxentur, aut diſrumpantur, & ſane plerique cum prolapſu id pondus aut memorarunt, aut indicarunt. Attamen cum ingentium lienum, qui minime prociderant, venit in mentem, quales non ſemel tibi deſcripſi (*u*), aut quales in Sepul-

---

(*c*) Epiſt. 15. n. 8. (*d*) Ep. 21. n. 47. (*e*) De corp. hum. fabr. l. 5. c. 9. (*f*) Theatr. Anat. l. 1. c. 35. (*g*) Ibid. (*h*) Cent. 5. Obſ. 48. (*i*) Part. 1. Obſ. Med. 9. (*k*) n. 41. (*l*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 3. Obſ. 180. (*m*) Earund. Dec. 2. A. 9. Obſ. 136. (*n*) Earund. Dec. 3. A. 1. Obſ. 92. (*o*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. A. 1707. Obſ. Anat. 4. (*p*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 64. (*q*) Earund. Cent. 8. Obſ. 14. (*r*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 85. (*ſ*) Ibid. Obſ. 160. (*t*) Commerc. Litter. A. 1734. Hebd. 44. (*u*) Epiſt. 29. n. 14. (*x*) apud Schenck. Obſ. Med. l. 3. ubi de Hydrope Obſ. 6. (*y*) Diſput. de Sterilit. Mulier. n. 11. (*z*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 21. (*a*) n. 34. (*b*) cit. c. 35. primo loco. (*c*) cit. Hiſt. primo loco. (*d*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 207. (*e*) Obſ. cit. 10. (*f*) c. cit. 35. (*g*) Vid. theſ. 17. Schorkopffii cit. n. 40. (*h*) apud Targion. cit. ibid. (*i*) Cent. 2. P. 1. Obſ. 37. (*k*) Opuſc. Pathol. Obſ. 42. (*l*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. T. 2. P. 1. inter Medica. (*m*) n. 38. (*n*) cit. ſupra ad n. 40. (*o*) De Med. l. 7. c. 13. (*p*) Epiſt. de Pilis &c. ad Paverum. (*q*) Epiſt. Anat. 20. n. 58. (*r*) ſupra n. 14. (*ſ*) P. 1. Obſ. Med. 14. (*t*) Obſ. Anat. Chir. 62. (*u*) Vid. præſertim Epiſt. 36. n. 11. & 17.

Sepulchreto (x) legeris ; facile intelligo , ad pondus addendas eſſe cauſas alias , ut puta illorum vinculorum majorem laxitatem infirmitatemve , aut caſum ab alto , aut alia ejuſmodi , quæ inter videto , an transferre placeat quod de rene cenſuit Riolanus (y) . *Cauſa*, inquit, *luxationis renis poteſt eſſe violenta , & diuturna tuſſis , quæ perenniter agitans diaphragma* , renum , huic incumbentium , *alterutrum* poteſt *ſua ſede dimovere*.

44. Quibus autem ſignis hic dignoſci morbus , & internoſci ab aliis queat , ex ejus hiſtoriis quærendum eſt : quanquam non omnes qui in mortuis invenerunt , ea potuerunt indicare , quæ peculiariter affeciſſent viventes . Nam certe peculiaria non ſunt prolapſi lienis quæ in antiquo præ cæteris exemplo habemus apud Ballonium (z) . Neque ex Cabrolii Obſervatione (a) , quæ non diu fortaſſe poſt illam priorem habita eſt , colligere aliud poſſumus, niſi lienem ; ut in mortuo poterat , ſic facile etiam in vivo percipi potuiſſe *natantem per totam ventris cavitatem* . Quod ſignum non inutile credo , ſed primis temporibus , ut de aliis haud ſemel dixi , magis attendendum . Tempore enim progrediente , poteſt facile deeſſe , quippe liene immobili facto, ut in propoſita Manfredii Obſervatione vidiſti, & apud Ballonium videbis ; nam lien , veſicæ incumbens, *ſatis contumaciter adhærebat* . Confirmat hoc Riolanus, ubi hunc ſibi morbum *quater viſum* in Encheiridio (b) dicit : & certe in Anthropographia (c) duo producit exempla in quorum utroque ſe lien utero , viciniſve partibus tam firmiter alligaverat , ut in altero , vivente fœmina , reponi , quemadmodum antea , in ſuam ſedem amplius non potuerit ; in altero diu Medicis pro mola impoſuerit. Ipſe autem has profert (d) notas , ut a prolapſo rene internoſcamus, *tumorem oblongum , & vacuitatem hypochondrii ſiniſtri* ; quarum hanc nos in jejuno ægrotante quæremus , & ſi percipiamus (quod in eo facile in quo lien ante prolapſum tumidus perceptus ſit) multo potiorem notam ad internoſcendum a quovis alio duro hypogaſtrii tumore delapſum in hoc lienem habebimus , quam figuram , quæ in morbidis Partibus, & in hac præſertim , ut vel ipſe Riolanus (e) docet , quantum mutari ſæpenumero ſoleat , non ignoramus . Ex Blaſii (f) autem exemplo colligere duo poſſumus , alterum , ut ſi forte quod ipſi accidit propterea , ſicut opinor , quia ſenſim laxatis ligamentis , non cito ruptis , procubuerat lien , contingat nobis gravem tumorem , hypochondrium ſiniſtrum cum aliqua parte epigaſtrii occupantem , primum percipere , interpoſito autem ſpatio temporis hypogaſtrium magis, quam illa , tenentem , in conjectura confirmemur ; nam alioquin locum dumtaxat in quo demum ſentiemus , attendere , etſi adjuvare aliquando poteſt , quod ſiniſtrum ſentiamus ; poteſt tamen nonnunquam decipere , ſicuti oſtendit Manfredii (g) Obſervatio, qui ad inguen dexterum invenit . Alterum eſt , ut ſi cætera ſigna lienem indicent , non propterea quia tumor *ultra ſemeſtre ſpatium*, quod definiverat Riolanus (h), mobilitatem aliquando retineat ſic , ut mutato corporis ſitu , ſedem mutet ; non , inquam , propterea lienem eſſe , inficiemur . Ut enim facile alias , quemadmodum diximus , adhærere ſoleat , in Blaſii tamen caſu *ultra annos tres & dimidium* etiamtum pendulus , pro varia corporis agitatione , varie ipſe quoque moveri potuit. Ex eodem , ut ab Ruyſchio (i) narratur , caſu diſcimus , accidere interdum hunc morbum poſt difficilem partum , nec ſine dolore vehementiſſimo : quorum illud ea confirmat quæ de morbi cauſis addidimus (k) , hoc vero admonemur , ne quia dolorem cæteræ hiſtoriæ non memorant , idcirco in omnibus , omnive morbi tempore deeſſe credamus . Antonii de Pozzis (l) hiſtoria docet , quamvis magnus lien , ſede præ pondere mutata , hypogaſtrium occupaſſet annos quatuor & viginti , vixiſſe tamen mulierem , terque uterum interea geſſiſſe , & vitalem prolem edidiſſe ; ut minus oporteat mirari quod altera illa apud Ballonium (m), ſemel ad legitimum uſque pariendi tempus fœtum retinuerit , in partu demum extincta . Nihil , niſi facilem Medicorum errorem in hoc morbo pro uteri geſtatione habendo , confirmat Drelincurtii Obſervatio apud Schorkopffium (n) . Exemplum denique Boneti (o) facere poſſet ad ea comprobanda quæ de ventris doloribus aliquando torquentibus paulo ante dicebamus , niſi alius præterea in ejus Virginis ventre fuiſſet morbus. Nec plures lienis prolapſi , quam has decem Obſervationes , accepiſſe , aut legiſſe , in præſentia memini , ut jure meritoque Ruyſchius (p) potuerit inter ea quæ rariora adnotaverat , *lienem in pelvim prolapſum* recenſere . Sex illarum ad fœminas attinent , duæ ad viros : ad alterutros autem reliquæ ſpectare potuerunt , quas indicavit , non narravit , Riolanus (q) , cum ajat , imperitos incautoſque ſic falli *ſpecie molæ , vel ſcirrhoſi uteri in mulieribus , & in viris ſpecie tumoris glanduloſi inſtar ſteatomatis in meſenterio latentis* . Mihi necdum contigit , ut per anatomen deprehenderem, cupienti alioquin cum alia, tum præcipue quid annexis pancreati, ventriculo , totiſque Splenicorum vaſorum truncis tunc accidat, diligenter inquirere . Et ſunt quidem in productis Obſervationibus , Ballonii præſertim , & Cabrolii, aliqua ad ventriculum attinentia. Sed quoniam aliunde eſſe poterant , nec Pozzi , & Boneti hiſtoriæ ſatis illis hac in parte reſpondent , conſulto ſunt a me prætermiſſa.

45. Conſulto pariter reticui quod ab Hildano (r) in muliere deprehenſum eſt , cum immanem lienem ad hypogaſtrium quidem extenſum legam , non illuc prolapſum , ut Viris alioquin Doctiſſimis viſum eſt , in Obſervationis ejuſdem , ab Hildano facta, commemoratione (ſ) , quam ipſi alteram eſſe Obſervationem crediderunt. Sic quoque pro commemoratione habui editæ olim Obſervationis (t) quod Ruyſchius poſuit in Adverſariis (u) : neque enim mirum , ſi perſenex quædam in hac commemoratione ſcripſerit , quæ cum ſcriptis triginta annis ante non prorſus congruant , quando nec illa quæ tum ſcripſerat , viginti nimirum annis poſtquam obſervaverat , ſatis cum iis conveniunt quæ ſeptem , haud amplius , annis poſt habitam illam Obſervationem tradidit Blaſius (x) , qui & a muliere conſultus fuerat , & affuit diſſectioni , quam ab Ruyſchio peractam dicit A. 1670. die 24. Januarii . Hic vero cum annum eundem ponat , tempus quoque anni ſatis indicat , cum eandem hanc ſuam , ait , recenſeri hiſtoriam *Decad.* III. *Obſ.* 4. Juſti Schraderi, qui ibi ab Ruyſchio *Ann.* 1670. *die* 31. *Mart.* ſibi narratum ſcribit , *nuper* ab ſe eam eſſe habitam diſſectionem . Quod ſi hujuſmodi Obſervatio ex iis eſſet quæ bis intra duos menſes uni Anatomico facile poſſent occurrere ; quomodo inter rariores ab Ruyſchio (y) fuiſſet poſita ? At enim quater id vidit Riolanus (z) ; *bis* autem , ut hæc recenſens lego , Ill. Swietenius (a) in cadaveribus conſpexit *lienem ſcirrhoſum ingentem ad pelvim uſque prolapſum*, qui utinam ad cætera addenda otium habuiſſet . Tu vero memineris , non videri nobis minus veri ſimile , quod aliquis non ſemel offenderit lienem prolapſum ; ſed quod intra bimeſtre ſpatium bis offenderit , hoc ſane videri . Attamen ſi verbum illud *nuper* a me forte nimis reſtricte acceptum putas ; etſi mihi non ob id unum

(x) l. 3. Sect. 16. Obſ. 9. & ſeqq. plurib. & Sect. 21. Obſ. 34. §. 1. 2. 3. (y) Anthropogr. l. 2. c. 26.
(z) Epidem. l. 2. Vere A. 1578. (a) 6. in Obſerv. Var. (b) l. 2. c. 26. (c) l. 2. c. 23. (d) Encheir. c. cit.
(e) Ibid. (f) Obſ. ſupra ad n. 43. cit. (g) ſupra , eod. (h) Encheir. c. cit. (i) Obſ. 62. cit. ad n. 43.
(k) eod. n. (l) Eph. N. C. Dec. 1. A. 4. Obſ. 30. (m) loc. cit. (n) Diſſert. ſupra n. 40. cit. theſ. 22.
(o) Sepulchr. l. 3. Sect. 14. Obſ. 37. (p) Reſp. ad Bidl. Vindic. (q) Encheir. c. cit. (r) Cent. 2. Obſ. 45.
(ſ) Epiſt. 55. (t) cit. ſupra ad n. 43. (u) Dec 2. n. 9. (x) cit. ſupra ad n. 43. (y) Vid. ſupra , n. 43.
(z) ſupra , n. 44. (a) Comment. in Boerh. Aphor. §. 958.

haud ſatis convenire cum aliorum antea editis deſcriptionibus prima illa Ruyſchii Obſervatio viſa eſt ; non repugno, quin ſecundam pro alia habeas, & cæteris annumeres quæ ſupra (*b*) ſunt recenſitæ.

46. De curatione tandem quid primo tempore cenſuerit, & quid præſtiterit Riolanus (*c*), quæ item, liene hypogaſtrii partibus jam affixo, propoſuerit, quæ vetuerit, ex ipſo cognoſces. Nolo enim jam longam Epiſtolam longiorem facere, cujus tu prolixitudinem, non tamen cum ſuperioris Epiſtolæ prolixitudine comparandam, feres æquiore animo, cum animadverteris, hac nos, repetitionum oſores, non modo quæ ad Sectionem ſpectant *de Ventris Tumore*, ſed & quæ ad alteram *de Hypogaſtrii Dolore* attinent, propemodum abſolviſſe. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XL.

Verba fiunt de Lumborum Dolore.

Ventum eſt ad morbos, quorum peculiaris ſedes, & cauſa ſæpe admodum ſunt obſcuræ, ad eos videlicet qui ad urinas ſpectant. Oſtendet hoc vel ipſe, a quo incipimus, *Lumborum Dolor*. Hic enim haud raro ad renes attinet quos arenæ aut calculi male habent; quanquam non minus ſæpe aut alio attinere, aut ad renes quidem, ſed ab aliis cauſis affectos, & ipſe noſti, & planius intelliges ex iis quas modo tibi deſcribam, Obſervationibus tum Valſalvæ, tum meis. Nam ex utriſque primæ ad renes, calculoſque, poſteriores ad alia aut renum, aut aliarum partium vitia pertinebunt. Initium, ut par eſt, & ſoliti ſumus, ab illius primis capiemus.

2. SACERDOS annorum quinquaginta, ab annis jam bene multis, arthriticis, digitorum præſertim, obnoxius doloribus, tandem & nephritico eſt correptus. Vomitus non ſolum bilioſæ materiæ crebro, ſed & ſemel ſanguinis fuit, qui per nares quoque jam ſæpe profluxerat. Poſteaquam urina ex pauca, & aquoſa, majori copia reddebatur cum mucilaginoſa, atque opaca materia, repente convulſivi totius corporis motus acceſſere; qui iterum, ſed vehementius, redeuntes, necarunt. VENTRE aperto, omnia inteſtina reperta ſunt colore ad lividum inclinante. Ventriculus autem ſanus, nullo apparente loci veſtigio unde ſanguis prodiiſſet. In renibus minimi latebant calculi, nonnulli nigri, alii albicantes, ſinuoſæ præterea caveæ, in ſiniſtro præſertim, urina plenæ: quæ ſua copia pelvim, & huic continuatum ureterem multum dilataverat. In Capite interna cerebri ſubſtantia quadantenus, hujus autem præcipue ventriculi ſero ſcatebant. Denique ad digitorum articulos, cute ſublata, illico in membrana, tendines obvolvente, tartarea materia deprehenſa eſt, quæ ex albo in flavum colorem vergebat.

3. Cum plura poſſint; quod in hac, aliiſque ſæpenumero fiet Epiſtolis; ex propoſita Obſervatione deduci; tum illud præcipue confirmare licet quod in medicina exercenda ſæpius occurrit, ad articulorum dolores accedere renum dolores, ad hos denique graviſſimos cerebri morbos. Nempe qui arthritidi obnoxii ſunt, quanto minus uti poſſunt corporis motu, tanto minus agitant eos muſculos quorum motibus renes quoque attigui coagitantur, ne facile in his urina ſubſiſtat, & arenulas, quibus fœta eſt, deponat. Videſis Boerhaavium (*a*), & Magiſtri ſenſa recte interpretantem, & illuſtrantem Hallerum (*b*). Vide etiam Litrii (*c*) Obſervationem in puero, cui ob phimoſim cum vix guttatim deſtillaret urina, eoque inter glandem, & præputium reſtitaret, incredibilem ibi creaverat lapillorum numerum, quorum, ſublata phimoſi, nullus amplius productus eſt. Concreto autem jam in renibus calculo, ſicuti haud raro inde obſtaculum fit lotio, minuſque propterea ſerum inutile e ſanguine eliminatur, ita hoc redundare in cerebrum poteſt; aut etiam aſperitas calculi renes interdum vehementius irritando, convulſiones toto corpore ciere, atque ideo intra cranium quoque. Utra malueris ratione convulſivos motus in propoſito Sacerdote, mortemque ipſam explicare, arbitrium tuum facio: quanquam ſecundam comprobare videtur mictus mucilaginoſæ materiæ, cui mictui illa ſucceſſerunt. Scilicet, is mucilaginoſus humor, quo ut veſica, & ureteres, ſic etiam, quippe ex eadem continuata tunica facti, pelvis, & ad hanc pertinentes tubuli qui excipiunt renum papillas, intus obliniuntur adverſus urinæ acrimoniam, is igitur humor auctus, & craſſior factus a calculi irritatione, hujus vim minuit donec calculo adhæret, interque ejus aſperas facies, & illam tunicam ſe interponit. At quod ſive a perperam datis medicamentis quæ urinam importune moveant, ſive a cauſa alia aliqua illinc detruſus, tunicam inermem relinquit; tunc vero acriora fiant irritamenta, neceſſe eſt. Prima vero de duabus explicationibus uti malueris, ut opinor, in ea quam protinus attexam, hiſtoria.

4. VIRO ſexaginta annos nato, obeſiori, qui, dum juvenis erat, difficulter mingebat, ut elevatis pedibus aliquando mingere cogeretur, ex toto urina ſupprimitur cum dolore vehementiſſimo ad lumbos, tamen ſine ullo vomitu. Magna quotidie febris, rigore, & frigore ad duas horas durantibus. Cathetere immiſſo, ſanguinolentam mingit materiam, unaque calculum parvæ amygdalæ magnitudine. Hunc excipit mictus purulentus. Sed poſtmodum clareſcit urina, fitque ſanorum ſimilis, non ſine aliquo tamen fœtore: ſemperque perſtat ad lumbos dolor. Morbo, ſicut diximus, in ſpeciem remiſſo, ea nocte quæ ad quinctum diem attinebat, quadam ingruente quaſi epileptica totius corporis concuſſione, cum ſanguinolenta ad os ſpuma æger excedit e vita. VENTRE diſſecto, veſica apparuit urinæ plena, niſi quod male olebat, ſecundum naturam, ut videbatur, ſe habentis. Craſſæ factæ erant carneæ veſicæ fibræ, ut cordis lacertulos repræſentarent. Circa ejus cervicem nonnulla arenulæ grana reperta ſunt. Cæterum in veſica nullus inventus eſt obex quo mictio prohiberetur. Ureteres, & renes omnino ſani. In Thorace pulmones turgebant, atroque erant colore infecti: ſiniſter autem diaphragmati arcte adhærebat. Cordis ventriculus dexter polypoſam concretionem habebat; ſiniſter fluido ſanguine erat plenus.

5. Quæcunque olim fuiſſet cauſa mictus difficilis, a quo veri ſimile eſt, ut alias (*d*) indicabitur, fibrarum veſicæ craſſitudinem fuiſſe relictam; noviſſimus; quod ad urinarias Partes attinet; morbus a calculo videtur repetendus. Is enim

(*b*) n. 44. (*c*) Encheir. & Antrop. capitib. ad n. 44. ſupra cit. (*a*) Prælect. ad §. 352. Inſtit. & ad §. 365.
(*b*) not. *c* ad primum, & *d* ad alterum cit. Boerh. locum. (*c*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. A. 1706. Obſ. Anat. 6.
(*d*) Epiſt. 42. n. 33.

enim in renum alterutro tanto facilius gigni potuit, quod obeſiori homini pinguedinis pondus minus facilem reddebat corporis exercitationem (*e*). Rationi huic qua Boerhaavius (*f*) lapidem credidit itidem in rene altero (neque enim ſemper uterque pariter eſt ad hanc rem diſpoſitus) præpinguis hominis concreviſſe, aliam quoque addas licet, quam cum Auctore eodem (*g*) repetes a pinguedinis copia, renem, & ureterem prementе, eoque non ſecus ac rarior corporis motus, lotium morante. Quin etiam in iis qui ſe multis ac ſæpius ingurgitantes, ventriculum, & inteſtina plerumque habent nimis diſtenta, ad cæteras cauſas quibus renum calculis obnoxii fiunt, hanc mecum adjice quod renes, & præſertim ſiniſtrum, amboſque ureteres, quippe inter poſteriorem ventris parietem, & viſcera illa poſitos, plus juſto comprimant. Quæ cauſa cum ad cæteras illas acceſſiſſet in generoſo Viro quem deſcribit Scroeckius (*h*), tanto minus mirum eſt, in uretere altero non exiguum calculum, in rene autem oppoſito magnum cum tot aliis minoribus fuiſſe deprehenſos. Compreſſio autem a copia ſive pinguedinis, ſive ingeſtorum, eo magis in obeſioribus noxia eſt, quod ſupini facile cubant: qui corporis ſitus tum renes, & ureteres magis ponderi impoſito ſubjicit, tum quanto frequentior, & diuturnior eſt, tanto magis deſcenſui urinæ officit. Sed & quandam Cl. Fantoni (*i*) Obſervationem legens in viro, nephriticis doloribus, a ſiniſtris præſertim, obnoxio, rene autem ſiniſtro, qui duplo craſſior erat, & geminum fovebat calculum, obtecto *concreta quadam materia lardo perſimili, hic tranſverſum minorem digitum, illic pollicem & amplius craſſa*, renem autem alterum non tegente; facile de pingui materia ibi quoque noxia cogitabis. In noſtro igitur, ad quem redeo, Viro genitus calculus, ſive renis alterius ureterem ſummum, ſive urethræ initium claudendo, & lumborum dolorem afferre potuit, & lotii ſuppreſſionem. Nam etſi non ſemper, haud rariſſime tamen contingit, ut uno affecto rene, alter quoque in conſenſum trahatur. Deturbato autem urinæ incumbentis vi calculo, & in imum veſicæ orificium protruſo, lumborum tamen dolor perſtare potuit eadem ratione qua renum dolor aliquando ſolet veſicam verſus extendi, per ureteres videlicet hinc renibus, inde veſicæ continuatos, & cum plus urinæ jam capere veſica nequit, ipſos quoque urina diſtentos. Quæ etſi per immiſſam fiſtulam educeretur, tamen quam cito rurſus veſicam impleret, hæc poſt ægri mortem inſpecta oſtendit. Quod ſi, quia ſani viſi ſunt ureteres, non putas, calculum, niſi cum minor eſſet, eos pervaſiſſe, neque lotium diſtendiſſe; quanquam & parvus erat calculus, & brevis diſtentio fuit; at tu diſtractos ſaltem concipe a calculo, ſummam, in quam ſe intruſerat, urethram figura ſua uſque adeo laceſſente, ut ſanguis primum, deinde pus, fœtor demum quo lotium infectum erat, inde petenda videantur, quando aliunde non licet, uti ex urethra, quam perſectam fuiſſe, non legimus. Ut neque legimus inſpectum cerebrum, in quod credibile eſt, ſuppreſſa urina, impurum ſerum ex ſanguine ſe effudiſſe, & brevi mora acrius factum epilepticam illam concuſſionem, mortemque attuliſſe non ſecus atque, ut opinor, duobus attulit quorum hiſtorias in XXII. quam nos ſequi hic vides, Sepulchreti Sectione (*k*) habes, a renum lapidibus pariter, & urinæ ſuppreſſione non ſine convulſionibus decedentium; ut exempla alia plurima inductæ ipſius ab urinæ ſuppreſſione, apoplexiæ prætermittam, & nominatim illud Koenigii (*l*) in Senatore cujus ureteres calculis erant obſtructi, renes autem, & dexter præſertim, æquo majores, dilatatis tunicis multo ſero tumidis, permultis obhærentibus ſcatebant lapillis.

6. Cum modo indicatum ſit, poſſe a veſica dolorem ad lumbos propagari; attexendæ huc eſſent aliæ Valſalvæ Obſervationes, idem aliunde profectum commonſtrantes, niſi priuſquam a renibus diſcedamus, præſtaret oſtendere, horum, &, quod conſequitur, lumborum dolorem cauſæ quidem quæ in renibus ſit, nec tamen calculus ſit, nonnunquam eſſe imputandum. Rarior, ſed non incredibilis cauſa ſunt vermes, quos qui in renibus non caninis modo, ſed & humanis deprehenderint, multos nominat Dominicus de Marinis (*m*), ad quos magna ex parte in Sepulchreto quoque (*n*) memoratos, addas alios quoſdam qui in eodem (*o*) indicantur, & qui præterea a Valliſnerio (*p*), aut ab Alghiſio (*q*) ad Valliſnerium ſcribentur, præſertim vero poſt Redium, Valliſnerium ipſum, & Carolum Drelincurtium (*r*). Ex his tamen omnibus perpaucos invenies, neque eos fere in obſervando cautiores, qui intra ipſos hominum renes vidiſſe ſe, ſcribant; ut niſi in canibus, martibuſque pro certo ſciremus eſſe deprehenſos, fortaſſe illorum Obſervationes partim in dubium vocaremus, partim aliter explicaremus, mincti poſt nephriticos dolores oblongi, teretiſque polypi, qui Sponio (*ſ*) pro lumbrico a primo impoſuerat, non obliti. Quanto igitur certarum in canibus Obſervationum magis augetur numerus; tanto etiam magis credibile fit, poſſe idem in hominibus quoque contingere. Hac mente quod Valſalva conſpexit non multo ſecus ac Illuſtri quoque Swietenio (*t*) accidit, deſcribam.

7. CANEM ille maſculum, Anatomes ſtudio incenſus, perſecabat, cum, loco renis dexteri, corpus invenit quod exterius quidem renem propemodum æmulabatur, at ſub externa membrana tenuem corticem glanduloſum habebat, ad quem pertingebant ſanguifera vaſa, ſub cortice autem caveam, quam membrana admodum lævigata conveſtiebat, pluribus pertuſa foraminibus ad eum corticem pertinentibus, ut ex hoc per illa defluere in caveam lotium videretur. In cavea vermis latebat tres circiter ulnas longus, craſſitudine autem calami majoris ex iis quibus utimur ad ſcribendum.

8. Redius (*u*) quidem hoc verme in rene craſſiores, ſed non æque longos invenit. Ulna ipſe, & Kerckringius (*x*), Valliſnerius (*y*) quatuor palmis, Drelincurtius duobus pedibus longiores offenderunt; ut animalis non craſſiſſimi longitudo ulnarum circiter trium mira nimium videri poſſit, niſi cum mortui aucta multum eſt, ut ego (*a*) in alio vermium genere, in hoc autem ipſe Redius facile accidere, adnotavit, aut ſicuti apud Drelincurtium (*b*) duo fuerunt quorum alterius roſtrum circa alterius caudam arctiſſime eſſet defixum. Nam & bini aliquando ſunt uno in rene, diſpari quidem longitudine (*c*), ut Redius quoque (*d*) obſervavit, at pari a Blaſio (*e*) picti ſunt, hique ex homine emaciato, qualis alter fuiſſe legitur apud Zacutum (*f*) in cujus renibus vermes, at multis partibus breviores fuiſſe dicuntur colore albo, cum rubicundo eſſent in Blaſii Obſervatione, quo colore ſemper in canibus & Redius, & Drelincurtius, hic interdum vivos, ille mortuos conſpexere; hic non niſi in maribus, & a dextris, ille etiam in fœmina, & a ſiniſtris. Do-

(*e*) Vid. ſupra n. 3. (*f*) ad §. 365. ibid. cit. (*g*) ad §. 387. (*h*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 247.
(*i*) De Obſ. Med. & Anat. Epiſt. 8. n. 14. (*k*) l. 3. Obſ. 2. & Obſ. 13. §. 1. (*l*) Lithogeneſ. human. Specim. Epiſt. 2.
(*m*) Diſſert. de re monſtr. a Capucc. & cæt. (*n*) Sect. hac 22. Obſ. 23. §. 5 & in Schol.
(*o*) Ibid. & in Additam. ad eand. Sect. Obſ. 2. (*p*) Conſideraz. int. alla generaz. de' Vermi. (*q*) Opere del Valliſn. Tom. 1. P. 5.
(*r*) Experim. Anat. Canicid. 3. n. 10. & 16. & Canicid. 11. n. 36. (*ſ*) Act. Erud. Lipſ. A. 1684. M. Jun.
(*t*) Comm. in Boerh. Aph. §. 1134. (*u*) Oſſervaz. int. agli Anim. viv. & cæt. (*x*) Spicil. Anat. Obſ. 59.
(*y*) Conſider. cit. (*a*) Epiſt. Anat. 14. n. 47. (*b*) Canicid. cit. 3. n. 26. (*c*) Ibid. n. 11. (*d*) Oſſervaz. cit.
(*e*) P. 6. Obſ. Med. 12. Tab. 9. Fig. 6. & 7. (*f*) Sepulchr. Sect. hac 23. Obſ. 23. §. 5.

lores fuiſſe renum acerbiſſimos, Zacutus ſcripſit: quos etiam in canibus perpetuo ſignificatos eſſe clamore, Kerckringius, & Boirelius (*g*) teſtantur, cum cæteri quos nominavi, id omittant. Quod reliquum eſt, de horum vermium origine, ut puta an in canibus ex rubellis iis ſint quos in tuberculis quibuſdam haud procul interdum a renibus alias (*h*) deſcripſi, ab illis eroſis in hos nonnunquam tranſeuntibus, in tanta longitudinis imparilitate, non facile affirmaverim, niſi prius de utrorumque ſtructura certiora nobis innoteſcant. Blaſius quidem renales ſuos *quaſi ex annulis plurimis affabre junctis* conſtantes deſcripſit, pinxitque; ſed ei picturæ Sculptorem & geminum caput, & oculos de ſuo crediderim addidiſſe. Valliſnerius animadvertit, quem ipſe vidit, ex Latorum genere non fuiſſe, qui potius eſſet teres, ſed neque ex ullo alio genere quod alii, quantum ipſe ſciret, inteſtinis unquam incluſum comperiſſent. Hæc Valliſnerii animadverſio dubiam mihi reddit propoſitam ab Redio ſtructuram, quippe cum Teretibus inteſtinorum vermibus, ut ab Redio ipſo deſcribuntur, ferme communem; ut illa prætercam quæ ab deſcriptione hac diſſentientia adnotavit Valliſnerius (*i*). Verum ut omnia de renalibus vermibus ſatis certa, & conſtantia eſſent; tamen illorum parvitas qui in iis tuberculis canum ſunt, neceſſariam intimæ fabricæ comparationem perdifficilem redderet. Quem laborem aliis, minus quam nos occupatis, relinquentes, interea ad alias, ut promiſimus, Valſalvæ hiſtorias tranſeamus, in quibus lumborum dolorem a cauſis extra renes poſitis obſervaverit.

9. VIRGO annorum circiter vigintiquatuor, ab alto cadens, gravante ad lumbos dolore, & febre afficitur. Horum utrumque aliquantum miteſcit. Verum aliquot poſt diebus recrudeſcens, accedente ſenſu ponderis in ventris cavo, vomitu, & dejectione modo viridis, modo nigricantis materiæ, tandem ad interitum perducit. DUM VENTER ſecatur, illico ſanies effluit, quæ, ſpongiis collecta, octo circiter libras pependit tota. Inteſtina erant inter ſe per tunicam exteriorem connexa, ſic tamen, ut in eorum interſtitiis craſſior lateret ſanies. Cæterum inteſtina ipſa, & ventriculus nihil in ſe vitii oſtenderunt. Hepar albicabat, exteriuſque adhærentem habebat craſſiſſimam ſanioſam materiam. Sed omentum a ſiniſtris, iliacam regionem verſus, annexum peritonæo ex ea parte ulcus patefecit.

10. Quæcunque ea ratio fuerit cur a caſu illo ſit læſus intimus ventris paries iliacam regionem verſus; ibi certe abſceſſus genitus eſt tantus, unde copia illa potuerit faniei effluere. Pure confecto, id accidit quod Hippocratis aphoriſmus (*k*) docet, ut *dolores*, *ac febres* aliquanto mitiores fierent. Abſceſſus autem diſruptionem recrudeſcentes ſignificarunt, ut puris in ventrem effuſionem, in ventris cavo ponderis ſenſus. Doloris vero lumborum cauſam non quæres, cum abſceſſus ſedem in ea abdominis parte fuiſſe, mimineris quæ in iliacam vergebat regionem; fibræ enim Tranſverſorum muſculorum quæ in illa ipſa parte ſunt, ab lumborum vertebris, ut noſti, exoriuntur: ad extrema autem muſculorum, firmius præſertim ad os alligata, diſtractis, eroſiſve muſculis acrius dolores percipi, non eſt cur miremur.

11. Additurus huc alias Valſalvæ Obſervationes dolorum ibidem ſævientium a cauſa vel extra ventrem & abdomen poſita, in memoriam redeo, a me tibi aliis jam Litteris (*l*) fuiſſe deſcriptas, & ex affixione appendicum diaphragmatis, actionem ad has cauſæ, in thorace latentis, eſſe explicatam: quo fortaſſe Jacotii quoque Obſervatio attinet, in una ex proximis Sepulchreti Sectionibus (*m*) legenda. Quod ſi cauſa locata extra ventris cavum efficere id poteſt; quanto magis eæ poterunt quæ aut in lumbis ipſis, aut in ventris parte aliqua ſint, lumbis adſita, aut ad eos alligata? Videbis eas cauſas ſuſe, & ſingillarim recenſitas in Riolani Encheiridio eo capite ex quo relatæ ſunt in hanc XXII. Sepulchreti Sectionem in Scholiis ad Obſ. 38. primam; idem enim per incuriam repetitus eſt numerus: pleraſque autem in eadem Sectione exemplis comprobatas, ut ex rheumatiſmo lumborum Obſ. 29. ex ſero in lumbarium vertebrarum tubo Obſ. 33: ex harum eroſione Obſ. 35. & 40: ex lapillis, aut, ſi mavis, oſſiculis in arteriis lumbaribus Obſ. 31: ex meſenterii vitiis Obſ. 38. ſecunda, 39. & 41. §. 1. 2. 5. 6. 9. & Obſ. 1. in Additamentis: ex uteri malis Obſ. 41. §. 4: ex ſcirrho inteſtini Ilei exulcerato Obſ. 32: atque; ut alia nunc omittam; ex pancreatis morbis Obſ. 25. 38. ſecunda, & 41. §. 3. adderem etiam ex §. 7. niſi eadem eſſet, ſicuti quæ §. 6. & 8. eædem ſunt ac quæ modo ſunt indicatæ 38. & 25. hic per oblivionem repetitæ. Afficit autem pancreas cum per ſe vertebras proximas, tum ſæpius quam Medici plures opinantur, ut recte eſt a Franc. Sylvio (*n*) animadverſum, per ſuccum, quem, ſicuti & jecur, tunc præter naturam ſe habentem immittit in Duodenum inteſtinum, attiguum, annexumque iiſdem vertebris, & reni dextero, unde ſenſus in pluribus varii, præſertim vero ardentis doloris, renibus haud raro innoxiis attributi. Sed jam ad renes ipſos, & primum quidem ut calculis affectos, redeundum eſt, ſi noſtras volumus eodem ac Valſalvæ Obſervationes ordine tecum, ut ſumus polliciti, communicare: quanquam cum eæ quæ illuſtriores ſunt, ad alias Epiſtolas certis de cauſis, ut tum videbis, ſint differendæ; hic unam dumtaxat, & quamvis peculiarium quæ præceſſerant, ſignorum hiſtoria carentem; tamen haud inutilem, ſubjiciemus.

12. MULIER deceſſerat in Noſocomio Patavino cum ſeptem jam menſes uterum ferret, A. 1708. menſe Martio. VENTER propterea, & uterus ſtatim a morte inciſi fuerant, fœtuſque detractus tum vivus, mox autem mortuus; cum ego qui tunc forte Patavii eram, uteri cervicem quæ etiamtum erat integra, & renes, quædam accuratius obſervaturus, accepi. Muci copiam intra eam cervicem, & veſiculas eodem fœtas, numero, & magnitudine valde conſpicuas, & ſuperficiem uterini oſculi obducentes, hic fuſius memorare nihil attinet. Renes vero ſunt digni qui deſcribantur. Cum enim ſiniſter major eſſet, quam corporis magnitudo requireret, ſuoſque oſtenderet canaliculos magis quam ſoleant, craſſos, eoque omnibus qui forte aderant, maxime patentes; contra dexter tanto erat minor, ut renis Succenturiati magnitudinem, craſſitudinemque non ſuperaret, ejuſque parvitati ureter, & vaſa Emulgentia reſpondebant. Et ne ſic fuiſſe a primordiis, crederes, colore erat qui morbidum ſignificaret, & tubulos quidem adhuc habebat qui papillas excipere ſolent, ſed contractos, ſubſtantiam autem reliquam pene ad nihilum redactam; ut ſi calculum, minime rubentem, minimeque croceum, reni inſitum, & calculoſam hinc inde materiam demeres, vix aliud ſupereſſet.

13. Quod dixi, hanc Obſervationem haud inutilem fore, ſic accipias velim, quod occaſionem det nobis plura examinandi, quæ de renum calculis, & vitiis agentes Medici tradidere, velut ex iſta ipſa apparet Sepulchreti Sectione XXII. Et primum licet Coitero (*o*) acciderit, ut *dextrum renem magis atque ſiniſtrum exulcerationi obnoxium* inveniret, ſicque etiam fuerit in noſtra muliere; tamen, ſi totam hanc percurras Sectionem, ex renibus quorum ſubſtantia exulcerata, aut abſumpta fuerat, longe plures fuiſſe comperies ſiniſtros, quam dexteros: & ſane ſi frequentior renum exulcerationis cauſa in calculis quærenda eſt; hi ſunt, confirmante Boerhaavio (*p*), rariores in dex-

(*g*) in Additam. ad eand. Sect. Obſ. 2. (*h*) Epiſt. Anat. 9. n. 44. & ſeqq. (*i*) Miglioramenti d'alcune Oſſervaz. del Redi n. 13.
(*k*) 47. Sect. II. (*l*) Epiſt. 16. n. 40. & 41. (*m*) 25. Obſ. 14. (*n*) Vid. extrema Scholia ad cit. Obſ. 38. primam.
(*o*) Obſ. 23. §. 3. (*p*) Prælect. ad Inſtit. §. 352.

dextero, nec ratio deeſt ab doctis Viris excogitata (*q*), quod ſanguis videlicet multo facilius ob breviorem, ac liberiorem Emulgentem venam revehatur ex rene dextero. Et cum alias alii rationes attulerint; in re tamen ipſa conveniunt, ut Frider. Hoffmannus (*r*), magiſque is quem laudat, Carolus Piſo (*ſ*), diſerte ſcribens, *ex centum nephritide* (calculoſa) *laborantibus octoginta & amplius renem ſiniſtrum dolere, experientia teſte*, ſive *in omnibus nephriticis fere, ... quæ eſt*, inquit (*t*), *obſervatio Dodonæi, & noſtra quoque*. Igitur etſi verſans ex Cæſareæ Academiæ Voluminibus illa e quibus potiſſimum ſoleo in his Epiſtolis exempla petere, in Obſervationes nonnullas incides, quæ aut (*u*) renes ambos pariter a calculis intus abſumptos, aut (*x*) dexterum ſolum iis gravatum, aut (*z*) ſi utrumque, multo magis dexterum; tot illas tamen habebis quas hiſce opponas, quin ex iiſdem Voluminibus alias inſuper quas illis adjungas, ut ubi (*z*) calculos in ſiniſtro dumtaxat rene deſcribunt, vel ſi in utroque, aut (*a*) plures aut (*b*) majores, gravioremque labem ſiniſtro afferentes, quam dextero, in quarum Obſervationum altera illud obiter adnotabis, fuiſſe eorum calculorum partes quaſdam *cryſtallinæ duritiei & ſplendoris nitidi*, ſive *pellucidas*. Habebis indidem exempla (*c*) aucti, quamvis intus exeſi, vel alio vitio affecti aut ſiniſtri tantum, aut multo magis ſiniſtri, quam dexteri: hæcque duæ purulentorum renum Obſervationes a Cl. Coſchwitzio (*d*) propoſitæ ambæ pariter confirmabunt. Verum jam ſatis exemplorum: itaque ſciens mitto cætera, in quibus & illud eſt ex Cl. Fantono ſupra (*e*) indicatum, uno excepto quod ex Verneii Obſervatione idem (*f*) memoravit, quippe non prætereundo, ut rara cauſa intelligatur purulentæ dejectionis. Scilicet pus e Colo inteſtino proveniebat quod certo loco ulcus vicinæ Partis eroſerat. Ea autem Pars ren erat ſiniſter. Ex his quæ dicta ſunt, aliquid utilitatis exiſtere poſſe, vides, cum renalis affectionis dubia, ut ſæpe, ſigna ſe produnt. Si enim ad illa hoc accedit, ut ſint a ſiniſtris, paulo minus dubia fient, quam ſi eſſent a dextris.

14. Porro Euſtachius (*g*) cum in Bonifacio Corneo renem alterum offendiſſet magnitudine parvam caſtaneam vix æquantem, alterum autem magnum; ſed illum ſanum, hunc putrem, calculiſque, ac ſanioſa materia turgidum; cenſuit, illius parvitatem ſanguinis penuriæ deberi, quippe copia ejus maxima in alterum confluente quo vis morbi ac ſtimulus concitabat. Si revera parvus ſanus erat, neque ejus exiguitas veterum læſionum veſtigia occulebat; non eſt mirandum, quod Vir ſummus ad eam confugere explicationem coactus ſit. Aliis vero ubi ren minor morbidus eſt, contraria placet explicatio, uti & nobis in propoſita muliere. Rene contracto, ejus quoque vaſa, ut vidimus in illa, contrahuntur. Quod igitur ſanguinis in eum jam ferri non poteſt, in alterum per oppoſitam arteriam divertit, ipſumque diſtendit. Credo autem, & contractionem alterius, ejuſque vaſorum, alterius vero diſtentionem interdum poſſe adeo augeri, ut hic immanem in molem excreſcat, ille vero nunquam fuiſſe videri poſſit. Scilicet ſanus, ſi firmus ſit, non magis augetur quam influxus ſanguinis requirit, uno in rene id quod antea in duobus, depoſituri. At ſi laxior natura ſit, ad eamque laxitatem morbus accedat; credi vix poteſt quantum incrementi nonnunquam capiat. Oſtendit ren ille quem Cl. Valcarenghus (*h*) invenit decuplo majorem, magiſque is qui in Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis Hiſtoria (*i*) memoratur librarum pondo triginta quinque; ut nihil hic dicam de altero, duplo, eoque amplius quam iſte ultimus, graviore, quem ex Monginotii Obſervatione Præcl. Fantonus (*k*) commemoravit. Contracti viciſſim ex morbo, adeoque attenuati atque abſumpti, ut a primordiis defuiſſe Viri doctiſſimi exiſtimaverint, in illis mihi ſuſpicio eſt qui renum doloribus a calculis, vitiiſve aliis laborarunt, ut puta in muliere, viro, & puella, quorum videſis hiſtorias in Sepulchreto (*l*). Namque; ut omittam virum, illum videlicet Mercatorem, cujus Obſervatio in hac quoque Sectione (*m*) ſemel atque iterum per incuriam eſt indicata; in puella ut renis dextri locum ne filamenta quidem, aut membranæ tenerent; tenebat tamen ureter qui ex venæ Cavæ trunco, ad quem, rene abſumpto, ſe videtur agglutinaſſe, in veſicam adhuc deſcendebat: in muliere autem pro eodem rene *ſpecies quædam involucri* conſpecta eſt, membrana, credo, quæ marſupii inſtar, abſumpta jam renis ſubſtantia, ſuperſtes a tot Obſervatoribus (*n*) commemoratur. In iis vero crediderim a primordiis uſque, ut vel olim Ariſtoteles (*o*) obſervavit, renem defuiſſe, in quibus nulla renum vitia præceſſerint, neque ullum alterius renis, aut Emulgentium ejus vaſorum, aut ureteris extet veſtigium, ut non extabat in puellula a Poupartio (*p*), neque in Sacerdote, & Muliere, a Valſalva diſſectis, quorum utriuſque hiſtoriam tibi alias (*q*) propoſui, aut ſiquid forte extabat, certa quædam alia non deerant quæ nunquam renem fuiſſe, indicarent, ut in ea Muliere alterius lateris ren non modo, ut in puellula illa, æquo major, ſed duplo major, & præterea pelvi duplici, duplicique uretere præditus; ut initio factus videretur, ut ſui quoque abſentis comparis vices gereret. Ego vero in catella quam Bononiæ perſecui Februario menſe A. 1702. aliud quidpiam animadverti, unde, etſi neque ureter, neque Emulgentia vaſa deeſſent, renem tamen a primordiis defuiſſe, conjicerem. Cum enim loco renis dexteri nihil niſi pinguedinem deprehendiſſem quæ mole ipſum, & figura etiam quadantenus referret, ureterem autem cum veſica quidem commiſſum, at ſolidum & paulo ante quam ad eam pinguedinem perveniret, repente in tenues diſpertitum pinguedinis ſtrias, quæ ſanguifera vaſcula comitabantur, arteriamque pariter Emulgentem vidiſſem in eo latere non deeſſe, at tenuiorem æquo, & cum ramum quidem non parvulum renem verſus Succenturiatum dimitteret, parte reliqua in ramuſculos abeuntem qui per deſcriptæ pinguedinis ſuperficiem dumtaxat reptabant: cum hæc igitur ita conſpicerem; animadverti, venam ejuſdem lateris Emulgentem, etſi craſſitudine oppoſitam aliquantum ſuperabat, nullos tamen qui ſub ſenſum caderent, ramuſculos a pinguedine illa, quam totam cum cura perſecui, venientes accipere; accipere autem ramum a proximo hepatis lobo craſſum adeo, ut ipſa Emulgens ſiniſtra illo tenuior videretur. Qua ex re proclive erat conjicere, venam Emulgentem dexteram non renis in ea quidem catella, ſed jecinoris cauſa fuiſſe creatam, præſertim cum in ſaniſſima catella ſecundum naturæ conſuetudinem ſe haberent reliqua omnia, niſi quod ren ſiniſter major erat, quam pro corporis magnitudine, ut pote qui ſecernere unus omnem debebat urinam, quamobrem canaliculi quoque ejus erant, ut in muliere deſcripſi, craſſiores, & evidentiores.

15. Ut igitur ab ea conſtitutione quæ a primordiis, ad eam quæ a morbo eſt, & ad inſtitutum ſermonem redeam; augeri ob renis comparis abſumptionem, alterius qui ſanus ſit, magnitudinem non alia ratione, crediderim, quam quæ

paulo

(*q*) Vid. Haller. not. *g* ad eund. locum. (*r*) Medic. Rat. T. 4. P. 2. S. 2. c. 6. in Theſ. Pathol. §. 6.
(*ſ*) Obſ. de Morbis a Ser. colluv. S. 4. c. 2. poſt Obſ. 100. (*t*) in Præf. paulo ante Theor. 4. (*u*) Dec. 3. A. 5. Obſ. 33.
(*x*) Act. T. 1. Obſ. 20. & 247. (*y*) Cent. 1. Obſ. 27. & Cent. 3. Obſ. 45. (*z*) Ibid. in Appen. n. 1.
(*a*) Dec. 3. A. 3. Obſ. 122. (*b*) Ibid. A. 7. & 8. Obſ. 132. cum Figuris. (*c*) Cent. 8. Obſ. 100. & Cent. 9. Obſ. 64. & Act. Tom. 7. Append. n. 10. & eorund. Tom. 8. Obſ. 89. (*d*) Diſſert. de Valvulis in Ureterib. §. 5 & 7.
(*e*) Vid. ſupra, n. 5. (*f*) Anat. corp. hum. Diſſ. 4. (*g*) Sect. hac 22. Obſ. 16. (*h*) Diſſert. de ſaxis, acub. & cæt.
(*i*) A. 1732. Obſ. Anat. 7. (*k*) De Obſ. Med. & Anat. Epiſt. 8. in fin.
(*l*) Sect. cit. Obſ. 23. §. 4. Sect. 27. Obſ. 1. Sect. 28. in Additam. Obſ. 2. (*m*) Obſ. 23. §. 12. & Obſ. 27. §. 6.
(*n*) Vid. ex. gr. Sect. hac 22. omnes §. Obſ. 5. (*o*) De Generat. Animal. l. 4. c. 4. art. 2.
(*p*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. A. 1700. Obſ. Anat. 1. (*q*) Epiſt. 25. n. 4. & Epiſt. 31. n. 25.

paulo ante expoſita eſt; neque enim in Kerckringii, exempli cauſa, aut Drelincurtii memoratis (r) Obſervationibus cum ren alter eſſet a verme corruptus, alter autem æquo major, eſſe poteſt Euſtachianæ explicationi locus. Cum vero ſæpe adeo fieri videamus, ut rene altero ob corruptionem, aut propter obſtruentes calculos lotium non ſecernente, aut non emittente, alter ſuppleat, idque ipſo hujus incremento confirmari; manifeſtum eſt, jure ſcripſiſſe, ut in Sepulchreto (ſ) leges, Guidonem Patinum, non ſemper eſſe verum, uno rene obſtructo, alterum ſtatim ceſſare ab officio: quod & ſuis ipſe quoque comprobavit Obſervationibus, & facile eſt ex alienis pariter intelligere, in hiſque; ut tot alias omittam; Gregorii Horſtii (t), & Thomæ Bartholini (u). Quas Patini, & Bartholini hiſtorias perlegens, ſi forte miraris, cum magnus, & anguloſus calculus eſſet in rene, nullum ibi percipi conſueviſſe dolorem; miraberis magis, ſi alias inſpicias Obſervationes, ex quibus conſtat, neque illum, neque ex tot aliis renalium calculorum ſignis ullum toto vitæ curſu in quibuſdam eos habentibus fuiſſe, quarum Obſervationum aliquæ in eodem ſunt Sepulchreti loco (x) ubi illa quam ex Bartholino indicavi; ſed aliæ præterea addi poterunt, ut quæ in Hiſtoria proſtat Reg. Sc. Academiæ Pariſienſis (y); quanquam in eo tamen viro vomitiones haud deerant, per intervalla ingruentes; & illa item, quam miror non fuiſſe jam additam, quippe in Poſthumo Malpighii Opere (z) vulgatam. Cauſa autem, cur ſignum aliquod, & interdum ullum non appareat, eſſe profecto multiplex poteſt, ut puta cum lapides, quantumvis inſignis magnitudinis, natura, aut caſus *quaſi coronarum orbes medios forat* (ſic enim legenda ſunt Euſtachii verba, male in Sepulchreto (a) relata; ubi præclara ejuſdem Obſervatione comprobantur) urinæ ſuppreſſio non contingit, ut neque continget, ſi via lotio quaſi per canaliculos, in ipſis calculorum lateribus, ſubſtantiaque excavatos, relinquatur aperta, ut in proxima Salmuthi hiſtoria (b), & clarius, quippe adjuvante pictura, in illa patet, quam Lanciſius cum Alghiſio (c) communicavit. Nec moleſtus ſenſus erit ad lumbos, ne gravitatis quidem, ſi calculi ſenſim, & lentiſſime increſcant, retuſiſque angulis ſint, aut firmiſſime renum ſubſtantiæ impacti hæreant, ut commoveri non poſſint, præſertim ſi ea ſubſtantia dura ſit, & calloſa, quemadmodum in Cornelio Cardinali fuiſſe, alibi (d) ſcribemus, fueratque in illo cujus ex Hiſtoria R. Sc. Acad. paulo ante mentionem fecimus, in quo cartilaginea inventa eſt. Sed & dura fuit in altero cujus deſcriptionem apud Malpighium extare, diximus. In hiſque nec aliæ fere ſunt ejus morbi notæ. Cujus rei quæ cauſa fuerit in eo cujus Obſervationem tradidit Guarinonius (e) ſatis ex diſſectione non liquet, ut neque in duabus aliis (f) in primaque potiſſimum, quarum tamen utraque calculis infarctos renes ambos exhibet, præſertim vero ſiniſtrum. Quæ autem, qualeſque ut plurimum ſoleant eſſe notæ illæ ex quarum præſentia proprie renum calculi dignoſcuntur, etſi jam ſatis per te noſti; proderit tamen, ſi apud Cl. Scharſchmidium (g) recognoſcas; exempla enim ſubjicit quibus confirmet, illarum pleraſque, aut omnes etiam abeſſe interdum poſſe, ut alium morbum ſpectent Medici, calculos autem qui in renibus ſunt, minime ſuſpicentur. Porro ſupervacuum eſt admonere, ſupervenire poſſe cauſas ob quas dolor ceſſet qui antea in rene vel acerbiſſimus fuerit, nerveis videlicet ſurculis ſive hebetibus factis, ſive conſumptis, ut ex VI. intelligitur hujus Sectionis Obſervatione. Quæ omnia cum ita ſint; patet, quanti reſerat in ægrotantibus quæ præceſſerint, inquirere, & ſiquando nullum præcipuum ſignum extet renalis calculi, non propterea contemnere leviora, aut aliis quoque morbis communia. Sed noſtræ id melius docebunt hujus morbi, in cadaveribus deprehenſi Obſervationes, quæ ideo in alias differuntur Epiſtolas, quod in hanc ubi de lumborum dolore agitur, eæ non videntur convenire in quibus is dolor non ſe prodiderat.

16. Quod vero diximus in deſcripto a nobis fœmineo rene calculum nec croceum fuiſſe, nec rubentem, & quod in rene virili tres albidos a nobis inventos aliis ad te Litteris (h) commemoravimus; nempe diſcrimini illi adverſatur, fere ab omnibus olim recepto, per alterutrum de duobus illis coloribus genitos in renibus lapides internoſcendos eſſe, credentibus, a genitis in veſica. Quibus Euſtachium ſuam oppoſuiſſe Obſervationem, in Sepulchreto (i) vides: ex quo alias addes, ut ex iis quæ in promptu ſunt, aliam, Euſtachianæ proximam (k), in qua colore marmoris candidi, aliamque (l) in qua nivei candoris inventi in renibus calculi proponuntur: ubi & conſpectos a Valſalva calculos, alia (non ſecus atque a Schroeckio (m)) albicantes, alios nigros in hac ipſa Epiſtola (n) memoravimus. Apparet igitur, illud diſcrimen aut ex æquo paucioribus Obſervationibus, aut a præjudicata quadam opinione fuiſſe deductum. Certe autem lapidis materiæ id quo rubro, flavo, nigro, aliove colore inficiatur, tum in veſica admiſceri poteſt. A qua etiam admiſtorum varietate fieri, credibile eſt, aliam in aliis calculis facilitatem, aut difficultatem ſolutionis, ſpemque propterea iis præcidi qui remedium quærunt quo uno æque omnes diſſolvantur. Quo magis danda opera eſt, ne calculus gignatur, iis vitatis quæ diximus (o) in renibus lotium remorari, & contrariis in uſum tractis, præſertim ſiqua inchoati calculi ſuſpicio ſit. Ad quem, donec licet, inde deturbandum, mitioribus potius, & anodyni aliquid habentibus, quam acrioribus diureticis uterer, qui hinc meminerim, antequam Boerhaavii (p) monita prodirent, generoſum quendam Civem meum, cui lapis e veſica exſectus fuerat, nephriticis obnoxium doloribus, his rarius tentari cœptum eſſe ex quo tertio, aut quarto quoque die mane haurire inſtituit calidæ uncias aliquot, cochleari addito ſyrupi ex ſucco violarum; inde vero ſciam, diuretica proprie dicta nonnullos quidem liberaſſe; aliis autem vehementer nocuiſſe: neque hoc mirum ſive ea attendentibus quæ ſupra (q) attigimus de mucilaginoſo humore quo tubulorum, & pelvis parietes obliniuntur, non temere amovendo, ſive contractiones eorundem parietum, quæ ut acrium medicamentorum irritamentum ſequuntur, ſic quantum & vias importune adſtringant, & dolores augeant, manifeſtum eſt. Utinam radicis ſcillæ vis anodyna, & convulſiones ſopiens, ab Hoffmanno indicata, & in nephritide ipſa, etiam a minoribus calculis proveniente, a Cl. Jo. Gerardo Wagnero (r) expoſita, tot felicibus aliis experimentis confirmaretur, ut non minus apud Medicos nota eſſet, quam vis diuretica perſpecta eſt; ſane Itali quoque noſtri, etſi plerumque ab emeticis, quale pulvis ſcilliticus eſt, remediis abhorrent, hoc opportune uti non dubitarent, ne ibi calculus incrementa caperet, unde poſtea dejici non poſſet. Augetur enim ſubſiſtens, non modo ut expediri, & egredi amplius nequeat, ſed interdum ut renem æquet, imo nonnunquam, ſicut in fœmina Principe fuiſſe ſcribitur (ſ), pondo ſit librarum quinque. Sed cum in aliis morbis non ſemper eidem remedio idem exitus reſpondet, tum in hoc ſpeciatim. Valſalvam certe ipſum memini de hoc non ſemel querentem, confirmantemque, ſe in Nobili Virgine quæ per biennium renum doloribus vexata fuerat, remedia mutare in ſingulis pa-

paroxyſmis

(r) ſupra n. 8. (ſ) Sect. hac 22. in Schol. ad Obſ. 14. (t) Ibid. Obſ. 19. (u) Ibid. Obſ. 24. §. 2. (x) Obſ. ead. §. 1. 3. 4.
(y) A. 1730. Obſ. Anat. 3. (z) ubi de Renib. (a) Sect. cit. Obſ. 12. § 1. (b) Ibid. §. 2.
(c) Litotom. c. 4. & Tab. 4. (d) Epiſt. 57. n. 10. (e) Sepulchr. l. 2. S. 1. in Additam. Obſ. 10.
(f) Act. N. C. Tom. 2. in Append. n. 3 & Commerc. Litter. A. 1745. Hebd. 11. n. 1. (g) Ibid. A. 1739. Hebd. 31. n. 1.
(h) Epiſt. 38. n. 41. (i) Sect. hac 22. in Schol. ad § 1: & §. 2. (k) Ibid. §. 6. (l) l. 1. Sect. 10. in Additam. Obſ. 8. ad fin.
(m) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 247. (n) n. 2. (o) ſupra, n. 3. & 5. (p) Prælect. ad Inſtit. §. 365. & 387
(q) n. modo indicato 3. (r) Obſerv. Clinic. Sect. 2. n. 2. 9. & 10. (ſ) Vid. apud Pohl. de Proſtat. calcul. §. 7.

roxyſmis eſſe coactum, cum quæ alias prompte liberaverant, fruſtra in uſum revocarentur.

17. Inter cætera autem detrimenta quæ mulieribus afferunt cruciatus nephritici, non dubito, quin abortus, aut non infrequens & fœtus, & matris interitus ſit referendus. Cum enim uterus creſcens ureteres premendo, minus per hos facilem reddat urinæ defluxum, &, quod conſequitur, nonnihil in renibus eam moretur; ſiqua forte vitium aliquod in his fovet ob quod eorum doloribus obnoxia ſit; nempe inde magis irritari ipſorum intimas membranas, & cruciatus excitari, proclive eſt intelligere, ut illud pariter quod toto corpore, iiſque præſertim Partibus quæ in ventre ſunt, eo tormento per nervos in conſenſum tractis, facile ante juſtum tempus ex contrahente ſe utero fœtus exigatur, aut certe ita ipſe, aut mater, tunc gravibus morbis perſæpe impar, male mulctetur, ut non raro utrique moriendum ſit. Quod ad abortum attinet, habes in Sepulchreto (*t*) Matronam, a Platero deſcriptam. Ea *quatuordecies uterum geſtans, toties 8. vel 9. ſemper menſe abortiebat*. Eadem multos annos graviſſimis renum doloribus obnoxia fuerat. *Dolorum* autem, *& abortus cauſam* Platerus deprehendit in renibus, quorum alter in marſupii modum, abſumpta ſubſtantia, redactus, alter a magno calculo erat prætumidus. Mulier vero a cujus hiſtoria, ut pleraque alia, ita hoc quoque animadvertendi occaſio mihi data eſt, ut ſeptimo graviditatis menſe ipſa primum, mox & proles extincta ſit, & quemadmodum ren ejus dexter ſe haberet, jam docui (*u*); ut quando mortis illius genus, tunc aliud agens, non quæſivi, nunc ſuſpicer, inter mortis prægreſſas vel proximas etiam cauſas, renis dolorem fuiſſe. Quod & de alia ſuſpicor cujus diſſectæ Obſervationem, mecum, & cum Amicis cæteris ab Santorino communicatam, huc eo libentius adſcribam, quod & alia aliqua continet tibi, renum fabricam rimanti, minime fortaſſe diſplicitura.

18. FŒMINA quæ ex renum affectionibus diu laboraverat, denique cum uterum gereret, quinto geſtationis menſe obiit. RENUM alter ſtrigoſus fuit, quippe cavea quidem pelvis aucta, ſubſtantiæ autem craſſitudine extenuata. Alterius quoque, etſi longitudo, & latitudo increverant, exigua erat quibuſdam locis ſubſtantiæ craſſitudo, pelvis autem amplitudo permagna. Hæc vero in ureterem deſinebat arctum adeo, ut adactus aer vix tranſiret. Qua autem pelvis cum intimo rene cohærebat, latis pertuſus erat orificiis, quæ cum magnis cellulis communicabant. Harum quoque cellularum aliqua parietes habebat aliis orificiis perforatos; in quæ impulſus aer multos canaliculos, ſimulque Emulgentem diſtendebat arteriam. Erant autem ii canaliculi arterioſis ramis in tranſverſum impoſiti. Cæterum eas cellulas urina implebat: renis autem ſuperficies ex vaſis ſiebat ſanguiferis, in craſſiuſculum quaſi ſtratum compactis.

19. Qui ad cognoſcendam intimam, ut cæterorum viſcerum, ſic etiam renum ſtructuram, morboſas conſtitutiones omnino aſpernantur, non hanc fortaſſe contemnent, ex qua videlicet renum canaliculos probari, credent, cum arteria, nulla re interjecta, communicantes; recte, an ſecus, non eſt mihi hic diſquirendi locus, neque confirmandi excogitati a me olim (*x*) ad patefaciendam renum fabricam experimenti. Ex hac potius, aliiſque hiſtoriis ſupra memoratis in memoriam redeo alterius, quam ex Williſio reperies in Sepulchretum (*y*) tranſlatam. In ea nobis Matrona deſcribitur a multis jam annis, potiſſimum vero quotieſcunque conceperat, iis ſpaſmodicis affectibus vexari ſolita, ob quos ſub finem tertii menſis abortum ſemper faciebat, quod noviſſime quoque contigerat, acutis videlicet lumborum præſertim doloribus non ſemel redeuntibus; & poſtea quoque acriter, fere uſque ad extremum vitæ diem, qui trigeſimus quinctus fuit ab abortu, cum vomitu divexantibus. Cadavere inciſo, Williſius non dubitavit, quin dolorum cauſa ſtatuenda eſſet in aqua intra cranium deprehenſa, quæ inde per nervos in meſenterii centrum delapſa, membranas diſtraxiſſet, quas ibi interjecto aere non ſecus divulſas invenit, ac ſi lanius inſufflaſſet. Equidem non is ſum qui aquam, cerebrum inundantem, ſpaſmodicos facere poſſe dolores, negem. Sed tamen in cadavere quod citiſſime, ait, computruiſſe, facilius eſt aerem illum qui membranis erat interpoſitus, a putredine ipſa recens evolutum concipere, quam in vivente jam fuiſſe. Quid ergo eſt? A renibus fortaſſe petenda altera cauſa fuerat, quæ ad aquam illam adjiceretur. Nam renes ſatis quidem ſanos fuiſſe, refert; alterum tamen eorum *inuſitatæ fuiſſe figuræ*, ut pote qui *in plures lobos inſtar renis vitulini findebatur*. Fac enim eorum tibi veniat in mentem, quæ Ruyſchius (*z*) ſemel atque iterum ab ſe comperta memoriæ prodidit. Poſt intolerabiles lumborum dolores, non calculos, ut ipſe, omneſque expectabant, ſed inæqualem dumtaxat, ut in humanis fœtibus, & in vitulis, bobuſque, renum ſuperficiem eſſe deprehenſam. Fatetur autem ut rem ſibi inauditam, ſic quoque incompertum, quomodo ex ejuſmodi ſtructura tam atrox dolor, & ſanguinis ſæpe mictus exiſteret. Qui tametſi a Williſio non memoratur, potuit tamen illud renis intimum vitium, quod inæqualitatem ſuperficiei aut ſequeretur, aut faceret, necdum ad eum perveniſſe gradum, ut ſanguinem eliceret qui cum urina excerneretur. Quod vitium quale ſit, cum Ruyſchius cohortetur cæteros ad inquirendum; non ante quis facile conjiciat, quam ſciat, num adultos omnes quibus ea renum inæqualitas ſit, horum cruciatus infeſtet.

20. Igitur ſi quæ ab antiquioribus ſcripta ſunt, attendantur; non eſſe id verum, a primo aliquis exiſtimabit. Etenim cum Ariſtoteles (*a*) *hominum renes bubulis ſimiles eſſe*, tradiderit, *quippe qui tanquam compoſiti ex multis renibus exiguis conſtent, neque æquabiles ſint*; in pleriſque ſaltem ita inventos eſſe, videri poteſt: pleroſque autem homines renum doloribus tunc eſſe vexatos, cuinam, quæſo, credibile ſit? At ſi a fœtuum, & puellorum inſpectione ad id ſcribendum inductum eſſe, ſuſpicabimur, quæ ſuſpicio in Adnotationibus indicata eſt ad Euſtachii librum de Renibus (*d*); Ariſtotele ſepoſito, quot alii, & in quot, quibuſque idem conſpexerint, quæremus. Euſtachius (*c*), qui multos, ſiquis alius, inſpexit humanos renes, in uno, aut altero dumtaxat id ſe vidiſſe, memoriæ tradidit: qui etſi reticet, an ex renibus laboraſſent; ſubindicare tamen videtur, cum alterius renes *magnitudine quoque*, ait, *fuiſſe valde inſigni & alios longe ſuperante*, & cum alibi (*d*) negat, id inventum iri, *niſi aut cadaver nacti ſimus, cujus renes tuberculis ſcateant, aut natura in eis conformandis a lege ſua diſceſſerit*. Quod cum *perquam raro* contingere, Anatomicus adeo exercitatus affirmet; mirum eſſet, ſcriptum poſtea fuiſſe a Veslingio (*e*), *ſæpius tamen* renes *e compactis veluti glandulis inæqualem ſuperficiem, quam in fœtu exhibent, in adultis quoque retinere*; niſi æquius foret interpretari, *ſæpius* dixiſſe comparantem cum eo quod modo dixerat, & certe multo rarius eſt, unum aliquando pro duobus renibus inveniri, quam cum Riolano (*f*) reprehendere. Adverſus quem id ſe *unquam vidiſſe*, negantem, ſic quidem Veslingium tuetur Dominicus de Marchettis (*g*), ut confirmet, ſe vero id *bis, terve* in hoc Theatro oſtendiſſe. Sed neuter verbum ullum injicit unde intelligamus, ſani, an ægri ii fuerint in quibus invenere. Nec vero injecit qui ſemel id vidit Diemerbroeckius (*h*), neque alii quos ſciens omitto, ipſo præſertim recentiores, ſi duos excipias quorum alterius Obſervationem habes in Sepulchreto (*i*), alterius in Bibliotheca Anatomica (*k*). Hic *illam renum ex lobulis coagmentationem ſemel in juvene novem annos nato*, mani-

---

(*t*) Sect. hac 22. Obſ. 4. (*u*) n. 12. (*x*) Adverſ. Anat. 3. Animad. 33. Vid. & Epiſt. Anat. 3. n. 15.
(*y*) l. 1. Sect. 13. Obſ. 7. (*z*) Adv. Anat. Dec. 1. n. 9. (*a*) De Partib. Animal. l. 3. c. 9. (*b*) ad c. 3. in fin.
(*c*) c. cit. (*d*) c. 42. (*e*) Syntagm. Anat. c. 5. (*f*) Animadv. in cit. Veslingii locum. (*g*) Anat. c. 5.
(*h*) Anat. l. 1. c. 18. (*i*) l. 1. Sect. 13. Obſ. 3. in Additam. (*k*) Tom. 1. P. 1. in Adnot. ad c. 1. Malpigh. de Renib.

manifeſtam atque evidentem, *nullo interim hoc viſcus infeſtante morbo ſibi intueri licuiſſe*, affirmat. Ille vero in *puella decem annos nata*, ventriſque doloribus atrociſſimis, & deinde convulſionibus, ac vomitu denique confecta, etſi alias alibi morborum cauſas animadvertit; tamen renes quoque duriores, eorumque alterum *inuſitatæ figuræ* invenit, *in plures ſcilicet lobos fiſſum*. At ſi hanc propter varias illas cauſas, utramque autem propter ætatem minus adultam ſeponas; neque enim adeo mirum eſſet, ſi paulo tardius in nonnullis renes ambo, aut eorum alter puellarem illam inæqualitatem amitterent; ex cæteris quas nunc quidem meminerim a me lectas eſſe, Obſervationibus quatuor, haud amplius, ſunt, Ruyſchii una, Petrucci altera, Mauchartii tertia, Trewii ultima. Et ex duabus quidem primis, ſi adjuncta quædam attendamus, urinæ vitiis laboraſſe illos, conjiciemus, in quibus ejuſmodi renes inventi ſunt. Nam Ruyſchius olim priuſquam caſus illos duos proponeret qui nobis hæc perpendendi occaſionem dederunt, cum eandem in adulto renis ſtructuram offendiſſet, quanquam nihil de ejus morbis attigit; tamen in renis illius delineatione (*l*) ſupremum ureteris tractum latiorem nobis delineavit, quam per ſe eſſe in iis ſolet qui earum partium morbis affecti fuerunt nunquam. Petruccius autem cum Spicilegii ſui (*m*) Tabula II. renes pingat monſtroſos, id eſt *ex plurimis glandulis conglomeratis conſtantes ad inſtar conceptaculi ovorum*; pelvim dexteri æquo magis latum atque extantem, ureterem autem ſiniſtri *craſſitie*, *& amplitudine*, ut ipſe loquitur, *monſtruoſum* repræſentat. In Mauchartii autem Obſervatione (*n*) conjectura opus non eſt, ut aſſequamur, Senem, cui *renes maximi*, *bubuli*, *& inæquales* erant, pluribus, nec levibus, urinæ & partium ejus cauſa conditarum vitiis laboraſſe. Nephriticum enim annos aliquot fuiſſe, conſtat, deinde iſchuriam fere perpetuam, tum per intervalla urinæ incontinentiam ſucceſſiſſe, illamque ſimilem *lacti ebutyrato* repertam eſſe intra ureteres, inteſtini Ilei inſtar diſtentos, cum pelves unde proveniebant, ovi capacitatem æquarent, intra veſicam denique contractam, craſſam, & quaſi calloſam lapides duos, quorum alter magnus, præter multos quos olim ejecerat, ſubſtitiſſe. Sic etiam Senex alter, in quo ren uterque a Præcl. Trewio (*o*) conſpectus fuit *manifeſtis in lobulos diviſionibus*, *uti alias in pueris tantum ſolet*, *notatus*, renum calculis diu obnoxius vixerat, quos, mictu interdum cruento comitante, excernebat, donec ſecunda urinæ in veſica ſuppreſſione confectus eſt. Nunc ſi forte quæras, quid ego obſervaverim; etſi quotieſcunque in renes incidi qui ad iſtam ſuperficiei inæqualitatem accederent, id in pauperibus fuit plerumque ignotis, qui dum viverent, quibus eſſent obnoxii morbis, ſcire propterea, aut ſatis ſcire non potui; hoc tamen dicam, ex indiciis quibuſdam, non ſecus ac in Ruyſchii, & Petrucci Obſervationibus, conjecturam facere licuiſſe, eorum neminem caruiſſe morbis ad urinæ organa attinentibus. Quod & ipſe, ut ſpero, facile intelliges, ſi has quas ſubjicio, eorum hiſtorias conſideraveris, ſed univerſas; ita enim diſponam, ut indicia illa magis, magiſque augeri videas, & ex levioribus ordinatim fieri graviora.

21. MULIERIS, in Noſocomio hoc mortuæ, viſcera quædam, & caput in Gymnaſium illata ſunt, cum Anatomen haberem A. 1726. CEREBRI fuſca erat medullaris ſubſtantia, & crebris ſanguineis punctis diſtincta: laterales ventriculi non ſine aqua intro effuſa: cerebellum præmolle. Ut in Thoracis cavo, ſic etiam in Ventre aqua non defuerat, eaque fœda. Uteri Tubæ majus orificium habebant occluſum, quippe extremo illo ad ovarium firmiter agglutinato. Ren uterque inæquali erat ſuperficie, & maculis albis hic illic qua ſubſidebat, variegata; ut inæqualitatem illam a natura non eſſe, facile intelligeres. Urinaria autem veſica intus rubebat.

22. SENIS cujuſdam Partes, præſertim Ventris, in eodem Noſocomio ſtudioſis noſtris Adoleſcentibus oſtendebamus ſub finem A. 1742. cum inter illas a conſueta naturæ norma has aberrare, adnotavimus.

TESTIS alterius Vaginalis tunica aquam continebat non paucam, eamque turbidam: ex Albuginea autem qui prope globum epididymis ſuperiorem, teſticulum conveſtiebat, corpuſculum ſubrotundum exſtabat, Albugineæ concolor. Arteria Magna ubi in Iliacas ſe dividebat, oſſicula inter tunicas condebat ſuas. Sed hoc nihil erat præ arteria Splenica, quæ ab initio ad ingreſſum uſque in lienem tota propemodum conſtabat ex oſſibus: eratque præterea multo quam ſoleat, latior. Splen tamen, quantum ſenſus judicare poterant, ſanus erat. Fellis veſicula æquo minor fuit. Renes pro ſtatura parvi: & quanquam interius ſani videbantur; exteriore tamen facie inæquali. Urinaria autem veſica magna, & parietibus valde craſſis, quales in iis eſſe conſueverunt qui ex calculo, aliave cauſa urinæ difficultate laborarunt.

23. SENEX alter, annos natus, quantum æſtimari poterat, ſexaginta, mendicus adeo, ut ſibi victum quæreret vel ex melonum corticibus, & ſi quæ alia ejuſmodi in vias projiciuntur, non ſemel antea in Noſocomium hoc venerat ob febrem, & oppreſſionis ſenſum in thorace, quem difficilis reſpiratio, debilis pulſus, & tuſſicula comitabatur aſſidua, ſputa educens quæ vocant catarrhalia. Ubi paululum ſibi videbatur levatus; in vias iterum exibat, nec multo poſt tempore Noſocomium repetebat. Noviſſime autem circa medium Januarium A. 1747. ita emaciatus, & morbo, frigore, inedia confectus rediit, ut paulo poſtquam venerat, mortem obiret. CADAVERE in publica Anatome uſus ſum, donec melioris copia fieret. Itaque & Ventris, & Thoracis viſcera perluſtravimus. Ut de hiſce primum hic dicam, ex quibus præcipuorum hominis morborum cauſas agnoſcas; Thorax, ut pericardium quoque, effuſam quidem habuit aquam, ſed paucam. At pulmones ad latera, & dorſum valenter annexi erant: quin dexter, cum abſtraheretur, quandam quaſi tunicam opacam, craſſam, firmam, & æqualem reliquit, thoracis parietibus adhærentem, ab imo ultra medium ejus longitudinis, & a Spina ferme ad ſternum uſque extenſam, quæ ab uno extremo, & ab eo deinceps avulſa, integra ſecuta eſt: ea neque ad pleuram, neque ad membranam attinebat pulmonis, quippe cum utraque harum ſua in ſede reſtitiſſet; itaque de eo genere fuiſſe cenſui quod tibi alias (*p*) declaravi. Pulmones ipſi non optime ſe habebant: imo intra ſummam alterius partem duri aliquid perceptum eſt. Sed plus in corde malorum fuit. Erat duplo grandius quam par fuiſſet: nec ſanguinem tamen continebat, ſed concretiones polypoſas dumtaxat, eaſque mediocres, & paucas. Verum cum uterque eſſet ventriculus dilatatus; dexteri, ut auriculæ ejus pariter, quæ & ipſa dilatata erat, parietes erant pertenues; ſiniſtri contra craſſiores omnes, & duriores quam æquum eſſet. Mitrales valvulæ ipſæ quoque amplificatæ, & valde craſſæ, imis erant oris tuberoſæ. Et Sigmoides quidem minus fuerant molles quam æquum ſit; ſed iis minus flexiles Semilunares; quin harum aliqua ad inferioris ambitus partem jam oſſea. Arteria Magna ante curvaturam æquo latior; interiore autem facie univerſa, imo in Iliacis quoque, albis maculis paſſim diſtincta. Earum macularum aliquæ introrſum prominebant, quæ duriores erant, & oſſeæ, præſertim ubi una ex inferioribus Intercoſtalibus oriebatur, cujus orificium ut forte erat in maculæ centro, circulari ambitu prominentis, ſic propterea coarctatum fuerat, ut ſimul cum macula a primo referret majorem quandam glandulam lenticularem. Et quoniam de Iliacis mentionem injeci; priuſquam cætera de Ventre attexam, non reticebo, fuiſſe Iliacas arterias omnes, non ſecus ac Splenicam videmus, flexuoſas: Iliacas autem venas, primas tantummodo, id eſt ad earum uſque partitionem, corrugatione

(*l*) Obſ. Anat. Chir. 80. Fig. 64. (*m*) De Struct. Capſular. Renal. (*n*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 26.
(*o*) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 33. n. 3. (*p*) Epiſt. 20. n. 37.

rugatione quaſi quadam affectas, ut difficile poſſes extendere. Ventris viſcera has labes oſtenderunt. Ventriculus amplus; quamvis pauca continebat; & ſine rugis, fuſcus intus erat hic illic ad magnos tractus a medio ſiniſtrorſum, multo autem magis ad ſtomachum ipſum, ibique aliquanto profundius. Jecinoris tota convexa ſuperficies, parvo a dextris ſpatio ad imum excepto, firmiter cum ſepto transverſo cohærebat: in ſumma autem ea ſuperficie erat hepatica ſubſtantia hydatide excavata, cujus diameter transverſum æquabat digitum. Lienis autem convexa facies membranam habuit ſuam quodam loco albicantem, in ejuſque albedinis medio oſſeam factam parvulo ſpatio. Lien ipſe laxior, & potius craſſitudine, quam longitudine, aut latitudine, æquo major, cum tamen arteria Splenica, iſta etiam ſpectata craſſitudine, paulo quam conveniret, latior videretur. Meſaræi glandulæ in homine id ætatis paſſim occurrebant, multæque ad fabæ magnitudinem: quanquam ſive tangeres, ſive, diſſectas etiam, inſpiceres, morbo carere, non dubitares. Sed renum magnitudo quæ, corporis proportione, minor erat, magiſque eorum ſuperficies evidenter ab eo quod videre conſuevimus, diſcrepabat. Poſteriore enim facie æque erant convexi, atque anteriore, utraque autem inæquali, ſiniſter præſertim, & quadantenus tuberoſa. Accedebant in ſiniſtro depreſſiones quædam quaſi a cicatricibus. Ureterum autem orificia intra veſicam ſpectabantur aliquanto ampliora, & ipſa veſica intus ſubrubra, & ſanguiferis vaſculis paſſim diſcurrentibus ita diſtincta, ut ſi in ea coloratam ceram immiſiſſes; exterius autem rubicundioribus quam ſoleat, fibris inſtructa.

24. A N I C U L A ruſtica, parva, & præter modum ſtrigoſa, intra biduum ex ſenectute ipſa, ut ajebant, mortua, ſpirandi tamen difficultate, quamvis ſine tuſſis, & ſputorum expectoratione, laboraverat: quod adnoto, ut ſcias, non plura de ejus morbis ſciſcitando cognoſci potuiſſe; non quod alia ferme quam ventris viſcera examinaverim. Etſi enim hujus quoque cadaver, cum Anatomen docerem A. 1740. in Theatrum ex Urbe importatum eſt; tamen ubi ad thoracem perveni, melioris, aut certe majoris corporis facta copia fuerat, in quo diſſecando occupari præſtitit.

A B D O M I N E igitur aniculæ diducto, ſana reliqua; hæc autem dumtaxat inventa ſunt præter naturam ſe habentia. Magna arteria a diaphragmate ad Iliacas uſque omnes tota erat intus a flavis oſſeis lamellis inæqualis, & fœda præterea ab humore craſſiuſculo, fuſco, & ſanguinolento, qui hic illic intimæ tunicæ adhærebat, ex qua per lamellas illas ipſi circumjectas perrupta, & exulcerata diſtillaverat. Ejuſmodi vitium in perbrevem quoque Cœliacæ truncum ſe propagans, cæteris hujus ramis illæſis, hactenus ſe extenderat in arteriam Splenicam, ut cum tota juſto eſſet latior, & craſſioribus tunicis, & flexibus præſertim tot, ac tantis, ut plures, majoreſque in ea vidiſſe non meminerim, ideoque primo aſpectu ea eſſe quæ erat, non videretur, eſſet præterea ad flexus majores dura, nec ſine oſſe. Lien autem quem adibat, ſanus, & parvus quidem, ſed jecinori, ac viſceribus cæteris, atque adeo toti corpori reſpondens proportione. At ductus Hepatici truncus amplior quam ſoleat. Contra uterus, quem in latus ſiniſtrum invenimus valde inclinatum, cavo erat adeo anguſto, ut non facile in adulta viderim anguſtiorem; & tamen vagina erat non exigua, & ſupra pubem rugoſa cutis mulierem peperiſſe, indicaverat. Renum uterque ſuperficie inæquali prope ut in fœtu, pelvi autem non modo, & duobus in hanc confluentibus majoribus tubis, ſed & pluribus ex minoribus, qui horum alterutrum adeunt, extra renes exſtantibus. Quæ omnia, ut ureteres quoque, aliquanto erant juſto latiora, a dextris præſertim. Ren autem dexter multo minor ſiniſtro, & quamvis intime quoad viſus, tactuſque judicare poterant, non morboſus; tamen diſſectus male olebat. Sed & ureteris dexteri orificium multo amplius quam ſolet, & quam eſſet ſiniſtrum, in veſica hiabat; ut ab dextera magis parte ex urinæ vitiis laboraſſe mulier videretur. Tunc etiam intellectum eſt, cur veſica bene diſtendi immiſſo per urethram aere non potuiſſet, quippe hujus parte per amplius illud orificium in ureterem, pelvimque ipſam renis, ut perſpeximus, divertente, & qua pelvis inciſa fuerat, exeunte. Cæterum veſicæ intima facies pene tota vaſculis ſanguiferis, eorumque ramulis tumidis, & nigricantibus diſtinguebatur; quin tota ipſa veſicæ infima pars intus nigricabat.

25. Huc addas velim quam tibi alias (*q*) deſcripſi in Stabulario Obſervationem. Hinc enim videbis quæ veſicæ, & ureterum vitia fuerint, inde vero ut renum inæqualis eſſet ſuperficies. Nec refert; imo fortaſſis juvat potius propoſitum hoc noſtrum, quod certa quædam præterea vitia iis in renibus animadverterim. Neque enim hic quærendum credo, num ſolum ejuſmodi ſuperficiei vitium gravia illa attulerit mala de quibus ab Ruyſchio (*r*) traditum eſt. Crederem fortaſſe, ſi quod autumabat Riolanus (*ſ*), liceret accipere, ex inæquali illa quæ infantibus eſt, renum faciem poſt ſeptennium, vel ocyus æqualem fieri quia ex aſperſione ſanguinis carnoſus cortex circumjiciatur; ſublividus, minimum digitum craſſus, complectens ea tubera quæ ſola in puello renis ſubſtantiam faciant. Nam in fœtu quoque is proportione cortex eſt, renumque facit ſuperficiem, omneſque præterea adultorum renes quorum eſſet facies tuberoſa, parvi forent, quod neque ego ſemper vidi, & Ruyſchii illa reſpuit delineatio quæ ſupra (*t*) indicata eſt. Nec viciſſim tamen hic renes a nobis ponendi ſunt male adeo affecti, ut in quibuſdam Euſtachii (*u*), & Littrii (*x*) Obſervationibus, in quibus non modo ren erat tuberculis exterius plenus, ſed & ſubſtantia maxime imminuta, aut prorſus conſumpta, loco ejus a ſabuloſa materia occupato, pelvi autem innumeris lapillis, aut materia illa referto, & ureteris denique initio per calculum non exiguæ magnitudinis prorſus obſtructo. Nam ſi in horum alterutro caſuum jam ea præceſſiſſent quæ Ruyſchius ſcripſit; in neutro enim erat, quod permirum fuit, poſtremo ante obitum tempore illorum quidquam; nemini certe obſcura fuiſſet cauſa cur accidiſſent, ut contra eſt in Ruyſchii Obſervationibus. Nunc ſi præter exteriora tubera aliquid aut ibi, aut intus ponas, quod attentius inſpectando obſervandoque liceat animadvertere, ut in noſtris fere omnibus hiſtoriis, unde quæ præceſſerit inæqualitatis cauſa conjici poſſit, & hæc ejus generis, ut dolores quoque & ſanguinis mictum afferre valuerit; indicatum fortaſſe videbitur quidpiam quod a veri ſimilitudine non abhorreat. Fac igitur, plures extitiſſe antea in renis ſuperficie ex illis caveis ſero plenis quas aliis Litteris (*y*) fuſius memoravi, & quarum una etiamtum ſupererat in Stabulario. Pro ſeri illius acriore aliquando natura & laceſſi ren potuit, & vas aliquod ſanguiferum erodi, unde ſanguineus mictus, & dolor, quem a ſeri quoque copia tum diſtendente, tum etiam gravante augeri contigerit. Sero autem illo diſſipato, cicatricoſas maculas, & depreſſiones relinqui oſtendimus, eaſque in aliqua etiam ex modo productis hiſtoriis (*z*) non omnino obſcuras: quas inter crebras depreſſiones hic illic prominens illæſa renis ſubſtantia inæqualem faciet ſuperficiem, & tuberum ſpeciem repræſentabit. Itaque habes quid mihi venerit in mentem re in obſcura & perdifficili. Quod exempli dumtaxat cauſa, & te ad meliora excitandi, propoſitum credito; neque enim mihi ſatis placet cum ob alia, tum præſertim quod vereor, ne alia inæqualitas illa fuerit quam Ruyſchius vidit, ac quæ a me viſa, &, ut potui, explicata eſt. Nunc quando lumborum doloris cauſam in renibus, primum ut calculo, deinde ut aliter affectis, conſideravimus, age in aliis quo-

(*q*) Epiſt. 4. n. 19. (*r*) ſupra, n. 19. (*ſ*) Animadv. cit. ſupra ad n. 20. & Anthropogr. l. 2. c. 26. (*t*) n. 20. (*u*) De Ren. c. 45. (*x*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1701. Obſ. Anat. 5. (*y*) Epiſt. 38. n. 39. & ſeqq. (*z*) n. 21. & 23.

que Partibus, una aut altera propoſita Obſervatione, ſpectemus.

26. CISIARIUS Patavinus, paucos ſupra triginta annos natus, ſanus antea, & robuſtus, niſi quod lue venerea laboraverat, cum forte cecidiſſet, & ſupra jacentis ventrem rota in tranſverſum acta eſſet; acerbis adeo lumborum, dorſique doloribus prehenſus eſt, ut octo ipſos menſes cubare cogeretur, nihil quidquam opis adverſus eos dolores Medicis, quos bene multos advocaverat, afferentibus. Denique cum Cel. Valliſnerius acceſſiſſet, ægrumque de cruciatibus ſiniſtri potiſſimum lumbi querentem animadvertiſſet; manu admota pulſationem, ut ab aneuryſmate, percepit ad ipſum ejus lumbi latus, illaque propterea quibus diutius forte ſervari poſſet homo, non ſanari, præſcripſit. Intumuit deinde is locus, tumore latius ſe extendente, & coſtas ipſas quæ proximæ erant, attollente. Œdema interea ſubjectum crus, & femur totum occupaverat. Cum æger tamen, vigente appetitu, temere multum ederet, tumorque increſceret; Chirurgus imperitiſſimus auſus eſt longe aliud ac Valliſnerius, opinari, & non modo quæ pus moverent, imponere, verum etiam cum ab horum uſu veſicæ, & rimæ in lumbi cute apparuiſſent, hanc incidere. Quam inciſionem proxima nocte conſecuta eſt tumoris diſruptio, hanc autem larga ſanguinis profuſio, & hanc virium, vociſque defectio; ut intra horæ quadrantem a diſruptione, vita deſierit. Poſtridie, qui dies fuit Nonis Novembribus A. 1720. hæc mihi narravit Valliſnerius, petiitque, ut ſecum diſſectioni præeſſe vellem, quæ a Vulpio noſtro eſt adminiſtrata. ABDOMINE diducto, in conſpectum venit aneuryſma, quo majus nunquam vidi. Nam ventris caveæ dimidium ferme occupabat ſecundum longitudinem ſitum. Ab diaphragmare enim ad pelvim ſe extendens, obtinebat quantum ſpatii eſt ab latere uſque dextero vertebrarum ad ſiniſtrum diſtenti abdominis latus, liene, ventriculo, inteſtinis, meſenterio, vena Cava, rene ſiniſtro dextrorſum adeo compulſis, ut is ren ad regionem eſſet umbilicalem. Figura aneuryſma tunc erat ovali, cum ſanguine oppletum, facile fuiſſet ſphæroidæa; plurimo tamen etiamtum ſanguine erat farctum, circumcirca in cortices polypoſos concreto, ad medium hactenus grumoſo, ut pultem referret. Qui poſtquam omnis detractus eſt, tum vero hæc animadvertimus. Aorta arteria qua in ventrem primum perveniebat, cum ibi ſtatim inciperet dilatari antrorſum quidem non ita multum, dextrorſum autem haud amplius quam ut exiguam manum caperet in pugnum contractam, ſiniſtrorſum ſe adeo expandebat, ut anteriorem & laterales parietes facere videretur deſcripti aneuryſmatis, quod ibi inter diaphragmatis appendices cum Aortæ cavo ampliter communicabat. Laterales parietes ubi ad poſteriora pervenerant, finem ibi ſtatim habebant, arctiſſime undique ad partes quas inde aneuryſma non removerat, agglutinatum: itaque poſterior aneuryſmatis paries peculiaris nullus erat; ſed eæ ipſæ partes pro pariete erant. Quarum illæ quæ ob oſſeam naturam minus cedere ictibus potuerant ſanguinis irruentis, exeſo perioſtio, ipſæ quoque carie affectæ erant, coſta videlicet infima, & cava facies oſſis ilium; vertebræ autem vel pejus ſe habebant. Lumbarium enim tranſverſi proceſſus in eodem ſiniſtro latere a carie aut rupti jam erant, aut ſolo digitorum appreſſu facile rumpebantur: corpora autem ipſa infimæ thoracis vertebræ, & duarum quæ ei proximæ ad lumbos ſunt, altiſſime erant excavata, & maxima ex parte abſumpta, quæ res eo magis in oculos incurrebat, quod interjecta corporibus craſſa illa cartilaginea ligamenta ſuis quodque ſedibus etiamtum exſtabant intacta, & pulchre albicantia, ſuoque ſervato amplitudinis modo inter depreſſiones exeſorum corporum prominentia, quantum ex his conſumptum eſſet, aſpicientibus oſtendebant. His igitur omnibus, quæ ablato dumtaxat ſanguine, continuo in conſpectum ſe dederunt, ſatis inſpectis, cum ad ventris viſcera oculos convertiſſemus; ſana cuncta in tanta locorum mutatione mirati ſumus. In Thorace quoque, niſi quod pericardium plus aquæ habuit, quam par ſit, nihil quod peccaret, animadvertimus. Nam quod pulmones albiſſimos haud ſecus ac ſi aqua uſque, & uſque injecta ſanguis ex eorum vaſis fuiſſet elutus, conſpiceremus; nempe id deberi intelligebamus ſanguini qua nulla reſiſtentia fuerat, in ruptum aneuryſma vitæ extremo tempore confluenti.

27. Quæ ſuper maximo hoc aneuryſmate animadvertere multa poſſem, ſciens omitto, illa præſertim quæ alibi attigi, cum de aneuryſmatibus aliis ſcriberem. Hic duo potius adnotare juvat, quorum alterum in extrema hac Epiſtola (*a*) habebis; alterum autem ad ſuſpiciones attinet aneuryſmatum poſt diros pariter, ac diuturnos dorſi, lumborumque dolores alias in viventibus, alias in ipſis, quod mirabilius videtur, ſectis cadaveribus non agnitorum. Ut de his ultimis primum dicam; relege, quæſo, perattente quaſdam in Sepulchreti non unam Sectionem, & in hanc quoque XXII. relatas hiſtorias, nempe Obſ. XXXV. & XL. Videbis poſt ejuſmodi dolores quos repentina tandem mors excepit, in altera *duas lumborum vertebras corroſas fuiſſe repertas, una cum aortæ & venæ cavæ, cui ſuppoſitæ erant, ruptura, unde magna ex utroque vaſe facta fuerat ſanguinis* in ventrem *effuſio*: in altera autem *carnem quandam putridam, nigricantem, & corruptam*, quæ in ventre *ad duas ſpithamas longa, & duarum manuum tranſverſarum* latitudine, ſpinam ita eroſerat, *ut ulcus cancro ſimile pugnum capere, & levi ictu tota ſpina dorſi frangi facile potuerit, ultimo denique ipſam etiam venam cavam, qua ſpinam decurrit, corroſerat a qua ſanguis per diaphragma* ab eadem carne *perforatum, pulmonum motum impediendo, mortem intulit*. Prima illa affectio *Tabes ſpinea* fuiſſe creditur, ab Hippocrate deſcripta: Hæc altera, pancreatis immanis, & putridus tumor. Quem ut ipſe non negem; non minimam tamen tumoris partem ex dilatatione Magnorum vaſorum fuiſſe, ſuſpicor. Nec ſine ejuſmodi ſuſpicione omnino ſum, cum mox lego Obſ. XLII. ſecunda; iteratus enim per incuriam eſt numerus; cum, inquam, lego, poſt aſſiduum, ac diuturnum dolorem circa regionem oſſis ſacri, inventum eſſe *circa* eandem *regionem, ea in parte ubi vena cava bifurcatur, abſceſſum magnum, in quo materia fœtida & ſanguis coagulatus continebatur*, tum etiam *os ſacrum ea in parte ita corroſum atque exeſum, ut facillime digitis extrahi atque conteri potuerit*. Sed minus me mea falli ſuſpicione, crediderim in Obſervatione, quæ I. eſt in Additamentis ad Sectionem XII. libri quarti. Vir proponitur magnis univerſæ dorſi ſpinæ cruciatibus diu conflictatus, quem a prandio, cum familiaribus ſumpto, elapſa quarta horæ parte hi, qui ſeceſſerant, revertentes humi ſtratum, mortuumque invenerunt ſpina dorſi diſrupta, id quod ei veriſimiliter contigiſſe crediderunt, dum ad arripiendam matulam ſe inclinaſſet. Ex aperto ventre ingens ſtatim proſiluit ſanguinis copia, quo & totum refertum erat ſiniſtrum thoracis cavum. Permagnus autem erat tumor a ſexta dorſi vertebra ad primam uſque lumborum pertinens, qui *refertus apparuit ingenti carnis copia, carcinomate affectæ, imbutæ & obductæ pauco pure, ac ſanguine in grumos concreto*. Tumorem complectebatur *membrana validiſſima, coronati argentei craſſitiem obtinens*, ſed *lacera juxta primam lumborum vertebram, ex parte perioſtio deſtitutam, adeo ut poſtremæ duæ coſtæ nothæ ſpinæ amplius non cohærerent*. Porro *ſex inferiores vertebræ dorſi, & lumborum prima, carie omnino erant corruptæ, quaſi teredine eroſæ, adeo ut ibi loci ſpina*, propterea facile diſrupta, *omni careret ſoliditate & ſtabilitate. Ipſum diaphragma pertuſum, ut duobus digitis conjunctis introitum concederet. Renis ſiniſtri vena Emulgens præterea diſcerpta*. Utinam ſicuti venæ hujus, ita Magnæ arteriæ, adhærentis omnibus illis corruptis

(*a*) n. 30.

ptis vertebris, mentio aliqua eſſet injecta; unde meam confirmare poſſem ſuſpicionem, aut abjicere. Vidiſti in mea Obſervatione (*b*) altiſſime excavatas fuiſſe vertebras, in altera autem ex indicatis Obſervationibus adeo corroſas, ut levi ictu frangi potuerit Spina, in hac autem ultima poſt eroſionem, reipſa fractam. Intelligis quid ex mea ſuſpicer. At illud extra ſuſpicionem, a magno aneuryſmate, Spinæ adhærente, hoc etiam, præter cætera detrimenta, & pericula, afferri poſſe, ut Spina frangatur; non multum enim in Ciſiario noſtro deerat, ut poſſet. Verum ne forte credas, ſuſpiciones omnes meas in Obſervationes dumtaxat cadere quæ in Sepulchreto extent, inſpice eam ſaltem quæ inter alias a Viro Clariſſimo multis poſt illud iterum editum annis vulgata, vel potius, quantum ex Actis Helveticis (*c*) in quibus eadem hiſtoria eſt, intelligere videor, recuſa, tumorem in latere lumborum, & hypochondrio ſiniſtro eminentem fuiſſe docet *a corpore immani, ingenti, globoſo, tenſo, totum fere ſiniſtrum abdominis latus occupante*, quod exſectum, & ruptum *effundebat magnam, qua opplebatur, cruoris fuſci copiam, ſubſtantiæ flaveſcentis, ſpongioſæ, lamellatim ſibi incumbentis*. Quoniam autem ren ſiniſter huic corpori, quod & ipſum pone ſiniſtrum Coli inteſtini tractum locabatur intra duplicaturam peritonæi, externe adhærebat, imo ſui parte *in ipſum bulboſum hocce corpus penetrabat*; viſum eſt hoc idem corpus pars eſſe renis illius, videlicet incredibilem in modum amplificata. Ego tamen, quod veri ex aliis quærendi, non diſſentiendi ſtudio dixiſſe liceat, tum ex ſede quam obtinebat, tum ex ſanguinis, qui tanta copia inerat, in lamellas, alias aliis incumbentes, concretione, tum denique ex eo quod in illius hominis ventre *vivum adeſſe animal credebatur*, id quod pulſationis ſenſum aliquem ſignificat, aneuryſma fuiſſe, ſuſpicor, quod creſcendo partem proximi renis vitiaſſet. Non abſimile huic meæ ſuſpicioni Cl. Nebelii (*d*) judicium fuit in tumore ſubrotundo, qui annexus reni ſiniſtro, *intus ex pluribus tunicis conſtare, & cruore materiaque tartarea refertus* eſſe dictus fuerat, pro Emulgentis arteriæ aneuryſmate agnoſcendo. Quin caſum adjecit celebris Medici, magna ex parte cum eo qui modo a nobis perpendebatur, conferendum. Cum enim idem ſiniſtrum latus affectum dolore, primum nephritico, mox & rheumatico credito, intumuiſſet, dolore autem repente vehementiori facto, mors ſubita Medicum abripuiſſet; ſanguinem qui multus in ventrem effluxerat, e rupto aneuryſmate exiiſſet, compertum eſt, quod in eodem ventris latere ſub annexo Colo inteſtino protuberabat, magnitudine æquans caput triennis pueri. *In diſſecto* autem *hoc tumore concavo, & internis membranis diſtincto, coagulatoque ſanguine repleto, hærebat ren ſiniſter flaccidus & putridus*. Quæ cum memoro, nolim propterea putes, ignotos mihi eſſe abſceſſus internos, quibus non modo lumborum dolor, aut Sacri oſſis, aut Spinæ dorſi, ſed & caries ipſa vertebrarum ſit imputanda. Novi enim; ut quos legi in recentioribus libris hic indicem; abſceſſus in ea parte meſocoli quam, indocte compoſito vocabulo, meſorectum plures appellant, in illis fuiſſe deprehenſos quorum ſymptomata, & in his *dolores intra os ſacrum* accurate in Commercio Litterario deſcribuntur. Novi pariter ex Actis Cæſareæ Academiæ (*e*) lumborum, dorſique dolores in iis fuiſſe in quibus magni interni abſceſſus latebant cum vertebrarum aut lumbarium infimarum nigredine, & carie quæ dimidium Sacri oſſis in parva fruſtula comminuerat, aut lumbaris primæ, & thoracis ultimæ non diſſimili vitio. Nec tamen oblviſci poſſum aut Mercatoris qui cum annum integrum dolore ſummo ad Spinam dorſi laboraſſet, aneuryſma, ut Ballonius (*f*) tradidit, in Aorta habuit, ubi lumborum incumbens vertebris, in Iliacas dividitur, aut Patricii illius Viri, vehementiſſimo dorſi dolore conflictati, in cujus pariter Aorta aneuryſma repertum eſt juxta laudatam alias (*g*) Veſalii diagnoſim eo tempore admirabilem, nunc facile imitabilem, illudque non ſine proximarum vertebrarum carie, & coſtarum vitio. Donec autem horum, & his ſimilium, quæ non raro aliis, & mihi quoque ſe obtulerunt, exemplorum recordabor, fieri non poterit, quin ubi deſcriptiones abſceſſuum, iis in locis repertorum, ejuſmodi occurrant, ut ſuſpenſum animum relinquant, verear, ne forte ſub abſceſſus nomine aneuryſma delituerit.

Hactenus de ſuſpicionibus in diſſectis mortuorum corporibus.

28. Quod vero ad eas attinet quæ mihi in viventibus inciderunt; ut cæteros mittam; duos ex iis memorabo, quibus ipſe quoque, cum in Patria eſſem mea, conſilium dederam adverſus graves pertinaceſque lumborum, dorſique dolores. Alter fuit ærarius faber, Peregrini nomine. Quem, cum ego poſtea huc ad profitendum veniſſem, accepi, ſuis ſemper conflictatum doloribus, tandem qua minus expectabant Medici, repentina morte ſublatum eſſe; ut mihi ſuſpicio confirmaretur, ab arteriæ Aortæ, ſecundum Spinam deſcendentis, aneuryſmate cruciatus illos fuiſſe, & ex aneuryſmatis diſruptione ſubitaneum interitum. Alter vero Patricius Vir fuit Joannes Antonius Corbiceus, qui cum ſimili obitu ereptus eſt, multo mallem non abfuiſſe, ut diſſecandi cadaveris facultatem obtinerem. Sic enim in eo aneuryſma ejuſmodi ſuſpicabar, ut ſimul vererer, ne vomica lateret in jecinore, qua rupta, mors propera ſequeretur. Et ſane multa, nec obſcura, affecti hepatis erant indicia; ſed cum his tamen aderant, atque adeo magnam certe ipſorum partem præceſſerant, & fortaſſe omnia, ii lumborum dolores, qui cum jecinoris vomica non ſolent conjungi. Operæ pretium fortaſſis eſt totam hiſtoriam, præſertim alias (*h*) tibi promiſſam, hic diligenter perſcribere. Erat is annos natus ad ſexaginta, procero, amplo, lacertoſo corpore, facie rubente a venulis ſubcutaneis, paſſim, ſed præcipue ad naſi inferiora, conſpicuis. Sanguinis per hæmorrhoides fluxus, qui innoxius, & moderatus redire per intervalla conſueverat, cum ab anno jam valde ſe imminuiſſet, moleſtæque animi affectiones acceſſiſſent; nonnihil emaciari corpus cœperat ante initium veris A. 1710. Mox dum rheda, ut tum ſolitus erat, veheretur, ſe dolor prodidit in utroque lumbo, Spinaque interjecta: quibus in partibus jam a longo tempore, ſed obſcurus, fuerat, neque aſſidue, ſed aliquando. Nunc vero non ſolum perſtitit, ſed circa Aprilis initium auctus, ante Majum autem multo acerbior factus ægrum, præſertim ſedentem, aut jacentem, male habebat, eoque magis ubi ſe vel leviter convertere vellet, aut flectere, aut rurſus erigere conaretur, aut ſurgere. Viſum eſt ob ea quæ de hæmorrhoidum fluxu diximus, itemque ob ſanguinem qui ſuperioribus menſibus non ſemel e naribus ſponte ſe oſtenderat, laxata, quæ tum adſtricta erat, alvo, ſanguinem de brachio primum, tum ex hæmorrhoidibus eſſe mittendum. Cum alvi laxatio multum, tum prima ſanguinis miſſio plurimum profuit; ut jam ſublatus omnino diuturnus dolor videretur. Sed cum Chirurgus ad hæmorrhoides, quas turgidiſſimas offenderat, nihilominus, Medico inconſulto, hirudines admoviſſet; tanta vis ſanguinis repente profluxit, ut non multo poſt indicia apparuerint habitus in pravum vergentis. Itaque cum rurſus conſilii cauſa accerſerer poſt Junii medium, tum hæc quæ modo dixi, tum alia accepi: dies jam eſſe plus viginti ex quo regii morbi ſigna, cum pedum œdemate, ſe ſe oſtenderant: & primum quidem vigilias, appetitus ciborum dejectionem, & ſenſum quendam fuiſſe ſtomachi a prandio languidi, atque, ut æger loquebatur, diluti, nunc vero hunc ſenſum prorſus ſublatum, ſomnumque, & appetitum quoque, ſed hunc ex parte tan-

(*b*) n. 26. (*c*) Tom. 1. (*d*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 59. (*e*) A. 1742. Hebd. 20. n. 3. (*f*) Paradigm. 13.
(*g*) Epiſt. 17. n. 3. (*h*) Epiſt. 36. n. 6.

te tantummodo, rediiſſe ex quo ea quæ adverſus icterum faciunt, adhiberi cœpta fuerant: ex his autem animadverſum eſſe, rhabarbarum, quamvis perparce cum *paſſulis* datum, laſſitudinem auxiſſe non tam quia multa per alvum educebat, quam quia dolorem exacerbabat ad ultimam lumborum vertebram, & proximam Sacri oſſis baſim. De hoc enim æger dolore, ſe delaſſante, plurimum querebatur, huncque moleſtiorem fieri, ſiquando per cubiculum ambularet, aſſerebat. Diſplicuit dolorem quem omnino ſublatum eſſe, crediderant, iterum paulo poſtquam viſus erat quieſcere, & rediiſſe, & graviorem in dies factum eſſe. At cætera vel multo magis diſplicuerunt. Nam frequentem pulſum, & ſubdurum, reſpirationem ſubinde altam, & quaſi difficilem, pedes, & vicina crura, in dextero præſertim artu, ſubtumida, & depreſſum admoti digiti veſtigium ſervantia, cutem, & oculos ſubflavos, urinas denique interdiu, ut oculos quoque, magis flaventes animadvertebam, &, quod omnium graviſſimum fuit, cum ventri manum admoviſſem, a dextris ſub ipſo infimarum coſtarum flexu tumens jecur ad hœdini capitis magnitudinem, durum præterea, at ſine dolore. Quod dum contrectarem, æger jam a triennio, inquit, tumorem hunc, quamvis non tantum, ut & oculorum flavedinem aliquam animadverti; & tamen, ut noſtis omnes, ſemper bona ad hunc uſque annum uſus ſum valetudine. Caute cum ejus Medico iis quæ eo tempore aptiora viſa ſunt, conſtitutis, ægrum tertio inviſi ante medium Quinctilem, ut cum eodem Medico, & cum Albertino, qui Bononia accerſitus fuerat, conſilia inirem. Tunc vero œdema inferiorum artuum, credo quod æger plerumque cubaret, omnino evanuerat, ciborum appetitus vigebat, ſtomachus recte fungi videbatur officio ſuo. At vigiliæ noctu vexabant: pulſus magis quidem veſpertino tempore, ſed tamen & matutino frequentes, majori quam antea magnitudine, nec ſine aliquo impetu: ſitis: lingua aridiſſima, & colore ex rubro nigricante infecta: cutis necdum ſine flavedine, quamvis alvi recrementa nec eſſent, nec antea fuiſſent albida: urinæ ſaturo etiamtum colore, ſed tenues: jecinoris tumor, in quo dolor fuerat aliquando ex quo ægrum non videram, facile tamen ſedatus, eo tempore contrectari poterat ſine dolore, niſi forte diu, & ſubaſpere quis contrectaret; tunc enim aliquis oriebatur dolor ad imum jecinoris limbum. In contrectando viſus eſt ſibi Albertinus inæqualitatem quandam animadvertere non ſecus ac ſi viſceris ejus ſuperficies quibuſdam quaſi granis craſſioribus aſperaretur; unde tumoris naturam ad ſcirrhum ſpectare, conjiciebat, acinis videlicet hepaticis a concreta bile diſtentis; ob dolorem tamen, ne alicubi alia eſſet tumoris natura, verebatur. Cum ea quæ in gravi, & ancipiti ejuſmodi caſu cautiſſimum decebant Medicum, nobiſcum probaſſet, Bononiamque rediiſſet, ego vero Lucum ad Cicognini patris curationem profectus eſſem; de improviſo accidit, ut æger qui per eos dies non modo non pejus, ſed quarto ex quo conſilia inita fuerant, die vel melius cum cæteris, tum ſibi in primis habere videbatur, cum ad cœnulam prima hora noctis ſurrexiſſet, moleſto quodam ſenſu ſtomachi, & affectæ partis corriperetur, ſimulque ſudore frigido facies, frigore artus inferiores perfunderentur, venter autem valde intumeſceret. In lectum repoſitus jam fuerat, cum propere accerſitus Medicus præter hæc, totius epigaſtrii dolorem, vomendi conatus, humiles, & languidos pulſus, ut & vocem, & mentem, faciem autem qualis cadaveri eſt, deprehendit. Itaque octava ex qua hæc inceperant, hora mors eſt conſecuta. An ex rupto, ut ſigna quidem indicant pleraque, nec tamen omnia, jecinoris abſceſſu? an ex vaſis ſanguiferi diſruptione? Albertinus ipſe qui diligentiſſime, ut ſolebat, nuper omnia partim obſervaverat, partim inquiſiverat, nec alia præter ea quæ modo ad te ſcripſi, fuiſſe, ſciebat, cum ex meis litteris hunc hominis exitum accepiſſet; ut facile conjiciebat, aliquid, dum æger ſurgeret, illo eodem motu eſſe diſruptum; multumque in ventris cavum humorem effuſum; ita quid diſruptum eſſet, pariter conjicere ſe poſſe, negabat. Quod ſi quædam ſuppurati tumoris indicia, & in his quæ potiſſimum requirebat; certe autem nulla unquam fuerant; nempe *horripilationes* præceſſiſſent; tum vero fatebatur, ſe facile ex rupta hepatis vomica rem fuiſſe explicaturum. Igitur ſiqua in particula hepatis lente aliquid, ac latenter ad ſuppurationem forte veniſſet, ſuſpicari ſe, non tam ex ejus particulæ, quam ex attigui vaſis alicujus ſanguiferi, quod pus læſiſſet, diſruptione ejuſmodi mortem eſſe repetendam. Neque tamen ſuſpicione hac vetus, & pertinax ille ad vertebras dolor explicabatur, cujus in tot hepatis abſceſſibus quorum hiſtorias perpendimus, mentionem factam non recordamur, & is præterea quem tetigeramus, tumor longe a vertebris diſtabat, longiuſque imus hepatis limbus, ad quem præſertim noviſſime dolorem fuiſſe, ſcripſimus. Nec vero eſt cur dolorem ad vertebras infimas præcipue & ad Sacri oſſis baſim extenſum, forte ab hæmorrhoidalis venæ trunco repetas, cujus radices adeo diximus fuiſſe turgentes; nam poſt effuſam tantam illam ſanguinis vim haud certe amplius turgebant, & cum maxime turgerent, vel tum, quamvis breve ad tempus, acciderat, ut dolor videretur eſſe ſublatus. Quod ſi Aortæ arteriæ per vertebras deſcendentis, aneuryſma, cujus, præter jecinoris tumorem, nonnulla adhuc mihi ſuſpicio eſt, non is tibi morbus videatur, cujus effectus vel breve ad tempus uſque adeo obſcurari poſſit, nec qui ſine aliis pluribus, graviburſque ſignis concipi queat; a te peto ne quidquam ſtatuas priuſquam hanc legeris quæ ſubjicitur, Obſervationem.

20. SENEX qui olim credebatur ex lue venerea laboraſſe, multos jam dies in hoc cubabat Noſocomio, de aliis omnibus conqueſtus, quam quæ aut ad eam luem, aut ad magnum internum aneuryſma ſpectare poſſet; certe autem; nam diligenter quæſivi; neque de dolore, neque de ponderis ſenſu, neque de ſpirandi difficultate. Paulo poſt prandium repente eſt mortuus circa medium Decembrem A. 1618.

VENTRE aperto, & urinaria veſica cum pene detracta; totus enim eram eo tempore in quibuſdam quæ ad eas Partes attinent, obſervandis; urethra luis illius antiquæ opinionem confirmavit. Erat enim paſſim cicatricoſa, & Seminalis ipſa caruncula non ſecundum naturalem conformationem ſe habebat, ut neque perminuta duo oſcula quibus ad latera pertunditur, neque his interjecti Sinus orificium facile eſſet demonſtrare. Huc accedebant fibræ, inter ſe diſtinctæ, atque exſtantes, ex quibus inſtar parvi trianguli conficiebatur, cujus baſis erat veſicæ proxima, vertex carunculam attingebat. Amotis deinde viſceribus, ingens Magnæ arteriæ aneuryſma in conſpectum venit, creſcentem lanam repræſentans, cujus erat dorſum ſub annexo diaphragmate in tranſverſum locatum, cornua autem deorſum ſpectabant, ſeque ſingula pone ſingulos condebant muſculos quos Pſoas vocant, ſiniſtrum quidem eo uſque ut ad tertiam muſculi partem infimam perveniret, dexterum autem non adeo inferius deſcenderet. Hujus quoque aneuryſmatis poſterior paries jam nullus erat; itaque detracto ſanguine quo replebatur, maxima ex parte in polypoſas laminas alias aliis impoſitas conformato, ſtatim apparuerunt corpora duarum, aut trium vertebrarum, ad imum thoracem, ſummoſque lumbos attinentium, nuda quidem, ſed alte eroſa, extante hic pariter inter corpus & corpus albo ſuo, intactoque, ut videbatur, ligamento cartilagineo. Ruptum autem fuerat hoc aneuryſma ſuprema ſua ſiniſtra parte ita ut ſanguis qua conceſſerat annexum diaphragma, proruperit ab eodem latere in thoracis cavum, quod pene totum repleverat.

30. Vides igitur, quam obſcurata hic ſigna eſſent tanti aneuryſmatis, quæ olim, & lumborum præſertim dolores quin anteceſſiſſent, non eſt dubitandum. Sed hanc, & quæ in Ciſiario (*i*) habita eſt, Ob-

(*i*) ſupra, n. 26.

Obſervationem ſi cum aliis conferas Aortæ aneuryſmatum a quibus proximæ vertebræ erant corroſæ; illud fortaſſe miraberis, ligamenta iis vertebris interjecta, intacta nobis ſe obtuliſſe: quod alii, quantum meminiſſe nunc poſſumus, ejuſmodi Obſervationum Scriptores non memorarunt. Quin eorum aliqui diſerte non minus ea ligamenta, quam vertebrarum corpora, excavata, atque abſumpta ſe inveniſſe ſcripſerunt, ut, exempli gratia, Cl. Vernojus (*k*), & Auctor penultimæ Figuræ, id præclare oſtendentis, in Commentariis Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis ad A. 1724. Et ſane cartilagines obnoxias tunc eſſe abſumptioni, ſive hæc fiat ab diutius iteratis ictibus ſanguinis, in aneuryſma irruentis, ſive ab erodentibus particulis, ut alibi (*l*) a nobis expoſitum eſt, Obſervatio oſtendit Cl. Maloetii in iiſdem Commentariis propoſita ad A. 1733. in qua cartilaginea Aſperæ arteriæ ſegmenta aliquot, loco poſterioris parietis aneuryſmati inſervientia, reperta ſunt infirmiora jam facta, & minus convexa, duo autem ipſorum ex aliqua ſui parte abſumpta. Quam Obſervationem cum tibi alias (*m*) memoravi, ibi quidem ſimul dixi, molliores partes, quippe ictibus minus renitentes, minus atteri, quam firmiores; hic vero illiuſmodi explicationi video non eſſe locum. Nam ſi quia minus quam vertebræ, ligamenta renituntur his interjecta, eo quoque minus atteri, dixero; quæres continuo, cur igitur, ſicut in illis quos deſcripſi, hominibus duobus, ita in reliquis pariter non ſint reperta; ſed in his conſumpta, in illis intacta? Quod ſi illi juvenes fuiſſent ambo, reliqui autem ſenes; fortaſſe reſponderi poſſet, in illis enim minus, in his magis renitebantur. Atqui non modo ex cæteris, ut is certe qui a Vernojo proponitur, ſed etiam ex duobus noſtris primus erat juvenis; ut minime appareat, cur ſi non huic, illi atteri debuerint, neque cur non atteri noſtro Seni. Obſcura igitur iſtius diſcriminis cauſa ab alia fortaſſe in aliis erodentis humoris natura, an aliunde ſit repetenda, tibi indagandum relinquimus, quando hæc jam ſatis longa Epiſtola eſt. Proximis diebus alteram mittemus, interea autem ſalutem plurimam.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XLI.

Sermo eſt de Urinæ Suppreſſione.

Etſi nihil urinæ emitti aut vitio accidit renum, & ureterum, aut veſicæ ipſius, & urethræ: tamen nec Valſalvæ, nec mihi contigit, ut mortuorum ob priorem illam dumtaxat cauſam corpora incideremus. Nec mirum, cum renes, & ureteres gemini ſint, ut ſi forte uno in latere deficiat eorum officium, in altero ſuppleatur. Neque enim quod multi credunt, ſemper verum eſt, otiante rene alterutro, alterum quoque ſimul otiari: quæ opinio rejecta eſt Litteris ſuperioribus (*a*): imo ad Obſervationes quas ibi indicavimus, tot invenies quæ addi poſſint ex Sepulchreti Sectione huc attinente XXIV. (*b*) ut ſi cum iis compares quæ in eadem Sectione ſunt urinæ ſuppreſſæ ex unius dumtaxat lateris morbo, longe rariores primis has alteras eſſe, planiſſime cognoſcas. Nam primi generis paſſim occurrent, nedum ubi Gerardus Blaſius (*c*), Isbrandus Diemerbroeckius (*d*), Ludovicus Mercatus (*e*) id genus ut frequentiſſimum inculcant, & ſi velles addere quæ poſtea in Cæſareæ Academiæ Voluminibus (*f*) prodiere; nullam facile invenires quæ ad idem genus non ſpectaret, renibus videlicet ambobus aut ſphacelo correptis, aut, quod etiam Rudolphus Jacobus Camerarius (*g*) vidit, inſolita flacciditate, & atonia affectis, aut calculo infarctis, aut ſi alter non eodem laboraret vitio, at conſumptus, inofficioſus, aut ſuo uretere ſabulo, & calculis impedito. Alterius autem generis, id eſt lotii ob unius dumtaxat lateris vitium ſuppreſſi, Obſervationes in citata Sepulchreti Sectione ad paucas redeunt, & eo pauciores, quod aliqua, ut quæ ſub Obſervatione I. legitur §. 19. non, ut a primo videtur, ſpectat ad hoc genus: quod præclare docebit eadem hiſtoria non modo Sectione XXII. Obſ. XIII. §. 1. ſed etiam in hac ipſa Obſerv. I. §. 4. plenius propoſita; ut non fuiſſet opus, præſertim mutilata iterare, ne dicam tertium, & quartum repetere; nam quæ Obſervatione eadem I. exhibentur §. 20. & 22. quantumvis, per incuriam nomine, & dierum numero mutato, aliæ videantur, ipſam tamen eſſe apparet inſpecta libri I. Sectione III. Obſ. XV. §. 1. & §. item 1. Obſ. XIII. Sect. modo citatæ XXII. libri III. Atque utinam hæc una hiſtoria in ea de qua loqui cœpimus, Sectione XXIV. eſſet repetita. Sed tu conferens Obſervationis II. §. 11. cum IV. §. 9. itemque Obſervationem VIII. cum X. (*h*) §. 4. & hujus §. 7. cum Obſ. XI. atque ut ad I. & II. Obſervationem redeam; illius §. 2. cum §. 21. aut §. 3. qui perperam 1. inſcribitur, cum §. 27. itemque cum §. 2. Obſ. II. ſtatim intelliges quot ſatius fuiſſet ſemel ponere, aut ſiquas hiſtorias ſui non ſemel Auctores, ideoque non iiſdem ſemper verbis ſcripſiſſent, alteram ſcriptionem, ſi tanti videretur, alteri continuo ſubjicere. Sunt tamen in Sectione hac quædam ſecundi etiam generis hiſtoriæ, ut ſub Obſervatione I. §. 14. & ſub III. §. 1. 2. & 3. &, ſi vis, inſuper ſub IV. §. 2. Sed quid hæ ad longe majorem cæterarum numerum? quem augent aliæ aliquæ in Additamentis legendæ ad Sectionem XXV; in ea enim exhibitæ Obſervationes multo majori ex parte fuiſſent ad ſuperiorem Sectionem addendæ, &, præter eas, omiſſæ aliæ vel maxime obviæ, ut quæ in Ruyſchii Centuria (*i*) propoſita fuerat. Conſtat igitur, multo rarius accidere, ut renum, & ureterum, quippe geminorum, vitio urina ſupprimatur, quam veſicæ, & urethræ, quæ unæ ſunt, eoque minus mirari oportere, quod eorum qui, primis illis obſtructis, perierint, corpora necdum incidere potuerimus.

2. Quorum diſſectionis ob id etiam cupidior fueram, ut examinare in iis poſſem eas partes unde, & per quas, & quo alii alias comminiſcuntur peculiares urinæ vias. Etſi enim adverſus has argumentum in Adverſariis (*k*) propoſui ab iis petitum quæ ſatis conſtat in lotii ſuppreſſionibus adnotata eſſe ex renum vitio contingentibus, quod argumentum eo gravius mihi viſum eſt ex quo animadverti, cum aliis poſtea, tum Boerhaavio ipſis (*l*) perplacuiſſe; tamen Cl. cuidam Viro plenius avebam ſatisfacere, exiſtimanti, vias illas peculiares in renum pelves, ut plures vel antea crediderant, eamque viciniam deſinere; ut tametſi renes dumtaxat, calculis, aliove ejuſmodi impedimento obſtructi conſpiciantur, poſſint tamen ob id ipſum earum viarum oſtia ſimul comprimi, nihilque tum in pelves, aut proximos ureteres tranſmittere. Tu igitur cum ejuſmodi cadaverum incidendo-

(*k*) Comment. Acad. Sc. Imp. Petropolit. Tom. 6. (*l*) Epiſt. 18. n. 27. (*m*) Epiſt. 21 n. 48. (*a*) n. 15. (*b*) l. 3. (*c*) Obſ. 1. §. 9. (*d*) Ibid. §. 10. (*e*) Obſ. 2. §. 1. (*f*) Dec. 3. A. 4. Obſ. 60; A. 7. & 8. Obſ. 147; & A. 9. & 10. Obſ. 95; & Cent. 5. Obſ. 22; Cent. 6. Obſ. 55. & 56; & Act. Tom. 2. Append. n. 3. & Tom. 3. in Obſ. 6. (*g*) Specim. Experim. circa Generat. Part. Therapeut. in Reſolut. Hiſt. 3. (*h*) primam de duabus intellige eodem n. X. deſignatis. (*i*) Obſ. 15. (*k*) III. Animad. 36. (*l*) Prælect. ad Inſtit. §. 385.

dendorum occaſio dabitur, fac quod ipſe eram facturus, ut diligentiſſime membranas omnes quæ iis Partibus viciniæ, anhexæque ſunt, perſcruteris; fieri enim haud poteſt, ſi earum viarum oſtia ſint compreſſa, quin reliquus earum tractus tanto magis ſit remorante humore diſtentus, quanto magis occluſa ſunt oſtia quæ emittunt, præſertim cum vias illas non eſſe adeo exiles, & officia quæ iis adſcribunt, requirant, & ipſi ultro fateantur: quanquam fruſtra hunc te laborem ſumpturum illud indicat, quod nunquam in iſtiuſmodi caſibus cuiquam illas apparuiſſe legimus, cum plurima alioquin fuiſſent ægris ingeſta, quæ ipſas, aut alias quas alii conjiciunt ad veſicam tendentes, maxime diſtendere debuiſſent, Profectores autem diligentes, & valde exercitati mortuorum corpora ſcrutarentur. Franciſcus enim Plazzonus; ut exemplo utar ejus hiſtoriæ quam in Sectione hac Sepulchreti ter repetitam fuiſſe, oſtendi (*m*); aut ſecuit, aut diſſectioni præfuit ejus Monachi cui inter cætera diuretica ipſæ quoque cantharides datæ fuerant, quæ veſicam, quamvis inanem, exulceraverant, ut illuc perveniſſe earum vim per ſanguifera vaſcula, non per ignotos peculiares tramites intelligamus, qui cum ea vi ſimul diureticas potiones tranſmiſiſſent ſive in renum pelves, aut ureteres, ſive recta a ventriculo in veſicam. Hæc enim altera opinio placuit pluribus, an propter illa Hippocratis (*n*), aut certe vetuſtiſſimi Auctoris verba, *ſi habuerit puer venas de ventriculo ad veſicam tendentes amplas ac attrahentes*, an potius ob ea quæ accidere audiiſſent in diabete legitimo, cujus rariſſima exempla poteris legere apud Marcellum Donatum (*o*), nempe *ut potus nihil omnino mutatus mingeretur, ſervans eundem colorem, conſiſtentiam, ſaporemque, & odorem*. Sed ſi propterea comminiſci oportet ductus a ventriculo ad veſicam tendentes; alios comminiſci oporteret ad cutem, quando exemplis illis hoc quoque ſubjicere non dubitavit Donatus de puella formoſiſſima jam diu febribus conflictata, cui *remotis nondum ab ore poculis, hauſtæ liquidiores potiones a præcordiis .... eadem copia qua erant abſorptæ, abſque alteratione ulla reſudabant ita ut ex rubeo lyæo colore rubeo; ab albo juſculo, albo itidem tunc inficerentur ſubuculæ*, idque *duarum hebdomadarum ſpatio* fuiſſe adnotatum. Verum de ignotis hiſce ductibus quacunque demum e ventriculo ferri in urinarias partes conjiciant, ſcite ad me quondam ſcripſiſſe Cl. Paſtam, memini, ſi revera forent, debuiſſe illis qui eo tempore in noſtris quoque regionibus ſic argento vivo abutebantur, ut pene quotidie mane ad unciam ſumerent, aliquam ſaltem ejus partem cum lotio exire, quod in illorum nemine Medici noſtrates animadverterant. Quod ſi forte dicas, vix patere eos ductus; ſed in febribus de quibus illa ſunt Donati præcipua exempla, dilatari; neque Paſtæ objectioni, neque aliis ob quæ ſunt excogitati, phænomenis ſatisfacies, & certe in primo ex Trincavellio Donati exemplo adſtringere eorum ductuum oſcula potiones debebant, quas, *niſi gelidæ fere* eſſent, æger recuſabat. Sed quid, inquis, ad recentiorem Obſervationem (*p*) dicemus, nempe Virginis illius aſciticæ, in qua ren *ſiniſter æque ac dexter .... totus ſcirrhoſus & induratus erat, ac ita coaluerant, ut nec pelvis detegi potuerit*, cum eadem noviſſimo etiam tempore *parciſſime* quidem, & *inſtar aquæ fontanæ limpidam*, non, ut initio, *rubram, & craſſam* urinam reddidiſſet, ſed tamen reddidiſſet? An pauxillum id humoris ex ſero quod ventrem diſtendebat, *per veſicæ poros foras intro-ſpectantes* tranſiiſſe? an potius ex alterutrius renis, & pelvis particula aliqua necdum, cum poſtremo minxit, penitus indurata, & conſtricta, ſicuti poſt mortem apparuit, per anguſtias, ut inſolita oſtendit limpitudo, proveniſſe? certe non per ductus in ureteres, veſicamve influentes, ut pote qui ex ventriculo multo plus humoris importaſſent.

3. Utcunque id eſt; quæ in mortuis urina ſuppreſſa veſicæ etiam, aut urethræ vitio Valſalva, & ego viderimus, hic accipies; nec tamen omnia. Habuiſti enim proxima Epiſtola (*q*), itemque XXXIV. (*r*) quædam eorum quæ ille, eorum autem quæ ipſe conſpexi, nonnulla Epiſtola IV. (*ſ*) & X. (*t*) in aliiſque alia habebis. Quæ igitur huc potiſſimum ſpectare, credidi, ex illo quidem hæc ſunt.

4. JUVENIS agricola, cujus duo fratres & ipſi juvenes annis ſuperioribus ex acutis morbis circa vernum æquinoctium interierant, eodem anni tempore ad hunc modum deceſſit. Scabiem ſibi, neſcio quo adhibito unguento, abegerat: paulo poſt urina ſuppreſſa eſt, non ſine vomitu, & dolore interdum ad lumbum ſiniſtrum. Urinam tamen aliquoties poſtea excrevit, ſed paucam, & ſaturati lixivii ſimilem, & cum dolore: cujus exitum cathetere expedire, nequicquam tentatum eſt. Tandem corpus univerſum intumuit: & accedente laborioſa, ac magna reſpiratione, poſtridie, circa vigeſimum primum a ſuppreſſione diem, mors ingruit. VESICA, & renes ſani erant; niſi quod hi aliquanto majores, illa autem libras continebat circiter duas urinæ ejuſmodi qualem diximus. Sed & in ventris cavo humor ſtagnabat, urinam olens, cæterum limpidæ aquæ ſimilis. Qui in vitreo vaſe aſſervatus, multa divulſa quaſi urinarum *contenta* exhibuit. Igni autem impoſitus, primum turbidus eſt factus, & vaccini ſeri conſimilis, mox lactis ipſius, denique ſic concrevit, ut ovi albumen prorſus referret: cujuſmodi concretionem in nullo morbido humore qui in corpore ſtagnaret, unquam antea Valſalva viderat. In Thorace pulmones quidem multum aere diſtenti, pleuræque, ad dorſum, annexi; ſani tamen fuerunt. Cordis ventriculus dexter polypoſam concretionem mediocri magnitudine, ſiniſter minorem continebat.

5. Acres ſcabiei particulæ, in ſanguinem repulſæ, quam graves noxas attulerint, alias (*u*) a nobis in duabus fœminis oſtenſum eſt. Sed in illis alio; in hoc Juvene, lotio admiſtæ, in renes, veſicamque irruerunt. Quorum viſcerum membranas intimas compungendo, utrobique attulerunt dolorem, illas criſpantem, eoque urinæ effluxui jugiter propemodum obſtantem, unde renes ab hac, intus cohibita, majores facti, veſica autem vel quod ſæpe vix ullam haberet, vel quod contrahere ſe rite non poſſet, vel potius quod catheterem non admitteret, hoc in urethram immiſſo nihil reddebat; educto nihil, niſi raro, & cum dolore, emittebat. Cohibita igitur maxima ex parte in ſanguiferis vaſis lotii materia obitus denique cauſa fuit; quamvis alio, & præſertim in ventris cavum redundarit, ut ſignificavit odor ſtagnantis in eo laticis. Se enim illa facile admiſcet humoribus qui tunc a ſanguine ſecernuntur. Itaque; ut exemplum proferam, quod neſcio cur non fuerit Sepulchreto additum; Malpighius (*x*) in Præceptore ſuo Natali, cujus ureterem, & renem, ob interceptum calculum coercita urina, monſtroſe dilatatos invenit, durante plures dies lethali ſuppreſſione adnotavit, ſalivam odorem, & ſaporem lotii retuliſſe, & cutem pariter halitus ejuſdem reddidiſſe. Albertinus autem mihi narrabat, Nobilem illum Juvenem cujus renum ſtructuram a Malpighio in Epiſtola ad Sponium deſcriptam habemus, in eodem morbo non ſalivam, urinæ odore, & ſapore infectam, ſed propemodum urinam ipſam expuiſſe, quod adjectus odori, & ſapori color quoque teſtabatur, affluente ad ſalivares glandulas urinæ materia ea copia, ut buccæ, & parotides intumeſcerent. Quam ob excretionem fortaſſe tandiu vixit donec, victa ſuppreſſione, magnam vim urinæ mingeret: quanquam nihilominus ei contigit quod non raro & aliis, retentam longiori tempore urinam tandem reddentibus, ut vitiatis humoribus, & viſceribus, non multo poſt interiret. Excretiones alias per quas homines quibus lotium ſuppreſſum eſt, vitam diutius trahunt, aut ſervant,

(*m*) ſupra, n. 1. (*n*) De Morbis l. 4. n. 28. (*o*) De Med. Hiſt. Mirab. l. 4. c. 27.
(*p*) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 25. n. 2. ad 3. (*q*) n. 4. (*r*) n. 7. (*ſ*) n. 19. (*t*) n. 13.
(*u*) Epiſt. 16. n. 34. & Ep. 38. n. 22. (*x*) Op. Poſth.

vant, cum Thomas Bartholinus (*y*) commemoret; iſtam quam attigi, ſalivæ omittens, dejectiones, vomitus, ſudores enumerat. Dejectionum exemplum in Collega ſuo profert (*z*). Vomituum, & ſudorum quidem etſi diſerte non protulit, facile eſt ex aliorum Obſervationibus ſupplere. Sic Vallisnerius noſter (*a*) poſt decimum ſuppreſſionis diem accedente vomitu ſeri, colore, ſapore, odore lotium referentis, Virginem duraſſe vidit donec plurimis intus, & extra incaſſum adhibitis, mercurio tandem & dato, & applicito renum vias reſeravit. Sic Mantuanus Medicus (*b*) alteram vidit eodem ſimul & morbo, & vomitu dies primum plus quadraginta, nec multo poſt duos ſaltem & triginta vexatam. Sic alius (*c*) tertiam ad menſes quindecim, ut vix aliter quam per nutrientia enemata ali potuerit, donec ejecto calculo, & iſchuria, & urinæ vomitus deſierunt. Sed ubi calculi, renes, & ureteres obſtruentes, dimoveri non poſſunt; fruſtra, ut Gulielminus (*d*) in duobus obſervavit, lotii vomitiones accedunt, quod & de aliis tum inſuperabilibus morbi cauſis, tum excretionibus intelligendum eſt: itaque in fœmina (*e*) jam in ore ſaporem lotii, odoremque percipiente, ipſius ſanguinis vomitus, & per nares exitus, ſi profuit, hactenus profuit, ut ad trigeſimum uſque diem vitam protraxerit. Verum ut ad propoſitas a Bartholino excretiones redeamus; dignam in primis adnotatione Caroli Piſonis Obſervationem (*f*) quod ad ſudores attinet, indicavit; erant autem diuturni, aſſidui, copioſi, & tam olidi, ut vix ferri poſſet graveolentia: mictu itaque demum ſuccedente, æger liberatus eſt. Non ſic felici eſſe contigit Virgini de qua nobis referebat Petrus Nannius. Illi quoque diu propter calculos urina ſubſiſterat, ut jam deploratam exiſtimaret, cum ſudor immani copia prorupit, urinam olens. Is quandiu duravit; duravit autem ad dies; Virgo melius habuit. At eo ceſſante, intra dies paucos thoracis hydrope abſumpta eſt. Sed hac felicior ad tempus fuit altera olim Patavii Virgo, de qua ex ſpectatæ fidei Medico narrat Marcellus Donatus (*g*). Scilicet non toto quidem ex corpore, ſed tantum ex *regione ventriculi reſudabat humor ad plurium librarum pondus, colore, & odore urinam referens*, cum hæc non ſolum, ſed & alvi ſuppreſſa eſſent recrementa. Quæ, cum ſex ipſos menſes nihil antea urinæ redderetur, ſuppleviſſe, tunc videlicet *fluente alvo*, credita fuerant. Quin etiam inſenſibilis perſpiratio ſupplere videtur in juvene fœmina, quæ rariſſimo, ſed eodem notiſſimo Veronæ exemplo ne guttam quidem urinæ excreverat duos jam & viginti menſes, cum illud Cl. Zevianus (*h*) memoravit. In ejus autem cubiculo fœminæ, lotii odor percipitur, quem & exhalare videntur indufia. Pluribus interim ea morbis, quamvis nullo cerebri, conflictatur. Sed & Patavina illa in maraſmum tandem incidit. Quæ attuli, etſi fere attinent ad eos quibus lotium retentum eſt vitio renum, quæ cauſa ex parte in eo quoque fuerat Juvene de quo ex Valſalva dictum eſt; tamen ſatis indicant unde & illi pereant quibus veſicæ dumtaxat, aut urethræ vitio diutius retinetur; nec tamen ea ſimul veſicæ inflammatio eſt, cui, aut ſubſequenti gangrænæ mortem liceat imputare. Id ad genus ſpectare crediderim hanc alteram Valſalvæ Obſervationem.

6. VIR annorum ſeptuaginta, cum diuturna mingendi difficultate laboraſſet, ut non niſi catheteris ope urinam redderet, aucto in dies morbo, in Bononienſi Noſocomio S. Mariæ de Vita decumbere coactus eſt. Ibi dum a lithotomo per catheterem urinæ exitus, ſed incaſſum, quærebatur, ſubſecuta laborioſa reſpiratione, cum ſtertore mortuus eſt. VESICÆ urinariæ fibræ adeo creverant, ut cordis lacertos figura, & magnitudine referrent. Proſtatæ glandulæ excreſcentia ad pyri formam, vix ullum tranſitum permittens, ex aſſiduo catheteris impetu phlogoſim in ima parte conceperat. Ventriculus cordis dexter polypoſæ concretionis inchoamentum oſtendit.

7. Phlogoſim ejuſmodi non fuiſſe illius mortis cauſam, manifeſtum eſt. Verum in corpore longa ætate, ac creberrima lotii retentione ſic infirmato, ut decumbere cogeretur, quam vitiatus ſenſim eſſet ſanguis, non difficile eſt conjicere. Non mirum igitur, ſi accedente ea retentione quæ per catheterem tolli non poterat, inter hujus inania irritamenta, inceperint demum quæ brevi hominem conficerent. Vel ſine illis irritamentis, paulo poſterius fortaſſis, ſed nihilominus interiiſſet, ut tot alii, & in iis Vir quoque cujus hiſtoriam, ſicut accepi ab eodem Medico quem tibi alias (*i*) laudavi, Mariſato, huc adſcribam.

8. VIRO in hoc Noſocomio decumbenti ob lotii ſuppreſſionem, jam bis eductum hoc fuerat, & magna ſemper copia, per immiſſam argenteam fiſtulam. Cum ab hac aut æger, aut alii ne veſicæ cervix nimis irritaretur, timerent, proptereaque abſtinerent; mors non ſine convulſivis ſymptomatibus ingruit. DISSECTI ſana, quantum ſenſus judicare poterat, viſcera omnia atque adeo veſica ipſa quoque reperta eſt; ſine ullo enim inflammationis initio tantummodo diſtenta erat, ut eam lotii copiam facile contineret quam vix tria vitrea vaſa continuiſſent quibus ad ſanguinem e ſecta vena excipiendum, aut ad urinam etiam, noſtris in regionibus utuntur.

9. Ego quam diſtentam, nec tamen inflammatam, veſicam haud ſemel invenerim, cum aliæ alibi (*k*) ad te ſcriptæ Obſervationes oſtendunt, tum quædam præſertim monſtrabit quam ubi agam de Claudicatione (*l*), perſcribam. Nunc ut intelligas, quantum veſica impune extendi nonnunquam poſſit, ſubjiciam quid hic annis ſuperioribus honeſtæ fœminæ acciderit, mihi notiſſimæ, & nunc ſatis bene valenti. Primipara erat, & duos ſupra quadraginta annos nata. Cum propterea nihil cederent pelvis oſſa, hujuſque ima pars eſſet anguſtior, ibi hæſit magnum infantis caput, & compreſſa urethra, & proxima veſicæ parte, lotium cohibuit. Non ſine magna difficultate immiſſa eſt demum argentea fiſtula ex illis quas ad mulieres habent; ſed incaſſum. Immitti debuit altera ex longioribus quibus utuntur in viris, ſed minus curva: jamque ad palmum ſubierat; nihil tamen urinæ exibat. Altius itaque adigenda illa fuit, ut hæc exiret; exivit autem ad libras circiter quatuor. Parva erat muliercula: quo magis intelligis, quantum (id quod altius quoque & peculiariter extumeſcens abdomen indicabat) quantum, inquam, extendere ſe veſica debuerit, imo veſicæ pars ſuperior, quando inferior adeo, ut diximus, erat compreſſa. Attamen infante, qui non modo erat mortuus, ſed & gravius olebat, mox detracto, nihil ex veſica quidem noxæ, aut periculi ſuperfuit.

At ſi ejus plurimum diſtentæ exempla quæras, & quem exitum pleraque habuerint, attendas; ut ruptionem ſeponas, quam inde vel in bovis veſica deprehenderunt (*m*), invenies certe pro alia in aliis ſive partium, ſive ſanguinis, ſive urinæ ipſius diſpoſitione, & natura, longe aliter multis, quam propoſitæ mulieri, accidiſſe. Pervulgatum eſt, haud raro nimis diſtentam veſicam amiſiſſe vim ſe contrahendi, id quod nonnunquam brevi contingere ex Maucharti (*n*) Obſervatione colliges, qui poſt veſicæ iſchuriam ante quatriduum inchoatam, etſi primo exacto biduo lotium, nec ſemel, educendum curaverat, & veſicam in cadavere invenit prorſus vacuam, *amplam* tamen animadvertit, *non contractam, ut ſolet*. Neque minus vulgatum eſt, inflammatione facile corripi, cujus initia & in eo cadavere extabant, ut in tot aliis inflammatio ipſa reperta eſt multo amplior. Poſt hanc quæ facile ſequantur, Auctores doce-

(*y*) Cent. 4. Epiſt. Med. 18. (*z*) Ibid. & Epiſt. 21. (*a*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 50.
(*b*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1715. Obſ. Anat. 3. (*c*) Act. N. C. Tom. 3. Obſ. 6. (*d*) Exerc. de Sangu. nat. n. 68.
(*e*) Eph. N. C. Cent. 6. Obſ. 56. (*f*) De Morb. ab aqua S. 4. c. 6. Obſ. 127. (*g*) c. 27. cit. ſupra ad n. 2.
(*h*) Del Flato l. 2. c. 11. (*i*) Epiſt. 27. n. 4. (*k*) Epiſt. 4. n. 19. & Ep. 39. n. 33. (*l*) Epiſt. 56. n. 12.
(*m*) Act. N. C. Tom. 8. in Obſ. 2. (*n*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 41.

docebunt quos maximæ diſtentionis veſicæ teſtes citat Henricus Meibomius (*o*), qui tamen neſcio quomodo unam Hildani Obſervationem pro duabus producat. Eandem enim quam preſſe libro de Lithotomia cap. 5. memoravit, fuſius Centuria II. Obſ. 65. deſcripſit Hildanus, ibique ulcus e veſicæ cavo in Rectum uſque inteſtinum pertinens in mortuo demum illo Sene ab ſe repertum proponit. Multo autem ſæpius inflammationem id ſequitur quod ab altero ex citatis a Meibomio Auctoribus Panarolo (*p*) ter obſervatum invenies, gangræna videlicet, in lethalem ſphacelum tranſiens. Ego poſt inflammationem quæ diutius diſtentam veſicam corripuerit, nunquam gangrænam ampliorem vidiſſe memini, quam in agreſtis Viri corpore quod inexploratum in Theatrum Anatomicum Bononienſe temere imperiti juvenes importandum curaverant A. 1706.

10. IS, ut poſtea compertum eſt, renum, veſicæ, ilei inteſtini vitiis obnoxius, aliquot jam dies urinam reddere non potuerat. Itaque tumido, & nigreſcente jam abdomine mortuus erat. VENTRIS inferiora præſertim viſcera, & in his veſica, nigricabant, ut ſcrotum quoque, & hoc intercepta inteſtini quod dixi, portio, nigredine in partes non modo omnes proximas, ſed ad media uſque femora ſe extendente; ut cito cadaver pene totum aſportandum fuerit, ne odoris gravitas Gymnaſium inficeret. Vix ipſe nonnulla curſim in renibus animadverti, quæ cum alio loco (*q*) tradiderim, non hic iterabo.

11. Ilei interceptio urinæ ſuppreſſionem, an hæc Ilei interceptionem præceſſerit, pro certo ſcire, non potui. Illud ſcio, quod & aliis Litteris (*r*) ſcripſi, ad Ilei inflammationem lotii ſuppreſſionem accedere. Sed & plures aliæ ſunt cauſæ extra veſicam poſitæ, quæ in hac lotium remorantur. De fœtu, in difficili partu ejus cervicem premente paulo ante (*ſ*) dictum eſt: quin etiam in geſtatione uteri, poſtremo præſertim tempore, mulieres ſunt quarum aliquas probe novimus, quæ mingere nequeunt, niſi ſupinæ. Huc adde; ut quæ rarius accidunt, prætereamus; ſcimus enim, muliebri urethræ adnatum exterius corpus glanduloſum *pugni magnitudinem excedens* (*t*), ſcimus acriora medicamenta, naturali, ut arctius adſtringeretur, adhibita, illud urethram premendo, hæc inflammationem vehementiſſimam concitando, lethalem attuliſſe urinæ ſuppreſſionem, quam etiam a ſanguine, e vulnerati omenti vaſe paulatim deſtillante, in pelvi autem coagulato, & veſicæ collum valde comprimente, inductam fuiſſe (*u*), non ignoramus; huc, inquam, adde multa, & duriora ſcybala, aut prætumidas hæmorrhoides, quæ idem collum ad pubis oſſa apprimant adeo ut exire nihil poſſit. Ad has attinet quod adoleſcenti mihi perſenex, & felix in mea Patria Chirurgus aſſeverabat Joannes Amatorius, ubi circa imam veſicam fibræ ſtagnante ſanguine, aut humore turgent, egregium afferri auxilium ſanguiſugis ad venas illas admotis. Sic in Avo qui etiamtum vivebat, Nobilis, meique, etiam ob humaniorum litterarum ſtudium, amiciſſimi Viri Petri Scanellii cum per catheterem nonagies immiſſum urinam ipſe educere debuiſſet, illo demum remedio, poſt tot alia incaſſum adminiſtrata, ſublatam eſſe pertinaciſſimam ſuppreſſionem. De ſcybalis autem notiſſima eſt Wepferi Obſervatio (*x*), ad quam, in Sectionem quoque hanc Sepulchreti relatam (*y*), ſed non abſque iis operarum erroribus qui intelligi non ſinunt, adjungere alteram potes quæ in Additamentis legitur ad proximam Sectionem XXV. (*z*) Eundem felicem exitum quem prima a clyſtere injecto proponit, cum alibi plures, tum hic præcipue Hebræus expertus eſt, cui nulla alia auxilia profuerant. Sed tum quæ emolliant, injicere ſatis eſt, præſertim ſiquod periculum ſubſit veſicæ inflammationis, aut ſuſpicio convulſivæ ejus ſphincteris conſtrictionis. Quorum neutrum ſatis mihi attendere viſus eſt ſenior Medicus qui mihi duas treſve felices curationes narrabat ſuas; datis enim quæ alvum vehementius cierent, hanc ſimul, & ſuppreſſam urinam moviſſe. Sic enim ajebat, tametſi hanc non moviſſem, at ſaltem quanto plus humoris ex alvo eduxiſſem, tanto minus per renes defluxiſſet ad veſicam magis magiſque diſtendendam: movi autem eum ſimul qui veſicam jam diſtendebat, cum Rectum inteſtinum laceſſendo, non potui proximæ veſicæ fibras non ſimul ad contractionem ſtimulare, iiſque magna ex parte amiſſam vim reddere. Scilicet non ſatis animadvertebat, nullam eſſe arctius cum imo inteſtino Recto conjunctam veſicæ partem, quam infimam, ſeu mavis urethræ initium, nec quid propterea conſequatur, ſi tum forte pars hæc initio aliquo jam teneatur aut inflammationis, aut convulſionis. Equidem inficias non eo, interdum a paralyſi, alias ab ipſa diſtentione veſicam ſe contrahendi vim amittere. Sed hoc ajo, urinæ in veſica ſuppreſſionis cauſas ſolerter eſſe diſtinguendas, nec ſemper facile adeo, ac cito, ut ex Maucharti exemplo ſupra (*a*) collegimus, ſublatam a diſtentione vim qua veſica ſe contrahit; eſſe concipiendam. Oſtendit hoc; ut alia præteream, canis a Boerhaavio (*b*) diſſectus, in quo etſi urina triduum jam retenta pleniſſima eſſet veſica, hac tamen exiguo vulnere pertuſa, *exſiliit urina ad magnam altitudinem: & veſica ita contracta eſt, ut pene nulla cavitas ſupereſſet.*

12. Sunt & aliæ complures cauſæ quæ ut lotium poſſunt in veſica retinere, ita eos quos dixi, alioſque prohibent ſtimulos, ut puta quod domeſtici remedii loco apud quoſdam eſſe, ſcio, ut laterem, frigidæ antea immerſum, plantis apponant mingere non potentis: quos felici audacia imitatus eſt, cum junior eſſet, Medicus amicus meus glacie ipſa pedibus pauliſper admota. Quæ ut aliquando hebetem veſicæ vim per ſtimulatos Cruralium nervorum fines potuerint excitare; intelligis certe, quam noxia eſſe irritamenta poſſint ubi ab acrimonia urinæ inceperit hujus retentio, aut ubi ſecundum Solertiſſimi Pujati (*c*) conjecturas, & Experientiſſimi Benevoli (*d*) Obſervationes, quod nudata ſit veſica muco illo quo adverſus nimios urinæ ſtimulos linita eſt. Sileo, cum ipſa in ſcrotum procidit, etſi hunc caſum ex quo meus ad me ſcripſit Georgius Georgi Medicus nunc apud Piſaurenſes Spectatiſſimus non adeo rarum eſſe, cognovi, ut putabat Meryus (*e*), qui cum bis a ſe viſum deſcripſit, nullum ſibi eſſe notum Auctorem, fatebatur qui ejus feciſſet mentionem. Certe enim ex Platero in hac Sepulchreti Sectione (*f*) vidi commemoratum, & Sectione proxima ſuperiore XXIII. (*g*) ex Bartholino, & legi etiam apud Ruyſchium (*h*), qui vidit non ſemel (*i*), ut vere eſt a Chriſtiano Andrea Kochio (*k*) indicatum, ubi alteram Boerhaavii quoque memorat ejuſdem caſus Obſervationem: ad quam, aliaſque, ut analogum (*l*) in mulieribus hic omittam veſicæ prolapſum, de quo, deque ejus ſignis interea potes Meryum ipſum (*m*) & Præcl. Baſſium (*n*) conſulere; illam quoque addes quam in Viro Nobili habuit Doctiſſ. Valcarenghus (*o*). Sed ſi rarus hic caſus eſt, qui cum incidit, urinam licet; quod ejus proprium, ſive pathognomonicum indicium eſt; e veſica ejicere, quam æger manibus cum ſcroto attollat, aut comprimat; aliæ ſunt tum frequentes, ut a paulo grandiori calculo, &, ſi Hoffmannum (*p*) audiamus, qui unam præſertim ſuarum Obſervationum (*q*), diſſectionumque ſic explicat, a ſpaſmo ipſius veſicæ, tum minus frequentes, ut ab arroſis; velut

(*o*) Exercit. de Catheteriſmo theſ. 17. (*p*) Jatrologiſm. Pentec. 1. Obſ. 27. (*q*) Epiſt. 38. n. 41. (*r*) Epiſt. 34. n. 8.
(*ſ*) n. 9. (*t*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 201. (*u*) Vid. Hoffm. Medic. Rat. Tom. 4. P. 2. S. 2. c. 7. in ipſo fine.
(*x*) Auctar. Hiſt. Apopl. 13. Schol. 8. (*y*) in Append. 1. ad Obſ. 19. (*z*) Obſ. 5. (*a*) n 9. (*b*) Prælect. ad Inſtit. §. 366.
(*c*) Dec. Obſ. 3. n. 5. (*d*) Diſſert. 2. (*e*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1713. (*f*) Obſ. 17. §. 4. in Schol.
(*g*) Obſ. 4. §. 4. (*h*) Cent. Obſ. 98. (*i*) Adverſ. Anat. Dec. 2. n. 9. (*k*) Affect. in libr. & cæt. rar. Deſcr. in Ratiocin.
(*l*) Vid. tamen & Epiſt. 43. n. 14. (*m*) Mem. cit. (*n*) Dec. 3. Obſ. Anat. Chir. 2. (*o*) Diſſert. de Saxis, Acub. & cæt.
(*p*) c. 7. ſupra ad n. 11. cit. Epicr. Obſ. 1. (*q*) Ibid.

velut idem (*r*) vidit, & valde laceris per fœtidum pus quod e rene ſiniſtro, ulcere penitus conſumpto, & exeſo, in pelvim deciderat, exterioribus veſicæ tunicis, aut etiam ut a tuberculis; ſunt, inquam, aliæ urinæ in veſica ſuppreſſiones, in quibus ab additis ſtimulis ut nihil auxilii, ſic plurimum detrimenti afferatur. Sunt autem aliquando in veſica, aut ad ejus collum tubercula, tametſi, uti perſpicue a laudato Benevolo (*ſ*) demonſtratum eſt, ſæpe Medici vel præſtantes in iis ponendis decepti fuerint: Sunt, inquam. Nam etſi Ruyſchius (*t*) unum repræſentat exemplum; plura tamen occurrere, in adjecta Obſervatione (*u*) ſatis indicat. Quæ tubercula viderit Drelincurtius (*x*), quam excreſcentiam Sylvius (*y*), quam carunculam Tulpius (*z*), quam Smetius (*a*), quam Hildanus (*b*) invenerint, habes in ipſo; ne longius te abducam; Sepulchreto, ubi & alia facile reperies eodem ſpectantia. Fortaſſe & illius adhuc memineris, quam olim in I. Epiſtola Anatomica (*c*), a me deprehenſam non ſecus ad urinariam, quam in fellea veſica, propoſui. Et quamvis tuberculorum quæ in urinario oboriuntur meatu ſupervacuum ſit exempla producere, cum in ipſis Hippocratis Aphoriſmis (*d*) eorum facta ſit mentio, & ſuppurationis per quam tolluntur; tamen non futurum tibi ingratum credidero, ſi ad hiſtoriam Sacræ illius Virginis quæ dies LXVI. clyſmatum nutrientium ope, Ramazzino (*e*) medicinam faciente, ſervata fuerat, hoc quoque addam quod ab ipſo accepi, eandem videlicet cum poſtea lotii ſuppreſſione correpta eſſet, catheteris autem recuſaret auxilium, re poſt dies aliquot ad extremum deducta, urinam ſimul cum pure non multo, nec ullo, niſi urethræ, dolore emittere cœpiſſe, atque ita morbi cauſam fuiſſe tuberculum in urethra natum, oſtendiſſe. Cujus ut opportuna ſuppuratio morbum ſuſtulit, ſic remediorum quæ ſupra diximus, irritamenta adauxiſſent. Sed tubercula tamen ejuſmodi facile in pus abire poſſunt, viamque liberam reddere. At ſcirrhoſos tumores, aut ad ſcirrhi duritiem vergentes, quales ſæpe in Proſtata glandula fieri, aut ex ea excreſcere ſolent, quis facile ab ipſa natura, nedum ab arte, ſperet ſublatum iri? Talem vero fuiſſe, credo, illam ejus glandulæ excreſcentiam quæ ſupra (*f*) ex Valſalvæ Obſervatione deſcripta eſt. Talis certe fuit tumor univerſæ Proſtatæ in hac quæ ſequitur, noſtra.

13. CIVIS meus, Vir Patricius H. M. annos natus amplius ſexaginta, quadrato corpore, & robuſto, facie rubente, habitu ad obeſum inclinante, hernioſus, adoleſcens virulenta gonorrhœa laboraverat, ſemper vero multum, ſæpe etiam merum biberat. Cum multum quoque, & creberrime mingeret, vix anno ante levi quodam retentionis urinæ principio tentatus fuerat. Anno autem 1710. IV. Nonas Martii quaſi repente omnino ſuppreſſa eſt. Affinis ejus Medicus clyſteribus, balneis, ſanguinis ex hæmorrhoidibus miſſione, remediis etiam quæ, tunc ſimul adſtrictam, alvum moverent, auxilium afferre ſatagebat; ſed incaſſum. Itaque demum catheterem immitti juſſit: quod non ita difficulter & tum, & poſtea peractum eſt. Singulis autem immiſſionibus ſeptem fere urinæ libræ, etſi modicum quod potaret, daretur, primis quidem diebus ex quo illud cœpit fieri, educebatur. Intermediis; nam dies vixit circiter quindecim; paulo pauciores: ultimis rurſus ad ſeptem. Et primis quidem diebus aliquem ad mingendum ſentiebat ſtimulum, nullum intermediis, rurſus aliquem ultimis. In urinis interdum aliquid ſanguinis conſpectum eſt, interdum quædam parva quaſi membranarum tenuium fruſta. Poſtremis diebus alterius humeri dolor acceſſit: febris penultimo: noviſſimo, cum poſt eductum mane lotium, argentea fiſtula extraheretur, animadverſum eſt, tinctam eſſe; id quod antea acciderat nunquam; haud ſecus ac ſi in vitriolico humore fuiſſet. Eo die ad veſperam inclinante, ecce rigor, & tremor, calente tamen cute; hinc pulſus obſcuratio: quo iterum ſe non ſine intermiſſionibus prodente, alter accidit tremor: hora autem quinta noctis mors. CADAVERIS diſſectioni, rogatus, cum aliis Medicis interfui poſtridie ſub primam noctem, quo tempore ab eo qui medicinam fecerat, a Chirurgo, ab aliiſque, eadem omnibus confirmantibus, ea quæ modo ſunt ſcripta, accepi. Peritonæum vidimus, ad hypogaſtrium præſertim, livens, inteſtina autem ferme ſublivida: in ſummo diſtentæ veſicæ fundo exterius vaſa ſanguine turgida, interiorem tunicam hic illic rubeſcentem: tunicas autem omnes craſſiores multo quam æquum eſſet; itaque vel emiſſo lotio, majorem quam ſolet, magnitudinem veſica retinebat. In eo priuſquam totum emitteretur, grumum non ita parvum animadvertimus libere natantem, qui nihil magis quam ſemilaceram hydatidem, referebat; mihi vero attentius examinanti tenuis polypoſa concretio viſus eſt, quæ membranulas in ſe convolutas, & concidentes mentiretur: ejuſdemmodi autem parva illa fuiſſe fruſta quæ in extracta urina interdum apparuiſſent, ii qui viderant, affirmabant.

Cum igitur cauſam hujus ſuppreſſionis inquireremus; ad imam veſicam ſe ſe obtulit. Proſtata glandula, præter naturam tota extumeſcens, eaque duritie prædita, ut quaſi ex cartilaginis, & ligamenti commiſta ſubſtantia conſtare ſecantibus videretur. Alba erat niſi quod locis quibuſdam, præſertim vero in utraque ſuperficie, a ſtagnante in vaſis ſanguine nigricabat, idque a dextris magis qua ex parte ſcrotum magna diſtendebat enterocele.

14. In hac quæ modo propoſita eſt, ſuppreſſionis cauſa omnes qui aderamus, facile conſenſimus tum quia alias quoque a præſtantibus Viris, ut poſt (*g*) dicetur, eandem inventam, agnitamque fuiſſe, non ignorabamus, tum quia proclive erat intelligere, cum tumor, & durities Proſtatæ incepit, cœptum quoque ægrum eſſe principio aliquo retentionis urinæ tentari, cum vero demum uſque adeo tumor auctus fuerat, ut repentina accedente ſanguinis per eam glandulam, circumque ipſam majori motus tarditate, meatus per eam ductus, non niſi immiſſo catheteris ſolido corpore, ſatis urinæ patere poſſet, hanc amplius nequiiſſe per ſe ſibi exitum aperire. Nec dicas, ſanguinem, adhibitis ad proximas venas hirudinibus, quod auxilium ſupra (*h*) laudavimus, priorem motus celeritatem recuperare, & ſic tumorem imminuere debuiſſe. In pleno ſiquidem ejuſmodi corpore non detracto ante omnia e brachiis ſanguine, multo major hujus copia eo unde arceri oportuiſſet, ob minorem factam reſiſtentiam facile influxit. Mitto quærere, an etiam ob balnea tunc in uſum tracta, & an etiam ſtimulus acceſſerit ab iis præſertim quæ ad alvum ſollicitandam præbebantur. Illud quoque omitto, num ſerius quam decuiſſet, urina educi cœpta ſit, quod præ cæteris, quæ tunc, quippe ſupervacua ægro jam mortuo, ut conſuevimus facere, ſilebamus, vulgo objectum audivimus. Objiciendi cauſa erat quæ hic memoretur non indigna. Acciderat per eos dies, ut quatuor alii Cives præter eum de quo dictum eſt, eodem morbo de improviſo corriperentur, & quod poſtea Halæ Magdeburgicæ vere anni 1730. Cl. Baſſius (*i*) obſervavit *plane inauditum*, ut legitima gonorrhœa epidemice graſſaretur, ſicuti Obſervationibus quatuor prolatis teſtatur, id nos Foro Livii, Urbe non pro eo ac meretur, fuitque olim, incolis nimium affluente, vere anni 1710. in veſicali, ut vocant, iſchuria, cujus quinque proferre poſſemus, intra paucos dies habitas, Obſervationes, non vul-

(*r*) Ibid. Obſ. 8. (*ſ*) Diſſ. 2. cit. (*t*) Cent. Obſ. Fig. 62. (*u*) 78. (*x*) Sect. hac 24. Obſ. 13. §. 2.
(*y*) Ibid. Obſ. 10. §. 6. (*z*) Ibid. Obſ. 8. (*a*) Sect. 25. Obſ. 1. §. 4. (*b*) Ibid. in Schol. ad §. 2. (*c*) n. 43.
(*d*) 82. Sect. 4; & 59. Sect. 7. (*e*) Conſtitut. Epidem. Urb. A. 1691. n. 22. (*f*) n. 6. (*g*) n. 17. (*h*) n. 11.
(*i*) Dec. 4. Obſ. Anat. Chir. 5.

gari exemplo animadverteremus, quas fortaſſe non ita abſimili modo, ac ſuas ille explicavit, magna ex parte explicare liceret. Cum igitur ex quinque noſtris Civibus quatuor, quorum alicui medicinam ipſi feceramus, Civitas evaſiſſe, illum unum cujus diſſectionem legiſti, interiiſſe videret; providentiam cæterorum in catheteris tempeſtiva immiſſione laudabat, Medici de quo loquimur, tarditatem, jure, an injuria? redarguebat. Sed ut aliæ in aliis morbi cauſæ, aliæque corporis, & partium, & urinæ conditione ſunt, ita alia alii Medico in alio ægrotante eſſe eorum quæ cito agit, aut differt, ratio poteſt. Me quidem in meo, facilioribus cito, ſed fruſtra adhibitis, in catheteris uſu celeritatis non pœnituit, quamvis Chirurgo nimia adeo videretur, ut propter exiguam hypogaſtrii tenſionem nihil urinæ in veſica eſſe aſſeveraret. Quem non tam ſigna, quæ aberant, iſchuriæ renalis, & ſigna cætera, quæ aderant, moleſtiſſimæ veſicalis, quam res ipſa continuo refellit. Immiſſa enim fiſtula, lotium eduxit ad libras tres magno cum ægri levamine, mirantis, unde ſibi qui parum bibiſſet, tantum urinæ in veſica eſſet, quippe ignorantis, non raro cum ea ſuppreſſione diabeticam quandam affectionem conjungi, quæ mihi interdum occaſionem præbuit dubitandi, an hæc illius cauſa fuerit, veſicam dormiente homine, ita, & tam celeriter diſtendendo, ut mox in experrecto ſe contrahere amplius non poſset. An vero æger in cujus veſicam Fabricius noſter ab Aquapendente (*k*) ſcribit, tantam lotii copiam, natura criſim moliente, influxiſſe, ut cum illud reddere nequiret, fuerit per catheterem extrahendum, an æger is, inquam, ut meus, dormiret, an, ut ex febre continua, & periculoſa decumbebat, hebetibus eſſet ſenſibus, ſicuti pro certo neſcimus, ita alterutrum licet facile ſuſpicari; neque enim alioquin apparet, cur ex quo urina primum in veſicam paulo copioſius fluere cœperat, non eam reddiderit, & ſic deinceps faciendo, caverit, ne quanta quanta afflueret, omnis in veſica retineretur.

15. Ejus quæ paulo ante dicta eſt utriuſque morbi conjunctionis, diabetis videlicet, atque iſchuriæ, ne apud alios exempla quæras, cujuſmodi in primis eſſet in Sepulchreto illud Hildani quod, ad Senem attinens ſupra (*l*) memoratum, in hanc Sectionem relatum eſt §. 8. Obſervationis X. quæ primo quidem loco proponitur; nam altera, per incuriam eodem numero deſignata, continuo ſuccedit; neve ego alia adjungam recentiſſima, mihique cognita; ſatis eſt hiſtoriam relegas in qua verſamur (*m*). Videbis, ut modicum tunc æger biberet, quanta nihilominus in veſicam deflueret urinæ copia. Piget ejus renes, & jecur non inſpexiſſe. Neque ideo piget quod ex eorum inſpectione ſperaſſem me cauſam aſſequi poſſe illorum quæ in diabete contingunt. Namque ut ſeponam mirabiliora quæ de legitimo narrantur (*n*), quorum aliqua ſine cauto examine accipienda non videntur; non minus certe mirabile eſt quod vel noſtra ætate Venetiis (*o*), & Bononiæ (*p*) conſtat in ſpurio, quem vocant, accidiſſe duabus Virginibus, ut altera intra dies 94. urinæ libras reddiderit 3674. altera intra dies 97. reddiderit libras 4171. cum earum utraque non modo aut parum, aut nihil biberet; ſed quaſi eorum inſtar qui hydrophobia laborant, & ſitiret plurimum, & potionem quamlibet abhorreret. Sane intelligis, quæcunque in renibus, aut in jecinore vitia deprehendantur; Meadius enim (*q*) *ſemper* in hoc viſcere *ſteatomatoſi aliquid*, diſſectis iis qui ex diabete interierant, ab ſe repertum eſſe, teſtatur; certe, inquam, intelligis, non propterea apparere poſſe unde, non dico tanta, ſed vel dimidio minor humoris copia ſit repetenda. Itaque coacti ſunt qui Virginum illarum caſus explicandos ſuſceperunt, idem facere quod & Meadius denique (*r*) diſerte fecit, & facere jam cœperant Medici (*ſ*) ſæculo XV; ut ad aerem confugerent, & multo aptius quam illi Veteres, non ex ipſo aere, ſed ex aqueis particulis in eo natantibus, immanem illam deducerent vim urinæ. Mihi igitur diſplicet ea quæ dixi, viſcera haud examinaſſe, non quod in iis cauſam mirabilium illiuſmodi caſuum, ſed quod diabetis non ita immodici aut cauſæ ex parte, aut effectus potius veſtigia fortaſſe quædam animadvertere potuiſſem. Idque tanto magis diſplicet, quanto pauciores extant denatorum poſt eum morbum diſſectiones. Oſtendit hoc brevitas illius ex proximis Sepulchreti Sectionibus, quæ de eo inſcripta eſt, XXVI. Cæterum de Obſervationibus quæ in ea ſunt haud amplius quinque, tres ſunt quæ renes exhibent aut ambos flaccidiores, aut alterum ſaltem collapſum in ſe, aut pene abſumptum. Cum his conveniunt Obſervationes quas additas non fuiſſe miror, Ruyſchii duæ (*t*); neque enim ſuam tunc vulgaverat, Hoffmannus (*u*). Quæ & ipſa, quamvis ſupponat, diabetem a præcedente lotii in renibus, & ureteribus retentione, provenire, unde ex eo multum in ſanguinem regrediatur, mox, ſublata retentionis cauſa, affatim prodituro; eo tamen redit, ut renum poros ab ea ipſa retentione, & reverſione laxatos ſignificet, cum in quodam Comite qui diabete laboraverat, a dextris & ren duplo magis quam a ſiniſtris, amplificatus, & ureter valde, ac farciminis inſtar dilatatus apparuerit. Ego quoque, ut minime in omnibus explicationem hanc ſequerer, quippe cum in omnibus retentio lotii non præcedat, & copia qua reddunt plures, longe ſuperet quidquid retineri, & in ſanguine redire potuerit, ſic in propoſito a me Viro, aliiſque ſimilibus non difficile ſequar, ut pote qui neque tantum urinæ ſecernant, idque ſecernant poſt retentionem, in eodemque præterea, cum ante iſchuriam multum potare, multumque mingere ſemper ſoleret, vel antea renes laxiores fuiſſe videantur. Quid vero acceſſiſſet vitii ab humore, quem noviſſime cum parum biberet, tanta copia renes tranſmittebant, melius conjicere fortaſſe poſſem, ſi urinas omnes examinaſſem. Nam quod primis, ultimiſque diebus aliquem ad mingendum afferrent ſtimulum, intermediis nullum, facilius a copia eſſe potuit, quam ab illarum natura, quando copia minori erant intermediis diebus, majori autem primis, & ultimis: niſi forte malis, hebetatum a crebra diſtentione fuiſse veſicæ ſenſum, ut intermediis diebus haud amplius afficeretur, donec ob parcum potum, & ingentem humoris vim a ſanguine excluſam, urinæ denique tanto acriores factæ ſint, ut vel hebetem veſicam nonnihil percellerent, quo tempore etiam cœperint aliquam hic illic in ea phlogoſim excitare.

16. Quod ſi ut phlogoſim, eroſionem ullam in veſicæ intima facie conſpexiſsem; minus fortaſſe grumum illum membraniformem examinaſsem, quem, in mortui urina deprehenſum, polypoſam concretionem eſse, cenſui; quippe cum ex lamellis tunc factum credere potuiſsem ex interiore membrana deciduis; neque enim eo tempore controverſia erat, quam annis demum ſuperioribus ortam audivi, num ſine hæmorrhagia non compeſcenda accidere id poſſit. At certe ejuſmodi hæmorrhagia non contigerat in Matrona, a Williſio (*x*) memorata, quæ cum longe ante obitum ex urethra ejeciſset *membranam craſſam atque latam*, *materia ſabuloſa refertam*; e cadaveris ſectione conſtitit, illam *fuiſſe partem tunicæ interioris veſicæ*: ut neque poſtea contigit in fœminis duabus, quæ per eundem meatum amplam membranam ejecerunt,

ab

(*k*) De Chirurg. Operat. ubi de urinæ Suppreſſ. (*l*) n. 9. (*m*) n. 13. (*n*) Vid. ſupra, n. 2.
(*o*) Caſo propoſto da Bartol. Barati a Lodovico Teſti con la Riſpoſta di queſto. (*p*) Comment. de Bonon. Sc. Inſtit. T. 1. ſub tit. Medic.
(*q*) Expoſ. mechan. Venen. Tent. 1. (*r*) Monit. Medic. c. 9. Sect. 2. (*ſ*) Vid. Marc. Donat. c. 27. ſupra ad n. 2. cit.
(*t*) Obſ. addit. ad Dilucid. Valvular. 13. & Cent. Obſ. 13. (*u*) Conſult. Medic. Cent. 2. Caſ. 85.
(*x*) Diff. de Urin. c. 5.

ab Ruyſchio (y), & Boerhaavio (z) perſpectam, harumque alteram *lapillis quaſi conſperſam*. Credibile autem non eſt, tales Viros pro vera membrana *pſeudomembranam* accepiſſe, præſertim cum Ruyſchius multis ante annis qua ratione ars poſſit, non modo natura, pſeudomembranas efficere, docuiſſet (a), ipſeque effeciſſet. Certe autem pſeudomembrana non erat, quippe ſuis vaſis ſanguiferis prædita, quam eadem via ejectam a Viro conſpexerat antea Rouhaultius (b), qui tres dumtaxat ejus portiones ea amplitudine eſſe, comperit, ut internæ veſicæ tunicæ duas ſaltem partes tertias feciſſe, non dubitaret; tantum vero abeſt, ut hæmorrhagia eſſet conjuncta quæ cohiberi non poſſet; lotium ſanguine tinctum apparuit nunquam. Equidem haud contendo, quidquid e veſica exit membranæ forma, veram id eſſe membranam, qui non fuiſſe in meo illo Cive, cenſuerim. Sed hoc volo, eſſe tamen aliquando notas membranarum adeo manifeſtas, ut Exercitatiſſimis, qui examinaverint, Viris, & pro veris habuerint, non ſit repugnandum: nec quia non continuo aſſequimur, qua ratione quædam poſſint abſque graviſſimis, atque adeo lethalibus ſymptomatibus accidere, eo decurrendum eſſe, ut facta negemus. Igitur quæ in ſimili controverſia de abſcedente aliquando interna membrana inteſtinorum alias (c) ſcripſi, tu hic quoque magna ex parte locum habere, exiſtimato.

17. Nunc venio ad ſuppreſſionis cauſam in prætumida illa; prædurataque Proſtata glandula repertam. Hanc cauſam non infrequentem eſſe, ex Obſervationibus eorum didiceram, qui in Sepulchreto laudantur, Riolani videlicet (d), Muralti (e), Dolæi (f), & facile, ut ego intelligo, etiam Reiſelii (g): non dixi aliorum quoque, & in his ejus qui ante cæteros nominandus fuiſſet, Parei (h), quia non magnitudinem tantum, ſed & ſcirrhoſam hic ſpectamus duritiem. Confirmavi poſtea tum auditis, tum lectis aliis, quæ deinceps habitæ ſunt, ejuſdemmodi Obſervationibus. Audivi in duobus mihi probe cognitis hic Patavii honeſtis Viris. Legi autem tum apud alios, tum præſertim apud Cel. Heiſterum (i), & ſi glandulæ auctam dumtaxat molem attendas, etiam apud duos alios Spectatiſſimos Amicos meos, Valliſnerium (k), & Benevolum (l), quibus adjunges Riedlinum (m). Verum non ſemper tota Proſtata eſt tumida. Haud raro ejus tantummodo ſuperior ambitus aut undique, aut certa ex parte ſic excreſcit, & tumet, ut urinæ exitum occludat. Excreſcentis adeo ut id faceret, exempla poſſum, ut puto, ex Sepulchreto indicare: excreſcere autem incipientis plures mihi ſunt Obſervationes: quas, ut parva magnorum morborum initia noſcas, hic illis ordine ſubjicere non gravabor. Senem in hac Sepulchreti Sectione deſcribit Rhodius (n), in quo mictionem fecerat ſenſim difficiliorem, denique autem, muco addito, urinæ viam omnem intercluſerat *ſoli veſicæ orificio appendicula calloſa interius adnata, & verius interior ambitus orificii memaranoſus in articuli magnitudinem excreſcens*. Certe clarius potuit rem deſcribere, ut is pariter a quo Caſauboni, adeo veſicæ morbis vexati, idem orificium in Sectione proxima (o) deſcriptum leges: quam deſcriptionem graves inſuper obſcurant errores typographorum. Sed ſi recte ego quæ uterque viderunt, aſſequor; illius orificii ambitus quam ſumma Proſtata facit, a nimia hujus protuberantia attollebatur. Ejuſdem autem glandulæ ſummum illum ambitum undique excreſcere incipientem in Sene vidi, cujus hiſtoriam, ubi de Febribus ſcribetur (p), ad te mittam. Ad partem vero illius ambitus ſpectaſſe, credo, quæ in Sectione hac (q) ex Gaſſendo proponitur, *ad veſicæ ſphincterem caruncula, calloſave ſubſtantia, quæ inferne lunulata, & triente prope digiti denſa, meatus orificium obſtruebat*. Cujus incipientis carunculæ etſi alias a me exemplum tum in Epiſtola XXXVII. (r) habuiſti, tum in una ex proximis (ſ) es habiturus; placet tamen ut tertium, quippe breve, nec ferme alio attinens, huc addam.

18. AGRICOLA annos natus quinque & ſeptuaginta ex hydrope aſcite in hoc deceſſerat Noſocomio, ineunte A. 1741. quo tempore organa, urinæ, & ſeminis gratia condita, ibi ego Studioſis Adoleſcentibus per anatomen præmonſtrabam. EX CADAVERE igitur ea dumtaxat organa accepta perluſtravi. In quibus cum alia nonnulla minus quidem obvia, ſed tamen haud morboſa, offendiſſem, quæ alias memorabuntur; tum hæc animadverti quæ ad morbos ſpectarent. Cum ſcrotum, ut ſæpius in aſcite, tumeret; aqua plurima erat in Darti cellulis, vix pauca intra Vaginalem utramlibet tunicam: quanquam ex Albuginea qua teſticulum veſtit, corpuſcula exſtarent quæ pro diſruptarum hydatidum reliquiis accipi a me ſolent. Veſicæ autem pariete anteriore ſecundum longitudinem diſciſſo, in oppoſiti ea parte quæ proxima orificio eſt, in ipſoque hujus partis medio ſe obtulit protuberantia ſubrotunda, mediocris uvæ acini magnitudine, intima tunica veſicæ obducta: quam, ratus quod erat, ſcalpello adacto ſimul ipſam, ac contiguam Proſtatam in longum diſſecui, oſtendique, ejuſdem eſſe atque ea glandula, naturæ, cum eaque manifeſtiſſime continuatam, nihilque eſſe dubii, quin, ſi magis excreviſſet, magno urinæ futura fuiſſet impedimento.

19. Si ea quæ ex Sepulchreto exempla indicavimus (t), & id quod ſupra (u) ex Valſalva attulimus, & noſtra omnia attente inſpicias; cuncta in ſenibus fuiſſe, animadvertes: item noſtra omnia in quibus carunculæ initium fuit, hanc in medio ipſo poſteriori interni ſummique glandulæ ambitus excreſcentem obtuliſſe, caſune hæc cuncta, an ſecus, futuræ oſtendent Obſervationes. Interea adjungere huc poteris Senem illum Medicum quem altera ex indicatis (x) apud Valliſnerium Obſervationibus totam quidem Proſtatam habuiſſe tumidam, monſtrat, ſed auctam quaſi lobo quodam ex ſua ipſa glanduloſa ſubſtantia, quæ ad nucis juglandis formam, & magnitudinem intra veſicam aſcendebat non ab anteriore, ſed ab ea parte cui Rectum adjacet inteſtinum. Illa tamen quoque, in Adverſariis (y) memorata, ejuſdem glandulæ ſubrotunda propago, niſi quod ab externo ambitu ſe extollebat, & ſecundum naturam adhuc eſſe viſa eſt, illa, inquam, medium pariter poſteriorem ſummumque locum tenebat. Cæterum hæ quæ præter naturam ſunt, interiores hujus glandulæ excreſcentiæ, non ſimplices ſemper, ſed & duplices nonnunquam ſunt, cujuſmodi illa erant a Thoma Bartholino Patavii deprehenſa, ex *ſubſtantia glanduloſa, & candida* intra veſicam *tubercula bina, forma, & magnitudine teſtium, æqualiter ſe ſupra foramen volventia, quæ cedebant ſyringæ immiſſæ, ſed ſtatim recidebant in priſtinum locum, illa extracta*, quemadmodum in Sectione hac Sepulchreti habes XXIV. (z). Quæ bina tubercula nunquam Terraneus (a) pro Cowperi glandulis, quas ſuas credebat, tumefactis accepiſſet, ſi Bartholinum legens, *in veſica* reperta eſſe, animadvertiſſet. Non legiſſe autem; atque hunc utinam tantum; veriſimile eſt, cum Obſervationum unde unde cogendarum, & tranſcribendarum ſtudioſus, hanc Bartholini haberi, ſcripſerit, *cent.* 1. *hiſt.* 23. quæ cent. habetur 2. hiſt. 52. Verum ſi ea tubercula excreverant, ut eorum natura, color, ſedes indicant, & duo, alias (b) a me tibi deſcripta, proportione oſtendunt; ſi excreverant, inquam, ex Proſtrata glandula; mihi recens quoque exemplum eſt glandulæ hujus in duas intra veſicam carunculas procreſcere incipientis. Quod exemplum quoniam alia de cauſa ad proximam attinet Epiſtolam (c), ad eam differemus. Quæ tanto erit longior, quanto hæc brevior fuit. Vale.

(y) Adverſ. Anat. Dec. 2. n. 9. (z) Vid. Kochii cit. ſupra ad n. 12. Deſcript. in Hiſtoria. (a) Theſ. Anat. 7. n. 39.
(b) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1714. Obſ. Anat. 1. (c) Epiſt 31. n. 20. (d) Sect. hac 24. Obſ. 17. §. 5.
(e) Sect. 25. in Additam. Obſ. 16. (f) Ibid. Obſ. 17. (g) Ibid. Obſ. 18. (h) Sect. ead. Obſ. 1. §. 6.
(i) Inſtit. Chirurg. P. 2. S. 5. c. 44. n. 1. & Diſſ. de Anat. maj. in Chir. neceſſ. c. 1. S. 4. §. 3. an 4. (k) Opere T. 3. S. 3. Oſſ. 21. 22.
(l) Diſſert. 2. (m) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 148. (n) Obſ. 12. §. 3. (o) Obſ. 3. (p) Epiſt. 49. n. 18.
(q) Obſ. 12. §. 10. (r) n. 30. (ſ) Epiſt. 43. n. 24. (t) n. 17. (u) n. 6. (x) ſupra, ad n. 17.
(y) IV. Animad. 14. (z) Obſ. 12. §. 9. (a) De Glandul. c. 5. (b) Epiſt. 39. n. 33. (c) Vid. n. 11.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XLII.

Verba fiunt de Urinæ Difficultate, Ardore, aliiſque ejus vitiis.

Litteras ſcribere aggredior longas, ut pote quibus reliqua omnia quæ ad mictionis vitia ſpectant, a Valſalva, aut a me obſervata complectemur. Ab illo hæc ſunt.

2. EQUES ſex & quadraginta annos natus, pinguis alias, nunc gracilis, & colore ex flavo pallescente, ob multa, & varia in cibis, motu, attentione animi, vigiliis, & venereis rebus errata, ante annos octo multis quoque, & variis incommodis vexari cœperat. Primum omnium ex concubitu cum muliere, venerea lue infecta, gonorrhœa correptus eſt, quam ex arte curatam altera, ex eadem cauſa, excepit multo gravior. Nam ſuper mejendi dolorem, urinæ præter voluntatem excretio, purulentum hujus ſedimentum, ventriculi item dolor, ac vomitiones, quibus nonnunquam vitulinas carnes, ante dies quinque comeſtas, omnino immutatas rejiciebat, moleſta erant vehementer. Remediorum ope ab his omnibus liberatus, poſt aliquod interjectum tempus ex ejuſdemmodi concubitu in tertiam incidit gonorrhœam, ſtipatam ſpaſmodicis in mingendo doloribus, & vigiliis aſſiduis. Ad hæc quidam, condylorum inſtar, tumores acceſſerant intra cavum extremi inteſtini, e quibus ad aliquot hebdomadas, atque adeo menſes ſanguis reddebatur quotidie ad quinque, aut ſex uncias, ut jam æger quotieſcunque ambulare vellet, in animi deliquia incideret. Cui ſanguinis fluxui comes erat diarrhœa, qua modo flava, modo aliter colorata ejiciebantur. Hæc nunc remiſſior, nunc aucta ad mortem uſque perduravit, ut purulentum quoque lotii ſedimentum, & mictio ſæpe cum dolore, fere autem ſemper præter voluntatem: quod ſi lotium ob materiæ tenacitatem pauliſper in veſica ſtagnaret; acerbiſſimum, præſertim dum exitum tentaret, dolorem ciebat. Quæ omnia cum plures annos vexaſſent, pulſuſque celer ſemper eſſet, frequens, & turgidus; alia tamen deerant ſigna quæ febrem adeſſe, confirmarent. Diebus dumtaxat ante obitum circiter quadraginta cum aleæ indulgens, vigilaſſet, ægreque tuliſſet inde factam pecuniarum jacturam, decubuit cum vomitu, & febre, quæ levi cum horrore, & cum gravitate capitis prodibat. Interim auctum eſt urinæ ſedimentum, auctique in mingendo dolores, qui magis ſemper magiſque ſævientes, ſingultum excitarunt. Hic tamen poſt multos dies ſedatus eſt, erumpentibus interea puſtulis circa labra, & veriſimiliter ad fauces quoque, ut pungens ad eas dolor, & deglutiendi difficultas, & viſcidum tenaxque ſputum indicabant. Pruritus inſuper in lumborum cute, qui biennium circiter levis fuerat, nonnullas ante mortem hebdomadas ægrum tum ſæpius, tum vehementius exercebant. Denique redeunte ſingultu, & deficientibus in dies viribus, convulſus obiit.

THORACE recluſo, quoniam ultimis diebus alterum in latus difficilius cubabat; pulmones ſani inventi ſunt, ſi nonnullas excipias lapidoſas concretiones exiguas, & vix dignas quæ adnotarentur.

Ventre autem aperto, renes naturali modo minores conſpecti ſunt, & quadam inſolita figura præditi, plureſque exterius hic illic protuberantias habentes. Hæ diſſectæ ſanioſum oſtenderunt humorem, cui aperta erat in pelvim via. Sed in veſica urinaria, in qua, præſertim circa ejus collum, unanimi plurium Doctorum Virorum conſenſu, radix eſſe morbi exiſtimabatur, nihil uſquam apparuit adnotatione dignum, præter levem quandam abraſionem circa ureterum orificia.

3. Diſſectionem hanc Valſalva inſigni eſſe documento poſſe, nec immerito, cenſebat, ut cauti ſimus in definiendis morbis, ad partes urinarias ſpectantibus, quippe quorum diagnoſis, ſumma etiam arte quæſita, non rariſſime fallax eſt, velut in hoc caſu fuit, & in alio quoque, de quo ipſum mihi in hunc modum narraſſe, memini.

4. QUENDAM urinæ, & partium huic inſervientium vitio laborare, erat omnibus manifeſtum. Sed cum de renibus, aut de regione horum nihil, aut vix quereretur; contra iis ad veſicam doloribus cruciabatur, ut quinque, aut ſex non infimi ſubſellii Medici morbi ſedem in veſica eſſe, non dubitarent. MORTUI diſſectio nihil quidquam mali in veſica; magnos autem, ramoſoſque calculos in renibus oſtendit.

5. Vidi ego hos calculos quos Valſalva apud ſe retinebat. Utraque autem hæc hiſtoria ad memoriam redigit tertiam, quam ex Hardero invenies relatam in Sepulchreti Sectionem, ad argumentum hoc noſtrum ſpectantem, XXV. (*a*). Erat quidem puer trimulus; ſed ut in mingendo ſummum dolorem geſtibus patefaciebat, ſic ad renes, quod legamus, nunquam indicabat. Mitto, huic quoque, ut Equiti illi (*b*), perpetuam fuiſſe diarrhœam, puſtulas non multo ante mortem, convulſiones etiam in morte; horum enim alia in alio eſſe alia de cauſa poſſunt. Hoc attendo, *in veſica nihil præter naturam obſervare licuiſſe;* in rene autem altero non modo incluſas carunculis papillaribus arenulas copioſas, ſed præcipue ante ureteris oſtium fuiſſe *calculum oblongum, acuminatum, ſilicis duritie, membranis tenaciter involutum;* ſive, ut ipſe in Scholio Harderus explicat, *renis membranis tenuiſſimis implicitum*; quas *lancetta ſeparare neceſſe habuit*. Sive igitur a renibus ad veſicam per continuatas ureterum membranas, ut alias (*c*) diximus, irritatio ibi ſenſibilior, ubi deſinit, propagetur, ſive potius in his caſibus arenulæ, aut, quod prima hiſtoria per levem circa ureterum orificia abraſionem indicat, acres materiæ in veſicam deſcendant; ibi ſubſiſtendo ita hanc vellicant, ut dolores, præſertim dum ſe ad mingendum conſtringit, acerbiſſimi oriantur. Acerrima ſane materia e corroſis renibus in veſicam delabens, hanc ita, & proximas partes in viro quodam afficiebat, ut cum dolor in lumbis non ſemper, ut in veſica, perſtaret, *omniaque præſentis* in hac *calculi ſigna* induceret, Medico Cl. Hottingero (*d*) *de* ejuſdem *calculi exiſtentia nullum remaneret dubium*. Cujus tamen calculi in mortui veſica ne veſtigium quidem fuit. Atque ut magis magiſque intelligas, quam facile in dyſuriæ cauſa dignoſcenda errare poſſimus; duarum Matronarum hiſtorias inſpice, alteram a Schrockio (*e*), alteram a Bonfiglio (*f*) ſcriptas. Primam dyſuria torquebat cum teneſmo, doloribus in pube, & urina quaſi lactea; ſecundam dyſuria ab ineunte ætate, cum urina interdum ejuſdemmodi, cui denique *plura fruſtula foliata* adjuncta ſunt, quæ non ſine graviſſimi ponderis ſenſu, dolore, ac ardore extrudebantur. In neutra tamen ulla veſicæ labes inventa eſt; ſed renis alterius in ſecunda, intus vitiati, & ob auctam molem ex ſua ſede prolapſi; in prima autem ingens ſcirrhus qui totam fere pelvim occupans, & veſicæ fundo adnatus,

(*a*) Obſ. 10. (*b*) ſupra, n. 2. (*c*) Epiſt. 40. n. 5. (*d*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 232.
(*e*) Earund. Cent. 1. & 2. Obſ. 186. (*f*) Earund. Cent. 9. Obſ. 4.

natus, hanc ita comprimebat, ut remorati propterea lotii acrimonia lancinaret.

6. Cauſam aliam qua veſica nonnunquam vellicetur, ſolicite Valſalva quæſivit; ſed per diſſectionem nunquam potuit confirmare, vermes dico in ea ſtabulantes. Hos cum urina ejectos, ut ægri quidem, domeſticique credebant, non ſemel ipſi oblatos fuiſſe, ſcio. Eram enim ego Bononiæ cum Vir Generoſiſſimus poſt renum dolores, & deinde punctionum ſenſum in veſica, denique inter mingendum cum pungi urethram ſentiret, e pene cum urina cadere tenue animalculum quoddam vidit, mox autem quid minxiſſet inſpectans, non illud unum, ſed plura in matula cum arenulis conſpexit ejuſdemmodi animalcula, & Valſalvæ, qui Medicus ipſius erat, oſtendit. Dederat is forte aquam in qua ſaxifragæ radix decocta fuerat: itaque ex urina, ut viva erant, eximi, & in ejus aquæ cyathum injici, voluit, acciditque, ut ſtupida inde fieri, & propemodum mortua viderentur. Poſt biduum tamen cum ſtuporem illum diſcuſſiſſent, & in aliam, atque aliam aquam, periculi faciendi cauſa, conjecta eſſent, in quarum ſingulis varia quæ vermibus inimica exiſtimantur, incocta fuerunt, aut agitata; nulla animadverſa eſt quæ ſic noceret, præter unam in qua cum ea cocta eſſent quæ arenulas expellunt, tum agitatum fuerat argentum vivum. Erant ea animalcula nigra, & exilibus ſcarabæis quadantenus ſimilia: quæ res Valſalvam denique permovit, ut diligenter inquiri juberet, num alia ejuſcemodi in ægri cubiculo, aut ubi matulæ aſſervabantur, invenirentur. Cum inventa eſſent; experimentorum finem fecit: neque tamen illam primam ſuſpicionem omnino depoſuiſſe videbatur, præſertim cum ipſi animalcula oblata ſunt alia, quæ ab alio cum ſabuloſa materia mixta dicebantur. Quorum unum etſi mihi oſtendit, & ad vivum, microſcopii etiam adjumento, delineandum curavit; tamen de iis nihil dicam, quando hinc Alghiſius in epiſtola ad Valliſnerium (*g*) quid ſentiret, adjuncta ſimul imagine eorum, expoſuit, & ex hac Valliſnerius ſuſpicari ſe poſſe, credidit, vermes fuiſſe parvorum quorundam ſcarabæorum, in trabibus nidulantium, ex lacunaribus in matulam forte delapſos; ſic enim ad me ſcripſit pridie Nonas Aprilis A. 1711. Poſtea vero idem Valliſnerius in Adnotatione (*h*) ad Alghiſii Epiſtolam videtur cœpiſſe permoveri, ut minimos quoſdam, & pene inviſibiles vermes, quos in urina tunc videbat viri cui medebatur, intra ejus corpus gigni potuiſſe, non pernegaret. Quando igitur hæc ita ſunt, nec Valliſnerius, quod ſciam, quidquam poſtea pro certo conſtituit de iis vermibus, præſtat, ut nos quoque aſſenſum interea ſuſtineamus, donec certiora aut caſus offerat, aut ſolertia Viri alicujus in hiſtoria inſectorum longe verſatiſſimi, qualis hoc tempore eſt Cel. Reaumurius, deprehendat. Cujus hiſtoriæ quanto magis ætate noſtra provectum eſt ſtudium, tanto magis cautos reddidit Medicos in iſtiuſmodi Obſervationibus accipiendis. Vide enim, exempli gratia, quot ab Joanne Rhodio (*i*), & ab Dominico de Marinis (*k*) recenſeantur. Ex tanto vermium numero qui per urethram ejecti olim proponebantur, alios hoc tempore nihil aliud eſſe quam vermiformes polypoſas concretiones, ſtatim cognoſceremus, alios veros quidem eſſe vermes, ſed extrinſecus, non ex urethra, in matulas illapſos, quippe ex iis qui intra corpus noſtrum gigni non queunt, nec vivere, aut ſi revera ex urethra exierint, non in urinariis partibus, ſed in pertuſis inteſtinis genitos, indeque in veſicam, aut urethram, viis per abſceſſus præſertim, & fiſtulas apertis, prorepentes. Cujus noviſſimi generis exemplum indicat Valliſnerius (*l*), alterumque proprium narrat Alghiſius (*m*), quod per anatomen poſtea melius novit, & penitus confirmavit (*n*). Habes quidem etiam in Sepulchreto (*o*) non unum exemplum ejuſmodi perforationum; quibus in ægris ſi teretes lumbrici, aut aſcarides per urethram prodiiſſent; nihil fuiſſet admiratione dignum. Sed cum in Sectione hac XXV. (*p*) legis, poſt binos emictos aſcarides mortui hominis anatomen, in ejuſque exulcerata veſica unum deprehenſum vermiculum *quales in putridis carnibus reperiuntur*; hæreas neceſſe eſt, dubitans, num ex eo ulcere cuniculus aliquis, minime animadverſus, ad Rectum pertineret inteſtinum, unde aſcarides in veſicam tranſiiſſent, an potius aſcarides illi etſi *vivi ſalientes in ipſa penis glande reptantes* ab ægro inventi fuerant; non tamen ex urethra, ſed ex ano cum recrementorum parte aliqua prodiiſſent, ſicque ad penem prorepſiſſent. Quod vero ad vermiculum illum attinet longe alterius generis, qui in veſicæ ulcere inventus eſt; ſi verus tamen vermiculus fuit, & ſi verus fuit, non illuc forte cum ſpongiis, aut aliter illatus; arbitrari poteris, a matre muſca editum prope urethræ externum orificium, putrido ichore infectum, per hoc in veſicam uſque reptaſſe mortui quidem; non viventis. Neque enim veſicæ ſphincter, niſi omnino laxatus, aditum in veſicam permiſiſſet, neque homo, niſi omnino ſenſu carens, reptantis per urethram motum, indeque ſtimulum non ſenſiſſet ad mingendum, ſicque cum urina protinus vermiculum, vix urethram ingreſſum, ejeciſſet: quod Ruyſchium (*q*) miror non ſatis attendiſſe, cum vermiculos cenſuit e latrinis per urethram ad veſicæ uſque collum prorepere poſſe, ibique hærere donec nympharum formam; qua in re gravis altera, Valliſnerio (*r*) judice, ſe ſe objicit difficultas, adipiſcantur.

7. Quid igitur? inquies, tot inter exempla quot Georgius Francus (*ſ*), Roſinus Lentilius (*t*), Mich. Fr. Lochnerus (*u*) connumerarunt, quædam ſaltem non occurrunt quæ omnem eximant dubitationem? Non vacat ſingula examinare. Sed hoc tamen poſſumus dicere, eorum plura eſſe eadem ac illa quæ antea fuerant propoſita, & cum omnia lecta fuerint a Valliſnerio; erant enim ea Volumina quibus enumerationes iſtæ continentur, multis ante ejus obitum annis edita, & ab ipſo verſata; eundem tamen nullum, quod ſciamus, exemplum inveniſſe, propter quod ſententiam ſibi crederet omnino mutandam. Non fidem ille eorum qui ſcripſerant, vocabat in dubium; ſed majorem in aliis ſagacitatem, in aliis diligentiam, in aliis ſuſpicandi, dubitandique ſapientem morem deſiderabat, ut niſi quæ præceſſerant, comitabantur, ſubſequebantur, omnia conſideraſſent, ne ſatis crederent eſſe quæſitum. Poſt ejus mortem prodierunt exempla alia, quorum aliquod cum ipſo communicatum fuiſſe, apparet. Illa autem certe legiſſe non potuit quæ in Commercio extant Litterario (*x*). At ſi potuiſſet; plurimum quidem, id quod ipſe facio, Illuſtribus, & omni ex parte ſuſpiciendis Obſervatoribus detuliſſet; optaſſet tamen fortaſſis, ne fere omnia in ſexu contigiſſent ad fallendum prono, quod illorum aliquis non diſſimulat, itemque ut in nonnullis vermes fuiſſent deſcripti, in aliis vivi revera conſpecti eſſent, in quibuſdam ne tum deſcriptio, tum pictura polypoſarum concretionum ſuſpicionem injicerent. Noſti enim, quam ipſe eſſet vel in propriis Obſervationibus habendis ſuſpicax, &, ſi vis, difficilis. Attamen in alienis dijudicandis ſuæ cautæ moroſitatis aſſeclas habuit Danielem Clericum (*y*), ipſumque

(*g*) quam Vid. Tom. 1. hujus Operum P. 5. (*h*) Ibid. (*i*) Cent. 3. Obſ. Med. 35. & 36.
(*k*) Diſſert. de re monſtr. a Capucc. & cæt. (*l*) Adnot. cit. (*m*) loc. cit. (*n*) Vid. Benevoli Oſſerv. 8.
(*o*) Sect. 27. l. 3. Obſ. 1. (*p*) in Additam. Obſ. 20. (*q*) Theſ. Anat. 1. in fine. (*r*) Adnot. cit.
(*ſ*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 2. (*t*) Earund Cent. 1. & 2. Append. n. 11. ad Obſ. 14. (*u*) Earund. Cent. 8. Obſ. 99.
(*x*) A. 1731. Spec. 27. n. 5; & A. 1734. Hebd. 39. poſt n. 4; & A. 1735. Hebd. 36. n. 3; & A. 1743. Hebd. 49. n. 3; ut omittatur A. 1745. Hebd. 4. n. 2. & cæt. (*y*) Hiſt. Lat. Lumbric. c. 13. ubi de vermib. cum urina excret.

que Lochnerum (*z*) ; hujuſque Amicum Godofr. Thomaſium (*a*) . At enim , inquis , aliquos hi excipiunt de tot , qui per urethram dicuntur emiſſi , vermibus . Nec ego omnes præfracte pernego . Aliquem dumtaxat expecto qui ſuis luculentioribus exemplis nonnullas in quibus minus hæreo , Obſervationes confirmet . Quæ ſi tibi forte videntur extra omnem dubitationem poſitæ ; per me accipias , licet , dummodo fatearis , crebras adeo , & propemodum innumeras illas quæ traditæ fuerant , nunc ad raras , paucaſque redire . Idque eo magis apparebit , ſi quæ per anatomen examinatæ ſunt hactenus , ſpectare voluerimus . Quid magis lumbricum referebat , quam a Cl. Kellnero (*b*) deſcriptus , ex urethra poſt atrociſſimos urinariarum partium dolores ejectus ? Inſtituto autem accuratiori examine , nil aliud eſſe , quam cruorem coagulatum , & tenui quaſi tunica cinctum , ipſe deprehendit id quod pro lumbrico habitum fuerat . Sed & ii quorum bene multos per eandem viam reddebat Vir ampliſſimus , teretes inteſtinorum lumbricos , ſicut exacta Thomaſii (*c*) deſcriptio oſtendit , *plene planeque referebant* , ut *rumor inſolitæ rei dicto citius per urbem diffunderetur*. Quorum in mortuo nidus cum fruſtra in cæteris urinæ cauſa creatis partibus eſſet perquiſitus; demum ex renis ſiniſtri, ejuſque ureteris conſtitutione intellectum eſt, haud aliud fuiſſe , quam fæculenti , viſcidique ſanguinis, in illis meatibus eam in formam coacti, inanimes concretiones . Cum veri autem lumbrici ex veſica prodierunt; anatome Alghiſium docuit, ut ſupra (*d*) diximus, docuitque indicatum a Valliſnerio alterum, nempe Cl. Reinholdum Wagnerum (*e*), per quas vias illuc ex inteſtinis perveniſſent.
Sed jam a dubia , aut certe perrara dyſuriæ cauſa , nimirum vermibus genitis in urinariis organis , ad manifeſtam, creberrimamque tranſeamus , ſcilicet ad lapidem veſicæ : quanquam de duabus quas , haud amplius , in Valſalvæ ſchedis invenimus , eo morbo affectorum diſſectionibus cum alteram , quippe ad apoplexiam magis ſpectantem , alias (*f*) perſcripſerimus ; una tantum ſupereſt , ſimul ad veſicæ calculos attinens , ſimul ad infelicem eorum excisionem .

8. P U E R novennis ex calculo veſicæ jam ſexennium laborabat . Per intervalla multum vexabatur . Urinam crebro præter voluntatem reddebat , cum filamentis quibuſdam , naturali tamen colore , niſi quando a nimio interdum motu fiebat ſanguinolenta . Calculus digito , per anum immiſſo , modo percipi poterat , modo non poterat. Quem Lithotomus cum extrahendum ſuſcepiſſet , poſtquam diu puerum vexavit , magna vi parvum lapidem eduxit . Cum vero ineſſe alterum , ſenſiſſet ; rurſus puerum adeo torſit , ut in illis cruciatibus ſuffocari ſe , diceret : tandem fracti lapidis portionem extraxit . Vix horæ dimidium elapſum erat , cum vomere puer cœpit , aſſidue querens de ingenti dolore in ventris parte infima . His acceſſit abdominis levis tumor , febriſque cum magna ſiti , aliqua ſpirandi difficultate , & totius corporis jactatione . Itaque obiit una & vigeſima poſt eductos calculos exacta hora . V E N T R E aperto , veſica cum circumjectis membranis inflammata deprehenſa eſt , & circa cervicem ab anteriore parte dilacerata . In ejus cavo dimidium ſecundi lapidis relictum erat.

9. Lithotomi aut imperitia , aut temeritas excuſari hic profecto non poteſt . Neque hoc eo dico , quod digito in anum demiſſo , calculos modo percipere poſſet , modo non poſſet : qua de re mox (*g*) videbimus . Sed eo dico , quod non ſatis viam extrahendo calculo patefecerit , neceſſe eſt , quoniam magna vi parvum lapidem eduxit : quamobrem cum pernicie id accidit quod Celſus (*h*) monuit , ut *calculus iter , cum vi promitur , faciat , niſi accipiat*, ſicque etſi in pueris facilius partes dilatationi cedunt , quæ una ex cauſis eſt , cur felicior plerumque in ipſis ſit lithotomia ; huic tamen veſica eſt circa cervicem dilacerata . Huc adde vexationem tam diuturnam , & tantam , & calculi alterius , quem magnum fuiſſe , non legimus , diffractionem , minime , ſi via ſatis patefacta eſſet, fortaſſe neceſſariam , ſine neceſſitate autem ſemper fugiendam , ne aut forceps interceptam , aut diſſilientia circumjectam interiorem veſicæ tunicam lædant , aut dum longa perquiſitione indagantur, & protrahuntur, lædendi occaſionem afferant , aut denique nequod ipſorum forte intus relictum , novo calculo initium præbeat . Quod ſi iſtiuſmodi lithotomo , ejuſque ſimilibus interdixiſſet Hippocrates, ne *calculo laborantes ſecarent* ; non eſſet adeo vexatus hic ejus locus ex libello qui *Juſjurandum* inſcribitur. Ille vero id ſuis prohibuit Diſcipulis, imperavitque , ut *viris chirurgiæ operariis ejus rei faciendæ locum darent* ; num quod Chirurgiam dedecere Medicum cenſeret? quaſi ipſe non eſſet plurimum in ea exercenda verſatus; an ne illorum qui unice eſſent in ſingularum partium morbis curandis exercitati , obtrectationi exponeret ſuos? crederem, ſi præter hunc unum , in aliis quoque certarum quarundam partium morbis idem faciendum præcepiſſet . Cur igitur hanc unam curationem excepit ? Illuc inclinat animus, ut cum iis potius faciamus qui exceptam credunt, ut graviſſimo inter cæteras illas periculo obnoxiam eo tempore præſertim quo necdum, ut hoc, tot monita, & præceptiones , & inſtrumenta, acceſſerant , per quæ ad perfectionem proxime adduceretur. Sed ad lithotomum illum de quo cœptum erat dici , redeamus.

10. Quod is , digito in podicem immiſſo , modo calculos ſentiret , modo non ſentiret , multiplex eſſe ejus rei cauſa poteſt : nec minus peritis , quam imperitis exploratoribus id ſæpenumero accidit . Periti͏ſſimus is certe erat , & eſt Vir Cl. Jo. Antonius Gallus Medicus , & Chirurgus in primis laudatus , qui annis ſuperioribus Bononia accerſitus Faventiam fuerat eodem tempore quo ego ex mea , ubi forte tunc eram , Patria ad non vulgarem Virum , pleriſque eorum ſignorum affectum quæ veſicæ lapidem comitantur . Digito ille immiſſo , calculum quem antea perceperat , eo tempore nuſquam potuit invenire . Nec tamen propterea nullum eſſe , concluſimus , cum ſigna illa perſtarent . Imo ne poſtea quidem , cum viderentur evanuiſſe . Ab ægro enim , menſe circiter elapſo ab eo die , certior factus ſum , cum podagra , cui olim fuiſſet obnoxius , dein vero a longo tempore amplius non erat , tunc ſibi repente rediiſſet , omnia ſimul abiiſſe veſicæ incommoda , itaque non dubitare , quin ego in ſuam , uti optabat , ſententiam tranſirem , non a calculo , ſed ab arthritica , veſicam irritante , materia fuiſſe ea de quibus , cum adeſſem , uſque adeo conqueſtus fuerat . Ego vero conſtanter reſpondi , quemadmodum ex illis de quibus antea conquerebatur , non pronunciaveram , calculo ipſum pro certo laborare , quia catheterem unde indubium ex ſonitu ſignum fortaſſe extitiſſet , admittere noluerat ; ſic neque ex illorum obſcuratione , quæ lotio fortaſſe ob irritantes particulas , alibi tunc ſubſiſtentes , minus acri facto deberetur, poſſe me pro certo negare , calculum ineſſe , ne ſi cathetere quidem admiſſo nullus perciperetur ſonitus . Neque enim ingnorabam , aliquos , me adſtante , lithotomos , imo Cheſeldenum ipſum (*i*) vel ter immiſſo cathetere lapidem , qui tamen inerat , percipere non potuiſſe . Et revera mihi Patavium regreſſo , nomine ægri ſignificatum eſt, cum reverſa priora incommoda ferre amplius nequiret, ſibi calculum, cathetere perceptum, feliciter excidendum curaſſe . Sane etiam Experientiſſimus Vir Morandus (*k*) hoc atti-

(*z*) Obſ. 99. cit. (*a*) Obſ. 100. ſeq. (*b*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 75. (*c*) Obſ. cit. 100. (*d*) n. 6.
(*e*) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 170. (*f*) Epiſt. 4. n. 2. (*g*) n. 10. (*h*) De Medic. l. 7. c. 26. S. 2.
(*i*) Vid. Morand. Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1740. (*k*) Ibid.

attigit, veſicæ a calculo dolores interquieſcere plures aliquando menſes, imo & annos: & ipſe in præcedentibus Sepulchreti Sectionibus habes ex Tulpio (*l*), & Naſio (*m*) exempla eorum, quorum alteri *integrum quinquennium*, alteri a *pueritia* ad *annum ætatis* 35. aut fere nihil, aut nihil ſupererat ex moleſtiſſimis, quibus antea conflictati fuerant, calculorum qui ingentes inerant, veſicæ ſignis; ut horum primus non ſecus ac Faventinus noſter, crederet, ſibi calculum fuiſſe nunquam. Alios prætereo, qui, nulla unquam de hoc morbo querela emiſſa, cum decrepiti obiiſſent, aut magnos, aut plures calculos in veſica, mirantibus omnibus, habuerunt: ad quorum hiſtorias tres, pariter in Sepulchreto (*n*) deſcriptas, addere alias poſſem, & nominatim ex Alghiſio duas (*o*), quarum altera, ob perforatum in medio lapidem, ſimilis eſt illarum tertiæ, quæ Loſſium auctorem habet. Et mihi A. 1752. in Gymnaſio Anatomen docenti, a ſpectato Pharmacopola, cujus taberna Gymnaſio ſubeſt, perforatus lapis, coram pluribus, oblatus eſt, ejus qui ab Alghiſio pingitur (*p*), ſimilis, niſi quod foramine erat paulo anguſtiori. Exiiſſe, dicebat, ſuperioribus diebus nulla alia ope quam naturæ, & manus fœminæ ipſius in cujus veſica concreverat. Concreviſſe autem, conjeci, & illum, & ſiqui alii ſunt, præter Alghiſianum, annuli forma, in veſicæ infima parte ubi circum urethræ orificium ſic aliquando ſumma Proſtata, aut in ſequiore ſexu glandoſum, quod vocant, corpus intra veſicam undique prominet, ut proximi hujus parietes circumcirca ſubſidant. Quæ prominentia, & quod conſequitur, ſubſidentia, etſi in corporibus ſaniſſimis, ut alibi (*q*) ſcripſi, levis, & vix ulla mihi ſe obtulit; nihil tamen prohibet in nonnullis aliis eſſe aliquanto majorem. Reſtitantes igitur ex ultimis urinæ guttis ſabuloſæ, & viſcidæ particulæ nonnunquam poſſunt in iis qui utriſque abundant, in illa ſubſidentia paulatim concreſcere, & tanquam in forma quadam, annularem ex ipſa figuram accipere, ibique augeri, & ſubſiſtere, donec inſolitus corporis ſitus, aut motus, aut cauſa alia aliqua inde dimoveat atque erigat, & in urethram, quæ latior, & dilatabilis fœminis obtigit, forte compellat, ut huic accidit, eoque facilius, quod lapidis ambitus ad ellypſim accedebat, cujus alterum extremum paulo eſſet anguſtius. Virgo erat, & annos nata octoginta duos, neque ulla unquam noxa, aut moleſto ſenſu admonita, ſe veſicæ calculo laborare, niſi quod tenuiore quam antea, filo urinam ſe reddere, animadverterat; donec calculus in urethram illapſus, dolores ex improviſo concivit, hique ad eos expellendi conatus adegere, ut intra horæ dimidium jam promineret, digitiſque apprehendi, & continuo eximi potuerit, nullo, ut qui hæc narraverat omnia, affirmabat, relicto incommodo. Nec tamen foramen, quamvis urinam tranſmittat, cæteras ſemper arcet moleſtias, neque arcebat certe in lapide rotundo & lævi, ejuſdemque ponderis ac Loſſianus in Mercatore cujus hiſtoriam omnino dignam quæ in Sepulchretum relata eſſet, & Patavii, & Norimbergæ eodem ferme tempore edendam curavit Carolus Patinus (*r*), & ne forte credas, id accidiſſe propterea quod canalis non in medio, ſed per anteriorem eſſet lapidis partem excavatus; primum aſpice in Actis Eruditorum Lipſienſibus (*ſ*) immanem lapidem, a quo *præter dolorem quendam gravativum in regione inguinali*, *vix quicquam mali ſenſerat octuagenarius ſenex*, *quoniam urina ad veſicam translata*, *per canalem* in lapidis ſuperficie *efformatum*, *ex ureteribus ſtatim ad cervicem veſicæ fluebat*. Contra autem vide in Actis (*t*) Cæſareæ Academiæ quid alter pertulerit, quamvis per faciem calculi in veſicæ collo hærentis *ſinus quidam excavati* eſſent, quos *meatuum inſtar* per quos exiret, *lotium apertos ſibi conſervaverat*. Quin etiam ne tantum tribuas viæ per medios calculos relictæ; lege apud Contolum (*u*) Cardinalis Franzolii diſſectionem, qui per exactam quidem vivendi normam triginta ferme annorum ſpatio ſervatus, ad octogeſimum ſextum pervenit, ſed *toties* fuit *calculoſis atque urinæ paſſionibus divexatus*, licet veſicæ calculi *ſimul combinati circulum repræſentarent*, rimam *per quam tranſibat urina*, ſicuti pictura monſtrat, inter ſe relinquentes. Tum denique accipe quod ex Valliſnerio audivi. Patavii ex Nobili Gente Mantua cui ipſe intimus erat, Vir fuit, pleriſque morbi de quo loquimur, indiciis adeo & tandiu vexatus, ut ſi ad illa impedimentum unquam aliquod in mingendo acceſſiſſet, Medici omnes pariter in eo conſenſuri eſſent, ut veſicæ calculo teneri, pronunciarent. Sed plures ideo in alia ſententia erant, quod ſemper vel cum ſtans mingeret, ſine ullo obice lotium reddebat. Mortui, ut vivens juſſerat, veſica introſpecta, calculi in hac tres inventi ſunt læves, & ſubrotundi, & ob hanc ipſam figuram triangulare inter ſe juxta poſitos foramen relinquentes: itaque etſi per medium urina tranſibat, etſi calculi erant ea figura, atque lævore, unde in aliis repetitum fuiſſe, video, cur moleſtia ægros non afficerent; huic certe, ut Patini quoque Mercatori, plura, nec levia attulerant incommoda. Sed hos caſus, quos poſt duos illos primos indicavimus, Tulpii, & Naſii, comparationis dumtaxat cauſa memoravimus, quod ſive eſſent cum ægrorum moleſtia, ſive non eſſent, in his tamen fere omnibus cathetere immiſſo deprehendi calculi potuiſſent, non in duobus illis primis, quippe non obvii, ſed in diverticulo veſicæ conditi, ad hujus latera efformato: de cujus origine diverticuli erit infra (*x*) aptior dicendi locus. Hic vero attigiſſe ſatis eſt, ut vel hinc quæ ægris poſſint, & quæ lithotomis deceptiones oriri, intelligas, ſi qui antea in veſica erant, in ejuſmodi forte ſacculum recedant calculi, unde poſſint iterum pro vario ægri poſitu, & motu in veſicam redire. Accidet enim non modo ut de pluribus lithotomis alius percipiat, alius non percipiat, verum etiam ut idem lithotomus alio tempore: æger vero qui antea ex lapidis pondere, ſubjectum inteſtinum duri inſtar ſcybali urgente, de teneſmo querebatur, conſtringente autem ſe inter mingendum veſica a lapidis aſperitate dolores, ab eodemque ſe urinæ curſui opponente importunum obicem ſentiebat; ubi lapis in ſacculum diverterit, ab his omnibus aliiſque ejuſcemodi jam liber omnino ſibi, ac ſolutus morbo videbitur. Sed de calculis inferius plura. Hinc enim ſi ad meas eodem ſubjiciendas ordine quo Valſalvæ retuli Obſervationes eſt tranſeundum; ab ea incipiam oportet quæ ad dyſuriam ſpectet ab renum præſertim vitio inductam. Ejuſmodi autem eſt quam tibi in extrema ſuperiore Epiſtola (*y*) pollicitus ſum.

11. VIR annos natus ad ſexaginta ob ſeroſum infarctum femoris, & genu ſiniſtri menſes aliquot in hoc cubuerat Noſocomio: nec poſteaquam diſcuſſus ille fuerat, domum abierat, retentus primum alvi fluxu, poſt hunc autem levi alterius oculi inflammatione, denique cum hæc quoque manendi cauſa ſublata eſſet, reſtitabat tamen ob inopiam eo majorem, quod multi homo erat cibi, ut iis non contentus quæ convaleſcentibus offeruntur, plura poſceret. Hunc igitur ibi inter comedendum illico repentina mors ſuſtulit ſine ullis ſyncopes, aut ſuffocationis indiciis. Sed neque mora in Noſocomio tam diuturna ſignum unquam dederat vel leviter affecti thoracis, aut cerebri: vixque, cum omnia inquirerem, a famulis accepi, auditum eſſe aliquando de urinæ acrimonia conquerentem. Cujus origi-

(*l*) Sect. 24. Obſ. 8. (*m*) Sect. 23. Obſ. 7. §. 4. (*n*) Ibid. §. 5. & 7. & Sect. 24. Obſ. 9. (*o*) Litotom. c. 4.
(*p*) Tab. 3. Fig. 9. (*q*) Adverſ. 3. Animad. 41. (*r*) Vid. in Lyceo Patav. ejus Vitam, & Eph. N. C. Dec. 2. A. 1. Obſ. 19.
(*ſ*) A. 1685. Tab. 5. (*t*) Tom. 4. Obſ. 49. (*u*) De Lapidib. c. 23. & in calce libri. (*x*) n. 30.
(*y*) n. 19.

originem acrimoniæ cum tanto manifeſtiorem in cadavere deprehenderim, quanto improviſi interitus obſcuriorem; idcirco hoc potius quam alio loco, narranda tibi cenſui quæcunque vidi ſexto circiter a morte die; neque enim ob eas cauſas quas hic attingere neceſſe non eſt, potui citius: frigore tamen, quippe medio jam Decembri A. 1749. ita cadaver ſervatum erat, ut cum inteſtina, & meſenterium pridie quam adirem, detraherentur, non modo nihil vitii oſtenderent, verum ne gravius quidem olerent. Sed cætera quæ vidimus, facto initio a capite, ſic habeto. CEREBRI hemiſphærium ſiniſtrum, ut exterius plures habuit vaſorum truncos ex iis quæ per Tenuem meningem repunt, ſanguine turgidos, ſic in ſubjecto ventriculo aquam oſtendit ſubturbidam non magna quidem copia, ſed multo majori quam in dextero, in utroque autem Choroides plexus pallentes. Et cum medullaris cerebri ſubſtantia eſſet ſubdura; cerebellum laxiſſimum fuit. In Thorace pulmonis pariter ſiniſtri poſterior facies arcte cum pleura cohærebat: ejuſque, & dexteri crepidines late veſiculas oſtendebant ſuas aere diſtentas. Cæterum neque arteria Aſpera, neque larynx, interius quoque perſpectæ, quidquam vitii habebant, ut neque Magna vaſa, nec cor ipſum: in quo nihil polypoſi fuit. Aqua turbida intra pericardium non multa; in utroque autem thoracis cavo, ut in ventre quoque, pauca adeo, ut omnis uncias aliquot non excederet. Venter denique; ſi genitales quaſdam, & urinarias præſertim Partes, & arterias aliquot excipias; cæteras exhibuit ferme intra naturæ modum; jecur enim, & ventriculus, comeſtis & epotis ſemiplenus, æquo apparuerunt aliquanto grandiora. Sed Magnæ arteriæ truncus lumborum vertebris inſidens, alba oſſium alicubi habuit inchoamenta, quæ & rami habebant, quin & verum os, ſicut ibi præſertim deprehendi ubi ſe Iliaca dextera bifariam dividebat. Quod vero ad genitales attinet Partes, teſticulus dexter triplo erat major quam ſiniſter. Sed hoc fortaſſe a natura; uterque enim ſectus repertus eſt ſanus. Illud a morbo, quod ex utriuſque Albuginea tunica, eodemque utrobique loco corpuſculum pendebat exiguum, ſubrotundum, &, cum ea tunica albicaret, rubellum, prægreſſæ hydatidis, ut opinor, reliquiæ; quanquam nihil aquæ erat intra tunicam Vaginalem. Renis tandem utriuſque ſtructura intima confuſa apparuit: neque deerant parvæ cellulæ humoris plenæ, quarum aliqua; nam cæteræ aliquanto interiores latebant; ex parte ſe in ſuperficie oſtendebat. Pelvis utraque poſtquam e renibus æquo amplior deſcenderat ad digitos traſverſos duos, in ureterem ſe contrahebat. Ureteres autem medio fere curſu abſoluto, fiebant latiores, ſiniſter præſertim, qui & longior ob flexus erat. In utroque, ſi exterius contrectares, mediocres calculos quibuſdam, ſed raris, locis contineri, crederes. Aperiendo autem, in ſingulis iis locis hydatides ſingulas deprehendimus, quaſdam rotundas, alias ovales, ex intima tunica in ureteris cavum, neque per petiolum tamen, pendulas. Rotundæ minutiorum uvarum æquabant acinos; ovales erant ſecundum longitudinem duplo quam illæ, majores. Ureteres craſſioribus conſtabant tunicis, quarum intima rubedine perpetua inficiebatur: oblongioribus autem in veſica hiabant orificiis. Hæc eam continebat urinæ copiam, ut in ſupino cadaveris poſitu ad imam ſe extenderet lumborum vertebram. Quin etiam ubi, urina detruſa, aere immiſſo diſtenta eſt, etſi ad eam accedebat formam quæ a me alibi (z) propoſita fuit; non paulo tamen erat quam ſoleat, longior: cæterum nec craſſiores habebat tunicas, neque uſquam intus rubebat, quo colore ne urethra quidem erat infecta. Illud demum quod ſuperiore Epiſtola (a) promiſi, non eſt omittendum. Ex ora poſteriore ejus orificii a quo urethra incipit, duæ inter ſe contiguæ protuberabant intra veſicam albæ, duræ, hemiſphericæ; modicæ; ac paris magnitudinis prominentiæ: quas ſimul cum ſubjecta Proſtata glandula ſecundum longitudinem perſecans, ei continuatas, ex eademque ſubſtantia factas deprehendi: & quanquam Proſtatæ pars aliqua non ea erat albedine, ac duritie; reliqua tamen, & præſertim quæ utrinque ab lateribus Seminalis carunculæ aſcendebat, haud alia erat, quam illius in quam ſe producebat, geminæ prominentiæ; ut ſi hæ ſcirrhoſæ erant, non minus ſcirrhoſa Proſtatæ quoque pars maxima videretur.

12. Cætera quæ in ejuſdem cadaveris cerebro, corde, aliiſque viſceribus, in ejuſque vaſis diligenter perſectis oſtendi, non ſunt hujus loci propterea quod ſecundum naturam ſe habebant. Quæ cum ita eſſent; tam repentinæ mortis cauſam non licuit, niſi in vehementiſſima quadam Tenuis meningis convulſione ſuſpicari, quippe ſero quod diuturna in femore ſtagnatio acrius fortaſſe reddiderat, non ſatis per alvum egeſto; itaque oculi primum, denique cerebri membranas ſumma cum hominis pernicie adorto. Querelæ autem de urinæ acrimonia multo antiquiores, opinor, fuerant, quam femoris infarctus: illarum certe origo fuiſſe videbitur longinqui temporis, ſi renum, ureterum, veſicæ conſtitutionem ſpectaveris. Calculi olim fortaſſe eas omnes partes male habuerant, renes ortu, & incremento, mora autem varia in ureteribus, & veſica, renes iterum, pelves autem, & partes cæteras quæ modo dicebantur, lædentes, pleraſque autem retento lotio amplificantes, & ureteribus inſuper noxam peculiarem, quam in iis alias vidiſſe non memini, internarum hydatidum afferentes, quæ & morari ipſæ urinam, & vel ſine calculis pleraque eorum feciſſe, aut ſaltem auxiſſe poterant quæ modo a calculis repetebamus. Sed quæcunque fuerit cauſa quæ has læſiones importaverit; ab ejuſmodi certe renibus non mirum eſt, æquo acrius lotium deſtillaſſe; aut ab ejuſmodi ureterum glandulis pro humore idoneo ad illos adverſus lotii ſalinas particulas obliniendos, aut acrem debuiſſe, aut nullum amplius ſecerni potuiſſe. Ab utralibet enim cauſa repetas licet, cur toti pro nativa albedine intus ruberent, ad veſicamque urinam mitterent in ipſis aut acriorem factam, aut ſaltem demulcente illo additamento non temperatam. Quæ preſſius hic attigimus, magis probabis, ſi Amicorum noſtrorum Clariſſ. Pujati, & Benevoli ea Scripta legeris, eaque huc tranſtuleris quæ ſuperiore Epiſtola (b) indicavimus. Jam enim eſt nobis, promiſſum ordinem ſervantibus, ad eam dyſuriam quæ ex veſicæ lapide eſt, tranſeundum.

13. ANDREAS CORTINIUS Civis meus, Reverendiſſimi P. M. qui nunc Religionis Quæſitor Ferrariæ eſt, Parens, Antonii autem Avus, mei amantiſſimi, & Rei Pharmaceuticæ, ac Chirurgicæ peritiſſimi Viri, homo ſubpinguis, parumque exercitatione corporis uti ſolitus, cum annos excederet ſexaginta, alba, & lenta mingere cœpit, nec ſine dolore. Suſpicionem hinc ortam calculi in veſica hærentis, cathetere tandem immiſſo, ſibi quidem confirmavit Chirurgus, non ægro, qui cum ille calculum tangere ſe, diceret, ipſe calculi impulſu deceptus, non calculum tangi, aſſeverabat, ſed veſicam. Quam opinionem eo magis fovebat, quod a catheteris immiſſione reddita facilior mictio fuerat. Itaque non jam de hac, ſed de quodam potius dolore querebatur in ſcrobiculo cordis, qui, ſi paulo concitatius ambularet, gradum ſiſtere cogebat. Accedebant arteriarum pulſus turgidi, & vibrantes, quales ſæpe ſolent ab aneuryſmate. Nec vero hæc ceſſarunt, cum poſt longum temporis intervallum rediit urinæ difficultas cum ardoris ſenſu circa pubem. Quin fere aſſiduæ erant querelæ de illo dolore in ſcrobiculo cordis: pulſus iidem. Tres, aut quatuor

(z) Epiſt. Anat. 1. n. 61. (a) n. 19. (b) n. 12.

tuor exacti erant anni a primo dyſuriæ initio, a cæteris autem incommodis menſes ſaltem duodeviginti, cum ego quoque ante Februarii finem A. 1711. ad ægrum ſum accerſitus conſolandum potius, ut ſtatim domeſticis dixi, quam curandum. Mingebat plus multo, quam potabat: urinæ autem ex ſubflavo albicabant, ſeri inſtar quocum lactis adhuc ſit portio admiſta, materia dein ſubſidente alba, pauca aliquando, & tenui, non pauca alias, & lenta, & gravius olente, eaque majori cum dolore, & difficultate ejecta, id quod circa auroram potiſſimum ſolebat accidere. Dolor autem in cordis ſcrobiculo ſævior factus erat adeo, ut æger perinde eſſe diceret, ac ſi a canibus laniaretur, cum ingruebat acerbior per intervalla: quo tempore ſternum, & proximas utrinque partes condolere, ajebat, ſiniſtrum autem ſuperiorem artum ſtupidum fieri, & inertem, & cor denique, præſertim ſi in lævum cubaret latus, moleſte palpitare. Hæcque fiebant in dies graviora, ut facies haud amplius, uti fere antea ſolebat, in iis doloris exacerbationibus ruberet; imo jam naſus, manus, pedes frigerent, & alvus quam tertio quoque die hactenus ſolvere levi clyſtere oportuerat, nunc poſt ſingulas illas exacerbationes bilioſa effunderet. Ne vero quis forte ſuſpicaretur, eas ex veſicæ irritatione oriri; quanto illæ acerbiores, tanto ſimul leviora ad veſicam fiebant omnia, faciliuſque urinæ reddebantur. Neque tamen, ſi pectori, aut ventri admoveres manum, quidquam præter naturam perciperes: imo venter nullam uſquam duritiem, nullam prorſus tenſionem habebat. Interea ſomno doloribus interrupto, ciborum appetitu dejecto, ſiti vexante, vires magis magiſque fatiſcebant, interni ſenſus quaſi torpere incipiebant, pulſuſque ipſi a prima illa magnitudine, & impetu declinarant adeo, ut parvi, ac debiles, ſiniſter præſertim, nec raro inæquales deprehenderentur; in exacerbationibus vero ultimis etiam nulli. In hoc igitur rerum ſtatu quantulumcunque afferre, ſi non auxilii, at certe levaminis potui, non omiſi. At fuerunt omnia ſine noxa quidem, ſed, ut prædixeram, irrita. Itaque cum poſtridie Nonas Martias duæ treſve ſanguinis guttæ ſponte e naribus excidiſſent, inſecutam autem noctem a crebro in ſcrobiculo cordis dolore omnium peſſimam duxiſſet, & mane tamen, ſilente dolore, ſe ſe ad ſedendum in lecto erexiſſet; poſt horam circiter eodem revertente, & ſæviſſime urgente, prope dicam ſubito confectus eſt. CADAVERIS, pinguedine etiam tum non pauca præditi, Thorace primum diſſecto, pulmones, cor, vaſa Magna omnis vitii expertia deprehendimus. Venter jecur habuit non naturalis coloris, & cyſti contracta, ac flaccida, quippe ex qua dolores bilem, ut dixi, toties expreſſerant. Ventriculi, cætera ſani, fundus vix aliquid leviter ſubatri oſtendit. Ren ſiniſter, tota ferme ſubſtantia intus conſumpta, maxime flaccidus, inæqualem calculum continebat; & urinam qualem æger mingebat. Quæ & dextero inerat: cujus exterior facies in tot quaſi globulos, imparis inter ſe magnitudinis, diviſa aſſurgebat. Veſica tres habuit lapides neque magnos, neque aſperos. Ejus interior ſuperficies ex tenuiſſimo quaſi tomento fieri videbatur, excreſcebatque ad cervicis latus in durum tuberculum, faba non majus, veſicæ intus, extraque concolor. Denique in Proſtata glandula ſinus erat, quo tartari ſimilis materia, & ferme jam calculoſa continebatur.

14. Urinæ difficultatis, qua de agimus hiſce Litteris, cauſas in hoc ægro Proſtata glandula, veſica, & renes quidem habebant; ſed dolorum acerbiſſimorum, quibus adeo conflictatus, & denique peremptus eſt, ſoli, quantum ego intelligo, renes habuerunt. Neque enim dolores illos ab infimis ventris partibus excitatos eſſe, veriſimile eſt, præſertim cum magna vitia eſſent in renibus, quibuſcum nemini eſſe poteſt ignotum quantum ventriculus conſentiat, cujus pars dextera ſcrobiculo cordis reſpondet. Ei conſenſui acceptum referendum eſt quod vomitiones ſoleant cum renum vitiis conjungi: itaque ex illis hæc in perobſcuro quodam caſu (*c*) nos ſuſpicatos eſſe, memineris. Fuerant etiam vomitiones immanes in Virgine quam ex renum occulto morbo dolor ſub ſiniſtris coſtis excrucians intra biduum interfecit, ut Epiſtola XXXVI. (*d*) propoſitum eſt. Fuit tamen aliquando cum ſine vomitu, & ſine ullo, aut certe cum levibus renum morbidorum indiciis non levia horum mala deliteſcerent (*e*), aut pro veſicæ innoxiæ vitiis imponerent (*f*). Denique cum renum morbis ventriculi dolorem interdum jungi, certum eſt; ſed non lethalem, neque ab lumborum dolore disjunctum, quorum cruciatus nemo ignorat ut ſoleant renum, ipſis affixorum, mala comitari aut non acerbi, aut adeo nonnunquam atroces, ut in aliis Litteris (*g*) ex Ruyſchio retulimus, cum renum ſuperficiem non ſecus in globulos diviſam conſpexit, ac nos in dextero ægri hujus rene obſervavimus. Verum in noſtro hoc caſu nulla de lumbis querela, non acerbiſſimus dolor ad veſicam, non hypochondriorum cruciatus, non vomitiones; ſed ad ſcrobiculum dumtaxat cordis dolores intolerandi unum erant ſignum renum peſſime ſe habentium. Quæ res an ab aliis adnotata ſit, ipſe quæres: certe eſt tanto magis digna quæ adnotetur, quanto magis poteſt morborum aliorum ſuſpicionem injicere, præſertim ſi, ut in propoſita hiſtoria, magnos, & vibrantes pulſus conſequatur, moleſtam autem cordis palpitationem, ſtuporemque ac torporem artuum ſuperiorum, & mortem denique ipſam inducat, eamque etiam cum æger paululum recreatus videtur, pene ſubito ingruentem. Scilicet id alibi admonuimus (*h*) eſſe timendum, cum graves internæ convulſiones per intervalla recurrunt. Quod ad genus deſcriptas doloris exacerbationes referendas exiſtimamus, ab nervorum in renibus tanta irritatione repetentes, ut per alios colligatos nervos ad illas quas modo nominabamus, partes propagata, in ſingulis ea quæ diximus, efficiat. Illud in hac ſingulare erat, ut ventriculum quem pleræque, uti commemoravimus, petunt a renibus profectæ, non ut illæ, ad vomendum concitaret, cum eam tamen ipſius partem ſæviſſime torqueret quæ ſcrobiculo cordis reſpondet.

15. ADOLESCENS annos viginti prætergreſſus, a longo jam tempore iis veſicæ doloribus, præſertim cum mingeret, cruciabatur, ut ſine ejulatu urinam reddere non poſſet. Purulenta hæc erat. Acceſſerant macies, febris, & reliqua mala quæ fere veſicæ lapidem comitantur, & quibus tandem, in hoc Noſocomio decumbens ante finem anni 1742. abſumptus eſt. VESICA craſſa, exulcerata, & ex parte ſcirrhoſa revera lapidem continebat ſubaſperum tranſverſos digitos tres longum, duos cum dimidio latum qua erat latiſſimus; ad formam autem accedebat ovalem, utrinque depreſſam: eique multus lentus, cruentuſque alicubi, mucus circum adhærebat. Pure autem, & urina pleni erant renes, & ureteres; imo hi tam diſtenti, ut Ilei inteſtini diametrum æquarent.

16. Mucus quem calculo adhærentem vidimus hujus adoleſcentis, tanta aliquando copia circum aggeritur, ut vel cathetere immiſſo internoſci nequeat lapis a peritiſſimis Viris, quod Falloppio ipſi accidiſſe, teſtis eſt Marcellus Donatus (*i*). Eodem muco inter calculum, & veſicam interjecto etſi cætera incommoda non tollantur, imo nonnulla etiam augeantur; dolores tamen,

(*b*) n. 12. (*c*) Epiſt. 30. n. 22. (*d*) n. 20. (*e*) Epiſt. 40. n. 15. (*f*) Vid. ſupra, n. 4. & 5.
(*g*) Epiſt 40. n. 19. (*h*) Epiſt, 10. n. 13. (*i*) De Medica Hiſt Mirab. l. 4 c. 30.

men, ſi craſſior mucus ; & magna copia ſit , illi minuuntur quos calculi creant aſperitates. Hinc dolorum, ut de nephriticis quoque diximus, incrementum a diureticis , quod Sanctorius noſter præclaro exemplo confirmavit , relato in Sepulchreti ſuperiorem Sectionem XXIII. (*k*) ubi (*l*) & illud Donati leges . Itaque in Conſiliis quæ ipſe legi, Valſalva in veſicæ lapide demulcentia quidem, emollientia, anodyna præbebat, & in fomentis , inſeſſibus , modicis clyſteribus adhibebat, mulieribus autem etiam in peſſis , & injectionibus; ſed , ut narcotica, quippe exigua doſi nihil adverſus ejuſmodi dolores agentia, majori vero periculoſa, ita etiam thermalium, aut aliarum aquarum ingurgitationem , ab aliis propoſitam , cum Albertino improbabat, muci abſterſionem veritus. Quibus de rebus cum alias, tum præſertim memini audire ambos in eandem ſententiam verba facientes, cum Præfectus Equitum Nucerinam aquam quotidie mane perpotaret . Quin veſicæ ulcere teneretur , dubium erat nemini , multoque minus Valſalvæ qui non ſemper neceſſarium credebat, ſanguinem in lotio apparuiſſe , ut urinariis in partibus ulcus eſſe , pronunciaret. Illud in controverſia erat , an præter ulcus ineſſet veſicæ calculus. Quod alii affirmabant ob dolorem qui jam diu in mictionis fine percipiebatur. Sed aſſenſum retinebant illi , non ignari, ut exulceratam manum, ſic exulceratam veſicam contrahi non poſſe , conſtringique ſine dolore , & hinc quoque eſſe, cur ſicuti cæterarum cavarum partium quas modo dilatari , modo conſtringi neceſſe ſit, ita & veſicæ ulcera difficilius ſanari queant . Nec tamen abeſſe calculum, contendebant , quamvis æger aut ſaltans, aut curru vectus illius nulla experiretur indicia , neque donec aquam redderet , acerbum adeo ſub mictionis finem perciperet dolorem , qualem ubi demum quantum potaverat , excreviſſet , rurſus percipere incipiebat . Verum etſi neutrum affirmabant, aut negabant; mihi tamen Albertinus quadantenus eo inclinare videbatur, ut calculum eſſe, non crederet, cum tam copioſo aquæ potu mucus a calculo auferri, moleſtiæque propterea in dies augeri debuiſſent; contra autem dum aqua tranſiret , mulceri hac poſſe ulcus , & dolores , concipiebat , neque hos antea ad priſtinam acerbitatem redire, quam omni ejecta aqua, urina priſtinam acrimoniam recuperaret. Sed ne talium Virorum, aut ipſis ſimilium in veſicæ calculo affirmando , aut negando hæſitatio tibi nimia forte videatur ; fac legas quæ de ſumma ejus recte dignoſcendi difficultate egregie inter cæteros collegit, & perpendit Helwichius (*m*) : quantum aliorum quorundam præceps temeritas diſplicebit; tantum illorum cautam prudentiam laudabis.

17. Quod alias huc diſſectiones non addam eorum quibus ſine externa cauſa lapis in veſica concreverit , haud tibi erit mirum qui ſcias , maximam a me vitæ partem in hac regione ductam eſſe , ei morbo , ut quædam aliæ, in quibus Scaphuſiana (*n*) , & Gottingenſis (*o*) laudantur , quam rariſſime obnoxia : quod hic alii vinis , alii aquis , alii utriſque eſſe tribuendum, cenſent. Et certe vina hic tartarea non ſunt, ut Medici loquuntur , ideſt lapidoſis cruſtis dolia intus non obducunt, quod aliis quibuſdam locis vidi , ubi alba vina faciunt, ut intra ligneum dolium quaſi alterum increſcat lapideum . Rubra autem hic vina ſunt quibus utimur: qualia vina Brunnerus (*p*) quidem cenſuit *ſumma & caput petere præ albis*; viciſſim tamen ejus Socer Wepferus (*q*) , cujus ſententia ab Hoffmanno (*r*) laudatur , quod inter Scaphuſianos ſuos rari eſſent calculoſi , *potiſſimum* eorum *vino* rubello ſalubri adſcribebat. Quin certis quibuſdam locis rubra vina provenire, quæ non modo a calculo ſervent , ſed & inchoatum ſolvant , quippe etiam tartarum diſſolventia quo alia vina incruſtaverint dolium, ſi huic indantur , ex Commercio intelliges Litterario (*ſ*).

Porro quod ad aquas attinet ; fluminum hujuſce regionis aqua , cujus cum parte aut æquali , aut aliquanto, imo , ut ſæpius, multo majori conſervet muſtum , & ſic vina parantur quibus hic fere omnes utuntur , minus terræ , ut ajunt , fortaſſe continet , aut minus idoneæ ex qua calculi gignantur . Sic autem loquor propterea quia de unoquoque fluvio plura & varia attendere , & examinare antea neceſſe eſt , quam pro certo aliquid pronuncietur : quanquam ſolet plerumque minus terræ in fluvialibus aquis contineri quam in putealibus , unde eſt quod plura in domeſticis uſibus præſtare illas videamus quæ hæ non poſſunt, aut non æque, ut puta in ſapone diſſolvendo , & leguminibus coquendis ; & quod ad ſalubritatem ſpectat, quis in univerſum aquas putet quæ ad bibendum ab Deo ipſo Opt. Max. oblatæ in fontibus , amnibuſque ſunt , illis eſſe ſalubriores quas primum homines , longius a fluviis , & fontibus incolentes , neceſſitate adducti , ſibi effoſſis puteis paraverunt ? Quod ſi ſententia quoque Virorum Doctiſſimorum audienda eſt ; vide quid de puteorum aquis ſentiat Meadius (*t*), quid Platnerus (*u*): eorum ſane judicio , multiplici ratione ſuffulto , facile permotus , puteales fluvialibus , univerſe loquendo , non dubitabis longe poſtponere . De ſingulis autem ſi verba fiant ; eſt ubi certo flumini optimum puteum , non modo aliud flumen , anteponas. Noſti enim ; ut cætera prætereamus ; certorum fontium ex quibus denique fluvii oriuntur , aquas eſſe quæ ductus ſuos aliæ craſſiſſimis , duriſſimiſque , aliæ tenuibus , mollioribuſque laminis terreis incruſtent. Quæ hic attigimus , ut errori occurreres cum vulgo exiſtimantium , omnes a vino, aut vini ſimilibus potionibus eſſe calculos , quaſi in aqua etiam horum materia non eſſet , nec qui nunquam vinum potaſſent , calculos genuiſſent. Certe *per dies vitæ ſuæ ſolo aquæ potu uſus fuerat* is qui proxima Sectione XXIII. (*x*) Sepulchreti memoratur ; ejus tamen *veſica lapides continuit* 32. Sed quid in hominibus ejus rei exempla quærimus , cujus , nec rara , obvia ſunt in iis quæ nunquam utuntur vino , animantibus . Ut enim ſpecioſiora omittam aut ob pondus, ut bilibrem ferme lapidem quem ex equæ veſica Lemeryus attulit ad Regiam Scientiarum Academiam Pariſienſem (*y*) , aut ob colorem , ut ſeptem octove quos ex vaccina veſica mihi olim Valſalva oſtendit parvulos , pilularum forma , ſuperficie minutiſſimis quaſi granulis ſubaſpera , æneo autem colore , ut pro metallicis quiſque haberet qui eſſe leves, neſciret, quemadmodum pro aureis longe plures illos quos intus , aut extra aureo colore infectos, aut ſplendentes & rutilos , omnes autem parvos alii (*z*) in bubulis pariter veſicis invenerunt ; ut igitur hos , & ſuillos (*a*) , alioſque omittam , & in canibus dumtaxat commemorem , & primum a me viſos, in una quam peradoleſcens exercitationis cauſa diſſecui , non modo calculos deprehendi in rene utroque ; ſed horum dexterum ne tertiam quidem partem retinentem ſubſtantiæ ſuæ, cum inter calculos alba purulenta materia eſſet . In altera autem quam olim vetulam experimentorum cauſa Patavii incidi , calculum intra alterum renem offendi abnormi, & depreſſa figura, durum, non parvum . Atque ut ad veſicam redeam; tertia canis (forte enim accidit , ut quinque hæ beſtiæ , quarum ſingillatim quidem, calculos memoravi , fœminei eſſent ſexus) duos in gangrænoſa veſica habuit lapides majorem, & minorem , ovali utrumque figura , ſed valde utrinque depreſ-

(*k*) Obſ. 4. §. 11. (*l*) Ibid §. 4. (*m*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 60. (*n*) Vid. Eph. N. C. Dec. 1. A. 2. Obſ. 39.
(*o*) Vid. Haller Opuſc. Pathol. Obſ. 33. (*p*) Eph. cit. Cent. 9. Obſ. 3. in Not. (*q*) Obſ. 39 paulo ante cit.
(*r*) Medic. Ration. Tom. 4. P. 2. S. 2. c. 11. §. 20. (*ſ*) A. 1735. Hebd. 6. n. 3. & Hebd. 17. n. 4. & Præter [illegible] 132.
(*t*) Expoſ. Mechan. Venen. Tent. 6. in fin. (*u*) Progr. quo aquam font. ſalubriorem & cæt. (*x*) Obſ. 4. §. [illegible]
(*y*) Hiſt. A. 1700. Obſ. Anat. 14. (*z*) Act. N. C. Tom. 8. Obſ. 2. & Sachs Gammarolog. c. 14. §. 8. Vid. & apud [illegible] Meth. Stud. Med. P. 13. c. 2. ad An. 1665. N. 101. (*a*) Sachs c. cit. 14. §. 6. & Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 7.

depreſſa, imo altera minoris facie nonnihil excavata qua majorem excipiebat. Ea canis undecim annos nata, a longo jam tempore graveolens reddebat lotium, ſine ejulatibus tamen, credo ob lævem, eoque ſaltem non compungentem, calculorum ſuperficiem, donec convulſivis motibus accedentibus extincta eſt. Quæ mihi narravit, dum eos calculos recentes oſtenderet, illius herus Vir Generoſiſſimus ex hoc Sacro Philoſophorum Collegio. Ab aliis autem in tot canibus conſpecti ſunt calculi, ut niſi eos tantum ſeligam qui aut numero, aut ſtructura, aut pondere, aut ſede digniores ſunt qui memorentur, haud facile finem inveniam. In cane qui diu ſtillicidio urinæ laboraverat (*b*), parvulorum calculorum *aliquot mille in veſica diſtenta* reperti ſunt. Alterius (*c*) veſica unum habuit qui, ob minorem intus incluſum, ætitem referebat, pondo ſeſquilibræ. Sed tertii (*d*), ſæpe cum doloribus, & vehementi ejulatu urinam reddentis, calculum, qui veſicæ inerat aſpera; non lævigata, ut in Patavino; ſuperficie, etſi eſſet paulo infra pondus unciarum trium, miraberis tamen magis quam ſeſquilibrem; hic enim canis ſuopte genere erat *minimus*. Denique potius ut ſedes quam ut calculus, deſcribatur, prætermittendus non eſt quem probus Juvenis auditor meus annis ſuperioribus mihi narrabat, cum ſe exercendi gratia, canem perſecaret, deprehendiſſe. Ureteres paulo ſupra locum quo in veſicam influunt, unum in canalem ambo conveniebant, alterutro eorum non latiorem: is raro exemplo unus pro utroque mediam perforabat ad inferiora veſicæ partem, in eamque lotium inferebat. Ad hujus igitur canalis initium quo ureteres, ut dictum eſt, confluebant, hærentem calculum invenit, eumque non ita durum. Non tamen hæc, multoque minus cætera quæ Donatus (*e*) calculorum congeſſit, exempla repertorum in jecinore quoque, aut ejus veſicula, tum ventriculo, & inteſtinis brutarum animantium, omnia, ſicut ille fecit, Ariſtoteli ſunt objicienda, ponenti (*f*), *nullum animal, niſi hominem, calculoſum fieri poſſe;* id enim continuo ſic explicavit, ut de urinariæ dumtaxat veſicæ calculis præclare appareat ibi quidem eſſe locutum; alio autem loco (*g*) quem Donatum fugiſſe, miror, diſerte ſcripſit, *renes* in hoſtiis *ſæpenumero calculis, & pannis, & papulis refertos* conſpici, *atque etiam jecur & cæt.*

18. Ex eo autem quod alibi (*h*) tradidit Ariſtoteles, *non ſolum humorem, ſed etiam ſicca quædam concrementa* in veſicam *deſcendere, ex quibus calculi conficiantur*, antiquiſſima origo intelligitur ſententiæ eorum qui e renibus delabi inchoatos calculos veſicæ omnes, in hiſque propterea peculiarem ſemper nucleum in centro inveniri, tradiderunt. Quorum utrumque etſi in multis verum eſſe, non inficior; aliquando tamen libentius faciam cum Hippocrate (*i*), qui ex diutius cohibita urina id quidem quod tenuiſſimum in ipſa eſt, excerni, *quod vero craſſiſſimum, ac turbidiſſimum eſt, coacervari & concreſcere*, docuit, & *primum quidem parum, deinde majus fieri: dum enim volvitur ab urina, quidquid craſſum compactum fuerit, ad ſe ipſum adaptare, atque ſic augeſcere & in totum concreſcere*. Quod citius quidem poſſe fieri, Obſervatio oſtendit Joannis Dolæi (*k*), qui e veſica cujuſdam Equitis emiſſam materiam albam mucilaginoſam ſcribit *ſubito ab aere externo in ſubflavum calculum riguiſſe*. Sed vel ſine aeris externi attactu putreſcere intus remorantem urinam poſſe, experimenta monſtrant Præcl. Brendelii (*l*), qui ex illa putreſcente calculorum deducit originem, cum videat (*m*) & duras cruſtas, & mucoſam pultaceamque materiam dare, granis duriuſculis diſtinctam, quæ mox ipſa quoque dureſcat. Eſſe autem urinas quæ facilius, ac citius iſta deponant, minime dubitat (*n*), ubi & duorum infantum meminit alterius vix duos nati, alterius octo circiter dies, qui calculos tum ante mortem excluſerant, tum mortui intus habuere. Qualem autem calculoſam materiam in quinquennis pueri cadavere Meadius (*o*) viderit, & per quos gradus in lapideam duritiem tranſire, animadverterit, cognoſcere ex ipſo poteris: quemadmodum ex Cel. Hallero (*p*) qualia credat prima eſſe in renibus calculorum initia. Sive autem inchoatus calculus, ſive calculi materia e renibus in veſicam deſcendat, aut in hac gignatur; certe calculus incrementum capit ex eadem materia: nec aliena a vero tradere videntur ii qui firmius inter ſe aptatum iri materiæ illius particulas, ajunt, quo lentius incrementum fiet; infirmius autem, quo celerius: & qui majus illud fore æſtate quam hyeme, quippe æſtate multo minus diluta materia ab aquea, tunc magna ex parte per cutem prodeunte, urinæ portione: quæ altera mihi videtur cauſa, cur, ſi optio detur, calculi exciſio ab autumno potius ad ver, quam a vere ad autumnum differatur.

Sed præter inchoamentum calculi ſive in renibus, ſive in veſica formatum, accreſcit eadem materia circum res quoque alias, extrinſecus in veſicam immiſſas. Cujuſmodi exempla cum a pluribus & ſcripta, & collecta ſint plura; ego iis potiſſimum deſcribendis quæ ipſe, aut Amici vidimus, nec tamen omnibus, immorabor.

19. Nam illud quod mihi ſe primum obtulit, jam ante hos tres, & quadraginta annos in Ephemeridibus editum eſt Cæſareæ N. C. Academiæ (*q*). Quin præter meam illam, deſcriptio altera extat ejuſdem ipſius caſus, ab eo qui meam editam neſciret, vulgata ſexdecim poſt annis in Adnotatione quadam*, Operibus adjuncta Cel. Vallisnerii (*r*), qui mecum Chirurgo ſecanti affuerat. Deſcriptiones quidem ambæ in rebus præcipuis ſatis conveniunt inter ſe: in nonnullis autem ſi quid diſcrepant; ſic habeto, me meam certe ſcriptis mandaſſe eodem, ut ſolitus ſum, ſectionis die. Et calculus qui adhuc cum acu cui circum accreverat, apud me ſervatur, profecto non eſt *duriſſimus*: id quod primum ejus magnitudo cum pondere collata ſignificat. Cum enim ex duabus conſtet partibus quarum ſingulæ ad ovalem figuram accedunt, majorque intra quam acus mucro, & tertia ferme, ut proclive eſt judicare, pars latet, longa ſit digitos tranſverſos tres, lata duos, alta unum & ſemis, minor autem quæ urethram ſimiliter atque in alia Virgine (*ſ*) leges, opplebat, alteri prioris partis calculi extremo ſic continuata, ut ad ejuſdem latus extrorſum emineat ad angulum rectum, magnitudine æquet medii digiti articulum tertium; utraque tamen ſimul cum acu infra pondus eſt nummi unius argentei philippei. Friabilem autem magna ex parte externam ſaltem calculi eſſe ſubſtantiam, ſpongioſamque texturam, inſpectio ipſa confirmat. Lamellæ enim quædam tenues nonnullis ex locis per ſe exciderunt, ſubjectaſque cavernulas patefecerunt, albus autem, ut calculus eſt, pulviſculus, qualis ex carioſis ſalignis baculis ſolet, e calculo ultro defluit. Quæ ut non licuit in recenti animadvertere, ſic tempore interjecto obvia, nunc volui ad deſcriptionem illam addere. Eſt igitur hic calculus iis corticibus inſtructus, qui, ſi alii duriores lapides ſimul in veſica fuiſſent, horum occurſu non difficilius potuiſſent abrumpi, & in fragmenta diſſiliendo, qua lotium exibat, cum hoc prodire, quam in ſene illo, de quo ex Tulpii Obſervatione in Sepulchreto (*t*) relatum eſt. Nec multo durioris natu-

(*b*) Earund. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 260. (*c*) Ibid. in Append. ſub n. 6. ad Obſ. 23. (*d*) Dec. ead. A. 9. & 10. Obſ. 170.
(*e*) c. cit. ſupra ad n. 16. (*f*) Sect. 10. Probl. 42. (*g*) De Partib. Animal. l. 3 c. 4. (*h*) Hiſt. Animal. l. 3. c. 15.
(*i*) De Aere, Aquis & cæt. n. 22. 23. (*k*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 64.
(*l*) Progr. de Calculi veſicæ & cæt. natalib. n. 2. (*m*) n. 1. (*n*) n. 2. (*o*) De imp. Sol. & Lun. c. 2.
(*p*) Opuſc. Pathol. Obſ. 34. (*q*) Cent. 5. Obſ. 26. (*r*) Tom. 3. P. 3. Oſſ. 12. (*ſ*) Sepulchret. Sect. hac 25. Obſ. 5.
(*t*) Sect. prox. 24. Obſ. 10.

naturæ fuiſſe calculum, exiſtimabis, quem in Juvene Experientiſſimus Vir Heiſterus (*u*) cum antea per catheterem percepiſſet, mox datis paucis, quæ adſcribit, vulgaribuſque remediis quorum ope calciformis materia plurima emicta eſt, intra hebdomadas tres incommoda ſuſtulit omnia a quatriennio moleſta, quod anno poſt felicem illam curationem jam tertio, litteris mandavit. Atque utinam ejuſmodi eſſent calculi omnes qui veſicæ innaſcuntur. Verum ex Sepulchreto ipſo vides, quot ſilicis duritie fuiſſe dicantur; imo ex Heerſio ibidem (*x*) proferri grandem quendam *omni ſilice duriorem*, ex Braſavolo (*y*) autem decem, in Alberto Savonarola inventos, qui *ſi in terram projicerentur*, *veluti trigonalis pila reſiliebant*, denique apud Lindenium (*z*) viſum a pluribus unum, quo pauci graviores comperti ſunt, nempe unciarum 32. *duriſſimum*, *compactum*, *ſilicis colore*, *triangularem*, *ex quo cum ferro*, *ut ex ſilice*, *eliciebatur ignis*. Quos pariter memorat Panarolus (*a*) *tam duros*, *ut pyritem lapidem æmularentur*; *percuſſi enim chalybe*, *flammam evomebant*, conſulto prætereo, ne forte quia a muliere dicit excretos, fucum illi factum ſuſpiceris, quando Bartholinus (*b*) vel in ipſa lithotomia ſic impoſitum fuiſſe a vaferrimo nebulone Ægro nobiliſſimo, Amiciſque præſentibus, multos hinc conjeciſſe, ſcribit, quod e ſuppoſititio calculo ſcintillæ excuterentur, *impoſſibile autem ſit*, *talem in homine lapidem generari*: quamobrem vix ſe continebat, quin ſimilis duritiei alterum in dubium vocaret, quem, ut humana ex veſica ſectum, ſibi donatum habebat. Verum illos quos ex Sepulchreto propoſui, omnes in cadaverum veſica inventi dicuntur: & ne fraudis cauſam fuiſſe, dubites, primus certe in Sene deprehenſus eſt qui nunquam de calculo veſicæ conqueſtus fuerat, ut nunquam de renibus Senex alter, qui tamen in dextero lapidem habebat inſolitæ magnitudinis, & figuræ, *duritie* autem *quemcunque ſilicem æquantem*, ut Vir Cl. ſcribit, qui ſectioni interfuit, Chriſtoph. Guil. Bajerus (*c*). Mihi quidem necdum accidit ut veſicæ calculus oſtenderetur cum illis comparandus, niſi fœminarum fraude, & Medici unius, atque alterius qui his faciles aures præbuerant, credulitate. Hic enim primum unum vidi, qui non modo; ut Ferrandi (*d*) verbis utar; *fluviatilis potius diceretur*, *quam veſicalis*; ſed cum revera fluviatilis eſſet, cruore oblitus incautis pro veſicali obtrudebatur. Deinde a Medico alioquin non indocto qui Venetiis ad me ſcripſerat, ab ægra quadam pene quotidie bene multos, nec parvulos excerni, ut fidem non facile credenti faceret, miſſos plurimos, quos ſtatim ac vidi, miratus, eſſe aliquem potuiſſe qui non continuo ſilicis unde ignis elicitur, magna, & rudia fragmenta agnoſceret, nihil aliud reſcripſi, niſi ut chymicæ deſtillationi committeret, & quæ prolicerentur, ſignificaret; itaque ab eo nihil amplius litterarum accepi. Nec tamen hæc eo dico, quaſi alii alibi id quod ego ubicunque fui, nuſquam conſpexi, videre non potuiſſent. Quin alicui noſtratum qui ex eo dumtaxat quod malleo reniteretur, humanum calculum eſſe poſſe, negabat, ut cætera quoque attenderet, ac diligentius inquireret, auctor fui, quando a Viris Doctis Steinium citari videmus qui humanos lapides mallei ictibus reſiſtentes in Lithographia propoſuit. Certe autem Morando Viro Experientiſſimo credendum eſt ſcribenti (*e*), calculos quos vocat *murales* eandem quam marmor, polituram accipere: itaque invictos perſtare credidit vel ab eo in quo tot ſolerter pericula fecit, lithontriptico remedio quod apud Anglos non ita pridem vulgatum fuerat, cujus ope alios non paucos calculos aut imminutos, aut etiam abſumptos fuiſſe ipſo quoque in ſeptem catheteris indicio perceptum eſt, miraturis, ſi viverent, Franciſco Sylvio, & Boerhaavio, præſtari per alkalicos ſales, imo non per alios id præſtari poſſe, dici, quod alter (*f*) a *ſalis petræ*, *aut nitri acido ſpiritu*, alter (*g*) a *nullo fere liquido præter ſpiritum nitri*, effici, docuerat. Utinam vero idem omnibus, aut ſaltem pleriſque anglici illius remedii uſu præſtitum fuiſſe, mirari poſſent: utinam ſaltem, non nocuiſſe. At ſi tot illas, poſtea additas exceptiones perpenderis, in quibus & eæ ſunt quas a calculi natura, ab ægri ætate, ab ejuſdemque temperamento petendas Cl. Hazonius (*h*) expoſuit; quam ſæpe remedium aut inutile, aut noxium eſſe potuerit, non obſcure apparebit: & ſi hiſtorias, & diſſectiones legeris, quas Commercium Litterarium (*i*) proponit; facile intelliges, quanta inde pernicies interioribus partibus, & præſertim urinariis, & ſimul ut nulla calculorum, aut calculi (id quod urinarum ſedimenta oſtendiſſent) eroſio fuerit. Quod cum dico, noli putare, iſtam calculorum ſive eroſionem, ſive deſquamationem, ſi quoſcunque calculos, & quæcunque lithontriptica in univerſum ſpectemus, ſemper eſſe exoptandam. Potes id, ut alios non verſes libros, ex laudato *Commercio* noſcere. Et ubi (*k*) exempla deſcribuntur, ſectioneſque calculoſorum duorum, attendendus prioris calculus *hinc inde late ac profunde eroſus*; dato enim quodam lithontriptico liquore cui veriſimiliter id imputandum, exacerbata fuerant omnia, & veſica quidem non eroſa, ſed circa orificium alte inflammata. Alibi (*l*) commemoratur a Cl. Goetzio caſus Illuſtris Viri qui neſcio cujus remedii uſu *largam* quidem *arenularum*, *& ſquammularum*, *corticem calculi contriti referentium*, *copiam* cum lotio reddens, cruciatus ſibi adeo auxit, ut ab hiſce confectus ſit. Scilicet in mortuo calculus repertus, *cortice ſuo viſcoſo & glabro*, *qui veſicæ lateribus impune adjacuerat*, *orbatus*, *duriori*, *inæquali & aſpera ſua ſuperficie cervici veſicæ impactus*, lethales illos dolores videtur conciviſſe, ubi eorum præſertim quæ ſupra (*m*) ſcripta ſunt, veniat in mentem. Felicius tamen quam per anglicum illud lithontripticum, ab non uno Doctiſſimo inter Anglos Medico improbatum, & nominatim a Meadio, (*n*) cedere hic ipſe tradidit aquam *rite calcinatis oſtreorum aliarumve concharum teſtis* medicatam, qua calculorum non duriſſimorum *fruſtula*, *nunc arenularum*, *nunc exiguorum nucleorum inſtar ſimul cum urina ejecta ſunt*. De aqua hac Auctoris Cel. Roberti Whytt Diſſertationem commendat. Experimenta autem ad ejus naturam indagandam Helmſtadii inſtituta, per quæ alkalino-ſulphuream eſſe, apparuit, in alia Diſſertatione leges, quæ Præſide Cl. Krugero (*o*) ibidem vulgata eſt. Fuerunt etiam qui cum alkalicis acida miſcerent, & in humorem ſic efferveſcentem conjectos calculos aut penitus, aut quadantenus ſolvi, deprehenderent, quamobrem ejuſmodi ferventem humorem in canum veſicam injecerunt, & quatenus hæc ferre illum poſſet, explorarunt. Sed ut ſana toleraret veſica; num a calculis quoque irritata, & exulcerata? Non certe; quando in exulcerata malum augeri a priore anglico illo remedio, quamvis non fervente, & ab urinæ quacum ad veſicam deſcendit, copia diluto, Morandi experimentis (*p*) compertum eſt.

Sed ad calculos, acubus increſcentes, revertamur.

20. PUELLA Agreſtis eadem ferme qua prior illa a nobis in Ephemeridibus (*q*) deſcripta, ætate; annum enim agens quartum decimum mortua eſt; cum ante menſes ſexdecim idem quod prior, factitaret, idem merito paſſa eſt infortunium.

(*u*) Diſſert. de Medico nimis tim. n. 36. (*x*) Sect. 23. Obſ. 7. §. 5. (*y*) Ibid. Obſ. 2. §. 4.
(*z*) Ibid. Obſ. 1. §. 1. & Sect. 24. Obſ. 10. §. 3. (*a*) Jatrologiſm. Pent. 2. Obſ. 34. (*b*) Cent. 4. Epiſt. Medic. 100.
(*c*) Commerc. Litter. A. 1745. Hebd. 40. n. 2. (*d*) Sepulchret. Sect. cit. 23. Obſ. 2. §. 5.
(*e*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1740. (*f*) Prax. Med. l. 1. c. 55. n. 50. (*g*) Prælect. ad Inſtit. §. 791.
(*h*) Quæſt. de his edita n. 4. (*i*) A. 1740. Hebd. 41. n. 2. & A. 1745. Hebd. 3. n. 2.
(*k*) A. 1733. Hebd. 21. (*l*) A. 1731. Hebd. 23. (*m*) n. 16. (*n*) Monit. Medic. c. 10. in fin.
(*o*) Diſſert. qua exhibentur Experim. cum aqua Oſtrocoderm. inſtituta. (*p*) Mem. cit.
(*q*) Vid. ſupra ad initium n. 19.

tunium. Nam crinalem acum ex orichalco, quamvis ad angulum in medio inflexam cum altius per urethram immiſiſſet, ſibi repente e digitis abripi, & tota intra veſicam condi, ſenſit. Pudore prohibita, non tunc modo, ſed propemodum ad mortem uſque ſiluit veram dolorum ac moleſtiarum quas præſertim in mingendo pertulit, cauſam: quæ tot, ac tantæ fuerunt, ut tumor demum in hypogaſtrio, & proxima ilium parte obortus pus per duo quæ ſibi ipſum fecerat, foramina effunderet, majus, & minus, quorum illud erat in ile ſiniſtro, hoc in dexteris, proprie dicti cum Laurentio (*r*), hypogaſtrii finibus. Sic affecta in Noſocomium Patavinum uno aut altero ante obitum menſe excepta eſt. Facile ibi animadverterunt, ſimul cum pure per utrumque illud foramen urinam effundi, per ſiniſtrum autem magis, cui ſuberat cavum non modicum quocum foramen quoque dexterum communicabat. Cum in eo cavo ſpecillum duri quidpiam offenderet; quæſitum eſt ex me, quidnam hoc eſſe, exiſtimarem. In memoriam rediit quid in priore puella ſpecillo obſtaret per fiſtulam demiſſo in ilium altero patentem, & lotium cum pure effundentem. Cumque audirem, hanc quoque inter mingendum veſicæ doloribus torqueri, & paucam, eamque purulentam urinam reddere, quærendum, reſpondi, num forte acum, aut rem aliam quampiam in urethram immiſiſſet. Negavit puella donec foramine ſiniſtro per levem communium integumentorum ſectionem amplificato, cuſpis, & magna pars acus intra cavum ab omnibus conſpiceretur. Tunc quod occulere amplius non poterat, nimium ſero faſſa eſt. Neque enim acus extrahi poterat prohibente adnato calculo, quam ſpecillo ſive per cavum illud, ſive per urethram immiſſo ut facile erat percipere, ita non licebat ſine magnis doloribus vel leviter propellere. Idemque, ſi quid per urethram vellent ad demulcendos dolores injicere, ne in veſicam admitteretur, obſtabat. Huc macies acceſſerat ſumma, in dieſque puris augebatur copia, & graveolentia, febriſque ipſa facta erat vehemens. Quam alimentorum omnium faſtidium, vomitus, flavorum liquaminum ex alvo fluxus, tum virium, & pulſuum debilitas conſecuta ſunt, donec mors tot miſeriis, & querelis, inter quas nulla unquam de lumborum dolore ab interrogantibus audita fuerat, optatum finem impoſuit. CADAVER, quod ſceletus cute obductus videbatur, ſub dio, in ampliſſimoque loco ob anni tempus fervidiſſimum inciſum eſt; Quinctilis enim menſis erat initium A. 1738. Primum omnium, ſpecillum juſſi per foramen dexterum in ulceris cavum trajici, totumque eum ſinum patefieri. Erat is inter muſculos abdominis, & integumenta, neque ullam uſquam, niſi cum illo cavo, communicationem habebat. Quod longum latumque digitos tres, a ſiniſtro ile Albam lineam verſus ſe extendens, tenui poſtico pariete, quem reliquiæ muſculorum, & peritonæum faciebant, a ventris quidem cavea ſeparabatur; ſed eodem pariete a dextris patente, cum veſicæ fundo communicabat: illacque magna pars acus in ulceris cavum prominebat. Tunc abdomen ſic inciſum eſt, ut ſectio ad veſicam non perveniret: quæ etſi parva erat; tamen altius, id eſt ſupra oſſa pubis, cum interna abdominis facie coaluerat ea dumtaxat parte qua in ulceris cavum patebat, ita ut nihil in ventris caveam effundi poſſet, in qua reapſe effuſi humoris non erat quidquam. Sed & omenti, in quo vix aliquid hic illic reſtabat pinguedinis, ora infima ad proximum veſicæ peritonæum arctiſſime annectebatur. His ita perviſis, & diductis pubis oſſibus, veſica tota in conſpectum data, ipſaque cum urethra, quæ ſana erat, aperta, craſſæ quidem illius tunicæ, ſed contractæ adeo repertæ ſunt, ut præter calculum vix poſſent quidquam continere. Calculo hic illic earum intimæ adhærebant, quæ inæquales erant, & pluribus locis exulceratæ, & quemadmodum ulceris cavum fuerat, gangrænoſæ. Erat calculus paulo duobus digitis tranſverſis longior, pollice autem aliquanto craſſior, forma ovulum referens cujus vertex ſuperiora ſpectabat, ut acus quoque mucro cum tota ea parte quæ ad angulum uſque de quo dictum eſt initio, pertinebat, calculo ferme parallela, ab eoque pollicis intervallo ſejuncta: pars acus reliqua & ipſa extra calculum erat, quantum conjici poterat, propemodum tota, capitulo dumtaxat cum portione aliqua proxima in medium calculi ſiniſtrum latus firmiſſime infixo, id eſt ejus concretione obducto: quæ illa facie, & extremo utroque inæqualior eſt, oppoſita ferme lævis, & ſubalba, niſi qua, ut tota ſiniſtra, ſubflavo colore infuſcatur; hæc enim deſcribo ut nunc video; tunc vero quibuſdam locis erat cruenta, cætera fuſci obſoletique coloris. Tunc quoque his medicis ponderibus calculus, ut cum acu eſt, examinatus, paucis granis levior repertus fuerat drachmis ſeptem; nunc paucis granis ſuperat drachmas quinque, & ſcrupulos duos. Cæteræ ventris pleræque partes ab naturæ modo ſic aberant. Inteſtina ſublivida erant quædam, & flavo illo qui noviſſime dejiciebatur, humore turgidula: jecur albidum: ſplen lividior, & paulo major quam æquum eſſet. Ureteres autem, ipſique renes peſſime habebant. Illi enim dilatati, pure erant pleni, quale in cavo etiam ulceris multum fuerat, liquido, & ex ſubflavo albicante, id eſt pure cum urina commiſto. Renes autem æquo majores, dexter præſertim, qui & durior, & cellulis intus excavatus parvis, ſed pluribus, eodemque pure, ut pelvis quoque, adeo diſtentis, ut in ſectione altius poſilueri. Renis ſiniſtri tunicæ adipoſa, & propria inter ſe junctæ, craſſæ, & duræ ejuſdemmodi pus coercebant, quo renis, quibuſdam locis eroſa, ſuperficies, non ſecus ac paſſim interiora, ſcatebat. Odor autem teterrimus qui ex renibus, & veſica afflabatur, Thoracem porro incidere, cujus vitii indicium extitiſſet nullum, prohibuit.

21. Quæ, ſectione ſic abſoluta, continuo, ut ſolitus ſum, pluribus qui aderant, Nobilibus Viris, aliiſque Rei Medicæ, ac Chirurgicæ tum magiſtris, tum ſtudioſis audientibus, locutus ſim, ex his quæ fuſius hic tibi ſubjiciam, facile intelliges. Quæ cauſa hanc, & tot alias puellas incitaverit, ut ſibi acuum capitula in urethram intruderent, non tam in lacunis ſalacis humoris quærenda eſt, quippe & alibi, & extra illam hiantibus, niſi ad idem genus pertinere forte credas eos quoque canaliculos quos intra mulierum urethram deſcripſi (*ſ*), quam in exquiſito membranæ ſenſu qua illa intus conveſtitur. Nam niſi hanc altius perfricarent, accidere non poſſet, ut repentina ac valida imæ veſicæ contractione acus ex earum digitis abrepta, intra veſicam tota, præſertim cum longiuſcula eſt, conderetur. Ab illa enim, ejuſve ſphinctere cum Molinetto (*t*) infortunium hoc repeto, non a vi quadam, ut ajunt, uteri, quæ, ut exſugeret, in veſicam tamen exſucta non traheret. In quam poſtquam acus attractæ ſunt, paulo poſt nonnullis quidem per ſe excidunt, ut puellis duabus de quibus apud Valliſnerium (*u*), alteri dormienti, alteri autem mingenti, credo quibus ex parte ſolummodo veſicam ſubiiſſent, ut etiam in tertia fortaſſe fuit, nempe intorta acu facilius in urethra parte altera remanente, altera intra veſicam ad menſem retenta. Cui parti nihil tamen accreverat calculoſæ materiæ: quod neque accidiſſe refertur acui a quarta (*x*) intruſæ, & poſt dies quindecim inter mingendum ejectæ, quam pariter infima & acuta parte intra urinæ iter ſubſtitiſſe, illud forſitan indicio eſt quod de punctionis ſenſu circa veſicæ collum tantummodo querebatur. Sed etſi hæc ex iis quæ attingentur poſtea (*y*) de acuum mucrone urethræ infixo, magis illuſtrabuntur; non tamen inficias ivero, poſſe interdum acus quas veſica totas receperit, ita ſe convertere, ut pariter per meatum exeant urinarium. Cur vero duabus illis quas noviſſime dicebamus, intra quindecim dies, imo intra menſem nihil adhæſerit calculoſæ materiæ, quam multo breviori

ſpatio

(*r*) Hiſt. Anat. hum. corp. l. 6. c. 2. (*ſ*) Adverſ. I. n. 10. & IV. Animad. 24. (*t*) Diſſert. Anat. Pathol. l. 6. c. 8.
(*u*) in Adnot. ad Obſ. ſupra ad n. 19. cit. (*x*) Ibid. (*y*) n. 25. & ſeq.

ſpatio aliis adhæſiſſe, novimus, haud una poteſt eſſe cauſa. Nam neque omnibus urina æque eſt fœta particulis ad ſubſiſtendum, gignendumque calculum idoneis, & aliæ diutius lotium retinent, aliæ ſecus, & alia aliarum acuum materia eſt, aut ſuperficies. Sic argenteam acum ob id ipſum quod argentea eſſet, Valliſnerius (z) conjicit ſine ulla calculi addita concretione e veſica fuiſſe eductam: quæ tamen conjectura credibilior fiet, ſi aliis exemplis confirmabitur. Sic ad aſperiorem ſuperficiem facilius videtur concretio adhæſura, quam ad politiſſimam: & hinc forſitan ratio petenda eſt, cur plerumque unam acuum partem calculus obducat, reliquam nudam omnino relinquat, itaque de duabus quarum cadavera inſpexi, puellis in priore veſicam acus capitulum, in hac altera acumen perforaverit, quod in illa partem infimam fortaſſe aſperiorem, in hac ob eandem cauſam oppoſitum extremum concretio facilius obtexerit. Ex iis autem fœminis quæ intruſam acum, adnatumque huic calculum non modicum veſica geſſere, nulla, quantum legiſſe memini, diutius geſſit ſic quidem ut acu extracta, ipſa ſervaretur, quam Veneta illa cujus extat caſus a Molinetto, qui A. 1649. curaverat, editus (a) adjecta acus, calculique icone, quem in Theatro hoc Anatomico ſolebat oſtendere, ubi a ſe viſum teſtatur Moinichenius Epiſtola ad Thomam Bartholinum (b); neque enim hic Bartholinus, ut aliquis Eruditiſſimus alioquin Auctor per incuriam ſcripſit, *teſtis* eſſe potuit calculi poſtea extracti quam ipſe Patavio, atque adeo ex Italia diſceſſerat (c). Idemque is calculus eſt qui ab eodem Moinichenio proponitur in Obſervationibus (d): quod ideo attigi, quia in extrema Adnotatione ad Obſervationem Valliſnerii, quarum utramque ſæpe indicavi, non videtur pro eodem agnoſci quem Valliſnerius ſcripſerat, in hoc Theatro oſtendi ſolitum, nunc in Muſæo ſuo aſſervari; nam quod ex Patavina, non ex Veneta exemptum dixerit, id erroris, ut puto, cauſa fuit, ſed facile vitandi, ſi lectus fuiſſet Molinettus, in cujus libro deſcriptum fuiſſe videtur ignorari, a Lanzono etiam dico, minus alioqui in Scholio ad illam Moinichenii Obſervationem miraturo, *longo tempore acum oſſeam in veſica latuiſſe ſine ulla veſicæ ipſius læſione, nec ullo quidem puellæ incommodo.* Quæ ne Moinichenii quidem verba dicere ſinebant, multo autem minus Molinetti, non modo quæ in extractione, ſed & quæ antea, & poſtea puella tulerit, memorantis. Quod ſi hujus longe minus quam earum de quibus a nobis ſcriptum eſt, veſica ab acu læſa fuit, fortaſſe id accidit quod acus mucro diutius quam in veſica, in urethra hæſit, extra quam demum urgente deſuper calculi pondere detruſus eſt, ut Molinettus invenit.

22. Eas calamitates, mortemque adeo ipſam antevertet is qui in tempore admonitus, acum priuſquam calculus accreſcat, ea dexteritate educat, ut minime quo ad ejus fieri poſſit, lædatur veſica. Quod cum ab aliis de quibus apud Valliſnerium (e), tum præſertim ab Amicis meis duobus feliciter præſtitum eſt, quos alias tibi laudavi, Mariano, & Vulpio. Ille, ut litteris ſcripſit ad me datis pridie Idus Decembris A. 1720. ex agreſti puella, jam ſanguinem mingente, acum exemit, cum induſtrie ex tranſverſo poſitu in rectum traduxiſſet. Erat autem crinalis acus ex oſſe. At quam a Vulpio ex puella quadam urbana extractam vidi, erat ex orichalco. Extraxerat autem paucis ante hebdomadis quam eas a Mariano acciperem litteras, nullo alio inſtrumento adhibito quam ferreo filo lævigatiſſimo, cujus alterum extremum ſic in exigui unci, & pene annuli modum incurvaverat, ut neque lædere veſicam, & capere acum poſſet, captæ autem elabi capitulum non ſineret. Quod ſi res multo ſerius, adnatoque jam calculo innoteſcat, neque is ejuſmodi ſit, ut facile adeo per urethram poſſit eximi, oportebit antequam fœmina cruciatibus difficilioris extractionis ſubjiciatur, ſolerter inquirere, num forte non veſica modo, id quod ſuſpicari omnibus proclive eſt, ſed ureteres quoque, & ipſi præſertim renes, quæ ſuſpicio ex noſtris oritur diſſectionibus, tantum jam mali contraxerint, ut vel acu, & calculo detractis, mulieri nihilominus moriendum ſit. Conjectura autem renum male affectorum ducetur non tam a lumborum doloribus (quos abeſſe poſſe, vidimus (f), aut ſicuti in propoſita puella (g) fortaſſe accidebat, a multo ſævioribus veſicæ cruciatibus ſecundum Hippocratis aphoriſmum (h) obſcurari) quam ab lotii, quæ longa interdum, nec ſemel præceſſerit, in veſica ſuppreſſione, aut crebriore ad acerrimos dolores vitandos retentione, aut exigua nimis excretione, in qua æſtimanda cavendum eſt, nequando aſſiduo urinæ ſtillicidio decipiamur, memores, cum hoc retentionem poſſe conjungi tantæ illius copiæ, quantum ubi de Claudicatione verba fient (i), a me oſtendetur: quanquam & aliis id Epiſtolis (k) jam ſatis oſtenſum eſt; quin Sepulchretum (l) hiſtoriam offeret, in qua veſicæ collum laxum adeo ex reſolutione inventum legas, ut *digitum facile immitteres*; itaque *urina ægroto non ſentiente, ante obitum prodibat*; *veſica tamen*, eaque *duplo quaſi major*, erat *nihilo ſecius tota repleta*. Retenta autem urina quantum ureteres amplificaſſet, ex iis Epiſtolis cognoviſti, & quantum etiam renum caveam dilataſſet, ipſamque in uno ſaltem, ſubſtantiam læſiſſet.

23. Quod ſi hæc a retenta lotii parte; quanto magis a longa, & repetita totius intra veſicam ſuppreſſione, aut a crebra & lotii, & puris ipſius retentione? A ſuppreſſione certe habes in Sepulchreto exempla plura, inter quæ Rumleri (m), & Ballonii (n) quorum hic magnam vidit ureterum amplitudinem; ille eoſdem urina plenos, renes autem tantæ in puero magnitudinis, quantæ vix eſſe poſſent in adulto: quamobrem Cl. Fantonus (o) jure cenſuit, cum per catheterem plus urinæ tunc educitur, quam veſica continere videatur, *partim a diſtentis quoque ureteribus, partim ab ipſis nonnunquam ampliatis renibus profluere poſſe*. Nimirum cum plus veſica jam capere non poteſt, quidquid lotii jugiter in renibus ſecernitur, ureteres primum, tum renes quoque ipſos diſtendit. Non id fugit Aretæum (p). *Ubi urina* in veſica *ſupprimitur*, *ſuperiores quoque partes*, inquit, *renes videlicet*, *replentur: urinæ ductus (græci Ureteres appellant) diſtenduntur*. Quæ cum etiam accidant, ubi nullus in veſica eſt, aut antea fuiſſe dicitur calculus, ut in propoſitis exemplis, itemque in eo quod a Commercii Litterarii (q) Auctoribus recenſetur, aut in Cæſareæ Academiæ Actis (r), aut in Helveticis (ſ) legi poteſt; impedito enim urinæ effluxu e veſica ab hujus abſceſſu, vel a viæ per Proſtatam coarctatione, aut influxu in veſicam ab ſumma hujus capacitatis imminutione, *magnitudo renum, & amplitudo ureterum*, vel horum ſaltem dilatatio ut *minimi digiti diametrum ſuperarent*, vel *digiti majoris* æquarent, in oculos incurrerunt; cum igitur hæc etiam ſine calculis accidant; non fuerant ſane a calculorum dumtaxat in ureteribus mora quæ deſcenſuræ obſtet urinæ, a Viro alioquin Experientiſſimo repetenda, neque ex eo quod cuidam unus in veſica eſſet calculus, ureteres autem ambo dilatati, arguendum fuerat, calculum illum neceſſario ex duobus, quorum ſinguli in ſingulis ſubſtitiſſent ureteribus, coaluiſſe. Cum vero ea quæ diximus, fiant vel ubi veſica poteſt ad ingentem capacitatem extendi; profecto intelligis, quanto accidere facilius debeant, ſi aut ipſa, ut in uno ex indicatis exemplis, in ſe contracta, aut alieno intus corpore aliquo occupata, minus, & interdum vix aliquid ſpatii urinæ relinquat, ſive iſchuriam inde, ſive ſtranguriam dumtaxat patiatur.

(z) Obſ. cit. (a) c. ſupra cit. (b) 87. in hujus Epiſt. Cent 2. (c) Vid. Cent. 1. Epiſt. 73. & ſeq.
(d) Medic. Chir. 22. (e) Obſ. & Adnot. ſupra ad n. 21. cit. (f) ſupra, n. 2. & ſeqq. & n. 13. & ſeq. (g) n. 20.
(h) 46. Sect. 2. (i) Epiſt. 56. n. 12. (k) Epiſt. 4. n. 19. & Epiſt. 39. n 33. (l) Sect. hujus 3. l. 27. Obſ. 2 §. 5.
(m) Sect. 24. Obſ. 12. §. 6. (n) Ibid. §. 7 (o) Differt. Anat. Renov. 7. (p) De Cauſ. & Sign. Acut. Morb. l. 2. c. 10.
(q) A. 1738. Hebd. 32. n. 1. (r) Tom. 1. Obſ. 154. (ſ) Tom. 1.

tiatur. Sic poſt iſchuriam, Sylvii Obſervationem habes in Sepulchreto (t) ureterum *pollicem non raro admittentium, atque urinam uſque ad renes ipſos in ſe continentium*, ut ſcribit, non 2. ſed 1. Prax. Med. libro cap. 56. tum illam quæ communicata cum Riolano deſcribitur (u) renum *dimidio majorum ſolito, ſero refertorum & turgentium*, atque *ureterum ampliſſimorum, & ita ſero diſtentorum, ut minorem digitum facile poſſent admittere*. Poſt ſtranguriam autem Catticrum ibidem (x) leges inveniſſe *renes urina diſtentos & turgidos, quibus diſſectis copioſa effluxit, ureteres admodum latos*: quos etiam poſt dyſuriam ab ejuſdemmodi cauſa laudatus Fantonus (y) *ampliſſimos* deprehendit; quo acerbior autem, ut illa, dyſuria eſt, eo graviorem ſolet ſtranguriam habere conjunctam. Cum igitur in puellis duabus quarum a nobis ſunt inſpecta cadavera, acerbiſſima fuiſſet dyſuria, veſica autem valde contracta, & calculo pene tota occupata; mirandum non eſt quod lotium priuſquam via per acum facta, ab illa egredi aliquanto liberius poſſet, ea copia in ureteribus, renibuſque ſubſiſteret, ut illos dilatare, hos autem etiam vitiare adeo valuerit, præſertim cum pure commiſtum, quod ex veſicæ tunicis exulceratis manabat. Euſtachius (z) namque, ut rebus ſecundum naturam ſe habentibus, *nihil ex veſica per urinarios meatus egredi poſſe*, confirmabat; tamen *in magna, & longa ſuppreſſione urinæ, contrarium accidere in pluribus ægrotis quandoque* ſe, ajebat, *obſervaviſſe*. Scilicet valde amplificatis ſimul cum ureteribus ipſorum quoque in veſicæ orificiis, nulla jam illorum pars ſupereſt quæ inter veſicæ tunicas oblique trajiciatur: itaque non modo tunc poteſt illac urinæ portio redire; ſed & cedere incipiente, aut ſoluta jam ſuppreſſione, ſe contrahens ad mingendum veſica tanto plus urinæ per amplificata illa orificia ſurſum compellit, quanto minus poteſt deorſum, obſtante ſubinde calculo per urethræ orificium expellere. Quod ſi forte paulo ante calculus minus obſtitit, majorique ideo urinæ copia per urethram ejecta, non multa jam reſtat in dilatatis ureteribus; intelligis certe, ſi mox iterum ſe calculus ad urethram opponat, urinam, cum eaque pus, ſi forte inſit, per ureteres ad renes uſque, cubante præſertim, dum mingere conatur, ægroto, non difficile compulſum iri.

24. Hæc autem, ut vides, maribus æque ac fœminis communia ſunt, poſſuntque ab iis quoque lapidibus tandem expectari, qui non circum acum in veſica concreſcant, ut præter eam quam ſupra (*) deſcripſimus, adoleſcentuli hiſtoriam, tot aliæ oſtendunt, quarum aliquot, ut Sepulchreto poſſis adjicere, hic placet commemorare. Henricus Henrici in Diſſertatione de Abſceſſu Meſenterii (a) de quinquenni puella meminit, cujus ureter ex reſtagnante, ob calculum veſicæ, urina, *inteſtinum mentiebatur*, ren autem alterius magnitudinem triplo ſuperabat. Extat in Actis Eruditorum Lipſienſibus (b) Groeneveltii Obſervatio in puello calculoſo, cujus ureteres inteſtinum quoddam Tenue capacitate referebant. Eoſdem in ſene a veſicæ calculo ſæpius ſtranguria conflictato Mauchartus (c) vidit ab urina, quam continebant lacti ebutyrato ſimilem, *inflatos inſtar inteſtini ilei* cum renibus maximis, & inæqualibus, quorum pelves ad ovi magnitudinem erant diſtenti. In nauta Laubius (d) ab eodem morbo, cum ſymptomate eodem conjuncto, non modo cum pelvibus ureteres valde dilatatos, ſed & cum renibus, altero magno & ulceroſo, altero contra atrophia laborante. Poſt eaſdem affectiones Loſpichlerus (e) in mercatore ureteres invenit ſtagnante lotio adeo diſtentos, ut *pollicis majoris introitum* facile admitterent: Brunnerus (f) autem in Viro Principe fuiſſe, refert minus turgidos, ſed renum dorſo inciſo, *urinam pleno flumine proſiliiſſe*. Dices fortaſſe, quæ labes in renibus, & ureteribus eorum ſpectantur qui laborant veſicæ calculo, huic non quando jam in veſica eſt, ſed quando in renibus, aut ureteribus hærebat, eſſe imputandos, ſicque Butzmannum (g) cenſuiſſe, cum in puero, affectionibus de quibus loquimur, diu cruciato, renis loco ſacculum deprehendit puris plenum. Sic Rudolpho Jac. Camerario (h) in puello pariter affecto, purulenti renis, & dilatati eroſique ureteris cauſam viſam eſſe indidem repetendam. Quin duas Coſchwitzii (i), & unam Schulzii (k) extare Obſervationes, in quarum nulla de veſicæ calculo; ſed in omnibus de calculoſis doloribus mentio fit: in duabus autem primis purulentos renes, mirum in modum dilatatos fuiſſe ureteres, in tertia non ſolum dilatatos, verum etiam *in crebros orbes* Tenuium inſtar inteſtinorum *tortos* ferme ut in Stabulario (l) deſcripti ſunt; tanta vis lotii fuerat in ureteribus ſecundum longitudinem quoque amplificandis. Quod tamen non ex veſica ſurſum regurgitaſſe, eorum monſtrabant orificia, quippe ambo in hac tertia Obſervatione, alterum autem in prima inhærentibus anguloſis lapillis, aut fruſtulis quaſi teſtaceis, ſpaſmodicam ſuis aculeis conſtrictionem inducentibus, occluſa. Ego vero iſta alia quoque ratione renes aliquando, &, ſi vis, ſæpius, vitiari, & ureteres diſtendi, negavi nunquam. Imo hoc ajo, ſi iſta præceſſerit, tum deinde calculis in veſicam illapſis, eamque obſtruentibus, aut compungentibus, ſecunda ratio ſucceſſerit; tanto magis a regurgitante purulenta urina labem renum, & ureterum auctum iri, quanto magis antea prima iſta ratio labefactaverit. Præclare igitur vides quæ prudentem lithotomum morari debeant, ad calculi extractionem poſt longa, & gravia ægrotantis mala acceſſitum: aut ſi forte hujus impatientia exſecare interdum cogatur, quid ſaltem prædicere oporteat vel poſt felicem exſectionem poſſe mali, & periculi ſupereſſe. *Si a calculis*, inquit Aretæus (m), renum *ulcera facta ſint, inſanabiles inde morbi naſcuntur, cita colliquatio, morſque adveniunt*, præeunte Hippocrate (n), qui de ſuppuratis renibus vel in univerſum pronunciavit, *hunc morbum gravem eſſe, & multos ex ipſo ad tabem renalem deveniſſe*: & ſi ætas accedat gravior, non modo (o) *renum, & veſicæ vitia difficulter ſanari*; verum etiam (p) *renum affectiones ſe non vidiſſe ſanatas ſupra quinquageſimum annum*. Haud equidem ignoro, quantum, ut in pleriſque aliis rebus, ita in his quoque fortuna valeat, qui hic A. 1708. non una, nec levi de cauſa deſperatam ab Alghiſio Patricii Veneti, annos amplius ſexaginta nati, curationem, mox ſuſceptam, & feliciſſime abſolutam ab Eremita illo Jacobo Beaulieu fuiſſe, meminerim, quemadmodum ſciſcitanti Cl. Viro Morando ſæpe olim per litteras ſignificavi, & multo inter initia pleniorem metu, neque infelicis tamen exitus, curationem alteram in Sepulchreto (q) legerim: in quo (r) etiam Fœminæ Principis hiſtoria extat, quæ graviſſimis renum doloribus cum ſanguinis, & puris mictu antea cruciata, deinde ab his libera, morbo denique alio confecta, in rene oſtendit parvum calculum, *circa quem cicatrix pulchra, ſana & munda dimidii digiti longitudine* inducta erat. Quin perlege quam paulo ante laudavimus, Brunneri in Viro Principe Obſervationem. Non modo eamdem *palliativam* medendi rationem qua ſupra (ſ) diximus Valſalvam uti conſueviſſe, tantum ei Viro profuiſſe, intelliges, ut Brunnerus non immerito id ſcripſerit, quod utinam in periculoſis caſibus lithotomi meminiſſent, *ergo lithotomia in calculo veſicæ non ſemper abſolute erit neceſſaria*; verum inſuper *quod fidem pene ſuperat*, ulcerum

(t) Sect. 24. cit. Obſ. 6. §. 8. (u) Ibid. Obſ. 16. (x) Sect. hac 25. Obſ. 8. §. 7.
(y) De Obſerv. Med. & Anat. Epiſt. 8. n. 15. (z) Tract. de Renib. c. ultimo. (*) n. 15. (a) §. 5.
(b) A. 1685. M. Mart. (c) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 15. (d) Ibid. Obſ. 22. (e) Cent. 1. Obſ. 58. (f) Cent. 9. Obſ. 2.
(g) Dec. 3. A. 7. & 8. Obſ. 27. (h) Specim. Experim. circa Generat. S. 2. c. 3. Hiſt. 3.
(i) Diſſert. de Valvul. in ureterib. §. 5. & 7. (k) Diſſert. de Vaſ. Umbilical. §. 6. (l) Epiſt. 4. n. 19.
(m) De Sign. & Cauſ. Diuturn. Morb. l. 2. c. 3. in fin. (n) De intern. Affect. n. 16. (o) Sect. 6. Aph. 6.
(p) De Morb. Popular. l. 6. Sect. 7. (q) Sect. ſuper. 23. Obſ. 4. §. 13. (r) Sect. 22. Obſ. 26. §. 8. (ſ) n. 16.

terum quæ calculus, & contraria medendi ratio antea fecerant, *cicatrices inveniſſe Proſectorem in veſica* Viri ejuſdem, quamvis ſexagenario majoris.

Sed nimirum longe aliud eſt quæ rarius contingunt, aliud quæ ſæpius, ſpectare: atque, ut ad puellas regrediar noſtras, aliud in tempore, aliud nimium progreſſo jam morbo accerſi: quod ex Obſervatione apparebit, iiſdem quas ſupra (*t*) memoravi, litteris ad me ſcripta a Medico Experientiſſimo Laurentio Mariano.

25. ADOLESCENTULÆ ruſticæ oſſea crinalis acus eodem quo prioribus, modo in veſicam attracta, etſi dolores moleſtiaſque creabat multas; non antea tamen facti confeſſionem expreſſit, quam calculo acui adnato, intolerabili cruciatu affecta eſt. Tunc denique cum inſpiceretur, acus mucro, urethra prope infimam vaginæ ſedem pertuſa, intra hujus cavum prominens repertus eſt. Viſum Mariano, ſi nonnihil ſecundum longitudinem urethra incideretur, acumen illud in urethram poſſe retrahi, ſicque acu & calculo in directum ſtatutis, tentari, an hunc, fragilem fortaſſe, deſquamando ſenſim, & dextere, ad eam redigere tenuitatem liceret, ut cum acu eximeretur. Repugnantia aliorum factum eſt, ut nulla re tentata, ſuæ ſorti miſera puella relinqueretur. Ut tempus, ſic calculus quoque, & cruciatus augebantur, obturatoque jam propemodum toto veſicæ orificio, vix paucæ eæque graveolentes, urinæ exibant. Sic febribus quoque accedentibus, tandem vitæ infelicis factus eſt finis. VENTRE aperto, pus in hujus pelvi conſpectum eſt, creditumque, a renibus, qui ſuppurati erant, effuſum. Veſicæ, ſphacelo correptæ, inerat calculus pyri forma; nam quo magis a capitulo, & ſuperiore acus parte deſcendebat, eo magis ſe extenuabat. Cum e veſica, ad quam aliqua adhærebat ex parte, attolleretur, ſquamulas ad eum locum agglutinatas reliquit. Et tamen, cum acu lanci impoſitus, tunc pondere denarios æquavit duodeviginti; cum autem poſtea hæc ad me ſcriberentur, non niſi quatuordecim.

26. Qui puellæ alteri, ut dictum eſt ſupra (*u*), acum priuſquam lapis accreſceret, feliciter extraxerat, huic quoque inchoato, auctoque jam calculo, eximi poſſe non deſperabat, ſi acus mucrone in urethram reducto, & forcipe firmato, calculum extenuare, ſiqua poſſet, conaretur antea, quam educeret, Benivenium (*x*), qui in Virginis urethra comminuit, prius quadantenus, tum ſi res non ex voto procederet, Molinettum (*y*) qui per vim extrahendum curaverat, imitaturus. Et fortaſſe aliquid profici etiamtum poterat. Poſtea vero quam calculus uſque adeo, & cum ipſo mala omnia creverant; quis eſt qui ſperare quidquam poſſet? Quod ſi calculus tanto fuiſſet tenuior, via autem per quam urethræ cavum cum vaginæ cavo communicabat, tanto amplior, quanto utrumque in ejuſdemmodi caſu fuerit neceſſe eſt, quem ex Italia miſſum, in Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis Hiſtoria (*z*) legimus; fortaſſe & ipſe per ſe pariter intra vaginam excidiſſet. Crediderim vero in eo quoque caſu tranſitum ex ſumma urethra magis quam ex veſica in vaginam fuiſſe, quando ſucceſſiſſe legimus, non urinæ per vaginam effluxum, ſed urinæ tantum incontinentiam. Sive enim acus e digitis non tota in pluribus intra veſicam abripitur, ut ſupra (*a*) conjiciebam, ſive mavis, poſtea quam tota abrepta eſt, contrahente ſe veſica, in urethram retruditur, quorum illud veri ſimilius cenſeo, cum acumen quod digitis tenebatur, non capitulum, in Molinetti, & Mariani certe exemplis, & in totidem quæ continuo proferam, ab urethræ parte fuiſſe, ſciam; nihil fieri facilius poteſt, quam ut capitulo a poſteriore veſicæ parte, quippe quam annexa vagina tunc libidine turgens antrorſum impellit, antrorſum pariter compulſo, obliquatæ acus mucro retrorſum agatur, ſicque in urethræ poſteriorem parietem, præſertim ſi acutior ſit, ſe defigat, eumque crebris adactus veſicæ contractionibus, denique pertundat. Quod ſicuti factum eſt in agreſti Adoleſcentula, quæ hæc me ſcribente, ab noſtratibus Chirurgis opem petebat, ita futurum fuerat in Virguncula annos quatuordecim nata, de qua a Chirurgo, in Re Anatomica a me erudito, non multo poſt tempore narratum eſt, quam illa altera obierat, cujus tibi ſectionem deſcripſi (*b*). Cum ſedens, idem quod illa factitaret, acus autem capitulum tantæ propemodum craſſitudinis quanta urethra eſt, in hanc altius intruſiſſet, repentino matris interventu perculſa, ſimul dimiſit, ſimul altiſſime abſorptam ſenſit. Dies vix quatuor moleſtias doloreſque tacita pertulit; quincto rem matri, hæc ei quem dixi, Chirurgo aperuit. Qui ex punctionis de qua ægra maxime querebatur, ſede conjiciens, acus infimam partem circa urethræ medium infixam hærere, veritus, ne inſtrumento aliquo in hanc immiſſo acus in veſicam penitus compelleretur, annuentibus, imo rogantibus & puella, & matre, uno, mox & altero digito vaginæ indito acum non majori induſtria quam felicitate ita decuſſit, ut cuſpis ad urethræ orificium ſe oſtenderet, vulſellaque prehendi poſſet. Sic duabus, haud amplius, ſanguinis guttulis excidentibus, nulloque ſuperſtite incommodo, acus, quam ad me attulit, exempta eſt. Erat illa, aut certe videbatur ſtannea, crinalis, quatuor digitos tranſverſos longa, cuſpide peracuta: jamque hic illic quidpiam adhærere cœpiſſe tartareæ materiæ, mox temere deterſæ, Chirurgus animadverterat.

27. Nolim ægre feras, tot additis a me exemplis illud confirmatum videri quod ab nonnullis ſcriptum eſt, fœminas quibus hæc accidunt, *pleraſque eſſe Italas*. Utinam noſtrates omnes ſcirent, quot ex ipſis hac ratione per graviſſimos cruciatus ante diem abſumptæ ſint. Verum agreſtes, plebejæve puellæ, ab ætate quoque ipſa rudes, hæc quî ſcire poſſint? Nec tamen reticenda a nobis exempla ſunt, ut ab horum frequentia admoniti poſſint Medici ſiqua forte illarum de urinæ difficultate queri incipiat, diligentius omnia inquirere, & cauta dexteritate verum exprimere, dum licet adhuc auxilium ferre. Cæterum neque omnibus Italiæ partibus, nec certe quibuſdam ex iis ubi ipſe, nec brevi tempore, fui, communia hæc ſunt, neque externæ omnes regiones ejuſdemmodi carent exemplis, quæ minime neceſſe eſt hic a me odioſa ſedulitate commemorari: alia, ſi quæris, ex Valliſnerii (*c*), alia ex Platneri (*d*), alia denique ex aliorum lectione intelliges. Nec dubito, quin plura extarent, ſi tot ubique cadavera, quot in Italia ſecarentur, aut niſi fœminarum pleraſque pudor cogeret veram morbi cauſam diſſimulare. Aliæ enim, quod vel inter noſtrates, ruſtica puella factura erat (*e*), & aliquæ, ut eſt apud Alghiſium (*f*), & Valliſnerium (*g*), fecerunt, pertinaciſſimo ſilentio rem totam occulunt; itaque facillime accidit, ut ſimul cum ipſis acus humetur, de qua nemo ſuſpicatur. Aliæ autem deglutitam comminiſcuntur; ut tametſi in vivis, aut mortuis Medici deprehendant, his fucus fiat. Et fuit quidem olim cum fucus etiam in Italia fieret, ut a Veneta illa Virgine cujus magnum ad crinalem prælongam acum adnatum calculum ſub finem ſæculi XV. memoravit Alexander Benedictus (*h*): qui tametſi eos rejecit (*i*) qui per venas a ſtomacho ad jecur, indeque ad cor, ab hoc autem ad renes, veſicamque tranſiiſſe acum arbitrabantur; ipſe tamen *acie ſua paulatim multoque tempore inteſtina penetraviſſe, viamque ſibi feciſſe*, cenſuit, *ad veſicam*, ut in eo probandus quod ſententiam damnavit, quam aliis miror vel

longo

(*t*) n. 22. (*u*) n. eod. 22. (*x*) De abditis morbor. cauſis c. 80. (*y*) c. cit. ſupra ad n. 21.
(*z*) A. 1735. Obſ. Anat. 10. (*a*) n. 21. (*b*) n. 20 (*c*) Obſ. ſupra ad n. 19. cit.
(*d*) Diſp. de Calc. ad veſic. adhær. §. 10. not. π, & *p*. (*e*) n. 20. (*f*) Litotom. c. 3. (*g*) Adnot. ad cit. Obſ.
(*h*) Hiſt. corp. hum. l. 2. c. 9. (*i*) l. 5. c. 13.

longo poſt tempore placuiſſe, ita in altera proponenda, quæ multo plures habuit aſſeclas, non facile imitandus. Neque enim hic de tenui aliqua acu agitur, ſed de craſſis, altero perſæpe extremo bene capitatis, altero interdum non ita acutis, ſemper autem (in iſtis dico quæ deglutitas ab ſe ajunt, pudibundis Virginibus) quaſi de induſtria veſicam petentibus, neque iis prævijs, & comitantibus doloribus, ac ſymptomatibus quæ res, & ejuſmodi via poſceret. Itaque rarior, nunc ſaltem, hæc apud doctiores Italos credulitas eſt, cujus in regionibus quibuſdam aliis retentæ vel in nonnullis egregiis libris indicia video non obſcura. Relinquebatur, ut non modo acus, ſed acuum quoque thecam, quam aciarium vocant, eadem traductam via comminiſcerentur, quando eam ex veſica etruſcæ puellæ præſtans Vir Benevolus (*k*) ſe ſcribit exemiſſe. Hic iterum forſan moleſte feres, Italæ puellæ noxam pene incredibilem attingi. Verum fac legas quæ ad Platneri Inſtitutionum Chirurgiæ §. 1359. (*l*) ſunt adnotata; num prima illa fuerit quæ id molita ſit, intelliges. Attamen ſi via illa Alexandri Benedicti uſi eſſent ad acus alicujus tranſitum explicandum non in muliebrem veſicam, in quam extrinſecus perbrevis, & expeditus aditus patet, ſed in virilem, in quam multo longior, & flexuoſus; libentius, ut alibi (*m*) ſcripſi, in quibuſdam præſertim caſibus, crederem. Quod utinam in eo poſſem, quem tibi protinus perſcribam: minus queſtus eſſem, & adhuc quererer, quanto res certior eſt, tanto eſſe ad intelligendum difficiliorem.

28. RUSTICUS annorum quadraginta, a longo jam tempore gravi urinæ difficultate laborabat: neque ob hanc tamen, ſed ob ſcroti exulcerationem, & febrem in Noſocomium hoc venit uno antequam moreretur, menſe. Ad febrem primum fuſa alvus, deinde adſtricta, & macies in dies major acceſſit, qua ad ſummum perducta, & facie cachectica facta, urgentibus antiquis ad veſicam cruciatibus confectus eſt. Morti jam proximus cupere id quod pauci ejus ſortis homines ſolent, viſus eſt, ut diuturnæ moleſtiſſimæque dyſuriæ cauſa per anatomen quæreretur. Itaque Chirurgum appellat, eique aperit, ſe ſibi ante biennium acum crinalem ex orichalco in urethram immiſiſſe, quæ num deinde excidiſſet, an reſtitiſſet, juxta ignoraviſſe, & adhuc ignorare. Qua autem ratione, & cur immiſiſſet, reticuit, nec Chirurgus ab homine jam moriente, & cum pudore quaſi quodam ea narrante quæſivit. Hæc cum mihi retuliſſet tunc forte alia tum ſecundum, tum præter naturam in Noſocomio oſtendenti, continuo afferri cadaver juſſi, hanc etiam, quam brevem credebam, ad cæteras ſtatim additurus perquiſitiones. Et quoniam acum ad urethræ flexum hæſiſſe, aut ſi forte poſtea excidiſſet, magnam ibi labem reliquiſſe exiſtimabam; primum omnium urethram illuc uſque cenſui ſecundum longitudinem eſſe aperiendam. SCROTO igitur, quod ab lotii, ut opinor, ſtillicidio exulceratum adhuc erat, inciſo, cum teſtes æquo majores, planeque tumidi viderentur; facile apparuit, id eſſe a tunicis craſſioribus, albiſque factis; non a diſtenta illorum ſubſtantia. Quæ, etſi Vaginalis tunica ad Albugineam paſſim adhærebat, ſic ſatis ſana fuit, ea parte excepta quacum inferior connectitur epididymidis globus; hæc enim purulenta erant, & nigricantia. Tunc urethra ab externo ejus orificio per totam penis inferiorem faciem, & perinæum adaperta, intimam ejus tunicam neque exulceratam, neque cicatricoſam, neque rubentem; imo albicantem, & lævem ubique, craſſiuſculam tamen factam inveni. Sic ubi intellexiſſem, ad ulteriora eſſe nobis tranſeundum; reliquas omnes Partes quæ ad urinam attinent, extrahi continuo juſſi. Erat veſica ſine urina, & in ſe contracta, abnormi autem figura. Nam ad ſummum dexterum latus excreſcebat in quadratum quendam ſaccum mediocrem, jam nigreſcentem. Hic quid eſſet, & quid contineret, apparuit omnibus, inciſa ab anteriore facie primum ſuprema, quæ inſpicienda reſtabat, urethræ parte, tum ipſa veſica. Et in illa quidem urethræ parte uſque ad Seminalem totam carunculam, quæ ſtrigoſa erat, ſuo tamen ſinu ſecundum naturam prædita, nihilo plus vitii deprehendimus, quam in diſſecta antea reliqua urethra. Sed continuo ſupra carunculam, non Proſtatæ modo, ſed & veſicæ interior facies univerſa occurrit exulcerata, & ſubalba quadam quaſi eſchara obducta. Tunicæ autem veſicæ, quod ſecando fuerat animadverſum, craſſæ factæ erant, & in parte lividæ, ac nigricantes, in parte albæ, & quaſi ſcirrhoſæ. Neque aliter is ſaccus ſe habebat, de quo modo dictum eſt, quippe non ſolum orificio æque ac ipſe, amplo cum veſica communicans, ſed ex hujus omnibus productis tunicis factus. Erat intra ipſum calculus, nucis juglandis mediocris, vel potius parvæ magnitudine, & quadantenus etiam forma, humore albumen referente non multo oblitus: ex cujus latere, extremo alteri propiore, acus illa exibat, prominebatque ad digitos tranſverſos duos, parte ſui reliqua, quæ ad capitulum ſpectabat, intra calculum alte, firmiſſime certe, condita, ut digitum tranſverſum alterum æquare, & fortaſſe etiam ſuperare poſſe videretur. Sed pars illa altera quæ ad cuſpidem, eamque acutiſſimam, pertinebat, rectiſſima, quippe ut in acu quæ ex firmioribus eſt, neque ex tenuioribus, tantum extra ſacci orificium deorſum ex obliquo ſe demittebat, ut in imum contractæ veſicæ ſiniſtrum latus acumen infigeret, unde nullo negotio extractum eſt. Quo tunc eſſet pondere calculus, non quæſivi: cum autem quærerem ſeptimo poſtquam repertus eſt anno, ſimul cum acu drachmas duas, totidemque ſcrupulos ſuperabat granis decem, ſive mavis, ut hic ſe habent medica pondera, ſemiſcrupulo. Subflavum autem ubi aſſervavi, depoſuit pulverem; eſt enim ſuperficie non lævi, eaque maxima ex parte ad illum colorem vergente. Cæterum in veſica ureterum orificia multo quam ſolent, erant majora: ureteres autem latiores, & pure adeo diſtenti, ut alicubi craſſitudinem æquarent pollicis. Et renes quoque fuerunt æquo ampliores, & turgidi: pallidi exterius; intus autem ſemiputres, & pure cinereo ſcatentes. Reliqua in cadavere examinare nec opus credidi, nec per tempus licuit.

29. Raram hanc, &, ſi attente omnia perpendas, ſingularem fortaſſe Obſervationem, inſpectante frequentiſſima Studioſorum Juvenum, Doctorumque corona habui IV. Kal. Decembres A. 1742. cujus ſummam Quinctili menſe inſequentis anni Cl. Viro Morando per litteras ſignificavi: qui cum Regia illa Chirurgorum Academia ab ſe communicatam eſſe, nec de hoc amplius quidquam quod ad me perveneriſt, reſcripſit. Significandi autem cauſa fuerat, ut ſi forte Lutetiæ in Urbe multitudine hominum, & cum ſcientiis aliis, tum arte in primis exſecandi calculos celeberrima, ejuſdemmodi res accidiſſet; certior fierem, & qua ratione id fieri potuiſſe crederent, non ignorarem. Ejuſdemmodi rem cum dico, acum intelligo ejuſdem longitudinis, firmitudinis, rectitudinis, ac noſtra eſt; neque enim breviorem, aut flexilem æque mirum eſſet per maris urethram in veſicam perveniſſe. Legeram quidem apud Paræum (*n*), calculum e virili veſica exemptum, *nucis juglandis craſſitie, in quo medio acus ei plane qua ſutores ſuere ſolent, ſimilis depacta viſebatur*. Verum ſi intra calculum condita; brevior erat, quam noſtra: ſi e calculo prominens; qua tamen eſſet longitudine ignoramus. Utralibet autem ratione fuerit; nonnihil flexa eſſet, an recta; in primis vero num per urethram ſubiiſſet, neſcimus. Aliæ enim eſſe potuerunt viæ acui præſertim non capitatæ, per quas in veſicam tranſiret. Sic acum ſimilem, ſi recte memini, Tab. 30. a Cl. Cheſeldeno (*o*) exhibitam, circa quam accreverat calculus e pueri veſica exciſus, Doctiſſimus Vir Meadius cenſuit per perinæum ſubiiſſe: & Valliſnerius (*p*) ſuſpicabatur, ramuſculum certæ cujuſdam plantæ quem intra calculum veſicæ aprugnæ

(*k*) Oſſerv. 42. (*l*) not. *b*. (*m*) Adverſar. 3. Animad. 36. (*n*) Oper. l. 24. c. 19. (*o*) The Anat. of the hum. body. (*p*) Opere Tom. 1. P. 6. nella Lettera al Giorgi.

gnæ deprehenderat, per vulnus ab acuto aliquo duroque denſi nemoris ramo abdomini currentis apri inflictum, illuc perveniſſe: qua ratione num aliud pariter *lignoſum quoddam corpuſculum* intra calculum eſſe potuerit qui in ſuis domeſtici veſica inventus dicitur (*q*), ipſe exiſtimabis. Porro & altera acui eſſe potuit via, illa videlicet a Benedicto ex inteſtinis in veſicam propoſita, quam etſi non facile admittendam eſſe, ſcripſimus ſupra (*r*), non tamen ſemper rejiciendam cenſemus, præſertim ubi illa objici non poſſint quæ tunc objecimus. Rem exemplo illuſtrare placet, quod ab iis qui cætera hujus generis memorarunt, indicatum eſſe, non meminimus. Habebis illud inter Claudini Reſponſiones Medicinales (*ſ*). Puer acum deglutiverat, quam poſt annos aliquot, maximo conatu in mingendo impulſam, ipſe ſibi ex urethra exemit, tenui calculo auctam. Quo illa itinere in veſicam, aut certe in urethram perveniſſet, lumbrici oſtenderunt longi, rotundi, & vivi, quorum aliquos primis ab acu deglutita annis poſt urinariarum partium dolores minxit, poſt eductam autem acum, alterum vivum pariter, & longiſſimum, nec ſine materia fœtente, & nigri coloris. Quod exemplum ut ad illa addendum vides quæ de vermibus per urethram ejectis verba ſuperius (*t*) facientes, commemoravimus; ſic intelligis, quamvis pueri iſtius acus duos longitudine excederet digitos, nec capitulo careret, non poſſe ad illas traduci quæ acus crinales in veſicam ſibi, ajunt, ex ore deſcendiſſe, ſi conſtet, nihil eorum eſſe paſſas quæ viam in illam ex inteſtinis apertam fuiſſe, demonſtrent: quod cum de Paræi viro non conſtet; nihil prohibet quo minus ejuſmodi iter in eo olim acum ſuſpicemur habere potuiſſe. At enim alii ſunt in quibus locus nullus eſt iſtiuſmodi ſuſpicionibus, quippe, ut noſter, faſſis, altero hordei ſpicam, altero, ſi recte intelligo, præferratæ ligulæ tenue extremum ſe ſibi per urethram in veſicam intruſiſſe. Fateor qui de hoc legerim apud Dioniſium (*u*), de illo autem apud Platnerum (*u*). Sed extremum id ligulæ qua longitudine fuerit, & num inflexum eſſet aliquantum, necdum ſcio; ſpica autem ut flexilis ſit, non eſt qui neſciat. Præterea uterque, ſicuti videtur, alter certe quod intrudere cœperat, ulterius, & in veſicam uſque ſe compuliſſe, faſſus eſt. Noſter vero acum in primam urethræ partem demiſſam, adeo promovere non perrexit, ut excidiſſet, an reſtitiſſet, plane, ut diximus (*y*), ignoraret. Sed fac, promoviſſe; ubi ad magnum illum qui in perinæo eſt, flexum perduxiſſet; quî tandem, quæſo, illum ſuperare, & ſurſum verti acus iſta longitudine, & rectitudine potuiſſet? cur non ibi hæſit? cur adeo acuto mucrone, ſi hic præcedebat, non ad eum locum ſe defixit? aut ſi, ut veriſimilius eſt, non præcedebat, non eum locum, dum acus ſe converteret, violavit? Nulla enim ibi, ut diximus, cicatrix fuit. Hæc igitur ſunt quæ me fateor ſatis adhuc aſſequi non poſſe: idemque faſſi ſunt omnes peritiſſimi Viri, & nominatim Cocchius, & Benevolus, qui hac tranſeuntes, & me pro ſua quiſque humanitate inviſentes, rem viderunt, & peratt ente conſiderarunt. Equidem in minimis, eoque flexilibus aciculis non hærerem, multoque minus in tenuiſſimis candelis cereis. De quibus ſi leges caſum, quantum videtur, eundem, tametſi verbis eſt aliis viginti quinque poſt annis repetitus (*z*); ut partem duntaxat aliquam accipias, minus miraberis, fœmineam veſicam repente acus in ſe trahere, cum virilem quoque intellexeris *ſubito candelam abſorpſiſſe*.

30. Quod renes, & ureteres in Ruſtico noſtro ampliores, utrique autem eſſent referti pure, hæc nempe cum iis congruunt quæ ſupra (*a*) ſunt poſita, & explicata. Ab eademque cauſa, urina videlicet ob acerbiſſimam dyſuriam ſæpius retenta, eoque debiliorem aliquam veſicæ partem extrorſum urgente, ſacculum repetendum eſſe puto in quo calculus condebatur. Qua me in opinione tunc etiam fuiſſe cum in Adverſariis (*b*) primum ſcripſi quid de iſtis ſacculis obſervaſſem, ex iiſdem probe noſti. Eam vero poſtea ab aliis eſſe confirmatam, non ignoro, exempla gravidarum proferentibus quarum veſica ex graviſſima iſchuria in iſtiuſmodi ſacculos, ſive hernias, quomodo ipſe quoque vocaveram, aliqua ex parte laxata fuerat: quæ tamen inter exempla haud ſatis video cur referatur quod apud Ruyſchium extat Theſauro VIII. n. CII. niſi forte non id deſignatur quod ibi deſcribitur, ſed illud quod ejus occaſione ibidem repetitur, Obſervatio videlicet Prima Ruyſchianæ Centuriæ: qua cum Obſervatione tu alteram conferes in Actis Cæſareæ Academiæ (*c*) propoſitam; & facile intelliges quid in nobiliſſima Matrona eſſet tumor e genitalibus propendens, quo inciſo magnus calculus cum lotio prodiit, hujuſque incontinentia, an potius ex non perſanato inflicto vulnere ſtillicidium ſucceſſit. Hæ tamen duæ Obſervationes, & quædam alia quæ ejuſdemmodi videri poteſt, Remberti Dodonæi (*d*) ſaccum indicant non magis ab urinæ impulſu, quam a calculorum pondere effectum, aut certe auctum, eumque in ima veſicæ parte: ubi & Riolanus (*e*) olim viderat, & a calculis quidem, (*f*) ſed ad latera, & interdum. Nunc autem ad latera, & præſertim ad ſiniſtrum, poni video, in pleriſque, & id ſaltem ab nonnullis quaſi eſſet a natura. Ego quæ de veſicæ naturali figura viderim, jam alibi (*g*) indicavi. Num ſinus præterea, ſive appendices, ut vocant, iſtas habeat, non libenter hic diſputabo. Satis mihi eſſet, ſi quæ de ea figura ante Weitbrechtum propoſui, ita ab nonnullis referrentur omnia, ut poſt illum propoſuiſſe, ſi Superis placet, non viderer: quanquam nemo poteſt illam ejus Diſſertationem legiſſe, quin temporis quo uterque noſtrum ſua protulit, admoneretur per eam ipſam adnotationem quam Diſſertationi illi ſponte appoſuit non minus juſta, quam docta Petropolitana Imper. Academia (*h*). Nec defuerunt qui ſinus iſtos ab Riolano, aliiſque viſos cum iis promiſcue jam confuderint quos ego non a calculis, ſed ab diutius retenta urina in veſica, obſervaveram. Cujus generis eſſe potuerunt appendices illæ duæ quas Bergerus (*i*) ſaccorum inſtar ad veſicam deprehendit; nam & lotio plenæ, & in ſene erant ex lotii ſuppreſſione mortuo; fuiſſe autem ejus generis, planius ſciremus, ſi loca adnotaſſet, ex quibus proſtarent. Sed antea fuerant qui ſaccorum veſicæ originem aliter explicarent, alii (*k*) a primæva ipſa conformatione repetentes, alii (*l*) a calculo qui inter veſicæ tunicas paulatim creſcens, ex his ſejunctis ſaccum ſibi formet a veſica pendentem, ruptaque demum, vel exeſa interiore tunica, cum veſicæ cavo communicantem: quam communicationis explicationem aliquis non ita pridem ſuam fecit; quanquam tota Diſputatione illa qua varios calculi ad veſicam adhærendi modos eſt perſecutus, ſacculos iſtos extra veſicam prominentes nuſquam diſerte memoravit. Verum duæ illæ ſacculorum origines ſi, ut in certis quibuſdam caſibus, proponantur; non eſt cur prorſus repugnemus: ſin ut in omnibus; cum aliæ noſtræ Obſervationes quæ alias, tum ea præſertim quæ paulo ante (*m*) deſcripta eſt, apertiſſime refragantur. Vides enim ex Adverſariis (*n*), cum in ſtrenuo potatore alii facti jam eſſent ſacculi, alii tantummodo fieri inciperent, horum initia ibi duntaxat apparuiſſe ubi ex areis quas inter ſe relinquunt carneæ veſicæ fibræ urgeri tunicæ extrorſum poterant: Ruſtici autem ſacculum quis a primordiis potius exiſtimet præextitiſſe, quam acui, calculo, creberrimæ lotii retentioni ſucceſſiſſe? Nec vero calculus inter tunicam,

(*q*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 7. cum Scholio. (*r*) n. 27. (*ſ*) Reſp. 40. (*t*) n. 6.
(*u*) Cours d' Operat. de Chirurg. 3. Demonſtr. (*x*) Diſp. ſupra ad n. 27. cit. §. 11. (*y*) n. 28.
(*z*) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 152. & Act. Tom. 4. Obſ. 24. (*a*) n. 22. 23. (*b*) III. Animad. 36.
(*c*) Tom. 4. Obſ. 95. in fine. (*d*) Medic. Obſ. c. 45. (*e*) Anthropogr. l. 2. c. 28. (*f*) Encheirid. Anat. l. 2. c. 30.
(*g*) Epiſt. Anat. 1. n. 61. (*h*) Comment. Tom. 5. (*i*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1704. Obſ. Anat. 22.
(*k*) Sect. hac Sepulchr. 25. in Schol. ad Obſ. 3. (*l*) Ibid. in Schol. ad §. 7. Obſ. 8. (*m*) n. 28.
(*n*) Animad. cit.

nicam, & tunicam increviſſe poterat qui acui adnatus eſt in veſicæ cavum intruſæ, nec, quòd conſequitur, ut ſibi in veſicam aditum aperiret, interiorem tunicam diſrupiſſe. Quin ex iis in quibus hos ſacculos deprehendi, nemo fuit in quo ea tunica eſſet diſrupta, cum in omnibus pariter ac cæteræ, laxata, ad faciendum ſacculum ſe expanderet, quod Ruſtici, & Senis cujuſdam de quo ad te alias (*o*) ſcripſi, diſſectionibus relectis, cognoſces. Neque calculos, ſi Ruſticum excipias, intra ſacculos illos vidi, aut antea fuiſſe, intellexi: neque ſacculos ad ipſa ureterum oſcula, aut infra, ſed ſupra hæc mihi contigit deprehendere, imo & ſuperius multo, ut ex iis quas indicavi, meis Obſervationibus perſpicies.

31. Aliud igitur ſacculi hi ſunt, ac illi quos ſibi calculi parant ad illa anguſta ureterum oſcula ſubſiſtentes, ibique creſcentes, quod novit olim Petrus Francus (*p*), quamvis neque ab Riolano (*q*), neque a Williſio (*r*), neque a tot aliis qui ad hoc uſque tempus idem cenſuerunt, laudatus, uno, quod ſciam, Platnero (*ſ*) excepto, qui & rariſſimi ipſius libri huc attinentem particulam deſcriptam propoſuit. Quod autem Platnerus, Littrium (*t*), & Abr. Vaterum (*u*) ſecutus, addidit, ni calculi inde excidant, *videri ſibi novam viam facere, dum contracta ſubinde valentius veſica, intra* hujus *tunicas verſus cervicem propelluntur: & hanc cauſam eſſe, cur ſæpe in locis, qui ab ureterum oſculis remotiores ſunt, reperiantur*; illud quidem tunc facilius crediderim, ubi ab uretere infimo viæ pateant ad ea loca, ut ab Littrio conſpectæ ſunt, quas ſemel a calculis apertas veri ſimillimum eſt, patulas deinde a ſubſequente jugiter urina ſervari debere; remotiora autem ab oſculis, ureterum loca, ab iis deorſum tantummodo, verbis etiam quæ deſcripſi, ſpectatis, intelligenda eſſe, non dubito, quo tum deſcendentis per ureteres lotii pondus urget, tum contractio veſicæ compellit. Quanam igitur ratione tot alias quas Platnerus ipſe ibidem commemorat, Obſervationes explicabimus veſicæ lapidum membrana incluſorum? num omnes ad ureterum oſcula, aut infra hæc fuerunt? num ſic alii quoque in aliis, præter illas, Obſervationibus in Sepulchreto (*x*) legendis? una Tulpii (*y*) in primis (neque enim, cum ibi plures, ex Tulpio ſint, omnes Platnerus, ſed aliam quandam indicavit) qua 39. calculi in veſica deſcribuntur, quorum *latitabat unuſquiſque involutus proprio receptaculo, & quidem tam tecte, ut circa initium crediderit Chirurgus, nihil calculorum illic detineri*. Cum hac junge alteram Holtzappellii (*z*), calculos proponentem 32. *omnes in propriis tunicis incluſos, & invicem contiguos, ut haud aliter quam apes in ſuis cavernulis favum, ſic iſti calculi in ſuis quiſque alveolis, totam veſicæ cavitatem replerent, exiguo tantum meatu urinæ relicto*. Num ergo hi omnes infra oſcula ureterum condebantur? Et mihi quidem aliquando venit in mentem, ut quemadmodum intra felleæ veſicæ glandulas bilarios calculos inveni (*a*), ita ſuſpicarer, num forte per glandularum veſicæ oſcula, quæ ut in ureteribus patentia nonnunquam deprehendi, ſic etiam interdum in continuata veſica patere nihil prohibet, arenulæ minutiſſimæ in glandularum cava irrepere poſſint, ibique in calculos, ſuis alveolis inhærentes augeſcere. Sed donec in veſicam incidere contingat quæ inter tunicas ibi concluſum habeat calculum quo ex ureteribus pervenire non potuerit, eamque attentius examinare; malim interea a meo illo cogitato aſſenſum cohibere: & quoniam ex meis ſupra (*b*) indicatis Obſervationibus didici, ſacculorum orificia ſæpe eſſe ſacculis ipſis multo minora; conjecturæ quoque alteri locum aliquem dabo, ut puta ſi minore calculo ingreſſo, orificium quacunque de cauſa magis arctaretur, & pene, aut prorſus occluderetur. Sunt autem ſacculi unam ad veſicam interdum plurimi, inter eoſque etiam parvi, & non modo inferiores, & medias, ſed & ſummas partes veſicæ tenent: quæ cum ex meis illis Obſervationibus, tum evidentius ex duabus intelliges Iconibus, quas, ut alias quoque dixi, Cel. Heiſterus ad latinas addidit ſuas Chirurgicas Inſtitutiones (*c*) tanto laudabilius, quanto magis optandum fuerat, ne ab ullo eorum qui poſtquam de illis ſacculis ſæpius facta mentio eſt, de Lithotomia ſcripſerunt, prorſus omitterentur.

32. Lithotomi enim intereſt ſub oculis illa habere, unde, ni caveat, facillime poſſit decipi. Quod ſi Riolanus (*d*) docuit, calculos in illis imis veſicæ ſinibus nidulantes, *cathetere immiſſo non deprehendi*, ſique caſus a Cl. Jo. Chriſtoph. Mayo (*e*) deſcriptus difficultatem oſtendit ex illis ſinibus calculum eximendi; facile in mentem veniet tot ſacculos in tam diverſis veſicæ partibus ſpectanti, quot ſibi incidere caſus poſſint, in quibus, ut mittam curationis difficultates; in ipſa calculi perquiſitione fallatur. Et ſane, ut apud Cl. Schreiberum (*f*) video, inde error natus eſt credendi hominem a calculis perſanatum, in cujus veſica nullus amplius catheteri obverſaretur, cum tamen in ejuſdem cadavere inventi ſint novem, quos ſex veſicæ ſacculi continebant. Sed præter lithotomi in explorando calculo deceptiones dum hic modo in veſica eſt, modo in ſacculum ſe ſubducit, qua de re ſupra (*g*) a me ſatis dictum eſt; magno inſuper cum illius famæ, & ægri detrimento fieri interdum poteſt, ut qui diebus ſuperioribus lapis in veſica perceptus ſit, ſectione jam facta, fruſtra in veſica perquiratur. Quamobrem iſtiuſmodi ægrotantibus in quibus modo per catheterem ſentitur calculus, modo non ſentitur, is qui antea ſenſit, varios, & multiplices motus, & poſitus imperare debet, ſiquando lithotomus alter non ſentiat, multoque etiam magis cavere ipſe, ne ſecet, niſi in veſicæ cavo tunc lapidem percipiat. Hæc vero accidunt cum ſacculi orificium pro calculi mole grandius eſt, velut in Ruſtico noſtro fuit. Grandeſcit autem & orificium, & ſaccus ab urinæ copia, & pondere, ad quod & calculi adjiciendum eſt pondus, quo plus urinæ circum moratur, eo magis unde creſcat, habentis: plus autem urinæ in ſacco moratur, quo hic augeſcit magis; ſic enim magis quoque diſtrahuntur tunicæ ipſum facientes, earumque vires tum muſcularis, tum elaſtica, quibus lotii adjuvaretur expulſio, maximopere infringuntur. Itaque ſacci magnitudo interdum adeo augeri poteſt, ut perperam pro altera veſica accipiatur. Hoc autem non eo dico, quod neſciam, revera geminam a primordiis aliquando veſicam fuiſſe, qui non modo triplicem, ſed & quintuplicem fuiſſe, ſciam. Nimirum quinque in muliere publice oſtendit Molinettus (*h*), totidem renibus, ſex autem ureteribus prædita, quorum bini in majorem, quatuor reliqui ſinguli in ſingulas minores veſicas inſerebantur, quæ per ſingulares tubulos in majorem lotium mittebant, rariſſimo certe, & fortaſſe unico exemplo; eoque digniori quod a me commemoraretur, præſertim quando ex omnibus quos legiſſe memini duplicis, aut triplicis veſicæ Obſervationes indicantibus, unus eſt Cl. Fantonus (*i*) a quo ex Molinetto quintuplicis hujus mentio injecta ſit. Nec me fugit, a primordiis pariter eſſe aliquando veſicæ caveam per ſeptum quoddam in duas diviſam, ſive illud ſeptum ſit in tranſverſum, ſive juxta longitudinem poſitum: in tranſverſum quidem, ut in ovibus, & vitulis quibuſdam Ruyſchius (*k*) vidit, in iiſdemque ad eundem, ut opinor, modum viderat

(*o*) Epiſt. 21. n. 15. (*p*) Traité des Hernies c. 31. (*q*) Anthropogr. l. 2. c. 28. (*r*) Diſſ. de Urin. c. 5.
(*ſ*) Diſp. ſupra ad n. 27. cit. §. 13. & not. ibid. n. (*t*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1702.
(*u*) Differt. qua Obſ. rar. Calcul. &c. §. 4. (*x*) Sect. hac 25. Obſ. 8. §. 7. 13. 14. & Sect. 24. Obſ. 10. §. 1.
(*y*) Sect. 23. Obſ. 7. §. 1. (*z*) Ibid. Obſ. 4. §. 2. (*a*) Epiſt. 37. n. 29. (*b*) n. 30. (*c*) Tab. 32. Fig. 1. & 2.
(*d*) loc. indicat. ſupra ad n. 30. (*e*) Commerc. Litter. A. 1736. Hebd. 5. n. 2. (*f*) Epiſt. ad Haller de Medicamento Stephens.
(*g*) n. 10. (*h*) Differt. Anat. Pathol. l. 6. c. 7. in fine. (*i*) Anat. corp. hum. Differt. 7.
(*k*) Cent. Obſ. Anat. Chir. 8. & Muſæi Theca A. Repoſ. 2. n. 1.

rat Blaſius (*l*); quanquam altera cavea magis ad dilatatum urachum attinere videtur, quam ad veſicam, itaque, ut ille indicat (*m*), fere quadrupedibus accidit ſolis, minimaque eſt quam ſemel in homine Blaſius (*n*) deprehendit: ſecundum longitudinem vero, ut idem Blaſius (*o*) in altero conſpexit viro, in quo tamen per accuratam ſectionem invenit, duas potius fuiſſe veſicas inter ſe junctis lateribus conglutinatas, quam unam per ſepimentum diviſam. Quale autem ſeptum, & quomodo ſitum id fuerit quod in Viro Principe repertum ait Bauhinus (*p*), mihi quidem non liquet. Illud liquet, quod tot Auctores ſcribunt, a Coitero in Virgine quam alias quoque commemorandi occaſionem habui, fuiſſe inventum, neminem eorum fuiſſe ſcripturum, ſi paulo attentius Coiterum legiſſent. Hic enim (*q*) nulla uſquam ſepti mentione facta, in ea ſe *inveniſſe*, primum quidem tradidit, *duas veſicas urinarias, alteram naturalem, & in ſua ſede collocatam, alteram ex matricis colli dextro latere prognatam, naturali veſica duplo quaſi majorem, lotio pleniſſimam, & duabus tunicis, ut naturalis veſica, præditam: hic nullum meatum aquam vel immittentem, vel emittentem conſpectum fuiſſe*. Infra autem, ubi quæri poſſe, dixit, *quomodo generata hæc veſica non naturalis, ac per quas vias urina ingreſſa ſit in veſicam adnatam*, reſpondet, *mirum non eſſe, in hac virgine, utero male affecto, & menſibus male atque inordinate expurgatis, inter membranas, quæ in ventre inferiori multæ reperiuntur, aquam hanc tenuem lucidamque collectam, atque membranis expanſis, ut in aliis locis factum eſt, hanc veſicam ſibi formaſſe*; ut nemini obſcurum eſſe poſſit, non alteram urinariam veſicam a primordiis congenitam, ſed magnam hydatidem vi morbi denique procreatam deſcripſiſſe. Quî fieri igitur potuit, ut Riolanus (*r*) ſcriberet, duplicem veſicam in ea Virgine inveniſſe Coiterum, *utramque lotio plenam, ſed unicam ureteribus præditam*, quæ *portionem urinæ in alteram exonerabat*? aut etiam, ut Thomas Bartholinus (*ſ*) *raro* veſicam cavitates habere *duas membrana ceu ſepto diſtinctas, quales in puella 35. annorum invenit Volcherus Coiter*. Quem niſi in hoc Coiteri ſepto repetendo ſecutus mox eſſet Tulpius (*t*), & qui Bartholinum ſaltem diſerte nominat, Blaſius (*u*); non in tot alios, quos ſingillatim indicare neceſſe non eſt, vel recentiſſimos libros idem error permanaſſet, cujus denique tollendi ſtudium aliquanto plura quam voluiſſem, me verba facere coegit. Sed illuc revertor. Ubi duæ, pluresve occurrant urinariæ veſicæ, quæ inter ſe communicent, neque ex certo ſtructuræ modo jam inde a primordiis fuiſſe omnes videantur, ut puta ſi in aliquam nullus influat ureter, neque ea, in brutis potiſſimum animantibus facta videri poſſit ex uracho dilatato, ea, inquam, præſertim ſi calculus inſit, aut ſtranguria, vel dyſuria, vel crebra, ut ſæpe in potoribus, plurimi lotii retentio præceſſerit, non pro altera veſica, ſed potius pro naturalis veſicæ hernia, id eſt vi morbi producto ſacculo habenda eſt, qualem, exempli cauſa, ipſe quoque fuiſſe puto quam Bartholinus (*x*) in Theatro hoc noſtro non ab ſe quidem, ſed a Moinichenio conſpectam refert parvam, majori adnatam, & cum hac communicantem. Contra vero pro gemina veſica aliquanto facilius habebo, quippe ſingulis ſaltem ureteribus in ſingulas cavitates influentibus, quam in Juvene quantumvis dyſuria, iſchuria, & calculo laborante, deſcribit Stegmannus (*y*). Illud denique priuſquam his de ſacculis finem dicendi faciam, non reticebo: attendendos eos eſſe qui antequam veſica inſletur, apparent, aut ſi jam inflata eſt, imputari nequeunt exteriorum veſicæ tunicarum, quas ſcalpellus forte læſerit, hiatui, per quem intimæ, ab aere immiſſo extrorſum compulſæ, ſacculum, qui in vivente nullus fuerit, mentiantur, & minus cautis, quod factum interdum animadvertimus, non ſolertibus, Anatomicis imponant.

33. Quod reliquum eſt, veſicæ tunicas craſſiores factas, ut in Ruſtico (*z*) de quo hactenus dictum eſt, deprehendimus, ſic animadvertere potuiſti in Puella quoque illa agreſti (*a*), & in Adoleſcente (*b*), quorum utrique ex calculo pariter gravis, ac diuturna fuerat mictionis difficultas, inventas eſſe. Huc veſicam adde quam Cl. Dethardingius (*c*) pingendam curavit, imo quas apud Ruyſchium (*d*) videris, & legeris ab eadem cauſa tranſverſum digitum craſſos parietes habuiſſe, ut propterea in aliqua inter hos, & magnum calculum paucis tantum urinæ guttis relinqueretur locus. Quæ & Riverio (*e*) fuerunt nota, ſcribenti, in ejuſmodi cadaveribus illam craſſitudinem inventam eſſe *digiti, aut pollicis, ita ut totam veſicæ cavitatem interdum impleat, & ipſum calculum proxime amplectatur*. Et ne ab Sepulchreto longius te abducam; quanquam in eo (*f*) hæc quoque invenio ex Riverio deprompta; vel in puero (*g*) leges *mediocrem digitum tranſverſum æquaſſe*, in altero autem calculoſo (*) veſicam *ab extra carnoſam factam*: quod nec Riverio ignotum, qui (*h*) veſicæ *corpus carnoſum* fieri, adnotaverat. Sed hæc non ſolum tunc accidunt, cum a calculo dyſuria eſt. Ut enim illud prætereaın quod perlegens huc quoque attinentem Hoffmanni primam quandam Obſervationem intelliges, ſuperiore Epiſtola (*i*) indicatam; vidiſti certe in eadem Epiſtola (*k*), cum a Proſtatæ glandulæ excreſcentia eſſet dyſuria, veſicæ fibras auctas adeo fuiſſe, ut cordis lacertos figura & magnitudine Valſalvæ inſpicienti repræſentarent; ne hic Piccolhomini (*l*) Obſervationem commemorem, quam miror in Sepulchretum non eſſe relatam, puellæ videlicet febre aſſidua, & ſummis doloribus excruciatæ ob exeſionem & acrimoniam humorum, qui cum veſicam interiore tunica ſpoliaſſent, *exterioris fibras carnoſa adeo inſtammatione vexatas* reliquerant, *ut totam eam carnoſam judicares*; ita, inquit, *grandeſcunt interdum, & conſpicuæ fiunt* illæ fibræ! Cum hac conjunges Rud. Jac. Camerarii (*m*) Obſervationem veſicæ *ſimilis maſſæ carneæ*, cujus parietes cum eſſent *duorum pollicum craſſitie*, erat propterea *cavitas vix major nuce juglande*: quod minus miraberis ubi hiſtoriam perlegens quam ſupra (*n*) ex Actis Helveticis indicavi, ea craſſitudine fuiſſe veſicæ tunicas animadvertes, ut cum fere infantis caput ipſa æquaret, cavum tamen vix nucem capiens haberet. Et quoniam tunicarum illarum fibras, paulo ante dixi, lacertorum cordis fuiſſe aliquando ſimiles; nolim, te ignorare, eandem comparationem non Valſalvæ tantum, ſed & aliis poſtea qui in pares inciderunt, Obſervatoribus (*o*) placuiſſe. Nec tu ipſe ſi forte veſicam offenderes qualem Cl. Trewius (*p*) deſcribit, & pingit, quæ, tunica interiore *penitus* abſumpta, pro *fibris tunicæ muſcularis* oſtenderet *varios mirumque in modum collectos lacertos, magnis intercedentibus lacunis diſtinctos*; non alia, inquam, uti poſſes comparatione. Et tamen veſica cujus erat *ſubſtantia* ſic *craſſa* facta, magnos continebat calculos, eoſque aſperos. At ſine calculis, ut illæ de quibus modo dicebamus, inventa fuit ab Hottingero (*q*) digitum minorem tranſverſum craſſa, fibriſque *magnitudine chordarum majorum conſpicuis*, idque ob urinæ acrimoniam tantam, ut in Proſectoris *manibus pruritum valde moleſtum excitaverit*: a Genſelio quoque (*r*) *craſſa* ob ulcuſcula & excreſcentiam in Proſtata, purulentum lotium retinentia: a Bajero (*ſ*) denique; ne alios hic addam; *pollicari craſſitie*, quia intus ulceroſa, & hinc irritata adeo, ut crebra ſua con-

(*l*) Comment. in Synt. Vesling. c. 5. (*m*) Obſ. 8. modo cit. (*n*) Part. 4. Obſ. Med. 18. (*o*) Ibid. Obſ. 19.
(*p*) Theatr. Anat. l. 1. c. 31. not. k. (*q*) Obſ. Anat. (*r*) Anthropogr. l. 2. c. 28.
(*ſ*) in additis ad Patris Inſtit. Anat. l. 1. c. 20. (*t*) l. 3. Obſ. Med. c. 5. (*u*) Comment. cit. in Vesling.
(*x*) Anat. quart. renov. l. 1. c. 20. (*y*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 110. (*z*) n. 28. (*a*) n. 20. (*b*) n. 15.
(*c*) Eph N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 31. (*d*) Cent. Obſ. Anat. Chir. 89. & Theſ. Anat. 2. Aſſ. 3. n. 5. (*e*) Prax. Medic. l. 14. c. 1.
(*f*) Sect. 28. hujus l. 3. Obſ. 19. & Sect. 23. in Schol. ad Obſ. 1. §. 8. (*g*) §. eod. (*) Ibid. §. 3. (*h*) Obſ. 19. cit.
(*i*) n. 12 (*k*) n 6 Vid. etiam Epiſt. 40. n. 4. (*l*) l. 2. Anat. Prælect. 24. (*m*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 10.
(*n*) n 23. (*o*) Vid. apud Brendelium n. 2. Programm. ſupra ad n. 18. cit. (*p*) Commerc. Litter. A. 1734. Hebd. 6. n. 5.
(*q*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 232. (*r*) Eorund. Cent. 6. Obſ. 84. (*ſ*) Eorund. Act. Tom. 3. Obſ. 122.

contractione ureterum ſimul oſtia conſtringendo, remorandoque in ipſis urinam, omnem reliquam eorum partem ad pollicis amplitudinem, pelveſque etiam renum præter ſolitum dilataverit. Et nos quoque ut in veſica, nullo quidem calculo affecta, craſſitudinem tunicarum haud ſemel conſpexerimus, non modo ex ultimis (*t*), ſed ex aliis quoque Litteris (*u*) cognoviſti. Nimirum ſive, ut in bibacibus, crebrius urina veſicam ad ejectionem compellit, ſive quæcunque alia cauſa ſtimuli vices gerit, eo confluit uberius ſanguis, & tunicas adauget. Ab aliis igitur quoque cauſis veſicæ tunicæ craſſeſcunt: quanquam multo ſæpius ab urinæ difficultate. Sed viciſſim ea craſſitudine exiſtimo difficultatem hanc augeri, & interdum fieri, aut ſervari, ut paucis oſtendam poſtquam Obſervationem ſubjecero, quæ ſi perfici potuiſſet, in alias potius quam in hanc Epiſtolam relata eſſet.

34. NAUTA annum agens quinquageſimum quintum, ſubpinguis, bibax, non ſine difficultate mingere ſolitus, ob eamque fortaſſe cauſam ſcroti herniæ obnoxius, ob neutrum id vitium in Noſocomium hoc venerat; ſed ob faucium dolorem, nec tamen ejuſmodi ut ſurgere interdum prohiberet. Itaque mane cum per Noſocomium ambulaſſet, mox autem lectulum repetiiſſet, in eo mortuus inventus eſt, nigra, quæ deinde expalluit, facie. Cadaver poſtridie mane etiamtum calens, in gymnaſium illatum eſt ubi Anatomen docere jam cœperam ſub finem Januarii A. 1733. VENTRE, ubi viſum eſt, aperto, omentum retractum ſupra ventriculum, proximumque Colon inteſtinum, occurrit: hepar quaſi marmor elegans ex ſubrubro, & ſubalbo variegatum, magnum potius, ſed proportione eo major lien, nec tamen prægrandis. Renes, & ureteres ſecundum naturam ſe habebant; veſica tamen grandior, & tunicis valde craſſis. Urethra ſine ullo uſquam vitio, etſi corona glandis ad ſui & præputii fines ulcuſculis olim tentata ex cicatricibus videbatur. Herniæ ſaccus in ſcroto conſpectus; ſed inanis. Arteriæ Magnæ truncus per lumborum vertebras quodammodo tortuoſus, ut & Iliaci ejus rami, qui nonnullis in locis duritiem oſſeam, albidaſque intus maculas habuere; ſed Aorta maculas tantum. Thorax cor exhibuit æquo majus. In eo Semilunares valvulæ duriores quibuſdam locis; ſed Mitralis anterioris latus non ſine oſſe. Et quanquam ex vena Gava ad ſeptum transverſum inciſa ſanguis prodierat plurimus niger, fluidus; in utroque tamen cordis ventriculo concretiones erant polypoſæ, ſatis firma compage, colore autem intus ex albo cinereo: quarum dextera, quæ craſſior erat, longe ſe in Pulmonarem arteriam, altera in Magnam, nec brevem ad tractum, producebat. Magna autem arteria, cujus truncus totus viſus eſt æquo latior, interiore facie albidis, quales dictæ ſunt, maculis a diaphragmate ad cor uſque hic illic diſtincta, eo crebriores has oſtendebat, quo cordi fiebat propior ita uti qua tribus minoribus Valſalvæ ſinibus excavatur, multo evidentiores, & brevi in os mutandas offerret. Præterea certo loco inter cor, & curvaturam, qui locus tres quatuorve digitos in longum, duos in latum patebat, intus pariter rugis erat craſſis, & quaſi tortuoſis inæqualis; neque deerant ſubobſcura eroſionis indicia. Cæterum per Carotides non propagabantur maculæ, nedum vitia reliqua; ut minus ægre tulerim, dum accurata cæterarum Partium non minus quam earum quæ dictæ ſunt, perluſtratione Anatome, ut fit, in plures hebdomadas trahitur, aliæque interim Partes ex aliis cadaveribus afferuntur, hujus caput, me inſcio, humatum eſſe, ut repentini obitus cauſam in eo perquirere non potuerim. Pharyngem tantum quæ depoſita fuerat cum larynge, examinavi. Hæc, ut tota arteria Aſpera, & pulmones, ſana: Illius qua doluiſſe hominem, dixi, latera juſto craſſiora deprehendi, eamque craſſitudinem, ſecando, vidi ipſius pharyngis ſubſtantiæ deberi, quæ magis diſtenta, quiddam inter glanduloſum & viſcidum quaſi medium referre videbatur.

35. Si quæ ad urinarias Partes, quas hic dumtaxat ſpectamus, in viro iſto pertinebant, diligenter attendas; intelliges ſane, nihil fuiſſe cui difficultas imputaretur mingendi, niſi valde craſſas veſicæ tunicas. Non me præterit quod in Additamentis ad Sectionem hanc Sepulchreti XXV. (*x*) ex Guarinonio producitur, quaſi craſſitudo de qua loquimur, *non ſemper obeſſet urinæ excretioni*, ut in argumento quidem poſitum eſt illi Obſervationi præfixo. Sed præterquam quod Guarinonius, ſi recte ex perpaucis verbis ſententiam ipſius aſſequor, non de dyſuria, ſed de iſchuria eſt intelligendus, tunc demum contingente cum ea craſſitudo, & durities ad ſummum pervenere; hoc quoque attendas velim, me dyſuriam ipſam non ab omni craſſitudine repetere, ut puta cum hæc ab amplificata dumtaxat ſecundum naturam fibrarum carnearum ſubſtantia fit, quæ ad contractionem vel magis idoneas reddit; ſed ab ea quæ cum has alienis interjectis ſuccis enervet, tum quidquid reliquum eſt tunicarum ita infarciat, ut minus flexiles efficiat, eoque contractioni obſiſtentes. Et ſane ſi perleges ex iis quæ ſupra (*y*) memoratæ ſunt, Obſervationibus illas præſertim quas ex Camerario, & Helveticis Actis indicavi; plane cognoſces, craſſiſſimas illas veſicas aut ſubſtantia fuiſſe *fibroſa* quidem, ſed *ſcirrhoſa*, aut dura certe, & calloſa; ut tametſi, velut illa fuit Hottingeri, non eſſent *undique pelvi agglutinatæ*, multum illis deeſſet facilitatis ad ſe contrahendum, unde nixus illi denique, & conatus in mingendo. Quos ab eadem quoque cauſa vel ſæpius in calculoſis videre eſt, niſi forte propter ſphincteris infirmitatem urina interdum per ſe defluat. Sic ejus quem Mauchartus (*z*) deſcripſit, veſica erat *craſſa & quaſi calloſa*. Sic in Patricio Piſtorienſi vidit Cl. Targionius (*a*) veſicæ tunicas digitum craſſas, calloſas, ſteatomatibus plenas, ut cum diſtrahi non poſſent, lotium, niſi pauciſſimum, inter ſe, & grandem calculum nequirent continere. Et quoniam cum tunicarum craſſitudine anguſtia fere, & coarctatio veſicæ conjungitur, ut ex Fantoni quoque (*b*) exemplo in eo apparet, qui poſt diuturnam a veſicæ calculo dyſuriam, ampliſſimos quidem ureteres, veſicæ autem ipſius, *ob nimiam membranarum contractionem, parvulam capacitatem* diſſecantibus oſtendit; hinc eſt, quod ſi curari velint, gravioribus ſæpe & moleſtiis, & periculis obnoxii ſint. Immiſſi enim catheteris neceſſario motu ſic prohibito, aut calculi ſatis perquiri non poſſunt, ut apud Laubium (*c*) in illo cujus veſica *craſſa valde, & conſtricta* erat, aut ſi vim faciat Chirurgus, nullo modo ferre æger poſſit, ut apud Præcl. Schreiberum (*d*) alter, cui veſica *contractiſſima, magnitudini contenti calculi adcommodata, atque multum incraſſata, nullum* relinquebat *locum* catheteri *convertendo*. Eadem autem inciſa, accidere aliquando poteſt id quod vel in mortuo Schrockius (*e*) vidit, ut *veſica admodum craſſa, & circa calculum conſtricta, difficulter ille inde loco moveri, atque ex pelvi extrahi* queat. Huc illud adde, ſi veſica *ex calculo perquam anguſta reddita fuerit*, ſine gravis erroris periculo non eſſe locum Foubertianæ curandi methodo, ut recte monuit Cl. Keſſelringius (*f*), optimeque confirmavit Aug. Frid. Pallas (*g*) quando etiam ea methodus certo quodam adminiculo juvetur. Quod de Raviana quoque methodo vel novo inſtrumento addito animadvertit (*h*). Sed & in alto, quam quem vocant, apparatu ſcite admonuit (*i*) veſicam *ſanam*, & *amplam* deſiderari. Quæ vero hactenus dicta ſunt de conjuncta cum tunicarum craſſitudine,

(*t*) n. 13. (*u*) Epiſt. 4. n. 19. & Epiſt. 10. n. 19. (*x*) Obſ. 19. (*y*) n. 33. (*z*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 15.
(*a*) Prima Raccolta di Oſſervaz. Med. (*b*) De Obſ. Med. & Anat. Epiſt. 8. n. 15. (*c*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 22.
(*d*) Epiſt. ſupra ad n. 32. cit. (*e*) Eph. N. C. Cent. 10. Obſ. 100. (*f*) Diſſert. de Hiſt. & Meth. Foubert. n. 57.
(*g*) Diſſert. de variis calcul. ſecandi Methodis §. 39. (*h*) Ibid. §. 29. (*i*) Ibid. §. 18.

dine, & minori ad ſe extendendum facilitate capacitatis veſica magna ut plurimum imminutione, ea ſcire, & animadvertere non tantum Lithotomi, ſed & Medici non parum intereſt. Exempli enim gratia, ſi dyſuriæ obnoxium urinæ in veſica corripiat ſuppreſſio; non facile ſibi, ut Chirurgus alias (*k*) memoratus, imponi ſinet a minori hypogaſtrii tenſione, ut credat, necdum tempus eſſe lotii per catheterem educendi. Ex levi enim ibi, ſed moleſtiſſima, tenſione conjiciet, jam tantum lotii in veſica eſſe, quantum vix capere anguſta ejuſmodi, & minus extenſilis veſica poſſit, præſertim ſi æger ſenior ſit, ut illius tunicis duritiem rigoremve ab ætate inſuper eſſe additum, ſatis veri ſimile videatur, ſique ante ſuppreſſionem ſæpius quidem, ſed parum mingere conſueſſet. Hæc mihi ad opportune accelerandam ſuppreſſæ urinæ eductionem perpendiſſe pœnituit nunquam.

36. Etſi jam longius hæc Epiſtola provecta eſt; tamen ſi reliqua etiam volumus, ut initio promiſimus, quæ ad mictionis vitia attinent, his iiſdem Litteris comprehendere, multa, & varia preſſius attingamus neceſſe eſt. Primum igitur ad cæteras, de quibus hactenus ſcripſimus, difficultatis urinæ cauſas illæ quoque addendæ ſunt quæ in urethra occurrunt. Hujus canalis initia comprehendens Proſtata glandula ut indureſcendo, excreſcendoque urinæ exitum impediat, non modo difficilem reddat, ſuperiore Epiſtola (*l*) oſtenſum eſt. Sed cum ab ulcere, incluſoque pure ſimul occalleſcit, & tumet; accidere interdum poteſt, ut effuſo pure ſuperficies interna detumeſcat, imo ulceribus eroſa tanto patentiorem lotio relinquat viam, quod callus, non ſecus ac Proſtatæ ſcirrhus a Præſtantiſſimo Hallero (*m*) adnotatus; ſphincteri obſtat veſicæ orificium conſtricturo. Tunc igitur fiet urinæ ſtillicidium, ut in Cl. Fantoni (*n*) Obſervatione, quam ſic explicari poſſe, reor. Ubi autem res modo ita ſe habet, modo puri novo e Proſtata intercluditur exitus, & hinc infra ſuperiorem illum callum intumeſcit rurſus interna glandulæ ſuperficies; modo ſtillicidium lotii accidet, modo ejus reddendi difficultas, hæcque interdum tanta ut in ſuppreſſionem degeneret periculi plenam, eo majoris, ſi ejus glandulæ aut inflammatio, aut durities, & tumor catheteris uſum prohibeant. Quæ cum ſæpe aliis, & nonnunquam mihi in medicina facienda occurrerint; tum Valſalvæ in Equite occurriſſe video pro quo Conſilium ſcribens A. 1714. reſpondit, ſi forte ejuſmodi contingat ſuppreſſio, nec lotio naturalem viam reſerare liceat; quod alii proponebant, ab ſe quoque probari, ut ferro per perinæum ſcite adacto, novam aperirent. Quin illud inſuper addebat, ſi quid forte id facere prohiberet, tum neceſſitate urgente, eadem acu per quam hydropicis aqua emittitur, continuo ſupra pubis oſſa, oblique deorſum ad veſicam demiſſa, urinam poſſe evocari: quod adnotare volui, ut ſcires quid ipſe quoque de utraque hac ſentiret opitulandi ratione, ſi urina aliter educi nequeat, ut ægri interea vita ſervetur dum ars, aut natura priſtinum referent urinæ iter. Nam quod ad punctionem attinet in hypogaſtrio; hanc Petropoli in quodam milite inſtitutam, Weitbrechtus (*o*) Goetzio ſcripſit *a nonnullis laudatam, ab aliis* fuiſſe *vituperatam*, ſeque id Chirurgis dijudicandum relinquere, *num hæc methodus vituperium, an laudem & imitationem mereatur*: & certe multum levamen per decem dies attulerat, donec videlicet aliæ Partes, & in his quæ urinæ quoque ſuppreſſionis cauſa fuerant, interitus pariter fuerunt, diſſectione ut harum vitia, ſic labem nullam qua & quo acus tranſierat, oſtendente, & quod conſequitur, judicium confirmante tot qui antea commendaverant, ſed tunc ibi fortaſſe non ita omnibus noti erant, Præſtantium Auctorum.

Quod vero ad ſectionem attinet in perinæo, non ignorabat, opinor, Valſalva, in ſuo Bononienſi Gymnaſio auctorem quem ſequeretur, ſe habere, Zecchium dico, Medicum olim nobiliſſimum; qui de ea ſic ad Rotam ſcripſit (*p*), ut appareat, ſe ejus inventorem felicis auxilii credidiſſe. Et quamvis Riolanus (*q*), ubi ut illam ſuperiorem punctionem, ita hanc quoque inferiorem ſectionem dilaudat, hancque, ſi opus eſt, etiam ad perinæi latus, in quo aſſeclas nunc habet, qui & ibi acu eadem qua in hypogaſtrio, utuntur; quamvis, inquam, Zecchio objiciat, id auxilium *Medicis Pariſienſibus jam a centum annis* fuiſſe uſitatum; Zecchius tamen centum illis annis ante, junior quidem erat, ſed ea ætate, ut id ab natura ipſa diſcere potuerit; ab ea enim *edoctum* ſe dicit, cum in calculoſis *diſrupto* ad perinæum *abſceſſu*, ibi *ſponte nato*, vidiſſet, *dolores moleſtiaſque omnes in urina reddenda ceſſare*.

37. Illud Valſalvæ Reſponſum de quo modo dicebamus, ad Inſubrem Chirurgum eſt, qui ægri nomine ipſum conſulens, inter cætera hoc quoque ſcripſerat, dignum quod hic non omittatur „ memoria „ ſe tenere, deprehendiſſe lapidem in proſtata glan„ dula, dum cadaver incideret Eminentiſſimi Cardina„ lis Morigii „. Scilicet hic morbus eſt de quo egit Jo. Chriſtophorus Pohlius cum Lipſiæ A. 1737. Diſſertationem vulgavit *de Proſtatis calculo Affectis*, laudabili ſane conſilio morbum examinans, a quo præter dyſuriam, & crebros ad mejendum ſtimulos, alia oriri poſſunt incommoda, & in his dolores ſive ad affectum locum, ſive etiam urethra tota, quippe adverſus urinæ acrimoniam, ob imminutam oblinientis humoris Proſtatæ copiam, aut vitiatam naturam, non ſatis munita. Optandum fuiſſet, ut ſenex bajulus in quo Pohlius eos calculos invenit, nullos in renibus, imo hos ſaniſſimos habuiſſet, nec ſupra glandulam Proſtatam in ipſa infima veſica haud levem inflammationis notam, præſertim vero ne circa eum locum tumor, ex illa ipſa glandula ortus, intus emineret ceraſi magnitudine, ſcirrho, niſi pure ſcateret, ſimilis. Nimirum ſigna quæ ſolerter a mortui amicis collegit Pohlius, dubitare licet num omnia iis potiſſimum calculis deberentur: ut jure ac merito dubitares, ſi quædam ſymptomata, a me ſupra (*r*) in Cortinio deſcripta, ad tartaream illam, & ferme jam calculoſam materiam referrem, quæ in ſinu quodam intra eandem glandulam continebatur. In viro autem altero cujus mentio alibi a me fiet ob peculiarem præputii, & glandis nativam conſtitutionem, cum flavos quoſdam parvoſque calculos altiuſcule in Proſtata defixos inveni, quid incommodi attuliſſent, ſcire non potui propterea quia peregrinus erat ob thoracis acutiſſimam, lethalemque inflammationem in hoc Noſocomium receptus. Illud tamen intellexi, fieri non potuiſſe ut ſemen emitteret, quippe calculis ibi poſitis, affixiſque, ut ejus exitum omnino intercluderent. Fecit illa Obſervatio, ut aliarum quas legeram, veniret in mentem. Marcellus enim Donatus (*ſ*) virum in cujus Proſtata lapidem infixum deprehendit, *non potuiſſe*, ſcripſit, *ſemen, niſi paucum admodum, aquoſumque valde in coitu excernere*. Fridericus autem Loſſius (*t*) ſterilitatis cauſam refert *calculum exactiſſime meatum illum claudentem, qui a proſtatis in urethram dehiſcit*. Quibus accenſendus videtur Nicolaus de Blegny (*u*), qui impeditam ſeminis ejaculationem in alio pariter fuiſſe, narrat, ob tumidam duramque factam carunculam Seminalem, quia ſemen *ibi in lapidem obduruerat*, cum *vaſa etiam ejaculantia lapidibus duriſſimis ſcaterent*, pleriſque pili forma, & magnitudine. Et qui antea fuerat nominandus, Fabricius Bartholetus in Proſtrata, ut Rhodius (*x*) retulit, obſervavit, *a ſemine retento genitum fuiſſe calculum, quo veſicæ orificium comprimente, urina fluere deſiit*. Ab Rhodio autem, & Bartholino (*y*) hanc Obſervationem memorantibus, contra utriuſque conſuetudinem, mentionem omiſſam miror illius quam primo loco ex Donato indicavimus, nedum alterius quæ apud eundem Donatum

(*k*) Epiſt. 41. n. 14. (*l*) n. 13. 14. 17. & ſeqq. (*m*) Opuſc. Pathol. Obſ. 35. (*n*) Epiſt. ſupra ad n. 35. cit. 8. n. 18.
(*o*) Commerc. Litter. A. 1733. Hebd. 2. n. 1. (*p*) Conſult. Med. 58. (*q*) Encheirid. Anat. l. 2. c. 30. (*r*) n. 13.
(*ſ*) De Medica Hiſt. Mirab. l. 4. c. 30. (*t*) l. 1. Obſ. Medic. 33. (*u*) Zodiac. Med. Gall. A. 2. Mart. Obſ. 4.
(*x*) Cent. 3. Obſ. Med. 27. (*y*) Cent. 4. Epiſt. Med. 6.

natum (z) eſt, *lapilli puſilli* in Mantuani Medici Proſtrata inventi. Sed & Terraneus (a) in ſene *renibus, liene, pulmonibus calculoſo*, obſervaſſe ſe, narrat, *in tubulis Proſtatarum, & Vaſorum Deferentium ad urethræ principium ejaculantibus, parvos, & inæquales calculos, moleſtiam, & impedimentum tum urinæ ſuperlapſuræ, tum ſemini effluxuro afferentes*. Et ante ipſum in ſene alio Jacobus Douglaſſius (b) inveniſſe, ſe retulit, *aliquot dura corpuſcula, piſis albis ſimilia, quo ad conſiſtentiam dicto corpori* (in mulieris videlicet tumore deprehenſo, quod num oſſeum eſſet, an lapidoſum potius & tartareum, in medio reliquerat) *dicto* igitur *corpori reſpondentia, magis tamen polita, quo ad faciem externam, quorum quædam ipſi harum glandularum* (proſtatarum) *corpori inſidebant, quædam exilibus radicibus membranæ has obtegenti adhærebant*. Has ego omnes Obſervationes hic tibi volui commemorare, non quod haud ſatis vulgatæ ſint; plures enim earum ſunt, quamvis aliæ alio loco, in Sepulchretum (c) relatæ; ſed ut poſſes ad Pohlii, noſtraſque adjicere; tametſi ex nulla adhuc ſatis peculiare ſignum elici poſſit ad Proſtratæ calculos internoſcendos. Nam ut in pleriſque earum quas protulimus, coercita ſeminis eſſet ejaculatio; hæc tamen neque ab omnibus Proſtatæ calculis, neque ab his tantummodo contigit; neque enim omnes ibi ſunt, ut meatus ſeminis ambos obſtruere poſſint, aut comprimere, neque horum obſtructio, aut compreſſio non ab aliis cauſis interdum efficitur. Eoſdem autem calculos quando ex ſeminali materia genitos ſuſpicari non liceat, tunc fierine inter cæteras ex illa quoque exiſtimabimus, quæ granulorum *tabacci* forma non rariſſime nobis intra, aut ad eam glandulam occurrit? Arbitrari per te poteris cum de materia illa, & finibus ipſam interdum continentibus, aliiſque Proſtatæ vitiis in Gonorrhœæ tractatione (d) verba faciemus.

38. Nunc vitia quædam, reliquæ etiam urethræ communia, perſtringentes, calculos, quos tibi ſub hujus intima membrana in muliebri corpore alias (e) deſcripſimus, minime repetemus. Scribemus potius quænam in tanto diſſectorum cadaverum numero ſe nobis in tota urethra obtulerint, quæ ad controverſiam poſſint de natura caruncularum; ſic enim vocitant; attinere, quas olim in ipſa innaſci, plerique omnes exiſtimabant, præſertim ſi virulenta gonorrhœa præceſſiſſet, nunc autem perpauci credunt, urinæ difficultatem, & ſe catheteri opponentes obices quæ illi carunculis, alii aliis cauſis aſſignantes, & in his potiſſimum aut cicatricibus, aut turgentibus, & varicoſis ſanguiferis vaſis certa urethræ loca coarctantibus, quod ad genus ultimum Obſervatio quoque ſpectat XXII. ex iis quæ ad Sectionem hanc Sepulchreti XXV. additæ ſunt. Quin etiam ſpongioſum ipſum urethræ corpus intra ejus cavum ibi exuberare traditum eſt, ubi gonorrhæa quaſdam interioris tunicæ ſedes magis infirmaverit. Quæ tunica cum adeo tenuis ſit; minus, opinor, miraberis, ſi forte urgenti ſanguini cedat, corporis illius cellulas diſtendenti, cum tanto craſſiores, & validiores parietes ſpongioſorum penis corporum ipſos quoque interdum a cauſa ejuſdemmodi in nodum attolli, ut vel olim ab Arantio (f) indicatum eſt. Id obicum genus frequentius cæteris, quæ minime negat, intra urethram eſſe, cenſet Experientiſſimus Goulardus (g) ut pote quod magis idoneum ſit, ut oſtendit, ad phænomena explicanda, in hiſque illud etiam quomodo nihil obſtaculorum in quorundam cadaveribus occurrat qui de illis ad mortem uſque conqueſti ſunt. Scilicet cum vi circulationis ſanguinis, ceſſante in obitu cauſa quæ eas cellulas introrſum urgebat, deplentur hæ ſenſim, & ſubſidunt, nullumque ſui quærentium oculis indicium relinquunt. Attamen credo, cum revera in vivo fuerunt, poſſe oculis in mortuo ſubjici, ſi ſpongioſum urethræ corpus immiſſo aere tantum diſtendatur quantum in vita fuerat, ſicque exſiccati inciſa urethra, ille intra hanc ſpectetur locus, in quo percipi ſolebat obſtaculum. Verum non deſunt qui pro carunculis adhuc propugnent ſive alibi per urethram, ſive præſertim in Seminali ipſa tumente caruncula agnoſcendis: quos inter ipſe quoque fuit Lanciſius in litteris ad Genſelium (h); ſed nemo fuſius ac diligentius rem egit quam Benevolus (i), qui non modo indicatis, ut ille, ſed prolatis ſuis Obſervationibus id morbi in eadem illa exulcerata caruncula eſſe, docuit. Neque hic tamen; quod vellem ab uno, atque altero pererudito alioquin Scriptore animadverſum; negavit, imo diſerte faſſus eſt (k), alios præterea eſſe poſſe in urethra obices, quorum aliquos & ipſe deprehenderit, ab anguſtiis, corrugationibus, cicatricibus, & vel ab aliqua nonnunquam carnea excreſcentia: & hoc unum contendit, non ab his, ut ab ulceroſa Seminali caruncula, peculiaria illa ſigna omnia eſſe poſſe per quæ morbum quo de ipſe loquebatur, ab aliis quæ probe norat, obſtaculis, urinæ ſe, & catheteri opponentibus, diſtinguebat. Quæ ſi, ut ille ſuum, allaborent alii per certas notas melius internoſcenda exhibere; non eſt dubitandum quin tanti id Medicorum interſit, quanti intereſt aliud in alio obſtaculi genere tum prædicere, tum agere, aut ſaltem vitare. Intelligis, me in hac alioquin difficili ob diſcrepantes adeo Obſervationes controverſia harum nullas rejicere, Celſi æquitatem, & Præſtantiſſimorum Virorum judicium ſequentem. *Veriſimile eſt*, inquit, quamvis alia in re, ille (l), *id a quoque prætermiſſum, quod ipſe non cognoverit; a nullo id quod non viderit, fictum*. Aſtruccius autem (m), Heiſterus (n), Platnerus (o), quibus & Waltherum (p) addas licet, alia in aliis obſtaculorum genera eſſe, non dubitant, nec referre, ſi omnes omnia non conſpexerint; ſatis eſſe quod ſingula certis ſint Obſervationibus comprobata. Sic quam Genſelius (q) carunculam ipſe deprehendit, non minus libenter accipimus, quam urethræ anguſtias, & coarctationes a Brunnero (r), aliiſque conſpectas. Sed quæ uterque addit, non æque libenter omnia agnoſcimus. Neque enim omnia Obſervationes ſunt huc attinentes, ſed conjecturæ, vel ea dico quæ tanquam Obſervationes a Genſelio ſubjiciuntur. Quid enim huc urethræ illa Hippocratica (ſ) φύματα, ſive *minuti*, ut Celſus (t) loquitur, *abſceſſus*, quibus cito, ut fit, ſuppuratis, pure effuſo, *ſanitas redditur*? Spectent huc cætera. Sed num quicunque ſe carunculam curaſſe, credidit, ſuæ opinionis eandem ſaltem attulit probationem quam Galenus (u), qui cum ab ulcere enatam, ut conjecerat, carunculam per catheterem fregiſſet, *ſecuta* vidit *urinæ excretionem* non modo *cruorem aliquem*, ſed *& carnis fragmenta*. Omnino qui carunculas in cadaveribus, quæ certiſſima has obſervandi ratio eſt, deprehenderint, multo pauciores ſunt quam credere videtur Genſelius, ſi eos ſeponas qui ut excreſcentias carneas in urethra conſpexerint; illas tamen non intra hanc natas, de quibus hic quærimus, ſed ex veſica, unde oriebantur, in urethram propendentes animadverterunt. Quæ cum ita ſint; minus, ut puto, miraberis, ſi cum tot urethras ex quo Anatomes ſtudio me dedi, attente inſpexerim, & quotannis adhuc inſpiciam; vix unam dixero certam mihi eſſe in ea Obſervationem carneæ excreſcentiæ, cum plures ſint cicatricum, & coarctationum, neque illa una non ſine his fuerit.

39. JUVENIS ex capitis vulnere in hoc Noſocomio mortuus eſt circa medium Decembrem A. 1717.

VENTRIS dumtaxat viſceribus, & Magna arteria, & larynge, in quorum examine tunc eram totus, prius diligenter inſpectis, & iis qui aderant, demon-

(z) c. 30. cit. (a) De Gland. c. 5. (b) Vid. Act. Erudit. Lipſ. A. 1707. M. Febr.
(c) l. 3. Sect. 24. Obſ. 17. §. 4. & Sect. 34. Obſ. 5. §. 4. & Obſ. 6. §. 1. & in Additam. Obſ. 3. (d) Epiſt. 44. n. 20. & ſeqq.
(e) Epiſt. 33. n. 34. (f) De Tumor. p. n. c. 50. (g) Traité des maladies de l' urethre. (h) Eph. N. C. Cent. 6. Obſ. 84.
(i) Nuova Propoſiz. int. alla Carunc. (k) c. 2. & c. 3. (l) De Medic. l. 7. c. 14 (m) De Morb. Vener. l. 3. c. 4. §. 4. & alibi.
(n) Inſtit. Chir. P. 2. Sect. 5. c. 38. n. 1. (o) Inſtit. Chir. §. 1336. (p) Differt. de collo viril. veſic. & cæt. §. 15. & ſeqq.
(q) Vid. Obſ. 84. cit. (r) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ. 71. & 97. (ſ) Sect. 4. Aph. 82. (t) l. 2. c. 8.
(u) De loc. aff. l. 1. c. 1.

demonſtratis, hæc præter naturam offendi. Ventriculus erat amplus, vixque ullis cum rugis. Hepar æquo majus, ut ejus quoque arteria. Renes cicatricoſi; ſed penis glans magis, quippe ob magnas cicatrices informis facta, & exigua. Inde urethra ad tertiam uſque ſuæ longitudinis partem coarctata erat manifeſtiſſime: neque ullus uſquam ex iis apparuit quos ego propoſui (*x*), majoribus canaliculis, quorum ferme locum tenebat linea interrupta, quam tenuis excreſcentia luxuriantis carnis faciebat. Cætera ad veſicam uſque perattente examinata, & inciſa, nihil oſtenderunt vitii: ut neque larynx; ſi epiglottidem minus ſanam excipias. Magna autem arteria intus inæqualis, oſſium inchoamenta, & corroſionis, quamvis obſcuriora, habebat indicia: præterea paulo ſupra cor juſto latior fiebat.

40. SENIS peregrini cadaver ibidem per eoſdem ferme dies incidi, cujus qui fuiſſent cæteri morbi, in meis ſchedis non adnotavi. Venerea lue fuiſſe infectum pariter ac Juvenem de quo modo dictum eſt, quæ adſcribam, ſatis oſtendent. VENTRE enim aperto, cum renum alterum maximum, alterum juſto contractiorem offendiſſem, hujuſque ureterem prope totum adeo dilatatum, ut apicem minimi mei digiti admitteret, veſicam autem magnam, craſſis parietibus, purulentam; oculos ad urethram, penemque converti. Hujus glans pluribus profundis cicatricibus excavata: urethra autem erat valde contracta, ut vix unum in ipſa ex iis qui ſupra dicti ſunt, canaliculis potuerim demonſtrare. Reliqua ab naturæ ſtatu aberrare non ſunt viſa; niſi quod epiglottis integerrima non erat, proxima autem linguæ pars quæ glandulis operta eſt, hic illic ulcuſculis fœdabatur.

41. Quæ in utriuſque urethra animadvertimus, ſicuti a qua cauſa eſſent, facile erat intelligere, ita quos effectus ederent, id eſt quæ incommoda in mingendo afferrent, ſcire non licuit, ut neque alia quæ a me in aliis urethris per diſſectionem deprehenſa ad te alias aut ſcripſi, aut ſcripturus ſum. Scribam enim (*y*) ubi de Gonorrhœa (*z*) in Juvene ex colli vulnere mortuo, oblongam mihi lineam albidam, nonnihil exſtantem, oblique ab urethræ medio ulteriora verſus tendentem occurriſſe, ſicuti & chordulas quaſdam alias in Aſthmatico (*a*) non ſine urethræ contractione. Scripſi autem Epiſtola XL. (*b*) ut in Sene quem ruptum aneuryſma ſuſtulerat, urethram paſſim cicatricoſam offenderim, fibraſque præterea inter Seminalem carunculam, & veſicam oblique prominentes: itemque Epiſtola IV. (*c*) ut in apoplectico Stabulario albidas oblongas lineas, oblique in duobus urethræ locis exſtantes, & in altero certe ſe immiſſo ſpecillo opponentes: denique Epiſtola X. (*d*) ut in paralytico Viro quem convulſiones interemerant, obliquas pariter quaſdam quaſi carneas fibrillas in illa urethræ ſede ubi catheteri obſtaculum aliquod ſe objicere ſolebat. Nunc ſi cum linea illa quam paulo ante (*e*) factam dixi ex tenui luxuriantis carnis excreſcentia has quaſi carneas fibrillas, & fibras illas, cum harum autem utriſque exſtantes lineas pariter obliquas contuleris; fortaſſe mecum ſuſpicaberis, certis quibuſdam urethræ eroſionibus excreſcentias quaſdam tenues non rariſſime ſuccedere, quæ contractæ fibras primum, fibrillaſve carneas, magis autem, magiſque ſiccatæ denique ſubalbas, nonnihil exſtantes lineas referant: fuiſſe igitur me ſæpius ejuſmodi excreſcentias viſurum, ſi dum recentius eſſet malum, inſpicere potuiſſem. Fieri tamen etiam poteſt, ut quemadmodum urethram non ſemel vidi cicatricoſam, & manifeſtiſſime coarctatam; ita lineas etiam illas eodem cenſeas attinere.

42. Muliebres autem urethras, etſi non ſæpiſſime, ut viriles; ſæpe tamen ſecui, & diligenter perluſtravi. Neque adhuc (niſi forte unam, de qua mox dicam, velis excipere) in ullam incidi, quæ cicatrices, nedum excreſcentias haberet: nec mirum in perbrevi, minuſque anguſto canali, in quem neque tot qui erodere poſſint, humores influant, neque ullus, nedum tantus quantum habet virilis urethra, flexus cadat. Poſſe tamen nonnunquam in muliebri quoque & ulcera, & excreſcentiam, aut certe diuturna obſtacula quædam oriri, de Aſtruccio, & de Alghiſio didici, quorum ille (*f*) corpus quo urethra cingitur, ſuppuratum, & fiſtuloſum intra hanc hiare, & pus effundere non ſemel vidit, alias vero ab eodem corpore tumido, & calloſo urethram præter modum arctari; Alghiſius autem (*g*) Virginem memorat, cui tenuis medicata candela ad *carnoſitatem* urethræ abſumendam intra hanc relicta, veſicam ſubierat. Huc adde *carneam excreſcentiam*, de qua mox dicetur, in Vidua quadam a Mullero (*h*) deſcriptam. Et mihi quidem ſemel accidit, cum Vetulæ cadaver perſcrutarer ſub initium A. 1751. ut parvulam excreſcentiam triangularem intra urethræ exterius oſculum, ex hoc tamen non exſtantem, offenderem: perſæpe autem poſt acutas præſertim febres animadverti ſanguifera vaſcula, quæ plurima, & ferme parallela intimam urethræ perreptant tunicam, turgida adeo, & conferta, ut ab ipſis tota hæc propemodum nigricaret: accidit quoque ſemel ut in Virguncula, itemque in Anicula, quarum fortaſſe alibi (*i*) incidet mentio, portionem ejuſdem illius tunicæ extra ſui meatus orificium procidentem viderem. Sed quid hæ, aut illæ incommodi in mingendo ſuſtinerent, conjicere quidem; ſed pro certo tamen ſcire non potui. De cauſa pariter cur his duabus pars quædam illius membranæ ita ex urethræ oſculo promineret, non niſi conjecturæ erat locus. Atque ut ea uti nollem quæ ex ſæpius laceſſitis per acus capitulum (*k*) illo oſculo, illaque membrana duci potuiſſet; reſtabat altera, a prægreſſa fortaſſe ſtranguria repetenda. Nam conatibus ad expellendam urinam vehementioribus membranam illam deorſum urgeri, & ratio indicat, & laudata Mulleri Obſervatio confirmat. Excreſcentia enim quæ ex urethræ orificio prodiens, hoc obturaverat, magna ex parte abſumpta, pars interior reliqua *non niſi eo quo veſica exonerari ſolet, conatu* fiebat *conſpicua*. Quæ Obſervatio excreſcentiæ *carneæ, rubræ, fungoſæ*, quæ *fabæ magnitudine prodierat* ex illo orificio, ſi a te cum exemplo altero conjungatur, quod Cl. Goulardus (*l*) memorat, *carnoſitatis* in viri cujuſdam urethra nonnunquam adeo excreſcentis, ut ex hujus oſculo prodiret, ibique eſſet amputanda; tanto libentius cum illis facies, qui inter cætera in urinario meatu occurrentia obſtacula, adhuc carunculas etiam agnoſcunt. Sed ne ab urethra fœminea recedamus; quid de Corn. Solingenii rariſſima quam Salzmannus (*m*) commemorat, Obſervatione dicemus, *meatus videlicet urinarii inverſi, atque digiti minoris longitudine propendentis?* Uſque adeone laxam & extenſam meatus fuiſſe membranam? an collum, ſive infimam veſicæ partem illac prolapſam, ut credere videtur Salzmannus (*n*)? qui tamen ſuam ita indicat dubitationem (*o*), *ſi modo alia pars oculis ſe ſe offerens, ſub ſpecie veſicæ* Solingenio *non impoſuit*. Alius quoque morbus eſt, cujus raritatem ut in muliebri urethra oſtendamus; pauca de ipſa, & de ejectis per eam calculis attingemus. Illa, ut Celſus (*p*) ait, & nos paulo ante poſuimus, *& brevior, quam in maribus, & laxior*, & quod ſupra (*q*) dixerat, *ſimul rectior* eſt. Ergo calculus, quod recte idem ſubjicit, *ubi parvulus eſt, per ſe ſæpe excidit*. Quin aliquando etiam non parvus, qualis erat quem hic, ut antea (*r*) ſcripſi, & vel magis quales ii quos Bononiæ conſpexi. De quibus, aliiſve quos Langelottus (*ſ*), Jægerſchmidius (*t*), Dillenius (*u*), Schmiederus (*x*), Trewius (*y*), alii ſine Chirur-

(*x*) Adverſ. I. n. 10. (*y*) Vid. etiam Epiſt. 63. n. 13. (*z*) Epiſt. 44. n. 7. (*a*) Ibid. n. 10. (*b*) n. 29. (*c*) n. 19.
(*d*) n. 13. (*e*) n. 39. (*f*) §. 4. ſupra ad n. 38. cit. (*g*) Litotom. c. 3. (*h*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 38.
(*i*) Vid. Epiſt. 50. n. 51. & Epiſt. 56. n. 21. (*k*) ſupra n. 19. & ſeqq. (*l*) Tract. ſupra ad n. 38. cit.
(*m*) Diſſert. de hernia veſicæ urinar. theſ. 18. (*n*) theſ. 26. (*o*) theſ. 19. (*p*) De Medic. l. 7. c. 26. n. 4.
(*q*) eod. c. n. 1. (*r*) n. 10. (*ſ*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 6. & 7. Obſ. 7. (*t*) Dec. 3. A. 3. Obſ. 101.
(*u*) Dec. ead. A. 9. & 10. Obſ. 242. (*x*) Cent. 3. & 4. Obſ. 161. (*y*) Commerc. Litter. A. 1733. Hebd. 39. n. 4.

Chirurgiæ ope excluſos propoſuerunt, plura dicere non refert, quando conſtat, iis majores Sennertum (z), & Tulpium (a) vidiſſe, nempe illum *fere ovi gallinacei magnitudine*, hunc, ut Icon adjecta oſtendit, craſſiorem, & ponderantem tres *uncias cum duabus dragmis*. Quem maximum inter omnes fuiſſe, credo, de quibus memini legiſſe: inter omnes dico a muliere non modo excretos, verum etiam geſtatos; cum in virili veſica ad immane pondus creviſſe, ſciam. Mitto enim qui *pendebat libram Anglicanam, & binas inſuper drachmas*, cui *non meminerat* Helmontius *ſe parem unquam vidiſſe*; quando in eadem Sepulchreti Sectione (b) in qua hæc verba referuntur, calculi XXXII. (c), & XXXIV. unciarum (d) propoſiti ſunt, & Cl. Targionius (e) teſtatur, eſſe Florentiæ qui uncias æquet XXXIX. ob id quoque ſpectabilior, quod in eo deprehenſus eſt qui poſt proſperam & vegetam ſenectutem morbo extinctus fuerat in quo leves potius lithiaſis ſuſpiciones, quam legitima indicia, extiterunt. Eodem pondere alterum video ex Verducio (f) commemorari, ex Launayo (g) alterum unciarum LI. denique, ut maxime mireris, quem Keſſelringius (h) ſpectaſſe ſe, ait, apud Cl. Morandum, *6. libras* cum *3. unc. æquantem*: quod ipſum pondus; ne forte me in deſcribendo erraſſe ſuſpiceris; in recenſione quoque invenies illius Diſſertationis edita in Commercio Litterario (i). Unde fieri autem putas, ut tantorum lapidum nullum in fœminea veſica repertum eſſe, legamus? Nempe, aut ego fallor, rectius, breviuſque, ut dixi, præſertim vero latius urinæ iter in ſexu ſequiore facile excipit, emittitque partem multo maximam viſcidæ illius, & tartareæ materiæ, quæ ob contrarias cauſas in marium veſica ſubſiſtens, uſque, & uſque, in quorundam potiſſimum corporibus, accreſcit calculo, ejuſque adeo auget molem. Quo rarior cenſeri debet caſus, a Cl. Adolpho (k) editus, *calculi oblongi in* Vetulæ *urethra nati, firmiterque ipſi accreti*. Quo enim modo particulæ unde is conſtabat calculus, reſtitare in ejuſmodi canali, neque abripi lotii incurſu potuerunt? Attamen aut vis hoc impellens, ut in muliere ſex & ſeptuaginta annos nata, languidior, aut urethræ membrana alicubi ulceroſa, eoque inter cuniculos, & inæqualitates ſuas retinens eas particulas, aut denique calculus, primum in veſica natus, & urethram ſua aliqua parte ingreſſus, ibique ſubſiſtens, aliis, atque aliis additis ex lente illac, & quaſi per ſtillicidium, ut tunc fere ſolet, præterlabentibus ejuſdem generis particulis, hæc, inquam, aut aliqua, aut univerſa id quod miramur, & nihilominus rarum eſt, ſatis efficere potuerunt. Favent huic explicationi, præter mulieris ætatem, prægreſſa jam ſubinde *per plures annos obſtructio urinæ*, præſertim vero calculus ipſe *in veſicam uſque recurvatus*. Vide enim meam primam (l) calculi qui acui intra virgineam veſicam increverat, Obſervationem. Is cum ſui partem recurvatam haberet intra urinarium meatum, certe non ab illa parte inceperat, ſed ab acu quæ inde aberat; illa autem ipſa pars, tanquam calculi appendix, & additamentum, intra contiguum meatum paulatim creverat; ut manifeſte pro fine, non pro initio calculi eſſet accipienda.

43. Reſtaret, ut de Diabete, de Urinæ Incontinentia, & per locum indecentem Excretione, & de Urinis non naturalibus ſcriberem, de quibus ſingulis argumentis ſingulæ in Sepulchreto adduntur Sectiones. Verumtamen duas ob cauſas non faciam. Prima eſt, quod nec Valſalva, nec ego quenquam ex diabete mortuum diſſecuimus, quod per te facile conjeceris ex iis quæ de eo morbo attigi Epiſtola ſuperiore (m). Altera, quod illa omnia quæ in denatis poſt cæteras iſtas quæ modo dictæ ſunt, affectiones, deprehendimus, jam cum aliis a quibus ipſæ pendebant morbis, quod in his quoque Litteris animadvertere potuiſti, propoſuimus. Non eſt autem conſuetudinis noſtræ quidquam iterare. Quod ſi in Sepulchreto non eſſet factum; ad pauciora rediiſſent iſtæ quas diximus, Sectiones, quarum nihilominus duæ primæ adeo breves ſunt, ut ſimul cum Scholiis vix ambæ impleant ſex paginas. Præterea in ſingulis fere quæ ad urinas, aut ad Partes his inſervientes attinent, Sectionibus non modo quæ in aliis, ſed & quæ in una Sectione poſita fuerant, in eadem iterantur. Et noviſti jam ex initio ſuperiorum Litterarum (n), quot Sectione XXIV. fuerint repetita. Ea autem quæ illam præcedit, Sectione XXIII. vide, quæſo, an eadem quæ Obſervatione VIII. § 1. leguntur, legantur partim Obſervatione IX. partim iis quæ huic ſubjecta ſunt, Scholiis: Sectione vero in cujus argumento hactenus verſatus ſum, XXV. an idem quod poſitum fuerat §. 2. & quod §. 10. Obſervationis VIII. ponantur iterum §. 19. & §. 17. ejuſdem Obſervationis. Sed & in una ex Sectionibus iſtis breviſſimis, id eſt XXVII. num id quod traditur §. 3. Obſervationis I. idem ſit quod §. 9. Obſervationis II. & in hac ipſa II. num quod §. 4. idem ſit quod §. ejuſdem 11. ſi forte dubitas; hiſtorias inſpice fuſius relatas Sectione XXIV. Obſ. X. §. 8. & Obſ. II. §. 4. quibus perlectis, omnem tibi dubitationem eximes. Denique; ne pluribus te morer; ſi Sectionem verſes XXVIII; non ſine magna admiratione bis invenies una eademque pagina repeti inferius quæ paulo ſupra poſita ſunt, primum videlicet maximam Scholiorum partem ad Obſerv. VI. & VII; deinde vero Obſervatione XII. hiſtoriam *Illuſtr. Duciſſæ* §. 2. & §. 4.

44. Ne tamen aſymboli ab his Sectionibus diſcedere videamur; ad iſtam ultimam, quæ de Urinis eſt non naturalibus, pauca adnotabimus, nec multo plura ad penultimam, quam eſſe diximus de Urinæ Excretione per locum indecentem. Utraque, etſi conjunctam non habebunt cadaveris inſpectionem; non tamen omni carebunt utilitate. Incidimus aliquando in urinas quæ chylum, & aliquando in alias quæ ſanguinem admiſtum habere viderentur; ut Medicorum alii rem ita prorſus, ut apparebat, alii vero longe aliter accipiendam eſſe, contenderent. Controverſia illa prima ſi unquam alibi, tunc profecto hic maxime ante hos quadraginta annos agitata eſt, cum ultimus ex Generoſa Diſcalciorum Gente in longo illo, quo confectus denique eſt, morbo lotium diu reddere perrexit, cujus pars magna lacti omnino ſimilis ſubſidebat. Ejus Medicorum alter, Vir Clariſſimus, & mecum profitendi munere, & amicitia conjunctus, cum ſedimentum illud odore omni, & viſciditate careret, chylum eſſe, aſſeverabat. Negabat alter, qui pus eſſe, contendebat. Ut diuturnam eam litem, ſi fieri poſſet, componerent, omnes qui tunc Patavii in medendo nomen aliquod haberent, alii alio die accerſiti ſunt. Me nihil magis refugientem quam litibus implicari, diuque per multas ac varias excuſationes tergiverſantem, exoravit denique ægri levir Alexander Guarinus, in quo pariter vetuſtum illud, & nobili Poeta illuſtratum Genus aliquot poſt annis finem habuit. Cum diſcrepantium rationes audiviſſem, urinas examinaſſem, ægrum diligenter interrogaſſem; ita reſpondi, ut me omnes intelligerent diſputantium quidem utrumque pro ſuis quemque meritis non parvi facere; ſed plus tamen veri ſtudio, ut debebam, quam amicitiæ tribuentem, in ſecundam inclinare ſententiam. Nam chylum quidem per renes effluere poſſe, me dixi non ignorare, ſi modo laxiores ſint per ipſos ſecretionis viæ (& ſane aliqua ſic explicabis eorum exemplorum quæ vel Sectione hac XXVIII. (o) Sepulchreti indicantur.) Verum in noſtro ægro ex prægreſſis diu, & vel tunc comitantibus non obſcuris læſi alterius renis indiciis, ut ſe pars chyli adjungeret, pus tamen videri non poſſe excludi. Nec me fugere, quo fœtore infectum pus ſæpe ex læſis renibus deſcendat: extare tamen & inodori puris exempla non modo aliunde, ut cum Celſus (p) ſcripſit, me-

(z) Medic. Pract. l. 3. P. 8. S. 1. c. 2. verſ. fin. (a) Obſ. Med. l. 3. c. 7. (b) 23. Obſ. 1. § 9. (c) Obſ. ead. §. 1. (d) Ibid. §. 2. (e) Prima Raccolta di Oſſerv. Med. (f) Vid. apud Boretium de Operat. alti Adparat. (g) Vid. apud Pall. Diſſert. ſupra ad n. 35. cit. in adnot. ad §. 19. (h) Diſſert ibid. ſupra cit. n. 53. (i) A. 1739. Hebd. 9. (k) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 239. (l) ſupta n. 19. (m) n. 14. 15. (n) Epiſt. 41. n. 1. (o) Schol. 2. ad Obſ. 14. (p) De Medic. l. 5. c. 26. n. 20.

melius eſſe pus ; *ſi nihil olet*, verum etiam ex ipſis renibus, eoque mox commemoranda. Nam quod viſcidum non eſſet ſedimentum; inveniri quidem interdum etiam in renibus maxime viſcida (ut in Sepulchreti eadem Sectione (*q*)) Veruntamen haud omne pus eſſe viſcidum, & quod cum urinis glutinoſum, & tenue ejicitur, id ſane Medicos Experientiſſimos (*r*) legi veſicæ, non renibus, tribuentes, & Valſalvam, diſſectionibus quoque edoctum, rarius conſueviſſe ab renibus, quam a partibus ſubjectis, repetere. Quæ ut omnia prætermitterentur ; haud tamen oblivisci me poſſe aut Viri illius, aut Præſulis, quorum hiſtorias reliquiſſent nobis Benedictus Silvaticus (*ſ*), & Lælius a Fonte (*t*) tam noſtræ ſimiles quam aquam aquæ (ut propterea vix crederem, in tam agitata controverſia ab nemine, uti certior poſtea factus ſum, ante me fuiſſe commemoratas.) In utroque enim illorum ægro ſigna præceſſerant renis alterius læſi, aderantque, ut in noſtro, & lenta febris, & macies. Ab utroque urinæ reddebantur quarum ſedimentum non fœtens, non viſcidum, ſed inodorum, & fluidum, lac ipſum referebat. Hoc eſſe pus ab renibus defluens, Medicus ille uterque affirmabat. Negabant, in Epiſcopo præſertim, alii. Diſſectio autem, renis illius ſubſtantiam aut abſumptam, aut abſceſſu perforatam oſtendens, pro affirmantibus ſtetit. Quæ etſi commemoranti ſimilior dicebam, quam pronuncianti, etſi judicii difficultatem in abditis morborum ſedibus naturave ſtatuendis inculcabam, nec me plus ſapere quam tot alii qui ſuperioribus diebus conſulti fuerant, profitebar ; tamen ex Nobilibus & Doctis, qui non pauci aderant, Viris nemini, ut dixi, quam in partem meus propenderet animus, occultum fuit. Neque mortui poſt aliquod tempus refragata diſſectio eſt, per quam, tametſi fuit ab ignobili Chirurgo clam propemodum inſtituta, ſic ſatis poſtmodum auditum eſt, renem affecti lateris ſemiputrem inventum eſſe, & ad exiguam molem redactum. Quod etſi eorum ſilentio quorum intererat aliter credi, comprobatum eſt ; tamen quia nec ipſe vidi, nec meorum quiſquam ſectioni interfuit, non viſum eſt hic pro certo eſſe ponendum.

45. Atque hæc Patavii. Venetiis autem inter pauciores controverſia altera olim fuerat, Abbatis cujuſdam urinæ ſanguine, ut videbantur, revera infectæ eſſent, necne. Res ferme ſimilis erat illius quæ eadem Sepulchreti XXVIII. Sectione (*u*) propoſita eſt ; ſanguis enim in lotio vel diutius ſervato non ſubſidebat. Conſultus, auctor fui, ut igne ſuppoſito periculum facerent ; ſic enim ſanguinem facile poſſe coire, ſeque, ſi reapſe ineſſet, oſtendere. Itaque eo periculo facto, controverſia dirempta eſt. Cæterum quomodo per album linteum, in ejuſdemmodi urinam immerſum, & mox exſiccatum, idem quæſierit Cl. Burgmannus (*x*), & quid loco ſanguinis, & qua ratione invenerit Schelamerus (*y*), & quomodo in quibuſdam ſanguis ex veſicæ hæmorrhoidibus ſecundum Cælium Aurelianum (*z*) ſit repetendus, etſi de hoc fuſe ad Præcl. Seraum, pro Nobili ægro Neapolitano in Medicorum diſſidio conſulentem, reſpondi, in his modo ediſſerendis te non morabor ; ſed ut quos laudavi, inſpicias, & de iis hæmorrhoidibus Doctiſſimum Helwichium (*) legas, potius hortabor.

Cum vero in eadem quam paulo ante deſignavi, Sectione (**) leges, teretia corpora vermiformia, & cruenta a quadam Vidua quam acerbiſſimus lumborum dolor cruciabat, ſimul cum lotio fuiſſe reddita ; eorum ſubſtantiæ accuratius examen requires, per quod apparere poſſet, ea potius quam teretes exeſi a cancro renis particulas, polypoſas, in uretere ſic formatas, concretiones fuiſſe. Nam quod lumbrici veri non fuerint, Obſervationis quoque illius Auctor agnovit : qui niſi inter veſicam, aut urethram ; & inteſtina via per morbum aperta ſit, quemadmodum ſupra (*a*) indicatum eſt, cum urinis certe reddi non poſſunt. Quamobrem cum ad ejuſdem Sectionis Obſervationem veneris XXX. qua uvæ acinorum, & fruſtulorum lactucæ, aliorumque ciborum excretio una cum urinis animadverſa proponitur ; partim majorem cautionem, & accuratius examen deſiderabis, partim etiam quoniam in uno veſica tota exulcerata fuiſſe dicitur, ulcus aliquod inde in quodpiam inteſtinum pertinuiſſe, ſuſpicaberis. Neque enim difficile eſt, ita ſe habentem veſicam cum proximo aliquo inteſtino coaleſcere, & ſic per quampiam ulceroſam corroſionem cuniculum ab illa in hoc duci. Qua ratione intelligi fortaſſe poteſt, quomodo vir de quo ab Yongio (*b*) ſcriptum eſt, cum fæculenta urina exiguos paſſæ uvæ acinos, foliorumque, ac radicum particulas, aliaque devorata, cum iiſque pilulas duas, in longum extenuatas, reddiderit. Nimirum ſæviſſimi colici dolores ſuperioribus menſibus anteceſſerant, ut a veri ſimilitudine non abhorreat, inflammatum aliquod inteſtinum cum veſica coaleſcere, & parvo aliquo abſceſſu facto, pus in utriuſque cavum erumpere, apertamque inter utrumque fiſtulam relinquere potuiſſe. Nam quod cum Yongius advocatus eſt, urina nihil grave oleret, neque ſanguis, aut pus alvo dejiceretur, nec teneſmus eſſet, neque humor unctus, per clyſterem immiſſus, ſuo lotium colore inficeret : communicationem quidem inter veſicam, & Rectum, aut Colon inteſtinum minus credibilem merito ipſi reddiderunt. Credibiliorem autem fortaſſe cenſuiſſet, ſi inter veſicam, & partem aliquam huic attiguam Ilei inteſtini eſſe, concepiſſet ; acerbiſſimi enim illi qui præceſſerant, dolores, ut Colici vocati eſſent, Iliaci eſſe potuerunt.

46. Sed foramen quod a veſica in contiguum Rectum inteſtinum præter naturam pertineat, ut facilem reddit explicationem lotii per anum redditi ; ſic aliquando aut ita in mortuis obſcurum eſt, aut ſic in viventibus difficile creditu, ut eodem modo vix ac ne vix quidem liceat rem hanc, ad penultimam, ut vides, ex enumeratis (*c*) Sectionem attinentem, probabiliter explicare. Hæc quæ dico omnia exemplis declarabo. Quorum antiquiſſimum ex Praxagora eſt referente : *viſum ſibi quendam qui per ſedem urinam excreviſſet, ſupervixiſſetque annis duodecim : anne etiam pluribus (quod tunc temporis ipſe diſceſſiſſet, nec de eo quicquam audiſſet poſtea) ignorare*. Locum hunc ex Ruffi Epheſii libello *de Veſicæ, Renumque Affectibus* (*d*) ita deſcripſi, ut in Henrici Stephani Editione legitur Medicæ Artis Principum, quem libellum latine redditum extare, non videntur Lindenius, & Mercklinus (*e*) animadvertiſſe. Hæc ſcire te, volui, ne forte mireris, cur non, ut Schenckius (*f*), & qui ipſum deſcribunt, Praxagoram dixerim quendam vidiſſe, *cui urina per ſedem excernebatur per duodecim annos*. Quod tamen ſi diſerte ita dixiſſet, ut dixit quidem ſupervixiſſe, mirari non oporteret, cum in hac ipſa XXVII. Sectione (*g*) hiſtoriam habeamus viri qui a pueritia ad quadrageſimum, imo ad quinquageſimum uſque annum *ſemper* lotium per ſedem reddiderit, lithotomus enim e puero calculum exſecans, ſic veſicam, & Rectum inteſtinum læſerat, ut meatus ab illa in hoc deſcendens poſt obitum inventus ſit *digiti latitudine*. Quod autem in iſto artis imperitia fecerat, in Praxagoræ homine videtur morbus feciſſe ; ejus enim Obſervationem Ruffus poſt illa ſubjicit, *aliquando in inteſtinum abſceſſus rumpitur* : quanquam, ne quid diſſimulem, de abſceſſu loqui-

(*q*) Obſ. 9. §. 2. & Obſ. 22. §. 1. (*r*) Vid. ibid. Schol. ad Obſ. 10. & 15.
(*ſ*) (*t*) Vid. ibid. cit. Obſ. 10. cum Schol. & Obſ. 14. cum Schol. (*u*) Obſ. 9. (*x*) Commerc. Litter. A. 1733. Hebd. 36.
(*y*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 81. (*z*) Morbor. Chron. l. 5. c. 4. (*) Eph. N. C. Tomo modo cit. Obſ. 119.
(**) Obſ. 26. (*a*) n. 6. & 29. (*b*) Vid. apud Th. Dereham Saggio delle Tranſaz. Tom. 3. P. 2. c. 4. §. 29.
(*c*) ſupra, n. 43. (*d*) c. 8. (*e*) Linden. Renov. Vid. *Ruffus*. (*f*) Obſ. Med. l. 3. ubi de Urina alien. loc. excreta, Obſ. 13.
(*g*) Obſ. 1.

loquitur renum; noſti autem, Pechlinum (*h*), cum urina per alvum quinquies vel ſexies quotidie ejiceretur in iſchuria hominis renum, & veſicæ calculo laborantis, in medio reliquiſſe, an illa *a veſica in ſubſtratum proxime inteſtinum Rectum per novas tubulataſque vias, an a renibus ad inteſtina deducta eſſet*. Cæterum de veſicæ abſceſſu, Rectoque inteſtino Fernelius (*i*) loquitur, cum *viſum* eſſe, ait, illum *nonnunquam & in anum penetrare, illacque urinam omnem defluere*. Et Hildanus (*k*), cum poſt longam veſicæ iſchuriam, & purulentas urinas vidiſſet has demum viginti ultimis vitæ diebus, non per colem amplius, ſed per podicem *nunc ſeorſum, nunc vero mixtas excrementis* effluere; deprehendit, ex veſicæ cavo rotundum ulcuſculum in Rectum inteſtinum produci. Quamobrem, cum ipſi Horſtius ſignificaſſet, mulierem quæ dum ab arbore caderet, genitalis lacerationem retuliſſet, & mox vulnus temere exterius clauſiſſet, jam *ultra ſemeſtre ſpatium nullam urinam reddidiſſe*, niſi quod *profluebat ſeroſa humiditas ſingulis diebus per alvum, non cum alvi excretis, ſed ſeparatim*; minime dubitavit reſpondere (*l*), *plane ſibi* eſſe *perſuaſum, non tantum collum veſicæ, & uteri, verum etiam ipſum inteſtinum Rectum ab arbore læſum atque perfoſſum fuiſſe*. Et explicatio quidem hactenus facilis, & perſpicua eſt, quemadmodum & in Viro Nobili fuiſſet, ni ſanguis quem alvo excernebat, admiſtam facile urinam obſcuraſſet; in eo enim invenit Cl. Moraſchius (*m*) adnatum fungoſæ carni, veſicæ calculum, qui hanc tandem una cum inteſtino Recto perforaverat. Sed viciſſim Obſervationes ſunt, in quibus hæreas, velut illa quæ ex Actis Helveticis (*n*) ſemel atque iterum alia de cauſa ſupra a me indicata eſt. Nam ad mictum cruentum, & dyſuriam cum paulo ante vitæ finem illud acceſſiſſet, ut lotium per anum exſtillaret; veſica tamen nullum ulcus, nullamque viam oſtendit quæ duceret ad inteſtinum. Huc adde ex Sepulchreto (*o*) multo longioris temporis Obſervationem. Puer enim cui *toto decennio omnino fuit cohibita urina, cujus guttæ aliquot per anum, ſed minus limpidæ*, prodibant, renes habuit, & ureteres morborum vi inutiles redditos, veſicam autem *nequaquam* p. n. *perforatam*. Quin & ubi plurimum lotii in veſica erat, ut in eo de quo Rhodius (*p*) ſcribit, urethræ caruncula illud ſupprimente, ipſum quidem *per inteſtinum Rectum clare fluxit*, ſed tantum *donec, ſublata obſtructione, ad conſuetam viam natura duceret*; ut minime intelligamus, quomodo per inteſtinum fluere omnino deſiiſſet, ſi ex veſica ad illud via præter naturam reapſe fuiſſet aperta. Plurima pariter in veſica pueri urina erat, quem ex Benivenii (*q*) Obſervatione plures commemorant; nam ſeptimo jam die non reddiderat; cum eam tandem ex ano evacuavit. Sed ne forte credas, ab Rhodio, & a Benivenio prætermiſſum eſſe ſuperſtes aliquod præternaturalis perforationis indicium; Cl. Reuſneri (*r*) in alio puero Obſervationem perlege. Videbis certe, nihil in veſica fuiſſe lotii quod ex ea viam vi ſibi faceret ad inteſtinum, & tamen ſeptimo iſchuriæ renalis die *urinam colore, odore, quantitate naturalem æmulantem, per alvum excretam eſſe ſine fæcum alvinarum excretione, ſine omni dolore, aut alteratione*, idque per dies aliquot ter quaterve quotidie, donec repente per colem reddita eſt *ſine omni dolore aut moleſto ſymptomate*, & ſic naturali modo perrexiſſe mictionem annis inſequentibus. Haud licet igitur omnem urinæ per podicem excretionem ad primum illum modum explicare; ſed ubi ob renalem, aut veſicalem iſchuriam nimia ejus copia ſanguinem prægravet, neque ullum ab renibus, aut a veſica morboſi ad inteſtinum aperti itineris indicium ſit, res ita potius eſt explicanda ut quemadmodum tunc per vomitum ejici lotium, alibi (*ſ*) ſcripſimus, ſic per ſeceſſum quoque ejiciatur, inteſtinorum videlicet glandulis id præter naturam ſecernentibus. Attamen vel ratione iſta poſita, illud non facile intelligitur, quomodo effuſa in tubum inteſtinorum urina ſine fæcum alvi admiſtione, ut modo referebamus, egrediatur: quæ difficultas neque per illam alteram rationem primam tollitur omni ex parte, ut cum illa apud Horſtium fœmina non cum alvi recrementis, ſed *ſeparatim* urinam ex podice emittebat; Hildanus enim *nunc ſeorſum* quidem, *nunc vero miſtam* alvi *excrementis* effluere in ſuo ſene, obſervaverat. Mihi autem ſuperioribus annis contigit ut in caſum inciderem, quem, ejuſque cauſam, & modum cum intelligere conarer, non viſa eſt amplius ex majoribus hæc eſſe quam modo propoſui, difficultas. Juvenis Sacerdos qui ob egregiam indolem, ejuſque officio dignam probitatem, & ſpectatiſſimos ſemper mores, omnibus quibus erat notus moriens ſui deſiderium reliquit, cum mihi narraret, ſe paucis ante diebus animadvertiſſe, urinam ſibi per ſedem prodire, ego qui hypochondriacum, ſicuti ſtudiis litterarum dediti non pauci ſolent, ipſum eſſe jam noſſem, primum non credidi, poſtridie autem cum ad me regreſſus illam quæ ſic paulo ante prodierat, afferendam curaſſet; tum denique ex eo diligenter quæſivi, an vitio ullo unquam alicujus ex urinariis partibus, aut imi inteſtini affectus fuiſſet, an dolore, aut moleſtia ulla, ſi non diu antea, at ſaltem non ita pridem inter mingendum, aut dejiciendum vexatus eſſet, aut tunc vexaretur, cruentine quidquam, aut purulenti alterutra via exiiſſet, aut exiret, atque alia ejuſdemmodi. Ille vero hæc ſingula, nedum univerſa, iis verbis negavit, quæ vel in minus ingenuo homine fidem facerent. Nulla, ut vides, hic fuerat ex cauſis quas paulo ante commemoravi, non calculi exſectio, non abſceſſus, non caſus, non ictus, non in veſica, aut renibus lapis, non urinæ in illa, aut his ſuppreſſio, & tamen urina, & ſæpe quotidie ſimul e veſica, ſimul e podice exibat, eaque ipſa quæ e podice, ut plurimum ſine alvi recrementis, & ſic ad mortem uſque, ab alio morbo allatam, id eſt menſes multos perrexit abſque ulla moleſtia exire. Is cum deceſſit, ego forte in Patria longius aberam, ut ne veniam quidem licuerit petere cadaveris perſcrutandi, & quod in vivo intelligere ſatis non poteram, ex mortuo fortaſſe addiſcendi. Sed hactenus hæc. Proximas Litteras aliquanto breviores expectabis, & valebis.

(*b*) Vid. Act. Erud. Lipſ. A. 1691. M. Maj. (*i*) Pathol. l. 6. c. 13. (*k*) Cent. 2. Obſ. 65. (*l*) Cent. 5. Obſ. 47. (*m*) Eph. N. C. Cent. 10. Obſ. 56. (*n*) Tom. 1. (*o*) Sect. 24. Obſ. 6. §. 1. (*p*) Cent. 2. Obſ. Med. 90. (*q*) De abdit. morb. cauſis c. 7. (*r*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 3. (*ſ*) Epiſt. 41. n. 5.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XLIII.

De Herniis agitur.

Hernias, de quibus ſcribere aggredior, Viri hoc tempore Doctiſſimi dividunt; id quod minime ignoras; in legitimas, & ſpurias, legitimas eas in quibus ventris aliquod procidit viſcus, ſpurias cæteras appellantes. Hunc ordinem ſequar. Ex illis igitur herniis quarum adhuc reſtant in Valſalvæ ſchedis Obſervationes, hæ pertinent ad legitimas.

2. VIR triginta annos natus, ex capitis vulnere mortuus, cum vivens tres habere teſticulos videretur, ſcroti atque inguinum propterea inſtituta diſſectione, hæc præbuit conſpicienda. TESTES quidem erant duo, ſecundum naturam ſe habentes. At qui a ſiniſtris tertius eſſe videbatur, omenti erat portio, quæ intra proprium ſacculum, ex peritonæo factum, in ſcrotum deſcenderat. A dextris quoque tumor erat, ſed minor: quem Appendicula Vermiformis, in ſimilem ſacculum prolapſa, efficiebat.

3. Epiploceles ſimul, & Enteroceles hic habemus exemplum, & quidpiam in ſingulis peculiare. Omenti portio, teſticulum mentiens in vivo, ad cætera eſt addenda quæ cum mentiri illum poſſint, ſuſpicionem olim fecerunt nobis (*a*) tot Obſervationes legentibus teſticulorum trium, a Graafio (*b*), aliiſque commemoratas, de aliqua in pluribus earum deceptione, quæ poſt mortem non fuerint per anatomen confirmatæ. Et ſane Vir iſte facile auxiſſet earum numerum, niſi errorem ſuſtuliſſet diſſectio, quemadmodum & in alio ſuſtulit, cujus tertium, ut videbatur, teſticulum fuiſſe hydatidem, veri teſtis magnitudine, & figura perſimilem, ſcripſit Cl. Schreiberus (*c*). Cæterum omenti portio in ſcroto reperta, vel per ſe olim admirationem moviſſet iis quos deſignat, & ſua geminæ in uno viro deprehenſæ ibidem epiploceles Obſervatione confutat Præſtantiſſ. Heiſterus (*d*). Appendicula autem Vermiformis, ſi una cum Cæco inteſtino in ſcrotum procidiſſet, aut etiam cum proxima Coli parte; quanquam ſcio difficilius hanc, quam ſiniſtram Coli partem prolabi; at ſi tamen laxatis, perfractiſve, ut in Waltheri (*e*) Obſervatione, dexteris Coli vinculis, cum hoc, & Cæco ſimul Appendicula deſcendiſſet in ſcrotum, eorum pondere peritonæum deorſum urgente; proclivius id eſſet intelligere, quam ſolam ipſam adeo flexilem, & levem eo perveniſſe, niſi tunc forte fuit, id quod rarius eſt, recrementis maxime diſtenta, aut potius paratum antea ſacculum a prolapſo inteſtino Ileo, hoc in ventris cavum regreſſo, ſubiit ipſa, longitudine ſua ad id plurimum juvante. Agnovit difficultatem hanc Lavaterus (*f*), qui tamen Appendiculam in ſcroto non vidit, ut in eo vidit, & a dextris quidem, inteſtinum Colon *plus quam pugni magnitudine;* id quod difficilius eſſe quam a ſiniſtris dicebam, niſi forte violentiam ictus, aut caſus ab alto hernia conſequatur, cujus exemplum habes apud Tacconum (*g*). A ſiniſtris autem *Coli partem, aliquando totum ejuſdem arcum, in ſcrotum non raro excidere*, Mauchartus (*h*) affirmat ubi & ſe ab eo latere, ait, ter vidiſſe, ab eodemque Pariſienſem Cel. Chirurgum *herniam Coli deprehendiſſe, ubi Cæcum ſimul cum ſua vermiformi appendice in ſcrotum ſe dederat præceps*. Sed & Cl. Henſingius (*i*) ſiniſtram pariter vidit oſcheocelem, *octo ulnas inteſtinorum Tenuium, inteſtinum Cæcum cum proceſſu vermiformi, & dimidiam ulnam inteſtini Coli complectentem*. Quæ commemoro, ut in herniis ingentibus ſcias laxari adeo Coli vincula, ut ſinant hoc ſequi trahentia ſuo pondere Tenuia inteſtina, & vel ipſam Appendiculam, ſed una cum Cæco, in ſiniſtram ſcroti partem prolabi. Sed de magnis enterocelis erit etiam infra (*k*) ſcribendi locus. Nunc, cum alias alibi tum epiploceles, tum enteroceles Obſervationes ex Valſalva tibi deſcripſerimus; duas, quæ reliquæ ſunt hujus ultimi generis, mediocrium licet fuerint, hic ſubjiciemus.

4. PAUPER annos natus ſexaginta, peſſimi habitus, herniosus frigido aeri expoſitus, viribus fortaſſe deficientibus cadit, mediumque os humeri frangit, faciem vero leviter contundit. Non multo poſt tempore interit. VENTRE aperto, ſi vaſa lactea chylo turgida excipias, e magno tractu inteſtinorum, nullis, qui alibi per meſenterium occurrebant, lymphæ ductibus interjectis, exorta, & alia ejuſmodi (quæ ad alterum ſervamus locum) nihil adnotatione dignum occurrit, præter inteſtinorum partem quæ ex ventre in annulum e peritonæo factum prolapſa, ſcroto, ut ſolebat, condebatur. Thoracis ſiniſtrum cavum cum recluderetur, ab ingreſſu aeris illico non ſecus ac in viventibus beſtiis, concidit pulmo: quod vero a dextris obſervari non potuit. Cæterum ſani erant ambo pulmones. In Cerebro aliquid aquæ continebatur, & quibuſdam in locis *gelatinoſa* animadvertebatur concretio. Hujus cadaveris flaccidæ, & molles erant carnes: ſanguis autem quaſi ſeroſus, & parum rubens. Quidquid autem habebat rubedinis, nonnulla dabant ſolida corpora in eo ſero natantia: nullæ tamen inerant fibræ; nam eo ſanguine in aquam conjecto, nulla apparuit concretio fibroſa.

5. PAUPER alter annorum circiter triginta quinque, pariter frigoris injuriis expoſitus, cum ſine pulſu jam eſſet, in Noſocomium eſt illatus ſub noctem, Nonis Januariis A. 1690. De ventris ſævo dolore balbutiendo conquerebatur: quem cum eſſe crederent ex prolapſu, cui erat obnoxius, inteſtinorum in ſcrotum; reponere conati ſunt. Mane homo obiit. CADAVER dum incideretur, carnes multum emittebant humoris. In Ventre fuerunt omnia ſecundum naturam, niſi quod inteſtinorum pars, laxato ad inguina peritonæo, & in oblongum oris anguſtioris ſaccum intra ſcrotum expanſo, etiamtum a dextris procidebat. Thorace recluſo, pulmones conſpecti ſunt punctis nigris, atroque ſanguine variegati, poſteriore autem parte qua per membranas coſtis adhærebant, quadantenus inflammati. In cordis ventriculo dextero major, in ſiniſtro minor fuit polypoſa concretio cum grumoſo ſanguine. Cæterum ut per hujus cordis, & fere omnium reliquorum viſcerum ſuperficiem vaſa lymphatica obvia fuerint, in meſenterio autem quam diſtenta, & ſeriem quaſi globulorum repræſentantia, aliaque iſtiuſmodi, erit alibi opportunior ſcribendi locus.

6. Si cauſam quæris cur has duas Valſalvæ Obſervationes non alio, ſed huc retulerim; dicam. Non alio retuli, quia noviſſima prioris ægrotantis ſymptomata, poſterioris autem diſſectio capitis, non extant. Huc autem retuli, ut quæ in hernias viſcera procidunt, Valſalvam quoque, ſcires, non per diſruptum, ſed per laxatum peritonæum procidere conſpexiſſe, neque intra hujus proceſſum, ſed intra ſacculum ex laxato peritonæo efformatum. Nec ſupra (*l*), aut in quinque aliis quas tibi olim ex eo deſcripſimus (*m*), herniarum Obſervationibus quidquam poſuit quod repugnaret, imo diſerte

(*a*) Adverſ. 4. Animad. 1. (*b*) De Viror. Organ. generat. inſervientib.
(*c*) Nov. Comment. Acad. Sc. Imp. Petropol. Tom. 3. inter Phyſica Obſ. 6. & Tab. 12. Fig. 2. (*d*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 85.
(*e*) Act. Erud. Lipſ. A. 1738. M. Jun. (*f*) Differt. de Inteſtinor. Compreſ. theſ. 5. (*g*) Diſſert. de raris Herniis quibuſd.
(*h*) Diſſert. de Hernia incarcer. c. 2. (*i*) Diſſert. de Periton. ad §. 8. (*k*) n. 7. (*l*) n. 2.
(*m*) Epiſt. II. n. 20., V. n. 2; XXXIV. n. 7. & 5. XXXVIII. n. 2.

ſerte nonnunquam ſcripſit quæ conſentirent. Quod ſi undecim a nobis alias propoſitas (*n*) relegcs; haud aliter invenies. Minime autem miraberis, ubi non tam illam perſuaſionem quæ plerorumque animos olim occupaverat, quam eorum Obſervationes attenderis qui, perſuaſione illa ſepoſita, accuratis inſpectionibus ſtare maluerunt. Sic Arantius (*o*) vel in grandibus herniis *nihil ſolutam* vidit *peritonæi continuitatem*. Sic in iſta, quæ huc attinet, Sepulchreti Sectione XXIX. in quam nihil de Arantio relatum invenio, Hildanum (*p*) leges, Riolanum (*q*), Barbettum (*r*), quibus addere potes Ruyſchium (*ſ*), & Benevolum (*t*) idem confirmantes. Quin hic ultimus cum plus centies occaſionem habuiſſet hæc indagandi, Ruyſchius autem non minus ſæpe; uterque tamen *nunquam* ruptum in herniis peritonæum fuiſſe, aſſeverant. At enim, inquis, Arantius non negat, poſſe diſrumpi; Barbettus autem ſi paulo infra (*u*) legatur, ſic loquitur, quaſi in hernia quam nunc vocant Cruralem, diſruptum conſpexerit. Non ait tamen diſerte, ſe conſpexiſſe. Diſerte vero vidiſſe ſe, negant præter eos quos diximus, alii, in primis Mauchartus (*x*), qui in hernioſis quinque, *ſolicite ab ſe in hanc rem diſſectis*, *nonniſi dilatatum* peritonæum, *nunquam vero ruptum ſe* reperiſſe, confirmat, ſed & *Celeberrimis Chirurgis Pariſienſibus*, *quos de hac ruptura conſuluit*, *certe nunquam obveniſſe*, *licet ampliſſima illis affluat occaſio in hernias inquirendi*. Et ne dubites, de mediocribus tantum herniis, an de magnis quoque conſuluerit; paulo ante litteras ad ſe miſſas ab uno eorum memoraverat, quibus litteris refert, ſe in ramice *enormi* tres inteſtinorum Tenuium ulnas cum portione Coli iis diebus reperiſſe. Quod ſi majores forte requiris; Henſingius præter illum de quo dictum eſt ſupra (*y*), octo inteſtinorum ulnas, eoque amplius continentem, alterum dabit (*z*) a Cl. Hommelio acceptum, qui in bienni infante procidiſſe ex umbilico vidit *omnia viſcera chylopœa*, *peritonæo non rupto*, *ſed tantummodo*, ut Henſingius quoque in ſuo conſpexerat, *extenſo*, *atque relaxato*. Et ante illos Meryus (*a*) in ſiniſtro ſcroti latere cujuſdam ſenis, ad monſtroſam magnitudinem amplificato, Cæcum reperit cum initio Coli eo protractum a Tenuibus inteſtinis, quæ illuc omnia erant prolapſa, ſemipede ſupremo excepto per quem ventriculum quoque ſic ab ſua ſede diſtraxerant, ut recta linea ab diaphragmate verſus inferiora ventris deſcenderet; marſupium tamen, ſeu ſaccus e peritonæo factus, intime hanc tantam molem complectebatur. Nec vero dicas, cum Meryus antea (*b*) ex Virgine haud parvam illam herniam propoſuit, quæ præter duas Coli inteſtini circumvolutiones, Tenuium tractum quatuor ſaltem pedum continebat, idque habebat peculiare propter quod mirum eſt, vix ab ullo eorum qui de herniis poſtea ſcripſerunt, fuiſſe commemoratum, ut ab ſiniſtro inguine ad medium uſque femur ſe extenderet; cum igitur hæc Meryus propoſuit, nullam peritonæi complectentis injeciſſe mentionem. Facilis enim reſponſio eſt, in hernia cujus involucra non ſecus ac quæ inerant Tenuia inteſtina, gangræna putrefecerat, non fuiſſe medenti occaſionem explorandi, an illa comprehendiſſet peritonæum, quippe a putredine ipſa jam exeſum potius quam ruptum. Idemque dictum puta ad Tacconi (*c*) Obſervationem in Virgine altera, cui non infra ligamentum, ut vocant, Poupartii, ſed indidem unde priori, a multis jam annis propendentia inteſtina repente demum extra herniam prociderunt, non tam rupto, quam ab eadem cauſa quæ ima herniæ integumenta exulceraverat, ſemicorrupto, ut veri ſimillimum eſt, proximo illis peritonæo. Quod ſane in multo majori, quem idem expoſuit, ramice ſolerter delineato (*c*) quidquid Coli, & Meſocoli inerat, videbis *circumveſtiviſſe*. Ingentes alias hernias & legi, & vidi, ut quam Teichmeyerus (*e*) *verſus genua uſque*, quam Schacherus (*f*), & quam Meekrenius (*g*) *ultra genua extenſas*, &, ne longior ſim, quam Cl. Brebiſius (*h*) *ad ſuras uſque propendentem* exhibuere. Sed vix primus hoc dumtaxat tradidit (*i*), inteſtinorum Tenuium, Craſſorumque, & meſenterii, atque omenti magnam in ſua delituiſſe portionem, alter an diſſecuerit, neſcio, duo certe reliqui non ſecuere, ut neque ego, qui in Præſule generoſiſſimo vidi tantummodo oſcheocelem, quæ picta a Meekrenio longitudine quidem, ſed non craſſitudine impar eſſet, nec in eo ut quæ viſcera continebat, nullo negotio in ventrem poſſent repelli; ſed nulla ratione intra ipſum poſſent retineri.

7. Nulla igitur, inquies, Obſervatio eſt rupti in herniis peritonæi? Ego vero non id contendo; ſed hoc tantum, multo quam olim putarent, eſſe rariores. Et quanquam Dioniſius (*k*) aſſeverat, omphalocelem fieri dumtaxat, ſi ruptum ſit peritonæum, ſeque, cum omphalocelas plures & in vivis, & in mortuis aperuerit, nunquam agnoſcere potuiſſe, intus a peritonæo conveſtiri, imo inciſa cute, nullam præterea inveniſſe membranam; tamen paulo ante (*l*) vidiſti, quantam Hommelius omphalocelem conſpexerit relaxato, non rupto, peritonæo comprehenſam, & videre poteris, Paulum Barbettum (*m*) aliquoties in cadaveribus demonſtraſſe, etſi umbilicus cum ſubſequentibus inteſtinis inſtar capitis virilis protuberaret, attamen *peritonæum* fuiſſe *expanſum*, *ſed nuſquam diſruptum*, itemque Hottingerum (*n*) in mulieris omphalocele diametro pedem æquante, aut ſuperante, cute detracta, *peritonæum*, *cutis externæ craſſitiem & denſitatem æmulans*, *ſecatu difficile*, *aperuiſſe*, *interne inteſtina firmiter annexa tenens*, ut in puella, ab Schulzio (*o*) diſſecta, adnatum pleriſque locis habebat omentum. Huc adde Ill. Halleri (*p*) Obſervationem, qui ſicut in aliis herniis integrum peritonæi ſaccum, ita in exomphalo quoque deprehendit. Quibus Obſervationibus ſpectatis, fortaſſe ſuſpicaberis, in nonnullis ſaltem Dioniſii diſſectionibus peritonæum valde extenuatum, arcteque cum integumentis connexum, ejus oculos fefelliſſe. In hernia quoque Crurali Cl. Virum (*q*) lego *in rupti peritonæi fovea*, omenti, Coli, atque Ilei portionem inveniſſe. Vereheynius (*r*) tamen qui inter primos hoc genus herniæ, & quomodo ea intercluſa ægri moriantur, deſcripſit, illam fieri tradidit peritonæo ibi *paululum dilatato*, *aut*, *quod rariſſime contingit*, *rupto*: & certe ego, ut tibi alias (*ſ*) ſcripſi, ejus ibi ſacculum conſpexi, ſicut alii pariter, & in his Mauchartus (*t*), &, ſi majorem ſaccum requiris, apud eundem Mauchartum (*u*) Wernerus, qui ibidem ſaccum dilatavit continentem præter longam omenti portionem, Ilei inteſtini partem *longitudine duorum fere pedum cum dimidio*. Sed de oſcheocele, quæ & frequentior hernia eſt, & nobis hujus ſermonis initium præbuit, ſi præcipue videndum eſt; diſſimulare non oportet, in ea ipſa quæ huc ſpectat, Sepulchreti Sectione (*x*) Obſervationes extare duas, alteram Joannis Rudolphi Salzmanni (*y*), alteram Friderici Hoffmanni patris (*z*), quorum ille in iſta hernia *peritonæum ruptum* ait ſe oſtendiſſe, hic *cum dilatatione externæ tunicæ peritonæi internam ruptam & dilaceratam* vidiſſe. Illud in his perraris, ſi cum cæteris prope innumeris comparentur, Obſervationibus deſiderari poteſt, ut quæ cauſa utriſque herniæ fuiſſet, minime

(*n*) Epiſt. V. n. 19; XXI. n. 15. & 19; XXIV. n. 16; XXVI. n. 37; XXXIV. n. 9. 11. 15. & 18; XLI. n. 10; XLII. n. 34.
(*o*) De Tumor. c. 48. (*p*) (*q*) Schol. ad Obſ. 19. verſ. fin. (*r*) Obſ. 1. (*ſ*) Adverſ. Anat. Dec. 2. n. 9.
(*t*) Diſſertaz. 1. (*u*) Chirurg. P. 1. c. 7. (*x*) Diſſert. ſupra ad n. 3. cit. c. 2. (*y*) n. 3. (*z*) ad §. ibid. cit.
(*a*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1701. Obſ. 5. (*b*) Ibid. Obſ. 4. (*c*) Diſſert. ſupra ad n. 3. cit. (*d*) Tab. 3. Fig. 1.
(*e*) Diſſert. de Exomphalo inflamm. §. 11. (*f*) Diſſert. de Morb. a ſitu inteſtin. p. n. c. 3. §. 3.
(*g*) Obſ. Med. Chir. Poſth. c. 5. (*h*) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 25. (*i*) Diſſert. cit. §. 18.
(*k*) Cours d'Operat. de Chir. Demonſtr. 2. (*l*) n. 6. (*m*) Sect. hac Sepulchr. 29. Obſ. 1.
(*n*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 231. (*o*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 226. (*p*) Opuſc. Pathol. Obſ. 29. & ſeq.
(*q*) Commerc. Litter. A. 1745. Hebd. 24. n. 1. (*r*) Anat. corp. hum. l. 1. tr. 2. c. 7. (*ſ*) Epiſt. 34. n. 15.
(*t*) Diſſert. ſupra ad n. 3. cit. c. 4. in fin. (*u*) Diſſert. de Epiplo-Enterocele Crurali. (*x*) 29. l. 3. (*y*) Obſ. 3.
(*z*) Obſ. 14. §. 3.

nime ignoraremus. Ut enim ingenue, quemadmodum ſoleo, me tibi aperiam; Fabricium noſtrum (*a*), atque adeo quem ſequitur ipſe, Paulum Æginetam (*b*) quadantenus ſequor. Scilicet in eo ſequor quod ramicem de quo loquimur, vel dilatato, laxatove peritonæo, vel rupto fieri, docuerunt, & in eo pariter quod cum ſit illo rupto, *una vice ac ſubito ab initio inteſtinum devolvatur, idque ob cauſas violentas duntaxat*, & *tumor ingens*, ſive, ut Pauli verba alii vertunt, *immenſæ magnitudinis ſit*. In eo tamen ſequi non poſſum, quod vel ubi hæc ſigna convenerint univerſa, ruptio ſemper ſit agnoſcenda. Meam enim aſſenſionem cohibent tum antea propoſitæ Obſervationes ramicum ingentium, & quos interdum violenta cauſa aliqua, ut caſus ab alto aut produxerat, aut adauxerat, non rupto peritonæo; tum ratio, quæ, ut Mauchartus (*c*) oſtendit, minime prohibet cogitare quæ ſubeſſe cauſæ potuerint aut a primordiis, aut poſtea tantæ illius membranæ ad dilatationem proclivitatis, ut ſubito factum id videatur quod multo antea diſpoſitum fuerat. Quæ cum ita ſint; tanto magis Fabricium laudo, quod membranam ſcripſerit (*d*) hic *aut dilatari, aut rumpi: ut plurimum autem dilatari*, quanto magis huic ejus pronunciato eſſe poſſe locum, intelligo non modo cum herniæ *ſenſim*, ut ille cenſebat, & *pedetentim*, verum etiam cum ſubito fiunt. Quod ſi nunc Saltzmanni (*e*) proferas Obſervationem in Stabulario, bubonocele antea laborante, cui ab ictu equi calcitrantis abdomini inflicto *mox tota inteſtinorum moles uno veluti momento in ſcrotum prolapſa* eſt, ut hoc alium fere ventrem magnitudine referret, abdomine interea valde collapſo, eamque altera, quam ille commemorat, Petiti Obſervatione confirmes, qui in ſimili ob eandem cauſam contingente caſu, peritonæi ſaccum ſolutum invenit; ego in utroque exemplo non ægre agnoſcam, diſruptum fuiſſe peritonæum; neque enim unquam in animum induxi, tantam huic membranæ firmitudinem, & robur ineſſe, ut per ictus ejuſmodi rumpi nequeat, aut per alias violentas cauſas, quas propterea allatas eſſe voluiſſem in duabus illis, quas in Sepulchreto extare dicebam, Saltzmanni, & Hoffmanni Obſervationibus. Neque enim per omnes cauſas quæ violentæ dicuntur, nec ſemper, imo rarius contingere id credo. Inter eas, exempli gratia, nunc a multis recenſeri, video equitationem: neque inficior, ſi aſſidua nimis ſit, ramices a peritonæi extenſione & facere, & augere poſſe, M. illius Servilii memor, de quo Livius (*f*) refert, dum inter concionandum, cicatrices adverſo corpore pro Patria exceptas oſtentaret, *adapertis forte quæ velanda erant, tumorem inguinum proximis riſum moviſſe*: tum vero illum, *hoc quoque quod ridetis*, dixiſſe, *in equo dies noctesque perſedendo habeo, nec magis me ejus, quam cicatricum harum, pudet, pœnitetque, quando nunquam mihi impedimento ad Rempublicam bene gerendam domi, militiæque fuit*. Conſul autem, & Magiſter Equitum fuerat, ac ter & vicies cum hoſte per provocationem pugnaverat. Non erat igitur ejus ramex, ſive is bubonocele fuit, ſive; ut Latini inguinum voce utebantur; oſcheocele, non erat, inquam, ex illis ingentibus quos ab rupto peritonæo repetunt; magno enim fuiſſet ad ea gerenda impedimento, cum præter illum unum quem ſupra (*g*) ex Meekrenio memoravi, neminem legerim, cujus expeditas pleraſque actiones obſtaculum, onuſque ejuſmodi non impediret. Celerrimum igitur atque longiſſimum calcaribus incitato equo curſum, eumque creberrimum rumpendo aliquando peritonæo aptum credo; itemque non omnem ſaltum, non omnem ab alto caſum, non omnem ictum, non omnem clamorem, non omnem denique conatum, cohibitamque reſpirationem, quæ laxare poſſint peritonæum, eidem quoque diſrumpendo ſatis eſſe, exiſtimabo. Et de hac controverſia hactenus. Nunc ad ipſum herniæ ſacculum tranſeamus.

8. Sacculum ex laxato peritonæo non eſſe hujus proceſſum, ut olim credebant, dilatatum, illum videlicet quem ex ipſo ventris cavo vaſa Spermatica excipere, & hæc comitatum, in Vaginalem demum tunicam ſe ſe expandere, arbitrabantur vel poſteaquam Jo. Fernelius (*h*) dilucide adeo, pro eorum vaſorum egreſſu perforari peritonæum, dedocuerat. Sed verum vicit denique opera, & conſenſione diligentiorum Proſectorum, quibuſcum ut Valſalvæ, & meæ in herniis Obſervationes conveniant, relectis quæ paulo fuſius deſcriptæ ſunt, plane intelliges. Vide enim Epiſtola XXXIV. (*i*) ut diſerte neget, ſacculum ex proceſſu factum fuiſſe peritonæi; ut olim credebant; qui vaſa Spermatica comitatur, imo huic proceſſui, ajat, a ſuperiore parte incubuiſſe. Itaque in prima (*k*) de tribus quas ſupra tibi deſcripſimus, Obſervationibus cum omentum intra *proprium* ſacculum, ex peritonæo factum, fuiſſe ſcripſit, nimirum proprium dixit, ut a proceſſu qui communis etiam vaſis fuiſſet, continuo diſtingueremus. Ego vero ſæpius rem ita propoſui, ut interpretatione non ſit opus. Sic Epiſtola V. (*l*) ſacculum fuiſſe, ſcripſi, propius quidem, ſed tamen extra vaginam, qualis ea cunque eſt, Spermaticorum vaſorum. Sic XXI. (*m*) ſacculum & initio, & progreſſu ad internum fuiſſe eorum vaſorum latus, inter membranam hæc obducentem, & illam tunicam quæ cum muſculo Cremaſtere adimitur. Sic XXXIV. (*n*) ſub hac ipſa tunica, ab eodemque interno vaſorum latere, ſacculum deſcendiſſe; & prope hujus orificium illa adiiſſe, non ventris cavum, ſed peritonæum: in alio autem (*o*) fuiſſe prope externum latus eorum vaſorum. Sunt quidem inter mea, & aliorum, atque adeo ipſius Valſalvæ obſervata nonnulla diſcrimina. Ipſe enim ſacculum, ut dictum eſt, vaſis incumbentem vidit, in cadavere a parte ſuperiore, id eſt in homine ſtante anteriore, quod Viri quidam Eruditiſſimi *perpetuo* obſervari, ſcribunt. Mihi vero a latere modo interno, nonnunquam externo occurrit eorum vaſorum. Eſt etiam qui viderit, ſi recte intelligo, inter ſacculum, & vaſa Cremaſterem muſculum interjectum: quod multo rarius puto; certe aliter, ut dixi, inveni. Verum hæc diſcrimina ut Chirurgis ſcitu non ſunt inutilia; ita non faciunt, ne ego cum Valſalva, uterque autem cum diligentioribus Obſervatoribus in eo quod præcipuum eſt, conveniamus, videlicet aliud eſſe herniæ ſacculum, aliud proceſſum peritonæi: quanquam in hoc ipſo proceſſu agnoſcendo non levis hoc tempore inter Anatomicos eſt controverſia. Nam quod Fernelius cum fieri illum ex interiore peritonæi tunica negavit, ex altera ſaltem, exteriore, compingi, docuit, qui poſſint illi accipere qui exteriorem hanc non agnoſcunt? Quo tamen in numero haud ſatis ſcio, cur Doctus Vir Swammerdamium ex ejus Notis in Hornii Prodromum, Ruyſchium ex Obſervatione 98. & Juſtum Schraderum ex II. Dec. Obſervatione 5. reponere videatur. Sed qui revera pro ea tunica celluloſam telam proponunt, quando hanc ſaltem cum vaſis Spermaticis in ſcrotum deſcendere, non inficiantur, ſatis interea dant nobis, ut, hac lite nunc ſepoſita, iſtud, quidquid eſt, quo vaſa illa comprehenduntur, involvens certe, & a peritonæo procedens, vaginæ illorum, hujus autem proceſſus vocabulo deſignare poſſimus. Nec Valſalva ipſe cum proceſſum dixit peritonæi (*p*), ab aliqua ejuſmodi explicatione longe alienus, ut opinor, fuiſſet. Nam etſi hac in re non idem ſemper adoleſcentem me docuit; memini tamen cum denique ſic traderet, nec tendinem muſculi Obliqui Externi, nec peritonæum qua vaſa ſpermatica ex abdomine proprie dicto ſcrotum verſus deſcendunt, nec illum, inquam, tendinem in veri annuli formam perforari, nec peritonæum in vaginam excavari, quorum utrumque plerique crederent; ſed filamenta tantum nonnulla hinc, & illinc demittere quæ ſuper ea vaſa traducantur, nec aliam eſſe inter peritonæum, & Vaginalem tunicam connexio-

(*a*) Pentateuch. l. 1. c. 24. & de Chirurg. Operat. ubi de Inteſt. Hernia. (*b*) De Re Medica l. 6. c. 65.
(*c*) Differt. ſupra ad n. 3. cit. c. 2. (*d*) De Operat. loco indicato. (*e*) Diſſert. de Hern. Veſic. theſ. 21.
(*f*) Hiſt. l. 45. (*g*) n. 6. (*h*) Phyſiol. l. 1. c. 7. (*i*) n. 5. (*k*) n. 2. (*l*) n. 19. (*m*) n. 15.
(*n*) n. 9. (*o*) n. 18. (*p*) Epiſt. 34. n. 5.

xionem. Unde etiam intelligis, proceſſum illum non quaſi canalem quendam perpetuum ſpectaſſe, qui primum vaſa illa complexus, deinde ſe ipſum in Vaginalem tunicam explicaret. Nec ſane ignorare poterat, tunicæ hujus cavum non multum ſe ſupra teſticulum attollere, non modo anatome id monſtrante, ſed & Swammerdamio in *Miraculo Naturæ* diſerte admonente, eam tunicam *non ſe ſc multo ultra teſticulos extendere*. Quod ſecutus Blaſius (*q*) inde ea deduxit quæ, ubi de Hydrocele agemus, infra (*r*) memorabimus: interea in Sepulchreto (*ſ*) videre poteris. Quo ſicut illa relata ſunt, ita etiam referri decebat quæ Swammerdamius indicato loco, & quæ cum eo Juſtus Schraderus (*t*) de alio omnino, ſiquando eſt, peritonæi proceſſu, alio autem herniosorum ſacculo obſervarunt. Quid ergo eſt, inquis, quod narrat Boſcus in Sepulchreto (*u*), ab ſe oſtenſam in puero, enterocele laborante, *vaginam teſticulo a peritonæo factam, ita dilatatam in ſuo exortu uſque ad finem & fundum, ut duo digiti facile ingrederentur?* Crederem forſitan perraro aliquo caſu diruptas hinc imam ſacci herniæ partem, inde ſummam Vaginalis tunicæ in unum tubum coaluiſſe, aut, quod in ſingulari quadam ſua ejuſdemmodi Obſervatione ſuſpicabatur Meryus (*x*), ut quadrupedum pleriſque, ita ei puero vaginam iſtam a ventris cavo ad teſticulum perviam obtigiſſe; crederem, inquam, niſi Boſcus id *ſæpe* ſe vidiſſe, & oſtendiſſe, affirmaret, putaretque *omnibus facile eſſe viſu*. Cum vero cæteris, nedum mihi, non modo id non appareat, ſed longe aliud evidentiſſime deprehendatur; reliquum eſt, ut hallucinatum eſſe hominem, & eos qui aderant, ſuſpicemur, extenuatione fortaſſe, & adhæſione utriuſque tunicæ cum inter ſe, tum ad teſticulum tanta, ut hic extuberans intra ſaccum herniæ in eo omnino eſſe videretur.

9. Sed cavendæ magis in vivis hallucinationes aliæ, ne inteſtinum, aut omentum extra ventris caveam prolapſum falſo exiſtimemus. Multa ſunt quæ ejuſmodi errorem incautis objiciant, ut teſticulus qui ſerius, ſicuti nonnunquam accidit, in ſcrotum deſcenſurus, inguen attollat, non facile tamen pro bubonocele accipiendus, niſi forte ab iis qui Brechtfeldium (*y*) haud imitati, ſcrotum antea, præſertim in pueris, non explorent, nec deficientem in eo teſtem animadvertant: ut glandula aliqua inguinalis in eam formam aucta quam Epiſtola XXXI. (*z*) in Lanio deſcripſimus, aut multæ cum ſero coagulato, quales deprehendit Reiſelius (*a*): ut alia tandem, quæ ne imponant, cætera ſunt diligenter ſpectanda, & inquirenda. Eram Venetiis, cum mulier Chirurgos, & Medicos, in his Santorinum advocavit, ut quid eſſet quod ſibi in altero inguine prominebat, dignoſcerent, bubonocelem verita propterea quia repente apparuerat inter conatus adſtricti ventris exonerandi. Herniæ aberant ſigna omnia; niſi quod ſtatim atque eum locum manu tentarent, mulier ructus emittebat. Quæ poſtquam ob id unum Medicos animadvertit animi pendere, riſit, & quamcunque mei corporis tentetis partem, mihi, inquit, ructus illico prodire, audietis. Periculum continuo faciunt, & continuo ructus prodeunt. Hæc mihi, aliiſque Amicis cum Santorinus referret, cæteris ut inauditum mirantibus, rarum eſt, inquam, non inauditum. Legere enim memini apud Ettmüllerum (*b*), *rarum eſſe quod Bartholinus in Actis Med. Hafniens. p. 199. & Rhodius C. 2. Obſ. 52. obſervarunt*, ab *externa frictione corporis quocunque in loco ructus continuos*. Sed ne idem tibi quod Amicis illis meis accidat, ſi forte indicatos ab Ettmüllero Auctores in re perrara malis inſpicere; in Rhodio quidem feliciorem indicantis memoriam facile deſiderabis; ſed in Bartholino operarum errore agnito, pag. 199. pro 194. ponentium, reapſe invenies Obſervationem viri, *qui a leni frictione cujuſcumque corporis partis ſtatim in tam enormem incidebat eructationem, ut non prius deſineret eructare, quam ceſſaret frictio*. Eſt autem ea Obſervatio CII. Partis I. Volum. I. laudatorum Actorum, Brechtfeldio Reg. Matris Medico auctore.

10. Sunt & alia non æque perraro, ſed tamen non creberrime occurrentia, nec modo ad inguina, verum etiam ad umbilicum, & ſcrotum, quæ in herniis dignoſcendis morari Medicos poſſint, & nonnunquam decipere. Sic memoria teneo, in Sereniſſimo quodam Principe, flatibus quoque inter cætera, & hypochondriacis ventris diſtentionibus obnoxio, relatum mihi ab ejus Medicis, præſtantibus alioquin Viris, paululo ſupra umbilicum a ſiniſteriore parte eſſe epiplocelem: quem ego locum explorans, etſi laxam quandam percepi, levemque prominentiam circuli ambitu, cujus diameter tres ſaltem digitos tranſverſos æquaret; tamen cum ſubeſſe nihil inæquale ſentirem, Princeps autem ipſe non ea interroganti reſponderet quæ Medicorum confirmarent judicium; malui aſſenſionem ſuſtinere, nec me pœnituit, cum aliquot poſt menſibus ex mortui ob longe aliam cauſam, ad me miſſa diſſectione, certior factus ſum, deceptionem accidiſſe, a Cel. Heiſtero (*c*) indicatam, ſcilicet nihil ibi ſub cute præter pinguedinem fuiſſe cellulas diſtendentem membranæ Adipoſæ, non a peritonæo, quod nullo modo laxum erat, extrorſum compulſæ, ſed propter majorem eo in loco ſuæ pinguedinis copiam eo in loco prominentis: quo de genere tumorum ad te alias (*d*) ſcribam. Sed ut bubonocelem aliquando mentiantur, oſtendit Schulzii (*e*) Obſervatio in viro in quo tanto facilior fuiſſet error, quod cum eſſet macilentus, nemo tantam pinguedinis copiam vaſis Spermaticis adjunctam putaſſet. Et quamvis præpinguis eſſet alter quem diſſecuit Petſchius (*f*); tamen in proclivi deceptio erat propterea quia pinguedo in ſubſtantia peritonæi celluloſa collecta, *per annulos ad ſcrotum*, non in utroque, ſed in dextero dumtaxat latere ea copia prógrediebatur, ut ibi oſcheocele eſſe videretur. Porro in ſcroto, ubi cæteroquin haud raro cum multiplex ſimul eſt herniæ genus, alterum ab altero oſcuratur, ut cum multa circumjecta aqua prohibet incluſum omentum, aut inteſtinum, aut ambo digitis tentando internoſcere; accidere præterea nonnunquam poteſt, ut vel ſimplex genus aliquod multiplex eſſe, aut non quale eſt, eſſe exiſtimemus. Quis enim in illa, exempli cauſa, Veſalii Obſervatione, quam in Sepulchreto quoque (*g*) habes deſcriptam, cum ſcrotum amplum adeo, & grave animadvertiſſet, quis, inquam, ex ſola illapſi omenti parte eſſe, putaſſet, eo uſque aucta, ut *quatuor aut quinque librarum pondus penderet?* Aut quotus quiſque; ut ad recentius exemplum veniamus; facile deceptionem vitaſſet (in quam Gunzius ipſe (*h*) laudabili ingenuitate ſe incidiſſe, fatetur) ut cum anguſtiorem ad inguen, in ſcroto autem magnum, amplumque cum rotunditate tumorem videret; non ibi inteſtini quidquam, ſed omentum ſolum, quod inventum eſt craſſius factum, & inferius replicatum, concludi, exiſtimare? Aut quis denique cui ſint incognitæ Obſervationes, non ſæpe obviæ, præſtantium Virorum quos tibi Epiſtola XXXIV. (*i*) laudavimus, cum videat, ad pleraque alia intercepti inteſtini ſymptomata, illud non accedere ut via inteſtinorum intercludatur, affirmare audeat, aliquam horum interceptam eſſe partem ſive ad umbilicum, ſive ad inguen, ſive in ſcroto, ut alii, ſive ad femoris initium, ut nos deprehendimus (*k*): & contra, tametſi recrementa nulla tranſeant, nihil tamen, niſi partem aliquam parietis inteſtini, eſſe interceptum, ut nos olim ad inguen vidimus (*l*), nuperrime autem vel inferius Chirurgus Experientiſſimus Antonius Benevolus (*m*). Sed & poſtea fortaſſe erit alias in dignoſcendis herniis faciles hallucinationes indicandi locus.

11. Nunc enim aliquid attingendum eſt de iis quæ

(*q*) Obſ. Anat. in Hom. ubi de Teſte. (*r*) n. 32. (*ſ*) Sect. hac 29. Obſ. 2. (*t*) Dec. 2. Obſ. Anat. Med. 5.
(*u*) Sect. cit. Obſ. 5. (*x*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1701. Obſ. 3.
(*y*) Vid. apud Bartholin. Act. Med. Hafn. Vol. 1. Obſ. 106. (*z*) n. 19. (*a*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 7. Obſ. 12.
(*b*) Prax. l. 1. S. 4. c. 2. in Prognoſ. (*c*) Inſt. Chir. P. 2. S. 5. c. 120. n. 1. (*d*) Epiſt. 50. n. 24.
(*e*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 225. (*f*) Syllog. Anat. Obſ. §. 89. (*g*) Sect. hac 29. Obſ. 15. §. 3.
(*h*) Proluſ. de Entero-Epiplocel. (*i*) n. 16. 17. (*k*) Ibid. n. 15. (*l*) Ibid. n. 18. (*m*) Due Relaz. Chirurg: Relaz. 2.

quæ attinent ad prolapſi in ſcrotum inteſtini repoſitionem, ut ſatis a me tibi fiat, quærenti, num Valſalva a clyſterum uſu tunc abhorreret? Ille vero, quod ex ſcripto quoque ejus Conſilio intelligitur, ſedulo curabat, ut debebat, ne quid reponendis inteſtinis obſtaret, imo ut omnia, quo ad ejus fieri poſſet, redituris in ventrem cederent. Itaque ubi hernia mollior aliquanto facta eſſet, quod mataxis appoſitis crudi fili præſtabat, calida permadentibus in qua flores chamæmeli, & meliloti, ſemina autem lini, & fœni græci incocta eſſent, quarta quaque hora mutandis (ſic enim tunc Bononiæ ſolebant, ſæpius tamen mataxis lixivio imbutis; hic ſpongiis utuntur in calentem amurcam demerſis) tunc inteſtinorum repoſitionem blanda manu moliebatur, jejuno ægro, neque alio hujus corporis ſitu, quam eo quem, ut in more eſt, jam inde a principio imperabat, tempus inſuper impellendi obſervans quo juſſus æger exſpirationem longius producebat. Sanguinis autem, præſertim ubi hujus nimia copia eſſet, miſſiones antea præceperat, cum conſueta alia, in quibus & clyſteres intelligo, auxilia laudaverat, & parcum tum ſemper cibi, potuſque uſum, iis quæ flatus gignunt, vitatis, ad hæc juſculum emolliens mane, & ſero, oleum autem ex dulcibus amygdalis recens expreſſum, interdiu ex cochleari per vices ſumendum ſic ut ne plus duabus unciis quotidie abſumeretur. Poſtquam inteſtina repoſuerat; ne forte relaberentur, eodem corporis poſitu, aptoque ſubligari cavebat, ad quod aſſutum fruſtum eſſet mollis ſpongiæ, tres digitos longum, totidem latum, unum craſſum. Ubi vero per intervalla re ſæpius tentata, repoſitio non ſuccederet, nec gravia interim ſymptomata aliud capere conſilium cogerent, ipſe quidem potius quam incaſſum vexando inflammationem crearet, tum vitare, tum ſervare ægrum jubebat cætera omnia quæ dicta ſunt ſive exterius, ſive interius molliendi cauſa in uſum trahenda, ſed cum iis præſertim toties inculcatum decubitus modum, id eſt ut altior eſſet pubes quam reliquus venter; ſic enim per ſe naturam interdum rem abſolvere. Contraxi tibi in ſummam Conſilium totum, non quod pleraque non ſint omnibus communia; imo propterea quod ſunt, ut plane intelligas, cum in hoc conveniant quod ratio indicat, ne quidquam in ventre ſit quod obſtet, utque omnia cedant regreſſuris inteſtinis, minime apparere, cur olim, & noſtro etiam tempore aliqui a clyſteribus tunc abhorreant, per quos ſine irritamento quidquid ea via poteſt ex inteſtinis ſubducatur. Nam quod ajunt, *deſcendere clyſteres ad ſcrotum, & ratione ponderis ſui inteſtina magis deprimere, atque herniam augere*; id locum fortaſſe haberet ubi proxima Recto pars Coli in ſcrotum illapſa eſſet, aut ubi inverſo jam periſtaltico motu, omnia ex Recto in reliqua inteſtina raperentur. Quorum neutrum ab iis dici poteſt, non primum, quia *Colon raro exire* in ſcrotum, fatentur; non alterum, quia cum jam *peſſima ſymptomata ſupervenerint*; tunc denique clyſteribus ipſi quidem uti permittunt.

12. Ubi vero ad ferrum veniendum eſt, qua potiſſimum ratione utendum ſit, cum Valſalva, cujus præcipue ſcire aves conſuetudinem, ſcriptum non reliquerit; nihil eſt cauſæ, cur iis quæ ſatis ab aliis tractata ſunt, immoremur. Nonnulla dumtaxat quæ illius, aut meis diſſectionibus confirmari poſſunt, paucis attingam. Et primum quæ repoſitioni maxime officiunt, orificii ſacculi anguſtiæ, & duritiès, & prolapſorum aut ad ſacculum, aut inter ſe annexio ut aliquando occurrerint nobis, certa loca oſtendent Epiſtolarum V. (*n*), XXI. (*o*), XXXIV. (*p*), & hujus quoque Epiſtolæ ipſius (*q*). Mutationes deinde quas in partibus offendimus aut intra ſacculum, aut prope ſacculum poſitis, animadvertes. In his adnotatione maxime dignum eſt quod Valſalva vidit, ut Epiſtola habes II. (*r*), teſtis videlicet ob veterem, ut videtur, epiplocelem, in Juvene firma alioquin valetudine uſo, & annos nato circiter viginti duos, totus in membranoſum corpus mutatus. Leges quidem in Sepulchreto (*ſ*) teſtes *exiguos, compreſſos, flaveſcentes, nucis moſchatæ magnitudinem vix æquantes* cum hernia inventos, ſed magna, neque ex omento ſolum, ſed ex meſenterii quoque, & Ilei inteſtini non mediocri portione facta, eaque ante viginti annos, & in ſeptuagenario. Et Senex erat pariter is cujus teſtem, herniæ proximum, altero minorem, nec paulo offendi, eundemque intus ex fuſco rubentem, quemadmodum Epiſtola ſcripſi XXIV. (*t*) Hernia tamen illa erat enterocele, & propter inflammationem lethalis fuit; ut appareat quo ille teſtis color ſit referendus. Hæ igitur duæ Obſervationes teſticulorum magnitudinem ob prolapſas in ſcrotum partes interdum minui, oſtendunt; prima autem illa, aliquando ſtructuram ipſam penitus mutari, demonſtrat. Ex quibus ut potes intelligere, non ſemper eſſe verum quod aliqui pronunciarunt, *ſterilitatem ex herniis metuere, fruſtraneum eſſe*; ita conjicere etiam potes, hernioſos interdum ſteriles fieri non modo quod *vaſa*, ut Boerhaavius (*u*) docuit, *ſacco adnaſcantur*, ſed etiam quod præter vaſa teſtes ipſi pondere & mole illapſi non ſolum inteſtini, verum meſenterii quoque, & nonnunquam ipſius dumtaxat omenti diutius premantur.

13. Iis autem quæ in herniæ ſaccum procidunt, partibus quæ aliquando mutationes contingant, & quam facile & quam multos, magnoſque errores hæc neglecta animadverſio in medendi arte parere poſſit, ſcite admonuit Gunzius (*x*) ubi ſuam in omento deceptionem eſt faſſus. Ad cujus Obſervationem omenti, in hernia craſſioris, & pinguioris facti, antea habitas Sprogelii (*y*) in vivo, Maucharti (*z*) in mortuo Obſervationes adjunges. Et ne omentum ſolum mutari, credas; illam quoque addes, quæ refertur a Lavatero (*a*) *inteſtinorum papyri madidæ inſtar mollium*; ut minus mirari oporteat, ſi, accedente præſertim ſuppuratione, aut gangræna, rumpantur, & quod continent liquidarum fæcum, in herniæ cavum effundant, ſicque hæc aut aliam herniæ ſpeciem, aut abſceſſum mentiatur, ut Cel. Heiſteri (*b*) in vivis, mortuiſque obſervata commonſtrant. Verum ut in mutationibus ſubſiſtam quas Valſalva, & ego prolapſis partibus accidiſſe, conſpeximus; eas ex Epiſtola intelliges XXXIV. Nec inteſtinis ſolum dico, quæ ab interceptione paſſim aut inflammata, aut nigra, & gangrænoſa invenies; ſed omento quoque, & meſenterio. Illud enim duplicatum, & in corpus teres conformatum leges (*c*), quod niſi incidendo potui quid eſſet, intelligere. Meſenterii autem portio ut quaſi carnea Valſalvæ (*d*) apparuerit, ibidem cognoſces. Ea, inquam, portio, quæ, ſi duplicatum inteſtinum paulo altius deſcendat, ipſum intra ſacculum ſequatur, neceſſe eſt; facilius enim propter pinguedinem, qua multa eſt præditum, laxari poteſt, quam diſrumpi. Nunquam autem laxius eſſe, quam in herniis, intelligitur. *Mollities atque laxitas meſenterii in hernia inteſtinali frequenter cernitur*, inquit Whartonus (*e*). *Uſque adeo enim laxatur meſenterium, ut permittat inteſtinum ſibi appenſum, quod intra orbitam ſuam coercere debuerat, in ſcrotum delabi.* Sed is quem ſæpius tibi, & merito laudo, Benevolus (*f*) meſenterii laxitatem ſemper, nedum *frequenter* eſſe in iſtis herniis, indeque primam harum eſſe originem, digna ſane quæ legatur Diſſertatione oſtendendum ſuſcepit. Quo ſpectat Obſervatio, in Sectionem hanc Sepulchreti (*g*) relata, Hoffmanni patris, vires emplaſtri ſui magnetici, lumbis adhibiti, prædicantis ad retrahenda ex herniis inteſtina. Quæ ſi tantæ ſunt, quantæ ad pervadendum, quod perdifficile eſt intellectu, craſſitudinem lumborum, imo eorum vertebras, & corroborandum meſenterium requiruntur; miror, cur filius ubi de herniarum curatione non uno in loco ſcripſit, nullam ejus, quod meminerim, emplaſtri mentionem fecerit. Cujus tamen cum Ettmüllerus (*h*) confir-

(*n*) n. 2. (*o*) n. 15. (*p*) n. 5. 9. 18. (*q*) n. 5. (*r*) n 20. (*ſ*) Sect. hac 29. Obſ. 13. (*t*) n. 16.
(*u*) Prælect. ad Inſtit. §. 641. (*x*) Proluſ. ſupra ad n. 10. cit. (*y*) Eph. N C. Cent. 7. Obſ. 70.
(*z*) Diſſert. ſupra ad n. 3. cit. c. 2. in fine. (*a*) Diſſert. ad eund. n. 3. cit. n. 23.
(*b*) Diſſert. de Hernia Incarcer. §. 10. & 15. (*c*) n. 9. (*d*) n. 5. (*e*) Adenogr. c. 11. (*f*) Diſſertaz. 1.
(*g*) Obſ. 14. §. 3. (*h*) Prax. l. 1. S 12. c. 1.

confirmet, *effectum* ſe *vidiſſe mirabilem*; rem, ſi tibi ſic placet, in medio relinquam, præſertim cum ſiquis velit hernioſus corroborantia, & adſtringentia, lumbis, ubi ſe annectit meſenterium, apponere, ei Benevolus non repugnet. Cæterum a Benevolo viſa non credo quæ multis ante annis ſcripſerat Cl. Roſtius (*i*), cum in hernioſo laxum meſenterium inveniſſet, nempe *veri ſimillimum eſſe, hernias inteſtinales hoc primitus requirere, quoniam inteſtina eidem* meſenterio *firmiter alligantur, adeoque e ſede ſua deflectere nequeunt, niſi meſenterium ob quaſcunque violentias prius cedat*: neque credo, ad Præcl. Brendelii manus Benevoli Diſſertationem perveniſſe, cum eandem magis confirmavit ſententiam (*k*). Ad Roſtii enim Obſervationem, aliaſque Benevoli, illamque præſertim in Sartore, cujus magnæ enteroceles majorem partem non jam inteſtina, ſed meſenterii expanſio faciebat, habes a Brendelio præcipue quas adjungas, aſſeverante, cum aliquoties id inquireret, meſenterium ab ipſa origine *immodice ſemper laxatum, & quaſi diſtentum* inveniſſe, imo in bajulo ipſum ibi peritonæum a magnis vaſis ſejunctum, meſenterium autem in illo atque in altero *ultra fidem diſtentum*, ut certe in altero ubi quam minimum eſſe ſolet, iis locis *trium quatuorve ſpithamarum eſſet*. Et ne forte exiſtimes, a prolapſorum inteſtinorum pondere hæc fieri, ut & lumborum dolores; Roſtius admonet, qui a quaſſante equitatione hernias contrahunt, *ſentire ordinarie prius tenſionem dolorificam* ad lumbos, *argumento haud obſcuro afflicti, tenſi, vel diducti* ibi affixi meſenterii. Quin etiam animadverti, attentum Medicum Riedlinum (*), cum futuræ enteroceles ſigna apud Auctores non inveniret, ex ſua quadam Obſervatione multo antea indicaſſe ex quibus id ſuſpicari poſſimus; in iis autem primo loco poſuiſſe lumborum dolores. At enim, inquis, certum eſt ab Eximio Anatomico repertum eſſe in oſcheocele meſenterium, quod *obeſum, funiculi ſimile, tenſum, durumque una cum inteſtinis deſcenderat*. Quid ergo laxum, aut debile in ejuſmodi meſenterio fuit, cui herniæ originem imputemus? Ego vero ex te quæram, num eo tempore quo deſcendit, exiſtimes ſic tenſum, durumque fuiſſe, nec illi poſtea id accidere potuiſſe quod mihi in ipſo intercepto omento conſpectum eſſe, dicebam, aut quod in eodem *durioris, & quaſi ſcirrhoſi* laudatis Obſervationibus Mauchartus, & Sprogelius adnotavere? quæramque inſuper, quomodo, niſi laxius fuiſſet, cum aliquot Tenuium inteſtinorum ulnis potuiſſet in ampliſſimam herniam deſcendere? certe enim ſecundum naturam ſe habens nequit deorſum adeo pervenire. Cave putes, hæc a me Benevoli potius, quam veri, quantum ipſe intelligo, tuendi ſtudio, eſſe dicta, præſertim cum, quod ille faciebat, non omnia meſenterii, ſed aliquid peritonæi quoque, & annulorum laxitati cum Roſtio, & Brendelio tribuam.

14. Ex iis quæ attigimus, & multo etiam magis ex illis quos indicavimus, Epiſtolarum locis, in memoriam redieris, quid de obſervatis a nobis Bubonocele, Oſcheocele, Omphalocele, & Merocele, & de partibus tum prolapſis alias acceperis, ut non ſit opus hic iterare. Juvat potius de duabus illis ultimis herniis aliquid adjungere. In Omphalocele etſi, quemadmodum a nobis, ab aliiſque repertum eſt, omentum videtur, ſicut ejus ſedes indicat, debere concludi: non rariſſime tamen abeſſe, ſed Jejuni inteſtini, aut Coli partem ſine illo occurrere, & ſua, & Arnaldi, ac Petiti Obſervationibus oſtendit Roſtius (**), ubi & alia animadvertit de vomitu pro vario intercepto inteſtino citius, ſeriuſve adveniente, nec eandem materiam ejiciente, quæ te legiſſe non pœnitebit. Merocele autem affectorum ſi forte diſſectiones, quas addas Sepulchreto, deſideras, in Obſervationibus invenies quas ſupra (*l*) indicavi, prætereaque apud Genſelium (*m*), præſertim vero apud eum qui de hac Femorali, ſive Crurali dicta Hernia Diſſertationem vulgavit, Cl. Danielem Koch (*n*). Quas, illaſque Obſervationes inſpiciens, cum pleraſque in viris habitas fuiſſe, animadverteris; minus fortaſſe tibi placebit quod ab Erudito alioquin Medico ſcriptum eſt, *non facile viros* huic herniæ *obnoxios fieri*: quanquam mihi, ut verum fatear, necdum, niſi in fœminis, accidit, ut eam viderem. Rariores quaſdam, ſeu locum ſpectes quo fiunt, ſeu partes quæ procidunt, nec Valſalva, nec ipſe conſpexi. In illis ea eſt quæ contingit qua Obturator, ut vocant, nervus cum vaſis ejuſdem nominis prodit, quem nervulum haud ſcio, cur ille idem Eruditus, quem modo deſignabam, Medicus *cruralem poſteriorem* dixerit, quo cæteri vocabulo omnium craſſiſſimum ſignificant nervum. Cæterum de hac hernia conſules qui in Commercio Litterario (*o*), & apud Platnerum (*p*) laudantur. Eſt hac multo rarior quæ a Chriſtophoro Henrico Papen (*q*), ſicut in cadavere invenerat, diligenter deſcripta eſt, maximæ lagenæ oblongæ ſimillima, ab dextero ani latere incipientis, & intra ſaccum, peritonæo continuatum, Tenuia inteſtina cum meſaræo valde elongato, & initio Coli includentis: quæ viſcera cum *per inciſuram iſchiadico ſacram*, ut recte is cenſet, ad quem Obſervatio miſſa eſt, Cel. Hallerus, deorſum procidiſſent; nos Herniæ Dorſalis nomen illi potius alteri, ſiquando ſe prodat, reſervabimus quam Paulus Barbettus (*r*), ut bene Auctor novit, & tu in Sepulchreto quoque (*ſ*) habes, his verbis indicaverat: *experientia me docuit, peritonæum etiam in parte poſteriori verſus dorſum poſſe diſrumpi, & ibi herniam efficere*.

In illis autem herniis in quibus partes ſpectantur quæ raro prolabuntur, Cyſtocele eſt. Qua de hernia cum alias (*t*) ad te ſcribens mentionem ſic fecerim, ut in mulieribus analogo quodam modo, videlicet non per inguen procidente veſica, accidere indicaverim; nunc addam, in ipſis quoque per inguen aliquando prolabi, ut duæ Obſervationes docent ſæpius laudati Benevoli (*u*). Quarum altera cum oſtendat, quot annis ante id vitium cœpiſſet; non eſſe igitur patet a prima conformatione, quemadmodum Meryus (*x*) exiſtimabat; præſertim quando nec tot aliarum quas tunc ex viris indicavi, ullam eſſe, memini cujus initium a primordiis uſque apparuiſſe videatur. Qui fiat igitur, inquis, ut veſicam ſeu plenam, ſeu vacuam tum ſua vincula, & nexus, tum peritonæum, & muſculi abdominis per alterutrum inguen exire ſinant? Legeſis ingenioſi Viri Jo. Salzmanni Diſſertationem (*y*), ubi ad ea quæ Petitus (*z*), ipſe quoque ejuſmodi herniæ obſervator, ad has infirmandas difficultates protulerat, alia inſuper addit, per quæ eaſdem minoris facias, illamque in primis quæ a peritonæo obſtante repetebatur, hic memorato a multis, non advertentibus, veſicam non ineſſe, ſed ſubeſſe peritonæo. Quas omnes etſi planiſſime diſſolvere non liceret; non tamen hæc hernia negari poſſet, quam non modo alias indicatum ſignum evidentiſſime pathognomonicum, ſed & in mortuis inſpectiones confirmarunt, tunc pariter indicatæ, ut noſtri Jo. Dominici Salæ apud Bartholinum, & Ruyſchii ipſius; ut mirum ſit, fuiſſe qui anno demum 1713. hunc morbum pro novo haberent, & alii ab alio, ſed circa illud tempus primum obſervatum eſſe, contenderent: quanquam olim etiam Platerus, ibidem a nobis memoratus, ſtatim atque ex ſcroto in iſchuria veſicæ diſtento, vulneratoque urina profluxit, hanc cogno-

(*i*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 178. (*k*) Progr. de Herniar. Natalib. (*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 150.
(**) Obſ. ſupra ad n. 13. cit. (*l*) n. 7. (*m*) Eph. N. C. Cent. 7. & 8. in Append. ubi Conſt. Epid. Hungar. A. 1713. in Septembr.
(*n*) c. 2. §. 5. (*o*) A. 1743. Hebd. 47. n. 1. (*p*) Differt. de Hydrocel. §. 2. not. τ. (*q*) Epiſt. de ſtupenda Hernia Dorſali.
(*r*) Chirurg. P. 1. c. 8. verſ. fin. (*ſ*) Sect. hac 29. Obſ. 8. (*t*) Epiſt. 41. n. 12. (*u*) Oſſervaz. 25. 26.
(*x*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1713. Obſ. 3. (*y*) De Hernia Veſicæ Urinar. theſ. 22. & ſeqq.
(*z*) Hiſtoir. de l'Acad. R. des Sc. A. 1717.

cognovit herniam, diſerteque deſcripſit. Et ne forte credas, eam contentionem ex parte ſaltem ad muliebris veſicæ herniam attinuiſſe, ſimul cum vagina prolapſæ; fac memineris, hujuſmodi Obſervationem a Peyero (*a*) annis ante Ruyſchianam aliquot fuiſſe vulgatam, & diſſectione comprobatam, quam etiam in Sepulchreto (*b*) habes. Hanc aliorum poſtea, & nominatim Virorum Clariſſ. Baſſii (*c*) & Burgrafii (*d*), Obſervationes in demortuis ſecutæ ſunt. Meryus qui virilis veſicæ deſcenſum in ſcrotum per cadaveris inciſionem præclare confirmaverat (*e*), muliebris herniam in viva dumtaxat raro exemplo in perinæo deprehendit (*f*). Atque hæc non ad iteranda, ſed ad preſſius alibi indicata illuſtranda, & abſolvenda ea quæ attinent ad Herniarum Veſicæ hiſtoriam, dicta ſunto. Vel rarior quam Cyſtocele, eſt Hyſterocele per ſectionem patefacta. Præter illam tamen hujus Obſervationem quæ in Sepulchretum (*g*) relata eſt, pervulgatæ ſunt duæ in Doringii Epiſtola ad Hildanum, quarum priorem, ex Sennerti Inſtitutionibus exſcriptam, ſi perleges, illud quoque animadvertes in tanta hernia, eaque ob ictum orta, peritonæum, quantum Sennertus viſu dijudicare potuit, *integrum* perſtitiſſe. Verum etiam ſine diſſectione quis dubitare poſſet, uterum in tribus aliis herniis fuiſſe, quarum duas *ultra media femora*, tertiam *ad genua uſque propendentem* memorarunt Carolus Sponius (*h*), & Fridericus Ruyſchius (*i*), quando feliciter natos eſſe fœtus legerit, hernia ab obſtetrice *elevata*, quod Ruyſchius vidit, aut poſt illos editos, herniam valde ſubſediſſe, & ſine prioribus internis motibus remanſiſſe, exiſtimaverit, quæ, aut alia ejuſmodi indicia Sponius attenderit, neceſſe eſt. Huc hernias adde quas alia faciunt prolabentia viſcera, ut deprehenſus ab Ruyſchio eodem (*k*) lien in peritonæo dilatato, ut ventriculus, cujuſmodi Obſervationes duas, quamvis diſſectione non comprobatas, minime tamen obſcuras, commemorat Petrus Kirſchbaum (*l*), ut jecur, per anatomen in hernia inventum ab Salomone Reiſelio (*m*). Has, aliaſque hujuſmodi hernias, ſi viſcus quod continent, ſpectaveris; ab eo denominabis, ut ſuam Reiſelius Hepatocelem. Sin eam in qua contigerint, abdominis ſedem; ab hac vocabis. Nam ſi Ventris, aut *Ventralem*, ut faciunt nunc plures, herniam diceres; recte quidem diceres; ſed cum aliud nihil præter genus nimis late patens indicares; de ſede etiamtum interrogari poſſes, quod non poſſes, ſi hanc a primo ſignificaſſes. In ſede autem definienda noli credere te peccaturum, ſi forte Umbilicalem voces quæ non ipſo in annulo umbilici ſit, ubi vix memini in aliis quam in aliquo tenello infante, vidiſſe. Satis ſit tibi, ſi illa fuerit prope umbilicum; ſocios enim, nec eos vulgares, habebis qui vel ſic acceperint, atque accipiant. Sedes autem tot eſſe poſſunt, quot ſunt abdominis regiones. Sic, exempli cauſa, ſub coſtis ſpuriis in hypochondrio dextero Lavaterus (*n*) herniam vidit quæ partem intercipiebat Jejuni inteſtini. Sic alii in aliis, quas omnes continuo is nominat, indicatve, regionibus; ut mirari ſubeat, Rolfincium (*o*) ad hypochondria, & ad pubem hernias negaſſe; *nullum enim, quod ſciam,* inquit, *exemplum dari poteſt, quod illa* loca *taliter affecta unquam viſa ſint*. Namque ut alia forte ejus memoriæ tunc non occurrerent exempla, qualia nunc obvia ſunt, ut vel ipſe bis (*p*) per anatomen hernias ad pubem examinaverim; at ſaltem loci Hippocratis (*q*) obliviſci non decebat, quem ejus Enarratores perpenderant, utinam ſatis feliciter, & omni ex parte, Franciſcus Valleſius (*r*), & Hieronymus Mercurialis (*ſ*): *Pectinum ruptiones, quæ quidem circa pubem fiunt, ut plurimum ſtatim ſunt innoxiæ: quæ vero paululum ſupra umbilicum in dextra parte, hæ doloroſæ ſunt, & anxioſæ, & ſtercoris vomitum inducunt, velut etiam Pſittaco accidit*. Hunc locum productum videbis in Diſſertatione (*t*), quam docte, periteque ſcripſit Vir Cl. B. Ignat. la Chauſſe.

15. Jam illud ſequitur, ut quando de legitimis herniis ſcripſimus; de ſpuriis quoque, id eſt in quibus nullius Partis ex ventre prolapſus fit, ſermonem habeamus. Sunt hæ Hydrocele, Pneumatocele, Hæmatocele, Cirſocele, Steatocele, Sarcocele, Spermatocele. Quæ etſi multæ ſunt; in ipſis tamen univerſis multus non ero. Nam earum quas Valſalva, aut ego per diſſectionem examinavimus, Obſervationes ex illo quidem omnes; ex me autem pleraſque antea accepiſti.

16. Hydrocelem ex Valſalvæ obſervatione bis deſcripſi Epiſtola XX. (*u*) Quam relegens, facile Malpighii (*x*) imitatorem agnoſcas. Uterque enim hydroceles humorem evaporationis ope exploravit. Uterque ex Vaginali tunica humoris guttulas expreſſit; Valſalva inſuper ex Albuginea. Ex qua, ſicut alibi ſcriptum reliquit, etiam ſecundum naturam ſe habentibus rebus, compreſſo teſticulo, vidit parallelo ordine erumpentes. Sic etiam Malpighius *a ſtatis* Vaginalis *orificiis conſpexerat proſilire, & repetita ſæpius compreſſione* alias *erumpere* quas inter *fere innumeras* guttulas *aliquæ grandiores erant*. Quamobrem utriuſque ſententia fuit, per Vaginalem ſeparari humorem in naturali ſtatu paucum, inter eam, & Albugineam madoris inſtar prohibentis ne eæ tunicæ coaleſcant, ut ſic mollis, ſuoque aptus officio ſervetur teſticulus: qui humor ſi per morbum coacervetur, hydrocelem tunc fieri. Non deſunt autem hoc tempore qui nihil ibi eſſe cavi, ajant, nihilque aquæ ſecundum naturam; etſi non ignorent, Veſalium (*y*) tamen docuiſſe, Vaginalem tunicam intus eſſe *aqueo quodam humore obductam*, qui poſt illum paſſim ab aliis quoque conſpectus ſit, & Boerhaavium (*z*) addidiſſe, *in caballo, diſſecta vaginali plurimum aquæ exprimi poſſe*. Hæc non eo attingo, quod illum unum eſſe cenſeam modum quo hydroceles origo explicari queat. Imo cum meas omnes attentius recolo Obſervationes, nullam invenio quæ non indicet, eas quas ego intra Vaginalem tunicam examinavi, hydroceles a diſruptis illic hydatidibus originem habuiſſe. Quod tibi quoque videbitur, ut opinor, ubi in ſingulis animadverteris aut hydatides aliquas ſive etiamtum integras, ſive ſemilaceras, aut reliquias earum fuiſſe ſuperſtites. Quas antequam Obſervationes proponere, aut commemorare aggredior; ſcire juvat, intra illud cavum, vel nulla adhuc inchoata hydrocele, aliquando hydatides inveniri, quæ ſi diſſiliunt, & eam quam continent, aquam primum effundant, deinde aliam uſque & uſque ſtillare pergant, non eſt dubium, quin facturæ ſint hydrocelem. Nos autem Epiſtola ad te IV. (*a*) duarum ibi hydatidum mentionem fecimus, quarum ſingulæ ſingulis teſtibus erant impoſitæ, magnæ ambæ, ſic tamen, ut ſiniſtra eſſet major, ab omni ferme parte ſolutæ, ac liberæ, eumque humorem continentes, quem igni impoſitum non concreſcere vidimus, ſed relicta tenui quadam pellicula, in auras evaneſcere non ſecus ac Malpighio (*b*) interdum, & Valſalvæ (*c*) accidit in hydroceles humore ad eundem modum examinando. Sed ad illas Obſervationes veniamus.

17. MILES vetulus, & gibboſus quos morbos pertuliſſet, quibuſve noviſſime eſſet confectus, magis ex mortui diſſectione licuit, quam ex viventis narratione, aut Medicorum obſervatione cognoſcere. Paulo enim poſtea quam fuerat in hoc Noſocomium illatus, vivendi finem fecerat. CADAVER, quale id cun-

---

(*a*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 1. Obſ. 84. (*b*) l. 3. S. 31. in Additam. Obſ. 5. (*c*) Dec. 3. Obſ. Anat. Chir. 2.
(*d*) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 126. (*e*) Mem. cit. Obſ. 1. (*f*) Obſ. 2. (*g*) l. 3. S. 38. in Append. Obſ. 2.
(*h*) apud Lavaterum Diſſert. de Inteſt. Compreſſ. theſ. 13. (*i*) Adverſ. Dec. 2. n. 9. (*k*) Ibid.
(*l*) Diſſert. de Hernia Ventric. §. 3. Hiſt. 1. & 2. (*m*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 7. Obſ. 6. (*n*) Diſſert. cit. theſ. 5.
(*o*) Diatrib. de Enterocel. c. 3 §. 4 (*p*) Epiſt. 5. n. 19. & Epiſt. 34. n. 11. (*q*) De Morb. Popul. l. 2. S. 1. verſ. fin.
(*r*) Comment. in eam Sect. n. 19. (*ſ*) Adnot. in eum librum n. 6. (*t*) De Hernia Ventrali ad §. 10. (*u*) n. 24. & 26.
(*x*) Epiſt. de Struct. Glandul. (*y*) De corp. hum. fabr. l. 5. c. 13. (*z*) Prælect. ad Inſtit. §. 641. (*a*) n. 30.
(*b*) (*c*) locis paulo ante indicatis.

cunque erat, Gymnaſium habuit, ubi Anatomen docebamus frigidiſſima illa quam alibi (*d*) memoravimus, tempeſtate A. 1740. Februario menſe.

Venter nihil oſtendit præter naturam, ſi quæ ad ſcrotum attinent, excipias, de quo poſt dicemus, & oſſei aliquid in arteriis Iliacis. In Thoracis utroque cavo aqua plurima, in pericardio non pauca, gelu ubique concreta. Pulmones tamen, niſi quod alter magnum ad tractum erat cum pleura connexus, & ad primam bronchiorum partitionem inter plures Bronchiales glandulas unam magnitudinis haud mediocris habuere, nihil notabilis vitii oſtenderunt: ut neque crura, aut pedes ullum vel levis œdematis initium. Pericardii, craſſioris facti, interiori ſuperficiei, exteriori autem cordis adhærebat hic illic craſſa quædam quaſi puriformis materia, quam viſcidiorem, & polypoſam ejus aquæ partem fuiſſe, cenſui, quæ aqua, ut dixi, intra pericardium conglaciaverat. Ea materia cum a corde avelleretur, pinguedo quæ hoc undique, nec pauca, operiebat, hic illic quaſi eroſa relinquebatur. Qua me ſpecie decipi, non ſum paſſus, eorum memor, quæ olim animadverteram, ut ad te ſcribens Epiſtolam XXI. (*e*) & XXV. (*f*) ubi hunc etiam militem obiter commemoro, ſatis indicavi. Cor ipſum æquo amplius eſſe viſum eſt, latioreſque eſſe rami, Subclavii præſertim, & Carotici arteriæ Magnæ. Sed amplificatæ manifeſto erant hujus valvulæ, & truncus ipſe ad primos a corde tractus. Neque ibi deerant hic illic oſſium initia, imo inter tunicas interiores oſſeæ ſquamulæ: quæ vel magis extra illos tractus occurrebant, & nominatim intra orificia Carotidum ſiniſtrarum, Internæ videlicet, atque Externæ, & in Brachiali quoque arteria ad cubiti flexum, & infra hunc. Thoracis vertebræ ſeptem, octove ſuperiores ita erant poſitæ, ut, Spina ibi in alterum latus curvata, & inflexa, totidem ejuſdem lateris coſtæ retrorſum prominerent, & gibbum facerent. Cranium, cum meliora interea oblata eſſent capita, non aperuimus.

Reſtat, ut quæ primis diebus, ſcrotum incidentes, deprehendimus, ſubjiciamus. Fuit hoc a dextris intus extraque ſanum; a ſiniſtris tumidum. Itaque ſub craſſioribus tunicis Erythroide, & Vaginali, intra hujus cavum amplificatum aquam inveni ex fuſco flavam, gelu ſemiconcretam, aliqua, ſed non magna, copia. Cum teſtem inſpicerem, longiorem potius viſum, quam craſſiorem, & longiorem certe Epididymidem; animadverti parvam quandam fimbriam, ex Albuginea pendentem qua propius majorem illius globum, teſticulum conveſtiebat: quam fimbriam pro diſruptæ hydatidis reliquiis accipiendam eſſe, cenſui, præſertim cum haud procul integram hydatidem cernerem, ex eadem tunica exſtantem.

18. VIR fuit ex iis quorum pleraſque Partes extremo Novembri A. 1718. Patavii diſſecabam, qui alterum ſcroti latus ſubtumidum habebat. TUNICAS inter Vaginalem, & Albugineam ejus lateris aquam, urinæ colore, non multam inveni, Albugineam autem exiguis tuberculis inæqualem: quæ ut pro parvarum hydatidum quæ diſſiliiſſent, veſtigiis acciperem, hydatides fecerunt nonnullæ quas in eadem tunica iis qui aderant, oſtendi necdum omnino diſruptas.

19. VIR alius inter eos fuit quorum cadavera Bononiæ incidi vere anni 1703. qui altero itidem latere non magna hydrocele laborabat. TUNICÆ illæ eædem duæ humorem intercludebant aquæ ſimilem in qua caro recens lota eſt. A majori autem epididymidis globo per tenue, & breve filamentum parvula hydatis pendebat. Per id filamentum multo exilius ſanguiferum vaſculum ferebatur.

20. Quod in his tribus exemplis non magna fuerit aquæ copia, inde fortaſſe repetendum conjiciemus, quod neque omnes omnino diſſiliiſſent hydatides, & parvæ fuiſſent quæ diſſilierant, neque diu poſt diſruptionem humorem ſtillare perrexiſſent. Exemplum autem ultimum faciet, ut in memoriam redeas eorum quæ de origine hydatidum pariter ex mulierum teſtibus pendentium Epiſtola attigimus XXXVIII. (*g*). Plura vero quæ ibi (*h*) de hydatidibus ſcripta ſunt, ut iis illuſtrantur quæ hic ſcribuntur, ita viciſſim illa, ſi relegas, ad horum facient illuſtrationem. Quamobrem exemplis hic ſuperſedebimus eorum quæ hydatidibus itidem aliis in partibus contingunt, ut in virorum teſticulis. In quibus jam eandem mutationum ſeriem mecum ex Obſervationibus recognoſce.

21. Et primum fac memineris, ut in Lanio, cujus diſſectionem Epiſtola dedi XXI. (*i*) cum intra Vaginalem utramque eſſet aqua ſubflava, hydatides, quæ hanc, opinor, non ita diu antea effuderant, apparuerint mihi veſiculæ inſtar ex craſſis, quaſi in ſe contracti eſſent, parietibus factæ, ideoque jam propemodum ſolidæ, carneique coloris, ab Albuginea prope majorem epididymidis globum, eodem prorſus a dextris, ſiniſtriſque loco, per ſuum pedunculum propendentis. Hinc; ut id obiter interjiciam; facile intelliges, quid illa fuerit veluti glandula carnoſa quam per ſuum petiolum a muliebri ovario pendentem Valliſnerius (*k*) memoravit: ex tam crebra autem hydatidum ſive adnatarum, ſive nonnunquam dependentium tum in fœminarum ovariis, tum in virorum teſticulis obſervatione novum argumentum capies ſimilitudinis quæ inter utraſque has Partes intercedit, ſi rem quidem ſic generatim ſpectemus.

Sed a veſicula propemodum ſolida ad tuberculum, ſive corpuſculum omnino jam ſolidum pergamus.

22. BUBULCUS poſt medium Januarium menſem A. 1743. in hoc obierat Noſocomio. Is quibus potiſſimum obnoxius fuiſſet morbis, & quibus ſublatus, cum pro certo dicere non poſſim; conjicies ipſe ex iis quæ præter naturam deprehendi, cum in Gymnaſio quæ ad Ventrem attinent, & quæ ad Thoracem, inciderentur. THORAX; ab hoc enim hic juvat initium ducere; pulmones habuit arcte cum pleura connexos, cætera ſanos: cor magnum: arteriam Aortam qua deſcendere incipiebat, non ſine aliqua oſſea ſquamula: Carotides latiores quam ſoleant, latiſſimas autem Jugulares venas Internas, dexteram præſertim, quæ aere magis, ut videbatur, quam ſanguine plena, digitum pollicem ferme æquabat. Ventre aperto, oculos ad ſe convertit ſiniſtra ima pars Coli inteſtini, flatibus dilatata, eoque compulſa, ut ejus inflexus ille tractus pene totus in umbilicali eſſet regione in tranſverſum locatus, magno objecto errandi periculo, ſi quis ibi ex dolorum ſede, non Colon, ſed Jejunum inteſtinum torqueri, cenſuiſſet. Ventriculus erat ampliſſimus, laxiſſimuſque. Huic lumbrici inerant multi, tunica autem intima deerat ad ſpatium aliquod a ſiniſtris in fundi poſteriore facie, & gangrænæ initium apparebat in ea parte quæ pyloro propior eſt. Qua omentum ventriculo cohærebat, ubi ſæpenumero, ſi quas, minimas certe videas glandulas de lymphaticarum genere, occurrebant aliquot, parvæ fabæ magnitudine. Lien ſex digitos tranſverſos latus, duos treſve pollices craſſus, ſeſquiſpithama longior, ſubſtantia fuit valde laxa, & præmolli. Jecur tamen non æquo grandius, intus dimidia ex parte decolor, ex dimidia altera dilute flavum, tres aut quatuor emittebat bilarios ductus quibus latiores vidiſſe, non memini, uno præſertim qui minimi digiti apicem propemodum admiſiſſet. Quorum dilatationis cauſa nulla apparebat eo tempore: calculum autem aliquem olim in trunco ſubſtitiſſe, in quem illi, ut ſolent, confluebant, fortaſſe conjeciſſem, ſi is truncus, qui latus alioquin erat, ipſe quoque ea latitudine eſſet quæ pro-

(*d*) Epiſt. 13. n. 5. (*e*) n. 2. (*f*) n. 24. (*g*) n. 38. in fin. (*h*) n. 35. & ſeqq. (*i*) n. 19.
(*k*) Iſtor. della Generaz. P. 2. c. 5. n. 21.

proportione requireretur. In cyſti bilis fuſca, ſed quæ flaviſſimo colore inficeret: cum multa ex illa diſciſſa effluxiſſet; fæces tamen lentæ, earum ſimiles quæ in vino ſubſident, reſtiterunt. Iliacarum arteriarum altera intorta alicubi quaſi ut in Splenica videmus: utriuſque autem illarum interior facies pene rugoſa, & inſulcata, niſi qua altera uno in loco ſubalbi aliquid oſtendit ligamenti duritie, necdum oſſis. Spongioſi urethræ corporis bulbus, qui ſolet intus, extraque a ſubſiſtente ſanguine nigricare, hic, quod alias vidiſſe non recordor, nullum continebat, ut ejus cellulæ, patulæ alioquin, carneo dumtaxat colore ſebruberent. Teſtium alter fuit ſecundum naturæ modum, niſi quod inter ſe, & epididymidem levem pinguedinis laciniam in viro cæteroquin non pingui interjectam habebat. Alter vero ea erat copia valde flavæ aquæ circumfuſus, ut per tunicam Erythroidem fibræ jam nullæ amplius apparerent, diſtentam videlicet a Vaginali; quæ non modo ipſa quoque diſtendebatur, ſed caveam ſuam, ſemper quidem eo minus latam, quo magis ſurſum ibat, ad tres pollices extendebat ſupra teſtis ſupremam partem, ſani utique, ſed ita in longitudinem producti, ut alligatam epididymidem diſtraxiſſe videretur. Prope hujus majorem globum ex Albuginea prominebat ſubrotundum corpuſculum, quaſi ex ejus ſubſtantia factum. Vaſorum autem Spermaticorum faſciculus craſſior quidem erat; ſed ex ſubflava fiebat pinguedine majori ex parte.

23. In hac, aliiſve quas indicaturus ſum, aut prolaturus, Obſervationibus nolim mireris, ſi cum multa eſſet, aut non pauca intra Vaginalem tunicam aquæ copia, unum tamen ſæpe eſſet corpuſculum, nec illud magnum. Reliquiæ enim magnæ hydatidis eſſe potuit, & quæ diu aquam dediſſet, tametſi denique a longo tempore in eam ſe contraxiſſet exiguitatem, & ſiqua præterea corpuſcula ſimilia fuerant, omnino interdum potuerant evanuiſſe. Hoc monito, non modo tibi ad memoriam reducam Senem de quo Epiſtola ſcripſi XL. (*l*), in cujus altera Vaginali turbida aqua erat non pauca, ſubrotundum autem corpuſculum, Albugineæ concolor, ex hac prope globum epididymidis majorem prominebat; verum inſuper huc duas alias adſcribam hiſtorias, quarum altera ſimul plura confirmet eſſe potuiſſe corpuſcula, altera oſtendat qua interdum ratione Proſectorum oculos poſſint effugere.

24. SENEM ruſticum in hoc Noſocomio thoracis hydrops confecerat eo tempore quo mihi Januario menſe A. 1731 publica incipienda erat Anatome. Itaque ejus cadaver in Theatrum illatum eſt, & quo par eſt, ordine diſſectum: quanquam hic quoque, ut in Bubulco feci, quæ prius examinata ſunt, poſteriore loco deſcribam. THORACIS aqua educta, pulmones inventi ſunt flaccidi, & male affecti. Cor non item. Abdomine diducto, præter ea de Appendicula Vermiformi, de Valvula Bauhini, de Jecinore, & Liene, quæ cum ſatis indicata ſint Epiſtola Anatomica XIV. (*m*), hic iterare non eſt operæ; arteriæ Magnæ truncus interiore facie paſſim inventus eſt inæqualis hic illic, aut oſſeus factus, aut ad oſſeum inclinans. Ex Cœliacæ autem ramis ille qui ventriculi fundo ſubtenditur, miris adeo ut nunquam ita conſpexerim, modis quaſi in cincinnorum formam ſe ſe totus intorquebat, ſæpius ſe retrorſum inflectens. Veſica urinaria in ſe maxime contracta, craſſa, dura, aeri immiſſo renitens, dilatari non potuit. Intus ſanguinolento rubore, quaſi ab inflammatione, erat circumcirca infecta ad imam ſui partem, qua ex medio ambitus ipſius urethræ orificii ab interiore, eademque poſteriore facie protuberantia intra veſicam exſtabat, mediocris uvæ acini forma, & magnitudine. Quæ protuberantia etſi ipſa quoque a diſtentis ſanguiferis vaſculis ibidem rubebat; tamen intus ex alba, compactaque fiebat ſubſtantia in quam manifeſto ſe Proſtata glandula producebat. Denique teſtium alter parvus intra aquam erat multam, quæ vi frigidæ tempeſtatis in glaciei lamellas ex parte concreverat. Eam tunica Vaginalis complectebatur. Ex Albuginea autem tum qua teſticulum veſtiebat prope majorem epididymidis globum, tum qua ſe producens hunc ipſum globum operiebat, ex ſingulis, inquam, his locis ſingula prominebant inter ſe vicina corpuſcula, quæ ex denſa, duraque ſubſtantia compingebantur.

25. VIR qui ab alto ceciderat ſub initium Aprilis A. 1740. ut fracta capitis, & thoracis oſſa haberet, aliis Litteris (*n*) perſcribam. Nunc quoniam utrinque in ſcroto hydrocele laboraverat, quid utraque in parte viderim, non reticebo. VAGINALES tunicæ aquam limpidam, ſed copia non pari, continebant. Nam alterius cavea aut nihil erat, aut parum extra naturalem modum extenſa: alterius vero ad ſummum uſque os pubis ſenſim quidem contractior, ſed ſatis tamen lata, nulliſque interrupta cellulis, fibriſve ſe producebat. Uterque ſanus erat teſticulus: quanquam is qui in ampliori erat cavea, altero erat, nec paulo, major. Minor tuberculum habuit parvum, Albugineæ concolor, & affixum, & quaſi ex ea factum, non tamen durum. Major nihil ejusmodi oſtendit. Verum cum forte animadvertiſſem, dum aqua effunderetur qua fuerat circumfuſus, neſcio quod corpuſculum ſimul exire, in hac quærens, corpuſculum inveni minoris uvæ acini magnitudine, & forma quoque, niſi quod hæc ad ovalem nonnihil vergens, in medio alterius extremi breve, & tenue quaſi collum habebat, ut exiguam referret ampullam, aut ſi mavis, uvæ acinum, petiolo tamen ex eadem acini ſubſtantia inſtructum. Sane & hoc corpuſculum per ſuum illud collum ad partem aliquam adhæſiſſe videbatur, unde, quacunque ex cauſa, decuſſum, in aquam deciderit, in ea facile ſe obſervationi ſubducturum. Alba erat, denſa, & compacta ſubſtantia ex qua intus, extraque conſtabat, ſi particulam excipias minimam, abnormi figura, quæ quaſi nucleus medium tenebat. Hæc enim erat ſubflava, & pene oſſea duritie, cum pars omnis reliqua, inter digitos compreſſa, nonnihil cederet.

26. Non me fugit quid potiſſimum adverſus ea quæ ex propoſitis Obſervationibus mihi videor poſſe conjicere, viciſſim opponere ipſe poſſis, vel meis, quas alias accepiſti, Obſervationibus quibuſdam fretus. Probe enim memini, Epiſtolis XXIV. (*o*), XLI. (*p*), & XLII. (*q*) teſticulos deſcripſiſſe, e quibus corpuſculum illud exſtaret, aut etiam penderet ſubrotundum, quod mihi quidem ruptæ eſt hydatidis indicium, cum tamen Vaginalis tunica modicum, vix parum, nihil etiam nonnunquam aquæ contineret. Quas ego Obſervationes tantum abeſt ut velim ſubterfugere; volo inſuper alias ejuſcemodi adjicere, & quare nulla earum tamen conjecturis prorſus officiat meis, denique indicare.

27. VIR alter perpaucis poſtquam illum de quo noviſſime dictum eſt, ſecueramus, diebus in Noſocomio deceſſit: quo ſerius illatus fuerat, quam hernia in ſcroto, ut vocant, incarcerata poſtulaſſet. Me abſente, Mediavia noſter cadaver incidit: qui mox eodem die ſimul quid conſpexiſſet, narravit, ſimul nonnullas quas ipſe inſpicere avebam, Partes ad me curavit afferendas. Quæ igitur retulit, primum accipe, ut cum iis conjungas quæ ſupra de enterocele ſunt ſcripta, accepturus deinde quæ ego de hydrocele obſervavi. HERNIÆ ſacculus ſub Cremaſtere muſculo, & huic annexa tunica Erythroide concluſus, pone ſe ſpermatica vaſa, & teſticulum habebat. In ſacculo duplicata inteſtini Ilei portio leviter eidem annexa erat ſic ut digitis ſeparari potuerit, neque tamen in ventrem retrudi, prohibente annuli anguſtia, & inteſtini ab incluſa materia dilatatione. Nigricabat annulus, & inteſtinum non intra ſacculum modo, ſed

(*l*) n. 22. Vid. & Epiſt. 64. n. 7. (*m*) n. 62. (*n*) Epiſt. 52. n. 34. (*o*) n. 16. (*p*) n. 38. (*q*) n. 11.

ſed in ventre quoque ad proximum ſemiulnæ tractum. Reliqua inteſtina non turgebant: quanquam in vivente abdomen erat ſubtumidum. Teterrimo cadaveris odore prohibitus, non alia, niſi quæ a me expectari ſciebat, præterea attigit. Cranio aperto, ſanguine multum diſtenta meningum vaſa animadvertit, & ſerum effuſum. Quid ipſe in meningibus adnotaverim, ſcribendi non eſt hic locus.

Eſt de nonnullis dumtaxat quæ in allato ad me teſticulo altero, & propriis quibus etiamtum incluſus erat, membranis conſpexi. Intra Vaginalem aqua leviter ſubflava continebatur, ſed pauca adeo, ut tertiam cochlearis partem non ſuperaſſet. Tamen ex Albuginea, ubi, ſani alioquin, ut cætera quæ ipſe examinavi, teſticuli ſupremam propemodum partem conveſtiebat, ſubrotundum exſtabat corpuſculum quod & colore eodem erat quo ipſa tunica, & ex eadem fieri ſubſtantia videbatur.

28. SENEX Tridentinus procerus, ſed arctis ventribus, qui unde mortuus, & quale in corde oſſiculum, & quam crebras in arteria Magna oſſeas bracteolas haberet, cum tibi aliis Litteris (*r*), quanquam id obiter, ſignificaverim; non hic repetam. Duo potius quæ cadaver ejus diſſecans, menſe Martio A. 1717. præterea animadverti, huc adſcribam, ut minus imperfectam hiſtoriam habeas. CORDIS ventriculi, & vaſa Magna polypoſis concretionibus, iiſque grandibus, denſis, &, ſi diſtrahere velles, reſiſtentibus, non carebant: & tamen fluidi, & nigri ſanguinis tanta copia partes omnes redundabant, ut ſecanti mihi id moleſtiæ ſæpius, & moræ fuerit.

In ſcroti altera parte Vaginalis tunica aquam non multam continebat. Albugineæ vero, craſſioris factæ, ſuperficiem corpuſcula hic illic occupabant ejuſdem ac ea coloris, glandularum exiguarum forma, duriuſcula, alicubi ferme in quincuncem diſpoſita.

29. VIRI cadaver, qui a pleuritide quaſi quadam mortuus dicebatur, in Gymnaſium illatum eſt, cum ibi Anatomen docerem, ſub Januarii finem A. 1750.

THORACE recluſo, vitium revera multiplex in eo deprehenſum eſt: Plurima enim & in ejus cavis, & in pericardio aqua fuit: pulmones, a ſiniſtris præſertim, magna ex parte ad pleuram affixi, & alicubi ſubduri: inter eas glandulas quæ ad primam bronchiorum ſunt diviſionem, una tranſverſum pollicem longa. Conſulto hic omitto quæ alibi melius dicam, Triangulares pectoris muſculos propemodum totos huic a natura defuiſſe: e fibulæ autem alterius ſupremo interiore latere proceſſum oſſeum, ſtyloidis ſimillimum, extitiſſe. Sed ea quorum potiſſimum cauſa hanc ſcribere Obſervationem incepi, non omittam. Communibus teſtium tunicis detractis, ſub quarum illa quæ ſcrotum proprie dicitur, plus pinguedinis, in imo etiam, vidi, quam in homine præſertim non valde pingui expectaſſem, cum reliquas ab altero latere ipſe incidiſſem, nec humoris quidquam e Vaginalis cavo defluere, animadvertiſſem; incluſus tamen teſticulus prope extremum ſuperius parvam habuit excreſcentiam rubellam, ex Albuginea exſtantem.

30. Poſt hæc addere non attinet, Juvenem de quo ubi de Vulneribus Thoracis (*), & multo minus Virum de quo ubi de Gonorrhœa (*ſ*) ſcribemus, illum quidem uno in teſte prope alterum epididymidis globum, hunc vero ad ſummum epididymidis, illum parvam quaſi Albugineæ excreſcentiam ſubrubram, & mollem, hunc vero ſubrotundum corpuſculum habuiſſe; neutri tamen intra Vaginalem plus madoris fuiſſe, quam in ſaniſſimo quovis homine videamus. Jam enim ſatis ex ſuperioribus hiſtoriis liquet, non ſolum præſente corpuſculo, imo pluribus nonnunquam corpuſculis, aquam in Vaginali fuiſſe non multam, ſed nullam tunc quoque cum rubella exſtaret adhuc excreſcentia, quæ mihi eſſet hydatidis non ita pridem diſruptæ indicium. Quæ omnia etſi ita ſunt; tamen quando nihil eſt quod vetet concipere, hydatidem recens diſruptam, fuiſſe exiguam, corpuſcula autem quædam, vel plura, vetuſtarum hydatidum eſſe veſtigia, denique revehentium vaſorum oſcula, ut in quorundam Vaginali tunica vix ulla, aut obſtructa eſſe, ideoque in iis effuſam aquam diutius ſervari, ſic contra in aliis majori eſſe numero, magiſque patentia; cum igitur concipere hæc liceat; ſatis eſſe cauſæ non video, cur priores illas conjecturas omnino abjicere cogamur. Utcunque id eſt; ex lectis quas propoſuimus, ex relectis autem quas indicavimus, Obſervationibus collegeris, hydatides, excreſcentias, corpuſcula nobis ut plurimum ad ſuperius teſtis extremum, atque adeo prope majorem epididymidis globum occurriſſe: & cum in utroque exſtarent teſticulo, ſæpius eundem utrobique locum tenuiſſe, quin etiam ei adnatam, aut ſaltem proximam, quantum delineatio videtur oſtendere, illam hydatidem fuiſſe quam teſtis figuram, & magnitudinem referentem ſupra (*t*) memoravimus: quæ res non prorſus indignæ ſunt fortaſſe quæ animadvertantur, & quorum cauſæ forſitan ex propiore Spermaticorum vaſorum faſciculi inſertione perquirantur.

Verum te illud magis ex me quæſiturum puto, num igitur nuſquam, niſi inter Vaginalem tunicam, & Albugineam hydrocelem offenderim. Ego vero ut ſemel viderim in ipſa, ut arbitror, Albuginea, continuo exponam.

31. SENIS, qui ab alto cadens Martio menſe A. 1706. ex capitis ictu mortuus eſt, reliquam hiſtoriam, cum de iis ictibus agam, (*u*) habebis: hic ea tantum quæ ad herniam attinent duplicem qua in dextero tantummodo ſcroto laboraverat. OMENTUM, quod in ipſo ventre erat dextrorſum retractum, ex eo deſcendebat in ſacculum qui ad latus faſciculi Spermaticorum vaſorum non ultra ſummam teſticuli partem extendebatur. Intus erat lævis, ex eoque omentum nullo negotio in ventris caveam reductum eſt. Hernia autem altera ad hunc modum ſe habebat. Erat alter ſacculus priore multo minor, quippe teſticulo non longior, ſatis tamen latus, ex lævi, & ſeparabili factus membrana, ſubflavam aquam continens. Is teſticuli multo maximam partem cingebat, quippe latera hinc, & hinc arctiſſime committens ſua cum ea dorſi teſticuli parte quæ utrinque ſecundum longitudinem epididymidi erat proxima, ut hæc particula extra ſacculum eſſet tota.

32. Qui Albugineam tunicam in duas membranas facili, & æquabili diviſione haud ſemel diduxerim (*x*), Cl. autem Teichmeyerum (*y*) videam id benigne augentem, affirmantemque, *in tres evidentes tunicas ſeparari poſſe*; ſacculum hunc minorem crediderim ex earum duabus ab interpoſita aqua effectum: quod hydroceles genus, niſi forte a Fabricio noſtro (*z*) indicatum velis, neſcio an ab aliis antea fuerit adnotatum. Genus autem illud quod Viri cæteroquin doctiſſimi frequentiſſimum eſſe ajunt, & ego, nec ſine curandi ipſum modo, in illa Introductione (*a*) agnoſco quæ adeo antiqua eſt, ut Galeno adſcribatur, illud, inquam, genus nec Valſalvæ, nec mihi occurrit, neque Experientiſſimo Heiſtero (*b*). Non tamen propterea ab aliis vel creberrime viſum negaverim, qui videlicet multo ſæpius aquam inter membraneas cellulas quæ ſupra Vaginalem tunicam ſunt, interclusam, quam intra hanc effuſam, proponunt. Diu eſt cum alii, & in his certe Gerardus Blaſius (*c*) admonuere, hanc tunicam *non extendere ſe ultra teſtem*, nec *vaſa ſpermatica vaginali quadam tunica libera tegi*; .... *ſed* pro ea *membranulas dari plurimas, coagmentatas, vaſa hæc connectentes*: itaque vel rupto ad inguina peritonæo, tamen humori *ex ventre ad hoc ſpatium, id eſt in Vaginalis cavum, nullum dari tranſitum, ſed vero*

(*r*) Epiſt. 3. n. 22. (*) Epiſt. 53. n. 40. (*ſ*) Epiſt. 44. n. 5. (*t*) n. 3. (*u*) Epiſt. 52. n. 8.
(*x*) Adverſ. 4. Animad. 1. (*y*) Vindic. quorund. Invent. in fine. (*z*) Pentateuch. Chir. l. 1. c. 27.
(*a*) c. 18. (*b*) Diſſert. de Hydroc. n. 28. & Inſtit. Chir. P. 2. S. 5. c. 122. not. *b* ad n. 1.
(*c*) in Obſervatis, ſupra ad n. 8. citatis.

vero intra hanc & ſcrotum ipſum, id eſt in cellulas inter utrumque interjectas, & cum ſuperioribus illis aut per ſe, aut vi demum morbi communicantes. Hæc fere omnia ſequuntur nunc plures, nec ipſe nego, ut neque illud quod adjiciunt, pondere tamen aliquando, aut acrimonia humoris, in ſuperioribus illis cellulis collecti, poſſe diſrumpi, aut erodi illud quaſi ſeptum membraneum quod inter Vaginalis caveam, & illas cellulas intercedit, ſicque demum in eam humorem effundi, & unum perpetuum cavum fieri, Vaginalis nempe, & ſpatii quod ſuperiores illæ diſtentæ cellulæ occupabant. Qua ratione forſitan illam noſtram explicabunt Obſervationem (*d*) Vaginalis caveæ ad ſummum uſque os pubis productæ, cui quidem explicationi pertinaciter haud refragabimur: quanquam non ſatis intelligimus, quomodo cum eo conſentiat quod non modo alii, ſed ipſi quoque agnoſcunt, hydrocelem, ut cæteræ herniæ ſpuriæ, *dum increſcunt, adſcendere verſus inguina videri* contra ac legitimæ, quæ *deſcendendo verſus teſtes, augeſcunt*: Sed & alteram noſtram in Bubulco Obſervationem (*e*), cujus Vaginalis cavum tres ſupra teſticulum digitos pollices aſcendebat, ſi ad eundem modum explicent, aut nonnullas etiam de tot aliis in quibus ea cavea non magis quam ſoleat, ſurſum producta, plus minuſve humoris continebat; mirum erit, ne unam quidem unquam ſupra Vaginalem ſuperſtitem fuiſſe cellulam, quam videremus, humore diſtentam, imo, ſalvo illo quod diximus, ſepto, humorem tamen, quod ipſi fieri poſſe, negant, intra Vaginalem tranſiiſſe. Igitur ſi ea tantummodo quæ nos conſpeximus, fideliter, ut ſolemus, hic quoque narrare tibi velimus, nuſquam in ſcroto, niſi in Vaginalis cavo, humorem collectum vidimus, ſi præter Senem de quo noviſſime locuti ſumus, aſciticos excipias, in quibus tamen in minutas erat illas cellulas diſpertitus quæ cuti propius ſubſunt, ut Epiſtolis XXXVIII. (*f*), & XLI. (*g*) expoſitum eſt.

33. Aſciticorum hanc hydrocelem, quam potius ſcroti hydropem vocant, minime neceſſe eſt cum vulgo ab aqua illa repetere qua diſtentus eorum eſt venter; cum eædem cauſæ propter quas aqua tunc cæteras perſæpe infarcit cellulas quæ cuti ſubjiciuntur, præſertim autem inferiores, efficere ſatis poſſint, ut in ſcroto pariter illas infarciat, eoque id facilius quod pendulum eſt, & muſculorum viribus parum inſtructum. Nec tamen inficias ivero, nonnunquam immani aquæ vi quæ in peritonæum nitatur, poſſe hoc intra ſcrotum adeo urgeri, ut ſi ſcrotum perfores, magno illac impetu ex ventre deſcendens aqua erumpat, quemadmodum ſe vidiſſe, ingenuus, ſi quis alius, Vir narrat, Benevolus (*h*). Qui cum ait, abdominis annulum tunc fuiſſe ita dilatatum, ut pugnum admittere potuiſſet, nobis anſam dat admonendi, non licere uti, ſemper ſaltem, ingenioſa quadam explicatione originis in aſciticis veræ hydroceles *ab intento adductoque multum*, ob ventris tumorem, *muſculo obliquo, atque ſic arctato ejus oſtio*, oblonga videlicet fiſſura quam annulum vocant, unde illac tranſeuntes venæ Spermaticæ comprimantur.

34. Cæterum earum venarum preſſio interdum ab immani potius aquarum pondere illis, dum ſub peritonæo tranſeunt, incumbentium facile repetenda, quantum poſſit facere ad hydrocelem gignendam, oſtenderem, ſi opus eſſet, exemplo præſertim quod apud Cl. Baſſium (*i*) leges, magnæ hydroceles, quæ ſubligaris, arctius, & validius inguen comprimentis, uſum brevi poſt conſecuta eſt. Et Medicum tamen novi ſenem, qui ad defluxionem, ut ipſe ajebat, ad teſticuli non modicum jam tumorem intercipiendam adſtringentia medicamenta inguini imponi juſſerat, quaſi arteriam invehentem poſſent, venas autem, & lymphæductus revehentes, tanto magis, quanto infirmioribus ſunt tunicis, non poſſent adſtringere. Quæ cum me conſulens Pharmacopola; is enim erat æger; ex me audiviſſet; continuo illa abjecit; & curatio reliqua magis profuit. Atque, ut cæteris hic omiſſis cauſis, Spermaticas tantum venas in hydrocele, & pleriſque aliis illegitimis herniis ſpectemus; ſunt illæ per ſe ad hæc gignenda, & fovenda mala ſatis pronæ, ſive poſitum attendas, ſive ingentem ab initio ad finem uſque longitudinem, ſive inertiorem quem revehunt, ſanguinem, quippe tenuibus, & actuoſis particulis in teſte orbatum, ſive arteriæ ſociæ ab origine exilitatem, longiſſimumque decurſum, ſive adjecti unius Cremaſteris muſculi infirmitatem, ſive denique valvulas in venis ipſis aut nullas, aut paucas, aut officio, id quod injecta teſtes verſus oſtendunt, non ſatis pares in iis præſertim qui crebrius, diutiuſque aut veneri, aut venereis cogitationibus intenti, venas illas dilataverint. Ob has igitur cauſas, ab Doctis Viris ſatis agnitas, & quæ tamen ad ſemen rite ſecernendum requirebantur, ita ſunt hæ venæ ad ea quæ indicavimus, mala inferenda, aut augenda idoneæ, ut ſi libidinum intemperantia accedat, compreſſio, ictus, aut aliud quidpiam unde motus ſanguinis per ipſas magis retardetur, illa non difficile ſequantur, nedum, ſi eæ non vitentur res, augeantur. Atque adeo ex retardatione iſta deduci video ab Eruditiſſimo Scriptore explicationem Obſervationis Dodonæi, in Sepulchreti quoque Sectionem proximam (*k*) relatæ, & in hac (*l*) laudatæ, hydroceles videlicet, cum ab interna cauſa eſt, in ſiniſtra ſcroti parte ſemper, aut ſaltem, ut illam Obſervationem contraxit Hildanus (*m*) *ut plurimum* occurrentis. Cum enim quod illi de ſiniſtra vena Spermatica quaſi a proximo rene ſerum in ſcrotum vehere poſſet, comminiſcebantur, locum haud habent hoc tempore; optime quidem id ſubſtituitur, ſanguinem ab ea vena in Emulgentem expedite non referri. Exemplum vero quod ad impedimentum explicandum producitur, ut ſi ren proximus calculis, & arena, & ulcere laboret, exiguus autem calculus ex ulcere cum ſanguine in Emulgentem venam abripiatur, ex hac autem procidat in Spermaticam, & ſanguinis e teſte refluxum turbet; exemplum hoc, inquam, adeo in hydrocele rarum eſt, ut ipſe qui proponit, non diffiteatur, imo ab aliis probabiliorem cauſam requirat frequentiſſimæ rei, aut certe ex ejus quoque obſervatione *longe crebrius* in ſiniſtro, quam in dextero ſcroto occurrentis. Mihi vero non alia hic quærenda videtur cauſa quam ea quæ a morbo alibi (*n*) cum Doctiſſimis Viris agnita eſt, cur ren ſiniſter ſæpius quam dexter, ſit calculis obnoxius. Cum enim ſanguis per ſiniſtram Emulgentem venam, quippe longiorem, & Magnæ arteriæ in tranſverſum impoſitam, non expedite adeo, & cito, ut per dexteram, feratur in Cavam, Spermatica autem vena ſiniſtra, non ut dextera, in Cavam ipſam, ſed in Emulgentem illam ſiniſtram influat; ſatis apparet, ubi ſanguis in vena utraque Spermatica æque ad ſubſiſtendum pronus fuerit, facilius tamen fore, ut in ſiniſtra ſubſiſtat, ſive lentius aſcendat, quam in dextera. Neque aliam proferrem cauſam, cur Cirſocele *ſiniſtrum latus fere ſemper afficiat* ſecundum Arantii (*o*) Obſervationes: quæ tamen, ut & ſuperiores quas modo de hydrocele memoravi, an cæteris pariter Obſervatoribus reſpondeant, in medio relinquo. Nam & plures plerorumque opus eſſet editas extare hac de re in utroque morbo Obſervationes, & quas Valſalva & ego habuimus, forte accidit, ut quo eæ in latere habitæ ſint, non niſi perraro ſit adnotatum.

35. Sed priuſquam de Cirſocele pauca adſcribamus, de Pneumatocele, & de Hæmatocele, ut propoſitus ordo (*p*) poſtulat, multo pauciora attingemus. Hanc enim haud vidimus, quippe raro

(*d*) ſupra, n. 25. (*e*) ſupra, n. 22. (*f*) n. 26. (*g*) n. 18. (*h*) Diſſertaz. 1. (*i*) Dec. 1. Obſ. Anat. Chir. 9. (*k*) Sect. 30. in Schol. ad Obſ. 1. (*l*) in Schol. ad §. 3. Obſ. 21. (*m*) Cent. 4. Obſ. Chir. 66. (*n*) Epiſt. 40. n. 12. (*o*) De Tumor. p. n. c. 51. (*p*) n. 15.

raro diuturnam, ut cæteræ. Nam cum ſanguis ſive ex vulnere inflicto, ſive ex curatione in ſcrotum defluxit, cito Chirurgi rationem ipſam, nedum Celſi (q) præceptum ſecuti, via facta detrahunt. Nonnunquam tamen ex eroſione membranarum teſticuli *notabilis copia cruenti ichoris* Vaginalem tunicam diſtendit, ut, hac inciſa, *cum impetu erumperet*, quemadmodum invenio apud Juſtum Schraderum (r).

Pneumatocelem autem ſi ita accipiamus, ut ab aere fiat intra aliquod inteſtinum incluſo quod in ſcrotum deſcenderit, cujuſmodi adnotandum in primis exemplum protulit Cl. Hallerus (ſ); ex parte aliqua fortaſſe vidi: ſin vero ut ab aere, quomodo plerique accipiunt, ſcroti cellulas diſtendente; non memini legiſſe qui ſine cæterarum omnium, aut plurimarum, aut certe, ut apud Palfinium (t), proximarum ſcroto partium emphyſemate conſpexerit. Mihi in jam mortuo ut in ſolo apparuerit ſcroto, Epiſtola habes V. (u)

36. Cirſocelem Cornelius Celſus unam ex omnibus herniis ramicis, aut ramicum nomine deſignavit, ſive ſcrotum occupet, idque aut exterius, aut interius, ſive inguen tantum impleat: quem ordinem ut proponit capite, non 17; ſed 18. libri 7. ita in curatione ſequitur cap. 22. & 24. Quæ adnotare volui, ne, ut ingenioſiſſimus alioquin Vir, nonnihil hæreas in ramicis nomine apud Celſum, obſcurumque tibi hoc ejus ultimum caput videatur, in quo bubonoceles quidem, ut finis docet capitis 18; curationem tradit, ſed bubonoceles quæ non niſi a varicoſis venis fiat. Obſcurus eſt Juſtus Schraderus, quem eo tibi libentius memoro, quod ejus Obſervationes in Sepulchreto omiſſas video. In illa enim ipſa quæ paulo ſupra (x) indicata eſt, qua hæmatocelen quandam proponit, *innumeros* quoque *perreptantium vaſorum flexus ſupra modum turgidos* fuiſſe, ſcribit; *in ſuperficie* vero teſticuli, an Vaginalis tunicæ dicat, incertum: utrolibet enim loco eſſe poſſe, laudatis capitibus 18. & 22. Celſus docuit. Porro ut in Schraderi Obſervatione, ſic in aliis pariter haud raro accidiſſe, animadverto, ut cum Cirſocele aliæ eſſent herniæ conjunctæ. Videſis Horſtium quem hic habes in Sepulchreto (y). Relege etiam Epiſtolarum mearum locos quibus hæc hernia deſcripta eſt, ut fuit a Valſalva, aut a me conſpecta. Ille (z) cum juxta primum Celſi (a) modum *ſuper ipſum ſcrotum* varicoſas venas ita vidit *inter ſe implicatas*, ut catenam referrent; hydrocelem ſimul invenit. Ego cum ſecundum ultimum primæ diviſionis Celſi (b) modum Cirſocelem inchoatam in Lanio (c), aut abſolutam in Figulo (d) deprehendi; ſimul in hoc reperi hydroceles initium, in illo autem hydrocelem. Erat præterea in Figulo ſubſtantia teſtis ita compacta, ut *alimentum amiſiſſe*, ſicuti in eo modo Celſus (e) loquitur, videretur, ſubjectumque habebat corpuſculum exiguum oſſeum: quod in memoriam redigit certam quandam aliam Valſalvæ, neſcio quo in homine habitam, Obſervationem. In dextero enim vaſorum Spermaticorum faſciculo intra peculiares membranulas corpuſculum offendit oſſeum: quod cum inter digitos valide premeret, ex duobus factum eſſe, vidit. Globuli forma utrumque erat; ſed alterum grani milii, alterum viciæ magnitudine, hoc in parte ſubaſperum, illud vero eleganter ad margaritæ ſimilitudinem lævigatum. Cæterum de Cirſocele hæc adnotavit Arantius (f), maximam, opinor, deſcribens: *tactui turgentia vaſa digiti craſſitudine ſe ſe offerunt, inteſtinorum in modum, orbibus, & anfractibus obvoluta, quæ decumbentibus, magna ex parte deliteſcunt, hyemalique tempore, contracto ſcroto, minuuntur, ac minus infeſtant, æſtate vero maxime.*

37. Steatocele eidem Auctori eſt (g), *ubi adipoſus quidam humor in ſcroto, & circa teſtem concreſcit*. Secutus eſt autem antiquum illius *Introductionis* Scriptorem, quæ inter Galeni libros ſervata eſt, qui Scriptor cum inter cæteras hernias 17. & 18. capit. ſteatocelem nominaverit, in hoc altero curationem indicans, *adipem*, ait, eſſe *auferendum*. Verum ſive ſebum, ſive adipem vocare malimus quidquid unctuoſi intra ſcrotum aliquando concreſcit, ipſumque diſtendit, id certe aut ſub cute ipſa congeritur, aut in cellulis interioribus. Prius ad genus attinet quod ſupra (h) dixi, ſub ſcroto proprie ſic appellato plus pinguedinis, in imo etiam, me vidiſſe, quam in homine præſertim non multum pingui expectaſſem; nihil enim ibi pinguedinis, aut certe vix aliquid ſubeſt, idque interdum. Sed illud erat inchoamentum dumtaxat quoddam vitii hujus: quod expletum vides in Sectione hac Sepulchreti XXIX. (i) ex Graaſio: eodemque fortaſſe referendum eſt quod in memorata Horſtii Obſervatione ibidem (k) legitur: *in dextra ſcroti parte caro adipoſa*. Ad interiores autem cellulas ſpectat quod in cadavere admodum pingui adnotavit, ut ſupra (l) aliam ob cauſam dictum eſt, Cl. Petſchius (m), cum enterocele, aut epiplocele in altero ſcroti latere eſſe videretur, nil niſi *pinguedinem* fuiſſe *in ſubſtantia peritonæi celluloſa collectam, & per annulos ad ſcrotum progredientem*. Sic apud Boerhaavium (n) legeris viſum ab ipſo in ſcroto tumorem maximum; in obeſo enim homine, teſticulo ſano, & libero, *pinguedo luxurians, exorbitaverat per annulum in ſcrotum cum vaſis ſpermaticis*. Schulzius (o) autem non infra inguina videtur offendiſſe *quantitatem magnam pinguedinis* a dextris, longe pauciorem a ſiniſtris, iiſdem vaſis *arcte intertextam*, ut a primo inteſtinum, aut omentum eo prolapſum mentiretur, idque in cadavere potius ſtrigoſo, ſicut antea (p), ut aliud oſtenderem, a me relatum eſſe, memineris. Mihi vero, qui interdum vel in macilento corpore pinguedinem iis vaſis paſſim interpoſitam a ſumma Vaginali tunica ad annulum uſque; eum enim tractum peculiariter tunc obſervabam; vidiſſe me, ſciam, in homine autem maxime toroſo, minime pingui, cum ſaniſſimus eſſet, occiſo, non ſolum in ima eorundem vaſorum ſede pinguedinem, ſed & inter epididymidem, teſtemque offendiſſe, denique in bubulco pariter non pingui, his Litteris (q) deſcripto, cum faſciculus illorum craſſior, qui ad alterum ſpectabat teſtem, e pinguedine fieret majori ex parte, inter alterum teſticulum, ejuſque epididymidem non defuiſſe pinguedinem: quæ res tametſi ab Anatomicis non eſt, quod recorder, memorata, fortaſſe haud infrequens eſt; mihi, inquam, non tam mirum videtur, in eorum vaſorum faſciculo præter modum auctam pinguedinem fuiſſe non ſemel deprehenſam, quam inter epididymidem, & teſticulum nunquam fuiſſe; niſi forte aliquando in Sarcocele quadam pinguedo pro carne accepta eſt.

38. Sarcocelis enim carnem non rubram modo, ſed & *albicantem* commemorat paulo ante laudatus *Introductionis* Auctor (r), & ipſe, ut alibi (ſ) indicatum eſt, pinguedinis ſacculos vidi, qui, cum hæc ſubſiſtente, intermiſtoque ſanguine eſſet infecta, carnem mentirentur. Porro de hujus herniæ natura, & ſede alii in alias, eaſque inter ſe adverſantes ſententias Medici abiere. Veſalius enim, quod ex Sepulchreto (t) cognoſces, ſibi perſuaſerat, ex omento fieri in ſcrotum prolapſo. Alii ab ipſo teſticulo extumeſcente, & indureſcente non differre, exiſtimarunt. Reliqui autem ſicuti non negant, a primo eorum vitiorum interdum poſſe minus cautis Obſervatoribus imponi, ut pro ſarcocele accipiant, ita hoc nomine revera excre-

(q) De Medic. l. 7. c. 19. (r) Dec. 2. Obſ. Anat. Med. 1. (ſ) ad Prælect. Boerh. §. 641. not. u.
(t) Anat. du corps hum. P. 1. tr. 2. ch. 18. (u) n. 19. (x) n. 35. (y) l. 3. Sect. 29. Obſ. 17.
(z) Epiſt. 20. n. 24. (a) l. 7. c. 18. & 22. (b) Ibid. (c) Epiſt. 21. n. 19. (d) Epiſt. 7. n. 11.
(e) cit. c. 18. (f) c. ſupra ad n. 34. cit. (g) Ibid. (h) n. 29. (i) Obſ. 14. §. 2.
(k) Obſ. 17. (l) n. 10. (m) Syllog. Anat. Obſ. §. 89. (n) Prælect. ad Inſtit. §. 712.
(o) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 225. (p) n. 10. (q) n. 22. (r) c. 18. (ſ) Adverſ. Anat. 2. Animad. 6.
(t) Sect. hac 29. Obſ. 15. §. 3.

excreſcentem circa teſticulum, & ejus vaſa carnem, aut aliam ejuſmodi ſubſtantiam intelligunt. *Raro* id tamen, ut Celſus (*u*) admonuit, aut certe minus ſæpe quam vulgus putat, ſi indubias Obſervationes quærimus, videtur accidere, nec fortaſſe longius a vero aberraſſe Olaus Borrichius, cum ad Obſervationem ſuam, ut in Sepulchreto habes (*x*), adnotavit, *frequenter ſarcocelem non tam adnaſci teſtibus, quam innaſci*: ubi etiam tradidit, quomodo hydrocele mentiri aliquando ſarcocelem poſſit, utque illa forſan, non hæc fuerit, quam radicis ononidis pulvere, urinam utique ciente, ſublatam credunt. Prudenter igitur tantum tribuit ei ſententiæ quam ſecundo loco memoravimus, ut tamen diſerte locum relinquat etiam tertiæ, pro qua ſtare indicat exempla quæ apud Lotichium ſunt, & Hildanum. Hæc ego quærens, in illius quidem Conſiliorum libro 6. (*y*), in hujus autem Obſervationum Centuria 4. facile inveni, miratuſque ſum, non ex hujus Obſervatione 65. quidquam in hanc Sepulchreti Sectionem eſſe relatum. Quod ſi ea quæ per anatomen penitus examinata eſſent, quærebantur; at erat quæ referri huc poſſet Blaſii Obſervatio (*z*), in qua, non ut in illa Borrichii, tota carnea maſſa nihil erat, niſi ipſe teſticulus; ſed contra, craſſo quaſi ex glandulis durioribus cortice, nuclei inſtar, teſticulus continebatur. Nos vero etſi minime dubitamus, quin ut a cæterarum partium, ita ab eroſis, quacunque tandem ex cauſa, teſtium tunicis morbida poſſit caro excreſcere; in hanc tamen per diſſectiones necdum incidimus. Sed incidit quidem Cl. Pohlius (*a*), qui *ſecundum propriam obſervationem* ſarcocelem eſſe, dixit, *tumorem teſticulorum fibroſum & carneum, plus minus durum, & doloroſum, ſucceſſive ortum, qui aut totam teſticuli ſubſtantiam auget, inque molem carni ſimilem convertit, aut ſaltem parti hujus adnatus excreſcentiam veluti carnoſam format*. Veruntamen præcipue, ut vides, in toto id agnoſcit teſticulo: exemplum autem profert ſarcocelis ab ſe diſſectæ in qua teſtis ſubſtantia *tota in materiam purulentam abierat*. Quod ſi legeris Exercitatiſſimi Viri Dieterici Sproegelii (*b*) Obſervationes illas in quibus cum hydrocele, ut cauſa, vel ut effectu, ſarcocele conjungitur; teſtem videbis repertum *livido-atrum, putridum*, aut *extenſum: durum, & ad extra cum epididymidibus corroſum & calloſum*, aut *partim putredine friabilem, partim vero perfecte cartilaginoſum*, & *tunicam* quoque *albugineam cum epididymidibus totam cartilagineam*, aut denique *tumidum*, & cum diſſecaretur, *pus genuinum flaveſcens ſpiſſum in medietate exhibentem, cum arroſione, & incipienti calloſitate parietum*. Vix in una Obſervatione (*c*) *tumidæ & ſcirrhoſæ glandulæ* inventæ memorantur; ſed non in teſticuli ſubſtantia: num ergo in ejus ſuperficie? an in funiculo ſpermatico? nam in hoc quoque ſarcocelem agnoſcunt, & minime attingunt, ſi ventrem ſubiit, velut illa quam a Valſalva conſpectam deſcripſi (*d*) in teſte incipientem, & duri inſtar tuberis quaſi glanduloſæ naturæ illuc aſcendentem ubi cum ſimili meſenterii immani tumore conjungebatur. Sed ne a ſarcocele, ipſis in teſtibus quæſita, recedamus: præclaræ ſunt Ill. Viri Heiſteri (*e*) Obſervationes. Deprehendit hic teſticulos, quales delineat (*f*) quatuor, ea omnes magnitudine, ut merito redarguerit (*g*) qui ſarcocelem *ovum gallinaceum nunquam excedere*, ſcripſerunt. Omnes quoque invenit ſcirrhoſos, & æquali ſuperficie, ut non ſine cauſa affirmaverit (*h*), *teſticulos ſcirrhoſos longe frequentiores eſſe excreſcentiis e teſticulis*. Cætera apud ipſum videbis, & in his unum ex iis teſtibus (*i*) *corruptum, & quaſi cancroſum* fuiſſe. Interea ad ultimam ex herniis a nobis enumeratis veniamus.

39. Spermatoceles nomine Auctor quidem Obſervationis quæ XX. eſt in hac Sepulchreti XXIX. Sectione, herniam accepit quam faciat *vas deferens corrugatum, in ſcrotum deſcendens*, facillime tamen aut manuum ope, aut corporis ſitu reſupino intro rediens. Quis eſſet is Auctor, ut melius poſſem quid ſibi vellet percipere, fruſtra ſub Obſervatione quæſivi. Eſt enim ſubſcriptum *Idem ibidem*, nempe aut Rolfinckius, aut Riolanus, aut Hildanus, aut Roſcius; hi enim in proximis ſuperioribus Scholiis, & Obſervatione fuerant nominati. Quorum neminis cum illa eſſe verba agnoſcerem; caſu denique factum eſt, ut Chirurgiam verſans Barbettianam (*k*), in illa ipſa verba inciderem, nec plus tamen quam quod in Sepulchreto exſcriptum eſt, invenirem. Difficile ſane eſt intellectu minime ignorantibus, quomodo vas ſemen deferens, adhærens ad veſicam, ureteri autem in tranſitu impoſitum, unde Ruttyus (*l*) in nephriticis doloribus retractionem teſtis repetebat, & denique per creberrimas celluloſas membranas ubique tum ſupra abdominis annulum, tum infra ad ſuum uſque ortum cum proximis partibus ſit colligatum; difficile, inquam, iis qui hæc ſciant, eſt intellectu quî poſſit adeo intra ſcrotum hoc vas deſcendere, ibique complicari, ut herniam faciat. Quod cum ipſe non meminerim ab ullo in diſſectionibus eſſe conſpectum, nec per eas, quod ajat, Barbettus viderit; ſuſpicioni locum eſſe, cenſeo, longe aliam rem ac quam ipſe crediderit, fuiſſe quam ab ſe dicit non ſemel obſervatam. Itaque Spermatocele, quæ ſi illud mihi ſignificaret, ſupra eſſet inter legitimas hernias relata, inter illegitimas retinetur ſic intellecta, ut *ſeminis aggeſtionem* deſignet *in teſticulis*, quæ hos interdum *ad ingentem attollat molem*; utor autem verbis quibus olim Collectores *Bibliothecæ Anatomicæ* (*m*) rem hanc propoſuerunt petentes, ut ejuſmodi hernias *liceret ſpermatocelas* vocare: neque enim iſta ſignificatio, nedum iſtud nomen, primum inter Medicos nuperrime vulgatum eſt, ut Vir cæteroquin Doctiſſimus videtur exiſtimare. Quin rem *non ſemel* ab ſe in viris ſalacioribus eſſe animadverſam, Collectores illi confirmarunt, cum eſſet *obſtructio in aliqua epididymidis parte a ſeminis particulis concreſcibilibus efformata*; ſemel autem oculis ipſis rem uſurpaſſe, cum poſt ſeminis ita cohibiti, intra ſcrotum effuſionem, indeque ortum abſceſſum ferro aperiendum, poſt ejuſque expurgationem, non pus amplius, ſed ex ea epididymidis parte quæ inter ejus globos media eſt, ſemen quod ipſam diſtendendo perruperat, evidenter prodiret. Quod epididymidis foramen ſi forte malis erodenti potius abſceſſus materiæ quam ſemini diſtendenti tribuere; negare tamen non poteris quod ratio dictat, ſi tranſitus ſemini in ſuas veſiculas quacunque de cauſa intercipiatur, aut ſi ex veſiculis jam diſtentis reditus per revehentia vaſcula in ſanguinem prohibeatur; fore ut ab novo ſemine uſque & uſque in teſtibus ſecreto, teſtes ipſi, epididymides, & reliqua ejus conceptacula repleantur adeo, ut primum intumeſcant, quo tempore ſpermatocelem eſſe, dicemus, tum deinde ut ſtructura tenuior, & mollior quæ in teſticulis præſertim eſt, paulatim vitietur, diſruptiſque vaſculis tum ſemen, tum ſanguinem, tum lympham vehentibus, tumores denique miſti generis in teſtibus procreentur. Nunc ageſis aliquot exemplis hæc declaremus.

40. Queſti ſunt aliqui apud me, quibus ilia flatibus erant diſtenta, non tam de tenſione, & dolore, quam alii de uno, alii de utroque teſticulo tunc potiſſimum intumeſcente, cum flatus maxime urgebant, detumeſcente autem, nullo prorſus relicto incommodo, cum flatus remittebant. Credidi, ab inteſtinis diſtentis viam ſemini intercludi compreſſis vaſis hoc ad veſiculas deferentibus, imo ipſis interdum veſiculis, ut delatum non admitterent. Sic quoque memini, cum ante hos triginta annos Rhodigio ad nos Vir honeſtus veniſſet, tumori cuidam obnoxius qui inter abdominis muſculos ad epicolicam regionem dexteram non ſemel redierat, diceretque, quotieſcunque aderat tumor, teſtem

(*u*) l. 7. c. 18. (*x*) Sect. cit. Schol. ad Obſ. 22. §. 1. (*y*) c. 3. Obſ. 9. (*z*) 15. Partis 1.
(*a*) Progr. de Hern. & ſpeciatim de Sarcocele. (*b*) Obſerv. quædam ſelectiores §. 50. & ſeqq. (*c*) §. 51.
(*d*) Epiſt. 39. n. 2. (*e*) Diſſert. de Sarcocele. (*f*) Fig. 1. & ſeqq. cum Explic. (*g*) in Proœmio. (*h*) §. 37.
(*i*) §. 34. (*k*) Part. 1. c. 7. (*l*) Treatiſe of the Urinary paſſag. Sect. 3. P. 1.
(*m*) Tom. 1. in Adnot. ad Graaf. Tract. de Viror. Organ. & cæt.

ſtem ſubjectum moleſte ibi graviorem fieri, ut ſacculo ſcrotum excipere, & ſuſtinere opus eſſet; memini, inquam, rem hanc ita ipſi, & Medicis qui in conſilio mecum aderant, jam tum explicaſſe, ut cum Obliquus dexter muſculus ab attollente tumore tenderetur, & quod conſequitur, oblonga ejus fiſſura, quæ annulus dicitur, conſtringeretur, non eſſet mirandum, ſi vaſe quadantenus adſtricto quod, illac tranſiens, ſemen defert, nonnihil hujus retardaretur aſcenſus. Sed in hoc, & in illis quoque fortaſſe viris fieri poteſt; quanquam reſtitantis ſanguinis indicia non erant; ut compreſſa, aut arctata pariter vena Spermatica, remorato non minus ſanguini, quam ſemini, ea quæ diximus, eſſent tribuenda. Sunt autem inter Valſalvæ litteras quædam ad Virum Principem datæ, cui poſt nuptias teſticulus creverat ad gallinacei ovi magnitudinem. Hunc Valſalva tumorem a ſubſiſtente ſemine eſſe poſſe, cogitabat, nec præter rationem propterea quia æger non facile ſemen, quo abundabat alioquin, ſolebat emittere, ut interdum re imperfecta a concubitu diſcederet. Pariter in Juvene de quo narrat Hildanus (*n*) cujus narrationis ſummam habes in Scholio ad eam quam in Sepulchreto indicavimus (*o*), Barbetti Obſervationem, quis non a ſemine, ſed a ſanguine repetat dolorem inguinum, & teſticulorum tumorem, imminentem ſeminis ejaculationem repente prohibitam conſecutos? Evanuit quidem uterque a ſiniſtris; a dextris vero tumor non modo perſtitit, ſed progreſſu temporis in carnoſam ingentem herniam excrevit. Idem ab eadem cauſa alteri contigiſſet, niſi tumorem, ad pugni majoris magnitudinem intra annos duos jam auctum, rara felicitate reſolviſſet Cl. Crauſius (*p*). Generoſo autem Viro cujus ejuſdemmodi tumorem, nec alia ex origine natum, conſpexi, quis contigerit exitus, ſcire non poſſum, cum hac tranſiens, vix me conſulto, perrexerit neceſſarium iter conficere. Inutile certe præter Chirurgi ferrum, auxilium omne expertus eſſet, ſi tumor ejuſdem fuiſſet naturæ ac in Juvene (*q*) fuit, cui ab non ita diſſimili cauſa exſecta e ſcroto eſt maſſa carnis albiſſimæ, & ſolidiſſimæ, in cujus centro globus oſſeus concludebatur. His autem quatuor cur non ambo teſtes, ſed alter aut tumuerit, aut tumens perſtiterit, quando in utroque pariter teſte cohibita ſeminis copia eſt in medio veneris æſtu, non ita facile dictu eſt, niſi forte non æqualem utrinque copiam, aut fluxilitatem ſeminis, aut tunicarum, & cremaſteris muſculi vim, aut revehentia vaſa ab altero latere magis patula fuiſſe, aut aliud aliquod iſtiuſmodi conjiciamus.

41. Cæterum tumores teſtium, quacunque a cauſa originem habeant, ex alia in aliis conſtare videntur materia, ut puta (præter exempla hactenus propoſita) ex ſubſtantia carnea & nervoſa apud Borrichium (*r*), ex glanduloſa, & veſiculis ſanguine plenis apud Bartholinum (*ſ*), ex *ligamentoſa*, & ex parte ad cartilaginis naturam accedente apud Schraderum (*t*), ex cartilaginea apud Ruyſchium (*u*). Ego cum in Viro quem de Gonorrhœa ſcribens (*x*) commemorabo, teſticulum præſertim dexterum æquo grandiorem offendiſſem; diſſecans inveni adipis aliquid intimæ ejus ſubſtantiæ interjectum, non peſſime alioquin ſe habenti. Unde fieri poſſe, conjeci, ut nonnunquam ex pinguedine præter naturam innata, & aucta aliqui teſtium tumores facti deprehendantur. Quod ſi ingentes, quos aliquando in viventibus conſpexi, in mortuis vidiſſem, & incidere potuiſſem; non dubito quin ſingularia quædam fuiſſem obſervaturus, ſi molli ſtructura reſpondiſſet. Nam primum Bononiæ vidi olim grandem adeo, ut ad illum accederet quem Ruyſchius (*y*) dixit *prodigioſæ magnitudinis*, ſive *humanum maximum*, ſi Curis quoque Poſterioribus (*z*), ut videtur, de eodem loquitur. Sed quamvis minorem, non eo tamen exitu quo ille major, exſectum fuiſſe, audivi. Deinde vero Patavii ea magnitudine teſtem vidi, ut niſi qua fide ſim, probe noſſes, tibi ſcribere non auderem, veritus ne mendacem ſuſpicareris. Nam ſi Ruyſchianus ille *caput fœtus humani* ſuperabat; is quo de loquor, duo plane ſuperabat virorum capita in unum juncta. Itaque ut rem perraram inſpicerem, Majo menſe A. 1730. tranſeuntem hac hominem cum Ateſtem repeteret, ubi degebat, venire ad me domum, voluit Antonius Mocenicus Eques Splendidiſſimus, & Aloyſio fratre, qui tum Venetiarum Dux erat, digniſſimus. Ubi primum hominem aſpexi, ignarus quis eſſet, & cur ad me veniret, magno hydrope aſcite laborantem credidiſſem, niſi a dextris tantummodo ventrem adhuc obtectum veſtibus tumere, animadvertiſſem. Ubi vero omni ablato integumento, & faſciis detractis quibus tumorem illuc per ſe vergentem, ab abdomen adductum, hypochondriam uſque verſus, ſervabat, eam quam dixi magnitudinem miratus, contrectare cœpi; tactum enim ferebat, omni ſemper dolore carens; mihique viſus ſum quaſi ſarcoma quoddam tangere, ſphæroidis forma, & ſua ubique cute obductum. Qua ex cauſa, & quomodo cœpiſſet, quærenti, reſpondit æger, etſi ictum jam inde a puero ibi excepiſſet; teſticulum tamen non niſi virili ætate in tumorem creſcere cœpiſſe, qui plurium demum annorum ſpatio ad eam pervenerat molem.

42. Unum vero hic es admonendus, teſtium auctam magnitudinem Valſalvam, ut in ejus ſchedis eſt, plerumque deberi vidiſſe tunicarum vitio eoſdem veſtientium. Nec mihi quibuſdam præſertim in caſibus id creditu difficile eſt, qui ut ſuperiore Epiſtola (*a*) ſcripſi, cum æquo majores teſticulos pleneque tumidos offendiſſem, non a diſtenta eorum ſubſtantia, ſed a tunicis craſſioribus factis id eſſe, comperi: quin etiam in herniis tum ſpuriis, tum legitimis auctam membranarum quibus continebantur, craſſitudinem animadverti. Sic in hydrocele quam in Milite ſupra (*b*) deſcripſi, Erythroidem, & Vaginalem adnotavi fuiſſe craſſiores, ut alibi (*c*) in Lanio, ejuſdemmodi herniis affecto, denſiorem utramque Vaginalem. Sic in Senis epiplocele (*d*) peritonæum, ſacculum faciens, ſimul dilatari, & craſſius fieri, in Juvenis autem entero-epiplocele (*e*) ſacculi tunicam non minus craſſam, & firmam, quam arteriæ Pulmonaris, & in Mulieris Crurali hernia (*f*) ita craſſam, ut in plures quaſi laminas non difficillime poſſet dividi. Fieri tamen poteſt, ubi ſacculi orificium multo majus eſt, ſicuti in herniis ingentibus contingit, quam annulus, aut ubi herniæ iis locis accidunt in quibus muſculorum tendines nullo ſecundum naturam hiatu pertunduntur, quemadmodum inter Rectos fiunt, & Obliquos, aut ſupra, infrave umbilicum inter Rectum, & Rectum, fieri, inquam, poteſt, ut ſacculi craſſitudo non tantum a peritonæo ſit, ſed fere a tendinibus quoque, ſimul cum peritonæo extrorſus compulſis. Itaque Meryus (*g*) in hernia illa quam pene omnia inteſtina Tenuia faciebant, in ſaccum vidit non peritonæum modo, ſed & ſingulos utriuſque Obliqui muſculi, & Tranſverſi tendines ſe ſe evidenter producere: & tres quoque hos tendines quatenus Waltherus viderit in hernia ſe extendentes, & magnum, quamvis cum illo Meryi non comparandum inteſtinorum pondus ſuſtinentes, & ne hernia porro creſceret (quam utilitatem in aliis pariter, neque id raro, præſtare, arbitrabatur) quo ad ejus fieri poſſet, obſiſtentes, ex Actis quæ Lipſiæ prodeunt, Eruditorum (*h*) cognoſces. Sed etſi Mauchartus (*i*) laminam ex fibris tendineis ortam muſculi Obliqui Externi non ſolum delineat (*k*), verum etiam nomine *tunicæ aponeuroticæ* inter cæteras herniarum tunicas proponit; tu tamen quatenus hæc agnoſci a me dixerim; probe memento. Neque enim me fugit, præſtantiſſimos eſſe Anatomicos, qui in herniis ab ſe diſſectis ea negent perſpici potuiſſe. Quibus ut libentiſſime credo, ſic

(*n*) Cent. 4. Obſ. 64. Exempl. 1. (*o*) n. 39. (*p*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 282.
(*q*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. A. 1700. Obſ. Anat. 4. (*r*) Sepulchr. S. hac 29. Obſ. 22. §. 1. (*ſ*) Ibid. §. 2.
(*t*) Obſ. ſupra ad n. 35. cit. (*u*) Theſ. Anat. 9. n. 51. (*x*) Epiſt. 44. n. 5. (*y*) n. 51. cit. & Tab. ibid. 3. Fig. 1.
(*z*) n. 28. (*a*) n. 28. (*b*) n. 17. (*c*) Epiſt. 21. n. 19. (*d*) Ibid. n. 15. (*e*) Epiſt. 34. n. 9. (*f*) Ibid. n. 15.
(*g*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1701. Obſ. Anat. 5. (*h*) A. 1738. M. Jun. P. 2. (*i*) Differt. & cæt. ſupra ad n. 3. cit.
(*k*) Fig. 2. ad DD.

ſic invitus crederem, Meryum, & Waltherum, egregios Profeſſores, in aliis herniis; neque enim de omnibus loquebantur; cum tanta uſi fuerint diligentia in ea perquiſitione, quæ ſe vidiſſe ajunt, pervidere non potuiſſe. Veruntamen, ut hanc interea controverſiam ſeponamus, ſatis eſt exemplorum in iis tunicis quas in herniis omnes agnoſcunt, unde pateat, quomodo ex illarum potiſſimum aucta craſſitudine teſticulus, qui non ita ipſe extumuerit, in immanem tumorem excreviſſe videatur. Obſervatio eſt altera ejuſdem Waltheri, in iiſdem Actis (*l*) propoſita, qua ſcrotum, & penis tumida adeo deſcribuntur, ut hic ad genua, illud infra genua ſe extenderet, craſſitudo autem utriuſque ei longitudini reſponderet. Quam ad Obſervationem nullam memini legiſſe quæ propius accedat quam ea quæ A. 1755. Syracuſis miſſa ad me eſt, typis exſcripta, & publico Civitatis teſtimonio confirmata. Sed hæc in vivente homine; Waltheriana autem etiam in mortuo habita eſt. In hoc igitur, inſtituto examine, cutis ſcroti triplo craſſior, cellulæ autem ſub illa adnatæ, interque teſticulos pergentes, adeo diſtentæ a tenaci humore compertæ ſunt, ut molem inertis carnis repræſentarent, cui pondus tumoris totius, librarum videlicet ferme quadraginta, potiſſimum deberi videbatur. Erant quidem teſticuli naturalibus multo majores, quippe craſſiore Albuginea tunica humorem, & tophos comprehendente, ut vix pars exigua, eaque in altero dumtaxat latere tubulis tenuiſſimis relinqueretur, qui propriam teſtis ſubſtantiam faciunt. Sed hæc quantulam demum univerſi tumoris partem efficerent, ſatis intelligis. Itaque ſcite, ut ſolet, Vir Præſtantiſſimus Heiſterus (*m*) tumorem hunc ipſum ſcroti potius quam teſticuli, fuiſſe, cenſuit, nec aliter de maximis aliis quorum diſſectio non habetur, exiſtimavit, quos inter ille eſt librarum ſexaginta, memoratus in Regiæ Pariſienſis Academiæ Scientiarum Hiſtoria (*n*). Noverat quippe Vir Exercitatiſſimus (*o*), vel in hydrocele, præſertim antiqua, teſticulorum tunicas, & præcipue *dartum*, *& vaginalem admodum ſæpe craſſas reddi*, ut craſſitudinem æquare viderit *quinque vel ſex linearum*, *& quod excedit*; quamobrem monuit, triangulari inſtrumenti apice *plerumque non niſi difficillime perforari*, ideoque (*p*) apicem illum *non nimis cito eſſe retrahendum*, *quia alias tunicæ non perforatæ eſſent*. Quin etiam in ſarcocele quanto Albuginea tunica craſſior fiat, nobis facile conjiciendum reliquit, cum poſtquam illam tunicam incideret ea ſpe fore ut vaſcula ſeminis magna, & valde diſtenta apparerent, *æque parva* invenit *ut in ſano & naturali teſticulo eſſe ſolent*, *id quod mirandum*, inquit, fuit *in tanta teſticuli diſtentione*. Atque ut craſſioris factæ ejus tunicæ aliud habeas exemplum; inſpice oſſei facti humani teſtis iconem illam quam exhibuit Cl. Reinholdus Wagnerus (*q*). Cum videris, quanto major naturali teſticulo ille fuerit; tum animadverte, ejusdumtaxat *ſuperficiem*, *craſſitie pennæ columbinæ*, *in os duriſſimum abiiſſe*, exterius tuberculis oſſeis piſi magnitudine aſperum, intus vero læve, qua mediocrem caveam comprehendebat ubi *latitabat materia gelatinoſa ſeminis corrupti*. Scilicet teſtis ſubſtantia, olim incluſa, nulla jam erat; ſuperficies oſſea, craſſæ factæ Albugineæ tunicæ debebatur.

43. Verum ut hæ Litteræ ſuperioribus, quemadmodum promiſi, breviores ſint; alia de herniis, & teſticulis huc addere ſuperſedeo, ne de horum quidem dolore quidquam adjecturus, niſi ut Obſervationes legas, quas ſupra (*r*) indicavi, Cl. Virorum, & in quibus dolorem fuiſſe, invenies; in pluribus autem invenies; quomodo ſe habuerit teſtis, attendas. Simul ex una earum quæ Heiſteri eſt (*ſ*), facile cognoſces, qua ratione non modo in ægro illo, ſed in altero etiam quem deſcribit Sproegelius (*t*), dolores a teſticulo ad lumbos poſſent propagari. Nec alia adjicio, quamvis de Teſticulorum Dolore Sectio proxima Sepulchreti inſcripta ſit. Tota enim vix duas ſimul cum Scholiis paginas implet, in eaque, ut omittam Obſervationem IV. fortaſſe ex I. compendio ortam; certe V. ut Bonetus ipſe fatetur, ex §. 2. repetita eſt XXII. Obſervationis Sectionis ſuperioris, Scholiorum autem, quod non fatetur, ad Obſ. illam I. pars aliqua, etiam ubi ſanguinis Circulationi apertiſſime adverſatur, jam adoptata ab ipſo fuerat, & appoſita ad §. 3. Obſ. XXI. ejuſdem ſuperioris Sectionis, ut Scholii partem Obſervationi II. hic ſubjicit, quam illic ſubjecerat Obſervationi XX. Sed illic quoque non tam mirum eſt, Obſervatione XXIII. iteratum eſſe quod §. 2. Obſ. XV. poſitum fuerat, quam in una eademque pagina idem in prima parte Scholii ad §. 2. Obſ. XXII. reſcribi quod ſcriptum modo fuerat in ſecunda Scholii parte ad §. 1. Neque dicas, a me pariter in hac Epiſtola repetita eſſe plura, quæ in aliis, mea, aut Valſalvæ obſervata narrans, propoſueram. Aliud enim eſt quæ jam ſatis dicta ſunt, iterare; aliud quæ ne paſſim diſcerperentur Obſervationes, alibi ad ipſas explendas tradita ſunt, ſummatim perſtringere, ut opportuniore, quemadmodum ibi promiſſum ſæpe fuerat, loco perpendantur. Morem hunc, te, ut ſperare juvat, probante, ſervabimus; illum vero, quem haud dubitamus a te quoque minus probari, non ſequemur. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XLIV.

Verba fiunt de Gonorrhœa:

ETSI pauci forte ſint Anatomici a quibus tot fuerint, quot a me, urethræ viriles diſſectæ, & diligenter perluſtratæ; tamen aut rarius quam vulgo exiſtimant, luculentiora in eo canali vitia occurrunt quæ contagioſam Gonorrhœam comitentur, aut neſcio quo caſu factum eſt, cum magnus hominum hac infectorum ſit numerus, illa ego vitia tam luculenta vix unquam, aut ne vix quidem conſpexerim. Quid Valſalvæ acciderit, ignoro; neque enim ſcriptis mandavit ſi quid forte in iis invenit qui cum laborarent eo morbo, deceſſerant. Quid aliis contigerit, legi. Quæ vero ipſe viderim, aut non viderim, nunc eo ordine ad te ſcribam, ut ab extimo urethræ orificio incipiens, ad intimum quod ad veſicam eſt, perveniam.

2. Cum in Adverſariis (*a*) cauſas protuli, cur prima gonorrhœæ virulentæ ſedes videretur mihi in iis potiſſimum, quos detexeram, majoribus urethræ canaliculis ſtatuenda, inter eas cauſas hanc non omiſi, quod ex iis præcipue canaliculis, maligno habitu ſuſcepto irritatis, provenire is humor poſſet qui primo ejus morbi tempore ex urethra ſolet deſtillare. Neque enim verum eſt ſemen, ut comparatio cum hoc docuit aliquando vel illos ipſos, qui improbanda opinione ſeducti, ut morbum abigerent, venerem ſæpius exercebant: quod ut ab iiſdem accepi, ſic etiam ab aliis certior ſæpenumero factus ſum, eo primo tempore necdum ullum eſſe in perinæo moleſtum ſenſum qui altius deſcendiſſe vitium, indicet. Neque rurſus id quod tunc defluit, verum eſt pus, cum dolor necdum is ſit qui eroſionem ſignificet, neque ſanguinis ulla adhuc vel leviſſima tinctura, nedum guttula apparuerit. Quibus nunc addere, opinor, liceret Sum-

(*l*) A. 1725. M. Novembr. cum Tab. 5. Fig. 1. (*m*) Differt. de Sarcocele §. 36. (*n*) A. 1711. Obſ. Anat. 1.
(*o*) Differt. de Hydrocele n. 32. (*p*) n. 36. (*q*) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ. 30. (*r*) n. 38. (*ſ*) Differt. ibi cit. §. 30.
(*t*) Obſ. ibid. cit. §. 51. (*a*) IV. Anim. 9.

Summi Viri Senacii (*b*) Obſervationes , ſecundum quas globuli materiæ in gonorrhœa effluentis majores ſunt , globuli autem qui ulcerum pus faciunt , ſunt minores , & inæquales , ſi utrique oculo exquiſitiſſimis vitris inſtructo aſpiciantur , & cum ſanguinis globulis comparentur . Itaque Rondeletium in primis ſecutus , qui caute ſapienterque , ut in Sepulchreto (*c*) habes , materiam illam *puris ſimilitudinem referre* , aut *puri ſimilem* eſſe , dixit , ego quoque *puriformem* appellavi . Placuit ea gonorrhœæ in canaliculis ſedes , non dico Cockburnio (*d*) ; huic enim , Docto alioquin Viro , vel præter modum perplacuit ; ſed magno Boerhaavio (*e*) dico , & Illuſtri Hallero (*f*) , ibi *primæ ſpeciei gonorrhœæ ſedem* agnoſcentibus , & cur irritatione in eroſionem demum abeunte ſpongioſi urethræ corporis , ſola membrana a canaliculis diviſi , non raro ſanguis ipſe effluat . Placuit & Viris aliis Eruditiſſimis *cellularum multiplicium* nomine canaliculos deſignantibus : quibuſcum tamen , haud ſatis intelligo , quomodo Litrii quoque glandulam comprehendant , aut quomodo ipſi qui canaliculos nunquam memoravit , horum etiam , in gonorrhœa male ſe habentium , Obſervationem tribuere videantur , quaſi ea in Commentariis legeretur Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis A. 1711.

De muliebris autem urethræ canaliculis , non ſecus ac in virili a me deſcriptis (*g*) , & de ſebaceis quas item reperi , nympharum , proximorumque labiorum glandulis (*h*) , quarum has hoc ipſo nomine , illos cellularum appellatione ſignificant , verba hic non faciam propterea quia cum in mulieres inciderim nunquam quæ certa quadam exteriore gonorrhœa laborarent , aut cum interiore vexarentur , obierint ; ſtatuere non poſſum , an hæc aliquando in iis canaliculis , illa in iis glandulis ſedem habeat . Nec in viris felicior fui , ut infectos reperirem gonorrhœa eadem exteriore , quam *ſpuriam* olim appellaſſe dicuntur Medici Monſpelienſes (*i*) , ut quærere poſſem , an ejus materia e glandis ſuperficie prodiret nullo ulcere affecta , an ex glandulis coronæ glandis ejuſdem , ut ſic Littrii ſententia confirmaretur , ea coronæ granula pro glandulis , non pro papillis , quemadmodum Ruyſchius , habentis . Littrii ſententiam dixi ; neque enim mei unquam fuit , qui cum illam commemorarem , aſſenſum ab utraque cohibui , diligentius poſtea quæſiturus ; ut mirer , eſſe potuiſſe qui cum mea I. (*k*) , & IV. (*l*) Adverſaria legiſſent , primam mihi ſententiam tribuerent , imo ea de re *celebrem litem* , ſi Superis placet , *Ruyſchium inter atque Morgagnum ſubortam eſſe* , ſcriberent . Ruyſchio enim hoc quidem excidit (*m*) me , granula illa *pro glandulis deſcripſiſſe & delineari curaviſſe* : ego vero ſperans , ex meis Adverſariis omnes facile agnituros , optimum & occupatiſſimum Senem meam non ſatis aſſecutum eſſe mentem , ſuperfluum exiſtimavi vel uno verbo reſpondere . Huc tota *celebris lis* illa recidit . Hiſce exterioribus gonorrhœis multo rarior illa eſt quam vidit , curavitque Cl. Wolffius (*n*) . Humor enim ex urethra deſtillabat *ſemini analogus* primum albus , dein viridis factus , cum maximis in mingendo doloribus , & penis incurvatione , nec tamen impuram venerem , imo nullam venerem , ſed alias , quas enumerat , cauſas erat illa gonorrhœa conſecuta , quod & ille aſſeverat , & ipſa , ut Hippocrates (*o*) loquitur , *oſtendit ſanatio* , facile nimirum , & cito per data remedia obveniens , quæ cauſis illis erant oppoſita . Sed hac , & gonorrhœa quæ vulgo dicitur *ſicca* , ſive , ut proprie eſſet juxta Cel. Aſtrucii (*p*) monitum appellanda , dyſuria venerea ſicca , prætermiſſis , ad eam quæ frequentiſſima eſt , & de qua ſcribere cœperamus , noſter contrahendus eſt ſermo . Igitur quæ de hac per diſſectiones conſpicere potui , ex iis cognoſces Obſervationibus quas continuo ſubjiciam , initio ducto a longiuſcula hiſtoria , ſed eo gratiore tibi futura , quod cum alias (*q*) de Angina mentionem injeci , maxime queſtus ſum , in graviſſimo ejuſmodi morbo , Sectiones eorum qui confecti illo ſint , adhuc deſiderari . Quod igitur vel mihi tunc deerat , hic primum habebis ; extremo autem loco quæ ad hujus Epiſtolæ argumentum ſpectant , ex eadem hiſtoria non omittentur .

3. FABER lignarius triginta tres circiter annos natus , procerus , & magno corpore , habitu ſubpingui , antea , quantum ſciri poterat , ſanus , cum a vino , & igne præter modum incaluiſſet , noctu frigidiſſima tempeſtate domum petiit . Ibi vehementi febre , & angina correpto accerſitus illa eadem nocte Medicus ſanguinem e brachio mittit . Nihil remittente morbo fertur mane in Noſocomium : ubi idem auxilium iteratur , ſed fruſtra adeo , ut pomeridianis horis ſanguinem miſerint e pede . Proximo die cum cætera pariter quæ antea , & quæ tum dabantur ſive , ut lente poterat , deglutienda , ſive exterius admovenda , nullam afferrent utilitatem ; mane rurſus e brachio ſanguis eſt miſſus , a meridie autem ex iis quæ ſub lingua ſunt , venis ; nam Jugularis , ut voluiſſent , ægro eum qui requirebatur , poſitum non ferente , incidi non potuerat . Poſt hæc omnia non modo non decreſcentibus , imo ſemper magis invaleſcentibus febre , & corporis jactatione , & cum his ſimul deglutiendi , loquendi , ſpirandi difficultate , cum tertio jam morbi die ſe dixiſſet a quindecim , aut certe non multo pluribus diebus virulenta gonorrhœa laborare , vena iterum pedis ſecta eſt . Sanguis , toties eductus , cruſtam in ſummo habuit nunquam ; ſed duriuſculus ſemper fuit , paucoque cum ſero . Collum erat ſubtumidum ; non facies , quæ nec rubicunda erat . Duabus circiter a noviſſima venæ pedis ſectione interjectis horis etſi pulſus adhuc perſtabant validi ; ipſe tamen æger proximam eſſe mortem , præſenſit . Quæ revera mox ingruit eodem die tertio circa meridiem , ſic tamen , ut caſu videri poſſet ingruiſſe . Cum enim eam qua utebatur , aquam popoſciſſet , & incautius fortaſſe in fauces paululo plus demittere voluiſſet ; continuo ea ratione mortuus eſt , ut qui adſtabant , inde ſuffocatum exiſtimarent . Cum dies inſtaret quo die tradendæ Anatomes initium facere in Theatro debebam , id eſt XIV. Kal. Februarias A. 1748. cadaver , biduum , an triduum ſervatum , nihilominus , quippe frigidiſſimo anni tempore , idoneum maxime fuit , ut vel vigeſimo ſexto ab interitu die nonnullis etiamtum ejus partibus uti poſſem . Totum igitur ordine ac diligenter profectum , cum alia quæ hujus loci non ſunt , adnotanda obtulit , tum hæc præſertim , quæ ab ultimis ad prima rediens hic ſcribam .

CEREBRI vaſa tum quæ extra , tum quæ intus ſunt non intra ventriculos modo , ſed & paſſim per medullarem ſubſtantiam , ſanguine erant diſtenta , ea autem magis quæ per ſiniſtram Tenuis meningis partem repunt . Ea meninx , ut cæteræ omnes hujus corporis membranæ , ſive incidere , ſive diſcindere velles , magis quam ſolet , renitebatur . In Lateralibus ventriculis aquæ pauxillum fuit ſubcruentæ . Lingua viſa eſt æquo craſſior : certe autem vaſa oſtendit per faciem ſuperiorem a baſi apicem verſus tendentia a remorante ſanguine craſſiuſcula , nedum manifeſta . Et uvula quidem , ac palatum mobile ſana erant . Tonſillæ vero & membranam habebant qua obteguntur ; a flavo ſero ſubſiſtente craſſiorem factam , ut *gelatinam* quandam ſubflavam referret , & ipſæ tumebant , ſed magis ſiniſtra , quæ durior erat , & ſi exprimeres , aut ſecares , pus emittebat . Proximæ laryngis non cartilagines ſolum , ſed & proprii muſculi , quos ſingulos perluſtravi , labe omni , & inflammatione carebant . Vitium autem in membrana erat qua larynx intus , extraque veſtitur , intus quidem levius , ſed extra gravius . Intus enim rubicundior illa erat , quam ſolet , ut in vicina etiam parte Aſperæ arteriæ & ſubtumida quoque , ſed leviter , ut glottidis rima non propterea appareret anguſtior . Qua autem eadem membrana epiglottidem amiciebat , tum a facie cava , tum a convexa ,

(*b*) Traité du Coeur Supplem. ch. 8. n. 5. (*c*) Sect. hac 31. l. 3. in Schol. ad Obſ. 1.
(*d*) The Symptoms &c. of a Gonorrhœa ch. 4. (*e*) Prælect. ad Inſtit. §. 654. (*f*) not. *i* ad eum locum , & nota *d* ad §. 657.
(*g*) Adverſ. 4. Animad. 24. (*h*) Adverſ. 1. n. 11. & 12. (*i*) Hiſt. de l' Acad. R. de Sc. A. 1722. Obſ Anat. 4.
(*k*) n. 11. (*l*) Animad. 14. in fin. (*m*) Theſ. Anat. 10. n. 98. (*n*) Commerc. Litter. A. 1742 Hebd. 47. n. 2.
(*o*) Sect. 2. Aph. 17. (*p*) De Morb. Vener. l. 3. c. 3. (*q*) Epiſt. 14. n. 39.

tum a lateribus quoque tumida erat, & alibi coccinea, alibi ex coccineo fuſca, minus tamen a facie cava, quam alibi, neque ab ea tota, ſed a tertia duntaxat ſuprema parte. Secando perſpicuum erat, eum tumorem, coloremque ſanguini, & ſero deberi, nil niſi membranam, junctoſque acinos glanduloſos diſtendentibus, quorum pars humorum in convexa facie jam converti in pus incipiebat. Porro qua eadem membrana laryngem exterius a tergo operit, ipſa, & innexi glanduloſi acini magna inflammatione tenebantur, a lateribus præſertim. In ſingulis enim lateribus ſe attollebat in ſingulas protuberantias paulo minori quam digiti minimi craſſitudine. Hæ ab regione imæ baſis Cricoidis cartilaginis profectæ, & inter aſcendendum convergentes, eo uſque perveniebant, ut altitudinem cartilaginum arytænoidum aliquanto ſuperarent, ab his tamen, ab eaque ſumma laryngis parte omnino ſejunctæ, reliquæ inferiori adhærentes. Duo inflammata condylomata eſſe, dixiſſes, formam, & colorem aſpiciens, eundem videlicet atque ad epiglottidem deſcripſi, niſi quod in his plus erat ex coccineo, minus ex fuſco. Diſſecans autem, membranam, & acinos eſſe, vidi, a remorato ſanguine, & ſero tumentes, idque a ſiniſtris magis: quod latus, ut in tonſillis quoque, & Tenui meninge diximus, magis affectum fuit. Habes quam ſedem hujus anginæ, & quam naturam deprehenderim. In Thorace neque turgidi, neque inflammati erant pulmones; ſed omnino ſani: quanquam ut de cæteris membranis dixi, illæ quoque ex quibus ipſi conſtruuntur, ſecantibus, aut diſtrahentibus renitebantur magis quam ſolent, & Siniſter arctiſſime fuerat cum pleura connexus, cum dexter eſſet omnino ſolutus. In pericardio paululum aquæ fuit rubentis, neque id certe ab admiſto inter incidendum ſanguine: erat enim illa aqua vi frigoris in lamellas concreta intime rubentes. In corde, quod æquo amplius, vel magni in quo erat corporis habita ratione, mihi viſum eſt, nihil polypoſi, ut neque alibi, conſpectum eſt, ſed niger ſanguis non multus, iſque nec fluidus nimis, neque concretus. Magna arteria a valvulis ipſi præfixis, quæ, ut cordis reliquæ, ſanæ erant, fere ad Cœliacam uſque vitia habuit plura, eaque manifeſtiſſima. Nam maculis quibuſdam, quamvis nec creberrimis, neque adhuc in oſſeam duritiem vergentibus, hic illic intus albebat. Intus quoque, ſi macularum loca excipias, nuſquam fere albam, ſed ex rubro fuſcam ſuperficiem habebat, neque lævem & nitidam, ut ſolet, ſed parvis quibuſdam & humilibus excreſcentiis inæqualem, ejus quem dixi, intus extraque coloris, variæ autem formæ, & magnitudinis ſic tamen ut maximas lupino, ad cujus figuram accedebant, operire potuiſſes. Eas cum aſpiceres, molles crederes; ſed cum incideres, non minus duras, quam arteriæ parietes, deprehenderes. Id vitii quo propius a corde arteria aberat, eo erat majus; neque in Carotides tamen, neque in Subclavias ſe extendebat, neque infra Cæliacam: ſub qua vel primum illud albarum macularum vitium multo minus, ac minus fiebat. Præter hæc, omnes arteriæ Magnæ parietes erant æquo duriores. Denique Sinus Valſalvæ quartus non multo quidem, ſed perſpicue tamen erat amplior, quam ſecundum naturam. Illud quoque in venoſorum cordis Sinuum, ſeu mavis in auricularum cordis ſepto animadverti: qua facie ad venam ſpectat Pulmonarem, & accedit ad anteriora, ſulcis erat parallelis, neque ita parvis, excavatum. In Ventre, cujus viſcera gelu induruerant, & bilis ipſa ex parte aliqua in ſua veſicula, ſanguis autem intra lienem conglaciaverat, nihil quod ab naturæ norma abeſſet, inveni, ſi globulum in meſaræo excipias, hujus limbo propinquum, & nihil magis forma, colore, magnitudine quam coctum vitellum majuſculum, referentem ex iis qui in gallinacio ovario extuberant. Nihil erat aliud niſi pinguedo, ſed colore magis quam reliqua, flavo, nulliſque intus, quæ animadverti poſſent, membraneis lamellis intercurrentibus, intra unam comprehenſa membranam, in ſphæricæ veſicæ modum conformatam. Propter ea quæ ultro de gonorrhœa faſſus æger fuerat, diligenter urethram totam perluſtravi. Proſtata glandula æquo major videri potuiſſet, niſi eſſet, ut in magno corpore, magno quoque cum pene conjuncta. Sana ipſa, ſana caruncula, ſanæ veſiculæ, & ſemen, & oſcula per quæ e veſiculis expreſſum eſt. Sed ne canaliculi quidem noſtri peculiare quidquam oſtenderunt, niſi quod urethræ interior facies aliquanto humidior apparuit, & rubicundior quam ſoleat. Ex Cowperi glandulis altera, quod minime rarum eſt, defuit; alterius ſubſtantia in duram, firmamque ligamenti inſtar erat mutata.

4. Igitur ne ab hujus Epiſtolæ propoſito longius abeam; mitto quæ ad anginam ſpectant, & peculiaria quæ in Aorta obſervata ſunt, vitia hoc loco perpendere; hæc, inquam, & alia omitto: & illud quod ad gonorrhœam attinet, tantummodo attendo. Si duram factam Cowperi glandulam ſeponas, quæ res ſi ad gonorrhœam pertinet, certe ad recentem, atque adeo præſentem non pertinet; vides utique, nihil referri ad hanc poſſe, niſi auctam in canaliculis humoris ſecretionem; unde humidior urethræ facies, & ab acrius irritante ejuſdem humoris natura rubicundior. Spectare huc poteſt quod in viro altero vidimus, aliud agentes.

5. VIRI nimirum thoracis inflammatione ſublati cadaver, muſculorum aliarumque ejuſmodi partium examini idoneum, non quæ præter, ſed quæ ſecundum naturam ſunt, inquirentes, accurate in Noſocomio magna ex parte ſecueramus ſub Martii finem A. 1741. cum teſticulos perluſtraturi, in quorum altero ea deprehendimus quæ ſunt Litteris ſuperioribus (*r*) commemorata, forte animadvertimus, compreſſa proximi penis glande, ex urethræ orificio materiam aliquam prodire. URETHRAM continuo aperuimus tota ea parte quæ cum pene extra corpus pendebat, ſuſpicati, hominem gonorrhœa laboraſſe. Nec tamen præter ruborem dilute coccineum, quo interior canalis illius facies infecta erat, & madorem quendam æquo majorem, quidquam conſpicere licuit quod ad ſuſpicionem attineret. Urethræ partem reliquam ſecare cum in alterum diſtuliſſemus diem; aliis, ut fit, obſervationibus abducti, hanc perficere obliti ſumus.

6. Hic tamen nihil niſi ſuſpicio fuerat. Accipe jam quæ, cum certa eſſet gonorrhœa, quamvis non recens, invenerimus.

7. JUVENIS annum agens vigeſimum quinctum, cujus flaveſcebat facies, virulentam gonorrhœam vetuſtam recentiore altera ante ſex menſes renovaverat. Qua perſtante, ex profundo vulnere in colli ſiniſtrum latus inflicto, tantum ſanguinis, & toties profluxit, ut inevitabilem mortem attulerit inter initia A. 1740. CADAVER ob prægreſſas hæmorrhagias propemodum exſangue, eoque anatomicis perquiſitionibus aptiſſimum, ibidem, noſtris inſpectantibus Auditoribus, tanto diligentius perſectum eſt, quod perpauca habuit ab naturali conſtitutione diſcrepantia: quæ priuſquam de urethra ſcribam, indicabo. In Cerebri Lateralibus ventriculis cum plexibus Choroidibus, ob eam quæ modo dicta eſt, cauſam pallentibus, aquæ non ita limpidæ pauxillum fuit. Colli vulnus ad ramos denique non tenues ſanguiferorum vaſorum haud procul a mediis cervicis vertebris pertinebat. Venter jecur habuit durum, lobulis præclare conſpicuis, lienem magnum. Ubi ad genitalia ventum eſt, præputium, glandem, urethram totam perattente inſpiciens, nihil uſquam ulcerum, eroſionis, ruboris inveni, nec quidpiam aliud quod ad præſentem gonorrhœam attineret, ſi madorem excipias, quam ſoleat, majorem, a media urethra ad glandem uſque pertinentem. Ad gonorrhœam autem illam veterem, diuturnamque ſpectare hæc credidi, primum ab eo ferme loco unde mador incipiebat, exſtantem oblongam albidam lineam, ulteriora verſus oblique tendentem, quam Epiſtola XLII. (*ſ*) memoravi, & pro excreſcentiæ

(*r*) Epiſt. 43. n. 30. & 41. (*ſ*) n. 41.

ſcentiæ reliquiis habui carnis quondam luxuriantis: deinde etſi in Proſtatæ glandulæ, & carunculæ ipſius colore, & ſubſtantia nil vitii animadverti; oſculorum tamen per quæ ſemen in urethram extruditur, ſiniſtrum deletum, aut certe obcæcatum, dexterum autem adeo anguſtum, vix ut viderim, tenuiſſimamque ſetam immiſerim: tum Seminales veſiculas ita ſtrigoſas, nihil ut continere intelligeres; quod reapſe conſtitit omnibus, cum eas vel ſæpius premendo, ne per dexterum quidem de quo modo dictum eſt, oſculum quidquam exivit; in teſticulis tamen nullum quod in ſenſus incurreret, compertum eſt vitium: denique ut omittam, vix aliquod fuiſſe Cowperi glandularum indicium; poſſunt enim, ut alias (*t*) docui, a primordiis deeſſe: meorum canaliculorum, præter unum, eumque anguſtum, & brevem, nullum prorſus apparuiſſe; ut cum madorem quem ab ipſis, non ſolum, ſed potiſſimum deducere conſuevi, hic maxima ex parte a minimis illis, ante nos vulgatis, repetere oporteret: quorum tamen neutros *Euſtachium olim perſpectos jam habuiſſe*, etſi contrarium egregius, humanuſque Juvenis diſerte affirmet, *tabulaſque ejus* hoc, ajat, *docere*, ſi tandiu perges mihi credere donec Tabularum quæ id doceant, numeri indicentur, non dubito quin longo tempore ſis crediturus.

8. Miraberis forſan in propoſitis Obſervationibus, cum præſens eſſet gonorrhœa, non plura nobis occurriſſe quæ ad præſentem quidem referri poſſent quam urethræ madorem, nonnunquam cum rubore conjunctum, quando; ut Terranei (*u*) Obſervationem mittamus, urethræ *omnino inflammatione liveſcentis*, *glandularumque* in ea *diſgregatarum*, quæ minimi nobis canaliculi ſunt, *immodicam extumeſcentiam*; in hac ipſa prima, qua de loquimur, urethræ parte Veſalius (*x*) foſſulam quæ intra glandem eſt, *plurimum in hoc morbo ulceribus infeſtari*, ſcripſit, confirmantibus paſſim aliis, & nominatim Cl. Aſtrucio (*y*), in ea foſſula *compertum eſſe exulcerationes graves plerumque latere in gonorrhœa*. Nempe hoc ipſum erat ex iis unum quæ ipſe quoque mihi non occurriſſe, mirabar præſertim cum toties ejuſmodi ægrorum querelas audiverim de acerbo dolore ibi *inſigniter*, *dum urinam reddunt*, torquente, ut Veſalii verbis utar; quando Terraneus (*z*) non ut alii, & in his Aſtrucius (*a*), dolorem *inter mejendum* acrem, urentemque commemorat, imo tunc *plerumque vix percipi*, ait, ſed *ægro jam a mictu ceſſante*, *per omnem urethræ ductum acriter admodum urere*, *maxime qua in glandem deſinit*. Quem ego dolorem qui mictionem conſequitur, non propterea imminuo; ſed de eo qui comitatur, querimonias maximas audiviſſe me, dico, ut in aliquos nonnunquam inciderim, ſe lotium reddituros negantes, niſi opportuno quopiam auxilio tormentum quo tunc cruciarentur, levarem. Quibus eſt a me ſatis factum, cum urinæ acrimoniam quo ad ejus fieri poſſet, minuendo, tum præſertim ratione haud ita diſſimili atque Arantius (*b*) quos dolor hæmorrhoidum male habebat, minori cruciatu alvi excrementa dejicere docuit dum ſuper laſanum ſederent, tepentis hydrælei plenum, cujus fotu non ſolum clauſus, ſed mox etiam in dejiciendo apertus anus leniretur. Nempe & ego in vitream matellam, tepido lacte ſemiplenam, demittere illos penem docui, & cum dolorem eo fotu pauliſper mitigaſſent, tunc intra ipſum lac ſervato pene, urinam ſentim, & ſine conatu emittere. Fuerunt & quibus cum pro lacte (cujus hunc uſum vidi poſtea etiam ab Riolano (*c*), ut brevis quoque fiſtulæ plumbeæ, aut argenteæ, quam Fabricius noſter (*d*) excogitaverat, immiſſionem commemorari) fuerunt, inquam, & quibus cum pro lacte oleum forte eſſet ad manus ex lini ſeminibus recens expreſſum, hoc uti placuit. Magnum utrique inde levamen ſe retuliſſe, confirmavere: hi alteri illud etiam addidere, cum tumidum eſſet, dolenſque præputium, eo more ſervato, intra unum, haud amplius, diem præputii tumorem, doloremque abiiſſe. Sed hæc obiter: quæ, caſus diſtinguendo, & aliquid in lacte pro re idoneum incoquendo, reddere poteris utiliora. Illuc revertamur. Etſi Veſalius, atque alii vera dixerint; non omnes tamen gonorrhϾ, neque ſemper, eadem acrimonia ſunt. Caſus quidem tulit, idque unum mirandum eſt, nunquam mihi niſi leves, aut meliori earum tempore in diſſectionibus occurriſſe. Sæpe tamen in ea veſtigia incidi quæ ſatis oſtenderent, quas vel in hac prima urethræ parte fuiſſem inventurus læſiones, ſi cum illæ urgerent olim, diſſecuiſſem.

9. Legiſti enim paulo ante (*e*) in illo Juvene quem vetuſta gonorrhœa male habuerat, vix unum, eumque anguſtum, & brevem, meorum canaliculorum fuiſſe ſuperſtitem. Vix unus pariter in quodam Bajulo apparuit, quem ex caſu ab alto mortuum, ubi de Vulneribus, Ictibuſque (*f*) agetur, deſcribam, cujus urethra qua alteri lateri coronæ glandis reſpondebat, veteris læſionis ſervabat indicium. Neque uno plures in peregrino Sene reliquos fuiſſe canaliculos, vidiſti Epiſtola XLII. (*g*), cum glans cicatricoſa, & urethra valde contracta, quid olim præceſſiſſet morbi, indicarent: imo ne unum quidem amplius ſuperfuiſſe, indidem (*h*) noſti in Juvene in quo illa eadem indicia non deerant; ne quid dicam de Viro alibi (*i*) deſcribendo. Nihil autem veri ſimilius eſt, quam ab inflammatione, & exulceratione in canaliculis demum orta, tenues membraneos ipſorum parietes alterum ad alterum adhæſiſſe, cavumque interceptum ſic periiſſe: fuiſſe enim in illa eadem urethræ parte exulcerationes, coarctatio ibidem, quin etiam in ipſa canaliculorum ſede luxuriantis carnis excreſcentia commonſtrabant. Quod ſi gravia quidem, ſed aut non adeo gravia, aut non omnibus canaliculis communia fuerint illa vitia; aut omnes, aut nonnulli poterunt eſſe ſuperſtites. Sic in quodam Viro quem ſub Novembris finem A. 1718. in Noſocomio diſſecabam, cum prægreſſæ venereæ luis indicia in primo urinario meatu offendiſſem; paucos quidem, ſed nonnullos tamen reſtare adhuc canaliculos vidi, non ſecus atque in Lanio, qui, ut ſcripſi ad te Epiſtola VIII. (*k*), in præputio ulcuſcula, in urethra cicatrices habebat, fuiſſe perpaucos, legiſti, neque uno aut altero plures in nobili Viro, quem lues venerea non ſemel affecerat, XXVIII. Epiſtola (*l*) memoravi. Omnes autem fuiſſe memini in Stabulario (*m*), cujus alioquin urethram trium circiter ab extimo orificio digitorum tranſverſorum intervallo lineis duabus albidis inæqualem deprehendi, videlicet aut cicatricum, aut excreſcentiarum veſtigiis. Ubi tamen attentius illi ab aliquo inſpectentur qui ſæpius ſit in eorum, cum ſecundum naturam ſunt, contemplatione verſatus, neſcio quid tunc percipitur aliquando, unde aliquid eſſe paſſos, intelligatur, veluc mihi in eo de quo mox ſcribam, accidiſſe, ſcio. Ut iis autem quibus hi majores omnes oblitterantur, deeſſe tantum conſtat quantum ſecernere iidem ſolebant humoris ad urethræ parietes adverſus lotii acrimoniam illiniendos; ſic rationi conſonum eſt, illos præ cæteris, niſi urethra tota occalluerit, obnoxios fieri in poſterum ardoris ſenſui ab eodem lotio, & ſi hoc acrius ſit, etiam eroſioni: reliquos autem pro numero amiſſorum canaliculorum, aut pro noxa canaliculis illata, levioribus quidem, ſed ejuſdem generis, tentari moleſtiis. Sed hoc ſatis ſit attigiſſe. Ad id quod modo indicabatur, veniamus.

10. ASTHMATICI qui in Noſocomio deceſſerat, quædam in Gymnaſium Partes illatæ ſunt, cum in virili altero cadavere Anatomen traderem A. 1746. Juvat enim ejuſdem Partes ex non uno, cum licet, corpore, aliaſque aliter diſſectas oſtendere: quod tunc facere ferebat animus in veſiculis ſeminalibus, & pene. VESICULÆ etſi cellulis intus erant humidis;

(*t*) Adverſ. Anat. 4. Animad. 15. (*u*) De Glandul. poſt c. 5. Obſ. 5. (*x*) De corp. hum. fabr. S. 5. c. 14.
(*y*) De Morb. Vener. l. 3. c. 1. §. 2. (*z*) loc. cit. (*a*) c. cit. §. 3. (*b*) De Tumor. p. n. c. 60.
(*c*) Anthropogr. l. 2. c. 30. (*d*) De Chirurg. Oper. ubi de penis Chirurg (*e*) ſupra, n. 7. (*f*) Epiſt. 53. n. 37.
(*g*) n. 40. (*h*) n. 39. (*i*) Epiſt. 50. n. 30. (*k*) n. 28. (*l*) n. 6. (*m*) Epiſt 4. n. 19.

dis; nihil tamen ſeminis continebant. Caruncula, & quidquid ad ſuperiorem urethram ſpectabat, bene ſe habebat. Sed cum inferiorem perſecturi, craſſiuſculo ſpecillo per infimum orificium indito, eam partem quam glans complectitur, aperuiſſemus, cujus ſuperficies partis nonnihil erat inæqualis, ulterius immittere ſpecillum volentes, ultra ſeſquidigitum non potuimus. Tum a ſuperiore, quæ aperta erat, parte idem conati, idem obſtaculum, cum ad eum qui deſignatus eſt, locum accederemus, offendimus. Paulatim igitur ab ea facie aperientes, ut ſoliti ſumus, quæ facies noſtris oppoſita eſt canaliculis, hæc denique animadvertimus. Tractus erat transverſorum digitorum trium, aut eo amplius, quo proclive erat intelligere, urethram olim fuiſſe exulceratam. Per eam enim faciem in qua illi ſunt canaliculi, tres quatuorve exſtabant in transverſum ductæ albidæ, & quaſi tendineæ chordulæ, vel potius inſtitæ, non valde prominentes, nec uſquam ſe ab interna urethræ membrana ſejungentes. Erat inter chordulam & chordulam interſtitium, tum medio ferme inter primam & ultimam loco urethra ſe tanto ſpatio quantum duo circiter occupaſſent transverſi digiti coarctabat, ut ibi dimidio propemodum quam ſupra, aut infra, eſſet anguſtior. Cum hæc omnia intra eorum de quibus loquimur, canaliculorum regionem caderent; ipſi tamen, eorumque orificia primo quidem aſpectu non præter naturam ſe habere videbantur. Ubi vero oculos attentius defixi, & accuratius inſpectavi, ſatis cognovi, certo quodam modo quem facilius ipſe percipere quam verbis explicare poſſim, ab naturali conſuetudine diſcrepare, ut non obſcurum eſſet, minorem quidem quam proxima urethra, ſed aliquam tamen noxam olim pertuliſſe. Quod & chordularum, id eſt cicatricum ſedes in ea dumtaxat urethræ facie, nempe inter canaliculorum orificia, confirmare videbatur, quippe indicans unde irritans virus & demum exulcerans diſtillaſſet.

11. Jam vero ad ulteriorem, uti promiſimus, urethræ partem tranſeamus. Occurrit hic quoque gonorrhϾ ſedes, nobis altera, Littrio prima, videlicet, ut ipſe conſtituit, Cowperi glandulæ; ſic enim pergam appellare, quando Meryus, neſcio quam ob cauſam, ſuo jure videtur ceſſiſſe, tacite ferens, ſic eas ab Littrio quoque, nec ſemel, nominatas eſſe, oſtenſaſque in Regia Scientiarum Academia (*n*), atque inſuper in hujus Hiſtoria (*o*) primam earum inventionem Cowpero diſerte fuiſſe tributam. Cæterum quam raro hæ glandulæ gonorrhϾ ſedes ſint, illud præclare oſtendit quod Littrius (*p*) cum affectorum gonorrhœa cadavera ſecuiſſet circiter quadraginta, unum modo reperit in quo harum glandularum vitia apparerent, quæ diligenter cum omnibus quæ ad id gonorrhϾ genus attinent, partiteque deſcribit, ne cauſam quidem reticens cur rarum ſit. Minus igitur miror quod in cadaver non inciderim viri eo affecti. Prægreſſi tamen olim indicia a me conſpecta eſſe, opinor, ſive cum has glandulas, aut harum alteram, ut in Fabro lignario de quo ſupra (*q*) dictum eſt, mutatam deprehendi in duram ſubſtantiam; non raro enim poſt inflammationem glandulæ ſolent indureſcere, ſive cum veſtigia offendi in illarum ductibus non inflammationis ſolum, verum etiam exulcerationis, velut in eo de quo protinus dicam.

12. JUVENIS, a capitis ictu in Noſocomio mortui circa medium Aprilem A. 1718. genitalia, in quorum anatome ſæpe tunc eram occupatus, diligenter incidi. Et cætera quidem intra naturæ modum inveni. URETHRA autem ne recte ſe haberet, ſtatim veritus ſum ac receſſa glande cavam in hac cicatricem animadverti. Glandula tamen Proſtata, & Littrii, & Seminalis caruncula nihil quidquam vitii oſtenderunt. Sed cum urethræ partem reliquam aperuiſſem, & primos aliquot ex meis canaliculis deletos vidiſſem; neque enim ulla eorum incipiebant apparere orificia, niſi quatuor circiter transverſis digitis ab extrema urethra intermiſſis; attentius inſpectans omnia, ſubſtiti in Cowperi glandularum ductibus, quorum dexter æquo tenuior, ſiniſter autem æquo craſſior per intimam urethræ tunicam tranſpiciebantur. In tenuiorem fruſtra quidquam immittere conatus ſum; ut parietes ab inflammatione vel coaluiſſe, vel ad ſummas anguſtias contractos exiſtimaverim. Contra ſiniſter, ſubflavo mucoſo humore diſtentus, ſpecillum non tenuiſſimum admiſſurus videbatur, & reapſe nullo negotio admiſit, ſed a parte glandulæ; nam extremum oppoſitum in urethra habebat finem peranguſtum, atque adeo obſcurum, ut hinc eſſe cenſuerim quod ita ipſe humore eſſet plenus, & glandula ejus craſſa, cum altera exilis eſſet, ac ſtrigoſa.

13. Hic quæres, cur illas ejus finis anguſtias conjecerim a prægreſſo ulcere eſſe potuiſſe. Nempe recordabar, Littrium in eo cadavere in quo uno dictum eſt (*r*) hoc gonorrhϾ genus deprehendiſſe, nunquam exulcerationem niſi ad oras, & circum oras adnotaſſe oſculi alterius illorum ductuum, Cowperumque ipſum in explicatione ejus Figuræ (*ſ*) qua ambos eos ductus delineavit, monuiſſe, alterius orificium amplum admodum *in eo ſubjecto* eſſe *ex ulcere*. Et viderunt quidem ambo ulcus ad oſculum ductus; ſed illi, alter certe, erodens adhuc, ego vero, niſi me conjectura fallit, ad cicatricem perductum; itaque illi patentius orificium videre potuerunt; ego a cicatrice adſtrictum conjicere. Quin Terraneus (*t*) prorſus obſtructum oſculum, indeque ductum mire dilatatum offendit, eumque ſiniſtrum: quo in latere accidit ut tres iſti, & ego orificii vitia deprehenderemus.

14. Sed ab illis oſculis ulterius per urethram pergentes, ad alterum hujus pervenimus locum de duobus in quibus Veſalius (*u*) non modo quod omnes, adnotavit, gonorrhœa affectos *graviter cruciari*, ſed & cauſam protulit quare in hoc altero crucientur, cum penis riget. Is locus imo perinæo reſpondet. Ibi enim ob canalis reflexum, declivemque ac humillimam ſedem cum reſtitet erodens humor, ibi quoque *magis quam in reliqua meatus ſede erodit*, (aut certe irritat) *eroſus* autem *meatus*, *quando una cum pene tenditur*, *ſolutionem unitatis vehementius inibi percipitur*. Nec vero tunc ſolum, ſed dum etiam poſtremas lotii guttas ſurſum inde promoturi, per advolutos muſculos eam comprimunt meatus partem, de moleſto ibidem ſenſu conquerentes audiuntur. Eum locum cingit Littrii glandula: eoque loco exulcerari urethram, credo, cum ibi ipſe quoque lineas nonnunquam viderim illas exſtantes, quas pro cicatricibus habeo, Terraneus autem (*x*) ulcera offenderit ex diuturna gonorrhœa. Sed hæc interdum. Sæpius enim ad ea quæ Veſalius ait, explicanda loci illius irritationem, inflammationemque ſatis eſſe, arbitror. De hoc genere quid a me conſpectum ſit, accipe.

15. SENEX decrepitus, lue venerea plurimos jam annos male mulctatus, ut quæ loqueretur vix intelligeres, urinæ autem difficultate, & gonorrhœa denique a duodecim jam annis laboraret, his malis, & ipſa ætate lente confectus, e vita ceſſerat ante medium Januarium A. 1717. CADAVERIS quaſdam partes in Noſocomio diſſecantes, hæc quæ ad propoſitos morbos ſpectarent, animadvertimus. Uvula, cujus pars deerat, linguæ ſuperior poſtrema ſuperficies, & annexa olim per ligamenta epiglottis cartilago ita erant cicatricoſæ, ut nihil magis. Itaque ea cartilago inæqualiter contracta, in triangularem propemodum verticem deſinebat, multo caninæ ſimilior, quam humanæ. Quin vitium in laryngem reliquam, & huic proximum Aſperæ arteriæ truncum ſe propagabat; eratque arytænoidum altera quaſi luxata, non compari parallela: intra illam autem arteriam inæquales magnique prominebant quaſi lacerti; exteriore autem ſede duobus infra cricoidem cartilaginem transverſis digitis ad alterum membraneomuſculoſi interſtitii latus glandula exſtabat ciceris ma-

(*n*) Mem. A. 1700. & 1711. (*o*) Annot. eorund. (*p*) Memor. A. 1711. (*q*) n. 3. (*r*) ſupra, n. 11.
(*ſ*) Vid. in Act. Erud. Lipſ. A. 1702. M. Novembr. ad Tab. 8. Fig. 1. litt. H. (*t*) De Glandul. Obſ. 6. & Fig. 1. ad D.
(*u*) c. 14. cit. ſupra ad n. 8. (*x*) De Glandul. c. 5. & Obſ. 3.

magnitudine, & forma, colore autem cinereo, intus ex rubro fuſco, in rotunda videlicet cavea quam albi, nec laxi parietes comprehendebant. Eam glandulam pro una ex tot illis, ibi a nobis delineatis (*y*), accepimus: quæ occluſo ob interna vitia foramine ad arteriæ cavum pertinente, ſic, & fortaſſe olim magis, excreviſſet. Ventrem priuſquam aperiremus; cranii enim, & thoracis aperiendi tempus non fuit; maniſeſtiſſimus a bubonibus inguinum cicatrices adnotavimus. Tum viſceribus cæteris quæ ſic ſatis intra naturæ modum eſſe viſa ſunt, prætermiſſis, in urinariis ſubſtitimus Partibus. Renes valde parvi erant, & ob hemiſphæricas protuberantias inæquali ſuperficie: ſubſtantia tamen, niſi quod firmior fuit quam ſoleat, magiſque compacta, nihil vitii oſtendit; quanquam in renis alterius pelvi ſeri aliquod inerat albidi, & turbidi. Ureteres & multum dilatati, & intus rubentes fere ad renes uſque conſpiciebantur; utraque autem hæc noxa quo magis aſcendebant, eo magis decreſcebat. In dextero circa medium, interiorem tunicam vidi extantem, & ſe duplicantem, ut annularem mediocris altitudinis quaſi valvulam faceret contra urinæ curſum converſam. Cum ambo eſſent mucoſa materia ſemipleni; ab interiore eorum facie a medio ſurſum proſtabant hic illic majores, minoreſve ſphæricæ, ut videbantur, guttæ, quas ſpongia abſtergere nequicquam conatus, cultello amotas, & inter digitos compreſſas, ſtatim in humorem lentum, & quaſi *tabacci* dilutiſſimo colore infectum, abire vidi; ut poſtquam hydatides, ſicuti alias (*z*) ad te ſcripſi, ab eadem tunica pendentes inveni, ejuſdem generis illas de quibus loquor, guttas fuiſſe, arbitrer. Porro veſica ex craſſiſſimis tunicis facta, per quarum internam faciem craſſi quaſi lacerti, varia inter ſe implicatione conjuncti, tranſpiciebantur, albo turbidoque humore ſcatebat. Tum a glande, cujus alterum coronæ latus ulcere olim exeſum fuerat, urethræ inciſionem exorſus, nihil fere adnotatione dignum reperi donec ventum eſt ad Littrii glandulam. Erat ea ſedes conſertiſſimis ſanguiferis vaſculis intus obducta, ut longe magis ex atro quam conſuevit, ruberet. Proſtata autem glandula nihil obtulit in quo morarer, præter breviſſimos, & ſuperficiarios ſinus tres ex ampliori oſculo in coni modum ſe contrahentes, inter carunculam recte ſe habentem, & veſicæ orificium ſecundum urethræ longitudinem poſitos.

16. In hoc uno ſic affectam ad perinæum urethram vidiſſe memini: cui tamen affectioni cauſam præbere quoque potuit reſtitans, decrepita præſertim ætate, eo in loco pars aliqua urinæ, ejuſque non ſecundum naturam ſe habentis. Certe in tot aliis nunquam fuit, quos gonorrhœa prehenſos deſcripſi, neque in Epiſtola hac tantum, ſed in aliis etiam, & nominatim in Molitoris quodam famulo (*a*), qui dum gonorrhœa teneretur, interiens, noxam in pendula, quam diſſecare non licuit, urethræ parte habuerit, neceſſe eſt, quando in ſumma hac non ſecus ac tot alii, nuſquam habebat. Unde ergo factum eſt, inquis, ut in Proſtata glandula, & caruncula ipſa ſeminali vitium eſſe, communi quadam ſententia traderent? Nimirum quia ut humorem in gonorrhœa diſtillantem, ſi eſſet legitima, ſemen eſſe non infectum, ita, ſi ſpuria, venereo miaſmate contaminatum, non dubitabant eo tempore. Poſtea vero cœperunt Medicorum aliqui ſuſpicari, id quod in legitima effluit gonorrhœa, non ſemper eſſe ipſum ſemen, quippe cum plures viderent non ita maceſcere, & enervari, ut copia humoris poſceret, annos haud raro pergens profluere; ſi ſemen eſſet. Et ſane videmus quam in maciem, & infirmitatem virium incidant qui nimis crebro per venerea inſomnia ad longum tempus ſemen effundunt. Quorum ego aliquos novi qui nullis proficientibus auxiliis, veriti ne in lethalem demum atrophiam præcipitarentur, ita penem ſibi dormituri inſtita ex molli aluta ſub ipſo margine coronæ glandis circumligare non infeliciter inſtituerant, ut donec penis non rigeret, nihil hinc ſentirent incommodi; ubi vero rigere inciperet, eam continuo moleſtiam crearet, ut ſimul cum ſomno tolleretur periculum ſeminis effundendi. Multum porro ultra illorum Medicorum ſuſpiciones proceſſit Boerhaavius (*b*), diſerte negans, ſemen verum ſe unquam noviſſe abſque tentigine venerea ſive in ſomniis, ſive extra ſomnia fuiſſe effuſum; ut rariſſimus ſit morbus oporteat, in quo ſponte, & ſine ſenſu effundatur. A Proſtata igitur glandula id eſſe cenſuit. Equidem hæc non dico quod credam, verum ſemen ſine venereis cogitationibus nunquam effluere. Credo enim ubi laxiores, aut eroſæ ſint oræ foraminulorum per quæ ſemen in urethram deſcendit, aut ubi ipſum aquoſius ſit, poſſe abſque illis cogitationibus defluere, ut nonnullis accidit a calidioris clyſmatis injectione, aut ab duriorum alvi recrementorum excretione; niſi & illis id quod exit, ſemper paucum adeo, & tale ſit, ut a Proſtata deducere liceat; his vero nunquam eſſe queat a veſiculis ſeminalibus. Quod ut ſemper, quemadmodum olim arbitrabantur, non fieri, ſcio, ita nonnumquam fieri, negare non poſſum.

17. Ventum eſt, ut vides, ad poſtremam in urethra gonorrhœæ ſedem, Proſtatam videlicet glandulam, & carunculam Seminalem. Quarum hæc ſi exitus ſeminis aut laxitate, aut eroſione patulos tunc ſemper oſtenderet, aut illa ſi ita in omnibus exulcerata eſſet, ut ulcus ad ſeminis canales, per ipſam glandulam traductos, perveniret; nihil eſſet cauſæ, cur ſeminis fluxum, ſemper revera tunc fieri, negaremus. Atqui in pluribus nihil quidquam iſtorum eſt, ut non modo quæ hactenus in hac Epiſtola ſcripſimus, fere omnia ſatis oſtendunt, ſed aliorum quoque Obſervationes confirmant, in quibus Terraneus (*c*) eſt, & quem ipſe laudat, Blancardus, potiſſimum autem Littrius (*d*), qui ex propriis inſpectionibus primum ſtatuit gonorrhœæ ſedes tres, in quarum ſingulis morbus interdum eſt, illæſis duabus reliquis; de tribus autem unam facit Proſtatam glandulam: deinde oſtendit, cum ſedes in Cowperi eſſet glandulis, in Proſtata non fuiſſe, & quam difficile in hanc, aut in carunculam ab illis virus propagetur. Sed, ut hæc vera ſint; in aliis tamen, ut in pleriſque eorum qui gonorrhœa quam virulenta, & quam diuturna vexati fuerint, in Proſtata quoque & caruncula repertum eſſe vitium, inficiari non licet. Ut ſileam quod ſcripſit Whartonus, (*e*) excretoria Proſtatæ glandulæ foraminula, in ſanis inconſpicua, in illis *evidenter cerni*; pervulgatæ ſunt, atque adeo in Sepulchreto (*f*) extant Bartholini, Severini, Wirſungii Obſervationes ejuſdem glandulæ in gonorrhœa ulceribus, aut abſceſſu affectæ, poſt gonorrhœam autem cicatricoſæ: legiturque ibidem (*g*), ut in eo morbo curationem deſperaret Guenotius, ubi digito in podicem immiſſo, renitentem illius glandulæ tumorem perciperet. Nec deſunt aliæ poſtea habitæ ejuſdem glandulæ a gonorrhœa vitiatæ Obſervationes. Quarum duas potiſſimum juvat proferre, alteram Brunneri (*h*), Genſelii (*i*) alteram. Hi enim cum de excreſcentibus in urethra carunculis inter ſe adeo diſcreparent, ut has primus figmentum Chirurgorum eſſe, diceret, ut pote qui catheteris impedimentum in quadam, non a caruncula quæ nuſquam erat, ſed ab urethræ *inſigni ſtrictura, & coarctatione, ceu ex aduſtione*, fuiſſe obſervaſſet ferme ut nos in Aſthmatico ſupra (*k*) deſcripſimus; Genſelius autem qui in altero, ejuſmodi quidem carunculam, nullam vero coarctationem vidiſſet, pro carunculis contenderet; cum in hoc igitur diſſentirent; in eo plane conveniebant, quod ſecundus in ſuo, qui poſt virulentas aliquot gonorrhœas in novam inciderat, *circa proſtatas diverſa* invenerat *ulcuſcula*, & primus, quod in ſuo præter *ſummam* ibi quoque

meatus

(*y*) Adverſ. I. Tab. 2. Fig. 1. (*z*) Epiſt. 42. n. 11. (*a*) Epiſt. 24. n. 18. (*b*) Prælect. ad Inſtitut. §. 776.
(*c*) De Glandul. c. 5. & Obſ. 3. & ſeq. (*d*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1711. (*e*) Adenogr. c. 31.
(*f*) Sect. hac 31. Obſ. 5. §. 1. & 2. (*g*) in Schol. ad Obſ. 4. (*h*) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ. 97.
(*i*) Earund. Cent. 6. Obſ. 84. (*k*) n. 10.

meatus anguſtiam, viderat *circa proſtatas miram cicatricum ex ulceribus antiquis, inveteratis, tunc perſanatis, faciem conſpicuam fuiſſe*. Quod vero ad Seminalem carunculam ipſam attinet, non in Sepulchreto dumtaxat habes (*l*), ut Veſalius hac in Urbe extremos ambos fines vaſorum ſemen deferentium qui in lateribus carunculæ conſpectum quodammodo in cæteris fugiunt, in quodam, hoc morbo laborante, *apertos laxoſque* offenderit; verum etiam apud Cl. Benevolum (*m*) tum ejus Obſervationem in viro qui duodeviginti jam annos eundem pertulerat morbum, magni & calloſi ulceris ſic intra glandulam Proſtatam latentis, ut pus tamen per carunculam tantummodo emitteret, ulcere pariter intus eroſam, tum Obſervationes alias (*n*) exulceratæ in gonorrhœa carunculæ ejuſdem, ex Genga commemoratas. Caruncula autem, ut noſti, parva adeo eſt, vix ut ulcus eſſe in ea poſſit, quin amborum, aut alterius ſaltem canalis ſeminis finem corrodat, eique jugiter diſtillaturo viam ſic vel magis aperiat, quam cum eorundem canalium laxa nimium, patulaque ſunt oſcula. Ulcera vero quæ in Proſtata ſunt glandula, non omnia id faciunt; ſed ea dumtaxat quæ hinc in illa ejus parte ſunt per quam alter, ambove eorum canalium traducuntur, quæ pars pone urethram ſumma eſt, inde vero ulceroſis cuniculis actis, ſibi, & puri, & ſemini aditum in urethræ interiorem faciem aperiunt, ſive contra ab hac ad illos uſque canales ſerpendo perveniunt. Cætera ejus glandulæ ulcera cum ſecreto in ea humore pus commiſtum emittunt aut per propria ulcerum ipſorum quæ intra urethram patere poſſunt, orificia, aut per naturalia glandulæ ejuſdem oſcula; per quæ, cum ſine ulcere laxiora tantummodo ſunt, ſolus ille humor, non pus, non ſemen, effluit. Atque hæc attigi, ut veterum noxarum veſtigia quæ mihi aut in ea glandula, aut in caruncula, aut in utraque videre contigit, vel me tacente, intelligi liceat quo attinerent.

18. Et primum quidem offendi ſuperficiaria, veluti albidas illas exſtantes lineas, excreſcentiarum, ut opinor, reliquias, aut tres illos perbreves ſinus quos ſupra (*o*) in decrepito Sene deſcripſi: alia autem profunda, & prorſus abdita, ut ex proxima cognoſces hiſtoria.

19. SENIS cadavere uſus ſum A. 1742. ad Anatomen publice inchoandam, cujus quoniam morbi qui fuiſſent, ſcire pro certo non potui; ideo quæ præter naturam inveni, preſſius indicabo. THORAX cor habuit magnum, & craſſis parietibus, arteriæ autem Aortæ initium æquo latius, & creberrimis intus maculis diſtinctum albis, quaſi tendineis, necdum oſſeis. Venter autem, antea perluſtratus, in eadem arteria obtulerat ejuſdemmodi, ſed leviores, maculas; ſi duriorem excipias unam quæ ad orificium erat arteriæ Sacræ, ipſumque anguſtius quam ejus eſſet trunculus, videbatur reddidiſſe. Quæ, & qualia pylori annulo inſiderent corpora, glandulæve extarent in pylori antro, cum ſcribendi occaſionem habuerim Epiſtola XXIX. (*p*) nihil eſt cauſæ cur hic repetam. Jecur facie convexa propemodum tota cum diaphragmate erat connatum. Lien juſto craſſior, & latior, colore intus coccineo diluto, arterioſis autem qui eum ſubibant, ramis ipſis quidem flexuoſis, ſed toto unde veniebant, Splenicæ arteriæ trunco nullis prorſus flexibus contra atque ſolet, contorto. Renes pro latitudine juſto longiores. Veſicæ craſſiores tunicæ. Denique Proſtata glandula ea parte qua urethræ anteriora tenet, incluſam penitus intra ſuam ſubſtantiam habebat caveam, mediocris uvæ acini figura, & magnitudine, cujus parietes eodem quo reliqua glandula, colore, membranula quadam, quaſi tumoris folliculo, conveſtiri videbantur: nihil autem continebant.

20. Quid hoc cavo olim comprehenſum fuiſſet, & quomodo poſtea inde abiiſſet, cum eſſet obſcurum; in memoriam redii, quid anno ante in Sene altero vidiſſem, de quo ubi de Febribus (*q*), ad te ſcribam. Scilicet in Proſtata glandula amplificata, & exteriore ambitu ex rubro fuſca, intra ſubſtantiam reliquam, cæteroquin ſecundum naturam ſe habentem, granula alicubi inveni quaſi *tabacci* ex ſubflavo nigricantia. Erant hæc haud procul ab interiore urethræ facie, alia quidem huc illuc disjecta, alia autem in unum cavum, eo de quo modo dictum eſt, multo minus, conſtipata. Num ergo illud quoque majus cavum iſtiuſmodi plenum granulis fuiſſe, credemus? Sed quid ea granula ſunt? in pluribus enim, neque tunc primum, deprehendi. Et in Adverſariis (*r*) quidem pro humore habui qui in Proſtata ſecernitur, in eam formam coacto: nec eſſe quidquam video, cur in præſentia quoque non habeam. Verum quæ cauſa ſit unde formam, coloremque ſic mutet, prægreſſane olim venerea lues, an vitii aliud genus, in medio relinquo, ut illud pariter de quo ſuſpicio in aliis Litteris (*ſ*) injecta eſt, an ea granula materia interdum eſſe poſſint calculorum qui in hac glandula reperiuntur. Nunquam tamen intra ipſam, majorem eorum granulorum copiam offendi quam in Figulo, ut relegens Epiſtolam VII. (*t*), facile cognoſces: in quo antiquæne lui tribuas ob nullum ad glandem ſuperſtes frænuli veſtigium, deliberabis, non ſecus atque in Sene de quo Epiſtola ſcriptum eſt XXIV. (*u*), cui cum vix unus, iſque tenuis, ſupereſſet de majoribus urethræ canaliculis, ea granula non deerant ad latera carunculæ Seminalis. Placet huc alia duo adſcribere exempla in Viris qui tametſi quibus obnoxii fuiſſent affectionibus, omnino propemodum ignoro, quæ tamen in aliis quoque corporis partibus haberent ab naturæ norma aberrantia, non reticebo; neque enim prorſus inutile, ut alibi quoque vidiſti, cenſeo, præter naturam inventa commemorare ſaltem ut quæ ſæpius, quæ rarius in certis ætatibus, & habitibus corporum, morbida occurrant, comparatione inſtituta cognoſci liceat.

21. VIRI annos nati quatuor & quinquaginta quem apoplectica affectio lente confecerat, cadaver A. 1728. Gymnaſio eſt datum, unde Publicæ Anatomes initium fieret, donec meliorum cadaverum copia eſſet. Itaque Caput non attigimus. Quæ Venter, & quæ Thorax quoque ex parte, adnotanda obtulerint, hic habebis. INTESTINA quidem laxa erant, & quaſi inflammata: nullum tamen aut ipſa, aut ventriculus eroſionis habebant indicium, ut recens cauſa aliqua credi poſſet id quod in Duodeno deſcribam, effeciſſe, præſertim cum pus, gravis odor, craſſitudo, & inæqualitas labrorum, aliaque omnia ulceris indicia abeſſent. Intervallo gemini tranſverſi digiti infra pylorum locus erat in quo interiores deerant inteſtini tunicæ, ſicque orificium relinquebatur digiti capax, quo immiſſo, facile extrorſum cedens tunica omnium extima in quoddam quaſi diverticulum formabatur. Lien ſanus; ſed multo minor juſto, & plane exiguus. Arteriæ Magnæ truncus intus habuit qua parte lumborum vertebris adhærebat, ſquamas oſſeas non mediocres: idem tamen intra thoracem, non ſecus ac cor, ſaniſſimus fuit. Veſica urinaria æquo minor pro reliqua corporis magnitudine. Nihil in urethra animadverſum peculiare, niſi granula quaſi *tabacci* ad oſcula Proſtatæ glandulæ.

22. VIRUM alterum, illo aliquanto juniorem, quo corporis habitu, & unde mortuum, & ubi, & quando ſecuerim, obiter dixi, cum de hæmorrhoidibus ipſius ſcriberem Epiſtola XXXII. (*x*); ut quid in ſumma urethra viderim, hic addere ſatis ſit. CARUNCULA Seminalis ad latera habuit ea de quibus loquimur, granula, a quorum aliquibus loci madore, ut opinor, diſſolutis non vicinia modo reliqua, ſed & ſeminalium ductuum oſcula flaveſcebant. Animadverti ſimul, hæc oſcula multo quam ſoleant, fuiſſe ampliora, figura autem

(*l*) Sect. cit. Obſ. 2. (*m*) Propoſiz. int. alla Carunc. c. 3. (*n*) c. 5. (*o*) n. 15. (*p*) n. 17. (*q*) Epiſt. 49. n. 18. (*r*) IV. Animad. 14. (*ſ*) Epiſt. 42. n. 37. in fine. (*t*) n. 11. (*u*) n. 6. (*x*) n. 10. in fine.

autem ellyptica. Unum vero ipſorum paulo quam alterum, majus erat.

23. Nunc quoniam de carunculæ ipſius vitiis ſermo fieri cœptus eſt, poſſem, niſi ſupra (*y*), aut alias (*z*) faciendi occaſionem jam habuiſſem, vitia alia his quæ modo dicta ſunt, contraria duorum quæ in ea ſunt, oſculorum proponere, videlicet ut alterum multo majori quam ſoleat, anguſtia viderim, alterum prorſus occluſum, imo ut neutrum, atque adeo ne majus quidem, ipſis interjectum, Sinus orificium ob deformatam a veteri lue carunculam, dignoſcere potuerim, ac demonſtrare. Habes igitur quas pollicitus initio ſum, quales eæ cunque fuerint, meas ab uno ad alterum urethræ extremum Obſervationes in iis qui gonorrhœa aut tunc laborarent, aut olim laboraſſent, aut etiam laboraſſe videri poſſent. (*)

24. Non me fugit, vel extra urethram, eique propiores glandulas, alias huic morbo ſedes in ſeminalibus Veſiculis, in Teſtibus, imo in Urinaria etiam Veſica, & Renibus fuiſſe aſſignatas. De quibus ſingulis cum pauca curſim attigero; his Litteris finem imponam.

25. De Seminalibus Veſiculis, præter Majorum, & in his Riolani, qui in Sepulchreto (*a*) laudatur, ſententiam, Obſervationes haberemus Littrii, ſi quod promiſerat (*b*) cum de Gonorrhœa ageret glandularum Cowperi, præſtitiſſet. Cæterum proclive eſt intelligere, a caruncula, & Proſtata glandula, cum ſeminis canales, per hanc traducti, & in illa hiantes, eroſi ſunt, facile morbum poſſe cum Veſiculis communicari. Cujus rei nobis tunc fortaſſe indicium extitit, cum in Juvene (*c*) annos nato viginti quinque, ſtrigoſas adeo atque exſuccas contra atque ætas illa fert, Veſiculas deprehendimus; eadem enim virulenta inflammatio quæ extremorum ſeminis ductuum alterum olim contraxerat, alterum obcæcaverat, in Veſiculas propagari potuit, eaſque vitiare. Noli tamen quotieſcunque alicui, longa & dira gonorrhœa laboranti, accidit, ut in venereis ſomniis effundat ſemen ſanguinolentum, fœtidum, & ſordibus, ac pure inquinatum, noli, inquam, propterea continuo credere, vitium ad Veſiculas jam perveniſſe; potuerint enim aliquando purulentæ, & fœtidæ ſordes, & cruoris aliquid a tranſeunte, ſano alioquin, ſemine abripi, atque averri ex ulceribus quæ urethram, & Proſtatam glandulam, & Seminalem carunculam occuparent. Ab his enim ultimis ipſis ulceribus non ſemper neceſſe eſt, vitium cum Veſiculis communicari; tametſi non difficile communicari poſſe, diximus.

26. Sed num pariter facilis eſt a Veſiculis in Teſtes morbi tranſitus? Ab illis in hos, cum vi adſtringentium remediorum exitus intercipitur, virulentam regurgitare materiam, eoque tumere ipſos, & ex parte ſedem eſſe gonorrhœæ, docuit Whartonus (*d*); hujus enim verba ſunt, quanquam id minus perſpicue in Sepulchreto (*e*) ſignificatur, quæ ferme deſcripſit, non modo ſecutus eſt Graafius (*f*) tunc etiam cum ad id confirmandum, gonorrhœam fœminarum *procul dubio*, ait, cum proſtatis careant, *a teſtibus provenire*. Hanc tamen confirmationem Graafius poſtea (*g*) abjecerit, neceſſe eſt, cum mulieres & proſtatas habere, & fluido in teſtibus ſemine deſtitui, tradidit. Quod ſi Whartono, aut Graafio tunc cum Whartonum ſequebatur, in mentem veniſſet Obſervationis Panaroli (*h*), qui in mortua poſt aſſiduam gonorrhœam, inventam ſcribit *vomicam in uno quoque teſte*; hinc etiam fortaſſe pro opinione iſta ſua argumentum duxiſſent; infirmum tamen; quando, non ut Bonetus iſti, haud accurate deſcriptæ, Obſervationi (*i*) titulum fecit, *Gonorrhœa muliebris a vomica in uno Teſte genita;* ſed longe alium præſcripſit Panarolus, *Vomica in teſtibus mulieris ex antiqua gonorrhœa*. Scilicet ut alias in partes, ſic in ovaria quoque traduci poteſt ex diuturnæ gonorrhœæ ſede venereum virus poſteaquam ſive per lymphæ ductus, ſive per vaſa ſanguifera abſorptum, ſanguinem infecit univerſum; neque enim magis quam alia complura quæ apud Vercellonum leguntur, placet illa quam excogitavit (*k*), via, a vagina per hypogaſtricas arterias ad ovaria; quaſi arteriæ e partibus juxta quas tranſeunt, aliquid acciperent in ulteriora importandum. Non eſt igitur ex Panaroli Obſervatione gonorrhœæ ſedes in muliebribus teſticulis ponenda. Num vero ſaltem in virilibus? Minus difficile aliquanto; ſi id tamen alia quam eorum tumoris obſervatione, quando adſtringentium vi ſuppreſſa eſt gonorrhœa, comprobetur. Minime enim neceſſe eſt, ut ſi materiæ cujuslibet repentinam, violentamque ſuppreſſionem tumor partis alicujus conſequatur, eo continuo decurramus, ut ex tumente nunc parte eam materiam antea profluxiſſe, aut in illam nunc regurgitaſſe, affirmemus. Poſſe tamen intempeſtiva adſtringentium vi auctam irritationem, aut inflammationem a ſuprema urethra, adjunctiſque Veſiculis per vaſa, ſemen Deferentia, ad teſticulos propagari: & poſſe quoque, idque facilius, & citius, eo uſque produci, ut inter ea vaſa, & Veſiculas viam ſeminis ferme intercipiat, a quo propterea retardato teſticuli diſtendantur: & poſſe denique materiam quæ per urethram excernebatur, ſanguinis alveum ſubire, & cum ſanguine in teſticulos inferri, non negamus. Sed modorum horum trium eſſe unum vides, nempe ſecundum, per quem tumere quidem teſtes, intelligas, neque tamen venereo contagio infici, & quod conſequitur, non fieri ſedem gonorrhœæ virulentæ.

27. Non paulo autem longior eſt via ab urethra ad renes, quam ad teſticulos: & malum tamen, ſi diutius perſtiterit, ab urethra ulterius ſerpere, & *veſicam, ureteras, & tandem ipſos etiam renes inficere*, Dodonæus (*l*) affirmat. Hujus enim verba eſſe, animadverti, quæ in prima Scholii particula ad Obſervationem IV. leges hujus Sepulchreti Sectionis XXXI. ab ipſo Dodonæo ſumptam; ſed neque ibi, neque titulo ad quem amandamur, *de Hypogaſtrii Doloribus*, id eſt Sectione XXIII. ubi ſub Obſervatione habetur VI. §. 4. ex toto deſcriptam, cum de urethra univerſa exulcerata, & ſanguine concreto plena neutrubi ulla mentio fiat. Verum ut ad renes uſque ſerpat malum, *diuturnitas*, ut vides, a Dodonæo requiritur: & gonorrhœa quæ Obſervatione illa proponitur, annos perſtiterat duodeviginti. Quo tamen modo, ubi veſica exulcerata eſt, vitium per urinam vel multo citius poſſit cum ureteribus, renibuſque communicari, alia a nobis Epiſtola (*m*) indicatum eſt: quo ex loco quædam poſſes tanquam *concauſas*, ſi opus eſſet, prudenter accipere, & ad hanc Dodonæi Obſervationem; ut tres noſtras non ita diſſimiles (*n*) omittamus; accommodare. Nam in gonorrhœa tam diuturna, tamque atroci, quæ dyſuria, & quæ interdum ſtranguria eſſe debuerit, ſatis apparet; veſica autem *plane rigida* (non *plane frigida*, ut ineptiſſimæ deſcripſerunt operæ in Sepulchreto) *nec extendi*, *nec contrahi poterat*. Sed & ſalva veſica, a gravibus, & repetitis gonorrhœis renes poſſe vitiari, vel ex ea evidenter elucet Valſalvæ hiſtoria, quam inter initia ejuſdem Epiſtolæ (*o*) propoſuimus, non ſerpente igitur ex urethra malo, ſed vias ſanguinis ſubeunte, per eaſque ad renes traducto. Cæterum utcunque ſe res habeat; non propterea veſicam, ureteres, renes gonorrhœæ ſedem eſſe, putabimus, tum quia nihil ſeminis, aut humoris ad ſemen attinentis ex iis profluit partibus, tum etiam quia ex iis diſtillans ichor nequit, niſi forte veſicæ ſphincter ſit læſus, aliquando ferme ſine lotio guttatim in urethram venire, & mentiri gonorrhœam. Sed manum de tabula. Vale.

(*y*) n. 7. (*z*) Epiſt. 40. n. 20. (*) Vid. etiam Epiſt. 60. n. 12. (*a*) Sect. hac in Schol. ad Obſ. 4.
(*b*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1711. (*c*) ſupra, n. 7. (*d*) Adenogr. c. 31. (*e*) Sect. hac Schol. 2. ad Obſ. 5.
(*f*) Ibid. Scholio ultimo ad Obſ. 1. (*g*) De Mulier. Organ. Generat. c. 6. in fine. (*h*) Pentec. 1. Obſ. 14.
(*i*) 6. in Sect. hac. (*k*) De Pudend. Morb. c. 3. §. 3. (*l*) Medic. Obſervat. c. 41. (*m*) 42. n. 2[illegible]
(*n*) ſupra, n. 15. & Epiſt. IV. n. 19. & XLII. n. 40. (*o*) n. 2.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XLV.

Agitur de Uteri tum deſcenſu, tum, ut mulieres ajunt, aſcenſu.

QUod ſcripſit Hippocrates (*a*), *Uteri quocunque e ſede naturali moti fuerint, morbos afferunt, ſive foras proceſſerint, ſive intro ceſſerint*, hujus erit Epiſtolæ argumentum, quæ duabus proximis Sepulchreti Sectionibus reſpondebit, XXXII. *de Uteri Procidentia, Deſcenſu, & cæt.* & XXXIII. *de Hyſtericis Affectibus, Suffocatione, & cæt.* Viſum eſt enim unis Litteris bina hæc morborum genera comprehendere, ne æquo breviores alioquin forent, quando nec Valſalva diſſectiones huc attinentes reliquit, & nos perpaucas habemus, quas tu, quales eæ cunque ſint, animo, ut ſoles, libenti accipe.

2. Primum igitur, quod ad uteri prolapſum, deſcenſumve attinet, præclare noſti, Fernelio (*b*) tunc uteri deſcenſum eſſe, cum deorſum quidem, ſed necdum extrorſum ſe demiſit, prolapſum vero cum ſe invertens præcipitat foras, quod ex vehementiore ſolum pariendi conatu accidat, niſi quod interdum ex imprudentis quoque obſtetricis, ſecundas violenter detrahentis temeritate. Rem plane abſolviſſet, ſi prolapſus alterum genus non omiſiſſet, tum videlicet cum ſe non invertens, ſed intra inverſam vaginam concluſus uterus extrorſum prolabitur. Nam in deſcenſu quoque vagina tantum ſe invertat, quantum uterus deſcendit, neceſſe eſt. Hæc autem ſe invertit ob eaſdem ſive externas, ſive internas, ob quas uterus deſcendit, cauſas, vincula ſcilicet utriuſque ſimul aut diſtrahentes, aut laxantes. Quas inter cauſas quomodo ipſe quoque uterus, ipſaque vagina recenſeri poſſit, infra (*c*) oſtendemus. Præter hos veros uteri ſive deſcenſus, ſive prolapſus, vaginæ etiam prolapſus eſt, non levior modo, ſed nonnunquam tantus, atque ejuſmodi, ut quem ſecundo loco memoravimus, uteri prolapſum mentiri poſſit, qualem deſcriptum, pictumque videris ab Jo. Guilielmo Widmanno (*d*) qui a ſola factum intima vaginæ tunica invenit.

3. Hæc morbi genera omnia apud vetuſtos quoque Medicos agnoſcimus commemorata, imo apud vetuſtiſſimum omnium Magiſtrum Hippocratem, ſi prolapſum illum excipias in quo uterus ſe ſe invertit. Quem tamen a Celſo (*e*) indicatum eſſe, IV. in ipſum Epiſtola ſatis videor oſtendiſſe. In Hippocraticis autem libris non modo vaginæ prolapſum, *uterorum* nomine *foras prodeuntium* (*f*) memorari, curatio ipſa monſtrat, ſed & verum uteri ipſius deſcenſum, & ſecundum prolapſus genus verba illa, *Si vero propinquiſſimi fuerint uteri* (*g*), & *Si penitus ex pudendo exciderint uteri; dependent velut ſcrotum* (*h*): *Si vero extra pudendum os uterorum exciderit & cæt.* (*i*) Hæc fere omnia cum a poſteris ad patrum uſque noſtrorum memoriam ſine ulla dubitatione jure meritoque ſervata eſſent; imo plures, alii aliis temporibus, propendentem uterum exſtirpatum eſſe, ſalva muliere, neque id rariſſime, nimia plerumque, ut verum fateamur, credulitate non dubitaſſent, ne de illis quidquam dicamus qui eo uſque proceſſerant, ut ab iis poſtea mulieribus liberos nihilominus, ſi Superis placet, procreatos eſſe, contenderent; extiterunt denique, ut ex Sepulchreto ipſo præclare noveris, in Re Anatomica, & Chirurgica exercitati Viri, qui ut recte ſe nimiæ aliorum credulitati objecerunt, ita non recte in contrarium adeo cucurrerunt, ut non modo concedenda quædam, verum inſuper ſana illa de uteri prolapſu antiquiſſima dogmata ipſa quoque pernegarent, &, quod magis mirum eſt, aliquot celebres utriuſque illius Facultatis & Medicinæ Magiſtros aſſeclas ſuos facerent, & aſtipulatores.

4. Nam uterum quidem, ſuperſtite muliere, nonnunquam *extraordinario & rariore caſu* exciſum eſſe, cur non potius cum Georgio Wolffg. Wedelio (*k*) dicamus, quam nunquam cum Jo. Guilielmo Pauli (*l*), docte alioquin hac de re diſſerente? Nimis enim durum videtur de tot qui illud ab ſe factum, conſpectumve ſcripſerunt, omnes deceptos pronunciare. Certe autem ſi edita tunc fuiſſet, aut ad ejus manus perveniſſet Slevogtii Obſervatio (*m*), hanc ſaltem non ſecus ac Abr. Vaterus (*n*), agnoviſſet omni deceptione carentem. Magnum enim corpus e mulieris naturali exſectum, cum excreſcentiam eſſe, putaret Slevogtius, & a ſordibus purgaret; præter opinionem deprehendit, thecæ inſtar craſſæ uterum cum tubarum reliquiis continere ſecundum naturam ſe habentem: quæ Jenenſes Profeſſores, & Medici plerique alii, & Studioſi centum conſpexere: mulier autem illa feliciter eſt reſtituta. Quod ſi me interpelles, quærendo, cur neque hanc, neque aliam aliquam aut magna ex ſectis non modicis uteri vaſis hæmorrhagia continuo ſuſtulerit, aut paulo poſt grave vulnus, quod propendente ſimul cum utero veſica, huic quoque neceſſario infligendum eſſe, animadvertit Ruyſchius (*o*); ad primum fortaſſe dicam, diſtractis diu, eoque contractis vaſis, & corruptione inſuper ſenſim, ut in emortuis ſphacelo carnibus, adjuvante, non multum ſanguinis debuiſſe profundi; ad alterum autem, vel inverſam ſuperiore dumtaxat parte fuiſſe vaginam, vel non exteriore quacum veſica conjungitur, ſed intima ſolum tunica inverſam, ut veſicam trahere ſecum non debuerit. Quæ ſi fieri potuiſſe, non probas; neque enim mihi undique placent; meliora ipſe per te quæres: videndum eſt enim, ne Slevogtio, & ſiquis præterea alius eſt Vir Spectatus qui ſe diligenter aut in exciſo corpore, aut in cadavere examinaſſe rem teſtetur, nullam tribuere fidem videamur. Quod examen ut facile, & bene poterat, vellem inſtituiſſet Molinettus, qui (*p*) ſe *tutiſſimam ſemper eſſe expertum*, & *adhibuiſſe pluries*, dicit, uteri amputandi rationem, *in vetulis præſertim*: in quibus inverſio uteri, de qua hæc ait, quanto rarior eſt, tanto poſt amputationem examinanda erat diligentius, ne forte aliquid erroris ſubeſſet, cujus ſuſpicionem perpetua illa curationis felicitas videtur augere. Eſt etiam multo recentior altera inverſi uteri, feliciterque exſecti Obſervatio, in qua examen omiſſum nolles poſt exſectionem, cum ante hanc caſus iſte ſimilis fuiſſe dicatur caſui, ex Wepfero in Ephemerides relato Inclytæ Nat. Cur. Academiæ Dec. 2. A. 5. Obſ. 50. ubi tamen non modo non invenias uterum inverſum, ſed excreſcentiam quam Wepferus ipſe ad vaginam potius quam ad uterum attinere potuiſſe, indicaverat (*q*), imo ex iis quæ intra biennium poſtea eidem mulieri acciderant, attinuiſſe, confirmaverat (*r*). Nec vero inverſi dumtaxat uteri, ſed & extrorſum cum vagina prolapſi in vivis, mortuiſque diligens eſt requirenda examinatio, præſertim poſtquam ex laudata (*ſ*) Widmanni Obſervatione conſtat, ſolius inverſæ vaginæ prolapſum ita imponere interdum poſſe, quaſi intra ipſam uterus ſimul prolapſus eſſet. Nam ſi Ruyſchii Figuras (*t*), ſecundum hunc caſum exprimentes, cum Widmanni Figura conferas quæ primum repræſentat; nihil invenies diſcriminis; ut alia omittam; in eo quod præcipui ſigni loco ad alterum ab alte-

(*a*) De loc. in hom. n. 59. (*b*) Pathol. l. 6. c. 16. (*c*) n. 12. (*d*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 98.
(*e*) De Medic. in Præfat. (*f*) De Exſect. fœt. n. 4. (*g*) De Morb. Muliebr. l. 2. n. 37. (*h*) Ibid. n. 38.
(*i*) Ib. n. 39. (*k*) Diſſert. de Procid. Uteri c. 4. (*l*) Progr. addit. Diſſ. Schacheri de Placentæ Morbis.
(*m*) Vid. in calce Obſ. von Sanden de Prolapſu Uteri. (*n*) Diſſert. de Sarcom. e pudendo muliebr. & cæt. theſ. 7.
(*o*) Theſ. Anat. 8. n. 102. (*p*) Diſſert. Anat. Path. l. 6. c. 12. (*q*) in Schol. ad n. 4. (*r*) Dec. ead. 2. A. 7. Obſ. 54.
(*ſ*) ſupra, n. 2. (*t*) Obſ. Anat. Chir. Fig. 2. 8. 11.

altero internoſcendum habebatur. Scilicet internum uteri oſculum in media infima prolapſi corporis parte, ut in Iconibus eſt Ruyſchii, ſic in ea Widmanni a te cerni, credas, cum tamen a ſola vagina effectum fuiſſe, diſſectio oſtenderit, qua vaginæ interior tunica, craſſior facta, ipſa quidem prolapſa, uterus autem in ſua naturali ſede inventus eſt. Qua ratione igitur, inquis, in viva fœmina rem hanc internoſcemus, magni utique momenti ubi de amputatione oporteat deliberare? Idem quod tu, quæſivit Abr. Vaterus (*u*). Sed nihil conſtituit: imo obvium quoddam ſignum inutile eſſe poſſe, indicavit, fretus eadem Widmanni diſſectione. Mihi vero ex re quadam alia quam ante ſectionem animadvertens Widmannus, dubitare cœpit, num id quod videbatur uterus, revera eſſet, mihi, inquam, cogitatio orta eſt ex ea ipſa re ſignum petendi, ut cognoſcamus, uterus ſit, an non ſit. Nimirum per oſculum quod uteri eſſe, incertum ſit, ſpecillum oblongum immittenti ſi idem quod illi accidat, ut ſine obſtaculo adigere poſſit multo ultra naturalem caveæ uteri longitudinem, nec tamen propendens corpus hanc ſuperet, neque interiori jam ſit putrefactione alte exeſum; indicium, opinor, habebitur, ut in re ambigua, & perdifficili, non contemnendum, illud oſculum, non ad uterum, ſed ad vaginam dumtaxat pertinere: contra vero, ſi contra. In mortuis autem ſi rem ſæpius cultro examinaſſent qui uterum nunquam deſcendere, aut prolabi, contenderunt; non omnes aliorum Obſervationes ad vaginæ unius prolapſus, aut ad ejus, & oſculi uterini excreſcentias referri oportere, cenſuiſſent; quaſi vero præter ea quæ ipſi viderunt, aliud videre potuiſſet nemo.

5. Facile quidem, ultroque ipſis damus, eos qui uterum abſcidiſſe ſe, ſcribunt, fere omnes illiuſmodi aut excreſcentiis, aut vaginæ prolapſibus fuiſſe deceptos, quod, velint, nolint, illi quoque fateantur, neceſſe eſt, qui poſt exciſionem, mulieres filios peperiſſe, tradiderunt; niſi forte res longe rariſſimas duas in unam eandemque mulierem cecidiſſe, contenderent, ut exciſo utero fuiſſet ſuperſtes, & duplicem a primordiis uterum habuiſſet. Sed ut dicere ingreſſus eram, num ex eo quod in excreſcentiis, vaginæve prolapſibus pro utero accipiendis tot Chirurgi decepti ſunt, num, inquam, illud conſequitur, deceptos pariter eſſe omnes qui uteri deſcenſum, prolapſumve ſe vidiſſe, ſcripſerunt? Quod vero non conſequi, cum ratio ipſa, tum evidentiſſime oſtendunt Obſervationes quam plures ad aliquot addendæ quæ in Sepulchreto producuntur. Illas, vel me tacente, indicabit Slevogtius (*x*), & copioſior in iis colligendis quæ ad hanc Sepulchreti XXXII. Sectionem attineant, Sandenius (*y*): in cujus Sectionis Additamentis mirum in primis eſt, eas Obſervationes deeſſe, quæ ex Ruyſchiana Centuria excerpi eo tempore potuiſſent, non ſecus ac quæ ex pervulgato Bohnii libro mox a nobis commemorabitur. Ad has adjicies quæ tunc non extabant, partim ſupra indicatas, partim infra indicandas, prætereaque alias ſive deſcenſus uteri, ſive prolapſus, ad quas pertinent Vateri (*z*) una, Cl. Phil. Adolphi Boehmeri (*a*) altera, ambæ, ut cæteræ, per diſſectionem evidentiſſime comprobatæ.

6. Cæterum etſi Medicis quidem, & Chirurgis, ut in illa Epiſtola (*b*) in Celſum dixi, *aſpectus inverſi uteri nimis eſt rarus*, idque *rariſſime evenire*, Graafius (*c*) ſcripſerat; Obſtetricibus tamen, imperitis præſertim, & in puerperis certarum regionum haud rariſſimum eſſe, ex libris intelligo, in primiſque ex II. *Adverſariorum* Ruyſchii Decade (*c*). Inde etiam patet, non ſemper aut ex illarum imperitia, aut ex harum vehementiore pariendi conatu inverſum uterum extrudi, ſed a conatibus quoque *exonerandi uteri poſt partum*. Eſt præterea cauſa alia, ſed quod ad effectum hunc attinet, longe rariſſima; nimirum cum ampla excreſcentia, fundo uteri intus innata, ſuo pondere invertit uterum, deorſumque trahit, quemadmodum Sandenius quidem propoſuit (*e*). Certe autem eum uterum fuiſſe inverſum, anatome oſtendit; nam intra ejus cavum, illa facie comprehenſum quæ exterior antea fuerat, uteri vincula, & Falloppii tubæ, & ovaria concluſa deprehenderunt. Qua ratione facilius intelliges, quomodo in Henrici ab Heer relata in Sepulchretum (*f*) Obſervatione in uterum, ab agyrta exſectum, prolabi potuiſſet pars non modica inteſtini Coli, & ſimul cum illo, ut quæ intra ipſum inverſum contineretur, amputari. Colliges etiam ex Sandenii Obſervatione (*g*), poſſe nonnunquam mulierem inverſo, nec repoſito, utero, hebdomadas plures vivere, imo ex Genſelii Curatione (*h*) poſt plures dies in ſuam denique ſedem reſtituto, ſervari. Verum hæc rara ſunt, ſi cum tot aliis cito funeſtis caſibus conferas, ad quos addenda eſt producta a Bohnio (*i*) primiparæ mors intra *horulam* conſecuta violentam uteri e ſua ſede, vacua inventa, detractionem, & vel citior, ſi recte intelligo, in fœmina alia de qua ex Champan refert laudatus Boehmerus (*k*). Alter quoque uteri, id eſt ſine inverſione, prolapſus neque adeo creber eſt, ut *integrum* ejus Obſervatorum *catalogum retulerit Blaſius in commentariis ad Veſlingium*, quemadmodum hallucinatus ſcripſit Graafius (*l*), nec rurſus adeo rarus eſt, ut *præter Ruyſchium* viderit *nemo*, quod Widmanno (*m*) haud excidiſſet, niſi oblito, ut fit, Obſervationum Plateri (*n*), & Peyeri (*o*). Deſcenſus potius uteri, & prolapſus vaginæ potiſſimum, haud raro occurrit. Itaque inverſi uteri prolapſum non niſi ſemel, non inverſi nunquam mihi accidit, ut hic audirem. Deſcenſum autem uteri, & vaginæ prolapſum tum in viventibus interdum vidi, tum in mortuis animadverti.

7. Rogatus, ut honeſtæ fœminæ annos natæ viginti quinque, naturalia inſpicerem, ut quidnam eſſet corpus teres, penis ſimile, intra vaginam propendens, dignoſcerem, continuo eſſe uteri cervicem vidi, quæ infra medium vaginæ deſcenderat. Uteri oſculum, quippe in nupta quidem, ſed quæ nunquam peperiſſet, anguſtum erat, & circuli propemodum forma: ex eoque pauxillum ſanguinis exire conſpexi; nuperrime enim in menſtruis mulier fuerat; ut ſi quis forte dubitaret, an hæc ex utero prodeant, poſſet illa inſpectione convinci. Sed jam quæ in mortuis animadverterimus, beſtiis primum, deinde & mulieribus, proponamus; ſic enim non a ſolo pondere, ſed a cauſis etiam aliis quæ in corporibus agant ſecundum finitorem poſitis, hæc mala fieri, perſpicuum erit. A Valſalva autem quod primum ſcribam, olim accepi.

8. CATELLAM prægnantem cum diſſecaret, inverſam offendit vaginam, conjunctumque uterum non paulo quam ſoleat, vaginæ orificio propiorem. Quam ſedis uteri mutationem hujus quoque cornua, & præſertim dexterum, in quo tres erant catuli, confirmabant. Secuta enim erant uterum, neque modico ſpatio, vaginam verſus.

9. VACCAM, quæ vaginæ prolapſui obnoxia fuerat, ob hanc ipſam cauſam dominus mactari voluit, cum gravida eſſet menſes jam circiter ſeptem, veritus, ne in partu moreretur, ſicque ejus viſcerum, & carnium pretium vilius fieret. VAGINAM cum utero nactus, illam inverſam ad tractum aliquem inveni qua cum extrema uteri cervice connexa eſt. Ibi vero vagina exulceratione non carebat. In utero, & fœtu, quoniam ſecundum naturam ſe habebant, quæ adnotavi, huc minime attinent.

10. Sed ſicuti in his brutis non poterat morbus ponderi imputari deorſum urgenti, aut trahenti;

(*u*) Diſſert. de Polypo ex utero egreſſo theſ. 10. (*x*) Diſſert. de Muliere gravida lapſu vag. uteri & cæt. §. 12.
(*y*) Obſ. ſupra ad n. 4. cit. (*z*) Diſſert. de Polypo & cæt. ibid. cit. theſ. 8. in fine.
(*a*) Diſſert. de Prolapſ. & Inverſ. Uteri, in Præfat. (*b*) IV. (*c*) De Mulier. Org. c. 10. (*d*) c. 10.
(*e*) Obſ. ſupra ad n. 4. cit. (*f*) Sect. hac Obſ. 6. (*g*) §. 27. (*h*) Act. Erud. Lipſ. A. 1716. M. Maj.
(*i*) De Renunc. Vulner. Sect. 2. c. 4. verſ. finem. (*k*) Diſſert. ſupra ad n. 5. cit. §. 13. (*l*) c. 10. cit.
(*m*) Obſ. ſupra ad n. 2. cit. (*n*) l. 3. (*o*) in Additam. ad hanc Sepulchr. Sect. Obſ. 5.

ita in mulieribus ſæpenumero poſſe, reor, velut in hac de qua protinus ſcribam.

11. ANUS Bononienſis hemiplectica plures jam annos hactenus fuerat, ut totum alterum corporis latus movere non poſſet, cum denique in altero quoque movendi facultatem amiſit. Eidem ex naturalibus teres quoddam corpus exſtare dicebatur. Noviſſime thoracis morbo confectam in Noſocomio diſſecuimus circa A. 1704. THORACEM, aliis occupati diſſectionibus, non attigimus. Caput vero, ab Amicis apertum, nihil adnotatione dignum habuit, præter ſerum Craſſam inter meningem, & Tenuem. Ipſe Thyroidæam glandulam, quippe tumentem, & præduram, & Ventrem, quod ad uterum, & reliqua genitalia attinebat, diligenter inſpexi. In illa glandula quid deprehenderim, ſatis eſt alibi (*p*) oſtenſum. In Ventre autem ſummum uteri fundum aliquanto inferiorem quam par eſſet, obtinere ſedem, animadverti, nec tamen tanto, ut poſſe ejus oſculum illuc quo dicam, pervenire, ſuſpicarer. Extra naturalis multum dilatati labia corpus tres quatuorve tranſverſos digitos longum prominebat cylindri forma, valde craſſum, factum ex ſubſtantia, ligamenti ſimili, & lævigata, niſi qua ad imum exulcerabatur. Eſſe vaginam inverſam, facile agnovi. Itaque ad ſummam anteriorem ejus corporis partem urethræ erat oſculum, & ſub hoc ſingula ab ſingulis lateribus ſatis patentia lacunarum foramina. In medio autem partis infimæ orificium erat, mox abiens in uteri oſculum, per quod ſpecillum ad ſummos uſque caveæ uteri parietes nullo negotio trajiciebam. Miratus inſolitam longitudinem, vaginam incidi, atque intra ipſam, concluſam reperi uteri cervicem, permulto quam ſoleat, longiorem factam; nec mirum, cum cervicis ipſius, fundique uterini parietes non firmi, ut ſecundum naturam conſueverunt, ſed laxi valde eſſent, ac flaccidi, ut cætera quoque erant omnia, quæ in pelvi ad uterum attinebant.

12. Evidens eſt, vaginæ adeo craſſæ pondere deorſum tractum fuiſſe uterum, cujus fundus aliquanto inferior fuiſſet, niſi cervix jam inde ab initio, ut puto, ea eſſet laxitate, ut ſe præ cæteris diſtrahi, diſtendique in raram iſtam longitudinem ſineret; neque enim cum hac erat, opinor, illa ejus longitudo comparanda, quam Vaterus (*q*) ab ſe viſam indicat, cum uterum hinc prolapſa vagina deorſum traheret, inde vero enormis ovarii amplitudo ulterius deſcendere prohiberet. In fœmina autem altera quam tibi Epiſtola deſcripſi XXXIV. (*r*) aucta craſſitudo, & quod conſequitur, pondus glandoſi urethræ corporis, uterum quidem aliquanto deorſum traxerat; ſed quia cervix non iſta erat laxitate, oſculum non adeo deſcenderat, itaque glandoſum ipſum corpus, in medio ſuæ partis imæ pertuſum urethræ orificio, propendebat, uterique oſculum mentiebatur. Nec ſane ibi accuſari poterat uteri pondus, quippe ea parvitate, & partium tenuitate. Quod cum dicimus, non ideo inficiamur, prægravem a pondere quod præter naturam ſit, uterum in aliis vaginam invertere, ſecumque deorſum rapere, cujus rei præclarum habes exemplum in Hartmanni Obſervatione quæ inter Additamenta ad Sepulchreti XXI. Sectionem (*ſ*) relata eſt. Vides igitur, tum vaginæ pondus, diſtractis uteri ligamentis, hunc aliquando ſecum ducere ad inferiora, tum uteri pondus alias, nexibus vaginæ diſtractis, hanc invertere, ſecumque deorſum protrahere. Neque enim ea ligamenta, aut hi nexus ſe ſe diſtrahi non patiuntur, cum membranea ſint, & ab internis ſæpe cauſis laxiora, diſtractio autem, qua de loquimur, ſæpius longo tempore paulatim fiat. Magnus certe erat ille uteri prolapſus quem Peyerus (*t*) deſcripſit, cum uterus extra naturale provolutus, intra vaginam inverſam penderet. *Nec tamen*, egregius inquit Anatomicus, *rupta fuerant uteri, & veſicæ vincula, ſed tantum laxata*. Dixit autem *& veſicæ vincula, quia cum utero veſicam urinariam ſimiliter mutata ſede procubuiſſe*, per diſſectionem deprehendit: quod *mirum* tunc ipſi viſum, *& plane novum*, neceſſario accidere in ejuſmodi prolapſuum genere, admonuit poſtea Ruyſchius (*u*).

13. Quod ſi mira hæc videntur quæ tamen paulatim fieri ſolent, ut diximus, & longo tempore; illud non caret admiratione, quod, tametſi multo minus ſit, fit citiſſime, brevique tempore ab ipſa natura. In partu enim; ut verbis Slevogtii (*x*) rem eloquar; *oſculum* uteri *ad orificium vaginæ propius accedit, hancque ex longo plicatili canali in amplum circulum diſtendit, tranſituro embryoni reſpondentem*. Quin etiam ubi propter fœtus craſſitudinem, viarumque anguſtias tardius, ægriuſque fit partus, *tunc ſæpenumero per continuatos niſus parientis, oſtium matricis a capite infantis plane, & ad pollicem unum vel duos latos, extra vulvam propellitur*; hoc enim, quod Munnickius rarius crediderat, *ſatis frequenter ſibi occurriſſe, nec aliquid portendiſſe mali*, teſtatur Slevogtius. Illud mirabilius, quod utero gravido extra naturalis oras intra vaginam inverſam propendente; fœtus nihilominus editus ſit. Cujus rei primam, quod ſciam, Obſervationem, quæ ipſius Harveii (*y*) eſt, ad alias addes quæ a Cl. Sandenio collectæ ſunt: ad quas ea quoque ſpectat, quam poſtea propoſuit Præcl. Helmſtadienſis Profeſſor Fabricius (*z*). Quæ omnes etſi inſervire poſſunt ad eos convincendos a quibus uteri prolapſus intra inverſam vaginam negabatur, non ſecus ac illa Obſervatio quam cum Widmanno (*b*) communicavit Cl. Friedius; hic tamen ex iis illas dumtaxat velim attendas quæ uterum exhibent in ipſo partu ſic prolapſum. Minus enim dein miraberis, vinculorum de quibus dicebamus (*c*), illas diſtractiones poſſe fieri quæ ſenſim, longoque temporis ſpatio fiunt, præſertim cum fœminæ ſic affectæ moleſto ſenſu non careant, illis diſtractionibus reſpondente, neque priſtina facilitate aut Rectum inteſtinum, aut veſicam, aut utrumque exonerent: quam difficultatem in quadam cui vagina extrorſum propendebat, hanc ſublevando emendatam, non tam a compreſſione eorum meatuum, quam ab ipſorum diſtorſione propter alligatas propendentis vaginæ fibras in obliquum trahentes, & ſic eorum cavum arctantes, repetebat Slevogtius (*d*). Cæterum is nexum vaginæ multo quam ſit, ampliorem faciebat, cum *ſecundum totam ſuam longitudinem ſubjacenti inteſtino accuratiſſime adnaſci*, exiſtimabat (*e*).

14. Haud equidem diſſimulo, quæ alias (*f*) ſunt a me dubitationes propoſitæ, non penitus mihi poſſe eximi, niſi prævio examine accuratiore cadaverum his morbis laborantium, cujus inſtituendi facultas mihi a longo jam tempore non eſt data. Inter eos certe frequentiſſimum eſſe fateor vaginæ prolapſum, & hunc multis pro uteri prolapſu impoſuiſſe. Verum interiorne tantum vaginæ membrana, humorum affluxu laxata, & extenſa, procidit? an utraque? Illud non modo plures, in quibus Wedelius (*g*), *frequentius fieri*, docent; ſed & *omnes*, quod Widmannus (*h*) ait, *conſentiunt*. Et ſane ubi rem ſic ponas; quædam ex difficilibus facilia intellectu facis, quorum aliquod ſupra (*i*) attigimus, aliud Wedelius (*k*) indicavit. Sed interea, præſertim ſi prolapſus magna ſit longitudine, multoque magis ſi ut Widmannus (*l*) proponit membrana interior ab ſummo ad imum penitus avulſa, deorſumque reflexa propendeat; in illas alias quas alibi indicaſſe me, dixi, dubitationes incidas, neceſſe eſt. Nec tamen omnium ſimul parietum vaginæ inverſio facillimos habet explicatus. Præterea, utrumlibet ponas; haud ita perſpicuum eſt, poſt vinculorum, & nexuum diſtractiones, quomodo interdum ſaltem, arte opitulante,

(*p*) Epiſt. Anat. 9. n. 39. (*q*) Diſſ. de Sarcom. & cæt. ſupra ad n. 4. cit. theſ. 3. (*r*) n. 11. (*ſ*) l. 3. Obſ. 54.
(*t*) Sect. hac 32 Sepulchr. Obſ. 5. (*u*) loco ſupra indicat. ad n. 4. (*x*) Differt. ſupra ad n. 4. cit. §. 4. & 5.
(*y*) in Addit. ad Exercit. de Generat. ubi de Partu. (*z*) Obſ. ſupra ad n. 4. cit. §. 6. & ſeq.
(*a*) Program. quo facil. extract. fœt. in procid. uter. (*b*) Obſ. ſupra ad n. 2. cit. (*c*) n. 12.
(*d*) Differt. modo indicat. §. 16. (*e*) Ibid. §. 11. (*f*) Epiſt. 33. n. 15. (*g*) Differt. ſupra ad n. 4. cit. c. 1. & 2.
(*h*) Obſ. ſupra ad n. 2. cit. (*i*) n. 4. (*k*) Diſſ. modo indicata c. 4. (*l*) Obſ. indicata.

lante, recuperare hæ partes queant priſtinam ſedem, in eaque permanere.

15. Ars autem præter alia, interius, exteriuſve adhibita, remedia, peſſis utitur ſive iu annuli, ſive in aliam formam quæ foramen habeat, conſtructis. Neque enim, ut ſæpius in Recti inteſtini prolapſu, ita hic quoque licet prætermittere id auxilii genus. Hic enim duo ſunt quæ curationem reddant difficiliorem, uteri pondus, cum antea procidit, inevitabile, repoſitam vaginam rurſus invertens, & ſphincter muſculus neque tam valide, neque tam arcte vaginæ orificium concluſum ſervans, quam anum ſuus. Itaque ergo vagina iterum extrorſum provolvitur, referens aut inteſtinum, aut aliud, ut puta, quemadmodum apud Hippocratem vidimus (*m*), *ſcrotum*, quod & apud Harveium (*n*) referebat. Ut malum indecens, & perincommodum aut tollatur, aut certe occulatur, illi excogitati ſunt peſſi. Quorum ſi omnes cujuſcunque adhuc cognitæ formæ, & ſtructuræ, uteri prolapſum *non modo non curarent, ſed plerumque pejorem redderent*, ut apud Virum Doctum legebam nuper; jam diu a Medicis, & Chirurgis, ipſiſque mulieribus abjecti eſſent. Ego vero, ut alias (*o*) ad te ſcripſi, proficuum potius eorum uſum, cum fœminam diſſecarem, his obnoxiam morbis, animadverti. Neque tamen inficior, ubi aut violentius intruſi, aut inepte, ac perperam conſtructi ſint, aut mortem, ut Benevolus (*p*) vidit, aut detrimentum afferre poſſe, præſertim ſi in eorum uſu nihilominus fœminæ diutiſſime perſeverent, & ne abſtergendi quidem, & purgandi gratia unquam extrahant. Videſis in Commercio Litterario (*q*) quid duabus ob ejuſmodi cauſas acciderit. Invenies, alteri circa glomum, quem intruſerat, contortorum filorum tartaream quandam materiam concreviſſe ea altitudine, ut undique tres digiti partes quartas æquaret, ea autem duritie, ut ſcalpro opus fuerit ad deſquamandam; ea denique moleſtia, ut jam acerbiſſimam ſtranguriam induxiſſet: alteri autem a ferreo peſſo, quamvis cera, ut ille etiam glomus, obductos, vaginæ, & proximi inteſtini ulcus ortum. Huc meam addam Obſervationem, quam tametſi libentius inter alios ad quos magis attinet, morbos retuliſſem, ſi cum de iis ſcriberem, habuiſſem; attamen haud omittendam hoc loco cenſui, quippe huc extrema ſaltem parte ſpectantem.

16. MULIER conſiſtente ætate, mediocri habitu, & ſtatura, nullo alio incommodo quam catarrho a frigidi aeris injuria, laborabat, cum ad hunc acceſſit febris ob quam continuo in Noſocomium illata eſt. Acuta enim erat, & cum magna ſpirandi difficultate, genarum rubore, permoleſto in thorace ponderis ſenſu, duriuſculis pulſibus conjuncta. Incaſſum quæ oportebat, facta ſunt omnia. Expectorare, id quod unice optabat, nihil poterat. Humiles, & intermittentes pulſus ſunt facti, reſpiratio autem difficilis adeo, ut noviſſime jacere non poſſet. Igitur quincto ex quo febricitare cœperat, die e vita ceſſit circa medium Martium A. 1748. CADAVER ibi, Studioſorum Juvenum gratia, diligenter, & ordine perſectum eſt. Sed hic tibi quæ in Thorace, & Capite præter naturam invenerim, primum exponam.

Etſi pulmones turgidi, ad pleuram coſtas ſuccingentem fere ubique, præſertim autem a ſiniſtris, arcte adhærebant; e ſiniſtro tamen thoracis cavo ſerum, quod a pure admiſto albicare libentius dixiſſes, ſi ulla puris hic fuiſſent indicia, ea copia profluxit, quam ſepti tranſverſi pars ſiniſtra, non fornicata, ſed potius depreſſa, cum a ventris cavea inſpiceremus, antea ſignificaverat. Ejuſmodi pars ſeri peculiariter inter pulmonem ſiniſtrum, & pleuram qua prope vertebras fere medias thoracis, coſtas veſtiebat, ad non parvum tractum concludebatur, quo tractu albas concretiones, membranarum inſtar craſſiſſimarum, tum pulmo, tum pleura adhærentes habebant, eaque dumtaxat parte pulmo durior, denſuſque factus, inventus eſt. Neque tamen ægra de peculiari ad dorſum moleſtia querebatur, ut neque de pungente dolore, cum pleura utroque in latere roſeo rubore ad non parva ſpatia ruberet, neque demum; nam hæc omnia diligenter quæſivi, de cordis tremore, aut de animi defectionibus aut in Noſocomio, aut domi unquam conqueſta fuerat, etſi in pericardio ea deprehendi quæ continuo deſcribam. Pericardium erat amplum, & ſero ejuſmodi plenum, quale in thoracis ſiniſtra cavea fuiſſe, dixi; ut a primo non pericardium, ſed apertum magnum quendam abſceſſum videre crederes. Eo ſero exhauſto, ſuperficies omnis pericardii interior, exterior autem cordis, & auricularum, & Magnorum vaſorum lurida apparuit, obducente omnia materia quadam ex albo cinerea, nihil magis quam calcem, parieti modo inductam, referente, ut continuo in mentem venerit Guarinonii, qui, ſicuti alias (*r*) ad te ſcripſi, in hujuſmodi inflammatoriis pulmonum, & pleuræ morbis cor *quaſi calce coopertum* offendit, id eſt polypoſis, ut ibi explicavi, & hic rurſus vidi, concretionibus, membranam craſſam ſed laxam, mentientibus, nullo negotio ut detrahendam, ſic quoque diſcerpendam. Qua detracta, omnia quæ operuerat, naturali colore, & conſtitutione in conſpectum venere, niſi quod pericardium craſſius factum erat, & ſubrubrum, id eſt non inflammatione quidem, ſed phlogoſi tamen affectum. Cor, æquo majus viſum, nigrum, qualis paſſim in hoc cadavere occurrebat, ſanguinem utrobique habuit, in dextero autem ventriculo, annexaque auricula etiam teretes polypoſas concretiones. Cerebri medullaris ſubſtantia, quacunque incideres, ut & Lateralium ventriculorum ſuperficies, vaſcula ſanguine turgidula oſtendebant: in iiſdem autem ventriculus erat ſerum colore ad ſubflavum obſoletum inclinante. In Ventre hæc adnotaveram. Lien grandis; jecur maximum, ut ſiniſtrum quoque occupans hypochondrium, ventriculum deprimeret; itaque gulæ, in hunc deſinentis, portio ad tranſverſos digitos duos infra diaphragma apparebat. Sed præter eam magnitudinem, vitium in illis viſceribus percipiebatur nullum. In ſubjecto venæ Cavæ trunco oblonga, & craſſa erat concretio polypoſa. Tandem quod ad muliebria attinet, uterus ſiniſtro lateri aliquanto propior erat, quam dextero, & antrorſum concidebat. Ovaria prælonga, ſed exilia, alba, dura cum eo jungebantur per ſua vincula, non paulo quam ſoleant, craſſiora. Quæ per Lata uteri vincula diſcurrunt, vaſa nigro ſanguine nimis turgebant, hic illic varicoſa. Cum a ſummo utero ad imum vaginæ orificium ſectionem perduxiſſem; fundi illius, & continuatæ cervicis cavum muco plenum vidi, *gelatinæ* inſtar ferme perſpicuo, nulloque colore infecto, & eo tenuiore, qui ad uteri oſculum eſſe conſuevit, neque hic deerat. Muco illo ſuperiore adempto, minima excreſcentia, circuli ferme ambitu, ex rubro fuſca, leviter exſtare conſpecta eſt e fundi interiore facie. Dempto autem craſſo inferiore muco, infima cervicis pars inſolitis quibuſdam lineis inæqualis apparuit brevibus, rubicundis, ſecundum longitudinem poſitis, & nonnihil prominentibus. Vagina etſi rugis a medio deorſum non carebat, erat pro ſtatura, quam mediocrem fuiſſe, dixi, æquo longior, & latior, condebatque ligneum annulum, prolapſus indicium, eo ſitu locatum quo alias vidiſſe non memini. Cum enim ellypſis forma eſſet; longiorem axem ſecundum vaginæ longitudinem ſtatutum habebat, breviorem autem, ſed ita breviorem, ut tamen multum diſtenderet utrumque latus vaginæ, ſecundum hujus latitudinem poſitum. Utrumque igitur eorum laterum quo loco ab annulo preſſum fuerat, prominebat in excreſcentiam, majoris amygdalæ decorticatæ forma, & magnitudine, duritie cartilaginea, albam, niſi quod earum altera in medio livebat; ut proximam a ſcirrhoſa in pejorem naturam minari mutationem videretur.

17. Hactenus de uteris *foras procedentibus*; nunc, ut pollicitus ſum (*ſ*), de *intro cedentibus*. Non puto autem,

(*m*) ſupra n. 3. (*n*) loco ſupra ad n. 13. indicato. (*o*) Epiſt. 22. n. 22. in fine. (*p*) Oſſervaz. 3.
(*q*) A. 1733. Hebd. 10. n. 5. & A. 1738. Hebd. 32. n. 1. ad Part. 7. (*r*) Epiſt. 20. n. 37. (*ſ*) n. 1.

autem, a te expectari, ut in hac tanta Anatomes luce in errorem jam diu exploſum, ejectumque relabar, & cum mulierculis illos credam ad ſeptum transverſum, & ad fauces ipſas, ſi Superis placet, aſcendere. Sive Majorum aliqui, Galenum (*t*), qui ab ejuſmodi erroribus alienus fuit, ut ſæpius ſolebant, ſecuti, verbis magis quam re, utero aſcenſum tribuerunt, ſive alii a flatibus, convulſi inteſtini laxam partem aliquam in globi formam diſtendentibus, cum Fernelio (*u*) decepti, uterum in ventriculum efferri, propriis ſe manibus revera deprehendiſſe, affirmarunt; nos certe Hippocraticis retentis vocibus *uterorum intro cedentium*, non uterum ſurſum tendentem, ſed irritamentum dumtaxat ab utero, quo nomine tubas quoque, & ovaria hic complectimur, per nervos, membranaſve ad ſuperiora aſcendens nunc intelligimus. Sed quanquam *Hyſtericæ* affectionis vocabulo hanc unam quam modo diximus, proprie deſignari poſſe, credimus; non tamen vulgari conſuetudini adeo refragamur, ut cum iis altercari velimus, qui aliunde ortos varios ſæpe, ac multiformes fœminarum morbos eadem illa appellatione comprehendunt: quemadmodum neque cum iis altercamur qui vocare hos malunt hypochondriacos; tametſi haud rariſſime non magis in culpa ſint hypochondria in illis ex utrolibet ſexu quos hypochondriacos dicunt, quam uterus in his quas hyſtericas alii nominant. Si quid utriſque commune eſt, vitium potiſſimum eſt in nerveo, ut vocant, ſyſtemate: recteque feciſſe Cl. Flemyngium (*x*) credimus, qui utriuſque generis morbos uno eodemque accepit vocabulo Neuropathiæ. Itaque non miramur, cum ſæpe eorum inſultus, non ab utero, aut ab hypochondriis; ſed a terrore, ab indignatione, ab odore etiam aliquo repente cooriuntur. Sic pariter intelligimus, quomodo eoſdem opportune dato opio feliciter præverterimus. Nam etſi ab imo ventre, atque adeo ab hypochondriis ipſis, & ab utero inſultuum origo eſſe videretur; propagatio tamen noxii motus per nervos certe, membranaſve fiebat. Exemplum in hypochondriaco Sacerdote præoccupatæ opio recurrentis epilepſiæ a me alias (*y*) habuiſti. Nunc preſſius quemadmodum auxilio eodem in fœminis duabus hyſtericos, quos vocant, paroxyſmos præverterim, commemorabo.

18. Matrona erat nobilis, ſed inopia ſimul, & mariti abſentia afflicta, cui plures jam filios pepererat floridiore ætate. Eam febres prehenderant intermittentes, quarum initium majori in dies frigore moleſtius fiebat. Ecce autem frigentem tanta ſpirandi difficultas occupat, ut non niſi erecta cervice id poſſit, nec ſine ſtertore, eaque pectoris conſtrictione, ut ſe miſere contorquens, jam jam inſtare mortem, dicat. Credidit tunc ægra, & qui ægræ adſtabant, ut frigus, ſic etiam cætera quæ dicta ſunt, incipienti febri accepta eſſe referenda. Verum cum eadem, & graviora quidem vel extra id tempus ſæpe recurrerent, creberrimis, citiſſimiſque totius corporis concuſſionibus ſtipata, eaque inſuper ad guttur conſtrictione, ut quamvis acerbiſſime torqueretur, clamare non poſſet; quorſum res ſpectaret, ab omnibus intellectum eſt. Vix diligenti, nec brevi, curatione inſultus primum, denique & febres abegi. Interiecto, opinor, anno cum aliæ iterum febres, & aliquot poſt diebus priores illi redire graviſſimi inſultus cœpiſſent, ſed eadem quotidie hora; conſilium cepi eos, ſi poſſem, prævertendi. Itaque una ante illam horula laudani opiati dimidiatum, haud amplius, granum dedi. Nullus eo die inſultus, nullus duobus quibus idem auxilium repetitum eſt, inſequentibus diebus. Quarto; ne quid diſſimulem; morbus remedio validior fuit, an quod huic natura aſſueſſet? Cæterum cum ille fuiſſet brevior, neque amplius rediiſſet, vireſque minus afflictæ eſſent; longe citius, atque facilius quam ſuperiore anno, febrim profligavi.

19. Cur dixerim, an quod ei remedio natura aſſueſſet, exemplum alterum monſtrabit. Gracilis Virgo contumaci hepatis duritie, & cum hac conjunctis tot, tam variis, & tam diuturnis incommodis laborans, ut credere poſſet nemo intra adoleſcentiam non eſſe perituram, nedum ad decrepitam ætatem; nuper enim adhuc vivebat; perventuram, iiſdem annis quibus illa Matrona, a me tunc Medicum in Patria agente, quotidie propemodum inviſebatur. Ad cætera enim mala, in quibus fuiſſe memini multo acerbiores quam in Matrona, dolores capitis, & ſanguinem vel minus bene quam in illa, ex utero reſpondentem, febris acceſſerat quæ tempore veſpertino cum frigore quotidie redibat. Eo cum frigore poſtea cœpit ſenſus anguſtiæ pectoris, & reſpirationis difficultas ingruere. Quæ intra perpaucos dies adeo aucta eſt, ut ſedere ægram cogeret, & ſe contorquere, & brachia verſare, & miſerandum in modum conqueri, cum poterat; ſubinde enim haud poterat. Fruſtra fuerunt remedia cætera primum ne augeretur inſultus, deinde ne rediret, donec ad laudanum opiatum confugi, cujus ope illum quotidie arcendo, poſt aliquot dies expertus ſum, vel laudano omiſſo, non reverti. Die exinde vigeſimo quarto cum reverſus eſſet iterum, cumque ego eadem ratione arcere, ſed non eodem exitu, conatus eſſem; venit in mentem, non remedium, ſed remedii formam mutare. Itaque una pariter ante horula tot guttis laudani opiati Sydenhamii datis, quot dimidiato grano ſolidi prioris laudani reſponderent, voti compos ita ſum factus, ut cum cæteris deinde malis, velut antea, non cum illo amplius inſultu pugnandum fuerit. Sed minus in hac Virgine mirum fuit, opium abegiſſe paroxyſmos evidenter convulſivos, quam in altera apud Riverium (*z*) hyſterica Virgine eoſdem cum gravi ſoporoſo affectu conjunctos; imo quam in alia non modo cum affectu ſoporoſo, verum etiam cum brevi artuum paralyſi invadentes. Hos enim, cum cætera auxilia non prodeſſent, eadem qua Riverius, ratione ſuſtulit Solers Feltrienſium Medicus Guliermius meus. Attamen in Riverii ægra non deerant convulſiva ſymptomata; in hac autem ultima ſaltem periodicum totius corporis frigus. Quod vel unum pro convulſivo accipere non dubitabat in ipſis intermittentibus febribus Experiens Vir Berryat (*a*) & pro cauſa habere eorum quæ alia in aliis ſequerentur, ut ſi prævertere illud poſſet, hæc quoque arceret, id quod dato una ante frigoris initium hora medicamento opium habente ſe conſecutum eſſe in quamplurimis, teſtabatur. Congruere autem, intelliges, quatuor de quibus a nobis dictum eſt, fœminarum curationes, antequam ille ſcriberet, ad eundem modum peractas; ſi animadverteris, gravia cujuſque ſymptomata fere aut cum frigore quod febrim præcederet, aut, ſicut in ultima, loco febris redire pergeret, certa quotidie hora recurriſſe.

20. Quid mihi in affectionibus hyſtericis prævertendis feliciter ceſſerit, expoſitum eſt. Sed contra, per quæ illæ interdum excitatæ ſint, obſervantibus Hippolyto Franciſco Albertino, & Joanne Hieronymo Zanichellio, ut ab ipſis accepi, non te celabo. Narrabat primus, ab infuſione, quam vocant, ſennæ convulſiones hyſtericas, nec ſemel, vidiſſe obortas: quod facile credes, a vellicatis videlicet inteſtinis, & torminibus concitatis. Teſtabatur alter, quod niſi in odorem, neque eum tamen acutum, aut ſuaviſſimum, rejicias, minus facile intelligas, certe ſibi cognitum eſſe, balſamum de Copaibe uterinos affectus vehementer moviſſe. Hic fortaſſe me interpellabis, quærens, num hoc in hypochondriacis quoque viris ſit animadverſum? ſi vero non ſit; quare igitur hyſtericum, & hypochondriacum morbum unum eundemque eſſe, plurimi hoc tempore contendant? Pedetentim, quæſo. Neque enim vel in ipſis hyſtericis eadem ſemper aut prodeſſe, aut nocere inveniuntur, neque eadem in omnibus occurrunt ſymptomata, ut neque in hypochondriacis. Quo minus urgeri a quibuſdam Doctiſſimis alioquin Viris qui ex adverſo pugnant, tot inter utrumque morbum diſcrimina oportuiſſet, quaſi illa quæ memorant, omnia

(*t*) De loc. aff. l. *6*. c. 5. (*u*) Patholog. l. *6*. c. *6*. (*x*) in Neuropathia. (*y*) Epiſt. 9. n. 7. (*z*) Cent. 2. Obſ. 36. (*a*) Mem. preſentés à l'Acad. R. des Sc. Tom. 2.

omnia in hyſtericis ſemper, pleraque autem in virilis ſexus hypochondriacis nunquam eſſent animadverſa, vel quaſi ea quæ multo & ſæpius, & gravius in mulieribus, quam in viris contingunt, aut non eſſent ejuſdem generis, & gradu tantummodo diſcrepantia, aut nervoſum mulierum ſyſtema, & corpus, & vivendi rationem, ac virorum inter ſe comparantibus non appareret, cur eædem cauſæ multo & facilius, & ſæpius, & acrius in illarum nervos debeant, quam in horum, agere. Nec vero hæc attigimus quod nobis placeat cum quoquam altercari; imo vero, ne alii inter ſe altercentur. Quin ſi ea quæ ſupra (*b*) ſcripſimus, relegas; quo ſimus animo in hac controverſia, perſpicies, & quamvis ſciamus, non in cunctis quæ hyſtericæ dicuntur, uterum, aut ejus tubas, & teſtes inquirentibus Anatomicis vitium prodere; illas tamen in quibus irritamenta ab his partibus incipiant, a nobis proprie hyſtericas appellari. Itaque ſi quid hyſterici in ea forte Vidua quam Epiſtola deſcripſi XXXV. (*c*) fuiſſe, dixeris, menſtruis octavum jam menſem carente, nec ſine ſenſu aliquando ad jugulum aſcendentis cujuſdam rei, in uteri autem ſummo pariete purulentam puſtulam habente, materiamque intra tubas coloris ex carneo flaveſcentis; tibi, quamvis forraſſe poſſem, non refragabor. Imo duas huc addam fœminarum hiſtorias, quas, ut ipſæ, cæterique credebant, ego quoque hyſtericas fuiſſe, aſſentiar: ſi prius totidem quas Sepulchreto adjicias, commemoravero. Altera Cl. Mayeri (*d*) eſt in muliere, cujus uterus magnus, totuſque, ſingulari exemplo, in oſſeam ſubſtantiam mutatus, ut malleo fuerit diffringendus, intra ſuum cavum, ad internum oſculum arctiſſime occluſum, pus continebat lactiforme, paulo craſſius, non fœtidum, in centro ad viride inclinans. Ea fœmina ab illo tempore quo uteri tumorem cœpit animadvertere, ab hyſterica paſſione libera fuit; ut poſſis ſuſpicari, ex eo quod uterus irritari amplius non potuit, illam paſſionem deſiiſſe.

Hiſtoria altera a Cl. Helwichio (*e*) eſt, qui mulieris utero exterius, tanquam per pediculum annexas invenit excreſcentias quatuor cavas, ejuſdem cum illo texturæ, ex ovario autem altero prominentem ſacculum, qui, inciſus, materiam nigricantem gelatinoſam ad ſemunciam cum impetu emiſit. Mulier, ut idem alio expoſuerat loco (*f*), ex illis evidenter fuerat, quas *convenit inter omnes Medicos*, uteri affectionibus eſſe obnoxias, *ſive* has *apnœas*, *ſive ſuffocationes quis vocaverit*, *ſive etiam contractiones quædam contigerint*; ut Galeni (*g*) verbis utar. A marito enim ſejuncta, in eam naturalium prurigi nem inciderat, ut a furore uterino parum abeſſet, mirumque non fuerit, ſi ſpaſmi horribiles acceſſerint, fauces præcludentes, eamque ſpirandi difficultatem afferentes, ut in ſuffocationis periculum ſæpe adducerent, qua denique inopinato confecta eſt: cujus ſuffocationis effectum potius quam cauſam, fuiſſe, credes ſecundum ea quæ alias (*h*) ſcripſimus, polypos in ejuſdem mulieris corde inventos. Sed jam ad duas quas paulo ante promiſimus, Obſervationes veniamus.

21. MERETRICEM juvenculam, pinguiuſculam, bibacem, quæ olim pepererat, nunc poſteaquam menſes jam quatuor ſanguis ex utero non reſponderat, hyſtericis affectionibus, deinde etiam mania laborantem, ex univerſalibus convulſionibus mortuam, in Noſocomio hoc ſecui ſub Februarii finem A. 1717.

VENTER jecur habuit eo colore, quo, elixum, eſt: bilis tamen quæ ex ejus veſicula exſudaverat, croceo colore vividiſſimo proxima inſecerat inteſtina. Teſtes albi, duri, ſcirrhoſi, æquo majores, & ſuopte pondere quaſi pone uterum tracti. Uterini fundi interior facies ſanguinolento quaſi muco non ſecus oblita videbatur, ac ſi menſtrua jam jam inſtarent, aut nuperrime fluxiſſent: præterea in illa ipſa facie ex ſubſtantia uteri parvula, & perpauca prominebant tubercula, verrucarum ſimilia. Urethra aperta, quæ crebris canaliculorum ſuorum oſculis erat pertuſa, ex horum nonnullis, leviter comprimendo, albam lentamque materiam dabat, quæ, niſi ibi ſana fuiſſent omnia, pus videri, & gonorrhœæ virulentæ ſuſpicionem movere potuiſſet. Thoracem pluribus, quas hic memorare neceſſe non eſt, obſervationibus occupatus, non reſeravi. Cranium reſeratum fuerat; ſed ab iis qui crederent, me cerebrum non eſſe diſſecturum, hoc ſectum, me abſente, ægreque ferente; eram enim ob maniam, & convulſiones diligenter inſpecturus. Nihil fuiſſe adnotatione dignum relatum eſt præter polypoſas, quas & ipſe in iis, quæ forte ſupererant, vidi, in vaſis ſanguiferis concretiones.

22. Hepar quaſi coctum, in hydropicis animadverſum, habes hoc III. Sepulchreti libro Sectione XIX. (*i*), itemque in Additamentis ad Sectionem XXIII. (*k*): ſed & in cachecticis dumtaxat, Sectione XX. (*l*) Huc eos adde in quibus cachexia propediem eſſet manifeſto ſe proditura, quo pertinere cenſeo latomum, & bajulum, quorum illum a Jacobo Sylvio olim, hunc vero a me ſectum Epiſtola XXXVI. (*m*), & III. (*n*) memoravi. Huic quoque ſcorto quid immineret, ſuppreſſio menſium indicabat. Sed, ne a propoſito longius abeam, ad hoc illæ uteri quaſi verrucæ, & teſtium illa conſtitutio, quæ prægreſſos in ipſis morbos ſignificabant, ut conjicere per te potes, attinebant. Verum in proxima muliere earundem partium vitia fuerant manifeſtiora.

23. FŒMINA erat Venetiis annos nata ad quadraginta, infimæ ſortis, impudica, vino dedita, ſtatura juſta, ſano, & pingui corporis habitu. Obnoxia hæc erat vel leves ob cauſas timori, ex quo tremebat, & quaſi animo linquebatur. Vomebat ſæpe, ut nihil ſolidi cibi retineret; piſcem autem ne guſtare quidem poſſet. Cum de morbis ejus cæteris ex familiaribus ſingillatim quæreremus; conſtanter reſpondebant, nunquam de capite, nunquam de corde, ut puta de ejus vehementi pulſatione, palpitatione, aut alio affectu conqueſtam, nec unquam, quod ſcirent, thoracis inflammationibus fuiſse tentatam: quæ cur non præfuiſse, adnotemus, ſectione perlecta facile intelliges. Morbum de quo unice quereretur, affectiones, ajebant, fuiſse uteri, quem ſibi huc illuc per ventrem tunc moveri, & ad fauces aſcendere cum ſuffocationis interdum ſenſu, aſſeverabat, a quo tamen ſenſu cito liberabatur. Ipſis Kalendis Januariis A. 1709. veſpertino tempore coltas ſibi quaſi concidere, queſta eſt, juſſitque, mulierculam advocari, quæ, ut vulgus credebat, relevare ſciret. Sub auroram cum ſe graviſſima hyſterica affectione corripi, dixiſset, uterumque huc illuc oberrantem, ad fauces jam aſcendiſse, eoque ſe ſuffocari; intra unam, aut, ſummum, alteram horam eſt mortua, nulla ad os ſpuma, neque ullis, qui ſub oculos adſtantium caderent, convulſivis motibus agitata. CADAVER cum ex officio ſecare deberet Santorinus, certiſque de cauſis, id quod prudenter maluiſset, differre non poſset; a me uno, qui ab ejuſmodi corporum diſsectionibus, non niſi juſto interjecto tempore, perpetuo refugi, majorem in modum per amicitiam etiam atque etiam contendit, ut ſimul eſse vellem, eoque pacto exoravit, ut plus temporis inquiſitioni daremus, an reapſe mulier mortua eſset, quam ex cujus partis vitio. Quorum illud tanto diligentius præſtitimus, quod oculos non adeo turbidos, corpus autem nihil ferme rigidum, & decima a morte hora circa thoracem etiam tum calens, eo anni tempore invenimus. Itaque eorum memores quæ Galenus (*o*) ex Heraclide Pontico, ex aliiſque priſcis Medicis commemoraverat, nihil eorum quæ tunc, aut poſtea in ejuſmodi explorationibus fieri conſueverunt, prætermiſimus, nimirum carptæ lanæ flocculum, tenuis cerei

(*b*) n. 17. (*c*) n. 16. (*d*) Commerc. Litter. A. 1731. Spec. 30. poſt n. 4. (*e*) Eph. N. C. Cent. 3. & 4. Obſ. 142.
(*f*) Earund. Cent. 1. & 2. Obſ. 148. (*g*) De loc. aff. l. 6. c. 5. (*h*) Epiſt. 24. (*i*) Obſ. 3. §. 12; Obſ. 4. §. 21.
(*k*) Obſ. 86. (*l*) Obſ. 2. §. 1. (*m*) n. 27. (*n*) n. 4. & 5. (*o*) c. 5. ſupra ad n. 20. cit.

cerei flammula, nitidum ſpeculum ad os, nareſque admovere: poculum aquæ plenum ſcrobiculo, quam vocant, cordis, & non uni pectoris loco, quaſi Winſlowii (*p*) monita divinaſſemus, imponere: manum, digitoſque non modo ad cordis regionem, verum etiam ad Carotides in collo arterias, & ad Iliacas, qua per anteriora oſſium pubis ad femora deſcendunt, quorum illud poſtea confirmavit Illuſtris Senacius (*q*), hoc olim Riolanus (*r*) præmonſtraverat, ſemel, iterum, ſæpius, ſi quid forte pulſus percipere liceret, attente applicare: pulveres demum, quibus maxime in his tentaminibus fidebat Hollerius (*ſ*), per quos videlicet ſternutamenta evocarentur, flando in nares alte conjicere. His omnibus, aliiſque id genus minime contenti, cum leviter inciſa alterius femoris cute, forte ſanguinem, quamvis lente, prodeuntem, & prodire pergentem vidiſſemus; venam ad cubiti flexum phlebotomo ſic aperuimus, ut ſi mittendus eſſet ſanguis. Tum vero ſanguinis quidem pauxillulum exivit, ſed & ſerum a ſanguine ſeparatum; ut receſſiſſe jam intra eam ſaltem venam a reliqua maſſa, intelligeremus. Quo tempore aliis pariter tentaminibus uti voluimus, quæ, ſi quopiam forte pernicioſi ſoporis genere mulier oppreſſa eſſet, auxilii loco valentiſſimi ſaltem ad expergefaciendum eſſe poſſent. Acutiſſimum enim mucronem, ut apud Fortunatum Fidelem (*t*) eſt, ſub ungue ſenſim defiximus: præſertim vero candens ferramentum, ut Miſtichellius (*u*) ad apoplecticos excitandos, plantis admovimus. Quæ omnia cum eſſent irrita, & quod caloris ad thoracem principio perceperamus, evaneſceret; ſatis quæſitum eſſe, ſtatuimus: & nihilominus pedetentim cutem primum, tum deinceps, aliquo ſemper inter unam & alteram ſimplicem, brevemque inciſionem relicto temporis intervallo, Adipoſam, quæ valde craſſa erat, membranam, denique & muſculos incidimus. Dum cuncta quæ dicta ſunt, faceremus, ſpatium habuimus animadvertendi, artus quidem non eſſe macilentos, ut neque caput; ſed præpingui abdomini, & thoraci nullo modo reſpondere: præterea poſteriorem corporis faciem, in quam moriens decubuerat, ex rubro liventem, anteriorem vero neque ad caput, neque ad collum, neque uſquam, ſi ſuperiores exciperes femorum partes, ruborem, livoremve ullum habere. Nunc quæ in Ventre primum, & quæ deinde in Thorace deprehendimus; Caput enim (nec fortaſſe neceſſe erat) attingere non potuimus; tecum eo ordine communicare juvat, ut incipiam a Thorace. Cum hujus integumenta, & muſculos a ſubjectis oſſibus, & cartilaginibus amoviſſemus; magnum in his vitium apparuit, quod craſſiores mammæ, & craſſiſſima impoſita pinguedo ante ſectionem ita occulebant, nullum ut ſui indicium daret. Scilicet ſternum circa ſuæ longitudinis medium extrorſum prominens annexas utrinque coſtas ſecum attollebat: coſtæ, autem quæ his proxime ſubjiciebantur, valde ſubſidebant: ultimæ denique, ex iis dico quæ aut per ſuas, aut per aliarum cartilagines cum ſterno committuntur, rurſus, ut naturalis pectoris ſtructura poſtulat, prominebant: itaque ad ſingula ſterni latera ſingulæ magnæ erant coſtarum depreſſiones, quas mammæ & pinguedo, uti dictum eſt, extrinſecus inæquabant.

Thorace recluſo, ſiniſter pulmo aliquo loco, & leviter; dexter autem ferme undique, ſuperiore excepta particula, arctiſſime ad pleuram adhærens inventus eſt per quandam quaſi membranam, quæ præter naturam tunicæ pulmoni inducta erat. Pulmones ambos cum ſecaremus, duros, & quaſi tendineos pluribus offendimus locis: ſpumoſo præterea humore, quaſi ſaliva quadam, paſſim ſcatentes. Pericardium non paucam habuit aquam ex fuſco turbidam. Cordis autem uterque thalamus nigrum ſanguinem, & fluidum, qualis ferme ubique in hoc corpore occurrebat: dexter inſuper modicam polypoſam concretionem, albam, ſed mollem, cui ſimilis altera in Pulmonari fuit arteria, plurimo cum ſanguine. Hoc turgidiſſima erat auricula dextera; ſtrigoſa autem ſiniſtra. Verum huic auriculæ annexus ventriculus, naturali amplior, non unum obtulit animadverſione dignum. Namque, ut tendineas omittam fibrillas quæ inter Mitrales valvulas, columnaſque ducuntur, viſas eſſe plures quam ſoleant; certe eæ columnæ erant æquo craſſiores, durioreſque, ut multo potius tendineæ, quam carneæ, viderentur, ſive colorem ſpectares, qui albus erat, ſive renixum attenderes quem ſecanti ſcalpello objiciebant. Præterea in ejuſdem ventriculi parietibus hic illic paſſim quædam occurrebant loca in quibus carnea ſubſtantia cordis aut alba, aut ex rubro alba ita erat, ut a primo glandularum quaſi quarundam ſpecie imponerent; ſed eodem illo peculiari renixu, diſſecantibus ſimilem ſe columnarum oſtendit. Vitium hoc carnis cordis, in tendineam naturam degenerantis, quo magis ab interiore ventriculi facie ad exteriorem pergebat, eo fiebat evidentius, pertinebatque exterius ad eum quoque locum cui ſeptum cordis reſpondet. Quin pinguedo ipſa huic viſceri impoſita non omnis ſecundum naturam ſe habuit. In poſteriore enim facie cordis per duos non parvos ſecundum longitudinem tractus inæqualis erat, ibidemque ex fuſco rubeſcebat. Arteria Magna a corde ad curvaturam uſque propemodum totam, non valde quidem, ſed evidenter tamen dilatata, prope ſeptum tranſverſum æquo anguſtior viſa eſt. Inciſa, & ſanguine, quo non carebat, effuſo, oſtendit tota interiore facie a corde ad ramos ſaltem uſque Emulgentes, particulas quaſdam albidiores, & lineas nonnihil exſtantes: præterea non eo ſolum quem modo dicebam, tractu, ſed & alibi, quantum ex diſſectis ſuperioribus quibuſdam ejus ramis cognovimus, intimam tunicam facile adeo a proxima ſejungendam, ut leviſſimam ſcalpelli frictionem magna ejus fruſta ſequerentur. In Ventre autem hæc videramus. Omentum lienem verſus retractum. Perturbatos inteſtinorum ſitus. Hæc, Colon præcipue, & Rectum, aere multum diſtenta. Meſenterium quidem, ventriculum, ſplenem, & jecur, cujus veſicula bile turgebat, ſana. Pancreas autem, quod, ut nonnulla Tenuia inteſtina, decliviore præſertim parte rubebat, glanduloſis acinis juſto firmioribus, & inter ſe magis diſtinctis. Uterum denique, Tubas, & non parvam Vaginæ partem, cum ibi ſic ſatis, tum præſertim poſtridie, ut plus temporis, & diurnum lumen haberemus, e cadavere adempta, diligentius examinantes, hæc adnotavimus. Poſteriori fundi uterini faciei exterius circa medium adnatus erat per brevem pedunculum globulus, nihil magis albedine, forma, & magnitudine referens, quam parvum ceraſum immaturum: quem ſecantes, ex fibroſa quidem, ſed calloſa ſubſtantia, confuſiſque fibrarum ordinibus, factum deprehendimus: cujuſmodi alter globulus intra ipſam parietum uteri craſſitudinem erat conditus. Mox apertus uteri fundus multo apparuit ſubcruento muco fœdatus: quo deterſo, cum, appreſſis ſubtus digitis, undique ex fundo quidem; non ex cervice, multoque minus ex vagina; prodeuntes mediocri expreſſione ſanguineas guttas oſtendiſſem; non tam diſplicuit Santorino quod pro certo ſcire non potuiſſemus, an mulier prope abeſſet a menſtruis, quam ſe antea (*x*) horum ſcaturiginem in vagina potius eſſe, quam in utero, credidiſſe. Cervicis ſuperiore parte excepta, reliquum longe alio rubore infectum erat, quaſi ab inflammatione videlicet, qui ab altero latere magis ad fuſcum inclinabat, nec tamen uſquam cervicis ſubſtantiam alte pervadebat. In Tubis quoque mucoſus humor fuit; ſed albus. Utraque erat aeri, per majus orificium immiſſo, in uterum pervia: nec deerant

(*p*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1738. (*q*) Traité du Coeur l. 3. ch. 7. n. 5. (*r*) Encheirid. l. 5. c. 46. verſ. finem.
(*ſ*) De Morb. Intern. l. 1. c. 59. (*t*) De Relat. Medic. l. 4. c. 1. (*u*) apud Lanciſ de Subit. Mort. l. 2. c. 5. n. 12: quod poſtea Miſtichellius ipſe confirmavit Tratt. dell'Apopleſſ. l. 2. S. 1. c. 6. & S. 3. c. 3. caſ. 8. & ſeqq.
(*x*) Opuſc. Medic. 4. n. 3.

deerant prope id orificium hydatides. Teſtium uterque ab incluſis cellulis tumebat; ſed alter magis, qui præter magnam, minores quoque plures habuit cellulas, omnes ſero plenas, una excepta in qua pus album fuit. In altero ſimul cum cellulis, & veſiculis ſerum continentibus, alias vidimus cellulas intus nigricantes. In utriuſque autem ſuperficie oſcula animadverteramus, tenue ſpecillum admittentia: præcipue vero in membranis per quas cum Teſtibus Tubæ nectuntur; Alas Veſpertilionum vocitant; plexus, nervoſque eleganter diſcurrentes. Qui cum ex craſſioribus eſſent quos antea conſpexiſſem; videſis, inquam, hic *plexus*, & hi *nervi* ſunt quos in Adverſariis (*y*) indicavi, & alias fuſius me deſcripturum promiſi: quod cum Santorinus ipſe poſtea (*z*) fecit, niſi memoria, ut fit, excidiſſet meus ille Adverſariorum locus, eum plexum non ſcripſiſſet *vel non plane cognitum*, *vel ne antehac quidem obſervatum*.

24. Nolo ad longam hiſtoriam longas quoque Adnotationes attexere. Satis ſit pauca, eaque ſummatim adjicere. Quod igitur ad ſternum attinet certo loco extrorſum prominens, coſtaſque ſuis cum cartilaginibus, qua craſſas ſuſtinebant mammas, craſſamque pinguedinem, utrinque adeo introrſum depreſſas; extat Riolani (*a*) locus: *In mulieribus mammoſis & obeſis, detracta mole mammarum, Sternum acuminatum deprehendi, & Tectus anguſtum, quod in illis cauſa fuit dyſpnœæ: iſtam anguſtiam excitaverat pondus mammarum*. Hoc ultimum mihi dubium eſt. Niſi enim mulieres maximam temporis partem ſupinæ jaceant, quod obeſis & mammoſis non ita commodum eſt; mammarum pondus coſtas potius extrorſum trahet, quam introrſum urgeat. Quod nec rigidi adſtrictique thoracis uſui poſſis imputare; quî enim coſtis noceat; mammis non noceat? Quapropter malim vitioſam iſtam ſtructuram a primordiis repetere: quæ quoniam in præpinguibus, mammoſiſque non niſi per diſſectionem apparet; idcirco in his, ceu res inexpectata, Anatomicorum oculos, animoſque longe magis percellit, quam in macilentis, in quibus ſi eſt, vel ante ſectionem obvia eſt. Verum unde unde ſit, non eſt dubium, quin pulmonum partem coarctando, tanto minus per hos facilem ſanguinis circulationem, expeditamque reſpirationem efficiat, ubi præſertim a convulſione, aut aliunde cauſa aliqua alia accedat quæ utramque faciat difficiliorem. Quanquam autem perdifficile eſt in præpinguibus illiuſmodi & mammoſis fœminis, niſi forte ad ſternum, & ad mammarum latera digitos validius apprimendo, id vitium cognoſcere; tamen ſi illas multo difficilior quam cæteras ejuſdemmodi, reſpiratio, nulla apparente cauſa, male habeat; num forte id ſtructuræ vitium in cauſa ſit, licebit ex noſtra, & Riolani Obſervationibus ſuſpicari. Huc facile addere exemplum potes, e Commercio Litterario (*b*) petitum, nobilis fœminæ aſthmate conflictatæ, cujus aſthmatis cauſis merito accenſeri videbis malam pectoris conformationem; *ſiniſtri* enim *lateris coſtæ*, *ſigmatis inſtar*, *ituro curvatæ*, thoracis caveam mirum in modum anguſtam faciebant, & cor, bovino longe majus, in dexterum latus deprimebant. Cum autem *obeſa & pinguiſſima* eſſet ea fœmina; veri ſimillimum eſt, vitium illud coſtarum ſub multa pinguedine delituiſſe.

25. De ſenſu autem illo quaſi concidentium coſtarum, ad quas relevandas mulierculæ ſuas ſæpe acccerſunt Medicas in quibuſdam præſertim Civitatibus, ut in mea quondam vidiſſe memini, equidem quod pro certo dicam, non habeo. Sed tamen ſuſpicor, confundi cum eo ſenſu moleſtias, noxaſque aliquas ex iis quas intro vergens xiphoides cartilago afferre ſolet: quibus de noxis poſt Codronchium (*c*), & Septalium (*d*) videre potes quæ in Sepulchretum relata ſint ex Diemerbroeckio (*e*), ex Barbetto (*f*), & Boneto ipſo (*g*): quanquam & coſtarum quarundam notharum cartilagines interdum deprimi, nec levia afferre poſſe incommoda, quæ tamen earum in priſtinam ſedem reſtitutione, muliercula id præſtante, continuo ſublata ſint, ex Sepulchreto eodem (*h*) ſcies. Sed num eæ cartilagines ad ipſas *duas extremas* coſtas, aut ad *ultimam* attinuerint, nec potius ad earum aliquam quæ ſupra duas extremas proxime ſunt, infimarum illarum cartilaginum nota brevitas facit, ut dubitem, multoque magis, cum *inferiorem* earum lego *ſuperiori incubuiſſe*. Cæterum in propoſita a me fœmina ſenſus de quo loquimur, ad aliquam ejus generis attinuerit cauſam, an ad aliam quam tibi in muliere alia expoſui (*i*), præſtat in medio relinquere, quam hic inconſultius decernere.

26. Quod vero ad carneam cordis ſubſtantiam attinet degenerantem in tendineam, inde illud primum intellexeris, non temere a me alibi (*k*) fuiſſe poſitum, id poſſe fieri, cum videlicet in eo eſſem, ut qua ratione interdum ſit illa ſubſtantia in oſſeam mutata, explicarem. Tanto autem magis decreſcere vires cordis, quanto plures ejus partes ex carneis tendineæ fiant, proclive eſt vel ex iis colligere, quæ eodem loco (*l*) ſcripta ſunt. Porro decreverant in eo ventriculo cui majoribus viribus opus eſt, nimirum ſiniſtro, qui præterea, ut proximus quoque Magnæ arteriæ caudex, vitium alterum habebat, dilatationis. Nec mulier tamen de vehementi cordis pulſatione conqueſta fuerat; namque in vitiis *aneuryſmaticis* Albertinus (*m*) quoque pulſationem *aut ſane modicam*, *aut longe minorem* comperit, *ubi ſubſtantia cordis a baſi ultra medietatem ipſius conſiſtentia, & colore quaſi tendinea*, *aut flaccida nimis evaſerat*, nempe cordis robore ab utralibet conſtitutione debilitato. Verum hæc vitia omnia, & alia quæ in Magna arteria deſcripſi, & quaſi tendinea multis locis facta pulmonum ſubſtantia, eorundemque, & cordis per coſtarum depreſſionem coarctatio, hæc, inquam univerſa, præclare vides, ut exitialem facere potuerint cum reſpirationis, tum circumitionis ſanguinis interceptionem, ubi ſolito violentior nervorum, iiſdem Partibus inſervientium, convulſio acceſſit.

27. Hanc, ut leviores alias quibus obnoxia mulier fuerat, ab utero, & teſtibus originem habuiſſe, ea quæ in illo, & his præter naturam conſpeximus, & incipiens illinc quaſi aſcendentis uteri ſenſus, videntur ſignificare. Nam etſi uterum; id quod fieri non poteſt; e ſua ſede ſurſum progreſſum non offendimus; inteſtina tamen quæ mentiri id poſſent, non modo flatibus diſtenta vidimus, ſed a conſuetis ſitibus etiam dimota. Ad quæ convulſio per nervos facile prorepere conſueverat cum iis communicantes qui tubis, & teſtibus ſubſervientes in Alis Veſpertilionum craſſiores a nobis conſpecti ſunt, quippe ſæpius orto a teſtibus irritamento vexati. Hic fortaſſe dices: at ſæpe in aliis, uteri, & teſtium noxæ inveniuntur multo majores, quæ tamen iſtiuſmodi gravibus affectionibus non fuerant conflictatæ. Vero. Sed non omnibus æque acris materia ineſt quæ irritet, neque omnibus æque nervi ad irritamenta ſuſcipienda proni, ut fœminæ huic, a levi quacunque timoris cauſa trementi, neque demum omnibus, ut huic, ea viſcerum præcipuorum vitia, ut, ſi vehementior urgeat convulſio, reſiſtere non poſſint. Quo magis illis hyſtericis, iiſque hypochondriacis timendum eſt, quibus aut humorum, aut præcipuorum viſcerum labem ſimul eſſe graviorem, aut ſciamus, aut merito ſuſpicari poſſimus. Quod cum haud ſatis attenderent Medici quidam, alioquin non indocti; Juvenem memini hypo-

(*y*) I. n. 14. in fine. (*z*) Obſ. Anat. c. 11. §. 17. (*a*) Encheirid. Anatom. l. 6. c. 14. (*b*) A. 1733. Hebd. 37. n. 2.
(*c*) De Prolapſu Mucron. Cartilag. (*d*) De Morbis ex Mucron. Cartilag. (*e*) Sepulchr. l. 2. S. 1. in Additam Obſ. 11.
(*f*) Ibid. l. 3. S. 7. in Schol. ad Obſ. 19. (*g*) in eod. Schol. (*h*) l. 2. S. 1. in Schol. ad Obſ. 116. (*i*) Epiſt. 26. n. 25.
(*k*) Epiſt. 27. n. 17. (*l*) n. 18. (*m*) De Bonon. Sc. Inſt. in Opuſc. Tom. 1.

hypochondriacum, nimiis, & aſſiduis, inanibus ut plurimum, querelis eorum aures jam diu laſſare ſolitum, cum idem, febri correptus faceret, ipſi autem, ut conſueverant, minus crederent, febremque illam contemnerent, antea ipſum, doloſo morbo confectum, deceſſiſſe, quam illi periculum, non dico prædicerent, ſed præſentirent. Tu igitur vel in querulis iſtiuſmodi perſonis, cautam, ut ſoles, & accuratam diligentiam retinebis. Neque enim hæc unquam; negligentia autem ſæpe nocuit: cui plerumque, ſi vera fateri volumus, imputandum eſt, quod *moriatur aliquis, de quo Medicus ſecurus fuit* (*n*). Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XLVI.

Sermo eſt de Veneris impedimentis, & Sterilitate in utroque Sexu.

ETSI quæ proxima ſuccedit Sepulchreti Sectio XXXIV. non ea modo quæ ad Sterilitatem ſpectant, ſed & ea quæ ad Salacitatem, complectitur; nobis tamen in illis quidem imitari Bonetum placet; in his vero nec qnidquam ſuppetit quod proferamus, & quædam, ab eo producta, melius omitti potuiſſe, cenſemus. Quid enim ad ſalacitatem quod Spermaticæ venæ dextera, & ſiniſtra in Emulgentes influerent (*a*)? aut certe quod eſſent plures (*b*)? præſertim cum poſtea ex aucto earum numero minor ad venerem aptitudo (*c*), ex illo autem in Emulgentes influxu ſeminis admodum aquoſi, & frigidi generatio (*d*) deducatur. Quid pariter huc renes maximi (*e*)? aut contra, exigui (*f*)? Non equidem ignoro quæ olim traderentur de venarum illarum officio, & quæ pro renibus quoque ſint vel a Bartholino ipſo (*g*) diſputata. Sed quando illa jam ſuſtulerat ſanguinis circumeuntis notitia, quæ autem ad renes attinent, diſerte a Boneto (*h*) *paradoxon* vocantur; potius indicari in Scholio aliquo poterant, quam inter ſolidas Obſervationes recenſeri. Sed præterea quod ad Sterilitatem, aut Fœcunditatem ſpectat, haud immerito prætermitti potuiſſe quædam, arbitror. Exempla proferam duo. Qui virgini vim attulerat, teſtibus intus, extraque omnino carebat (*i*); Teſtes igitur ſemini gignendo non ſerviunt. Olim quidem his eſſe potuiſſet locus, quando iſta videlicet quæ ibidem laudatur, Ariſtotelis ſententia doctos habebat aſtipulatores: quos inter vel Catullum ponere, non dubito, quem proximi Poetæ non temere *doctum* appellarunt, de Aty hæc ſcribentem (*k*) *Devolvit illa acuta ſibi pondera ſilice*. Nunc autem quid teſticulorum iſta cum ponderibus comparatio? aut aſſeveratio iſta, *nulla ſpermaticorum vaſorum ullatenus teſtes ſubire*? aut demum quid inter vim illatam virgini, quam inferre caſtrati poſſunt, & fœcunditatem, qua pollere certe non poſſunt? Eſt etiam animadverſione dignum illud de fœmina (*l*), in qua *a nimio coitu mortua ligamenta teretia, qua parte vicina ſunt utero, ſemine repleta* ſunt deprehenſa. Scilicet hæc olim probari poterant; nunc vero non poſſunt, haud ſecus ac illa quæ ſuperiori Sectione (*m*) de ſemine muliebri in tubis corrupto, aut in utero, vaſiſque Deferentibus propoſita ſunt. Sed nos, hiſce prætermiſſis, quæ probabiliora ſint de utriuſque ſexus Sterilitate, jam proferamus, & primum quidem ex Valſalva.

2. VIR erat quidam, mutus, non ex eo tamen quod auditu careret; audiebat enim; idemque nullos ſive in facie, ſive in pectore, ſive ſub alis, ſive in ſcroto habens pilos, quorum pauci dumtaxat in pube ad radicem ipſam penis conſpiciebantur. Is annos natus triginta quinque acuta febre, cum lumbricis conjuncta, abſumptus eſt. GENERATIONIS organa omnia, diligenter examinata, nihil quidquam oſtenderunt vitii.

3. Fœcundus fuerit, an infœcundus, Valſalva non addidit, neque an pilis ab ortu ipſo caruerit; vidit enim Cel. Heiſterus (*n*) virum qui, nullo prægreſſo notabili morbo, omnes toto corpore amiſerat pilos, nec intra decennium recuperaverat. Credibile tamen eſt, eum de quo Valſalva id ſcriptum reliquit, natura & glabrum, & infœcundum fuiſſe; ut res utraque permoverit ad accuratum virilium omnium examen ſuſcipiendum. In quibus cum vitii nihil apparuerit; indicat Obſervatio hæc, ab inviſibilibus Partium ſperma ſecernentium, aut perficientium ſtructuris illud quidquid eſt, exiſtere quod & ſemen fœcundum, & piloſum corpus facit. Certe autem utrumque horum ſimul videmus tempore pubertatis, id eſt cum ſtructuræ illæ intimæ ſatis jam explicari cœperunt, contingere. Quin etiam levius aliquid in cute nonnunquam mihi ſterilitatis mulierum indicio fuit, cum id ab ortu, & perpetuum foret. Vidi enim, duas in quibus nihil prorſus erat quod fœcunditatem non promitteret, cum egregie valentibus viris ſterile conjugium habuiſſe. Cum attentius omnia conſiderarem; cutem in altera contra ac vitæ genus, ætas, habituſque corporis indicabant, minime, ſi tangerem, mollem, lævemque offendi; in altera cuticula opertam animadverti, quæ vel in facie jugiter in ſquamulas, & furfures abibat. Huic ſimilem, cum Litteras has deſcriberem, pariter infœcundam tertiam vidi. Et mihi quidem hæc videntur poſſe repeti a ſebaceis cutis glandulis aut æquo pauciorem, aut non ejus cujus par fuiſſet, naturæ materiam ſecernentibus. Sed quomodo ea retenta, aut minus ſuo officio apta materia intus obſtet conceptioni, incertum. Jam vero ad vitia in ipſis generationis organis evidentia veniamus.

4. Mulieres florente ætate ſteriles duas, alteram ob veſiculas in ſcirrhoſis ovariis fere nullas, alteram ob earum humorem omnino concretum non ſecus ac ſi ad ignem fuiſſent coctæ, Valſalva obſervavit. Quarum hiſtorias cum tibi alias (*o*) deſcripſerimus, non eſt cur hic repetamus. Ad noſtras igitur tranſimus.

5. VIRI in Noſocomio hoc mortui ſub extremum Novembrem A. 1717. Anatomes ſtudio, pleraſque Partes diſſecabam, cum præter naturam quaſdam ſe habere, animadverti. URETERES æquo latiores ultro occurrebant nonnullis locis. Ab altero autem latere tum Seminalis veſicula, tum vaſis ſemen Deferentis pars ei veſiculæ proxima parietibus erant ſcirrhoſis, membranea ſubſtantia in cartilagineam propemodum mutata.

6. Ex Obſervatione hac apparet, quantum ſeminis perfectioni, & ejaculationi deeſſet. Neque enim quod per Harderi glandulas addi, aut per lymphæ ductus detrahi ſolet, addi hic, aut detrahi, nec vis quam contrahentes ſe veſicularum, & imorum Deferentium vaſorum tunicæ, ſemine antea diſtentæ, in hoc exerunt dum ejicitur, ſperari hic poterat. At enim ab

(*n*) Celſ. de Medic. l. 2. c. 6. (*a*) Obſ. 1. §. 1. & 3. (*b*) Ibid. §. 8. (*c*) in Schol. ibid. (*d*) Obſ. 5. §. 3.
(*e*) Obſ. 1. §. 5. & 6. (*f*) Obſ. 2. §. 1. (*g*) Vid. Adverſ. Anat. 3. Animad. 33. ad fin. (*h*) Schol. ad Obſ. 1. §. 5.
(*i*) Obſ. 1. §. 2. & Schol. (*k*) Carm. 62. v. 5. (*l*) Obſ. 6. §. 6. (*m*) Obſ. 4. §. 11. & 12.
(*n*) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 197. (*o*) Epiſt. 36. n. 17. & Epiſt. 20. n. 7.

ab altero latere nihil horum deerat , inquis . Sed tamen quantum ab latere oppoſito inertis , & aquoſi ſeminis defluere poterat , tantum optimo cui ſe adjungebat , detrimenti afferebatur . Quin ſenſim poteſt adeo iucreſcere durities , & craſſities tunicarum ſeminis ductus , in altero latere ad extremum accedentis , ut proximum alterum premat, eique officiat . Sic me reſpondiſſe memini laudato alias Viro Laurentio Mariano , cum anno vertente 1736. hunc ad me generoſi Juvenis ſcripſiſſet caſum . Ei qui nullius unquam mulieris, una excepta uxore , notitiam habuerat , ex eaque filiam ſuſceperat , Spermatica ſiniſtra vaſa non ſine dolore intumuerant cum epididymide , & vaſe hinc ſemen Deferente , quod , molli teſticulo ſervato , durum cum epididymide percipiebatur . Et remedia quidem impoſita dolorem poſt aliquot menſes valde imminuerant ; tumorem autem , duritiemque non valde . Cum a dextris , quantum extrinſecus judicari poterat , ſaniſſima eſſent omnia , & ad gignendum , tranſvehendumque ſemen aptiſſima ; nihil tamen hujus , ægro , Mediciſque mirantibus , in concubitu egrediebatur . Cæterum coalitus alterius vaſis, ſemen ad veſiculam Deferentis, itemque calculi in altera veſicularum concreti Obſervationes, quas aliis addas , illius quidem ex Brunnero (*p*) & Walthero (*q*); hujus vero ex Valentino (*r*) habebis.

7. De ſtrigoſis autem vel in Juvene veſiculis ſeminalibus , & de obcæcatis , quod Waltherus (*ſ*) etiam vidit , ſeminis in urethram viis , quæ , cadavera ſecans , animadverti , adſcribere huc poſſem , niſi cum de aliis morbis , & præſertim de virulenta Gonorrhœa verba faciens , hæc tecum alias (*f*) communicaſſem . Ob eandemque cauſam omitto quæ ad calculos attinent Proſtatæ glandulæ , ſemini exitum intercludentes . Hæc enim Epiſtola habuiſti XLII. (*u*)

8. De magno pariter urethræ vitio quod A. 1718. in ruſtico Juvene cum Cel. Collega Valliſnerio examinavi , hic fuſius ſcriberem , niſi ille tertio exinde anno (*x*) , iterumque omnium ejus Operum Editores (*y*) vulgaſſent . Itaque nonnulla tantum adjiciam . Cum ſcrotum non penitus eſſet , ſed anterius ſolum , in duas partes diviſum , inter utriuſque ſuperiora orificium fuiſſe canalis urethræ , inde vero ad apicem uſque glandis per totam inferiorem penis faciem , qui multo erat brevior quam in Icone (*z*) repræſentatur , non jam canalem , ſed ſemicanalem perrexiſſe , id eſt urethræ parietem dumtaxat ſuperiorem , eumque lævem, & nitidum ; ut paulo minus difficile crederes adoleſcenti , & mulierculæ quæ ab eo ſe gravidam factam dicebat , quorum alter aſſeverabat , cum , ſublevato nonnihil pene , mingeret , lotium per ſemicanalem decurrere ; alterum , ejaculatum ab eo ſemen vaginam ingredi ; non interlabi. Lotium certe , cum ad parietem mingeret , altius vidimus quam orificium urethræ , aſcendiſſe . Neque nos fugiebat quid penis ſtructura ferat , & quæ Graafius (*a*), laudatuſque ab eo Harvejus propterea viderint , nimirum penem *admodum exiguum prima fronte apparentem* , ubi inflatus eſſet , *ex occulto* ſe in corpus *ingens protendiſſe* , interdumque , *præter quam cum tentigine provocaretur* , *nihil in corrugato præputio ſupra ſcrotum* , *præter ſummum glandis apicem* , *prominuiſſe* . Itaque concipiebamus , hoc ſe diſtendente parvo quidem , ſed non exiguo , pene , ſimul quod Juvenis affirmabat , extrorſum protendi illam ejus partem in qua urethræ orificium ſpectabatur , ſicque vaginam ſatis ſubire , ab hujus autem inferiore pariete ſe ad apertæ urethræ partem reliquam applicante , ex ſemicanali canalem fieri , non ſecus atque ſemicanalibus accidit , quos in Adverſariis (*b*) deſcripſi in teſtudinis , & viperæ penibus , ubi ſuarum fœmellarum naturalibus excepti ſunt . Haud equidem ſcio , num trimeſtri infanti , quem ab ſe viſum Palfinius (*c*) ſcripſit , ſicut ibi urethræ canalis ubi noſtro Juveni , deſinebat , ita ſemicanalis ad glandem pergeret : hoc ſcio , ſi ejus conformatio haud alia erat ac noſtri, minus certam eſſe potuiſſe prædictionem , id vitium ,, inhabilem generando redditurum , multumque incommodi in reddenda urina allaturum . ,, Nec me quidem præterit , antiquos Medicos , & Chirurgos vel in iis quibus ipſe urethræ canalis ad glandem uſque producitur, ſed ſubter hanc hiat , hypoſpadiæis propterea nuncupatis, idem , quod ad gignendum attinet , pronunciaſſe , confirmantibus recentioribus , & nominatim Dioniſio (*d*) , ubi quaſdam vel poſt ortum cauſas indicat hujus vitii . Sed miror tamen , cum Fabricium noſtrum ; id quod eorum Scripta oſtendunt ; perlegerint ; nihil excepiſſe in ea prædictione ; ſed omnino hic eſſe neceſſarium Chirurgi opus , tradidiſſe , quando ille diſerte admonuit (*e*), ſe *tamen* ab iis qui eo vitio tenerentur , *vidiſſe liberos eſſe genitos* , quod & alii (*f*) confirmarunt . Quapropter magis Ruyſchium laudo, qui cum olim (*g*) cenſuiſſet , vitium, ut puto illius quod deſcripſi , non diſſimile *ſterilitatem afferre* ; ita , de hoc altero verba faciens , rem moderatus eſt poſtea (*h*) , ut doceret, *hoc affectu laborantes raro imprægnare uxores* . Sed ad illos ut redeam quibus urethra obtigit aperta magna ex parte , & in longum ſemicanalem conformata ; A. 1756. priuſquam hanc recenſerem Epiſtolam , alter ad me ruſticus Juvenis adductus eſt annos natus viginti duos, cui ſic erat ut in priore, niſi quod ſemicanalis initium paulo diſtabat a ſummo ſcroto , pilis inſtructo , nec vel leviter bifariam diviſo . Huic quoque lotium non excidebat inter pedes ; ſed ad parietem jaciebatur : penis autem, cum tentigine diſtenderetur , ex brevi, non paulo , ut ipſe affirmabat , fiebat longior . Quod ut rationi conſonum erat , ſic illa quæ cernebantur , & præſertim paulo minor ſemicanalis longitudo non improbabile reddebant , hunc pariter prægnantem fœminam , quod uterque fatebatur, feciſſe . Qui Petropoli (*i*) multis poſt editam Valliſnerii , meamque Obſervationem annis , urethram in ſulci , aut ſemicanalis modum patentem viderunt , de ſexu definiendo ſolliciti (qua de re quærendi nobis quidem cauſa non fuerat) an ea ſtructura gignendi vim impedire omnino poſſet , non quæſiverunt . Cl. autem Vir Abr. Kaau Boerhaavius cum eorum obſervata proferret, pro noſtra, quam vidiſſe non videtur , ſententia ſtetit : pro qua Cel. etiam Hallerum (*k*) ſtare , credes , ubi eam ſic in tranſitu refert , & ſtaturum in puero quoque , cujus deformitatem ſimilem vidit , ſi provecta ætate; triennis enim tunc erat ; inſpexiſſet . Non huc refero Saltzmanni (*l*) in ruricola Juvene Obſervationem , cujus urethra non infra , ſed ſupra , & inter corpora nerveoſpongioſa ferebatur per dorſum penis aperta ; quia hic ut Figuræ (*m*) oſtendunt , erat per ſe quanto juſto craſſior , tanto brevior , neque a venereis cogitationibus multum creſcebat , tum quia nonnihil erat deorſum incurvatus , noviſſime quia urina non cum impetu per urethram fluebat . Quas ob cauſas omnes merito judicatum eſt, Juvenem ad generandum non eſſe idoneum .

9. Quod & ego de quodam alio Juvene cenſui, annis triginta minori , quamvis urethram neque in dorſo penis , neque totam haberet apertam. Quem diligenter, ut a me petitum fuerat , & res ipſa per ſe poſtulabat, inſpexi A. 1738. Is minus erat robuſtus , quam duo illi alii a me inſpecti; ſanus tamen ſic ſatis, oculis , & pene exceptis, quorum illi ab an-

(*p*) De Gland. Duod. ubi de car. in hom. Demonſtr. (*q*) Act. Erud. Lipſ. A. 1725. M. Novembr.
(*r*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 6. Obſ. 68. (*ſ*) loco modo indic. (*t*) Epiſt. 44. n. 7. & Epiſt. 40. n. 29. (*u*) n. 37.
(*x*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 72. (*y*) Tom. 3. P. 3. n. 28. (*z*) Cent. cit. Tab. 2. Fig. 1.
(*a*) De Viror. Organ. ubi de nervoſ. penis corporib. (*b*) IV. Animad. 4. (*c*) Anat. du corps hum. P. 1. tr. 2. ch. 17.
(*d*) Cours d' Operat. de Chir. Demonſtr. 3. (*e*) De Chir. Operat. ubi de glande non perfor. (*f*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 3. Obſ. 91.
(*g*) Muſ. Anat. Thec. C. Repoſ. 1. n. 1. (*h*) Theſ. Anat. 8. n 30. (*i*) Nov. Comment. Acad. Sc. Imp. Petropol. Tom. 1. in Phyſic.
(*k*) Comment. Soc. R. Sc. Gotting. Tom. 1. (*l*) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 65. (*m*) Tab. 6. Fig 1. & 2.

antiqua, aſſiduaque inflammatione cæcutiebant, hic ita ſe habebat, ut mox deſcribam. Uxorem ultro fatebatur etiamtum virginem habere, qualem ante triennium duxerat. Cauſam eſſe, arbitrari, glandem inferiora verſus curvatam, neque in apice, ſed infra pertuſam, proptereaque & penis ingreſſui, & ſeminis ejaculationi obſtantem. His auditis, cum genitalia inſpicerem, ita inveni. Teſtes magni: ſcrotum non pallens quidem, ſed laxius: penis juſto longitudinis, & craſſitudinis modo: præputium quale in duobus fuit a me deſcriptis Juvenibus, clitoridis præputio ſimile; glandis enim ſuperiorem faciem, & latera ſatis tegebat; a facie inferiore deerat. In eademque tota glandis facie, & parvo infra glandem ſpatio inferior quoque deerat urethræ paries, ut ſemicanalis inſtar, paries dumtaxat ſuperior ad extremum glandis pergeret, lævis, & ſubrubens, & in medio ſecundum longitudinem tria præclare oſtendens oſcula majorum, quos in Adverſariis (*n*) propoſuimus, canaliculorum, ellypſis forma: qualia, & plura quidem, & aliquanto grandiora in primo præſertim Juvene conſpexeramus, cum in horum nemine ulla uſquam apparuerint, quamvis attente quæſita, minorum canaliculorum foraminula; ex memoria enim deſcriptam Iconem fuiſſe, non dubito, quam ſuperius (*o*) indicavi, præter oſcula in recta una per medium linea, tot alia paſſim ab lateribus foramina repræſentantem. Porro canalis urethræ orificium in hoc de quo loqui cœperam, Juvene ibi erat, unde ſemicanalem incepiſſe, dixi, paululo autem infra illud, minori altero orificio inferior urethræ paries erat pertuſus: ex utroque, ajebat Juvenis, urinam prodire, ſeque ita conformatum in lucem editum eſſe, a matre accepiſſe. Tum curvaturæ glandis cauſam inquirens, cum viderem, ſatis laxam eſſe cutem quæ ad illam prope orificia de quibus dictum eſt, adhærebat; non tenſam contractamque, ut curvare ſic poſſet; quæſivi, num turgente pene, glans quoque turgeret, numve eo tempore ſaltem, ullus tenſionis moleſtæ ſenſus, præſertim ad modo indicatum cutis adhæſionis locum, perciperetur. Utrumque negavit. Hoc tantum addidit, in prima pubertate fuiſſe ibi, cum tumebat penis, moleſtum illum ſenſum, qui poſt tranſactos illos annos nullus amplius fuiſſet: & quamvis cum uxorem duxit, glans aliquando ſimul cum pene intumeſceret, tamen ex quo ſæpius inter vanos ineundi conatus multum ſeminis, citius effluentis, profudiſſet; unde opthalmiam, ajebat, factam eſſe leviorem, & minus hebetem viſum; penem tantummodo intumeſcere, glandem flaccidam, omniſque voluptatis expertem pendere. Evidens erat, quod tumente glande uxori facere non potuerat, flaccida non facturum. Flaccida autem cur fere olim fuiſſet, & nunc ſemper eſſet, cauſam eſſe credidi malam quam deſcripſi, urethræ conformationem. Cum enim ibi deeſſet inferior hujus paries ubi craſſiore augeri ſolet ſpongioſo corpore, ſe explicante ad glandis non tenuem exteriorem partem faciendam; credibile eſt, ſanguinem qui ex bulbo urethræ ſurſum protruditur opportune ad glandem diſtendendam, minus expeditum ad hanc tranſitum habuiſſe: quam conjecturam idem ſpongioſum urethræ corpus mihi confirmabat, quippe quod ab duobus illis orificiis ad penis uſque radicem in hoc Juvene eſſe æquo craſſius animadverti, nimirum a ſanguine, liberum in glandem trajectum non habente, ideoque infra illam ſubſiſtente, ut quantum craſſitudinis memorato corpori adderet, tantum longitudinis detraheret, ſicque annexam glandem deorſum curvaret. Quarum rerum in duobus illis aliis quos inſpexi, Juvenibus nulla erat propterea quia id corpus parietem ſuum inferiorem aut nullo modo, aut vix ſupra ſcrotum extendebat, ſuperior autem, ſive is qui inter nerveoſpongioſa penis corpora excipitur, facile, ficut in quibuſdam accidit, craſſior eſſet, ut ſatis cum glande poſſet communicare. Intelliges hoc quadantenus ex Ruyſchii Figura quæ, in Obſervationum Centuria, eſt 76: illa autem quæ in noviſſime deſcripto Juvene conjeci, longe clarius ex Centuriæ ejuſdem Figuris 81. & 82. comparatis cum 75.

10. His quæ modo dicta ſunt, confirmari vides quæ recentiores Medici, inprimiſque Boerhaavius (*p*) ex penitius perpenſa colis ſtructura enucleatius docuerunt, ut aliquando ſpongioſum urethræ corpus, & glans tendi poſſunt, flaccidis manentibus, imo abſentibus; ſic enim noſter Plazzonus (*q*) vidit; penis corporibus, ita viciſſim accidere, ut his diſtentis glans flaccida maneat; utrolibet autem modo generationis opus lædatur. Porro ſunt plura, & varia diſtentionis impedimenta non ſecus ac plures ſunt, & variæ cauſæ diſtentionis. Quas inter cauſas veſicularum ſeminalium non ſolum vera, ſed & apparens plenitudo videtur eſſe ponenda. Apparens mihi tunc dicitur, cum veſiculis non tantum quidem ineſt ſeminis, quantum revera ipſæ continere alias poſſunt, ſed quantum continere poſſunt eo tempore. Sic mane experrecti, ſeniores etiam aliqui, tentiginem patiuntur, quam, urina reddita, continuo abigunt. Urina enim diſtendebat veſicam, hæc vero ſubjectas illa præſertim ſua, quam nos propoſuimus, retrorſum extuberante baſi veſiculas comprimebat, ut ſic imminuta earum capacitate, vel modico ſemine haud ſecus diſtenderentur, quam, non compreſſæ, plurimo diſtenduntur. Et Medici quidem Experientiſſimi, in hiſque Gulielmus Ballonius (*r*) ex hoc phænomeno utile conſilium traxerunt. Minus ad venerem valens, *coeat*, inquit ille, *poſt multam titillationem & cum retenta urina & mejendi ſummo deſiderio*. Sic quod poſt Galenum (*ſ*) iidem adnotarunt inter calculi veſicæ indicia penem aliquando *intentum præter rationem*, ubi gravior præſertim ac major calculus ſit, eodem quoque explicabimus modo. Eodem quoque dixi, non ignarus, modis etiam aliis hæc poſſe explicari phænomena. Sunt tamen caſus in quibus alia præ alia congruere poſſit explicatio: quin fieri etiam interdum poteſt, ut plures ejuſmodi cauſæ ad eundem producendum effectum conveniant.

11. Sed de Viris ſatis. Nunc ad Mulieres tranſeamus, initium ducentes ab duabus, quarum naturalia non ſecus ac trium de quibus ſupra diximus, Juvenum, petitum eſt a nobis, ut accurate examinaremus. Ruſtica erat altera, cujus naturale omnino ſecundum naturam ſe habebat. Sed is in quem abit *canalis*, ut Celſi (*t*) ætate vocabant, nunc vaginam appellamus, vix tertiam juſtæ longitudinis partem ſuperaverat, cum ibi repente finem habebat. Nulla ad eum locum, aut infra cicatrix: nulla in muliere, aut parentibus recordatio ulceris, aut alterius prægreſſi vitii unde vaginæ latera coaleſcere potuiſſent; exulceratis enim his locis ſive ab lue venerea, ſive ab difficili partu, ſive a cauſa quavis alia, ubi Chirurgi, aut Obſtetricis incuria accedat, quam facile eorum latera inter ſe concreſcant, exempla docent complura, quorum aliqua indicabit tibi Marcellus Donatus (*u*), alia nos infra memorabimus. Sed non ſolum nihil ejuſcemodi præceſſerat in hac fœmina; verum lævia inſuper, nitida, æqualia omnia, ubi id quod erat vaginæ diduxiſſes, & explicaſſes, ſic apparebant, ut non magis hujus latera quam illud in quod deſinebant, quaſi lacunar a natura eſſe, & ex eadem ſubſtantia, eademque ſtructura primitus fuiſſe facta, intelligeres. Nec vero id lacunar urgenti explorantium digito, aut mariti jam per triennium peni, membranæ inſtar quæ in tranſverſum ducta eſſet, quidquam cedebat; ſed ut ſolidior craſſiorque paries, renitebatur. His ita animadverſis, cum ex muliere, florente adhuc ætate, & egregia valetudine prædita, quæſiviſſem, num ut cæteris, ita ipſi quoque, ſi non ſingulis menſibus, at aliquando ſanguis inde fluxiſſet, aut ſaltem per certa intervalla dolores ad lumbos, pubemve orirentur; illa vero hæc omnia negaſſet; idem ſuſpicari cœpi quod in altera: quam ubi deſcripſero, eam tecum ſuſpicionem communicabo.

12. Nar-

(*n*) I. n. 10. (*o*) ad n. 8. (*p*) Prælect. ad Inſtit. §. 654. (*q*) De Partib. Generat. l. 1. c. 21.
(*r*) l. 2. Conſil. Medic. 26. (*ſ*) De loc. aff. l. 1. c. 1. (*t*) De Medic. l. 4 c. 1. ad fin. (*u*) De Med. Hiſt. Mirab. l. 6. c. 2.

12. Narrabat hæc altera, non ſe quidem eſse imperforatam, ſed anguſto adeo foramine præditam, ut non ignobilis in doctiſſima Civitate Medicus, idemque Chirurgus, cum in prima pubertate inſpexiſſet, conſilium dederit immiſſis quæ ad id eſſent idonea, paulatim dilatandi; cætera enim ætatem; & virum, ſi nuberet, perfecturum. Se vero aliquid illorum quadantenus & aliquando immiſiſſe, & nonnihil foraminis orificium ea ratione dilataſſe, ulteriora ferre non potuiſſe: virum quoque cui a triennio collocata eſſet, crebris conatibus idem orificium paulo magis amplificaſſe; ſubire autem nunquam potuiſſe. Quibus auditis, inſpexi ea mente, ut ſi craſſior forte hymen, tenuiorique patens foramine obſtaret; inciſionis auctor eſſem, ut fuerunt alii, & in his Blaſius (*x*): ſin anguſtiæ per vaginam altius pergerent; quid & quatenus facto opus eſſet, excogitarem; necdum enim Cl. Benevolus imitandum æque facilis ac felicis curationis exemplum (*y*) propoſuerat; cum plurimis poſt annis ejus Obſervationes prodierint. Nam quæ a Blaſio (*z*) in quadam cui id a partu acciderat, curatio expoſita eſt, nimis aſpera, ne dicam ob læſum Rectum inteſtinum, longior fuit. Sperare autem, ut prægnante denique facta muliere, quemadmodum illi accidit de qua retulit Antonius (*a*), ab uteri ipſa geſtatione vagina dilataretur, minus auſus eſſem, ut qui inter rariſſima exemplum id ponerem. Et videbis certe, non idem contigiſſe alteri fœminæ de qua iiſdem in libris verba fiunt (*b*), imo quanto labore, & ſi quæ ſecuta ſunt, attendas, periculo quoque, Benevolus (*c*) cum Quercio inter partus dolores vaginam coacti ſint dilatare ad medium dumtaxat longitudinis ſuæ coarctatam ob vulnus in pueritia acceptum; cum illæ duæ ſic natæ fuiſſe videantur. Hæ autem quinque mulieres tenue foramen habebant omnes, per quod aliqua ad uterum via pateret: quale in ea quoque eſſe, ſuſpicabar, cujus hiſtoriam deſcribendam ſuſcepi. Verum ubi foramen de quo mulier narraverat, conſpexi; illico ex ejus ſede orificium urethræ eſſe, cognovi, gratiaſque agendas eſſe Deo, quod mulier ulteriorem ejus meatus dilatationem non pertuliſſet, ex qua illud procul dubio acceſſiſſet incommodi, ut lotium retinere non poſſet. Unde intelligis, Anatomes imperitiam tantam aliquando non modo in vulgaribus chirurgis, & tonſoribus, de quibus haud ita abſimilia referunt Platerus (*d*), & Petrus de Marchettis (*e*), ſed & in Medicis eſſe non ignobilibus, ut urethræ oſculum, magno ægrotantium detrimento, aut certe periculo, non dignoſcant; niſi hic forte æquius eſt inſpicientis aut feſtinationem, aut præjudicatam ex male ſibi de foramine peranguſto narratis opinionem accuſare. Tunc oculis ad eam naturalis partem converſis, quæ pone id oſculum proxima ſequitur, ſcilicet in qua vaginæ orificium patere ſolet, nullum uſquam foraminulum, nedum foramen, occurrit attentiſſime inquirenti: clauſus omnino is erat locus, non membrana quæ prementi cederet, ſed firmiſſimo ſolidoque pariete. Dubitanti mihi quid potiſſimum conſilii darem; neque enim hic de *concreto genitali*, ut in Cornelia Gracchorum matre (*f*), id eſt de illius *inter ſe glutinatis oris*, ut loquitur Celſus (*g*), agebatur, aut de *membrana ori vulvæ oppoſita*, quam idem (*h*) memorat, quarum neque incognitæ, neque difficiles ſunt curationes, ſed de caſu in memoriam revocante quem legeram apud Nabothum (*i*), Medici cultro vaginæ coalitum, qui pariter ab ortu eſſet, tollere ſatagentis, ab opere autem deſiſtere coacti, cum altius procedere vidiſſet coalitum, ſimulque ſanguifera vaſa majora apparere, unaque Nabothi ſententiam (*k*); *ſi interſtitium carneum adſit*, craſſius videlicet; *ab ejus ſectione partim propter hæmorrhagiam enormiorem, partim ob inflammationem ſubſecuturam, præſtare abſtinere*: hæc igitur animo verſanti opportune venit in mentem eadem quærere quæ ex muliere ſuperiore (*l*) quæſiveram, num menſtruus ſanguis prodiiſſet unquam? num ullæ per intervalla ad lumbos eſſent, pubemve moleſtiæ? Ex quo enim ſcripſerat Ariſtoteles (*m*), *fœminis nonnullis os uteri compreſſum, concorporatumque ab ineunte ætate ad tempus uſque menſtruorum perſeveraviſſe, mox urgentibus menſtruis, doloreque infeſtante, aliis ſponte diſruptum eſſe, aliis diſſectum a Medicis*; probe memineram, quot, & qualia tuliſſent fœminæ plures a coacervato in vagina, & utero menſtruo ſanguine donec a Chirurgis ante, & poſt Fabricium noſtrum ab Aquapendente (*n*) ſecta impervia membrana ad orificium vaginæ, curarentur, hoc enim ibi pro ore uteri acceptum eſſe ab Ariſtotele, Fabricium dubitaſſe (*o*), miror; quaſi vaginæ orificii occluſio tanta nonnunquam eſſe non poſſet, ut ſive *per vim diſrupta*, quod Ariſtoteles dicit, ſive quod Fabricius ait, inciſa, *nonnullarum*, ſicut ille continuo ſcripſerat, mortis cauſa fieret, quod poſſe, vel ex iis quæ paulo ante attigi, ſatis intelligis. Quantum autem, & quid malorum ante curationem tuliſſent illæ, exempla docebunt ab Donato (*p*), ab Severino (*q*), a Fabriciis tum noſtro videlicet (*r*), tum Hildano (*ſ*), ab Ruyſchio (*t*), ab Nabotho (*u*) propoſita. Quibus addes illa inſuper quæ alii, & in his Cl. Viri Fantonus (*x*), & Kannegieſſerus (*y*) deſcripſere. Nam Benevolus qui tres perſanaverat, quibus incommodis vexatæ eſſent, cum ſic in tranſitu eas memoraret, (*z*) adjungere prætermiſit. Nec vero eæ tantum fœminæ quæ naturali occluſo natæ erant, iis malis poſt pubertatem fuerunt obnoxiæ, ſed etiam illæ quibus a difficili partu vaginæ orificium concreverat, cujuſmodi hiſtoriis adjunges quam in Commercio Litterario (*a*) videbis commemoratam. Quacunque enim de cauſa foramen omnino eſt nullum per quod e vagina, confluens intra uterum ſanguis exeat, hic noxas retentus afferat, neceſſe eſt. At ſi foramen aliquod ſit; non illæ plane imperforatæ dicendæ ſunt, nec mirandum, ſiquæ earum gravidæ fiant, quemadmodum illarum quinque de quarum ſumma vaginæ ipſius anguſtia paulo ante diximus tres factæ ſunt, ut alia quoque, cujus deſcriptio eſt apud Hildanum (*b*), cum in membrana vaginam occludente exigua eſſent foraminula. Itaque his omnibus per vias, quamvis tenues, menſtrua prodibat purgatio: de qua ſi per quoſdam quæſitum eſſet, quibus non licuit eas vias inſpicere, ſed ex maritis dumtaxat ſcire, uxores ſibi impervias eſſe; fuiſſet illa indicio, ne, cum eædem factæ eſſent prægnantes, ſine ulla virilis ſeminis admiſſione factas eſſe, exiſtimarent: & exempla mulierum prorſus imperforatarum pauciora fortaſſe in libris haberemus. Verum ut menſtruis illæ expurgationibus non carebant; ſic malis carebant quæ aliis diximus coacervatum in vagina, uteroque ſanguinem afferre. Quæ cum ita ſint, neque illarum moleſtiarum ullam, non dico adeſſe, ſed neque initium earum quodquam, neque menſtruam purgationem in duabus, a me inſpectis, fœminis unquam fuiſſe, audirem, contra autem, utramque cernerem optimis viribus, & colore, & valetudine præditam, ut ſaniſſimæ quæque ea ætate ſolent, quæ videlicet adhuc florens erat; ſuſpicari cœpi, fortaſſe ut patulo vaginæ canali, aut orificio, ſic utero quoque ab ortu carere; ut ſi vel Chirurgi ferro tolli obſtaculum poſſet, periculum tamen ſubeſſet, ne ſimul cum eo veſica, aut inteſtinum aliquod proximum, abſente nimirum utero, pertunderetur, non ſecus ac grave ejuſdem generis periculum ſuberat in memoratis alias (*c*) infantibus quibus anus erat imperforatus, ſimul autem totum Rectum deerat inteſtinum. Itaque earum utrique auctor fui, ut æquo animo ferrent, conjugium male initum potius diſſolvi, quam ſe temere ſecandas præberent.

13. Nec vero illa mihi objicias, non defuiſse, nec deeſ-

(*x*) Part. 2. Obſ. Med. 6. (*y*) Oſſervaz. 2. (*z*) Part. 2. cit. Obſ. 7 (*a*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1712. Obſ. Anat. 2. (*b*) Hiſt. A. 1748. Obſ. Anat. (*c*) Oſſervaz. 5. (*d*) Obſ. l. 3. ubi de Part. Procid. (*e*) Obſ. Med. Chir. 60. (*f*) apud Plin. Nat. Hiſt. l. 7. c. 16. (*g*) De Medic. l. 7. c. 28. (*h*) Ibid. (*i*) Diſput. de Sterilit. Mulier. n. 7. (*k*) Ibid. n. 23. (*l*) n. 11. (*m*) De Generat. Animal. l. 4. c. 4. ſub fin (*n*) De Chirurg. Oper. ubi de Hymene imperfor. (*o*) c. ſeq. (*p*) c. ſupra ad n. 11. cit. (*q*) Chirurg. Effic. P. 2 ubi de Sectionib. c. 46. (*r*) loc. cit. (*ſ*) Cent. 2. Obſ. Chir. 60. Exempl. 3. (*t*) Cent. Obſ. Anat. Chir. 32. (*u*) Diſp. cit. n. 4. (*x*) Opuſc. Med. in Schol. ad Patr. Obſ. 30. n. 3. (*y*) Act. N. C. Tom. 6. Obſ. 88. (*z*) Oſſervaz. 1. (*a*) A. 1734. Hebd. 25. ad finem. (*b*) Obſ. 60. cit. Exempl. 2. (*c*) Epiſt. 32. n. 3.

deeſse mulieres quæ ſine menſtruis purgationibus ſanæ vivant. Equidem & ipſe nonnullas novi ; ſed de iis idem ſæpe quod de duabus prioribus dubitavi. At enim, inquis, plurimæ ſunt, quæ illis carentes purgationibus pepererunt. At tu deme ex earum numero quotquot ſub longe alia plaga ac noſtrates, vivunt : deme viragines quas vocant : deme etiam quæ non integra valetudine utuntur. Jam iſtæ plurimæ ad non ita multas redibunt. Vel ſic tamen, ais, plures erunt, quam quæ ſine utero natæ ſunt. Ego vero comparationem iſtam tunc jure inſtitui, fateror, ſi quam facile fuit Medicis illarum numerum adnotare, tam harum pariter fuiſſet. Illæ enim ultro ſe indicant ipſæ, quippe rem; ſi ſpectes ſexum univerſum, & regiones quaſque non remotiſſimas, perraram ſane, & admirabilem proferentes. Ex cæteris autem omnibus quæ cum perpaucis illis collatæ, tanto plures ſunt quæ videlicet ſine illis purgationibus ſanæ quidem vivunt, ſed nunquam pariunt, quot tandem cadavera diſſecta ſunt? niſi autem diſſeces, utero careant, an præditæ ſint, certe nec ipſæ, nec quiſquam alius docuerit. Cum igitur neutrum liceat pro certo ſcire; quis prudenter in his audeat, quaſi uterum ineſſe conſtaret, obicis, ſi forte occurrat, tollendi opus ſuſcipere neque ad vitam ſervandam, neque ad ægrotationem ullam auferendam neceſſarium, & fortaſſe non modo inutile, ſed etiam periculoſum, præſertim ſi obex opponatur quem aut ſedes, aut craſſitudo quoque, & durities oſtendant nec facile, nec ſine magno diſcrimine tollendum? Duas ego fœminas ſcio (nam libro careo in quo tertia proponitur, a Cl. Caſpare Boſe (*d*) laudata; quartam vero imperforatam, & ſine ullo quidem vaginæ veſtigio, ſed non ſine aliqua tamen, quantumvis inutili, uteri adumbratione fuiſſe, lego (*e*)) duas, inquam, ſcio, quas ſine utero in lucem editas anatome demonſtraverit, alteram a Columbo noſtro (*f*), alteram a Cl. ejus cive Fromondo (*g*) diſſectam; ut hoc ipſum mihi indicio ſit, multo plures ex iis quæ menſtruo ſanguine carerent, potuiſſe ab Anatomicis abſque utero inveniri; nam ut rarum hoc videatur, multo rarius videatur neceſſe eſt, ſi præter illas nulla alia fuiſſet, ambas Proſectoribus Cremonenſibus obtigiſſe. Cum utrique illarum deeſſet uterus, via deerat quoque pervia, quæ ad ſedem uteri ferret; ut primam, cui vaginæ portio dumtaxat erat, cum priore de duabus quas ego inſpexi; alteram, cujus erat vaginæ orificium imperforatum, cum altera liceat comparare. Viſam a Columbo ſiqui Chirurgus incidere aggreſſus eſſet; viſcus aliquod fundo illius vaginæ portionis attiguum ſimul incidiſſet, a cujus viſceris compreſſione fortaſſe erat quod mulier *quoties cum viro coiret, mirandum in modum conquereretur*. Conſpectam a Fromondo ſiqui ſcalpello curandam ſuſcepiſſent; primum quidem ſeptum obſtitiſſet validum, firmum, & *fibris adeo ſolidis intertextum, ut ad cartilagineam naturam proxime accederet*. Quod dum vi adhibita perſecarent, nihil facilius factu fuiſſet, quam ut vaginæ cavum ſubeſſe putantes, hujus parietes, quippe inter ſe coaleſcentes, & fortaſſe etiam adſitum ipſis Rectum inteſtinum, aut veſicam urinariam convulnerarent. Denique fuiſſent ii parietes ſejungendi. Quarum rerum quis præſtare poſſit nullam in fœminis, a me inſpectis, ſubfuiſſe? Nemo certe, ut neque, uterum, ſicuti in diſſectis illis deerat, non defuiſſe. Eſt præterea nonnunquam uterus vel in adultis mulieribus parvus adeo ut perinde ſit ac ſi deeſſet, quemadmodum propria Obſervatione infra (*h*) confirmabo, ſi prius, ut de occluſo exteriore ejus, id eſt vaginæ orificio verba feci, ſic de impedito interiore oſculo nonnulla ſubjecero.

14. Oris uterorum concluſi non uno in libro Hippocratico (*i*) mentio fit. Concluſionis plures, variæque poſſunt eſſe cauſæ : quarum pleraſque examinavit Valliſnerius (*k*), in externas dividens, atque internas. Quaſdam attingamus. Inter illas ponebant quondam cum Hippocrate (*l*) *omentum* in præpinguibus *os uteri comprimens*. Quod Veſalius qua ratione explicaret, paulo fuſius ex Sepulchreto (*m*) diſces; eum enim locum (*n*) in poſterioribus editionibus ille contraxit. Scilicet videbat eximius Anatomicus hinc quam molle omentum, inde vero quam craſſi, & renitentes parietes ſint uterini oſculi. Itaque omentum eo uſque inter veſicam, illudque oſculum deſcendere, concipiebat, ut molles ſummæ vaginæ parietes alterum ad alterum apprimendo, viam ſemini ad proximum oſculum intercluderet ſua mole, & pondere, & brevior præſertim, aut languidior penis ad ſummam vaginam non perveniret, eamque diſtendere non poſſet. Quam Veſalii explicationem minus ægre ferrem, quam nudum Hippocratis dogma recentiores quoſdam Anatomicos eſſe ſecutos : quanquam concipere omentum non poſſumus inter vaginæ ſummam partem, veſicamque interjectum, niſi diſcerptos qui ibi eſſe inter utramque ſolent, imo nonnunquam aliquanto etiam ſupra conſpiciuntur, celluloſos nexus intelligamus, qui cum in præpinguibus ipſi quoque pinguedine farcti ſint, fortaſſe non ita facile cedant, locumque præbeant omenti ponderi. Cum autem in ejuſmodi fœminis celluloſæ quæque membranæ pinguedine diſtendantur; proclive eſt intelligere, ut poſſint ab adſitis præpinguibus inteſtinis, aut a pinguedine increſcentre tubarum Falloppii membranis, earum fimbriis, aut ſaltem membraneo vinculo quod Alam Veſpertilionum vocitant, hæ omnes particulæ, aut ex ipſis aliquæ in ſuis ad generandum neceſſariis motibus impediri; ſic enim juvat Valliſnerium (*o*) interpretari, aut certe aliquid ad ejus explicationem adjicere.

15. Inter cauſas autem internas os uteri obturantes idem cum aliis excreſcentias ponit in uteri cervice natas (*p*), & cum ipſo Hippocrate lapides quoque (*q*). Ego quæ de excreſcentiis obſervata habeo, in proximam Epiſtolam differo. Calculos in utero necdum reperi : quos tamen ab aliis noſtra etiam memoria, non modo olim, conſpectos ſcio, quorum hiſtorias indicat Valliſnerius. Sed vellem, plures, omneſque adeo tum legiſſet quæ collectæ ſunt apud Schenkium (*r*), cum alibi (*ſ*) vix illud conceſſit „ non eſſe improbabile in utero quoque lapides gi-„ gni „. Hiſtoriis enim illis perlectis, aliiſque inſuper additis, ut puta illa quæ apud Bartholinum eſt (*t*), itemque illa quam in Sepulchreto (*u*) habes, præclare intellexiſſet, toties, & ab ejuſmodi Viris in ipſo mortuarum fœminarum utero lapides fuiſſe deprehenſos, ut minime eſſet neceſſarium ſuſpicari, ſiqui calculi ex viventium utero elapſi, detractive, ut nominatim in Lariſſæa illa apud Hippocratem (*x*) ancilla, dicerentur, eos ex veſica potius, cujus a calculis vexatæ peculiaria ſimul indicia non extarent, quam ex utero, prodiiſſe.

16. Porro in cauſis internis, uteri os occludentibus hujus conſtrictio eſt, & conglutinatio, quarum exempla invenies inter producta a Cl. Hallero (*y*), addere autem poteris alia, ut Fabricii noſtri ab Aquapendente (*z*), & Experientiſſimi Benevoli (*a*), ex cujus Obſervatione ſuſpicari licet, præter conſtrictionem, membranam forte aliquam fuiſſe quæ ab ortu uſque uteri oſculum clauderet. Sane autem idem Fabricius (*b*) *membranam, quæ vaginam efformat*, ait, ſe digitis immiſſis obſervaſſe in viva *per totum continuam, & uteri orificium celantem* : Littrius vero (*c*) in diſſecta ſterili muliere membranam vidit quæ interius vaginam veſtit, non ſecus uteri oſculo, ac vaginæ ſuperficiei, adhærentem, ut illud occluderet. Sed & poſt ortum *ſuperexcreſcere* membranam, non dubitavit Hippocrates (*d*). *Cum mulier genituram ſuſcipe-*

(*d*) Diſp. de Obſtetric. Errorib. & cæt. §. 7. in fin. (*e*) Diſp. Anat. ab Hallero collect. Tom. 5. pag. 227.
(*f*) De Re Anat. l. 15. in ipſo fine. (*g*) Imperfor. mulier. & cæt. Obſerv. (*h*) n. 20.
(*i*) De Nat. Muliebr. n. 33; De Morb. Muliebr. l. 2. n. 50; De Sterilib. n. 1. & cæt. (*k*) Iſt. della Generaz. P. 3. c. 1. n. 5. & ſeqq.
(*l*) Sect. 5. Aph. 46. (*m*) Sect. hac 34. Obſ. 4. in Schol. ad §. 4. (*n*) De hum. corp. fabr. l. 5. c. 4. (*o*) n. 5. cit.
(*p*) Ibid. n. 6. (*q*) Ibid. n. 7. & c. 2. n. 42. (*r*) Obſ. Med. l. 4. prope fin. (*ſ*) Opere T. 3. P. 3. n. 12.
(*t*) Cent. 4. Hiſt. 64. (*u*) l. 3. S. 24. Obſ. 18. §. 10. (*x*) Epidem. l. 5. n. 12. (*y*) ad Boerh. Prælect. ad Inſt. §. 675. not. *i*
(*z*) De Chir. Oper. ubi de vitiis quor. cauſa fœminæ concub. non admitt. (*a*) Oſſervaz. 1. (*b*) loco modo cit.
(*c*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. A. 1704. Obſerv. Anat. 13. (*d*) De Sterilib. n. 13.

ſcipere non poteſt, neceſſe eſt, inquit, *membranam ſuperexcreviſſe in oſculo uterorum*. Qua de membrana quid ipſe viderim, hæc tibi oſtendet Obſervatio.

17. FŒMINA annos nata ad quinquaginta, clauda adeo, ut artus inferior dexter brevior eſſet quatuor digitis, quam ſiniſter, ex aſthmate in Noſocomio deceſſerat ſub Januarii finem A. 1747. quo tempore, ut ſolitus ſum, in Gymnaſio Anatomen docebam. PECTORE erat peranguſto: eoque aperto, multa intus aqua inventa eſt: cætera non perquiſiverunt, quippe feſtinantes, nullaque alia de re ſoliciti, niſi ut quæ lotii, & generationis cauſa creatæ ſunt, Partes accurate demerent, & in Gymnaſium afferrent. Utraſque diligenter perluſtravi. In illis, poſtquam ab annexis Magnis truncis profectas arterias, venaſque Iliacas a dextris tenuiores, quam a ſiniſtris, ſpectavi, renes animadverti pro fœminæ ſtatura quæ parva fuerat, non parvos, ſanos tamen, quantum æſtimare potui: ſic etiam in veſica, cujus pars infima phlogoſi apparebat affecta, ureterum oſcula aliquanto ampliora. Quod ad genitalia attinet; ut hic prætercam quæ hujus loci non ſunt, in primiſque hymenem, atque alia quæ integerrimam virginem præter expectationem ſignificarunt; primum ex iis quæ ſine diſſectione adnotare potui, eadem phlogoſis fuit in hymene dumtaxat, eique proxima naturalis exteriore facie, & ex hac parvula præter naturam aſſurgentia tubercula, pariter rubra: & phlogoſis item in Falloppii Tubis, Aliſque Veſpertilionum: teſtes autem ſcirrhoſi, & ſuperficie quaſi in teſſellas diviſa. Tunc aperto uteri fundo, & ſuprema proximæ cervicis parte, ſuperficiem illius coccineo colore, hujus ne rubeſcente quidem animadverti. In illo ſive poſteriora, ſive anteriora ſpectares, excreſcentiæ inerant humillimæ, non modico tamen ambitu, planæ, & vix ultra ſuperficiem demiſſæ, quæ intus extraque colore magis fuſco quam reliqua ſuperficies, rubebant. Porro ut quod reliquum erat cervicis introſpicerem, cum antequam id ſecarem, ſpecillum tenue a fundo uteri oſculum verſus demitterem; tranſitum ad hoc non patere, ſenſi. Itaque inciſa vagina, oſculoque retecto, cum ſpecillum ne illinc quidem immiſſum tranſiret; diligentius inſpectans, oſculum vidi, cujus prominens corona ſecundum naturam ſe habebat, niſi quod parvo infra oſculum ſpatio corrugationem quaſi aliquam oſtendebat. Oſculum ipſum peranguſtum, & circuli omnino forma. Cum introſpicerem; exiguo ab ipſo intervallo oculis ſe objecit membranula albida, ipſum fortaſſe coarctans, certe occludens: eaque ſive deſcendenti, ſive aſcendenti ſpecillo obſtabat. Nec vero ad valvulas erat referenda quas alias (*e*) in cervice virginei uteri delineavi; neque enim illarum ſingulæ niſi ex parte cervicem occludunt, omnes autem ita ſunt poſitæ, ut aſcendenti quidem ſpecillo obſtent; ſed deſcendenti obſequantur. Non tamen negabo, iſtam quam modo deſcripſi, membranulam quopiam fortaſſe foraminulo, ut Littrius (*f*) in ſua vidit, fuiſſe pertuſam, aut ab aliqua ſaltem ſui ambitus parte pauxillulum inter ſe, & cervicis parietes intervalli reliquiſſe; quando nihil intra uterum collecti humoris deprehendi: niſi exiſtimemus, nec antiquam adeo fuiſſe membranulam, & humorem potuiſſe a revehentibus vaſis abſorberi.

18. Credere autem malim, rem aliquam ejuſdemmodi, aut paulo interiorem Nabothum (*g*) ſpectaſſe, cum *extraordinariam* uterini *orificii interni anguſtiam*, ſcripſit, in viventibus *non magis innoteſcere, quam ſolitariam ovulorum conformationem vitioſam*. Neque enim ignorare poterat Vir Doctus, non ſemel tradita hæc fuiſſe ab Hippocrate (*h*): *ſi os uterorum concluſum fuerit; fit ſpiſſum velut groſſus: & ſi digito contigeris; deprehendes durum ac convolutum, & digitum non admittit*: & quotidie peritos Chirurgos digito immiſſo ad uteri uſque oſculum examinandum, ſtante præſertim muliere, pervenire. Quin idem oſculum, aliter locata muliere, nempe uti cum ſpeculum quod vocant uteri, immittebant, poteſt vel ſine eo ſpeculo, ut non ſemel vidi, in conſpectum venire, maxime ſi vagina brevior ſit, immiſſo videlicet, loco ſpeculi, eburneo, aut cryſtallino congruæ latitudinis & longitudinis infundibulo, ſimulque lumine ea etiam, ſi opus ſit, ratione quæ a me tibi alias (*i*) indicata eſt.

19. Obliquitas quoque oſculi uteri obſtare poteſt ſemini, hunc ſubituro. Obliquitas autem illa oſculi conſequitur uteri obliquitatem, ut Hippocrates (*k*) docuit, ſcribens, *ſi uteri obliqui fiant, etiam os ipſorum obliquum fieri*. Sed ego cum de obliquo utero aliis Litteris (*l*) acturus ſim; eo jam tranſeo, ut promiſſam exigui uteri Obſervationem ſubjiciam.

20. MULIERCULA annorum circiter ſex & ſexaginta, ſtatura quidem infra mediocrem, majori tamen multo quam ut ad pumilionum genus referres, quæ cum olim annos plurimos bajuli qui nunc diem obierat, hominis robuſti, ſed bardi, conjux fuiſſet, nunquam pepererat, noviſſime paulo ante medium Decembrem A. 1749. in Noſocomium venit infirmiſſimis viribus, nulla alia de re queſta, niſi de fame; erat enim mendica; & de frigidæ tempeſtatis injuriis. Cum ibi igitur, ut refocillaretur, cubaret, ecce repentino animi deliquio corripitur, & intra horam conficitur. VENTREM aperientes, improviſæ mortis cauſam ſtatim deprehenderunt, ruptum videlicet in meſenterio abſceſſum, ex eoque in ventris cavum effuſam materiam graveolentem: quæ res tanto citius huic anui, quam rhedario, ab Illuſtri Heiſtero (*m*) deſcripto, exitium attulit, quanto hæc infirmioribus erat viribus, & graviore, ut opinor, ætate. Ea autem exhauſta, abſterſaque materia, & meſenterio cum inteſtinis amoto, continuo urinarias, & genitales Partes diligentiſſime e ſuis ſedibus detrahere, ut ego mandaveram, perrexerunt, utraſque ibi, ſicuti ex viro pridie oſtenderam, ita ex muliere Studioſis Rei Anatomicæ protinus oſtendendas. Quod & feci, non ut naturalem, quemadmodum alias, ſed ut præternaturalem, quando ſic contigerat, & in parte perraram earum conſtitutionem viderent. Et in renibus quidem id vitii erat, ut veſicas illas, ſeri plenas, in ſuperficie partim exſtantes, partim ſemiſepultas oſtenderent, dexter præſertim qui magnam habebat ad extremum inferius, & faciem præterea hic illic, ſi attente aſpiceres, inæqualem. Ureteres tamen non dilatati, imo parvulis oſculis in veſica hiantes, ſana quidem, niſi quod cum tunicæ ejus cæteræ eſſent in ſe contractæ, extima tamen erat non modo laxiſſima, ſed ſi vel leviter traheres, facile ſequens, & a cæteris late ſecedens. Urethræ denique, cujus erat juſta longitudo, ſi intimam faciem inſpiceres; minimas hic illic quaſi veſiculas ſubvideres. In genitalibus autem plura a conſueta naturæ norma recedebant. Ut enim omittam in ejus ætatis fœmina, & bajuli uxore, naturalis parvitatem, nympharum autem tantam exilitatem, vix ut earum initium, idque leviſſimum, breviſſimumque appareret; clitoridis glans, & præputium nuſquam occurrebant; ſed utriuſque loco rotundum, nec parum exſtans tuberculum, eadem qua naturale, cute obductum. Quam cum incidiſſem; materiam multam offendi ejus prorſus naturæ ac quæ ſub clitoridis, peniſve præputio congeritur, albidam, ſemiſiccatam, & propterea quaſi in pelliculas, ut tum ſolet, quarum aliæ aliis incumbunt, diſpoſitam: ſub ejus autem materiæ ima fere parte clitoridis glandem, ejuſque præputium, utrumque tenue, & parvum; ut tuberis illius protuberantia multo maxima ex parte ab ea materia efficeretur. Quæ a me idcirco pluribus hic verbis deſcripta eſt, quod ex hac Obſervatione dubitatio quædam tollitur, quam Santorinus (*n*) infirmaverat, ſummi alioquin Viri Boerhaavii (*o*). Certe enim cum inciſa a me cutis neque foraminis, neque cicatricis ullum prorſus haberet veſtigium; nunquam illuc ſe conjicere

materia

(*e*) Adverſ. Anat. I. Tab 3. (*f*) ſupra ad n. 16. cit. loco. (*g*) n. 20. Diſp. ſupra ad n. 12. cit.
(*h*) De Morb. Muliebr. l. 2. n. 50. & De Nat. Muliebr. n. 33. (*i*) Epiſt. 14. n. 13. (*k*) libro noviſſime cit. n. 34.
(*l*) Epiſt. 42. n. 31. & ſeqq. (*m*) Diſſert. de Hernia Carn. §. 28. (*n*) Obſ. Anat. c. 10. §. 12.
(*o*) Epiſt. de Fabr. Gland.

materia potuit quæ ex urethræ canaliculis prodiiſſet; ſed neque ex glandulis aliis proximis; ut jam pateat, ex fontibus qui in mulierum glande, aut præputio ſint, & quod conſequitur, virorum quoque, eſſe derivandam. Cæterum clitoridis neque corpuſculum, neque crura, neque ullus ex iis quos illi ſolent attribuere, muſculis deerat: plexus autem Retiformis exigua erat craſſitudine. Etſi autem hymenis vix unum atque alterum, idque leve, reſtabat veſtigium; vaginæ tamen orificium ea erat anguſtia, ut virum nunquam admiſiſſe videretur: certe craſſiorem de quatuor minoribus meæ manus digitis non tranſmiſiſſet. Vaginæ autem, ſecundum longitudinem apertæ, & explicatæ latitudo erat vix paulo amplior duobus digitis tranſverſis, longitudo quatuor non æquabat. Nullæ intus carunculæ, nullæ rugæ, ſi perbrevem, & anguſtam exciperes pone alterum vaginæ orificii latus quaſi corrugationem. Uteri oſculum nulla extuberante corona cinctum, forma erat propemodum circuli, ſed parvi adeo, ut mediocre ſpecilli capitulum non admitteret. Inde ad ſupremam uſque extimamque fundi uteri partem haud tantum erat intervalli, ut æquaret maximam mei digiti pollicis latitudinem. Neque indicata longitudine erat latior ſumma, id eſt latiſſima uteri pars; nam reliquum ne latitudinem quidem æquabat apicis digiti minimi, vel antequam incideretur, ſpectata. Incidendo, parietum craſſitudinem reperi tum fundi, tum cervicis tenuiorem quam ubi in ea Graafii Figura (*p*) quæ uterum exhibet infantis, die 23. ex quo edita fuerat, mortuæ, tenuiſſima delineatur. Qua ex Figura cum ea quam paulo ante indicavi, longitudine comparata, facile intelliges, ex quo mulier qua de loquor, nata fuerat, non videri ejus uterum creviſſe, aut ſi in latum crevit ſuprema parte, certe proportione longe, atque adeo nimio minus vel in parva muliere creviſſe quam reliquas ejus corporis partes, nec facile unquam menſtruum ſanguinem ejeciſſe. Cæterum ut in ea Figura vides, ita in muliere hac quoque duplo erat longior cervicis cavea quam fundi uteri; ſed vix ſubobſcure cerni in cervicis cavea poterant fibræ aliquæ, eæque dumtaxat in longitudinem ductæ: ejuſque interior facies alba, fundi ex ſubrubro fuſca. Attamen Falloppii tubæ erant multo quam tanta uteri parvitas ferebat, longiores, oſculoque inter fimbrias aperto: quanquam alterius fimbrias minimis, albidis, ſubrotundis corpuſculis oſſeis, aut certe præduris, exterius aſperas deprehendi. In Alis Veſpertilionum plexus erat nullus; nervi tamen multi ſecundum earum longitudinem decurrebant. Vincula Teretia hic uterus habuit valde tenuia. Lata autem, id quod ex ejus parva adeo latitudine conſequebatur, perquam ampla. Quorum ſummas oras fruſtra inſpectavi, ut quales teſtes mulieri huic obtigiſſent, viderem. Tunc vaſa Spermatica, quæ viſa hic non multo quam ſoleant, tenuiora, diligentiſſime perſecutus præſertim qua Lata adibant uteri vincula, cum proxima, ex qua hæc vincula incipiunt, peritonæi portione annexa adhuc, accurate depoſita, nullos omnino huic fœminæ fuiſſe teſtes, nullumque eorum vel perobſcurum inchoamentum, præclare cognovi.

21. Ex his quæ in frequentiſſima Studioſorum corona demonſtravi, ſatis ſuperque intelligis, ut opinor, perinde fuiſſe huic mulieri exiguo iſto utero præditam eſſe, ac ſi omnino caruiſſet. Quam rara autem ſit exiguitas, a me deſcripta, ex omnibus quæ in Sepulchretum congeſta ſunt, parvi uteri exemplis ipſe poteris exiſtimare. Amatus quidem ait (*q*), *ſolere hujuſcemodi uterum*, contractum videlicet ac parvum, *in nonnullis non raro conſpici præcipue ſterilibus, & quæ nunquam pepercrunt*: quibus *mamillæ quoque parvæ, & contractæ ſunt, ut ex illis uteri parvitas & exiguitas etiam arguatur*. Sane & ipſe ſteriles quaſdam mulieres novi, quibus præter papillam, & areolam, vix ac ne vix quidem mammarum eſſet quidquam. Sed quem tamen uterum deſignat Amatus? nempe quem viderat *inter rectum inteſtinum & veſicam contractum, ut altera veſica ab imperitis crederetur*. Num vero quiſquam vel imperitiſſimus poterat quem ego conſpexi, pro altera veſica accipere, brevem, anguſtumque adeo, nullaque propemodum craſſitudine? Quod repones pariter Judecii Obſervationi (*r*) in altera ſterili, uterum *inſtar pomi Borsdorfiani minoris contractum* proponentis. Quæ Obſervatio, ut ex inſtituto certe debebat, minime in Sectione hac commemoratur. Commemoratur autem altera (*ſ*) in qua uterus *exiguus & arctus* fuiſſe, ſcribitur, *qualis puellæ 10. aut 12. annorum*. Qui propterea nihil ad noſtri parvitatem; quamvis ille compreſſus præterea dici non poſſet ab utre, ex ipſo initium ſumente, & ventris capacitatem jam a ſexennio explente. Deſcribuntur denique ex Riolano Obſervationes duæ (*t*), quas, ſi paulo attentius legas, unam eandemque eſſe, ſentias. Nec ſane aliud diſcrimen eſt, niſi quod in prioribus Anthropographiæ Editionibus (*u*) unde prima deſcribitur Obſervatio, nomen matronæ appoſitum eſt; in poſterioribus (*x*), unde altera, prætermiſſum; nam quod capitis numerus neutrubi reſpondet, fortaſſe ex operarum incuria eſt: tuberculum autem quod in cervice memoratur, & in Sepulchreto (*y*), pro ſterilitatis cauſa accipitur, Riolanus, ſi quæ præpoſuit, attendas, videtur pro fœcunditatis cauſa accepiſſe, præſertim cum ea matrona ſterilis non fuiſſet, imo liberos olim tres edidiſſet. Verum utcunque hæc ſunt; quod ad nos attinet, in eo eſt quod cum *anno ætatis 55. deceſſiſſet, exiguam matricem, duriſſimam, ac ferme cartilagineam* habebat. Vides autem exiguitatis modum ab Auctore non definiri: & quamvis hæc ſumma reperta eſſet; ab ortu tamen, ut pote in ea quæ ter pepererat, non fuiſſe; ſed a morbo, qui poſtea ſenſim, ut duram adeo matricem fecerat, ſic etiam contrahere potuerat. Quod fac memineris cum in alias incides hujus generis Obſervationes, in eamque præſertim in qua (*z*) fœminæ diuturno ſaccato hydrope confectæ uterum quidem leges *nucis moſchatæ magnitudinem non ſuperaſſe*; eundem tamen *inſtar cartilaginis induratum fuiſſe*. Obſervationem autem alteram (*a*) qua *parvum inſtar ovi columbini* invenerunt, explicandi occaſionem proximis Litteris (*b*) habebimus.

22. Sed in noſtra Obſervatione illud præterea rarum fuit, quod teſtes deeſſent: qui vel duarum in quibus nullum prorſus uterum fuiſſe, diximus (*c*), in prima tantum, non pariter in altera defuerunt.

Quorum ego, & tubarum vitia, quæcunque in diſſectionibus conſpexi, ſi vellem omnia ſingillatim his Litteris comprehendere; nullas hiſce accepiſſes longiores. Sed nimirum operam ſupervacuam ſumerem, cum eorum pleraque aliis Epiſtolis ſcripſerim, aut ſim ſcripturus. Itaque nonnulla hic attingam, quæ commodum alibi non eſſent locum habitura, de tubis primum, tum de teſtibus.

23. MULIERIS annos natæ circiter quinquaginta cum exſecta genitalia in Noſocomio demonſtrarem ineunte Aprili A. 1743; hæc duo animadverti.

UTERINI oſculi corona, quæ erat craſſiſſima, prominentiam inſuper una ex parte habebat ſubrotundam, quam ſecundo, albam intus vidi, ſcirrhoſamque eſſe, cenſui. Tubarum autem neutra tenuiſſimum ſpecillum, per majus orificium ad aliquem tractum, jam inditum, ultra eum locum admiſit: re autem vera utramque vidi eſſe prorſus imperviam.

24. FŒ-

(*p*) De Mulier. Org. Tab. 24. Fig. 4. contra litteram G ſiniſtram. (*q*) in Additam. ad Sect. hanc 34. Obſ. 2.
(*r*) quæ 1. eſt in Additam. ad Sect. 10. l. 2. (*ſ*) Sect. hac 34. Obſ. 4. §. 17. (*t*) Ibid. §. 3. & 5.
(*u*) ut in illa A. 1626. l. 2. c. 34. (*x*) ut in illa A. 1649. eod. c. (*y*) Vid. inter titulos Obſ. 4. poſt n. 4.
(*z*) Commerc. Litter. A. 1731. Spec. 19. n. 2. (*a*) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 105. (*b*) n. 26.
(*c*) ſupra, n. 13.

24. FŒMINÆ alterius, quam necdum quadraginta annos natam thoracis acutus morbus, chronico ſuperveniens, abſumpſerat, cerebrum de quo nihil hic attinet dicere, & generationi attributas partes ibidem eodem anno circa medium Decembrem oſtendens, in his quædam offendi non indigna quæ huc referantur. A NATURALI ut incipiam, in quo illæſus hymen fœminam hanc virginem fuiſſe, demonſtravit; ſubrubentia albi alioquin ſemilunaris hymenis cornua ad rubentem quendam quaſi annulum perveniebant, quo tumens urethræ finis cingebatur. Urethræ autem alterum, quod ad veſicam ſpectat, orificium, & proxima ipſi, urethræ intima facies nigris, parallelis, craſſis, exſtantibus lineis ſecundum longitudinem diſtinguebatur, quæ vaſcula erant videlicet ſanguine diſtenta. Vaginam, oſculum, & cervicem uteri ipſa quidem non ſecus ac par eſſet, inveni ſe habentia. Uteri autem fundus cum protuberaret aliquanto magis quam ſolet, neque hujus rei cauſam in parietibus, qui ſani erant, reperirent; in cavea reperi, cui tres innatæ erant excreſcentiæ. Harum maxima paulo minori erat ambitu quam unguis digiti pollicis, nec valde craſſa, undique ſoluta, niſi qua per non tenuem pedunculum cum ſummo caveæ ſiniſtro latere committebatur: intus extraque magna ex parte cruenta adeo ut nigricaret: paulo minus dura, quam parietum uteri ſubſtantia. Ad ſummum quoque oppoſitum latus par erat nigredo; ſed nulla ibi excreſcentia. Erat autem altera aliquanto infra eum locum intervallo, ſubrotunda mediocris, & ejuſdem ferme ac prima, naturæ. Minima tertia, paulo infra ipſam primam locata, compuncta aquam emiſit, quaſi hydatidem intra corticem ex nigro cruentum contineret. His ita conſpectis, cum ad Alas Veſpertilionum oculos convertiſſem; in earum ſingulis inter ipſum teſtem ac tubam ternos quaternoſve globulos majores, minoreſve animadverti duros, & ex rubro fuſcos; ut a primo ſcirrhoſas conglobatas glandulas eſſe, crediderim. Verum ſcalpello adhibito, ſub cortice membraneo illius quem dixi, coloris, nucleum inveni album, lævem, & facile excidentem, durum, ut oſſeus, an lapideus eſſet, dubitares, figura, & magnitudine quoque, ſi eductum e maximo globulo ſpectares, piſi mediocris. Globuli minores nucleum huic ſimilem, ſed minorem, continebant, niſi quod in uno ex minimis pro nucleo materia inerat alba quidem, ſed ſubmollis; ut ex ea duros concreviſſe nucleos, facile conjiceres. Intelligis, quid impedimenti ab interjectu, & pondere iſtiuſmodi globulorum futurum eſſet, tubarum motui, & propiori ad teſtes acceſſui. Verum inſuper hi quidem erant exſucci, contracti, & ſtrigoſi. Tubæ vero pariter imperviæ atque in ſuperiore muliere dictum eſt, niſi quod tenuiſſimum ſpecillum aliquanto tamen propius uterum admittebant.

25. Etſi vero qualem in duabus hiſce fœminis deprehendi tubarum occluſionem, talem reapſe in aliis quoque, ut ex aliis habes Epiſtolis, nonnunquam inveni; longe plures tamen fuiſſe, fateor in quibus cum occluſas primo tentamine exiſtimaſſem, poſt accuratiorem perquiſitionem revera fuiſſe pervias, animadverti, & quod in I. olim Adverſariis (*d*) ſcripſeram, inſecutis temporibus confirmavi. Sic vero aliis pariter obſervatum eſſe, teſtimonium comprobat Experientiſſimi Halleri (*e*), *non ſæpiſſime tubas obſtructas eſſe, recte contra Ruyſchium Morgagnus Adverſ. I.* Sane autem cum Ruyſchius in Obſervatione (*f*) quam Sepulchreto non additam fuiſſe, mirum eſt, duos tubarum occluſionis modos haud obſcure propoſuiſſet, quorum unus eſt quando altero extremo cum teſte arctius ſunt coalitæ, alter, cum obſtructæ ſunt aliter; manifeſtum eſſe omnibus potuit, mea illa Adverſaria attente legentibus, de primo verba me non feciſſe, ut pote in quo nulla eſt opus perquiſitione, ut evidentiſſima occluſio in conſpectum veniat. Quæ cum ita ſint; fateor, me legentem quæ Ruyſchius (*g*) pro ſe repoſuit, quantum eximiæ Summi Anatomici erga me humanitati obſtrictum me ſenſi, tantum eſſe miratum, cur ipſi *viſus* ſim illum tubæ cum teſte coalitum *nunquam oculis ſpectaſſe meis*. Spectaveram autem, & ſpectavi etiam poſtea, ut meæ ad te Epiſtolæ oſtendunt, nec ſolum in vetulis (*h*), ſed & in junioribus (*i*): & in utriſque interdum utrinque (*k*), alias ab altero dumtaxat latere (*l*). Sed & Obſervationes ſuperſunt aliæ, quarum huc duas adſcribere non gravabor.

26. A N U S, ex capitis ictu mortuæ, genitalia cum annexis urinariis Partibus ad me allata ſunt, Anatomen in Gymnaſio tradentem, ſub Januarii finem A. 1743. AORTÆ truncus qui inter renes deſcendebat, intus a ſummo ad finem uſque faciem ubique habuit maxime inæqualem, & quaſi corroſam ob oſſeas ſquamas, crebras adeo, ut Lumbarium arteriarum oſcula ne agnoſci quidem facile poſſent. Tubæ autem uteri ita cum teſtibus, alioqui non tumidis, concretæ erant, & confuſæ, ut altera præſertim, quæ fimbriis omnino carebat, a teſte internoſci non poſſet.

27. M U L I E R E M intra trigeſimum circiter a partu diem lenta febris abſumpſerat. Eodem ad me, tempore propemodum eodem, ſed A. 1746. quidquid ex genitalibus ejus potuit, allatum eſt. T E S T I S enim, & tuba dextera inter ſe, & cum proximo Colo inteſtino glutinata, magna jam ex parte abſceſſu corrupta fuerant, quem febris illius, ac mortis præcipuam cauſam fuiſſe, arbitror. Uteri conſtitutionem, puerperæ convenientem, alio deſcribam loco: ſatis hic erit quod morbidum viſum eſt, adnotare. Scilicet coronæ oſculi pars quædam, anteriora ſpectans, ex violaceo nigricabat: ſed & ſecando ab oſculo ad cervicis uſque longitudinis medium, intra hujus parietum ſubſtantiam nigredinem animadverti quaſi ſanguinis intra dilatata vaſa ſubſiſtentis. Teſtis denique ſiniſter colore quidem, & magnitudine a ſano quocunque non diſcrepabat. Mollior tamen erat, ſectuſque humidior, ut quaſi ex *gelatina* potius, quam ex alia ſubſtantia, factus videri poſſet. Nihil uſquam lutei, nihil veſicularum fuit, ſi cellulam excipias ſphæricam, exigui uvæ acini magnitudine, inanem, ex craſſiuſcula, albidaque tunica factam. Quæ cellula, ſub ipſa teſtis membrana ſita, indicium ſui dederat priuſquam ille incideretur. Nam ſub obſcura quaſi cicatrice, ei cellulæ reſpondente, ſubflavi quiddam tranſpici videbatur.

28. Non puto, ex hac utriuſque teſtis, & alterius tubæ conſtitutione capturum te eſſe argumentum ad ſententiam impugnandam quæ nunc doctioribus pleriſque, aut certe bene multis placet de uſu iſtarum particularum. Ejuſmodi enim argumenta, ab Nabotho quoque (*m*), & ab aliis olim inculcata, non modo ſcis quam ſint facile ſoluta, ſed & alia non paulo in ſpeciem difficiliora, ut cum fœmina quædam objecta eſt, quæ cum a longiori tempore non eſſet gravida, quam ut fœtus vix tertiam partem æquaret longitudinis minimi digiti, utrumque tamen teſtem ſcirrhoſum habebat. Satis enim eſt, ut cum fœmina concipit, teſtis alterius non minor particula ſana ſit, quam quæ ad unam maturam veſiculam, ſive potius ad unum maturum pertineat luteum corpus. Quod ubi officio perfunctum eſt ſuo, ſi ipſum quoque, dilatante ſe morbo, vitietur, & vel in ſcirrhi naturam degeneret; nihil id laudatæ ſententiæ officit. Vitiari autem poſſe intra non pluri-mas hebdomadas, nedum intra novem ipſos geſtationis uteri menſes, quid eſt quod aſſerere prohibeat? Quo magis mirandum eſt, fuiſſe haud ita pridem qui tubas objiceret ſine fimbriis, & occluſo prorſus quod inter has eſt, orificio in muliere ab ſe inventas quæ

(*d*) n. 30. (*e*) Hiſtoria diſſect. fœm. gravidæ §. 2. not. *b*, & ad Prælect. Boerh. ad Inſtit. §. 668. not. *e*.
(*f*) Cent. Obſ. Anat. Chir. 83. (*g*) Adverſ. Anat. Dec. 1. c. 2. (*h*) Epiſt. 12. n. 2. (*i*) Epiſt. 38. n. 34.
(*k*) Ibid. & Epiſt. 21. n. 47. (*l*) Epiſt. 29. n. 14. & Epiſt. 26. n. 13. (*m*) Diſp. de Sterilit. Mulier. n. 11. & 12.

quæ ante octo annos pepererat! quaſi vero ſic natam fuiſſe, credere oporteret, nec potius a morbo non antiquo iis particulis mulctatam eſſe, præſertim cum *bulbus aliquis pyriformis, materia ſubalbida fluida turgens*, quam pus fuiſſe, credibile eſt, fimbriarum locum occuparet. At enim *fictiones intellectum quidem adjuvant*, inquit; *rei veritatem non demonſtrant*. Sed ubi demonſtrationibus non eſt locus, ſententia autem quæ iſtiuſmodi impugnatur argumentis, jam ſatis multis fulta eſt rationibus, atque obſervationibus; quid cum his veriſimilius congruat, videndum eſt, idque reponendum. Atque ut intelligas, quanto aliter mihi atque illi, videatur; illi ne octo quidem anni ad hujuſmodi vitia inducenda ſatis erant: mihi nonnunquam ſatis eſt ipſum alicujus partus difficilioris, & inſecuti non felicis puerperii tempus. In tali enim partu vehementes, crebrique niſus gravem uterum urgent (quod alibi etiam attigi (*n*)) in teſtes, tubaſque ſubjectas, quæ particulæ ad pelvis oſſa apprimuntur, & inflammationis initium contrahunt, quam augent mox lochia, exempli gratia, parcius fluentia. Tanto autem facilius contingere hæc, arbitror, quanto magis in prægreſſa uteri geſtatione violenti, frequenteſque vomitus illas particulas preſſerint, atque concuſſerint, aut aliæ cauſæ aliquæ jam lædere inceperint, & ad capiendum vitium diſpoſuerint. Sed his miſſis, ad hiſtorias revertamur, & quoniam de tubarum peculiaribus, & de his, ac teſtibus communibus vitiis quædam attigimus; nonnulla teſtium quoque peculiaria vitia ſtrictim proponamus.

29. FŒMINAM quadraginta circiter annos natam apoplexia olim tentaverat, noviſſime autem rediens confecit. Ex ea, cum publicas Anatomicas demonſtrationes haberem A. 1725. nullæ aliæ in Gymnaſium illatæ ſunt Partes, niſi quæ lotii excretioni, & generationis operi inſerviunt. RENIBUS interjectus Magnæ arteriæ truncus initia, ſed leviſſima, intus oſtendebat oſſearum ſquamularum. Renes ipſi, qui non ita multa pinguedine erant exterius præditi, eadem inter papillas ea copia farcti erant, ut majorem non meminerim. Teſtes ambo quidem erant ſtrigoſi; ſed dexter multo magis contractus: ex eoque hydatis exſtabat caſtaneæ figura, & magnitudine, ſubfuſcam aquam intra tunicas continens craſſas, interiore facie æquales, & læves. In ſiniſtro penitus condita erat cellula rotunda, minori uvæ acino haud major, quam albi & craſſiuſculi parietes efficiebant intus inæquales, & humoris aliquid complectentes. Cæterum in neutro ex naturalibus veſiculis ulla fuit.

30. Cum hæ veſiculæ ad generandum ſint neceſſariæ, ſive ipſæ, ut plerique credebant, ſint ova, ſive potius in luteum corpus mutentur; perinde eſſe, vides, ſive prorſus deſint, ſive non eum quem debent, humorem contineant. Itaque mirandum non eſt, ſi mulier, ſana alioqui, & juvenis, juvenique, & valido marito nupta, ſterilis fuerat, in qua Valliſnerius (*o*) veſiculas omnes turbida, & fuliginoſa materia, parumque fluida plenas offendit. Neque non timendum erat, ne infœcunda fieret, ſi vixiſſet, Juvenis altera, intra horam a primo partu mortua, in cujus utroque teſte, Alexander Bonis ad me ſcripſit, vidiſſe ſe cum Santorino quamplurimas variæ magnitudinis veſiculas, pellucidum quidem humorem continentes, ſed in quo parvum corpuſculum candidum, quamcunque examinares veſiculam, conſpiciebatur. Quam deſideratiſſimorum Amicorum Obſervationem tibi libentius memoravi, ut morbi effectum eſſe poſſe, intelligas, quod graves Auctores pro fœcundæ factæ veſiculæ indicio propoſuerunt.

31. Quot huc præterea addere poſſem, ni longior eſſe nollem, meas vitiorum teſtium muliebrium Obſervationes, vel ex iis conjicies quæ de ipſis illorum vitiis, aliis quidem rarius, aliis autem perſæpe a me repertis, preſſius olim in I. Adverſariis (*p*) indicavi. Quem locum, ut plures, idem confirmantes, commemorarunt; ſic neſcio cur vix perpauci, in quibus præcipue fuit Cl. Vir Paitonus (*q*), alterum ſe locum legiſſe, oſtenderint, ubi in Adverſariis IV. (*r*) quid, & cur mihi videretur de veſicularum, & luteorum corporum natura, & uſu, propoſui; cum plures tamen poſt annum quo illa ſunt edita 1719. eadem eſſent ſuis in ſcriptis repetituri. Sed ad locum illum primum ut redeam; qui meis illis, aut aliorum conſimilibus Obſervationibus abuſi ſunt, ut aut teſtes eſſe inutiles, aut mulieres ut plurimum ſteriles fore, contenderent, ii minime animadverterunt, neque ut plurimum, ſi juvenes, ſanaſque incidamus, ea vitia occurrere, neque neceſſe eſſe ad concipiendum, ut omnes utriuſque teſtis particulæ ſanæ ſint, neque demum, cum præter teſtes, tot aliæ muliebres partes, quæ ipſæ quoque ſæpe vitiis obnoxiæ ſunt, ad gignendos liberos ſint neceſſariæ, revera non perraro, ſed neque ut plurimum, neque ob eandem cauſam, mulieres aut infœcundas eſſe, aut fieri, vereque olim hæc ab Hippocrate (*ſ*) ſcripta eſſe: *Atque tot, ac talia mulieribus contingunt, propter quæ non pariunt, antequam curentur, & propter quæ omnino ſteriles fiunt. Quare mirari mulieres non oportet, quando coeunt quidem, non autem ſæpe pariunt.* Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XLVII.

Agitur de Menſtrui Fluxus vitiis, & de Fluore Muliebri.

ETSI Bonetus ſingulis hiſce argumentis ſingulas Sectiones attribuit XXXV. & XXXVI; tamen non una mihi cauſa eſt, cur ambo his unis Litteris complectar. Nam illud primum animadverti, ſi longa, & crebra Scholia detrahas, eaque ex quo meliora in Medicis Scholis tradita ſunt, haud raro inutilia, non ita multas in iſtis brevibus alioquin Sectionibus Obſervationes ſupereſſe. Deinde ex his eſſe aliquas, ut Bonetus ipſe fatetur, ab eo alibi propoſitas, imo & nonnullas quæ, ipſo non ſentiente, in una eademque Sectione repetuntur, ut puta in XXXV. Obſervationem IV. in ea iteratam quæ ſub Obſervatione VII. ultimo loco eſt, nempe §. 10; in Sectione autem XXXVI. eam quæ Obſervationis I. §. 1. legitur, repetitam §. 2. Quæ repetitiones eo minus ferendæ ſunt, quod aut ſecundo loco imperfecta hiſtoria eſt, ut in exemplo altero, aut etiam utrobique, ut in primo. Nec vero dicas, utrinque rejici lectores ad *tit. de ventris tumore lib. 3.* Verſandæ enim ſunt grandes paginæ centum octoginta ſex, ut in eam denique hiſtoriam incidamus, longe aliis verbis incipientem, eoque minus facile reperiendam, ſub Obſervatione LV. §. 23; ſed ne ibi quidem accurate deſcriptam, neque ullis, quibus opus erat, animadverſionibus emendatam. Scripſerat enim hiſtoriæ Auctor Dodonæus eo ipſo quod indicatur, capite 34. ex ejus Vir-

(*n*) Epiſt. 39. n. 38. (*o*) Iſt. della Generaz. P. 2. c. 5. n. 14. (*p*) n. 30. (*q*) Della Generaz. dell' Uomo Diſc. 3.
(*r*) Animad. 28. (*ſ*) De Sterilibus n. 5.

Virginis utero, quantumvis exulcerato, nulla ideo toto morbi tempore excrementa deſcendiſſe, quia *hymen obſtabat, quod natura virginibus conceſſit*. In Sepulchreto autem legimus *qui natura virginibus concreſcit*. Verum utrolibet modo legas; quomodo virginibus cæteris menſes effluunt? imo iſti ipſi quæ erat *quinquaginta quinque aut ſex annorum*, ſi ante morbum non effluxiſſent; quomodo id Dodonæus omittere potuiſſet? Igitur nec *quod natura conceſſit*, nec *qui natura concreſcit* legi poteſt. Poſtremo aliquot miror ſuis cum Scholiis Obſervationes, ut quæ Sectione XXXV. ſub Obſervatione I. proponitur, non, ut inſtitutum poſtulabat, ad morborum cauſas, ſed ad naturales menſtrui ſanguinis fontes attinere: hoſque in vagina, ſi productas attendas Obſervationes, conſtitui: quas quidem ego inficiatus ſum nunquam; etſi mihi necdum contigit, ut alibi quam in fundo uteri viderem; nec magni facere poſſum rationes quaſdam quibus ad illud confirmandum utuntur, velut illa quæ in Scholio ſubjicitur §. 2. Obſervationis I. nimirum vaginæ *aliquando cancros aut ſcirrhos ſupervenire incurabiles, eoque magis ſi menſtrua deficiant, quia ſanguis qui expurgari ſolebat, ibi diutius cunctatur, remoratur, & caleſit: rarius in fundo & cavitate ipſius uteri maligna iſta ulcera, & tumores naſcuntur*. Hoc enim; ut alia præteream; num *rarius* fiat, tibi ſatis oſtendent pleræque Sectionis proximæ Obſervationes. Verum hæc, & de naturali menſtruarum purgationum cauſa Obſervationem III. cum prolixis adeo, quæ ipſam conſequuntur, Scholiis omittamus, & propoſiti memores, primum de Menſtruis ea quæ ad morbidam conſtitutionem attineant, ex Valſalvæ Obſervationibus deſcribamus.

2. VIRGINI quæ ſalacior videbatur, vividior certe erat, necdum menſes fluxerant, cum anno exacto duodevigeſimo extincta eſt. UTERUS erat exiguus: fundi tamen longitudo non minor, quam cervicis.

3. Satis hoc eſt, ut intelligas, in hac tamen Virgine creviſſe uterum magis, quam in ea Muliere quam ſuperioribus deſcripſi Litteris (*a*); ut exiguus quidem eſſet, ſed pro iſta ætate exiguus, confirmetque Obſervatio hæc conjecturam de illa noſtram, menſibus nunquam eſſe purgatam. Excitare etiam poteſt ad ſuſpicandum, num quod virginibus nonnullis, ſanis alioquin, alacribus, & juſtum corporis augmentum conſecutis, menſtrua annis aliquot poſtquam pleriſque ſolent, proveniant, num, inquam, tardiori aliquando uteri incremento adſcribere oporteat. Novimus generoſiſſimam Virginem, in earum quas modo indicavimus, numerum referendam, quæ nupta antequam menſes, annos aliquot expectati, apparerent, fœcundiſſima tamen fuit, utque id minus miraremur, eadem prorſus ejus quoque matri contigerant. Nimirum ſatius eſt, quod tunc fecimus, ubi egregie valent, expectare, & nihil movere, ne operi quod natura tardius aliquanto perficit, moram forte noſtris intempeſtivis auxiliis afferamus.

4. VIRGO altera, multos jam annos menſtruis carens purgationibus, diuque ulceribus in tibia vexata, tabefacta periit. IN THORACE, & Ventre ſtagnabat aqua. Teſtes ſine ullis veſiculis, & ſubſtantia conſtabant ſubalba ad pancreatis ſimilitudinem, ſed molliore. In uteri interiore facie corpora glanduloſa protuberabant quam plurima, niſi quod in ſummo fornice pauca erant.

5. En exemplum alterum quod Medicis quibuſdam objicias nimis properantibus, ut menſes cieant. Non reputant ſcilicet, quam variæ & inter ſe diſcrepantes cauſæ eſſe poſſint cur illi non fluant, & continuo ad ea decurrunt quæ moveant, quaſi uterus ipſe ſatis paratus ſemper eſſet ad incitatum ſanguinem tranſmittendum. Itaque haud raro vitii cauſam augent; non tollunt. Proſpere cedunt illa in pleriſque, ubi ſanguis eſt viſcidus, aut ab nimia feri copia iners; abundare enim plerumque hoc vidi, parte reliqua miſſi ſanguinis fere in cylindrum æquo tenuiorem contracta, cum illa purgatio aut ex toto, aut magna ex parte deeſſet: quin etiam ſic eſſe animadverti vel in quadam cui a quinque aut ſex, haud amplius, diebus fuerat illa medio in curſu ex terrore ſuppreſſa. Verum quî poſſint remedia illa bene cedere non modo cum ſanguis e contrario ferventior eſt, aut copioſior, ſed cum ipſe quidem ſic ſatis recte ſe habet, uterus autem ſiccior eſt, & contractior, aut, quod ex diuturnis quibuſdam morbis, ut in propoſita Virgine, ſuſpicari licet, organico quopiam vitio affectus? Nempe alias humectare, & laxare præſtat; alias autem vitia alia, quo ad ejus fieri poteſt, reſolvere. Nobilem ego Medicum novi qui ad cienda menſtrua uti conſueverat chalybis ſcobe, miſta cum maſſa pilularum de aloe, & de ammoniaco, & concreto cichoreæ ſucco, addito inſuper cum remedii vim augendam cenſeret, pauxillo dictamni Cretici, myrrhæ, & croci: ex quibus confectas pilulas quotidie dabat fere binas ante parcam cœnam, mane autem juſculum, herbis, & radicibus medicatum quæ emolliendi, & quæ aperiendi facultatem haberent: hiſque auxiliis ferme ſemper ſui voti compotem ſe factum ajebat, modo apta ſimul ſervata eſſet vivendi norma. Scilicet hic, cujus ego remedia commemoravi, non quod non vulgatiſſima ſint, ſed quod alia aliis ſint facultatibus prædita, ſæpius potuit id quod ſuſceperat, efficere, melius tamen effecturus, ſi quid potiſſimum in ſingulis fœminis præſtare oporteret, ſcire licuiſſet. Unum enim, ſed præ cæteris conveniens, auxilium citius, & efficacius rem gerit. Sic alius mihi notus eſt Medicus, qui cum videt, aloeticis eſſe locum, nihil niſi pauca aloes grana, quacunque re quæ amaritudinis ſenſum prohibeat, involuta, quotidie exhibet, iiſque dumtaxat felicius menſes revocare ſe, dicit, quam granis multo pluribus, aut aliis ſimul datis remediis. De vivendi autem norma minime negligenda quod diximus, tanto certius eſt, quanto evidentius, ab erroribus in ea admiſſis expurgationem hanc valde imminui, & interdum ſupprimi. Ita; ut veteri exemplo recentem quarundam errorem notemus: Galenus (*b*) memoriæ tradidit, Romæ ſua tempeſtate *contigiſſe, cum vulgo mulieres aquam frigidiſſimam ex nive potarent, ut aut nullo pacto, aut prorſus imminute purgarentur*.

6. Sed ad auxilia ut redeam menſes cientia; eſt aliquando cum locus ſive in præſentia, ſive in poſterum ipſis eſt nullus; ut puta cum uterus ejuſmodi vitio affectus eſt, ut tolli non poſſit. Exemplum ab Experientiſſimo accipiamus Benevolo (*c*). Quatuor ille virginibus retentum in uteri cavo menſtruum ſanguinem, chirurgicis uſus præſidiis, emiſit. Earum tres primæ ſingulis poſtea menſibus ſecundum naturæ leges ſanguinem ex utero prodeuntem viderunt. Quartæ ne octo quidem, aut decem poſt annis, Medicis omnia incaſſum tentantibus, unquam prodiit. Quid ita? Nimirum quia hæc nec breviori tempore, ut illæ, neque minorem quandam, minuſque noxii ſanguinis copiam, ſed triennium ipſum, ut jam duas, & triginta libras æquaret, nec ſine putrida purulentaque admiſta materia, in uteri cavea retinuerat. Veri igitur ſimile erat, læſam hujus interiorem faciem, cicatrice obducta, non patula amplius habere oſcula, unde ſtatis temporibus ſanguis exiret. Quid autem, rebus ad hunc, aut ad ſimilem alium quempiam modum ſe habentibus, ab iis quæ ſanguinem incitent, remediis expectare liceat, niſi ut malum ad malum addas? Parcius hæ alimentis utantur, & inciſa, cum opus eſt, brachii vena, ſanguinem mittant.

7. Nunc quando in ſermonem quem tibi eſſe perjucundum ſcio, de medicis curationibus deficientis menſtrui ſanguinis ingreſſus ſum; priuſquam ad contrarii vitii anatomicas hiſtorias tranſeam, quonam adverſus hoc alterum præſidio plurimum fideret Vir induſtrius, atque experiens Jo. Hieronymus Zanichellius, ſubjicere non gravabor.

(*a*) n. 20. (*b*) l. de venæ ſect. adverſ. Eraſiſtratæos. c. 3. (*c*) Oſſervaz. 1.

Cochleas ex parvulis iſtis, & albicantibus, quæ ſuper carduo ſtellato inveniuntur, exacte una cum teſtis contundi in mortario jubebat, additaque modica portione conſervæ, ut vocant, violarum, in linteo ſuſpendebat, liquorem, compreſſionis etiam ope, deſcendentem excipiens. Hujus liquoris ſatis recentis uncias tres mane, totidem meridie ante prandium, totidemque veſpere ante cœnam propinabat, cum a diſſoluto ſanguine, & irritantibus particulis fœto, nimium ipſius ex utero curſum fieri, cenſebat. Ea autem felicitate, confirmabat ſibi hunc liquorem reſpondiſſe, ut ad ſanguinis etiam expectorationem, ſi ab iiſdem cauſis fieret, compeſcendam tranſtuliſſet, nec mihi aliter hæc concrederet, niſi pollicito, quo ad ipſe viveret, nemini, quod & præſtiti, revelaturum. Hoc etiam ab illo accepi: cum mulier ſeptem ipſos annos uteri hæmorrhagia, irritis præſidiis omnibus, laboraſſet, bene ac feliciter ab ſe eſſe perſanatam, dato *limonum* ſucco, & ſalis ſpiritu pari pondere. Dediſſe autem propterea quia certam quandam ſcorbuticam in ea ſanguinis conſtitutionem eſſe, conjecerat; expertum autem antea eſſe, quam profuiſſet aliis idem illud remedium ore continere, cum ſcorbutus graviter hoc eroſiſſet. Ex his, quæ ut narrabat ille, ſic ego refero, apparet, in hoc, ut in aliis quoque morbis, magni intereſſe cauſarum conjecturam: neque enim omnibus idem opportunum eſſe remedium poteſt. Interdum vero ne ulli quidem, niſi forte inter initia, locus eſt, velut ex ea intelliges, quam huc ex Valſalva attexam, hiſtoria.

8. MULIER annum agens alterum & quinquageſimum, ante quinque, aut ſex annos ingenti per naturalia ſanguinis profluvio vexari cœperat ſic ut grumi ſanguinis ad ſelibræ pondus exirent, minoribus aliis poſtea ſubſequentibus. Seroſa quoque interdum prodibat colluvies, alias humor aquæ ſimilis in qua caro recens lota eſt. Qui ſi effluxus aliquando ſupprimeretur; moleſti præ cæteris erant vehementer & dolor, & ponderis ſenſus in hypogaſtrio, donec rediens effluxus levaret. Ad hæc accedebat interdum urinæ difficultas, quæ poſt aliquos labores tandem cum ſanguine fœtido, putridiſque filamentis reddebatur. Iſchiadicus inſuper dolor utrinque mulierem prehendit, noctu præſertim adeo ſæviens, vix ut brevem ſomnum capere poſſet. Tum hyſtericæ convulſiones tanta vi ingruebant, ut fere moribunda, nec ſemel, videretur. His ſucceſſit ventris univerſi tumor mediocris cum ſumma faucium ſiccitate, & crebra flatuum eructatione, ciborumque averſatione propterea quod vel pauca aſſumpta illico tenſio ad regionem ventriculi moleſtiſſima conſequebatur. Hæc, & vomitus, cum alia denique ſilerent incommoda, nunquam mulierem dimiſerunt. Quin duobus circiter ante mortem menſibus, vomitus, qui alias rarior, frequentior eſt factus ſic quidem primum, ut nihil, niſi quos ſumere ſolebat, vitellos, rejicere cogeret, cæteris quæ cum iis ſumpſiſſet, omnino retentis, deinde vero ut noviſſimis viginti ferme diebus ex quolibet alimentorum genere vix quidquam retinere ſineret: itaque deficientibus in dies viribus, e vita exceſſit.

IN CADAVERE adeo emaciato, ut vel muſculi quaſi prorſus eſſent excarnes, vix ullum ſanguinis veſtigium uſquam ſupererat. Venter totus ſalſo opplebatur ſero, in quo nonnullæ omenti portiones, atque alia quamplurima filamenta natabant. Peritonæi interior facies corpora ubique oſtendebat non valde abſimilia induratis pancreatis glandulis. Ventriculus exiguus, totuſque contractus. Renes, quod ad eorum ſubſtantiam attinet, ſani. Sed dexter minimos varia forma calculos intus habebat: quorum in ſiniſtro nullus. Ureterum uterque urinam continebat, ſiniſter pauciorem; at dexter, ad minimi digiti craſſitudinem dilatatus, erat totus urinæ plenus. Denique ſordidum ulcus, & fœtidum erat in collo uteri, in cæteris partibus ſecundum naturam ſe habentis.

9. Sive ulcus profluvii ſanguinis acrioris effectus, ſive exeſis paulo majoribus vaſis, ipſius vel ab initio cauſa fuit; quæ ad ulcus, & profluvium poſtea acceſſerunt mala, non difficile poſſunt intelligi, nervis ob ulceris ſedem in conſenſum tractis, & ſanguine ob ingentem ipſius, crebramque jacturam male reparato, ideoque ſeroſo reddito. Inde enim dolores, hyſtericæ convulſiones, & vomitus; hinc vero, aut potius utraque ex cauſa aſcites, vaſis videlicet a convulſione ſæpius conſtrictis, & ſanguine tardius propterea per ipſa circumacto, & ſero quo abundabat, facilius effuſo. Urinæ autem difficultas, & non niſi poſt conatus excretio a vicinæ exulceratæ partis dolore, & conſtitutione, ſicuti a retardata excretione illa, in ureteribus lotii retentio, & dexteri præſertim dilatatio ab illapſo, & remorato calculo ex iis qui fuerant in rene ejuſdem lateris, fortaſſe grandiuſculo, ſed neque cum ejectus eſt, inter tot alios dolores, moleſtiaſque animadverſo, neque poſtea in urina, iis fœdata quæ naturale totum inquinabant, cruentis, & putridis ſordibus adnotato.

10. Si poſt Valſalvæ Obſervationes, accipere quoque aves meas; relege quæ in utero deſcripſi (*d*) earum quæ vel imminutis, vel ex toto emanentibus menſtruis, interierant. Neque enim hic iterabo. Sed potius ab noviſſime propoſita Obſervatione profluvii non ſanguinis modo, ſed & ſeroſæ colluviei, ad Muliebrem Fluorem tranſibo, quod erat alterum Epiſtolæ hujus caput. Quem ad morbum etſi nullas Valſalvæ habeo Obſervationes peculiariter attinentes; tamen ex meis tot ſuperiunt, præſertim ſi cauſarum quarundam hujus Fluoris initia perſequi velim per diſſectionem animadverſa, ut, niſi caveam, vereri potius debeam, ne exceſſurus ſim, quam non expleturus quem plerumque ſervare ſolitus ſum, Litterarum modum.

11. Muliebris Fluoris fontes in utero plerumque ſunt. Rarum eſt enim quod in Hiſtoria legitur Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis (*e*), ex amplo alterius ovarii abſceſſu, quocum tuba communicabat, in hanc purulentum ſerum, ex eaque in uterum, ex hoc denique in vaginam defluxiſſe. Ipſe autem uterus ſeri fons eſt multicoloris aut ſimplicis, aut purulenti. Hoc vero defluit ex utero, aut vagina exulceratis. Illud ex utero fere, cujus aut intima membrana non ſecus atque illa narium in coryza, rheumate quodam afficiatur, aut ora vaſculorum, poſt emiſſum menſtruum ſanguinem, ſe hactenus contrahant, ut ſanguini quidem exitum, ejus autem ſero non intercludant, quod ut alio in aliis colore infectum eſt, ita in omnibus non eodem colore fluorem facit. Atque hæc quidem in Adverſariis (*f*) indicavimus. De rheumate autem hoc uteri diſerte ante Recentiores, locuti ſunt præclari Medici, in hiſque Gulielmus Ballonius (*g*) qui *catarrhum* appellavit, & Lælius a Fonte (*h*) qui *deſtillationem uteri*, & *tanquam rheumatiſmum* eſſe, dixit, ante eos autem olim Galenus (*i*) qui *propter uteri rheumata* hos Fluores fieri, docuit. Ego vero ad eos primum qui priore aut altera ratione, aut alia, quam adjiciam (*k*), tertia ex ſimplici fiunt ſero, deinde ad eos qui ex purulento, referendas Obſervationes proponam.

12. VIRGO annos nata circiter ſexdecim, poſt quindecim dies ex quo febrem pertulerat domi, in Bononienſe S. Mariæ de Morte Noſocomium illata eſt. Vix illata, lumbricos vomuit, quorum unus erat rufus, ſpithama longior, craſſitudine ferme par calamo ſcriptorio. Hos etiam domi, præcedente lachrymatione, non pruritu narium, vomuerat. De dolore querebatur cujus ſedem ad hypochondrium ſiniſtrum, eamque viciniam appoſita manu ſic indicabat, ut ventrem, an pectus deſignaret, ſatis percipi non poſſet. Pulſus frequens, parvus, debilis. Sæpius interdiu dormitabat. Per hæc triduum tranſegit. Quo tempore mulieres quæ ancillabantur, præter cætera incommoda, album quoque fluorem eſſe, animadverterunt. Quarto die ſæpe delirare viſa eſt. Pulſus debilior, ac minor. Lingua rubra, & arida. De capi-

(*d*) Ep. 19. n. 11; Ep. 21. n. 29; Ep. 31. n. 16; Ep. 38. n. 34; Ep. 45. n. 21. (*e*) A. 1700. Obſ. Anat. 5. (*f*) IV. Animad. 27.
(*g*) l. 1. Conſil. Medic. 56. ſub fin. (*h*) Conſult. Med. 117. (*i*) De Symptom. Cauſ. l. 3. c. 4. (*k*) infra, n. 19. & ſeqq.

capitis dolore querebatur. Die quinto in ſoporem valde prona; inſecuta autem nocte multum vociferata eſt. Diebus ſexto, & ſeptimo eadem perſtabant: urinam autem, quam ſemper multam reddiderat, plurimam tum, etiam inſcia, reddebat. Die ex quo in Noſocomio eſſe cœperat, octavo, ſopore obruta, mortua eſt. CADAVER altero a morte die conſecuimus, qui dies fuit III. Kal. Apriles A. 1706.

Cranio adaperto; hinc enim juvat eorum quæ vidimus, narrationem incipere; quidquid meningibus continetur, mollius fuit. Inter meningem Tenuem, & totam Oblongatæ medullæ baſim non pauca aqua: quæ paſſim intra ventriculos quoque, & ſubrubra fuit. Choroides plexus palleſcebant: vaſa autem, ut alibi per Tenuem meningem totam, ſic etiam per Laterales ventriculos repentia; ſanguine erant turgida: ex iiſdemque ventriculis cum ea meninge nullo negotio avellebantur, quam albæ aut cinereæ illorum parietes facientis ſubſtantiæ lamella, ubique paris propemodum craſſitudinis ſequebatur. Thorax pulmones habuit, præſertim ſiniſtrum, intercedentibus membranis, ad pleuram adhærentes quibuſdam locis tum ad medium, tum ad imum. Dexteri ſuperioris lobi ſuperficiem intuens, cum per inveſtientem membranam globulos quoſdam creberrimos tranſpexiſſem, milii ſeminibus haud majores; pulmones, cætera ſanos, incidens, eoſdem globulos ubique deprehendi, crebros quidem, ſed intervallis disjunctos, duros, & quaſi, ut videbantur, tartareos. In corde non fuit quod adnotarem; cum vix in auricula dextera polypoſus cortex grumoſi ſanguinis latus obtegeret.

Abdomen, quod exterius ad ilia lividum apparuerat, diducentes, jecur videramus ad medium imæ convexæ faciei macula infectum non magna, circuli ambitu comprehenſa, ex cinereo albicante, qui color in viſceris ſubſtantiam deſcendebat. In veſicula ad nigredinem vergebat bilis. Lienis quoque ſima facies ex livido nigreſcebat, ea tamen nigredine vix ultra tunicam ſe producente. Pancreas viſum duriuſculum. Ventriculus, quantum extrinſecus judicare licuit, ſanus. In Tenui inteſtino lumbrici teretes manu percepti. Tunc oculos ad ea quæ in pelvi ſunt, convertentes, in hac paucam aquam animadvertimus. Veſicam autem, quæ urina diſtenta fuerat, cum annexis genitalibus eximentes, in ejus intima facie vaſcula conſpeximus ſanguine tumida ad magnum tractum, ut ſupra oſcula ureterum per quos pergebant, incipiendo, ad urethræ uſque initium ſic apparerent: quin etiam inter ea vaſcula, locis aliquot, guttas effuſi ſanguinis per intimam tunicam tranſpiciebamus; in urethra autem ipſa ſub interiore ejus membrana, ſuis vaſculis irrigata, grandiora his alia, ſanguine multum diſtenta. Nympharum ſiniſtra, quæ dextera latior, ea uſque adeo longiore erat, ut ad labiorum frænum perveniret, interfuſam ſubſtantiæ ſuæ aquam continebat. Porro vaginæ orificium, & hymen ex rubro nigra, & grave olentia, proxima autem vaginæ pars hic illic ex livido flaveſcens, non obſcurum gangrænæ indicium dabant. Ab his infimis ad ſuperiora converſus, ſiniſtræ tubæ latius extremum deorſum tractum animadverti ab hydatide, acinum uvæ majorem æquante, quæ in attigua increverat parte Alæ Veſpertilionis. Sed ea grandiorem hydatidem ab alterius teſtis membrana pendulam fuiſſe, intellexi ex ſubrotundo corpuſculo, quod etſi erat in ſe contractum, intra craſſiores tamen tunicas modicum etiam tum cavum ſervabat, & ab eo teſte pendebat. In quo corpora duo erant condita ſubrotunda, alterum altero majus, utrumque autem ex nigra tunica factum, & ex concluſo quodam quaſi ſanguinis grumo, ruſi tamen coloris. Teſtis alter binas pariter, inæquales, & ex nigra tunica conſtructas, continebat cellulas; ſed inanes. Parvus erat uterus, & ex parietibus conſtans parvæ craſſitudinis. Ejus fundi ſuperior pars tota a conſpicuis ſanguiferis vaſis intus rubebat. Cum mucum, ſecundum naturam ſe habentem, uteri oſculo, & proximæ cervicis parti abſterſiſſem; comprimendo inferiorem uteri fundum, cervicem, & oſculi uterini coronam, prodire ex his locis omnibus, & ordinate quidem, vidi albam craſſiuſculam materiam, quæ unde albus fluor provenisset, non obſcure ſignificavit.

13. Cæteras hiſtoriæ hujus partes eo quo ſpectant, per te referes; nos enim de affectionibus quibus de alibi ſatis ſcripſimus, hic iterum nolumus verba facere. Satis eſt partem ultimam attendas: neque propterea quod materiam albam craſſiuſculam expreſſiſſe, diximus, aliud fuiſſe quam ſerum, credas, cujus particulis cæteris quæ aqueæ ſunt, mora decedentibus, aut in alveum ſanguinis revectis, reliquæ ſuperſunt eum colorem, eamque craſſitudinem, ut in ſeri videmus evaporatione, referentes.

14. VIRGUNCULÆ annorum quatuordecim, poſt ventris dolores in Noſocomio Patavino mortuæ ſub initium Februarii A. 1719. cum genitalia membra Anatomes ſtudio ad me afferenda curaſſem; quid morbidi præter expectationem deprehenderim, ſcribam, ſi prius duo quæ in Ventre adnotata ſunt, dum ea membra eximerentur, indicavero. VENTRIS viſcera hic illic tuberculis erant inæqualia. Omentum autem craſſiſſimum fundo uteri adhærebat. Hic vero etiamtum erat valde parvus, qualis videlicet puellam deceret quam, ſi pubem ſpectares pilis vix ullis inſtructam, necdum plane puberem poſſes dicere. Cum incidiſſem; fundi cavum inveni humida materia plenum, ex albo in flavum, & ſubviridem colorem vergente. Qua deterſa, fundi interior facies apparuit in minuta albida tubercula paſſim excreſcens. Porro nulla oſculi uterini corona protuberabat: ipſumque, & proximam vaginam, & inferiorem quoque hujus partem, & hymenem phlogoſis tenebat; ut facile eſſet conjicere a fluidiori acriorique materiæ illius parte defluente inferiora fuiſſe irritata, dum craſſior in decumbentis Virgunculæ utero ſubſiſtens, minutis illis adhærebat tuberculis, quæ aut ipſa effecerat, aut e quibus fortaſſe prodierat.

15. Fac tibi alterius adoleſcentulæ veniat in mentem, cujus pariter uterini fundi intimam faciem parvulis quibuſdam tuberculis, verrucarum ſimilibus, inæqualem deſcripſi (*l*); facile intelliges, eſſe illam faciem in hujuſmodi vitia pronam: id quod excreſcentiæ confirmabunt, de quibus poſtea dicetur. Noli autem mirari quod in puella id ætatis eſſe potuerit muliebris Fluor. Pluribus enim circa pubertatis initia incepit, nonnullis etiam vel multo citius, raro quidem, non ſecus ac raro, ſed revera multo citius menſtruorum fluxus eſt obſervatus. Lege; ut alios omittam; apud Terraneum (*m*) Obſervationem nobilis puellæ novem circiter annorum a muliebri Fluore perſanatæ, imo alterius quæ, illa minor annis duobus, eodem morbo tenebatur, & quaſi *ſerum lactis nondum clarificatum emittebat copioſe, non ſine ardore aliquo, & pruritu*.

16. ANICULÆ quæ in hoc Noſocomio neſcio quo ex morbo nuper deceſſerat, cum Partes quaſdam ante medium Decembrem A. 1744. Studioſis ibidem Juvenibus demonſtrarem; in nonnulla quæ præter naturam erant forte incidi. CORDIS valvulæ Tricuſpides hic illic duriores, nec Semilunares erant ſine duritie. Quin Magna quoque arteria oſſeas hic illic intus habebat ſquamulas. Teſtibus hydatides aliquæ adhærebant. Cum, vagina inciſa, uteri oſculum retexiſſem; apparuit hujus ora quaſi in partes duas ab anterioribus ad poſteriora diviſa. Nempe e ſingulis ejus oræ lateribus ſingulæ exſtabant mediocres excreſcentiæ, in quibus, ſicut etiam in proximis cervicis parietibus, latebant cellulæ, ſeu mavis veſiculæ, in iiſque major aliqua, plenæ omnes illo ipſo muco; niſi quod hic flaveſcebat; qui ſecundum naturam ſolet ad oſculum inveniri. Dum in cervice ſurſum verſus incidenda pergerem, ecce ex ipſo fundo uteri repente prodit ſerum flaveſcens quantum cochleari vix excepiſſes: quod ſerum quomodo in eo fundo etiam tum cum uterus eximeretur, & huc illuc volveretur, retentum eſſet, non erat facile hic conjicere. In alia enim, cum idem occurrerit, credere potui, ſero obſtitiſſe intimos cervicis lacertos, quos craſſiores factos, & confuſo ordine ſitos videbam. Quæ res hic non fuit: ſumma autem fundi pars ferme

tota,

(*l*) Epiſt. 45. n. 21. (*m*) De Glandulis poſt c. 5. Obſ. 2.

tota, præſertim poſterior, fœdo intus colore infecta ex nigro rubeſcebat, parum tamen, ſi incideres, profundo, & ſine graveolentia.

17. Mulieris quoque Obſervationem referre huc potes, quam Epiſtola XLV. (*n*) propoſui. In illa enim & fundi, & continuatæ cervicis cavum muco erat plenum tenuiore quam qui ad oſculum eſſe ſolet, in eaque muliere etiam fuit. Scilicet ex fundo uteri, ut in deſcriptis Virguncula, atque Anicula materia ex albo flava, ſerumque flaveſcens, ita in ea pariter muliere indidem videtur mucus ille tenuis proveniſſe; neque enim e Tubis quas fruſtra in omnibus examinavi, provenerat. In Virgine autem quam ideo primo loco poſui (*o*), quia dum viveret, Fluor in ipſa fuerat reapſe animadverſus, materia alba non ex fundo uterino, ſed ex infima hujus parte, ex cervice, & oſculo expreſſa eſt. Quibus ex inferioribus locis materiam, humoremve defluxiſſe arbitror in iis quoque fœminis, quarum continuo unius ſubjiciam hiſtoriam, aliarum commemorabo.

18. MULIERIS cujuſdam viſcera quæ in ventre ſunt, poſt medium Martium A. 1741. in Noſocomio inſpectabam anatomici ſtudii cauſa, quamobrem quo morbo confecta eſſet, non adnotavi. Inter ea quæ ſecundum naturam erant, hæc quæ minus erant, animadverti. VENTRICULUS ad umbilicum uſque ſe extendebat. Duodenum inteſtinum erat latiſſimum. Uterus totus ſic tractus erat ſiniſtrorſum, ut manu in medium non poſſet retrahi, obſtante Lato Ligamento quod multo erat anguſtius inter ejus latus ſiniſtrum, & pelvim, quam inter hanc, & dexterum. Fundi interiorem faciem color inficiebat propemodum ſanguineus, ut coronam quoque oſculi; niſi quod hîc magis in atrum vergebat. Erat præterea hæc corona quaſi in duas parvas prominentias diviſa. Tum ex oſculo, & cervice, mucus prodibat, non qualis ſolet, ſed craſſus, & ferme puriformis.

19. Spectare huc, opinor, quæ ad te alias ſcripſi, fuiſſe a me in mulieribus aliis (*p*), nec non in Virgine quadam (*q*) obſervata. Namque in Meretricula uteri oſculum albo quodam, & craſſiuſculo humore fœdatum vidi, tum ejus qui in Tubis erat, tum virilis ſeminis ſatis diſſimili. In Muliere autem altera cum oſculi corona, & vagina oblitæ eſſent materia albida; non poterat hæc altiorem quam ab oſculo, originem habere; longe enim alia erat materia quam ſupra oſculum animadverti. In Virgine autem cujus vagina ſubalbo, & craſſiuſculo humore magis madebat, aut ab eadem corona, aut a vagina etiam ipſa proveniſſe illum, oſtendit ſuperiorum partium diſſectio: nec aliunde repeti poſſe in alia viſus eſt de qua alibi (*r*) ſcribetur. Porro in corona, oſculo, proximaque cervice interdum prominere, interdum latere veſiculas quæ ſecundum naturam haud aliud contineant, quam limpidum, & in fila ductilem mucum, qualis ad ea loca effuſus conſpicitur, ex iis ſatis noſti quæ in Adverſariis (*ſ*) olim propoſui, & confirmavi: de quarum veſicularum fortuita efformatione commentum recentioris Anatomici hic non eſt opus rejicere, cum jam ab aliis rejectum ſit. Quid autem vetat, ut in cæteris videmus glandulis, ita in his quoque morbi vi pro eo muco materiam aliam ſeparari, modo albidam, & craſſiuſculam, modo etiam aquoſam? Quin ubi eorum Scripta legas qui ante me veſiculas iis in ſedibus conſpexerant; pleroſque, ut in I. Adverſariis (*t*) ſcripſi, cognoſces, ex ea quam forte in veſiculis præter naturam aquam invenerant, ipſas pro hydatidibus accepiſſe. Quam aquam a me quoque aliquando ob eandem cauſam in illis eſſe deprehenſam, Adverſaria IV. (*u*) ſatis oſtendunt. Igitur ut ſecundum naturam mucum illum effundunt; ſic vitiata in illis ſecretione, & albidam craſſamque materiam, & aquoſam poſſunt effundere.

20. Quoniam vero non ſolum in parte uteri inferiore, ſed in fundo etiam ipſo, quantumvis rarius, veſiculas vidimus eundem quem ad oſculum, mucum habentes; eam in fundo quoque ſcaturiginem aliquando poterit aquoſæ, aut craſſæ, albæque materiæ, aut alius denique coloris Fluor habere. Decet quæ rarius vidiſſe diximus, propoſitis Obſervationibus hic confirmare, præſertim cum hæ ad uteri excreſcentias attineant, de quibus proxime ſequitur, ut verba faciamus. Ad Obſervationem igitur quam Epiſtola habuiſti XXXIV. (*x*) excreſcentiæ quæ propius ſupremum fundum, veſiculis hujus generis tegebatur, & ad alteram quam, cum erit ſermo de Claudicatione (*y*), habebis, tuberculi quod in ipſo ſupremo fundo ex illarum aggerie conſtabat, has adde quæ ſequuntur.

21. VETULÆ urinarias, & genitales Partes ad me attulerant, Anatomen in Gymnaſio explicantem Februario menſe A. 1740. AORTÆ truncum, dum illas examinarem, animadverti non carere intus oſſearum ſquamularum initiis, quamvis perpaucis, & macularum inſtar ſe habentibus. Uteri fundo adaperto, non modo qua cervici erat proximus, veſiculas conſpexi, ſed & aliquanto ſuperius ex altero illius latere parvum quaſi racemum pendere vidi ejuſdemmodi veſicularum, quas inter ſe connectebat albida interjecta ſubſtantia, ex qua & petiolus fiebat, nec breviſſimus, nec tenuiſſimus, racemum alligans ad intimam uteri membranam, quæ ſana erat, ex eademque albida conſtabat ſubſtantia.

22. Sed quoniam hæ veſiculæ, niſi quod neſcio quo caſu olim fuerant ex uteri membrana divulſæ; ipſæ earumque mucus ad naturæ normam ſe habebant; ut ex Obſervationibus intelligas, poſſe interdum quem continent mucum ab ea norma, ut ſupra indicavi, ſive colore, ſive conſiſtentia, ut loquuntur, deſciſcere; primum fac memineris, cum ex uteri oſculo, quemadmodum aliquanto ſuperius (*z*) retuli, prominerent excreſcentiæ duæ, ex his veſiculis factæ, mucum in his ipſis fuiſſe colore flaveſcente; tum proximas duas lege Obſervationes.

23. VIRGINIS annos natæ triginta tres genitalia diligenter ſecui poſt medium Martium A. 1717. UTERUS, ut pleraque alia, naturalem conſtitutionem ſervabat. Nam etſi vaſa circa ipſum erant tumidiora, & interior quoque ejus ſubſtantia ſanguine turgebat; hæc tamen ab inſtante eſſe menſtruorum fluxu, fundi intima facies oſtendebat, quæ, digitis ſubtus appreſſis, ſanguinis guttas emittebat, quibus abſterſis aliæ ſuccedebant: quod fruſtra in cervice, & vagina tentabatur. Interea dum hæc experirer, & iis qui aderant, demonſtrarem, excreſcentias binas animadverti, alteram in fundi latere dextero cervici proximo, alteram paululo infra in eodem cervicis latere. Parva erat utraque, & ex veſiculis compacta ſimilibus. Verum ſecando, quæ inferiorem faciebant, naturalem mucum dedere; & quæ ſuperiorem, limpidam aquam.

24. MULIER annorum quinque & ſeptuaginta cum bene valere videretur, apoplexia prehenſa, eaque intra triduum confecta eſt. Ventris dumtaxat viſcera in Gymnaſium illata ſunt, cum Anatomen docerem Februario menſe A. 1735. MESARÆI glandulæ erant nonnullæ tum procul ab annexis inteſtinis, tum præſertim haud procul, ubi tres quatuorve inter ſe vicinæ, ſed non contingentes; quæ glandulæ naturali cum eſſent colore, & ſpecie, non parvam fabam magnitudine ſingulæ æquabant, quod in fœmina id ætatis mirum quibuſdam, & fortaſſe etiam præter naturam videbitur. Appendicula Vermiformis, ut parte vix tertia cava eſſet, in Epiſtolis Anatomicis (*a*) ſatis indicatum eſt. Illud hic non omittendum, ex oculi uterini corona in vaginam pependiſſe excreſcentiam minimi ceraſi magnitudine, exterius ſubnigram, & tuberoſam, quam incidendo, nihil aliud eſſe, reperi, niſi aggeriem veſicularum aliquot grandiuſcularum, quarum

(*n*) n. 16. (*o*) ſupra, n. 12. (*p*) Epiſt. 26. n. 13. & Epiſt. 21. n. 47. (*q*) Epiſt. 32. n. 33.
(*r*) Epiſt. 50. n. 51. (*ſ*) I. n. 32. & IV. Animad. 39. & 40. (*t*) n. 32. modo indicato. (*u*) Animad. 40. indicata.
(*x*) n. 33. (*y*) Epiſt. 56. n. 20. (*z*) n. 16. (*a*) Epiſt. 14. n. 62.

rum ut aliquæ mucum de quo ſæpius diximus, naturaliter conſtitutum, ſic quædam aquam continebant.

25. Vides, ut eædem veſiculæ & mucum illum, ſecundum naturam ſe habentes, & alia, in hiſque aquam ſi forte vitiatæ ſint poſſunt ſecernere, ſive in fundo uteri, ubi rarius, ſive in cervice, & oſculo, ubi multo crebrius conſpiciuntur. Cujus ad oſculi coronam, a qua nos excreſcentiam iſtam, ex veſiculis conſtantem, vidimus pependiſſe, attinebat fortaſſe magnus ille tumor, *variis locis cellulis aquoſis repletus*, quem ex genitalibus mulieris exciſum Ruyſchius (*b*) deſcribit; quippe qui *ex confinio oris uteri*, ſive *circa uteri os internum emergebat*. Fluores autem de quibus ipſe hactenus verba feci, omnes ex ſimplici ſero fiunt. Quorum quidem, neque ita raro, alios alia ratione abactos, aut valde imminutos ſcio, in iis aliquem ex albo flavum factum, & contumacem, quem aqua ſuſtulit, data bene multos dies, qua in aqua herba ſaponaria recens cocta eſſet, uſus quoque ſuccini albi, & vini potus in quod modicum radicis ſarſæ parillæ infuſum fuerat. Nunc ad eos Fluores tranſeundum eſt, in quibus ſerum defluit purulentum. Qui, ſi quemadmodum plerumque ſolent, ex uteri cancro fiant exulcerato; inſanabiles ſunt vel inter initia. Equidem memini cum pro juniore generoſa Matrona, eo morbo ante duos, haud amplius, menſes correpta, & jam vehementer laborante, ego, & Senior, non vulgaris famæ, ejus Medicus conſilia conferremus, iſque ſermonis ſui hunc finem feciſſet, grave quidem eſſe malum, ſed tamen quod recens eſſet, aliquid a remediis ſperandum; continuo me ſic dicendi initium feciſſe, quod ipſi aliquam ſpem relinqueret, id mihi omnem prorſus adimere: qui enim ejus generis morbus tam brevi tempore tantos progreſſus habuiſſet, hoc ipſo, etiamſi aliunde inſanabilem eſſe, non conſtaret, ſatis oſtendere, ſe remediis omnibus majorem fore. Neque ea me fefellit opinio, muliere, nec multo poſt, ſuis acerbiſſimis cruciatibus, aſſiduis vigiliis, & feroſæ ac fuſcæ, teterrimi odoris, ſaniei jugi defluxu, aliiſque confecta, quæ fuſe ex Archigene tradidit olim Aetius (*c*), & ante hunc Paulus (*d*). Cujus de iis ſignis prolixum locum deſcribens Fridericus Hoffmannus (*e*), memoria lapſus, quod in iis non eſt mirandum qui multa ſcribunt, ex Aretæo eſſe, dixit lib. II. cap. LXVII. quod caput in toto Aretæo nuſquam eſt, hujus morbi notas proponente cap. XI. libri II. de ſignis, & cauſis diuturn. morbor. Ibidem Hoffmannus, *Recentiores quidem parum hanc uteri affectionem notaſſe*, inquit; ſe *vero aliquoties obſervaviſſe, eadem omnino ratione, iiſdemque ſymptomatibus* ac eo quem in Paulo indicavimus, loco exacte proferuntur. Parum notaverint illi, necne, ipſis perlectis, exiſtimabis. Mihi quidem ſæpius viſa eſt, quam voluiſſem, quippe non modo inſanabilis, ſed levamen vix aliquod in nonnullis admittens, in quibus, opinor, vaginam magis afficiebat; hæ namque, paucis unciis recentis lactis in quo pauxillum ſolutum eſſet compoſitionis alicujus opium habentis, in Rectum inteſtinum ſub noctem injectis, brevem quidem, ſed optatiſſimam quietem capiebant. Ex iis tamen quædam fuit, cui prima nocte nihil id profuit, ſed poſtridie, idque conſtanter. Eidem ſi opium dares, dolorum quidem remiſſionem, & ſomnum conciliabat; ſed hunc is mentis ſtupor excipiebat, ut ægra quereretur. Signa tamen, quod ad Fluorem attinet, quem potiſſimum hic ſpectamus, nonnunquam ex parte varia fiunt. Legeſis Graafii (*f*) Obſervationem, cum diſſectione conjunctam, quam in Sectione hac Sepulchreti XXXVI. omiſſam eſſe, plurimum miror. Videbis, acertimam quidem, ſed *concreti albuminis inſtar albicantem* materiam ex utero *undique aut exulcerato aut ſcirrhoſo* in vaginam deſcendiſſe. Aut relege hiſtoriam a nobis Epiſtola XXXIX. (*g*) tibi deſcriptam. Ampliſſimum ſcirrhum in cervice uteri, & vagina ferme tota exulceratum fuiſſe, intelliges, ſic ut ex ulcerum certis partibus alba defluere materia poſſet, ex magnis autem profundiſque ejus generis ulceribus gravem odorem perceptum eſſe nullum.

26. Eam ego hiſtoriam in qua de his, quæ modo commemoravi poſt ſanguinis profluvium, muliebrem Fluorem, & exulcerati in utero cancri indicia ſermo ſit, huc eram libenter dilaturus, niſi inter Ventris Internos Tumores ibi producere oportuiſſet. Aliæ quoque meæ eroſarum muliebrium Partium Obſervationes hic haberent locum, ni ſatius eſſet alio (*h*) reſervare. Interea aliorum quaſdam, a te, ſi velis, Sepulchreto addendas, Obſervationes indicabo. Quas ſi perleges, reperies in iis omnibus, poſt uteri hæmorrhagias, & purulenta profluvia ſuppuratos in eo tumores, aut ulcera deprehenſa eſſe. Sic Maximilianus Preuſſius (*i*) inter cyſtes, uxoris ſuæ uterum implentes, deſcribit quæ *abſceſſus referebant ichore purulento, ex viridi albicante, ſummeque fœtido refertiſſimos*, in iiſque unam quæ *ut veſicam urinariam, cum utero circumquaque in unum quaſi viſcus coalitam, hinc inde perforaverat*; *cumque urina pus conſimile e corpore ſæpius effuderat*; itaque pus non ex utero ſolum, ſed utrinque, at in utero genitum, effluebat. Sic Jo. Mauricius Hoffmannus (*k*) deterſo pure quo turgida erat, *cavitatem internam uteri cavernulis & loculis plurimis interdiſtinctam* conſpexit. Sic præſertim Godofredus Klaunigius (*l*) *ulcus cancroſum in interno uteri collo* ejuſcemodi deprehendit, ut *illud ipſum collum nil niſi externam tunicam ſive membranam oſtenderet, reliqua ſubſtantia penitus conſumta*. Quæ tanta uterinæ ſubſtantiæ intra tempus non ita longum conſumptio me ſæpe induxit, ut optarem, in ea Obſervatione quam ſuperioribus Litteris (*m*) commemoravi, in qua *uterus admodum parvus, inſtar ovi columbini & quaſi corrugatus* in fœmina annorum circiter duodequadraginta repertus eſt, ut optarem, inquam, eundem fuiſſe diſſectum. Nam cum ægra *per totam vitam fluore albo laboraſſet*; a veri ſimilitudine fortaſſe non abhorret, ſenſim quidem, nec ab ejuſmodi ulcere, ſed diu tamen ita læſam uteri ſubſtantiam, & ita abſumptam fuiſſe, ut non tam ipſe, quam extima ejus membrana corrugata, & ſubſidens, ad eam denique parvitatem redigeretur.

27. His tibi indicatis, jam faciendum mihi eſt quod promiſi, ut magnorum illiuſmodi morborum, & quod conſequitur, cauſarum Fluoris parva initia, id eſt uteri excreſcentias, tumoreſve mihi per anatomen obſervata pergam proponere, non omnia tamen, ſed quæ huc cenſeo magis attinere. Scilicet aut exteriora illa ſunt, aut interiora. Primorum, huc minus attinentium, Obſervationes Epiſtola XXXIX. (*n*) preſſe commemoravi. Interiorum quæ alibi expoſitæ ſunt, mentionem hic faciam, & quaſdam, alium locum non facile habituras, adjiciam. Qui vero tumores intra ipſam parietum uteri craſſitudinem increſcunt, quorum unum deſcripſi Epiſtola XLV. (*o*), hic ideo omittentur, quia non ſemper, etſi plurimum augeantur, ad uteri cavum perveniunt, quemadmodum immanis ille oſtendit, de quo ſuperiore Sepulchreti Sectione legeris XXIII. (*p*) Ad interiora igitur ſpectant præter minuta illa tubercula, quæ ſupra (*q*) deſcripſi, & parvulas illas quaſi verrucas quas ea occaſione commemoravi (*r*), excreſcentiæ quædam parvæ, aliæ alia forma, ſingulæ in ſingulis quibuſdam uteris (*ſ*) animadverſæ, tum deinde aliæ humillimæ quidem, & planæ; ſed plures, nec modico ambitu (*t*), itemque de tribus duæ ſaltem per non tenuem pedunculum utero affixæ, minuſque dura quam ipſe, ſubſtantia, eaque intus extraque cruenta adeo ut nigricaret (*u*), denique ſcirrhoſum in corona oſculi uterini tuberculum (*x*). Sed

hæc

(*b*) Theſ. Anat. 8. n. 102. (*c*) Tetrab. 4. Serm. 4. c. 94. (*d*) De Re Med. l. 3. c. 67.
(*e*) Medic. Rational. Tom. 4. P. 1. S. 2. c. 10. in theſ. patholog. §. 8. (*f*) De Mulier. Organ. c. 9. (*g*) n. 33.
(*h*) Epiſt. 52. n. 2. & 6. (*i*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 126. (*k*) Earund. Cent. 8. Obſ. 27.
(*l*) Earund. Cent. 3. Obſ. 65. (*m*) n. 21. (*n*) n. 36. (*o*) n. 23. (*p*) Obſ. 11. §. 2. (*q*) n. 14.
(*r*) n. 15. (*ſ*) Epiſt. 12. n. 2. & Ep. 23. n. 11; & Ep. 45. n. 16. (*t*) Epiſt. eadem n. 17. (*u*) Ibid. n. 24.
(*x*) Ibid. n. 23.

hæc antea ad te ſcripſimus. Nunc reliqua adjiciamus. Quod ſi alia præterea conſpecta ab aliis noſcere fortaſſe cupis; reperies inter cætera, a Cl. Gvolſg. Hannib. Langio (*y*) poſt vexationem ab obſtetrice utero illatam animadverſa, tuberculum quoddam ſcirrhoſum, ejus oſculum ſic obturans, ut nec flatui exitus, nec ſtylo introitus pateret: ab juniore autem Verneyo (*z*) deprehenſum intra fundum uteri hydropicæ Virginis glanduloſum corpus, nucis magnitudine. Sciens alia omitto: & ad meas reliquas Obſervationes protinus tranſeo.

28. FŒMINA conſiſtente ætate, ex thoracis morbo obierat in Bononienſi Noſocomio S. Mariæ de Morte, extremo Aprili A. 1706. Ex illa cum Ventris viſcera perluſtrarem; hæc præter naturam in genitalibus animadverti. VAGINA infima ulceris veſtigia ſervabat, urethræ orificio proxima: quæ in altero naturalis labio erant manifeſtiora. Hæc prægreſſæ luis Venereæ ſuſpicionem injiciebant ſicut excreſcentia quoque ad podicem ex alba quadam ſubſtantia. Inde oculos ad ovaria, tubaſque convertens, albida illa vidi, & ſtrigoſa, ſuperficie quibuſdam ſulcis in ſerpentis modum perductis excavata. Cum ſecarem, duriuſcula inveni, deprehendique in altero inanem cellulam, quam tunicæ duæ, interior nigra, exterior cinerea, comprehendebant; in altero præter minores veſiculas humoris plenas, majores cellulas duas, eaſque vacuas, quarum altera tunicam habebat ex parte oſſeam factam, altera autem omnino oſſeam, atque ita ſulcatam ut quorundam quaſi inteſtinulorum gyros referret. Tubarum uni corpuſculum, forma, & duritie cocto humori Cryſtallino ſimile mediocris piſcis, exterius propter majus orificium adhærebat; alteri ad longitudinis medium aggeries corpuſculorum haud diſſimilium, ſed longe minutiorum. Magnus uterus, craſſiſque parietibus, fundi præſertim. Cujus aperta cavea erat circa longitudinis medium multo amplior in tranſverſum, quam ſoleat; ibi vero, aut potius paulo ſuperius erant in altero latere anterior uteri facies, & poſterior inter ſe per interjectam membranulam connexæ; ab oppoſito autem latere excreſcentia incipiebat, quæ ei uni loco affixa, cætera ſoluta, ſe extendebat circuli forma cujus diameter aliquanto eſſet amplior tranſverſo pollice. Craſſitudine erat modica, ſuperficie rubris maculis hic illic diſtincta, ſubſtantia autem eadem ferme qua uterus, niſi quod mucoſi aliquid intermiſtum habere videbatur, eoque facilius quam illa, diſtrahi. Cervicis cavum initio, & fine multo erat arctius, quam conſuevit. Ab illo autem initio, & a latere, deſcriptæ excreſcentiæ oppoſito, altera pendebat parvula, eadem atque illa, ſubſtantia, ſed tota rubente ſuperficie ſaturo colore, pyri figura e petiolo pendentis, niſi quod anteriore, & poſteriore facie erat plana.

29. Hæc altera excreſcentia mihi ſua forma in memoriam redigit eos uterinos polypos quos ab ima cervice excreſcentes, & pendulos Ruyſchius (*a*) delineavit poſt illam Obſervationem, quam huc in Sepulchretum non eſſe relatam miraberis, cum acris Fluoris magnam copiam cum illis conjunctam fuiſſe, memineris. Ejuſmodi autem excreſcentiæ, non ſecus ac narium polypi, ut cancroſæ poſſint, ac malignæ fieri, malignumque ulcus adjunctum habere, ſatis illa docet Obſervatio, oſtenditque, non temere a nobis uteri excreſcentias hic ſpectari, ut eſſe poſſunt peſſimorum ejus morborum initia. Qua mente quatuor alia huc addemus exempla, omnia a nobis, cum in publico Anatomen traderemus, conſpecta: quorum primum ad hanc infimam, & parvam, cætera ad ſuperiorem majoremque excreſcentiam illam attinebunt.

30. MULIERIS, ex qua ſingularem venoſum trunculum, nec tamen exilem, venæ Cavæ trunco a ſiniſtris parallelum, hinc cum eodem qua Iliacam excipit, inde cum Emulgente vena communicantem, alias opportuniore loco fortaſſe deſcribam, cum Partes iis venis proximas, in quibus arteriæ Magnæ truncus fuit, levia incipientium oſſearum bracteolarum indicia per faciem interiorem oſtendens, A. 1728. attentius inſpicerem; hæc in genitalibus adnotavi. OVARIA, ſeu mavis teſtes, parvi, quorum alter ſtrigoſior, alter veſiculas quidem nullas, ſed perpaucas cellulas continebat, quarum minores, niſi quod intus nihil ſpectabile habebant, majoris erant ſimiles quæ intra tunicam craſſam, ex ſubflavo albicantem, ſinum comprehendere videbatur ductus inſtar longiuſculi, exiguos in tranſverſum ramulos emittentis: quanquam veritus ſum, ne tunica, quæ olim fortaſſe cavum ſphæricum continuerat, poſtea collapſa, & in ſe contracta, ſuarum rugarum intercapedine eum ductum, eoſque ramulos mentiretur. Alas Veſpertilionum inſpectans, ut nerveos in iis plexus oſtenderem, in una vix leviſſimum exiguumque plexus quaſi inchoamentum offendi; in altera ne hoc quidem. Ad uteri oſculum prominentia erat quædam colore viridi. Paulo ſupra, ab jam jam infimæ cervicis pariete per brevem, albidumque petiolum parvula excreſcentia pendebat lævis, & ex rubro fuſca, figura minus quidem oblonga, ſed cætera ejus perſimilis minoris excreſcentiæ quæ in ſuperiore muliere noviſſime deſcripta eſt.

31. MULIER annos nata quinquaginta, aut plus eo, trigeſimo ex quo vulnus capiti inflictum fuerat, die mortua erat ineunte Februario A. 1738. Nihil fere ex ea inſpicere potui præter genitalia. In quibus hæc animadverti. TESTES duriores erant, aridi; & ſine veſiculis. Cum inter ſe nullo modo diſcreparent, multo minor plexus nerveus fuit in dextera Ala Veſpertilionis. Apertus uteri fundus exhibuit in ima facie poſteriore excreſcentiam mediocrem, ad circuli formam accedentem, depreſſam, & ſuperiore tantum ſui parte ab intima uteri membrana disjunctam. Cujus ipſius membranæ potius quam uteri ſubſtantiæ, excreſcentia eſſe viſa eſt. Hanc enim, & ſubjectum uteri parietem, eamque membranam perſecans, & inter ſe conferens, ex eadem magis compacta ſubſtantia ex qua membrana, factam excreſcentiam reperiebam, prætereaque eadem exterius lævitate, eodemque ac membrana illa, colore præditam, ſi modo ſummam qua disjunctam fuiſſe dixi, crepidinem excipias, quæ ſola rubebat.

32. Intuenti hæc mihi in mentem venerat ſuſpicari, hanc, & ejuſcemodi alias excreſcentias fortaſſe nihil aliud eſſe quam membranam uteri intimam, a placentæ novimeſtri adhæſione certo loco aſſurgentem in iis præſertim, a quarum utero non ſine vi aliqua fuiſſet avulſa. Sic enim intelligi cur hæ excreſcentiæ circuli forma ſint, & cur non æque in omnibus, quæ pepererint, manifeſtæ. Memineram autem apud Ruyſchium (*b*) legiſſe, etſi protuberantiæ, *quæ in vaccis uterum gerentibus reperiuntur*, & quæ *nil niſi efflorescentia Uterina* ſunt, *quæ tempore graviditatis eo loco ubi connectitur* fœtus *placentalis*, *in tumorem attollitur*, non conſpiciantur in mulieribus, *dum uterum ferunt*, *tamen eo loco*, *ubi placenta ſe ſe utero applicat*, *uteri tunicam interiorem nonnihil ſe ſe in tumorem quoque attollere*. Sed contra animadvertebam, videri Ruyſchium non attendiſſe, in vaccis jam inde ab ortu eas protuberantias exſtare, eaſque in prægnantibus amplificari dumtaxat, ut reliquas uteri partes, neque, inani poſtea conſtringente ſe utero, evaneſcere, cum is levis muliebris intimi uteri tumor (de quo alibi videbimus qualis ſit, & an ſit ab ea uteri tunica) nec antequam placenta ſe ſe arctius utero applicuerit, nec poſtquam uterus, fœtu edito, ſatis ſe contraxerit, nobis appareat: neque ſane tunc quoque ſibi apparere, Ruyſchius dicat. Præſertim autem recordabar, ejuſdem formæ excreſcentias in virgineis quoque uteris, aut certe earum, quæ nunquam peperiſſent, a me eſſe inventas, velut in hac quam protinus ſubjiciam, hiſtoria.

33. VETULÆ quæ ob cruris ulcuſculum in Noſocomium excepta fuerat, dum ibi non illibenter morabatur, idem accidit quod haud raro aliis quoque, ut ex impuris halitibus in febrem incideret primum,

(*y*) Commerc. Litter. A. 1735. Hebd. 29. (*z*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1703.
(*a*) Cent. Obſ. Anat. Chir. Fig. 6. ad Obſ. 6. (*b*) Theſ. Anat. 5. in fin. Arcula 3. n. 1.

mum, ut ex prævio frigore videbatur, intermittentem, mox ubi Peruviano cortice inhiberi non potuit, continuam factam, & acutam, nec ſine vaniloquio. Itaque mulierem ſuſtulit. Cujus viſcera inſpectans ferme omnia circa medium Februarium A. 1736. pauca hæc quæ morbida viſa ſunt, adnotavi. CEREBRI meninx Tenuis vaſa habuit ſanguine diſtenta, nulloque negotio ex profundis ſulcis qui ſunt in ejus viſceris ſuperficie, detrahi potuit. E Corde egreſſa Magna arteria tum ſupra valvulas, tum alibi, ut puta qua per Ventrem decurrebat, alba intus futurorum oſſiculorum oſtendit initia. Uterum nunquam fœtum geſſiſſe, hymenis inſpectio docuit, humilis quidem, ſed integri, certe nuſquam dilacerati. Idemque, utero inciſo, cervicis intima ſtructura confirmavit, magna ex parte haud alia atque in iis quæ non pepererunt. Fundi tamen, in tranſverſum dilatati, poſteriorem internam faciem ſuperius excreſcentia obducebat, circuli figura: quæ ab latere ipſo dextero incipiens, haud ita procul a ſiniſtro deſinebat, ut non multo minori eſſet diametro quam illa quæ ſupra (c) in Bononienſi muliere deſcripta eſt. Sed non, ut illa, erat ſoluta, ſi parvam excipias partem quæ ad ſiniſtram inferioremque oram pertinebat: reliqua ei faciei uteri inhærebat, quæ paulo ante dicta eſt. Tenui erat craſſitudine, plana ſuperficie, colore exterius cruento; interius ex ſubalba, compacta, ac firma conſtabat ſubſtantia.

34. MULIERCULÆ cachecticæ, & pene hydropicæ, membra quæ urinæ, & quæ generationis cauſa creata ſunt, examinabam ſub finem Januarii A. 1749. cum in primis hæc offendi. REN ſiniſter ſuperficiem habebat pluribus hic illic cellulis ſero plenis, ſive hydatidibus mediocribus, minoribuſque inæqualem. Nam etſi magna ex parte intra id viſcus, erant conditæ ſic quidem, ut ad pelvim nulla earum perveniret; tamen extrorſum quoque prominebant, ut aliquæ earum, quæ diſſilierant, ſerum in ventris caveam effundendo, incipienti aſciti materiæ nonnihil addere potuerint. Ren alter nullam conſpicuam habuit in ſuperficie; nam una, quæ mediocris inerat, inter ſuperficiem, & pelvim, ad neutram perveniens, condebatur. Urinaria veſica, parte ſaltem ima, tota intus a confertiſſimis vaſculis rubra erat, & inflammata. Quod vero ad genitalia attinebat, utero innatus erat tumor ſphæræ forma, cujus diameter ſeſquidigitum æquabat. Tumoris pars major extra uterum prominebat; minor in pariete hujus anteriore, ad alterum latus, ſic erat condita, ut ad cavum viſceris non perveniret. Durus erat totus, interius albus, albedine tamen quibuſdam minus albis maculis hic illic variegata. Interior facies cervicis quidem erat alba, & inæqualiter, ut ita dicam, tuberoſa; fundi autem rubra, & in duas leves prominentias aſſurgens, quarum neutra, niſi in ſuperficie, rubebat.

35. Ad has quatuor Obſervationes, in Gymnaſio, ut dixi, habitas, placet aliam addere, quam habui in Noſocomio circa medium Decembrem A. 1748.

36. MULIER ibi conſiſtente ætate mortua erat, quæ diu melancholico delirio, & febricula domi laboraſſe dicebatur, neque enim pro certo id ſcire licuit, ut neque cur demum morti eſſet proxima, cum in Noſocomium illata eſt. Tuum erit ex iis quæ, cunctis propemodum viſceribus perluſtratis, præter naturam adnotavi, quibus morbis macerata eſſet, conjicere. CADAVER mediocri erat habitu.

Cerebrum; ut hinc incipiam; nulla peculiari duritie; laxum autem cerebellum inveni. Intra cranium nihil uſquam aquæ offendi. Nec in Thorace graviora conſpexi. Imo ne pulmones quidem uſquam ad pleuram vel minimo nexu alligabantur. In corde vix aliquid concreti ſanguis habebat; in vaſis autem Magnis nihil prorſus: vidi autem ſanguinis modicam copiam ex Aorta jam deſcendente prodire.

Sed in Ventre plura fuerunt quæ animadverti. Et primum, cum abdomen incideretur, ſanguis in hypogaſtrio inter muſculos repertus eſt, in grumos, quaſi ut in ſugillatione, concretus: cujus rei incognita erat cauſa, neque in ventris cavo quidquam recentis læſionis ei loco reſpondebat. Lien ea fuit longitudine, ut a ſua ſede incipiens, ad Ilium os perveniret: cui tantæ longitudini cæteræ dimenſiones non congruebant. Laxus erat, nec lividus, ſed magnam partem rubens, anteriore ſaltem facie. Bilis plurima ſuam veſiculam diſtendebat. Aquæ fuit aliquid in ima pelvi. Veſica interius ad urethræ orificium, & aliquo ſupra hoc ſpatio ſanguiferis vaſculis erat diſtincta. Uterus aliquanto ſiniſtrorſum inclinatus; & ejus tamen oſculi orificium, inciſa vagina, quæ tota propemodum livebat, & grave olebat, magis erat a dextris quam ea ferret inclinatio. Cauſa erat ejus corona, quæ, æquo durior, a ſiniſtris tumore quodam augebatur.

37. Sed de excreſcentiis, & tumoribus internis uteri ſatis; ne quod vereri nos, diximus, creſcant hæ Litteræ præter modum. Ex illiuſmodi autem vitiis, quæ ut crebro deprehendantur, intelligis, mirum non eſt, ſi cauſa aliqua accedente, peſſimi interdum tumores, hiſque exulceratis inſanabiles Fluores fiant.

Proxima Epiſtola quidquid reſtat muliebrium morborum perſequemur. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XLVIII.

Verba fiunt de Graviditate Falſa, Abortu, Partu infelici.

SI forte miraris, tot ejuſcemodi argumentis unam hanc a me Epiſtolam tribui; miraberis magis, duas, haud amplius, neque eas longiſſimas, Sectiones XXXVII. & XXXVIII. in Sepulchreto tribui non illis modo, ſed ſimul etiam aliis pluribus, in quibus ſunt Gemellorum Origo, Hermaphroditi, & Virginitatis Notæ. Quæ mihi argumenta neque hic tractanda arbitror, ubi inſtitutum poſtulat, ne de aliis quam de abditis morborum cauſis per anatomen quæſitis agatur, neque, ſi tractanda eſſent, aut ullum, aut magnum apud me pondus haberent pleraque eorum quæ de illis, aliiſque ejuſmodi rebus in has Sectiones relata video. Quod ne temere a me dictum putes; exempla nonnulla indicabo. Quid enim ad Gemellorum Originem Obſervatio iſta (a) Gerardi Blaſii, qui teſtium veſiculas, ne dicam hydatidem facile quandam extra horum alterum hærentem, ſine ulla dubitatione habet pro ovis? vel quid ad eandem Originem iſta quæ ſubjicitur, Appendix? in qua; ut alia prætercam, a ſententia Blaſii non diſcrepantia; *aura ſeminalis per vas Deferens, ſive Ductum brevem*, id eſt teſtis vinculum teres, ut opinor, *ad* ipſum *uſque* teſtem *traducitur*; quaſi eo vinculo quadrupedum fœminæ non carerent: *ovi ductus gallinarum rectus eſſe dicitur, & laxior; in homine vero anguſtus, & valde tortuoſus*; quaſi cum in gallina laxior eſt, non ſimul eſſet, quanto muliebri tuba longior, tanto etiam, id eſt præter omnem comparationem, tortuoſior. Adduntur & hæc; tubarum cum teſtibus connexio eſt magis indaganda, ne forte quæ laciniæ, ſeu fimbriæ illarum dicuntur, effectus ſint diſruptionis, videlicet ne tubæ cum antea teſtibus ſecundum naturam fortaſſe adhæſiſſent, ab illis *per incuriam, dum inteſtina extrahuntur, communiter abrumperentur*; quaſi tubæ ex longe tenuiſ-

(c) n. 7. (a) 4. in Sect. 37.

nuiſſima membrana fierent, earum autem fimbriæ ea ſtructura, figuraque eſſent, ut poſſent ad eum modum produci: eſt inter uteri cervicem, & teſtem alter qui ſemen tranſvehit, ductus, qui *cervicalis dici non abſurde poſſet*; quaſi ductum ejuſmodi eſſe vas quodpiam ſanguiferum, non conſtaret: denique; ne longior ſim; per teretia uteri ligamenta *ſeminalis materia, nec non alia in utero coacervata excrementa ad inguina expelluntur*; quaſi manifeſtum non eſſet, ea ligamenta cum uteri cavo non communicare. Et hæc quidem de gemellorum origine, & generatione.
De Hermaphroditis autem quorſum diſſectiones iſtæ tres? (*b*) quando cum fœmineo naturali penis conjunctus neque urethræ orificio erat præditus, neque urinam emittebat; ut vel ſine ulla diſſectione nihil eſſe aliud, conſtaret, quam magnitudine monſtroſa clitoridem. De Virginitatis denique Notis ſatius erat nihil attingere, quam duas, treſve iſtas (*c*) in extrema Sectione XXXVII. Obſervationes proponere, ex quibus lectores partim vix ſciant, quænam inter notas illas non ſit ponenda, partim credant, ne hymenem quidem, qui tamen præcipua, ſiqua alia, Virginitatis eſt nota, in illis eſſe commemorandum, præſertim cum in adjecto Scholio carunculæ etiam ſolæ pro ea præcipua nota haberi poſſe dicantur, neque minus ad Pinæum hujus ſententiæ propugnatorem, quam ad alios lector rejiciatur. Quibus de rebus tanto minus hic a me quidquam addendum puto, quod ſatis alias quid obſervaverim, in Adverſariis (*d*), quid autem cenſeam, fuſe in eo Reſponſo dictum eſt quod inſcribitur *ſuper Judicio Obſtetricum de Mulieris Virginitate*.

2. In Sectione etiam XXXVIII. non pauca ſunt quæ aut non eo loco poni, aut adjecta animadverſione aliqua omnino emendari debuiſſent. Neque enim pro his poſſis dicere quod pro pleriſque eorum fortaſſe quæ ſupra notata ſunt, nimirum quo tempore edebantur, necdum iis meliora fuiſſe propoſita: quanquam & tunc multo meliora jam prodierant, & tanto magis eo tempore quo Sepulchretum recuſum, & auctum eſt. Scilicet recentiſſimis Obſervationibus opus non fuerat, ut hæc, quorum aliqua continuo indicabo, non ſine emendatione proferrentur. Obſervatione I; ut omittam, quædam in cujuſdam fœtus (*e*) diſſectione ita proponi, ut cum ſecundum naturam ſint, ipſa quoque a pleriſque lectoribus credi poſſint ad vitioſam conſtitutionem attinuiſſe; quis ferat (*f*), funiculum fœtuum umbilicalem *communiter & in omnibus ulnarum aliquot longitudine eſſe ſolere*? aut quis *mirum* eſſe, credat (*g*), a fœmina quæ ſepties abortiit *nunc breviore, nunc longiore a conceptu temporis ſpatio*, editos *omnes abortivos fuiſſe tamen ejuſdem magnitudinis, pollicis articulum fere æquantes*; quis, inquam, hoc *mirum* credat, niſi forte qui non intelligat, alios quidem alio tempore fuiſſe ejectos, omnes tamen eodem mortuos? poſſe enim mortuum fœtum vel plures menſes in utero retineri, etiam ſine corruptione, & fœtore ullo, ſatis præter alias, in primiſque apud Ruyſchium (*h*), ea monſtrat quæ continuo ſequitur Obſervatio (*i*). Obſervatione autem II. (*k*) cum fœtus quidam cujus exitum viarum tumor prohibuerat, compreſſo ab uno latere cranio repertus eſſet; inde hoc infertur: *ex quo clare eluceſcit, non ſolum vim expultricem uteri facere ad protrudendum fœtum, ſed & ipſum infantem allaborare ad ſui e carcere liberationem*: probaturne tibi hæc rei, cæteroquin per ſe non falſæ, conſecutio: quando mater 5. *aut 6. diebus doloribus partus laboraſſe* dicitur, infans autem poſt primos illorum dolorum dies nullum vitæ ſignum edidiſſe; ut minime conſtet, an utriuſque, an matris unius conatibus ea cranii compreſſio debeatur? Verum hæc ſatis ſint. Per te enim quatuordecim exempla perlegens, quæ Obſervatione I. ita proferuntur quaſi omnia ad abortum attinerent, intelliges, num ſecundo, quod ad partum ſpectat, inter reliqua eſſet locus, multoque illud magis, num ad inſtitutum pertineant omnes quæ in IX. congeruntur, Obſervationes; cum pleræque earum certe non ad præternaturalem, ſed ad naturalem attineant uteri tum in gravidis, tum in puerperis conſtitutionem. De qua noli hic quidquam a me expectare. Ad ſcriptionem enim longe aliam pertinent quæ ipſe quoque de conſtitutione illa neque ſemel, neque indiligenter obſervavi. Sed ut ingenue quo ſtudiis inſervirem tuis, hæc in memoratis Sepulchreti Sectionibus notavi; ſic ultro fateor, plurima in iiſdem eſſe probanda. Quorum capita in his Litteris ſequar, alia tamen interjiciens, aut adjiciens quæ & neceſſaria eſſe, & huc ſpectare, exiſtimabo.

3. Et primum, quod ad Graviditatem Falſam attinet, nimis notum eſt, haud ita raro Medicos falli ſive in vera pro falſa, ſive in falſa pro vera habenda. Utinam vero certa ſemper exſtarent ſigna; his enim freti docti ſaltem, attentique Medici neutrum in errorem laberentur. Certum utique, & manibus, interdum oculis quoque, eſt obvium graviditatis veræ ſignum, fœtus in utero motus: quem qui ſemel, præſertim frigida; ſic enim excitari ſolet; manu impoſita, bene perceperint, non illis inteſtinorum a flatibus, non alii ulli motus imponent; uſque adeo peculiaris ille eſt, & qui non niſi a vivo fœtus corpore edi poſſit. Verum primis non ſolum menſibus hoc ſigno caremus; ſed & cæteris interdum, imo nonnunquam poſtremis, ſive ob fœtus infirmitatem, ſive aliis de cauſis. Memini, rogatum quondam me eſſe, ut adoleſcentulam inviſerem, cui poſtquam Chirurgus e mamma cancroſum, ut ajebant, tumorem abſtulerat, venter a novem jam menſibus tumere cœperat. Quo minus renati, ut ſæpius ſolet, & tunc in utero timebatur, cancroſi tumoris ſigna, interrogando, reperiebam; eo diligentius, ac diutius tumentem uterum contrectavi. Cum prægnans hic videretur, ego vero motum perciperem nullum; parentum autem præſentia non ſineret me frigidam petere, in quam poſſem calentem; æſtas enim erat fer	vidiſſima; manum demittere; ſevocavi adoleſcentulæ Medicum, negantemque, ſe motum unquam in eo ventre animadvertiſſe, hortatus ſum nihilominus, ut quamvis intactam eam Virginem omnes crederent, caute ipſe prudenterque ageret, nec quid in aliis ejus ſimilibus paucis ante annis accidiſſet non ſine medentium dedecore, oblivisceretur. Quid quæris? Intacta illa Virgo paulo poſt infantem edidit. Eſt igitur ſignum quod dixi, certum, cum eſt; nec tamen non gravida poteſt eſſe mulier, cum abeſt. Aliud legi, ab doctis alioquin, & experientibus Viris pro certo, & in omnibus gravidis occurrente propoſitum, umbilicum videlicet protuberantem contra atque in hydrope, cunctiſque aliis ventris tumoribus. Sed num in aſcite nunquam protuberet, quam ad aquas educendas nonnulli perforant protuberantem, itemque num quam cauſam prominentis umbilici in gravidis ipſi proferunt, ea non ſit aliis qui inteſtina ſurſum urgeant, tumoribus communis; hæc, inquam, aliaque non quæram, cum ipſi ante finem tertii menſis non extare hoc ſignum, fateantur, cumque inſuper aliquando accidat ut geſtatio uteri cum hydrope conjungatur. Ne Plateri Matronam (*l*) hic memorem, ſolitam *quoties uterum gerebat, in aſcitem incidere*; pauci ſunt Medici qui utrumque aliquando conjunctum non viderint, aut qui ſaltem, ſi cauti, prudenteſque ſint, alienorum errorum non ignari, an conjuncta eſſent, dubitaverint. Quo magis annis ſuperioribus miratus ſum, doctum cæteroquin Medicum, & valde exercitatum, cum mecum conſilia iniret pro Illuſtri Matrona, quæ anaſarca, & aſcite laborans huc venerat, de nulla alia re ſolicitum quam de efficacibus adverſus utrumque hydropem medicamentis ſtatim propinandis, verba feciſſe. Ego vero cum tenellos Matronæ filios, ipſamque ætate florentem viderem, neque interrogando certior fieri poſſem, uterum tunc ferret, necne; iſta, inquam, medicamenta omnia probo, ſic tamen ut priuſquam de hac re qua de quæro, non liqueat, in uſum trahi non incipiant; interea autem levioribus quibuſdam, & tutis in utramque partem remediis utatur, aptaque in primis vivendi norma. Sapiit mulier, mihique auſcultans,

domum

(*b*) Ibid. Obſ. 6. (*c*) Obſ. 7. & 8. (*d*) I. n. 39. & IV. Animad. 23. & 24. (*e*) § 3. (*f*) §. 7. (*g*) §. 6.
(*h*) Theſ. Max. n. 40. 158 210. (*i*) 7. (*k*) 3. (*l*) Obſ. I. 3. ubi de Extuberantia.

domum reverſa, ſuo tempore ad me miſit qui gratias ageret, nunciaretque, filio edito, ſimul a morbis illis ſolutam, nihil ex iis, niſi crurum tumorem, ſupereſſe. Complures quoque eſſe, video, qui ſigno nitantur vetuſtiſſimo, quippe in Hippocratis Aphoriſmis (*m*) propoſito: *Quæ utero gerunt, his uteri os comprimitur*, indicio utique non contemnendo, & perutili primis illis menſibus, quibus priori, ut ſupra dictum eſt, non eſt locus. Itaque hoc feliciter uſus ſum, cum licuit; licuit autem perraro; noſtratibus fœminis ejuſmodi explorationi plerumque repugnantibus. Nec temere tamen ſum uſus, non ignorans, eſſe uteri morbos, in quibus, ut in parte docet Hippocrates (*n*), ejus oſculum connivet. Imo ob eandem cauſam non ſatis eſſe, credidi, ſi ad conſtrictionem illam oſculi ejus quoque coronæ incrementum aliquod additum eſſe, non imperitus Explorator perciperet, aut ſi digito ea corona ſurſum nonnihil compulſa, mox hanc, ſubducto paululum digito, & ſtante muliere, relabi ſinens, gravius uteri pondus animadverteret, aut denique ſi idem oſculum poſteriora verſus inclinatum magis ſentiret. Hæc enim etſi Hippocratico ſigno adjecta ipſius vim augent utique; tamen magnopere non fidendum, cenſui, niſi cum ea corona, ut Galenus (*o*) olim admonuit, æquo durior non eſſet, uteri autem morborum, vitiorumve, in quorum certe quibuſdam inclinatio quoque antrorſum eſt, unde oſculum retrorſum convertitur, omnia abeſſent indicia.

4. Igitur ne veram graviditatem pro falſa accipiamus, eſt ratio habenda accuratiſſime eorum omnium tum quæ adſunt, tum quæ abſunt, in primiſque ſi mulier antea geſtavit uterum, an eadem quæ alias, ſigna initio præceſſerint, ex quibus nunc pariter ſe gravidam factam cenſeat. Ob hujus enim rei, fallacis quidem interdum, ſed non propterea negligendæ, contemptionem ſæpe vidi Medicos in errorem prolapſos, ut ex tribus ſaltem, quas placet ſubjicere, Obſervationibus præclare intelliges. Hæ omnes ad Fœminas pertinent Generoſiſſimas, primam hujus, reliquas meæ Civitatis.

5. FŒTUS ante ſex menſes, & dies aliquot; neque enim ab eo tempore mulier cum Viro conſueverat amplius; conceptus fuerat, matre ob ſolitas initio poſt cæteras conceptiones moleſtias, quin gravida facta eſſet, non dubitante. Jamque uterus tertio menſe tumere cœperat, cum, profluente multo ex hæmorrhoidibus ſanguine, detumuit, ut deceptam fuiſſe mulierem, arbitrarentur. Itaque etſi poſtquam, eo fluxu conquieſcente, recreata erat, iterum venter intumeſceret; non propterea gravidam putavere. Rediit noviſſime idem fluxus, eique febris acceſſit. Tunc vero cum ipſa jam, nedum Medici, nihil de graviditate amplius ſuſpicaretur; ſanguis e brachio, & poſtmodum etiam e pede miſſus eſt, tum deinde medicamentum datum ad alvum ſolvendam. Paucis poſtquam datum fuerat, horis ecce inopinantibus omnibus, fœtus ejicitur mortuus, & ſeptima poſt hunc hora Secundæ. Quæ cum fœtu, & eorum quæ dixi, omnium relatione ad me allatæ fuerunt poſtridie mane, qui dies fuit IV. Kal. Septembres A. 1727.

FŒTUS a vertice ad calces erat ſex tranſverſos digitos longus, funiculus umbilicalis novem, ſed mira tenuitate, ut filum referret modicæ craſſitudinis, ſine ulla intorſione, ubique æquale. Corpuſculum fœtus, qui erat maſculus, bene intus extraque conformatum, niſi quod caput totum ita apparebat, quaſi a lateribus ſuiſſet compreſſum. Albus prodierat, nunc fuſcus erat factus. Viſcera fere omnia pallido, & obſoleto colore, jecur in primis, quod ex ſubflavo erat pallidiſſimum. Non modo urinaria veſica inanis, ſed & Colon inteſtinum, & Rectum. Cum ſanguinei coloris, non modo ſanguinis, nihil uſquam ſe oſtenderet qua cunque ſive fœtum ſecares, ſive ejus funiculum, qui ad me integer, hinc umbilico annexus, inde placentæ, allatus fuerat, cumque primi ſaltem ab illo in hanc rami eſſent tenues, quidam quaſi globi, nonnihil in longum ſe extendentes, magni, nigricantes, & ſanguine ferme fluido diſtenti, per Secundarum membraneam faciem qua placentæ, hic revera pro parvitate fœtus ampliſſimæ, ſuberant, tranſpiciebantur. Cæterum etſi fœtus corpuſculum neque erat exterius flaccidum, neque rugoſis integumentis opertum, neque ex ipſo, aut ex Secundis quidquam gravis odoris uſquam extitit; non dubitavi tamen quin diutius in occluſo utero, aut mortuus, aut certe infirmiſſimus, & mortuo ſimilis jacuiſſet, antequam prorſus moreretur.

6. Repentinus multi ſanguinis fluxus exſanguem, ut ex diſſectione apparuit, fœtum ejuſque funiculum reddiderat, & hunc præterea adeo gracilem. In eo autem quod fœtus eſſe crederetur nullus, excuſandus error Medicorum aliquanto magis, quam in proxima hiſtoria.

7. FŒTUM pariter immaturum, & mortuum ejecerat altera Matrona menſe Sextili A. 1716. Huic ſe gravidam eſſe, ex conſuetis ſibi indiciis putanti, Medicus ut abundantem, quemadmodum exiſtimabat, minueret ſanguinem, e brachio miſerat pondo libræ. Cum venter poſtea non ita pro geſtationis tempore tumeret, mulierque iis menſibus quibus fœtus motum animadvertere conſueverat, non perciperet, tum Obſtetrix, tum Medicus ipſe, Vir alioquin doctus, ſed quam ſemel animo imbibiſſet opinionem haud facile deponens, non fœtum, ſed molam utero geri, pronunciarunt. Qua pronunciatione cum perculſus eſſet, gravique mœſtitia afflictus mulieris animus; forte accidit ut ipſe in Patriam æſtate illa ſecederem, inſciuſque rerum iſtarum, ejus rogatu a Conſanguineis, Viris nobiliſſimis, meique amiciſſimis, ad ipſam adducerer. Quam bono, ut ſolebat, colore, &, niſi quod triſtis erat, bene valentem cum aſpicerem; quid tibi, inquam, Medico opus eſt? Nempe, inquit, ut ex eo ſciam, gravida ſim, necne. Tum ego cum interrogando, & ventrem contrectando, nihil audirem, nihilque perciperem, unde non gravidam eſſe, crederem, imo ex ipſa, itemque ex intima ancilla quæ ei ſemper fuerat a cubiculo, eadem omnia nunc eſſe, & fuiſſe, intelligerem quæ in prioribus fuerant uteri geſtationibus, ſi duo illa exciperes de quibus antea dictum eſt; gravida es, inquam, nec duo iſta, opinor, deeſſent, niſi quod in aliis geſtationibus, cum junior eſſes, non feciſti, ſanguinem eaque copia, mittendo, fœtus robur imminuiſſes, ejuſque incrementum retardaſſes. Tum demum quis juſſiſſet, ejuſque de mola pronunciationem audivi. Ibi ego, quæ ipſum rationes permoveant, neſcio: meæ certe me permovent, ut de mola ne ſuſpicer quidem; fœtum vero imbecillem, & quem niſi apta vivendi norma, animique alacritate recrees, in periculum adducas, a te geſtari, quo ad licet ejuſmodi in rebus, confirmo. Vera hæc erant; at ſerius quam oportuiſſet, inculcata. Cum enim ipſe ruſticatum abiiſſem; non ita multis interjectis diebus, accidit, ut mulieri nec opinanti cruenti quidpiam e naturalibus prodiret. Medicus autem præjudicata opinione adductus, ut molam citius deturbaret, rhedam conſcendere, & per inæqualia atque aſpera loca equis concitatis ire juſſit. Dolores inde oboriuntur. Domum reditur. Mittuntur ad Medicum qui conſulant quid agendum. Hic vero clyſterem imperat: quo reddito, ſe venturum, promittit. Dum redditur, una mortuus fœtus, Secundæque ejiciuntur nulla cum mola. Venit non ita multo poſt Medicus. Occurrit ancilla de qua antea dictum eſt, iiſdemque propemodum verbis excipit, quibus in re non valde abſimili, ut in Sepulchreto (*p*) habes, Medicos olim excepit ſuos generoſiſſima Veneta Matrona Helena de Mocenicis. Ancilla enim illa fœtum oſtendens, en mola, inquit, quam hera geſtabat mea.

FŒTUM, cum ut dixi, abeſſem, diſſecare non potui. Sed gracilem, & nihil grave olentem fuiſſe, ab iis qui viderant, accepi.

8. Venia tamen digni ſunt Medici, niſi ſi pertinaciam falſa cum opinione conjungant. Multo dociliorem, ut continuo intelliges, ibidem inveni alterum A. 1721.

9. FŒTUS quem immaturum, & mortuum ejecit mater, hiſtoriam nunc tertiam accipe, eo digniorem quæ

(*m*) Sect. 5. Aph. 52. (*n*) Ibid. Aph. 55. (*o*) De loc. affect. l. 6. c. 5. (*p*) l. 3. S. 21 in Schol. penult. ad Obſ. 58.

quæ diligenter ſcribatur, quod mola ſimul ejecta eſt, eaque præceſſerant quæ, ut in Obſervatione quadam Schacheri (*q*) cum hac quadantenus conveniente, opinionem veræ graviditatis propemodum tollerent.

Matrona habitu, & ſtatura mediocri, ſed qua nullam facile memini quæ plus ſanguinis gigneret, felix plurium liberorum mater, nonnunquam tamen etiam abortionibus obnoxia, cum poſt ultimum partum quem immanis lochiorum copia erat conſecuta, triſtius hyemem traduxiſſet; Aprili menſe ex conſuetis ſibi indiciis, cum menſtruorum emanſione conjunctis, ſe rurſus concepiſſe, cenſuit. Secuta eſt appetitus ciborum tanta dejectio, vix ut veſpertino dumtaxat tempore comederet, præſertim cum quidquid mane ſumeret, vomitu rejiceretur. Huc acceſſit circa Idus Junias ſanguinis ex utero profluvium. Adverſus quæ mala, ægræ non prorſus inſolita, cum alias poſt multa incaſſum adhibita, aquæ Nucerinæ uſus profuiſſet, nunc minime profuit. Ob hæc Julio circiter medio ab ægra advocor, venæ ſectionem ſupra quam dici poſſit, peroſa. Itaque ea ſaltem quæ pertinaciter non recuſaret, commendo, ut puta uſum *gelatinarum* ex vituli cruribus, coralia in pollinem redacta, cydonitem, & pauca alia de hoc genere quæ utrique malo ita adverſarentur, ut ſanguinis tamen curſum violenter cohibere non poſſent. Utrumque interea perſtabat malum, ſic tamen, ut non difficulter ferretur. Quotidie enim mane ſurgebat mulier, ſtabat, ſedebat, ambulabat, rheda etiam, cum vellet, minus probantibus nobis, per urbem vehebatur, nec quidquam fere prodibat ſanguinis. Noctu dumtaxat, cum ſive ſupina, ſive in latus ſiniſtrum cubaret; in dexterum enim haud poterat; profluebat, ſive lecti calor moveret, ſive non jacentis uteri oſculo aliquid ſe opponeret quod operiret, aut quaſi obturaret. Præter id quod noctu effluxerat, magna erat concreti ſanguinis copia quæ cum primum ſurgeret, excidebat. Inter hæc ad cæteras mœroris cauſas graviſſima quædam cum repentino terrore acceſſit ex necopinato Viri infortunio, quod ut Civitas univerſa commiſeratione, ita Uxor lachrymis, & planctu excepit. Et ea quidem quæ prima inſecuta eſt, nocte ſanguis ferme omnino ſubſtitit. At proximis vel fuſius effluxit. Jam non erat quiſpiam qui tanta, & tam crebra ſanguinis effuſione ſpectata, gravidam crederet eſſe poſſe mulierem; ſed ne ipſa quidem credebat amplius. Mihi tamen, quamvis ſenior, auſcultabat Medicus ſæpe inculcanti, judicium adhuc, ut in muliere quæ ſanguine adeo abundaret, eſſe ſuſtinendum: conceptionis ſolita indicia omnia præceſſiſſe; abortionis in effuſo ſanguine, accurate ſemper inſpecto, veſtigia necdum ulla apparuiſſe: lente quidem uterum intumeſcere; verum ſi parcius tandem ſanguis efflueret, citius fortaſſe tunc ſe elaturum. Dandam igitur operam, ut ejus effluxus parcior fieret; ſic enim mulieris quoque vires ſervari facilius poſſe, quarum lapſus jam incipientis crura indicium dabant non æque firma atque hactenus fuerant, & minus roſeus quam antea, faciei color. Cum alia quæ ea mente exhibuerat, minus reſponderent; dare cœpit veterem roſarum conſervam, ut vocant, vitriolatam, qua, & confectione alkermes; ſic enim appellant; ſine odoribus excipiebat contuſa citrea ſemina, & in boli formam redigebat. Hoc bolo & ventriculus aliquanto melius ſe habere incepit, & ſanguinis multo minus profluere. Tunc vero; tertia jam pars præterierat Auguſti menſis; non ſolum tumere cœperant mammæ, ut in prioribus uteri geſtationibus, ſed etiam altius ſe attollere. Hic iterum mulier, cæterique in depoſitam graviditatis opinionem redire. Erat tamen inſoliti aliquid, quod illius, meumque turbaret animum, creber in utero punctionum ſenſus. Quæ me res movit, ut ventrem manu diligentius contrectarem. Quod dum facerem, magis aliquanto turbatus ſum, uterum percipiens, non umbilicum verſus acuminatum, ſed in tranſverſum utroque latere magis extenſum, nec, ſi paulo fortius premerem, ſine dolore id ferentem, præſertim ad dexteram iliacam regionem. Vultu quidem, ut debebam, non modo verbis, apud mulierem ſuſpicionem diſſimulavi meam. Hanc Medico tamen, & Viro mox aperui, vereri me, dicens, ne præter fœtum mola ſubeſſet; nec tamen propterea niſi id quod agebatur, agendum; neque enim ubi molæ ſuſpicio eſſet, & majus in dies, quo minus ſanguinis exiret, uteri incrementum, iis eſſe locum quæ vehementer adſtringerent, præſertim cum ſanguis nonnullis quidem noctibus haud ita parce, pleriſque tamen ſatis modice jam prodiret: nec contra ubi facile profluvium redire poſſet, ſimulque cum mola, fœtus eſſe crederetur, ad pellentia, ne in ſolis quidem molis ſemper tuta, decurrendum; ſed obſervando, & pro re nata moderando ſanguinis fluxum, quiete præterea & animi, & corporis, aptiſque alimentis mulieris vires ad cujuslibet enixus caſum eſſe conſervandas. Hæc igitur dum attente fierent, poſt dies non ita multos, XV. Kal. Septembris, mulieri, dum forte ſtaret, aquæ repente ex utero proruperunt neque odore, neque re alia ab iis quæ parturientibus prodire ſolent, niſi forte copia paulo majori, diſcrepantes. Vocata continuo Obſtetrix cum proximi partus nulla præterea videret indicia, imo uteri oſculum occluſum digito perciperet; hæc nobis curavit ſignificanda: qui niſi novi appareret aliquid, interea quieſcendum eſſe, reſpondimus. Unus, alter, & tertius jam dies ſic erant exacti, me non valde mirante, quippe memore, non modo apud Harveum (*r*), totque alios legiſſe, verum etiam in Cive altera mea nobiliſſima aquarum effluxum multo ante extremum geſtationis vidiſſe, felici nihilominus partu non ante legitimum tempus conſecuto; ægre tamen hic ferente, ubi fœtum neque robuſtum, neque ſolum eſſe, exiſtimarem. Die autem quarto, cum venter qui ab aquarum exitu detumuerat, iterum cœpiſſet tumere, ingruentibus partus doloribus, mola primum, deinde fœtus mortuus ejectus eſt, noviſſime autem, tribus interjectis horis, nec ſine difficultate, & magna ſanguinis profuſione, Secundæ exierunt. Servata eſt mater, quæ undetrigeſimo poſt anno obiit ex maligno ulcere, ut accepimus, in utero, an vagina, ſed poſtremis illis annis oborto. Certe eo tempore quo fœtum illum gerebat, & eo quod protinus, & deinceps ſatis diu inſecutum eſt, nihil fuerat unde uteri, aut vaginæ exulcerationem jure poſſes ſuſpicari, indeque ſanguinis illas effuſiones repetere, ut poſſes in fœmina, ab Raygero (*ſ*) deſcripta, quippe quæ cum acerbiſſimis lumborum, & inguinum doloribus immanem primum uteri hæmorrhagiam paſſa eſt ſex, ſeptemve ante partum hebdomadis, poſt puerperium autem profluvium, quo intra perpaucos menſes confecta eſt, fœtidiſſimi nigricantis humoris. Quod ſi noſtrum cum propoſitis a Phil. Jacobo Hartmanno (*t*), & a Cl. Gutermanno (*u*) caſibus tibi placeat conferre; non difficile intelliges, abortus, pariter cum mola conjunctos, quanta, & quamdiu profuſio ſanguinis præceſſerit, neque tamen hic ab aperto in vagina ſanguifero vaſe, nedum ab uteri, aut vaginæ exulceratione, deductus ſit, aut deduci debuerit. Sed cætera quæ ad abortum attinent, a nobis deſcriptum, perſequamur.

MOLA, eloto qui adhæſerat, ſanguine, haud craſſior inventa eſt digitis tranſverſis duobus, aliquanto autem longior, ſectaque, nonnihil ſpongioſa, & quaſi carnea apparuit. Secundæ nihil oſtenderunt vitii. Fœtus qui ſequioris erat ſexus, novem digitos tranſverſos longitudine non æquabat. Caput univerſum, & collum a magna quaſi ſugillatione, ſine ullo tamen fœtore, nigricabat. Cætera, etiam interius, nihil præter naturam, quantum videre potui, habebant. Inepta enim mulierum moroſitate, vix licuit ventrem aperire, in quo ventri-

(*q*) Progr. de Hæmorrhag. Gravidar. (*r*) in Additam. ad Exercit. de Generat. ubi de Uter. Humor.
(*ſ*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. Obſ. 135. (*t*) Dec. ead. A. 4. Obſ. 84. (*u*) Act. N. C. Tom. 3. Obſ. 78.

ventriculum non inanem , quædam autem inteſtina animadverti ab iis quæ ſecundum naturam continebant, ſubnigra . Sed ne id quidem permiſiſſent, niſi, ut ſolari poſſent Parentes , qui decepti marem amiſiſſe triſtius ferebant , uterum exiguum quidem , ſed immiſſo per naturalis rimulam tenui ſpecillo , cum hac manifeſtiſſime communicantem , ſicuti curioſis ipſis pollicitus eram, oſtenderem ; clitoridis enim exſtantior, rimulamque prætegens, ut in ejuſmodi fœtibus ſolet, magnitudo illis pro pene impoſuerat ; nec mirum, quando ſæpius Chirurgis , atque adeo Medicis ad eundem modum impoſuit.

10. Neque immerito hoc a me dictum , cognoſces ubi ab Auctore Scepſis utriuſque de Vivipara Generatione in harum altera deſcribi fœtum animadverteris, qui *vix attingens tertiam partem digiti auricularis* , *completus tamen* erat , *& diſtinctus in omnibus ſuis particulis , itaut vel ſexus maſculinus optime diſtingueretur* . Scilicet in hunc errorem , quem verbum iſtud *optime* ſine ulla adjecta dubitationis , aut accuratioris examinis mentione , ſatis indicat , non incidiſſet , ſi anatomes exercendæ magis , quam impugnandæ, ſtudioſus , eadem quæ ſolertes Anatomici , in primiſque Ruyſchius (*x*) , de tanto faciliori ob ea quæ diximus , in dignoſcendo ſexu deceptione , quanto minor eſt fœtus , animadvertiſſet . Quem vulgarem errorem exterminari , parentum intereſt , qui perſæpe abortus eo gravius ferunt , quod marium illos quoque eſſe , putant qui ſunt fœmellarum .

Cæterum ut ad propoſitam hiſtoriam redeam , an ſugillatio illa capitis inde orta ſit quod aquis aut omnino , aut maxima ex parte jam effuſis , non membranæ illis diſtentæ , ſicque deorſum compulſæ ad viam fœtui dilatandam, ſed fœtus , matris conatibus propulſus , ipſe ſibi per anguſtias oris uteri exitum aperire debuerit , an potius , ſi , quod facile acciderat , is credatur antea mortuus , læſionem ejuſmodi quæ non niſi in vivens corpus , aut in cadaver recentiſſimum cadit , vel pridem , quæcunque ejus rei cauſa fuerit, vel ſtatim a morte , capite jam antea deorſum converſo forte contraxerit, itemque an mola culpanda hic ſit, quæ , ut ipſum præceſſit , ſic inter ejus caput , & os uteri interjici potuit , viamque anguſtiorem facere , eademque obſtaculum illud fuerit quod , ægra ſtante, ſanguini exitum intercludere ex utero, quippe tum deſuper compreſſa, videbatur, in medio relinquo. Quod vero aquas effuſas ex amnio fuiſſe , non dubitem , ejuſdem fœtus, qui non niſi quarto poſt die excluſus eſt, cum alia faciunt, tum illud inſuper quod copia eſſe viſæ ſunt paulo majori quam debebant. Neque enim ignoro, fuiſſe ingenioſe cogitatum, aquas ante juſtum tempus prodeuntes, non ad eum qui denique ejicitur, fœtum, ſed ad alterum attinere qui ſimul quidem cum eo conceptus , verum in vitæ primordiis extinctus , & deinde colliquatus , iſtas quæ exitum anticipant , aquas reliquerit intra amnium proprium donec earum jugi incremento hoc adeo diſtendatur , ut alterius robuſti , & ad maturitatem prope adducti fœtus vehementioribus motibus reſiſtere nequeat . Sed ut de aquarum illo incremento hic minime diſputemus , atque ut præterea concedamus , huic cogitato quibuſdam in caſibus eſſe locum fortaſſe poſſe , at non erat certe in noſtro , ut pote cum fœtus imperfectus eſſet , ac debilis , neque in propoſitis a Peterſonio (*y*) , & Dethardingio (*z*) ; fœtus enim qui caput , jam exertum , rurſus in uterum retraxiſſe , ibique alter duas, alter ſeptem hebdomadas donec partus tempore omnino prodirent , reſtitiſſe ſcribuntur , ſuis profecto, non alienis aquis exitum aperuerant : aut ſi exempla hæc, quod ultro fateor , firmas requirebant probationes; alia tamen haud deerunt creditu faciliora , eodemque ſpectantia , ſi otium tibi ad quærendum fuerit. Cæterum præmaturum , & qui fere innoxius ſit, aquarum exitum repetere plerumque ſolitus ſum a rupto dumtaxat chorio , ſic effluere ſinente quod inter ſe , & amnium plus minuſve illarum forte intererat ſecundum Obſervationes Ruyſchii (*a*) , & aliorum (*b*); quanquam hi neſcio quam inde allantoidem humano in genere commenti ſunt .

Aquarum vero ex amnio ipſo ante juſtum tempus eruptionem illam eſſe, non dubito, quam merito Hippocrates (*c*) *malam* pronunciavit . Quamvis enim poſt ipſam non ſemper infelix ſit partus : ſæpius tamen minus eſt felix , ſive illam ut cauſam , ſive ut effectum ſpectemus. Ut cauſam quidem ; nam effuſa tunc aqua viam opportune fœtui neque dilatat , neque lubricat. Ut effectum autem ; ſive enim a minus firmis ſit Secundarum membranis, ſive ab nimia aquæ copia, ſive ab ejus denique acrimonia, id quod Martiano (*d*), neque injuria, magis diſplicet, quomodo hæc duo noviſſima internoſcamus, docenti ; non bona certe aut de fœtus , aut de matris , aut de utriuſque conſtitutione vel ſolidorum, vel fluidorum , vel utrorumque ſignificat , contra atque ad partus , & puerperii optabilem felicitatem requiritur. Ex his proclive erit tibi explicare quædam, ad præproperam aquæ eruptionem , ad aliaque in propoſita Matrona , & ejus partu , & fœtu , ſpectantia . In Molæ autem ſuſpicionem quæ me ſigna induxerint, ex hiſtoria intelligis, ubi ipſa, qualia ea cunque ſint, memoravi . Non facile utique eſt ita illius præſentiam cognoſcere, ut audacter affirmes: ex ſignis tamen notis quæ Majores nobis reliquerunt , pudenter licet ſuſpicari. Eorum plurima ; quanquam non omnia ſimul occurrere neceſſe eſt , collecta videbis a Lamzwerdio (*e*), ex cujus innominati libro, maxima alioquin ex parte infrugifero , a quibuſdam ætate hac noſtra fuiſſe deſcripta, animadverti . Nec tamen ego iſtam molam aut ante partum , aut poſt diſſectionem ex iis eſſe quæ veræ appellantur , cenſui ; imo pro uteri polypoſa concretione ſemper habui in muliere præſertim (quæ me res magis in eam ſuſpicionem perduxit) cujus ex utero tantam prodire ſanguinis copiam, & tam facile concreſcentis , viderem .

11. Scilicet Molarum aliæ cum legitimæ ſint, aliæ quæ illegitimæ ſic appellantur ; ex utriſque tamen quædam poſſunt aut cum fœtu conjungi , & ſæpe abortionis cauſam afferre, ſive uterum irritando, ſive ejus cavum non parva ex parte occupando ; aut ſine fœtu adeo increſcere , ut graviditatem mentiantur . Sed illegitimæ poſſunt in virginibus quoque intactis, caſtiſque viduis progigni ; legitimæ , niſi apud eos qui, diſſentientibus cæteris, ponunt in mulieribus ſubventanea ova, non poſſunt. Illegitimæ ; ut de his primum dicamus, aut ex ſanguine in uteri cavea ſubſiſtente , aut ex interiore aliqua ejus excreſcentia fiunt. Has ex certa baſi, pedunculove cognoſces, per quem, ut Ruyſchius (*f*) propoſuit, cum utero continuantur , aut certius ex ſanguiferis hujus vaſis in eaſdem productis. Illas autem quæ multo crebrius occurrunt , & ad quas plures quæ in Sepulchreto extant, non difficile revocabis, non ſecus ac in vaſis , & corde ipſo cæteræ polypoſæ concretiones , ex ſanguine fiunt : quas cur in uteris , ut Lanciſius (*g*) docuit, etiam virgineis cum Hoffmanno (*h*) agnoſcere nolimus, haud ſatis cauſæ eſſe , video , earum præſertim quibus menſtrua uberius fluant, aut inſolita non ſit hæmorrhagia uterina ; hoc enim , aut ſimili quopiam modo interpretandum cenſeo Cel. Virum Abrahamum Vaterum (*i*), qui in virginibus ſaltem *quibuſdam* agnovit. Concretiones hujuſmodi Ruyſchius (*k*) docuit , qua ratione , etiamſi quidpiam membranarum inſtar adjunctum habeant , a molis quibuſdam, inter legitimas ab aliis poſitis, diſtinguamus . Quibus de molis priuſquam pauca attingamus , non eſt tibi quædam noſtra Obſervatio ſingularis conforma-

---

(*x*) Theſ. Anat. 6. n. 48. 51. 54. 59. (*y*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 1. Obſ. 62.
(*z*) Earund. Dec. 3. A. 5. in Append. n. 8. ad cit. Obſ. 62. (*a*) Theſ. Anat. 5. n. 56. prope fin. & Theſ. 10 n. 155.
(*b*) Vid. Littre Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1701. & Commerc. Litter. A. 1732. Hebd. 36. n. 3. (*c*) Coac. Prænot. Sect. 3. verſ. 187.
(*d*) Annot. ad eund. verſ. (*e*) Hiſt. nat. Molar. uter. c 16. (*f*) Cent. Obſ. Anat. Chir. 58.
(*g*) Epiſt. ad Mulebancher. (*h*) Diſſert. de ignor. uteri ſtruct. §. 19. (*i*) Diſſ. qua Mola prægnans & cæt. theſ. 12.
(*k*) Cent. citatæ Obſ. 29.

mationis polypoſarum quarundam uteri concretionum reticenda.

12. Nobilis in Patria noſtra Matrona fuit, procera ſtatura, colore, & habitu laudabili prædita, quæ nonnullos quidem intra primos geſtationis menſes fœtus ejecerat; ſed inter eas abortiones ſæpe tamen geſtatione abſoluta, vitales filios pepererat prægrandes, interdum & geminos, non ſine gravi labore, & moleſto puerperio. Inter hos difficiles partus fluori haud raro obnoxia fuerat albo. & innocuo, interdum levi etiam, medio inter menſtruas purgationes tempore, ſanguinis ſtillicidio, quod ſemper Viri congreſſus, paulo vehementior præſertim, non ſine dolore aliquo renovabat. Hæc igitur mulier anno exacto circiter trigeſimo quarto, cum fluor ille albus plane defiiſſet; novo morbi genere per intervalla cœpit laborare, ſæpius intra biennium recurrente, noviſſimis autem tribus menſibus A. 1723. & primo inſequentis anni, quo ego menſe per litteras conſultus ſum, ad certum ſemper tempus redeunte, menſtruorum videlicet. Tunc enim obortis partus doloribus, & primo, aut altero die ſanguinis curſu incipiente, vel uberius quam pro conſuetudine effluentis, in medio fere eo curſu ex utero ejiciebatur corpus, ut apparebat, membraneum, idque ea forma, eaque magnitudine quæ triangulari uteri caveæ ſatis reſponderent, modice convexum exterius, qua facie erat inæquale, nec ſine plurimis filamentis, quæ ab ſedibus ad quas adhæſiſſent, abrupta eſſe videbantur, cavum autem interius, qua facie erat læve, & madidum quaſi ab aqueo humore, quem antea continuiſſet, in exitu autem, per amplum foramen, quod in uno erat angulorum, a diſtractione facile apertum, emiſiſſet. Hujus ejectionem corporis lochia multa conſequebantur, pro mulieris conſuetudine ſæpe interrupta. Quod ſi nonnunquam id corpus non integrum, ſed in fruſtula diviſum per vices prodiret; tum dolores, & lochiorum fluxus per vices pariter redintegrabantur. Singulis autem iſtis quatuor menſibus, quibus a Viro ſe abſtinuerat, cum ſingulas has permoleſtas quaſi abortiones paſſa eſſet mulier, nec remedia, a pluribus qui conſulti fuerant, egregiis Medicis imperata, quidquam profuiſſent; rata. ſibi eſſe multo conducibilius, ſi novem ſaltem menſibus a doloribus vacaret; ſecubare noluit amplius; itaque Martio menſe A. 1724. gravida facta eſt. Ultra Junium tamen fœtum non pertulit. Sed hoc conſecuta eſt, ut Julio, duobuſque inſequentibus menſibus rite, ac ſine illa moleſtia menſtrua fluerent. Cum vero nulla apparuiſſent menſe Octobri, ſub Novembris initium reverſi dolores ſunt cum deſcripti corporis ejectione, cæteriſque de quibus ſupra dictum eſt. Diutiuſque ſtatis intervallis eadem redire perrexerunt, ut cum ipſe uno ex annis proximis Foro Livii eſſem, ejectum viderim corpus, quod ut abſens reſcripſeram, ex polypoſa concretione erat factum, membranam mentiente, in modum diſpoſitam parvi marſupii triangularis; ut proclive eſſet intelligere, viſcidas ſanguinei ſeri particulas, ex uterinis vaſorum oſculis prodeuntis, quæ albi fluoris forma olim excernebantur, nunc viſcidiores factas, ad omnes uteri parietes intimos adhærere, ſicque in polypoſam membranam concreſcere, quæ ad caveæ illius imaginem, quam in Adverſariis (*l*) trianguli propemodum forma eſſe, confirmavimus, quaſi ad typum quendam conformata, marſupium referret, in quod expreſſa quæ inter viſcidiores illas particulas fuerat, ſeri pars aquea retineretur, & marſupium ſervaret cavum, & læve intus redderet: retineri autem facile quia ſive ob exſtantes intra cervicem lacertos, ſive ob hujus, ſi cum fundo conferatur, anguſtias, ſive ob conniventis oſculi impedimentum ſubſiſtentes viſcidæ particulæ, ibique inter ſe undique contingentes, jam inde ab initio maſupium occluderent: hoc denique ſanguini, ſingulis menſibus erupturo, primum quidem obicem opponendo, efficere, ut diſtenderentur uteri vaſa, ſicque dolores concitarentur; deinde vero cum urgentis ſanguinis vi a parietibus uteri diſtraheretur, cruciatus augere; noviſſime undique avulſum, non ſine magna ob illam vaſorum diſtentionem & prævia, & comitante, & ſequente ſanguinis copia ejici. Habes, quæ initio, & poſtea fuerit mea de hoc morbo opinio: qui in eo quidem mihi, Plateri (*m*), aliorumque Obſervationum, vel Aetio (*n*) olim non incognitarum memori, minime novus videbatur, quod ſtato menſtruorum tempore cum his concretio aliqua, idque diutius, ejiceretur; ſed in eo quod concretio ſingulari iſta forma eſſet, quam apud alios legiſſe non memini; quin Platerum memini diſerte ſcripſiſſe, *nullam* ſe *cavitatem* in ſua *potuiſſe cognoſcere*. Eorum qui conſulti fuerant, aliis uteri excreſcentiam hanc noſtram eſſe, viſum eſt, aliis polypoſam quidem concretionem, ſed ex ſanguine per vas aliquod, in utero ipſo eroſum, deſtillante. Qui ſi, ut ego, aut inſpexiſſent ipſi, aut in Mariti multo accuratioribus quam Medici, litteris ad me miſſis deſcriptam legiſſent; eas opiniones, ut puto, facile depoſuiſſent, quas tempus quoque a vero alienas fuiſſe, oſtendit. Nam ut morbus poſtea diutius duraverit; finem per ſe, & per ætatem habuit tandem. Cum enim ad tempus acceſſit quo mulieribus ſolent deſinere menſtruæ purgationes; jam primum, non ſingulis menſibus, ſed ſingulis annis, bis terve, dumtaxat, redire cœpit: cum vero finem illæ habuerunt; & ipſe habuit: neque ullius in utero vel levis eroſionis indicium, aut qualiſcunque ex utero incommodi unquam extitit quoad mulier vixit; vixit autem donec cancer, in altera poſtea mamma ortus, ſeptuageſimo anno jam proximam confecit. Porro Medici quo illa utebatur, ſententia fuerat, concretiones illas de quibus dictum eſt, ſubventanea eſſe ova, cum idem, credo, ſpectaret quod illi qui polypoſas molas ab iis quæ ex ſubventaneis ovis eſſent, per caveam quæ intra has, non intra illas foret, internoſcere docuerunt. Qualia ova tametſi eſſent in mulieribus agnoſcenda; difficile tamen eſſet dicere, cur in iſta ſe explicarent ſemper in trianguli formam, ſinguliſque menſibus ſemper unum præſto eſſet quod in uterum deſcenderet. Sed hæc hactenus. Nunc de legitimis, ſicuti promiſimus, molis pauca adjiciamus.

13. Legitimas Viri ætate noſtra doctiſſimi eas dumtaxat molas appellant quæ ſine prævia conceptione non fiunt. Sed alii ex fœtu, & Secundis, alii ex placenta ſolum fieri poſſe, credunt, ſi quacunque de cauſa rerum harum facies ſic mutetur, ut facile pro iis quæ ab origine fuerant, agnoſci nequeant, ſive maſſam quaſi carneam, imo carne multo duriorem, ſive aggeriem veſicularum, ut quam olim Mercatus (*o*) vidit, repræſentent. Ruyſchius tibi in manibus eſt, qui in placenta vel ſola utrumlibet mutationis genus oſtendit cum alibi, tum præſertim in Obſervationibus: ex quibus anno editis 1690. cur nihil eorum quæ hic, aut ſupra (*p*) indicavi, ad Scholia ſaltem harum Sectionum augenda, relatum ſit in Sepulchretum, non video. Placentulas enim minorum fœtuum non rariſſime in utero ſubſiſtere, ab eoque ſe conſtringente magis magiſque compreſſas, longe aliud ac erant, non modo figura, ſed & ſubſtantia carni duriſſimæ ſimili, videri docuit (*q*). Placentas autem fœtuum majorum ibidem reſtitantes, interdum degenerare in veſiculas, humoris aquoſi plenas, idem, ſiquis alius, præclare oſtendit, cum unam eandemque placentam invenit (*r*) ex parte ſanam, ex parte in ejuſmodi veſiculas jam mutatam. Quæ Obſervationes etſi veræ ſint; tria tamen, aut quatuor ſunt addenda. Primum, neque minorum fœtuum placentulas non aliquando in veſiculas degenerare, cum Ruyſchius idem in placentula fœtus *trium fere menſium* initia hujus mutationis, in altera autem *placentula* ipſam *mutationem magis luculentam* demonſtraverit (*ſ*). Alterum, nec ſoli placentæ mutationem hanc convenire, quando non tantum ex poſterioribus Obſervationibus Ruyſchii conſtat, vel in funi-

---

(*l*) I. Tab. 3. & IV. Animad. 42. (*m*) Obſ. l. 3. ubi de Inanimat. Excret. (*n*) Medic. Tetrabi. 4. Serm. 4. c. 80.
(*o*) Sect. hac Sepulchr. 37. Obſ. 1. §. 4 (*p*) n. 11. (*q*) Obſ. 28. 29. 58. (*r*) Obſ. 33.
(*ſ*) Theſ. Anat. 6. n. 102. 103. & Tab. 5. Fig. 3. 4. 5.

funiculo umbilicali veſiculam ipſum *pluries vidiſſe* (*t*); ſed & ex vetuſtioribus (*u*) manifeſtum eſt, eundem funiculum tot veſiculis præditum ipſi nonnunquam occurriſſe, *ut totus videretur concatenatio veſicularum aqueo humore refertarum*: quin etiam ex Vallisnerii noſtri Obſervatione (*x*) certum eſt, poſt immanem veſicularum numerum, ex utero ejectam eſſe placentam, ut; niſi hanc ad alterum fœtum pertinuiſſe, comminiſcaris; liqueret, ex placentæ igitur mutatione illas non fuiſſe, quod ex aliorum quoque, ut puta Cl. Gutermanni (*y*) inferre potes Obſervationibus. Tertium, cum eodem Vallisnerio, quem ea pariter quæ modo adnotavi, fere omnia video animadvertiſſe, dubitari fortaſſe poſſe, num illa placentæ in veſiculas degeneratio tunc fiat cum in utero poſt excluſum fœtum ſubſiſtit, an priuſquam is excludatur, ſit facta. Ego certe in quadrimeſtris fœtus placenta, quæ ſimul cum eo excluſa fuerat, veſiculam vidi aqua plenam. Attamen ſic iſta mutatio ſæpius in placentis quæ cum fœtu prodeunt, conſpiceretur. Quartum denique, cum ſupra dictum ſit, neutrum hoc molarum genus fieri non præcedente conceptione, & neutrum ſane ab intactis virginibus, quod legiſſe meminerim, editum ſit, ſumma profecto & peritia, & diligentia in examinando, nec minori prudentia in pronunciando opus eſſe, ſiquando ulla ex iis quæ a viro ſe abſtinuiſſe creduntur, aliquid ejiceret quod ad alterutrum genus ſpectare a primo videretur, ne forte non placenta, ſed mera ſanguinis concretio, aut excreſcentia quæpiam eſſet quæ carnis, aut veſicularum de quibus diximus, ſimilitudinem gereret. Excreſcentias enim quæ carnem referant, aut caro ſint, paſſim extare, eſt notiſſimum: quæ autem ipſarum veſicularum ſimiles ſint, Litteris ſuperioribus (*z*) eſt traditum. Quin etiam ut in ventris cavo hydrops eſt interdum ex hydatidibus, ut puta quales Ruyſchius (*a*) pinxit peculiari ſacco incluſas, ita non repugnat, hydropem uteri nonnunquam fieri ad eundem modum, præſertim cum hunc; niſi forte pro mola ex veſiculis, ut alii malunt, habendum; capite *de uteri hydrope* Aetius (*b*) deſcripſerit, *Humoris copia*, inquit, *in uterum confluit*, *& aliquando corpuſcula quædam*, *veſicæ fellis ſimillima*, *in ipſo generantur*, *in quibus humor colligitur*: eaque corpuſcula infra vocat *pelliceas*, *& aqua refertas veſicas*. Nec deſunt exempla diuturni hydropis ſoluti per immanem ex utero excretum hydatidum numerum, quale propoſitum leges a Cl. Kannegieſſero (*c*) in vetula annos nata circiter ſeptuaginta: quanquam eſſe aliqui poſſunt qui in hac quoque hydatides illas ad veram molam attinuiſſe, ſuſpicentur, nimirum ex placenta fœtus, dum ætas adhuc ferret, concepti, poſtque hujus obitum multos per annos geſtata. Quod ideo dico, quia Cl. Rideux (*d*) molam alterius, ſed legitimi, ut non dubitat, generis a Vidua annum agente ſeptuageſimum ſeptimum ejectam, quamvis ea magnitudine, & pondere; ut mirum ſit, nullum unquam ſui indicium dediſſe, cenſet tamen ob eas quas profert, rationes ex conceptu ortam mulieris cum annum ageret quinquageſimum quartum, nempe anno quo menſtruæ purgationes, nihil ad id uſque tempus imminutæ, repente defierunt; nonum autem filium anno ediderat quinquageſimo primo. Quibus poſitis duo colligas, licet. Alterum, ut videas, an hinc poſſis ex aliqua ſaltem parte explicare, quomodo fœmina, de qua apud Vallisnerium (*e*) legeris, ipſa quoque totidem liberorum parens, quorum ultimum credebatur anno propemodum quinquageſimo peperiſſe, anno demum ſeptuageſimo ſecundo placentam ejecerit, ad eamque annexum fruſtum, libræ pondo, carnis informis, ſi quandam in ſummo excipias ocelli ſimilitudinem, intus vero implexus quaſi cujuſdam inteſtinorum: item quomodo alia (*f*), hac poſtrema anno major, cui olim fœcundæ, nunc iterum menſtrua uno atque altero menſe redierant; cum multo grandiori carnis fruſto *venas*; ſi veræ tamen venæ fuerunt, ſuamque tandiu potuerunt ſervare formam; occluſerit. Alterum, ut ſiquid forte ejuſdemmodi ex Vidua aliqua vel diu poſt mariti obitum prodeat quod ad veræ molæ naturam accedat, imo vera mola ſit; non propterea de ejus pudicitia continuo dubites, quando, ut ſupra dictum eſt, potuit olim in abortu, vel minus animadverſo, placentula in utero ſubſtitiſſe. In Virginibus autem etſi hæc locum minime habeant; & in ipſis tamen, uti dicebam, diligenter etiam atque etiam videndum eſt, ne facilis contingat deceptio. Quæ ut quoad ejus fieri poteſt, vitetur; in carnoſis quidem excreſcentiis, & in polypoſis ſanguinis concretionibus ea juvabit attendere quæ ſupra (*g*) ad id memorata ſunt, & indicata ibi Ruyſchii loca perlegere, quin etiam addere Cl. Schlierbachii (*h*) Obſervationem, qui tametſi molam vidit *quadantenus vaſculoſam*, *copioſis ſimul hydatidibus refertam*, *quibus multa pinguedo interjecta apparebat*; non propterea ex Virgine eſſe, negavit, credo quia vel in polypoſis concretionibus aliquid ſæpe quod pinguedinem mentiatur, & aliquid interdum quod vaſa quadantenus referre poſſit, conſpicimus; de hydatidibus autem paulo ante dictum eſt. Sic etiam Phil. Jac. Hartmannus (*i*) nec a *pinguis cuticulæ* ſpecie, nec a *pluribus tunicis*, *fibris vaſis intermixtis & albis*, neque demum a *veſicula intus hærente*, & *gelatinam* continente ſe decipi, paſſus eſt, quin *coagulum ſanguinis* eſſe agnoſceret in ea tamen in qua ſi molam veram eſſe, dixiſſet, nullam inde labem ejus, quippe nuptæ, honeſto nomini aſperſiſſet. Itaque non quid appareat, ſed quid ſit, accurate quærendum eſt; veræ enim fibræ, vera vaſa, veræ tunicæ, ex iiſque confecta veſica ſine viri uſu eſſe non poſſunt. Imo hujuſmodi veſica inter molas omnes maxime legitima eſſet, quippe inchoamenti embryonis, & humoris in quo is natat, involucrum, ſi molæ nomine, ut a pleriſque nunc accipitur, res hujuſmodi comprehenderetur: quanquam hanc ipſam vocabant *molam veſicularem* idem Hartmannus (*k*), & hunc ſecutus Cl. Gottwaldtus (*l*), qui ejus Icone ſatis earum ſimili quas edidit poſtea Ruyſchius (*m*) ſuam illuſtravit Obſervationem. Hæc igitur in Virginibus eſſe non poteſt, nec quantum ſcio, illa pariter quæ aliquanto melius mola veſicularis appellaretur, id eſt aggeries veſicularum in modum racemi diſpoſita. In quæ agnoſcenda ne qua deceptio contingat, haud inutile, opinor, fuerit magis accuratas deſcriptiones, Iconeſque earum inſpectare quæ poſt conceptionem ejectæ ſunt, ramoſque, aut ramulos in illis attendere, ad quos appenſæ non raro prodiere. Quales deſcriptiones, Iconeſque apud Ruyſchium, quanquam veſiculas ipſas non ſemel pinxit, & multoties memoravit, & bis nonnunquam intra duodecim dies vidit (*n*), haud æque invenies ac apud Malpighium (*o*), & Vallisnerium (*p*). Certe autem parvæ illæ ex veſiculis factæ excreſcentiæ quas mihi intra uterum videre contigit, ramulos oſtendebant nullos ad quos veſiculæ appenderentur, quippe inter ſe conſtipatæ, cohærenteſque aut per ſe, aut per interjectam neque tenuem, neque ramoſam ſubſtantiam.

14. Cæterum veſicarum quæ ex utero ejectæ ſint, tot proſtant Obſervationes, totque harum collectiones ab Eruditis Viris ſunt indicatæ, ut in ſylvam ligna ferre videri poſſem, ſi alias huc, mihi notas, fuſius adderem. Nam & Forolivienſem Matronam ſcio quadrageſimo circiter ab hinc anno veſiculas alias majores, alias minores, alias minimas edidiſſe, & hic pariter uxorem Prætorii famuli A. 1727. ejeciſſe plu-

(*t*) Ibid. n. 45. & Tab. 2. Fig. 3. (*u*) Obſ. 14. & Fig. 15. (*x*) Opere Tom. 2. P. 1. ubi de Partu Veſicular.
(*y*) Act. N. C. Tom. 3. Obſ. 78. (*z*) n. 20. & ſeqq. (*a*) Obſ. cit. Fig. 24. (*b*) Medic. Tetrabibl. 4. Serm. 4. c. 79.
(*c*) Act. N. C. Tom. 6. Obſ. 89. (*d*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1735. (*e*) Tom. 2. cit. P. 2. c. ultim.
(*f*) Eph. N. C. Cent. 6. Obſ. 74. (*g*) n. 11. (*h*) Act. N. C. Tom. 7. Obſ. 61.
(*i*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 206. (*k*) Earund. Dec. 2. A. 10. Obſ. 157.
(*l*) Earund. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 159. (*m*) Theſ. Anat. 6. Tab. 2. (*n*) Adverſ. Anat. Dec. 2. c. ult.
(*o*) Op. Poſth. (*p*) Opere loc. cit. & Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 73.

plurimas, fœtus qui expectabatur, loco, & Albertinum ſub initium A. 1724. ſemel, atque iterum menſis intervallo a fœmina quadam non ſine febre, ſævisque doloribus excluſam vidiſſe aggeriem veſicularum, quæ rubri ribeſii majores acinos, niſi quod colore erant paulo dilutiore, figura, & diſpoſitione referebant: nec vero color alias fuiſſe iſtas ac alias de quibus loquimur, veſiculas, oſtendit, quando non Tulpius modo (*q*) quaſdam quæ *aqua crocea*, ſed & Lanciſius (*r*) alias quæ in uno eodemque racemo inter cæteras limpido, aut ſubflavo latice plenas, *ſubrubro veluti cruore* diſtendebantur, huc attinuiſſe, non dubitarunt, ut neque Cl. Viri Magnenius (*ſ*), Dechiappa (*t*), & Gutermannus (*u*), quorum hic in quibuſdam majoribus, alter in omnibus; omnes enim erant majores; *ſanguineam*, vel *rubellam* intus *maculam* conſpexerunt, Magnenius autem in altera mola nonnullas *flaveſcentes*, duas tantum, aut tres exterius *rubeſcentes*, in altera ejuſdem mulieris omnes; quæ erant innumeræ, & miliares; *rubicundiſſimas* deprehendit. Quibus denique addes Ill. Hallerum, ubi (*x*) veſiculis albis deſcriptis, qui petiolis ex placenta emiſſis adhærebant, in ipſa quoque placenta, ait, *veſiculas rubicundas magis fuiſſe pariter ſibi innexas*. Mitto alias in quibus nihil quod ad rubrum colorem ſpectet, adnotatum eſt, ex utero ejectas veſicas, ſive ſolutæ exierint, ut fortaſſe quæ in Commercio Litterario A. 1745. (*y*), certe autem, ni fallor, quæ a Præcl. Phil. Conrado Fabricio (*z*) memorantur, ſive non ſolutæ quidem, ſed confuſo ordine diſpoſitæ, ut quæ a Cl. Wogau (*a*) deſcribuntur, ſive demum *uvæ inſtar racemorum collectæ*, ut quæ a Cl. Viris Jo. Sebaſt. Albrecht (*b*), & Jo. Jac. Treyling (*c*): quod ad genus fere omnes ſpectabant de quibus paulo ante relatum eſt. Ad me quoque allatæ ſunt interdum ex eodem genere quamplurimæ, præſertim A. 1716. quas poſt fœtum violenta abortione excluſum Veronenſis mulier ejecerat. Eas ſimul cum eo qui miſerat, Valliſnerio examinavi. Sed ob eandem, puto, quæ dicta eſt, cauſam, nempe ingentis jam tum ejuſmodi hiſtoriarum numeri, cum ipſe poſtea, quod ſciam, Obſervationem hanc non ediderit, ego pariter prætermittam. Addam potius, quale initium veſicularis molæ in canis utero deprehenderim A. 1723; neque enim tot proſtant hiſtoriæ molæ ejuſcemodi in utero viſæ, quot ejectæ; multo autem rariores ſint molæ in brutis animantibus oportet, quando non Ariſtoteles ſolum (*d*) *in mulieribus* illas *aut ſolis*, *aut maxime* gigni, ſcripſit, ſed etiam inter Recentiores Harderus (*e*) *ejuſmodi quicquam ex bruti utero excretum* negat ſe *conſpexiſſe*, rogatque cæteros, *ut ſi quid de his compertum habeant*, *vel olim experiantur*, *publico ſibique non invideant*. Non me fugit, in gallinarum ovis ſive excluſis, ſive in ovario hærentibus molas fuiſſe repertas, ut a Valliſnerio (*f*), & a Gottwaldio (*g*). In perfectis autem quæ vocant, brutis animalibus, de quibus Harderus videtur loqui, non inficior, eſſe fortaſſe exempla poſſe hoc quod ego producturus ſum, inchoamento luculentiora: in præſentia tamen legiſſe non memini: & quamvis Eruditiſſimus Vir ajat, *in vacca etiam molam veſicularem Valliſnerium deſcripſiſſe*; in cane fortaſſe voluit dicere, in qua revera deſcripſit (*h*); ſed ejuſmodi, ut ipſe ſit faſſus „ difficile judicari, num eſſet aliqua „ præter naturam productio nata ex uteri ſubſtan- „ tia. „

15. CATELLA quæ multoties pepererat, ſed binos, haud plures, ſingulis partubus, cum ante menſem a cane inita, gravida facta crederetur, noviſſime dies aliquot triſtis viſa, repente convulſivis motibus correpta, ſine ullo ejulatu mortua eſt. Herus, Vir doctus, meique amicus poſtridie ad me venit, petiitque, ut ſi commodum eſſet, cauſam mortis quærerem: quod ipſo qui cadaver afferri juſſit, aliiſque in Re Anatomica exercitatis ſpectantibus, continuo præſtiti. CEREBRI Laterales ventriculi, & præſertim ſiniſter, magnam vim aquæ continebant, quam non diu ante mortem illuc effuſam rubor Choroidum plexuum indicabat. Cordis caveæ plenæ ſanguinis ferme concreti, nigerrimi. Ventris potiſſimum membranæ; nam alibi quoque pingues fuerant; ea pinguedinis copia, circa uterum præſertim, refertæ erant, ut tenuem totum utriuſque tubæ tractum demonſtrare vix potuerim. Teſtes, etſi prope alterum eorum conſpiciebantur hydatides, nullam ex iis quas ſecundum naturam plerumque ſolent, veſiculam habuerunt: nec mirum, quando toti quaſi carnei videbantur ex contractis videlicet corporis quæ lutea in vaccis, & mulieribus appellamus. Per vaginæ interiorem faciem hic illic prominebant ſubrotundæ glandulæ inæquali magnitudine, ſcirrhoſa duritie. Inde ad uterum progreſſus, initium ſiniſtri hujus cornu omnino impervium offendi. Erant tamen cornua ambo inceſſu tortuoſo, & hic illic magis, minuſque protuberantia, quamvis non ita in diſtinctas cellulas uſquam dilatata, ut in prægnantibus jam ab aliquo tempore canibus videre conſuevimus. Tota interior eorum facies ad tactum tenera, rubebat. Sed iis locis ubi exterius majores cæteris protuberantiæ apparuerant, humor continebatur craſſus, mucoſus, ex viridi albus, ut pus referret, inodorus, nullum fœtus inchoamentum oſtendens. Hunc autem humorem complectebatur mollis quædam rubenſque ſubſtantia, in qua veſiculæ ſe prodebant aqua plenæ, aliæ alia magnitudine, ſed parvæ omnes, nec plurimæ.

16. Inter reliquas falſæ graviditatis cauſas merito in Sepulchreto poſt Molas referri video alios non modo uteri, ſed & quarundam præterea ventris Partium tumores. Uteri quidem ſive ab internis ſint, externiſve excreſcentiis, ſive ab humoribus in ejus viſceris parietibus, aut ejus etiam cavea reſtitantibus, intercluſo per oſculum exitu a quacunque cauſa id vel conſtringente, vel obſtruente. Quorundam autem aliorum viſcerum, in primiſque meſenterii. De quibus fere omnibus rebus cum alias a me plura, aut pauciora ſcripta ſint; hic ea repetere non oportet. Illud vero potius expediam, quod ex me quæſitum eſſe a te, memini, quando, & quomodo ob renem unum dumtaxat a primordiis creatum ſic promineat venter, ut vel Anatomicus poſſit decipi; & pro uteri geſtatione accipere? id enim inter cæteras cauſas *graviditatem ementientes* in hac Sepulchreti Sectione (*) fuiſſe propoſitum. Etſi proſpicio, in tanto prolixiorem quam putas, ſermonem oportere me ingredi, ut tibi a propoſito hujus Epiſtolæ digredi videri poſſim; faciam tamen non illibenter, tum quia, ſi hunc prætermittam, nullus mihi ſupererit opportunus tuæ iſti poſtulationi ſatisfaciendi locus, tum quia ſimul in aliquem ordinem innumeras ferme renis unius Obſervationes redigere conabor, quod, ſi potero, non erit inutile effeciſſe. Nunc enim certe multo mihi facilius eſſet tibi ſatisfacere, ſi qui poſt Pinum (**) inventi unius tantum renis exempla collegerunt, Schenckius (*i*), Bauhinus (*k*), Riolanus (*l*), Panarolus (*m*), Rhodius (*n*), Hornius (*o*), Blaſius (*p*), Francus (*q*), Hilſcherus (*r*), aliique deinceps exempla omnia quæ, ſua quiſque ætate jam edita, facilius poterant, propoſuiſſent, & propoſita in certas claſſes diſtribuiſſent. Illi vero aliqua, in obviis etiam libris

(*q*) Obſ. Med. l. 3. c. 32. (*r*) Epiſt. ſupra cit. ad n. 11. quæ prima eſt apud Valliſner. Iſt. della Generaz. P. 3. c. 3.
(*ſ*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 166. (*t*) Ibid. Obſ. ead. (*u*) Obſ. cit. ſupra ad n 9. (*x*) Opuſc. Pathol. Obſ. 40.
(*y*) Hebd. 33. in fine. (*z*) Propempt. ad Diſſ. I. B. Hoffmanni not. *c*. (*a*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 85.
(*b*) Commerc. Litter. A. 1738. Hebd. 28. n. 1. in fine. (*c*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 134. (*d*) De Generat. Animal. l. 4. c. 7.
(*e*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 2. Obſ. 185. (*f*) Opere Tom. 1. P. 3. pag. 126. & Tom. 2. P. 2. pag. 212. n. 16. & pag. 240. n. 9.
(*g*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 157. (*h*) Opere Tom. 2. P. 2. verſ. finem.
(*) XXXVII. Vid. titulum Obſervationis 3. præfixum ad n. 6. qui pro n. 7. ibid. ponitur.
(**) Annot. ad pag. 51. 8. Opuſc. Anat. Euſtach. (*i*) Obſ. Medic. Rar. l. 3. ubi de Renib Obſ. 2. & 3.
(*k*) in Notulis ad Theatr. Anat. l. 1. c. 22. (*l*) Anthropogr. l. 2. c. 26. (*m*) Jatrologiſm. Pentec. 1. Obſ. 3.
(*n*) Mantiſſ. Anat. Obſ. 32. (*o*) Annot g ad Botalli. Obſ. Anat. (*p*) Append. ad Bellin. de Renib.
(*q*) Eph. N. C. Dec 3. A. 5. & 6. Obſ. 176. (*r*) Proluſ. de unico reperto Rene.

bris extantia, prætermiſerunt, & quæ produxere, eâ fere promiſcue indicare conſueverunt, cum haud difficile eſſet in ea dividere in quibus ren unus factus eſt pro duobus, & in ea in quibus factus eſt ex duobus, & prima illa rurſus in ea in quibus ren ſuum occupat latus, & in ea in quibus, Spinæ impoſitus, medium tenet. Ad illa prima attinent, & rene quidem ſuum latus ſervante, præter vetuſta ex Ariſtotele (ſ), ea quæ tot poſteri, & in his Sphærerius (t), & Solenander (u) ex Matth. Stoico, Plazzonus (x) cum Silvatico, apud quem legere præſtabit, Hallerus (y), Petſchius (z) propoſuerunt, &, ſi meam ſeponere hinc malis dubitationem, Epiſtola XL. (a) indicatam, etiam Tulpius (b), & Meekrenius (c). Quam dubitationem ſeponas licet in Obſervatione Hilſcheri (d): etſi enim a te addi hæc poſſit ad eas quæ in Sepulchreto ſunt ad renalem iſchuriam a calculis attinentes; tamen, ut cætera omittam, ſatis indiciorum ab ſolerti Perſcrutatore congeſtum eſt, unde renem alterum a primordiis defuiſſe, intelligamus, non ſecus atque in Profeſſore illo Cabrolii (e), & in memoratis alias (f) a nobis adoleſcente Manfredii, catella noſtra, & cuniculo, imo & Sacerdote, & muliere Valſalvæ, & Poupartii puella. Fuit autem in muliere illa id quoque indicio, unum ab natura fuiſſe renem quod hic binis pelvibus inſtruebatur, biniſque ureteribus: quot in Panaroli (g) item juvene, & in Laubii (h) milite non ſolum fuiſſe, legimus, ſed præterea ex ureteribus alterum in eam ſe immiſiſſe veſicæ partem cui ren nullus reſpondebat. Memoratis hactenus exemplis quæ ad primæ claſſis partem primam omnia ſpectant, veriſimile eſt, alia plurima adjungi poſſe tum quæ in præſentia non ſuccurrant; neque enim mihi id unquam ſumam, ut omnia putem aut legiſſe, aut meminiſſe; tum quæ Scriptores ſic expreſſerunt, ut unum dumtaxat renem fuiſſe, dixerint, veluti Columbus (i), Fernelius (k), Caſparus Wolphius (l), Laurentius (m), Boſcus (n) & ſuam, & paternam indicans Obſervationem, Jo. Scultetus (o), Saltzmannus (p): ex iis autem qui a Viris Eruditiſſimis Rhodio (q), & Hallero (r) laudantur, Lopez; Ronſeus, Duretus, Handwigius, Humelius, aliqui fortaſſe exempla ſcripſerint ad hanc claſſem attinentia: *fortaſſe* dico propterea quod ex indicatis libris alii mihi non ſunt in manibus, alii vero, quantum ego quidem potui quærere, ea non exhibent quæ dicuntur, non ſecus ac Carpi in Mundinum Commentaria fruſtra verſavi; *exemplum* enim illud *aliud* quod ait Riolanus (ſ), ubi maxime eſſe debuiſſet, non inveni. Nec vero quia ex utriſque illis Auctoribus plerique ſcripſerint, eum unum renem fuiſſe magnum, imo aliqui, ut Columbus, *maximum*, ut Fernelius, *mira magnitudinis mole*, ut Boſcus, *magnitudinis, & latitudinis fere incredibilis*; idcirco a te continuo putandi ſunt de rene dixiſſe qui non ad hanc primam claſſis primæ ſpectaret partem. Probe enim memineris, quantum ren alteruter poſſit excreſcere (t): cur non igitur cum unus tantum eſt, magnus eſſe queat in ſuo latere? imo etiam prægrandis, ſi forte vis morbi accedat, & calculis, pure, lotio retento, ut in exemplo non uno ex iis quæ ſupra allata ſunt, diſtendatur. Quæ cum dico, noli putare, probari a me quod Vir Doctus ſcripſit, cum ren unicus fuit, *ex cunctarum obſervationum teſtimonio, ſemper magnitudinem renis naturalem multum ſuperaviſſe*. Neque enim in cunctis Obſervationibus hoc video adnotatum: quin video Panarolum (u) diſerte admonentem, in ſua *juſtam quantitatem non exceſſiſſe*, & Valſalvam (x) in ſuarum altera, *naturali* fuiſſe *magnitudine*. Quamobrem a vero minus diſceſſit Riolanus (y), cum ſcripſit, *ſi ren unicus reperiatur, fere gemini magnitudinem æquare*. Utinam quæ continuo adjicit, probare poſſem, *& ſupra dorſum jacere, paulum remotis canalibus Aortæ & Cavæ, ut ſedem præbeant ſolitario reni*. Sed quot exempla proſtent unici renis ſuam retinentis ſedem, ex ſuperioribus manifeſtum eſt. Supra dorſum autem jacentem, & Magna vaſa (quod tamen vel tunc non ſemper adnotatum eſt) removentem ſi fere omnes unici renis Obſervatores vidiſſent; res quoque has, quippe non minus ipſis raras, quam renis unitatem, ſimul ab ſe viſas indicaſſent: quod cum illi haud fecerint qui nihil aliud, niſi unicum renem memorarunt: ideo veriſimile eſſe, ſupra dixi, eorum Obſervationes ad claſſis primæ partem primam ſpectaſſe, non ad ſecundam, quam, ſit licet multo rarior, quaſi omnia exempla unici renis complectentem, ſolam ponebat Riolanus. Qua de parte priuſquam dicam, commodius eſt, ut ſecundam claſſem expediam, ad quam renem non tam pro duobus factum, quam ex duobus, referebam. Quod ita accipias velim, non quaſi negarem, in nonnullis de ſupra allatis exemplis unum ex duobus renibus videri factum, ut cum duplici & pelvi, & uretere inſtructus erat, aut quaſi contenderem, ex duobus renibus qui primum diviſi creati eſſent, alterum poſtmodum cum altero, creſcente embryone, coaluiſſe. Nihil enim aliud hic mihi volo quam quod primi obtutus judicio apparet. Princeps, quantum memini, id vidit Jacobus Berengarius (z). In quodam *renes erant*, inquit, *continui ac ſi eſſet unus ren: & habebat duas venas, & duas arterias emulgentes, & duos poros uritides cum uno ſolo panniculo involvente: qui occupabat loca ſolita renum, & etiam medium dorſi, quod eſt in loco inter ſplenem & hepar, parum infra ea*. Eodem ille unus ren ſpectat ab Rondeletio (a) viſus, *qui forma lunari erat, ambobus nimirum* renibus *ſimul conjunctis*, & quem ex Doldio Blaſius (b) exhibet, & quem Riolanus (c) ab ſe inventum deſcribit *ſupra ſpinam collocatum .... cavo deorſum vergente, cornibus ſurſum erectis*. Nec alio attinere credo conſpectum a Piccolhomino (d), niſi quod conjunctio inter ſuperiores partes renum fiebat, ut cum *tranſverſus venæ cavæ, & arteriæ magnæ incubaret, reſima illius atque ſinuata facies deorſum, gibba vero atque convexa ſurſum ſpectaret*: qualem & figura, & poſitu in monſtro vidit Ill. Winſlowius (e). In exemplis cæteris cornua erant, ſicut in illis prioribus, ſurſum converſa, ut in Th. Bartholini (f), Stalpartii (g), qui apud Nuckium (h) quoque ſimile aſpexit, Cel. Halleri (i), Vernoii (k), Petſchii (l), & ne de Graſſeckio, & Bæchio plus dicam, quam quod ex Hallero (m) ſcio, nempe alterum *vidiſſe renem ex duobus coalitum*, alterum *meminiſſe renis ex duobus connati*, utque ad Italos redeam; meus olim diſcipulus Jo. Orontius Azzariti Apulus ad me miſit A. 1721. deſcriptionem, & delineationem unici renis, in quem, cadaver humanum Venetiis ſecans, inciderat, cum Bartholiniano, ad quem maxime accedebat, haud inutiliter conferendi; nam, præter cætera, indicare poſſe, credo, unde Spermaticæ arteriæ orirentur quas Bartholinus ſcripſit fuiſſe *nullas*. Anno autem 1732. Amicus dum viveret, meus, alibi quoque laudatus, Bonazolius (n) renem propoſuit ejuſdem generis. Ego denique A. 1740. circa medium Decembrem in ſexenni puella inveni, & cunctis qui aderant, Præſtantibus Viris, & Studioſis Adoleſcentibus in Noſo-

(ſ) apud Schenck. Obſ. cit. 2. (t) Ibid. (u) Ibid. Obſ. 3. (x) apud Rhod. cit. Obſ. 32. (y) Opuſc. Pathol. Obſ. 60.
(z) Syllog. Anat. ſelect. Obſ. §. 77. 78. (a) n. 14. (b) l. 4. Obſ. Med. c. 38. (c) Obſ. Med. Chir. c. 40.
(d) Proluſ. cit. (e) Obſ. var. 14. (f) Adverſ. Anat. 3. Animad. 32. & Epiſt. 40. n. 14. (g) Obſ. 3. cit.
(h) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 16. (i) De Re Anat. l. 15. (k) Phyſiol. l. 1. c. 7. (l) apud Schenck. Obſ. cit. 2.
(m) Hiſt. Anat. hum. corp. l. 6. c. 23. (n) De Facult. Anat. Lect. 2. (o) Trichiaſ. admir. pag. 89.
(p) apud Stehelin. in Tentam. Med. th. 1. (q) Obſ. 32. cit. (r) in Acceſſ. ad Boerh. Meth. Stud. Medic. P. 7. Sect. 4. c. 14.
(ſ) c. 26. cit. (t) Vid. Epiſt. 40. n. 14. (u) Obſ. 3. cit. (x) Epiſt. 25. n. 4. (y) Encheir. Anat. l. 2. c. 28.
(z) Iſag. de Anat. Ventr. Inf. ubi de Renib. (a) apud Schenck. Obſ. cit. 2. (b) cit. Append. Fig. 13.
(c) Anthrop. c. cit. 26. (d) l. 2. Prælect. Anat. 22. (e) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1740.
(f) Cent. 2. Hiſt. Anat. 77. (g) Cent. 1. Obſ. rar. Med. 50. (h) Ibid. (i) Opuſc. Anat. P. 5. Tab. 6. Fig. 9.
(k) Comment. Acad. Sc. Imper. Petropol. Tom. 3. (l) Syllog. cit. §. 79. (m) Acceſſion. ad cit. c. 14. Meth. Stud. Medic.
(n) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 2. P. 1.

comio demonſtravi renem unicum : quem apud me videre poteris non negligenter deſcriptum, & pictum, his potiſſimum a pleriſque memoratorum diſcrepantem, quod lobus dexter a ſiniſtro diſtabat intervallo non ita magno, & ima parte ille huic impoſita, & ſulco, nec profundo tamen, & ab anteriore tantum facie quaſi diviſa, iſthmum faciebat neutro lobo tenuiorem. Francus autem (*o*) unus, quod ſciam, iſthmum vidit, & pinxit *maxima vaſtitate & amplitudine*. Cum vero nihil dicat de craſſitudine, imo lobos ajat fuiſſe ſingulos in ea ſede quam renes ſolent occupare, ſicut in aliorum Obſervationibus fuiſſe, intelligo, in quibus ut totus ren eſſet maximus, tenuiori tamen dumtaxat iſthmo Spinæ incubabat; nolui hæc exempla cum iis confundere quæ ad ſecundam attinent, ad quam jam tranſeo, meæ diviſionis partem, illa complectentem in quibus totum renis unici corpus Spinæ imponebatur. Quo renem pertinere illum, cenſebimus, quem cum Jo. Valleo Carolus Stephanus (*p*) conſpexit *unum tantum renem in medio ſpinæ exacte ſitum, cumque maximum*, & quem dixerat Andernacus (*q*), *nonnunquam unum tantum mediæ ſpinæ innexum apparuiſſe*. Notiſſimus eſt autem qui a Botallo (*r*) deſcriptus & pictus, tantus erat, ut ex quatuor conſtare videretur. Neque ignotus eſt quem Cabrolius (*ſ*) in memorati Profeſſoris ſervo *unum, ſed mole incredibili* offendit *incubantem vertebris lumborum*: quibus *inhærentem* pariter vidit *unicum & valde amplum* Cel. Fantonus (*t*). Eodem referes quem in puella annicula invenit ſæpius laudatus Hallerus (*u*). Atque ut redeam ad vetuſtiores, ſimulque ad illud propius accedam cujus gratia ſum in hunc longum ſermonem ingreſſus; Veſalius (*x*) ſcripſerat, *interdum in habentibus ventrem impenſe prominulum, & vitiatum coſtarum ductum ſe vidiſſe unum, eundemque maximum, ſuper venæ cavæ, & arteriæ magnæ corpora renem collocatum*. Euſtachius vero (*y*) ejuſmodi quidem inſolitam renis unici ſedem olim, ſemelque, conſpexiſſe ſe, tradidit; ſed *illud* dumtaxat *recte meminiſſe, quod mediæ ſpinæ innixus hærebat, & magnitudinis mole numerum ſupplebat*; ſubjecitque hæc: *Verum unicumne tantum* renem *illis natura præcipue tribuerit, qui & ventrem habent eminentiorem, & vitiatum coſtarum ductum, fateor me ignorare: hortorque anatomiæ ſtudioſos, ut diligenter obſervent, num verum ſit, an ſecus*. Ab eo tempore non recordor legiſſe qui Euſtachianæ hujus hortationis meminerit, cum in magnum incidit renem Spinæ impoſitum, nedum cum duorum loborum iſthmum in tranverſum illac traductum offendit. Imo utroque in caſu aut nihil adnotatum reperi in exemplis hactenus productis, aut cum recte homo valuiſſet, ferro, laqueo, maligna febre ſublatum eſſe; ſi Piccolhomini, & Azzariti excipias Obſervationes, quorum ille malam corporis conſtitutionem fuiſſe, indicavit ab iſthmo fortaſſis venam Cavam, & arteriam Magnam premente, eoque utriuſque muneri officiente, hic vero ab eadem cauſa aneuryſma repetebat arteriæ illius, inter appendices diaphragmatis ortum, quod & vertebras eroſerat, & magna demum ſanguinis copia in ſiniſtrum thoracis cavum effuſa, vitam ademerat. Sed iſthmus plerumque, ut dixi, tenuior, niſi forte ſenſim craſſeſcat, aut ſanguis, præter modum auctus, ſubjecta Magna vaſa diſtendat, nocere adeo non ſolet. Ego cum in puella iſthmum reperi neutro, ut dixi, lobo tenuiorem, lobos autem non valde inter ſe diſtantes, quippe qui conſuetam renum ſedem non occupabant, ſed ipſis vertebrarum lateribus incumbebant; non negligendam mihi Euſtachii adhortationem exiſtimavi. Verum nec puellæ abdomen prominens fuerat, nec coſtarum ductus ab naturali recedebat norma; ut ſi forte quiſquam cum Veſalio voluiſſet ab inſolito illarum antrorſum flexu cauſam deducere, cur lobi ab ſua ſede fuiſſent excluſi, nequaquam poſſet. Quod tamen venter non emineret, minus hic erat mirum, cum ren totus neque eſſet ex maximis, & parvam tantum ſui partem anteriori haberet impoſitam vertebrarum ſedi. Vix autem credo, cum huic ſedi, adeo per ſe prominenti, moles ſuperaddita eſſet prægrandis unius renis, ventrem non eminuiſſe. Quin noſtrum Plazzonum (*z*) lego eam mulierem in qua ibi ren erat ejuſmodi, *initio*, id eſt antequam incideret, *prægnantem putaſſe*: quod pariter putaturum, ſive pariter ſuſpicaturum fuiſſe Spigelium item noſtrum fuiſſe, exiſtimo, ſi mulier fuiſſet is in quo (*a*) *renem offendit iſtius fœminæ perſimilem*. Jam vero per te vides, etiamſi quod de Plazzono loquens modo dicebam, in hac ipſa XXXVII. Sepulchreti Sectione (*b*) inter falſæ graviditatis exempla relatum ſit; id tamen non niſi de ſuſpicione Anatomici, cadaver mox diſſecturi, eſſe accipiendum. Neque enim, vivente, & interrogata muliere, imponere pro uteri geſtatione poteſt tumor, non, paucis ante menſibus inchoatus, ſed a primordiis uſque extans. Imponere autem poteſt ren alteruter, non ab natura, ſed a morbo grandior factus, eoque delapſus in hypogaſtrium. Sic in Matrona de qua in Hiſtoria leges Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis (*c*) uterum mentiri potuiſſet a tribus quatuorve menſibus gravidum, præſertim cum menſtruus ſanguis non reſponderet, niſi mulieris ætas, & valetudo, & quæ mox inſecuta ſunt, aliud ſuaſiſſent.

De falſa graviditate hactenus.

17. Proximum eſt, ut de Abortu, preſſius tamen, verba faciamus. Nam ejus Obſervationes tres jam ſupra (*d*) attulimus, cum de graviditate vera pro falſa habita diceremus: propemodum autem infinitum eſt illius cauſas omnes, ſive quæ in fœtu ſunt, aut Secundis, ſive quæ a matris oriuntur morbis, vel enumerando percenſere. Horum complurium, a matre in fœtum tranſeuntium, exempla collegit Fridericus Hoffmannus ea Diſſertatione, quæ etſi *de Morbis Fœtuum in utero materno* univerſe inſcribitur, in iis fere ſubſiſtit qui a matre communicantur. Nos contra de illis prioribus hic loquemur; nec de omnibus tamen. Sed quoniam ſupra de placentæ vitiis quibuſdam ſcripſimus; nunc alia nonnulla ex ipſis quæ aut abortus cauſæ ſunt, aut eundem periculoſum faciunt, attingemus. Abortus cauſam eſſe poſſe, non dubitamus, placentam craſſiorem factam, atque duriorem; nam primum ſua aucta mole fœtui uteri ſpatium anguſtius reddit, quemadmodum a Corteſio (*e*) quoque animadverſum eſt ubi illam docuit *aliquando craſſiſſimam, imo & duriſſimam fieri*. Durities autem ineptam reddit officio ſuo; itaque fœtus, nutrimento orbatus, perit: quod ſua ſcirrhoſæ placentæ Obſervatione confirmat Abr. Vaterus (*f*). Fœtu autem mortuo, ſi placenta reſtet utero affixa, ex hoc nutrimentum ipſam capere, & ſic vel craſſiorem fieri quam antea eſſet, idem, nec ſolus, exiſtimat. Sed eſt viciſſim cum propter nutrimenti interceptionem & ipſa, & fœtus mirum in modum extenuantur: quod ut Clariſſimor. Virorum Hoyeri (*g*), & Moekringii (*h*) Obſervationes ex parte indicabant, poſt ſanguinis ex utero profluvia, ejecti fœtus *macilenti, & juſto minoris* cum funiculo umbilicali *pene exſucco*, aut *placenta parva, & quaſi exſucca, paucoque ſanguine prædita*; ſic plenius hæc, mecum ab Amico Medico communicata, oſtendit hiſtoria.

18. FŒTUS utero gerebatur, quincto jam menſi proximus, cum matri nuncius ſubito affertur acerbiſſimus de inſtante obitu abſentis Viri. Dolore ſimul, & timore perculſa, fœtus motum ex eo tempore primum languidiorem factum animadvertit, deinde nullum. Octavo ex quo amplius hunc non ſentiebat, exacto die, abortiit. PLACENTÆ, & mor-

(*o*) Obſ. cit. 176. (*p*) De diſſect. part. corp. hum. l. 2. c. 15. (*q*) Anat. Inſt. l. 1.
(*r*) Obſ. Anat. 1. (*ſ*) Obſ. cit. 14. (*t*) Diſſert. Anat. Renov. 7. (*u*) Opuſc. Pathol. Obſ. 59.
(*x*) De corp hum. fabr. l. 5. c. 10. (*y*) De Renib. c. 10. (*z*) apud Rhod. Obſ. cit. 32. (*a*) Ibid. (*b*) Obſ. 3. §. 7.
(*c*) A. 1732. Obſ. Anat. 7. (*d*) n. 5. 7. 9. (*e*) Miſcellan. Medic. Dec. 9 Epiſt. 3. (*f*) Diſſ ſupra ad n. 11. cit. theſ. 10.
(*g*) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ. 51. (*h*) Commerc. Litter. A. 1736. Hebd. 21. n. 3.

& mortui fœtus, & umbilicalis ſuniculi mira gracilitas. Ille albus erat; in hoc vaſorum aliquod fere exſuccum.

19. Abortum ob alias quoque cauſas factum, redire ſæpe, & quidem interjecto eodem a conceptione tempore quo prior acciderat, ut puta quarto, tertio, ſecundo ab ea menſe, & ejus tamen reditum per idonea remedia prohiberi, ex Stahlio (*i*) noveris. Ego vero nullum ſæpius rediiſſe memini, quam qui a gravi, & repentino animi affectu primum inductus, ſicuti apud Schulzium (*k*) legi, ad 23. vices rediit eodem ſemper a conceptione, quo primum contigerat, menſe, nimirum tertio, tametſi nulla Artis præſidia a Medicis celeberrimis omitterentur. Quanta igitur vis ſit in ejuſmodi animi affectibus, vides. In propoſito autem a me caſu crediderim, utero, & quod conſequitur, ad hunc affixis placentæ radiculis accidiſſe, ut quæ a fœtu, & placenta ad matrem revehebantur, facile tranſirent; difficile autem quæ a matre ferebantur ad placentam, & fœtum, cum illa, ſic animo affecta, nec ſatis mittere poſſet nutrimenti, nec ſatis præparati, nec ſatis valide uterum verſus compulſi eo tempore quo in hoc omnia magis magiſque augeri in dies ex naturæ inſtituto oportebat. Fuit contra cum a repentino mortis frigore contractis cum materno utero extremis placentularum tubulis ſuſpicarer, ſanguinem ex ſaniſſimis alioquin fœtibus reditu prohibitum, & in jecinore, tunc maxime diſtento, & tenero, coacervatum vim huic attuliſſe, & in ventris cavum prorupiſſe. Obſervationes huc apponam: tu, ut malueris, explicabis.

20. FŒTUM a brevi, ut mox intelliges, tempore vacca gerebat, cum, ab inſcio hero vendita, fuit mactata. UTERUM, & fœtum ſecui diligenter, qui palmo non erat longior a ſummo capite ad caudæ initium. Bene omnia ſe habebant, niſi quod circum hepar effuſus ſanguis, nec paucus, concreverat.

21. FŒTUM vacca altera geſtabat bimeſtrem, cum pariter ab lanione mactata eſt. UTERO, & quæ ipſo continebantur, perſectis, ſana omnia offendi, niſi quod fœtus venter ea copia ſanguinis effuſi diſtendebatur, ut priuſquam aperirem, id ex nigredine conjecerim quæ per tenue abdomen tranſpiciebatur: jecurque tenerrimum, una ex parte lacerum, unde is effluxiſſet, indicavit.

22. In provectioribus autem fœtibus num idem accidat, ignoro. Certe ea quæ ex placentæ duritie detrimenta fœtui provenire, ſupra (*l*) indicatum eſt, primis dumtaxat geſtationis menſibus ſunt obſervata. Fœtus autem jam validos, & partui propinquos, ii præſertim qui multum alimenti per os tunc ſumi, non dubitant, haud facile credent propterea perire, niſi forte placenta fere ex toto dura facta ſit, aut aliter ſuo prorſus muneri inepta. Qua enim ex cauſa vitiatam aliqua in parte non ſemel vidi, ex eadem poſſe in multo majori parte vitiari, non puto, eſſe dubitandum. Quid viderim, ſubjectæ Obſervationes oſtendent.

23. FŒTUS partui maturus, cujus motum ante biduum quidem perceperat mater, poſtea autem non perceperat, mortuus editus fuerat. SECUNDÆ cum ipſo ad me ſunt allatæ ſub initium Junii A. 1731. In illis hoc unum quod præter naturam eſſet, inveni. Cum faciem placentæ cavam inſpicerem, intra ejus ſubſtantiam, duorum a funiculi inſertione digitorum intervallo, corpus tranſpexi colore ex albo ſubflavum. Quod ſecans, compactum vidi ex craſſis quaſi membranis, quarum aliæ aliis eſſent impoſitæ. Cum majus non eſſet articulo ultimo mei digiti minimi; ſatis cauſæ non eſt viſum, cur ipſi fœtus obitum imputarem, aut eam quam in viſceribus pleriſque mollitudinem animadverti tantam, ut non jecur modo attactu difflueret, ſed renum quoque tunica inciſa, horum ſubſtantia pultis inſtar rubicundæ ſe effunderet.

24. GEMINI æque ſani, & vivaces, juſto partus tempore nati erant, Junio pariter ineunte, ſed A. 1742. SECUNDAS, quas Mediavia meus continuo ad me perferendas curaverat, diligenter examinans, cum alia quæ hujus loci non ſunt, tum hæc quæ ſunt, animadverti. Placentarum altera (nam ſingulis fœtibus ſingulæ obtigerant, inter ſe quod rarius fit, omnino ſejunctæ; non modo membranarum clauſtrum erat ut ſolet mediaſtino membraneo omnino pariter diviſum) placentarum igitur altera haud ita procul ab ora corpus habuit digiti pollicis diametro, a convexa ad cavam faciem pertinens, ut ab utraque pariter conſpiceretur. Totum ex alba conſtabat ſubſtantia, inter ſe ubique ſimili, nec duriore, quam ipſa placenta. Ex eademque alba ſubſtantia in placenta quoque altera corpus fuit, ſed in convexa tantum facie, neque majus parvo cicere.

25. Attamen Gemini ambo æque erant, ut dixi, bene valentes; ut facile intelligeres, ne a majori quidem albo corpore quidquam detrimenti fuiſſe illatum. Si diutius in utero hi permanere debuiſſent; num forte amplificari potuiſſent ea corpora, aut in eam ſtructuram tranſire quam in illius alterius fœtus placenta propoſui, ſicuti an idem genus eſſet vitii, hic minus, illic autem magis provectum, an alterum, neſcire me, fateor. Vitium erat certe, quod ſi ad illud addere volueris, cujus ſupra (*m*), quendam fœtum deſcribentes, mentionem fecimus; non uni, præter alios magis in vulgus notos, eſſe morbo obnoxiam placentam, fateberis. Qui ſi plurimum ſe extendat; quin abortus cauſa, mortiſque fœtus eſſe poſſit, non videtur dubitandum. Sic enim & ſcirrhi placentæ ſolent, in quos fortaſſe animadverſa a nobis vitia decurſu temporis degeneraſſent. Abortum enim inde viderunt Cl. Viri Jo. Sebaſt. Albrechtus (*n*), & Jo. Juſtus Fickius (*o*) fœtuum uterque monſtroſorum, longeque minorum, quam graviditatis initium requireret, cum placentæ ſubſtantiam Fickius ſcirrhoſam adeo conſpexit, ut ſuo muneri nullo modo par eſſe jam poſſet, corruptum vero, & quaſi exſiccatum funiculum umbilicalem; Albrechtus autem disjectos per placentam tumores parvos, intus albicantes, glandulis ſcirrhoſis ſimillimos, interque eos circa funiculi ortum hydatidem, ſubluteo humore plenam. Ad quem locum Cl. Roedererus (*p*) quoque veſicam vidit, qua ejuſdemmodi humor continebatur, ſed multo majorem, cujus fundum ipſa placentæ ſubſtantia conſtituebat ſcirrho molliori plenum. Quoniam autem ab umbilicalis quoque funiculi corruptione, ut paulo ante dicebamus, abortus deductus eſt; non eſt prætereundum, poſſe etiam deduci ab nimia funiculi aut craſſitudine, aut tenuitate, aut brevitate, aut longitudine. Primæ, & ſecundæ cauſæ exemplum memoratum videbis apud Ruyſchium (*q*), qui primæ, quippe *non infrequentis* etiam pinxerat (*r*). Intelligis autem, ut humoris ad embryonem importandi, aut ab ipſo revehendi æquo tum major, tum minor copia ipſi eſt lethalis, ita funiculi vaſa juſto aut capaciora, aut exiliora funiculum poſſe facere aut craſſiorem, aut tenuiorem, nec niſi inter ea quæ magna ſunt admiratione digna, id ponendum eſſe quod Ruyſchius (*ſ*) unus, quod ſciam, & ſemel vidit, infantem vegetum eſſe natum in cujus funiculo umbilicali tumor erat *durus*, ex *ſubſtantia* factus *partim carnoſa, partim heterogenea, pauco humore permixta*; niſi forte exterius ſitus erat, ut premendo, vaſa facere exiliora non poſſet, nec ante poſtremum geſtationis tempus ſatis incrementi ſumere inceperat. Brevior autem cum eſt funiculus; tractus per fœtus agitationes, placentæ vim affert, aut certe noxam, cujus rei extant Obſervatio-

(*i*) Diſſert. de Abortu c. 1. (*k*) Diſput. qua corp. hum. momentan. alterat. ſpecim. expend. §. 34. (*l*) n. 17.
(*m*) n. 5. (*n*) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 104. (*o*) Commerc. Litter. A. 1731 Hebd 20.
(*p*) Diſſert. de Fœtu perf. §. 15. (*q*) Adverſ. Anat. Dec. 2. n. 10. (*r*) Theſ. 6. Tab. 1. Fig. 5 & Tab. 3. Fig. 2.
(*ſ*) Theſ. 9. n. 3.

nes in Sectione hac Sepulchreti XXXVIII. (*t*). Ad quas eam addas licet, quæ ab Littrio (*u*) propoſita eſt, funiculi adeo contorti, ut non tenuior modo, ſed & brevior dimidio eſſet factus. Prælongus vero in crebris, variiſque fœtus motibus opportunus eſt iis in modum aut laquei, aut nodi diſpoſitionibus, ut illum ſtrangulare (*x*), aut propria vaſa conſtringere vehementius poſſit. Hæc enim vi duplicis, arctique nodi, qui non niſi lenta cautaque manu diduci potuit, præcluſa invenit Cl. Gutermannus (*y*), egregie conjiciens, primam nodi formationem indicatam eſſe a motuum fœtus imminutione, poſt hanc autem magis deinceps, magiſque autem, & cum tandem eorum motuum jam nihil omnino perceptum eſt, nodi arctiſſimam factam conſtrictionem fuiſſe ſignificatam. Sed in placentæ quoque adaucta in dies noxa, ut puta ob funiculi brevitatem, aut propter ſcirrhum, vitiumve aliud quod in illa plus pluſque creſcat, idem ſucceſſivum motus decrementum, quod abolitio denique conſequatur, accidere, cum ratio indicat, tum præſertim Obſervationes confirmant, quarum aliquam in Sepulchreto (*z*) invenies, alias ex Diſſertatione (*a*) conjicere poteris Cl. Petri Stuarti, qui propoſita ab ſe dogmata ex ore Experientiſſimi Friedii ſe fatetur (*b*) accepiſſe.

26. Nunc placentæ vitia quædam alia, unde abortientes periclitantur, attingemus. Sciebat Ruyſchius (*c*), plurimos fuiſſe Medicos qui ignorantes, menſibus geſtationis primis placentas per ſe quidem eſſe parvas, ſed ob multum plerumque ſanguinem concretum, undique arctius adhærentem, multo quam revera ſint, videri ampliores, has apud eas quæ abortiverant, conſpicati, & fœtum qui ei amplitudini reſponderet, fruſtra expectantes, cum is qui fuerat, aut propter exiguitatem non perceptus, excidiſſet, aut propter mollitudinem in nihilum, aut in liquorem abiiſſet; medicamenta fœtum expellentia, non ſine gravi detrimento matri dediſſent. Itaque Medicos de hac facili deceptione cenſuit eſſe admonendos. Quod nos monitum eo magis inculcandum exiſtimamus, quod præter ſanguinem illum adhærentem, augentemque, reapſe æquo magis creſcere placentam ipſam, exiguo fœtu jam mortuo, ſicque tanto facilius oculos eluſuro, de Vateri ſententia, ſupra (*d*) indicavimus.

27. Sed vitium eſt alterum multo periculoſius. Cum enim fœtus immaturi, aut certe eo tempore, ſi violentia abſit, non prodituri, placenta, ut ſuis petiolis acerba poma, arctius plerumque utero ſit affixa; interdum accidit, ut ſit arctiſſime, idque eo periculo quod hæc Valſalvæ Obſervatio ſatis commonſtrat.

28. MULIER annos nata tres & triginta, cum, uterum ferens, ex uno in alterum locum grave quoddam pondus ſemel, atque iterum transtuliſſet; fœtum quidem ſeptimeſtrem, an octimeſtrem parit; ſed hunc Secundæ non conſequuntur. Poſtridie febri cum rigore corripitur: qua ſemper magis magiſque invaleſcente, paucis poſt diebus reſpirationis gravitas accedit. Interea fœtida materia e naturalibus exibat cum fruſtis Secundarum nonnullis. Denique convulſivi motus, & ſingultus ingruunt: venter valde intumeſcit: & ægra undecimo a partu die moritur.

VENTRE aperto, inteſtina, & ventriculus flatibus adeo tumida reperta ſunt, ut hic quadruplo majus ſpatium occuparet, quam ſecundum naturam ſoleat. Diſſecto utero, magna placentæ portio occurrit, cujus pars per os uteri propendebat, pars utero arcte adeo affigebatur, ut vix poſſet, cultri etiam ope, ſeparari. Erat hæc, naturali obſcurata ſtructura, in durum corpus, & peſſime olens conſtipata. Eam autem, cui adhæſerat, uteri partem altior inflammatio occupabat, quæ per reliquam etiam illam faciem, ſed leviter, extendebatur.

29. Sive ad Infelicem Partum, de quo jam nobis ſcribendum eſt, ſive ob violentam cauſam, quæ infantem, eo tempore non exiturum, ejecit, ad Abortum Obſervationem hanc referas; manifeſtum eſt, affixam utero placentæ partem mulieri mortem attuliſſe. Eam autem partem, ſoluta reliqua, affixam manſiſſe neceſſe eſt vel ob placentæ vitium, radiculas ibi aut craſſiores, aut longiores, aut crebriores utero infigentis, vel, quod eodem redit, ob hujus vitium, arctioribus ibi, aut profundioribus, aut confertioribus poris eas radiculas excipientis, vel ob vitium aliud aliquod, aut placentæ, uterove peculiare, aut etiam utrique commune. Sed quodcunque id vitium fuerit, quod cauſa alia aliqua, conatus illos in transferendo pondere conſecuta, indicata autem a partus acceleratione, videtur auxiſſe; certe Obſervatio hæc ut numerum earum adauget quibus nituntur contendentes, placentam nunquam eſſe in utero relinquendam; ita Ruyſchii quoque aſſeclis, non ſecus ac tres quas in Sepulchreto habes Sectione hac XXXVIII. (*e*), anſam dat ad reponendum, tunc ſaltem non eſſe ad placentæ extractionem properandum, cum arcte adeo eſt utero annexa, ut vix poſſet, ſicut in iſta muliere, cultri etiam ope, ſeparari: hoc enim voluiſſe Ruyſchium (*f*), cum ad extractionem decurrendum non eſſe monuit, ſi placenta *ita firmiter hæreat utero, ut, niſi expertus ipſe, nemo crediturus ſit*, nimirum ſi *ita teneat uterum, ac ſi illi concreviſſet*: nec vero ipſi, eumque ſequentibus viciſſim deeſſe Obſervationes gravium detrimentorum, atque adeo mortis, approperatæ extractionis violentiam conſecutæ. Equidem non mihi tantum ſumo, ut componam lites vetuſtas, & priuſquam inter multo recentiores agitarentur, inter noſtrates, editis in utramque partem Scriptis plurimis (*) hinc a Monilia, inde a Ramazzino, in longum tempus productas. Hoc tantum dicam, magna pro re nata hic opus eſſe & exercitatione, & prudentia, ut, quod difficillimum eſt, in neutrum præceptorum Celſi peccetur (*g*): *ſatius eſſe anceps auxilium experiri, quam nullum*: (*h*) *nec ſubire* tamen *ſpeciem ejus vi occiſæ, quam ſors ipſius interemit*. Et vim ſane timent Graviſſimi Viri, qui poſt utriuſque partis bene perpenſas rationes ſcripſerunt, nec aſſentiuntur, nullum unquam ſive ab arte, ſive potiſſimum a natura, ſi prudenter, ac pauliſper expectes, auxilium ſupereſſe. Quod & ego non ſemel vidi e ſedili in lectulum tranſeunte puerpera, uteroque interea dum paulatim ſe in ea quiete contraheret, Secundas ſimul excutiente. Nec aliter ab ſola puerperæ de uno in alterum locum tranſlatione vidiſſe leges Cl. Hoyerum (*i*). Quod ſi illa verſaveris quæ ſuper hac controverſia ſcripta ſunt nuper a Medico Experientiſſimo Andrea Paſta (*k*); cum omnia perſpicies magna eruditione, doctrinaque tractata, tum præſertim laudabis ejus prudentia conſilia, & monita, in hiſque illud (*l*), ut ab obſtetricis ſedili in quo jam feſſa languet mulier, placentam fruſtra nitens eliminare, transferatur in lectulum, ut jacentis cor, uteruſque mox poſſint quod ſedentis non poterant. Sed in illas de quibus dicebamus, nunquam non pertimeſcendas, ancipitis deliberationis anguſtias Medicos perſæpe adducit improbanda obſtetricum feſtinatio, earum dico quæ, levibus doloribus vix obortis, cogunt parturientes præproperis conatibus fœtum ejicere. Natura enim paulatim omnia & pedetentim ad facilem partum diſponens, uteri quoque cum placenta nexus, ſi tempus detur, procliviores ad ſejunctionem facit, imo ut conjunxerat, ſic ipſa diſſolvit: at ſi non datur; circum addita ſanguinis copia magis adſtringit. Quem tunc quo impetu non illuc modo, ſed & alio compellat, ſatis oſtendit fœmina illa (*m*) cui *inter partus labores, ex niſu fortiori & intempeſtivo*, rupto plexu Choroide, tantum ſanguinis effuſum eſt, ut *cerebrum in anguſtum notabile ſpatium comprimens*, lethalem induxerit apoplexiam.

30. Gra-

(*t*) Obſ. 1. §. 7. & 9. (*u*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1701. (*x*) Sepulchr. Obſ. 1. cit. §. 8.
(*y*) Commerc. Litter. A. 1731. Specim. 20. (*z*) §. cit. 7. (*a*) De Secundin. Salutif. & cæt. c. 2. §. 8. (*b*) in Procem.
(*c*) Theſ. Anat. 6. n. 81. (*d*) n. 17. (*e*) Obſ. 10. §. 1. 2. 3. (*f*) Adverſ. Anat. Dec. 2. n. ultimo.
(*) De his Vid. Epiſt. 8. n. 29. (*g*) De Medicina l. 2. c. 10. (*h*) Ibid. l. 5. c. 26. n. 1. (*i*) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ. 51.
(*k*) Ragionamento aggiunto al Diſc. int. al Fluſſo di ſangue & cæt. Conſider. 13. (*l*) n. 185. (*m*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 241.

30. Gravi quoque reprehenſione eædem obſtetrices ſunt dignæ, cum adeo properant, ut membraneas Secundas ipſæ perrumpant, quod niſi urgente aliqua neceſſitate, ut puta ſi craſſitudine, aut duritie ea ſint, quæ partum, jam facile alioquin proventurum, diutius, nec ſine periculo, morentur, faciendum non eſſe, manifeſtum eſt. Sæpius enim intempeſtiva aquarum effuſione partus non una de cauſa ex facili difficilis fit. Quid? cum ex difficili impoſſibilem, & lethalem faciunt, ut quando, viis non ſatis patentibus vel quod primipara, & provectiore ætate ſit mulier, vel quod oſſium pelvis anguſtior ambitus, tumorve obſtet aliquis, aut quando fœtu non bene ad exitum converſo, ipſæ parturientem ad nimios conatus, nixuſque adigunt, aut quæ fœtum audierunt validius pellere, uterum in contractiones vehementiores, aut ſanguinem certe, & ſpiritus concitando, propinare non dubitant. Unde nihil fieri facilius poteſt, quam ut hinc ſano, & robuſto fœtu, inde autem matre connitente, cum ille naturali via exire nequeat, uterus denique ruptus viam præbeat, qua aut capite, aut pedibus, aut toto corpore in ventris cavum irrumpat, ſeque, & parentem occidat. Utinam rariſſimus hic eſſet rupti uteri caſus: qui non modo rarus non eſt, ſed frequentior, quam plures exiſtimant. Habes certe in Sepulchreti hac una Sectione (*n*) exempla ipſius undena. Ad quæ plura ſunt quæ addi potuiſſent, & poſſunt. Mihi enim in manibus ſunt quatuor, aut quinque Diſſertationes, in quibus de *rupto in partu utero* agitur. Harum ſingulæ non modo nova proponunt; ſed earum aliqua, ut quæ a Cl. Behlingio edita eſt (*o*), alia ſimul non recentiſſima exempla indicat. Eorum autem frequentia vel ex Scriptis Veslingii noſtri (*p*) intelligi poteſt, quem miror, cum plures ſane Eruditi Viri uteri a fœtu perrupti Obſervationes collegerint, vix ab uno eſſe nominatum. Veslingius enim cum de uno hujuſmodi caſuum qui ſibi occurrerat, ſcripſiſſet A. 1640. hæc poſtea ſcripſit A. 1647. *Rumpitur ipſe uterus, quod frequentius quam creditur, contingit, & jam quater diſſectis a me gravidis obſervavi*. Veslingii autem dictum, præter illa tria quæ Santorino (*q*) ſe obtulerunt, exempla, cum unus Chirurgus ſatis comprobat, qui ſexdecim ab ſe eſſe viſa intra annos triginta, Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſi (*r*) affirmavit, tum Cel. Hallerus (*ſ*) magis confirmat, qui *intra quindecim menſes ter* conſpexit. Non ſunt quidem perrupti uteri exempla hæc omnia, ut fœtus in ventris cavum eruperit, & a matre edi, aut a Chirurgo extrahi non potuerit. Pleraque tamen ſunt: cætera autem ut lethalis tunc fuerit vel perfecta, vel inchoata diſruptio uteri, ſatis oſtendunt. In tanta igitur eorum frequentia non præter rationem faciunt qui ſuſpicantur, inter cauſas cæteras inexpectatæ mulierum mortis, non multo poſt partum ingruentis, hanc eſſe ponendam, præſertim ſi cum ſignis mors ipſa ingruat quæ percuſſi cordis Celſus (*t*) propoſuit; nam ex uteri vulnere *morientes, eadem*, inquit (*u*), *quæ corde vulnerato, patiuntur*. Quod ſi, fœtu non edito, obeunt, cujus antea magni, ac validi motus percepti ſint, erroribus autem de quibus dictum eſt, ab obſtetrice admiſſis, omnino & illi, & uteri nixus repente quieverint, mox autem in muliere ſe oſtenderint ſigna indicata; multo magis ei ſuſpicioni eſt locus; tametſi raro per anatomen confirmare id liceat, ubi commortui cum matre infantis notæ, etiam non certiſſimæ, ſe offerunt, ut puta brachii quod plerique ex iis qui perrupto utero in ventris cavum non toto corpore irrumpunt, per vaginam ſolent exerere, brachii, inquam, frigus, incipienſque putredinis ſpecies, aliaque hujus generis; tunc enim affines, & conſanguinei, a diſſectionibus, ſuarum præſertim mulierum, abhorrentes, Profectores non accerſunt, ſed veſpillones, quibus mortuum, ut credunt, utrumque jam tradant.

31. Quoniam vero perrupti uteri cauſa ſæpius eſt obliquus infantis poſitus exitum quærentis, hæc autem obliquitas fere eſt ab uteri ipſius obliquo ſitu; mirari ſubit cum Præcl. Reimanno (*x*), qui factum ſit, ut cum veteres Medici de hoc uteri vitio & dignoſcendo, & curando ſoliciti fuerint; poſtremis temporibus apud pleroſque neglectum fuiſſe videatur. Hippocratem parum verſaverit, neceſſe eſt qui *ad inguina, & pectinem*, aut contra *ad ſedem converſos uteros* (*y*); aut *ad dextram*, vel *ad ſiniſtram partem, aut coxam declinantes* (*z*), aut *tranſverſim ſitum habentes, & obliquos* (*a*) ab illo propoſitos fuiſſe, ignoret, itemque *os ipſorum* ſimul obliquum factum (*b*) &, quod alibi etiam indicavimus, diſerte ſcriptum, *ſi uteri obliqui fiant, etiam os ipſorum obliquum fieri* (*c*); ut plura alia ejus loca omittamus. Nec modo Galeni (*d*) ætate; ſed, ut multa ſæcula, pluresque Medicos qui illum ſecuti ſunt, ſciens tranſiliam; Joanne Matthæo de Gradi (*e*), Hercule Saxonia noſtro (*f*), Roderico a Caſtro (*g*), aliiſque plurimis deinceps florentibus, medicæ mulieres, obſtetriceſque jubebantur digito inſerto uterini oſculi poſitum inquirere, ut ex eo quam in partem uterus inclinaretur, ipſi dignoſcerent. Sennertum (*h*) autem ſi cum his conferas; ad quam pauca res jam rediret, & quam leviter attingi inciperet, facile intelliges. Mox autem, ſi quæras apud Riverium, omiſſam hanc tractationem, cognoſces. Rem pene obſoletam reſtituit memoria noſtra in primis Deventrius (*i*) ſic quidem, ut quod a Veteribus factum non memini, oſtenderet quanti referat ex uterini oris ſitu uteri ſitum in parturientibus dignoſcere; ab uteri enim obliquitate ſæpius difficiles partus fieri. Cui plures egregios Viros & aſſenſos eſſe, & aſſentiri video: quanquam aliqui in ejus obliquitatis cauſa diſſentiant. Sic in duabus Diſſertationibus, quarum alteram A. 1736. alteram octo novemve poſt annis duo Cl. Friedii Diſcipuli ediderunt, memini eam cauſam in altero matricis latere, ob affixam ſibi, quod non ſæpius ſolet, placentam, annexumque huic fœtum graviore facto, collocari, non ſecus ac olim Gradius (*k*) inter cauſas obliquum uterum facientes hanc ſtatuebat, ſi *propter materiam* in altera ejus parte, *vel propter gravitatem acquiſitam fieret tractus alterius partis ad eam*. Sed & Obſervatio quæ poſtrema omnium huic Sepulchreti XXXVIII. Sectioni addita eſt, videtur illorum ſuffragari ſententiæ. Cauſam tamen præcipuam Veteres in vinculorum alterius partis contractione, aut etiam relaxatione ponebant, ut ſana pars ad contractam, vel relaxata ad ſanam adduceretur. Quorum ſententiam ab adventitiis vinculorum illorum vitiis ad ea quæ a primordiis quoque eſſe poſſunt, transferre nobis licet per ea quæ in diſſectionibus animadverſa habemus. Breviora enim ſiniſtræ partis vincula in tenera Virguncula Bononiæ invenimus autumno A. 1706. unde uterus ſiniſtrorſum vergebat. Nihil autem prohibet exiſtimare, quibus uterus aut ab nativa cauſa, aut ab adventitia in latus alterum eſt inclinatus, in iis, cum prægnantes fiunt, in idem latus, niſi quid forte obſtet, pendere. Certe enim ſic primis menſibus eodem pendeat, neceſſe eſt. Cum autem ſic pendens increverit; etſi poſtea ſupra ligamenta ſe extollit; veri quidem ſimilius eſt, ut quam in partem vergere cœpit, in eandem pergat. Plures igitur habes cauſas quibus uteri, fœtuſque obliquitatem adſcribas. Nec vero quam poſtremo loco poſuimus, rariorem putato; quamvis necdum qui Graafio (*l*) aſtipulentur, deeſſe videas, obliquum uterum *quandoque, licet rarius*, ſe offendiſſe, ſcribenti. Mihi certe id non raro accidiſſe, ex meis intelliges Ob-

(*n*) Obſ. 2. §. 2. 4. & Obſ. 3. §. 1. 2. 3. 4. 9. 10. 11. & Obſ. 7. §. 3. & Obſ. 12. §. 2.
(*o*) Meditat. ſuper caſ. rupti in partu uteri §. 5. & 11. (*p*) Epiſt. Medic. 25. & 45. (*q*) Iſtoria d' un Feto & cæt. n. 15.
(*r*) Hiſt. A. 1724 Obſ. Anat. 4. (*ſ*) De rupto in partu Utero Obſ. n. 1. (*t*) De Medic. l. 5. c. 26. n. 8. (*u*) Ibid. n. 13.
(*x*) Eph. N C Cent. 9. Obſ. 79. in Schol. (*y*) De Morb. Mulier. l. 2. n. 33. (*z*) n. 35. (*a*) n. 36. (*b*) Ibid.
(*c*) De Nat. Muliebr. n. 34. (*d*) De Loc. aff. l. 6. c. 5. (*e*) Pract. tr. 4. c. 22. (*f*) Prælect. Pract. P. 3. c. 11.
(*g*) De Morb. Mulier. l. 2. c. 17. (*h*) Medic. Pract. l. 4. P. 1. S. 2. c. 15. in princip. & c. 16. in fine.
(*i*) Obſ. Chir. novum lumen exhib. Obſtetric. (*k*) c. 22. cit. (*l*) De Mulier. Organ. c. 8.

Obſervationibus, quarum, præter eam quam paulo ante memoravi in Virguncula habitam, octo ad te ſcripſi (*m*): duas, treſve, alio magis attinentes, alias ſcribam: huc autem quinque inſuper addam, alibi locum non facile habituras.

32. MERETRICEM claudam, ſtaturæ modicæ, annos natam ad quadraginta, intra paucos dies thoracis inflammatio in Noſocomio hoc ſuſtulerat ineunte Martio A. 1717. Quo tempore cum totus eſſem in anatomico Partium Ventris examine; nihil præter hunc inſpexi. ABDOMEN, priuſquam ſectionem inciperem, plures a bubonibus cicatrices oſtendit. Illo diducto, inteſtina flatibus turgida, eoque a frequentiore ſitu dimota, apparuere. Tenuium pars quæ thoraci propior fuerat, hujus inflammationis, ut ſæpe accidit, particeps fieri inceperat: nec jecur eodem vitio prorſus carebat. Renes magni, in eorumque pelvibus urina quaſi purulenta. Veſicæ autem tunicæ craſſæ, & facies interior inæqualis, an quod lues venerea, quod haud raro ſolet, urinariis organis fuiſſet infeſta? Tubarum uteri altera agglutinata erat teſticulo proximo ſic tamen ut libero orificio illius parti reſponderet in qua magna erat incluſa veſicula. Teſticulus alter non ita ſanus; ut propterea fortaſſe id, gracillimum alias, vinculum craſſius eſſet per quod cum utero nectebatur. Uterus, alioquin ſanus, in latus; ſiniſtrum, an dexterum ſcriptis non commiſi; vergebat.

33. Etſi mulierem hanc dixi fuiſſe claudam, & clauda quoque fuit earum aliqua in quibus uteri inclinationem alias (*n*) deſcribam: etſi Galenus (*o*) videtur indicare, quibus illa eſt, interdum *in coxam dolorem tranſire, & crus ipſum quod e regione eſt, per inceſſum claudicare*, & Sennertus (*p*) ex Philaltæo de quadam refert, quam ob eam cauſam *iſchiade laborare* putabant, Saxonia autem (*q*) claudicationem pro ſigno ponit, quam in partem uterus inclinet, additque, artum claudicantem non ſolum, ſed & artum ab eodem latere ſuperiorem, ex propria obſervatione, tremore, & ſtupore affici; tamen aut longe majorem inclinationem, quam ego invenerim, deſignant, aut tumor, dolorque uteri, quod Galenus (*r*) fortaſſe voluit, ad inclinationem adjungitur, ut ſic quidem premi, tendique nervi poſſint qui per idem pelvis latus crus petunt, & cum ſuperioris artus nervis per Intercoſtalem colligantur. Ego certe in pleriſque earum quibus uterum inclinatum vidi, ne claudicationem quidem, nedum iſta alia fuiſſe in ulla ipſarum, animadverti. Quod vero Hippocrates (*ſ*) ſcripſit, *ſi ex partu crus ab uteris claudum factum fuerit*, id eſt, ut alibi (*t*) explicat, *ab uteris ad coxam declinantibus*; id quomodo intelligas, ibi oſtendet Reimannus (*u*) ubi duo, ab ſe viſa, claudicationis ex partu producit exempla. Velim etiam legas Cl. Schoenmezleri (*x*) conjecturam, qui cum ſæpius puerperas audiviſſet poſt partum difficilem *de gravi femoris, in regione trochanteris majoris, dolore querentes, pariter ac de tractione ejuſdem exteriora, ſeu poſteriora, verſus ſenſibili*, animadvertiſſet autem, *ſimilibus, imo majoribus incommodis* vexari Virginem, cancroſa vaginæ uteri excreſcentia laborantem; conjecit, proximum utero in pelvis facie interiore muſculum Obturatorem Internum poſſe in gravibus partus laboribus, ac nixibus *contundi, inflammari, exulcerari, vel quovis alio modo lædi*, ſicque dolorem illum, eamque tractionem efficere, quippe quia *in fovea trochanteris majoris terminatur*. Perpendenti hæc tibi facile in mentem veniet, poſſe aliquando in difficilis partus conatibus alios quoque, vicinos diſtento utero in pelvi, muſculos, & nominatim Iliacum Internum, & qui Pſoas vocatur detrimenti quidpiam capere, qui muſculi cum ad trochanterem alterum ita pertineant, ut femur attollant, non dolorem modo, ut Obturator ille, ſed & femoris attollendi difficultatem puerperæ afferant pro vario detrimenti gradu minorem, aut majorem, breviorem, aut diuturniorem; nam vel perpetuam interdum, ut in Nobili Matrona Socru noſtra vidimus, quam relictam ſibi narrabat ab ejuſmodi partu, claudicationem. Quæ num forte in ulla earum quas claudicantes ſecuimus, ab eadem cauſa originem traxiſſet, pro certo nunc meminiſſe non poſſumus. Cæterum; ut illuc redeamus; inclinatum quoque offendimus uterum in nonnullis gibboſis ſic tamen non ut gibbus ab uteri inclinatione fieret, ſed contra, a Spinæ diſtorſione uteri inclinatio, velut in duabus ſaltem de quibus protinus ſermonem habebimus.

34. ANICULA gibboſa, extremo adeo morbi tempore in Noſocomium illata fuerat, ut is qui fuiſſet, ſcire non potuerim; ſimul enim ferme illata eſt, ac mortua. Itaque perpauca ex ejus cadavere diſcipulis demonſtravi eoque pauciora, quod virilis optimi cadaveris mihi eo tempore copia erat in Theatro docenti ſub Januarii finem A. 1748. EX THORACE nihil aliud ac cor inſpexi, recte ſe habens, quamvis Coronariis arteriis quatuor, ſicut alibi deſcribam, inſtructum eſſet. Ex Ventre autem renes non ſaniſſima ſuperficie; ut minus miratus ſim, quod veſica in qua plurimum lotii fuerat, cervicem bene multis ſanguiferis vaſculis diſtinctam haberet. Teſtem dexterum turgidulum non ſecus ac ſi adoleſcentulæ fuiſſet; ſed diſtentus erat ab incluſa non parva hydatide. Imam Spinam denique ita diſtortam, ut dextrorſum uterus vergeret, ſiniſtra autem Iliaca vena longior duplo eſſet, quam dextera.

35. VETULÆ alterius gibboſæ, ex diuturno graviſſimoque cruris ulcere ibidem mortuæ, renes, & genitalia eodem ferme anni tempore, ſed biennio ante, ad me in Gymnaſium allata fuerant. REN dexter naturali quidem erat forma, & magnitudine. Siniſter vero, cum ipſum longitudine æquaret, latitudine erat tanto minori, ut ea res in omnium oculos ſtatim incurreret. Num ob Spinam ad ſuperiores lumborum vertebras ſiniſtrorſum contortam, dicere non poſſum qui cadaver ipſum non viderim. Inferius certe dextrorſum adeo intorquebatur, ut in idem latus penderet uterus: quod hujus vinculum Teres dexterum, multo quam ſiniſtrum, brevius oſtendebat: cujus brevitatis ut mihi fidem facere poſſent qui e corpore ademerant, abdominis particulam, per quam e ventre erumpebat, illi annexam reliquerant.

36. Ob Teretis alterius vinculi brevitatem tractum in id latus uterum in tribus tamen aliis fœminis vidi, quarum accepiſti olim hiſtorias (*y*). Quod idcirco memoro, quia poſt Riolanum (*z*) nullum, niſi Latum, vinculum, quod ſolum fortaſſe brevius erat, in ſua hujus generis Obſervatione memorantem, non deeſſe alios video, & nominatim Weitbrechtum (*a*), qui ſemper ab altero Latorum id fieri, credant. Ego vero ut ab utriuſque in uno eodemque latere vinculi brevitate, aut altero in latere laxitate fieri interdum, cenſeo, ita Lato dumtaxat breviori, ſi ſocium Teres ſit laxius, aut Tereti dumtaxat, ſi laxius ſit Latum, rem alias deberi, puto. Lati autem utriuſque laxitati tribuo quod retrorſum uterus, aut antrorſum concidat, velut in muliere de qua ſcripſi ad te Epiſtola XLV. (*b*); quanquam in ea aliquanto minus laxum, minuſve breve ſiniſtrum fuerit, oportet, cum uterus ſiniſtro lateri propior eſſet aliquanto. Nunc reliquas accipe Obſervationes.

37. MULIERI annos natæ triginta quinque, cum lactaret, vomica in pulmone non ita pridem rupta erat. Dum pus expectorare potuit, vixit. Cum expectoratio biduum ſubſtitiſſet; in Noſocomio vivere deſiit inter initia Decembris A. 1740. CADAVERIS non emaciati, &, ſi thoracem excipias, quem

(*m*) Epiſt. 29. n. 12. & 20; Ep. 35. n. 12. & 16; Ep. 40. n. 24; Ep. 45. n. 16; Ep. 47. n. 18. & 36. (*n*) Epiſt. 56. n. 26. (*o*) c. 5. ſupra ad n. 31. cit. (*p*) c. 16. ibid. cit. (*q*) c. 11. ibid. cit. (*r*) c. cit. (*ſ*) De Morb. Mulier. l. 1. n. 16. (*t*) l. 2. n. 35. (*u*) Schol. ſupra ad n. 31. cit. (*x*) Commerc. Litter. A. 1736. Hebd. 43. n. 2. (*y*) Epiſt. 29. n. 12. & 20; & Epiſt 35. n. 16. (*z*) Anthropogr. l. 2. c. 35. (*a*) Syndeſmolog. Sect. 6. §. 41. (*b*) n. 16.

quem aperire conſulto noluimus, anatomicis perquiſitionibus ſatis idonei, pleraque alia diſſecta ſunt; ſed nihil ea cura qua Venter. In hoc igitur cum alia quæ huc non attinent, tum hæc adnotata ſunt. Ventriculus prælongus, antequam ad pylori Antrum perveniret, ſe contrahebat per tractum aliquot digitorum; mox rurſus in illud Antrum ſe explicabat. Colon inteſtinum, præterquam initio, adeo contractum erat, ut digiti pollicis craſſitiem vix ſuperaret. Tenuia inteſtina a ſiniſtris quaſi inflammata quibuſdam locis videbantur; niſi id forte erat a teretibus lumbricis, quorum aliquis in ventriculo fuerat. Lien carneo intus, non atro, colore, magnitudine ferme naturali. At jecur magnum, in ſiniſtrum hypochondrium ſe extendebat, lobum autem dexterum habebat in facie cava per profundam, nec brevem, fiſſuram duos in lobos pene diviſum. Hepatici ductus radices intra jecur, alioqui ſanum, multo craſſiores offendi, quam earum, extra jecur prodeuntium, craſſitudo proportione poſtularet. Renum ſuperficies locis nonnullis inæqualis, ſana tamen interiore ſubſtantia. In ventris pelvi aqua non multa. Uterus valde in latus dexterum inclinatus; ut tuba, & teſtis ab ea parte in arctum compulſa, ab altera multo latiorem haberent ſedem. Denique ſecto ad diaphragma venæ Cavæ trunco, ſanguis defluxit, niger, in grumoſque concretus.

38. ANUI crus dexterum canis momorderat. Poſtea cum ſiti magna alvi fluxus; & febricula acceſſerant. Poſt multos dies ille deſiit; non hæc. Tum vomitu correpta eſt quo lumbricos etiam rejecit. Denique finito vomitu, paulatim deficiens, ibidem eſt mortua ſub initium Martii 1741. Huic ægrotanti pulſus quidem nunquam validus fuit; raras tamen habuit intermiſſiones: tuſſis etiam fuit aliquando; ſed levis. Quæ duo cur addiderim, per te intelliges, cum quæ in corde, & quæ ad pulmones adnotaverim, mox ſcribam. Neque enim ventris tantum, ſed & thoracis, & capitis interiora, atque alias præterea quæ huc minus attinent, ſtrigoſiſſimi cadaveris partes, quamvis intra perpaucos dies, ſatis diligenter luſtravimus. CEREBRUM diſſecturi, aereas bullulas in vaſis animadvertimus meningis Tenuis, & ſub hac aquam, ut deinde in ventriculis quoque, ſed non multam, neque ut Choroides plexus pallerent. Thorace recluſo, pulmones offendimus aere turgidos, ad ipſoſque Bronchiales glandulas multas, & in his aliquas amplificatas, nec ſine tartarea incluſa materia. Cordis uterque ventriculus polypoſis fartus erat concretionibus, quas inter ſanguis ater, ipſæ autem ex albo flavæ, & nonnullæ craſſæ, non facile diſcerpendæ. Mitrales valvulæ ad imum ex compacta, albaque intus ſubſtantia factæ, eaque præſertim quæ Magnæ arteriæ propior eſt. Cujus valvularum nulla inchoamentis oſſeis prorſus caruit: una autem qua facie parietem arteriæ reſpiciebat, tota fere erat oſſea, eoque aſpera, & inæqualis particulis videlicet quas revera oſſeas diceres, quaſi granorum ſabuli inſtar, quorum alia aliis impoſita ſint, paſſim exſtantibus. Facie altera corpuſculum, a me reſtitutum, ſuperius divulſum, in carneam excreſcentiam, paulo quam ipſum, majorem, degenerabat. In Ventre, quem primum omnium ſecueramus, ventriculus occurrit aere ſubtumidus, & per ſe magnus, eo uſque deſcendens, ut ſubjectum ipſi inteſtinum Colon eſſet infra umbilicum. Quod inteſtinum, ut in ea de qua noviſſime dictum eſt, fœmina (*c*), totum, ſi initium ejus excipias, quod cum Cæco erat aere turgidum, adeo ſe contraxerat, ut unum ex Tenuibus eſſe videretur. Contra, Duodenum multo amplius erat quam ſolet, longiorique inſuper tractu a dextris vertebrarum ſe demittebat. Tenuia reliqua obſoleto, & livido colore erant. Meſaræi glandulæ non exiguæ, ſed mediocres, ſub levi pinguedine, & viſu, & tactu percipiebantur. Jecur magnum: in eoque ſulci duo, quaſi digitis non leviter impreſſi, a convexæ faciei ſummo, inter ſe ferme paralleli, non breviſſimum ad tractum antrorſum deſcendebant. Æquo craſſior lien, & gibba facie quibuſdam quaſi granis ſubaſper, colore autem intus pallido. Uterus denique ſiniſtrorſum inclinatus, totam habuit interiorem faciem aſperam, nec tamen exulceratam, quamvis atro ſanguine fœdam, totam, inquam, fundi, non cervicis; tametſi uterini oſculi corona erat craſſior.

39. Nec mihi præter eas quas pollicitus ſum, aliæ deſunt uteri, in latus alterum, ſed a tumore in oppoſito latere, inclinati, Obſervationes.. Satis autem in præſentia hæ ſunt quas ad octo addidi, aliis Litteris ad te ſcriptas, primum ut intelligas, uteri obliquitatem non eſſe rariſſimam, deinde, ut omnibus inter ſe collatis, noſcas, num ſæpius illa, quod nonnulli videntur credere, dextrorſum accidat, an haud minus ſæpe ſiniſtrorſum. Non hic vacat alienas Obſervationes inſpicere. Sed tamen de duabus quas in Sepulchreto legiſſe memini Joannis Riolani alteram (*d*), alteram Franciſci Sylvii (*e*), illa dextrorſum, hæc ſiniſtrorſum proponit. Illud denique, collatis noſtris omnibus, facile colliges: quæ Ruyſchius (*f*) gravia incommoda ab laterali uteri inclinatione fuiſſe, credidit, dolorem hypogaſtrii, conatum expellendi frequentiſſimum, mingendi deſiderium continuum, aut certe non ſatis expeditam mictionem, de his fœminas in quibus a me id vitium uteri deprehenſum eſt, non eſſe conqueſtas; tametſi in quibuſdam non leve id eſſet, nec defuerit crebra Medicorum interrogatio, quænam ipſas male haberent. Quin Ruyſchiana Icon (*g*), qua inclinatus uterus exhibetur, non oſtendit eam quoque annexæ vaginæ partem quacum arcte ſcimus urethræ initium cohærere, ſic inclinatam, ut oporteret ad mictionis incommoda illa cum Ruyſchio inde repetenda.

Sed de obliquitate uteri ſatis. Rara eſt contorſionis ad obliquitatem additæ Obſervatio, in hiſtoriis legenda quæ in extrema parte ſunt laudabilis Diſſertationis Rudolphi Jacobi Camerarii (*h*). Repertus enim eſt uterus *in latus ſiniſtrum ita inclinatus, ut pars fundi anterior verſus idem latus ſimul intorta videretur*. Eratque ea *intorſio*, ut mox (*i*) ſcribitur, *conſpicua, & orificium uteri anguſtando, partum forte ſimul impediebat*, fœtus præſertim & peſſime locati, & æquo majoris, & in matre parva, eademque obeſa. Vides, quot interdum poſſint infelicis partus cauſæ uno tempore convenire. Sunt vero & aliæ, ut cum cervix uteri excreſcentia aliqua occluditur, velut in muliere cujus diſſectionem Hiſtoria exhibet Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis (*k*): aut cum os uteri duritie eſt ferme cartilaginea, quale in fœmina annos nata necdum quadraginta deprehendit Præcl. Helmſtadienſis Profeſſor Fabricius (*l*), & merito, quippe vehementer reſiſtens neceſſariæ in partu dilatationi, inter cauſas partus difficilis, & præternaturalis referri, cenſuit: ſive cum funiculus umbilicalis multo brevior quam ſolet, obſtat fœtus, exitum ſibi molientis conatibus, aut ſi hi validiores ſint, ad præproperam placentæ avulſionem, imo etiam ad ſui ipſius abruptionem eſt aptus. Sic videbis, quanto in periculo & fœtus, & mater fuerint, cum funiculus *vix 6. tranſverſos digitos longus* a Cl. Stegmanno (*m*) conſpectus eſt. Ex reliquis autem partus difficilis cauſis, quando prope innumeræ ſunt, & alia nobis multa adhuc, & varia reſtant; unam, ſed inter illarum præcipuas non infrequentem, hoc loco præſtabit attingere.

40. Ea eſt fœtus in utero mortuus. Qui hanc primum difficultatem creat, ut plurimum dubitetur, num revera ſit mortuus. Erant olim qui nimis facile, ut triſtia docuerunt exempla, in ſignis quibuſdam acquieſcerent, & ſi meconium, exempli cauſa, per naturalia parturientis deflueret, extinctum jam eſſe fœtum, non dubitarent. Cujus fallaciam ſigni cum alii alibi, tum ipſe multo evidentiſſime hic co-
gnovi

(*c*) n. 37. (*d*) Sect. hac 38. Obſ. 9. §. 8. (*e*) Sect. 10. libri hujus 3. Obſ. 28. (*f*) Cent. Obſ. Anat. Chir. 88.
(*g*) Ibid. Fig. 69. *. (*h*) Specim. Experim. circa Generat. Hiſt. 1. (*i*) in Schol. (*k*) A. 1705. Obſ. Anat. 7.
(*l*) Progr. Acad. edit. A. 1750. M. Januar. (*m*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 113.

gnovi A. 1730. Mercatoris uxor annos nata circiter undetriginta, a triennio ferme loco vini aquam bibens, cum ad legitimum quinctæ, an ſextæ geſtationis uteri terminum non infeliciter perveniſſet, tantam aquarum vim uno atque eodem tempore e genitalibus profudit, ut omnes mirarentur; non ipſa. Sciebat enim, ſe multo plus aquæ bibiſſe in hac geſtatione, eamque per urinæ vias menſe ultimo parcius quam ſolebat, prodiiſſe. Illud mirabatur, cum alias aquarum effuſionem ſemper infantes ſuis cum Secundis illico ſecuti eſſent, partuſque fuiſſent feliciſſimi, tametſi illi omnes intra diem quinctumdecimum vivere deſiiſſent; mirabatur, inquam, nunc poſt aquas profuſas pridie ſub auroram, qui dies fuerat XII. Kalendas Martii, alterum jam adveniſſe diem, neque præter aqueum qui deſtillare pergebat, humorem, quidquam exiiſſe; cum ecce eodem mane ſimul cum eo humore cœpit meconium defluere. Quamobrem poſt meridiem ad me ventum eſt, ut inviſere, & conſilia conferre cum ejus Medico non gravarer. Quem cum audiviſſem ea facere, & dare cogitantem, unde uteri, qui conquieverant, dolores, conatuſque reſtitutum iri, ſperaret; ego vero, inquam, primum omnium quærendum arbitror, an fœtus ea figura ſit diſpoſitus quæ ſecundum naturam requiritur, a qua, ſi vivus ſit, ne abſit, vereor, atque, ut ſic verear, meconii exitus facit. Sed quid ait obſtetrix? Illa vero, ajunt, in tranſverſum locatum cenſuit, quantum ex materni abdominis contrectatione potuit exiſtimare: Vivum autem eſſe, mater non dubitat, quæ vagientem ſibi videtur audiviſſe. Mittamus hoc, inquam, quod incertum eſt, de vagitu. Illud vero quod opinionem confirmaret meam; obverſo enim ad vaginam podice, & adjacentibus podici partibus forte compreſſis, potuit etiam necdum reſpiranti ſtercus exprimi; cur obſtetrix immiſſis digitis non comprobavit? Mulier enim, inquiunt, ſe paſſuram id pernegat. Ego vero: quid ſi opus eſſe, dicam, manum in uterum inſerere, fœtumque, ſi oporteat, in meliorem figuram converſum, extrahere. Quod ſi illius animus nunc flecti non poteſt; ſic habete; niſi aut obſtetrix decepta ſit, aut figura quam dixit, in meliorem mutetur, ſine Chirurgi tandem opera, ſed nimis ſera fortaſſe, non eſſe infantem proditurum. Quorum alterutrum fuerit, neceſſe eſt. Sed utrumlibet fuerit; mutatam poſtea eſſe figuram, dixerunt, uterique obortis doloribus, infantem naturali figura, quamvis non ſine ſummo ob magnitudinem labore, in lucem denique editum eſſe. Illud eſt certum quod ad inſtitutum ſermonem maxime attinet, neque ante octavam inſecutæ noctis horam, & viventem adhuc; nam & pauliſper poſtea vixit; prodiiſſe: id eſt horis minimum quindecim ex quo, intra uterum hærens, ſtercus cœperat emittere; ut evidentiſſime appareat, emiſſionem hanc fallax eſſe emortui fœtus indicium. Hæc autem retuli, quia inhærentem adhuc muliercularum, & vulgi animis errorem non niſi aliis, atque aliis ſubinde additis, & inculcatis Obſervationibus evellas. Neque enim, uti ſupra indicabam, me fugit, quoties idem fuerit antea viſum: quin; ut cætera exempla omittam, ex hiſtoriis paulo ante (*n*), cum uteri contortionem memorarem, laudatis altera tibi præclare oſtendet, quincto poſt ejectum meconium die puellam eſſe editam vegetam, & vivacem. Scilicet non modo compreſſio aliqua, præſertim ventris, quæ, fœtus corpore male complicato, non difficile accidit, ſed & ſtercoris, tunc ferme fluidi, aut major copia, aut acrimonia inteſtinum irritando, vim poteſt vincere, modicam eo tempore, ſphincteris circumjecti. Quid? quod vis illa non ſolum ob paralyſim, verum etiam ob ſummam virium fœtus infirmitatem nulla eſſe interdum poteſt. Quas vires mox tamen poſſe, ut poſt ſyncopem, refocillato cum matre fœtu, magna ex parte reſtitui, Medicos nunquam obliviſci decet, qui nolint vel ab aliis pluribus indiciis falli, quæ ad mortuum fœtum dignoſcendum proponi ſolebant. Exemplo ſit nullus in funiculo umbilicali, imo nullus in fœtu arteriarum pulſus. Certum quidem eſt, fœtum vivere, ſi pulſus revera percipiatur. Revera, dixi; nam quod Lanciſius (*o*) in ſummo Procere accidiſſe, narrat, ut in mortui carpo neſcio quis pulſum eſſe, contenderet, qui nuſquam niſi in ſui ipſius digitis erat, idem vereor ne multo facilius contingere aliquando poſſit Chirurgo qui intra calentes mulieris locos digitos ab opere ipſo, & quærendi labore fervidos inſeruerit. Quam ad vitandam fallaciam eos laudo qui Chirurgum admonuerunt, ut ſimul perceptorum ab ſe ſe pulſuum, ſimul ſuorum quos in carpo altero animadvertendos a quopiam curet, numerum conferat, ut ſi idem ſit, falli ſe, intelligat; ſin contra, non falli. Verum etſi id quod diximus, certum eſt; non tamen continuo ſequitur, ſi pulſus nullus ſit, fœtum eſſe mortuum; languere enim maxime tunc vires poſſunt, ſed mox redire. Extra uterum autem propendentis funiculi, aut artus nec pulſus nullus, nec frigus, nec livor ſatis ſigni dant infantis extincti; nam intra contracti uterini oſculi anguſtias ita conſtricti eſſe poſſunt, ut, ſi artum vel gangræna corripere incipiat, ab eoque cuticula abſcedere; periculum quidem ſummum in quo vita verſetur, manifeſto pateat; vitam autem jam prorſus deſiiſſe, pro certo non pateat. Sane Uratiſlaviæ etſi *lividum*, & *frigidum* erat propendens infantis brachium, ut, tanquam procul dubio mortui, amputandum judicaretur; ipſe tamen *tertia die vivus* editus eſt (*p*).

41. Attamen ubi aut ipſa evidentium cauſarum, & rerum ſeries, aut pleraque, & conſtantia quidem, aut graviora ſigna, ut cuticulæ e capite facillima abſceſſio, humor ex utero deſtillans cadaveris odore, & ſigna alia ſunt iſtiuſmodi, ubi hæc, inquam, Medicos, Chirurgoſve peritiores illuc adduxerint, ut unanimi conſenſione infantem eſſe intus emortuum, cenſeant; altera ſe objicit difficultas, num manibus continuo educere, an aliis uti antea auxiliis præſtet. Memini, cum Bononiæ Medicis ſtudiis operam darem, duabus illuſtribus Matronis uno eodemque anno accidiſſe, ut parere non poſſent, & cum utriuſque fœtus cenſeretur mortuus, ex altera Chirurgi manibus cito detractum, ex altera autem expectatione, & clyſteris præſertim uſu emollientis ſimul & ſtimulantis, fuiſſe ejectum, priore illa paululo poſt mortua, hac ſervata. Qui utriuſque Medicus fuerat, Vir doctiſſimus etſi rationes proferret, cur in illa ſibi fuiſſet properandum, in hac expectare licuiſſet; tamen non parem ex ſervata laudem, atque ex non ſervata notam retulit, injuſtam, ut opinor, ſed tamen apud non ignobiles etiam Medicos, & Chirurgos. Et quanquam minime dubium eſt, quin pro alia rerum conditione aliter agendum ſit; vix tamen, niſi ex concordi Spectatiſſimorum Medicorum ſententia egeris, omnem in ancipitis auxilii uſu reprehenſionem effugies, præſertim ſi forte, ut in hoc, prudentis exercitatique Chirurgi copia deſit. Neque enim ſatis eſt matrem ſervare; videndum eſt inſuper, nequid uterus detrimenti capiat. Conſultus ſum annis ſuperioribus pro generoſa Muliere, quæ cum poſt quatuor feliciſſimos partus opus habuiſſet in quincto Chirurgi manibus, qui cum pedibus prodeuntem infantem protrahere poſſet, atque adeo deberet, iis introrſum repulſis, dum in caput vertere, & hoc arrepto educere tandem ſtuderet, mulierem, delicatam alioquin, tandiu, & tam violenter vexavit, ut non modo inflammatoria febris, quæ pene ad interitum perduxit, ſit concitata; ſed & tribus inſecutis partubus infantes nunquam caput, ſed brachium ſemper exerentes, ſe obtulerint, ob virium, ut credibile eſt, certæ parti ipſius uteri illatum ita ut non ex æquo ab omnibus partibus illos ſuſtentando, aut expellendo, figuræ perverſæ cauſa fuerit. Quo magis, ſi nihil eſt quod properare cogat, & bona partus emortui figura ſit; parturienti ſpatium, naturæque dandum eſſe, arbitror, quo hæc pariendi conatus, doloreſque incitet, illa vero ſimul collectis viribus conniti poſſit: quos,

(*n*) n. 39. (*o*) De Subit. Mort. l. 1. c. 16. n. 8. (*p*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 57. in fine.

quos nixus utile interdum eſt cautis peritiſque manibus ventri impoſitis nonnihil adjuvare. Sed quia natura aliquando aut in iis doloribus movendis ſegnior eſt, aut non eos quos vellemus, ſed convulſivos potius, noſtroque propoſito adverſos movet; noſtrarum erit partium hos tempeſtive ſedare, illos, ſi reapſe tamen id poſſumus, promovere. Ad parturientem accerſitum eſſe me, memini, quæ malis, quos dixi, doloribus jam diem unum atque alterum vexata, neque ſomnum poterat capere, neque alimenti quidquam retinere, ſed vomitu omnia cogebatur rejicere. Ei igitur priuſquam vires prorſus collaberentur, cum dimidiatum opii granum dediſſem; ſimul retineri alimentum cœpit, ſimul ſunt dolores illi ſedati; ut mox legitimis doloribus advenientibus, oſculoque uteri, quod priores conſtrictum ſervabant, recluſo, puer feliciter editus ſit. Sic autem agendo, non Deventerii (*q*) ſolum, quod tunc ſciebam, ſed & eximii Medici Richardi Meadii (*r*), id quod nunc video, viam tenuiſſe me, gaudeo. At ſegnior natura in altero quidem, de quo dicebam, caſu, ad id accommodatis clyſteribus atque abdominis inunctionibus primum quoad ejus fieri ſic poteſt, adjuvanda eſt, tum ſi hæc ſatis non faciant, aliqua de eodem genere propinando quæ naturam invitent potius quam acrius, nec ſine periculo ſtimulent, aut certe agitent. Rideas fortaſſe, ſi id narrem quod in vico agri Patavini annis ſuperioribus accidiſſe, de certis auctoribus cognovi. Parere non poterat mulier. Chirurgus ejus vici oleum leucoii lutei vulgaris ad uncias quatuor mittit, quo videlicet, ut ſolet, abdomen inungant. Ruſticæ quæ adſtabant, imperitæ mulieres ad potum credunt eſſe miſſum: itaque continuo dant bibendum. Sic illa parit. Hoc caſu edoctus Chirurgus ejuſdem cheyrini, ut in officinis vocant, olei tantundem tribus, aut quatuor aliis quas par urgebat difficultas, eodem exitu propinavit. Hinc Patavii notæ mihi fœminæ datum eſt, quæ mortuum ejicere infantem non poterat, & ſic quidem infantis caput aliquanto magis deſcendit: quanquam ob nimiam magnitudinem cui pelvis imus ambitus par non erat, ſine Chirurgi auxilio prodire non potuit. Leucoii quidem illius flores ad menſes, ad fœtum, ad ſecundas promovendas a Medicis datos eſſe, notiſſimum eſt. Sed oleum in quo iidem flores macerati fuerint, propinatum eſſe, non memini: nec mirum, cum tot minus injucunda extare in eundem uſum putentur. Attamen haud prorſus inutile fuerit hoc quoque memoraſſe, ſi forte oleo quis credat aut leucoii vim, qualis ea cunque ſit, temperari, aut potius cum hæc exeritur, opportune ſimul leniri, ſi quid, ut in convulſivis doloribus paulo ante oſtendimus, leniendum eſt.

42. Quod ſupra (*ſ*) expectari poſſe diximus, niſi quid urgeat, ſic potiſſimum accipias, velim, niſi putreſcentis fœtus apparere ſigna incipiant, quæ citius adveniunt ubi jam aquæ ejectæ ſunt; per diſruptas enim membranas ad mortuum corpuſculum aer ſubit, corruptionem illam afferens, quæ ut ſerius plerumque, & ſine acutis parentis febribus ea fœtuum cadavera invadat quæ extra aeris contactum ſunt, ex hiſtoriis intelliges quæ diu antea conceptorum fœtuum officula referunt ſive per abdominis abſceſſus, ſive per anum ejecta, matre ut plurimum ſalva. Quæ hiſtoriæ ex quo ſuam Albucaſis (*t*) protulit, ad eum numerum excreverunt, ut cum illas non unus collegerit, nonnullæ deſiderentur, quæ addi poterant, plures autem deſint, quæ tunc non extabant. Ex illis eſt, ut opinor, quam ex propria Obſervatione habita A. 1667. vulgavit Dominicus de Marinis (*u*), cujus fœtus cranium per matris podicem, ut reliqua oſſa, excretum aſſervabat Guilelmus Riva. Ex his autem quas memoria noſtra vel ſola Italia obtulit, ſunt certe non pauciſſimæ. Nam; ut fœtum prætercam quem e Recto mulieris inteſtino a ſe extractum, ad me, ut inſpicerem, miſit Chirurgus induſtrius Venetus Nicolaus Patuna, quo de fœtu ipſe (*x*), & Santorinus (*y*) ſcripſerunt, idem Santorinus (*z*) fœminam, in Patavino agro fortaſſe etiam nunc viventem, commemoravit, quæ fœtus oſſa per eandem excluſerat viam, tum Vir Cl. Franciſcus Seraus me per litteras Neapoli datas ſub finem A. 1739. certiorem fecit, indidem excreta fuiſſe ab alia muliere non ita pridem infantis officula. Ex abdominis autem abſceſſibus hoc noſtro ſæculo educta Brixiæ, & Vercellis fœtuum aliorum oſſa Valliſnerius noſter (*a*), & Cel. Fantonus (*b*) tradiderunt. Facile aliæ fuerint ætate hac apud noſtrates ejuſdemmodi Obſervationes, quarum aut notitia ad me non pervenerit, aut ſi pervenit, in præſentia non meminerim. Sed quoniam nihil in Re Medica ferme eſt quod exceptionibus non ſit obnoxium; ideo quæ de putredine paulo ante dixi, ſi aer non ſubeat, ſerius; ſi vero ſubeat, citius, & periculoſius adveniente, ea *plerumque*, non ſemper, vera eſſe poſui, tum aliis, tum duabus Obſervationibus adductus, uno eodemque anno editis (*c*) a Viris Cl. Reuſnero, & Nebelio. Alter enim fœtum proponit quinquemeſtrem in utero mortuum, eumque, etſi ob retentas ſimul Secundas, & aquas aeri aditus non patebat, tamen poſt viginti, haud amplius, hebdomadas excluſum *teterrimo cum fœtore*. Alter vero maturum fœtum legitimo tempore prodire conantem, ſed poſt aquarum effluxum, ſui interitus ſigna tanto certiora præbentem, quod proximis hebdomadis *fœtidus & ſanguinolentus ichor cum membranarum, fibrarumque carnoſarum fruſtulis per muliebria effluebat*, denique in ſceleton abeuntem, ut crepitus oſſium audiretur quotieſcunque mulier corpus antrorſum, aut retrorſum flectebat, nulla tamen, quæ memoretur, febre, aut gravi alio incommodo conflictata, imo *jam per tres annos* oſſa illa in utero geſtans *citra ſanitatis diſpendium*. Utinam vero ſicuti emortui tot, præter eos quos commemoravimus, partus intra viventis matris ventrem diu Sepulchrum habuerunt; ita plures vivi ipſi una cum mortua matre non humarentur, aut ſatis tempore ex ejus cadavere eruerentur. Verum dum Profeſſor quæritur, dum accerſitur, dum venit, ſæpe ii qui vivebant, debiliores præſertim, infantes moriuntur, fruſtra mulierculis, viriſve etiam plurimis, æque ac ipſæ, rudibus, & inſcitiæ plenis, interea dum ille veniat, ut matris os apertum ſervetur curantibus, quando potius cum aliqua utilitatis ſpe danda opera eſſet, ut interea parentis corpus, & venter potiſſimum, calens ſervaretur, ratione id præmonſtrante, & Stalpartii filii (*d*) in canis fœtibus experimento comprobante. Membranis enim involutos cum in aquam tepidam immiſiſſet, etiam poſt aliquot horas pulſus eorum invenit. Quin ex illuſtri in Sileſia Matrona (*e*), ante horas quatuor jam mortua, adveniens tandem Profeſſor, inciſo abdomine, uteroque, viventem extraxit puellum, cum interea uſque ad illius adventum jugiter *fotibus ſpirituoſis, balſamo embryonum, vinoque generoſo aromatico cum culcitris calidis* extinctæ ventrem fovere non omiſiſſent, inde minime deterriti quod nullum in utero motum perciperent, ut opinor. Neque enim Obſervationis ſcriptor hæc continuo ſubjeciſſet, quæ ſæpenumero ſunt vera: *Vivit enim ut plurimum fœtus, quanquam non ſemper aperte moveatur*.

43. Satis de parturientibus. Nunc perpauca de puerperis quoque addamus. Pertinet huc Obſervatio quam pridie Idus Auguſti A. 1707. cum Doctiſſimis Amicis Venetis, Santorino in primis, habuimus, & de qua non ſemel in Adverſariis IV. (*f*) mentionem injecimus. Nunc totam accipe.

(*q*) l. ſupra ad n. 31. cit. c. 17. 26. 50. (*r*) Monit. Medic. c. 19. Sect. 5. (*ſ*) n. 41. (*t*) Chirurg. l. 2. c. 76.
(*u*) Diſſert. de re monſtroſa per urinam excreta. (*x*) Relaz. int. al cadav. d'un Feto & cæt. (*y*) Inſt. d'un Feto & cæt.
(*z*) Ib. n. 31. (*a*) Iſtoria della Generaz. P. 2. c. 17. n. 17. (*b*) De Obſ. Med. & Anat. Epiſt. 7.
(*c*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 11. & Cent. 6. Obſ. 52. (*d*) Exercit. de Nutrit. Fœt. § 41. in fine. (*e*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 57.
(*f*) Animadv. 26. 27. 39. 43. 45.

44. MULIER hyſtericis affectionibus obnoxia, & faciei colore illaudabili, aliquot liberorum mater, cum uterum noviſſime ferret, præſenſit, partum proximum ſibi exitialem futurum. Et reapſe inter parturiendum cœpit digitis, & abdomine intumeſcere: mox autem cum puellam peperiſſet pueri loco, quem ſperaverat, & propter ſponſionem etiam quandam multo maluiſset, idque ipſi de induſtria ab aſſidentibus mulieribus occultatum, maritus per imprudentiam revelaſset, tanta animi ægritudine correpta eſt, ut illico pulſus deficerent, corpuſque frigeſceret. Tunc hora vix erat ex quo puellam ediderat, neque præter aliquam membranarum partem, quam ſana & vitalis puella ſecum traxerat, quidquam Secundarum prodierat, ſive quod placenta arctius adhæreret, ſive quod obſtetrix naturæ opem expectandam cenſuiſset, ut quæ neptem meminiſset ſuam olim reſtitantem placentam feliciter ejeciſse decimo jam a partu die. Cum igitur neque pulſus, neque calor redirent; intra ſeſquihoram ex quo hi defecerant, mors ſupervenit, non intermiſso; quod in eo pulſuum defectu miraberis; ad ultimum uſque vitæ extremum conſueto ſanguinis ex utero efluxu. CADAVER incidimus hora ab interitu vigeſima quarta. Cujus ex ore, & naribus multa, & grave olens aqua effluebat. Ventris tumor erat tantus, ut majoris, ne in aſciticis quidem, a nobis viſi recordemur. Qui, peritonæo inciſo, non niſi parum ſubſedit; fiebat enim tum a ventriculo, & inteſtinis, aere mirum in modum diſtentis, tum ab utero his ſubjecto, qui rotunda ſui mole totam pelvim non tenebat modo, ſed excedebat. Hunc cum omnibus quæ ad ipſum attinent, partibus priuſquam excideremus, effuſam in ventris pelvim cruentam aquam animadvertimus. Antea autem vaſa quæ ſub feminum cute prope genitale ſunt, oppleta ſanguine animadverteramus: & pubis oſsa qua junguntur inter ſe, cum ante ſectionem digito tentata, dehiſcere, aut certe laxiſſime conjuncta viderentur, reapſe, junctura vix cultro attacta, alterum ab altero diſceſſiſse, humore aliquo prodeunte. Nec diſſimilia, cum mox juncturas oſſium ilium cum Sacro examinaremus, videre viſi ſumus; ut non longe a vero abiiſse crederemus, qui non ſolum primiparis, ſicut Hippocrates (*) docuit, ſed & aliquando, etiam in partu non valde laborioſo, *coxendices diſparari*, tradiderunt. Exciſum uterum attollentes, prægrandem concreti ſanguinis maſsam per vaginæ orificium effundi, conſpeximus. Nympharum vix quidquam apparuit, an quod in partu cedentes, ne proxima cutis laceretur, ſe extendant, brevi poſt tempore ad priſtinam formam rediturae? Sic Fabricius noſter ab Aquapendente (g) priuſquam in Virgine membranam incideret occludentem illud orificium, maximaque impoſiti ſanguinis vi diſtentam, nymphas ferme nullas apparuiſſe, adnotavit, quas mox, illa membrana inciſa, ſublataque tenſione, efformatas, conſpexit. Ex quibus; ſi a partu res ſemper ad eundem modum, ut indicat Dioniſius (h), ſe habet; unum ex nympharum uſibus conjicere cum eo potes. Dum exteriora ſpectabamus, lacunas quas in Primis Adverſariis (i) anno ſuperiore propoſueram, Amicis oſtendi, ſubalbum, quali in ea fœmina, neque ita pauco, abundabant, humorem exprimens. Mox etiam lymphæductus uteri animadverti, & demonſtravi, quemadmodum & lutei corporis in teſte altero ſtructuram. Sed de his, & de Teretibus uteri vinculis quantam, ob vaſa quibus magnam partem compinguntur, ſanguine diſtenta, craſſitudinem haberent, & de utero ipſo quibus ex fibris, ſinibuſque conſtaret, & his, vaſiſque ſanguiferis exterioribus quam amplis, tum de uterini oſculi amplitudine, nec minori cervicis, quam fundi ipſius dilatatione, creberrimis denique in illo oſculo, imaque cervice mucoſis glandulis; de his, inquam, omnibus ſatis in Quartis Adverſariis (k) ſcriptum eſt. Nunc ſi quid ibi non habuit locum, eſt adjiciendum, ut illam, quemadmodum promiſi, jam totam habeas Obſervationem. Teſtis uterque non ſine aliquo in ſuperficie foraminulo conſpectus eſt, per quod tenue ſpecillum intro admittebatur. In illo autem eodem teſte, in quo luteum corpus, ſubrotunda fuit oſſea cellula, in hujuſque cavo cruentus humor. Tubæ longiores quam alias ſolent. Vaginæ parietes extenuati, ipſaque multo quidem latior, ſed nihilo brevior, rugis autem dumtaxat aliquot, urethræ corpori glandoſo reſpondentibus. Uteri oſculum ex rubro nigreſcens, & alicubi laceratum. Nullæ intra cervicem exſtantes chordulæ, neque membranulæ. Supremo uteri fundo placentam ſic adhæſiſſe, ut tubæ utriuſque orificia obtegeret, manifeſtum erat. Eademque etiam tum, ex parte, adhærebat. Sed qua adhæſerat, ibi jam valde contracta erant uteri oſcula; qua adhærebat, ampla quantum in illis Adverſariis dictum eſt, veriſſime, ut cætera: quod ideo hic confirmo, ne quibus in talia necdum incidere datum eſt, *paradoxa* alio forte quam Græci voce hac uti conſueverant, ſenſu videantur. In ſinibus quibuſcum illa oſcula communicabant, nihil erat ſanguinis.

Thorax denique; nam caput non attigimus; pulmones habuit; ſi poſteriora excipias in quæ ſanguis ob ſupinum cadaveris poſitum, ut ſolet, deſcenderat; totos ex albo fœde liventes. Cor ſupra quam dici poſſit, flaccidum, nihil fere ſanguinis in auriculis, dexteroque ventriculo, nihil autem prorſus in ſiniſtro continebat.

45. Multum quidem ſanguinem, ob placentam ex parte ſolutam, per uterum effluxiſſe, non negaverim; copia autem exiiſſe tanta, ut is effluxus mulierem occiderit, dubitari fortaſſe poteſt. Nam neque de ea copia quærentibus nobis ab iis quæ aſtiterant, fœminis affirmatum eſt, & vaſa quædam ut legiſti, ſanguine etiam poſt mortem erant diſtenta; non *fere ſanguine vacua*, ut Cl. Tabarranus (l) in mulieribus invenit, paucis poſt partum horis profluvio ſanguinis extinctis: tum pulſus, & calor non paulatim antea, ſed tunc repente atque omnino defecerunt, cum res puerperæ moleſta ac gravis narrata eſt; nihil enim ejuſmodi eo tempore audire convenit fœminas, minuſque illas quæ, hyſtericis affectionibus obnoxiæ, proclives nervos habent ad convulſiones, quæ ſi viſcera nobilia corripiant, infirmiores facile perdunt, ut mulieri accidiſſe, leges, quæ a prægreſſis laboribus, & ab difficili partu laſſa, mox poſt ipſum, inter loquendum, repente præter omnem opinionem convulſa mortua eſt, cum aliam nullam Cl. Jo. Seb. Albrechtus (m) ſuſpicari cauſam poſſet, niſi moleſtum eo tempore nuncium a puerpera auditum. Neque aliter fœminæ hujus noſtræ mortem accidiſſe, iis omnibus Doctis Medicis viſum eſt qui cum ea quæ relata ſunt, mecum audiviſſent, tum cadaveris diſſectioni interfuerunt. Tu vero priuſquam judices, illud etiam attendito, quantum in tumorem, & hunc flatulentum, mulieris venter increverit. Habes autem vel Sectione hac Sepulchreti XXXVIII. quaſdam Obſervationes quibuſcum noſtram conferas. Primum V. quæ per incuriam ſub numero quoque XIII. repetita eſt, fœminæ, cui mortuæ decima a partu hora totus venter fuit flatibus tumens. Sed quoniam ejus uterus grumis plenus, & multæ vacuationes memorantur, non ſecus ac ab Euſtachio (n) in puerpera illa Romana copioſus ſanguis excretus, in qua renum propria membrana ab incluſis flatibus fuit adeo diſtenta, ut magni tumoris ſpeciem primo intuitu referret; at tu Obſervationes IV. & IX. lege ex iis quæ in Appendice adjiciuntur. Neutra hæmorrhagiam; ſed utraque intra non nimium a morte tempus ventrem flatibus ſupra quam dici poſſit, tumidum factum proponit. Quod ſi mulieres iſtas dum parturirent, non poſtquam pepererant, mortuas dicas, earumque primam jam putridum utero fœtum geſſiſſe; vide, quæſo, ut Hoffmannus (o) tametſi inter prævias cauſas abdominis inflationum nimias ſanguinis profuſiones, etiam in partu,

(*) De nat. pueri n. 43. (g) De Chirurg. Operat. ubi de Hymene imperfor. (h) L'Anatom. de l'homme Demonſtr. 4. Sect. 2.
(i) Tab. 3. (k) Animadv. ſupra ad n. 43 indicatis. (l) Obſerv. Anat. n. 36. (m) Act. N. C. Tom. 4. Obſ. 50.
(n) Tract. de Renib. c. 45. (o) Medic. Rat. Tom. 4. P. 4. c. 13. theſ. pathol. §. 8. & 15.

partu, reponat; mox tamen iiſdem inflationibus ob contrariam cauſam mulieres obnoxias faciat, ut ſi lochiorum fluxus non rite ſucceſſerit, aut cohibitus omnino fuerit. Quæ non attingo, niſi ut memineris, tumoris ejuſmodi ventris cauſas eſſe plures, & inter ſe diſcrepantes.. Ex his tamen quæcunque in fœmina hac noſtra fuerit, ſi hiſtoriam releges, jam fuiſſe, noſces, priuſquam ſanguinis profuſio facta eſſet; mulier enim cœperat antequam pareret, digitis, & abdomine intumeſcere. Illi quoque mulieri de qua ſcripſit Phil. Jac. Hartmannus (*p*), proximis ante partum diebus a flatibus inteſtina tumebant, qui tumor a partu, tametſi nullum ſanguinis profluvium, imo lochiorum eſſet remora, uſque adeo increvit, ut Coli præſertim inteſtini ſuperior, & inferior tractus *filo tres partes ulnæ longo vix* poſſet comprehendi; itaque ima ejus pars ſphacelo correpta, & rupta ventrem fœtidiſſimis ſordibus opplevit, fœminamque ſecundo a partu die ſuſtulit: cujus utero *intus per omnem ſuperficiem placentæ reliquiæ hærebant*, digito facile avellendæ: in cervice autem ipſa *cruor hæſitabat*. Verum ne de iis ſolum quæ præter naturam in deſcripto a nobis cadavere occurrerunt; ſed de aliis etiam, quæ ut totam hic haberes hiſtoriam, omiſſa non ſunt, aliquid ſimul attingamus; utinam ne apud Conſarcinatorem, non paucis inſtituto ſuo neceſſariis libris carentem, ſed apud Antonium Sidobre (*q*) Viri Doctiſſimi legiſſent omnia quæ cum ipſo de lacteis uteri ductibus communicaverat Chyracus; non enim facile cenſuiſſent, *eoſdem* eſſe ac quos ego lymphæductus in puerpera hac vidi. Optaſſem pariter, ut qui hos ab Ruyſchio, aliiſve conſpectos dixerunt, illius locum, & annum quo viderint alii, diſerte indicaſſent, quando ego quo tempore, & quibus oſtendiſſem, non reticueram (*r*). Qui poſt me conſpexerint, ſcio, inter quos animadvertas velim, doctum quoque Stehelinum (*ſ*) in diſtento utero vidiſſe, *fœminæ* videlicet *gravidæ*. Sed qui muliebri utero ex vero, non ex beſtiarum anatome appinxerint, necdum pro certo ſcio; ut non mirer, ſi Illuſtri Viro Heiſtero (*t*) vaſa hæc, hæc, inquam, ut *humano adhuc utero appinguntur*, *ficta eſſe videantur*. Quod autem ad oſſa attinet pubis, & ilium, non puto, ex illis te eſſe, qui rariſſime in partu accidere, contendunt, ut eorum juncturæ ita laxæ uti a nobis conſpectæ ſunt, deprehendantur, & cum id accidit, rachitidi potius, lui venereæ, aut cachexiæ, & huic quidem in majori gradu, imputandum. Sed puerpera certe noſtra, quamvis non bono eſſet faciei colore; neque cachexia, in majori præſertim gradu, neque ullo ex aliis illis morbis afficiebatur: nec mihi affinis Matrona ullo omnino ex iis laboraverat, quæ cum in puerperiis de dolore ad juncturam ipſam oſſium pubis quereretur, & eum propterea a me locum tangi, Maritus voluiſſet; diſtans manifeſto alterum ab altero tunc habebat; extra puerperia non habebat. Et cum prope innumeræ hujus generis extent Obſervationes, quas etſi multi collegerunt, quaſdam, ſi recte memini, omiſerunt tamen, & nominatim Veſlingii (*u*) illam, quando in parturiente *pelvim levi impulſu cedere ac vacillare percipiebat*, *oſſibus tam ſub pube, quam ad latera oſſis ſacri, pollicis minimum ſpatio diductis*: quem digitum Santorino (*x*) quoque facile fuit in recentibus quibuſdam puerperis inter pubis oſſa indere: cum igitur tot extent Obſervationes; præſtatne credere, in cunctis morbos illos fuiſſe accuſandos, præſertim cum qui illas ſcripſerunt, eorum nullam mentionem injiciunt? an cum diductio ſeu major, ſeu minor non modo non rariſſima ſit, ſed frequens, nequaquam præter naturam eſſe? imo in quibus fit, ab hac fieri; fit enim ſenſim, & ſenſim tollitur, & partum, quo ad ejus fieri poteſt, juvat. Noli enim exiſtimare, ad hunc eſſe inutile id quod pelvis anguſtias amplificat; nam quæ proferuntur pelvis dimenſiones, quaſi ad fœtus tranſitum ſine ulla oſſium diductione ſufficerent, ſumptæ videntur in ſceleto, cum mentio fiat nulla tot partium quæ inter nuda illa oſſa, & tranſeuntem infantem ſunt interiectæ, & ne uteri quidem, cujus tunc oſculum ad vaginæ orificium deſcendit: quæ partes ut in multis illas dimenſiones haud ſatis imminuant; at in multis contra imminuere valde poſſunt. Senſim autem ad laxitatem juncturas in his diſponi, ut cum Pinæo in Adverſariis (*y*) indicavimus, cum in gravidis nonnullis admoto ad juncturam oſſium pubis digito percipiendi occaſionem habuimus, tum, hæc recenſentes, confirmatum per diſſectionem vidimus a Cl. Exup. Joſepho Bertinio (*z*) duarum mulierum exemplo, alterius quadrimeſtrem, alterius ſeptimeſtrem fœtum gerentium; cartilago enim inter oſſa pubis & *ſolito craſſior* deprehenſa eſt, & *unctuoſo humore imbuta* in earum utraque, ſed in ſecunda præſertim, in qua etiam *ſine ferro*, ſed levi manus auxilio alterum os ilii ab oſſe ſacro plane *divulſum eſt*. Quam in gravidis inchoatam, in parturientibus auctam, ſicque in puerperis ſæpe animadverſam juncturarum pelvis conſtitutionem ſi graves Auctores attendiſſent; non facile, ut opinor, harum diductionem ponentibus objeciſſent, *a lanionibus vix poſſe illas diffringi*, aut duos robuſtos homines hinc, & hinc trahentes, ne ſumma quidem vi oſsa pubis *diducere valuiſſe*. Nec vero id mirum; neque enim ita erant ut in puerperis, diſpoſita. Sane & eorum ingenium laudo qui multis ſubnixi argumentis, diductiones iſtas ut *impoſſibiles* oppugnarunt. Sed quod toties conſpectum eſt, id fieri non poſse, inutile eſt probare velle rationibus, quas fruſtra nemo diſſolvendas ſuſcipiet, cum ſatis ſuperque ſit eorum omnium qui rem viderunt, & iis qui aderant, oſtenderunt, teſtimoniis certiſſimis ſtatim refellere.

46. Sed puerperas morbi non modo celeres, velut is de quo noviſſime dictum eſt, aut quem apud Cl. Henricum Sandenium (*a*) ex *ſeſquipalmari* parietum uteri craſſitudine, vel potius ex ea quæ non ita rara, imo non infrequens cauſa eſt, nempe uteri ſphacelo in una atque altera deſcriptum videbis a Cl. Jo. Henrico Fuchſio (*b*); non modo, inquam, puerperas morbi celeres, verum etiam lenti extinguunt: nonnunquam longo poſt partum tempore, imo donec vixerint, male habent. Ut lenta febris ex teſtis, tubæque abſceſsu puerperam abſtulerit, aliis a me Litteris (*c*) ſcriptum eſt, oſtenſumque ſimul, quî fiat interdum, ut ab laborioſa uteri geſtatione, partuque difficili eæ particulæ magnum detrimentum capiant. Ut vero ejuſdem geſtationis tempore ab utero, viſceribuſque aliis compreſſum, eoque aliquando inflammatum omentum in oblongum, & ferme ſcirrhoſum tumorem conformetur, qui a partu, ut mihi quoque occurrit, in nonnullis reſtat, eaſque dolore nonnunquam, incommodo autem aliquo ſemper afficit, Ruyſchius (*d*) docuit, & ante ipſum indicavit Bauhinus (*e*) cum ſcripſit, *nonnullis poſt partum circa ventris medium collectum* omentum *remanere*, *ita ut non leves dolores* (quod tamen, ut dixi, non eſt perpetuum) *perferant*. Et hi quidem acerbiſſimi, & pertinaciſſimi poſt partum in illa fuerant, quæ longo tempore iis conflictata, & tandem confecta (*f*), omentum habuit contractum in funis modum. Sed veſicæ, & uteri fundo ſic accreverat, ut cum doloribus ea conjungerentur ſymptomata, ob quæ hyſterica aliis, aliis calculoſa viſa fuerat. Huc adde non dolorifica, ſed permoleſta, alia mala, a minus felici partu relicta, claudicationem, uteri prolapſum, urinæ incontinentiam, de quibus ſermo in aliis Epiſtolis; & in hac ipſa (*g*) ex parte habitus eſt.

(*p*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 102. (*q*) Tract. de Variol. c. 7. (*r*) Adverſ. Anat. IV. Animad. 43. in fine. (*ſ*) Tentam. Med. P. 1. Theſ. 6. (*t*) Comp. Anat. n. 236. (*u*) Epiſt. 25. (*x*) Obſ. Anat. c. 11. §. 4. (*y*) III. Animad. 15. (*z*) Quæſt. de hoc argum. propoſita Præſide Bouvart. n. 5. (*a*) Obſerv. de Prolapſ. Uter. §. 14. in fin. (*b*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 146. (*c*) Epiſt. 46. n. 27. & 28. (*d*) Cent. Obſ. Anat. Chir. 63. (*e*) Theatr. Anat. l. 1. c. 12. (*f*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 7. (*g*) n. 33.

Denique; omnia enim quæ hunc attinerent, enumerare non eſt animus; *hæmorrhoidas in ore matricis*, id eſt ad vaginæ orificium a Celſo (*h*) olim, & ab Auctore libri quem Galeno quondam tribuebant, *de Gyneceis* memoratas, jure meritoque Arantius *cauſam habere fere difficilem partum*, tradidit eo capite (*i*) quod de hæmorrhoidum illarum noxis, cauſis, ſignis, & curatione conſcripſit. Paulus autem Barbettus (*k*) addidit, quibus indiciis ſanguis ex ipſis fluens a menſtruo internoſcatur.

47. Poſtremo partus infelicitas non in matre ſolum, ſed etiam in edita prole ſpectanda eſt, ſive hæc mortua qua de re ſupra dixi, ſive monſtroſa inſuper exeat, ſive demum vivens quidem, ſed aut monſtroſa, aut gravi alio vitio affecta naſcatur. Primum igitur de Monſtris ſeu mortuis, ſeu vivis editis, quædam proferam, minus ad controverſiam quæ de eorum origine a Viris Doctiſſimis hoc ſæculo agitata eſt, quam ad Obſervationes ipſas ſpectantia, ab hac Valſalvæ initium ducens.

48. MONSTRI, ut vulgo videbatur, bufoni ſimilis, mater ſæpius antea filios nunc mares, nunc fœminas promiſcue pepererat, illos omnes undique ſanos, has autem, quæ duæ fuerant, quarum altera tunc annum agebat XIII. altera paucos annos vixerat, ſurdas ambas, & quod conſequitur, mutas. Noviſſime cum ante octo circiter menſes concepiſſet; toto autem hujus geſtationis ſpatio ſemper mœſta jacuiſſet, & præ mœſtitia ſæpius flere conſueviſſet, fœtus autem motum ſi cum aliorum motu quos antea ediderat, conferret, adeo languidum animadvertiſſet ut interdum ferme crederet mortuum; eo quo diximus tempore fœmineum fœtum in lucem emiſit, Secundis quidem præditum naturaliter ſe habentibus, ſed aſpectu monſtroſum adeo, ut bufoni potius, quam puellæ, ſimilis, ſi inferiores excipias artus, infimamque ventris partem videretur. Primum erat parvus, ut longitudine palmum non æquaret, ſed hoc tanto brevior eſſet, quantus eſt tranſverſus digitus pollex. Deinde collum omnino deerat, ut mentum contingeret medium pectoris, imo vix digituli intervallo diſtaret a cartilagine Enſiformi. Tum oculi quidem perfecti erant; ſed auriculæ multo inferius quam ſoleant, collocatæ, ſummos humeros tangebant: os hians: naſus erat ad ſuperiora imperfectus; nam hujus radix, & frons tota deerant. Ad hæc, abdomen quaſi in marſupii cujuſdam modum protuberabat deorſum propendentis, in cujus marſupii medium umbilicalis funiculus, ſecundum naturam conſtitutus, ſe inſerebat. Denique artus ſuperiores ita ſterno annectebantur, ut extendi non poſſent. In poſteriore autem corporis facie Spina in tres quaſi gibbos diſtincta cernebatur, quorum ſummus capiti, medius thoraci, infimus ventri reſpondebat. Hæc exterius. ABDOMINIS autem diſſectione compertum eſt, marſupium in quod extuberabat, laxatis ipſius, non integumentis modo, ſed & muſculis deberi, in eoque, tanquam in ſacco quodam, jecur, lienem, ventriculum, & inteſtina omnia eſſe poſita: quæ alioquin viſcera, ut quæ Thorace continebantur, ad naturæ normam conſtructa erant.

Ubi ad Caput ventum eſt, confuſa rerum occurrit compages. Neque enim oſſa, cranii fornicem efficere ſolita, neque cranii cavum inveniebantur; ſed oſſa dumtaxat abnormi figura, alia parva, alia aliquanto majora, inter ſe intricato muſculorum nexu colligata. Cerebri autem ne veſtigium quidem repertum eſt, niſi quod corpora occurrerunt, cerebri nates, & teſtes perbelle referentia; ſed figura tenus; nam exterius membraneis nexibus undique firmata, interius non cerebri ſubſtantiæ ullo pacto ſimilia erant, ſed corpori potius cuidam, mediæ inter glanduloſum, & ſpongioſum naturæ. Quod etſi neque cerebrum defuiſſet, & puella hæc vivere potuiſſet; tamen non ſecus ac ſorores, neceſſario ſurda fuiſſet propterea quia utrumque foramen per quod a cerebro ad aures nervi mittuntur, firmiſſima occludebatur membrana, ut ne tenui quidem filamento nerveo ullus relinqueretur tranſitus. Nec vero magis licuit Spinalem medullam, aut principium aliquod invenire ex quo nervi initium caperent, quæ cæteroquin per ventrem, thoracem, artus naturaliter ferebantur. Nam vel craſſiſſimos, ut puta Crurales, perſequendo ubi ad Spinam accederes, ſenſim fieri exiliores vidiſſes, & in Spinam quidem infigi; verum in hac tota non modo nullam eſſe medullam Spinalem, ſed nec cavum ullum quo medulla comprehendi poſſet.

49. Etſi Valſalva ſcribere omiſit, mortuus, an vivens hic fœtus editus ſit, nedum quomodo ſe haberent renes, veſica, uterus, nervique per caput diſcurrentes; ea tamen quæ ſcripſit, ſatis ſunt, ut præclare intelligamus, vitium ejuſdem fœtus præcipuum ad illa attinere, de quibus XII. ad te Epiſtola (*l*) actum eſt, cum ab hydrocephalo cranium magna ex parte, totum autem cerebrum ſæpe abſumptum eſſe in iſtiuſmodi fœtibus (ſane pro bufonibus non raro habitis (*m*)) confirmavi, neque exempla (*n*) eorum reticui, in quibus præterea non ſolum medulla Spinalis, ſed quod multo rarius eſt, inveniri tubus non potuit quo hæc conderetur. In eam autem Epiſtolam hanc Valſalvæ Obſervationem idcirco non retuli, quod præter illa, habet alia, ſive mentum, ſive ſpinam, ſive artus ſuperiores, ſive demum abdomen, & pleraque ſpectes hujus viſcera, ut huc potius differendam eſſe, cenſuerim. Quo certe ob non abſimiles cauſas diſtuliſſem, ſi tunc habuiſſem, Baronii quoque Obſervationem quæ paulo inferius (*o*) ſubjicietur, fortaſſe autem & alteram meam, quæ tertia eſt puellarum, quas ipſe diſſecui, cerebro carentium; omnes enim haud ſecus ac iſta Valſalvæ, & illa Baronii, fœtuum fuerunt ſequioris ſexus: quod ad illud addes quod in ea Epiſtola (*p*) obiter animadverti. Sed meam illam Obſervationem tertiam nunc accipe: cui non diſſimilis, præſertim ob Spinam ſimul bifidam, biennio poſt Hafniæ habita eſt (*q*).

50. MONSTRUM; ſic enim vocabant; triduo, an quatriduo ante hic editum, mihi a Chirurgo quodam oſtenſum eſt Februario menſe A. 1746. Quod ut aſpexi, continuo dixi, cerebro carere. Itaque ut dictum ſectione comprobarem, ad me domum attulit, hæc narrans, mulierem, felicem hactenus aliorum liberorum parentem, felicem quoque hanc ultimam uteri geſtationem habuiſſe. Cum vero ad hujus finem jam veniſſe, aut propius abeſſe, exiſtimaret; difficili præter opinionem partu puellam hanc mortuam, & per pedes ab obſtetrice detractam emiſiſſe. Re tamen vera non paulo minorem vidi quam eſſe debuiſſet; neque enim ſeptimeſtris fœtus longitudinem æquabat, & parvam quoque, ut dixi (*r*), illam ſuam Valſalva conſpexerat: quod, ſi caput ab incluſa aqua antea diſtentum amplificatumque concipiamus, non difficile, ſicut alias (*ſ*) ad te ſcripſi, intelligi poteſt. Cæterum optime nutritum, nihil male olens, & necdum abſcedente cuticula, pulchrum hoc fuiſſet corpuſculum, quippe reliquis egregie conformatum pleriſque partibus, niſi deformitates hæ acceſſiſſent, quod nullum apparebat collum, & ſupra oculos vix aliquid erat frontis, ex eoque loco pro communibus corporis tegumentis, una erat membrana rubea, quæ capitis, minime ibi extuberantis, imo in poſteriora declivis, ſuperiora obducens, per medium dorſum ad thoracem ferme infimum pergebat, quanto magis deſcendens, tanto minus lata. Sub qua poſteriore membranæ parte aſſurgebant protuberantiæ duæ oſſeæ, ut videbantur, quæ ſingulæ a ſingulis lateribus capitis profectæ, & quo longius ab ipſo deſcendebant, eo minus elatæ, magiſque inter ſe accedentes, Spinam ſubeſſe bifidam indicabant. Ad ejus membranæ latera non deerant integumenta com-

(*h*) De Medic. l. 6. c. 18. n. 9. (*i*) 56. in l. de Tumor. p. n. (*k*) Anat. Pract. l. 4. ad fin. (*l*) n. 5. & ſeqq.
(*m*) Vid. Haller de Fœtu Hum. ſine cerebro not. 2. (*n*) Epiſt. 12. n. 8. (*o*) n. 52. (*p*) n. 6.
(*q*) Vid. Rob. Steph. Henrici Deſcript. Omenti not. ad §. 11. (*r*) n. 48. (*ſ*) Epiſt. 12. n. 7.

communia, quibus, ut reliquum omne corpus, imum quoque caput utrinque operiebatur, non ſolum auriculis, quæ humeros contingebant, ibi præditum, ſed & capillis; quaſi cute quæ fuiſſet proxima, a ſummo avulſa, & lacerata, quæ remanſerat cutis capillatæ pars, ea ſe deorſum contraxiſſet. Atque hæc exterius conſpiciebantur. ABDOMEN autem incidendo, primum pinguedo multa in conſpectum venit, quæ paſſim multa pariter ubicunque erat cutis, huic ſubjiciebatur, deinde reliquis diductis parietibus, viſcera omnia tum Ventris, tum mox Thoracis optime conſtituta. Ad Caput denique tranſeunti, ſub inciſa rubra illa membrana, quæ erat tenuis, nihil quod pro cerebri, cerebelli, & Oblongatæ medullæ reliquiis accipere fortaſſe poſſem, apparuit, niſi duo quaſi cornicula, quæ craſſa, mollia, & ex rubro fuſca, ſingula in ſingulis anterioribus baſis cranii lateribus prominebant; diſſecta enim præter concretum ſanguinem, mucoſam quandam oſtendebant materiam. Iis corniculis illa oſſis frontis pars ſuberat quæ fornicem orbitæ poſteriorem facit. Nam anterior deerat, deerantque ſincipitis oſſa, & de oſſe occipitis quidquid non eſt ante magnum, quod nullum propterea hic erat, ipſius foramen. Temporum autem oſſa erant quidem, ſed deorſum in latera, retrorſumque protenſa. Ad quorum illa foramina quæ Auditorii ingrediuntur nervi, fruſtra horum, ut aliorum pariter in hac cranii baſi, initia quæſivi. Minuſque idcirco miratus ſum, cum mox oculos, qui ſuis cum palpebris bene erant conformati, inſpectando, Opticos nervos æquo eſſe graciliores, & intra orbitas, ut viſum eſt, deſinentes animadverti. Tum linguam prælongam vidi, nec pro longitudine ſatis latam. Reſpondebat hæc maxillæ Inferiori, cujus ea erat longitudo, ut ultra Superiorem, quamvis hic inter deſcendendum valde in anteriora protenſam, ſe antrorſum extenderet; neque tamen ejus partes dextera, & ſiniſtra quo magis a mento recedebant, eo magis, ut ſolent, inter ſe diſtabant. Itaque longius quidem, ſed multo quam conſuevit, anguſtius erat inter utramque intervallum, quod ſingularis inſuper arctabat utriuſque craſſitudo. Ad menti autem inferiora, nulla intercedente, ut in pueris, linea, ambæ in unum os coaluerant. Jam vero ut dicam de Spina; non huic omnes revera deerant colli vertebræ, ſed tres dumtaxat, cæteræ autem erant inter ſe conſtipatæ, ut quædam nonnullarum partes cum proximarum partibus concretæ eſſent. Quod etiam in duabus, aut tribus ex iis quæ in thorace ſupremæ ſunt, cernebatur, quarum vel ipſa erant Corpora in unum conjuncta. Ab his Spina incipiebat ſimul retrorſum ire, ſimul ſe in latus ſiniſtrum curvare: quæ incurvatio ubi ad lumborum vertebras ferme pervenerat, in contrarium mutabatur, ſicque per Sacrum etiam os pergebat. Sed prima incurvatio multo erat major quam altera; quare hæc cum paululum attolleret os ilium ſiniſtrum, illa ſcapulam dexteram valde attollebat, & ut coſtæ univerſæ aliter in eo, quam in oppoſito latere, proſtarent, efficiebat. Erant autem coſtæ a dextris undecim, a ſiniſtris duodecim, cum thoracis vertebræ eſſent omnino undecim, lumbares ſex. Quod vero adnotatione dignius fuit, bifida reapſe erat Spina. Namque ut ſumma cervicis vertebra, ita omnes deinceps reliquæ, ſi quæ infra penultimam ſunt lumborum excipias, quidquid oſſis Corporibus ipſarum additur, ut pro Spinali includenda medulla tubum efficiant, id omne hinc & hinc reclinatum ad latera, expanſumque habebant; ut duæ illæ exterius fierent protuberantiæ de quibus ſupra dictum eſt. Itaque non ſecus atque in celebri Littrii (*t*) Obſervatione, ut nullus tubus, ſic nulla erat hic Spinalis medulla. Videbis, ſiquando Patavium veneris, univerſum ſceletum, a Mediavia noſtro diligenter apparatum, eaque omnia quæ in oſſibus deſcripſi, præclare oſtendens. Eſſet autem aſpectu multo pulchrius, ſi ut in cæteris quæ plurima habeo, fœtuum ſceletis, ita in hoc quoque oſſa omnia ad albedinem perduci potuiſſent. Quæ etſi dura ſunt, neque ulla ab eo cura prætermiſſa eſt; tamen, quod omittendum non credidi ad Obſervationis hujus complementum, fuſcus quidam, & ſubniger color a certis præſertim oſſibus, & nominatim a pleriſque eorum quæ in artubus longiora ſunt, penitus auferri non potuit. De quibus longioribus artuum oſſibus nec illud ſilendum eſt, minori eſſe craſſitudine quam in fœtibus paris huic altitudinis ſolent, majori autem longitudine.

51. Anno eodem 1746. cum forte Septembrem menſem in Patria traducerem mea, Philippus Baronius, Baronii illius qui de Pleuropneumonia ſcripſit, pronepos, meus olim gratus auditor, tunc autem apud Meldulenſes ſuos qui ipſum ante diem amiſerunt, Medicus exercitatiſſimus, ad me cum Iconibus Obſervationem miſit, illis ab ſe diebus habitam, quæ cum Valſalvæ Obſervationi, paulo ante (*u*) propoſitæ, non una in re conſimilis ſit, hoc loco non omittetur.

52. MONSTROSAM, quincto geſtationis menſe jam exacto, puellam ejecit mulier annum quidem agens trigeſimum ſextum, ſed decolor, gracilis, a laboribus quos ſupra vires pertulerat, praviſque cibis diu, multumque extenuata. Quæ præterquam quod minus firma eſſet valetudine, viro quoque juncta erat non robuſto, atque adeo torpido: ultimiſque ante abortionem hanc menſibus territam ſe in ſomniis facie perſimili iſtius quæ in puella erat, teſtabatur. Scilicet ultra ſupercilia nihil erat frontis, aut capitis: naſus depreſſus, os hians, auriculæ humeros contingentes, dexteraque earum deorſum valde inclinata: nullum collum, nullum mentum, quippe facie infra auriculas, & os continuo in pectus deſinente, ut ſicuti ſuperiore, ita inferiore quoque careret ſua parte. Abdominis muſculi, & communia, ipſis impoſita, corporis integumenta, anteriorem ventris multo maximam partem non conveſtiebant; ſed eam laxa, & in ampliſſimi marſupii modum extenſa membrana operiebat, in quam muſculi, & integumenta illa, paulatim ſenſimque extenuata, demum abire videbantur. Intra hanc membranam, tenuitate pellucidam, jecur, & inteſtina conſpiciebantur, extrorſum propendentia. Pollex digitus in dextera deſiderabatur: quæ manus ita ſurſum retorta erat, ut inter ſe, & brachium comprehenderet angulum ferme normalem. Hæc a fronte. A tergo autem videre erat dorſi regionem capillis inſtructam: ad ejuſque regionis ſummum medio inter ſcapulas loco amplam profundamque rimam, alterius oris inſtar hiantem, quam vertebræ, ibi dehiſcentes, faciebant. Nec multo ſupra eam rimam, ab occipite lata oriebatur baſi planus quidam quaſi muſculus, qui, ut erat cætera ſolutus, ſi antrorſum verſus extenderetur, oculos, naſumque ex parte obtegebat; ſin ad poſteriora reclinaretur, ad lumbos uſque operiebat dorſum. Erat autem is adulti hominis linguæ ſimillimus figura, & magnitudine. Ex quo puellæ hujus parvitatem facile poteris intelligere. Tametſi in hac deſcriptione nonnulla deſunt, eaque præſertim quæ per diſſectionem, ſi licuiſſet, inquiri debebant; tamen ex frontis, & reliqui, ut ex Iconibus adjunctis colligo, cranii fornicis defectu, itemque ex foramine, ſeu mavis rima qua ſupremæ hiabant vertebræ, ſatis intelligere mihi videor, non minus in hoc, quam in Forolivienſi fœtu (*x*), quocum hunc conferes, cerebrum defuiſſe. Cæterum & mihi A. 1735. fœtum Patavii inſpicere licuit, ſecare non licuit, cujus huc, accurate a me tunc collectam, hiſtoriam addam cum ob alia ad matrem ipſumque attinentia, tum quia in eo certe quod ad abdomen attinet, & ſine diſſectione conſpici potuit, ad propoſitas Valſalvæ, & Baronii Obſervationes proxime accedit.

53. MONSTROSUM infantem Matrona peperit nata annos unum & quadraginta, ſic ſatis ſana, plurimorum certe liberorum parens, quos feliciter geſtatos, optimeque omnes conformatos ediderat. Huic noviſſimo Octobri menſe, & deinceps cæteris ad diem uſque XI. Kal. Julii nec menſtruus ſanguis prove-

(*t*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1701. (*u*) n. 48. (*x*) Vid. Epiſt. Anat. 20. n. 56. & ſeq.

venerat, & venter deinde ſuo tempore, mammæque intumuerant, & cum bono faciei colore ſatis bona valetudo fuerat. Nec tamen ſe gravidam eſſe putabat propterea quod plura deerant cæterarum geſtationum indicia, tantus in primis ventris tumor, quantus alias ſolebat, & infantis motus, qui alias maximus, & aſſiduus, nunc autem nullus. Huc illud acceſſerat ultimis menſibus, ut in hypogaſtrio tumor durus, & circumſcriptus, oblongæ inſtar diſtentæ veſicæ, plerumque perciperetur, qui mox repente evaneſcere videbatur. Cum hæc ita eſſent, cumque ultima ante prænotatum diem hebdomada inſolita urinæ ſæpius reddendæ neceſſitas, & ſenſus ponderis naturalia verſus acceſſiſſent, mox autem mammæ triduo ante nonnihil detumuiſſent, & pridie denique fuſci craſſique humoris, ſubcruenti autem matutino inſequentis diei tempore perpaucæ guttæ e naturalibus defluxiſſent; obortis a prandio parturientium doloribus, perfacile, & nulla adjuvante obſtetrice integram adhuc membranam amnion; nam chorion ſurſum erat revolutum; cum annexa placenta edidit. Quæ longis ſæpius partus doloribus, & difficili, tardaque placentæ ejectione conflictari alias conſueviſſet, novam hanc tantam facilitatem eo magis mirabatur, quod cum & menſtruorum, & partus tempore plurimum effundere ſanguinem ſolita eſſet, nunc paucus, ut proximis pariter, ſi unum excipias, diebus exiret. Atque ut de matre nunc omnia abſolvam; ſurrexit ad ſolita domeſtica munia, non trigeſimo, ut poſt alios partus, ſed tertio, an quarto poſt die, & mox etiam domo egreſſa eſt, neque ea res non robuſtæ alioquin mulieri noxæ fuit; imo, ſi unquam alias, bene ſe habuit, poſteaque rurſus uterum geſſit, & vivam, egregieque conformatam prolem edidit. Sed contra ut deformis eſſet quam tunc ejecerat, ſcribamus. Secundæ, quantum judicare potui, ab naturæ norma non diſcrepabant, niſi quod placenta pro eo quod mihi deſignatum fuit, integri amnii volumine, aliquanto minor viſa eſt; diametro enim erat tranſverſorum digitorum trium cum dimidio. In amnio cum ſubflava, & turbida aqua, nec tamen fœtida, mortuus infans non minus longus mihi quidem eſt viſus quam eſſe ut plurimum ſolent qui inter quinctum, & ſextum menſem ejiciuntur. Facies ei prælonga, in qua carnoſus, ut videbatur, globulus ex imæ frontis medio prominebat. Sub eo oculi, inter ſe contingentes; nullus enim erat naſus; non palpebris, ſed pellucente membrana, per quam tranſpiciebantur, obducti. Os ſuo loco, quod hians denticulos Inciſores oſtendebat. Apertum erat in medio abdomen, ex eoque inteſtina effuſa. Aperta quoque ad lumbos communia corporis tegumenta, ſed hiatu ultra illa non deſcendente. Artus etiam omnes peſſime habebant, Superiores quidem a cubito deorſum; quam breviſſima enim erant brachia, & contorta, hiſque manus pariter contortæ addebantur. Inferiores autem in diſtortos deſinebant pedes; crus vero ſiniſtrum ab arcte advoluto umbilicali funiculo aut fractum erat, aut magis quam cætera, diſtortum.

54. Quid? ſi mater horribilis cujuſdam ſupplicii ſpectaculo interfuiſſet, aut quidpiam tale pictum vidiſſet, aut ſaltem, ut ea de qua paulo ſupra (*y*) dictum eſt, ſomniaſſet. Illa vero ſe quidquam ejuſmodi aſpexiſſe, aut vigilantem, dormientemve cogitaſſe pernegabat, aut vim ullam ſive cadendo, ſive conſtringendo, comprimendove, ſeu denique vehementius concutiendo; nam hujus quoque cauſæ in violentiſſima convulſiva tuſſi exemplum (*z*) habemus; gravido ventri attuliſſe: hoc tantum, ſe tota ea geſtatione ægro triſtique animo fuiſſe, fatebatur; ut ſi geſtationes horum quatuor monſtroſorum fœtuum, & Forolivienſis quoque illius (*a*), inter ſe conferamus, mirum ſit, ejus quem ſecundo loco (*b*) deſcripſimus, felicem adeo geſtationem fuiſſe. Cæterum quæ modo quaſi adverſus vires maternæ imaginationis dicebam, ſic accipias velim, ut ſi ab homine ſint cui minime placeat quidquid monſtroſi in prole occurrat, continuo a viribus illis repetere. Extant enim plures vitiorum ejuſmodi, & ejus nominatim de quo loquimur, enumerationes non modo apud Conſarcinatores, verum etiam apud Illuſtres Viros, qui exemplum illorum vitiorum, aut ejus generis aliquod ab ſe, aut ab aliis viſum primi ediderunt (*c*). Tu vero ſi pleroſque eorum inſpicias ex quibus exempla producuntur, videbis, quam facile a prægnantium imaginatione illa repetantur, & tunc etiam cum a violentia quapiam externa deduci ſatis poſſent, partes ſuæ imaginationi quoque aſſignentur. Quæ tametſi probare non poſſum; eſt tamen viciſſim ubi durius mihi videatur a communi iſta Summis etiam Viris ſententia prorſus diſcedere. Quæ Boerhaavius (*d*), quæ Swietenius (*e*), quæ alii graves, ſpectatæque fidei Auctores ab ſe conſpecta de hoc genere fuiſſe, ajunt, nemo pro veris non accipiet. Singula ab interno vitio aliquo poſſe alias fieri ſi quis contendat; non pertinaciter negabo. Sed tunc indidem facta eſſe, non potero facile fateri. Incidit in naſi globulum prægnantis fœminæ mori bacca; & infans prodit, in cujus naſi globulo mori exſtat bacca, magnitudine, colore, ſubrotundis acinis, ſcabritie, minimiſque pilis *perfecte expreſſa*. In alterius gravidæ cervicem ex arbore decidit eruca, quæ ægre inde amoveri potuit; & puella naſcitur in cujus cervicis cute prominet erucæ effigies variis coloribus, erectis pilis, verbo, ſic veræ erucæ ſimilis, ut ne *ovum* quidem *ovo ſimilius eſſe poſſit*. Alia mendicum labiis leporinis deformem aſpicit non ſine horrore; & filium edit, labia fiſſuris deformata, viſis in mendico *etiam ad dimenſionem uſque ſimillimis gerentem* (*f*). Audit alia (*g*) de puellula cujus dextera præter pollicem digitis omnibus carebat, quorum locum tenebant ungues, ipſi metacarpo præfixi; hæc *diu multumque* ſecum cogitat; & fœtum ejicit cujus dextera ad eundem modum ſe habet. Nec illa (*h*) ſilenda eſt quæ puellum peperit ſine cranio, cerebri locum rubra quadam maſſa occupante, cum, poſteaquam binos liberos ex undis quibus ſubmerſi interjerant, ſine cranio, & cerebro extractos fuiſſe, intellexerat, *fixa & pertinaci* iſta *imaginatione*, *& præteriti mali perpetua ruminatione* ſe ipſam cruciaverat: neque illa (*i*) quæ cum puellam enixa eſſet, hydrorachitide in lumbis affectam, *eademque idea ſæpiſſime repetita*, *& reſuſcitata ejus imagiuationi continuo obverſaretur*; proximo partu alteram puellam in lucem edidit *illa eadem prorſus deformitate eodem in loco, quo prior, defiguratam*. Denique; ut aliis quæ produci poſſent, & quorum nonnulla ipſi qui ſpectavimus, probe novimus, prætermiſſis, Obſervationem memoremus ad tres quas poſtremas tibi deſcripſimus, ex parte aliqua attinentem; mulier (*k*) fuit quæ fœtum edidit pedibus & manibus ſurſum incurvatis, & binis præſertim tumoribus deformem, altero ad os Sacrum, altero ſub umbilico, qua per abdominis hiatum inteſtina, & alia viſcera egreſſa, peritonæum, quo uno continebantur, valde extollebant. Cujuſmodi partum cum prudenter obſtetrix neque oſtendere, neque deſcribere puerperæ voluiſſet; ultro deſcribebat hæc ipſa, narrans, ſe medio geſtationis tempore infantem ſomniaſſe qui in ventrem ſibi violenter irrueret, eumque artubus ita incurvis, & binis tumoribus, anteriore, & poſteriore ſic deformatum, quomodo reapſe excluſerat: adeo ab illo ſomnio perterrita, poſtquam fuerat expergefacta, triſtem ejuſmodi ideam retinuerat. Tu igitur, inquis, ſi maternæ imaginationi hæc adſcribi poſſe, non negas; rationem, modumque ediſſere quo illa efficere hæc queat.

(*y*) n. 52. (*z*) Commerc. Litter. A. 1735. Hebd. 9. n. 2. (*a*) Vid. n. 52. ad finem. (*b*) n. 50.

(*c*) Vid. Sachs Eph. N. C. Dec. 1. A. 1. Schol. ad Obſ. 135. Schroeck. Dec. ead. A. 6. & 7. Obſ. 232: Goth. Ben. Preuſſ. in Append. ad earund. Cent. 7. & 8. Ritter. Act. N. C. Tom. 8. Obſ. 88: Stalpart. Cent. 2. P. 1. Schol. ad Obſ. 36: alioſque; ſed præ cæteris Haller not. c c. & ſeqq. ad Prælect. Boerh. §. 694. & Opuſc. Anat. VI. §. 16. not III. & ſeqq. & Opuſc. IX. not. 2. & ſeqq. ad §. 3.

(*d*) Prælect. ad Inſtit. §. 694. (*e*) Comment. in Boerh. Aphor. §. 1075. ad 2. (*f*) Vid. Act. N. C. Tom. 6. Obſ. 10.

(*g*) Commerc. Litter. A. 1632. Hebd. 20. (*h*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 106.

(*i*) Salzmann. Diſſert. de quibuſd. tumor. tunic. ext. §. 3. (*k*) Schol. ad Preuſſ. Obſ. cit.

queat. Sed nimis multa eſſent in phyſicis quæ a me negari deberent, ſi propterea neganda eſſent, quia modum quo fiunt, non aſſequor. Certe autem nec tu, ſi verum, ut ſoles, fateri velis, ſatis illud aſſequeris, quî factum ſit, ut poſt certas iſtas imaginationes morbus præſto fuerit qui fœtum haud aliter deformaverit ac ferebat imaginatio, ita uti bacca illa mori, eruca illa, labrorum illæ fiſſuræ, digitorum illa mutilatio, & unguium inſolita collocatio, cranii & cerebri defectus ille, Spinæ illud vitium, incurvatio illa, iique tumores non modo perfecte ſua figura, cæteriſque conditionibus imaginationi reſponderint, verum etiam in ipſo naſi globulo, in cervice, in dextera, in labris, in capite, in lumbis, in artubus, in poſteriore, & anteriore corporis facie ſic extiterint, ut prægreſſa requirebat imaginatio. Caſu hæc facta fortaſſe dices. Me vero facile tibi aſſentientem habebis ubi certa imaginatio non præceſſerit, neque huic exacte adeo & forma, & conditionibus cæteris, & loco res ipſa reſponderit. Sed ubi & illa præceſſerit, & res illi ſic, uti diximus, reſpondeat; ne tu quidem, ſi omnia diligenter perpenderis, in caſus accuſatione omnino poteris acquieſcere, præſertim ſi exemplum non unum, ſed complura, ut ſunt, ſpectaveris; neque enim caſum facile credes in iis omnibus, tam, ut ita dicam, ingenioſum, exactumque imitatorem eſſe potuiſſe. Quid ergo eſt? Quod ad me attinet, in multis, & ſi velis, in quamplurimis caſum accuſavero; at in quibuſdam aliud aliquod potius quod me fatear non intelligere.

Nunc ut ad fœtum redeam quem noviſſime deſcripſi; mortem illi attulit aut impedita per funiculum ipſum umbilicalem, quippe cruri arctius adſtrictum, ſanguinis circumitio, aut aliqua, exteriorum ſimilis, peſſima interiorum conformatio, quæ & creſcendi, & agitandi ſe facultatem facile abſtulit. Inteſtinorum autem effuſio, cujus culpa nonnunquam in rudes, violentaſque obſtetricum, infantes educentium, contrectationes, preſſioneſque conjecta eſt, hic certe ubi nihil harum eſſe potuerat, ipſi fœtus abdomini tribuenda erat aut nunquam, aut non ſatis occluſo. A primordiis enim, ut Harveus (*l*) in perfectorum quoque, ut vocant, animalium embryonibus, & nos certe in caninis vidimus, apertum eſt. Poſtea autem niſi peritonæum, muſculi, & integumenta communia prorſus, & firmiter occludant; profecto aut apertum maneat, quemadmodum plures, & in his olim, nec ſemel, Boſcus (*m*) (quem non memini in hujuſmodi Obſervationum collectionibus vidiſſe laudatum) offenderunt; aut in marſupium a Valſalva (*n*) quoque, & Baronio (*o*) conſpectum, laxetur, & ſi tenuiſſimum ſit, facile diſrumpatur ab ipſo viſcerum pondere, neceſſe eſt. Cum enim a peritonæo dumtaxat efficitur, adeo tenue eſt, ut vel periſtalticum inteſtinorum motum tranſpici ſinat, uti Ruyſchius (*p*) tradidit, qui tres ad ejuſmodi vitia attinentes habet Obſervationes (*q*). Quas ſi attente legas, & inter ſe, & cum iis conferas, quæ, Bidloo reſpondens (*r*), poſtea ſcripſit, ubi eas Obſervationes *raras* eſſe, contendit; fortaſſe optabis, ne prius ſine quadam repugnantiæ ſpecie *multoties*, & *ſæpius* hunc affectum a ſe viſum dixiſſet. Verum ne quaſcunque ſupra ipſe produxi monſtroſorum fœtuum Obſervationes, eas omnes ad partium defectum attinere, dicas; nonnullas addam quæ vel cum partium defectu, vel ſine ullius defectu auctum numerum quarundam exhibent. Quam miſit ad me olim Conſultiſſimus, cum viveret, Medicus Sebaſtianus Trombellius, præter id de quo modo dicebamus, abdominis vitium, magnam infantis alterius partem alteri tum exterius adnatam, tum interius admiſtam deſcribens, huc libentiſſime afferrem, niſi Valliſnerio noſtro dediſſem, a quo in calce elaborati de Generatione Voluminis (*ſ*) edita eſt. Proferam alteram qua utrumque aliqua ex parte vitium Mediavia meus animadvertit.

55. INFANS Patavii natus eſt ſub initium Julii A. 1736. ex ea parente quæ ſanos alios, vitaleſque & antea ediderat, & poſt edidit. Huic infanti unum, ſi aſpiceres, erat vitium, tumor, pugnum æquans, in ea abdominis regione quæ a dextris umbilici, & paululo ſupra ipſum eſt. Nudus erat tumor a cute, quæ circumcirca in limbum elevata prominulum deſinebat; Boſcus (*t*) qui hæc ab ulcere fieri in animum induxerat, cicatricem vocaſſet, quemadmodum vocare tu quoque poteris ubi abdominis hiatum a violentia aliqua factum ponas, & partes in quibus hiatus factus eſt, hinc & hinc in ſe retractas, nec ferme aliter ac Cl. Preuſſius (*u*), rem explicare. Inæqualis erat tumor, & tangenti cedens; ut ab inteſtinis factus videretur. Infans primum neque ex alvo quidquam reddebat, neque mammam ſugebat. Mox cœpit utrumque facere. Sed viridia dejiciebat, unde lintea inficiebantur maculis quæ vix ac ne vix quidem elui poſſent. Tumor vero qui jam antea erat ſublividus, fieri interea lividior, & denique gangræna corripi incepit. Abſcedente, cum tumoris ſuperficie, huic ſubjecta Rectorum muſculorum parte, infans vivere deſiit quinto & trigeſimo ab ortu die.

VENTRIS diſſectio oſtendit duplex huic infanti fuiſſe jecur, alterum in ſede conſueta, parvum potius, quamvis in prælongos lobos diviſum; alterum majus, ſed informe, quod per craſſam interjectam membranam cum illo conjunctum, trunco venæ portarum annexum, in Cavam autem ſuas venas infra illud alterum jecur immittens, eo ſe extendebat, ut adhærens ſibi peritonæum, adjectoſque huic tendines extrorſum urgeret, tumoremque efficeret de quo dictum eſt. Qui tangenti ideo cedebat, quod cederent inteſtina quibus hoc jecur erat ex parte impoſitum. Sed cum duplex eſſet jecur, bilis veſicula nuſquam apparuit. Cæterum Tenuia inteſtina erant ſecundum naturam conſtituta, Colon arctiſſimum.

56. Credemuſne, ut duo nonnunquam uno in corpore lienes inveniuntur; imo haud ita raro; ter enim id ipſi vidimus (*x*); ita huic uni infanti duo jecinora fuiſſe data? an jecur majus, & extrorſum prominens, ad fœtum alterum ſpectaſſe, cujus cæteræ partes in utero periiſſent? ſic enim in bicorporeo illo fœtu quem Zambeccarius ſecuerat, Valliſnerius autem (*y*) protulit, amborum corporum jecinora inter ſe juncta per interpoſitam craſſam quaſi membranam videntur (*z*). Sed caſune factum putabimus, ut jecinoris non ſui venæ in eoſdem pervenire poſſent truncos ad quos ex proprio hujus infantis jecinore venæ pertinebant? Nimirum hæc difficultas quæ in bicorporei illius fœtus pleriſque viſceribus multo major eſt, ad eas attinet quæ recenti de origine Monſtrorum controverſiæ cauſam præbuerunt. Neque in vitula deerant quam A. 1745. ineunte Martio perhumaniter ad me miſit Vir Ornatiſſimus Jo. Dominicus Lavarinius J. C. Veronenſis. In qua multo plura, & quæ ad te ſcriberentur digniora fortaſſe animadvertiſſem, niſi poſtquam mortua edita eſt, atque ut diutius duraret, ventre aperto, & viſceribus pleriſque ex ipſo detractis, tum diaphragmate ſciſſo, & pericardio recluſo, dum e montibus Veronam primum, inde autem Patavium tranſlata eſt, ipſo temporis intervallo minus diſſectioni, accurate que obſervationi idonea facta eſſet. Pauca tamen, quæ adnotare potui, huc adſcribam.

57. BICEPS vitula, cujus neque capita, neque colla, ſi inter ſe conferres, nec corpus reliquum, ſi cum aliis vitulis partui maturis comparares, diſcriminis fere quidquam, exterius quidem ſpectata, oſtendebant, Thorace aperto, perluſtratoque, hæc exhibuit.

SPINÆ, ut ex duabus cervicibus profectæ, ſic in thorace duæ eſſe pergebant, intervallo aliquo disjun-

(*l*) De Generat. Animal. Exerc. 69. (*m*) De Facult. Anat. Lect. 1. in fine. (*n*) ſupra, n. 48. (*o*) n. 52.
(*p*) Cent. Obſ. Anat. Chir. 73. (*q*) Ibid. Obſ. 71. & 72. (*r*) Reſponſ. ad Bidl. Vindic.
(*ſ*) P. 3. c. 5. & Tab. 3. 4. & 5. (*t*) Lect. 1. paulo ante cit. (*u*) in Append. ſupra ad n. 54. cit.
(*x*) Epiſt. 37. n. 30; Epiſt. 38. n. 34; & Epiſt. 64. n. 2. (*y*) c. 5. ad n. 54. cit. & Tab. 7. & ſeqq.
(*z*) Tab. 10. Fig. 3. & 4.

disjunctæ, quod quanto illæ deſcendebant magis, tanto ipſum magis decreſcebat, ut denique infra thoracem non amplius duæ eſſent Spinæ, ſed una. Eodemque ordine breviora fiebant tranſverſa oſſa, quæ coſtis craſſitudine, latitudine, & ſede reſpondentia, in illo Spinarum intervallo ſingula erant collocata. Secundum id intervallum ferebatur Magnæ arteriæ truncus Deſcendens, valde amplus, ut qui ex duobus, in unum confluentibus, efficeretur, neque binas tantum, ſed ternas ex ordine, ternaſque emittens Intercoſtales arterias quo ad intervallum illud durabat, ut pote cui una earum inſerviret. Singula thoracis latera bini, de quibus ad te alias (*a*) ſcripſi, tenebant magni pulmonum lobi; nam & in bina bronchia ſingulæ dividebantur arteriæ Aſperæ, a ſuo quæque collo deſcendentes. Thymi quoque erant duo, etſi a primo in unum juncti videbantur. Pericardium unum duo continebat, penitus ſejuncta, corda. Hæc erant inter ſe æqualia, eademque intus, extraque ſtructura. Sed in his tamen diſcrepabant, primum quod cum alterum alterius lateri proximum eſſet, ſiniſtri facies quæ dexterum contingebat, erat, nec leviter, ſic excavata, ut naturalem dexteri convexitatem, cui prorſus reſpondebat, exciperet; deinde quod non eandem utrumque faciem ſterno obvertebat, ſed dextrum quidem eam quam debebat, ſiniſtrum autem quam ſterno obvertere debuiſſet, eam dextero obvertebat cordi, eaque facies illa erat, quæ, ut dixi, excavata fuerat. Quam excavationem ne ſuſpiceris poſt mortem a dextero corde, quod forte ſiniſtro diutius incubuiſſet, induci potuiſſe; nec levem illam, ut dictum eſt, fuiſſe memineris, & eam parietum utriuſque cordis in vitula hac, perfecte in utero jam aucta, & probe nutrita, firmitudinem, craſſitudinemque fuiſſe, ſcias, ut inde iſtam non liceat excavationem repetere. Quod ſi ut corda, ſic reliquæ etiam partes ſatis firmæ tum fuiſſent, nec gravis odor non ſecanti modo, ſed & illis qui prope me aderant, magis, magiſque moleſtus fieret; alia præterea, atque alia perlibenter inquirere, & diligenter examinare perrexiſſem. Eorum tamen quæ in ventre ſupererant, viſcerum nullum vidi quod præter conſuetudinem eſſet duplicatum.

58. Quoniam partus infelicitas quæ in prole ſpectatur, non ſolum tunc eſt cum monſtroſa hæc naſcitur, verum etiam, ut ſupra (*b*) poſuimus, cum eſt gravi alio aliquo vitio affecta; de hac quoque infelicitate pauca quidem ob provectam jam longius Epiſtolam, attingemus, non quod multo plura rei dignitas, atque adeo neceſſitas non poſtularet. Pauca enim infantum vitia ſunt quæ reipſa cadant ſub ſenſus, ſi cum maximo numero conferas internorum; hæc autem quæ humani generis magnam partem vix editam abſumunt, tanto facilius, quanto minus tunc vaſa, & viſcera omnia ob teneritudinem ac mollitiem idonea ſunt, ut ſe adverſus præternaturales diſtentiones, attritioneſve tueantur, nedum ut vitium alicujus alterius viſceris, aut vaſis corrigant, unde illæ, aut aliæ in ſe injuriæ proficiſcuntur. Huc illud graviſſimum accedit incommodum, quod Medici, non ut ab adultis, ita ab infantibus narrationes poſſunt, aut reſponſiones accipere, ex quibus intelligant, qua parte corporis, & qua moleſtia afficiantur, & quod conſequitur, quo auxilii genere utendum ſit ad hanc, ejuſque cauſam, niſi tolli queat, mulcendam ſaltem, ac minuendam. Quapropter inter illos excellens in primis Ballonius, infantes, & teneros pueros miſeratus, non uno loco (*c*) admonuit, ut quoniam tunc nobis, *tanquam cum mutis ægris* (qui tamen, adulti, nutu, & geſtibus plura ſignificant) agendum eſt; tanto in illis diligentius, quæcunque poſſumus, morborum indicia adnotemus, & conjecturis perſequamur: exemplìſque docuit ſuis tum in pleuritide, tum in lapide renum non ſolum quæ in viventibus pueris ſigna animadvertiſſet, verum etiam quæ in denatorum corpuſculis per anatomen deprehendiſſet. Quem nos ſecuti, eandem olim viam in Medicarum Inſtitutionum Idea commendavimus, ut quibus natura ſuos poſſe indicare morbos negavit, illos Ars, quaſi opportuna, & amica interpres ne deficiat. Quod ſi hæc vel in iis infantium morbis neceſſaria ſunt, qui cum ſint illis, adultiſque communes, ſigna Medicis habent notiora; quanto erunt magis in morbis illis qui infantium ſunt peculiares!

59. Morbos infantium peculiares appello qui a turbato ſunt peculiari in ipſis naturæ inſtituto, ut puta circumitionis ſanguinis ab ea quæ in fœtu requirebatur, in eam quæ in nato requiritur, mutatione. In illo, ut noſti, a placenta per Umbilicalem venam ſanguis in venam portarum inferebatur, ex eaque pars ſanguinis per Canaliculum Venoſum in venam Cavam, ex hac autem pars per Foramen quod Ovale vocitant, in ſinum venæ Pulmonaris, pars in dexterum cordis ventriculum, ex hoc autem per arteriam Pulmonarem pars in pulmones, pars denique per Tubulum Arterioſum in Magnam arteriam, ex cujus Iliacis ramis non parva ſanguinis portio per arterias Umbilicales in placentam referebatur. Hæ nunc in jam nato cum vena ejuſdem nominis obligantur, amputanturque, ut jam nihil ſanguinis inferri poſſit, nihil referri. Canaliculus autem Venoſus, & Arterioſus Tubulus ſenſim deinde occluduntur, ſicut Foramen denique Ovale, quod, niſi occludatur, ſolet imminui. Igitur fit ut ſanguis ex vena portarum in Cavam non niſi per hepaticas tranſeat hujus radices, & quemadmodum is qui per Cavam ad cor vehitur, in Pulmonarem arteriam contruditur, ſic nihil ex hac pervenire in Magnam arteriam poſſit quod per venam Pulmonarem non ſit convectum in ſiniſtrum cordis ventriculum. Adde huc cætera eo tempore peculiaria, & pro cunctis iis mutationibus neceſſaria naturæ inſtituta, ut lac e mammis ſugendum ſit, deglutiendum, & ſtomacho conficiendum, ut diaphragma alterne contrahendum, atque laxandum, pulmones explicandi, aer ducendus, remittenduſque, alia hujuſmodi. Deinde ſic cogita, ſiqua forte corporis pars ſit his novis, neceſſariiſque muneribus minus apta, aut magis reſiſtens, aut faciens ut multo citius, tardiuſve quam par ſit, eæ occludantur viæ quas occludendas eſſe, diximus; cogita, inquam, quid ſequi debeat; & facile intelliges, quam varii, multique eſſe poſſint morbi recens natorium peculiares.

60. Illuſtrare hæc juvat exemplo morbi qui ſub ſenſus cadat. Nonnunquam naſcuntur infantes ſine palato, aut naſcuntur palato fiſſo. Sive tunc ſuctio, ſive deglutitio, ſive utraque impediatur, aut multo difficilior fiat; apparet, ſic factum os ineptum, aut minus aptum eſſe ad lactendum. Sed quoniam morbus & manifeſtus eſt, & externus, Ars modum excogitat ſervandi infantes ſive ad plures dies, ſive, ubi vitium minus ſit, ad longam ætatem. Legeris tradita a Cl. Viris Maloetio, & Petito (*d*): quorum ille natum ſine palato refert vixiſſe dies quindecim, lac ex cochleari in os demittendo; hic vero ſervatos quoſdam, fiſſo palato in lucem editos capra ſemipleni uberis papillam præbente, cujus craſſitudine, longitudine, mollitie ſimul fiſſura palati, ſimul narium cavea ſic occludebantur, ut ſubinde eſſet, ne reſpirationem impediret, illa retrahenda. Hoc autem in iis eſſe factum, qui aſſueſcere, ut plures alii quos vidit, non potuiſſent illis in ſugendo, deglutiendoque incommodis motibus qui, cum fiſſum palatum eſt, requiruntur. Qua aſſuefaciendi ſpe, aut ſaltem diutius ſervandi infantis cauſa, qui Patavii ſic natus erat, memini me interim nutrientes ex lacte clyſteres proponendos curaſſe. Sed manifeſtus non ſolum, ut dixi, tunc morbus eſt, verum cauſa ejus quoque.

Eſt autem alius manifeſtus quidem morbus; ſed cauſa incerta, ut puta cum recens nati ictero afficiuntur graviori; nam levi quodam fere omnes paulo poſt ortum tentantur. Cujus levis icteri ſi certa cauſa eſſet; eſſet, ut opinor, aut ſaltem conjici plerumque poſſet illius etiam gravioris. At leviorem audivi qui repeterent a materno lacte quod ſtatim

---

(*a*) Epiſt. 19. n. 48. (*b*) n. 47. (*c*) Vid. l. 1. Conſil. 76. in fine, & Epid. l. 2. Conſtit. Autumn. A. 1557. ad 8. & in Annot. & Conſtit. Æſt. A. 1558. ante med. (*d*) Hiſt. & Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1735.

tim a partu ſubflavum ſit. Vidi tunc equidem & ego hoc aliquando ſubflavum. Sed ut ſemper eſſet; quomodo interdum vidiſſem valde flaventes eos quoque infantes qui nec matris, nec recentis alterius puerperæ lac ſuxiſſent? aut quomodo Sylvius (e) obſervaſſet, *multos naſci cum Ictero*, nedum *mox poſt partum ipſis erumpere Icterum*? Sunt & Docti Viri qui omnes recens natos ictericos fieri, arbitrantur, quod ex primo lacte in ventriculo aceſcente coagulum fiat, a quo mox Duodenum inteſtinum diſtendatur, biliſque, obturata in hoc via, in hepar, & ſanguinem regurgitet, quæ res hinc dignoſcantur, quod rhabarbari, aut ſaponis pauxillo is paulatim ſolvatur icterus. At multis illis, cum hoc natis, lac certe in ventriculo acidum factum non fuerat, & de quindecim filiis meis, cum mox a partu flavi omnes, & nonnulli etiam haud ita leviter, eſſent facti, cunctis per ſe, nullo prorſus Artis auxilio, paulatim icterus ſolutus eſt. His autem omnibus lac, quod nonnulli a matre, alii ab aliis nutricibus ſuxerant, acidum eſſe factum, imo cæteris paſſim infantibus, diverſo adeo tum lacte utentibus, tum ventriculo præditis, aceſcere, vix eſt credibile. Crederet fortaſſe aliquis, novum hoc alimentum plus oleoſarum particularum in ſanguinem invehere, quam ut jecur par eſſe poſſit ſecernendis; niſi tunc, dicerent, albida eſſe alvi recrementa, indicio non obſcuro, bilem in Duodenum inteſtinum minime influere. Quid ergo eſt? Si effectus, omnibus communis, communis quoque cauſa eſſe debet; a veri ſimilitudine non alienum eſt, reſpici oportere venam Umbilicalem, quæ ſive ut inciſa, filoque conſtricta inferat in continuatam portarum venam contractionem quandam, ſive ut orbata ſanguine, a placenta reduce, non juvet hoc utili additamento reliquum per ſe convectum, a novo alimenti genere fortaſſe craſſiorem, utrolibet, aut utroque modo retardet bilis in hepate ſecretionem, donec viſcus hoc, ceſſante illa contractione, paulatim aſſueſcat, aptumque iterum fiat ad bilem ſeparandam. Veruntamen hæc, ut vides, intra conjecturam ſunt.

61. At ſunt alia quæ per infantum diſſectiones licet confirmare. Legiſſe memini inter ea quæ Cowperus in Appendice ad Anatomen humani corporis adnotavit, quibus vias illas quas ſupra (f) commemoravi, Tubuli Arterioſi, & Ovalis præſertim Foraminis, æquo citius occluſas invenit, eos multis ſæpe morbis male habitos fuiſſe, ut capitis, colli, pulmonum inflammationibus. Itaque cum hæ, nulla prævia cauſa manifeſta, recens natos adorientur; non abs re erit præproperam illam occluſionem ſuſpicari. In qua ut ille imminutionem ſanguinis laudat; ſic tu commendare ſaltem poteris lac parcius præbitum, & ea nutrici unde tenuius, & fluxilius gignatur. Sic enim ſanguis qui totus per pulmones trajicitur, & tanto majori copia in ramos ſuperiores irruit arteriæ Magnæ, quanto jam minori in deſcendentem hujus truncum deflectit, facilius tranſibit, & pulmonibus, cerebroque minus officiet, a cujus quippe tunc molliſſimi, læſione fortaſſe præter inflammationes, alia mala ſæpius ſunt in nerveo genere quibus recens nati repente abſumuntur, iique præſertim in quibus præter eas præmaturas occluſiones, ſanguis jam ab utero ſit copioſior, aut craſſior, cerebri autem vaſa vel multo quam ſoleant, infirmiora. Sicuti autem naſci aliqui eo ſtructuræ vitio poſſunt, ut viæ illæ ſanguinis, de quibus dictum eſt, celerius claudantur; ita e contrario credibile eſt, oriri nonnullos in quibus oppoſitum vitium ſit, viæque propterea illæ non modo nunquam penitus occludantur, quod in Ovali Foramine haud raro mihi, aliiſque occurrit, ſed quod de eodem Foramine dictum puta, ne imminuantur quidem. Hæc autem ſiqua corpora forte ſint ita facta, ut ferre poſſint, veri ſimile eſt, multo plura non poſſe. Pertinent huc quæ XV. Kal. Jun. A. 1722. Vir Cl. ad me ſcripſit Janus Plancus. Ex me enim quærebat, num in recens natis infantibus unquam Ovale Foramen nulla prorſus inſtructum valvula offendiſſem. Quærendi autem cauſa erat, quod in nuper diſſecto infante neque ipſe, nec Vir, alias a me laudatus, qui tunc Arimini degebat, Romæ poſtea Pontificiorum Archiatrorum Comes fuit, Antonius Leprottus eam valvulam diligentiſſime, ſed fruſtra, quæſiverant. Univerſæ autem illius Obſervationis, quantum ex iis, proximiſque Planci litteris collegi, ſumma digna eſt quæ hic tibi a me perſcribatur.

62. INFANTEM dies natum haud amplius quindecim mors ſuſtulerat; ſed quo morbi genere, non conſtabat. CADAVERE perluſtrato, ventriculus bono lacte refertus, ipſeque, & viſcera omnia conſpecta ſunt ſana, niſi quod cor, & quæ circa illud ſunt, vaſa erant ſanguine mirum in modum diſtenta. Vaſorum Umbilicalium quæ partes in ventre ſunt & Tubulus Arterioſus patebant; Ovale autem Foramen non patebat ſolum, verum etiam ſua valvula prorſus carebat, ut hujus, quantacunque, ut diximus diligentia quæreres, nec vola, nec veſtigium occurreret.

63. Quod cum præter naturam omnino eſſe, Planco reſcripſiſſem; facile in eam venit cogitationem quæ paulo ante dicta eſt. Et ſane intelligis, ubi prorſus deſit id quod ſanguis a ſiniſtris urgeat: & ad Foramen Ovale magis magiſque, ſi non claudendum, at ſaltem ex parte aliqua operiendum impellat, perturbatum iri in organo præcipuo certum illum qui requiritur in reſpirantibus, ſanguinis motum: quæ perturbatio niſi imminuatur, ſed uſque & uſque eadem perſtet; motus demum cordis, & ſanguinis ſufflaminetur, neceſſe eſt.

64. Vides, ut ampliſſima, eademque propemodum intentata pateat via ad recens natorum morbos attenta, dum vivunt obſervatione, accurata autem poſt mortem diſſectione perveſtigandos, niſi parentum inepta charitas obſtaret. Qui tamen aliquando cum infantes ſuos alium poſt alium ad eundem modum amittunt, tum denique, ſi forte naſcituros ſervare poſſint, id Medicis ultro offerunt quod alias negaſſent. Verum haud raro incidunt in Rei Anatomicæ aut rudes, aut contemptores, quorum ego olim utrunque genus in uno eodemque caſu perſpexi. Qui recens natos ſecuerunt, id quod in his maxime ſecundum naturam eſt, pro funeſto ipſorum morbo referebant, cranio arctius adhærentem Duram meningem. Qui conſulebantur, quantopere contempſiſſent Anatomen, tunc ſatis oſtendebant, cum hoc ipſum acciperent, probarent, & tanquam fundamentum eorum ponerent quæ erant reſponſuri. Quod ſi diligens Anatomes ſtudium nullam præter hanc afferret utilitatem, ut ex corporum ſecundum naturam ſe habentium interiore conſtitutione, quæ præter naturam ſint, aut non ſint in perquirendis morborum cauſis addiſceremus; magni certe faciendum eſſet; non contemnendum. Peculiaria autem plura præter ea quæ ſupra memoravimus, habent tenellorum infantium corpora, ut in horum quoque diſſectione eſſe debeat exercitatus qui latentes velit eorum morbos inquirere, & ea quæ morbida revera ſunt, cum iis ſignis conferre quæ in viventibus animadverterit, & deinde pro utrorumque natura, & gradu, ſi non curationem, at levamen, & ſi ne hoc quidem liceat, ſaltem prædictionem afferre, hancque ea ratione quam Anatome doceat, explicando comprobare. Sic explicatæ prædictionis; ne a cranio, quod memoravimus, longe abeamus; exemplum in haud ignoto alioquin funeſto ſigno eſt apud Wepferum (g). Inſtante enim infantium morte, non ſolum circa futuras Lambdoidem, & Sagittalem manifeſtos profundoſque ſulcos, ſed & prope Coronariæ, & Sagittalis conjunctionem foveolam ſubſidentem conſpicimus. Quid ita? Cerebrum enim tunc in ſe collabitur, ſubſidenſque per Craſſæ meningis nexus introrſum trahit quidquid adhuc membraneum reſtat in ſuturarum interſtitiis, itaque ſulcos illos, & foveam facit.

(e) Prax. Med. l. 1. c. 46 n. 11. (f) n. 59. (g) Exercit. de loc. aff. in Apopl.

65. Juvabit autem antea quam in recens natis hæc diligens aliquis Vir conetur, quæcunque a Medicis, & Anatomicis accuratiores in paulo grandioribus infantibus, ac pueris habitæ Obſervationes, diſſectioneſque, huc illuc diſperſæ, extant, eas colligere; neque enim vel in Sepulchreto extant, niſi disjectæ; ex iiſque illas potiſſimum attendere quæ ad proprias ſpectant ejus ætatis ſtructuras, aut ad reliquias, nonnunquam majores quam vulgo putant, earum ſtructurarum quæ in recens natis peculiariter occurrunt. Tum deinde Obſervationes addat quæ ad hos ipſos recens natos attineant, quotquot ab aliis habere ſui ſimilibus, aut ab ſe poſſit, unumque ex omnibus corpus efficiat, quod a grandiuſculis incipiens, in recens natis deſinat: poſſunt enim illi aliqua interdum aut voculis, aut manu deſignare, quæ ſi adnotes quibuſcum aliis ultro ſe offerentibus ſignis conjuncta ſint, tuas ſæpe tunc adjuvent conjecturas, cum ſigna hæc alia in iis deprehenderis, qui neque lingua, neque geſtu quidquam valent ſignificare. Et nobis quidem hanc quæ in Re Medica deſideratur, partem aggrediendi voluntas fuit; facultas defuit. Namque ut licuiſſet ægros infantes accuratius obſervare; mortuos tamen incidere non licuiſſet. Quorum alterum ſine altero ad propoſitum vix quidquam prodeſt. Hæc igitur ab aliis; a me autem de iis morbis in quibus utrumque licuit, plures adhuc Litteras expectabis, & valebis.

FINIS LIBRI TERTII.

JO. BAPTISTÆ
MORGAGNI
DE SEDIBUS, ET CAUSIS
MORBORUM
PER ANATOMEN INDAGATIS
LIBER QUARTUS.

Quo de Morbis agitur ad Chirurgiam, aut ad univerſum corpus ſpectantibus.

Præclariſſimo Viro

JOANNI FREDERICO SCHREIBER

Medico, & Anatomico Præſtantiſſimo

Joannes Baptiſta Morgagni S. P. D.

COgitanti mihi, per quem Inclytæ iſti IMPERIALI Scientiarum ACADEMIÆ, quæ me ſibi anno 1735. benigne adjunxit, hos modo a me editos libros, grati, obſequentiſque animi teſtimonium, meo nomine offerendos curarem; forte accidit, ut inter cætera ejuſdem Academiæ Volumina, ſæpe a me in his libris conſcribendis verſata, ultimum quod Petropoli huc eſt importatum, in manus ſumerem, Novorum Commentariorum Tertium. Itaque ſub oculos mihi redeuntes, quas antea excerpſeram, Obſervationes Tuæ, Vir Præſtantiſſime, ſpem dederunt, Te non illibenter oblaturum eſſe meas, tum quia ejuſdem generis, ac Tuæ, ſunt, tum quia a me ſunt, in quem pro Tua Humanitate quam bene eſſes animatus, vel ante hos duos & viginti annos, cum Lugduni Batavorum degeres, non paucæ ex Tuis eruditis ad libellum Jac. Douglaſſii Adnotationibus oſtenderunt. Rogo igitur, ut has officii mei partes iſtic ſuſcipere ne graveris.

Quod ſi forte quæras, ex raris ſint, an ex communibus Obſervationes hæ meæ; ingenue dicam, eſſe promiſcue ex utriſque, magis tamen ex communibus, quippe magis ad inſtitutum hoc meum attinentibus. Mihi enim propoſui, non homines admiratione afficere, ſed meos pro quibus potiſſimum ſcriberem, Auditores utiliora docere. Longe autem utilius eſt monſtrare ipſis per Medicam Anatomen quæ cauſæ ſint eorum morborum quos ſæpenumero, quam paucorum quos nunquam fortaſſis in Medicina exercenda ſunt viſuri. Et huc facile ſpectabat Peyerus (*a*), cum ſcripſit, *bonum eſſe omni ægritudinum genere defunctorum cadavera, quorum haberi copia poteſt, diſſecari, atque deſcribi*, & Conſultiſſimus Medicus Frider. Hoffmannus (*b*), cum ad Artem hominibus ſalutiferam magis perficiendam *optandum fore*, exiſtimabat, *ut cadaverum, quocunque etiam morbo perierint, ſectiones eſſent frequentiores*, & magis diſerte Illuſtris utriuſque noſtrum Amicus Hallerus (*c*), cum *eſſe*, ait, *in obſervationibus vulgatiorum morborum verius forte quam in iis pretium*, quæ *adeo raro occurrunt*, & vel planius, ubi (*d*) de Jo. Rod. Camerarii Memorabilib. Medic. verba generatim faciens, *inprimis autem*, inquit, *ad rariora, & ad id reſpexit, quod admirationem moveret, eo ipſo minus utilis*. Reliquos nunc ſciens, uti ſolitus ſum, brevitatis cauſa omitto, ut potius ex Viri Summi, Veſtrum utriuſ-

que

(*a*) Meth. Hiſt. Anat. Medic. c. 4.
(*b*) Procem. ad Diſſert. de Pancreat. Morb.
(*c*) Præf. ad Opuſc. Pathol.
(*d*) ad Boerh. Meth. Stud. Medic. Part. 9.

que Præceptoris, meique, dum viveret, Fautoris, & Amici ingenui Boerhaavii ſapientiſſimis dogmatibus rem conficiam.

Statuebat ille (*e*), ut præclare noſti, *omnium optimum inter eos qui obſervaverunt ea quæ in vita contingunt, fuiſſe Hippocratem; ſed qui examinaverunt cadavera poſt mortem, hos optime de Arte meruiſſe*. Quid ita? Nimirum quia morbos ſanare ex arte non poſſumus, niſi & morbos, & cauſas proximas dignoverimus, quæ non morbos ſolum efficiant, ſed & eas quæ in horum ſingulis inſint, differentias. Quæ omnia dum ille explicat in iis præcipue Academicarum Prælectionum Partibus quæ ad Pathologiam, & ad Symptomatologiam ſpectant; quis eſt qui, non dico illa omnia dignoſcere ſe poſſe, ſperet, ſed accedere dumtaxat ad tot dignoſcenda quot homini permiſſum eſt, niſi per morboſorum cadaverum innumeras propemodum diſſectiones? Nam primum quod ad morbos attinet, incredibilem, & augeſcentem in dies eorum enumerationem vel unius oculi oſtendunt morbi, quos cum Galenus, ut eſt apud Eruditiſſimum Trillerum (*f*) jam olim CXII. diverſos obſervaſſet, Boerhaavius nominat qui CCC. numeraverit ſuperiore ſæculo. Ex quibus ut eos tantum attendamus qui ex diverſis oriuntur cauſis, inſidentque diverſis ſedibus; ingentem vel ſic habebimus numerum. Quantus erit igitur morborum numerus univerſarum corporis Partium, cum aliæ quoque, præter oculos, inter eas ſint, quæ bene multis inſtrumentis egent ad ſuum perfecte munus implendum, eoque morbis & frequentibus, & multiplicibus magis, quam cæteræ, ſunt obnoxiæ. Unde ſimul facile eſt intelligere, quanto major ſit, quam vulgus putat, vel uno in morbo, diverſarum cauſarum numerus, & quomodo morbus idem & unus ſit, & millecuplus, quod præclaris exemplis Cæcitatis, Surditatis, Difficilis Reſpirationis Boerhaavius oſtendit, ut Palpitationis Cordis Cel. Senacius (*g*), & quare paucæ adeo quorundam morborum ſanationes, plures autem infelices curationes, multæque interea injuſtæ querelæ audiantur, quod contra unum eundemque, ſi nomen ſpectetur, morbum tot, nec raro inter ſe contraria remedia in aliis aliorum Medicorum libris laudentur. Scilicet non ut morbi nomen, ita morbus quoque eſt ſimplex, ſed multas complectitur differentias, a multis non diverſis tantum, ſed & oppoſitis interdum cauſis effectas. Quæ cum ita ſint; Ars certe tanto longius aberit a facultate bene curandi, quanto pauciores cognoverit differentiarum cauſas, & cauſarum notas. Contra vero propius, quoad ejus fieri poteſt, accedet, ſi noverit plures. Nulla autem eſt alia pro certo noſcendi via, niſi quamplurimas & morbornm, & diſſectionum hiſtorias tum aliorum, tum proprias collectas habere, & inter ſe comparare. Atqui non niſi communiorum morborum habere quamplurimas poſſumus, rariorum autem ob id ipſum quod rariores ſunt, paucas adeo, ut vix, imo ſæpius ne vix quidem, tot ſint, ut comparatio inſtitui poſſit, ex qua præcipua exiſtit utilitas. Tam patet igitur, quam quod maxime, communiorum morborum Obſervationes longe eſſe utiliores, quam rariorum.

Quas

(*e*) Meth. Stud. Medic. Part. 14.
(*f*) Procem. ad Diſſert. de Fame Lethali.
(*g*) Traité du Coeur l. 4. ch. 11. n. 18. & 19.

Quas tamen non contemno ; imo ideo probo , quod raræ , & mirabiles ſunt ; intereſt autem Medici nec has ignorare , cum quia id quod ſemel accidit , poteſt iterum accidere , tum quia ſic ubi ſincera complurium teſtificatione res mirabiles confirmantur , illaudabili multorum conſuetudini occurritur , qui propterea quod mirificæ narrationes hominibus ſæpenumero impoſuerunt , videntur nimis facile ſtatuiſſe , nulla quæ admirabilia ſint , ab ſe unquam eſſe credenda ; quaſi fieri nihil poſſet , niſi cujus cauſa intelligi ab ipſis queat . Sic etiam olim *multi Medici* , ut legimus apud Galenum (*h*) , *rerum quæ manifeſte videntur* , *cauſam reddere nequeuntes* , *eas eſſe* , *omnino negabant* , ideoque , ut opinor , *quidam etiam ultro rara exempla* , *ubi cauſa deficiebantur* , *reticebant* , quos ille vel eo nomine reprehendit (*i*) , quod ſi *ita* fiat , *ſcitu digna infinita præteribuntur* . *Quin veritatis ſtudioſus* , inquit , *omne debet quod conſpiciat* , *etiamſi eum angat cauſa* , *ſedulo exponere* . Quod ego monitum , & eas de quibus dictum eſt , rationes ſecutus , non veritus ſum in his libris non ſemel iis quoque Obſervationibus locum dare quæ explicatus habent difficillimos , ut cum in robuſto bajulo , quinquaginta circiter annos nato , cor deſcripſi puerili corde non majus , neque tamen , ut alia nonnunquam inventa æquo minora corda , quidquam habens læſionis , aut vitii , ne in ipſa quidem ſubſtantiæ conſtitutione . Sic & alia etiam ſane rara propoſui , ut in libro hoc quarto tunicam oculi Retinam oſſeam factam , & intra genu articulum oſſeos plurimos innatos globulos , quæ nemini , quod ſciam , ante me videre in Italia contigit .

Sed quanto majorem ad raros , magiſque ad vulgatiores morbos obſervandos Noſocomia nobis præbent opportunitatem ; tanto ſæpius vicem doleo priſcorum Medicorum , qui ea caruerint neceſſe eſt , ſi Noſocomia primum inſtituta ſunt non longo ante Juſtinianum tempore , quemadmodum in Imperialis Academiæ iſtius Commentariis (*k*) Vir oſtendit recondita eruditione præditus Jo. Henr. Schulzius . Quod ſi vel poſteaquam Noſocomia eſſe cœperunt , morbos non in ægrotantibus ſolum , ſed & in denatis poſt quancunque ægrotationem , examinare licuiſſet ; ii per inſecuta decem admodum ſæcula Medicæ Facultatis progreſſus fuiſſent , quos conjicere facile eſt ex his quos fecit poſtquam tandem utrumque illud permitti cœpit circa initium ſæculi XVI. Quo magis noſtrarum partium eſt , eorumque omnium qui Rem Medicam his temporibus profitentur , jacturam tot ſæculis factam diligenter ſarcire . Omnium autem dixi propterea quia in tanto , ut diximus , numero inquirendarum cauſarum , notarumque per quas cauſas internoſcamus , niſi unanimi , atque aſſiduo labore , & ſtudio contendamus , verendum eſt , ne poſteris ; quanquam ipſis quoque multum reſtabit ſemper , ut in immenſo propemodum opere , quod adjiciant ; nos tamen aliquanto minus quam poſſemus , allevaſſe eorum inquirendi onus videamur . Sed quid ego hæc meis primis ad Te litteris tam longo ſermone tecum ago , quaſi hæc omnia aut non melius , quam ipſe , noſſes , aut non æque libenter ac ego , faceres ? Nimium ; ſi ni-

---

(*h*) de Loc. aff. l. 5. c. 2.
(*i*) de Cauſ. Pulſ. l. 2. c. 13.
(*k*) Tom. 13. Claſſ. Hiſtor.

ſi nimium in ullo eſſe poteſt ; in me veri , & publicæ utilitatis ſtudium abduxit longius ab hujus epiſtolæ propoſito , ad quod tandem redeo , Te iterum orans , ut pro Tua ſingulari Humanitate his libris faveas , quibus nihil accidere honeſtius poteſt , quam ſi per Te , Vir Doctiſſime , una cum debitis auctoris officiis Illuſtribus iſtis Academicis offerantur . Vale.

D. Patavii Prid. Kal. Septembr. A. CIↃ IↃCC LX.

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI

AD AMICUM

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA XLIX.

De Febribus verba fiunt.

QUI longiſſimas a me Litteras non ita pridem acceperis, nunc expectas fortaſſe longiores, ut quarum argumentum ſint Febres, morbi omnium frequentiſſimi, & varii adeo, atque multiplices. Et ſane quæ ipſis in Sepulchreto aſſignatur Libri IV. Sectio I. unam ex prolixioribus eſſe, vides. Hæc tamen Epiſtola ut breviſſima non ſit; certe inter longiores non erit. Quid enim hic, Sectionem illam imitatus, repetam, aut anticipem quæ ſatis, aptiuſque alibi ad te ſcripſi, aut ſcripturus ſum, de tot morbis agens quibuſcum ſua certa febris conjuncta eſt? In illa autem Sectione quamplurimæ Obſervationes ſunt quas Bonetus ipſe fatetur, aliis locis quæ indicat, ab ſe proponi, & ex iis de quibus non fatetur, alias præterea agnoviſſe videor de quibus idem fateri poſſet. Quin etiam quaſdam in illa eadem Sectione non ſemel poſitas animadverti: quas ſingillatim non memoro, quia te puto, ſi diligentius quam ego, ipſam perlegas, vel plures alias animadverſurum, ſimulque nonnullas miraturum, in quibus incredibilia leges, ut puta in peſtilenti hemitritæo (*a*) repertam inter cerebri meninges immanem *cimicum* copiam, ut in peſtilentiis quibuſdam (*b*) natas paſſim in humanis corporibus *viperas ac lacertas*, *quæ mille hominum in dies* poſt cruciatus acerbiſſimos interficerent, aut (*c*) inventa hominum, & equorum *jecora bufonibus ſcatentia*. Mihi vero ſtatutum eſt aliquot Obſervationes quæ ex Valſalvæ præſertim ſchedis ſuperſunt, hic deſcribere, in quarum pleriſque illud potius miraberis, quod poſt graves, aut citius opinione interimentes febres, vix quidquam, interdum ne vix quidem compertum ſit quod earum gravitati, aut impetui reſponderet, uſque adeo id ſæpe latet per quod febres interficiunt!

2. VIR triginta circiter annos natus incidit in febrim lentam, nullo attentione digno ſymptomate ſtipatam, niſi quod appetitus erat omnino dejectus. Pulſus, & vires in dies deficiunt. Tandem ex inopinato moritur. DISSECTI omnia viſcera a Valſalva inventa ſunt ſana, ſi hæc excipias. Cyſtis fellea fuſco infectam colore bilem continebat, in eaque calculum, molaris dentis magnitudine, colore pallido, facile friabilem. Intus cavus erat, pluresque alios calculos, eoſque nigros, incluſos habebat. Pulmones vero nigris maculis erant diſtincti. Pericardio parum, aut nihil ſeri inerat. Sanguis in hoc cadavere erat admodum cœnoſus, in cordis autem ventriculis coagulatus.

3. Sive lentam febrim, ſive malignam fuiſſe, credas; certe quæ per diſſectionem reperta ſunt præter naturam, in aliis quoque haud raro occurrunt, qui neque ejuſmodi ægrotatione, neque præſertim ejuſmodi genere mortis abſumuntur. Non ita ſæpe accidit, ut in corde ipſo ea conſpiciantur quæ Valſalva in puero vidit, quem hectica, opinor, febris ſuſtulit, quanquam nonnulla ſunt quæ in vivente, & fortaſſe etiam in mortuo fuerint, an non, ſcire aveas.

4. PUER quidam macie confectus obiit. COR valide cum pericardio nectebatur: quo ſimul cum pinguedine ſeparato, per omnem exteriorem muſculorum cordis faciem quædam paſſim disjecta albida corpora cernebantur. Horum pleraque figura, magnitudine, colore parva milii grana referebant: nonnulla autem erant aliquanto majora, figura abnormi. Per diaphragma lymphæductus ſatis manifeſto apparebant.

5. Sed jam ad ea tranſeamus, quæ idem in tribus fœminis obſervavit, ad aliud febrium genus attinentia.

6. MULIERIS annorum triginta, temperamenti bilioſi, duplici febre tertiana jam diu laborantis, abdomen baculo percuſſum eſt. Excepta in S. Mariæ de Vita Noſocomium, de abdominis dolore tantummodo querebatur. Sed tertio ex quo percuſſa fuerat die cœpit delirare. Pulſus erat parvus, & celer. Non ſemel vomitu humorem ejecit, aquæ ſimilem, in qua caro recens lota eſt. Tandem aucto in dies morbo, interiit. ABDOMINIS muſculi contuſi reperti ſunt ſic tamen, ut neque exterius, neque intra ventrem ullum extaret contuſionis indicium. Hepar ſubalbum ad duritiem nonnihil vergebat: ejus veſicula quæ inſigni erat magnitudine, bilis atro colore infectæ, tres circiter uncias continebat, cujus portio aliqua etiam in ventriculo inventa eſt. Reliqua in ventre ſecundum naturam. In Thorace pulmones qua vertebras ſpectabant, magna erant phlogoſi affecti, cætera ſani. Dexter ventriculus cordis mediocrem polypoſam concretionem habebat.

7. Qui abdominis ictum, & de illius dumtaxat dolore querelas ſpectaſſet, cætera quæ conſecuta ſunt, læſo

(*a*) Obſ. 57. §. 11. (*b*) Obſ. 62. §. 8. & 9. (*c*) Ibid. §. 10.

læſo inde alicui ventris viſceri tribuiſſet. At diſſectio quidquid in jecinore vitii fuit, ad diuturnam potius illam febrim attinuiſſe, oſtendit, Valſalva judice, qui huic Obſervationi titulum adſcripſit *De Tertiana duplici*, ſive totum id vitii credidit ad hujus cauſas, ſive ad effectus pertinuiſſe. Quid ad illud occaſione ictus acceſſerit in bilioſi temperamenti muliere, inſpectum cerebrum fortaſſe, ut delirium indicat, ſignificare potuiſſet. Nam quod ad magnam pulmonum phlogoſim ſpectat; quis pro certo affirmet, cum poſteriora teneret, non eam potius, ut alias (*d*) admonuimus, & paſſim videmus, fuiſſe a ſupino cadaveris poſitu? quod ad inſequentem hiſtoriam quoque dictum putato.

8. VIRGO annorum duodeviginti multos jam dies laborans tertiana duplici, deinde ardenti febre correpta, capitis, & totius corporis dolore vexata, moritur. IN VENTRE ad Ilei inteſtini finem, qua parte meſenterio annectitur, multa prominebant corpuſcula, quæ magnitudine, forma, colore grana referebant pulveris pyrii. In utero plura protuberabant rotunda corpora, glandularum inſtar: quibus diſruptis, viſcidus humor prodibat. Præter hæc, omnia in ventre ſecundum naturæ modum. In Thorace autem pulmones qua dorſum reſpiciebant, leviter inflammati: & in cordis ventriculo dextero polypoſa concretio.

9. Sive rotunda iſta corpora exſtabant in exteriore, ſive in oppoſita uteri facie, ſive item nigra illa corpuſcula, vel potius puncta hanc, aut illam inteſtini faciem tenebant; haud ſatis apparet, unde primum tertiana, deinde vero ardens febris oborta ſit. Haud ſatis, inquam, apparet, non quod me fugiat, qua ratione a viſcido humore, non una ex latebra intra certum tempus prodeunte, Viri Doctiſſimi recurrentes febres deduxerint, aut poſſe nigra illa puncta exiguas inflammationes jam in gangrænam degenerantes ſignificare: ſed quod vitium utrumque in pluribus fuiſſe, ſciam, quas non iſtiuſmodi febres, ſed noxæ aliæ male habuerint, quas fruſtra in hac hiſtoria perquiro, vitiorum illorum ſedem indicantes.

10. MULIER annos nata viginti quinque, eodem quo prior illa (*e*) temperamento, in idem Noſocomium venerat, cum difficultate ſpirandi tentari cœpiſſet. Conjuncti erant cum ea difficultate dolor in thoracis parte ſiniſtra, quidam intra hunc inter reſpirandum materiæ ſonitus, & pulſus mollis quidem, ſed frequentior. Quincto die regius morbus acceſſit: qui cum uſque ad octavum perſtitiſſet, evanuit. Tunc ob febris pertinaciam, ſanguinis miſſio, jam primis diebus inſtituta, rurſus repetita eſt. Tandem ex improviſo mors occupavit; neque enim febris erat ejuſmodi, ut tunc mortem minaretur. VENTRE aperto, ſana omnia inventa ſunt, niſi quod ſelibra aquæ in tota illa cavea occurrit: quæ tamen res in aliis etiam cadaveribus ſæpius fuerat animadverſa. In Thorace dexter pulmo, qui ſuperiore parte coſtis adhærebat, inferiore erat inflammatus, ex cujus diſſecta ſubſtantia paululum effluxit ſeri. At ſiniſter pulmo & a coſtis undique ſolutus, & ſanus repertus eſt. Ex cordis ventriculo dextero polypoſa concretio, quæ in ejus lacertulis baſim habebat, in venam ſe producebat Cavam, firma ubique compage, colore autem ex altera parte pallido, ex altera rubeſcente.

11. Niſi Valſalva ipſe huic ſuæ Obſervationi titulum feciſſet *De Febre Ardente*; ipſam potius inter Peripneumonias retuliſſem: quanquam ne ſic quidem ſatis intelligeremus, quomodo ex inopinato mors ingruerit. Sed neque cum dolor a ſiniſtris fuiſſet, appiret, cur inflammatio eſſet a dextris; niſi forte ubi aut ille, aut hæc memoratur, calamus, ut fit, alterum pro altero latere exaraverit. Illud conſtat ex Hippocratis Aphoriſmo (*f*), male de hoc morbo jam tum fuiſſe ominandum, cum icterus ante diem ſeptimum febri accidit. At ſi in ulla propoſitarum hactenus febrium maligni aliquid dilituiſſe, ſuſpicaris; multo id magis in ea conjicies, cujus deſcriptionem Valſalva nobis ad hunc modum reliquit.

12. VIR annos quadraginta natus, ob tibiam contundente inſtrumento vulneratam in eodem illo Noſocomio decumbebat. Ibi cum vulnus jam optime ſe haberet, ipſeque omnino a febri liber eſſet; repente acuta febri corripitur. Hac magis magiſque ſæviente e medio tollitur. IN CADAVERE nihil uſquam vitii, niſi quod ſanguis ferme naturalem fluorem ſervabat.

13. Quid proclivius eſt in hoc caſu, quam quod Riverius (*g*) in quodam ſuo, exiſtimare? Scilicet in puero quem acutiſſima febris ſuſtulerat, iis ſtipata ſymptomatibus quæ viſcerum inflammationis magnam ſuſpicionem afferrent, cum per diſſectionem *omnia viſcera* (ſic enim Riverius ſcripſit; non, ut in Sepulchreto (*h*) per gravem operarum incuriam deſcriptum eſt, *omnia ſymptomata*) *bene conſtituta* inveniſſet, neque ullam, quæ quidem appareret, cauſam tantorum ſymptomatum deprehendiſſet; hanc in latentem malignitatem rejecit. Quod tu eo facilius fortaſſe facies, quod hic ſaltem in conſpectum ſe dedit ſanguinis fluor. Cum ejus enim diſſolutione malignas febres bene multas conjungi, Medici Præſtantiſſimi docuere. Quos ſecuti in aliis quoque ſumus Valſalvæ Obſervationibus (*i*) interpretandis, ſic tamen, ut quoniam malignæ febres non uno omnes eodemque modo ſe produnt, nec illos deferendos cenſeamus, qui contra, cum ſanguinis concretione multas quoque earum junctas eſſe, tradiderunt. Quorum ſententiæ favent cum aliæ, tum præſertim hæc quam poſtremam ex Valſalvæ hiſtoriis ſubjicimus, hoc titulo ab ipſo inſcriptam *De Febre Maligna*, *& alvi ſtypticitate*.

14. VIR Nobilis annorum circiter quadraginta, qui vel ſanus tantæ erat alvi duritiæ obnoxius, ut non niſi Artis ope exoneraret, cum ex patria regione, tenui aere prædita, in aliam craſſi aeris, domicilium tranſtuliſſet; brevi poſt tempore in febrem incidit, nullo alio ſtipatam ſymptomate, niſi quod æger de aſſidua animi inquietudine, & de vigiliis perpetuo conquerebatur. Sed decimo quarto die cum dolor capitis acceſſiſſet, pulſuſque modo ſe proderent, modo ita contraherentur, ut percipi a Medico ſæpe non poſſent; eodem die vitam cum morte commutavit. VENTRICULI fundus atro erat colore infectus. Inteſtina, & Craſſa præſertim, anguſta erant. Cætera ventris viſcera ſana. Sanguis erat valde concretus.

15. Nunc ad diſſectiones haſce adjungemus noſtrarum, aut Amicorum ſive Obſervationum, ſive animadverſionum exempla aliquot, ad memorata, ad aliaque febrium genera ſpectantia. Aliquot autem diximus; nam, ut ſuperiorem ſervantes ordinem, ab Lentis, Hecticiſque febribus incipiamus; alia in miſſis antea Epiſtolis jam legiſti ſive cum thoracis ex propoſito, ſive etiam interdum cum obiter ventris abſceſſum aliquem (*k*) commemoravimus. Unum hic aut alterum vel ſine manifeſto abſceſſu exemplum adjiciemus.

16. VIR macie confectus, quem propterea aliqui phthiſicum exiſtimabant, cum ſecus nobis videretur, noviſſime in Noſocomium hoc venerat, cum ibi poſt Martii initium A. 1747. vivendi finem fecit. THORACE, Ventre, Capite diſſectis & pulmones ſani, & viſcera cætera ſine labe reperta ſunt, niſi quod Dura meninx craſſior, cerebrum autem laxiſſimum fuit. Illud inſuper animadverti, cum circa poſteriorem Spinalis medullæ partem quædam aggrederer ſtudioſis Juvenibus demonſtrare, non ita, ut alias, facile, atque adeo nullo negotio meningem illam diduci potuiſſe, imo paulatim procedendum mihi fuiſſe, ut ſine proximæ Arachnoidis laceratione ab hac ſejungerem. Cæterum cutis, ut in tabidis ſolet, in hoc cadavere duriſſima fuit.

17. Cutis hæc durities, ſive cultro, ſive acubus tentes, manifeſtiſſima non in phthiſicis ſolum in quibus plures experti id ſunt, ſed in aliis pariter quos valde macies extenuaverit, ſecantibus occurrit, vel quod nihil

(*d*) Epiſt. 4. n. 13. (*e*) n. 6. (*f*) 6. ex Sect. 4 (*g*) Cent. 2. Obſ. 83 (*h*) in Additam. ad hanc Sect. Obſ. 10.
(*i*) Epiſt. 4. n. 9. & Epiſt. 7. n. 2. (*k*) ut Epiſt. 46. n. 27.

nihil pinguedinis in ſubjecta Adipoſa membrana ſupereſt a cujus inunctione mollis illa ſervetur, vel quod non propter pinguedinem modo in muſculorum interſtitiis, ſed & propter humores, paſſim in horum vaſculis magna ex parte deficientes, carnes concidunt, ut cutis non amplius diſtenta, ſe in ſe ipſam contrahat, & craſſior fiat; quam ob contractionem, rugaſque propterea non majores tantum, ſed etiam minimas, ejus perit nitor; ſic enim Mortonum (*l*) interpretor, hæc attingentem. Contra, a ſubjecta pinguedine diſtenta cutis & nitet, ut omnes vident, & mollior ſervatur, ut in ſuillo corio in minutiſſimas partes concidendo vel farciminum confectores norunt eo leviori labore utentes quo pinguior ſus erat; eo majori, quo minus. Sed ad diſſectionem alteram tranſeamus, in qua manifeſtæ quidem viſcerum & ventris, & thoracis noxæ, at ſine abſceſſu apparuerunt.

18. SENIS adeo emaciati, ut ſenili maraſmo abſumptum dicerent, cadaver in Gymnaſium illatum eſt, unde Anatomes ſaltem initium ducerem ante finem Januarii A. 1741. VENTER glandulas habuit cum in meſaræo non adeo minutas, ut ætate illa fere ſolent, tum per Iliaca vaſa ab horum origine ad femur uſque tot, & tantas, ut ea vaſa perpetua quadam illarum quaſi catena obducerentur, quarum aliquæ duos treſve digitos tranſverſos longitudine æquabant, craſſitudine etiam magnæ; ut mirum non eſſet, eas arterias parietibus videre nonnihil inflexis, & quaſi varicoſis, quippe quos ejuſmodi glandulæ ſtiparent, & premerent: quæ tamen cum ſecarentur, a ſana lymphaticarum glandularum conſtitutione diſcrepare non videbantur. Sed lien, cæteris dimenſionibus potius parvus, æquo erat craſſior, ad medium præſertim, & præterquam quod vincula membranea per quæ cum diaphragmate nectitur, ipſa quoque magis facta erant craſſa quam ſolent, tunicam habebat in medio ipſo faciei convexæ non modo craſſam pariter, verum etiam duram tanto ſpatio quantum circulus occuparet cujus diameter vix brevior eſſet duobus tranſverſis digitis, quin etiam quadam ſpatii illius parte jam oſſeam, ad quam annexus erat interius quidam quaſi vaſis truncus, ipſe quoque durus, in lienis ſubſtantiam pertinens. Hoc etiam ad lienem ſpectans adnotavi: arteria ipſum petens æquo anguſtior a Cœliaca ad digitorum aliquot tractum pergebat, donec ubi in plures, ut ſolet, flexus incipiebat ſe contorquere, ibi latior fieret. Veſica lotio diſtenta, ut ſupra pubem ſe attolleret, tunicas habuit craſſas: quibus manu compreſſis, illud non facile exibat, ut omne exprimi non potuerit, an ob Proſtatam glandulam amplificatam, & in veſicæ cavo circum urethræ orificium undique protuberantem? qua in glandula quid deprehenderim Epiſtola jam ſcriptum eſt XLIV. (*m*). Thorace, & pericardio apertis, cor vidimus omni pinguedine orbatum, lurida facie, nec lævi. Magna arteria valvulas habuit duriores: ipſa autem modico ſupra has intervallo grandibus ſub tunica intima ſquamis rigebat, omnino oſſeis: quarum oſtenderat dumtaxat inchoamenta, ſeu maculas albas, in ea trunci parte quæ in ventre eſt, & in Iliacis ejus ramis. Nec ſingulare quoddam Carotidum vitium eſt reticendum: quæ cum ad ſuæ longitudinis medium aſcendiſſent, ibi ſe intorquebant cochleæ inſtar, ſtatimque ad rectitudinem primam redibant: eratque ille flexus adeo pertinax, ut ſi in rectum arterias extenderes; mox amota manu, in eandem ſe contorſionem reſtituerent.

19. Quæ cum vidiſſem; ſane diſplicuit, non plura de hoc Sene, cum viveret, quippe ignoto paupere, ſcire nos poſſe, niſi quod palam erat, macie extrema confectum interiiſſe. Cujus effectus, an cauſa, an potius utrumque plura eorum fuerint quæ in mortuo deprehendimus, ipſe exiſtimabis. Certe Sepulchreti hanc Sectionem (*n*) verſans, auctas in Hectico (*o*) alias glandulas de lymphaticarum genere invenies, in aliis autem (*p*) non ſine vitio cor, ut in puero etiam illo de quo ſupra (*q*) ex Valſalva dictum eſt, nedum in altero (*r*) ex indicata Sectione, qui ad maraſmum deductus, cor habuit, ut noſter Senex, *omni pinguedine exutum*, rugiſque inæquale. Mitto cætera unde pariter intelligi liceat, ſanguinem, ſecretoſque ex hoc humores non ita impelli potuiſſe quo oportebat, ut juſta illius, horumque copia in dies reficeretur, & in minima quæque vaſcula contruderetur, quorum pars maxima ſi illis careat; omne corpus, præter oſſa, & cartilagines, in ſe collabatur neceſſe eſt, quo in collapſu macies ſumma conſiſtit. Quidquid enim ſolidi in muſculis, & membranis eſt, longe minorem ad ſanguinem, & humores quibus eorum vaſcula, & cellulæ extenduntur, rationem habet, quam vulgus putat; ut incredibile propemodum eſſet, quam ad exiguum redeat, ubi illi avolent, atque evaneſcant, niſi Viri Doctiſſimi, collectis plurium experimentis id demonſtraſſent. Quæ tamen inter experimenta minus referendum, crediderim, quod aliud ſpectans Lanciſius (*ſ*) inſtituit per diuturnam humani cordis macerationem. Cum aqua enim, ſæpius renovata, ramenta plurima, quæ illa ſenſim disjunxit, membranularum, fibrillarumque abjiciuntur. Cæterum ut ſanguinis, humorumque cæterorum inops corpus fiat, & contabeſcat, nulla frequentior cauſa eſt, quam difficilior factus per meſenterium chyli tranſitus, ſive ea difficultas in ultimis ſit meſenterii glandulis, ſive in primis, ſive promiſcue in multis quibuslibet. Prioris illius difficultatis exemplum habebis ex Cowpero (*t*), qui in juvencula toto corpore perquam macilenta duas ex illis glandulis invenit quæ tumore ſuo chyli receptaculum comprimebant. Difficultatis ſecundæ exemplum dabit Cl. Fantonus (*u*), qui in viro, lenta febri a multis jam menſibus detento, chylum in vaſis lacteis primi dumtaxat generis deprehendit, remorante videlicet obſtructione glandularum ad quas vaſa illa appellebant. Tertiæ vero difficultatis Obſervationes, quas cum duabus illis Sepulchreto addas, complures occurrent. Nam vel ſola quæ poſt ultimam ejus editionem prodierunt, Cæſareæ Academiæ Volumina haud paucas exhibent, *glandularum* videlicet *meſenterii totaliter obſtructarum*, *tumentium* (*x*), *omnium glandularum meſenterii una cum pancreate infartarum* (*y*), *meſenterii glandulis tumidis referti* (*z*), *meſenterii cum glandulis undique ſcirrhoſis* (*a*), meſenterii cum *vaſis chyloſis obſtructis hinc inde* (*b*), & has quidem Obſervationes habitas in *atrophia*, *in hectica febre*, in corpore *toto emaciato*, in *macie extrema*, *febrem lentam hecticam ſequuta*. Quin etiam cum bis leges, in *atrophia* fuiſſe meſenterium *innumeris tumoribus ſteatomatoſis* refertum (*c*), & fœdum (*d*); utrobique vix dubitabis, glandulas fuiſſe ab reſiſtante chylo in eos tumores mutatas; ne quid dicam de meſenterio poſt *febrim lentam* reperto *toto ſcatente ulcuſculis*, & *abſceſſibus* (*e*). Quod ſi aliter ſentire, vel aſſentiente me, placeat, neque illorum tumorum, aut horum abſceſſuum ſedem in iis glandulis ponere; tamen in tanto utrorumque numero fieri non poteſt quin multæ earum, & plurima compreſſa fuerint vaſa chylum vehentia, hujuſque tranſitus magna ex parte prohibitus, quemadmodum in Obſervatione quoque Cl. Phil. Conr. Fabricii (*f*) tumor *aliquot pugnos magnitudine æquans*, *ſcirrhoſus*, eſſe non potuit *in centro meſenterii* infantis, atrophia defun-

(*l*) Phthiſiolog. l. 3. c. 13. (*m*) n. 20. (*n*) libri IV. Sect. 1. (*o*) Obſ. 16. §. 1. (*p*) Obſ. 12. (*q*) n. 4.
(*r*) Obſ. 56. §. 7. (*ſ*) De Mot. Cord. Propoſ. 53. (*t*) Vid. Act. Erud. Lipſ. A. 1699. M. Febr. ad Tab. Cowperi 34.
(*u*) Anat. corp. hum. Diſſ. 5. (*x*) Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 218. (*y*) Cent. 3. & 4. Obſ. 119. (*z*) Act. Tom. 1. Obſ. 59.
(*a*) Eorund. Tom. 4. Obſ. 146. (*b*) Eorund. Tom. 8 Obſ. 125. (*c*) Cent. 6. Obſ. 16. (*d*) Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 214.
(*e*) Dec. ead. A. 3. Obſ. 139. (*f*) Progr. quo Obſerv. in 3. cadaverib. verſ. fin.

defuncti, nec vaſa chylifera ultimis generis premere. Et habet quidem alibi Anatomicus ille Exercitatiſſimus (*g*) diſſectionem fœminæ *lenta tabe* extinctæ, cujus viſcera omnia nihil inſoliti exhibuerunt, niſi quod *glandulæ meſenterii penitus evanuerant*. Sed continuo hæc ſubjicit, in ejuſmodi hominibus, *niſi ſenio nimio ſint confecti* (a quo longe ea diſtabat fœmina) *hæ glandulæ ſi non plane ſcirrhoſæ, inſigniter tamen plerumque tumidæ deprehenduntur*. Cum vero penitus evaneſcunt, an non ſic quoque chyli traductioni officitur, quam, ſi non aliter, at illum ſaltem addita lympha diluendo, adjuvabant? quibus imminutis, cum hæc imminuatur, an non hinc etiam repetere cauſam poſſumus, cur ſenes plerique macreſcant? Ut ut eſt, cum certum ſit, plerumque in ſenibus eas decreſcere glandulas; ſi in Sene quem propoſuimus, non tam minutæ erant, quam fere ſolent; veri eſt ſimilius, propter earum obſtructionem id accidiſſe, eoque difficili facta chyli trajectione, corpus maraſmo ſubſediſſe.

20. Eſt contra; ut ad aliud tranſeam febrium genus; cum febricitantium corpora quadantenus collabi, optamus, copia videlicet, aut turgentia imminuta vitioſorum humorum. Quod cum alias, neque ita raro, ab omnibus qui Hippocratis Aphoriſmos (*h*) non negligunt, tum præſertim in Virgine quadam Bononienſi a Medicis quos ſectabar, optatum memini. Cum enim ex acuta febri ſudaſſet; cito quidem acuties deſiit, non febris, ut poſt dies plus centum ab ea prorſus libera fieri non poſſet. Verum tam longo tempore ut febris non diſceſſit, ſic ne parum quidem facies concidit, ſed plena perſtitit, nec unquam pallida. Itaque cum jam tandem febris abiiſſe videretur, & Virgo ſurrexiſſet, ecce iterum febris, ut illi expectaverant, ſe prodidit, eaque nec levis, ut ſolebat antea, nec paucos ad dies, donec cum plenitudine illa corporis abiit, non reditura. Nolim vero, ex hujus caſus narratione, in quo ille ſudor minus juviſſe in tollenda acutie, quam nocuiſſe in producenda tandiu febre videri poteſt; nolim, inquam, ex iis me eſſe, credas, qui in auctis febribus ſudori vel magis adverſantur, quam paulo ante hanc memoriam dejectionibus adverſarentur Medici illi qui ſæpius ægros ejuſcemmodi a propinatis dejectoriis pharmacis miſere ſublatos animadverterant. Scilicet nihil proclivius eſt hominibus, quam, ut ab extremo errore aliquo refugiant, in alterum extremum currere. Aliæ regiones, alia anni tempora, aliæ ætates, aliæ vires, aliæ corporum, & morborum, & cauſarum conditiones aliud ferunt. Sed nullas ferme violenta ferunt ſine periculo, multoque minus ſi materia cruda eſt, aut, ſi cocta, non eo ducitur *quo maxime natura vergit*, ut Hippocratis (*i*) verbis utar, *per loca conferentia*. Natura autem neque ſemper, neque in omnibus eodem vergit; ſed alias alio, ut puta ad renes, ad inteſtina, ad cutem. Ad quam vergere, & per ſudorem morbos ſæpe graviſſimos ſolvere, & in illis febres, etiamſi diſerte antiquiſſimus ille Magiſter (*k*) non docuiſſet, Medicorum tamen neminem credebam poſſe ignorare. Verum extremi unius fuga eo quoſdam vel eruditiſſimos homines agit, ut ne apud ipſum quidem Hippocratem, apud quem Malpighius (*l*) tot minus felicia ſeceſſus exempla indicaverat, criticorum ſudorum exempla invenire ſe poſſe, ajant. Quibus ſatis a Cl. Hallero (*m*) factum eſt. Alii vero, ut illud non ajunt, ea tamen objiciunt ſudorem excitare conantibus, ut timorem incutere poſſint Medico, qui naturam paulo quidem ſegniorem, ſed manifeſto ad cutem vergentem, opportune, & caute, id eſt blande adjuvare ſtudeat; quaſi vero non adverſus catharſim, quam ipſi tantopere commendant, non eadem fere poſſent objici. Alios denique remediis quæ ſudorem movent, hoc inſuper adverſos facit, quod prima ſudorifera, ut ipſi quidem inquiunt, ab Arabibus inceperunt. Sed & utiliſſimus corticis Peruviani uſus ab Americanis initium cœpit, neque Arabum Medicorum inventa ſunt omnia improbanda. Nec Arabes certe illi erant Medici, ex quibus Plinius tot ſuæ Natur. Hiſtoriæ locis accepit, quæ ſemina, aut radices, aut herbæ, reſve aliæ eſſent utiles ad ſudorem ciendum. Neque Arabs erat Andromachus, ex quo Galenus (*n*) antidotum deſcripſit quæ etiam febricitantibus daretur, *multumque moveret ſudorem*: neque Oribaſius (*o*), neque Aetius (*p*), neque Paulus (*q*) ex Arabica, ſed ex Græca Schola extiterunt; eorum tamen nemo remedia commemorare omiſit, quibus devoratis, aut epotis ſudores cieantur: quin duo ultimi peculiare de Sudorificis caput conſcripſere. Nec vero hæc eo dico, quod putem, iiſdem eruditis Viris non æque ac mihi, eſſe nota; ſed ut intelligas, nimio certa quædam remedia improbandi ſtudio aliquando fieri, ut eorum quæ probe ſcimus, obliti eſſe videamur.

21. Itaque in febrium epidemicis Conſtitutionibus prudentis Medici eſt nulli præjudicatæ opinioni mordicus adhærere, ſed per ſe attente animadvertere quo vergat natura, neque ex una obſervatione, aut fortuita curatione quid in cæteris ſit faciendum, exiſtimare. Vidi ego mulierem febri continua laborantem, quam e brachio ſanguine emiſſo, in quo parum ſeri fuiſſe memini, illico multo gravior corripuit febris, inſolitæ hactenus acceſſionis inſtar. Et ſane vera illa fuit intermittentis febris acceſſio, quam poſtridie altera excepit, & intra quartum diem mulier febre ſoluta eſt. Salubris igitur extitit quæ a primo metum incuſſerat, gravis illa acceſſio quæ ſanguinis miſſioni continuo ſucceſſit; ſiquidem febris ex continua facta eſt intermittens, quæ cito, & facile per ſe abiit. Sed fortuita mutatio iſta fuit, & vel ſine ulla ſanguinis emiſſione, ut puto, adventura. Non eſt opus exempla alia, crebrius inter medendum obvia, addere, ut quid mihi velim, intelligas. Verum non in eventu dumtaxat febrium, ſed & in prognoſticis eventus indiciis, quæ fortuito ab iis quæ non fortuito ſignificant, ſunt diſcernenda. Inter hæc vulgus etiam ponit, ac læte aſpicit puſtulas, & ulcuſcula, quæ circa labra oboriuntur; fortaſſe non perperam. Nam Albertinus quoque (*r*) illa fatebatur eſſe etiam criſium, *quæ poſt ſequuntur*, *indicia*, & ipſe, nec ſemel, animadverti, eventum ſpei reſpondiſſe: quanquam in continua peſſima febri fefelliſſe ſperantes, memini; tametſi per ſe, non *poſt terrorem*, & decimo quarto morbi die apparuerint, & *ſimul urina cum aliquali ardore mitteretur*: quæ cur ego hic adnotaverim, facile intelliges, ſi Commercii Litterarii certa quædam inſpexeris loca (*ſ*), ad ulcuſcula hæc labrorum, puſtulaſque ſpectantia. De hoc ſigno tamen non tot ipſe habeo Obſervationes, quot vellem. Sed aliud quod caſu, ut fit, animadvertere cœperam in urinarum inſpectione, quam rariſſime accidit ut falleret in permagno numero Obſervationum. Eo enim attentius, ſæpiuſque adnotare perrexi ex quo in duos gravium Medicorum incidi locos, quos, alia quantumvis de cauſa, in Sepulchreti hanc Sectionem (*t*) relatos videbis, Jouberti, & Gradii; Jouberti, inquam; neque enim verba quæ ibi, tanquam Schneideri, deſcribuntur, hujus ſunt, ſed Jouberti ab ipſo diſerte laudati Tractatu de Arthritide libro 1. cap. 6. quomodo Schneiderus erat citandus; non *Cap. de Arthritide*, & certe alibi, in Sepulchreto (*u*) ubi Scholii cujuſdam partem maximam ex Schenckio (*x*) ſumptam eſſe, animadverti, Jouberto verba illa tribuuntur. Hic igitur *arenulas febricitantibus non paucis* (*maxime morbo jam*

(*g*) Propemptic. ad Diſſert. J. B. Hoffm. (*h*) Vid. 38. Aph. Sect. 2. (*i*) Sect. 1. Aph. 21. (*k*) Sect. 4. Aph. 35.
(*l*) Reſp. ad Lipar. (*m*) in Boerh. Prælect. ad Inſtit. §. 425. not. *p*. (*n*) De Compoſ. medicam. ſec. loca l. 8 c. 7.
(*o*) Medic. Collect. l. 8. c. 17. & de Virt. Simpl. ubi de Calamintha. (*p*) Medic. tetrabibl. 1. Serm. 1. ubi de ead. & Serm. 3. c. 48. & 157.
(*q*) De Re Med. l. 1. c. 48. (*r*) in Opuſc. de Cort. Peruv. Tom. 1. Comment. de Bonon. Sc. Inſtit.
(*ſ*) A. 1745. Hebd. 31. & A. 1739. Hebd. 28. (*t*) Obſ. 40. & Schol. (*u*) l. 3. Sect. 25. in Schol. ad Obſ. 14.
(*x*) Obſ. Medic. l. 3. ubi de Ren. Symptom. Obſ. 3.

jam defunctis) copioſe cum urina mingi, ſcripſit, *nulla vel præſente, vel præterita etiam nephritide*. Gradius vero olim docuerat, arenas *apparere in declinatione febrium, & poſt longas febres*: diſtingui autem ab illis quæ ſignificant calculos, *quoniam ſi fricentur digitis comprimendo, facile diſſolvuntur*. Porro ego non in febribus ſolum, ſive eſſent vernæ, aut æſtivæ, ſive autumnales, aut hyemales, ſive intermittentes, ſive continuæ, ſive benignæ, ſive malignæ vel cum peticulis junctæ, ſive inter illas mediæ, aut interdum leviſſimæ, diuturnæ, aut breves, ſive in pueris, aut adoleſcentibus, ſive in viris, ſive in mulieribus, & his aliquando etiam prægnantibus, ſive demum ex frequentioribus cauſis ortæ, ſive interdum ex ſingularibus, ut ex ingeſto erodente veneno; non ſolum, inquam, in febribus, verum etiam in nonnullis aliis morbis, a febri ſejunctis, & nominatim in capitis acerbis doloribus, & apoplecticis quibuſdam affectibus, nonnunquam etiam ſenilibus, animadverti, quotieſcunque iſtæ arenulæ apparuerunt, ſæpius quidem febrim, aut morbum fuiſſe aut finitum, aut fini proximum, ſed haud raro tamen cum vel declinare necdum cœpiſſet, vel, ſi cœpiſſet, non ita manifeſto declinare pergeret, ut dubium adhuc eventum magis quam vellem, non relinqueret. Quemadmodum autem in morbi fine, aut in declinatione jam certa, & in dies majori facta naturæ victoriam confirmarunt; ſic ante declinationis initium, aut in dubia adhuc declinatione eandem victoriam ut plurimum portenderunt; namque aut morbus feliciter omnino deſiit, aut, ſi recidiva ſecuta eſt, ea levior, breviorque fuit. Semel dumtaxat, quod ad te alias (*y*) ſcripſi, hydropi qui febrim exceperat, ſoluto morbi alii graves, neque ita breves, ſed ii quoque ejuſmodi, ut ex iis æger convaleſceret, ſucceſſerunt. At ſemel omnino ægri interitus ex autumnali maligna febri, quem ego neque ante, nec poſt illum unum diem inviſi, ut febriſne, an peccatum aliquid poſtea aut ab ipſo, aut ab aſſidentibus, aut a Medico occiderit, pro certo neſciam, ut neque an arenæ illæ toto morbi tempore fuiſſent, an eo primum die apparuiſſent. Neque enim de iis loquor quæ ſemper, ſed de iis tantum quæ vigore morbi ad declinationem jam accedente, aut hac inchoata, ſe prodere incipiunt *adhærentes ſuperficiei*, ut Gradius (*z*) ait, *urinalis*; non *urinæ*, ut in Sepulchreto (*a*) deſcriptum leges, ubi ne liber quidem in quo hæc ſcripſit, indicatur. Nempe lotium in præclara luce inſpiciens, animadvertes vitreæ matulæ lateribus arenulas tenues adhærentes, nonnunquam tamen ſimul in urinæ ſuperficie natantes, ſubrufas ut plurimum, ſubalbas perraro, quales in Juvene quodam cum febris maligna, & peticulis ſtipata declinaret, vidiſſe memini.

22. Facta iſtius Juvenis mentio ad memoriam redigit ſanguinem, qui in ejus morbo quater, alias ex inciſa vena miſſus, alias per cucurbitulas eductus, præterquam quod æquo fluidior, ſeu molliori craſſamento ſemper fuit, tribus certe poſtremis ſive miſſionibus, ſive eductionibus hoc circumfuſum ſero habuit quaſi a commiſto chylo albeſcente. Quod non adnotaſſem, ſi in bene paſto, ut alias, & certa a ſumptis alimentis hora id vidiſſem. Sed inſecuto menſe alteri quoque Juveni ſanguis miſſus tertia, & rurſus quincta morbi die, utraque ſerum albicans oſtendit, exigua quidem copia, imo ad paucas omnino guttas tertia illa die, cum eſſet craſſamentum durum, & cruſta obductum mediocris craſſitudinis, quod fuit quincta mollius quam par ſit, & obductum cruſta non minus quam ipſum, craſſa, nec dura illa quidem, ſed ita tenaci, & ſectioni reſiſtente, ut cultro vix ac ne vix quidem ſcindi potuerit. Hic vero alter Juvenis febri laborabat, quæ ad malignitatem potius vergebat, quam eſſet maligna, multo priore illa tum brevior, tum levior, & ſine peticulis. In aliis autem malignis febribus in quibus hæ apparuerunt, neque albicans ſerum vidi, neque molliſſimum craſſamentum, imo hoc interdum æquo durius, quin duriſſimum in aliquo cui ſolebat alias eſſe mollius. Præterea memini, cum ſuper febribus quaſi peſtilentibus, quæ paſſim A. 1731. veris tempore in ea parte agri Patavini ſæviebant quæ circum Montaneanam eſt (ſic enim ſunt qui nunc dicant; Montanianum Petrus Bembus (*b*) dicebat) duo ex hoc Gymnaſio Medici, mandato Ampliſſimi Venetorum Magiſtratus conſuleremur, expoſitum nobis eſſe, etſi initio ægrorum ſanguis nimis ut plurimum ſolutus, tunc autem nimis concretus appareret, utroque tamen Conſtitutionis illius tempore peticulas ſe prodidiſſe, & vel tunc ſiqui forte diſſolutum haberent ſanguinem, his quoque promiſcue non ſecus ac cæteris, eaſdem provenire; ut proclive eſſet intelligere, malignam quidem illam vim, quæ in quam pauca, & tenui materia conſiſteret, communicatio morbi per contagium oſtendebat, illam, inquam, ut in una eademque eodem loco, & tempore Conſtitutione, unam eandemque eſſe; at ſanguinem, ut in his, illiſve erat aliter diſpoſitus, ita in aliis aliter vitiatum apparere: Atque ut aliud in aliis manifeſtum ſanguinis vitium tum alia, aut aliter in aliis quædam ſymptomata induceret, tum alia quædam, aut aliter in aliis remedia poſceret; eſſe tamen & quædam tum ſymptomata, tum remedia omnibus communia, quanquam illa his multo notiora: quis enim malignæ illius vis communiter omnes inficientis peculiarem naturam, niſi ex iis quæ communiter omnibus proficua, aut noxia obſervata eſſent, quadantenus conjicere ſe poſſe, crederet? Neque enim etſi febres hæ non omnino eſſent peſtilentes, hic cogitare quis poſſet cum celebri de Re Medica Scriptore, ægrorum robur non maligna vi, ſed copia ſanguinis obrui, quando præceſſerant cauſæ quæ hanc minuerent potius, quam augerent, & ſanguinis miſſionem experimenta jam ſatis ſuperque reperita oſtenderant pernicioſam.

23. Conjungi igitur cum maligna vi ſolutivam, aut coagulativam ſanguinis, in neutraque harum malignitatem conſiſtere, credibile eſt, præſertim cum alterutram in tot aliis, qui maligni non ſunt, morbis videamus. Attamen ubi alterutra magna ſit, & adjuncta habeat ſymptomata quibus malignitas ſignificetur, ut in primis citam maximamque proſtrationem virium; quæ neque in prægreſſas evidentes cauſas, neque in nimiam rejici poſſit, obruentemque ſanguinis copiam; ipſa quoque, ut quæ creberrime, & gravia quidem addens ſymptomata, cum malignitate ſolet conjungi, hanc quodammodo comprobabit, velut in multis, in eaque etiam quam ex Mediavia noſtro ſubjiciam, Obſervatione.

24. MULIER annos nata ad quinquaginta, maligna evidentiſſime febri correpta, in Noſocomium illata eſt. Pulſus diebus ſex primis exigui, & obſcuri, viſi quidem poſtmodum ſunt paulo vividiores fieri. Sed ingens pectoris in reſpirando anguſtia, & cordis palpitatio ingruentes, intra biduum mulierem confecerunt. THORACE propterea dumtaxat aperto, ſanguis repertus eſt in ſiniſtro cordis ventriculo ſemiconcretus; in dextero autem non modo ſic congeſtus, ut ipſum diſtenderet, ſed totus in concretionem polypoſam adeo conſtipatus, ut quamvis hæc carnea, cum aſpiceres, videretur; non minus tamen, ubi incidere conareris, cultro obſiſteret, quam tenaciſſima quævis cruſta, ſanguini inſidens pleuriticorum.

25. Sanguini autem concretionis, ſive, ut plures loquuntur, coagulationis num cauſam afferant acida, ut iidem autumant, an etſi quædam afferunt acida, non omnia tamen, ut aliis videtur, aut afferant, aut afferre pergant, ſi forte ex me quæras; ſimul dicam, alias præter acida eſſe poſſe cauſas unde ſanguis concreſcat, ſimul quaſdam meas in miſſo e venis ægrorum ſanguine attente, propiuſque inſpectando obſervationes adjiciam. Et primum, cum ego, idque non ſemel, in ſanguinem inciderim, qui acidum quendam odorem nauſeoſum, atque, ut ita dicam, ſylveſtrem exha-

(*y*) Epiſt. 8. n. 10. (*z*) Prax. in Non. Almanſor. tr. 3. c. 14. (*a*) in Schol. cit.
(*b*) Rerum Venetar. Hiſtor. l. 9. & l. 10.

exhalaret; nunquam accidit; quamvis in pluribus malignis morbis ſanguinem mittere coactus ſim; ut in eo ſanguine acidi odoris quidquam deprehenderem. Deprehendi autem in fœmina quam aſſidua æſtiva febris, itemque in viro, & ſexenni puero, quos vernæ intermittentes, benignæque, ut illa, tertianæ, alium alio anno exercebant, quibus vena certis cuique de cauſis ſecari debuit. Durum quidem puero, & perpauco cum ſero craſſamentum fuit; mediocriter autem firmum in illa fœmina, eoque viro, & in hoc certe cum ſero potius pauco, eoque ſubflavo. Quo etiam in viro accidit, ut cum odorem illum quarta a miſſione ſanguinis hora animadvertiſſem; poſt alias ſeptem percipere vix poſſem, non obſcuro indicio, fuiſſe ejus cauſam in corpuſculis facilius avolantibus, quam a cæterorum ſanguine, in quo poſt decem aut duodecim horas vigentem perceperam. Nec in iis ſolum de quibus indicatum eſt. Nam vel ubi nulla eſſet febris, ut in recurrente acerbo capitis dolore, itemque ut in ſcabie, idem ſanguinis erat odor, plurimo ſero præditi circum craſſamentum tenaci cruſtula obductum, in illo tamen cui caput dolebat, non ita durum, & nigrum, ut in ſcabioſo; quanquam uterque ſcabioſus erat. Ne vero ſanguinem putes in ſcabioſis omnibus acidum olere; in aliis non oluit, ut neque in Viro Nobiliſſimo quem erodens cutem cruſtoſa affectio, introrſum temere iis diebus repulſa, male habebat, ſanguine ſub lentiſſima craſſa pelle diffluens craſſamentum habente. Quin illi eidem ſcabioſo cujus ſecundo loco memini, cum eſſet quater intra quinque menſes ſanguis emiſſus, ex hoc acidus odor extitit non niſi ſemel. Sed ejuſmodi ſanguinis haud ita raram, ut vides, affectionem mittamus, ut multo rariorem, quæ Patavii anno ab hinc decimo, non olfaciendo, ſed tangendo percepta eſt, conſideremus.

26. Catharina B. honeſti viri Joſephi R. honeſta uxor, mediocri ſtatura mulier, temperatura autem ſanguinea, ut cum annum agenti decimum tertium menſtrua cœpiſſent, nec copia modica, eadem, vel majori fluere ſingulis menſibus perrexerint, etiam lactanti, & lac multum poſt primum, alterumque partum; bis enim peperit; gignenti, tum etiam poſtea febre inflammatoria quotannis & vere, & autumno, idque annis duodecim, laboranti, tametſi crebro ob eam febrim ſanguis mitteretur, imo etſi primam earum febrium tanta ex utero hæmorrhagia excepiſſet, ut ultra undecimum diem perdurans, magnam pulſuum infirmitatem afferret, quam & morbus regius ſecutus eſt; poſt duos tandem menſes, promota urinarum copia ſolutus: hæc igitur mulier, cujus temperaturam, morboſque omnes ut tibi hactenus memoravi, ita ſum inſequentes memoraturus propter illas cauſas quas, narratione abſoluta, attingam; cum annum agens undetrigeſimum de funeſto cariſſimi fratris caſu improviſum nuncium accepiſſet, animoque, acri alioquin, & intrepido, illico defeciſſet; ad ſe rediens, menſtrua, in quibus tum forte erat, emanſiſſe, animadvertit, poſtridie autem iterum vidit, non qualia antea, ſed aquæ inſtar in qua caro recens lota eſt: cujuſmodi, inſecutis deinceps aliquot menſibus, ſtatis temporibus prodiere. Quamobrem miſſus eſt ſanguis, nec ſemel, mox autem ſæpius in graviſſima oborta febri, quæ ſudore finita eſt. Verum poſt hæc ad priorem naturam menſtrua rediere, neque ipſis obſtitit duplex tertiana continua febris, quæ verno tempore quotannis, idque ad decennium, revertens, non niſi iterata ſanguinis miſſione, & dato cortice Peruviano, diſcedebat. Poſt id decennium, æſtate febres ejuſdem ferme generis ingruerunt, ſed eo acerbius, & periculoſius vexantes, quod ſævos conjunctos habebant totius ventris dolores, uterique hæmorrhagiam, tunc fere magis augeſcentem, cum illi nonnihil ſe remittebant. Pugnatum eſt modis omnibus, in his ſexies repetita ſanguinis miſſione, cujus ſerum croceum erat, craſſamentum autem durum, & cruſta polypoſa obtectum. Sed quamvis & febris, & illa ſymptomata nonnunquam imminuta ſint, nonnunquam, ut videbatur, ſublata; non tamen his omnibus eſt finis impoſitus, niſi per ipſam, magna, ſi unquam, copia reverſam uteri hæmorrhagiam die ex quo febres inceperant quadrageſimo quinto. Cito nihilominus convaluit mulier, atque ita convaluit, ut triginta quinque a poſtrema hæmorrhagia exactis diebus, menſtruis rurſus ſecundum naturæ modum redeuntibus, juſtoque tempore ſemper recurrere pergentibus, viginti ipſos menſes egregie valens traduxerit. Sed poſteaquam æſtate A. 1749. magnam, ſiti cogente, aquæ vim ſine ulla ſtomachi moleſtia ſæpius bibiſſet, quam annis ſuperioribus vel febricitans nullo modo ferre poterat, eo autem qui ſecutus eſt, autumno propter externas evidentiſſimas cauſas corpus laboribus, animum ægritudine afficientes, in nauſeam, vigilias, dolorem capitis, laſſitudinem incidiſſet; illud acceſſit proxima hyeme, ut cum thorax, & caput valde æſtuarent, venter, artuſque inferiores frigerent, nec veſtibus, nec ullo alio auxilio ſatis a frigore defendi poſſent, itemque ut horrore per dorſum vagante corriperetur a prandio, noctu autem magis cum in lecto ſe ex uno in alterum converteret latus: quin etiam tremoribus, ſiquid ſomni caperet, & repentinis terroribus excitaretur; quanquam nec deerant diurni quidam, falſam certe quadam in re imaginationem conſequentes, ob quos identidem animo deficiebat. Hinc illa omnia de quibus noviſſime dictum eſt, in dies augebantur, & internæ oppreſſionis ſenſus urgebat, caputque in primis grave adeo factum erat, & vertigini obnoxium, ut mulieri fulcro opus eſſet, ne caderet. Agebat tunc annum quadrageſimum tertium, cum Medicum accerſivit ſuum; is a quatuor annis jam erat Mediavia noſter; eique ipſis Nonis Maji A. 1750. hæc narravit omnia, illudque inſuper quod in ejuſmodi muliere præcipua eſt adnotatione dignum, menſtrua, quorum copia quæ ſemper fuiſſet, ex ſuperioribus intelligitur, & quæ proxima æſtate non minor fuerat, tametſi bis ſingulis fluebant menſibus, & quam conſueſſent, calidiora, atque adeo calidiſſima, jam ſibi ex quo ſic affecta eſſet, non modo imminuta, ſed frigida prodire cœpiſſe, & frigida etiam noviſſime prodiiſſe. Quibus auditis, alvo, cujus adſtrictioni mulier ſemper obnoxia fuerat, confeſtim, ſed leniter, ſoluta, imperatur ſanguinis miſſio, quo non proſiliente, ſed lentius defluente, illud quod prolixæ hujus meæ narrationis cauſam præbuit, ſimul ab ægra, ſimul a Chirurgo, ſpectatæ fidei æque, ac experientiæ viro, Daniele Faſolato ſumma cum utriuſque admiratione animadverſum eſt, ſanguinem, cujus exeuntis vehementem fervorem & illa alias, & Chirurgi, vas quo excipitur, vitreum manu tenentes mirabundi interdum perceperant, nunc adeo frigidum prodire, ut ægra de gelida; ſic enim ajebat; per cubiti flexuram defluente quereretur, Chirurgi autem manus frigore afficeretur. Paucum, & croceum ejus ſanguinis ſerum fuit; nigrum, & viſcidum craſſamentum. Cujuſmodi & frigore, & ferme etiam natura fuit is qui veſpere miſſus eſt de pede. Cum prope nullum eſſet hinc, & a remediis quibuſdam, ut vocant, cardiacis levamen relatum; non dubitavit Medicus in ejuſmodi præſertim fœmina, quo ſanguis in majorem motum concitaretur, poſtridie e brachio, & pede mittere eodem tempore. Et voto reſpondit eventus. Nam & ſanguis prodiit non adeo frigidus, & dum prodiret, demi ſibi oppreſſionis ſenſum, mulier ajebat, & veſpere oborta febricula, noctu inferiores partes, quæ ſuperioribus menſibus ſemper riguerant, nonnihil calefecit; mane autem remiſit, & mulierem mox reliquit. Bene hæc ſe habuit dies decem, inferioribus artubus tepidis, pulſibus qui duri, parvi, humiles, prementi digito non reſiſtentes antea fuerant, nunc oppreſſione ſublata, in melius converſis, uriniſque ipſis quæ prius, ut multæ, ſic crudæ, & limpidæ excernebantur; jam ad naturalem modum, coloremque accedentibus.

27. Accipe nunc reliqua; neque enim ſatis eſſe, duco, quæ prægreſſa, & comitata ſint ejuſmodi ſanguinis affectionem propoſuiſſe, niſi & quæ deinceps conſecuta ſunt omnia ad certum uſque tempus memorentur. Igitur decimo exacto die, ecce levis dolor eam partem metatarſi ſiniſtri pedis invadit quæ digito pollici reſpondet, breviſſimus ille quidem, ut cum ſemel primo die, poſtridie autem tredecies ingrue-

gruerit, intra ſemihoram quinquies recurreret, atque ita evaneſceret, ut paulo poſt illo eodem die mulier exire domo potuerit vix aliquo cum incommodo, niſi revertens cecidiſſet repente, & ſine ulla exteriore cauſa, in latus dexterum, nec niſi aliorum adjuta manibus ſurrexiſſet. Domum tamen reverſa eſt: ibique levis primum is dolor, poſtridie autem magna cum febri acutus adeo, atque aſſiduus rediit, ut totum illum diem acriter vexarit, nec niſi opio dato quieverit. Inſequenti die ſine dolore, & febri fuit; ut bene habens e lecto ſurrexerit. Die autem proximo convulſione pectoris, & colli vehementi correpta eſt. Deinceps a febri, & dolore, quibus ſe magna addebat convulſio, male habita eſt, remittentibus quidem interdum vel ad triduum, alias vero perſtantibus, aut invaleſcentibus adeo, ut vix ſpiritum ducere liceret, & denique caput gravi ſopore premeretur. A prima illa convulſione dies undecim cum morbo pugnatum eſt alias dato oleo ex dulcibus amygdalis recens expreſſo, alias antiſpaſmodicis pulveribus ejuſdem generis ac qui a Marchione nomen habet, cinnabari interdum, nonnunquam opio, quod in medio morbi curſu deſertum eſt, cum inutile vel datum ad duo grana deprehenderetur, ſæpius autem vena, ſemel videlicet in brachio, bis in manu, ter in pede inciſa, unde noviſſime emiſſus ſanguis & ſoporem illum, & convulſionem ferme ſuſtulit, ſebri ſuperſtite, quæ mane quotidie ſe prodebat ſiti, ac dolore capitis, & ſtomachi hactenus ſtipata dum ad vigorem perveniret, illis deinde ceſſantibus, & febri ipſa adeo ſe remittente, ut veſpere nulla eſſet propemodum, & ægra noctu ſic ſatis dormiret. Quæ febris cum dies aliquot ad eundem modum perſtaret, Peruviano cortice vix ad unciam partite ſumpto, mulierem incolumem reliquit. Ab eo tempore triennium ſine ullo incommodo traductum eſt, quod eſſet adnotatione dignum. Poſtea autem dolores, febres, convulſiones, alia ejuſmodi redierunt, ſed prioribus leviora ſemper, & citius largis ſanguinis miſſionibus cedentia. Ad quæ jam olim a me litteris mandata, hæc placuit addere, quæ cum hæ Epiſtolæ ſub initium A. 1760. deſcriberentur, ſedulo a me quæſita de eadem muliere accepi. Anno illam 1758. qui ejus ætatis quinquageſimus primus fuit, menſtruis denique purgationibus carere cœpiſſe, quæ ad id tempus & uberrimæ, & coccineæ eſſe perrexiſſent. Nihilominus ſic ſatis valuiſſe, & valere, niſi quod fere aſſiduus in ventre eſt glaciei ſenſus: qui cum inde ad pectus aſcendit, eam affert reſpirandi difficultatem, ut continuo ſanguis, neque copia modica, mittendus ſit. Nec deeſſe quæ id ferant, vires mulieri, bonum adhuc & corporis habitum, & faciei colorem ſervanti.

28. Habes de affectione ſanguinis haud minus fortaſſe admiranda quam cum apud Lowerum (*c*) in immani hæmorrhagia totus propemodum effuſus, ſimul autem juſculis identidem ſumptis inſtauratus, his quam ſibi ſimilior efflueret, homine tamen non vivente modo, ſed ſanitati reſtituto; habes, inquam, omnia ex Mediaviæ noſtri Medica ephemeride, prolixe a me quidem, ſed, ut puto, haud inutiliter excerpta. Quanto enim difficiliores hujuſmodi res habet explicatus, tanto diligentius danda opera eſt, ut ab iis qui explicandam forte ſuſcipiant, nihil ex hiſtoria deſideretur, ſecus atque in aliis accidit in quas hactenus incidi, Obſervationibus ejuſdem generis. Ut enim quod Spigelius noſter (*d*) ſcripſit de *ſanguine craſſo ac frigido*, quem e ſecta vena poſt frigidam ab æſtuantibus epotam vidit, nec ſine difficultate, prodeuntem, omittam, quippe cum potius ab æſophagi frigore intra adſitam arteriam Magnam denſiorem craſſioremque factum, quam actu frigidum videatur intelligere; certe quæ Obſervatio olim apud Riverium (*e*) propoſita eſt in muliere admodum iracunda, quæ intra quinctam a ſecta vena diem interiit, tantum abeſt ut ſciamus, quibus prægreſſis cauſis, aut comitantibus ſymptomatibus febris illa eſſet qua tunc aſſidua laborabat, ut Thomæ Barthodino (*f*) per divinationem, ut ita dicam, conjiciendum fuerit, horrorem perpetuum illi febri comitem fuiſſe. Petrus autem Borellus (*g*) ſatis hoc habuit ſcribere, equitum ducem *ſanguinem frigidum, in morbo phlebotomatum, emiſiſſe*; ut ne morbum quidem quo tenebatur, aut quis id retulerit, doceamur. Sed & explicationem addit ejuſmodi, ut mirum ſit, non jam contigiſſe id nonnunquam, ſed potius non ſemper, aut non multo ſæpius contingere. Denique Gabriel Clauderus (*h*) explicationem producens aliam, ſecundum quam in graviſſimis apoplexiis ſemper, aut plerumque id accidere deberet; idem quod apud Riverium eſt, ait, ſe in duabus Matronis violento paroxyſmo apoplectico correptis obſervaviſſe, proſiliente videlicet, dum e vena emitteretur, in ſuam quoque manum frigido ſanguine; illarum autem utramque per adhibita, ac data volatilibus fœta particulis medicamenta reſtituiſſe. E vena autem mulieris noſtræ haud proſiluit ſanguis, ſed lente defluxit; ut aliquanto facilius huic ſuam, qualis ea cunque eſt, Clauderus explicationem accommodaſſet. Idem ſubjicit (*i*) ſanguinis frigidi e naribus ſtillantis, & urinæ frigidæ prodeuntis Obſervationes. Quod ſi contigiſſet, ut ſerius ſcriberet; adjicere potuiſſet alias tum lotii frigidi emiſſi, ut puta a milite (*k*), & a puero (*l*), utroque maligna lethali febre prægravato, hoc inſuper jam toto frigido, tum fœtus gelidi ejecti, non ſolum jam mortui, & a gelida jam matre, ac mox intra horam moritura (*m*), ſed & vivi a victura (*n*) ea toto corpuſculo *frigiditate intentiſſima*, & ea *rigiditate plane inſolita & quaſi lignea*, ut ab ortu ad triduum quod vixit, niſi reſpiraſſet, idque admodum leviter, pro mortuo ab omnibus habitus omnino eſſet. Neque exemplum omiſiſſet Clauderus illuſtris Fœminæ (*o*), cui *aliquot ante mortem diebus exſpiratio ſemper fuerat frigidiſſima*, in extincta autem cum pulmo uterque *copioſos* haberet *ſcirrhos & vomicas*, ſiniſter *tactu exceſſive inſtar glaciei frigidus* inventus eſt, *quale frigus neque in altero* pulmone, *neque in ulla alia corporis parte obſervabatur*. Sed nos & mortuos, & cito morituros ſeponamus, eoſque dumtaxat quos ſervare potuit Clauderus, quamvis frigidus e naribus ſanguis ſtillaret, aut urina frigida prodiret, cum muliere noſtra, quæ ipſa quoque ſervata eſt, comparemus. Certe & ægræ noſtræ menſtrua frigida provenerant: quanquam ſatis diſcriminis eſt inter ſanguinem ex inciſa vena ſtatim manantem, & ſanguinem in narium, uterive, ac vaginæ caveas ſtillatim excidentem, humoremque tandem, poſtquam e ſanguine ſecretus eſt, per viam longiſſimam defluentem; ut aliquanto minus difficile ſit, intelligere, quomodo hæc frigida exire, quam quomodo in vena ſanguis frigidus eſſe potuerit. Quod ſi ut inferiora, ita ſuperiora etiam corporis in ægra noſtra tunc friguiſſent; fortaſſe alicui veniret in mentem dicere, cum reliquus ſanguis qui per viſcerum penetralia interea flueret, ſic ſatis calidus, vitæque ſervandæ aptus eſſet, eum dumtaxat qui per exteriores venas, ipſique cuti ſubjectas ferretur, ab hujus frigore refrigerari potuiſſe. Verum ne huic quidem explicationi, cujuſquemodi ea ſit, hic ullus eſt locus. Nam & ſuperiora æſtuabant, neque mulier de ſanguinis defluentis frigore conqueſta eſſet, niſi cutis minus quam ſanguis, fuiſſet frigida. Qua igitur ratione ſanguis poſſit non modo qualis in piſcibus eſt, ſed frigidior in viventibus, victuriſque hominibus interdum eſſe, ipſe quo ingenio es, diſquires. Mihi vero, cui hiſtoriam ſumma fide propoſuiſſe, cum aliiſque comparaſſe ſatis eſt, ad alia quæ tametſi miranda non ſunt, ipſa ad memoriam revocavit, eſt tranſeundum.

29. Cum

(*c*) Tract. de Corde c. 2. (*d*) De hum. corp. fabr. l. 6. c. 2. (*e*) Obſ. communic. 46. (*f*) Cent. 4. Epiſt. Med. 47.
(*g*) Cent. 2. Med. Phyſ. Obſ. 51. (*h*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 4. Obſ. 138. (*i*) Ibid. Obſ. 139. & 140.
(*k*) Earund. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ 206. (*l*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 34. (*m*) Eph. N. C. Dec. 3 A. 5. & 6. Obſ. 80.
(*n*) Earund. Cent. 9. Obſ. 30. (*o*) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 21. n. 4.

29. Cum Bononiæ degerem, honeſtus vir quotidie frigore corripiebatur, quod etſi nullus ſequebatur calor, de duobus nobilibus Medicis alter pro febri, alter, quoniam æger, eo frigore correptus, cadebat, pro vertiginoſo affectu malebat accipere. Perſanatus eſt uſu cardui benedicti, & ſpiritus ſalis ammoniaci.

Mulierem quoque memini annos natam ad quinquaginta in illud S. Mariæ de Morte Noſocomium exceptam, ſingulis noctibus a certa hora ad matutinum uſque tempus frigore prehendi cum tremore, quem pulſus non crebrior quidem, ſed obſcurior factus, neque aliud præterea comitabatur incommodum, neque calor ſequebatur febrilis. Quin pedibus erat aſſidue frigidis, & ſæpe aliis quoque, ſed incertis, horis brevi frigore, tremore, & pulſus obſcuratione corripiebatur. Cum viginti jam dies res ad hunc modum ſe haberent; dato cortice Peruviano, primi omnium erratici illi rigores abiere, periodici autem remiſere, demum hi quoque fine redeundi facto, incolumem fœminam reliquere. Sed hi ad febrim ſui generis ſpectare mihi quidem ſunt viſi. Tremores autem alios, febrilium quidem ſimillimos, ſed cum vero frigore non conjunctos, nedum calore nullo exceptos, quos meæ Civitatis Patricium Virum alternis noctibus invaſiſſe, ſcio, alio retuli, ipſoſque multis ſponte urinis, multiſque lenis pharmaci auxilio per alvum ejectis ſublatos vidi ſine illo cortice: quanquam periodicos quoſdam affectus, ſive febriles ii ſint, vel abſque eo ſæpe abigi, nemo ignorat, ſive non ſint, eo nonnunquam pervinci, a pluribus adnotatum eſt.

30. Cujus vi corticis (ubi perpaucas, in quibus minus reſpondere viſus eſt, Conſtitutiones excipias) longe certius, ſi quidem eo quo par eſt, & tempore, & pondere ſumatur, febres profligari periodicas, ſive illæ intermittant, ſive ex intermittentibus jam ſint factæ aſſiduæ, ſive benignæ, ſive malignæ ſint, & pernicioſæ, nunc ferme inter omnes conſtare, arbitror, quando vel quoſdam noſtrates Medicos, quos timor olim, & averſatio neſcio quæ a corticis uſu abſterrebant, feliciſſimæ ejuſdem ope, promptiſſimæque pernicioſarum febrium curationes, quas a nobis quoque in pluribus, ſplendidiſque etiam perſonis jam ante multos annos peractas viderunt, in meliorem adducere potuerunt ſententiam. Sed juſti quo remedium hoc exhibendum eſt, temporis notitia medentes fugere nonnunquam poteſt non tam eorum in præſentiendo imminentem perniciem incuria, quam caſu, velut accidit in Cardinali Eminentiſſimo Joanne Franciſco Barbadico, quem exitialis febris acceſſio propemodum ſuſtulit priuſquam febre teneri ipſum periodica, ſciri poſſet. Res per ſe, nedum quia in principe Viro contigit, cujus tibi alias (*p*) noviſſimum morbum deſcripſi, ſane digna eſt quæ commemoretur. Cum enim ſtatim ſub meridiem ſe in cubiculum incluſiſſet, neque oſtium hora qua ſolebat, recluderet; famuli nihil primum, niſi ſacris precibus, aut lectione diutius detineri, poſtea autem cum jam adveſperaſceret, mali aliquid ſuſpicati, oſtium leniter, deinde cum reſponderet nemo, validius, ſed fruſtra, pulſantes, inclamanteſque, denique per feneſtram ingreſſi, herum ſine voce, ſenſu, motu jacentem invenerunt. Accerſitus confeſtim Medicus præter hæc mala, quæ tamen magis magiſque jam remittebant, convulſivos tendinum ſubſultus, febrimque deprehendit. Quæ, cæteris illis omnibus intra horulam per ſe abeuntibus, una reſtitit. Poſtridie mane Valliſnerius, & ego advocamur. Quæritur, quis, & unde fuerit heſternus ille repentinus, & graviſſimus morbus; quem febris ſolverit, ut videbatur. Narrat Medicus, eryſipelas non multis ante diebus in facie apparuiſſe. Verum aeris fortaſſe injuriis; erat enim autumnus A. 1729. æger autem magis de ſuis Epiſcopalibus muniis, quam de ſe, ſolicitus, nunquam decumbere voluerat, neque intra cubiculum ſe continere; introrſum repulſum, de improviſo evanuiſſe. Heſterni morbi ſe nihil niſi finem vidiſſe: quem autem ad modum ingruiſſet, ne ægrum quidem ſcire, cum quid ſibi tot illis horis acciderit, neque tum ſenſiſſet, nec modo aliud reminiſceretur, niſi ſe, quaſi a tempeſtate frigidulum, lectum petiiſſe. Hæc eadem æger confirmabat, quem alacri, ut ſolebat, erectoque animo invenimus, jam levius leviuſque febricitantem, nullo eorum quæ pridie fuerant, veſtigio ſuperſtite. Quæ tametſi quem proprie ad morbum referremus, non una de cauſa dubitabamus; aliquid tamen monſtri intus ali, cum Hippocratis aphoriſmus (*q*), tum ratio quoque ipſa dubitare non ſinebant. Hanc igitur, illumque ſecuti interea dum clarius aliquod lumen exiſteret, materiam eryſipelatis, quæ introrſum regreſſa, magnum, ut jam cœpiſſet, poſſe rurſus afferre periculum videbatur, extrorſum iterum pellere oportere, facile agnovimus, & Medico, Seni utique experienti, & ſpectato, aſſenſi ſumus, qui jam prima illa nocte iis datis quæ ſine turba ad cutem ferrent, obſequentem naturam habuerat, ut & noctu ſudor, & tunc aliquis adhuc mador ſequeretur. Et toto quidem illo die novi, quod animadverteremus, nihil fuit. Sed nocte proxima ecce febrilis acceſſio, quæ tamen præter quoſdam convulſivos tendinum ſubſultus, nihil quidquam grave oſtendit uſque ad meridiem. Quo demum tempore aut eadem, aut altera potius acceſſio tot ſimul, tamque horrifica mala protulit, ut continuo omnes arceſſeremur. Ægrum invenimus, qui nec loqui, nec percipere quidquam poſſet, cum difficillima reſpiratione ſtertentem, apoplectici ſimilem, niſi aſſiduis tendinum ſubſultibus agitaretur, pulſibus autem perobſcuris, & nihil prementi digito reſiſtentibus. Tunc enimvero manifeſtum fuit quò nudiuſtertius morbo correptus eſſet, hancque eſſe alteram pernicioſiſſimæ tertianæ febris acceſſionem, quæ primæ illi, ut hora, ita etiam gravitate, & numero ſymptomatum reſponderet, vel potius antecelleret. Nec ſpes erat per ea quæ exterius dumtaxat tunc facere liceret, imminens exitium retardandi, cum mala omnia, quæ modo diximus, magis magiſque ſub oculis, manibuſque noſtris ingraveſcerent; ut ex iis qui viderunt; complures autem viderunt; fuerit nemo, quin pro certo haberet, ac per urbem totam inexpectato optimi Paſtoris caſu perculſam, pronunciaret, mox eſſe moriturum. Quo etſi in metu ego quoque eram; ſpeculæ tamen aliquid ſupereſſe, dicebam, ſi forte hæc pariter acceſſio, ut prior, remitteret, ſi non eadem hora, quippe gravior, at una, aut altera tardius. Itaque ab ſociis Medicis, ſub veſperam, tanquam a conclamato, diſcedentibus, quæſivi, num quidquam, ſi acceſſio remitteret, obſtare crederent quo minus Peruvianum corticem darem: illi vero, ſi modo fieri poſſet, ut interea neque in cerebro, neque in pulmonibus ſanguis pertinacius hærere cœpiſſet, aſſentiri ſe, reſponderunt. Intra primas noctis horas paulatim pulſus minus malos fieri, & apparere ſudorem, animadverti: deinde ſenſim pariter, ſenſimque ægrum ad ſe redire, & intra eam noctem, qua ipſe domum reverti nolui, exitialia omnia ſymptomata prorſus evaneſcere; ut ſummo mane, reſtituta deglutiendi facultate, & febri ad juſtam remiſſionem perducta, jam eſſet remedio locus. Quod, ſicuti in ejuſmodi graviſſimis periculis facere cum Eximiis Medicis ſolitus ſum, tum ex iiſdem corticibus apparari antea juſſeram, non quorum ſpecies ſenſuum dumtaxat fallaci interdum indicio ſe magis commendaret, ſed quorum ope intermittentes febres pro certo abactas eſſe, conſtaret, tum ad ſemunciam in primo hauſtu ſumendum dedi; reliquum autem, quod triplum erat, in multo minores partes per juſta intervalla diſtribui. Eaque ratione conſecuti ſumus, ne ingrueret acceſſio tertia, procul dubio ægrum, quem ſecunda prope confecerat, ſublatura. Sed ne ſecunda quidem ingruiſſet, ſi in primæ remiſſione idem facere veniſſet in mentem. Non venit autem, introrſum verſi eryſipelatis, quod certum erat, materiam ſpectantibus, non febris: quam, non conſecutam, ut ſæpius ſolet, mala illa graviſſima, ſed attuliſſe, & periodicam eſſe, quis divinaret? quando neque initium

(*p*) Epiſt. 13. n. 3. (*q*) 25. Sect. 6.

tium ipſius viderat quiſquam, neque Patavii ea tempeſtate febris ulla ejus generis erat animadverſa; etſi per illos dies, ut poſtea novimus, in Civitate non ita diſſita eadem fuerat, ægrumque illuſtrem, dum corticis oblatio ab una ad alteram intermiſſionem differretur, proxima acceſſione jugulaverat. Quamobrem tu, cujus gratia hæc ſcripſi, ſiquando caſus ejuſdemmodi incidat, cujus initium ignotum ſit, tametſi cauſa eſſe manifeſta videatur; noli omittere de natura febrium, quæ tunc vagentur percuntationes; neque enim ſemper id quod nobis, accidet, ut quæ prima pernicioſi generis exiſtat, ea tibi curanda obveniat.

31. Nec vero, ſi æger non ſenex ſit, ejuſmodi febris immunem fore, credito propterea quia Doctis Viris ipſam nunc placeat *febrim intermittentem ſenum ſoporoſam* vocare. Etſi enim ea ætate ſæpius contingit, & ſeptuagenario erat major tum Cardinalis de quo modo dictum eſt, tum generoſus Comes M. Ant. Trento, quem annis ante eum quinque ab eadem febri periclitantem eodem remedio curaveram, eorum neutro, quod minus frequens eſt, in febrim recidente; tamen & Mortonus (*r*) puerum duodecennem, & Tortus (*ſ*) puellum teneræ ætatis, nedum aliam in medio adoleſcentiæ curſu his, quas *lethargicas* appellabat, febribus laborantes, propoſuere. Pariter non quia primos paroxyſmos, aut primam alicujus paroxyſmi partem ſine profundo iſto ſopore ægri tranſegerint, velim ſine metu ſis, ne in ulterioribus paroxyſmis, aut paroxyſmi partibus ſopor ingruat. Nam quamvis ſæpius antea, quin multo antea; non raro tamen ſeptimo demum paroxyſmo advenit: & quamvis in ipſa paroxyſmi invaſione ſimul invadere plerumque ſoleat, ut Sydenhamius quoque (*t*) ſignificat, idque tempus, juxta Harveii (*u*) diſſectiones mortuorum in principio acceſſionis, remoræ ſanguinis ſit opportunum; non deſunt tamen exempla gravis ſoporis non modo aliis paroxyſmi temporibus, quod non infrequens eſt, ſed, quod perrarum eſt, hoc declinante advenientis, quale in Commercio Litterario (*x*) adnotatum videbis.
Hic tu indicia fortaſſe optabis, per quæ dum febris a benigna non videtur differre, conjicere poſſis, pernicioſum iſtud ſymptoma eſſe adventurum. Id & alii optaverunt non minus, quam noſcere ſiquis forte ante annum 1731. ejuſmodi febres obſervaſſet. Cujus utriuſque voti vel uno lecto, quem laudavimus, Torto, facile compotes fieri potuiſſent. Qui cum ſcripta ante finem ſæculi XVI. ab Ludovico Mercato, & rurſus ante finem ſæculi XVII. ab Richardo Mortono de Pernicioſis Intermittentibus Febribus in celebrem Therapeuticen ſuam (*y*) non ſine additis Scholiis tranſtuliſſet, perfecit, ut ſcire omnes poſſent, Hippocrati, & Veterum non paucis ignotum non fuiſſe, Intermittentes Febres aliquando malignas fieri, & exitiales (*z*), tum quibus ex ſignis Mercatus generatim docuerit intelligere, eas fore pernicioſas (*a*), ſpeciatim vero in illis de quibus loquimur, pertimeſcere, ne *tertia, aut quarta* acceſſione *gravis ſomnus, vel gravis alia ex ſoporiferis* affectionibus *omnino eſſentialis fiat* (*b*). Nec vero prætereunda ſunt quæ Tortus quoque & generatim, & ſpeciatim ex propria obſervatione ſigna propoſuit (*c*), & productis ſuo loco hiſtoriis tum ad cætera genera (*d*), tum ad hoc quo de agitur (*e*), pertinentibus confirmavit. Quibuſcum junges quæ ab altero Illuſtri Medico adjecta ſunt ſigna ad hoc idem genus ſpectantia (*f*). Soporis autem graviſſimi mox adventuri indicium videbis apud Tortum (*g*) hoc inter cætera, quod æger interdum balbutiens verba mutilet, vel unum pro alio proferat, *non ſecus ac ſi levi apoplexia in linguæ paralyſim degenerante foret detentus*. Eſt etiam apud eundem Vetulæ hiſtoria (*h*), cui in febris excerbatione cum accidiſſet non modo ut recte verba proferre non poſſet, verum etiam manifeſta aliqua oris contorſio, in ſequenti exacerbatione cum iiſdem ſopor inſuper gravis acceſſit, in proxima autem, apoplexia, quæ in paralyſim dexteri totius lateris tranſivit: atque ut ſcias, hæc a febri fuiſſe; uſu Peruviani corticis ſublata ſunt. Intelligis non ſolum quæ ſoporem, & poſt hunc apoplexiam interdum prænunciarint, ſed ſimul apoplectici potius generis, quam lethargici iſtum eſſe ſoporem, præſertim cum eo ſtertore conjunctum, qui cum graviori apoplexia jungi ſolet. Quæ ſpectantes Sydenhamius (*i*), aliique inſultum hujuſmodi *Apoplexiæ veræ ſimilem plane* eſſe, ſcripſerunt, & Tortus ipſe (*k*), tandem, niſi per corticem inhibeatur, *fortis Apoplexiæ inſtar* occidere, Mortonus autem (*l*) puerum quem ſupra memoravimus, bis inventum ab ſe, ait, *ſtertentem, cæteriſque Apoplexiæ fortiſſimæ ſymptomatis affectum*, ſenem autem Avunculum ſuum (*m*) multos jam annos hebetem & ſomnolentum, *apoplexia* correptum fuiſſe, retulit, ejuſdem generis, ut inſultu remittente, utrumque cortice eodem, larga manu dato, ſervaverit. Senis vero hujus hebetis & ſomnolenti, & obeſi inſuper commemoratio, cum hiſtoriis aliis conjuncta, & ſpeciatim cum ea quæ in Commercio Litterario (*n*) ab diligenti ſane, ac ſolerti Obſervatore deſcripta eſt, Anus videlicet quæ diu antea brachii ſtupore, & debilitate, mox etiam capitis gravitate, vertigine frequenti, & magna pedum laſſitudine afflicta, ſopore profundiſſimo in febris intermittentis paroxyſmis corripiebatur; hæc, inquam, exempla ſolicitum facere te debent in febribus intermittentibus quæ homines detineant iiſdem, aliiſve capitis ejus generis, aut nervorum affectibus obnoxios, ne forte ſopore iſto terrifico, aut, ipſo etiam non prævio, apoplexia prehendantur. Namque ut ex laudato Obſervatore (*o*) exempla ſuppetunt *apoplexiæ immedicabilis*, & *apoplexiæ ſubito* occidentis, quæ ſoporem ſecutæ ſunt, ſic & alia habemus in quibus *abſque ſoporoſo affectu prægreſſo*, intermittentibus correptos febribus rapuit apoplexia. Igitur ubi æger iis erit obnoxius malis de quibus dicebamus; illi præſertim, ſicut alii, fac corticem & tempeſtive præbeas, & juſto ut tempore poſſit retineri cures; is enim quem ſubito apoplexia occiſum retulimus, nequaquam potuit retinere. Quæ me res in Comite Trento, ſimul quaſi apoplectico, ut dictum eſt, ſopore, ſimul nimia alvi lubricitate affecto, eo magis anxium habuit, quod ejus Fratrem annis ſuperioribus repentina apoplexia ſublatum fuiſſe, non ignorabam. Sed in paroxyſmi remiſſione iis quæ ventriculum corroborarent; opii enim vel pauxillo tunc uti veritus ſum; ſic ſatis admiſtis, ut retineretur cortex, operam dedi. Deus autem meis annuit votis.

32. Non puto, gravius te ferre; non mirari autem, certo ſcio, quod pro mortuorum ex hiſce febribus anatomicis Obſervationibus, Obſervationes protulerim in viventibus habitas. Noſti enim cum in ea, quæ in Sepulchreto eſt de Febribus Sectione quaſdam hujus quoque alterius generis hiſtorias (*p*) proponi, tum præſertim a periculoſis diſſectionibus me refugere conſueviſſe. Quo minus, opinor, expectabis ſectiones a me inſtitutas eorum quos malignæ febres variolis ſtipatæ abſumpſere, cum ſcias, me necdum variolis fuiſſe correptum. Neque enim tanti ſum animi, ut imitari audeam Theodorum Zwingerum, qui ut in Sepulchreto (*) etiam leges, cum eo nunquam morbo laboraſſet, puerum eodem occiſum diſſecuit. At enim, inquis, vel peſte ipſa peremptorum cadavera, jam frigida præſertim, diſſecta, nocere negarunt Doctiſſimi Viri. Ego vero hos legi; ſed quid Thomas Bartholinus (*q*), & Isbrandus Die-

(*r*) Pyretolog. Exerc. 1. c. 9. Hiſt. 25. (*ſ*) Therapeut. Special. ad febr. period. pernic. l. 4. c. 3. Hiſt. 9. & 1.
(*t*) Epiſt. Reſponſ. de Morb. Epidem. (*u*) Exercit. 1. de Mot. cord. & ſangu. c. 16. (*x*) A. 1740. Hebd. 13. n. 2. (*y*) l. 2.
(*z*) Ibid. c. 4. Schol. 1. & c. 8. Schol. 1. (*a*) Ibid. c. 2. ante Schol. 3. (*b*) Ibid. c. 3. ante Schol. 3. (*c*) l. 3. c. 1.
(*d*) l. 4. c. 1. & 2. (*e*) Ibid. c. 3. (*f*) Vid. Commerc. Litter. A. 1733. Hebd. 52. (*g*) l. 3. c. 1. (*h*) l. 4. c. 4.
(*i*) Epiſt. cit. (*k*) l. 3. c. 1. (*l*) Hiſt. 25. cit. (*m*) Hiſt. 26. (*n*) A. 1738. Hebd. 33.
(*o*) Commerc. Litter. A. 1731. Specim. 24. n. 3. & A. 1734. Hebd. 13. poſt n. 2. (*p*) Append. ad Obſ. 10. & 29.
(*) in Additam. ad hanc Sect. Obſ. 19. cum Schol. (*q*) Conſil. de Anat. Pract. n. 3.

Diemerbroeckius (*r*), qui eoſdem legerant, cenſuerint tamen, animadverti. Nam primus, *nollem*, inquit, eorum rationibus *nimium fidere*; alter vero, cadaver, cum jam plane perfrigeratum eſt, *multo quidem minus contagioſum eſt, quam corpus morboſum vivens*; contagioſum autem eſſe, non negavit, imo exemplo ſuo quid ſentiret, oſtendit, cum, etſi erat qui carbunculos in ejuſmodi cadaveris ventriculo ſe ipſi oſtenſurum promitteret; (*ſ*) ſibi, ait, *non placuiſſe irritare crabrones, & aperta abdominis cavitate contagii periculo ſe exponere: illudque ſe credere, quam videre, maluiſſe*: & rurſus (*t*) cum in *refrigerato* cadavere exatuhemata per artuum muſculos altius pergere, a Chirurgis, ſe præſente, demonſtratum eſſe, narraſſet; an viſcera quoque iiſdem inficiantur, *oculorum experientiam non habeo*, inquit, *propterea quod licet contagium a diſſectione muſculorum parvi faciam, illud tamen ex apertione cavitatum abdominis, & pectoris furioſius in aſtantes irruere poſſe, credam*. Noli igitur mirari, quod inter quamplurimos eſſe malim, quam inter *pauciſſimos*, ut idem ait (*u*), iis *credentes, qui cadavera peſtiferorum contagioſa non eſſe, aſſerunt*. Quod ſi pauciſſimi non fuiſſent qui iis crederent; putaſne, poſt tot peſtilentias, futuras fuiſſe tam paucas cadaverum in ipſis extinctorum Obſervationes, quæ in Sectionem hanc Sepulchreti referrentur? perpaucæ enim ſunt, ſi demas quæ ex auditu ſcriptæ, aut quæ incredibilia habent, tum quæ repetuntur, ut quæ Obſervatione LXII. poſtquam §. 3. poſita fuerat, §. quoque 7. iteratur. Et ne forte ſuſpiceris, Anatomicos ab illorum diſſectionibus inani potius metu, quam rationibus fuiſſe abſterritos; has legeſis ſimul cum contrariis perpenſas apud eoſdem Bartholinum (*x*), & Diemerbroeckium (*y*). At ſi illis perlectis, nullum tamen eſſe periculum quod metuamus, arbitraris; accipe quid in Theatro hoc noſtro acciderit corpora eorum diſſecantibus quos maligna dumtaxat, non peſtifera, occiderat febris. Ex peticulari, quam vocant, febri mortuum Profector, juvenis valens ac robuſtus Stegagnonius, hactenus inciderat, ut ſolos dorſi muſculos, Diemerbroeckio fortaſſe credens id parvi facienti, appararet, cum eadem febri correptus, e vivis ereptus eſt. At fuerit cadaver illud non omnino adhuc frigidum; certe erat intus extraque jam frigidum cadaver Aniculæ, cujus venter cum a Cl. Vulpio A. 1717. Januario menſe aperiretur, ipſe autem adſtarem, ut ſingulorum viſcerum ſedem Auditoribus oſtenderem, etſi nullus odor gravior ſolito exiſtebat, nec ullum, præter inteſtinorum implicationem, vitium apparebat; continuo tamen inſolitum quendam languorem ſenſi, non ſecus ac ſi animi inſtaret deliquium: mox autem oſtenſione illa abſoluta, cum vix domum uterque rediiſſemus, pariter febrili horrore, & frigore & dein calore ad eundem modum, eodemque tempore correpti ſumus, indeque ego, quamvis fracta febris vi, per annos aliquot ita male valere cœpi, ut in nuncupatione Adverſariorum IV. indicavi. Nec mirum: etſi enim ea fœmina pro apoplectica in Noſocomium illata fuerat, & reapſe erat; illa tamen apoplexia malignæ, ut poſtea inquirendo compertum eſt, febri, cum domi ægrotaret, non ita pridem acceſſerat. Vides igitur, ne illud quidem ſatis eſſe ad periculum effugiendum, cadaver non ante incidere, quam frigidum factum ſit: quam cautionem qui laudarunt, illud præterea animadvertiſſe non videntur, frigere exterius poſſe, interius autem calorem retinere, quod ex Epiſtolis ad te noſtris intellexeris non raro fieri, & aliquando vel trigeſima a morte hora (*z*) in ventris interioribus calorem ſupereſſe. Num igitur expectandum diutius eſt? At putreſcens cadaver *multo magis contagioſum evadere*, ajunt, *quam corpus morboſum vivens*. Nec tu mihi objicias, fuiſſe, & eſſe qui, hiſce omnibus pro nihilo habitis, impune id fecerint. Nam neque eadem natura, & vis eſt malignarum omnium febrium, neque eadem Proſectorum omnium diſpoſitio: quarum neutram cum pro certo ſcire quiſquam poſſit; quis tutius eſſe timidiorum conſilium, neget, quam audaciorum?

33. Verum, ut ad me, & ad variolas redeam; equidem prima adoleſcentia cum in ejuſmodi ipſarum Conſtitutionem incidiſſem, quæ neminem ferme ad eum uſque diem interemerat, diſcendi ſtudio abreptus, egregium in Noſocomio Medicum ſequi non dubitabam, & qui ex variolis decumberent, eorum quoque pulſus explorare non verebar, nedum cætera adnotare, & inquirere, etiam leviora, ut puta quo collyrio fieret, ut cum reliqua cutis pene tota puſtulis aſpera eſſet ac fœda, in palpebris tamen lævis, ut videbam ſervaretur, & nitida; fiebat autem aqua ſtillatitia plantaginis in qua ſalis, ut vocant, ſaturni pauxillum erat ſolutum. Quæ dum animadverterem; forte accidit, ut unus, itemque alter ex iis ægrotantibus, Medico fruſtra omnia quæ poterat, diligenter præſtante, e vivis eriperetur. Quo exemplo admonitus, nunquam poſtea volui ejuſmodi ægros inviſere; ne ad Principes quidem Viros accitus. Nec, licet ad hanc uſque ætatem proceſſerim, committendum eſſe, duxi, ut in periculum me volens conjicerem, quando vel octoginta annos natis accidiſſe, novi, ut a variolarum contagio, cujus jam ſe immunes putabant, non ſecus ac pueri, inficerentur, & multo quam hi, facilius perirent; quanquam in ſæviſſima A. 1749. Conſtitutione Forolivienſi, vetula, ea quam modo diximus, ætate major, eo morbo conflictata, raro ſane exemplo evaſit. Sed quod mihi facere non licuit, ut inde mortuos diſſecarem, toties, & tot ab Anatomicis factum eſt, ut mirari ſubeat, Viros cæteroquin Doctiſſimos, qui poſt illorum jam editas Obſervationes, ignorare viderentur, aberraturos a vero, qui variolas alibi quam in cute, præſertim vero in inteſtinis, tum nunquam, tum ſemper provenire, contenderent. Horum primos, facile credas, cum in Obſervationes forte incidiſſent ejus ſimiles quæ a Peyero filio (*a*) propoſita eſt; alteri autem in alias cum iis convenientes quas ab ſe habitas memorat Cl. Gunzius (*b*), utroſque cæterarum oblitos, cunctas illi primos quidem, alteros autem his conſimiles exiſtimaſſe; quando multæ, jam relatæ in Sepulchretum, extabant, quarum aliæ cum illis, aliæ vero cum his apertiſſime conſentiunt. Sunt præterea quas utriſque addendas colligere poſſis ex laudata Cl. Phil. Conr. Fabricii Diſſertatione (*c*). Atque inſuper ut Diſſertatio altera (*d*), quæ, Buſſerio Præſide, habita eſt, Obſervationem tibi exhibebit in Sereniſſimo quodam Principe, cum primis illis convenientem, ita quæ cum alteris conveniant, dabunt plures Volumina (*e*) Cæſareæ Academiæ. Quin aliæ non deſunt hiſtoriæ, quæ & alibi quam in cute, neque tamen in inteſtinis, aliiſve viſceribus, conſpectas variolas, aut ſe indicantes proponunt. Cujuſmodi illæ ſunt quas leges in Actis Hafnienſibus (*f*), in Ephemeridibus (*g*) prælaudatæ Academiæ, in Opuſculis Pathologicis (*h*) Præſtantiſſimi Halleri, & hæc quoque eſt quam ab eo qui inter Magiſtros meos fuit, Jacobo Sandrio, cum Bononiæ olim eſſem, acceptam, ferme totidem ac Vir ille Doctus retulit, verbis ſubjicio.

34. PUER Nobilis, cui paucæ exterius variolæ, ſigna autem nulla erant aliarum quæ viſceribus inſiderent, ſuffocati inſtar moritur. CORPUSCULUM, ab Sandrio ipſo apertum, pulcherrima viſcera habebat omnia. Sed una laryngis muſculis innata erat variolarum puſtula, & circum hanc ater jam apparebat gangrænæ color.

35. Porro cum aliis quoque malignis febribus ſæpenumero gangrænam interiorem conjungi; imo, ſi lethales ſint, tunc viſcerum inflammationes

(*r*) De Peſte l. 2. c. 3. adnot. 12. (*ſ*) Ibid. l. 4. Hiſt. 15. (*t*) Hiſt. 32. (*u*) Hiſt. cit. 15. (*x*) n. 3. cit.
(*y*) adnot. 12. cit. (*z*) Epiſt. 3. n. 2. (*a*) Obſ. Anat. 2. (*b*) In Hippocr. de Humorib. not. 21.
(*c*) exhib. Obſ. circa Conſtit. Epid. A. 1750. not. *h*. ad §. 19. (*d*) ſiſt. Hiſt. morbi, & cadaver. variol. c. 1.
(*e*) Eph. Dec. 3. A. 7. & 8. Obſ. 97. cum Schol. & Cent. 9. Obſ. 52. (*f*) Tom. 1. P. 1. Obſ. 109.
(*g*) Dec. 3. A. 7. & 8. Obſ. 47. (*h*) Obſ. 44. in fine.

nes degenerare in gangrænas, ex pluribus, quas in Sectione hac Sepulchreti leges, Obſervationibus apparebit. Quibus has etiam adjunges. Sanctorius noſter (*i*) *quidam alii putarunt*, inquit, *febrem malignam ab aliqua gangræna in jecore, vel in alio viſcere oriri, quod nos non ſemel in cadaveribus obſervavimus*. Dominicus Gagliardi (*k*) in diſſectionibus eorum qui a maligna febri pereunt, cum ulcera ab erodentibus medicamentis quæ veſicantia vocant, aperta, ipſa quoque gangræna affici incipiunt,, inter-,, nas gangrænas perſæpe conſpici „ affirmabat. Et Joſephus Lanzonus (*l*) Epidemicam deſcribens Conſtitutionem Ferrarienſem A. 1729. in apertis nonnullorum corporibus quos ea febris occiderat, inter cætera *aliquas maculas lividas in ipſis inteſtinorum tunicis* memoravit. Tu alia, quæ non deerunt, exempla adjicito.

36. Nunc antequam finem ſcribendi facio, te miraturum non puto, initio præſertim admonitum, nihil repetere me velle ex iis quæ ad te alias ſcripſi, miraturum, inquam, non puto, quod de certis quibuſdam Febribus nullam hic mentionem injecerim. De earum pleriſque egiſſe me, ſcis, cum de aliis agerem morbis. Nonnullas tamen, ut puta quinctanas, & quæ longiora intervalla habent, me fateor non nominaſſe; neque enim vidi, niſi ſeptimanam excipias, quæ, cum Bononiæ degerem, in Patricio Viro exacte recurrebat: nec de illis dicere quidquam poſſum, niſi quod etſi quartanis fere ſuccedant, non ſunt tamen, ut aliquando factum eſt, pro quartanis habendæ quarum longiora reddita ſint intervalla, niſi quartanas pariter cum ſuccedunt tertianis, pro tertianis quarum tardiores facti ſint reditus, contra ac Medici ab antiquiſſimis uſque temporibus ſtatuerunt, habere velimus. Quod præclare animadvertit Solers Vir Zevianus meus (*m*) ubi quartanæ mutationem in quinctanam, hujus in tertianam, & mox hujus in quartanam, & quartanæ denique in ſextanam, hancque conſtantem, in adoleſcentula a ſe viſam proponit: cujus ultimæ febris exemplum perrarum eſt, cum duo, haud amplius, me legiſſe, meminerim, alterum Gentilis (*n*), Lanzoni (*o*) alterum. Qui vero poſt hujus generis febres mortui ſint, in iis quid ſit inventum, me latet. Sed cum ipſæ diuturnæ ſint, aut diuturnis ſuccedant; veri ſimile eſt, poſt ſe relinquere eadem ferme quæ illæ ſolent. Solent autem meſenterii, aut lienis vitia, aut alterius proximi viſceris, & nominatim jecinoris. De quibus ſimul omnibus exemplum habes apud Cl. Fantonum (*p*). De liene autem ſatis oſtendimus alias non uno loco, ſed præſertim Epiſtola XXXVI. (*q*) quæ conſentientia videbis cum Obſervationibus, in Sectionem hanc Sepulchreti relatis, ubi de Quartanis (*r*), & de Erraticis diuturnis febribus (*ſ*) actum eſt. De jecinore ibidem quoque reperies exempla. Quibuſcum junges quæ Commercio Litterario (*t*) leguntur de hepatis ſubſtantia, *præ reliquis ſedem quartanarum fovente*, hincque *in plurimis* quartana *mortuis læſum modo, modo exſiccatum, modo inflatum hepar inveniri*.

37. Hæc habui quæ ſuper pleriſque Febrium generibus ad Valſalvæ hiſtorias adderem ex meis, aut aliorum ſive mecum communicatis, ſive lectis Obſervationibus. Quæ tu, ut ſoles, æqui bonique facies: & valebis.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA L.

Agitur de Tumoribus.

QUos morbos ſtatim poſt Febres plerique facile propoſuiſſent, Arthritidem, Luem Veneream, alios ejuſcemodi, Boneto placuit differre, & inter hos, Febreſque interjicere Tumores, Vulnera, Ulcera, & quæ alia ad Chirurgiam ſpectant. Quæ Facultas, cum minime ignores, quantopere a Valſalva adamata ſit, & exculta; fortaſſe jam plurimas, ſi minus ex me, quem noſti, non, uti ad mortuorum ſectiones, ita ad viventium, natura eſſe factum, at certe ex illo Obſervationes expectas. Nec tuam te feſelliſſe opinionem, ex proximis Litteris cognoſces, quæ erunt de Vulneribus. Neque ille tamen paucas habuit de Tumoribus Obſervationes. Verum alias chartis non commiſit, alias commiſit quidem; ſed earum aliquot aut ipſe vulgavit, aut ego aliis Epiſtolis deſcripſi. Quæ omnia hac indicabo dumtaxat, ut relegere poſſis, ſi velis; nihil autem repetam, ſive illius ſit, ſive meum. Ut enim Sepulchreti ordinem, qualiſcunque is ſit, quemadmonum fere ſolitus ſum, hic etiam ſequar; non ſequar tamen repetitiones. Quarum aliquæ non modo, ut multæ, haud ſunt illarum Obſervationum, quæ ultro in aliis quoque Sectionibus poſitæ ſignificantur; ſed earum quæ in hac eadem iterantur II. Sectione, ut cum inter eas quæ in Additamentis leguntur, vel prima ipſa cum ſubjecti Scholii parte, propoſita jam ſupra fuerat Obſervatione VI. (*a*) a Boneto, qui locum ipſe quidem unde ſumpſerat, non reticuit, aut cum eidem tamen, quod prope incredibile eſt, accidit, ut una eademque pagina (*b*) unam eandemque bis ex Garnero hiſtoriam produxerit.

2. Igitur quod ad Tumores ſpectat Sanguineos ſive quos ſic vulgo appellant, ſive eos præſertim qui cum rupto venæ trunco aliquo communicant, *varices ſpuriæ*, ut opinor, a Boerhaavio (*c*) poſtea nuncupati, quid Valſalva viderit, & cenſuerit, in mea habes Epiſtola Anatomica XIII. (*d*) magiſque in Tractatu illius de Aure Humana (*e*), utrobique autem (*f*) ea pariter quæ ſpectant ad Steatomata palpebrarum. Utinam ſic diſerte judicium addidiſſet ſuum de natura cujuſdam tumoris quem ad hunc modum nobis deſcriptum reliquit.

3. MULIER annos nata ad quinquaginta laboraverat tres jam menſes tumore in dextera colli parte duro, oblongo, ovi galli Indici magnitudinem æquante, cujus erat baſis in ejuſdem lateris arteria Carotide, unde ſurſum pergens uſque ad ejus arteriæ diviſionem, finiebatur. Hic aliquando dolebat; aliquando nullum prorſus afferebat dolorem. Tandem viginti circiter ante mortem diebus crebrius vexare cœpit, in ipſa præſertim laryngis regione, ut cum peculiari quodam ſtertore cogeret reſpirare, cui comes erat in gutture quidam ardoris ſenſus. Itaque mulierem confecit. Nolo hic, ut in tumore altero feci, quem in ſiniſtra juguli parte durum pariter, & nulla memorata pulſatione, Valſalva deſcripſit (*g*), meas tibi conjecturas proponere: ipſe, ut malueris, judicabis. Ego vero ad certiora exſcribenda tranſibo.

4. VIRGINI ingenii vividi, quæ aliquot jam annos, propter ætatem ad quinquageſimum circiter perductam, menſtruis carebat purgationibus, cancroſus tumor in dextro latere prope axillam obortus eſt. Hic paulatim in craſſitudinem quidem parum, ſed multum in latitudinem, & longitudinem crevit, ut ad axillam perveniret. Proximus artus œdemate intumuit. Acceſſit tuſſis, ſputum materiæ

(*i*) Comment. in I. Fen I. I. Avic. Qu. 86. (*k*) Dell'Infermo iſtruito P. 2. Vegl. 30. (*l*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 209.
(*m*) Nuovo Fonte di Pronoſtici P. 1. (*n*) apud Schenck. Obſ. Med. l. 6. ubi de raris febr. typis Obſ. 2.
(*o*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 10. (*p*) De Obſ. Med. & Anat. Epiſt. 8. n. 10. (*q*) n. 18. (*r*) ſub Obſ. 30.
(*ſ*) ſub Obſ. 32. (*t*) A. 1739. Hebd. 50. (*a*) §. 7. (*b*) Obſ. 7. §. 1. & 3. (*c*) Prælect. ad Inſtit. §. 711.
(*d*) n. 4. (*e*) c. 4. n. 8. (*f*) Ibid. & noſtræ illius Epiſtolæ n. 2. (*g*) Epiſt. 17. n. 19. & 20.

catarrhalis, ſpirandi difficultas, multa ſitis, & mors denique. TUMOR eas quibus inſederat, partes, quantum quidem percipiebat ſenſus, altius non læſerat. Proximum artum ſecando, multum ſeri flaveſcentis effluxit, quod omne in Adipoſæ membranæ cellulis ſubſtiterat. Totum quoque ab eodem latere Thoracis cavum ejuſdemmodi replebat ſerum, multis interjectis concretionibus ejuſdem coloris, mediæ autem inter membranoſam, & *gelatinoſam* naturæ, quarum pleræque pleuræ adhærebant. Pulmones erant adeo contracti, ut primo aſpectu quaſi deeſſe viderentur. Cor valde exiguum. Cæterum, quod ad Ventrem attinet, ventriculi fundus multum erat extenſus: lien perparvus: jecur a naturali colore ad fuſcum inclinans: ejus veſicula exilis, & inanis. Ovaria albicabant: & quamvis naturalem ſervarent figuram, & molem; valde tamen induruerant.

5. Rondeletii Obſervationem, in Sepulchretum relatam, non hoc loco, in quo ne memoratur quidem, ſed libro II. (*h*) leges, propoſitæ ſimilem. In utraque enim cancroſus thoracis externus tumor, difficultas ſpirandi, multumque eſt in thorace ſerum: quod in illa tamen ſuccreviſſe tumore decreſcente, in hac autem creſcente, oſtendit tempus quo ducendi ſpiritus difficultas acceſſit. Faciet hoc diſcrimen, ut rem aliquanto aliter in illa explices, atque in hac Obſervatione. Cui ut peculiare eſt quod ad ſeroſum attinet brachii tumorem, ſic peculiaris quoque hujus tumoris cauſa fuit, nimirum Axillaris venæ compreſſio a cancro illuc ſe attollente.

6. Sed jam ad alios alterius generis artuum ſuperiorum, aut inferiorum tumores, a Valſalva obſervatos, veniamus, initio ab iis ducto qui male peractæ venarum ſectioni ſucceſſerunt. Mitto autem quem in Nobili Matrona vidit ob compunctum cum vena tendinem, aut nervum, manu cum acerbiſſimo dolore plurimum tumente, & eo ſedato dolore, aſſidue tremente: qui tremor non modo poſteaquam detumuit manus, ſed ad diem uſque quo hoc ſcribebat, videlicet quinque ipſos annos, nullo proficiente remedio, perſtabat. Tumorem pariter mitto qui Juveni accidit, vena in cubiti flexu ab inepto Chirurgo transfixa, effuſoque introrſum ſanguine, unde magnus poſtea, longæque, & difficilis curationis abſceſſus. Tumoris potius a vulnerata eo in flexu arteria, Valſalvæ manu perſanati, hiſtoriam tibi eo diligentius deſcribam, quod res majoris momenti eſt, nec indigna quæ a te cum Obſervationibus conferatur, viſa ibi ab aliis, aut facta, aut adnotata proponentibus, ut puta ab Rockio (*l*), a Petito Chirurgo (*m*), a Teichmeyero (*n*), & ab iis quos dum has Litteras recenſerem, legi, Medico Cl. Trewio (*o*), & induſtrio Chirurgo Guattano (*p*), præſertim vero a Cel. Auctore infra (*q*) laudandæ Diſſertationis. Hæc igitur Valſalvæ Obſervatio etſi in nonnullis, manca videri poteſt, ut ab homine qui ſibi ſcriberet, fuſa; tamen quædam habet peculiari attentione digna, illudque inſuper quod ejuſmodi curatio prius a Valſalva peracta eſt, quam ab aliis peragi vidiſſet, additurus, qua erat ſolertia, atque induſtria, ſubinde alia, ſi diutius vixiſſet, eique aliæ iſtiuſmodi ſuſcipiendi operis occaſiones ſe obtuliſſent.

7. CHIRURGO annorum circiter duodeviginti, dum propter thoracis morbum ſanguis e brachio mittitur, arteria vulneratur. Qui miſerat, venam incidiſſe ſe, credens, non aliter vulnus obligat, ac ſi nihil niſi venam, inciſiſſet. Poſt dies aliquot tumor in cubito animadvertitur: qui intra dies amplius viginti ad pomi magnitudinem excreſcit. Hunc chirurgus quidam, pus ſubeſſe ratus, incidit: ex inciſo ſanguis incipit exire, ſed ſine impetu, ſanguineis videlicet grumis obſtantibus, & exitum quaſi omnino claudentibus. Verum tribus poſt diebus, via ſibi facta, ſanguis erumpit: idque non illo tantum, ſed & duobus proxime inſequentibus diebus, ſemel quidem quotidie, at ea copia, quæ cum adſtringentibus remediis nullo modo cederet, ægrum quaſi ad animi deliquium duceret. Interea & manus, & cubitus, & proximus humerus ferme uſque ad medium, intumuerant: inflammatio autem prope inciſum tumorem jam erat oborta. In tanto periculo, Medici advocantur, chirurgiam quoque probe callentes, in his Valſalva. Qui, re diligenter perpenſa, ita eſt curationem aggreſſus. Primum faſcia quam nunc torcular vocitant, ſic humerum vinxit, ut pro eo ac opus eſſet, prompte illa, facileque laxari poſſet. Tum vulnus, a chirurgo, ut diximus, tumori inflictum, ſuperiora verſus ſecundum arteriæ conſuetum iter produxit. Sic toto patente tumoris cavo, quod pugnum ferme comprehendiſſet, ſanguinem, quo plenum erat & concreto, & fluido, eduxit, locumque bene abluit ſpongiis, calefacto vino madentibus. Quo facto, tantiſper faſciam laxari juſſit, dum effluens ſanguis vulneratæ proderet arteriæ ſedem. Erat hæc in cavi illius fundo; ut valde incommodum fuerit ob profunditatem, arteriam circumligare. Quam cum tandem, continuo ſupra vulnus, vinxiſſet; haud amplius, quantumvis laxata faſcia, ſanguis exſiluit. Verum illico quidquid ejus artus erat infra injectum arteriæ vinculum, ſentiendi, & movendi vim amiſit, pauciſque poſt horis frigidum eſt factum: nec pulſus amplius percipiebatur. Hic tamen circa tertium a ligata arteria diem percipi iterum, ſed vix, cœpit: at circa quinctum ad naturalem quaſi impetum jam redierat. In hujus diei exitu ſanguis in lecto animadvertitur, eoque faſciæ, vulneri circumjectæ madentes conſpiciuntur. Quibus caute ablatis, & vulnere inſpecto, nec ſanguinis quidquam erumpit, nec unde eruperit, ullum eſt ſignum. Ab hac ultima ſanguinis eruptione pulſus iterum omnino amittitur, non ſecus ac ſi novum arteriæ vinculum injectum eſſet. At membrum tamen poſt multos dies naturalem ſenſim recuperat calorem, motum quoque, ſed hunc tardius; nam octo, aut novem menſes debilitas reſtitit, & quædam macies, & fuſcus unguium color, & facilis a frigore læſio. Verum eo quod diximus; exacto tempore, hæc omnia deſiere; pulſu etiam, quamvis languido, redeunte.

8. Hanc a me cum petiiſſet hiſtoriam Cl. Vir Petrus Paulus Molinellius, continuo, & perlibenter miſi, tum ut homini Medica, & Chirurgica Facultate præcellenti, & bene de me merito gratum facerem, tum etiam, ut quam mancam, ſicuti ad ipſum quoque tunc ſcripſi, mittebam, eam ipſe, qui Chirurgum illum & viventem noverat, & mortuum diſſecuerat, quo ad ejus fieri poſſet, nobis perficeret. Quod præclare ab ipſo factum perſpicies, ſi Diſſertationem ejus leges, quæ inſcribitur *de Aneuryſmate e læſa brachii in mittendo ſanguine arteria*. Præcipua huc redeunt, non unum tantummodo, ſed plura vincula Valſalvam arteriæ injeciſſe, cogente ſiſtendi ſanguinis difficultate: hominem poſtea incolumem vixiſſe, & non niſi trigeſimo circiter poſt eam curationem anno tabe, & aſcite confectum eſſe: eo autem brachio quod læſum fuerat, non ſecus ac altero, uti conſueviſſe, quippe cum jam nullum; ſi utrumque brachium inter ſe conferres, diſcrimen agnoſceres, ne in pulſu quidem. Quod tanto magis mirandum eſt, quia in mortui diſſectione, cum Brachialis arteria eo loco ubi aneuryſma fuerat, ad tractum duorum pollicum omnino deeſſet, nempe morbo olim, ferro, & pure abſumpta, nulla inveniri arteria potuit quæ pro ipſa communicationem inter ſuperiorem ejus truncum, & Radialem, Ulnaremque arterias ſervaret præter unam, eamque non ſolum mire flexuoſam, ſed tenuem adeo, ut difficillimum ſit intellectu, quomodo Radialis arteria, influente tam pauco ſanguine, & per tot flexus traducto, æque pulſare ac altero in brachio poſſet, tum æque eſſe brachium utrumque & nutritum, & robuſtum, aut certe ad actiones æque idoneum. Et inventa quidem eſt ea pars nervi quæ in tractu illo eodem erat, in quo diximus Brachialem arteriam defuiſſe, in prægrandis ganglii modum ampli-

(*h*) Sect. 1. Obſ. 72. (*l*) Commerc. Litter. A. 1734. Hebd. 36. n. 2. (*m*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1735. & 1736. (*n*) Diſſert. de ſtupendo Aneuryſm. & cæt. (*o*) Act. N. C. Tom. 8. Obſ. 126. (*p*) Hiſt. 2. Aneuryſm. Hiſt. 1. (*q*) n. 8.

amplificata. Sed etſi nervi ejus vires ſic augeri potuiſſe, exiſtimares; tamen juſtum muſculorum robur, & partium nutritionem, & arteriarum præſertim pulſum ſine juſta influentis quoque ſanguinis copia, juſtoque impetu, non intelligeres. Certe autem occluſo præcipuo arteriæ trunco, ramos *laterales, licet per ſe parvos, poſtea diſtendi, ſi liquidum, ſolum in eos agat*, Viri Doctiſſimi, & in his Hallerus (*r*), *ex phyſicis, & hydraulicis* non dubitabant: quin idem Hallerus (*ſ*) & *vulgo notum eſſe*, & ſe *vidiſſe*, confirmaverat, *reſecta arteria radiali, ita dilatatam fuiſſe ſenſim ulnarem, ut rami omnes, quibus proſpicit radialis, inde ſanguinem acciperent*. Quo magis optandum eſt, ut in cadaveribus eorum quibus olim arteria ipſa Brachialis, aneuryſmatis curandi cauſa in brachii flexu, obligata fuerit, iterum, iterumque ab Anatomicis, inprimiſque ab eodem Præſtantiſſimo Molinellio perquiſitio hujuſmodi repetatur, ut ſicuti quæ in hac prima deprehendit, accurate adeo propoſuit, ita in aliis eadem, an alia occurrant injectionis etiam auxilio, certiores fiamus. Ut enim illius arteriæ truncus raro duplex ſit; ramos tamen ab ipſo tum in Ulnarem, tum in Radialem pertinentes quos Cel. Winslowius (*t*) Collaterales vocat, non in cunctis quidem corporibus ad eundem modum ſe habere, ſed plures in pleriſque eſſe, vel ex ejus, & laudati Halleri (*u*) collatis inter ſe deſcriptionibus ſatis conſtat. Veri itaque ſimile eſt, fore ut alias aut uno plures, aut unus aliquis magis dilatatus ex Collateralibus ramis ſe ſe oculis objiciat: quanquam ne ſic quidem ſatis intelligi poſſet quod Valſalva circa quinctum ab ligata arteria diem obſervaverat; nam ſi ramorum illorum dilatatio fieri paulatim debet; quomodo tam cito pulſus ad naturalem quaſi impetum redierat? De nervis autem; tametſi brachialium communicationes inter ſe, & frequens ramorum non unius ex illis in unum muſculum diſtributio facere fortaſſe debent, ne tam ſolicite de ipſis idem quod de arteriis, quæramus; ſane illa quam Vir Cl. animadvertit, illa, inquam, nervi ſimul, ut videtur, cum arteria ligati in prægrande quaſi ganglium mutatio digna eſt quæ pluribus Obſervationibus in cadaveribus ejuſdemmodi, aut in brutis etiam animantibus data opera magis confirmetur, inquiraturque, an influentis in ipſum arterioſi rami maniſeſtiſſimæ dilatationi, an, ſi hæc ſemper non occurrat, vincturæ potius nervi amplificatio illa debeatur.

Cui voto poſtquam hæc ſcripſeram, interea ſatis eſſe factum, jam video (*x*) quantum ad brutas attinent animantes, experimentis quæ ut per ſe laude non vulgari digna cenſeo; ita ſi debeam pro Valſalvæ repetitis experimentis accipere; quid in ipſis deſiderem, erit alibi, ut ſpero, opportunior ſcribendi locus. Nunc enim illud tibi multo utilius fuerit, ſi quas eadem luculenta, & frugifera Diſſertatione Obſervationes, animadverſioneſque Cl. Molinellius propoſuit de inſtituenda aneuryſmatis in cubiti flexu curatione tum expeditius nervum cum arteria colligando, tum vero tutius ſacco etiam aneuryſmatis vincula injiciendo, attente diligenterque perpendas, & cum iis quas in poſterum peragat, curationibus conjungas. Verum ut ille nobis ſuperiorem Valſalvæ Obſervationem perfecit; ſic haud ſatis ſcio, an invenire nunc poſſim qui inſequentem perficiat.

9. QUIDAM aneuryſma in ſiniſtro poplite decem circiter annos pertulerat, vehementem dolorem afferens, & diametro uncias Bononienſes tres cum ſemiſſe ferme æquans. Is cum a Valſalva curatus eſſet; noviſſime tamen periit ob alterum in dextero poplite aneuryſma. IN THORACE quoque aneuryſma aliud habuit ad arteriæ Magnæ curvaturam.

10. Cum Medicus, & Chirurgus, ſiquis alius, Eruditiſſimus Laurentius Heiſterus in ea Diſſertatione quæ *de Genuum Structura, eorumque Morbis* inſcripta eſt (*y*), monuerit, *pauciſſima* in poplite aneuryſmata fuiſſe adnotata, & ſane præter ea quæ ipſe memorat, vix de duobus me legiſſe meminerim, quorum alterum uno verbo olim indicavit Severinus (*z*), alterum nuperrime quantam vim ſanguinis contineret, ſcripſit Matanus (*a*); propterea nolui hanc, quamvis obſcuram, ſi ſpectes ea quæ mox dicam, & imperfectam, Valſalvæ Obſervationem omittere, præterea hoc certe oſtendentem, quantum aneuryſmatibus ſint corpora quædam obnoxia.

Etſi vero Experientiſſimus Heiſterus eandem quam ad cubitum aneuryſmatis curationem, in poplite quoque *non impoſſibilem* eſſe, exiſtimet (*b*) ob eandem ſpem (quam nunc videbis a Præſtantiſſimo Hallero (*c*) confirmatam) ramorum arteriæ a latere communicantium, quin ſe, ubi caſus tulerit, eam curationem ſuſcepturum eſſe, profiteatur; tamen cum plura quam in hiſtoria ſcripſerim, de re iſtiuſmodi a Valſalva addita nuſquam eſſe animadverterem; qua ipſe ratione curaſſet, ſtatuere non audebam. Erant quidem inter Valſalvæ ſchedas Icones duæ, ſcite, atque eleganter delineatæ, quarum altera Poplitæam arteriam ab ea facie qua reſpicit exteriora, altera ab oppoſita repræſentat ſe ab exteriore facie dilatantem in ſaccum oblongum, & quo magis aſcendit, eo anguſtiorem, nec ſine tribus arterioſorum ramorum oſculis, cum anguſtiore ſacci parte communicantium; ut niſi ea pars, ſicuti ſolet Præcl. Molinellius, vinculo conſtricta eſſet, perdifficilem, & longam manus operam requiſiviſſet; & tamen ſaccus ab exteriore facie omnino integer oſtenditur. Quamobrem, & quod erat homo ob aneuryſma mortuus quod in altero poplite excreverat; hoc potius quam illud quod curatum eſſet, pictum fuiſſe, ut e mortuo Valſalva exemiſſet, propemodum conjiciebam. Sed tamen illud alterum quali curaſſet ratione, non aſſequebar, donec Cl. Benevoli Obſervationes verſans in locum forte incidi, ubi (*d*) modum laudans, a me tibi alias (*e*) commemoratum, quo Valſalva ſolebat, ſanguine ſæpius miſſo, & tenuiſſimo dein victu aneuryſmata curare, ſic curati „ in arteria po„ plitis „ exemplum ſe in Valſalvæ ipſius Muſæo vidiſſe, teſtatur, ex homine qui poſt eam curationem morbo alio confectus fuerat. His enim lectis, iiſque Iconibus in manus ſumptis, cum animadverterem, diametro certe longe minori quam ſupra (*f*) eſt propoſitum, ſaccum repræſentari; cogitare cœpi, tantam ſacci contractionem acceptam referendam eſſe ei curationis generi: quod etſi Valſalva adverſus interna, eaque incipientia aneuryſmata inſtituerat, huic etiam fortaſſe, addita comprimente faſcia cum auxiliis aliis exterioribus, adhibere voluiſſet. Quoniam tamen quædam video quæ cum hac conjectura non ſatis conſentiant, ideo tuum judicium facio: ego nihil pronuncio, & ad certiora jam redeo.

11. VIRO quadraginta annos nato parvus, ſed pulſans, tumor circa inguen dexterum ſenſim oboritur. Triennii ſpatio in dies augetur, grandiſque fit. Quarto circiter ante obitum menſe doloribus vexare incipit, magnoque, & æquali œdemate univerſum illum artum inferiorem tumefacere. Menſe ultimo atrociſſimi dolores fiunt, neque ad tumorem ſolum, ſed & aliquando infra malleolum internum: quo uno loco, & ſævientibus dumtaxat doloribus, pes ſentiebat, omni alioquin ſentiendi, & movendi facultate privatus. Nulla unquam hoc toto menſe a cruciatibus quies, nullus ſomnus, donec, languentibus viribus, aliquot dies ſemiſopitus æger jacuit, atque ita defecit. ANEURYSMATIS hujus ingens erat cavum; nam a cute ſummi femoris anteriore ad craſſiſſimum nervorum omnium Cruralem Poſticum perveniebat. Et arteria quidem Cruralis, ex cujus dilatatione tumor inceperat, mediocriter dilatata reperta eſt;

(*r*) Diſſert. de Arteria Brachii not. ad §. 45. (*ſ*) in Boerh. Prælect. ad Inſtit. §. 692. not. *e*.
(*t*) Expoſ. Anat. tr. des Arter. n. 140. & cæt. (*u*) Diſſert. cit. §. 17. 19. & ſeqq. & 28. 36. 45. Adde nunc Faſcic. Icon. Anat. 6. & Guattani Hiſt. cit. Fig. 1. (*x*) De Bonon. Sc. Inſt. Tom. 3. in Opuſc. & Quæſt. Præſide Hazon Pariſ. propoſ. 5. Febr. 1750 n. 4
(*y*) n. 83. (*z*) De recond. Abſceſſ. nat. l. 4. c. 7. prope finem ad n. 2. (*a*) De Aneuryſmatic. præcord. Morbis Animadv. not. *a* ad §. 71.
(*b*) Diſſert. indicata n. 76. 77. (*c*) Faſcic. Icon. Anat. 5. ad Tab. 4. (*d*) Oſſerv. 11 (*e*) Epiſt. 17. n. 30. (*f*) n. 9

eſt; ſed aliquot locis dilacerata, aut eroſa, per hæc ea copia, eoque impetu ſanguinem ejecerat, ut partim corroſis, partim cedentibus muſculis, ingens, ut diximus, cavum effeciſſet, illumque ipſum quem memoravimus, nervum ſic eroſiſſet, vix ut paucæ fibræ ſupereſſent, per quas ſuperior ejus pars cum inferiore committeretur. Id omne cavum coagulato ſanguine, & polypoſis, ut videbantur, concretionibus plenum erat.

12. Diſſectio cauſam præclare oſtendit eorum omnium quæ homo pertulit. Nam poſtquam aneuryſma ex legitimo in ſpurium, ut ſpurium quidem plerique intelligunt, degeneravit, id eſt dilatatæ arteriæ tunicæ perruptæ, aut eroſæ ſanguinem effundere in viciniam cœperunt, jam neque ea vi, neque ea copia reliquus ſanguis mitti potuit in ſubjectas partes, quæ vis, & copia requiruntur ad ſervandum ejus expeditum per venas reditum: hinc artus œdema. Effuſus autem ſanguis dum muſculos a muſculis diducendo, cum interjectis membranis nervulos ſimul lacerabat, aut diſtrahebat, dolores creabat, ſed levius ferendos, quam ubi denique ad craſſiſſimum illum nervum acceſſit, jamque mora acrior factus cœpit erodere. Tandem ubi nervus uſque adeo exeſus eſt, unde rami fere omnes proveniunt ſentiendi, movendique facultatem pedi afferentes; facultas utraque in hoc periit, ſi eum excipias locum qui prope malleolum internum eſt; ad hunc enim locum ramus pertinet qui non a Poſteriore illo, ſed ab Anteriore nervo Crurali profectus, ſolet Saphenam venam comitari. Cætera quomodo aſſiduos dolores ſecuta ſint, explicare non eſt opus. Præſtat ex illorum, mortiſque ipſius conſecutione animadvertere, ubi aneuryſmata vel externa nervis, aut aliis acris ſenſus partibus proxima ſint, tametſi per diſruptionem & ſanguinis profuſionem illico non occidant, per acerbiſſimos tamen cruciatus interficere demum poſſe. Quod tibi confirmabunt, præter hiſtoriam quam nuper vidi a Guattano (*g*) editam, cum hac Valſalvæ conferendam, quædam M. Aurelii Severini (*h*) in græco homine, & in ſutore Obſervationes. Sed quam his interjecit, aneuryſmatis in Anſelmo Pagano deſcriptionem, ut libenter leges, quippe ſede, magnitudine, & adjunctis pleriſque aliis cum eo quod modo ex Valſalva propoſitum eſt, comparandi; ita cum ejuſdem prope dixi incredibilem curationem perpenderis, miraberis plurimum, inter problemata ſuper hac ab Severino explicata, præcipuum illud non fuiſſe dilucidius, & accuratius enodatum, nimirum *computrefacta*, *diſſoluta*, *diffracta* juxta inguen Cruralis arteria quomodo potuerit admoti ignis vi ſuos iterum parietes recuperare, ut artus ille non ſolum vivere, ſed eo vix humili baculo aliquantulum nixus, rectus incedere homo potuerit.

13. De aliis tumoribus qui ad hanc quidem ſpectent Epiſtolam, præter ea quæ ſupra dicta ſunt, nihil Valſalva ſcriptum reliquit, niſi forte huc referre velimus perpauca verba quæ in Medicis Reſponſis duobus obiter injecit. In altero eorum quod eſt de Hæmorrhoidibus, quædam cum his deſcripta condylomata eſſe poſſe, ait, cæcas hæmorrhoides, ut quæ ſæpe craſſa quaſi tunica ex pinguedine obductæ videntur eſſe non vaſa, ut ſunt, dilatata, ſed alterius naturæ excreſcentiæ. In Reſponſo autem altero ſuper antiquo ad genu tumore pro exoſtoſi habito, credibile eſt, inquit, cum tumor ſtatim poſt retropulſam ſcabiem in qua, ſuſpicio eſt, veneni aliquid venerei latuiſſe, prodire cœperit, particulas quæ ſanguinem antea vitiantes, ſcabiem producebant, ad illum articulum remoratas, tumori originem præbuiſſe, aut fibras lacerando ſubſtantiæ oſſeæ non ſecus ac quercuum fibris inſectorum aculeo perruptis, gallæ oboriuntur, aut cum humoribus, per articulum fluentibus ſubſiſtendo, quæ res facilis eſt ob vaſorum in ejuſmodi locis anguſtiam; ſic enim cum ligamentis, atque tendinibus ferruminatæ utrorumque craſſitudinem, & duritiem adauxerint; quamobrem, ſi manu comprimuntur, oſſis ſimilitudinem omnino referunt, quanquam per diſſectionem inquirentibus, quod aliquando mihi, inquit, facere contigit, repræſentant ſubſtantiam interiorem radicis arundinis; ut craſſa quadam comparatione utar.

14. Et hæc quidem Valſalva ſcripſit. Alia autem quædam a ſe facta, & obſervata mihi narravit, aut, me præſente, obſervavit, & fecit, quæ nunc tecum communicabo. Quorum primum conferre quadantenus poteris cum ea Fabricii noſtri Obſervatione quam in Adverſariis II. (*i*) olim indicavi, aut cum altera Viri Illuſtris Heiſteri (*k*), vel potius, ſi ad ganglia utramque harum referre malis, poſſis quadantenus, ut dicebam, cum ea conferre, quam Archiater Ampliſſimus Swietenius (*l*) commemoravit.

15. VIRGINI, ajebat Valſalva, fuiſſe exiguam ad malleolum extuberantiam, quæ ab annis plus ſexdecim tantos ſæpe crearet dolores, ut non ſemel, niſi domeſtici prohibuiſſent, eum ſibi pedem fuiſſet abſciſſura. SECTIS ibi ſecundum cruris longitudinem communibus integumentis, glandulam ab ſe deprehenſam eſſe parvam, forma ovali, ſed depreſſa, colore, & natura, ut videbatur inter Conglobatas, & Conglomeratas media. Hac adempta glandula, nullum amplius dolorem rediiſſe.

16. MULIER ruſticana, quam cum aſpiceres, ſenio confectam exiſtimares, debilis, ſqualida, exſucca, imo ad extremam perducta maciem in Bononienſi Incurabilium Noſocomio jacebat. Malorum omnium cauſa mamma erat dextera, quæ in tumorem excreverat, forma, & magnitudine humanum cerebrum referentem. Is tumor undique, & penitus exulceratus, inter rubram & ſanguinolentam ſubſtantiam hic illic oſtendebat plures quaſi glandulas, maximis uvæ acinis pares, ſed albas, oblongas, læves. Cum aliud, ob virium præſertim infirmitatem, tentare non liceret; Valſalvæ venit in mentem tumoris baſim quæ ampla erat quidem, ſed reliquo tumore minus, circumjecta inſtita hactenus adſtringere quo ad ferre mulier poſſet. Qua aſſidua conſtrictione paulatim in dies aucta, illud conſequebatur, ut oræ tumoris, nutrimento orbatæ, circumcirca emortuæ, forficibus ſine dolore, & ſanguinis effuſione circumcidi poſſent, baſis autem ambitus magis magiſque minueretur. Hac ratione ad ſatis longum tempus ſervata, ingens ille tumor ad exiguam molem redactus, & tuto denique amputatus eſt. Itaque cicatrice obducta, recreata interea mulier diſceſſit. Quam tunc ea quidem parte perſanatam eſſe, ne dubites; ut cætera quæ narravi, ita uno, aut altero interiecto anno hoc etiam accidit ut viderem. Cum enim forte cum Valſalva in Noſocomio eſſem, ecce quædam ſupervenit fœmina, quæ ipſum, & me quoque, ut notos, ſalutat, optimo corporis habitu, & colore prædita, ea autem, quantum apparebat, ætate, ut illius alterius quam modo deſcripſi, filia, vel potius neptis videri poſſet. Ea vero ipſa erat quæ deſcripta eſt, & quæ ſe non agnoſci mirata, jam quæ ſim, inquit, noſcetis, ubi cauſam cur huc modo venerim, aperuero: & cum dicto pectus oſtendit ſine mamma, at ſanum a dextris, a ſiniſtris quoque, niſi modicum ſub mammæ cute exſtare inciperet tuber. Sic, inquit, prior ille tumor cœperat: veni igitur, ut novus hic, antequam creſcat excidatur. Quod proximis diebus a Valſalva factum eſt, quamvis verente, ne alius poſtea, atque alius exiſteret, & vel hac quoque demum adempta mamma, alia aliqua in ſede, & præſertim in utero exoriretur. Id vero non ſine cauſa veritum eſſe, nimis ſane crebra obſervatio oſtendit: quin pejora vereri potuiſſe, eruditiſſima docebit Illuſtris Viri Trilleri Diſſertatio (*m*): qua perlecta, & iis quæ longe atrociora veteris cancri exſtirpationem ut plurimum conſequuntur, ſpectatis, exiſtimare licet, num tanta inſequens malorum atroci-

tas

(*g*) Hiſt. 2. Aneuryſm. Hiſt. 2. (*h*) De recond. Abſceſſ. nat. l. 4. c. 7. (*i*) Animad. 24.
(*k*) Diſſert. de Tumorib. Cyſtic. ſingularib. n. 36. (*l*) Comment. in Boerh. Aphor. §. 1084.
(*m*) De nociva Cancri inveter. Exſtirpatione. Hiſt. præſertim 3. & Obſerv. addit. §. 17. & ſeqq.

tas induciis unius, aut alterius anni ſatis penſetur: quanquam ægra dummodo ex præſentibus doloribus, lethumque allaturis eximatur, graviores poſtea adventuros, & ſævius interfecturos aut minime credat, aut, ſi credat, tamen ut tempore interjecto futuros, non tanti faciat.

17. Tumorem quoque, ſed longe alius generis, a Valſalva exciſum vidi. Quem tamen quoniam exciſum ego, ipſo annuente, perſecui, infra in loco deſcribam. Jam enim ad noſtras diſſectiones tranſeundum eſt. Et primum, ne ſcripta alibi hic repetam; quæ de varicibus illis ſpuriis, & de palpebrarum ſteatomatibus ipſe adnotaverim, in eodem habes Tractatu, in eademque Epiſtola quæ ſupra (*n*) memorata ſunt, cum de utroque eorum tumorum genere quid Valſalva tradiderit, indicarem. De ſteatomatibus autem, aliiſque Cyſticis tumoribus plura extant digna quæ legas in ea Boerhaavii Epiſtola quæ *de Fabrica Glandularum* inſcribitur, itemque in Prælectionibus in ſuas Inſtitutiones (*o*). Et quamvis idem, ut videtur, exemplum tumoris, humorem aquoſum continentis, non eodem prorſus utrobique modo, memoria, ut opinor, nonnihil lapſus, proponat; tamen ſatis conſtat id quod præcipuum eſt, ejus generis tumorem vidiſſe: eamque Obſervationem licet pluribus exemplis a Cel. Heiſtero (*p*) additis confirmare. Eodemque ex parte attinet tumorum quorundam in capite infantis deſcriptio, quæ ex Blaſio in hanc Sepulchreti Sectionem (*q*) relata eſt, quanquam erat aqua in plures hydatides diſpertita. Magis libera erat, etſi a primo ſecus videretur, quam ego ſic obſervavi.

18. QUIDAM ex iis quorum collo, & capite uſus ſum in publica Anatome A. 1750. parvum tumorem ad ſiniſtrum oſſis hyoidis latus gerebat. TUMOR per diſſectionem omnino retectus, & ab lævo cornu illius oſſis, ad quod exterius alligabatur, ſolutus, hydatidum aggeriem repræſentabat, ultimo digiti minimi articulo non majorem. Sed illius oram cum leviter pupugiſſem; turbidula quam continebat, aqua omnis continuo defluxit, vix leviſſima preſſione adhibita.

19. Initium magni tumoris, ſi diutius vixiſſet homo, hoc facile eſſe potuiſſet: quanquam inter eos qui incipientes adhuc, non difficillime ſolvuntur, hos potiſſimum cenſeo eſſe ponendos: hujuſque fortaſſe generis fuiſſe, credo, quem in carpi exteriore parte Uxoris meæ enatum vidi, nucis avellanæ forma, duritie, & magnitudine. Cum enim hebdomadas aliquot pertuliſſet, ecce mane experrecta narrat, repente, & ex toto nocte illa evanuiſſe. Vera dicebat, ut ſtatim perſpexi. Non multis autem interjectis diebus, idem redit tumor, & tempore multo breviori interpoſito, repente iterum evaneſcit, non rediturus, cutem, id quod prius non acciderat, eo loco relinquens minutis quibuſdam ſubrubris puſtulis diſtinctam, quæ paulo poſt ipſæ quoque per ſe abiere. Æſtivum erat tempus, & ceratis uſa fuerat quæ reſolvunt, & preſſione, cui tantum tribuiſſe Valſalvam, ex me forte audiverat, ut cum ipſe ad alteram ſcapulam tumorem cyſticum gereret, hunc juſſerit, ad incrementum retardandum, vel pedibus comprimi. Sed ipſa moderata, ſicuti ſuaſeram, preſſione vix erat uſa primis diebus, ceratis autem non diu, aut certe non aſſidue, quod nihil proficere viderentur. Nec vero ſi forte ganglium fuiſſe malueris; valde repugnabo; erat enim recens, ut minime neceſſe eſſet involucris jam includi craſſioribus, aut humorem continere quem diuturnus particularum tenuiorum diſceſſus glutinoſiorem, minuſque diſſipabilem reliquiſſet. Intelligis me de gangliorum materia haud aliter ſentire ac ſæpius repetitæ eorum diſſectiones oſtenderunt. Quarum alias apud Cl. Heiſterum (*r*), legeris; alias autem addes ex obſervatione Egregiorum Virorum Weiſſii (*ſ*), & Elleri (*t*). Cæterum *nattas*, ut noſti, tumores cyſticos Chirurgi noſtrates vocitant, uno comprehendentes vocabulo non ſolum tria illa pervulgata genera, ſed & alia, quæ fere omnes, ſi doctiores excipias, quam diverſa ab illis interdum contineant, prorſus ignorant, ne ſuſpicantes quidem, ubi durities eſt, ibi poſſe aquam ſubeſſe, ut in ſuis utramque Boerhaavius (*u*), & Heiſterus (*uu*) obſervarunt. Sed & aliæ peculiares tumorum ſpecies ſunt, exempli cauſa, quam nemine ferme præeunte, exhibuit, Salzmanno Præſide, Jo: Paulus Kellius (*x*), conſtantem ex ſolis propemodum membranis, quæ lamellatim aliæ aliis impoſitæ tumorem in cervice effecerant æquantem pondere libras quinque, aut quam poſt alios, & nominatim Severinum (*y*), Experientiſſimus deſcripſit Benevolus (*z*), ſubſtantiam polypoſæ ſimilem continentem. Cujus Obſervationem legens, in memoriam redii alterius, quam Junio menſe A. 1735. Mediavia noſter eodem quo habuerat, die nobiſcum communicaverat.

20. MONACHO ad rotulæ alterius regionem tumor increverat, pugnum æquans, durus, mobilis, doloris expers, *nattam* vocabant. INTEGUMENTIS communibus inciſis, & facile diductis; neque enim ulli arctiores obſtabant nexus, & vaſa ſanguifera creberrima quidem erant, ſed exilia; non majori negotio ſeparatus eſt tumor a tendinibus qui rotulam obtegunt, quam muſculus a muſculo ſolet ſeparari. Itaque inviolata tunica, detractus, & diſſectus primum hanc oſtendit ſatis craſſam, ut dividi in laminas tres poſſet, ex quibus minus tenuis erat media. Quidquid autem ſolidi intra tunicam continebatur, ſubſtantia erat, ut videbatur, polypoſa, eaque in cancellos quaſi quoſdam conformata, ut ſpongioſam quadantenus referret ſtructuram quam intra oſſium capita videmus. Ii omnes cancelli diluto ſanguine pleni erant.

21. Hujuſmodi tumores inter eos poni fortaſſe poſſent quos Celſus (*a*) continere, ait *ſimile aliquid carni hebeti & cruentæ*, niſi inter molles, cedenteſque recenſuiſſet. Boerhaavius (*b*), qui ſarcomata ex veris fibris carneis procreſcere, & fieri, non facile credit, ſed ex membrana Adipoſa, cujus pinguedo ob diſtenta ſanguifera vaſcula rubram carnem mentiatur, etiam ſic factos tumores tenui pellicula includi, ſcribit, & ob hanc totos poſſe detrahi. Equidem in Adverſariis (*c*) olim tradideram, me in illius membranæ ſacculis interdum pinguedinem ita ſanguine infectam vidiſſe, ut carnem ipſi mentirentur. Sed ſive ita res ſe habuit, ſive rubor potius in confertiſſimis, diſtentiſque vaſculis fuit creberrimas, tenuiſſimaſque membranulas perreptantibus, pinguedini interjectas, & per hanc tranſpectas; certe mihi non accidit, ut tunc eas Adipoſæ membranæ partes in tumorem conglobatas viderem, & peculiari tunica cinctas. Quod tamen ut accidiſſe aliis, non negaverim; ita non omnes negaturos eſſe, credo, facile ex veris ipſis fibris carneis, ubi pars aliqua earum lacerata, aut eroſa ſit, excreſcentias naſci carneas. Sed ad tumores cyſticos hæ non attinent, ut neque excreſcentiæ membranæ Adipoſæ. Quas cum videri poſſint Viri aliqui doctiſſimi cum ſteatomatibus confudiſſe, alii ab his quidem diſtinxiſſe, veruntamen inter cyſticos tumores poſuiſſe; hic tibi quid ego Excreſcentiæ membranæ Adipoſæ nomine intelligam, & quam ejus ſtructuram obſervaverim, aperte exponam.

22. Joannes Philippus Ingraſſias ubi de *Natta* agit (*d*) quam in ſcapulis dumtaxat vidiſſe ſe, ſcribit, in eaque adipem, tametſi aliquando & carnem, non dubitat, quin ad ſteatoma ſit reducenda. Fabricius autem noſter ab Aquapendente (*e*) tradit, ſteatoma, ubi in capite non eſt, ſed in aliis partibus, *vide-*

(*n*) n. 2. (*o*) ad §. 711. (*p*) Diſſert. ſupra ad n. 14. cit. (*q*) Obſ. 1. §. 5.
(*r*) Inſtit. Chir. P. 2. S. 6. c. 171. n. 2. (*ſ*) Vid. Commerc. Litter. A. 1745. Hebd. 24. n. 1.
(*t*) Vid. Act. Erud. Lipſ. A. 1750. M. Octobr. (*u*) (*uu*) Vid. ſupra ad n. 17. (*x*) Diſput. de Tumore tunicato membranac. §. 1 & 7.
(*y*) l. 4 ſupra ad n. 10. cit. c. 2. & 3. (*z*) Oſſervaz. 16. (*a*) De Medic. l. 7. c. 6. (*b*) Prælect. §. ſupra ad n. 17. cit.
(*c*) II. Animad. 6. (*d*) in fine Tract. de Tumor. p. n. (*e*) in fine Append. l. 1. Chirurg.

videri continere materiam alii pinguedini potius ſimilem, quam ſevo. Quæ animadverſio præclare oſtendit, Majores, etſi in tumoribus non ſevum invenirent, ſed pinguedinem, non propterea novum tumorum genus conſtituendum crediſſe, ut noſtra memoria Littrius (*f*), qui ſeparandum a ſteatomate, & lipoma appellandum eſſe, cenſuit ejuſmodi tumorem, qualem ipſe ad viri ſcapulam vidit molli pinguedine, non ſevo, plenum. Sed Ruyſchius (*g*) cum exſtirpatum ejuſdemmodi tumorem paucis deſcriberet poſtea, vocare ſteatoma perrexit. Palfinius autem (*h*) duos tumores memorans ejuſdem generis, qui ad immane pondus in dorſo excreverant fœminarum duarum, neutro utitur vocabulo, & quod illi omnes quos nominavimus, alii diſerte fecerunt, alii ſic ut ſaltem recte perpenſis omnibus, idem conjicere poſſimus, an peculiari cyſti hi quoque earum fœminarum tumores comprehenderentur, ipſe indicare prætermittit: Nec vero ille, nec cæteri ſatis apertе ſignificant, quæ pinguedo in iis tumoribus reperta eſt, an ea eſſet cellulis comprehenſa plurimis, ut in membrana Adipoſa, an, nullis interjectis membranulis, totum illud cavum impleret; ut qui legunt, poſſint ſuſpicari, fuiſſe eam, ſi non *oleum liquefactum* quali Boerhaavius (*i*) plenum tumorem librarum octo, e dorſo bajuli exemptum, ſe cum Ruyſchio vidiſſe, teſtatur, at ſaltem *ſubſtantiam* quæ *nihil eſſet, niſi oleum*, ut paulo ſuperius dixerat, tumorem alterum memorans, an eundem, quippe totidem librarum, & a Ruyſchio viſum. Non igitur, ut aliqui fortaſſe fuerint, certum eſt, omnes quos diximus, tumores excreſcentias fuiſſe ipſius Adipoſæ membranæ, ut illum quidem circa ſcapulam mulieris a Blaſio (*k*) deſcriptum, & *Excreſcentiam Adipoſam* ab ipſo nuncupatum: quem inter ſuperiores omiſi, non quod in ea diſſimilis eſſet, quam continebat, ſubſtantia; hæc enim non niſi pinguedinem referebat ſubflavam; ſed quod eadem, non mollis, at cartilaginea quodammodo eſſet duritie prædita. Ego vero Obſervationem olim ad Schröckium miſi adipoſi magni tumoris, qui ſcapulam ipſe quoque occupabat, & fœminæ quidem, ut plerique eorum de quibus indicatum eſt. Illam ſi legeris; a Schröckio enim eſt edita (*l*), eoque hic non repetetur; & cum eadem alteram junxeris, quam protinus ſubjiciam; in illa enim indicavi, non perſcripſi; quid meæ diſcrepent a cæterorum Obſervationibus, atque ſententiis, facile intelliges.

23. VIRO, nulla, quam ſciret, prævia cauſa, in communibus alterius natis integumentis exiguus apparuit tumor. Qui paulatim augeſcens, ad eam demum magnitudinem pervenerat, ut pueri caput, niſi ſuperaret, at certe æquaret. Globi erat forma, qui per brevem pedunculum, non craſſiorem gemino digito pollice cum nate commiſſus, deorſum pendebat. Idem utriuſque color qui in cute reliqua. Nulla, ſi contrectares, durities, nulla fluctuatio, nulla pulſatio, nullus dolor. Sed moles incommoda ſedenti, pondus autem (tametſi lata, aptaque faſcia, etiam ne diſtrahendo tumor increſceret, ut poterat, ſuſtentabatur) ſtanti, ambulantique moleſtum, & febris denique, ac vehementis caloris ſenſus, quæ duo aliquando longiorem, & concitatiorem ambulationem ſequebantur, hominem coegerunt, ut Valſalvam conſuleret. Qui, his perpenſis, cum tumorem amputandum eſſe, non dubitaret; paucis poſt diebus, me inſpectante, ſic rem peregit. Poſtquam pedunculum propius tumoris globum injecto vinculo conſtrinxit, & ne ſic quidem ſupra vinculum pulſationem ullam percepit, quæ grandiuſculæ arteriæ indicium faceret, tranſverſum pedunculum ſupra vinculum incidit. Neque plus ſanguinis prodiit, quam expectaſſet; vix una arteriola ſe oſtendente, eaque exili adeo, ut ſola compreſſione ſit cohibita, nec ulla vena paulo craſſiore præter unam, quæ tamen erat mediocris, per latus pedunculi ſub cute ſcandentem, manifeſtamque jam ante ſectionem. Vulnus autem, bono etiam hominis habitu, & tempore; ver enim erat A. 1704. Artem adjuvantibus, cito perſanatum eſt. TUMOR ut, me inſpectante, a Valſalva exciſus fuerat, ſic a me, illo inſpectante, perſectus eſt eodem die. In ipſo exciſionis loco, priuſquam diſſecare inciperem, quatuor, aut quinque apparebant in tranſverſum ſecti quaſi cylindri digituli craſſitudine ſinguli, ex quibus conſtabat pedunculus. Hos igitur perſequendo, nihil aliud eſſe tumorem, vidi, quam eorum productionem. Craſſiores enim facti, inæquales, flexuoſi, in pluresque ſinguli diviſi univerſam illam efficiebant molem. Nec ſcalpello opus erat ut ſejungerem; digitis melius, & facilius, ſenſim pergendo ſejungebantur. Eadem autem & in pedunculo, & ubique eorum ſtructura, & natura fuit, nimirum quæ Adipoſæ membranæ eſt, ut nihil ab hac diſcreparet, ſive ambientes, interjectaſque membranulas, ſive mollem, digitos ungentem, & ex albo ad flavum inclinantem, qualis in corporibus eſt ſaniſſimis, pinguedinem quam continebant, ſpectares. Vaſa ſanguifera, niſi ad ſupremam partem, eaque tenuia, quod ex animadverſis in amputatione futurum præſenſeram, nulla in oculos incurrerunt. Cæterum cute univerſus tumor cingebatur paulo craſſiore, ut ſcalpello in duas laminas dividere liceret.

24. Præclare ex hac Obſervatione, & ex ea quam ad Schröckium miſi, cum hac in re quaque præcipua convenientem, te perſpecturum non dubito, tumores hos duos, a me diſſectos, nihil niſi Excreſcentias fuiſſe ipſius quæ ſub cute eſt, membranæ Adipoſæ, quippe non ex pinguedine magis, minuſve liquida, & peculiari cyſti undique comprehenſa, ſed ex pinguedine factos cellulis incluſa membraneis, non eadem ſolum ſtructura, & natura qua in Membrana illa manifeſtiſſime præditis, ſed quod pedunculi & baſis, ab illa amputatæ, tranſverſa oſtendebat ſectio, cum ea Membrana evidentiſſime continuatis. Neque enim interior de duabus laminis in quas dixi cutem dividi potuiſſe, pro peculiari cyſti accipienda eſt, non modo quia in altera illa Obſervatione non licuiſſe, id ſcio; verum etiam, idque præcipue, quia in Obſervatione utralibet ſi cyſtis fuiſſet quæ tumorem undique complecteretur, certe portio illa cyſtis quæ ſupremam partem comprehenderet, intus in ſua ſede relicta eſſet, cum ſimul cum tumore exciſa non ſit: non fuiſſe autem intus relictam, ex eo intelligitur quod vulnus ægri utriuſque facile perſanatum eſt, & ſine ope eorum quæ folliculi relictam portionem exedendo, aut putrefaciendo abſumunt, qua non abſumpta, nec vulnus ad firmam cicatricem perducitur, & tumor poſtmodum revertitur: quorum neutrum iſtis accidit. Ad hoc ipſum tumoris genus pertinuiſſe, crediderim, quem pro omphalo-epiplocele habitum a Medicis Præſtantibus, alias (*m*) tibi commemoravi; cum in mortuo nulla ibi hernia, ſed prominentia tantum fuerit a pinguedinis copia, quam cellulæ quidem continebant ſubjectæ membranæ Adipoſæ, nulla autem peculiaris cyſtis complectebatur. Eodem autem pertinuiſſe, certo ſcio, quippe cum ipſe diſſecuerim, & ſicut hic requiro, ita ſe habuiſſe, perſpexerim, globum illum ſanæ pinguedinis quem ſub abdominis pariter cute, ſed paulo altius, nimirum ad Enſiformem Vetulæ cartilaginem, alia tibi olim Epiſtola (*n*) indicavi, itemque eum quem in femore Anus alterius a me diligenter perluſtratum, alias (*o*) deſcribam. Horum ſimilem de duobus quos Littrius propoſuit, illum fuiſſe quem ipſe quoque in decrepitæ mulieris femine deprehendit (*p*) facilius crediderim, quam ſupra (*q*) ad viri ſcapulam commemoratum, ut in quo non ſolum nullam cellularum mentionem injecit, ſed & cyſtim diſerte poſuit qua cingebatur, cum in muliebri illo cellulas quidem, cyſtim autem neutiquam memoret, imo ubi ad

(*f*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1709. Obſ. Anat. 3. (*g*) Epiſt. ad Boerh. (*h*) Anat. du corpſ. hum. tr. 2. ch. 2.
(*i*) Prælect. ad §. cit. ſupra ad n. 17. (*k*) Part. 1. Obſ. Med. rar. 3. (*l*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 17.
(*m*) Epiſt. 43. n. 10. (*n*) Epiſt. 19. n. 18. (*o*) Epiſt. 68. n. 6. Adde etiam alterum ibid. n. 8.
(*p*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1704. Obſ. Anat. 1. (*q*) n. 22.

ad amputationem veniendum eſt non cedentis iis quæ initio adhibenda exterius commendat, nihil relinqui velit de tumore, ne forte repullulet ex cellula aliqua jam laxata, ut ait, non ex cyſtis reliquiis, quam ſi tunc ullam vidiſſet, ibi non fuiſſet omiſſurus.

Tumorem ex pinguedine factum Littrius rariſſimum credebat, nec fortaſſe antea viſum. Elsholzius (r) tamen ante illos duodequadraginta annos ſub nomine ſteatomatis diſſectionem tumoris ediderat qui militi prope interfemineum natus, adipem continebat, *tenuiſſimis membranulis per totam* hujus *maſſam diſperſis, in cellulas quaſi diſtinctum*. Quem ego tumorem, vel diſſecti Icone ſpectata, ab iis quos ipſe perſecui, credere poſſem vix diſcrepantem, niſi circumjectus folliculus memoratus eſſet, iſque craſſitie calamum fere æquans. Sunt & alii, quorum mentio fit ab Alexandro Camerario (ſ), pinguedinem, aut pinguedini materiam ſimilem continentes; ſed cum ea, alia atque alia, & in is glandulas interjectas habentes, aut in Adipoſa membrana non ſubſiſtentes, ut pro legitimis hujus Excreſcentiis, quales a me intelliguntur, habere non poſſim, ut neque in Commercio Litterario (t) propoſitos ex *pinguedine* factos, *uberis, aut mammæ inſtar, ſuis cellulis coercita, tenaci, dura, craſſa, cui ampla valde vaſa cruorem vehentia erant interſperſa*; quanquam hos initio haud aliter ac a me deſcriptos, eſſe potuiſſe, non nego, hos autem, & illos omnes tibi auctor ſum, ut huic Sepulchreti Sectioni merito adjungas. Nec aliter ſentio nominatim de tumoribus duobus, quorum alterum deſcripſit Jo. Georgius Hoyerus (u), alterum Elias Camerarius (x), ille in fœmina provectæ ætatis circa ſcapulæ ſiniſtræ regionem, hic in viro ad genu, & ſupra. Multa in utroque tumore, quod ad interjecta, ad penitiorem ſedem, ad pinguedinis conſiſtentiam attinet, mutare importuna agyrtarum curatio potuit, & quæ glomeramina glanduloſa, ſed ex materia adipoſæ ſimili conſtantia, & qui plurimi quaſi alveoli dicuntur, e quibus pinguedo mollior exprimebatur, hujus cellulæ olim fuiſſe potuerunt. Sed hæc ex conjectura; illud certum, ſi ego, ut in meſaræo, ita ſub cute ipſa inveniſſem tumorem ejus generis, qualis parvulum deſcriptum habes Epiſtola XLIV. (y); nunquam me inter legitimas membranæ Adipoſæ Excreſcentias fuiſſe relaturum, nam pinguedinem concludebat neque cellularum laminis interciſam, & ſphærico uno folliculo undique comprehenſam.

25. Quæcunque autem cauſa certo loco cutem laxet, ut minus reſiſtat ponderi, aut moli pinguium plurimarum cellularum ibi magis augeſcenti, ubi minor reſiſtentia eſt, præſertim ſi compreſſio, aut occluſio aliqua accedat ſeu venularum pinguedinem ex iis cellulis revehentium, ſive etiam foraminum in proximas cellulas tranſmittentium; non difficilem nobis rationem præbet intelligendi originem Excreſcentiarum de quibus loquimur, & immane incrementum quoque, ipſo nimirum pinguedinis pondere magis in dies, magiſque tum cellulas, tum cutem laxante: quamobrem cellulæ aliæ atque aliæ, ſublata priori reſiſtentia, ſe explicant, mirumque in modum amplificant. Quantum autem ad pinguium etiam tumorum amplificationem faciat ſublata reſiſtentia, duo illi præſertim oſtendunt quos paulo ante (z) dicebam a Cl. Viris deſcriptos Jo. G. Hoyero, & Elia Camerario. Eroſa enim, aut inciſa ab agyrtis cute, & pene tota eorum adipoſa ſubſtantia, aut non exigua hujus parte adempta, quam mirum illi, & quam acceleratum ejudemmodi ſubſtantiæ incrementum ceperint, ex utriuſque hiſtoriis cognoſces. Etſi vero de Membrana ipſa Adipoſa verba faciens, nihil hoc loco niſi cellulas nominaverim; non propterea de ejus ſtructura tibi præſcribere quidquam volui. Sive enim majuſculas quaſdam ejus membranæ partes ſacculos, aut lobos malueris appellare, minores autem lobulos, & minimas demum cellulas, aut acinos, ſive hæc omnia uno cellularum vocabulo comprehendere, ſive membraneas *revolutiones, & complicationes* dicere, ſive etiam membraneas laminas varie inter ſe inclinatas; perinde erit ad rem propoſitam intelligendam, Auctoreſque habebis in ſingulis iis nominandi rationibus non contemnendos. Quarta enim eſt ab Illuſtri inter recentiores Anatomico: tertia a Sanctorio noſtro (a), qui ſic præluxerat iis a quibus cæteras habemus: ſecunda uſus eſt Gliſſonius (b), cum Malpighianam, ut puto, necdum legiſſet, cum ſcripſit, ut neque Gliſſonianam Malpighius, cum ante hanc, opinor, edidit ſuam (c), quæ ferme eadem ac illa fuit quæ a me primo loco indicata eſt. Eamque, ſi volueris, ſequi potes: quid enim prohibet majores partes in minores, & has in minimas dividere? præſertim cum Malpighius nuſquam, ſi probe memini, diſerte negaverit, eas partes inter ſe, & cum cæteris communicationem habere, neque docuerit, membraneos *ſacculos, ſeu lobulos* ovalem habere figuram, ſed *ovalem pene*, imo *diverſimode figurari, & eſſe inſtar lobulorum, quibus componuntur etiam pulmones*, qui lobuli ut variis ſint formis, oſtendunt Icones quas Epiſtolis de Pulmonibus adjunxit. Illudque inſuper antea ſcripſerat, contineri *ſacculos minimos lobulos diverſæ figuræ, pinguedine refertos*. Cæterum ad Excreſcentias ut redeam ejus generis de quo dictum eſt; non ex Adipoſa tantum membrana quæ ſub cute eſt, ſed etiam ex internis aliis, & nominatim ex omento quaſdam, illarum ſic ſatis ſimiles, exiſtere, indicat Obſervatio, in *Anatomicam Bibliothecam* (d) relata, innumerorum proceſſuum qui ex adipoſis omenti partibus pollicem craſſi, quatuorque, aut quinque digitos longi, & eodem quo cæteræ membranæ adipoſæ, concreto nonnihil oleoſo humore turgidi, propendebant. Sed interioribus hiſce tumoribus omiſſis, de iis qui ſub manus, oculoſque cadunt, quemadmodum poſtulat harum Litterarum propoſitum, ſcribere pergamus.

26. Etſi vero ordinis alicujus gratia de his qui reliqui ſunt tumoribus ita dicemus, ut eorum ſedem magis, quam naturam, ſequentes, ab iis qui in capite, & collo occurrunt, initio facto, deinceps ad inferiores deſcendamus; noli tamen expectare, ut quæ ibi, aut alibi venerea *gummata* ſe produnt, hic memoremus, quippe aptius ad eam Luem (e) ſervaturi, multoque minus ut quæ de hydrocephalo alias (f) ſcripſimus, aut de narium polypis (g) hic repetamus. Linguæ autem tumores plures quidem conſpeximus; ſed nullum diſſecandi occaſionem habuimus. Quos inter prætermittere hic nolumus minora quædam inſtar verrucarum tubercula, in ſuperiore illius ſuperficie propius baſim a Chirurgo quodam olim in Patavina muliere nobis oſtenſa, ut qua potiſſimum ratione tolleret, conſilium daremus. Non ignorabamus, Marcellum Donatum (h) ceu raram admodum rem, nec toto vitæ ſuæ curriculo niſi bis a ſe conſpectam, linguæ verrucas propoſuiſſe. Quo magis attente in exerta lingua, & a Chirurgo ſatis depreſſa, quid tandem ſe viſui objiceret, expectabamus. Nihil fieri poterat verrucis ad ſpeciem ſimilius; ſed reapſe non aliud erant ea tubercula, quam maximæ illæ omnium poſtremæ papillæ, ut earum ſedes, ac poſitus continuo indicarunt, hoc uno peccantes, quod cum eſſet ea linguæ pars phlogoſi affecta, ipſæ quoque aliquanto craſſiores, altioreſque factæ, protuberabant. Bono igitur animo eſſe mulierem, & Chirurgum juſſi, nullumque aliud quod quidem ad illas attineret, huic mecum redeunti conſilium dedi, niſi ut anatomicas oſtenſiones frequentaret; quarum neglectu ſæpius accidit quam putas, ut quæ naturalia ſunt, ea pro morbis accipiantur non ſecus ac quando pro ulceribus accepta ſunt ea quæ ſecundum naturam patent in proximis tonſillis foramina. Has vero ſive a præſenti inflammatione, ſive a prægreſſa tumentes in mortuis quidem non ſemel diſſecui. Duras autem factas, & in tumores ſcirrhoſos excreſcentes ut ferro ſibi eximendas curaret, nemini auctor eſſe volui, non quod eximi poſſe ignorarem, ſed quod

(r) Hiſt. Steatomat. refect. (ſ) Hiſt. Pedis tumid. (t) A. 1741. Hebd. 1. n. 4. (u) Eph N. C. Dec 3. A. 7. & 8. Obſ. 183.
(x) Dec. ead. A. 5. & 6. Obſ. 41. (y) n. 3. (z) n. 24. (a) Comment. in I. Fen Avic. Quæſt. 55.
(b) Tract. de Partib. Continent. c 11. & 15. (c) Exercit. de Omento, Pingued. & cæt.
(d) Tom. 1. P. 1. in Adnot. ad cit Malp. Exercit. (e) Epiſt. 58. (f) Epiſt. 12. (g) Epiſt. 14.
(h) De Medic. Hiſt. Mirab. l. 3. c. 5.

præſtare non poſſem, qua dexteritate, & felicitate uſi in ea re eſſent Chirurgi quidam Experientiſſimi, in primiſque Benevolus (*i*), eadem cæteros eſſe uſuros, præſertim cum certior factus ſim, quanto alibi in periculo ob nimiam, & vix tandem cohibitam ſanguinis profuſionem nonnulli fuerint ex iis qui paſſi ſunt ſibi tonſillas eximi. Gaviſuſque ſum, cum prudentem, doctumque, ſiquis alius, Medicum Franciſcum Seraum mihi narrantem audivi, haud aliter ſe gerere ſolitum, nimirum hinc felicia, quæ plura vidit, inde periculi, & metus pleniſſima, quæ pariter non ignorat, hujus curationis exempla conſulentibus proponere; cæterum quid facere deberent, nullo proprio judicio interpoſito, arbitrio ipſorum relinquere. Sed venia tamen ii Chirurgi digniores ſunt, qui ubi viam illam quæ ad loquendum, deglutiendum, ſpiritum ducendum eſt neceſſaria, ſcirrhoſo utriuſque tonſillæ tumore valde anguſtam jam factam vident, irritiſque aliis auxiliis omnibus, in dies anguſtiorem fore, metuunt, ut periculum futurum prævertant, in præſens audent ægrotantem præcipitare, venia, inquam, digniores ſunt, quam qui verrucam, aut aliud ejuſmodi innoxium tuberculum, congenitum præſertim, & lividum, e facie demendum ſuſcipiunt, non attendentes quæ admonuit Arantius (*k*), ſi forte id feliciter cedat, minimam, quippe ex re minima, laudem, magnam vero infamiam ſequi, ſi quod facile, & ſæpe contingit, mala graviſſima ex faciei vel levi irritatione concitentur. Faciei dixi, ut qui, tuberculo iſtiuſmodi, non jam e naſi, aut labrorum, ſed e buccæ cute per Chirurgum temere detracto, leve ulcus primum, ſed quod ad cicatricem duci non poſſet in bene alioquin valente Sacerdote, conſpexerim denique cum magnum, & cancroſum, & inſanabile jam factum totam penitus abſumpſerat buccam, ut tandem per acerbiſſimos cruciatus occiderit. Chirurgus tamen ferro tuberculum exciderat: quod dico, ut minus mireris, ſi vel multo amplius cancroſum ulcus ſecutum legeris (*l*), cum alter Chirurgus faciei verrucam remediis *cauſticis* tollendam ſuſcepiſſet.

27. Quid vero per anatomen in recenti, amploque tumore viderim, buccam, & quæ infra mentum, & auriculam ſunt, occupantem (*m*), aut in altero minus recenti qui pone aurem increverat (*n*), aut qualem, & quam in duritiem mora tranſeuntem materiam in parotide glandula invenerim (*o*), ſatis alibi ſcriptum eſt. Quid autem in eadem glandula tumorem faciat quem parotidem vocamus, & quem ſæpe quidem acuto vigente morbo, ambiguoque hujus eventu oriri, nemo eſt qui ignoret, nonnunquam tamen in convaleſcentibus, atque adeo jam extra lectum degentibus, feliciter apparuiſſe, ſcimus, cum necdum acciderit, ut diſſecaremus, pro certo dicere non poſſumus; quanquam interdum ex humore fieri poſſe, qui potius glandulæ communia integumenta, quam ipſam diſtendat, ex eo fortaſſe conjicies quem conſpectum a nobis releges, illum quem modo memoravimus primo loco, tumorem deſcribentibus; præſertim ubi ſuppurato, curatoque tumore, glandula, ſuo munere omnino, ut antea, recte fungatur. Ipſam vero glandulam, febri nulla prævia, ſenſim intumeſcere, & duram fieri non ſecus ac alias in collo ſubjectas, cum in ſtrumas grandeſcunt, nimis omnibus notum eſt quibus magnum plerumque negotium faceſſunt, Medicis, & Chirurgis. Nonnunquam tamen longe facilius quam ſperari poſſet, reſolvuntur. Sic in ſeptenni puella Veneta parotidem memini duram factam, ac valde tumentem, nec ſine dolore jam tangendam, omni quæ ſubſtiterat, paulatim quidem, ſed penitus diſcuſſa materia, ad naturæ modum rediiſſe, uno, ut vidi, inunctionis ex oleo philoſophorum auxilio. De ſtrumis autem Valliſnerium noſtrum audivi haud ſemel teſtantem, cum ruſtica mulier filiolam ad ipſum adduxiſſet ſtrumoſam, ipſe autem ut pauperculæ, & puellulæ, nihil niſi vinum tenue ſumendum imperaſſet in quo inſecta quæ aſellos vocant, eſſent macerata, mulierque ex iiſdem vel plura quam ipſe dixerat, in vinum ſemper injeciſſet, plurimaſque ſic urinas moviſſet, exacto menſe cum filia rediiſſe, non ſine ſui admiratione perſanata. Quæ remedia non ideo memoravi quod ignota ſint, imo quod notiſſima, eoque apud quoſdam contempta, cum tamen aliquando, in tenera præſertim ætate, neque adeo inveterato morbo, afferre opem queant ſpe, & expectatione majorem.

28. Fortaſſe hic quæres, num recte ab Riolano ſcripta ſint quædam de ſtrumis Anthropographiæ libro 2. cap. 15. Recte quidem illa ſcripta ſunt: *nec ſine ratione Julius Pollux in Onomaſtico, circa meſenterium ſtrumas fieri, notavit. De hac re vide Philippum Ingraſſiam, libro de Tumoribus pag.* 229. Quæ autem proxime præcedunt, non recte: *nec foras erumpere unquam* ſtrumas, *niſi Meſenterium ſtrumoſum fuerit. Ideoque Guidonem de Cauliaco perite admodum ſtrumarum ſcaturiginem a Meſenterio repetere.* Nam Guido (*p*), & qui ab ipſo laudatur, Arnoldus hoc docent, a ſtrumis exterioribus, ſi multæ ſint, oſtendi interiores: nec verum eſt univerſe quod ait Riolanus, erumpere nunquam ſtrumas, niſi in meſenterio ſint aliæ: idque merito improbatum eſt a Thoma Bartholino (*q*). Adverſus quem in hac Sepulchreti Sectione (*r*) haud ſatis defenditur Riolanus, quaſi non aliud dixiſſet quam Guido, id eſt ſi ſtrumæ exteriores ſint *magno numero*. Hoc enim Riolanus addidit in Encheiridio (*ſ*), imo ibi quod in Anthropographia univerſe dixerat, vel magis contraxit, ſcribens, ſtrumas *raro foras emergere magno numero, niſi radices egerint in Meſenterio*; Bartholinus autem non Encheiridium reſpexit, ſed Anthropographiam, ut alii quoque, in iiſque Schelhammerus (*t*), & ante hunc Scultetus. Qui ut ex Sepulchreto ipſo (*u*) vides, Riolano univerſalem illam ſententiam tribuit, addiditque: *Quod etiam teſtantur Guido, & Ingraſſias*. Quorum alter quid docuerit, dixi; Ingraſſias autem ne ab Riolano quidem tradidiſſe id dicitur, ſed ut ſententiæ Pollucis, quæ longe alia eſt, relator, & confirmator, laudatur, nimirum *circa meſenterium etiam ſtrumas fieri*, quod, inſpecto, ut monet Riolanus, Ingraſſiæ libro, cognoviſſent Schelhammerus, & Scultetus, & qui hujus Obſervationis Scholium in Sepulchreto addidit, in quo cæteroquin non eſt cur diligentiam hanc requiramus, quando nec Sculteti locus accurate deſcribitur, poniturque Riolani caput 5. pro 15. & Sculteti Obſervatio 39. pro 31. Vidi ego annis ſuperioribus generoſum Juvenem, cum eo qui a Platero in Sepulchreto (*x*) deſcribitur, exteriorum ſtrumarum numero, earumque multiplici, ſemperque inutili curatione comparandum, cui tamen, primo ſaltem anno, nullum erat ſtrumoſi meſenterii indicium. Sed neque Platerus, qui poterat, ſui ægri ventrem, neque ego mei, hinc procul denique mortui, introſpexi. Hoc tamen quod protinus ſubjicietur, & quod ſatis eſt adverſus Riolani in Anthropographia pronunciatum, in alio memini vidiſſe.

29. ADOLESCENTULUS ob ſtrumas quæ collum occupabant, in Noſocomio hoc obierat ſub initium Novembris A. 1715. CADAVERIS quaſdam alias partes, Anatomes ſtudio ductus, & in iis meſenterium cum diſſecarem; in eo non modo ſtrumam ullam, ſed ne duras quidem glandulas deprehendi: & quamvis paulo quam ſoleant, ſunt viſæ majores, ab ætate id potius eſſe (*y*), quam a morbo, exiſtimavi.

30. Ad colli ſtrumas omnino eſſe referendos tumores glandulæ Thyroidææ, & perperam bronchocelas vocari, affirmat Joannes Freindius (*z*), qui harum plura genera, ſed omnia extra eam glandulam, agnoſcit, in iiſque aliquod aneu-

(*i*) Oſſervaz. 12. (*k*) De Tumorib. p. n. c. 23. & 31. (*l*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 35. (*m*) Epiſt. 4. n. 24.
(*n*) Ep. 14. n. 3. (*o*) Ep. 11. n. 15. (*p*) Chirurg. tr. 2. doctr. 1. c. 4. (*q*) Anat. quart. renov. l. 1. c. 12.
(*r*) Obſ. 6. Schol. ad §. 4. (*ſ*) l. 2. c. 18. (*t*) De hum. corp. Tumorib. S. 2. P. 1. n. 78. (*u*) Obſ cit. §. 9.
(*x*) Obſ. ead. §. 3. (*y*) Vid. Haller. ad Boerh. Prælect. §. 128. not. 2. (*z*) Hiſt. Medic. ubi de Albucaſi.

aneuryſmati ſimile, cui propterea ſcalpellum non ſit adhibendum. Joannes autem Riolanus (*a*) ante Schelhammerum (*b*) qui ſe *primum* animadvertiſſe hoc, credebat, inter bronchocelas, quas *longe a ſtrumis* differre, cenſet, glandulam ponit Thyroidæam *productiorem quæ ſarcoma producit*, neque inter eas ullam memorat, quæ ſimilis ſit aneuryſmatis. Cave enim credas, quod huic Riolani loco exemplum continuo ſubjicitur in Sepulchreto (*c*) ejuſmodi bronchoceles quæ aneuryſmatis ſimillima, niſi potius verum aneuryſma, fuit, ad *eundem*, ut ibi dicitur, id eſt ad Riolanum, aut forte ad Pareum, quorum nempe verba, & Obſervationes productæ modo fuerant, attinere. Quod ſi quæras, ad quem igitur illud, & quæ duo proxime ſequuntur (*d*), exempla attineant; Severinum (*e*) lege, ex eoque tria iſta exempla, quamvis negligenter, deſcripta eſſe, cognoſces: qui ultimum diſerte inter aneuryſmata ipſa repoſuit. Mihi vero forte accidit, ut tot inter quæ diſſecui, tumentia colla quæ bronchocele credebant affecta, vitium omne in Thyroidæa glandula ſemper offenderim, tunc etiam cum erat cavum aneuryſmatis ſimile, certe autem ſanguine plenum. Quæ meæ Obſervationes varii, & multiplicis in tumente ea glandula vitii cum editæ extent Epiſtola Anatomica IX. (*f*); non eſt cur hic repetantur. Porro alias habes in Epiſtolis quas ad te miſi (*g*), aliaſque huc addam, ex quibus magis magiſque ut varii ſint morbi illius glandulæ, intelligas, aut ſaltem qualia ſint ejus morborum initia.

31. MULIERIS in hoc Gymnaſio diſſectæ A. 1741. cujus reliquam hiſtoriam mittam, cum de Arthritide agam (*h*), Thyroidæam glandulam vidi multo quam æquum eſſet, craſſiorem, ſubrotundam, totamque in ſe conglobatam. Incidendo duram, atque adeo ſcirrhoſam reperi, inter ſubſtantiam coloris ex carneo fuſci alba hic illic interjecta.

32. FŒMINÆ alterius caput, & collum ibidem, eodemque anno perſecantibus cum ea de qua loquimur, glandula animadverſa eſſet ad imum ſiniſtrum lobum ſubdura; utrumque lobum diſcindens ſecundum longitudinem, plures, nec parvas albæ ſubſtantiæ portiones utrique, & præſertim dextero, intermiſtas conſpexi, in altero autem qua ſubdurum fuiſſe, dixi, incluſam cyſtim ex craſſa, albaque tunica, qua flavus humor ad ſpiſſitudinem vergens continebatur.

33. VIRO cujus ibi eædem Partes per eos dies conſecabantur, Thyroidææ glandulæ alter lobus major erat altero, nec paulo altior. Cum attentius inſpectarem ſummam lobi illius partem, quæ erat duriſſima; membraneam veſicam in ea ſemiſepultam animadverti rotundiſſimi globi forma: qua pertuſa, humor prodiit flavus, viſciduſque, ut bilem referret.

34. MULIERIS larynx ibidem apparabatur A. 1744. Detracta eadem glandula major quam ſoleat, ac turgidior, globulos quoſdam ex parte aliqua exſtantes, reliqua intra ſe conditos oſtendebat, forma omnes rotunda, ſed alia alios magnitudine. Maximus mediocrem uvæ acinum æquabat: cæteri multo erant minores. Horum tunica compuncta, humor exſilivit nullo colore, aquæ inſtar. Sed maximus longe alius erat generis; ex firma enim, ut diſſecando perſpexi, conſtabat ſubſtantia, ejus non ita diſſimili ex qua glandulæ conglobatæ, albo autem colore ex ſubrubro obſoleto, niſi qua parvis maculis quaſi atri ſanguinis hic illic diſtinguebatur, & exiguis alicubi caveis, nihil continentibus.

35. MULIER altera paulo poſt illam, ſed in Noſocomio, diſſecta, in Thyroidæa glandula ad baſim lobi dexteri album corpuſculum habebat grani ciceris magnitudine, & quaſi forma, nonnihil extra glandulam prominens: quod incidens, oſſeum potius quam cartilagineum eſſe, cognovi.

36. JUVENIS ex aſcite mortui, cum meliora non

ſuppeterent, collum, & caput ad Anatomen publicam abſolvendam A. 1747. in Theatrum illata ſunt. In quibus cum cætera tamen ſic ſatis eſſent intra naturæ modum; glandula quam ſæpius nominavimus, æquo craſſior fuit, ad imam autem lobi alterius partem etiam durior. Quo loco diſſectam conſtare vidi quaſi ex veſiculis rotundis, muco plenis. Subſtantia reliqua, ſi exterius inſpiceres; glandulam in grandiuſculos diviſam lobulos; ſi interius, in minutos, ſed magis quam ſoleant, diſtinctos, repræſentabat.

37. Ex Obſervationibus hiſce intelligis, Thyroidææ glandulæ tumores, aut tumorum initia crebrius muliebri, quam noſtro ſexui, contingere. Quod & in Epiſtolis Anatomicis (*i*) indicavi, & tu ex bronchoceles exemplis conjicies quæ in Sepulchretum relata ſunt, primum ſi omnia quidem inter ſe conferas, neque enim in hac modo Sectione invenies, ſed & libri III. Sect. 8. (*k*) & libri II. Sect. 2. (*l*) quæ hic juxta conſuetudinem ſuam commemorare Bonetum oblitum miror; deinde ſi ea ſeponas quæ ad vera aneuryſmata potius attinent, quod conferendo cum iis libris unde accepta ſunt, facilius intelliges. Conferre autem, ut opinor, non oportebit alterum eorum quæ libro II. proponuntur, ex Moinichenio videlicet; tunc enim monerem, ut pro *Epid.* 77. quemadmodum in Sepulchreto editum eſt, *Epiſt.* legeres 87; ad hujus enim finem id ſcripſit ad Bartholinum (*m*) Moinichenius. Nulla autem opus conjectura eſſet, ſi qui in bronchocele quæ deprehenderint, tradiderunt, quomodo ſe Thyroidæa glandula haberet, non omiſiſſent: ad quam tamen ſæpius illa attinuiſſe, cum ex nonnullis eorum verbis, tum magis ex meis ſuſpicor ad hoc uſque tempus habitis Obſervationibus. Cæterum illas quoque inſpicias velim quas poſt alteram Sepulchreti editionem Viri Clariſſimi vulgarunt Henricus Albertus Nicolai (*n*), Phil. Conr. Fabricius (*o*), Medicus Gallus Lalouette (*p*), Janus Plancus (*q*), Albertus Hallerus (*r*), aliique, in his, quod ex Boeclero (*ſ*) ſcio, Lauthius. Alia alios vitia in Thyroidæa glandula vidiſſe, leges, pleroſque autem dura corpora cartilaginea, oſſea, lapidea, & nonnunquam ipſam oſſeam factam, aut lapideſcentem. Noli vero propterea quia non unus eſt qui, ut ego quoque, hoſce interdum, aut alios morbos in altero dumtaxat ejus lobo, integro altero, animadverterit, noli, inquam ſuſpicari, unicam haud eſſe hanc glandulam, ſed duas; niſi idem ſuſpicari velis de liene, aut de jecinore, cum altera horum pars, ſalva altera, morbo quopiam correpta eſt. Multo autem magis cave ubi Diſquiſitiones quaſdam leges ſuper glandula Thyroidæa, ne facile pollicitationes alliciant te quæ initio occurrent. Sed prius attente perlege quidquid de glandula non modo Epiſtola Anatomica IX. (*t*) verum etiam iis quæ Epiſtola eadem indicat, locis I. V. & VI. Adverſariorum ſcriptum eſt, & tunc demum illas quoque perlege Diſquiſitiones. Laudabis quidem, me probante, Auctoris voluntatem, conatumque illuſtrandi, ac promovendi ſuſpicionem illam meam de pluribus, ſed tenuiſſimis in laryngem deſinentibus Thyroidææ glandulæ canaliculis. At ſimul optabis ut hos longe alios ac lymphæ ductus, eſſe conjeciſſet, horum officii, & ſtructuræ memor: in cæteris autem, quæ mea ſunt, mihi tribuere: quæ non ſunt, ea vero mihi ne aſſignare voluiſſet, ut, exempli gratia, ubi dicor ad inquirendos illius glandulæ canaliculos prohibuiſſe aeris immiſſionem, aut rejeciſſe glandulæ compreſſionem. Nonne ſatis eſt vel conniventibus oculis unam aut alteram paginam inſpexiſſe Epiſtolæ illius (*u*) ut appareat num aeris immiſſionem prohibuerim? num glandulæ compreſſionem rejecerim? Caute illam ac leniter inſtituendam eſſe, admonui: quod probe intellexit Solers Vir Boeclerus (*x*), cum diſſentiens ab Diſquiſitionum Auctore, ſe a meis *ſtare partibus*, ſcripſit;

(*a*) Encheir. Anat. l. 4. c. 7. (*b*) l. cit. S. & P. ead n. 83. (*c*) Sect. hac 2. Obſ. 5. §. 2. (*d*) §. 3. & 4.
(*e*) De recond. abſceſſ. nat. l. 4. c. 6. & 7. (*f*) n. 38. & ſeq. (*g*) Epiſt. 16. n. 38; Ep. 23. n. 4; Ep. 26. n. 21; & Ep. 34. n. 15.
(*h*) Epiſt. 57. n. 2. (*i*) Epiſt. 9. n. 40. (*k*) Obſ. 31. in fine (*l*) Obſ. 9. §. 1. & 4.
(*m*) Vid. in Bartholini Cent. 2. Epiſt. Medic. (*n*) Dec. Obſ. Illuſtr. Anat Obſ. 4 (*o*) Idea Anat. Pract. Sect. 4.
(*p*) Memoir. de Math. & de Phyſ. preſentés à l'Acad. R. des Sc. Tom. 1. pag. 168. 169 (*q*) Epiſt. de Monſtris & cæt. cum Tab. 3. Fig. 1. & 2.
(*r*) Opuſc. Pathol. Obſ. 6. (*ſ*) Differt. de Thyroidææ, Thymi & cæt. Functionibus not. 9. ad §. 18.
(*t*) n. 30. & ſeqq. uſque ad 41. (*u*) n. 36. & 37. (*x*) Diſſert. cit not. ſ ad §. 8.

nam non niſi fortiter, inquit, *veſicam unam inflando, reliquas, nec omnes elevare potuimus, ut hinc aerem in celluloſam telam, vaſa diſrumpendo, viam ſibi paraviſſe, ſicque totam glandulam intumuiſſe, credamus.* Compreſſione autem hujus glandulæ quoties uſus ſim, non ſolum non reticui, ſed inſuper eorum qui illam inutilem probare vellent, rationem diſerte refutavi. Quid ergo eſt? An ratio iſta quam alter apud me, ipſam mox rejicientem, proponit, pro mea forte ab eo qui feſtinans legeret, accepta fuit? Videtur aliquid hujuſmodi facile in errorem traxiſſe quempiam alium qui in Problemate quodam Anatomico non advertens fortaſſe, quomodo in diſputationibus accipiendum ſit quod *gratificandi* cauſa quaſi per hypotheſim ſeponitur, intereaque tanquam dubium relinquitur, & me contra Cowperum eo loco pugnaſſe, exiſtimans quo Cowperum tueri ipſum pergebam, eum non modo adverſus me defendere, ſed exultantis victoris inſtar hæc ſubjicere non dubitavit: *dicat nunc* Morgagnus, *quænam & cæt.* Quæ cum verba Amicus quidam legeret meus, quid, inquit, Morgagnus dicat, niſi quod olim dicentem audivi, cum aliqui Juvenes qui in Doctorum Virorum libris perſæpe invenerant, Morgagnum certas quaſdam res obſervaviſſe *poſt* Berengarium, Falloppium, Arantium, alioſve Anatomicos, neſcirent autem, hos a Morgagno ipſo in illis obſervationibus nominatim fuiſſe indicatos, ut fateretur per quos profeciſſet, & quid tamen addidiſſet, oſtenderet; cum igitur illi Juvenes mirarentur, fugiſſe ejus oculos, aut memoriam tot laudatorum Auctorum locos; at vos nolite amplius, inquit, præpropere judicare. Sed de me plus ſatis; de Thyroidææ autem glandulæ tumoribus ſatis, ſi illud addidero, qui vocis inde mutationem adnotarunt, multiplicem id explicandi rationem eſſe habituros ſive ob prohibitum, aut mutatum in laryngem humoris influxum, ſive ob adſitorum laryngis muſculorum diſtractionem, preſſionemve, ſive ob impoſitum ipſi pondus, & urgentem molem: quæ in Epiſtola illa IX. (*y*) preſſe indicavimus. Longe tamen graviora accidere ab nimis aucta preſſione poſſunt, ſive hæc in Jugulares venas cadat, unde ſoporem, & apoplexiam Illuſtris vidit Hallerus (*z*), ſive Aſperam arteriam præcipue adſtringat, quod idem adnotavit, ita uti ſpiritus vix poſſit duci; imo ne vix quidem, ſicuti obſervarunt alii, & præ cæteris Kerckringius (*a*), qui miſeranda fœminæ ſuffocatione permotus, reprehendit Medicos qui humorum imminutione, & diverſione operam dare omiſerant, ut tumor lentius ſaltem creſceret, neque præcipiti incremento arteriam Aſperam colli vertebris apprimeret.

38. Jam vero de Jugularium glandularum tumoribus (*b*), & de iis quæ vera in collo ſunt, aneuryſmatibus (*c*) cum alias ad te ſcripſerim; age, ad pectus deſcendamus. Quod ad mammarum tumores attinet; hos quidem tempore lactis obortos negat Fabricius noſter ab Aquapendente (*d*) unquam ſe non ſanatos vidiſſe. Longa tamen, varia, & permoleſta haud raro pariunt incommoda antequam abſceſſus in quos abeunt, perſanentur. Quo magis optandum eſſet, ut puerperis quæ lacte abundant, certis autem de cauſis lactare nequeunt, remedia eſſent in promptu per quæ priuſquam in abſceſſus verteretur, tuto ſibi lac abigerent. Medicus erat Bononiæ qui hoc præſtari aſſeverabat ſuſpenſo inter ſcapulas ſiccato piſciculo quem hippocampum, ſive equulum marinum vocitant, certo præſertim, ut ipſe ajebat, tempore captum, quare cum duplicem haberet, alterum altero, dicebat, eſſe magis efficacem, eumque libenter iis qui poſcerent, commodabat. In his fuit ingenuus Juvenis qui mecum ibi ante hujus ſæculi initium Medicinæ ſtudiis operam dabat, illamque facere jam cœperat: hic autem cum binis in puerperis expertus eſſet, in utraque reſpondiſſe, teſtabatur. Quo de experimento cum poſtea per annos triginta, eoque amplius nihil audiviſſem; in poſthumis tandem Valliſnerii noſtri Scriptis (*e*) inveni, ſæpe ab ſe periculo eodem facto, ad eundem modum ſucceſſiſſe: ad contrarium autem modum, ſi ab oppoſita parte, id eſt inter mammas, mulier augere lac cupiens, ſuſpendiſſet: quod, a Bononienſi illo Medico pariter affirmatum, Socius ille meus experiendi occaſionem non habuerat. Ægre fero, neque a me olim quæſitum, neque a Valliſnerio fuiſſe adnotatum, num lac ſic abactum, mulieribus quidpiam detrimenti attulerit; potuit enim non afferre, ſi lente, ac ſenſim abactum fuerit: qua ratione agendo argentum vivum, ſcriptorio calamo incluſum, ſicque inter mammas geſtatum, lac diſcutere *ſine ulla noxa*, ſæpiſſime vidit, non modo audivit, Cl. Degnerus (*f*), ab Amicis pluribus certior factus, multis etiam inter Batavos mulieribus *familiare*, *tutum*, *ac probatum* hoc eſſe remedium. Certe autem quo dixi tempore cum eſſet alterum hoc auxilium apud noſtrates ignotum, præcipui Bononienſes Medici primo illo tam facili remedio non utebantur, ſive non crederent, ſive nocere poſſe, ſuſpicarentur. Itaque Albertinum memini puerperis duabus generoſiſſimis cum mammæ ea lactis copia turgerent, ut neque dormire, neque brachia ſine dolore movere poſſent, non aliter opem tuliſſe, niſi lactis materiam ad inteſtina divertendo, idque clyſmate nil aliud habente quam jus, in eoque ſolutum butyrum, & ſacchari quantum ſolet. Quod ideo memoro, quia mira felicitate utraque inter dejiciendum ita levari cœpta eſt, ut mammis deinceps decreſcentibus, neutri opus ullo praterea auxilio fuerit. Quin mihi ſancte affirmabat Albertinus, ab earum altera materiam eſſe dejectam multam, quam ipſe viderat, lactis omnino ſimilem; ut mihi in mentem veniret illius fœminæ, cui prætumida poſt ablactationem mamma detumuit ſtatim ac pro ſaliva lac proſilire in os cœpit: quam tu Obſervationem, explicationemque ejus, ad hanc Albertini accommodandam, leges in Nuckii Sialographia. (*g*) Quo autem modo in epidemica quadam Pariſienſium puerperarum Conſtitutione de qua ſcripſit Præcl. Malovinius (*h*), cum tertia, aut quarta a partu die mammæ non modo, ut ſolent, non tumeſcerent, ſed flacceſcerent, poſt mortem quæ inter quinctam, & ſeptimam diem accidebat, lac coagulatum exteriori adhærens inteſtinorum ſuperficiei, deprehendi potuerit, tametſi illa viderentur fuiſſe inflammata, & doloribus cruciata, morbus autem a diarrhœa, & hac permanente, initium duxiſſet, non facilem habet explicatum, niſi forte ex lacteo illo ſero quod in ſanguine veriſimiliter redundans cum alibi in quibuſdam, tum in omnibus tunc diſſectis in ventris cavo inventum eſt, craſſiores, viſcidioreſque partes ſubſederant, & ſubjectis inteſtinis adhæſerant.

39. Tumores autem mammarum, qui lactis tempore non oriuntur (quanquam & eorum exempla profert Hildanus (*i*), & aliquod ipſe vidi, qui tunc orti, in cancrum degenerarunt) etſi Fabricius noſter (*k*) *raro vidiſſe ſe*, ſcribat, *qui cancri naturam non fuerint æmulati*; tamen; ut aliis omiſſis, unum Ludovicum Mercatum (*l*) inſpicias; ſatis ſuperque intelliges, quot alia occurrant in mammis tumorum genera quæ cancrum non æmulentur. Sed & præter ea quæ ipſe deſcribit, alia ſunt, velut hoc a me in Veneta Virgine obſervatum annos nata ad quadraginta. Ei cum menſtrui ſanguinis curſus diebus aliquot tardius incipiebat, tumor ovo columbino major, non inæqualis, nec cutis colorem mutans, ſed duriſſimus, & in proximi brachii motibus dolorem creans, non raro naſci ſolebat in altera mamma, eaque ſiniſtra, ut ſi totam occupaſſet, vix quidquam diſcrepans vide-

(*y*) n. 40. (*z*) Obſ. cit. 6. (*a*) Obſ. ex Sepulchr. ſupra cit. 9. §. 1. (*b*) Epiſt. 22. n. 19. & Epiſt. 29. n. 12.
(*c*) Epiſt. 26. n. 21. (*d*) De Chirurg. Operat. ubi de Chir. Thorac.
(*e*) Opere Tom. 3. P. 4. Saggio Alfab. d'Iſtor. Med. alla voce Ippocampo. (*f*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 149. (*g*) c. 2.
(*h*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1746. (*i*) Cent. 2. Obſ 78. (*k*) loco ſupra ad n. 38. indicato.
(*l*) De Mulier. Affect. l. 1. c. 17.

videri potuiſſet ab aliquo eorum qui primo loco a Mercato deſcribuntur. Sed neque erat omnino ejus ſimilis quem glandulosum vocat, ut qui non modo in parvulas non ſecabatur extuberantias; ſed mox prodeuntibus menſtruis, nullo præſidio adhibito, nulloque ſui relicto veſtigio, nedum celeriter detumeſcebat, verum penitus abibat.

40. Sunt vero & tumores qui intra mammas innaſcuntur, quæ, inſtante menſtrua purgatione, moleſtis tenſionibus obnoxiæ eſſe conſueverunt. Ii duri, & in quoſdam quaſi nodos diſtincti, aut interdum totam mammæ glandulam occupantes, non modo perſtant, ſed accedentibus poſtea doloribus, ab ſcirrhi in cancri naturam degenerare jam videntur. Legeſis deſcriptos a Præſtantiſſimo Trewio (*m*), & quomodo intra finem anni vertentis radicitus, at ſine ferro, exſtirpaverit, ut ne minimum quidem ſupereſſet veſtigium, cognoſces. Alii vero aliquando tumores ſunt qui tum diutius, imo diutiſſime in mammis hærendo, tum notis nonnullis aliis naturam cancrorum æmulentur, nec tamen ſint. Ad ejuſcemodi tumores ſubjecta in primis ſpectat hiſtoria.

41. MONACHA Patavii fuit quæ ante annos triginta laborare primum cœperat disjectis intra alteram mammam tuberculis. Hæc demum in unum tumorem conjungi viſa ſunt in mammæ inferiore parte, qui erat ſuperficiei inæqualitate, eoſque dolores ciebat, ut pro cancro habitus ſit. Noviſſime auctis doloribus, ipſe per ſe tumor ſe aperuit. Tunc vero ex modo quo ſe aperuerat, & ex iis quæ prodibant, & apparebant, navus, & ſolers Chirurgus non eſſe cancrum, cenſuit, & mederi inſtituit. VERUM curatio nunquam ex ſententia proceſſit donec ſub finem anni 1739. e tumore corpus extraxit tuberoſum, mediocris nucis juglandis magnitudine, quod ad me attulit. Conſtabat ex fruſtis oſſeis pluribus majoribus, minoribuſque, nullo certo ordine diſpoſitis, ut in diffracto conſpexi. Inter fruſta erat interjecta ſubſtantia quaſi ligamento ſimilis. Hæc exſiccata nigricabat: oſſea autem fruſta albedinem oſtendebant ſuam. Itaque mamma ſanata eſt: & quamvis exulceratio redierit; non ex ea Virgo, ſed alio ex morbo, tribus ab illius oſſei corporis extractione annis exactis, deceſſit.

42. Id corpus cenſui ex tunicis vaſculorum, quæ mammæ aut lactis, aut ſanguinis gratia attributa ſunt, ex aliiſve membranis, oſſeis factis, originem habuiſſe. Unde fortaſſe alterum quoque habuit quod adoleſcentulus in eadem cane reperi, in cujus utroque rene, ut ſcripſi ad te alias (*n*), calculos offendi. Alienum autem non erit obſervata in beſtiis quoque huc afferre, quando in iſtam ipſam Sepulchreti Sectionem II. (*o*) tumores ex vitulo, & cane relati ſunt.

43. CANI una inter cæteras mamma paulo magis quam æquum eſſet, tumebat. OCCISAM exercitationis cauſa cum diſſecarem; ſub ipſa papilla modicum deprehendi corpus ſubrotundum, & inæquale, ex corpuſculis pluribus coagmentatum, duritie autem pluſquam cartilaginea. Sed digitis facile cedebat materia quædam ex flavo liveſcens, qua plena erant tubercula duo, lentis majuſculæ forma, & magnitudine intra Ventriculum prominentia, quorum cyſtes inter carneam, interioremque tunicam erant.
Sub ipſa autem extima Pulmonum membrana quodam loco animadverti quaſi granula huc illuc disjecta tartareæ cujuſdam materiæ. Quæ cur hic non omittenda crediderim, continuo dicam.

44. Cum enim in eadem cane præter magnum renis alterius vitium, calculos in utroque, ſicuti paulo ante commemorabam, invenerim; materiam iſtam in pulmonibus quoque jam tartaream, & in ventriculo pariter fortaſſe futuram, mihi diſſimulandam non putavi, ut ſi ſuſpicari forte velis, illud quoque ſub papilla corpus ex eadem potius, quippe abundante adeo in ea cane, quam ex oſſea fuiſſe materia; per me poſſis: quanquam neque in cane, neque in Monacha illa (*p*) mihi tartarea viſa eſt, extatque in Sepulchreto (*q*) alterius Monachæ exemplum, in qua mammæ, quantum una earum oſtendit, cute excepta, *totæ oſſeæ* repertæ ſunt. Quoniam tamen vel in ipſis arteriis controverſum eſt, ut aliis ad te Litteris (*r*) memoravimus, quod oſſeum videtur, reverane oſſeum ſit an tartareum, neque in propoſitis caſibus examina illa inſtituta ſunt, quæ ſic ſatis indicarent, utro modo in iſtis mammis res ſe haberet; ipſam in medio relinquemus tanto facilius, quod tartareas, lapideaſve concretiones, ſive, ut Celſus (*ſ*) loquitur, *lapillis quædam ſimilia* cum alii interdum tumores habent, ut ipſe docet, Sepulchretum autem Sectione hac (*t*) oſtendit; tum nominatim mammarum tumores; ut in Vidua de qua narrat Cl. Baſſius (*u*), incluſa iis corpora *attritu & colliſione mutua ſonitum inſtar lapillorum ederent*, noſque ipſi in viro materiam duratæ inſtar calcis vidimus. Nam maſculorum quoque mamillæ nonnunquam haud ſecus ac fœminarum, in tumores excreſcunt, quorum unum deſcriptum legi a Bidloo (*x*), nec ſibi ipſi ejuſmodi Obſervationem deeſſe, teſtatur is qui Bidloum laudat, Heiſterus (*y*), aliamque addidit Cl. Jo. Mart. Wolffius (*z*); ego vero hunc morbum ſemel in Aurifice inchoatum vidi, cui nihil æque profuit ac diuturna brachii ejus lateris quies a me imperata, iterum autem jam perfectum, ſed continentem eam quam modo indicabam, materiam: reſque ita ſe habuit.

45. VIRO docto, & generoſo, Matronæ illius filio, cujus tibi & morbos, & diſſectionem deſcripſi, cum de Vomitu ſermonem haberem (*a*), annum agenti XXXI. cœperat in ſuperiore parte mamillæ dexteræ parvula quaſi glandula prominere. Hæc ſenſim aucta, intra annum circiter in tumorem excrevit pugni magnitudine, prædurum, ſed cunctis pravæ naturæ indiciis peculiaribus carentem. IS TUMOR ſub initium A. 1742. quartodecimo ex quo inceperat, menſe, ſponte ſe aperuit, oſtenditque intra corticem, ab integumentis factum, & fibris carneis, nihil niſi materiam quæ calcem alibi duram, alibi molliorem referebat.

46. Tunc ipſe & vidi, & tetigi intra hiantem tumorem materiam hanc, quippe cum aliis nonnullis Gymnaſii Profeſſoribus conſilii cauſa acceſſitus.
Cum pater, avuſque fuiſſent arthritidi valde obnoxii, æger autem hic nunquam, niſi quod levem aliquando, brevemque ad pollicem alterius pedis dolorem vix animadverterat; credibile videbatur omnibus, quæ tartarea materia illis in mucilaginoſas articulorum glandulas, huic, cum in eas fortaſſe firmiores non poſſet, in mammarias incubuiſſe, idque facilius, quod ſternum animadverti, vix tertia a ſummo longitudinis parte emenſa, repente, & valde ſubſidere, quamobrem Mammariis vaſis ad ſterni latera ad angulum hic inflexis, motum ſanguinis per mamillas tardiorem fieri, conjiciebam. Ea vero de arthritica illius materiæ natura tanto propterea veriſimilior opinio, quod Preuſſius (*b*) *calciformem* arthritidis materiam quæ in artuum extremis articulis deponi amplius non poterat, per mammæ ulcus exire viderat, pleroſque noſtrum ſegniores faciebat in conſilio dando, verentes nimirum, ne exciſo tumore, ejuſque ſede perſanata, materia ad alias ſe verteret, interiores fortaſſe, nobilioreſque Partes, quando nuper Albertini (*c*) quoque Obſervatio oſtenderat, prohibitam illam ab artubus inferioribus, temere petrolei inunctione corroboratis, quot turbas intus, in ventre præſertim, conciviſſet donec ita per inteſtinorum exiret viam, ut mirum eſſet *qualia*, *quamque multa illac prodirent quaſi ex calce, aut gypſo recens coagmentato*, *eique* materiæ *haud ita diſſimilia unde efficitur podagra*. Cum igitur ob ejuſmodi cauſas cunctan-

(*m*) Commerc. Litter. A. 1742. Hebd. 52. n. 2. (*n*) Epiſt. 42. n. 17. (*o*) l. 4. Obſ. 4. §. 3. & in Additam. Obſ. 12.
(*p*) ſupra, n. 41. (*q*) l. 3. S. 21. in Additam. Obſ 61. (*r*) Epiſt. 27. n. 20. & ſeqq. (*ſ*) De Medic. l. 7. c. 6.
(*t*) Obſ. 15 §. 4. & Obſ. 17. §. 1. (*u*) Dec. 2. Obſ. 6. (*x*) Dec. 2. Exercit. Anat. Chir. 5.
(*y*) Inſtit. Chir. P. 1. l. 4. c. 17. n. 3. (*z*) Commerc. Litter. A. 1742. Hebd. 44. n. 2. (*a*) Epiſt. 30. n. 7.
(*b*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 17. (*c*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 1. in Opuſc. ubi de Cortice Peruv.

ctantium conſilia primum non diſplicerent, & materia paulatim e tumore detraheretur; ecce febri oborta, reapſe ad eam quæ erat reliqua, nova ejuſdem generis materia accedit. Poſt quæ tamen æger cunctationis pertæſus, ſtrenuo Chirurgo ſe committit, per quem, ut ipſe omnino voluit, penitus exſecto tumore, & vulnere ad cicatricem non difficile perducto, ita convaluit, ut nullo exinde morbo, quod ſciam, correptus fuerit: adeo in Medicina felix nonnunquam eſt præter rationem audacia!

47. Quod ad genus tumorum ſpectarent, vel potius, ſi mulier diutius vixiſſet, ſpectare potuiſſent duriores æquo mammarum partes, quas fuſco, viridi, atro humore expreſſo, ſatis, ut videbantur, ſanas reperi in ea diſſectione quæ tibi deſcripta eſt Epiſtola XXI. n. 47. non facile dixerim. Etſi enim tumores illos tunc referre poſſes ad eum dumtaxat humorem, lactifera vaſcula diſtendentem; tamen ejuſmodi humorem adeo ab naturæ norma alienum non aliquos pravæ indolis tumores diuturna mora fuiſſe facturum, quis affirmare pro certo poſſit? Mulieres quidem legi ab Riverio (*d*), & Lanzono (*e*) viſas, quarum e mammis lac viride exibat, duas autem in Ephemer. Nat. Cur. (*f*), & in Commercio Litterario (*g*) memoratas, quarum altera lac habebat nigrum, & maxime acidum, altera autem, quotieſcunque vellet, exprimere poterat ex utraque mamma *liquidum aliquod ſpiſſius, coloris longe nigerrimi*, quod linteo exceptum, intra horas 24. *ad inſtar æruginis viride evadebat, ſimulque, ut videbatur, naturam corroſivam induebat*. Sed ut pleraſque earum minus ſanas fuiſſe, video; ſic nullius ſcio qui finis fuerit, & num mammæ, in primis, ſi aut lac non efflueret, aut quod reſtabat illiuſmodi humoris non exprimeretur, nullo dolore, & nullo denique malignæ naturæ tumore correptæ ſint. Me jam intelligis de cancro loqui, tumore qui ſæpe adeo, in mammis præſertim naſcitur, eodemque tam manifeſtæ pravitatis, quam difficilis curationis: ut ſcite Joannes Bapt. Corteſius (*) cum oſtendere vellet, *non ſequi ſemper, quod morbus cognitus, illico curetur*, idque *præcipue ratione malignitatis ſuæ*; cancri potiſſimum exemplo uſus ſit, *qui quamvis ab omnibus cognoſcatur, nihilominus raro curatur*. Et ſane vix nonnunquam accidit ut felix undique ea curatio ſit. Perſæpe autem ea conſecuta eſſe, vidimus, quæ Celſus (*h*) prædixit, ut ſive a Chirurgis vel peritiſſimis exciſus, *poſt inductam cicatricem tamen reverterit* in eundem, aut alium in locum, *& cauſam mortis attulerit*, ſive cum alii quidam *uſi* eſſent *medicamentis adurentibus*, miſeraſque fœminas diu excruciaſſent, aut pejorem, aut certe non meliorem denique habuerit exitum. Fuit enim apud nos quoque priuſquam volumen Commentariorum exiret Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis quod ad A. attinet 1739. qui adurente herba adhibita cancros radicitus tollere dicebatur. Sed ſive ea *Dentellaria* Rondeletii, ut ex indiciis quibuſdam conjecimus; ipſe enim, quantum poterat, occultabat; ſive alia erat, cum magnam primum, ut fit, de ſe famam concitaſſet, curationum exitu non reſpondente deſertus eſt. Qui an feliciter apud Monſpelienſes reſpondere perrexerit, ignoramus: apud nos certe Medici, & Chirurgi magis in ea ſententia confirmati ſunt, ut cum victi ægrorum precibus, minime ea quæ ſupra (*i*) ſunt dicta, ſpectantium, ſuſcipere curationem coguntur, exciſionem præferant, quæ ſi non minus acerbo, at longe breviori dolore peragitur, ſicque minoris conſtat ægris, tametſi poſtea cancer redeat, ſi non vita, at certe vitæ, interea ſine aſſiduis teterrimi morbi cruciatibus, prorogatio. Verum prorogatio hæc ipſa ut ſperari poſſit, quæ, & quot in ægris requirantur, dicere ſuperſedeo. Eorum quædam, itemque plura iis adverſantia, ex Obſervatione colliges, quam potiſſimum, cum alias poſſem, hic dabo. Ex eadem enim ſimul quæ ſtructura eſſet ſcirrhi in cancrum degenerantis, ſimulque confirmatum videbis, *contuſionem, quæ in cute nullius momenti eſſet*, eam ut Boerhaavii (*k*) verbis utar, *in glandula conglomerata ſcirrhum peſſimum* poſſe *producere*; itemque *cancrum* curari *difficillime in* fœmina *melancholica*. Sunt enim & apud nos temperamento hoc quædam; non omnes: qua in re neſcio quis magno illi Viro adeo impoſuerit, ut *Italos* traderet (*l*) *ad annum ætatis decimum octavum vividos & ludibundos eſſe: poſt trigeſimum annum triſtes omnes, moroſos, melancholicos, & hæmorrhoidarios fieri*. Cæterum eam nobiſcum Obſervationem annis ſuperioribus per litteras communicavit Doctus, & ſpectatus Vir Jo. Baptiſta Charburius, noſter olim dilectiſſimus Auditor, nunc autem Regius Auguſtæ Taurinorum Profeſſor Practicæ Medicinæ Primarius.

48. RUSTICA mulier annos nata circiter quinquaginta ſiniſtram mammam forte percuſſerat. In hac poſt menſem ferme ſe prodidit tumor, quem fruſtra fotibus reſolvi, fruſtra compreſſione plumbeæ concavæ laminæ coerceri poſſe, ſperatum eſt. Augeſcebat enim, ut intra ſeptimum ab ictu menſem a ſuperiore, eademque externa mammæ parte, ubi multo craſſior, durior, magiſque abnormi figura erat, infra areolam jam deſcenderet: cujus papilla intra altas aliquot tranſverſas rugas tota propemodum latebat. Sub proxima axilla aliæ his ſimiles rugæ animadvertebantur, dolorque erat ad axillam, cum attollebatur humerus, & univerſus ille artus œdemate tumebat. Quæ res, & præter has aduſta & melancholica mulieris temperatura adverſabantur iis qui tumoris exciſionem proponebant. Favebant contra, mulieris robuſtum corpus, intrepidus animus, & ad exciſionem paratus, quam cum alia, tum illud in primis urgebat, quod pungentes dolores, qui ut creſcebat tumor, ita ipſi quoque magis ſemper increverant, jam ex moleſtis facti erant non ſecus ac vigiliæ, multo moleſtiſſimi. Itaque ad tumoris exciſionem ventum eſt, qui ut intus ſe habuerit, infra dicetur. Res feliciter, & ex ſententia peracta videbatur ad diem uſque ſeptimum, quo vulnus tempore vivido ſemper colore, & molle fuit. Sed ipſum poſtea inflammatio, & corruptio invaſit, quæ non modo quidquid celluloſi ex mamma ſupererat, verum etiam ſubjectam mammæ Pectoralis muſculi partem abſumpſit, & quæ Intercoſtalium tum Internorum, tum Externorum reſpondebat; ut nuda ibi inter coſtas pleura appareret ad tractum digitorum circiter quinque, a ſterno videlicet in tranſverſum. Attamen mundatum denique eſt ulcus, & dies quinque molle fuit, tuncque pus laudabile, pulſus non niſi ad veſperas frequens, idque ad paucas horas, & reliqua omnia erant ferme ad naturæ modum, ſi pertinacem alvi adſtrictionem exciperes cui per clyſmata interdum occurrebatur. Poſt eos autem dies iterum omnia in pejus verterunt. Ulcus in quo coſtæ quartæ cartilago nigricans, & ab ſterno quaſi ſejuncta conſpiciebatur, areſcebat, reddebatque paucum, & ichoroſum pus, & grave olens: proximi autem artus, qui primis ab exciſione diebus motum, & propemodum ſenſum quoque amiſerat, niſi quod in manu tamen uterque perſtabat, œdema augebatur: quo artus etiam inferiores tumebant: creſcebant ſimul frequentia pulſuum, ſitis, vigiliæ. Ad ea accedebant diarrhœa, ciborum appetitus prorſus dejectus, virium languor, perpetua ſomnolentia, difficilis, ac frequens reſpiratio. Hæc denique exceperunt febriles quatuor acceſſiones longæ, vehementes, & cum rigore conjunctæ: quarum alia alii horis interjectis circiter decem, ſuccebebat: eæque mulierem confecerunt. CADAVER flaccidum ubique, & laxum, inferiores tamen artus, vel inciſis integumentis, ſine ullis habuit œdematis reliquiis. Venter, ſi lienem excipias paulo quam natura ferat, majorem, nigriorem, laxiorem, uterum autem contra prædurum, & ſcalpello reſiſtentem,

(*d*) Cent. 2. Obſ. Medic. 100. (*e*) Animadverſ. var. ad Medic. & cæt. 125. (*f*) Dec. 2. A. 4. Append. n. 5. XLIII. (*g*) A. 1734. Hebd. 1. n. 1. (*) Miſcell. Medic. Epiſt. 6. (*h*) De Medic. l. 5. c. 28. (*i*) n. 16. (*k*) Prælect. in Inſtit. §. 903. (*l*) Ibid. ad §. 897.

tem, ſatis bene conſtituta oſtendit reliqua. Thoracis utrumque cavum aqua fuit ferme plenum, ſiniſtrum præſertim: in eoque pulmo qua parte ulceri reſpondebat, aridus, & propemodum ſcirrhoſus, arɛteque ibi ad pleuram adhærens, quæ multo arɛtius ibidem adhærebat ad coſtas, & quaſi calloſa facta erat qua parte exteriori aeri expoſita fuerat. Tunc corde inſpecto, cujus caveæ dexteræ aliquid polypoſæ concretionis habuerunt; ad exteriora reditum eſt: omneſque Axillares ſiniſtræ glandulæ inventæ ſunt non ſolum aliquanto craſſiores, ſed & in acervum mutatæ ſcirrhoſorum tuberculorum, ſumma firmitudine, colore livido: quæ celluloſa proxima complectebatur membrana, ipſa quoque in valde firmum quaſi ſteatoma converſa. Ex his autem, proxima vaſa, nervoſque comprimentibus, cauſa intelligebatur tum paralyſis imperfectæ, tum pertinacis œdematis, quibus artus ille laboraverat, tum doloris ad axillam cum attollebatur humerus, tum denique periculi inſtantis, ne pravæ indolis tumor alter ſub axilla excreſceret poſteaquam prior e mamma fuerat exſectus. Qui cum protinus ab exſectione, dempta quæ adhærebat, pinguedine, inſpiceretur, forma inventus eſt ad ovalem accedente, cujus major axis pollicem cum dimidio circiter æquabat. Cum eo tres, aut quatuor, alius alia magnitudine, ſed parvi omnes, continuabantur. Ad horum, & illius centrum diſſectio ſanguinem oſtendit putridum, pallidumque: hunc materia comprehendebat media inter puriformem, & ſebaceam.

49. Nonnulla quæ, reſpirante muliere, in pleura, in coſtis, & Intercoſtalium muſculorum parte, cum hæc paterent, diligenter, ſolerterque obſervata ſunt, prætermiſi, non quod non digna eſſent quæ memorarentur, ſed quod minus ad propoſitum Epiſtolæ hujus attinerent. Attinet autem cum primis a Cl. Gahrliepio (*m*) deſcripta hiſtoria, quæ & plura habet cum ea quam modo propoſui, conferenda, illudque inſuper quod in cadaveris ſectione deprehenſum eſt, nempe carcinoma ab ea mamma ex qua exciſum fuerat, latenter, ut nemo in viva id eſſet ſuſpicatus, *tranſverſim ſuper oſſe ſterni ad alteram quoque mammam virus ſuum propagaſſe*. Jam vero ad reliquos & thoracis, & ventris tumores properantibus quem in clavicula conſpeximus, videtur commodius ad exoſtoſes de quibus infra erit ſermo, differendus (*n*). Qui vero ad aneuryſmata ſpectant arteriæ Magnæ, thoracis, aut ventris parietes extrorſum attollentia, cum a nobis de internis, ad quos attinent, morbis agentibus ſatis alias (*o*) propoſiti fuerint, non vacat Sepulchreti exemplum imitari, & hic repetere. Quin ſi forte ut in vivente caupone arteriæ cujuſdam Intercoſtalis aneuryſma dignovi ex pulſatione ſecundum longitudinem quidem in tranſverſum valde producta, ſed latitudine intervallum quod inter coſtas erat duas, nuſquam totum æquante, ita illud intervallum in tumorem, ut Lanciſius (*p*) vidit, denique attollens vidiſſem, & in demortuo, ut ter quaterve Ruyſchius (*q*), tam exilem arteriam ad ovi gallinacei magnitudinem expanſam offendiſſem; neſcio, an inter caveæ thoracis potius, quam inter hos de quibus hic loquimur, tumores poſuiſſem: quanquam hoc licuiſſet magis, quam, ut in Sepulchreto, huc referre ipſorum tumores viſcerum, abdomen extrorſum urgentium: quibus de tumoribus (*r*), & de abdominis ipſius herniis (*ſ*), & de hydrorachitide quoque (*t*) aliis ad te Litteris ſcriptum eſt. Sunt tamen interdum quidam abdominis tumores qui, cum revera ad ipſum dumtaxat pertineant, ad viſcera attinere videantur. Qualem in pio, doctoque Sacerdote vidimus inſtar magni hemiſphærii prominentem. Qui cum apertus multam, fœdiſſimique odoris materiam effudiſſet, a Chirurgis demiſſo ſpecillo animadverſus eſt tantum introrſum pertinere, quantum exterius prominuerat; ut plerique non dubitandum crederent, quin ad viſcus aliquod ſpectaret. Verum neque exitus erat ullius quæ id confirmaret, materiæ, neque læſi cujuſquam viſceris notæ, & perfecta denique ægri, feliciter multos exinde annos viventis, ſanatio præclare oſtendit, quæ in tanto tumore congeſta fuerant, muſculoſos quidem abdominis parietes, & peritonæum intra ventris cavum incurvaſſe; non perforaſſe tamen, neque ut tumoris cavum cum ventris cavo, nedum cum viſcere ejus aliquo, communicaret, effeciſſe.

50. Teſtium, & circumjectorum his involucrorum tumores, de quibus aliquanto plura ſcribere poſſemus, fuiſſe a nobis alia Epiſtola (*u*) pertractatos, meminiſti. De iis autem qui ad penem, anum, & naturalia mulierum attinent, etſi plures vidimus; tamen cum diſſecandi occaſio nunquam fuerit, vix aliquid eſt quod attingamus. Cancroſum tumorem in quem glans, & magna pars colis proxima excreverat cum amputaret Valſalva, aderam. Quæ duo ne acciderent, verebatur, eorum neutrum accidit. Alterum erat, ne exigua ſuperfutura pars colis introrſum forte ſe continuo retraheret: alterum, ne illa perſtante, introrſum tamen ſe retraherent arteriæ. Quas cum in animo haberet, ut fecit, trajectas acu filum trahente, hoc circumducto, conſtrictoque obligare; ſi utrumlibet illorum accideret, maximopere erat adverſaturum. Ne alterum accideret, ante providerat: ſi alterum accidiſſet, tum neceſſario id quod nolebat, facturus. Cruciatus enim, quo ad ejus facere poterat, iis quos ferro curabat, imminuere ſtudebat. Quamobrem neque igne uti hic voluit, ut Scultetus (*x*), aut vitiati aliquid, ut ipſe, relinquere, neque arcta adeo penis conſtrictione, vinculo ſupra vitiatam partem injecto, ut quidquid infra vinculum eſſet, brevi emoreretur: quantum enim hic dolorem conſtrictio illa afferat, XXX. Ruyſchii Obſervatio (*y*) ſatis indicat. Nec tamen propterea Chirurgos alios Experientiſſimos, in quibus Heiſterus (*z*) eſt, & Benevolus (*a*) non ſine gravi ratione conſtrictionem hanc prætuliſſe, credas. Ut enim Valſalva ægrum illum ſuum perſanaverit; aliquid tamen periculi una ex primis noctibus fuit, ſanguine ſibi viam reſerare incipiente, niſi qui proximus, ut Valſalva juſſerat, paratuſque cubabat miniſter, celerrime, ſicuti præmonſtratum fuerat, obſtitiſſet. Provectæ ætatis erat is æger. Sed provectæ & alter, cujus ex podice per duos depreſſos pedunculos excreſcentia propendebat pravæ naturæ, ad renis magnitudinem formamque accedens. Quam ſenior alter Chirurgus, me adoleſcentulo aſpiciente, deorſum tractam, inciſis pedunculis cum excidiſſet, imi autem inteſtini pars ex qua illi excreverant, continuo ſe; id quod Chirurgus non expectabat; introrſum retraxiſſet, ſeque ejus oculis, & manibus ſubduxiſſet; perturbari primum hominem vidi, quamvis, ſiquis alius, exercitatum, & ſua in Arte nobilem, mox tamen cum ſanguinis haud multum efflueret, confirmato animo, & mediocri turunda immiſſa, albumine illita, & pulveribus conſperſa qui adſtringendi vim habent, diſceſſit. Verum exacto vix horæ quadrante, ſanguis profluere copia non modica, &, quod multo majori intra inteſtinum influxiſſe, indicabat, rogare æger, cujus interea pulſus valde ſubſederant, ut turunda demeretur, quia vehementi alvi exonerandæ neceſſitati reſiſtere amplius non poſſet. Revocatus Chirurgus turundam aufert, quam ingentia concreti ſanguinis fruſta conſequuntur. Tum digito ille immiſſo, vulnus diutius comprimit, neque removet donec turunda iiſdem ac prior, medicamentis illita, & conſperſa, ſed (qualis a primo immittenda fuerat) craſſior parata eſſet quæ inderetur: ægreque tandem per hæc ſanguis compreſſus eſt. Sed hæc non aliam ob cauſam memorata ſunt, niſi ut in controverſa excidendi penis ratione quid tunc Valſalvæ placuerit, intelligeres, item-

(*m*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 163. (*n*) Vid. n. 58. (*o*) Epiſt. 26. n. 19. & Epiſt. 40. n. 26.
(*p*) De Aneuryſm. l. 2. c. 2. Propoſ. 28. cujus, & præcedentis titulo ne fallaris, faciet Propoſ. 25. (*q*) Theſ. Anat. 9. n. 5.
(*r*) Epiſt. 36. & 39. (*ſ*) Epiſt. 34. (*t*) Epiſt. 12. (*u*) 43. (*x*) Obſ. Chir. 60. (*y*) Cent. Obſ. Anat. Chirurg.
(*z*) Inſtit. Chirurg. P. 2. S. 5. c. 132. (*a*) Oſſerv. 27.

itemque vel multo ſenioribus, & exercitatis Chirurgis omnia quæ inter operandum accidere poſſunt, animo eſſe antea proſpicienda. Ceterum quod ad primam curationem attinet, legeſis inter Veteres Benivenium (*b*): quod ad alteram, inter Recentiores Heiſterum (*c*); exemplum apud utrumque felicis curationis invenies. Condylomatum autem muliebris vaginæ cum plures poſſint eſſe cauſæ; tum inter eas quæ a primordiis ſunt, quandam interdum eſſe, ſuſpicor, quæ cujuſmodi ſit, ex ſubjecta apparebit Obſervatione.

51. VIRGUNCULA annos nata ad quindecim, corporis habitu jam diu cachectico, graviori denique morbo correpta, extremos hujus, & vitæ dies ſic in Patavino egit Noſocomio, ut ex pulmonum inflammatione mori videretur ſub finem A. 1750.

THORACE aperto, hujus quidem hydrops deprehenſus eſt; in pulmonibus autem vix quidquam fuit quod leve eorum inflammationis præberet indicium.

Ex Ventre genitales potiſſimum partes detractæ ſunt. Quarum ego ſtructuram cum ſtudioſæ Juventuti oſtenderem, in omnibus ferme ſecundum naturam ſe habentem: pauca hæc quæ aliena eſſent, animadverti. Ad alterius Falloppianæ Tubæ extremum foliaceum erat hydatis. Ex urethræ oſculo corpuſculum prominebat rubellum: quod, ipſa ſecundum longitudinem inciſa, nihil aliud eſſe, vidi, niſi intimam ejus tunicam, quæ cum ſupra a ſubjectis vaſculis ſanguine diſtentis tota nigricaret, ima parte ſe extrorſum invertens, exſtabat: quod & in alia de qua ubi de Claudicatione ſcribam (*d*), memini vidiſſe, utramque autem cum de Urinæ Difficultate agerem (*e*) commemoraſſe, & parvi illius vitii cauſam quæſiviſſe. Aperta denique vagina, quæ albido craſſiuſculo humore erat oblita, illud offendi quod mihi hoc loco ſcribendi hanc Obſervationem cauſam attulit. Scilicet propius alterum latus, uno ſupra hymenem tranſverſo digito, anterior, & poſterior vaginæ facies colligatæ erant inter ſe per brevem quaſi inſtitam latitudinis, & craſſitudinis modicæ, ex eadem prorſus ex qua vagina, ſubſtantia factam, ad eundemque modum rugoſa præditam ſuperficie; ut manifeſtum eſſet, præſertim cum prægreſſæ eroſionis nullum uſquam ſupra, aut infra appareret veſtigium, colligationem illam eſſe ab natura. Quam antequam ſectione diſſolverem; arctiſſima ab eo latere vagina erat; illa autem diſſoluta, continuo in juſtam latitudinem ſe extendit.

52. Quod ſi hæc Virgo nupſiſſet; facile intelligis, inſtitam illam aut a congrediente viro, aut a prodeunte fœtu diſruptam, excreſcere poſtea in præhumido loco in condyloma potuiſſe. Mihi certe cum eam diſſecarem, in mentem venit juvenis Matronæ cui poſt non facilem partum condylomata duo per vaginæ orificium pendere, vidi, hujuſce inſtitæ, ſi in medio diſrupta eſſet, & poſt diſruptionem aliquantum procreviſſet, ſimilia ob id etiam quod non majori ſupra illud orificium intervallo quam hæc inſtita, oriebantur.

53. Reſtant Artuum tumores. Qui omnes ferme cum ſint utriſque communes, juvat in iis fere ſubſiſtere qui in proximis fuerint artubus Inferioribus mole alii immani, alii mediocri. Immani erat qui, abſceſſus inſtar, femur adeo diſtendebat Nobiliſſimi Viri, ut Valſalva, ad curationem accerſitus, aperire veritus ſit, felici conſilio; nam paucis poſt diebus per ſe paulatim evanuit totus, ægerque tam bene convaluit, ut plures poſtea annos ſaniſſimus vixerit, Medicis, & Chirurgis a quibus id accepi, & ægro ipſo, qui mihi quem inter Amicos intimos habuit, non ſemel idem confirmavit, mirantibus quonam tanta materiæ copia, ſub manibus fluctuantis, ſine pernicie receſſiſſet. Valſalvam autem his abſterritum fuiſſe, credebant primum ne quam facile eſſet tumorem ejuſmodi aperire, tam difficile eſſet perſanare, & occludere, tum ne propter immodicum materiæ effluxum æger deficeret ſive longo diuturnæ curationis ſpatio, ſive primo ipſo inciſionis tempore; quaſi in ejus manu tunc non fuiſſet tantum educere quantum ferre ægri vires poſſent. Quod cum regererem; quæſitum, ut fit in colloquiis, ex me eſſe, memini, quid cauſæ ſit, quare ſi forte Chirurgus e non modico tumore quidquid continet effluere ſtatim ſinat, ægri animo ſæpe linquantur: reſpondiſſe autem, placere quibuſdam tribuere id ſanguini in vaſa ejus partis, per tumoris materiam antea compreſſa, nunc laxata, repente ea copia irruenti, ut minor æquo ſit quæ ad cor redeat. Sic autem quid aliis potius, quam quid mihi videretur, reſpondi primum quia non omnibus tumoribus vaſa comprimuntur quæ magna ſint, deinde quia magna ſunt certe vaſa illa proxima quæ novimeſtri fœtu diſtentus uterus comprimit, eaque compreſſio feliciori in partu fere temporis puncto tollitur, neque propterea deliquia ingruunt; ut alia quærenda reſponſio, aut aliud ſaltem ad illam addendum eſſe videatur.

Sed tumores artuum alii ſunt vel iſto quem dixi, longe majores: quos aperire fruſtra aveas; neque enim quod continent, magna ex parte fluxile eſt, neque in pus verti poteſt, quin etiam non raro interjectorum muſculorum ſtructura mirum in modum vitiata, ac mutata eſt. Deſcriptos videbis in Diſſertatione (*f*) Jo. Henſeleri, qua ejuſdemmodi tumorum exempla indicantur plura, quorum aliqua non adeo recentia ſunt, ut in Sepulchretum referri non potuiſſent, & ad Wedelianum illud (*g*) adjungi, quod in ea Diſſertatione prætermiſſum eſt. Plura quoque leges in Diſſertatione, quæ antea prodierat, Alexandri Camerarii (*h*), & quædam in Tomo qui ante illarum utramque exierat, Italorum Litteratorum Diarii (*i*); neque enim vel apud nos perrara ſunt, eaque mirifica. Ipſe etiam aliud, quamvis cum iis minime comparandum, magnum tamen, hic vidi, quo generoſiſſimi Viri crus totum vehementer diſtendebatur. Quod incaſſum apertum iri ob hæc quæ modo dicta ſunt, pronunciaveram: neque exitus me fefellit, cum æger poſtmodum nihilominus pungi voluerit. Cæterum non poſſum adduci ut credam, hujus, aut conſimilis generis tumore præturgidum fuiſſe brachium viri de quo ad Valliſnerium (*k*) ſcripſit Sancaſſanus, cum primarius Chirurgus ferrum impreſſiſſet, eam vim ſanguinis erupiſſe, ut Chirurgus attonitus hominem jam jam inde moriturum timeret: curſu autem ſanguinis deſinente, ſerum multas hebdomadas exiiſſe, itaque brachium ad juſtam molem decreviſſe, nullo quoad homo vixit; plures autem annos vixit; in eo artu ſuperſtite incommodo. Facit potius is caſus, ut in memoriam ejus redeam quem de Rege Lacedæmoniorum Ageſilao apud Xenophontem (*l*), & Plutarchum (*m*) legeris, ut illi ex aſcenſu *incertum qua vena rupta, ſanguis e corpore ſanum in crus defluxerit*; altero enim erat claudus; *cumque tibia nimium quantum intumeſceret, ac dolores intolerandi accederent, Medicus quidam Syracuſanus ei propter malleolum venam aperuerit, atque ubi ſemel cœpiſſet, noctu dieque ſanguis profluxerit, & quidquid tentarent, fluxionem hanc inhibere non potuerint, donec Ageſilaus tandem animo defecit, & tunc ſanguis fluere deſiit*, ea valetudine inſecuta quæ reliquum æſtatis, & totam hyemem Regem lecto affixit. Quem caſum, attentione alioquin dignum, non memini, an quis ex eruditis Medicis conſideraverit. Incertum pariter, quo ex vaſe ſanguis defluxerit ad magnos duos tumores faciendos, a M. Aurelio Severino (*n*), & a Præcl. Alberto Hallero (*o*) memoratos. Alter quidem *brachium uſque ad ſummum humerum, & anteriorem thoracis partem quæ ad alas ſpectat*, in immanem illam molem diſtenderat quam adjecta Icon, & dolor quo homo confectus periit, commonſtrant. Alter autem

ſubi-

(*b*) De abdit. morb. & ſanat. cauſ. c. 68. (*c*) Eph. N. C. Cent. 8. Obſ. 67. (*d*) Epiſt. 56. n. 21. (*e*) Epiſt. 42. n. 42.
(*f*) Hiſt. brachii prætumidi §. 14. (*g*) Sect. hac 2. Obſ. 17. §. 3. (*h*) Hiſt. pedis tumidi. (*i*) Tom. 29. art. 4.
(*k*) Opere Tom. 1. P. 6. (*l*) Rer. Græcar. l. 5. verſus fin. (*m*) in Vita Ageſilai.
(*n*) De recond. Abſceſſ. nat. l. 4. in fine Schol. ad c. 7. (*o*) Opuſc. Pathol. Obſ. 32. Hiſt. 2.

ſubito poſt maximum dolorem ortus, *cedens tractantium manibus*, & *compreſſus evaneſcens*, a ſcapula ad decimam fere coſtam ſe extendebat. Sed primus quid contineret, ne ſuſpicari quidem poſſemus, cum Severinus nihil præterea dixerit, nec diſſecuiſſe videatur; niſi *inter* abſceſſus ſanguifluos ſive *aneuryſmata* propoſuiſſet. Alterum vero ſanguine refertum fuiſſe, ſcimus, qui horis ab inciſione non multis profluens, virum occidit, & plurimus, cum poſtea tumor ſecaretur, repertus eſt. Attamen ſi de utroque tumore illud addi potuiſſet, initio ſaltem pulſaſſe, ſicuti de alio, ſanguinem continente, & genu *univerſum omnimode operiente*, poſt aliquot demum annorum intervallum ſibi oſtenſo, ſubindicavit Cl. Preuſſius (*p*); minus dubitationis relictum eſſet iis qui de Sanguineis Tumoribus, cum rupto venæ alicujus trunco communicantibus, ea legiſſent quæ, ut ſupra (*q*) commemoratum eſt, in Tractatu Valſalvæ de Aure Humana, in meaque Epiſtola Anatomica XIII. tradita ſunt.

54. Tumores contra ſunt quos facile ſanatos eſſe, accepimus, quanquam non facili ad explicandum ratione: quæ cauſa eſt cur prætermittendos non putemus. Veronenſis Medicus, Vir ſpectatus, mihi, & qui mecum forte aderant, Doctis Viris narrabat Venetiis A. 1707. cum in ejus Patria, idque nuper, equo nobili crura ambo poſteriora ad genu articulum vehementer intumuiſſent aquoſo tumore quidem, ſed duro, & cum dolore, nec remedia cætera quidquam proficerent, extitiſſe Veterinarium qui ſe hac ratione ſanaturum reciperet, ut corio paulo ſupra tumorem inciſo, & vena quæ ibi non tenuis eſt, reſecta, hanc vinculis duobus valide conſtringeret, interque hæc ipſam diſſecaret. Reclamatum eſſe primum ab omnibus quibus circumitio ſanguinis eſſet nota, tanquam auxilio non modo non profuturo, ſed plurimum nocituro. Attamen cum ille ejuſdemmodi affectos morbo ſeptem, aut octo equos, & in his duos in eadem Urbe, ſic ab ſe perſanatos memoraret, verumque dicere, protinus re inquiſita explorataque, conſtaret; permiſſum eſſe, &, ſe qui hæc mihi narrabat, inſpectante, ita uti propoſitum fuerat, eſſe factum. Itaque tumores inde ſemper vel primis diebus decreviſſe, donec intra vigeſimum circiter diem prorſus evanuerint. Quæ cum forte aliis in quibus erat Vir Ingenioſiſſimus Dominicus Gulielminus, referrem; hic maluit conjicere, ſimul cum vena fortaſſe nervum aliquem, ad ægram partem ſpectantem, fuiſſe diſſectum, eaque ratione ſublatum dolorem, qui originem non a tumore habuiſſet, ſed potius tumori ipſe præbuiſſet, itaque ablata vi ſtimuli, quæ uti feciſſet, ita conſervaret tumorem, hunc non difficile fuiſſe ſolutum. Ut ut eſt, nolui hanc tibi curationem reticere; neque enim Medicis unquam nocuit quid Veterinariis ſuccedat, noviſſe, & prius fortaſſe ab his, ut in brutis animantibus liberum eſt periclitari, plura tentata, & facta ſunt quam ad homines transferrentur. Vides, exempli cauſa, ut Petrus Creſcentius qui ante hos quadringentos annos, cum de Agricultura ſcriberet, quædam interjecerit ad Chirurgiam Veterinariam ſpectantia, in ægro bove ſanguinem ex inciſis venis quæ ſub lingua ſunt, mittere (*r*) docuerit, aut quomodo pro clyſmate injicienda quodam ventriculo excipere, cujus orificium tubo ſit inſtructum, & per hunc in equi alvum immittere (*ſ*), aut qua ratione, ſi in equi tumente glandula excidenda ſanguis ex vena aliqua forte prorumpat, hac continuo arrepta, & ſerico filo arcte conſtricta, ſit ille coercendus (*t*). Num putas hæc ex antiquioribus Veterinariis non hauſiſſe? hos autem non ex aliis longe vetuſtioribus? ut fortaſſe antequam Celſus (*u*), & Galenus (*x*) cohibere in vulneratis partibus ſanguinis profluvium docerent vinculo ſauciatæ aut venæ, aut arteriæ injecto, id jam illis fuerit uſitatum, dum glandulam aliquam exſtirparent, aut dum equis in prælio ſauciis mederentur. Verum ſive ad hominem traducta eſt hæc coercendi ſanguinis ratio, ſive in ipſo primum tentata eſt; mirari ſubit, cum a Galeni temporibus paſſim in Chirurgorum libris deſcriberetur, eaque inter cæteros in illa quæ ſupra (*y*) indicata eſt, amputati penis curatione uſus eſſet Benivenius, *ſingulas* illius *venas quæ ſanguinem fundebant*, arterias videlicet, *apprehendendo*, *atque ita deligando*, *ut ora præcluſa coirent*; mirari, inquam, ſubit, neminem ante Paræum (*z*) extitiſſe qui ad ea vulnera quæ in artuum amputationibus fiunt, transferri illam poſſe, cogitaret. Sed ne forte credas, arteriarum quæ in artubus præcipuæ ſunt, craſſitudinem veritos, cum ramorum tenuitate quos Galenus vinciendos præceperit, minime comparandam; certe præcipuus truncus in brachio is eſt quem ad cubiti flexuram imperiti homines ſæpe convulnerant cum venam aperire dumtaxat putant, unde poſtea, niſi magna primo tempore obſtet diligentia, aneuryſma pronaſcitur. Et eum tamen præcipuum truncum in chirurgia hujus aneuryſmatis curatione ipſum quoque filis obligari ſolitum non modo ex Aetii (*a*), Pauli (*b*), Albucaſis (*c*), aliorumque etiam inferiorum, ut Guidonis de Cauliaco (*d*), ſcriptis non poterant ignorare. Verum ab aneuryſmatis in brachio enati, in quam forte incidi, mentione admoneor, ut aneuryſmatis potius in poplite exorti Obſervationem ſubjiciam, tum ne ab artus inferioris tumoribus in quibus fere ſubſiſtere conſtitueram, longius recedam, tum propter ea quæ ſupra (*e*) de poplitis aneuryſmatibus dicta ſunt, quorum præclarum exemplum, ab Hornio (*f*) deſcriptum, fruſtra in Sepulchreto perquiſivi.

55. STRUCTORI parvulus in poplite apparere, & pulſare tumor cœperat. Qui neglectus, crevit ad pomi magnitudinem. Tunc plura, a Medicis, Chirurgiſque præſcripta, partim nihil profuere, partim, & compreſſio nominatim, potius officere viſa ſunt. Itaque intra perpaucos menſes ſic excreverat, ut parvum æquaret melonem; acerrimiſque hominem doloribus excruciabat. Huc acceſſit univerſi cruris ac pedis œdema, & genu præſertim ipſius tumor. Denique gangræna, & mox ſphacelus invaſit. Quem conſecuta, ut prædictum fuerat, diſruptio, plurimi ſanguinis profuſione illico vitam ademit ſub finem Martii A. 1740. quibus ego diebus quædam ad cerebri anatomen attinentia Diſcipulis in Noſocomio oſtendebam. CEREBRUM igitur hujus quoque hominis diſſecans, præter cætera quæ huc minus attinent, adnotavi, tametſi exanguis viſus fuerat mori; ſanguinea tamen puncta in medullaris ſubſtantiæ ſectionibus apparuiſſe, quæ & majora multo fiebant, cum a lateribus comprimerem: tum illud quod admiratione dignius fuit, cum Striata Corpora aſſulatim, ut fit, perſecarem, quamvis ſcalpello in quamcunque vellem partem directo, inclinatove demum inciderim tota, nuſquam tamen ſtrias medullares, ut ſemper alias, occurriſſe, earumque loco quandam quaſi faſciam perpetuam medullarem ſe oſtendiſſe, quam ſecundum eorum Corporum longitudinem corticalis utrinque ſubſtantia intercipiebat: neque hominem tamen in cerebri, & nervorum uſu quidquam a communi conſuetudine alienum paſſum eſſe, conſtabat: id quod ii perpendant velim, quibus certa quædam placent olim propoſita illarum ſtriarum officia. Sed his nunc miſſis, ad Poplitis diſſectionem, quam Mediavia noſter peregit, tranſeamus. Sphacelus eo loco, & circa eum locum omnia occupaverat non ſic tamen quin ea quæ dicam, agnoſcerentur. Cruralis arteria jam inde ubi a latere femoris interiore ad poſteriora deflectit, ſtatim dilatari incipiebat. Deinde ad tractum dimidiatæ circiter ulnæ fruſtra arteriæ truncum quæſiviſſes; in ſura demum rami in quos ſe dividit, apparebant. Toto autem illo tractu nihil niſi ingens cavum ſanguine fœdum, eroſis videlicet omnibus atque adeo prorſus abſumptis nervo, &

(*p*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 19. (*q*) n. 2. (*r*) l. 9. c. 65. (*ſ*) Ibid. c. 18. (*t*) Ibid. c. 16.
(*u*) De Medic. l. 5. c. 26. S. 21. (*x*) Meth. Med. l. 4. c. 3. (*y*) n. 50. (*z*) l. 11. c. 24.
(*a*) Tetrab. 4. Serm. 4 c. 40. (*b*) De Re Med. l 6. c. 37. (*c*) Chirurg. P. 2: c. 49. (*d*) Chirurg. Tr. 2. D. 2. c. 4.
(*e*) n. 10. (*f*) Epiſt. de Aneuryſm. ad Donzell.

vena quæ inter imos a tergo prominentes oſſis femoris proceſſus arteriæ comites ſe addunt : vix hujus tunicarum reliquiæ aliquæ ſupererant, oſſibus adhærentes. Oſſa autem ipſa quoque erant ex parte eroſa, nempe illorum quos modo dixi, proceſſuum poſterior facies, & ſummæ fibulæ.

56. Jam vero a vaſorum tumore ad oſſium tumorem, id eſt Exoſtoſim veniamus, minime hac quidem Epiſtola ſoliciti cum Schelhammero (g), num exoſtoſis, ſarcoma, polypus, alia ejuſmodi ſatis recte inter Tumores referantur, neque cum Bidloo (h), num in homine qui *cætero corpore* non ſit *ſanus*, oſſis tumor vocari non poſſit exoſtoſis, præſertim quando Gorræus (i), in propriis medicarum vocum ſignificationibus proponendis accuratiſſimus, polypum *eſſe tumorem*, diſerte ait, exoſtoſes autem *eſſe tumores* etiam *Gallico morbo laborantibus frequentes*. Attamen ut nemini repugnavero qui exoſtoſis nomine malit quaſi quodam genere tumores oſſium quoslibet qui præter naturam ſint, comprehendere; ita probare non poſſim qui exoſtoſium enumerantes exempla, inter hæc proferant quæ non conſtet ad oſſium tumores attinere; aut ſi id conſtet, exoſtoſes in varias quaſi ſpecies peculiari addito aut nomine, aut adjuncto non diſtinguant. Spectare ad oſſium tumorem non conſtat monſtroſum brachium in Obſervatione LXIX. Hildani Cent. IV. deſcriptum; ut potius inter eos tumores quos ſupra (k) cum Henſelero memoravi, hic ipſe referendum crediderit (l). Illam tamen quam apud Hildanum extare diximus, Obſervationem cum in calce cujuſdam ſuæ laudaviſſet Tulpius (m) in qua ut os humeri peſſime ſe habens proponat, ipſum tamen os mole auctum inventum fuiſſe, non dicit; Stalpartius (n), de exoſtoſibus verba faciens, non modo illud commemorat Hildani exemplum, ſed & Tulpium ibi *os humeri* quod *plurimum increverit*, affirmat, propoſuiſſe : quam rem initio quidem hiſtoriæ, in Sepulchretum quoque (o), nec ſine operarum errore aliquo, relatæ, quaſi ex aſpectu exteriore indicans Tulpius videtur indicare; verum ubi ad diſſectionem ventum eſt, minime confirmat. Poſt hæc, utrumque exemplum ſine ulla dubitatione inter exoſtoſes ab nonnullis repoſitum videas non ſecus ac aliud ex M. Aurelio Severino (p), poſtquam Meryus (q), ut ſimile deſcriptis ab ſe digitorum manus exoſtoſibus laudaverat. Sed M. Aurelius ut non abſimilem exterius manum deſcripſerit, & delineaverit; *materiam* tamen, *quæ ſub inciſo vitio reperta eſt*, non oſſeam certe, ſed *veluti coctæ carnis bulbi cyclaminis apparuiſſe*, diſerte tradidit, *friabilem inſuper, & leviſſimo quoque contactu ceſſilem*: ut paulo minus difficile ferendus eſſet qui manum, ſi exteriora ſpectes, haud ita diſſimilem, ineunte hoc ſæculo a Ruyſchio (r) examinatam, ad exoſtoſes referret; nam etſi non poſſibile fuit perſpicere, an tubera in quæ excreverat, ex oſſibus originem ducerent, illorum tamen unum *quaſi ex innumeris minoribus tumoribus partim cartilaginoſis, partim oſſeis compoſitum* deprehendit.

57. Sed & illos quos veros eſſe tumores conſtet oſſis alicujus, non ſatis eſt uno exoſtoſis vocabulo, niſi generatim, comprehendere, quippe plurimum alioqui inter ſe diſcrepantes. Sunt enim in quibus nihil præter oſſis intumeſcentiam, aut excreſcentiam, a natura alienum videatur, quales Meryus (ſ) eſſe communes exoſtoſes, dixit, qualeſque dumtaxat eſſe hoc dignas nomine, Bidlous (t) cenſuit, os omnino ſanum non modo ſupra, & infra, tumorem requirens, ſed & hunc perioſtio rite contectum, neque ullum prorſus intus, extrave inflammationis, acrimoniæ, putredinis, corruptionis vel minimum oſtendentem veſtigium : quæ ſententia non unum habuit aſtipulatorem, & in his Diſcipulum Cl. Kulmi in ea Diſſertatione (u) quæ, ipſo Præſide, inſcripta *de Exoſtoſis Steatomatode Claviculæ* A. 1732. edita eſt. Alii tamen plures & antea, & poſtea eos quoque oſſium tumores exoſtoſis nomine deſignarunt quibuſcum oſſium caries eſſet conjuncta. Utriuſque autem generis iterum partitiones occurrunt. Non carioſi enim oſſis tumor aut ex denſa ſolidaque ſubſtantia eſt, qualem maxima ex parte pinxit Bidlous (x), aut ex ſubſtantia *in totum* celluloſa, vel ſpongioſa, ut in parte oſſis femoris quæ ſecundum naturam eſt perquam dura ad unciæ craſſitudinem aucta Ruyſchius (y) vidit, aut denique, ut delineavit idem (z) in oſſe tibiæ, ex ſubſtantia exterius quidem admodum craſſa, dura, compacta; interius autem cavernoſa. Carioſi autem oſſis tumores aut cariem ſequuntur cujus externæ injuriæ cauſa fuerint, ut in maxilla inferiore puellæ quæ ex alto ceciderat, deſcripta in Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis Hiſtoria (a), aut internum, ut ſæpius, humorum vitium, ſive ab lue Venerea hoc ſit, quemadmodum in tibiæ, imo, ut delineatio oſtendit, femoris oſſe adnotavit Stalpartius (b), ſive aliunde, ut in toto oſſe tibiæ invenit Bogdanus (c), cauſam referens ad eum morbum quem Arabes *Ventoſitatem Spinæ* appellarunt, & ſane ex eo morbo oſſa intumeſcere, notiſſimum eſt, neque in artubus ſolum, ſed & alibi, ut Severinus (d) adnotavit, & ſingulari exemplo in maxilla inferiore confirmavit nuper Cl. Kaltſchmiedius (e). Quam vero differant hi oſſei tumores inter ſe, ubi aut cellularum quas comprehendunt, variam magnitudinem, aut variam, quæ his continetur cellulis, materiam ſpectemus, indicare poſſunt cum aliæ Obſervationes, tum præſertim quæ in laudatæ Academiæ Hiſtoria (f), & Commentariis (g) leguntur, ut Farcyi in ſuperiore tibiæ parte, ut Meryi in femoris proceſſibus inferioribus, ut ejuſdem in manus digitis. Cæterum vel cum exoſtoſes nihil continent quod alienum ab natura oſſium ſit, ideoque aptum ad cariem, ad dolores, ad ulcera creanda; ipſa tamen exuberantia præſertim quæ magnæ ad articulos ſunt, tendines impoſitos nimis diſtendendo, partium in quas hi deſinunt, motibus vehementer officiunt: itaque in duabus quæ noviſſime indicatæ ſunt, Meryi Obſervationibus nullo modo poterant illæ moveri: ſingulare autem eſt in ea quam Richius (h) Lutetiam miſit, ſenſibilem flexionis motum in crure ſubſtitiſſe, cum pars inferior oſſis femoris plurimum eſſet amplificata. Sed multo mirabilius eſt quod de Romana Matrona ſummus Anatomicus litteris mandavit Euſtachius (i). Erant illi inferiora femoris capita *in tantum tumorem elata, ut viri vel maximi capitis magnitudinem longe ſuperarent*, quemadmodum hanc tumoris naturam non credentibus cæteris Medicis ſectio tandem in mortua demonſtravit; Mulier tamen *ad omnes partes facile ſoluteque movebatur*, quæ res ab Euſtachio animadverſa, & hoc ſimul quod ea femoris capita *etſi adeo tumida ac turgida facta eſſent, nihilominus naturalem figuram retinebant*, ipſum, vivente adhuc muliere, ad verum aſſequendum perduxerat. Scite igitur Meryus in magna illa exoſtoſi, quam in iiſdem capitibus ab ipſo deſcriptam paulo ante commemoravimus, impoſſibilem cruris flexionem tum a tendinibus vehementer diſtentis, tum a capitum figura deduxit adeo mutata ut ima horum facies ex convexa facta eſſet plana, imo etiam excavata.

58. Ex his alia colliges exoſtoſium diſcrimina in figura, non modo in ſede, quam & olim, & noſtris temporibus vel in extremis oblongorum oſſium animadverſam vides, tametſi in eorum trunco quem appellant diaphyſim, ſæpius (quod negandum non eſt) dicatur occurrere. Sed & alia præter artuum oſſa id vitii invadit: quorum exempla omnia non eſt inſtituti noſtri commemorare. Ex libris qui nunc erant in manibus, quædam attigimus, unde facile exiſtimes, quot poſſent ad hanc Sepulchreti Sectionem addi, in qua non recentia modo, ſed & vetera deſiderantur. Si alia quæ-

(g) De hum. corp. Tumor. S. 1. n. 3. (h) Dec. 2. Exercit. Anat. Chir. 9. (i) Defin. Medic. in πολύπους, & in Ἐξόστωσις.
(k) n. 53. (l) Hiſt. ibid. cit. §. 4. (m) Obſ. Med. l. 4. c. 13. (n) in Schol. ad Obſ. Med. Anat. 94. Cent. 1.
(o) Sect. hac Obſ. 15. §. 3. (p) De recond. Abſceſſ. nat. l. 4. c. 1. (q) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1720.
(r) Epiſt. Anat. 14. (ſ) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1706. (t) Exercit. cit. ſupra ad n. 56. (u) §. 13. & 24.
(x) Exerc. cit. Tab. 2. Fig. 3. (y) Theſ. Anat. Max. in fine ad litt. H. (z) Theſ. Anat. 10. Tab. 2. Fig. 10.
(a) A. 1727. Obſ. Anat. 6. (b) Cent. Poſter. P. 1. Obſ. 44 & Tab. 14. Fig. 1. & 2. (c) Obſ. Anat. Chirurg. 12.
(d) De recond. Abſc. nat. l. 5. c. 16. (e) Progr. de raro Spinæ Vent. caſu. (f) A. 1737. Obſ. Anat. 1.
(g) A. 1706. & 1720. (h) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1739. Obſ. Anat. 4. (i) De Multitudine c. 8.

quæris; cum alibi, tum in Gedanenſi illa quam ſupra (*k*) indicavi, Diſſertatione invenies. Cujus Auctor peculiarem inſuper exhibet exoſtoſis Claviculæ Obſervationem, quo in oſſe an ab aliis antea, tantæ præſertim magnitudinis, conſpecta eſſet, non meminiſſe, fatetur. Vidi ego quatuor poſtquam illa Diſſertatio exierat, annis exſtantem in permagnæ ſphæroidis modum e clavicula pariter ſiniſtra, pariterque olim percuſſa, adoleſcentuli, origine Itali, qui Vindobona huc venerat, ſi forte poſt multorum tot, & tam varias, omneſque inutiles, medicationes hic poſſet qui curandum ſuſciperet, invenire. Et mihi quoque, ut aliis, facile is tumor impoſuiſſet ob ea quibus integebatur. Sed oſſea ſubjecta durities, & firmiſſima cum clavicula continuatio fecerunt, ut ejus Diſſertationis veniret in mentem, nec ſine ſerra tunc adhibita curationem abſolvi poſſe, pronunciarem: quam, ut de periculo nihil dicerem, nec ferrent gracilis, & delicati corpuſculi infirmæ vires, nec admitteret prava a primordiis uſque humorum conſtitutio: quæ omnia illi præſertim qui ægri matrem ne ſine meo potiſſimum conſilio quidquam fieri pateretur, pro ſua erga me ſingulari humanitate monuerat, Pio Nicolao Garellio Equiti, & Cæſareorum Archiatrorum Comiti meritiſſimo, per litteras confirmavi, indicata ſimul quam necdum viderat, Gedanenſi Diſſertatione. Itaque nihil actum eſt, ipſo quoque, ut ad me reſcripſit, probante, & tumorem, inter initia ſibi oſtenſum, nondum ulla exterius addita humorum ſubſiſtentium congeſtione, revera omnino oſſeum, & manifeſto ex clavicula ipſa fuiſſe, affirmante. Qua ſtructura igitur exoſtoſis hæc eſſet, & quid contineret, non vidi. Vidi in altera quæ ex virili femore proſtabat. De qua priuſquam ſcribam, occurram tacitæ interrogationi cuidam tuæ. Scire enim avebis qui fieri poſſit, ut rigidiſſimæ duriſſimæque oſſium laminæ in exoſtoſes adeo ſe extendant.

59. Igitur primum fac eorum memineris quæ ſupra (*l*) ex quodam Valſalvæ Reſponſo prolata ſunt, eſſe aliquas, ut a primo videntur, exoſtoſes, quæ nihil revera ſint, niſi ligamenta, & tendines, quorum a ſubſiſtente materia craſſitudo, & durities auctæ, oſſis ad quod attenduntur, tumorem mentiantur. Quales poſt ictum, luxationem, aliaſve ejuſmodi extrinſecus illatas injurias aliquando occurrunt, & in Nobiliſſimo Abbate, Collega noſtro, præſertim occurrebant, cui poſt luxatum ac repoſitum pedem diu in ſummo hujus dorſo tanta certo loco durities exſtitit, ut os aliquod extra ſuam ſedem prominens pleriſque videretur, quam tamen cerata gummi ammoniacum habentia, tempus, & ambulatio penitus denique ſuſtulerunt. Nec aliæ fortaſſe fuerunt exoſtoſes illæ quas ab ſe ipſo ſecundum infimum utrumque cubitum diu geſtatas ſcribit Severinus (*m*), perpetuo, dum iis inniteretur, incommodantes, donec poſt aliquot annos nullo remedio ſunt diſcuſſæ. Eas in jumentis, ait, a veterinariis *ſoproſſo*, quaſi *ſuper oſſa factos acceſſus dici conſueviſſe*: quem locum ex innominato Auctore poſt alia nonnulla quæ mox apud Severinum eundem ſequuntur, cum deſcriberet Stalpartius (*n*), mirum eſt, quam male italicam vocem illam *ſoproſſo* ſic intellexerit, ut *oſſium exulcerationem* diceret ſignificare. Verum ut a falſis exoſtoſibus ad veras, & ab ligamentis, tendinibuſque ad propius adhærens oſſibus perioſteum veniamus; Boerhaavius (*o*) duplicem exoſtoſis modum proponit, primum ubi ſolum perioſteum obſtruitur, deinde intumeſcens per varios gradus ad oſſis duritiem pervenit; alterum, ubi lamellæ oſſium a mutuis contactibus recedunt ſic, ut viderit oſſa cranii quadruplo craſſiora quam ſecundum naturam, fungoſa autem tota ut pumicem referrent. Priore igitur illo modo utaris licet ad exoſtoſes illas explicandas quæ in exteriore oſſium facie exſtantes, ex compacta oſſea ſubſtantia conſtant, ut in iis exemplis quæ ex Bidloo, Ruyſchioque protulimus (*p*); multo autem libentius ſic explicabis poſtquam explicationes legeris Cl. Hamelii (*q*), non ſolum non diſcrepantes, ſed & propriis experimentis confirmatas, dum in viventibus beſtiis excitatas ab ſe ejuſdemmodi exoſtoſes ſecundum varios indurationis gradus inſpiceret, & unde proficiſcerentur, attenderet. Quin etſi fatetur, exoſtoſes alterius generis, id eſt ſpongioſas, necdum excitare potuiſſe; modum tamen indicat quo has quoque ex perioſteo fieri concipiamus, denique concludens, quidquid vulnerat, irritat, inflammat, aut tumidum facit perioſteum, cujuſmodi injurias ante exoſtoſium productionem perſæpe conſtat accidiſſe, id omne his poſſe præbere originem: quæ Experientiſſimi Viri ſententia majus aliquanto apud te pondus habitura eſt, ubi Commentaria quæ antea ſcripſit, perlegeris, oſſium productionem, & reparationem e perioſteo deducentia. Quoniam tamen neque deſunt qui adverſantia opponant experimenta, & ipſe, ut prudentem decet Obſervatorem, negat, ſe contendere, exoſtoſes omnes a perioſtei morbo aliquo provenire; ſi eas excipiendas eſſe credas in quibus ſecundum alterum modum a Boerhaavio memoratum, oſſis ipſius laminæ a laminis receſſerint; non facile intelliges qua ratione, cum duriſſimæ ſint, & rigidiſſimæ, dimoveri potuerint, & extrorſum urgeri, curvari, expandi, creſcere; niſi ſi iterum molles factas cenſeas, & quaſi ad cartilaginis naturam priſtinam rediiſſe. Cujus mutationis extant ſane in Medicorum libris complura exempla, quorum non pauca indicata videbis ab Eruditiſſimo Hallero (*r*), & ne a ſupra commemoratis Obſervationibus longius abeamus; Tulpius quoque (*ſ*) oſſa vidit *adeo tenera, flaccida, ac mollia, ut inſtar ceræ ſcalpello facillime conciderentur*, & Richius (*t*) emollita invenit, ut illam exoſtoſim pro ſpecie quadam habuerit ſpinæ ventoſæ ſcorbuticæ. Huc adde quæ haud ſemel a Cel. Heiſtero (*u*) non modo in pueris, ſed & in viris deprehenſa ſunt tam mollia, ut ſcalpello facillime ſcinderentur, cum affecta eſſent ſpina ventoſa: quamobrem ſicut exiſtimat a pravis humoribus venereis, ſcorbuticis, varioloſis, rachiticis quoque; nam rachiticos extremorum oſſium tumoribus obnoxios eſſe, conſtat; per ſanguifera eroſa vaſcula in oſſium cava, & cellulas effuſis, & oleum medullare vitiantibus; ut exiſtimat, inquam, ab iſtiuſmodi humoribus oſſeas lamellas emolliri; ſic emollitas, ab eorundem congeſtione, & preſſione extrorſum urgeri, & paulatim expandi, arbitratur. Quam, aut non valde abſimilem explicationem quin ſequaris in iis præſertim tumoribus quos lamellæ oſſeæ molles adhuc comprehendant, vix dubito, in illis potius hæſitaturus in quibus cum ex rigidæ ac duræ undique perciperentur, moles tamen augeri pergeret, imo incrementum annis ultimis nanciſceretur maximum, puta quantum digitorum illa apud Meryum (*x*), & claviculæ in Gedanenſi Diſſertatione (*y*): quanquam in his duobus exemplis reſtat explicationi locus, in hoc quidem propter cartilagineas partes in ambitu hic illic oſſeis interjectas, in primo autem ob eundem ambitum carioſis ulceribus, pluribus in partibus interruptum. Sed hactenus hæc; vel plura enim attigimus quam opus ſit, ut cujus eſſet generis, & unde facta illa exoſtoſis, intelligas, quæ a nobis in eo de quo protinus ſermo fiet, conſpecta eſt, & per diſſectionem perluſtrata.

60. VIRI annos nati ad triginta, de quo nihil aliud conſtabat, niſi apoplexia fuiſſe ſublatum, Artubus in Gymnaſium illatis cum ibi Anatomen docerem Januario menſe A. 1732. extuberantia in ſiniſtri femoris oſſe occurrit, ſphæroidis forma, pomi autem mediocris magnitudine. Exſtabat hæc aliquo ſupra inferiora ejus oſſis capita intervallo, a facie poſteriore. Serra os, ipſamque ſecundum longitudinem diſſecta cum inſpicerem, eam qui-

(*k*) n. 57. Vid. ejus c. 2. (*l*) n. 13. (*m*) De recond. Abſc. nat. l. 4. c. 9. §. 4. (*n*) Schol. ad Obſ. cit. ſupra n. 57.
(*o*) Prælect ad Inſtit. §. 711. (*p*) ſupra, n. 57. (*q*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1741. Mem. 6. ſur les Os Obſ. 31. & ſeqq.
(*r*) not. *b* ad Prælect. Boerh. in Inſtit. §. 401. (*ſ*) c. cit. ſupra ad n. 56. (*t*) cit. ſupra ad n. 57.
(*u*) Inſtit. Chir. P. 1. l. 5. c. 9. not. *a* ad n. 5. & Diſſ. de Oſſ. Tumor. n. 28. & ſeqq. (*x*) cit. ſupra, n. 56.
(*y*) cit. ſupra, n. 57.

dem ex oſſeis cellulis conſtantem vidi, medullari oleo liquido, & flavo ſcatentibus, oſſis autem cavum quod extuberantiæ illi reſpondebat, majori copia refertum olei ejuſdemmodi. Cujus utrobique flavedinem, & liquiditatem adnotatione dignam faciebat medulla in ulteriore oſſis cavo ſubrubens, atque concreta; augebatque adnotandi cauſam tempeſtas præfrigida, qua cum cætera conglaciarent, pars illa olei ne minimum quidem concreviſſet.

61. Mutatio iſta medullaris olei in exoſtoſi, & ad exoſtoſim ſecuta hanc ſit, an præceſſerit, tibi conjiciendum relinquo. Satis enim ſuperque de oſſeis tumoribus, quantum ad præſens inſtitutum attinet, ſcripſiſſe me, ſentio, jamque has Litteras ultra eum quem initio putaveram, modum longe excreviſſe. Nec tamen attigi tumores cunctos vel ex iis qui in artus inferiores maxime cadunt, quibus in artubus noviſſime ſubſtiti, cujuſmodi inter cæteros Varices ſunt, Œdemata, & pedum Clavi; tametſi viderim, nullos ex his eſſe in Sepulchreti huc reſpondente Sectione prætermiſſos. Sed de Varicibus nihil ferme habebam quod dignum eſſet adnotatione, niſi forte ad Bidloum (*z*) rejicere te vellem, ut immanem quorundam varicum magnitudinem cognoſceres; ad quam jam quidem factam intelligendam, tunicarum venæ laxitatem, ſive atoniam ponere neceſſe eſt, violentiores exercitationes, diuturniores ſtationes, graviorum onerum geſtationes, & adverſas motui ſanguinis conſtrictiones, compreſſionesve, aliave id genus conſequentem. Ad eam vero quæ fieri incipit, dilatationem aſſequendam non attinere valvularum laxitatem, quis concedat? Imo ad pervulgatum valvularum officium, huc maxime ſpectans, alterum addendum crediderim eodem pertinens, nimirum ut vinculorum inſtar, ſive ligamentorum, ab uno ad oppoſitum ductæ parietem, venam quo ad ejus facere poſſunt, firment; ut minus, cum laxatæ ſunt, aut laceratæ, mirandum ſit, dilatationem augeri. Œdemata autem ibi ſatis propoſui, ubi de chronicis viſcerum, & de hydropicis affectibus ſcripſi: ex quorum antea habitis tractationibus accepta ſunt in Sepulchreto exempla fere omnia quæ hic repeterentur.

Nec de Clavis quidquam eſſet quod adderem, niſi tu de clavo illo inſanabili ſententiam nuper quæſiviſſes meam, cujus clavi tædio vitam inedia finire voluiſſe Virum Conſularem, eundemque Poetam non ignobilem Silium Italicum, a Plinio minori (*a*) ſcriptum eſt. *Cauſa mortis*, inquit, ei fuit *valetudo. Erat illi natus inſanabilis clavus*. Si plura his ſcripſiſſet; qualis ille clavus, aut ubi fuerit, de me non quæreres, ut opinor. Vis, divinem igitur. Neque enim cum Celſum (*b*), Aetiumque (*c*) perlegeris, ignoras, non modo in pedibus, ſed etiam in oculis, nedum alibi, clavos naſci poſſe, & eorum qui in oculis naſcuntur, alium eſſe qui ab Aetio, ac qui a Celſo clavi nomine deſignatur; ille enim Uveam tunicam extra oculum non parva ex parte prolapſam, & jam duram factam, non ſecus ac Paulus (*d*), & Actuarius (*e*), intelligit; Celſus autem calloſa in albo oculi tubercula: qui & clavos alibi extantes, non ſolum ex contuſione, ſed ex aliis etiam interdum cauſis oriri, ſcribit. Hos tamen omnes ſive in pedibus, ſive in oculis, ſive alibi natos, a figuræ ſimilitudine clavos eſſe dictos, cum ſcias; præclare vides, uno hoc nomine quam variæ & natura, & ſede, & cauſis res comprehendantur, nec ſolum pro his varietatibus, ſed & pro aſperiore curandi ratione (*f*) quam facile inſanabiles, & tædii, atque adeo dolorum pleni eſſe poſſint clavi aliqui, ne dicam omnes, in homine præſertim qui *annum quintum & ſeptuageſimum exceſſerit*, & *delicato* ſit *corpore*, qualem Silium fuiſſe, idem Auctor docuit Plinius (*g*). Quæ omnia etſi ita ſint; tamen in tanta rem, ut quiſque velit, accipiendi facultate, &, quod conſequitur, veri aſſequendi difficultate, nemini quidem, aliter exiſtimanti, firmiter adverſari me poſſe, credam; ſed non propterea fortaſſe fiet, quin ad veri ſimilitudinem propius accedere tibi videar, ſi dixero, non alium hic a Plinio clavum deſignatum eſſe, quam pedum. Qui enim oriuntur in oculis, rariores ſunt; cæteri autem *nonnunquam quidem etiam alibi*, *ſed in pedibus tamen maxime naſci*, & Celſus (*h*), Græcique illi (*i*), & res ipſa adeo confirmant, ut qui, nulla addita ſedis mentione, clavum dicit, is, præſertim ſi Medicus non ſit, pedis clavum potius quam alterius partis, ſignificare videatur: quanquam ne Medicus quidem eam facile mentionem, aliudve adjunctum omittet, ſi clavi nomine deſignare aliud velit quod minus frequenter ſoleat eo vocabulo indicari, cujuſmodi ſunt oculorum clavi, aut furunculorum quoddam genus, quod *nonnullos clavum*, *aut ſpinam appellare conſueviſſe*, leges apud Ingraſſiam (*k*), aut pedum ipſorum quidam clavi ſic accepti, ut ab Auctore Medicarum, quæ Galeno adſcriptæ ſunt, Finitionum (*l*); in iis enim hæc legitur, *Clavus eſt ulcus in pedis planta orbiculatum*, *quod callum contraxit*. Cujus definitionis ſi Medico erudito Lochnero (*m*) veniſſet in mentem, cum ſpeciem *malignioris* cujuſdam *clavi* in pedis eadem parte ſæpe ab ſe non ſine conſecuta morte conſpectam deſcriberet; illius mentionem, ut opinor, libentius feciſſet, quam morbi, a Priſcis *gemurſæ* appellati, ut pote qui, ſi vel clavi aliqua ſpecies fuit, non tamen in planta, ſed quod ait Feſtus (*n*), *ſub minimo pedis digito*, imo *inter digitos pedum naſcebatur*, ut ſcripſerat major Plinius, pariter ab Lochnero laudatus, libro quidem 26. ſed capite 1. de gemurſa loquens, ut de morbo *celeriter in Italia reſtincto* jam olim, ut *etiam nomen* eſſet *obliteratum*. Quæ omnia exempli cauſa commemorare volui; non quod minoris Plinii ævo tot clavi ſignificationes fuiſſe apud Medicos, non modo apud cæteros, credam; ut certe erat apud omnes illa qua propterea ipſum quoque uſum eſſe, conjicio. Ex quo, & ex verbo etiam quo rem enunciavit, *natus*, haud ita omnium, ut hujuſcemodi morborum, proprio, illud ſimul intelliges, cur in ſententiam non iverim, ut alias facere ſolitus ſum, Medici alterius Doctiſſimi, qui ſingulari Epiſtola, annis ſuperioribus de Silii Clavo edita, fuiſſe hunc cenſet, capitis dolorem illum, quem Clavi nomine tamen vocatum ante Valeſcum de Taranta, id eſt ante ſæculum XIV. ſe invenire non potuiſſe pro ſua laudabili ingenuitate fatetur. Vale.

(*z*) Dec. 1. Exercit. Anat. Chir. 6. (*a*) l. 3. Epiſt. 7. (*b*) De Medic. l. 5. c. 28. S. 14. & l. 7. c. 7. S. 12.
(*c*) Medic. Tetrabibl. 2. S. 3. c. 34. (*d*) De Re Med. l. 3. c. 22. ubi de prolapſ. ocul. (*e*) Medic. l. 2. c. 7.
(*f*) Vid. exempla plura apud mox citandum Lochnerum, & in Epiſtola indicanda. (*g*) Epiſt. cit. (*h*) Sect. 14. cit.
(*i*) Aet. Tetrabibl. 4. Serm. 2. c. 82. & Paul. l. 3. cit. c. 80. (*k*) De Tumor. p. n. ubi de Furuncul. (*l*) jam propius finem.
(*m*) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 192. (*n*) De Verbor. Signific. l. 7.

EPI-

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LI.

De Vulneribus, & Ictibus Capitis verba fiunt.

TOt ſunt quæ ad Vulnera, & Ictus attinent in Valſalvæ ſchedis Obſervationes, ut ſi unis Litteris complecti velim univerſas; librum videar ad te mittere, non epiſtolam. Itaque dividere coactus ſecundum varias illorum ſedes, eas quæ ad Caput ſpectant, nunc mitto, cæteras deinceps miſſurus. Ab iis autem incipiens in quibus cranium nihil, aut levius fuerat læſum, ad eas progrediar in quibus plane fiſſum, aut perfractum inventum eſt.

2. ADOLESCENS annorum ſexdecim conjecto lapide percutitur in ſiniſtra ſincipitis parte prope futuram Lambdoidem, intervallo duorum circiter digitorum a Sagittali. Nullum conſecutum eſt ſymptoma notatu dignum, niſi quod vulneris labra tumuere, idque aliquot tantum dies ante undecimum. Quo die ſe prodidit febris cum frigore, & vomitu, at ſine ulla capitis moleſtia. Subſecuti ſunt motus convulſivi, aphonia, ſurditas, cæcitas, & decimo quarto die ineunte, mors. CRANIUM erat illæſum; & tamen ſubjecta vulneri Dura meninx tanto ferme ſpatio, quanto fuerat vulnus, inventa eſt craſſior, laxior, ſuperficie inæquali, colore ad ſubflavum vergente: & inter ipſam, & Piam pus concoctum ſtagnans inter proceſſum Falcatum & huic vicinam partem cerebri ſuperiorem ad anteriora uſque. Cæterum in toto ipſo cerebro nulla quæ ſub ſenſum caderet, deprehenſa eſt læſio.

3. VIR ad ſexageſimum accedens annum, baculi ictum excipit paulo ſupra extremam frontis, & ſiniſtri temporis partem, nullo tunc, aut proximis diebus apparente ſymptomate; ut ipſe per ſe quotidie ad Bononienſe S. Mariæ de Vita Noſocomium veniret, ubi vulneri, cutaneo prorſus, & nullius momenti credito, conſueta remedia adhiberentur. Quin etiam per eoſdem quatuor, aut quinque dies in foro perſtitit caſtaneas vendens, ut ſolebat, præfrigida tempeſtate. Sexto autem circiter die deterius fit vulnus, febrique cum frigore, & rigore invadit: ad eundem modum quotidie recurrens, nullo alio accedente ſymptomate, quam levi ſauciatæ partis gangræna, ſenſim hominem confecit. CADAVER contractum erat a frigida, ut videbatur, aeris conſtitutione. E vulnere ſaniei nonnihil inter extremum marginem Temporalis muſculi, & os deſcenderat. Gangræna autem eroſione ſua vulnus ad amplitudinem monetæ quæ *ſcutum* Romanum dicitur, dilataverat: ibique os nudum in conſpectum veniebat. Exſecto cranio, ne diligentiori quidem inſtituta perquiſitione ullum potuit læſionis indicium in eo oſſe animadverti. Meninges tamen eo toto ſpatio quo os ipſum detectum fuerat, & ſanioſæ, & aliquanto craſſiores inventæ ſunt. Subjectum his cerebrum levem quidem, ſed tamen evidentem læſionem contraxerat. Nam exterius ad parvi ciceris magnitudinem corrupta erat ejus ſubſtantia, & in medio pertuſa foramine perquam exili videbatur. Hoc cum ea corruptione non ultra exiguam altitudinem deſcendebat.

4. Priuſquam alias huc attexam ejuſdemmodi hiſtorias, nonnulla facile ex me quæres; illud primum, quomodo illæſo oſſe, læſæ tamen ſubjectæ meninges, & purulentæ, ac ſanioſæ fuerint; quin cerebrum quoque ipſum in Viro non ſine aliqua noxa repertum ſit? Berengarius quidem, ſicut habes vel in II. iſta Sepulchreti Sectione (*a*), fieri poſſe, ſuſpicabatur, ut ſanies per cranii poros ex vulnere externo tranſiret, præſertim ſi ex vulnere liberum exitum non haberet: quod nonnunquam certis quibuſdam locis accidere poſſe non eſt negandum, ut puta qua vaſcula ſanguifera trajiciuntur, aut qua ſuturæ laxiores ſunt. Plerumque tamen ſatius eſt cum ipſo credere quod Celſi (*b*) verbis eloquar, *oſſe toto integro manente, intus ex ictu venam aliquam in cerebri membrana ruptam aliquid ſanguinis mittere*: rumpi autem illam ex violenta cranii concuſſione. Ad eundemque modum plures explicabis, allatarum ſimiles, Obſervationes, ut Maucharti (*c*) in primis illam in qua ad decimum uſque diem ſignum malum apparuit nullum, & tamen ſub cranio undique illæſo quantum noxarum lateret, diſſectio ante decimum quartum repente mortui monſtravit. Quo autem modo fieri poſſit, ut in calvariæ concuſſione vaſa intra illius cavum rumpantur, a Petro Simone Rouhaultio (*d*) fuſe indicatum eſt. Quod ſi concuſſio vix ulla fuerit, & intra minime vitiatum cranium interiora læſa reperiantur; videſis qua ratione conjiceret Bohnius (*e*) id accidere potuiſſe in ſua, & aliorum Obſervationibus: cujus ex ſcriptis (*f*) non paucas excerpes quas huic Sepulchreti Sectioni adjungas. Verum ut ad eas quas ex Valſalva propoſuimus, redeamus; quæres deinde, cur ſanguis intra calvariam effuſus, non continuo, ſed tot denique poſt diebus inceperit ſuæ effuſionis ſigna dare? Nimirum quia tenui ex vaſculo tenuiſſimæ guttulæ ſenſim lenteque deſtillantes, non niſi aliquot interjectis diebus, ad eam copiam quæ manifeſto læderet, ſimulque ad eam corruptionem pervenire potuerint quæ meninges, cerebrumque vitiaret. Utrumque autem citius factum eſt in eo qui præfrigido aeri ſe jugiter objiciens, cauſam præbuit, ut contractis exterioribus vaſis, plus ſanguinis, ejuſque ob cohibitam inſenſibilem perſpirationem minus ſalubris, ferretur per interiora. Contraria quoque externa cauſa eoſdem poteſt effectus producere; ſanguinem concitando, & fervefaciendo, ut in filio Theodori ex levi ad ſpeciem vulnere capitis mortuo, ſicuti, nec ſine ratione Valleſius (*g*) conjicit, cum poſtquam *nona die* fuerat *in ſole verſatus*, prima *acceſſerit febris decima die*. Quod ſi quæras, cur de duobus quorum hiſtorias ſcripſimus, is quem citius febris prehendit, nullo præter hanc malo; is vero quem tardius, tot aliis graviſſimis accedentibus confectus ſit; multiplex diſcriminis hujus cauſa poteſt afferri: primum mora ipſa, qua & copia, & pravitas, in pure, quamvis concocto, latens, facile aucta eſt effuſæ materiæ: deinde alia in alio corpore, aliaque ætate humorum, & partium diſpoſitio: denique alia a conjecto lapide, alia a baculo illata violentia. Sic libro Epidemiorum V. (*h*) *qui lapide in caput percuſſus fuerat a Macedone*; vides, ut *voce deſtitutus eſſet*, ut *nihil omnino audiret*, ut *moveretur*, id eſt *convulſive*, quemadmodum recte interpretatur idem Valleſius (*i*), quæ ferme ea ſunt quæ noſter paſſus eſt Adoleſcens; ſed tardius, videlicet undecima die, non, ut ille, tertia; neque enim ut ille, ab ictu cecidit, neque calvariam habuit fiſſam, idque *ſupra tempus dexterum*, quemadmodum eadem, paulo fuſius repetita libro VII. (*k*) docet hiſtoria, minime animadvertente Valleſio, qui tot alias animadverterat, & quærente propterea, *qua parte capitis percuſſus* ille *fuerit*. Qua ex hiſtoria variam & vim percutientis corporis, & ſedem præterea percuſſi capitis in hujus vulnerum diſcriminibus attendendam eſſe, intelligis. Sed jam alias ſubjiciamus.

5. JU-

(*a*) l. 4. in Schol. ad Obſ. 1. (*b*) De Medic. l. 8. c. 4. (*c*) Eph. N C. Cent. 9. Obſ. 40.
(*d*) Traité des Playes de tête ch. 4. & 10. (*e*) Diſſert. de Trepanat. difficult. (*f*) etiam de Renunc. Vulner.
(*g*) Comm. in l. 7. Epid. ad 29. & in l. 5. ad 97. (*h*) n. 24. apud Marinell. (*i*) Comm. ad eam hiſtoriam, quæ ipſi eſt n. 56
(*k*) n. 18.

5. JUVENI annorum circiter viginti trium duo vulnera cæſim infliguntur, alterum in ſiniſtra parte frontis, alterum quaſi e directo in occipite. Inanis eſt ad vomitum irritatio. Moritur circa diem vigeſimum quinctum. CAPUT ſecando, nihil intus, extrave repertum eſt adnotatu dignum quod ad vulnus occipitis attineret. Vulnus autem frontis primum exterius ſaniem circa ſe inter cutem, & cranium oſtendit, quæ ibi pericranium, & cutis ipſius interiorem faciem herpetis inſtar exedentis eroſerat, & anteriorem, eandemque ſuperiorem muſculi Temporalis partem nonnihil ſeparaverat. Intus vero, quanquam os frontis nihilo magis quam occipitis, læſionem oſtenderat; tamen inter illud os, & Craſſam meningem ſanies erat ad drachmas duas, quæ eam meningem eroſerat. Quin etiam a dextris ſub cranii ſuperiore parte in vaſorum ſanguiferorum meningis ejuſdem interſtitiis materia inventa eſt ſaniei ſimilis; ſed denſior. Cætera intra cranium ſecundum naturam ſe habebant.

6. SENEX annos natus ad ſexaginta, epilepſiæ valde obnoxius, dum ea correptus in terram cadit, ſimul thoracis ſiniſtram partem, ſimul capitis idem latus ſupra Temporalem muſculum offendit. Thoracis ea pars multum dolet: difficilis eſt reſpiratio, & principio ſanguis vomendi conatu per os ejicitur. Caput imbecille eſt, obtuſum, grave; ut interrogatus, vix reſpondeat. MORTUI Thorace aperto, ſiniſtra cavea ſana; in dextera autem ſerum ad libram circiter invenitur, & pulmo ſuperius ad pleuram adhærens, totuſque, ut in peripneumonia ſolet, induratus. Cordis ventriculi concretiones polypoſas continebant, & dexter quidem majorem. In Capite ſiniſter muſculus Temporalis contuſus aliquantum: cranio autem recluſo, inter ſiniſtrum os Petroſum, & Duram meningem concreti ſanguinis portio invenitur, arcte adeo eidem meningi adhærens, ut non niſi vi ſeparari poſſit. Cæterum Pia ad vaſorum latera *gelatinoſam* ſeri concretionem; ventriculi paululum ſeroſi humoris oſtenderunt: reliquum cerebrum ſanum fuit.

7. VIR quadraginta annos natus ex alto cadens, oculum ſiniſtrum contundit: cutis autem ſupra ſupercilium ab acuto forſan lapide laceratur. Principio febre corripitur: quæ nonnihil poſtea remiſſa eſt. At circa duodecimum diem, poſt admiſſum errorem in exacta vivendi norma, vehementior febris ſupervenit: cui circa decimum quartum convulſio accedit totius ſiniſtræ faciei partis cum ſævo in ipſo oculi bulbo dolore. Mors tandem circa vigeſimum ſecuta eſt. CAPITE perluſtrato, conſpecta hæc ſunt. Laceratæ ſupra ſupercilium cuti is ſuberat nervus qui ex orbita erumpens, ſurſum per frontem reflectitur, ut aut contuſus, aut alia ratione facile violatus convulſionem ciere potuerit. Oculi autem bulbus extima parte putreſcens, levem eroſionem attulerat oſſi quod orbitæ, & cerebro interjicitur, ſic tamen, ut hoc eo quidem loco ſanum eſſet. Nam ſiniſtram verſus occipitis partem modica cerebri portio a nativo colore ad ſubfuſcum vergebat. Dura autem meninx ei portioni reſpondens, exterius ſanie madebat leviter.

8. Quanquam in caſu ab alto præter eam quæ manifeſto contuſa eſt, partem non raro accidit, ut alia quoque minus evidenter contundatur, eoque minus mirandum eſt, imo oſſe frontis alliſo, noxam, & ſaniem intus ad occiput repertas eſſe; tamen in Juvene quoque (*l*) a ſiniſtris vulnerato, cum ſaniei ſimilis materia a dextris inventa ſit, & in Sene (*m*) non ea pars thoracis quæ humo afflicta fuerat, ſed oppoſita internum vitium oſtenderit; inferius (*n*) de his aliquid adjiciemus. ut de convulſionibus pariter, nervi læſiones qui ſub ſupercilio reflectitur, conſequentibus. Nec tamen ei nervo dumtaxat, ſed & ſaniei qua meninx Craſſior madebat, & convulſiones, & mortem hujus Viri tribuimus: ut Senis morbum, & interitum partim peripneumonicæ pulmonis conſtitutioni, partim ſanguini inter cranii baſim, illamque meningem concreto, ad eandemque non minus adhærenti, quam in viro adhærebat, qui ex caſu ab alto intra quatriduum interfectus proponitur in Commentariis Petropolitanæ Imper. Scientiar. Academiæ (*o*). Cæterum quæ intra cranium noxæ, ipſo illæſo, in his tribus Obſervationibus deprehenſæ ſunt, ad eundem modum explicari poſſe, intelligis, ad quem duæ quas ante ipſas legiſti, explicatæ ſunt (*p*). Neque aliter explanandas quinque cenſebis, quas continuo ſubjiciam, cranio quidem exterius læſo, ſed intus omnino integro.

9. SENEX annorum circiter ſeptuaginta ex alto in terram cadens, poſteriorem dexteram ſincipitis partem allidit. A caſu ſemiſtupidus jacet: & quamvis paulo poſt ſtupore diſcuſſo, ſuis ſe pedibus in Noſocomium conferat, negat tamen, ſe quidquam de caſu ſcire, ullamve ejus rei memoriam habere. Nulla vulnus primis diebus ſymptomata comitabantur. Sed vix ſeptimo die ſuperato, gangræna vulnus corripitur: gangrænæ autem febris adjungitur. Attamen illa paucorum dierum ſpatio ſublata, hæc quoque tollitur. Poſt hæc æger de gravante poſteriora capitis dolore queritur, nec tamen vehementi. At circa diem decimum ſeptimum triduo quaſdam per artus tenſiones ſentit. Circa vigeſimum autem febre corripitur cum rigore, & vomitu. Quæ ſine vomitu deinceps modo bis, modo ter quotidie revertens, omnibus ſenſim deficientibus actionibus, ægrum confecit circa trigeſimum diem. SINCIPITIS os dexterum prope Sagittalem, & Lambdoidem ſuturam, exteriorem laminam comminutam habebat; intus vero erat omnino integrum. Inter utramque meningem, & in cerebri ventriculis ſerum inerat; ut univerſum uncias ferme quatuor æquare poſſet. Cerebrum molle erat, & flaccidum: & laxiori ſpatio intra cranium claudebatur.

10. Quatuor in hunc ægrum convenire videbantur eorum quæ cum ſunt, magna cerebri credi poteſt fuiſſe concuſſio: caſus ab alto, ſtupor caſum continuo ſequens cum ipſius caſus oblivione, non perfractum cranium, & majus inter hoc, cerebrumque intervallum. Ludovicus Duretus (*q*) ad illum Coacarum locum: *Quibus concuſſum eſt cerebrum, doluitque percuſſis, aut lapſis; continuo voce capti non vident, nec audiunt, ac fere moriuntur*, ſatis indicat, quanto opportunius concuſſioni ſit cerebrum, *ſi forte priſcam amiſerit ubertatem quæ totam calvariam occupabat*. Hanc autem ubertatem Falloppius (*r*) ut non ſecus ac Fernelius (*ſ*) in pleniluniis, *quando luna lucet tota nocte*, agnoſcebat, ſic *quando non eſt plenilunium, calvariam non prorſus repleri a cerebro, ſed adeſſe ſpatium aliquod, & vaſa, quæ colligant, eſſe aliquantulum diſtracta*, affirmabat *eſſe veriſſimum*, idque ſe *in diſſectionibus obſervaviſſe*. Quod an alii poſtea Anatomici, non verbis tantum, ut Piccolhominus, a me tibi alias (*t*), cum in hunc eundem incidiſſem ſermonem, nominatus; ſed accuratis obſervationibus confirmarint, non memini; tametſi ea confirmatio valde congruere cum ſententia illorum potuiſſet qui pro variis lunæ phaſibus variam morborum vim, capitis præſertim, variumque ex hujus vulneribus periculum eſſe, non dubitabant. Memini tamen, cum apud quoſdam, & nominatim apud Joannem Salzmannum (*u*) in quibuſdam ſubjectis inter anteriores cerebri lobos, & cranium *interſtitium ad pollicis craſſitiem excedens* (an *accedens*) *quandoque conſpici*, legiſſe; tum mihi quoque non æque ſaltem in omnibus repletum cerebro cranium eſſe viſum, ut in Adverſariis (*x*) indicavi: quanquam varietas hæc an variis lunæ phaſibus reſponderet, neque illi ajunt, neque ego, ut verum fatear, unquam attendi. Non me quidem fugit, ut olim Gliſſonius (*y*) ſcripſit, *in vivis animalibus eſſe tantum potentia, non actu* inter ventris viſcera *cavitates*, &

vi

(*l*) n. 5. (*m*) n. 6. (*n*) n. 41. & n. 16. (*o*) Tom. 7. (*p*) n. 4. (*q*) Interpret. l. 3. tr. 2. c. 2.
(*r*) Tract. de Vulner. c. 12. (*ſ*) Pathol. l. 7. c. 8 (*t*) Epiſt. 4. n. 32. (*u*) Differt. de mira cranii Fract. §. 17.
(*x*) VI. Animad. 84. (*y*) Tract. de Partib. Continent. c. 16. n. 21.

vi æquabilis compreſſionis muſculorum abdominis omnes illius *partes contiguas eſſe*; ita hodie inter quaſcunque viventis corporis partes nullum uſque a Præſtantiſſimis non paucis Viris intervallum agnoſci. Attamen cum immutabile cranium ſit; cerebrum autem magis, minuſve poſſit turgere ſive ab lunæ phaſibus, ut ab Doctiſſimo Meadio (z) traditum eſt, ſive a a quacunque cauſa quæ ſanguinem augeat, aut expandat; non ſatis video, cur illud minus, magiſve a calvaria diſtare interdum poſſe vel in viventibus, pernegemus. Accedit huc ſubſtantiæ ipſius cerebri contractio ac denſitas, quæ undecunque adveniat (nam vel ab ſenectute ipſa fieri, cenſebant Veteres, & in his Liebautius (a)) molem imminuat cerebri, &, quod conſequitur, a calvariæ fornice retrahat, neceſſe eſt. Littrius (b) certe & qualem dicimus ſubſtantiam cerebri, & a cranio non modice diſtantem offendit in robuſto juvene qui vehementiſſimo curſu caput quanta maxima vi potuit, ad parietem alliſdens, ſe puncto temporis interfecerat. Quamvis autem eam cerebri conſtitutionem ipſe pro concuſſionis effectu habeat; erunt fortaſſe qui cum Dureto pro cauſa habere malint concuſſionis vehementioris, multo autem plures calvariam minime fractam, ejuſque ad corpus durum, & immobile alliſionem. Noſti enim quantum utrique huic cauſæ concuſſionis cerebri a Chirurgis recentioribus tribuatur, ſecundæ quidem propterea quod *cerebrum agitatum verſus corpus durum, & retro pulſum per illud, ſubit uno momento duos motus contrarios*; primæ vero, quia *ſi cranium non frangitur, totus impetus percuſſionis dirigitur ad cerebrum*, quippe nulla ex parte *interceptus* a magna fractura, aut ab *oſſe in plura fruſta diffracto*. Cur igitur, inquis, cum in Sene quem modo ex Valſalva deſcripſiſti, neque cauſæ deeſſent. hæ duæ; caput enim ad ſolum alliſerat, craniumque non habebat perfractum, & tot alia eſſe viderentur, ex quibus magna conjici poſſet cerebri concuſſio; ille tamen non ante trigeſimum diem eſt mortuus, nec gravia adeo paſſus eſt mala, neque intra cranium quidquam ſanguinis, aut puris oſtendit? Credo, quia ex alto quidem, ſed fortaſſe neque ex altiſſimo loco, neque in ſaxa cecidit, & pars impetus percuſſionis ab lamina, quæ comminuta eſt, cranii exteriore intercepta fuit. Stupor autem levis, breviſque, & oblivio quæ tum acciderunt, cum ſine cæteris malis acciderint quæ ab Hippocrate ſunt enumerata, minorem concuſſionis violentiam ſignificarunt. Noſter enim Petrus de Marchettis, ut in Sepulchreto quoque iſtic (c) habes, *aliquos ex prolapſu, aut ictu læſo capite, apparente ſolo hoc ſymptomate* (*mentis* videlicet *alienatione cum privatione ſenſus, & motus*, quæ ſane graviora ſunt quam quæ noſtri Senis caſum continuo exceperunt) vidit *ſequenti die omnino liberatos*. Cum propter hæc igitur fuerit concuſſio levior, eoque levior, ſi forte jam tum cerebrum molle erat, & flaccidum, aut ad hanc conſtitutionem accedens, non mirandum eſt, quod craſſiuſcula vaſa ſanguifera perrupta non ſint, ſed ea dumtaxat tenuiſſima unde lentiſſimo defluxu quatuor illæ ſeri unciæ deſtillarint, quæ ſenſim læſis actionibus hominem denique peremere. Quod ſi forte humorem illum ex ruptis tenuiſſimis, non ſanguinis, ſed lymphæ vaſculis, ſenſim proveniſſe, malueris, arbitratus, ſic facilius intelligi tum horum diſruptionem, tum longam effuſi illius ſine evidenti corruptione moram; habebis, quibus auctoribus id ſentias, & in iis Rouhaultium (d), & ante hunc Bohnium, qui diſſectiones, etiam ſuas, unde hoc conjiceretur (e), produxit, & quod in medio primum reliquerat, in altero Scripto (f) ſe lymphæductus *circa anfractus inprimis cerebri* in quodam puero *turgidiſſimos* vidiſſe, confirmavit. Cæterum in cerebri concuſſione, vaſorum aliquod rumpi, ex creberrimis quidem Obſervationibus apparet, quibus accenſere potes editam a Chriſtiano Vatero (g); tamen in lethali concuſſione id eſſe perpetuum, quaſi effuſi humores ſemper, cerebri autem concuſſio nunquam per ſe interimeret, ab iis tradi poſſe non videtur, quibus laudata Littrii hiſtoria, itemque altera Cl. Hævelii (h) cognita ſit. In neutra enim a graviſſima capitis alliſione quidquam effuſi inventum eſt. Nec ſiquis dicat, ideo effuſionem non eſſe factam, quod protinus a concuſſione ſimul cum vita humorum motus defierit; quidquam proficiet. Nam præterquam quod ex ſecunda hiſtoria liquet, hominem duodecim circiter horas ab alliſione vixiſſe; certe neutrum effuſio, quæ nulla erat, occidit. Sola igitur per ſe cerebri concuſſio id fecit. Quamobrem vel quando effuſio conjuncta ſit; dubitare ſæpe licet, hujus, an illius vis major fuerit ad necandum. Quo autem modo vehementius percuſſi cranii particulæ concutiantur, concuſſæque vel majorem quam ſua eſt, concuſſionem cerebro afferant, hujus autem concuſſio propriam, non magis inviſibilem, quam teneram, intimam ſtructuram, hujus fibras contendendo, laxando, contorquendo, comprimendo, complicando, lacerando, aut quavis alia ratione vitiando, inutilem neceſſariis muneribus reddat, conjecturas legere Bohnii (i) poteris. Quibus perlectis, ſupervacuum fortaſſe credes inquirere, an vitium aliquod ejuſdemmodi in nervorum quoque trunculos, ubi ex Oblongata jam egrediuntur, medulla, a magna cerebri concuſſione inducatur, & num, ſi inductum ſit, ipſum per ſe ſolum graviſſima illa omnia afferre poſſit mala quæ tum ſequuntur. Jam vero, his diſquiſitionibus ſepoſitis, ad graviores quam in deſcripto Sene, vulnerum capitis effectus, ſive conſecuta in vivis, ſive in mortuis reperta ſpectemus, proponendos pergamus.

11. MULIER quadraginta amplius annos nata, e ſcala alta cadens, ſiniſtram ſincipitis partem lædit paulo ſupra os temporis. A caſu quaſi exanimis jacet: tamen paulo poſt ſana, ut antea, eſſe videtur, neque læſio niſi cutis, apparet. Quæ tametſi circa decimum quartum die gangræna, febri comitante, prehenditur; intra dies tamen paucos illa primum, mox hæc abigitur. Verum ante trigeſimum diem iterum febris ingruit, cum frigore: eique circa trigeſimum quartum apoplecticus affectus accedit cum aphonia, & motus privatione in tota dextera parte corporis, ſenſu ſuperſtite. Attamen quæ dicebantur, ſe intelligere, nutibus ſignificabat: partem autem illam quædam quaſi convulſiones epilepticæ, interdum toto corpore excitatæ, non minus quam ſiniſtram, movebant. Tandem circa quadrageſimum diem eſt mortua. CRANII exterior lamina qua parte caput læſum fuerat, in ſemicirculi formam aperta erat; ſed oſſis interiora erant integra. Piæ tamen meningis pars illa quæ ei loco ſubjiciebatur, ſanioſa erat, & cerebrum ad eundem locum ſubfuſco pallido colore infectum. Ventriculi autem ejus ſani, ut & tota pars dextera.

12. VIRGO annorum viginti quinque, in terram cadens, peracuto lapide in ſiniſtra frontis parte ſauciata eſt. In Noſocomium excepta, aſſidua febri torquebatur, quæ in dies augeſcebat. Vulnus corripi gangræna cœpit: quæ tempeſtate illa (menſis erat Junius A. 1689.) vulneribus omnibus ſuperveniebat. Aliquo poſt tempore quaſi fatua ægra facta, vix audiebar, non loquebatur, in adſtantes oculos defigebat. Acceſſit denique totius corporis tremor: quo durante mortua eſt initio diei duodetrigeſimi. OS vulneri ſubjectum parva exterius fovea, & quaſi foramine excavatum erat, circum quod tres conſpiciebantur rimæ. Sed neque hæ, neque foramen ad interiora perveniebant. Meninges tamen qua parte vulneri reſpondebant, eroſæ erant ambæ, & hinc ſeroſa colluvies prodibat, quæ per univerſam cerebri ſubſtantiam diffuſa, gravi ipſam odore, & nigricante colore infecerat.

13. Si forte eadem fuiſſet tempeſtas qua, ut hujus Vir-

(z) De imper. Sol. ac Lun. (a) Schol. ad Holler. Comm. in Hippocr. Aph. 58. S. 7.
(b) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1705. Obſ. Anat. 12. (c) Schol. ad Obſ 12. (d) Tr. cit. ſupra ad n. 4. c. 11.
(e) De Renunc. Vuln. Sect. 2. c. 1. (f) De Trepan. diffic. (g) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 165.
(h Commerc. Litter. A. 1741. Hebd. 14. in fin. (i) c. 1. cit. (k) n. 3.

Virginis, ſic & Mulieris, & Senis de quibus noviſſime, & Viri de quo initio ferme (*k*) dictum eſt, capitis vulneri gangræna acceſſit; locus huc forſan attineret ex libro IV. Epidemiorum (*l*): *In Aeno quicunque capite vulnerati, horridi erant, maligni, & ſuppurati*, omnino autem ea quam iſtic in Sepulchreto (*m*) habes, Pigræi Obſervatio annum quendam memorantis *in quo capitis omnibus vulneribus prope ſuperveniebat gangræna*. Quædam certe pravæ aut alimentorum præcedentes, aut aeris præſentes, quantumvis interdum ſenſibus occultæ, conſtitutiones vitium communiter, aut morbum alium addunt morbis eo tempore contingentibus, ut ſæpe a Medicis adnotatum eſt, vulneribus præſertim fere cunctis gangrænam, velut annis ſuperioribus Lucetiæ Pariſiorum (*n*), itemque in ea ipſa de qua ſermo eſt, Urbe Bononienſi (*o*).

14. ADOLESCENS annum agens duodevigeſimum, gracilis, & ſubnigri coloris, jacto lapide percuſſus ad alterum oſſium ſincipitis qua ex ipſo Temporalis oritur muſculus, biduum tranſegit ſine ullo; ſi febrem excipias; quod adnotatione dignum eſſet, ſymptomate. Poſtea autem in S. Mariæ de Vita Noſocomio decumbenti vulnus die ſexto factum eſt lividum; quod ex eo prodibat, vehementer fœtidum; & febris acuta. His prope octavum ſoporoſa acceſſit affectio; ut interrogatus nemini reſponderet. Interdum ſuſpirioſas emittebat voces. Facies tota facta erat tumida, & flava. Cum his omnibus ad undecimum pervenit diem, quo cum ingenti ſuperexpiratione interiit. CADAVER univerſum icterici videbatur. Ex vulnere purulenta materia plures ſibi fecerat vias inter cranium, & cutem: quam etiam eroſerat. Os autem a lapidis ictu aliquid aſperitatis ſuperficie tenus contraxerat: nullamque ab interiore facie læſionem, quæ ſub ſenſum caderet, oſtendit. Attamen inter os, & Duram meningem in hujus vaſorum interſtitiis materia cinerea animadverſa eſt, non multum puri denſato abſimilis, ea dumtaxat parte quæ ictui ſubjecta fuerat: eademque dumtaxat parte cerebrum quoque ad duorum digitorum tranſverſorum profunditatem livorem contraxerat. Reliqua intra cranium omnia ſana erant. Sana quoque in Thorace omnia. Sanguis autem erat maxime fluidus, ſi in dextero cordis ventriculo excipias polypoſæ concretionis inchoamentum.

15. ADOLESCENS alter eadem ætate, ſanguineo temperamento, habitu autem ſubpingui præditus, Kalendis Novembr. A. 1688. in ſuperiore frontis parte ad lævam ſauciatus, continuo cadit cum aliqua capitis perturbatione. Inde ad S. Mariæ de Morte Noſocomium adductus, felicem curationis exitum ſperare poſſe videbatur, cum ſine febre naturalia munia ſatis obiret. Ecce autem die undecimo febris ingruit: quæ poſtridie gravior facta, ſecandæ iterum venæ cauſam præbuit. Vulnus pro concocto pure, ſeroſum & ſanguinolentum emittebat humorem: pars frontis vulneri ſubjecta intumeſcebat: dolores autem capitis, artuum, & dorſi accedebant, qui ſub decimi quinti diei finem in ſpaſmodicas affectiones degenerarunt. Eodemque tempore, cum illo ineunte die delirare cœpiſſet adeo, ut vinculis coerceri debuerit, vivendi finem fecit. INTEGUMENTIS communibus circa vulnus diſſectis, multa huic circumjecta ſanioſa materia inventa eſt, quæ ubi frons intumuerat, ad oculum uſque extendebatur. Os autem a ſauciante ferro ſuperficie tenus dumtaxat læſum fuerat. Hæc exterius. Intra cranium, autem inter Craſſam, Tenuemque meningem, qua parte hæc vulneri reſpondebant, ſanioſæ materiæ copia reperta eſt; quamvis nullam in iis membranis, nullam in toto cerebro læſionem animadvertere licuerit, niſi quod ſanguifera vaſa quæ ſub pure latebant, a nigerrimo coagulato ſanguine quaſi varicum inſtar turgebant. Thoracis viſcera, quæ aliquando in ejuſmodi morbis affici ſolent, illæſa erant: polypoſa tantum concretio in dextero cordis thalamo conſpecta eſt.

16. Ex his quæ ſub finem hujus hiſtoriæ ſcripta ſunt, intelligis quare in extrema ſuperiore hiſtoria adnotatum ſit, ſana in thorace fuiſſe omnia. Quas autem interdum Valſalva noxas in thorace eorum vidiſſet qui capite vulnerati deceſſerant, proximæ quatuor oſtendent Obſervationes. Earum prima confirmare ſimul poterit quædam ex iis quæ alias (*p*) ſcripſi de nervi ſub ſupercilio reflexi læſionibus. Nam pro harum diverſa vi, & conditione leves interdum, & in oculo ſubſiſtentes, graviſſimæ autem aliquando, & latius diffuſæ convulſiones oriuntur. Ad leves illas ex parte aliqua fortaſſe attinet is quem alias memoravi, Coacarum locus (*q*), *viſus obſcuratur in vulneribus incuſſis in ſupercilium, & paulo altius*; ad graviſſimas autem, ut puto, Lanciſii verba, alias (*r*) producta, *vulnera iis locis periculoſiora ſolere accidere*, eodemque ex parte ſaltem attinuiſſe, crediderim, ut convulſionem faciei in Viro cujus vulnus ad ſupercilium ſupra (*ſ*) deſcriptum eſt, ita & multo latius diffuſas, vehementiſſimaſque convulſiones quæ vulnus eidem inflictum loco in eo de quo protinus dicam, ſunt conſecutæ.

17. JUVENIS annorum viginti ſex, lapide ab inimico conjecto, ſauciatur ad dexteram ſupercilii ſiniſtri partem. Illico quidem cadit; ſed continuo ſurgit, & vegetus hoſtem inſequitur. Poſtmodum eodem animi vigore ad S. Mariæ de Vita Noſocomium ſe confert. Ubi, poſtquam debita applicita remedia fuerant, neceſſe fuit quaſi cogere ut remaneret, quippe qui ejuſmodi vulnus parvi pendebat. Illo ipſo die Quartanæ febris intermittentis, qua tum forte implicitus erat, paroxyſmus expectabatur: qui & affuit: ſed febris continua facta eſt cum pulſu magno, & vehementi, capitiſque dolore non modico. Febri circa diem ſeptimum ſe comitem addidit delirium cum motibus convulſivis nonnullis. Prope undecimum una, aut altera febrilis acceſſio ingruit cum peculiari rigore. Ceſſat tandem delirium: & homo ſoporoſus jacet, niſi quod convulſivis motibus concutitur. Quin noctu animadvertiſſe pluries ſe, dicebant adſtantes, elato capite, & ambabus conſtrictis manibus, niſu quaſi incredibili e lecto elevatum: quibus deſinentibus motibus, mortui inſtar jaceret. Manus tamen dextera per duos ante obitum dies paralytica fuit, quod ad motum attinebat; nam quod ad ſenſum, non erat hoc prorſus deſtituta; octo autem poſt horis dexter quoque pes debilius moveri cœpit. Sed jam ante hos dies laborioſa facta reſpiratione, tandem decimo quarto exeunte mortuus eſt. VULNUS exterius perluſtrando, parvus ad latus ejus ſiniſtrum abſceſſus animadvertitur, cujus pars ſaniei inter muſculos, & cutem aurem verſus prorepſerat. Sed os, vulneri ſubjectum, fiſſum erat, eique reſpondens Dura meninx leviter læſa: anterior autem pars cranii ab eodem, id eſt ſiniſtro, latere pure inter Duram, & Piam meningem concluſo replebatur. Quod pus ſubjecta cerebri ſubſtantia videbatur imbibiſſe; eodem enim erat colore; ſed ſuperficie tenus. Cætera ſana; niſi quod aliquantum ſeri ad cerebri baſim inventum eſt. Thorace aperto, in pulmonibus varia hic illic tubercula reperta ſunt duriuſcula: quorum nonnulla inciſa, ſinceram ſaniem emittebant; reliqua, necdum ſuppurata, glanduloſi corporis firmitudinem referebant.

18. PUER annorum circiter tredecim ictu lapidis vulneratur in dextera ſincipitis parte ſupra muſculum Temporalem. Cadit illico cum ſenſuum internorum obſcuratione: & vomit. Defertur in idem Noſocomium: neque ad diem uſque decimum quartum febre corripitur. Hac accedente, per vulnus multum ſaniei; per os purulentæ materiæ aliquantum, ſpuendo, ejicit. Circa diem vigeſimum ſupervenit delirium; circa decimum quintum mors. A CRANIO cutem ſeparando, circa ipſum, & pericranium parvi ſunt abſceſſus animadverſi: qui nullam, quæ ſub ſenſum quidem caderet, cum vulnere communicatio-

---

(*k*) n.3. (*l*) n.26. apud Marinell. (*m*) in Schol. ad §. 6. Obſ. 6. (*n*) Malovin Mem. de l'Acad. R. des Sc. A 1743. & 1741.
(*o*) Vid. Commerc. Litter. A. 1738. Hebd. 42. n. 1. ſed & aliis poſtea annis idem accidit ibidem. (*p*) Epiſt. Anat. 18. n. 7.
(*q*) n. 3. apud Marinell. (*r*) Epiſt. Anat. 18. n. 7. in fin. (*ſ*) n. 7.

cationem habebant. Sub vulnere autem os fractum, atque depreſſum, arcte adhærebat Duræ meningi, cui & nonnullas ſui acuminatas particulas infigebat. Laceratio tamen ejuſdem meningis ſub ſenſum non veniebat, ut neque ulla cerebri læſio, ſi unam aut alteram ſeri unciam excipias, quæ, dum cerebrum eximebatur, per Infundibulum prodiit. Thorace recluſo; pulmones valde rubentes, parvique in his abſceſſus pure pleni reperti ſunt.

19. JUVENIS in ſincipitis latere ſiniſtro lapide ictus, concidit. Per ſe tamen in Noſocomium venit S. Mariæ de Morte. Nulla erant ſymptomata. Viginti circiter exactis diebus, cum jam multum ſibi in alimentis indulſiſſet, febris acceſſit horrifica, quæ pluries recurrendo, ægrum torquebat. A qua etſi liberatus eſt; detecto tamen in vulnere oſſi nunquam quoad vixit, induci cicatrix potuit. Poſt eas febres tuſſis ingruerat, quæ ſicca diu fuit, donec biduo, aut triduo ante mortem ſputa eduxit purulenta. Gangræna interim ex longo decubitu nates occupaverat: prætereaque illa quæ obitum præceſſit, nocte, abſceſſus in dorſo ingens eſt animadverſus: qui per ſe diſruptus magnam puris copiam effudit. Itaque, ſine ulla capitis actionum læſione, ſecundo ſuperato menſe, interiit. CADAVER & ab longo ejuſmodi morbo, & a mora, quia non niſi poſt aliquot a morte dies ſecare licuit, graviſſime olens, diligenter tamen diſſectum eſt. Capitis integumentis amotis, ad ſuperius vulneris latus disjunctio conſpecta eſt Sagittalis ſuturæ: os autem ſincipitis qua portione ſemper detectum fuerat, illæſum; ſed in cæteris partibus hic illic carie eroſum, præſertim vero prope ſuturam Squamoſam, ubi totam illius craſſitudinem caries perforaverat. Dura tamen, ei oſſi ſubjecta, meninx intacta fuit, niſi quod ad ſublividum vergebat colorem, & quaſdam oſſeas particulas ſibi adhærentes oſtendebat; ab interiore autem facie ſub ipſo vulneris loco annexum ſibi abſceſſum habebat, in excavata cerebri ſubſtantia conditum, parvum tamen, vix ut minorem avellanam continere potuiſſet: ex quo, dum ea meninx a cerebro divelleretur, pus craſſum, & viride prodiit. In cerebri diſſectione ſerum, ſed paucum, in cranii baſi animadverſum eſt. Thorace aperto, pulmones inventi ſunt parvis abſceſſibus multis, ac variis excavati: quorum nonnulli a tuberculi natura ad abſceſſus conditionem vergentes, nondum perfectam continebant ſaniem, ſed dumtaxat mutari in fluidam ſanioſam materiam incipiebant. Pericardium multam aquam; cor nullam polypoſam concretionem habebat. Inquirere tandem placuit, num ad ingens cavum abſceſſus illius qui in dorſo erat, ullus per muſculorum interſtitia pateret aditus, per quem materia a capite illuc defluere potuiſſet. Verum hujus rei indicium nullum repertum eſt, cum interpoſitæ partes, externæ præſertim, ſanæ eſſent. Muſculi autem paſſim in hoc cadavere pallidi, & qui Abdominis vocantur, lividi erant.

20. VIRO annos nato quinquaginta, baculo pars ſincipitis ſiniſtra percutitur, nullo vulnus conſequente ſymptomate. Venit per ſe ad Noſocomium: ubi a peritis Chirurgis nulla eſſe, niſi externa, læſio cenſetur: feliciterque uſque ad decimum quartum diem, ne uno quidem ſe prodente ſymptomate, procedit curatio. Sed eo ipſo die febris invadit cum rigore, & ad ventrem dolore. Item inſequentibus diebus reſpirationis difficultas accedit cum ſenſu ponderis, tuſſi, & purulenta excreatione. Mors denique circa vigeſimum ſecundum diem. IN CAPITE cum præter eam quæ exterius apparebat, læſionem, nulla in cranio, nulla in cerebro, niſi quod paululum ſeri in hujus diſſectione emanavit, uſquam deprehendi potuiſſet; recluſus eſt Thorax. Cujus utrumque cavum pure plenum; pulmones autem, quamvis a coſtis ſoluti, pluribus diſtincti tuberculis inventi ſunt, quorum aliqua jam ſuppurata, ſaniem inciſa emittebant. In pericardio vix aquæ veſtigium. In cordis ambobus ventriculis polypoſæ concretiones, in dextero major, in ſiniſtro autem minor. Ventre denique aperto, in hepatis parte dextera crebra tubercula conſpecta ſunt, & in his nonnulla quæ jam pervenerant ad ſuppurationem.

21. Vides, ut propriis Obſervationibus adductus Valſalva ſit ad ſcribendum (*t*), in capitis vulneribus affici aliquando thoracis viſcera: quanquam adduci poterat & alienis. Nicolaus enim Maſſa (*u*) conſpexerat jam A. 1533. præſente Victore Trincavella cum aliis doctiſſimis Viris, ea quæ cum extare haud videam non modo hic in Sepulchreto, ſed neque apud ullos, quod meminerim, qui de rebus ejuſmodi egerunt, Scriptores; preſſe hic tibi commemorabo. Quidam ex vulnere inflicto dexteræ capitis parti prope Sagittalem ſuturam, cum meningum inciſione, mortuus erat delirans, & paralyticus; quod ut plurimum, inquit, fieri ſolet; eo corporis latere quod vulneri opponebatur. In capite duo inventa ſunt apoſtemata quorum pus erat laudabile, alterum in ſubſtantia cerebri prope vulnus, alterum in cerebello poſteriore. In Thorace autem ſanies multa, & mala deprehenſa eſt intra ſiniſtri pulmonis ulcus, cujus cavum majus erat dimidiato cortice ovi gallinacei. Fuit & ſanies manifeſta in ſiniſtræ cordis auriculæ facie exteriore, quæ tota erat exulcerata. Sed in ventriculo etiam cordis dextero in columna carnea apoſtema erat notabile, aſcendens uſque ad unam ex valvulis, ipſam quoque tumore notabili, & *apoſtemoſo* tumentem. Et ne forte credas, hæc thoracis apoſtemata ante vulnus jam fuiſſe; teſtatur Maſſa, notum ſibi fuiſſe hominem, neque unquam de ullo dolore conqueſtum, neque tuſſi vexatum vel poſtquam vulneratus jacebat, &c. Ad hanc addendæ ſunt Marchetti noſtri Obſervationes (*x*). Quæ cum multo notiores ſint, atque adeo in Sepulchretum (*y*) relatæ; videre ibi poteris, quam ſæpe in capitis vulneribus eroſos pulmones, & pleuram invenerit, dimidiumque thoracis caveæ pure refertum, arguatque eos qui non a capitis vulnere hoc deducant. Ipſe enim ob prævios colli dolores parte præſertim poſtica, & laterali, materiam purulentam ex vulnere in cavum thoracis deſcendere, non dubitabat. Quam tamen viam per Valſalvæ in Juvene (*z*) Obſervationem vidiſti ne ad dorſi quidem abſceſſum confirmari potuiſſe.

22. Habes igitur alios præter Valſalvam qui in capitis vulneribus pus interdum intra thoracem invenerint. Sunt & qui in ventre, ut idem Marchettus (*a*), qui lienis etiam labem deprehendit, & purulentas puſtulas; ut alii, quantum in Sepulchreto (*b*) referri video, qui in ventriculum quoque, inteſtina, & meſenterium translata ajunt apoſtemata. Sed cum iidem, & Marchettus, & Bohnius (*c*), qui promiſcue pleuram quoque, pulmones, lienem nominat, jecur non omittant; tum plerique alii viſcus hoc unum memorant in quod ex ſauciato capite pus traducatur. Idque ex hiſtoriis omnibus, & Scholiis cognoſces quæ ſub Obſervatione XVI. in Sepulchreto ipſo proponuntur. Neque enim officiet tibi operarum incuria (*d*), *Apoſtema in capite*, aut *vulneribus Hepatis* pro *Apoſtema in hepate*, & *vulneribus Capitis* ſcribentium. Illud fortaſſe potius officeret, ut Ballonium crederes quod de abſceſſu ſcripſit in concava jecinoris parte obſervato, id tanquam ſibi certum propoſuiſſe; quando inſpecta illa unde is locus acceptus eſt, Appendice ad libellum de Convulſionibus, non ea leguntur quæ in Sepulchreto (*e*), *atque id a pleriſque Chirurgis obſervatum eſſe*, *ſcio*; ſed hæc, *An id fiat*, *eveniatque*, *neſcio*, *ſed tamen a pleriſque Chirurgis id obſervatum eſſe*, *audivi*. *Sed ſi fiat*, *qua ratione contingat*, *& an ſit veriſimile id fieri poſſe*, *porro quæſtione dignum erit*. Cavebis igitur, ne Ballonium inter hujus apoſtematis Obſervatores ponas, qui inter Explicatores ponendus eſt, ut contra a quodam non inter Explicatores, ſed inter Obſervatores referendi erant nonnulli, qui Obſervationis teſtes dumtaxat fuerunt. Sed mul-

(*t*) ſupra, n. 15. in fin. (*u*) lib. Introd. Anat. c. 28. (*x*) Obſ. Med. Chir. 15. (*y*) Schol. ad §. 2. Obſ. 16. (*z*) ſupra, n. 19. (*a*) Schol. cit. (*b*) Obſ. 5. §. 4. (*c*) De Renunc. Vuln. S. 1. (*d*) §. 1. & 3. (*e*) §. 4.

multo magis cavebis, ſi forte rem explicare aveas, ne ponas quidquam cum Obſervationibus non conſentiens, quaſi in pleriſque, aut fere ſemper, aut, quod ponere Barbettus (*f*) non dubitat, in *ſolum hepar* e capite pus transferretur. Vidiſti enim qui etiam in cor, pulmones, lienem tranſlatum conſpexerint: quod ultimum viſcus ſcribi ab illo miror, non dico in his caſibus, ſed in univerſum *rariſſime in cadaveribus male conſtitutum* deprehendi. Verum ad hæc ſæpe cogit major in explicandis, quam in obſervandis quibuſdam rebus ſolicitudo. Quo magis inter eos qui de his poſtea ſcripſerunt, laudandus eſt Cl. Molinellius (*g*), qui, ut par eſt, rem ſibi prius accurate obſervandam, quam explicandam eſſe; cenſuit: viditque interdum pus in alias quidem partes, ſed non in jecur; in non paucis autem neque in hoc, neque in illas tranſlatum; in aliis vero in jecur utique, ſed non ſecus a vulneratis, aut exulceratis aliis partibus quam a capite. A quo ut magis intelligas non ſæpe adeo in jecur traduci; ſic habeto necdum accidiſſe mihi, quod meminerim, ut id viderem; Valſalvæ autem in tot diſſectionibus vix ſemel, idque cum in pulmones quoque, plurimumque in ipſas thoracis caveas eſſet translatum. Fieri tamen poteſt, ut aliquando ideo non viderit, quod non quæſiverit, & nominatim in eo Adoleſcente (*h*) cujus facies ante mortem facta erat flava, cadaver autem univerſum icterici videbatur; nam ut in Sepulchreto (*i*) exemplum habes morbi regii cum duritie, & dolore in regione hepatis, hujuſque putredine, capitis vulnus conſecuti. Sed ob eam ipſam quam Valſalva animadvertit, flavedinem, non facile creditu eſt, quomodo jecur ſe haberet, non quæſiviſſe: & tametſi in iis præſertim quibus iſta, aliaque læſi hepatis indicia ſint, vulnus autem capitis ſiccum fiat, aut repente, & præter rationem minus det puris, ſuſpicari licet, plurimis, quas legi, Obſervationibus confirmantibus, pus in jecur eſſe tranſvectum; res tamen pro certa non eſt prædicenda. Subeſſe enim nonnunquam poteſt aliqua ſignorum fallacia, ſive hæc multa occurrant, ſive etiam omnia.

23. Nam ſi Molinellii (*k*) Obſervationem legas in Viro cui ſimul atque ſanies manare deſierat e capitis vulnere, tumere cœperat, & intendi abdomen, nec vitium tamen in jecinore erat ullum, ſed inteſtinorum ſuperficiem quædam quaſi ulcuſcula fœdabant cum multa ſanie, & quamplurimis disjectis huc illucque tuberculis; facile intelliges, ſi vitia hæc eam potiſſimum obſediſſent quæ jecur proxime ſubjecta contingit, inteſtini Coli partem; futurum fuiſſe, ut complura traducti in jecur puris, fallacia tamen, conveniſſent indicia: Quin etiam fieri aliquando poteſt, ut conveniant univerſa, & nihilominus fallatur is qui pus in jecinore prædicat inventum iri. Fac enim relegas quas tibi noviſſime deſcripſi, Valſalvæ Obſervationes. Nempe tubercula plerumque invenies ſive in pulmonibus, ſive in ipſo etiam jecore non omnia fuiſſe ſuppurata, quin plura interdum (*l*) glanduloſi corporis firmitudinem adhuc referentia. Quid? ſi ægro moriente, necdum ulla eſſent quæ pus habere inciperent. Videtur autem ſecundum eas Obſervationes, quibuſcum, ut puto, Molinellii conjungi poteſt Obſervatio, pus in viſcera aliunde invectum, non puris forma ſemper deponi, ſed haud raro ſaltem nonnullas ejus particulas cum ſanguine permiſtas, & prorſus disjunctas, in anguſtiis quibuſdam, fortaſſe glandularum lymphaticarum, hærere, eaſque, ut in venereorum bubonum productione fit, obſtruendo, aut irritando, eoque humores præterituros retinendo diſtendere, & multo copioſioris quam quod advectum eſt, puris generationi, a rigoribus illis, & horroribus (*m*) ſignificatæ, cauſam præbere. Qua ratione illud quoque intelligitur, quomodo multo plus puris in viſceribus, & caveis corporis ſæpe deprehendatur, quam modicum vulnus dare potuiſſet. Quo autem modo non paucæ ſolum, ſed & quamplurimæ interdum purulentæ particulæ non tantum ex capitis, ſed & partium aliarum vulneribus, ulceribus, abſceſſibus alio tranſeant, ut cum ex pleuriticorum pulmonibus, imo ex artubus ſuppuratis ad inteſtinorum, aut renum vias pus nonnunquam tam manifeſto traducitur, ut tandiu fæces, & urinæ purulentæ ſint, cum ex artubus nihil effluit, & viciſſim tandiu pura illa excrementa, cum hi pure manant, & ſanie, quæ Paræi (*n*) Obſervatio fuit; ſatis hæc circumitio ſanguinis docet (*), quæ alteram quoque ejuſdem (*o*), atque; ut alias aliorum omittam; præclaram, nuper ab experientiſſimo Benevolo (*p*) additam Obſervationem illuſtrat. His autem explicationibus non eſt locus, ſiquando, fatiſcentibus naturæ viribus, vulnus ſiccatur: quod commemoro, ut hujus quoque, inter ſuperiora propoſiti, indicii fallaciam caveas.

24. Quas noviſſime produxi, Valſalvæ quatuor Obſervationes; ſi unam excipias quæ, ut ante illas prolatæ, nullam offert cranii læſionem ad interiora pertinentem; ipſum aut laxatum, aut depreſſum, aut fiſſum, fractum, eroſum exhibent. Pergamus igitur alias deſcribere ſpectantes ad ſingula iſta læſionum genera.

25. MULIER quinquaginta annorum dum in ripa fluminis induſia lavat, baculo ab alia muliere in dextera parte capitis a tergo percuſſa, in aquam cadit. Cito extracta, quodammodo ſtupida jacet. Diſcuſſo autem ſtupore, cum ſymptoma nullum appareret, ſpeſque in dies magis confirmari videretur; ecce circa diem decimum quartum febris ingruit cum rigore: qua ex febre obiit circa vigeſimum ſecundum. CRANIO integumentis ſpoliato, animadverſum eſt, pone aurem dexteram, qua icta fuerat, Lambdoidis ſuturæ dentes inter ſe eſſe disjunctos, ex eorumque interſtitiis levi preſſione tantillum ſeroſi humoris prodire. Intra cranium autem ad eundem locum paululum ſanguinis ſtagnabat. Cæterum omnino ſanum cerebrum fuit.

26. JUVENIS baculo percuſſus ad Sagittalem ſuturam prope Coronalem, ſex, ſeptemve dies tranſegit ſine ullo ſymptomate, ut non decumberet, ſed per Noſocomium ambularet. Verum circa ſeptimum diem vulnus multum fœtet: uno autem die, aut altero interjecto, oræ vulneris intumeſcunt: & quidam ad guttur ardor percipitur. Poſtmodum febris cum rigore invadit: invadunt & motus convulſivi: mors denique ineunte die decimo tertio. CRANIUM intus, extraque ſpectatum, nullam prorſus læſionem oſtendit, niſi quod ſutura, qua vulneri ſubjecta fuerat, flexuoſam lineolam, inter ſuos denticulos intercurrentem, ſubfuſco quodam colore evidentiorem habebat. Ad ipſum autem ſuturæ latus nonnulla Duræ meningis portio cranio peculiari quodam modo adhærebat: quæ facile tamen ſeparata, vix aliquod exhibuit indicium ſaniei, ſuperficie tenus ſibi inhærentis. Pia autem ſubjecta meninx pallida erat. Præter hæc, nihil adnotatum eſt; nam cætera, ut totum cerebrum, ſecundum naturam ſe habebant.

27. VIR annos amplius triginta natus, contundente ferro ad ſiniſtram ſuperiorem Lambdoidis ſuturæ partem percuſſus, dum rure, ubi erat, Bononiam redit, concidit quidem; ſed illico ſurgit, atque iter continuo perſequens paſſuum ter millium, in Noſocomium ſe recipit. Cum ibi decumberet, animadverſum eſt, vulnus haud ſatis laudabili colore eſſe, & aliquot interjectis diebus, abſceſſum ad ejus latus produci: quo poſtea ex arte aperto, brevique purgato, melius procedere vulneris curatio viſa eſt. Sed multis in cibo admiſſis erroribus, jamque aliquot febris acceſſionibus prægreſſis ex improviſo circa undecimum diem graviſſima epileptica convulſio ingruit: qua remiſſa, non tamen æger loquitur: etſi quæ alii loquuntur, ſe intelligere, ſignificat. Poſt hæc in ſiniſtra corporis parte convulſivi adnotantur motus; in dextera autem paralyſis; facie riſum quaſi ſardonium interdum repræſentante. Naturalis interea pulſus erat: quo poſtea celeri, turgente, & impetuoſo facto, paucis poſt diebus mors ſecuta eſt die undevigeſimo. A CAPITE cutem detrahendo, ſub hac a ſini-

(*f*) Schol. ad §. 6. (*g*) Comment. de Bonon. Sc. Inſt. T. 2. P. 1. inter Medica. (*h*) ſupra n. 14. (*i*) Obſ. 16 §. 5.
(*k*) loco paulo ante indicato. (*l*) n. 17. (*m*) ſupra n. 17. 19. 20. (*n*) Oper. l. 16. c. 49. (*) Vid. etiam Epiſt. 25. n. 20.
(*o*) l. 10. c. 12. (*p*) Oſſerv. 22.

ſiniſtris, pluribus in locis, quamvis longe etiam a vulnere diſſitis, pus ſtagnans invenitur: quo os temporis ſuperficie tenus eroſum fuerat. Porro Lambdoides ſutura, qua vulneri ſubjecta erat, dentes inter ſe disjunctos, Dura autem meninx colorem quaſi cinereum oſtendit, quem a pure contraxerat inter ſe, Piamque collecto. Pars ejus puris, quaſi glutinis craſſi inſtar, Piæ meningi adhærebat; reliqua pars fluida erat, quæ vix ſemunciam æquabat. Huic Piæ meningis portioni ſubjecta cerebri portio duorum circiter tranſverſorum digitorum tum longitudine, tum latitudine, unius autem profunditate ad ſublividum inclinabat colorem. Cæterum reliquæ totius cerebri partes ſanæ fuerunt; ſi paucum ſerum excipias, quod & in ventriculis inventum eſt, & ad initium Spinalis medullæ.

28. SENEX annorum ſexaginta ab alto cadens, ſub Lambdoidis ſuturæ angulo caput allidit. Primum ſemimortuus jacet. Dein tandem ad ſe rediens, de læſæ partis dolore conqueritur: quo perſtante, non tamen decubuit, donec quarto, aut quinto die in S. Mariæ de Vita Noſocomium ſe contulit. Ibi non modo ſpecilli in vulneris exploratione, ſed ne goſſypii quidem in deterſione contactum ferre ſine multo dolore poteſt. Circa diem ſeptimum paralyſi corripitur brachii ſiniſtri: cui, vena ſecta, motus, ſed non omnino, reſtituitur. Hic æger ad diem uſque vixit vigeſimum tertium, quo ſoporoſus interiit.

DUM CALVARIA ſecabatur circa tempus dexterum, pus ex illius cavo emanavit: quod & in vulneris loco conſpectum fuerat, dum caput contrectaretur. Quo loco nulla cranii læſio inventa eſt præter Lambdoidis ſuturæ disjunctionem. Cerebrum ibi ad latus dexterum ulcus habuit duos tranſverſos digitos profundum, a ſanie facile ſic excavatum. In vicino autem ſiniſtro latere colore erat ſubpallido. Inter Craſſam meningem, & Tenuem, totum anteriorem lobum dexterum contegentes, pus continebatur non multum, cujus colore ambæ ibidem meninges infectæ erant. In cerebri ventriculis, & ad initium tubi vertebrarum parva limpidi ſeri portio ſtagnabat.

29. Repentina ſuturarum disjunctio, ſi cauſam attendas; ſine aliqua cerebri concuſſione eſſe non poteſt: ſi effectum; non ſine violenta Craſſæ meningis, illic magis adhærentis, diſtractione, & annectentium fibrillarum, ac vaſculorum laceratione. Accedit huc puri ex vulnere in cranii cavum ſic minus difficilis parata via. Non igitur mirandum eſt in his quatuor, & in alia pariter quæ ſupra (q) deſcripta fuerat, Valſalvæ Obſervationibus, ubi ſuturæ alicujus disjunctio fuit, ægros interiiſſe, citius quidem, aut ſerius, & levioribus, aut gravioribus affectos malis pro varia tum cujuſque diſpoſitione, tum aliarum, quæ notæ omnes eſſe non poſſunt, circumſtantiarum conditione. De paralyſi autem oppoſitum vulneri, aut læſioni latus occupante; quoniam ut in duobus ægris ultimis, ſic in aliis quoque de quibus infra ſcribetur, adnotata eſt; inferius (r) aliqua attingemus. Nunc a laxato cranio ad depreſſum veniamus.

30. HERBARIUS quidam in fronte prope Coronalem ſuturam nonnihil ad lævam ferro percutitur ad contundendum aliquanto magis, quam ad incidendum idoneo. Ab ictu leve animi defectionis initium ſentit. Cum ſe in Noſocomium contuliſſet paulo ante memoratum; ad undecimum uſque diem non modo nullum infelicis exitus indicium fuit; ſed omnia felicem portendere videbantur. Verum illo ipſo die vehemens febris hominem corripit cum rigore, & multæ bilis vomitu, ad veſperam iterato. Quæ ad eundem modum quotidie reverſa eſt, donec decimo quarto ab ictu die, & ante proximum plenilunium quarto, aere ad auſtrinam conſtitutionem vergente, primum quidem eſt hebes factus, ſic tamen ut interrogantibus prompte reſponderet: paucas autem poſt horas, dum ſe a dextero in ſiniſtrum converteret latus, omnibus tum externis, tum internis orbatus ſenſibus, & difficili preſſus eſt reſpiratione: quæ licet poſtea ad naturalem accederet; tamen iterum laborioſa rediit: & ſic brevi, eodem quem diximus, die mors ingruit. OS frontis eo qui indicatus eſt, loco erat leviter depreſſum, interius autem demiſſa ſquama quæ inæquali & acuminato margine ad dextram vergebat, Duram meningem a dextris læſerat; ut inter ipſam, & Piam pus ſtagnaret, quod a vertice quaſi ad baſim uſque cerebri, & ad cerebelli fines ab dextero eodem latere inundaverat. Pia autem meninx, puri ſuppoſita, aliquanto craſſior facta, a cerebro facile ſeparabatur: quod ibidem ad cinereum colorem, ejus de quo dictum eſt, puris non abſimilem, inclinabat. Porro cerebrum anguſtiori intra cranium ſpatio claudebatur.

31. De arctiori intra cranium ſpatio, ejuſque cauſis, quas inter eſſe vidimus qui plenilunium reponant, & quibus auſtrina conſtitutio, expandens ſanguinem, addenda eſt, quorum utrumque in hiſtoria hac commemoravit Valſalva, ſcis, a me ſupra (ſ) eſſe ſcriptum. Quod vero apoplexia, ut tot alios, quemadmodum in Epiſtolis Anatomicis (t) indicatum eſt, hominem prehenderit, dum ſe a dextero in ſiniſtrum converteret latus, hic ea eſſe cauſa potuit quod puris copia quæ a dextris erat, ſic totum factum ſibi ſubjectum cerebrum tanto periculoſius compreſſerit, quanto jam magis ob anguſtius ſpatium intra calvariam compreſſum erat.

32. VIR annorum quinquaginta cæſim in ſincipite vulneratus, illico vomuit. In idem Noſocomium excipitur, ubi ſub vulnere os ita depreſſum animadvertitur, nulla ut arte retrahi poſſit. Vulnus principio non dolebat: poſt dies autem aliquot formicationis ſenſu afficiebatur. Ad quem cum motus convulſivi toto corpore acceſſiſſent; ineunte undecimo die vita cum morte eſt commutata. OSSIS illa portio quæ ab reliquo, percuſſionis vi receſſerat, valide adhærebat Duræ meningi, ibi leviter inflammatæ. Inter hanc, & Piam erat humor craſſitie, & colore ſero ſimilis. Præter quæ intra cranium nihil adnotatione dignum inventum eſt.

33. MULIER eadem circiter ætate, contundente quodam corpore vulneratur ſupra ſiniſtrum ſupercilium. Ab ictu vomit, & ſtupida fit. Stupor tamen poſt aliquod tempus diſcutitur, reſque feliciter procedere Chirurgo videtur, donec elapſo decimo die, dolore ſiniſtræ auris corripitur cum horrore, & frigore, quod calor excipit. Tandem accedentibus totius corporis convulſionibus, intra paucos obit dies.

OS ictui ſubjectum acuminata lamina cerebrum vulneraverat: quod propterea ſanioſum ibi erat, & corruptum. Sed quanquam vitium altius deſcenderat; ventriculos tamen non attingebat. Pars ſaniei ad baſim cerebri circa nonnulla nervorum Paria defluxerat.

34. MULIERI annorum triginta caput pluribus lapidibus percuſſum fuerat, languore illico, & vomitu per plures dies conſequente. Vulnus tamen exitum non infelicem ſpondere videbatur. Verum circa diem decimum, febre cum frigore ſuperveniente, arens, & pallidum factum eſt. His acceſſit delirium, quod in ſoporoſam affectionem ſenſim degeneravit. Hæc ægram denique ſuſtulit circa diem vigeſimum primum.

IN CRANII dextera quidem parte fiſſura deprehenſa eſt digitos quatuor tranſverſos longa; cerebri tamen ea portio quæ fiſſuræ ſubjiciebatur, nulla erat læſione affecta. A ſiniſtris vero, ubi exterius ingens apparebat contuſio, non modo fiſſum erat cranium fiſſura ducta in modum circuli, cujus diameter ſemunciam Bononienſem æquabat; ſed etiam nonnihil ibi depreſſum: quin ab depreſſa illa portione acuminata lamina introrſum receſſerat, Craſſamque meningem ſauciaverat. Itaque huic meningi ibidem purulenta adhærebat materia, & ſubjectum cerebrum morbidum erat ad tres digitos tum in longitudinem, tum in latitudinem, ad duos autem

(q) n. 19. (r) n. 46. & ſeqq. (ſ) n. 10. (t) XIII. n. 24.

autem in altitudinem; ut læſio ad ventriculos non perveniret.

35. VIR ætatis conſiſtentis in ſincipitis parte dextera contundente inſtrumento ictus, nullo prorſus affectus ſymptomate, ſuis ipſe pedibus venit in ſæpius memoratum Noſocomium, in eoque decubuit. Duabus exactis horis, balbutire cœpit: & poſt alias paucas horas paralyſi in tota ſiniſtra corporis parte correptus eſt. Siniſtrum tamen oculum, cum balbutiendo ad interrogata reſponderet, exacte aperiebat; dexterum ſemiclauſum habebat. Sed & dexteram partem corporis ſine peculiari conatu movere non poterat. Duobus, aut tribus ab accepto vulnere exactis diebus, deliravit. Tandem ſoporoſus factus, die quincto obiit. CAPUT hujus quidem hominis Valſalva, gravioribus occupatus negotiis, diſſecare ipſe non potuit. Tamen quæ ab Amicis qui diſſecuerant, relata ſunt, Petro Molinellio, & Joanne Antonio Guicciardino, adnotare non omiſit. Fractum erat cranium ſic, ut duo magna ejus fragmenta, quaſi facto angulo introrſum contruſa, non parvo illato meningibus vulnere, ipſique cerebro, in hujus ſubſtantiam ad duos propemodum transverſos digitos penetraſſent. Erat in eo cerebri vulnere concretus ſanguis, & ſanguine vaſa quoque majorem in modum turgebant. Dum cerebrum e cranio eximebatur, aliqua ſeri portio prodierat.

36. Quod acervatim tot Obſervationes huc congeram, non tam brevitatis cauſa facio, cum reſtent non paucæ quas adjiciam, quam ne crebrius eaſdem repetam animadverſiones. Quæ enim in quavis illarum videbuntur digna quæ magis attendantur, infra ſuis quoque locis commemorabo. Interea autem non ſubſiſtamus. Sed quod in depreſſi cranii exemplis fecimus, alias porro fracti, fiſſive Obſervationes ſubjiciamus.

37. FŒMINA quinquaginta annos nata, e ſcala præceps in terram cadit. Vulnus ſupra oculum ſiniſtrum apparet: tumida eſt, & pallida facies: livida tempora: ex ore ſanguis exit. Nihil mulier intelligit, nihil ſentit, nihil, ſi manum dexteram excipias, movet, eamque pauliſper dumtaxat, leviter, ac debiliter. Hora moritur a lapſu decima quincta. SINCIPITIS externa rubebant integumenta. In oſſe, partem orbitæ ſiniſtri oculi ſuperiorem faciente, plures erant fracturæ. A latere dextero arteria quæ per Craſſam meningem diducitur, lacerata, ſanguinem effuderat: cujus coagulati unciæ circiter duæ inter eam meningem, & os Petroſum conſpiciebantur. Is ſanguis ita concretus reſpondentem cerebri partem læſerat, ut quaſi eroſæ inſtar appareret.

38. SENEX annos natus ſexaginta, ab hirco impetitus, in terram cadens, partem capitis ſiniſtram allidit. Vix loquitur: vomit: ore ſanguinem ejicit: nullum ſenſum internorum præbet indicium, manus convulſivis motibus agitantur: facies rubet: itaque poſt biduum moritur. CAPITIS læſio circa ſuperiorem marginem Temporalis muſculi ſiniſtri videbatur exterius levis. Sed cute ſublata, is muſculus totus inventus eſt ſanguine ſuffuſus: recluſoque cranio, non parva ſanguinis grumoſi copia, Craſſæ meningi qua eidem reſpondebat muſculo, adeo tenaciter adhærentis, ut ipſi connatus videretur. Erat autem ibidem cranii fractura, cum interiorum vaſorum diſruptione. Verum cum eidem meningi, qua dextero etiam Temporali muſculo reſpondebat copia vel major ejuſdemmodi ſanguinis adhæreret, neque hic ulla ratione a ſiniſtra parte illuc perveniſſe poſſet, nulla autem cranii fractura a dextris ſe proderet; valde ea res Valſalvæ animum ſuſpenſum tenuit. Nam etſi poſtmodum cum oſſeam interioris auris fabricam, in qua totus erat, examinaturus, in dexteram illam hujus cranii partem ſcalprum malleo adegiſſet, fiſſura ipſi in conſpectum ſe dedit; dubius tamen fuit, malleo hæc, an illi a caſu percuſſioni deberetur. Quod reliquum eſt, totum cerebrum, ſi paulum excipias ſeri quod in ventriculis fuit, ſecundum naturam ſe habuit.

39. VIR annorum quinquaginta lapide percutitur ad medium ferme ſupercilium ſiniſtrum, qua nervus ex orbita egreditur. Multis ab ictu elapſis horis in Noſocomium ſæpius nominatum defertur, ubi vinculis in lecto retineri neceſſe fuit ob immanes convulſivos univerſi corporis motus. Clauſi erant oculi: mentis actiones ſcriabantur. Denique trigeſima ſexta ab ictu exacta hora, cum harum ultima illi conquieviſſent motus, interiit. CRANII portiones plures ſupra orbitam fractæ erant: quarum una acuta Duram meningem pungebat, ibi propterea inflammatam. Quin rima etiam reperta eſt in oppoſito, id eſt dextro latere ea ipſa parte quæ fractæ a ſiniſtris reſpondebat. In cerebro ſerum eſt inventum quodammodo ſanioſum. Cæterum cum alias quoque caput hujus viri fuiſſet ſauciatum; videre ibi licuit unde tum ablata pars cranii fuerat, craſſam quandam membranam quæ oſſis penſabat vicem. Huic membranæ Dura meninx valide adhærebat.

40. Præter hoc ultimum, quod cum obſervatis olim a Berengario (*u*) apprime videbis convenire, & præter id quod ad nervum attinet ſub ſupercilio reflexum, cujus læſionem gravibus ipſam quoque excipi convulſionibus, ſupra (*x*) indicatum eſt, habet hæc Obſervatio duo alia in quibus pauliſper ſubſiſtamus. Quorum tamen alterum infra (*y*) commodius attingemus. Alterum autem ad celebrem illam controverſiam attinet de Contrafiſſura. A qua agnoſcenda pleroſque olim ratio abduxit, infirma tamen, quippe ab ea pendens ſuturarum cranii utilitate, quam duce Galeno (*z*) ſtatuebant, quaſi creatæ eſſent ad progreſſum fracturæ inhibendum; cum æque ac nobis (*a*), ſatis omnibus notæ eſſe poſſint fiſſuræ quæ ab uno calvariæ oſſe in aliud, imo in alia haud rariſſime ſe producunt. Obſtabat pariter difficultas in re, ſi verum fateri volumus, non ita plane, & perſpicue, ut acquieſcere omnes poſſent, per rationes quaſdam, & ſimilitudines explicanda. Verum etſi necdum prolatæ eſſent explicationes quæ nunc in Diſſertatione leguntur Georgii Wolfg. Wedelii *de Contrafiſſura* (*b*); non æquum tamen erat aut eſt quidquam ideo negare, quod ejus non intelligatur cauſa. Denique illud inſuper pleroſque morabatur quod præclari Anatomici, & Chirurgi, ex quibus ſatis eſt nominare Jacobum Berengarium (*c*), Gabrielem Falloppium (*d*), Joannem Baptiſtam Carcanum (*e*), Isbrandum Diemerbroeckium (*f*) in tot fracti cranii curationibus, & poſt mortem inſpectionibus (quod nominatim de Carcano dictum volo, tametſi nullam ex ejus Obſervationibus in Sepulchreto relatam video) nunquam in oppoſita ictui parte fiſſum os deprehendiſſent. Sed hinc raritatem quidem contrafiſſuræ arguere licebat; ſi modo ab aliis reapſe aliquando compertam eſſe, conſtaret, negare non licebat. Compertæ vero plures extant tum non recentes, tum etiam recentes Obſervationes: quarum cum alias iſtic habeas in Sepulchreto ſub num. non ut perperam ab operis ſcriptum eſt, V; ſed XI. (*g*), alias autem in Stoſchii Diſſertatione *de Reſonitu* (*h*); non hic memorabo. Hoc tamen admonebo, quod Paulus (*i*) olim indicavit, capite non una in parte percuſſo, *velut in cadendo contingit, fiſſuram calvariæ quæ citra ſolutionem continuitatis cutis contingit, poſtea abſceſſu circa ipſam facto, & hoc ſecto apparentem, putatam eſſe juxta oppoſitam plagæ partem eſſe factam*, hoc, inquam, in cujuſque Obſervationis examine caute prudenterque attendi oportere. Quapropter Falloppius (*k*) etſi in uno vidit os fractum in latere illi adverſo quod equi calce ictum fuerat; tamen cum eſſet ſuſpicio, ab alliſione ad ſolum fracturam illam eſſe factam, teſtari ſe non poſſe, cenſuit, contrafiſſuram

(*u*) Tract. de Fract. Calvar. in Document. prope fin. (*x*) n. 16 (*y*) n. 48. in fin. (*z*) De Uſ. part. l. 9. c. 17.
(*a*) Epiſt. 52. n. 35. 36. (*b*) Sect. 1. membr. 3. (*c*) Tract. cit. c. 1. & 2. (*d*) De Vuln. c. 12. & Expoſ. in Gal. de Oſſ. c. 13.
(*e*) De Vuln. capit. Serm. 2. Lect. 6. (*f*) Anat. l. 9. c. 4. (*g*) §. 2. 5. 7. 8. 9. (*h*) c. 4. (*i*) De Re Med. l. 6. c. 90.
(*k*) c. 13. cit.

ram vidiſſe. Non abſimilia autem & Berengarius, & Carcanus, & Diemerbroeckius de eadem ab aliis propoſita cenſuerunt: & ſæpius certe æger loqui non poteſt, aut meminiſſe, quot ictus acceperit, aut in quæ, & qua parte capitis corruerit. Illud præterea attendendum eſt, num fiſſura quæ adverſa in parte proponitur, ibi tantum ſit, an a parte evidenter percuſſa, aut ab alia huic propiore incipiens, illuc uſque producatur. Neque ſic continuata, illa proprie Contrafiſſura eſt de qua inquiritur; nam ponunt cum Celſo (*l*) *non ea parte, qua cutis diſciſſa eſt, rimam reperiri*; ſed *fiſſum os fore parte altera*. Hæc igitur ſi animadverteris; multo pauciora quam putent aliqui, invenies exempla, in quibus Contrafiſſuram agnoſcere te poſſe, credas.

41. Nec vero Contrafiſſura proprie eſt, ſiquando conſtet, unum idemque ex cranii oſſibus uno dumtaxat loco ictum accepiſſe, neque tamen ibi, ſed alibi rimam habeat: quod quidem poſſe fieri, non negabant Carcanus (*m*), ejuſque Præceptor Falloppius (*n*). Quin hic (*o*) ad hunc quoque modum intelligi poſſe Hippocratis (*p*) verba, demonſtravit, quibus alii Contrafiſſuram proprie acceptam deſignari omnino crediderunt, videlicet os interdum frangi alia capitis parte quam qua vulnus eſt; nam ſi oppoſitam dumtaxat ſignificare voluiſſet, non erat certe cur magnæ calamitatis loco poneret quod continuo ſubjicit, tunc Medicum ignorare, quanam capitis parte fractura ſit; fracturæ enim extantibus in univerſum indiciis tunc conſtaret, eſſe in oppoſita. Non video autem, cur non abſimili ratione interpretari Celſum ad eundem modum noluerit (*q*). Celſus (*r*) enim ubi fracti cranii indicia extent, quæ extare, diſerte ponit, rima autem ſub vulnere non appareat, ſigna alia non quæreret partis qua fractum ſit cranium, ſi oppoſitam dumtaxat partem intellexiſſet, cum modo ſcripſit *Solet etiam evenire, ut altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit*. Cave enim, potius quam Carcano (*ſ*), Joanni Baptiſtæ Corteſio (*t*) hic quidem credas, facile affirmanti, *Latinos elegantiores per alteram partem alicujus rei, ſemper oppoſitam intelligere*. Qui ſi, modo a nobis deſcripta, Celſi verba pauliſper attendiſſet, ne illud quidem paulo ante ſcripſiſſet, Celſum hoc loco non ſecundum ſuam, ſed *ſecundum vulgi opinionem loquutum fuiſſe*. Multo autem minus inter Contrafiſſuræ exempla recipienda ſunt, ut ab nonnullis factum eſt, illa in quibus aut effuſus ſanguis, aut ſanies, aut vitium quodcunque aliud quod, oſſe ibi illæſo, contigerit, intra cranii partem ictui oppoſitam inventum ſit. Quod etſi Berengarius (*u*), Falloppius (*x*), aliique in pluribus ſe deprehendiſſe, teſtantur, ſimul tamen negant, ſe Contrafiſſuram vidiſſe. Hæc enim non niſi fracto oſſe unquam eſt ab illis, & vetuſtioribus intellecta: vaſa autem quomodo ſub illæſo oſſe in adverſa parte rumpi queant, & ſuo ipſi modo explicarunt, & ex laudata Wedelii Diſſertatione (*y*) conjici poteſt. Itaque ſi vel ponas, nullam præter eam quæ manifeſtius videbatur, percuſſam fuiſſe calvariæ partem in eo Juvene (*z*), & in eo Viro (*a*) in quibus non ſecus atque in proxima Obſervatione dicemus, ſaniem, & noxam apparuiſſe Valſalvæ ſuperius diximus in oppoſita, aut etiam in oppoſita; habebis tamen unde rem explices, ut in Fœmina (*b*) pariter; quanquam in ea plures ictus ponere proclivius eſt; & in Sene (*c*), in quibus noviſſime ſcripſi effuſum fuiſſe ſanguinem in adverſo, aut in adverſo quoque latere. Ex iis autem quæ de Contrafiſſura perpendimus proprie, aut minus proprie accepta, facile males, in eodem Sene animadverſam in oppoſito oſſe rimam malleo anatomico, conſpectam vero in eo (*d*) quem continuo poſt illum deſcripſimus, hoſtili uni ictui fortaſſe tribuere, quippe non ut illam in alio, nec contiguo, ſed in uno eodemque oſſe deprehenſam.

42. VIR annos triginta natus, ex febre acuta multum delirans, per feneſtram in terram ſe dejicit, & capitis ſauciat partem ſiniſtram ſupra muſculum Temporalem. Non loquitur: facies rubet: tota corporis ſiniſtra pars immobilis jacet, niſi quod una aut altera, a caſu hora, dum vulnus tractaretur, pes leviter ſe contraxit, & mox extendit. Ad tertium uſque diem ſic vivens, fato ceſſit. TEMPORALI ſiniſtro muſculo ſuberat calvariæ fiſſura: cui tamen nulla intus quæ ſub ſenſum caderet, læſio reſpondebat. Sed in parte huic oppoſita inter Craſſam, Tenuemque meningem effuſus erat ſanguis ad uncias circiter duas; ut hemiplexiam ſiniſtri lateris ipſe faceret; non vulnus ab eodem latere, aut fractura. Cæterum ſanum fuit cerebrum totum, niſi quod omnia per Tenuem meningem repentia vaſa erant ſanguine valde turgida, & proximæ partes quadantenus inflammatæ: hæc vero ad delirium fortaſſe magis, quam ad percuſſionem attinebant.

43. Vides, quam facile decipi potuiſſet qui, vulneris tantum ſpectata ſede, auſus eſſet de ſede cauſæ hemiplexiam efficientis judicare. Quod minime faciendum eſſe, mea illa pariter oſtendit, huic ſimilis, Obſervatio quam in Epiſtolis Anatomicis (*e*) leges.

Sed ad ſedem cauſæ hujuſmodi hemiplexiæ, diſſectione quoque, ut par eſt, quæſitam, præter alias quæ ſupra deſcriptæ ſunt, illa etiam hiſtoria pertinet quæ protinus deſcribetur: quando reliqua in modo propoſita occurrentia ſive de ſanguine in adverſa vulneri parte invento, ſive de vaſis in delirio valde turgidis partim a me paulo ante, partim alias (*f*), ut memineris, ſcriptum eſt.

44. JUVENI annum vigeſimum agenti, vulnere cæſim inflicto Temporalis muſculus ſiniſter in tranſverſum inciditur. Ab ictu, brevi facto itinere, cadit, neque ita multo poſt loquendi facultatem amittit. Interrogantibus tamen, nutibus, quamvis tarde, reſpondet. Delatus in idem quod crebrius dixi, Noſocomium, nonnullis exactis diebus, aliquid, ſed delirans dumtaxat, loquitur. Interim manum dexteram non movebat amplius: quæ tamen ſi pungeretur, ſe dolorem æger ſentire, oſtendebat. Circa diem obiit decimum quartum. CRANIO diſſecto, repertum eſt, vulnus, quod non Temporalem tantum muſculum, ſed & os inciderat, alte in cerebrum penetraſse, & feroſam colluviem, quæ ibi occurrebat, cerebrum porro eroſiſse; ut eroſio in ſiniſtrum uſque ventriculum perveniret. Cum autem ſerum, huic non abſimile, dum cerebrum eximebatur, circa Equinam ſellam prodiiſset; veri ſimile erat, ex eodem ventriculo illuc per Infundibulum defluxiſse.

45. JUVENI duorum circiter & viginti annorum magno ictu cæſim ad ſuperiorem ejuſdem ſiniſtri muſculi Temporalis partem ſauciatur. Concidit illico, nec loquitur, ut vix vivere videatur. Loquendi poſtea facultas, cæteræque omnes reſtituuntur. Sed circa quartum diem aphonia redit; quanquam aliquoties poſtea, ſed raro, nonnulla protulit verba: cum aphonia autem convulſivi motus junguntur, in ſiniſtra quidem parte corporis aliquando ſolum, & leves; in tota autem dextera aſſidui, ac adeo vehementes, ut corpus interdum in hoc latus curvari videatur. Inter hæc tamen æger quæ dicantur, intelligere ſe, nutibus oſtendit. Ingraveſcente autem in dies febre, denique ſenſim præ virium languore deficientibus convulſivis motibus, & nonnullis ante obitum horis quieſcentibus, circa diem interit decimum tertium.

VULNUS non modo Temporalem muſculum inciderat; ſed per ſubjectum os alte in cerebri ſubſtantiam deſcenderat. Dura meninx erat circa vulnus multo craſſior facta. Circa idem, intraque ſanioſus occurrit humor, ex cujus forſan mordaci natura convulſiones fuerant excitatæ: certe cum vulnus eo uſque pervenire videretur, ut tranſverſum dumtaxat digitum ab ſiniſtro ventriculo diſtaret; non illuc tamen uſque ferrum

(*l*) De Medic. l. 8. c. 4. (*m*) Lect. 6. cit. (*n*) c. 12. cit. (*o*) Comm. in Hippocr. de Vuln. Cap. c. 14.
(*p*) De Cap. Vuln. n. 10. apud Marinell. (*q*) c. 12. cit. (*r*) c. 4. cit. (*ſ*) Lect. 6. cit. (*t*) Tract. de Vuln. Cap. P. 1.
(*u*) c. 1. cit. (*x*) c. 12. 13. 14. cit. (*y*) Sect. 1. Membr. 3. & 4. (*z*) n. 5. (*a*) n. 7. (*b*) n. 37. (*c*) n. 38.
(*d*) n. 39. (*e*) XIII. n. 16. (*f*) Epiſt. 7.

rum pervaſiſſe, ſed profundiorem excavationem ab ſucco erodente, in vulnere genito, factam eſſe, cognoſcebatur. In cerebri ventriculis nonnihil ſtagnabat ſeri. Cæterum quod in hoc Juvene ſiniſtra cerebri parte læſa, convulſiones in corporis dextera magis ſævierint, eodem Valſalva referendum cenſebat quo & paralyſim, in corporis latere oppoſito cerebri læſioni ſemper ab ſe antea animadverſam.

46. Inter eas quæ ex ipſo hactenus deſcriptæ ſunt, Obſervationes unam (*g*) habes in qua cum reſoluta eſſet ea pars corporis quæ læſioni cerebri erat oppoſita, quædam interdum accedentes quaſi epilepticæ convulſiones non illam minus, quam non reſolutam, agitabant. Sed alteram (*h*) quoque habes in qua cum pariter reſoluta eſſet pars adverſa, convulſivi motus in ea quæ reſoluta non erat, adnotabantur. Nullam vero habes in qua res contra atque in altera iſta, occurrerent: quod ſane prorſus convenit cum *theoremate* illo *catholico* Saliceti quod Epiſtola Anatomica XIII. (*i*) memoravi: ubi tamen neque eorum dogmata reticui (*k*) qui non modo promiſcue in alterutra parte paralyſim, aut convulſionem accidere, ſed & plerumque paralyſi quidem reſpondentem vulneri partem corripi, convulſione autem oppoſitam, tradiderunt. Quibuſcum adeo conſentiebat Ballonius, ut libello de Convulſionibus hanc potiſſimum ſibi explicandam Quæſtionem ſumpſerit, quam & in ipſa libelli fronte propoſuit, *cur ſauciatis dextera capitis parte Convulſio ſanæ* (id eſt oppoſitæ vulneri) *partis contingat*. Id ut ponerent, Majorum dogmata impellebant, præſertim Hippocratis, tot locis idem repetentis, ut Marcellus Donatus (*l*) cum hos ſingillatim indicaret, eorum, puto, numero obrutus, illius oblitus ſit, memorata Epiſtola (*m*) a me producti, in quo tamen vetuſtiſſimus ille Præceptor (*n*) diſerte docuit, capite vulneratos *impotentes fieri, ſi in dextris fuerit vulnus, in ſiniſtra parte; ſi vero in ſiniſtris, in dextra*: quo nihil dici luculentius poteſt; quanquam Donatus ſcribit, *de paralyſi oppoſitæ partis nullibi Hippocratem, quod meminerit, verba feciſſe*. Quod vero antiquiores illi, & aſſeclarum haud pauci non hoc, ſed illud quod tanto pluribus locis traditum fuerat, accidere ut plurimum, exiſtimarent, hinc magna ex parte factum crediderim, quod mortuorum capita non diſſecantes, ex vulneris ſede quam in capite videbant, ſedem quoque arguerent detrimenti cerebro illati, aut ſi hanc aliquando, cranio ab ictu ipſo, aut inter curandum ſuis ferramentis perforato, vulneri ſubeſſe conſpicerent, majus certe, & præcipuum vitium in oppoſita cerebri parte eſſe poſſe, minime ſuſpicarentur contra atque cenſendum eſſe, anatome docuit, ut ſupra (*o*) demonſtratum eſt.

47. Cæterum non hæc eo dico quod neſciam, convulſione haud ita raro id latus corporis prehendi quod adverſum eſt cerebri lateri, vitio revera præcipuo laboranti. Quid enim Poupartius ex propria, itemque ex Chiracii anatomica inſpectione Regiæ Scientiarum Pariſienſi Academiæ (*p*) retulerit, præclare memini, nec aliam aliquam ignoro, ut quæ in Sectionem hanc Sepulchreti (*q*) relata eſt. Sed eo dico, ut intelligas, cujuſmodi hic quoque attendi velim Obſervationes priuſquam a nobis quid ut plurimum fiat, conſtituatur. Neque enim numerandæ ſunt, ſed perpendendæ, nec, niſi capitis diſſectio acceſſerit, accipiendæ. Hæc autem acceſſerat in illa Maſſæ Obſervatione quæ ſuperius (*r*) memorata eſt, non ſecus atque in tot quæ aut ex Valſalva deſcriptæ ſunt, aut in Sepulchreto leguntur, ut Diemerbroeckii (*ſ*), Dodonæi (*t*), Horſtii (*u*), Reiſelii (*x*), in quibus omnibus vides, illud corporis latus quod læſioni cerebri erat oppoſitum, non convulſione, ſed paralyſi affectum proponi. Quin eas in quibus alterius lateris convulſio, alterius reſolutio adnotantur, hanc quidem in oppoſito, illam vero in eo quod læſionis ſubjectum erat, exhibere: quarum Obſervationum una Salmuthi eſt (*y*), qui inſuper ſic eſſe *conſuetum*, affirmat, altera autem Ballonii ipſius (*z*); quanquam, ut de aliis taceam mendis, quinam artus reſoluti eſſent, omiſſum in Sepulchreto eſt operarum incuria. In quam rejicere poſſe vellem huic contrariam hallucinationem, ut cum Fontani (*a*) repetita eſt Obſervatio, aut cum altera item Bartholini (*b*), quæ ad propoſitum attineret, ſi utrius lateris artus; nam utriuſque dicit; prius, magiſve reſoluti eſſent, adnotaſſet.

48. Ex iis tamen qui nihil niſi vulneris ſedem exterius videntur attendiſſe, Viri Doctiſſimi non defuerunt qui magis, minuſve ab illo Hippocratis crebrius inculcato dogmate vel ante hæc tempora receſſerint. Sic Donatus (*c*) contrarium quoque accidere, docuit. Sic Cæſalpinus (*d*) recenſitis illis Hippocratis locis, *hodie vero*, inquit, *non ſolum diſtentionem, ſed etiam paralyſim eadem ratione*, id eſt in adverſa vulneri parte, *oriri ſæpe videmus*. Sic Martianus (*e*) poſtquam de convulſione in ea parte verba fecit, de reſolutione jam loquens, hæc tradidit: *experientia quidem nobis indicavit, reſolutionem ſemper in oppoſitum fieri*. Quin etiam ante illos Carcanus (*f*) diſerte hæc ſcripſerat: *non pars vulneri correſpondens, at oppoſita ſemper paralyſi corripitur, ſicut & Hippocrates veriſſime dixit, & experientia nos docuit. Verum eſt, quod dixit Hippocrates, oppoſitam convulſione, non paralyſi teneri; ego autem dico, potius paralyſi eam affici*: quod Carcani dictum cum tot aliæ, tum inſignis illa Obſervatio confirmat Cl. Danielis Hoffmanni (*g*), qui in puero cui *cerebrum* a ſiniſtris *quaſſatum* fuerat *cum notabili ſubſtantiæ deperditione*, ſiniſtri pedis convulſivam agitationem vehementiſſimam, dexteri autem lateris paralyſim quæ immobile prorſus fecerat, adnotavit. Et illi quidem cauſæ utriuſque affectus ſedem ſtatuebant in eodem cerebri latere quod convulſo, aut reſoluto corporis lateri oppoſitum eſt, cauſam autem alterius affectus alteram, ut puta irritationem, aut inflammationem, ſi convulſio eſt; compreſſionem vero, aut diſruptionem, ſi paralyſis. Ad hunc autem, ſimilemve modum accipiendum eſt quod Valſalva in propoſito Juvene (*h*) convulſiones eodem in univerſum referendas cenſebat, quo in cæteris reſolutiones. Cur vero hujus, aut illius cauſæ effectus in adverſa corporis parte ſe prodant; niſi aliquam ponas decuſſationem, haud facile intelliges. Ponebant & illi, & multo ante eos alii: qua in re quid mihi veriſimilius videatur, ſatis alibi (*i*) indicatum eſt. Nec quamvis aliqui decuſſationem illam minus probent, quam vel Hippocrati olim, ipſi quidem ajunt, fuiſse probatam, neque originem, & vim nervorum Spinalium a medulla Oblongata, aut altius derivandam eſse, cenſeant; aſsentiri ipſis poſsum, niſi prius doceant, quomodo gravem cerebri dumtaxat læſionem univerſi corporis paralyſis conſequatur, aut quomodo liceat propoſitæ quæſtioni aliter ſatisfacere, ſive convulſio, ſive reſolutio oppoſito in latere contingat. Porro ex iis qui nobiſcum hanc ut plurimum in hoc ponunt, ſunt qui convulſionem altero in latere fieri, dicunt, quia hinc reſolutis muſculis illinc oppoſiti prævalent, ſeque contrahentes, inferiorem maxillam, aut truncum corporis ducunt, aut curvant eam in partem in qua ipſi ſunt. Verum ut quærere omittam, num hæc contractio jure poſſit pro convulſione accipi, aut ſi poſſit, quid ad eos attineat de quibus hic potiſſimum agitur, motus convulſivos; certe quod Cæſalpinus (*k*) ex illis qui vel olim haud multo aliter opinabantur, quærebat, & nos quæremus: *quæ læſio oppoſitorum muſculorum excogitari poſſit, ſi totum brachium convellitur, aut crus ex vulnere capitis in parte oppoſita*, aut in reſpondente? neque enim brachii,

---

(*g*) n. 11. (*h*) n. 27. (*i*) n. 14. (*k*) n. 15. (*l*) De Hiſt. Med. Mir. l. 5. c. 4. (*m*) n. 14. (*n*) Epid. l. 7. n. 19. apud Marinell.
(*o*) n. 43. (*p*) Hiſt. A. 1700. Obſ. Anat. 19. (*q*) Obſ. 7. §. 2. (*r*) n. 21. (*ſ*) Obſ. 3. §. 2. (*t*) Obſ. 4. §. 10.
(*u*) Obſ. 8. §. 9. (*x*) in Addit. ad hanc 3. Sect. Obſ. 24. (*y*) Sect. ead. Obſ. 3. §. 7. (*z*) Obſ. 17. §. 1.
(*a*) Obſ. 5. §. 7. & 8. (*b*) Obſ. 4. §. 6. & 7. conferend. cum l. 1. S. 15. Obſ. 27. §. 2. (*c*) c. 4. cit.
(*d*) l. 2. Quæſt. Medic. 10. (*e*) Annot. ad Hippocr. Epid. l. 7. S. 1. verſ. 377. (*f*) De Vuln. Capit. Serm. 3 Lect. 5.
(*g*) Diſſert. de hac rariſſima ſanatione. (*h*) n. 45. (*i*) Epiſt. Anat. 13. n. 17. uſq. ad 22. (*k*) Quæſt. cit. 10.

chii, aut cruris alterius muſculis, muſculi brachii oppoſiti, aut cruris ſunt antagoniſtæ, in artubus autem potiſſimum illæ occurrunt de quibus hic loquimur, convulſiones. Hoc Thomas quoque Bartholinus (*l*) animadvertit in puero cui ex vulnere temporis dexteri convellebantur ſiniſtrorſum non modo nares, & os, ſed etiam brachium. Ille enim, qualiacunque ſunt, adſcripſit quæ in Sectione hac Sepulchreti extremum Scholium ſecundum habet ad §. 2. Obſervationis VIII. quamvis ex quo Auctore ſint, ibi quidem non appareat. Certe autem; ut hoc quoque adjungam; ad paralyſes explicandas quæ in adverſo contingunt latere, nervearum originum decuſſationem vel altius quam a medulla Oblongata, repetere cogimur, ut alias (*m*) ex oppoſitæ Retinæ tunicæ reſolutione oſtenſum eſt, idque nunc confirmare liceret ex Peyronii (*n*) Obſervatione viſus in alterius lateris oculo toties amiſſi, aut reſtituti, quoties in oppoſita parte vulnerati cerebri ubi hujus ſubſtantia deerat, pus aut retinebatur, & ſubjectum corpus Calloſum premebat, aut inde eximebatur, itemque ex altera Cl. Petzii (*o*), qui ſiniſtro cerebri hemiſphærio ita ſauciato, ut ſubſtantiæ magna pars lacerata ſecederet, non modo utrumque artum dexterum movendi facultate carentem, ſed & obſcuratum viſum, auditum autem vix ullum ſuperſtitem ab eadem dextera parte adnotavit. Igitur quam decuſſationem ad paralyſim in latere oppoſito explicandam agnoſcere debemus, quare ad convulſionem non agnoſcamus?

Cæterum cur in eo de quo noviſſime dictum eſt, Juvene immanes illi aſſidui, & diuturni convulſivi motus nonnullis ante obitum horis deſierint, cauſam Valſalva indicat, cum ait, ſenſim illos præ virium languore defeciſſe. Sic & illi multo vehementiſſimi qui ſupra in quodam Viro (*p*) deſcripti ſunt, ultima vitæ hora conquieverant. Eademque fuiſſe videtur cauſa, cur altero in Viro (*q*), itemque in Muliere (*r*) delirium tandem in lethalem ſoporem degeneraverit. Sed alias fiſſæ calvariæ Obſervationes accipito.

49. JUVENIS viginti annorum in ſiniſtra occipitii parte cæſim vulneratur. Nullum ab ictu adnotatur ſymptoma: & felix initio videtur curatio. Diebus tamen progredientibus partes circa vulnus valde tument. Febris cum rigore, & delirio ingruit ad duodecimum diem; mors autem ad decimum quartum. DUM CADAVER e lecto auferunt, non parva ſanguinis copia effluit e vulnere. Sectione autem inſtituta, tota ea pars capitis quæ intumuerat, ſanguine turgida invenitur. Etſi vero in exteriore oſſis facie ferrum quod vulnus inflixerat, levem dumtaxat inciſionem reliquerat; ad hujus tamen latus fiſſura erat, cui reſpondens Craſſa meninx purulentam materiam ſibi valide adhærentem habebat: huicque ſubjecta cerebri pars naturalem colorem nonnihil in atrum mutaverat. Præter hoc, nihil adnotatu dignum in toto reliquo cerebro fuit.

50. VIR triginta tres circiter annos natus, ex alto in terram cadit. Non loquitur: ſenſus omnes interiores amittit. Primum vomit; deinde conatus ſolum vomendi remanet: convulſivi accedunt motus: facies rubet: pulſus eſt turgidus: ſanguis e naribus, & ſiniſtra aure erumpit: difficulter reſpirat: intraque viginti quatuor a lapſu horas e vita excedit.
CAPITIS ſiniſtra pars muſculum Temporalem habebat contuſum, arteriæque Temporalis ramos laceratos. Illo ſublato muſculo, duobus tranſverſis ſupra aurem digitis, cranii fiſſura inventa eſt forma arcus: & prope hanc fiſſuram concretus ſanguis ad duas uncias inter cranium, & Craſſam meningem; quæ tamen, ut & reliquum cerebrum, ſana erat. In Ventre, aere turgebat ventriculus, ut etiam in Thorace pulmones, dexter præſertim: qui ambo rubebant, nullo modo parietibus adhærentes. Pericardium nihil, aut parum, ſeri; cordis ventriculi aliquantum ſanguinis ſpumoſi, & fluidi continebant.

51 VIR alter annorum ad quinquaginta a currente effrænato equo perculſus, & ad terram afflictus eo impetu eſt, ut cum ad lapidem occipitium alliſit, fracti oſſis crepitus auditus ſit. Primum ſemimortuus jacuit: paulo poſt, verba nonnulla, ſed quæ vix potuerunt intelligi, proferre conatus eſt. Ex aure dextera, ex naribus, ex ore ſanguinem effundebat, cujus in facies confluxu propemodum ſuffocari videbatur. Vomitu etiam tentatus eſt: qui mox ea vehementia rediit, ut animam agere crederetur. Semihora autem a caſu exacta, nullum amplius ſenſus indicium dedit, ut neque motus, niſi quod ſemel, aut iterum caput quaſſavit, & quod naturali adhuc reſpiratione utebatur. Facies interdum liveſcebat; ſed plerumque erat pallida. Denique horis elapſis duodecim, tarde reſpirare cœpit; ut ſi quod aliis accidere ſolet, attenderetur, credi poſſet intra pauca temporis momenta interiturus. Ipſe tamen duas horas cum ea reſpiratione vitam trahens, hora obiit a capitis alliſione decima quarta. MEDIUM, ſed paulo tamen dexterius, diffiſſum erat os occipitis ingenti, & lata fiſſura, quæ per ejus baſim ad Magnum foramen producta, hoc oblique ſecans, ad Petroſum uſque proceſſum perveniebat. Magna autem ſanguinis effuſi copia ſub cerebri baſi, & in anteriore quoque ejus parte inter Craſſam, Tenuemque meningem reperta eſt.

52. Qua ratione fieri in hoc potuerit, ut cum fiſſum eſſet occiput, copia tamen ſanguinis in anteriore quoque capitis parte inter meninges effuſa deprehenderetur, ex iis intelliges quæ ſuperius indicavimus (*ſ*): quanquam cum multus ſanguis eſſet ſub cerebri baſi; inde fortaſſe pars illius potuerat antrorſum quoque pergere inter meninges. Quod ſi non fuit, vaſa non deſunt, nec ea tenuia, quæ ab harum altera in alteram trajecta, in magnis ejuſmodi concuſſionibus, ſi præſertim plurimum diſtenta ſint, non difficile rumpantur. Sed tunc, etiam extra ipſam calvariæ caveam poſſunt alia diſrumpi, unde ſanguis per aures, nares, os effluat. Quæ facilius accident, ſi fiſſura perveniat ad proceſſum Petroſum, ut in hoc Viro, aut ſi ſanguis, ut in ſuperiore, ſit prope nova Tympani foramina inter cranium, & Craſſam meningem effuſus. Per illa enim viam eſſe in Tympani caveam, ex hac vero per Euſtachii Tubam in nares, fauceſque, non eſt cur hic monſtrem, qui hac de re, atque adeo de ſanguinis e cranio per has vias exitu jam olim alibi (*t*) ſatis ſcripſerim.

53. VIR quidam cæſim in anteriore, itemque in poſteriore capitis ſiniſtra parte vulneratus, & in ſæpius memoratum Noſocomium exceptus, quarto a vulneribus die queri cœpit de ſævis ad vulnus doloribus, qui intra paucos dies univerſum corpus jam occupabant. Die decimo ſexto aphonia correptus, tum uſu omnium ſenſuum internorum amiſſo, tandem vigeſimo quincto moritur. VULNERUM anterius ad initium uſque ſubſtantiæ cerebri medullaris pervenerat. Poſterius vero ſupra Tranſverſum Craſſæ meningis proceſſum, cerebrum uſque ad ſiniſtri ventriculi cavum ſauciaverat. Eo ventriculo non parum ſeri continebatur, quod linguæ impoſitum, longam mordicationem reliquit; ut ex ejus acrimonia nervoſi generis irritatio, indeque univerſales illi corporis dolores forſan repetendi videantur.

54. AGRICOLA annorum circiter quadraginta ab alio Agricola ad dexterum ipſum latus mediæ ferme ſuturæ Sagittalis runcina vulneratur, hujus roſtro tam alte adacto, ut intra cerebrum perveniat. Totum ab ictu contremit corpus, intellectus actiones retardari incipiunt, atque in omnibus ſiniſtri lateris partibus movendi facultas labefactari, donec, circa diem quartum, ſuperſtite ſenſu, omnino pereat. Facies multum rubebat: interiores ſenſus obſcurabantur: reſpiratio gravis, pulſus debilis fiebat. Denique rubicunda materia per os rejecta, die ſeptimo obiit. CRANII fornice exſecto, qui vulnere non modo perforatus erat, ſed & oſſeam ſqua-

(*l*) Cent. 5. Hiſt. Anat. 2. (*m*) Epiſt. indic. n. 18. 19. 21. (*n*) Commerc. Litter. A. 1731. Hebd. 30. prope fin.
(*o*) & A. 1736. Hebd. 34. n. 2. (*p*) n. 39. (*q*) n. 35. (*r*) n. 34. (*ſ*) n. 41. (*t*) Epiſt. Anat. 6. n. 6. & ſeqq.

ſquamam e ſua ſede elevatam habebat, dum Craſſa meninx ad cerebrum extrahendum, circa initium medullæ Spinalis inciditur, non parva ſanguinis effluit copia. Cæterum vulnus Sinum perforans Longitudinalem, inde in ſiniſtrum uſque perveniebat ventriculum, in quo ſerum cum grumoſo ſanguine latebat: in ejuſdemque ventriculi baſi ſordidum ulcus conſpiciebatur. In Thorace pulmo ſiniſter multum a ſtagnanre ſanguine turgebat.

55. Valſalvæ inter ſcribendum, ut fit, accidiſſe, ut pro ventriculo dextero, qui ſubjectus erat vulneri, ſiniſtrum poſuerit, ob nullam interjectam, aut additam animadverſionem credibile eſt. Qui enim cerebri noxam invenire ſolitus eſſet in eo latere quod reſoluto corporis lateri opponeretur, ut ex compluribus quæ ſupra (*u*) deſcriptæ ſunt, Obſervationibus, & ex eo quod diſerte in 45. adjecit, ſatis, ſuperque conſtat, nunc ſi contrarium in Agricola hoc conſpexiſſet; adnotationem in rem inſolitam prætermittere potuiſſe non videtur. Quod tamen non eo dico, quod vulnus a dextris non potuerit in ſiniſtrum, præſertim adeo vicinum, ventriculum levi obliquitate deflectere, aut quod ipſe nunquam in cadavera inciderim quæ læſionem in eo cerebri hemiſphærio haberent quod paralytico reſponderet corporis lateri. In Epiſtola enim Anatomica XIII. (*x*) non aliorum modo aliquot ejuſcemodi Obſervationes indicavi; ſed & meam propoſui: quanquam in earum nonnullis quid deſiderari poſſit, & quomodo reliquas, meamque, ſalvo Valſalvæ dogmate explicare liceat, non reticui (*y*). Unde ſumere aliquid fortaſſe poteris, ut hanc quoque explices, nedum ſiquid in illa quæ ſupra num. 35. propoſita eſt, in palpebris minus reſpondere videatur.

56. Finem huic Epiſtolæ imponere juvat duabus vulneris, punctim pariter inflicti Obſervationibus, ſed tanto majori attentione dignis, quo magis levis in utraque apparebat ictus, & qui ad faciem potius quam ad cerebrum ſpectare videretur.

57. VIR triginta annos natus, bilioſi temperamenti, pungente ferro ad dexterum oculum percuſſus, triduum ſine ulla ſenſibili actionum læſione tranſigit. Die quarto venit ipſe in crebrius indicatum Noſocomium: eodemque die mortuus eſt, præter Medicorum opinionem, quia nullum uſquam apparebat lethale vulnus; ſed ſimplex dumtaxat in eo oculo contuſio. CALVARIA autem recluſa, cum parva purulentæ materiæ copia inter os frontis, & Craſſam meningem inveniretur, & quæreretur locus unde illa prodiiſſet, ſpecillo os e directo oculi dexteri perforatum repertum eſt. Itaque externa, internaque vulneris totius via diligenter inquiſita fuit, & maniſeſto comperta. Scilicet ferrum inter oculum, & orbitam ſine illius læſione ulla, ad hujus oſſeum fornicem pervenerat, quo perforato, ſubſtantiam cerebri pervaſerat, ut vulneris finis lato dumtaxat digito a parietibus diſtaret ventriculi dexteri. Cæterum etſi hyems erat, cadaver autem cito ab interitu diſſecabatur; ea fuit viſcerum, ac vaſorum flacciditas, ut tactum ſine læſione non ferrent, tantaque ſimul totius corporis graveolentia, ut parem ad illud tempus ſe Valſalva non inveniſſe, confirmet, hæc omnia in pravam rejiciens, quæ vulnus præceſſiſſe debuerat, humorum diſpoſitionem.

58. Ex omnibus, quas legiſſe meminerim, cerebri per vulnus orbitæ læſi Obſervationibus vix ulla mihi, ea quæ inter vulnus, & mortem interceſſerunt, ſpectanti, videtur hac eſſe mirabilior. Etſi enim alii de quibus ſcripſerunt Horſtius (*z*), Ballonius (*a*), Fantonus pater (*b*), & Jo. Phil. Burggrafius (*c*), non niſi nono, undecimo, decimo quarto, aut vigeſimo primo obierint die; alii autem de quibus Petrus Borellus (*d*), & Schmidius (*e*), nihil mali ſuſpicantes, aut eo die genio cum ſociis indulgentes, ad duas leucas, aut ad quadrantem milliarii ambulaverint; hi tamen aut poſtridie mortui inventi ſunt, aut mox repente exanimes ceciderunt; illi vero aut dolore primum capitis, & gravioribus deinde ſymptomatibus, vexati, aut his continuo ingruentibus afflicti dies illos omnes traxerunt. Neutris adnumeravi alios quoſdam, ut quem Sennertus (*f*) propoſuit, ſtatim apoplecticum factum, & nona circiter inde hora mortuum; quia ſine orbitæ læſione acutus ille gladius videtur per nervi Optici foramen, aut, ſi mavis, per vicinum alterum, quod lacerum appellant, cranii caveam ſubiiſſe: quod etiam in Diemerbroeckii (*g*) Obſervatione, quam hic in Sepulchreto fruſtra quæſivi, potuiſſe fieri, non negabis, ægro *nullis actionibus animalibus privato* ad decimum uſque diem, tunc autem accedente *febre vehementiore*, intra biduum extincto. At *ſcolpeti globus per orbitam oculi dextri ſic adactus*, ut e *ſiniſtra occipitis parte emerſerit*, quemadmodum Cl. Helwichius (*h*) deſcripſit, ſine orbitæ fractura tranſire potuiſſe non videtur, ut ſi velis caſum hunc ad eorum claſſem referre quos ſecundo loco memoravi, per me liceat, præſertim cum fœmina a vulnere exanimis corruerit. Utram vero ad claſſem attineant, neſcio, quos ex vulnere orbitæ peremptos ſcripſerunt Bohnius (*i*), Ruyſchius (*k*), Jacotius (*l*), imo Dodonæus (*m*), cujus nomen, dum in Sepulchreto hæc Obſervatio deſcriberetur ex Schenckio (*n*), prætervisſum, perperam ex præcedente acceptum eſt. Neſcio autem, quia ex narratione illorum neutiquam, ut ex aliis, & nominatim Valſalva, conſtat, quot dies ſauciati exegerint nullo ſe oſtendente ſymptomate, ut puta ſopore, quem Dodonæus memorat quidem, ſed quo die inceperit, reticet: Bohnius hoc tantum habet, tertia ab ictu die eſſe mortuum: Ruyſchius autem nihil aliud ſcribit, niſi brevi poſt acceptum vulnus, quod illis qui curationi præerant, videbatur exigui momenti, mortem ingruiſſe. Qui, tametſi aliæ, ut intelligere potuiſti, jam extabant ejuſdemmodi Obſervationes; adeo raram exiſtimavit hanc ſuam, ut inter ea quæ Bidloo nunquam occurrere potuiſſe, credebat, *Vulnus Orbitæ Oculi lethale* recenſuerit (*o*). Decebat tamen inter cæteras quæ Sepulchreto additæ ſunt, hanc Obſervationem non omittere, nec quæ ad ipſam adjecit Ruyſchius, nimirum ſuperiorem partem orbitæ eſſe adeo tenuem, & fragilem, ut in multis ſcriptoriæ chartæ non ſuperet tenuitatem, & perforari ſolo digito poſſit: ideoque orbitis inflicta vulnera non eſſe (ut in pluribus accidit eorum quæ commemoravimus) floccifacienda, præſertim ſi ferro, aut ligno inflicta ſint non obtuſo, aut vulnerati ſomnolentia, nauſea, febre, vertigine, convulſione (adde ex hiſtoriis indicatis non levi capitis dolore, ſenſuum torpore, paralyſi, delirio, alio ejuſmodi ſymptomate) corripiantur. Hæc autem animadverſio ſicuti nonnunquam ad curandum valet terebra oſſi frontis tempeſtive adhibita, quod altera Borelli Obſervatio (*p*) oſtendit, ita ut plurimum juvat ſaltem ad prædicendum. Ut plurimum dixi: etſi enim cæteri ſunt mortui; hic tamen apud Borellum evaſit, & Cl. Fantonus in Scholio ad Parentis Obſervationem (*q*), quæ vulneris quidem Striati corporis diſerte mentionem non habet, ſed eandem eſſe apparet quæ ſupra ex Sepulchreto (*r*) indicata eſt, militem ſibi notum memorat, qui ad internum orbitæ angulum acutiſſimo enſe ſauciatus, cum in oculi imbecillitatem, & hemiplexiam incidiſſet, in hoc valetudinis ſtatu ad multos annos vitam perduxit. Huc addes, opinor, Venatorem illum de quo Elias Camerarius (*ſ*), punctim in eodem angulo vulneratum in confinio palpebræ ſuperioris, exile illud vulnus paralyſi totius oppoſiti lateris excipiente, proximi oculi amauroſi, & memoriæ

non

(*u*) n. 11. 17. 27. 28. 35. 42. 44. (*x*) n. 25. (*y*) Ibid. & n. 26. (*z*) Sepulchr. l. 1. S. 3. Obſ. 38.
(*a*) Ibid. l. 4. S. hac 3. Obſ. 17. §. 1. (*b*) Sect. ead. Obſ. 5. §. 10. (*c*) Act. N. C. Tom. 6. Obſ. 130.
(*d*) Sepulchr. Obſ. cit. 17. §. 2. (*e*) Ibid. in Addit. ad hanc Sect. Obſ. 9. (*f*) Obſ. cit. 17. §. 4. (*g*) Anat. l. 3. c. 10.
(*h*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 120. (*i*) De Renunc. Vuln. Sect. 2. c. 1. (*k*) Obſ. Anat. Chir. 54.
(*l*) Sepulchr. Obſ. cit. 17. §. 5. (*m*) Medic. Obſ c. 3. (*n*) Obſ. Medic. l. 1. ubi de Vuln. Cerebri.
(*o*) Reſp. ad Bidl. Vindic. (*p*) in Schol. ad cit. §. 2. Obſ. 17. (*q*) 35. (*r*) §. 10. Obſ 5.
(*ſ*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 55.

non levi imminutione, paralyſi tamen, his perſiſtentibus, ſenſim deinceps valde levata, vivere pergentem, ut menſes jam quatuor ab inflicto vulnere traduxiſſet, cum Obſervatio ſcripta eſt, & ferme novem, ut videtur, cum Auguſtam Vindelicorum eſt miſſa. Quo felicior fuit Juvenis alter ab Nebelio (*t*) propoſitus, qui per ſiniſtram orbitam ſauciatus, cum ſtatim paralyſi ejuſdem lateris, motibus autem in oppoſito convulſivis, aphonia, & mox delirio, ac oblivione correptus eſſet, poſt tertiam hebdomadam pauca ſanie ex dextera aure, cujus magnus præceſſerat dolor, per aliquot dies effluente, integram ſanitatem poſt ſex circiter ab accepto vulnere hebdomadas recuperavit. Ne vero forte mireris, hemiplexiam ſubjectum vulneri latus, convulſiones oppoſitum contra ac ſæpius fieri ſolet, ut ſupra (*u*) diximus, invaſiſſe; ſcias oportet, vulnus acuto gladio *ſub externo oculi ſiniſtri cantho per palpebram inferiorem .... punctim, & ſurſum verſus ita inflictum fuiſſe, ut gladii cuſpis oblique ſub bulbo illius oculi per ejus orbitam oſſeam verſus anteriorem cerebri baſim penetrarit*. Adde igitur mecum quod obliquus ille gladii inceſſus, & magnus dexteræ auris dolor, & ſalutaris ſaniei per ipſam defluxus indicant, *hemiſphærii* cerebri *dexteri*: ſicque intelliges facile, ſiniſtrum corporis latus, non dexterum, fuiſſe cerebri læſioni oppoſitum. Per te autem intelligis, pertinere aliquando ad cerebrum vulnera non modo orbitis, ſed & infra orbitas inflicta, quod & Egermeieri hiſtoria (*x*) oſtenderat, & hæc altera Valſalvæ noſtri confirmat.

59. JUVENIS annorum viginti quinque punctim acuto enſe circa inferiorem marginem orbitæ oculi ſiniſtri ſauciatur. A vulnere cadit: ceſſant omnium interiorum ſenſuum functiones: non loquitur. Si nonnullos convulſivos motus excipias; vix ullum motus indicium dat; ut cum ſpecillum in vulnus immittitur, aliquem doloris ſenſum oſtendit. In ſingulas horas reſpirationis motus augetur. Noviſſime deficiente pulſu, circa horam ab accepto vulnere decimam moritur. CEREBRO e cranio exempto; ſpecilloque in exterius vulneris orificium indito, compertum eſt, ſecundum latus ferme oſſis Spongioſi Superioris enſem in cranii caveam perrexiſſe: quod & fragmenta oſſea in hac, & vulnerata ibidem cerebri ſubſtantia confirmarunt. Quoad autem vulnus per cerebrum procederet, fruſtra ſpecilli ope quæſitum eſſet, quod ob cerebri mollitiem æque novas facere, quam factam oſtendere viam poſſet. Dempta igitur Dura meninge, & Pia animadverſa, quæ in ſincipite, inflammatæ inſtar partis, ſanguine turgebat, tum ventriculis Lateralibus apertis, in utroque concretus ſanguis, qui e vaſis, facile ipſo vulnere ruptis, effluxerat, conſpectus eſt. Ex iis redundaſſe in quartum ventriculum; nam in hoc quoque occurrit ejuſmodi ſanguis; videbatur.

60. Habes Valſalvæ Obſervationes, hoc etiam magis commendandas, quod in omnibus ferme dies, horæve adnotatæ ſunt, quibus aut ſymptomata, aut mors inguerit: quod etſi Medicis, Chirurgiſque ſcire perutile eſt; tamen in aliorum plurimis deſiderantur. Noſtræ vero ne numero quidem ſunt cum illius comparandæ. Attamen quia ſatis prolixa hæc Epiſtola eſt, in proximam rejicientur. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LII.

De Vulneribus, & Ictibus Capitis Sermo abſolvitur.

QUÆ ad Capitis Vulnera, Ictuſque pertinent, hiſtorias reliquas his Litteris propoſiturus, eundem quem ſuperioribus, ordinem conſervabo, initium ab illis ducens in quibus calvariæ læſio aut nulla, aut certe leviſſima fuit. Nam etſi Celſus (*a*) *raro*, ait, *evenire, ut os quidem totum* in calvaria *integrum maneat, intus vero ex ictu vena aliqua in cerebri membrana rumpatur;* frequens tamen cadaverum ſectio poſteros docuit, integro oſſe, perſæpe aliquid ejuſmodi, aut etiam gravius accidere. Quod Valſalvam, ſuis diſſectionibus edoctum, & ipſe dicentem audivi, & tu potuiſti ex iiſdem, inter primas ſuperioris Epiſtolæ deſcriptis, cognoſcere. Ad quas addes præter tot alias quas Sepulchretum verſans, offendes, has etiam quæ protinus ſubjicientur.

2. MULIER annos nata ad quinquaginta, plurium liberorum mater, pinguior aliquanto quam agreſtes, qualis ipſa erat, pleræque eſſe mulieres ſolent, in foſſam cadens, alterum ſincipitis latus ad prædurам glaciem alliſerat, medius enim erat menſis December A. 1725. Ab eo ictu alliſum os retectum fuerat ad duos treſve digitos. Quod ob vulnus in Noſocomium hoc venit: ibique nulla paralyſi, nulla convulſione, nullo graviore prægreſſo ſymptomate; vix enim aliquam ſenſerat vomendi voluntatem; infirmis nec viribus, nec pulſibus, repente arido, ac livido facto vulnere, poſtridie, qui undecimus erat ex quo ceciderat, dies, interiit. CADAVER; etſi præfrigida illa tempeſtate, & viginti quatuor, haud amplius, ab obitu horis incidi; grave olebat adeo, ut intra diem unum diſſectionem omnem abſolvere coactus ſim. Plura tamen adnotavi quæ tum ad naturalem, tum ad contrariam attinerent conſtitutionem. Hæc altera dumtaxat referam: In Ventre contractum omentum, ventriculus oblique nimis dextrorſum inclinatus. Sub eo Colon inteſtinum non in tranſverſum means, ſed deorſum curvatum, idemque ab initio ad curvaturam hanc uſque plurimum dilatatum, & livens. Æquo longior lien. Teſtes non modo albi, duri, inæquales, ſed in eorum altero latens ad centrum corpuſculum album, ſubrotundum, ferme & cavum, & cartilagineum. Tubæ ambæ duobus tranſverſis infra majus orificium digitis prorſus imperviæ: Vagina intus nigricans, & ad imam fere anteriorem partem quaſi ab acri humore eroſa: cujuſmodi eroſio in altero quoque latere cervicis uteri animadvertebatur. In Thorace pulmones a tergo pernigri. Cor laxum, pluresque in ejus ventriculis polypoſæ concretiones. Vaſa, ut & in reliquo paſſim cadavere, multo ſanguine referta. In Capite demum, os ſincipitis qua alliſum fuerat, intus, extraque lividum; nulla tamen rima fiſſum. Meninges, ſub quibus non pus, aut ſanguis, ſed aqua effuſa erat, qua parte reſpondebant livido oſſi, ipſæ quoque ex ſubviridi livebant. Sic eo tantum loco & cerebrum livore affectum erat, non altius tamen deſcendente, quam ad digitos duos. Fœtor cum aliarum, ut dixi, partium, tum harum præſertim, erat gravis.

3. VIRI qui pariter ex alto ceciderat, caput memini fuiſſe ad me allatum A. 1722. CALVARIA cum eſſet nec fracta, nec fiſſa, fere eandem tamen & meningum, & cerebri ipſa quoque exhibuit conſtitutionem.

4. FŒMINA paupercula, ſubpinguis, ex dolore amiſſi, cum ipſa junior etiam tum eſſet, mariti, amens facta, a paucis annis ita

(*t*) Earund. Cent. 6. Obſ. 54. (*u*) n. 47. (*x*) Sepulchr. Sect. hac 3. Obſ. 3. §. 13.
(*a*) De Medic. l. 8. c. 4.

per urbem vagabatur, ut nemini quidem noceret, ſed improborum injuriis ipſa eſſet opportuna. Itaque præterquam quod ante aliquot menſes peperiſſe dicebatur, noviſſime a ſceleſto quodam adoleſcentulo ejus caput ferreo peſſulo ictum fuerat, cum decimo, an undecimo ab ictu die, non ſine concuſſi cerebri indiciis, in Noſocomio mortua eſt. CADAVERE in Gymnaſium poſtridie illato, ut ante Februarii finem Anatomen abſolverem A. 1728. vix uti licuit. Nam etſi cum inteſtina detrahi juſſi, idoneum ſatis viſum eſt; inſequenti tamen die virebant jam pleraque Ventris viſcera. Hæc nihilominus animadverti. Craſſior erat totus uteri fundus: grandiores teſtes, & rotundiores: cum horum altero connatum erat penitus ſuæ tubæ orificium. Teſtes autem ipſi diſſecti nihil peculiare oſtenderunt, niſi quod plus habebant humoris, quam ſoleant. Thoracis utrique caveæ aqua inerat. Cordis poſterior facies virere jam incipiebat. Caput autem peſſime, ut par erat, inter omnes partes ſe habuit. Nam etſi cranium erat integrum; pus tamen inter ipſum, & Craſſam meningem, & hæc præterea quaſi ſphacelo affecta deprehenſa eſt.

5. Vulneratorum corpora fœtida, viridia, & putrida non multo poſt mortem perſæpe fieri, mirandum non eſt, cum icta pars jam pure, & ſanie ſcatere cœpit, & multo magis ſphacelo corripi, velut hic. Pravæ enim, corruptæque particulæ per venoſa, aut lymphatica diſrupta vaſcula ſanguinem ſubeunt, cum eoque per omne corpus feruntur. Id in capitis quoque vulneribus locum habere, non ſemel vidimus, in Anu præſertim quam, de Sterilitate ad te ſcribentes (*b*) commemoravimus. Tempeſtate enim frigidiſſima, & ventris viſceribus cito detractis, ſeptum ipſum Tranſverſum paulo poſt vireſcebat. Hæc autem eorum cadaveribus facilius accidunt, qui ſive aliis partibus, ut Aorta erat Vetulæ illius, ſive ipſis dumtaxat humoribus ante acceptum vulnus ad putredinem eſſent diſpoſiti. Quem in numerum haud ſecus ac Virum in oculi orbita ſauciatum, de quo ſuperiore Epiſtola (*c*) ſcriptum eſt, agreſtem illam Fœminam referes cujus paulo ante (*d*) diſſectionem protulimus; tantæ enim odoris gravitati non ſatis in capite ejuſmodi læſio reſpondebat: quanquam hæc cur minor ex parte quam prius fuerit, aliquando videri poſſit, cum ex modo dictis colligi licet, tum dilucidius infra (*e*) indicabitur.

6. FŒMIMÆ alteri eadem ætate, ſed bene multis ante annis, id eſt A. 1706. vulnera inflicta fuerant duo brevi & incidente ferro, non multi tamen ponderis, quorum altero læſa erat ea pars Temporalis muſculi dexteri quæ pone Angularem Zygomatici oſſis apophyſim, ut vocabulis utar Cel. Winslowii, condita eſt; alterum aliquanto erat inferius. Ambo tamen vulnera jam ferme ad cicatricem perducta erant, cum mulier & frigidi aeris injuriis ſe objiciens, & duri cibi maſticatione Temporalem agitans muſculum, tota mox facie valde extumuit, rigoribus concuſſa eſt, & convulſivis ad caput motibus: levi etiam ſubinde correpta delirio, donec ſtertens, in Bononienſi Noſocomio S. Mariæ de Morte extincta eſt.

CAPUT non ſolum, ſed & alias mulieris hujus partes poſtridie diſſecans, qui dies fuit ad VII. Kal. Apriles, hæc primum in genitalibus præter naturam animadverti. Teſtium alteri cyſtis parva inerat ex flavo virens, in qua globulus quaſi ſanguinis concreti, neſcio quid rutili in centro habentis. Uterus craſſioribus erat parietibus, interiore tunica laxa, ſub qua aliquot locis ſanguineæ guttæ tranſpiciebantur, an quod menſtrua purgatio adventaret? an potius quod uterus non bene valeret? nam alba, ſic ſatis fluida, materia paſſim inter valvulas cervicis occurrebat, quaſi mulier uterino fluore laboraret: & ſane oſculum uteri laxius erat quam ſubjecta vagina ejuſque orificium requirerent, idemque ſuperficie tenus tanquam ab acri materia nonnihil læſum. Calvaria aperta, Duram meningem craſſiorem factam, & quaſi a guttulis ſanguinis, quas tamen abſtergere non poſſes, hic illic rubentem deprehendimus non uno loco qua cerebri baſi ſubjicitur, ut ad latera ſellæ Turcicæ, & ſub ipſa glandula Pituitaria, ſed nuſquam magis quam ſub dextero anteriore cerebri lobo. Sub quo, & ad latus quoque externum ejuſdem lobi inter utramque meningem pus erat ex ſubflavo ad cinereum colorem vergens. Subſtantia tamen cerebri, & cætera quæ ſunt intra cranium, erant illæſa; etſi paulo turgidiora apparebant ſanguifera vaſa quæ per Tenuem meningem decurrunt, & ſub hac aqua erat pauca, ut pauca quoque, & ſubrubra in Lateralibus cerebri ventriculis, & polypoſa concretio in Superiore Falcis Sinu. Cum viam per quam pus ex vulnere potuiſſet cranium ſubire, diligenter quæreremus; oſſa hujus omnia ab interiore facie comperta ſunt prorſus illæſa. Tunc vero ad exteriora perluſtranda tranſivimus. Sub vulnere ſuperiore; inferius enim, minus profundum, aliorſum tendebat; cavum erat circum quod, & in quo pus ſtagnabat: per quod cavum, cum mulier viveret, ſpecillo immiſſo Chirurgus quidam intra cranium ſe perveniſſe, dicebat. Et via ſane per os, a vulnere perforatum, ex eo cavo erat puri, non in cranium tamen, ſed in oculi orbitam: quæ res tenui diſcrimine Chirurgum deceperat. Ex orbita vero, ubi quoque pus repertum eſt, quo itinere traductum eſſet in cranium, nullum omnino erat indicium, ſive naturalia inſpectaremus foramina, ſive quæ forte morbi vi aperta fuiſſent, perquireremus; præſertim cum Dura meninx nuſquam eroſa conſpiceretur. Quæ animadverſio ad id etiam valuit, ne per tenuiſſimam quandam rimam pus tranſiiſſe, crederemus, quæ poſtquam ſcalpro denique adacto, orbitæ fornicem elevaſſemus in hoc videri viſa eſt.

7. Attamen in iſtiuſmodi perquiſitionibus quæ ſive in viventibus, ſive in mortuis fiunt, ut in illis videndum eſt, ne ubi duæ naturales caveæ tenui interſepto disjunguntur, ſpecillum quod in alteram pervenit, alteram ſubiiſſe, præpropere exiſtimemus; ita in his præſtat ſcalpro malleoque abſtinere, ne ſiqua forte rima ſe prodat, ulla eſſe poſſit dubitatio, noſtræ violentiæ, an accepto ictui debeatur; ut nulla certe alterutrius generis in eo fuit quem paucis poſt diebus ibidem perſecui.

8. SENEX erat magno corpore, flavo colore, qui alias pro aſthmatico curatus fuerat. Is cum ab alto cadens alliſiſſet ad ſaxum ſinciput dexterum; vulneris quod inde retulerat, curatio bene procedere videbatur, cum circa undecimum diem acceſſit ſpirandi difficultas cum ſtertore. Nullus in thorace dolor. Querebatur potius aſſidue de moleſto quodam ſenſu infra ipſum hypochondrium dexterum. Quem ad locum admota manu, percipiebamus quaſi bullulam ex illis quas pluvia in ſuperficie aquæ excitat, quæ alterne ſe attolleret, ac ſtatim ſubſideret, moxque rediret, abiretque, eodem ſemper loco ſervato. Interea caput bene valere videbatur: ſed homo dormire non poterat, & convulſivi ad carpos ſubſultus pulſum explorantibus occurrebant. Qui, ut ſemper, frequens, nunc vero etiam parvus factus erat. Itaque intra unum, & alterum diem ab difficilis reſpirationis adventu mors acceſſit. CADAVERIS erat diſtentum Abdomen. Quod cum diduxiſſem; ventriculus, & inteſtina aere turgida ſe ſe oſtenderunt, & ex his Tenuia quodam loco quaſi inflammata, nec ſine aliquo fœtore. Jecur duriuſculum. Lien adeo laxus, ut nullo negotio digitis poſſet diſcerpi. Hernias, & laceram a pylori annulo pendentem laciniam, quippe alibi (*f*) ſatis deſcriptas, ut undenas quoque ſingulis in lateribus coſtas, in Adverſariis (*g*) memoratas, prætermitto, cum ſatis hic ſit indicare, in hoc homine illa fuiſſe. In Thyroidæa autem glandula lobi alterius inferiorem partem globulum majuſculum, duoſque item alios habuiſſe lenti humoris plenos, idcirco prætereo, quod in aliis ſæpius ejuſmodi res commemoravi.

Thorace quæ continerentur, præſtat adſcribere. Anterior pulmonum facies erat per membranas ad pectus anne-

(*b*) Epiſt. 46. n. 26. (*c*) n. 57. (*d*) n. 2. (*e*) n. 9. (*f*) Epiſt. 43. n. 31. & Epiſt. 29. n. 17.
(*g*) II. Animad. 32. in fin.

annexa. Ipſi nuſquam duri; at quanquam nec crura tumebant, nec pedes, aqua circumfuſi erant multa; rubra, & aliquanto pauciore ſiniſter, ex viridi ſublutea dexter. A dextris quoque pleura erat putrida, ut non modo facillime avelleretur, ſed fruſtis per ſe avulſis in illa aqua nataret, & pulmonis membranæ, quæ ſana ipſa erat, adhærens, pus mentiretur. Pericardium ſubrubram aquam; cor ſanguinem ſpumoſum habuit; Magna ex corde oriens arteria concretionem polypoſam.

Sincipitis vulnerati os patebat ad ſeſquidigitum, liveſcens, & circulari quaſi ſulculo comprehenſum, ut ſi exterior cranii lamina ſubſediſſet. Interior autem facies, ipſi reſpondens, colore quidem erat eodem; ſed nullo ſulculo comprehenſa. Nec vero ibi, neque alibi aliud præterea calvaria vitium habebat. Dura autem, ei uni loco ſubjecta, meninx ichore craſſiuſculo madebat facie quidem ſuperiore; inferiori adhærentem habebat, ſic tamen, ut nullo negotio detrahi poſſet, quaſi alterius Duræ meningis fruſtum, quod attente examinatum, perſimile inventum eſt ſpuriarum membranarum quibus in thoracis inflammationibus perſæpe pulmones, ac pleura obducuntur. Sub eo fruſto Tenui meningi exterius adhærebat quaſi majuſcula gutta craſſi, & ſubalbi ichoris. Inter hanc autem meningem, & cerebrum non ibi dumtaxat, ſed paſſim, aqua interjiciebatur non multa. Quæ in Lateralibus etiam ventriculis non deerat, hæcque ſubrubra. Cæterum omnis cerebri ſubſtantia ubique ſana: cerebellum permolle. Omnes denique corporis muſculi flaccidi fuere.

9. Quod ad ſenſum attinet quaſi bullarum aſſurgentium, & ſubſidentium, moleſtum illum quidem, ſed facile ad flatulentos habitus, attollentes ſe in certa aliqua inteſtinorum parte, neque in aliam abeuntes, referendum, ſi id mecum omittas, & reliqua perpendas; nempe Obſervationem hanc quoque ad quatuor addes antea deſcriptas, & ad plures alias ſuperiore Epiſtola ex Valſalva propoſitas, ex quibus intelligitur, oſſe nulla fiſſura pervio, a percuſſione tamen capitis vitiari aliquid intra cranium poſſe, ex eoque vitio mortem oriri. Nam quæ Seni huic etiam in thorace reperta ſunt præter naturam; fortaſſe illa quoque ex iis quæ erant intra calvariam originem, aut incrementum habuere, parte aliqua pravi ichoris inde in thoracem tranſlata, hominis præſertim aſthmati obnoxii. Sed & mulierem memini ex frontis ictu mortuam, in thoracis utroque cavo, præter expectationem, fœdam aquam habuiſſe: cujus hiſtoriam mulieris alias ad te inter eas mittam quæ ad claudicationem ſpectant (*b*). Ad hanc ſuſpicionem anſam dant quæ circa non rarum pravæ materiæ ex percuſſo cranio in thoracem tranſitum ex Valſalvæ, aliorumque obſervatione adnotavimus (*i*). Et quamvis ſciamus, ubi de meningibus, & cerebro agitur, non minus acrimoniam, quam copiam attendi ſolere lædentis humoris; non tamen incongruum prorſus eſt, ubi hujus pauxillulum intra mortuorum calvariam deprehenditur, interdum ſaltem ſuſpicari, reliquias id eſſe aliquanto majoris copiæ quæ poſtquam illas partes vel magis quam appareat, læſerit, mox per vaſa in alias traducta ſit, aut per univerſum corpus diſperſa, unde etiam ex parte univerſalis putredinis indicia, & gravem potiſſimum odorem deduximus (*k*). Quantulum autem lethalis ichoris, aut vitii ab eo inducti haud raro intra cranium ſuperſit, aut certe inveniatur, præter complures Valſalvæ hiſtorias (*l*) & duas primas noſtras, & hanc ultimam, hæ aliæ oſtendent quas nobiſcum Mediavia noſter diligentiſſimus communicavit.

10. SENI, cum ebrius eſſet, in altero ſincipitis latere vulnus ~~ſaxo~~ inflictum fuerat: ex quo tamen neque cecidit, neque vomuit. Vulnere per Chirurgum diebus inſequentibus dilatato ſubjectum os haud ita procul ab angulo quem Sagittalis, & Lambdoides ſuturæ intercipiunt, ſublividum repertum eſt; quapropter idoneo ad id ferramento raſum fuit. Nec Medicus deerat nihil eorum prætermittens quæ ejuſmodi in caſibus fieri ſolent. Vulnus autem ſubſiccum erat, nec boni coloris: febris aderat: pulſus erant debiles: æger noctu ſurgebat, æſtum cauſatus; & Junius quidem erat menſis A. 1739; ſed id tamen videbatur læſa nonnihil mente fieri. Tandem febris abit: meliores fiunt pulſus: jamque æger famem ſe amplius ferre poſſe, negat. Nulla tamen in re peccanti poſt aliquot dies redit febris cum ſenſu gravitatis capitis, torpore quodam mentis, levi delirio, faciei, & oculorum rubedine. Itaque Medico iterum opem ferre, ſed fruſtra conante, brevi poſt tempore Senex obit, vigeſimo circiter ab ictu die. CRANIUM erat craſſiſſimum: craſſa proportione etiam Dura meninx. In illo nihil uſquam vitii; quia ibi etiam ubi in vivente raſum fuerat, extra, intuſque erat naturali colore. Hæc pariter ſana. Non ſic autem altera meninx, cujus exteriori faciei qua percuſſo loco reſpondebat, pauxillum adhærebat muci, ex flavo viridis, teterrimi odoris. Ei muco ſubjectum cerebrum ſubnigrum fieri incipiebat tanto ſpatio quantum duo tranſverſi digiti quoquoverſum obducerent, nec profundius quam ſit corticalis cerebri ſubſtantia. Bene autem ſe habebant reliqua, niſi quod ſubrubens ſerum non paucum in Lateralibus ventriculis inerat, ſed in eo plus qui vulneri ſubjiciebatur. In utroque plexus Choroides pallebant.

11. MULIERI, comitiali morbo jam diu obnoxiæ, percuſſum eſt caput. Initio nihil mali quod eſſet adnotatione dignum; ut ſi interrogaretur, leviſſima omnia, vel nulla eſſe, reſponderet. Sed aliquot exactis diebus, paulatim mala ſe oſtendere, & creſcere, febris intendi, quædam præterea quies accedere ſomni inſtar aſſidui, ſed ſine ſomno; ut, ſi attenderes, tenui voce murmurantem audires. Sic nullis aut primis, aut poſterioribus proficientibus auxiliis, mortua eſt. CALVARIA non modo rimam nullam, ſed vix qua icta fuerat, nonnihil mutatum colorem oſtendit. Ei dumtaxat loco mucus ſuberat purulentus, ut in Sene diximus, aut paulo plus. Præterea ex interiore cranii facie qua ipſi imminebat Sinui Falcis, prominentia oſſea exſtabat levis illa quidem, & brevis, ſed ejuſmodi, ut ſi digitum per ipſam a poſterioribus antrorſum duceres; pungeretur. Verum hæc ad epilepſiam fortaſſe; ad ictum certe non pertinebat.

12. Ad eundem fere modum eodem anno 1739, aliis, ut Seni, aliis, ut Mulieri, ex capitis ictibus rem accidiſſe, narrabat Mediavia, animadverteratque, ſicui gravia, quæ initio fuiſſent, mali indicia propemodum obliterarentur, deinde autem febris ex levi gravior repente fieret, cum frigore ingruens, & mentis perturbatione, ſi ea quidem ingrueret die undecimo; mortem adveniſſe decimo quarto: ſi illa decimo quarto; hanc decimo ſeptimo. Quæ dum legis, multoque etiam magis cum Valſalvæ tot legeres Obſervationes (*m*); non dubito, quin ſæpius mireris, miratuſque ſis, nullam terebrati cranii mentionem eſſe factam, in iis præſertim Civitatibus in quibus eximii rei Chirurgicæ Doctores floruiſſent qui capite ſauciatis eo auxilii genere tam prompte olim, quod vel ex eorum Scriptis cognoſcimus, opem ferre conſueſſent. Mirari tamen deſines, ubi aliam aliis ætatibus, non modo apud alias, ſed & apud ejuſdem gentes tot auxiliorum fortunam ſpectaveris, ſævi potiſſimum generis, incertique ſimul eventus, ut hoc eſt. Non promptitudo, non dexteritas, non animus Chirurgis defuit. Hic ægris potius, aut eorum conſanguineis, aut aliis quorum intererat, defuit, hinc crudele ad ſpeciem opus, inde operis exitum cernentibus tunc opinor, cum abnuere cœperunt, ſæpe adeo infelicem, ut populo, Rei Medicæ ignaro, ſic occiſi qui ſervari non potuerant, viderentur. Tot autem, tam variæ, & tam difficiles ad conjiciendum ſunt cauſæ ob quas cranii perforatio, quamvis perite, innocenterque perfecta, inutilis tamen ſit, ut facile fieri potuerit, ne inter multos iiſdem annis terebratos præter perpaucos evaſerit quiſquam. Noli autem mirari quod dixerim, ſic accidere potuiſſe, cum Tronus apud Bohnium (*n*), ne uno quidem excepto, revera *omnes periiſſe*, teſtetur, qui capite vulnerati, in magno Civitatis Italiæ Noſocomio terebram experiebantur. Quid? quod in multo majori apud Exteros Noſocomio, non

(*b*) Epiſt. 56. n. 26. (*i*) Epiſt. præced. 51. n. 17. & ſeqq. (*k*) ſupra n. 5. (*l*) Epiſt. præced. (*m*) Epiſt. 51.
(*n*) Differt. de Trepanat. Difficult.

non ante ſæculi decimi ſexti finem, ſed hoc noſtro, non ſub temerario quodam, ſed ſub experientiſſimis Chirurgis idem, aut fere idem accidere, litteris mandatum eſt, neutrubi autem culpam omnem in aerem conferre licet inſalubribus quamplurimorum ægrotantium effluviis infectum, quando in utroque conſtat capitis vulnera vel gravia, alia ratione curata, conſanuiſſe, & conſaneſcere. Cave credas, hic a me peritiam majorem, aut diligentiam in viris celeberrimis deſiderari. Satis eſt cauſarum, ut dicere inceperam, quas accuſemus. Sic enim cogita, nonnunquam ſanguinem intra ventriculos cerebri, aut ſub hujus baſi eſſe effuſum; alias exterius quidem, & ſuperius, verum ſub Dura meninge, aut ſi ſupra hanc, eo tamen loco ubi calvariam e directo Chirurgus non audeat terebrare, exempli cauſa ſub Temporum muſculis, aut contra Pituitarios frontis ſinus. Nec me interpelles regerendo, poſſe aliquando & contra horum Sinuum ſedem, & ſub iis muſculis cranium perforari, & ſupra eum ſanguinem Duram meningem incidi. Scio enim, Frontales Sinus nonnullis deeſſe, quod ubi ima frons ad ſupercilia nihil prominebat, & ſima erat, videor interdum animadvertiſſe. Nec me fugit ad materiam educendam quæ ſub illa meninge coerceatur, ejus inciſionem a ſummis Chirurgis fuiſſe propoſitam, quos inter poſtremi non fuerunt noſtrates Gabriel Falloppius (*o*), Cæſar Magatus (*p*), Petrus de Marchettis (*q*), Temporalem autem muſculum ab eodem Magato (*r*) *ſectum* eſſe *pluries felici cum ſucceſſu*, & ante Magatum ſecti ejuſdem muſculi felicia pariter quinque exempla a Carcano (*ſ*) fuiſſe litteris tradita, ne tum quidem ulla ſecuta convulſione, cum totus in tranſverſum diſſectus eſt, inviſique ipſe A. 1734. hic Juvenem qui, pugione per eum muſculum a ſumma ejus anteriore parte in auriculæ uſque Concham pone Tragum adacto, hæmorrhagia quidem magna, ſed nulla febre, nedum nulla convulſione, vexatus, feliciſſime evaſit. Illa igitur ſcio, timentibus etiamtum aliis, ab Italis propoſita eſſe, aut peracta. Sed idem ſcio, & extrema cogente neceſſitate eſſe peracta, nec ſine gravi, quod non diſſimulant ipſi, periculo, convulſionum præſertim, quas non Hippocrates (*t*) ſolum, aliique, ſed & Marchettus ipſe (*u*) conſecutas vidit; ut propterea muſculi illius ſectionem ſuadere noluerit; ne dicam, *nunquam* eſſe inſtituendam, diſerte ſcripſerit. Sive igitur Chirurgi eo tempore quo apud quaſdam Civitates male audire cœpit cranii perforatio, hac tutiſſimo quodam loco, & quatenus licere crediderunt, peracta, in cæteris illos imitari non ſunt auſi, ægrique nihilominus perierunt; ſive imitati ſunt, & ſecutis, opinor, convulſionibus, aliiſve malis, ægri tanto miſerabilius perierunt (quærimus enim, non quid neceſſario acciderit, ſed quid accidere potuerit, ut auxilii hoc genus defereretur) quem in metum populus, & quam in opinionem ab utrolibet eventu facile adductus fuerit, vides.

13. Sed præter eas quæ dictæ ſunt, fieri tunc potuit multis aliis de cauſis, ut ſine utilitate calvaria terebraretur; imo non ſine manifeſto detrimento, quæ res vel magis averſos fecerit animos ab hoc auxilio: ut ſi Chirurgus forte ignarus, quam ſæpe in cranii interiore facie inſculptæ ſint foveæ illæ quas alias (*x*) tibi memoravimus, tubercula, ut olim vocabant, Craſſæ meningis haud raro alte adeo excipientes, ut tibi una, eaque tenuior, externa lamina oſſibus præſertim ſincipitis, interdum & frontis ſuperſit, quarum ignoratione rerum vereor, ne ipſas Obſervatores quidam pro cranii, & meningis morbis propoſuerint; Si ille igitur contra aliquam ex iis foveis caſu; nam certæ earum ſedes non ſunt; terebram demiſiſſet; prius utique meningem, & quæ ipſam attollunt, violaſſet, quam primam laminam totam a ſe terebratam eſſe, crederet: aut ſi alius, retecta ope terebræ eadem meninge, eique pus ſubeſſe ratus (ſubeſt enim aliquando, ut complures docent Obſervationes, in iiſque etiam duæ a Murryo (*y*) editæ, quas anatome confirmavit) eam meningem inciſiſſet, iſque aut ſignis deceptus; inter quæ *omnium certiſſimum* num eſſe poſſit *pulſatorii, ab arteriis cerebri* illi *impreſſi motus ceſſatio*, alii viderint; ferri aciem non in pus, quod nullum eſſet, ſed in Tenuem meningem, cerebrumque immiſiſſet, aut non deceptus, arteriæ ramos, per Craſſam meningem repentes, ſauciaſſet. Mitto errores cæteros qui in opere non ita facili accidere plures potuerint non ſine ægrorum noxa, enumerare: & ad reliquas cauſas redeo, propter quas id opus inutile eſſe potuerit. Quarum ut aliquas tantum commemorem; certe ut ſanguis inter meningem Duram, & cranium, & iis quidem locis eſſet effuſus, quæ perforare nihil vetet; tamen ſi concretus arcte adeo, & tenaciter ad eam meningem adhæſiſſet, ut non ſine vi divelli poſſet, quemadmodum & aliis pluribus, & Valſalvæ ipſi non ſemel invenire contigit; nihil enim, ut vel ſupra animadvertere potuiſti, comminiſcimur, ſed omnium fere in ſuperioribus, aut in his Litteris habes exempla; quid cranium perterebrare profuiſſet? Dices fortaſſe: at ſi vel ante mortem ſic adhæſiſſet; perito Chirurgo non defuiſſent quæ infunderet, ut diſſolveret, & reglutinaret. Fac, non defuiſſe. Quid? ſi pars aliqua ejus ſanguinis ibi eſſet quo adire infuſus humor non poſſet; neque enim ignoras, arcte cum cranio meningem illam cohærere, & hinc conſequi, ut nequeat cum uno in quo a cranio ſeparata ſit loco, alter, vel propinquus, in quo pariter ſeparata ſit, communicare, aut certe ita expedite, ut opus eſſet tum ad ſubeundum, tum ad egrediendum. Nec me præterit, quibus inſtrumentis Chirurgi poſſint partem aliquam meningis proximam a calvaria diducere, ægrum autem, ſpiritu per intervalla cohibito, cohærentem materiam urgere, eique faciliorem ex ſuis receſſibus exitum parare. Sed viciſſim pericula quoque video, ne forte meningem avellendo, hanc Chirurgus lædat, aut vas aliquod ex iis etiam majuſculis violet paulo ante memoratis, quæ per exteriorem illius faciem prominentia, intra calvariæ ramoſos illos ſulcos excipi, noſti: neque iſtos non timeo ægrotantis conatus, ſi modo imperata audire, & facere is poſſit, neque ille ſine ſenſu, & motu attonitus jaceat. Cohibito enim ſpiritu dum homines connituntur, plus ſanguinis in capite retineri, vel facie eorum inſpecta, eo tempore tumente, & rubente, manifeſtum eſt, ſive quod undique tunc minus expeditus, otiante videlicet pulmone, eſt ſanguinis reditus, ſive etiam ob eam quam credidit Santorinus (*z*), aut ob aliam aliquam ejuſdemmodi cauſam, capiti peculiarem. Itaque cerebri turgentibus vaſis, Tenuis meninx undique ad Craſſam urgetur, & ſiquid humoris inter hanc, & cranium forte intercedit, id quo minor reſiſtentia eſt, per apertum in hoc foramen eliditur, ſi quidem huc non interclusum aditum habeat. Verum & vaſorum diſtentio novæ ſanguinis per læſa vaſa eruptioni, & nimis violenta, ac nimis ſæpe repetita Craſſæ meningis compreſſio hujus inflammationi præbere cauſam poteſt. Utrumlibet autem horum minime facere ad ægrum ſervandum, vides.

Eſt præterea ſanguis interdum fluxilis, & qui per illud foramen poſſit elabi; ſed ea copia, ut priuſquam educatur, cerebrum adeo preſſerit, ut ex ea preſſione homini moriendum ſit, cujuſmodi ferme exemplum habes in una etiam ex noſtris Epiſtolis Anatomicis (*a*). Huc adde, potuiſſe corruptione ſua jam lethale vitium meningibus attuliſſe. Inſuper quæ de ſanguine dixi, omnia de pure quoque, ſive mavis de ſanie, & ichore dicta putato.

Quid vero? ſi nihil horum ſit, concuſſio autem cerebri tanta fuerit, ut intimam ipſius ſtructuram maximopere vitiaverit. Relege, quæſo, Obſervationem ſtulti, ob alliſum vehementer caput extincti, quam Epiſtola ad te VIII. (*b*) deſcripſimus, & cum ea confer damnati, quam ex Littrio tunc adnotavimus (*c*), & ad quam ſuperioribus Litteris (*d*) com-

(*o*) Comm in Hipp. de Vuln. Cap. c. 43. (*p*) De rara Medic. Vuln. l. 2. c. 38. (*q*) Syllog. Obſ. Med. Chir. 14.
(*r*) l. 2. cit. c. 27. (*ſ*) De Vuln. Cap. Serm. 1. Lect. 8. (*t*) in Coac. juxta Dureti interpret. l. 3. tr. 2. c. 1. n. 1.
(*u*) Syllog. cit. in addit. ad Obſ. 15. (*x*) Epiſt. 8. n. 3. (*y*) Quæſt. Pariſ. A. 1736. propoſita n. 5.
(*z*) Obſ. Anat. c. 3. in fin. (*a*) XIII. n. 16. (*b*) n. 15. (*c*) n. 18. (*d*) n. 10.

commemoratam , aliam ex Hænelio addidimus . In nemine illorum trium ſanguis erat effuſus ; duo tamen primi illico, tertius intra duodecim horas ab ea alliſione interierat. Fac, ex illis aliquem dieculam , ut ſi paulo minor fuiſſet concuſſio, vivere potuiſſe; cranium autem attonito quaſi ex interna ſanguinis effuſione, eſſe perforatum . Num exire ſanguis potuiſſet, qui effuſus non erat? Spectant huc etiam illa Ballonii (e): *aliquando illæſo cranio, leviter contuſa carne, cerebrum intus eſt concuſſum* : & paulo inferius, *experientia obſervatum eſt , innumeros a morbis cerebri poſt convulſiones & concuſſiones interiiſſe , quorum in cerebro per anatomen nil videre contigit quod terrifici ſymptomatis cauſa extitiſſet. Et id pleroſque feſellit ratos ſe aliquid ἀξιόλογον reperire poſſe in cerebro laborantium extinctorum . Adeo occulta ſæpe cauſa convulſionis* ! Eſt contra cum in cerebro eſt magna & conſpicua læſio, aut intra calvariam multum ſanguinis effuſi : nec tamen, ea perforata quidquam ex cerebro educi poteſt, aut ſanguis ex ea inutiliter educitur. Vide primi caſus exemplum in Obſervatione Eliæ Camerarii (f), qui fruſtra terebratum cranium narrat propterea quia ictum capitis ſuppuratio conſecuta intra cerebrum latebat , exterius undique integrum. Alterius autem caſus exempla elicere ex Obſervationibus eorum potes qui ſanguifera vaſa, arteriaſque in primis, diſrupta intra percuſſam calvariam deprehenderunt . Satis eſt Bohnium (g) inſpicias, qui ter vidit. Fac, arterias aut non eſſe ex grandioribus, aut non prorſus ruptas; neque enim temporis ſatis eſſet, ut de terebra cogitaretur. Quid tamen prodeſſet cranium perforare ad effuſum ſanguinem educendum, ſi novus uſque & uſque ex quantumvis minoribus, nec omni ex parte ruptis arteriis eodem effunderetur? Mitto cauſas alias , etiam quæ non tam Chirurgorum, quam ægrotantium, aut aſſidentium incuriæ, erratiſve , non ſemper in vulgus notis, fuiſſent imputandæ, & ad eam venio, ob quam ſæpius, quam ob cæteras, accidiſſe puto , ut calvariæ terebratio inutilis populo videretur.

14. Nam ut ſigna ſint ex quibus liceat ſuſpicari , ſanguinem intra calvariam eſſe effuſum ; quis ſcire pro certo poſſit, an revera, &, ſi hoc etiam ſciret, quam in partem effuſus ſit , & quod conſequitur , ubi ſit os perterebrandum? Nemo ſæpe adeſt cum homo cadit ex alto , aut cum ab inimico percutitur ; ipſe autem loqui ſæpe non poteſt: & icta loca modo plura apparent, modo etiam nulla , in quibus oculorum, manuumve judicio etiam poſt impoſita emollientia emplaſtra, & reſolventes ſacculos, rubor aliquis , tumor , aut mollities percipiatur. Quin aliquando in ea capitis ſede quæ percuſſa non fuerat , ultro apparere tumorem, Rouhaultius (h) vidit , & qua id ratione fieri poſſit , indicavit . Neque alia quæ Antiqui , aut Recentes propoſuerunt , indicia ſatis proſunt , ut ſi vel ille qui loqui non poteſt , nec intelligere , manum ſubinde ad certam capitis ſedem admoveat , vel Medici alterum forte corporis latus reſolutum animadvertentes , in oppoſito capitis latere noxam eſſe , conjiciant . Nam præter unum qui majorem fortaſſe exterius dolorem moveat, alia eſſe poſſunt loca ſub quibus majus revera lateat internum vitium : neque hoc reſolutio aliqua ſemper conſequatur, neceſſe eſt ; aut ſi conſequitur, non propterea tamen ut affectum capitis latus, ſic lateris partem noſcimus in qua potiſſimum vitium ſit. Hanc autem ipſam cognoſcere neceſſe eſſet , ut aperiendum foramen ipſi reſponderet , nec fruſtra apertum eſſe, omnes intelligerent. Verum in cognoſcenda quam fallaces ſæpe ſint conjecturæ , vel hinc apparet , quod etſi pars ipſa icta ab ægro indicetur, imo ecchymoſi, & tumore ſe ipſam præclare indicet; non raro tamen caſus incidunt in quibus alia ſit pars contuſa , alia in quam effuſio facta ſit . Quod cum ex quibuſdam ſuperiore Epiſtola deſcriptis Obſervationibus , aliiſque intellexeris; tum præſertim ex hac cognoſces , quam continuo ſubjiciam , Mediaviæ noſtri hiſtoria , eo digniore quæ hic ſcribatur , quod in ea terebratum cranium eſt .

15. JUVENIS agreſtis robuſtus ex alto cadens , caput alliſerat . Nullum omnino conſecutum aut tunc , aut proximis diebus ſymptoma eſt . Itaque triduum perrexit , ſicut ante, vivere , & rure eadem facere quæ ſolebat . Poſtea in eo qui contuſus fuerat, loco; is erat ad alterius oſſis ſincipitis illam partem quæ Lambdoidi ſuturæ propior eſt ; tumor manifeſtus, & addita febris ut in Noſocomium veniret, impulerunt. Ex arte a Medico, Chirurgoque curatus, jam eſſe videbatur propemodum ſanus , præſertim cum toto eo tempore peculiare latentis mali indicium ſe oſtendiſſet nullum . Circa diem a lapſu decimum ſeptimum , cum famem diutius ferre non poſſet , plurimum comedere auſus eſt. Mox febris rediit urgentior , cum dolore caput univerſum gravante , & vomitu . Ne tum quidem in quo clam omnibus deliquiſſet, eſt faſſus . Cum remedia cætera fruſtra eſſent; mentio injecta eſt auxilii quod omnes hic renuunt, ipſe autem minime formidavit . Igitur qua caput conſtabat fuiſſe alliſum, ibi ab ſtrenuo ſpectatoque Chirurgo os , nihil prorſus vitii oſtendens , ea diligentia atque arte perforatum eſt, ut nocere id non poſſet, ſi non juvaret. Nihil tunc , aut poſtea exivit . Dura meninx ſaniſſima & conſpecta , & ſervata eſt . Intereaque æger aliquanto melius ſe habere videbatur: nec qua in re antea peccaſſet, amplius occulebat ; cum repente pleuritide ad imam ſiniſtram thoracis partem graviſſima correptus eſt , nulliſque proficientibus auxiliis, intra paucos dies interiit, cum materiam ſanguine etiam nonnihil tinctam , ſed non multam, rejeciſſet, neque ullum præter ea quæ dicta ſunt , acceſſiſſet laborantis capitis indicium .

CADAVER, cujus ex ore fœda exivit materia , infra jugulum ſiniſtrum dumtaxat , ad mediocre ſpatium, livebat, grave autem adeo olebat, ut vel frigidiſſima illa tempeſtate; inierat enim Januarius menſis A. 1742.; ferri non poſſet. Itaque nihil, niſi cranium, quod erat craſſiſſimum, apertum eſt. Nullum prorſus in eo, aut in iis quæ continebat, vitium fuit, ſi perpaucam flavam quaſi *gelatinam* excipias , quæ ſub Dura meninge ad ſpatium trium quatuorve digitorum quoquoverſus extenſa reperta eſt, non ſub contuſo ubi terebratio inſtituta fuerat, capitis loco; ſed magis ad anteriora.

16. Si hiſtoriam hanc cum iis quas ſuperius (i) ſcripſimus , animadverſionibus conferas , facile cauſam unde huic Juveni pleuritis ſit orta, ſuſpicaberis, perpaucam autem quæ ſub Dura meninge inventa eſt , materiam , reliquias fuiſſe illius quæ ibi aliquanto majori copia prius extitiſſet, reliqua in thoracem potiſſimum , ſed & in corpus univerſum , ut fœtor oſtendebat, tranſlata . Quod ſi res ad hunc modum ſe habuit ; optandum erat , ut priuſquam inde materia dilaberetur, terebrato cranio fuiſſet educta . Sed quis ſcire poterat, cranium non ſub contuſo loco, ſed anterius ubi nullum erat peculiare collectæ materiæ ſignum, terebrari oportere? Verum fac id divinari potuiſſe: quæro ex te, quo tempore cranium fuiſſet terebrandum? Num ante diem decimum ſeptimum: At nullum erat ſignum effuſi humoris . Num poſtquam ſigna aliqua ſe obtulere ? Etſi Chirurgus exercitatiſſimus Carcanus (k) diſerte inculcaverit, *pravis apparentibus ſymptomatibus*, non primis diebus, ſed *temporis ſucceſſu , cum tunc ex jam facta , vel quæ fieri incipit , corruptione provenire ſoleant , de ſalute infirmi rariſſime eſſe ſperandum, imo de eo fere ſemper actum eſſe*; tamen ægrotanti , raro hic exemplo anceps hoc remedium malenti , quam nullum , deeſſe noluerunt; quando ipſe Carcanus aliquem ſervari poſſe, non negavit, imo nec Falloppii teſtimonium reticuit, unum ab ſe circa trigeſimum, vel quadrageſimum diem perforato cranio, & ſanie educta , conſervatum eſſe , affirmantis , non facilem ſe ad credendum præbente Carcano , ſed multo difficiliorem præbituro, ſi raræ aliæ, ſed non minus certæ , hujus generis Obſervationes prodiiſſent, Sculteti in primis (l) qui *poſt vigeſimam octavam a læſione ſeptima-*

(e) l. de Convulſione. (f) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 149. (g) De Renunc. Vuln. S. 2. c. 1.
(h) Traité des playes de tête ch. 10. (i) n. 9. & 10. (k) De Vuln. Cap. Serm. 3. Lect. 5. (l) Obſ. 13.

ptimanam idem quod Falloppius, ſe præſtitiſſe, nominato homine, indicatiſque loco, & tempore, confirmavit. Factum eſt igitur in hoc Juvene quod fieri potuit. Sed illa ob quam hiſtoriam hanc propoſui, cauſa obſtitit, ne felix eventus reſponderet.

17. Atque utinam una hæc eſſet hiſtoria, nec plures apud alios extarent, hujus non diſſimiles. Quæ, & tot inſuper, aliæ ab alias cauſas, inutilem pariter, neque ita raro, uſum terebræ oſtendentes, fecerunt, ut non ſolum inter veteres, ſed inter recentiores etiam, Medici non ignobiles fuerint, qui illam *fruſtra ſæpe*, imo *ſæpiſſime fruſtraneam* eſſe, ſcripſerunt. Verum terruerunt magis qui & olim *non modicum* ab ea *periculum*, aut *certius* eſſe *periculum*, & noſtro quoque tempore *non abſque gravi periculo exerceri poſſe* terebrationem, aſſeverarunt. Num vero, inquis, tunc etiam cum ab excellenti Chirurgo exercetur? Certe qui ad Ptolemæum illum Ægypti Regem *in caput graviter vulneratum*, de quo in T. Livii Epitome (*m*) fit mentio, accerſiti ſunt, non vulgares Medicos fuiſſe, credibile eſt. Rex tamen *inter curationem, dum oſſa* Medici *terebrare contendunt, expiravit*. Quis vero quam præſtans Medicus, & Chirurgus Falloppius fuerit, ignorat? Ipſe tamen ea ſimplici erroris confeſſione quæ ſummis Viris digna eſt, ob rem quandam ſero ab ſe in terebrando cranio animadverſam diſerte hæc ſcripſit (*n*): *animadvertatis, quæſo: ego fui in cauſa mortis centum hominum, ignorans cauſam hanc*. Quæ modo dicta ſunt, cum eſſent tot libris tot Scriptorum neque unius temporis, neque unius regionis, mandata, latere omnia non potuerunt, nec poſſunt. Itaque mirari non oportet, quod inutilibus præſertim, aut noxiis experimentis ſubinde adjectis renuere cœperint hoc auxilium noſtrates, neque in una modo, aut altera Civitate, ſed in Italiæ pleriſque, & præter noſtrates alii quoque, inter quos tunc etiam cum apud nos illud vigeret, fuiſſe, indicat Wepferus (*o*), populares ſuos, his verbis: *Itali, aliique locorum calidiorum incolæ protinus trepanum arripiendum ſtatuiſſent, idemque Exc. D. D. Burgouverus facturus erat, niſi æger, & adſtantes ab auxilio his in locis inſolito, & vel ſolo nomine pleriſque terrifico abhorruiſſent, ipſiuſque conatibus obſtitiſſent*. Num poſtea animos addidiſſe renuentibus, credis gravem apud Lipſienſes Profeſſorem Joannem Bohnium Diſſertatione edita *de Trepanationis Difficultatibus*? quas antequam ſingillatim exponat, haud dubitat affirmare, *multum ſane eandem periculi involvere, aut ſæpe fruſtraneam ſeu incongruam deprehendi*. Earum difficultatum pleraſque cum ſupra ſatis memoraverim; de illa una potius aliquid addam quæ ex noviſſime producta Obſervatione deducebatur, nimirum de ea quæ in tempore definiendo, adhibendæ terebræ opportuno, perſæpe occurrit, difficultate. Quam juvat altero confirmare exemplo, hac in Civitate a me viſo. Juvenis erat mulier, haud infimo loco nata, gracilis, non robuſta, ſana tamen, ut quæ nihil niſi convulſiones graviſſimas quidem, at ſemel, annis ſuperioribus toto corpore paſſa fuerat. Cum bene igitur valeret, ſederetque humiliore ſella, forte accidit, ut improviſa re, & ſtrepitu perculſa, caput, ut fit, retrorſum ageret, & ad marmoreum mutulum, qui pone ipſam e pariete prominebat, alterum occipitis latus vehementer allideret. Dies erat Martii penultima A. 1739. Neque tunc, neque primis illis diebus incommodi quidquam ſenſit. Deinde in loco icto doloris aliquid: cui ſucceſſit in ſubjecto cervicis latere, nonnihil tumente, quidam muſculorum qui ibi ſunt, quaſi rigor, nec ſine dolore. Levia tamen adeo hæc erant omnia, ut mulier quæcunque antea conſueverat, domi, foriſque perageret. Quis auſus eſſet cranii perforationem tunc imperare? aut, ſi forte auſus eſſet; putaſne, cæteros permiſſuros, aut delicatam mulierem fuiſſe paſſuram? Nunc reliqua accipe. Cum ad Auguſtum uſque menſem ita uti dixi, ſe mulier egiſſet, quippe quæ præter id quod memoratum eſt, nihil ferme aliud ſentiret incommodi; ad illam accerſor die ejuſdem menſis decima ſexta. His quæ retuli, ab ejus Medico narratis, addentem audio, a diebus jam aliquot mulierem fabricitare, nec leviter, duriſque pulſibus, ſubtumidos, rigidos, & dolore affectos eſſe illos cervicis muſculos, dolores etiam ſecundum Spinam dorſi deſcendere, maxillam inferiorem a ſuperiore non ſine difficultate diduci: ægram propemodum eſſe ſtupidam, lenteque reſpondere; quin aliquando leviter deliraſſe: non ſatis bene vidiſſe: oculos quaſi convulſos viſos eſſe: Sed hæc ultima tunc abeſſe; cætera ab aliquot jam diebus ſupereſse. Inſuper dolorem his diebus ad locum olim percuſſum rediiſſe; quamvis tactus, viſuſque judicio nihil ibi appareat mali. Nimis vera retuliſſe, ſenſi, cum mox ægram vidi, nullique jam eſſe remedio locum, perſpexi. Itaque levibus nonnullis in quæ cadere calumnia non poſſet, conſuetudinis dumtaxat cauſa, propoſitis, cum ſeniori ex affinibus dixiſsem, quam vehementer ægra mihi diſpliceret, non rediturus, diſceſſi. Reapſe duabus illa, aut tribus poſt horis loqui deſiit, & intra duos treſve dies mortua eſt. Cujus ſi calvariæ interiora examinare licuiſſet; non dubito, quin, ut Marchettus noſter (*p*) pus ſupra membranas, & cerebrum in eo deprehendit qui leviter capite vulneratus ut ne os quidem eſſet detectum, tribus poſt menſibus febre correptus, ex eaque dolore in ictum locum redeunte in quo nihil apparebat mali, mortem obierat, tanto ego magis in hac deprehenderem, quæ non, ut ille, ſine ullo vulneris capitis ſymptomate & in febre, & ante illam, fuiſſet, ſed & quibuſdam menſes jam quatuor, & quod excurrebat, tot autem ex quo febris corripuerat, eſſet vexata. Satis jam, ſuperque intelligis, caſus incidere in quibus aut nulla, aut tam levia, inter initia, ſe offerunt effuſi intra cranium ſanguinis ſigna, tot autem, & tam gravia poſt longum intervallum confertim ingruant, ut neque primo illo opportuno tempore æger eo timore percelli poſſit, ut terebram admittat, neque extremo ſperare poſſint Medici, opem ſe per eam allaturos, cum tam longo ſpatio, & tam pernicioſis indiciis extantibus, non illa partium corruptio abeſſe credenda ſit quæ in rariſſima ea Sculteti Obſervatione (*q*) mirifice abfuit.

18. Sed quid, inquis, capite ſauciatos, aut eorum conſanguineos, & cæteros quorum intereſt, adeo ab hoc auxilio averſos facit tunc quoque cum gravia ſtatim non deſunt ſymptomata? Relege omnia quæ ſupra (*r*) ſunt ſcripta de cauſis propter quas in quibuſdam Civitatibus credibile eſt id remedii fuiſſe deſertum, & ad illas hanc quoque adde quæ ex proxima Mediaviæ hiſtoria colligitur.

19. PUERO annos nato ad quatuordecim pertica ictum fuerat alterum ſincipitis latus circa medium Quinctilem menſem A. 1739. Eodem tempore Seni quoque percuſſum fuerat caput. Uterque ab ictu ceciderat, vomuerat, & mox febri prehenſus erat. Uterque in idem Noſocomium recipitur, & pari tum Medici, tum Chirurgi diligentia curatur. Hactenus ſimilia omnia. Nunc diſparem primum Pueri, deinde Senis exitum accipe. Puerum cum febris reliquiſſet circa diem quartum, undecimo iterum adorta eſt, torpore ſemper, nonnunquam delirio ſtipata, aut convulſionibus, aut ſanguinis, cujus jam ſatis emiſſum fuerat inter initia, e naribus eruptione. Itaque, nullis proficientibus remediis, intra perpaucos dies interiit. CRANIUM vel præclara luce oppoſita inſpectum, non modo non fiſſum, ſed nihil fere oſtendens diſcriminis repertum eſt, ſi percuſſam partem cum reliqua comparares. Verum inter percuſſam partem, Duramque meningem quidpiam muci ſimile occurrit, & ſub eo meninx illa colore non ſuo. Inter ipſam vero, & meningem alteram qua totam propemodum hemiſphærii illius ſuperiorem faciem conveſtiebat, pus ex flavo viride, fœtens, multum; meningis autem ipſius quantum pure obductum fuerat, tantum erat triplo, aut quadruplo craſſius factum, & ſuperficie quaſi granoſa. Nihil præterea, ne in ventriculis quidem, in quibus aquæ non erat quidquam, eſt animadverſum. Sic Puer. Senex

(*m*) l. 52. (*n*) Comment. ſupra ad n. 12. cit. c. 17. (*o*) Hiſtoriar. Apopl. Auctar. in Schol. ad Hiſt. 6.
(*p*) in additis ad Obſ. 15. (*q*) cit. ſupra in fin. n. 16. (*r*) n. 12. & ſeq.

nex autem omnino incolumis ſanuſque diſceſſit.

20. Nunc ſi populo dicas: facile poterat ille Puer icto oſſe perforato, & ſanguine qui ſubtus effuſus erat, educto, ſi admiſſum fuiſſet id auxilii, ſervari; continuo regeret; at Senex qui iiſdem ſymptomatibus initio pariter correptus fuerat, ſine illo auxilio ſoſpes evaſit. Non deſunt certe quæ hæc dicentibus referas. Sed quid ad populum qui ex felicibus cunctis ſine terebra ſuccedentibus gravium capitis ictuum curationibus nova ſemper argumenta capit ad illam averſandam? Nec apud nos tantum, ſed & alibi, ut opinor; nam alibi quoque exempla ſæpe occurrunt ejuſmodi curationum. Quæ percuſſo, aut vulnerato capite, ſigna eſſent gravium intra cranium læſionum, quæ terebram poſtulare viderentur, non pauci tibi oſtendent libri, iique in primis qui ad *Commercium* attinent *Litterarium* (*ſ*). Exempla alia ubi quærenda ſint, tum Acta indicant Erudit. Lipſ. (*t*), tum Jo. Andr. Conradi Diſſertatio (*u*), & alii quos brevitatis gratia ſciens omitto, non ſecus ac Grimmii (*x*) Obſervationem, & Burgouveri (*y*) duas, quarum altera illa eſt in qua, niſi obſtitiſſent aſſidentes, cranium ipſe erat terebraturus, ut Chirurgus etiam ille de quo meminit Rouhaultius (*z*), niſi Meryus diſſenſiſſet. Ægri tamen omnes quos indicavimus, ſine terebræ ope, nonnulli etiam cito, ſunt perſanati. Ut vero plane intelligas, quam veraciter diximus, hujuſmodi curationibus fieri, ut magis magiſque homines terebrationem averſentur, narrabo tibi quod hic accidit A. 1729. Cum ferocientes equos habenis coercere auriga non poſſet; e rheda concitatiſſimo curſu rapta, ſe ejecit Matrona generoſiſſima, eique idem quod fere cæteris qui idem faciunt, contigit, ut præceps in humum rueret, eamque, ut locus, & anni tempus ferebant, lapidibus, & duriſſima glacie contectam. Itaque caput vehementer adeo offendit, ut quaſi pro mortua domum referretur. Medici cum omnia quæ agi debent, ac ſolent, diligenter peregiſſent, ſperabant, quod Marchettus, ut ſuperiore quoque Epiſtola (*a*) dictum eſt, in aliquibus viderat ex prolapſu, aut ictu læſo capite *in mentis alienationem cum privatione ſenſus, & motus incidentibus*, neque aliis tamen ſymptomatibus correptos quæ ab Hippocrate memorantur, ſe pariter *ſequenti die* mulierem *omnino liberatam* eſſe viſuros. Sed cum ea ſpes ipſos falleret; ad ægram accerſor. Cujus neque caput quidquam oſtendebat ſigni qua potiſſimum parte fuiſſet alliſum, neque ſenſus, aut vox, quæ nulla erant, nobis id poterant ſignificare. Auctor igitur fui, ut quando cætera peracta erant, quæ ad revellendum, reſorbendumque pertinerent, ſiquid forte ſanguinis intra calvariam effuſum eſſet; univerſo capiti ea protinus adhiberentur quæ moderate attenuando, corroborandoque abſorptionem illam adjuvarent. Vel ubi fiſſum manifeſto cranium eſſet, Cornelium Celſum (*b*) exterioribus remediis multum tribuiſſe. Quid poſtea Galenus, pluresque alii olim feciſſent, ex Magato (*c*) intelligi poſſe, qui ipſe quoque inde curationem incepiſſet. Quid Magato recentiores ſentirent, me vel ex ea in qua ſæpius verſarer, meorum Anatomicorum lectione didiciſſe, & nominatim Bartholini (*d*), Wepferi (*e*), Ruyſchii (*f*). Nos quidem in Italia eſſe, regione multo quam illorum calidiore; ſed & Magatum; ut alios omitterem; in hac fuiſſe: & eo anni tempore magis, quam ſæpius aliis apud illos, hic frigus urgere, itaque noſtram quoque Matronam haud ſecus ac Ruyſchii mulierem, inde læſam eſſe quod *e curru in terram cecidiſſet gelu induratam*. Igitur me quidem eodem illo fomento uſurum, quo is non raro uſus eſſet feliciſſime, neque alieno a cautis Magati monitis, & quædam eorum habente quæ ipſe laudaverat: Itum eſt a Medicis in hanc ſententiam: nec iviſſe pœnituit, cum ejus remedii continuato uſu ægra primum meliuſcula facta ſit, deinde ad ſe redierit, &, nullo demum ſuperſtite incommodo, ſic evaſerit, ut donec ſenectute ipſa confecta eſt, annos amplius viginti incolumis vixerit. Sed felix hic eventus eo magis homines a cranii perforatione averſos reddidit, fomentumque illud ipſum ex eo tempore cum a Medicis laudatum, atque a Chirurgis, tum ab ægris præſertim, aut a conſanguineis optatum, frequentiſſimo in uſu hic fuit; ut veritus ſim aliquando, ne temere uſurpatum, alicui tantum noceret, quantum aliis profuerat. Nam fervidiſſima apud nos æſtate adhibitum etiam vidi, velut in eo caſu quem res hæc ad memoriam redigit, nec propter hanc tantum, ſed & propter alias quaſdam animadverſiones paucis tibi memorabo.

21. Generoſus Comes cum forte non humili ſcabello inſiſteret, hoc vacillante retrorſum ceciderat, & ad parietem occiput tanto vehementius alliſerat, quod hoc calvum, ipſe autem procera ſtatura eſt. Nihil tum mali, niſi quod multæ ſcintillæ oculis obverſari viſæ ſunt. Poſtea vero ad frontem, & ad oculos dolor moleſtiſſimus, vigiliæ, febris, alvi fluxus. Febris abit. Mox redit cum iiſdem ſymptomatibus. In conſilium vocor. Erant quibus alvi fluxus potiſſimum diſpliceret. Hæc enim legerant apud Marchettum (*g*): *præter ſigna ab Hippocrate propoſita, obſervandum* eſſe, *quod ſemper alvi fluxus vulneribus capitis accedens, abſentibus licet aliis ſymptomatibus, cerebri læſi ſignum eſt.... Hos vero fere omnes mori, ob læſum cerebrum parte interna, qua in ſpinalem medullam exporrigitur, ubi nervorum ortus*, & in his ventriculo proſpicientium. Ego vero cum diligenter omnia exquiſiviſſem, atque ut erat menſis Quinctilis A. 1739. aquæ; ea enim pro potu præſcripta fuerat; plus facile ſumi intelligerem, quam ſenis ventriculus ferre poſſet; omittam, inquam, diſquirere, num Marchettus cum ſymptomata alia abeſſe, dixit, ea quoque excipere voluerit quæ ab Hippocrate, ait, fuiſſe propoſita, & quæ certe hinc abſunt. Hoc tantum dicam, ſi æger cibis ac potionibus, præſertim incongruis, referto ventriculo, cecidiſſet, continuoque illa rejeciſſet; profecto ea vomitione terreri non oporteret. Nunc igitur quoque, cum alia eſſe videatur cauſa cur laxata alvus ſit, non eſt cur id nobis metum incutiat. Paulo minus aquæ potetur, eaque nonnihil ita medicata ſit, ut laxare nequeat ſtomachum. Fomentum vero; nam hoc uti audiveram; tempeſtate hac non dubito & dilutius aliquanto, & moderatius, & pannis nec laneis, nec adeo multiplicibus exceptum a vobis adhiberi. Neque ita multo poſt, omnia receſſerunt ſymptomata, ægerque convaluit, vivitque, hæc me ſcribente, vegetus, quamvis annos natus ſex & octoginta. Sed priuſquam de fomento illo verba facere deſinamus, animadvertas, velim, ſi non per ipſum, at certe per valde ſimilia ſervatos eſſe fere omnes quos ſine terebra, quæ alioquin neceſſaria videbatur, perſanatos eſſe, diximus (*h*), alioſque ejuſdemmodi, ut puta quos Slevogtius (*i*) his verbis indicat: *talibus* remediis *hodie a noſtris Chirurgis in dies graviſſimæ capitis læſiones corriguntur, quæ olim ſectionibus, uſtionibus, ſcalpturis, terebrationibus, aliiſque horribilibus operationibus opus habebant*: & iis remediis interdum *ſolis*, ut a Gallo Chirurgo Pinconio (*k*) ſanatus eſt Ruſticus *ſine voce per decem decumbens dies*, & *pro deſperato habitus*, a Grimmio (*l*) Adoleſcens, *delirio, vomitu, febre, &c.* correptus, a Trewio (*m*) Puer *omnibus ſenſibus privatus*, latere ictui oppoſito *paralyticus*, altero *perpetuis convulſivis motibus agitatus*. Sæpius tamen alia adjuncta ſunt auxilia, & in his, cum licuit, antequam ulla adhiberentur, venæ ſectiones, ut *venæ, ſanguinis quantitate aliqua detracta, quaſi famelicæ reddantur*, ut Wepferus (*n*) loquitur, & *avidius effuſum* ſanguinem *reſorbeant*, quem ea quæ diximus, exterius adhibita, & illuc unde terebratio ſæpe educere non poteſt, ſua vi (quicunque modus, & via ſit) certe pervadentia, *ita diſponant, ut vaſa ſanguifera denuo* valeat *ſubintrare*. Sic enim & aliorum, & ſuas explicat Obſervationes; nam & ſupra (*o*) effuſi intra calvariam ſanguinis

(*ſ*) Vid. A. 1739. Hebd. 52. n. 1. & A. 1741. H. 16. n. 3. & A. 1743. H. 35. n. 2. H. 47. n. 1. ad 194. & 193. & 714.
(*t*) A. 1693. M. Nov. in relat. novæ Edit. Barbett. (*u*) De Vuln. Front. inflict. in Reſolut. ad n. 2.
(*x*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 87. (*y*) 6. & 7. in Auctar. ſupra ad n. 17. cit. (*z*) Tr. ſupra ad n. 14. cit. c. 7.
(*a*) n. 10. (*b*) De Medic. l. 8. c. 4. (*c*) l. 2. ſupra ad n. 12. cit. c. 38. 41. 49. (*d*) Cent. 2. Hiſt. Anat. 41.
(*e*) Exerc. de loco aff. in Apopl. & in Auctar. Schol. ad Hiſt. 6. (*f*) Obſ. Anat. Chir. 60. (*g*) in addit. ad Obſ. 15.
(*h*) n. 20. (*i*) Diſſert. de Carie Cran. §. 20. (*k*) Vid. Dan. Hoffman. Diſſert. de ſanat. cerebri quaſſ. (*l*) Obſ. 87. ſupra ad n. 20. cit.
(*m*) Commerc. Litter. A. 1741. ibid. cit. (*n*) Schol. ſupra ad n. 17. cit. (*o*) Exercit. ſupra ad n. 20. cit.

guinis per *fomenta* illa *congrua diſſipationem frequentiſſime ſuis in oris feliciter citra trypani uſurpationem, citra ullam ægri noxam, præſtitam*, ait, *ſe meminiſſe*. De iſta autem reſorptione, cum alias (*p*) ea ad te ſcripſerimus obſervata in cerebro poſt prægreſſas olim apoplexias, imo etiam poſt antiquum, imperforato cranio, capitis vulnus, unde illam agnoſcendam eſſe, credamus; nihil amplius addemus. Nihil quoque de altero terebrationis uſu, ut poſſint depreſſa calvariæ oſſa excitari, pungentia fragmina extrahi, internæ quæ forte fiſſa ſit, laminæ extantes quaſi aculei excidi, qui quandiu, & quantum nocere poſſint, præclara inter cæteras Platneri (*q*) per anatomen Obſervatio oſtendit; nihil, inquam, huc adjicere melius cenſeo, ne ſi forte huic etiam alteri utilitati, quam certe remedia alia, & natura ipſa præſtare minus valent, aliquid interdum objici poſſe, dicerem; viderer magis vulgi timori, quam rationis, & Sapientum dictatis, indulgere.

22. Nunc enim quando de terebranda calvaria tantum ſupra ſcriptum eſt, quantum non modo ad ſuſceptum ſermonem abſolvendum ſatis ſit, verum etiam; quod nolim; ad falſam injuſtamque ſuſpicionem movendam, me forte cum populo in hoc facere, ab eoque auxilii genere, quod caute, & opportune adhibitum, ultro fateor eſſe utiliſſimum, atque adeo neceſſarium, præter modum abhorrere: ad diſſectiones redeamus. Ex quibus cum duæ Mediaviæ noſtri ſuperſint; ante meas cæteras, illas adſcribam. Prima ad eas attinet quæ hactenus ſunt propoſitæ, videlicet in quibus cranii ſiquod erat vitium, ad interiora non perveniebat. Altera autem ad eas in quibus pervenerat.

23. VIR quidam in faciem cadens, frontem a dextris circa altitudinis ejus medium allidit. Non vomitus, neque aliud ullum ſymptoma ſtatim a caſu accidit, niſi levis quædam ſtomachi perturbatio. Mox autem non levi febre, & ſopore corripitur. Circa diem quartum, utrumque horum deſinit. Bene habet. In Noſocomio tamen remanet ad vulneris curationem: quod probo colore cum recto oſſe erat. Circa diem decimum ſeptimum gravis revertitur febris, graviſque ſopor. Fuſcus fit vulneris color, & oſſis. Hoc raditur, ſubtuſque album invenitur. Homo tamen cum iiſdem, haud aliis, ſymptomatibus moritur circa diem vigeſimum, qui fuit pridie Idus Aprilis A. 1740. CALVARIA diſſecta, rima quidem in hac animadverſa eſt quæ paulo ſupra ſubjectum vulneri ſupercilium in tranſverſum pene ferebatur. Sed hæc ad interiora non perveniebat. Verum qua os alliſum fuerat, ibi inter ipſum, Duramque meningem pauxillum intercedebat cujuſdam quaſi *gelatinæ*. Cerebri autem reſpondens hemiſphærium non ibi tantum, ſed ubique gravi cum odore ex atro virebat: qui color ad ipſum uſque Lateralem ventriculum deſcendebat, parietes ejus omnes inficiens, baſi excepta. Porro ejus ventriculi pars anterior non lacerata quidem erat, ſed adeo dilatata, ut concreti ſanguinis tantum contineret, quantum poſſet pugnum æquare. Ventriculi pars reliqua, ut ſiniſter quoque, ſerum cruentum continebat.

24. Deprehenſus intra ventriculum ſanguis certe effuſus eſt ex diſrupto vaſe aliquo ſive Choroidis plexus, ſive eorum quæ per parietum ventriculi ſuperficiem feruntur. Sed vas illud num leviter diſruptum credemus tunc quando alliſum eſt caput, & ab eo tempore ſanguinem lente ac paulatim emittere cœpiſſe? an vero tunc infirmatum dumtaxat, gangræna denique illius hemiſphærii accedente perruptum, celeriter effudiſſe? Si hoc alterum mavis; minus facile, opinor, explicabis, cur non ſit homo tunc celerius, cum aliiſque ſymptomatibus ferme apoplectici inſtar mortuus, & quomodo ſine ulla ſubſtantiæ laceratione, ventriculus adeo fuerit dilatatus; ut veri ſimilius ſit, ſanguini ſenſim ad illam uſque copiam deſtillanti ſenſim quoque paulatimque ceſſiſſe. Nec te illud moretur, quod homo a quarto ad decimum ſeptimum uſque diem ſine febre, ulloque ſymptomate, bene habere viſus ſit. Nam & ad gangrænam tam late diffuſam, pravam in cerebro diſpoſitionem præceſſiſſe, credibile eſt, & in vitiis ejus vel graviſſimis haud ita raro accidit, ut aut levia quædam, aut nulla vel ad multo longius tempus animadverterentur eorum indicia. Fac, memineris eorum quæ ſupra (*r*) ex noſtra, aut certe ex Marchetti obſervatione ſcripta ſunt. Lege non tam Fantoni patris Obſervationem IX. quam Cl. Filii Scholium ad XXXV. Atque ut illam Avenionenſem (*ſ*) omittam longe rariſſimam, quippe in qua cum cranii, meningum, cerebri ea eſſet læſio quam oſtendit curatio, nullum tamen ab initio ad perfectam uſque ſenationem, id eſt ad dies ſex & ſeptuaginta, ſymptoma extitit; eſt apud Bohnium (*t*) hiſtoria, ex Lamzwerdio, ſymptomatum binis ſincipitis fiſſuris non niſi die trigeſimo ſexto ſupervenientium, ſuntque aliæ ex Montano apud Rouhaultium (*u*) eorundem non niſi decimo ſeptimo, vigeſimo, aut vigeſimo primo Antuerpiæ pleroſque illorum quibus eo anno caput ictum eſſet, aggredientium, omneſque occidentium. Illas inſuper legito quas Poupartius, & præſertim Vacherius cum Regia Scientiarum Pariſienſi Academia (*x*) communicarunt. Ex his, atque aliis quas ſciens omitto, mirari deſines ſiquando, ut in modo a nobis propoſita, ſic in aliis quibuſdam aut hac, aut ſuperiore Epiſtola traditis, non levia videbis in cerebro vitia dies aliquot ſine pravis indiciis, in primiſque ſine febri delituiſſe. Quamplurima ſunt quæ in illo, non tantum ſecundum naturam, ſed & præter naturam ſe habente, quemadmodum fieri poſſint, minime aſſequimur. Hæc Majores quoque jure meritoque fuiſſe miratos, vel ex iis intelliges quæ in Sectione hac Sepulchreti ad Salmuthi Obſervationem (*y*), huc maxime pertinentem, adſcribuntur ex Berengario, ſeu mavis ex Carpenſi, ut a Patria ſæpius vocitant: quæ res non animadverſa fucum fecit recentiori, haud inerudito alioquin, Chirurgo, qui cum *Berengarium*, dixiſſet, cranium in ſuturis ipſis feliciter aliquando perforaſſe; continuo, quaſi de alio loqueretur, idem pariter, ait, feciſſe *Carpenſem*. Sed a tarda poſt ictum morte ad citiſſimam, ut in altera, quam promiſimus, Obſervatione, veniamus.

25. MULIER ruſtica, per ſcalas præceps ruens, caput adeo graviter offendit, ut illico loquendi, ſentiendi, & artus, præſertim inferiores, movendi facultate amiſſa, ſanguinem e naribus, & altera aure effundens, intra horam moriatur. CRANII, quod multum ſanguinis effuſi continebat, fracta erat baſis in tranſverſum, fractura ab uno ad alterum latus ante oſſa Petroſa per Sinuum Sphenoidæorum poſteriora tranſeunte, & oſſea præterea parte Meatus Auditorii cum Membrana Tympani in aure illa quæ emiſerat ſanguinem, diſrupta. Laterales quoque rupti erant Sinus Craſſæ meningis: & præter alia, cerebellum ipſum nonnihil læſum.

26. Si præter hanc cerebelli qualemcunque læſionem, aliæ non fuiſſent graviſſimæ, ut vehemens cerebri concuſſio, hujuſque, & cerebelli tanta compreſſio, quantam copia effuſi intra cranium ſanguinis ex ruptis Lateralibus præſertim Sinibus efficiebat; num cenſes, tam citam futuram fuiſſe mortem? Equidem non facile ipſe crediderim; quanquam cerebelli non leves, & repentinas læſiones longe citius, & certius ſciam, quam pares cerebri læſiones plerumque occidere conſueviſſe, perfectiora ſaltem, ut vocant, & adulta, & ad hominis, quem hic ſpectamus, ſtructuram propius accedentia animalia. Itaque in hac controverſia in quam forte incidimus, & in qua memini te alias de me quæſiviſſe quid ſentiam, noli cum Doctiſſimis alioquin Viris non modo inſecta, ſed neque aves, aut fœtus, aut recens nata animalia commemorare. Ipſe enim vel olim adnotavit Ariſtoteles (*z*), *palam in inſectis, ut veſpis, & apibus hoc accidere*, nempe ut *ablata* ea particula *quæ vocatur caput*, ... *vivant*. Diu autem eſt ex quo mihi adoleſcentulo affirmabat Valſalva, avibus ſe cerebellum ſummopere vexaviſſe, neque

eas

(*p*) Epiſt. 2. n. 16. (*q*) Inſtitut. Chirurg. §. 532. not. *d*. (*r*) n. 17. (*ſ*) Commerc. Litter. A. 1731. Specim. 21.
(*t*) De Renunc. Vulner. Sect. 1. (*u*) Tr. ſupra ad n. 14. cit. c. 11. (*x*) Hiſt. de l'A.1700. Obſ. Anat. 19. & de l'A.1743. Obſ. Anat. 12.
(*y*) §. 8. Obſ. 10. (*z*) De Juvent. & Senect. c. 1.

eas tamen eſſe confeſtim mortuas. Quin ipſe quid viderim in felibus duobus, ante biduum natis, cum viventium capita inciderem æſtivo tempore, narrare poſſum. Retecto enim, in utroque, cerebri altero hemiſphærio, & Tenuis meningis utilitate animadverſa in cerebro coercendo; nam qua forte aliqua lacerata erat ejus meningis particula, illac particula cerebri ſe extrudebat, prominenſque perſtabat; aſſulatim illud totum hemiſphærium ademi, neque propterea movendi, neque ſentiendi facultas in reſpondentibus, aut in oppoſitis artubus imminui, nedum perire, viſa eſt. Nec vero periit, cum mox alterius felis cerebellum vulneraſſem. Periit autem ſtatim ac alterius cerebellum, & initium forte Spinalis medullæ alte incidi, ac dilaceravi; periit, inquam, in artubus, & toto corpore, quantum mihi ante oculos tunc erat; ſi cor tamen, auriculaſque ejus excipias; harum enim, illiuſque motus vegeti perſtiterunt. Imo cum aliquanto poſt tempore caput a trunco abſcidiſſem: ſic nihilominus, ut ſi non abſcidiſſem, perſtabat. Mox igitur amputatis vaſis Magnis, cum ipſis cor abſtuli; quod tunc denique cito conquievit; etſi mox inter digitos compreſſum, valido etiamtum niſu conari, ſenſi. Vera igitur ab iis dici, ſcio, qui feles potiſſimum diutius reſiſtere in anatomicis experimentis, ſcripſerunt. Simul tamen etiam intelligo, ſi quæ in hoc animantium genere, præſertim recens natorum, animadvertimus, multoque magis quæ in avibus, inſectiſque, & humanis ipſis fœtibus, puta qui non modo ſine cerebro, & cerebello, ſed & ſine Oblongata, & Spinali medulla aliquando naſcuntur, ſi hæc, inquam, ſolum attendamus; fore intelligo, ut multa adverſus harum medullarum, & cerebri, nedum adverſus cerebelli uſus, conſequi poſſe videantur. Nolim quoque hic plurimum tribuas quibuſdam cerebelli vitiis quæ longiori, aut minus longo quidem tempore, ſed certe non repente fiunt. Prioris generis hæc ſunt. Ex Maucharto (*a*), itemque ex Littrio (*b*) in duobus hydrocephalis pueris cerebellum aut induratum, aut ſcirrhoſum ſic tamen, ut in hoc bina, quamvis exigua, ſupereſſent loca in quibus cerebellum ſecundum naturam ſe habebat, in illo autem lobus alter, ut minus grandis, ita minus quoque eſſet durus: ex Briſſæo (*c*) durus quoque tumor, ſed in medio cerebello enatus: ex Cl. Lieutaudio (*d*) os non parvum intra alterum ejus lobum: ex Peyronio (*e*) totum cerebellum in membranam converſum, quæ corpus gallinacei ovi magnitudine involvebat, ex glandulis pluribus, duriſque compactum, quod potius in corpus, ut de cerebro olim accidiſſe videtur, quam in illam membranam, cerebellum eſſe mutatum, & ſub ejus larva delituiſſe, aliqui fortaſſe ſuſpicabuntur, non ſecus ac quaſdam cerebelli ipſius partes in quibus deprehendit Harderus (*f*) globulos tres parvos; nam major in Spinalis medullæ initio fuit; aut Wurffbainius (*g*) varia corpuſcula glanduloſa, cerebello quidem flavo, & fœtido, ſed non putrefacto, aut Flaſcus apud Lanciſium (*h*); neque enim Lanciſius vidit; corpus ex pluribus globulis compactum. Nec vero ad totum pertinuit cerebellum, ut videntur aliqui indicare, alii autem diſerte affirmant, is ſcirrhus quem in mendica puella invenit Cel. Hallerus, quando hic ipſe (*i*) *cerebelli mediam partem*, id eſt *lobum ſiniſtrum* occupaſſe, ſcribit; ut facile non æquaret quem ego (minus tamen durum, minuſque compactum) ſub initium A. 1754. in viri cerebello offendi, quippe præter eundem pene totum lobum, tenentem mediæ quoque partis, & proximam lobi dexteri portionem, quemadmodum ex hiſtoria, a me alio loco (*k*) ad te perſcribenda cognoſces. Ad alterum autem attinent in cerebello vitiorum genus; ſi quam Obſervationem Peyronius (*l*), inter nonnullas quoque ſuperiorum, protulit, ut alii etiam poſtea, ex Fantono patre, facile ſepónas, quando Filius Clariſſimus (*m*) pro cerebello *corrupto* intelligendum exiſtimat cerebellum dumtaxat mollius, nec nativi coloris; attinent, inquam, primum, quæ Maſſæ (*n*) eſt, apoſtematis in cerebello poſt vulnus ſincipitis, *ſuppurati cum ſanie laudabili*: deinde altera ab Amico ad nos ſcripta A. 1735. lobi cerebelli dexteri, quem totum, viridis, & fœtida ſanies pervaſerat, poſtquam proximum os temporum hic illic carie affecerat, Duramque meningem corroſerat: tum hujus, ſi cauſam ſpectes, non diſſimilis noſtra, ad te alias (*o*) miſſa, ſed eo diſſimilis quod ſanies lobum eundem cerebelli ſuperficie tenus, idque ex aliqua tantum parte vitiaverat: quarta denique Cl. Planci (*p*) abſceſſus, duas tertias lobi illius partes occupantis. Nemo quidem ex primo, aut ex altero vitii genere morte repentina illico, & cum ſanus videretur, ſublatus eſt; ſed nec vitium repente eſt factum; iis autem quæ paulatim fiunt, natura corporis quodammodo adſueſcit, & quod deficit, aliunde quo ad ejus facere poteſt, ſupplet. Cujus rei in nervis ipſis exemplum proferam. Quid enim cauſæ fuiſſe, putas, quamobrem canis cui dexterum, ſiniſtrumque Recurrentem Cl. Emett (*q*) diſſecuerat, vocem, quam illico perdiderat, poſtridie cœperit recuperare, eamque in dies creſcentem? Nervus Recurrens tertius, inquies, ut qui pone Aſperam arteriam latens, conſecari non potuerat. At inſolitus is nervus certe etiam pridie fuerat: fuerantque ramuſculi, opinor, alii, a Vagis nervis ſupra horum ſectionem a Valſalva (*) peractam, aut aliunde exorti qui laryngem peterent in catella, quæ, cum fruſtra antea conaretur, nono demum latrare potuit die. Scilicet ſenſim, aut ego fallor, ſpiritus qui per majores illos diſſectos nervos ire amplius non poterant, meatus, antea minus patentes, per minores nervos, altius cum majoribus ſive extra, ſive etiam intra cerebrum communicantes, eodemque contendentes, ſic ſatis ſibi dilataverant. Sic ſatis, inquam; in hominibus enim ad quos hæc transferes, cerebelli vitiis paulatim increſcentibus affectos, poſtquam tandem ipſum totum occupaverint, veri ſimile vix eſt, cordis, & pulmonum motum ſemper ita, ut antea, viguiſſe; quin diſerte in quibuſdam eorum, ut in Littrii puero, traditum eſt, debilem reſpirationem, pulſum autem perquam exiguum fuiſſe, & in Obſervatione quam ad me ſcriptam dixi, languor adnotatus eſt, in eaque pariter quam ad te miſi, ut vires, pulſuſque omnino concidiſſent, videre potes. Multo difficilius eſſet objectioni ſatisfacere quam apud gravem quendam Auctorem legiſſe memini; neque enim quis fuerit, recordari nunc poſſum; nempe in fure, cujus infirmiſſima erat memoria, nullum cerebelli veſtigium a Benivenio repertum eſse, niſi Benivenius (*r*) hæc tantum ſcripſiſset, fuiſſe in eo fure *poſteriorem capitis partem, ubi memoriæ ſedes eſt, adeo brevem, ut tantillam cerebri portiunculam contineret*; ut ſiquis ob antiquam illam de memoriæ ſede credulitatem, de cerebello potius quam de cerebro, accipere id velit, non tamen omnino defuiſse cerebellum, agnoſcat. Quæ omnia cum ita ſint; hæc ſeponamus, & illuc unde controverſia & nata eſt, & dirimi facilius poteſt, redeuntes, non leves, eaſque repentinas cerebelli læſiones cum cerebri non levibus, imo, ſi vis, etiam gravioribus, & repentinis læſionibus, quales a vulneribus ſunt, comparemus.

27. Cerebri eſſe quædam vulnera quæ mortem citiſſimam afferant, non modo non eſt negandum; ſed mirandum eſt potius, duas, haud amplius, Obſervationes in hanc rem indicatas eſſe a quibuſdam Eruditiſſimis Viris, in quarum neutra mors ſtatim ſecuta eſt; cum ex tot Auctorum Præſtantiſſimorum experimentis contra ignorare nemo poſſit, cerebello inflicta vulnera vitam plerumque aut illico, aut non multo poſt adimere conſueviſſe. At enim eadem celeritate non ſemper adimunt. Nempe faſſus ſum. Sed quoties tandem, & quam tarde hoc acciderit, quæro. Franciſcus Antonius Cartus Anatomes apud Neapolitanos Profeſſor in Opuſculo (*ſ*) ibidem recuſo A. 1557. *experimento facile comprobare ſe poſſe* id ſcripſit quod ſine cerebelli vulnere non videtur præſtitiſſe. *Reliquæ cerebri partes omnes*, inquit, *licet vulnerentur, non tamen ſtatim mors ſequitur; at vulnerato poſteriori ventriculo, extemplo animal concidere, ac interire conſpicimus.* Quod ſi præter cerebellum, quod tametſi non undique, ut cerebrum ſuos, quartum hunc ventriculum tan-

(*a*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 59. (*b*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1705. Obſ. Anat. 13. (*c*) apud Platner. Inſt. Chir. adnot. ad §. 548.
(*d*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1737. Obſ. Anat. 8. (*e*) Mem. de la même Acad. A. 1741. (*f*) Apiar. Obſ. 58.
(*g*) Eph. N. C. Dec. 2 A. 9. Obſ. 237. (*h*) De nox. Palud. Eff. l. 2. Epid. 2. c. 6. (*i*) Opuſc. Pathol. Obſ. 1. (*k*) Epiſt. 62. n. 15.
(*l*) loco indicato. (*m*) Schol. in Edit. ult. ad eam Obſ. quæ 9 eſt. (*n*) l. Introd. Anat. c. 28. (*o*) Epiſt. 14. n. 3.
(*p*) in Append. ad Epiſt. de Monſtr. (*q*) Tentam. de Cur. Morb. Cephal. n. 30. (*) Epiſt. Anat. 13. n. 37.
(*r*) *De abdit. nonnull. ac mirand. morbor. &c. cauſis* c. 89. (*ſ*) Iſagog. Anat. c. 25. in fin.

tanquam ſui proprium, comprehendit, ipſum tamen complet, proximeque operit; ſuſpicari velles, ſubjectam quoque Oblongatam medullam convulneraſſe; experimenta (t) non deeſſent ex quibus intelligeres, non propter hanc convulnerationem potiſſimum, mortem ſubitam ſequi debuiſſe. Optandum eſſet, ut Coiterus in iis Anatomicis Obſervationibus quas ſexdecim poſt Cattum annis vulgavit, attigiſſet aliquid ad cerebellum ſpectans, quando & ipſe, quod ad cerebrum attinet agnorum, hœdorum, & canum viventium, Recentiores antevertit, hæc ſcribens: *quod ſumma admiratione dignum exiſtit, brutorum viventium cerebra detexi, vulneravi, & intactis nervis, eorundemque principio, & ventriculis mediis illæſis, exemi, at nullum vel vocis, vel reſpirationis, vel ſenſus, vel motus offenſionis ſignum in iis deprehendi. Aves abſque cerebro aliquandiu vivunt, ut quilibet in gallinis vel pullis gallinaceis, ſi roſtrum ſuperius cum dimidia capitis parte abſciderit, cerebrique majorem exemerit partem, experiri poteſt.* Superiori autem, & hoc ſæculo Experientes Viri ne cerebellum quidem avium eximere omiſerunt. Sic Cl. Zimmermannus (u) cum cerebrum, & cerebellum columbæ detraxiſſet, hæc ſubito, & omnino periit: quod ut conjicias unde potiſſimum acciderit; cum alteri columbæ cerebrum ademiſſet, hæcque ad aliquod tempus viveret tamen, *cerebello exemto, ſubito* periit. Verum ne a perfectioribus, ut ſupra eſt propoſitum, animalibus recedamus; cum has Litteras ad te primum miſi, unus inter plurimos aut ſtatim, aut non multo poſt mortuos memorabatur in hac controverſia Chiracii canis qui horas viginti quatuor a ſumpto experimento ſuperſtes fuerat. Nunc autem video, a Cl. Zinnio in ea Diſſertatione qua pericula ab ſe facta etiam in cerebello propoſuit (x), canem produci qui eo viſcere perforato, horas totidem vixit, imo alterum quoque cui abſciſſa a Petito parte ſiniſtri lobi cerebelli, vita perſtitit dies ſex. Verum hæc perrara exempla eſſe, conſtat, & omnino pauca, ſi cum tot aliis canum quos ſtatim obiiſſe novimus, conferantur, aut quos ipſe vix *poſt quartum quintumve minutum*, vel *per horam fere*, ut duos treſve, vel *tribus horis*, ut unum, vel ſummum *per* 12. *horas*, ut quendam alium, vitam produxiſſe, ex ſuis, aliorumque ſelectis Obſervationibus fatetur. Quod ſi graviorum cerebelli vulnerum, nec tamen citiſſime lethalium, in hominibus exempla quæramus; vix credo fore duobus plura. Alterum ex Petito produxit Peyronius (y) militis qui horas vixit tres & quadraginta. Alterum in Sepulchreto (z) leges ex Binningero, Helvetii qui, niſi forte in numeris deſcribendis error aliquis irrepſit, dies ſuperfuiſſe videtur amplius quatuor. Aliud famuli ex Borello (a) huc adjici non poſſe, exiſtimo; neque enim video, quomodo enſis per orbitam pervenire poſſit ad cerebellum, illæſa interjecta parte cerebri, quod pro cerebello ibi facile legendum puto; is tamen famulus quocunque enſis adactus fuerit, poſtridie mane inventus eſt mortuus. Cur autem alia, a me pariter animadverſa, exempla non eſſe referenda putem inter vulnera cerebelli graviora, mox ea commemorans, oſtendam. Sed militis illius cerebelli ſiniſtrum lobum certe trajecerat globus plumbeus: In Helvetio autem *ſiniſtri cerebelli principium nigrum & corruptum apparuit, & ex ipſius ſubſtantiæ intimis, oſſis ex conico acutum cranii forte fruſtulum extractum eſt*; ab eodemque ſiniſtro latere artus fuerant reſoluti: quod ſic in tranſitu commemoro, quia in Planci quoque Obſervatione ſupra (b) indicata artus non oppoſitos, ſed ſubjectos vitiato cerebelli lobo corripuit hemiplexia; ut dubitatio quæ Cæſalpino (c), & mihi pariter (d) aliquando ſuborta erat, tolli poſſe videatur, ſi per alias plures harum ſimiles Obſervationes conſtanter appareat, ſedem cauſæ, hemiplexiam facientis, aliter in cerebello, quam in cerebro plerumque ſoleat, deprehendi. Tunc autem ubi ſimul cerebrum, & cerebellum vitiata eſſent, credere quis poſſet, minus illud valere ad paralyſim in adverſo latere, quam hoc in ſubjecto, inducendam, ſi in aliis quoque idem adnotaretur quod ab Foreſto (e) in lethargico puero adnotatum eſt, cujus latus corporis dexterum cum totum eſſet ſine ſenſu, & motu prorſus reſolutum; non intra ſiniſtram cranii partem, ſed intra dexteram abſceſſus non in cerebro tantum, verum etiam in cerebello deprehenſus fuit. Sed ad ſuſceptum ſermonem ut redeam; cum pauca adeo exempla ſint vitæ poſt grave inflictum humano cerebello vulnus vel ad breve tempus protractæ; quis ex adverſo doctus, & exercitatus Chirurgus eſt qui innumera non viderit, nec aliqua ipſe viderit vulnera cerebri vel gravia, vita longe diutius producta?

Et quando hac de re nulla videtur eſſe poſſe dubitatio, omneſque fateantur, neceſſe eſt, multo citiorem ab illis, quam ab his vulneribus, mortem afferri conſueviſſe; videamus, num & certiorem. Profecto mortui ſunt omnes illi in quibus vitiatum, nedum ſauciatum, cerebellum commemoravimus. Sed ut in vulneribus ſubſiſtamus; quot tandem eorum evaſiſſe leguntur quibus non leviter cerebellum fuerit, ſed profunde vulneratum? Certe huc non attinere illum, vides, de quo relatum Platnero (f) eſt, *curatum* fuiſſe *poſtquam non minima occipitis pars cum notabili corticis cerebelli portione enſe ablata fuerat*. Nec magis attinere videbis Abiſſinum illum, a Veſlingio noſtro (g) ſanatum. Quamvis enim aliqui, ut nuper animadverti, ſic proponant, hominem *ætate jam gravem, cujus cerebello vulnus, duorum digitorum latitudine fuerat inflictum*; ſi tamen Veſlingium attente perlegas, facile intelliges (mitto 50. *majorem* annis, *ſed viridem viro ſenectam* fuiſſe) occipiti quidem *latum vulnus inflictum eſſe*, hoc autem *utramque meningem pervadens, cerebellum ad duorum digitorum latitudinem ſtrinxiſſe*, id eſt ſuperficiem ejus raſiſſe, quomodo Nonius Marcellus (h) illud Virgilii exponens Æneid. libro 8. (i) *Stringentem ripas*, ideoque leviter vulneraſſe, ut Servius ad alium Virgilii locum (k) *Strinxit*, inquit, *eſt ſignificatio levis vulneris*. Hic autem memineris, Veſlingium ab Riolano (l) fuiſſe notatum, quaſi ſcripſerit *compta & eleganti oratione, interdum obſcura, quia terminis & vocibus uſitatis* inter Medicos *non eſt uſus*. Quod ſi illud quoque vulnus animadvertiſſent ex quo Falloppius noſter (m) ſcripſit, *cerebelli primo quantitatem grani viciæ craſſioris egreſſam eſſe: ſecundo cum fruſtula oſſea extraxiſſet ex ſubſtantia ejuſdem, adhuc aliam particulam craſſiorem priori egreſſam eſſe*; proclive fuiſſet reſpondere hoc inſuper vulnus illis ſuperioribus adnumerantibus, non modo hominem, cum ea ſcripta ſunt, non perſanatum, ſed dumtaxat *jam ferme ſanum* fuiſſe, verum etiam, idque præcipue, ſi profundum fuiſſet vulnus, & ſi fruſtula illa oſſea, ut in Helvetio de quo paulo ante dictum eſt, *ex cerebelli ſubſtantiæ intimis* fuiſſent extracta; Auctorem poſtquam de iſto vulnere quod ferme jam ſanatum cenſebat, deque aliis cerebri perſanatis ſcripſerat, non ſic fuiſſe ſuum ſermonem ſtatim concluſurum, *quare non omnia cerebri vulnera, ſed profunda tantum ſunt lethalia*. Quæ cum ita ſint; recte feciſſe Joannem Bohnium (n), exiſtimabis, qui cum multa vidiſſet ipſe, & plurima, ſi quis alius, de vulneribus ſcripta legiſſet, hæc tradidit: *ſi experientiam conſulamus, vix unum forſan obſervare continget, qui ex lacerato cerebello evaſerit, cum plura paſſim obvia ſint illorum exempla, quibus ſatis ingentia quoque cerebri vulnera coaluiſſe perhibetur*. Quorum ſanationis Obſervationes & ipſe indicat (o) bene multas, & Donatus (p) quoque, & Schenckius (q) collegerant, quas inter vel quædam ſunt vulnerum in cerebri uſque ventriculos pervenientium, Augenio (r), imo & Galeno ipſo (ſ) ſe vidiſſe, teſtantibus; ut mirari ſubeat quod in quodam Sepulchreti Scholio (t) adnotatum eſt, *vero ſimile eſſe, miranda quædam vulnera capitis, cum evidenti cerebri læſione, cujus etiamnum particulæ vita ſuperſtite demptæ ſunt, non lethalia fuiſſe*,

quod

(t) Vid. apud Teubeler Diſſert. de Vulnerib. cerebri non ſemper lethalib. §. 43. & ſeq. (u) Diſſert. de Irritabil. §. 27. Exp. 7. & 8.
(x) in Schol. ad eam Diſſert. partem §. 1. (y) Mem. ſupra ad n. 26. cit. (z) Sect. hac Obſ. 8. §. 8. (a) Cent. 2. Obſ. 19.
(b) n. 26. (c) l. 2. Quæſt. Med. 10. in fin. (d) Epiſt. Anat. 13. n. 23. (e) l. 10. Obſ. Medic. 11.
(f) adnot. ſupra ad n. 26. cit. (g) Obſerv. Anat. & Epiſt. Medic. 13. (h) De Propriet. Serm. ſub litt. S. (i) verſ. 63.
(k) Æneid. l. 10. verſ. 478. (l) in ipſo initio Animadverſ. in Synt. Vesling. (m) De Vulnerib. c 6.
(n) De Renunc. Vuln. S. 2. c. 1. (o) S. 1. (p) De Medic. Hiſt. Mirab. l. 5. c. 4. (q) Obſ. Medic. l. 1. ubi de Cerebri Vuln.
(r) l. 9. Epiſt. 2. quæ eſſe deberet 3. (ſ) De Uſ. Part. l. 8. c. 10. (t) ad §. 8. Obſ. 5. hujus Sect.

quod cortice tenus offenſum fuerit, illæſa medullari ſubſtantia; quam ubi vitium attigit, ſatis concedendum fuit. Si enim lectæ fuiſſent illæ Obſervationes; ex earum non paucis cognitum eſſet, non modo num vitium ad medullarem ſubſtantiam non perveniſſet, verum etiam num corticalis dumtaxat ſubſtantiæ portio, ut in illo apud Platnerum cerebelli vulnere, detracta eſſet. Sed tu præter illas, poteris quaſdam alias ſane mirificas legere apud Martianum (*u*), ex quo nemo, quod meminerim, adhuc produxit, aliaſque item apud Wepferum (*x*), & Saltzmannum (*y*); ut alias modo prætercam. Quorum hic tamen non ſecus ac Bohnius, poſt tot recenſitas ingentium cerebri vulnerum ſanationes, cerebelli vulnera diſerte excipit (*z*), *ut pote quæ ſemper & abſolute funeſta eſſe, experientia comprobat*; Wepferus autem ſic illas abſolvit, ut cum globuli plumbei trajectionem in uno per cerebrum, in altero per cerebellum, & cerebrum memoret; illum quidem *paulo poſt*, hunc vero *protinus* extinctum narret. Quanto igitur & citius, & certius cerebelli, quam cerebri vulnera ſoleant eſſe lethalia, ſatis a nobis confirmatum eſt. Nunc ad noſtras fiſſi, fractive cranii Obſervationes veniamus.

28. VIRGO annorum ſeptemdecim, pallidi coloris, cum amatore quocum vetuerat pater, forte loquebatur. Intervenit hic de improviſo, atque ut erat truculentus, nec omnino ſobrius, craſſo arrepto fuſte cum brachium, tum præſertim caput filiæ cædit ea vehementia, ut fuſtis rumpatur. Sic vulnerata, horis poſt quatuor defertur in Bononienſe Noſocomium S. Mariæ de Morte. Interrogantibus non reſpondet, pulſuque eſt humili adeo, ut ſanguinem mittere non audeant. Leve brachii vulnus erat, capitis autem & plura, & gravia, in his graviſſimum omnium unum, quod & præcipuo dolore afficere videbatur, pone aurem ſiniſtram, ex qua ipſa poſtea effluebat ſanies: qua non multum madebant vulnera. Intra dies circiter quatuor ægra cœpit, interrogata, reſpondere; ſed ut plurimum vix pauca, ut puta negans, aut ajens. Interim vehemens, frequenſque fit pulſus, & febris animadvertitur quotidie veſpertino tempore augeſcere. Tum menſtrua purgatio tempeſtive acceſſit: nec ad mortem uſque intermiſit: quæ perpaucis poſt diebus ſenſim, & placide ſecuta eſt, poſtquam febris ſemel dumtaxat, idque triduo ante obitum, levi, brevique cum frigore ingruerat. CADAVER hujus Virginis mihi A. 1704. in genitalium partium examine plurimum verſanti, perutile inter alia & virginum, & mulierum fuit ad ea indaganda quæ de hymene, de uterinæ cervicis valvulis, de menſtrui ſanguinis fontibus, aliiſque ejuſdemmodi in I. poſtea Adverſariis propoſui. Is ſanguis, etſi fluere, ut dixi, ad mortem uſque non intermiſerat, tamen, ut multo lentius extremo tempore prodibat, in craſſi cylindri formam intra vaginam, uterique cervicem non ſecus ac ſolet vitreis vaſis ex inciſa vena exceptus, concreverat, oſculumque uteri, & cervicem; niſi forte id tribuas naturali eo tempore illarum partium laxitati; dilataſſe videbatur. Neque in ea ſanguinea concretione pars omnino deerat ſubalba. Sed paucis adnotare præſtat quid in fundo uteri, & teſtibus peculiare animadverterim. Illius anterior facies ſulculis inæqualis erat tribus aut quatuor ſecundum longitudinem ductis. Teſtes autem conveſtiens membrana nonnullas parvulas quaſi cicatrices oſtendebat: quas inter in teſte altero quiddam apparuit ulcuſculo ſimile inæquali, & colore ex flavo nigreſcente. Per foramen quod ipſi inerat manifeſtum, a me tenue ſpecillum demiſſum, in cellulam non exiguam, ſed inanem, deſcendit. Veſiculæ autem quæ his in teſtibus non deerant, ſero plenæ, cum poſt coctionem diſſecarentur, nihil quidquam mihi oſtenderunt concreti humoris; ſed intra craſſiuſculam tunicam omnino vacuum ſinum. Verum hæc poſtea omnia conſpecta ſunt. Caput vero, jam antea perſectum, vulnerum omnium cinereum fœdumque colorem oſtenderat: & dum ejus detraherentur integumenta, fœdi alii colores, & inter hos niger, apparuerant. Detectum cranium Lambdoidem ſuturam habuit laxatam; ad eum autem locum in quo pone aurem vulnus graviſſimum fuiſſe, diximus, magnam fracti oſſis partem, ab reliquis adeo ſejunctam, ut nullo negotio leviter trahentem ſecuta ſit. Circumſecta, & intus, extraque inſpecta calvaria fiſſuras oſtendit duas, utramque tabulam pervadentes, quarum longiſſima ab eo incipiebat loco ubi magna illa fractura fuit. Cui loco reſpondens inferior pars ſiniſtri cerebri hemiſphærii tanto ſpatio corrupta erat, quantum occupaſſet parvum pomum. Cætera ſana deprehendimus, ſi Duram tantummodo meningem excipias, quæ levem quandam quaſi ecchymoſim habebat qua longiori illi fiſſuræ ſubjecta fuerat.

29. Præter hanc, aliaſque fortaſſe, illam quoque in eodem Noſocomio ſectionem habui huc attinentem quæ jam ſatis in Epiſtolis Anatomicis deſcripta eſt (*a*). Ex qua cum alia quæ his, & ſuperioribus Litteris attigi, tum illud præſertim confirmari videbis, eſſe aliquando effuſum ſanguinem non ubi icta, & fiſſa calvaria eſt, ſed intra oppoſitam ejus partem. Nunc ad aliquot Patavinas diſſectiones tranſeamus, initio ab ea ducto, in qua baculi pariter ictibus fiſſam calvariam conſpeximus.

30. VIR quidam ex Liguria luſcus, & mendicus; ebrius cum aliis ebriis mendicis rixatus, ictus ab horum baculis retulit duos, levem quidem in manu altera, gravem autem ad tempus ſiniſtrum; ut ex ſubjecta aure ſanguis exierit. Mox tamen conciliata pace, ibidem cum ipſis ad ignem conſidet, multoque iterum ſe vino, quaſi redintegratæ amicitiæ pignore, ingurgitat: nec multo poſt illa eadem nocte moritur. CADAVER poſtridie, quamvis extremo Januario A. 1746. etiam tum calebat, cum ante noctem in Gymnaſium illatum eſt. Ubi cum Anatomen docerem, inſequentibus diebus perſectum fuit; idoneum enim ad pleraque erat; tametſi ad imam tibiam ſiniſtram erat exulceratum, ſcrotum autem, quaſi ab ecchymoſi, ex rubro violaceum, ventremque in primis habebat tumidum. Abdomine enim diducto, tumorem a ventriculo eſſe, compertum eſt, quem vinum, & aer diſtendebant adeo, ut magis in alio non meminiſſem; cum inteſtina, Tenuia præſertim, eſſent ferme inania; ut fruſtra aliqui, ut in homine non multo poſt tantam vini ingurgitationem mortuo, chylifera aliqua vaſcula per inteſtina, & meſaræum ſe viſuros, ſperaverint: quanquam initio dum plenus etiam tum ventriculus manu ſiniſtrorſum attolleretur, pleriſque impoſuit per ipſum exterius pergens, parallelum gaſtroepiploicis vaſis, quaſi chyliferum vaſculum; quod tamen ſtatim perſpectum eſt aut nervum, aut aliud ejuſmodi eſſe, cum valvularum nullum haberet indicium, diſſectumque, & compreſſum nihil quidquam humoris daret. Ut abdomen, ſic meſaræum, & omentum, quod ſurſum retractum offendimus, flava pinguedine referta erant. Lien ex maximis quos viderim, ſecundum quamvis dimenſionem, ſed præſertim ſecundum latitudinem, & longitudinem, ſecundum quam erat a facie quidem ſima in ſe complicatus. Intus diluta fuit pallidaque rubedine; at nuſquam durus. Nec durum jecur, magnum quidem, ſed intra naturæ modum: ejuſque cyſtis plena bilis valde flavæ. Urinæ quoque veſica plena; ut ad tres digitos exſtaret ſupra oſſa pubis. Urethra ſine orificiis quæ in oculos incurrerent, canaliculorum noſtrorum; an a prægreſſo olim morbo? nam neque e præputio glans exeri poterat, niſi ex parte aliqua, ſine ſectione, neque ea pars quæ exeri poterat, illa erat in qua extrema hiat urethra. Intra ſcrotum nil vitii fuit. Nec intra Thoracem: in quo nihil erat adnotatione dignum, niſi quod in cordis caveis, & Magnorum vaſorum ſanguis omni caruit polypoſa concretione, quemadmodum & in cunctis reliquis hujuſce corporis vaſis. Caput autem plura obtulit quæ adnotaremus. Faciei muſculos omnes, & interjectas membranas, & glan-

(*u*) Annot. ad Hippocr. Epid. l. 7. S. 1. verſ. 377. prope fin. (*x*) Exerc. de loco aff. in Apopl.
(*y*) Diſſert. de mira Cran. Fract. §. 10. & ſeqq. (*z*) §. 12. (*a*) XIII. n. 16.

& glandulas Parotides fuſcus quidam ex coccineo rubor infecerat. Eæ glandulæ magnæ erant; an ob eandem, ſubſiſtentis videlicet ſanguinis, cauſam? an ob aliam quoque? nam & Thyroidæa, & in primis Maxillares Internæ erant magnæ: num in ejuſmodi lurconibus, quippe ſæpius, magiſque agitatæ, & exercitæ, grandeſcunt? Muſculus Temporalis ſiniſter, is videlicet qui ictus fuerat, totus, ſi partem fronti propiorem excipias, a ſtagnante ſanguine nigricabat, ea copia inter muſculi fibras effuſo, ut ad cochlearia aliquot, inter incidendum, exciderit. Cranio circumſecto; in quo pro Frontalibus pituitariis Sinibus ſpongioſa inventa eſt oſſis ſubſtantia; inter illud, Craſſamque meningem, qua ictui reſpondebant, ſanguinem ſemiconcretum offendimus ad duas treſve uncias, extenſumque a poſterioribus antrorſum ad quatuor aut quinque tranſverſos digitos, a baſi autem cranii ſurſum ferme tantundem. Ab ejus ſanguinis compreſſione meninx illa, & cerebrum evidentiſſime ſubſederunt tanto ſpatio, quantum ab illo occupatum fuiſſe, diximus. Porro ſanguifera vaſa per eam meningem, magiſque per Tenuem ſic erant diſtenta, ut vel minimi ramuſculi pulcherrime ruberent ubique, magis tamen a dextris, an quod in id latus, quippe minus dolore affectum, moriens cubuiſſet? an etiam, quantum ad Craſſam meningem attinet, quod hujus vaſa ob effuſum ſanguinem non æque a ſiniſtris plena eſſe poſſent, atque a dextris? quanquam & ad baſim dexteri cerebri hemiſphærii inter ipſum, & Tenuem meningem ad aliquem tractum effuſum ſanguinem animadvertimus; ſed paucum adeo, ut ſugillatio potius, quam effuſio, videretur. Parem proportione vaſorum plenitudinem ex grandiuſculis paſſim ſanguineis punctis in medullari non cerebri modo, ſed & cerebelli ſubſtantia fuiſſe, intelleximus; per Lateralium autem ventriculorum parietes ipſa diſtenta vaſa conſpeximus; quanquam in pauca, quæ iis ventriculis inerat, aqua ſubturbida Choroides plexus pallerent. His ita perſpectis, oculos convertimus ad exſectum cranium, & in ſiniſtro oſſe temporum ferme capillarem rimam, ſed ab exterioribus ad interiora pervadentem, animadvertimus. Incipiebat hæc digitulo tranſverſo ſupra eum locum ubi ſecta, ut ſolet, calvaria fuerat. Pergebat autem ad hujus baſim, & ad communes uſque ſuperiores fines intimi Meatus Auditorii, & Tympani ſe extendebat; quamobrem diſcludens utrumque Membrana diſrupta erat, hoc autem ſanguine plenum, & ille ſanguinolentus.

Compertis ſic cauſis quæ interna vaſa, externaque ruperant, & quod conſequitur, ſanguinis tum intra cranium, tum ex aure effuſi, reſtabat in homine quem luſcum fuiſſe, diximus, cæcus oculus examinandus. Is erat dexter. Cujus Adnata tunica confertioribus ſanguiferis vaſculis, quadam præſertim in parte, diſtinguebatur, ad Corneæ ambitum pertinentibus. Hæc non modo opaca, ſed & multo minor quam par eſt, nec ſolita figura erat. Tum demptus ex orbita oculus, ipſe quoque non paulo apparuit minor, nec ſphæram, ut ſolet, ſed unum ex iis quos noſtrates appellant *bottoni*, quibus videlicet in veſtibus pro fibula utimur, apprime referebat, facie altera depreſſum, altera in humilis coni modum extuberantem. Quarum tamen facierum cum hic illa eſſet anterior, hæc autem poſterior, multo longior erat diameter faciei anterioris, quam axis, ſeu recta linea ab hujus medio ad poſterioris medium ducta. Secundum quam lineam cum durum hunc oculum bifariam diviſiſſem, & nihil, niſi humor prodiiſſet, quem, niſi colore fuiſſet ſubatro, Aqueum vocaſſes; fruſtra Cryſtallini, aut Vitrei humoris reliquias quæſivi; ne veſtigium quidem ſupererat. Verum ſub contracta Sclerotica tunica Choroides erat cujus inter fuſcum colorem ſanguineus hic illic, ut ſolet, non obſcure apparebat, annexaque Choroidi Uvea, at non ſicuti hæc, integra; ut Iridem, & Ciliare corpus internoſcere non liceret. Univerſæ autem Choroidi pro Retina tenuis lamella ſuberat oſſea, quæ ab nervi Optici inſertione profecta, & undique integra, figuramque oculi quam deſcripſimus, ſervans, & aqueum de quo dictum eſt, humorem complectens, ad Corneæ uſque ambitum ſe extendebat, ubi arctius quam uſquam, ad Uveam adhærebat, quemadmodum vel poſteaquam diſſectum oculum ſex dies in aqua maceraſſem, iterum animadverti. Ejus lamellæ, revera oſſeæ, fruſta omnia adhuc aſſervo, quorum grandiuſcula nonnulla & figura, & adhærente Uveæ, & Choroidis portione, rei quam rariſſimæ; ſi tamen antea ab ullo conſpecta eſt; fidem facere iis qui tunc non aderant, præclare poſſint. Tunc vero cum ii qui aderant omnes & Rei Medicæ Doctores, & Studioſi ſatis ſuperque hæc cuncta ſpectaſſent, conſtaretque ex ipſa inſpectione, cæcitatem fuiſſe antiquam; quæcunque ejus cauſa fuerit, quæ neque ex mortuo quæri, neque ex aliis poterat, quippe mendici alienigenæ vitam alibi actam ignorantibus; non eſt viſum prætermittendum, ut quomodo ſe haberet Opticus ejus oculi nervus, inquirerem, & cum altero qui ſiniſtrum, nempe ſanum, petebat oculum, compararem. Manifeſtum igitur continuo omnibus vel ſine diſſectione inter unum, & alterum nervum diſcrimen fuit. Hic enim alter ita uti ſaniſſimus ſolet, ſe habebat. Ille vero depreſſior, tenuior, & colore carneo obſoleto ab eo loco ubi cum altero intra cranium conjunctus fuerat, ad oculum uſque conſpiciebatur. Quin toto eo tractu quo Craſſa meninge erat conveſtitus, cum in tranſverſum ſecuiſſem, quæcunque ſectio arteriæ cujuſdam potius, quam nervi, eſſe videbatur, quippe in ſe contracta, & craſſiore facta illa meninge, & tubuli ab ea efformati cavum mucoſa implente ſubſtantia illius ejuſdem quem modo dixi, coloris. In ipſa autem conjunctione ut res ſe haberet, quæri non potuit, cum ea pars in cerebri diſſectione fuiſſet antea fortuito læſa. Sed tamen ab eo loco introrſum ad tractum digitorum duorum nullum prorſus a quoquam adnotari diſcrimen potuit inter nervum dexterum, & ſiniſtrum; neuter enim, ut infra dexter, mollior erat, mucoſuſque, aut ſubrubens, aut extenuatus; ſed parem uterque firmitudinem, craſſitudinem, albedinem oſtendebant.

31. Etſi longior hiſtoria hæc fuit; non longam tamen ſatis erit adnotationem attexere. Velim igitur, quæ de Optico hujus cæci oculi nervo ſcripſi, cum iis conferas quæ Epiſtola habes XIII. (*b*) Meas omnes ſatis inter ſe convenire harum rerum Obſervationes, intelliges; hanc autem ultimam, quod ad oculum ipſum attinet, quidpiam multo & ſpectabilius, & rarius continere, tunicam videlicet Retinam totam ex molliſſima, & nervea in duram, oſſeamque converſam. Id enim cujus raritatis ſit, inde poteris exiſtimare, quod cum poſtea in rem hujus noſtræ ſimilem incidiſſet Anatomicus Eruditiſſimus Hallerus (*c*); *lapillos*, inquit, *aliquos in lente cryſtallina repertos fuiſſe*, *legi; ejuſmodi autem* retinæ *morbus neſcio an viſus ſit*. Non adeo raræ ſunt; raræ tamen ſunt in aliis quoque oculi ipſius partibus ſive in oſſeam, ſive in lapideam naturam mutationes. Noli enim facile credere, tot eſſe conſpectas quot in Collectione quadam recenſentur; niſi prius in libris invenias qui nimis properanter, ut opinor, ſunt in ea deſignati. Mihi certe quatuor, aut quinque ex iis qui in manibus erant, inſpicienti, præter ſpem accidit, ut vel nihil, vel nihil ad rem in locis reperirem quæ indicantur, uno excepto, perperam tamen indicato, quam inſuper ad Scleroticam tunicam attinere, animadvertes, non *oſſeam* quidem, ut dicitur, *inventam*, ſed oſſeam habentem ſquamulam quæ ipſi inhærebat, ſi Blaſium inſpexeris, non *L. 6. c. 8*; ſed *P. 6.* Obſ. Med. 8. cum Tab. 8. Fig. 13. qualem bracteolam ſe vidiſſe poſtea *inter choroideæ laminas*, Gunzius (*d*) ſcripſit. Sed Cl. Morandus (*e*) exemplum protulerat multo antea, ut in ea Collectione omitti non debuiſſet, rarum præſertim, atque, ut ait,,

(*b*) n. 7. & ſeqq. (*c*) Opuſc. Pathol. Obſ. 53. (*d*) Progr. de Ozæna Maxill. prope fin.
(*e*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1730.

ut ait „ fortaſſe unicum „ oſſificationis intra oculi globum. Nam præter humorem Cryſtallinum qui „ conſiſtentia erat duriſſimi lapidis, non tenue inter Choroidem, & Retinam tunicam deprehendit oſſiculum, poſterius convexum, anterius cavum. Denique, ne de iſtiuſmodi partium oculi indurationibus aliud addamus; quale nos in muliere oſſiculum, Cryſtallini loco, offenderimus, alias (*f*) ad te ſcriptum memineris. Cætera quæ in hiſtoria noviſſime propoſita ad ictum attinent capitis, poſt ea quæ his, & ſuperioribus Litteris ſæpe attigimus, ſupervacuum eſſe, vides, hic iterum explicare. Sanguinis autem per aurem exitum, qua via & ratione in Viro hoc contigit, eadem in aliis quoque contigiſſe, quos videlicet Epiſtola hæc (*g*), & Epiſtola item XIII. (*h*) proponunt, ſatis, etiam me tacente, per te memineris.

32. BAJULUS annos natus necdum quadraginta, egregio corporis habitu, ebrius cum eſſet, inter incedendum cecidit, frontemque graviter alliſit, unde magna ibi ſugillatio. Et tunc quidem vomuit. Sed nullum poſtea ſymptoma apparuit præter unum, idque graviſſimum, ut torpidus jaceret, nihil ſumens, nihil loquens, niſi quod ubi Chirurgi aliquid agerent quod dolorem afferret, tunc vehementer querebatur, magnumque edebat clamorem. Sic illatus in Noſocomium, intra quartum a caſu diem eſt mortuus, cum ibi ego anatomica ſtudioſis oſtenderem ſub initium Decembris A. 1741. FRONTIS os qua alliſum fuerat, vidi rima bene longa exterius, interiuſque diffiſſum, cui rimæ ſanguis intra cranium grumoſus ſuberat; ſed non multus. Neque aliud prætcrea offendi quod ad ictum attineret. Nam oſſiculum, quod haud ita procul deprehendi, inter Craſſam, Tenuemque hujus Viri meninges conditum, jam diu ante id tempus ibi increviſſe, ex ejus deſcriptione intelliges, quam XXV. ad te Epiſtolæ (*i*) inſerui, neque ullo modo pro ſquama haberi potuiſſe, quæ ictus vi ab interiore oſſis facie decuſſa, intra meninges ſe conjeciſſet, ut in Fabro illo murario, cujus diſſectionem habes apud Cl. Fantonum (*k*), acciderat.

33. In eodem Noſocomio Patavino meis frequentiſſimis Auditoribus, quos inter ingenio, ſtudio, aſſiduitate præſtabat Vir Nobilis Jacobus de Scopulo, is qui paucis poſt annis merito inter Publicos Profeſſores relatus, Medicus eſt Conſultiſſimus, ſi quis alius, & diſertiſſimus, ibidem, inquam, demonſtravi quæ fracta eſſent ex caſu ab alto in Viro quodam ſub initium Aprilis A. 1740. itemque in Juvene ante Novembris finem A. 1742. Quæ tametſi ad thoracem quoque attinent; tamen quia caput graviſſime læſum fuerat, huc adſcribentur.

34. VIR dum altam vitem putaret, in ſolum lapidibus ſtratum præceps ruit. Loquendi facultatem continuo amiſit. Cum ſemivivo ex liquore neſcio quo cardiaco, ut vocitant, aliquid in os ingeſſiſſent, evomuit: & quanquam pulſus qui contracti fuerant, ſe proderent; tamen cæteris omnibus in pejus tendentibus, alvique, & veſicæ recrementis per ſe exeuntibus, mors intra quartam a caſu horam eſt conſecuta.

CADAVER, cujus ex ore, & naribus ſanguis prodibat, trigeſima a morte hora etiam tum erat omnino rigidum, nec ſine vehementiori vi flexile. Sinciput non uno loco ſugillatum, ſed ibi maxime ubi communes ſunt ejus, & frontis fines. Et ſane os frontis mox vidimus intus, extraque, per medium ferme, rima diffiſſum, quæ a ſincipite recta deſcendens, & per fornicem orbitæ oculi dexteri haud procul ab Ethmoide oſſe pergens, poſtquam ſic totum os frontis pervaſerat, in eam denique partem oſſis Sphenoidis tranſibat per quam in orbitam ſe ſe trajicit nervus Opticus. Ex quo fiſſuræ itinere cum intelligas, per Frontalem Sinum pituitarium non ire non potuiſſe; intelligis quoque ſanguinis viam, e naribus, ut dictum eſt, & per communicationem harum cum faucibus, ex ore etiam prodeuntis. Sub Craſſa meninge ad anteriora fluidum ſanguinem, eumque non multum, nec multum quoque, & pariter fluidum, imo quaſi cum aquæ aliqua parte commiſtum in Laterali utroque ventriculo deprehendimus: qui cum fluidus eſſet, minus mirandum eſt, quod etiam in tertio, imo & in Tranſitu ad quartum ventriculum fuerit, quo videlicet, præſertim dum moveretur cadaver, facile meare potuerat.

Thorace recluſo, & pulmonibus, qui ſi partem ſiniſtri ſummam excipias quæ per tæniolam membraneam tenuiſſimam cum pleura nectebatur, undique ſoluti erant, mollibus, & concidentibus in ſe repertis, & omnino ſanis, tametſi qua dorſum ſpectabant, ita ut par eſt in eo qui ſupinus mortuus erat, quaſi ab inflammatione rubebant, cum ſublati eſſent manibus, tantum ſanguinis fluidi in utrumque pariter thoracis cavum, ſed tamen aliquanto plus in dexterum effuſi, conſpeximus, quantum libras ſex ſupeaſſet. In pericardio ſerum limpidum exigua copia. Arteriæ Pulmonaris, & Magnæ truncos pinguedine, licet homo non eſſet pinguis, quaſi omnino tectos, ut & cor ipſum offendimus, in hujus autem ventriculis nigri, & quadantenus grumoſi ſanguinis parum, niſi quod ad dexteri orificium venoſum mediocris polypoſa concretio fuit; unde Studioſi noſtri vera eſſe quæ adverſus vulgarem de harum concretionum origine errorem ſæpe admonueramus, intelligere potuerunt, cum illa certe in homine, quem, ſi hydrocelem exciperes, ſaniſſimum fuiſſe, conſtabat, non niſi poſt mortem, aut paulo ante mortem, inter fibrillas Tricuſpidum valvularum ſubſiſtentibus craſſioribus & viſcidioribus particulis ſanguinis, coaleſcere potuiſſet. Tum his viſceribus ablatis, & exhauſto ſanguine de quo dictum eſt, cum vaſa unde is in thoracem effuſus eſſet, perquirere vellemus; Intercoſtalia fuiſſe, cognovimus, quippe utrinque coſtis aliquot ex ſuperioribus haud procul a Spina ita perfractis, ut inæqualia earum extrema, pertuſa pleura, intra thoracem prominerent aliquantum. Eratque ad ea, & circum ea loca ampla ſugillatio a ſanguine ſub pleura ſtagnante. Revoluto autem in ventrem cadavere, ablatiſque dorſi muſculis, non modo ſanguinem, qui ſub his pariter, imo majori aliquanto copia, ſtagnaverat, ad coſtas eaſdem oſtendi, ſed & rem in eo qui cadens os frontis fregerat, intellectu non perfacilem, nimirum præter coſtas, ſex dorſi vertebras ex ſuperioribus ita fractas, ut earum non parva fruſta ab iiſdem penitus eſſent diviſa. Sed de re hac quid conjiciam, infra (*l*) videbis. Nunc ex vertebrarum illarum, & quod conſequitur, ex Medullæ incluſæ tanta læſione cur excrementa retineri non potuerint, vides. In Ventre nihil humoris effuſi, nihilque præter naturam ſe habens invenimus, ſi jecinoris particulam aliquam excipias ſubnigram, itemque in ſcroto hydrocelem geminam: cujus cum tibi alias (*m*) deſcriptionem miſerim, hic non oportet iterare. Et Vir quidem ita ſe habuit.

35. JUVENIS autem annos natus viginti quatuor, toroſus, arte lanarius, cum ex alto pariter cecidiſſet, intra horas pariter a caſu quatuor interiit. Hic tamen cum primum ad lapſum accurſum eſt, interrogantibus potuit pauca reſpondere: dein continuo loqui deſiit. CADAVERIS artus erant rigidi duobus a morte exactis diebus; tertio autem exacto, non amplius. Sinciput a ſiniſtris cum muſculi Temporalis parte ſugillatum. Dum cranium circumſecarent, ſanguinis non parum effluxit. Cujus tamen inter illud, & Craſſam meningem tantum ſupereſſe, mox vidimus, quantum uncias tres æquare, aut quatuor poſſet. Erat niger, & in grumos concretus, neque alibi quam ſiniſtro in latere infra os ſincipitis, & ad cranii baſim. Itaque in Lateralibus ventriculis cum ſerum eſſet non paucum, nonnihil quidem turbidum, ſed nullo modo cruentum vidi. Nec valde rubebant plexus Choroides: vaſa tamen erant in meningibus turgidiora. His; neque enim alia erant præter naturam intra cranium; animadverſis, cranium ipſum inſpiciens, fiſſuram quam in ſiniſtro oſſe ſincipitis incipientem videram, perſecutus, conſpexi per ſubje-

(*f*) Epiſt. 13. n. 10. (*g*) n. 25. (*h*) n. 16. (*i*) n. 8. initio. (*k*) De Obſerv. Med. & Anat. Epiſt. I. (*l*) n. 36.
(*m*) Epiſt. 43. n. 25.

ſubjectum os temporum pergentem ad proceſſum uſque Petroſum, inde autem eandem, aut ſi aliam, cum ea conjunctam, per interjectam oſſi temporum, & frontis, Sphenoidis partem, hac percuſſa, in eam produci poſtremam oſſis frontis regionem quæ orbitæ oculi extremum fornicem facit. Erat autem hæc tam longa fiſſura per craſſitudinem oſſium univerſam traducta; ut ſi altera manu anteriorem, altera autem poſteriorem eorum quæ diximus, oſſium partem prehenderes, & in diverſa duceres; manifeſto cedere, & dimoveri, perciperes. Thoracis quoque oſſei parietes fracturis non carebant. Nam præterquam quod fracta erat clavicula ſiniſtra, cum animadverſus eſſet in dorſo livor qui prope Spinam, a ſiniſtris pariter, tractum alibi anguſtiorem, alibi latiorem occupabat; recluſo pectore, exhauſtoque ſanguine qui ad duas treſve uncias effuſus in cavum illius ejuſdem lateris inventus eſt, amplam ecchymoſim ſub pleura vidimus, in eaque unam ſaltem ex coſtis quæ circa medium longitudinis thoracis ſunt, qua a poſterioribus antrorſum curvari, incipiunt, ita fractam ſine ulla dubitatione percepimus, ut adhærentia Intercoſtalia vaſa cum pleura lacerari, & ſanguinem fundere introrſum, extrorſumque debuerint. Cæterum pulmones, quod in Lanariis non ſæpius vidimus; omnino erant a pleura ſoluti, niſi quod cum ea per membranulam ſumma dumtaxat anterior pars dexteri colligabatur. In pericardio non multum ſeri; in corde nullæ polypoſæ concretiones inventæ. Abdomine diducto, nihil occurrit vitioſum præter ureteres, non modo alibi, ſed vel in ipſo in veſicam ingreſſu æquo latiores; ut minus mirandum eſſet quod veſica quam aere diſtendendam curaveramus, parem ferme in ſummo atque in imo latitudinem oſtendiſſet.

36. Sæpe enim, ut alibi (*n*) oſtenſum eſt, ureterum latitudo multum, diutiuſque cohibitum in veſica lotium conſequitur, ex quo hanc laxari, laxatæque figuram vitiari, non difficile contingit.

Verum, ut ad fracta in hoc Juvene oſſa redeamus; cum fracturæ omnes a ſiniſtris conſpectæ ſint; facile in hoc, quod difficilius in Viro (*o*), intelligitur, quomodo ſimul capitis, & thoracis oſſa ſint fracta, Juvenis videlicet corpore in ſiniſtrum latus cadente; cum Virum conjicere oporteat in durum aliquod inter cadendum incurriſſe, unde fracto anterius capite, & mutata corporis directione, tergum denique allidere ad ſolum potuerit. Cæterum inter alias fiſſuras cranii hæc præſertim poſtrema, ea longitudine, iiſque in ſedibus occurrit, ut cum illis quæ ab Ruyſchio (*p*), a Poupartio (*q*), a Maucharto (*r*), a Schreibero (*ſ*), ab aliiſque propoſitæ ſunt, conferri a te poſſit, ut magis illud ſemper, magiſque appareat, ſuturas, commiſſuraſque calvariæ non ob eum potiſſimum finem eſſe inſtitutas, ut fiſſuræ oſſis unius curſum inhibeant, neque in oſſa proxima produci ſinant. Quod Bononiæ primum mihi animadverſum eſſe, memini, in cadavere A. 1702. publice diſſecto, cujus cranium ab alterius lateris ictu fiſſuram habuit Coronali ſuturæ parallelam, ſed multo quam ea longiorem, ut quæ pone ipſam per totum ferme cranium, baſi excepta, ferebatur, utramque tabulam pervadens. Quam Obſervationem, ſi cætera tunc perſcripſiſſem, non eram certe inter ſuperiores prætermiſſurus.

37. Antequam de calvariæ ictibus verba facere deſinamus, illud non eſt prætereundum, utraque ejus tabula prorſus illæſa, illæſiſque ſubjectarum meningum vaſis, accidere aliquando ab ictu valido obtuſi corporis, ut vaſcula quæ inter eas tabulas medullæ ſubſerviunt, rumpantur, & ſanguinem fundant, qui procedente tempore corruptus, eoque acrior factus, quod *ſuccus medulloſus*, ut animadvertit Præcl. Nicolaus Roſén (*t*), admiſcetur, qui tunc *mora & calore in peſſimam degenerat rancedinem*, interiorem tabulam carie afficiat, hominique, jam ictus oblito, & nihil ejuſmodi timenti, intro defluens, meninges vitiet, necemque afferat. Cujuſmodi caſus exemplum non unum & mihi eſt, & aliis notum, fuitque laudatis a Bohnio (*u*) Auctoribus, ut Jo. Petro Paſſerio, eique præſertim ex cujus in Hippocratem de Capitis Vulneribus Commentariis nullam calvariæ ſectionem fuiſſe, miror, in hanc partem Sepulchreti relatam, Petro Paawio. Fit etiam nonnunquam, ut ambæ inde exedantur tabulæ, quemadmodum præ cæteris vidit, fuſeque ad me ſcripſit Vir, cum viveret, non minori humanitate, quam doctrina, præditus Pius Nicolaus Garellius Eques, & Archiater Cæſareus. Res digna eſt quam, ſaltem in pauca contractam, hic tibi non omittam.

38. MULIER per marmoreas ſcalas retrorſum ruens, occiput vehementer alliſerat; ſed præter brevem, levemque adeo ſtuporem, ut mox per ſe redire domum potuerit, modicamque, & quæ cito evanuit, ſugillationem, nihil tum mali inde retulit. Poſt aliquot tandem menſes in percuſſa capitis ſede tumor apparuit avellana haud major: qui cum dolorem afferret nullum, a muliere neglectus, ſenſim increvit, ut tertio circiter jam exacto anno, eſſet magnus: quo tempore a Chirurgis quibuſdam pro cyſtico ſubcutaneo tumore habitus, ut qui neque cutis colorem mutaſſet, & ſine dolore premi poſſet, ab ipſis, niſi mulier renuiſſet, fuiſſet exſectus. Paulo poſt doloribus ægra torqueri cœpit, qui a tumoris ſede incipientes, per cranium ferme univerſum ita extendebantur, ut hoc funibus quaſi quibuſdam ſibi conſtringi videretur. Non erant illi quidem aſſidui, nec ſemper æque graves, nonnunquam tamen graves adeo, ut mentis perturbationem inducerent: quo autem magis procedebat tempus, eo crebriores, & vehementiores fiebant. Per hæc ad annum a caſu ventum eſt ſextum. Quo elapſo, ecce de improviſo apoplexia ingruit, paucaſque intra horas mulierem perimit Vindobonæ A. 1735. TUMORE aperto, ejus cavum ſanguine plenum inventum eſt pene atro, nec concreto ſolum, ſed tam denſo, ut arreptus digitis ſecutus ſit univerſus, tunc demum portione aliqua fluidi ſanguinis exeunte. Id vitium, detractis integumentis, incipere compertum eſt a percuſſa olim parte, ideſt ſuperiore oſſis occipitis ad latus ſiniſtrum, pergere autem per os ſincipitis ejuſdem lateris uſque eo, ut tribus, haud amplius, tranſverſis digitis a Coronali ſutura diſtaret. Occupabat inſuper dexteri oſſis ſincipitis partem, ut omnis caries ſex digitos in latum, ſeptem, eoque amplius in longum pateret. Qua oſſa non erant omnino pertuſa, reticularis oſſea apparebat ſubſtantia, e cujus exteriore facie attollebant ſe paſſim lamellæ oſſeæ, pleræque ut craſſiuſcula charta tenues, ſed duriſſimæ omnes, & acutiſſimæ: quæ foliaceos quaſi fungos, alios alia amplitudine, per vegetationem quandam oſſeam enatos, non ineleganti ſpectaculo referrent. Dura meninx facta erat craſſiſſima toto eo ſpatio quo vitiato cranio ſubjiciebatur, hujus autem parti quæ icta olim fuerat, multo arctius adhærebat. Per eandem meningem repentia vaſa cum a dextris naturalem ſervarent modum, a ſiniſtris valde erant turgida, & dilatata, eorumque in ſana, quæ eodem in latere ſupererat, calvariæ parte veſtigia ſpectabantur multo quam a dextris, ampliora, & profundiora. Quod reliquum eſt, vaſa quoque plexus Choroidis ſanguine multum diſtenta, & ſeri effuſi portio aliqua ſub cerebri baſi reperta eſt.

39. Cæterum in ea erat opinione Garellius, violatas, compreſſaſve ictuum occaſione arteriolas quæ non modo inter cranii tabulas, ſed & intra alia ſint oſſa, dilatari, & in aneuryſma diſtendi, & cariem vel priuſquam rumpantur, ut adſita oſſibus aneuryſmata ſolent, vel rupta parere. In eamque opinionem adductus fuerat a tribus quæ cum deſcripto cranio aſſervabat, femoris oſſibus. Quorum unum tumorem oſtendebat in quem dilatatum fuerat ad pugni magnitudinem, carie exeſum paſſim atque pertuſum, treſque oſſeas emittentem pro-

(*n*) Epiſt. 42. n. 23. (*o*) n. 34. (*p*) Obſ. Anat. Chir. 47. (*q*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1700. Obſ. Anat 19.
(*r*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 32. & Cent. 9. Obſ. 39. in Sutore. (*ſ*) Nov. Comm. Imp. Acad. Sc. Petropol. Tom. 3. in Phyſi. Obſ 3.
(*t*) Diſſert. de Oſſib. Calvar. P. 1. §. 1. not. *f*. (*u*) Diſſert. de Trepanat. Difficult. prope finem.

productiones ; quarum maxima digitum longitudine, & craſſitudine æquabat ; ſimul autem foramen per quod arteria os ſubibat, peranguſtum alias, in eo oſſe adeo amplificatum, ut nullo negotio minimum admitteret digitum. Oſſa duo reliqua præter fracturam, quæ olim præceſſerat, conſolidatam, affectum carie habebant tumorem, & pro arteria inſculptum oſſi foramen pariter dilatatum. Itaque hoc morbi genus necdum quantum mereret, illuſtratum, explicatumque cenſebat. Sed hæc ex ejus ad me Litteris hactenus. Tumorem autem quem ipſe in fœmina iſta vidit, & ſede, & diuturnis, graviſſimiſque doloribus, & incluſo ſanguine, & ſubjecta cranii parte oſſeis prominentiis acutis aſpera, conferre quadantenus cum eo poteris qui ex Anglicis Philoſophicis *Tranſactionibus* commemoratur in laudata alias, quæ ſub Cl. Kulmi præſidio Gedani A. 1732. propoſita eſt, Diſſertatione (*x*): externa vero cauſa ſpectata, & tumoris tardo poſt ictum initio, & nullo diu, poſtea autem acerbo, quamvis non continuo, dolore, & cranii carie, hiatuque non modico, poſſis magna ex parte cum eo comparare quem in altera muliere ab Jo. Saltzmanno (*y*) adnotatum habemus.

40. Ad Caput, univerſe acceptum, cum vulnera illa quoque attineant quæ faciei infliguntur ; curſim huc aliqua adjungere viſum eſt de oculorum, naſi, labrorum, linguæ vulneribus. Ac de iis quidem quæ non tam oculorum ſunt, quam orbitarum, & cerebri, ſuperiore Epiſtola ſcriptum eſt. Quibus & illa adjicias quæ toto orbitæ cavo emenſo, per hujus foramina, ultimoſque parietes ad cerebrum in hominibus aliquando, ſemper autem in iis ovibus pervenerunt quas Romæ Wepferus (*z*) cunctas vidit omni ſenſu, motuque privatas ſtatim ac lanio cultrum ad manubrium uſque in alterutrum oculum immiſerat : quod *non niſi carotidibus juxta infundibulum abſciſſis, ventriculis* omnibus *integris permanentibus*, *factum* Wepferus *non dubitabat*: quanquam, ſi, quod obvium erat facere, ſic mactatarum cranium ipſe diſſecuiſſet ; in quibuſdam fortaſſe convulneratum quoque aliquem ex ventriculis deprehendiſſet. De oculi autem ipſius vulneribus per quæ humores effunduntur, ſi quidem Aqueus tantummodo effuſus ſit, nec quidquam punctum, aut inciſum, niſi Cornea tunica, bene ſperandum eſſe, jam Ariſtoteles (*a*), Celſus (*b*), Plinius (*c*) exemplo hirundinum, columbarum, palumbarum, lacertarum viridium, muſtelarum quoque indicaverant prius quam poſt Galeni (*d*) in puero Obſervationem, Galeni etiam aſſeclæ tum in hominibus, tum in aliis animantibus confirmarent. Sed Vitreo humore, & multo magis Cryſtallino effuſo, num recte, ut antea, cerni poſſit: id vero eſt quod difficile credant ii qui humores hos per Corneam ejicientes, ut Iris, & Ciliare corpus labefactentur, animadverterint, quorum utriuſque integritas ad perfecte videndum eſt neceſſaria ; ne de Retina quidquam dicamus, ſine qua videri non poteſt, quæ ſubducto Vitreo humore collabaſcit, aut certe corrugatur. Fac tamen, Aqueo humore, ut ſua in ſede, ita in reliquis forte quibuſdam Vitrei cellulis rurſus collecto, has, & ſiquæ compreſſæ intra has latebant, diſtendi, & Retinam explicare ; num Cryſtallinus humor, per vulnus temere inflictum cum Vitreo elapſus, gignetur iterum ? qui poſteaquam a dextero Chirurgo depreſſus eſt, non reparatur : eſtque adeo ad optime videndum neceſſarius, ut illi quibus depreſſus eſt, norunt. Et ſane de hujus reſtitutione unanimiter deſperaſſe qui de Vitreo non ambigebant, ex illo Elsneri Scholio (*e*) apparet: in quo tamen qui expreſſos oculi humores omnes, & viſum priſtinæ integritati ante Burrhum reſtituiſſe credebatur, commemorat, & Thomæ Bartholini de eodem Burrhi experimento quoddam teſtimonium profert, non prolaturus, ſi legere tunc potuiſſet, quid non privatis litteris preſſius, ſed publico ſcripto fuſius de unius, haud amplius, a ſe viſi hujuſmodi experimenti ſucceſſu, eoque dubio, & imperfecto, teſtari ſe poſſe, ſcripſit perpaucis poſt annis idem Bartholinus (*f*). Nec vero Chirurgus Scriverius (*g*), is qui ad Bartholinum ſcribens de oculi humoribus, a Burrho, & ab ſe quoque anſeri expreſſis, & reſtitutis, *dubium ſibi eſſe*, negabat, *idem in aliis omnibus contingere volatilibus*, viſum perfecte reſtitutum eſſe, affirmavit, ſed *ex parte*, & *non æque feliciter* ſive in anſere, ſive in gallo, gallinaque, in quibus periculum fecit. In hac tamen renatum fuiſſe humorem Cryſtallinum intra octo hebdomadas, ſcribit quidem, ſed necdum ad juſtam perveniſſe magnitudinem : & quanquam addit, *ſi adhuc per aliquot aſſervata fuiſſet* hebdomadas, *dubium non eſſe, eum ipſum plane reſtituendum fuiſſe*; dubios tamen relinquit legentes, quippe cum poſtea in re tam facili experimentum non iteraverit, ut in longius tempus produceret. Sed & Zambeccarius (*h*) cum olim affirmaſſet, ut humoris Aquei regeneratio merum (quod fatetur) Naturæ eſt opus, ſic ejuſdem Naturæ opus eſſe *humoris Vitrei, & Cryſtallini regenerationem & reſtitutionem* ; *quid autem ex ejuſmodi regeneratione accideret, ſe alia vice eſſe elocuturum*; nunquam deinde, quod ſciam, etſi diutiſſime vixit, ea de re edidit quidquam. Imo ſcio, Sancaſſano, de eadem per litteras quærenti, A. 1724. reſpondiſſe, ſibi poſtquam ea ſcripſerat,, non fuiſſe tempus periculum faciendi : tamen credere, poſſe duos illos humores iterum gigni, ſed tardius Aqueo: id autem credere tum quia ex Benevolo conſtaret, quibus Cryſtallinus humor acu fuerat propter opacitatem depreſſus, ad hujus implendum locum Vitreum proceſſiſſe, tum quia hi duo humores nutriuntur, nutritio autem eſt generatio, itaque ut nutriebantur, ſic iterum gigni poſſe. Quæ ideo protuli, ut quid expectari ab illo potuiſſet, exiſtimes. Denique cum Theodorus Kerckringius (*i*) diſerte aſſeveraſſet, ſe *cuilibet oblato animali paſſim diſcindere oculos, exprimere omnes humores, eoſque ſpectatoribus etiam auferendos tradere, atque exiguo tempore viſum in integrum reſtituere : idque aliquando exercitationis cauſa ita effeciſſe, ut uni eidemque cani unum eundemque oculum tertio diſcinderet, ac tertio ſanaret* ; quæro ex te, ſi revera *omnibus* expreſſis humoribus, viſus revera *in integrum* reſtituebatur, quæro, inquam, ex te, quid cauſæ eſſe, putes, cur induſtrii ejus Anatomici cum cætera adhuc memorentur, res iſta eximia una adeo a longo jam tempore ſileatur, ut ejus quaſi intermortua memoria, ne mentio quidem ab Eruditiſſimis Viris nunc fiat in recenſendis aliorum huc ſpectantibus experimentis ?

41. Ad Naſi autem vulnera ſpectant quædam etiam ex mirificis illis quæ ad cerebrum attinuiſſe credita ſunt, velut quod ad Wepferum (*k*) ſcriptum eſt fuiſſe Equiti Polono inflictum, ſagitta ab uno capitis latere ad alterum ſic adacta, ut ex æquo exſtaret utrinque. Cum enim infixa fuerit *infra temporum oſſa verſus prominentiam oſſium jugalium utriuſque lateris*, Eques autem *præter febrem ſymptomaticam, vix alia graviora, quam quæ vulneratos communiter comitari ſolent, paſſus ſit ſymptomata*; mihi quidem non modo infra cranii baſim, ſed per Maxillarium Sinuum, & naſi caveas fuiſſe videtur ſagittæ via. Ad Sinus quoque, alios quidem, ſed pariter ad naſi cava pertinentes, ſpectaſſe, conjicio, vulnus illud quod ex Procopio Freindius (*l*) refert. Subiens enim *ſupra dextrum oculum juxta os* naſi, *ſagittæ cuſpis ferrea, utcunque ampla ac longa, ita alte deſedit, ut conſpectum effugerit* annos plures ſine dolore, & moleſtia ; ejuſmodi intelligo quæ nobiliorem indicaret cuſpidis ſedem. Excepta enim Frontali Sinu, eique proximis Ethmoidæis, & denique Sphenoidæo, ſatis ſpatii, in magno præſertim capite, habere potuit, ubi ſine præſtantium partium injuria deliteſceret, quamvis longitudine, & ferme etiam craſſitudine minimum digitum æquaſſet. Sic etiam cum ſcite explicavit Hildanus (*m*), cur lethale non fuerit vulnus ſub oculo incipiens, & in oppoſita ſuperiore cervicis regione deſinens, & viæ ferri partem primam per Maxillarem Sinum poſuit ; id pariter vulnus pro illa parte ad naſum attinuit.

(*x*) De Exoſt. Steat. Clavic. c. 2. §. 22. (*y*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 100. (*z*) Exerc. de loc. Aff. in Apopl.
(*a*) Hiſt. Animal. l. 6. c. 5. (*b*) De Medic. l. 6. c. 6. n. 39. (*c*) Nat. Hiſt. l. 29. c. ult. (*d*) De Sympt. Cauſ. l. 1. c.2.
(*e*) ad Obſ. 12. Dec. 1. A. 1. Eph. N. C. (*f*) Act. Med. Hafn. A. 1672. Obſ. 132. (*g*) Ibid. Obſ. 133. (*h*) Experim. circa diverſa e viv. exect. Viſcera. (*i*) Spicileg. Anat. Obſ. 100. (*k*) Exercit. ſupra ad n. 40. cit. (*l*) Hiſt. Medic. ad A. 560.
(*m*) Cent. 4. Obſ. Chir. 2.

nuit. Sed & ipſe Bononiæ vidi vulnus per ſe magnum, ad ſpeciem autem multo maximum, ut pote quod ſimul ad utrumque eum Sinum, ſimul ad naſum externum, & ad oſſa huic ſubjecta non modo ſpectabat, ſed ita illorum cava reſeraverat, & ſanguine fœdaverat, ut ad grandem inflicti vulneris hiatum, naturali eorum cavorum profunditate accedente, horrendum viſu ſpectaculum ſe ſe offerret. Fiſtula enim ferrea, quam *archibuſo* appellant noſtrates, cum forte pyrii pulveris vi, nimia copia incluſi, hoc accenſo, diſſiliret, pu ero naſum, & de Maxillari utroque oſſe tantum abſtulerat, ut Maxillares ambo Sinus ſimul cum caveis naſi paterent, quæ eo quoque apparebant majores, quod ea pars etiam illius utriuſque oſſis quæ naſo, atque ori interjicitur, anterius partim abſumpta erat, partim fracta deorſum pendebat, ut plumbeum tubum inter eam, & inferiorem maxillam interponere oportuerit, per quem, donec pars fracta conſiſteret, & penicilla, ac linteola medicamentis illita, de naſi caveis demi poſſent, puer aleretur, & ſpiritum duceret. Servatus eſt enim Pauli Piellæ Medici, & Chirurgi Experientiſſimi diligentia. Quem ego, non modo alios qui una adſtabant, horrore primum perculſos, & ab inſolito, miſerandoque ſpectaculo ſe avertentes conſpexi, cum ſtatim ab accepto vulnere puero in Noſocomium delato, cruenta ejus facies retecta eſt; adeo amplum profundumque primo aſpectu viſum eſt vulnus, quod mox attentius contuendo, & cum partium naturali, ex Anatome nota, ſtructura, & diſpoſitione comparando, graviſsmum quidem, & magnum, ſed multo reapſe minus profundum eſſe, quam videretur, cognitum eſt.

42. De vulnerato autem Labro illud memini. Cum alter eadem ferme ætate puer, annorum videlicet, ad duodecim, ſed Generoſiſſimæ Stirpis, inter currendum in faciem cecidiſſet, fregiſſetque in transverſum ad marmoreum pavimentum unum ex ſuperioribus dentibus Inciſoriis, ab ea dentis parte quæ abrupta fuerat, ſuperius labrum transfixum eſt. Jamque attenta Chirurgorum cura, circumjecta vulneri labri pars detumuerat, molliorque erat facta: neutrum tamen vulneris orificium ad glutinationem vergebat; imo huic flaccidior humidiorque in vulnere caro pertinaciter repugnabat. Extranei aliquid intus latere, ſuſpicabamur; ſed quod reapſe latebat, id nemini in mentem venire poterat, cum abruptam dentis partem, ut ea vulneris orificium exterius fecerat, ſic illac excidiſſe; & æger, & domeſtici omnes jam inde ab initio tum pro certo credidiſſent ipſi, tum mihi Chirurgiſque affirmaſſent. Ea tamen ipſa pars dentis intra vulnus condita erat: qua facile detracta, vulnus cito, nulloque negotio ad cicatricem perductum eſt. Ex quo diſces, in ejuſcemodi examinibus nulla, etiam veri ſimillima, narratione ſtare oportere, niſi eorum qui rem ſuis ipſi oculis ſe pervidiſſe, teſtentur.

43. Atque utinam ſicut is Puer feliciter poſtea adolevit, & nunc inter primarios Inclytæ ſuæ Civitatis Patricios floret, ita alter quoque, non inferiore loco natus, cum ex ſuo vulnere ipſe quoque convaluiſſet, non eſſet poſtea multo graviore morbi genere Nobiliſſimæ Familiæ ereptus. Erat is trimulus, cum luſitans lapſus eſt, mentumque ad marmoreum gradum allidens, linguam tunc forte exertam, inter dentes ita compreſſit, ut incideret, & obliquo vulnere, minimum transverſum digitum longo, nec minori ferme ab extremo apice intervallo illam anteriorem linguæ partem ab reliqua tantum ad tractum prorſus divideret, quantus eſt ab laterali ora ad lineam medianam. Parentes, & Conſanguinei omnes mœſtiſſimi, in primiſque Pueri magnus Patruus, Triumvir Litterarius, ex me per litteras quæſierunt, non jam quo auxilii genere ſanari poſſet, cum propter ætatem medelæ omni conſtrictis dentibus pertinaciſſime repugnaret; violenter autem cogi ob febrem, & linguæ tumorem, quæ ambo acceſſerant, non liceret; ſed illud unum, quod ad ſolatium pertinebat, an ſpes ulla eſſet, fore, ut naturæ auxilio relictus, expedite, & recte loqueretur. Reſcripſi continuo, non eſse deſperandum, pluribus in eam rem productis exemplis, præſertim caſu, ejus ſimillimo, qui caſus extat apud Hildanum (*n*). Eventus quoque, Dei beneficio, ſimillimus fuit. Ut enim meis ipſe auribus, cum forte Venetiis eſſem, inſequenti anno audivi, *nullo modo*; ut ipſis Hildani verbis utar; *depravata* erat *loquela*, fuitque etiam quo ad vixit, donec videlicet pernicioſiſſimæ variolæ interemerunt. Et quod miraberis etiam magis, etſi recte, expediteque loqueretur; linguæ tamen eæ partes quæ vulnere disjunctæ fuerant, cum ſuam ſingulæ cicatricem duxiſsent, non coaluerant inter ſe: itaque anterior illa non ſecus ac ſtatim a vulnere, ſejuncta etiamtum, ac pendula conſpiciebatur. Hactenus de Capitis Vulneribus. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LIII.

De Vulneribus, & Ictibus Colli, Pectoris, & Dorſi verba fiunt.

Etſi in Sectione hac III. (*a*) qua una Sepulchreti Auctor Ictus, & Vulnera complecti voluit Partium omnium, quædam interdum repetuntur, ut puta Obſervationis XX. §. 1. in XXII. §. 1; & XXI. §. 4. in eadem §. 8; & §. 5. inter §. 7. & 8; & quæ in Scholio ad §. 1. Obſervationis XXIV. in Scholio ad ejuſdem §. 4. prætereaque eſt nonnunquam ubi aliquid in rerum ordine fortaſſe deſideres; tamen in oppoſitis ad hanc Sectionem Additamentis gravius peccatur. Nam præterquam quod nihil ad vulnera, aut ictus attinens Obſervatio huc intruditur XXVI. quæ cum Scholiis grandes paginas occupat decem, & præterquam quod Obſervatione X. §. 1. & Obſervatione XX. & XXI. eædem Paræi, & Bartholini Hiſtoriæ rurſus producuntur, quæ jam ſupra in Sectione ipſa Obſervatione XXIII. §. 17. & §. 4. & Obſervatione XXVI. §. 8. propoſitæ fuerant; præter hæc, inquam, nulla omnino ordinis ratione habita, a Pectoris Vulnere ad Tibiæ Vulnus tranſitur, & inter Pectoris Vulnera, tum Capitis Vulnera, tum Ventris paſſim interponuntur. Mihi vero nec iterare quidquam, & ordinem ſervare in his ad te Epiſtolis ſtatutum eſt. Itaque cum de Vulneribus, Ictibuſque Capitis noviſſime ſcripſerim; nunc de proximis Colli, Pectoris, & Dorſi agam. Et quoniam circa hæc, Valſalvæ, & & noſtræ Obſervationes non eo numero ſunt, ut unis Litteris perſcribi nequeant; utraſque, ut plerumque facere conſuevi, his proponam, & ab ipſius Obſervationibus initium ducam.

2. MULIER quinquaginta annorum, cæſim in collo vulnerata, concidit, nec manus, pedeſve movere poteſt. Poſt aliquot dies manus iterum, ſed non priſtino vigore, moventur. Leve accedit delirium: & denique ante ſeptimum diem mors.

CADAVERE clam ſepulto, diſſectione quidem ipſa confirmari judicium non potuit de læſa Spinali medulla. Hoc tamen ex artuum paralyſi, ex vulneris loco, & ex parvis quæ de ipſo prodierant, oſſis fragmentis veri adeo ſimile viſum eſt, ut Obſervationem hanc prorſus omittendam non cenſuerim.

3. VIR annos natus triginta quinque, bilioſo temperamento, Novembri menſe A. 1688. ad medium ſterni inter quinctam coſtam, & ſextam cultro ſauciatus, illico ingenti virium proſtratione corripitur, ut, cum pulſus vix perciperentur, Medici brevi interiturum putarent. Tribus tamen exactis horis, ſenſim redire incipiunt vires: itaque in S. Mariæ de Vita Noſocomium defer-

(*n*) Cent. 1. Obſ. Chir. 28. (*a*) l. 4.

deſertur. Poſtridie dira tuſſi vexari cœpit, diarrhœa quoque. Sed hæc, crebro quidem, verum paucæ viſcidæ materiæ excretionem ciens, die ſexto deſiit. At tuſſis in dies ita augebatur, ut ferri vix poſſet. A primis etiam diebus ſenſus erat ingentis in ventre ponderis, qui ſe progrediente morbo, per totum ventrem extendit; nullus tamen in thorace. Primis quoque diebus pulſus nonnihil turgidus, mediocriter autem celer, hanc quidem poſtea celeritatem ſervavit; ſed in dies parvus magis, magiſque factus, octavo tandem die ſenſim cum vita defecit. IN CADAVERE ad primam a dextero ſterni latere inciſionem, ſanguis illico qui eam Thoracis caveam implebat, magno cum impetu proſiluit. Sublato ſterno, & ſanguine ſpongiis exhauſto, novus iterum per diaphragma, quod ſaucium erat, ex ventre ſanguis in eandem thoracis caveam influebat. Quamobrem Ventrem quoque aperire continuo oportuit, effuſumque intra ipſum ſanguinem exhaurire: cujus concretæ fibræ, per inteſtinorum extimam tunicam in retis modum diſpoſitæ, ſic ei tunicæ adhærebant, ut ſcalpello dumtaxat ſeparari poſſent. Itaque omni ſanguine amoto, & viſceribus in conſpectum datis, ad vulneris explorationem reditum eſt. Mediaſtinum, primum omnium vulneri reſpondens, ſaucium erat, tum pericardium, denique partes dexteri ventriculi cordis, ut rima vulneris intra eum ventriculum perveniret, atque hoc compreſſo, nonnihil ſanguinis ex ipſo per rimam prodiret. Proximum autem mediaſtini vulneri erat diaphragmatis vulnus, per quod ſanguis, ut ſupra dictum eſt, una in alteram fluebat caveam.

4. Ex quo Galenus (*b*) tradidit, ſi ad cordis ventriculum vulnus penetret; *protinus hominem mori neceſſe eſſe*: ſi non penetravit; *aliquos non ſolum ea die qua vulnerati ſunt, ſed ſequenti quoque nocte vivere potuiſſe*; mortuorum diſſectiones haud raro ſecus accidere, oſtenderunt. Quarum plures quidem habes in Sepulchreto; ſed non omnes. Extant enim quæ addi poſſint, nec ſolum e poſtea editis, ut puta quæ in Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis non uno Volumine (*c*) prolatæ ſunt, verum etiam multo antiquiores, ut quæ a Falloppio noſtro (*d*) habita eſt: unde conſtat, ſive vulnus, ut in hac Falloppii, in cordis parietibus ſubſiſtat, ſive, ut in illis, in ventriculum perveniat, diutius quam vetuſtiores opinabantur, vitam aliquando poſſe produci. Valſalvæ Obſervatio ſi cum cæteris omnibus comparetur, ut ex iis non eſt in quibus ad longius tempus vita ſit tracta, ſic neque ex iis eſt in quibus ad brevius. Habet autem, quod ad conjunctum diaphragmatis vulnus attinet, quædam adnotatione digna, & unde utilitatis aliquid capere Medici ad dignoſcendum poſſint. Indiciis enim extantibus vulnerati cordis, & ſanguinis ex eo effuſi, ſi ponderis ſenſus in thorace nullus ſit, in ventre autem non modo ſit, ſed in dies augeatur, conjecturæ locus erit de ſepto Tranſverſo ita ſauciato, ut ſanguinem e thorace tranſmittat in ventrem, præſertim ubi ſignum aliquod non deſit ex iis quæ ſeptum illud vulneratum eſſe confirmant: cujuſmodi erat in ægro propoſito moleſtiſſima illa tuſſis, graviſque adeo, ut ferri vix poſſet. Quod ſignum ut a quibuſdam omittatur; certe a ſummo Chirurgo Falloppio (*e*) non eſt præteritum. Noli autem mirari quod in proxima Obſervatione non adnotetur. Neque enim ſemper cujuſque morbi univerſa occurrunt indicia; itaque illa habebit alia quæ in hac non leguntur. Præterea autem ſæpe ab Obſervatoribus adnotantur dumtaxat præcipua. Denique pro varia in eadem Parte vulneris aut conſtitutione, aut ſede alia alias ſigna magis ſe objicient. Quanquam autem in hac, & proxima Obſervatione quæ vulneris ſedes fuerit, ex ceteris quæ adſcribuntur, conjici quadantenus licet; optandum tamen eſſet, ut in ea, totaque adeo vulneris via deſcribenda nihil a Valſalva præteritum fuiſſet quod a quopiam poſſet deſiderari, imo in primæ hujus hiſtoriæ initio diſerte id quod voluiſſe videtur, ſcripſiſſet, nempe cultrum inter coſtam quinctam, & ſextam a dextris ſic adactum, ut verſus ſterni medium aſcenderet.

5. SENEX annorum ſeptuaginta, a viginti circiter annis cæcus, cadens ſiniſtram thoracis partem adeo graviter ad ſilicem allidit, ut coſtas frangat. Excipitur in idem Noſocomium. Pulſus erat durus: dolor in læſa parte gravans, & pungens: reſpiratio difficillima. Quæ difficultas etſi circa quartum diem nonnihil remittere viſa eſt; ineunte tamen ſexto iterum eſt facta gravior: unaque delirium acceſſit. Quibus perſtantibus omnibus, circa nonum æger eſt mortuus. TRORACIS cavum ſiniſtrum ſanguinis effuſi erat plenum. Coſtæ autem lateris ejuſdem legitimæ, ſuprema excepta, omnes erant fractæ ſic, ut ſeptima, aſpera, & inæquali fractura diaphragma vulneraſſet: quod circa id vulnus undique erat inflammatum. Quod ad cæcitatem ſpectat: quemadmodum Cryſtallinum utrumque humorem Valſalva affectum invenerit, Epiſtola ſcripſi Anatomica XVIII. (*f*).

6. En alterum diaphragmatis ſauciati, & ſanguinis intro effuſi exemplum. Nulla hic tuſſis, nulla in ventre ponderis, ſed gravantis in thorace, pungentiſque doloris, reſpirationis difficillimæ, & delirii mentio. Pone, hic vulnus non ad tendineam ſepti Tranſverſi partem, ſed, ut veri ſimillimum eſt, ad carneam, neque in ventrem patens, ut eo tranſmittere effuſum a diſruptis una cum coſtis Intercoſtalibus vaſis, ſanguinem poſſit, ſed in laceratis, compunctiſque identidem a diffractæ coſtæ aſperitate faſciculis carneis ſuperioribus conſiſtens, ob eandemque cauſam inflammatum; jam unde extiterint omnia inter hanc, & ſuperiorem Obſervationem diſcrimina, intelliges. Quamvis autem in ſex fractis ſiniſtris coſtis, & ſanguine, illud thoracis cavum implente, ſatis cauſarum ſit difficilis reſpirationis; tamen ſi hanc difficiliorem tunc eſſe factam, animadverteris, cum ad eam acceſſit delirium, id eſt ſecundum veterum Magiſtrorum ſententiam, cum ad vulnus diaphragmatis inflammatio acceſſit; inter illas cauſas hoc etiam nomine diaphragmatis quoque læſionem connumerabis. Neque enim ſemper decepti illi credendi ſunt, cum Paraphrenitidem in hujus inflammatione agnovere: quanquam non neceſſario has duas conjungi, a me tibi alias (*g*) oſtenſum eſt. Nam neque ex diaphragmatis vulnere ſemper exoritur ſardonius riſus: quod cum aliæ, tum duæ commonſtrant modo propoſitæ Obſervationes. Nec tamen falſo id proditum fuiſſe apud Ariſtotelem (*h*) ex Hippocrate (*i*) poteſt intelligi, unde illum accepiſſe, credebat Valleſius (*k*). Confirmavitque Plinius (*l*) ex *gladiatorum ſpectaculis*, Romæ frequentiſſimis. Cujus ego aliquando inſpiciens locum, non tam miratus ſum, quod Celſum (*m*) ſecutus, diaphragma membranam eſſe, dixerit, cui *nulla ſit caro*, *ſed nervoſa exilitas*, quam a Dalechampio feſtinanter adſcriptam, nec relectam, ut opinor, adnotatione, in qua *falſum id eſſe*, *monſtrat Anatome*, inquit, *Septi quidem ambitus nervoſus & membranoſus eſt*, *media vero* pars *carnoſa*. Sed illuc redeo. Sive iſtam riſus ſimilitudinem in convulſivis diaphragmatis concuſſionibus ſpectas, ut Hippocrates videtur feciſſe, qui riſum hunc dixit *tumultuoſum*, ſive etiam in facie, ut plerique ſolent, & in his Bartholinus (*n*), rem confirmans exemplo quod apud *Saxonem* ſuum indicat, & per Phrenicos nervos explicans minus perſpicue quam nuper Subtiliſſimus Profeſtor Meckelius (*o*) Cervicalium unde illi oriuntur, ramulis per faciem productis; utrolibet igitur modo ſive utroque accipias, ſicut is riſus non propterea quia non in cunctis diaphragmatis vulneribus occurrit, commentitius eſt; ſic neque delirium, licet omnes non diaphragmatis comitetur inflammationes. Quod ſi nullam habere rationem placet vetuſtæ obſervationis; attamen negare non poteris, diaphragma, quo præcipuo utimur ad reſpirandum inſtrumento, non vulneratum modo, ſed & inflammatum, & ſuo ex parte ob coſtę ſeptimę fracturam orbatum fulcro, inter cauſas difficillimę iſtius reſpirationis eſſe pręcipue connumerandum.

7. VIR annos natus circiter quadraginta, qui Venerea lue diu laboraverat, per ſæviſſimos ad ar-

(*b*) De Loc. aff l. 5. c. 2. (*c*) Hiſt. A. 1735. Obſ. Anat. 9. & A. 1744. Obſ. Anat. 9. &c. (*d*) Tract. de Vulnerib. c. 28.
(*e*) eod. c. 28. (*f*) n. 29. (*g*) Epiſt. 7. n. 14 (*h*) De Part. Animal. l. 3. c. 10. (*i*) Epid. l. 5. n. 34. apud Marinell.
(*k*) Comment. in hunc locum n. ipſi 94. (*l*) Nat. Hiſt. l. 11. c 37. (*m*) De Medic. l. 4. c. 1.
(*n*) Anat. quatt. renov. l. 2. c. 3. (*o*) Hiſt. de l'Acad R. des Sc. de Berlin A. 1752.

articulos dolores, & ſpirandi, in aſcenſu præſertim, difficultatem torquente, cum ex altiſſimo loco, ad quem videlicet per ſcalam quadraginta graduum aſcendebatur, in terram ruiſſet: primum quidem auxilium implorabat; ſed paulo poſt loqui amplius non poterat, & celeri morte occupabatur. IN VENTRE, & CAPITE nihil præter naturam fuit. Sed Thorace aperto omne pericardii cavum inventum eſt plenum concreto ſanguine: qui ex Magna arteria prope cor erupiſſe videbatur. Nam ſpecillum, extrinſecus illac immiſſum, intra illius cavum viſum eſt pervenire.

8. Venam ex caſu ab alto in ventre diſruptam agnovit, ut alias (*p*) ad te ſcribam, ipſe Valſalva. Cur igitur in hoc Viro ſi ob ſimilem cauſam vas aliquod rumpi in thorace debuit, non venæ id potius, quam vaſi contigit craſſiſſimis tunicis prædito, quale arteriæ Magnæ truncus eſt, prope cor præſertim? Fac cogites, hominem ex Venerea lue obnoxium fuiſſe ſpirandi difficultati, arteriam autem Magnam non perruptam eſſe inventam, ſed parvo, & fortaſſe obliquo, ut videtur, foramine pertuſam. Sic tibi, eorum memori quæ de Morte Repentina ſcribens ex labe ſanguiferorum vaſorum (*q*), arteriæ illius vitia, tunicas ſenſim perforantia, & ſanguini exitum vel intra pericardium aperientia, propoſui, ſic tibi, inquam, facile veniet in mentem, quid in hoc homine præceſſiſſe potuerit, unde ibi læſus arteriæ truncus tum ſanguinem haud ſatis propellendo, reſpirationis difficultatem, tum denique addita ingenti ob ejuſmodi caſum concuſſione, quæ reliquum adhuc aliquem in tunica extima perrumperet obicem, effundendo, mortem celerrimam afferret. Quod vitium, ſi Valſalva interiorem arteriæ faciem inſpexiſſet, non difficile, ut opinor, fuiſſet animadverſum. Utcunque id eſt; certe quod in corde offendit ſenis illius cujus protinus hiſtoriam deſcribam, jam diu antea fuiſſe, ex vitii ipſius natura manifeſtum eſt.

9. SENEX annum agens ſeptuageſimum, ab alto cadit, & thoracis dexteram partem ad terram allidit. In idem illatus Noſocomium quod ſupra nominavimus, tanta reſpirandi difficultate, acutaque adeo febre corripitur, ut ſeptimo intereat die.
IN THORACIS cavo dextero nonnihil pulmo induruerat, totuſque magna inflammatione affectus erat, ſuperius præſertim, qua & ad pleuram arcte adhærebat, & abſceſſum continebat. Pulmo autem ſiniſter rubicundus, ſed a tergo magis, ut nonnihil inflammatus videretur, nigras hic illic maculas per ſuam ſubſtantiam disjectas oſtendit. Pericardium magnam aquæ copiam, & cor grande adeo continebat, ut bubulum prope æquaret. In cordis ventriculis inerant polypoſæ concretiones ſubalbæ, & ſic ſatis molles, magnæ in ſingulis; major tamen quæ in dextero.

10. Non dubito, quin ſi incommoda quæſita eſſent, quibus Senex prius quam caderet, eſſet obnoxius, reperta fuiſſent aliqua ad tantam iſtam cordis magnitudinem referenda. Et quanquam in alliſione illa ſatis cauſæ fuit, cur pulmo dexter inflammationem, & ex hac, in ſuppurationem tranſeunte, abſceſſum contraheret; a veri tamen ſimilitudine alienum non eſt, eo facilius contraxiſſe, quod jam antea pulmones a corde illiuſmodi tum compreſſi, tum ob minus expeditam per ipſum, & quod conſequitur, per eos quoque ſanguinis traductionem laxati, ad hunc retinendum, ſi nova quæpiam cauſa accederet, diſpoſiti eſſent, minuſque idonei ad ea prohibenda quæ inde ſecuta ſunt.

11. Nunc quando Ictus, & Vulnera quæ ad Collum, ad Pectus, ad Latera ſpectant, ex Valſalvæ ſchedis propoſuimus; quatuor ejus Obſervationes, ad Dorſi Vulnera attinentes, ſubjiciamus.

12. VIRO annorum circiter quadraginta quinque, pungenti ferro dorſum vulneratur circa quintam, & ſextam coſtam, intervallo duorum digitorum tranſverſorum a Spina. E vulnere primis diebus non multum ſanguinis, poſtea autem quatuor, aut quinque circiter unciæ quotidie erumpebant. Qua hæmorrhagia circa diem decimum remediis repreſſa, vulnus intumuit, multamque emittere ſaniem cœpit, cujus in dies augebatur copia. Erat autem viſcida, & tenax, ut trahentem longo ductu ſequeretur. Diuturnam ejuſmodi excretionem, lenta cum febre conjunctam, ſenſim deficiente ægro, mors excepit die ab inflicto vulnere quadrageſimo ſecundo. CADAVERE diſſecto, in Thoracis cavum nec vulnus, nec ſaniem perveniſſe, exploratum eſt, & quamvis hæc multos ſibi ſinus, & cuniculos feciſſet, omnem tamen læſionem in exterioribus ſubſtitiſſe.

13. Quanto ſatius ſit tum cæteras, tum vulnerum quoque hæmorrhagias moderari, quam reprimere, hæc tibi confirmat hiſtoria. Neque ex proxima aliud deerit quod colligas.

14. AGRICOLA annos natus circiter triginta, temperamento bilioſo, in ſiniſtra ſcapula cæſim ad ſecundam uſque coſtam prope vertebras ingenti vulnere ſauciatus, in idem quod ſuperius dixi, Noſocomium excipitur. Ibi cum a Paulo Bella Medico, & Chirurgo præſtantiſſimo diligenter curaretur, ſputo ſanguineo, tuſſi, difficili reſpiratione cum pulſu debili ac frequenti, crebriſque animi defectionibus correptus, his omnibus invaleſcentibus, obire circa nonum diem mortem poſſe videbatur. Sed eo die exacto, & ſymptomatibus nonnihil remittentibus, vulnus quoque ipſum in melius inclinabat, cum prope decimum ſeptimum repente, quamvis ſine inflammatione, vulnus intumuit, febriſque vehemens cum pulſu languido, & diffuſo per univerſum corpus rigore, ſenſus ponderis in thorace, laborioſus anhelitus, ac purulentæ urinæ acceſſerunt, & poſt hæc mors denique die ab accepto vulnere vigeſimo ſexto. THORACIS diſſectio inſtituitur cum Petro Molinellio, & Franciſco Guicciardino, ejus Noſocomii Medico Aſſiſtente. Cum ſterni exſecandi cauſa, culter in dexterum thoracis cavum pervenit; illico multus exſiluit humor, lactis ſero non valde abſimilis, quo in humore pulmo natabat. Illo exhauſto, cavea in hoc inventa eſt ſinuoſa, purulentæ materiæ plena, hianti ore cum eo communicans thoracis cavo. Alterum autem, ideſt ſiniſtrum, cavum thoracis, quod vulneri, ut indicatum eſt, reſpondebat, nec purulentæ materiæ quidquam, & pulmonem omnino illæſum ac ſanum continebat. Livebat quidem ea pleuræ pars quæ vulneri proxima erat; ſed nullum prorſus habebat foramen: nec vulnus, ſumma diligentia penitus exploratum, ultra ſecundam ipſam coſtam introrſum pervenerat.

15. Symptomata quæ dum ægrotationis hiſtoriam legeres, a vulnere eſſe exiſtimaveris in thoracis cavum perveniente, diſſectione perlecta, a pulmonis inflammatione, ſuppuratione, & hanc ſecuto empyemate fuiſſe, intelligis. Itaque ut in cæteris ægrotantibus, ſic in vulneratis quoque non omnia ſemper imputanda ſunt primo, evidentique morbo, ſed huic poſſe alium qui ab eo non pendeat, adjungi, cogitandum eſt, & vel quando ſymptomata a primo eſſe videntur, num ab adjuncto aliquo potius ſint, ſuſpicandum, & diligenter inquirendum, velut hic ex indiciis, quorum fortaſſe nonnulla erant, inflammationis, non ad ſiniſtrum qua ex parte erat vulnus, ſed ad dexterum pulmonem ſpectantis.

16. JUVENIS annos natus viginti duos, cultro fauciatur quaſi in medio dorſo ſic tamen, ut vulnus nonnihil vergens ad ſiniſtras, tendat initium verſus ſextæ & ſeptimæ coſtæ. Non multo poſt inflictum vulnus, febris accedit, huic autem, poſt dies aliquot, levis ſpirandi difficultas, levis quoque, & irrita tuſſis, magnus vero circa ſtomachum dolor, nec modicus totius abdominis tumor. Demum ingraveſcente reſpiratione, prope decimum ſextum diem æger moritur, apparente toto corpore icterico. VENTRE aperto, inteſtina conſpiciuntur aere turgida; jecur vero ſecundum naturam ſe habens. Thorace inſpecto, in imo utroque ejus cavo nonnihil ſeri invenitur. Cum autem pulmo ſiniſter ad pleuram valide adhæreret; membraneæ productiones per quas cum

(*p*) Epiſt. 54. n. 18. (*q*) Epiſt. 26.

cum hujus ſuprema anteriore parte nectebatur, quaſi ſanie madidæ viſæ ſunt: itemque peculiaris adhæſio illa viſa eſt, qua idem pulmo cum pleura ibi committebatur, ubi vulneri reſpondebat, ut ſine laceratione ſeparari non poſſet. Vulnus vero etſi inter Spinæ adjacentes muſculos ad pleuram ipſam perveniebat; hanc tamen perforaſſe, non conſtitit. Ceterum pulmones multis in locis tuberculis ſcatebant majoribus, minoribuſque: quorum plura, jam ſuppurata, ſaniem inciſa emittebant, alia illæſæ glandulæ ſimilitudinem adhuc ſervabant. In pericardio paululum ſeri. In ſingulis cordis ventriculis ſingulæ polypoſæ concretiones, inde in auriculas, annexaſque venas productæ; major in dextero, minor in ſiniſtro.

17. Hic Juvenis quoque, niſi accedens ad cæteras noxas, interna fortaſſe aliqua convulſio, cui circa ſtomachum dolor, inteſtinorum ab retento aere diſtentio, & ictericus totius corporis color imputentur, citiorem attuliſſet interitum; facile diſruptis pulmonum tuberculis ſanguine, & pus expectoraſſet, quæ penetranti in thoracem vulneri viſa eſſent adſcribenda. Num tamen ex profundo vulnere pus in ſanguifera vaſa exceptum, quemadmodum ex cerebri vulneribus contingere, nuper (r) ſcripſimus, in pulmones illatum, tubercula illa excitaverit, an vero ipſa jam ante vulnus inflictum, per ſe eſſe cœpiſſent, in medio relinquimus.

18. JUVENIS alter ſiniſtra dorſi parte vulnus accipit, quod deorſum oblique & dextrorſum pergens, vertebras radendo, denique inter ſextam & ſeptimam coſtam dexterum thoracis cavum ingreditur. A vulnere per dies aliquot levem ſpirandi difficultatem patitur, & dolorem quendam, reſpondentem in anteriore corporis parte: dolet quoque dum ab uno in alterum latus ſe convertit. Pruritu etiam quodam modo in hoc, modo in illo loco vexatur. His die quincto accedit tuſſis cum ſputo ſanguinis, tum quidam in artubus inferioribus ſtupor: quem excepit paralyſis a corporis medio ad pedes extremos uſque, ut movendi, ſentiendique facultas non niſi in thorace, & ſuperioribus partibus remaneret; ſimul ingruit abdominis tumor, & tenſio, lotiique, & alvi recrementorum ſuppreſſio. Poſt hujus paralyſis adventum, æger melius ſibi habere videtur. Animi tamen defectionibus aliquoties corripitur: in quarum una, octavo ineunte die, moritur.

CADAVER dum movent, ingens copia ſanguinis erumpit e vulnere. Hoc inter duas quas diximus, coſtas prope vertebras dexterum thoracis cavum ſubibat; ut laceratis facile Intercoſtalibus vaſis, hinc tantum ſanguinis exiſſe videatur. Pulmo dexter qua parte vulneri reſpondebat, nihil ibi quod ſub ſenſum caderet, peculiaris læſionis oſtendit præterquam in extima tunica nonnihil eroſa: Totus tamen rubens, & tumidus erat. Pericardium ſeri plenum. E diſſecto corde ſpumoſus ſanguis, & fluidus erumpebat; in ejuſque ventriculo dextero polypoſa concretio reperta eſt.

Ventre aperto, inteſtina omnia aere turgida, in iiſque humor quidam atro colore tinctus. Veſica lotio oppleta erat. In ventris cavo libræ aliquot ſeri ſtagnabant.

19. Ut recte Valſalva ſanguinis illam effuſionem a laceratis, eroſiſve Intercoſtalibus vaſis, ita paralyſim a compuncto, aut ab acri ſanie irritato eorum ſocio nervo haud perperam fortaſſe repetes. Inde enim convulſio, ab hoc autem conſtrictio: unde reſolutio, quemadmodum alias (ſ) explicavimus, fieri tanto amplior potuit, quod cum longiſſimo illo nervo quem Intercoſtalem vocant, Coſtalis quiſque colligatur. Compuncti autem nervi Coſtalis indicium habes ex dolore illo qui in anteriore corporis parte, quo is contendit nervus, reſpondebat. Sed quanquam his poſitis, non difficile eſt hiſtoriam iſtam explicare; tamen ſi melior tibi ratio occurrit qua rem aſſequamur, non invitus aſſentiar.

20. Hactenus Valſalvæ Obſervationes; jam noſtras accipe: quas eodem ordine adſcribemus; quanquam de duabus quæ ad ſauciatum Collum attinent altera cum ad te alias (t) miſſa ſit, non eſt cur iterum nunc mittatur. Altera autem breviſſima eſt.

21. VIRO imum collum transfixum eſt anterius adeo ut foramen quod ferrum ſubiens fecerat, ab eo quod fecerat egrediens, vix digitum pollicem tranſverſum diſtaret. Is cito, ſuffocati inſtar, eſt mortuus.

CADAVER, etſi non ob vulnus, ſed ut petentibus Amicis multa, & varia oſtenderem, ad naturales Partium ſtructuras attinentia, a me Venetiis ſub initium A. 1707. diſſectum eſt; ſimul tamen hominem ex ſuffocatione periiſſe, confirmavit. Nimirum Aſperæ arteriæ annulus ab annulo diviſus, aditum ſanguini, ex inciſis vaſis prodeunti, patefecerat, per quem in arteriam illam, pulmoneſque irrueret.

22. Super profundis colli vulneribus duo potiſſimum a me quæſita eſſe, memini. Primum, ſauciato vaſorum ſanguiferorum trunco aliquo, aut ramo non ex iis minutis quos remediis inditis adſtringere ſatis liceat, quanam arte prohibere Chirurgi ſanguinis profluvium poſſint? Reſpondi, non una poſſe, ſi ad tempus aliquod; nulla ferme, ſi de ægro diutiſſime ſervando agatur. Illud enim, inciſæ ipſi venæ Jugulari Internæ cruſta per candens ferrum inducta, conſecuti ſunt donec cruſta excideret, ut eſt apud Jo. Bohnium (u): ex quo non hæc modo, ſed plures addi Sepulchreto poterant Obſervationes peculiares cadaverum eorum qui ex vulneribus obierunt. Experimenta autem quæ tibi Epiſtola XIX. recenſuimus, oſtendentia Carotidibus arteriis, aut Internis venis Jugularibus vinculo conſtrictis, non ea cito contigiſſe quæ olim metuebantur, addere animum Chirurgo poſſunt ad alterutram alterutro in latere obligandam, ut ad tempus aliquod ſanguinis fluxus cohibeatur. At diutiſſime cohiberi non modo per ea quæ cruſtam inducunt, non poſſe, manifeſtum eſt; ſed neque poſt vincula iis truncis injecta, facile ſperandum eſt, non eas citius, tardiuſve noxas eſſe acceſſuras quæ mortem per ſe ipſæ denique afferant, tametſi in vinculis injiciendis nihil a Chirurgo peccatum eſſet, aut prætermiſſum. Cum enim trunci illi ambo ſint cum Vagis, & Intercoſtalibus nervis intra membraneam, vel, ſi mavis, celluloſam quaſi vaginam concluſi; perdifficile eſt in profundo, & a profluente ſanguine operto loco alterutrum ita conſtringere, ut non ſimul aut alter, aut ex iis nervis alteruter una conſtringatur, aut acu ſubter trajecta lædatur. Neque, ſi obliganda arteria ſit; vinculo infra vulnus injecto adſtringere ſatis eſt, ut illa oſtendunt, quæ modo commemorabam, experimenta; ſed altero ſupra vulnus opus eſt. Neque ut in artubus, ita in collo eſt illi compreſſioni locus, quæ per faſciam fit, *torcular* vocitatam, ad ſanguinis ſive in conſtrictam arteriam impetum minuendum, ſive profluvium, dum Chirurgus agit, intercipiendum. Univerſo enim collo eam compreſſionem adhiberi, tum arteria Aſpera prohibet, tum vaſa cætera non ſinunt, quæ minime ſunt comprimenda. Inter eam autem faſciam, & certas alias colli partes, eamque præſertim quæ comprimenda eſt, etſi excogites quæ ſic interjicias, ut horum prominentia faſciam ab iis locis arceat quæ minime premenda ſunt, tamen is qui maxime premendus eſt, quanam ratione premi poterit quin ſimul cum premenda arteria, vena quoque, & nervi quos una ferri, diximus, comprimantur? Itaque ex his intelligis ſummam rei difficultatem. Ex ſuperioribus autem ſatis perſpicis, ſi difficile eſt truncum aliquem ita vincire, ne proximæ alteri parti noceas, dum in profundo, & ſanguine ſcatente loco res agitur; ſatis, inquam, perſpicis, quanto difficilius ſit ramum aliquem proximum ſine eo periculo deligare, cum ad illas difficultates tenuitas quoque accedat, quæ, ſi nihil aliud, certe pervidendi, quis de ramis vicinis pluribus ſauciatus ſit, aut ubi ſauciatus, facultatem plurimum minuit. Quæ omnia etſi uti dixi, ita eſſe debere videantur; tamen haud ignarus, nonnunquam ſuccedere poſſe quæ ſperare minus auderes; idcirco reſponſionem meam contraxi, ut *nulla ferme arte* rem conſequi licere, dicerem. Nec me ita reſpondiſſe pœnituit, cum in curationem poſtea incidi vulneris, Jugulari Internæ venæ inflicti, a Cel.

(r) Epiſt. 51. n. 21. & *ſeqq.*
(ſ) Epiſt. 11. n. 18: 20. (t) Epiſt. 44. n. 7.
(u) De Renunc. Vuln. S. 2. c. 2.

a Cel. Schlichtingio (x) propoſitam, cujus ſpem ut omnes imitari poſſunt, ſic utinam & felicitatem conſequi poſſent.

23. Sed illa in colloquiis. Alterum per litteras quæſitum eſt A. 1735. Juveni viginti quatuor annos nato, bonoque corporis habitu prædito, inflictum quadrangulato acuto pugione vulnus fuerat, quod a colli ſiniſtro latere tribus infra auriculam tranſverſis digitis, oblique tendebat initium verſus Spinalis medullæ. Etſi e vulnere nihil ferme prodibat ſanguinis; tamen illico Juvenis concidit, movendi, & ſentiendi facultate in omnibus quæ infra caput ſunt, partibus adeo deſtitutus, ut domum ferendus fuerit, & in lectulo collocandus, ibique cum inter paucas quas ægre reſpirans, edebat voces, frigere ſe, diceret, igniario æreo vaſe temere femoribus, tibiis, malleolis admoto, exuſtiones, quæ in fœda ulcera degenerarunt, neutiquam ſenſerit. Alvi primum, & veſicæ recrementa non reddebat; poſt aliquot autem dies lotium inſcius, nedum invitus, emittebat. Cum a Medico, Chirurgoque diligenter curaretur; die exacto decimo ſeptimo primum aliquid ſentire cœpit ſiniſtrum corporis latus, vigeſimo autem ſiniſtri utriuſque artus digiti nonnihil moveri, inter eum vero, & trigeſimum diem ſenſim utraque facultas magis, magiſque augeri in ſiniſtro quidem latere. In dexterum autem, id eſt vulneri oppoſitum non niſi trigeſimo ſecundo die redire ſenſus cœpit, tum deinde & motus, ad eundemque modum paulatim augeſcere. Et quanquam ſic ſatis die quadrageſimo corpus univerſum ſenſus, & motus jam erat compos, ſic ſatis, inquam; nondum enim ſtare, nedum incedere licebat; imo etſi VII. Kal. Junii, cum vulnus, inflictum fuiſſet poſtridie Kal. Februarii; Juvenis vix e cubiculo egrediebatur, & crure utroque extenuato, & quaſi arefacto, non ſecus ac infans qui ingredi addiſceret, lente, & pedetentim incedebat; tamen & motu, & ſenſu infirmiore etiam tum utebatur dextera parte, quam ſiniſtra. Hujus igitur diſcriminis cum ex me cauſa quæreretur; ponendam videri in medullaribus illis fibris, indicavi, quæ inter dexterum, ſiniſtrumque latus initii ipſius medullæ Spinalis traductæ (y), læſionis huic lateri ibi quidem illatæ effectus poſſint in oppoſitum corporis latus omnino interdum, alias majori ex parte transferre. Quæ explicatio ut nihil habeat peculiare; quippe aliorum ſubnixa explicationibus hemiplexiæ a vitio oppoſiti cerebri hemiſphærii inductæ; hiſtoria tamen hæc cum oſtendat, quanto etiam inferius eſſe aliquando poſſit vitii ſedes eundem effectum afferentis, minime vulgaris mihi viſa eſt, eoque digna quæ a me tibi inter cætera colli vulnera proponeretur. Jam vero ad Thoracis ipſius vulnera progrediamur.

24. VIR ad claviculam alteram vulneratus ante menſem propemodum fuerat. Et vulneris quidem curatio bene procedere videbatur, cum denique mentis hebitudine, & rigoribus, quibus nequaquam par calor reſpondebat, tentari cœpit. Inter hæc mortui cadaver in Gymnaſium allatum eſt, unde Anatomen, donec magis idonei copia fieret, docere inciperem ante Januarii finem A. 1732. VULNUS in Thoracis cavum non perveniebat. Cum vero oppoſitum vulneri latus jam intra biduum a morte exterius virere, animadvertiſſem, neque intra thoracem cauſa ulla appareret viroris illius; in parietibus quærendum cenſui, deprehenſumque eſt pus inter muſculos & laterum, & dorſi. Sed & alibi abſceſſus erant, ut ad Pyramidales Abdominis muſculos. Nihil tamen puris intra Ventrem, Omenti dumtaxat, & inteſtinorum pars aliqua virebat. Jecur quidem, lien, ventriculus, & veſica æquo erant majora. Sed nullum præterea vitium aut ipſa, aut viſcera alia oſtendebant. Sedes illæ tantummodo quas inter muſculos pus obtinuerat, vitiatæ repertæ ſunt.

25. Ex hac quoque hiſtoria ſatis apparet, pus, in ſanguifera vaſa exceptum, alio transferri. Inter muſculos enim, non claviculæ illi proximos, ſed oppoſitos, aut longe diſſitos quomodo, non per ſanguifera vaſa traductum, ipſum per ſe perveniſſet? Sed longe majoris momenti, id eſt vulnerati cordis Obſervationem proferamus.

26. MEDIOLANENSIS pauper, annos natus ad quadraginta, ſic ſatis toroſus, & ſanus, niſi quod fœda ſcabies artus hic illic deturpabat, bene pranſus, & potus, cum altero ſuæ ſortis rixatus cultro inflictum vulnus accepit duobus infra ſiniſtram. mamillam tranſverſis digitis. Pauco tunc, & poſtea ſanguine prodeunte, per ſe progreſſus eſt ad paſſus ſeptuaginta: tum conſedit, & quæ in prandio ſumpſerat, vomens, ibi intra ſemihoram, aut certe non multo amplius tempus interiit VI. Idus Martii A. 1725. CADAVER in Lyceum illatum, ut Anatome abſolveretur, quam ſecundo loco tunc habebat Cl. Joannes Baptiſta Vulpius, ſumma ab utroque noſtrum diligentia perluſtratum eſt. Et plura quidem adnotata ſunt non ad hunc locum ſpectantia, ubi fere quæ minus ſecundum naturam viſa ſunt, ea dumtaxat proferimus. Quæ ut priuſquam de vulnere ſcribam, paucis perſtringam, huc redeunt. In Ventre lien, cætera ſanus, aliquanto major ſecundum omnes dimenſiones fuit, quam juſtæ & quadratæ ſtaturæ hominis, & jecinori videretur convenire. In cujus veſicula quod pauca eſſet bilis, minime ſum miratus qui ſcirem, & vomitum, & copioſum prandium, unde expreſſa eſſet, præceſſiſſe, & ſane ad bilarii ductus oſculum, in eaque vicinia Duodenum inteſtinum flava bile madidum conſpiciebatur. Quod ad Caput attinet, ſanguifera vaſa erant turgida, facile etiam ob diſtendentes aereas bullulas, quarum plurimas paſſim in cerebri vaſis, & ſub Tenui meninge vidimus, extricatas fortaſſe a ſanguine ob tempeſtatis teporem præſertim poſt longam ab interitu moram; ad cranii enim interiora examinanda non niſi decimo tertio die pervenimus: quo tempore, detracto cerebro, cranii cavum animadvertimus multo ad occiput fuiſſe amplius in dexterum latus, quam in ſiniſtrum. Sed Thorax, & vulnus, quæ primis diebus inſpeximus, ad hunc modum ſe habuere. Illius cavum ſiniſtrum multum habuit effuſi ſanguinis multum pericardium quoque, fluidi quidem, &, qualis in hoc cadavere alibi etiam vivus eſt, magis æquo ſoluti, & fere aquoſioris, an ab epoti humoris copia, qui cito per chylifera vaſa in ſanguifera traducitur? Anguſtiæ tamen, & obliquitas vulneris obſtiterunt, ut opinor, ejuſmodi ſanguini, ne per vulneris externum orificium profflueret. Quo ab orificio viam cultri perſequentes, cognovimus, hunc ab eo quem diximus, loco inter coſtam, & coſtam adactum, oblique ſurſum, & dextrorſum ad mediaſtinum, pericardium, & anterius latus ſiniſtri cordis ventriculi pertundendum, circa medium ferme longitudinis ejuſdem lateris, perveniſſe. Erat quidem in exteriore cordis facie vulnus anguſtum, ſed non minus longum, quam tranſverſus extremus apex minimi digiti; ut aperto a me eo ventriculo, mirarer primum, in facie interiore finem vulneris non apparere, donec ratus quod erat, ab appoſitis carneorum lacertulorum reticulis vulneris foramen obduci, his, ut Epiſtola Anatomica XV. (z) dictum eſt, diligenter amotis, manifeſtum omnibus fuit, vulnus tota parietis craſſitudine, intimaque membrana pertuſa, in cavum ventriculi perveniſſe. In pulmonibus non modo faciem ipſam anteriorem ex nigro variegatam, ſed & ciborum partem deprehendimus, quam, dum hi vomitu rejicerentur, perturbatis in tumultuoſa illa totius corporis agitatione, & deficientium virium languore, inſtrumentorum quæ ad fauces ſunt, opportunis officiis, larynx interceperat; ut illorum portio non exigua, præter illam quæ in bronchiis erat, in ipſo Aſperæ arteriæ trunco ſubſtitiſſet. Qua ex re quoque celeriorem fuiſſe mortem, non dubitavimus, & certe facies vel primis diebus turgens a vaſis ſanguine diſtentis, ſuffocati hominis videbatur.

27. Cordis vulnera quæ ad ventriculum ſiniſtrum perveniant, rarius occurrunt, quam quæ ad dexterum. Ita enim cor poſitum eſt, ut vulneribus quorum pleraque ex adverſo infliguntur, multo minor pars illius, quam hujus, ventriculi, objiciatur. Quod eadem providentia factum cenſeo, qua craſſiores ſanguiferorum vaſorum trunci, ubicunque id licuit, aut profundius poſiti ſunt, aut ad minus patentem injuriis ſedem retracti. Sic Crurales magna ex parte per femina,

(x) Act. N. C. Tom. 8. Obſ. 29. (y) Epiſt. Anat. 13. n. 20. (z) n. 61.

mina, & per poplitem; ſic Brachiales per id humeri latus feruntur quod thoracem reſpicit, non quod exteriora. Siniſter autem cordis ventriculus is certe eſt, cujus vi ſanguis ad cerebrum, & in omne corpus impellitur; ut ſi ea valde infirmetur, & ejus ventriculi impediatur munus; protinus mori neceſſe ſit: quod vere Galenus (*a*) pronunciavit fore *præcipue ſi cordis ſiniſtræ partis venter fuerit vulneratus*. Nunc ſi cordis tot vulnera memoria repetas, quot in Sepulchreti hac III. Sectione (*b*) leguntur; minus jam miraberis, longe plura eſſe quæ ad ventriculum attineant dexterum, quo illa quoque duo attinent quæ ſuperius (*c*) ex Hiſtoria indicavi Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis: ex perpaucis autem quæ intra ſiniſtrum pervenerint, nulla eſſe poſt quæ vitam ad diem, non dico vigeſimum tertium, aut decimum ſextum, aut nonum, aut ſeptimum, ſed ad quartum, aut quintum homo produxerit, ut non ſemel produxiſſe videbis poſt vulnus perforans ventriculum dexterum. Perforato ſiniſtro, illico mortuum invenies tum quem Diemerbroeckius (*d*), tum quem Timæus (*e*) proponit. Horam quidem vixit quem Lucius (*f*), imo quatuor aut quinque alter, cujus in Sepulchreto mentionem extare, non credo, quem deſcribit Dolæus (*g*), utrumque cordis utroque ventriculo trajecto. Sed quid hora, aut horæ aliquot ad tot quot diximus, dies? ad ſexdecim nimirum, imo ad tres & viginti, ut certe vidit Fantonus pater; hujus enim illam Obſervationem quæ in Sectione hac (*h*) legitur, ad ventriculum ſpectare dexterum, ſi forte ob aliquem typographi errorem dubitas; omnis tibi evelletur ſcrupulus, ſi eandem, ut ſemel, iterumque a Cel. Filio (*i*) eſt poſtea edita, perlegere volueris. Eſt quidem in Sepulchreti calce, altera parentis Obſervatio (*k*) in eo qui *vixerat 17. dies*, cum eſſet *cordis ſeptum in baſi vulneratum, vulnere leviter penetrante ſiniſtrum ventriculum, & in dextro finiente*, ſive, ut filius (*l*) poſtea edidit, *vulnere leviter attingente*, ſive *leviter lædente ſiniſtrum cordis ventriculum, & in dextrum penetrante*; ut facile conjicias, *a tenui & peracuto gladio* per ſeptum, oblique adacto, obiter perſtrictum ſiniſtrum, apertum autem, quamvis *parvo foramine* non ſecus atque in illa altera de qua primum dixi, Obſervatione, fuiſſe dexterum. Ne vero in hiſtoria hæreas quæ in eandem hanc Sectionem (*m*) ex Henrico ab Heer eſt relata, *credens*, quia *baſim cordis ejuſque conum, cum inſigni laceratione tranſverberatum globis* ſclopeti *duobus* offendit, vulnus in ſiniſtrum ventriculum perveniſſe; totam lege, agnoſceſque, in neutrum penetraſſe; neque enim mirantibus quomodo ad ſeptimæ diei finem potuiſſet ægri illius vita produci, ſatisfacere licuiſſet, oſtendendo, ut tunc feciſſe ſe dicit, Majorum dogma, *ſola cordis ſubſtantia læſa, ſi ad ventriculos vulnus non penetret, aliquos dies poſſe ægrum vivere, dum phlegmone ſuperveniente abripiatur*. Nec me quidem fugit, præter variam ſedem, rectitudinem quoque, aut obliquitatem, brevitatem, aut longitudinem, præſertim vero amplitudinem, aut anguſtiam vulneris plurimum facere ad accelerandam mortem, aut retardandam, ut magis, minuſve cor læditur, aut plus, minuſve ſanguinis ex utrolibet ventriculo effundit. Quocirca & hominem hunc quem ipſe diſſecui, aliquanto amplius vitam trahere potuiſſe, exiſtimo, niſi ad vulnus ſuffocatio acceſſiſſet (eorum enim quæ cum vulnere cordis junguntur, in illis qui citius intereunt, ut puta in quadam Maucharti (*n*) Obſervatione, habenda eſt ratio) non tamen quandiu traxit is quem ſupra (*o*) ex Valſalva deſcripſi, qui dextero pertuſo ventriculo, ad octavum pervenit diem. Colligendum autem hoc diſcrimen videtur ex collatis inter ſe tot illis quas indicavimus, hujus, aut illius ſauciati ventriculi Obſervationibus, niſi obſtet aliquid eorum quæ modo ſunt dicta, aut alia etiam, ut in hoc qui fuit a me diſſectus, impoſita alia aliis, & ſic vulnus operientia lacertulorum reticula; ut in eo quem inſpexit Barthelinus (*p*), vulneris *labia concidentia*; ut in eo quem Billyus (*q*), *grumus ſanguinis concreti vulnus cordis obturans*: aut ſi nullus obex ſit, ipſa cordis in ſe contrahendo, &, quod conſequitur, in ſanguine per vulnus extrudendo ſumma infirmitas, quod in memoratis Fantoni hiſtoriis crebræ animi defectiones, aut ſanguinis effluentis copia indicant. Quas fortaſſe ob cauſas, ex parte ſaltem, non ante ſextum interiit diem is adoleſcens, cujus dexterum cordis ventriculum ſauciaverat culter, vulnere ſex lineas Pariſienſes æquante, ſecundum horizontem inflicto, pollicum trium a mucrone intervallo, & ab externo pariete ad oppoſitum perveniente. Magna fuerat ſanguinis profuſio, magna, præter leviores animi defectiones, nec una ſyncope, tribus autem poſtremis diebus nulli ferme amplius pulſus, qui ſecundo, & tertio die cum vehementi febre viguerant, quæ cum aliis ab initio ad finem uſque diligentius ſane adnotatis, quam in pleriſque vulnerati cordis Obſervationibus legiſſe meminerim, videre poteris ab Auditore olim meo Stephano Gaſpareno (*r*) Medico, & Chirurgo Feltrienſium Spectato, preſſe quidem, at perſpicue deſcripta. Hactenus expoſita cum recenſerem, eximius allatus fuerat Archiatri Illuſtris Senacii de Corde Tractatus, cujus illud caput (*s*) quod de Vulneribus Cordis inſcribitur, cum perlegerem, nihil quod ad theoriam, ad Obſervationum utilem inter ſe collationem, ad ſigna, & ad ipſam quoad licet, curationem pertineret, deſiderari poſſe, vidi. Quamobrem tibi auctor ſum, ut totum, nec ſemel verſes. In Obſervationes enim ſimul incides quarum nonnullis ipſe carebam, & in eas præcipue, quas indicat, proprias, inter eaſque præſertim quæ illuc attinent, ut confirmet, poſſe vulnera in ventriculos pervenire, nec magnam tamen contingere ſanguinis effuſionem, ſive quia grumo ſanguinis occluſum profundum vulnus invenit, ſive quia vulnere ipſo irritatæ fibræ ita ſe contrahant, ut ſanguini exitum intercludant, ſive quod vulnus obliquum ſit; exemplum autem ſingulare profert magnæ obliquitatis; vulnus enim vidit in quo gladius per ſubſtantiam cordis a mucrone ad baſim trajectus fuerat. Cujuſmodi genus obſtaculi etſi in ventriculi dextri vulneribus ob parietis tenuitatem minus facile fieri poſſe admonet; non negat tamen, ſanguinis effuſionem ex ventriculo hoc quoque interdum eſſe non ita magnam. Utrolibet autem ex ventriculo ſi hæmorrhagia haud tanta ſit, ut celeriter per ſe occidat; magnum tamen poſtea ex accedente inflammatione, & niſi hæc diſcutiatur, ex non modica ſuppuratione inſtare periculum. Sed hæc malim per te videas, quam ex me intelligas.

28. Ex vulnere quoque ſanguiferi majoris vaſis ex iis maxime quæ thorace concluduntur, arterioſi præſertim, celerrime plurimum ſanguinem effundi, hominemque interimi, niſi & ratione manifeſtum, & crebris eſſet ſauciatorum diſſectionibus comprobatum, Obſervatio oſtendere poſſet, quam Sepulchreto addes, Jo. Andreæ Uſenbenzii (*t*). Et tunc quidem facile Profectori licet, unde ſanguis prodierit, demonſtrare. Contra, ſi læſum vas tenue ſit, ſanguis lente exiens, occidere aucta paulatim, ſed aſſidue, ſui copia hominem poterit; at vix, imo interdum, niſi tempus injectionis ope inquirendi datum ſit, ne vix quidem unde exierit, invenitur, velut in viro, cujus altera thoracis cavea ex vulnere conſpecta eſt plurimo ſanguine referta. Sed unde hic effluxiſſet, obſcurum adeo fuit, ut ne Mediaviæ quidem noſtri mihi perſpecta diligentia potuerit inveniri. Hiſtoriam minime alioquin contemnendam, ut ipſe mihi narravit eodem ſectionis die, qui fuit Kalendis Maii A. 1742, ſic tecum protinus communicabo.

29. COQUUS hic erat ex Gallia, quem is quocum forte rixabatur, diſtricto enſe, obliquo a dextris ſiniſtrorſum ictu, ſauciaverat. Et vulnus quidem manifeſtum erat circa latus dexterum medii fere ſterni: num vero in thoracis cavum perveniret, neque ſpecillo,

(*a*) De Loc. aff. l. 5. 2. (*b*) Obſ. ſub n. 23. & in Addit. Obſ. 3. (*c*) n. 4. (*d*) Obſ. 23. cit. §. 2. (*e*) Ibid. §. 18.
(*f*) Ib. §. 16. (*g*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 2. Obſ. 188. (*h*) Obſ. cit. 23. §. 12. (*i*) Patern., Obſ. 33. (*k*) Obſ. 17.
(*l*) Obſ. 17. (*m*) Obſ. cit. 23. §. 10. (*n*) 9. Eph. N. C. Cent. 1. Obſ. 18. (*o*) n. 3. (*p*) Sect. hac, Obſ. cit. 23. §. 15.
(*q*) in Addit. ad hanc Sect. Obſ. 3. in Schol. (*r*) Oſſerv. Med. Chir. 9. (*s*) l. 4. ch. 6. (*t*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 58.

cillo, neque arte ulla alia dignoſci poterat. Tuſſis, & ſputa, ſanguine interdum hic illic infecta, certi nihil ſignificare in homine poterant, a longo jam tempore tuſſi, & cinereis, ac ſanguinolentis ſputis, cum ſpirandi difficultate obnoxio. Hæc tamen facta erat nunc multo major, febremque habebat adjunctam cum magna pulſuum frequentia, duritie, impetu, ſine ulla tamen intermiſſione, aut inæqualitate. Poſtremo quoque vitæ die, qui ab inflicto vulnere quartus fuit, etſi pulſus facti erant peſſimi; æger tamen & ſupinus, & in utrum liberet latus cubare perrexit; quin etiam in lectulo ſedens, epiſtolam ſcripſit: neque unquam de cordis angore, aut dolore ullo conqueſtus eſt.

MORTUI vulnus rimando, una quidem ex iis quæ cum ſterno committuntur, coſtarum cartilago inciſa ad ſuæ altitudinis uſque medium reperta eſt; ſed reliquum enſis iter perſpicue deprehendi non potuit. Sic enim thoracis cava ſe habuere. Dexterum nihil niſi pulmonem continebat, ad pleuram undique annexum, flaccidum, ſubnigrum, peſſime conſtitutum, ſine ulla tamen duritie. Cavum autem ſiniſtrum fluidi ſanguinis pleniſſimum fuit, in quo pulmo, undique ſolutus, & ſanus, natabat. Sterni interior facies ſiniſtro in latere ſugillationem quidem aliquam, ſed inciſionis nullum prorſus habebat veſtigium, quod neque ullo in vaſe, neque in pulmone deprehendi potuit. Pericardium, quod a dextris craſſius factum, ſui parte aliqua cordi videbatur adhæſiſſe, pus flavum, mucoſum, non multum continebat. Cordis exterior facies inæqualis, & quaſi corroſa. In ventriculis non ſanguis, ſed polypoſæ concretiones fuere. Subſtantia autem cordis laxa adeo, & flaccida erat, ut tametſi circa baſim ventriculi dexteri, ubi pars quædam exigua mucoſi illius puris exterius adhærebat, viſa ſit foramen habere, facillimeque ſpecillum admiſerit, dubium tamen fuerit, num foramen antea eſſet, an ob laxitatem ipſum ſibi ſpecillum feciſſet. Sic veteres thoracis morbi, ut vivente homine, Medicos, ita mortuo, Anatomicos ſuſpenſos tenuere.

30. Enſem in ſiniſtram thoracis caveam perveniſſe, & vas aliquod ſanguiferum vulneraſſe, effuſi in eam ſanguinis copia oſtendit, tametſi quodnam illud vas fuerit, incertum eſt. Cum ea autem caveæ utriuſque, & cordis, ac pericardii conſtitutione quomodo illa eſſe, aut abeſſe poſſent quæ ex hiſtoria certiſſime conſtat fuiſſe, aut abfuiſſe, quanto difficilius eſt intellectu, tanto magis hujus memoria Obſervationis eſt retinenda ut fieri interdum quæ minus conſueta ſunt, non ignorantes, ſignorum præſentiæ, aut abſentiæ multum quidem plerumque, ſed non ſemper omnia tribuamus.

31. De Thoracis Vulneribus hactenus: de quibus memorabilem ob levia ſigna graviſſimi eorum effectus hiſtoriam leges Jo. Hadriani Slevogtii (*u*). Nunc Ictuum, & Compreſſionum quæ ſine vulnere Thoraci accidunt, nonnullas Obſervationes addituri, ab illa initium ducemus quæ nobiſcum olim fuit ab Ignatio Pedratto, Cremonenſi Medico, quem tibi alias (*x*) laudavimus, communicata. Tu cum altera conferre poteris, ab Slevogtio eodem (*y*) propoſita.

32. VIR ex equo labitur. Jacentis pectus equus percutit altero pede. Nulla inde exterior læſionis nota: ſed difficultas ſpirandi tanta, ut neque ſanguinis miſſionibus, neque datis, impoſitiſve opportunis remediis conſequi potuerint Medici, ne intra decimum quinctum ab ictu diem mors ingrueret. COSTA nulla in diſſecto inventa eſt quæ fracta eſſet; ſed inter coſtas, & pleuram non parvus tumor quaſi ex putrido ſanguine congeſto, cum labe reſpondentis pulmonis.

33. PUER ruſticus annos natus ad decem, humi jacebat, cum rotæ carri ſuper thoracem traductæ ſunt neſcio quo poſitu jacentis. Hoc ſcio, intra horæ dimidium exſpiraſſe, Bononiæ autumno A. 1706.

CADAVERIS cum partes quaſdam, ſecundum naturam ſe habentes, Anatomes ſtudio perluſtrarem, in Thorace effuſum ſanguinem, & coſtas aliquas a ſiniſtris depreſſas, & fractas; a dextris autem pulmonis inferiorem lobum a tergo diſruptum, id eſt magno ſecundum longitudinem, profundoque hiatu apertum offendi: in corde vix aliquid ſanguinis; nullam autem polypoſam concretionem.

34. Poſt ea quæ ſuperioribus Epiſtolis ſcripta ſunt de magnis intra caput, exterius integrum, ex ictuum vi repertis læſionibus, hiſque interdum in oppoſita ictibus parte; non magnopere, opinor, expectas, ut has duas explicem Obſervationes. Secundæ tamen accedere cauſam vides a repentina compreſſione, viſcus aeris, & ſanguinis plenum arctante, & ad oppoſitas coſtas urgente. Ad primam autem illa videbis attinere quæ de ruptis, integro abdomine, ventris Partibus interioribus alio loco (*z*) proponentur. Hic potius juvat quaſdam alias, quæ a te Sepulchreto addi poſſint, hiſtorias commemorare, ad thoracis ictus, & compreſſiones, de quibus agimus, attinentes. Miſſa igitur ſuſpicione Gahrliepii (*a*) de oſſibus inter pleuram, & tunicam pulmonum ad juncturam coſtarum genitis, quaſi prima eorum cauſa fuiſſet olim pectoris ad ſolum vehementiſſima alliſio; lege apud Bohnium (*b*) de illo Sene adeo violenter ad ſcamnum alliſo, ut coſtis quinque *tranſverſim* fractis, intra *nycthemerum* ſuffocatus obierit. Alterum quoque idem Auctor (*c*) diſſecuit multo citius mortuum, quia præter coſtas multo plures confractas, nonnullaſque luxatas, ex diſruptis Intercoſtalibus vaſis, & altera ex Internis arteriis Mammariis effuſus intra thoracem ſanguis ſuffocationem acceleraverat. Hic autem currus onuſti rotis fuerat ſubactus. Suffocatio pariter, ſed inopinato, & die morbi undecimo, hominem ſuſtulit quem proſtratum equi pedes calcaverant, rota autem onuſti curſus, per dorſum traducta, compreſſerat. In hoc, præter alia, tres coſtas fractas, & quarundam cartilagines plane diſruptas conſpexit Theodorus Zuingerus (*d*). Meryus (*e*) autem Senis, cui pectus rotæ preſſerant tranſeuntis rhedæ, fractas coſtas invenit duas, emphyſematis tumore primum ad fracturæ ſedem incipiente, &, cum reſpirationis difficultate, deinceps per ambitum ferme totum corporis augeſcente, donec quarto die mors ingruit; ut mirari non oporteat quod Agricola (*f*) cujus lateri a fugiente equo tota aratri moles ſic incuſſa fuerat, ut coſtam frangeret, cum emphyſema acceſſiſſet, quotieſcunque aerem inſpirabat, *in effractæ coſtæ regione protuberaret tumor magnitudine ovi gallinacei*, mox in exſpiratione retrocedens. Sed hic, ut robuſtus, & juvenis, & alio modo curatus, ac Senex ille, ſervatus eſt. Pene omiſeram hiſtoriam mirabiliorem, & ad ea quæ ſupra de cordis vulneribus ſcripta ſunt, ferme attinentem. Chriſtiani Vateri (*g*) eſt qui Fœminæ, a præterlabente curru in pectore graviter percuſſæ, eoque ipſo die extinctæ, cum deprehendiſſet coſtas ſuperiores prope ſternum, una cum clavicula, a ſiniſtris fractas, etſi minus erant introrſum flexæ, multoque minus pericardium læſerant; tamen intra hoc, integrum, & ſanguine effuſo diſtentum, cordis ventriculum invenit dexterum non procul a mucrone *ultra longitudinem unguis ruptum*. Quam Obſervationem cum ea conjunges, quæ ex Regio Chirurgo Boirello in Sepulchretum (*h*) eſt relata, nempe Viri tertia aut quarta hora mortui poſtquam glans plumbea, e *ſclopeto* emiſſa, pectus ſubierat, quæ etſi citra pericardium ſubſtiterat, tamen intra hoc, prorſus illæſum, ſanguine autem oppletum, cordis vulnus repertum eſt pariter in ventriculi dexteri parte inferiore. Quibus in hiſtoriis duabus minus te eſſe miraturum, credo, quod vulnus ſeu ruptio

ejus

(*u*) Diſſert. inſcr. Vomicæ Pulmon. & cæt Exempla §. 61. (*x*) Epiſt. 21. n 43. (*y*) Diſſert. modo cit. §. 21.
(*z*) Epiſt. 54. n. 14. & ſeqq. (*a*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 43. (*b*) De Renunc. Vuln. Sect. 1.
(*c*) Ibid. (*d*) Dec. modo cit. 3. A. 5. & 6. Obſ. 277.
(*e*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1713. Obſ. 4. (*f*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 51.
(*g*) Dec. 3. cit. A. 9. & 10 Obſ. 104.
(*h*) in Addit. ad Sect. hanc 3. Obſ. 1.

ejus ventriculi tam citam mortem attulerit, ſi animadverteris, ex illæſo pericardio minime ſanguinem, ut in cæteris cordis vulneribus, exire potuiſſe, illicque igitur coacervatum conſtipatumque id effeciſſe quod, propter internam cauſam in pericardii integri cavum effuſus, poteſt, ut alibi (*i*) eſt indicatum, efficere. Quod vero cor, pericardio illæſo, ruptum ſit, cauſam quidem Boirellus ſe proxime indicaturum, promiſerat, cum ſuam edidit Obſervationem (*k*). Sed num præſtiterit invenire non potui. Vaterus autem quid cogitaret, in calce ejus Obſervationis, videbis. Mihi quidem, aliorum cogitata non improbanti, ſane ubi de corde, aut arteriis agitur, ab ictu corporis a quo non attingantur, diſruptis, addendum videtur id quod Lanciſius (*l*) in arteriis ab ſimili ictu infirmatis non dubitabat eſſe attendendum, nimirum an forte percuſſio eo temporis puncto contigerit, quo dilatabantur; tunc enim ab ictu non recedentes, imo illi occurrentes, & contra nitentes, ſuæ ipſæmet augent læſionis cauſam. Quanto autem paries, per ſe tenuis, dexteri cordis ventriculi, cum dilatatur, tenuior fit, tanto erit noxæ a percuſſione opportunior. Quod ſi addas ſanguinis in quibuſdam corporibus majorem copiam; tanto magis eum parietem & dilatatum intelliges, & extenuatum, & ſubitæ, vehementiſſimæque percuſſionis vi non difficillime rumpendum. Nec tamen eam dumtaxat Lanciſii animadverſionem ſatis eſſe, credo, ut rationem aſſequamur qua factum illud ſit, quod a ſe viſum, cum Salſubii eſſet, Valſalvæ, & mihi aſſeverabat Jacobus Cicogninus in R. Taurinenſi Aula primum Conſiliarius, & Medicus, deinde in hoc Gymnaſio Collega noſter, dum viveret, Ornatiſſimus.

35. SENEX aliena in ſylva ligna cædens, ab ſylvæ domino in medio furto deprehenditur. Hic maledictis, & minis reſiſtentem prius increpat, tum denique fugientis dorſum ſemel, haud amplius, fuſte percutit. Percuſſus poſt duos treſve paſſus mortuus concidit. ARTERIA Magna, licet vertebræ, coſtæque eſſent integræ, atque illæſæ, rupta in tranſverſum, & diſciſſa reperta eſt.

36. Quod ſuperius (*m*) de eadem arteria dixi, cum poſt caſum ex altiſſimo loco ſe Valſalvæ pertuſam obtulit intra pericardium, idem tanto magis hic dicam, neceſſe eſt, ubi in tranſverſum occurrit diſrupta. Senex erat percuſſus; in ſenibus autem quoties, & quantum eroſam intus arteriam illam viderimus, noſtræ ad te Epiſtolæ ſatis oſtendunt. Si forte jam diſruptioni per ſe proxima erat cum vertebras ad quas adhæret, vehemens ictus concuſſit; non ita a veri ſimilitudine alienum videbitur, potuiſſe perrumpi, præſertim cum ob varios deprehenſi, irati, in fugam acti ſenis affectus ſimul abnormes contractiones arteriam quibuſdam locis arctarent, ſimul rixa, & fugiendi conatus celerius ſanguinem, & vehementius in ipſam urgerent; ut omittam a duobus ejuſmodi ictibus (quos hypochondria tamen exceperant) Samuelem Graſſium, ut in Sepulchreto etiam (*n*) leges, præter lienem, & venam Cavam, ipſam quoque arteriam Magnam in Juvene diſcerptam vidiſſe. In Bajulo autem de quo mox dicam, tum repentinæ mortis, tum eorum quæ in mortuo fracta reperta ſunt, cauſæ fuerunt per ſe omnibus evidentiſſimæ, neque ad thoracem dumtaxat, ſed ad caput etiam ſpectantes non ſecus ac in Viro, & Juvene quos Litteris ſuperioribus (*o*) deſcripſi; ut Obſervationem hanc, quæ ibi quoque proponi potuiſſet, non alia ferme ratione huc diſtulerim, niſi ne tum forte prolixior eſſem.

37. BAJULUS, vir ſubpinguis, & lacertoſus, cum valeret optime, & neſcio quid in prægalto tecto curaret, inde in ſtratam ſilicibus viam præceps ruens, illico mortuus eſt, cum menſe Januario A. 1725. tempus inſtaret quo ſolemnis in Theatro Anatome haberi hic ſolet. CADAVER igitur Gymnaſio conceſſum eſt, & a nobis eo diligentius perſectum, quo ad eam rem erat in pleriſque magis idoneum. Sed quæ ſecundum naturæ conſuetudinem fuerunt, in aliud tempus, ſi pauca excipias, ſervantes, cætera nunc memorabimus, nec tamen omnia; cum aliqua ex his attigerimus alias ad te ſcribentes, ut mox ſuo quodque loco indicabitur. Ventre aperto, aliquem Tenuium inteſtinorum tractum totum invenimus lividum: & cum a morte necdum exactæ eſſent horæ viginti duæ, chylifera vaſcula tranſpeximus ſub extima tunica ejus inteſtinorum illorum partis quæ ventriculo propior erat, cibis diſtento; quamobrem bilem in ſua cyſti paucam animadvertimus. Quibus autem pylori annulo prominentiæ inſiderent, Epiſtola ſcriptum eſt XXIX. (*p*) ſicuti XLIII. (*q*) quomodo urethra ſe haberet, eſt indicatum. Truncus Magnæ arteriæ tota ea parte qua ad ventrem pertinet, hic illic initia oſtendebat interius futuri oſſis; interius autem, & exterius inſpectus, pro una tres ex ſe naſcentes Cœliacas, quarum una exilis, duæ non parvæ, omnes inter ſe proximæ. Thorax coſtas fractas habuit ſeptemdecim. Siniſter pulmo cum pleura cohærebat. Vena Cava Superior in ipſo fine a facie quidem interiore leviter quaſi eroſa apparebat; arteria autem Magna, ipſa quoque interius, haud procul a corde, ad non brevem tractum reticulata ex craſſis, albiſque fibris: præterea ad curvaturam intus pariter induruerat in ſquamam oſſeam. Cranium denique ad occiput, & ſincipitis poſteriora, in fragmenta diſruptum erat.

38. Si præcipuam ſubitæ mortis cauſam attendere voluiſſem; proponenda fuerat hiſtoria hæc Epiſtola ſuperiore; vides enim ex cranii in fragmenta comminutione, eaque ad occiput, quanta eſſe concuſſio debuerit non cerebri modo, verum etiam cerebelli. Sed ego tum ob eam quam ante dixi, rationem, tum ob tantum fractarum coſtarum numerum huc malui differre. Ex illa Epiſtola exempla habes in quibus coſtas quoque, ſed multo pauciores, quin & vertebras aliquot dorſi fractas conſpeximus. Itaque non ea tantummodo, ſed & illud hic prætermittimus quod tibi deſcriptum eſt alias (*r*) Lanarii vulnus, ſcapulæ inflictum, hoc unum ex Anatome addentes, in ejus partis vulneribus cavendum eſſe, ne ſuperior ejuſdem lateris artus agitetur; hujus enim motus obſtat, ne illa facile ad cicatricem perducantur.

39. Priuſquam Epiſtola proxima de vulneribus ſcribamus quæ ad Ventrem attinent, non eſt hic vulnus omittendum quod ſimul ad ventrem, ſimul ad thoracem pertinebat, præſertim cum in thorace de quo hic loquimur, inciperet, in eodemque deſineret.

40. SARTOR annos natus viginti, ob fortuitam nullius momenti cauſam ab alienigena vulneratus eſt ancipiti, neque anguſto cultro ad imam partem lateris dexteri, ne quid ſceleri deeſſet, VIII. Kal. Aprilis A. 1742. quo nimirum die Reſurrectio Servatoris noſtri celebrabatur. Ab accepto vulnere non cecidit. Sed continuo in Noſocomium quod longiuſcule inde aberat, delatus, in via vomuit, alvique, & veſicæ excrementa emiſit: illucque pervenit toto jam corpore frigidus, ſine viribus, ſine pulſibus, aut his obſcuriſſimis, vix ut paucas pias voces proferre poſſet. Cum ſanguis exigua copia proflueret, vulnuſque propterea dilatarent, nihil ſentire ſe, oſtendit. Itaque poſt horam, aut paulo amplius, ab inflicto vulnere, ſine ſpirandi difficultate, ullaque ſanguinis per os ejectione, mortuus eſt. CADAVER ibidem VI. Kalendas, & ſex inſequentibus diebus accurate perſecuimus, quippe noſtris aptiſſimum ſtudiis & magnitudine, & habitu, quem nec pinguem poſſes dicere, nec macilentum. Hic tantummodo quæ ad vulnus ſpectant, & ſi quid aliud occurrit præter expectationem, adnotabimus. Abdomine, quod neque tumidum, neque tenſum erat, & tantam continebat tamen, quantam dicemus, ſanguinis copiam, inciſo, & diducto, leviter cruenta omnium viſcerum ſuperficies apparuit. Quorum animadverſis ſedibus, & in his omenti, quod cum a dextris oblique ad ventris medium deſcenderet, a ſiniſtris ſurſum retractum erat, & revolutum, ut ventriculum ope-

(*i*) Epiſt. 26. n. 18. (*k*) Zodiac. Med. Gall. A. 2. M. Jul. Obſ. 20. (*l*) De Aneur. l. 2. c. 2. Propoſ. 21. cum Schol.
(*m*) n. 8. (*n*) in Addit. ad hanc Sect. Obſ. 31. (*o*) n. 34. & 35. (*p*) n. 17.
(*q*) n. 9. (*r*) Epiſt. 16. n. 28.

operiret; continuo ad vulneris examen perreximus. Culter nonam inter, & decimam coſtam imum dexteræ Thoracis caveæ latus ſubierat; mox pertuſa, coſtis illis vicina, diaphragmatis parte carnea, proximum jecinoris ipſum latus transfixerat, ingrediens per faciem convexam aliquo ab infima crepidine intervallo, fiſſura duos circiter tranſverſos digitos longa, paulo autem minori per cavam faciem egrediens; ut tota cultri per jecur via non longior eſſet duobus ferme tranſverſis digitis. Egrediens autem tranſverberaverat renem dexterum aliquo ab ſumma parte intervallo, a facie anteriore ad poſteriorem tranſeundo oblique pariter, ut in jecinore, quaſi dimidio minori quam in hoc, fiſſuræ longitudine. Denique iterum diaphragma pervaſerat, & per hujus carnem quæ eſt pone renem, infimum prorſus thoracis cavum adierat, & poſtquam ad latus duodecimæ dorſi vertebræ Intercoſtalis nervi truncum, & venæ ſine pari quandam propaginem læſerat, ſubiens muſculos proximos qui ad Spinæ latus feruntur, eoſque ad tranſverſi pollicis profunditatem, poſt tot alias Partes uno ictu trajectas, noviſſimos omnium convulneraverat. Itaque etſi neque in muſculis Intercoſtalibus, neque in diaphragmate, neque in jecinore, neque in rene, neque in Spinæ latere, neque in iis quos poſtremo indicavi, muſculis, vas aliquod majus ſauciaverat; tot tamen ex minoribus inciderat, ut intra tam breve tempus quo ſuperſtes vita fuit, non minor copia ſanguinis effuſa videretur, quam ſi Emulgentia vaſa, aut vena Portarum, vel potius ipſe Cavæ truncus, quæ illæſa invenimus omnia, fuiſſent vulnerata. Sublatis enim manu inteſtinis, tantum nigri ſanguinis ſub ipſis, & multo magis intra pelvim conſpectum eſt, quantum pleriſque eorum qui aderant, viginti ſaltem libras æquare videretur: quanquam cum ſic fluidus eſſet, ut pauci omnino grumi in eo poſſent animadverti, neque uſquam in univerſi cadaveris conſectione polypoſi quidquam in vaſis, aut corde ipſo conſpectum ſit; veri ſimile eſt, poſt mortem quoque ex inciſis vaſis defluere perrexiſſe, & effuſi ante mortem, copiam auxiſſe. Certe elapſo quarto ab interitu die, ex ipſo vulneris fine quem ad Spinæ latus deſcripſimus, ſanguinem etiamtum prodire, conſpeximus. Num autem illinc per transfixum diaphragma in ventrem deſcenderit, an contra ex ventre in ſupini cadaveris thoracem pars ſanguinis aſcenderit, incertum eſt. Illud certum, cum priuſquam thorax aperiretur, ventris viſceribus amotis, exhauſtoque ſanguine, diaphragma inſpectaremus, ſanguinem ex ultimo hujus vulnere prodiiſſe, tum manu ad eam diaphragmatis partem appreſſa, fluctuare aliquid ſupra eum locum perceptum eſſe, & rugitum quendam & ſonum, qualis a concluſis intra inteſtina flatibus ſolet, auditum, & aperto denique thorace aliquam in hoc repertam ab eo latere ſanguinis copiam, eumque pulmonem ſurſum, nec mediocriter, retractum. Erat enim is a pleura undique ſolutus; cum ſiniſter anterius, & ad latus, præſertim vero poſterius, ad illam annecteretur. Præter hæc neque in thorace, neque in ventre quidquam dignum fuit quod hic adnotetur. Fruſtra enim propter vulneratum renem, in veſica quæſitum eſt, num cruenti aliquid haberet; nam pauxillum, quod in ea contracta reſtabat, lotii incruentum fuit. Quid vero in tunica alterius teſtis Albuginea animadverterim, alibi (*s*) indicatum eſt. Ex iis autem quæ in Capitis diſſectione conſpexi, hæc minime ſunt prætereunda, Vertebralem arteriam dexteram, intra cranium ſaltem, quadruplo fuiſſe, quam ſiniſtra, latiorem: & in Tenui meninge non exterius ſolum, ſed & qua Laterales cerebri ventriculos conveſtit, fuiſſe vaſa non minori ſanguinis copia diſtenta, quam ſi homo ex phrenitide obiiſſet. Sic etiam in iis ventriculis, quorum ſinguli aquæ limpidæ cochleare circiter habuere, Choroides plexus ex ſubatro rubebant. Sic quacunque medullaris incidebatur ſubſtantia, ſanguineæ paſſim exiſtebant guttulæ: quas ſi abſtergeres, cerebrumque comprimeres, continuo aliæ erumpebant latiores; mirum in tanta ſanguinis in ventrem effuſione, niſi ob læſum Intercoſtalis nervi truncum convulſivas quaſdam contractiones excitatas eſſe, putemus quæ ſanguini ex cranio reditum intercluderent. Quibus contractionibus vomitum quoque poſſis tribuere; quanquam in rene, & ſepto Tranſverſo vulneratis cauſarum fortaſſe ſatis habes, unde vomitum extitiſſe, credas.

41. Sed utcumque hæc fuerint; illud præcipue ex Obſervatione propoſita, aliiſque ſimilibus colliges, ſiqui Chirurgi Anatomen forte minus calleant, in graviſſimos poſſe errores prolabi, vulnera quæ inter coſtas ſubeant, ad thoracem dumtaxat pertinere, exiſtimantes. Nimirum fornicati diaphragmatis ignoratione decepti, ſupremamque propterea ventris partem inter coſtas excipi, nunquam animadvertentes, hujus quoque viſcera iis vulneribus lædi ſimul poſſe, ne ſuſpicantur quidem. Tanto autem magis id augetur periculum, ſiqua cauſa in ventre ſit quæ ſurſum magis diaphragma compellat, ſive hæc ſit, ut in obeſa muliere (*t*) commemoravimus, pinguedinis copia, ſive flatuum, ſive aquæ, ſive etiam moles diſtenti uteri, aut alterius viſceris, ut puta hepatis, a quo vel ſecundum naturam haud raro altius attolli diaphragmatis partem dexteram, alibi (*u*) admonuimus. Periculum autem majus eſt, ſi non ſtanti, ſed jacenti fuerit vulnus inflictum. Neque ita raro iſtiuſmodi occurrunt vulnera, ut quatuor ſaltem exemplorum non meminerim, quæ Sepulchreto poſſis inſerere, præter unum Gliſſonii (*x*), quod ab iis qui Sepulchretum confecerunt, & adauxerunt, omnino inſeri debuiſſet. Primum eſt Maucharti (*y*), illius quod ſupra (*z*) ex Valſalva produxi, in eo ſimile quod ſanguis quantum e thorace exhauriebatur, tantum per diaphragmatis vulnus continuo illuc influebat ex ventre. Alterum Goetzii (*a*) eſt. Tertium Cel. Heiſteri (*b*). Krameri (*c*) autem eſt quartum. Et in his quidem omnibus vulnus e thorace, quem primum ſubierat, per diaphragma in ventrem deſcendens, jecur perforaverat. Porro ob eandem quæ dicta eſt, conformationem, poſitionemve diaphragmatis, & in poſteriora declivitatem, etiam fit, ut ſi vulnera ſupremæ abdominis parti impoſita, longius pergant, non ventris ſolummodo viſcera, ſed & thoracis ſimul cum diaphragmate faucientur. Verum ejuſmodi vulnera a nobis, qui locum hic unde incipiunt, attendimus, inter ea quæ ad proximas Litteras attinent, referenda eſſe, vides. Eas igitur quam primum expectabis, & Valebis.

EPI-

(*s*) Epiſt. 43 n. 30. (*t*) Epiſt. 27. n. 2. (*u*) Epiſt. Anat. 1. n. 13. (*x*) Anat. Hep. c. 9. in fin.
(*y*) Eph. N. C. Cent. 1. Obſ. 19. (*z*) n. 3. (*a*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 18.
(*b*) Differt. de Medicinæ Utilit. in Juriſprudent. n. 61. & ſeqq. (*c*) Commerc. Litter. A. 1741. Hebd. 37. n. 1. ad cap. 2.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LIV.

Agitur de Vulneribus, & Ictibus Ventris, Lumborum, & Artuum.

PECTORIS, & Dorſi Vulneribus, Ictibuſque propoſitis, proximum eſt ut quæ ad Ventrem, Lumboſque attinent, proponamus, additis; ne præter hæc, alia ſuperſint; iis etiam quæ ad Artus ſpectant tum Superiores, tum Inferiores. Ex Valſalva igitur has primum accipe Obſervationes.

2. JUVENIS duorum & viginti annorum a vacca impetitur, & cornu circa alterum inguen ſauciatur. Febricitat: ſenſimque facies, & reliquum corpus tumere incipiunt, tumore tamen ad verum œdema non referendo. Nihil præterea quod memorabile ſit, occurrit, niſi tandem circa diem decimum ſeptimum. Tunc enim difficultas ſpirandi accedit, cum dolore quodam, & impedimento ad fauces, quod ægro boli inſtar eſſe videtur, a quo ſi poſſit liberari, cætera omnino ſanum ſe fore, affirmat. Tamen aliquoties ab aſſidentibus tremores univerſi corporis animadvertuntur, ejuſdemque tumor, interea auctus, perſtat. Tandem circa diem ab accepto vulnere vigeſimum ſecundum mors ingruit. IN CADAVERE vulnus penitus examinatum, incipiebat prope Spermaticorum vaſorum per muſculos Abdominis tranſitum, pergebatque inter Rectum muſculum, & tendines Obliquorum; ubi concreti ſanguinis inventa eſt copia. Sed in ventris cavum non perveniebat. In hoc multum aere diſtenta inteſtina, multumque erat ſtagnantis ſeri. Quod pariter & in Thorace ſtagnabat. Cæterum hujus, & Ventris integerrima erant viſcera. Quin paſſim muſculi naturalem ſuam ſervabant ſoliditatem.

3. Si tumor quo iſtius Juvenis corpus diſtendebatur, aliquid forte habebat unde ad emphyſema ſpectaret; intelligi hinc poſſet, emphyſema non a vulneribus dumtaxat oriri quæ in thoracis cavum, aut in Aſperam arteriam pertineant. Sic etiam Bartholinus, ut in hac habes III. Sectione (*a*) libri III. Sepulchreti, cum emphyſema non faciem ſolum, ſed univerſum corpus occupaſſet; vulnus tamen invenire non potuit profundum, nedum quod ullam interiorem læderet partem. De dolore autem, & impedimento illo ad fauces, memineris alias (*b*) a nobis injectam eſſe mentionem non modo ex Valſalvæ, ſed ex Wepferi etiam Obſervationibus: quibus addere alias poteris Eberhardi Gockelii (*c*), Eliæ Camerarii (*d*), & Mauritii Reverhorſtii (*e*). Eas omnes ſi inſpicias; videbis, id impedimentum a vulneribus præſertim obortum, & ſæpe quidem earum partium prope quas iſte Juvenis ſauciatus fuerat, prænuncium fuiſſe convulſionum, quas ſub tremorum ſpecie hic quoque vides acceſſiſſe. Eodemque fortaſſe attinuit tum inteſtinorum diſtentio, tum per remoratum ſanguinis, aut lymphæ motum, ſeri in ventrem, & in thoracem effuſio.

4. VIR annos natus quadraginta, plumbeis e ſclopo cominus ejaculatis fruſtulis ad dexteri oſſis ilium marginem vulneratur. Nulla primum apparent ſymptomata. Nonnullis autem poſt diebus, febris cum maximo rigore invadit, & quotidie recurrit, donec circa diem decimum quartum, cum triduo ultimo anhelus fuiſſet, æger moritur, non ſine vulneratorum inteſtinorum ſuſpicione propterea quod ex vulnere materia prodierat ferme ſimilis alvi recrementis. VULNUS tamen in Ventris caveam non pervenerat, hujuſque erant omnia illæſa viſcera. Scatebat vulnus plumbeis fruſtulis, quæ marginem ejus quod diximus, oſſis minutim perfregerant.

5. Etſi Valſalva huic Obſervationi illud addidit, ex ſimili vulnere in eadem parte hominem alterum ab ſe viſum eſſe mortuum, ſine ulla alia quæ attendenda eſſet, læſione, & tu quorum muſculorum tendines illinc oriantur, aut illuc deſinant, minime ignoras; ne tamen exiſtimes, id eſſe perpetuum, Obſervatio faciet Meekrenii, quæ vel in Sepulchreti iſta Sectione (*f*) legitur. *Spina* enim, *ſive appendice oſſium Ilii a globo* exploſo *in varias partes diffracta*, homo non modo *per XII.* ut in Sepulchreto eſt, ſed *per* 14. *ſeptimanas vixit*, ne tunc quidem, ut videtur, moriturus, niſi globus alia læſiſſet, graviſque animi ſubitus affectus noviſſime acceſſiſſet.

6. JUVENIS annos nati viginti tres abdomen ſauciatur intervallo digitorum tranſverſorum quatuor infra umbilicum. Conſequitur vomitus. Ex vulnere exit omenti portio, quæ intra aliquot dies adeo colore, & habitu mutata erat, ut compactam carnem referret. Brevi poſt vulnus inflictum tempore accedit diarrhœa. Interea abdomen naturalem ſervat conſtitutionem, ſi partem ſuperiorem, ventriculo reſpondentem, excipias, quæ leviter intumeſcit. His deinde comites ſe addunt ſpirandi difficultas, & tuſſis creberrima cum purulentæ materiæ expectoratione, & moleſtiſſimo in dextera thoracis parte dolore. Quibus excruciatus æger tandem moritur. VENTER recluſus nullam primo aſpectu oſtendit læſionem. Sed mox quærendo purulenta invenitur materia, quæ a dextris inter meſenterii, & peritonæi membranas, non ſecus ac ſi in folliculo contineretur, ſtagnabat. Hæc ab imo ventris uſque ad diaphragma ſub jecinore ſe extendebat. Thoracis quoque reſpondens cavea dextera non idem modo pus habebat, ſed ipſo adeo replebatur, ut vix cultro, ad ſternum exſcindendum, in eam caveam adacto, pus cum impetu proſiluerit. Eo in pure contractus erat pulmo, colore ad atrum vergens. Craſſior autem ſanies erat circa dexteram diaphragmatis appendicem; ut circa hanc pus ex ventre in thoracem, quaſi per colum, trajectum eſſe videretur, cum tanta ejus copia ad hanc regionem ſuperius, atque inferius ſtagnaret; nullus autem tranſitus ſub ſenſum caderet manifeſto. Eadem effuſæ materiæ copia, teterrimo cum fœtore conjuncta, tum id diligentius inquirere prohibuit, tum illud quoque, unde tantum proveniſſet puris, num forte ex laceratis nonnullis meſenterii glandulis, vaſiſque chyliferis, quando nulla inteſtinorum, aut alius partis læſio potuerat inveniri.

7. Cum ipſe qui viventem Juvenem viderat, & mortuum ſecuit, Valſalva fieri potuiſſe, credat, ut vulnus ad meſenterium pervenerit, inteſtinis videlicet ferri mucronem ſua lubricitate declinantibus, ut in nonnullis tranſverberatis, & ſine gravibus ſymptomatibus brevi feliciterque ſanatis, quorum aliquem in hoc Noſocomio etiam vidimus, factum fuerit, neceſſe eſt; nihil quidem prohibet intelligere, unde primum pus prodire cœperit. Qua autem via e ventre in thoracem tranſierit, incertum eſt. In homine enim etiam ſupino, nedum ob ſpirandi additam difficultatem ſic cubante, ut thorax altior ſit aliquanto ſaltem, quam venter, pus ex hujus poſteriore parte in illum trajici ſic poſſe, ut tanto majori copia ibi, quam in ventre, congeratur, non ita facile eſt intellectu. Nec magis facile eſt, ſi forte exceptum in alveum ſanguinis, traduci poſtea in thoracem, conjicias: cur enim in idem hujus latus quod reſpondet, proximumque eſt lateri quod in ventre obſidet, potius quam in alterum, vel in utrumque, aut in aliam corporis partem? Ponenda igitur quædam precario ſunt. At hoc ipſo incertam, ut dixi, rem eſſe, patet. Quod vero ad tantam attinet puris copiam; aut inde repetas licet,

(*a*) Obſ. 20. (*b*) Epiſt. 15. n. 9. (*c*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. Obſ. 37. & 38. (*d*) Ibid. Obſ. 41.
(*e*) Epiſt. inter Problem. Ruyſch. 14. (*f*) in Additam. Obſ. 4. cum Schol.

unde Valſalva, ex multaque meſenterii pinguedine, aut cogites, tanto plus puris a pure ipſo fieri, quanto acrius eſt, ut creberrima iſta indicabat tuſſis, & quanto longiori tempore, ut in iſto videtur caſu, partes afficit, aut irritat, inter quas continetur.

8. VIR quidam paulo poſt cœnam vulnus accipit, acuto inſtrumento epigaſtrium pertundente nonnihil ad lævam e regione ejus coſtæ quæ tertia eſt ab inferioribus numeranti. Illico vomit; ſed omnino incruenta: nec paucum e vulnere ſanguinem ejicit. Horum utrumque redit eadem nocte. Mane vulnus vehementer dolebat; ut ne levem quidem corporis contorſionem ferret ſine querela. Poſtridie diluculo ſurgit, &, quod incaſſum antea tentaverat, alvum recrementis exonerat, ſecundum naturam ſe habentibus. Sed cum lectum repetiſſet, quodam animi repentino quaſi defectu prehenſus, vivere deſiit poſt horam ab accepto vulnere trigeſima ſexta. ABDOMEN incidendo, muſculi circum vulnus inventi ſunt ad non breve ſpatium undique ſanguine quodammodo imbuti; ventris autem cavea, etſi abdomen contrectatum, nullo modo tenſum fuerat, effuſo ſanguine oppleta. Vulneri ſuberant omentum, & Colon inteſtinum qua hoc cum ventriculo colligatur. Levem omentum læſionem; nullam inteſtinum habebat. Sed ventriculus in medio erat vulnere pertuſus, latitudine avellanam æquante. Quamvis autem magna diligentia quæſitum fuerit, num aliud præterea læſum, num vas aliquod majus inciſum eſſet; nihil præter illa quæ diximus, inventum eſt.

9. Cur, etſi plurimum ſanguinis in ventris cavum delluxerat; tamen non ſecus ac ſi ventriculus vulnere pertuſus non eſſet, nihil ſanguinis per vomitum, aut per ſeceſſum apparuerit, docebit Scholium quod ſatis ſimili Obſervationi XXVII. (*g*) in Sepulchreti iſta Sectione ſubjectum eſt, aliaſque inſuper cauſas addiſces ex male ibidem omiſſo Gliſſonii (*h*) caſu. Illi vero ſanguinis in ventrem magnæ effuſioni cita mors potiſſimum tribuenda eſt, præſertim quæ animi defectionem exceperit. Cæterum vel ſine hac fortaſſe effuſione, intra breve tempus eos ut plurimum mori quibus ventriculi nulla etiam pars ſit præter fundum ſauciata, cum indicant nervi quibus, nec paucis, neque una ab origine provenientibus, fundus inſtruitur, tum luculenter Obſervationes confirmant, illa etiam quæ modo ex Sepulchreto commemorata eſt, ob adjunctum thoracis vulnus ſepoſita, eidem videlicet proxima (*i*), & aliæ, quæ præter has a Bohnio (*k*) proferuntur, ad Sepulchretum addendæ. Qui tametſi, ut Etmülleri quoque Filius (*l*), recenſet cauſas ob quas nonnunquam ventriculo inflicta vulnera lethalia non fuerint; neuter tamen reticet contrarias cauſas, unde videlicet plerumque mors, aut fortunatæ curationis magna ſæpe difficultas ſequatur. Videſis tria, quæ pariter Sepulchreto addas, vulnerati ventriculi exempla, quorum duo ex Cowpero indicant Lipſienſium Acta Eruditorum (*m*), tertium habes in Commercio Litterario Norimbergenſi (*n*). Quod vero tanta ſanguinis copia ſubtus effuſa, tenſum tamen non eſſet abdomen, id a me quoque in Sartore (*o*) adnotatum fuiſſe, memineris.

10. JUVENI annorum viginti quinque duo enſe vulnera impoſita ſunt, alterum digitis circiter quatuor tranſverſis infra xiphoidem cartilaginem, ſed a ſiniſtris, videlicet circa quartam & quinctam coſtam, ab inferioribus numerando; alterum paulo infra hypochondrium pariter ſiniſtrum. Per utrumque vulnus erupit omentum. Vulneratus primum domum petit: ubi cum præ languore vix ſtare poſſit; inde ad Noſocomium fertur S. Mariæ de Morte. Ibi ſi decumbere velit, imminere ſentit ſuffocationem; itaque erecta cervice cogitur reſpirare. Vomit interea. Nihil ſumit. Hora decima tertia ab inflictis vulneribus moritur. VENTRE, & Thorace apertis, in utroque effuſus ſanguis, ſed non magna copia, invenitur. Vulnus inferius in caveam quidem ventris ipſum quoque pervenerat; ſed nulla attigerat viſcera. Vulnus autem ſuperius viſcera læſerat & thoracis, & ventris. Nam ſiniſtri pulmonis inferiorem extremam partem nonnihil inciderat: antea autem late pertuſo diaphragmate, & ſuperiore ventriculi parte utrinque convulnerata, non modo hujus cavum effuſo ſanguine impleverat; ſed & ipſi ventriculo viam per diaphragma aperuerat, per quam cum omenti portione ſe intra thoracem conjecerat.

11. De ventriculi vulneribus paulo ante; de vulneribus autem diaphragmatis ſcriptum eſt Epiſtola ſuperiore (*p*). In qua etſi vulnus diaphragmatis cum vulneribus aut cordis (*q*), aut jecinoris, & renis (*r*) conjunctum vidimus, necdum tamen vidimus, ut hic, junctum cum ventriculi vulnere. Quin erat vulnerum illorum initium in thoracis parietibus; hujus autem eſt in ventris: fecitque is de quo in extrema illa Epiſtola (*ſ*) mentio injecta eſt, diaphragmatis poſitus, ut ab hoc initio profectum vulnus, thoracis quoque viſceri, quemadmodum ab illo, ventris quoque viſceribus noxam intulerit. Quoniam autem id peculiare habet propoſita Obſervatio, ut ſauciatus ventriculus intra thoracem aſcenderit per diaphragmatis vulnus; æquum eſt, ut ſuper hac re, non rariſſima quidem, ut noſti, ſed tamen non creberrima, verba faciamus. Diaphragma ex nervea, id eſt tendinea, & ex carnea quæ illam cingit, parte conſtans, & foramine non uno ab natura pertuſum, ſic thoraci, & ventri interjectum eſt, ut fornicis inſtar in illius cavum ſe attollat, nuſquam magis quam ad poſteriora, declivis, tantoque id magis in homine: quamobrem Pechlinus (*t*) admonuit, in vulnere quod thoracis parietibus inflictum ſit longius a poſteriore parte diſſitis, ſanguinis, aut puris effuſi exitum, non modo inflexione corporis ad vulnus, ſed inſpiratione quoque eſſe adjuvandum, nimirum, ut quanto magis diaphragma, tunc contractum, accedat ad planum, tanto minor declivitas ſit ab humoribus ſuperanda qui in decliviorem, profundioremque illam thoracis poſteriorem partem defluxerint. Hujus autem ipſius Septi vulnera etſi ab Hippocrate (*u*) dicta ſunt eſſe *lethalia*; ex voce tamen qua Hippocrates uſus eſt, Galenus (*x*) intelligenda eſſe, monuit, quæ magna ſint, & profunda, non quæ parva, & ſuperficie tenus inflicta, ne ſi *in parte* quidem *ſepti nervoſa* ſint; in hac enim ipſa non hæc, ſed illa, ſcripſit, *non coaleſcere*. Certe autem in parte carnea ſanatorum vulnerum plura afferri videbis exempla: ad quæ tria inſuper vel ex uno Boſco (*y*) adjicias licet. In nervoſa vero parte multo difficilius eſt paria exempla reperire. Attamen in hiſtoria ab Sennerti Socero adnotata, diaphragmate in nervoſa parte transfoſſo, illud ſaltem leges, poſt bimeſtrem curationem ægrum *ſatis bene ſibi habere fuiſſe viſum* menſes quinque, ſi quidem Sennertum ipſum (*z*), non Sepulchretum (*a*) inſpicias, in quo manca in nonnullis eadem hiſtoria deſcripta eſt. Cæterum vel carneæ, nedum tendineæ, partis vulnera in ſepto Tranſverſo plerumque, nec intra longum tempus, lethalia ſunt. Non tamen quotieſcunque per illud ventriculus, quemadmodum in Sennerti etiam caſu, in thoracem trajectus eſt, id ſemper contigit per viam a ſauciante inſtrumento apertam. Nam; ut ovem prætermittam, in qua Peyerus (*b*) per tranſverſum hiatum, palmo majorem, in carnea ſuperiore diaphragmatis parte, ab immani diſtentione ventriculorum diſrupta, horum alterum e ventre compulſum intra thoracem invenit; certe loca ſunt in diaphragmate, per quæ diductis carneis fibris, & cedentibus membranis, ventriculus, aut inteſtini pars aliqua, aut alterius viſceris e ventre poteſt in thoracem tranſire. Sic (præter œſophagi viam, de qua poſt dicetur) qua nervus alter Intercoſtalis traducitur, illac poſt vehementiſſimos inteſtinorum dolores, Coli aliquam, omenti vero, & pancreatis majorem partem tranſmiſſam referri

video

(*g*) §. 1. (*h*) Anat. Hepat. c. 9. in fin. (*i*) §. 2. (*k*) De Renunc. Vuln. S. 2. c. 4.
(*l*) in Programm. cit. ad n. 32. Epiſt. 36. (*m*) A. 1699. M. Febr. in Relat. ejus Anat. ad Tab. 35. (*n*) A. 1736. Hebd. 16. n. 4.
(*o*) Epiſt. 53. n. 40. (*p*) n. 4. & 6. (*q*) n. 3. (*r*) n. 40. (*ſ*) n. 41. (*t*) Hiſt. Vuln. Thorac. art. 11.
(*u*) Sect. 6. Aph. 18. (*x*) Comment. in cit. Aph. (*y*) De Facult. Anat. Lect. 4. (*z*) Medic. Pract. l. 2. P. 2. c. 15.
(*a*) l. 3. S. 8. Obſ. 27. §. 1. (*b*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 4. Obſ. 100.

video a Platnero (*c*). Sic etiam anterius inter fibras a xiphoide cartilagine venientes, & proximas ſolet intervallum eſſe, per quod ſimile quidpiam poſſe contingere, imo contigiſſe in Agricola, ſuſpicabar, in quo Romæ vidiſſe Leprottum, audiveram per mediam anteriorem diaphragmatis partem de Colo inteſtino tantum in thoracem admiſſum, quantum, ſi extenderetur, ſpithamam æquaret. Sed cum poſtea ab iis qui ſecuerant, accepiſſem, neque illud inteſtinum, neque foramen, cujus erat diameter duorum pollicum tranſverſorum, per quod ſubibat illud, & exibat, indicium ullum prægreſſæ violentiæ, aut morbi oſtendiſſe, & hominem decrepita ætate ex manifeſta intra calvariam læſione mortuum; credere malui, ſic a primordiis rem ſe habuiſſe, non ſecus ac Chauvetus (*d*) credidit in militaris Tribuni Legato, in cujus ſiniſtro thoracis cavo præter ventriculum, & lienis dimidium, pars quoque memorati inteſtini inerat, non per idem tamen, foramen redeuntis per quod ſubibat, ſed per alterum, quorum foraminum oræ cartilagineæ arcte ad tranſeuntia per ſe viſcera adhærebant. Neque aliam in aliis duobus ſententiam fuiſſe, videbis, Riverii (*e*), Bartholini (*f*), & Clauderi (*g*), ſi totum quidem Bartholini locum ab initio uſque legeris, quod initium in Sepulchreto præteritum eſt. De uno eodemque ipſe, & Clauderus verba faciunt; ſed plura hic de vivente, ille de mortuo commemorat. Summa eſt, ventriculum, omentum, parum pancreatis, majorem Coli inteſtini partem in ſiniſtra thoracis cavea delituiſſe, quæ Coli pars, una cum Duodeno, per idem exibat per quod ingrediebatur, amplum, nerveoque circulo circumſcriptum, foramen in ſubjecto, quod totum erat carnoſum, diaphragmate peculiariter apertum. Juvenis vero alter, ab Riverio deſcriptus, ventriculum dumtaxat in thorace habuit, ſed a dextris, quæ thoracis pars, cum pulmone careret, ſic ab ortu rem fuiſſe, ſignificabat. Qua autem via per ſeptum Tranſverſum prodiret Duodenum inteſtinum, Riverius ſiluit. Illa non ſiluit, Juvenem toto vitæ decurſu ſpirandi difficultate non fuiſſe *valde* oppreſſum; ſic enim in Sepulchreto quoque ſcribendum fuerat; & vehementiſſimis a ſumpto antimonio vomendi conatus omnino irritos fuiſſe, impedito, ut Riverius putabat, ventriculo a coſtarum ambitu. Juvenis autem de quo Clauderus, & Bartholinus, libera ſemper, ſi ſubitaneum, & cito evaneſcens aſthma excipias, uſus fuerat reſpiratione: & inter vomitus propemodum infinitos eſt mortuus, tametſi ventriculus fortiſſimis aliquot vinculis ad diaphragma, eamque viciniam alligatus qua committebatur cum gula, parte reliqua ſurſum converſa ferme ad claviculas perveniebat, totum quaſi occupans, cui erat incluſus, thoracis cavum. Quæ ſymptomata infantem vexarent bimeſtrem, ab ipſo ortu male ſe habentem, in quo Carolus Hultius inteſtina ferme omnia cum meſenterio intra thoracem invenit traducta per foramen a natura formatum in diaphragmate a latere ſiniſtro foraminis gulæ, ex Lipſ. Actis Eruditorum (*h*) cognoſces. A natura quoque ipſa fiſſuram diaphragmatis factam eſſe, crediderim, per quam in fœtu ventriculum, lienem, partemque hepatis, Duodeni inteſtini, & omenti traductam vidit Cl. Stehelinus (*i*) in thoracis caveam ſiniſtram; ſic, inquam, crediderim, cum ſiniſter pulmo uno dumtaxat ex lobo conſtaret, dexteroque eſſet triplo minor. Sciens prætereo quæ viſcera ventris in thorace aliorum fœtuum, quippe prorſus monſtroſorum, ſuilli unius, humanorum duorum conſpexerint Anonymus quidam (*k*), Lemeryus (*l*), Vernoyus (*m*), & diaphragma fere omnes perforatum. Suſceptus enim ſermo poſtulat, ut ad ea corpora quibus non prima conformatio, ſed morbi vis, & vulnera præſertim, ventriculum, aut viſcus aliud aliquod traduxerint in thoracem, revertamur.

12. Littrii (*n*) Obſervatio difficilem reſpirationem, & crebros, ſed irritos, vomendi conatus in cane fuiſſe indicat, cujus ventriculus thoracem per idem foramen ſubierat per quod gula egreditur. Neque enim ſic a natura fuiſſe, docebant duo, alterum gulæ ipſius longitudo (ab aliis non adnotata) nimirum tanta, ut mox ventriculum in naturalem ſedem reducenti minime obſtaret; alterum magna fiſſura in quam fuerat id foramen diaphragmatis amplificatum, per quod gula eadem tranſire ſolet, tunc autem Duodenum inteſtinum tranſibat, quæ fiſſura cicatricem a longo, ut videbatur, tempore jam duxerat. Sic autem fiſſum diaphragma Littrius fuiſſe, credebat, a violentiſſima aliqua ſive gulæ convulſione, ventriculum ſurſum trahente, ſive contractione diaphragmatis ſimul, & muſculorum Abdominis, quam ventriculus, tunc forte ſolidioribus, ut in cane, alimentis plenus, adjuviſſet. Ego autem cum ex ſuperioribus plura, tum hæc præſertim ex Littrio cenſui a me tibi eſſe commemoranda, ut comparans, intelligere facilius poſſis, rectene alii alia vomitus inſtrumenta proponere conſueverint; tum ubi ventriculus in thorace ſit, a primordiis poſitus, an vi morbi compulſus fuerit, tum denique; ut alia poſt attingenda hic omittam; quibus agentibus cauſis eo compellatur. Nam quod viſum eſt ſummo ætate hac noſtra Viro, quanta vis ſit qua muſculi Abdominis in exſpiratione ſurſum urgeant ventris viſcera, hinc poſſe æſtimari quod exiguum ſepto Tranſverſo inflictum vulnus dilatent adeo, ut illac ventriculus in thoracem tranſeat; nempe intelligis, explicationis Littrii fortaſſe oblitum, quem effectum partim iis muſculis, partim ei ſepto magna vi deorſum contracto, præſertim dum convulſione, aut conatu aliquo in cohibenda reſpiratione cum illis ſimul connititur, tribuere, ni fallor, decebat, illum omnem iis ſolis muſculis tribuiſſe. Cæterum ſi vulnus eo forte incidat, ut foramen amplificet per quod œſophagus trajicitur, evidens eſt, ad eundem effectum inducendum ſatis eſſe minores vires. Eo autem vulnus in milite inciderat in quo Glandorpius (*o*) per eandem œſophagi viam aſcendiſſe invenit ſiniſtram ventriculi partem cum portione Duodeni, & Coli inteſtini: is vero ex dolore, & hæmorrhagia, ſyncope maxima cum reſpirationis interceptione, & ſingultu abſumptus fuerat. Accidere etiam poteſt, ut minori vi opus ſit nonnunquam, nempe in homine cui per ſe via illa œſophagi latior ſit, quemadmodum fuiſſe a me viſam in Sutore quodam, ad te ſcripſi (*p*). Eſt contra, cum vis requiritur aut diutius repetita, aut validiſſima, ſive illa eadem via, ſive alia ſuperanda ſit non ſatis per vulnus aperta. Repetita eſt dies octo in eo cui Henricus ab Heer (*q*) per *ſtrictiſſimum* diaphragmatis vulnus irrepſiſſe in thoracem vidit Tenuia inteſtina, ut qui non niſi nono tandem die ſymptomata eſt paſſus, id oſtendentia, intraque horas viginti quatuor necantia. Fortaſſe autem repetita eſt menſes quinque in Studioſo illo de quo ſupra (*r*) ex Sennerto injecimus mentionem; illis enim exactis menſibus, male habere demum cœpit, proximis autem diebus poſt ſæpe iteratos vomitus, & peſſima ſigna mortuus eſt; ut quanquam indicium ſit, non parvam ventriculi partem ſeptem ante menſibus cum vulnus inflictum eſt, ſiniſtrum thoracis cavum ſubiiſſe, & cor in dexterum latus, ubi inventum eſt, compuliſſe; ibi enim ipſe *poſt acceptum vulnus jubebat obſervare pulſum cordis*; tamen *ventriculum totum*, omentumque, & pancreas *totum* non niſi poſtremo illo tempore illuc aſcendiſſe, eſt aliquis credendi locus. Eſtque etiam magis in eo militum Ductore, in quo, ſi Sepulchretum (*ſ*) inſpicias, paulo ante laudatum Henricum credas; ſi vero Pareum (*t*) unde eſt, legas, Guillemæum ſcias deprehendiſſe magnam Coli inteſtini partem in thoracem compulſam per vulnus, vix minimi digiti capax, carnem diaphragmatis transfodiens. Nam etſi inteſtinorum dolor ſub veſperam ingruere ſolebat; tamen octavo ſolum menſe ex quo vulnus acceptum fuerat, ad eam acerbitatem increvit, ut nullo proficiente auxilio, interimeret. Quod ſi forte non idem caſus eſt, quem ex Bal-

(*c*) Diſp. de Hydrocel. not. φ ad §. 2. (*d*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1729. Obſ. Anat. 2.
(*e*) Sepulchr. Obſ. 27. cit. §. 2. cum Schol. (*f*) Ibid. §. 3. (*g*) Obſ. 12. in Addit. ad eand. Sect.
(*h*) A. 1702. M. Decembr. (*i*) Tentam. Medic. th. 3. (*k*) Zodiac. Medic. Gall. A. 4. M. Febr. Obſ. 14.
(*l*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1724. (*m*) Comment. Acad. Sc. Imp. Petropol. Tom. 3.
(*n*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1706. Obſ. Anat. 10. (*o*) Sepulchr. S. hac 3. Obſ. 21. §. 9. (*p*) Epiſt. 37. n. 30.
(*q*) Sep. Obſ. cit. §. 3. (*r*) n. 11. (*ſ*) Obſ. cit. §. 4. (*t*) Oper. l. 9. c. 30.

Ballonio in Sepulchretum (*u*) videbis relatum; ut dolor is non niſi poſt annum ortus dicitur; ſic diuturniore impulſu opus fuiſſe videtur ad majorem illam Coli partem per diaphragma traducendam poſtquam minor *ſenſim*, ut Ballonius ipſe arbitratur, ſubierat. Certe autem Vir Cl. Fantonus in Scholio ad paternam Obſervationem XXIII. adoleſcentis, ante annum ſauciati, ventriculum in thoracis cavum intruſum per diaphragma, qua œſophagus tranſit, diſcerptum, non antea cenſet in illam perveniſſe, quam crebris ab inflicti vulneris tempore doloribus, & vehementibus vomitionibus contractus, & in diaphragma adactus, hoc tandem ſatis diſcerpere, & ſic viam ſibi dilatare valuerit. Optat vero id quod nos quoque in pluribus hujus generis Obſervationibus, ne illa quidem Valſalvæ prorſus excepta, ſubinde optavimus, ut quædam inſuper adnotata fuiſſent ad tranſmiſſi viſceris, aut ad tranſmittentis Septi conditiones attinentia: in hiſque nos ipſam ponimus tum viſceris, tum vulneris ſedem, ut in Cloſſæi hiſtoria (*x*) quæ partem quidem Coli inteſtini ſuperiorem, ventriculo proximam, ſpithamæ longitudine ſupra diaphragma hæſiſſe, oſtendit; ſed qua hoc parte fuerit pertuſum, illud vero utro thoracis cavo exceptum, non oſtendit. Quoniam autem hominem toto biennio nullam ex ſuo vulnere *in naturalibus*, & *vitalibus facultatibus* ſenſiſſe læſionem, ſcribit, donec colica paſſione prehenſus diem obiit; credibile fuiſſet, inteſtinis, quæ *tanquam folle inflata* reperta ſunt, impetum in vulnus facientibus, tum demum majori ſaltem parte illius Coli portionis tranſitum pateteciſſe, niſi *conſolidatum fuiſſe repertum* neſcio quid dicens, num de vulnerato nonnihil Colo, an diaphragmate intelligat, nos dubios relinqueret. Sed de repetita diutius vi ſatis; nunc validiſſimæ exempla adjiciamus.

13. Certum eſt, in prima omnium ventriculi intra thoracem contruſi Obſervationum, quæ a Pareo (*y*) habita eſt in Latomo, contrudentem vim fuiſſe validiſſimam. Nam per vulnus tendineæ partis diaphragmatis, vix pollicem latitudine æquans, illuc compulſus, triduo poſtquam illud inflictum fuerat, inventus eſt. Bartholinus (*z*) autem illic non ventriculum modo, ſed & partem aliorum viſcerum, & nominatim lienis, deprehendit Obſervatione, in pleriſque ejus ſimillima quam ex Valſalva propoſuimus. In utraque enim ſimul cum diaphragmate vulneratus ventriculus, & pulmo eſt, & mors contigit tertio die; ut tempore ſpectato, validiſſimam fuiſſe vim, appareat; tametſi in neutra ſciamus, quæ diaphragmatis pars ſauciata ſit, neque in illa Bartholini anguſtum, an latum fuerit vulnus; nec, quod conſequitur, quanta fuerit in diaphragmate reſiſtentia a contrudentibus viribus ſuperanda. Sed hæc in Schoberi (*a*) caſu minime deſideramus, qui eo violentior fuit, quod ſine ullo vulnere graviſſima cardialgia, creberrimis incredibilis copiæ nigricantes materiæ vomitibus, vomendique conatibus diluculo ortis, proxima nocte confectus Juvenis, intra thoracem oſtendit cum omento, & inteſtino Duodeno, Jejuno, & Ilei parte ventriculum, ea materia, flatibuſque adeo diſtentum, ut cor, & pulmones arcte comprimeret, illuc admiſſum per idem quo gula emittitur, foramen *maxime dilatatum* & *atonum*. Quod, ſi eorum memor es quæ ſupra (*b*) cum Littrio, & Fantono attigimus, fieri potuiſſe, non dubitabis. Inverſo enim per evidentes convulſiones fibrarum œſophagi, ventriculi, & inteſtinorum motu, proclive eſt intelligere, ventriculum ſimul ab œſophago ſurſum raptum, ſimul (*c*) ab nondum valde infirmatis diaphragmatis carneis faſcibus, foramen illud intercipientibus, repreſſa deorſum ex rapto ventriculo materia, inanem hunc fuiſſe traductum, eademque ratione inteſtina illa, donec perſiſtente, adauctaque vi inverſi motus, materia ab inferioribus ſurſum uſque, & uſque acta, faſces illos vinceret, ventriculumque diſtenderet. En tibi viſcerum, per ſeptum Tranſverſum in thoracem trajectorum exempla propemodum omnia quæ ſcribenti quidem hoc tempore erant in manibus, ut poſſis cum propoſita Valſalvæ Obſervatione comparare: propemodum, inquam, omnia. Nam quod ex Valentino (*d*) proferre potuiſſem omenti, per foramen, in canis diaphragmate olim factum, in thoracem illapſi, & levius eſt, & ſine ſedis foraminis illius, & ſymptomatum mentione. Gravior eſt quidem, & hæc proponit, ſed illam ſilet, quantum ex Actis poſſum Lipſ. Eruditorum (*e*) colligere, Obſervatio Beckeri in quadrienni puero, cujus ventriculus, lien, & jecur in ſiniſtro erant thoracis cavo, a biennio, ut puto; nam biennium vitæ primum ſatis commode traduxerat. Nec vero huc attinet, ut quidam videntur credere, Caroli Piſonis *de morb. a ſero Sect.* 2. *part.* 2. *c.* 7, Obſervatio de immani renis alterius tumore. Si enim illa eſt, ut opinor, quæ citato Piſonis cap. VII. ſub numero extat XLVI; ab renis tumore Septum quidem proponit ſurſum compulſum; ſed non perforatum. Perforaverat autem erodendo pancreatis ingens cancroſus tumor, ſuique partem intra ſiniſtrum thoracis cavum conjecerat in Hertodi Obſervatione, alio loco in Sepulchretum (*f*) relata. Verum, ut ſuſpicionem ſeponas meam, quam tibi alias (*g*) ſuper ea Obſervatione ſignificavi; ſatis ſuperque in illa habes aliarum cauſarum, per quas prægreſſa, & repentinam mortem explices. Tandem cum Epiſtolam hanc recenſerem, in Diſſertationem incidens quæ inter Chirurgicas a Præcl. Hallero collectas eſt LXIX. in ea ut nonnulla exempla deeſſe ex iis quæ commemoravi, ſic nonnulla eſſe, animadverti, quæ aut propter libros quibus carebam, aut propter linguam qua ſcripti ſunt, inſpicere non potueram. Tu in ea leges, in primiſque illud puellæ Argentoratenſis (*h*) cujus deſcribuntur & ſymptomata, & vulnus, quo potiſſimum intra non multas horas confecta eſt, in tendinea parte ſepti Tranſverſi, qua lienis, & ventriculi portio thoracem ſubierant, & cor dextrorſum compulerant. Porro quatuor alia, ut videntur, exempla legi quidem apud Blancardum (*i*), ſciebam. At ſi cum iis conferas quæ a me ſupra allata ſunt, eadem revera eſſe, ac totidem ex ipſis, continuo agnoſces; quamvis mutatis, non ſine ſtomacho ferenda, transformatione Studioſo illo apud Sennertum, in Revalienſem dumtaxat quendam (*k*); Filio D. Rat apud Riverium, in Militem (*l*); Latomo apud Pareum, in Fabri cujuſdam Famulum (*m*); & Militum Ductore apud eundem, in Famulum cujuſdam Centurionis (*n*). Quæ duæ noviſſimæ mutationes cum vel in ipſo initio libri ſui a Blancardo poſitæ ſint; mirum non eſt, quod multis candidis ſinceriſque Viris, ex ſe alios priuſquam aliter deprehendant, æſtimantibus, & propterea nihil tale ſuſpicantibus, in hiſque Bohnio (*o*) fucum fecerint, ut ſimul cum duabus modo indicatis apud Pareum Obſervationibus, Blancardi primam, & ſecundam, quaſi non ex illis efficas, laudaverit. Sed a vulneribus abdominis ad alia ipſius ictuum, compreſſionum, concuſſionum exempla e Valſalvæ ſchedis exſcribenda tranſeamus.

14. VIRI annorum triginta quinque abdomen equi calce percutitur; unde ſævis doloribus, & vomitu correptus, in S. Mariæ de Vita Noſocomium excipitur. Ibi perſtantibus doloribus cum ſenſu ingentis ponderis in ventris imo, ſummaque ſpirandi difficultate, moritur. CADAVER, a Valſalva, & Petro Molinellio diſſectum, etſi nullam in Abdominis muſculis, percuſſo loco reſpondentibus, contuſionem oſtendit; tamen, Ventre aperto, magnam videndam exhibuit copiam ſanguinis effuſi, qui corrumpi jam cœperat. Rupta erant ſanguifera vaſa quæ per omentum ducuntur; huic autem ſubjectum inteſtinum Ileum quaſi in tranſverſum omnino diſciſſum.

In Thorace pulmones ingenti affecti inflammatione: & polypoſa non mediocris concretio in dextero cordis ventriculo.

15. Salvo abdomine, quod percuſſioni primum occurrit, concluſas ſub ipſo Partes diſrumpi, novum non eſt. Sic Tulpius (*p*) bis, ſic Fontanus (*q*), ſic

(*u*) l. 3. S. 14. Obſ. 8. §. 8. (*x*) Sepulchr. cit. Obſ. 8. §. 10. (*y*) Sep. l. 4. S. hac 3. Obſ. 21. §. 7.
(*z*) Ibid Obſ. 20. §. 2. (*a*) Eph. N. C. Cent. 3. & 4. Append. n. 12. c. 1. (*b*) n. 12. (*c*) c. 2. §. 18.
(*d*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 2. Obſ. 124. (*e*) A. 1706. M. April. (*f*) l. 3. S. 22. Obſ. 40. (*g*) Epiſt. 40. n. 27.
(*h*) §. 4. (*i*) Anat. Pract. Ration. (*k*) Cent. 2. Obſ. 9. (*l*) Cent. 1. Obſ 70. (*m*) Ibid. Obſ. 2. (*n*) Ibid. Obſ. 1.
(*o*) De Renunc. Vuln. S. 2. c. 4. (*p*) Sepulch. S. hac 3. Obſ. 29. §. 9. vel potius 8. (*q*) Ibid. §. 11.

ſic Graſſius (*r*), ſic Raygerus (*ſ*) lienem viderunt diſruptum, tres primi a baculi ictu, ultimus ab alliſione: quibus hiſtoriis, in Sepulchreto propoſitis, addas licet alias quoque, ut quæ in Commentariis extat Imp. Sc. Petropolitanæ Academiæ (*t*), & quæ apud Cel. Heiſterum (*u*). Utraque enim, illa a pugno, hæc ab equi calce ejuſdem viſceris diſruptionem, eandemque ex eo immanem effuſionem ſanguinis in ventrem oſtendit. Ab ſimili equi ictu in duobus aliis idem accidiſſe, ex Commercio Litterario (*x*) cognoſces. Idemque in totidem, ſed baculo percuſſis, compertum retulerat Bohnius (*y*). Nec deſunt alia ejuſdemmodi exempla, ab ictibus cujuſquemodi, & inter hos a lapſu, quæ Jo. Petrus Albrechtus (*z*), Gotth. Budæus (*a*), Lucas Schrockius (*b*), Hieronymus Laubius (*c*), Joannes Storchius (*d*) adnotarunt. Quod ſi alia præterea cupis; duo leges apud Hoffmannum (*e*), & ubi quæras totidem, laudatum indicabit Commercium (*f*), ubi vero quædam alia inſuper, monſtrabit Platnerus (*g*): quem jure ſcripſiſſe, intelligis, ex violenta abdominis compreſſione incluſa *viſcera rumpi, lacerarique ita, ut effuſo omni ſanguine, cita mors ſequatur. In liene* autem *hoc frequentius evenire, obſervationibus compertum eſſe*. Nec mirum, ſi mollem ejus ſtructuram, tenui concluſam tunica, attendas. Quod ſi morbi vi mollior fiat, & tardigradi ſanguinis copia infra coſtarum munimentum extendatur, tanto facilius diſrumpitur, & tanto plus ſanguinis, citiuſque effundit, eoque celeriorem affert interitum. Imo in Comite quodam (*h*) cum tumidus, & quaſi *pultaceus* eſſet factus; per ſe ruptum, & repentinæ mortis cauſam fuiſſe, conſtat.

Sed in renibus quanto ſtructura compactior, tanto juſtior admirandi cauſa eſt, cum in citata Laubii Obſervatione legimus, ob externam ex caſu ab alto compreſſionem non modo *lienem ad rupturam uſque contuſum*, ſed etiam *in dorſo renis ſiniſtri foramen, duorum digitorum capax*, fuiſſe deprehenſum, aut apud Mauchartum (*i*), *baculi teretis, non acuti, validiſſimam ac perniciſſimam impulſionem ad abdomen, citra ullam continui ſolutionem, ſed tamen ex oppoſito crepantis hinc lethaliter medii renis* fuiſſe cauſam. Et quoniam in ſermonem incidi de viſceribus urinæ inſervientibus; fac perlegas Theod. Zuingeri (*k*) Obſervationem accurate ſigna, & anatomen exhibentem Juvenis qui noctu ad arboris prominentem ramum forte hypogaſtrium allidens, nullum quidem exterius læſionis indicium, at diſruptionem veſicæ retulit, urina tunc plenæ. Verum ne quid aliis contingat viſceribus, prorſus omittamus; ſupra laudatus Heiſterus (*l*) præter illam quam ante indicavimus, duas protulit Obſervationes, alteram ventris viſcerum quæ graviter contuſa, & lacerata reperta ſunt a vehementioribus, quantumvis tenuioris, bacilli ictibus; alteram in qua jecur medium omnino diſruptum a vi extrinſecus illata deprehendit, tametſi exterius nulla omnino conſpiceretur læſio. Diſrupti quoque jecinoris exemplum tibi indicabit Platnerus (*m*), alterumque Commercium Litterarium (*n*): unde (*o*), tertium inſuper habebis viri ab equo in regione hepatis graviter percuſſi, ut coſtæ imæ frangerentur, & viſceris illius pars gibba fiſſuris finderetur compluribus, non ita profundis, ut opinor, cum venter non ſanguine, ſed multa lympha cruenta repletus fuerit, æger vero non ante quartum interierit diem; ut ad memoriam revocet hiſtoriam illam Hippocratis (*p*): *Puer a mulo percuſſus ventrem, & hepar, mortuus eſt quarta die;* quanquam hic puer, ut vides, ad ventriculum quoque percuſſus fuit, & longe alia habuit ſymptomata, quæ omnia attendens gravis Interpres Valleſius (*q*), ob acutiſſimam viſcerum illorum inflammationem, non ob diſruptionem, ſanguiniſque effuſionem, puerum mortuum eſſe, cenſuit. Certe ſi magna ſanguinis fuiſſet effuſio, & ratio, & Lanzoni (*r*) Obſervatio oſtendunt, citiſſimam futuram fuiſſe mortem. Qui enim pugno ad jecur violenter percuſſus, *extravaſationem ſanguinis* in ventre habuit; & *rupturam vaſorum in hepate*, is *mox* ab ictu *in terram prolapſus, miſere expiravit*. Huc etiam ſeptennis pueri ſpectaret hiſtoria (*ſ*), quem ſupinum adeo preſſerant equi currum trahentes, ut ex rupto a dextris, & lacerato jecinore ſanguis in totam ventris, exterius illæſi, caveam effuſus fuerit; niſi mortis quam ſtatim obierat, aliæ ſimul tum in thorace, tum in cervice deprehenſæ eſſent cauſæ. Sed ut propius denique ad Valſalvæ Obſervationem accedamus, quæ ab ictu rupta ſanguifera omenti vaſa, Ileumque inteſtinum propoſuit; eadem vaſa in fœmina, a milite percuſſa, & poſtquam totus venter ſanguine effuſo repletus erat, ſubito mortua, eadem, inquam, vaſa diſrupta indicarunt ſanguinei grumuli inter omenti folia concluſi, quemadmodum in Commentariis leges Petropolitanis, paulo ante laudatis (*t*), ubi quidem *in rariſſima hacce læſione illud forte in conſiderationem trahendum eſſe* dicitur, *quod præter naturæ inſtitutum, omentum fundo uteri connatum eſſet*; id tamen Valſalvæ Obſervatio minime neceſſarium eſſe, oſtendit. Quod vero ad inteſtinum attinet equi calce perruptum, conferre cum hac poteris Obſervationem Krameri (*u*) in rhedario ab eadem cauſa, ſed neque eodem tempore, neque ab eadem tantum interna læſione mortuo; niſi forte Ilei inteſtini ruptionem tribuendam potius gangrænæ inteſtinorum, ſuſpiceris, quemadmodum cum Helwichio (*x*) tribuendus ille certe eſt Coli, & Ilei Sphacelo jam affectorum, hiatus in adoleſcente animadverſus diebus non ita paucis extincto poſtquam herus ventrem baculo graviter percuſſerat. Sed vel ſine his, habes in Sepulchreto (*y*) non modo inteſtinum Jejunum a violentiſſimis pedum inſultibus in lumbos, dorſumque proſtrati hominis diſruptum, ſed & Ileum, & Colon ob vehementiſſimam abdominis ad arboris truncum alliſionem in altero (*z*), quamvis integro in utroque abdomine, non uno loco perforata. Noli autem mirari, quod mulieris, aliis a me Litteris (*a*) tibi deſcriptæ, cum fuiſſet baculo abdomen percuſſum, & ſymptomatibus inſecutis graviſſimis, ipſa de hujus dolore tantummodo quereretur, nihil tamen læſum; nedum ruptum, in ejus ventre deprehenſum fuerit. Neque enim omnes ictus eadem vehementia infliguntur, neque omnibus inteſtina æque diſruptioni opportuna ſunt tum a natura, quemadmodum cervos Ariſtoteles quidem ſcripſit (*b*) *inteſtinum tam tenue, imbecilleque habere, ut etiamſi leviter percuſſeris, poſſit rumpi, cute adhuc integra*; tum a repletione. Et certe utrique eorum quorum modo hiſtorias ex Sepulchreto indicavimus, ſumme tunc repleta, & diſtenta præter ſolitum fuiſſe inteſtina a nimio potu, ex earum, & Scholii inſuper ad primam additi lectione cognoſces. Tu igitur ſiquando præter ictuum abdominis vehementiam, inteſtinorum a quacunque cauſa diſtentionem fuiſſe tunc, ſcias, graviſſima autem, & peculiaria accedant ſymptomata; quid intus fieri potuerit, etiamſi nullam in cute læſionem videas, ſuſpicaberis, &, ſi nihil aliud poteris, at certe ſuſpicionem tuam iis quorum intererit, caute indicabis. Imo etſi neque illa diſtentio fuerit, neque ſtatim adſint illa ſymptomata, noli ſine omni timore eſſe, ne quidpiam forte latentis mali ſenſim creſcat, ejuſque indicia de improviſo univerſa erumpant. Sapienter Plancus ad M. Tullium (*c*): *non poſſum non exhorreſcere, ſi quid intra cutem ſubeſt vulneris, quod prius nocere poteſt, quam ſciri, curarique poſſit*. Legeſis Obſervationem Loſpichleri (*d*), & vera a me dici, intelliges. Viro enim qui ante annos plurimos

---

(*r*) Ibid. in Addit. Obſ. 31. (*ſ*) Ibid. Obſ. 30. (*t*) Tom. 1. in Obſ. Anat. (*u*) Inſtit. Chir. P. 1. l. 1. c. 15. not. ad n. 6.
(*x*) A. 1736. Hebd. 16. n. 4. & A. 1740. Hebd. 21. n. 1. (*y*) De Renunc. Vuln. S. 2. c. 4. (*z*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. Obſ. 6.
(*a*) Earund. Cent. 1. & 2. Obſ. 108. (*b*) in Schol. ad eand. Obſ. (*c*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 21.
(*d*) Commerc. Litter. A. 1731. Specim. 36. n. 2. (*e*) Medic. Rat. Tom. 3. S. 1. c. 7. §. 34.
(*f*) A. 1738. Hebd. 32. n. 1. ad Part. 4. & 5. (*g*) Inſt. Chir. §. 717. not. *a*. (*h*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 125.
(*i*) Diſſert. de Mydriaſi §. 32. (*k*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 30. (*l*) not. cit. (*m*) not. cit.
(*n*) A. 1738. Hebd. 32. n. 1. ad Part. 5. (*o*) A. 1734. Hebd. 35. n. 3. (*p*) Epid. l. 5. n. 17.
(*q*) Comment. in hanc hiſt. quæ ipſi 38. (*r*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 6. (*ſ*) Commerc. Litter. A. 1740. Hebd. 52. n. 3.
(*t*) Tom. cit. Ibid. (*u*) Commerc. cit. A. 1740. Hebd. 26. n. 2. (*x*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 120.
(*y*) in Addit. ad hanc S. Obſ. 25. (*z*) l. 3. S. 14. Obſ. 47. (*a*) Epiſt. 49. n. 6. (*b*) Hiſt. Animal. l. 6. c. 29. in fin.
(*c*) inter Epiſt. ad Familiar. l. 6. Epiſt. 18. (*d*) Eph. N. C. Cent. 1. & 2. Obſ. 151.

cum equo corruens, vehementem paſſus erat *ephippii in ſtomachum compreſſionem*, eamque neglexerat, quid tandem lethalis morbi circa ventriculi fundum obortum ſit, videbis. Ab ejuſmodi autem ictibus etiam in aliis viſceribus ſcirrhos naſci, neque ita raro, ſcite monuit Platnerus (e), mala, ut noſti, quæ ſenſim oriuntur, & creſcunt, quanquam ab initio ipſo nonnunquam accidit, ut indicia acceptæ læſionis ſe prodant, nec ad finem uſque, lente quantumvis, pergere deſinant, ut Juveni contigit quem Ill. deſcripſit Hallerus (f), ab ebriis compotoribus *calce ad abdomen percuſſo*.

16. PUERO novenni, ſub currum cadenti, rota ſuper ventrem acta, mortem in hunc modum attulit. Dolor quidem ventris non magnus erat; ſed pulſus vix percipiebatur, extrema valde frigebant, æger vix unquam quieſcebat, alterno fere motu ex uno ſe in alterum latus convertens. Denique hora una, aut altera ab rotæ preſſione exacta, convulſionis ingruentibus motibus, intra horæ quadrantem deceſſit.

ABDOMINE, quod valde tenſum erat, diſſecto, effuſus in ventrem fluidus ſanguis, & inteſtina aere turgentia conſpiciuntur. Jecinoris pars dextera qua coſtas ſpectat, ad trium unciarum Bononienſium tractum alte erat lacerata. In Thorace pulmones ab omni undique nexu liberi, ſanique inventi ſunt, niſi quod a tergo erant leviter inflammati. Ventriculi cordis fluidum, ſpumoſumque ſanguinem continebant.

17. Duas, Sepulchretum verſans, Obſervationes reperies, quarum altera (g) vacuæ quadrigæ, altera autem (h) rhedæ bene onuſtæ traductas rotas ſuper ventrem proponit. Et eſt quidem pondus varium prementis corporis attendendum; at ſimul varia preſſi hominis, ſive ætatem ſpectes, ſive compreſſam ventris ſedem, reſiſtentia: Erat illorum qui ibi deſcribuntur, primus annos natus circiter triginta, alter aliquanto plures. Primi hypogaſtrium paulo ſupra pubem, alterius hypochondrium dexterum preſſum fuerat. Illius, intra horas mortui triginta ſex, nec ſine motibus convulſivis, ſub integra cute, cæteriſque abdominis integumentis perforatum inventum eſt Ileum inteſtinum, idque eo facilius, quod, ut in ebrio, fuerit diſtentum. Alterius vero qui diutius vitam traxit, ſub integris coſtis ſpuriis integrum jecur deprehenderunt, & nihil eorum quæ in cavea ventris ſunt, ruptum; ſed magnum tantummodo abſceſſum inter Abdominis muſculos, & peritonæum. Novennis autem erat puer in quo laceratum jecur Valſalva invenit, & pueri quoque tres illi erant, quorum ſupra (i) ex Cl. Heiſtero mentionem facientes, viſcus aliquod, & in tertio jecur ipſum medium omnino diſruptum a vi extrinſecus abdomini illata, cute quantumvis integra, fuiſſe, diximus. Et puer adhuc erat is qui ebrius e plauſtro delapſus, axique, & rota poſteriore currus everſi, & tranſeuntis graviter preſſus, & decima poſt hora mortuus, præter inteſtina hic illic valde contuſa, & livida, pylorum, hepar, venam Portarum, & renem dexterum, lienemque præterea habuit per medium prorſus rupta, mirante Preuſſio (k), qui fieri potuiſſet, ut poſt tot, tantaſque læſiones, & immanem mox ſanguinis, quo ventrem plenum invenit, effuſionem, tot horas viveret, tum illud etiam, nuſquam cutem, ne in abdomine quidem, fuiſſe ruptam, niſi hanc quippe mollem, & quæ facile extendi poſſit, & mollia ſubjecta viſcera habentem, forte dicamus, cedere ita potuiſſe, ut illæſa permaneret; viſcera autem illa in poſteriorem ventris parietem qua maxima ex parte eſt oſſeus, & ad firmiſſimum ſubjectum ſolum violentius adacta, & compulſa, cum cedere propterea non poſſent, neceſſario eſſe fiſſa. Et videtur ſane corporis integumentis naturalibus illud interdum accidere quod veſtibus, ab ictu nonnunquam illæſis, cum ſubjectum ipſis corpus ſauciatur. Sic a ſpectatæ fidei Collega audivi, mulieris uterum gerentis abdomen cum a bove cornu impetitum eſſet, quamvis veſtimentis nec perforatis, nec ruptis, ita fuiſſe diſciſſum, ut conſpici poſſet uterus, ibique hernia poſt curationem, ſedulo ab ſe adhibitam, remaneret. Ipſe autem in altero Collega noſtro, Cœnobii hujus celeberrimi S. Juſtinæ Abbate, dum viveret, meritiſſimo, vulnus vidi ſuper poſteriore ſiniſtri oſſis ſincipitis parte recens ad cicatricem perductum, quod ante quindecim illos dies caſu inflictum fuerat ab decidente angulato bilibri lapide, neque pileum, neque cucullum, neque intimum ex laneo panno pileolum, quibus omnibus opertum erat caput, ſcindente, aut perforante, naturalia autem, iis ſubjecta, integumenta ſic vulnerante, ut multus continuo ſanguis efflueret. Atque hæc de ictibus, aut compreſſionibus ventris ſcripta ſunt. Quarum alterutris, an utriſque, an etiam concuſſioni vehementiſſimæ tribuendum ſit quod in proxima refertur hiſtoria, ipſe exiſtimabis. Eam Valſalva & narravit mihi, & in Schedis reliquit.

18. STRUCTOR annorum circiter ſex & triginta, ex alto ædificio in fimum cadens, ſtupidus remanet. Nulla exterior læſio apparet. Abdomen paulo poſt tumet, ac tenditur. Pulſus adeo eſt exiguus, ut vix percipiatur. Intra duodecimam horam interit.

VENTRE aperto, cauſa unde tumeret, inventa eſt, ſanguis effuſus. In nonnullis ejus caveæ membranis ſugillatio animadvertebatur. Quo tamen ex rupto vaſe effluxiſſet ſanguis, difficile erat deprehendere. Verum conjicere licebat ex ramo venæ Cavæ propterea quod hæc omnino erat inanita.

19. Et ſane in altero qui lapſus ex alto fuerat, ſanguinem multum in ventris caveam ex fracta vena Cava effuſum Jacobus Sylvius, ut in Sepulchreto quoque (l) habes, olim conſpexit. Quid vero in Virginis ventre, quæ ab alto ceciderat, Valſalva invenerit, alias (m) a me tibi ſcriptum eſt. Nunc quæ ad lumbos, eamque viciniam vulnera, ictuſve deſcripta reliquerit, videamus.

20. VIR anno proximus quadrageſimo, duobus *ſclopeti* globis ad hunc modum transverberatur. Ingreſſi ſunt globi ad latus dexterum ſecundæ, & tertiæ lumborum vertebræ, uno dumtaxat ſibi aperto foramine: exierunt duplicato foramine, majori uno, minori altero, ex abdominis medio, duobus circiter tranſverſis digitis ſupra umbilicum. Vulneratus ad locum non longe diſſitum ſe confert, ubi a Chirurgo remedia adhibentur. Hinc de vehementi dolore queritur: erecta cervice, nec ſine anhelitu, ſpirare cogitur: non ſemel vomit: lotium, ſed incaſſum, reddere conatur: pulſus fit ſenſim parvus, & debilis: tandem loquens adhuc, & ſana mente, cum aerem hianti ore aliquoties attraxiſſet; qui certus vicinæ mortis eſt prodromus; nona ab accepto vulnere hora decedit. CADAVERIS univerſum dorſum aliquot poſt mortem horis livere incipit. Poſtridie mane non modo livor creverat; ſed inſuper totum caput deforme factum erat, oculuſque dexter valde intumuerat. Vulneris labra ad putredinem utraque ex parte inclinabant. In Ventre ſtagnabat effuſus ſanguis. Ileum inteſtinum tribus in locis omnino erat laceratum; Colon autem ubi ventriculo nectitur, dimidia ex parte ſuæ latitudinis vulneratum, omnia inteſtina rubebant. Cum vulnus paulo infra Emulgentem venam dexteram ventris cavum ſubiret prope ſedem ureteris; dubitatum eſt, hunc fuiſſe laceratum. Sed cum intolerandus fœtor properare cogeret; res ſatis non potuit explorari. Dubitatum quoque eſt, *ſclopeti* globos veneno infectos fuiſſe.

21. Hic quæri inter cætera a te poſſet, quomodo cum duo eſſent globi, tribus locis Ileum inteſtinum laceraſſent? niſi animadverteres, gyros hujus inteſtini eſſe ejuſmodi, ut parte ejus aliqua parti alteri antepoſita, inteſtinum bis occurrerit in via quam globorum alter tenuit.

22. VIR annorum quadraginta, plumbeis fragmentis inæqualibus, *ſclopeto* emiſſis in eo corporis poſitu ſauciatus eſt, ut ad natem ſiniſtram, qua fragmenta illa ingreſſa erant, tria eſſent foramina, ad lumbarem autem regionem, qua prope infimam coſtam egreſſa fuerant, duo foramina conſpicerentur. Circa quinctum diem urina ſupprimitur: nec ſemel æger queritur de ſpaſmodico ad ſupremum marginem oſſis ilium dolore adeo

(e) Inſtit. cit. §. 718. (f) Opuſc. Pathol. Obſ. 25. (g) Additam. ad hanc S. Obſ. 27. cum Schol. (h) l. 3. S. 17. Obſ. 29. (i) n. 15. (k) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 228. (l) Sect. hac 3. Obſ. 28. §. 6. (m) Epiſt. 40. n. 9.

adeo ut ex improviſo totum corpus concutiatur: præ dolore externum Chirurgi medentis tactum ferre vix poteſt. Augetur dolor in dies, ut vehementior, & continua fiat convulſio, præſertim circa guttur, & os. Mens tamen eſt ſana. Tandem die obit decimo tertio. VULNERE per diſſectionem perluſtrato, nullum plumbeum fragmentum ad interiora perveniſſe, fit manifeſtum. Unum tamen, diverſo ab aliis, itinere, comminutum iverat ſupremum marginem oſſis ilium, qua muſculorum tendines annexi ſunt. Cæterum in Ventre læſio nulla, ſi quandam excipias quaſi ſugillationem inteſtinorum, & omenti præſertim. Cerebrum vero ſanum omnino fuit: ut ne ſeri quidem ullum veſtigium oſtenderit.

23. Hic, opinor, vir ille alter fuit quem ſupra (*n*) viſum eſſe a Valſalva, adnotavi, ex comminutione mortuum marginis oſſis ilium, cum ex ea abſumptum alterum propoſuiſſem vulnere ejuſdem generis, ſed fruſtulis plumbeis non ſic a tergo jaculatis. Propius ad eam quam modo exſcripſi, Harderi accedit Obſervatio, quæ utinam diſſectionem haberet adjunctam. Extat in Sepulchreto (*o*), exhibetque hominem *ſclopeti* globulo *pone nates* ictum, ſuperiora verſus inter muſculos & tendines qui ad dorſum pertinent, progrediente: quo ex vulnere ortam denique ſtranguriam primum videbis, mox convulſionem ad guttur, & os, quæ deinde ad artus, & univerſum tandem corpus propagata, ægrum ſuſtulit.

24. Poſt vulnera ictus ſequuntur, lumbis, & interjecta his Spina excepti. Quibus de ictibus has duas accipe Valſalvæ Obſervationes.

25. VIR quinquaginta annos natus, dum pronus forte ambulat, ligno ex alto cadente graviſſime percutitur ad tres inferiores lumborum vertebras. Semianimis concidit: & in S. Mariæ de Vita Noſocomium illatus, quarta ab ictu ora interit. LUMBI, & ſpeciatim muſculorum Longiſſimi dorſi, & Sacrolumbi communia principia a contuſione ſanguine coagulato infarta reperiuntur. Intra ictas vertebras erat ſanguinis gramoſi non multum; incluſa tamen Medulla omnino illæſa videbatur. Illæſa quoque omnia viſcera. In arteriis dumtaxat; quæ in denatis alioquin ſolent parum ſanguinis continere; tantum hujus, & coagulati quidem inventum eſt, ut eo prorſus repletæ eſſent, præſertim ad præcordia, ubi is multo magis concreverat.

26. VIR alter, annum jam agens quadrageſimum ſextum, cadente ligno a tergo percutitur. Inde in cruribus movendi facultas omnino perit, ſentiendi remanet. Alvi recrementa præter voluntatem, lotium catheteris dumtaxat ope redditur, quod ſub morbi finem, naturali exuto colore, aquam referebat in qua caro recens lota eſt. In percuſſa lumborum parte vix dolor percipiebatur. Ita paulatim deficientem mors ſuſtulit die decimo quarto. CADAVERIS externa membra laxa erant, & facile mobilia. Ventre aperto, inteſtina plurimis in locis non levi infecta nigredine reperta ſunt, qua læſas partes ſpectabant. Namque eadem nigredo per totam iliacam, & lumbarem regionem extendebatur, ut ſanguis in earum partium interſtitiis concretus quodammodo appareret. Lien quoque dimidia ex parte præter modum livebat. Denique, ut morbi ſigna præmoſtraverant, fracta vertebra lumbaris inventa eſt, nonnullis oſſeis fragmentis ex ea conſpicuis. In Thorace pulmones maculis quibuſdam nigris diſtincti, a tergo autem, ſiniſter præſertim in parte inferiore, nonnihil inflammati. Uterque cordis ventriculus polypoſam habuit concretionem; ſed dexter majorem: hæc Pulmonarem ſubibat arteriam. Cæterum ſanguis in omni fere parte fluidus fuit.

27. Has duas hiſtorias ſi conferas inter ſe; facile miraberis, illum cujus vertebræ fuiſſe fractæ non dicuntur, intra horas quatuor; hunc vero cujus una certe vertebra fracta dicitur, non niſi decimo quarto die eſſe mortuum. An quia vertebra hæc non modo una fuit; ſed fortaſſe omnium infima; illæ vero tres erant? At illæ quoque tres erant inferiores: corpus autem ipſum medullæ Spinalis ad tertiam lumborum vertebram ſcis profecto non pervenire; non videtur autem a paulo pluribus concuſſis Equinæ, ut vocitant, Caudæ nervis, quorum certe nullus ſuperioribus proſpicit partibus, tantum diſcrimen repetendum. Idemque dicam, ſi diſcrimen forte inde repetas quod intra vertebras illas tres aliquid erat effuſi ſanguinis, cujus nulla intra hanc unam fit mentio. Equidem eorum quæ læſas vertebras, Spinalemque ipſam medullam conſequuntur, diſcrimina ſæpe video non faciles habere explicatus. Mitto quas in Sepulchreto habes, Rumleri (*p*), & Fontani (*q*) in caſu ab alto Obſervationes. Nam etſi illa ſimilia, imo graviora profert quam ſecunda Valſalvæ, ſymptomata, mortemque die ſeptimo; non conſtat tamen, quæ, & quot vertebræ, & quatenus læſæ fuerint; Fontani autem Obſervatio cum vertebras quinque dorſi luxatas proponat, nec ſolum ſymptomata ejuſmodi non commemoret, ſed vitam ad longum tempus productam indicet; dubitationibus eorum obnoxia eſt qui vertebrarum luxationes, ut alias (*r*) indicabimus, non agnoſcunt. Meeckrenii igitur hiſtoriam ibidem (*ſ*) relege in qua *ſclopeti* globus inter duas lumborum vertebras perveniens, his vertebris fractis, & Spinalem medullam premendo nec ea quæ diximus, ſymptomata, nec mortem attulit, niſi poſt hebdomadam duodecimam, imo, ut apud Auctorem eſt, decimam quartam. Et ne forte dicas cum Hornio (*t*), globum ad extimum adhæſiſſe integumentum Spinalis medullæ, ut ipſam premere non potuerit; huc adde Bohnii (*u*) Obſervationem, qui globulo perforatam in Centurione non ſolum vidit lumborum Spinam, ſed & *ſimul funis medullaris medietatem ſiniſtram, ita tamen ut nec dextra omnino intacta maneret*, gravibus quidem conſecutis ſymptomatibus, at vita nihilominus ad octavum, an nonum diem producta. Verum ne poſtea forte dicas, inter ſecundam & tertiam (& multo minus, ut in Meeckrenii hiſtoria, tertiam inter & quartam) lumborum vertebram ſubeuntem globulum, non ipſum Medullæ corpus, ſed Equinam dumtaxat Caudam vulnerare potuiſſe; utraque hac hiſtoria ſepoſita; lege potius, quæ alibi in Sepulchreto (*x*) extat, Plateri Obſervationem. Hac Virgo proponitur, cui intra vertebram dorſi octavam, aut nonam *ſclopeti* globus Spinalem medullam diſruperat, & movendi, ſentiendique facultatem a medio deorſum ſtatim ademerat, ad vigeſimum tamen uſque diem vita protracta. Quin perpende in Reg. Sc. Academiæ Pariſienſis Hiſtoria (*y*) quid Cuvillierſius de milite referat, cujus duodecimam dorſi vertebram, incluſumque ipſum Medullæ corpus enſis mucro, duos pollices longus, non modo trajecerat, ſed ibidem ſemper hæſerat, cum tamen dolores quidem acerbos, ſed nullam uſquam reſolutionem quoad vixit; vixit autem ad menſes; attulerit. Cum his nunc confer quam in Sepulchreto (*z*) habes, Marcelli Lucii Obſervationem. Hominem leges intra horas circiter triginta mortuum, cui *ſclopeti* globus a dextra parte, quatuor digitis ſub regione renum ingreſſus, tranſibat per medium Spinalis medullæ, per ſiniſtram partem egrediens. Certe hic globus non Medullæ corpus, ſed Equinam Caudam trajecerat. Qua igitur ratione tanto citius quam in illis, quibus ipſum Medullæ corpus trajectum fuerat, mortem attulit, eandemque tamen multo tardiorem quam primo illi Valſalvæ Viro, in quo illa ipſa Cauda non ſolum non trajecta erat, ſed illæſa omnino videbatur? Nimirum difficile, ut dixi, hæc poſſunt diſcrimina explicari. Si tamen conjecturis, non undique fortaſſe improbandis, eſt locus; duæ videri poſſunt fuiſſe cauſæ, cur eum Valſalvæ Virum tam cita mors abripuerit. Ut enim pronus incedebat cum ruens ab alto lignum tres eas vertebras percuſſit; tanto has vehementius concuſſas crediderim, quanto ictum minus ex obliquo excepere, proptereaque diſruptis ſanguiferis vaſis plus ſanguinis fortaſſe, quam ibi apparuit, effluxiſſe, inde videlicet in concidente ac ſupino homine mox in cæteras vertebras dilapſum ad Medullæ corpus, non aliter propemodum atque a Verneyo (*a*) fieri creditum eſt in qui-

(*n*) n. 5. (*o*) in Additam. ad S. hanc 3. Obſ. 32. (*p*) Sect. hac 3. Obſ. 29. §. 7. (*q*) Ibid. Obſ. 28. §. 1. (*r*) Epiſt. 56 n. 35. (*ſ*) in Additam. Obſ. 4. cum Schol. (*t*) in Schol. modo cit. (*u*) De Renunc. Vuln. S. 1. prope fin. (*x*) l. 1. S. 15. Obſ. 26. (*y*) ad A. 1743. in Obſ. Anat. 11. (*z*) Sect. hac 3. Obſ. 26. §. 2. (*a*) apud du Hamel Hiſt. R. Sc. Acad. l. 3. S. 5. c. 2. n. 3.

quibuſdam quaſi apoplexiæ generibus poſtquam in horum aliquo profluere ſanguinem vidit non e cranio, ſed ex vertebrarum tubo. Compreſſa enim *ea parte, unde nervi oriuntur plurimi, qui nervi Intercoſtalis ramis præbent originem, partium interiorum motum ceſſaſſe*, exiſtimavit. Ceſſaſſe autem in noſtro caſu tanto facilius, putaverim, quanto magis ſanguis (quæ altera meæ conjecturæ cauſa eſt) promoventibus ipſum organis reſiſtebat ea craſſitie, ſive ea æquo minori fluiditate ob quam adeo concretus in arteriis, multoque etiam magis circa præcordia repertus eſt.

28. Ad Artuum tandem Ictus attinet Valſalvæ inſequens Obſervatio: quæ ſimul quanti ſint faciendæ extremorum læſiones oſtendit, ſimul a faucium convulſione inſtantes toto corpore lethales convulſiones ſæpe in vulneribus indicari, confirmat.

29. VIRO annorum triginta quinque prægrandi lapide extremum percuſſum eſt pedis ſiniſtri. Pars contuſa, niſi tangeretur, non dolebat. E medio autem præcipue digiti pollicis, ubi tangendo vehemens dolor excitabatur, nullam purulentam emittebat materiam, nec ullo pacto, laceratas tendinum fibras ſeparabat. Homo in omnibus ſe bene habebat, idque fatebatur, & ſua munia alacriter obibat. Verum ſexto die ex improviſo tenſivis doloribus, diraque ad fauces convulſione prehenditur. Sequitur poſtea ingens toto corpore convulſivus motus, & hunc mors octavo die. CAPITE diſſecto, nihil præter naturam deprehenditur; ſi paululum ſeroſæ materiæ excipias ſtagnantis in cerebri ventriculis.

30. Nunc aliquot noſtras Vulnerum, aut Ictuum earundem quæ hactenus dictæ ſunt, Partium Obſervationes, eodem ſervato ordine, ſubjiciamus.

31. VIR ab inflicto in hypogaſtrium vulnere ad latus dexterum Lineæ Albæ, vomitionibus conflictatus, humilibus, infirmiſque pulſibus, nec ſine quibuſdam convulſivis motibus, nulla tamen animi defectione, obiit intra diem tertium in hoc Noſocomio ante extremum Novembrem A. 1742. ABDOMINE, quod tumidum non erat, diducto, ſanguinem effuſum concretum, Ileum autem inteſtinum qua vulneri reſpondebat, tranſverberatum offendimus.

32. Etſi in judicio de vulnerum, inteſtinis vel Tenuibus inflictorum, lethalitate cautus prudenſque Medicus negligere illa non debeat quæ docte, & ſapienter ſuper argumento hoc ſcripſit Abrahamus Vaterus (*b*); tamen nimis verum eſſe plerumque experimur quod poſt Hippocratem (*c*) tradidit Celſus (*d*), *ſervari non poſſe cui aut jejunum, aut tenuius inteſtinum vulneratum ſit*. Huc Fabricius noſter ab Aquapendente (*e*) hæc addidit: *ſic vulneratos obſervavi habere pulſus admodum exiles, & frequentiſſimos, morique primo aut altero die; unde ſi tales videritis pulſus, ſemper dubitate de tenuibus inteſtinis vulneratis*. Quantum mihi in quodam obſervare contigit, cui vulnus in umbilicali regione impoſitum ſua ipſum ſede Jejunum inteſtinum ſauciatum eſſe, indicabat; verum de pulſibus, & verum item de mortis die Fabricius ſcripſit: quanquam cum ſecare non licuerit; tribuendumne id eſſet inteſtini illius dumtaxat, an meſenterii quoque, & vaſorum vulneri, unde ſanguis effluxiſſet, pro certo ſcire non potui. Nempe diſſectionibus ſtandum eſt. Hæ autem ut quæ ſauciata inteſtina fuerint, pro certo oſtendunt, ſic faciunt, ut alium in aliis, neque ita raro, vitæ inde terminum fuiſſe, nimirum pro varia corporum diſpoſitione, variiſque adjunctis, intelligamus. Si in hac III. Sepulchreti Sectione Obſervationem perlegeris XXV. exempla huc ſpectantia pleraque complectentem; videbis, Ilei inteſtini vulnera modo intra horas duodeviginti (*f*), modo intra dies tres (*g*), modo intra quatuor (*h*) mortem attuliſſe; Coli vero alias intra dies totidem (*i*), alias intra horas quatuor (*k*); imo cuidam inteſtina tum Craſſa, tum Tenuia multis vulneribus confoſſa, vitam abſtuliſſe die quinto (*l*). Huc adde ex Hoyero (*m*) Duodeni inteſtini vulnus die quarto; ex Bohnio (*n*) Jejuni paucis poſt horis; ex eodem (*o*), ex Uſenbenzio (*p*), ex Hallero (*q*) Ilei octavo die, quarto die, primo die fuiſſe lethale. Mihi vero ex ejuſdem inteſtini vulnere haud aliud ae in propoſito Viro tempus mortis jam antea contigerat adnotare, ut ex proxima cognoſces hiſtoria.

33. VIR alter mortuus ibidem erat convulſus die ex quo vulnus circa imam Epicolicam regionem dexteram cultro acceperat paulo ante finem Decembris A. 1726. CADAVERIS hujus quaſdam partes, & nominatim renes, quorum alter binis inſtructus erat ureteribus, toto itinere, ipſoque intra veſicam fine diviſis, cum diligentius examinarem; quæ ad vulnus attinebant, adnotare non neglexi. Meſenterium haud procul a fine Ilei inteſtini pertuſum fuerat, nullo quidem læſo ejuſmodi vaſe unde ſanguinis copia effundi potuiſſet; ut neque effuſa erat; peculiari attentione digna. Sed & illud inteſtinum ſauciatum erat.

34. Hoc inteſtini vulnus obſtitit quo minus eo in viro, in quo ſanguinis effuſio me dubium facere non poterat, Obſervationes confirmarem Friderici Ruyſchii. Qui poſtquam in Theſauris Anatomicis (*r*) admonuerat, *per meſenterium nervos viſibiles exiſtere ſatis numeroſos, quibus læſis graviora producuntur ſymptomata, doloreſque immanes*, aſſeveravit in Adverſariis (*ſ*), ſæpenumero ſe vidiſſe homines poſt aſſiduos intolerabiles ventris cruciatus intra duos treſve dies mortuos, quorum nullam præter ipſum meſenterium alicujus momenti partem vulnere læſam, re accuratiſſime examinata, potuit invenire; tametſi meſenterii vulnera lethalia non pronunciaverint Auctores qui ſuper his ad id tempus ſcripſerant. Propius aliquanto ad Ruyſchii Obſervationes accedit quæ ab ſpectatæ fidei Chirurgo ſub initium A. 1724. paucis poſtquam ipſe habuerat, diebus ad hunc modum narrata eſt.

35. ALIENIGENÆ Viro, jam diu hic moranti, proindeque omnibus noto, vulnus inflictum fuerat acuto, ancipiti, & tenui ferro, oblique a ſiniſtris abdomen ſub ipſis coſtis perforante. Anguſtia, & obliquitas vulneris erant ejuſmodi, ut non modo ex vulnere nihil exire; ſed ne ſpecillum quidem ulla ejus Chirurgi, aut Maſierii ipſius diligentia admitti ſinerent in ventris cavum; quo tamen ferrum perveniſſe, hæc indicabant. Ab accepto vulnere ad quinctum uſque diem, quo pulſibus deficientibus obiit; ſemper, ſi intervallum excipias horarum quinque, idque ſemel, vomitu rejecit aſſumpta, & bilem. Ventris doloribus torquebatur. Alvus, niſi clyſteribus ſoluta, nunquam reddidit quidquam. Sanguis autem etſi ter fuerat detractus, neque in his quæ poſt clyſteres, aut cum illis quæ per vomitum exibant, apparuerat unquam; noviſſime tamen ante mortem ex ore, at ſimul e naribus, prodiit. ABDOMINE diſſecto, ſub inteſtinis, aere turgidis, non multum ſanguinis effuſi conſpectum eſt, idque ad ventris inferiora. Vulnus autem Colon inteſtinum quatuor circiter infra lienem digitis inciderat quidem, ſed ſuperficie tenus. Inde vero, nullo alio læſo inteſtino, ad meſenterium pervenerat. Quod propterea non modo ſaucium, ſed & tumidum inventum eſt.

36. Etſi præter meſenterium, facies quoque exterior inteſtini hic erat ſaucia; facile tamen intelliges, hanc propius abfuiſſe ab Ruyſchii Obſervationibus, niſi quod paulo diutius vita producta eſt, ubi cum Boerhavio (*t*) animadverteris, *inteſtinorum* quoque *ſuperficiem exteriorem veriſſimum meſenterium eſſe*. Cæterum cum a ſauciato meſenterio mors accidit, neque hujus cauſam in majuſcula quæpiam illius inciſa vaſa, ut in Cive oppidano quem Bohnius (*u*) ſecuit, conferre licet; in compunctos ejus nervos cum Ruyſchio conferre poteris, majuſculos tamen & ipſos: ſi enim minimorum quoque compunctio lethalis eſſet; nulla, opinor, extaret felix, breviſque, & ſine gravibus ſymptomatibus tranſverberati ventris curatio, quam & nobis viſam antea (*x*) ſcripſimus, & alii, inter quos Waldſchmiedius (*y*) viderunt. Sed nos enſe; Mauchartus (*z*) vero cum ven-

(*b*) Diſp. inſcr. Vulnerum in Inteſt. Lethalitas. (*c*) S. 6. Aph. 18. (*d*) De Medic. l. 5. c. 26. S. 2.
(*e*) Pentateuch. l. 2. c. 34. in fin. (*f*) §. 9. (*g*) §. 15. (*h*) §. 14. (*i*) §. 13. (*k*) § 6. (*l*) §. 12.
(*m*) Act. N. C. Tom. 3. Obſ. 18. (*n*) De Renunc. Vuln. S. 2. c. 4. (*o*) Ibid. (*p*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 60.
(*q*) Diſp. Anat. collectar. Tom. 7. in fin. (*r*) I. Repoſ. 3. n. 13. not. 1. (*ſ*) Dec. 2. c. 4. (*t*) Prælect. ad Inſtit. §. 816.
(*u*) De Renunc. Vuln. S. 2. c. 4. (*x*) n. 7. (*y*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 70. (*z*) Eaſund. Cent. 5. Obſ. 33.

ventrem plumbeo globulo tranſverberatum conſpexiſſet, vulnerato quincta ferme poſt hora intereunte, mortis autem citæ adeo cauſam inquireret, deprehenderetque, globulum, fundo ventriculi transfixo, *hinc per meſenterium inter colon, & ileum, utroque illæſo, nec ruptis vaſis meſaraicis, tranſiiſſe*: *parum* autem eſſe, animadverteret, *quod ex contentis ventriculi in abdomen deſcenderat, & nulla uſquam* eſſe *gangrænæ vel incipientis indicia, aut ullam hæmorrhagiam lethalem;* potuiſſet a laceratis majuſculis meſenterii nervis tam citi obitus cauſam repetere, niſi certior factus eſſet, *nullas convulſiones ante mortem, vomitus autem frequentes* fuiſſe: quanquam intimæ viſcerum convulſiones fortaſſe adſtantes latuerunt. Certe etſi vulnera fundo ventriculi inflicta intra breve tempus plerumque occidere, ſupra (*a*) a nobis, productis, indicatiſque præſertim Obſervationibus, confirmatum vidiſti, tam exiguo tamen ſpatio robuſtum, ac ſanum virum interemiſſe, neque Mauchartus, ut apparet, credidit, neque alios facillime crediturós eſſe, arbitramur. Verum ad ea quæ ipſemet vidi, redeamus.

37. MOLITORI famulo unum ſupra viginti annos nato, ſano, robuſto, optimoque corporis habitu prædito, id accidit quod juvenibus audacibus, minacibuſque, qualis ipſe erat, ſæpius ſolet, ut lethale vulnus acciperet. Inflictum hoc fuerat lanionis cultro in Epicolicam regionem ſiniſtram. Ut tunc erat prima noctis vigilia, domum per ſe rediit. Mane in Noſocomium illatus, & a Medico, Chirurgoque curari cœptus eſt. Eo die levis febris fuit. Sed nocte proxima & vomuit, & ex convulſivis ſubſultibus ſemper tremuit. Sicque tremens poſtridie mane quadrageſima circiter hora ab accepto vulnere mortuus eſt.

CADAVER proximo die qui fuit XI. Kal. Februarias A. 1738. multiſque inſequentibus, nobis ad Anatomen quam in Gymnaſio docere cœperamus, continuandam ex uſu fuit. Abdominis muſculi Obliqui, & Tranſverſus in ea quam indicavi, regione pertuſi erant vulnere duos ferme digitos admittente: interque illos aer ſubierat, ut initium jam eſſet factum quaſi emphyſematis. Is aer e vulnerato, ut mox dicetur, Colo inteſtino in cavum ventris egreſſus, hunc diſtenderat. Neque aer ſolum ex illo prodierat inteſtino, verum etiam recrementa; ut cum in ventre humor eſſet effuſus ad libras duas; pars hujus maxima ex recrementis eſſet, minima ex ſanguine; nullum enim inſigne vas læſum fuerat. Scilicet culter, abdomine, ut dicebam, transfixo, oblique ſurſum, introrſumque perrexerat, & primum quidem ejus quod memoravi, inteſtini reſpondentem partem ſic inciderat, ut ſimul anterior, & poſterior ejus facies, & quæ a latere vertebras ſpectat, diſciſſæ, aeri, & recrementis exitum in ventrem darent. Inde autem rene, & diaphragmatis appendice illæſis, Quadratum lumborum muſculum transfixerat, ultraque hunc in commune illud Sacrolumbi, & Longiſſimi dorſi initium ſic penetraverat, ut de tendinibus ex hoc initio ad tranſverſos lumbarium vertebrarum proceſſus oblique aſcendentibus unus haud omnino, ſed, quod multo pejus haberi noſti, ex parte dumtaxat eſſet inciſus. Hinc igitur cauſam plerique fortaſſe præcipuam deduxiſſent quare convulſivis ſubſultibus confectus eſſet, præſertim cum ſauciatum inteſtinum ne ruberet quidem, aut liveret ad eam ipſam partem qua vulnus habebat. Ventriculi fundus, ab interiore facie inſpectus, tenuia vaſcula hic illic ad aliquod ſpatium oſtendebat ſanguine diſtenta. Cæterum jecur magnum erat, & in tranſverſum prælongum, ut in totum propemodum hypochondrium ſiniſtrum ſe extenderet. Lien quoque longior, & æquo major; ejus autem arteria non tenuior modo pro ea præſertim viſceris magnitudine, ſed & minimum tortuoſa. Nam minus tenuitatem miratus ſum, cum arteriæ Magnæ truncum ibi animadverterem, ut in thorace quoque, anguſtiorem proportione non ad corpus tantummodo, verum etiam ad venam ipſam Cavam, cujus in ſepto Tranſverſo foramen erat omnium maximum quæ videre meminiſſem. Thorace aperto, pulmones undique, id quod minus frequens in adultis hominibus eſſe, non ignoras; ſolutos quidem conſpexi; ſed Bronchialibus glandulis inſtructos juſto majoribus, ut una compreſſam nucem mediocrem ferme æquaret. In pericardio aqua erat flaveſcens, nec pauciſſima. Cor potius magnum, in eoque ſanguis, ut alibi, niger; ibi vero etiam ex parte aliqua grumoſus. Magna arteria ultra curvaturam ſulcos quaſi quoſdam interiore facie oſtendit ſecundum longitudinem ductos. Cætera quæ in hoc cadavere adnotavi, huc non attinent.

38. Etſi de Ventriculi, & Inteſtinorum, & plerorumque aliorum viſcerum quæ in ventre ſunt, Vulneribus plura ex Valſalva, & nobis, & aliis Obſervatoribus hac Epiſtola accepiſti; tamen alias ex his ultimis indicabimus hiſtorias, quas Sepulchreto, ſi velis, inſeras. Itaque ad Craſſorum inteſtinorum vulnera, Coli videlicet, ac Recti, Obſervationes ſpectant Harderi (*b*), & Bautzmanni (*c*). In hac eſt ſimul quod ad Diaphragma, in illa quod ad chyli, ſi recte intelligo, Receptaculum, certe autem quod ad Renem convulneratum pertineat. Cujus de vulnere Epiſtola quoque ſuperiore (*d*) mentio facta eſt. Nunc Laubii (*e*) addetur Obſervatio, eo ſpectabilior, quod culter per medium lienem ad renem ſiniſtrum pervenerat. Lienis autem erit altera ex Bernero (*f*). Porro ad Jecoris vulnera, præter exempla illa quæ extremis ſuperioribus Litteris (*g*) indicata ſunt, alia Bohnius (*h*) dabit, ad has vel magis attinentia. Nullius autem ex ventris viſceribus profunda vulnera certius, aut citius quam hujus, ſunt lethalia propter vaſorum tum multiplicitatem, tum quo magis ad diaphragma acceditur, craſſitudinem. Quamobrem ſcite Homerus (*i*) de Eurypylo lanceam jaculante, *pervaſit*, inquit, *hepar ſubter præcordia: ſtatim autem genua ſolvit*, & alibi (*k*) de Patroclo, *percuſſit ubi mentes fingunt circa prudens cor: cecidit autem:* quem ad locum ob verbum *fingunt* commentarii inſtar erit quod in libro habemus de Morbo Sacro (*l*). Et ne me hinc forte arbitreris ad Poetam præter Majorum conſuetudinem digredi; vide quæ ad illum de Ulyſſe, & Cyclope Homeri locum (*m*), *ubi mentes hepar habent*, Galenus (*n*) adnotaverit. *Vulneratam hanc venam*, Cavam nimirum, qua jecur, in cujus ſubſtantia defixa eſt, ad diaphragma alligat, *aut divulſam*, inquit, *acuta adeo ſequitur mors, ut cum Cyclopi, quanquam longe maximo, ſapientiſſimum Ulyſſem Poeta ſcriberet inſidiari, mortemque machinari, non in aliam corporis partem enſem impulſurum fuiſſe, finxerit, quam qua hepar phrenes continent: .... adeo certe huic loco confidebat, ut ſi vulnere affectus eſſet, ne temporis quidem momentum vivere ipſi eſſet permiſſurus.* Sed & Riolanus (*o*) Galenum laudat, quod hoc Homeri teſtimonium protulerit: quanquam memoria lapſus, quod uterque facturum fuiſſe Ulyſſem, ajunt, reapſe feciſſe, dicit. A ſauciata autem fellis Veſicula num æque celer, ac repentinus obitus neceſſario ſit expectandus, ſatis a me II. Epiſtola Anatomica (*p*) oſtenſum eſt, cum omnia quæ ad id uſque tempus producta dicebantur, non modo a vulnere, ſed a quacunque cauſa illius ruptionis exempla perpendi. Unum dumtaxat, aut alterum ab illo tempore additum legiſſe memini, quorum alterum inſpicere poteris apud Ampliſſ. Swietenium (*q*). Veſiculæ quidem vulneri, biliſque in ventris cavum effuſioni quæ ſtatim, & quæ deinde ſucceſſerint non levia, videbis; attamen non ante diei ſeptimi initium mortem obtigiſſe. Hæc autem in altero exemplo quod protulit Cl. Tacconus (*r*), minime accidit; ſed mulier cui abſceſſus hepatis, cum peritonæo connatus, cyſtim ruperat, prorſus convaluit. Quin Bohnio (*ſ*) adſtipulari in eo video Cl. Kaltſchmidtium (*t*), quod ſine cyſtis bile vita poſſit diutius protrahi: imo cenſere, eam bilem, intra abdomen effuſam, præſentaneum per ſe non afferre periculum. Contra

(*a*) n. 9. (*b*) Eph. N. C. Dec. 3 A. 9. & 10. Obſ. 62. (*c*) Ibid. Obſ. 234. (*d*) n. 40.
(*e*) Eph. N. C. Cent. 10 Obſ 8. (*f*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 69. (*g*) n. 41. (*h*) c. 4. ſupra ad n. 36. cit.
(*i*) Iliad. l. 11. (*k*) Iliad. l. 16. (*l*) n. 18. (*m*) Odyſſ. l. 9. (*n*) De Uſu Part. l. 4. c 14.
(*o*) Anthropogr. l. 1. c. 2. (*p*) n. 96. (*q*) Comm. in Boerh. Aph. §. 312. (*r*) De raris quibuſd. Hepat. &c. Obſerv.
(*ſ*) c. 4. cit. (*t*) Diſſert. de Vuln. Hepat. §. 48.

tra nulli dubitationi obnoxium eſt, ſi Veſica altera, id eſt urinaria, ita vulneretur, ut lotium intra ventris cavum ejiciatur; graviſſimas (ut etiam cum ſauciati ſunt ureteres) lethaleſque demum hinc eſſe noxas. Neque enim ſemper urina omnis per vulnus exit, ut in Ruyſchii (*u*), Bohnii (*x*), Martini (*y*) Obſervationibus, donec incipiat per urethram excerni, per quam primo tempore nulla poterat. Sane interdum vulnus non ex adverſo, ſed a tergo veſicæ infligitur, ut in tertia quæ ab laudato Bohnio (*z*) producitur, hiſtoria, in qua pertuſum erat veſicæ latus, itemque ut in ea ancilla de qua Alex. Camerarius (*a*), trajecto per mediam uteri ſubſtantiam, indeque per veſicam pariter mediam plumbeo globulo. Itaque ad Uterum tandem pervenimus, cujus ſauciati, præter hoc ipſum exemplum, alia reperies, in gravidis præſertim, in quibus certe quanto facilius vulneribus patet, tanto periculoſius vulneratur. Eſt inter Diſputationes Chirurgicas ab Hallero collectas CXXXI. in qua (*b*) nonnullas huc ſpectantes legere poteris Obſervationes. Quodcunque autem viſcus ſauciatum eſt, etſi indicia habeat ſua, illudque in primis quod ex Anatome ſuppetit, propriæ ſedis; cavendum eſt tamen, nequando ab hoc ipſo decipiamur, immemores varietatum quæ non raro occurrunt, velut in utero in alterum latus inclinato, aut in Colo præſertim inteſtino a tranſverſa illa ſede quam ſuperius habere ſolet, deorſum magis, minuſve inflexo, aut in jecinore, de quo ſi non his ad te Epiſtolis, at in I. Anatomicarum (*c*) quid aliter in aliis viderim, indicavi, ut in Adverſariis etiam II. (*d*) ubi & de ventriculo quid in quibuſdam ſuſpicari oporteat, non reticui. Sed ut viſcera ſingula eoſdem ſemper fines ſervarent; nonne ut altius exſpirationis tempore diaphragma eſt, humilius cum inſpiramus, ita jecur præſertim, & ventriculus illud ſequuntur, eoque magis deſcendunt, cum valentius inſpiramus, cum ſtamus, cum ab inedia ut inania ſunt viſcera jecur ſuffulcientia, ita huic fulcrum quaſi deeſt, ejus deſcenſui obſtans, ſicut alia ad te Epiſtola (*e*) ſcripſimus, de non unius tum Veterum, tum Recentiorum ſententia: quibus addas inſuper Cel. Viros Winslowium (*f*), & Swietenium (*g*), qui Cl. Garengeoti Obſervatione id confirmari, non dubitat, in jecinore hominis, cum ita ſe haberet, inferius vulnerato. Hæc igitur omnia, aliaque ejuſmodi attendere oportet: tum ſiqua dubitatio eſt; cum frequentioris ſedis notitia, alia ex actione, & munere cujuſque viſceris, & ex eorum quæ continent, natura deprompta indicia ſunt conjungenda. Ad eundem modum ſanguifera vulnerata vaſa ſuo ſe produnt ſanguine, multo, ſi majora ſint, neque exitui e ventre quidquam obſtet, profuſo; plurimo, ſi maxima, ut puta ſi Aorta, aut vena Cava: quanquam citius vita deſinit, quam ſpatii ſatis detur ad dignoſcendum. Majoris arteriæ, id eſt Splenicæ, diſciſſæ Obſervationem habes ex Helwichio (*h*); Aortæ vero, illæſis antepoſitis inteſtinis, perforatæ ad ipſam in Iliacas diviſionem ex Dillenio (*i*). Sauciatæ autem venæ Cavæ ex Hildano (*k*), & Paawio (*l*) legere exempla potes in Sepulchreto, huic autem ex Bohnio (*m*) exemplum addere venæ Iliacæ Internæ, ex quo ipſe intelliges, quid nonnunquam obſtare ad tempus ſanguini poſſit, non ex ventre ſolum, ut modo dicebam, ſed ex ipſa vulnerata vena effluxuro. Nunc ut ad meas redeam Obſervationes ad Ventris Vulnera attinentes, cum earum ultima fuerit quam in juvene Molitoris famulo habui; jam quaſdam accipe quæ ad Ictus, & Compreſſiones ſpectant ejuſdem Ventris.

39. MOLITOR alter, ſed hic ſenex, in lapidem cadens, ipſum latus offenderat Epicolicæ regionis dexteræ. Quam ob cauſam, & quod tunc ſanguinem, quamvis paucum, tuſſiens expectorabat, in Noſocomium venerat. Quindecim amplius elapſis diebus, nulla interim ferme de re conqueſtus, & quaſi ob paupertatem, & infirmas etiamtum vires, ibi ſubſiſtens, interrogatus, ſibi alvum adſtrictam eſſe, dixit. Cum ea quæ ad ſolvendam per clyſterem immiſſa erant, nihilque præterea, reddidiſſet, dolores autem in ventre jam eſſe, & hunc turgidum, & quaſi ut tympanitici tenſum nuper factum eſſe diceret; medicamentum quod Diatartarum vocant, mane datum eſt unciæ pondere. Nihil egit, niſi quod nocte proxima ſenex inſcius quid alvo ejeciſſet, ſanguinem in lectulo multum dejecit, & vomitu ſimul ea rejecit quæ cœnæ loco data fuerant. Mox animi deliquio, mox deinde morte correptus eſt, eadem nocte paulo ante extremum Novembrem A. 1743. ABDOMEN ut triduum circiter ante obitum, ſic trigeſima ab hoc hora tumidum fuit; ſed inſuper exterius jam virens. Quo inciſo, multa intus aqua, tametſi in pedibus nullum œdematis eſſet initium, deprehenſa eſt. Hac exhauſta, reliqua ob teterrimi odoris gravitatem ſic relicta ſunt horas aliquot. Quibus elapſis, ipſa quoque interior peritonæi facies jam viridis erat facta. Tunc quæ antea in oculos incurrerant, diligentius recognoſcens, omentum vidi totum ad ventriculum retractum, & hunc quidem non diſtentum, diſtenta autem valde inteſtina Tenuia, Ileum præſertim, idque in ultimis ſpiris, ab incluſo, ut videbatur, aere. Ejuſdem Ilei finis, & Coli initium colore erant coccineo ad fuſcum vergente, cum proximum Cæcum, & Vermiformis Appendicula, & Coli reliquum colore eſſent naturali; & tota hujus ſiniſtra pars, Rectumque inteſtinum valde contracta. Ea vero muſculorum Abdominis portio quæ Coli initio vicina fuerat, ſugillata apparebat a facie interiore. Sed neque hæc, neque ea inteſtinorum pars quam colore fuiſſe, dixi, præter naturam, duri aliquid, aut tumidi habebant. Interiorem faciem inteſtinorum examinare graviſſimus odor prohibuit. Jecur pallidum, lien æquo major, meſaræi glandulæ non minutæ adeo fuerunt, ut pinguedinem diducere opus eſſet, ut in conſpectum venirent. Thoracis utroque in cavo non minima copia inerat aquæ rubicundæ; in pericardio plus quam ſolet, ſed neque multæ adeo, neque ita rubentis. Pulmo ſiniſter aliqua ex parte nexus erat cum pleura; ipſe tamen, & dexter ſani. Cranio ſecto, & Craſſiore meninge amota, ſub Tenui nonnullis in locis animadverſæ ſunt aereæ paucæ bullulæ, tum ſpecies illa cujuſdam quaſi *gelatinæ*. Vaſa quæ per hanc meningem repunt, pleraque ſanguine diſtenta; ſed illa magis quæ per latera Septi Lucidi: quin etiam e medullari cerebri ſubſtantia inter ſecandum guttæ ſanguinis exiſtebant. Quæ tanto magis attendi, quanto minorem ſanguinis copiam in ventris, & thoracis vaſis majoribus animadverteram. Nihil aquæ in cerebri ventriculis, ipſumque ſatis firmum, cerebellum autem valde laxum, laxiſſimam Pinealem glandulam deprehendi, cum hæc, atque alia quæ hic memorare neceſſe non eſt, non ſerius inciderem quam ipſo quarto a morte die.

40. Et hic quidem tardius ab ictu abdominis eſt mortuus, citiſſime autem alter in hac ipſa Urbe, ſed circa annum, opinor, 1670. cum hic ſtudiorum cauſa tunc eſſet Jacobus Sandri, quem Bononiæ inter meos Præceptores fuiſſe, alias tibi memoravi. Quod mihi is narrabat, totidem verbis accipe.

41. QUIDAM equi calce in umbilico ictus, illico, apoplectici inſtar, concidit mortuus. DISSECTUS nihil aliud præter naturam oſtendit, niſi ſugillationem, & nigredinem inteſtinorum, percuſſo loco reſpondentem.

42. Audienti hæc mihi adoleſcenti in mentem venit Hildani (*n*) Obſervatio, Juvenis a reſciſſo ſumbilicali jecinoris vinculo mox cadentis, & citiſſime morientis. Poſtea vero cum ejus vinculi læſionibus neque rationem, neque pleroſque Auctores multum tribuere, animadverterem; ea cogitatione ſepoſita, in alteram incidi, ad quam Bohnii (*o*), &

(*u*) Cent. Obſ. Anat. Chir. 75. (*x*) c. 4. cit. (*y*) Commerc. Litt. A. 1731. Spec. 41. n. 3. (*z*) c. 4. cit.
(*a*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 160. verſ. fin. (*b*) c. 1. §. 15. (*c*) n. 2. 11. & ſeqq. (*d*) Animad. 2. (*e*) 26. n. 25.
(*f*) Expoſ. Anat. tr. du bas Ventre n. 267. & ſeq. (*g*) Comm. in §. cit.
(*h*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 120. ſub A. 1698. (*i*) Dec. ead. A. 7. & 8. Obſ. 166.
(*k*) Sect. hac 3. Obſ. 25. §. 18. (*l*) Ibid. §. 19. (*m*) De Renunc. Vuln. Sect. 1. (*n*) Cent. 1. Obſ. 53.

(*o*), & aliorum quos ipſe laudat, Obſervationes, & quædam præterea Benivenii (*p*), videbantur excitare, ictuum videlicet abdominis homines proſtrantium, & ſubito etiam extinguentium propter vehementiſſimam diaphragmatis, ut ille exiſtimat, concuſſionem, & convulſionem, unde ſuffocatio, & aſphyxia contingant. Attamen cum ictus de quibus ipſe loquitur, non ad umbilicum, ſed ad epigaſtrium ſpectent; ob hanc rem, aliaſque nonnullas ego quidem aſſenſum ſuſtineo; arbitrium autem tuum eſto.

43. Ad violentas abdominis Compreſſiones illa præ cæteris attineret quam Ciliarius pertulit ab rhedæ rota, per ventrem acta, unde graviſſima incommoda, & maximum omnium quæ vidi, arteriæ Magnæ aneuryſma provenere; niſi eam hiſtoriam Epiſtola ad te XL. (*q*) deſcripſiſſem. De Vulneribus autem, Ictibuſve Lumborum, quo Obſervationes ſpectant Cl. Virorum Verdrieſii (*r*), & Quelmaltzii (*ſ*), cum in præſentia nulla mihi ex meis in promptu ſit, non una autem earum ſit quæ ad Vulnera, Compreſſioneſve Artuum ſpectant; ad has tranſibo.

44. VIR ruſticus, non malo corporis habitu præditus, dum circa lignum operatur, plura ex hoc fragmenta palmæ dexteræ alte infigit, vulnere interſtitio illi ferme reſpondente quod eſt inter metacarpi oſſa, indici, medioque digito ſubjecta: nec niſi poſtquam convulſivis totius ejus artus motibus correptus eſt, Medico, Chirurgove ſe oſtendit. Itaque octavo circiter ex quo vulnus ſibi inflixerat, die huc denique in Noſocomium defertur. Sanguis tunc primum e ſiniſtro brachio mittitur, oleum e dulcibus amygdalis recens expreſſum datur, oleum reſinæ terebinthinæ in vulnus infunditur, dexter artus, & Spina linimentis quæ adverſus nervorum diſtentiones faciunt, inunguntur, fragmenta ligni quædam e vulnere educuntur; ſed incaſſum tum propter id quod mox dicetur, tum etiam quia mali tandiu prorſus neglecti vis altiores radices egerat, totuſque ille artus creberrimis convulſivis motibus ſurſum manifeſtiſſime retrahebatur. Igitur intra horam ex quo illuc delatus fuerat, quadrageſimam vivendi finem fecit, cum ibi Diſcipulis ſtructuram humani corporis in cadaveribus aliis oſtenderem; ad extremum enim ſpectabat menſis November A. 1742; itaque hoc quoque uſus ſum. Nunc cætera, ut conſuevi facere, prætermittam: eaque dumtaxat quæ ad vulnus, aut ad alia attinent minus ſecundum naturæ modum ſe habentia, commemorabo. MANUS, & brachium non valde erant tumida. Vulnus orificio erat anguſto, & ad circuli formam accedente; adeo autem profundum, ut per illud oſſium quæ dixi, interſtitium, ad manus dorſum propemodum perveniret, palmari tendinea expanſione, & huic ſubjecto Adducente pollicem muſculo, & Interoſſeis pertuſis, nedum Lumbricali; tendinibus autem Flectentium ſecundum, & tertium digitorum illorum articulos, tum nervo ſecundum vulneris latus, ut vidi, pergente, facile, ut ex iis intelliges quæ continuo dicentur, inſuper læſis. Dum enim vulnus ea libertate quæ Chirurgis in vivo permiſſa non fuiſſet, penitiſſime examinaremus; ligni fragmentum parallelopipedi forma, tenue quidem, ſed longius tranſverſo apice minimi digiti, dimidio autem minus latum, alte adeo abditum, atque ita intruſum, infixumque deprehendimus, ut non niſi vi illata iis quos diximus, Flectentium muſculorum tendinibus, eximi ſine difficultate potuerit. Eo igitur fragmento, dum ſubiit, illos tendines male habitos fuiſſe, intelligis, poſtea autem quam ſubierat, pus quod paucum, & ichoris fere ſimile e vulnere exibat, coercendo, acrius ob moram reddidiſſe, eoque aptius ad illos tendines, aut certe ad illum nervum, dum ſenſim, ſenſimque exſtillaret, vellicandum.

Erant venæ paſſim tum internæ, tum externæ fluido, atroque ſanguine diſtentæ, quod Thoracem, & Collum, & Caput diſſecantibus facile fuit animadvertere, indeque etiam proclivius fuit cognoſcere, Cephalicam venam in ſiniſtro artu non modo infra, verum etiam ſupra cubitum defuiſſe, niſi quod ſupra, leviſſima, tenuiſſimaque ejus adumbratio vix per accuratam attentamque diſſectionem reperta eſt.

Capite a vertebris abſciſſo, nihil aquæ ex harum tubo defluxit, nihilque item de ea fuit in cerebri ventriculis, in quibus Choroides plexus ex fuſco ruberrimos conſpexi, ut ſanguifera paſſim quamplurima vaſcula in medullaris Cerebri ſubſtantiæ diſſectione. Ipſum autem, & Cerebellum, & Medulla, & nervi juſta erant firmitudine.

45. Dum has tibi deſcriberem graviſſimas, lethaleſque convulſiones, quæ profundo manus vulneri ſucceſſere, earum venit in mentem quæ poſt leve vulnuſculum advenerunt digiti Indicis, per ſe quidem non ita graves, ſed graviores quam erant, viſæ tum ob ea quæ adjuncta habebant, tum propter animalculum, a cujus morſu nihil ejuſmodi expectabatur. Generoſa inter Veronenſes Virgo, annos ſexdecim nata, cum haud ſecus ac illa civis ſui Catulli (*) Lesbia, paſſerculum aleret quicum luſitaret, dum ex humero dextero, in quem forte inſiluerat, auferre vellet ſiniſtra manu, improba beſtiola roſtri ictu vehementiore digitum indicem ſimul momordit, & ſauciavit in ipſa articuli primi, & ſecundi junctura a parte exteriore. Præter communia integumenta, nervei aliquid tum fuiſſe laceratum, idem indicavit digitus, qui continuo ſe flexit, ampliuſque extendi, aut moveri non potuit: eoque minus mobilis factus eſt, cum mox in vulnuſculo pus fieret, dolore aucto, & manu quoque contracta, & intumeſcente. Huc febricula acceſſit dierum aliquot. Quæ tamen, & omnia quæ dixi, cum manus, tum digiti mala celeri, & felici, ut videbatur, curatione ſublata ſunt. Sed vix hæc erant conſecuti, cum ecce tibi ipſo quartodecimo ex quo digitus ſauciatus fuerat, die repentinus tremor a pedibus, mox a manibus coortus, indeque ſenſim per univerſum corpus propagatus, Virginem corripit, periculoſam, longamque ſyncopem afferens: qua ſoluta, non propterea tremores quieverunt; ſed cum gemitu, & aliquo interdum ululatu conjuncti, plures perſtiterunt horas, donec apertis tandem oculis, & laxata quæ ad ſuperiorem adſtricta erat, inferiore maxilla ad ſe rediret, omnium quæ ſibi contigiſſent, prorſus ignara. Brevi autem interjecta quiete, rurſus eodem ordine omnia reverterunt, levius quidem, & multo brevius, ſed crebro adeo vexantia, ut quotidie ſexdecim, aut duodeviginti inſultus numerarentur. Jamque ſex dies ad hunc modum res perſtiterant, cum per litteras, quæ hæc narrabant, conſulti ſumus pridie Kal. Sextiles A. 1743. Non perplacuit quidem nobis, Aphoriſmos Hippocratis (*t*) recolentibus, febrem eo in caſu per corticem Peruvianum fuiſſe abactam, vulnuſculum autem tam cito ad cicatricem perductum, recordantibus, Celſo (*u*) viſum eſſe ſecundum lectionem quam alias (*x*) retinendam oſtendimus, *omnem fere morſum habere quoddam virus*, idemque ob graviſſima ſymptomata quæ anſeris quoque, & galli morſus excepere, Matthiam Tilingium (*y*), Jo. Georgium Sommerum (*z*), & ante hos Joannem Schenckium (*a*), hunc ex Baccii, illos ex propriis Obſervationibus cenſuiſſe. Attamen cum hos omnes morſus aut manibus, aut digito, quemadmodum in propoſito caſu, illatos fuiſſe, animadverteremus, partibus quæ aut quia tot tendinibus inſtructæ ſunt, aut quæcunque alia ſit verior cauſa, certe vel ſine ulla virulenta infectione laceratæ, & contuſæ magnis ſæpe, & vehementibus malis obnoxiæ ſint; ea reſpondimus, quæ ſive inſultus a citius occluſo vulnuſculo, ſive hujus tantummodo occaſione non aliam quam in hyſtericis, originem habuiſſent, quippe in Virgine ſanguineo temperamento ad melancholicum inclinante, & ſucci plena, neque tamen pro humorum copia ſatis per uterum ſanguinis ſingulis menſibus excernente, ea, inquam, reſpondimus quæ opportuna eſſe poſſe, credidimus. Sive autem eorum ope, ſive ætatis, ac naturæ viribus ea omnia conquieverint, certe

(*o*) De Renunc. Vuln. S. 1. & S. 2. c. 3. (*p*) De abdit. & c. morbor. cauſis c. 110. in fin. (*q*) n. 26.
(*r*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 86. (*ſ*) Differt. de Pingued. §. 17. in fin. (*) Carm. 2. & 3. (*t*) S. II. 26. & IV. 57.
(*u*) De Medic. l. 5. c. 27. (*x*) in Celſ. Epiſt. 1. (*y*) Eph. N. C. Dec. 2. A. 2. Obſ. 75. (*z*) Dec. ead. A. 10. Obſ. 82.
(*a*) Obſ. Medic. l. 7. S. 1. Obſ. 13. in fin.

certe nullam poſtea iis de rebus querelam accepimus.

46. LANARIUS cum Lanario, patruo, an avunculo, certe conſanguineo, rixabatur. Multo mero epoto uterque calebat, ut III. Idus Novembris plerique plebejorum hic ſolent; erat enim is dies, A. 1745. Noctu denique a verbis ad arma ventum eſt. Primus forte cadit, quippe claudus artu dextero. Alter jacentis femur ſiniſtrum cultro vulnerat, atque adeo tranſverberat. Cultri enim mucro paulo ſupra genu a latere anteriore interno ſubiens, a latere poſteriore externo prodierat. Ingens continuo per utrumque vulneris orificium fit ſanguinis effuſio, quæ, ut nox erat intempeſta, ab iis qui aderant, non modo inhiberi non potuit, ſed ne retardari quidem tantiſper, ut intra ſex ſeptemve horas virum, denique in Noſocomium illatum, non abſumeret. CADAVER macrum, ſed intra ſanitatis modum, ſtudiis erat noſtris opportunum, tempus autem anni haud importunum. Itaque Idibus, & diebus inſequentibus diligenter perſecuimus. Sed alia quæ adnotavimus, in alia Scripta, ipſius autem claudicationis perſpectam cauſam in alias Litteras (*b*) rejicimus. Nunc cætera adſcribemus. Et primum accurate adaperto vulnere, tantæ ſanguinis effuſionis cauſa in conſpectum ſe dedit. Cruralem enim arteriam, ad poplitem contendentem, ſociamque ejus venam, magna ex parte in tranſverſum inciſas deprehendimus. In Ventre porro omentum moderate pingue, a dextris erat ſiniſtriſque ad ventriculum retractum: hic vino plenus; nullum tamen chyliferum vaſculum per meſenterium, aut per inteſtina repens uſquam occurrit. Ex quibus Tenuia, uno excepto Duodeno, ex cinereo fuſca: Coli pars quæ in tranſverſum ducitur, tota, & partium utrinque proximarum portio, ferme ad digiti pollicis tenuitatem contracta. Fellis veſicula quoque contracta erat; idque non ſolum pauca, quæ inerat, bilis oſtendebat, ſed & fovea ad illam excipiendam in jecinore excavata, quæ, cum reſpondere latitudine debuiſſet, multo erat quam ipſa, latior. Renes grandiores, Lien parvus, & inſolita quadam figura, nec minus tamen quam illi, ſanus; niſi quod mihi inter diſſecandum paulo firmior viſus eſt, quam deberet. In Thorace pulmones, cætera ſani, adeo in ſe concidentes, vix ut ullos minori volumine vidiſſe meminerim; ſed dexter magis, ut qui ſumma tantum parte per laxam, nec valde latam membranam alligatus erat ad pleuram, ~~cum~~ ſiniſtri latus magna ex parte eſſet ad illam arctius annexum. Quod ſic concidiſſent, & colore tamen eſſent; ſi poſteriorem faciem, ut par eſt, excipias; ex cinereo albicante, cauſa erat exigua omnino copia ſanguinis, quam in vaſis quidem majoribus tum ventris, tum etiam thoracis ſuperfuiſſe, animadvertimus; nam pulcherrimo alioquin erant colore muſculi. Sed & cor prorſus erat ſanguine vacuum, vix ut in auricula dextera parvulus eſſet grumus. Hic ad polypoſam concretionem vergebat; cum quidquid alibi reſtabat ſanguinis, eſſet fluidum.

47. Si ab impoſito vulnere peritus Chirurgus ſtatim adeſſe potuiſſet, & vinculo quod torcular vocitant, femur ſupra vulnus adſtringere; tandiu ſaltem hominem ſervaſſet, ut liceret de artu amputando cogitare. Nam tranſverſa tum arteriæ, tum venæ magna ex parte inciſio rationes curandi alias inutiles reddidiſſet, quæ prudenter a Cel. Heiſtero (*c*) non ſolum propoſitæ, ſed & feliciter in uſum tractæ ſunt, cum fere ibidem arteria hæc, at ſecundum longitudinem, eſſet vulnerata. Neque ejuſmodi inciſio cum tanta ſanguinis fluiditate conjuncta, poterat vel miſeram illam ſpem præbere, ut grumoſus ſanguis, quemadmodum in ejuſcemodi caſu ex Sepulchreto (*d*) intelliges vidiſſe Bartholinum, vulnus ad aliquot dies obturaret. Cæterum quod ad vulnera vaſorum attinet, in utriſlibet artubus curationem aut nullam, aut non ſine amputatione admittentia, legeſis plures Obſervationes in libro *de Renunciatione Vulnerum Lethalium* (*e*) ab Joanne Bohnio productas: quem eximium ſane Virum a me ſæpe adeo in his Litteris eſſe laudatum, non miraberis, ubi vel exemplorum quæ propoſuit, numerum, vel de his perpetuum in Sepulchreto ſilentium animadverteris, vel demum noveris quid ejus memoriæ debeam, qui mihi, præter cætera, ſuis cum libris aliis, hunc ipſum quoque ſenex adoleſcenti benigne miſerit.

48. Ad violentas Artus Inferioris Compreſſiones caſus videtur attinere cujuſdam Adoleſcentuli, qui in Noſocomio deceſſit S. Mariæ de Morte, diſſectuſque eſt, cum ego Bononia forte tranſirem inter initia menſis Junii A. 1709.

49. ADOLESCENTI annos nato ad duodeviginti plauſtri rota ſuper imum fere ſiniſtrum calcaneum ducta, nullam aliam attuliſſe noxam videbatur, niſi quod communia avulſerat integumenta. Dum levis ad ſpeciem noxæ curatio feliciter procederet; ecce poſt dies aliquot collum, & dorſum rigida fiunt; ut quaſi tetani quodam genere correptus, artus quidem movere poſſet, collum autem, dorſumque non poſſet. Huc illud acceſſit, ut per intervalla vehementiſſimis totius corporis tremoribus concuteretur. Quibus omnibus ad viginti, & amplius dies ad hunc modum, ſana ſemper mente, perſiſtentibus, cum lumbricum teretem vomuiſſet, creſcente ſenſim ſtertore vivere deſiit. PES, ſub veſperam inſpectus diei ejuſdem quo erat mortuus, calcaneum ferme jam ſanatum oſtendit. Abdomine, quod turgidum erat, diducto, conſpecta eſt pauca aqua effuſa, inteſtina autem omnia, & ventriculus ſana quidem, ſed valde aere diſtenta. Intra Colon, propter Appendiculam Vermiformem, lumbricus teres mortuus. Thorax quoque in ſiniſtro cavo paucam habuit aquam effuſam, illius autem pulmonis poſteriorem partem duram, & ex ſubſtantia hepaticæ ſimili. Concretiones polypoſæ erant in vaſis Magnis, & cordis ventriculis, in quorum dextero ſanguis quoque cum aereis bullulis. Cranio reſecto, in Laterali Sinu dextero Craſſioris meningis ſanguis concretus, in altero fluidus conſpectus eſt, nec ſine bullis etiam majuſculis. Bullæ quoque plurimæ ſub Tenui meninge, præſertim ad ſiniſtrum cerebri anteriorem lobum. Aqua præterea ſub eadem; cujus aquæ ſapor nonnemini qui guſtare voluit, viſus eſſe nullus, aut certe vix leviſſime ſalſus. In ventriculis cerebri aqua non pauca. Nec pauca effluxit e vertebrarum tubo, præſertim cum lumbos, & os Sacrum attolli juſſiſſem. Laxum cerebellum, firmum cerebrum: & quæ per hujus ventriculos repebant vaſa ſanguifera, plexuſque Choroides minime albicabant.

50. Quod cenſuit Valleſius (*f*) ſuper illo Hippocratis Adoleſcente qui cucurrerat per viam aſperam, indeque *doluit calcaneum maxime inferna parte*, qua, & vicinia nigra facta, *dies* omnino *a curſu vixit viginti*, & quod item Augenius (*g*), cum de pluribus loqueretur, qui levi ex vulnere perierant, & nominatim de M. Sobrirantio *ex plaga in calcaneo admodum exigua inflicta, præter omnium ſpem decimaquarta mortuo*, nimirum ab levibus exterioribus ejuſmodi cauſis nihil, niſi occaſionem, a malo autem corporis apparatu, ſuccorumque malignitate gravia ſymptomata, ipſamque adeo mortem oriri; idem facile videbitur tibi in hoc caſu ſtatuendum: idque eo magis, quod lumbrici, & tam cita aerearum bullarum ex ſanguine, & humoribus evolutio accipi pro indiciis poſſunt pravæ horum diſpoſitionis, ſive, ut Majores loquebantur, putredinis. Equidem indicia ejuſmodi non contemno, ab Hippocrate ipſo (*h*) deducta, ubi *mori homines ab omnis generis vulneribus*, ſcripſit, & *nulla re gravibus*; tamen *neque hæc admirari oportere ...., illud expendendo, quod .... corpora hominum plurimum differunt*. Præterea nec illud Valerii ignorare me, noſti, qui tibi alias (*i*) commemoraverim: *ſine vitæ noſtræ variis & occultis cauſis expoſito, interdum immerentia ſupremi fati titulum occupare; cum magis in tempus mortis incidant, quam ipſa mortem* accer-

(*b*) Epiſt. 56. n. 14. (*c*) Diſſert. de Arter. Crural. Vulner. n. 6. & ſeqq. (*d*) Sect. hac 3. Obſ. 26. §. 8. (*e*) Sect. 1.
(*f*) Comment. in l. 5. Epidem. n. 47. (*g*) Tom. 1. l. 9. Epiſt. Medic. 2. vel potius 3.
(*h*) Prædict. l. 2. n. 19. & 20. apud Marinell. (*i*) Epiſt. 26. n. 14.

accerſant. Denique in his ipſis Litteris (*k*) cum de vulnuſculo ſcriberem Virginis illius Veronenſis quod gravia ſunt conſecuta ſymptomata, quantum iſtiuſmodi indiciis tribuam, videre potuiſti. Attamen ſiquis forte in hoc, illoque caſu tum naturam partis ſpectet quam externa læſit injuria, tum genus ſymptomatum perpendat quæ acceſſerunt, convulſiones videlicet, unde eſſe potuerunt pleraque omnia non modo quæ in illa Virgine, ſed etiam quæ in hoc Adoleſcente acciderunt; conſtrictis enim hic illic vaſis, & lymphæ, ac ſanguinis motu diutius retardato, tum ſyncope, tum aquæ effuſiones, tum pulmonis inflammatio facile fiunt; ſiquis, inquam, hæc ſpectans, malit ab extrinſecus accedente cauſa aliquanto plus quam horum occaſionem repetere; non pertinaciter refragabor. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LV.

Sermo eſt de Ulceribus, & Sphacelo.

SEctionis quæ ſic inſcribitur, & libro hoc IV. Sepulchreti Quarta eſt, cum initium ducatur ab Achoribus, & Tinea; non ſatis apparet, cur non eadem comprehendantur illæ quoque Obſervationes Lepræ, & Pſoræ, & Tineæ ipſius, quarum alias demum invenies principio Sectionis XI. unam autem prope finem Sectionis XII. (*a*). Cauſa autem certe non fuit, ne prolixior æquo foret Sectio hæc IV; ſiquidem & illæ quæ alio rejiciuntur, Obſervationes paucæ ſunt, & brevis hæc Sectio eſt, præſertim ſi Scholia demas, & de Obſervationibus tredecim quæ ſub numero X. proponuntur, decem alibi jam antea productas, ex iiſdem unam *(b)* bis poſitam hic fuiſſe, animadvertas. Quæ idcirco memorare volui, ne forte mireris, vix aliquas ſupereſſe nobis, nullam repetere volentibus, quas hac Epiſtola ſcribamus.

2. Ut enim ab Achoribus nos quoque, & a Scabie capiamus initium: ſi forte ſcire aves, quænam a Valſalva, aut a nobis reperta ſint in corporibus quæ his fuerant vitiis infecta; in Epiſtolis X. (*c*) XVI. (*d*) XXXVIII. (*e*) XLI. (*f*) in aliiſque facile invenies. Quæ relegens, velim animadvertas, iis ulcuſculis aut per ſe, aut per inunctiones quaſdam ſiccatis, Infantem ex convulſionibus, Virginem ex hydrope thoracis, & pericardii, Mulierem ex acuta febre, & tympanite, Juvenem ex urinæ ſuppreſſione periiſſe; mortis autem cauſam ex occluſione ulcuſculorum extitiſſe, quæ cum manantia, morbos arcerent, aut, quod in Infante, & Muliere manifeſtum erat, etiam tollerent; ſiccata, ſtimulantes quæ per ipſa antea ejiciebantur, particulas, noxiumque humorem in ſanguine cohibebant, effuſum mox in omnibus ferme aut inter meninges, aut in ventrem, aut in thoracem, quem ſubcœrulea aqua plenum in Virgine deprehendi. Incides etiam initio Epiſtolæ XVIII. (*g*) in Sutorem cujus erat corpus minuta ſcabie fœdum. Ibi autem fac tecum reputes, ſi quis hanc inunctione abigere forte voluiſſet, quanto magis, ſic cohibitis erodentibus corpuſculis, aucturus fuiſſet vitia laxati, extenuatique parietis ventriculi cordis ſiniſtri, & Magnæ, huic annexæ, luridæ intus, & inæqualis arteriæ: idque eo facilius credes, ſi quid ex repreſſo herpete Trombellio (*h*) acciderit, nunc veniet in mentem. Porro cum Obſervationibus illis Valſalvæ, & noſtris convenire videbis quæ initio IV. hujus Sepulchreti Sectionis proponuntur, altera (*i*) in bimulo Principe, cui cum achores prorſus evanuiſſent, cruenta aqua, pro illo corpuſculo non pauca, inventa ſub cranio eſt, altera (*k*) in fœmina quæ tinea lotionibus ſanata, cerebri hemiſphærium habuit putridum, & ichore citrino refertum. Ad quas, ſi velis, aliæ non deerunt quas addas, duæ præſertim, altera ex Schulzio (*l*), oſtendens, quot, & quantæ viſcerum labes exceperint gravem, humidam, diuturnam ſcabiem, remedio externo retropulſam, altera ex Lanzono *(m)*, quæ monſtrat vitia in cerebro, diaphragmate, jecinore inventa, cum acris tinea, & fœda ſcabies per inunctionem ſublatæ eſſent.

3. Sed vel ſine cadaverum diſſectione quotus quiſque Medicus eſt qui ex retropulſa ſcabie, aut achoribus interna, externave mala ſæpe extitiſſe, non viderit? Meminiſti, Valſalvam (*n*) pro tumore conſultum eſſe, qui ſeu vera ad genu exoſtoſis eſſet, ſive eam mentiretur, illi certe de qua loquimur, cauſæ ſucceſſerat. Ab eademque cauſa quos externos, internoſve morbos Gerbezius (*o*) viderit, in hiſque malignas febres, quas, nec ſemel, Lanzonus (*p*), & lethales quidem, adnotavit, itemque ut aſthma obſervaverit Dethardingius (*q*), Cummius (*r*) autem, ab ipſo indicatus, apoplexiam, eorum inſpectis Obſervationibus cognoſces. Quamplurimas addere facillimum eſſet, ſi aut opus foret, aut non eſſem alias infra (*ſ*) commemoraturus. Quamobrem cum ipſe quoque meas hic producere non paucas poſſem; duas, haud amplius, proferam, ambas uno menſe Februario A. 1710. in Viris duobus, meis Generoſis Civibus, habitas. Alteri manantia capitis ulcuſcula, eorum prorſus ſimilia quæ achores in infantibus vocamus, a frigidi nocturni aeris injuriis ſiccata erant, cum octo vix diebus exactis, maligna febri correptus eſt, vomitionibus, & denique ſingultu ſtipata, in qua etſi pulſus valde infirmi erant, & præter ea quæ dixi, prava alia non deerant ſymptomata, ipſe tamen bene ſemper ſibi habere videbatur: ex eaque, fruſtra ſeniore ejus Medico, & me quoque diebus noviſſimis accerſito, quæ opportuna viderentur, præſtantibus, nono morbi interiit die. Alter perſimili, ſi cutis eroſionem, & cruſtas ſpectares, affectione laborans, quæ brachia primum, mox crura quoque, denique & partes nonnullas alias cruciabat, cum de conſilio neſcio cujus induſio uſus eſſet, ſuffitione ſulphuris medicato, cutis quidem morbum omnem propemodum abegerat, ſimul vero rheumaticis univerſi corporis doloribus prehenſus fuerat cum febre conjunctis, qui non modo noctu quieſcere, ſed & interdiu ſe de latere in latus convertere prohibebant, quin vel linguam ipſam, & gulam afficere incipiebant. Occurſum eſt a nobis cito, & diligenter. Sed tamen, niſi natura adjuviſſet, retropulſam materiam partim ad cutem, partim ad inteſtina quo per ſe vergebat, expellendo, neque intra menſem ſolutos dolores, neque intra ver proximum perſanatam cutem facile vidiſſemus, neque ægrum deinde ſoſpitem ad extremam uſque ſenectutem provectum. Verum nemini Medicorum, ut dixi, ejuſmodi caſus non occurrerint ex illo uſque tempore quo primus omnium Hippocrates (*t*) Athenienſem illum memoravit, qui prurigine toto corpore vehementiſſime cruciatus, eaque cutis craſſitudine, & aſpectu, ut lepram referret, cum balneis calidis quæ in Melo ſunt, uſus eſſet, *a pruritu quidem, & cutis craſſitudine liberatus eſt, verum hydropicus factus, mortuus eſt*. Earum autem balnearum aquas fuiſſe ſulphureas, Martianus (*u*) cenſebat, & certe Plinius (*x*) ſulphur *nobiliſſimum in Melo inſula*, Dioſcorides (*y*) autem *plurimum gigni* tradiderunt.

4. Hæc, atque ea præſertim quæ de morbis commemora-

(*k*) n. 45. (*a*) in Additam. Obſ. 6. (*b*) §. 6. & 8. (*c*) n. 9. (*d*) n. 34. (*e*) n 22. (*f*) n. 4.
(*g*) n. 2. (*h*) Epiſt. 26. n. 39. (*i*) Obſ. 1. §. 1. (*k*) Ibid. §. 2. (*l*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 231.
(*m*) Eph. eorund. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 113. (*n*) Epiſt. 50. n. 13. (*o*) Eph. cit. Dec. 3. A. 2. Obſ. 167.
(*p*) Ejuſd. Dec. A. 9. & 10. Obſ. cit. 113. & Obſ. 16. (*q*) Append. ad Dec. 3. A. 5. & 6. n. 8. in Obſ. Parallel. ad Obſ. 58.
(*r*) Dec. 1. A. 1. Obſ. 58. (*ſ*) n. 7. (*t*) Epid. l. 5. n. 4. apud Marinell. (*u*) Annot. ad hunc Hippocr. locum.
(*x*) Nat. Hiſt. l. 35. c. 15. (*y*) De Medic. Mat. l. 5. c. 83.

motavi ſcabiem conſecutis inunctionibus abactam, eo te facile adducent, ut ex me quæras, quid igitur ſentiam de minutiſſimis animalculis, quæ ætate noſtra cum animadvertiſſent perinduſtrii Viri, & unicam ſcabiei cauſam eſſe, docuiſſent, docuerunt quoque, prætermiſſa interna curatione, quocunque anni tempore, ſulphureis, aliiſve quæ ipſa interimerent, exterius adhibitis eſſe exterminanda; ſic enim ſublata cauſa, cito, & tuto ſcabiem evaneſcere, nullo incommodo, nedum morbo, inſequente. Ego vero; ut ingenue, quemadmodum ſolitus ſum, tecum loquar; primum admonebo, ne eruditis Viris plus tribuas, quam ſibi ſumunt. Nam quod ad inventum attinet, nihil facilius eſt, quam oſtendere, animalcula illa vel multo antiquioribus, quam ipſi agnoſcunt, fuiſſe jam nota. Non iis Scriptoribus dico quos ab nonnemine objectos eſſe video ex Daniele Sennerto (z), ubi de Vermibus Dorſi verba facit, & multo minus iis qui Venam, ut vocant, Medinenſem olim memorarunt, poſt Velſchium (a) a Wepfero quoque confirmatam, ut ex ſuperiore III. Sepulchreti Sectione (b) intellexeris. Sed iis dico qui longe minora, & certe breviora animalcula, ejuſmodi verbis memmoravere quibus Abinzoar apud Joannem Langium (c). *Sunt enim Syrones*, inquit Abinzoar, *pedecelli, Arabibus aſſoabat dicti, qui ſubter cutem & ad manus, & crura ſerpunt: puſtulas quoque aqua plenas ſub cute, ubi deliteſcunt, excitant: qua diſſecta, prorepunt animalcula tam parva, ut vix viſu, quamvis perſpicaci, ægre deprehendi poſſint*. Formam quoque ipſorum aliis antea fuiſſe microſcopii auxilio non incognitam, cum Borelli Obſervationes indicant a Velſchio (d) commemoratæ, ſecundum quas Sirones *teſtudinum effigies repræſentarunt*, tum præſertim Ettmülleri illa confirmat Sironum Obſervatio quæ Lipſiæ I. Actor. Erudit. Volumine (e) propoſita, præterquam alios nominat qui prius viderint, animalcula ipſa ſic deſcripta exhibet, & delineata, ut deſcriptio, & pictura perfectiores quidem paucis poſt annis reddi potuerint, ſed tanquam novæ prorſus in medium proferri non potuerint. Potuerunt quoque præclaris explicationibus plura illuſtrari quæ ad ſcabiei originem, multiplicationem, facilemque tum per contactum communicationem, tum per certa, exterius adhibita, remedia curationem, ad aliaque attinent de hoc genere. Sed dum curatio iſta exterior, interiore omiſſa, commendatur, videtur his doctis Viris idem accidiſſe quod Helmontio (f) illam pariter laudanti, hanc improbanti. Helmontius enim etſi præter ſcabiem ab attactu, eam quoque agnoſceret quæ ſponte oriretur (g); tamen utriuſque ut eandem indolem, ſic idem ſemen, ſive fermentum in cute dumtaxat ſtatuebat. In qua una tanto magis hi hærere morbum omnem, conſtituunt, quod in illa una iſta nidulantur animalcula, quæ ſi nulla in mundo eſſent, nullam quoque ſcabiem fore, aſſeverant, ut quæ nunquam corripiat quenquam, niſi aliunde nactum iſta animalcula. Igitur ex iſtiuſmodi dogmatibus quid utrorumque Auctoribus partim veri, & utilis, partim minus veri, minuſque tuti in curatione docere contigerit, videamus.

5. Medicus prudentiſſimus, idemque doctiſſimns Ballonius (h) cum ſuper cutis affectionibus in dogmata quorundam incidiſſet cum illis conſentientia de quibus modo dicebamus; ratione, experientia, & Hippocratis doctrina fretus, tria cutis affectionum genera caute inter ſe ita diſtinguenda eſſe, cenſuit, ut aliæ ſint tamquam cutis ipſius morbi, aliæ tanquam interiorum partium abſceſſus, aliæ tanquam inter utraſque ambigentes. Neque ſigna per quæ ſingulas internoſcamus, prætermiſit: neque dubitavit, ubi cutis tantummodo morbi ſint, *tunc in externum illud vitium incumbere oportere, non laceſſitis per medicamenta purgantia partibus inteſtinis*. Quin huc facile pertinere, indicavit, *latas* illas Simonis *puſtulas*, quem Hippocrates (i), *ubi ad ignem inungeretur, aut calida lavaretur, opem ſenſiſſe*, ſcripſit; *vomitum* autem *non profuiſſe*. In primis vero ad propoſitum facit quod ad verba illa Ballonii adnotatum leges (k): *Dum quis cum ſcabioſo concumbit, & cutis inficitur, malum hoc vere cutaceum eſt, & ſuperficiaria curatio eſſe debet*. Vides igitur, quid veri, & utilis ſit in una illa externa curatione, interna prorſus omiſſa, cum ſanus aliquis a ſcabioſi, aut linteorum ejus, veſtiumve attactu ſcabiem paulo ante contraxit. Sed vides ſimul, quid minus veri, minuſque tuti iſta eadem haberet curandi doctrina, ſi ſcabies non cutis unius morbus eſſet, ſed aut abſceſſus, aut abſceſſus ſimul, & cutis morbus. Neque enim facile aſſentiendum eſt, cum ſcabies nunquam, niſi a ſcabioſi contactu, ab ejuſve animalculis naſci dicitur. Num ab illuvie? num a pravis cibis, potionibuſve nunquam naſcitur? Certe aliter pleriſque videtur Medicis, & in his Sennerto, quem Epiſtola in Samonicum II. laudavi, ipſique Samonico (l), ſi quod ibi oſtendere, & explicare ſtudui, revera ſcripſit,

Illotus ſudor, vel copia inutilis eſcæ
Sæpe gravi ſcabie correptos aſperat artus.

Num a morbis non oritur quibuſdam gravibus, diuturniſve, criſis inſtar? Num; ut cæteras omittam cauſas; ab lanarum contrectatione morbidarum ovium? Sane quod Venetiæ olim, aut proximæ huic regioni acciderat, de ejuſmodi velleribus loquens, narrabat Virgilius (m),

.... *inviſos ſi quis tentarat amictus;*
Ardentes papulæ, atque immundus olentia ſudor
Membra ſequebatur.

Sed non fuit illa proprie ſcabies. Fateor. Cutanea tamen erat infectio. Quo autem modo illa graviſſima communicabatur; cur non & levior poſſit? Quin Cl. Werlhofius (n), variis Obſervationibus adductus, ſe libenter crediturum, ſcribit, *ſcabiem humanam veram ex lana ovium, quibus parum abſimile malum per paſturæ vitia ubivis frequentiſſimum eſt, primario ſubnaſci*; cum enim laneis indumentis fere omnes, & diu utamur, *forſan vix pauca eſſe quibus non ab impurioribus ovibus, aut imperfecte ſanatis aliquid immiſtum ſit*: & *fortaſſis opifices lanificiis occupatos ideo maxime his malis laborare*. Ettmüllerus autem filius Programma ediderat Lipſiæ A. 1731. *de ſcabie ejuſque ortu ab impura lana* (o), quo eadem ſcripſiſſe, opinor, quæ anno eodem ſuper eodem argumento edenda miſit ad Cæſaream Nat. Curioſ. Academiam (p), puſtuloſam cujuſdam puellæ ſcabiem ab lana repetens, qua pro ſtragulis ſe noctu obtegebat, cujus lanæ pars eſſet ſcabioſis ovibus tonſa. Ibidem Coſchwizium laudat, qui ob laneorum pannorum tractationem ſartores præ aliis hoc morbo inquinari, dixerat. Neque Æliani verba reticet, *quod qui lanam ovis a lupis dilaniatæ pexerit, atque ex ea veſtem confecerit, ſcabiem provocaturus ſit ei qui illa veſtietur*, an quia ejuſmodi ovis ob graviorem ſcabiem infirmior, aut cæteras ſequi impotens, aut a cæteris, ne has quoque inficiat, abacta, ſic in lupos facile incidat? Nec quia in hac Civitate, in qua tot homines lanificio operam dant, rarius aliquis, vel ex iis ipſis, occurrat ſcabioſus; ideo Cl. Virorum conjecturæ ſpernendæ ſunt. Alia enim aliis in regionibus pabula ſunt, aliæ aquæ, & aliæ fortaſſe in ſeligendis, purgandiſque lanis rationes: & nunc certe in Venetia ſiqua gravior ovium cutem prehendit infectio, non modo earum lanæ rejiciuntur; ſed nequis facere fraudem poſſet, ipſarum cadavera ſuis cum lanis *humo tegere*, ut Virgilius (q) ait, *ac foveis abſcondere*, conſilium fuit quod Supremo Venetiarum Magiſtratui, præfecto publicæ ſaluti, obtulimus, cum ſuper hac re hujus Eximii Medicorum Collegii nomine A. 1724. reſponderemus.

6. Sed quid, inquis, ſi ovium ſcabies ipſa quoque ab animalculis eſſet quæ per lanas in homines traducerentur? Nolo quærere, num poſt tot lanarum expurgationes, quæ ab earum infectoribus etiam adduntur, vivere illa poſſint, cum certe pereant humana in ſcabioſorum linteis per lotrices expurgatis. Malo te viciſſim rogare, ut ad ea reſpondeas quæ ex Hoffmanni

ni

(z) Medic. Pract. l. 2. P. 2. c. 24. (a) Exercit. de Vena Medin. (b) ad Obſ. 26. Schol. n. V. (c) l. 2. Epiſt. Medic. 42. (d) Exercit. cit. c. 7. (e) A. 1682. M. Septembr. (f) Tract. 45. inſcripto Scabies & cæt. (g) Ibid. n. 11. (h) Epid. & Ephem. l. 1. Conſtit. Hyem. A. 1574. (i) Epid. l. 6. S. 2. (k) n. 10. (l) De Medic. Præcept. c. 6. (m) Georg. l. 3. in fin. (n) Diſquiſ. de Variol. c. 4. adnot. 54. in fin. (o) apud Haller. in Acceſſ. ad P. 9. Meth. Stud. Med. Boerh; imo nunc ab eod. exhibit. inter Diſput. ad Morbor. Hiſt. ſub n. CXCIII. (p) Act. Tom. 3. Obſ. 50. (q) loc. cit.

ni (*r*); & Junckeri (*ſ*) certis quibuſdam Obſervationibus conſequuntur. Scribit ille, ortam eſſe ſcabiem ex intempeſtivo acidularum aquarum uſu. Docet alter, *ſuccum betulæ majore quantitate hauſtum*, itemque *thermas Wolckenſteinenſes*, haſque *corporibus in primis floridis, ſcabiem inducere ſolere*. Nunc quæro ex te, puteſne, in his thermis provenire, aut in eo ſucco, illiſque acidulis ineſſe iſta de quibus loquimur, animalcula quæ cuti adhæreant, aut quæ ex interioribus corporis cutem petant? Rurſus ille prior (*t*), *ſciendum eſt*, inquit, *ſemper facilioris eſſe ſanationis ſcabiem per contagium communicatam, quam illam, quæ ex indigena ſanguinis, & humorum dyſcraſia*, id eſt ſine ulla contagii ſuſpicione, *originem ſumſit*. Probat quoque (*u*) Lanzoni (*x*), Amici, dum viveret, noſtri, Obſervationem ſcabiei, primis novæ Lunæ tribus aut quatuor diebus ſic in milite creſcentis, ut eos dies in lecto traducere cogeretur ſingulis quoad ſcabie laboravit, menſibus; laboravit autem menſes ſeptemdecim. Cui Obſervationi ex parte non abſimiles afferre complures poſſem, a me olim adnotatas, iiſque addere tum quod in ſcabioſis non ſemel vidi, ut vigente febre, pruritus ceſſaret; declinante autem, rediret, tum quod Sacræ Virgini accidiſſe, certo ſcio, ut quotieſcumque ſanguis mitteretur; mittere autem non ſemel neceſſe fuit; ſcabies, quæ jam levior facta erat, mirum in modum ſemper creſceret. Hæc igitur omnia, atque alia, quæ ſciens prætermitto, phænomena quæro ex te, ut candide mihi dicas, faciliuſne tibi explicari poſſe videantur, ſi ſcabiem ponas ab animalculis, quam ſi a ſanguine originem ducere. Illud denique ſcire velim, ſicui exterior cauſa aliqua moleſtiorem cutis pruritum inducat, ut puta culicum, aliarumve ejuſmodi beſtiolarum injuriæ, is autem prurituí indulgens, cutem uſque & uſque ſcalpat ſic ut in ſcabiei ſimilitudinem ulcuſcula naſcantur; ſcire, inquam, velim, cur eidem, aut aliis nequeat ex interiore cauſa is pruritus fieri qui ad ſcalpendum adigat, & ad cutem unguibus non ſecus atque cum ab animalculis iis vellicatur, lacerandam?

7. Verum ne forte credas, me plus quam verum, & æquum ferat, iſtis animalculis adverſari; primum fatebor, non modo ſæpius ab illis ſcabiei originem eſſe agnoſcendam, ſed & ubi minus illa eſſe, crederes, nonnunquam revera exiſtere adeo facile ob ſuam exiguitatem latere poſſunt, cum ab uno in aliud corpus transferuntur! Sic memini, cum in Patria medicinam facerem illuſtri Matronæ, eaque ab longo, vario, & perdifficili morbo tandem convaleſceret, ad alias quæ præceſſerant, criſes accedere ſcabiem viſam eſſe, quæ repente orta, cito cutem propemodum univerſam occupavit, ſed palmas præſertim, ut præ moleſtiſſimo pruritu dormire non poſſet. Cum veſiculas in iis cernerem minutas aquæ plenas, cujuſmodi eæ ſolent eſſe in quibus iſta animalcula nidulantur, ancillas juſſi earum unam aut alteram acicula aperire in præclara luce, & ſiquid globoſi, expreſſa aqua, educere poſſent, mihi oſtendere, exquiſitis, quæ forte in promptu erant, vitris inſtructo oculo, examinaturo. Quid quæris? Oblatum examinare diutius non opus fuit. Vivens erat animalculum, ea ipſa forma quam Recentiores delineaverant. Tum aliud, atque aliud ademere, viventia omnia, & forma eadem. Cum mulierum quæ dominæ inſervierant, nulla prorſus eſſet ſcabie affecta; Medicus qui ante Redium, & Malpighium vixiſſet, e putredine orta eſſe illa animalcula, non dubitaſſet: contra autem mihi minime dubium fuit, quin ancillarum aliqua alicunde aliquod, veſtibus adhærens, inſcia domum, ad heramque attuliſſet, idque alia, & hæc cætera, ut fœcundiſſima ſunt, brevi tempore peperiſſent. Neque hoc tantummodo fateor. Sed ſi forte velis, quod huic Matronæ accidit, idem omnibus qui ſcabie corripiuntur, accidere, unamque hanc ſemper, cum ſcabies oritur, cauſam eſſe; equidem ipſe non facile credam, a te autem tantiſper credi, ſinam, dum nihilominus oſtendam, minime tutum eſſe, vel ſic ortam ſcabiem, niſi forte in corpore, ut ſupra dictum eſt, ſano antea, & nuperrime per contagium infecto, neglecta interna curatione, externa tantummodo ſanare. Quid enim, obſecro, eſt ſcabies, undecunque tandem orta ſit, quam ulcuſcula, quæ ſi in unum juncta eſſent, perſæpe ulcus longe ampliſſimum æquarent? Quis autem Medicus ulcus, non dico ampliſſimum, ſed modicum, per ſe natum, aut etiam cauterio, aliave exteriore cauſa inductum, ſi diutius apertum manſerit, non curato prius corpore, occludat? Quid ita? nempe quia per illa emiſſaria corpus, ſi quid pravi, aut certe redundantis habebat humoris, jam diu ejicere conſueverat. Cur vero non idem in ſcabiei non recentis ulcuſculis ſine mora occludendis attendamus? quæ univerſa cum ulceri ampliſſimo reſpondeant, tanto minus ſine prævia interna curatione perſanare tutum eſt, quanto plus humoris pravi ſolebant extra corpus amandare, ejuſdemque, in ipſis ulcuſculis tum mora, tum ab externo aere vel magis depravati, intra corpus remittere. Scite enim, ut ſolet, Eximius Archiater Senacius (*y*), quod pus ab ulceribus exterioribus in ſanguinem refluens, non modo pariter, ſed violentius aliquando vitæ organis noceat, quam refluens ab ulceribus interioribus, inde eſſe, docet, quod non huic, ſed illi cum aere commercium fuerit. Nunquam tamen vitæ organis vehementius nocuiſſe crediderim, quam cum ſcabioſi pueri internam pericardii faciem, externam vero cordis, & ferme omnium quæ pericardio concluduntur, ſcabioſam effecere; revera, inquam, ſcabioſam; nam diligens rariſſimæ Obſervationis Auctor Buddeus (*z*) oculis cum inermibus, tum inſuper vitro inſtructis, ejuſdemmodi prorſus eſſe quæ ibi, & quæ in cute erant, puſtulas, ſuo & omnium qui aderant, judicio comperit. Et tamen corporis ambitus erat totus ſcabie coopertus: quid, ſi fuiſſet retropulſa? Vides igitur, quanti interſit non retropellere: nec vana dicere qui negant, ſcabiem ſemper eſſe unius dumtaxat cutis morbum, & quod conſequitur, huic uni adhibenda eſſe remedia, neglecta reliqui corporis curatione: quæ non modo ſi negligatur, ſed ſi ita inſtituatur, ut naturæ motus ad cutem vergentis perturbetur; nonnunquam mors, alias alia ingruant mala. Legeſis in VI. Act. Nat. Cur. Volumine totam, quæ Cl. Carlii eſt, XVI. Obſervationem. Hæc autem a me dici, putato, ut intelligas, quanta prudentia in Medicis requiratur, ſcabioſi corporis evidentia alia vitia ſive primarum viarum, ſive obſtructorum viſcerum, ſive humorum copia, aliterve peccantium recte, atque ordine curaturis. Quæ inter poſtrema vitia, illius obliviſci nunquam oportet, quod, donec ſubſiſtit, ſcabie, quaſi chronica quadam criſi, indiget. Exempla dabit laudata Carlii Obſervatio (*a*) tum in viro qui cum a nucha ſcabioſam, ſæpe recurrentem, efflorеſcentiam linimento quodam abegiſſet, in epilepticas convulſiones incidit; has autem illa revertens efflorеſcentia ſuſtulit, tum in viro altero, & quadam fœmina quibus ejuſdemmodi efflorеſcentia, a longo jam tempore manum fœdans, cum exſiccabatur, imminentem febrim prænunciabat; febris vero finem, cum redibat. Et tamen parvam occupabat corporis partem, neque in his duobus ab remedio externo repulſa fuerat. Quid ergo? ubi ſcabies univerſum tenet corporis ambitum, & non modo per ſe evaneſcit, ut in viro ex quo natus erat, ſemper ſcabioſo, de quo Lanzonus (*b*); ſed unguine ſulphurato, aut alio ejuſcemodi abacta, ut in illo de quo Apinus (*c*), in iiſque juvenibus de quibus ſcripſit Jo. Sebaſt. Albrechtus (*d*)? mirandumne erit, ſi cito maligna febris, aut gravia alia mala, aſthma præſertim, acceſſerint, quæ non niſi ſcabie aut per ſe iterum, aut remediorum auxilio reverſa, vincantur? Sic cauſam morbi ipſa indicat ſanatio, facti videlicet a prava illa materia, quæ ut intus retenta nocet, ita rurſus egreſſa liberat. Pertinent huc Ramazzini noſtri (*e*) in multis habitæ Obſervationes, qui ſcabie inunctionibus retropulſa, poſtmodum febre correpti, illico uri-

(*r*) Medic. Rat. T. 4. P. 5. c. 5. Obſ. 3. (*ſ*) Conſp. Medic. Theor. Pract. Tab. 90. in Cautel. n. 19.
(*t*) c. cit. Theſ. Pathol. §. 24. (*u*) Ibid. §. 21. (*x*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. Obſ. 205.
(*y*) Traité du Coeur l. 4. ch. 3. n. 6. (*z*) Commerc. Litterar. A. 1745. Hebd. 42. n. 1. (*a*) in fine.
(*b*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. Obſ. 31. (*c*) Dec. ead. A. 5. & 6. Obſ. 117. (*d*) Commerc. Litter. A. 1742. Hebd. 5. n. 1. M. Mart. & A. 1743. Hebd. 14. n. 1. M. Febr. (*e*) Conſtit. Epid. Urb. A. 1691. n. 32.

urinas nigras & fuliginoſas reddebant, iidemque, cum ſcabies remediorum ope ad cutem pellentium rediiſſet, urinas ſanorum ſimiles excernebant; iterum autem retrocedente ſcabie, aut denuo erumpente, hanc reciprocam in urinis mutationem oſtendebant. Quo magis Medicus ille cautiſſimus quæ ſupra attuli, Hippocratis exempla, & Ballonii conſilia diſerte ſecutus, ſcabiem non omni tempore unius cutis morbum eſſe, intelligebat, ideoque *ſolis topicis* illam ſemper, & ſine diſcrimine *abigere*, *opus periculoſæ plenum aleæ merito* cenſebat (*f*). Ramazzino Medicum alterum adde experientiſſimum, Hoffmannum (*g*), *remedia* hujuſcemodi morbi *externa in poſtremis collocantem*, prius autem *ſanguinis & humorum maſſam viſcidam, acrem, corruptam debitis internis corrigentem*. Scilicet miſſum in ejuſmodi morbis ſanguinem *tam viſcidum*, *& in coagulum quaſi denſatum* deprehendere conſueverat, ut *vix poſſet ſeparari*.

8. At enim, inquis, neque retropulſa ſcabie ſemper nigrum lotium, neque in ſcabioſis omnibus iſtiuſmodi ſanguinem videmus, meaſque mihi objicis, alias (*h*) ad te ſcriptas, Obſervationes: quaſi vero optimum ipſe in ſcabioſis ſanguinem obſervaſſem, neque aliter in aliis peccantem, aut quaſi in variis, ut varia eſt ſcabies, variæ eſſe non poſſent ſanguinis noxæ, variive noxarum gradus, aut, quod potiſſimum attendas, velim, quaſi aliud tibi oſtendendum ſuſcepiſſem, quam minime tutum eſſe neglecta interna curatione, ſcabiem non recentem externa dumtaxat abigere. Certe autem cum in pluribus ſcabioſis, ſicuti aliorum, meique ipſius Obſervationes teſtantur, non omne vitium in cute ſit; quomodo tutum eſſe poſſit in omnibus promiſcue cutem ſanare, interiora negligere? quorum expurgatio ſi non in omnibus, at in iis ſaltem quorum naturalia emiſſaria non æque patent, per exulceratam cutem ex parte fiebat, aut fieri certe poterat. Quid dici ad hæc poteſt? Illud, opinor, non deeſſe Medicos qui contra teſtentur, quod nos tutum eſſe, negamus, id ſibi promiſcue in ſcabioſo quolibet, feliciter ſemper, & ſine ullo quod inſecutum ſit, detrimento ſucceſſiſſe. Verum ut nos eorum Obſervationes in dubium non vocamus: ita æquum eſſe, credimus, ut ipſi noſtras, & tot aliorum Medicorum, quas ſupra (*i*) indicavimus, in dubium ne vocent. Ad quas addes Hoffmanni (*k*) alias, & aliorum qui ab ipſo laudantur (*l*). Quibus, & aliis quas ſciens omitto, quot, & quam gravia mala ſic abactam ſcabiem ſecuta ſint, manifeſtum ſit, & quod conſequitur, de ea curatione quam alias alium habuiſſe exitum, conſtat, quid tutiſſimum ſit conſtituere.

9. Quoniam autem adverſus ſcabiem ſulphur inter cætera in uſu eſt; de eo peculiariter nonnulla addemus. Exterius quidem in unguentis, lotionibus, & induſiis etiam adhibetur, ſive ejus ſuffitione, ut ſupra (*m*) commemoravi, ſive potius decoctione ita ut poſtea ad ſolem, aut ignem exſiccentur, medicatis, quem, ut faciliorem, & multo elegantiorem, modum laudat Williſius (*n*); quanquam an *ſine malo odore*, ut ait, prorſus ſit, dubito. Interius autem aliter a Medicis, alter a vulgo in uſum trahitur. Et de uſu quidem externo alias probando, alias improbando ſatis hactenus dictum eſt. Nunc accipe, quomodo vulgus in hac quidem Civitate interius adverſus ſcabiem ſulphure utatur, & quæ inde nonnunquam accidant moleſtiæ, & noxæ. Sulphur, in pulverem comminutum, in vinum conjiciunt non rubrum, ſimulque cum vino potant. Adoleſcentulam autem ego novi, quæ cum ſumpſiſſet, mox tantam capitis turbationem ſenſit, ut ſibi tunc quaſi ſtulta facta eſſe videretur, ventriculi, opinor, irritatione ad cerebrum continuo propagata haud aliter ac opii vim Boerhaavius (*o*) non dubitabat agere dum in ventriculo etiam tum eſt, neque egere longa illa per chyliferos ductus via; nam canem qui ex devorato opio jam fere convellebatur, cum incidiſſet, opium adhuc in ventriculo invenerat. Utcunque id eſt; ſulphur in ventriculum ipſum agere, ſi non ex utraque, continuo huc adſcribenda, Obſervatione, at certe ex altera cognoſces, aut ſuſpicaberis.

10. MULIER annos nata ad quadraginta, vino, & *tabacco* magis dedita, quam mulierem deceret, & diu quidem bajulo nupta, robuſto viro, ſed quæ pepererat nunquam, cum ad ſcabiem quam contraxerat, abigendam ſulphur in vino non ſemel bibiſſet, noviſſime autem majori copia; mox cœpit male habere, nec ſemel vomuit, citoque Noſocomium adiit jam febricitans, pulſu duro, & contracto, & de magna querens reſpirationis anguſtia. Quamobrem datum oleum ex dulcibus amygdalis recens expreſſum, & ſanguis eſt miſſus. Poſtridie cum vel major eſſet anguſtia reſpirationis, miſſus eſt iterum: fuitque, ut heſternus, firmo denſoque craſſamento, nulla tamen cruſta obducto. Lactis quoque, audita morbi cauſa, cyathi dati ſunt duo. Sed creſcente illa ſpirandi difficultate, & manifeſtis urgentibus artuum convulſionibus, languidiore facto pulſu, mortua eſt ita ut totus intra quatriduum circiter inchoatus, & finitus ſit morbus. CADAVERIS ſectio, non ut mortis cauſam tantummodo inquirerem, ſed ut Anatomes ſtudioſos etiam erudirem; erat enim extremus ferme November A. 1744; ibidem trigeſima a morte hora inſtituta eſt. Bono habitu erat corpus; ſed cutis hic illic minuta ſcabie fœda. Abdomen autem tumidum; neque id a nimia pinguedine; hæc enim ut conditione erat optima, ſic & copia erat juſta; neque item ab aquæ multitudine in ventris cavum effuſæ: quæ etſi non pauciſſima erat; extra pelvim tamen non apparebat. Verum & ventriculus, & Tenuia inteſtina, & Colon ad magnos tractus; alibi enim aut naturalem latitudinem ſervabat, aut, quod ſiniſterius prope ventriculum animadvertimus, contractum plurimum erat; diſtenta ipſa aere, abdomen diſtenderant. Omentum nulla inteſtina tegebat, quippe ſurſum rejectum, an retractum; ipſum enim, & ſuperior illa meſocoli pars quæ tranſverſum Coli tractum ſuſtentat, rigida erant, & rubentibus maculis hic illic, a tergo præſertim, diſtincta. In exteriore ventriculi facie vaſa ſanguifera paulo erant turgidiora. Facies autem interior qua fundus jam propius ad pylori Antrum accedebat, aream oſtendit circuli forma, cujus diameter digitorum erat circiter quatuor tranſverſorum. Eam aream ab reliqua ventriculi ſuperficie hæc diſtinguebant quod minus lævis erat, minuſque nitida, magis autem albida, & vaſculis ſanguiferis, quaſi ab injectione nigricantibus, prædita, cum alibi lævor, nitor, minus albus color ubique conſpicerentur, vaſcula autem fere nulla, nedum non ſic expreſſa aut nigricantia; ut evidens eſſet omnibus, quantum area illa tota patebat, tantum de intima lamella ventriculi fuiſſe eroſum. Nec præter hoc, ne in proximo quidem œſophago, aut inteſtinis, quidquam animadvertere potui quod eroſionem, aut inflammationem ſignificaret. Erat hic ventriculus ut æquo amplior, ita ſine rugis ullis, parietibus autem valde tenuibus: & annuli pylori vix indicium aliquod retinebat. Quorum hoc, ſi non a primordiis, & ab alia aliqua antiquiore læſione fuerit; cætera illa crebris, ut in bibaci muliere, diſtentionibus, & nuperæ etiam ab incluſo aere debebantur. Quæ in ventre adnotavi reliqua, huc redeunt. Jecinoris veſicula ſubſidens paucam continebat bilem. Renes laxi erant. Arteria Magna anguſtior. Tum muliebria, ut in fœmina infœcunda, diligentius inſpexi atque incidi. Teſtes erant vel magis quam ea ſoleant ætate, parvi & ſtrigoſi. Ex ſiniſtro hydatis, acini uvæ mediocris magnitudine, tota exſtabat. Uterus dextrorſum inclinatus, & fundo potius parvo: quo magis adnotatione digna erat cervicis, ad imum præſertim, major quam convenit, craſſitudo, & coronæ ipſius qua cingitur uteri oſculum, parvum hic, ut in virginibus, & circuli forma. Ex hoc ſtillabat humor colore lacti ſimilis, neque eo fluidior, nec fœtens, copia non prorſus exigua; ut mulier fluore uteri laboraſſe videretur. Cujus ſcaturiginem fuiſſe altiorem ima cervice, hujus

(*f*) Ibid. n. 28. (*g*) c. 5. ſupra ad n. 6. cit. in meth. med. §. 15. & in theſ. patholog. §. 19. (*h*) Epiſt. 49. n. 25.
(*i*) n. 2. 3. 7. (*k*) §. 15. ſupra ad n. 7. cit. (*l*) in theſ. pathol. ibid. cit. §. 18. (*m*) n. 3. (*n*) Pharmac. Rat. S. 3. c. 6.
(*o*) Prælect. ad Inſtit. §. 857.

jus diſſectio indicavit. Ibi enim cervicis veſiculæ mucum fortaſſe liquidiorem, nec tamen lacteum, continebant. Superius nullæ vel diſſecanti apparebant. Circa medium longitudinis cervicis, duobus locis alte intra parietum craſſitudinem conditam, diſſecando, inveni cellulam inanem, ſubrotundam, parvi phaſeoli capacem, ſine ullis aut ibi, aut alibi eroſionis indiciis.

Thorace adaperto, id quod ex lumborum vertebris præſenſeram leviter ſiniſtrorſum ſe flectere incipientibus, manifeſtius cognovi, gibbam fuiſſe mulierem; thoracis enim vertebræ multo magis ſe flectebant dextrorſum. Quod ſi contra res ſe habuiſſet, aut ſi uterus, quem dextrorſum inclinatum fuiſſe, dixi, fuiſſet, ut lumborum vertebræ, inclinatus ſiniſtrorſum; hanc ad eas fœminas adjicerem, quas, de uteri inclinatione ſcribens, tibi alias (*p*) commemoravi. Sed leviſſima hic erat imæ Spinæ inclinatio, nec quam Innominata oſſa, ut in illis, facile ſequerentur. Cæterum non ut in ventre, ſic in thorace, aut pericardio effuſam aquam offendi. Pulmones anterius, & ad latera cum pleura arctiſſime connexi erant: tumidi præterea, ſiniſter præſertim, ſed ab aere dumtaxat, & admiſto humore, nuſquam duri, nec magis quam æquum eſſet, rubentes. Cordis ventriculi concretum ſanguinem habuerunt, eundemque atrum, qualis & alibi fuit. Cranio ſecto, quæ intra ipſum erant, omnia laxiora viſa ſunt, quam octavo, haud amplius, ab obitu die; tot enim accurata cæterarum partium diſſectio abſtulerat; eſſe debuiſſent. Vaſa per Tenuem meningem repentia, ſanguine turgida; in Choroidibus autem plexibus veſiculas aquæ plenas, plurimas, nec minutas, animadverti. Denique omnibus; quæ intra cranium erant, detractis, Petroſi utriuſque proceſſus ea facies qua alter alterum ſpectat, illaque vicinia non levis, ſed inæqualis conſpecta eſt.

11. BAJULUS, mulieris de qua modo dictum eſt, maritus, vir procerus, & quamvis ſubpallida facie, & corporis habitu ad macilentum inclinante; tamen robuſtus, eadem ferme atque illa, ætate, & pariter bibax, eadem qua illa, ſcabie correptus, eodemque cum illa remedio, ſed non pari, quod ſciam, copia uſus; poſteaquam illa mortem obiit, ſex propemodum menſes ſatis commode valuiſſe viſus erat, cum circa medium Majum levi ad ſpeciem febri prehenſus eſt, ſed reipſa adeo exitiali, ut non ultra biduum in Noſocomio decubuerit. Primo die pulſus, cæteraque non ita mala, niſi ob anxietatem quandam, & inquietudinem eſſent ſuſpecta. Eo die idem quod pleriſque aliis initio ſolet, datum eſt leve medicamentum quod blande ventriculum, & inteſtina expiaret. Poſtridie autem jam ea omnia quæ dicam aderant mala, ut uxoris memores, lac dederint. Vomebat enim: anguſtia illa eadem reſpirationis, qua uxor olim, premebatur: toto corpore convellebatur, delirabat inſuper vehementiſſime, & inter delirandum, ſibi ventriculum uri, clamabat. Per hæc ante diem a decubitu tertium vivendi finem fecit. Quam ob morbi brevitatem facile id accidit quod ægre tuli, ut prius diſſectum eſſe cadaver, ſcirem, quam hominem ægrotaſſe. Diſſecuit tamen Auditor meus, attentus, & intelligens, nunc merito Feltrienſium Medicus Antonius Guilermius: ex quo hæc accepi. VENTRE aperto, in omento, & pinguibus inteſtini Coli appendiculis, iiſque præſertim quæ propius lienem erant, ſicuti etiam in Adipoſa, ut appellant, renis ſiniſtri membrana pinguedo, quæ non multa erat, fuſca, & ſublivida animadverſa eſt. Colon autem ipſum ab incluſo aere triplo quam ſoleat, latius. Ventriculus contractus, exterius ſubfuſcus, interius autem, ſine ulla quidem eroſione, inflammatus ad palmæ amplitudinem qui lienem reſpiciebat. Ima ora jecinoris livida, & nigreſcens, nec tamen profunde. Thorace recluſo, non minus quam diaphragma ab utralibet facie inſpectum, pulmones, & cor reperta ſunt ſecundum naturam ſe habentia. In cordis ventriculis mediocres polypoſæ concretiones.. ..Caput diſſectum non eſt.

12. Quæſivi, num cutis ſcabiei quidquam retinuiſſet, item num poſtquam cum uxore vinum illud ſumpſerat, homo iterum ſumpſiſſet. Utrumque negatum eſt. Illud vero additum, vinum quo ambo uſi fuerant, in vaſe æreo ſervaſſe.. Quæ cum audiſſem, ut perniocioſiſſimum hunc morbum febrem fuiſſe inflammatoriam, non dubitavi, ſic dubitari poſſe, vidi, an ſcabies depulſa quidem, ſed corpore non bene curato, ea in ſanguine reliquiſſet, quæ cauſa ex parte aliqua fuiſſent perniciei hujus tantæ, itemque cum inflammationis hujus ſedes ventriculus fuerit, an ideo facilius fuerit quod jam inde ab illius vini potione nonnihil eſſet infirmatus. Uxoris certe ventriculus quid ab illo detrimenti acceperit, ſupra legiſti, ſive ab æreo vaſe noxii aliquid traxerat, ſive ob admiſtum ſulphur dumtaxat nocuit. Quantum enim nocere ſulphur poſſit, jam olim noverant antiqui Medici, ex quibus accepit Plinius (*q*) lac aſininum uſui eſſe *contra gypſum*, *& ceruſſam*, *& ſulphur*, *& argentum vivum*, fruſtra verente Dalechampio (*r*), ne cum illi ſcripſiſſent fortaſſe θρύον, id eſt ſolanum manicon; perperam Plinius legerit θεῖον, id eſt ſulphur; neque enim inter iſta quæ memorat ad minerale regnum, ut loquuntur, attinentia, vegetabile fuiſſe interjectum in eo quem Plinius deſcripſerit, loco, veri ſimile eſt, neque tam leve eſt ſcripturæ diſcrimen, ut facile adeo inter deſcribendum fallere oculos poſſit. Sed & Galenus (*ſ*) ſulphur inter ea poſuit quæ *ulcus faciunt quibus diutius adhæſerint*, & Haly Abbas, quem laudat, & ſequitur Ardoynus (*t*), ei qui ſulphur biberit, *ardorem fieri in ſtomacho*, ſcripſit, *& inciſionem*, *torſionemque*, *& inteſtinis ulcera*. Nolim tamen credas, me cuicunque ſulphuris generi, & cuicunque aut doſi, aut præparationi, aut miſturæ vires has noxias tribuere, qui minime ignorem, ſulphur a Medicis non modo recentibus, & contra ſcabiem quidem, ſed & antiquis interdum dari conſueviſſe. Sed mulierem de qua dixi, ex vino, in vaſe æreo aſſervato, & nimia copia ſumpſiſſe, conſtat; purum autem, an impurum ſumpſerit, minime conſtat. Inſpicias autem velim qui in fodinis ipſis quæ admiſceri poſſint, admonuere, aut ſaltem quæ preſſe indicavit Waltherus (*u*), cum *explorandum*, ſcripſit, *an fodinæ*, *quæ ſulphur vivum præbent*, *minæras quoque aliter nocivas una cum ſulphure ferant: maximeque arſenicum jungi*, *in plurimis ſulphuris ſpeciebus metui: ita ſe noviſſe*, *a ſcrupulo ſulphuris crudi ſumto*, *vomitum*, *& tormina*, *& teneſmum fuiſſe excitata*: *quin etiamſi aqua ſæpius coctum ſulphur fuerit*, *& blando igne fluxerit*; *tamen in multis non tam alvi dejectiones*, *quam tormina inde ſecuta eſſe*. Id vero quocum arſenicum junctum ſit, ne exterius quidem ſcabioſorum ulcuſculis eſſe adhibendum, cobaltum monſtrat, quod ut *ejuſdem cum arſenico indolis eſſe*, jure affirmat Cl. Jo. Adr. Sproegelius (*x*), ita narrat, inſperſum ſcabioſo puellæ capiti miſerrimam mortem intra paucas horas attuliſſe, idemque tum ſcabioſo cani a cobalto, tum aliis tribus, quibus cutem leniter inciderat, ad inſperſo arſenico accidiſſe: additque viſcerum labes per diſſectionem vel majores inventas, quam ſi tantundem arſenici devorandum præbuiſſet. Cæterum ad puellæ illius caſum, addes ſimilem in altera puella, phthiriaſi capitis affecta, Harderi Obſervationem (*y*); ad experimenta autem exempla illa quæ ex Fabricio Hildano, Jano Antonio Saraceno, Amato Luſitano, aliiſque protulit Ettmüllerus filius

(*p*) Epiſt. 48. n. 33. (*q*) Nat. Hiſt. l. 28. c. 9. (*r*) in Adnot. ad eum locum.
(*ſ*) De compoſ. medic. l. 6. c. 2. (*t*) De Venen. l. 2. c. 15. (*u*) Progr. de Sulph. & Mart.
(*x*) Experim. circa varia venena &c. §. 28. & Exp. 36. (*y*) Sepulchr. in Additam. ad Sect. 11. l. hujus 4. Obſ. 13. Hiſt. 13.

filius (z), mortis videlicet, aut graviſſimorum ſymptomatum ab adhibito ulceribus, imo ſcabiei ipſi unguento quocum arſenicum junctum eſſet. Quo fortaſſe etiam pertinet vetuſtior Baccii (a) Obſervatio inſperſi arſenici buboni exedenti, cui inſperſioni poſt triduum mors ſucceſſit per vomitus æruginoſi humoris graves adeo, ut ſuſpicio oriretur dati clam mercurii ſublimati. Certe autem pertinent recentes Goulardi (b) Chirurgi Experientiſſimi Obſervationes, cum aliis quas ex Morando indicat, congruentes, nimirum acrius erodentium, quæ excreſcenti ulcerum carni imponuntur, medicamentorum tenues particulas in ſanguinem ita permeare, ut æger veneno affectus moriatur, de vera interim mortis cauſa nemine ſuſpicante. Quæ omnia ſi perpendere volueris; inde etiam colliges, quam facile e ſcabioſorum muſculis propriæ erodentis materiæ particulæ in ſanguinem traducantur.

Verum antequam de ſcabie ſcribendi finem faciam, quæres fortaſſe, cur nunquam de Sebaceis cutis glandulis, ſecretaque ab his materia mentionem fecerim? Ego vero cum de Sironibus ſermo eſſet (c), ſupervacuum eſſe credidi admonere, non eſſe cum ipſis quandam vermiculorum ſimilitudinem, ut olim fiebat, confundendam, quando in hac Anatomes luce, ad quam nonnihil augendam pro meo modulo allaboravi, vel ab Junioribus video diſerte ſcribi, *vermes, qui puerorum cutem infeſtant, ſpecie fallere, & filamenta eſſe e folliculis cutis ſebaceis expreſſa, exploratum ſatis eſſe*. Quin etiam accepi, cum endemius ſit in Finlandia morbus quem vocant *Breſt*, magnas infantium ſtrages edens, iſque in perminutis conſiſtat univerſæ cutis tuberculis, in quoſdam quaſi vermiculos ſe extenuantibus, nunc, inquam, accepi, illum a Viris doctis ex obſtructione ductuum repeti glandularum ſebacearum, an quod ſecreta ab his materia craſſior, & tenacior ſit, proptereaque, dum vix lentius prodit, & ferme ſubſiſtit, in filamenta formetur, non ejus ſolum quæ porro excerni deberet, ſed & compreſſis ab hac proximis ubique ſanguiferis vaſculis, materiæ inſenſibilis perſpirationis neceſſarium adeo egreſſum morantia? Vides igitur, cur de Sironibus verba faciens, ſupervacaneum cenſuerim amplius materiam ſebaceam commemorare. Potius fortaſſis id a me fieri aliis locis potuiſſet. Cum enim ſecretio oleoſæ illius materiæ cum propter alia, tum præſertim ad mollem cutem, flexilemque ſervandam, & adverſus erodentia corpuſcula muniendam inſtituta eſſe videatur: conſequitur ubi illa ſecretio aut ſublata ſit, aut depravata, fore ut ea facile oriantur vitia quæ in cutaneis infectionibus animadvertuntur. Sic in elephantiaſi, ut quidam hoc nomen accipiunt, inflexilis, rigidaque fit cutis: quanquam etiam ſine elephantiaſi interdum, velut in muliere quam olim intra hebdomadas tres ſanavit, ut eſt apud Stalpartium (d), Jo. Fred. Helvetius, in aliaque ab Diemerbroeckio (e) deſcripta; aliam enim, cum deſcriptiones inter ſe confero, eſſe arbitror, & denique in Neapolitana illa cujus & morbus, & curatio propoſita ſunt, ut noſti, a Carolo Curtio (f). Quod vero ad eroſionem attinet, hanc in iis multo facilius contingere, credibile eſt quibus non contagio ſcabies oritur, ſed ex erodentibus, quæ in ſanguine adeo redundent, corpuſculis, ut vel ipſam inficiendo materiam ſebaceam, non modo ineptam ad muniendum inunctione ſua adverſus irritantes ſudoris ſales, ſed contra ad irritandum, & erodendum aptiſſimam reddant. Cur igitur, inquis, hæc ſupra non attigiſti? Nimirum non attigi, ne Cl. nonnullos Viros aut minoris facere, quam æquum ſit, aut laceſſere viderer, ſi ea aut prorſus negligerem, aut diſcutienda ſuſciperem quæ ante aliquot annos illi de ſebaceis glandulis, ſecretaque ab his materia propoſuerunt. Cui diſcuſſioni inſuper non eſt hic opportunus locus, quippe quæ & longum ſermonem, & tibi, nedum mihi, ingratum propter neceſſariam ſæpe eorum quæ alias ſatis ſuperque tradidi, repetitionem flagitaret. Quorum utrumque ex paucis quæ preſſe indicabo, facile conjicies. Glandulæ ſebaceæ ſunt, inquiunt, *in trachea, canali alimentorum &c.* At tu lege Adverſ. IV. Animad. 13. Glandulas ſebaceas paſſim per cutem disjectas *nunquam invenire* ipſis licuit. Tu vero inſpicias Epiſt. Anat. III. n. 3. & 4. Viderunt tamen *in cute faciei, pectoris, & brachiorum quorundam hominum punctula nigra*, ex iiſque locis non modo ea punctula, ſed *unguinoſam quoque, teretem vermiculum mentientem, exprimi materiam: eſſe igitur in cute cava quædam minima, quæ orificio majora deprehenduntur*; ſed hæc quæ viderunt, *in ſtatu ſano non adeſſe*, contendunt. A te autem iterum quæ indicavi, aliaque meorum ſcriptorum loca, vel potius naſi alæ in viris pleriſque, & quidem ſanis, ſunt inſpiciendæ. Quid igitur eſſe, ajunt, cava iſta? *Vaginam* quæ antea pili, nunc deſtructi, radicem complectebatur. Hic tibi Adverſ. I. n. 12. (g) & Adverſ. IV. Animad. 33. (h) legenda ſunt, in illis enim ego primum ex pilorum conceptaculis adverſus glandulas ſebaceas dubitationem indicavi, in utriſque autem quædam ipſi adverſantia, aut certe ipſam limitantia non reticui: quibus nunc addas, non futura iſta cava in naſi alis majora, ubi videlicet minimi erant pili. Vagina autem iſta ſub cute in pinguedine defixa eſt; *Columbi* enim *ſententiam veritate niti*, autumant, *omnes ſcilicet pilos radicem ſuam in pinguedine collocare*. Columbus vero neque *omnes* ſcripſit, neque ego ſcripſi, cum ejus primum quoque ſententiam protuli, ut ex Adverſ. II. Animad. 5. cognoſces. Ego enim non modo ſciebam, eſſe pilos a quibus totam cutis craſſitudinem pervadi, oſtendere non poſſimus; ſed & Columbum ipſum videbam inter cæteros qui pinguedini affiguntur, eos diſerte excepiſſe qui in ſcroto ſunt: his autem adjiciendos eſſe alios, ut puta qui ex proximi colis integumentis, & qui tenuiſſimi ex auriculæ pinna, & ex lacrymali caruncula exiſtunt. Noli tamen credere, vaginas iſtas pilorum quæ pro ſebaceis glandulis ſubſtituuntur, ideo in pinguedine defixas poni, ut ex hac oleoſam accipiant materiam. Prodire quidem ex iis vaginis materia dicitur quæ ſebacea vocatur; ſed oleoſa tamen non eſſe, quia lintea materia hac *copioſe imbuta*, flammis *ſatis diu reſiſtunt*; quaſi vero præter illam nihil induſiis, aliiſve linteis adhæreret ex ſudoris, & inſenſibilis perſpirationis materia, aut illam quidquam præter purum oleum eſſe, negaſſemus: quorum neutrum cadere in animum poterat quotidie videntium, quam facile cutis ſordes aqua abluantur. Non modo igitur per exterius, ſed per interius etiam admiſta illam ſic ſatis *ſaponaceæ indolis eſſe*, credimus, nec tamen *ut omnes humores corporis noſtri*, ſed peculiari quodam modo, & hinc fieri, ut ſi ſtatim atque in corpore ſano ſecreta eſt, inſpiciatur, & contrectetur, ejuſque effectus ſpectentur, quantum a cæteris humoribus differat, intelligatur. Hæc vero ad illam quoque materiam ſebaceam transferas, velim, quæ circa oculos a tarſorum glandulis, & proximæ carunculæ ſeparatur; nam & ea cum lacrymali, jugiter ſecreto, humore permiſcetur. Quibus in glandulis, & qua in caruncula, in eaque vicinia quid olim meus quoque labor præſtiterit, poſſem ego quibuſdam aliis dicere, qui in illis ante hos duodeviginti annos deſcribendis Anatomes hiſtoriam aut ſe neſcire, aut ſi ſciunt, nimis aperte diſſimulare, oſtenderunt. Sed nec tanti id facio, & jam tibi oblitus fortaſſe videor, hic, ut ſupra dixi, opportunum diſcuſſionibus ejuſmodi non eſſe locum.

13. Igitur a ſcabie, id eſt a minoribus ulcuſculis ad cætera ulcera tranſeamus. Ampliora quam in ruſtico Viro nos vidiſſe, non meminimus. Quem nudum, proliciendi ſudoris cauſa, in gurguſtiolo incluſum, Chirurgi primum imperitia nimio ignis calore admoto, tum pertinacia neglectis ruſtici querelis ſe comburi clamantis, peſſundedit. Neque enim ante eduxit, quam toto eſſet corporis ambitu ſemiuſtulatus. Quamobrem

etſi

(z) Eph. N. C. Cent. 3. & 4. Obſ. 127. in Schol. (a) De Venenis &c. ubi de Venen. quæ extrinſecus &c.
(b) Memoire ſur les Maladies de l' Uretre. (c) n. 4. (d) Cent. Poſt. P. 1, Obſ. 43. (e) Anat. l. 8. c. 1.
(f) Diſcuſſ. d'un raro morbo cutaneo. (g) verſus finem. (h) in fine.

etſi cutis dumtaxat exulcerata erat; exulcerationis tamen ipſa amplitudo hominem intra biduum, aut triduum in Bononienſi Incurabilium Noſocomio, quo mox detulerant, ad mortem per aſſiduos incredibileſque cruciatus perduxit. Huic haud ita abſimilem caſum ab Ledelio (*i*) propoſitum leges; ſed juvenilis ætas, promptiſſima curatio, nec par in omnibus, ut dolores oſtendebant, cutis partibus exulceratio, diſparem quoque rei exitum permiſerunt. Antiquorum autem ulcerum vel ſæpius quam ſcabiei facta a nobis in miſſis ad te Obſervationibus mentio eſt. Ex iis duæ (*k*), quæ de expurgatione diximus per ſcabiem facta (*l*), peculiariter confirmant. Cum enim ulcus ſimul, & ſcabies vexarent; hac evaneſcente, quamvis non humida, ſed ſicca eſſet, illud multo acrius cruciare cœpit. Et viciſſim, cum ulcera, id quod cicatrices in tibiis docebant, evanuiſſent, fœdæ puſtulæ cutem ferme univerſam occupaverant. Quod autem de ſcabie dictum eſt, non niſi cum recens, & aliunde contracta fuerit, per exteriora tantummodo auxilia abigenda, propterea quia ſi aliter, exitus ſic intercluderetur noxiis humoribus tum qui per eam ejici, tum qui ab ea introrſum ferri conſueverant, idem merito de ulceribus quoque cæteris ſtatui, reliquæ noſtræ ſatis oſtendunt Obſervationes. Diuturna enim ulcera ſive per ſe, ſive ab arte areſcentia, aut occluſa, videbis qui morbi graviſſimi conſecuti ſint, cerebri præſertim, & nonnunquam cordis, itemque & tunc, & cum ulcera, quamvis necdum occluſa, diu tamen vexaſſent; animadvertere poteris, rerum propemodum ſemper intra cranium, interdum quoque intra vertebras, aut intra thoracem, & ventrem fuiſſe. Quas Obſervationes ne hic repetamus, Epiſtolas malumus in quibus pleraſque relegas, indicare, nimirum IV. (*m*), V. (*n*), XII. (*o*), XXV. (*p*), XXVII. (*q*) XLVII. (*r*) LII. (*ſ*).

14. Sed præter hæc quæ ad tibias attinent, alia quoque alio ſpectantia ulcera noſtris ſæpe Obſervationibus propoſuimus, nunc ad abſceſſuum ſinus, & ſubjectam cariem, nunc ad exulceratos tumores, & gangrænam pertinentibus. Quarum non vacat Obſervationum loca omnia hic ſingillatim indicare. Juvat potius nonnulla quæ ad duo modo memorata capita referuntur, ſubjicere, prætermiſſis cæteris quæ minus opportune referri huc, video, ut cum in Sectione hac Sepulchreti (*t*) inter ulcera producitur caſus fœtus ſeptimeſtris cerebro carentis, quam cum iis conferre poteris quos ſic editos, ex noſtris, & aliorum Obſervationibus, loco, ut putamus, ad id aptiore (*u*) memoravimus. Quod igitur primum ad primum attinet de duobus illis capitibus, nempe ad abſceſſuum ſinus, de meis eorum curationibus unius potiſſimum venit in mentem, quam eo libentius hic referam, quod per id præſidium peracta eſt, cujus vim adverſus vel minuta ulculcula peculiarem, id eſt adverſus ſcabiem de qua ſupra dictum eſt, in dubium nunc trahi ab nonnullis video, in primiſque a Medico alioquin Experientiſſimo. Senem æque generoſum, ac pium Forolivienſis Eccleſiæ Archidiaconum, Ludovicum Albertinum, vere A. 1711. dyſuria quædam vexare cœperat: quam cum demulcentibus lenire ſtuderent, crus ſiniſtrum dolor primum, deinde abſceſſus corripuit. Ex hoc aperto cum pus ea copia quotidie exire diutius pergeret quæ hominem undeoctoginta annos natum quam facillime poſſet abſumere; Medicus, & Chirurgus occurrendum cenſuere, ille dato lignorum, ut vocant, decocto, hic iis abſceſſui adhibitis quæ ad perſanandum attinerent. Jamque hujus orificium ipſum claudi videbatur; cum gravis repente febris exorta eſt, perturbans caput, & delirium afferre incipiens. Tum ex altero pede ſanguis mittitur, abſceſſus rurſus aperitur: & ſic febris quidem illa abigitur; ſed ex hoc iterum tanta puris copia prodit, & prodire pergit, ut de ægro deſperent, nec ſine ratione. Namque, ut tunc primum accerſitus vidi, æger qui bono antea fuerat habitu, & pro illa ætate robuſtus, oſſa atque pellis totus erat, & infirmiſſimis viribus, febricula nunquam carebat, acerbiſſimis ſubinde cruris doloribus torquebatur, ex eoque tantum ejiciebat puris, quantum facile non credidiſſem. Apparebat omnibus, ſervari hominem non poſſe, niſi crus convaleſceret. Sed hoc quam difficile eſſet, inutiles hactenus omnes Medicorum, & Chirurgi curæ, ac labores oſtendebant, ad hæc graviſſima ætas, fervidiſſimum, quod interea advenerat, mediæ ætatis tempus, & præter ea quæ dicta ſunt, ſtomachus remediorum pertæſus. Duo tamen ex his ſupererant, quorum alterum, jus videlicet terreſtris teſtudinis, ſenior ejus Medicus laudabat, alterum, nempe viperinum pulverem, ſenex alter Medicus, quem aliunde ſuperioribus diebus advocaverant, antequam diſcederet, propoſuerat. Cum ſuper utroque conſulerer, primum, ſi ſtomachus ferret, non improbabam; ſed ut facilius ferretur, majoremque præberet utilitatem, plus de altero, ea tamen qua dicturus eſſem, ratione, addendum ajebam, ipſique maxime confidendum. Scilicet quod in viperino ſupereſt pulvere, non tam profuturum videri, quam ipſam recentem viperam, ſi hujus dimidium carnium cum pari carnis teſtudinis pondere in tenui jure vitulino decoqueretur, eædemque viperæ carnes quæ decoctæ eſſent, mox cum ſaccharo, ut vocant, roſato vetere ſubactæ, quotidie mane ederentur, & poſt eas jus de quo modo dictum eſt, biberetur: huc addi poſſe inter prandium, & cœnulam emulſionem, ut appellant, ex recentibus amygdalis, adjecto pauco ſaccharo quocum miſta coralia eſſent in pulverem tenuiſſimum contrita. Medico non modo hæc non diſplicuerunt; ſed, ut affecta erat ætate, & valetudine, a me ſimul cum ægro, ægrique Conſanguineis petiit, ut ipſe quemadmodum cenſueram, ita facerem. Feci igitur, Superiſque bene juvantibus cœperunt ſenſim cruris dolores, & pus minui ita, uti quadrageſimo die ex quo hæc curatio inchoata erat, abſceſſus jam ferme ad cicatricem ſpectaret. Quanquam autem febricula jam ante abierat, & virium infirmitas, macieſque decreverant; tamen ut bona hæc augerem, & confirmarem, ægro ultro optante, non modo annuente, decem præterea dies eadem ſum curandi ratione uſus. Quo tempore exacto, is qui ab extremo Aprili ad medium circiter uſque Septembrem decubuerat, ſurgere cœpit, & magis deinceps magiſque in dies convaleſcens, non modo priſtinum recuperavit corporis habitum; ſed illud ipſum crus unde tandiu tanta puris copia, totque cum hac alba membranarum oblonga fruſta exierant, nihil quidquam nutritione, & viribus ab altero diſcrepans mihi oſtendit, cum forte obvium haberem Decembri ineunte: poſteaque incolumis vixit annos aliquot, donec, me jam Patavii degente, extrema ſenectute confectus eſt.

15. Ut fuſe hanc tibi curationem deſcriberem, non una me impulit cauſa. Alii enim ſunt qui ea viperis tribuant quæ non habent, ut vim calefaciendi, & ſiccandi tantam, ut ſitim faciant inextinguibilem, & paucos qui ſenibus ſuperſunt, ſpiritus diſſipent: quapropter prohiberi a ſenili ætate, admonebat Claudinus (*x*), & tempore præſertim æſtivo, & regione calida. Redius (*y*) quidem vel multo largiori viperarum uſu nullam eſſe motam ſitim in ſene, juvenibuſve, quamvis æſtas interdum eſſet adnotavit. Ego ut a viperarum uſu nunquam, ſic etiam in decrepito hoc Sene anni tempore calidiſſimo, & in regione potius calida neque ſitim ullam, neque ſpirituum diſſipationem, imo horum inſtaurationem animadverti, nec ſiccari quidquam, niſi eum quem ſiccari volebam, abſceſſum; reliquum autem interea corpus non modo non ſiccari, ſed refici. Contra alii non plus a viperis expectandum ajunt, quam *a reliquis omnium animantium partibus ſiccatis, gelatinoſo quodam,*

(*i*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 51. (*k*) Epiſt. 21. n. 30. & Epiſt. 4. n. 35. (*l*) ſupra, n. 8.
(*m*) n. 7. 13. 30. (*n*) n. 15. (*o*) n. 2. (*p*) n. 12. (*q*) n. 8. (*r*) n. 4. 33.
(*ſ*) n. 30. (*t*) Obſ. 1. §. 3. (*u*) Epiſt. 12. n. 5. & ſeqq. & Epiſt. 48. n. 48. & ſeqq.
(*x*) Append. ad Tract. de Ingreſſ. ad Infirm. Sect. 6. (*y*) Oſſervaz. int. alla Vipera.

dam, blande ſulphureo & vaporoſo ſucco præditis. Intelligis, hæc in iis regionibus ſcripta eſſe, in quibus copia non eſt recentium viperarum. Quamobrem non miror, quod ibi in *atrophia*, in *phthiſi*, in *ſcabie*, in *aliiſque hujus generis malis varia ex viperis confecta medicamenta nihil præſtiterint*, aut quod *nihil certe ſolidi quod operæ pretium faciat auxilii* ab iiſdem *in impuritatibus ſanguinis corrigendis peti & expectari* poſſe, dicatur. Mihi vero non de ſiccatis viperis, paratiſve ſic medicamentis hic ſermo eſt, ſed de recentibus; illis enim has ut prætulerim, vidiſti, quippe in abſceſſu qui eatenus ſanari non potuerat, vetuſtiorem quam quos ipſi laudant, illuſtremque Auctorem ſecutus, Antonium Muſam, qui ut in Italia degebat Auguſti Medicus, *cum incidiſſet in inſanabilia ulcera, viperas edendas dabat, miraque celeritate perſanabat*, ſicuti memoriæ tradidit Plinius (*z*). Nam quod illi addunt, *ſi quid boni* per ea medicamenta *præſtitum fuit, id potius aliis admixtis ingredientibus, & conjunctim datis medicamentis in acceptis referri debuiſſe*; ut de ſuis illis præparatis verum fuerit, de viperis certe quas Muſa edendas dabat, nec, quod ſciamus, remediis aliis commiſtas, ne ſuſpicaturum quidem eſſe te, arbitror, ut neque de illis *piſcis in modum paratis*, quibus veſci miſerum ſervum, ea ratione ab ſe curatum, juſſerat magnus inter Græcos Medicus Craterus, a quo Muſam id præſidii didiciſſe, conjicit Eruditiſſimus Meadius (*a*), nec quas eximius alter Medicus Aretæus (*b*) *in cœna obſonio dabat* & ipſe *coctas & conditas perinde, ac piſces*, id eſt *ſale, & oleo*, ut proclive eſt ex Cælio Aureliano (*c*) intelligere. Galenus quoque (*d*) juſſit viperarum venatorem iiſdem uti *præparatis in olla, anguillarum in modum*. At enim, inquis, non his ſolis venatorem ſanaſſe, conſtat: fatetur enim, quid antea fecerit. Verum de duobus illis prioribus Medicis idem non conſtat. Neque ſi ſanguinis miſſio, atræque bilis per pharmacum detractio venatorem ſanaſſent; poſt illa viperas Galenus dediſſet, nec his ſanationem acceptam retuliſſet. Idemque a me credito reſponſum iri, ſi forte idem objicias curationibus per viperas, aut per earum partes feliciter peractis, laudatiſque ſive a Græcis, ſive ab Arabibus Galeni aſſeclis, ſive a Medicis qui propioribus ſæculis extiterunt: qui tot ſunt, ut ſingulos hic nominare tum longum eſſet, tum ſupervacuum, cum videre poſſis apud M. Aurelium Severinum (*e*). Ex quibus etſi quædam ſunt quæ non facile accipias; tamen non credo, te omnia quaſi fabellas, & circulatorias fraudes rejecturum, quando harum acerrimus, ſi quis alius, hoſtis Redius (*f*) viperæ carnes alexipharmacas eſſe, & „ remedium multorum morborum „, diſerte ſcripſit, ejuſque ſagax imitator Valliſnerius (*g*) quid ſentiret, aperte oſtendit, cum „ longe efficaciores in morborum curationibus Euganeas noſtras viperas, quam Ferrarienſis agri, & Mantuani, ſimiliumque humidorum, & paluſtrium locorum eſſe „ affirmavit, in Conſiliis autem Medicis & quoties mecum ægris commendaverit, memini, & tu in iis quæ edita ſunt, quam ſæpe præſcripſerit, videre potes. Quin etiam in iis regionibus ubi minus eſſe notum id remedium, putaſſes, ex uſu & fuiſſe, & eſſe, comperies. Sic, exempli cauſa, Ettmüllerus; filium dico; quanquam & patrem (*h*), & vetuſtiores, Germaniæ Medicos laudare poſſem; diſerte refert (*i*), in proxima Sileſia *decoctum viperarum in jure gallinaceo ad hecticam curandam, & impuritates ſanguinis lymphæque corrigendas tantum non ubique inter ditiores adhiberi*. Sic Hoffmannus ipſe (*k*); ipſe, inquam, neque enim ſemper in hoc ſibi conſtitit; ubi curationem examinat, quæ Illuſtri in Viro, aſthmate ſpaſmodico, & hydrope laborante cujus quoque diſſectionem proponit, perperam fuerat inſtituta, minus opportunum quidem non laudat tempus quo viperarum & pulvis, & juſcula data fuerant: ipſa autem dilaudat; *namque crebra conſtat experientia*, inquit, *viperas & in pulvere, & decocto datas, virtutem poſſidere antiſpaſmedicam, acres humores attemperare, tranſpirationem promovere, ideoque maſſam ſanguineam ab omnibus purgare ſordibus*. Sic Adolphus (*l*) militem proponit qui a moleſtiſſimo, & adverſus auxilia alia omnia pertinaci malo, *continuato remediorum, viperinorum præſertim, uſu liberatus eſt*. Sic denique; ne illa omittam quæ dum hæc ſcribo, inter eoſdem Germanos edita ſunt; a me alias tibi laudatus Medicus Jo. Bapt. Molinarius (*m*) commendans *e viperis ipſis confecta decocta; experimentis enim pluribus cum doctorum hominum, tum meis*, inquit, *comprobata ſunt*. Non eſt opus de cultis aliis Nationibus dicere, cum de Indis ipſis ex docto Medico qui Bengalæ annos complures moratus erat, Meadius (*n*) acceperit, *conſtantem ibi morem eſſe medentibus imperare diæteticum uſum viperæ ejus regionis illis quos longi morbi exhauſiſſent*. Sed barbari illi, eoque non ita ſolertes. Quid igitur de Meadio ipſo dices, quem neque ſcientia, neque peritia, neque judicio, neque auctoritate ulli ex præſtantiſſimis Medicis facile poſtponas? Certe ille (*o*) de viperarum jure, gelatina, carnibus, ſale volatili præclare ſenſit, nihilque aliud reprehendit, niſi Anglorum Medicorum nimiam parſimoniam in remedio hoc præſcribendo *apto nato ad optimos ſcopos*, & cujus ipſe *pulchram efficaciam viderit in obſtinatis lepris*. Num dicemus, efficaciam hanc non viperis, ſed admiſtis remediis aliis tribuere debuiſſe? Ipſe vero nihil admiſcuerat, vino tantum uſus in quo duos treſve dies viperas, modico adjecto calore, maceraverat. Neque; ut tandem ad ægrum a me propoſitum redeam; te opinor, facile crediturum, cum cætera quæ illi dedi, omnia a me tibi conſulto memorata, perpenderis, illis potius quam viperis, eam ſanationem acceptam eſſe referendam. Quod ſi tibi forte dubitationis quidquam reſtat; alia mihi in promptu ſunt felicium curationum exempla in quibus præter viperas nihil aut dedi, aut dare coactus ſum. Cum enim plerumque, ut ſimpliciorem medicinam quoad poſſum, amo, viperarum carnes dumtaxat, & jus præbeam ſpeciatim adverſus pertinacem ſcabiem, quam aliis irritis, hac ratione ſic abegi, ut mundi, nitidique ægri, & pinguiores etiam fierent, tum nonnunquam accidit, ut res mihi eſſet cum quibuſdam remedia fere omnia, nedum viperas, pertinaciſſima averſantibus, quibus cum auxiliari neceſſe eſſet ejuſmodi præſidiis quæ ſentire ipſi, & animadvertere nequaquam poſſent; viperis in juſculis quibus utebantur, incoctis, ſalubri fraude ſalutem attuli. In iis præſertim fuit Ampliſſimus Senator Venetus, cujus caſus in pleriſque erat cum propoſito Archidiaconi caſu (*p*) comparandus. Nam ipſe quoque cum eſſet perſenex, æſtivo tempore, ex diuturno cruris abſceſſu laborabat A. 1732. Nullo autem alio interno auxilio, niſi eo quo dixi, conſecutus ſum, ut homo id ætatis par eſſet ferendo tam longum morbum eaſque puris aſſiduas effuſiones, humores autem vitiatos in melius adeo mutaret, ut ſic perſanato abſceſſu, ad priſtinas totius corporis, illiuſque cruris vires, & nutritionem multo quam ſperari poſſet, citius rediret, ſexque; tot enim poſtea vixit; annos Medicinæ ope non indigeret. Num vituli, aut pullæ jus in quo, ſicuti pro cæteris illis, ita pro ipſo ſimul incoqui dimidiatam viperam jubebam, ea vi eſſe quis dixerit, ut quidquid inde boni ſecutum eſt, illi potius quam viperæ, ſit tribuendum? Quærent potius aliqui, cur igitur quod mihi; mihi autem? imo quod pleriſque omnis temporis, omniumque propemodum Nationum Medicis ſucceſſit, non idem omnibus ſuccedat? quaſi vero præter hoc unum, remedia cætera omnibus, ſemperque reſponderent. Aliis nimirum non reſponderit ob id ipſum quod cum aliis, atque aliis remediis commiſtum dederint. Aliis quod dederint non ſatis diu. Aliis quod in viperarum ſelectione decepti fuerint, non

(*z*) Nat. Hiſtor. l. 30. c. 13. (*a*) De Venen. Tentam. 1. (*b*) De Curat. tardar. ægritud. l. 2. c. 13. (*c*) Morb. Chron l. 4. c. 1. verſ. fin.
(*d*) De ſimpl. medicam. facult. l. 11. c. 1. (*e*) Viper. Pyth. P. 3. c. 7. & alibi.
(*f*) Oper. Tom. 4. Lettera A N. N. che comincia *La Vipera*. (*g*) Opere Tom. 3. nel Saggio d' Iſtor. Med. alla parola *Vipera*.
(*h*) Schroder dilucid. de Animal. Cl. 1. ubi de Vipera, & alibi. (*i*) Eph. N. C. Cent. 7. & 8 in Append. n. ult.
(*k*) Conſult. & Reſp. Medic. Cent. 1. Caſ. 93 (*l*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 158. (*m*) Specim. de Apopl. P. 2. S. 4. n. 180.
(*n*) Tentam. 1. cit. (*o*) Ibid. (*p*) n. 14.

non in iis captarum ubi credebant, regionibus, & locis, neque eo quo oportebat, anni tempore. Aliis quod in ejuſmodi ægros, in eamque morbi aut cauſam, aut vim, aut vetuſtatem inciderint, ut nulli, aut certe huic auxilio non eſſet locus. Alia id genus, quantum vis, adde, modo ne in ſcientiam, & fidem eorum cadant, quibus tamen hac in re non id ſatis fuit quod nunc, utinam ne nimis ſæpe, & plus æquo, uſitatum eſt, a Majoribus diſſentire, niſi eoſdem inſuper circumforaneæ vanitatis, ſi ſuperis placet, arguerent.

16. Senatoris illius Præſtantiſſimi modo facta mentio rem in memoriam redigit, ad abſceſſus pertinentem. Docuit quidem Hippocrates (q), *dum pus conficitur, dolores ac febres accidere magis, quam jam confecto*. Id tamen ut quæ in pluribus quoque aliis Aphoriſmis, plerumque eſſe verum, non ſemper, vel ipſe Epidemiorum libro IV. (r) ſignificavit, ſi non ubi maturos in morbis abſceſſus quoſdam, ſcripſit, ſine febre, & facile ferri; hoc enim Martianus (ſ) de ſuppuratis, non, ut Valleſius (t) de iis qui ſuppurantur, accipiendum eſſe, contendit; at mox certe, utroque eorum conſentiente, ubi Leambio poſt dyſenteriam *humerum & ſedem exulcerata eſſe*, ait, *citra febrem*. Nos quoque in eo Senatore cum tibiam ab non recenti œdemate, & ab levi nupera contuſione, quam exiguum ibi eryſipelas, & modica febris conſecuta fuerant, jam tumentem, mox quidem magis magiſque intumeſcere, videremus, nullam autem peculiarem febrem, nullos rigores, nullum doloris, caloris, pulſationis ſenſum æger, aut nos animadverteremus; pus tamen interea confici, ſuſpicari cœpimus, nec falſo, ut paulo poſt materiæ, ſub manibus fluctuantis, non obſcura perceptio confirmavit. Num igitur in ſenibus, num etiam in membris, œdemate affectis, pus fit ſine ullis, aut cum paucioribus, levioribuſque quæ pus fieri ſignificent, notis? Utrumque interdum ab experientibus Chirurgis audivi, & ubi rationem conſulo, utrumque intelligi poſſe, video; ſecundum tamen magis. Neque enim ſenes omnes ſunt laxiſſimis fibris, aut lentis, inertibuſque humoribus. Itaque in Archidiacono de quo ſupra (u) dictum eſt, pus non conficiebatur ſine doloribus, & in illo ipſo de quo loquimur, Senatore cum forte eodem tempore quo prior abſceſſus apertus fuerat, multo minor alter inciperet ad imum femur, ubi œdema erat nullum; mox indicia quæ ſolent, dum pus conficeretur, animadvertimus. Poſſe tamen in illis etiam qui florente, aut firma ſunt ætate, pus interdum fieri ſine febre, idque in partibus œdemate non tumentibus, Obſervationes aliorum oſtendunt, in primiſque Clariſſimi, meique amiciſſimi Collegæ Pujati (x), qui, ut in Leambio Hippocrates, abſceſſus citra febrim confectos vidit primum quidem in Anu, ſed poſtea etiam in Adoleſcentula: quam ne forte dicas inertioribus fuiſſe humoribus, ut quæ poſt menſes aliquot hydropica obierit; in robuſto pariter Viro conſpexit.

17. Age nunc aliqua etiam de carie, abſceſſibus, ulceribuſque ſubjecta, attingamus. Habes inter initia Epiſtolæ XIV. (y) Obſervationes ad ejuſmodi cariem attinentes. Præcipue autem hæc ſubeſt in eo morbi genere cui nomen fecerunt Arabes *Ventoſitatis Spinæ*; quanquam non ſemper apparet manifeſtiſſima caries, ſed oſſium tumor dumtaxat, & mollitudo, velut in duobus quæ poſt mortem examinavit Mauchartus (z). Eo igitur de morbo cum pariter liceat in Tumoribus, atque in Ulceribus verba facere; propterea de illis agentes Epiſtola L. (a) cum de Exoſtoſibus quibuſdam eſſet injecta mentio, nonnulla de carie, ejuſque origine commemoravimus. Sed in Sepulchreto quoque invenies utrobique ad eundem morbum ſpectantia, quorum pleraque fuerunt Patavii obſervata, Sectione quidem II. (b) quæ libro hoc IV. inſcripta eſt de Tumoribus, & Sectione hac IV. de Ulceribus (c). Neutrubi tamen Pandolphinus qui ea de *Ventoſitate* Tractatum edidit, aut Merclinus, qui hunc tot auxit Adnotationibus, & Obſervationibus, nominatur, aut quidquam ex Schelhammero (d) additur, qui preſſe quidem, ſed docte & erudite, rem tractat, Obſervationes quoque proferens (e) quarum nonnullas in Sepulchreto non video, & in his etiam ſuam, tum præclare Hornium (f), a Tulpio (g) diſcrepantem, adverſus Merclini (h) reſponſionem defendens (i), contendentis, Corn. Celſum in loco (k) quem indicaverat Tulpius, cancri vocabulo oſſis deſignaſſe morbum ſatis cum *ſpinæ ventoſitate* convenientem. Certe autem loci ejus lectio cancrum non de oſſe dici oſtendit, ut recte aſſerit Schelhammerus: quod non vidiſſe Tulpium, & Merclinum, ego quidem non tam miror, quam hunc quod eo in loco non eſt, vidiſſe, id eſt *cancrum oſſis*. Ait enim, atque adeo inculcat, Celſum *hoc oſſis vitium non cancrum ſimpliciter*, *ſed cancrum oſſis vocare*; ut hunc locum Celſi non inſpexiſſe videatur.

18. Sed illi in nominibus; Chirurgi autem aliquando, etiam ſeniores, & valde exercitati, in re ipſa, id eſt in carie quæ neque oculis, neque ſpecillis pateat, dignoſcenda falluntur. Verum quidem eſt, cariem tunc indicari, ſi fuſca, vel ſubatra ſit quæ ex ulcere prodit materia. Non tamen ſi iſto colore infecta non prodeat; continuo cariem ſubeſſe, negandum eſt. Nam ſi hæc parvam oſſis non craſſi partem occupet, carni autem ſubſit multæ, & amplis ulceris ſinibus excavatæ; vel hæc una efficere cauſa poteſt, ne fuſca exeat per ulceris orificium materia, quippe cum pauxillum quod ex oſſe eſt, plurimo pure quod ex carne effluit, permiſto diluatur, & ſic fuſcus illius color occultetur. Quod in Veneta juniore Matrona A. 1756. accidiſſe, certo ſcio, cui magnus in alterius clunis latere innatus abſceſſus, nec niſi ſero apertus, internis, externiſque auxiliis incaſſum jam diu curabatur. Itaque puris colore minime fuſco tandiu Chirurgi ne cariem ſuſpicarentur, decepti ſunt, donec per eam reſpondentis oſſis ilium partem quæ circa ejus medium, in fœminis præſertim, hiſque junioribus, præ tenuitate pellucet, jam carie exeſam, ſpecillum nullo negotio in ventris cavum tranſire, animadverterunt. Nec dubito, quin oſſeæ illius partis tenuitas, ut in ea optima, & meliori ſorte digna Matrona faciliorem puris tranſitum in ventris cavum reddidit, ſic in aliis quibus profunda vulnera punctim ad eum locum infligantur, non difficile enſis mucronem ad inteſtina lædenda admittat. Contra haud raro accidit, ut ſpecilli quo in ulcerum exploratione uſi ſunt, colore inſpecto, Chirurgi plures malum prænunciare non dubitent, haud attendentes videlicet, ab Hippocrate (l) ſcriptum eſſe, *quibus a pure coloratur ſpecillum, tanquam ab igne, maximam* quidem *illos partem interire*; non omnes, ibique de empycis ſermonem haberi, nec de quocunque ſpecilli colore, ſed de eo ut *pro candido & argenteo, velut plumbeum & igne peruſtum extrahatur, indicio puris feritate acerrimi*, ut eximii Interpretis Dureti (m) verbis utar. Denique inter cætera cariei genera, illa eſſet peculiari non modo commemoratione, ſed & examine perquam digna, ſub qua, cranium exedente, Slevogtii *armato oculo innumerorum vermiculorum, lento humori implicatorum, congeries apparuit, quorum multi, aquæ tepidæ injecti, motitatione ſua vitalitatis indicia edebant*. Sed cum ipſe qui ut in mortuo hæc vidit, ſic in ægro nonnulla huc ſpectantia animadvertere potuerat, *ætiologiam cariei* iſtius *verminoſæ* in aliud tempus rejecerit (o); minus hic miraberis, ſi nos divinare nolimus.

19. Jam

(q) S. 2. Aph. 47. (r) n. 22. apud Marinell. (ſ) Annot. ad hunc locum. (t) Comm. ad eund. locum qui ipſi eſt n. 95.
(u) n. 14. (x) Dec. Obſ. 7. n. 3. (y) n. 3. & ſeqq. (z) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 33. & 34. (a) n. 57. 59.
(b) Obſ. 20 & in Addit Obſ. 10. (c) Obſ. 5. §. 1. &c. (d) De hum. corp. Tumorib. S. 2. P. 1. n. 94. & ſeqq.
(e) n. 98. 99 (f) Microtechn. S. 2. P. 1. §. 33. (g) Obſ. Medic. l. 4. c. 13.
(h) ad Pandolphin. c. 7. Annot. 1. (i) P. 1. cit. n. 100.
(k) De Medicina l. 8. c. 10. Edit. Almeloven. p. 532. l. 15. & ſeqq. (l) Coac. Prænot. apud Duret. l. 2. c. 16. n. 48.
(m) ad eum locum. (n) Diſſert. de Carie Cran. in Hiſtoriæ fine.
(o) §. 26.

19. Jam vero quæ ad alterum de capitibus duobus propoſitis (*p*), id eſt ad tumores exulceratos, & gangrænas ſpectant, ſubjiciamus. Præter eas quæ ad te alias miſſæ ſunt, Obſervationes, ad tumores illos attinentes, una hæc ſupereſt, a Mediavia noſtro habita extremo Septembri A. 1739.

20. JUVENI in altero cervicis latere tumor erat exulceratus. Quo in ulcere quidpiam arcani illius pulveris ope quem Philippus Maſierius Corroſivum Magiſtralem appellare, & ipſe feliciſſime, ſed cautiſſime quoque, adhibere conſueverat, cum viſum eſſet Chirurgo abſumendum; ex eo & febris, & dolor capitis, quæ antea jam erant, aucta ſunt adeo, ut neque repetita ſanguinis miſſione, in quo cruſtula polypoſa non deerat, neque diluentibus, cæteriſque tum datis, tum adhibitis remediis decreſcerent. Nam etſi dolor in ipſo ulcere eſt imminutus; in fronte tamen, ubi acerbior erat, nunquam remiſit. Itaque delirans, & convulſus æger obiit. TUMOR ſubjectum muſculum nequaquam læſerat. Is erat quem Levatorem Scapulæ vocitant, illa videlicet parte qua communibus ſubeſt integumentis. Glandulæ ejus lateris Jugulares tumidæ erant, & duræ. Cerebri vaſa omnia ſanguine diſtenta: medullaris ſubſtantia, ubicunque incideres, ſanguineis punctis diſtincta, & ipſa quidem longe mollior, quam æquum eſſet; cum corticalis ſecundum naturam ſe haberet. In Lateralibus ventriculis multa aqua limpida.

21. Etſi caro ex ulceribus excreſcens quanto periculo in extremis corporis partibus remediis teneatur erodentibus, præclare in primis oſtendit fidelis Scriptoris Benevoli Obſervatio (*q*); tamen vel aliis in locis uſus ad eundem finem ejuſcemodi remediorum non ſine periculo eſt, ubi diſpoſitio prava ſit, quemadmodum in propoſito Juvene fuiſſe, indicabat febris jam præſens, cum dolore capitis conjuncta. Sed ab hoc exulcerato tumore ad eum morbum deſcendamus, qui Tumores inter ab Rei Chirurgicæ refertur Auctoribus, idemque cum maxima corruptione junctus eſt, ad gangrænam videlicet, initium ducentes a quibuſdam Valſalvæ Obſervationibus.

22. ADOLESCENS annum agens duodevigeſimum, mediocri ſtatura, & habitu, colore pallido, & ſubflavo, ex alto ædificio in peracutum lapidem cadens, ſimul femoris cervicem frangit, ſimul ibidem a lapide vulneratur. Cum in S. Mariæ de Morte Noſocomio ex arte curaretur, non ſolum de pectoris pondere cum difficultate ſpirandi querebatur, etſi nihil ſanguinei exſpuebat, nullamque habebat in exterioribus thoracis partibus, quæ ſub ſenſum caderet, contuſionem; verum inſuper quarto die delirare cœpit, & de dolore vulneris queri, & de quibuſdam ad illam partem motibus convulſivis. Inſequenti nocte eandem partem immanis invaſit gangræna, quæ circa horam proximi diei decimam quartam adeo increverat, ut a finibus abdominis e regione vulneris ad totum pedem ſe extenderet. Femoris cuticula multis locis, non ſecus *ac ſi veſicatoria* adhibita eſſent medicamenta, a feroſo humore attollebatur, qui & multis locis acredine ſua illam eroſerat; ut magna aquæ emanaret copia. Sic æger quincto die interiit. CADAVER totum paucis ab interitu horis ſumma nigredine infectum eſt, quaſi univerſali gangræna correptum: mox autem adeo intumuit, ut triplo craſſius videretur.

23. Hiſtoriam hanc prætermittendam non cenſui, quæ multo peſſimam humorum diſpoſitionem, & celerrimum gangrænæ progreſſum oſtendit; tametſi Valſalva cadaveris diſſectionem non addidit, credo, quia inſtituere non licuerit. Neque enim, modo licuiſſet, omiſſurum fuiſſe, indicant cum alia quæ in ejus Vita narravi, tum præſertim id quod niſi ipſe huc adſcripſiſſet, non eram facile crediturus. Serum quod gangrænam fovet, tam acre eſt, inquit, ut cum illud alias guſtaverim, non modo ſummam acredinem perceperim; ſed hæc linguæ papillas per ſolidum quaſi diem mordicaverit. Vide quo uſque hominem impulerit ſciendi, experiendique cupiditas! Cæterum gangrænæ univerſalis exemplum habes apud Tulpium (*r*); ſed in ſene cujus infirmiſſimæ a longo jam tempore erant vires. Habebis quoque apud Warrenium (*ſ*), ſed in febre flava, peſtis genere. Interna autem gangrænarum cauſa non ſemper in ſolo humorum vitio conſiſtit. Illæ enim aliquando crura corripiunt, quia Magna arteria ab ſcirrhoſo tumore in ventre comprimitur (*t*): quo ſpectat iſta quam in Sectione hac IV. Sepulchreti (*u*) legeris, Hildani Obſervatio; quanquam in ea non Aorta ſolum, ſed & proxima vena Cava premebatur; facile enim in adeo proximis truncis id eſt. Nec tamen contra, quidquid poteſt venam aliquam ſatis comprimere, idem ad proximam arteriam æque comprimendam valet; ut Cel. Swietenii (*x*) conjectura quantum cum veri ſimilitudine, tantum cum ratione conſentiat, ubi ſiniſtri pedis tumorem, imminentemque gangrænam repetit ab Iliaca ejus lateris vena, quam unam extremum Colon inteſtinum, flatibus perquam diſtentum, preſſiſſet. Sanguinis autem in membra importatio prohibetur, aut minuitur ab iis quæ arteriæ impoſita hanc premunt; verum ab aliis inſuper cauſis: quas inter perrara eſt carneæ tunicæ arteriæ ipſius gangræna, quamvis ſanæ ſint circumjectæ partes, ut in *Caſu*, Halæ edito A. 1742. *de amputatione femoris non cruenta*. Minus rara eſt quæ eundem in amputatione parit effectum, tunicarum arteriæ in oſſeam naturam degeneratio quæ & illarum flexilitatem tollat, & viam ſanguini coarctet. Itaque Kulmus (*y*) cenſebat, ab hac eſſe cauſa, cur *ætate præſertim provecti nonnunquam ſphacelo pedem abſque ulla prægreſſa cauſa externa corripiantur*. Certe autem inde fuit in Nobili ſene, cujus hiſtoriam apud laudatum Swietenium (*z*) relatam invenies.

24. Porro eſt quoddam gangrænæ, imo ſphaceli genus apud noſtrates rarius occurrens, ut nec Valſalvæ unquam viſum etiamtum eſſet, cum adoleſcenti mihi ex relatione aliorum narrabat, exſiccationem a pedis pollice incipientem, & ſenſim ad femur uſque productam, ut pes, & crus totum, velut in *mumia*, ſine fœtore, arida eſſent, mortem cuidam mulieri annis ſuperioribus attuliſſe. Vidit autem poſtea, & ego cum ipſo, cum Bononia necdum diſceſſiſſem, in Noſocomio Incurabilium. Quin etiam inter ejus Conſilia unum legi pro Monacho ſcriptum ex morbo ejuſcemodi laborante. Erat is duos ſupra quadraginta annos natus, obeſus, humoribus ad ſcorbuticam dyſcraſiam vergentibus, impetigini, & podagræ antea obnoxius, tum etiam, idque a longo tempore, crebris digiti pollicis alterius pedis ſuppurationibus, unde fuſcum ſemper colorem is digitus retinuerat, donec exſiccatione corripi inciperet, lentiſſime per totum denique eum digitum, poſtea autem per totum pariter proximum digitum propagata. Qui non ſecus ac pollex; quem fruſtra amputaverant; ex quo prehenſus hoc morbo fuerat, aridus ſemper ſiccuſque permanſerat, niſi quod nuper circa extenſorem ejus digiti tendinem aliquod incipientis puris indicium fuerat animadverſum. Et quanquam ut plurimum in metatarſo obſcura quædam inflammatio eſſe videbatur; erat tamen hæc ſine ullo ſubſiſtentis humoris veſtigio, mediocri autem cum dolore. Febris quoque non ſemel quidem acceſſerat, circa veſpertinum præſertim tempus exacerbata; ſed nullo unquam prævio horrore, nullo valde acuto comitante ſymptomate. Quæ hic tibi volui diligenter deſcribere, ut cum iis mox poſſis quę apud Auctores poſtea legi, aut propoſita mihi fuerant, exemplis comparare. Creberrima, ſicubi alibi, in quibuſdam Galliæ regionibus extitere. Neque enim ſolum circa A. 1710. ſicca iſta gangræna adnotata eſt, ſed & cir-

(*p*) n. 14. (*q*) 30. (*r*) Obſ. Medic. l. 3. c. 46. (*ſ*) Vid. Haller in Addend. ad pag *662*. ſuar. Acceſſion. ad Boerh. Meth. Stud. Medic.
(*t*) Vid. Acta Erud. Lipſ. A. 1693. M. Nov. in Relat. Chirurg. Barbet. (*u*) Obſ. 10. §. 2.
(*x*) Comment. in Boerh. Aphor. 422. ad B. (*y*) Diſput. de Tend. Achill. diſrupto &c. in ipſo fine.
(*z*) Aomment. cit. §. 424.

circa A. *1676.* ut in Hiſtoria Regiæ illius Scientiarum Academiæ (*a*) indicatur, imo & A. 1706. ut fuſius ab Rudolpho Jacobo Camerario (*b*) videre poteris commemoratum, & rurſus A. 1747. ut Commentaria verſans laudatæ Academiæ (*c*) reperies. Semper autem ibi culpa rejecta eſt in vitiata ſecalis grana, quippe in caritate annonæ a pauperibus, præter quos neminem is corripiebat morbus, in paranda farina cum integris probiſque granis relicta: quæ alibi quoque, nimirum cum ſylvæ herciniæ incolas idem vexaret morbus, ſunt apud Brunnerum (*d*) accuſata. Ipſa tamen ſine certa corporum diſpoſitione tantum potuiſſe, non crediderim, tunc ſaltem, cum mares ſolum, non fœminas, ſi paucas excipias puellulas, in iiſdem pagis eadem invaderet gangræna. Cæterum plerumque alias utrumque ſexum infeſtabat: & alibi alio tempore aliquanto aliter, ut alios quoque occuparet artus, parteſque alias, ut plurimum autem a digitis pedum inciperet: reliqua diſcrimina, libros, & Auctores quos nominavi, inſpiciens, per te videbis. Ego enim ad eos caſus redeo, in quibus ea grana accuſari non poterant. Et Benivenius quidem (*e*) ubi de infelici exitu loquitur gangrænarum a digito pedis, præſertim in ſenibus, incipientium, aliquid huc attinens videtur indicare, cum *incipere carnem*, ait, *paulatim nigreſcere, vel liventem fieri: quin & aridam interim atque ſiccam*. At certius, ac apertius Hildanus (*f*) in ſeptuaginta annorum viro, podagræ obnoxio, gangrænam deſcribit poſt moleſtum frigoris ſenſum, & ſtuporem, a digitis pedis ſurſum paulatim ſerpentem ſic ut pes, & crus carbonis inſtar nigra fierent, frigida, & ſupra modum ſicca & extenuata ſine ullo unquam dolore, pulſu autem vix nonnihil mutato, & appetitu vix depravato. Idem Smetii Obſervationem profert (*g*), pedis videlicet in muliere, ejuſdemmodi ſphacelo correpti, ut aridus, nigerque linguam bovillam referret fumo induratam. Huc quæ Barbettus (*h*) de gangræna tradit ſcorbutica, ex parte accedunt, nimirum quod a pollice ſoleat initium ſumere, in cruſtam ſiccam degeneret, nullo fœtore ſit, & dolore aliquando nullo. Nunc quæ mihi per litteras deſcripta ſit, accipe, cum Matthæus Tornierius, ſpectatus dum viveret, inter Vicetinos Medicus pro Comite Generoſiſſimo me conſuleret extremo Februario menſe A. 1720.

25. Is gracili habitu, egregio colore, alacer, promptus, vegetus, robuſtus adhuc erat cum annum quartum ſupra octogeſimum exegiſſet, nullo unquam in tam longa vita correptus morbo qui adnotatione dignus eſſet. Sub Januarii finem inſolito frigoris ſenſu, poſt triduum autem tanto frigore prehenſus eſt, ut lectum petere cogeretur, ibique nihilominus horas aliquot frigeret, donec calidis ſæpius admotis linteis, corpus tandem reliquum caleſceret; ſed pedis ſiniſtri omnes digiti, & metatarſus frigidiſſimi permanerent, nihil ſentirent, vixque Flectentium muſculorum vi, quorum videlicet carnem in ipſis digitis non eſſe, noſti, nonnihil flecterentur: & quod multo deterius erat, lividulus poſtridie color jam a pollice in metatarſum pergens animadvertebatur. Occurſum eſt internis, externiſque remediis. Sed quanquam in metatarſo livor, & frigus nonnihil remittere viſa ſunt; circa finem tamen Februarii extrema digitorum, jam cute erant nigra, ſicca, & *mumiæ* inſtar dura, neque in ipſo metatarſo initia deerant futuri morbi, cute jam duobus locis in ejus dorſo nigricante, imo in altero eorum locorum jam dura. Duriuſcula quoque erat ad tarſum certo, ubi nigricabat, loco. Ipſe autem tarſus noviſſime factus erat nonnihil tumidus, &, ſi digito premeres, veſtigium ſervans, & dolens. Quin etiam ſub planta ſe extulerat parva albaque veſicula, vix pauxillulum aquæ continens. Ad malleolos idem ferme qui in tarſo, tumor. Crus reliquum nonnihil potius extenuatum. Inter hæc æger; etſi febris, levis quidem, a morbi tamen die ſeptimo, quo primum cœperat, jugiter perſtabat; priſtinam alacritatem, conſuetum pulſus robur, & appetitus vigorem retinebat; ut victu qui ad ſervandas vires homini præſertim haud ita pauca edere ſolito, non tenuis permittebatur, libenter uteretur. Quæ cum perlegiſſem, nec ſpem aliam reliquam eſſe, intelligerem, niſi ut ægri vita quoad ejus fieri poſſet, diutius produceretur, ea continuo reſcripſi, quæ hic neceſſe non eſt omnia commemorare. Fuſe enim quid de præſidiis tum quæ adhibebantur, tum quæ addi poſſent, mihi videretur, ingenue, ut par eſt, & conſuevi facere, expoſui. In hiſce alteris cum quæ improbarem, aut ſuſpecta haberem, ſignificaſſem; diſerte inter cætera laudavi cum Hildano (*i*) ſuccum lumbricorum terreſtrium ita, ut Wierus ſolebat, paratum, exterius, ut exſiccationis tardaretur progreſſus, parti adhuc ſanæ adhibendum. Nec tamen reticui, niſi anni tempus præfrigido aeri ægrum pedem ſæpius exponere prohiberet, perpendi illud etiam poſſe, utrum hoc in caſu imitatione digna eſſet ratio quæ in eundem finem haud infeliciter ceſſerat Hagenſi Medico Samueli Cabliau (*k*), qui pedem, & crus ferme totum ſphacelo emortuum *penicillo majori, optimo terebinthinæ ſpiritu intincto attingere, vel quaſi pingere* cum imperaſſet *aſſiduiſſime*; conſecutus eſt, ut *torridum, imo Mumiæ quaſi Ægyptiacæ* inſtar, parti adhuc incolumi, ſphacelo minime progrediente, adhæreret, ſicque Anum nonaginta duorum ferme annorum menſes propemodum ſex in vivis ſervavit. Cum cætera facta eſſent quæ probaveram, aut addideram; æger, ſi non tandiu quam illa, at certe diutius vixit quam ii qui aderant, ſperare ſe, oſtenderant. Nam ſub Maii finem rurſus per litteras conſultus ſum, quibus narrabat Tornierius, etiamtum alacrem, ut antea, pulſu non debili, ſuoque propemodum roſeo naturali colore ægrum eſſe, appetitu vigere, non ſitire, lotium juſta copia reddere, idque colore & ſubſtantia ſecundum naturam, dura autem alvi recrementa non niſi quincto, aut ſexto quoque die, ut ſanus conſueverat. Et morbum quidem intra eos tres menſes progreſſum eſſe; at paulatim adeo, & lente, ut quinquaginta circiter dies tranſacti eſſent priuſquam digiti, & metatarſus, & ad malleolos uſque tarſus nigri, duri, & plane *mumiæ* ſimiles fierent. Deinde vero cum prope malleolos nigra, & dura cutis ſe extuliſſet, ſub ea forficibus ablata, ulcus inter malleolos retectum fuiſſe: quod eſſet, cum ſcriberet, manus latitudine, colore ad ſuperiorem ambitum vivide rubro, nec ſine dolore cum medebantur, ſed malleolum externum, & tibiæ partem nigricare; ad inferiorem autem ulceris ambitum fracidam eſſe, & putridam carnem, & nonnihil fœtentem, quæ ubi paulatim, ſicuti faciebant, adempta eſſet, ut erat illa eo loco quo tarſi ariditas, duritieſque deſinebant, viſuri erant, num putridi aliquid ſubeſſet, an quidquid mollis in tarſo fuerat, revera in *mumiam*, ut videbatur, eſſet converſum. Quod ad crus attineret, anterius quidem ſecundum naturam propemodum, ſura vero nonnihil eſſe ſubtumidum: crure compreſſo, aliquam in ulcus exprimi puris guttam, nunc albicantis, nunc rubro colore infecti; tamen ejus cutem naturalem calorem, coloremque ſervare. Ulceris pus eſſe variegatum: illiuſque parti qua putridum eſſet, ea quæ putredini adverſantur, imponi; qua autem vivide rubrum, lumbricorum terreſtrium ſuccum adhiberi, ut quem ibi quoque valde proficuum experirentur. Quod reliquum eſſet, lentam illam febriculam nunquam abiiſſe, imo aliquando etiam intendi: noctes aliquas inquiete traduci ob pruritum in corporis ambitu, nonnunquam ob motus ſpaſmodicos ſani cruris, denique cute quantumvis etiamtum molli; ægrum tamen ad extremam maciem eſſe redactum. Cum alia, tum hoc præſertim poſtremum vehementer diſplicuit, ut quod vitæ diutius protrahendæ ſpem valde minueret. Attamen ne Seni Generoſiſſimo, & Medico Humaniſſimo prorſus deeſſem, quorum uterque ob ea quæ antea ſcripſeram, plus mihi quam ipſe agnoſcerem, tribuebant; cum ad cætera reſpon-

(*a*) A. 1710. Botanique. (*b*) Eph. N. C. Cent. 6. Obſ. 82. (*c*) A. 1748. (*d*) Eph. cit. Dec. 3. A. 2. Obſ. 224. (*e*) De abditis nonnullis &c. morbor. cauſis c. 71. (*f*) Cent. 4. Obſ. Chir. 92. (*g*) de Gangr. & Sphacel. c. 7. in fin. (*h*) Chirurg. P. 2. l. 1. c. 14. (*i*) l. ſupra ad n. 24. cit. c. 13. (*k*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 215.

ſpondiſſem, ea potiſſimum laudavi quæ adverſus reliqua convenirent quidem, ſed in primis adverſus maciem. Itaque de duobus remediis quæ illo anni tempore valent plurimum, vipera, & lacte, utrum mallent, commendavi. illud etiam de lacte adjiciens, ut ſiquid utilis ex Hildano ſuperiore conſilio propoſuiſſe me, crederent, hoc etiam ex eodem Auctore (*l*) acciperent, adverſus iſtud ipſum morbi genus laudante non ſolum *muliebre lac*, ſed, *ſi* hoc *deſit*, *aſininum*: a quo ſi ferretur, facilis poſtea eſſet tranſitus ad vaccinum. De his remediis duobus utrum maluerint, neſcio: hoc ſcio, ægri vitam ad æſtatis initium, protrahi non potuiſſe.

26. Habes fuſe, ut de morbo non ita apud nos frequenti, quid ad me ſcriptum fuerit, & quid ipſe reſponderim. Num vero in hoc etiam gangrænæ genere locus eſſet proponendi interius quidem corticem Peruvianum, exterius autem aquam tepidam, cogitaſſem forſitan, ſi de illo tum extitiſſent Obſervationes, quamvis alias aliter reſpondentes, cum ab aliis Solertiſſimis Viris habitæ, tum Bononiæ præſertim ab Experientiſſimis illis Academicis (*m*) repetitæ; de tepida autem innotuiſſet felix Cl. Benevoli conſuetudo ex Obſervatione in primis illa (*n*) qua ſic gangrænas vicit, non modo nigram, ſed & duram cutem efficientes. Et quod ad Peruvianum quidem corticem ſpectat, etſi in gangræna ſicca ut laudatum ſcio a Cl. Chirurgo Guiſardo (*o*), ita ab altero ejus vim in dubium tractam eſſe, intelligo (*p*); tamen quemadmodum inter cætera quæ corticis utilitatem adverſus gangrænas alias oſtenderunt, experimentum illud in primis attendendum videtur in quo omnia in melius vergebant dum cortex ſumeretur, pejus autem dum omitteretur, & denique rurſus melius, dum rurſus in uſum traheretur; ſic non leve pondus ad eandem in ſicca etiam gangræna utilitatem menſurandam ſimili Obſervationi ineſſe, crediderim, quæ in Hiſtoria extat Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis (*q*): quæ enim in pede inceperat, gangræna ſicca pro alterna corticis exhibitione, & intermiſſione, alterne melius, priuſque habebat donec ſub ejus haud amplius interrupto uſu pervicta eſt. Veruntamen repetitum ſæpius experimentum, neque in gangræna incipiente ſolum, ſed jam perfecta, optandum hic eſſe, vides; nec Benevoli conſuetudini; ut ad remedia exteriora tranſeam: tunc eſſe locum, quando id quod durum eſt, non detrahere, ſed vel magis ſiccum reddere ſtatutum ſit, ut æger diutius ſervetur: ad quod ea quæ emortuam partem, quaſi cadaver quoddam, condire poſſent, ſunt adhibenda. Contra etiam, atque etiam videndum eſt, ne facile in ſimilibus gangrænis ad ea quæ pus moveant, deſcendamus, Medicorum illorum memores, qui per ſuppurationem id quod erat in pollice pedis mortuum a vivo ſeparare ſperantes, gangrænam quam Boerhaavius (*r*) ibi ſex menſes coercuerat, ad femur uſque tridui ſpatio promoverunt. Quin etiamſi in perſimili caſu optima jam eſſet ſappuratio; ægrum tamen ſervari non potuiſſe, refert Cl. Dieter. Sproegelius (*ſ*), monetque, in morbis ejuſmodi ne optatis quidem, & ſuccedentibus ex ſententia ſuppurationibus adeo facile eſſe fidendum. Quæ res vel una eorum ſpem retardare poſſet, qui in iſtiuſmodi ſenum gangrænis emortui membri amputationem laudarent. Sed alia inſuper accedunt, ut puta ſi quod Kulmus (*t*) cenſebat, & certe aliquando eſt, ab oſſeis factis, arctatiſque ſuperius arteriis nata eſſet gangræna, aut ſi in ſanguine, ut creberrime accidit, inexpugnabilis eſſet gangrænæ cauſa, unde factum eſt plerumque, ut ſuperſtitem aut ejuſdem membri, aut alterius partem mox idem morbus invaderet, ſive a Chirurgo amputatione peracta, ut in Hildani (*u*), & Tulpii (*x*), & aliorum Obſervationibus, ſive facta ab natura ipſa ſeparatione, ut in epidemicis, quas ſupra (*y*) indicavimus, gangrænis a vitiatis ſecalis granis videre licet. Hæ igitur cauſæ, præter decrepitam ætatem, in Ægro a me deſcripto cogitare de amputando pede non permiſerunt. Sed etſi extremum illud auxilii genus ferre homo perſenex potuiſſet, neque alio idem malum paulo poſt rediiſſet; tamen difficile factu erat, ne mox nono alio aliquo de tot quibus illa ultima ætas patet, ſe exerente abſumeretur. Ut enim morbi dumtaxat unius exemplo utar, eoque ad hujus Epiſtolæ propoſitum attinente; inter magis provectos Auditores meos eſt Medicus qui tres, neque ita longo temporis intervallo ſenes hic vidit, calcanei omnes alium ulcere, alios gangræna correptos, feliciterque perſanatos, quorum omnium ſanationem arenarum mictus excepit, & hunc veſicæ inflammatio, hanc autem mors. Itaque ut in ætatibus firmioribus, heroicis, quas vocant, curationibus eſt locus; periculo enim ſpes opponitur longæ feliciſque vitæ, ſic in extrema ſenectute cum quod opponas magno periculo vix eſſe poſſit, ſenioreſque tuta etiam & miti curatione ſanati, mox nihilominus intereant; ab hac ſecunda eos curandi ratione non videtur temere eſſe recedendum. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LVI.

Sermo habetur de Oſſium Fracturis, Lexationibus, aliiſque vitiis motui officientibus.

Etſi propoſitos morbos Sepulchretum diviſos exhibet in proximas Sectiones duas V. & VI. hæ tamen ſunt breves adeo, ut Obſervationes utriuſque, & Scholia univerſa foliis duobus comprehendantur: neque hæc implerent, niſi aliqua jam ſupra poſita repeterentur: quod vel ipſo initio Sectionis V. factum deprehendes, ſi Obſervationis I. §. 1. eique ſubjecta duo prima Scholii capita cum II. Sectionis Obſervatione XV. §. quidem 3. & appoſito ad hunc Scholio comparaveris. Nobis vero qui de Vulneribus Ictibuſque agentes, ſæpe oſſa fracta memoravimus, potius quam eadem hic iterare, placet quidquid in Valſalvæ, aut noſtris ſchedis ſupereſt quod ad propoſitos attineat morbos his unis Litteris complecti, initio ducto ab eo oſſe circa quod præcipue noſtræ ſunt Obſervationes verſatæ, cum fractum, an luxatum eſſet, inquireremus. Quæ res coget, ut promiſcue de utroque morbi genere, non ſeparatim, verba faciamus.

2. Veteres ut cæterorum oſſium, ita etiam oſſis femoris caput e ſua ſede excidere non dubitabant, eoque minus quod etſi difficilem prolapſi repoſitionem, difficiliorem autem repoſiti conſervationem eſſe, ſciebant, tamen utramque egregie aliquando præſtitam eſſe, ex Hippocratis, & Dioclis, & Philotimi, & Nilei, & Tarentini Heraclidis teſtimonio non ignorabant. Hi enim *clari admodum authores ex toto ſe reſtituiſſe*, ut Celſus (*a*) ait, *memoriæ prodiderunt*, & ille quidem Heraclides non ſemel, quod ejus locus oſtendit, nobis a Ga-

(*l*) c. 13. cit. (*m*) Comment. de Bonon. Sc. Acad. Tom. 2. P. 1. inter Medica. (*n*) 16.
(*o*) Vid. apud Haller. in Acceſſ. ad Boerh. Meth. Stud. Med. P. 13. c. 4. (*p*) Vid. Act. Erud. Lipſ. A. 1751. M. Jul.
(*q*) A. 1748. (*r*) Vid. apud Swieten. in Comment. ad illius Aphor. §. 424. (*ſ*) Obſ. Select. §. 37. (*t*) Vid. ſupra, n. 23.
(*u*) Cent. 4. Obſ. 92. (*x*) Obſ. Med. l. 3. c. 47. (*y*) n. 24. (*a*) De Medic. l. 8. c. 20. (*b*) in Hippocr. de Artic. Comment. l. 4. n. 42.

Galeno (*b*) conſervatus, qui ſe quoque *femoris luxationem bis jam ita curaviſſe, ut in reliquum tempus non amplius exciderit*, idemque poſt Heraclidem *alios multos recentiores* præſtitiſſe, confirmavit. Sed quod Heraclides, & Galenus adnotaverant, id tunc ſuccedere cum relaxatum, non cum diſruptum eſt, teres, ut vocant, per quod femur cum acetabulo conjungitur, vinculum, propterea quia per medicamenta fieri poteſt, ut abſumpto laxante humore, laxatum vinculum rurſus contrahatur, non ut diſruptum coaleſcat, Medicos ut in parte verum docuit, ſic in parte a vero aſſequendo magis, magiſque abduxit. Verum enim eſt, laxato vinculo, prolabi ex ſuo acetabulo femoris caput; ſed non æque eſt verum, idem caput ſæpe prolabi, quia diſruptum ſit illud vinculum. Itaque ut luxatio femoris a cauſa interna qua videlicet laxetur vinculum, negari non poteſt; ſic ejuſdem luxatio a cauſa externa, a violentia nimirum quæ diſrumpat vinculum, non erat tam facile inter frequentiſſimas ponenda. Nec poſita eſſet, ſi hinc difficultas in rumpendo vinculo validiſſimo, inde vero facilitas in capite femoris ab ſua cervice avellendo, ſive in hac frangenda fuiſſent inter ſe comparatæ. Intellectum enim eſſet, vires quæ poſſint illud vinculum diſrumpere, multo citius hoc caput poſſe a cervice avellere, ſive hanc frangere, ſicque, niſi quid forte peculiare hic habeant nonnulla corpora (*c*), femur ob capitis avulſionem, aut ob cervicis fracturam, non ob luxationem, prolabi. Hæc autem, aliaque ejuſcemodi vix tandem animadverti cœpta ſunt poſtquam inſtituta in mortuis diſſectio manifeſtiſſime oſtendit, quæ capitis femoris luxatio ab externa violentia credebatur, eam ferme ſemper fuiſſe capitis avulſionem, ſive cervicis fracturam. Neque enim ex quo Pareus (*d*) ingenue faſſus eſt, & cautis Chirurgis aliquando, & ſibi in matronæ curatione accidiſſe, ut illi capitis femoris avulſionem, ipſe cervicis fracturam pro luxatione acciperent, ſtatim de rei cauſis cogitatum eſt. Deceptus autem Pareus fuerat a majori femoris trochantere quod ſupra iſchion tangens, femoris caput eſſe, crediderat, donec poſtridie dum iterum in acetabulum os compellere nitebatur, a ſtrepitu ſubaudito colliſi oſſis de fractura admonitus eſt, primuſque omnium, quod ſciamus, fallaciam hanc quanto graviorem, tanto ob ſignorum communitatem, & ſimilitudinem, faciliorem in femore quidem detexit. Nam generatim, ſed in pueris dumtaxat, indicaverat Columbus noſter (*e*), cum poſteaquam docuerat, *ſi hœdi, aut agni, vel alterius animalis nuper nati oſſicula decoxerimus, in eorum extremitatibus partes quaſdam*, id eſt appendices, ſive epiphyſes, *divelli ac concidere*, eſſe *conſpecturos*, tum, plurimis interjectis, admonuit, ſi *tenella puerorum oſſa validius imperiti medici manu fuerint attrectata, ligamenta eo uſque extendi, ut ſecum una appendices divellant*. Divulſionem autem, & fracturam, quantum ad inſtitutum ſermonem attinet, eodem redire, & propterea a me promiſcue accipi hic poſſe, facile intelliges, ubi animadverteris, ſive caput femoris a cervice avellatur, ſive cervix a femore, in adultis utique non poſſe hæc ſine fractura contingere, haud ſecus ac ſi cervix ipſa in medio frangatur. Sed neque in pueris, ſi rei effectum, & ſigna attendas, magni adeo referre, putabis, ſi avulſionem a fractura non ſepares; niſi forte ſignum illud quod a ſono capitur colliſorum inter ſe oſſium, in hac magis, in illa minus habere locum, exiſtimes: quanquam in pueris fere avulſio accidit, non fractura, neque in adultis ipſis quantum momenti in ſigno illo eſt, cum adeſt, tantum quoque eſt, cum abeſt. Fractæ enim cervicis extrema rarius reſpondent inter ſe, nec ſemper alterum ad alterum a Chirurgo admoveri licet, ut ſatis collidi inter ſe poſſint: nec ſemper poteſt ſonus, qui levis fere, & obſcurus eſt, ſatis audiri: quamobrem accidit aliquando, ut non niſi poſtridie, ſicuti de Pareo diximus, imo ut non niſi pluribus interjectis diebus, diſcuſſaque inflammatione, tandem audiretur.

3. Ex quo Pareus rem detexerat, non ſtatim rei cauſas eſſe quæſitas, ſed diſſectiones quæ rem evidentius oſtenderent, expectatas eſſe, ſupra diximus. Multo autem diutius expectatum eſſet, ſi primum illæ a Verneyo, ut nonnulli credunt, aut ab Ruyſchio, ut alii, aut etiam ab Rolfincio eſſent inſtitutæ. Quin Rolfincius ipſe (*f*) indicavit qui triginta ante ſe annis illud feciſſet, Caſparum videlicet Hoffmannum, qui Commentariis A. 1625. editis in libros Galeni de Uſu Partium, cum monuiſſet (*g*), *fieri aliquando, ut fractura ſit, cum putetur luxatio eſſe, cum videlicet femur vel in ſummitate, qua appendix eſt, frangitur, vel in ipſa cervice; illud*, inquit, *de appendicibus omnibus monet Columbus l. 1. c. 2.*; *hoc ego vidi in femore felis*: ſubjecitque ſuam felis Obſervationem, ex quo junior a vi externa ſemper claudicaverat, creditæ luxationem paſſæ, in qua tamen diſſecta, non luxatum femur, ſed femoris cervicem fractam invenit, cervicis capite in ſuo acetabulo etiam tum hærente. Et continuo cauſas addidit, cur humerus facile luxetur, femur difficulter, quarum prima eſt, *quia ille quidem caret hoc ligamento* terete, *hoc autem habet*: altera, quia hujus acetabulum ſtrictius eſt, & profundius, tertia quia ejuſdem junctura firmioribus muſculis cingitur, atque inſtruitur. Quæ omnes cauſæ nunc etiam proferri ſolent: quanquam Rolfincius Hoffmanni Obſervationem deſcripſit; eas omiſit: id quod etiam ex Sepulchreto (*h*) intelliges, omnia quæ Rolfincius hac de re habet, exhibente, niſi quod hæc tamen verba prætermittit, inter Scholium, & Hoffmanni Obſervationem interjicienda: *Multoties erratum ingens hic obſervavimus, & ſimile adnotatum ab Hoffmanno*. Num autem mortuos ſecando, obſervaverit, an vivos tangendo, ut in altera Scholii parte Diemerbroeckius, ipſe exiſtimabis. Certe Parei in matrona illa animadverſionem, & monitum nemo horum memoravit. Aliud enim eſt quod neſcio ex quo Parei capite produxit Rolfincius, qui dum infantibus hanc epiphyſim nutricum culpa, & junioribus levi de cauſa, ut ex oſſium probat coctione, disjungi, inculcat, ſe per Columbum magis, quam per Pareum, profeciſſe, oſtendit. Sed Hoffmannus in Poſthumo Opere (*i*) univerſe confirmavit quod olim ex illa junioris felis Obſervatione docuerat, ſtatuitque, *maxime verum eſſe, fracturam potius in cervice femoris contingere, quam luxationem capitis femoris, ob ligamentum inprimis teres, quod in ipſo acetabulo eſt:* quanquam A. 1641. ad ipſum reſcribens Veslingius (*k*) nonnihil rem contrahere videbatur, ſpectans videlicet, cum id contingit, non modo ligamenti robur, ſed & fragilitatem oſſium *quibuſdam naturis inſignem*. Hæc paulo fuſius ad te ſcribenda putavi de iis qui ante noſtram ætatem de re propoſita mentionem injecerunt, ut quid cuique tribuendum ſit, appareret, ſive in præeundo, ſive in agnoſcendo, ſive in demonſtrando, ſive in rei ipſius cauſis inquirendis. A quorum Obſervationibus antiquior illa fortaſſe non diſcrepat Jacobi Sylvii (*l*) in latomo lapſo ex alto qui *crus fregerat ad caput coxæ*; cruris autem nomine quid intelligeret, cum ſæpe alibi, tum ibi præſertim manifeſtum eſt, ubi (*m*) ligamentum illud teres quod ſæpius memoravimus ſupra, ab acetabuli fundo ortum, deſcribens, *in medium*, inquit, *cruris caput inſeritur*.

4. Eorum autem qui noſtra ſcripſerunt ætate Obſervationes, non omnes tamen hic quidem, eaſque ſtrictim indicabimus tum quia crebrius hæ ſunt in omnium manibus, tum quia præcipuæ extant in Salzmanni Diſſertatione (*n*) anno edita 1723. qua copioſe, & accurate, ſiquis alius, cauſas expoſuit ob quas difficilius luxatio femoris ab ejus colli fractura internoſcatur, & facilius tamen hæc, & quod conſequitur,

(*b*) in Hippocr. de Artic. Comment. l. 4. n. 42. (*c*) Vid. infra, n. 5. in fine. (*d*) Oper. l. 14. c. 21.
(*e*) De Re Anat. l. 1. c. 2. (*f*) Diſſert. Anat. l. 2. c. 49. (*g*) Vid. l. 3. in fin. (*h*) Sect hac 6. Obſ. 2. cum Schol.
(*i*) Apolog. pro Galeno l. 2. c. 81. (*k*) Epiſt. 25. (*l*) Obſerv. poſt Iſagog. (*m*) Iſagog. l. 1. c. 3.
(*n*) De Luxat. oſſ. femor. &c. c. 4.

tur, ſæpius quam illa, ab externa violentia contingat. Sunt illæ Obſervationes in iis habitæ quorum claudicatio a luxatione, non a fractura eſſe credebatur, aliæ autem ad Ruyſchium, aliæ ad Cheſeldenum, aliæ ad Erndlium pertinet, accedentibus cum Ravii approbatione aliis Borſtii Obſervationibus, qui cum octo pariter claudicantes ſecuiſſet, nunquam luxationem, ſed fracturam ſemper, ut illi, cervicis femoris deprehenderat. Ruyſchius autem, cujus potiſſimum auctoritate res confirmari noſtris temporibus cœpta eſt, & rei cauſas (*o*) ſimul cum Obſervationibus protulit, & in harum quibuſdam peculiare aliquid adnotavit, nimirum cervicis olim ruptæ, & comminutæ, non ſolum non ſuperſtites reliquias fuiſſe, ſed ejus loco aliquando (*p*) plura ligamenta comperta eſſe dura, craſſa, teretia, quæ non exterius, ſed interius ducta, femoris caput cum ſuprema ejus parte connecterent; aliquando autem (*q*) cum hac illud rurſus conglutinatum, ferruminatumque fuiſſe repertum. Ad quas duas peculiares adnotationes nonnulla ſunt quæ adjicias. Ad primam, Salzmannum in Diſſertatione alia (*r*), quinquennio ante eam quam laudavi, emiſſa, indicaſſe, ligamenta illa dura, & craſſa quæ inter caput, & femur Ruyſchius viderat, & ab natura in cervicis locum ſubſtituta eſſe, non dubitaverat, ex perioſtio facta eſſe, quod a fractura laceratum, ibi non raro durius, & craſſius fieri ſolet, ac ligamenti vicem præſtare, cujus rei exemplum in fractura quadam ulnæ, & radii jam olim in Eruditorum Actis Lipſienſibus (*ſ*) propoſitum fuerat. Sed tamen hoc ſaltem attendas velim, Ruyſchiana iſta ligamenta non ad exteriores fractorum oſſium parietes, ut perioſtium, ubi eſt, ſolet, ſed ad eorum partem interiorem pertinuiſſe. Ad alteram, id eſt adnotatam ferruminationem, ſive conglutinationem fracti femoris cum ſuo capite, quod alioquin ſejunctum in acetabulo inveniri ſolet, adjiciendum eſt, cum ea accidit conglutinatio; accidiſſe autem non ſemel novimus; id deligationibus acceptum eſſe referendum, per quas femur ad caput appreſſum diutius ſervatum eſt, ægrique conſtantiæ in quieſcendo, omnemque motum vitando. Neque tamen non clauda illa anus erat, in qua ejuſmodi conglutinationem invenit Ruyſchius. Etſi enim deficiente femoris collo, os totum minus extrorſum obliquum fit, eoque artus minus brevis, quam futurus fuiſſet; tamen ſic femur femori propius eſt, & muſculorum ipſum, & crus moventium directiones mutantur. Sed & illa claudicabat fœmina de qua in Erndlii indicata Obſervatione ſermo eſt, tametſi ipſa fracta cervix per callum, digiti pollicis latitudine ſub capite extantem, coaluerat, ut non deeſſe cervix videri poſſet, nullaque in ligamentis, viciniſque tendinibus læſio, aut præter naturam conſtitutio apparebat; adeo facilis eſt poſt fracturam claudicatio! Quanto autem amplior, & firmior eſt tota illa pars ſummi femoris quacum cervix ſua baſi cohæret, quam cervix ipſa, tanto is coalitus de quo primum diximus, minus quam hic alter, difficilis eſt: cujus auget difficultatem eadem quæ facilem fracturam facit, obliqua cervicis protenſio. Impulſum enim quem homine, exempli cauſa, ab alto in pedes cadente, recta crurum, & femorum oſſa impune ſæpius excipiunt, ferre vix unquam poteſt cervix in tranſverſum protenſa, adeo præſertim fragilis, & a capite cujus aſcenſui acetabulum obſtat, motum femoris, ſurſum propulſi, ſequi prohibita. Hæ autem eædem cauſæ, cum muſculi femur ſurſum trahunt, fractæ cervicis partes, rurſus inter ſe contingentes, & & coaleſcere incipientes, disjungunt, atque reglutinant. Et cervicis quidem hunc poſitum Auctores vetuſtiſſimi non ignorarunt: itaque Hippocrates (*t*) diſerte ſcripſit, *caput femoris, & cervicem articuli natura obliquam eſſe*. Ariſtoteles autem (*u*) cum femur *biceps* eſſe, dixit, non id quod Niphus (*x*) interpretatus eſt, voluit, *alterum* videlicet *femur* eſſe *a dextris, alterum a ſiniſtris*; modo enim hoc ſatis indicaverat; ſed hinc majorem trochanterem, inde cervicem in ſuprema femoris parte ſpectans, ipſum bicep eſſe, docuit. Cur autem ita diviſum ſit, & cervicem habeat pene in tranſverſum protenſam, longe manifeſtius eſt, quam cur cervici fragilis adeo ſtructura contigerit. Nam & aliis quibuſdam oſſibus commune, non hujus dumtaxat, ut Docti quidam Viri ajunt, eſt peculiare, ut partes emittant quaſdam, cum ipſis angulum intercipientes, ut puta ſcapulæ, & inferior maxilla. Sed emiſſæ ab his partes longe firmiori ſtructura ſunt, ſi ſuis cum oſſibus conferantur, quam cervix femoris cum hoc comparata. Neque ipſa oſſe cui additur, eſt tanto craſſior, ut de ea pariter dici poſſit quod de extremis longiorum oſſium partibus, ſua craſſitudine, ſi non ſtructura, fractioni reſiſtentibus.

5. Quid vero in pleriſque accidat quibus cervix fracta eſt; ob eas enim quas diximus, cauſas rari omnino ſunt quibus coaleſcat; mox videbimus, ad Salzmanni illam aliam Diſſertationem tranſeuntes, ſimulque eas quas in memorata hactenus referre non potuit, indicantes; non omnes tamen; plures enim apud alios extare, novimus; ſed unius ſolum, & alterius mentionem facientes, quæ, cum hæc ſcriberemus, erant in manibus. Igitur ut illi quos omittimus, ita etiam experiens, induſtriuſque Chirurgus Gregorius Barbettus, ſicut in Apologia (*y*) eſt quam ad nos humaniter miſit, idem, in diſſecta a ſe, fœmina vidit octoginta circiter annos nata, cui tametſi ad quartumdecimum uſque ex quo ceciderat, diem non brevior ſano artu alter fuerat, cervix tamen femoris fracta erat, an, ut ſuſpicatur, quia cum initio eſſet non prorſus fracta, tandiu muſculis femur moventibus reſtitiſſet? Idem tamen alteram profert Obſervationem hominis qui a vehementi calcis ictu ad eundem femoris articulum diu claudicaverat. In eo luxatum femur deprehendit, ut capite dorſum oſſis ilium contingeret, nullo teretis ligamenti veſtigio ſuperſtite, orbiculari autem deformato, & acetabulo quaſi deleto. Ipſe autem Salzmannus qui duorum quæ ſingula in ſingulis ſuis illis Diſſertationibus egregie conſtituit, neutrum ingenue faſſus erat ſibi etiamtum contigiſſe, ut per diſſectiones conſpiceret; quinquennio poſt, utrumque interea ita ab ſe compertum affirmare potuit (*z*), ut quod ad primum attinet, fracturam *femoris frequentius quam* luxationem *deprehendere ſibi licuiſſe*, aſſeveraret: quod vero ad alterum, duo femoris luxationum exempla proferret, in quorum uno femoris caput, cervice non fracta, in altero (*a*) cervix, a capite, quod abſumptum erat, abrupta, *oſſis ilii ſedi externæ paulo ſupra* acetabulum *inſiſtebat, & ab attritu a longo tempore facto cavitatem quandam & ſinum velut ſuperficialem efformaverat, unde, pede breviore licet exiſtente, utrumque ſubjectum, quamvis non expedite, greſſus firmare, & progredi utcunque poterat*. Nec vero exemplum de duobus his primum, aut Obſervatio quam ex Actis Berolinenſibus ipſe in Diſſertatione (*b*) produxerat, & ſiquæ aliæ *non frequentes*, ut vere ait, iſtiuſmodi Obſervationes ejus ſimiles quam paulo ante ſecundo loco ex Barbetto commemoravi, ſententiæ adverſantur ſuæ, quæ ex ipſo Diſſertationis ejuſdem titulo ſatis apparet *De Luxatione oſſis femoris rariore, frequentiore colli Fractura*. Cum plura enim hujus extent, quam illius, exempla in adultis quidem, & a cauſa externa, ut Ruyſchius (*c*) *raro*, Ravius (*d*) *rariſſime* luxationem accidere, confirmarint; exempla quædam contraria non officient cautæ prudentique Salzmanni ſententiæ; imo, ſi hæc nulla eſſent, ſtare ejus ſententia non poſſet, quæ *rariorem* eſſe luxationem affirmat. Quin, cum enumerat (*e*) cauſas, propter quas hæc interdum contingat, ut pervulgatam ligamentorum laxitatem ab arthritide; circumjectorum muſculorum, tendinumque paralyſim, majorem æquo a primordiis acetabuli amplitudinem, aut capitis femoris parvitatem, item in margine acetabuli fracturam aliquam, aut defe-

(*o*) Theſ. Anat. 8. n. 103. (*p*) Theſ. 9. n. 74. (*q*) Ibid. n. 44. (*r*) De Articul. Analog. &c. c. 2. §. 1. & 4. & c. 3. §. 2. (*ſ*) A. 1685. M. Nov. (*t*) l. de Articul. n. 63. apud Marinell. (*u*) De Hiſt. Animal. l. 1. c. 15. (*x*) in Expoſ. ejus loci. (*y*) Apologia di due Cure. (*z*) Vid. in Comment. Imp. Acad. Petropol. Tom. 3. Obſ. Anat. (*a*) Vid. etiam Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 101. (*b*) c. 2. §. 7. (*c*) Theſ. Anat. 8. n. 103. §. 2. (*d*) Vid. Differt. Salzman. modo cit. c. 4. §. 2. (*e*) Ibid. c. 3. §. 5.

fectum, aut tumores denique intra acetabulum ſubortos; proclive eſt nobis intelligere, ubi aliqua ex his cauſa ſit non tanta quidem, ut per ſe adhuc poſſit femoris caput ex acetabulo extrudere; tunc ſi forte externa aliqua vis accedat, non difficile fore, ut luxatio fiat, ſicut in iis pariter quibus a natura laxiora aliquanto obtigerint ligamenta, aut teres (quæ rara Nicolai (*f*) Obſervatio eſt) prorſus nullum.

6. Nunc quando nonnullæ ſunt Obſervationes commemoratæ quibus oſtenditur quid in illis acciderit quorum femur aut fractum, aut integrum ex ſua ſede prolapſum, reſtitui in eandem non potuit; ſubjiciendæ ſunt aliæ eodem attinentes. Et Joannes quidem Salzmannus in Diſſertatione illa de qua ſupra indicatum eſt, inſcripta *De Articulationibus Analogis, quæ fracturis oſſium ſuperveniunt*, cum hoc argumentum generatim pertractet, plura habet quæ libenter inſpicias, & huc transferas; ſed Obſervationes profert quarum pleræque cum ad alia attinent oſſa, tum præſertim, in viventibus tactu dumtaxat judice, non in diſſectis cadaveribus judice etiam viſu, habitæ ſunt: itaque ex iis quas potiſſimum hic quærimus, habet nullam; niſi forte attinere huc velis Ruyſchianam illam qua cervicis loco craſſa quædam vincula caput cum ſummo femore committebant; nam quæ ex Diemerbroeckio ſunt, illæ, ut ſupra (*g*) animadvertimus, ad anatomicam inſpectionem non pertinent. Pertinet autem duplex in una muliere Obſervatio quam in Diſſertatione legi Oſteologica (*h*) ſub præſidio Celeberr. Gaubii edita, ab eodemque benigne ad me miſſa. Femur utrumque ex ſuo acetabulo exciderat. Dexteri autem caput erat integrum; ſiniſtri carie plane conſumptum. Itaque cum ſingula nova acetabula, in ſingulis ilium oſſibus, ſingulis illis capitibus reſpondentia ſpectarentur; acetabulum ſiniſtrum leviter, dexterum profundius erat excavatum; vetera autem acetabula ferme deleta; ut facile poſſet exiſtimari, vetera hæc orbata capitibus, quæ ſua mole, & preſſione, & motu ipſa conſervarent, ſuum cavum ferme amiſiſſe, nova autem illa ſic inæqualiter eſſe excavata, quod capite ſiniſtro antea exeſo quam ſatis apprimi potuiſſet, corpus a dextero ſuffultum, eoque integro, magis magiſque os ilium dexterum ad ipſum apprimendo, ut ab eo excavaretur, effeciſſet. Neque abſimilia olim vidiſſe Pareum, animadverti ex quodam ejus loco (*i*), quem operæ pretium eſt hic tibi deſcribere. *Non ita raro*, inquit, *excrementitii humores in Iſchiade tanta vi in hujus dearticulationis cavitatem quaſi impetu quodam incurrunt, ut relaxatis ligamentis .... caput oſſis femoris hinc facile depellant, nunquam reſtituendum, ſi paulo diutius abfuerit: quia interim in illam cavitatem illapſus humor, mora velut in lapideum quaſi concreſcit, femoris vero ille articulus in vicino oſſe novam ſibi cavitatem attrivit, veræ vero cavitatis labra, quæ cartilaginea ſunt, ſtrictiora & depreſſiora evaſerunt*. Porro has, & ſiquæ ſunt aliæ, cum femur aut integrum, aut fractum in exteriorem incubuit partem, excavati interdum in ilium oſſe novi acetabuli Obſervationes ſine cadaverum diſſectionibus poſteri non minus ignoraſſent, quam Hippocrates in eo libri de Articulis loco (*k*), quem ſi proferam ſecundum eam verſionem quam plerique poſt Cornarium ſecuti ſunt, minus facile intelligas, ut opinor, quam ſi ex Feliciani verſione, conjuncta cum Galeni interpretatione produxero. Sic igitur Hippocrates, de femoris luxati capite verba faciens. *Cum tamen in carne, in quam prolapſus eſt, articulus moram invenit: & caro lentorem contraxit: dolore vacans temporis proceſſu evadit. Cum vero dolore vacat, abſque baculo, ſi alioqui voluerint, poſſunt ambulare: poſſuntque corpus læſo crure ſuſtentare*. Sic autem hæc interpretatur Galenus (*l*): *Per translationem moram*. *i.* τρίβον *dixit a locis a viatoribus diuturna immoratione attritis, atque aſſuefactis. Ejuſmodi autem oratio ejus hæc eſt. Cum caput femoris e propria ſede elapſum in exteriorem partem, in carne firmatum fuerit: inter initia qui id patiuntur, ex compreſſione dolore afficiuntur: poſtea vero temporis proceſſu caro ibi, non ſecus ac foſſorum manus, occalleſcit. Quod cum fit, locus dearticulationi ſimilis evadit: cum mora illa, quemadmodum antea acetabulo coxæ, caput femoris utatur*. Poſtea vero quam dixit quomodo poſt inflammationem humor ibi quidam *lentus ac mucoſus* relinquatur; *id*, inquit, *ad motionem capiti femoris commodiſſimum eſt. Ob hanc enim humiditatem mora illa tanquam articulo utuntur*. Quid igitur in re hac Veteres illi conjicerent, & quid inſuper morbidorum cadaverum diſſectiones oſtenderint, ex eorum comparatione præclare intelligis.

Hæc autem omnia in ipſo Epiſtolæ hujus initio longa oratione præfatus ſum, ut paucis dilucide poſſim, quo ſingulæ attineant, & quas confirment mox producendæ Obſervationes, ſignificare. Earum prima ex Valſalva eſt.

7. MULIERI ſexaginta annorum, difficili reſpiratione cum tuſſi laboranti, caſu os femoris luxatur. Tunc aſſidua accedit febris: quæ, aucta ſpirandi difficultate, mulierem undecimo die interimit.

VENTRE patefacto, jecur invenitur durum, in ejuſque veſicula plures calculi.

Thorace recluſo, pulmones apparuerunt magnis extra, intuſque nigris maculis variegati. A dextris una circiter aquæ libra; a ſiniſtris pauxillum thoraci inerat. Concretio polypoſa dilatatam cordis auriculam dexteram implebat: altera in ſiniſtro erat ventriculo, indeque ſe producebat in vaſa. Tandem quod ad femur attinebat, revera luxatum inventum eſt, laxato videlicet eo ligamento quo femoris caput intra Innominati oſſis acetabulum alligatur.

8. Quæ luxationem præceſſerant, difficilis reſpiratio, & tuſſis ab dilatata auricula, aqua in thorace deprehenſa, & duro jecinore poſſunt repeti. Quæ vero luxationi ſucceſſit, febris, ab dolore, & vexatione quæ luxatio attulerit vicinis partibus: a febrili autem ſanguinis motu, pulmones, aliaque viſcera afficiente, aucta difficultas ſpirandi, & mors.

Sed quod luxatio ſine fractura cervicis contigerit, id teretis, ut vocant, ligamenti laxitati tribuendum eſt, minus fortaſſe a natura, aut a prægreſſa quapiam cauſa firmo, & robuſto, eoque ut magis a caſu laxaretur, facileque caderet, jam diſpoſito. Neque hæc Obſervatio adverſatur ſententiæ Ruyſchii, ut qui *raro* quidem, ut ſupra (*m*) dixi, id contingere, affirmavit; non, quod aliqui ipſi affingunt, nunquam accidere, negavit. Fractæ autem cervicis Obſervationes has duas accipe, quarum prima ab exercitatis apud me Diſcipulis, altera a me ipſo habita eſt.

9. VIR ruſticus ex arbore delapſus, femur luxaſſe credebatur. Quod cum in ſuam ſedem reponere fruſtra Chirurgi conati eſſent tanto majori ſedulitate, quod elapſum femoris caput manu percipere ſibi videbantur; forte accidit, ut Juvenes illi qui me non ſemel audiviſſent docentem, quanto facilius a vi externa cervicis fractura, quam femoris luxatio, contingat, & quomodo trochanter major Pareo ipſi (*n*) pro femoris capite impoſuiſſet, hæc minime reticerent, nec tamen ſeniores illos Chirurgos a præjudicata opinione abducerent. Itaque duobus circiter exactis menſibus cum Thoracis morbus hominem qui e lectulo necdum ſurrexerat, corripuiſſet, & & catarrho quaſi ſuffocante confeciſſet ante finem A. 1727. per diſſectionem cognoſcere voluerunt, ipſi, an Chirurgi decepti eſſent. FEMORIS ſummo oſſe, ejuſque acetabulo retectis, omnibus qui aderant, Anatomes, & Chirurgiæ ſtudioſis oſtenderunt, perfractam in medio fuiſſe cervicem, dimi-

(*f*) Dec. illuſtr. Anat. Obſ. 7. (*g*) n. 3. (*h*) De modo quo oſſa ſe vicinis accommodant partib. §. 42.
(*i*) Oper. l. 17. c. 22. (*k*) n. 63. apud Marinell. (*l*) in l. Hippocr. de Artic. Comment. l. 3. n. 93. (*m*) n. 5.
(*n*) ſupra, n. 2.

dimidio hujus altero ad caput, quod acetabulo inhærebat firmiter, altero ad os femoris prope trochanterem, qui in vivo homine fucum fecerat, adhærente. Ex eodem autem corpore, quod ictericum nequaquam fuerat, quot qualeſque calculos, in fellis veſicula inventos, ad me attulerint, & quæ ego de iis experimenta ceperim, cum ad Schroeckium ſcripſerim, & ipſe ediderit (*o*), non eſt hoc loco repetendum.

10. FŒMINA annos nata circiter quadraginta, pinguis, a ſiniſtris clauda, dorſo nuper ad imas coſtas vehementer contuſo febri correpta, & intra dies quindecim abſumpta fuerat A. 1742. quo tempore cum Anatomen in Gymnaſio docerem, ex Noſocomio cadaver illuc translatum eſt. Ubi quod ad exteriorem illam contuſionem attinebat, nihil peculiare adnotavi. Adnotavi autem alia, in primis quæ ad claudicationis cauſam ſpectabant. Eaque poſt nonnulla in Thorace, & Ventre animadverſa, hic tibi, quemadmodum plurimis qui tum aderant, monſtravi, diligenter deſcribam. CORDIS auricula dextera, & Cava Inferior vena concretiones, non ſine multa alba ſubſtantia, polypoſas habuere: quales uterque etiam ventriculus, ſed multo craſſiorem ſiniſter. Ex Aortæ arcu non tres, ſed quatuor naſcebantur arteriæ; Vertebralis enim ſiniſtra non ex Subclavia, ſed inter ipſam, & Carotidem ejus lateris oriebatur. In Ventre genitalia, & renes, & vaſa ſanguifera hæc quæ adnotarem, obtulere. Teſtis alterius ſuperficies maxime erat inæqualis. Uteri oſculum nulla cinctum corona; ut nihil intra vaginam protuberaret. Renes autem pro mediocri mulieris ſtatura ambo æquo longiores: ſiniſter ad extremum inferius facie exteriore nonnihil excavatus a cicatrice, cujus ambitus ad circuli formam accedebat, diameter tranſverſum digitum æquabat, veſtigio, ut credidi, hydatidis in rene olim ex parte conditæ, reliqua extantis. Magnæ arteriæ truncus æquo tenuior, non ipſe Spermaticam emittebat dexteram, quæ ab Emulgente proveniebat: neque eodem quo ſolet, modo Lumbares, neque Iliacam ſiniſtram pari ac dexteram longitudine, ſed tertia parte breviorem. Quod fac attendas; jam enim ad ea accedimus quæ ad claudicationis tum effectus, tum cauſas pertinebant. A ſiniſtris enim, ut dixi, mulier claudicaverat, iſque artus erat digitis quatuor brevior, quam dexter, & calcaneum ad exteriora converſum habebat, non minus tamen, quam dexter, pinguis, imo craſſior, ſed ab œdemate. Iliaca igitur vena dextera æquo erat latior; at ſiniſtra, ejuſque rami tenues adeo, & pallentes, ut rem nunquam antea a me viſam miratus, Cavæ imum truncum aperuerim. Quo facto, vel magis miratus ſum. Nam pro Iliacæ ejus venæ oſtio lineam inveni, ipſius coalitum indicantem, qua in linea duo, aut tria parva erant oſcula, cum Iliaca vena communicantia. Quam cum ſecundum longitudinem incidiſſem, & præter filamenta polypoſa, quendam fibrarum quaſi faſciculum introrſum exſtantem conſpexiſſem; mox facile animadverti venæ parietes ab uno latere inter ſe coaluiſſe, ſicque eum faſciculum mentiri, cujus ſpecies, manu utraque parietes diſtrahendo; neque enim perdifficilis erat ſejunctio; prorſus evaneſcebat. Tum vero Cruralibus arteriis, & venis a ventre uſque ad poplitem utroque in femore detectis, nullum in arteriis diſcrimen ſe obtulit; vena autem, ſiniſtræ arteriæ ſocia, tertia ſaltem parte anguſtior apparuit, quam dexteræ: & quamvis complicatos, & coaleſcere incipientes parietes non haberet; habebat tamen inter tunicas nigrum quaſi ſanguinem, & ſanguinem fortaſſis, ſed a longo, ut videbatur, tempore concretum. His ita perſpectis, claudicationis cauſam, retecto ſiniſtri femoris cum Innominato oſſe articulo, quæſivi: occurritque os femoris cervice, & capite orbatum. Et caput quidem in ſuo acetabulo hærebat affixum, cartilagine tamen qua horum utrumque incruſtatum fuerat, hic illic exeſa: quin oſſea capitis ipſius ſubſtantia tum qua ſiniſtrum acetabuli ſpectabat parietem, tum qua cum cervice olim cohæſerat, non erat integra. Cervicis autem veſtigium ſupererat nullum, ſi oſſea quædam fragmenta exciperes, ligamentis adnata valde craſſis, & duris, in quæ capſulare quod vocant ligamentum abiiſſe videbatur; hæc certe a margine acetabuli ad eam partem ſummi oſſis femoris ex qua olim incipiebat cervix, producebantur, femurque ad eum marginem alligabant. In cavo autem quod cervicis loco intercipiebant, craſſiuſcula inerat materia carneo colore, ſed fuſco, & obſoleto, non fœtida tamen, nec multa. Præter hæc, os Innominatum ſiniſtrum antrorſum magis prominebat, quam dexterum; ut proclive eſſet ſuſpicari, quæ exterior violentia huic fœminæ, cum tenella, aut junior eſſet, femoris cervicem fregerat, eandem os quoque Innominatum luxaſſe.

11. Si Obſervationes has duas inter ſe comparaveris; in eam opinionem facile venies, ut quod Ruyſchius (*p*) de fracta cervice ſupereſſe nihil deprehenderit, id longo tempori tribuas, diutiuſque repetitis agitationibus, & frictionibus inter ſe fragilium cervicis diſruptæ extremorum, prætereaque exedenti vi acrium particularum, e læſis, vellicatiſque membranis deſtillantium, & cariem mora afferentium. Quod vero de laceratis a fractura perioſtiis commemoravi (*q*), non raro videlicet duriora, & craſſiora fieri, id ligamentis quoque interdum accidere, ex ſecunda intelligis Obſervatione. Ex eadem quod de extenuatis habet Iliacis venis, læſo artui reſpondentibus, conferas velim cum diſſectione, alias (*r*) ad te ſcripta, claudæ alterius fœminæ. Reperies enim, tenuiora fuiſſe Ialiaca vaſa ad claudum artum ſpectantia. Venam autem non modo per femur adeo extenuatam, ſed in ventre coaleſcentibus ab uno latere inter ſe parietibus contractam, ad oſtium autem per quod in Cavam influit, propemodum occæcatam non reperies. Perrara enim eſt res, nec intellectu facilis, artu ex quo redibat, œdemate quidem laborante, ſed tamen vivente; etiamſi a tempore non longo rem eo redactam ponamus. Cæterum in hac muliere os femoris ob alligantia vincula longe ab acetabulo recedere non potuerat. Vir autem de quo ante ipſam dictum eſt, cum ſemper cubuiſſet, eo oſſe utendi, eique inſiſtendi occaſionem non habuit. Nunc igitur in altera muliere, itemque in altero viro, qui elapſo, nec repoſito femoris capite uſi ſunt, diutius eidem inſiſtentes, quid deprehenderimus, exponamus.

12. ANUS clauda, jam octogeſimo anno erat proxima, cum apoplexia correpta, haud multo poſt non tam ex ea, quam ex ejus minus animadverſo effectu mortua eſt. Nam cum, reſoluta veſicæ vi qua lotium tum retineret, tum extruderet, aſſidentes mulieres ſtillicidio deceptæ, tantum lotii exire, quantum jugiter in veſicam deſcenderet, arbitrabantur, anus autem immanem hujus diſtentionem aut ſentire, aut ſignificare non poſſet; eidem quod & aliis (*ſ*) ob eandem fallaciam accidit, ut citius moreretur. CADAVERE enim in Theatrum delato, ut Anatomen tradere inciperem Januario menſe A. 1735. ea mortis cauſa inter initia in conſpectum venit, doctrinæque ordinem turbavit. Scilicet aperto Ventre, ſe ſe obtulit veſica lotio adeo diſtenta, ut ad umbilicum perveniret, & ilium utrumque occuparet, inteſtinis ſurſum ita compulſis, ut hinc jecur, & diaphragma altiſſime urgerent, inde vero lienem, & ventriculum adigerent medium verſus epigaſtrium. Virebant autem, & grave olebant viſcera pleraque; ut omnia eximi ſtatim e ventre juſſerim, & in ſepulchrum inferri. Quæ igitur in Thorace, & Collo, & Artubus animadverterim præter naturæ modum ſe habentia, huc addam; nam, meliora interea corpora nacti, Caput non attigimus. Pericardium cum anteriore Magnorum vaſorum, & cordis ipſius facie connexum erat, cum illa quidem per filamenta, cum hac vero per ſe ipſum quantum duo tranſverſi digiti tum in longitudinem, tum in

(*o*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 167. (*p*) ſupra, n. 4. (*q*) Ibid. (*r*) Epiſt. 46. n. 17.
(*ſ*) Vid. Epiſt. 42. n. 22. ubi & hæc hiſtoria promittitur.

in latitudinem ſpatii obduxiſsent. Quæ res fecit, ut ab eo qui apoplecticæ Medicus fuerat, quærerem, num forte pulſus ſingulari aliquo modo, & præſertim intermittendo peccaſsent; quod ille continuo, diſerteque negavit. Arteria Magna interiore facie modico ſupra valvulas intervallo incipiebat aſpera fieri, quaſi fibræ ſecundam longitudinem ductæ, hic illic inter ſe disjunctæ, prominerent: ea aſperitas ad duos tranſverſos in longitudinem digitos, in latitudinem paulo minus extendebatur. Thyroidæa glandula præterquam magna erat, etiam quibuſdam quaſi globis anteriorem faciem habebat nonnullis locis prominentem. Inferiorum artuum ſiniſter, quod in latus mulier claudicaverat, genu interiora, calce exteriora ſpectabat; dextero brevior, & ſi dorſum pedis exciperes, qua parte craſſior videbatur, valde extenuatus, amplaque præterea cicatrice, tamquam a magno ulcere exterius ſecundum longitudinem fibulæ deformis, cum dexter pulcher eſſet, atque egregie nutritus, veniſque tam latis præditus, ut latiores in nullo artu inferiore unquam vidiſſe, meminerim. Quod ut indicio erat tanto majoris copiæ ſanguinis in eum artum influentis, quanto minor in oppoſitam influebat; ſic, ut ægrius ferrem, efficiebat, humatis jam inde ab initio viſceribus ventris, & vaſis, non licere amplius, quomodo Iliaca ſiniſtra vena prope Cavam ſe haberet, inſpicere. Denique ſuperiore ſiniſtri oſſis femoris junctura retecta, ejus oſſis caput non ita ut ſolet, globoſum, ſed quaſi complanatum, & nonnihil amplificatum invenimus, nulloque, per quod necteretur, vinculo terete inſtructum. Excipiebatur acetabulo minus cavo, quam ſecundum naturam, cartilagine tamen incruſtato. Erat autem ad hujus acetabuli oram anteriorem cavum alterum, multo quam ipſum, minus: cujuſmodi cavum ante acetabulum femoris dexteri nuſquam erat. Porro acetabulum ſiniſtri, quamvis, ſi ad os ilium ſuum, id eſt ſui lateris referres, neque humilius, neque altius, neque poſterius eſſe videretur, quam dexteri, ſi hoc quoque cum ſuo oſſe ilium comparares; plus tamen a commiſſura oſſium pubis diſtabat, quam acetabulum dexteri. Nam & os ilium ſiniſtrum multo plus ab eadem commiſſura diſtabat, quam dexterum.

13. Quæ ad cordis, & pericardii nexum attinent, nulla cum pulſuum intermiſſione conjunctum, eo referes ubi (*t*) de cujuſmodi connexionibus, earumque effectibus alias a nobis actum eſt. Quod vero ad acetabulum ſpectat quo femoris caput excipiebatur, non dubito, quin ſupra (*u*) commemoratis Cl. Virorum Obſervationibus cum hac noſtra comparatis, facile agnoſcas, excavatum illud fuiſſe a femoris capite, olim extra acetabulum naturale prolapſo, cujus etiamnum veſtigium in illo anterius proximo, multoque minori cavo ſupererat. Quod enim acetabulum novum minus eſſet profundum, quam ſecundum naturam, caput autem femoris a globoſo ad planum vergeret, ex his indiciis ſatis intelligis, dum os contra os ſive pondere apprimeretur, ſive agitatum muſculis ageret, alterum ab altero viciſſim eſſe detritum, atque depreſſum, ſicque excavatum eſſe acetabulum, quod ſi natura ipſa paraſſet, tum profundius, & commiſſuræ oſſium pubis propius, & alligatum habens, per vinculum teres, globoſum femoris caput effeciſſet. Nam quod cartilagine incruſtatum eſſet; ibi fortaſſe cartilaginea natura, cum excavatio incepta eſt, necdum in oſſeam mutata erat; ut non inducta poſtea ſit, ſed tantum ſervata. Quod vero cavum illud alterum, commiſſuræ oſſium pubis propius, vetus acetabulum eſſet, a natura ipſa olim paratum, & ſedes ipſa indicat, nec parvitas illius repugnat, ſive cum inter initia eo munere fungeretur, majus eſſe non debuit, ſive etiam, ut in alveolis dentium ſæpe videmus, dempto oſſe quod antea inſertum erat, circumjecta oſſea ſubſtantia creſcit, & ſinum implet, aut fere implet: id quod etiam in claudo viro cujus hiſtoriam promiſi hic eſſe me abſoluturum, perſpexi.

14. LANARIUS igitur ille cujus alibi (*x*) mortiferum vulnus deſcripſi, in latus dexterum, ut ibi dictum eſt, claudicabat. Hunc æquali utroque inferiore artu in lucem editum (de noto enim viro, quod de aliis ſæpenumero fruſtra optavi, quæ inquirebam, ſcire potui) cum mater tenellum adhuc, atque adeo primis vitæ menſibus e cunis eximeret, dolere artu illo dextero, animadvertit, ſive eum dolorem externa aliqua, ipſi ignota, cauſa forte induxerat, ſive interna. Poſt quem dolorem jam tum is artus factus eſt brevior; ut nemini poſtea, cum ingredi puer cœpit, mirum fuerit quod claudicaret. Uſu autem conſecutus eſt, ut claudicaret quidem, ſed prompto greſſu atque expedito. JUNCTURÆ vitium, ex quo alterius, quantumvis modici, occaſio extiterat, ut opinor, nimirum dum homo corporis pondus in firmiorem ſiniſtrum artum inclinare nitebatur, thoracis Spinam in latus illud nonnihil incurvaverat; juncturæ, inquam, vitium dexteri artus ad hunc modum ſe habebat. Acetabulum quod ſolita Sede a primordiis natura paraverat, ex dimidia tantum parte ſupererat, eaque anteriore: in cujus fundo ſubſtantia erat quædam ſubrubente, ſed lurido, colore, ut morbida videretur, quam ſi tangeres, non ligamenti, ſed glandulæ quodammodo natura eſſe, crederes. Dimidia autem altera pars acetabuli oſſea implebatur ſubſtantia, prætereaque operiebatur oſſe quadantenus terete, in quod ſuperficies proxima excreſcebat oſſis Innominati. Supra hoc vetus acetabulum, erat in facie externa oſſis ilium quaſi acetabulum alterum ex ſubſtantia conſtructum alba, firma, & ejus ex qua ligamenta conſtruuntur, ſimillima, addito inſuper limbo in quem non ſolum ab anteriore, ſed ab ſuperiore etiam parte prominebat, media inter cartilaginem, ligamentumque natura. Lævis erat hujus acetabuli facies, ſi inferiorem quendam in ea locum exciperes, quem rubella non exigua tenebat ſubſtantia, pro mucilaginoſa glandula facile agnita. Exceptum in hoc acetabulum erat femoris caput, nullo terete vinculo inſtructum, neque ſolita magnitudine, forma, lævitate præditum. Namque ubi a cervice extare incipiebat, ibi quidem nulla harum deerat. Sed poſtquam ſic aliquantum proceſſerat, deprimebatur, & nudatam cartilagine ſubſtantiam oſſeam oſtendebat: quæ mox in ſummo firma quidem, & dura, & albida, ſed granoſa haud ſecus apparebat, ac in multis veſicæ urinariæ calculis ſuperficiem videmus.

15. Si mirum forte videbatur, in Anu de qua paulo ante (*y*) dictum eſt, novum acetabulum cartilaginea cruſta non caruiſſe; mirum videbitur magis, quod in hoc viro mucilaginoſa glandula non caruerit nedum limbo, ſive, ut vocant, ſupercilio, quali naturale acetabulum inſtructum eſt. Scilicet multa fiunt quorum perobſcurus quo fiunt, modus, & ratio eſt. Neque illud admiratione caret, quod tam longo tempore vetus acetabulum, ſi non omnino deletum, at magis tamen repletum non ſit, itemque cum tenera eſſent oſsa, novum acetabulum non ipſum fuerit in oſsa excavatum, imo ex ſubſtantia factum ſit quæ cum Hippocratis, & Galeni ſententia (*z*) magis quam cum poſterorum Obſervationibus, videri poteſt convenire. Sed meæ partes ſunt ea quæ ipſe, & quicunque aderant, oculis, manibuſque percepimus, ſive admirationem habeant, ſive non habeant, ſumma fide proponere; tuæ autem animadvertere, non uno modo ab natura uſum membrorum amiſsum reparari, & quamvis modus a poſteris deprehenſus in aliis corporibus verus ſit, non ideo in aliis alterum quem vetuſtiores indicaverant, eſse non poſse. Quod ſi forte alia cupis analogæ, ut vocant, articulationis exempla, ſive ut cum iis conferas quæ a nobis propoſita ſunt, ſive ut ſaltem plura habeas quæ Sepulchreto adjungas; ſupra laudatas, Salzmanni præſertim Diſſertationes eruditiſſimas attente lege, aliaſque aliorum, ipſiuſque etiam, quas præterea indicavimus, Obſervationes: quibuſcum junge quæ in Scriptis extant Cl. Virorum Gutermanni (*a*), Schlichtingii (*b*), Ludwigii (*c*), & ſi in artu quoque ſuperiore novum arti-

(*t*) Epiſt. 23. n. 18. (*u*) n. 5. & 6. (*x*) Epiſt. 54. n. 46. (*y*) n. 12. (*z*) Supra, n. 6.
(*a*) Act. N. C. Tom. 3. Obſ. 105. in fin. (*b*) Commer. Litter. A. 1741. Hebd. 1. n. 2. (*c*) Prog. de Collo Femor. &c.

articulum ex luxatione factum aves cognoſcere, Henrici Alberti Nicolai (*d*). Et ne ab inferiore de quo loquimur, artu recedamus; apud ſecundum, & tertium illorum, itemque apud Platnerum (*e*), alioſque pluſcula invenies ad ſupremi femoris aut fracturam, aut luxationem pertinentia, & hanc, ut nonnunquam, a vi externa, ut alias autem a vinculorum eroſione, vel, ut ſæpius, laxitate. Ab eroſione quidem ut in Caſu Halæ edito A. 1742. (*f*), & in aliis antea a Maucharto (*g*), & ab Schulzio (*h*) propoſitis; ab laxitate vero, ut in Cl. Boetticheri (*i*) exemplo, quo rarius facile non offendes; erant enim a peſtilenti iſchiade vincula de quibus ſermo eſt, adeo relaxata, ut *pedes ambos ad menſuram uſque ſpithamæ longiores, quam in ſtatu fuerant naturali, reddiderint*: quod mirabile quidem eſt, ſed illud mirabilius, quod perſanata ægra ſit, *ut deinceps abſque ullo incommodo libere iterum incedere potuerit*. Denique & luxationem illam huc addes, quæ a Petito Chirurgo (*k*) indicata eſt, non tam a cauſa externa, quam ab læſione per hanc mucilaginoſis acetabuli glandulis illata, ut uberius ſecreta mucilago teres ligamentum ſenſim laxando, aut abrumpendo, caput femoris non ſtatim, ſed poſt longum tempus extrudat.

16. Hactenus quæ graviora in ſummo femoris articulo offendimus, vitia accepiſti. Nec leve illud erat quod, in clauda muliere animadverſum, in proximas Litteras differimus quibus de Arthritide verba fient (*l*). Sunt & leviora quædam, de quibus, cum in claudicantibus conſpecta ſint, qualiacunque fuerint, non eſt hoc loco reticendum.

17. VETULA Etruſca a contuſione coxendicis ita claudicabat, ut diu cubare cogeretur. Acceſſit univerſi corporis dolor, & ex longo decubitu gangræna ad nates. Itaque paulatim deficiens ſub initium Martii in Noſocomio mortua eſt A. 1744. CADAVER etſi ad alia quæ ſecundum naturam erant, & quæ huc non attinent, recognoſcenda, & Diſcipulis demonſtranda non inutile mihi fuit; tamen hoc dum agerem, quædam adnotavi huc magis pertinentia. In Ventre dexter jecinoris lobus ſumma convexa facie erat a poſterioribus ad anteriora ſulco excavatus adeo profundo, ut digitum poſſet excipere, neque alii deerant ſulci hoc dexteriores: cujuſmodi ſulci ſi in mulieribus tantummodo occurrerent, ſuſpicioni poſſet eſſe locus, an arctioribus, dum juniores ſunt, imi rigidique quo uti ſolent, thoracis conſtrictionibus deberentur. Jecur ipſum intus extraque totum ex minimis albis corpuſculis factum videbatur, quæ interſtitiis fuſcis ex ſubrubro flavis tenuiſſimus interciperentur. Lienis gibba facies quaſi a craſſa quadam cruſta albicabat; ſima nigra erat. Teſtes ſtrigoſiſſimi, & in tenuem quaſi laminam depreſſi. Uteri oſculum amplum, & quodammodo triangulare, nulla circum protuberante corona ornabatur. Fundi univerſa interior facies nigra, & gangrænoſa. Thoracem coſtæ a dextris quidem duodecim, a ſiniſtris undecim cingebant. Prima enim harum, & ſecunda ex uno tantum oſſe multo maximam partem conſtabant. Scilicet ſuo ſingulæ capitulo a vertebris profectæ, vix digiti ſpatio emenſo, unum os latum fiebant, in quo nullum diviſionis quæ unquam fuiſſet, veſtigium. Id os ubi eo pervenerat, ut trium ferme digitorum intervallo a ſterno diſtaret ex ſuperna ora teretem oblongam cartilaginem vix dimidium latitudinis minimi digiti æquantem in ſternum immittebat; reliqua autem ex parte contractum, ſic tamen ut latitudinem retineret non ea minorem quæ in prima dextera coſta erat, modicoque ſpatio inter ſe, & teretem illam cartilaginem relicto, per cartilaginem alteram propriam cum ſterno committebatur. In pericardio aquæ copia aliqua. Dextera cordis auricula ſanguine diſtenta. Cor ipſum vel pinguedine qua inſtruebatur, detracta, æquo multo majus, nec ſolum ob latiores ventriculos, ſiniſtrum præſertim, ſed etiam ob multo craſſiores hujus parietes. Alterius valvulæ Mitralis pars erat oſſea facta; aut certe oſſiculum ſubnexum habebat, quaſi ex pluribus factum, eoque inæquale, ſubrotundum, magnitudine ferme æquans apicem minimi digiti. In corde polypoſæ aliquæ concretiones, & plurimus ſanguis ater, qualis, ſed fluidior, paſſim e diſſectis majoribus venis effluebat. Femoris denique claudicantis ſupremam juncturam inſpiciens, teres, ſæpius memoratum, in ea ligamentum offendi minus craſſum, & firmum, quam æquum ſit, luridaque rubedine infectum pene totum.

18. ANUS altera ab ætate jam curva, & quæ ita incedere ſolebat quaſi claudicaret, nuper erat noctu per ſcalas prolapſa, caputque alliſerat. Hinc mortis cauſa. Cum a nobis ibidem ſecaretur ante vernum tempus A. 1749. nonnulla ſunt quæ huc ſpectent, animadverſa. IN THORACE Magni vaſorum trunci erant adeo a ſiniſtris; quamquam mulier curva quidem, ut dictum eſt, ſed gibba non erat; ut venam ſine pari nunquam viderim longius ſiniſtrorſum inflexam, ut ſe immittere poſſet in Cavam. In Ventre exterior renum facies non prorſus ſecundum naturam: quin alter parvulas quaſdam inſuper oſtendebat hydatides, ex ſe nonnihil exſtantes. Genitalia inſpiciens, nympham ſiniſtram neque eſſe, neque unquam fuiſſe, animadverti; dextera autem erat parva. Hypogaſtricas arterias latiores, quam ſolent, & duras, imo alteram earum non ſine oſſe qua Umbilicalem emittebat. Proximas unde illæ oriuntur, cum ſimul inſpectarem Iliacas, nec dexteram ſive latitudine, ſive tunicarum craſſitudine viderem quidquam a naturali conſtitutione diſcrepare; ſiniſtram miratus ſum cum minus latam, tum præſertim tenuibus adeo parietibus, ut vena propemodum eſſe videretur ab eo loco unde Hypogaſtricam dabat, ad illum uſque ubi prodibat e ventre. Quæ res ad memoriam redigebat, quæ in duabus aliis claudis mulieribus (*m*) conſpexeram: quanquam in illis non arteriæ, ſed venæ anguſtiores erant, nec in femore quo claudicaverant, anguſtæ eſſe deſinebant. Hujus autem arteria cum e ventre exierat, juſtam latitudinem, & parietum craſſitudinem, ut cum dextera comparando perſpexi, protinus recuperabat. Cæterum in ſiniſtri ſummi femoris junctura animadvertere nihil potui unde levem illam claudicationem repeterem, niſi forte attinere huc credas parvas, & leves duas, inter ſe vicinas, ſubfuſcas quaſi contuſiones quæ in cartilagines, ejus femoris caput conveſtiente, cernebantur.

19. Fuerunt & mulieres aliæ duæ claudicantes (mihi enim accidit, ut in iis ſæpius hoc vitium offenderim, quam in viris, an caſu? an quod propter minus robuſtam ſtructuram corporis illi magis fœminæ obnoxiæ ſint?) quas cum ſecarem, manifeſtiorem ejus vitii cauſam me deprehendiſſe, arbitratus ſum; poſtea autem num deceptus eſſem, dubitavi. Ut ut ſit; Obſervationem utramque; nam & alia continent quæ indubia ſunt, & a me tibi fuerunt inter has quæ ad claudicationem ſpectant, alias promiſſæ; hic primum exponam, tum deinde meæ dubitationis cauſam non reticebo.

20. FŒMINAM claudam, necdum ſeneſcentem, hydrops confecerat circa medium Decembrem A. 1746. Ex ea Anatomes ſtudioſis cerebrum, muliebria, & ſiniſtrum, quo claudicaverat, artum in Noſocomio demonſtrans, hæc dumtaxat quæ hic locum habeant, adnotavi. CEREBRUM eximendo, animadverti in Craſſa meninge, baſim cranii conveſtiente, paulo ante, ſed nonnihil ab externo latere, paulo, inquam, ante foramen in quod nervus Opticus ſiniſter ſe conjicit, aliquid reſtare quod, ſi colori crederem, particula corticalis ſubſtantiæ videretur. Sed molle non erat, neque meninx Tenuis quæ ei loco reſpondebat, lacera, imo integra, & lævis conſpiciebatur. Tum diligentius attendens, globulum eſſe, vidi, parvi uvæ acini magnitudine, ſubdurum,

(*d*) Dec. Obſ. illuſtr. Anat. Obſ. 6. (*e*) Inſtit. Chir. in not. ad §. 1193. & 1194.
(*f*) De Amput. Femor. non cruenta §. 18. ad n. 6. (*g*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 34. (*h*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 235.
(*i*) Eorund. Act. Tom. 7. Obſ. 21. (*k*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1722. (*l*) Epiſt. 57. n. 2.
(*m*) Supra, n. 10. & 12.

rum, ſolidum, qui nulla, id quod lævor oſtendebat, niſi ima parte, quoquam adhæſerat, hac autem erat firmiſſime affixus Craſſæ dumtaxat meningi, non oſſi, quod ſubjiciebatur; ut cenſuerim, ejuſdem meningis excreſcentiam eſſe, generis, ſicut ejus ſubſtantiæ modus oſtendebat, quaſi glanduloſi, initium tumoris, multum, ſi increviſſet, non ſolum proximis nervis Optico, & Olfactorio, ſed & cerebro obfuturi. Ex Uteri ſupremo exteriore fundo dexterius prominebat tuberculum figura, & magnitudine eadem quæ in excreſcentia illa Craſſæ meningis modo indicata eſt, ſolidum pariter, ſed album. Huic alterum intus reſpondebat mollius atque humilius, manifeſto ex aggerie factum ejuſdemmodi veſicularum, ac in uteri cervice videre ſoliti ſumus; eodem enim quo hæ, limpido muco replebantur: quod tuberculum Epiſtola XLVII. (*n*) hic a me proponendum eſſe, promiſeram. Utrique huic tuberculo interjecta ſubſtantia uteri ſaniſſima erat. Cæteræ autem quæ ad genitalia attinent, Partes; ſi teſtes excipias, quorum alter erat altero minor, ambo tamen ſtrigoſi, & inæquali ſuperficie, & intus, extraque albi; non modo erant ſanæ; ſed infimæ omnium haud aliter ferme ac in virginibus, ſe habebant. Tenſa enim erat quæ dicitur Furcula, anguſtum vaginæ orificium, & hymene inſtructum, niſi quod hic contra ac videre conſuevimus, tanto minus propemodum latus fiebat, quanto magis ab urethræ orificio diſtabat, ſicut alias diligentius deſcribam. Attamen hæc fœmina viri notitiam habuiſſe non videbatur. Denique ſiniſtrum artum inferiorem ſpectantibus manifeſtum erat, ſic eſſe poſitum, ut digiti pedis alterum pedem reſpicerent, nec facile erat manibus in naturalem ſitum adducere; & mulier ea metatarſi parte quæ digitis proxima eſt, inſiſtendo, ambulaſſe dicebatur. Verum cum pes, crus, genu, femur, quantum exterius inſpiciendo judicari poterat, vitio carere, & juſta longitudine ſingula eſſe viderentur; retecto ſuperiore femoris articulo, ejus cervix brevior viſa eſt, quam mediocri illius fœminæ ſtaturæ conveniret.

21. ANICULA decrepita, & clauda, viginti circiter poſt illam diebus ex brachii, ſi recte memini, abſceſſu mortua eſt. Itaque ibidem eaſdem, aliaſque Partes iterum diſſecantes; quæ ab naturæ modo aliena eſſent, hæc deprehendimus. CRANIO exemtum cerebrum, inverſumque cum inſpectarem; Carotidis utriuſque arteriæ truncos, majoreſque horum ramos animadverti firmiores apparere, invenique, eorum parietes revera craſſiores eſſe factos. Contra, cum eſſent nervi cæteri, & præſertim quarti, & quincti Paris, pulcherrimi, firmi, & magis quam ſoleant, craſſi, Opticos cineraceo colore, anguſtos, & in tenuis inſtitæ modum depreſſos videbam, & medullarem illam quæ, ubi inter ſe accedunt, ipſis interjicitur, partem ſatis quidem latam, ſed colore, & tenuitate nihil ab ipſis diſcrepantem. Ipſi vero intra orbitas progreſſi, etſi colore erant albo, craſſitudine autem quaſi mediocri; inciſi tamen oſtenderunt, albedinem illam, nec parvam craſſitudinis illius partem meningibus deberi ſuis, craſſioribus factis, intra quas, tanquam intra tubum quendam firmiuſculum, ſubſtantia concludebatur, in altero præſertim nervo, ſanguinolenta. Cum oculus ad quem is nervus tendebat, non ſecus ac alter, nihil, ſi exterius aſpiceres, vitii monſtraret; ne interius quidem, cum diligenter a me ſecaretur, vitii oſtendit quidquam; ut præclare intelligerem, hunc a me alias (*o*) tibi deſcriptum, Opticorum nervorum morbum non ſemper a vitiatis, cæciſque prorſus oculis (hanc enim Vetulam; quod permirum eſt, niſi forte altero oculo nonnihil videbat; cæcam fuiſſe, negabant) occaſionem, & originem habere, ut neque a cerebro, ſed in nervis ipſis aliquando primum oriri (*p*). Hic certe cum cerebrum, intra quod hos nervos ob eorum tenuitatem vix potui perſequi, accurate diſſecuiſſem, nihil in eorum via, nihil in eorum thalamis vitiatum offendi. Et quanquam hippocampos ad imam extremamque ſui partem nequaquam, ut ſolent, ſe dilatantes animadverti; nullum tamen vel minimum extabat indicium, quin ſic a primordiis ipſos fuiſſe, judicarem. Nec præter hoc, inſoliti, non modo morbidi quidquam in cerebro toto fuit, niſi quod in quarto ventriculo pro medullaribus illis fibris quæ utrinque occurrunt ut plurimum, ad nervos Acuſticos pertinentes, vix uno in latere una fuit, eaque exilis, & inferius quam ſoleat, orta, & locata. In Maxilla inferiore nonnulla animadverti, in hac præſertim Epiſtola qua de Luxationibus agimus, & Fracturis oſſium, non omittenda. Siniſtrum enim illius capitulum ab uno ſupremæ ſuæ faciei latere excreſcebat ſurſum quaſi ex novo additamento, ut in partibus interioribus cranii cujuſdam anus alias (*q*) a me viſum ſcripſi; nam hæc quoque oſſea excreſcentia erat alba, & firma, præterea autem, ut reliquum illud capitulum, tenui, læviſſimaque cartilagine incruſtata. Quod additamentum ſi magis magiſque increſcendo ſe extuliſſet, non eſt dubium, quin capitulum ex ſuo ſinu fuiſſet ejecturum, aut certe maxillæ motibus valde incommodaturum. Imo hoc facere jam aliqua ex parte cœpiſſe, illud fortaſſe indicio erat, quod interjecta inter capitulum, & ſinum mobilis cartilago in medio apparuit quaſi cultro inciſa duobus locis, altero ſecundum longitudinem, altero oblique in tranſverſum. Dixi autem fortaſſe, etiam quia huic reſpondens in dextero articulo cartilago parvulo erat foramine pertuſa ellipſis forma, nulla membranula occluſo (quo majus olim interdum viſum eſſe, ſcimus (*r*)) quod etſi in medio, ſed propius alterum extremum, & ſecundum longitudinem poſitum erat; tamen neutram cartilaginem hic quoque ex duabus conſtitiſſe, evidenter demonſtravimus. Quoniam vero præter Inciſores dentes, nullus aniculæ huic reſtabat, cum totam eam maxillæ hujus partem quæ cæteris olim dentibus inſtructa fuerat, utrinque oſtenderem non modo omni alveolorum veſtigio, ſed & ea ſui carere portione in qua alveoli quondam fuerant, ut foramina per quæ nervi egrediuntur (*Mentalia* vocant) jam in ſummo ferme eſſent exteriore maxillæ margine, itaque ejus oſſis altitudinem humillimam eſſe factam quemadmodum præclare ab Ruyſchio (*ſ*) animadverſum, pictumque eſt; addidi, hinc conſequi, ut quibus hujus oſſis corpus poſt dentium lapſum ita decrevit; in iis, niſi forte ob ætatem major oſſis durities obſtet, multo citius, atque facilius ibi ipſum totum aut a carie interdum innaſcente exedatur, aut a graviore ictu aliquo perfringatur. Thorace aperto, quatuor ex Aortæ arcu naſcentes arterias oſtendi; neque enim ex Subclavia ſiniſtra, quæ multo quam dextera, tenuior erat, ſed inter illam, & ſiniſtram Carotidem, illi tamen propior, Vertebralis ejuſdem lateris exiſtebat, quæ res cum mihi in fœmina quoque altera de qua ſupra (*t*) dictum eſt, & in aliis pariter (*u*) interdum occurrerit, non videtur inter rariores eſſe ponenda. Magna autem arteria inter cor, & Subclaviam dexteram manifeſto erat dilatata: cumque ad ſeptum uſque Tranſverſum fuiſſet inciſa, hic illic paſſim majora, minorave ſpatia intus oſtendit nonnihil prominentia, & albida, in quibus magis compacta arteriæ ſubſtantia in oſſeam poſtea duritiem fuiſſet mutata. Genitalia membra in ſummo teſtem alterum habuere intra quem hydatis erat non parva, ut ſe ad partem ſuperficiei teſtis faciendam extenderet; in imo autem, urethræ orificium ex quo interior illius tunica, non ſecus atque illa vaginæ, aut Recti inteſtini aliquando ſolet, parva ſui portione quadam inverſa extrorſum ab altero latere procidebat: quod alias (*x*) in alia vidiſſe me, dixi, ut de hac his Litteris eſſe dicturum. Artus poſtremo, quo claudicaverat, dexter ſiniſtro brevior, & ſicuti in priore fœmina introrſum converſus, eandem vitii hujus cauſam quam in

(*n*) n. 20. (*o*) Epiſt. 13. n. 7. & ſeqq. & Epiſt. 52. n. 30. (*p*) Vid. Epiſt. 63. n. 8. in fin. (*q*) Epiſt. 27. n. 2.
(*r*) Vid. Stephan. cit. in Adverſ. II. Animad. 28. (*ſ*) Obſ. Anat. Chir. 82. & Fig. 65. 66. (*t*) n. 10.
(*u*) Vid. Epiſt. 3. n. 20. & Epiſt. 15. n. 26. (*x*) Epiſt. 50. n. 51. Vid. & Epiſt. 70. n. 10.

in illa, habere viſus eſt, nempe cervicis femoris brevitatem.

22. Et ſic mihi eo quidem tempore viſum eſt; nec fortaſſe omnino deceptus ſum. Verum poſtea diſplicuit cervicem claudi femoris cum ſani cervice non comparaſſe: quæ ratio una maxime demonſtraſſet, recte, an ſecus cenſuiſſem, illam eſſe breviorem. Forſitan enim videri brevior potuit quæ in non magnæ ſtaturæ corpore juſta eſſet longitudine: & tot ſunt tum ſupra acetabulum, tum in acetabulo, tum infra acetabulum claudicandi cauſæ, ut cum plures abeſſe, viderim, omnes tamen abeſſe, ſatis fortaſſe videre non potuerim. Juvat hic pleraſque eo qui modo indicatus eſt, ordine commemorare. Supra acetabulum eſt pravus quicunque ſitus oſſis Innominati, cujuſmodi ſitus ad cætera vitia accedebat in claudis illis duabus quas ſupra (*y*) ante alias deſcripſimus, in primaque præſertim. Plura autem Sacri oſſis ab illo oſſe diaſtaſis exempla in claudicantibus pueris profert Cl. Baſſius (*z*), rationes addens ob quas illa infantibus facile accidat, ſigna per quæ internoſcatur, & cauſas quare difficile curari poſſit, ideoque in omnem ætatem fere permaneat, ut in Veneto adoleſcentulo quem ad me conſilii cauſa adduxerant, permanſiſſe a pueritia, vidi, cenſuique, ſemper eſſe manſuram. Quæ ſi perpenderis; ubi artum artu longiorem eſſe, aut breviorem videris, hujuſque inæqualitatis cauſa non ſit in artu ipſo manifeſta; primum omnium num forte inæqualis ſedes ſit Innominatorum oſſium indagabis; eam enim acetabulum, quippe in ipſis excavatum, ſequitur, hoc autem artus; ne forte illa æqualem habere ſedem, ponens, quam a natura, aut a vi morbi non habeant, mox in judicando, uter artus revera ipſe longior, aut brevior ſit, decipiaris.

23. In ipſo autem acetabulo & capacitas, & figura, & teres ligamentum, & caput femoris ut multifariam peccare poſſint ex iis quæ non ſemel ſupra dicta ſunt, intelligis. Huc addendi ſunt tumores, ſive in ligamento increſcant, ut Falloppius noſter (*a*) indicat, ſive in alia intra acetabulum parte, ut generatim loquitur Veslingius item noſter (*b*), ubi ſe cum Sala ſæpius viſitaſſe, ait, Patricium Venetum, *cui ſuborto intra coxendicis acetabulum tumore, caput femoris evidenter extrorſum vergebat*. Valſalva autem in Conſilio, quod pro Nobili Puero ſcripſit, cui factus longior erat ſiniſter artus, Mucilaginoſam acetabuli glandulam ſenſim intumuiſſe, ſuſpicabatur tum quia in puero cætera ſano ligamenta laxata eſſe, veri ſimile non credebat, tum quia facile in glandulis vitium eſt ut intumeſcant, tum quia noviſſime poſt diuturnum ab acuto morbo decubitum is artus vel multo longior quam antea, deprehendebatur; quod ipſe a glandulæ incremento, tandiu a femoris capite non compreſſæ, repetebat; quamobrem auctor erat inter cætera, ut ſub dextero pede, cui ſtans puer plerumque & firmius ſolebat inſiſtere, tanto altior calceus eſſet, ut artu utroque æquali facto, ſiniſtra quoque jam inſiſteret, glandulamque comprimeret. Re vero ipſa in milite de quo Caſus extat Halæ editus, & a nobis ſupra (*c*) laudatus, ſubſtantia quædam ſpongioſa comperta eſt, quæ acetabuli plus quam dimidium replendo, inde femoris caput expulerat.

24. Denique ſub ipſo acetabulo longe plures ſunt cauſæ claudicationis. Namque; ut fracturam de qua dictum eſt, cervicis femoris, & vitia Capſularis, quod vocant, ligamenti prætermittam; muſculi primum qui femur ſua in ſede conſervant, ſive reſoluti ſint, nihil obſtant quo minus ipſum pondus totius artus femoris ligamenta extendat, ipſiuſque caput deorſum ducat, ſive dolore, tumore, convulſione contracti, tanto altius in acetabulo idem caput conditum appreſſumque ſervant, ut artus paulo brevior videatur. Quanta autem vi iidem muſculi vel naturali voluntatis imperio interdum contendantur, caſus in primis demonſtrat, ab Ingraſſia (*d*) deſcriptus, minoris trochanteris per nonnullos dumtaxat eorum quos generoſus Juvenis in haſtiludio præter modum contenderat, a femore avulſi: quem caſum minus incredibilem faciunt Ruyſchii præ cæteris Icones (*e*) quibus eundem trochanterem oſtendit qui coctione in Juvene a femoris oſſe receſſerat. Femoris autem ipſius quæcunque fractura adeo raro ſine conſequente claudicatione curatur, ut Celſus (*f*) diſerte ſcripſerit, *ignorari non oportere, ſi femur fractum eſt, fieri brevius; quia nunquam in antiquum ſtatum revertitur: ſummiſque digitis poſtea cruris ejus inſiſti*. Brevius autem fit aut quia inter fracturæ extrema pars aliqua amiſſa eſt quæ in fragmenta abierit, aut quia extrema illa perdifficile ita coaptentur, ut naturalis oſſis figura, & poſitus ſerventur, velut in eo præſertim femore cujus Icon a Grutzmackero (*g*) edita eſt, aut quia vel probe coaptata, niſu poſtea muſculorum dimoventur, quod in obliqua atque oblonga fractura facilius accidit, cum in tranſverſa extremum extremo obnitatur, ſicque alterum ab altero in reſtituto poſitu conſervetur. Ad has, aliaſque ejuſdemmodi cauſas Valſalva hanc addebat, in oblongis illis obliquiſque fracturis, magna violentia atque impetu factis, poſſe aliquando inter duas fracti oſſis partes quaſdam ex muſculis proximis fibras intercipi, quæ exactam coaptationem, & coalitum impediant, aut hunc etiam diu remorentur. Sed ut nihil horum quæ dicta ſunt, accidat, aut non eo accidat modo quem hic intelligimus, ut brevius inde os femoris fiat; claudicatio tamen vitari non poterit, ſi muſculi, tendines, nervi a vi frangente, aut a conſecutis incommodis valde infirmati, aut femur, aut ſubjectas femori partes juſto robore aut modo nequeant movere.

25. Ipſas quoque ſubjectas femori partes & pleriſque horum quæ dicta ſunt, obnoxias eſſe, & claudum hominem facere, manifeſtum eſt. Itaque multo pauciora de ſingulis me ſcribere ſatis erit, a proximo, quod tamen ad femur ex parte attinet, genu incipientem.

26. MULIER cujus mentio Epiſtola LII. (*h*) injecta eſt, hiſtoria autem in hanc propterea dilata quod flectere alterum genu non poterat; cum gravem fronte accepiſſet ictum, quem ſigna ſtatim mali ominis ſunt conſecuta, his oblitteratis, in Noſocomio levi adeo cum febre cubabat, ut die ſeptimo victum poſceret minus tenuem. Sed decimo quarto ecce gravior febris cum frigore ingruit, & mentis perturbatione, mors autem decimo ſeptimo, nullo unquam aut hiſce ultimis diebus, aut illis prioribus thoracis affecti indicio, nullaque de hoc querela. Menſis jam erat December A. 1745. quo tempore cum ibi eſſent Diſcipulis more inſtitutoque meo plura præmonſtranda quæ ſicuti thoracis, ventris, & artuum diſſectionem requirebant, ſic capitis incidendi ſpatium non dabant; hoc minime apertum eſt. In illorum autem ſectione hæc ſunt præter naturam animadverſa. THORACIS alterum cavum libras habuit ad quatuor aquæ colore inter viridem, & flavum medio, alterum multo minus, illæſis tamen in utroque pulmonibus. In pericardio humor qualis ſolet, nec plus eo fuit: cor autem laxum, in hujuſque auricula dextera polypoſa concretio alba, craſſa, compacta. In Ventre vix aliud adnotatum eſt, quam uteri in alterum latus inclinatio.

Artum denique illum cujus crus, genu, ut videbatur non permittente, ne noſtris quidem manibus flecti poterat, poſtquam cum ſano comparaveram, neque aliud exterius diſcrimen, niſi quod rotula magis promineret, oculis potueram internoſcere; experiri primum placuit, num forte Extenſores cruris muſculi, quæcunque eſſet rei cauſa, ſic contenderent, ut hoc propter adverſantem illorum contentionem flecti non poſſet. Iis igitur muſculis non magno ſupra genu intervallo in tranſverſum diſſectis, crus illico flecti potuit. Neque tamen genu, ut rotulæ prominentia vel tum perſeverans, demonſtrabat, omni vitio carebat. Prominebat

(*y*) n. 10. & 11. (*z*) Dec. 4. Obſ. Anat. Chir. 2. (*a*) Præfat. in Tract. de luxat. & fract. Oſſium. (*b*) Epiſt. 25.
(*c*) n. 15. (*d*) in Gal. l. de Oſſib. c. 20. Comm. 4. (*e*) Theſ. Anat. 5. Tab. 2. fig. 2. & 3. (*f*) De Medic. l. 8. c. 10. Sect. 5.
(*g*) Diſſert. de Oſſ. Medulla. (*h*) n. 9.

bat enim rotula, quia externus femoris condylus, ut erat a poſterioribus ad anteriora longior, quod ejuſdem cum externo alterius femoris condylo inſtituta comparatio manifeſtiſſime comprobabat, ſic antrorſum vel magis quam alioquin ſolet, prominebat. Contra autem, Laterale externum genu ligamentum multo craſſius ad alterum, quam ad hoc genu, fuiſſe, comparando pariter comprobatum eſt.

27. Unde aqua illa in parte, fœduſque ejus color in thoracem traduci potuerit, cum ſit ea quam paulo ante deſignavi, Epiſtola indicatum, cætera autem in propoſita Obſervatione ſatis per ſe dilucida ſint; de genuum contrario incommodo, & de quibuſdam eorum morbis quædam alia commemorabo. Genu de quo modo dictum eſt, flecti non poterat. Illuſtris autem Hallerus (*i*) cum in aliud incidiſſet quod extendi non poterat, nullam invenit cauſam *præter duram & pene tendineam celluloſitatem*, ab ea parte, opinor, aut certe magis ab ea parte quæ in artu poſterior erat. Rotulam in tranſverſum, ut ſæpius ſolet, frangi a violentis ictibus mirum non eſt; illud mirum, quod a violenta & ſubita muſculorum crus Extendentium ſeu contractione, ſeu reſiſtentia nonnunquam aut ipſa frangatur, aut validi eorundem muſculorum tendines ſupra ipſam diſrumpantur. Cujuſmodi exemplum diſruptionis apud Cl. Baſſium (*k*) leges, & ante illum duo apud Ruyſchium (*l*); apud quem (*m*), & Palſinium (*n*); ne alios nominem quam qui hæc ſcribenti erant in manibus; illiuſmodi fracturæ Obſervationes invenies.

Semilunares quoque cartilagines quæ inter femur, & tibiam in genu articulo interjiciuntur, ab affluxu humorum excreſcere nonnunquam poſſe, & claudicationem afferre, laudatus Baſſius (*o*) obſervavit: De Valgis denique ut omittam ea quæ Severinus (*p*) fuſe ſcripſit; Ruyſchius (*q*) in valgo adulto ſummæ tibiæ caveas, iis cartilaginibus ſubjectas, ad femoris condylos excipiendos non æque depreſſas, &, quod conſequitur, utrumque illud os aliter ac ſecundum naturam, poſitum deprehendit: quas res melius Icon (*r*) monſtrabit, quam deſcriptio. Hæc enim ideo memoravi, ut ex eorum quos laudavi, libris plenius cognoſcas, indeque ea quibus internoſcas, ſigna, & quando, & quomodo curationem ſuſcipias, quando contra jam præteritum ſit tempus quo auxiliari poſſis, intelligas. Attamen in nonnullis eorum quæ dicta ſunt, & nominatim in rotulæ fractura, & tendinum crus extendentium diſruptione quantum auxilii, præter ſpem, & expectationem, temporis ſpatium interdum afferat, contigit mihi ut annis ſuperioribus in duobus viderem. Procerus, & lacertoſus vir erat alter qui ante annos aliquot e rheda deſiliens cum rotulam dexteram in tranſverſum fregiſſet, Chirurgorum opera fruſtra uſus erat donec Præſtantiſſimus in hoc Gymnaſio Chirurgiæ Profeſſor Hieronymus Vandellius, vigeſimo ſecundo a fractura die accerſitus, ſuperiorem partem rotulæ ad inferiorem adduxit quantum potuit, ut altera ab altera multo minori quam antea, intervallo diſtaret, faſciarumque ope ibi conſiſtere coegit. Erat id intervallum tranſverſi digiti: in illo autem natura ipſa aliquid ſenſim procreavit per quod rotulæ partes firmiter alligarentur inter ſe. Itaque homo eo artu jam libere utebatur, cum forte Venetiis in pontis cujuſdam gradibus ita lapſus eſt, ut eo crure valde & violenter flexo, crepitum audiret quaſi rei alicujus in genu diſruptæ: & ſane ea flexionis violentia ruprum eſt quidquid illud erat quod rotulæ partes inter ſe connexas ſervabat. Quas cum Chirurgi fruſtra conati, ſic adducere ut paulo antea erant, non poſſent, denique operam dederunt, ut inſtrumento ad genu appoſito juncturam quoad ejus liceret, firmarent, lutiſque Euganeis corroborarent. Longo autem interjecto ſpatio temporis homo qui ab utroque lapſu magnos dolores pertulerat, nec illo artu uti potuerat, tantum conſecutus eſt, ut eodem, omni jam abjecto inſtrumento, abſque ulla moleſtia utatur, ſive ſtet, ſive genu flectat, ſive incedat, quod expeditiſſime facit, vix leviter in id latus claudicans. Quod ego genu cum diligenter contrectarem, rotulæ partes quæ inter ſe ferme æquales erant, alteram ab altera non exiguo intervallo disjunctam offendi, eoque multo majori cum genu flectebatur: ubi enim rotula eſſe debuiſſet, tunc ibi cavum apparebat duos circiter digitos pollices amplum in longitudinem, nec minus in latitudinem, profundum autem ad digitum tranſverſum, ut imi femoris condylos, & ſupremam tibiæ oram tactu percipere liceret. Sed hunc, ut quæ dixi, inſpicerem, ad me adduxerat Profeſſor laudatus: qui conſimilia in quodam famulo pariter, ſi vellem, Patavii cernere me poſſe, ajebat. Vir autem alter quem conſilii cauſa, ad genu videlicet magis roborandum, cum eodem inviſi, Patricius Venetus fuit. Hic poſt duos lapſus, a quorum primo fracta in tranſverſum rotula, dein artis ope coaluiſſe dicebatur, ab ſecundo certe tota ſurſum retracta erat, jam expedite, & recte, ut cæteri homines, ſine ullo fulcro per plana quidem incedebat; in ſcalarum autem aſcenſu necdum profecerat ſatis; ſcandebat enim, ſed non pariter expedite. Huic quoque, cum ſtabat, in ipſa rotulæ ſede, inde ſurſum, ut dixi, retractæ, fovea in oculos incurrebat. Cujus foveæ extantia latera, ut in priore etiam Viro, non dubitavi, quin laterales eſſent partes ampliſſimæ illius aponeuroſis per quam muſculi crus extendentes in hoc inſeruntur: iiſque partibus quidquid uterque ſine rotula præſtaret, videretur acceptum eſſe referendum. Scilicet utrique acciderat, ut pars intermedia aponeuroſis, illæſis lateralibus, diſrumperetur, priori quidem ubi rotulam cui firmiſſime adhæret, complectitur, alteri autem, quantum ego vidi, inter rotulam, & quod in tibia exſtat, tuber. Neque enim ut minus facile inferior hæc pars rumpatur, quam alios quoque, nec ſemel, ruptam vidiſſe, ſcio, facere credo ligamentum quod plerique ſub ipſa ponunt, a rotula ad illud tuber pertinens. Certe mihi vel diligenter, & ſæpius in cadaveribus quærenti, oculato eſſe adeo non licuit, ut quidquam diſcrepans a tendinea fibrarum ipſius aponeuroſis natura, quod proprie ligamentum vocari poſſet, ſatis perſpicue viderem. Quamobrem cum Veſalio (*ſ*) adhuc facio, diſerte ſcribente, *patellam neque femori, neque tibiæ aliter quam tendinum beneficio committi: hocque privatim patellam ſibi vendicare, quod alteri oſſi ligamentorum ope non alligetur*. Quem ſummum Anatomicum, ut ſe quoque hic ſequi, profeſſus eſt Weitbrechtus (*t*), utinam conſtantius ſecutus eſſet. Verum non eſt hic locus quædam in eximio alioquin *Syndeſmologiæ* libro examinandi, ſæpius ad nimiam in ligamentis ponendis facilitatem, alias ad minime neceſſarios diſſenſus, nonnunquam ad minus juſtum ſilentium ſpectantia. Nunc in propoſito perſtemus.

28. Cruris quoque oſſa quantum ambulationi poſſint officere, & quomodo hominem claudum facere, ignorat nemo, ſcilicet ubi utriuſque fracturæ non congrua adhibeatur curatio, & illius præſertim quod de duobus præcipuum eſt, tibiæ nimirum, a cujus vitiis etiam valgos homines fieri, paulo ante dicebamus. Quamvis autem ob naturalem horum oſſium rectitudinem facilius ſit eorum, quam curvi, & inclinati oſſis, ut femur eſt, fracturam ita ſanare, ut artus neque figura, neque longitudine diſſimilis alterius fiat; tamen ſi fractura obliqua ſit, perfacile accidit, ut is artus brevior evadat, nonnunquam & diſtortus. Quamobrem ex noſtratibus quidam hac memoria pati maluerunt quod olim plures (*u*), ut ſibi rurſus frangerentur oſſa, & dirigerentur: idque feliciter ceſſiſſe nonnullis, ſcio; ſed contra, novi hic Medicum haud ineruditum qui cum ſibi cruris oſſa, conſervere jam incipientia, disjungi a Chirurgo, per-

(*i*) Opuſc. Pathol. Obſ. 50. (*k*) Dec. 3. Obſ. Anat. Chir. 6. (*l*) Adv. Anat. 2. c. 2. (*m*) Obſ. Anat. Chir. 3.
(*n*) Anat. du corps hum. tr. 5. ch. 17. (*o*) Dec. 2. Obſ. 5. (*p*) De recond. Abſceſſ. nat. l. 6. P. 2.
(*q*) Adverſ. 2. cit. c. 6. (*r*) Ibid. Tab. 1. Fig. 2. (*ſ*) De corp. hum. fabr. l. 1. c. 32.
(*t*) Syndeſmolog. S. 5. §. 13. cum notula *m*. (*u*) Vid. Celſum de Medic. l. 8. c. 10. prope fin.

permiſiſſet; inde graviſſima ſymptomata, & mortem accerſivit. Quæres fortaſſe, quo tempore conſervere incipiant fracta oſſa, & quo ad perfectum inter ſe coalitum perveniant? Res, opinor, ejuſmodi eſt, ut ſi rationem ſpectemus, pro certo nequeat in univerſum definiri. Neque enim; ut gravidas ſeponamus, in quibus conſolidatæ fracturæ ibi vix unum exemplum legimus, ubi non conſolidatæ plura habemus (*x*); neque, inquam, conſolidatio tam cito incipiet, aut perficietur in ægris corporibus, quam in ſanis, neque item ex ſanis pari celeritate in ſenibus, ac in junioribus, aut in iis omnibus quibus aut non eadem fractura ſit, aut non eadem adhibeatur curandi ratio. Nec vero aliter experientia docet, ſi pericula quæ Cl. Hamelius (*y*) fecit in brutis animantibus, attendamus. Namque in ægro animali quintodecimo a fractura die callum, non, ut in aliis pari a fractura intervallo perfectum invenit, ſed æque imperfectum ac in altero, decimo die; erant autem juniores columbi, & os idem, ad eundemque modum & fractum fuerat, & repoſitum, & obligatum: quibus enim arctius obligatum eſt, illis aut gangræna quam Celſus (*z*) ex nimia adſtrictione prænunciat, mortem attulit priuſquam apparere poſſet cartilaginea calli firmitudo, ut quæ ante quartum diem in cæteris animadverſa non eſt, aut (*a*) ne octavo quidem die, quo in aliis eſſe oſſeus callus incipit, ullum prorſus calli initium fuit, ſed ita ſe habebant cuncta, ut ſi tunc fractum os fuiſſet.

29. Hæc autem omnia, ut alia bene multa, explicat Vir Experientiſſimus, callum repetens, non, ut alii, ab oſſeis fibris ſe producentibus, aut ab oſſeo qui ab his quidem fibris deſtillet, ſucco, aut ab effuſo, & adhærente fractis oſſibus ſanguine; ſed juxta proprias Obſervationes ex intumeſcente, & craſſiore facto ad fracturas externo, internove perioſtio, laminaſque ſuas in cartilagineam primum, deinde in oſſeam firmitudinem mutante. Sed de hac calli firmitudine ſive ipſam juxta laudatas Hamelii, ſive malis ſecundum minime negligendas Solertis Viri Dehtleefii (*b*) Obſervationes explicare; haud aliter ſentiendum eſſe, non dubitabis, ac de calli initio, & complemento dictum eſt, nempe pro variis, quæ memoratæ ſunt, aliiſque ejuſmodi conditionibus, quibus longius quoque, aut brevius ex quo completus fuerit, tempus addendum eſt, magis, minuſve compactum, aut certe durum, firmumque eſſe poſſe. Et hac ego ratione puto, adverſas inter ſe Clariſſimorum complurium Virorum ſententias eſſe conciliandas. Sunt enim qui ſcribant, pari firmitudine eſſe callum ac quævis pars oſſis, imo, ſi diametro ſit, ut ſæpe, quam os, majori, pro diametri augmento tanto eſſe robuſtiorem, idque ſapienter eſſe proviſum, quia fracta oſſa cum rariſſime ſecundum priſtinam directionem reponantur, ibi alioquin novæ fracturæ magis eſſent obnoxia, ibidemque difficile iterum poſſent coaleſcere propterea quia callus ſtructura caret vaſculari. Quæ ut ſeponamus tum quia ſecundum Hamelii quidem Obſervationes non ex oſſe, neque ex callo, ſed ex perioſtio, ut diximus, callus videtur repetendus, tum quia non ignobilis Chirurgus affirmat, fracto priore callo, alterum citius quam prior, formari, illudque unum hic attendamus, callum dici non minus ſaltem quam os ipſum, reſiſtentem, & firmum; ſunt certe alii & graves, & plures Viri qui cum hac re minime conſentientia proponunt. Vide enim, ut Celſus (*c*) ad nimium qui oſſibus recte inter ſe glutinatis ſupervenerit, callum extenuandum ea artui exterius adhibeat quæ, ſi oſſea duritie eſſet callus, opitulari nihil poſſent, ut lenes ex oleo, ſale, & nitro, longaſque frictiones, multa ex calida ſalſa aqua fomenta, malagma quod digerat, & adſtrictiorem alligationem. Aut ſi hæc profuiſſe non putas; Hamelium (*d*) leges ſcribentem, aquæ ſtillicidium non modo ad id ſæpenumero utile fuiſſe, verum etiam ubi nimius fuit ipſius uſus, nonnunquam callum adeo molliviſſe, ut duo quæ inter ſe coaluerant, oſſis extrema per ſe iterum ſejuncta ſint. Sed fuerint ejuſmodi calli aut non ita magnæ diametri, aut nimis recentes, ut bimeſtris ille, & parum eminens in crure junioris agni, qui callus ex interrupta intra paulo acrius lixivium ebullitione reglutinatus eſt apud eundem Hamelium (*e*); inſigni certe, & monſtroſa eminentia erant illi duo, minime, ut videtur, recentes, quos ex Rolfincio Sepulchretum (*f*) proponit in femoribus cujuſdam cadaveris, quo *poſt anatomen cocto ad ſceleti ſtructuram, uterque ab invicem abſcedebat callus.* Præter cæteras autem digna eſt quæ hic memoretur, Obſervatio, a ſpectato Chirurgo cum Salzmanno (*g*) communicata. Militi fractura tibiæ callo tam firmo ſanata fuerat, ut huic pariter ac alteri inſiſtens, ſine ullo incommodo ambularet, cum forte octavo poſt menſe acuta febri correptus, in idemque in quo prius cubuerat, Noſocomium delatus, dum conſuetis adverſus febrim remediis curatur, animadverſum eſt, quaſi callo a febrili calore ſenſim abſumpto, extrema oſſis per ſe iterum ſejuncta eſſe: quæ perſtante febri, cum conglutinare non licuiſset, mox, ſublata febri, a natura ipſa ſine magno vel medicamentorum, vel faſciarum apparatu, tibia in integrum reſtituta eſt. Denique calli ipſius compages in demortuis inſpecta, aliquando ejuſmodi eſt, ut quamvis diametro multo amplior, tamen longe fragilior quam os cui accrevit, inveniatur. Neque enim ex duro oſſe, ſed ex ſpongioſa, qualis inter duas cranii laminas, ſubſtantia eſt. Cujuſmodi callum in gallinæ, & anatis ala deſcribens, pingenſque Ruyſchius (*h*), id *aliquoties in homine quoque obſervaſſe* ſe, dicit: *ita ut haud nimis fidendum ſit iis qui autumant, fracturarum callum ſemper tantæ eſſe firmitatis, ut oſſa olim fracta, & ferruminata, citius (ſi denuo fracturam patiantur) in loco vicino, quam in dicto callo frangantur*: quin etiam inde eſſe non dubitat, quod aliqui *poſt oſſium fractorum* ferruminationem facillimo negotio, imo incedendo, in recidivam *incidant*. Cæterum ſi plura exempla cupis obſervatæ callorum ſtructuræ, & miræ interdum longitudinis; vix, credo, majori numero apud alios invenies, quam apud Erudit. Jo. Beniam. Boehmerum (*i*). Quem numerum, puto, augere poteris, quod ad ſtructuram attinet; Obſervatione Cl. Viri Alexandri Camerarii (*k*) in pueri femore; quod vero ad longitudinem, exemplo propoſito ab Jo. Jacobo Bajero (*l*) in molitoris maxilla inferiore *a mento uſque ad medium trium circiter unciarum amplitudine.*

30. Nunc ut ab iis quæ fractis oſſibus non cruris tantum, ſed & aliis accidunt, ad peculiares eorum fracturas redeam: unam, ſed rarum quidpiam prætérea continentem, Obſervationem ſubjiciam.

31. SENEX ruſticus pinguior, dum vitem putaret, ex arbore in pedes ceciderat, & crus dexterum ita fregerat, ut oſſa per vulnus quod ipſa fecerant, ab latere interno paulo ſupra pedem exſtarent. His, utcunque potuerunt, repoſitis, hominem in Urbem, & Noſocomium vexerunt frigido anni tempore; erat enim medius circiter Februarius menſis A. 1736. Itaque cœli etiam injuriis accedentibus, ſervari non potuit, mortuuſque eſt intra quartum a fractura diem. Etſi Anatome quam in Gymnaſio tunc habebam, ſpectabat ad finem; tamen oblatam hujuſmodi cadaveris viſcera perſcrutandi, ægrumque artum introſpiciendi facultatem negligere nolui. In quibus hæc præter naturæ modum animadverti. ABDOMEN poſtridie mortis ſubtumidum, non aliam tamen ob cauſam, niſi quod aer, inteſtinis incluſus, hæc quoque ſubtumida faciebat, cum inciſum eſſet, atque

(*x*) Eph. N. C. Dec. 1. A. 1. Obſ. 25. cum Scholio. (*y*) Memoir. de l' Acad. R. des Sc. A. 1741. Mem. 1.
(*z*) c. 10. cit. S. 1. (*a*) Mem. 2. (*b*) Diſſert. exhib. oſſium calli generationem &c. (*c*) in fine c. 10. paulo ante cit.
(*d*) Mem. 2. cit. (*e*) Ibid. (*f*) Sect. hac 5. Obſ. 1. §. 8.
(*g*) Diſſert. de Artic. analog. &c. c. 2. §. 7. (*h*) Theſ. Anat. 8. n. 49. & Tab. 3. Fig. 5. & Catalog. Rarior. Theca B. Repoſ. 2. n. 2.
(*i*) Diſſert. de Oſſium Callo. (*k*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 53. verſ. fin.
(*l*) Eph. N. C. Cent. 7. Obſ. 4.

atque diductum, omentum apparuit ſurſum totum ita retractum, ut infra tranſverſam Coli partem, quam operiebat, non deſcenderet. Lien æquo major, & facile lacerabilis. Jecur pallidum, & quacunque parte diaphragma ſpectabat, arcte adeo cum hoc connatum, ut membranæ utrumque inveſtientes, non duæ, ſed una eſſe viderentur. Fellea cyſtis oblonga, & pinguis, etſi vitellino colore exterius erat; bilem tamen ex flavo viridem, eamque fluidam, non fæculentam, & calculos, in homine non icterico, undeviginti continebat. Hi erant omnes in fundo, nec alii uſquam, niſi forte minimus aliquis inter cyſtis tunicas in glandula quapiam latebat, ut nigrum punctum indicabat quod in uno, aut altero faciei interioris loco per tunicas tranſpiciebatur. Sed ii de quibus dicere inceperam, ſubrotundi omnes, modici, nigri, ſuperficie granoſa, nihil magis quam mora matura eſſe videbantur. Qui a me continuo in aquam conjecti, illico omnes fundum petiere, & in eo quievere. Sed ex ea mox educti, & poſt aliquot dies aquæ impoſiti; non projecti; paulo tardius ſubſederunt, bullulaſque emiſerunt: duobus autem poſt menſibus ſimiliter impoſiti, diutius in ſummo permanſerunt. Quo tempore cum ex ſiccis aliquem flammæ admoviſſem; hanc ille non concepit; ſcintillas dumtaxat, & combuſtæ pennæ odorem ingratum emiſit, retractuſque eſt qualis ferme antea fuerat. Cæterorum autem fragmenta quædam bimeſtri in aqua maceratione nihilo molliora facta, eandem ſemper firmitudinem retinuerunt. Addere hæc ad illa poteris quæ olim de felleis calculis ad Schroeckium ſcripſeram (*m*). Nunc autem id accipe quod rarius eſſe, dixi; ego certe niſi in hoc corpore nunquam vidi. Venæ Cavæ Inferioris truncus ubi ex Iliacarum confluxu coaleſcebat, non dexterum, ut ſemper, ſed ſiniſtrum per lumbares vertebras tenebat latus, pergebatque ad lævam arteriæ Magnæ donec per hujus anteriorem faciem ſtatim ſub Meſenterica Superiore oblique dextrorſum ſe inflectens, debitam ſibi dexteram peteret ſedem. Qua ex inflexione fiebat, ut quamvis ſiniſtra Emulgens vena ad duos treſve digitos inferius quam dextera, ſi Cavam in rectum extenderes, in hanc influeret; ren tamen ſiniſter non multo inferiorem ſedem obtineret. Hunc ego per Aortæ faciem venæ Cavæ tranſitum cum in quocunque corpore miraturus fuiſſem; non ſatis mirari poteram in ejus corpore qui inter aſſiduos graveſque agreſtis vitæ labores conſenuiſſet. Cæterum Aorta duri aliquid habuit ad ſuam in Iliacas diviſionem, itemque ad oſtium Meſentericæ Superioris. Thorace autem aperto, etſi pulmones ubicunque pleura ſive pectus, ſive latera, ſive dorſum, ſive diaphragma conveſtiebat, cum ea arcte cohærerent; ſani tamen ſunt viſi: neque in propinquo corde vitii quidquam adnotatum eſt.

Noviſſime Crus fractum inſpexi. Non tumebat plurimum. Tibia, & fibula paulo ſupra eum locum ubi cum pede committuntur, fractæ erant ambæ, fractura in longitudinem, ſed non recta, pergente. Sanguinis ibi circum effuſi non plurimum: nec malus adhuc erat odor, aut color.

32. Hanc autem fracturam inſpexi, non quod in homine, eoque ſene quidquam tam cito me viſurum ſperarem quod ad calli initium conſpicuum attineret; ſed ut alia potius, in hiſque illud, an ſi fragmentum quodpiam eſſet ab oſſibus ſejunctum, id mucoſo quodam involutum eſſet humore, ſicut in Valſalvæ ſchedis ab eo inventum eſſe, legeram. Hoc quoque in ipſius quadam Epiſtola eſt quod huc ſpectet: ubi fractura cum vulnere eſt, ſanguinem effluere eſſe ſinendum; ſic enim & oſſa, & carnes facilius junctum iri: itaque in caſu ſibi propoſito fracti femoris, & tibiæ, ideo illud citius quam hanc, conferbuiſſe, quod illius fractura cum vulnere per quod ſanguis effluxerat, conjuncta erat; hujus non erat. Nec quando adnotare hæc cœpi, illam omittam quæ mihi non vulgaris Chirurgus de ſe narrabat. Crure fracto, oſſibuſque recte & repoſitis, & locatis, id primum animadvertiſſe, auctum ſibi dolorem hora una exacta poſtquam crus deligaverant: quod cum a deligatione quæ arctior interea facta eſſet, poſſe repeti, negaſſent id explorantes Chirurgi; intellexit a ſtupa eſſe quam circumpoſuerant, conquaſſato ovi albumine imbutam, quod dum reſiccaretur, fragmenta aliqua oſſea ad proximas ſentientes partes apprimeret. Deinde illud alterum, a leviſſimo quoque, dum qui ſibi aderant, ambularent, tabulati, & lectuli tremore, ſemper dolorem augeri, timoremque ſimul, ne is tremor oſſium conglutinationi officeret. Denique cum perſanatus jam eſſet, diuturnam valde ſibi, alioquin tunc juveni, & recte valenti, reliquam fuiſſe in calcaneo, cum vellet incedere, moleſtiam, & difficultatem propterea quia ſatis cautum non fuerat, toto illo tam longo quo immotum crus ſervaverat, tempore, ne calcaneo niteretur: ex quo etiam illud intelliges, quare navi, attentique Chirurgi velint fracti artus calcaneum apto foramine exceptum quod circumjecta ſtupa, aut linteum molle, in annuli formam convolutum, relinquat, ita quieſcere, ut æger calcaneo ipſo non nitatur.

33. *Luxari aliquando juxta pedem ambo oſſa cruris*, jam olim ab Hippocrate (*n*) ſcriptum eſt: eaque luxatio breviorem utique artum faceret, ſiquando ita disjungerentur, ut aſtragalus aſcenderet inter utrumque: quod tamen fieri non poſſe, niſi præter ſymptomata longe graviſſima, pes ad externum cruris latus evidentiſſime traductus, appareat, ſatis eſt in Reſponſo quodam meo demonſtratum: quod ſi legeris apud Clariſſ. qui edidit, Medicum; rem, opinor, ita perſpicuam eſſe, cognoſces, ut de ea nihil hic cenſeas eſſe adjiciendum.

34. Hactenus de Inferiore artu tam multa ſcripſimus, ut niſi longiſſimi eſſe velimus, pauca dumtaxat de Superiore, & de Vertebris ſint attingenda. Quorum pars tamen ad Inferiorem quoque artum ſpectabit, ut partem eorum quæ ſcripta ſunt, ad alia etiam oſſa transferri poſſe, intelligis. Ex iis enim illud quoque eſt quod ex Columbo memoravimus (*o*), in pueris facile epiphyſes ab oſſibus disjungi. Quod qui non attendat, is in illis decipi interdum poteſt, hujuſmodi disjunctiones pro fracturis accipiendo. Experienti alioquin Chirurgo id memini accidiſſe, qui cum ambo tumere brachia puelli nobilis videret ad carpos, tangendoque, ſub fluctuante humore quodam partes ibi extremas radii, & ulnæ mobiles factas eſſe, perciperet; mulierem quæ geſtare illum ſolebat, accuſavit, quaſi puer ex ejus manibus excidiſſet, & brachium utrumque fregiſſet. Quod cum pernegaret illa conſtanter, Parentes utri crederent, neſcii, a me petierunt, ut Chirurgum audirem, & num forte deciperetur, cognoſcerem. Cum illi inter petendum narraſſent, puellum paulo ante graviter ex variolis laboraſſe, idque confirmaret Chirurgus; vide, inquam, ſodes, ne abſceſſus variolas conſecuti, erodendo perioſtia, epiphyſes illis cum oſſibus colligantia, has forte ſeparaverint; hoc enim cum ab aliis etiam internis cauſis, tum nominatim a *variolis ſæpenumero accidere*, vidit olim Pareus, cujus hac de re locus cum in Sepulchretum quoque (*p*) relatus ſit, miror, quomodo Eruditiſſimos cæteroquin Viros fugerit, qui de eadem re Chirurgos Pareo juniores laudaverint. Quid quæris? Sic erat, ut ſuſpicabar, Chirurgo ingenue mox fatente, me vera admonuiſſe: quam ingenuitatis laudem non pauci alias, me non ſuſpicante, ſed demonſtrante, conſequi, cum facile poſſent, noluerunt. Cognito autem morbo, recte perſanatus eſt ille puer. Porro de *diſceſſu epiphyſion a variolis* ut ſcio quædam obſervata extare etiam in Programmate (*q*), quod in meas nondum pervenit manus, Præcl. Weiſſii; ſic minus dubito, quin hoc tempore ſi quis forte ſcriberet *de Variolarum reliquiis*, non eſſet facile, ut olim in eodem argumento Vir alioquin doctiſſimus Georgius Fran-

(*m*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 167. (*n*) l. de Fractur. n. 14. apud Marinell. (*o*) ſupra, n. 2.
(*p*) Sect. hac 5. Obſ. 1. §. 7. cum Schol. (*q*) Vid. adnot. ab Hallero ad c. 4. P. 13. Meth. Stud. Medic. Boerhaav.

Francus (*r*) non rariſſime contingentem epiphyſium disjunctionem præteriturus. Sed nemo in pluribus plures eadem tempeſtate epiphyſes ab oſſibus ob internam, alterius tamen generis, cauſam disjunctas vidit, quam Poupartius (*ſ*) in magno illo Scorbuticorum numero qui in Pariſienſe confluebat Noſocomium A. *1699.* Ob eam disjunctionem fiebat, ut ſi ægri illi moverentur, crepitus audiretur oſſium ex horum, & epiphyſium colliſu. Quæ Obſervatio una ex illis eſt, perpaucis alioquin, quæ in Cl. Hertii *Diſcurſu Medico de Crepitu Oſſium* deſiderantur; diligenter enim collegit cætera quæ de hoc affectu ſcripta extant, ſubinde interjectis Parentis quoque Obſervationibus: quanquam diſſectionum luce caremus in cauſa ſtatuenda affectionis hujus, ut in plerіſque contingit. Quod ſi rationem attendamus; ea ſæpius cauſa in exſiccatione quadam ſtatuenda cum Hertio videtur, quam in humectatione, & laxitate. Nec aliter mihi viſum eſt, cum pro Matrona Primaria conſuleres, quæ, puerperio quincto ad finem ſpectante, dum ſe ab uno in alterum latus converteret, moleſtum quendam oſſium crepitum in genibus cœperat animadvertere, dein progrediente tempore in omnibus artus utriuſque ſuperioris juncturis ſic tamen, ut moleſtiſſimus eſſet in genibus, quippe non levi cum dolore in crurum extenſione conjunctus. Quo enim modo a laxitate deducerem quod cum dolore junctum eſſet? Itaque cum ea commendaſſem interna, externaque auxilia quæ moderate humectarent, tenſionemque remitterent; inſequenti anno cum iterum me conſuleret, nullæ amplius de iſto oſſium crepitu, quaſi nunquam fuiſſet, erant querelæ; ſed ut gravibus obnoxia eſſe hypochondriacis affectionibus ante conſueverat, de his tantummodo querebatur.

35. Vertebræ frangantur facilius, an luxentur, controverſia eſt inter Præſtantiſſimos Viros, quam aliis Litteris (*t*) commemoravi. Et quod ad ſupremas illarum attinet, quare cum ſæpius mihi rei indagandæ occaſio in ſuſpenſorum corporibus olim non defuerit, non indagaverim tamen, ibidem indicatum eſt. Ex eo tempore occaſio illa non eſt data. Quod ad cæteras autem vertebras ſpectat, cum Valſalva, & ego poſt vehementiſſimos ictus inſpiceremus, neuter luxatas, uterque fractas deprehendimus, ut ex LIV. (*u*) & LII. (*x*) Epiſtola cognoviſti. Quod ſi duæ in re ejuſmodi nimis paucæ tibi videntur Obſervationes; hue tres adde Cl. Tabarrani (*y*), qui ea qua pollet, ſolertia, & diligentia cum alia, tum hoc in primis examinavit. Is non ſemper vertebras loco motas invenit, & cum invenit, non adeo fere motas vidit, ut luxatas dici poſſe, crederet; ſemper autem fractas invenit. Nec vero hic mihi propoſiturum te, puto, noſtrorum Veslingii (*z*), & Pujati (*a*) Obſervationes. Illum probe memini in Dalmata dorſi aliquot vertebras leviter extrorſum dimotas, in Patavino autem omnes lumborum vertebras extrorſum notabiliter inclinatas, cum ſtupore partium inferiorum, vidiſſe. Sic etiam Præcl. Pujatum in aliis, & quod ob meritum quo eum proſequor, amorem ægrius tuli, in ſe ipſo paulatim ſuperiores lumbares vertebras extrorſum prolapſas, nec ſine crurum torporibus, obſervaſſe. At ſimul memini, utrumque ſubluxationes iſtas internis cauſis, ligamenta vitiantibus, tribuiſſe. Inſtitutus autem a nobis ſermo de luxationibus illis eſt quæ corpore, & ligamentis recte valentibus ab externa violentia dicuntur accidere: quas ipſe equidem non nego; quanquam, ut in caſu præſertim Cl. Targionii (*b*) quocunque modo intelligere coneris, perdifficiles habent explicatus; ſed an ſine fractura vertebrarum fiant, per mortuorum diſſectiones eſſe demonſtratum, haud ſatis ſcio. Hiſtoriam olim legi, quæ a Bellino eſſe dicebatur, Structoris qui e tabulato corruens, lumbis percuſſis, an alliſis, continuo pedibus ſentire nihil cœpit, & veſicæ, alvique recrementa inſcius egerere, atque alia pati quæ deſcribuntur. Poſt quatriduum mortui tres ſuperiores lumborum vertebræ inventæ ſunt adeo luxatæ, ut ad tranſverſum digitum in ventris cavo prominerent, ideoque Magnos vaſorum truncos ita comprimerent, ut oppoſitos eorum parietes ad mutuum uſque contactum adducerent, ex quo illud inter cætera fiebat, ut venæ omnes ab utroque *ſummo* pede ad luxationem uſque non ſecus ſanguine eſſent turgidæ, & duræ, ac ſi per vim fuiſſent infarctæ. Quis de vertebrarum luxatione hic dubitet? Sed num vis externa quæ vincere ligamenta potuit, illas non fregerat? num frangendo non minus forte Spinali medullæ, ejuſque appendici detrimenti attulerat, quam ipſa luxatio? De his vero, id eſt de inſpectis attentius vertebris, ipſaque medulla inter tot alia quæ deſcribuntur, ne verbum quidem. Sic in Sepulchreti libro IV. Sectione quidem III. (*c*) Obſervatio extat Fontani (Panaroli enim Obſervatio quæ in Sectione hac VI. eſt de Luxationibus (*d*), ad ſupremas attinet vertebras, neque, ut alibi dixi, ſatis conſtat an fuerit ſine fractura, imo, ut mox indicabitur, an fuerit vera luxatio) qua in Fontani Obſervatione legitur quidem, bajulum qui ex alto in ſubjectam trabem ſupinus ceciderat, vertebras dorſi *diſlocaſſe*, ac *diſſolviſſe*, unde quoad vixit, incurvato corpore terram facie ſpectaverit. Sed dorſo mortui per anatomen retecto, cum expectas ut ſcias, an fractæ fuiſſent illæ vertebræ; de hoc nihil, ſed quinque vertebras conſpectas intelligis *conglobatas*, adhærentibus viſcoſis materiis, *in gypſum quaſi calore naturali inſpiſſante converſis*. Neque in Sepulchreto aliæ ſunt præterea diſſectiones, quod ſciam, huc attinentes: itaque jam vides, an juſta ſit nobis cauſa optandi, ut ſæpius, ac diligentius res eſſet a Majoribus veſtigata. Certe iſta Fontani Obſervatio dare poteſt ſuſpicioni locum, num illæ, numve aliæ nonnunquam vertebræ, non a luxatione promineant, ſed a materia quam externa, aut interna cauſa circa eas cogat, & induret, unde & nervi ex iiſdem orti premantur, & adſiti muſculi, attollendo, aut flectendo corpori attributi, vertebræque ipſæ ſuis in actionibus, atque uſibus impediantur, ac perturbentur. Quanto autem minus lædentur nervi, aut quo diutius protrahetur hominis vita, eo magis anſa dabitur ad hanc, aliamve ejuſmodi ſuſpicionem: quam, in re præſertim inſolita, eximere debebat Panarolus cum luxatam vertebram cervicis ſecundam, & quidem *admodum magna luxatione*, propoſuit, & hominem tamen *hoc modo per quam plurimos dies vixiſſe;* neque enim ſatis fuit dicere, illud *ex mortui ſectione eſſe obſervatum;* ſed accurate addendum erat, quam in partem luxata eſſet vertebra, & an violento ex illo caſu, niſi fractam ipſam, aut ejus Dentem, ligamenta ſaltem aliqua inveniſſet diſrupta. Contra autem laudo Præſtantiſſimum Trewium (*e*), qui cum in altero vertebram lumborum primam *parum luxatam* vidiſſe ſe, ſcripſit, minime reticuit, *corpus ejuſdem* vertebræ *fractura longitudinali hiulca penitus fiſſum* fuiſſe: in altero autem *vertebræ dorſi penultimæ corpus ad conjunctionem cum ultima non ſolum a ſua cartilagine penitus avulſum, verum etiam ibidem in aliquot fruſta comminutum*, ab ſe repertum eſſe, tradidit. Utinam alii cum vertebram colli quinctam ſiniſtrorſum, ſextam vero dextrorſum luxatam, magno inter utramque inrerjecto hiatu (*f*), aut cum ipſius colli ſecundam vertebram non tam in ſeptenni puero (*g*), quam in milite (*h*) *dislocatam* offenderunt, tempus habuiſſent accurate inquirendi, num, & quid in iis vertebris, præſertim vero in ſecunda, fractum, aut in ligamentis diſruptum eſſet. Quæ cum dico, neque Panaroli, neque cujuſquam fidem in dubium traho; diligentiam dumtaxat, cum licet, requiro,

& ab

(*r*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 1. (*ſ*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. *1699.* (*t*) Epiſt. 19. n. 14. (*u*) n. 26.
(*x*) n. 34. (*y*) Obſerv. Anat. poſt n. 7. (*z*) Epiſt. 25. (*a*) Dec. Medic. Obſ. *6.* n. 10. & ſeqq.
(*b*) Semiluſſaz. delle vertebre lombari nella I. Raccolta d' Oſſervaz. Med. (*c*) Obſ. 28. §. 1.
(*d*) Obſ. 1. §. 1. (*e*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 51. (*f*) Commerc. Litter. A. 1738. Hebd. 40. II.
(*g*) A. 1734. Hebd. 11. poſt n. *6.* (*h*) A. 1740. Hebd. 52. n. 3.

& ab iis qui in poſterum in caſus ejuſcemodi forte incident, expecto (*i*).

36. Quod vero dixi de impedito muſculorum, vertebras ſive extendentium, ſive flectentium, aut vertebrarum ipſarum motu, commune oſſibus aliis eſt quæ mobili junctura inter ſe committuntur. Nam quod ad muſculos attinet, videre ex noſtra Obſervatione ſupra (*k*) potuiſti, crus, exempli gratia, inflexile fuiſſe propter nimiam muſculorum ipſum extendentium, contentionem, qua flectentium actio impediebatur. Et contra, ex Caſpari Hoffmanni (*l*) Obſervatione, & monito intelliges, crus aliquando extendi non poſſe, prohibentibus oppoſitis muſculis, qui ob arctiſſimas deligationes Chirurgorum incuria, in poplite exſiccantur denique in durum nodum. Non impeditis autem muſculis impediri motum ipſorum oſſium propterea quia cum plura eſſe deberent, unum fiunt, exempla habes in Sepulchreti Sectione hac VI. (*m*) non modo in genu, ſed etiam in cubito, imo in omnibus a capite ad extremos uſque pedum digitos univerſi ſenilis corporis articulis. Quo in Sene cum vertebræ inter ſe non ſecus ac cætera oſſa, coaluiſſent; tum in aliis Senibus peculiare id vertebris fuit ex Paawii (*n*) Obſervatione. Sic diu ante ipſum, in lumborum vertebris nominatim viderat Cattus (*o*), Falloppius autem noſter (*p*) vertebras, *facientes gibboſitatem*, *ſucceſſu temporis ita ſimul ligari*, ſcripſerat, *ut una prorſus fiant vertebra*, *& nullum remaneat veſtigium commiſſuræ*. Quas Obſervationes non tam miror Sepulchreto non eſſe additas, quam mirabiliores, notioreſque Ruyſchii (*q*), qui in gibboſis non id modo, verum etiam hoc *pluries* animadvertit, vertebrarum antrorſum curvatarum corpora in unum adeo fuiſſe compacta, ut quædam ex iis corporibus in nihilum abiiſſe viderentur, & nonnunquam corpora quatuor, an ſeptem ejuſmodi vertebrarum unum os facta, vix ut unius vertebræ corpus æquarent. Poſt quas, ſciens omitto alias, præſertim quas alibi (*r*) ſimul cum his Ruyſchianis, ſed preſſius, indicavi, tum Veterum, tum Recentiorum junctarum in unum vertebrarum Obſervationes, nedum noſtram qui ſic conjunctas quinque lumborum vertebras, in cœmeterio hujus Noſocomii repertas, & a Mediavia noſtro aſſervatas, conſpeximus. Nam hactenus ſcripta de Oſſium Fracturis, Luxationibus, aliiſque vitiis, motui officientibus ſatis tibi fore, arbitramur. Vale.

37. HÆC ſcripſeram, cum inter plures Diſſertationes, quas benigne, ut ſolet, ad me nuper miſit Illuſtris Vir Albertus Hallerus unam perlibenter legi ad illa pertinentem quæ paulo ante attigi de vertebrarum luxatione, Tubingæ editam a Cel. Profeſſore Maucharto A. 1747. In ea cum Vir Solertiſſimus *Luxationem Nuchæ* examinet, primum (*ſ*) *ne umbram* quidem *luxationis* fuiſſe, ait, in colli vertebris ullius ex omnibus, quos ſecuit, ſuſpendio enectis, quamvis carnifices violentiſſime, ac diu antrorſum depreſſiſſent illorum capita: nec infra (*t*) reticet; quæ tu ſimul conferas cum iis quæ Epiſtola propoſuimus XIX. (*u*); in duobus Juvenibus, quorum ipſe alterum perſecuit, alterum Cl. Profeſſor Weiſſius, laqueo muſculos fuiſſe laceratos in primo Sternothyroidæos, nedum Sternohyoidæos, in altero hos, & Sternomaſtoidæos, in eodemque Cricoidem cartilaginem in multa diffractam eſſe fruſtula, & Aſperæ arteriæ truncum a larynge prorſus abruptum. Quod vero ad externas cæteras violentias attinet, ut puta ictus, lapſus, alias ejuſmodi, negat (*x*) ullam certam & accuratam Obſervationem extare luxationis primæ vertebræ a capite, quantum ipſe noverit, qui tamen celebres Chirurgiæ, ac Obſervationum Chirurgicarum Scriptores evolverit amplius quinquaginta. Seceſſus autem ſecundæ vertebræ a prima, & quartæ a quinta duo omnino producit exempla (*y*) digna ſane quæ legantur, ut digna quoque ſunt plura quæ ad luxationes harum vertebrarum pertinent, monita, ut (*z*) falli qui a prima ſecundam vertebram luxatam eſſe, non dubitant, cum digiti apex inter utramque inſeri poteſt, quaſi vero id ſecundum naturam non poſſet, eoque magis ſi interjecta ligamenta vim aliquam majoris extenſionis ſint paſſa: itemque (*a*) ſecundam vertebram luxari antrorſum non poſſe, niſi ſummo, & incredibili impetu validiſſima ejus Dentis ligamenta rumpantur, aut Dens ipſe frangatur. Mitto cætera, ſatis enim vel ex his intelligis, an jure in ejuſdem vertebræ luxatione, a Panarolo propoſita, queſtus ſim (*b*), plura eſſe prætermiſſa. Certe autem ſi ponas, a capite primam vertebram non poſſe luxari; obſtet illa Denti ſecundæ vertebræ neceſſe eſt ſive oſſeo anteriore ſuo arcu, ne antrorſum, ſive firmiſſimo ligamento tranſverſo, ne retrorſum feratur adeo cum impulſa ſecunda vertebra, ut hæc luxetur, niſi aut rumpantur vincula, aut Dens ipſe perfringatur: neque aliter fore, vides, ubi animadvertas, quid Denti a latere ſit objectum, ſi forte eam vertebram luxari velis in alterutrum latus. Sermo enim erat noſter de veris ejuſcemodi luxationibus. Quales in duobus Maucharti exemplis fuiſſe, vellem. quanquam enim inter vertebram, & vertebram potuiſſe, ait, pollicem immitti; tamen in primo vel ipſe diſerte negat (*c*), *veram* fuiſſe *luxationem*. Illudque etiam opto, ut illud exemplum primum ab ipſo eſſet, non a vicino quodam Medico; ſic enim ruptorum ligamentorum, & fracti, aut non fracti oſſis facta eſſet mentio: quæ in ſecundo non deſideratur, in quo tamen ſi ipſe, ut interfuit, ſic diſſectionem peregiſſet; neque dubitatio fuiſſet ulla de ligamentis lapſus vehementia, an cultro laceratis; & vertebris intus extraque diligentiſſimo examine perſpectis, multo certius nunc eſſet, *nullam oſſium* fuiſſe *fracturam*. Quo magis & in iſtis, & in vertebris omnibus ab ipſo in primis ſperandum eſt, ut pro data in poſterum occaſione controverſia iſta penitus dirimatur, ſimulque perficiatur anatomica de Ligamentis doctrina, in qua ſupereſſe quæ poſt Weitbrechtum accuratius tractentur, cum ipſe animadverti; tum Mauchartus ſingulari qua pollet in diſſecando peritia & diligentia reapſe in Diſſertatione oſtendit quæ inſcribitur *Capitis Articulatio cum prima*, *& ſecunda Vertebra*. Atque hæc ſubſcribere Epiſtolæ huic volui, ne quia rariſſima ſunt in Italia alterius illius quæ modo indicatam ſubſecuta eſt, Diſſertationis exempla, quid de ſupremarum vertebrarum luxatione ſenſerit, aut viderit Vir Præſtantiſſimus, ignorares. Vale iterum.

EPI-

(*i*) Vid. infra, n. 37. (*k*) n. 26. (*l*) Comment. in Gal. de Uſu Part. in fin. l. 3. (*m*) Obſ. 3. §. 3. & Obſ. 4. §. 3. & 2. (*n*) Ibid. §. 1. (*o*) Iſagog. Anat. c. 3. (*p*) Præfat. ad Tract. de Lux. & Fract. Oſſib. (*q*) Obſ. Anat. Chir. 67. (*r*) Epiſt. 27. n. 32. (*ſ*) §. 5. (*t*) §. 16. (*u*) n. 8. & 13. (*x*) §. 9. & 11. (*y*) §. 11. & 12. (*z*) 15. (*a*) §. 10. (*b*) ſupra, n. 35. (*c*) §. 16. in fin.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LVII.

Sermo eſt de Arthritide, aliiſque Artuum Doloribus.

QUod de Supino, aut in Latera impedito Decubitu hac Epiſtola non agam, perpaucas autem Obſervationes proferam ad Arthritidem attinentes, minus te miraturum ſpero, ubi Sepulchreti proximas Sectiones duas, remque ipſam conſideraveris. Nam quod ſupini, aut in latere cubare homines non queant, a morbis fere eſt de quibus ſæpe alias a me Litteras accepiſti, non magis eos morbos, quam incommoda quibuſcum conjuncti ſunt, memorantes. Quam ob cauſam Sectio quoque VII. iis decubitus impedimentis in Sepulchreto attributa, perbrevis eſt, non quod hiſtoriæ deſint ad id argumentum ſpectantes, ſed quod omnes propemodum cum fuerint ante ſuo quæque cum morbo productæ, tribus verbis hic indicantur, deſignato loco quo, ſicuti lubeat, ſint perlegendæ, quemadmodum a me tibi Epiſtolæ poſſunt XVI. XX. XXI. XXII. XXXVIII. præ cæteris indicari. Arthritis autem cum morbus fere ſit divitum, rariſſime pauperum, horum autem, non illorum, cadavera Anatomicis tradantur, aut ſiquando illorum quædam ſint incidenda, viſcera quidem, vix unquam artus examini permittantur; hinc eſt, ut Obſervationes quæ ad arthritidem proprie attineant, longe ſint, quam tot aliorum morborum, in Proſectorum libris pauciores. Itaque & paucæ in Sepulchreti VIII. Sectionem, quæ de Arthritide eſt, referri potuerunt: quæ Sectio propterea multo maxima ex parte conſtat e Scholiis: & de paucis illis quas habet, Obſervationibus aliquæ jam libris ſuperioribus productæ fuerant; quin ultimam, quæ addita eſt, eam a Boneto ipſo in iſta eadem Sectione paulo ante, atque adeo proxima ſuperiore pagina totidem verbis fuiſſe propoſitam, deprehendes, ſi cum Obſervatione XI. ejuſque Scholio contuleris. Mihi vero ſtat nullam repetere hiſtoriam, cum plures ex Valſalva poſſem, & aliquam etiam ex meis. Cum quidpiam inde opus erit ad memoriam redigere; Epiſtolas in quibus relegas, indicabo. Hic quam pauciſſimas, ſed quas necdum miſeram, habebis.

2. MULIEREM iſchiadici dolores ſæpe torquebant ad juncturam femoris dexteram, quam in partem & claudicabat, & nonnihil gibboſa erat. Noviſſime paralyſis primum, deinde apoplexia corripuit, atque interfecit ante finem Januarii A. 1741. dum in Gymnaſio Rem Anatomicam tradebam: quo cadaver e Noſocomio translatum eſt.

VENTRE aperto, omentum ſe obtulit propemodum ad pubem uſque protenſum. Quod cum revolvere ſurſum vellemus, una Colon inteſtinum ad inferiora curvatum, & omento arcte adhærens, revolvebamus. Scilicet ſedes erat ejus inteſtini alia ac ſolet. Nam præterquam quod ut Cæcum, ita ejus initium inferius erat quam conſuevit; ubi ab eo initio ferme ad jecur uſque conſcenderat, inde in arcus modum ſe deorſum in hypogaſtrium ſummum curvabat, & hinc ſurſum curvatura omnino ſimili in ſiniſtrum hypochondrium altius ſcandebat: toto autem hoc arcu firmiter, ut dictum eſt, ad omentum alligabatur. Tuba utraque ad uterum clauſa. Hujus oſculum a tergo nulla prorſus corona erat cinctum. Vagina brevis. Breve quoque, & vix digituli intervallum a clitoridis glande ad urethræ orificium. Arteriæ Magnæ truncus qui in ventre eſt, majorem Cœliaca Superiorem Meſentericam emittebat: albidiſque intus maculis paſſim diſtinguebatur. Cætera viſcera, & vaſa, cum meliora interim ex aliis corporibus ſuppeterent, & ne Caput quidem introſpiciendi facultatem darent anguſtiæ temporis, non perluſtravimus.

Colli, & reliqui trunci, & Artuum muſculos demonſtrantes, in illo qualem Thyroidæam glandulam invenerimus, ad te alias (*a*) ſcriptum eſt; qualem vero femoris dexteri cum acetabulo juncturam, nunc, ut Epiſtola ſuperiore (*b*) promiſimus, eſt ſcribendum; ſi modo illud prius indicaverimus, ſinum oſſeum quo ſcapula dextera caput oſſis humeri excipiebat, oram habuiſſe manifeſto deficientem ubi latere anteriore accedere debuiſſet ad ſummum. Dexteri autem femoris caput non in globi formam rotundabatur, ſed depreſſum erat, nec lævi, albaque, ſed lurida cartilagine obtectum: quin hæc in poſteriore parte capitis omnino deerat, ut nudum ibi os appareret, in plures ſubrotundas protuberantes particulas conformatum. Acetabuli intima facies erat ſanguinolenta: ejus autem quod vocant ſupercilium intra naturalem ex cartilagine, & ligamento ſubſtantiam conditas oſſeas laminas habebat duas, non parvas, eaſque inter ſe vicinas.

3. Fernelius (*c*) quidem cenſebat, arthriticum humorem *nunquam, aut admodum raro* penetrare in articulorum cavum, ſed in circumjectis dumtaxat vinculis, membranis, tendinibuſque ſubſiſtere, hoc inter cætera argumento uſus, quod in tophacea podagra, aut chiragra humor in calculum jam concretus, aperta ruptave cute, eruitur plerumque e digitorum articulis, capſulari *vinculo integro atque illæſo*. Verum alii poſtea, ut ex Sepulchreto (*d*) cognoſces, aliquid plus quam Fernelius, moliri voluiſſe videntur, cum vel tendinum, articulis inſertorum, *nullum, aut obſcurum ſenſum* eſſe, contendunt, gypſeamque illam materiam tandem ob cauſas alias accedentes juxta articulos quidem congeri, ſed non ſemper, cum & aliis vicinis in locis ſe offerat. Nos autem in propoſita muliere, quam iſchiadici dolores adeo torquebant, nihil juxta articulum vitii, ſed omne intra articulum offendimus. Nec vero negamus, tartaream illam materiam juxta articulos etiam concreſcere, quemadmodum in Sacerdote illo ſtatim ſub cute Valſalva (*e*) invenit in membrana, digitorum tendines obvelante. Nec repugnabimus, ſi forte ſic velint accipere verba Aretæi (*f*); *in articulis quoque tophacea quædam coaleſcunt: ab initio quidem velut abſceſſus occupant: poſtquam vero magis ſpiſſantur, etiam concreto humore difficiles fiunt inflexiones: demum tophi ſolidi albi conſiſtunt*. Quin etiam Sanctorii noſtri (*g*) Obſervationes indicabimus. *Ego*, inquit, *aliquando vidi in quadam antiqua gonagra phlegma gypſeum molle, liquidæ calci ſimile, defluxiſſe ad cutem, qua perforata, ita liquidum egreſſum fuit: quo experimento excitatus, ſemel in quadam gonagra, ex gypſea pituita, utens ſtillicidio aquarum lanarum non ablutarum, in quibus malvaviſcum, malvæ, & naſturtium ebullierint, poſt longum aliquod intervallum aliquam portionem illius pituitæ gypſeæ ſub cute exiſtentis liquidam & mollem feci, indeque illam (ſecta cute) evacuavi*: quod curationis tentamen omittere hic nolui; quamvis me non fugeret (*h*) calcariam podagricorum materiam ab Recentioribus *ſola aqua calida* fuiſſe *reſolutam*, exemptam quidem, ut opinor, indeque ſpem eſſe conceptam, fore, ut largo crebroque hauſtu aquæ oſtracodermatum, cui ſapo additus ſit, in arthriticorum ipſis juncturis reſolvatur: quam utinam ſpem, juſtiorem futuram, ſi quantum illius aquæ in veſicam, tantundem in juncturas ferretur, ſucceſſus comprobaret. Damus igitur illis quos ex

(*a*) Epiſt. 50. n. 31. (*b*) Epiſt. 56. n. 16. (*c*) Patholog. l. 6. c. 18. (*d*) Sect. hac 8. in Schol. ad Obſ. 1.
(*e*) Epiſt. 40. n. 2. (*f*) De ſign. & cauſ. diuturn. morb. l. 2. c. 12. (*g*) Comment. in 1. F. 1. l. Can. Avic. D. 4. c. 1. t. 1.
(*h*) Vid. §. 11. Diſſert. cit. Epiſt. 42. n. 19.

ex Sepulchreto indicavimus, juxta articulos quoque, neque id raro, tophaceam congeri materiam. Imo inſuper addimus, vel longe ab articulis, ut in mamillæ tumore vidimus (*i*) generoſi Viri, cujus avum, & patrem arthritis male habuerat, nec ipſi omnino pepercerat. Sed non propterea illud quoque probare poſſumus quod ſcribunt: cum ligamenta capſularia occludant articulorum caveas, cumque *nulla* ad has *pateat via, neque vena aliqua hæc loca ſubeat,* non poſſe humorem arthriticum intra hæc perferri. Nam viæ huc eædem ſunt quæ mucilagini, cava articulorum lubricanti: cujus glandulas ſuis eſſe arteriolis præditas, non ratio ſolum, aut injectiones, ſed oculi ipſi inermes commonſtrant, rubellas illas tenueſque earum lacinias conſpicientes. Quare ubi ſanguis tartareis refertus corpuſculis fuerit, ut per alias arterias circa adſitos articulis tendines, atque membranas, ſic per iſtas eadem poterit ſimul cum mucilagine in articulorum cavis deponere. Quæ in tophos, & lapillos concreſcentia, diductis ſenſim oſſibus, & diſſolutis vinculis *frangunt articulos*, ut de *lapidoſa chiragra* loquitur Perſius (*k*), ſive ut de arthriticis hiſce *lapidibus* ait Cælius Aurelianus (*l*) *articulos ſolvunt, & cutem diſtendunt, atque erumpendo prominent, & chirurgia detrahuntur:* quæ vidi omnia, præſertim in digitorum manuum articulis Patricii Veneti. Neque erit cur dubites, num revera intra ipſa articulorum cava concreſcant, ubi ea legeris quæ ab Hardero (*m*), Schneidero (*n*) Dobrzenskyo (*o*) obſervata in Sepulchreto recenſentur.

4. Nec tamen ſemper neceſſe eſt, tartarea corpuſcula cum mucilagine ſubire cava articulorum, ut arthriticæ ibi affectiones exiſtant. Satis eſt, ſi Boerhaavium (*p*) audias, ipſa mucilago, ſi attritu congruo non attenuata, eoque non reſorpta, in juncturis *ſtagnet diutius*, & *mora ipſa acris fiat*. Sic enim dolores facit vehementiſſimos: & *ſæpe tanta mala a ſolo vitæ genere ſedentario oriuntur*. Huc vero addenda ſunt alia quæ nos inter cauſas referimus aut minoris attritus, aut difficilioris reſorptionis, aut utriuſque, nempe frigus humidum, naturalem tonum valde lædens articulorum eo facilius quod cartilagines, & ligamenta ex quibus conſtituuntur, & tendines quibus plerique operiuntur, ſanguiferis vaſculis neque ita multis, ſi cum pleriſque comparentur Partibus, & certe perminutis prædita ſunt, quo fit, ut frigori magis obnoxia ſint, in iiſque præſertim juncturis quæ frigoris injuriis ſunt maxime expoſitæ, ut in pedibus: preſſio, ut puta a ſtrictioribus calceis, unde revehentium vaſculorum plura aut nimis anguſta fiunt, aut prorſus obcæcantur, tantoque id facilius, quod ad duriores ex quibus articulos conſtare, dixi, partes apprimuntur; diſtantia a corde, unde languidior in propellendos humores impulſus: acclivis ad perpendiculum via per quam iidem ſunt evehendi: ipſa dolore affectarum partium quies in qua delicati vel diutius permanent quam opus ſit: lentior & viſcidior mucilago ſive a morbidis cauſis, & ingluvie in primis, baccho, venere, ſive a parentibus, a quibus revehentium quoque vaſculorum anguſtiæ, aut propellentium fibrarum imbecillitas: alia ejuſmodi. Quorum ideo complura enumeravi, quia animadverti, quoſdam ex Hoffmanno (*q*), apud quem fere omnia hæc ſunt, nulla facta ejus mentione, deſcribentes, aliqua prætermiſiſſe, minime omittenda, ſive nihil aliud quam quod Hoffmannus, explicandum ſumamus, nimirum cur pedes crebrius quam alias partes, corripiat arthritis, ſive etiam cur, & vel ab initio interdum, quampiam aliam. Re enim vera, uti ſcriptum eſt a Cælio Aureliano (*r*); *aliquando a pedibus ſumens* arthriticus *dolor exordium, cæteros articulos implicavit, aliquando in aliis incipiens, pedes invaſit*. Qui autem articuli non modo præ aliis ſunt in frequentiſſimo motu, ſed & ſimul paucioribus cauſis obnoxii ſunt ex iis quas enumeravimus, illi vix unquam, aut nunquam arthritide corripiuntur; neque enim legiſſe, aut audiviſſe meminimus, illos unquam articulos correptos eſſe quorum obſoletam memoriam reſtituentes, nihil in iis ob pravitatem deeſſe oſtendimus, quæ ſunt in magnis; nam & capſulari membraneo vinculo, & glandulæ mucilaginoſæ lacinia, & mucilagine evidenter præditos minimos illos propoſuimus (*ſ*) qui inter Cricoidem, & Arytænoides cartilagines intercedunt. Sed a morbidis cauſis adventitiis ii maxime afficiuntur qui pleriſque ſunt e cæteris quas nominavimus, cauſis ſubjecti, pedis videlicet articuli: quamobrem cum Veteres Auctores (*t*) arthritidem epidemicam viderunt, ut eunuchi quoque, mulieres, pueri, puellæ, itemque caprarum greges ea tentarentur; podagra illa fuit quæ promiſcue per viginti annos loci incolas invaſit. Minus autem mirabile fuit, notos fuiſſe Braſavolo (*u*) illuſtres duos adoleſcentulos qui annos quindecim nati, ex ea laborare cœperunt; cum ipſe puellos viderim qui, infantia vix peracta, acerbis articulorum doloribus prehenſi, decumbebant; ſed eorum ego & parentem, & avum, & proavum noveram arthritidi obnoxios.

5. Quam vero acris interdum fiat ſtagnans in juncturarum caveis mucilago, ſanguinolentum propoſitæ fœminæ (*x*) acetabulum, & eroſum femoris caput ſatis oſtendunt. Ubi autem ad eum uſque gradum acrimonia pervenerit, ut hæc faciat, num ullo putas interno, externove auxilio poſſe iſchiadem perſanari? Ego certe non puto, ne ſi *ultimo* quidem utaris, *& in veteribus quoque morbis efficaciſſimo*; ſic enim Celſi (*y*) verba legenda credo; *tribus aut quatuor locis ſuper coxam cutem candentibus ferramentis exulcerando*, nedum aliis quæ præterea Hippocrati (*z*) in uſu erant, mitioribus uſtionum generibus, qualia, & multo plura, a Cælio Aureliano (*a*) memorantur, inter quæ illud quoque, Hippocrati pariter uſitatum, quod præter cæteris videtur Indorum *moxæ* reſpondiſſe apponendo videlicet fungum quendam, huncque a ſumma parte accendendo: cujuſmodi uſtionem etſi *leni penetratione moderatam* Cælius agnoſcat; omnes tamen aliis poſtponit remediis, quippe cum *plurima* vexatione conjunctas, & eorum uſum prohibentes, *cum partes ulceratæ appoſita tolerare non poſſint*. Verum uſtioni ad laxatas partes contrahendas, corroborandaſque ſuus eſt locus, & cutis exulcerationi ad noxiæ materiæ portionem aliquam ab intimis locis arcendam, & extra corpus amandandam: itaque mitius, & tempeſtive adhibitam non omnino in quibuſdam rejiciendam cenſebis, præſertim ubi non veterum modo, ſed etiam non ita antiquarum quæ feliciter ejus ope abſolutæ ſunt, curationum veniat in mentem. Neque aliter de aliis quibuſdam auxiliis exiſtimabis. *Tanta eſt*, inquit Arantius (*b*) in iſchiadico dolore, *præſertim incipiente, enematum facultas, ut ipſe nullo præter clyſteres adhibito medicamento, plures graviter affectos, in priſtinam ſanitatem perduxerim*. Et prima quidem, quæ proponit, enemata facile probabis, ab iis quæ laudat Cælius (*c*) ſæpe a nobis memoratus, non adeo diſcrepantia, quibus *pariter fota atque vaporata interiora laxamento conſentiant*. Sed ubi prima illa non ſatis fecerint, Arantius aliud præſcribit, idque purgans, quod & ipſe agnoſcit, *validum*. Num irritationes veritus, omnino rejicies? Imo ubi eæ ſint cauſæ, eaque corpora quæ ipſe ponit, ſi non illo, at alio aliquo clyſtere uteris quo idem conſequaris. Certe autem præter Arantii teſtimonium, ſi vetuſtiores, aut recentiores ipſo Medicos legas; invenies multos cum eo conſentientes. Sic Montagnana (*d*) *Dolores iſchiadici*, inquit, *ſapientum omnium concordia clyſteribus acutis ſanantur*. Riverius (*e*) autem ita poſt frequentes alios clyſteres, etiam acres denique proponit, ut manifeſtiſſime cum Arantio facere, intelligas. Porro Ettmüllerus (*f*); ut alios prætercam; non ſolum clyſteres in primis repetitos, ait, convenire; ſed hoc addit, *& quidem acres neceſſe eſt ſint iſti*.

(*i*) Epiſt. 50. n. 45. 46. (*k*) Sat. 5. v. 59. (*l*) Morb. Chron. l. 5. c. 2. (*m*) Sect. hac 8. poſt Obſ. 2. (*n*) Obſ. 3.
(*o*) Obſ. 5. (*p*) Prælect. ad Inſt. §. 258. (*q*) Medic. Rat. Tom. 4. P. 2. S. 2. c. 11. Theſ. Pathol. §. 16.
(*r*) c. 2. paulo ante cit. (*ſ*) Adverſ. Anat. 1. n. 15. (*t*) Vid. apud Donat. de Medic. Hiſt. Mir. l. 1. c. 8. (*u*) Vid. ibid.
(*x*) n. 2. (*y*) De Medic. l. 4. c. 22. Vid. Epiſt. 6. noſtram in Celſ. (*z*) Vid. apud le Clerc Hiſt. de la Medic. P. 1. l. 3. c. 28.
(*a*) l. cit. 5. c. 1. (*b*) l. de Tumor. p. n. cap. 63. (*c*) c. 1. cit. (*d*) Conſil. 257. (*e*) Prax. Medic. l. 16. c. 2.
(*f*) Prax. l. 2. S. 2. c. 3. art. 8.

iſti. Quis auſit credere, tot experientiſſimis Profeſſoribus id non reſpondiſſe quod adeo commendant? Igitur & huic remedio ſuus eſt aliquando locus. Alias autem illis clyſmatibus quæ probabat Cælius, aut aliis aliud agentibus, in quibus profuiſſe interdum, ſcio quæ ex aqua parata erant in qua pernæ os incoctum fuerat, vel magis quam confecta ex elaboratis pharmacis, nedum ex rebus itidem vilibus. Crediderim autem, fuiſſe quædam ex iis compoſita quæ utilia eſſent nervis, Recto inteſtino proximis, quos pone iſchium os deſcendentes aliqui tanquam iſchiadis ſedem ſpectabant, præſertim ex quo Coiterus (*g*) ſcripſerat, ſpatium inter infimam Spinæ medullam, & Craſſam hujus meningem per quod nervi illi traducuntur, ſe *in arthriticis, iſchiadicis, & podagricis multoties tenui ſero, interim pituita viſcoſa refertum deprehendiſſe*. Quam Obſervationem vix Arniſæi verbis, eam commemorantis, fuiſſe in Sepulchretum (*h*) relatam, minus ægre fero, quod ejuſmodi humor in iis etiam reperitur, qui ex eo morbi genere non laborarunt.

6. Quod de clyſteribus cenſui, idem quoque de exhibitis purgantibus pharmacis, & de ſanguinis miſſione cenſeam, neceſſe eſt. Nam quod ad hanc attinet: ut nihil de opinione eorum dicam qui iſchiadem ab irrito naturæ conatu eſſe, credunt, ſuperfluum ſanguinem per hæmorrhoides expellere nitentis; certe eorundem Obſervationibus Majores præluxerunt, in quibus Joannes Zecchius (*i*) qui ratione, & experientia fretus, ſanguinem ex illis venis evocatum *mirum in modum iſchiadicis opitulari*, ſcripſit. Mirabiliora idem narrat de celerrimo ejuſdem morbi abitu, ſi vena ad reſpondentem malleolum exteriorem ſecetur, confirmante haud ita diſſimili Riverii (*k*) Obſervatione. Vidiſſe hos quæ ajunt, quis inficietur? Num tamen in exſangui, & infirmiſſimo homine id tentes quod in robuſto, & ſanguinis pleno, aut a ſuppreſſis hæmorrhoidibus iſchiadico facto, bene illis ſucceſſiſſe, credibile eſt? Purgantia quoque pharmaca ſcio te arthriticis illis non daturum, quorum corpus exſuccum, vireſque imbecilles, nervi facile in conſenſum trahendi, ventriculus denique is ſit qui inde capere detrimentum poſſit. Sed non propterea illorum quodcunque a te credi omnibus, & ſemper nociturum, exiſtimo. Id enim ſi eſſet; arthritidem nunquam, ne incipientem quidem, abegiſſent, aut arcuiſſent Medici plerique vetuſtiores, ut qui purgatione in primis uſos utrumque ſe præſtitiſſe, teſtantur. Ne ſingulos nominem, facit eorum aſſecla Demetrius Pepagomenus, Michaelis Palæologi Archiater, qui, hoc jubente, libellum de Podagra ſcripſit, tanquam *incerti Auctoris*, nec ſeorſum a magnis voluminibus parabilem, Patavinis typis noſtra memoria excuſum, quando; ut de antiquiore editione ſileam; Lutetiæ Pariſiorum ſeorſum exierat A. 1558. nec ſine veri Auctoris nomine, quemadmodum & Audomari A. *1619*. edente Joanne Bergeſio, qui haud, puto, eum ſibi laborem ſumpſiſſet, ut e gallica Jamoti verſione latinum faceret, ſi græce, & latine Lutetiæ prodiiſſe, eleganterque a Marco Muſuro latine redditum, non ignoraſſet. Eum igitur libellum ſi vel feſtinanter verſes; quantum in arthritide & ſananda, & arcenda purgationi tribuerit Græcus Archiater, Græcos illos veteres Medicos ſecutus, continuo intelliges. Sed ne forte putes, in terra dumtaxat Græcia id feliciter ceſſiſſe, mihique objicias magni noſtro tempore nominis Medicum, aſſeverantem, catharſim omnem vel *per lenientia*, nedum per validiora medicamenta, arthriticis plurimum nocere, ſive præſenti mederi, ſive etiam venturo paroxyſmo velis occurrere, imo ſe, tam in ſe ipſo, quam in aliis facto periculo, compertum habere, illam parum adeo votis reſpondiſſe, *ut malum, quod debuerat averruncare, atque avertere, accerſeret*; ne igitur hæc mihi objicias; duos ex noſtratibus præclaros, cum viverent, Medicos tibi opponam, ipſos quoque arthriticos, & in ſe ipſis purgationem expertos, Marcum Gatinariam, & Petrum Bayrum. Quorum ille (*l*) cum ſingulis per biennium menſibus ſemel evacuatione, ſingulis autem hebdomadis bis *minoratione* uſus eſſet, ſic *curatus fui*, inquit, *& pro certo nunquam paſſus ſum* podagræ *dolores*. Bayrus autem (*m*) cum octies jam, aut decies vehementiſſimis laboraſſet cruciatibus omnium articulorum, ut ſolam linguam movere poſſet, iiſdemque rurſus affligeretur, ſumpto electuario ſuo caryocoſtino, ambulare potuit eodem die, poſtridie autem jam liber erat: quod etiam poſtea bis pari felicitate expertus eſt. Quin denique poſteaquam eodem pharmaco ter quaterve ſingulis annis cum plenitudinis indicia perciperet, uti cœpiſſet, *ſunt modo pluſquam viginti ſex anni*, inquit, *quibus nullo modo a dictis doloribus fui moleſtatus*: idque *non ſolum in me ipſo, ſed in innumeris hominibus probavi experimento*: hoc autem eſt illud idem electuarium quod Capivaccius noſter (*n*) *maxime commendandum eſſe*, dicebat, in arthritide, *ſicut experimento fuit ſæpiſſime probatum*. Quæ fuſius de Bayro memoravi, ne Gatinariæ, diceres, purgationes feliciter ceſſiſſe, quia tunc podagra vexari incipiebat, prætereaque toto illo biennio nihil, aut parum de vino bibit: quamquam novi ego litteratum Virum, qui diu multumque, non ſecus ac frater, arthritide vexatus, omniaque alia expertus, in hiſque annuum pro vino aquæ potum, nihil tamen proficiebat, imo debilis, macerque fiebat, donec ante ſuam parcam cœnam quotidie una uti cœpit ex melanogogis pilulis Langelotti, unde mucoſa fere, nec ita multa, dejiciebat. Sic enim melius habere incipiens, domo prodiit: vidique ego poſtea ſine ſcipione incedentem firmo greſſu, atque expedito, priſtinoque corporis habitu, paucis, bene valentem, quo tempore non niſi quincto quoque die unam ex iis pilulis ſumebat. Neque dubium eſt, quin recentiſſimi Medicinæ Scriptores, niſi his ſimilia nota haberent exempla, ipſi quoque omnem arthriticis omnibus purgationem vetarent: ipſi vero pharmaca quidem vehementiora, præſertim in paroxyſmo, non probant; mitiora autem vel eo inſtante, atque adeo incipiente, nedum ad alios prohibendos paroxyſmos, commendant.

7. De diæta quoque, ut vocant, lactea certum eſt etiam atque etiam eſſe cogitandum priuſquam arthriticis imperetur; ne forte impuriori corpori, aut hypochondriacis affectionibus obnoxio, aut languido ventriculo multo plus detrimenti afferat, quam utilitatis. Quin etiam utilitatem hanc brevem eſſe, & fugacem vel in iis qui lac bene ferant, ſcripſerunt Medici nobiliſſimi, & quamprimum, eo omiſſo, ad ſanorum victum, quantumvis lenem, mitemque redierint, arthritidem reverti, longeque pejus, quam antea, vexare, aut ejus loco internos graviſſimos oriri morbos, quos mors haud multo poſt conſequatur. Veruntamen neque omne lac, nec quacunque ratione ſumptum, hæc poſt ſe relinquat incommoda, neceſſe eſt, ut puta ſi iis quibus conveniat, non ipſum modo, ſed & cibi alii congrui quidem, nec æquo plures haud aliter ac ſæpe aliis in morbis fit, eodem tempore præbeantur. Certe ex Obſervationibus quas Daniel Puerarius, opinor, Theſauro addidit Thomæ Burneti (*o*), una eſt Excell. Comitis, qui, cum ventriculus ulteriorem lactis uſum non ferret, pultaceis ipſe veſcens, cum ſaccharo, & lacte paratis, & gallinaceis pullis, pane lacte imbuto nutritis, paulatimque ad priſtinum victum reverſus, levioribus tantum, & facile abigendis articulorum doloribus, non primis illis, vivebat obnoxius. Alii autem *non pauci* arthritici cum biennium circiter lac ſumpſiſſent, *innoxie* poſtea *vino*, *compotationibuſque indulſerunt*. Hæc ille. Cornelius autem Celſus (*p*) olim memoriæ litterarum mandavit, arthriticos *quoſdam, cum aſinino lacte poto ex toto ſe eluiſſent*,

(*g*) Obſerv. Anat. (*h*) Sect. hac 8. Obſ. *6*. (*i*) Conſult. Med. 43. (*k*) Cent. 2. Obſ. Med. 25.
(*l*) Vid. apud Donat. c. 8. ſupra ad n. 4. cit. (*m*) De medend. hum. corp. malis Enchir. Diſt. 19. tr. 1. c. 1.
(*n*) Conſil. Medic. a Scholz. edit. 232. (*o*) Theſ. Med. Pract. l. 1. S. 40. in fin. (*p*) De Medic. l. 4. c. 24.

ſent, *in perpetuum hoc malum evaſiſſe*. Confirmavitque Plinius (*q*), *eſſe inter exempla, qui aſininum lac bibendo, liberati ſint podagra, chiragrave*. Quem locum in Annotationibus ad Ballonii Conſilia (*r*) relatum video, non ſine animadverſione, quam facile, quamque idoneum ad acrimoniam ſeri arthritici emendandam remedium ejuſmodi a Medicis illius temporis omitteretur. Iis autem qui poſtea Hippocraticum lactis uſum adverſus hunc morbum renovarunt, cum alii aliquando alia objicerent; extitit denique Senex optimus, noſtrumque amiciſſimus Ludovicus Teſtius, qui minus obnoxiam difficultatibus utendi lacte rationem excogitavit, ſaccharo, ut vocabat, lactis invento. Cujus non infelices effectus etſi pluribus fuerint tum apud noſtrates, tum apud exteros Obſervationibus comprobati; Auctore tamen extincto, neſcio quomodo ipſius inventi uſus paulatim decreſcere viſus ſit.

8. Noli expectare, ut de hydrargyro pariter verba faciam, quem inter cætera adverſus difficile hoc malum præſidia quibus auctoribus referre poſſimus, excitata quidem ſalivatione, monſtrabit Ettmüllerus (*ſ*); alia autem ratione, alii, in quibus Cl. Pujatus (*t*). Non de auxilio hoc magis, quam de diaphoreticis, aut de amarioribus, & calefacientibus herbis ſermonem hoc loco inſtituam, tum ne longior ſim, tum quia ut de cæteris remediis, ita de his quoque nihil aliud dicturus eſſem, niſi ſuum poſſe aliquando his omnibus eſſe locum; alias pro corporum conditione fore inutilia, imo etiam, vehementiora præſertim, noxia. Itaque memini, cum Medicus mihi quidam narraret, podagricis quos lues inſuper venerea corripuerat, ſe hydrargyro dato, atque uberi ſalivatione promota, luem quidem abegiſſe, podagræ autem cauſam nihil minuiſſe, cum ab ea non levius quam antea, invadi pergerent; memini, inquam, reſpondiſſe, imo ſatis eſt, quod non gravius. Quamquam autem in hoc etiam morbo; ne dicam in hoc magis, paucioribus, lenioribuſque, quo ad licet, remediis utendum eſt, & nos uſi fumus; tamen ſiquando peculiares cauſæ aliquæ præſidium quod alias fugeremus, requirant, Boerhaavio (*u*) credendum eſt, de Arthritide ſcribenti, *maximum cuique remedium* eſſe *quod oppoſitum illi cauſæ, unde originem duxerat morbus*, præſertim ubi illud cum ejus corporis cui medemur, conſtitutione videtur congruere. Atque hinc eſt quod nonnulla aliquando auxilia, pluribus Medicis ſuſpecta, in hoc morbo attulerint utilitatem. Sic; ut de externis quoque medicamentis aliqua attingamus; oleum e radicibus arboris cinnamomi quam utile fuerit abigendis, arcendiſque articulorum doloribus, apparet ex *Tranſactionibus*, ut vocant, Regiæ Angl. Societatis (*x*). Sic Medicorum Scripta verſantibus quam multa, quam varia occurrunt quæ adhibita levamen attulerint! Ut de pinguedine dumtaxat dicam; ranarum, erinacei, anſeris, vervecis, canis laudari, memini. Aſininam quoque ab Albertino vidi nonnunquam præſcribi, quam a Paullino (*y*) memoratam, nec tamen in hunc uſum, invenies. Num propterea quod ex his aliqua nonnullis interdum profuerit, omnes omnibus, & ſemper convenire, exiſtimabis? Certe Albertinus in iſchiadico quodam aſininam adhibuit, quem neque acerbiſſimus dolor, neque inflammatio torquebat. Alias autem ad demulcendum, quoad ejus licebat, articulorum cruciatus, haud aliis utebatur, quam quibus plerique conſuevimus, in ſingulis tamen eo potiſſimum quo quiſque ſolebat levari, ut puta fruſto bubulæ recentis carnis, bis quotidie mutato, vel ut nuſquam a me quidem lectum, ſed Bononienſi Senatori uſitatum, nec ſine levamine, commemorem; linteolo imbuto ſucco, ex foliis ſambuci expreſſo, leviterque tepefacto. Flores quidem ſambuci, aut coliculos teneros, aut ipſa folia, ſed cum aliis conjuncta, ad podagræ dolores leniendos a Græcis (*z*), Latiniſque (*a*) Scriptoribus proponi, ſcio, ſimplicem autem foliorum ſuccum non memini.

9. Cæterum externa hæc, itemque interna de quibus diximus, auxilia, aliaque ab Auctoribus laudata ſeu juverint aliquem ob eam cauſam quæ paulo ante indicata eſt, ſeu quod caſu adhibita fuerint prope declinationem, quæ aliquando multo citius quam ſolet, per ſe advenit, ſive etiam (id quod præſertim de præſervantibus, quæ vocant, medicamentis dictum puta) quæ ſanitas horum uſui tributa eſt, verius fuerit exactæ victus rationi, quæ diu ſimul ſervanda injungitur, eſt tribuenda (quorum utrumque Cælius quoque Aurelianus (*b*) eſt ſuſpicatus, alterum autem vel per ſe ſolum *ſecuritatem totius vitæ* attuliſſe, Celſus (*c*), aliique teſtantur) illud certum eſt, pleraque pleroſque aut nihil, aut parum adjuviſſe; quædam autem in graviſſimum diſcrimen conjeciſſe, aut mortis cauſam attuliſſe. Itaque ſi quæ commemoravimus omnia cum illius fœminæ (*d*) morbo contuleris a quo commemorandi occaſionem habuimus; facile intelliges, quam pauca levamen fortaſſe aliquod ferre potuiſſent; nam perfectam quidem ſanitatem, exeſo in parte, & deformato oſſe, ſperare non licebat; & contra, quam multa quanto futura detrimento procul dubio fuiſſent. In quibus & illa pones quæ necdum nominavi, ſed modo deſignabam, videlicet quæ arthriticam materiam circa articulos aut jam depoſitam, aut deponi incipientem, introrſum in venas repellunt, deponendamque aut tunc, aut in poſterum arcent, adſtringendo quæ ferunt ad articulos vaſcula, fibraſque improvide corroborando. Inde enim excluſa quid damni afferat, vel ex utilitate intelligi poteſt, quam ſæpius præſtat, cum admittitur. Videſis, ut auditus vitia, quæ cæteris auxiliis irritis, Virum generoſum vexabant, adveniens podagra omnino tollere conſueſſet, qua abeunte, revertebantur, ſicut adnotavit Reuſnerus (*e*), utque Gerbezii (*f*) Uxor diu, atque acerbe & ventriculo, & pectore torqueri ſoleret, donec erumpens arthritis extemplo liberaret. Sed quid ego ex his, aliiſque, unde poſſem, Scriptoribus ejus utilitatis exempla quæro quam in me ipſo expertus ſum? Cum enim illa de qua alias (*g*) mentionem injeci, utriuſque oculi inflammatione, & jam propemodum chemoſi conflictarer, cæteriſque incaſſum remediis uſus, & ſentirem ipſe, & Amici confirmarent, non eſſe amplius differendam ſanguinis miſſionem, animum ſubiit experiri antea quam mihi vena ſecaretur; neque enim unquam ſecta fuerat, ut neque ad hoc tempus quo undeoctogeſimum annum ago, ſecta eſt; experiri, inquam, an pediluvium, cum lenibus pedum frictionibus junctum, ſatis levaminis afferret. Quæ cum ſecunda fierent veſpera, ecce dolor ad ipſam pollicis dexteri cum metatarſo juncturam adventare podagram, ſignificat: quæ noctu leviter increſcens, oculorum inflammationem ſtatim minuit, & diebus inſequentibus ſuſtulit. Mitiſſima fuit illa arthritis, ut in homine qui nunquam antea, ut neque parentes, majoreſque cæteri, morbo hujuſmodi abnoxius fuerat; nec poſtea niſi quinto poſt anno, ſed vel multo levius, in ſiniſtro genu ſe prodidit, ut ſimilis quidem pediluvii effectus fuerit in podagra adducenda, ſed longe diſſimilis in ejus vehementia, atque in Juvene fuiſſe, video cujus in Commercio Litterario (*h*) hiſtoriam leges; nec mirum, cum ille; ut cætera omittam; non tepido, ut ego, ſed calidiori uſus eſſet pediluvio. Verum arthritis quantum utilitatis affert, ſi ei pateant opportune articuli; tantum noxæ reliquis invehit partibus, ſi illi non amplius pateant. Quod cum liceat innumeris Obſervationibus comprobare, quarum multas inſpicere, ſi vis, potes in Cæſareæ Academiæ Voluminibus, & præſertim Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 55. indicatas; unam mihi ſatis erit commemorare ejus quem merito ſæpius laudo, Hippol. Franc. Albertini (*i*). Cum enim Aurifex, podagra quotannis laborare ſolitus, petroleo, nec ſemel, imminente jam morbo, pedes inunxiſſet, hunc quidem arcuit; ſed in mul-

(*q*) Nat. Hiſt. l. 28. c. 9. (*r*) l. 2. Conſ. 3. Annot. 4. (*ſ*) Prax. art. 8. ſupra ad n. 5. cit.
(*t*) Diſſert. de Hydrarg. n. 51. & ſeqq. & in fin. (*u*) Aphor. de cogn. & curand. morb. 1280. (*x*) Saggio delle Tranſaz. &c. Tom. 4.
(*y*) l. de Aſino S. 4. c. 3. §. 12. (*z*) Dioſcorid. de Med. Mat. c. 168. (*a*) Scribon. Comp. Medic. 160. Samonic. de Medic. c. 42. Marcell. de Medicam. c. 36. (*b*) c. 2. ſupra ad n. 3. cit. (*c*) c. 24. ſupra ad n. 8. cit. (*d*) ſupra n. 2.
(*e*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 8. (*f*) Earund. Cent. 8. Obſ. 6. (*g*) Epiſt. 13. n. 24. (*h*) A. 1741. Hebd. 25. n. 1. propius fin.
(*i*) Comment. de Bonon. Sc. Inſt. Tom. 1. in Opuſc. de Cort. Peruv. haud ita procul. a fin.

multo graviores alios incidit qui abigi non potuerunt, niſi quamplurima ex alvo egeſta materia, quæ, ut podagricam fuiſſe, facile agnoſcas, *quaſi ex calce* erat *aut gypſo recens coagmentato*. Ea igitur a corroboratis articulis excluſa, in partes haud raro incumbit quæ aut abdomine, aut thorace, aut cranio concluduntur, præſens periculum, & ſæpe interitum afferens. Eademque accidunt ubi cauſa aliqua interna, & potiſſimum infirmæ vires obſtant, ne ad articulos feratur. Quod cum potueris ex duabus, alias (*k*) ad te miſſis, Obſervationibus arguere, tum evidentius ex hac cognoſces.

10. GEORGIUS CORNELIUS S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Patavinus, jam olim non artuum modo, ſed & renum doloribus valde obnoxius, cum ab his, nullis amplius ſe oſtendentibus calculis, jam vacaret, imminuta plurimum urinæ excretione, hydropicus fieri viſus eſt, fiebatque fortaſſe, niſi valentiſſimo diuretico remedio dato, magna lotii vis prodiiſſet. Ne illo quidem tempore calculus conſpectus eſt ullus, neque poſtea bene multis annis quodquam renum laborantium indicium fuit, tametſi mutatis ad celeritatem equis rheda veheretur longa etiam, & aſpera via, velut A. 1721. cum hinc Romam iret, indeque Patavium repeteret. Verum non ut nephritici, ſic arthritici quoque dolores ſemper illis annis quievere; imo ſubinde redeuntes, eo crebrius, graviuſque cruciabant, quod propter obeſum corporis habitum, inferiorum artuum robur infirmum, & augeſcentem ætatem, minus jam, minuſque in dies uti poterat exercitatione. Huc accedebat aſſidua jam a longo tempore alvi adſtrictio, capitis deinde, & auditus gravitas, & ad ſomnum proclivitas, nec rara denique animi deliquia. Per hæc cum annum vix exegiſſet ſexageſimum quartum, nulla primum ciborum appetentia, tum arthriticus ingruit paroxyſmus: jamque manus dextera, & genu ſiniſtrum tumere cœperant, cum triſtiſſimum accepit nuncium de lethali morbo Sereniſſimi Fratris, quem unice ambat, Joannis Venetorum Ducis. Unde magno alioqui animo Virum incredibilis mœſtitia cepit, moxque arthritica materia non modo ad articulos expelli deſiit, verum etiam quæ expulſa erat, in venas rediit, & præcordiorum anguſtiam, ſpirandi difficultatem, & ſuper hæc repentinum quendam inſultum attulit, in quo cerebri ſimul, & cordis officiis propemodum deficientibus, mors inſtare credita eſt. Tunc ſenior ejus Medicus, & qui aderant aut ſanguine, aut intima familiaritate conjuncti, me in conſilium propere accerſunt. Invenio ægrum nonnihil interea recreatum; ſed animo, nedum corpore, adeo diſſimilem ſui, ut id continuo me perculerit, recordantem Hippocraticæ prænotionis (*l*): *præter conſuetudinem quid facere .... malum eſt*. Qui enim antea in difficillimis rebus nunquam ſibi, aliiſque defuerat, omnem omnino ſpem vitæ abjeciſſe, ex ejus verbis intelligebam, quibus ne fruſtra opem ſibi ferre conaremur, monebat, præcipiebat, rogabat, idque a me præſertim, quem ſingulari, & aſſidua fuerat benignitate complexus, interea dum tangebam pulſus, majorem in modum etiam atque petebat. Erant ii, ut tum, & poſtea tangendo cognovi, ſane peſſimi, quippe imbecilli, & poſt ictus ſæpe duos, ſemper autem perpaucos, intermittentes. Manifeſtum erat, niſi peccans materia ad articulos revocaretur, ſervari non poſſe. Nec minus tamen evidens erat difficultas ſumma revocandi in ea virium infirmitate, & in eo qui omnia incaſſum fieri, pro certo haberet. Itaque in extremo diſcrimine verſari, iis quibus debebam, ſeorſum dixi: idque per curſorem, dictatis a me continuo litteris, ſignificandum Ampliſſimis Viris, Fratris ejus Filiis, curavi. Attamen ex iis quæ inito conſilio facienda eſſe, ſtatueramus, nihil interea, aut poſtea omiſſum eſt, quantum quidem per ægri vires licuit, ab eoque precibus obtinere potuimus. Jamque genu tumere iterum incipiebat, quo die pulſus quoque aliquanto meliores factos animadvertimus. Sed mox natura fatiſcente, rurſus omnia in pejus ruere, & nequicquam nobis contra nitentibus, reſpirationis difficultas augeri, ſopore caput gravari, convulſionibus non interiora modo, ſed & artus corripi. Per quæ ſenſim intra perpaucos dies Cardinalis Præſtantiſſimus, Pontifex optimus, Litterarum Fautor ſummus eodem fere tempore quo Sereniſſimus Frater, optimus ipſe quoque Princeps, & arthritidi pariter obnoxius, bonis omnibus mœrentibus, ereptus eſt IV. Idus Auguſti A. 1722. CADAVER, ut juſta more majorum fieri poſſent, cum eſſet balſamo inſequenti nocte condiendum; Diſcipulum miſi, a me exercitatum, qui viſcera eximeret, & ſingula attente perluſtraret; neque enim animus tulit, ut ipſe adeſſem. Ab eo, & a Medico de quo antea dictum eſt, mox diligenter quæſivi omnia. Quæ autem ambo retulerunt, huc redeunt.

Venter præpinguis omentum, meſenterium, inteſtina etiam Tenuia habuit multa pinguedine onuſta: amplum ventriculum; ſed tunicis maxime extenuatis: jecur ipſum quidem recte conſtitutum; ejus autem veſiculam parvulam, tuniciſque adeo tenuibus, & flaccidis, ut attactu rumperentur, excidente rotundo calculo, pro veſiculæ parvitate non parvo, quem unum hæc ſine ulla bile continebat. Renes erant æquo majores, ſed dexter maximus, ut ſimul cum pinguedine qua obtegebatur, capitis magnitudinem ferme æquaret. In eo lapides ad undecim, magni pleri. que, & ramoſi. In ſiniſtro unus, & is quoque ramoſus, nec parvus. Suo colore, & ramis nihil magis hi calculi, quam nigrum coralium referebant; ad me enim attulerunt ſpectandos; ab iis autem non eſſe viſos, oportet, qui eorum ſimiles fuiſſe, indicarunt quos Tabula III. delineavit Alghiſius (*m*). Cæterum illa quæ proxime, arcteque ipſos complectebatur, renum ſubſtantia dura erat, & calloſa. Thorace recluſo, nihil in pulmonibus repertum eſt quod eſſet præter naturam; ſed Aſperæ arteriæ truncus cartilagines habuit præduras, nec facile conſtringenti manui cedentes. Quod vitii genus in arteriis quoque Iliacis, & proximo, unde oriuntur, Aortæ trunco animadverſum fuerat. Neque intra thoracem deerat; ſed ibi quo magis a corde recedebat Aorta, eo fiebat manifeſtius. Eratque hæc intra thoracem multo latior, quam juſtum eſſet. In corde nulla polypoſa concretio, & vix pauca ſanguinis portio, ejuſque ſpumoſi. Sed neque toto corpore multum ſanguinis fuit; ſi capitis integumenta excipias, quæ dum inciderentur, ſanguis non ita paucus effluxit. Cranio aperto, præter ſerum quod inerat animadverſa eſt cerebri ſubſtantia tota majorem in modum laxa.

11. Nimis & multa, & gravia præter ea quæ manifeſta erant, latebant in hoc corpore, quæ naturæ, & arti obſtarent in arthritica materia ad articulos revocanda. Laxius enim cerebrum præcedentes quidem capitis, & auditus gravitas, & ad ſomnum proclivitas indicabant. Sed laxumne adeo factum putares ut ſuo præcipuo muneri ineptum fere jam eſſet, aptiſſimum vero excipiendæ arthritici ſeri copiæ, unde externæ, internæque illæ convulſiones, quibus præcordiorum anguſtia, & ſumma, illæſis alioquin pulmonibus (intra quos nec Joerdenſius (*n*) in caſu haud abſimili quidquam adnotavit morboſum) ſpirandi anguſtia debebatur. Magna autem arteria tum æquo latior, tum præduris tunicis, ut Iliaci quoque rami, inſtructa, qua vi poterat in ſuperiores, inferioreſque artus peccantem materiam impellere? Sane multo aptior erat ad ſanguinis motum ſubinde remorandum, unde & deliquia, & noviſſimus ille inſultus, & pulſuum intermiſſio repetenda, præſertim cum infirmæ eſſent cordis vires, ut pulſuum imbecillitas oſtendebat, nec ſine cauſa, quippe cum illæ ab ejuſmodi cerebro conſervari non poſſent. Huc illud accedebat, quod cum imbecillum cor, duræque arteriæ vel optimo, & vivido ſanguini circumagendo minime par robur haberent; erat illis circumagendus effœtus ſanguis, & impurus, qualem hunc fuiſſe commonſtrant præter vitam, no-

(*k*) Epiſt. 25. n. 10. & Epiſt. 40. n. 2. (*l*) in Coac. n. 1. apud Marinell. (*m*) Litotomia.
(*n*) Act. N. C. Tom. 4. Append. n. 5. in fine §. 5.

noviſſime ſine corporis agitante exercitatione ductam, tot illa quæ præter naturam in ventre deprehenderunt. Nam primum ventriculus adeo laxus, tunicisque adeo extenuatis probe conficere alimenta non poterat. Tum deinde nec inteſtina poterant chylum perficere, in quæ nulla jam bilis e cyſti influeret, a tempore autem longo nec bona, & pauca influxiſſet, quorum illud non parvus felleus calculus, hoc autem cyſtis parvitas, & diuturna alvi adſtrictio ſignificant: quæ ipſa adſtrictio repurgando illa ex parte ſanguini quam adverſaretur, intelligis. Denique purgatio, qua ſi ullus, ſanguis certe ejuſmodi maxime indigebat, cum per cutem potiſſimum, & per renes fiat; per cutem hic, quieſcente corpore, minus fiebat; per renes autem gravatos adeo, & ex parte calloſos quis ſatis bene eſſe factam, putet? Nec me fugit, qui rei cauſam quandam alibi (*o*) memoraverim, & in obeſis præſertim confirmaverim; nec me, inquam, fugit, ut ſæpe renum calculi cum arthritide conjungantur; imo ob hos quoque arthriticorum ſanguinem minus expurgari, & ſic arthritidis materiam augeri. Neque tamen hinc inferas, velim, in iis omnibus hanc minus poſſe ad articulos propelli, aut ſi forte ab his intro ceſſerit, non poſſe ad articulos revocari. Quin memini, Senatori illi Bononienſi de quo ſupra (*p*) indicatum eſt, calculis quoque renum, præter arthritidem, exercito, cum forte ab hac genua, & manus intumeſcerent, repente autem mox tumor, & dolor ſine manifeſta cauſa pene ex toto evaneſcerent, & terreret omnes inſequens ſpirandi difficultas; memini, inquam, per eadem tamen quibus hic nos fruſtra uſi ſumus, peccantem materiam ab Albertino fuiſſe ad articulos revocatam. Scilicet neque ætas eadem, neque mœror, neque cerebri, neque Magnæ arteriæ vitia illic erant: & quanquam calculi qui ſubinde excernebantur, non deerant; non erant tamen cum his de quibus loquimur, comparandi.

12. Nam primum coralii formam hi referebant. Quod attendendum a te eſt non tam ut mireris, quam ut eorum cauſam, effectumque cognoſcas. Leges enim in Sepulchreto, eſſe deprehenſos in rene calculos qui muris imaginem (*q*), nedum qui coralii (*r*) repræſentarent. Euſtachius autem qui primam fere omnium coraliformis calculi Obſervationem propoſuit, ſatis ejuſmodi figuræ cauſam indicavit (*ſ*). Secundum quam Piccolhominus (*t*) poſtea muris quoque formam in calculo explicavit ab ſe deſcripto. Cujus hiſtoriam ſi ex ipſo Auctore in Sepulchretum fuiſſet relata; lectores poſt quæ ſymptomata repertus eſſet, non ignorarent. Igitur ut calculorum materia in pelvi, initioque ureteris ſubſiſtit; ſic in eam figuram conformatur quæ corpus, & caput muris, aut quæ caudicem coralii refert: ut vero ſimul in tabulis qui in pelvim confluunt, ita caudam muris, & tibias, aut ramos coralii repræſentant. Obſeſſis autem ab ejuſmodi calculo pleriſque, aut omnibus quas nominavimus, urinæ viis, compreſſiſque minimis attiguis inſtrumentis per quæ ipſa a ſanguine ſeparatur, ſane intelligis, ut ejus ſecretio, atque excretio minui debeant, aut hæc etiam omnino intercipi, & niſi ab natura, aut ab arte, aut ab utraque feratur auxilium, incipere hydrops fieri, aut magna alia oriri noxa. Vides igitur, unde naſci hydrops cœpiſſet in propoſito Eminentiſſimo Viro, cum ars remedio prævalido lotium urgens, partim obſeſſas vias nonnihil expedivit, partim vero, idque potiſſimum, necdum obſeſsas præter modum dilatavit, ut urina, & tum copioſe, & poſtea ſic ſatis efflueret, adjuvante natura quæ materiam, novos ramos calculis addituram, ſæpius deinde, & majori copia ad articulos amandavit. Sed ut tubuli aliquot & patuli, & latiores ſervati ſint; plures tamen inutiles omnino reſtabant calculorum ramis pleni penitus, atque impediti: &, quod magis attendendum eſt, inutilis quoque reſtabat proxime ipſis circumjecta renum ſubſtantia, dura cum ipſis, & calloſa ab aſſidua compreſſione reddita. Quæ res efficiebat, ut ne a maxima quidem corporis concuſſione moleſtia ulla perciperetur in renibus, præſertim cum arctiſſima tubulorum ad ramos calculorum adhæſio ne hi agitarentur, præſtaret, ut in aliis præſtitiſſe ex Sepulchreto (*u*) cognoſces, cum magni lapides, coralii ſimiles, *clavi inſtar impacti*, & immobiles renibus inhærerent. Verum tot partibus ſubſtantiæ renum calloſis factis, eoque inutilibus, num horum viſcerum munus detrimenti nihil cepiſse, exiſtimabimus? Erant præterea hi calculi & plures, & magni, ut reliquam non induratam renum ſubſtantiam partim prægravari, partim diſtrahi neceſſe eſſet. Prægravata autem, & diſtracta non poterat ſane ſuo officio perfecte fungi in particulis quas alias ſolet, inutilibus, & noxiis a ſanguine ſeparandis. Denique erant hi calculi in renibus ejus corporis in cujus fellea cyſti alter continebatur, & quod conſequitur, in eo corpore quod egebat magis ſeparatione illarum particularum, velut ſupra (*x*) indicatum eſt. Nec ſum quidem neſcius, facile poſſe in iiſdem corporibus quæ obnoxia ſunt renum calculis, felleæ quoque cyſtis calculos produci; imo id alia olim Epiſtola (*y*) faſſus ſum, qua repertos in Cardinali hoc Ampliſſimo commemoravi, nec mihi proclivius quidquam eſt quam non paucas proferre eorum Obſervationes qui utroque ſimul in loco deprehenderint. Nam præter tot alias quas invenies a me tibi alibi (*z*) commemoratas, & præter inſignem illam quæ a Cl. Pohlio (*a*) indicatur, & Sepulchreto addi poſſet, in Sepulchreto ipſo ſex memini legiſſe, eaſque omnes libro III. (*b*): quas inter Grembſii una eſt, hoc etiam cum propoſita hic a nobis conveniens, quod intra veſiculam *nihil fellis* repertum eſt. Sed horum nemo, quod ſciam, arthritide vexabatur, & ſiqui vexatus etiam eſſet, non tot alias tamen, neque tam graves vaſorum, & viſcerum habebat læſiones.

13. Sunt alia etiam vitia quæ aliquando in articulis ſe oſtendunt, velut id quod in muliere conſpexi, cujus diſſectio non una de cauſa digna eſt quæ hic tibi deſcribatur.

14. ANUS, complurium liberorum parens, ante menſes circiter tres apoplexia correpta fuerat. Hanc reſolutio exceperat artus utriuſque dexteri ſic tamen, ut ſalva ſentiendi facultate, moveri nonnihil poſſent. Noviſſime autem cum quidam acceſſiſſet quaſi ſopor, minorque ad loquendum promptitudo, in Noſocomium illata, ibi ſenſim e vita exceſſerat poſt initium Decembris A. 1746. De multis quæ pluribus diebus ſecando, in ejus corpore animadverti, hæc ſunt potiſſimum quæ huc attinent. IN VENTRE uterus adeo brevi longitudine, ut vel exterius ab oſculo ad ſummum fundum vix duos tranſverſos æquaret digitos. Sed erat totus in ſe contractus, & conglobatus, ut parvulæ pilæ referret ſpeciem nonnihil a fronte, & a tergo depreſſæ, parietibus proportione craſſioribus: quorum ſubſtantiam, cum ſecarem, lividam conſpexi, nec ſanam judicavi. Alterius tubæ majus extremum non modo impervium erat, ſed cum teſticulo prorſus connatum, qui, ut compar, durus, & ſuperficie quodammodo teſſelata. In Thorace, grandes cor habuit polypoſas concretiones. In Calvariæ integumentis qua tempus ſiniſtrum operiebant, magna exterius, interiuſque apparuit ſugillatio; tametſi nulla capitis alliſio aut percuſſio, quantum perquirendo ſciri potuit, nuper præceſſerat mortem, aut hanc erat mox ſubſecuta. In toto cerebri hemiſphærio ſiniſtro contra ac hemiplexia indicaverat, nihil quidquam vitii offendimus. In dextero autem primum animadverti vaſa quæ per Tenuem meningem feruntur, præſertim qua capitis vertici reſpondebant, ſanguine turgidiora: per eandemque meningem tranſpici quaſi aquam cum aereis particulis miſtam; quæ revera ſuberat, ſed adeo pauca, ut

(*o*) Epiſt. 40. n. 3. & 5. (*p*) n. 8. in fin. (*q*) l. 3. S. 22. Obſ. 26. §. 6.
(*r*) Ibid. Obſer. 21. §. 4. & ſeqq. & S. 25. Obſ. 20. & S. 28. Obſ. 26. (*ſ*) Vid. §. 4. cit. (*t*) l. 2 Anat. Prælect. 23.
(*u*) cit. Obſ. 20. & 26. (*x*) n. 11. (*y*) Epiſt. Anat. 1. n. 48. (*z*) Epiſt. 37. n. 43. (*a*) Differt. de Proſt. calcul. affect. §. 7.
(*b*) S. 22. Obſ. 1; S. 23. Obſ. 4. §. 10; S. 24. Obſ. 2. §. 12; Obſ. 6. §. 4. Obſ. 10. ſecunda §. 4; & S. 25. Obſ. 9. §. 5.

ut ea meninx non facile ſequeretur trahentis digitos. Deinde vero ſingulare, nec leve, offendi ipſius ſubſtantiæ cerebri vitium, idque circa verticem ad trium, aut quatuor digitorum ſpatium ſecundum capitis longitudinem, & ad totidem ſecundum latitudinem ubi quidem vitium erat latiſſimum; nam erat alicubi multo anguſtius. Incipiebat autem a ſuprema illa hemiſphærii ora qua ſiniſtro propius eſt, indeque in latitudinem ſe extendebat. A ſuperficie cerebri quam tenebat, introrſum plus digito non deſcendebat. Tota igitur quæ deſignata eſt, ſede utraque cerebri ſubſtantia colore erat ſanguineo fuſco obſoleto, mollitie autem non minori, quam ſi diu, multumque crebris gravis cultri ictibus conciſa fuiſſet, ac ſubacta, ut propemodum difflueret. Neutiquam tamen fœtebat. Reliquum autem cerebrum; niſi quod ſi cum cerebello, & Oblongata medulla conferres, laxius erat; nihil diligentius quærenti obtulit quod ſecundum naturam non eſſet; ut ne in ventriculis quidem effuſum ſerum deprehenderim, etſi Pituitariam glandulam valde contractam, & ſubſidentem animadverti. In Genu denique ſiniſtro, ad interiora vincula, cartilagines, & glandulas frequentiſſimis, qui & ſuperiora omnia viderant, Spectatoribus demonſtranda, inciſo cum mucilaginis nihil quidquam conſpicerem; attentius inſpectare cœpi omnia, quæ tamen ſic ſatis erant lubrica, vidique cartilagineam rotulæ cruſtam qua parte externo femoris condylo reſpondebat, quaſi attritam, & levibus parallelis ſulculis haud aliter exaratam, quam ſi quis ſcalpri aciem, ab ſummo ad imum ſæpius ducendo, appreſſiſſet: cruſtam autem condyli quem modo dicebam, qua eidem rotulæ parti obvertebatur, adeo extenuatam, ut lividula, ob tranſpectum per ipſam os, appareret. Præ his autem multo obſervatione digniores globuli plurimi occurrebant, quorum maximi quinque pares erant ferme omnes mediocribus uvarum acinis, reliqui, plures viginti, alii aliquanto, alii multo illis minores. Albi erant omnes, & lævi ſuperficie, omneſque inter ſe disjuncti, intra articuli cavum prominebant, exigua ſui parte adhærentes, imo continuati, minores quidem Capſulari ligamento circa hujus latera inferiora ſic ut aliqua in oblongam ſeriem diſponerentur, majores autem cartilagineæ cruſtæ, ſeu potius fimbriæ glandulæ alicujus mucilaginoſæ, cartilagineam cruſtam arcte operientis in receſſibus quibuſdam oſſium ad cavum articuli pertinentium. Alii autem omnino erant oſſei, alii ſub cartilagineo cortice oſſeum nucleum continebant. Cum in altero quoque genu vellem quærere, ſi forte ineſſent, meliuſque originem oſtenderent ſuam; ægre tuli, jam cum pleriſque aliis partibus fuiſſe humatum.

15. Cæterum unde unde extiterint; illud certum eſt, ſive ex mucilaginoſis excreverant glandulis, ſecretionem mucilaginis imminuendo, nocere articulo potuiſſe; ſive aliunde erant, ſi hactenus haud multum nocuerant (neque enim id ſcire pro certo licuit) plurimum, augeſcendo, fuiſſe nocituros. Quin ſiquis forte diceret, ex iis oſſeis globulis minimum quempiam, genu ſe agitante, e ſua avulſum ſede, atque inter condylum, & rotulam interjectum, veriuſque cartilagini ea vitia attuliſſe quæ indicata ſunt; non is loqueretur a veri ſimilitudine omnino abhorrentia: quanquam memini, cum inſequenti anno ibidem neſcio cujus hominis genu perluſtrarem, cruſtam ejuſdem condyli cartilagineam eadem illa parte qua rotulam tangit, nonnihil quaſi corroſam inveniſſe non majori ſpatio quam quod unguis digiti minimi operire potuiſſet, exiguiſque aliis in ea vicinia ſpatiolis; tametſi nec in rotula quidquam vitii, neque alibi in toto articulo appareret; nedum globuli extarent nulli. Quorum deſcriptionem eo minus cenſui prætermittendam, quod iſtiuſmodi in genu morbi qui mentionem fecerit, neminem video legiſſe (c). In alio tamen articulo ſic ſatis ſimilis, cum hæc recenſerem, prodiit Obſervatio Illuſtris Halleri (d). Scilicet in decrepita muliere, cujus arteriæ plures, & aliquæ cordis valvulæ oſſeis ſquamis, aut harum inchoamentis non carebant, dum inferioris maxillæ cum oſſibus temporum articulos introſpiceret, horum alterum animadvertit *nudatum cruſta cartilaginea, & meniſcum pene dimidium conſumtum & perforatum. Cruſtam quam tritus deleverat, idem tritus in globulos fere viginti mutaverat, ſemioſſeos, & in capſulæ cavea libere collectos.* In altero articulo *mirum* hoc *ſpectaculum* non erat, ſed omnia ſecundum naturam. Plura, ſi plura addidiſſet, deſcriberem tibi, ut omnia cum mea poſſes Obſervatione conferre. Verum nec ipſi pro certo reſciſcere licuit, ut videtur, quid inde, quantumve incommodi cepiſſet fœmina. Sed neque ita multos legi qui id genus memoraverint corruptionis ſubſtantiæ cerebri, quod ut ferme in paucis aliis (e), ſic in propoſita Anu deprehendi. Porro nec ita frequens eſt reſolutio in eo corporis latere quod ſubjectum; non adverſum; ſit cerebri læſioni. Itaque hanc ad paucas illas addere poteris Obſervationes quas alibi (f) inter oppoſitas longe plurimas, quaſi exceptionum quarundam loco, indicavi: niſi forte læſionem hic dicas aut non repentinam, aut nimis ab iis cerebri partibus fuiſſe remotam, nempe ventriculis, & quæ in his ſunt, protuberantiis, quibus potiſſimum partibus repente læſis, hemiplexia ſolet in adverſo latere obſervari. Quæ tamen an dici poſſint de Obſervatione illa quam a Medico Neapolitano Curtio propoſitam alias (g) indicavimus, fortaſſe non ita facile eſt conſtituere. Dextero enim lateri ob apoplexiam reſoluto, haud ita diſſimilem ejus de qua modo loquebamur, ſubſtantiæ cerebri corruptionem, non in ſiniſtra vidit reſpondere, ſed in dextero hemiſphærio, eoque toto, ut vel meninges in mucoſam eſſent ſubſtantiam converſæ: quamquam cum de Oblongatæ medullæ cruribus quæ in protuberantias illas excreſcunt, nihil ajat; dubitandi locus aliquis ſupereſſe videri poſſit.

16. Arthritidis de qua præcipue his Litteris ſcriptum eſt, & Rheumatiſmi tanta in multis quidem eſt ſimilitudo, ut Medici hunc ab illa ſero diſtinxerint; quanquam non adeo ſero, ut circa medium ſuperioris ſæculi id primum fecerint, quod ajunt aliqui Ballonii (h) obliti. Rheumatiſmi autem nulla peculiaris in Sepulchreto mentio fit, ne eo quidem loco ubi maxime conveniſſet, nempe ſub finem XI. Sectionis libri hujus IV. qua ea pertinet ad Dolores *Externarum Partium*. Nec miror tamen, cum vix meminerim in aliam rheumatici diſſectionem incidiſſe quam in illam ex Drelincurtio auditam, & in Oſteologia ſua (i) ab Haverſio memoratam, qua diſſectione Drelincurtius invenit *gelatinam concretam in ſuperficie muſculorum, duos aut tres Ducatos denſitate adæquantem*. Quæ Obſervatio ad eam addi poterat Sectionis quam dixi, Sepulchreti particulam, quæ & perbrevis eſt, & in parte conſtat ex productis alibi hiſtoriis, imo & in quandam definit, una illa eademque pagina jam propoſitam (k). Ego qui ſpectantia ad cæteras Sectionis ejuſdem partes alibi tractavi, ne hanc ultimam prorſus omiſiſſe particulam videar, Obſervationes huc adjiciam duas Mediaviæ noſtri, quarum prima ad Externarum Partium Dolores attinet; altera, niſi diſſectio verum detexiſſet, ad eaſdem attinuiſſe videretur.

17. JUVENIS aurificis lumbum dexterum cruciaverat dolor nulli remedio cedens. Anno ſic exacto, ſiniſtrum quoque lumbum jam cœperat dolor invadere, nec dolores in cervicibus deerant, qui videbantur rheumatici; cum acceſſit crura movendi impotentia, hydrops tympanites, & mors denique circa

(c) Vid. Epiſt. 69. n. 13. (d) Progr. de indurat. corp. hum. partib. §. 5. (e) Epiſt. 5. n. 6. & Epiſt. 9. n. 16. 18.
(f) Epiſt. Anat. 13. n. 25. (g) Epiſt. 9. n. 19. (h) Vid. ejus librum de Rheumatiſmo, & Quæſt. Medic. illi adjectam.
(i) Diſc. 4. ubi de Rheumatiſmo. (k) Obſ. 7. §. 11. & 7.

circa medium Aprilem A. 1753. CADAVERIS eas tantum exteriores partes incidere permiſſum eſt quæ ſedes fuerant pertinaciſſimi lumborum cruciatus. Itaque ab ipſis detracta cute, & Adipoſa membrana, in cujus cellulis aliquid aquæ conſpiciebatur, ſublatoque amplo illo tendine unde oritur Latiſſimus dorſi muſculus, neutroque in latere ulla in eo tendine adnotata labe, cum ad craſſum illud carneum corpus ventum eſt quod commune initium præbet Sacrolumbo, & Longiſſimo dorſi muſculis, ecce in eo corpore inſolitus apparet color, qualem in vetuſtis ex nucis arbore conſtructis armariis videmus, nec tamen in toto eo corpore, ſed ad ſpatium dumtaxat quinque circiter tranſverſorum digitorum ſecundum longitudinem pariter & latitudinem: idque a ſuperficie introrſum adeo pertinebat, ut in ſubjectis quoque muſculis Sacro, & Quadrato lumborum ſpectaretur. Erant autem fibræ toto eo quod indicavimus, ſpatio mirum in modum laxæ, & cedentes, crebriſque interjectis ſanguineis grumulis disjunctæ. Et hæc quæ diximus, vitia omnia eo apparebant magis, quo muſculi erant Spinæ propiores: ſed extra illud in lumbis ſpatium nec color, nec quidquam aliud quod præter naturam eſſet, in muſculis eſt animadverſum. Quin gravior odor ne ibi quidem erat, ubi illa erant vitia. Quæ in utroque lumbo omnia deprehenſa ſunt; ſed in ſiniſtro multo leviora.

18. Hic te duo ex me quærere poſſe, video, alterum, unde illa eſſet movendi crura impotentia? alterum, unde in cervicibus dolores? Et horum quidem cauſam non difficile conjicies, ſi mearum, quas inſequentibus etiam annis confirmavi, Obſervationum (*l*) memor, Longiſſimos quorum initia vitiata hic erant, muſculos a dorſo per cervices in omnibus in quibus id quæſivi, perrexiſſe, non ignoraveris. Impotentiam autem illam inde fortaſſe natam eſſe ſuſpicari nihil vetat, quod vitia in Quadratis etiam lumborum muſculis, eoque graviora, quo propius vertebras, animadverſa, pervenire demum potuerint ad eos nervos ex quibus Crurales coaleſcunt nedum ad muſculos ipſos Pſoas, ut vitia illa ab exterioribus ad interiora pergebant: neque enim ab interioribus ad exteriora proceſſiſſe, illud, etſi ventrem introſpicere non licuit, indicio eſt, quod nullæ de renibus querelæ, nullaque horum læſionis ſigna memorabantur, nec crura, incipiente, ſed diu progreſſo jam morbo, ſunt infirmata.

19. Nunc alteram accipe Obſervationem, quæ contra, cum ad Externos Dolores videretur ſpectare, re tamen vera ad interiora ſpectare inventa eſt, eoque dignior eſt quæ minime prætermittatur.

20. MONACHUS Paravinus, annos natus minimum ſeptuaginta, poſt febrem quandam, frigore ſtipatam, laborare cœperat doloribus, quos a defluxionibus, ut vocitant, eſſe, credebat. Hi muſculis qui circa os alterum Innominatum, & paulo ſupra anterius ſunt, & qui per ſubjectum femur extenduntur, inſidere videbantur, nunc moleſtiores, alias minus, ut incedere non prohiberent. Quos dolores cum duos treſve annos pertuliſſet; tandem iis ingraveſcentibus, confectus eſt circa medium Quinctilem A. 1737. apparente pridie quam obiret, ad inguen lateris illius tumore in quo fluctuans materia percipiebatur. ABDOMINE illic inciſo, ut unde materia illa extitiſſet, inquireretur; præter omnem opinionem ingens vis puris inter peritonæum, & os Innominatum, ibi iis obtectum quos mox nominabo, muſculis, reperta eſt.

21. Obſervationem hanc tanto magis a Medicis eſſe attendendam, cenſebis, quanto facilius poſſunt per ſpeciem defluxionum imponere morbi interni, & in abſceſſus ejuſmodi degenerare, & quanto fortaſſe crebrius quam opinantur, ſub ejuſcemodi larva iidem morbi deliteſcunt. Hoc certe unus Chirurgus ter vidit; nempe Cl. Benevolus (*m*), qui pariter a Quercio idem conſpectum eſſe, addit: ſciteque explicat, cujus generis tumores muſculis adſiti quos Pſoas, aut quos Iliacos Internos vocamus, tum cauſa eſſe poſſint contractionum quæ femoribus moleſtæ ſint, tum denique ſuppurati pus queant in ſumma femora demittere. Sed hæc apud ipſum fuſius videbis. Interea Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LVIII.

Agitur de Lue Venerea.

EPiſtolis hactenus ad te miſſis Obſervationes bene multas communicavi quæ ad Veneream attinent Luem. Itaque non eſt cur mireris, ſi vix aliquam ſupereſſe, dixero, quam his Litteris deſcribam. Verum ſi Litteras illas inſpicias quas protinus indicabo; ſatis eſſe tibi factum, videbis, cum, aliorum morborum occaſione, qui aut ab hoc erant, aut cum hoc conjungebantur, me non omiſiſſe ejus mentionem, aut ſiquæ intus ab eo eſſe viderentur læſiones, neque has fuiſſe prætermiſſas, comperies.

2. Namque Epiſtola ipſa I. (*a*) cum de atrocibus capitis doloribus verba facerem, quid vitii eſſet in meningibus, cerebro, & cerebello, propoſui: & quid in cerebro, & cranio, cum ſcriberem Epiſtola IX. (*b*) de epilepſia. In Epiſtolis autem XLII. (*c*) & XLIV. (*d*) læſiones occurrunt aut in epiglottide tantum, aut in aliis etiam laryngis cartilaginibus, arteriaque Aſpera adnotatæ: in iiſdemque Epiſtolis (*e*) (*f*) noxæ intimæ arteriæ Magnæ; ut minus, iis poſitis mirandum ſit Epiſtola XVIII. (*g*) dilatari ipſam in aneuryſma, aut Epiſtolis XL. (*h*) XXVII. (*i*) & LIII. (*k*) aneuryſma inſuper, aut ipſam diſrumpi potuiſſe. Purulentum pulmonem Epiſtola oſtendit XVIII. (*l*) præſertim vero XXII. (*m*) Purulentos autem, aliterve læſos renes, aliaſve urinarias partes Epiſtolæ IV. (*n*) XLII. (*o*) XLIV. (*p*) & XLVIII (*q*) Porro in utero excreſcentiam Epiſtola exhibet XLVII. (*r*) eademque cicatricem in vagina infima prope urethram. Virilis autem urethræ inſolitum madorem, & ruborem Epiſtola XLIV. (*ſ*) eademque (*t*) & XLII. (*u*) anguſtam urethram quibuſdam locis, atque contractam: duæque hæ Epiſtolæ (*x*) (*y*) & IV. (*z*) & XL. (*a*) urethræ excreſcentias, aut excreſcentiæ reliquias. Epiſtolæ autem; ut LII. (*b*) omittam; VIII. (*c*) XXVII. (*d*) XLII. (*e*) & XLIV. (*f*) majores illos canaliculos aut omnes, aut ex parte deletos, & denique Epiſtola hæc ultima aut alia urethræ læſionum veſtigia (*g*), aut ipſam qua cingitur Littrii glandula, inflammatam (*h*), aut Cowperi alteram glandulam induratam (*i*), aut ſtrigoſam (*k*), aut ductuum utriuſque oſcula non recte ſe habentia (*l*), aut obcæcata illorum oſcula qui ſemen invehunt (*m*), aut Seminales tandem veſiculas ſtrigoſas, & exſuccas (*n*).

3. Nec

(*l*) Adverſ. Anat. 2. Animad. 15. in fin. (*m*) Due Relaz. Chir. Vid. I. (*a*) n. 14. (*b*) n. 23. (*c*) n. 39. 40. (*d*) n. 15. (*e*) n. 39. (*f*) n. 3. (*g*) n. 25. (*h*) n. 29. (*i*) n. 28. (*k*) n. 7. (*l*) n. 25. (*m*) n. 10. 11. 15. (*n*) n. 19. (*o*) n. 2. 40. (*p*) n. 15. 27. (*q*) n. 32. (*r*) n. 28. (*ſ*) n. 3. 5. 7. (*t*) n. 10. (*u*) n. 39. 40. (*x*) n. 7. 10. 18. (*y*) n. 39. (*z*) n. 19. (*a*) n. 29. (*b*) n. 30. (*c*) n. 6. (*d*) n. 28. (*e*) n. 39. 40. (*f*) n. 7. 9. 12. (*g*) n. 9. 14. (*h*) n. 15. (*i*) n. 3. (*k*) n. 12. (*l*) Ibid. (*m*) n. 7. (*n*) Ibid.

3. Nec vero horum quæ dixi, vitiorum Obſervationes tantummodo ad te miſi; verum etiam iis præſertim duabus quas modo ſæpius memorabam, Epiſtolis XLII. & XLIV. fuſius quædam perſecutus ſum quæ Luem Veneream comitantur, aut ſubſequuntur, gonorrhœam videlicet, & urethræ quas appellant caruncula. De his enim quid alii ſenſerint, aut viderint, & quid mihi videre contigerit in illa XLII. Epiſtola (*o*) non omiſi. De gonorrhæa autem cum Epiſtola ſit tota XLIV; quid de ſingulis illius ſedibus, cæteris, mihique conſpectum fuerit, ordine propoſui, nec quædam alia quæ ad ipſam attinerent, prætermiſi. Nihil igitur eorum repetere volenti reliquum eſt, ut tres, aut quatuor, quæ forte ſuperſunt, Obſervationes hic proferam ad Luem illam ſpectantes. Quarum duæ primæ ſunt ex Valſalva.

4. MULIERI quæ annum exegerat quinquageſimum, dolor obortus eſt ad maxillam inferiorem, cum multi interdum ſanguinis fluxu adeo ut candenti ferro admoto hunc compeſcere cogitarent, ni per ſe tandem deſiiſſet. Brevi poſt tempore dolores ad oſſa vexare mulierem cœperunt: quos cum diu pertuliſſet; incepit, quotieſcunque movebatur, queri, omnia ſibi oſſa frangi; & ſane qui aderant, tunc crepitum ad articulos audiebant. Ad hæc illud poſtea acceſſit, ut inferiorum artuum oſſa flecti cœperint, quaſi eſſent cerea, & ad levem etiam motum dolere. MORTUÆ demum inventa ſunt oſſa Innominata, femoris, tibiæ, & quæ cranii fornicem efficiunt, non ſecus ac ſi ex craſſiore papyro eſſent, flexibilia: ſuperficie autem ſpongioſa erant; ad meditullium vero quibuſdam locis carioſa.

5. Unde ſanguis ille multus proflueret, cujus initio hiſtoriæ fit mentio, Valſalva ſcribere prætermiſit. Accepi autem ego ab iis qui cum ipſo olim mulierem & viventem, & mortuam viderant, abſceſſum huic fuiſſe ad alterum colli latus, ut ex illo fluxiſſe, conjiciam. Addiderunt iidem, alia quoque oſſa quædam, in quibus & coſtæ nonnullæ, & pedum oſſa flexilia in mortua fuiſſe, &, tanquam cartilagines, cultrum admiſiſſe: quæcunque autem oſſa flectentibus, aut comprimentibus cederent, ea, dum hæc fierent, humorem quendam, diluti inſtar ſanguinis, emiſiſſe. Vidi poſtea & ego illa oſſa; nam Valſalva aſſervaverat; oblonga quidem in arcus modum curvata, ex iis autem quæ fecerant cranii fornicem, in planum depreſſa, fœdo omnia, etiam quia intime purgari non potuerant, colore, & odore, & contrectantium manus ungentia. Sed cum a longo jam tempore aſſervata eſſent; nonnulla quæ in recentibus, atque adeo in cadavere ipſo quæſiiſſem, videre non potui: quæ inter illud fuiſſet, quomodo eorum capita in articulis ſe haberent, id eſt minus, an magis eſſent mucilagine inuncta, ob crepitum illum videlicet qui ad articulos, cum hos ægra moveret, ab aſſidentibus exaudiebatur; multo autem magis, quomodo ſe haberent genitales partes in fœmina quam lue venerea infectam adeo fuiſſe, dicebant, ut inde vitium hoc tantum oſſium extitiſſe, non dubitarent.

6. Vetuſtiſſima ſuppeterent mollium factorum humanorum oſſium exempla, ſi quod Sachſius (*p*) videtur cum Petro a Caſtro exiſtimare, hunc morbum *Arabibus* vocatum eſſe *Alachad & Alzemena*, & *curatum ab Avicenna*, conſtaret; ut conſtat ex Andreæ Bellunenſis, quæ cum Avicenna edita eſt, latina arabicorum nominum adaucta interpretatione (*q*), *alzemena*, vel *zemena eſſe quando æger propter mollificationem, ſeu paraliſim pedum, aut manuum impeditur a motu illorum membrorum;* ut inſcriptio illa Obſervationis Petri a Caſtro *de membrorum & oſſium mollificatione*, membrorum quidem reſolutioni, ſive, ut Avicennæ Interpretes loquuntur, *mollificationi* (*r*); non oſſium; convenire videatur. Satis tamen antiqua exempla ſunt quæ olim Fernelius (*ſ*), & quem ipſe laudat, Ruellius litteris mandarunt, felici etiam addita per balneas aluminoſas curatione, quam ex Sachſio (*t*) intelliges alios quoque eſſe ſecutos. Sed quænam ſic emollitorum oſſium ſtructura, naturave per anatomen reperta eſſet, ut illis ex caſibus, quippe reſtituta firmitudine, ſcire non licuit, ſic neque ex aliis qui enumerari ſolent, ut puta ab Jacobo Hollerio (*u*), a Guilielmo Fabricio Hildano (*x*), a Petro Borello (*y*), a Thoma Bartholino (*z*), ab Daniele Prottenio (*a*) memoratis, id, uti ſperabam, didici. Quin illa etiam mitto quæ ad peculiarem potius certi alicujus oſſis labem, quam ad eam ſpectant quæ ſit pleriſque ſimul communis, in illiſque pono quod ex nominato Bartholino in Ephemerides relatum eſt Cæſareæ N. C. Academiæ (*b*). Itaque ad eos deſcendens qui memoria noſtra floruerunt, primum ex Italis Gabrielium (*c*) inveni, qui ſuperioris ſæculi anno, haud ſerius, duodenonageſimo (Gagliardus (*d*) enim anno inſequenti eandem Obſervationem preſſius deſcribens, ſecum *nuperrime communicatam* eſſe, dixit) eo igitur circiter anno Matronæ oſſa diſſecans, quorum nulla priſtinam duritiem retinuerant, oblongiora autem fere omnia facta erant in omnem partem flexilia, hæc deprehendit in carnem non fibroſam quidem, ſed rubicundam, converſa. Poſt hanc, non abſimilem in fœmina altera legi Obſervationem Courtialis (*e*); imo, ut oſſa omnia, dentibus exceptis, quos Gabrielius non memoravit, ei flecti potuerant, ita omnia fungoſas, molleſque carnes, ſanguinolento ſero imbutas, referebant. Quanquam autem non alterius generis eſſe, video, Obſervationes quaſdam Chirurgi celebris Petiti (*f*), quippe quæ oſſa mutata exhibent in ſubſtantiam carni ſimilem, ſalvis, quod ipſe adnotavit, proximis, aut interiectis cartilaginibus, ſic ut ad memoriam mihi redegerint craſſa illa cartilaginea ligamenta, quæ interpoſita vertebrarum corporibus, cum hæc alte ab aneuryſmate vitiata eſſent, ipſa quidem illæſa deprehendi (*g*); tamen cum Petiti illæ Obſervationes eum morbum nunquam in pluribus ſimul Partibus, ſemper autem cum tumore conjunctum proferant, a me quidem nequeunt ad eam qua de loquimur, ſpeciem referri. Sed neque aliæ plures, ut puta quæ ex Maucharto (*h*) eſt in ſummis oſſis femoris partibus amplificatis, & adeo mollibus, ut ſcalpelli manubrio, imo digitis cederent, & preſſæ, cruentam quandam medullam emitterent ejus ſimilem quæ in minutis eſt oſſium cellulis, aut quæ bis edita eſt ex Nebelio (*i*) in multo majori ejuſdem oſſis parte, in amplam maſſam albicantem, ſpongioſamque converſa, niſi quod minimæ, & quamplurimæ lamellæ intra hanc diviſæ ſupererant, & medullarium ſyſtema ſemilacerum & exinanitum, complectente omnia membrana alba, duriuſcula, imo fere cartilaginea, quæ perioſtium credita eſt. Cujuſmodi membranam ab Alexandro Camerario (*k*) quoque conſpectam videbis, tumores cingentem, ſub quibus in rhachitico puero oſſium humeri, & femoris certæ partes ſic abſumptæ fuerant, ut in materiam abierint fluidam, minime fœtidam, albam, grumoſo lacti non abſimilem, quem propterea morbum *albam oſſium cariem* ipſe nominabat. Si Platneri Diſſertationem habes quæ inſcripta eſt *de Thoracibus*; videre poteris, num forte, & quatenus, huc attineant illa quæ de ea Diſſertatione in Actis Eruditorum (*l*) legi: *oſſa in ætate provectioribus aliquando præter naturam ita molliri, & cerea ac fragilia fieri, ut, quaſi liqua-* ta,

(*o*) n. 38. & ſeqq. (*p*) in Schol. ad Obſ. 37. A. 1. Dec. 1. Eph. N. C. (*q*) ad vocem *Alachad*.
(*r*) Vid. c. 2 Fen 2. l. 3. Can. Avicen. (*ſ*) De abdit. rer. Cauſ. l. 2. c. 9. (*t*) Schol. cit.
(*u*) in adjectis l. 1. de Morb. Int. Raſis quibuſd. n. 7. (*x*) Cent. 1. Obſ. Chir. 45. & Cent. 6. Obſ. 74.
(*y*) in fin. Epilog. additi ad Cent. 4. Hiſt. & Obſ. Med. Phyſ. (*z*) Cent. 6. Hiſt. Anat. 40.
(*a*) in Act. Med. Hafn. Vol. 3. Obſ. 24. (*b*) Obſ. 37. ſupra cit. (*c*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 2. Obſ. 3.
(*d*) Anat. Oſſ. c. 2. Obſ. 3. (*e*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1700. Obſ. 2. (*f*) Mem. de la même Acad. A. 1722.
(*g*) Epiſt. 40. n. 26. & 29. (*h*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 30. (*i*) Act. N. C. Tom. 1. Obſ. 15. & Tom. 5. Obſ. 111.
(*k*) Tom. eod. 1. Obſ. 53. (*l*) A. 1751. M. Sept. P. 2. ex ejus Diſſertationum pag. 139.

ta, diffluant; *quod propria quidem experientia, in oſſe dextro innominato viri cujuſdam compertum eſt.* Denique, ut a diffluentibus ad ſciſſilia oſsa redeam, Ill. Halleri (*m*) Obſervatio extat in fibula, quæ perioſtio non mutato, carnea omnino, aut molli cartilagini ſimilis, caſei fere ſolidioris modo ſciſſilis facta erat, tumenſque, intus fœtido ulcere eroſa. Quæ omnia etſi non magis quam Petiti Obſervationes, ob alterutram, aut ob utramque de qua ſupra dictum eſt, cauſam ad propoſitam attinent; prætermittere tamen nolui, minime dubitans, quin aliquid ex iis quæ in ſingulis comperta ſunt partibus, aliquando poſſis ad ea quæ in pluribus ſimul, aut fere omnibus occurrent, intelligenda transferre. Nunc autem ut ad eam quam hic ſpectandam ſuſcepimus, morbi ſpeciem referamus ſupra memoratas Gabrielii, & Courtialis Obſervationes, ejus quæ ex Valſalva propoſita eſt, in eo quoque conſimiles, quod emollitionem oſſium dolores toto corpore anteceſſerant; mirum certe eſt, poſt tantam, dum tres illæ mulieres viverent, morbi ſimilitudinem, tantam in mortuarum oſſibus diſſimilitudinem eſſe repertam, ut cum in duabus carnem referrent, in una ſpongioſa quidem, & carioſa facta, ſed oſſa tamen permanerent. Multo autem major diſſimilitudo (niſi forte hanc, aliaſque ejus ſimiles malis ab nimis progreſſo morbo repetere) in exemplo illo occurrit quod a Boerhaavio (*n*) commemoratum eſt. Nam qui emollitis oſſibus, nec ſine acerbiſſimis doloribus, vixerat, mortuus oſſa habuit *pulti ſimillima, qualis ex oſſibus paratur in Papiniana machina*. Quæ cum ita ſint; probe intelligis, ſiquando ejuſcemodi morbi recurrant, cautum eſſe Medicum oportere in prædicenda oſſium conſtitutione, cum poſt illos, in quatuor cadaveribus triplex, adeo inter ſe diſcrepans, conſtitutio deprehenſa ſit.

7. De his autem tribus iſta quæ a Valſalva reperta eſt, ne ad illam quidem conſtitutionem referri poteſt, quam interdum, præſertim vero a lue Venerea, Medici animadverterunt, cariem videlicet uſque adeo progreſſam, ut oſſa nullo negotio in cadavere, aut quocunque viventis adhuc hominis motu frangerentur: cujuſmodi exempla; ne longius te abducam, quæ Blawius (*o*), aliique ediderunt, indicando; habes in Sepulchreti hac IX. Sectione (*p*), & in V. (*q*) hujus ipſius libri IV. In propoſita enim Valſalvæ muliere oſſa erant quidem in ſuperficie ſpongioſa, & ad meditullium quibuſdam tantum locis carioſa; ſed locis cæteris ad meditullium, & tota parte inter hoc, & ſuperficiem interjecta ſine carie erat. Itaque non frangebantur; ſed flectebantur, ſicque non exeſas multo maxima ex parte fibras, ſed emollitas eſſe, oſtendebant. Unde autem hæc emollitio? Nam ſi carnea, aut pultacea eſſent facta; non deeſſent quos ſequereris, Ingenioſiſſimi Viri, conjicientes, in locum oſſearum particularum, quas vel in ſanis deteri, atque abradi ab oſſibus, credunt, novas ejuſdem, ut par erat, generis non fuiſſe ſuffectas, ſed longe alias, nunquam in duritiem oſſeam coituras. Igitur ſi tibi quoque lubeat conjecturis indulgere; excogitandus hic humor eſt, qui in oſſa illatus, ipſa poſſit emollire. Namque extra corpus, id eſt cum oſſa multo rigidiora ſunt, non deeſſe qui id poſſit, monſtravit Ruyſchius (*r*), cum ab liquore in quo coſtas ſervaverat, acidiore facto, illas adeo mollitas fuiſſe, ſcripſit, ut funiculi inſtar contorqueri in ſpiræ modum potuerint: quod poſtea, alias in liquore acido macerando, confirmavit; redigere enim potuit (*ſ*) in formam litterarum C, & P. In Adverſariis autem II. (*t*) ab diuturna eadem maceratione non coſtas ſolum, ſed generatim oſſa humana mollia, & flexilia fieri, aſſeveravit: quin diſerte hæc addidit: *an non & inde ratio liquet memorabilis morbi, quo affecta virgo, in Galliis, omnia habuit corporis oſſa paſtæ ad inſtar mollia?* Sed quoniam in ſuis illis experimentis coſtas memoravit *infantum* dumtaxat, & hic, eadem reſpiciens, oſſa *puerorum*; huc illa addere oſſa poteris ab Hunauldio oſtenſa Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſi (*u*), quæ macerata in aceto, ſic fuerant emollita: & quia oſsa illa quibus ex corporibus accepta fuerint, non apparet, cum iis conjungere quæ de duobus eburneis cochlearibus eidem Academiæ a Cl. Viris Fauchyo, & Geoffroyo relata ſunt (*x*), quorum alterum in lacte diu, &, quod conſequitur, in lacte acido facto, ex oblivione relictum, flexile, ut corium, inventum eſt, alterum autem quod parvum erat, & ab Academia ipſa viſum, cornu inſtar flexibile, & pellucidum factum fuerat, cum remanſiſset longo tempore in embammate quod *moſtarda* vocitatur. Hoc etiam; ut ad acetum ipſum redeam; attendas velim, cum per acetum mollita fuiſſent illa oſſa quæ oſtendit Hunauldius; macerando in aqua, priſtinam duritiem reuperaſſe; in aceto autem, iterum amiſiſſe: ex hiſce autem omnibus, & ex eo quod ſupra (*y*) commemoratum eſt de balneis aluminoſis quæ firmitudinem amiſſam viventium hominum oſſibus reddiderunt, novum argumentum capias multiplicis, & variæ tum cauſæ, tum labis per quam oſſa flexilia fiant; certe enim ſi carnea, aut pultacea fuiſſent, nulli remedio eſſe potuiſſet locus. Quod ſi inter omnes conſtaret, oſſa in rhachiticis pueris cerea eſſe flexilitate, nec Mayowius, ut in Sepulchreto (*z*) etiam habes, eſſe *potius firmiora, quam in aliis*, contenderet; quædam hic externa remedia quæ ipſis profuiſſe dicuntur, commemoraſſem, & cum Hunauldii experimento contuliſſem. Verum cum ad oſſium curvaturas, quæ in pueris illis ſunt, explicandas apta quidem, ſed non prorſus neceſſaria mihi videatur cerea iſta mollities oſſium, quæ ſatis eſt, multo minus quam in adultis, ſicut illa ætas requirit, eſſe dura, ut a prævalente muſculorum vi, ad unam aliquam oſſium faciem attinentium, in eam torqueantur partem, quemadmodum alibi (*a*) indicatum eſt, ubi etiam de propoſito, explicatoque a Meryo (*b*) adoleſcentulæ ſceleto locutus ſum; ideo neque ejus adoleſcentulæ curvata adeo artuum oſsa, & humilem inde etiam ſtaturam, licet ſimilia his acciderint in illis quorum oſsa carnea, aut pultacea facta eſse, dixi, neque pumilionum, ſive nanorum ob intorta a rhachitide oſſa brevitatem huc pertinere, exiſtimavi: quanquam non cunctos qui nani ſint, rhachiticos eſse, ſcio. Poſse enim breviſſimo corpore quoſdam naſci, & parum creſcere, oſſibus rectis, membriſque omnibus inter ſe proportione reſpondentibus, ſi forte dubitas; vel noviſſimo iſto exemplo convinci potes, quod in laudatæ Academiæ Hiſtoria (*c*) leges, hujuſmodi pueri jam jam quinquennis, neque tamen pollicibus duobus & viginti longioris. Nunc priuſquam ad alia tranſimus; ad eas de quibus ſupra dictum eſt, oſſium flexilitatis, & fragilitatis cauſas, juvat has quoque adjicere. Dominicus Gagliardus (*d*) mollia, &, quod conſequitur, fragilia oſsa iis in corporibus fieri, cenſuit, quibus minus dura obtigere; neque enim in omnibus eadem eſse duritie, ſed pro vario oſsei ſucci coagmentationis, & conſolidationis gradu, aliis magis, aliis minus eſse dura: quod ex eo forſitan confirmare potuiſset, quod in fœminis multo ſæpius, quam in maribus, mollia fiunt: emolliri autem illud oſseum, ut vocabat, gypſum, quippe *alcalicum*, ab acidis quæ in oſſium vaſa irruant, indeque eſse, quod *rheumaticis ac arthriticis cruciatibus, præſertim gallicis*, obnoxii, obnoxii quoque ſint oſſium emollitioni. Et ſic quidem præivit iis qui poſtea, ut paulo ante dicebamus; per acidos liquores emolliri oſsa, confirmarunt. Et Rheumaticis quidem, atque Arthriticis non ſemel contigiſſe ut flexilia oſsa fierent, docent Obſervationes, quibus & illam addes Cl. Targionii (*e*) in muliere, cui articularium dolorum vehementia humeros, ulnas, & radios in arcus modum contorſerat. In iis autem

(*m*) Opuſc. Pathol. Obſ. 54. (*n*) Prælect. ad Inſtit. §. 401. (*o*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 7. & 8. Obſ 151. (*p*) Obſ. 1. §. 13. 14. (*q*) Obſ. 1. §. 2. & Schol. ad §. 10. (*r*) Theſ. Anat. 6. n. 13. (*ſ*) Theſ. Max. n. 164. & Theſ. Nov. n. 129. (*t*) c. 6. (*u*) Hiſt. A. 1742. Obſ. de Phyſ. & c. 7. (*x*) Ibid. & Hiſt. A. 1743. Obſ. de Phyſ. & c. 13. (*y*) n. 6. (*z*) I 2. S. 12. in fin. (*a*) Epiſt. 27. n. 33. 34. (*b*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1706. (*c*) A. 1746. Obſ. Anat. 8. (*d*) Obſ. 3. ſupra ad n. 6. cit. (*e*) Prima Raccolta d'Oſſervaz. Med. nella Deſcriz. d'un Tumore Follicul.

autem quas Gagliardus nominavit, affectionibus eſse humores acidis particulis infectos; id vero cum ab omnibus probari non poſſit; tu ex illo tantum accipies quantum placuerit, cætera in medio relinques. Porro quod ad oſſium fragilitatem ſpectat, hanc non ſemper a carie induci, Cl. Loviſius (*f*) oſtendit. Cum enim fœminæ cadaver incideret, quæ levi niſu os humeri, mox femoris quoque fregerat; oſſa *non carioſa, ſed ſicca, & fragilia, medullam itidem ſiccam, friabilem, a parietibus cavitatum oſſearum liberatam* deprehendit. Et erat quidem ea mulier ſexaginta annos nata, ſed pinguiori corporis habitu, ſana præterea, & vegeta, niſi quod mammarum cancro jam ab aliquo tempore laboraverat. Nunc alteram accipe, quam promiſimus, Valſalvæ hiſtoriam.

8. BONONIENSEM Virum dolores ex lue Venerea male habebant, quotidie certa periodo revertentes. Hi ad diaphyſim tibiæ ſimul, & ad ejus malleolum, ſed ad hunc præſertim, ſæviebant, ubi parvus, & ſubmollis tumor oculis, & digitis percipiebatur. Internis externiſque auxiliis fruſtra adhibitis, Valſalva ſcalpello opem tulit. Nam diductis communibus integumentis, cum luteam *gelatinam* non multam, quæ inter illa & ſubjectos tendines interpoſita, tumorem efficiebat, dempſiſſet; poſtridie dolor ad malleolum non rediit. Attamen cum æger, ſi vicini tendines premerentur quibuſdam quaſi aciculis compungi ſe, diceret; intellectum eſt facile, ſub ipſis partem aliquam *gelatinæ* illius latere: qua demum tota dextere, paulatimque ad os uſque, ſalvis tendinibus, detracta, is quoque acicularum ſenſus evanuit. Reſtabat præter opinionem dolor ad tibiam; fieri enim per conſenſum creditus fuerat. Itaque ſcalpello perioſtium retectum eſt, neque prorſus ſecundum naturam inventum; ut ejus ab oſſe, ſano alioquin, fuerit procuranda ſeparatio. Quo facto, nullo amplius dolore ſuperſtite, facile ad cicatricem perductis vulneribus, incolumis æger dimiſſus eſt.

9. Cum hanc mihi Valſalva narraret Obſervationem; neque enim ſcriptam reliquit; addidiſſe memini, alios quoque non diſſimiles Venereos tumores ſimili ratione ſe feliciter ſuſtuliſſe ſic ut poſtea neque ipſi, neque dolores redierint. Referebat autem inter gummata, ut appellant, Venerea, minime neceſſarium ratus, ut omnia ſub perioſtio oriantur, aut peculiari tunica comprehendantur. Nihil ſimilius propoſitæ Obſervationi, quam alias quoque a nobis commemorata, Fabricii ab Aquapendente (*g*), niſi quod non ad malleolum, ſed ad carpum erat tumor, quotidie ſtatis quibuſdam horis acerbos dolores afferens, factus, ſicuti ſcalpello deprehendit, a concreta pauca, ut tunc loquebantur, pituita vitrea, tendines internos contingente. Ejuſdemmodi autem materiam deſignaſſe, credo, Nicolaum Maſſam, cum in eorum qui viventes morbo Venereo conflictati fuerant, cadaveribus; plura autem ſecuerat; ſcripſit, quemadmodum habes in Sepulchreto (*h*), *loca doloroſa madentia* inveniſſe *materia pituitoſa*: quam Fracaſtorius (*i*) quoque ubi dolorum ex eadem lue noctu affligentium cauſam *factis diſſectionibus* compertam propoſuit, *lentoris cujuſdam*, ſuper tendines, muſculoſque conſpecti, vocabulo indicavit: *gummoſitates* autem *concreto phlegmate conſtitiſſe*, diſerte tradidit. Nec refert quod Fabricius tumorem illum quem exſecuit, venereum eſſe, non dixerit; nam gummata *ſæpe*, non ſemper, ab ea cauſa eſſe, agnoſcebat (*k*). Cæterum num duo Anatomici, iidemque Chirurgi præſtantiſſimi Fabricius, & Valſalva ipſi quoque tum forte decepti ſint, tendines uterque, hic etiam perioſtium illis cruciata doloribus fuiſſe, non dubitantes, malim per te exiſtimes, quam ipſe dicere. Gummata autem ſedem non ſemper inter perioſtium, & os habere; etſi non diſcedas ab Sepulchreti hac Sectione; facile intelliges non ſolum ex Rhodio (*l*) qui in Theatro hoc noſtro *tria gummata candida*, recluſo cranio, oſtendi vidit ab Antonio Molinetto, *quæ inhærebant Duræ membranæ*, verum etiam ex Guarinonio (*m*) ſcribente, ſe *vidiſſe Gummata dicta in cerebro concreta*. Quam potiſſimum ſedem memoro, quia hæc adſcribuntur ad ejuſdem Obſervationem in qua *tria corpuſcula tanquam gummata virentia* in viri cerebro conſpecta leguntur, qui ex lue de qua loquimur, epilepſiæ, & convulſionibus obnoxius, denique graviſſimo ſopore confectus eſt. Quæ cauſa, & qui morbi cum in hiſtoria pariter legantur, alias (*n*) ad te perſcripta; poteris utramque inter ſe conferre, & quod de parvo & ſubrotundo illo intra cerebrum abſceſſu tunc in medio (*o*) reliquimus, iterum, ſi vis, perpendere, an videlicet ad gummata pertinuerit. Quod dum facies, ſimul capitis gummata, ut plerumque ſolent, ſub capitis integumentis initium habentia, & cranium, niſi mature proſpiciatur, exedentia, ut hiſtoria eadem oſtendit, ad memoriam rediges, quando in Sepulchreto hujuſmodi Obſervationes hic deſiderantur, quibus propterea alias augendum eſſet, in iiſque illa quam una cum cadaveris diſſectione produxit Cel. Heiſterus (*p*).

10. Propoſitis quæ ſupererant, duabus Valſalvæ Obſervationibus, totidem, quæ ex meis ſunt reliquæ, ſubjiciam, ab illa incipiens, quam potiſſimum requirit inchoatus de carie ſermo, cranium exedente. Ut enim hæc late progrediatur, niſi tempeſtive occurras, vel ſine cadaveris ſectione & ipſe conſpexi, & tu intelliges.

11. VETULA decumbebat in Bononienſi Incurabilium Noſocomio, cui Venerea caries tantum de ſiniſtro oſſe ſincipitis, & proximo frontis abſumpſerat, ut per foramen digitorum tranſverſorum quoquoverſus trium cerebrum pateret, liceretque perſpicere, ubi arteriam ad carpum tangeres, eodem temporis puncto hanc, & cerebrum tum ſe ſe attollere, tum ſubſidere. Quod; ne forte dubites; vidi ſæpius anno illo, ſi recte memini, 1700; neque enim brevi tempore ibi mulier vixit; tametſi erodens virus necdum penitus infractum eſſet, neque exulceratio quæ circum oras foraminis exterius erat, cicatricem duceret. Ipſius autem membrana cerebri nitida, & pura conſpiciebatur.

12. Non me fugit, ad longe amplius ſpatium, ſi caries pergat, calvariam abſumi, qui; ut alios omittam; Falloppium noſtrum (*q*) legerim ſcribentem, *aliquando corrumpi totum ſinciput, & aliquando etiam partem occipitis, & totam interdum calvariam corrumpi, & auferri: & hoc ego vidi*, inquit, *primo in mea matertera, quæ a marito acceperat morbum gallicum; & ego ei abſtuli totam calvariam, & membrana tecta eſt quadam pellicula, & ſemper percipiebatur motus pulſantis meningis*. Additque, ſe *habere & plurima alia exempla & hic, & alibi*. In Vetula autem illa non erat manifeſta pellicula quæ meninges obtegeret: imo ſic res apparebat quaſi ubi, Dura detracta, cerebrum Tenui dumtaxat opertum aſpicimus rubella, nitida, humidaque ſuperficie. Itaque ſatis mirari non poteram, quomodo humor qui os exedere potuiſſet, membranam illam nullo modo violaſſet, nec mulier convulſione, paralyſi, aut alio læſi cerebri, ejuſve meningum indicio laboraret: quanquam num antea laboraſſet, ignoro. Neque minus olim mirabatur Hildanus (*r*), abfuiſſe læſæ medullæ Spinalis ſigna in eo qui hanc *plane denudatam, & non niſi membrana ſua coopertam* habebat, cum tria vertebrarum thoracis corpora abſtuliſſet caries. Et ſane mirabiliora hæc ſunt, quam impoſitos muſculos, aut integumenta aliquando ab humore non offendi qui ſubjecta oſſa extra, intuſque perrodit, nulla exterius ſive tumore, ſive colore prodente ſe noxa: quæ res incautos amatores miſere decipit, ſub corporis pulchritudine, nuſquam ne leviter quidem deformata, cariem vel graviſſimam latere poſſe, ignorantes: cujuſmodi exemplum

(*f*) Vid. Act. Erud. A. 1751. M. Jun. P. 1. ubi de ejus Obſervationib. (*g*) De Chirurg. Oper. ubi de Articulor. Uſt. (*h*) Sect. hac IX. Obſ. 1. §. 1. (*i*) De Morb. Contag. l. 2. c. 12. (*k*) l. cit. ubi de Gummatib. (*l*) Obſ. 1. §. 9. (*m*) in Schol. ult. ad Additam. (*n*) Epiſt. 9. n. 23. (*o*) n. 24. (*p*) Diſſert. de Oſſ. Tumorib. n. 15. (*q*) Tract. de Ulcer. c. 47. (*r*) Cent. 5. Obſ. Chir. 56.

plum legere eſt in primis apud Noveſium (*ſ*), unde in Sepulchretum, probante etiam Gulielmino (*t*) referri poſſet . A carie , ſed alterius , ut credibile eſt, generis os frontis ferme totum conſumptum ſine ullo exterius conſpicuo indicio cum quondam proponeret Benivenius (*u*), fulminis exemplo uſus eſt , quod aurum illæſis loculis , interdum liquat , aut alia ejuſdemmodi facit quæ Benivenii Obſervationem referens, addit Marcellus Donatus (*x*). Alii autem malunt ſimilitudine uti aquæ ſtygiæ , quæ ferrum videlicet rodit , ſebum non attingit. Tu vel aliud aliquid comminiſcaris oportet , vel hos ſequaris. Uſus enim erit non in propoſitis ſolum caſibus, ſed in aliis quoque. Sic Fabricius noſter (*y*) in puero, ſic Matthæus Blawius (*z*) in viro, ſic Jo. Jacobus Scheuchzerus (*a*) in muliere calvariam viderunt non uno in loco ab exedente carie omnino pertuſam, Dura tamen meninge illæſa , ut evidens eſſet, acrem illum, & corrodentem humorem, ut Fabricii verbis utamur, fuiſſe *contrarium naturæ oſſis capitis, nequaquam ejuſdem membranæ ſubjectæ*. Quod tamen ne in cranii omni carie putes accidere, plures admonere poterunt Obſervationes , in his Laubii duæ, altera in muliere (*b*), altera in viro (*c*) , quorum utriuſque cranium magna ad ſpatia ita erat carie abſumptum, aut perforatum , ut reſpondentes non meningum modo , ſed & cerebri ipſius partes puri aditum darent ad Lateralem uſque ventriculum, dexterum in utroque , tametſi in muliere acceſſit tandem ſubjecti lateris paralyſis , quæ in viro jam diu fuerat, ut plerumque tum ſolet, a ſiniſtris. De quo diſcrimine cum ſatis alibi verba fecerim ; tu de diſcrimine altero, quod huc attinet , videbis , cur videlicet erodens cariei ichor aliorum quidem meninges vitiet, aliorum vero illæſas relinquat ? num quod in his apertum extrorſum habeat exitum ; in illis non habeat? num quia in illis venerea ſit virulentia infectus; in his non ſit ? Sed cum utrilibet explicationi caſus non deſint qui repugnent, ut primæ qui a Blawio in viro , ut ſecundæ qui a me in muliere propoſitus fuit; ſane alias a certa quadam ichoris, aut corporum natura, & diſpoſitione ipſe repetas , neceſſe eſt . Ego ad meam alteram, qualis ea cunque eſt, Obſervationem propero.

13. LANIO annos natus ad quadraginta , Venerea infectus lue , ſæpe autem ebrius, factus jam pridem obnoxius fuerat thoracis morbis , ob eoſque alias hoc in Noſocomio decubuerat . Noviſſime in idem reverſus, præter acutam febrem , ob quam miſſus bis ſanguis fuit nec primum, nec iterum cruſta carens polypoſa, tuſſi conflictabatur aſſidua , quæ ter quaterve ſingulis horis adeo ingraveſcebat, ut ex conatu lividus fieret : purulenta expectorabat : pulſus habebat vibratos. Hæc cum dies pertuliſſet circiter quindecim ; poſtremo viribus ſenſim intra unum diem magis, magiſque decreſcentibus, vivendi finem fecit ſub Januarii finem A. 1747. CADAVER ; ſi quaſdam ex thorace partes excipias; eo tempore perluſtrare non potui , quippe in aliis occupatus quæ ad tradendam publice Anatomen ex uſu erant. Pulmones fracidi fuerunt , & grave olentes . Cor laxum . In una ex arteriæ Magnæ valvulis Arantii corpuſculum multo majus, quam æquum eſſet. Sub eoque in ea facie qua valvula valvulas ſpectabat , membraneæ laminæ ex quibus illa fiebat, ad modicum tractum ita ſejunctæ, ut qua hiabant , ſpecillum immittere inter utramque potuerim. Ipſe autem proximus arteriæ truncus albidis intus maculis paſſim diſtinctus , nec ſatis lævis , imo nonnihil inæqualis. Mox autem ad curvaturam in aneuryſma diſtentus; ut quæ in illa valvula animadverti, minus, ſicut alibi (*d*) dixi, mirarer.

14. Etſi ob eam quæ modo memorata eſt, cauſam non ſatis potui hanc Obſervationem perficere ; prætermittere tamen nolui , ut conjungere cum aliis poſſis, initio hujus Epiſtolæ (*e*) indicatis, quibus non raro in lue Venerea lædi pulmones , lædi arteriam Magnam , & in aneuryſma dilatari , oſtendimus . Fortaſſe renes quoque in viro iſto offendiſſemus vitiatos. Hæc enim quatuor, pulmo, aorta , & renes cum ſuis appendicibus ſæpius aliquanto occurrerunt nobis labefactata in iis qui lue hac diu graviterque laboraverant , quam ex plerorumque librorum lectione facile exiſtimes. Viſcus autem illud quod doctiſſimi olim Viri præ cæteris læſum atque adeo luis hujus ſedem eſſe , tradiderant , ut ex Sepulchreto (*f*) vides, non aſſentientibus tamen aliis, quod indidem (*g*) cognoſces, jecur dico, mihi unquam in iiſdem corporibus vitiatum apparuiſſe , in præſentia non memini . Nec tamen propterea inficias ivero , quæ rarius, aut nunquam mihi, ea ſæpius aliis, & quæ ſæpius mihi, ea rarius aliis occurrere potuiſſe ; neque enim aliud hic volo, niſi quæ mihi frequentius invenire contigerit, tibi indicare , probe conſcius, hanc luem, ut ſub cujuſcunque morbi larva interdum deliteſcere, ita quodcunque viſcus poſſe vitiare. Quæ autem revera crebrius, quæ minus crebro afficiat, non facile ante ſtatuas, quam multæ multorum Obſervationes in unum conferantur. Sed mirari ſubit, cum infecti hoc morbo tot mortui ſint , totque moriantur , diſſectiones quæ adhuc extant, minime eorum numero reſpondere . Et certe in hanc Sepulchreti Sectionem relatas videbis non ita multas. Itaque Sectio brevis eſt , eoque brevior , quod neque tota de Lue Venerea eſt, ſed de Plica etiam Polonica , & qua de illa eſt ; magnam partem ex Scholiis conſtat , quorum aliquod ne ſuo quidem loco legitur, ut puta quod tertium apponitur ad §. 1. Obſervationis I. in quo nihil de *tumentibus & ſuppuratis oſſibus* ; cum pertineat, quantum judico , ad §. 11. tribus ab illo diſtantem paginis: fere omnia autem Scholia a Sylvio ſunt, acidam veneni hujus naturam adſtruere conante , ex quibus omitti quædam poterant , nonnulla autem pro illis ſubſtitui, ut puta cum (*h*) bubones in glandulis Inguinalibus oriri , conjecit , quia *vaſis ſpermaticis ſunt viciniores* . Melius olim qui cum Braſavolo (*i*) *per penem* , ajebant , *pravam quandam qualitatem ad emunctoria aſcendere , & ad adenoſas inguinum partes , ibique bubones excitare* . Etſi enim viam non indicabant quæ in eas glandulas duceret; non eam tamen proponebant quæ non duceret . Quæ poſſit ducere , indicavit denique ſex annis ante quam Sepulchretum cum Additamentis, in quibus id fuerat ponendum, prodiret, Gulielmus Cowperus, ſicuti in Adverſariis noſtris (*k*) legiſti, ubi ad mulieres quoque eandem conjecturam tranſtulimus: eaque in Conſiliis ex illo tempore uſi ſumus , cum bubones propoſiti ſunt qui præputii , & glandis eroſionibus ſucceſſerant, in profunda ulcera cancroſa, ut non ſemel vidimus , degenerantes . Nec tamen iſtis in Scholiis deſunt quæ diſſectionibus deberi videantur , velut illud (*l*) de venerea infectione a fœmineis loculis *uſque ad uteri cornua aſſurgente, illaque corrumpente, & ulcera ibidem excitante :* quod perbelle convenit cum Valliſnerii noſtri (*m*) Obſervatione in muliere, cujus ab eadem lue non modo loculi omnes , ſed & dextera tuba tota erat exulcerata . His quæ a Valliſnerio in fœmineis , a Genſelio (*n*) autem , a Saltzmanno (*o*), a Caſparto (*p*), a Petſchio (*q*), ab aliis in virilibus etiam viſceribus, in aliiſve eorum partibus qui poſt hunc morbum interierant, conſpecta ſunt, tu numerum, ut dixi, non ita magnum augere poteris Obſer-

(*ſ*) Lettre *6.* (*t*) Reponſe *6.* (*u*) De abdit. &c. Morbor. cauſis c. 18. (*x*) Medic. Hiſt. Mirab. l. 5. c. 1.
(*y*) De Chirurg. Oper. ubi de Gummatib. in fin. (*z*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 7. Obſ. 151. (*a*) Act. N. C. Tom. 7. Obſ. 47.
(*b*) Eph. cit. Cent. 8. Obſ. 21. (*c*) Earund. Cent. 9. Obſ. 14. (*d*) Epiſt. 27. n. 7. (*e*) n. 2. (*f*) Obſ. 2. §. 1. 2. 3.
(*g*) Ibid. §. 4. 5. & Obſ. 4. (*h*) Schol. ult. ad §. 4. Obſ. 1. (*i*) l. de Morbo Gall. ubi de Cauſ.
(*k*) IV. Animad. 22. & 27. (*l*) ad §. 4. cit. Schol. 1. (*m*) Iſt. della Generaz. P. 2. c. 5. n. 21.
(*n*) Eph. N. C. Cent. 6. Obſ. 84. (*o*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 99.
(*p*) Diſſert. de Exoſt. cran. §. 8. ubi num Aortæ aneuryſma? (*q*) Syllog. Anat. Obſ. §. 87.

vationum quæ Sectione hac Sepulchreti continentur.

15. Non me præterit, librum ætate noſtra exiiſſe, *de Pudendorum Morbis, & Lue Venerea* inſcriptum, quo plures ad hanc ſpectantes etiam in cadaveribus Obſervationes proponuntur. Num vero æque poſſint hæ, ac modo indicatæ, in Sepulchretum referri, non ſatis ſcio. Neque hoc eo dico, quod Auctoris fidei, ſed quod ejus oculis, & diligentiæ quatenus interdum fidendum ſit, neſciam. Alia enim ſunt quæ in aliis Scriptis ſe vidiſſe, affirmavit, quæ cæteri viſum eſſe videre credunt, cum videre ipſi nunquam potuerint. Qualia neque in hoc Scripto deſunt, ut puta cum ait, *interpoſitum* eſſe *uterum* inter Rectum inteſtinum, & Vaginæ lacunas: peritonæum *eminere ſuperextenſum* glandulis Inguinalibus ab exteriore parte, id eſt inter ipſas, & cutem: lympham *per lymphatica Meſenterica derivari ad Peyeri glandulas, id eſt acinos Inteſtinales*: Aſellii pancreas humano quoque ineſſe meſenterio; ait enim in mortuis ex lue Venerea eſſe *Aſellianum Pancreas ad nihilum redactum*: & alia, quæ ſciens prætereo, ejuſdemmodi. Interea autem dum ipſe iſta videt quæ cæteri non vident, contra non videt, aut neſcit quæ cæteri vident, & ſciunt, velut ubi ſcribit, *nil anfractuoſum* in veſiculis Seminalibus *contineri*, *cujus ratione ſemini mora aliqua prætendi poſſit*, aut ubi *de Mucoſo* inter cuticulam, & cutem *corpore nullam*, inquit, *apud Authores Anatomicos, exceptis Monſpelienſibus, mentionem factam fuiſſe, invenio*: huic porro *cutis colores, in primis vero nigredinem Æthiopum primus tribuit Polfenus*. Sed qui Malpighium (*r*), alioſque ex eo hæc antea docentes legiſſe non videtur, multus eſt in pluribus producendis Scriptoribus tum Medicis, tum etiam non Medicis, ut confutatam ex multo pluribus, multoque gravioribus opinationem perſuadeat, luem Veneream antiquiſſimum eſſe morbum, nec alium denique ac elephantiaſim. Quæ nunquam, opinor, conatus eſſet, ſi tum Medicum Doctiſſimum atque Eruditiſſimum legere potuiſſet a quo penitus convulſa hæc ſunt, Joannem Aſtrucium (*ſ*): quanquam nihilominus illud mirum eſt, qui non ignoraret, quanta olim, & quam immoderata, dum Cæſarum potentia vigeret, in Romanis lupanaribus eſſet Nationum commiſtio, crediſiſſe, eandem vel eo tempore fuiſſe luem, ſed a Medicis plures in morbos diviſam, non antea pro uno morbo eſſe agnitam, quam eorum omnium morborum *collectio in caſtris ad Neapolim* animadverſa eſt; quaſi vero iis in caſtris major fuiſſet Nationum commiſtio, quam Romæ quondam cum unum idemque ſcortum (id quod ipſe fatetur Martialis (*t*) verbis) pateret Cattis, Germanis, Dacis, Cilicibus, Cappadocibus, Indis, Judæis, &c. Una tum Romæ deerat Natio, Americana: quacum qui commercium per ſe, aut per alios ſaltem habuiſſent, in caſtris illis non deerant; ut unde nova non morborum collectio, ſed lues in Europam venerit, intelligatur. Verum non modo in his, ſed & in facili alioquin annorum ab eo tempore numeratione, & meliorum Medicorum inde ad noſtrum uſque ævum lectione parem negligentiam animadvertas, ubi mox ſcriptum eſt, luem Veneream *jam ultra* 300. *annos ſub tali titulo duraviſſe, nihilque etiam de atrocia ſua remiſiſſe*; quando inter omnes conſtat, Neapolitanum illud bellum non cœpiſſe ante annum 1494. & ab eo quem paulo ante laudavi, Aſtrucio (*u*) tot Auctores producuntur, in iiſque plures qui, ut celebres Medici fuere, ita in omnium fere ſunt manibus, quorum teſtimonio planum fit, hunc morbum factum eſſe leviorem. Poſt hæc, & poſt alia quæ brevitatis gratia omitto, in hiſque proximum illum aphoriſmum prognoſticum, *Febris Lui Venereæ ſuperveniens morbum ſolvit*, ipſe exiſtimes velim, num iſtius oculis, & diligentiæ tantum tribuere poſſimus, ut omnes ejus Obſervationes nihil uſquam dubitantes, hæſitanteſque accipiamus.

16. Cave credas, hæc a me ulla alia cauſa, quam veri ſtudio, de Auctore dicta eſſe neque injuria mihi, neque beneficio, dum viveret, cognito, & cujus libro ſua quoque bona ineſſe, haud nego. Noli quærere, num in ratione illa pariter qua morbum hunc eſſe vincendum, docebat? Ex quo enim hic Medicis morbus innotuit, aliis aliam placuiſſe medendi rationem, & quæ olim placuerat, poſtea iiſdem in locis eſſe deſertam, & quæ diſplicuerat, ſubſtitutam, ſiquo in alio, in hoc certe morbo, neminem credo poſſe ignorare; ut ſiquid nunc magis probes, aut improbes, timendum ſit, ne alii contra improbent, aut probent non modo ex poſteris, verum etiam ex iis qui nunc vivunt, in tanta ſententiarum mutabilitate, & diverſitate. De duobus enim celebratiſſimis adverſus hanc luem auxiliis, decocto, ut vocant lignorum, & hydrargyro quot vigent adhuc diſſenſiones? nec ſolum utrum utri ſit præferendum, ſed cum alterutrum prætuleris, qua hoc ratione ſit adhibendum. Conſtat autem, inter ipſa hujus morbi initia mercuriales, quas dicunt, inunctiones in uſum tractas fuiſſe: deinde vero iis prælata lignorum decocta: poſtea mercurium ſumendum datum; nec propterea lignorum decocta ita exoleviſſe, ut in quibuſdam præſertim Civitatibus non retinerentur; imo, rejecto prorſus utroque mercurii uſu, ipſa dumtaxat ſervata erant, donec tandem ad alterutram mercurii adhibendi rationem, ubi lues gravior decoctis non cederet, in iiſdem Civitatibus reditum eſt. Memini, cum ego adoleſcentulus Bononiam petii, uſque adeo jam deſertum utrumque mercurii uſum, ut annis octo quos ibi Medicinæ ſtudio tribui, ne unum quidem audiverim Medicum, nedum viderim, alterutra ratione utentem; mirum in ea Civitate in qua olim floruiſſet Jacobus Berengarius Carpenſis, a a mercuriali inunctione clarus, quam inter primos excoluit, fortaſſe etiam, ut plerique cenſent, primus excogitavit: certe ſi annis aliquot erat natus ante A. 1467. quod ejus locus, a me alibi (*x*) productus, indicare videtur; ea erat ætate cum lues Venerea primum in Europa cognita eſt, ut vel inter illa prima initia id inſtituere potuerit. Quanto autem antea quam ipſe Bononiam irem, mercurius & ſuſpectus eſſe, & perraro ibi adhiberi cœpiſſet; ut vetuſtiores quoſdam ex Bononienſibus Scriptoribus prætermittam; ſatis oſtendit Claudini *Empirica Rationalis* (*y*), ubi de hydrargyri utrolibet uſu, non modo de pernicioſis ſæpius, ideoque hic a me ne nominatis quidem, ex eo ſuffitibus verba fiunt. Quibus igitur Præſtantiſſimos illos Medicos vidiſti, inquis, remediis utentes contra Veneream luem? Nimirum decoctis ſive pervulgata, idque ut plurimum, ratione datis, ſive alia quam Valſalvæ, nec raro, in uſu fuiſſe, vidi. Cum enim quoſdam animadvertiſſet magnam decocti illius vim feliciter ingurgitantes quod Aquam Stibiatam, ſive Aquam *Corſi* vocitant; in mentem ſibi veniſſe, ajebat, eadem uti haud aliter ac thermalibus aquis ſolemus. Itaque dediſſe primum ad duas, treſve libras, animadvertendo, an facile, & per veſicam, non per inteſtina, aut cutem, ut aliquando, redderetur. Nam ſi non facile, aut ſi per has duas exiret vias; deſtitiſſe. Sin facile, & tantum per urinæ iter prodiret; poſtridie pondus, & ſic magis, magiſque in dies auxiſſe donec perveniret ad libras decem. Sic autem multum, citoque profeciſſe; ut aliquando intra tres, haud amplius, dies vetuſta ulcera ſanari, gummata deprimi, ut in Equite quem mihi nominavit, conſpexiſset. Et certe ea medendi ratione vidi ipſe perſanatam mulierem quæ jam biennium venerea ulcera pertulerat, magnum unum in altero genu, tria autem, an quatuor in palato, parva quidem, ſed per quæ tamen alimenta ex ore in nares gravi cum incommodo tranſirent, itemque generoſum Virum, civem meum cui ex eadem cauſa hypogaſtrium, & femora late erant, fœdeque exulcerata. Quæ cum intra ipſos potationis dies contingerent; illos adeſſe voluiſſem, qui propter celerem magnæ thermalium aquarum copiæ per veſicam excretionem, vias

quaſ-

(*r*) De Ext. Tact. Organo. (*ſ*) De Morb. Vener. l. 1. c. 1. & ſeqq. (*t*) l. 7. Epigr. 29. (*u*) l. cit. 3. c. 14.
(*x*) Epiſt. Anat. 6. n. 2. in fin. (*y*) l. 6. S. 2. tr. 1. c. 3.

quaſdam commenti ſunt, per quas illæ, minime cum ſanguine circumeuntes, in veſicam deſcenderent; neque enim, niſi hoc decoctum, cum ſanguine circumvectum, partes omnes corporis adiiſſet, tam cito quæ exulceratæ, aut aliter vitiatæ erant, perſanare potuiſſet. Cæterum quod Valſalvæ in mentem venit de ejuſmodi uſu aquæ ſtibiatæ, de ipſo guajaci decocto olim venerat Joanni Manardo (z), qui *inter varios hujus ligni uſus*, *ego*, inquit, *eum magis probo, in quo ejus decoctum, inſtar medicatarum aquarum, imo ſeri a Dioſcoride ſcripti, bibitur. Ab eo enim modus bibendi aquas medicatas venit, qui in communi uſu apud Italos eſt, heminis videlicet quinis per intervalla epotis*. Quæ decocti exhibendi ratio a Maſſaria noſtro (*a*) adeo probata eſt, ut miraretur, quomodo nemo ad ſuum uſque tempus ſecutus eſſet *tam præclarum tam illuſtris viri inſtitutum*: ſe vero hoc non ſemel uſum eſſe, teſtabatur, *ſumma cum facilitate, & felicitate* ita ut ægri *ſine multo labore, & paucis diebus id conſecuti eſſent quod alii vix magna moleſtia, & longo tempore ſolent conſequi*: nec ipſi tamen, ut locum perlegendo intelliges, quæcunque de tribus quæ paulo ante dictæ ſunt, excretiones ſequerentur, quidquam referre videbatur. Sed; ut illuc redeam; ab eo quo ipſe Bononiæ degebam, ad hoc tempus, ſpatio videlicet annorum necdum quatuor & quinquaginta, mercurius quoque inter præſidia antivenerea illic denuo relatus eſt.

17. Non multo minori temporis ſpatio in hac Civitate non tantam quidem, ſed aliquam tamen, in iiſdem præſidiis viciſſitudinem animadverti. Ut enim inter Medicos cæteroquin Peritiſſimos nunquam hic aliqui defuerunt validiorum potius, quam tutiorum, remediorum amantes, ſic poſtpoſitam quidem plerumque decoctis, nunquam tamen prorſus deſertam fuiſſe, accepi, quamlibet propemodum mercurio utendi rationem. Itaque ex quo huc veni, præter ſuffitus quorum mentionem audiviſſe, non memini, pleroſque alios modos in uſum vocatos eſſe, ſcio, in hiſque mercurium vel deglutiendum exhibendi, huncque aut cum iis conjunctum quæ per alvum ducerent, aut ita paratum, ut ſalivationem, aut etiam ut diaphoreſim moveret, vel cum pinguedine cuti illinendi. Verum ultimus hic modus rarior, minus rari priores tres; creberrima autem erant decocta lignorum, ut plurimum exoticorum, nonnunquam, ut pro pauperrimis, plantarum noſtratium, quo in loco non eſt tibi reticendum, cum Valliſnerius, qui id mihi teſtatus eſt, ejuſmodi homini quem diuturna Venerea lues peſſime habebat, decoctum præſcripſiſſet bardanæ radicum, marrubii, & viridium putaminum juglandium nucum, ingentibus obortis ſudoribus hominem eſſe perſanatum. Porro ſenſim, paulatimque res adeo mutatas vidi, ut niſi levior morbus ſit, perraro decocta ad ſudorem, creberrime autem mercurius detur ad ſalivationem ciendam, inunctionibus pene deſertis, cauſantibus Medicis, in his minus ſcire ſe poſſe quantum hydrargyri corpus ſubeat, minuſque propterea quomodo gerere ſe ſe oporteat. Atque utinam præſens quoque medendi ratio nunquam hic detrimenta illa gravia, & interdum funeſta attuliſſet, quæ laudatores neſcio qui inter commentitias quaſdam poſitiones ſuas, & exaggeratas narrationes, diſſimulant, eſſetque propterea cæteris perpetuo anteferenda. Sed quæ ſuperioribus temporibus acciderunt, & quæ nunc alibi fiunt, & hic iterum fieri incipiunt, ſpectantes, novas hic quoque viciſſitudines iterum non expectare non poſſunt. Non modo hydrargyri deglutiendi uſus, ſed & vis quarundam illius proprietatum adverſus hunc morbum non ignota olim Patavinis Profeſſoribus, ſi forte e minus doctorum memoria exciderant, certe excidere rurſus poterunt, ubi ratio alia & medendi, & explicandi apud pleroſque invaluerit. Non puto autem, eſſe te quæſiturum, qui Profeſſores illi fuerint, cum Falloppium (*b*), Tomitanum (*c*), Saxoniam (*d*); ne alios nominem; legiſſe te, ſciam: quorum ultimus non uno modo exhibitum deſcribit mercurium, id eſt cum catharticis, & ſine his, ut *quibuſdam ſputum copioſum excitaret*, huncque narrat tunc Patavii in uſu fuiſſe Profeſſori, & Medico Celeberrimo Albertino Bottono. Nec dubium eſt, quin ii qui deinceps in hoc Gymnaſio ſucceſſere, ut *præcipitato* illo, quo Bottonus, mercurio non uterentur, *ſublimatum* hunc, quo viventes utuntur, rite *dulcificatum* aut in uſum traherent ipſi, aut certe ex pluribus pervulgatis libris ſatis ſuperque jam noſſent, a Claris Medicis proponi ad ſalivationem concitandam. Vim autem proprietatum quarundam mercurii adverſus hanc luem non prorſus ignorarunt duo ſaltem ex noſtris veteribus Profeſſoribus Hieronymus Fracaſtorius, & Benedictus Victorius; hunc enim, a Papadopolo prætermiſſum, ante medium ſæculum XVI. hic docuiſſe, oſtendit Tomaſinus (*e*); illum vero, omiſſum a Tomaſino, Patavinum Profeſſorem ineunte eodem ſæculo fuiſſe, probat Papadopolus (*f*). Igitur de argento vivo ſic Fracaſtorius (*g*):

Quodque eſt condenſum, humores diſſolvit, agitque Fortius; &c.

Victorius autem (*h*) ſic: *ſui gravitate cutim corporis penetrat, quodammodo a calore corporis actuatum*: & mox etiam, ubi corpus ſubiit, *gravitatis* mentio fit.

18. Prætereo quæ tanquam ex aliis, de *tenuiſſimis, minimis, exiguis*, ex quibus mercurius conſtat, *particulis* noſter memorabat Tomitanus (*i*), ut obſervationem, conſiliumque Trincavellii (*k*) pariter noſtri, ſubjiciam, ſimul ad morbum quo de agitur, ſimul ad has Aponi Thermas attinentia. Pro nobili Matrona conſultus, quæ ad plures alios morbos luem hanc adjunctam habebat, poſtquam alia propoſuiſſet, & ad duo quæ præcipue utilia eſſe poſſe videbantur, perveniſſet, decoctum ligni guajaci, & aquas thermarum, illudque adverſus & luem, & morbos alios profuturum, reſpondiſſet; ubi ad aquas, & multiplicem earum uſum bibendo, lavando, & excipiendo ex altiore loco ſtillantes deſcendit, cæteros quidem affectus, & eorum cauſas *ſperare*, inquit, *poſſumus quod ſint penitus ſuperaturæ: quatenus autem ad veneream, vel gallicam luem pertinet, illi crediderim vel nihil, vel parum admodum poſſe prodeſſe: imo, ſi verum fateri velim, viſus ſum obſervaſſe, quod illis, qui hoc morbo detinentur, potius obeſſe, quam prodeſſe ſolent*. En obſervationem, modeſte propoſitam. Conſilium ſequitur: *Sed ut tandem quidquid in hac re ſentiam, tibi aperiam: ego utroque auxilio uterer: & primum ligni decoctum experirer; poſtea etiam vellem, Patavium ad balneas illam duci*. Sic igitur jam tum anno 1561. Patavini Profeſſores obſervabant. Sic conſulentibus reſpondebant. Nec ſi aliqui, minus in eorum monumentis verſati, id forte ignorant; idcirco tenebras offundent Anteceſſorum gloriæ, quaſi nulla id, tam facili præſertim, obſervatione confirmaſſent. Quin etiam iſta quæ ex Guarinonii Conſultationibus Sectioni huic Sepulchreti addita eſt Obſervatio non videtur ab iis diſcrepare quæ adnotaverat Trincavellius. Certe autem non diſcrepant quæ Andreas Baccius (*l*) Scriptor de Thermis Celeberrimus tradidit. Cum enim haud omnes in hoc morbo eſſe noxias cenſeat (quod & ejus, & aliorum, recentium quoque, Clariſſimorum Hominum experientiæ procul omni dubitatione credendum eſt) Aponenſes noce-

(z) l. 14. Epiſt. Medic. 4. (*a*) Pract. Medic. l. 6. (*b*) Tract. de Morbo Gall. c. 79. (*c*) De Morbo Gall. l. 2. c. 15. (*d*) Tract. de Lue Vener. c. 22. (*e*) Gymn. Patav. l. 3. c. 8. ad A. 1532. (*f*) Hiſt. Gymn. Patav. l. 3. S. 2. c. 11. n. 55. (*g*) Syphil. l. 2. (*h*) l. de Morbo Gall. c. 7. (*i*) c. 15. paulo ante cit. (*k*) l. 2. Conſil. Medic. 63. (*l*) De Therm. l. 3. c. 2. in fin.

nocere, diſerte affirmat; imo *idem*, inquit, *ad Aponi balnea accidiſſe cuidam illuſtri Principi novimus*, nimirum ut *immemor jam præteriti* venerei *contagii*, *vetuſtos ſibi ex balneo conſciverit dolores*. Nec fortaſſe a veri ſimilitudine aliena cogitares, ſi ad cæteras cauſas ob quas ille tantus ab antiquis uſque temporibus ad Euganeas Thermas ægrorum concurſus decrevit, hanc quoque adderes, quod eo pluribus, non ut olim prodeſſe, imo etiam obeſſe debuerint quo magis, magiſque auctus eſt numerus hominum, inter cæteros morbos Venereum inſuper ſive apertum, ſive occultum foventium. Quod ſi hic morbus, ut in Europam importatus eſt, ſic tandem aliquando, uti ſperabat Fracaſtorius (*m*), prorſus excederet, nec Medici eo tempore deeſſent qui magnis, ſed juſtis, laudibus ornari poſſent; vix dubito, quin Aponenſium Thermarum celebritas, imminuta quidem ob alias cauſas, ſed ob earum admirabiles facultates nunquam ſublata, longe alia iterum fieret, ac ſæculo hoc videmus, & diu fortaſſe viſuri quoque ſunt poſteri, niſi duorum, quos noſti, Amicorum ſingularis in horum fontium natura perquirenda ſolertia, in effectibus autem accurate obſervandis, pervulgandiſque diligentia, felicia exempla ante omnium oculos proponendo, quaſi nova quadam invitatione multo maximum ægrorum numerum ad ſalutem hic ſibi quærendam alliciat.

19. Nunc quando me veri ſtudium impulit, ut veteribus hujus Gymnaſii Doctoribus quæ reſtituenda eſſent, oſtenderem, nec illud ſilebo quod ad controverſiam attinet, ſupra (*n*) indicatam, de Luis Venereæ novitate idem illos quod plerique doctiorum, ſenſiſſe, & Hippocrati, Galeno, Avicennæ fuiſſe cognitam, negaſſe eo graviori auctoritate, quo magis erant in eorum libris perlegendis verſati, quam ſucceſſorum nonnulli quibus aliter viſum eſt, in hiſque Eruditiſſimo alioquin Viro Carolo Patino. Hic enim, ut initio anni ſcholaſtici 1687. per *hoc paradoxum*; utor ejus verbo (*o*); proluderet, Orationem habuit, ediditque, inſcriptam *Luem Veneream non eſſe morbum novum*. In qua tamen nihil offendiſſet quod rejectum ſatis ab ſe non eſſet, aut facile rejici ad eundem modum non poſſet, Cel. Aſtrucius: qui (*p*) nunquam illam extitiſſe Orationem, ideo arbitrabatur, quod nullam ejus mentionem in noſtri Gymnaſii Hiſtoria feciſſet Papadopolus, ubi de Patino ſatis fuſe locutus (*q*), Opera ejuſdem ſingillatim recenſuit. Papadopolus vero, Doctiſſimus Vir, & de hoc Gymnaſio egregie meritus, cum pro materiæ multiplicitate, & amplitudine non ſatis temporis ad ſcribendum habuerit; non mirum eſt, ſi quædam invitus omiſit in Profeſſorum quoque, Alumnorumque cum vita, tum lucubrationibus præſertim recenſendis, *quarum ſe qualem qualem, ut deprehendere licuit, Catalogum nominibus ſingulis adjeciſſe*, in Præfatione admonuit. Et nos quidem, quod ad Artium Doctores in primis attinet, ut ſe occaſio dederit, ſupplere aliqua ex parte ejus Scripta non omittemus, tanto autem de Patino facilius, quod inter noſtros ſunt libros volumina duo in quibus ſua ipſe Opuſcula diſpoſuit eo fere ordine quo prodiere, pleraque ſua manu ſic emendata, & aucta, quemadmodum a typographo iterum deſcribi volebat. Quæ igitur omiſit Papadopolus, in primo quidem volumine hæc ſunt. *Quod Medico-Chirurgo liceat abſque artis dedecore beſtiis etiam mederi. Oratio.* — *De Phœnice in numiſmate Imp. Antonini Caracallæ expreſſa. Epiſtola.* — *Oratio de liberata Civitate Vienna*: quæ duæ Filiarum nomine ſcriptæ ſunt. — *Medicinam Practicam non ſatis æſtimari. Oratio.* — *Quod Medicus debeat eſſe* ΠΟΛΥΜΑΘΗΣ. *Oratio.* — *Commentarius in tres Inſcriptiones græcas Smyrna nuper allatas.* — ΕΡΩΤΗΜΑΤΑ ΙΑΤΡΙΚΑ, *de Medico.* — *Theoremata Philoſophico-Medica de Vita & Morte.* — *Circulationem ſanguinis a Veteribus cognitam fuiſſe. Oratio.* — *Flores Medicinæ Theoreticæ.* — *Exercitationes Publicæ de Febribus*, videlicet non Oratio, quam indicare voluit Papadopolus, ſed Prælectionum habendarum Synopſis. Ex altero autem volumine præterita hæc ſunt: *Theſes Politicæ de Libertate, & Servitute.* — *Opiniones Medicæ de Febribus.* — *Idea Capitis humani. Oratio.* — *Oratio habita Venetiis in Academia Dodonæa.* — *Flores Medicinæ Practicæ.* — *Luem Veneream non eſſe morbum novum. Oratio.* — *Exercitationes Publicæ de Morbis particularibus Thoracis, & Abdominis.* — *Commentarius in antiquum monumentum Marcellinæ e Græcia nuper allatum.* — *In Febribus medendis inſpiciendum eſſe lotium. Oratio.* — *Commentarius in antiquum cenotaphium Marci Artorii Medici Cæſaris Auguſti.* — *Exercitationes Publicæ de Morbis Capitis.* — *Oratio de Remediis Specificis.* — *Flores Medico-Chirurgici.* Cur his duobus ultimis Scriptis non interjecerit Patinus, ut editionis ordo poſtulabat, Orationem quæ ſeorſum apud me extat, ſic inſcriptam, *Vanam eſſe Aſtrologiam Medico plane indignam*, quam A. 1690. hic habuerat, typiſque deſcriptam vulgaverat, non magis ſcio, quam cur duo de quibus dixi, Opuſculorum volumina neglecta adeo reliquerit, ut niſi in manus veniſſent meas, facile excidere & perire potuiſſent chartulæ quas, nullo annexas glutine, hic illic magno numero interjecerat, nonnulla in Opuſculis ipſis emendans, plurima autem præclare illuſtrans, multumque augens. Quæ nunc chartulæ diligenter a me perlectæ, & collatæ, ſingulæ ad ſingula agglutinatæ ſunt loca ad quæ pertinebant, ut facile aut per me, ſiquando minus occupatus fuero, aut per alios ea Scripta jam poſſint iterata editione ſic proferri, quemadmodum pereruditο eorum Auctori placuerat. Hæ autem chartulæ ſpectant ad Commentarios quos memoravi, nonnullæ in cenotaphium M. Artorii, longe plures in primam, & ſecundam ex tribus Smyrnenſibus Inſcriptionibus, plurimæ autem in monumentum Marcellinæ. Ad quas ultimas accedit autographa, nec ita brevis, epiſtola a famigerato Viro Giſberto Cupero ad Patinum miſſa, ſiquid ego judico, utroque digna. Nec dubito, quin hanc quoque, ut una cum chartulis interjecerat, editurus fuiſſet Patinus, niſi arteriæ Magnæ aneuryſma, a quo potius quam a concreto, ut fit, intra ipſum polypo, peremptum cenſeo (*r*), ejus propoſito obſtitiſſet. Quo perfecto, oſtendiſſet magis Vir Doctiſſimus, quanto plus in antiquis numiſmatibus, & monumentis declarandis valeret, quam in medico illo paradoxo vetuſtatis Luis Venereæ Hippocratis quoque ſi Superis placet, Galeni, Avicennæ, aliorumque locis confirmando. Vale.

EPI-

(*m*) De Morb. Contag. l. 2. c. 12. (*n*) n. 15. (*o*) pag. penult. (*p*) De Morb. Vener. l. 8. S. 17. ad A. 1687.
(*q*) S. 2. ſupra ad n. 17. cit. c. 35. n. 159. (*r*) Vid. Paſtæ Epiſt. de Cordis polypo in dub. revoc. n. 5.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LIX.

Verba fiunt de Morbis a Veneno inductis.

SEctio quæ in Sepulchreto ſuccedit, X. partim ad Morbos ſpectat Occultos, & Chronicos, partim ad eos, qui a Veneno inducuntur. Plus autem affert utilitatis in his, quam in illis hic proponendis. Illi enim aut nullis cum ſignis, aut cum quibuſdam a ſuo quiſque Obſervatore traditi ſunt: ſi nullis cum ſignis; vix aliquid fructus eſt quod capias ex appoſita diſſectione: ſin habent ſignum quodpiam adjunctum, ut puta febrem, vomitum, difficilem reſpirationem, alia ejuſmodi; ſane multo utilius in eas Sectiones relati eſſent, in quibus ſingula ſunt ea ſigna peculiariter ſpectata. Quod ut de quibuſdam factum eſt, in Sectione hac indicatis, ſic etiam de aliis faciendum fuerat, de quibus quidem licebat. Vides igitur, cur hac in parte Sepulchretum non ſequar, imo nec ſequi poſſim, cum hujus generis Obſervationes ſuo quamque loco in alias Epiſtolas conjecerim.

2. In altera autem parte quæ ad Venena attinet, libenter ſecuturus, perpauca a me (nam a Valſalva nulla habeo) aut a Mediavia noſtro adnotata exempla tecum protinus communicabo. Ejus eſt hoc primum.

3. MULIER annos nata ad ſexaginta, jam pranſa, paſtillos quoſdam ex amygdalis, in ſuperiore ædium parte ſepoſitos, clam domino, qui ſepoſuerat, devoravit. Exacta vix hora, moleſto quodam ventriculi ſenſu corripi cœpit, quaſi flatibus vexaretur. Quo diutius perſtante, & dein magis magiſque ingraveſcente, plura & vomuit, & dejecit: ſicque levari viſa eſt. Sed mox graviore moleſtia, nec ſine deliquiis, redeunte, tandem aliquando quid comediſſet, faſſa eſt; ſerius tamen, quam oportuiſſet. Illi enim paſtilli ad interficiendos mures parati, arſenicum admiſtum habebant. Itaque intra horam ab eorum eſu duodecimam virium potius lapſu, quam acrioribus doloribus, aut manifeſtis convulſionibus affecta, morte ſua miſerrima anus puerilis gulæ pœnas luit. CADAVER publico juſſu poſtridie inſpectum, ſectumque eſt, qui dies fuit circiter Nonas Maji A. 1727. Facies corporis poſterior, ne ſuris quidem, & calcibus exceptis, tota erat nigra. Corpus ipſum non rigidum. Venter non tumidus: quo, & ventriculo adaperto, hujus interior facies hic illic eroſa, præſertim ad antrum pylori, conſpecta eſt, adhærente eroſis partibus, inter membranea fruſta, arſenico ipſo. Nec Duodenum inteſtinum eroſionibus carebat. In Thorace nigricantes pulmones: in corde polypoſæ duæ concretiones digiti forma, & longitudine; cum cæteroquin fluidus in omnibus vaſis, & coccineus ſanguis occurreret.

4. Ut in cæteris, ſic etiam in morbis qui a veneno fiunt, neque ſigna, neque effecta eadem omnino in omnibus ſunt expectanda. Aliæ in aliis corporibus tum fluidarum, tum firmarum partium quæ ad ventriculum præſertim attinent, conſtitutiones, ejuſque præterea inanitas, aut plenitudo, hæcque ab unius, aut alterius generis alimentis, facere nimirum poſſunt, ut venena, etiamſi eadem, eodemque pondere revera ſint (eadem enim poſſunt eſſe nomine; ſed aliter præparata) non iiſdem tamen ſignis, effectibuſque ſe prodant. Arſenicum, qua voce illud potiſſimum intelligitur quod album eſt, & cryſtallini adjuncto ſæpenumero deſignatur, ipſum quoque, diſerte confirmantibus Doctiſſimis Viris Meadio (*a*), & Boerhaavio (*b*), factitium eſt, itaque aliter ab aliis poteſt eſſe paratum, ut cum apud Meadium legas, totum aqua ſolvi; legere apud alios poſſis, non modo ejus particulas, ut in propoſita Muliere, in ventriculo fuiſſe animadverſas, ſed etiam inde fuiſſe agnitum arſenicum, quod ſub aqua calida reſtitiſſent ejus fruſtula inſtar alborum lapillorum, ut in illa habes Wepferi hiſtoria, quæ inter Additamenta ad Sectionem hanc Sepulchreti, prima eſt in Obſervatione XIII. Exhibet ea hiſtoria puellum biennem a prægreſſis febribus maceratum, adultioreſque puellas duas bene valentes, quorum ille vix duo cochlearia, hæ reliquum ſumpſerant de pulticula, arſenico infecta, vacuo ille ventriculo, hæ cibis pleno: ille non vomuit; hæ ſtatim, & poſtea, arte etiam adjutæ, multum, & ſæpius vomuerunt. Diſcrimina hæc diverſus exitus eſt conſecutus. Puellæ evaſerunt. Puellus autem, cujus nullæ convulſiones inter cætera ſigna adnotantur, viribus magis magiſque deficientibus periit, ventriculo intus exulcerato, pulmone ex atro liveſcente. Proferri ibidem videbis puerorum exempla alia, qui a devorato arſenico cum ſtatim, aut non pluribus poſt horis vomuiſſent, & remediis adjuti eſſent, convaluerunt. Inter ſymptomata artuum tremor in uno (*c*) memoratur. Qui autem arſenicale pigmentum, ſandaracham, delinxerat puer (*d*), iſque undecimeſtris, nec niſi poſt quartum diem medicamentis uſus, non ſine convulſionibus periiſſe narratur. Nec puellæ (*e*) quæ ſerius vomuit ab aſſumpto, ut ſuſpicabantur, veneno erodente, convulſiones terribiles omittuntur, quæ mortem anteceſſere. Evaſerunt qui citius vomuere quadriennis puer (*f*), & ſupergreſſa annum ſororcula, cujus, non illius, convulſiones adnotantur. Sed horum quoque venenum, erodens alioquin, ut videtur, ignotum fuit, ut etiam fœminæ (*g*) de qua illæ non adnotantur, quæ, ſi aliud non attendas, niſi cruorem ore rejeciſſe, videri poſſit a ſublimato mercurio mortua, quando non ſolum Ardoynus (*h*) vomitum aliquando ſanguineum inter illius indicia propoſuit, ſed & Wepferus proxima Obſervatione XIV. (*i*) inde vidit & vomitus, & dejectiones (quas nec Ardoynus prætermiſit) cruentas in cane, quem nunquam convulſum, nec a morte rigidis artubus fuiſſe, diſerte admonuit, inflammata autem, ut ex parte fœmina illa, inteſtina, & ventriculum intus, extraque habuiſſe, ſanguinem autem neque in corde, neque ullis in vaſis uſquam concretum. Quæ attigi non ignarus, quantum Cl. Meadio (*k*), qui globulos mercurialium inſtar in arſenico pervidit, hoc cum ſublimato mercurio in modo inferendæ necis convenire videatur. Sed ad ea quæ de arſenico ipſo porro adjiciuntur in Obſervatione, antea memorata, XIII. redeamus. Quid a devorato arſenico canibus duobus (*l*) acciderit, vix præter mortem indicatur. In mortuis tamen quatenus inflammatus utriuſque ventriculus, hujuſque tunicæ in altero extenuatæ, inteſtina autem perroſa, & perforata, in eodemque niger, & grumoſus ſanguis fuerit, non omittitur. Denique ut circulatores pleno ciborum pinguium & oleoſorum ventriculo, arſenicum impune devorent, mox tamen clam omnibus per vomitoria rejicientes; vomitum autem præter morem differre coacti, pereant, (*m*) non reticetur. Sed hæc omnia in Additamentis, ubi & illud: felem (*n*) ab arſenico peſſime habentem, vomitu concitato per tabacci fruſtulum cum cibo intruſum, vivam manſiſſe. In Sectione autem ipſa eſt illa potiſſimum attendenda Obſervatio (*o*), quæ modo dicta confirmat. Scilicet cum in convivio edulium appoſitum eſſet in ultima menſa, quo in edulio pro farina arſeni-

(*a*) Expoſ. mechan. Venenor. Tent. 4. (*b*) Element. Chem. Tom. 2. P. 2. ubi de Sulph. (*c*) Hiſt. 2. (*d*) Hiſt. 8. (*e*) Hiſt. 9. (*f*) Hiſt. 10. (*g*) Hiſt. 11. (*h*) De Venen. l. 2. c. 5. (*i*) Hiſt. 2. (*k*) Tentam. cit. (*l*) Hiſt. 12. (*m*) Vid. etiam Schol. ad Obſ. 3. (*n*) in eod. Schol. (*o*) §. 5. in Obſ. 4.

ſenicum miſtum fuerat, ex convivis qui hactenus minimum comederant, biberantque, ſtatim a veneno ſublati ſunt: qui vero jam ventriculum cibo, potuque diſtenderant, ii vomitu ſunt curati ſic tamen, ut in eorum cadaveribus, multis poſt annis decedentium, eroſionum, quæ latæ, & profundæ nihilominus fuerant, apparuerunt notæ. Quod ſi quæ ex Pareo proxime (*p*) ſequuntur, perlegas; id fortaſſe quod paulo ante de fœmina illa conjiciebam, non improbabis. Sunt præterea in Sepulchreto Obſervationes quæ ad venena attineant, aliæ; tametſi contra ac ſæpe alibi factum eſt, in Sectione hac non indicantur. Reperies in Sectionibus VII. & VIII. libri III. in illa quidem ſeptem, vel potius ſex; quæ enim Obſervatione XVII. ſecundo loco proponitur, evidenter adeo eadem eſt ac quæ III. de Profeſſore illo Patavino producta jam fuerat, ut mirum ſit, non fuiſſe id animadverſum; in Sectione autem altera quinque, an ſex, quarum prima, quæ V. eſt, ad arſenicum nominatim ſpectat, cujus fruſtula circiter duodecim inventa ſunt ventriculi tunicis tam arcte inhærentia, vix ut avelli poſſent, tunicis iiſdem, ut in cane diximus, extenuatis, eroſo præterea, inflammatoque ejuſdem viſceris fundo, & cadavere a tergo plane livente. Sed præter vomitiones, dejectioneſque, nulla commemorantur ſymptomata. Obſervationes autem cæteræ quas in utraque Sectione enumeravimus, aut ad alia, aut ad ignota venena attinent. Quorum effectus in mortuis ſpectati, fere ventriculi, & inteſtinorum inflammatio, & eroſio fuerunt; in viventibus autem alias alia ſigna; ſed nullum vomitu frequentius, pro quo ſiquando fuit, aut mox ſucceſſit inanis vomendi conatus, ægri tum pejus ſe habuere, & citius interiere, quam ii in quibus reliqua paria eſſe viderentur. Quod vomitus ſignum cum iis quoque ad eundem modum commune ſit qui arſenicum devorarunt; ſi forte quæris, quoſnam præterea in iis ipſis crebrius adnotatum ſit; virium languorem, aut quæ hunc denotent, fuiſſe invenies, videlicet extremorum, aut totius corporis frigus, ſudores frigidos, pallorem, ipſamque interdum ſyncopem. Hunc virium languorem, ab affecto ſtomacho pendentem, qui per nervos cor in conſenſum trahat, moleſtiſſima, ut opinor, præcedit, & comitatur anxietas potius, quam lancinans dolor. In iis certe quorum deſcripta habemus ſymptomata, pueris, aut canibus, clamores fuiſſe, non legimus, anxietatem quam vix exprimere pueri ſciunt, in duobus legimus. Cæterum in uno torminum indicia, & ſingultus, in uno abdominis tumor, in quibuſdam ſitis, in aliis lingua tumens, aut aphthæ in ore, aut deglutitio impedita, aut æſtus, & ardoris ſenſus adnotatur. In quibus autem manifeſtæ fuerint, aut non fuerint convulſiones, ſupra indicatum eſt. Sed horum omnium ſymptomatum alia nonnunquam, alia haud raro ab aliis quoque venenis erodentibus contigere. Quin ubi a Sepulchreto diſceſſeris, quo uno circa arſenici effectus, & ſublimati mercurii ſpectato, ea quæ de clamoribus, doloribuſque modo dicebam, & quæ ſupra de cruentis excretionibus attigi, dici poſſe videbantur; non dubito, quin continuo aliter, & merito, ſentias.

5. Igitur ut hiſtorias quas in Sepulchreto non habemus, attentius ipſe perlegere, & conferre poſſis; bene multas protinus indicabo, omnes pariter ad *mineralia* venena ſpectantes. A vitro antimonii quod aurigæ perperam datum fuerat, inter cætera, dejectiones cruentas, motus ſpaſmodicos, & mortem denique adnotavit Cl. Baeumlinus (*q*), abraſum vero intus ventriculum, & rubra, prope pylorum, macula tinctum. Quamvis autem canis ab eodem vitro quod Jo. Adr. Sproegelius (*r*) intruſerat, nihil niſi validas convulſiones paſſus ſit, dum vomere vellet, nec propter conſtrictum vinculo os, poſſet; admonuit tamen Experiens Vir (*ſ*), brutorum naturam *multo fortiorem, & plerumque a noſtra diverſiſſimam*, pervincere ea venena poſſe, quæ noſtra non poteſt. Quin Obſervationes (*t*) extant quæ in alio cane oſtendant quæ a vitro illo paralyſes, convulſioneſque cum ejulatibus conjunctæ, & qua ventriculi ſede manifeſta inflammatio orta ſit, ut niſi vivens adhuc diſſectus eſſet, graviora fortaſſe contingere potuiſſent: tum etiam mulierem proponant ab eodem ingeſto vitro per enormes vomitus, mortuæ inſtar, humi ſtratam, rigidam, convulſam, & pedis alterius acerbiſſimo dolore, mox gangræna, & ſphacelo correptam, ut quemadmodum aurigæ illi, ſic & ipſi non proximam quidem mortis cauſam, ſed cauſam tamen, & occaſionem id pharmacum attulerit. Tartarum vero Emeticum Vir alter Experiens Jacobus Foelix (*u*) cum dediſſet cani, & vomentem adhuc aperuiſſet, maximam ad pylorum inflammationem per aliquot pollicum ſpatium vidit. Non me fugit, Clariſſimos eſſe Viros (*x*) qui arſenicales veras particulas in antimonio necdum fuiſſe demonſtratas, contendant: neque ego propterea exempla hæc attuli, multoque minus ex Præcl. Henckelio (*y*) illud butyri antimonii afferam per errorem exhibiti, ſtatim conſecutis faucium, & ſtomachi conſtrictione, & ardore immani, deinde vero per menſes, annoſque iis ventriculi affectionibus, ut planum fuerit, niſi lac illico, & largiter datum (id quod ab auriga illo nimis ſero, eoque fruſtra factum eſt) non tam vomitum adjuvando, quam acerrimum erodens venenum in caſeoſa coagula, quæ plurima egeſta ſunt, illigando, opem attuliſſet, hominem miſerrima morte fuiſſe periturum. Vis autem adeo erodens in eo veneno non eſſet, niſi pararent cum mercurio ſublimato. Sed hujus tamen effectus ut cum effectibus butyri illius poſſis comparare, Krameri (*z*) curationem lege, non lacte ſolum, ſed & admiſto oleo tartari per deliquium, ut loquuntur, ad rectificandum mercurium, aliiſque feliciter peractam. Oris, gulæ, & ventriculi eas eroſiones fuiſſe, intelliges, antequam remedia præberentur, unde multum ſanguinis tum per vomitus, tum per dejectiones, idque ſæpius, ejiceretur cum angoribus, torminibus, deliquiis, convulſionibus, aliis ejuſmodi. Baccius (*a*) autem ab eodem ſublimato mercurio, ſed minori, ut videtur, pondere, & certe cum aliis ſumpto, æſtum ventriculi, ſæva tormina, violentos vomitus adnotavit, per quos denique ichor purulentus ac *combuſtus*, ſimulque anima poſt triduum ejecta eſt. Quidnam per diſſectionem, ſi quidem eſt habita, compertum ſit, reticet. Sproegelius (*b*) vero cum ſublimatum mercurium feli, & cuniculo ingeſſiſſet, illam intra quinque horæ minuta prima, hunc vix ingeſto, mortua refert, nullis prægreſſis ſymptomatibus, niſi in illa convulſionibus leviſſimis, in hoc vomitu: additque, in illa intimam ventriculi tunicam ubivis, ſed magis in fundo, inflammatam fuiſſe; in hoc nuſquam, ſed nec potuiſſe, prohibente braſſica antea devorata; mortem autem adeo celeriter ingruiſſe, quod cum aqua datum venenum, ab hac ſolutum, vim ſuam ſtatim in nervos exercuiſſet. Verum cani (*c*) cum pariter dediſſet, ſed inani ventriculo; hujus villoſam tunicam ubique ſpiculis veneni repletam, eoque partim rubram, partim ſublividam offendit, ut os quoque totum vidit, imo ventriculum, inprimiſque orificium ejus ſupremum, valde inflammatum, nigrum, & gangrænoſum, tametſi vivens adhuc animal ſecuit poſtquam per horam, & amplius magnos vomendi conatus, cum inquietudine, & ejulatibus conjunctos, animadverterat. In nulla trium harum beſtiarum, ſi primam excipias, ſanguinem in corde nigrum, & coactum memoravit. Jacobi autem Foelicis (*d*) unum modo video intruſi ejuſdem veneni experimentum, ſed cum pari ſimul arſenici pondere, ſed in cane quem vix iis intruſis

bis

(*p*) Ibid. §. 6. (*q*) Commerc. Litter. A. 1739. Hebd. 16. n.1. (*r*) Experim. circa varia venena &c. Exper. 41. (*ſ*) Ibid. §. 50.
(*t*) in Additam. ad Sect. hanc Sepulchr. Obſ. 12. Hiſt. 2. & 3. (*u*) Experim. 11. inter ea quæ addidit Diſſert. de Mot. periſt. inteſtin.
(*x*) Commerc. Litt. A. cit. Hebd. 24. n. 1. (*y*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 95. (*z*) Commerc. Lit. A. 1735. Hebd. 30. n. 3.
(*a*) De Venenis &c. ubi an venenum nutriat &c. n. 6. (*b*) Exper. cit. Exp. 26. & 29. (*c*) Exp. 28.
(*d*) addit. ad Diſſert. cit. Exp. 10.

bis vomentem continuo ſecuit, & tamen vehementem reperit ventriculi inflammationem. Quam in alterius quoque canis (*e*) ventriculo, præſertim pylorum verſus, vehementiſſimam autem in proximis inteſtinis deprehendit, ſed eo leviorem, quo propius accedebat ad Craſſa. Hunc vero canem viventem quidem, ſed non niſi poſtquam novies evomuerat, incidit, cum præter arſenicum nihil dediſſet quod venenatum eſſet. Quo de veneno quoniam hic, ut propoſita a nobis requirit hiſtoria (*f*), potiſſimum quærimus; experimenta aut per ipſum, aut per ejuſdem generis alia a Sproegelio habita (*g*) non omittemus. Feli, & cani arſenicum *album crudum* ingeſſit. Vomendi, aut vomituriendi conatibus, anxietatis ſignis, & convulſionibus, aut concuſſionibus animadverſis, utrumque animal priuſquam interiret, diſſectum eſt; oſtenditque in ventriculo, aut circa pylorum, aut ubique valde inflammato, ſanguinis grumos inter rugas, aut inter villos effuſi, & coagulati, qui in cane arſenicum circumdabat. Cobaltum, quod arſenici *minera* eſt, cum unus, & alter canis impune evomuiſſent; alteri (*h*), ne evomeret, obligato ore, vehementiſſimi vomendi conatus, anxietas, convulſiones, debilitas obvenere, & intra perpaucas horas mors. Huic ventriculus nonnullis locis ſublividus, ubique multum inflammatus fuit, inflammata quoque inteſtina omnia, ſed tanto minus, quanto a ventriculo magis diſtabant. Nec deſunt in humanis corporibus funeſtorum ſumpti cobalti effectuum Obſervationes; ut una Cl. Kundmanni (*i*) trium ſaltem mortem, inde ſecutam intra horas non multas, complectatur, cum omnes confeſtim vehementiſſima tormina corripuiſſent, enormes vomitus, & frigidi ſudores, dorſo cadaverum livido, valde inflammato ventriculo, & ex hujus eroſis vaſis ſanguinolento humore effluente. Eadem Obſervatio obitum quoque proponit mulieris, poſt ejuſmodi & tormina, & vomitus, intra paucas horas ſuccedentem deglutito arſenico rubro. Arſenicum autem citrinum; auripigmentum vocant; quem ardoris, & eroſionis ſenſum, & quot vomitiones, dejectionesſque, & quantas permoverit, Gerbezius (*k*) docebit, utque totam familiam, ex qua aliqui ſanguinem ex ore, & inteſtinis ejecere, pene interfecerit, puellam autem plane occiderit; ut minus mirum ſit quod leges apud Heydium (*l*), elicitas ex auripigmento cryſtallos, gallinæ præbitas, hanc alvi fluxu confeciſſe. Et quamvis non ad arſenicum, ſed ad plumbum ſpectet lithargyrium; digna tamen ſunt quæ a te legantur tum ejus, aceto ſoluti, & cocti factum in cane a Brunnero periculum, caniſque diſſectio, tum ejuſdem, cum bolo cocti, & acidi vini doliis injecti, Jo. Jac. Franc. Vicarii (*m*) habitæ in iis qui biberant, Obſervationes. Nec minus lectu dignæ ſunt aliæ, ut Cl. Jo. Mat. Mulleri (*n*) una, & Cl. Juſt. David. Hammeri (*o*) altera. Ex torminibus enim, vomitibus, dejectionibus, anxietatibus, deliquiis, ſiti, quæ in prima, & ex ſiti, æſtu, ſanguineis dejectionibus, quæ in ſecunda leguntur, tum ex cita morte quæ in utraque; itemque ex cutis univerſæ maculis, totius alimentorum canalis rubentibus ſtigmatibus, omniumque ejus tunicarum ſubtili hic illic perforatione, quæ in prima, & ex cadaveris atro poſterius colore, ventriculi, & inteſtinorum omnium magna exterius inflammatione, interius eroſione, quæ in ſecunda proponuntur, ſatis conſtat, venenum utrobique corroſivum cuncta effeciſſe, tametſi quodnam id fuerit, pro certo non liqueat. Certe autem a ſumpto arſenico fuere & ſymptomata, & viſcerum labes in hiſtoriis quas preſſius indicabo. Preuſſius (*p*) faucium, & pectoris conſtrictionem, ſitim, ardores, roſiones, tormina, immanes vomitus, & dejectiones memorat. Laudatus Mullerus (*q*) præter hæc, & dolores ventris; hujus quoque ſtatim intumeſcentiam, & anxietates. Mauricius Hoffmannus (*r*) celerem pariter, ſed multo maximam ventris intumeſcentiam, faciei livorem, oculorum, & cervicis contorſiones. Cl. Heimreichius (*ſ*) continuos per horas 24. vomitus cum horrendis clamoribus, artuum tremorem, pedum paralyſim. Cl. Jo. Phil. Wolffius (*t*) atrociſſimos ventriculi, & ventris reliqui dolores, cum Cholera morbo conjunctos. Quem ſupra laudavi, Hammerus (*u*), & Præſtantiſſ. Quelmalzius (*x*) ille vehementes vomitiones, virium infirmitatem, & artuum contracturas, hic autem inſuper anxietates, cardialgias, intumeſcentiam oculorum, & totius capitis, ventriculi, & inteſtinorum lancinantes, erodenteſque cruciatus, ardores, aliaque adnotarunt. Sed quoniam arſenicum in his tantum non omnibus caſibus vomitiones ipſæ magna ex parte ejecere, illius vero quidquid erat reliqui, ab ipſoque inchoatas noxas blanda oleoſa, lac autem præſertim, cohibuere; Obſervationes alias, in iis qui ſervari non potuerunt, dum viverent, & poſt mortem habitas, indicabimus: Ettmüllerus filius (*y*) de puella refert, quæ a ſumpto arſenico cum multa viſcida liquamina prima nocte rejeciſſet, mane inventa mortua eſt: nec tamen cadaver, præter externum quendam lividum, & cœruleum tractum, quidquam mox oſtendit in viſceribus quod veneno imputare poſſes: nihil uſquam putridi, nihil fœtidi in inteſtinis, nullas in his, aut in ventriculo inflammatio, aut eroſio, quanquam hic inter cætera, album pulverem continebat, qui prunis injectus fumum dedit *arſenicum ſpirantem*, eidemque ſimilis pulvis, in ædibus inventus, catello, & feli ingeſtus, hanc poſt ſequihoram, illum plurimis excitatis vomitionibus, tertia poſt hora interemit, ventriculo felis parva ex parte, catelli autem ex magna inflammato, ut & proximo Duodeno inteſtino, prope quod enormis fuit eroſio. Sed ab his puellæ ventriculum & multa viſcida materia, & cibus quem ante ſumpſerat, videntur defendiſſe, non item ab irritatione tunicæ illius intimæ, nervorumque ipſi inſervientium. Producuntur autem exempla arſenici vel exterius admoti, vim ſuam exerentis ſive ubi cutis ſunt ulcera, qua de re, quippe minus huc attinente, rejicimus te ad ea quæ alias (*z*) ſcripſimus, ſive ubi illa eſt integra, cujuſmodi exemplis addi illud in primis poteſt de quo eſt Heimreichii Obſervatio paulo ante citata, ſeu celeritatem ſpectes qua nocuit, ſeu gravitatem, & pertinaciam nocumenti, cum arſenicum pro cyprio, quem vocant, pulvere capillis inſperſum eſt, ne dicam cum olfaciendo internoſci voluit. Verum quia in propoſitæ puellæ ventriculo neque puſtulæ, neque tumor, neque rubor conſpectus eſt; idcirco, opinor, exempla non omittuntur noxarum alterius generis, ſummi autem periculi, quæ cum a ſumpto arſenico oriri ſoleant, ſunt etiam ab ejus vaporibus, nec raro, allatæ. Cæterum ut ut res in puella ſe habuerit; quomodo tres, aut quatuor alios, quorum hic attingam hiſtorias, nonnullas infra (*a*) addituros, arſenicum interemerit, diſquirere non erit opus. Nam a Tyſone (*b*) diſſectus foramen neque exiguum, neque regulare habuit in ventriculo. Hujus autem viſceris fundus in vetula, a Mauricio Hoffmanno (*c*) inſpecta, quaſi exulceratus, ſphaceloſus, & nigricans fuit. Sic etiam in altera fœmina, ab laudato Wolffio (*d*) deſcripta, inventus eſt plane eroſus, nec ſine graviſſima ſphaceloſa ad pylorum inflammatione. Et in Viro quem Cl. Henckelius (*e*) incidit, maculæ fuerunt, nec parvæ, aut ex flavo fuſcæ, aut rubicundæ pylorum ver-

---

(*e*) Exp. 9. (*f*) n. 3. (*g*) Exper. cit. Exp. 30. & 31. (*h*) Exp. 35. (*i*) Act. N. C. Tom. 5. Obſ. 102.
(*k*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 137. (*l*) Obſ. Med. 49. (*m*) Dec. modo cit. A. 4. Obſ. 100.
(*n*) Eph. N. C. Cent. 5. Obſ. 51. in Schol. (*o*) Commerc. Litter. A. 1738. Hebd. 10. n. 3.
(*p*) Eph. N. C. Cent. 3. Obſ. 15. (*q*) Obſ. paulo ante cit. & Schol. (*r*) Eph. N. C. Cent. 9. & 10. Append. n. I. Obſ. 38.
(*ſ*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ 10. circa medium. (*t*) Eorund. Tom. 5. Obſ. 29. in fin. (*u*) Commerc. Litt. A. cit. Hebd. 27. n. 3.
(*x*) Commerc. ejuſd. A. 1737. Hebd. 28. n. 2. (*y*) Eph. N. C. Cent. 3. & 4. Obſ. 126. cum Schol. (*z*) Epiſt. 55. n. 12.
(*a*) n. 9. & 21. (*b*) Act. Lipſ. Supplem. Tom. 3. S. 4. (*c*) in cit. Append. Obſ. 35.
(*d*) cit. Obſ. 29. (*e*) Act. N. C. Tom. 2. Obſ. 155.

verſus, ſe extendentes, & duo inſuper angulosa foramina villoſæ tunicæ, alterum eodem verſus, alterum verſus œſophagum. Virum hunc confecerant breviſſimo tempore vehementiſſimæ cardialgiæ, ardores, cruciatus, lipothymiæ, vomitiones. Mulier autem illa magnis præcordiorum anxietatibus correpta, & vehementibus ſimul ac aſſiduis vomitibus, & dejectionibus, denique convulſivis motibus, artus miſere diſtorquentibus, inter acerbiſſimos cruciatus obierat intra horas vix decem. Et ne dubitare poſſes, unde hæc omnia; in utriuſque ventriculo arſenicum deprehenſum eſt.

6. Hactenus quæ ex hiſtoriis ſive in Sepulchreto extantibus, ſive eidem, ſi volueris, adjiciendis, colligere licuit devorati præſertim arſenici ſigna, multo prolixius fortaſſe quam velles, haud inutiliter tamen, commemoravi. Nunc quæ ipſe bis vidi, ſemel in uno, iterum in tribus, recenſebo: quos omnes, cum bene penſitarem cuncta quæ poſtea veſtigando ſcire potui, eo veneno affectos fuiſſe, conjeci. Primus vir fuit robuſto, & magno corpore, habituque pleniore quem correptum febri curabam, jam remiſſa adeo, ut e lecto nonnunquam ſurgeret. Is vix ſemihora poſt cœnulam in qua nihil niſi conciſum panem ſumpſerat in jure coctum, improviſo vomitu prehenſus eſt permoleſto, eoque magis quod ſæpius redibat. Venit ad me intempeſta nocte ex ejus domeſticis unus rem narrans, & quid agendum, quærens. Ratus, moleſtiam inde augeri, quod inani jam ventriculo, æger vomere cogeretur, jus dari, &, ſi nihilominus moleſta vomitio eſſe pergeret; enema ad avertendum impero. Quæ cum fruſtra eſſent, redit ille; ego autem alia, & in his denique laudani opiati granum unum præberi, jubeo, ſi non prodeſſet, ipſe venturus. Laudano quoque poſt horæ quadrantem rejecto, ſurgo, & cum eo domeſtico ad ægrum eo. Inter eundum, miratus, vomitum ſine manifeſta cauſa tam pertinacem, tamque gravem ſubito extitiſſe, quæro, num forte aliquid æger peccaverit, & plus, aut aliud quam dictum eſſet, in cœna ſumpſerit. Negans domeſticus, imo, inquit, nihil præter panem illum ſumpſit in jure coctum, & pulvere quo tu juſſeras, ab N. conſperſum. Ego vero qui nullum pulverem inſpergi juſſiſſem, & quo eſſe poſſet animo is qui inſperſerat, non ignorarem; tacitus, quid mihi protinus faciendum, quid ſilendum, quid in poſterum, & quomodo cavendum eſſet, cogitabam. Jamque ad ægrum veneram non tam de vomitu, quam de inexplicabili quodam angore ad cordis, ut vocant, ſcrobiculum miſere querentem, & opem quamprimum implorantem. Nulla ibi, aut in reliqua ventriculi regione tenſio, nullus dolor. At ſingultus cum ructibus ſæpe, & ſæpe quædam reſpirationis difficultas moleſta erat. Pulſus valde frequens; ſed parvus potius, & debilis. Bono animo eſto, inquam; quantum pravi humoris ejeceris, vides (& plurimum ſane erat, viſcido quo ipſe abundabat, phlegmate ſupernatante; in imo autem erat panis quem ſumpſerat, nec primis vomitibus, ſed aliquot poſt horis reddiderat) nunc optimo humore es reficiendus: & continuo petitum ex proximo magnum vaccini lactis cyathum præbui. Quo epoto, ſtatim a me vitam ſibi eſſe redditam, clamavit. Et profecto meliora omnia facta ſunt; ut pulſus ante duas horas ad naturalem magnitudinem, & robur redierit, angor remiſerit, vomitus, ne arte quidem provocando, amplius reverſus ſit. Lacte autem iterum, majori quam antea copia dato, ut vel ore, ſi res ita ferret, rejiceretur, vel inteſtina perliniret, atque perlueret, hoc alterum conſecutus ſum alvo ſoluta, ſimulque pulſu minus frequenti facto, ſpirandi autem difficultate, & ſingultu, quorum utrumque jam rarius accidebat, ſublatis, ut vix diebus inſequentibus ſemel, aut iterum ſint animadverſa. Pultes quoque ex hordeo, aut oryza cum lacte parabantur. Seri autem quantum vellet bibendum dabatur; namque ut alvus fluebat, ſitis, & æſtus invaleſcebant, quæ duo epoti ſeri copia levabat. Serum quoque, aut lac injectum ardoris ſenſum quo laborare cœperat podex, mulcebat. Ne longum faciam; intra duos, treſve dies prorſus abacta erant omnia quæ venenatum illum pulverem conſecuta fuerant, nec quoad homo vixit; vixit autem poſtea complures annos; ullum noxæ in ventriculo, aut inteſtinis relictæ veſtigium oſtendit. Sic viſcidi quibus, ut dixi, abundabat, humores, & cita, ac ſæpius repetita vomitio, & lac denique, ac ſerum, quorum copia quidquid veneni, aut ejus effectuum in ventriculo, & inteſtinis reſtabat, irretiendo, diluendo, abſtergendo, & per alvum educendo, ſublatum eſt, hominem ſervarunt. Qua autem ratione caverim, ne pulvis ille, quem album fuiſſe, intellexi poſtea, tunc iterum, ægrotanti daretur, aperte ſcribere nunc poſſem; diu enim eſt ex quo illi mortui ſunt; ſimulque oſtendere, quanto in periculo aliquando ſit Medicus, ni ſe intelligere quædam, diſſimulet, & in quanto æger, ſive quædam donec ægrotat, a Medico audiat, ſive non audiat, & quem tamen ad modum tum ab ægro novas inſidias, tum a me ipſo ſcelerati hominis, ſi per me ſe impediri ſentiret, ultionem averterim. Verum ad ea quæ in tribus aliis vidi, in quibus eadem conjectura, ſed non eadem diſſimulatione opus fuit, tranſire jam præſtat.

7. Inſequentis anni, qui fuit 1711. Majo menſe a ſacra peregrinatione domum redibat optimus Sacerdos Franciſcus Balduccius, cum Cæſenæ tantiſper ſubſtitit, dum ipſe, & tres qui ſimul erant, ætate, viribus, proſpera valetudine non minus quam ipſe, vigentes, frugaliter, & ſine cunctatione pranderent. Erant ii fratris uxor, vir alter, & altera mulier. Mox a prandio e diverſorio exeunt, & in viam ſe dant. Non multum proceſſerant, cum Sacerdotem tantus ventris corripuit dolor, ut ex equo deponi neceſſe fuerit. Depoſitus etſi multa, & ſæpius tum vomeret, tum dejiceret; ille tamen dolor, cum inexplicabili angore conjunctus, increvit adeo, ut animam agere videretur. Cæſenam revectus, a Medico creditur colico dumtaxat dolore torqueri propterea quia cruciatuum ſedes in regione erat epicolica dextera. Itaque totum illum diem, & magnam noctis partem tot enemata, fotus, potiones, bolos tum anodynos, tum purgantes adhibet, quot Medicus alter vix intra plures adhibuiſſet dies; incaſſum omnia. Nec tametſi mulierum alteram vomitibus interea, & dejectionibus, & gravibus inſuper animi deliquiis correptam videret, virum autem querentem audiret de ventriculi æſtu, & pondere; quidquam de veneno ſuſpicabatur, credo, quia fœmina altera quæ eodem prandio uſa erat, nihil prorſus mali perceperat, & caupo quoque nil in eo prandio eſſe potuiſſe quod noceret, conſtantiſſime aſſeverabat, & vir qui ſuapte ſponte theriacam ſumere voluerat, auctum inde æſtum ventriculi ſenſerat. Ipſe ei quæ male habebat, mulieri anodynam imperat emulſionem. Sed hanc, & Sacerdotem morbus ipſe adjuvit, cujus vi e ventriculo, & inteſtinis multa ejicere perrexerunt. Quibus excretionibus denique ſub auroram conquieſcentibus, ſimul omnes Forum Livii convehuntur, meque confeſtim accerſunt, & quæ ſibi acciderint, docent. Ego vero ſtatim quæſivi, fuiſſetne in prandio edulium aliquod de quo mulier quæ nil mali ſenſerat, nil comediſſet: cumque audirem, fuiſſe, pultem nimirum ex oryza, quæ primum omnium in magna patina allata eſſet, fuiſſeque igitur in ea pulte venenum, dicerem; & nos crederemus, inquiunt, ſi qui de ea plus ederunt, gravius; qui minus, levius detrimentum retuliſſent: contra autem res ſe habet; nam Sacerdos hic, qui minimum, ut reliquorum eduliorum, ſic & illius comedit, graviſſime; mulier quæ aliquanto plus, minus graviter; vir qui plurimum, leviſſime omnium laboravit, & laborat. Sed num, inquam, num forte contritus caſeus ſuper, ut ſolet, erat inſperſus? Cum fuiſſe, dicerent, & Sacerdotem, quippe faſtidientem, nihil ferme, niſi de illo, ſumpſiſſe; mulierem autem multo plus de oryza, quam de caſeo; virum denique vix de hoc aliquid, plurimum autem de illa voraſſe;

vos

vos ipſi, inquam, vel me ſilente, jam intelligitis, in caſeo fuiſſe erodens venenum, ut mures necarent, fortaſſe admiſtum, eo autem caſeo minime, ut oportebat, ſepoſito, inſcium aliquem, dum in diverſorio prandium inſtantibus vobis approperaretur, pulti inſperſiſſe. Vera tum dicere viſus ſum, multo autem magis, cum longo poſt tempore caupo, qui hos audiret evaſiſſe, minus ſibi jam timens, mutire aliquid non dubitavit. Tunc nihilominus duæ reſtare dubitationes videbantur, altera, quod inter edendum odorem quidem minus gratum quendam, puto ex pravo caſeo, nullum autem inſolitum ſaporem, nullum vel poſtea in lingua, aut faucibus eroſionis ſenſum perceperant; altera, quod etſi venenum erodens fuiſſe, conjicerem, quodnam tamen ex erodentibus fuiſſet, ut peculiare opponi antidotum poſſet, non conſtabat. Verum in ſuperiore quoque caſu (*f*) eædem eſſe potuiſſent dubitationes. Neque enim, ut ex ſilentio meo tute argueris, ullum in lingua, aut faucibus eroſionis fuit indicium, neque peculiariter quodnam venenum datum eſſet, ſciebam: & meam tamen erodentis veneni conjecturam lac, & ſerum tanta cum utilitate præbita confirmarunt, ſimulque oſtenderunt, ubi veneni ſpecies ignota eſt, nec proprio ejus licet remedio uti; at eo ſaltem utendum eſſe quod illius, quippe minus ignoto, generi adverſatur. Feciſſemque adeo in caſu hoc altero quod in priore, niſi multo plures jam prægreſſæ, nunc autem prorſus ſublatæ vomitiones, dejectioneſque, nulluſque ſuperſtes angor, nulla tormina ejectum jam venenum viſa eſſent ſignificare. Tamen ſiquid forte adhuc reſtitaret, ut occurrerem, ſimulque ut ſitis, & febris, quæ tantam evacuationum copiam, tantamque erant commotionem ſecuta, rationem haberem; ſeri plurimum bibendum dedi Sacerdoti quidem, & mulieri. Nam viro, qui neque ſitiret, neque febricitaret, neque aliud a me peteret, niſi ut ponderis ſenſum, ventriculum gravantis, auferrem, facile annui oleo dato amygdalino ea mente, ut vomitum potius, quam dejectionem, moverem eo remedio quod ſiquid forte erodentium particularum reliquum eſſet, ſimul irretiendo, obliniendoque prodeſſe poſſet. Verum cum vomitus ne digitis quidem penitius in os inſertis conſequeretur; alvus ſoluta eſt, ſenſuſque ponderis omnino ſublatus. Cui deinde optime habenti, nihil niſi pultes ex oryza, & lacte commendavi. Quas & reliquis duobus dedi cœnæ loco, cum jam a largo ſeri potu febrem, ſitimque leviſſimas factas eſſe, animadverterem. Nox optima fuit, ut poſtridie mulier ſine febre, aliove omni incommodo jam eſſet; Sacerdoti autem, decreſcente magis magiſque & febre, & ſiti, nihil præterea reſtaret de quo quereretur; nam & ſenſus in mingendo ardoris qui pridie fuerat, jam nullus erat. Quibus etſi toto eo die, & proxima nocte, & inſequentis diei magna parte omnia in melius ire pergebant, & alvus lubrica ſine ullo ardoris ſenſu reſpondebat; non ego tamen eadem dare intermiſi quæ biduo dederam.

8. Ecce autem ineunte quarto die ex quo immanis ille dolor Sacerdotem prehenderat, eadem pomeridiana hora, nulla prævia manifeſta cauſa, ad eundem modum prehendit. Pedes initio frigebant, pulſus nonnihil contrahebantur. Præter dolorem, moleſtiſſimus erat quidam toto ventre inexplicabilis angor, a quo ſpiritum ſibi intercipi æger maximopere querebatur, eoque potiſſimum ſe cogi, ajebat, ut modo huc, modo illuc miſere ſe contorqueret, nonnunquam ſurgeret, atque ambularet. Sed dolor tenebat regionem epicolicam dexteram, & proximam lumbi partem, inde aliquando in tranſverſum per hypogaſtrium, alias in dexterum ſcroti latus, interdum in propinquum femen ſe extendens; ut nephriticus videri poſſet. Verum neque obnoxius homo unquam fuerat dolori nephritico, & præſenti, ſi vomitus, & dejectiones excipias, ſimillimum qui ante quatuor dies ingruerat, nephriticum non fuiſſe, tum illa quam ſupra expoſuimus, proxime præcedens cauſa; tum graves ab hac in ſociis eodem tempore effectus ſatis oſtendebant: denique urinæ nihil mutatæ & ſanorum omnino ſimiles contra atque in nephriticis ſolent, non ejus generis dolorem eſſe, confirmabant. Attamen cum neque eorum quæ exterius adhiberi juſſeram, quidquam prodeſſet; enemata autem negaret æger ſe poſſe admittere propterea quod ſimul hæmorrhoidum tumor, & cum teneſmo tantus dolor acceſſerat, ut ſi ab immiſſa fiſtula magis exacerbaretur, par ferendo eſſe non poſſet; me neceſſitas urgens laxandi, & nephritici doloris ſimilitudo ad auxilium tentandum impulit in hoc proficuum, nimirum tepidum emolliens balneum. Nec me ſpes fefellit. Vix enim in balneo conſederat æger, cum angor primum, & paulo poſt dolor remiſerunt. Sed e balneo egreſſum cum uterque rurſus vexarent; conciliare pauliſper ſomnum, & ſic reficere coactus ſum. Itaque grano uno ſumpto laudani opiati, horam unam dormivit. Experrecto, & dolore aliquanto minus laboranti, ut capere aliquid cibi jam poſſet, ptiſanam dedi ex jure pingui, qua accepta, reliquam noctem dormivit. Poſtridie febricitanti, ſed nullo jam cum ventris dolore, amygdalinum oleum præbui, certa autem hora clyſma ex lacte, & mucilaginibus imperavi, cui ne dolor, quamvis minor factus, hæmorrhoidum obſtaret, exigua turunda profuit, antea podici indita, illitaque ranarum pinguedine, quippe ex Amici Medici obſervatione ad dolores venarum illarum mulcendos idonea; turunda autem exempta, ſiphonis fiſtula, ut minus moleſta eſſet, inverſo pulli tenuiore inteſtino obducta, ſicque ſenſim, ſenſimque immiſſa. Injecta cum horam, eoque amplius retenta ejeciſſet, levamen inde retulit angoris alicujus, etiamtum in ventre ſuperſtitis, & ſitis. Adverſus quam, & oris amarorem multa epota Nucerina aqua profuit. Exinde omnia magis ſemper in melius verterunt. Atque iiſdem fere mulier quoque adjuta eſt, cum flavæ dejectiones, utiles quidem, ſed ſitim, & leves quoſdam ac vagantes ventris dolores, & teneſmum cum ardoris ſenſu afferentes, ſubinde moleſtæ eſſent. Nec Sacerdos flavis dejectionibus caruit, ſed minus fluidis, nullumque, niſi hæmorrhoidum, dolorem moventibus. In iis muci erant, qui ſemel in globum compacti, cum hunc attentius inſpicerem, quaſi indigeſtum adipem, quocum tendinea permiſta eſſet ſubſtantia, referre videbantur. Is globus prodiit quarto a recidiva die cum ſolidis recrementis, ſanguine tinctis, non admiſto, ſed ſuperficies tenus aſperſo, ut ex hæmorrhoidibus eſſe, intelligeres. Sicque hi quoque duo intra undecimum a prandio illo diem convaleſcentes, multos annos poſtea ſine ullo relictæ in ventriculo, aut inteſtinis læſionis indicio, vixerunt. Quin Sacerdos nullo alio morbo, niſi Aortæ intra thoracem aneuryſmate, quod, ſexennio poſt inchoatum, diu pertulit, ad extremum confectus eſt.

9. Nunc ut ab his ultimis incipientes, ad cætera quoque in propoſitis quatuor ægrotantibus obſervata, aliquid adnotemus; ſi forte in Sectione hac X. Sepulchreti (*g*) Paawium credentem animadverteris, exhibiti veneni ſigna fuiſſe immanem vantriculi cordis dexteri, & proximæ venæ Cavæ dilatationem, & ſanguinem in corde, veniſque omnibus vi, ut putabat, frigidiſſimi veneni in vivente corpore concretum, quaſi ſeptima a morte hora cadaver non ſecuiſſet; noli ad ejus confirmandam opinationem, Sacerdotis noſtri aneuryſma referendum putare. Nam dilatationes ejuſmodi non cito adeo fiunt, ut videtur ille arbitrari, nec certe in noſtro aneuryſmatis incipientis ſigna, niſi poſt plures, ut dixi, annos ſe oſtenderunt; ut ſi vel a conſtrictionibus quæ doloris, & angoris tempore contigerint, primam habuiſſe originem, ſuſpiceris; pro veneni tamen indicio accipiendum id contendere non poſſis quod a tot aliis cauſis tam longo temporis intervallo factum eſſe, cæteri queant exiſtimare. Quod vero ad ſanguinem attinet tum in venis, tum in corde ipſo con-

(*f*) n. 6. (*g*) Obſ. 4. §. 1.

concretum; non raro id tibi in cadaveribus eorum inventum retulimus quos cauſa longe alia ac venenum, interemerat; ut ſi a concreto intus ſanguine, quemadmodum in ſubjecto Scholio conjicitur, factum eſſet, ne cor Germanici (*h*) combureretur; complurium quoque aliorum corda in quibus nulla eſſe veneni ſuſpicio poſſet, igne abſumi nequiſſent. Quid? ſi huc illud addas quod Solertiſſimo Meadio (*i*) placet, venena in nervos præcipue, non in ſanguinem, agere, a qua ſententia non abhorruiſſe videtur Harderus (*k*): nec ſane de quibuſdam venenis negari id poteſt, ut puta quæ illico interimunt, quale Vibulenus Agrippa (*l*) *in ipſa Curia* (non ex *annulo*, ut Baccius (*m*) ſcribit, tunc alios quoſdam, ut opinor (*n*), in mente habens) ſed *depromptum ſinu venenum hauſit, prolapſuſque ac moribundus*, ne *feſtinatis quidem lictorum manibus* prius *in carcerem rapi* potuit, quam *fauces jam exanimis laqueo vexarentur*, aut quale Neronis juſſu *velociſſimum ac præſentaneum* paravit Locuſta (*o*), quo & porcellus *ſtatim exanimatus* eſt, & Britannicus *ad primum guſtum concidit*; virus enim (*p*) *ita cunctos ejus artus pervaſit, ut vox pariter & ſpiritus raperentur*. Ipſi autem Meadio (*q*) nullum ad ſuam ſententiam confirmandam aptius viſum eſt, quam venenum illud quod, ex Nicholſii experimentis, memorat canem in ipſo per gulam tranſitu *non integro dimidio temporis minuto* necare, imo injectum in extremum inteſtinum *momento* idem facere, nullis inflammationis, vel corroſionis ſignis extantibus; ut minus mirari oporteat quæ de cuniculo ex Sproegelio, aut de puella ex Ettmülleri filio ſupra (*r*) adnotavimus, utroque propterea ad eundem modum rem explicante. Quoniam tamen dum venena afficiunt nervos, motum ſanguinis *varium* fieri, *vel intercipi*, ut Wepferi (*ſ*) utar verbis, ſive ejus *circulationem nunc impeditam, nunc confuſiſſimam* eſſe, contingit; continget quoque, ſanguinem aliter in aliis conſtitutum deprehendi. Itaque Meadius (*t*) fieri, cenſet, ut ſi univerſali paralyſi a veneno inducta, ſubito circulatio ſufflaminetur, ſanguis in vaſis perfecte fluidus perſtet, alias autem (*u*) ut circulatione turbata, ſecretionibus interruptis; minimis vaſculis ſtagnatione impeditis, quæ omnia ob affectos nervos contingunt, ſanguis ipſe varie mutetur, ut pote qui cum ſit humor ex diverſis permiſtis compoſitus, mutationibus quibuſcunque obnoxius eſt ſolo mutato motu. Mutationes autem hæ ſanguinis, præterquam quod neque primus, neque proprius effectus devorati veneni ſunt, pro varia non modo nervorum affectione, ſed & ſanguinis ipſius diſpoſitione longe aliæ in aliis corporibus eſſe poſſunt. Itaque; ne ab arſenico recedamus; mortua ob illud mulier fluidum, ut ſupra (*x*) legiſti, ſanguinem habuit, atque coccineum; mortuus autem ob idem canis, quemadmodum retulimus ſupra (*y*), grumoſum habuit, & nigrum. Et ipſe memini, cum miſſos ab Amico mures novem ex majoribus arſenico enectos diſſecarem, vidiſſe in cunctis auriculas ambas cordis nigro ſanguine diſtentas, ſed neque coagulato, neque, ut in viventibus, valde fluido. Verum quia non ut veneni effectus, ſed ut alia atque alia, ad naturales quaſdam ſtructuras attinentia, perſpicerem, illas beſtiolas incidebam, nihil præterea quod huc attineat, adnotatum habeo, niſi in omnibus valde plenum fuiſſe ventriculum, nec, quantum exterius apparebat, in ullo inflammatum, multoque minus pertuſum, quorum utrumque de inteſtinis quoque dictum putato. Nec Heydius (*z*) in duobus qui idem venenum voraverant, muribus refertum limo, & pane ventriculum inflammatum, aut eroſum fuiſſe, ait. Illud vero ait, cum alterum mortuum diſſecaret; nam alterum viventem incidit; *nihil e vaſis effluxiſſe ſanguinis*, imo *e cordis ventriculis, ejus cono abſciſſo, ne guttam cruoris ſtillaſſe*, an quod alia in vaſa ſeceſſiſſet, an quod concretus eſſet, cum verbum hac de re non addat, incertum. Contra certum eſt ex Præſtantiſſimi Elleri (*a*) experimentis, cum ſanguini recens educto tertiam, aut quartam partem ſolutionis arſenici admiſcuiſſet, illico ſanguinem eſſe ſpiſſatum, ejus tamen globulis, ſi per microſcopium inſpiceret, maxime extenuatis, diſſolutis, & quaſi in motum actis: quos inter hic illic perſpicue apparebant parvæ cryſtalli triangulares, ſcindenteſque mucrones ſagittarum referentes; ut ex his omnibus intelligeret, eroſiva ejuſmodi validiſſima venena agere deſtruendo non tam fluidas, quam firmas partes noſtri corporis. Sed neque ille ignorabat, devoratum quidem arſenicum non ita *immediate* ſanguini admiſceri, & tu ea proportione demum admiſceri non poſſe, vides. Præſtabit igitur, ut ab extracto ſanguine ad vivens corpus, & a canibus, & muribus ad homines redeam, & quæ in his ab devorato arſenico diſſecans Ruyſchius (*b*) invenerit, proferam. Aliquoties ille ejuſmodi cadavera inſpexit: & contra atque ii qui *in tali caſu, ſolummodo ſanguinem coagulari autumant*, nunquam ipſe coagulatum reperit, ſed ventriculum exulceratum, ſi ſatis quidem temporis ad id fuiſſet, ut in fœmina cujus ventriculi magnam partem in liquore ſervabat, in cujus tunica intima, variis locis ulceribus affecta, arſenicum album *hærebat*. Quod ſi citius interiiſſent; tum puncta ſanguinea hic illic vidit per ventriculum disjecta.

10. Ex his Ruyſchii Obſervationibus cum iis quæ ſupra (*c*) memoratæ ſunt, junctis, præclare intelligitur, primum, ac proprium devorati arſenici, & ejuſmodi corrodentium venenorum effectum edi in ipſas intimas canalis alimentorum tunicas, ventriculi præſertim, in quo primum morantur, irritatis earum nervis, ipſiſque tunicis compunctis, &, ſi tempus detur, inflammatis, exulceratis, perforatis. Itaque in ejuſcemodi infortuniis nihil accidere felicius poteſt, quam ut ventriculus id quod ingeſſit, rejiciat illico, aut certe quam citiſſime: unde præcipue factum eſt, ut qui curati ſunt a nobis (*d*), evaſerint. Quin multo felicius generoſo cuidam Viro accidit, ut cum pro cremore tartari binas tartari emetici drachmas ſumpſiſſet, mox aliquot non ſine præcordiorum anguſtiis, inſecutis vomitionibus, ab omni ventriculi incommodo ſolutus ſit, cenſente Cl. Dethardingio (*e*), vix nonnullis pharmaci moleculis diſſolutis, & ad vomendum ſtimulantibus, non datum eſſe tempus diſſolutioni reliquarum, ſed omnes, quæ certe hominem tanta illa copia peremiſſent, fuiſſe rejectas. At ſunt qui natura minus ad vomendum ſunt prompti. Sunt etiam quibus ejuſmodi in caſibus contenduntur adeo fibræ orificii ſiniſtri ventriculi, & gulæ, ut fibris reſiſtant ſe in reliquo ventriculo contrahentibus: nec ſemper ſuccedit, ut ſi aliquid tunc detur, aut infundatur deglutiendum, reſiſtentes illæ fibræ, ut Wepferus (*f*) docet, laxentur; ſunt enim caſus in quibus homo tunc deglutit, & tamen inani vomendi deſiderio laceſſitur (*g*). Illi etiam qui cito non vomunt, minus aliquando periclitantur, ut ſi, ventriculo pleno, venenum vorent. Itaque Baccius (*h*), cum ſuſpectum convivium non poteſt vitari, conſilium dat, ut nec ſitibundi, neque famelici accedant, ſed præſumpto lacte, & ſaturi craſſis ac pinguibus cibis. Viderat enim (*i*), ex eodem pravo alimento quo omnis familia uſa fuerat, dominum dumtaxat mori illo ipſo die; nam ventre vacuo comederat; ſervatis cæteris qui pleno. Quæ res etſi non ſemper a veneno defendit, hujus ſaltem haud raro vim pernicioſam

(*h*) Sueton. de duodec. Cæſarib. l. 4. c. 1. (*i*) Tract. de Venen. paſſim. (*k*) Sepulchr. S. cit. in Schol. ad Obſ. 17. Additam.
(*l*) Tacit. Annal. l. 5. (*m*) De Venenis ubi de venenor. ingeſt. ſævitia. (*n*) Vid. Plin. Nat. Hiſt. l. 31. c. 1. & Annot. Dalecamp.
(*o*) Sueton. l. 6. c. 33. (*p*) Tacit. Annal. l. 13. (*q*) Tract. cit. in Append. Tentam. 5. (*r*) n. 5.
(*ſ*) Sepulchr. ibid. in Schol. ad Obſ. 3. (*t*) Append. cit. (*u*) Introduct. in fin. (*x*) n. 3. (*y*) n. 4.
(*z*) Obſ. Medic. 48. (*a*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. de Berlin A. 1752. Claſſ. Philoſ. Experiment. (*b*) Theſ. Anat. 8. n. 70.
(*c*) n. 3. 4. 5. (*d*) n. 6. 7. (*e*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 74. cum Schol. (*f*) Scholio cit. ſupra ad n. 9.
(*g*) Sect. hac Sepulchr. Obſ. 4. §. 6. (*h*) De Venen. ubi de Particulari Præſerv. n. 1.
(*i*) Ibid. ubi Venena quibus modis fieri poſſint irrita. n. 10.

ſam retardat, ut in muliere vidiſti a cujus caſu hæc Epiſtola inchoata eſt, & Capuanis quoque Senatoribus ferme duodetriginta ideo ſerius mors accidit, quia impleti cibis, vinoque cum venenum ſumpſiſſent, ſic *minus efficacem in maturanda morte vim veneni fecerant*, ut Livius (*k*) memoriæ hiſtoriarum mandavit. Quod ſi inani ventriculo veneni pauxillulum, ſed multo cum cibo, deglutiatur; mirum non eſt, ſi levius periculum fiat. Sic enim venenum aut arcetur a ventriculi tunicis, aut multis admiſtis retunditur. Secundum hæc, pleraque eorum quæ ſupra a nobis ſcripta ſunt, explicare licet. Pleraque dixi; nam quædam ſunt profecto difficiliora, illud in primis, cur Sacerdotem (*l*) dolores non in ventriculi regione, ſed in epicolica dextera corripuerint. Quod ſi quarto dumtaxat die accidiſſet; conjici tum poſſet, quaſdam veneni particulas, in primis illis Coli inteſtini cellulis retentas, pupugiſſe. Mox autem a veneno ſumpto; niſi ventriculum, ut in quibuſdam corporibus, aut, quoniam id rariſſimum eſt, Duodenum inteſtinum aliquanto dexterius fuiſſe, aut aliud ejuſmodi comminiſcaris; non facile intelligas.

11. Quod vero in curatione, theriaca, aliiſve ejuſmodi antidotis uti, mihi ne venerit quidem in mentem, nihil miraturum te, ſcio. Cur enim, cum erodens venenum eſſe, cenſerem; oleum camino adderem, illudque magis commoverem, aut certe ejus effectus augerem? Et ſane videbam de quatuor quos curavi, cum unus theriacam ſua ſponte ſumpſiſſet (*m*), illi æſtum ventriculi eſſe auctum: quo minus miror, puerum in Sepulchreto (*n*) commemoratum, cui theriaca bis data eſt, intra quartam horam a comeſto arſenico interiiſſe: & ſi Jo. Faber (*o*) juveni qui *riſagalli* pulvere pro cinnamono uſus erat, nihil niſi mithridatium, præbuiſſet; certe non ſervaſſet. Servavit autem, quia ſimul juſcula pinguia, & lac copioſe exhibuit. Sic etiam ab Jo. Jod. Cyſato (*p*) puerum, & puellas duas, ingeſto arſenico periclitantes, ſervari potuiſſe, credo, non quod Elect. *Orvietanum*, ſed quod antea lac crebro dediſſet, natura autem hos omnes citis vomitionibus antea adjuviſſet. Neque enim illiuſmodi alexipharmaca poſſunt erodentes particulas irretire, aut ſic obruere, ne pungendo inflamment, & exulcerent, aut exulceratas partes lenire, & abſtergere; ſed illis motum, & vim addere, his vero calorem, & irritamenta. Contra autem, lac, oleum, viſcidula alia, tum ſerum, atque adeo ipſa aqua, alia irretiendo, alia diluendo, leniendo, abſtergendo quantum poſſint, manifeſtum eſt, ſi ea quidem copia dentur qua vomitiones adjuvent, & ſiquid poſt has reliqui ſit, diluant adeo, ut noxiam ejus vim obruant. Et Veteres quidem, tametſi nonnulla quoque minus convenientia proponerent; ea tamen quæ modo laudabamus, quanti facerent, ſatis Adoynus (*q*) oſtendit. Recentiores autem, inutilibus, noxiiſque omiſſis, cætera, cum occaſio tulit, ſuis alii ſcriptis, alii aliorum etiam collectis Obſervationibus comprobarunt. Sic de lacte, præter illas quas ſupra (*r*) indicavimus, plurimæ extant aliæ, in quibus ea præſertim eſt quam ex Hoffmanno deſcripſiſſe ſe, ait Henricus Doorſchodtius (*ſ*), decem videlicet juvenum a juſculo avenaceo cui arſenici plus ferme quam unciæ duæ cum ſacchari totidem admiſtum fuerat, brevi male habentium, ſervatorum tamen per lac tandiu exhibitum donec omnis vomendi conatus ceſſaret: tanta autem copia exhibendum fuit, *ut ſingulis vix decem menſuræ lactis ſuffecerint*. Sic de oleoſis (& oleum ſane amygdalinum iis quoque, ut aliis pluribus, datum eſt) quid Recentiores, non ſecus ac Veteres, cenſuerint, a Viro Cl. Joanne Gentili (*t*) propoſitum leges. De aqueis autem, in quibus ſerum, & aqua ipſa eſt, apud Ettmüllerum Diſputationem inſpiciendo quæ inſcripta eſt *Parva magnorum morborum Initia*. Habebis in ea (*u*) exemplum hominis qui hauſta per errorem aqua, ut vocant, forti, epota mox aquæ magna vi ab omni noxa immunis eſt redditus. Ad quod adde alterum ex Sydenhamio (*x*), qui hoc uno remedio copioſe & dato, & per ſedem injecto, eum ſervavit *qui haud modicam mercurii ſublimati corroſivi quantitatem deglutiverat*. Et Boerhaavius (*y*) ubi ea proponit quæ adhibenda ſunt, cum ſumpti veneni ſpecies ignoratur, non modo eam Sydenhamii curationem, ſed & pleraque eorum laudat quæ paulo ante dicebamus, & in ægris illis adhibuimus, ne balneo quidem, & opio denique, prætermiſſis, quod etiam oſtendit quatenus utile eſſe poſſit. Cætera in eo quem modo indicavimus, loco apud Ettmüllerum non omittuntur: quæ ut profuerint cum venenum minus eſſet notum, Scretæ in Sepulchreto (*z*) Obſervatio monſtrat. Cum vero ejus ſpecies cognita eſt, quanto præſtet remediis uti, ipſi peculiariter adverſantibus, duæ primum haud diſſimiles, exitu autem diſſimillimo docebunt hiſtoriæ, altera ibidem (*a*), altera apud Cel. Meadium (*b*), ſi inter ſe conferre volueris. Cæterum ab uno, eodemque veneno quam varia in tribus illis quos ſimul curavi (*c*), ſint orta ſymptomata, niſi per te animadvertere potuiſſes, hic admonerem. Sed ſatis de *mineralibus*, cum etiam quæ a ſumpto ſulphure detrimenta viderim, alias (*d*) acceperis. Nunc quædam de vegetabilibus venenis attexamus.

12. PAUPERCULA nata annos circiter ſexaginta, quæ ſe; quæcunque ejus rei cauſa eſſet; alias voluerat in flumen dejicere, noviſſime cum ex rhododaphne, quem fruticem noſtrates vocant *oleandro*, magnam foliorum vim decerpſiſſet, ex iiſque contuſis expreſſum ſuccum, admiſto vino, bibiſſet; tribus fere poſt horis a mulieribus quæ in proximis erant Zotheculis, audita eſt vomere vehementer. Accurrunt: quid fecerit, intelligunt: & ſitienti aquæ cyathum præbent, poſt vomitum ratæ nihil mali relictum iri. Verum cum mox peſſime habere cernerent; Sacerdotes primum, tum deinde & noſtrum, qui forte haud procul erat, Mediaviam accerſunt quincta circiter ex quo mulier ſuccum illum biberat, hora. In reſpiratione nihil animadvertit quod magnopere eſſet adnotatu dignum, neque in facie, ſi fuſca labra, & inferius præſertim, excipias; nam cætera aut naturali erant colore, aut vix ad pallidum nonnihil vergebant: nec frigidum corpus erat, ſed dumtaxat paulo minus quam tepidum. Cum fœminæ quæ adſtabant, dicerent, jam nullam ſupereſſe loquendi facultatem; inclamavit in aurem ægræ, quæ ſopitæ inſtar jacebat, brachium porrigeret. Illa vero facile ad ſedendum ſe erexit, & cum mulieres interea brachium alterum protraxiſſent, ipſa mox alterum præbuit. Pulſus erant parvi, debiles, ſubduri. Interroganti reſpondere conata, inconditam quidem vocem; ſed nullum diſtinctum edidit verbum, digito humorem quem vomuerat, nec ita paucum, humi indicans. Et præſcripſit ille quidem quæ continuo potanda darent. Sed fruſtra. Illa enim, nil ferme accipiens, quarta exinde hora mortua eſt; ut ab epoto ſucco horas vixerit haud amplios novem.

CADAVER poſtridie, qui dies fuit XIV. Kal. Decembres A. 1745. cum Judicis rerum capitalium juſſu ſecandum eſſet, eique ſectioni idem præeſſet Mediavia, a quo mihi hæc omnia inſequenti die ſunt diligenter narrata; primum omnium animadverſum eſt, nuſquam in ſupino corpore livorem ullum, aut ullum tumorem, ne ventris quidem, apparere; in prono autem omnia a capite ad calces colore eſſe violaceo. Abdomine mox, & Pectore apertis, intus calor etiamtum aliquis perceptus eſt; tametſi hora eſſet ab obitu decima ſeptima. Intra illud omnia ſecundum naturam ſe habentia, & poſita occurrerunt;

(*k*) Hiſtoriar. l. 26. (*l*) ſupra, n. 7. 8. (*m*) n. 7. (*n*) Sect. hac in Addit. Obſ. 13. Hiſt. 7. (*o*) Ibid. Hiſt. 12.
(*p*) Ibid. Hiſt. 2. & ſeq. (*q*) De Venen. l. 2. c. 1. 2. 3. 5. ubi de Curat. (*r*) n. 5. (*ſ*) Diſſert. de Lacte in Corollar.
(*t*) Annotaz. alla pag. 64. v. 5. della Lett. Filoſ. (*u*) §. 47. (*x*) Epiſt. Reſponſ. I. verſ. fin.
(*y*) Vid. Inſtit. §. 1129. & Prælect. ad eund. §. (*z*) Hiſt. 10. in cit. Obſ. 13. (*a*) Hiſt. 13.
(*b*) Tract. de Venen. Tentam. 4. in fin. (*c*) n. 7. 8. (*d*) Epiſt. 55. n. 9. & ſeqq.

ut nec ventriculus, nec ullum inteſtinum tumeret; nam quod Colon in medio tranſverſi illius ſui ſub ventriculo tractus ad tres quatuorve digitos deorſum ſe inflecteret, indeque ſurſum rediret, res eſt quæ, ſicuti ex noſtris Epiſtolis intelligere potuiſti, non rariſſime vel in illis offenditur, in quibus a natura potius, quam a morbo, ſic eſſe videatur. Sed cum oculos attentius defigerent; venas quæ per ventriculum, omentum, & inteſtinorum partem, meſenterio annexam, feruntur, valde eſſe diſtentas, animadverterunt. Diſſecto ventriculo, viridem in eo humorem mediocri copia viderunt; quo abjecto, nihil uſquam læſionis in deterſo ventriculo repertum eſt, niſi quod rugæ quæ per fundum prope antrum pylori ſecundum longitudinem ducebantur, æquo duriores fuere. Neque præter conſuetudinem quidquam in Duodeno, quod aperuerant, inteſtino deprehensum eſt, etſi non ſine eodem viridi humore fuit, quem in ventriculo conſpexerant, an a bile; quanquam hujus veſicula moderate plena occurrit; illuc effuſa, cum acidiſque ſuccis permiſta? nam is quem hauſerat mulier, nigrum potius ab admiſto vino colorem retinuiſſet.

In Thorace, dexter pulmo ad pleuram annexus, & valde a tergo rubens, aliquid intus quaſi concreti ſanguinis habere viſus eſt. At ſiniſter non modo undique ſolutus; ſed ita in ſe concidens, ut ſi intus nihil ferme aeris eſſet reliquum, vix autem a tergo nonnihil rubens. In cordis ventriculis nihil prorſus erat ſive fluidi ſanguinis, ſive concreti. Cujus, cum majora vaſa diſſecarentur, magna copia, ſed neque in grumos coacti, neque juſto fluidioris, profluxit. Caput non attigere.

13. Eo libentius hanc Obſervationem ſcriptis mandavi, quod hoc veneno interfectorum anatomen apud quenquam legiſſe non memini; ſumpti autem ſigna ab Recentiorum ullo obſervata. Majores vero non omnes hominibus nocere, imo aliqui prodeſſe, ſcripſerunt. *Rhododendros*, inquit Plinius (*e*) *ne nomen quidem apud nos invenit Latinum: rhododaphnen vocant, aut nerium. Mirum, folia ejus quadrupedum venenum eſſe, homini vero contra ſerpentes præſidium, ruta addita e vino pota. Pecus enim, & capræ, ſi aquam biberint, in qua folia ea maduerint, mori dicuntur.* Quibus ſatis ſimilia ſcripſiſſe videbis Dioſcoridem (*f*): neque Apulejum (*g*), neque adeo quem tunc fere deſcribebat, Lucianum (*h*) hinc niſi beſtiarum perniciem memoraſſe. Certe ille fruticis hujus flores, quos vulgus *roſas Laureas* appellaret, *venenum* quidem *roſarium* dixit, ſed quia *cuncto pecori cibus* earum *lethalis ſit*. Quin Lucianus ne cunctis quidem illis animalibus, ſed aſinis dumtaxat, & equis perniciosum eſſe, ſcripſerat. Fideliter enim latine ſic reddiderunt; *Malus eſt* is *cibus aſino omni, & equo: nam eum qui ex eo comederit, e veſtigio emori, dicunt.* Contra; ut Scribonium (*i*) prætereum non ita obſcure indicantem, ab eo qui rhododaphnes folia ad dentium dolorem mandere voluerit, ſalivam non eſſe deglutiendam; Galenus certe (*k*) hominibus quoque, non modo pleriſque pecudibus, pernicioſum eſſe hunc fruticem, diſerte docuit. Quem ſecuti Arabes Medici quique præcipui, quos ſingulos ab Ardoyno (*l*) productos invenies, præſidia adverſus id venenum propoſuere. Signa autem ejus ſumpti, tum ab eodem Auctore (*m*), tum a Matthiolo (*n*) collecta, huc ferme redeunt, ut vehemens oriatur anguſtia, intumeſcat venter, & doleat, & fluat, inflammatio creetur, æſtuſque univerſi corporis, alienatio mentis, ſyncope, & mors ſubſequatur: hæc autem, quia rhododaphne præter modum calefaciat, itemque incidat, mordeat, exulceret, reſolvat. Quorum ſignorum, atque effectuum cum in deſcripta ægra, ejuſque cadavere vix ullum facile agnoſcas, contra autem alia, atque alia fuiſſe, videas; te credo idem quod ego, optaturum, ut quotieſcumque hoc veneno aliquis læſus eſt ſive priſcis temporibus, ſive poſtea, eorum quæ ipſi acciderunt, ſcriptas haberemus hiſtorias potius, quam plurium Auctorum, quorum alii ſæpenumero alios deſcribunt, diagnoſes, hypotheſibus interdum fortaſſe magis, quam Obſervationibus, reſpondentes. Atque utinam, ſicut tot aliis e vegetabilibus venenis periculum in canibus a Wepfero, ab aliiſque factum eſt, & viventium ſymptomata, mortuorumque læſa viſcera adnotata ſunt, ita etiam in hoc factum eſſet, aut nobis faciendi tempus nunc eſſet; nihil libentius quam inter ſe ejuſmodi omnes Obſervationes conferremus, ut quid diſcriminis ab alia aut ſpecie, aut temperatura, aut ætate, aut regione, aut plantæ parte, aut hujus conſtitutione, aut admiſto denique humore exiſteret, liceret diſpicere.

14. Nunc ſi unam hanc ſpectemus Obſervationem; veri ſimile putabimus, egiſſe venenum hoc in ventriculum, ejuſque nervos, &, quod conſequitur, in alios cum iis cohærentes. Quid enim duriores illæ ventriculi rugæ, quid vomitus, quid expreſſa, ut videtur, bilis, quid amiſſa loquendi facultas, quid ille quidam quaſi ſopor, quid alia quæ nunc prætereo, niſi quarundam internarum convulſionum, contractionumque nobis conjecturam ſuadeant, a quibus cohiberi quoque potuit ſanguis, & externas illas ventriculi, & inteſtinorum venas diſtendere? Nec vero dicas, ſi ventriculo interius vellicato, illa omnia contigere; multo ipſam magis interiorem ventriculi faciem diſtentis vaſculis inflammatam apparere debuiſſe. Namque ita vellicari ventriculum, ut ejus nervi irritentur, ad ea quæ diximus, explicanda ſatis eſt; inflammari autem, id vero minime neceſſarium eſt. Ut enim habitam in ipſo homine Obſervationem primum commemorem; profecto Coriaria, ſive planta illa quæ *Rhus Myrtifolia Monſpeliaca* C. B. vocabatur, quam cito, quam repetitam, quam horrendam, quam brevi lethalem epilepſiam excitet, Clariſſimus Vir Sauvages (*o*) oſtendit. Idem tamen in viri cadavere, a comeſtis illius baccis admodum quindecim interfecti, nullam cerebri, nullam alicujus alius partis læſionem potuit deprehendere, & nominatim ventriculi ipſius, in quo Coriariæ etiamtum bacchæ erant quinque, cum cæteræ, emetico dato, fuiſſent rejectæ. Atque ut ad plura, & pluribus in beſtiis obſervata tranſeamus; certe nec pauca, nec levia paſſus eſt canis, itemque paſſa feles eſt, quorum illum datis nucibus duabus vomicis Heydius (*p*), hanc napelli ingeſta drachma Sproegelius (*q*) peremit. Canis tamen *ſtomachus*, *œſophagus*, & *inteſtinum naturali conſtitutione gaudebant*: & felis ventriculus *naturali* erat *ſimillimus*, *nihilque eroſionis ſimile viſum eſt*, *villoſaque tunica nitidiſſima*, *inteſtina cum viſceribus reliquis ſaniſſima*. Itaque ut Heydius ex ſua Obſervatione patere cenſuerat, veneno illo *potiſſimum infectum* fuiſſe *fluidum*, *cerebrum*, *nervoſque irrigans*; ita Sproegelius ex ſua hoc concluſit (*r*): *cum nullum*, inquit, *nec eroſionis*, *nec inflammationis in animali, hoc veneno interempto, ſignum viderim, vim ſuam potiſſimum in nervos exegiſſe oportet, vellicando nerveam ventriculi membranam.* Quin experimenta etiam inſpice Wepferi, Brunneri, Nicholſii in iis animalibus habita, quibus vegetabile aliquod venenum, & nonnullis eadem quæ Sproegelius, & Heydius, præbuerant. Gravia in omnibus ſymptomata, nec multo poſt devoratum venenum ingruentia; non omnium tamen inflammatum ventriculum fuiſſe, leges. In aliquo enim (*ſ*) *interna* ventriculi *ſuperficies alba erat, nec ullibi vel minimum inflammationis ſignum apparuit*. In alio (*t*) *anfractus* ventriculi *albicabant, & ſi alicubi paululum magis quam alias obſervatur, rubebant, non tamen manifeſte inflammati erant*. In alio (*u*) *nulla* in ventriculo *inflammationis ſigna obſervari potuerunt*, tametſi *anfractuum ſuperficies minus alba erat, ac alias conſpicitur*. In alio (*x*) denique ventriculi, & Duodeni inteſtini *ſuperficies interna prorſus albi-*

(*e*) Nat. Hiſt. l. 24. c. 11. (*f*) De Med. Mat. l. 4. c. 77. (*g*) Metamorph. l. 4. prope initium. (*h*) in Lucio, ſive Aſino. (*i*) Compoſ. Med. 55. cum Rhodii Not. (*k*) De Simpl. Med. facult. l. 8. (*l*) De Venen. l. 3. c. 21. (*m*) Ibid. (*n*) Comment. in c. 12. l. 6. Dioſcorid. (*o*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1739. (*p*) Obſ. Medic. 50. (*q*) Experim. circa venena Exp. 2. (*r*) §. 5. (*ſ*) in Additam. ad Sect. hanc Sepulchr. Obſ. 5. Hiſt. 1. (*t*) Ibid. Obſ. 6. Hiſt. 1. (*u*) Ibid. Obſ. 7. Hiſt. 1. (*x*) Obſ. ead. Hiſt. 5.

albicans, & omnis inflammationis expers fuit. In nullo autem ex iis quæ diſſecuit Nicholſius (*y*) *ulla intus membranarum inflammatio conſpicienda erat*; ſed fluido, qualis & in fele Sproegelii fuit, fluido, inquam, ſanguine diſtentæ venæ: quod adnoto, quia neque in quatuor modo commemoratis ex Sepulchreto animalibus ullus in ſanguine grumus fuit; quin eorum alicui (*z*) pariter ac in propoſita muliere (*a*), *in cordis ventriculis nihil omnino ſanguinis ſupererat*. Cæterum non eadem in omnibus quibus idem ac quatuor illis, venenum præbitum fuerat, inventa ſunt: imo in pluribus ventriculi inflammatio; ut minus tibi eſſe mirum debeat, ſi eandem in proximis ſaltem inteſtinis, aut in his ſimul, & in ventriculo extitiſſe ab alio aliquo ex vegetabilibus veneno, productis duabus hiſtoriis recentibus oſtendam. Solani quem furioſum vocitant, baccæ cum pernicioſos alias effectus, tum maxime in puellulo ediderunt: quem intra horas non multas miſerandis modis peremptum, cum Vir Cl. Schreckius (*b*) incideret, vidit, inter cætera, Jejunum, & Colon inteſtina valde inflammata. Fungi autem, & nominatim ex ea ſpecie quam Vaillantius ſic deſignavit *Fungus mediæ magnitudinis totus albus*, annis ſuperioribus prope Lutetiam Pariſiorum id propemodum fecerunt quod Romæ, dum ſcriberet Plinius (*c*) fecerant, ut *familiam interimerent*; niſi natura, auxilio adjuta Experientis Medici Monnierii (*d*), qui ſymptomata omnia diligenter, & ordine deſcribit, de ſex qui comederant, quinque ſervaſſet. Idem Virginis quæ una omnium ſervari non potuit, cadaver perluſtrans, inter alia plura quæ apud ipſum videbis, in ventriculo circa pylorum quædam inflammationis indicia, Duodenum autem inteſtinum vaſis tunicarum omnino ſanguine refertis, interius, præter leves aliquot excoriationes, purpureis maculis diſtinctum, in ſumma inflammatum deprehendit. Ego vero & inteſtinorum, & ventriculi inflammationem a vegetabili medicamento, ſed acriori, eoque interdum perniciem haud ſecus ac venenum, afferente, elleboro nigro inductam conſpexi. Ita autem res ſe habuit.

15. VIR, cujus anni, ſi ex facie æſtimares, necdum quinquaginta eſſe videbantur, corpore bene conformato, ſubpinguis, colore laudabili, quamvis ad fuſcum vergente, capillis autem, & barba nigris, ob delirium quoddam melancholicum in Noſocomio curatus, propediem erat diſceſſurus, cum extractum ſumpſit, quod vocant, ellebori nigri. Unde alvo ſoluta, plura dejecit. Sed cum mali nihil expectaretur; prima nocte, id eſt ſeptima, an octava ex quo id ſumpſerat, hora, vomitus, & ventris dolores ingruerunt. Quæ mox, calido hauſto juſculo, viſa ſunt conquieſcere circa horam noctis ſecundam. Quincta iterum extiterunt; iterumque minui viſa ſunt ita ut ante ſextam lectum peteret: vomitu autem nihil rejecerat, niſi materiæ ex viridi quaſi nigreſcentis quantum duo, aut tria cochlearia continere potuiſſent. Cubans quieſcere viſus eſt; certe nullam vocem indicem doloris edidit, quam in proximis lectulis cubantes ægri audiverint. Hora tantum octava ſonus quidam, ex ejus ore emiſſus, a miniſtris auditus eſt: ad quem accurrentes, hominem jam mortuum invenerunt. Quæ mihi, iis forte diebus, nempe circa medium Decembrem A. 1747. in Noſocomio Anatomen docenti, cum eſſent relata; quæſivi primum, quale ellebori extractum, quantumque ſumpſiſſet. Comperi autem idem quod aliis dari ibi ſolitum eſſet, videlicet e recens evulſis, contuſiſque radicibus ſimplici aqua paratum; pondere autem ſemidrachmæ ſumpſiſſe, cum perſæpe quidem ad ſcrupuli pondus, interdum tamen iis quorum alvus non facile ſolvitur, ultra ſemidrachmam ſine ulla noxa exhiberetur. Tunc autem quærenti, num aliud præterea quod nocere poſſet, homo accepiſſet, reſponſum eſt, imo in eo peccaſſe quod non accepiſſet omnia quæ debebat. Nimirum quibus id extractum darent, eos, hoc ſumpto, ſerum bibere: non bibiſſe autem hunc, poſt ejus mortem eſſe cognitum, ibi videlicet reperto ſero, ubi poſitum fuerat, ut hauriret. His ita perceptis, duodequadrageſima a morte hora ſectionem aggreſſi ſumus. CADAVERIS artubus minime rigidis animadverſis, Venter apertus eſt. Ventriculum, & inteſtina vel exterius hic illic inflammata conſpeximus; ut cum Ileum inteſtinum alibi juſta eſſet, alibi juſto majori, aut minori latitudine; ubi æquo anguſtius erat, ibi pertenues tunicæ, & ſine ullo rubore, alibi autem rubicundis ſtriis diſtinctæ ſpectarentur. Tum ventriculo, & inteſtinis omnibus aqua immiſſa ablutis, & adapertis, illum cum annexa gulæ particula magna ex parte inflammatum, a ſiniſtris tamen, non a dextris, invenimus; inteſtina autem hic illic, ſic tamen ut minus levis in Tenuibus, quam in Craſſis eſſet inflammatio, ſi Rectum excipias, in quo ſpatia quædam æque manifeſto, ac ventriculus, erant inflammata. Nuſquam tamen in cadavere hoc toto vehemens apparuit inflammatio. Lien æquo paulo major, & ſima qua videlicet tangebat ventriculum, facie roſeo colore, totus autem adeo laxus, ut diſſecti interiora pene diffluerent. In jecinore nihil adnotatione dignum, niſi forte bilis color, qui, ut per veſiculæ tunicas tranſpiciebatur, ex viridi pallidus apparebat. Thorace adaperto, pulmones ſani, & undique ſoluti: neque cor, aut vaſa Magna quidquam habuere quod adnotarem, niſi quod in his parum ſanguinis, in illo vix aliquid fuit levis concretionis polypoſæ. Cranium cum ſecaretur, paucum ſanguinolentum ſerum defluxit: paucuſque mox ſanguis in Craſſæ meningis Sinibus, & majoribus per Tenuem ramis eſt animadverſus. Cerebrum, quod in eo qui melancholico delirio laboraſſet a primo miratus ſum, laxum adeo, ut cum dextere exemptum eſset, in menſaque anatomica depoſitum, continuo ipſum hemiſphæriorum, extrorſum collabentium, pondus diſtraxerit partem poſteriorem Calloſi Corporis, nec tamen ab obitu dies tum erat ſextus. Ea diſtractio non prohibuit in reliqua ſuperiore, quæ integra erat, ejuſdem Corporis facie illum perſpicere faſciculum qui per medium ſecundum longitudinem extat, nihil ab eo quod ſolet, diſcrepantem. Mox perſecando cerebrum, neque in vaſculis quæ per medullarem ſubſtantiam ducuntur, neque in Choroidibus plexibus defuiſse ſanguinem, vidi; ſed eandem ubique laxitatem animadverti, ut in cerebello quoque, & Oblongata medulla, & in Pineali ipſa glandula, quæ major potius, & globoſior apparuit, quam conſuevit. In tanta autem cæterarum partium laxitate mirabile fuit, lacunar quod dexterum, ſiniſtrumque ventriculi tertii parietem inter ſe conjungit, minime fuiſse diſtractum.

16. Ex poſtrema hiſtoriæ hujus parte haberes quod exceptionis loco ad illa adderes, quæ de cerebro etiam melancholice delirantium alias (*e*) ad te ſcripſimus; niſi homo ante obitum jam ſanus eſse videretur. Ex reliqua autem habes quid a nigro elleboro aliquando accidat, & in ventriculo, inteſtiniſque inveniatur. Scriptum eſt quidem ab nonnullis, & nominatim a Guillelmo Fabricio (*f*) non modo quod legerat, Virum Principem pharmaco, ex elleboro nigro parato, interemptum fuiſse, verum etiam quod ipſe meminerat, Matronam corpore ſatis validam intra ſex horas mortuam eſse ex quo devoraverat pilulas capitales, quibus nonnihil extracti ejuſdem ellebori admiſtum fuerat; tametſi vix vomitum, & dejectionem bis moverant: quam utramque mortem non ipſi elleboro, aut ejus extracto, quo feliciſſime in ſe ipſo, nedum in aliis, uſus erat, ſed præparantium negligentiæ, aut imperitiæ ac-

ce-

(*y*) apud Mead. in Append. ſupra ad n. 9. cit. (*z*) Obſ. 5. cit. Hiſt. 1. (*a*) n. 12.
(*b*) Commerc. Litter. A. 1743. Hebd. 8. n. 4. (*c*) Nat. Hiſt. l. 22. c. 13. (*d*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1749.
(*e*) Epiſt. 8. n. 14. (*f*) Reſponſ. ad Doring.

ceptam eſſe referendam jure cenſebat. Verum quæ ſymptomata eas præceſſerint mortes, aut quæ noxa in mortuorum interioribus reperta ſit, neque apud ipſum, neque apud alios legiſſe, nunc memini. Nam quod Ardoynus (*g*) ſymptomata ab hoc veratro enumerat immanem alvi fluxum, aduſtionem linguæ, eructationem plurimam, & inflationem, præter alia aliis quibuſdam, & in his elleboro albo communia, in quibus ſunt præfocatio, ſyncope, virium dejectio, ſudor frigidus, & ſpaſmus ab inanitione, ſi ex propoſita Obſervatione judicium ferendum eſt, magis fortaſſe pleraque hæc ſymptomata elleboro conveniunt albo, quam nigro. Certe in deſcripto viro non apparuerunt. At eorum quædam cum vehementi vomitione, quam recte ille albo adſcribit, in iis adnotata ſunt qui ab albo ſumpto perierunt, ut in muliere, quæ, uti refert Joannes de Muralto (*h*), poſt creberrimos vomitus, horrendis agitata convulſionibus occubuit, utque in tenero catello, de quo Wepferus (*i*), mortuo ad eundem modum; quanquam canis de quo Courtenius (*k*), quadruplo ex eodem elleboro devorato paſſus quidem eſt vomitus, dejectiones, ſingultus, ſuffocationes, dolores etiam, ut videbatur; ſed evaſit tamen. Ut ut eſt; quæ in hoc viro acciderint ab nigro elleboro, accepiſti, ut illa pariter quæ in ejus viſceribus ſint deprehenſa. Ab albo enim elleboro ventriculum rubentem, imo etiam interne corroſum, & nigricantem repertum eſſe, ex catelli, & mulieris de quibus modo indicatum eſt, vulgatis ſectionibus ſcire poteras. Ab nigro autem quid humanus ventriculus, & inteſtina detrimenti ceperint, fortaſſe, niſi ex noſtra deſcriptione, pro certo cognoſcere non potuiſſes. Quod ſi illud ex eo, ut videtur, revera acciderit, quod is vir poſt devoratum extractum, larga, ut cæteri, potione ſeri, ab Hippocrate (*l*) etiam poſt veratrum nigrum imperata, non ſit uſus; hinc quoque illa quæ ſupra (*m*) diximus, de ſeri in iis qui acre venenum ſumpſerint, utilitate, confirmantur. Fuiſſe autem virum ad inflammationem per ſe diſpoſitum, nec copia, nec conſtitutio ſanguinis oſtendunt, quippe cum paucus, & fluidus fuerit. Neque enim in quibuſdam negaverim, veneni effectus a corporis diſpoſitione augeri, cum facile agnoſcam, a prava ipſa corporis dipoſitione internum aliquando poſſe venenum gigni.

17. Et ſane veteres quoque Medici (*n*) *eoſdem fieri affectus*, agnoſcebant, *& a lethalis veneni potione, & a corruptione quæ a corpore ortum habeat*, videlicet *poſſe* hanc eſſe adeo *vehementem, ut veneni tum qualitatem, tum vires æquet*. Neque ex poſteris plerique deinceps alieni fuerunt ab hac ſententia. Quam neſcio an ulla confirmare evidentius poſſit, quam hæc Obſervatio, mecum olim communicata ab Joanne Franciſco Cicognino Forolivienſi, ſpectato, dum viveret, experientique Chirurgo, qui ut Florentiæ didicerat, ſic Redii more periculum fecit.

18. FILIOLUS Franciſci Ridolfi Pictoris Forolivienſis, Tertiana febre maceratus, extenuatuſque, noviſſime diris convulſionibus ingruentibus confectus fuerat. ABDOMINE inciſo, apparuerunt inteſtina ad contractum meſenterium retracta, eorum tunicis ſubrigidis, & quaſi exſiccatis. Quæ, ut ventriculus quoque, multam continebant æruginoſam bilem, cujus attactu ſcalpellus violaceo colore inficiebatur. Eundem ſcalpellum, eadem bile ſtillantem, in carnem unius, & alterius columbi cum leviter impreſſiſſent ſic quidem, ut bilis intra vulnus remaneret; haud multo poſt uterque tremens, & convulſus periit. Quin etiam mica panis, illa admiſta bile, a gallo devorata, hic quoque parem habuit exitum.

19. Etſi eximius olim inter Patavinos Profeſſores Medicus Jo. Dominus Sala (*o*) aſſeverabat, interna venena *raro generari in corporibus alioquin boni habitus, & nullis commiſſis erroribus; rarius ita repente, ut ex aliis partibus, aut aliis accidentibus æger non prævideat;* tamen hoc ipſo quod raro, aut rariſſime contingere id poſſe, non negabat, ab iis de quibus ſupra (*p*) indicatum eſt, diſcrepabat Medicis, qui (*q*) extantibus aliquo in homine veneni ſignis, minime dubitabant, *facile diſcerni poſſe eos qui venenum ſumpſerunt, ab iis qui aliunde*, nempe intus genito veneno, *affecti ſunt*. Qui enim *ſuapte natura probis humoribus abundarent, ac ſanorum more ſe geſſiſſent*, eos *venenum ſumpſiſſe*, ajebant. Eſt certe aliquid in eo proferendo judicio, ſanus, an non is homo eſſet quo de agitur. Nam in Severino Falckio; ut petitis ex Sepulchreto (*r*) exemplis utar; neque omnium quæ ſumeret, vomitus, nec ventriculus intus rubicundus, & tantum non excoriatus veneni, noviſſime præſertim dati, ſuſpicionem movere poterant, cum ſcorbutus, vagæ febres, dein appetitus dejectus, & ſæviſſimi ſtomachi dolores jam diu vexaſſent. Contra in Juvene de quo Salæ quærebatur ſententia, præter cætera exhibiti veneni indicia, illud quod boni eſſet habitus, & bene valeret, tantum apud Salam poterat, ut cum in Relatione altera fuiſſe is Juvenis ſcriberetur valetudinarius, & mali habitus, ille ſuam ſuſpicionem primam molliret. Tamen ut ſapiens vir erat, neque primo fuiſſe, neque ſecundo non fuiſſe venenum exhibitum, pro certo voluit reſpondere. Et ſane ut abundet corpus bonis humoribus; iſta ipſa abundantia facit, ut homo *ſuſpecta habere bona ſua debeat*, nimirum ne *retro, quaſi ruina quadam, revolvantur:* quæ Celſi (*ſ*), Hippocratis (*t*) monitum ſecuti, ſunt verba. Nefarios autem veneficos, ut nulla ſuo de ſcelere ſuſpicio ſit, affectæ valetudinis occaſionem haud raro aucupari, novimus: quod & una monſtrat ex ſuperioribus noſtris Obſervationibus (*u*), & alias alibi factum eſſe antiquis etiam temporibus, animadvertimus. Sic verſutiſſima fœmina, & filio magis, quam genitoribus, digna, Agrippina (*x*), cum maritum veneno tollere ſtatuiſſet, iſque valetudine adverſa correptus eſſet, hanc ſibi *oblatam occaſionem* non omittendam putavit, eademque ad facinus occultandum aliis inſuper non inſolitis veneficorum fallaciis uſa eſt. Ideo enim, ut opinor, venenum *delectabili cibo boletorum* infudit viro *avidiſſimo ciborum talium* (*y*), ut multum ex iis comedendo, noxam tum ex nimia copia, tum ex pernicioſo fungo aliquo, boletis quaſi per coqui errorem interjecto, contraxiſſe videretur, ſive, ut accidit, *excruciarent dolores*, ſive *niſus vomendi*, ſive *ſoluta alvus*, ſive etiam *febris* magis exercerent; hanc enim & plures *annos cum ipſo vixiſſe*, & *cum illo* in cælum *veniſſe*, L. Annæus Seneca (*z*) indicavit. Hos, & alios ejuſmodi caſus ſi mecum animadverteris; ſimul ſceleſtorum hominum dolos, qui Medicis ſæpenumero imponunt, in quibuſdam ægris facilius poteris internoſcere, aut ſaltem, atque utinam in tempore, ſuſpicari, ſimul non ratione ſolum, ſed ex Obſervationibus etiam intelliges, certa quædam ſymptomata, ut ſitim, & certos quoſdam morbos, ut febrem, quæ ab nonnullis adeſſe dicuntur, ſi venenum ingenitum ſit, adeſſe etiam poſſe, cum venenum præbitum eſt, imo quoque præceſſiſſe. Itaque laudatus Sala, etſi venenum *generari ſine febre*, negabat; non tamen propterea in ſecunda Reſponſione huic ſigno tantum tribuit, ut mortuum eſſe illum Juvenem ab ingenito veneno, affirmaret. Nec vero ut idem affirmemus, cogit quod nullus inſolitus odor, aut ſapor, nulluſve in deglutiendo,

aut

(*g*) De Venenis l. 3. c. 13. (*h*) Sepulchr. l. 3. S. 8. Obſ. 6. (*i*) l. 4. S. hac 10. in Additam. Obſ. 8.
(*k*) Saggio delle Tranſaz. trad. dal Dereham T. 3. c. 9. §. 6. (*l*) De Intern. Affect. n. 45. apud Marinell.
(*m*) n. 11. (*n*) Vid. Gal. l. 6. de loc. aff. c. 5. (*o*) Vid. Sepulchr. l. 3. S. 7. in Schol. ad Obſ. 1. & 2.
(*p*) n. 17. (*q*) Galen. c. 5. ibid. cit. (*r*) Obſ. 1. & 2. modo cit. (*ſ*) De Medic. l. 2. c. 2.
(*t*) Sect. 1. Aph. 3. (*u*) n. 6. (*x*) Vid. Tacit. Annal. l. 12.
(*y*) Vid. Sueton. de duodec. Cæſarib. l. 5. c. 44. (*z*) Apocolocynt.

aut poſt deglutitionem dolor in ore, aut faucibus perceptus ſit. Ut enim improbi Regis Perſei (*a*) pollicitationem præteream veneni *quod nec in dando, nec datum ullo ſigno deprehendi poſſet*, & hic quoque alia quæ dici poſſent, omittam, ex meis ſupra (*b*) narratis Obſervationibus ſatis intelligis, vel ſine iis indiciis deglutitum eſſe venenum. Neque contra ex eo quod animal quodpiam ab iis quæ vomitu rejecta ſunt, devoratis male habeat, inferendum eſſe cum aliis, vomitum illum non ab interno, ſed ab aſſumpto eſſe veneno, propoſita noviſſime Obſervatio (*c*) ſatis indicat.

20. Sed & ea quæ in ventriculo mortuorum apparent, ut imponere aliquando poſſint, docet id quod de Falckio paulo ante (*d*) commemoravi. Eodemque addes quod ex Ballonio (*e*), itemque ex Riolano (*f*) in Sepulchretum retulerunt, in toxici dati ſuſpicione cum ventriculus exanthematis obſitus repertus eſſet, parum abfuiſſe, quin conſtanter Medici ſuſpicionem illam confirmarent, niſi admoniti fuiſſent, ea exanthemata a morbillis eſſe, qui cum erumpere in cute quidem cœpiſſent, ſed ob virium infirmitatem non perrexiſſent, ventriculum occupaverant: eandemque ſuſpicionem in multis ſubito extinctis falſo inde eſſe ortam, quod fundi ventriculi potiſſimum pars ſiniſtra intus, extraque nigreſceret; cum id non veneno, ſed ſanguini eſſet tribuendum, ibi intra venulas reſtitanti quæ ad ramum pertinent, *vas* olim *breve* nuncupatum. Sed neque e contrario quævis in ventriculo animadverſæ maculæ contemnendæ ſunt. Verum inter oculos, & lucem expandendus apertus ventriculus eſt. Sic enim qui maculis dumtaxat quibuſdam aſperſus videbatur, eundem, referente Ballonio (*g*), minimis foraminibus pertuſum deprehenderunt, veneni indiciis: quanquam tunc quoque diſpiciendum ex indiciis aliis crediderim, externi, an interni. Quin aliquando non manifeſtum modo, ſed & magnum ulcus in ventriculo reperiri poteſt, cujus originis prima ſigna toxici deglutitionem conſecuta eſſe videantur, neque res tamen ſine dubitatione eſſe. Sic in Juvene de quo Fabricius Hildanus (*h*) poſt lautum convivium primus ſtomachi dolor inceperat, ex quo paulatim aucto, & acerbiſſimo facto cum obiiſſet, magnumque ulcus inventum eſſet, a ſuperiore ventriculi orificio in hunc deorſum ſe extendens, Parentes quidem id ab exhibito veneno repetebant; ipſe autem Fabricius veri ſimilius cenſebat, ab oſſiculo aliquo acutiſſimo ulcus incepiſſe, infixo in rugam aliquam illius orificii: nam ſi a veneno ſumpto facta eſſet exulceratio; ea, inquit, *potius in ipſo fundo, quam in ore ventriculi, extitiſſet*. Attamen qui diſſentire a Fabricio vellent, objicere poſſent duas puellas non ſine veneficii ſuſpicione mortuas, in quarum altera Joannes de Muralto (*i*) juxta idem orificium atra quinque ſtigmata inuſta reperit, in altera Petrus Paawius (*k*) illud ipſum orificium duobus locis eroſum deprehendit: atque ut virum ſilerent ab eodem Paawio (*l*) ob eandem ſuſpicionem apertum (nam præter orificii illius eroſam ſubſtantiam, eroſam quoque habuit reliquam internam ventriculi faciem) canem tamen producerent, de quo in Hiſtoriis a Wepfero (*m*) editis, qui cum arſenicum devoraſſet, poſtridie mortuus, atque inciſus, *circa ſtomachum in ventriculo ſuperficiem rubram & inflammatam* oſtendit; *in fundo* autem *ventriculi & circa pylorum nullum inflammationis veſtigium*. Denique ut melius appareat, quam difficile in hac materia judicium ſit, videri aliquando poteſt in hujuſmodi ſuſpicionibus venenum ipſum in ventriculo eſſe deprehenſum, ut in Matrona de qua Bened. Silvaticus (*n*), *pulviſculus* ille *coloris cinericii ulceratæ ventriculi parti adhæreſcens* pro *lucu-lentiſſimo* præbiti veneni *indicio* acceptus, vel ut in Muralti puella paulo ante memorata, pulviſculus ille alter *arenoſus*, qui ex humoribus in ventriculo inventis, & mundo vaſe exceptis ſubſedit. Verum niſi deprehenſus pulvis ea copia ſit, ut a peritis probe examinari, & pro veneno agnoſci queat, aut niſi illius particulæ, eroſis ventriculi tunicis adhærentes, ejuſmodi ſint, ut per ſe facile ſe prodant, ut *gilla* illa quam iis adhærentem Heerſius (*o*) invenit, ſive ut arſenici albi fruſtula, quæ iiſdem inhærentia vidit, & vix evulſit Salmuthus (*p*), & in muliere quoque de qua eſt prima hujus Epiſtolæ Obſervatio (*q*), facile agnoverunt; nihil inde pro certo licebit pronunciari.

21. Quæ omnia, atque alia quæ Etmüllerus; filium dico; in Programmate perpendit Lipſiæ edito A. 1729. erudite, & prudenter oſtendens, quam arduum, & periculoſum ſit certi aliquid in ejuſmodi quæſtionibus conſtituere; quæ, inquam, omnia quotieſcunque mecum ipſe conſidero, toties ſentio, jure meritoque eſſe a me factum, cum in quibuſdam diſſectionibus quas hic proponere potuiſſem, alibi autem ad te ſcripſi (*r*), venenum ingenitum, an ingeſtum eſſet, nolui pronunciare. In ea tamen in qua non ventriculum modo, & Duodenum inteſtinum, ſed & œſophagum eroſum deprehendi (*ſ*), magis audere potuiſſem, ſi pro certo notum fuiſſet, nullas extitiſſe vomitiones per quas rejectum venenum, fortaſſe ingenitum, ex parte aliqua reſtitando, œſophagum forte læſiſſet. Non leve igitur veneni devorati indicium erunt ventriculi eroſiones, ſi nulla quidem cum vomitione, & cum œſophagi tamen ſint eroſione conjunctæ, præſertim ſi in eo reperiantur, qui cum ſanus hactenus fuerit, nihilque in victus ratione peccaverit, repente poſt ingeſtum quidpiam, inſoliti potiſſimum ſaporis, aut odoris, ſtomachi doloribus, aut angoribus, aliiſque ſumpti veneni ſignis correptus, intra perbreve tempus obierit. Non levis, inquam, ex hiſce omnibus, aut pleriſque in unum junctis conjectura ducetur. Sed res certa erit, ubi in ventriculo, aut proximis inteſtinis venenum ipſum reperietur facile agnoſcendum. Videſis Hoffmanni quoque (*t*) indicia ſuper hiſtoriis aliquot, dignis quæ in Sepulchretum referantur: ita & ſymptomata, & diſſectiones proponunt, minime omiſſis rationibus unde inter notas præbiti veneni, & nominatim arſenici, pluribus communes, huic non fuiſſe, illis fuiſſe datum venenum, intelligamus. Sed præcipuum illud dati veneni teſtimonium, ejus portio in viſceribus reperta cum pro varia venenorum conditione, exigua copia, cum aliiſque rebus miſtione non ſæpe occurrat; idcirco indicia aliunde quærenda ſunt, quorum alia cum ad Judices rerum capitalium attineant, a me prætermittuntur, aliud autem, ad Medicos ſpectans, non eſt reticendum, quamvis per ſe obvium, & a me ſemel, iterumque animadverſum. Nam præter id quod A. 1711. a me viſum, & ſupra (*u*) adnotatum eſt, cum videlicet tres qui ex eadem pulte comediſſent, omnes brevi poſt ſumpti veneni ſymptomatibus laborarunt, jam antea autumno A. 1709. acciderat, ut me plures meorum civium intra paucos dies advocarent, quos cum ſcirem familiariter inter ſe verſari, & convivari nonnunquam ſolitos; communem aliquam eorum in unum tempus incidentium ægrotationum cauſam ſuſpicatus, interrogando comperi, ex quo noviſſime ſimul omnes epulati eſſent, primum minus bene ſe habuiſſe, mox autem ægrotare cœpiſſe. Quæſivi, an præter ipſos alii in eo convivio fuiſſent. Cum & fuiſſe, & quotquot fuerant, jam omnes, ne uno quidem excepto, ex morbo decumbere, accepiſſem, nec quenquam tamen aut plus æquo, aut quidpiam minus ſa-

---

(*a*) Vid. Liv. Hiſt. l. 42. (*b*) n. 7. (*c*) n. 18. (*d*) n. 19. (*e*) Sect. hac 10. Obſ. 4. §. 10.
(*f*) l. 3. S. 7. in Schol. ad Obſ. 10. (*g*) Sect. ead. Obſ. 17. §. 1. (*h*) Ibid. Obſ. 5. cum Schol.
(*i*) l. eod. 3. Sepulchr S. 8. Obſ. 7. (*k*) l. 4. Sepulchr. S. hac 10. Obſ. 4. §. 7. (*l*) Ibid. §. 8.
(*m*) Ibid. in Additam. Obſ. 13. Hiſt. 12. (*n*) Ead. S. 10. Obſ. 5. (*o*) Sepulchr. l. 3. S. 8. Obſ. 8.
(*p*) Ibid. Obſ. 5. (*q*) n. 3. (*r*) Epiſt. 29. n. 18. & ſeqq. (*ſ*) Ibid. n. 20.
(*t*) Medic. Rat. Tom. 4 P. 3. S. 2. c. 8. in Enarrat. Morb. Obſ. 1. 3. 4. (*u*) n. 7. & ſeq.

ſalubre ſumpſiſſe, autumno autem illo raros in civitate ægros eſſe, animadverterem, vix dubitandum eſſe, intellexi, quin pravi aliquid, & veneno ſimile ex errore fortuito aliquo ſive epulas, ſive potiones, quibus in eo prandio uſi fuerant, infeciſſet. Verum quam facile erat hoc generatim conjicere, tam erat difficile ſive ex ægrotantium ſymptomatibus, ſive ex accurata, & ſæpe repetita perquiſitione quidnam illud fuiſſet, aſſequi. Symptomata enim pro alia aliorum ætate, diſpoſitione, & temperatura alia in aliis erant; quanquam in pluribus, inter cætera, alvi fluxus erant, & tormina, in aliquo, ſine torminibus, ſinceri ſanguinis dejectiones. Perquirendi autem verum ut optimam occaſionem haberem, eo libentius præter eum qui prandium dederat, ancillam etiam quæ coxerat, & reliquias comederat, liberaliter curandam ſuſcepi; uterque enim graviter, ancilla autem graviſſime ægrotabat. Huic igitur non ſemel oſtendens, quanto minus difficilis curatio eſſe poſſet, ſi mihi uni diceret quid per errorem admiſiſſet, aut ab aliquo admiſſum eſſe, conjiceret; nunquam exprimere aliud potui, niſi hoc unum, quo cogitaret magis, eo magis id ſe ignorare. Quæ cum ita eſſent; neceſſario coactus ſum unicuique ſic mederi, ut ſingulos hæc, vel illa ſymptomata gravius, aut levius urgebant. Quidam brevi, & facili; ſed reliqui longa, & difficili curatione ſervati ſunt; ut in quibuſdam bimeſtris fuerit, in eo qui ſanguinem dejecerat, quadrimeſtris. Unus ex omnibus qui morbum diutius contempſerat, undevigeſima ex quo cubare tandem cœperat, die febri, cum ſingultu, convulſivis tremoribus, aliiſque malignis ſymptomatibus juncta, fruſtra me, & ſeniore ejus Medico, quæcunque poterat, opem ferentibus, confectus eſt.

22. Quæ una fuiſſet reliqua, ignotam illarum tot ægrotationum quærendi via, anatome videlicet, eam plures, variæque rationes prohibuerunt. Quarum aliquæ alterius quoque ſectionem vetuerant, quem non levis conjectura erat, ex opio, per Pharmacopolæ errorem minus parce præbito, deceſſiſſe. Cujus diſſectio eo nunc mihi gratior eſſet, quod in brutis animantibus, poſt datum largius opium inciſis obſervata ab Experientiſſ. Sproegelio (*x*) minus convenire, video, cum iis quæ in cane adnotaverat Cel. Meadius (*y*). Cæterum de abuſu opii deteſtabili apud veneficos nullum a me verbum expectes in ſcriptis quidem. Res enim ejuſmodi, a Medicis alioquin non ignorandas, utinam ſecretis dumtaxat inter ſe colloquiis agitaſſent; chartis autem non commiſiſſent, ne quod ad curationem excogitandam ſcire neceſſe eſt, id a nefariis hominibus ad latenter, & impune occidendum eſſet detortum. Quamobrem Galenus (*z*) Orpheum cognomento theologum, Horum Mendeſium juniorem, Heliodorum Athenienſem, alioſque librorum de iis compoſitionibus Auctores uſque adeo reprehendit, ut ne illud quidem concedat, earum notitiam Medicis ſaltem eſſe neceſſariam, ut iis qui ſumpſerint, poſſint ſuccurrere. Utcunque id eſt; ſane de venenis etiam aliis ſapientius quædam poſteriores magni cæteroquin Medici preſſiſſent; non epiſtolis, atque adeo libris editis vulgaſſent.

23. Eorum autem qui a morſu, aut ictu venenoſæ beſtiæ interierint, nullas memini aut a me, aut ab Amicis inſtitutas eſſe diſſectiones, ſi illas excipias quæ ad morſum attinent rabioſi canis, a me tecum alias (*a*) communicatas. Scilicet *Italia, frigidioreſque regiones hac quoque parte ſalubritatem habent, quod minus terribiles angues edunt*, quam æſtuoſæ; ut veris Celſi (*b*) verbis utar. Nec fere aliter ſe res habet in venenatis beſtiolis, quæ ſunt anguibus minores; certe autem de iis in quibus ego verſatus ſum, minus æſtuoſis Italiæ partibus non vera illi Boerhaavio (*c*) retulerunt, qui hæc narrarunt: *in Italia, ubi magna vis ſcorpiorum eſt, neminem ſubire diverſorium quin hoſpes ei lagenam oleo ſcorpiorum plenam indicet; quod vulneri, ſi quod ei beſtiola inflixerit, continuo inungat, ſic mortis evitaturus periculum*. Sed neque tam raros eſſe, Exterorum quis credat in terra Italia, quam Plinius (*d*) videtur ſcripſiſſe. *Sæpe*, inquit, *Pſylli, qui reliquarum venena terrarum invehentes, quæſtus ſui cauſa peregrinis malis implevere Italiam, hos quoque* (ſcorpiones) *importare conati ſunt: ſed vivere intra Siculi cæli regionem non potuere. Viſuntur tamen aliquando in Italia, ſed innocui*. Si ea ſinerent quæ de vulgaribus ſcorpiis ſequuntur; non de his, ſed de volucribus Africæ ſcorpionibus de quibus noviſſime dixerat, Plinium multo libentius propter ea quæ paulo ante ſcripſerat, interpretarer. Cum vero non ſinant; deeſſe aliquid ſuſpicor: certe ii qui Romæ ante Plinium ſcripſerunt, Lucilius, & Cicero, raram beſtiolam exempli loco non ſic memoraſſent, ille quidem (*e*) *ut ſcorpiu' cauda ſublata*, hic vero (*f*) *ſerpere anguiculos, nare anaticulas, evolare merulas, cornibus uti videmus boves, nepas aculeis*; ſed potius *veſpas aculeis* ſcripſiſſet, ut imperiti olim ediderant, aut quod *nepa*, quid eſſet, ignorarent, aut certe quod Nonium (*g*) neſcirent ita uti deſcripſimus, duo poſtrema Ciceronis verba produxiſſe, neque aliter, ut illius ſcribendi ordo, & ſententia poſtulant, producere potuiſſe. Quod ſiquis tamen credat, Plinium in Italia ſcorpios *innocuos* eſſe, dicere; id vero ut plurimum ita eſt, nec memini, in Civitatibus ubi vitam egi, vel frequentiſſimis, Medicum unquam, aut Chirurgum fuiſſe advocatum, ut vulneri, a ſcorpione inflicto, mederetur; nedum ex eo vulnere quenquam mortuum, ut in cadavere veneni effecta poſſent inquiri. Quin etiam ab noſtris Falloppio, & Valliſnerio idem confirmari, videris. Hic enim (*h*) venenum *quaſi innocuum* ab noſtratis ſcorpionis aculeo prodire, ſcripſit; Falloppius autem (*i*), *in noſtra regione, ubi ſcorpiones ſunt minus venenoſi*, non oriri tumorem in loco ab ipſis icto, ut in regionibus calidis, ſed *tantum puſtulas, ac tubercula parva variolis ſimilia*. Atque ut Medicorum auctoritate qui in Italia vel temporibus, vel locis, vel utriſque magis quam duo illi, diſtent a nobis, idem comprobemus, num Scribonium putas, ſi noxios in Italia vidiſſet ſcorpiones, ad hunc modum fuiſſe ſcripturum (*k*): *In Africa, aut ſicubi ſcorpiones ſunt noxii*, Cornelium autem Celſum (*l*) *inter peregrina, & aliquanto magis peſtifera*, quam noſtratia, ſcorpionis venenum poſiturum fuiſse? Poſuiſse autem, non quod ſcorpio, ſed quod perniciosus ſcorpio eſset peregrinus mihi quidem illa ejus verba poſt varia recenſita remedia ſatis videntur indicare (*): *Cognovi tamen Medicos, qui ab ſcorpione ictis nihil aliud, quam ex brachio ſanguinem miſerunt*. Loco autem, non tempore, a nobis diſtabat Redius, diſtatque Gentilis, Medici ambo Etruſci. Quorum primus (*m*) idem quod Plinius, affirmabat propterea quod centies viderat ſcorpiorum venditores nudas manus in ſacculos inſerere iiſdem plenos, & ſæpe ictus ab iis referre, neque unquam, tametſi fervente canicula hæc fierent, cum ullo vel minimo conſequente veneni indicio. Alter (*n*) a ſcorpionum ictibus funeſta mala fere non oriri, niſi in Africa. Ab Italis enim ſcorpiis ictos aliquos eſse quidem mortuos; ſed pauca admodum ab rerum naturæ Scriptoribus ejuſmodi referri exempla.

24. Duo Vir ille Eruditus producit, alterum ex

(*x*) Exper. circa varia venena &c. Exp. 15. & ſeqq. (*y*) Tract. de Venenis Tent. 5.
(*z*) De Antidot. l. 2. c. 7. (*a*) Epiſt. 8. (*b*) De Medic. l. 5. c. 27. n. 10.
(*c*) Prælect. ad Inſtit. §. 1132. (*d*) Nat. Hiſt. l. 11. c. 25. (*e*) ex Satyr. l. 30. n. 23.
(*f*) De Finib. l. 5. (*g*) De Propr. Serm. in *Nepa*. (*h*) Opere Fiſ. Med. Tom. 2. P. 1.
(*i*) Tract. de Tumor. c. 3. (*k*) Compoſ. Medic. 164. (*l*) c. 27. cit. (*) Ibid. n. 5.
(*m*) Eſper. int. agl. Inſ. (*n*) Annotaz. alla pag. 66. v. 23. della Lett. Filoſ.

ex Ferrario, ex Lanzono alterum. In utroque vomitus, imo in altero ipſe volvulus intra horas aliquot lethalis. Juvat exempla alia addere, quotquot inter ſcribendum ſuccurrunt, funeſta fortaſſe futura, niſi obſtitiſſent remedia. Proferam autem eo libentius quod Patavii pleraque acciderant. Cortuſus noſter civem hic ſuum, a magno ſcorpione vulneratum, *jam animi deliquio detentum, brevi admodum tempore revocavit ad vitam* externo pulveris auxilio quem a Matthiolo (*o*) acceperat. Benivenius (*p*) famulum a ſimili ictu, quamplurimo ſtatim frigidiſſimo ſudore perfuſum, theriaca ex generoſo vino exhibita, illico liberavit. Clari Veronæ Medici Petri a Caſtro indicem digitum pupugerat ſcorpius, dolore, & frigore mox totum brachium invadente, cum ipſe, parum proficientibus remediis cæteris, eo liberatus eſt quod Amicus ejus Rhodius (*q*) memoriæ tradidit, hoc quoque adjiciens, anno tamen inſequente rediiſſe dolorem eodem tempore cum tumore digiti phlegmonode. Sed & ſe quoſdam Patavii ſcorpiorum *ictus tumore ac dolore graves animadvertiſſe*. Quin ipſe quoque Vallisnerius, qui, ut ſupra (*r*) dixi, illorum venenum apud nos *quaſi innocuum* eſſe, agnoverat, denique, mutata quadantenus ſententia, in Specimine *Alphabetico*, quod imperfectum reliquit, Hiſtoriæ Medicæ, & Naturalis (*ſ*) *hyeme* quidem illud *eſſe innocuum, ſed æſtate vel in noſtratibus* affirmavit *eſſe mortiferum*. Cujus tamen rei unum, haud amplius, exemplum protulit, nimirum adoleſcentulæ cui ſub caniculæ ardoribus in collo ictæ *paulatim membra fiebant gelida*, neque ex multis auxilium aliud profuit, quam oleum, *controveleni* dictum, Magni Etruriæ Ducis, interius, exteriuſque uſurpatum. Verum illud primum meminiſſe te, velim, non fuiſſe hæc denique funeſta exempla: deinde quid pauca adeo ad innumera alia, omnino diſcrepantia? quid hoc ipſum ultimum ad tot illa quæ indicavimus (*t*), Redii eodem fervidiſſimo anni tempore? Quo tametſi fatear, & venenum hoc acrius fieri, & hominum corpora ipſius noxis magis opportuna; tamen Octobri menſe caſus accidit Petri a Caſtro, & circa Junii finem is qui a Lanzono (*u*) verbis Medici qui affuerat, deſcriptus eſt. Qui, & Ferrarii quoque alter ſi funeſti, & per vomitiones quidem fuere; at in hoc ſcorpius intra os dormientis pueri irrepſerat, idque ſauciaverat; in illo autem fœminæ, chloroſi laborantis, extremum, dum in latrina alvum exoneraret, inteſtinum ferierat. Quanti autem referat ad augendam, accelerandamque veneni noxam, ſi non modo ictum corpus tenerius, imbecillius, ægrumque ſit, ſed & pars icta ſit ipſa mollior, & exquiſitiore ſenſu prædita, cum per te intelligere ſatis potes, tum niſi hoc ponatur, aliquanto minus facile eſt aſſequi, cur non æque omnibus graves accidant non apud nos tantum, ſed & apud alios; ſi Africam, & alia æſtuoſa loca excipias; ſcorpionum ictus.

25. Ubi enim attendo illa quæ apud Monſpelienſes habita ſunt, experimenta, facile adducor, ut credam, non ſecus ac apud nos, ibi quoque ſcorpiorum ictus ut plurimum eſſe innocuos. Nec vero experimenta illa dumtaxat dico quæ ibi a Courtenio (*x*) A. 1679. ſunt inſtituta. Nam quod a pluribus ſcorpionibus lingua catelli compuncta fuerit, ejuſdemque abdominis cute nonnihil diducta, muſculi ipſi ab illis non ſemel icti, arte etiam altius appreſſo aculeo, venenoque e ſubjecta veſicula in vulnera expreſſo, canis tamen nihil detrimenti ceperit, ut neque columbus, ſæpe ad eundem modum a ſcorpione ſauciatus: contra autem quod talpa, cujus latus ſcorpio pepugerat, continuo mortem convulſa obierit; diſcriminis cauſam afferre hanc poſſes, quod catellus, & columbus ab inertibus, infirmiſque ſcorpiis, quippe ineunte Januario menſe, talpa autem a valido, acrique, ut pote circa medium Quinctilem, ſauciata fuerit. Pericula igitur illa potiſſimum ſpecto quæ ibidem quinquaginta, opinor, poſt annis fecit Vir Cel. Maupertuiſius (*y*). De novem canibus, tribus parvis pullis, & uno mure quos ſcorpii percuſſerant, unus omnino canis, & is quincta ex quo percuſſus fuerat hora poſt ſæpe iteratas vomitiones convulſus, mortuus eſt; animalia duodecim reliqua nihil omnino læſionis retulere. His tamen per eoſdem, ut videtur, dies, certe autem a ſcorpiis ejuſdem generis, ad eundemque modum validis, acribus, ferocientibus eadem loca icta fuerant; ut hinc nulla repeti poſſit diſcriminis cauſa, cur unus, haud amplius, canis interierit, præſertim cum is ab uno, cæterorum aliqui a pluribus ſcorpiis vel multo pluries, multoque profundius defixo aculeo ſauciati eſſent, iiſque promiſcue tum maribus, tum fœmellis, itemque recens ablatis, ut neque in ſexus varietatem, neque in venenum, forte in priores ictus omnino inſumptum, conjicere liceat diſcriminis cauſam, ſicut merito Redius (*z*) non in viperis ſolum, ſed etiam in ſcorpiis Africanis conjecit. Conjici tamen in alia, atque alia poteſt, & in aliquod fortaſſe eorum quæ a Maupertuiſio indicantur. Quoniam vero tam raro accidit, ut gravem ſcorpiones afferant noxam; facilius crediderim, eorum plura ſimul convenire oportere, ut afferant, aut fortaſſe aliud aliquod addendum eſſe quod præcipuum ſit. Exemplo rem declarabo.

26. Apud Veteres volucre erat animalculum, *cui nomen aſilo Romanum eſt*; ut Virgilii (*a*) verbis utar; *œſtron Graii vertere vocantes*. Idem a Latinis *tabanum* quoque eſſe dictum, indicat M. Varro (*b*), ſed Plinius (*c*) magis. Id animalculum ſitne idem quod modo apud nos tabanus dicitur, ſi forte quæras; facile negabo: ſitne vero quod Etruſci adhuc aſilum vocitant; dubius hærebo. Nam id certe aut non Veterum aſilus eſt, aut non ſemper idem efficit quod Veteres nobis deſcripſerunt, ut vulnerata boum cute hos concitet in furorem. Hocque adeo verum eſt, ut Vir Præſtantiſſimus Reaumurius (*d*) ſibi quærendam cauſam cenſuerit, cur interdum id faciat, alias non faciat. Itaque cum ipſe nullum, ſecus ac Vallisnerius (*e*), in eo acrem, quem in vulnere relinquat ſuccum agnoſcat, minime quærit, aliaſne plus relinquat, alias minus: ſed neque credit, diſcriminis cauſam ab altius, aut minus alte defixo aculeo eſſe repetendam, propterea quia hic neque tenuior eſt, neque minus alte defigitur, quam bubulcorum ſtimulus, boum cutem alte perfodientium ſæpe, at nunquam idcirco in furorem agentium. Ipſe igitur cenſet, cum aſili aculeus ſubcutaneum aliquem craſſiuſculum nervum forte compungit, tum bovem furere; cum eum non compungit, non furere. Ego vero ne tum quidem ſi eſſem in hujus animalculi diſſectione vel maxime exercitatus, mihi tantum ſumerem, ut in diſſenſione Virorum qui pares ætate hac minime habuerunt in perdifficili Inſectorum hiſtoria, aliquid adverſus alterutrum pronunciarem; ſed potius, quod mea erga memoriam utriuſque obſervantia poſtulat, darem operam, ſiqua fieri id poſſet, ut componeretur utriuſque ſententia, ſimul ad craſſiuſculum compunctum nervum, ſimul ad acrem inſtillatum ſuccum reſpiciendo, ſi forte hunc ex aſilo alicunde in vulnus exiſtere, invenire poſſem, eaque ratione ſcrupulum quendam mihi penitus evellere, factu perdifficile credenti, ne bubulci quoque ſtimulus in craſſiuſculum nervum unquam incidat, bovemque in furorem agat. Nunc vero Summi Viri conjecturam ab aſilo ad ſcorpium, in quo utramque componere ſententiam licet, transferentes, gravia ex ictu hujus tunc mala ſequi, veri ſimiliter ſuſpicamur, cum craſſiuſculo cuipiam nervo, aut alii exquiſiti ſenſus parti ſimul vulnus infligit, ſimulque acerrimum vene-

(*o*) Vid hujus Comment. in Dioſcor. l. 6. c. 29. (*p*) De abditis Morbor. cauſ. c. 56. (*q*) Cent. 3. Obſ. Med. 90. (*r*) n. 23. (*ſ*) Opere Tom. 3. P. 4. alla voce *Scorpione* (*t*) n. 23. (*u*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 1. Obſ. 20. (*x*) §. ſupra ad n. 16. cit. (*y*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1731. (*z*) cit. ſupra ad n. 23. (*a*) Georg. l. 3. v. 147. (*b*) De Re Ruſt. l. 2. c. 5. (*c*) Nat. Hiſt. l. 11. c. 28. (*d*) Memoir. pour ſerv. à l'Hiſt. des Inſect. Tom. 4. Mem. 12. (*e*) Opere Tom. 1. P. 4.

num immittit. Sane tum animalia quæ hinc mortua memoravimus (*f*), tum quæ Redius (*g*) per Africanum ſcorpionem occidit, convulſa periere, tum convulſa quoque ea mulier de qua ſupra dictum eſt (*h*), cum quæcunque alia ſymptomata in ipſa, & cæteris etiam qui mortui non ſunt, hominibus apparuerunt, facile per convulſiones licet explicare: & venena quoque alia, ictu, aut morſu venenoſorum animalium communicata, per nervos potiſſimum nocere, laudabilis Cl. Meadii (*i*) ſententia eſt.

27. De immiſſo autem ſimul cum aculeo etiam veneno, nulla amplius reſtat dubitatio. Nam etſi poſteaquam Plinius (*k*) *tenui fiſtula perforatos* eſſe, tradiderat, *ſcorpionum aculeos, venenum infundentes*, & (*l*) hoc *ab iis candidum effundi*, *Apollodorum auctorem eſſe*; Galenus (*m*) extitit, qui *nullum apparere foramen*, ſcriberet, *in* eorum *aculeo*, ideoque *aut perquam exiguum eſſe id quod injiceret*, *aut nihil omnino*, quin etiam Redius (*n*) ne in majori quidem ſcorpio, nempe Africano, ullum videre foramen potuit, quantumvis oculo exquiſitiſſimis vitris inſtructo; hic tamen non modo ex Aretino antiquo Scriptore (qui e Plinio exſcribere potuerat) ſed ex propriis multis in eodem illo ſcorpio obſervationibus, album ex aculeo prodire humorem, confirmavit: alii autem foramina, nedum foramen, perviderunt, quos inter Valliſnerius (*o*) in primis fuit, qui deinde, nec ſemel, edidit, oſtenditque tum quare ab Redio viſa non fuerint, quippe in ipſo extremo acumine quærente, tum quare in extremo eſſe non debuerint, videlicet ne ſi veneni canaliculus ad extremum uſque aculei perduceretur, hujus neceſſariis tum ſubtilitati officeret, tum firmitudini, obturationi autem a minima quavis in quam incurreret, materiæ particula obnoxius fieret. Ne vero dubites, num foramina, eaque non in extremo aculeo, in noſtratibus quoque ſint ſcorpiis; qua ratione in his etiam perſpexerit elegantiſſimo Vir ingenio Ferdinandus Antonius Ghedinus, & ipſe ad me ſcripſit A. 1707. & Valliſnerius communicatas a me Ghedini litteras vulgavit. Peculiaria hæc habet Valliſnerius, aculeum triangularis inſtar pyramidis tres facies habere: in harum ſingulis ſingula eſſe foramina: humorem per hæc exire quam maxime limpidum: hunc autem a canaliculo per internodia caudæ traductum, in ultimum ferri, ex quo extat aculeus. Tu in peregrinis illis grandioribus, ex quibus ipſe videtur hæc deſcripſiſſe, quærere poteris, an perpetua ſint, illudque præterea, quæ intima ſtructura ſit ultimi internodii. Nam præter veſiculam, quam olim indicavit Coiterus (*p*) ſcribens, *ſub caudæ aculeo, quo ſcorpius ferit*, *veſicam veneno plenam latitare*, credibile eſt muſculoſi aliquid ineſſe, quo venenum exprimatur. Extima enim internodii pars id præſtare per ſe non poteſt, ut pote quæ corneola eſt, & in Africano ſcorpione, externæ, ut Redius (*q*) expertus eſt, compreſſioni minime cedens. Sub cruſta autem illa, quemadmodum in cancrorum videmus brachiis, includantur muſculi, neceſſe eſt, quibus, ut internodia cætera, ſic etiam ultimum moveatur; itaque carnea, aut tendinea aliqua expanſio; intra ultimum internodium perveniens, validiore contractione quam qua illud movet, comprimere etiam poſſet veſiculam.

28. Sed hoc venenum in noſtratibus quidem ſcorpiis, aliiſque non æſtuoſarum regionum, ut Monſpelienſibus, longe minus validum eſt, quam in Africanis. Itaque non ſicut in Africa, ita apud nos ſæpius, imo raro adeo gravia ex eo occurrunt ſymptomata, quemadmodum ſupra (*r*) oſtenſum eſt, ut niſi plures cauſæ, & in his præcipua fortaſſe, nempe craſſiuſculi nervi compunctio, in unum conveniant, innocuum eſſe videatur. Quod ubi ponimus; facile cum Cel. Viro Maupertuiſio (*ſ*) in eam ſuſpicionem deſcendimus, ne forte plura quæ adverſus ſcorpionum ictus laudantur, remedia ideo profuiſſe viſa ſint quod ſæpius fuerint iis hominibus adhibita quibus vulnus quidem inflictum fuerit, ſed innocuum venenum immiſſum. Inter ea remedia a priſcis uſque temporibus illud de cujus vi nominatim Vir ille Cl. dubitat, potiſſimum recenſitum eſſe, noſti, quod ex ſcorpione ipſo petitur. *Scorpio*, inquit Celſus (*t*), *ipſe ſibi pulcherrimum medicamentum eſt*, ſive *contritus ſuper vulnus impoſitus*, ſive *ſuper prunas*, ut *vulnus ſuffumigetur*. Verum laudati Viri dubitationem videtur confirmare tum ſuffumigium hoc fruſtra adhibitum ei mulieri quæ ſupra (*u*) memorata eſt, ex ſcorpionis ictu nihilominus mortuæ, tum contuſus ipſe ſcorpius, & vulneri impoſitus, qui *parum profuit* Petro a Caſtro, cujus quoque caſum retulimus (*x*), in eo ictis a tarantula ſimillimum, quod inſequenti anno dolor rediit eodem tempore. Hoc enim de ſauciatis a tarantula adnotavit Baglivus (*y*): qui & illud *obſervatione conſtare*, ſcripſit (*z*), *a ſcorpione* in Apulia *punctos eadem fere pati ſymptomata, ac ſi a tarantula morſi eſſent*. Sed nos ea ſymptomata, & mortes ſupra non recenſuimus, ut qui æſtuoſas Italiæ partes excepimus. Profert inſuper cuniculi, a tarantula occiſi, diſſectionem (*a*): nec reticet (*b*), ab illa ictorum *multa ſymptomata a depravata imaginatione pendere videri*. Hoc, atque alia quæ ad tarantulam attinent, magis explorata nos habituros ſperamus, ſiquando Vir Doctiſſimus Franciſcus Seraus ea poterit quæ de inſecto illo inchoata habet, perficere.

Interea tamen, quod ad noſtrates pertinet ſcorpios, non ſine omni dubitatione ſumus, quin plures ex iis qui ab his compuncti gravia quædam pati viſi ſunt, timore imaginationem turbante, non tam ex veneno quod prorſus innocuum fortaſſe fuerit, quam ex animi agitatione, corpus percellente, male habuerint. Hanc autem dubitationem, in qua ipſum quoque Maupertuiſium (*c*) eſſe, video, comprobare ex parte illud etiam poteſt, quod nonnulli eorum vix icti, continuo de iis queruntur quæ tam cito ne in illis quidem contigerunt qui ex veneno eodem occiſi ſunt, iidemque antidoto aliquo adhibito, aut dato ex his quæ vulgus, ipſique magni faciunt, aut quod Medicus quiſpiam cui plurimum fidant, tanquam certiſſimum, commendaverit, illico nihil amplius ſe mali ſentire, & plane ſanatos eſſe, clamant. Nempe animi, non corporis, hæc eſſe videtur curatio: quæ ſicui forte antidoto famam conciliavit, ut immerito conciliaverit, ſimulque ut certiora quærenda ſint, vides.

29. Sed non ut ſcorpionum, ita Viperarum quoque apud nos ſæpius innocuum venenum eſt: a quarum morſu plurimi interirent, aut certe graviſſime laborarent, niſi multo quam ſcorpii, eſſent illæ rariores, & propter magnitudinem facilius animadverti, & caveri poſſent. Graviſſime, inquam, laborarent, cum remedium necdum inventum ſciam cui quidem poſſint, audeantve homines fidere, ut ab ſe arceant vehementiſſima ſymptomata, viperinos morſus excipientia. Laudata ut maxime ad id fuerant devorata capita, aliæve partes viperarum. Sed Redii (*d*), & Francinii (*e*) experimentis res minime reſpondit. Poſtea magnis laudibus efferri audivimus viperarum pinguedinem, multoque etiam magis vulgare oleum, ſi demorſo loco adhiberetur. Etſi vix credibile videbatur, per anguſta adeo, nec parum profunda foramina per quæ mordens vipera venenum immittit, ſatis aditus patere oleoſis præſertim linimentis; maluimus tamen judicium tempori permittere, quod ut certiorem, & utilem vim novorum remediorum, quemadmodum corticis Peruviani, ita ambiguam, & periculoſam, quemadmodum transfuſionis ſanguinis demonſtravit, & ne a propoſita materia longius abeamus, quemadmodum

---

(*f*) ſupra n. 25. (*g*) Eſper. ſupra ad n. 23. cit. (*h*) n. 24. (*i*) Introd. ad Expoſ. Mech. Venen.
(*k*) Nat. Hiſt. l. 11. c. 37. (*l*) Ibid. c. 25. (*m*) De Loc. aff. l. 6. c. 5. (*n*) Eſper. cit.
(*o*) Vid. loca ſupra ad n. 23. & 24. indicata. (*p*) Obſ. Anat. ex diverſis brutis. (*q*) Eſper. cit.
(*r*) n. 23. & ſeqq. (*ſ*) Comment. ſupra ad n. 25. cit. (*t*) De Medic. l. 5. c. 27. n. 5. (*u*) n. 24. (*x*) Ibid.
(*y*) Differt. de Tarant. c. 9. & Hiſt. 1. (*z*) Ibid. c. 7. & Hiſt. 3. (*a*) Ibid. c. 10. (*b*) Ibid. c. 6. (*c*) Comment. cit.
(*d*) Lettera ſopra alcune oppoſizioni &c. (*e*) Lettera del Platt fra le Opere del Redi Tom. 2. dell'Ediz. Veneta.

dum tot alia adverſus venenatos animalium ictus olim commendata præſidia inutilia eſſe, oſtendit, & oblivione tanta obruit, ut, exempli cauſa, quod Abbatius (*f*) *expertum eſſe*, ſcripſit, *admodum prodeſſe*, & *Patavii* quidem *expertum*, ego intra annos propemodum quinquaginta ex quo hic verſor, nunquam memorari a quoquam, nedum adhiberi, audiverim. Itaque anni vix pauci præterierant, cum Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis Commentaria illa (*g*) prodierunt: ex quibus per experimenta Cl. Virorum Geoffroyi, & Hunauldii demonſtratum eſſe, intelleximus, quam leves, & dubiæ iſtarum ex oleo inunctionum ſint vires: hocque judicium *rectum* eſſe, vel Anglorum Medicus doctiſſimus confirmavit Meadius (*h*). Qui tametſi viperinæ axungiæ probabiliorem laudem tribui poſſe, addidit; tamen neque hanc curationem *fidam* eſſe, ingenue faſſus eſt, & tu ex altero quod in memoratis Commentariis morſi hominis profertur, exemplo facile agnoſces. Ipſe vero præ cæteris auxiliis facile, & promptum illud commendat, quod ſignificare ſupra volui, cum remedium eſſe inventum, negavi, cui fidere audeant homines, videlicet quæ ore ſtatim fiat, veneni ſuctionem. Nam etſi Celſus (*i*) adverſus omnium ſerpentium morſus hanc fidenter adeo commendaverit, ut aſſeveraret, ſic & ſugentem *tutum fore*, & *tutum hominem eſſe præſtiturum*; eaque ab Dioſcoride etiam laudata (*k*), non Galeni (*l*) modo temporibus, ſed & Aetii (*m*), Pauli (*n*), & Actuarii (*o*), a quibus imperatur; ut Rhazem (*p*), alioſque omittam; in uſu fuerit; quin ut ad propiores nobis deſcendam; a Tagaultio quoque (*q*), Veſalio (*r*), Abbatio (*ſ*), Severino (*t*), Redio (*u*), Charaſio (*x*), aliiſque (*y*) probetur: etſi, inquam, tot, tantiſque auctoritatibus nitatur; non eſt tamen facile ſperandum, populum eo poſſe adduci, ut Celſo (*z*), aut cuiquam credat, venenum hoc *non guſtu, ſed in vulnere nocere*: quam velit, clamet Severinus (*a*), *exſugat noſtra fide quiſquis*; .... *immunis a quaque labe, ab unoquoque detrimento, me fidejuſſore, futurus eſt exſuctor*.

30. Quanquam populum in eo ſapere, exiſtimarem, ſi huic fidejuſſori minime crederet, nullo in periculo exſugentem fore (*b*), tametſi exſugens Celſi (*c*) monitum, a pleriſque eorum quos laudavi, diſerte confirmatum, non attenderet, *ne quod in gingivis, palatove, aliave parte oris ulcus habeat*. Quod Redius monitum, & jure quidem, meritoque, tanti faciebat, ut quod ab aliquo illorum qui cum eo tunc aderant, audiviſſe olim, memini, cum ex iis qui expreſſum a viperis venenum potabant, unus in illud identidem panis cruſtam intingeret, ederetque, increpuerit continuo Redius, ne forte cruſta gingivam, ut interdum fit, vulnerante, ſibi homo per jocum præſens periculum crearet. Qui etiam inter cæteras cauſas, quamobrem circulator commorſum ſibi ab aſpide brachium, imo homines duo ictum ſibi a vipera digitum cum ſuxiſſent, nihilominus mortui ſint, ut Ælianus (*d*), Matthiolus (*e*), & Amatus Luſitanus (*f*) ſcripſerunt, hanc ponendam eſſe, conjecit (*g*), quod os illi haberent fortaſſe ulcuſculo quopiam læſum. Hi tamen, aliique infra (*h*) commemorandi eventus homines terrent, dum quo alicui, quæcunque fuerit cauſa, accidit, idem ſibi quoque accidere poſſe, timent, ii præſertim quibus eſt gingivarum laxitas aut ſcorbutica, aut ad ipſam accedens, quando Matthiolus (*i*) vel ſine hac animadvertit, ſanguinem, a *forti* ipſa *ſuctione facile e gingivis manare*. Terrent etiam monita illa alia quæ plerique eorum quos probare diximus ſuctionem, aſtipulante quoque Avicenna (*k*), inculcarunt, ne ſugens ſit jejunus, utque in ore colluto oleum teneat, & quod exſuxit, continuo exſpuat. Quæ monita eo magis terrent, quod Doctiſſimus ipſe Meadius (*l*) eadem ferme commendat, tametſi id eo dicat, *ne veneni acredo inflammet labia, linguamque exſugentis*, nec immerito, quando cum aliis viperæ venenum guſtans, quamvis cum aqua miſtum, *ſapore eſſe acri & igneo*, percepit, *ut ſi lingua fervido aliquo & urente corpore pertuſa eſſet*, hoc ſenſu duas treſve horas durante; quin ſocius qui non dilutum guſtare voluit, inde retulit cum linguæ aliqua inflammatione & tumore ulcuſculum, biduum permanens. Longe minus terrebantur homines, cum aut Severinum (*m*) legebant teſtantem, ſapore hoc venenum eſſe quaſi *ſorbi immaturi*, ut percepit Branchinus, Pharmacopæus Senenſis præcipuus, cum, ipſo vidente, *lingua libaret ac deguſtaret*, ... *nihil exinde noxæ perpeſſus*, aut Charaſium (*n*) aſſeverantem, *guſtatum, & deglutitum; quod ſæpe ſæpius expertus erat*; *neque homini, neque ulli animali nocuiſſe*; ut quod denique addit, *non detrectaverit ipſemet in os proprium ingerere* vel *abſque ſequente, aut præcedente oris collutione*, aut Redium (*o*) in primis confirmantem, *ſe vidiſſe infinitis vicibus illud lambentibus, & deglutientibus labra non intumuiſſe*, deſcribentemque Jacobum illum ſuum, cum id non ſine voluptate identidem lamberet, aut potaret, idem poſtridie non facturum, ſi oris, aut ventriculi noxam inde retuliſſet, aut ſaporem acrem, & urentem percepiſſet, quem contra, ſcribit Redius, *dulcem inſipidum* veneno illi eſſe, & *ſimillimum ſapori olei amygdalarum dulcium*. Sed de tanto inter Auctores diſſenſu, de uno eodemque veneno loquentes, mox erit iterum dicendi locus. Nunc illud cogita, num ex iſta ipſa diſſenſione hominibus addi poſſit animus, ut ſuctione utantur, præſertim cum pleroſque videant qui ſive ex Veteribus, ſive ex Recentioribus ipſam laudarunt, non uni illi fere plus fidere, quam auxilio quod minus quidem, quam oris ſuctio, ſtatim in promptu eſt, non diſſimili tamen, & certe minus ſuſpicionibus obnoxio, cucurbitularum videlicet; nam poſt utrumlibet alia, atque alia remedia imperant, indicio manifeſtiſſimo, non eſſe igitur exſuctionem præſidium illud quo ſemper credi liceat, venenum e fundo uſque peranguſti vulnuſculi, imo ex anfractibus, in quos inde prorepſiſſe interea poteſt, adſitæ celluloſæ membranæ, aliiſve flexuoſis ſemitis totum penitus eductum fuiſſe. Quod & de cæteris ſeu per ſiphones, ſeu per hirudines, ſeu per alia quælibet, exſugendi modis dictum putato. Cæterum quod de efficacioribus Chirurgicis remediis, ut ſcarificationibus profundis, inuſtione, aut amputatione verba non fecerim, hanc cauſam habeto, quod hæc plerique a vipera icti aut non admittant, dum ſibi eundem quem multis a mitiori curatione fuiſſe, audiverint, felicem exitum pollicentur, aut nimis ſero tandem poſtulant; perrarum enim eſt quod ſcribit Kramerus (*p*), noviſſe ſe quendam, cujus digito, a vipera morſo, totum jam brachium inflammatum erat, jamque febris, crebræ animi defectiones, deliria, ſpaſmi, alia ejuſmodi acceſſerant, & hunc tamen *horis 32. a vulneratione jam elapſis, abſciſſione digiti demorſi curatum* eſſe. Itaque intelligis, cur hæc omiſerim, mitiora pleraque conſideraverim, quorum etiam infra (*q*) ſum quædam alia memoraturus.

31. At enim, inquis, unde igitur tanta aut ſuctioni, aut tot aliis, etiam olim, adverſus viperarum ictus mitibus auxiliis laus parta eſſet, niſi illorum ope homines vidiſſent ſervatos? Ego vero; ut illud omittam, perraro aliquem evaſiſſe qui non pluribus eſſet remediis uſus, ut cui potiſſimum ſalutem deberet, difficile eſſet conſtituere; hoc certe attendendum cenſe-

(*f*) De admirab. Viperæ natura c. 31. in fin. (*g*) A. 1737. (*h*) Expoſ. Mechan. Venenor. Tent. 1.
(*i*) De Medic. l. 5. c. 27. S. 3. (*k*) De Medic. Mat. l. 6. c. 40. (*l*) Meth. medend. l. 13. c. 6. ad fin.
(*m*) Tetrabibl. 4. Serm. 1. c. 10. (*n*) De Re Med. l. 5. c. 2. (*o*) De Meth. Med. l. 6. c. 11. (*p*) 8. Almanſ. c. 1.
(*q*) Inſtit. Chir. l. 2. c. 11. (*r*) Chirurg. magn. l. 3. c. 14. (*ſ*) l. cit. c. 31. & 32. (*t*) Viperæ Pyth. P. 3. c. 5.
(*u*) Oſſervaz. int. alle Vipere. (*x*) Vid. Sepulchr. S. hac 10. in Schol. ad Obſ. 6.
(*y*) Vid. du Hamel Reg. Sc. Acad. Hiſt. l. 4. c. 6 in fin. (*z*) S. 3. cit. (*a*) c. 5. cit. (*b*) Ibid. & alibi. (*c*) S. 3. cit.
(*d*) De Hiſt. Animal. l. 9. c. 61. (*e*) Comment. in Dioſcor. l. 6. c. 40. (*f*) Cent. 3. Curat. Med. 14. (*g*) Oſſerv. cit.
(*h*) n. 33. (*i*) ad c. 40. cit. (*k*) Canon. l. 4. F. 6 tr. 3. c. 1. (*l*) Tent. 1. cit. (*m*) cit. P. 2. c. 4. ad fin. & c. 8.
(*n*) Vid. Sepulchr. in Schol. ad Append. cit. Obſ. 6. (*o*) Oſſerv. cit. (*p*) Commerc. Litter. A. 1735. Hebd. 11. n. 3. in fin.
(*q*) n. 33.

cenſebo, non pauca apud eos qui periculum ſæpius fecerunt, exempla occurrere beſtiarum quæ nullo dato, admotove remedio, aut levia, aut nulla a viperarum morſibus mala perpeſſæ, aut gravia etiam, nihilominus vitam ſervaverint. Sic Redio (*r*) accidiſſe, nec raro, leges. Sic Pariſienſium tum quos olim Hamelius (*ſ*), tum quos ego ſupra (*t*) laudavi, aliæ ſunt huc pertinentes Obſervationes. Quod ſi horum diſcriminum cauſam quæras; multiplicem eſſe potuiſſe, dicam, ſeu mordentes viperas, ſeu morſa animalia ſpectes, ſive utraque. Utriſque communia ſunt ætas, conſtitutio corporis, vires, anni tempus, victus, & regio, a quorum varietate varius eſſe poteſt illatæ, aut acceptæ læſionis gradus. Sic; ut de regionibus dicam; vides quas Severinus (*u*) excipiat, ut quarum viperæ innoxio ſint ictu; quanquam quod de Anglicis ipſi ab Hougtono relatum fuerat (*x*), cum iis quæ alii, & quæ paſſim Cl. Meadius (*y*) ſcribit, minime conſentit, præſertim ubi Redii experimenta ita ſibi in Anglia reſpondiſſe, oſtendit, ut Verneyo antea in Gallia, aut ubi *ſolere ubique*, confirmat, eadem mala a viperæ morſu *ſimili fere modo oboriri*; quamvis, id quod propoſito huic noſtro ſatis eſt, pro *climatum*, & aliorum ferme, quæ diximus, *diverſitate, illa aut augeri poſſe, aut deprimi*, fateatur. Poſſe quoque alterutrum fieri pro varia mordentis viperæ magnitudine, ira, ejuſque veneni acrimonia, facile intelliges, ſi a majori, & magis irata plus veneni in vulnus immitti, & hoc profundius infligi, cogitaveris; nam de acrimonia res vel magis eſt manifeſta, eamque in aliis viperis aliam eſſe, diſcrepantia oſtendit, de qua ſupra (*z*) dictum eſt, inter laudatos Auctores de ſapore, & effectibus in labris, & lingua, veneni hujus; neque enim quiſquam auſit dubitare, quin ea quæ pro obſervatis a quolibet eorum propoſita ſunt, revera fuerint obſervata. Ad hæc illud quod eſt præcipuum, addendum eſt, intereſſe plurimum inter viperam quæ modo ſæpe ſæpiuſque momorderit, & inter illam quæ necdum poſt juſtum temporis intervallum id fecerit. Hanc enim inter impoſtorum fraudes jam olim recenſuit Auctor libri de Theriaca ad Piſonem (*a*), ut viperæ antea quam ipſos, oblatas carnes *aſſidue mordere* clam *cogerentur*; ſic enim *Venenum quod ore continent, ejicerent neceſſe erat*: unde tu e contrario unam deducere cauſam potes, quare nimirum jejunæ viperæ pernicioſius mordeant, cauſiſque addere quas alii excogitavere. Cæterum quod vetus ille Auctor tradidit, confirmavit Redius (*b*), ſe pluries expertum ſcribens, ejicere viperas venenum omne, ſi non primo, at ſaltem ſecundo morſu, ut tertius deinde, & quartus veneno careant: & quanquam infra indicet, tertio quoque poſſe aliquando venenum inferri, imo alibi (*c*) non modo experimentum proponat, unde tertium, ſed & alterum, unde ſextum lethalem fuiſſe, apparet, Pariſienſes (*d*) autem unum, unde ſeptimum; tamen ſi hæc etiam velis quæ rarius accidunt, ſpectare; vides, noſtro propoſito non officere; nam tandem ad eum morſum qui innoxius ſit, perveniatur, neceſſe eſt, citius, aut ſerius, ut minor eſt vipera, aut major, vel certe ut minus, aut plus collectum habet venenati humoris, vel lentius hunc reparat, aut promptius, vel uberius in ſingulis morſibus effundit, aut parcius, vel denique minus, aut magis acrem gignit, ut minima etiam extrema guttula id poſſit quod grandior ſolet.

32. Huc adde quæ morſi animalis peculiaria ſunt, ut magnitudinem corporis, aut parvitatem, cutis duritiem, aut teneritudinem, humorum inertiam, aut acrimoniam, morſæ partis pauciora, aut plura ſanguifera vaſa, nervos, alia hujuſmodi. Nam parva, ſi paria ſint cætera, ab eadem veneni copia, & acrimonia citius interire, & ratio indicat, & Redii (*e*), ac Pariſienſium (*g*) experimenta confirmant. Quapropter mirandum non eſt quod apud primum legimus, cum eadem vipera anates momordiſſet quinque, & continuo tres columbos, neque anates poſtremæ tres periiſſent, primum periiſſe columborum, aut cum aves a viperæ morſu facillime intereant, equum, taurum, aliaque majora, & duriore cute animalia ſæpiſſime non interire; minus enim profunda vulnera accipiant, neceſſe eſt. Nec valde mirarer, ſi quæ in Sepulchretum (*g*) relata ſunt experimenta, ſæpius repetita ad eundem modum reſponderent; ut conſtaret, eas animantes citius necari quæ humoribus præditæ ſunt acrioribus, & magis vividis, tardius autem quæ aquoſioribus, viſcidioribus, & lenti motus, ut quædam ſic interfici nequeant. Et certe cum in una eademque animantium ſpecie alia aliis eſſe poſſit humorum, imo & firmarum partium conſtitutio; qua ratione accipiendum cenſeo quod ſapienter a Pariſienſibus indicatum eſt, credibile eſſe, ex eadem animalium ſpecie quædam magis, aut minus graves effectus pati a vipereo veneno, ut quamvis hoc eadem immittatur copia, & morſus videantur pares; non pariter, aut non æque ſero, aut cito moriantur; cum hæc, inquam, credibilia ſint; hinc videtur intelligendum, quare non ſemper eo quo ab eadem vipera ſunt morſa, ordine animalia unius ſpeciei intereant, ſed aliquando, ut de quinque Charaſii (*h*) columbis, illud primum quod morſum exceperit quintum, & de tribus Pariſienſium ipſorum pullis, illud tardius multo quod ſecundum: quanquam cum ille prorſus ſiluerit, eadem omnes columbæ, an alia parte corporis ſauciatæ ſint, hi vero antea dixerint, non omnes, ſed *ferme omnes* in quibus periculum fecerunt, pullos eadem parte fuiſſe morſos; accedere aliæ cauſæ poſſunt quibus iſtam in moriendo ordinis mutationem tribuamus. Morſus enim illic exceptus ubi plura ſint, & craſſiora, aut perpauca, & tenuiora ſanguifera vaſa, aut nervi, pernicioſior, aut levior eſſe adeo poteſt, ut ipſo prompto & concitato multi ſanguinis effluxu venenum ſimul eadem via rejiciatur, ut ab Redio (*i*) animadverſum eſt: quæ rejectio an forte aliqua ex parte contingeret ſero e vulneribus effluente, ipſe cogitabis; ſeri enim parem effluxum Pariſienſes negant ſe vidiſſe in iis quæ perierunt, animalibus, ac in iis viderunt quæ ſunt ſervata.

33. Facile hic quæres, per venaſne, ut plerique autumant, an per nervos, ut Cl. Meadius (*k*) cenſet, viperæ venenum, aut noxia ejus vis in corporis intima deducatur. Cum primis ut ſentias, præter cætera, fortaſſe illud te movebit experimentum quod in Sepulchreto (*l*) proponitur, ut in canibus *non ſemel* habitum, videlicet ſucco venenato, e viperarum capitibus extracto, pauca aqua calida inter exprimendum ablutis, in ſanguifera vaſa injecto, brevi illos periiſſe. Veruntamen ubi animadverteris, alia etiam complura, quæ minime venenata ſunt, ad eundem modum injecta, brevi pariter mortem afferre (*m*); libentius perpendes quæ a Meadio pro via nervorum producta ſunt. Nam & ipſe antea (*n*) non improbabat venarum viam, præſertim ubi de venenis ageretur immiſſis per animalium ictus, aut morſus. Sed poſtea mutavit ſententiam, & quemadmodum ſumpta, ita & per vulnus infuſa venena aggredi potiſſimum nervos, credidit, cum attendiſſet celeritatem illam mirificam qua viperæ caudiſonæ morſus canem occidit, *non integro* videlicet *minuti temporis quadrante*. Sed & vipera vulgaris cum hominis digitum momordiſſet, iſque, ut ſupra (*o*) commemoratum eſt, os vulneri *ſtatim* admoviſſet, ſanguinemque exſuxiſſet; *hoc facto repente mortuus conci-*

(*r*) Offerv. cit. e Lettera cit. int. alle Oppoſiz. (*ſ*) Reg. Sc. Acad. Hiſt. l. 4. S. 1. c. 1. n. 6. (*t*) n. 26.
(*u*) l. cit. P. 3. c. 1. (*x*) Vid. & P. 1. c. 7. §. 3. (*y*) Tent. 1. cit. (*z*) n. 30. (*a*) c. 12. (*b*) Offerv. cit.
(*c*) Lett. cit. (*d*) cit. ſupra. (*e*) Lett. cit. (*f*) cit. ſupra. (*g*) in Addit. ad Sect. hanc 10. Schol. 2. ad Obſ. 2.
(*h*) Sect. ead. Obſ. 6. §. 8. (*i*) Lett. cit. (*k*) Tent. 1. cit. (*l*) Schol. 2. ſupra cit.
(*m*) Vid. ex. gr. inter inject. Courtenii §. cit. ſupra ad n. 16. (*n*) Vid. Introd. ad Tentam. (*o*) n. 30.

concidit, ſive, ut alibi (*p*) loquitur idem qui vidit, Matthiolus, *derepente in terram cecidit, ubi illico mutus factus deperiit*. Non funeſtus quidem, ſed valde noxius, & ſubitus ab eadem cauſa in Venatore quem Sommerus (*q*) curavit, effectus fuit. Cum enim bina digito a vipera inflicta vulnuſcula ſibi ſuxiſſet; *actutum intumuit lingua æque ac ſi pomum in ore teneret cum loquelæ, & deglutitionis impedimento, obnubilatione viſus, capitis tumore, & gravedine*. Nec vero quia Redii conjecturam protulimus (*r*), ejuſmodi eventuum cauſam in quodpiam oris ulcuſculum rejicientis; continuo credas, venenum hiantes in ulcuſculo venas ſubiiſſe; in hoc enim non venulas ſolum, ſed & nervulos injuriis veneni patere, viciſſim dicere poſſent illi qui cum Meadio ſentiunt. Et ne ſuctionem magis, quam morſum, culpes; vel apud Pariſienſes lege quid Anglo illi acciderit qui in ſe periculum fieri voluit morſus viperini. Scilicet a demorſa manu violentus dolor per totum reliquum ſuperiorem artum ſe extenderat ſtatim, vel prius quam vipera mordere deſiiſſet. Atque ut intelligas dolorem nervis, non ut vulneratis, ſed ut veneno infectis, eſſe imputandum, faciet quod Meadius (*ſ*) ut *memorabile* adnotavit, *parum latraſſe canem, dum vulnus* acu chalybea acuta, forma ſimili viperini dentis, *infligebatur, at veneno* per eandem acum *immiſſo, tum vero ululaſſe*. Sed præter celerrimam, ſaltem aliquando, veneni hujus, aut ejus noxarum progreſſionem, minime ab lento ſanguinis per venas motu repetendam, huc adde Cl. ejuſdem Viri experimenta in ſanguine humano, vitreo calente vaſe excepto, ob adjunctum autem viperæ venenum *neque colore, neque conſiſtentia* quidquam mutato, ut neque tum, neque poſtea internoſci poſſet a pari ſanguinis ejuſdem portione, cui nihil fuerat additum. Neque te illud moretur quod in Sepulchreto (*t*) leges, in occiſis hoc veneno animantibus ſanguinem repertum eſſe coagulatum, imo in corde, & venis omnibus in *polypos admodum tenaces concretum* In eodem enim Sepulchreto contrariæ occurrent Obſervationes (*u*) reperti *fluidi magis, quam coagulati*, aut *ſumme tenuis & acris*, aut *ex parte diſſoluti, & corrupti*, & nuſquam *coagulati*. Quod ſiquas tamen inter has animadvertes quæ grumos, & concretiones proponant; at tu ſæpius laudatos Pariſienſes lege, qui ut referunt, duos in Anglia columbos ſanguinem habuiſſe coagulatum, ita ſe teſtantur in eodem, totque aliis animantium generibus nullum coagulationis indicium, ſed contra fluiditatis ſigna in ſanguine deprehendiſſe. Sed & Redius (*x*), qui tamen in quibuſdam coagulationem illam invenerat, diſerte negat, ſemper in omnibus inveniſſe. Satis igitur apparet, non eſſe *immediatum*, ut loquuntur, & proprium viperini veneni effectum ſanguinem coagulare, ut neque diſſolvere, ſed pro variis hujus diſpoſitionibus, & pro variis præſertim nervorum, ſanguinis motum, ut ſupra (*y*) etiam dictum eſt, mire perturbantium, affectionibus vario modo ipſum vitiari, ut, quod pleraſque relegens indicatarum Obſervationum, intelliges, in aliis quoque ſit rutilus, & vividus, in aliis ater, & ad corruptionem pronus. Quæ cum ita ſint; facile per te vides, quandocunque volatilibus corpuſculis referta medicamenta, a longo jam tempore commendata adverſus viperinos morſus, prodeſſe viſa ſunt, vel in eos caſus incidiſſe in quibus ſanguis ad concretionem vergeret, vel nervis potius opitulando profuiſſe. Quod eo magis dicendum eſſet, ſi quod in botanico Viri Cl. Juſſieu Diſcipulo (*z*) tribus in digitis a vipera vulnerato non ſine eorum fere ſtatim adveniente ſtupore, & tumore, nec levi, ad ipſam quoque manum extenſo, feliciter ſucceſſit ab exhibito, & vulneribus etiam affuſo alkalico volatili remedio, cum oleo ſuccini conjuncto, ſi idem, inquam, remedium, prompte in uſum tractum, ut in magno brutarum animantium numero certe dicitur reſpondiſſe, ita in hominibus ſaltem pleriſque in poſterum reſponderit.

34. Nec tamen propterea negandum eſt, vitiatum ſanguinem eorum qui a vipera icti ſunt, mortem accelerare: imo Pariſienſibus (*a*) dandum eſt, multum ad id facere, præſertim cum a gangræna infectus, quæ fere ſolet cauciatam partem, eique proximas corripere, eandem labem in diſſitas, intimaſque partes traducit, quemadmodum in anſeris corde, & jecinore ab ipſis conſpectum eſt, ab aliiſque nonnunquam fuerat in jecinore, quod *ex nigricante* flaveſcebat, alias in ventriculo, cujus color *quodammodo obſcurus*, non ſine *livoris quadam ſpecie*, aut *magis obſcurus*, itemque in meſenterio, & inteſtinis, in quibus *manifeſtior* is color, aut quæ *maculis lividis hinc inde leviter picta*, ad ingreſſum autem bilarii ductus, *livore, ſeu potius nigrore gangrænoſo* erant *infecta*, ut perlegens indicatas ſupra (*b*) in Sepulchreto Obſervationes, Scholiumque reperies. Interdum tamen accidit, ut non modo hæc ab aliis non adnotentur, ſed ne exterius quidem livor uſquam ullus ſe oſtendat, ut in canicula Francinii (*c*) quæ *nulla corporis parte tumorem* habuit, *aut livorem*: verique ſimile eſt, ab irritatis venenato morſu nerveis ipſis qui ibi ſunt, ramulis contractiones fibrarum fieri, ſanguinem in proximis vaſculis remorantes, unde tumoris, inflammationis, livoris, gangrænæ initium, niſi forte ea corporis, aut ſauciatæ partis diſpoſitio ſit; ut quamvis alibi, ut in illa canicula, nervi citiſſime convelli incipiant; morſa tamen pars neque tumeat, neque liveat, aut quamvis alias celeriter adeo intumeſcat, ut Pariſienſes (*d*) ſcripſerint, eodem quod mordetur, momento initium tumoris animadverti; in illo tamen Nobili Juvene, cujus hiſtoriam a Charaſio deſcriptam habes in Sepulchreto (*e*) *poſt horas demum aliquot* conſpectum ſit. Neque alia ferme, præter variam corporum diſpoſitionem, cauſa videtur afferri poſſe, quamobrem tumor in quibuſdam minus, in nonnullis autem adeo extendere ſe pergat, ut in illo eodem Juvene, toto artu jam occupato, qui ictus fuerat, & proximo hypochondrio, & mamilla, oppoſitum quoque latus jam impetere videretur, in altero autem Pariſienſium exemplo manum oppoſitam ſauciatæ vel multo citius prehenderit, quin Falloppius noſter (*f*), & Albertinus (*g*) ex viperæ ictu viderint totum corpus intumuiſſe; ut Dioſcoridem (*h*) omittam, cujus verba aliter ab aliis (*i*) legi, ſcio. Aliquando tamen incidunt caſus in quibus ſi effectus explicare velis morſus veneficæ cujuſpiam beſtiæ, non ſatis ſit peculiarem corporis diſpoſitionem in medium afferre, velut cum equus (*k*) cujus poſteriorem dexterum pedem mus araneus momordiſſe dicebatur, intra biduum mortuus, diſſecantibus videndas exhibuit non tam adipoſas cellulas a pede ad cervicem uſque ſero flavo turgidas, ſparſimque ſugillatas, flaccidos autem muſculos, & hæc quidem a dextris, quam pulmonem dexterum maculis diſtinctum nigris, & ipſam cordis auriculam dexteram flavam, ſeroque repletam; ſaniſſimis vero muſculis, pulmone, & auricula ſiniſtris: quod diſcrimen neque a virulentia e vulnere in ſanguinem immiſſa, neque a certa ſanguinis diſpoſitione, ſed ab irritatis potius nervis dexteris, ſi auriculas præſertim reſpicias, facile deduces.

35. Ut vero in iis de quibus paulo ante dicebam, ita etiam in aliis viperini veneni effectibus animadvertendas varietates ab alterutra quam commemoravi, cauſa repetes. Quaſdam ex præcipuis hic juvat proferre.

(*p*) Comment. in Præf. Dioſc. ad l. 6. (*q*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. Obſ. 152. (*r*) n. 30.
(*ſ*) Tent. 1. cit. (*t*) in Addit ad hanc 10. S. Obſ. 1. & Schol. 2. ad Obſ 2. (*u*) Obſ. ead. 2. & Sect. ead. Obſ. 6.
(*x*) Oſſervaz. cit. (*y*) n. 9. (*z*) Hiſt. de l. Acad. R. des Sc. A 1747 Obſ. Anat. 2. (*a*) cit. ſupra n. 29.
(*b*) n. 33. (*c*) Lettera cit. n. 29. (*d*) Ibid. cit. (*e*) Append. ad Obſ. 6. hujus 10. Sect.
(*f*) De Tumor. præt. nat. c. 3. (*g*) Opuſc. 2. in Comment Inſt. Sc. Bonon. Tom. 1.
(*h*) De Med. l. 6. c. 10. (*i*) Severin. c. 1. cit. ſupra ad n. 31.
(*k*) Vid. Murry Quæſt. Med. Pariſ. propoſ. die ult. A. 1749. n. 4.

ferre. Vomitum, ſi pleraſque attendas indicatarum Obſervationum, vix unquam abeſſe, credes. At vero Paulus (*l*), Aetius (*m*), Avicenna (*n*), niſi in pluribus deeſſe vidiſſent, hi eſſe *aliquando*, ille eſſe *in quibuſdam*, non ſcripſiſſent. Neque Courtenius (*o*) cum de multis loquatur canibus, neque inter cætera lethargicum quendam ſtuporem, a non multis alioquin memoratum, ut *ſolitum* hujus veneni effectum reticeat, ullum de vomitu verbum facit; quod neque fit in Scholii illius 2. neque in Obſervationis illius VI. experimentis, quæ ſupra (*p*) ex Sepulchreto indicavimus: ſi unum excipias, cui tamen quod continuo ſubjicitur, diſerte hæc habet: *Vomitus nullus ſequutus*. Pariter in iiſdem, & Courtenii experimentis dejectiones quæ dignæ quidem adnotatione fuerint, proponi haud video: quarum tamen vehementia, aut peculiaris natura a pluribus obſervata eſt, & Cl. Meadius (*q*) de cane quem hoc veneno infecerat per acum immiſſo, hæc ſcripſit: *ortæ ſunt turbæ ſolitæ, vomitus, dejectiones &c.* & certe in tertio exemplo hominis a vipera morſi, quod a Pariſienſibus (*r*) eſt deſcriptum, quam violenta fuerint utraque, manifeſtum eſt. Sed in duobus quæ illud præcedunt, exemplis dejectiones ne nominantur quidem, ut neque olim apud Dioſcoridem (*ſ*), Aetium (*t*), Paulum (*u*), Avicennam (*x*): quorum tres priores *tormina*, Avicenna *gravitatem in dorſo*, omnes *urinæ difficultatem*, quin pro hac Aetius *cruenta lotia*, & fere omnes *cruentas gingivas* commemorant. Has tamen, & urinæ difficultatem in recentioribus Obſervationibus non videor legiſſe. Cruenta autem lotia in utroque Harderi (*y*) cane; de renibus autem, dorſo, & torminibus queſtum eſſe hominem in primo illo apud Pariſienſes, ſcio, ut Juvenem quoque Charaſii (*z*) de acerbis, perſtantibuſque circa umbilicum doloribus: in eoque etiam labrorum tumor fuit, quem Redius (*a*) ab Avicenna, ait, eſſe memoratum. Quod ſi hic igitur, illique alii veteres Medici minus frequentia ſymptomata non omiſere; tanto magis dejectiones videntur fuiſſe propoſituri, ſi tam crebro ab ipſis eſſent animadverſæ. Neminem autem memini ſive priſcorum, ſive recentium qui non viderit convulſiones, eaſque aut nomine hoc ipſo, aut convulſivorum ſive motuum, ſive tremorum, ſive tenſionum, ſive horrorum non deſignaverit; aut ſymptoma aliquod, ſine iis haud facile explicandum, non protulerit. Mitto cætera quæ producere non vacat: mitto quæ produxi omnia præter vomitum, quem crebro adeo fuiſſe adnotatum, dixi, tanto autem magis hic attendendum, quod Pariſienſes qui ſupervenire *ſatis conſtanter*, agnoverunt, in ventriculo tamen ullum *ordinario* inflammationis, nedum gangrænæ indicium ab ſe repertum eſſe, negarunt; ut in tot ſaltem quæ diſſecuerant, animalibus a convulſis nervis videatur repetendus.

36. Nec vero facile diſſentiendum eſt ab Doctiſſimo quem ſæpius laudavimus, Viro, cum indidem eſſe deducendum putat, quod morſi a vipera icterici fiant; neque enim tam cito mutare in ſanguine particularum naturam, aut miſcelam admiſtum veneni pauxillum poteſt, quam convulſione adſtrictis in hepate bilariorum ductuum initiis, quæ a ſanguine jugiter ejicienda eſſent bilis corpuſcula, in hoc retinere. Credo autem ipſi, colorem totius cutis intra non integram horam fieri *flavum*, nonnunquam tamen; non ſæpe adeo, ut ejuſmodi effectum *huic veneno proprium* dicere poſſimus. Et memini quidem Cardanum (*b*) legiſſe mirantem, quod *perſæpe in ictu oculi, icti* a viperis *contrahant talem colorem*. Sed & Donatum (*c*) poſtea legi, *raro homines* a virulento ictu *fieri ictericos*, affirmantem, credentemque propterea, hoc iis dumtaxat accidere, quorum ſanguis plurima abundet bile, quæ ſi flava fuerit, flavo; ſi nigra, nigro; ſi porracea, porraceo quoque colore cutem inficiat. Quo ſane infectam fuiſſe, neque adeo cito, ex Galeni (*d*) exemplo conſtat, quod profert; citri autem colore ex altero, quod producit, Avenzoaris (*e*) exemplo, neque a morſu, ut in illo, viperæ, ſed a veneno devorato. Huc adde obſervatum *flavum* icterum a punctione aranearum, ut eſt apud Ettmüllerum (*f*); non ſemper tamen, nec omnium. Videre enim, exempli cauſa, potes, quam graves noxas illa attulerit de qua Cl. Bernerus (*g*), & quam varias, & ſæpe quanto pernicioſiores eæ de quibus ſub Etruſci phalangii nomine ſcripſit Vir Doctus Brogianus (*h*), cujus Tractatus pervellem antea prodiiſſet, quam has, jam ſcriptas, Epiſtolas recenſerem. Ab iis illud quoque adnotavit, per quod cum phalangio Apulo, & cum eo ſcorpio a quo punctum Petrum a Caſtro fuiſſe, dixi (*i*), videntur poſſe comparari, videlicet anno inſequenti eodem tempore ſymptomata rediiſſe. Ab neutro tamen Scriptore tot inter noxas icterum memorari, animadvertes. Porro Ettmüllerus etſi hæc ſubjicit, *ex viperæ morſu ſuboriri ordinario fere icterum, jam Veteres annotaſſe, ſicut Zacutus Luſitanus l. 5. Medic. Princ. Hiſt. 29. refert*; hunc tamen ſi inſpexeris, non plura de eo quidem invenies referre, quam Donatum, quem magis ſequitur, quam ſuſpicari poſſit qui utrumque non conferat; nec bene tamen ubi Braſavoli (*k*) in Tombeſio Obſervationem deſcribit, quaſi Donatus hanc produxiſſet, ut ad icterum ex venenato morſu ſpectantem. Paulus quidem (*l*), & Aetius (*m*), quos uterque laudat, de morbo regio ex venenatis ictibus fecere mentionem; quin Aetius inde etiam *contingere conſueviſſe*, diſerte ait. Sed utriuſque horum ſermo eſt de omnibus, non peculiariter de viperæ veneno, quam etſi alter exempli cauſa nominat, ex ea tamen *porraceo* colore tingi cutem, docet, imo cum peculiarem de ea habet tractationem (*n*), *plumbeo*, Paulus autem (*o*) generatim ponit *coloris vitiationem*, quam Avicenna (*p*) *declivem* eſſe, ait, *ad viriditatem*. Atque ut intelligas, icterum non ſemper, & in aliis alio colore fieri; animadvertas, velim, Dioſcoridem (*q*) ſcripſiſſe, *ſubalbidum* inde *colorem concipi*, horum autem omnium vetuſtiſſimum Nicandrum (*r*),

Nigricat ipſa cutis, plumbi modo fuſca colore,
Cærulea interdum eſt, æriſve ſimillima flori.

Utque ad Zacutum redeamus; habet hic alibi (*ſ*) Obſervationem huc maxime attinentem, & quam in Sepulchretum non relatam eſſe, miror, propter gangrænam in jecinore deprehenſam. Scilicet cum meſſores duos, alte dormientes, eadem vipera momordiſſet, amboſque poſt horam convulſiones variæ concuſſiſſent, eorum alter *in flaviſſimum icterum, poſt decem horas*; *alter*, qui ſervari non potuit, *in nigerrimum, poſt 14. horas lapſus eſt, ita ut Æthiopis formam repræſentaret*. Quas autem icterici coloris varietates, recentiores Zacuto Obſervatores adnotaverint, non poſſum dicere, cum in deſcriptis hominum exemplis, fortaſſe ob regiones, in quibus erant, minus æſtuoſas, ne icteri quidem mentionem factam eſſe, meminerim, ſed neque in tot brutis animantibus, quorum certe oculi, dum etiamtum viverent, aut membranæ paſſim in diſſectis poſt mortem, inſolitum colorem, præſertim flavum, vel curſim inſpicientibus oſtendiſſent.

37. Habes longum, ſed fortaſſe tuis ſtudiis non prorſus inutilem, de Vipera ſermonem ex comparatis inter ſe iis quæ nunc forte in manibus erant non veterum modo, ſed & recentium Auctorum Scriptis; ut non videar expectare a te poſſe quod olim ſuper Epiſtolis de Aſpidis veneno ad Lanciſium datis (*t*) retuli ab Doctiſſimis, & erga me alioquin humaniſſimis Viris, ſcilicet *præſtitiſſe forte propriis experimen-*

(*l*) De Re Med. l. 5. c. 12. (*m*) Tetrab. 4. S. 1. c. 21. (*n*) Canon. l. 4. F. 6. tr. 3. c. 32. (*o*) §. cit. ſupra ad n. 16.
(*p*) n. 33. (*q*) Tent. 1. cit. (*r*) cit. ſupra, n. 29. (*ſ*) (*t*) (*u*) (*x*) capitib. cit.
(*y*) Sepulchr. S. hac 10. in Additam. Obſ. 2. (*z*) ſupra, n. 34. (*a*) Oſſervaz. cit. (*b*) Comment. in Hippocr. Aph. 62. l. 4.
(*c*) De Med. Hiſt. Mirab. l. 1. c. 9. (*d*) De Loc. aff. l. 5. c. non 6. ſed 7. (*e*) l. 1. tr. 13. c. 6.
(*f*) Prax. l. 1. S. 17. c. 3. art. 4. (*g*) Eph. N. C. Cent. 9. Obſ. 49. (*h*) De Venen. Animant. P. 1. (*i*) ſupra, n. 24.
(*k*) Comment. in cit. Aphor. 62. (*l*) De Re Med. l. 3. c. 50. (*m*) Tetrab. 3. S. 1. c. 17. (*n*) Tetrab. 4. S. 1. c. 21.
(*o*) l. 5. c. 12. (*p*) cit. ſupra ad n. 35. (*q*) cit. ſupra ad n. 34. (*r*) apud Severin. Viper. Pyth. P. 3. c. 1.
(*ſ*) De Medic. Princ. Hiſt. l. 2. Hiſt. 115. Obſ. 20. (*t*) in Append. ad Metallothecam Vaticanam Mercati.

mentis fuiſſe me *uſum*, *quam auctoritate Aetii*, *& reliquorum veterum*, *qui in his nimis ſæpe incaute procedunt*. Nempe hic uſus ſum recentium quoque cautiſſimorum hominum experimentis, quibus pariter uſurus fueram in illa diſputatione, ſi ulla eorundem extitiſſent. Nam mea ne in vipera quidem habui quæ ad te mitterem, quippe aliis, atque aliis, cum illa inſtituendi tempus per ætatem fuiſſet, occupationibus diſtentus, & periculi plena tentamina antea averſatus, quam mihi, ut aliis qui diu exercitati in iis fuerant, aut nocerent (*u*), aut abominationem, nedum faſtidium (*x*), crearent. Verum ut hæc me non retraxiſſent; non video, quomodo ab Eruditiſſimis illis Viris poſſent ex me experimenta in aſpidibus expectari, qui in Africa, atque adeo in Ægypto nunquam fuiſſem. Scribit enim Strabo (*y*), *Ægyptiam aſpidem*, de qua potiſſimum noſtra fuerat diſputatio, *proprium quiddam habere præter alias aliorum locorum*. Nam quod aſpides extra Africam etiam, in ipſaque Italia & priſci, & non priſci Scriptores aliqui memoraverint, nimirum vulgi opiniones, & voces ſecuti ſunt. *Quas* enim *vulgo vocamus aſpides*, *nullam habent fere communem notam cum illis* de quibus noſter fuerat ſermo, ut vere Salmaſius (*z*) cenſuit: & certe nec Lucanus (*b*) de aſpide dixiſſet,

Ipſa caloris egens, gelidum non tranſit in orbem
Sponte ſua, Niloque tenus metitur arenas,

neque ab Ovidio (*b*) ſic eſſet deſignata,

Plenaque ſomniferis ſerpens peregrina venenis;

niſi *hæc genera ſerpentium* revera; ut Celſi (*c*) verbis utar; *& peregrina*, *& aliquanto magis peſtifera eſſent*, *maxime quæ æſtuoſis gignuntur locis*. Nec mirum, quando vel intra ipſam Italiam venenati quorundam animalium ictus alia vis eſt in aliis aut magis, aut minus calidis locis. Sic tarantula, inquit Baglivus (*d*) *venenifera dumtaxat eſt in Apulia*, *& præſertim camporum incola*; *nam quæ in montibus Apuliæ vicinis reperitur*, *vel nullo*, *vel non pernicioſo pollet veneno*, tantoque minus vel campeſtres illæ alias in Italiæ regiones tranſlatæ, ut propoſita etiam hiſtoria (*e*) confirmat. Non eſt certe apud nos ejuſmodi terra, qualem apud Hibernos eſſe, animadvertit Lombardius (*f*), ex ea cauſam repetens, cur neque ibi ulla videre animalia potuerit quæ venefica eſſent, & quæ ex his varia illuc attulerat ex Anglia, fere ſtatim ac in Hiberniæ ſolum emiſerat, mori omnia cerneret, inflata pleraque, & convulſa. At ſi tamen aſpidibus, ex Africa huc importatis, illud dumtaxat quod tarantulis, ex Apulia alio translatis, forte accidiſſet; nonne me mea fefelliſsent experimenta? Cum igitur nulla eſset experiendi ſine dubitatione facultas, nec, ſi fuiſset, continuo reſcribendi officium, a me non una de cauſa debitum, faciendi periculi ſpatium daret; quid mihi erat reliquum, niſi ut eorum teſtimoniis uterer, qui morſuum aſpidis effectus aut vidiſſent ipſi, aut eorum qui viderant, Scripta legiſſent?

38. Hic facile ex me quæres, in diſputatione illa de genere mortis Cleopatræ quæ mihi cum Viro Ampliſſimo Lanciſio fuit, quid revera ipſe animo ſentirem, quando exercitationis cauſa, ut fit ſæpe inter Amicos, videtur illa a me ſuſcepta, nec ſecundæ ejus reſponſioni a me repoſitum quidquam extat. Ego vero in re quæ ob vetuſtatem ſine priſcorum teſtimoniis pro certo non poſset definiri, cum forte in Vaticana Metallotheca (*g*) ad morientis Cleopatræ ſimulacrum hæc ab Lanciſio (quem de accepto libro certiorem facere continuo oportebat) adnotata animadvertiſsem: *In brachio aſpis ſpectatur*, *cujus morſu* Cleopatram *occubuiſſe*, *vulgaris fert opinio*: *quamvis alii epoto veneno mortem ſibi conſciviſſe contendant*, ſuſpicatus, extare fortaſſis ignotum mihi veteris Scriptoris locum qui hoc tradidiſſet, nihil magis in utraque Epiſtola ſpectavi, quam ut eum locum, ſi quis forte eſſet, ex Lanciſio elicerem. Eaque mente quæ pro magis vulgata opinione proferri a me ſtatim poterant, & confirmari, ſemel atque iterum ad illum ſcripſi. Quem locum ex ejus unis, & alteris Litteris cum eſſe nullum, intellexiſſem; facile ejus voluntati obſecutus ſum, ut finem facerem diſputandi, in controverſia præſertim, ea qua par fuerit, hinc modeſtia, inde comitate orta, & progreſſa, utramque eximie laudantibus Viris Doctis (*h*); ut minime dubium ſit, quin ex his aliquis a quo *acerrima* fuiſſe dicitur, nihil aliud, quam expromptos utrinque, & contentos ſpectaverit nervos rationum. Noſtrum enim utrique plurimum favet, mihi autem, quæ ejus par doctrinæ, & eruditioni humanitas eſt, tantum tribuit, quantum ne optare quidem auſim. Sed illuc redeo. Itaque ne tum quidem a me aliquid novandum cenſui, cum biennio ferme interjecto, accidiſſet, ut addere Lanciſius Appendicem deberet ad Metallothecam, ſcripſiſſetque ad me, placere Sanctiſſimo utriuſque noſtrum Domino, ut ſimul diſputatio illa quam benigne perlegerat, ederetur, & licere mihi, ſi quid in meis Epiſtolis additum, aut mutatum vellem; quod in ſuis fecit ipſe; ſignificare. Parendum enim imperanti reſcripſi: eo autem magis ab omnibus intellectum iri, non eſſe a me ſcriptas illas, ut vulgarentur, ſi ita, uti ex tempore fuſæ erant, prodirent. Nec tanti ſane erant quæ adjicerem; aliqua erant tamen, quæ tibi nunc indicabo, non ut poſtliminio controverſiam inſtaurem, neque vulgatam opinionem pro certa ſtatuam; ſed ne forte quæ pro hac aut confirmari, aut dici viciſſim poſſent, nulla prorſus fuiſſe, arbitreris. Eorum alia ſunt ab Hiſtoricis, alia a Medicis, alia ab utriſque, ab aliiſque inſuper Auctoribus repetenda. Ex Hiſtoricis Vellejus (*i*), Ælianus (*k*), Florus (*l*) ſummo conſenſu, & ſine ulla dubitatione, aſpidis morſu Cleopatram ſe intereміſſe, tradiderunt. At enim Vellejus adulationis vitio ſupra quam credi poſſit, laboravit, neque inter Hiſtoricos a Quinctiliano recenſetur: Florus puerili deſiderio mirabilia dicendi, veritatis diſpendio ſe abripi, paſſus eſt: & ſi ad has accuſationes, a Sigonio, Lipſio, Scaligero acceptas, aliam ex Verderio (*m*) ſumptam, adverſus Ælianum adjungas; hic quoque dum alius ab Ariſtotele videri vult, a veritate recedit. Verum longe facilius eſſet ſingulorum laudationes ex multo pluribus proferre Auctoribus, quam accuſationes iſtas ex nonnullis perquiſiviſſe. Illas tamen omittimus, cum ad has ſatis ſit animadvertere, nihil ad Ariſtotelem attinere, quo mortis genere olim eſſet Cleopatra peritura: nihilque mirabilis in eo eſſe quod, quam, facto in damnatis periculo, nullum citius ſimul, mitiuſque in perimendo deprehendiſſe venenum conſtabat, quam ab aſpidis morſu, ea ſe quoque hoc ipſo necaſſet: nihil denique adulationis erga Auguſtum fuiſſe, ſcribendo, ab hoc illam morſu potius, quam ab epoto veneno, mortuam. Nam quod Vellejus non ſit a Quinctiliano (*n*) inter Latinos Hiſtoricos nominatus; nec Cæſar ipſe nominatus eſt, credo quod laudabilia quantumvis utriuſque Scripta pro juſta hiſtoria, de qua ibi erat ſermo, non haberet, quando ſua Cæſar ipſe ut Commentaria, reliquerat, Vellejus autem amplius volumen non uno loco (*o*) pollicitus ſumma fere attigerat capita.

39. Sed iis tribus totidem objiciuntur Hiſtorici, qui non idem confirmaverint, Suetonius (*p*), Plutar-

(*u*) Vid. Gentili Annotaz. alla pag. 73. v. 25. della Lett. Filoſ. (*x*) Vid. Redi Lett. int. alle Oppoſiz.
(*y*) De Situ Orb. l. 17. (*z*) Plinian. Exercit. in Solin. (*a*) Pharſal. l. 9.
(*b*) Metam. l. 9. (*c*) De Medic. l. 5. c. 27 S. 10. (*d*) Diſſert. de Tarant. c. 7.
(*e*) c. 11. Hiſt. 8. (*f*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. Obſ. 79. (*g*) ad fin. Armar. 10.
(*h*) Giornale de' Letter. d'Ital. Tom. 33. P. 2. Art. 8. in fin. (*i*) Hiſt. Rom. l. 2. c. 87.
(*k*) De Hiſt. Animal. l. 9. c. 61. (*l*) De Geſt. Rom. l. 4. c. 11. (*m*) Cenſion. in Auctor.
(*n*) Inſtit. Orator. l. 10. (*o*) l. 2. c. 48. 96. 99. 103. 114. 119.
(*p*) De duodec. Cæſar. l. 2. c. 17.

tarchus (*q*), Dio (*r*): imo his duobus contenditur, majorem eſſe fidem habendam, quippe Græcis, eoque in hiſtoria verum diligentius inquirere ſolitis, quam Latini, & in re præſertim ad græcum imperium attinente, ſi loca attendas, propioribus; ſi documenta, inſtructioribus. Non eſt mihi in animo illud Quinctiliani (*ſ*) commemorare: *Græcis hiſtoriis plerumque poeticæ ſimilis eſt licentia*, multoque minus (*t*) *quidquid Græcia mendax audet in hiſtoria*: quin ultro fateor, fuiſſe ex Græcis ſummos Hiſtoricos, quorum ope res etiam Romanas diſcamus, præſertim quod ad ritus attinet publicos. Hos enim, aliaque ejuſdemmodi, ut in quadam Grotii Epiſtola legiſſe videor, adnotant, traduntque diligentius Exteri, quam Cives, qui ceu notiſſima omnibus, inutiliter ſcribi cenſent. Sed & res ab Romanis geſtas ex magnis illis inter Græcos Hiſtoricis permultas diſcimus, in primis ad ea uſque tempora quibus tandem Latini ſua ipſi facta elegantius ſcribere cœperunt. Nam vel *ab initio rerum Romanarum*, ut teſtatur Cicero (*u*), *uſque ad P. Mutium Pontificem Maximum res omnes ſingulorum annorum mandabat litteris Pontifex Max.* Quorum Annalium ſimilitudinem *multos ſecutos* eſſe, dicit; *qui ſine ullis ornamentis monimenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquerunt*, ut major Cato, & Pictor, & Piſo: quæ cauſa videlicet fuit cur ad nos eorum Scripta non pervenerint contra, ac multa illorum qui poſt eos Romanas res ornatius latine ſcribere inſtituerunt. Quo ex tempore me non injuria facturum puto, ſi de modo rei præſertim, quam hic ſpectamus, neutrius partis gloriam augente, plus uni Latino credam in Romana quidem hiſtoria, quam Græcis duobus. Ad Romanam autem, an ad Græcam hiſtoriam ſpectet bellum ab Auguſto, victis, & ad mortis neceſſitatem adactis Antonio, & Cleopatra, confectum, quid attinet oſtendere, cum & dux uterque Romanus, & belli præmium Ægypti regnum fuerit, in Romanam provinciam redactum? At enim & Cleopatra Græca erat, & Græcorum id regnum, ut quorum imperium, & lingua vigerent Alexandriæ. Fuerit; quis enim negat? & Reginæ, & regni a Græcis vetuſta origo. Num Græca propterea & leges, & inſtituta, & lingua, an Ægyptia, an alia poſt annos jam prope trecentos in eo tum regno dominabantur? cujus Reges jam antea *vel ne Ægyptiam quidem* linguam *didiciſſe*, *vel Macedonicam reliquiſſe*, fatetur ipſe Plutarchus (*x*), populi autem illa pars quæ *ab antiquo* ex *Græcis* fuerat, & *communis Græcorum conſuetudinis haud immemor*, jam Polybii ætate, ut Strabo (*y*) docet, *evanuerat*. Nam quod Plutarchus, & Dio locis propiores, documentis inſtructiores fuiſſe dicuntur; tam longum eſt intervallum quod Bœotiam, & Bythiniam, unde illi erant, ab Ægypto disjungit, ut non tanto majus denique videri debeat quod inter hanc, Italiamque interjicitur. At minus certe, id quod præcipue in Hiſtoricis ſpectandum eſt, intervallum temporis fuit, quo propior Cleopatræ morti Vellejus, quam Plutarchus; & Ælianus, quam Dio. Documenta autem num certiora Plutarchum accepiſſe credemus ex avo ſuo, narrante quod a Philota audiverat familiari cujuſdam ex Antonii coquis, an Vellejum, tempori illi quam proximum, ex præſtantibus Viris qui cum Auguſto fuiſſent Alexandriæ, ſæpius audire domi, militiæque potuiſſe, utrobique (*z*), ut nobiles Majores ſui, non ſine illuſtribus muneribus, & ornamentis verſatum? Quod ſi ut huic adulatio objecta eſt erga viventem Tiberium, & necdum omnino peſſimum, ſed *inter bona*, ut ait Tacitus (*a*), *malaque mixtum*, *incolumi matre*, in cujus obitu ſuæ hujus Vellejus hiſtoriæ finem fecit, mox ipſam ad Vinicium inſequenti anno Conſulem mittens; ita placeret Dionem, & Plutarchum accuſare; non deeſſent Valeſii, Rapinii, Bodini, Voſſii, Lipſii cenſuræ, illum ut plagiarium, a vero deflectentem, optimis infenſum, ſæpe adulantem, ſæpe hallucinantem, diſerte arguentium, neque aliorum in Plutarchum majorem in ipſo rerum Romanarum notitiam deſiderantium, nec perveterum ſolum, ſed & earum quæ in tempora non ita antiqua inciderunt: cujuſmodi exempla; ut mittam quod eſt apud Lambinum (*b*); vel uno in facto plura profert Paulus Manutius (*c*), miraturque, *tam turpiter eſſe lapſum*, quod & alibi (*d*) ait, *ſæpe* eidem accidiſſe: quanquam mirum id eſſe negat Bodinus (*e*), *in homine Græco*, *qui ſe linguam Latinam non ſatis intellexiſſe*, *in Vita Demoſthenis* (*f*), *confitetur*. Quo & illud pertinet quod ab Rhodio (*g*) ſcriptum eſt, Plutarchum, *Latinis codicibus uſum*, *in rebus Romanis ſæpiuſcule falli*. Neque ignota ſunt quæ ejuſdem vel in nominibus Romanorum errata notaverat Robortellus, alibi (*h*) a nobis laudatus, aut quod Lipſius (*i*), ubi non Plutarchum modo, ſed univerſe Græcos Hiſtoricos in iis præſertim quæ ad nationes externas attinent, Romanis eſſe præponendos, diſerte negat, *varia* illos *cum in rebus ipſis geſtis peccaſſe*, *tum in nominibus præcipue propriis turpiter lapſos* eſſe, contendens. Verum nos ob cætera eximii utriuſque Hiſtorici, Dionis videlicet, & Plutarchi præſertim, merita, hæc objicere tanto libentius omittimus, quod neuter, ut neque Suetonius, ipſe quoque tanto poſterior Vellejo, negat denique id quod de genere mortis Cleopatræ hic tradidit; ſed etſi idem non affirment, plura tamen habent, ex quibus, cum Medicorum, ad quos tranſimus, diagnoſtica doctrina conjunctis, Velleji ſententiam tueamur.

40. Nam Dio (*k*) *puncturas tantum exiguas in* mortuæ Cleopatræ *brachio repertas eſſe*, affirmat: quales & Plutarchus (*l*) memorat *duas*. Idemque Dio, & Suetonius (*m*) *pſyllos* ab Auguſto eſſe *admotos*, ſcribunt, qui *venenum* ſcilicet *exſugerent*. Unde autem exſugerent, niſi ex illis venenatis puncturis? quibus quam proficuum ſuctio remedium ſit, ſupra (*n*) ex veterum, recentiorumque Medicorum ſententia ſatis demonſtratum eſt. Puncturæ autem exiguæ, & duæ, ut apte congruant cum iis quæ veteres iidem Medici ſummo conſenſu de aſpidis morſu tradidere, altera oſtendit Epiſtola noſtra. Cum obſcuris enim vulnuſculis, quæ *acu* inflicta ſint, omnes compararunt, & diſerte *citra tumorem* eſſe, fere omnes docuere, aliqui etiam *binas* eſſe, non omiſere. Nec vero illos, tanquam ſua ex aliis deſcribentes, deſpicias; neque enim aliena ſemper, ſed & propria ſcripſerunt, quod ex attenta eorum lectione, aut ex Freindii Hiſtoria Medicinæ, ubi de ſingulis verba fecit, proclive tibi erit cognoſcere: & quæ aliena propoſuere, ex Obſervationibus fere ſunt, quas niſi ipſi nobis ſervaſſent, prorſus ignoraremus, excellentium Medicorum. Nec quod Dioſcorides, qui eadem tamen quæ ab illis omnibus, aut ferme omnibus ſcripta eſſe, modo dicebamus, ipſe quoque antea docuerat (*o*), aut non fuerit quem Cleopatræ familiarem fuiſſe, accepimus, aut nullam de hac ab aſpidis morſu interfecta mentionem injecerit; idcirco quæ de exigua, & ſine tumore punctura ſcripſerat, illum conſequente, non credemus: quanquam & facta fortaſſe Cleopatræ mentio poteſt, ut tot alia quæ Maranta indicat (*p*), temporis injuria in Dioſcoridis codice intercidiſſe, nec deſunt adhuc qui Suidæ (*q*) credant, fuiſſe hunc ipſum Dioſcoridem, qui *vixerit apud Cleopatram ſub Antonio*, habentes,

ut

(*q*) Græc. Rom. q. Ill. Vit. in Anton. (*r*) Rom. Hiſt. l. 51. (*ſ*) Inſtit. Orat. l. 2. c. 4. (*t*) Juvenal. Sat. 10.
(*u*) De Oratore l. 2. (*x*) in Antonio. (*y*) De ſitu Orbis l. 17.
(*z*) Vid. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 1. c. 24. & Boecleri Indic. Vellejanum in *Vellejus*, cui adde Velleji l. 2. c. 124. in fin.
(*a*) Annal. l. 5. in fin. (*b*) Adnot. 16. in Cicer. Orat. pro Dejot. (*c*) Comment. in Epiſt. 1. l. 2. Cicer. ad Q. Fr.
(*d*) in Epiſt. 5. l. ejuſd. (*e*) Meth. Hiſt. c. 4. (*f*) in Procem. (*g*) Not. ad Scribon. Epiſt.
(*h*) Epiſt. ad Cel. Polen. de III. Conſul. Frontin. (*i*) Var. Lect. l. 3. c. 20. (*k*) l. 51. cit. (*l*) Vit. Anton. cit.
(*m*) c. 17. cit. (*n*) n. 29. (*o*) De Medic. Mat. l. 6. c. 54. (*p*) Meth. cognoſc. Simplic. l. 2. c. ult.
(*q*) Hiſtoric. ad Vocem *Dioſcorides*.

ut puto, nonnulla per quæ rationes ſecus cenſentium in dubium vocent. Verum ut hæc prætercam; non illud certe moraturum te arbitror, quod tam pernicioſi morſus tam leve, atque obſcurum, quale Veteres docuerunt, videatur eſſe non poſse veſtigium; ſed eo adducturum potius, quod Æliani (r) tempore jam facere conati erant, ut ipſe quoque admirandæ hujus rei cauſam inquiras. Scilicet hanc illi eſſe ponendam in *mirabili celeritate*, exiſtimabant qua id venenum *ad intima tranſeat*, ſicque exterius *nihil extet atque emineat: quare ab Octavianis Cleopatræ mors non facile*, inquit, *oculis comprehenſa eſt, niſi tandem ſero admodum ex duobus punctis difficilibus ad videndum*. Quod ſi tibi vetus illud cogitatum recenti explicatione placeat illuſtrare; tanto facilius uti ea poteris qua ſæpius ſupra uſi ſumus, venenum ponentes nervos adoriri, quanto hoc ab eo veneno fieri manifeſtius eſt quod aſpis mordendo immittit, *ſoporiferum*, ut ante (ſ) retulimus, ab Ovidio dictum, ut ipſa aſpis dicta eſt *ſomnifera* a Lucano (t), eademque mente, doctiſſimorum Virorum judicio, ab Helvio Cinna (u) *ſomniculoſa*, diſerte autem a Solino (x) *hypnale*; ſic enim explicat, *hypnale ſomno necat, teſte etiam Cleopatra*. Nam qua ratione, niſi tenuiſſimam dicas veneni vim per nervos celerrime transferri ad cerebrum, exponas hæc quæ Lucani (y) verbis proferam, ictum ab aſpide alloquentis,

nulloque dolore
Teſtatus morſus, ſubita caligine mortem
Accipis, & Stygias ſomno deſcendis ad umbras.
Non tam veloci corrumpunt pocula letho &c.

Uſus autem ſum non unius Poetæ verbis, non quod de ſomnifero aſpidis veneno, & de *veloci* ex eo *caligine*, ut Dioſcorides ipſe (z) loquitur, verba mihi Medicorum deeſſent, ſed ut intelligeres, vim hujus veneni maxime hypnoticam tam certam, & vulgatam eſſe, ut paſſim non in Medicorum modo, ſed & in Poetarum quoque libris memoretur. Cerebro igitur celeriter adeo, vehementerque occupato, mirum non eſt, ſi ab eo pendentes reliqui corporis vires mox ita collabaſcant, ut tanquam paralyſi univerſali inducta, ideoque ſanguinis motu per tenues præſertim ſubcutaneos ramulos ſufflaminato, in compuncto loco non magis propemodum rubor, livor, tumor ſe poſſint oſtendere, quam ſi cadaver pungeretur. Sic autem ubi aſpidis morſum præſentiſſimus interitus ſequitur, res videtur poſſe explicari: & ſane quam celer in Cleopatra fuerit, ex iis quæ Plutarchus (a) narrat, manifeſtum eſt.

41. At enim Aetius (b), inquis, ab uno quidem aſpidum genere *præſentiſſimam* eſſe mortem, ſcripſit, ab alio autem *in tribus ad ſummum horis*: nec deſunt qui tardiorem eſſe, ajant, & virente jam corpore ac diſcolore. Quin libri Auctor de Theriaca ad Piſonem (c) etſi fatetur, *revera aſpides velociter interficere, ſicut ſæpe ipſe in magna Alexandria ſpectavit*; tamen non continuo inde homines cadere, ſatis oſtendit, hæc ſtatim ſubjiciens: *Cum enim aliquem hoc ſupplicii genere condemnatum ſine longo cruciatu dilationeque necare nolunt, aſpides illorum pectori admovent, ambulareque parumper faciunt, atque ſic ipſos brevi perimunt*. Sed & Plutarchus (d) alteram e Cleopatræ ancillis inventam refert capiti Reginæ diadema aptantem, nec loquendi facultate carentem. Utique; ſed tamen *ſemianimem*, & quæ vix perpaucis editis voculis, continuo cecidit. Nec qui *parumper* ambulabant, idcirco non *brevi*, & *velociter* moriebantur. Et ſiqui diutius vitam trahebant, non illis demum mirum eſt ob id ipſum diſcolor, & virens corpus fieri potuiſſe: quod ſi hoc commune fuiſſet omnibus; pſylli Cleopatræ non eſſent admoti; ſatis enim ejus corpus, ut Plutarchus (e) narrat, *neque deformatum, nec aliud ullum*, præter puncta illa duo, oſtendens *veneni ſignum*, non ab aſpide ictum eſſe, demonſtraſſet. Verum hæc ita diſputavimus, quaſi ubi inter venenatum ictum, & mortem horæ aliquot interceſſerint, fieri non poſſit, quin locus, per quem immiſſum venenum eſt, tumorem contrahat, & livorem. Tamen extant certiſſima exempla quæ oſtendant, vel quinque, aut ſex horis interjectis, quidquam livoris, aut tumoris in eo loco non apparuiſſe, ut in columbis quos Africani ſcorpii ictibus occidit Redius (f). Sed neque in cane quem Monſpelienſis ſauciaverat ſcorpius, quincta exinde hora mortuo, tumoris quidquam in ſauciata parte offendit Cel. Maupertuiſius (g), cum alioquin tumor ſoleat vel apis, aut veſpæ puncturam ſequi; verum in cujuſque ictus loco parvum tantummodo rubrum punctum: negatque, in tot animalibus quæ ad idem adhibuit experimentum, unquam aliter ſe vidiſſe. Atque ut ad animal aſpidi ſimilius, id eſt viperam ſermonem convertam; ex iis certe quæ ſupra (h) ſcripſi, in Francinii catella noſti partem nullam corporis lividam, aut tumidam fuiſse vel plures poſt horas ex quo lethales a vipera acceperat morſus, in Nobilis autem Juvenis (i) digito quem altero dumtaxat dente vipera ita vulneraverat, ut graviſſima ſint conſecuta ſymptomata, poſt horas demum aliquot tumorem apparuiſſe, cum ad id uſque tempus nil niſi *punctura* cerni poſſet *non major ea quam infligit acicula, foramine in ſuperficie minimo apparente, cum leviſſima rubedine, adeo ut ſolo colore innoteſceret*. Quod ſi interdum non plus a vipera eſt; quanto minus eſſe ab aſpide illa poterit, cujus veneni vis ut celerrime ad cerebrum repit, ſic tempus ſauciato loco non relinquit, ut liveat, & in tumorem ſe attollat.

42. Nunc quid Plutarchus, & Dio, ſi cum aliis præterea conjungantur Auctoribus, nobis ſuppeditent, videndum eſt, unde facilius tueamur ſententiam magis vulgatam. Igitur ex Plutarcho (k) hoc primum habemus, Cleopatram, neque ſtupido, neque humili animo fœminam, cum priuſquam in Auguſti poteſtatem veniret, quid ſibi imminere poſſet, proſpiceret; mori potius, quam ex regina ſervam fieri, & ante victoris currum per triumphum duci, ſtatuiſſe. Hac mente vim ingentem venenorum paraſſe, & de ſingulorum effectibus in capite damnatis periculum feciſſe, nempe ut ſibi illud ſeligeret, per quod non modo ſine dolore, ſed & celerrime obiret, ne forte, ſi mors tardaret, invita remediorum ope vivere cogeretur. Quodnam igitur ex omnibus elegiſſe, credemus? Mineralia certe repudiaſſet, quippe utrique ejus voto adverſantia, ſi tunc illis inter venena uſi eſſent, quod factum non memini legiſſe, præſertim cum artificia illa chymica necdum eſſent nota per quæ pernicioſæ eorum vires acuuntur. Ex Vegetabilibus, & ex Animalibus in uſu erant, nec ars varia deerat, ut quam celerrime necarent, quarum una ex Suetonio (l) intelligitur, cum venenum intra quinque horas occidens, mox a Locuſta *iterum ac ſæpius recoctum*; credo, ut multo maxima parte diſſipata aquearum particularum, veneficæ confertiores forent; *ſtatim exanimavit*. Quod venenum ſive ex Vegetabilium, ſive ex Animalium, ſive ex utrorumque ſuccis conſtabat, tametſi Cleopatræ notum fuiſſet, ut facile notum erat quod ex Animalibus eductum efferæ Nationes adhibebant ad tingendas ſagittas, quale apud

(r) c. 61. ſupra ad n. 38. cit. (ſ) n. 37. (t) l. ibid. cit. (u) apud Gell. Noct. Attic. l. 9. c. 12.
(x) Polyhiſt. c. 29. (y) l. cit. (z) c. 54. cit. (a) Vit. cit. (b) Tetrabibl. 4. S. 1. c. 20.
(c) c. 8. (d) Vit. cit. (e) Ibid. (f) Eſper. int. agl' Inſetti.
(g) Comment. ſupra cit. ad n. 25. (h) n. 34. (i) Hiſtor. ibid. indicata. (k) Vita cit.
(l) De duodec. Cæſar. l. 6. c. 33.

apud Scythas Plinius (*m*) memorat, *irremediabile*, quantum ipſe ait, & *mortem illico afferens levi tactu*; tamen ut mortis celeritatem probaret, cruciatum brevem illum quidem, ſed acerbiſſimum, averſaretur, cujus indicia cruciatus ex convulſionibus, ut opinor, vehementibus cognoviſſet, quas ut Locuſtæ illud venenum ſtatim conſecutas eſſe, ex eo conjicio, quod lethalem ejus effectum per ſpeciem comitialis morbi, cui Britannicus eſſet obnoxius (*n*), ſtatim Nero occultari poſſe, credidit: Nicholſii autem aquam, ex laurocéraſo paratam, rapidiſſime quidem perimere; ſed non ſine vehementibus convulſionibus, refert Meadius (*o*): denique ex Reaumurii (*p*) experimentis conſtat, leviter puncta animalia ſagittarum mucrone, venenata compoſitione quadam illito ab incolis oræ Maragnoniæ, cito quidem interiiſſe; ſed, quod diſerte de urſo narratur, ante mortem ſe concuſſiſſe, atque agitaſſe. Ob has igitur, aut ſimiles cauſas factum eſſe, exiſtimo, quod Plutarchus narrat, ut Cleopatra, venenis primum aliis fruſtra tentatis, ut pote quæ minus ambobus ſuis reſponderent votis, ad animalia, quod & Dio (*q*) ſcribit, converſam, & per multos dies fruſtra pariter expertam, comperiſſe tandem, per *ſolum ferme aſpidis morſum* ſe poſſe voti utriuſque compotem fieri. Quæ ſi omnia attenderis; facile intelliges, cur rejectis aliis quæ illico necarent venenis, quorum aliqua in promptu habuiſſe, infra (*r*) oſtendemus, longe credibilius ſit, aſpidis prætuliſſe morſum, præſertim cum cætera quæ de puncturis exiguis illis duabus & de admotis pſyllis ſupra (*ſ*) dicta ſunt, apprime conveniant. Nam quod Doctus Vir iis qui minus attente legant videri fortaſſe poteſt iſtis de pſyllis ita ſenſiſſe, quaſi ab Auguſto illudendi tantum ſtudio fuiſſent adhibiti; ſatis eſt Suetonium (*t*), & Dionem (*u*) inſpicere, ut eo animo id ab Auguſto factum plane cognoſcamus, quo Cleopatram *ſervari triumpho magnopere cupiebat*, & quo poſtquam per pſyllos *qui venenum ac virus exſugerent*, ſervari vidit non potuiſſe, *magnopere doluit, omni ſe triumphi ſui gloria ſpoliatum eſſe ratus*. Quod ſi ipſe qui ſtatim adfuit, & corpus inſpexit, & qua erat potentia, & ingenio tum perquirere ex omnibus, tum diſpicere omnia potuit, illam aſpidis morſu enectam credidit, ut refert Plutarchus (*x*); *nam in triumpho, Cleopatræ imaginem tulit cum aſpide mordicus affixa*; cur non quod ipſe, nos quoque credamus? præſertim cum alia inſuper accedant quæ ex Plutarcho eodem, ex Dione, ex aliiſque, etiam Medicis, Auctoribus continuo proferemus.

43. Quid enim potius ſignificat quod pro certo tradit Plutarchus (*y*), eodem quo Cleopatra obiit, die, atque adeo paucis ante obitum horis illata ad ipſam ex agro ciſta, *ficuum plena*, & *foliis* operta, niſi quod poſtea dictum eſſe, ait, aſpidem in ciſta fuiſſe abditam? idque etiam ex aliis refert Dio (*z*); tametſi *in urna* dicat *illatam aſpidem*, *aut inter flores quoſdam*, Auctor autem libri de Theriaca (*a*) *contectam ficubus & uvis*. Quæ cum attendo, illud ſimul videor poſſe conjicere, nempe cujus generis aſpis fuerit. Cum enim tria eſſe genera, traderent (*b*) alias ptyades, alias terreſtres, alias chelidonias appellantes, primas autem *bicubitales*, alteras interdum *quinque cubitorum longitudine*, tertias *cubito* dumtaxat *majores* inveniri, docerent; has ultimas non modo ut facile reperiendas, quippe circa fluviorum ripas, proximi *præſertim Nili*, latibula habentes, itemque ut celerrime præ cæteris necantes; ab harum enim *ictu* mors *præſentiſſima adeſt*, verum etiam ut quæ propter ſuam brevitatem multo facilius ſub floribus, foliiſque abdi poſſent; has, inquam, cum Cleopatræ opportuniores, tum præcipue ad fallendos qui januam cuſtodiebant, aptiores fuiſſe, non dubito. Conſentit autem pervetuſtus, doctuſque Artifex ſimulacri Vaticani, qui ut moribundam Cleopatram perire expreſſit quaſi placide dormientem, ita & brevem aſpidem brachio adjunxit, eique ſiniſtro, credo, hoc quoque a priſco aliquo Scriptore accipiens, a quo & Oroſius (*c*) Hiſtoricus alioquin ſæculi quinti, videtur accepiſſe. Verum ſive res ad eum modum ſe habuerit, ſive, ut alii ferebant apud eundem Plutarchum (*d*), *ſervata aſpis fuerit in vaſe quodam incluſa, & per fiſtulam auream a Cleopatra provocata*; utralibet narratio eo demum tendit, ut aſpidi ſe mordendam præbuiſſe, cenſerent. Vides igitur, ut quæ Plutarchus, aliique referunt, cum iis congruant quæ Vellejus, atque alii, initio laudati, tradiderunt. Eandemque ſententiam ſibi magis placuiſſe, ſatis oſtendit, quem paulo ante memorabam, libri de Theriaca (*e*) Auctor. Qui ſive Galenus fuit, ſive alius Galeni certe contemporaneus, ut qui *non multis ante ſe annis fuiſſe* Andromachum, ſcribat (*f*), *Marcum* autem *Antoninum paulo ante Romanum imperium ſumma integritate adminiſtraſſe* (*g*): non eſt a nobis contemnendus, ut pote qui, ſi ætatem ſpectes, neque Dione junior, nec tanto denique Plutarcho poſterior fuit, quippe imperante Hadriano & Plutarchum vixiſſe, & Galenum eſſe natum, conſtat; ſi vero experientiam attendas, unus ex omnibus quos produximus, diſerte ait, ut ſupra (*h*) legiſti, ſe Alexandriæ ſæpe vidiſſe, quomodo, & quam celeriter interficiant admotæ aſpides. Nec quia ptyade; quod tamen ab ſuperiorum nemine traditum inveni; uſam eſſe Cleopatram, ſcribit, id eo voluiſſe factum, intelliges, ut a ptyade conſpueretur; *tardius* enim inde *mors conſequitur*, ut proditum ab Aetio (*i*) eſt; ſed ut morderetur; nam & mordet, ut idem ſubjicit, & mordendo, ut Galenus ait apud Paulum (*k*) *celerrimam mortem inducit*. Imo niſi forte Paulus alium aliquem in libris qui interciderunt, ſpectavit Galeni locum; hunc ipſum de Theriaca librum pro Galenico habuerit, neceſſe eſt, & hinc ſumpſerit quæ ut a Galeno dicta, proponit, videlicet tria illa aſpidum genera, & in his ptyadis, ut ſputo diſſitos aſſequatur, ingenium, & hac ſe occidentem Cleopatram. Utrobique enim hæc habentur. Sed quod in libro de Theriaca Regina dicitur *ſibi* ptyadem *admoviſſe*, id Paulus de morſu accipiendum eſſe, jure quidem meritoque non dubitavit; nam admovere, ut inſpueret quæ eminus ſolita ſit, minime neceſſarium. Quæ vero mox de celeri damnatorum interitu per admotam pectori aſpidem in eodem libro illo ſubjiciuntur, ea fortaſſe Paulus cum ſuperioribus connectenda arbitratus, Pictorum, Sculprorumque licentiæ præeuntem Galenum induxit, quaſi Reginam ſcripſiſſet, ptyadi *ſiniſtram mammam admoviſſe*, & *ab hac commorſam periiſſe*. Quod ne credamus, Plutarchus, & Dio faciunt, negantes, ut ſupra (*l*) vidimus, in mortuæ corpore ſignum uſquam ullum apparuiſſe veneni, præter duo exigua in brachio puncta. Quæ res ad id etiam valet, ut merito ab eodem libri de Theriaca Auctore factum eſſe, cognoſcamus, cum aliam quorundam narrationem iis verbis retulit ex quibus ipſi minus probatum eſſe, intelligimus, de *magno* videlicet, *ac profundo vulnere*, quod *brachio ſuo dentibus intulerit* Cleopatra, & de *veneno*, *quod prius ex aſpide paraverat*, *in pixide quadam ad ſe allato*, & mox ei *vulneri infuſo*.

44. At exigua iſta in brachio puncta ut de magno, profundoque vulnere narrationem refellunt; ſic, inquis, aptiſſime congruunt cum alia, quæ etſi non apud ejuſdem libri Auctorem, at apud Dionem (*m*) extat, aliorum narratione. Scilicet acu qua

(*m*) Nat. Hiſt. l. 11. c. 53. (*n*) Vid. Tacit. Annal. l. 13. (*o*) in Append. poſt Tentam. 5. de Venen.
(*p*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. A. 1747. Obſ. Anat. 1. (*q*) l. 51. cit. (*r*) n. 44. (*ſ*) n. 40.
(*t*) c. 17. cit. ſupra ad n. 39. (*u*) l. 51. cit. (*x*) Vita cit. (*y*) Ibid. (*z*) l. 51. cit. (*a*) c. 8.
(*b*) Vid. Aetii c. 20. ſnpra ad n. 41. cit. (*c*) Hiſtoriar. l. 6. c. 17. (*d*) Vita cit. (*e*) c. cit. (*f*) c. 5. (*g*) c. 2.
(*h*) n. 41. (*i*) c. 20. cit. (*k*) De Re Med. l. 5. c. 18. (*l*) n. 40. 41. (*m*) l. 51. cit.

qua capillos componere ſolita eſſet Cleopatra, inter eoſque geſtare, tunc detracta, & præſentiſſimo veneno inuncta brachium ſibi pupugiſſe. Tu vero fac, Redium (*n*) legas, ubi experimentis edoctus admonet, ſi vulnus quod infligis, anguſtum ſit, difficile eſſe venenum immittere: & qualecumque vulnus ſit, non ita celeriter mori animalia per quorum vulnera viperinum injicias venenum, ut quæ vipera ipſa momorderit. Et poſt hæc cogita, num credibile ſit, incerta & minus celeri moriendi ratione uti illam voluiſſe, quæ certam, celerrimamque mortem quærebat. Nec tamen de ſic immiſſo veneno, ſed de epoto noſtra erat potiſſimum diſputatio. De quo cum in tot narrationibus nulla uſquam, ut ſupra (*o*) diximus, occurrat mentio; ne forte illuc trahi poſſe, putes, hunc Plutarchi (*p*) locum: *venenum Cleopatram habuiſſe compertum eſt in laminula quadam concava, quam ſub crine occultabat*, fuiſſeque illud ſuſpiceris aut ejus ſimile quo illitis ſibi convivalis coronæ floribus, hiſque mox in ſcyphum conjectis, *eductum cuſtodia bibere juſſerat, illico expirantem*, ut eſt apud Plinium (*q*), aut ab eo non diverſum quod non multis ab Reginæ obitu luſtris Alexandria Hieroſolymam, ut Joſephus (*r*) tradidit, miſſum eſt ad Herodem necandum, id eſt *aſpidum virus, aliorumque ſerpentum ſucci*, quo epoto veneno quidam *capitis damnatus ſtatim mortuus* eſt; ne igitur hæc ſuſpiceris, non illud ex eodem Plinio (*ſ*) proferam: venenum aſpidum *potum quantalibet copia, non nocet. Non eſt enim tabifica vis: itaque occiſa morſu earum animalia, cibis innoxia ſunt*, quæ cum Redii aliorumque in viperino veneno experimentis (*t*) conſentiunt: neque alia in univerſum dicam, quæ in mea altera ad Lanciſium Epiſtola attigi, unde conjicias, id venenum ad idem potius quo Dio crinalem acum inunctam ſcripſit, attinuiſſe, nihil videlicet, ſicut aperte retulit, niſi per vulnus nocente. Unum modo ex Dione eodem, & Plutarcho adjiciam, unde continuo præclare intelligas, non ex ſumpto quod in concava lamella ſub crine geſtaret, veneno Cleopatram interiiſſe. Dio enim (*u*) pro certo narrat, priuſquam ſe occideret, Epaphrodito, cui mandata erat ejus cuſtodia, epiſtolam ad Auguſtum perferendam dediſſe, ut is *occaſione epiſtolæ reddendæ e medio removeretur, eoque digreſſo, rem propoſitam eſſe executam*. Plutarchus (*x*) pariter ſine ulla dubitatione tradiderat, ſe interfecturam, tabellas ad Auguſtum ferendas dediſſe, *& cæteris omnibus a ſe præter duas mulieres dimiſſis, januam clauſiſſe*. Quid, amabo te, ut ex lamella venenum ſumeret, attinebat, Epaphroditum, cæteroſque e medio removere, & januam claudere? Num, cum dormire noctu, crederent, non poterat, nemine advertente, lamellam ſibi e capillis detrahere, ex eaque venenum ſumere? Aliud igitur, quod non niſi remotis arbitris, id prohibituris, fieri poſſet, ſibi tunc faciendum conſtituerat, *aſperas* videlicet *tractare ſerpentes, ut atrum* non ore, ſed *corpore*, uti Horatius (*y*) loquitur, *combiberet venenum*. Cujus ego teſtimonium graviſſimum credo cum aliis de cauſis quas datis ad Lanciſium Epiſtolis indicavi, tum ob eam præſertim quod ille, ut verbis utar minoris Plinii (*z*), *quæ ſtatim, cum maxime vera memorantur, audiverat, eſt perſecutus*.

45. Num tamen erat aliud præter aſpidum tractationem, quod, remotis arbitris, ut ſe veneno inficeret, potuerit Cleopatra facere, & fortaſſe fecerit? Nam forte, cum hactenus ſcripſiſſem, in locum incidi Græci quidem, ſed gravis, & Vellejo contemporanei Auctoris, qui locus in hac controverſia non videbatur omittendus. Strabo (*a*) enim hæc ſcripſit: *ipſa ſe Cleopatra clam admoto aſpidis morſu, vel veneno delibutorio confecit; nam utroque modo dicitur*. Apparet ergo, ſi veneno iſto voluit corpus ſibi perungere, decuiſſe antea januam claudere, & neminem apud ſe præter ancillas retinere. At tu priuſquam hoc dicas, Plutarchum (*b*) lege. Videbis, eo die Reginam balneo uſam, corpus, ut tum ſolebant, nemine admirante, aut prohibente, unguento quo vellet, ungere potuiſſe, tum prandiſſe, & magnifice quidem (unde novum capere argumentum poſſes, non ſe igitur veneno mox devorando, aut potando necare conſtituiſſe quæ per tot facta pericula ignorare non poſſet, quantum præſumptus cibus ingeſti veneni vim aut impediat, aut tardet (*c*)) dum pranderet, ciſtam illam, ficubus, & uvis plenam, ut juſſiſſe antea videtur, cum aſpide fuiſſe illatam, tunc vero denique & tabellas obſignatas ad Cæſarem dediſſe, & remotis arbitris, januam clauſiſſe. Igitur ex hac ipſa rerum ſerie intelligis, num veri ſimilius ſit unguento venenato, an aſpide ſe interfeciſſe. Huc adde, qui tam attente, & caute eam cuſtodiebat Epaphroditus, ut captæ *veſtem*, quod ſupra Plutarchus tradidit, continuo *excuteret*, *ne quid ſub ea occultaret veneni*, illum unguentarias pyxides ſine diligenti examine, & exploratione non fuiſſe facile relicturum, aut quod multo promptius, & tutius erat, in alias innoxio unguento quantivis pretii plenas mutaturum, quando ei mandaverat Auguſtus hoc *maxime, ut provideret, ne illa ſibi mortem inferre poſſet; cæterarum rerum omnium facultatem permitteret*. Unum igitur reliquum eſt, ut conjicias, pauxillum fuiſſe venenati iſtius unguenti, ut in lamella illa *concava*, de qua ſupra (*d*) dictum eſt, *ſub crine occultari* potuerit. Sic enim *in famoſa* quoque *veneficiis Martina*, *ſubita morte*, cum Romam accuſata adduceretur, *Brundiſii extincta*, apud Tacitum (*e*) legitur, *venenum nodo crinium ejus occultatum, nec ulla in corpore ſigna ſumpti exitii reperta* eſſe. At ſi forte ſic conjicias; argumentum redit quod ſupra (*f*) contra eorum opinionem adductum eſt qui ea lamella venenum incluſum fuiſſe, contenderent, quo Cleopatra devorato ſe interfeciſſet. Cum enim unguenti pauxillum non toti corpori perungendo, ſed certis dumtaxat partibus, ut puta naribus, aliiſque ejuſmodi, ſatis eſſet; quid referebat interdiu januas claudere, & arbitros amovere, ut id faceret quod noctu, cum dormire videretur, nemine ſuſpicante, facere potuiſſet? Accedunt tot alia, quæ iterare non oportet, cum unguento illo minime, cum aſpidis autem morſu apprime congruentia, admoti pſylli, binæ in brachio animadverſæ puncturæ, cætera: inter quæ ſunt perantiqua ſimulacra, quibus nonnihil tribuendum eſt, illudque præſertim quod diſputandi occaſionem attulit, in quo aſpis eſt ſic brachio alligata, ut ipſa vinculi conſtrictione irritari, & ad mordendum incitari videatur. Nec te illud moretur quod objicitur, quaſi nemo audere potuiſſet aſpidem vinculo ad brachium aſtringere, ne ſe potius, quam illud, morderet. Quid enim aliud illæ quærebant ancillæ duæ, niſi ut eodem ſimul cum domina fato interirent, contubernalis Eunuchi exemplum ſecutæ, quem Dio (*g*) refert, ſtatim ac ea capta fuit, *ſerpentibus ſe ſe ultro mordendum præbuiſſe*. Reliqua autem quæ de molli, timidoque mulierum animo, de una aſpide ad tres mulieres morſu interimendas non ſatis apta, & ſi quæ ejuſmodi alia aut ex Redio, aut aliunde objici poterant, tum editis antea Epiſtolis, tum hac quoque mihi videor diluiſſe.

46. Hæc habui quæ ad eaſdem illas Epiſtolas adderem, non ut iis quæ contra ingenioſe, & docte a Viro Ampliſſimo ſcripta ſunt, anteponeres, ſed ut

(*n*) Lett. int. alle Oppoſiz. (*o*) n. 38. (*p*) Vita cit. (*q*) Nat. Hiſt. l. 21. c. 3. (*r*) De Bello Jud. l. 1.
(*ſ*) Nat. Hiſt. l. 29. c. 4. (*t*) ſupra, n. 30. (*u*) l. cit. 51. (*x*) Vita cit. (*y*) Carm. l. 1. Od. 37.
(*z*) l. 6. Epiſt. 16. (*a*) De ſitu Orbis l. 17. (*b*) Vita cit. (*c*) Vid. ſupra, n. 10. (*d*) n. 44.
(*e*) Annal. l. 3. (*f*) n. 44. (*g*) l. 51. cit.

ut collatis inter ſe utriſque , facilius tibi eſſet diſpicere , an pro ea ſaltem parte ſteterim quæ a veri ſimilitudine non longe denique in diſputatione hac abhorreat . Quæ etſi per ſe non magni momenti eſt ; ob ea tamen quæ ejus cauſa tum ex Hiſtoria , tum ex Re Medica , tum aliunde etiam , proferre oportuit , tibi cui poteſt eſſe aliqua fortaſſe ex parte utilis , legendi faſtidium , ut opinor , mihi certe extremum hunc ſcribendi laborem allevavit ; ut quibus verbis , a me ſæpius laudatus, Auctor libri de Theriaca (*h*) ſuam Piſoni de Cleopatræ interitu narrationem abſolvit, iiſdem propemodum & mihi licere credam hanc tibi ejuſdem argumenti tractationem concludere : *Hæc non ſine animi voluptate tractavi , ut tuo diſciplinarum omnium deſiderio ſatisfacerem .* Vale.

(*h*) c. 8.

FINIS LIBRI QUARTI.

JO. BAPTISTÆ
MORGAGNI
DE SEDIBUS, ET CAUSIS
MORBORUM
PER ANATOMEN INDAGATIS

LIBER QUINCTUS:

Quo plura adduntur ad ſingulos quatuor ſuperiores Libros attinentia.

Celeberrimo Viro

JOANNI FRIDERICO MECHEL

Illuſtri Anatomico, & Medico

Joannes Baptiſta Morgagnus S. P. D.

QUI ex Tuis primis ad me Litteris, Berolini datis die 23. Julii anno 1754. quanto minus opinatum, tanto pluris æſtimabilem nuncium acceperim, REGIAM iſtam Scientiarum ACADEMIAM perbenigno omnium conſenſu me inter ſuos Honorarios Sodales retuliſſe, & abs Te, Vir Illuſtris, tunc petierim, ut Inclyto eidem Cœtui gratias meis verbis ageres quas poſſes, cumulatiſſimas, nunc pariter rogo, ut pro Tua eximia erga me Humanitate, quam vel ante iſta pro me officia ex laudatiſſimis Tuis Scriptis perſpexeram, meos hoſce libros velis, exiguum quidem, ſed quo majus in præſentia dare non poſſum, memoris, obſequioſique animi ſignum, Academicis Sapientiſſimis offerre. Satis mihi, ſuperque fuerit, ſi propter ea quæ ex Veſtris, Veſtrique ſimilium Summorum Virorum Obſervationibus ſæpius indicavi, omni certe commendatione digniſſima, æqui bonique feceritis non tam cætera quæ a me ſunt, quam propoſitum ipſum meum. Præcipuum autem, ſi quæris, hoc fuit, ut me meliores Anatomicos excitarem ad id publici boni cauſa præſtandum, ad quod Vir Experientiſſimus Richardus Meadius excitare voluit Medicos exemplo ſuo. Mori enim, ut ſcis, noluit, quin antea colligens quæ longo uſu cognoverat hominibus profutura, Monita, & Præcepta Medica, tanquam *legatum*, ut verbo ipſo ejus utar, relinqueret. Utinam Anatomici quoque ſeneſcentes quæ inter diſſecandum vidiſſent ad morborum cauſas ſpectantia, colligerent, ederentque, ne laborum, moleſtiarum, atque adeo periculorum ſuorum longe melior fructus ſecum periret.

Tanto enim *utilior* hæc Anatomes pars eſt, *quanto ad cauſas morborum dignoſcendas magis idonea*, quemadmodum magnus & Medicus, & Anatomicus cenſebat, ut noſti, Bartholomæus Euſtachius (*a*), ſero conquerens, tot annos non in hac potius ſecunda, quam in priore Anatomes parte, quæ ſana corpora examinat, tantumque ſtudium poſuiſſe. At enim ſecunda ſine priore ſtare non poteſt, nec ſine priore cognoſcere licet Partium uſus ad medendum adeo neceſſarios; quaſi vero & ſecunda ex certæ Partis læſione cum certæ Functionis impedimento conjuncta, ad veros uſus non modo confirmandos, ſed & illuſtrandos, imo nonnunquam inveniendos, ad falſos autem refellendos mirifice non inſerviret. Nam quod ſecunda ſine priore ſtare non poſſit, nos quidem ultro fatemur, qui aliquando vel nobiles Medicos, nedum vulgares Chirurgos, vidimus hoc, vel illud viſcus, propter mutatam, morborum vi, ſedem, figuram, & cum colore ſpeciem, non agnoſcentes, quod nos ex nexibus, & vaſorum origine quodnam eſſet, continuo indicavimus, mox per diſſectionem demonſtrantes. Quin omnibus qui ſatis ſint in priore Anatome exercitati, proclive eſſe, exiſtimamus, errores graves, & in graviores inducturos dignoſcere, qui ob ejuſdem exercitationis defectum in quaſdam irrepſerunt, quæ in Sepulchreto leguntur, Obſervationes: & bene de Anatome ſecunda meritos Peyerum (*b*), & ante hunc, Thomam Bartholinum (*c*) laudamus, qui aliorum Obſervationibus hujus generis, Obſervationes Anatomicorum longe eſſe præferendas, admonuerunt, & felices tum fore Artes, confirmarunt, ſi ſoli de illis judicarent Artifices. Sed cum hæc de priore Anatome fatemur, ſimul contendimus, verum eſſe quod initio ponitur vetuſti libri, qui *de Anatomia Parva* inſcribitur, perperam alioquin inter Galenicos inſerti, priorem videlicet inſtitutam fuiſſe a Medicis propter ſecundam. *Quoniam interiorum membrorum corporis humani paſſiones erant ignotæ, placuit veteribus Medicis*, ille Auctor inquit, *ut per anatomen brutorum animalium, interiorum partes manifeſtarentur*. Aut ſi hoc

(*a*) de Renib. c. 45. (*b*) Meth. Hiſt. Anat. Med. (*c*) Conſil. de Anat. Pract. & cæt. n. 12.

hoc omittimus, illud certe negari non poteſt, priorem Anatomen ob id potiſſimum ab hominibus permitti, a Principibus autem etiam protegi adeo, & promoveri, quia pro ſecunda eſt neceſſaria. Permagni enim cum ſingulorum intereſt, tum univerſorum, internas morborum cauſas, & ſedes a Medicis non ignorari, ſeu ſingulos illi, ſeu totas ex infelici hæreditate familias vexent, ſeu civitates occupent, & provincias. Medici autem vel ſummi fatentur, vix tres, aut quatuor ex omnibus eſſe morbos qui ſuum habeant ſignum παθογνωμονικόν, ita videlicet proprium, ut ab aliis cunctis diſtinguat; cæteros autem non niſi per conjuncta plura ſigna internoſci propterea quia fere non ex ſimplici ſunt cauſa, & quæ unam tantummodo Partem afficiat. Valde igitur avent primum ſingularia illa ſigna, & maxime propria, ſi fieri poteſt, augere; deinde vero, ſi id non poſſint, at ex conjunctis pluribus, ut dictum eſt, ſignis quæ in quoque morbo præcipua ſint, conſtituere. Animadverſum eſt enim ſæpius, quæ præcipua, & ferme propria crederentur, reipſa non eſſe, cum ſine ipſis eædem intus læſiones repertæ ſint quas deſignare illa putabantur, aut cum longe aliis læſionibus ſigna eadem.

Hæc, atque alia, quæ Tibi, Vir Doctiſſime, non ſecus ac mihi, & legere, & audire, & videre non raro contigerit, & in iis occurrentes aliquando morborum cauſæ novæ prorſus, & inauditæ juſtas medentium querelas confirmant de abditis morborum cauſis, & ſedibus non ſatis adhuc perquiſitis. Quod cum minus certe Anatomicorum negligentiæ, quam rei ipſius naturæ immenſæ propemodum, & interminatæ imputandum ſit; nihil propterea fieri humano generi utilius poteſt, quam ſi primum quicunque Anatomen colimus, omnes, id quod Tu ſtrenue facis, & ipſe pro mea virili parte facere non prætermiſi, omnes, inquam, conatu unanimi connitamur, ut quanto plures id genus Obſervationes poſſimus, in publicum bonum conferamus: tum deinde; ne in poſterum accidat quod non ſemel antea accidiſſe, dolendum eſt, ut cum Auctoribus Obſervationes intereant; Profectores cunctos rogemus, ut quas prius non ediderint, ſeneſcentes colligant, atque edant, ſi non meum, at Meadii certe, qui imitatione dignus eſt, exemplum ſequentes, nec pauca tamen, ut ille, ſed omnia quæ diligenter obſervarint, ſumma cum fide proponentes. Sic enim, aut non aliter, poſſe tandem aliquando fieri, ſperandum eſt, ut poſteris tantus ſuppetat numerus Obſervationum, quantus, ſi ab ſolertibus, attentis, & ſtudiorum labori aſſuetis Viris morbi ſymptomata in earum ſingulis, & Partium læſiones, tum in aliis omnibus haud diſſimilis generis & illa, & hæ inter ſe conferantur, quantus, inquam, ſatis ſit, ut in pluribus ſaltem morbis ad id denique aut perveniant, aut accedant, ad quod nunc maturum non eſt, aſpirare. Neque ſpes deeſt, meum hoc conſilium haud eſſe iis Anatomicis diſpliciturum quibus cordi ſit Rei Medicæ, & publicæ utilitatis incrementum; quando aliqui Egregii Viri, rumore dumtaxat de hiſce a me edendis Obſervationibus, ut videntur, excitati, ſuarum editionem repræſentarunt. Quod ſi propoſitum hoc meum a Te quoque, ab aliiſque Clariſſimis Viris, & nominatim ab Inclytâ iſta Academia probabitur; nihil mihi contingere optatius poterit. Vale.

D. Patavii Prid. Kal. Septembr. A. CIↃIↃCCLX.

JO.

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI

AD AMICUM

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LX.

Spectat ad Apoplexiam.

CREDEBAM, me tibi ſatis jam, ſuperque feciſſe, & quod in extrema ſuperiore Epiſtola non reticueram, noviſſimo de his quidem rebus ſcribendi labore perfunctum eſſe. Ecce autem litteræ tuæ, quibus ita gratias agis, ut ſimul non obſcure ſignifices, expectari a te Obſervationes illas meas quas ſuo quamque loco inſerere non potuerim, quippe habitas poſtea quam ſingulas abſolveram Epiſtolas, ad quas attinerent: idque eſſe a te ſatis intellectum, non modo quia noſti, quotannis alia a me, atque alia cadavera perluſtrari, verum etiam quia nonnullas ex hujuſmodi Obſervationibus, a me tibi ſubinde inter ſcribendum promiſſas, necdum accepiſti. Quid dicam? Jus poſtulas, ab homine præſertim, niſi remittere ultro velis, promiſſorum ſervantiſſimo. Fac igitur ſaltem, ut eadem qua priora, comitate hæc quoque excipias, quæ, ut potero, addam, initium repetens a morbis cerebri, & primum quidem ab eorum graviſſimo, Apoplexia.

2. SENEX apoplecticus in Noſocomio Patavino deceſſerat circa initium Decembris A. 1744. quo ibi tempore ſtudioſis Adoleſcentibus partes quaſdam humani corporis oſtendebam. Plura, ut ſolitus ſum, diligenter ſciſcitatus, vix hæc ſcire potui, ante dies triginta apoplexia correptum, nuper demum ſine ullo ſenſu, & motu, oculis valde rubentibus, in eum locum fuiſſe illatum. CRANIUM dum circumſecabant, Thoracis viſcera, paulo ante detracta, inſpiciens, in pulmonis dexteri ſuprema parte duritiem animadverti qualis a vetere morbo relinqui ſolet. Continebat autem mediocre tuberculum in quo materia purulenta. Cor polypoſas habuit concretiones, nihilque adnotandum præbuit, niſi valvularum Semilunarium aggeres craſſiores factos, & albicantes.
His amotis viſceribus, ad retectum interim Cerebrum oculos, manuſque converti. Exteriore meninge detracta, unum diſcrimen apparuit inter ſiniſtrum cerebri hemiſphærium, & dexterum, quod hujus ſuperficies poſterior nigricare in medio, & multum rubere videbatur. Nigrities autem a vaſis erat quæ per Tenuem meningem repunt, nigro ſanguine valde ibi diſtentis; rubor a ſanguine qui inter illa vaſa, tanquam per exſudationem, effuſus, ſpatia, vaſis interpoſita, quaſi cruſta longe tenuiſſima occupaſſe videbatur: vel potius, quoniam nihil ibi revera effuſi invenire licuit, a ſanguine vaſcula omnia minima, quæ confertiſſima ſunt, infarciente. Tum utroque Laterali ventriculo aperto, in ſingulis pariter ſerum valde cruentum conſpectum eſt ad drachmam fortaſſe unam, anteriora dumtaxat tenens, plexu Choroide utroque pallidulo, integro autem ſepto Lucido. Integrum quoque erat intus extraque hemiſphærium ſiniſtrum, & quidquid præterea eſt intra calvariam, ſic ſatis ſanum, uno excepto hemiſphærio dextero. Namque intra hujus medullarem ſubſtantiam erat cavea, medium ferme tenens ſecundum omnes hemiſphærii plagas, longa digitos tranſverſos minimum quinque, lata duos, & ſemis, totidemque profunda, pleniſſima nigro ſanguine, magna ex parte fluido, ex reliqua autem quaſi in grumos concreto. Quo detracto, caveæ parietes fœde lacerati, & inæquales apparuerunt. Circumjecta ipſis ſubſtantia erat laxiſſima, non medullaris ſolum, ſed &, quæ totius corporis Striati, totiuſque thalami nervi Optici externum latus, & quæ proximæ baſis utriuſque illius Protuberantiæ nonnullam partem faciebat.

3. Quomodo cavea iſtiuſmodi in cerebro fieri, & quam exitialis illarum Protuberantiarum vicinia tunc eſſe videatur, cum alias (*a*) ad te ſcripſerimus, hic iterare non eſt opus. Illud potius quæres, cum tanta, & ejuſmodi in loco, cerebri labe quomodo vivere homo potuerit triginta dies? Noli exiſtimare, ſic rem ſtatim ac apoplexia ingruit, ſe habuiſſe. Multo ſane eſt veri ſimilius, tunc ex intimo quopiam diſrupto vaſculo non multum exſtillantem ſanguinem illam ſibi caveam parare cœpiſſe, ipſam vero non illico ad eum modum ad quem nos conſpeximus, amplificaſſe; ſed paulatim porro exſtillando, id paulatim quoque feciſſe, donec tot viis ſpirituum perruptis, & tot aliis ſuo aucto pondere, & mole compreſſis externum omnem ſenſum, motumque, & poſtremo internum quoque ſuſtulit, mortemque ſic attulit: vel, quod facilius crediderim, novo demum quacunque de cauſa accedente impulſu, pluribuſque ſimul diſruptis vaſculis, repentina, magnaque eruptione hæc quæ ultimo dixi, non ita pridem effeciſſe. Utralibet ratione cogitanti proclive erit tibi non modo quod quæris, ſed illa etiam intelligere, cum ſigna quædam primum exiſtunt quæ ſanguineam minentur apoplexiam, quam utile ſit alimentorum, acribus præſertim, tenuibuſque particulis abundantium, copiam minuere, ab nimiis corporis, animique motibus abſtinere, ſanguinem educere, ubi vero ejuſmodi ingruerit apoplexia, tanto magis illum imminuere, &, quod alias videor ad te ſcripſiſſe, ea vitare auxilia quæ commovere, & agitare intempeſtive ipſum poſſint, ut reme-

(*a*) Epiſt. 3. n. 9. & 18.

remedia, volatilibus corpuſculis fœta, & quæ vomitum cient, ſternutationem movent, alia ejuſmodi.

4. AGRICOLAM in idem intulerant Noſocomium, cum ibi docerem ineunte anno 1748. media ætate hominem, ſubpinguem, apoplexia, quæ tertia eſſe dicebatur, forti adeo correptum, ut e via in qua ceciderat, ab Noſocomio non ita diſſita, in hoc protinus exceptus, jam ſtertens, totoque corpore reſolutus, ut nullum uſquam ſenſus, aut motus indicium daret, pulſibus autem ſic exilibus, ut mittere ſanguinem non ſint auſi, intra ſeptem, an octo horas interierit. Quarto poſt die hæc mihi omnia narrata ſunt, ſimulque cadaver ad diſſectionem oblatum. Quod priuſquam attingerem, fruſtra quæſivi, quo tempore, quibus præcedentibus cauſis, aut comitantibus ſignis, aut relictis noxis duæ illæ quæ prægreſſæ dicebantur, fuiſſent apoplexiæ; nihil enim de illis, aut de hac ultima præter ea quæ dixi, reſcire potui. Attamen cum vaſa circa caput turgida conſpicerem, & in ſubpingui corpore tam violentam apoplexiam fuiſſe, audirem; conſertiſſimæ Studioſorum coronæ dicere non dubitavi, mirum fore, ſi a ſanguine illam fuiſſe, non oſtenderem. CALVARIA igitur continuo adaperta, cum id fieret, multoque magis cum cerebrum eximeretur, niger non paucus ſanguis defluxit; evidens autem erat, etiam ex Infundibulo exire. Ejuſmodi ſanguis non modo vaſa omnia diſtenderat quæ per Tenuem meningem, cerebrum, & cerebellum conveſtientem, feruntur, verum etiam ſub hac in medio hemiſphærii ſiniſtri, inter vaſa effuſus erat non ita multus: multus autem in ventriculis omnibus. In Lateralibus enim prærer grumum qui duas, ne dicam tres, uncias pondere æquare videbatur, fluidus ſanguis reliquam partem ferme omnem eorum ventriculorum, & tertium inſuper, quartumque occupabat. Cum unde erupiſſet, inquirerem; ſic reperiebam. Siniſtri ventriculi ſuperficies poſterior, & Thalami qui in eo erat, nervi Optici ſua inæqualitate lacerationem prodebat: quam multo magis prodebat ſuperficies ventriculi dexteri, utpote quæ non modo ubique erat inæqualis, verum inſuper vix ullum veſtigium ſervabat Thalami ſui, nullum autem prorſus Striati corporis, cujus ſedem tenebat ſubſtantia quædam lurida, colore ex ſubrubro, & ſubflavo quaſi miſto, mucoſa, plane corrupta, ſine ullo tamen gravi odore. Ventriculi utriuſque cavum erat amplificatum, ſeptum Lucidum perruptum, Fornicis veſtigium nullum, plexuum Choroidum vix ullum, idque a ſiniſtris dumtaxat, nec turgidis vaſculis, ſed pallentibus. Quarum rerum nulla eſſe poterat admiratio, ubi tanta effuſi ſanguinis copia fuerat, quantam diximus, & ex eo concreverat amplus ille grumus qui dexteram ſiniſtramque cavi partem, ſed hanc magis, tenuerat. Ob eam igitur effuſionem ſanguinis tantam ne hoc quidem ſum miratus, quod ventriculi tertii latera non ita perſpicue apparuerint ſive a compreſſione, ſive a diſtractione, ſive etiam a laceratione ſubſederant; nam ipſa quoque natium, & teſtium proxima ſuperficies ita lacerata erat, ut dignoſci eæ Protuberantiæ non poſſent. Ad hæc quæ præter naturam in capite conſpecta ſunt, duo ſuperſunt quæ addam, nimirum Vertebralem arteriam ſiniſtram, antequam in Baſilarem conflueret, ſubduram, craſſam, albam ex dimidia fuiſſe parte: Molares autem poſteriores, inferioreſque dentes pleroſque aut truncos, nigroſque etiam in radicibus fuiſſe, ut a dextris, aut penitus excidiſſe, ut a ſiniſtris, idque a tempore non ita brevi; nam alveolorum ne indicium quidem reſtabat ullum, imo ipſum oſſeum maxillæ corpus jam ſe ibi contraxerat, ſubſederatque. Et ne a capite oſſeum ejus fulcrum productamque in hoc cranii caveam diſjungam; cum vertebras cervicis omnes, pluresque thoracis reſeratas, incluſamque medullam Spinalem inſpicerem, vidi inter hanc, & Piam, quam vocant, meningem in ſuperioribus quidem thoracis vertebris ad ſpatia non modica effuſum ſanguinem, huncque a facie poſteriori, ab eademque meningem illam ita e carneo rubentem colore, nullum ut ſanguiferum in ea vas a capite ad thoracis fere medium agnoſcere liceret, cum ab anteriori facie arteria quæ ſimplex per medium ferebatur, diſtenta ſanguine conſpiceretur. Sed & Craſſa meninx qua vertebrarum interna latera conveſtiebat, a ſubſiſtente ſanguine quaſi nigricabat.

Thorax, quem, ut quædam ex paulo ante ſcriptis, diebus inſequentibus perluſtravi, cor habuit in homine ſubpingui non pingue; quod cum ſanguine atro, & concreto haud multo, continebat paucas, & modicas concretiones polypoſas, in dextero tamen ventriculo paulo majores, ut una Pulmonarem ſubiret arteriam. Cordis ſubſtantia erat valde laxa. Coronaria vena, qua baſim cordis a tergo cingit, æquo latior: Pulmonaris arteria non ipſa quidem latior; ſed tenuiores habere parietes, ut valvulas quoque, viſa eſt: amplior vero Sinus cordis ſiniſter, qua venoſos e pulmone excipiebat ramos. Valvulæ alterius Mitralis imus limbus craſſior fuit: Semilunarium aggeribus non magnæ, ſed craſſiuſculæ, increverant oſſeæ concretiones. Magna tamen arteria illuc uſque unde ſiniſtram emittebat ſubclaviam, ſana. Inde vero albas oſtendere in facie interiore, & poſteriore præſertim, maculas non raris locis, incipiebat: quarum nonnullæ, & prima potiſſimum, in oſſeam ſquamam degeneraverant. Reſpondebat illa prima canali arterioſo, ibi olim patenti, nunc, ut ſolet, occluſo; niſi, quod in hoc homine, raro exemplo, ejus, unde incipit, orificium in arteria Pulmonari hians vidi, ut ſpecillum immittere ad ſeſquilineam Bononienſem potuerim. In Ventre quæ præter naturam eſſent, hæc adnotavi. Renis utriuſque ſuperficies fuit quaſi tuberoſa; ſed leviter: alterius inſuper quodam loco ſubſidebat, qui locus ambitu circumſcriptus erat circuli, cujus diameter tranſverſum digitum æquabat; ſuberat renis ſubſtantia, ibi duriuſcula, ad modicam tamen altitudinem. Iliacæ arteriæ ambæ flexuoſæ, atque, ut ſic dicam, varicoſæ ferme inſtar Splenicæ arteriæ: in ſiniſtra vidi lamellam oſſeam. Cætera quæ in cadavere hoc perluſtravi, fuerunt intra naturæ modum.

5. Unde potiſſimum tanta ſanguinis copia in Laterales cerebri ventriculos erupiſſet, plexuum Choroidum univerſalis propemodum deſtructio indicat, quorum vaſa forſitan hic illic dilatata, repente diſſilierint. Potiſſimum dixi; nam vaſa quoque alia quæ per ventriculorum Lateralium ſuperficies ducuntur, in harum dilaceratione, quam ſanguinis, e plexibus effluentis, impetus non ſolum, ſed & copia diſtrahens fecerit, ipſa pariter dilacerari ſimul debuerunt. Veri autem ſimile eſt, ſanguinis majorem partem e vaſis dexteris exiiſſe; nam a dextris laceratas omnes ſuperficies, & plexum totum abſumptum vidimus. Nec vero quod magnus ille ſanguinis grumus in ſiniſtra magis, quam in dextera parte fuerit, obſtare id credas huic conjecturæ; ſed potius favere. Prima enim, & major reſolutio cum in latere corporis fieri conſueverit quod cerebri hemiſphærio opponitur magis læſo; credibilius eſt, hominem ſiniſtrorſum cecidiſſe (*b*), ideoque ſanguinis majorem copiam, perrupto Lucido ſepto, e ventriculo dextero in ſiniſtrum defluxiſſe. Caſum autem in ſiniſtrum latus illud etiam indicat quod ſanguis ſub Tenui meninge effuſus in ſiniſtri fuit hemiſphærii parte, non dexteri. Cujus in eo quoque major læſio fuit, quod pro Striato corpore mucoſam habuit ſubſtantiam. Cujuſmodi mutationem in ſubſtantia cerebri, alias (*c*) ad te ſcripſimus, non ſemel a nobis fuiſſe deprehenſam. An vero bis prægreſſæ in hoc homine apoplexiæ iſta mutatio effectus ex parte fuerit, an vaſorum dilatatio, an laxiores redditæ certæ quædam cerebri partes, cum pro certo definire non liceat; ad tertiam præſtat apoplexiæ ſanguineæ hiſtoriam tranſire.

6. MULIER pinguis, & ſemper, quantum noti meminerant, clauda, annos nata quinque & octo-

---

(*b*) Vid. Epiſt. 2. n. 25. & Epiſt. 3. n. 14. (*c*) Epiſt. 9. n. 16. & ſeqq.

octoginta, quæ olim nupta vigeſies pepererat, apoplectico inſultu correpta primum fuerat æſtate proxima, altero autem diebus decem priuſquam tertio conficeretur. Omnes ad eundem modum inceperant, vomitu præcedente. Sed duo illi priores brevi, & ſine remediis, nullaque relicta paralyſi ſoluti fuerant. Hic autem noviſſimus intra horas ſexdecim peremit illatam in Noſocomium ſine ullo ſenſu, & motu, ſi reſpirationem, pulſuſque excipias: quorum hi abſque ullo vitio erant, & prementibus digitis reſiſtentes; illa autem ſine ſtertore pectus alterne attollebat, & ventrem. Kalendis Februariis A. 1754. cum in Gymnaſio jam ventris viſcera propemodum omnia ex alio cadavere demonſtraſſem; hoc deinceps uti ad reliquam Anatomen abſolvendam incepi. IN VENTRE hæc præter naturam animadverti. Vaſorum Magnorum trunci ambo latiores viſi ſunt, præſertim ut in muliere. Quod ſi ad tot uteri geſtationes referas; non eodem referes certe oſſium inchoamenta; imo oſſeas ſquamas quibus paſſim arteria Aorta, natæque ex hac Iliacæ, & bini in quos hæ ſingulæ dividuntur, rami interiore facie diſtinguebantur. Quæ ſi ab ætate fuiſſe, dixerimus; ætatis dicemus fuiſſe morbum. At neque ab ætate, neque ab uteri geſtationibus profecto fuit vitium reni ſiniſtro innatum, quod tibi alias (*d*) me pollicitum eſſe, memini, in cujuſdam Vetulæ, hujus videlicet, hiſtoria expoſiturum. Ren ille a primo videri poterat præter omnem modum longus. Sed paulo attentius defixis oculis, tranſpicere aquam licebat, quæ incluſa ejus augebat longitudinem. Oculorum judicium tactus, & multo magis ipſa diſſectio mox confirmarunt. Nimirum ſic educta eſt aqua ſubflava, quæ vaſe excepta, omnibus qui aderant, viſa eſt pondus æquare unciarum quatuor. Hæc ſub propria renis tunica qua ſuperius ejus viſceris extremum conveſtit, hanc ad eum modum ſurſum verſus expanderat, ut producti renis ſpeciem effingeret. Craſſior facta erat expanſa tunica, intuſque extantes plicas, & quaſi inſtitas firmas, ſed abnormiter poſitas, oſtendebat. Teſtis uterque ſphærulas habuit quaſi geminæ lineæ Bononienſis diametro, intus cavas, ſed prorſus inanes, quarum parietes intus extraque albicantes, craſſiuſculi, & firmi adeo, ut in una præſertim ſphærula quæ extrorſum protuberabat, oſſei viderentur; quamvis firmitudine revera eſſent inter cartilagineam, & nerveam media. Thorax pulmones exhibuit, quorum dexter lateri adhærebat, ſanos; tametſi in bronchiis multa inerat craſſa, ſed fluida ſic ſatis, materia. In corde omnia ſecundum naturam, ſi valvulam Semilunarem unam excipias, cujus ſummi limbi particula prope aggerem jam ferme erat oſſea. Proxima tamen pars aliqua arteriæ Magnæ; nam reliquam in Thorace quidem non diſſecui, nihil quidquam oſſei habuit. Diaphragmatis centrum, ut vocant, nerveum nec figura erat qua ſolet, neque amplitudine; foramine autem non uno, ſed tribus pertundebatur: quod tamen alias quoque, nec ſemel, vidimus (*e*), duobus ſcilicet, quæ majori attigua erant, minoribus ad duas ex jecinore venas traducendas ſpectantibus, quæ ſi in Cavæ truncum infra diaphragma, ut plerumque ſolent, non, ut hic, ſupra, ſe immiſiſſent, non tria, ſed unum fuiſſet in tendine illo foramen. Artus quoque ſuperiores peculiare quiddam habuere. Cum enim Longum Palmarem muſculum in brachio dextero non ita ut ad originem ſolet, craſſum, & carneum, ſed vel ibi tenuem, & ferme tendineum eſſe, animadvertiſſem; rectum autem in ſiniſtro, eſſe ad originem conſpicerem duplo quam dexterum, craſſiore carne, & longius deſcendente; quis hujus diſcriminis effectus, & quæ ex parte cauſa fuiſſet, ſuſpicatus, ex Anus domeſticis quæri, juſſi, an forte pro dextera, manu uti ſiniſtra conſueviſſet, qui ſic reapſe conſueviſſe, retulerunt. Verum huc magis ſpectant quæ in artubus inferioribus claudæ hujus fœminæ deprehendi. Claudicaverat in latus dexterum: neque cauſa in luxationem, quæ nulla erat, neque in acetabula referri poterat, quippe quæ inter ſe comparata; nec ſede, nec poſitu, nec profunditate quidquam diſcriminis oſtendebant. At ſi femorum oſſa inter ſe conferres, evidens inter utrumque apparebat diſcrimen, ex quo intelligeres, artum dexterum ſiniſtro breviorem, ut reapſe erat, eſſe debere. Os enim femoris dexterum tanto erat brevius ſiniſtro, ut ſi utrumque juxta poneres, ſumma capitis illius pars infimæ hujus parti reſponderet. Cauſa autem hujus brevitatis erat major illius oſſis, quam hujus, curvitas, eaque manifeſtiſſima. Nec præterea deerant in illo oſſe vitia alia, ut minor capitis ad imum latitudo, ſubſidentia nulla inter majorem trochanterem, & cervicem, & quemadmodum hæc, ita ille æquo erat craſſior; ut, ſi mulier unquam gracilis fuit, potuiſſet cuipiam exploranti Chirurgo iſta craſſitudo imponere pro luxatione. Erat item os illud femoris a cervice ad longitudinis ſuæ ſaltem medium juſto craſſius, & curvaturæ convexam partem ad externum latus converſam habebat, &, quod conſequitur, ejus condylorum poſterior facies ſiniſtrum femur ſpectabat, ut crus quoque, & pes non poſſent recte eſſe poſita. Quæ omnia cum attenderis; facile intelliges; hæc artus inferioris vitia aut a primordiis, aut ab infantia extitiſſe; itaque non mirum eſſe, quod mulier ſemper claudicaſſet.

Caput denique cujus potiſſimum cauſa hanc tibi diſſectionem deſcripſi, adapertum eſt, detractaque Craſſa meninge, vaſa quidem per Tenuem ducta ſanguine diſtenta conſpeximus; ſed nihil hujus, aut ſeri effuſum uſquam repertum eſt, donec cerebri, cujus ſubſtantia erat firma, ſiniſtrum hemiſphærium ſecando, ad hujus ventriculum perventum eſt. Tunc enim prodire cœpit cruentum ſerum, nec paucum, ex non pauco videlicet ſanguine qui in eo ventriculo concreverat. Ejuſmodi ſerum in ventriculo quoque dextero, & in Tranſitu, quem vocant ad ventriculum quartum, invenimus, ſed nullam uſquam pro certo læſionem, unde ſanguis erupiſſe videretur: quanquam latuiſſe in ſiniſtro ventriculo, arbitramur. Tunc cultro ad cerebellum, quod undique integrum exterius apparebat, tranſlato, ecce intra ejus dexterum lobum caveam, neque ita parvam, offendimus, ſanguinis in grumos concreti pleniſſimam.

7. De claudicationis expoſitæ cauſis ſatis modo dictum eſt. De aliis alias & diximus (*f*), & dicemus (*g*). De duabus autem quæ hanc ultimam præceſſerant, apoplexiis illud credibile eſt, reliquiſſe utramque in cerebro, & cerebello eas diſpoſitiones quæ, nullis præſertim remediis adhibitis, faciliorem aditum paraverint tertiæ, ut diſruptis internis vaſis mulierem necaret. Quæ quoniam vaſa non intra cerebellum dumtaxat, ſed intra cerebrum quoque perrupta ſunt, ut effuſus in utroque ſanguis oſtendit; duo idcirco quæ ex diſſectione hac deduci potuiſſent ad cerebellum attinentia, incerta ac dubia reddiderunt, nempe an læſionem alterius ipſius lobi reſolutio in oppoſito corporis latere conſequatur, itemque an a cerebello pulſus pendeant, & reſpiratio. Quid enim ſi tantummodo cum mors inſtabat, illa in cerebello cavea ab irrumpente ſanguine producta eſſet? vel quid, ſi reſolutio quæ utrinque fuit, a ſanguine in utrumque cerebri Lateralem ventriculum effuſo eſſet repetenda? Verum de utraque illa quæſtione dilucidius agendi alia, quæ ad te ſcribetur, noſtra obſervatio (*h*) occaſionem præbebit. Nunc vero ne forte ſuſpiceris, ſanguineam illam quæ celerrime necat, apoplexiam ſine diſruptione vaſorum eſſe non poſſe; tribus quæ cum hac diſruptione propoſitæ ſunt, totidem quæ ſine illa aut celerrime, aut ſatis cito necarunt, protinus ſubjiciemus.

8. VIR, ut videbatur, quadragenarius cum A. 1756. ante Januarii finem Mediolano pedibus Patavium veniſſet, laſſus adeo, ut mox Noſocomium peteret, in quod ob laſſitudinem, non ob febrem ullam, exceptus eſt, dum ibi extra lectum adhuc, ſedens cibum caperet, forti apoplexia repente perculſus, ſine ullo externi motus, & ſenſus indicio, nocentibus potius, quantum viſum eſt, quam

(*d*) Epiſt. 38. n. 41. (*e*) Epiſt. 5. n. 9. (*f*) Epiſt. 56. paſſim (*g*) Epiſt. 69. n. 2. 10. & ſeq. (*h*) Epiſt. 62. n. 15.

quam opitulantibus, venarum ſectionibus, intra biduum vivere deſiit. Cadaver nobis ad perſequendam Publicam Anatomen datum eſt. Quod dum faceremus, antequam aperiendæ calvariæ tempus adveniret, hæc pauca adnotavimus. IN VENTRE fellea veſicula bile turgebat. In Thorace figura cordis, qualem in homine alias vidiſſe non memini, referebat illam quam rudes pictores nobis effingunt, quaſi cordis latus dexterum curva linea finiretur, ſumma videlicet baſi, & mucrone infimo dextrorſum prominentibus. Quin eandem inſolitam curvaturam ſeptum ipſum cordis ſequebatur. Cor parvum erat potius, quam magnum; ſed valvulas, aliaſque ejuſmodi partes vel infra hanc proportionem parvas habebat. Magna arteria poſtquam ſiniſtram Subclaviam emiſerat, intus ad aliquem tractum erat aſpera ob prominentes fibras, tanquam intima deeſſet tunica. Cranii demum fornice, & Craſſa meninge amotis, vaſa quidem per Tenuem conſpeximus nigro ſanguine perquam diſtenta, ut & minima quoque illa quæ per medullarem cerebri ſubſtantiam confertiſſima ferebantur; ſed nihil uſquam effuſi ſanguinis deprehendere potuimus: tametſi quod Lateralibus ventriculis ſerum inerat, nec ita paucum, eſſe vidimus ſanguinolentum, in plexibus autem Choroidibus qua in aſcenſus fine ſe inflectunt, hydatides, in altero præſertim, non parvulas.

9. Has certe in aliis pariter quos apoplexia non ſuſtulit, ſæpe ibi conſpicere ſoliti ſumus: ſerum autem, dum cerebrum in quo conferta vaſcula ſanguine diſtenta ſint, perſecamus, vix fieri poteſt quin ab hujus guttulis illabentibus, etiam perpaucis, ſanguinolentum non appareat. Quod ſi forte in ſero aut per acrimoniam irritante, aut per copiam, etiam non magnam, compreſſiones cerebri augente, cauſam hujus apoplexiæ ex parte aliqua velis agnoſcere ſecundum ea quæ de ſeroſis apoplexiis agens, alias (*i*) ad te ſcripſi; non repugnabo; difficile enim interdum eſt ab illis ſanguineas ſeparare, & de certis quibuſdam hiſtoriis utrum ad genus attineant, pro certo conſtituere. Fac tamen, ut conjecturas quæ utrinque eſſe poſſunt, ante perpendas, atque ubi cerebri vaſa externa ſimul, & interna ſanguine ſunt maxime diſtenta, velut in propoſito Viro, vide ne nimis facile neges, cauſam præcipua ex parte a ſanguine eſſe repetendam. Ad laſſitudinem autem illam magnam, longi itineris laborem conſecutam, eo anni tempore peracti, num aliquid conferre potuerit hominis conſtitutio, quem inſolita illa forma cordis, & læſio illa intima Aortæ indicat, fortaſſe robuſtiſſimum eſſe non potuiſſe, ego quidem in medio relinquo: laſſitudinem tamen univerſi corporis cerebri quoque robur, & ejus vaſorum minuere, eoque illud compreſſionibus, hæc diſtentionibus opportuniora facere poſſe, non dubito.

10. FŒMINA, eadem facile qua is Vir, ætate, non multis poſt eum diebus in Noſocomium excepta, indeque, ubi intra biduum deceſſit, in Anatomicum Theatrum illata eſt. Mortis cauſa apoplexia fuerat ejuſmodi, ut quarto ab hujus initio die cum in Noſocomium advecta eſt, tunc certe nullum facultatis ſentiendi, aut movendi retineret indicium, vixque oculos aperuerit, dum plantis candentes laminæ ad excitandum adhiberentur; ſed fruſtra; mox enim clauſit. CADAVER, ſi crus alterum exciperes ulcere deformatum, nihil exterius quod docendi uſui repugnaret, uſquam oſtendebat: ſed & interius vix aliquid in iis quas perluſtravi, partibus ab naturæ norma alienum offendi. In Aortæ enim trunco qui per Ventrem deſcendit, leves intus alicubi erant albedines, quæ futuras olim oſſeas ſquamas indicabant: quarum una jam erat, ſed parva. Tuba Falloppiana ſiniſtra medio in itinere cum teſte cohærebat: hic erat, ſi cum dextero conferres, minor, paucoſque intus habebat albos globulos, quorum unum diſſecans, ex compacta ſubſtantia factum vidi, ad centrum cava. At dexter, cujus magnitudo vel juniori conveniret, nullos globulos, veſiculas nullas continebat, ſuperficie tamen erat tuberoſa; &, ſi oculos defigeres, non ſine cicatricularum indiciis. Illud quoque in hujus cadaveris diſſectione animadverſum eſt, membranas paſſim ſcalpello magis quam æquum eſt, etſi pinguedo non deerat, fuiſſe reſiſtentes. Calvaria denique recluſa, omnia intra hanc vaſa, ne plexibus quidem Choroidibus exceptis, inveni ſanguine turgentia. Sed præter aquæ pauxillum in ventriculis Lateralibus, nihil uſquam vitii in cerebro, cerebello, medulla Oblongata, quoquoverſum perſecando, potui deprehendere.

11. Si omnia quæ aut in vivis præceſſerant, aut in mortuis conſpecta ſunt, inter ſe conferre volueris; minus, opinor, miraberis, quod mulier hæc mortem obierit tardius, quam vir de quo ante ipſam dictum eſt, multoque etiam tardius uterque eorum, quam vir alter de quo ſtatim dicetur.

12. TONSOR annos natus quinque, & quinquaginta, capite maxima ex parte calvo, bibax adeo, ut ebrius domum deductus ſit ad veſperas, 16. Januarii die A. 1757. poſtridie mane inventus eſt mortuus, humi jacens inter lectum, & parietem prope fractam matulam, nulla tamen corporis parte læſa. Hoc ad ejus anni Publicam Anatomen inchoandam cum uterer, hæc quæ præter naturam eſſent, animadverti. VENTRE aperto, amplus ventriculus in conſpectum venit, cujus interior facies vini colore infecta erat. Omentum multa pinguedine refertum, ut plerorumque inteſtinorum externa tunica, & meſenterium, in quo glandulæ quædam majori quam ea ferat ætas, magnitudine. Bilis e flavo fuſca, reliquerat per cyſtis faciem interiorem multa alba quaſi arenæ granula, ſed quæ, inter digitos conterendo, minime erant dura. Renum, quorum alter altero longior fuit, ſuperficies non ſine vitiorum veſtigiis quibuſdam, inter quæ erat ſub tunica adhuc fovea parva, humore plena. Veſica lotio diſtenta adeo, ut pubis oſſibus, nec paulo, ſumma ejus pars altior eſſet. Quam ut credibile erat, ſæpe in vivo quoque præter modum fuiſſe expanſam, ſic mirum non fuit, ſolita non eſſe forma: etſi enim ad imum paulo erat latior, quam ad ſummum; tamen cylindrum potius, aut priſma, quam aliam figuram, primo aſpectu referebat. Urethra intus ubique alba, nec paucioribus tantum, & minoribus, quam ſolet, canaliculorum noſtrorum oſculis prædita, verum inſuper caruncula Seminali quaſi diffluente, ut in hac nihil perſpicue oſtendi potuerit, & cum præterea ipſius omnino deeſſet roſtrum, proclive eſſet exiſtimare, majori olim labe nec carunculam, nec urethram reliquam caruiſſe. Arteriæ Magnæ qua per vertebras lumborum decurrit, interior facies oſſium inchoamenta oſtendebat, Iliacæ autem lamellas habebant prorſus oſſeas, eoque duriores, quo magis in Externas, Internaſque diviſæ ad inferiora accedebant, ut Crurales quoque paſſim, & inter femoris condylos ad poplitem jam exceptæ, duræ eſſent, & rigidæ, viderenturque arteriæ quo longius a corde remotæ deſcenderent, eo magis eſſe huic vitio obnoxiæ. Et ſupra Ventrem certe ubi Aorta Inferiores emittebat Intercoſtales, apparebant oſſium inchoamenta; ſed prorſus levia. Præter quæ nihil in Thorace, nihil in reliquo corpore, ſi quæ dicentur, excipias, vitiorum animadverti. Cranii enim fornice, & exteriore meninge ademptis, quorum utrumque craſſius fuit, ut hæc, etiam qua inter cerebellum, & cerebrum ſe interponit, ſcalpello magis quam conſuevit, reſiſteret, cum omnia diligenter perluſtrarem, nihilque eorum quæ intra calvariam ſunt, ſine diſſectione prætermitterem; non modo quidquam ſeri, aut ſanguinis effuſum, ſed vitium omnino ullum præter id quod dicam, non deprehendi. Nimirum vaſa quæ per Tenuem meningem feruntur, referta adeo erant ſanguine, ab eoque dilatata, ut nunquam magis vidiſſe meminerim. Diſtenta quoque erant quæ Choroides plexus faciunt, & quæ per Lateralium ventriculorum parie-

(*i*) Epiſt. 4.

parietes ducuntur, ubi aquæ aliquantum erat, præſertim a ſiniſtris.

13. Obſervationem hanc cum ea conferas, velim, quam habui in Petro Faſolato (*k*). Plura in utraque reperies quæ conveniant inter ſe, & plura pariter in iis quæ ad illam adnotavi, & hic non vacat repetere, ad hanc explicandam. Adjicere tamen quædam licet, hominis hujus peculiaria. Fuerat hic bibax, & quod non difficile inde conſequitur, ſæpe ebrius: quæ res quantum ad copiam ſanguinis augendam, & ad vaſa quæ intra cranium ſunt, infirmanda valeat, facile intelligis. Huc adde oſſea illa in arteriis inferioribus vitia, quæ ut ſanguinis deorſum motui officiebant, ita ſurſum majori copia ferri cogebant. Sed illud præcipue addendum eſt, in tanta iſta ultima ebrietate cum homo cubaret, atque dormiret, ad priſtinam ſanguinis copiam multum ex iis accedere cœpiſſe quæ ingurgitaverat, ex vino præſertim, cujus acceſſionis cum tantam partem veſica excepiſſet, ut plus poſſe admittere non videretur, neque homo, quippe ebrietate, & ſomno oppreſſus, mingendi neceſſitatem ſentiret, qua ratione locum in veſica iterum paraviſſet reliquæ lotii materiæ, interea in alveum ſanguinis advectæ; cum hæc, inquam, ita ſe haberent, accidere debuiſſe, ut ab ea retenta materia vaſa magis diſtenderentur, eaque potiſſimum quæ intra calvariam ſunt, nempe jam diu antea infirmata, & in decubitu præſertim, repletioni magis obnoxia. Videſis, ut ferme pariter Lowerus (*l*) a decubitu, ſomnoque poſt largiores ſtatim potationes, priuſquam maxima epoti liquoris copia per veſicam prodierit, ortos explicet graves, ut ſæpe viderat, cerebri morbos, & in his nominatim apoplexiam.

14. Credo igitur, hominem a me propoſitum, quod nimis ſero veſicæ plenitudinem ſenſerit, dum matulam tandem capere vellet, aut potius cepiſſet, lotiumque ex nimis diſtenta veſica, quod facillimum non eſt, ejicere conaretur, in eo ipſo niſu qui ſanguinem magis in vaſis capitis moratur, forti apoplexia correptum, cecidiſſe. Scilicet ad eum diſtentionis gradum pervenire denique potuerunt externa, internaque vaſa quæ intra calvariam ſunt, ut quidquid ipſa concludit, vehementiſſime comprimerent. Quoniam vero & his, & aliis ſæpe ad te Litteris ab ejuſmodi compreſſionibus petita cauſa eſt apoplexiæ; cave ſuſpiceris, obſtare nobis Cl. Laghii (*m*) experimenta, quibus per inſtrumentum illud ſane elegans, ab Nobiliſſimo, eodemque Ingenioſiſſimo Comite Gregorio Caſalio excogitatum, oſtendit, in canibus cerebrum poſſe comprimi ad Londinenſes lineas minimum ſex abſque ullo in illis moleſtiæ indicio: quin ubi queri incipiunt, paulatim mox quieſcere, niſi compreſſio augeatur: nec prius quaſi apoplexia prehenſos cadere, quam compreſſionis gradus ad pollicem circiter pervenerit. Alia enim eſt illa compreſſio, alia iſta de qua hic quidem nos loquimur. Illa exiguæ adhibetur cerebri parti; noſtra circum undique, imo etiam ubique interius, ſimul cerebro, cerebello, & Oblongatæ medullæ, ut in eo de quo agimus, homine. Quod ſiquando in aliis non ejuſmodi fuit; at alia addidimus, eamque intra cranium certe poſuimus undique clauſum, & reſiſtens; non ex parte ulla apertum: quanquam fœminæ illi de qua Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſi retulit Poupartius (*n*), dimidium calvariæ deerat, & tamen cum Craſſam meningem apice digiti leviter aliquis tetigiſſet, eam attulit moleſtiam, ut mille faculæ ante oculos obverſari viderentur, magnumque edere clamorem cogeretur. Tu vero experimenta illa, quantum ad me attinet, accipito, iiſque utitor cum ad alia, tum præſertim ad hoc ſine admiratione agnoſcendum, poſſe certo compreſſionis gradui abſque moleſtia ferendo cerebrum par eſſe, eidemque ita auctæ, ut moleſta eſſe incipiat, paulatim, modo non creſcat, aſſueſcere, donec illud denique addatur, ſub quo ſuccumbere neceſſe ſit.

15. Hactenus (alias enim ad hunc morbum attinentes Obſervationes præſtabit ad Hemiplexiam (*o*), & ad Aphoniam (*p*) differre) hactenus, inquam, de Apoplexia. A qua mox ad alios cerebri affectus pergemus. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LXI.

Pertinet ad Deliria quæ ſine febri contingunt.

GRavis certe is eſt cerebri morbus de quo nuper ad te ſcripſimus, Apoplexia. Sed gravis quoque, atque adeo miſerabilior eſt ille de quo ſcripturi nunc ſumus, ſine febre Inſania. Quæ ad hanc pertineant, tres adhuc diſſectiones habemus.

2. MULIER ſtulta, poſt varios caſus, media, ut videbatur, ætate in hoc obierat Noſocomio, ineunte A. 1746. Ne mihi deeſſent quæ ibi de Re Anatomica tunc oſtenderem; quæſivi, an cadaver ad id eſſe poſſet idoneum. Cum accepiſſem, ob maciem ſummam, itemque ob magnam, fœtidiſſimamque ad os Sacrum gangrænam, vix thoracem, & caput idonea fore; cætera omnia humari juſſi, caput dumtaxat cum thorace, ſi modo hic ſine pure eſset, cujus tanta illa macies ſuſpicionem faciebat, ſervari. THORACE igitur aperto, cum ſuſpicionem haud vanam fuiſse, appareret, quippe altero pulmone magna ex parte puris pleno, his quoque viſceribus ſepulturæ datis, capitis ſectionem aggreſſi ſumus. Cranio recluſo, illud unum in meningibus animadverſum eſt, Tenuem vix apprehenſam, & tractam, facillime ſequi, & ex anfractibus cerebri educi. Subfuiſse igitur aquam, non erat dubium, cujus etiam in ventriculis copia modica inventa eſt; ſed plus ex vertebrarum tubo profluxerat. Et tamen cerebri, & cerebelli ſubſtantia utraque durior procul omni dubio fuit, quam ſolet. Choroides plexus decolores quidem conſpexi; ſed qua rimæ imponuntur ventriculi tertii, erant per ſua vaſcula cum illius oris firme adeo conjuncti, ut niſi poſtquam ſunt ea vaſcula diligenter ſoluta, rima nihil prorſus hiaret. Præter hæc, quidquam adnotatione dignum non occurrit, niſi Pinealis glandula, quæ viſa major, & longioribus radiculis medullaribus ad ſuam ſedem annexa, eademque mucoſior.

3. Cum de ſtultis alias ſcriberem, meminiſse potes, quæ in iis vitia, ab aliis, & a me præſertim animadverſa, memoraverim (*a*) ad Pinealem glandulam attinentia: quæ in aliqua etiam alia Epiſtola (*b*) non reticui. Prodiit poſtea Juſti Godofredi Gunzii Proluſio (*c*), quæ utinam illo tempore extitiſset. Ut enim eruditiſſimus fuit, pleroſque eorum laudavit qui de vitiis ejus glandulæ fecerunt mentionem; itaque meam in iis Auctoribus producendis qualemcunque operam minuiſset, ſive quod ad ſtultos, ſive quod generatim ad eos ſpectat qui lapillos, arenulaſve in illa glandula habuerunt. (*d*) Sed tamen id accidit quod in ejuſcemodi rebus eſt facillimum, ut aliquis eorum qui a me nominati ſunt, ipſum fugerit, & viciſſim ut alii ex illis qui ab ipſo adducuntur, me fugerint, non alios fere nominare ſolitum, niſi

(*k*) Epiſt. 3. n. 26. (*l*) Tract. de Corde c. 2. (*m*) De Senſibilit. &c. Serm. 2. (*n*) Hiſt. A. 1700. Obſ. Anat. 20.
(*o*) Epiſt. 62. n. 7. 9. 11. (*p*) Epiſt. 63. n. 13. (*a*) Epiſt. 8. n. 14. & 16. (*b*) ut 59. n. 15.
(*c*) De Lapillis Gland. Pineal. in quinq. mente alienat. invent. (*d*) Epiſt. 5. n. 12.

niſi qui inter ſcribendum ſuccurrunt. Huc illud accedit, cur me meæ illius operæ minus pœniteat, quod ex ea, cum meis quas aut ſimul, aut ſeorſum propoſui, Obſervationibus conjuncta, proclive eſt intelligere, non modo non contigiſſe aliis quod Præclaro contigit inter viventes Anatomico, *ut in omnibus cadaveribus hominum adultorum, morbo defunctorum*, Pinealem glandulam *pluribus* arenulis *refertam* invenirent; verum hoc etiam, non eſſe cur ex ejus glandulæ aut integritate in non ſtultis, aut vitiis in ſtultis ſperemus amplius poſſe Carteſii ſententiam de ſede in ea cogitantis animæ confirmari. Certe ego tibi tredecies ſaltem a me perſpecta in illa, aut ad illam glandulam vitia deſcripſi. Novies (*e*) videbis, hæc fuiſſe ſine ſtultitia. Contra videbis, ſtultitiam fuiſſe in aliis (*f*) quorum illam glandulam nihil quidquam vitii habuiſſe, ex ſilentio ipſo meo intellexeris. Fere enim ſemper cum cerebrum diſſeco; nedum in ſtultis; Pinealem glandulam attente ſolitus ſum intus, extraque inſpectare, & ſi quidpiam adnotatione dignum habeat, in adverſaria, ex iiſque in deſcriptiones referre.

4. Quæ mea ferme perpetua conſuetudo ſatis oſtendit, non eſſe a me quidem laudabiles Gunzii adhortationes expectatas; ſed diu antea tum quæ ſecundum naturam, tum quæ præter hanc eſſent in Pineali glandula, ſimulque, ut noſti, in reliquo & cerebro, & corpore, & quæ in viventibus præceſſiſſent, quantum quidem videre, & ſcire licuit, in meis Obſervationibus non fuiſſe neglecta: quanquam cum eam glandulam memorandi occaſio incidit, non alia volui, niſi quæ propoſito ſatis eſſent, attingere: nec me adhuc pœnitet, ob eas rationes quas, an ipſe prorſus diſſolverit, non eſt hic videndi locus, de ejus natura glandulæ ita eſſe locutum, ut viderer, num ab reliqua ſubſtantia cerebri nil plane differret, dubitare. Nulla certe alia in tota hac ſubſtantia particula eſt quæ crebro adeo, ac illa glandula, peculiaribus ſit vitiis obnoxia, & arenulas præſertim, lapilloſque contineat. Quod tu vitium etſi cum ſtultitia, & ſine hac quoque deprehenſum fuiſſe, ſupra intellexeris; nolim tamen obliviſcaris, non ſæpe adeo inveniri cum uno alio aliquo morbo, ac cum ſtultitia, conjunctum. Cui rei oſtendendæ ſi forte non ſatis eſſent quas & propoſui alias, & indicavi (*g*), Obſervationes; at ſunt quas addas apud Gunzium. Non eas dico, in quibus alienatam mentem fuiſſe, ita ipſe conjicit, ut, ſi velis, negare liceat. Sed alias dico, in quibus manifeſta, & vera ſtultitia fuit, tum ex laudatis Auctoribus acceptas, tum præſertim ipſius propriasea cura ſcriptas, ut dignæ, ſiquæ aliæ, ſint quæ Sepulchreto adjiciantur. Eas ſi perlegeris, fac inter cætera animadvertas, lapillos quos in Pineali glandula deprehendit, eos etiam flavos fuiſſe, aut ſubflavos, tum quæ alia fuerint vitia, mox a nobis quoque commemoranda, ab eodem in ſtultorum cerebro, non modo in ea glandula, conſpecta, quæ in propoſita muliere qualia fuerint, vidiſti, ut infra (*h*) in altera videbis.

5. VIR quadraginta circiter annos natus, ex quo remex in triremibus fuerat, primum hypochondriacus, deinde ſtultus eſt factus, ſed læte ſtultus, idque annos ad decem, tandem ex cachexia toto corpore ſubtumidus, non ſine difficili reſpiratione in Noſocomio mortuus circa primos Januarii dies A. 1750. hæc quæ ad morbos attinent, nobis animadvertenda reliquit. THORAX multam habuit aquam, & duriorem quandam pulmonum partem. Caput cum amputarent, vix aliquid aquæ e cranio effluxit, quod etiam cum hoc circumſecarent, animadverterunt, itemque cum cerebrum eximerent. Quod ego certis de cauſis non niſi tertio, an quarto ex quo exemerant, die non potui diſſecare, ut neque potueram quæ Ventre continebantur, inſpicere. Cerebrum igitur diligenter perluſtrans, ſi omittam illud quod dubium fuit, Pinealis glandulæ parvitatem, non alia quæ huc ſpectent, deprehendi, niſi medullarem utriuſque hemiſphærii ſubſtantiam duriorem, tractum autem per mediam faciem ſuperiorem Calloſi corporis ſecundum longitudinem nonnihil prominentem, non hic unum ab initio ad finem uſque, ſed quodam loco duplicatum.

6. De duritie videbimus poſtea. Nunc quod ad Calloſum corpus attinet, conſideremus. Vir Cl. Joannes Fantonus, ad quem ſuam de Sede Cogitantis Animæ in Calloſo corpore Diſſertationem Lanciſius ſcripſit, ſicuti in Viro quodam (*i*) minime ſtulto Pinealem glandulam *triplo craſſiorem* conſpexerat, ita alterum (*k*), cujus in corpore Calloſo tumorem durum, juglande majorem, deprehendit; diuturna quidem in vertice cephalæa, & epilepticis inſultibus vexatum, ſed vix tandem poſtremis menſibus abſurda locutum eſſe, adnotavit, neque id ſemper, ſed tantum ſæpe, idque, cum vehementius ille dolor urgeret. Nos vero in illo eodem Calloſo corpore multo leviora animadvertimus. Pro tractu enim illo de quo noviſſime dicebamus, in aliis unico, & ſimplici, in aliis duplici, ut Lanciſius *nervulos longitudinales* duos vocaret, quemadmodum alias (*l*) commemoravimus, duo in ſtulto, nec parum profundi ſulci nobis occurrerunt (*m*). In alio videbis Gunzium (*n*) animadvertiſſe tum Lanciſii nervulos, tum ſulcum *flexuoſe procedentes*, & qui *hinc inde quaſi deficere viderentur*. Et Lanciſius ipſe in fatuo illos adnotaverat *non qua ſolent ratione inter ſe parallelos* fuiſſe. Num ergo in ejuſmodi rebus ſtultitiæ cauſam agnoſcemus? Dubitandi ratio non jam inde mihi eſt quod ſuſpicatus ſim aliquando, tractus ibi illos, & ſulcos non ab natura ipſa utilitatis ullius cauſa, ſed aut a compreſſionibus formari utriuſque hemiſphærii cerebri, ubi dexterum ſiniſtrumque inter ſe accedentia in imam deſinunt oram, & corticalem faciem in medullarem illam mutant quæ lacunaris inſtar, ut alibi dilucidius oſtendam, ſe dextero ſiniſtroque lateri imponit Calloſi corporis, aut, quod nuper Solertiſſimo quoque Viro in mentem veniſſe, vidi, pulſationibus deberi arteriarum quæ in longitudinem pariter eidem mediæ Calloſi corporis ſuperficiei incumbunt. Utrique enim ſuſpicioni adverſari videntur humiliores, tenuioreſque illi paralleli tractus qui hinc, & hinc ad medium ducuntur ejuſdem ſuperficiei, quorum conformatio ab illis de quibus ſuſpicabar cauſis repeti non poteſt. Quin etiamſi utraque, & ſecunda præſertim ſuſpicio ſtaret, ac licere aliquis crederet ab diverſo arteriarum ductu diverſam conjicere, & noxiam conſtitutionem intimam corporis Calloſi; is tamen quomodo per hæc ſtultitiam non innatam, ſed adventitiam explicaret? Dubitandi igitur ratio aliunde mihi eſt, animadvertenti videlicet, non ſolum perraro in ſtultis abnormes illas ſuperficiei corporis Calloſi conformationes reperiri, verum etiam eſſe a me viſas in pluribus quorum mens fuerat ſaniſſima. Itaque cum de his amplius videndum cenſeam; ad illud quod mihi in ſtultorum cerebro, ſi non ſemper, at ferme ſemper occurrit, & quod vel in duabus fuit propoſitis Obſervationibus, tranſibo.

7. FŒMINA major triginta annis, ab ortu uſque ſtulta, & quæ noviſſime nihil alimenti capere volens, in Noſocomio deceſſerat eo tempore quo ibi ſolitus ſum intermiſſas pauliſper Anatomicas exercitationes perſequi, id eſt ſub initium Januarii A. 1757. VENTRIS partes examinanti; nam quæ ad Thoracem attinent, ex aliis cadaveribus antea oſtenderam; nihil mirabilius viſum eſt, quam florente adhuc ætate ſtultam, virginitatem, quantum apparuit, ſervaſſe. Neque enim ad vaginæ orificium, quod, ut in virgine, anguſtum erat, hymenis annulus defuit, lato quidem foramine, ſicut in maturioribus ſolet, nuſquam tamen ruptus. Quo magis mox hæſi, cum vaginam conſpicerem, perpaucis exceptis ad infimam par-

(*e*) Epiſt. I. n. 14. III. n. 14. V. n. 11. VI. n. 12. VII. n. 15. X. n. 17. XI. n. 11. XIV. n. 35. XXI. n. 24.
(*f*) Epiſt. VIII. n. 4. 8. 11. (*g*) Epiſt. 8. n. 16. (*h*) n. 7. (*i*) De Obſ. Med. & Anat. Epiſt. 8. n. 3.
(*k*) Epiſt. 5. (*l*) Epiſt. 8. n. 6. (*m*) Ibid. (*n*) Proluſ. ſupra ad n. 3. cit.

partem rugis, tota reliqua facie læviſſimam. Uteri oſculum, & ipſe uterus ſana, & quæ virgini convenirent. Tubarum neutra ſpecillo vel tenui, per majus orificium immiſſo, ultra medium earum longitudinis viam dedit. Teſtis uterque duriuſculus, alba, & inæquali ſuperficie, nullam intus veſiculam habuit.

Cranio autem comprehenſas partes attente perſecans, omnes ſecundum naturam inveni. Quod ſi peculiariter quæras de corpore Calloſo, & de glandula Pineali; in illo tractus unus, & ſimplex; hæc majuſcula quidem, & ex fuſco quaſi ſubflava, ſana tamen erat. Unum igitur adnotatione dignum fuit, quod cerebri, & cerebelli ſubſtantiam ubicunque inciderem, manifeſto duriorem offendi.

8. Nempe hoc illud erat quod etiam in duabus propoſitis Obſervationibus, imo in cæteris ſtultorum ferme omnibus, a me quidem habitis, fuiſſe, dicebam. Relege ſis Epiſtolam VIII. (*o*) videbis in cunctis quos ad id tempus ſecueram, rem ad eundem modum ſe habuiſſe. In quibus autem idem ab aliis compertum eſſet, ibidem (*p*) reperies. Addere nunc poteris Gunzium (*q*), qui in duobus *ſiccum* cerebrum vidit, atque *compactum*, eaque *firmitate*, ut pro ſaniſſimo non poſſet habere. Huic tamen non contigit certe, ut neque aliis illis, quod ſciam, idem quod mihi acciderat, ut plures ſtultos diſſecando, in omnibus durius cerebrum invenirent. Sed & mihi tandem accidit, quemadmodum Epiſtola legeris LIX. (*r*) ut in eo qui delirio quodam melancholico laboraverat, valde laxum deprehenderem, an quod delirium fuiſſet levius? an quod jam eſſet curatum? quanquam mea parvi refert utram ob cauſam, an ob aliam ſic fuerit, cum cerebrum in ſtultis laxum qui conſpexerint, non reticuerim (*ſ*), & durum ſine ſtultitia eſſe poſſe, non diſſimulaverim (*t*), ubi illud quoque diſerte addidi, crebram adeo in hoc morbi genere obſervationem cerebri duri non eſſe quidem negligendam; ſed tamen, quod nunc confirmo, non videri ipſam eſſe præcipue ſpectandam. Eo autem minus ſpectandam credent ſiqui Doctum Virum ſequentes, cui placet ſtultitiæ cauſam deducere a ſanguine craſſiore facto, & viſcidiore, lentiuſque propterea per intimas cerebri arteriolas pergente, haſque diſtendente, & per harum diſtentionem ſubſtantiam medullarem cerebri attiguam comprimente, minuſque aptam ſic efficiente ad ſolitos uſus præſtandos, ſiqui igitur ad hæc addent, preſſam a diſtentis arteriolis cerebri ſubſtantiam ſic quidem compingi ac conſtipari, &, quod conſequitur, duriorem fieri; verum ſtultitiæ cauſam a mutata quocunque modo illius ſubſtantiæ intima diſpoſitione, non ab duritie quæ ex accidenti mutationem hanc comitetur, eſſe repetendam. Cæterum num ſæpe adeo in ſtultorum cerebro ut durities, ita vaſa præter modum ſanguine diſtenta reperiantur, ſi forte velis ex noſtris Obſervationibus exiſtimare; fac relegas: & quando Viri alii Docti non deſunt qui a polypis intra cerebri Sinus concreſcentibus maniam eſſe poſſe, autumant, eaque mente duas treſve producunt cerebri, & viſcerum Maniacorum diſſectiones; has tu quidem accipias, velim, quibus numerum Obſervationum augeas huc attinentium; ſed quod ad polypos attinet, non tam quæras, an mihi unquam in ſtultorum Sinibus occurrerint, quam eorum memineris quæ alias (*u*) a me accepiſti de polypis non niſi in moribundo, aut mortuo homine agnoſcendis. Verum jam ad alia veniamus.

9. Etſi non omnes delirant hydrophobi, ut VIII. Epiſtola (*x*) oſtenſum eſt; in eadem tamen, ne a Sepulchreti ordine recederemus, poſt Maniacos de Hydrophobis verba fecimus. Idem in hac quoque faciemus. Et quoniam hoc temporis intervallo non accidit, ut eorum cadavera incidere poſſemus; aliorum, quæ tunc non extabant, Obſervationes in iis habitas commemorabimus. Quas utinam plenas dediſſent: quod nonnullis inſtitutum, aliis cauſa alia aliqua non permiſit. Et Ampliſſimo quidem Viro Senacio (*y*) ſuſceptum ſcribendi propoſitum non conceſſit, niſi ut hoc unum diceret, ſe pericardium vidiſſe in homine ex rabie mortuo adſtrictum adeo, & cordis faciei annexum, ut ab hac ſeparari non poſſet. Alexander autem Bruce in Diſſertatione (*z*) Edimburgi edita A. 1755. Cl. Rutherfoerdii Obſervationem referens in vivente, & mortuo hydrophobo *noſocomico*, poſtea quam cætera propoſuit, & in his Craſſa inteſtina aere mirum quantum diſtenta, Ileum leviter inflammatum, rariſque livoribus, ut jecinoris quoque portionem, affectum, & cum reliquis ventris viſceribus extra ſuam ſedem compulſum, in thorace autem nihil inſoliti; cum expectas cerebri, laryngis, pharyngis conſtitutionem, hæc, legis, inſpici, a conſanguineis prohibitum eſſe. Ob eandem fortaſſe cauſam factum crediderim, ne de tribus hiſce Partibus quidquam ſcripſerit is quem ante diem obiiſſe ægre tuli, Morandus Morandius (*a*), cum quaſdam ſuas eodem morbo confectorum diſſectiones illo ipſo anno vulgaret. In uno enim nihil memoratum video, niſi muſculos thoracis aliquot externos, internoſque inflammatos, imo gangrænæ, & quaſi putredini proximos. In duobus autem de iis muſculis nihil attigit: ſed ventriculum, & inteſtina fuiſſe, dixit, gangræna affecta, & nigra graveolente bile conſpurcata, veſicam, & cavernoſa penis corpora inflammatione correpta, ex membranis multas aridas, tenſaſque, multaſque alias arcte, ut in peripneumonia, cum viſceribus cohærentes, pinguedinem quaſi nullam, omentum propemodum arefactum, venas denique ſanguine prorſus plenas quam fluidiſſimo, arterias autem omnino vacuas contra, atque alii, id quod minime ignorabat, ſed non omnes, in aliis hydrophobis conſpexerant.

10. Quæ Obſervationes, ſi ſpectes quod in ſingulis deeſt, continuo oſtendent, per ipſas non augeri earum numerum, quas VIII. Epiſtola (*b*) nimis paucas adhuc eſſe, querebamur. Si tamen ſpectes quod ſingulæ in cadaverum vel quibuſdam tantum Partibus compertum proponunt, idque cum tot conferas cujuſquemodi Obſervationibus, quarum ſummam eadem illa Epiſtola (*c*) partite atque ordine indicavimus; fore utiles ſaltem videbis ad tantam inter hydrophobos varietatem, quantam ibi oſtendimus, comprobandam: nec mirum, cum vel paucæ hæ quas nunc addidimus, ita diſcrepent inter ſe, ut quod habent aliquæ, non habeant reliquæ, aut certe non omnes. Quo magis autem novis Obſervationibus varietates illas video confirmari, eo magis intelligo, non aliunde æque veriſimilem conjecturam de hydrophobiæ cauſa peti poſſe, ac unde cum graviſſimis Viris tunc (*d*) petii. Quomodo enim communem omnibus deglutiendæ aquæ difficultatem, exempli cauſa, a ſanguinis vitio repetam, quem in aliis aliter ſe habentem conſpici, ſciam? Quin e venis emiſſus illius hydrophobi quem Edimburgenſis Diſſertatio (*e*) proponit, *per totum morbi decurſum bonus fuit*. At ſi ab hoc veneno peculiarem quandam mutationem in cerebrum, nervoſve inductam ſuſpicer, unde ad convulſiones ciendas externas, internaſve facile adigantur; nihil ferme jam obſtabit quo minus & difficultatem illam deglutiendi communem omnibus, & tot illas pro alia aliorum diſpoſitione non modo in viventibus, ſed & in mortuis varietates explicem: quod ſi a me ſatis non eſſe tunc factum videatur; poteris laudatam Diſſertationem perlegere, quæ cum eandem conjecturam ſequitur, tum per hanc fuſius in viventibus præſertim, ſatis autem in demortuis omnia exponit.

11. Vides, quatenus cerebrum, & a veneno hoc quidem affici, ſuſpicer; ne forte cum iis facere me, credas qui imaginationis vi morbum hunc omnem tribuerunt. Equidem non is ſum qui a concepto terrore augeri illum poſſe, negem. Sed neque is ſum

(*o*) n. 14. (*p*) n. 17. (*q*) Proluſ. ſupra cit. (*r*) n. 15. (*ſ*) Epiſt. 8. n. 18. (*t*) Ibid.
(*u*) Epiſt. 24. (*x*) n. 19. & 22. (*y*) Traité du Cœur l. 2. ch. 1. n. 1. (*z*) De Hydrophobia.
(*a*) Della Cura preſervat. della Rabbia Canina. (*b*) n. 32. in fin. (*c*) n. 30. 31. (*d*) n. 32.
(*e*) ſupra ad n. 9. cit.

ſum qui a terrore ipſo fieri, cenſeam. Quo enim modo a terrore in compluribus factus eſſet (quorum caſus aliquot infra (*f*) commemorabo) qui cum animal a quo morſi fuerant, eſſe rabidum, ignorarent, alia omnia cogitantes, repente ſe teneri jam morbo de quo ne ſuſpicati erant quidem, per manifeſtiſſima, & mox funeſta ſigna oſtenderunt? Admiſſum igitur venenum, quacunque id ratione agat, pro morbi cauſa eſt agnoſcendum. Quod ſane quo magis latenter, & inſidioſe vim ſuam conſervat, & tandem exerit, eo magis ne admittatur, cavendum eſt, & ſi forte admiſſum fuerit, diligenter priuſquam vires ſuas exerat, impugnandum.

Itaque ſi quæſtio incideret, an carnes rabie affecti animalis eadem inficere comedentes poſſint, minus me moveret Scaramuccii (*g*) exemplum de ſuis, a rabioſo cane demorſi, carne innoxie ſumpta, etiamſi conſtaret, in ſue illo rabiem fuiſſe jam manifeſtam; quam moveant contraria exempla, & nominatim Bauhini (*h*), accedente inſuper Lemeryi (*i*) Obſervatione canis rabientis a comeſto ſanguine qui hydrophobo detractus fuerat: neque enim quod coctus non fuerit, ut carnes ſolent, rem valde mutat, cum longe alia, atque adeo extrema ignis vis requiratur, ut virus pertinaciſſime inhærens, prorſus abigi potuiſſe, credamus. Etſi vero quæ ex Zacuto (*k*) producuntur, Obſervationes ſanguinis rabioſorum canum, gladio quo ii transfoſſi fuerant, ſic adhærentis, & venenum conſervantis, ut inde immiſſus in vulneratos vel multis poſt annis rabiem induxerit, etſi, inquam, mirabiliores ſint, quam ut omnes adhibere fidem queant; tamen credibiliorem, ni fallor, aliam legiſſe videor apud Cl. Brogianum (*l*), admonendoſque eſſe Proſectores, non negaverim, ut in cadaveribus hydrophoborum perluſtrandis, attente caveant, ne manus ſibi forte compungant, neve has, ſi caſu ulcuſculis affectas habeant, temere illorum aut ſanguine, aut ſucco alio aliquo audeant inquinare.

12. In his vero, aliiſque cautionibus ne tam dirum admittatur venenum, ſi forte in alteram partem peccandum eſt, ſatius fore nimis eſſe cautos, quam parum, nemo inficiabitur qui cogitet, quam difficile, incertumque ſit, poſtquam admiſſum eſt, ipſum ante pervincere, quam bibendæ aquæ difficultate, & formidine ſe prodat. Cum enim huc pervenit; raræ adeo ſunt felices, ſtabiles, perfectæ, certæque curationes, ut illud quod fit ut plurimum, ſpectantibus verum adhuc videri poſſit quod de Medicina ſuo tempore ajebat Ovidius (*m*),

nec formidatis auxiliatur aquis.

Quo magis ne eo perveniat, optandum eſt. Et balneum quidem, alibi adeo laudatum, cum ibi, ut alias (*n*) vidimus, tum apud noſtrates quoque pleroſque invenit, qui ei non fidant. Itaque non defuerunt qui ad argentum vivum, aut ad ea quæ ex ipſo parantur, confugerent. Quos alii, hac præſertim ætate ſequentes, etiam inter Italos, eadem uti cœperunt præſervandi ratione. Sic Morandius (*o*) Obſervationes plures hujus generis protulit ſuas. Mercuriale tamen remedium cum aliis conjunxit, quæ alexipharmaca ſunt: quin & moſchum addidit poſtea, Sinenſes imitatus, idque, ut præſervatio, quemadmodum ipſe ait, eſſe poſſet *tutior*. Quæ tot res, & cucurbitulæ in nonnullis vulneri initio adhibitæ, imo candens ferrum, in omnibus fere, alte impreſſum, non modo apud Medicos dubium relinquunt, cui potiſſimum auxilio ſalus ſit accepta referenda, verum etiam demorſi hominis, iiſdem uſuri, animum & pavidum faciunt, & incertum, num ſic quoque in tuto futurus ſit, dubitantis præſertim, an qui ſervati dicuntur, venenum revera contraxiſſent, & in hydrophobiam eſſent pro certo incurſuri. Quæ dubitatio etſi de omnibus juſta non ſit; attamen ipſa animi ſuſpenſio in re graviſſima tantum moleſtiæ afferat, neceſſe eſt, ut vel hujus unius fugiendæ cauſa, nulla in vitando rabioſum virus cautio nimia videri cuiquam debeat.

13. Nec remedio, cum Regia Scientiarum Academia Pariſienſi (*p*) communicato, etſi non ad præſervationem ſolum, ſed etiam ad curationem mire profuerit, tantum tribuendum eſt, ut in eo antea acquieſcamus, quam conſtet, in omnibus, idque longo decurſu temporis, idem præſtitiſſe. Diuturno enim periculo facto, compertum eſt, multa quæ olim in honore fuerant, hujuſce generis auxilia non reſpondere. Itaque Academia pro ea qua pollet ſapientia, in re *tanti momenti* non omittendum cenſuit, ut communicatam ſecum hiſtoriam ederet, ſuum tamen judicium non interponeret. Hiſtoria autem illa digna certe eſt quæ legatur, quippe exacte perſcripta, & illud adverſus dubitantes confirmans, vera ſcripſiſſe qui ab rabido cane venenum ſine vulnere, ſed per affuſam dumtaxat ſpumam, immiſſum interdum fuiſſe, tradiderunt: quorum nomina ubi poſſes legere, alias (*q*) indicavi; addes autem præter cæteros Cl. Profeſſorem Ticinenſem Mazzucchellium (*r*). Utinam veniat tempus quo aut illud, aut aliud aliquod pariter ſimplex remedium ſatis ſit uſu multiplici comprobatum, aut etiam auxilium id quod Vir Doctus Arrigonius (*ſ*), hæc dum ſcriberem, propoſuit, arteriotomiæ in dorſo pedis ea ratione inſtitutæ qua ipſe eſt ſolitus, & felicis exitus adjecta Obſervatione oſtendit. Quæ etſi una eſt, nec ſine aliis peracta remediis quæ alii quoque, & in his Morandius, exhibere conſueverunt; tamen a te libenter legetur, ut tres aliæ pariter quæ ad Maniacos ſpectant, auxilio eodem ſanos e Noſocomio dimiſſos, ſi unum excipias, quem ſanitati jam reſtitutum, importune intra dies quinque phlegmon occidit. A metacarpo enim quem antea dum furens, vehementius ſe agitabat, circumjecta ferrea vincula contuderant, incipiens, ad brachium inde, & a brachio ad humerum magno impetu, & celeritate ſe extenderat. Quod dum leges, Valſalvæ conſilium, a me tibi alias (*t*) memoratum, laudabis, firmis quidem vinculis eos qui furunt, ſed minime duris, continendi. Cæterum quod ad eam attinet arteriotomiam, nolo te ignorare, cum Studioſi Juvenes a me petiiſſent, ut arteriam in illa ipſa tarſi parte ubi incidenda eſt, retegi juberem, vidiſſe nos, eam non ſub communibus ſolis integumentis, verum etiam ſub tendinibus, digitos extendentibus, in eo certe corpore jacuiſſe.

14. Antequam ſcribendi finem facio, placet caſum non omittere, quem Patavii A. 1754. obſervavit Medicus, cujus mihi fides ſpectatiſſima eſt. Non ille quidem ad hydrophobiam prorſus attinet; accedit tamen, & plura habet quæ attinere videantur, quemadmodum ex brevi ejus narratione, & perpaucis, quas addam, animadverſionibus cognoſces. Felis ab adveniente catello timens, ne fœtui quem enixa erat non ita pridem, noceret, adverſa occurrit. Felis dominus catellum in ulnas recipit. Improba autem felis imum crus domini dentibus, & unguibus invadit, & paulo ſupra tarſum anterius ſauciat. Homo diebus tribus primis quidquam mali neque ſentit, neque metuit, quippe cum felis neque antea, neque poſtea ullum dediſſet rabiei indicium. Sed quarto a morſu die tanta illum circa præcordia anxietas corripuit, ut cum amplius par ferendo non eſſet, ad Medicum qui hæc mihi omnia narravit, confugeret, opemque flagitaret ea contentione, iiſque oculis, & vultu, ut proximi furoris metum incuteret. Itaque confeſtim hirudinibus, & cucurbitulis ad vulnera admotis (quibus poſtea diu impoſitus, ſic ægro cupiente, lapis eſt ille exoticus quem *cobram* vocant) & ſanguine, ut pulſus

(*f*) n. 15. (*g*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. & 10. in Append. ſub n. VI.
(*h*) apud Stalpart. Cent. 1. Obſ. 100. in Schol. haud procul a fine. (*i*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A. 1707. Obſ. Anat. 1.
(*k*) apud Stalpart. Schol. cit. (*l*) De Veneno Animant. P. 2. (*m*) De Ponto l. 1. Eleg. 4. (*n*) Epiſt. 8. n. 26. & 29.
(*o*) ſupra ad n. 9. cit. (*p*) Hiſt. de l'A. 1749. Obſ. Anat. 4. (*q*) Epiſt. 8. n. 21.
(*r*) apud Morandium paulo ante cit. (*ſ*) Diſſertaz. della Mania &c. P. 3. c. 2. (*t*) Epiſt. 8. n. 5.

pulſus requirebant, de ſuperiore, & inferiore artu oppoſito, nec ſemel, detracto, & multa aqua ſæpius data, quam homo ſine ulla repugnantia, & difficultate potabat, cum per hæc, aliaque nihil omnino proficeretur, imo vaniloquia, accederent, unum modo auxilium fuit quod anxietates levaret, aquæ balneum ita, ut quotieſcunque illæ gravius urgerent, in hanc æger ultro ſe conjiceret, quod ſæpe; erat enim calidum anni tempus; faciebat. Poſtremo febre non levi, nec longa tamen, prehenſus, cum multum ſudaſſet, quartodecimo a morſu die jam ſanus eſſe videbatur. Sed in pleniluniis deinde ſingulis, ab demorſo loco, quem, nimis cito clauſis vulneribus, lividus, quaſi ut ſolet in Sugillationibus, color cingebat, ſentire cœpit irritationes quaſdam aſcendere, quæ cum ad præcordia perveniſſent, ſummas anxietates eaſdem illas quæ prius fuerant, inferebant, a quibus non poterat, niſi per venæ ſectiones, liberari. Poſtquam ad eundem modum, eodemque tempore hæc ad duodevigeſimum uſque menſem redierant, cœperunt quarto quoque dumtaxat plenilunio redire: quod tempus jam quarto a morſu anno, hæc dum ſcriberem, adhuc ſervabant.

15. Si canes excipias; non ſæpius fere quam a felibus hydrophobiam, aut graves, ad hunc accedentes, noxas illatas memini legiſſe. Quod ſi canibus dumtaxat, & felibus illi dati eſſent folliculi qui graveolentem quendam humorem ad anum emittunt; non levis hinc confirmatio repeti poſſet conjecturæ eorum qui inter cauſas cur rabidi fiant canes, obſtructionem recenſent *ſacculi;* imo ſacculorum; duo enim ſunt qui fœtidam illam materiam continent, *quæ humorum acerrima pars eſſe videtur*, ut ſi *in ſanguinem reſorbeatur, vel ex eo rite minus ſecernatur*, ſummo cuique morbo pariendo idonea ſit. Et magna certe irritandi vi eſſe præditam, cum alias, tum præcipue tunc intellexi, cum muſtelam perſecans, & ex iſtis ſacculis, quos proportione grandiores habebat, humorem effundens, continuo nares perculſas ſylveſtri quodam acuto odore ſenſi, ut nulli alii magis aſſimilandus, quam accenſi ſulphuris, videretur. Verum non muſtelis tantum, ſed tot aliis animalibus hi obtigere, quot vel antequam alii in aliis, & nominatim Peyronnius (*u*) in *Moſchifero Animali*, indicaſſent, in Adverſariis noſtris (*x*) jam legeris; ut mirum non ſit, ſcriptum eſſe poſtea a Præſtantibus Viris, *in quadrupedum pene toto genere*, aut ſaltem, quoniam plures tamen ſpecies ſunt excipiendæ, *maxime*, ut Cl. Fantonus (*y*) loquitur, *in digitatis quadrupedibus & carnivoris reperiri*. Illa igitur cauſa rabiei ſepoſita, ſi rem tantummodo ſpectemus, vix dubium eſt, quin poſt canes, feles præ cæteris, ut dicebam, hydrophobiam inferant, aut noxas ad hanc proxime accedentes. Tria habet exempla Scaramuccius (*z*): in duabus videlicet fœminis, & in Preſbytero: bina Brogianus (*a*), alterum in Sacerdote, in viro quodam alterum: unum Lindernius (*b*): &, ne longius faciam, unus Stalpartius (*c*) novem produxerat a felibus rabie infectos, eaque occiſos, quorum primum ipſe viderat, reliquos Amatus, Hildanus, Zacutus memoraverant. Neque apud Patavinos exemplum defuit annis ſuperioribus in Nobili Viro, qui, ut Brogiani Sacerdos, inviſentes rogabat, ut longius abſiſterent, ne ipſos morderet, ſic confirmans quæ non unus ex Medicis admonuerat; non omnes hydrophobos delirare. Sed & pleraque ex indicatis exemplis ſi inſpicere volueris; inſuper cognoſces, accidiſſe non ſemel, ut nemo poſſet a terrore natum eſſe morbum, contendere, ut qui ignaros, felem eſſe rabidam quæ ipſos invaſerat, multis poſt menſibus prehenderit, ut in Stalpartii, & Hildani Obſervationibus. Quin ignari quoque fuiſſe videntur viri duo, ab Lindernio, & Brogiano memorati, ſecundus præſertim, quippe a fele quam percutiebat, demorſus; ut ira potius, quam rabie, quemadmodum in caſu a me expoſito (*d*), concita fuiſſe videretur. Ad eundem autem caſum quadantenus id pertinet quod in Scaramuccii Presbytero accidebat, ut faucium anguſtia, a qua cito evaſerat, rediret *per multos annos eodem anni tempore* quo fuerat a rabida fele impetitus, ſola dentium impreſſione relicta, ſine cutis laceratione. Sed attinent magis duo alia Auctoris ejuſdem exempla. Scilicet in fœmina, de qua, & de aliis ſimilibus Epiſtola VIII. (*e*) nimis preſſe indicavi, prima hydrophobiæ ſigna ſe prodiderunt, cum a vulnere jam excluſo *quaſi radium aliquem inflammatorio ſenſu per brachium verſus pectus moveri ſenſit*. In viro autem qui unus de tribus, ab eodem cane demorſis; poſtquam duo ob eam cauſam obierant, quatuor circiter annos vixit, ex vulnere cui ferrum candens impreſſum fuerat, quotannis; nunquam enim ad cicatricem pervenerat, multum ſanguinis exibat per illud tempus quo morſus inflictus fuerat, *uſque dum in tibia, ubi vulnus contigerat, vena diſſecta fuit*. Et quando jam de rabido quoque cane mentionem fecimus; præter alias Obſervationes huc attinentes, legas velim quam ad Hildanum (*f*) Roſcius ſcripſit. Videbis, quot, & quam gravia, niſi quod aquæ potio nunquam recuſata eſt, Matrona pertulerit poſt acerbiſſimum brachii dolorem, quod ſeptimo ante anno rabioſus canis momorderat, itemque poſt annos totidem principio malorum ſemper ducto ab eodem brachio, & deinde interjecto ſexennio, tum anno dumtaxat uno, inſequente autem anno bis, & ter proximo ſic tamen, ut quo crebriores, eo breviores eſſent inſultus. Fuerant poſt acceptum morſum auxilia plura confeſtim adhibita; ſed poſt hæc vulnus ad cicatricem perductum. Quæ res cum male ceſſerit fœminæ quoque ex Scaramuccio commemoratæ, contra autem valde profuerit viro de quo ex ejus Obſervatione dictum eſt, nunquam vulnus coaluiſſe; facile apparere poteſt, egregium eſſe eorum omnium monitum, qui diutius apertum ſervandum, & ſi forte citius clauſum ſit, reſerandum ſtatim eſſe, docuerunt. Quas ſicut alibi (*g*) laudavimus; ita in expoſito a nobis caſu fuiſſe factum, vellemus.

16. Cæterum ut idem caſus, cum aliis qui alias (*h*); & modo præſertim producti ſunt a nobis, conjunctus, quæ de hujus veneni per nervos communicatione, & convulſiva natura conjecimus, non leviter confirmat, ſic levamen unicum ex aquæ balneo cum iis conſentit quæ de hujuſmodi auxilii uſu non prorſus contemnendo cenſuimus (*i*): multæ autem ſudorum profuſionis utilitas ea comprobat quæ de hac Veteres & Recentiores docuere. Quorum præcipuos; ne hic ſingillatim nominem; ſatis illa quam ſupra (*k*) laudavi, Edimburgenſis Diſſertatio indicabit. Vale.

(*u*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1731. (*x*) IV. Animad. 29. (*y*) Diſſert. Anat. Renov. 4. (*z*) ſupra ad n. 11. cit. (*a*) P. 2. ibid. cit. (*b*) Commerc. Litter. A. 1735. Hebd. 11. n. 2. (*c*) Cent. 1. Obſerv. 100. & in Schol. (*d*) n. 14. (*e*) n. 21. (*f*) Cent. 1. Obſ. Chir. 86. (*g*) Epiſt. 8. n. 26. (*h*) Ibid. n. 21. & 32. (*i*) Ibid. n. 29. (*k*) n. 9.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LXII.

Spectat ad Epilepſiam, Convulſionem, Paralyſim.

NUNC quæ ſuperſunt accipe de iis quæ ad reliqua tria gravia cerebri, & nervorum mala pertinent, Epilepſiam, Convulſionem, Paralyſim. Et de Epilepſia quidem nullam haberem quam hic adderem, Obſervationem, niſi eam perire nollem quæ mecum Venetiis circa A. 1708. communicata eſt a ſpectatis, & tibi alias laudatis Amicis duobus Alexandro Bonis, & Joanne Hieronymo Zanichellio.

2. ADOLESCENS annos natus duodeviginti, nulla prævia manifeſta cauſa, febre prehenditur, nec de ullius Partis, niſi capitis dolore, moleſtiaque conqueritur. Accedunt epileptici inſultus, qui mortem afferunt intra horam a febris initio vigeſimam quartam. CRANIO aperto, nihil uſquam vitii repertum eſt, ſi mucoſum excipias ſerum quod ſuper anteriorem cerebri partem inter Craſſam, Tenuemque meningem congeſtum, has multum diduxerat, illudque compreſſerat. Et Ventriculus quidem apparuit inflammatus, & lumbricorum teretium glomeramen in primis inteſtinis compertum eſt. Sed nullum rerum harum indicium fuerat.

3. An tantus fuit capitis dolor, ut ventriculi, & inteſtinorum dolorem, quemadmodum Hippocrates (*a*) loquitur, *obſcuraret?* Certe alterum ejus aphoriſmum (*b*) confirmavit mors, convulſiones in febricitante ſupervenientes conſecuta. Sed ut hæ ægrotationem, non ita brevem futuram, fecerunt breviſſimam; quidnam fecit, ut ipſæ eſſent adeo vehementes? Num lumbrici, Tenuia inteſtina irritantes? Crederem, ſi ulla in ventre moleſtia dolorem capitis anteceſſiſſet. Hunc vero quæ cauſa effecerat? An febris? Sed quæcunque ejus cauſa fuerit; ſi vehementiſſimum agnoſcimus; remoratum ab eo in meningum vaſis fuiſſe ſanguinem, & hinc ſerum illud effluxiſſe, non mirabimur. Cujus vel minori copia poſſe epilepſiam fieri, cum alia Epiſtola (*c*) indicaverimus; non opus eſt hic illa iterare quæ ibi potes relegere. Quod ſi Bohnium (*d*) inſpicias, ubi in diſſecto ab ſe decenni puero *ex cephalalgia primo immani, hinc epilepſia, & torpore omnium ſenſuum* defuncto, quid ſibi apparuerit, proponit; facile intelliges quid de ſero, aut ſi mavis lympha vel non effuſa, ſed circa anfractus cerebri in vaſis remorante, cenſuiſſe in ejuſmodi caſu Vir doctiſſimus videatur.

4. Ad Convulſionem tranſeamus. Nam Epilepſia quidem eſſe nequit ſine Convulſione; & Convulſio ſæpiſſime eſt ſine Epilepſia, velut in eo quoque fuit, cujus tibi hiſtoriam continuo ſubjiciam.

5. FORICARIUS annorum, ut videbatur, circiter quinquaginta, robuſtus, boni coloris, atque habitus, vel potius plethoricus, bibax, & ſæpe ebrius, Noſocomii latrinas intempeſta nocte, ut ſolent, ſuis cum miniſtris expurgabat. Quibus identidem, ut ea ſordida ars requirit, ultro citroque commeantibus, cum forte ille ſolus eſſet, de improviſo ſpectrum, albis indutum, ſibi videre viſus eſt, & illico toto corpore contremiſcens, ſimulque oris diſtortione captus, ſic ab redeuntibus miniſtris repertus, & ad lectulum perductus fuit. Datis continuo antiſpaſmodicis, & cardiacis, cum remiſiſſent tremores, vireſque pulſibus rediiſſent, ſanguis eadem nocte e brachio ad ſelibram miſſus eſt. Mane autem tantumdem ex altero brachio detractum eſt, cum tremores jam magis remiſiſſent, & expanſi, febrileſque eſſent pulſus. Sed & poſtridie vena in pede ſecta eſt, levamine aliquo, ſed brevi, a ſingulis venæ ſectionibus relato, ſanguine autem, præſertim in prima, ſpumoſo, pernigroque exeunte, cujus craſſamentum fuit duriuſculum, ſerum paucum. Perſtabat febris, & pro clonicis jam tonicæ convulſiones ſubinde toto corpore vehementer urgebant. Loqui homo non poterat quæ intelligerentur, idque ex eo tempore quo miniſtris ſuis quid ſibi contigiſſet, narraverat. Se tamen cognoſcere, & internoſcere adſtantes, oſtendebat: & geſtu, cum poterat, gravantem capitis dolorem moleſtum ſibi eſſe, indicabat. Per hæc, quibus fruſtra interna alia, externaque opponebantur remedia, intra ſex, an ſeptem dies confectus eſt pridie Kal. Februarias An. 1747. CADAVERIS, ut Publicam Anatomen abſolverem, in Gymnaſium poſtridie illati, brachia quidem erant non rigida, ſed manuum digiti rigidiſſimi. Penis, & ſcrotum, ſed cute tenus, nigricabant. Ventre aperto, & omento, cujus exigua pinguedo erat, ſublato, Colon inteſtinum quod ab aere incluſo fere ubique, nec tamen nimis, tumebat, animadverti ſic incedere, ut poſtquam ad jecur aſcenderat, inde ſe demitteret infra umbilicum ad duos treſve digitos ab dextero hujus latere, hinc vero cum in ſuam rediiſſet ſedem, eamque, ut ſolet, tranſverſum ſub ventriculo, obliquum autem in ſiniſtra hypochondrii ſiniſtri parte, & rectum per totam anteriorem faciem ſubjecti renis ſervaſſet, inde rurſus in idem hypochondrium regrederetur, unde iterum deſcendens, pelvimque ſubiens, ſine ullo flexu in Rectum inteſtinum abibat. Tenuia inteſtina, ſi tractus eorum quoſdam, & in his partem Ilei non parvam exciperes, quæ intra pelvim valde profunde ſe demittebat, erant aere diſtenta, ibique per eorum tunicas flavedo qua intus infecta erant, tranſpiciebatur. Scilicet bilis quæ cyſtim hepaticam ferme implebat, ut exſudans, inteſtina proxima fecerat exterius flava, ſic influendo, fecerat etiam interius. Jecur vero ſubcæruleo fuit colore, uti & lien; ſed etſi ad illius crepidinem is color ſaturatior erat, nuſquam tamen ultra ſuperficiem pergebat, ut neque in liene. Hic modicus, jecur autem magnum; ſed ſanum viſcus utrumque.

Thorace recluſo, pulmones, qui vix alicubi, idque a tergo, ad pleuram adhærebant, erant potius turgidi, & quibuſdam locis majuſculas oſtendebant areas, nonnihil ſuperficie reliqua altiores, in quibus manifeſto apparebant incluſæ quaſi veſiculæ. Nullus omnino intermedius lobus fuit a dextris, ſed ita res ibi ſe habebat, ut a ſiniſtris. Pericardio inciſo, nullam in eo humoris guttam inveni, faciemque ejus interiorem hactenus humidam, ut non prorſus cordi adhæreret, quamvis alicubi jam quaſi adhærere inciperet. In corde parum omnino ſanguinis fuit; an quod dum majora ſub diaphragmate ſecarent vaſa, antea defluxiſſet, præſertim cum paſſim in hoc cadavere ſanguis animadverſus ſit fluidus? Concretiones tamen duas polypoſas deprehendi, quarum una ex auricula dextera in nonam Cavam Superiorem, altera, quæ paulo erat ſpectabilior, ex ventriculo ejuſdem lateris in Pulmonarem arteriam pergebat, teres nec digitulo craſſior. Cranium denique, & Craſſa meninx cum ſecarentur, nihil occurrit adnotatione dignum. Sed Tenuis vaſa habuit ſanguine adeo plena, ut vel minima, quaſi ab injectione ubique apparerent. Plena in ventriculis quoque, imo etiam intra ipſam medullarem cerebri ſubſtantiam erant: & cum initium Spinalis medullæ, quod cum Oblongata ex-

(*a*) S. 2. Aph. 46. (*b*) Ibid. Aph. 26. (*c*) IX. n. 10. & alibi. (*d*) Differt. de Trepanation. Difficult.

extractum fuerat, lente comprimerem; ſanguinem animadverti non ſolum ex ejus medullæ rima, verum etiam ex ſectione ſubſtantiæ ipſius quæ rimæ propior erat prodire. In Laterali ventriculo utroque copiam aquæ limpidæ non ita modicam; rubentes tamen Choroides plexus, & in his non veſiculas, ut ſæpius, ſed minimas particulas rubras conſpexi, eaſque ſolidas, ut glanduloſæ viderentur. Cerebrum, & cerebellum naturali erant firmitate; ſed laxus Fornix, laxæque medullæ Oblongatæ crura, & mox truncus; ſed hæc facie dumtaxat interiore. Nec vero hoc prætermittam, quod, ut quædam alia ex hac diſſectione tibi deſcripta, ad ea quidem pertinet quæ minus ſunt conſueta, ſed ab ortu tamen, non a morbo repetenda; cerebri anteriores lobi qua inter ſe contingunt, ad medium ferme altitudinis partem aliquam habebant ſuperficiei, alioqui inteſtiniformis, ita factam ut eorum alter ibi exciperetur, alter exciperet.

6. Quid terror, etiam vanus, poſſit, producta monſtrat hiſtoria. Vides, ut illico & clonicæ, & tonicæ, ut ad os, convulſiones a perturbato ſpirituum motu obortæ ſint, quæ ſanguinem in vaſis, cerebro inſervientibus, remorando, ſicque effuſionem ſeri inducendo, novas facile attulerint cauſas ob quas convulſiones ipſæ ad mortem uſque perſtarent; niſi forte mavis limpidam illam aquam in Laterales ventriculos eſſe effuſam e compreſſis inſuper veſiculis, quæ in Choroidibus plexibus, ut ſæpe videmus, antea extitiſſent, quarum diſruptarum in ſe contractæ reliquiæ illa fortaſſe quaſi glanduloſa corpuſcula repræſentaverint, qualia, nec diſſimiles ob cauſas, iis quoque Anatomicis apparere olim potuerint, a quibus ejuſmodi glandulæ iiſdem in plexibus agnitæ ſunt. Quibus ego de rebus, ut quæ mihi pariter venerunt aliquando in mentem, etſi tibi fortaſſis non prorſus repugnarem; illud tamen quod de remorato ſanguine dixi, tanto credibilius eſt, quanto is majori, quippe in bibaci, & plethorico, erat copia, & quanto in ægrotante evidentius fuit levamen, quantumvis breve; quod ex ſingulis venæ ſectionibus relatum eſt, in mortuo autem vaſorum, etiam minimorum, cerebri manifeſtior diſtentio, ut vel ex hujus appendicis, medullæ Spinalis compreſſione intellectum eſt; perraro enim ex ipſa ejus medullæ ſubſtantia licet ſanguinem exprimere. Adde huc acres ex tam ſordida arte in hominis ſanguine particulas, ut poſita hujus mora exeuntes, irritare magis, & vellicare potuerint. Verum de Epilepſia, & Convulſionibus ſatis, præſertim cum de oppoſito malo, Paralyſi plura ſuperſint quæ huc adjiciamus.

7. VETULAM octoginta annis minorem, ſed majorem ſeptuaginta, repente apoplexia graviſſima corripuerat. Continuo in Noſocomium intulerunt ſtertentem, pulſu debili, & quod huc maxime attinet, artu utroque dextero reſoluto. Ibi intra biduum eadem qua primum apoplexia ingruerat hora mortua eſt poſt medium Martium A. 1750.

CRANII fornice poſtridie ibidem circumſecto, cum effluxiſſet nihil; priuſquam ille attolleretur, magna audiente ſtudioſorum Juvenum corona, dixi, etſi ob ignotum mihi ejus Vetulæ temperamentum, & genus tum victus, tum morborum quibus fuiſſet obnoxia, non auderem, quam inventuri eſſemus apoplexiæ cauſam pro certo definire; tamen non inficiaturum, vel in muliere id ætatis eſſe poſſe a ſanguine, præſertim cum ab hoc valde tumerent in collo venæ, & fortis fuiſſet apoplexia: cæterum, quæcunque fuiſſet cauſa, dummodo in organica conſpicua læſione conſiſteret; ex paralyſi dexterorum artuum conjici probabilius poſſe juxta Valſalvæ tot Obſervationes, & meas, in ſiniſtro cerebri hemiſphærio apparituram. Tunc avulſo a ſubjecta meninge cranii fornice, cum in ea morboſi nihil, mox autem per meningem Tenuem repentia vaſa pleraque vidiſſem nigro ſanguine turgida, & aliquid cruentæ aquæ circa inferiores Oblongatæ medullæ fines animadvertiſſem; ad cerebri, quod erat firmum, cum cerebellum eſſet laxum, diſſectionem ventum eſt. Primum autem aperto Laterali ventriculo dextero, non pauca cruenta aqua ſe obtulit, quæ res videri poterat aliquid indicare quod paulo ante memoratis Obſervationibus non reſponderet. Sed cum in toto eo ventriculo nihil diſruptum, aut laceratum, niſi Lucidi ſepti quandam partem conſpicerem; ad ſiniſtrum ventriculum recludendum perrectum eſt. Qui totus partim eadem cruenta aqua, partim vero, præſertim poſteriora verſus, nigro non pauco ſanguine, eoque concreto, erat plenus. Sicque intellectum eſt, aquam illam cruentam ſerum fuiſſe e concreſcente eo ſanguine expreſſum, quod ſibi per ſeptum, ventriculis interpoſitum, ab ſiniſtro viam fecerat in dexterum, qui nihil habebat adnotandum, niſi Choroidem plexum pallidulum, multiſque, ſed parvis, hydatidibus, qua antrorſum inflectebatur, diſtinctum. At in ſiniſtro ab erumpente ſanguine læſus adeo fuerat Choroides plexus, ut quemadmodum ſe haberet, ſatis perſpicere non licuerit. Eruperat autem ſanguis ex ampla, cui adhærebat, fovea, excavata in dilacerata parte ferme tota Striati corporis quæ ab hujus longitudinis medio ad poſteriora extenditur, & in ſimul lacerato contiguo nervi Optici Thalamo propemodum toto; vix enim parva hujus portio, eaque lurida, reliqua erat quæ ad oram eſt ventriculi tertii, pleni eadem illa aqua ſanguinolenta: ab altero autem Thalami ejuſdem latere non ipſum dumtaxat, ſed & aliquam attiguam partem hemiſphærii ſiniſtri erumpens ſanguis dilaceraverat. Cætera quæ intra cranium erant, cum diligenter perſecuiſſem, omnia intra naturæ modum deprehendi, ut ne arteriæ quidem duri quidquam haberent, cum cæteræ pene omnes, & vel ipſæ per collum Carotides non ſine lamellis oſſeis in hac Vetula invenirentur. Sed neque in oſtendenda, diſſecandaque diebus inſequentibus in ſua ſede Spinali medulla quidquam offendi quod eſſet præter naturam. Thoracis quoque, & Ventris viſcera nihil obtulerant adnotatione dignum, ſi Colon excipias, quod ab ſua ſub ventriculo ſede inflectebat ſe deorſum in arcus modum, nec breve ad ſpatium: eratque, ut ventriculus pariter, valde contractum. Animadverſum etiam eſt ad alteram axillam corpuſculum forma, & magnitudine lupini, ambigua inter os, lapidemque natura, quod niſi pleuræ magis, quam axillaribus glandulis, vicinum fuiſſet; fortaſſe ex earum aliqua factum eſſe, exiſtimaſſes.

8. Diſſectio hæc, ut tot aliæ, ſimul Hippocratis aphoriſmum (*) *ſolvere apoplexiam fortem impoſſibile*, ſimul Valſalvæ dogma de quo ſæpe, & ſupra diximus, comprobavit, tum inſuper quam exitialis ſit effuſio ſanguinis per Striata corpora, aut proximos Thalamos, aut eorum ſaltem viciniam. Quæ omnia proxima quoque confirmabit hiſtoria.

9. FŒMINA jam cana, ibidem circa medium Decembrem A. 1756. ex eodem morbo intra paucas horas mortua erat, paralyſi in dexteris artubus adnotata. CEREBRUM in ſua ſede inciſurus, iis, qui poſt a me habitam de univerſis oſſibus Exercitationem plures ſubſtiterant, ſtudioſioribus Adoleſcentibus cum idem quod in ſuperiore muliere prædixiſſem, tum Craſſa meninge amota, vaſa per Tenuem diſcurrentia pleniora ſanguine a ſiniſtris oſtendi, ubi & quidpiam ſub ea apparebat quaſi *gelatinæ* ſimile. Deinde cerebrum ſecans, cujus erat ſubſtantia firma, cerebelli autem molliſſima, cum paucam aquam in Lateralibus ventriculis conſpexiſſem, nihil autem in hemiſphærio dextero; ut neque ulla alia in parte ex his quæ calvaria continentur, offendiſſem quod ab naturæ norma recederet; ſiniſtro hemiſphærio alte ſecundum longitudinem diſſecto, nigrum, concretumque ſanguinem ad duas, ut omnibus viſum eſt, uncias deprehendi. Erat is ad latus Striati corporis, & ſub hoc

(*) 42. S. 2.

hoc ipſo intra medullarem ſubſtantiam effuſus: quam etſi laceraverat; nullam tamen ſibi viam inde aperuerat per quam in proximum ventriculum, aut extra cerebrum perveniret. Nihil præterea, quippe aliis occupatus, in hoc cadavere diſſecui.

10. Hactenus ſcripſeram Kalendis Januariis A. 1758. cum poſtridie, ut interruptas Anatomicas Exercitationes reſumerem, in Noſocomium redeunti continuo alia habendæ ibi Obſervationis occaſio ſe obtulit, ad laudatas Valſalvæ adjungendæ.

11. MENDICUS quinquaginta circiter annorum, cujus Spina ſic præter naturam ſe habebat, quemadmodum infra deſcribam, cum in foro eſſet, ante menſem apoplexia ictus ceciderat, dexteris ipſe quoque artubus reſolutis, & ore diſtorto. Illico in Noſocomium excepto cum venæ ſectiones, & alia quæ ſolent, eſſent adminiſtrata, hactenus profecerat, ut loqui aliquid poſſet. Interpoſitis diebus iterum apoplectico inſultu corripitur; iterumque medicis auxiliis levatur. Denique tertio inſultu conficitur.

CALVARIAM circumſecando, & mox a Craſſa meninge, quæ arctius illi adhærebat, avellendo cum effluxiſſet nihil adnotatione dignum, & ipſe Auditoribus, qui confertiſſimi aderant, quæ ſolitus ſum, prænunciaſſem; exitus prænunciationem confirmavit. Nihil enim uſquam per ſectionem deprehenſum eſt quod intra cranium peccaret, niſi cerebri hemiſphærium ſiniſtrum. Cujus intima pars medullaris, Laterali ventriculo adjacens, a ſanguine disjecta, tantum hujus nigri, & ſemiconcreti continebat, quantum mediocre cochleare vix caperet. Hujus autem hominis Spina ſic erat inflexa, ut in nullo magis vidiſſe meminerim. Ad infimam enim thoracis vertebram adeo flectebat ſe dextrorſum, ut angulum faceret deorſum verſus recto minorem, ſimulque & illius vertebræ, & quatuor, an quinque, ipſi impoſitarum corpora ſiniſtrorſum convertebat, ut hæc non anteriorem thoracis parietem, ſed prorſus latus ſiniſtrum ſpectarent. Et deſcripta quidem flexione multo erat minor quæ in vertebris univerſis lumborum, & quæ in ſuperioribus thoracis, imiſque cervicis conſpiciebatur. Sed tamen erat manifeſta utrobique Spinæ inclinatio arcum referentis, cujus convexitas in lumbis ad dexteram, concavitas ad ſiniſtram; in ſuperiore autem dorſo, proximiſque cervicibus illa ad ſiniſtram, hæc ad dexteram pertinebat. Denique ligamentum quod intra primam colli vertebram ſecundæ proceſſum quem Dentem vocant, dimidiati annuli inſtar a tergo amplectitur, animadverti cum Dente, præſertim a dextris, connatum, fortaſſe ob aſſiduum aut certe creberrimum colli poſitum, ſic facto homini commodiorem.

12. Prava adeo, quam deſcripſi, Spinæ figura, quantum inflectebat adhærentem arteriam Magnam, tantum expedito ſanguinis curſui inferiora verſus obſtabat. Itaque efficiebat, ut plus ex ipſo cerebrum peteret, hocque ad ſanguineam apoplexiam diſponeret. Quæ tamen ne citius occideret, tum illæſæ duæ illæ in ventriculorum baſi Protuberantiæ, tum opportunæ venæ ſectiones præſtiterunt, quibus nimirum factum eſt, ne læſio in illas uſque procederet, nec ſanguinis effuſio, niſi lente, & parce, & per intervalla fieret.

13. In eo autem cerebri hemiſphærio quod paralytico opponitur corporis lateri, in hoc quidem apoplexiæ genere labem quam ſæpiſſime deprehendi, non hæ ſolum Obſervationes, ſed & aliæ plurimæ confirmant noſtræ, quarum etſi pleraſque alibi (*e*) indicavimus, aut propoſuimus, aliquæ ſunt tamen quæ ſuperſint, ex iiſque una quam proximis Litteris (*f*) ad te mittemus. Nec tantum noſtræ, ſed etiam aliorum, pariter alibi (*g*) indicatæ, ad quas addes laudatam a Cl. Sulzero (*h*) ex Archibaldo Adams, & quas *olim in noſocomio non ſemel* ab ſe habitas eſſe teſtatur Meadius (*i*), & eam tandem quæ ſimillima noſtrarum Experientiſſimo Viro occurrit M. Antonio Caldanio (*k*), cum poſt fortem apoplexiam, & totius lateris dexteri paralyſim ſiniſtrum vidit Striatum corpus pro dimidio eroſum, grumoſique ſanguinis plenum. At enim ſunt etiam Obſervationes reſoluti lateris non oppoſiti, ſed illi cerebri hemiſphærio ſubjecti, quo in hemiſphærio erat labes. Sunt vero: nec Valſalva (*l*) inter ſuas diſſimulavit, nec ego (*m*) inter meas diſſimulo. Quin imo in Epiſtolis Anatomicis (*n*) produxi ſeptem ex aliorum libris acceptas. Quibus ſi forte accenſere velis quandam ex Præcl. Bergenio (*o*), & unam, aut alteram quæ apud laudatum Sulzerum (*p*) eſt; non repugnabo: rogabo tamen, ut quæ ad earum plures poſſunt regeri, perpendas: quod & ego (*q*) ad quaſdam feci, ut Sulzerus (*r*), qui Epiſtolas meas Anatomicas non viderat, poſtea ad alias, etſi nonnullas eſſe, credas, quibus nihil opponi liceat; tum exiguum harum numerum cum innumeris propemodum Valſalvæ, & aliorum conferas. Sic enim continuo intelliges, utris a Medico ea quæ ut plurimum fiunt, ut debet, ſpectante, utris inquam, magis fidendum ſit, nec in theoria tantum, ſed & in praxi, ut ſi præſertim, quod ſæpe nominatus Sulzerus (*ſ*) indicat, terebra calvariæ percuſſæ, ob ſanguinem, aut pus ſub hac effuſum, ſit adhibenda, & ad ſigna accedat alterutrius lateris reſolutio, a qua nimirum compreſſionis cerebri, & quod conſequitur, effuſionis circa hoc ſedes indicetur.

14. Et quod ad cerebrum quidem attinet, ſatis dictum eſt. Quid vero, ſi noxa ad cerebellum attineat? num ſi in alterutro, aut ad alterutrum hujus lobum ea ſit, hemiplexiam inducet, & ſi inducet, in oppoſito ne, an in ſubjecto corporis latere? Hoc ego problema Epiſtola Anatomica XIII. (*t*) propoſui: nec me pœnitet conſuetudinis meæ, quam tunc ſervans, nolui ex una Obſervatione quidquam definire; imo eam poſſe multifariam explicari, falſus, alias, & generis alius expectandas eſſe, monui. Nam incidi poſtea in unam minus recentem, legique alteram novam Obſervationem, in quarum utraque ei lobo cerebelli in quo læſio erat, hemiplexia reſpondebat ſubjectorum artuum, non adverſorum. Quas tibi aliis Litteris (*u*) ſignificavi: quanquam iis varietatibus admonitus quæ nonnunquam contra ipſum Valſalvæ dogma, tot alioquin conſtantibus exemplis comprobatum occurrerunt, tutius conſilium eſſe, cenſui, ne ex duobus quidem præpropere quidquam conſtituere, ſed alia, atque alia; quod priuſquam ſuum dogma vulgaret, Valſalva fecit, his antea addere, quæ idem oſtenderent. Non ſum neſcius, ſi velis omnia, ut par eſt, perpendere, rarius hæc quam quæ ad cerebrum attinent, exempla occurrere, ut cognoſcere potuiſti ex iis quæ ad Obſervationem quandam meam adnotavi (*x*), in qua non parvam caveam intra alterum lobum cerebelli deprehenderam, eamque ſanguine pleniſſimam: & cognoſcere ex altera poteris, ibi, & alio quoque loco (*y*) tibi promiſſa, quam protinus communicabo.

15. VIR annos natus circiter duodequinquaginta, cum vel magis quam ars ejus requireret, quæ erat Coquinaria, accenſis carbonibus uti, & propius adſtare capite conſueſſet; de hujus acutiſſimis doloribus jam ante annum conqueri cœperat. His acceſſit utriuſque pariter inferioris artus debilitas tanta, ut neutro amplius poſſet inſiſtere. Qua re, illiſque doloribus, & febricula, quæ his ſe addiderat, cubare coactus, & denique Medicum advocare, ſanguine primum e brachio, tum e pede emiſſo ea quoque de cauſa quod ſubdelirio identidem laboraret; febricula quidem ſolutus eſt; at cætera omnia perſtiterunt. Medico dimiſſo, cephalicis quæ hic imperaverat, remediis uti perrexit; ſed fruſtra adeo, ut poſtquam

(*e*) Epiſt. II. n. 10. & ſeqq. III. n. 2. 3. 14. & ſeqq. V. n. 7. XI. n. 10. 12. LI. n. 43. (*f*) Epiſt. 63. n. 12.
(*g*) Vid. eaſd. Epiſtolas. (*h*) De Actione Cerebri decuſſ. §. 8. (*i*) Monit. Med. c. 2. §. 2.
(*k*) Lettera ſull' Inſenſitiv. &c. §. 51. (*l*) Tract. de Aure Hum. c. 5. n. 5. (*m*) Epiſt. 57. n. 14. 15. & Epiſt. Anat. 13. n. 23. 25.
(*n*) Ibid. eod. n. 25. (*o*) Ventriculor. Lateral. Cerebri nova Tab. not. *dd*. (*p*) §. 13.
(*q*) Vid. Epiſtolas indicatas. (*r*) §. 16. & ſeqq. (*ſ*) §. 21. (*t*) n. 23. (*u*) Epiſt. 52. n. 27. (*x*) Epiſt. 60. n. 7.
(*y*) Epiſt. 52. n. 26.

quam menſem jam quartum domi decubuerat, cunctis quæ dixi, malis afflictus, & propterea in Noſocomium denique illatus, ibi dies vixerit non amplius decem. Pulſus erant tenſi, & vibrati, cætera mediocres, nunquam febriles. Reſpiratio naturalis, ut alimenti quoque appetitus. Nec quamvis artus inferiores eſſent, quod ad motum attinet, reſoluti; ſuperiores, aut aliæ ullæ corporis partes ejuſdemmodi affectione tentabantur. Interdiu plerumque ſomnus; noctu autem ſubdeliria. Inter cætera, quantumvis ſupervacua, auxilia, cum venæ in brachio ſectio, & paucis interjectis diebus, in pede quoque facta eſſet; forte accidit, ut nocte inſequente obiret, nullo defectionis toto eo die indicio dato: quin prandio ita, uti conſueverat, uſum, & prima nocte etiam parte cœnulæ, de improviſo animadverſum eſt, animam agere. Cum mente per intervalla vigeret; neque enim vigebat ut plurimum; tum domi non ſemel ſorori, tum in Noſocomio aliis dixerat, optare ſe, ut ſuo poſt mortem cranio aperto, atrocis morbi cauſa perquireretur. Id a me poſtridie factum, qui dies fuit VI. Idus Januarii A. 1754 inſpectantibus pluribus qui abſoluta Anatomica Exercitatione, in Noſocomii Schola ſubſtiterant. CAPUT dum amputarent, & calvariam ſecarent, aqua effluxerat. Priuſquam cerebrum inciderem, & magis poſtquam incideram, oſtendi, obliquum fuiſſe huic homini cranii cavum, ejuſque ſiniſtrum latus, ad poſteriora præſertim, magis, nec ita paulo, diſtare a medio, quam dexterum. Vaſa quæ per meninges, & per Lateralium ventriculorum parietes repunt, plus habebant ſanguinis, quam æquum ſit: quod etiam de vaſculis quæ per medullarem cerebri ſubſtantiam traducuntur, ſanguinea puncta magis conſpicua ſignificabant. Erat ea in hemiſphæriis quidem ſubſtantia durior. Contra fuit laxum corpus Calloſum, Fornix autem, & tractus medullaris qui ante columnas ejus baſis ducitur, multo laxiores, eæque columnæ laxiſſimæ; ut diſſoluta earum ſubſtantia videretur. Corpus quoque Striatum ſiniſtrum laxius, quam dexterum. At Lucidum ſeptum ſatis firmum. Ventriculis tribus anterioribus multum inerat aquæ limpidæ, in eaque alæ plexuum Choroidum, nec tamen pallidæ, natabant. Pinealis glandula, aqua eadem diſtenta, cum facile inter attollendum mediam illorum plexuum partem, diſrupta eſſet, nihil de ſe præter exiguam baſis particulam reliquit, ſuæ ſedi affixam. Ventriculus tertius viſus æquo brevior; at æquo longior certe apparuit quartus, poſtquam cerebellum per medium, ut ſolet, diſſectum, & ad latera diductum fuerat. Quod cum ita, ut dico, ſecarem; id offendi quod ſuperficies, conſuetæ ſimilis, ne ſuſpicari quidem ſinebat. Scilicet vix cultro ad digiti tranſverſi profunditatem perveneram, cum inſolitam reſiſtentiam percipiens, ſubſtiti, & eam quam diſſecueram, partem diducens, magnopere miratus ſum, nullum in ſectionibus indicium medullaris arbuſculæ apparere, ſed ejus loco ſtrias parallelas medullares inter corticalem ſubſtantiam ductas, quibus ex ſtriis nihil uſquam ramuſculorum emittebatur. Tunc acutiore, & validiore cultro connixus, quidquid ex medio cerebello ſupererat, ad quartum uſque ventriculum diſſecui, vitiumque illud ob quod potiſſimum hanc tibi Obſervationem deſcribo, cœpi conſpicere. Erat non mollis, nec bicolor, nec profundis creberrimis ſulcis interciſa ſubſtantia; ſed ſcirrhoſa, unius coloris, qui ad carneum dilutiſſimum accedebat; & quaſi ex corpuſculis ſubrotundis conſtans, inter ſe ita compactis, ut nullum uſquam interſtitium, nulla membrana, nulla ſanguifera occurrerent vaſa. Hujuſmodi vitium hinc dextrorſum nonnihil, inde vero per totum pene cerebelli ſiniſtrum lobum ſe extendebat. Si enim exciperes hujus lobi ſuperficiem, quæ ex naturali fiebat ſubſtantia, nonnullis locis exigua, ad infimam autem faciem nulla, reliquam omnem partem idem prorſus vitium tenebat, & ad imum præſertim arcte ſe cum Dura meninge nectebat; ut ex eo loco ortum, indeque in cæteras quas diximus, partes propagatum credi poſſet. Lobus autem dexter etſi ex molli erat ſubſtantia, eaque duplici, corticali videlicet, ac medullari; tamen in tranſverſum diſſectus, non eam oſtendit utriuſque diſpoſitionem, quam in aliis ſolet, ſed evidenter ab ea diſcrepantem, quamvis non adeo ut media illa cerebelli pars, quæ ubi mollis erat, & ex duplici ſubſtantia facta, ſectiones obtulit ab iis quas ſemper conſpicimus, ita diverſas, ut paulo ante indicatum eſt. Nec plura quæ ab naturæ norma aberrarent animadvertere potui, etſi omnia diligenter, & in ſua quodque ſede perſecui. Nihil præterea in hoc cadavere inſpiciendi tempus fuit.

16. Cerebelli hic ſcirrhus quo ex loco videri poſſit incepiſſe, dictum eſt. Num vero ideo a ſiniſtris inceperit, quod cranii cavum ibi præter modum eſſet amplum, non magis dicam, quam unde originem habuerit inſolita medullaris ſubſtantiæ per dexterum lobum, & mediam illam cerebelli ſedem diſpoſitio. Sic enim ab ortu uſque rem fuiſſe, credibile in eo non videtur qui ſine ullo capitis incommodo annos vixerit ſeptem & quadraginta. Veri potius ſimile eſt; ut ad alia tranſeam; ſcirrhoſo increſcente vitio, cum minus minuſque ſanguinis in totam illam cerebelli partem admitteretur, in qua nulla amplius conſpicerentur de tot vaſis quæ alte inter ſegmenta (hic prorſus oblitterata) in omnibus paſſim deſcendunt, tanto plus ſanguinis in cerebri tum extima, tum penitiora vaſa propulſum eſſe, indeque & dolores, & creberrima ſubdeliria, & denique, cum multa ſimul aqua in cerebrum defluxit, mortem proveniſſe. Quæ eo facilius omnia accidere potuerunt non modo ob artem hominis, & minus cautam in ea exercenda conſuetudinem, verum etiam ob pravam illam, ad quam hæc acceſſerant, cerebri diſpoſitionem, quæ a cranii abnormi figura indicatur, ſive hæc intra uterum, ſive in ipſo exitu ab utero fiat. Sæpius enim accidere hanc, credo, cum in difficili partu infantis caput diutius in anguſtiis moratur, imperitæ autem, ſocordeſque obſtetrices poſtquam rudi, & inæquali preſſione arreptum, & violenter protractum deformarunt, mox neſciunt, aut minime curant apta, blandaque contrectatione in naturalem formam reſtituere. Quantum vero tunc detrimentum capiat tenella cerebri, & cerebelli ſtructura, neque tunc ſolum, verum etiam deinceps, cum intra male conformatam calvariam creſcendo, ad hujus figuram acommodare ſe cogitur, profecto etiam me tacente, ſatis intelligis. Nec quia cum ſimilem; niſi quod amplius erat ad occiput non a ſiniſtris, ſed a dextris cranii cavum; in viro alio conformationem deprehendi (z), cerebri morbis obnoxium hominem fuiſſe, non ſcivi, ut neque ſenem in Noſocomio a me diſſectum ſub initium A. 1755. cujus frons a dextris, occiput autem a ſiniſtris adeo prominebant, ut longior cranii axis valde eſſet obliquus; idcirco non fuiſſe obnoxios, facile exiſtimes; neque enim omnia quæ ignotos plebejos homines in vita male habuerint, facile eſt poſt eorum interitum ſcire. Quin potius in fœminis duabus quomodo ſe habuerit cerebrum, vide, quarum alterius (*a*) calvariam, ut in viro, alterius (*b*), ut in ſene, male conformatam offendi, & quam atroces capitis dolores primam vexaverint, lege, ad quorum diuturnitatem quantum conferat vitioſa capitis figura, de aliorum quoque ſententia (*c*) cognoſces. Huc adde puellum (*d*) cujus poſterior pars cerebri non ad ſphæræ, ſed potius ad cubi ſuperficiem accedere videbatur, convulſivis motibus peremptum, & mulierem (*e*) cui cranii cavea pro longitudine erat anguſtior, apoplexia, nec ſemel fortaſſe, correptam, certe autem ab eadem occiſam. Quod ſi forte dixeris, acceſſiſſe ad pravam capitis diſpoſitionem alias cauſas, eaſque externas; nempe idem quod ego de propoſito Coquo, dices.

17. Cu-

(z) Epiſt. 53. n. 26. (*a*) Epiſt. 1. n. 14. (*b*) Ibid. eod. n. in fin. & Epiſt. 12. n. 2. (*c*) Epiſt. 1. n. 15.
(*d*) Epiſt. 10. n. 9. (*e*) Epiſt. 3. n. 6. 7.

17. Cujus cerebelli ſcirrho, ſi neglectis omnibus quæ in cerebro erant, vitiis, quaſi nulla eorum initia ante paralyſim contra ac capitis acutiſſimi qui hanc præceſſerant, dolores indicant, eſſe potuiſſent; ſi illi, inquam, ſcirrho unice, & per ſe paralyſim velis imputare; haud videberis meminiſſe, non eum dumtaxat artum inferiorem qui ſcirrho erat ſubjectus, ſed utrumque pariter fuiſſe reſolutum: quæ res nimirum facit, ut illud quod dixeram (*f*) per alias Obſervationes adhuc eſſe confirmandum, per hanc certe confirmari ne poſſit. Idemque prohibuiſſent alia in duabus Obſervationibus in quibus alterutram cerebelli partem effuſo intra ipſum ſanguine, vel affuſo erodente pure aut magis, aut unice læſam Epiſtola II. (*g*) & XIV. (*h*) propoſuimus. In altera enim ullane hemiplexia fuerit, animadverti non potuit: in altera certe nulla fuit.

18. At enim, inquies, deſcripta Coqui hiſtoria illud ſaltem confirmabit quod adverſus tot illa quæ a Williſio fuerant cerebello attributa, nunc paſſim proferunt Viri Docti. Cum tanto enim viſceris illius vitio, reſpiratio, & alimenti appetitus in Coquo erant naturales, pulſuſque ipſi tenſi quidem, & vibrati, cætera mediocres. Ego vero ſicuti non omnia quæ de cerebello Williſius ſcripſit, agnoſco; ita aliquando vereor, ne forte nonnulli cerebello nimium detrahant. Quapropter ſi aliquid pro hoc viſcere, præſertim antequam objecta in ipſum adeo creviſſent, in meis ad te Litteris (*i*) attigi, in eam partem accipias, velim, ut exiſtimes, non aliis omnino repugnandum, ſed caute, & pedetentim in hujus quoque doctrinæ mutatione eſſe a me incedendum, cenſuiſſe. Nec aliud me conſilium permovit, ut cum de cerebelli vulneribus ſcribendum fuit (*k*), ea ne prætermitterem quæ tunc legiſti, ut neque ea quæ ad læſiones ejuſdem attinent, quæ non illico, ut vulnera, ſed tempore aut minus, aut magis longo fiunt (*z*), ut præ cæteris ſcirrhi. Quæ cum relegere poſſis, non hic iterabo. Noli autem putare cum in cerebello vitium hoc tantum offendi quod tibi accurate, ingenueque perſcripſi, me non minus quam te in perlegendo, fuiſſe miratum, hominis tamen reſpirationem, & pulſus ita, ut diligenter quærendo comperi, ſe habuiſſe. Certe enim plus ante hæc noviſſima tempora ei viſceri tributum eſſe, perſpexi, quam conveniret, laudandoſque illos eſſe Egregios Viros, qui non tantum eſſe ipſi tribuendum, monuerunt. Minus quidem, ut aliis quibuſdam corporis Partibus alia in re, ita in iis quæ dicta ſunt, cerebello deferendum eſſe, apparet, quam ſuperiori tempore. Videndum tamen quatenus: idque puto melius quam nos, poſteros eſſe conſtituturos. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LXIII.

Attinet ad Cæcitatem, ad Aphoniam, ad Anginam.

ETſi præter eas quas ante edideram (*a*), non unam ad te miſi (*b*) ex meis Cæcitatis Obſervationibus, unam vero, haud amplius, quæ ad Aphoniam (*c*), itemque unam quæ ad Anginam (*d*) attineret; tamen ſic accidit, ut ex iis etiam quas poſtea habui, ſingulas poſſim nunc tibi deſcribere quæ ad ſingulos hos duos ultimos Affectus pertineant, cum plures ſuppetant quæ ſpectent ad Cæcitatem, a quibus propterea initium ducetur.

2. ANUS cujuſdam oculus inter non paucos alios quibus A. 1747. ad Anatomen Publicam uteremur, oblatus eſt mihi, quem eo libentiùs diſſecarem, quod cæcum fuiſſe indicabat ejus figura non ſatis ſphærica, Corneæ autem maxima pars a magnis albis maculis valde opaca. TUNICÆ Scleroticæ Choroides arctius, quam ſolet, adhærebat, præſertim poſterius. Cryſtallini humoris anterior facies in medio erat inæqualiter excavata, idque altiuſcule: reliquæ humoris ejuſdem partes quanquam luci objectæ flavum ſuccinum referebant; ſanæ pro ea ætate erant tamen. Iridem cum vellem a Cornea dimovere; totam auferre non potui, a medio præſertim. Cum enim ab una parte ad medium uſque, imo ultra medium Corneæ adhæreret; nuſquam arcte adeo, ac in medio, adhærebat ubi illa Corneæ facies erat inæqualis, & lamellam habebat quaſi abſcedere incipientem, & introrſum nonnihil extantem, cum facies exterior lævis eſſet, neque in eadem præter minutiſſima quædam quaſi puncta, eaque ſuboblcura, aliud poſſem animadvertere.

3. Quæ cum ita ſe haberent, nec ullæ uſquam in exteriore oculi facie cicatrices conſpicerentur, non ſecus atque in altero quem Cl. Anatomicus incidit Phil. Conr. Fabricius (*e*), alia quidem, digna quæ a te legantur, habente, ſed in ſede excavationis humoris Cryſtallini cum hoc noſtro conveniente; non ita difficile mihi erat vitia quæ deſcripſi, omnia ad interiorem, quæ olim præceſſiſſet, cauſam, ſive ea inflammatio fuiſſet, ſive alia, referre. Contra in oculo quem anno inſequenti pariter in Gymnaſio ſecui, anceps hæſi, an omnia quæ continuo dicam, ejuſmodi cauſæ eſſent imputanda.

4. VIRI oculus habebat Corneam a longo, ut videbatur, tempore opacam, & geminæ cicatricis tenuia quidem, ſed evidentia, veſtigia retinentem. CRYSTALLINUS humor cum tunica modo dicta connexus erat, nec tamen durus, quanquam decreverat adeo, ut vix quarta ejus pars ſupereſſet. Uvea non peſſime; at Vitreus humor, & Retina multo pejus ſe habebant. Nervus Opticus, tenuior factus, pro medulla ſubſtantiam arcte compactam, albidamque continebat toto eo tractu quo intra orbitam fuerat. Ab orbita autem interius qualis fuiſſet, cum cerebrum præpropere humaſſent, ſcire non potui.

5. Hoc autem quam ægre tulerim, & cur tulerim, ex iis quæ tum in Epiſtolis Anatomicis (*f*), tum alias (*g*) ad te quoque ſcripſi, facile intelliges. Quo magis, principio ſaltem, gaviſus ſum, cum in Noſocomio anno proximo 1749. ſub initium Januarii occaſio mihi ſe obtulit eum nervum a cæco oculo intra cranium perſequendi. Quæ obſervatio, cum una ſit de duabus quas tibi olim (*h*) indicavi, & cum alteram quidem poſtea (*i*), hanc autem necdum miſerim, nunc diligenter deſcribetur.

6. VIRO olim, cum puer eſſet, variolæ oculum dexterum male adeo affectum reliquerant, ut nihil videret. Parentes autem diu lambendo hactenus profecerunt, ut tandem aliquid, ſed vix, ſubvideret. Neque ab illo tempore ad mortem uſque, ad annum videlicet quadrageſimum, plus unquam

(*f*) n. 14. (*g*) n. 22. (*h*) n. 3. (*i*) Epiſt. 2. n. 24. (*k*) Epiſt. 51. n. 27. (*z*) Ibid. n. 16.
(*a*) Epiſt. Anat. 18. n. 22. 38. 40. (*b*) Epiſt. 13. n. 8. 9. 15. (*c*) Epiſt. 14. n. 35. (*d*) Epiſt. 44. n. 3.
(*e*) Progr. quo Obſ. Anat. recenſ. A. 1754. (*f*) XVIII. n. 40. (*g*) Epiſt. 13. n. 7. (*h*) Ibid. n. 10. (*i*) Epiſt. 52. n. 30.

quam vidit. Et ſane is oculus non modo erat altero minor, ſed Cornea etiam ipſa; in qua nullum cæteroquin apparebat læſionis veſtigium, ut albedo quæ pone illam erat, præclare tranſpiceretur; Corneam alteram non æquabat. SCLEROTICAM igitur cum a tergo vix incidere cœpiſſem; limpida aqua ſtatim effluxit, in quam pars magna Vitrei humoris videri poterat abiiſſe, cum pars reliqua, naturali quadantenus ſimilis, annexa, ut ſolet, Cryſtallino humori reſtitiſſet, qui illam cum retrorſum traherem, ſecutus eſt. Is parvus erat ſecundum omnes dimenſiones, craſſitudine autem vel paulo minor quam ejuſmodi oculo conveniret. Facie anteriore in medio erat albus, ſicuti per Corneam tranſpexeram; cætera albidus: & cum inter digitos leviter comprimerem, mollis. Cum vero ejus tunicam incidere cœpiſſem; continuo aqua erupit, nihil purulenti habens, imo pura, & limpida, eaque copia pro parvitate Cryſtallini, ut hic ſtatim ad multo minorem craſſitudinem redigeretur. Quidquid de ſubſtantia ipſius reliquum fuit, lentis priſtinam figuram retinuit: & cum per diametrum diſſecuiſſem; utraque ſectio quandam quaſi ſeriem minimarum nigreſcentium particularum oſtendit, quæ per medium recta ab uno ad alterum ſectionis extremum ducebatur, cum ubique alibi color obſolete albidus appareret. Cætera in oculo non male adeo ſe habebant. In palpebra ſuperiore Sebaceæ glandulæ, quas in priore Viro (*k*) vel pulchriores, craſſioreſque conſpexeram, in hoc, propter variolas fortaſſe, minus quam ſolent, conſpicuas animadverti: duas tamen inter ſe proximas perſpexi, quæ ſummum verſus ſe decuſſabant: quod adnotare hic volui, ut ab nonnullis, qui minime, opinor, attendentes, cum Icon rerum minus bene antea pictarum proponitur, haſce ex eo potiſſimum corpore eſſe deſcribendas in quo magis eleganter ſe habeant, cum in mea, quaſi non una, ſed multiplex fuiſſet, varietates quas ſolicite enumerant, deſiderarent, hanc tamen quam modo dixi, viſam non eſſe, intelligeres. Verum ad illud cujus præcipue gratia hanc tibi exſcribo Obſervationem, veniamus. Nervus, ad deſcriptum oculum pertinens, Opticus intra orbitam quidem ſub craſſioribus tunicis medullam comprehendebat æquo tenuiorem, & quam ſi comprimeres, humidiorem agnoſceres, quam par eſſet, quaſi aquam haberet admiſtam. Sed intra cranium idem nervus omnino ſecundum naturam ſe habebat, niſi quod ubi cum ſocio committebatur, ibi paulo minus quam hic, videbatur craſſus: ſupra autem eum locum; nam alte quoad potui, ſum perſecutus; ne id quidem, ſed nullum prorſus animadvertere diſcrimen aut ego potui qui omnifariam inquirebam, aut alii qui perattente inſpectabant, a me in Re Anatomica exercitati, potuerunt.

7. De aqua loco Vitrei totius, nedum poſterioris ejus partis, a me quoque alias reperta, quid tradiderim in Epiſtolis Anatomicis (*l*), videre potes: de Optico autem nervo, ad cæcum oculum attinente, quæ locis ſcripſerim ſupra (*m*) indicatis. Quoniam vero cum id agerem (*n*), duas tibi Obſervationes promiſi, ex quibus non ſine admiratione intelligeres, nonnunquam ejus nervi eſſe vitia, ipſamque extenuationem, nec eſſe tamen reſpondentis oculi cæcitatem; de iis Obſervationibus cum alteram dumtaxat miſerim (*o*); nunc alteram habebis.

8. SENIS, diebus primis A. 1752. ex cachexia, ut ajebant, in Noſocomio mortui, cadaver cum ibi ſecaremus, quamvis non ad morbi cauſas indagandas: hæc tamen quæ præter naturam eſſent, adnotavimus. THORAX, ut Venter quoque nihil quidem habuit effuſæ aquæ; ſed non ſine duritie pulmones, ſiniſtrum præſertim, qui arcte inſuper Spinæ adhærebat. Cranii fornix, qui non ſine vi avelli potuerat, conſueta majori, intus erat foveis pluribus excavatus in oſſe frontis, & in altero ſincipitis, aliis quidem minoribus, ſed grandioribus tribus, & profundioribus, quorum duæ ad os illud, reliqua ad hoc ſpectabat, eaque non modo, ut illæ, exterius lamella dumtaxat tenui, ſed tenui adeo operiebatur, ut foraminulis pervia appareret. Unde intelligis, cranium illud quam facile, & quanto cum periculo ab levibus etiam ictibus, nedum a Chirurgis terebra illuc forte admota, pertundi potuiſſet, cum ſub ea lamina eſſent vix paucæ quædam fibræ oſſeæ, in reticuli modum diſpoſitæ, quibuſcum Craſſa meninx, foveas illas conveſtiens, implicabatur, unde illa in avellendo cranio major difficultas orta erat. Quæ non ideo tibi deſcribo quod a prægreſſo morbo, cujus hic nullum uſquam occurrebat indicium, potius quam a natura fuiſſe, crediderim, eorum oblitus quæ alias (*p*) ad te ſcribens, de his foveis attigi; ſed quod tum grandiores erant, tum nulla e ſubjectis meningibus exſtabat protuberantia ex corpuſculis quæ Pacchioni glandulæ dicebantur, quorum ne unum quidem hic fuit, confecta, cujuſmodi protuberantiæ, ut tunc ad te ſcripſi, ſolent alioqui intra eas foveas excipi. Etſi vero in cerebri diſſectione ſeptum Lucidum, & Fornicem laxa prærer omnem modum, imo inter duas ejus ſepti laminas aquæ aliquid deprehendi, in Lateralibus autem ventriculis aquam ejus ſimilem in qua recens caro lota ſit, non multam quidem, neque cum pallore Choroidis plexus conjunctam; cerebri tamen ipſius, & Oblongatæ medullæ, & nervorum, ex hac orientium, ſubſtantiam ſatis firmam, & omnino ſecundum naturam inveni. Quo magis me perculit nervi Optici dexteri conſtitutio, qui cum ad unionem uſque cum ſiniſtro, ſanus prorſus, hujuſque ſimillimus fuiſſet, repente ab unione minus quam ſiniſter, evidentiſſime craſſus, & ad cinereum colorem accedens conſpiciebatur, & ſic ad orbitam pergebat. Quamobrem continuo an cæcus oculo dextero homo fuiſſet, ſciſcitatus ſum, & cum id diſerte negaretur, oculum illum inſpectavi, nec minus ſiniſtro pulchrum, ſanumque deprehendi: neque intra orbitam Opticum illius nervum ab ſiniſtro quidquam jam differre amplius, conſpexi, niſi quod paulo minus tamen erat craſſus.

9. Sed quæ difficillimos habent explicatus in aliud tempus rejicientes, ad pleniora nunc redeamus, Obſervationemque aliam, & deinde conjecturam quandam adjiciamus.

10. MOLITORIS quem cæcum fuiſſe, ajebant, nec alio tamen præter baculum ſuum duce, per urbem ire conſueviſſe, oculi, quos diſſecarem, oblati ſunt in Noſocomio ſub anni finem 1755. Exterius per Corneam inſpecti, turbidi potius, quam albi, videbantur. CRYSTALLINUM utrumque humorem ſubopacum offendi, non ut alibi magis opacus eſſet, alibi minus; ſed ut æqualiter ubique. Sub digito, imo inter digitos viſus uterque æque durus. Sed tamen alter, qui erat tenuior, ſicciore ſubſtantia fuit, magiſque compacta. Alter qui craſſior, plus æquo humidus, ut humorem in diſſectione totus emittere videretur, non qui exſiliret tamen, ſed qui exſudaret. Eorum alteri; nam utri adnotatum non habeo; amplior; alteri mediocris diametri pupilla reſpondebat.

11. Si forte alia cupis opacitatis non tam Cryſtallini humoris, quam ejus tunicæ, exempla; Cel. dabit Hallerus (*q*). Cujus (*r*), & Cl. Zinnii (*ſ*) Obſervationes, inventam a Præſtantiſſimo Wachendorffio (*t*) pupillarem fœtus membranam confirmantes cum legerem; facile mihi conjicere poſſe viſus ſum, quid fuerit *tegumentum quod-*

dam

(*k*) n. 4. (*l*) XVIII. n. 38. (*m*) n. 5. (*n*) Epiſt. 13. n. 11. (*o*) Epiſt. 56. n. 21. (*p*) Epiſt. 8. n. 3.
(*q*) Opuſc. Pathol. Obſ. 3. (*r*) Opuſc. Anat. XIII. (*ſ*) Deſcr. Anat. Oculi hum. c. 2. S. 3. §. 4.
(*t*) Commerc. Litter. A. 1740. Hebd. 18. 1.

dam membranaceum pupillæ obductum, *ex infantis corpore*, *cera etiam liquidiſſima repletis arteriolis id perreptantibus*, eximio Medico Richardio Meadio (*u*) oſtenſum, quo ipſe uſus eſt ad comprobandum, rariſſime quidem, ſed tamen revera membraneam Cataractam eſſe deprehenſam, cum videlicet *membranula quædam infortunio aliquo ariditatem forte contraxit*. Veri igitur ſimillimum cenſeo, pupillarem membranam in nonnullis fœtibus craſſiorem, & Iridi firmius adhærentem, cum ante partum diſſolvi nequeat, & evaneſcere, ibidem reſtitare, & clauſam ab ortu pupillam facere, eoque cæcitatem non ſecus inducere, ac ſurditatem quidquid craſſius, magiſque adhærens Membranæ Tympani ex recens natorum Meatu Auditorio, ut in cæteris, non excidit, quemadmodum in Epiſtolis Anatomicis (*x*) non uno loco memoravi. Sunt & alia vitia, eaque etiam intima, quæ comparatis inter ſe Auditus, & Viſus organis poſſunt illuſtrari: ſed quæ oculo accidunt, tanto facilius poſſunt accidere, quanto ſubtilior ipſius ſtructura eſt. Quæ res ſi aliunde non pateret, non difficile conjici poſſet ex varia dumtaxat ratione qua nerveas Olfactorias, Auditorias, Viſorias fibras in ſuum quaſque organum Sapientiſſimus Conditor induxit. In nares enim per evidentia Ethmoidis oſſis foramina, eoque craſſiores ipſas immiſit; per multo minora in aures, eoque tenuiores; per exiliſſima tandem, ut recentiſſimi Profectores oſtenderunt, eoque tenuiſſimas in oculos; ut per quoſdam quaſi gradus mihi videatur ſubtilem, ſubtiliorem, & ſubtiliſſimam ſingulorum horum ſenſuum Inſtrumentorum fabricam indicaſſe. Verum hæc alias fortaſſe fuſius. Nunc ad morbos, ut promiſimus earum Partium quæ vocis, & deglutitionis cauſa ſunt conditæ, & potiſſimum ipſis inſervientium nervorum tranſeamus.

12. De lethali ex ebrietate Aphonia alias (*y*) ad te ſcripſimus, noſtram quoque, cum diſſectione conjunctam, Obſervationem mittentes. Hic alteram adjiciemus.

13. FAMULUS annus natus circiter ſexaginta, ſtatura alta, habitu corporis bono, ebrioſus, ſæpe antea in Noſocomium exceptus, ſemel ob gonorrhœam Veneream gravem, ex qua laboranti tantum jam viroſi humoris effluxerat, ut de lumborum debilitate quereretur, at non ſemel ab ebrietate aphonus illuc delatus; ſed aphonia tamen ſimul cum ebrietate diſcuſſa, poſtridie mane ſanus abierat. Verum noviſſime cum ab eadem cauſa aphonus in via jaceret noctu, pro moribundo habitus; & ſane humillimis erat pulſibus; eodem illatus, etſi vini plurimum, dum inſerretur, evomuerat; nunquam tamen amplius vocem edidit. Quin die inſequenti, magna febri mane correptus, & præterea facultate orbatus ſentiendi, movendique in ſiniſtro dumtaxat artu ſuperiore; ſtimulatæ enim reliquæ partes ſentire ſe, oſtendebant; ſanguine emiſſo, nonnihil quidem minus male habere viſus eſt; ſed vel erodentibus emplaſtris, quæ appellant veſicatoria, ad crura poſtremo adhibitis, nihil prorſus agentibus, ſic aphonus, ut illatus fuerat, ad mortem uſque perſtitit: quæ, nullis unquam accedentibus convulſionibus, die quarta ineunte advenit pridie Idus Martias A. 1756. CADAVER ante diem a morte ſeptimum, improviſa gonagra me domi retinente, inſpicere non potui, ubi cum me diutius fore, timerem; juſſi, caput ſaltem, & penem cum annexæ veſicæ parte ſervari. Dum Caput a collo dividerent, idque biduo ab obitu, multum nigri, & denſi ſanguinis effluxerat. Quo minus miratus ſum, reſerato demum cranio, meningis Tenuis vaſa non diſtenta ſanguine a me conſpici. In ventriculo Laterali dextero multum aquæ inveni, plexumque Choroidem pallidum, & qua antrorſum ſe inflectit, parvis auctum, ſed confertiſſimis, hydatidibus. In ſiniſtro ventriculo aquæ, & hydatidum multo minus. Ab hoc tamen inter utrumque diſcrimine reſolutio illa a ſiniſtris non provenerat. Nam cum præter cerebellum, medullamque Oblongatam, ſiniſtrum quoque cerebri hemiſphærium recte ſe haberet, in dextero cavernulam deprehendi ſubrotundam, nuculæ juglandis capacem, nigri ſanguinis plenam. Ea corporis Striati, & Thalami nervi Optici externum latus non modo contingebat, ſed & utriuſque partem aliquam occupabat ſic tamen, ut intra ventriculum non hiaret. Quibus perſpectis, oculos ad imam illam veſicæ partem, ad urethramque annexam converti.

Veſicæ tunicæ craſſiores erant, ut in eo qui gonorrhœæ tempore ex urinæ difficultate laboraverat. Per interiorem vero illam veſicæ faciem tot orificium verſus ſanguifera tendebant vaſcula, & ſanguine adeo diſtenta, ut a primo crederes, tot ibi exſtare hæmorrhoides, eum locum operientes, quot erant quaſi aggeries parallelorum vaſculorum. Ab eo orificio cum urethram ad finem uſque aperuiſſem; nullum uſquam ulcus; imo nihil uſquam ab naturali colore alienum occurrit. Quin etſi ex oſculis Proſtatæ glandulæ materiam expreſſi quaſi putridam, & quæ ex albo ad cinereum colorem vergeret; id tot dierum moræ imputavi; hæc vero, quæ dicam, cætera prægreſſæ olim gonorrhœæ. In caruncula Seminali Sinus orificium mei laxius, Sinuſque ipſe quam ſoleat, longior fuit. A carunculæ autem utroque latere lineolæ erant quædam parallelæ, ſecundum longitudinem ductæ. Sed hæ humillimæ. Non ſic vero annulus ex intima urethræ ſubſtantia, lacerti inſtar, prominens, ut aliquantum, ferme ad valvulæ parvæ modum, deſcendenti lotio, aliive humori potuiſſe obſtare videretur. Tranſibat is annulus ſuper carunculæ non infimum roſtrum, huic, ut reliquæ circumcirca ſuperficiei urethræ affixus, nuſquam ſolutus. Cum ad Littrii glandulam, ad eamque ſedem in qua oſcula hiant ductuum Cowperi glandularum, nihil internoſcere potuiſſem quod eſſet præter naturam: rurſus in ea parte quæ tribus, aut quatuor tranſverſis digitis ſupra finem urethræ eſt, albas quaſi fibras oblique, ſed leviter, exſtantes animadverti. Tenebant hæ latera. Quæ autem inter hæc erant meorum Canaliculorum orificia ſatis erat inſpicere, ut morbum olim eſſe paſſa, intelligeretur; adeo ipſa magis quam cæterorum orificia, contracta erant, & proxima utrinque ſuperficies aliter ac reliqua omnis, ſe habebat. Quæ ad graves morbos ſpectabant, deſcriptis, non ægre feres, ut opinor, ſi pauca addidero in hujus hominis capite animadverſa, quorum unum ad morbum, ſed levem, tria reliqua non ad morbum quidem, ſed ad res præter conſuetum naturæ modum pertinebant. Primum fuit tumor cyſticus, mediocri uvæ acino haud major, in tempore prominens dextero non ita procul a fronte. Materia plenus erat alba lactis inſtar, ſed lacte aliquanto minus fluida. Cavum tunicæ eam materiam continentis ſphæricum, dimidia ex parte ad cutem pertinebat; altera dimidia erat infra cutem. Secundum. Sinus frontis pituitarii nulli erant. Tertium. Sinus ejuſdem generis Sphenoidæi erant quidem, nec tamen in dexterum, ſiniſtrumque diviſi, ſed in ſuperiorem, & inferiorem, quorum hic major fuit. Quartum denique. Proceſſus Styloides ſiniſter digitos tranſverſos propemodum quatuor longus, ut vix digitulo diſtet (ſervo enim adhuc) ab oſſe Hyoide, id intervallum vinculo implente illo terete per quod cum eo oſſe connectitur; niſi forte mavis, ſuperiorem omnem ejuſdem vinculi partem multo craſſiorem factam eſſe, in oſque converſam, quando vinculo quoque dextero in medio ferme ſuæ longitudinis accidit, ut

(*u*) Monit. Medic. c. 11. S. 2. (*x*) V. n. 2. & 6. & XIII. n. 3.
(*y*) Epiſt. 14. n. 34. & ſeqq.

ut ad ſeſquidigiti tractum craſſius, & oſſeum fieret, idque manifeſtiſſime, cum ſupra, infraque nihil niſi vinculum ſit.

14. Sed iſtud vinculum num; quod Weitbrechtus (z) facere non dubitavit; negandum ſit, non eſt hic diſputandi locus. Hoc tantum dicam, optandum fuiſſe, ut priuſquam negaret, ſi non in ea quæ modo deſcripſi, at in ſeries ſaltem incidiſſet oſſiculorum, quales Veſalius (a), & Euſtachius (b) ab ſe viſas pinxerunt, & magna ex parte ipſe vidi: quæ oſſicula ſic facta, & connexa ſunt, ſicque ab Scyloide proceſſu ad os Hyoides recta contendunt, ut tot particulas fuiſſe illius vinculi, intelligas, quæ cartilagineæ primum, dein, ſicut appendices ſolent ejuſdem oſſis, ipſe quoque in os ſint mutatæ, & locum viceſque retineant vinculi de quo loquimur. Weitbrechtus autem nunquam niſi in *granulum oſſeum* videtur incidiſſe *unum vel alterum innatum* oſſi Hyoidi (c). Alibi igitur quatenus ſit ejus ſententiæ indulgendum, videbimus, ubi alia pariter ad os idem attinentia examinabimus, ut, quod nonnullis ex Deceſſoribus etiam noſtris excidit, vinculum de quo dictum eſt, in appendices inſeri adjectas extremis cornuum apicibus, item num hæ aliæ appendices, aut certe quæ perbrevi vinculo ſæpe innaſcuntur, apices illos cum ſuperioribus cartilaginis Thyroidis proceſſibus colliganti, ita ab Anatomicis neglectæ fuerint, ut quidam Eruditi alioquin Viri credere videntur, Fabricii noſtri ab Aquapendente (d), & Bauhini (e) obliti, aliorumque, etiam recentiorum, ut Verheyenii (f), Winſlowii (g) Weitbrechti (h), quorum alii olim vel geminatas pinxerunt, alii deſcripſerunt, alii uſum aliquem propoſuerunt, fere omnes ſatis memorarunt. Verum hæc alibi, ut diximus. Hic præſtat cætera quæ in propoſita hiſtoria legiſti, ad morbos proculdubio, nec leves, attinentia, tantiſper conſiderare. Spectant enim ad res quas fuſe tractavimus aliis Epiſtolis, velut ea ultima; ut ab ipſis incipiamus; quæ in urethra conſpeximus. Fac igitur conferas cum illis quæ a virulenta gonorrhœa alias (i) vidimus eſſe relicta. Exſtantes tunc quoque in urethra lineas, & canaliculorum, nedum contracta, ſed oblitterata orificia occurriſſe nobis, leges, unde prægreſſas exulcerationes conjiceremus, & obices, lotio, ac catheteri ſe opponentes, & pro carunculis perperam ſæpius habiti, quid eſſent, perſpiceremus. De cavernula autem ſanguine plena in eo cerebri hemiſphærio quod reſoluto erat artui oppoſitum, proximaque Striato corpori, & Thalamo nervi Optici deprehenſa, non opus eſt indicem, quibuſcum ex noſtris Obſervationibus poſſis comparare, cum id fecerim noviſſimis ad te Litteris (k). De funeſta vero ex ebrietate Aphonia cum ſupra (l) indicatum ſit ubi ſcripſerim, ſi hiſtoriam illam cum hac contenderis; utrumque hominem intra idem ferme tempus eſſe mortuum, animadvertes, utrumque ſine convulſione, alterum etiam cum febris cito corripuiſſet; ut ſi hæc ad Hippocratica dogmata, quæ tunc produxi, velis exigere; vel hinc intelligas, quam pauca extent Medicorum dictata quæ ſine ulla exceptione poſſis accipere. Etiam quæ de febre tradita ſunt, apoplexiam cui ſuperveniat, ſolvente, non ſine pluribus exceptionibus vera eſſe poſſe, ex iis quæ alias ad te ſcripſi, perſpexeris. Nec ſane hic uti licet exceptione illa quæ in extrema Epiſtola XI. (m) memorata eſt; cito enim febris advenit. Et de alia quam Epiſtola II. (n) indicavi, hic fortaſſe a primo dubitabis, cum in utriuſque aphoni cerebro fuiſſe aquam, videris: quanquam in hoc quem corripuit febris, non ſeroſam fuiſſe apoplexiam, ſed propter cavernulam, ab ſanguine excavatam, ſanguineam potius credere liceat.

15. Quoniam vero cum de Aphonia alias egi, non de funeſta dumtaxat, eaque ex ebrietate, verum etiam de alia longe diſſimili verba feci, curationem quandam referens meam; nunc quoque placet curationes duas alias in aphonis duabus Virginibus tibi, ſed perpaucis, ſignificare. Pro utraque & conſultus ſum, & reſpondi. Et ſanata quidem utraque eſt Adoleſcentula, altera fortaſſe a me, altera certe potius a caſu. Cum enim, remediis non proficientibus, rus forte ducta eſſet vindemiæ tempore, ibi dum uvam guſtaret, accidit, ut aliquid ex ea in laryngem incidens, tuſſim vehementem moveret, poſt quam ſtatim loqui potuit; ſed non longum ad tempus; nec mirum quippe in ea quæ & alias in diuturno aphoniæ decurſu cum libera aliquando ab hac fuiſſet, rurſus in eandem recidiſſet. Quod pariter & Virgini illi alteri acciderat priuſquam Generoſiſſimi ejus Parentes a me pro ipſa conſilium peterent. Sed hanc poſt remediorum uſum iterum vocem recuperaſſe certior factus ſum; rurſus autem amiſiſſe, necdum audivi. Quam autem ad tempus ſanaverat tuſſis, qua ratione ſanaverit, ſcire, ſive aliquid forte, quod tamen ſub ſenſus non cecidit, diſcutiendo, ſive inertes laryngis muſculos incirando, ſive aliud aliquod ejuſcemodi in nervis præſtando, id, inquam, ſcire Medicis haud inutile fortaſſe eſſet, ut in pari caſu tanto fidentius experiri poſſent quid tuſſis, ſed moderatæ, auxilio conſequi liceret.

16. Jam vero ad alterum laryngis, aut pharyngis, aut utriuſque morbum, Anginam videlicet, tranſeamus. Ex hac mortuorum diſſectiones non extare, cum de ipſa ad te ſcribens mentionem injeci (o), non ſine admiratione queſtus ſum. Neque enim id videbatur accidere potuiſſe in morbo non ſolum adeo periculoſo, verum etiam non infrequenti, imo aliquando epidemice graſſante haud ſecus ac olim, ut ex Julio Modeſto Macrobius (p) retulit, cum ſacrificia inſtituta ſunt Angeroniæ Deæ, *quod populus Romanus morbo, qui angina dicitur, præmiſſo noto ſit liberatus*. Propiore autem nobis tempore in pueros potiſſimum incumbens, magnas, & diuturnas ſtrages edidit. Nec tamen etſi laudabilis cadavera humana diſſecandi mos jam vigebat, & Medici aderant in Anatome non mediocriter verſati, ut apud Siculos Jo. Bapt. Corteſius, & apud Neapolitanos M. Aurelius Severinus, qui & ægros inviſerunt, & de hoc eorum morbo ſcripſerunt (q); ullam ad hunc pertinentem in illorum ſcriptis diſſectionem invenies. Quin Corteſius ex iis fuit qui Meſſanenſibus Senatoribus, eam requirentibus, perſuaſerunt, aut certe recte perſuaſum eſſe cenſuerunt, *cadaverum ſectionem ad cognoſcendum* eum *morbum eſſe prorſus inutilem*, quippe cum in partium quæ adaperto ore cerni poſſent, & tonſillarum præſertim, inflammatione, gangrænaque conſiſtere, exiſtimaret. Severinus quoque ſatis per ſigna notum cenſens, ne verbis quidem (r) *inſumere* voluit *anxium laborem in delineanda ſede affectus, aut vitio ipſo*. Igitur vix unam tandem ad typographum Francofurtenſem miſit Obſervationem, quæ libro, jam formis deſcripto inſeri non potuit, quapropter inter alia, libris quoque antepoſitis adjicienda, in calce voluminis edita eſt. Eam habes quidem in Sepulchreto (ſ), ubi & ipſe legeram; verum adeo oſcitanter exſcriptam, ut inter verba cætera, ad confirmandam Severini hypotheſim ferme ſpectantia, perpauca hæc, quæ una ad titulum *de Angina* attinebant, ſint prætermiſſa: *Perveſtigata larynx cruſtacea quadam* *pitui-*

(z) Syndeſmolog. S. 6. §. 15. & ſeqq. (a) De corp. hum. fabr. l. 2. c. 13.
(b) Tab. 47. Fig. 14. (c) S. cit. §. 17. (d) De Larynge Fig. 9.
(e) Theatr. Anat. l. 3. c. 44. & Tab. 33. Fig. 1. (f) Anat. corp. hum. tr. 3. c. 11.
(g) Expoſ. Anat. tr. de la Teſte n. 433. (h) S. cit. §. 20.
(i) Vid. Epiſt. 42. n. 41. & Epiſt. 44. n. 9. & Epiſt. 60. n. 12.
(k) Epiſt. 62. n. 13. (l) n. 11. (m) n. 24.
(n) n. 10. (o) Epiſt. 14. n. 39. (p) Saturnal. l. 1. c. 10.
(q) Miſcell. Medic. Dec. 9. Epiſt. 6. De recond. Abſceſſ. nat. l. 8. ſive Diatriba de Pedanch.
(r) Part. 1. in fin. (ſ) l. 1. S. 23. Obſ. 4.

pituita facie exteriore contecta citra ulceris ſpeciem. Hæc autem ex quo ad te ſcripſeram, unica fuit Obſervatio quam de inſpecta mortui ob anginam larynge potui reperire, non dubitans, quin Severino, ſi non ſemel inſtituere, ſed ſæpius ejuſcemodi perveſtigationes placuiſſet; occaſio enim minime deerat, cum angina illa *tot millia puerorum*, ut ipſe teſtatur (*t*), occidiſſet; non, inquam, dubitans, quin & alia in aliis occurriſſent. Cum igitur præter eam unam Severini Obſervationem, alias non invenirem quæ in homine habitæ dicerentur; an ex beſtiis ſaltem, aliquot extarent, quæſivi; ſed vix in canibus ex angina mortuis reperi hæc eſſe a Stegmanno (*u*) conſpecta, *colla externe intumefacta; internæ fauces, gutturiſque muſculos inflammatos*. At ſi crebrius, ut aliorum morborum, ſic hujus quoque ſedes ab Anatomicis quæſita, & propoſita eſſet; num putas, hoc noſtro ſæculo futurum fuiſſe qui, nulla producta iſtiuſmodi perquiſitione, aſſeveraret, Thyroidæam glandulam *ſolam & unicam illam ipſam eſſe*, *quæ violentiſſimo morbo Anginæ ſedem conſtituat?*

17. Ex quo autem ego Obſervationem habui, poſtea ad te miſſam (*), faucium, & laryngis, & Aſperæ arteriæ Juvenis quem angina interemerat; alias prodiiſſe, ſcio, anno eodem habitas, præſertim in pueris, quos, ut olim in Regno Neapolitano, & Siculo diximus, angina violentiſſima tunc perdebat in Gallia. Non ibi Medici contenti fuerunt aut morbi ſignis, aut inſpectione earum dumtaxat partium quæ, ægrotantium ore adaperto, ſub oculos cadunt: neque id fruſtra; diſſectis enim puerorum cadaveribus, quantum labis in arteria Aſpera lateret, manifeſto deprehenderunt, quemadmodum ex duabus diſſectionibus cognoſces, ab Solerte Medico Aurelianenſi Arnault ad Regiam Scientiarum Academiam miſſis, & ab hac editis (*x*). Sed etiam ex noſtratibus aliqui ſpectatæ diligentiæ, & fidei Viri non ſibi defuerunt, ut ex hiſtoria intellexi quæ ab uno eorum deſcripta ad meas pervenit manus. Summa erat, in viro ab angina occiſo inflammatam laryngem, pharyngis vero fornicem cum palato mobili, & tonſillis gangræna, & ſphacelo prorſus nigricantem, & corruptum fuiſſe inventum.

18. Intelligis, hic a me, non ſecus ac Epiſtola XIV. (*y*) ſermonem hactenus eſſe factum de legitima, id eſt Inflammatoria angina. De ſpuria autem, quam nunc Aquoſam a Claris Medicis vocari video, a quibus aliæ quoque anginæ ſpecies, & in his Convulſiva, memorantur, ſi forte quæris, per diſſectionem quid ipſe viderim; ſic habeto. Quod ad ſpuriam attinet, unum, aut alterum me ſecuiſſe, quos Epiſtola eadem (*z*) tibi deſcripſi, cum ea, ſi ita vis, certe non ex ea mortuos. Ad Convulſivam autem referre non poſſum quæ ad *Paralytodeam*, ut quidam vocant, potius acceſſit in ea muliere cujus hiſtoriam continuo ſubjiciam.

19. ANICULA, quæ diu jacuerat in Noſocomio ſic extenuata, ut nihil, niſi oſſa, & pellis, eſſe videretur, accedente demum, aut manifeſtiore facta febre, cum deglutire non poſſet, neque os ita aperire, ut introſpici ſatis liceret, credita eſt ex angina mortua circa finem anni 1755. CAPUT ibidem ſecantes, amplas quidem Maxillares Internas glandulas, & præſertim dexteram invenimus, ut maxillæ depreſſioni, quanta ad os valde aperiendum neceſſaria eſt, officere fortaſſe poſſent, & quadantenus etiam deglutitioni, nec tamen adeo ut omnino prohiberent. Sana autem larynx, ſana Aſpera arteria, ſanæ fauces cum palato mobili, tonſillis, & linguæ radice compertæ ſunt: neque illa glandularum Maxillarium amplificatio recens eſſe videbatur. Thorax modicam pulmonis alterius partem duram habuit; nec ſine pure. Tunc etiam Spina animadverſa eſt ab naturali inceſſu deflectens, ſed leviter. Quæ tamen inclinatio cauſa mulieri fortaſſe fuerat ſic caput gerendi, ut de teretibus duobus vinculis per quæ ſecundæ vertebræ Dens ad oram maximi calvariæ foraminis alligatur, dexterum ſiniſtro longius, & craſſius invenerim.

20. Et Meadius (*a*) ſane in eo quem Convulſiva angina ſuſtulerat, diſſectis faucibus *ne minimam quidem tumoris vel inflammationis in* earum *glandulis*, *aut muſculis notam* offenderat: ſed craſſiore ſanguine vaſa omnia turgida, & ubique prominentia. Quin & nervorum omnium convulſionem in angina hac memorat, ipſamque *ſtrangulationem faucium* nominat. Cujus neque ſenſus, neque cætera quæ modo dicta ſunt, cum in propoſita Anicula fuerint, fuerint autem quædam alia ex iis quæ Boerhaavius (*b*) in angina commemorat *nervos, & muſculos reſolutos habente*, ut puta quod non modo *ſine ullo ſigno tumoris externi*, *internive appareat*, verum etiam *in fine morborum diuturnorum*, corpore *maxime* ſuccis exhauſto, *contingat*, & *fere ſemper* tum *ſit ſignum imminentis mortis*, tum *poſt* hanc *ſuppuratum pulmonem demonſtrat*; idcirco anginam hanc non ad convulſivam affectionem, ſed potius ad paralyticam, ſi ad alterutram referenda eſt, acceſſiſſe, crediderim.

21. Scripſeram hæc, cum recens huc Lipſia importatum Actorum Eruditorum Volumen (*c*) verſans, ex libris quibus hic caremus, quibuſdam nonnulla cognovi ad unum, atque alterum morborum genus ſpectantia de quibus hac Epiſtola actum eſt, Anginam, & Cæcitatem. Ad illam Hiſtorica Diſſertatio (*d*) attinet, gallice ſcripta, de gangrænoſa puerorum angina, eadem, opinor, de qua ſupra (*e*) indicatum eſt; ad Cæcitatem vero Obſervatio Cl. Viri Philippi Adolphi Boehmeri (*f*) in fœmina quæ poſt diuturnos capitis affectus, correpta viſus obſcuratione, & tandem jactura, diſſecanti exhibuit præter alia, & præſertim ſeri copiam ex parte fœtidi quo tres priores cerebri ventriculi, quippe cum Pituitaria glandula ſcirrhoſa eſſet ac ulceroſa, diſtendebantur, exhibuit, inquam, excreſcentiam fungoſam, conjunctioni incumbentem Opticorum nervorum. Simul plura, quæ alio pertinent, in cadaveribus obſervata, ibidem reperies; ut tibi pergratum fore, non dubitem, quod indicaverim. Vale.

EPI-

(*t*) De effic. Medic. l. 1. P. 2. ubi de Phlebot. c. 16. (*u*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. Obſ. 169. (*) Epiſt. 44. n. 3.
(*x*) Memoir. A. 1748. (*y*) n. 39. (*z*) n. 24. & ſeqq. (*a*) Monit. Medic. c. 4.
(*b*) Aphor. de cogn. & curand. morb. §. 784. & ſeqq. (*c*) A. 1758. (*d*) Vid. M. Jul. (*e*) n. 18.
(*f*) Vid. M. Januar.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LXIV.

Ad Thoracis Morbos pertinet.

QUanto longius ſpatium inter illud tempus quo de Morbis Capitis primas ad te Litteras miſi, & annum hunc interceſſit, & quanto plures in Capite, quam in Thorace, ſunt Partes; tanto pauciores de hujus Morbis Obſervationes potui inſtituere; ut facile omnes queam hac una Epiſtola comprehendere, qua primo loco quæ in Pulmonibus conſpexerim, deinde quæ in Corde, Magniſque ejus Vaſis, exponam.

2. MULIER conſiſtente ætate mortua erat in Noſocomio ex pulmonis inflammatione ſub finem Januarii A. 1755. cum ego Anatomen in Gymnaſio docerem. Quod ut plenius facere pergerem, illata illuc ſunt ex ejus etiam cadavere; nam & ex aliis habebam; ſimul cum iis Partibus quæ tum urinæ tum generationis gratia mulieribus ſunt attributæ, Thoracis, qualiacunque erant, ipſius viſcera cum diaphragmate. VENTRIS illas Partes cum examinarem; alia quæ a conſueta naturæ norma dumtaxat diſcederent, alia quæ præter naturam omnino eſſent, deprehendi. Inter prima corpus ſubrotundum fuit diametro pollicis tranſverſi, rubello colore, ſua tunica cinctum, quod etſi in membrana erat adipoſa renis ſiniſtri, tamen neque ren Succenturiatus, qui ab eo latere duplex eſſet, nec ren alter parvulus, nec lymphatica glandula certe erat; ſed potius ſplen alter exiguus, ut bifariam ſecti natura oſtendit. In ambitu enim, ut ſæpe in liene animadverti, erat coccineum, cætera ex rubro fuſcum; ut quamvis ſtructura eſſet paulo magis reſiſtens cultro, quam lien, lienem eſſe, omnes qui aſpicerent, facile agnoſcerent. Ren idem ſiniſter longior fuit, quam dexter: nec mirum, cum pelvibus inſtructum eſſet duobus, ſuperiore, & inferiore, prorſus inter ſe diviſis non ſecus, ac ureteres qui ſinguli ex ſingulis pelvibus profecti, in conſuetam veſicæ ſedem influebant orificio (id quod exercitatiſſimo Profectori Euſtachio (*a*) videre non contigerat; mihi autem caſus ter ſaltem (*b*) obtulit) orificio, inquam, ſinguli proprio, alter parvulo infra alterum intervallo. Ad morbum autem, an ad inſtans fortaſſe menſtruorum tempus id attineret quod in utero animadverti, dubium fuit. Nam fundi pars ſuperior intus rubebat; ſed quamvis ſanguifera vaſcula per intimam membranam tranſpicerentur; tamen appreſſis ſubtus digitis, non, ut ſæpenumero alias ſolet, quidquam ſanguinis prodibat. At certe ad morbum referenda erant quæ in trunco arteriæ Magnæ, ejuſque Iliacis ramis vidi. Nempe in illo maculæ intus erant albæ, futuri oſſis inchoamenta; in his autem ramis per internam pariter faciem lineæ exſtabant parallelæ ſecundum longitudinem ductæ, quæ, utrumque latus in diverſa trahendo, minime poterant oblitterari. Thorax quoque, & multo quidem magis, morboſa exhibuit; ſed & aliqua tamen quæ ſunt magis extra conſuetudinem, quam præter naturæ modum. Diaphragma enim non per unum, ſed per duo (quæ nuperrime quoque A. 1759. in viro offendi, & publice oſtendi) per duo, inquam, inter ſe proxima foramina ita videlicet, ut alias vel per tria expoſui, venoſum e ventre aſcendentem ſanguinem tranſmittebat. Cor vero orificium Coronariæ venæ habebat non membranea valvula inſtructum, ſed tenuibus, crebriſque parallelis filamentis ab ſummo ad imum deſcendentibus tam a dextris, quam a ſiniſtris, ita opertum, ut ſanguis tamen inter filamentum, & filamentum, magis autem per orificii medium, ubi filamenta prorſus deerant, tranſire poſſet. Ad morbidam autem conſtitutionem ſanguinis quidem, ſpectabant quæ ex Magnis cordis vaſis eductæ ſunt albæ concretiones polypoſæ; ſolidarum autem partium cum ea tubercula, a quibus, ut alias, nec raro, vidi craſſiorem factum limbum valvularum Mitralium, tum præſertim id quod mortis cauſam attulit, pars magna alterius pulmonis tumens, dura, gravis, denſaque intus, ac firma ſubſtantia, quæ colore erat non ſolum dilute ſubrubro quaſi elixi jecinoris, qualem in pulmonum inflammationibus ſæpius conſpexi, verum etiam albeſcente ex immiſta, ut facile erat conjicere, purulenta materia, eaque gelu, quod per eos vigebat dies, concreta. Per Aſperæ autem arteriæ dorſum celluloſa membrana ſic erat a coercito humore diſtenta, ut glandulæ quas in illo olim (*c*) delineavi, minime, aut vix apparerent.

3. Non unam hanc quæ ad Thoracis inflammationes ſpectaret, habui diſſectionem ex quo tot illas ad te miſi Epiſtola XXI. Alias enim poſtea accepiſti, aliis Litteris (*d*) deſcriptas, ultimam præſertim quam cum iis conjunxeris Epiſtola illa, & XX. propoſitis, in quibus pleura inflammatione non carebat, quamvis ægrotantes ſenſu pungentis doloris caruiſſent. Quod etſi qua ratione accidere potuiſſet, cum illas propoſui, conjicere non omiſi; tamen cum pleuram ex inſtituto naturæ ſenſu defici, quod nemo facile tunc probaſſet, nunc Viri Experientiſſimi doceant; non ægre feram, ſi ubi controverſia iſta in eorum tandem fuerit ſententiam compoſita, ipſorum dogmati conjecturas poſtponas meas, longe facilius ſic explicans tum illas, tum alias earum ſimiles Obſervationes; in quibus ſunt quam Vir Cl. habuit Ignatius Vari (*e*), & quam idem a Petro Criſpo olim habitam indicavit. Certe earum utraque, quacunque ratione explicare velis, digna eſt quæ in Sepulchretum referatur. Cæterum quod ad pectoris, & laterum dolores attinet, aliæ, nec unius generis, ſunt in quarum conſideratione haud immerito verſeris, illa in primis quæ ex acuto prope ſterni ſiniſtrum latus dolore, cum peripneumoniæ ſignis conjuncto, ad inflammationem anterioris partis pulmonis ſiniſtri pertinere videbatur, cum poſt ægri tunc inexpectatam mortem Præcl. Lieutaudius (*f*) deprehendit, ad inflammationem, ſuppurationemque membranæ quæ interius pericardium, exterius autem cor amicit, pertinuiſſe. Sed hæc propter adeo ſpectabilem morbi ſedem a te perlegenda Obſervatio, at cum aliis ejuſdemmodi conferenda, quas ubi quæras, infra (*g*) indicabo, ad inflammationum tamen genus ſpectabat. Aliæ autem ſunt ad aliud genus attinentes, ut puta quam apud auditorem quondam meum, nunc Doctum, & exercitatiſſimum Medicum legeris Joannem Larber. Hic enim in Adnotationibus quas ſuæ Palfinii Editioni (*h*) interſeruit, narrat de Juvene quem ab diuturna tuſſi, ſputo ſanguinis, & recurrente dextri lateris dolore liberatum vidit, cum fruſtum extuſſiviſſet lapideæ materiæ, albi coralii ſimile. Ibidemque Nobilis Viri qui *nigrum* Hippocratis *morbum* diu pertulerat, & maraſmo confectus obierat, pulmones memorat flaccidos, in quorum pluribus partibus dura corpuſcula deprehendit piſorum magnitudine, ſphærulæ autem forma. Quæ ut ipſe adji-

(*a*) De Renib. c. 19. (*b*) Vid. Epiſt. 7. n. 17. & Epiſt. 54. n. 33. (*c*) Adv. I. Tab. 2. Fig. 1.
(*d*) Epiſt. 36. n. 23. & Epiſt. 75. n. 16. (*e*) apud P. Toſetti ſull'Inſenſib. &c. Lett. 4. n. 24.
(*f*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1752. I. Mem. (*g*) n. 14. (*h*) Anat. Chirurg. Tom. 3. P. 6. c. 9.

adjicit ad eam Auctoris ſui Obſervationem qua in pulmone militis repertum ab ſe refert lapidem, columbino ovo non minorem, neque hujus figuræ diſſimilem, ita ego hic etiam commemoro, ut tres haſce illis addas, & cum earum quibuſdam conferas quas tibi bene multas collegi Epiſtola XV. (*i*), cum de pulmonum calculis, eorumque effectibus ſermonem haberem.

4. Ad ea vero quæ XIX. Epiſtola (*k*) nec pauca, & varia protulimus ſuper agitata controverſia, an ſubmerſorum pulmonibus, & ventriculo aqua inſit, an non inſit, diſſectiones attinent quædam, a nobis lectæ non ita pridem. Meckelius enim Diligentiſſimus Anatomicus inter ſuas Morborum Cordis Obſervationes quinctam deſcribens (*l*) in milite habitam qui ſemet in flumen dejecerat, pulmones, ait, omnino plenos aeris, ſanguiniſque fuiſſe, hujus videlicet intra vaſa, quæ in cæteris quoque viſceribus, ut in ſubmerſis aliis, fluido tumentia ſanguine deprehendit: quod ſi ab aqua tumere ventriculum, conſpexiſſet; non videtur fuiſſe prætermiſſurus. Diſſectio altera epileptici eſt, qui in balneum frigidum cum ſe immerſiſſet, mox in eo ſuffocatus inventus fuit. In nullis autem hujus viſceribus quidquam aquæ repertum eſt a Cl. Weſzaremo (*m*), qui cum Aſpera arteria perforata eſt, *aerem in pulmone contentum tum levi quodam ſibilo erupiſſe*, audivit: quamobrem non aquam, ſed aerem eſſe, cenſet, qui *repetita* antea *inſpiratione accumulatus*, & *veſiculas pulmonales diſtendens*, ſanguinis per pulmones tranſitum, &, quod conſequitur, per univerſum corpus circulationem prohibeat, ſicque ſubmerſos, *forte & ſtrangulatos*, interimat. Et quod ad ſtrangulatos quidem ſpectat, meminiſſe potes, quid ipſe de retento in eorum pulmonibus, & dilatante ſe aere in illa eadem Epiſtola (*n*) ſim ſuſpicatus. Attamen, quod ad ſubmerſos attinet, eorum memor quæ aliter alii, & ego experiendo conſpeximus, tanto magis hæreo, quanto attentius alteram lego Obſervationem (*o*) quam priori Cl. idem Vir continuo ſubjecit. Cum enim quendam nautam, in Tameſi fluvio ſubmerſum, nec niſi *poſt quadrantem horæ cum dimidio* inventum, & extractum, in vitam cujus nulla ſupererant ſigna, revocare conaretur; non illico Aſperam arteriam, ſed *hora integra* jam in uſum cæterorum auxiliorum inſumpta, tum denique perforavit, nec ullum ſibilum, aut aliud erumpentis aeris indicium, quod ajat, animadvertit; imo per illud foramen fiſtula immiſſa aerem *iteratis vicibus* impulit, *ut ſic inflatis pulmonum veſiculis*, aliiſque adhibitis (quæ omnia haud inutiliter leges) auxiliis hærentem ſanguinem promoveret, quod tandem eſt feliciſſime conſecutus. Nec vero intra ejus curationis tempus, quod horas exceſſit duas, donec videlicet *mortuus*, ut a primo videbatur, *nauta in vitam revocatus eſt*, quidquam ex ejus ore ejectum dicitur; ut hanc non poſſimus cum Obſervationibus noſtris, aliorumve conciliare, Halleri in primis Solertiſſimi Viri, cujus non tam in muliere quæ pluſculis horis, quam in fele, & canibus, breviſſimum ad tempus ſubmerſis, habitas diſſectiones ſatis fuerit hic verbo indicaſſe tum quia tibi in mea illa Epiſtola (*p*) commemoratas, tum quia nuperrime ab ipſo iterum propoſitas (*q*) videre potes, ſimulque cognoſcere, ut viſcidam illam ſpumam quæ ex aqua cum aere agitata in ſubmerſorum pulmonibus oritur, in iiſque reperitur, diſerte adhuc (*r*) ajat, *nulla nobis nota arte* inde poſſe *depelli, & ejici*, ubi donec ſubſiſtat, neceſſarium ſanguinis tranſitum a dextero cordis ventriculo ad ſiniſtrum impediat. Quod tanto magis nunc dicit poſtquam ne in violentiore quidem electrizatione ſatis eſſe auxilii expertus eſt. Ipſe quoque tamen fatetur, ſummæ eſſe difficultatis ſuas cum oppoſitis tot ſubmerſorum quos Ars excitavit, Obſervationibus ita conciliare, ut conciliatoris, nedum cæterorum, animus acquieſcat, cujuſmodi aliquas in ſuis noviſſime editis Phyſiologiæ Humani Corporis Elementis (*ſ*) inter argumenta pro re quam ibi tractat, ultro producit. Inter experimenta autem quæ ad eam attinent controverſiam, cum alia addiderit ad alteram ſpectantia, videlicet ex natantibus in aqua fœtus pulmonibus recte arguatur, vivum eſſe editum, an ſecus; hæc etiam velim, & quæ ex his deducit, attendas. Invenies enim quod iis adjicias quæ de cauto iſtius Medico-Legalis Experimenti uſu ad te ſcripſi Epiſtola eadem XIX. (*t*) ſive cum fœtum cujus cadaver invaſerit putredo, ſpectavi, ſive cum ipſum inter exeundum e maternis locis aerem inſpirantem, ibique mortuum, ſive demum cui per os aer immiſſus fuerit; animadvertes enim de tot fœtuum inflatis pulmonibus vix uno in agno exprimi aerem potuiſſe, ut amplius non natarent. Cætera, & ſiquæ alia ad pulmones attinent, in præſentia omittimus. Jam enim ad alia de quibus plura ſcribenda ſunt, id eſt ad Cordis, Magnorumque ejus Vaſorum affectiones tranſeamus, oportet, a Pulſibus initium ducentes, & a rariſſimis quidem illis quos cum in Sene a me perceptos indicarem (*u*); fieri poſſe, dixi, ut plenam ejus aliquando hiſtoriam, id quod nunc facio, ad te mitterem.

5. MERCATOR erat Patavii annos natus quatuor & ſexaginta, quadrata ſtatura, & obeſo, non tamen nimium, corporis habitu. Is olim rheumati, & nervorum contractionibus cum eſſet obnoxius, Medicis auxiliis ſanatus fuerat, ut quamvis pluribus, variiſque negotiis aſſidue diſtineretur, valeret tamen ad eam uſque ætatem quæ modo indicata eſt, cum improviſo ea acciderunt, unde vehementiſſimis animi affectibus terrore, timore, iraque deinde, & mœſtitia corriperetur. Paucis poſt hæc diebus, quadam ingruente quaſi vertigine, cecidit. Poſtridie autem motibus convulſivis cum inſultu, epileptici ſimili, vexari cœpit. Is erat brevis, ſed frequens, & ructibus fœtidis erumpentibus ſolvebatur, ſubſequente faciei interdum rubore, interdum pallore, ſenſu autem anguſtiæ faucium, & ventriculi perpetuo gravis. Erant pulſus eo tempore validi quidem, ſed duri, & rari: alvus autem, & veſica perpauca reddebant. Medicis jam inde a principio repetitis ſanguinis detractionibus fruſtra uſis, viſus eſt morbus a ventriculo pendere, præſertim cum æger adventare inſultus ex ſenſu fumi quaſi cujuſdam, ab hypochondriis aſcendentis, præſentiret. Igitur præter blandiora adverſus epilepſiam remedia, lenibus eccoproticis ventriculum per intervalla repurgare, inteſtina autem quotidie clyſterum ope ſtuduerunt. Si quid vero morbi ſævitiem mitigavit, oleum fuit ex dulcibus amygdalis recens expreſſum, quo identidem utebantur. Verum cum æger nunquam fortaſſe melius quam die ab initio morbi vigeſimo ſeptimo habuiſſe videretur, inſultus, qui nonnullis ante diebus abfuerant, eo ipſo die vehementes adeo redierunt, ut præter cætera quæ dicta ſunt, exinde æger cibum quemcunque averſari cœperit, ſumptum vomitu ſubinde rejicere, & ſingultu vexari, & fœtente halitu eſſe, & quamvis nulla unquam eſſet reſpirationis difficultas, ſputa ſæpe cruenta, & putrida reddere. Huc acceſſerunt ſudores algentibus extremis corporis partibus, & identidem vaniloquia. Per hæc modo graviora, modo mitiora ad diem morbi ventum eſt trigeſimum quartum; eoque die poſtquam cruenta, grumoſa, & putrida, trium ferme unciarum pondere, ſunt dejecta, mirum in modum ſedata ſunt omnia, nec pulſus dumtaxat, raritate, & duritie depoſita, ad naturalem ſta-

(*i*) n. 19. & ſeqq. (*k*) n. 40. & ſeqq. (*l*) Sect. 1. Vid. Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. de Berlin. A. 1755.
(*m*) Obſ. Med. 8. §. 2. (*n*) n. 38. (*o*) ſub n. 9. (*p*) n. 45.
(*q*) Mem. ſur pluſieurs phenom. de la reſpir. S. 4. (*r*) ut antea Opuſc. Pathol. Obſ. 62.
(*ſ*) Tom. 1. l. 4. S. 5. §. 11. (*t*) n. 45. & ſeqq.
(*u*) Epiſt. 24. n. 33.

ſtatum mox redierunt; ſed omnino priſtina ſanitas eſt reſtituta. Hæc menſes perſtitit circiter quatuor, donec poſt brevem ambulationem, & ſcalarum aſcenſum, priores illi convulſivi inſultus, rariores tamen, & breviores, invadere iterum cœperunt, & pulſuum raritatem reducere. Menſis tum erat December. A quo tempore uſque ad Junii initium cum morbus vinci non poſſet, tunc ego conſulendi cauſa accerſitus, & ea quæ tibi hactenus deſcripſi, audivi, & ægrum qualem ex memorata Epiſtola cognoſcere potes, inveni. Raritas præcipue pulſuum illa tanta, ut eorum numerus duabus circiter tertiis partibus minor eſſet quam oporteret, tum inculcabatur, tum a me quoque reperiebatur. Ea autem perpetua a pluribus jam menſibus raritas, quotieſcunque inſultus imminebant, vel multo major percipiebatur; ut ex hoc ejus incremento nunquam fallerentur Medici, ſi inſtantem prædicerent inſultum: quo durante, pulſus non modo ex raro frequens, ſed ita frequens fiebat, ut in ægris frequentem vocamus. Hæc cum accepiſſem, & cætera omnia perpendiſſem; reſpondi, implicitum mihi videri morbum, & qui propterea non omni ex parte ſine erroris periculo dignoſci poſſet. Hinc temere nihil audendum, ſed iis quæ levaminis aliquid afferre hactenus conſueſſent, innoxiis remediis utendum. Attamen cum & vetus ille morbus, & præſentis cauſa, initium, & ſymptomata pleraque nervos affici, aut certe in conſenſum trahi, ſignificarent; ad convulſiva horum irritamenta ſaltem mitiganda tentari poſſe opii pauxillulum, & ſi forte hic aliquid præſtaret, ut in meo illo Cive (*x*), non ita abſimilibus affectionibus laborante, multum præſtiterat, cautum ejus, & opportunum uſum non deferendum. Et ſane Cl. Jacobus Placentinus, quocum eam conſultationem habueram, mihi poſtea retulit, id non ſine ægri utilitate ab ſe fuiſſe tentatum. Sed morbus tamen ea æſtate perſtitit. Sub cujus finem aucta reſpirationis difficultate cum tuſſi, & ſputis plumbeo colore tinctis, inſultus quoque crebriores, longiores, gravioreſque ſunt facti, & mens, quæ inter illos cum memoria vigebat, iis præſentibus abeſſe videbatur. Pulſus tamen validos, ſed raros adhuc fuiſſe, ſcivi ab iis qui inviſerant die ante mortem vigeſimo. Quæ penultimo tandem accidit Septembris die anno eodem 1747. quo die tres, quatuorve inſultus præceſſerant. Ut liberum ſemper ægro fuerat, ſive ſupinus vellet, ſive in alterutrum latus cubare; ſic in latus cubans ſiniſtrum, ſuffocati inſtar mortuus eſt, exerta lingua, & vaſis faciei ad hujus uſque nigredinem tumidis. A primo initio morbi ad finem uſque, id eſt quindecim ipſis menſibus, nulla unquam ſe prodidit febris, nullus unquam fuit capitis dolor. CADAVERIS diſſectioni, ut rogatus fueram, poſtridie præfui. Thoracis cavum dexterum aquæ, lotium referentis, libras plures; ſiniſtrum autem minus habuit. Pulmones nuſquam ad pleuram adhærentes, nuſquam duri, colore hic illic per anteriorem ſuperficiem cinereo, inciſi nihil uſquam vitii oſtenderunt, niſi quod inter diſſecandum lobum ſuperiorem ſiniſtrum, pluribus in locis ex ſectis, opinor, bronchiis materiam albam fluidam puriformem potius, quam purulentam exire, animadverſum eſt. Aſperam quoque arteriam cum aliquo ex majoribus bronchiis ſecundum longitudinem aperiendo, vitii quidquam non potuit conſpici, præter colorem ex rubro fuſcum per interiorem illius arteriæ faciem. Intra pericardium aquæ ejuſmodi, qualem in thorace fuiſſe, dixi, mediocris copia. Cor vero amplum valde ob dilatatos ventriculos, non ob parietes factos craſſiores: amplificatæ tamen columnæ, quod in dextero præſertim ventriculo adnotavi. Auriculæ pariter, & valvulæ omnes amplificatæ, ſanæ tamen: & majora quoque erant arteriarum Coronariarum orificia. Magna etiam arteria ad curvaturæ uſque initium æquo latior. In facie ejus interiore paulo ſupra valvulas animadverti paucas quaſdam protuberantias, ibique ſubſtantiam arteriæ craſſiorem, duriorem, magiſque albam. Earum quoque aliquam vidi qua eadem arteria ſecundum vertebras thoracis deſcendebat; illuc enim uſque aperiri, juſſi. Pulmonaris autem arteria, & pars ima venarum ejuſdem nominis, & Cava utraque prope cor, intus, extraque ſecundum naturæ modum fuerunt. Nigri, fluidique ſanguinis ſine ulla vel leviſſima concretione polypoſa cum in venis Cavis, tum præſertim in auricula dextera, & ventriculo utroque multum vidi. Ventre adaperto, turgidula aere inteſtina occurrerunt, Tenuibus omentum, quod ad ventriculum retractum erat, operientibus. Jecur duriuſculum, & ad cæruleum colorem vergens. Lien paulo major, quam ſecundum naturam. Ventriculus quoque amplus, ejuſque interior facies ex rubro fuſca, & hic illic ſubnigra; credidi ab ſanguine noviſſime reſtitante; nam & Tenuia inteſtina exterius ſubrubra. Quæ, & Colon cum omnia contrectata, & verſata etiam huc illuc eſſent; nihil morbidi potuit animadverti. Pariter neque in pancreate, neque in meſenterio durities, aut vitium aliud fuit. Illud denique non eſt omittendum, cum primum manu dimota ſunt inteſtina, aquæ copiam non omnino paucam ſub illis apparuiſſe.

Cranium autem ſecare nec locus, nec hora permiſerunt.

6. De plena hac, ut promiſi, atque adeo prolixa hiſtoria, omiſſis conſulto quæ morbi effectus evidentes fuerunt, & quæ longiorem hiſtoria ſermonem requirerent, ad ea dumtaxat redibo quæ ſtatim a cadaveris diſſectione Præclariſſimo Placentino, & Solertiſſimo Proſectori Publico Mediaviæ, & aliis qui aderant, dixi, fuiſſe quidem univerſi cordis, & Magnæ arteriæ dilatationem a nobis conſpectam, quæ certe antequam affectus illi vehementiſſimi animum hominis percellerent, nulla fuerat; optime enim valebat: itaque a maxime perturbato ſpirituum per nervos motu, eoſque præſertim qui cor eamque arteriam adeunt, videri ejus dilatationis initium repetendum, ab iiſdemque irritatis ſubinde nervis, ventriculo quoque ſubſervientibus, tum ſenſum illum quaſi fumi inde aſcendentis, tum convulſivos inſultus qui eum ſenſum conſequebantur, a certo autem quodam, necdum tamen aucto, confirmatoque ſpirituum, & nervorum vitio primam illam non ita magnam pulſuum tarditatem facile deducendam. Quæ ſi omnia ſymptomata a cruenta illa dejectione primum quidem ſedata ſunt, non difficile ab iis cauſam quadantenus conjectum iri qui ab hæmorrhoidibus hanc repetant, & venæ Portarum radices cunctas, præſertim quæ a ventriculo in illius venæ truncum demum confluunt, non ignorent. Nec tamen propterea negandum, eam quam diximus, cordis, & Magnæ arteriæ dilatationem, præſertim poſtquam adaucta fuerat, quidquam ad pulſuum raritatem contuliſſe, quippe cum utrumque ſic minus aptum eſſet ad ſe ſtatim ac oporteret contrahendum, nervis præſertim ob dilatationem ipſam diſtractis. Sed neque ad ejuſmodi cauſas aut ſolum, aut præcipue, pulſuum tantam raritatem eſſe referendam, vel hinc intelligere proclive fore, quod in tot aliis quorum cordis, & arteriæ Aortæ aneuryſmata, multo etiam iſtis majora, deprehendimus, ejuſcemodi pulſus non fuere; ut niſi aliud aliquod accedat, eos non inde fieri ſatis conſtet. Hoc autem quod debet accedere, niſi certum quoddam ſpirituum & nervorum vitium ſit, perdifficile eſt conjicere. Hæc ferme dixiſſe tunc memini, & nunc placet altera quæ ad pulſus attineat, mea Obſervatione quo ad interea poſſum, confirmare.

7. RUSTICUS jam propemodum octogenarius, in Noſocomium admiſſus ob Tertianam febrem Intermittentem, poſtquam ſanatus fuit, ibidem propter paupertatem tandiu perſtitit, donec menſe octavo diarrhœa ſemel, iterum, ac tertium corre-

(*x*) Epiſt. 9. n. 6. 7.

correptus, levi demum febre accedente, ſenſim eſt mortuus. Menſe hoc ultimo urinæ fuerunt craſſæ, ſedimento quaſi lacteo, ſed inodoro. Reſpirationis vitium nullum, ut neque pulſuum, niſi quod cum antea molles, & ſicut ætas, morbuſque ferebant, humiles, & parvi fuiſſent, tribus extremis vitæ diebus imminuti erant adeo, ut minime perciperentur.

CADAVERE in Gymnaſium illato, ubi Anatomen tradebam; adventabat enim Januarii finis A. 1754; hæc in Ventre animadverti. Intra imum inteſtinum Rectum hæmorrhoidalia tumebant vaſa. Inteſtina reliqua, ut ventriculus quoque, & pancreas, & lien, ſana. In meſaræo quidem glandulæ erant aliquot pro illa ætate non exiguæ, nec tamen morbidæ. Sanum quoque jecur, quamvis in ſe contractum, & parvum, veſicula autem valde a bile diſtenta. Renes, ſi exteriorem faciem aſpiceres, non optime conſtituti. Veſica autem optime. Interea ſcrotum, de quo nunquam tam longo tempore queſtus in Noſocomio Senex fuerat, animadverſum eſt utrinque morbo non vacare. A dextris enim intra Vaginalem tunicam, quæ non magis erat madida, quam ſecundum naturam, calculos deprehendimus duos, undique ſolutos, alterum majuſculum, alterum minimum, utrumque durum. Siniſtra autem Vaginalis, craſſior facta, nullum calculum, ſed aquam continebat multam, colore lixivium referentem. Craſſior quoque erat ea pars vaſis ſemen Deferentis, quæ intra aquam erat, ut etiam Albuginea, quæ conveſtiebat Epididymidem, majori hic tractu ad teſticulum arcte ſe annectentem, quam ſolet. Nec prope illius ſuperiorem globum corpuſculum deerat ſubrotundum, ex Albuginea exſtans, quale in hoc hydroceles genere invenire nos ſolitos eſſe, aliis ad te Litteris (y) ſcripſimus. Thorax pulmones habuit ſanos: cordis autem ſuperficiem ferme totam multa, duraque pinguedine opertam. Venæ Pulmonaris Sinus ea fuit amplitudine, ut omnes tantam dilatationem mirarentur, carneis fibris per internam ejus faciem exſtantibus. In valvulis Magnæ arteriæ omnibus Arantii corpuſculum in modicam quidem, ſed inæqualem, & ex parte oſſeam excreſcentiam mutatum vidimus, in facie autem interiore ejuſdem arteriæ toto eo tractu quo ab arcus fine, ad diaphragma uſque deſcendebat, oſſeas paſſim bracteas, quamvis non magnas, & tenuiores: inde vero ad diviſionem uſque in Iliacas, & in Iliacis ipſis alba dumtaxat illarum bractearum inchoamenta, ſed conſertiſſima, & internam illam faciem inæqualem reddentia.

Caput, quippe aliis deinceps uſi cadaveribus, non attigimus.

8. Igitur; ut cætera, & vel iſtas valvularum Magnæ arteriæ excreſcentias prætermittamus; ſatis vides, ne a tanta quidem Sinus venæ Pulmonaris dilatatione peculiare ullum in pulſibus vitium fuiſſe, cum tamen ſiniſter cordis ventriculus, &, quod conſequitur, ex hoc profecta arteria Magna non ita, ut par eſt, juſtam, & æqualem ſemper copiam ſanguinis ex adeo amplificato Sinu potuiſſe accipere videantur, ſicuti nec Sinus ipſe ex pulmonibus admittere, quippe ob dilatationem haud amplius ſatis aptus ad ſe ita conſtringendum, ut alterne tantum ſanguinis ex ſe ejiceret, quantum præciſe ad naturæ normam requirebatur, ne locus videlicet deeſſet novo e pulmonibus adventuro. Sed neque in reſpiratione vitium erat ullum: quod tamen eſſe conſueviſſe, alias (z) agnovimus. Licet igitur hinc intelligere, ne conſuetas quidem noxas ſemper, & neceſſario ſuccedere vaſorum Magnorum dilatationibus, nedum infrequentiſſimam illam pulſuum raritatem, cujus occaſione hanc tibi hiſtoriam eſſe mittendam, putavi.

9. Cum de inæqualitate, & intermiſſione pulſuum ad te ſcriberem (a), & an vitia ejuſmodi a polypis, ut complures fecerant, repeti poſſent, diſquirerem; memineris, ut puto, me tantum dubitationibus Viri Cl. Andreæ Paſtæ tribuiſſe, ut donec Vir alter experiens, doctuſque exiſteret qui perſpicue, & ſolide cunctas illas nobis eximeret dubitationes, me quidem tandiu cum Paſta an polypi ante mortem, diu præſertim, formarentur, dubitaturum, nec tamen illas eximere ita facile eſſe, dixerim. Quod dixiſſe nunc tanto minus me pœnitet poſtquam in duos incidi Scriptores, quorum neutri eſſe notam Paſtæ illam Epiſtolam, niſi citarent, crediderim. At certe perlegiſſe attente, non puto. Uterque enim quædam objicit, quæ ab eo fuerunt ſatis ſuperque diſſoluta. Alter inſuper una, quam proponit, Obſervatione, cunctis Paſtæ rationibus ſatis eſſe factum, putat, quaſi vero perdifficile eſſet eam, non poſito diu ante mortem polypo, explicare. At ſaltem is polypus ex paucis illis fuiſſet, quos ego quoque excipiendos eſſe, exiſtimavi. Sed neque ad genus illorum ſpectat, neque ad eos accedit qui difficiles habent explicatus. Quos habuiſſet fortaſſe ille de quo litteras adhuc ſervo, A. 1707. poſtridie Nonas Junii ad me datas ab egregio, dum viveret, Bononienſi Profeſſore, Amicoque optimo Joanne Antonio Stancario. Scribebat is, fuiſſe ſibi eo die ab noſtro Laurentio Bonazolio oſtenſum muliebris venæ Cavæ ſegmentum ſuis cum Emulgentibus, quæ venæ erant omnes multum dilatatæ, tunicis inſtructæ magna ex parte cartilagineis, ex aliqua etiam oſſeis, plenæ autem ſubſtantia dura, & polypoſa ita ut prorſus obturatæ viderentur: quandam attentius inſpiciendo, ſinus aliquis in ea ſubſtantia animadvertebatur, per quem ſanguis poterat, quamvis difficulter, tranſire. Ad eundemque modum eadem polypoſa duraque ſubſtantia venas quoque Iliacas, & Pudendas, & vel capillares per Abdominis muſculos fuiſſe plenas, ſibi eſſe a Bonazolio aſſeveratum. Qui cum ventrem ejus fœminæ properanter, nullamque aliam ob cauſam aperuiſſet, niſi ut quæ ad generationis Partes ad requiſitam ab ſe oſtenſionem, ut fit, præparandas extraheret, vix præter plenas illas capillares venulas, aliquid feri inter muſculos effuſi, & quaſi ſanioſi animadverterat, in cavo autem ventris minimam aquæ copiam. Serius vero, jamque humato cadavere, præparationem inchoando, ea quæ de Cava, aliiſque illis venis ſunt dicta, perſpexiſſe, ut ægre tulerit, ſe neque thoracem, neque caput referaſſe, & quemadmodum ſe ibi venæ haberent, & reliqua, perquiſiviſſe. Sed ut de mortua nihil aliud ſciri potuit, ſic de vivente nihil compertum eſſe, niſi in S. Mariæ de Morte Noſocomio, ubi deceſſerat, pro hydropica fuiſſe habitam, cum tota eſſet tumida, colore autem ubique livido, quali eſt cutis ubi plures ipſi venæ ſanguine turgidæ ſubjiciuntur: ſumma cum difficultate reſpiraſſe, pulſuſque humiles ſemper habuiſſe, & parum digitis explorantis Medici reſiſtentes. Hanc tibi hiſtoriam, quippe mancam, non ut explicarem, deſcripſi; ſed tum quia ex parte ad illam accedit Præſtantiſſimi Halleri, quam alias (b) conatus ſum explicare, tum quia ex rariſſimis certe, nec una de cauſa, eſt.

Sed ab iis quæ de Polypis Epiſtola XXIV. ſcripſi, ad ea quæ de vehementibus arteriarum omnium pulſationibus in extrema eadem Epiſtola (c) attigi, tranſeamus.

10. Eas cum a meri abuſu, tum præſertim ab nervorum irritatione provenire, tunc non conjeci modo, ſed & Mercatoris cujuſdam exemplo me tibi vel magis eſſe alibi confirmaturum, promiſi. Is qui me, etiam poſt id tempus, nec ſemel conſuluit, a patre genitus fuerat, uſque adeo hypochondriaco, vel potius melancholica mœſtitia affecto, ut moleſtiarum finem per devoratum opium quæſiverit, & quamvis paulo poſt devoraſſe pœnituerit, fruſtra tamen vomitu ejicere conatus, illius vi interemptus ſit. Qui caſus animum filii, tunc adoleſcentuli, non mediocriter perculit. Acceſſit deinde Bacchi, & Veneris abuſus nimius. Quem exceperunt convulſivæ tuſſes, & ſtuporis ſenſus in manibus, ſimul ita affectis,

(y) XXI. n. 19. & XLIII. n. 16. & ſeqq. (z) Epiſt. 24. n. 36. (a) Ibid. n. 30. (b) Ibid. (c) n. 35. & ſeqq.

ctis, ut quæ vellet, ſtringere, atque attollere nequiret. Poſt hæc demum vehementes cordis, & arteriarum omnium pulſationes inceperunt; ut dubium non eſſet, quin & hæ ab nervis efficerentur, præſertim quoniam invitus caput, & cervices ſæpe inflectere, aut movere humeros cogebatur, & poſteaquam, multis exactis menſibus, arteriæ minus vehementer micabant, ea crebrius, magiſque cogebatur facere; & muſculorum palpitationibus, quas egomet in ſuris vidi, & moleſtiſſimis contractionibus ad artus, ad ventrem, & ad cor ipſum factus erat obnoxius, a quibus vel cum ſomnum primum caperet, expergefactus, dormire amplius non poterat. Cor autem, etſi arteriæ, ut dixi, non amplius ita vibrabant, non modo vibrabat ipſum, ſed & ejus vibrationes oculus, nedum admota manus, percipiebat, præſertim in ſpatio intercoſtali; modico ſub mamilla ſiniſtra intervallo, ubi ad tractum duorum, aut trium tranſverſorum digitorum ſe attollebat ad vibrationes ſingulas quidquid inter duas illas coſtas erat, quod ſi tunc manu tangeres, veſicæ inſtar cujuſdam, cedebat. Quid mali homini poſtea acciderit, neſcio. Quid morbus tunc minaretur, vel potius jam effeciſſet, certe autem unde primam originem habuiſſet, intelligis.

11. Nunc quando verba fieri de Aneuryſmatibus cœpta ſunt, quas eorum Obſervationes, poſt tot alias ad te ſcriptas, habuimus, huc addere non omittemus. Altera ad Cordis, & Majorum Arteriarum, altera ad Aortæ dumtaxat aneuryſma attinet. Quorum illud tamen non ſubito; hoc autem ſubito occidit.

12. VIR quidam menſes jam duos in Noſocomio decubuerat propter incommoda plura, in thorace omnia. Nam præter fiſtulam, quæ ad hujus cavum non perveniebat, cordis palpitatione, & æquo majori pulſatione laborabat. Hæ duæ ante annum inceperant, non jugiter quidem, ſed tamen ſæpe vexantes adeo, ut nudato pectore, oculis omnium apparerent. Pulſus in carpis certe non erant vibrati. Expectorabatur autem tanta puriformis materiæ copia; ut ſi quis a purulenta non internoſceret, is fiſtulam in cavum thoracis pervadere poſſet ſuſpicari. MORTUI denique pulmones diſſecuit Medicus, ac Profeſſor Spectatiſſimus Mediavia noſter, & ſanos deprehendit. Non ita cor; quod propterea cum vaſorum Magnorum proxima parte in Gymnaſium ad me curavit afferendum, cum ibi Anatomen haberem A. 1757. extremis Januarii diebus. Vidi igitur utrumque cordis ventriculum dilatatum, non imminuta tamen parietum craſſitudine. Arteriæ quoque Pulmonaris truncus juſto erat latior; Aortæ autem latiſſimus ad curvaturam uſque incipientem; reliquum enim deerat. Interior ejus partis facies tota fuit alba, prædura, inæqualis.

13. MENDICI Viri eaſdem Partes, in Gymnaſium per dies eoſdem (ſed biennio ante) allatas, inſpexeram. Is quibus affectus antea fuiſſet incommodis ſcire pro certo non potui, niſi duo levia ulcera in crure altero, quæ etiam tum erant, geſſiſſe, & diebus proximis creberrima tuſſi, noctu præſertim, vexatum fuiſſe, qua concuſſione internam, ut videbis, hæmorrhagiam eſſe acceleratam, exiſtimo. Hunc ſyncope, ut ajebant, de improviſo correptum, & pro moribundo habitum, mox ad ſe reverſum, ſed omnium quæ tunc accidiſſent, prorſus neſcium, in Noſocomium intulerunt, pulſu quidem turgido, ſed prementibus Medici digitis non reſiſtente. Is erat Hieronymus Triviſanus, meus olim Auditor aſſiduus, Vir Nobilis, & Doctus, qui hæc, & quæ ſequuntur; adfuerat enim; diligenter narravit. Cum ex ægro quæſiviſſet, quid, & ubi tunc ipſi moleſtum eſſet; dolor quidam, reſpondit, hoc loco, imamque hypochondrii alterius partem deſignabat. Vix Triviſanus ad proximos inviſendos ægros proceſſerat, cum repente ille inſultu altero prehenſus eſt, qui certe ſyncope vera non fuit; nam quamvis pulſus eſſent nulli, facies tamen potius rubebat, & cum ſpiritus, quem vocant, ſalis armoniaci naribus ſubjiceretur, æger ſe nonnihil agitabat. Itaque intra horæ dimidium ex quo novus hic ceperat inſultus, vivendi finem fecit, alvi recrementis, unde ille videtur fuiſſe ad imum hypochondrium dolor, in lectulum prius effuſis. CADAVER cum laudatus Mediavia diſſecaret, pericardium offendit ſanguine plenum, Aortam autem arteriam, quanta quanta in thorace erat, dilatatam. Hanc igitur, & annexum cor a me voluit inſpici. Et cor quidem, intus, extraque ſpectatum, juſta erat magnitudine, & conſtitutione. Sed arteria jam inde ubi a corde incipiebat, ad ſeptum uſque Tranſverſum æquo latior, quanto magis deſcendebat, tanto dilatata erat minus, niſi quod in medio ferme deſcenſu magis lateſcebat propterea quia ab uno latere in cavæ ſphæræ ſegmentum protuberabat, cujus caveæ orificium, intra Aortam hians, diametro erat bini digiti tranſverſi. Similis hujus, ſed major, lateralis protuberantia inter cor, & primum ramum occurrebat qui ex Aortæ curvatura naſcebatur; ut ſi homo diutius vixiſſet, appareret, ad dilatatum arteriæ truncum duo præterea ſacciformia aneuryſmata fuiſſe acceſſura, quorum non parva in duabus illis protuberantiis extabant initia. Juſto erant etiam latiores arteriæ tres ex curvatura illa profectæ, nec ſecus ac totus arteriæ truncus, albis oſſium inchoamentis facie interiore paſſim diſtinctæ, non magnis tamen, nec craſſis, neque introrſum prominentibus, neque intimam tunicam, ut ſæpe fit, cum oſſeam ſunt nacta duritiem, exulcerantibus, quod ne ibi quidem fecerant, ubi jam ad iſtam duritiem perducta deprehendi, in perpaucis videlicet trunci locis. Attamen intervallo ferme ſeſquidigiti ſupra valvulas Semilunares tranſverſam tenuem fiſſuram vidi, quæ longitudine ſemunciam Bononienſem æquaſſet. Ei fiſſuræ in exteriore arteriæ facie reſpondebat, ſed paulo inferius, foramen cujus diameter vix par fuiſſet duabus lineis unciæ illius, idque oris cruentis, & ſemilaceris; ut palam eſſet, per fiſſuram ſanguinem inter tunicas ſubiiſſe, & harum extima demum perrupta, in pericardium exiiſſe.

14. Similes hujus hiſtorias habes a nobis ad te ſcriptas Epiſtola præſertim XXVI. (*d*), ad quas non pauca adnotavimus, interque illa, quædam huc attinentia, quæ repetere non eſt opus. Quod ſi forte alias potius legere cupis aneuryſmatum Obſervationes; non ita diſſimilem noſtrarum in Programmate (*e*) invenies quod Waltherus, illuſtris olim Profeſſor, Lipſiæ edidit A. 1738; complures autem, & varias apud Solertem Piſtorienſem Medicum Antonium Matanum (*f*) ſive in corde habitas velis, quod immani vidit amplitudine, idque ex ingluvie perpetua (*g*), in alio autem magnitudine pluſquam duplo majori (*h*); ſive in toto arterioſo genere, ut in Sene (*i*) cujus per corpus univerſum, innumera diſperſa erant aneuryſmata; ſive in Magna arteria, ut in Juvene (*k*) cui ex inveterata lue Venerea thoracis, & ventris caveam aneuryſma occupabat; aut in Viro (*l*) cujus aneuryſma, œſophago adhærens, per hunc viam aperuerat ſanguini, quo ventriculus refertus erat. Utinam ſingulas voluiſſet, aut potuiſſet perficere hiſtorias, additis iis quæ præceſſerant, peculiaribus aneuryſmatum iſtorum indiciis, aut iis ſaltem quæ poſtrema omnium ante mortem apparuerant, ut in eo (*m*) fecit, cui paulo ante obitum intumeſcens abdomen aſcitem mentiebatur, cum tumor non ab aqua, ſed ab ſanguine eſſet qui ex eroſo circa Emulgentes arterias ejuſdem Aortæ trunco in ventrem defluxerat, itemque in eo (*n*) quem perrupta arteria Pulmonaris intra adſitum, opinor, bronchium, & per hoc in fauces immanem vim ſanguinis effundendo, interemerat. Sed hoc nimirum illud eſt, de quo nos ipſi, nedum cæteri Medici Anatomici, ſubinde querimur, non ſemper poſſe eorum quæ morbum ſint comitata, aut mor-

(*d*) n. 13. & ſeqq. (*e*) De Aneur. (*f*) De Aneuryſm. Præcordior. Morbis. (*g*) §. 7. (*h*) not. ad §. 9. (*i*) §. 27. (*k*) §. 50. (*l*) §. 62. (*m*) Ibid. (*n*) §. 63.

mortem prægreſſa, notitiam haberi cum propter alias nonnunquam cauſas, tum haud ita raro ob hanc quod corpora quæ plerumque diſſecamus, ut hominum ſunt infimæ ſortis, ſic multa ſæpius quam vellemus, contingit, ut propter ſummam aut inopiam, aut inſcitiam, eorum morbi non fuerint aut obſervati, aut intellecti. Hæc ipſa Meckelii Cl. Viri (*o*) querela eſt, primæ de Sectionibus duabus præfixæ, in quas diviſit accuratas alioquin, & non vulgares ſuas Morborum Cordis Obſervationes, ſpatio plurium annorum collectas. Eas nihilominus attente perlege. Dignæ enim, ſiquæ aliæ, ſunt, & huc, & ad Sepulchretum maxime pertinentes: nec omnes ſignis carent ſuis; quin aliquæ morbi hiſtoriam habent diligentiſſime expreſſam. Huc adde interjectas, ſane congruas, explicationes, utileſque animadverſiones ad propoſitorum vitiorum naturam, & ſedem internoſcendam; ut puta nequando ægrorum angoribus, & reſpirandi difficultate abrepti, pulmones temere incuſemus; ſed, omnibus bene perpenſis, ubi eos incolumes dignoſcamus, cordi, ut par eſt, morbum imputemus; niſi forte (ſicut alibi (*p*) vere pariter admonuit) ſymptomatum illorum cauſa in ventre ſit, quæ res ſæpius quam creditur, minime animadverſa, facit, ut curatio thoraci adhibita, noceat potius, quam ſanet. Illas igitur Obſervationes cum leges ſive pericardii, & cordis inflammationum, hujuſque, vel potius pinguedinis qua inſternitur, ſuppurationum; ſive pericardii, & cordis cohæſionum vel per ſteatomatoſam, hoc inſuper comprimentem, materiam, vel, ut ſæpius, per telas quaſi quaſdam, & fibras, haſque ad mucronem potiſſimum alligatas; ſive valvularum ad cor attinentium aut quam vocitant, oſſificationis, aut intumeſcentiæ, ut orificiorum viam ex parte impediant, aut contra lacerationis, & propemodum deſtructionis: ſive unius, aut alterius cavearum cordis amplificationis; ſive arteriarum ab eo diſcedentium dilatationis, aut conſtrictionis; ſive internæ in ipſa Magna arteria ſcabritiei, & ulcuſculorum, & oſſificationis; ſive demum non alterutrius, ſed utriuſque, id eſt tum cordis, tum Aortæ dilatationis; ejuſmodi igitur Obſervationes cum leges, ſi forte quarundam in mentem venerit, a me olim ad te ſcriptarum, quæ ad harum aliquas propius accedant; non illibenter collaturum te, ſcio. Quæ cauſa etiam fuit, ut has tibi indicarem, ſimulque eſt, ut Deſcriptionem quoque indicem Aneuryſmatis arteriæ ejuſdem Magnæ, & cordis inſuper, quam alter ex Inclyta illa Regia Academia Egregius Vir dedit Roloffius (*q*). Poteris enim cum ea conferre deſcriptione quam ad te miſi Epiſtola XXVI. (*r*) viri quem idem Aortæ morbus, iiſdem ex parte oſſibus abſumptis, & ſanguine itidem extrorſum effuſo interemerat, & cur tamen non illico, ut meus, perierit iſte alter, cognoſcere. Quod vero in ea Diſſertatione quam de Trombelli caſu verba faciens eadem Epiſtola (*ſ*) memoravi, ſperabam te aliquid non prorſus diſſimile Verlicchii Obſervationis reperturum; ea ſpe excidi, cum Diſſertationem illam tandem nactus, non de ſteatomatibus quæ in Magnæ arteriæ tunicis increviſſent, agi, cognovi, ſed de concretionibus in bis dilatato hujus cavo hærentibus, nec ullum cum arteriæ pariete intimum commercium habentibus, ut eas pro polypoſis quæ in aneuryſmatibus paulatim per ſtrata creviſſent, poſſe accipi, intellexerim.

De duabus autem, quas tibi pollicitus ſum (*t*), rupti cordis Obſervationibus, mihi a ſpectato, dum viveret, Medico, & vetere Amico Laurentio Mariano ſignificatis, primam de qua ſcripſerat A. 1750. prætermittere nunc licet, quando poſtea ipſo qui illam habuerat, Galeatio proponente (*u*) perlegeris, fuſe ut ab eo qui ægrum curaverat, & hoc potiſſimum agebat, perſcriptam. Alteram vero, quemadmodum ex Mariani litteris accepi, A. 1755. XIV. Kal. Martias ad me datis, continuo deſcribam tanto libentius, quia ſic augebitur numerus earum Obſervationum, in quas; ſi ea quæ præceſſerunt, & quæ deprehenſa ſunt, perpendamus cum ſanguis intra pericardium effuſus conſpectus eſt; cadere dubium non poſſit, an is ante mortem vi morbi exierit, an poſtea profectorum dumtaxat incuria, minime videlicet animadvertentium, ſe dum pericardium aperirent, ſcalpello ſimul quæ pericardio includuntur, vulneraſſe; neque enim deſunt qui vel in pleriſque, ſi Superis placet, harum Obſervationum ſic accidere potuiſſe, ſuſpicentur.

15. MEDICUS annos natus duodeſexaginta, valde, ſiquis alius, hypochondriacus, lurido colore, anno quem paulo ante dixi, ineunte, dolore gravi correptus eſt qui e ventre ad thoracem aſcendebat, non ſine convulſivis quibuſdam motibus, anxiaque reſpiratione. Et hæc quidem per repetitam ſanguinis miſſionem leviora ſunt facta. Sed poſtridie cum omnia ad priorem modum rediiſſent, hominem intra tempus breviſſimum confecerunt.

VENTER nihil vitii oſtendit præter quam in hepate, & Ileo inteſtino, quorum hoc ad tractum aliquem erat ſublividum, illud vero magnitudine multo quam par eſſet, majori. Thorax autem effuſum intra pericardium habebat ſanguinem, qui illuc per tria foramina ex ſiniſtro cordis ventriculo exierat. Is ventriculus adeo erat dilatatus, ut cavum triplo majus quam ſecundum naturam, comprehenderet.

16. Hunc ego Medicum credo, ut ad Marianum reſcripſi, niſi ita eſſet hypochondriacæ affectioni obnoxius, non ex eo morbo, aut ſerius ſaltem fuiſſe moriturum, tum quia non ita crebris, validiſque preſſus fuiſſet hypochondriacis internis convulſionibus, a quibus ſiniſtri cordis ventriculi aneuryſma, & demum perforationes repeto, ſanguine videlicet ſæpius cohibito intra eum ventriculum, irritatum propterea ad ſe fortius contrahendum, illumque expellendum, tum etiam quia mature occurriſſe initio, & progreſſui aneuryſmatis ſui, niſi ejus indicia ad hypochondriacam affectionem, ut fit, retuliſſet. Scilicet hoc maximum ex illa affectione ſæpenumero eſt detrimentum, ut ob pleraque ſigna quæ ei ſunt, & organicis vitiis communia, Medici cum in aliis, tum præſertim in ſe ipſis ita ut opus eſſet, curandis diutius hæſitant, & de morbis duobus eum eſſe quem mallent, nimirum leviorem, facilius credunt.

Cæterum etſi cum hanc tibi ſum Obſervationem pollicitus, multo rariora exempla eſſe, crederem, diſrupti ventriculi cordis dexteri, quam ſiniſtri; rariora quidem eſſe, adhuc credo, ſed non tanto rariora. Cum enim in Diſſertatione quadam (*x*) Cl. Chriſtiani Vateri aliud forte quærerem, incidi in militis diſſectionem, haud abſimilem ejus quam ex Bohnio produxeram (*y*), in æſtu venereo mortui, niſi quod vehemens quoque in diuturna chorea ſaltatio præceſſerat, & quod ruptio in ventriculo dextero inventa eſt. Sed præter hoc, duo alia ab aliis cauſis rupti ejuſdem ventriculi exempla indicari nuper vidi ab Illuſtri Haliero (*z*). Apud quem occurrent tibi complures Auctorum allegationes, quorum ego aliorum ſi libros habere, aliorum ſi Obſervationes ad intimos thoracis morbos ſpectantes, a me quondam lectas, retinere omnes memoria potuiſſem: non eas tibi inter cæteras quas protuli, facile eram omiſſurus, ſed nonnullas certe producturus quæ magis ad propoſitum meum facerent, magiſque ſpectandæ eſſe viderentur. Ibi (*a*) igitur velim quæras, & ſeligas quas adjungas iis quæ mihi, dum ſcriberem ad te Epiſtolas, ſuccurrerunt, ubi cavearum cordis, adjectorumque huic vaſorum dilatationes, harumque aut cauſas, in primiſque valvularum vitia, aut effectus, ut præternaturales reſpirationes,

(*o*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. de Berlin A. 1755. & A. 1756. (*p*) Hiſt. A. 1757. (*q*) Hiſt. A. 1757. (*r*) n. 9.
(*ſ*) n. 40. (*t*) Epiſt. 27. n. 10. (*u*) Vid. Comment. de Bonon. Sc. Inſt. Tom. 4. in Opuſculis.
(*x*) De Mort. Subit. non vulg. cauſ. theſ. 8. (*y*) Epiſt. 27. n. 1. (*z*) Elem. Phyſiol. corp. hum. Tom. 1. l. 4. S. 4. §. 13.
(*a*) Ibid. §. 10. 14. 16. 18. & S. 3. §. 17. & l. 2. S. 2. §. 9.

nes, & pulſus, ſyncopem, internaſque hæmorrhagias conſiderarem. Id ſi facias; quæ ad Sepulchretum addas, non pauca habebis.

17. Antequam de improviſis mortibus a Magnæ arteriæ, aut a cordis aneuryſmatibus, horumque ruptione ſcribendi finem faciam; illud fortaſſe ex me quæres, an inter Veteres quoque accidiſſe illas ab iiſdem cauſis, putem. Plures ſane tunc etiam mortuos repente eſſe, negari non poteſt, quod aliis ad te Litteris *(b)* memini oſtendiſſe, & nunc confirmare, ſi opus eſſet, vel ex Cicerone ipſo poſſem, cujus hæc nempe ſunt verba *(c)*: *At. repentina morte periit. Quod ſi eſſet ita factum; tamen ea res propter multorum ejuſmodi mortem, ſatis firmam veneni ſuſpicionem non haberet*. Igitur inter improviſas multorum mortes cur ejus quoque generis de quo dicebamus, tunc contigiſſe, non putemus? Num forte quod iis temporibus ab illis animum, corpuſque abſtinerent, a quibus homines his noſtris non abſtinent? At ex eorum hiſtoriis, libriſque conſtat, vel longe minus abſtinuiſſe. Et quamvis ex iiſdem minime conſtet, ſe lue Venerea infeciſſe, quæ poſtquam ab America tandem in alias regiones allata fuit, una ex tot cauſis ipſa quoque eſt vitiorum cordis, & arteriarum, illiuſmodi; tamen cum cæteris horum cauſis vel magis quam noſtri homines, abuterentur, cur pravis earum effectibus non ad eundem modum obnoxii eſſent, haud video. Tanto autem id minus video cum earum ad hos morbos diſpoſitionum venit in mentem, quas a primordiis uſque extare, cum Lanciſio me alias *(d)* agnoviſſe, memineris. Iis enim diſpoſitionibus quis Veterum corpora omnino caruiſſe, contendat? Itaque eos a me probari facile intelligis, qui illud quod tu, quærentibus, ad eundem fere modum reſpondendum eſſe, cenſuerunt.

18. Jamque hanc eram Epiſtolam obſignaturus, cum occaſio data eſt Obſervationem habendi quæ ad Litteras attineret in quibus de pulſuum vitiis, & de aucta magnitudine cordis, ut in his ipſis, actum eſſet. Illam igitur huc adſcribam.

19. VIR annos natus ad ſexaginta, adventante die VI. Kal. Februar. anno hoc 1759. in Noſocomio deceſſerat inter difficilis reſpirationis anguſtias. Ibi nunquam, niſi de his, queſtus erat, nec levaminis quidquam, niſi a venæ ſectione retulerat, idque & exiguum, & breve. Decimo ante obitum die pulſus vix ullus percipi poterat, multo autem minus cunctis qui inſecuti ſunt, diebus, cum homo tamen ad extremum uſque mente viguerit, libens alimentum ſumpſerit, in lectulo ſe movere valuerit, quin, ſi ultimum excipias diem, ſemper quotieſcunque major ſolito reſpirationis anguſtia cogeret, impetu quodam ſe ad ſedendum continuo erigere. Facies erat ex rubro violacea. Nihil quod morboſum eſſet, expectorabat, niſi quod biduo ante mortem ſanguinea aliquot ſputa apparuerunt. Quæ vero ad initia morbi, cauſaſque attinerent, cum homo eſſet alienigena, quærenti mihi poſt mortem ſcire non licuit. Bibacem tamen fuiſſe, ſuſpicabantur. VENTREM, & Thoracem Mediavia noſter cum aperuiſſet in Noſocomio; in altero aquam, ſed multo plus in primo fuiſſe, retulit, ventriculumque peramplum: in Thorace autem pulmonem dexterum arcte ad pleuram adhæſiſſe. Quem cum ſiniſtro, & cæteris quæ intra Thoracem ſunt, ex iis autem quæ ſunt in Ventre, Magna vaſa, & quidquid fere ad urinarias, & genitales partes attinet, ad me, ut petieram, afferenda curavit, in Gymnaſio Anatomen docentem. Igitur inſpeximus diligenter: neque in pulmonibus morboſi quidquam vidimus. Pericardium erat dilatatum, & ſicuti fluctuatio indicabat, humorem continebat, qui aqua non multa fuit, eaque flava: quo colore ut ſerum fuiſſe, dixerunt, emiſſi e vivente ſanguinis, ita mox interiorem diſſecti cordis, & arteriarum faciem ubique infectam animadvertimus. Cor magnum, ejus omnibus caveis, una excepta ſiniſtra auricula, amplificatis, non tamen extenuata parietum craſſitudine; imo aucta paſſim æque ac longitudine in omnibus cordis partibus, & præcipue in columnis. Amplificata manifeſtius in longitudinem, & latitudinem auricula dextera, ipſa quoque interiores lacertos craſſiores, & exſtantiores oſtendebat. Sanguis in ea multus, ut in utroque etiam ventriculo, iſque nigerrimus, & ſemiconcretus, nihil tamen polypoſi habens. Valvularum utriuſque arteriæ aggeres magis exſtabant; ſed quanquam prope unam Semilunarium oſſei quidpiam erat; nihil ejuſmodi in ulla valvula uſquam fuit. In aliqua ex valvulis quæ venæ Cavæ orificio ſubjiciuntur, itemque in minori Mitrali quandam alicubi duritiem cartilagineam animadvertimus. Non dilatata inventa eſt arteria Pulmonaris, non Magna. In hac autem ad Iliacas uſque diſſecta, & deterſa, etſi albedines illæ quibuſdam locis non deerant, indicia futuri oſſis; re tamen vera oſſei nihil fuit; ſi unum excipias locum, eumque procul a corde, & parvum. Quod reliquum eſt, urinaria veſica, quam ſimul cum iis de quibus dictum eſt, Partibus ante ſeptuageſimam a morte horam inſpexi, ex ſublivido virere jam cœperat; ſed exterius ſolum; interius enim ſecundum naturam ſe habebat, ut ex eo quoque cognoſces quod cum exponere hic paucis non poſſim; opportuniore & tempore, & loco *(e)* non omittam.

20. Intelligis, cum hanc hiſtoriam adjicerem, publicis fuiſſe me occupationibus diſtentum. Quamobrem non miraberis, quod ſuper ea nihil addiderim. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LXV.

Ad pleroſque attinet Ventris Morbos.

QUod in Thoracis Morbis feci, idem ſi in Ventris Morbis facere non potero, ut quas a me horum Obſervationes expectas, omnes his unis complectar Litteris; at certe operam dabo, ut quam paucioribus potero, comprehendam. Neque enim illæ multæ ſunt, & pleræque breves. Sed ut raras noviſſimis annis occaſiones habui mortuos ex Ventris affectionibus diſſecandi; ita ſæpe in ea incidi quæ alii interea, aut antea ejuſmodi corpora ſecantes, deprehenderunt. Quare ut Sepulchreto poſſis addere, ſubinde illa, quemadmodum in miſſis ad te Epiſtolis feceram, ipſarum fere ſervato ordine, indicabo.

2. Et primum, quod ad læſam attinet Deglutitionem, legas velim, qualem anguſtiam in imo œſophago ab intumeſcentibus hujus tunicis, nec ſine indiciis prægreſſæ ibidem excreſcentiæ, animadverterit Abr. Vaterus *(a)*, tum, niſi antea videris, quæ ex pluribus Obſervatoribus relata ſunt apud Ampliſſ. Swierenium *(b)* de gula, eodem, aut ſuperiore etiam loco perangusta; quod tunicæ eſſent in ſcirrhoſam, & vomicis refertam, aut

(*b*) Epiſt. 26. n. 1. (*c*) Orat. pro A. Cluentio. (*d*) Epiſt. 27. n. 6. (*e*) Vid. Epiſt. 66. n. 10.
(*a*) Diſp. de Deglut. Diffic. & imped. Hiſt. 3. (*b*) Comment. in Boerh. Aph. §. 797.

aut in cartilagineam mutatæ ſubſtantiam, ſive quod ejus cavum glanduloſus obturaret tumor, ſive quod ingens ſteatoma adſitum, aut ſcirrhoſa pulmonis pars comprimeret, ac coarctaret. De ruminantibus hominibus ad ea quæ curſim attigi Epiſtola XXIX. (c) nihil eſt quod addam, niſi corniculum quod paulo ſupra frontem Parens ille geſſerat, minime videri ad filii ruminationem pertinuiſſe; quando Sachſius (d) cum tot exempla protulerit cornutorum hominum, non modo ullum horum, aut filiorum, præter illum unum, ruminaſſe, adnotavit; ſed denique admonuit, *pleroſque Authores ex verrucarum genere hæc cornua eſſe, pronunciaſſe*; quas inter, & ruminationem, ſive origo, ſive natura ſpectetur, quis aliquid dicat eſſe commune? Ex verrucarum autem genere illud certe erat cornu quod nuperrime ipſe in Sene vidi ex Agro Patavino. In illud enim verrucam quam diu in læva ſincipitis parte geſſerat, ante annos quatuor degeneraſſe, ajebat, & ſenſim ad eam qua tunc erat, digitorum tranſverſorum amplius quatuor longitudinem excreviſſe. Niſi baſim verſus reprimeres, homo non dolebat: nec mirum; cutis enim quadam quaſi phlogoſi affecta circum baſim ita ſe attollebat, cum eaque cohærebat, ut ex cute cornu fieri, intelligeres juxta Malpighii (e) ſententiam: & quid aliud denique ſunt verrucæ, niſi productæ, morboſæque cutis papillæ? Baſis pollicem æquabat, unde, coni inſtar antrorſum curvati, ſenſim exileſcens, in apicem abibat. Totum cornea erat duritie, ſuperficie autem ſtriata ſecundum longitudinem, facile id quoque ab intervallis inter papillas, in longum pergentes, relictis. Singulare id fuit, quod ut ſtolo ex humo ſuæ proxima arbori ſe attollit, & pullulat, ita ex cute proxima lateri majoris cornu, alterum jam creſcere corniculum cœperat, illius ſimile, niſi quod ut ſubtripla adhuc erat longitudine, & craſſitudine, ſic necdum ſe inflectebat. Sed de hoc ſatis. De Ventriculi autem Doloribus præter ea quæ infra (f), cum cyſticorum calculorum per anguſtos bilarios ductus egreſſum commemorabimus, a nobis facile indicabuntur, plures extant Obſervationes a Chriſtiano Wenckero productæ cum Hiſtoria Virginis per 27. annos ventriculum perforatum habentis (g): quæ omnes, aut fere omnes ventriculi ulcera proponunt.

In iiſdem ſæpe Vomitus creber memoratur, in una (h) nigricantis etiam materiæ: de qua mentio quoque fit a Gothofr. Sandio in *raro ventriculi Abſceſſu* (i) deſcribendo. Cæterum vomitionem frequentem Jo. Kampfius (k) conjunctam profert cum omnium ventriculi vaſorum ab nigro, & ſphaceloſo ſanguine incredibili diſtentione, itemque cum illius anguſtia, & tunicarum craſſitudine, & in cartilagineam propemodum naturam mutatione: Langguthus (l) autem ab iiſdem tunicis immanem in modum craſſis, & ſcirrhoſiſque, ut pylorum undique adſtringerent, & anguſtiſſimum redderent, qualis in memorata quoque fuit Wenckeri Virgine. Et harum quidem Obſervationum pleræque cum iis conveniunt quæ jam pridem a me tibi deſcriptæ ſunt. Poſtremæ autem inſuper ad memoriam reducunt Feltrienſem Virum pro quo, Januario menſe A. 1754. conſultus fueram. Cujus diſſectionem idem poſtea mecum communicavit Cl. Pujatus, qui tunc per litteras ejus morbum expoſuerat.

3. V I R annos natus quatuor & quadraginta, cum a patria abeſſet in montoſis, & incultis locis, multa adverſus leviſſimam gonorrhœam virulentam ex argento vivo remedia ſumpſit, qualia habere potuit, perperam fortaſſe & præparata, & ſervata. Quibus dum uteretur, ventriculus non modo irritabatur, verum etiam vomere cogebatur. Ab eo tempore quæcunque comederet, aut biberet, cœpit fere omnia rejicere: ni rejiceret; ventriculi angore, quo ſemper propemodum, ſed leviter, afficiebatur, multo magis torqueri, & ſingultu quoque; at poſtquam rejecerat, ſi nova ſumeret alimenta, hæc ſæpius retinere. Multam, eamque craſſam, & pravi ſaporis, expuebat ſalivam. Pigra alvus, lacte injecto nihil, niſi duros recrementorum globulos, reddebat. Et quamvis pulſus necdum quidquam haberent quod ab naturæ modo recederet; macies tamen non erat levis. Plura, & varia adverſus hunc morbum in uſum tracta ſunt auxilia: ſed incaſſum omnia; ut denique homini moriendum fuerit. VENTRICULUS pylorum anguſtum habuit, & prædurum, & prope hunc ulcuſculum; in reliqua autem interiore facie, multas quaſi glandulas paſſim disjectas.

4. Nunc age, quæ ad Inteſtinorum Morbos ſpectant, attingamus, & primum quæ ad eos in quibus ſæpe etiam ventriculus affici ſolet. Cl. Anatomicus Phil. Conr. Fabricius (m) in Dyſentericis ſubinde vidit præter Craſſa, Tenuia quoque inteſtina, & ventriculum inflammata. Sic in uno Craſſa quidem magis corrupta, & pure ſanguinolento obducta conſpexit, Tenuibus tamen omnibus ſimul ſphacelo affectis, & ventriculo ipſo inflammato: quamvis in altero dyſenteriæ ſedem in Colo dumtaxat, Rectoque inteſtino deprehenderit. Henricus autem Henrici (n) in fœmina quam Cholera morbus vehementiſſimus per 35. horas ſumme infirmaverat, tenuem, flaccidumque ventriculum reperit, hujuſque ſupernam partem macula quadam affectam obſcure rubicunda, ſugillationem referente, cui ſimiles erant hic illic in Colo inteſtino, ſed minores. Quæ Obſervatio facit, ne hoc loco omittamus noſtram alterius fœminæ, quam alvi fluxus ſuſtulerat, diſſectionem, ante extremum Januarium habitam A. 1753.

5. A N U S ab diuturna diarrhœa ad ſummam denique macritudinem, viriumque infirmitatem, mortemque ipſam redactæ cadaver in Gymnaſium illatum eſt. Ubi ejus dumtaxat ventrem perluſtravimus, cum mox virile aliud, idque ad Anatomen perſequendam longe magis idoneum, nacti eſſemus. A B D O M E N adeo emaciatum, ut ſub cute non Adipoſam, quod in mulieribus vel macilentis eſt rarum, ſed inanem, telæ inſtar, membranam haberet, vix alicubi exiguas reliquias pinguedinis retinentem, cum reſeratum eſt, nec male oluit, nec aliquid oſtendit adnotatione ſtatim dignum, niſi quod cyſtis infra jecur, neque ita paulo, deſcendens, bilis quæ non pauca, & obſcurior inerat, colore ſuo proxima inteſtina multos latius quam plerumque ſolet, infecerat. Sed nec ullum Tenue inteſtinum, nec ventriculus, qui erat contractus, vitii quidquam habuerunt. Craſſorum duntaxat partes aliquæ, ut quæ in Colo, & vero Cæco proximæ ſunt valvulæ Bauhini, ex inflammatione intus rubebant. Rectum vero ferme totum ab inflammatione jam livebat, & hic illic, ac præſertim in imo, introrſum tumebat, unde macula, quaſi circuli forma, ad digiti pollicis latitudinem ſurſum ſe extendebat, mollicula, & prominens, ut ſi a ſanguine fieret, ibi ſub intima tunica ſemiconcreto. Superius autem exſtabant disjectæ, & ex rubro vel magis fuſcæ aut veræ lenticulares glandulæ, aut quædam, earum inſtar. Cæterum in meſenterio glandulæ nonnullæ, quamvis ſanæ viderentur, majores tamen erant quam illi ætati conveniret. Hoc autem in ea frequentius, quod Magnæ arteriæ truncus hic illic erat ſubdurus, & interiore facie albidus ob plura oſſium inchoamenta. Sed illud peculiare, quod ſi eandem faciem inſpiceres, tunicæ latus arteriæ ſiniſtrum, & poſteriorem partem facientes, ad angulum inter ſe jungi, non curvæ inſtar lineæ, videbantur.

6. Quæ de Recto inteſtino ſcribebam modo, ad memoriam reducunt membranam illam ex Mercatoris Hebræi (o) podice propendentem, nec

(c) n. 4. (d) in Schol. ad Obſ. 30. A. 1. Eph. N. C. (e) Differt. Epiſtol. de Corn. Veget. (f) n. 12. & ſeqq. (g) Argentor. A. 1743. (h) Obſ. 1. (i) Regiomont. A. 1701. (k) De Infarct. vaſor. ventric. caſ. 5. & 9. (l) Progr. de Tabe ex calloſa pylori anguſtia. Wittemberg. A. 1750. (m) Progr. quo Obſ. Anat. &c. Helmſt. A. 1754. M. Oct. pag. 19. & not. *. (n) Diſſ. de Cholera morbo c. 1. §. 20. (o) Epiſt. 3'. n. 19.

nec ſine ſanguine, & pravo ichore, & prægreſſis inteſtini ejuſdem moleſtiſſimis doloribus excuſſam ita ut poſtea ſanus ipſe vixerit ab A. 1729. ad initium A. 1748. Nunc addo, ad annum uſque vixiſſe 1758. quo longe alio, id eſt thoracis, morbo abſumptum audivi.

Cur vero nihil præterea ad Viri, & Anus propoſitas Obſervationes adnotem, facile intelligis, qui repetitiones quantum oderim, ſcias, & quæ de morbis hujus generis ad te alias ſcripſerim (*p*), ſatis, ut opinor, memoria teneas. Quod de pleriſque etiam aliis dictum puta, qui infra memorabuntur.

Præcipue de Ani tum Imperforatione, tum Prolapſu nihil habeo quod addam, niſi quod de illa nuper legi Cl. Phil. Adolphi Boehmeri (*q*) in recens editi infantis cadavere Obſervationem, cui propter podicem imperforatum acciderat, ut ex Coli inteſtini parte, ſphacelo correpta, & rupta tantum meconii effunderetur, ut tumidum valde, ac durum eſſet abdomen: legique item in Regiæ Pariſienſis Scientiarum Academiæ Hiſtoria (*r*) diſſectionem trienmis pueri, qui per urethram in quam Rectum inteſtinum deſinebat, hujus recrementa ſemper emiſerat, cauſamque oſtenſam cur hæc demum retenta fuerant: De Ani autem Prolapſu id quod mihi Illuſtris Hallerus per litteras anno datas 1758. V. Kal. Februarii ſignificavit, hic tibi fideliter deſcribam. „ Mirificum nuper vidi ſpectaculum, inquit, vix „ crediturus alteri, prolapſum nempe craſſioris inte„ ſtini, in quo ipſam coli valvulam facillime di„ gnoſcendam, & patentem videres. Ruberrima erat „ villoſa tunica, nitroque conſperſa humorem ſuda„ bat, cæterum immota. Vetuſtus morbus eſt: fru„ ſtra repoſitum inteſtinum, cum chirurgus ventricu„ lum per colon palpaſſet. Solet ſubinde elabi. „

7. Ad Inteſtinorum autem Dolorem, atque adeo ad Iliacam Paſſionem attinet Cl. Kaltſchmidtii Programma (*ſ*), quod te legiſſe non pœnitebit. Nam præterquam quod totum inteſtinorum tractum inflammatum invenit, ibique magis ubi prope Bauhini valvulam erat Ileum dilaceratum, hoc alvi recrementis non eo tantum loco, ſed ad ulnæ longitudinem prorſus obſtructum vidit, tam duris, ut argenti vivi libra una, ægro data, per ea ſibi viam facere non potuerit, aliaque inſuper adnotavit, & in his cauſam famis præter naturam qua ſæpius homo vexatus fuerat, pylorum videlicet duplo quam ſoleat, ampliorem. Nos qui de Iliaca Paſſione plura alias ad te miſimus, nunc de inteſtinorum doloribus unam dumtaxat Obſervationem addemus, quam in Gymnaſio pariter, eodem anni tempore ac priorem, ſed anno inſequente 1754. habuimus.

8. ANICULA ſex & octoginta annos nata, quæ coqua olim fuerat, quindecim jam menſes omnimodam pertulerat artuum inferiorum paralyſim, quorum menſium tres ultimos in Noſocomio exegit, cum ibi tandem acuta febri, & dolore ſub regione hypochondriorum non ſine magna ſiti, & genarum rubore correpta, his omnibus perſtantibus, intra dies ſeptem vivere deſiit. ABDOMEN exterius aſpectum, nihil vitii, niſi parvum ad alterum inguen tumorem oſtendit: quem pro hernia habui; nec deceptus ſum; inteſtini enim particulam continere mox vidi: quin etiam pro doloris cauſa habuiſſem, ſi unquam mulier, præſertim cum ille ſæviret, de eo loco queſta eſſet. Cum vero abdomen incideretur, ejus virere muſculos; & cum reſeratum eſſet, inteſtina, & meſenterium ex viridi & rubro variegari, conſpexi, nec ſine graviſſimo fœtore, ut quamvis tertio, haud amplius, a morte die, eoque anni tempore, continuo humandum cadaver fuerit, vix nonnullis, quæ protinus dicam, in genitalibus, & jecinore adnotatis. Vagina disjectas intus habebat maculas ex rubro obſoleto flaventes. Teſtium vix ſupererant humillimæ reliquiæ. Quorum hoc ætati, illud inflammationi, ex proximo inteſtino contractæ, & jam in gangrænam degenerare incipienti, erat tribuendum: ut peculiaris morbi inchoamento parum inæqualis ex rubro nigricans protuberantia, quæ ex fundi uterini ſupremo interiore latere exſtabat, & diſſecando viſa ex parte eſt paucis compingi veſiculis, pellucido humore plenis. In jecinore autem, cujus cyſtis valde erat bile diſtenta, erant peculiaria, quædam a primordiis, alia a prima fortaſſe juventute, alia a morbo repetenda. A primordiis quidem figura infimi limbi inſolita, ut inter dexterum, ſiniſtrumque lobum alte in arcus modum curvatus, hinc illum, hinc vero hunc lobum haberet ad parem prope tractum, quod ſiniſter alioqui non ſolet, deſcendentes: a prima autem juventute; ſi quid dandum eſt ſuſpicioni, alias (*t*) ad te ſcriptæ; profundi paralleli ſulci per convexam ejus viſceris faciem a Summo deorſum verſus ducti: certe autem a morbo hydatides duæ in eadem facie, altera a dextris, altera a ſiniſtris, jecinoris tunica ambæ opertæ, intus autem membrana cinctæ, quæ rugis, vel potius quibuſdam quaſi inſtitis inæqualis, in illa non modicum, & valde profundum cavum, in hac exiguum comprehendebat. Ex hiſce hydatidibus, & magis ex rara iſta jecinoris figura hanc illam fuiſſe Vetulam, intelligis, ex qua tibi hæc utraque cum alias (*u*) obiter indicaverim, hic plenius volui, & dilucidius deſcribere.

9. Jam vero ad eas quas de Hypochondriorum Colore, & Tumore, ad te ſcribens, Obſervationes produxi, has addas velim, quarum aliæ ad jecur, aliæ ad lienem, aliqua etiam ad ventriculum ſpectat; de jecinore autem illam potiſſimum qua (*x*) ejus proponitur vomica *in pectoris dextram cavitatem aperta*. Utinam Solertiſſimus Richertzius, ut quæ in mortuo invenit, diligenter deſcripſit, pariter quæ mortem præceſſerant, indicare potuiſſet. Nam certe memineris, cum rariſſimam, & fortaſſe primam ejuſdemmodi caſus Obſervationem Valſalvæ ad te ſcriberem (*y*), etſi non pauca quæ in ægra fuerant, non omiſit, me tamen plura deſideraſſe. Quod tanto magis facio in hac altera, quanto diutius videtur ex pulmonis dexteri, & pleuræ ejuſdem lateris inſpectione ab ejuſmodi ſingularis generis empyemate ægrum fuiſſe vexatum, ex magnitudine autem jecinoris, & purulentæ in hoc caveæ graviſſimas ibi quoque moleſtias pertuliſſe. Ibi, inquam; Lutetiæ enim Pariſiorum accidit, ut cum ægrotus quidam (*z*) *de ſummo dolore in dextro hypochondrio* conqueſtus eſſet, pernegante Chirurgo contra ac Medicus ſtatuebat, dolorem illum eſſe hepati adſcribendum; in cadavere tandem *hepar inflammatum* deprehenderetur. Quod ſi forte ob *aliquod adjunctum per intervalla delirium*, contigui diaphragmatis inflammationi; quam tamen neque Chirurgus, neque Cl. Auctor fuiſſent taciturí; malles ipſe in illa doloris cauſam ſuſpicari; alias prius conſideres Obſervationes oportet; & in his quaſdam ad ſuſceptum ſermonem attinentes. Neque enim dubito, quin moleſtiis gravibus in hypochondrio eodem illa quoque mulier conflictata ſit, in qua ingens, nec inflammatum tamen jecur ibidem (*a*) videri potes deſcriptum, cujus utinam in vivente ſymptomata indicari potuiſſent. At certe ſcio, in Diſputatione Cel. Rudolphi Jac. Camerarii, & Jonæ Brunneri exhibente *Hepatite defunctorum Extiſpicia* (*b*) adoleſcentuli, itemque mulieris caſum produci, quorum ut huic *maxima erat de hypochondrio dextro querela*, illi autem *dolor fere intolerabilis* ibidem fuerat; ſi jecur utrique prægrande erat, & a calculoſa materia durum, mulieri inſuper a triplici auctum atheromate. Num ergo in his pariter dolorem omnem tribues adjacentibus partibus, quas tumor, & pondus hepatis comprimeret, ac diſtraheret? Quod ſi tanto facilius a te fieri poſſe, credideris, quia calculoſa materia indurando jecur, hujus qualemcunque ſenſum hebetaſſet; non ultra adverſabor tibi; nam quocunque tandem modo explices; ſemper quas hic tibi addidi, Obſervationes ad Dolores, Tumoreſque dexteri hypochondrii, ut ſum pollicitus, ſpectabunt, quem-

(*p*) Epiſt. ead. (*q*) Vid. Act. Erud. Lipſ. A. 1758. M. Januar. (*r*) A. 1752. Obſ. Anat. 4.
(*ſ*) De Ileo a ſcrupul. piror. meſpil. perfor. Jenæ A. 1747. M. Oct. (*t*) Epiſt. 56. n. 17. (*u*) Epiſt. 58. n. 42.
(*x*) Obſerv. Viſcer. Abdom. Labis Epicris Obſ. 2. (*y*) Epiſt. 36. n. 4. & ſeq.
(*z*) Vid. Bulchwald. Obſ. Quadrig. Obſ. 2. Ætiol. § 9. (*a*) Obſ. 2. cit. (*b*) c. 1.

quemadmodum ad hypochondrium ſiniſtrum pertinebunt illæ quæ protinus ſequuntur.

10. Magnus certe, præſertim ut in novenni puero, lienis tumor fuit, quem deſcripſit Cl. Kaltſchmiedius (*c*), quo in tumore, ſi manibus tentaretur, dolorem puer percipiebat; niſi forte tribuere hunc velis ſubjecti renis ſiniſtri amplo pelvi, quem incluſus aſper calculus, tunc appreſſus, compungeret. Aliquando autem e contrario non in lienis tumore occurrit dolor, ſed in lateris ſiniſtri ima parte ad dorſum vergente, ut in viro qui cum præterea pluribus aliis ſymptomatibus, phthiſim mentientibus, fuiſſet conflictatus, nihil denique in pulmonibus quod vitioſum eſſet, poſt mortem oſtendit, ſed lienem grandiorem, duriſſimum, & valde gravem, quippe ex denſa compactum ſubſtantia quam Abr. Vaterus (*d*) cum diſſecto *petaſone porcino, fumo leviter indurato* comparavit. Decipit etiam lienis tumor, cum valde ſe extendit, aut cum ea continet quæ rariſſime ſolet. Cujus utriuſque conſtitutionis in uno eodemque homine exemplum Regiæ Scientiarum Pariſienſis Academiæ præbebit Hiſtoria (*e*). Is enim aſcitis correptus ſignis, in quibus maniſeſtiſſima erat humoris in ventre fluctuatio, paracenteſim bis expertus, & pro aqua educto pure, a ſecunda hujus eductione poſtridie mortuus, lienem tanta habuit magnitudine, ut ab ſua ſede ad pubis oſſa perveniens, viſcera a fronte, & ab lateribus operiret, atque comprimeret, quippe tantumdem propemodum continens puris, quantum e vivente extractum fuerat; plurimum autem fuerat extractum. Pus quidem, non modo aquam, in liene inventum nonnunquam fuiſſe, alias (*f*) tibi commemoravimus; ſed immani adeo copia repertum eſſe, non meminimus. In tanta non magni viſceris extenſione, & fluctuantis humoris ſenſu quis lienem potiſſimum culpaſſet? Doloris ſedes, niſi forte inter initia, non id poterat ſignificare. Colici enim vehementes, qui denique ingruerant, dolores, cum ab inteſtinorum compreſſione facile eſſent, non ad illam unam ventris partem attinere poterant. Suſpicio ex hoc dumtaxat aliqua poterat oriri, quod febri quartanæ, duodeviginti, aut amplius, menſes duranti, ſucceſſerat morbus. In admirando quoque illo caſu quem legeris apud Præſtantiſſimum Fantonum (*g*), quis in abſceſſu, ad umbilicum aperto, latere ſplenem, dixiſſet? Vix leviſſima conjectura duci poterat ab atrociſſimis doloribus de quibus maximæ infra ſiniſtrum hypochondrium queſta ægra fuerat. Splen tamen ad umbilicum prociderat, unde & tunc extractus fuit, & poſtquam fuerat anno quinto muliere mortua, quæ interea conceperat, & pepererat, ne quis dubitaret, extractum eſſe, nullus in cadavere eſt uſquam repertus; *cicatrices tantum in proximis partibus apparuerunt, quibus ille naturaliter adhærere ſolet*.

11. Quoniam autem in ſiniſtro hypochondrio aliud præter lienem eſt viſcus; hujus quoque tumentis ſingularem hiſtoriam mox indicabo; ſi prius de liene oſſeo, aut lapideo facto; de hoc enim alias (*h*) ad te recordaberis me ſcripſiſſe; illud adjecero quod in Sene, propter cranii obliquam formam Epiſtola LXII. (*i*) commemorato, animadverti. Splenicæ membranæ pars, quantam circulus diametro gemini tranſverſi digiti operire potuiſſet, oſſea facta eſſe videbatur, eique arctius viſceris ſubſtantia adhærebat. Partem hanc membranæ cum detraxiſſem, & dies aliquot in aqua maceraſſem, adhærentemque lienis ſubſtantiam abraſiſſem; nihil ſupereſſe aliud in membrana, vidi, quam tenuem & hic illic deficientem ex manifeſta materia tartarea incruſtationem. Itaque non me pœnituit tartareæ quoque materiæ locum in illa XXXVI. Epiſtola reliquiſſe, ut neque ex convexa lienis facie indurationem fere incipere, dixiſſe, indeque alio ſe extendere. Nam proximam induratæ parti membranam cum detraherem, non ipſam quidem ita duram, ſed rigidam tamen jam factam ſenſi, & hæc omnia in ea ſplenis facie vidi quæ diaphragma contingebat. Id autem num recte conjecerim alternæ hujus muſculi compreſſioni poſſe tribui, nonnunquam poſtea dubitavi, cum faciem illam jecinoris quæ eidem eſt compreſſioni obnoxia, non eandem, niſi forte rariſſime, indurationem contrahere, animadverti. Nunc ſingularem illam ventriculi Obſervationem jugiter, nec ſine moleſtia, tumentis ex Cel. Viro Lieutaudio (*k*) indicabo. De moleſto in regione ventriculi, quæ ſemper elatior erat, ſenſu plenitudinis, aut ponderis æger cacheсticus primum, deinde hydropicus querebatur, & de quibuſdam circa eam regionem minime acutis doloribus. Libera erat deglutitio, ſed adſtricta alvus, ut non niſi datis quæ cierent, reſponderet unquam, imo vel tunc leviter. Vomendi erat cupiditas: vomitum autem neque natura, neque ars movere poterant: & quanquam de alimentis minimum toto hujus morbi tempore, ultimo autem nihil propemodum ſumebatur, non ille tamen plenitudinis, aut ponderis ſenſus decreſcebat. Poſt obitum denique ſupra modum extenſus, & plenus ventriculus inventus eſt, inteſtina autem omnia, quamvis ita anguſta, ut univerſa molem ventriculi non ſuperarent, erant haud ſecus ac pylorus, omnino pervia; ut proclive fuerit ex his quæ in mortuo, & ex iis quæ in vivo obſervata fuerant, exiſtimare ad paralyſim ventriculi quandam morbum eſſe referendum. Et quoniam de Ventris Tumoribus verba facimus, non reticebimus, ſi diutius is æger vixiſſet, facile tumorem alterius generis in eodem ventris latere fuiſſe appariturum. Acerbiſſimi enim doloris, qui diebus ante mortem quindecim ibi ortus fuerat, cauſa in ſanguine reperta eſt inter Obliquos abdominis ſiniſtros muſculos ad duas libras effuſo. Sed neque dexterum hypochondrium ſine labe fuit. Jecur enim plures ſolidiſſimos continebat lapides, quorum aliqui ſupra ejus viſceris ſuperficiem maniſeſtiſſime prominebant, accedebantque ad avellanæ magnitudinem.

12. Quibus de Calculis facile biliariis cum plurima ad te alias (*l*) ſcripſerim, nec ſolum de hepaticis, verum etiam, idque præſertim, de cyſticis; perpauca reſtant quæ nunc addam, & primum quidem ex Epiſtola, quæ forte nuper in manus rediit, miſſa ante multos annos ab non ignobili Medico, qui meus olim perattentus Auditor fuerat. Sic autem ſcribebat quæ ipſe tum viderat.

13. SENEX qui ad annum uſque ſexageſimum ſextum ſine ullo notabili morbo pervenerat, gravibus ad ventriculum cruciatibus correptus eſt cum bilioſo, & copioſo vomitu, alvi adſtrictione, & febri non valde acuta. Medicus oleo dato ex dulcibus amygdalis recens expreſſo, alioque aliquo remedio ejuſmodi, morbum levavit, ſed non ſuſtulit, doloribus identidem redeuntibus; donec duabus magneſiæ drachmis in uſum tractis viſus ſibi æger eſt perſanatus. Sed, contra Medici conſilium, cum ad priores curas, ciboſque inſalubres reverſus eſſet; dolores quoque reverſi ſunt; cito autem abacti magneſiæ uſu. Progreſſu interea dierum Medico diſplicuit, pulſum parvum eſſe factum, nec ſine aliqua intermiſſione, appetitum ciborum decreſcere, ſed præcipue aliquot interjectis diebus per alvum nigerrima reddi, atram Antiquorum bilem referentia. Denique cum graviſſimum ingruiſſet deliquium, & mox deſiiſſet, ſubdelirare æger cœpit, & de acerbiſſimo capitis dolore queri. Itaque poſt dies ſeptem per hæc exactos, non ſine pulſus intermiſſione, & magna virium infirmitate, ſexto circiter menſe a morbi initio, deceſſit.

ABDOMINE inciſo, & diducto, nihil

(*c*) Progr. de hoc Tumore. (*d*) Diſſert. de Scirrhis Viſcer. (*e*) A. 1753. Obſ. Anat. 5. (*f*) Epiſt. 36. n. 18. (*g*) De Obſ Med. & Anat. Epiſt. 1. & 6. (*h*) Epiſt. 36. n. 14. & ſeqq. (*i*) n. 16. (*k*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1752. (*l*) Epiſt. 37.

hil vitii in ventriculo repertum eſt, neque in hepate, niſi quod paulo erat pallidius, quam ſolet. Sed ejus veſicula, triplo propemodum naturali major, nigerrimam bilem continebat, vel potius amurcam, in qua calculi erant octo alia alius figura, omnes autem rara magnitudine: præter quos in ipſis veſiculæ parietibus alii conſpecti ſunt ad decem, milii granis haud majores.

14. Minimi hi calculi in cyſtis parietibus animadverſi, ad eos facile attinebant quos tibi alias (*m*) in illius glandulis, aut certe inter ejus tunicas memoravi. Fortaſſe autem paulo iis majores per Cyſticum, & Communem ductus exitum molientes, at ob parvitatem minime in alvi fæcibus animadverſi, cruciatus illos ventriculi, & vomitus ciebant; cum maximi illi octo in veſicula ob magnitudinem quieſcentes, nullum ſui indicium darent ne ponderis quidem ſenſu; an quod iis quæ paulatim augentur, aſſueſcamus? Vides hic quoque nullam de ictero mentionem fieri. Certe autem Vir Nobiliſſimus pro quo non ita pridem per litteras conſultus ſum, vix poſtquam diu noctes omnes inſomnes duxerat ob graviſſimum ad regionem pylori corripientem dolorem, & perpetuos vomendi conatus, vix, inquam, ictericus tandem per intervalla fieri cœpit. Morbi tamen cauſam oſtendit ſanatio; dolore enim a ventriculo paulatim umbilicum verſus, indeque ad pubis regionem deſcendente, ubi aliquot ſubſtitit dies, denique corporibus dejectis duobus non parvis, ad cubi figuram accedentibus, cruciatus omnis tum ventriculi, tum jecinoris; nam & hoc dolebat; tum inteſtinorum ſolutus eſt. Erant ea corpora ſubflava, ex ſtratis compoſita, nucleum complectentibus, & flammam concipientibus, ut ſpectatis omnibus, cyſticos eſſe calculos, non dubitares. Vide autem, quantum in eodem morbo variis in corporibus diſcrimen ſit, Fr. Slare (*n*) nobilem fœminam, hepaticis doloribus valde cruciatam, animadvertit *ſtatim* atque duos cyſticos calculos repetitis vicibus in Duodenum inteſtinum ejecerat, maximum ſenſiſſe levamen, illos autem *vix per aliquot horas* in tota inteſtinorum via perſtitiſſe, cum ipſi quoque non eſſent parvi; alter enim ambitum craſſioris ſuperabat digiti, alter autem erat tenuior, nec tamen multo. De ejuſdemmodi autem calculis illa quoque tibi legenda ſunt quæ Præſtantiſſimus ſcripſit Ellerus (*o*), cujus explicationem præſertim naturæ, & originis ejus lapidis qui per abſceſſum hypochondrii dexteri cum pure exierat, facile comprobabis tribus illis conſimilibus quæ tibi Epiſtola XXXVII. (*p*) protuli, exemplis. Simul cognoſces quæ Experientiſſimus idem Vir de renalium quoque calculorum origine eadem occaſione proponit, & lapidis etiam quem inter veſicæ urinariæ tunicas abditum conſpexit.

Ad alia autem Renum vitia attinent tum eorum hydrops, ſive a ſero flavo diſtentio, tum ſubſtantia ipſorum maximam partem deleta, tum indurata Adipoſa eorundem membrana, itemque in Aſcitica renum alter duplo major, alter juſto minor cum uretere, vaſiſque ſanguiferis valde contractis. Quas Cl. Bohemeri Obſervationes in eodem libro relatas invenies in quo alias, a me tibi ſupra (*q*) indicatas. Quod ſi eum librum verſans, in locum forte incideris ubi *Morgagnus* dicitur *nuper operam dediſſe, ut ſententiam de viis urinæ ex ventriculo ad veſicam novis argumentis confirmaret*; noli mirari qui ſcias in contraria huic ſententia me ſemper fuiſſe, & adhuc eſſe; ſed id nimiæ tribue erga me typographorum liberalitati qui alteram litterulam *g* addentes, non ſemel quæ ad alium omnino ſpectabant, mihi donare voluerunt.

15. Quæ de calculis paulo ante interjecta ſunt, & ipſa quidem ad Morbos attinent Ventris; ſed non modo ad iſtos, verum etiam ad ſuſceptum de Tumoribus ejuſdem ſermonem, cujus tibi obliti forte videbamur ea ſpectant quæ noviſſime ex Bohemero indicavimus de renum hydrope, & de Aſcite. Ad nonnulla autem quæ de Tympanitide agentes, attigimus, illuſtranda facere poterit Programma ab Hambergero editum *de ruptura inteſtini Duodeni*, quam breviſſimus quidem, ſed ingens, lethaliſque tympaniticus tumor eſt conſecutus. Fac igitur perlegas. Nos enim tum eorum memores quæ de cæteris Ventris Tumoribus & multa, & varia ad te ſcripſimus, tum de alio hydrope non pauciſſima ſcribenda mox eſſe, cogitantes, non omnibus in quæ incidimus, immorari nunc poſſumus. Quamobrem haud alia, quod ad Meſenterium ſpectat, hic indicabimus, niſi ut ex Cl. Viris Henrico Henrici (*r*), & Joanne Fantono (*ſ*) excerpas quæ tunc nos fugerunt Obſervationes, Sepulchreto adjungendas. Hic enim magnum meſenterii tumorem, ille vero non paucos ejuſdem abſceſſus propoſuit. Et hæ quidem Obſervationes utiles ſunt; illæ autem utiliores in quibus mutata viſcerum ſedes Medicum poteſt decipere. Itaque totidem adjiciemus quas cum præclara illa Valſalvæ (*t*) conjungas, ventriculi e ſua ſede prolapſi, ibique tumorem efficientis ubi ventriculus ſecundum naturam eſſe non ſolet. Altera ea ipſa eſt quam ſupra (*u*) ex parte memoravimus, Cl. Langguthi: ut ſcirrhoſus enim tunicarum quæ pylorum cingebant, tumor immani craſſitudine hunc arctaverat, ita & pondere ventriculum omnino loco moverat, ut orificium ſuperius a diaphragmate ad maximam palmæ latitudinem diſtaret, fundus autem intra umbilicum in regionem hypogaſtricam protenderetur, & loco, ac mobilitate innatum omento magnum tumorem in vivente mentiretur. Altera autem Obſervatio eſt Cl. Schlenckeri (*x*), qui ventriculum vidit *pyloro ad os pubis uſque perpendiculari linea pertingentem*. Cujus prolapſus ſatis apta cauſa ex reliqua hiſtoria non apparet; præcipuum enim vitium propter quod tunc ſcripſit, inter ventris cætera viſcera in ovario ſiniſtro fuit *lapideo*, *magno*, *ponderoſo*, & omnino digno quod tot aliis accenſeas, a nobis alias (*y*) memoratis, Ovariorum Tumoribus. Quos inter deeſſe tamen credimus nonnullos ab laudato Fantono (*z*) propoſitos, ut cum ovarium ſiniſtrum decies erat naturali majus, & ſcirrhoſum, aut cum dexterum intus cavum, albicantem & durum globum ex materia ſebacea, ovo columbino ſimilem, continebat, aut denique cum, veſicæ inſtar, ambo turgebant ſero ſubflavo.

16. Etſi vero nullius generis tumorum muliebrium teſtium plura quam hujus tertii, exempla commemoravi ubi de *Saccato* hydrope ad te ſcribens (*a*), illuc denique perveni, ut quærerem, num, & quomodo peritonæi, uteri tubæ, aliique ejuſmodi hydropes ab ovarii hydrope internoſci poſſent; quædam tamen generis ejuſdem Obſervationes ſuperſunt, quas haud inutile cenſeo hic tibi preſſe quidem, ſed ita indicare, ut facile queas cum prioribus illis, & cum iis quæ tum dixi, conferre, & quod melius tibi videatur tum de cognoſcendis, tum de curandis ejuſcemodi morbis conſtituere. Ut a vetuſtioribus incipientes, ad recentiora veniamus; editum fuit A. 1671. a Ludovico Salzmanno (*b*) exemplum fœminæ cui poſt diuturnam menſtrui ſanguinis ſuppreſſionem, abdomen ſenſim a ſiniſtro hypogaſtrio ſiniſtrum verſus hypochondrium attollebatur, abſentibus aſcitis indiciis, & facie ſic ſatis colorata. Verum ex quo non ſine impetu in terram cecidit, brevi aſcitis indicia cum magno totius abdominis tumore

(*m*) Ibid. n. 21. & 29. (*n*) in Epiſt. edita a Sigiſm. Koenig in ſuo Lithogen. hum. Specim.
(*o*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. de Berlin A. 1755. (*p*) n. 52. (*q*) n. 6. (*r*) Diſſert. de Abſceſſ. Meſenter.
(*ſ*) De Obſ. Med. & Anat. Epiſt. 8. n. 9. (*t*) Epiſt. 39. n. 14. (*u*) n. 1.
(*x*) Diſſert. de ſingulari Ovar. ſin. morbo. (*y*) Epiſt. 38. n. 54. & ſeqq. & Epiſt. 39. n. 37. & ſeqq.
(*z*) Epiſt. cit. 8. n. 13. & 16. (*a*) Epiſt. indicatis 38. & 39.
(*b*) De Abſceſſu interno miræ magnitud. &c.

more, & paulo poſt mors acceſſere. In Ventre præter aquam, & pus ea copia quæ tantæ diſtentioni conveniebat, ingens tumor viſcera operiens inventus eſt, plurimas continens cyſtes alia alias magnitudine, aliaque ſingulas fere materia plenas. Tumoris autem communis tunica etſi contiguis partibus undique per membranas nectebatur, ſanuſque erat uterus; tamen cum tumor, ut in vivente inceperat, ita in mortua dicatur peculiariter *ſub inguine ſiniſtro* fuiſſe conſpectus; non a veri ſimilitudine procul abibis, ſi e ſiniſtro ovario ortum exiſtimabis: quanquam fortaſſe ad Saccatos alios, & aliunde natos hydropes referre males. Qualis certe erat is quem non ita pridem legi inter Obſervationes Medicas (*c*) Cl. Weſzpremi in viri cadavere qui per biennium pro aſcitico habitus, graveolentem humorem in quo magnæ hydatides natabant, concluſum oſtendit intra immanem quaſi veſicam, cujus erat collum inter veſicam veram, & Rectum inteſtinum implantatum, cum pars reliqua per celluloſum tantummodo contextum vicinis partibus annecteretur: & qualem, niſi quod nullæ in aqua limpida continebantur hydatides, fuiſſe, nunc video ex hiſtoria a Cl. Steubio (*d*) accuratius deſcripta, hydropem illum in quo alias (*e*) merito hæſeram, nempe Virginis cujus venter per decennium tumidus, etſi a ſiniſtris eminebat magis, neque aſcitis notas, imo colorem faciei floridum conjunctum habebat; tamen cum temere & aſciticus crederetur, & ferro propterea pertunderetur, & nimia ſtatim aquæ copia exhauriretur, ſicque citam afferret mortem, magnum tamen diſſecantibus obtulit membraneum ſaccum in quo aqua fuerat, nullis aliis annexum partibus, quam lieni, & reni ſiniſtro, quibuſcum & vaſa communia habebat, ita firmiter cohærebat. Ut tibi igitur alias ovariorum hydropis de quo dubitare non poſſis, Obſervationes indicemus; ad eos qui ſuas poſt Ludovicum Salzmannum vulgarunt, ſicuti promiſimus, veniamus. Abr. Vaterus (*f*) fœminam propoſuit, quæ non ut duæ, de quibus paulo ante dictum eſt, aliæque, & in iis Vidua, de qua mox dicetur, anno morbi primo in falſa graviditatis ſuſpicione apud Medicos fuerunt, quæ res quanto longius curationem differt, tanto reddit difficiliorem, non, inquam, ejuſmodi ſuſpicione aſpergi potuit, cum ex viro ſuo, non alii modo, ſed & ipſa gravidam ſe crederet, jamque mammis humore, lactis non diſſimili turgentibus, notos ibi ex quo gemellos, perquam difficili partu editos, utero geſſerat, infantis motus vel manu admota ſe percipere, confirmaret. quos motus poſt graviorem lapſum cum amplius non ſentiret, mortuum eſſe fœtum quoad vixit; vixit autem tres annos cum dimidio; non dubitabat, tumore ventris duriore quidem, ſed primum non adeo ponderoſo, permanente, deinde vero mirum in modum aucto, & moleſto. Huic igitur cum maxima fœtidiſſimæ aquæ copia prægrandis tumor inerat, non ad uterum, quem in vaginam ſuo pondere detruſerat, ſed omnino ad dexterum ovarium attinens, quod in rotundas capſulas totum abierat, viſcido, ac purulento liquore oppletas. Sed longiſſime tumorem hunc tumor ſuperat in Cl. Nicolai Willi Diſſertatione (*g*) legendus. Cum enim in Vidua ſenſim tumere cœpiſſet abdomen, viribus interea, & appetitu integris, corporis habitu non cachectico, & lotio ſecundum naturam fluente, quinque annorum ſpatio majorem in molem accrevit, inæqualem tamen; nam a dextris magis prominebat; neque cum in lecto de latere in latus converteretur, ullum fluctuationis ſenſum faciebat. Quin cum intra annos aliquot ſic eſſet auctum, ut in perpetuo corporis paulo altiore decubitu ad ſpithamæ longitudinem infra genua, procerioris alioquin mulieris, propenderet, nec pedes erant tumidi, nec facies multum decolor, nec appetitus dejectus, nec ſitis, niſi matutinis horis, & vel tunc levis, nec febrilis pulſus; ſomnus autem pacatus. Sed morbo dein ad duodecimum uſque annum perſiſtente, abdomine autem magis tumente, pleraque horum mutata ſunt tandem, & quamvis e tumefactis, eroſiſque pedibus magna aquæ vis diſtillaret, ventre tamen non detumeſcente, illiſque gangræna correptis, mors ingruit. Nihil aquæ in ventre, in thorace, in pericardio inventum eſt; immani ejus copia intra membraneum ſaccum omnino concluſa. Cujus ſacci duplex erat tunica, & exterior alba, craſſa, fibriſque tenacibus compacta, cavum unum, origo una; ovarium enim dexterum in tam miram amplitudinem excreverat, vaſis Spermaticis quæ ad ipſum pertinebant, duodecuplo quam ſolent, craſſioribus.

17. In eadem quoque Diſſertatione (*h*) collectas invenies notas, per quas hydrops hic cognoſci, & ab aliis, uteri præſertim, diſtingui poſſe creditur, tum etiam (*i*) quam varius variis in corporibus reperiatur. Quæ omnia cum productis alias, aut nunc a me exemplis ſi conferas; quid crebrius, quid rarius tum in viventibus, tum in mortuis occurrat, perſpicies quidem: ſed non propterea, ſi me audis, quidquam pro certo in diagnoſi affirmare audebis, multo autem minus de efficaci, præſertim chirurgica, curatione promittere. Quidquid enim ſcribant nonnulli; Eruditus Diſſertationis Auctor ipſe quoque diſerte fatetur (*k*), *nullum medentium hactenus gloriari potuiſſe, ſe in hydrope hoc ovarii multa pollicitum fidem adimpleviſſe*: & quamvis ubi de paracenteſi tentanda loquitur (*l*), hujus neque locum, neque modum, nec rationem præcipue omittat curandi, ut tumoris parietes inter ſe coaleſcant; tamen primum omnium monet Medicum, & Chirurgum, ne *dubium* ejus curationis *eventum prædicere* omittant. Urget enim, & inculcat (*m*) illud in primis, ſigna adhuc deſiderari per quæ priuſquam ea ſuſcipiatur, ſcire liceat, ſitne aqua intra unum cavum collecta, an diſperſa in plura. Vides autem, vel quod venerat nobis in mentem (*n*), ex aquæ fluctuatione tunc ſenſibili, nunc vero nulla id diſcrimen conjicere, perlecta Viduæ noviſſime propoſitæ hiſtoria eſſe procul dubio abjiciendum. Cæteras mitto ſatis animadverſas, & tibi alio loco a me expoſitas difficultates: quibus potius nunc velim addas quæ ex Obſervationibus eliciuntur Virorum Cl. Georgii Chriſt. Brehmii (*o*), & Stephani Weſzpremi (*p*), quarum neutram antea memoravi, quoniam hæc eſt ſine morbi ſignis, illa cum plurium Partium morbis eſt complicata. Quid enim Chirurgus ageret, ſi, ut ſecundus, magnum in ſaccum incideret, cum fœtido humore non parvam concretionem oſſeam continentem, quem ad ovarium ſiniſtrum attinuiſſe, quidam quaſi funiculus oſtendebat cum hoc colligans, majori ex parte una cum proxima tuba, & ligamentis uteri putrefacto, & lacerato; ut pronum eſſet intelligere, unde orta eſſet Virginis illius aſcites: aut quid ageret, ſi, poſt non pauca Saccati hydropis indicia, ferro profundius in molliſſimam tumoris partem adacto, pauca glutinoſa aqua, hydatides autem plurimæ exirent: quæ poſt mortem a Brehmio inventæ ſunt numero prope incredibili, cum craſſiſſima ſcirrhoſa carne ſingula quidem ovaria in *magnitudinem duorum pugnorum* extendentes, ſed & ventris pene omnia viſcera, & diaphragma quoque obſidentes.

18. Igitur Saccati hydropis non alia prudentius curatio laudari poſſe videtur, quam probata alias (*q*) a nobis palliativa. Sic enim ſæpius, & paucioribus quidem, levioribuſque cum incommodis vivere diutius, multoſque ad annos potuerunt ægrotantes; quin etiam caſu, & natura opitulante, nonnunquam ſanari. Vide ſis quid acciderit Virgini, cujus

(*c*) Obſ. 11. Caſ. 1. (*d*) Diſſert. de infelici hydr. ſaccati curat. (*e*) Epiſt. 38. n. 63. in fin.
(*f*) Diſſert. inſcripta Graviditas Apparens. (*g*) Diſſert. inſcripta Stupendus Abdom. Tumor n. 5. (*h*) n. 9. (*i*) n. 10.
(*k*) n. 16. (*l*) n. 18. (*m*) Ibid. & n. 16. (*n*) Epiſt. 38. n. 64. in fin. (*o*) Diſſert. de Hydatidib.
(*p*) Obſ. Med. 1. (*q*) Epiſt. 38. n. 71.

cujus hiſtoriam accurate ſcriptam diligentiæ Villi (*r*) debemus. Cum enim quatuordecim annos tantam ventris molem pertuliſſet, ut intra octo annos primos pondus corporis duplo majus ad lancem eſſet, quam antequam morbus inciperet annum videlicet agenti vigeſimum ſecundum, tandem in ventrem prolapſa, crepitu intus percepto quaſi tympani diſrupti in regione ſiniſtra epigaſtrica (quæ res, & initium tumoris ex latere eodem pelvis, & ſigna etiam quædam, ejuſmodi hydropes de quibus hic loquimur, comitantia, ad horum aliquem hunc facile referendum eſſe, indicabant) tantam limpidæ, & inodoræ aquæ per intervalla mingere copiam cœpit, ut intra novem dies ventris tumor evanuerit, nec longo poſt tempore ſic convaluerit, ut annos jam quinque, cum hiſtoria edita eſt, valetudine ſatis proſpera uteretur. Antea vero a Cl. Chriſtoph. Erneſto Cono (*ſ*) edita Obſervatio fuerat Matronæ, quæ, primum gravidam ſe eſſe, credens, quinquennium exegerat ventre tumido, ſed florido faciei colore, appetitu integro, ſomno tranquillo, reſpiratione ſatis libera, nullo pedum tumore, urina non imminuta, deinde vero tumentibus pedibus, ventre autem adeo diſtento, ut mox dicetur, cum ſeptem jam annos perſtaret morbus, ipſa prolabens, ad ſiliceum ſtratum graviſſime abdomen alliſit. Mox autem idem ipſi, quod Virgini, accidit, ut ejuſdem generis urinam ea copia ſubinde excerneret, quanta, largo etiam ſpontaneo ſudore adjuvante, ad inaniendum ventrem ſatis fuit, qui ſic rugoſus, ac plane collapſus, ultra genua extendebatur: itaque biennium ſana vixit, donec epidemica dyſenteria extincta eſt. His duabus igitur fortuitus lapſus tam felix fuit, quam totidem infelix de quibus ſupra (*t*) dictum eſt. Et ne forte ſuſpiceris, Virgini huic, & Matronæ ideo aquam profluxiſſe, quod non ventris, ſed uteri cavo includeretur, ut in quibuſdam a Cunrado (*u*) memoratis, quarum felix pariter lapſus fuit; pro certo habe, duabus de quibus dicebamus, aquam ex utero non effluxiſſe, ut pote quæ non præter voluntatem reddebant, imo pro arbitrio poterant cohibere.

19. De eo autem quem modo dicebam Uteri, aut de hujus Tubæ Hydrope ſane perpauca ſunt quæ indicem Sepulchreto adjicienda. Nempe hydropis tubæ exemplum unum quidem, & a me tibi alias (*x*), ſed nimis preſſe, cum liber deeſſet, memoratum, nec vulgare profecto exemplum, quippe tubæ libras aquæ centum circiter, & quinquaginta continentis in muliere quam, primum gravidam, deinde aſciticam putatam, diſſecuit Abr. Cyprianus (*y*), qui curandam ſuſcipere noluerat, & ſapienter quidem; nam præter aquam, intra tubam multos oſtendiſſet *tumores carcinomatoſos*. Hydropici autem Uteri exemplum a Brehmio (*z*) habebis in Matrona quæ, cum a Medicis plurimis Saccato hydrope laborare jam per biennium crederetur, ſumpto medicamento emmenagogo ſaccos ex utero edidit ſeptem, quorum uno quidem ſceletum fœtus continebatur, reliquis autem ſerum graviſſime olens; ut hydropem ab infelici graviditate ortum eſſe, intelligeres, intra ſaccos tamen concluſum. In hiſtoria autem quæ apud Cunradum (*a*) legitur, uno ingenti utre comprehenſam vim aquæ immanem reperies in muliere quæ præter ponderis ſenſum, nulla alia de re querebatur, pedibus non tumidis, & ſine ullo, dum corpus moveret, fluctuantis aquæ ſenſu, &, quod maxime omnes mirabantur, per ſexennium circiter; tot enim annos tumorem geſſerat; non ſolum non erat emaciata, ſed neque menſtruis, rite provenientibus, purgationibus unquam caruerat. Quæ res, & ipſa diſſectio dubium facere te poteſt, an uter ille pro utero fuerit habendus; plurimi enim ex iis qui ſectioni intererant, corpus aliud potius quod uterum referebat, ejuſque ſedem obrinebat; indeque tumor pugni magnitudine primum inceperat; revera uterum fuiſſe, ſuſpicabantur. Sed quoniam id ipſum corpus & ſcirrhoſum, & aliis vitiis depravatum erat, neque cum vagina, ſub ipſo prorſus occluſa, communicabat; communicabant autem ſanguifera vaſa, per utrem illum repentia; tu cum omnia perlegeris, attenteque perpenderis, an ſaltem pro uteri diſtenta parte uter ille ſit accipiendus, conjicies, intereaque ex Diſſertatione eadem (*b*) notas conſiderabis, per quas uteri hydrops poſſe dicitur ab aliis ſive hydropis ſpeciebus, ſive uteri ipſius morbis, ut ſcirrho, & Cancro, internoſci.

20. Quod ad hos ultimos attinet, meis duabus alias (*c*) propoſitis, Obſervationibus totidem poteris adjungere ex Cl. Viris Kieslingio (*d*) & Roederero (*e*), & cum ea quoque ovariorum, tubarumque, & urinariæ veſicæ conſtitutione, quæ a me, & quæ ab illorum utroque, aut altero tunc ſimul inventa eſt, comparare. Hic enim de Utero, & Veſica, cæteriſque Urinariis, & Genitalibus Partibus a me alia non adduntur, quippe de ipſarum morbis plura inſequentibus Epiſtolis ſcripturo. Vale.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LXVI.

Ad Urinariæ Veſicæ Morbos potiſſimum ſpectat.

DE Morbis qui ad Urinarias, & qui ad Genitales Partes attinent, ut ſuperiore Epiſtola pollicitus ſum, ſcripturus, primum Obſervationem afferam ad utroſque ſpectantem, deinde alia quæ ad illos, alia quæ ad hos ſingillatim pertinent, tecum hiſce, & proximis Litteris eadem qua ſolitus ſum, ratione communicabo.

2. A N I C U L A, quæ doloribus ad infimam ventris partem, inter mingendum præſertim, ſeptem jam menſes laboraverat, primis quidem menſibus in Noſocomio fuerat. Unde domum reverſa, noviſſime eodem rediit, cruciatibus illis acerbiſſimis ſævientibus, & urina, quotieſcunque reddebatur, multum pus deponente. Convulſionibus denique prehenſa, deceſſit prope finem A. 1757.

E X C A D A V E R E quod non niſi aliquot a morte diebus inſpicere poteram, cum ſtatim inteſtina ſaltem detrahi juſſiſſem; præſens tandem omnia quæ urinæ, & generationis cauſa creata ſunt, organa, tum depoſita, perluſtravi. Inter ovaria alba, ſcirrhoſa, parva, parvus quoque uterus fuit, intus, extraque ſic ſatis ſanus, niſi quod exterius in fundi tergo habuit rotundam quaſi papulam, ſubalbo pure plenam. Sed vagina, e cujus orificio fœdiſſima prodibat materia, itemque veſica diſſectis, univerſa utriuſque interior facies apparuit quaſi exeſa, cinereoque, craſſo, fœtidiſſimo pure operta, quod ſi cultri manubrio auferre velles, ſequebatur ſimul exeſæ utriuſque illarum ſubſtantia; ut manifeſtum eſſet, ambas teterrimo carcinomate laboraſſe. Puris autem

(*r*) Diſſert. ad n. 16. ſupra cit. n. 6. (*ſ*) Diſſert. inſcripta Caſus Hydropicæ lapſu ſanatæ. (*t*) n. 16.
(*u*) Diſſert. de Hydr. Uteri c. 4. §. 3. (*x*) Epiſt. 38. n. 66. (*y*) Epiſt. hiſt. exhib. fœtus hum. poſt 21. menſes &c.
(*z*) Diſſert. ſupra ad n. 17. cit. §. 2. (*a*) Diſſert. ſupra ad n. 18. cit. c. 1. § 14. (*b*) c. 3. §. 3.
(*c*) Epiſt. 38. n. 34 & Epiſt. 39. n. 33. (*d*) Diſſert. quæ inſcribitur Uterus poſt part. inflamm. §. 11.
(*e*) Diſſert. de Uteri Scirrho n. 18.

tem tantum fuerat, ut veſica, quæ antequam incideretur, lotio ſemiplena viſa erat, ſic a pure, quod continebat, apparuerit. Cæterum cum uterque ureter, & præſertim dexter, latior eſſet, nihil vitii in perſectis renibus potui deprehendere.

3. Hiſtoriam hanc protuli, ut cum aliis conferas, quas alias (*a*) indicavi, in quibus & mea (*b*) eſt, diſſimilis in quibuſdam, ſed in eo ſimilis quod gravis morbus ſimul genitalia, & urinaria inſtrumenta occupaverat. Nunc alia, ad hæc ſecunda ſingillatim pertinentia, adſcribemus.

4. Et primum cum eam Epiſtolam releges in qua de Urinæ Difficultate a calculis præſertim verba facientes, de aquis attigimus quædam ad eos gignendos, aut præcavendos magis idoneis (*c*), adjungas velim experimenta, quæ multa, & diligenter in patriis, alieniſque aquis examinandis habuit is quem mœrenti Bononiæ ſuæ mors immatura eripuit nuper, Vincentius Menghinus (*d*). Deprehendit enim vel inter puteales, quaſdam quæ non modo calculos non augeant, ſed & imminuant, aliquoſque plane diſſolvant. Eædemque a calculoſis aliquot epotæ, & ad vina, & jus conficiendum in uſum tractæ, vires iſtas felici eventu comprobarunt. Cum acu autem illa per virilem urethram intra veſicam traducta, & ſibi increſcente calculo adaucta, ſicuti eadem propoſui Epiſtola (*e*), conferre poteris triticeam quoque ſpicam (nam de hordeacea (*f*) ibidem legiſti) quam vir alter (*g*) cum ruri olim eſſet, ibique arenarum mictu valde cruciaretur, candelæ tenuis loco in urethram immiſerat, retrahere autem ob repugnantes, non ſine acerbiſſimo videlicet dolore, ariſtarum aculeos non potuerat, ideoque intra illam reliquerat, lithotomus denique ex ipſa veſica extraxit racemi inſtar quem petroſa materia incruſtaſſet. Cum hæc contuleris; ea quoque conferes, quæ tum adnotavi, ut magnum, quod inter meam eſſet, & aliorum ejuſmodi Obſervationes, diſcrimen pateret.

5. De obice autem qui urinæ egreſſui ab excreſcente Proſtata glandula opponitur, non iiſdem tantummodo Litteris, ſed & aliis, illiſque præſertim quæ eas proxime anteceſſerant (*h*), a me tibi ſcriptum eſſe, memineris. Nunc vero alia addenda ſunt. Quod enim ego tuberculum in ipſo urethræ initio nonnunquam deprehenderam, & pro excreſcentia Proſtatæ, ſaltem inchoata, habueram, id tuberculum noviſſime legi, ſine ulla dubitatione accipi pro naturali omnino, & omnibus communi particula, Uvulamque appellari a Cel. Anatomico, cujus nomen hic non ideo omitto, quod ejus ingenium, diligentiam, & cætera merita non tanti faciam, quanti debeo, & hæ ipſæ meæ non uno loco oſtendunt Epiſtolæ; ſed ut meam conſuetudinem ſervem, quotieſcumque ab Docto aliquo, & Spectato Viro qui vivat, & præſertim qui ex Cœtu illo Inclyto ſit ex quo ipſe eſt, cogor pro veri ſtudio diſſentire. Igitur ſi in omnibus ſua iſta Uvula eſt; utar enim, brevitatis cauſa, hic eo nomine; jure miratur, a me non eſſe conſpectam. Multo autem magis mirari ipſe hoc deberem, qui (*i*) cum ibi leviter extantem lineam quæ ad Seminalem deſcendit carunculam, imo in caruncula hac longe tenuiſſimam lineolam alteram, quæ videlicet conditi in ea Sinus orificium eſt, perviderim; corpus tanto extantius, & cum uvula comparandum, oculis aſſequi non potuiſſem: nec vero tunc ſolum cum lineolam carunculæ primum animadverti; ſed neque antea, neque poſtea cum eam urethræ partem, ſecundum naturam quidem ſe habentem, attente inſpectarem, id quod a me quoties ſit factum, non dico: hoc tantum dico, vel ante hujus initium ſæculi a me fieri cœpiſſe, quot autem in cadaveribus, Bononienſes, & Venetos Amicos ſcire; nam Patavii per hos annos quatuor & quadraginta in quot fecerim annis ſingulis ſive in Gymnaſio, ſive in Noſocomio, Studioſi omnes conſpexerunt. Quid ergo eſt? Non quod aliis contigit, in dubium voco. Sed quod mihi contigit, ingenue expono. In tanto enim inſpectionum mearum numero ut quam raro id viderim, plane intelligas, ſic habeto, quotcumque huc pertinent, ad eas perpaucas redire quas tibi jam ſcriptas alibi, hic tantummodo commemorabo, aut ſi nuſquam ſcribendi occaſionem habui, huc fideliter adſcribam. Vide igitur, ut in Sutore (*k*) uvulæ iſtius pyriforme inchoamentum offenderim; erat enim aliquanto major, quam ſubjecta Seminalis caruncula, cum in Aſcitico (*l*), itemque in Ruſtico (*m*) grandiorem, quippe æquantem mediocrem uvæ acinum, deprehenderim, paulo autem in eo majorem, cujus ob id unum protinus hic deſcribetur hiſtoria.

6. VIR ſexageſimo anno proximus, lacertoſus, procerus in Noſocomio ex ſuppurata thoracis inflammatione erat mortuus quinctodecimo morbi die. Ad me igitur qui ante Januarii finem A. 1755. in Gymnaſio Anatomen inchoaveram, nulla ex illo, niſi ventris, viſcera allata ſunt. In quibus præter naturam quæ eſſent, hæc ſolummodo animadverti.

IN VENTRICULO ex pylori annulo perparva exſtabat ſubrotunda excreſcentia, intus, extraque concolor eidem annulo, cujus ex ſubſtantia erat facta. In meſenterio raræ quidem erant glandulæ; ſed majores, quam pro ea ætate. Lien potius parvus, intuſque diffluens propemodum. Arteria Magna intus oſtendere incipiebat maculas albidas, in os poſtea abituras. Veſica demum urinaria cum eſſet immiſſo aere ſatis diſtenta, parva apparuit ſi cum hominis ſtatura, & ventris pleriſque viſceribus conferres. Attamen aperta, non viſa eſt habere tunicas valde craſſas, nec vitium aliud ullum, niſi quod ab orificii poſteriore parte intra illam exſtabat corpus parvi ceraſi figura, & magnitudine, quod per ſubjectæ urethræ initium quo magis deſcendebat, eo magis, magiſque ſe extenuabat ita ut ad Seminalem carunculam non perveniret. Læve erat exterius, ibique, & interius album, & evidenter adeo cum Proſtata glandula continuatum, cæteræque ejus ſubſtantiæ ſimile, ut ex ea excreviſſe, non dubitares.

7. Nunc ſi quartam hanc & tres quas antea (*n*) indicavi, meas excreſcentiæ hujus deſcriptiones cum ejus uvulæ de qua loquimur, deſcriptione comparaveris; proclive tibi erit perſpicere, eadem me vidiſſe, ſive parvum, ſive majus jam factum erat id corpuſculum. Cur ergo ſi in omnibus eſſet, in aliis innumeris propemodum, non vidiſſem, quorum eadem loca pari, ut ſoleo, attentione ad id uſque tempus inſpectaveram, ſatis aſſequi non poſſum. At enim, inquies fortaſſe, vide, ne memoria te fallat; ex tuis enim ſcriptis in nonnullis quoque aliis meminiſſe videor, te ad ea loca excreſcentias conſpexiſſe. Ego vero conſpexeram tum ad ea loca, tum in iis ipſis locis, ſed non ejuſmodi excreſcentias. Quam enim in Cortinio (*o*) deſcripſi, ad ea quidem loca, ſed ad latus erat, neque ex Proſtatæ, ſed ex veſicæ ſubſtantia. Quam vero duodecim poſt illam annis a me viſam in Sene quodam Epiſtola I. Anatomica (*p*) memoravi, ad urethræ quidem initium ita uti veſicæ orificium fere obturaret, inventa eſt, ſed carnea, inæqualis, flaccida, ſubrubra. Quæ autem in quodam repente mortuo (*q*) a me tibi deſcripta fuit, ea quidem & forma, & ſede, & ſubſtantia, & origine cum ea de qua hic agimus, omnino conveniebat; ſed hoc diſcrepabat, quod duplex erat; non una. Magis autem diſcrepabat duplex illa excre-

---

(*a*) Epiſt. 47. n. 26. (*b*) Epiſt. 39. n. 33. (*c*) Epiſt. 42. n. 17. (*d*) Comment. de Bonon. Sc. Inſt. Tom. 4. in Opuſc.
(*e*) n. 28. (*f*) n. 29. (*g*) Hiſt. de l' Acad. R. de Sc. A. 1753. Obſ. Anat. I.
(*h*) Epiſt 41. n. 17. & ſeqq. (*i*) Adverſ. Anat. I. n. 9. (*k*) Epiſt. 37. n. 30. in fin.
(*l*) Epiſt. 41. n. 18. (*m*) Epiſt. 43. n. 24. (*n*) n. 5. in fin.
(*o*) Epiſt. 42. n. 13. (*p*) n. 43. (*q*) Epiſt. 42. n. 11. in fin.

creſcentia quam in Muliere (*r*) a me deprehenſam legiſti, ut pote quæ non modo erat ex duabus non inter ſe, ut in illo, contiguis ſed ex duabus adeo ſejunctis, ut ſingulæ e ſingulis orificii lateribus intra veſicam prominerent, apicem digiti pollicis æquantes, eædemque erant inſuper abnormi figura; ambæ cæteroquin albæ, & ex circumjecto urethræ glandoſo corpore productæ, quod ipſum quoque album hic erat, & durum, & craſſius factum. Hoc enim corpus etſi ego non univerſe dixero muneribus Proſtatæ fungi; huic tamen in eorum quibuſdam reſpondere, non negabo. Quod addere volui, quoniam in mulieribus quoque uvulam iſtam, minus tamen, quam in viris prominentem, poni video; quanquam mihi nondum contigit, ut ejuſmodi ſive parvulam, ſive majorem excreſcentiam ibi in fœminis, ubi in maribus, invenirem. Et ne forte ſuſpiceris, ſi antea quam ſummam urethram toties in utroque ſexu perattente examinarem, ea quæ de iſta uvula noviſſime propoſita ſunt, legere potuiſſem, me ipſam facilius in viris, mulieribuſque ſuiſſe agniturum; omnes quas perbrevi hoc tempore ex quo ea legi, habere potui diſſectiones, quamvis nihil ferme præter quod ad propoſitum hoc attinet noſtrum, dignum contineant ut perſcribantur; tecum fideliter communicabo, & a fœmina initium ducam.

8. VETULÆ in hoc Noſocomio neſcio, quo morbo ſublatæ, urinariæ, & genitales Partes in Gymnaſium, ubi Anatomen docebam, allatæ ſunt paulo ante finem Januarii menſis anno hoc 1759.

IN GENITALIBUS quod præter naturam eſſet, nihil niſi unam, aut alteram ſubrotundam prominentiam adnotavi, utramque parvam, & in facie intima poſteriore uterini fundi nonnihil exſtantem, quales in eodem fundo majores, minoreſve a me tibi alias deſcriptas eſſe, memineris. Quod vero ad urinarias attinet Partes, in renem dexterum præter communem omnibus arteriam Emulgentem, alia, in nonnullis a me, ab aliiſque pluribus Anatomicis viſa, ferebatur ex trunco pariter arteriæ Magnæ. Sed hoc præter frequentiorem naturæ conſuetudinem; illud vero habuit ipſe Aortæ truncus præter naturam non modo ut quod in ſenioribus alioquin ſolet, non parvas intus oſtenderet albas maculas, futuri oſſis indicia, verum etiam ut anguſtior eſſet quam mulieri, non ita humilis ſtaturæ, conveniret. Sana veſica nullam ad imum prominentiam, nullamque pariter ad ſummum urethra, imo ne prominentiæ quidem veſtigium ullum habebant.

9. VIRI ſexagenarii, ut videbatur, cadaver eodem tempore, ibidemque conſecabatur. Quo de viro nihil aliud ſcivi, niſi olim priuſquam Patavii mendicaret, in triremibus fuiſſe, rixarum cauſa fortaſſe damnatum. Certe acceptorum vulnerum cicatrices plures in abdomine, proximiſque partibus apparebant. VENTRE, & Thorace diſſectis, nullum ex iis vulneribus in eorum cavum perveniſſe, præter unum compertum eſt, quod tamen in omento ſubſtiterat, quippe cujus particula, ſubjectis viſceribus illæſis, agglutinata hærebat intra ellypticam pertuſi olim peritonæi foveolam. Ventriculus ferme inanis, & tamen grandior, interius levem oſtendit phlogoſim, œſophagum verſus, Tenuia autem inteſtina colorem exterius e flavo fuſcum, cyſtica bilis flavum, ſed dilutum, & obſoletum. Jecinoris facies cava a dextris macula fœdabatur nigerrima, figura ad aream circuli quaſi accedente, cujus diameter tranſverſum digitum pollicem non ſuperaret. Cum ſubeſſe humoris quidpiam videretur; jecinoris tunicam qua operiebatur, incidi, & ſemiconcretum ſanguinem eſſe, cognovi, non valde profunda fovea comprehenſum. Interior facies Magnæ arteriæ particulas quidem habuit oſſeas; ſed disjectas, parvas, nec multas. Quas inter; ut de Thoracis quoque Partibus aliquid dicamus; major certe fuit quæ orificio ipſi erat impoſita in quod deſinebat apertus olim in fœtu canalis arterioſus. Cor magnum: venæ autem Coronariæ oſtium pro valvula nihil aliud habuit, quam tenue filamentum, ab ſuperiore oſtii ora ad inferiorem productum. Quod hic, ſicut alia etiam, retuli, ut intelligeres, meam vel parvarum rerum diligentem fuiſſe in hoc cadavere obſervationem. Quanto igitur diligentius a me quæſitam uvulam fuiſſe, putas, in veſicæ oſculo hujus, & alterius de quo mox indicabitur, Viri, ejuſque de qua paulo ante dictum eſt, Vetulæ; præſertim cum in hoc, jam aperta veſica, exſtare aliquid intra proximam urethræ partem necdum apertam videretur, ſubrotundum, & mediocriter prominens. Verum enimvero urethra porro inciſa, continuo apparuit, deceptum me eſſe, imo omnes qui aderant cum exercitatis Proſectoribus ſtudioſiores Adoleſcentes; has enim Obſervationes, ut fere ſoleo, publice habui. Quæcunque enim fuerit deceptionis cauſa; certe nulla omnino prominentia fuit, quæ toto illo ſpatio quod veſicam inter, & Seminalem carunculam intereſt, a nobis conſpici jam poſſet.

10. Quoniam autem veri diſcendi adeo cupidus ſum, ut quidquid novi de Corporis ſtructura audio, aut lego, perquirendum mihi exiſtimem vel in iis Partibus in quibus centies a me perluſtratis nihil ejuſmodi vidiſſe memini, eaſque Partes quaſi nunquam antea inſpexiſſem, ſolicite aveo iterum, iterumque, non ſine eorum qui me adjuvant, non obſcura admiratione, & fortaſſe tædio, inſpectare; per mihi gratum fuit per illos eoſdem dies occaſionem incidiſſe veſicam tertiam examinandi. Itaque petii, ut ejus Viri cujus ad te hiſtoriam ſcripſi extrema Epiſtola LXIV. (*ſ*) non ſolum thoracis viſcera, in quibus morbi erat ſedes, verum etiam urinæ inſervientia organa ad me afferrentur. Cum igitur veſica, & urethra apertæ ſatis mihi idoneæ viderentur, in quibus prominentiam iſtam attente quærerem; feci id quidem; ſed fruſtra feci; nulla enim prorſus reperta eſt. Quin etiam, cum deeſſent, abſoluta Anatome, humana cadavera; in cane non parvo inquirere placuit. Hunc in Gymnaſio, more Majorum, viventem ſecari juſſeram cum ob alia, tum inſuper ut appareret, num inter pericardium, & cor ſive in hujus ſyſtole, ſive in diaſtole interſtitium relinquatur nullum, ut non ita pridem legeram, ſed pericardium in viventibus, ſaniſque ſemper quidquid continet, exacte adeo complectatur, nihil ut vacui intra ejus cavum ſuperſit. Ut enim obvia, ita dubitationibus minus obnoxia ea mihi ratio ad id cognoſcendum viſa eſt, ſi canis thorace ſic aperto ut ſanguis non multus effunderetur, ſtatim, dum cor adhuc ſuos valide exercet motus, experiremur, an pericardii, necdum inciſi, membrana cor arcte adeo contingeret, ut nullo modo, aut certe non facile inter duos digitos apprehendi, attollique poſſet. Quod vero potuit multo facillime, non uno experiente, & conſpicientibus omnibus: in aliiſque poſtea canibus idem periculum eodem exitu factum eſſe, ſcio. In eo igitur cane poſtquam, id quod ſæpe alias feceram, an Seminales veſiculæ non deſint, ſed, ut nonnulli videntur credere, ſint minus conſpicuæ, fruſtra quæſiviſſem; fruſtra pariter iſtam uvulam perquiſivi. Aperta enim veſica, & urethra, ut nihil in prima eminere vidi, niſi duo illa teretia corpora quæ ab ureteribus deſcendentia, ad angulum denique inter ſe coibant, ſic ab eo angulo nihil ad carunculam uſque Seminalem prominere conſpexi, niſi lineam illam in quam ſe ea corpora producebant, multo ipſis tum anguſtiorem, tum humiliorem. Nihil, inquam, exſtare inveni, neque illud in veſica eſſe trigonum, ut video appellari, de quo in hominibus quid antea, nedum poſtea, obſervaverim, & quid de ipſo mihi ſentiendum videatur, deque aliis ejuſmodi rebus quo-

(*r*) Epiſt. 39. n. 33. (*ſ*) n. 19.

quoniam non eſt hic multa dicendi locus; ad uvulam de qua neceſſe habui hic loqui, confeſtim redeamus. Pro morboſa enim Proſtatæ excreſcentia non immerito a me eſſe acceptam, ex iis quæ in hominibus mihi aut plerumque non occurrerunt, aut nonnunquam occurrerunt, te intellexiſſe, non dubito.

11. Neque aliter ab aliis, & nominatim a Valſalva, & Pohlio acceptam fuiſſe ex iis intellexeris, quæ alias ad te miſſis Epiſtolis XLI. (*t*), & XLII. (*u*) ſignificavi. Cum enim viſa ab utroque indidem orta ex ſenili Proſtata eſſet, referretque altera pyrum, altera ceraſum, qualibus videlicet formis a me quoque fuit in Sutore illo de quo alibi (*x*), & in Viro de quo ſupra (*y*) dictum eſt, olim animadverſa; nec Valſalva, nec Pohlius pro certa quadam naturali Proſtatæ particula, quæ forte grandior facta eſſet, habuerunt, ſed omnino pro excreſcentia, ut erat, ſive pro tumore præter naturam. Et ſane quantum Proſtata glandula obnoxia ſit excreſcentiis quæ ex ſuperiore ejus ambitu, aut undique, aut certa e parte intra veſicam ſe attollant, facillimum mihi eſſet oſtendere, ſi placeret quæ alias (*) ſcripſi, hic iterare. Satius erit, ſi ea relegas: quæ etſi multa ſunt; non alia tamen deſunt quæ addas, velut Cl. Fantoni (*z*) exemplum illud, in Sepulchretum referendum, ſexagenarii videlicet hominis qui poſt diutinum, ac permoleſtum urinæ ſtillicidium mortuus, Proſtatam habuit non modo purulentam, duram, ac præter modum tumidam, ſed & *infimam verſus partem veſicæ longe lateque productam*: erat autem, quod alias (*a*) ad te ſcriptis adjunges, *perexigua capacitas veſicæ: craſſiores autem membranæ*. Noli mirari, quod lotii non ſuppreſſio, ſed permoleſtum dumtaxat eſſet ſtillicidium; nam in Pohlii etiam caſu frequentiores ſolum ad mejendum ſtimuli, quibus ſe addebant ſtatis temporibus dyſuria, & ſtranguria, memorantur, & in Medico illo apud Valliſnerium, a me Epiſtola XLI. (*b*) indicato, quamvis excreſcentia quæ e Proſtatæ ſubſtantia intra veſicam aſcendebat, nucis juglandis magnitudinem æquaret; tamen ſuppreſſioni urinæ hujus tantummodo ſtillicidium ſucceſſit, cum urethræ cruciatibus, & teneſmo conjunctum: neque ipſe de Muliere, & Viro, quorum ejuſdem generis excreſcentias ſuperius (*c*) commemoravi, aliud, quod ad has ſpectaret, accepi, niſi illam aſſiduo urinæ ſtillicidio affectam, hunc vero auditum fuiſſe aliquando conqueri de urinæ acrimonia, & veſicam vidi utriuſque, ſicut in Medico quoque illo fuerat, urina diſtentam. Itaque apparet, pro varia rerum circumſtantium, quarum aliquæ ſunt certe variabiles, diſpoſitione aliud aliis creari incommodum, & majus, minuſve urinæ egreſſui objici ab excreſcentiis Proſtatæ impedimentum.

12. Satis autem cum his quæ modo dicebam, convenire, gaudeo Obſervationes tres quas ibidem lego, ubi eam uvulam proponi video qua de ſermo hic eſt inſtitutus. Cum enim in tribus inventa eſſet uvula iſta parvæ nuculæ (an avellanæ ?) craſſitudine; primus cum frequentibus ad mingendum ſtimulis permoleſta urinæ difficultate, alter octo jam dies iſchuria, cui per catheterem medebantur, tertius alterutra; nam utra ignorabatur; affectione laboraverat; omnium autem veſica lotio inventa eſt valde plena. Sed hoc diſcrepamus, quod illis aucta creditur fuiſſe uvula; cum meæ mihi Obſervationes perſuadeant, inde ubi nulla eſſet uvula, præternaturalem omnino excreſcentiam e Proſtata extitiſſe. Meaſque illud adjuvat Obſervationes, quod & alibi (*d*) animadverti, & hac quoque Epiſtola confirmavi, nulla in junioribus, omnia autem quæ vidiſſe, aut legiſſe antea memini excreſcentiæ iſtius exempla in ſenibus fuiſſe, quos videlicet morbis eſſe magis obnoxios, & nominatim *urinæ ſtillicidiis*, & *difficultatibus*, nemo ab Hippocratis (*e*) uſque temporibus ignorat. Neque obeſt illud alterum quod una a me animadverſum legiſti, eas excreſcentias eſſe conſueviſſe ex illa per quam exſtans linea ducitur, Proſtatæ parte; nam facilius eſt, lineam jam nonnihil exſtantem tumidiorem fieri; & non ex ea ſolum parte excreſcentias Proſtatæ incipere, ibidem oſtenſum eſt. In eo autem non minus diſcrepamus, quod iſta uvula excreſcendo ſedes morbi ſit frequentioris quidem, ſed ignoratiſſimi. Non rarus eſt utique; ſed tamen non ita frequens, ut tametſi de tribus illis ægris ſecundus, qui perſenex erat, a Medicis non aliter tractaretur, quam ſi veſicæ paralyſi laboraret, cui nempe cauſæ tribuitur is morbus, ſenibus adeo communis; propterea conſequatur, non ſæpe quoque aut paralyſi, aut ſaltem infirmatis ob ætatem expellentibus veſicæ viribus eſſe tribuendum: & ſane ſi hæc ignota hactenus, ut creditur, cauſa frequentiſſima eſſet; mirari oporteret, quomodo inter examinatas illas ſexaginta, aut ſeptuaginta veſicas non niſi eæ tres fuiſſent, in quibus hæc occurriſſet cauſa. Quî vero dici eadem poſſit hactenus ignoratiſſima, ego quidem aſſequi non valeo: nec ſolum propter illa hoc dico quæ tot ab aliis jam vulgata exempla indicavi (*f*); verum ob id maxime, quod illud dictum ſit ubi hæc ipſa verba mox proferuntur Santorini (*g*), *Veſicæ oſculum, cui prominulum corpus præfigitur, quod* in affectis veſicis ſic prominet aliquando, *ut urinæ iter prorſus intercludat*. Et in Figura quidem cujus explicandæ cauſa hæc ſcripſerat Santorinus, bene trigonum, bene uvula expreſſa eſſe dicuntur (utrumque igitur ante hos annos ſex & triginta) ſed de morbo cujus uvulam eſſe cauſam, diſerte ibidem, ut vides, ſcripſit, cur, quæſo, non idem dicitur? Imo quaſi is qui ita ſcripſerat, ea quæ explicavit, minime animadvertiſſet, dubitatur, an eadem delineatori potius debeamus, qui fideliter quæ videbat, expreſſerit: idque eo magis, quia in Santorini libro, cujus gratia, ut cæteræ, ita & ea Figura, adjecta eſt, fruſtra quæritur iſtius uvulæ deſcriptio, & de trigono vel unum verbum in illo ipſo articulo qui ei reſpondet Figuræ. Sed tu Santorini librum inſpiciens, ſicuti Figuræ illi reſpondere, non dubitabis caput X. quippe inſcriptum *de Virorum Naturalibus*, ita invenies, eam ipſam Figuram ſæpe in margine ibi indicari, & verba tandem bis fieri (*h*) de iis quoque particulis de quibus loquimur. Et primum quidem ſic: *quanquam aliquando ad cervicis Veſicæ oſculum poſterius quidpiam, de quo mox, in magnam ſatis molem prominere vidimus; id vel perraro compertum eſt, vel ex iis dumtaxat ſubjectis, quorum Veſica laboraret, uſque adeo extare obſervavimus, ut ea res haud mereatur, quæ ceu perpetua & conſtans, quæque vitioſa, & infrequens eſt, vel Tironum, vel minus Exercitatorum damno exhibeatur*. Altero autem loco ſic: *Illud vero quod ad cervicis veſicæ oſculum ita aliquando prominet, ut urinæ iter intercludere aliquantum valeat, ſub tenui intimaque veſicæ membrana conditum, ſic ut conſpicuis interdum, aggregatiſque glandulis formatum viderim, cujus latam circum aream a minoribus licet, extantibus tamen occupatam memini in ſene, intra cujus veſicam ſex ſupra triginta ex albo flaveſcentes calculi continebantur, quorum aliquot Avellana vix minores ab ſacculis ex ejuſdem veſicæ validiſſimis, diremptiſque lacertis conſtructis, concludebantur*. Itaque apparet, quid de uvula, & de trigono quoque; nam de ambobus ſimul locutus videtur; cenſuerit Santorinus; quanquam alia mihi de nonnullis ibi ab eo poſitis ſententia eſt, nihil aliud hic ſpectanti, quam morbum excre-

(*t*) n. 6. (*u*) n. 37. (*x*) Epiſt. 37. n. 30. (*y*) n. 6. (*) Epiſt. 41. n. 17. & 19.
(*z*) De Obſ. Med. & Anat. Epiſt. 8. n. 18. (*a*) Epiſt. 41. n. 33. & 35. (*b*) n. 17. & 19. (*c*) n. 7.
(*d*) Epiſt. 41. n. 19. (*e*) S. 3. Aph. 31. (*f*) Epiſt. 41. n. 12. 17. 19. (*g*) Obſ. Anat. in Explic. Tab. 2. Fig. 2. ad I.
(*h*) §. 20. & 23.

excreſcentiæ iſti aliquando tribuendum, ne ipſi quidem fuiſſe ignotum.

13. De minimis autem veſicæ glandulis quid viderim, & quid ſentiam, a me alibi (*i*) ſcriptum eſt. De ſacculis autem illis, ſive, ut vocavi, veſicæ herniis, a me obſervatis in areis quas ejuſdem lacerti ambiunt, ex tunicis, nimiæ interdum copiæ retenti lotii cedentibus, quanto jam antea tempore hæc ipſa, & quo libro ediderim, ſatis ſuperque a me fuit XLII. Epiſtola (*k*) indicatum, ubi etiam de calculis non pauca dixi, intra eos ſacculos comprehenſis, & de iis quæ inde oriri poſſunt, lithotomorum deceptionibus. Ob id ipſum autem hæc, & quæ ſequuntur, tibi commemoro, nempe quia, ut de illa uvula, ita etiam de his aliis quæ ad te, aut ad alios ſcribens, interdum poſui, neceſſe habeo, ſi non multa, at perpauca ſaltem adjicere quæ veri ſtudium cogit ſimul ea ſpectantem quæ illa de uvula, & de veſica nuper legi, & quæ de hac olim cum apud pleroſque Anatomicos, tum apud eum legeram qui multos antecellebat, Amicum meum Santorinum illo ipſo capite X. quod paulo ante laudabam. Ejus igitur, & cæterorum deſcriptiones, aut delineationes fibrarum veſicæ carnearum attendens, ac cum iis conferens quæ ipſe ultimis A. 1725. primis autem inſequentis anni menſibus videre potueram (*l*), illud præcipue intelligere viſus ſum, tantam eſſe in earum fibrarum diſpoſitione varietatem, ut ad unam certam, conſtantemque deſcriptionem redigi non poſſint. Itaque non valde poſtea miratus ſum, cum in aliorum variantes Icones incidi, ut puta ſpectati Viri Gulielmi Rutty (*m*), aut cum Illuſtrem Anatomes Profeſſorem Albinum (*n*) de eo quem pingit, veſicæ muſculo, ab oſſibus pubis naſcente, ſeque per inferiorem veſicæ partem quaſi in tranſverſum extendente, & cæteris ejus fibris continuante, monere animadverti, *perraro* ſibi eſſe viſum. Sed neque miratus fueram, cum anno, opinor, 1731. deſcriptionem legerem Joh. Wilhelmi Albreckt (*o*), quam totam hic tibi deſcribam oportet non ob varietatem modo, ſed etiam ob illud quod adverſus cæterorum Anatomicorum ſententiam, conſuetudinemque propoſuit. *In Veſica Urinaria robuſti hominis* per ſyphonem Wolfii Anatomicum *ſex diſtinctiſſimas ſeparavimus tunicas, quæ pro triplici membrana ab Authoribus vulgo habentur. Quam vero muſcularem appellant, non video, quo jure inter tunicas referri poſſit. Fibræ enim muſculares in unam continuam membranam non coeunt, ſed hinc inde collectæ inſtar faſciarum unum digitum latarum, vel etiam anguſtiorum, veſicam amplectuntur, ſine ordine ſibi occurrunt, & ad diverſos angulos ſe invicem ſecantes in membranis vel circa collum, vel circa ipſum ſphincterem terminantur*. Ego vero Auctorum neminem qui carneas veſicæ fibras haud ſemel ea qua par eſt, ratione quæſiverit, non vidiſſe, credo, interſtitia quæ inter ſe relinquunt, eoſdemque propterea, ſi forte interrogati eſſent, poſſentne eæ fibræ ſic inter ſe implicitæ, ut *areas*, quemadmodum in Adverſariis (*p*) deſignavi interſtitia illa, comprehendant, poſſentne, inquam, reticularis muſculi nomine appellari; non minus libenter affirmaturos fuiſſe, exiſtimo, quam muſculi urinæ Detruſoris, aut quam muſculoſam propter eas fibras vocarunt illam veſicæ membranam, quæ ipſas ſibi impoſitas, aut intertextas haberet, ſuoque interjectu conjungeret inter ſe. Vides igitur, quo ſenſu cum cæteris ego quoque membranam, aut tunicam carnoſam dixerim, aut muſculoſam; cum cæteris, inquam. Etſi enim is quem nuper mœrentes amiſimus, Cl. Fantonus (*q*) viginti ante Albrechtum annis de iiſdem fibris, eademque veſicæ membrana hæc ſcripſit, *Completam vero membranam hæ fibræ minime efformant; extenſa enim veſica, multum diſtractæ ab invicem occurrunt*; non negavit tamen, quam fibræ non complent tunicam, interjectam ipſis membranam complere. Nec porro cum hæc continuo ſubjecit, *unde lotium per intervalla earum fibrarum efflueret, ni exterior membrana denſitate obſtaret, interiori quandoque eroſa*; nec, inquam, propterea neceſſe eſt ſic intelligere, quaſi illa intervalla, ſi non denſa, & firma, at tenui ſaltem membrana compleri, noluiſſet, præſertim cum docuerit, nihilominus *ex tribus componi veſicam tunicis, quarum exteriorem peritonæum efformat, media carnoſa eſt, intima nervea ex candidis fibris denſiſſime texta*.

14. At membrana, inquis, ſive tunica in illis interſtitiis nulla eſt. Tu vero dic, quæſo, mihi, credíſne, ſi nulla eſſet, id ſummos inter Veteres Anatomicos non fuiſſe agnituros? Graviſſimus certe, ſiquis alius, & perſpicaciſſimus inter eos fuit Euſtachius, quem animadvertiſſe interſtitia illa ſatis ſuperque oſtendit Figura, qualis ea cunque eſt, quam vides ſub numero VII. in ipſius Tabula XII. exhiberi. Num propterea e tunicis veſicæ hanc de qua loquimur, excluſit? Imo vero diſerte hæc ſcripſit (*r*): *veſicæ propria tunica gemina eſt, obtinetque exterior* (de qua hic ſermo eſt) *fibras conſpicuas craſſas ac fere carneas, quæ adeo variæ quoquoverſum diſtribuuntur, ut intuentibus multarum tunicarum ſpeciem habere videantur*. At enim, inquis, celluloſam telam, ut Veteres alii, a membrana non internoſcebat. Nolo hic dicere, conſuevíſſe illos res magis, ut in corpore humano inveniuntur, ſpectare, quam ubi aerem vi, ut Albrechtus, aut aquam impuleris, in quæ reſolvantur, attendere, quærentes videlicet, quales ab natura ipſa, & quare ita ut per ſe occurrunt, ſint factæ; non quonam artificiis redigantur. Satis eſt dicam, Eximium hoc tempore Anatomicum Winslowium (*ſ*) cum egregie noſſet, veſicæ carneas fibras inter ſe necti per textum celluloſum, ideoque ſeparari poſſe *artificioſe* ope aeris immiſſi; ſine ulla tamen dubitatione hanc muſculoſam cæteris veſicæ tunicis annumeraſſe membranam, probe conſcium, ſi quia membranæ, pluresque partes eodem artificio queunt in celluloſum textum magis, aut minus manifeſtum reſolvi, alio debeant, ac ſemper conſueverunt, vocabulo appellari; multo hinc majorem in Anatome tradenda confuſionem, quam utilitatem, invectum iri. Utique ſi nunc imponenda eſſent nomina quæ Facultatis hujus Parentes, aut qui olim auxerant, primi impoſuere, non dubito, quin plura excogitari poſſent meliora, & cum vero magis congruentia. Sed præſtat, opinor, verum poſtea animadverſum, docere, vetera autem, & uſitata vocabula retinere. Sic cordis venoſis orificiis quæ, & qualis, & quam varie ad imum diviſa membrana ſubjiciatur, opportune tradere non omitto; ſed cum a Viris Solertiſſimis nuper impoſita nomina valde probem, ipſe tamen Tricuſpidum, & Mitralium valvularum conſuetis nominibus uti pergo, & dexterum, ſiniſtrumque cordis ventriculum tanto libentius dicere, quod illorum aliqui diſerte fatentur, ſe, cum eos deſignare novis aliis appellationibus maluiſſent, ab auditoribus vel bene Doctis non fuiſſe intellectos. Sed ut intentioni huic meæ, ſi non laudem, at veniam ſaltem non eſſe negandam ſpero, ita hanc etiam ſpero, ſi Proſtatam auſim, quemadmodum vidiſti, inter glandulas adhuc referre, quod non modo cæteros, ſed vel ipſos qui glandulis bellum indixerant, & feciſſe, & facere, ignorat nemo. Qui nimirum etſi non omnes Proſtatæ partes ſecernendo, aſſervandoque peculiari ipſius humori aptas eſſe poſſe, ſciebant; ex hujus tamen glanduloſis tubulis *pene totam compingi proſtatam*, cognoſcebant; ut verbis utar Santorini, qui non id ſolum eodem quod ſupra laudavimus, capite (*t*), ſed

(*i*) Epiſt. Anat. 1. n. 63. (*k*) n. 30. & ſeqq. (*l*) Epiſt. Anat. 1. n. 60. (*m*) Treatiſe os the Urinary Paſſag. Tab.
(*n*) Tab. Sceleti, & Muſc. corp. hum. Tab. 12. Fig. 41. (*o*) Obſervat. Anat. §. 5. (*p*) III. Animad. 36.
(*q*) Anat. corp. hum. Diſſert. 7. (*r*) Tract. de Renibus c. 19. (*ſ*) Expoſ. Anat. tr. du bas Ventre n. 451.

(*t*); ſed & ejus glandulæ muſculum Levatorem, & Ligamentum, & Capſulam deſcripſit (*u*). Quanto autem plures, & confertiores ſunt ii tubuli, tanto magis Proſtatam inter glandulas retinendam eſſe, conſtat, & mea quædam confirmatur opinio de cauſa cur Seminalium vaſorum extrema, & tenuior pars per eam glandulam traducatur, nempe ut dum ii tubuli per venerem deplentur, ſimul vaſorum illorum compreſſio aſſidua remittatur, ſemenque concluſum ejiciatur.

15. Sed ut redeam ad urinariarum Partium Morbos; cum ea nuper legerem quæ hæc mihi pro me & pro aliis qui ad eundem modum & ſentiunt, & loquuntur, hæc, inquam, mihi interjiciendi neceſſitatem attulerant, in illum quoque locum incidi ubi indicia proponuntur Iſchuriæ cujuſdam, quæ valde frequens eſſe dicitur, Mediæ inter Renalem, & Veſicalem, ſedem videlicet habentis in ureteribus extremum in modum ab lotio dilatatis, quod defluere in veſicam non poſſit propter illorum vehementem ad inſertionem ſtrangulatum. Indicia autem hæc afferuntur, conjunctus cum iſchuria dolor *ſurdus*, & ſenſus quidam ponderis in lumbis propius veſicam, quam renes. Extant quidem, ut noſti, non pauca ureterum dilatationis exempla, alia ab aliis cauſis quæ illos ad inſertionem aut ſtringant, aut etiam obturent. Verum ſi tandiu hæ perſiſtant cauſæ, ut extremum in modum eos poſſit urina dilatare; multo prius quam hoc fiat, jugiter ſecreta urina tenuiſſimas intra renes ſemitas ſic opplebit, ut vim his afferat, & eam quæ ibi fit, ſecretionem, premendo impediat cito adeo, ut vix tempus ſit Mediæ illius iſchuriæ ſigna animadvertendi ab ſignis disjuncta, quæ illa obſcurent, ejuſcemodi iſchuriæ Renalis: aut ſi Mediæ indicia vel antea, vel poſtea adnotare ſatis liceat; certe ſi erunt propiora veſicæ, quam renibus, non in lumbis, quos renes ipſi occupant, ſed infra lumbos percipientur. Sed alia, nedum iſta, ex conjectura, non ex obſervatione propoſita, libens omitto, ut potius inter plura quæ ingenue commendo; unum laudem, unde poteſt inter cæteras illas tum incontinentiæ urinæ, tum iſchuriæ Veſicalis cauſas quæ ad ſphincterem attinent, nova quædam referri. Quot, & quam varia de ſphinctere veſicæ hactenus ſint tradita, non ignoras, propter quæ, meaſque ipſas, alias alio tempore habitas, Obſervationes, ego quoque alias aliter de illo ſentire coactus ſim. Nunc autem cum pro ſphinctere proponi videam fibras eas ipſas quæ ad veſicæ orificium ſitæ non muſculi, ſed ligamenti natura, ſuo ipſæ elatere circum prementes, urinæ exitum intercludant, donec validioribus potentiis urinam expellentibus cedant, hiſque ceſſantibus ſuapte vi elaſtica ſe continuo reſtituant, & ad priſtinum officium redeant; ipſa mihi ſe rei ſimplicitas commendat, & quomodo fibrarum illarum diſtractioni, eroſioni, inciſioni impotentiam retinendi lotii imputare poſſim, oſtendit. Nec minus placet gravis utique difficultatis ſolutio. Nam ſi nullum eſt in ligamenta; ſed in muſculoſas dumtaxat partes voluntatis imperium; quî fit, dixiſſes, ut pro arbitrio hominibus liceat urinam vel in medio curſu ſtatim cohibere? Reſponſum eſt igitur, id licere non propter fibrarum illarum, ſed propter muſculi Levatoris ani contractionem ſua illa parte quæ inter Proſtatam, & urethræ bulbum huic ſubjicitur anſæ inſtar. Quam ego muſculi illius partem *pſeudoſphincteris veſicæ* nomine deſignaverim, quod tamen nomen ſphincterem ſupponit, qui nullus eſt. Verum ego ut intelligerer, eo nomine uſus ſum quo uſi illi erant, adverſus quos ibi diſputabam: quanquam ſi forte ipſe nomen iſtud; a qua conſuetudine longe ſemper abfui; veteris loco imponere voluiſſem; non video, quî conſequeretur, veſicæ ſphincterem ſupponi, cum ſatis ſit, veros alios ſphincteres alicubi non deeſſe, quibuſcum non verum conferens, hunc poſſit quilibet pſeudoſphincterem appellare. Illam igitur præcipue partem, ſi urinam pro arbitrio cohibet, poſſe, intelligis, ſi convulſione aliquando corripiatur, iſchuriam Veſicalem afferre tanto facilius quod etiam pro voluntatis imperio diutius ad retinendam urinam contracta, ſæpe iſtam ipſam iſchuriam induxit, num ſola, an cum aliis quoque muſculis quos tunc iiſdem ani Levatoribus Cl. Gysbertus Beudt (*x*) accenſendos credidit, aut quos alii credidere, & præſertim Cel. Winslowius in calce ſuæ nunquam ſatis laudatæ Expoſitionis Tractatui de Ventre (*y*) adjungendos deſcribens, ab ipſis docuit formari in parte, & fortaſſe *præcipue* id quod ſphincter veſicæ appellatur. Etſi enim in iis quæ nuper propoſita ſunt, ſimplicitatem præſertim laudo; tamen in præſentia rem arbitrio relinquo tuo, quippe morem conſervans meum, & pro certo habens, ſi quid immerenti alioquin mihi ab Summorum Virorum benignitate donatum eſt, feciſſe id ipſos non quod celeriter quidquam ſtatuerim, ſed quod lente feſtinaverim, imo ubi ſubſiſtendum eſſe, credidi, ibi ſubſtiterim donec ſatis repetitæ obſervationes, & nunquam prætermittenda eorum lectio qui ante me idem fortaſſe in quo ego hærebam, pervidiſſe, & ſcripſiſſe poterant, non amplius ſubſiſtendum eſſe, docuerunt. Utrumque autem, ſi unquam alias, certe nunc faciam: Prius enim quam iſtam quæ noviſſime propoſita eſt, uvulam cæteris quæ ſecundum naturam ſunt, Partibus adjungam, quid de ipſa viſum interea fuerit aliis, legam, iis dico quibus nihil jure negari poſſit de tot adjumentis quæ in magno, ſi ingenue loquimur, Anatomico requiruntur, ſimulque ipſe, quantuluſcunque ſum, ad eas quas retuli, alias addam perquiſitiones. Quarum exitum fideliter tibi poſt abſolutas inſequente hyeme diſſectiones ſignificabo (*z*).

16. Cætera vero quæ, ſicut initio harum Litterarum promiſi, ad morbos Genitalium attinent Partium, quam primum potero, perſcribam. Vale.

EPI-

(*t*) 10. §. 22. (*u*) §. 5. 17. 20. (*x*) Diſſert. de Fabrica, & Uſu Viſcer. Uropoieticor. Claſſ. 3. (*y*) n. 660. & ſeqq.
(*z*) Vid. Epiſt. totam 70.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LXVII.

Ad Partium utriuſque Sexus, & Muliebris præſertim, Genitalium attinet Morbos.

QUæ de Ventris Morbis ſcribenda reſtant, ad Genitales utriuſque Sexus attinent Partes. Sed pleraque erunt de Muliebribus.

2. De Herniis quæ in ſcroto accidunt, poſtquam ad te ſcripſeram (*a*), diſſectio prodiit, a Cl. Richerzio (*b*) habita, quam, ſi legas, & accuratam, & ad chirurgicam curationem eſſe utilem, cognoſces. Apud eundem (*c*) herniam quoque peculiarem videbis, an poſt ortum natam, an potius congenitam, in puella videlicet ſemeſtri, cujus ovarium ſiniſtrum, & tubam adjectam intra eum ſinum invenit per quem Teres uteri ligamentum e pelvi egreditur. Sed hæc ad bubonocelas eſt referenda. De quibus, & de Ventralibus ſi hic ſermo eſſet inſtituendus; duas inter cæteras commemorarem ob ea quæ dilatatis inteſtinis continebantur, memoria dignas, quæ in Hiſtoria Regiæ Scientiarum Pariſienſis Academiæ (*d*) propoſitæ ſunt.

3. Ad ea autem quæ de Uteri deſcenſu, & exciſione ſcripſimus (*e*), Schlenckeri (*f*) Obſervatio ſpectat illius deſcenſus ob laxata ligamenta ab impoſito ovarii pondere, quod amplificatum, & lapideum factum erat. Sic Abr. Vaterus (*g*) idem alteri mulieri accidiſſe viderat a gravante ovarii prægrandis tumore. Ex quibus ut per diſſectionem confirmatur, uterum ipſum intra vaginam deſcendere, & quæ cauſæ interdum id faciant, oſtenditur; ita ex Cl. Kaltſchmiedii Obſervatione (*h*), ſive ex inverſo utero magnum excidit ſcirrhum, ſive molam ſcirrhoſam, cum utero certe ita cohærentem, ut cultello opus fuerit quo excideretur, ſuſpicio nimirum augeri poteſt deceptionis eorum qui minus quam hoc, illuſtri tempore uterum ab ſe amputatum fuiſſe, crediderunt.

4. Etſi vero ubi de Hyſterica Affectione verba feci (*i*) diſerte profeſſus ſum, nolle me cum iis altercari qui illam ab Hypochondriaca diſtinguendam eſſe, contendunt, neque cum iis qui contra negant; memineris tamen, generatim laudaſſe qui utramque ad nervorum paſſionem referunt. In hac me ſententia magis magiſque nuperrime etiam confirmavit auctoritas Præſtantiſſimi, & erga me Humaniſſimi Viri Comitis Sylveſtri Ponticelli, in Parmenſi Aula Archiatri, & Conſiliarii Meritiſſimi (*k*), ut aliæ quoque aliorum confirmaverant Obſervationes, in iiſque duæ Docti Viri Antonii Fracaſſini (*l*), & præſertim altera quæ cum diſſectione cadaveris juncta eſt. Legendo quæ, & qualia, & quomodo in deſcriptis duobus illis viris contigerint, cur hoc dixerim, facile conjicies.

5. Nunc ad ea tranſeamus in quibus paulo amplius immoremur, nempe ad ea quæ ſpectant ad Veneris Impedimenta, & Sterilitatem. Cum de illis in maribus ſermonem habentes, urethræ vitium perpenderemus non canalis forma, ſed dimidiati canalis, per inferiorem penis faciem productæ, Salzmanni quoque Obſervationem memoravimus (*m*) urethræ in ſemicanalis modum, ſed per oppoſitam faciem, id eſt per totum penis dorſum apertæ. Quam urethræ, quantumvis non apertæ, ſedem cum Ruyſchius non bis, ut ille ait, ſed, ſi attente rem conſideres (*n*), ſemel dumtaxat viderit, & *id ſe nunquam antea obſervaviſſe*, fateatur; non dubito, quin tibi gratum facturus ſim, exemplum alterum communicando quod ab ſe A. 1758. accurate perſpectum narravit mihi Joannes Gianella, Caroli Profeſſoris quondam hic Emeriti filius, ipſe quoque olim auditor meus, tum morum, tum ingenii, & diligentiæ cauſa dilectus, nunc Lemniaci multa cum laude Medicinam exercens.

6. VIR erat ex Lemniacenſi agro, qui tametſi hermaphroditus eſſe dicebatur, tamen a muliere quæ ſe gravidam ab ipſo factam ajebat, in judicium vocatus, non ſe defenderat, eamque dotaverat. Is cum ſibi poſtea uxorem quæreret, a fratre autem, ab aliiſque tanquam matrimonio minime aptus deferretur, & Medici proximæ Civitatis non ignobiles qui genitalia illius inſpexerant, delationem confirmaſſent, repulſæ dolore incenſus, litibuſque cum fratre implicitus, ob has curas in adeo gravem incidit morbum, ut vivendi finem fecerit. CADAVERIS inſpiciendi, non diſſecandi, copia facta, ſcrotum, & teſtes ſede, magnitudine, & forma omnino ſecundum naturam apparuere. In pene autem, qui cæteroquin nec parvus erat, neque in vivo flaccidus fuiſſe videbatur, hæc deſiderabantur, ne ſurſum ad abdomen converſus, neve glande, quæ naturali erat magnitudine, & figura, prorſus fuiſſet imperforata, denique ne urethram inſolita brevitate, & ſede, & conſtitutione haberet. Neque enim ad glandem uſque perveniebat, neque per inferiorem penis faciem, ſed per dorſum, ferebatur, neque perfecti canalis, ſed ſemicanalis in modum aperta, erat; ut canaliculorum meorum oſtia quæ in oppoſito, ut ſolent, pariete cum eſſe non poſſent, in eo qui non deerat, ſtatim oculis obvia fierent, quippe, quam in aliis ſunt, ampliora; quibus inſpectis, minus fuit mirum quod ajebant, hominem olim fuiſſe infectum gonorrhœa virulenta. Porro ejus ſemicanalis initio, quod reliqua parte erat latius, quædam imminebat, ut matri, aliiſque mulierculis videri olim potuerat, vulva. Sed nullum ad hanc pertinebat foramen, niſi quod in ſemicanalis initium urinam ducebat, quam inter mingendum e ſemicanali exundare conſueviſſe, & ſic aliqua ſui parte conſpurcare hominem, ſatis aliunde conſtabat; non item quid ejaculato ſemini accideret, cui per illud idem foramen in ſemicanalem erat tranſeundum. Et foramini quidem ſpecillum indere, & in quoddam cavum introducere licebat, & conjicere, id cavum ad veſicam attinere; per diſſectionem autem id quod conjiciebatur, & cætera perſpicere, minime, ut dictum eſt, licuit.

7. Cum hæc Gianella narraſſet quæ videre ipſe in eo viro potuerat; tum de multo admirabiliore in quadam muliere genitalis oſtii ſede, cujus imaginem tantum conſpexiſſet, rem autem pro certa, & teſtata a Lemniacenſibus audiviſſet, narrare in hunc modum perrexit. Ante annos circiter quadraginta ancilla erat domi Patricii Veneti, qui Lemniaco præerat, conſervo nupta; ſed eam quam indicavimus, partem non eo quo debebat, loco, verum ſupra umbilicum habens, eamque anguſtam. Gravida tamen facta, cum parere non poſſet; Chirurgum accerſivit, qui viam infanti, fruſtra exitum quærenti amplificaret: quod ita præſtitit, ut ab ima oſtii illius parte ſectione ad os uſque pubis producta; ſive omnino ex imperitia, ſicut ibi creditum eſt, ſive potius quod non ſatis ſibi nota, cæſarea, quam vocant, ſectione uti

(*a*) Epiſt. 43. & alibi (*b*) Obſerv. Viſcer. Abdom. labis Epicriſ. Obſ. 1. (*c*) Obſ. 3.
(*d*) in Obſ. Anat. A. 1752. n. 5. & A. 1723. n. 7. (*e*) Epiſt. 45. (*f*) De Singulari Ovar. Morbo in Prooemio, & §.19.
(*g*) Diſſert. inſcripta Gravidit. Appar. in Hiſt. & theſ. 18. (*h*) De Mola ſcirrhoſa in utero inverſo extirpata.
(*i*) Epiſt. 45. n. 17. (*k*) Tratt. di tre Specie di Affez. Iſter. e Ipocondr.
(*l*) Naturæ Morbi Hypochondr. &c. Inveſtigat. P. 3. c. 1. (*m*) Epiſt. 46. n. 8.
(*n*) Theſ. Anat. 3. n. 5. not. 1. & 2. & n. 22. not. 1. 2. 3.

uti in animo habuerit, infans, quod conſtat, ſervatus ſit, & mater quoque poſt longam curationem tandem perſanata. Quid vero huic poſtea acciderit, quoniam cum marito; neuter enim indigena erat; inde diſceſſit, Lemniaci quidem ignoratur; at certe, quod unum ad hoc propoſitum ſatis eſt, ibi adhuc imago extat, quam mulieris Medicus reliquit, illius abdomen, ſicut ante ſectionem erat, fideliter repræſentans.

8. Nunc quando verba fieri de fœminis cœpta ſunt, minus matrimonio idoneis; quæ ipſe in duarum diſſectione, non de ſede quidem, ſed de occluſione genitalium obſervaverim, continuo ſubjiciam.

9. MULIER annos nata ſeptuaginta, jam diu propter aſthmaticam affectionem in Noſocomio jacuerat; cum peripneumonia acceſſit, eamque ſuſtulit circa medium Martium A. 1752. CADAVERIS macilenti pulmones detraxerat Mediavia, quos revera duros fuiſſe, affirmabat. Nonnullas vero alias Partes ego Studioſis Adoleſcentibus idem poſtea demonſtravi, in Capite præſertim, & Genitalibus. Et in illo quidem nihil animadverti quod præter naturam eſſet, niſi tendinis Trochlearis muſculi alterius oculi cum ſua trochlea coalitum; ut retrorſum trahentis digitos muſculus non ſequeretur. In Partibus autem quæ generandi cauſa creatæ ſunt, multo plura quam voluiſſem, deprehendi ab naturali conſtitutione prorſus aliena. Primum enim de Falloppianis tubis altera extremo ſuo fimbriato ita cum teſte coaluerat, ut interpoſitum fimbriis oſculum non appareret; altera autem illud oſculum impervium habebat, ſuamque proximam partem immobilem propter alam veſpertilionum, quæ ibi non, ut ſolet, latior, ſed perangusta, tubam ad teſtem annectebat. Uteri parietes erant craſſi, eorumque ſectio vas ſanguiferum, ſeu mavis ſinum comprehenſum intra ipſorum ſubſtantiam oſtendit ad tranſverſi pollicis longitudinem, diametro autem ſeſquilineam unciæ Bononienſis æquante: in eo ſinu pauxillum concreti ſanguinis vidimus. Interior uteri ſuperficies tota erat leviſſime humida; in fundo, & in cervicis infima parte fuſca, in reliqua autem albida: quæ cur hic memorem, infra dicam. Eadem infima cervicis pars erat equo anguſtior, & uteri oſculum perparvum. Cum ſpecillum per hoc vellem in vaginam demittere; obſtaculum ſenſi impediens, ne infra oſculum, niſi extrema ſui parte, deſcenderet. Itaque per orificium vaginæ immittere ſpecillum coactus ſum. Verum ultra digituli tranſverſi intervallum cum tranſire non poſſet; vaginam ſecundum longitudinem profunde incidi, ut, ſi cavum eſſet aliquod, in conſpectum veniret. Cum fruſtra ſic quærerem; tum non uno loco totam in tranſverſum vaginam diſſecui; ſed nuſquam apparuit cavum, & ne cavi veſtigium quidem. Vagina tota; ſi initium, & finem exciperes; omnino erat ſolidi cylindri inſtar, ex ſubſtantia facti ubique pariter alba, & duriuſcula; ut parietes, cum eo quod includebant, continuatos, ab hoc ipſo internoſcere non liceret. Cum hæc vaginæ acciderunt; nihil quidem, ſi exterius aſpiceres, de ſua diametro amiſiſſe videbatur; ſed longitudinis amiſerat tantum, ut cum ab ejus orificio ad ſummum uterum intervallum eſſet digitorum tranſverſorum octo; tres duntaxat illa æquaret, quinque reliqui ad uterum attinerent, ſic tamen, ut contra ac ſolet, cervix longior eſſet, quam fundus. Cæterum ipſa neque ullos qui introrſum exſtarent, lacertos habuit. Fruſtra autem in ea, fruſtra in fundo, fruſtra in vaginæ, ubi obturata non erat, extremis; quorum inferius omni hymenis carebat veſtigio; fruſtra denique in reliquo naturali ullius cicatricis indicia a nobis quæſita ſunt.

10. Attamen hunc tantum vaginæ coalitum ab eroſione, aut ab laceratione aliqua, aut nullo modo, aut negligenter curata, fuiſſe, credo, puta ab ultimo partu; nupta enim mulier fuerat, anniſque antea non multis virum amiſerat, quocum in matrimonio vivere; imo ne vivere quidem, ſic clauſa a primordiis vagina, potuiſſet. Quomodo enim cenſes, menſtruum ſanguinem, qui ab illiuſmodi utero non ſcaturiiſſe florente ætate non videtur, intra ejus cavum ſine pernicie mulieris potuiſſe retineri? Ego certe vix intelligerem, qui poſſet humor, ut perpaucus, & tenuis ſit, quo ſecundum naturam, ut in hac quoque fœmina vidiſſe me, dixi, intus leviter madet uterus, huic labem non attuliſſe, niſi per lymphæ ductus, aut alia abſorbentia vaſcula reveheretur. Sed hæc num ſanguini quoque, & ea copia qua ſcimus in uteri cavum ſingulis menſibus influere, abducendo paria eſſe, exiſtimabis? Quod vero de hac, idem fermè de muliere etiam altera ex te quæro, cujus tum fuerat in Gymnaſio cadaver diſſectum vix duobus ante menſibus, & hæc quæ ſequuntur, a me adnotata.

11. ANUS in Noſocomio deceſſerat non ex alio, quantum apparebat, morbo, quam deficientium ſenſim virium; nec mirum in ea quæ annos exegerat nonaginta duos. CORPUS erat ſtrigoſiſſimum. Ex Abdomine duæ prominebant herniæ, altera in medio hypogaſtrio, quæ puelli caput æquabat, altera ad prioris latus dexterum. Utrique inerat pars inteſtini Ilei; minori vero pars omenti quoque: quæ niſi quod herniarum ſaccis adhærebant, nihil præterea habebant vitii. Ventriculus æquo inferior viſus, an quod deorſum tractus fuiſſet ab illa omenti parte, herniæ, ut diximus, incluſa, an potius ab aliis cauſis, & in his quadam glandula, ut a primo videbatur, prope lienem omento innexa, magnitudine, & forma ovi majoris columbini. Quam cum paulo attentius inſpectarem, & lienem alterum eſſe, ſuſpicarer; ſuſpicionem luculenter confirmavit diſſectio, & cum proximo liene collatio; eadem enim prorſus utriuſque ſtructura, & ſubſtantia fuit. Minorem craſſiuſcula omenti adibant ſanguifera vaſa. Majoris arteria erat Magna; ſed vix leviſſime flexuoſa, neque in tanta ætate duri quidquam habebat; ut neque, ſi Iliacas excipias, aliæ, quaſcunque examinavi, arteriæ aliquid oſſei habuere, neque cordis valvulæ; tametſi quæ Aortæ præficiuntur, contractiores erant, & nonnihil vitiatæ. Erat tamen, quantus quantus in ventre eſt, ipſius Aortæ truncus ad oſſificationem diſpoſitus, quippe ſuperficie ubique propemodum tum albis maculis, tum inæqualitatibus quibuſdam diſtincta, idque interius. Præterea autem idem truncus hoc habebat inſoliti, quod ſtatim infra Emulgentes ſe ad tractum inflectebat duorum, aut trium digitorum: quæ inflexio vertebris imputari non poterat, ut quas recte poſitas, & bene ſe habentes videbam. Sed ad viſcera ut redeam; Meſaræi glandulæ neque exiguæ erant, neque duræ, neque atro, exterius ſaltem, colore, ſed rubello: Vermiformis Appendicula duobus tranſverſis digitis brevior, & tenuiſſima, & omnino ſolida, ut nunquam cavi aliquid habuiſſe videretur: jecur autem num ſemper fuiſſet ſanum, facile dubitaſſes. Lobus enim dexter qua jam ſiniſtro propior erat, & unde ſe præter morem extendere deorſum pergebat, faciem convexam oſtendebat nec lævem, & ſubalbam, quam ſi ibi ad aliquam profunditatem ſecares; eundem colorem, ſubſtantiam autem inveniebas accedentem ad ligamenti naturam. Reliquum eſt, ut de Genitalibus, quemadmodum pollicitus ſum, dicam. Tuba utraque ita ſuo quæque cum ovario connata erat, ut neutrius fimbriæ, nedum oſculum, quod inter eas eſt, apparerent. Intra ovaria autem erant hydatides. Uteri fundus cum ſectus eſſet: in medio poſterioris faciei conſpecta eſt altiuſcula ſubrotunda excreſcentia, quæ a primo quaſi ex veſiculis facta videbatur; ſecta autem, ex ſolida uteri ſubſtantia conſtare inventa eſt. Cum ſpecillum a fundo vellem in vaginam tranſmittere, nec poſſem; cervicem incidi, comperique hujus infimæ partis ad breviſſimum tractum, ſed & oſculi ipſius uterini parietes ſic inter ſe coaluiſſe, ut nullus, niſi forte aliquis tenuiſſimus, tranſitus ſupereſſet.

12. Coalitus hoſce a difficili partu laceratione, ut dixi (*o*), aliqua relicta, facile induci poſse, illud fortaſse comprobat; quod in utraque muliere tubarum occlu-

(*o*) n. 10.

occluſio, & cum ovariis concretio reperta eſt. Abrahamus enim Cyprianus (*p*) ad eundem modum, ſicut adjecto quoque Iconiſmo (*q*) oſtendit, tubas ſe habuiſſe, animadvertit in fœmina quæ ex partus quarti difficultate, multoque etiam magis ex imperitæ obſtetricis violentiſſima tractatione cum in graviſſimam uteri, & huic annexarum illarum Partium inflammationem, ut indicabant acerbiſſimi ventris, & præcipue circa lumbos dolores conjecta eſſet, & vix tandem evaſiſſet, de fœcunda ſterilis quo ad vixit, vixit autem annos decem, facta erat. Sed hæc, eadem, aut alia ſimili de cauſa mulieribus, atque utinam paucis, accidunt quæ per ſe fœcundæ fuerant, & porro eſſent. Nonnullis tamen viarum quæ ſunt ad gignendum neceſſariæ, occluſiones, aut impedimenta a primordiis eſſe, conſtat, neque abditarum tantum, ſed earum etiam quæ viſui, aut tactui obviæ ſunt, ut alias (*r*) commemoravimus. Hujuſque generis ex Cl. Boehmero quoque (*ſ*) exemplum duplex habebis. Qui ut Virginem diſſecuit quæ muliebri prorſus carebat orificio, cum cicatricis veſtigium appareret nullum, ſic & Mulierem incidens, cui maritus nunquam potuerat conjugale præſtare officium, apertum quidem genitalis oſtium invenit; ſed unius loco vaginas duas, ad bipartitum, ut in vaccis, ovibuſque, uterum pertinentes, adeo quantum intelligere licet, anguſtas, ut neutra viro excipiendo par eſſet. Sed ex his inſpicienti, aut tangenti non occultis ſive occluſionibus, ſive impedimentis ſunt quæ tolli poſſint, & quæ non poſſint. Tolli enim facile poſſunt quæ in membrana, vaginæ orificio prætenſa, conſiſtunt, aut in ejuſmodi quaſi inſtitis per quarum unam in Virguncula colligatos inter ſe, quemadmodum ad te ſcripſi (*t*), vaginæ parietes offendi. Quæ vero ejuſmodi ſint qualia in nupta illa ex Boehmero indicabam modo, quis tollat?

13. Adventitii autem coalitus, aut occluſionis cauſam non ab laceratione dumtaxat, aut ab inflammatione, ſed ab eroſione quoque eſſe poſſe, tum ſupra, tum alibi a me agnitum eſt, ſive eroſio luem Veneream, ſive uteri fluorem conſequatur. Ab hoc enim prægreſſo vel in Virginibus integerrimis, qualis erat illa cujus tibi diſſectionem ſcripſi Epiſtola XLVI. (*u*) licere, credo, ſiquis forte velit, membranulam ſubalbam repetere, quæ infimam cervicis partem, uteri oſculo proximam, occludebat. Sed is fluor ex acrioribus ſit, oportet; non ex frequentioribus illis de quibus meas plures Obſervationes ad te miſi Epiſtola XLVII. Cum iis conjungere poteris quam ſubjicio, quamvis ob alia, quæ continet, majoris momenti, libentius miſiſſem eo tempore, ſi jam tunc habuiſſem, quo Epiſtolas ſcripſi LX. LXII. LXIII.

14. FOEMINAM annos natam circiter ſexaginta apoplexia confecerat intra quatuor, haud amplius, dies. Quorum tres cum domi exegiſſet, quarto denique in Noſocomium intulerunt jam toto corpore ab ſuo morbo adeo oppreſſam, ut indicium aliquod gravioris in latere ſiniſtro reſolutionis peti non potuerit, niſi a vena quæ domi ſecta a dextris fuerat. Anatomen in Gymnaſio tunc docebam ea frigidiſſima tempeſtate quæ ſub Januarii finem A. 1758. permoleſta omnibus eſſe pergebat, illucque cadaver eſt importatum, cujus ut pleraſque antea partes, ſic præſertim cerebrum diſſectum eſt, idque octavo circiter a morte die, cum adeſſet Cl. Vir. Caldanius qui Bononia huc venire, meiſque omnibus ejus anni Publicis Exercitationibus pro ſua erga me humanitate intereſſe voluit.

CALVARIA cum meninge Craſſa arcte adeo cohærebat, ut ſine validiſſimis conatibus avelli non potuerit. Per meningem Tenuem vaſa erant ſanguine diſtenta. Subſtantia cerebri exſucca erat, & dura, vi, opinor, ſummi frigoris, qua certe cruentum ſerum, quod multum in ſiniſtro Laterali ventriculo offendimus, conglaciaverat, in plurimaſque lamellas concreverat. Porro etſi in poſteriore ejuſdem ventriculi extremo aliquantum ſanguinis erat nigri, concreti, & durioris, ibique ventriculi baſis videbatur quaſi in cavum ſubſediſſe quod eum ſanguinem contineret; tamen ea ſeri quam dixi, copia eum extitiſſe e tam pauco ſanguine non poſſet; conjeci, & ipſum, & maximam ſeri illius partem per diſruptum Lucidum ſeptum in ventriculum ſiniſtrum ex dextero tranſiiſſe. Nec me conjectura fefellit. Aperto enim dextero, nihil ſeri, niſi aliquid forte erat in extremo anteriore, tantum vero ſanguinis conſpectum eſt, qualem in ſiniſtro deſcripſi, atri, concreti, imo eam quam gelu inducit, duritiam nacti, ut hunc ventriculum totum dilatatum plurimum, cerebri ſubſtantia non ad baſim tantum, ſed etiam in externo latere vehementer extenuata, viderimus. Nihil autem in cerebello, nihil in medullæ Oblongatæ facie exteriore vitii apparuit. Sed quod erat in baſis ventriculorum, dexteri præſertim, facie interiore quantum, quale, & quibus potiſſimum in illius eſſet partibus cum propter ſanguinis magnam effuſionem, tum propter conglaciationis præcipue effectus, ſatis diſcernere non potui. Thorax, qui antea apertus fuerat, bina, ut alias videram, pro uno qua Cava trajicitur vena, in diaphragmate oſtendit foramina. In pingui autem corde, quale & reliquum corpus ſic ſatis fuit, parvas oſſeas ſquamulas animadverti ad valvulas Aortæ ſubjectas, & ad proximam ejuſdem arteriæ faciem interiorem, neque ibi dumtaxat, ſed & paſſim in trunco reliquo. Imo qua parte deſinebat ejus arcus; quæ pars, & arcus ipſe erant dilatata; conſpiciebatur inſuper quædam ſuperficiei inæqualitas, colorque alius. Ventrem autem diſſecantibus in ejuſdem arteriæ trunco tum lamellæ oſſeæ, tum ſuperficiei inæqualitates occurrebant majores, quin etiam paſſim eroſionum ſanguinolentarum ſpecies: quæ omnia & per Iliacas propagari conſpeximus. Sed & Crurales qua per femina deſcendebant, rigidiores erant, & intra ſinum poplitis, quod in una ſaltem animadverti, oſſeæ. Nec in altera certe Carotide bracteolæ oſſeæ defuerant, nec in Spermaticis ipſis arteriis durities, quæ inchoatam oſſificationem indicabat. Muliebri denique Fluori, unde occaſio extitit hanc ad te Obſervationem his Litteris mittendi, fœminam laboraſſe, non pauca indicavit craſſa, & ex albo ad cinereum vergens materia, qua cervix uteri, & proxima vaginæ pars fœdabantur. Infimam autem hujus partem, ipſumque orificium, quod erat ampliſſimum, hujuſque inferiorem viciniam cum rubere vidiſſem; inde propterea ad ſuperiora ſcalpello pergens, tum materiam illam conſpexi, tum oſculum uteri, cervicemque ambo æque latiſſima. Per uterini autem fundi interiorem ſuperficiem, quæ erat cæteroquin lævis, tranſpexi ſanguifera vaſcula nec pauca, & conferta, & nulla certa norma diſpoſita, quæ, ſubtus appreſſis digitis, a ſanguine intumeſcebant quaſi erupturo, non ſecus atque in iis videre ſolitus ſum quæ nuper in menſtruis fuerint.

15. Haud abſimilem vaſculorum conſtitutionem is, puto, videret qui narium interiorem membranam inſpiceret coryza affectam; cum hac enim affectione uteri fluorem iſtiuſmodi convenire; Medicos agnoviſſe veteres, nedum recentiores, a me ſatis alibi (*x*) ſcriptum eſt. Satis etiam de cæteris ſcripſi quæ in hac quoque ſunt diſſectione animadverſa ad Apoplexiæ Sanguineæ, & Hemiplexiæ cauſas attinentia.

Quin alias (*y*) tibi effectus etiam gelidiſſimæ tempeſtatis ſignificant intra cadaveris cranium a me deprehenſos; quibuſcum poſtquam hoſce alios contuleris, tempeſtate minus aliquanto frigida adnotatos, utroſque autem cum diſſectione, a Cl. Lipſienſi Profeſſore Quelmalzio (*z*) in ſene habita, quem menſe Januario iter habentem frigus vehemens extinxerat; miraberis, huic in cerebri ventriculis lympham dumtaxat *viſcidam*, non gelu concretam, fuiſſe: nam etſi blando calore fotum antea cadaver fuerat; tamen cum in priore quoque illo noſtro id vel magis factum eſſet, non propterea illud quod in ventriculis iiſdem concreverat, ſerum eſt regelatum, nec ſane ille a nobis diſſectus ſenex, aut hæc anus vi frigoris in itinere oppreſſi fuerant, ſed in Noſocomii lectulis uterque mortui;

(*p*) Epiſt ad Millington. (*q*) Tab. 2. (*r*) Epiſt. 46. n. 11. & ſeqq.
(*ſ*) Vid. Act. Erud. Lipſ. A. 1758. M. Januar. (*t*) Epiſt. 50. n. 51. & ſeq. (*u*) n. 17. (*x*) Epiſt. 47. n. 11.
(*y*) Epiſt. 13. n. 15. (*z*) Progr. quo frigoris acrioris in corp. hum. effectus expend.

tui; ut credere debeam, vel frigus quod interemit Quelmalzii ſenem, non acre adeo, ut tunc noſtrum, fuiſſe, vel potius cadaver illud multo citius quam noſtra quæ in aperto jacuerant, in tepidum locum eſſe translatum. Quod vero ad vitia arteriarum attinet, in anu eadem animadverſa, meminiſſe potes, quot in cadaveribus viderim, & quot inde repetierim circumitionis ſanguinis detrimenta (*a*). Ea autem vitia cum hic in arteriis magis fuerint inferioribus, minuſque propterea ſanguis poſſet per has facile moveri, tanto majori copia crederem in ſuperiores compulſum, intra anus cerebrum effuſum fuiſſe. Cum vero animadverteris, quo longius a corde arteriæ deſcendebant, eo lamellas oſſeas habuiſſe majores; noli ſtatim cum iis facere, qui Boerhaavio id objiciunt, a validiori, qualis propius cor eſt, ſanguinis impulſu deducenti arteriarum oſſificationem, eorum memor quæ reſponderi poſſe, non uno loco indicavimus. Neque enim ſemel idem quod in muliere iſta, vidimus; tametſi nunquam in tot arteriis, in quot Cl. Buchwaldio (*b*) videre contigit. Qui cum in decrepito ſene arteriam Magnam a corde ad curvaturam ferme totam, cartilagini dumtaxat haud multum diſſimilem, inde vero per univerſum propemodum corpus ſuis cum ramis oſſeam factam deprehenderet, ſingulare illud animadvertit, *quod extremitatum arteriæ, quo magis ad manus, & pedes accedebant, eo magis oſſificatæ fuerant*. Cujus ſenis incommoda, & mortis genus utinam ſic addere potuiſſet, ut ejuſmodi conſtitutionum ſigna aliqua per conjecturam attigit in adjuncta Ætiologia (*c*).

16. Nunc ab his ſexus utrinſque communibus morbis, ad fœminarum proprios eſſet redeundum, niſi de ipſis longiſſima illa Epiſtola XLVIII. tot ſcripſiſſem, ut vix de infelici aut uteri geſtatione, aut partu ſive quod ad matrem, ſive quod ad fœtum attinet, hæc habeam adjicienda. Et de geſtatione quidem; ut omittam, me non pœnitere eorum quæ attigi ſuper vi maternæ imaginationis in fetum, poſtquam in quædam incidi quæ a Viris Doctiſſimis prodierunt, nihil magis oſtendentia, quam ne ingeniis quidem excellentibus licere in quibuſdam exemplis quæ neque poſſunt negari, neque intelligi, aliter explicandis difficultates effugere, quin ſe in majores, ſi quæ ex propoſitis conſequerentur explicationibus, ſpectare velis, plane conjiciant; ut igitur hæc omittam; inter Boehmeri, quas ſæpius, meritoque laudavi, Obſervationes (*d*) præter alias ad affectionem hypochondriaco-hyſtericam, ad ovarii hydropem, ad infantem cum hydrorachitide natum pertinentes, unam legas, huc maxime ſpectantem, qua numerum augeas fetuum in Falloppii tuba deprehenſorum. Infelicis autem partus, aut puerperii Obſervationes Cl. Kierlingius (*e*) protulit duas, quas, ut illas, Sepulchreto addas. Altera puerperæ eſt, quam nono a partu die inflammatio uteri extinxit. Altera autem parturientis, cui gemini infantes vitam, ut ſibi quoque, ademerunt. Mihi vero nullam, quæ huc attineat, habere contigit præter unam, quæ tibi, qualis qualis eſt, deſcribetur eo libentius, quod alias (*f*) id fortaſſe me facturum promiſi.

17. FOETUM, aliunde advectum, eumque fæminei ſexus, ſtudioſi Juvenes ad me attulerant, ut in Noſocomio diſſecarem, circa medium Martium A. 1751. Qui illis dederat, novimeſtrem eſſe, dixerat, duas vixiſſe horas, ejuſque morti parentis mortem paulo poſt ſucceſſiſſe, quo morbi genere, ſibi ignotum, at certe ante biduum hæc accidiſſe. Quæ ultima fuiſſe poterant vera: num autem & priora, vehementer dubitavi; nam corporis univerſi magnitudo non paulo minorem, funiculus autem umbilicalis non obligatus aliud videbantur oſtendere, ea vero quæ diſſecando offendimus inſuper confirmare. THORACE enim aperto, pulmones ex rubro maxime fuſcos inveni, eorumque partes, aquæ impoſitas, ruere ad fundum ſtatim, conſpexi. Abdomine recluſo, plurimus ſanguis occurrit in ventris caveam effuſus. Quo exhauſto, abſterſoque, nullum apparuit inteſtinum; ſi Rectum, & partem aliquam excipias Coli, cum illo continuatam, ſed neque meſaræum; neque meſocoli pars maxima uſquam conſpiciebatur. Tunc jecinoris cum totam convexam faciem diaphragmatis, & proximis abdominis muſculis adhærentem, alteram autem, ſive cavam, non parum inæqualem animadverterem; ratus quod erat, ſub hac quidquid inteſtinorum, & meſenterii deeſſe videbatur, coercitum deprehendi, obtectumque membrana craſſiuſcula, tenaci, & quibuſdam quaſi arenulis aſpera, cum ea jecinoris facie connexa. Eadem facies non exiguum ad ſpatium eroſa, aut lacerata, unde tantum ſanguinis in ventrem effluxiſſet, monſtravit. Et nihilominus de mox ſecta ad diaphragma vena Cava ſanguis profluxit multus, iſque ater, qualis & in ventre effuſus, & in vaſis totius corporis fuit. Mitto cætera quæ hujus loci non ſunt, quippe ſecundum naturam in hoc fœtu a me demonſtrata, illud unum memorans, cum in quibuſdam ſuperioribus inteſtinis meconium eſſet, in Recto non fuiſſe: quæ res, & viſcerum parvitas, reliquo corpuſculo reſpondens, novimeſtrem fœtum non fuiſſe, confirmabat, juncta præſertim cum majori partium mollitie, quod ſiqua in alia, certe in cerebro maxime fuit. Cranium enim cum aperuiſſem, cerebri, & cerebelli ſubſtantiam vidimus tanquam *gelatinæ* cujuſdam in modum ferme diffluentem. Cæterum nullus toto corpore fœtor, nullum putredinis indicium animadverſum eſt. Membranæ autem omnes ſcalpello, & unguibus, ſi diſcerpere forte velles, præter modum renitebantur.

18. Qui ea quæ præceſſerant, aut comitata fuerant partum, pro certo ſciret, aut etiam placentam examinaſſet, eorum quæ in hoc fœtu vidimus, non omnium, ſed nonnullorum, & effuſionis præſertim ſanguinis cauſam, fortaſſe poſſet conjicere. Cujus, & ex lacerato quidem jecinore, ſanguinis in fœtu effuſionis mentionem alias (*g*) a me tibi factam fuiſſe, memineris. Sed jam ad longe aliud morborum genus eſt tranſeundum. Vale.

EPI-

(*a*) Epiſt. 26. n. 32. (*b*) Obſ. Quadrig. Obſ. 3. (*c*) §. 13. (*d*) Vid. Act. Lipſ. A. 1758. M. Januar.
(*e*) Diſſert. de Utero poſt partum inflamm. §. 14. & 6. (*f*) Epiſt. 39. n. 28. (*g*) Epiſt. 48. n. 19. & ſeqq.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LXVIII.

De Febribus quædam; de Tumoribus autem plura adjiciuntur.

POST Epiſtolam XLVIII. quæ de Morbis Ventris ultima fuerat, cæterarum quas deinceps ad te dederamus, argumenta ad eos Morbos ſpectabant, qui aut in totis corporibus ſunt, aut ſi in partibus, Chirurgum magis, quam Clinicum, poſtulant. Nunc igitur ordinem quem tunc ſequebamur, conſervaturi, a Febribus initium, & a Tumoribus repetemus, de primis quidem perpauca, de alteris autem aliquanto plura verba facientes.

2. Quod ad Febres attinet, cum per alium ipſis adjunctum morbum noceant potiſſimum, atque interficiant, imo etiam ſæpe ab ipſo oriantur, & conſerventur; facile intelligis, quanti referat adjuncti hujus morbi ſedem, naturamque cognoſcere. Verum ſicuti diſſectio interdum ſub oculos utramque hanc ponit, ut viſcerum inflammationem, aut ulcus aliquod; ita haud raro neutram oſtendit, cujus rei exempla obvia ſunt, & nos cum de Febribus ad te ſcriberemus (*a*), eorum quædam ex Valſalvæ ſchedis produximus. Quod tunc magis dolendum eſt, quando in iis febribus, ut ſæpenumero, contingit, quæ & pernicioſiores ſunt, & plures eodem tempore invadunt, malignis videlicet, ac epidemicis. Neque enim tunc febrem impugnare tanti intereſt, quanti adjunctam illam malignam vim, &, quod difficultatem maxime auget, in ſingulis propemodum Conſtitutionibus peculiarem. Et certe niſi adverſus hanc potiſſimum pugnes; idem agis, ac ſi febrem, viperæ morſu natam, remediis vincere antifebrilibus, neglecto veneno, conareris; ut exemplo eodem utar quo Cl. Queſnayum uſum eſſe, intelligo ex Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis (*b*). Quo magis Dei O. M. Providentiæ agendæ ſunt gratiæ, quod in ſumma rei tum obſcuritate, tum varietate remedium obtulit, cujus etſi obſcurus ſit verus agendi modus, vires tamen in quibuſdam ſaltem pernicioſis febribus abigendis experientia comprobavit, corticem dico Peruvianum. Qui, tametſi earum febrium aliæ alia cum malignitate, quantum externæ cauſæ, & ſymptomata ſignificant, conjunctæ eſſe videantur, has, illaſque pariter, variamque ipſarum poteſt malignitatem pervincere, quemadmodum nos & noſtræ, & aliorum Obſervationes docuerunt. Nec vero ſalubri corticis efficaciæ repugnat materia quæ aut ad cutem, aut ad articulos ejici e ſanguine cœpta ſit, inde autem introrſum vi frigoris externi repulſa. Perſanavit enim cortex Cardinalem Eminentiſſimum qui poſt id in maligniſſimam inciderat febrim, ut fuſe ad te alias (*c*) ſcripſi, & perſanavit quoque Famigeratiſſimum Virum Hallerum, quem ab ſic repulſa podagra febris vehementiſſima cum eryſipelate pariter faciei pene oppreſſerat, ut ipſe narrat in iis quæ ad CLII. Diſputationem adnotavit ex illis quas ab ſe collectas boni publici ſtudio edidit *ad Morborum Hiſtoriam, & Curationem facientes*. Scilicet non tam hæc, quam illud quod tunc diximus, attendendum eſt, an periodicæ ſint febres, id eſt intermiſſionem, aut remiſſionem ſaltem habere conſueverint, ut per tempeſtivum, ac juſtum uſum corticis ſperare liceat, ipſas, adjunctamque iis malignitatem abactum iri. Neque enim dumtaxat quod febrile eſt; ſed & illud quod non eſt, etiamſi abſque manifeſta febre ſit, quamquam tunc non fere ſemper, abigit cortex, dummodo periodice id recurrat: quod cum alias (*d*) obſervatum jam eſſe, ſcripſimus, tum recentiore, & luculentiore Stephani Weſzpremi (*e*) Obſervatione confirmare nunc poſſemus eodem remedio pervictæ æque atrocis, ac pertinacis hemicraniæ, binas jam hebdomadas quarta quaque hora exacerbatæ, nec niſi poſt horas duas remiſſæ. Quod ſi hæc Obſervatio ut A. 1756. & habita, & edita eſt, ita ante hos annos quinquaginta extare potuiſſet, cum acerbiſſimam hemicraniam illam (*f*), quotidie mane hora eadem revertentem, variis, & pluribus præſcriptis auxiliis vix tandem profligavi; nullo certe libentius, & felicius quoque fortaſſis, quam hoc, uſus eſſem, quantumvis rationem qua opituletur ignoraſſem.

3. Atque utinam febres malignæ, & epidemicæ, de quibus dicere cœperamus, eſſent omnes periodicæ, ut fere omnes cum varia, & obſcura vi malignitatis conjunctæ ſunt; haberemus in illo cortice medicamentum, quod etſi quomodo agat, neſciremus, non ſine ſpe tamen poſſemus experiri. At ſynochæ perſæpe ſunt, & quæ, ſi eorum quos ſuſtulerunt, corpora diſſeces, aut nihil, ut initio dixi, oſtendunt quod peculiarem præcipui morbi ſedem, naturamque patefaciat, aut viſcerum graves quidem, & manifeſtas læſiones oſtendunt, ſed quas ſi cum iis conferas quæ ſunt in ægrotantibus obſervata, facile intelligas ab latente alio præcipuo morbo fuiſſe productas. Scilicet febris, exempli gratia, viſcerum inflammatoria videnda exhibet in cadaveribus viſcera inflammata, ſive benigna fuerit, ſive maligna; at in ægrotantibus, ſi benigna ſit, repetitis miſſionibus ſanguinis levatur; ſi maligna, deterior fit, & citius occidit. Diſcriminis cauſa eſt præcipuus alter adjunctus morbus, ut in Rothomagenſi illa febri, a Cl. Malovinio (*g*) deſcripta, quæ ſub finem A. 1753. plures brevi tempore ibi interemit. Ob malignam enim materiæ acrimoniam, ventriculum, & inteſtina irritantem, inflammatio demum illa fiebat, quæ in iis viſceribus, jam in gangrænam degenerans, reperta eſt, reliquis internis illæſis partibus, & præſertim capitis, quod dolore alioquin, per conſenſum videlicet, in dies creſcente, & delirio vexatum fuerat. Sapienter igitur, atque utiliter Medicorum Rothomagenſium Collegium, non attendendam tunc inflammationem ſtatuit, quæ aut nulla initio erat, aut ex accidenti in progreſſu naſcebatur; ſed materiæ acerrimæ e primis viis educendæ eſſe operam dandam; ab hac enim, ſi intus relinqueretur, irritationem permanentem multo magis, quam tranſeuntem ab evacuantibus præſertim mitioribus eſſe timendam. Recte autem facies, ſi ad Sepulchretum addideris quæ in illis ſint cadaveribus deprehenſa, & quæ in aliis etiam, cum epidemicæ aliæ febres graſſarentur, quorum alicujus diſſectionem apud eundem Auctorem invenies, item quæ dum peſtilentiæ hoc ſæculo aut homines, aut, quod multo ſæpius, & multo pluribus locis accidit, boves invaſerant. Extant enim horum extiſpicia tum ab noſtratibus, tum ab exterarum Nationum Medicis litterarum memoriæ commiſſa. Nunquam tamen non cogitabis, quæ in viſceribus ſive inflammationes, ſive gangrænæ, ſive alia diſſecantibus ſe obtulere, effectum potius præcipui latentis morbi, quam morbum ipſum, facile fuiſſe. Quin aliqua in iis diſſectionibus tanquam præter

(*a*) Epiſt. 49. n. 2. & n. 12. & ſeqq. (*b*) A. 1753. (*c*) Epiſt. 49. n. 30. & ſeq.
(*d*) Ibid. n. 29. in fin. (*e*) Obſerv. Med. 4. (*f*) Epiſt. 1. n. 11.
(*g*) Mem. de l' Acad. R. des Sc. A. 1753.

ter naturam propoſita, ſecundum conſuetas naturæ leges fortaſſe eſſe potuiſſe, ut puta cum in bobus, lue enectis, paſſim videbis adnotatam nimiam veſiculæ fellis plenitudinem, imo ab nonnullis pro cauſa habitam dyſenteriæ quæ boves cruciaverat, & inflammationis, ſphaceliquе inteſtinorum, quo videlicet tanto majorem copiam immiſiſſet erodentis bilis, quanto ipſa hac magis referta erat. Vix unus, quod ſciam, Mauchartus (*h*) rem aliter explicari poſſe, cenſuit, ſive non tam bile quam aeris, in putreſcente bile ſe expandentis, particulis diſtendi veſiculam, conjiciendo, ſive, quando iſtam aeris expanſionem *aliquoties* (non ſemper) obſervatam eſſe, dicit, ponendo, ab Duodeni inteſtini tunicis inflammatione tumentibus, aut ſpaſmodice, conſtrictis, aut etiam flatuum expanſione compreſſis, liberum, plenioremque influxum bilis in id inteſtinum prohiberi per Communis ductus extremam partem ob eas cauſas contractam, unde illa in veſiculam uberius tum regurgitando, tum influendo divertat, ſicque hanc diſtendat, præſertim (id quod addere poterat) cum multiplex per hepaticyſticos ductus ſit in bovinam veſiculam aperta via. Mihi vero antequam Mauchartum legerem, in mentem venerat cauſa alia dubitandi, facilior fortaſſe, & cum frequentiori lege naturalis conſuetudinis valde conveniens. Cum enim bilis e veſicula pleniorem effluxum natura opportune eo tempore inſtituerit, cum ventriculus, proximave inteſtina alimentis referta, tumore ipſa ſuo veſiculam urgent; boves autem a primis uſque contractæ luis diebus alimenta omnia averſentur, conſequi hinc, cogitabam, ut numquam compreſſa veſicula longe majorem quam alias ſoleat, influentis jugiter bilis copiam retineat, ab eaque præter modum expandatur. Quam dubitandi rationem, qualis ea cunque ſit, cum in Theatro Anatomico propoſuiſſem, non diſplicuiſſe iis qui me audiebant, & nominatim Profeſſori Clariſſimo, meique, dum viveret, amantiſſimo Carolo Gianellæ, ex edita ejus Diſſertatione (*i*) cognovi.

4. Tumorum autem; de his enim poſt Febres ad te ſcripſeram; & ſedes, & natura cum ſæpius per ſe, tum plane per diſſectionem patent; ut ſine dubitatione referre in Sepulchretum poſſis quæ ab diligenti Obſervatore J. Alb. Henr. Reimaro in perutili Diſſertatione de Tumore Ligamentorum, Fungo Articulorum dicto, propoſita ſunt, & commemorata. Nec ejus dumtaxat Tumoris Ligamentorum circa articulos, quanquam ejus potiſſimum; ſed aliorum quoque Obſervationes in illa invenies, qui ad juncturas pariter, genuum præſertim, occurrerunt, ut puta aut ab acri humore (*k*) in cavo articuli acervato, & oſſa, aut cartilagines erodente, haſve (*l*) in aliam ſubſtantiam mutante, tumidaſque faciente, aut a mucilaginoſis glandulis (*m*) tumentibus, earumque & oſſium læſionibus occaſionem præbentibus, & viciſſim ab eorum imminuta preſſione cauſam magis intumeſcendi accipientibus. Omitto alia, quæ cum his reperies, exempla, ſuis quæque ſignis quo ad ejus fieri poteſt, diſtincta; ut deſiderium moveant legendi cætera, quæ anguſtiis temporis excluſus, adjicere non potuit, nominatim de articulorum hydrope (*n*), cujus propoſuerat notas. Sed & ſignorum cauſas ex iis quæ per diſſectiones conſpiciuntur, dilucide explicat, ut ganglii (*o*) rotunditatem, mobilitatem, & a caſu, vel ab ictu de induſtria inflicto diſcuſſionem, &, ne plura memorem, oſſium in Spina Ventoſa expanſionem (*p*), cujus morbi Obſervatio, & ſectio producitur eo notabilior quod non pueri, ſed hominis quatuor & viginti annos nati tibiam invaſerat.

Porro expanſorum oſſium alias & Obſervationes, & diſſectiones alibi reperies quas Sepulchreto addas: Nam præter eas quas ſæpius ſibi occurriſſe, indicat Abrahamus Cyprianus (*q*), extat altera fuſe deſcripta, & pertractata a Frid. Jac. Tittmanno (*r*). Quæ autem commemoravimus expanſionum oſſium exempla, aliaque cum leges; facile animadvertes, eas deberi copiæ pravi humoris intra oſſa redundantis, urgentiſque extrorſum horum parietes, non difficile cedentes, ubi oſſeas fibras, laminaſque interiores humor idem molliverit, aut ſic eroſerit, diſſolveritque, ut jam perpaucæ exteriores laminæ reliquæ ſint. Utrolibet enim modo os duritiem amittit ſuam. Cujus mutationis complures hiſtorias indicatas videbis a Cl. Morando (*ſ*), ubi admirabilem illam proponit, quam ipſe vidit. Lege ſis eandem, atque alteram quæ paucis poſt illam annis ſe obtulit Egregio Lipſienſi Profeſſori Ludwigio (*t*). Videbis in hac alia oſſa tam mollia facta, ut leviori digiti impreſſioni cederent, alia lamina externa adeo extenuata, ut ſubjectæ cellulæ tranſpici poſſent: in illa vero eandem externam laminam redactam alicubi ad formam vaginæ membraneæ in ipſis femoris, & tibiæ oſſibus, ſolida eorum ſubſtantia diſſoluta, & in ſanguinis alveum ut videbatur, relata, & per lotii vias ejecta; hujus enim ſedimentum mirifica erat copia, & tunc majori, cum pejus membra ſe habebant, natura autem peculiari, album videlicet, terreum, cretaceum, & per acetum, aliave acida ſolubile, cujuſmodi humoribus injecta oſſa emolliri, conſtat (*u*). Hæc cum perleges; fortaſſe tibi Obſervationis Zelleri (*x*) veniet in mentem. *Acor* enim, *qui expirabat ex abdomine aperto* undecennis pueri, *inſignis admodum atque penetrantiſſimus fuit*; erat autem is puer rachiticus, ejuſque *oſſa adeo mollia, ut tibiam incurvatam, aliaque facili levique opera ſcalpello diſcindere potuerit*. Quapropter minus mirum fuit, quod, ut rachitici ſolent, circa articulos haberet nodos, hoſque *inſignes* eo in loco ubi ſternum jungitur coſtis, utroque in latere, qui *diſciſſi, iſti pariter ſanguinem ſtillarunt*. Credibile autem eſt, pravo eodem humore quo fibræ oſſeæ emolliuntur, aut diſſolvuntur, vaſcula erodi quæ ſanguinem vehunt, & hoc effuſo medullare oleum reddere ſanguinolentum, qualis & is erat humor quem intra oſſa de quibus diximus, invenit Morandus; grumis autem ſanguineis refertam medullam in quibuſdam ſuorum offendit Ludwigius; qui in aliis eorum *vix congelatam, ſed maxime mollem & fere fluidam* deprehendit, imo *fluidam & quaſi aquoſam*. Quod hic memoro, ut cum medullari illo oleo conferas, quod tibi alias (*y*) a me animadverſum deſcripſi intra virilis tibiæ exoſtoſim, & caveam quoque ejuſdem oſſis, exoſtoſi reſpondentem, liquidum adeo & multum, niſi enim multum ſit, urgere extrorſum emollitas oſſium laminas non poteſt, ut tunc, & paulo ante etiam diximus. Itaque in Morandi Obſervatione femoris os ad trochanterem externum, & fibulæ extrema facta erant craſſiora, tum calvariæ craſſitudo duplo erat major, quam ſecundum naturam; ſanguine autem, qui erat inter utramque ejus tabulam per non brevem compreſſionem expreſſo, magna tenuitas tantæ illi ſucceſſit craſſitudini. Hæc igitur ad illa potes adjicere, quæ eo tempore de oſſium tumoribus ad te ſcripſi (*z*), & de eorum emollitione (*a*); ſic enim alia magis confirmari, intelliges, alia autem in aliis poſſe interdum aliquanto aliter & ſe habere, & explicari.

5. Nunc age ab duriſſimarum partium tumoribus ad molliſſimæ, nempe ad Membranæ Adipoſæ Tumores tranſeamus. Quorum mihi interea præter alias (*b*) indicatos, duo alii obtigerunt perluſtrandi.

6. ANUS

(*h*) Diſput. de Lue Vaccar. Tubingenſi §. 18. (*i*) Diſſert. inſcripta, Non ſemper ex cadaverum ſectione &c.
(*k*) §. 48. (*l*) §. 58. (*m*) §. 50. (*n*) §. 46. (*o*) §. 65. (*p*) §. 62.
(*q*) Epiſt. ad Millington. (*r*) Diſſert. Oſteo-Steatom. Caſ. rarior. &c.
(*ſ*) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1753. (*t*) Progr. Obſerv. in cadav. cujus oſſa emollita erant, propon.
(*u*) Vid. Epiſt. 58. n. 7. (*x*) Diſput. de Morbis ex ſtructura glandular. c. 2. n. 15.
(*y*) Epiſt. 50. n. 60. (*z*) Ibid. n. 57. & ſeqq. (*a*) Vid. etiam Epiſt. 58. n. 6. & ſeqq.
(*b*) Epiſt. 50. n. [illegible] & ſeq.

6. ANUS in Noſocomio deceſſerat, cum tempus inſtaret Publicæ Anatomes inchoandæ A. 1755. Cadaver, ob meliorum inopiam, in Gymnaſium illatum cum inſpicerem, nec aliud de ea muliere conſtaret, niſi ſenſim eſſe mortuam; animadverti; ut alia omittam, & in his ungues ex pollice utriuſque pedis in corniculi modum excreſcentes, quod ſe utrinque pariter ſupra duos, treſve ex proximis digitis contorquebat; animadverti, inquam, ex femoris ſiniſtri anteriore, & media ſecundum longitudinem parte protuberantem hemiſphæricum tumorem, cujus diameter digitos tranſverſos duos ſuperabat, mollemque adeo, ut pro meliceride poſſet imponere. Cutis erat ibi reliquæ concolor, in qua nihil uſquam erat icterici; ſed levis tantummodo ſcabies. Quid, & quomodo contineret tumor, dicam, cum ea quæ ex viſcerum inſpectione adnotata ſunt, indicavero. VENTER laxa inteſtina habuit, & in his Rectum, ab introrſum tumentibus hæmorrhoidibus male habitum: lienem aliquanto majorem æquo: in hepatis veſicula bilem ſubflavam, in eaque calculum ſphæræ forma, magnitudine avellanam quamvis maximam excedentem, colore nigrum, ſed craſſiuſculis quaſi punctis exterius diſtinctum ex albo flavis quorum unum prominebat. Intelligis, cur mulierem icterico non fuiſſe colore, ſupra adnotaverim: itaque hanc poteris ad tot alias addere Obſervationes, a me olim (c) tibi memoratas. Et ne cætera de hoc calculo animadverſa deſideres; ſic habeto, ſtatim atque extraximus, in aquam mediocriter calentem conjectum, illico fundum petiiſſe, indeque receptum, & mox leniter ſummæ aquæ impoſitum, ſtatim iterum ſubſediſſe. Cum vero ſepoſitum inſpicerem illo ipſo die, & magna ex parte in plurima nigra fruſta per ſe abiiſſe, viderem, hæc autem, chartæ incluſa, quadrageſimo circiter poſt die rurſus in manus ſumerem, & plura ex parvulis, unum autem omnium maximum in ſummo aquæ ponerem; omnia primum innatarunt; ſed ne ſexageſima quidem adhuc exacta horæ parte ad fundum deſcendit illud maximum, quod paulo poſt cætera ſunt conſecuta. Extractum porro, & ſtatim aquæ impoſitum, ſtatim ſubſedit. Unum vero, aut alterum ex iis quæ aquæ non immiſeram, cum flammulæ admoviſſem, flammam quidem conceperunt; ſed non retinuerunt, nec liquata ſunt, & quod plumæ combuſtæ, oluerunt. Sed alia accipe, in altero ovario, in tubis, uteroque conſpecta, quæ pariter ad noxas ſimiles adjungas, quas alias ſcripſi. Ovarium maximam juglandem nucem æquabat, factumque erat ex albis, craſſiſque membranis, aquam intercipientibus. Tubarum utraque cum Ligamentis uteri Latis ſic erat confuſa, ut majus illarum extremum non appareret. Uteri fundus habebat intus ab altero latere duas, treſve excreſcentias; ab altera unius dumtaxat inchoamentum. Et omnes quidem conſtabant ex alba ſubſtantia; ſed hæc in earum maxima ex albis fiebat membranis, cellulas aquæ plenas continentibus. Figura ipſius erat ovalis ſecundum uteri longitudinem poſita, cujus intimæ tunicæ per latiuſculum, ſed multo quam ipſa, anguſtiorem pedunculum continuabatur in facie illius cavi anteriore. In qua erant & duæ reliquæ, eidem tunicæ continuatæ, non per pedunculum quidem, ſed per totam baſim, depreſſæ, nec aquam continentes.

In Thorace, & Collo; nam Caput non attigimus; duo quæ ad Vaſa pertinent, animadvertimus. Magna intra illum arteria maculis erat albis intus diſtincta, oſſeas, ſi longior fuiſſet vita, lamellas ibi prænunciantibus. Jugularis autem Externa vena a ſiniſtris per collum deſcendens, in medio curſu dividebatur in partes tres, quæ, duabus inſulis effectis, rurſus poſt tractum digitorum circiter trium, in unum confluebant. Sed hoc rarum magis, quam morboſum; illud ea ætate creberrimum. Illuc jam redeo quo ſum pollicitus, ad tumorem videlicet ut ante ſectionem apparuerat, hemiſphæricum, qui in femore meliceridem ob id etiam mentiebatur quod non per pedunculum inde pendebat, ſed ſuum alterum hemiſphærium condebat ſub cute. Hac igitur inciſa, manifeſtum omnibus qui aderant, fuit, nihil aliud eſſe; niſi Excreſcentiam, ſicut ego intelligo, membranæ Adipoſæ. Ex hac enim ipſa in tot parallelas quaſi partes diſpoſita, omnino conſtabat, nullo alio diſcrimine, niſi quod pinguedo, quæ ſubfuſca alibi erat, in tumore magis albicabat. Cæterum neque ſub cute membrana alia erat quæ cyſtis in modum tumorem complecteretur, neque ſub hoc quidquam interſepti inſtar, quod a continuata Adipoſa membrana ſecerneret.

7. Paucioribus nunc verbis alteram, quippe in viventis adhuc viri tumore habitam, Obſervationem deſcribam.

8. VIR honeſtus ex Agro Patavino tumorem gerebat fici non parvæ inſtar ex altero femine pendentem per brevem pedunculum, digito non craſſiorem. Mollis erat tumor; ut ſi contrectares, intelligeres, nec ſarcoma eſſe, nec a multo qui incluſus eſſet, humore diſtentum. Eodem quo reliqua cutis, colore, hoc uno diſcrepabat, quod ex hemiſphæricis hic illic, humilibus tamen, nec minimi digiti apice craſſioribus, protuberantiis conſpiciebatur inæqualis. Nuſquam pulſabat: nunquam, vel preſſus, dolebat: nec unquam, niſi cum equitare opus erat, incommodum ullum afferebat. Ob hanc igitur unam cauſam, timori adjunctam, ne magis in dies, magiſque creſceret, an ſine periculo abſcindi poſſet, ex me quæſivit. Qui cum ea quæ dixi, attenderem, neque aliud vas præter unam venam per tumoris cutem repere, viderem, quæ ne in ſummo quidem ad columbini calami craſſitudinem perveniebat, felices autem tumorum ejuſmodi amputationes memoria tenerem; facile annui: præſertim cum Vir Experientiſſimus, Publicus in hoc Gymnaſio Chirurgiæ Profeſſor, Hieronymus Vandellius ſe recepiſſet exſecturum. Quod & feliciter præſtitit ineunte Junio A. 1757. pauco omnino ſanguine effuſo, etiamſi paululo profundius quam eſſet pedunculi initium, exſecuiſſet, & facile cicatrice obducta, intra breve tempus homine perſanato. TUMOR, qui uncias circiter quinque pendebat, eodem mane per Filium, Parente, & Doctiſſimis Patruis dignum, ad me miſſus, &, hoc inſpectante, a me continuo perſectus, id omnino erat quod cenſueram, nempe Adipoſæ membranæ Excreſcentia. Qualem, per Valſalvam abſciſſæ, pedunculum alias (d) tibi deſcripſi, talis hic fuit, id eſt ex eadem quæ in ſanis eſt, membranæ Adipoſæ ſtructura, & ſubſtantia, quaſi in cylindros aliquot contracta, intra pedunculum deſcendente, ex hoc vero intra tumorem continuata, ſubflava, molli, unctuoſa, tumorem univerſum, & illa ipſa exterius protuberantia parva hemiſphæria afficiente. Partes ex quibus compingebatur, non ſolum cuti, verum etiam inter ſe paſſim tenacius adhærebant; ut per ſolos digitos pars a parte ſejungi non poſſet; nulla tamen prorſus præter cutem erat tunica, quæ, ut in cyſticis videmus tumoribus, hunc complecteretur: nec cutis ipſa, quanquam erat craſſiuſcula, in duas poterat dividi laminas. Cuti autem hic illic ſuberant, præſertim ſuperiora verſus, tenuia vaſcula ſanguifera.

9. Parvi quidem hi quos perſecuimus, tumores fuerunt, ſi cum grandibus illis compares, quorum alias (e) exempla indicavimus videnda præſertim apud Palfinium, aut cum alias etiam majoribus, quos ad eos addiderunt Præſtantes Viri (f) pondo librarum ſexaginta, aut amplius. Sed cum ſimiles eorum cenſeantur qui Cyſtici, & peculiariter *Natte* dicuntur; etſi pinguedinem continerent, a noſtris tamen intelligis fuiſſe diſcrepantes. Verum age, ab his qui ſingulares, & ſæpe non parvi ſunt, ad alios qui ſunt multiplices, & exigui, aut certe modici, veniamus. Subſiſtemus autem in iis

(c) Epiſt. 37. (d) Epiſt. 50. n. 23. (e) Ibid. n. 22.
(f) Vid. in Italica Palfin. Edit. Part. 5. c. 4.

de quibus Epiſtola L. vix pauca attigimus, in ſumma aliis lingua, aliis toto propemodum corpore ſuccreſcentibus.

10. LINGUARUM, quas Februario menſe anno hoc 1759. in Gymnaſio diſſecuimus, una erat tumida, in eaque linea quam medianam vocant, primum quidem ab apice ad tractum pollicis tranſverſi in ſulci modum nec levis, nec ſi hinc & hinc linguæ latera traheres, tollendi, ſubſidebat, deinde vero nulla uſquam apparebat; imo æque mediam ac laterales ſuperficiei illius partes occupabant tubercula, nullam prorſus ad normam diſpoſita, humilia quidem, ſed craſſa ad ſeſquilineam uſque unciæ Bononienſis, facie inæquali, albo autem, ut lingua reliqua, colore. Deſinebant prope eam ſedem ubi eſſe debuiſſent illæ ultimæ craſſiores papillæ: quarum locum percxilia, ſed confertiſſima implebant tubercula. Poſt hæc denique ſuccedebat tota illa ſedes in qua extare ſolent glandulæ, at ſine ullo harum veſtigio plana omnino, & lævis.

11. Quid præceſſiſſet, unde ea ſic facta eſſet lingua, & quid afferret incommodi, ſcire non licuit. Contra vero & poſt quæ inceperit, & quæ attulerit non glandularum abſumptio, ſed amplificatio, & citiſſimus magna parte corporis intus, extraque novarum quaſi glandularum proventus, apparet ex hiſtoria, hic minime prætermittenda, quæ ab laudato alias Laurentio Mariano, & ab Genero eo digno Joſepho Bonio A. 1752. communicata, mihi eo gratior fuit, quod morbum non ita diſſimilem annis ſuperioribus ſpectare quidem, ſed non per diſſectionem, potueram, ut tibi de Tumoribus ſcribens (*g*), ſignificavi.

12. ADOLESCENS Generoſus annos natus quindecim, ab infantia uſque ſanus, & vivido colore præditus, duriori objurgatione exceptus, gravique timore tanto magis inde perculſus, quod natura erat cogitabundus, tunc quidem triduum quaſi ſtupidus exegit, tertio autem poſt menſe parvas per collum glandulas cœpit animadvertere, quæ paulatim primum creverunt, mox vero morbus celeriter adeo auctus eſt, ut præter ſalivarium, & Axillarium glandularum tumorem, brevi per dorſum, per pectus, & præſertim circa claviculas extiterint corpora, ovi columbini inſtar craſſa, ſtrumoſas glandulas referentia, qualia paulo poſt in abdominis quoque integumentis, imo, ut tangendo cognoſcebatur, in ventris etiam cavo non defuerunt. Dolore carebant fere omnia; nam quod Pectorali muſculo dextero inſidebat, tres digitos tranſverſos longum, colore autem lividum, ad tactum nonnihil dolebat, ut ventris quoque interiora, a ſiniſtris magis, ubi major etiam tenſio, & renixus percipiebatur. Sive intus, extraque, id quod initio ſtatim, magiſque in progreſſu factum eſt, multa, & varia in uſum traherentur remedia, etiam validiora, quæ a Medicis Conſultiſſimis proponebantur, ſive nulla denique adhiberentur, tumorum moles increſcebat, curſu morbi adeo rapido, ut cum cœpiſſet menſe Decembri, ſimul cum vita circa Maji finem deſierit. Non multo poſt morbi initium, acutus dolor in genu, & crure nunc dextero, nunc ſiniſtro ingruerat, qui & poſtea ſemper male habuit, ſymptomaticis, & incerta periodo accidentibus febribus, vigiliis, macie ſtipatus. Cæterum ad extremum uſque mens prompta, & hilaris, ciborum appetitus, imo acris fames, ultimis præſertim diebus, nunquam defuit: & quamvis aliqua ad jugulum moleſtia eſſet ex mucido catarrho, qui facile, & levi cum tuſſi ejiciebatur; nulla tamen ſpirandi difficultas unquam animadverſa eſt, id quod, perlecta thoracis diſſectione, miraberis.

COLLI, Pectoris, Abdominis tegumentis communibus inciſis, tumores illos externos ſedem in cellulis habuiſſe membranæ Adipoſæ, compertum eſt, arcte ibi ad ſubjectos muſculos annexæ. Pleni erant omnes ſubalbæ materiæ, ex parte nonnihil fluidæ; at majorem partem ſolidæ, & ſebaceæ. Eminentiorum aliqui, ut qui muſculis adhærebant Pectoralibus, unum cum Axillaribus glandulis continuatum corpus facientes, ſecti ſubflava, & ſanioſa emiſerunt. Ventre aperto, omentum omne corpuſculis duris hic illic obſeſſum apparuit, ſubalba illa materia plenis. Jecur, lien, renes ipſa quidem ſecundum naturam ſe habebant, ſed circa ſingula fuerunt hæc adnotata. Jecinoris parti dexteræ valenter annexum erat peritonæum: quod pluribus deinde locis quaſi unum idemque cum attiguis muſculis factum, anterius excreſcebat in corpus ovi gallinacei magnitudine, quod ea qua diximus, refertum materia, cum veſica urinaria connectebatur. Juxta ſplenem vero meſocoli ſiniſtra pars in corpus intumeſcebat conſtans ex pluribus colligatis quaſi ovis columbinis, eadem illa materia farctis: quibus & pancreas plenum erat: per meſenterium autem disjectæ ejuſmodi ſtrumæ conſpiciebantur. Renum denique Adipoſa tunica erat monſtroſum in modum craſſior facta; nam qua parte vertebras ſpectabat, duorum, parte autem oppoſita quinque tranſverſorum digitorum craſſitudinem occupabat, materia quam diximus, ubique diſtenta: proptereaque ren ſiniſter, accedente etiam dura & ſtrumoſa, quæ materiam illam interſecabat, linea, pondo fuit unciarum circiter ſex & triginta. Nec vero inteſtina morbo vacabant. Nam Coli tum adipoſæ appendices, tum ligamentorum, per ipſum ductorum, faſciolæ corpuſculis ejuſdemmodi conſpiciebantur diſtinctæ. Tenuia autem inteſtina per intervalla glandulas Peyeri habebant lupini figura, & magnitudine: quas inter quædam multo major, phlogoſi affecta, corruptum continebat humorem. Thorace recluſo, mediaſtinum conſpectum eſt circa medium corporibus ſæpius dictis obſitum, & in his aliquo non minus craſſo, quam modicum ovum gallinaceum, Aſperæ arteriæ truncum non modo contingente, ſed etiam comprimente. Pulmones intus erant ſani, quamvis extimæ ſuperficiei infixi eſſent duri, petroſique globuli, granorum hordei craſſitudine. Eadem ſuperficies a tergo tota excavata erat utrinque, ſed a ſiniſtris præſertim, ob incurrentes in ipſam non parvas ſtrumas, pleuræ innatas, alias quidem prope dorſi vertebras, alias autem in ſeriem quaſi quandam ita diſpoſitas, ut ſingulæ ſingulis coſtis ab ima ad ſummam inſiderent. Cor ſecundum naturam ſe habebat, niſi quod auriculæ dexteræ facies exterior tota erat tanquam granoſa a conſimilibus corpuſculis. Igitur (ſic concludebatur miſſa hiſtoria) deſcripti tumores majori ex parte erant cyſtici, & particulis turgidi tophaceis, duris, & velut ſebaceis intra cellulas depoſitis membranæ Adipoſæ, præter æque dura, quæ deſcripta ſunt, corpora glanduloſa.

13. Redii in memoriam hiſtoriæ hujus, cum aliam legerem nuper æthiopis duodecennis, quam Præcl. Anatomicus litteris mandavit Meckelius (*h*). Nam iniens ægri utriuſque ætas, acriſque fames, cum morbo conjuncta, & perſtans, uſque adeo per interiores tunicas, ventris præſertim, diffuſo in tuberculorum modum, quorum pleraque ſebacea implebat materia, hæc, inquam faciunt, ut abs te cupiam utramque conferri hiſtoriam. Quod ſi Viri illius Solertiſſimi in eo, itemque in altero æthiope (*i*) accuratas, quod ad eorum quoque nigredinem ſpectat, Obſervationes ſimul perlegens, forte miraberis, in illa apoplectici æthiopis, quam tibi olim miſi (*k*) ante hos quinquaginta annos Venetiis habita, diſſectione adnotatum nihil fuiſſe de nigreſcentibus, aut fuſcis in æthiopum cerebro partibus, nihilque de eorum nigro potius, quam rubro, ſanguine, ſcias velim, cadaver illud ante noctem incidere non licuiſſe, lucem autem aliam, noſti, eſſe ſolis, & lychnorum, nec pariter licuiſſe aliud in poſterum diem

(*g*) Epiſt. 50. n. 28. in fin. (*h*) Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. de Berlin A. 1753. (*i*) A. 1756.
(*k*) Epiſt. 5. n. 17.

diem ſervare, niſi cutis, & cuticulæ ſegmenta quædam, in quibus mihi quid acciderit videre, in Adverſariis (*l*) eſt indicatum. Sed de his, & de cuticulæ natura neque hic eſt ſcribendi locus, neque antea facile ſcribam, quam aut diſſecandi æthiopis iterum facultas detur, aut quædam ſaltem de æthiopum infantibus pro certo ſciam, ut puta num forte umbilicalis funiculi initium non, ut noſtri, cinctum cute habeant quæ poſtea in umbilicum ſe contrahat, num paucis illis a partu diebus cum primum infuſcari incipiunt, non ita albis prorſus, ut in adultis poſtea videmus, ſint plantis, & volis, alia ejuſmodi. Nunc enim a propoſito non eſt divertendum. Collata igitur utraque tot ſebaceorum tuberculorum hiſtoria, ut in eo quoque convenire videbis, quod viſcera quædam ſub tunica ſic male ſe habente, erant tamen ſana; ita diſcrepare tum ſymptomatibus, animadvertes, tum ſede etiam tuberculorum, quæ in Berolinenſi Obſervatione tantum abeſt, ut ſicuti in quadam Roedereri quoque hiſtoria (*), ſcirrhoſa corpuſcula celluloſam occuparent ſubſtantiam; id ſingulare habebant, ut, hac prorſus ſalva, in propria ipſa, firmaque peritonæi, aut pleuræ hærerent membrana, tum denique ut exterius tubercula eſſent nulla; ſed interius omnia. Ad externos autem, ſimulque internos tumores attinet Obſervatio altera, quam ante illam Meckelius indicat, ab ſe, & Clariſſimo Profeſſore Zinnio in infante habitam, cujus præter partes cerebri induratas, conglobatæ glandulæ toto ferme corpore ſcirrhoſæ erant.

14. At ſive ad utroſque, ſive ad externos, quos potiſſimum hic attendimus, tumores exempla ſpectant quæ continuo memorabimus, illorum alii aut ea continebant quæ evidenter ſunt præter naturam, aut ea, propter quæ ab ſanarum glandularum modo vix, ac ne vix quidem viderentur diſcrepare, niſi ibi occurrerent ubi manifeſtas glandulas conſpicere non ſolemus. Ad primum horum generum, præter eas quas modo protulimus, hiſtoriæ pertinent non paucæ in Sepulchretum (*m*) relatæ, ut, cum ſtrumoſæ glandulæ, multæ præſertim, aut magnæ, exterius protuberarent; multæ quoque interius deprehenderentur inſidentes non meſenterio ſolum, ſed & omento, ſtomacho, inteſtinis, pancreati, veſicæ urinariæ, pulmonibus, ex Fontani obſervatione (*n*); ex Heurnii (*o*) autem, etiam peritonæo, hepati, lieni, renibus, uteri ligamentis, diaphragmati, mediaſtino, ipſiſque cerebri Duræ meningi. Mitto cæteras, quas deſcriptas ibi videre poteris, glandulas minus diffuſas, ſed omnes ſtrumoſas, & quaſdam gypſea, pultacea, purulenta, ſeroſa, alba, flava continentes. Quibus & tubercula addere potes illa plurima, quæ Laubius (*p*) in pulmonibus vidit materiæ ſebaceæ plena, ejus ſimilis quæ in glandulis colli induratis ejuſdem hominis ſpectabatur.

Ad ſecundum vero genus propter eam quam M. Aurelius Severinus ſimul profert, Aetii, imo Leonidæ ſententiam, ſpectaſſe crediderim glandulas quas Severinus ipſe (*q*) vidit tuberculorum inſtar in artubus, pectore, dorſo, ſub alis, & ad inguina exſtantes, quarum plus ſexaginta per Senis univerſum corpus diſperſas ob id maxime admirabatur, quod tubercula quam plurima *circa loca* conſpiciebantur, *quæ glandularum ſunt prorſus expertia: itaque venit in mentem*, inquit, *illud Aetii, qui Tetrab.* 4. *cap.* 5. .... *profeſſus eſt, ex integro naſci plerumque candidas, & rubras carunculas in corpore*. Olaus autem Borrichius (*r*) cum in icterici diſſectis cruribus in glandulas incidiſſet ſub cute latentes *infinitas*; non ab integro ortas, opinabatur; ſed *in ſano corpore eſſe adeo minutas, ut viſum pene effugiant, in morboſo conſpectiores*. Has quoque ad ſecundum genus referri poſſe, vix dubito. At quas Whartonus Obſervatione pariter in Sepulchreto quoque (*ſ*) legenda, in militis brachiis, & femoribus conſpexit, eodem referendas eſſe pro certo ſcio. Cum enim omnes ſub cute mobiles, &, vel preſſiuſcule contrectatæ, eſſent indolentes, nec validiſſimis remediis cedentes; majuſculam unam a Chirurgo extractam, deprehendit *citra ullum putridum aut corruptum humorem totam ex ſolida glanduloſa atque alba carne conſtantem*; ut ſic glandulas dari *adventitias plane ſanas, niſi quod in numero partium præternaturalium recenſentur*, experientiſſimus glandularum ſcrutator demoſtratum eſſe, pronunciaverit. Quæ Obſervationes ad exteriores quidem glandulas pertinent, quemadmodum Antonii etiam Cocchii (*t*), ubi de Meſentericis Morbis loquens, id quod Leonida *raro* viderat, non ſemel ſibi occurriſſe ait (Severino autem *ſæpe* occurrerat) conglobatas videlicet externas glandulas non modo auctas, ſed & ubi eſſe non videntur, quaſi creatas. Quin exemplum inſuper addit, in quo præter nonnullas non ſolitas conſpici, ut in lateribus, carneas, neque pure ſcatentes, ad hunc eundem modum alias intra ventrem offendit. Quam tu, & Severini Obſervationem ut quæ necdum mihi in Sepulchreto occurrit, huic adjicies, & Valebis.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LXIX.

Ad Ictus, & Vulnera Capitis, & Thoracis, ad Juncturarum Vitia, & ad Luem Veneream pertinet.

QUæ ad Morbos attineant, Epiſtola LI. & inſequentibus deinceps cæteris a me comprehenſos, non tot in præſentia habeo, ut his denique Litteris complecti non poſſim. Ad illam igitur Epiſtolam qua de Vulneribus Capitis, & Ictibus ſcripſi, hæc addes.

2. VIR necdum quinquaginta annos natus, cum bibaciſſimus eſſet, indeque ebrius, per ſcalas deſcendens, tanto facilius lapſum eſt, quod crure altero annos jam aliquot ex doloribus, Veneream, ut ajebant, luem conſecutis, claudicabat. Cadens autem ſiniſtrum tempus adeo contudit, ut omni ſentiendi, movendique facultate ſtatim amiſſa, ſic intra horas haud amplius quatuor interierit. Cadaver opportuno ad Publicam Anatomen inchoandam tempore, id eſt paulo poſt medium Januarium menſem A. 1756. Theatro conceſſum eſt, in quo, cum diligenter perſecaretur, hæc adnotavimus. VENTER pane, & vino maxime diſtentum adhuc ventriculum exhibuit, ut ab ictu parum, vel potius nihil videretur evomuiſſe. Poſtquam ea omnia exhauſta fuerant, ne minimam quidem intus rugam ventriculus oſtendit. Jecur, & lien magna, nec tamen morbida, niſi quod diſſecti lienis viſa mihi eſt ſubſtantia laxior, color autem dilutus. At renum uterque pluribus hydatidibus excavatus, quæ ſub ipſa eorum tunica incipientes, eo perveniebant, ut tubulos qui papillas excipiunt, con-

(*l*) II. Animad. 4. (*) Diſſ. de Uteri Scirrho n. 18. (*m*) l. 4. S. 2. (*n*) Obſ. 6. §. 1. (*o*) Ibid. §. 5.
(*p*) Act N C. Tom. 2. Obſ. 106. (*q*) De recond Abſceſſ. nat. l. 4. c. 5. (*r*) Sepulchr. S. 2. cit. Obſ. 17. §. 2.
(*ſ*) Ibid. Obſ. 15. in Append. ad §. 1. (*t*) Dei Bagni di Piſa.

contingerent, inæquali intus ſuperficie, ſed ſua undique membrana comprehenſæ. Veſica urinaria amplior, in longitudinem præſertim, ut duplo propemodum longior eſſet, quam ſoleat. Sed hæc, ut in biboſo, mira non ſunt. Ad Veneream autem luem num pertineret, an a primordiis ſic eſſet quod in Seminali caruncula animadverti, non facile dixerim. Sinus qui in illa eſt, orificium maximum erat ex omnibus quæ vidiſſe unquam memini, nec ſecundum longitudinem, ſed, quod in nemine conſpexi, in tranſverſum poſitum. Semen tamen, e veſiculis expreſſum, non per illud, ſed per bina oſcula, ut conſuevit, prodibat, quæ ab lateribus illius ſunt. Aortæ interior facies contra Cœliacæ oſtium non lævis erat, ut per ventrem alibi, imo duas ibi oſſeas ſquamulas oſtendebat. In Thorace quoque eadem Magna arteria nonnullis locis idem intus vitium fovebat; ſed prope valvulas præſertim ſuas, quarum duæ oſſe non carebant. Supra ipſas autem; quanquam cor erat mediocre; major Valſalvæ ſinus æquo erat latior. Sed hæc a morbo. Ab natura vero id quod non videor alias vidiſſe. Subclavia vena dextera ex duabus conſtabat quæ in Axillari jam incipientes, non ante in unam confluebant quam ad oſtium acceſſiſſent Jugularis Internæ, & inſula fieret longa digitos tranſverſos quinque. Erant autem duæ illæ quæ inſulam comprehendebant, venæ pari ambæ craſſitudine; & a ſiniſtris in Axillari vena erat inſula multo brevior, quippe non longa digitos duos, imparibuſque comprehenſa venis, altera videlicet multo quam altera, tenuiore. Priuſquam de Capite dicam, aliquot ſunt interjicienda, quorum alia omittere hic nolo, alia autem nequeo. Cum pinguedo in abdomine, & intra abdomen non pauca eſſet; in cervice, dorſo, lumbis non erat quidem ita multa; ſed muſculorum ſuperficiei, & faſciculorum ex quibus ipſi compinguntur, adeo præter ſolitum adhærebat, imo affixa erat, ut Proſectoribus moleſtiæ eſſet non levi. Ubi ad Artus inferiores ventum eſt; in eo qui ſanus erat, mihi accidit quod raro, ut Poſteriorem nervum Cruralem immiſſo, ut ſolitus ſum, cultri manubrio aut manu inter duos ramos in quos denique ad poplitem videtur dividi, non poſſem, ſurſum verſus tendendo, confirmare, non unum eſſe, ſed ex duobus fieri, per totum femor, imo interdum ſupra quoque, cohærentibus quidem, ſed revera in unum minime coaleſcentibus.

Cum vero, id quod in eorum ſingulis, aut certe in craſſiore facere conſuevi, ſecundum longitudinem inciderem, ut parallelas, ex quibus conſtat, fibras demonſtrarem; miratus ſum tantum inter has pinguedinis interjectum conſpicere, ut hujus plus quam fibrarum, continere ubique videretur. Etſi enim plurimi ſunt anni ex quo in cadaveribus non prorſus macilentis interjici iis fibris manifeſtam pinguedinem haud raro animadverti contra ac creditur ab iis præſertim quibus nervos placet cum intentis fidibus comparare; attamen ea quæ tunc vidi, copia interjici, nunquam antea conſpexeram, nec in mentem venerat, poſſe, ut facile intelligis, ſi pinguedinis loco aliud quod præter naturam ſit, aliquando huc conjiciatur, eos naſci morbos quos obſtructis, aut aliter vitiatis ipſis nerveis fibris imputant. Sanus tamen, ut dixi, is artus erat. Alter vero quo homo claudicabat, ſic attractus erat, ut quacunque manuum vi adhibita extendi crus non poſſet. Neque potuit ſatis extendi; etſi tunc aliquanto facilius extendebatur; cum Flexorum muſculorum tendines, qui ad poplitem valde contenti erant, in tranſverſum diſſecti ſunt. Quorum muſculorum, ut neque Extenſorum, color fuit, ut cæterorum ſane fuerat, rubens; ſed fuſcus, & obſoletus. Quin etiam perpaucæ mucilaginis quæ in genu illo erat, color ab naturali diſcrepabat, & Mucilaginoſa major glandula, albæ inſtar, ſubduræque pinguedinis apparebat. Sed hæc fere omnia a motuum ceſſatione illorum muſculorum, ejuſque juncturæ deducenda eſſe videbantur. Caput denique ſecando, Temporalem quidem muſculum qui ab ictu contuſus fuerat, tumidum, nigrumque conſpexi ob remorantem in eo ſanguinem, interioremque ſtructuram laxantem. Cranium vero neque ibi, neque alibi ulla fractura, fiſſurave, & ne depreſſione quidem læſum offendi. Vaſa autem per Tenuem meningem repentia nigro ſanguine paſſim turgidiſſima occurrerunt, cujus ſupra eam meningem effuſi grumus non mediocris conſpiciebatur. Hujus igitur, & concuſſionis cerebri mors illa tam cita effectus fuit.

3. Hiſtoriam hanc aliis addes quas ſub initium ſcripſimus Epiſtolarum LI. & LII. cranium pariter ab ictibus illæſum, at non ea quæ cranio ſubſunt; oſtendentes; quamquam in illarum nulla tam cita mors ſecuta eſt. Nunc accipe quam adjicias alteri in proxima Epiſtola LIII. deſcriptæ (*a*). Secunda enim eſt in qua nobis ſe ſe obtulit cordis vulnus. Sic a præcipuo viſcere cerebro ad alterum viſcus præcipuum cor, & a celeris mortis caſu ad celerrimæ exemplum tranſibimus.

4. SUTORI annorum circiter quadraginta per ſcalas aſcendenti inimicus deſcendens obviam venit, cultrumque in pectus defixit, & continuo aufugit. Ille vero ſe vulneratum eſſe, clamans, & cultrum e vulnere extrahens, tam cito ibidem mortuus eſt, ut qui de proximo accerſiti, confeſtim accurrerant, vivum invenire non potuerint. CADAVER Studioſa Juventus non difficile obtinuit, & ad me, in Gymnaſio tunc Anatomen docentem, menſe videlicet Januario A. 1753. afferendum curavit. Magnum erat, ſanoque habitu, ut niſi aliquanto pinguius eſſet, quam vellemus, melius ad obſervandum, demonſtrandumque optari non poſſet. Quorum utrumque factum a nobis eſt accurate: quanquam hic nihil præter ea quæ ad vulnus, & ictus in cadendo attinent, memorabimus. Igitur vulnus perbrevi intervallo ab ſterni ſiniſtro latere inter cartilagines tertiæ, & quartæ coſtæ inflictum, exterius vix longius erat ſemuncia pedis Bononienſis, inde autem per mediaſtinum, & pericardium ad dexterum ventriculum cordis pervenerat, ejuſque parietem ſepto proximum, media fere inter baſim, & cuſpidem ſede, pervaſerat, non longius ibi lineis tribus. Itaque pericardium nigro ſanguine grumoſo diſtentum invenerамus, mediaſtini autem anteriorem partem, qua vulnus tranſierat, & ſupra, infraque ad non brevem tractum a ſanguine nigricantem, & quaſi turgidam; nihil autem ſanguinis, in ventriculis cordis, ejuſque auriculis. Neque intra thoracem quidquam præterea læſum fuerat. Exterius autem in ſummo dorſo contuſionis veſtigia quæ a cute in pinguedinem uſque ſe extendebant, Rotundis utriuſque ſcapulæ muſculis interjectam. Capitis etiam integumenta contuſionis ſigna in fronte ſervabant, credo inter cadendum relatæ, ſicuti mortuum credo in ſcalis (in quarum gradus, ſurgere conatus, iterum cecidiſſet) ita denique jacuiſſe, ut in caput proclivius ſanguini fuerit, quam in oppoſitam partem, defluere: certe quæ infra cor erant, vaſa mediocrem ſanguinis copiam, at quæ ſupra, plurimum continebant. Itaque cerebri ſuperficies rubebat a diſtentis ſanguine vaſis quæ per Tenuem meningem ducuntur, eorumque ramuſculis non ſecus ac ſi rubens materia fuiſſet injecta. Nec minus plena vaſa illa vidi, quæ intra medullarem ſubſtantiam apparent alias filorum inſtar; hic enim cavos eſſe tubulos, manifeſtum omnibus fuit.

5. Si vulnus hoc cordis cum eo contuleris quod tibi Epiſtola LIII. (*b*) ex Valſalvæ obſervatione deſcripſimus, utrumque autem in ejuſdem, nempe dexteri ventriculi caveam, nec

(*a*) n. 26. (*b*) n. 3.

nec multo diſpari in ejus pariete aperta rima perveniſſe, animadverteris; miraberis fortaſſe, ab illo hominem octavo denique die, ab hoc vero tam cito fuiſſe interemptum; præſertim cum per illud tanta ſanguinis copia in thoracem & ventrem effuſa videretur. Verum ob illam ipſam non modo extra cor, ſed etiam extra pericardium defluentis ſanguinis effuſionem, cum hic non potuerit, ut in noſtra Obſervatione inter pericardium, & cor ſubſiſtere, illudque diſtendere, hoc premere, diſcrimen id extitiſſe, facile, ut opinor, exiſtimabis. Quod ſi facias; ex utriuſque hujus Obſervationis comparatione habebis unde illud confirmes quod alibi (*c*) inter cæteras cauſas poſuimus, cur multo minor inter pericardium, quam plerifque aliis in locis, hæmorrhagia longe citius interitum afferat.

6. Dixi, quam plerifque aliis in locis, & dixi item inter cæteras cauſas, non ignorans, quam celeriter vel paucus intra cranium ſanguis, aut plurimus, ſed vel in ventrem ipſum effuſus, homines ſoleat conficere; ut puta a liene diſrupto, id quod ex pluribus cognoſces earum Obſervationum, quas, ut perlegeres, tibi, cum de Ictibus Ventris ſcriberem (*d*) indicavi. Quas inter ſi forte deeſſent (neque enim rurſus vacat ſingula inquirere) quæ a Michaele Vanſelowio (*e*), aut ab J. Valentino Scheidio (*f*) propoſitæ ſunt; fac videas; vera a me dici, tanto magis intelliges.

7. Et harum quidem Obſervationum commemoratio me, ſi forte interea aut legendo, aut ſecando in alia incidiſſem ad ea quæ fuſe tunc ſcripſi, nunc adjicienda, opportune commonefaceret, ut hic adjicerem. Sed neque de illis, neque de Ulceribus cum in præſentia quidquam ſuppetat; ad ea tranſibo quæ ad juncturarum vitia pertinent, motui officientia. Nonnulla enim de his ſunt quæ poſt datam ad te Epiſtolam LVI. aut ipſe vidi, autem viſa ab aliis legi. Ad prima ſpectant hiſtoriæ hæ duæ.

8. SENEX erat Patavii, quem non ſine difficultate caput in latus inclinare potuiſſe, ab iis qui diu cum ipſo familiariter verſati fuerant, poſt diſſectionem accepimus. Is cum ex catarrho, ut ajebant, ineunte Martio A. 1755. in Noſocomio deceſſiſſet, nobis qui tunc ibi quædam, ad thoracis, & colli, & capitis anatomen pertinentia, oſtendebamus, hæc obſervandi occaſionem præbuit. THORAX in facie anteriore pulmonis dexteri hydatides exhibuit duas, majorem unam, minorem alteram. Capiti intra cranium aqua inerat, cujus pars aquæ in Lateralibus ventriculis ſupererat. Glandula Pinealis tenuis. Cum parvi muſculi qui anterius inter primam colli vertebram, & caput interjiciuntur, vix ac ne vix quidem apparerent, neque id mihi peſſimæ dumtaxat, id eſt laxiſſimæ, ut in cæteris quoque muſculis, conſtitutioni imputandum videretur; attentius inſpectans, & profundius inquirens, in illud incidi cujus potiſſimum cauſa hanc ſcribere volui Obſervationem. Scilicet non modo quod Columbo (*g*) occurrerat ſcribenti, *primam vertebram occipitio ita adhærentem hiſce oculis vidi, ut moveri neutiquam poſſet*, hic quoque erat; ſed præterea adhæſio a ſiniſtro præſertim anteriore latere ejuſmodi conſpiciebatur, ut unum idemque os eſſent tum ea vertebra, tum occipitium: idque a primordiis uſque fuiſſe, plura indicabant proxima conformationis vitia. Nam ſecunda vertebra corpus habebat, mitto cum tertia connatum; erat enim hic, quod inter primam, & occiput ibi ubi dixi, nullum prorſus erat, aliquod tamen antiquæ diviſionis veſtigium; corpus, inquam, habebat, & Dentem lateri capitis magis dextero, quam ſiniſtro, propinqua, Dentem autem ipſum breviorem, proceſſus vero qui Obliqui Superiores dicuntur, tota illa facie qua Inferiores primæ vertebræ proceſſus excipiebant, qui hic officio condylorum occipitis fungebantur, nequaquam inter ſe pares; quippe dexterum ſiniſtro tum arctiorem, tum altiorem, tum antrorſum magis quam retrorſum vergentem. Sunt & alia, quæ tanto libentius brevitatis cauſa prætereo, quod oſſa hæc poteris, cum Patavium veneris, apud me inſpicere. Sed quæ, ut erant, ſervare non potui, ligamenta deſcribere non omittam. Tranſverſum, ut vocant, quidquid erat Dentis a tergo complectebatur, ima parte excepta, unde Lateralia longiora, quam ſolent, & tenuiora, præſertim dexterum, oriebantur. A ſiniſtro tamen quaſi ſummo Dentis latere perbreve quoddam proficiſcebatur, & craſſius.

9. Sed ligamentorum quæ modo dicebam, vitia alia, quamvis non ut hæc, a primordiis repetenda viderentur, memineris ſuperioribus unis, atque alteris Litteris (*h*) fuiſſe propoſita. Multo autem magis memineris, quia ſæpius factum eſt, cum de Claudicatione eſſet injecta mentio, ut inter cæteras cauſas deſcripta ſint vitia in ea junctura quæ inter femoris caput, & Innominati oſſis acetabulum intercedit. Huc ſequens ſpectabit hiſtoria, peculiaria quædam habens, quæ in ſcriptis alias non legiſti.

10. MULIER annos nata ſeptem & ſeptuaginta, in lucem edita fuerat, & vixerat ſana, filium quoque feliciter pepererat. Secundo autem partu qui difficillimus fuit, enixa filiam (quæ hæc narravit) doloribus ad iſchiadicam regionem dexteram corripi cœpit, & claudicare. Hæc mala neque ars ullis remediis, neque natura, etſi tertius, quartuſque partus felix fuit, tollere unquam, aut minuere potuerunt: quin ſæpe etiam cadebat, quod pondus corporis ſatis firme artus dexter non ferret. Denique in Noſocomium propter paupertatem magis quam ob morbum, admiſſa, ibi annum, & menſes aliquot fere ſemper cubuit propterea quia ſi ſurgere conaretur, dolores exaſperabantur. Appetitu alimentorum vigente, viribus autem paulatim deficientibus, & ſubinde deſipere viſa, tandem ſenſim mortua eſt ſub initium A. 1754. CADAVERIS macilenti partes quædam non inutiles nobis fuerunt, tunc ibi plura, & varia recognoſcentibus, & demonſtrantibus.

Cerebrum enim, cerebellum, medulla Oblongata ſic ſatis firma fuerunt; nam etſi Lateralibus ventriculis aquæ limpidæ mediocris copia inerat; plexus tamen Choroides rubebant, nec Tenuis meninx detrahentem facile ſequebatur, duo fere indicia, non diu aquam illam intra cranium fuiſſe.

Uterum quoque tametſi inclinatum vidi in eandem partem in quam anicula hæc claudicaverat, & ovariis ſtipatum maxime contractis; ad reliqua tamen oſtendenda fuit idoneus, & inter cætera ad monendos Studioſos Adoleſcentes, ne propter illud quod in I. Adverſariis (*i*), vaccini, & muliebris uterini oſculi ſitum comparans, olim ſcripſeram, negare me, crederent, illius oſculi, ſecundum naturam in muliere ſe habentis, coronam aliquanto; etſi non ſemper quanto Euſtachii Icones (*k*) collatæ inter ſe indicant; ab anterioribus magis, quam a poſterioribus, deſcendere. Femoris dexteri juncturam cum acetabulo noviſſime examinavi: & cum vitium haud leve, ob eam ſedem extrorſum in latus deformiter protuberantem, me deprehenſurum, exiſtimarem; non unum, ſed plura, mox inſtituta diſſectione, deprehendi, qua, ut facilius eſſet, certiuſque ex comparatione judicium; utriuſque femoris ſuperiorem partem, & oſſis utriuſque Innominati inferiorem primum reteximus. Innominatum igitur os dexterum, ſive exteriorem, ſive interiorem faciem inſpiceres, ampliore in latus gyro, quam ſiniſtrum, extendi videres, & craſſiores exterius pariete acetabulum comprehendere. Acetabulum autem hoc dextrum orificio erat majori, quam ſiniſtrum, nec flexili, ut illud ſupercilio quod vocant, ſed oſſeo: figuraque, & dimenſionibus, ut ſiniſtrum ſano, ſic ipſum ab naturæ norma alieno capiti femoris prorſus reſpondebat. Hujus enim capitis forma non hemiſphærii erat, ſed coni. Coni autem baſis externo quidem

(*c*) Epiſt. 26. n. 18. (*d*) Epiſt. 54. n. 5. (*e*) Diſp exhib. Hiſt. de Ruptura Lien. (*f*) Obſerv. Lienum diſrupt.
(*g*) De Re Anat l. 15. (*h*) Epiſt. 62. n. 11. & Epiſt. 63. n. 19. (*i*) n. 15. (*k*) Tab. 14. Fig. 3. & 4.

quidem in latere ad radices ipſas incipiebat trochanteris majoris, cum in latere interno non parvo intervallo diſtaret a minori trochantere. Erat igitur acetabuli dexteri figura eadem quæ cavi coni, profunditas autem ab exteriori quidem latere permagna, ut ibi duplo propemodum profundius eſſet, quam ſiniſtrum: glandulæ autem mucilaginoſæ, quæ in ſiniſtro major eſſe, quam ſoleat, & ex ſua fovea quaſi prominere videbatur, ejus, inquam, glandulæ, & foveæ vix, ac ne vix quidem in dextero quidquam erat. Sed & cartilaginea cruſta, quæ alba, & nitida a ſiniſtris tum acetabuli, tum capitis femoris ſuperficiem ſecundum naturam conveſtiebat, fuſca, & lurida a dextris conſpiciebatur, & præterea hic illic rubens. Quæ cum ſatis omnia, & ſimul quam flaccidum eſſet ligamentum quod teres vocant, capitis femoris dexteri, animadvertiſſem; tum caput idem ſerra, a vertice ad baſim per axem ducta, ſecari juſſi, ſectionemque in proximam quoque femoris partem produci, ut quid interius diſcriminis eſſet, cognoſcerem. Quod manifeſtiſſimum fuit. Nam etſi hæc, & illud firma ſua oſſea lamina undique obducta cernebantur; medulla tamen quam pars hæc femoris proxima, & quam caput intra cancellos continebat ſuos, cum in hoc ex albo ſubflava, ad aquoſam magis, quam ad oleoſam, ubi premeres inter digitos, naturam inclinaret; in parte illa femoris ad rubedinem magis, & ad oleoſam vergebat naturam. Denique cum femur utrumque inter ſe compararem; animadverſione digna viſa eſt ejus partis quæ, interjecto aliquanto intervallo, trochanteribus ſuberat, tum figura quæ a terete multum diſcrepans, ad anguloſam propius accedebat, tum incurvatio ad modum ſegmenti arcus ſua convexa parte anteriora ſpectantis: quæ incurvatio major tamen in ſiniſtro erat femore, quam in dextero; id quod facilius intelligeres, ſi dolores, & claudicatio eo tempore jam fuiſſent quo oſſa adhuc flexilia magis cederent corporis ponderi in illo artu quo puellula, ut magis firmo, & dolores minus movente, magis niti conſueviſſet.

11. Quid ergo eſt? Num filia non verum narrabat? an mater non ſine ſtructuræ vitiis quibuſdam ex iis quæ deſcripſimus, nata, modice jam ab initio, & juventute florens, claudicabat? Ubi autem ex difficillimo partu, unde aliis aliter claudicationem accidiſſe, a me alibi (*l*) memoratum eſt, nova cauſa ad ſtructuræ vitium acceſſit, tum vero acerbi dolores, & claudicatio manifeſtiſſima advenere? & mater, ut mulierum mos eſt, inde potius quaſi per infortunium, quam ab ortu ipſo, credi maluit ſuum morbum extitiſſe? Certe eas omnes, & ejuſmodi, quales deprehenſæ a nobis ſunt, mutationes in oſſibus contigiſſe adultæ mulieris, & duorum filiorum jam matris, non facile quiſpiam exiſtimabit, præſertim cum humorem illum quem acceſſiſſe, & iſchiadicos feciſſe dolores, arbitrari poſſit, ne ea quidem acrimonia fuiſſe præditum, animadvertet, quam in clauda altera, & ab iſchiade male habita muliere (*m*) ex eroſione cartilaginis, femoris caput obducentis, & ex ſanguinolenta acetabuli facie cognovi. Quam tamen hiſtoriam, ſi vis, relegito, & cum illa hanc conjungito, aut, ſi mavis, cum iis etiam in quibus ut in hac, ſimul claudicationem, ſimul uteri inclinationem propoſui (*n*).

12. Hactenus quæ ipſe vidi; nunc accipe nonnulla in quæ interea legendo incidi, ab aliis tum viſa, tum animadverſa de articulorum morbis ad Ankyloſim, ad Arthritidem, ad alia vitia pertinentibus; quæ in Obſervationibus aut modo, aut alias a me allatis, commemoratiſve attinguntur. Ne ad plures te rejiciam; unam illam quam Epiſtola quoque ſuperiore (*o*) laudavi, Reimari Diſſertationem (*p*) inſpicito. Quod ad Ankyloſim ſpectat, primum narrat (*q*) quid Londini Cl. Hunterus in femoris oſſe viderit non ita pridem fracto, ut mollis adhuc eſſet callus utrique extremo interjectus, propullulantes videlicet ab utroque horum oſſeas fibras, ſanguifera autem vaſcula ab oſſis meditullio evidenter profecta, indeque intra callum producta. Hinc animadvertit Reimarus, ſi forte oſſium, ad juncturam efficiendam inter ſe accedentium, cruſta lædatur, progerminare utrinque poſſe fibras, & vaſcula, & cum oppoſitis conjungi, ſicque ankyloſim, quam veram vocat, & inſanabilem, efficere. Sed quam in diſſecto pueri genu conſpexit (*r*) factam a connectente extremas oppoſitarum partium cartilagines quadam tela *qualis fere ab inflammatione in thorace, alibique naſci ſolet*, eam vero non modo ſanari, ſed accidere etiam poſſe, non dubitat, ut caſu a vi ſubito illata, ut puta in lapſu, extenſo, aut flexo rigido articulo, rumpatur ejuſmodi cohæſio, ſicque Meekrenii Obſervationem quandam feliciter explicat, non facile aliter intelligendam. Et tu fortaſſe eodem referendas exiſtimabis ſubitas quaſdam adventitiæ juncturarum inflexilitatis ſanationes per validam, a Chirurgis factam, ſubjecti membri flexionem, aut contra ſi extendi hoc per ſe non poſſit, extenſionem, eodemque etiam crepitum pertinere qui tunc audiatur, nempe ad telæ ejuſmodi jam ſatis firmæ, non ad alius partis diſruptionem. Quo magis optandum eſſet, extare ſigna ankyloſis factæ ab hac tela: quæ ſi vera habet vaſa non ſecus ac quædam earum telarum per quas pulmones cum pleura connectuntur; credibile eſt, ut ibi, ſic quoque intra articulum, veluti de oſſium fractorum extremis diximus, & vaſa, & fibræ, ſed hæ membraneæ, potuerint expullulare.

13. Quod vero ad alios attinet articulorum morbos, quam variæ Obſervationes in Diſſertatione eadem occurrant, cum in illa in qua laudatam a me dixi, Epiſtola preſſe quidem, at ſic ſatis indicaverim; hic ea tantummodo attingam quæ ad morbum ſpectant, ut Reimarus ipſe agnoſcit (*ſ*), *ſingularem*, nimirum ad globulos intus oſſeos, exterius cartilagineos quos ſicuti A. 1746. intra Vetulæ genu deprehenderam, tibi diligenter deſcripſi Epiſtola LVII. (*t*) In Anglia, ubi rarus adeo apud nos morbus, non infrequens eſt, ut *vulgo* etiam vocent *mures in genu*, plura ille vidit, audivitve, & legit ejuſdem exempla. Libere per caveam articuli ejus vagantur huc illuc iſta corpuſcula, ut vix in uno, quantum ſine diſſectione percipere licuit, *corpuſculum adhærere quaſi ligamento cuidam viſum ſit, ut per totam commiſſuram vagari non poſſet*. Per ſe, aut manu in eas articuli ſedes compelluntur, ubi motui non officiant, nec dolores creent. Quibus in ſedibus per remedia exterius adhibita, & circumjectas faſcias nonnunquam ſic retineri potuerunt, ut vel auxiliis ejuſmodi poſtea omiſſis, rurſus inde non exciderent. Sed alios motus impedimentum, aut, ſi movere conarentur, dolor coegit ad Chirurgos confugere, qui parietes articuli incidendo, illa eximerent, ſucceſſu alias felici, alias ob ea quæ eorum parietum inciſionibus ſupervenire poſſe, atque adeo non ſemel ſuperveniſſe, diligens Auctor (*u*) adnotavit, ſane funeſto. De corpuſculorum autem illorum origine, etſi duo exempla profert, unde videri poſſit, fruſtula eſſe quæ vi illata ab oſſium extremis diſcerpta fuerint; tamen cum undique *cartilagine æquali veſtita* ſpectentur, nec morbum ſemper vis extrinſecus illata præceſſerit; nihil definiri ab ſe poſſe, prudenter fatetur ante ulterius exemplorum complurium examen. Itaque me non pœnitet quid non modo ipſe, verum etiam Illuſtris ejus Præceptor Hallerus olim viderimus, ad te ſcripſiſſe. Fugit enim, ut fit, Eruditiſſimum Reimarum, negantem, in alio ac genu articulo ſibi nota eſſe hujus morbi exempla; fugit, inquam, Halleri Obſervatio, qui morbum hunc in articulo maxillæ offendit, offenditque ſimul ibi cartilagines ex parte abſumptas: quarum & ego nonnullas tunc vidi ſulcatas, extenuataſque, nec tamen quantum ad multo pauciora quam ego invenerim, efficienda corpuſcula ſatis eſſe potuiſſet; erant enim non viginti, ſicut in Halleri Obſervatione, ſed plura, & in iis non deerant quinque ea magnitudine, ut mediocres fere æquarent uvarum acinos:

(*l*) Epiſt. 48. n. 32. (*m*) Epiſt. 57. n. 2. (*n*) Epiſt. 48. n. 32. & ſeqq. (*o*) n. 4. (*p*) De Fungo Articulor. (*q*) §. 61. (*r*) §. 45. (*ſ*) §. 54. & ſeqq. (*t*) n. 14. (*u*) §. 26. & ſeqq.

acinos: erantque omnia quæ uterque invenimus, globulorum forma; cum Reimarus non niſi unum meminoret, aut, ſummum, duo, nec de magnitudine aut figura quidquam indicet, niſi unum fuiſſe *mole circiter phaſeolum æquans*. Mihi autem peculiariter accidit, ut non omnia cartilagineo cortice induta, ſed plura invenerim omnino oſſea; at ſoluta nulla, ſed omnia cartilaginibus, vel potius mucilaginoſis glandulis continuata deprehendi: quanquam non difficile fieri poſſe, intellexi (*x*), ut in genu agitationibus inde aliqua avellerentur. Hæc igitur, quæ non repetendi, ſed comparandi cauſa a me dicta ſunt, vide num Reimari exemplis adjuncta, inſervire poſſint ad nonnullas de origine morbi iſtius conjecturas vel excogitandas, vel confirmandas, vel interea ſeponendas.

14. Neque hic omittenda eſt illa quam laudatus idem Vir perpaucis verbis indicat (*y*), cum Cel. Gaubio habita Obſervatio; ad articulorum enim morbos; imo ad eum qui ab articulis nominatur, Arthritidem ſpectat. Scilicet in viro qui, cum podagra laboraſſet, hac ceſſante aſthmaticus obierat, hic illic intra pulmones *materiam* deprehenderunt *albam, quibuſdam partibus ſatis ſpiſſam & gypſeam naturam referentem*. Quod tu legens, eorum facile recordaberis, quæ de arthritica materia ad te ſcripſimus (*z*), ſive cum articulos deſerens, in alias partes incumbit, ſive contra cum opportune e corpore eliminatur, ut per inteſtina, quemadmodum Albertinum vidiſſe, retulimus, *quaſi ex calce* eſſet, *aut gypſo recens coagmentato*, aut per lotii vias, cujuſmodi præclaram hiſtoriam habes, ab Regia Scientiarum Academia Pariſienſi (*a*) editam, viri quem levibus arthriticis inſultibus per intervalla tentari incipientem, ab eorum reditu, multo, ut credibile eſt, graviore futuro, liberum fecerunt urinæ, quas per novem circiter menſes lacteas reddidit, ſubſidente mox argillacea materia quæ intra unam, aut alteram horam ad gypſi perveniebat duritiem. At ſi non exeat, in articulos autem irruere nequeat, aut non pergat irruere; quam funeſta inferat mala, ut tunc exemplo oſtendimus (*b*) Eminentiſſimi Cardinalis Cornelii, ſic confirmare nunc poſſemus Ampliſſimi alterius Cardinalis, atque adeo Aug. Imperatoris Caroli VII. exemplis, a Cl. Jo. Godofr. de Hahn (*c*) propoſitis, niſi ſtatutum a nobis eſſet in aliis hic arthriticorum hiſtoriis non immorari; ſed de longe alio morbi genere aliquid adjicere. At tu nihilominus utrumque Hahnii exemplum cum iis quæ de Cornelio Cardinali ſcripſimus, haud inutiliter comparabis; in primo enim illorum & conſtitutionem corporis, & ſuſpicionem ſaltem de bilariæ veſiculæ calculo; in altero inventum calculum renum; in utroque autem ſymptomata quædam ad thoracem, caputque attinentia reperies, quæ in Cardinalis quoque noſtri caſu potes animadvertere.

15. Cum de Lue Venerea Epiſtolam ad te dedi LVIII. facile memineris, me eo pauciores in illa Obſervationes ſcripſiſſe, quod plures quas initio ibidem (*d*) ſingillatim indicavi, in aliis ſæpe Litteris miſeram occaſione variorum morborum quibuſcum ea lues conjungebatur. Ad illas nunc alias addes, & præſertim quam, de Aphonia ſcribens (*e*) ad vitia ſimul, a virulenta gonorrhœa virili urethræ illata, pertinentem non omiſi. In fœmineis autem genitalibus quæ mala ab lue illa producta viderit Cl. Roedererus, ex ejus Diſſertatione de Uteri Scirrho (*f*) quæ, cum primum ſcripſi, necdum prodierat, & ex mea hac quam eo tempore nondum habueram, Obſervatione quæ mihi ſe obtulerint, cognoſces.

16. MULIEREM conſiſtente ætate, crurum œdemate, quod poſtea abierat, correptam fuiſſe, conſtabat; quis autem potiſſimum occidiſſet morbus, ignorabatur. Sed lue Venerea laboraſſe, dubium non erat. Nos, cum ad alia quæ ſecundum naturam eſſent, examinanda, & oſtendenda illius cadaver ante medium Martium A. 1754. in Noſocomio incideretur; hæc quæ ab naturæ modo aliena eſſent, adnotavimus. THORAX quidem nonnihil aquæ; Cranium vero, & cerebri ventriculi, & Spinæ cavum plus habuerunt. Venter autem uterum exhibuit in ſiniſtram partem valde inclinatum. Ab eademque parte nullum prorſus ovarii, nullum finis tubæ veſtigium perattente inquirenti mihi licuit deprehendere. Tuba enim, quantum videre potui, non cava, ſed ſolida, vix ab utero tractum digitorum tranſverſorum emenſa erat trium, cum ibi repente deſinebat; neque indicium læſionis, corruptionis cicatricis ullum vel minimum illic, aut in vicinia apparebat; ut a primordiis uſque ſe ita res habuiſſe videretur. A dextris tuba finem quidem ad ovarium habebat; ſed ita cum hoc concretum, ut neque illius fimbriæ ullæ apparerent, neque ovarium, non exciſa quæ ſuper accreverat, tuba, poſſet in conſpectum venire, parvum præſertim, ut erat. Ex ſubalba conſtabat ſubſtantia, quæ inciſa, albido humore intus madens, albidoſque nonnullos concludens globulos conſpecta eſt. Uterus, dum una cum vagina, & veſica, quæ erat maxima, & lotio diſtenta, Rectoque inteſtino detraheretur, ſimul magna præter morem, in non pingui præſertim muliere, pinguedinis copia animadverſa eſt inteſtino illi circumjecta, ſimul grave olens ichor, aquæ ſimilis in qua caro recens lota eſt, e pudendo, & podice exibat. Uterini autem fundi interior facies tota uda erat humore lento colore ſubflavo fuſco, & obſoleto, per quem rubentia puncta, & lineolæ tranſpiciebantur, quæ appreſſis ſubtus digitis creſcebant, ab expreſſo videlicet ſanguine. In cervice, & oſculo nihil erat adnotatione dignum. Sed lurida intus, & fuſca vagina univerſa in medio poſteriore pariete, aliquanto propius imo orificio, quam uteri oſculo, foramen habebat forma circuli, cujus diameter duos tranſverſos æquabat digitos, oris comprehenſum nigris, & peſſime olentibus. Id foramen in Rectum inteſtinum patebat.

17. De Morbis a Veneno inductis, ad quos Epiſtola ſpectabat LIX. nihil habeo quod huc addam. Nam etſi non vulgaris fama laudes interea ad me pertulit, quas adverſus tum viperæ, tum rabidi canis morſus antidotus conſecuta eſt, a Spectato Medico quem tibi alias merito laudavi, adinventa, Joanne Larber; tamen cum certior factus ſim, Diſſertationem a Clariſſ. eodem Viro nunc ſcribi, qua ſua per eandem antidotum non ſolum in canibus experimenta, ſed in hominibus quoque feliciſſima curationum exempla complectitur; ad eam malo te rejicere, unde omnia plene, diſtincteque cognoſcas, quam pauca ipſe, eaque imperfecte, indicare. Illam igitur propediem, ut ſpero, prodituram expectabis. Vale.

EPI-

(*x*) n. 15. (*y*) in notula *a* ad §. 40. (*z*) Epiſt. 57. n. 9. (*a*) Hiſt. A. 1747. Obſ. Anat. 3. (*b*) Epiſt. 57. n. 10. (*c*) Hiſt. Podagræ & cæt. ad finem. (*d*) n. 2. (*e*) Epiſt. 63. n. 13. (*f*) n. 18.

EPISTOLA ANATOMICO-MEDICA LXX.

Pertinet ad promiſſa in extrema Epiſtola LXVI. ſimulque ad quoſdam Ventris, & Thoracis Morbos.

Quod de abſolutis hac etiam hyeme Diſſectionibus, & Exercitationibus gratularis; agnoſco benevolentiam erga me tuam. At ſimul ſentio quo præterea ſpectet iſta gratulatio, nempe ut admoneat quid in extrema Epiſtola promiſerim LXVI. me poſtquam illas abſolviſſem, eſſe facturum. Æquum poſtulas, neque committam, ut flagites. Quin continuo promiſſi mei ſummam non complebo ſolum, verum etiam cumulabo. Hiſtorias enim ſingulorum quæ poſt illam ad te miſſam Epiſtolam ſunt a me inſpecta, cadaverum, quales eæ cunque ſint, perſcribam; quanquam aliqua per ſe digna eſt quæ ſcribatur; ſic ulteriorum in illa Uvula perquirenda ſectionum quis exitus fuerit, cognoſces.

2. Quinque omnino fuerunt cadavera hac hyeme diſſecta, Exercitatis Proſectoribus, nedum Juvenibus Studioſis quos Anatomen docerem, frequentiſſimis, inſpicientibus. Primum in Noſocomio ſectum eſt ante medium Decembrem A. 1759.

3. MULIERIS hernioſæ, & ob hoc ipſum inflammatione inteſtinorum ſublatæ, cum viſcera pleraque detraxiſſent, ut partes ex reliquo corpore ſumerent, quas ad anatomica elementa, ut mihi mos eſt, demonſtranda appararent; nihil niſi Caput, & Genitalia, ipſe examinavi. CEREBRUM, etſi firmum erat, imo duriuſculum; tamen intra Laterales ventriculos Choroidum plexuum eam ipſam partem qua ſe ad angulum ſurſum reflectunt, ut Thalamos operiant nervorum Opticorum, obſeſſam utrinque habebant acervo quodam quaſi muci, cinerei obſoleti coloris, in ſphæroidis figuram conformati, tranſverſi digiti craſſitudine. Nihil autem erat aliud, niſi hydatidum acervus, quæ ei potiſſimum plexuum parti, quantumvis non ea copia, haud raro ſolent inſidere. In Genitalibus quidquam non fuit quod adnotatione dignum eſſet. Itaque annexam urinariam veſicam, quæ in ſe contracta erat, urethramque perſecui. Et in facie quidem illius interiore priuſquam ad orificium propius accederet, duas præter naturam exſtantes parvas, ſubrotundas, depreſſas, ſubrubras, læves quaſi glandulas conſpeximus; ad ipſum autem orificium, aut intra hoc nihil prorſus videre potuimus quod vel leviter promineret. Atque ut intelligas, quam attente, & diligenter quæſiverim; meos oculos lineola quædam inſolita non fugit, quæ per interiorem, poſterioremque urethræ ſuperficiem ad tractum pro urethræ brevitate non modicum recta ſecundum longitudinem deſcendebat, & medio in curſu nonnihil latior fiebat. Sed ea lineola non niſi infra urethræ initium ipſa incipiebat, humiliſque adeo erat, ut inter nigricantia illa quæ ſæpius per urethram muliebrem parallela deſcendere videmus ſanguifera vaſcula, percipi vix poſſet: quæ humilitas, & ſedes num ad eam pertinere poſſit quæ nobis deſcripta eſt, Uvulam, etiam tacente me, intelligis.

4. Secundum cadaver, ſub initium A. 1760. ibidem inciſum, plura quæ adnotarentur, digna obtulit: quamobrem mea quoque longior erit deſcriptio.

5. BAJULUS annos natus ad quinquaginta, bibaciſſimus, & hinc ſæpe ebrius, multi quoque cibi, nec tamen pravi, non modo non erat valetudinarius, ſed hactenus ſanus, ut ab ſociis ob ea quæ dicentur, ſedulo interrogatis, nihil aliud ſciri potuerit, niſi identidem de quadam moleſtia queri conſueviſſe, cujus ſedem manu epigaſtrio impoſita ad cordis ſcrobiculum deſignabat. Is igitur cum tres ante menſes in Noſocomium veniſſet propter febrem Tertianam continuam; hac ceſſante, obnoxius fieri cœpit alimentorum vomitionibus: quæ tempore aliquo intermiſſo, redierunt iterum, nec poſtea ad vitæ uſque finem deſierunt. Itaque etſi nihil unquam, niſi quæ ſumeret, eaque ſine ullo malo ſapore, aut odore evomebat, uno excepto generoſo vino quod *moſcatum* vocant, præter quod, cardiaci remedii loco datum, nihil quidquam toto ultimo vitæ menſe potuit, unde viveret, retinere; tamen ob id ipſum macie ſumma, & febre iterum, ſed lenta, preſſus, ad finem properabat ſuum, non de ventris tumore ullo, aut dolore in Noſocomio unquam conqueſtus, neque pulſibus, præter aliquam nonnunquam intermiſſionem, quidquam oſtendentibus quod peculiariter diſpliceret. Vana omnia fuerunt intrinſecus, aut extrinſecus ad vomitiones compeſcendas adhibita. Quin argentum ipſum vivum, quod uno circiter ante obitum menſe, cum alvus minime reſpondens Iliacæ paſſionis metum incuteret, trium unciarum pondere datum fuerat, neque profuit, neque poſtea cum clyſteres dejicerentur, a quoquam viſum eſt; quanquam famuli cum alvus poſtea nonnihil reddere incepiſſet, cum fæcibus exiiſſe, crediderunt. MORTUI denique cadaver cum inſpicerem, ad eam maciem redactum vidi, ut in dorſo manuum, & pedum metacarpi, & metatarſi oſſa præclare poſſent demoſtrari, oculi autem ob pinguedinis a tergo defectum, mire introrſum retracti eſſent, ſani tamen, etſi ab lobulo ſiniſtræ auriculæ tenuis annulus ex oricalcho pendebat, indicium, ut ſæpius ſolet, morbi in proximo oculo olim prægreſſi. Cum forte os hiaret; paucos ſupereſſe dentes, animadverti. Hæc exterius; incidendo autem, in Ventre, Thorace, Capite ea deprehendi, quæ, ab hoc initium ducens, accurate deſcribam. Cerebrum diſſecans, in Lateralibus ventriculis aquæ aliquantum, in plexibus autem Choroidibus eo ipſo loco ubi in ſuperiore cadavere plurimas, unam ſaltem hydatidem vidi, ſed majuſculam, quæ mucum pariter a primo mentiebatur: tum Pinealem glandulam exiguam, ſed non exiguum pro ea parvitate corpuſculum intus habentem, abnormi figura, durum, non friabile, colore ſubflavo obſoleto. Spinalis medulla; nam hanc quoque, & nobiliores quoſque nervos ſuis in ſedibus, ut ſolitus ſum, oſtendebam Diſcipulis; valde erat laxa. In Thorace cor vidi ſine ulla, ut expectabam, pinguedine; ſed, quod non expectabam in viro præſertim cujus procera potius erat ſtatura, & vita in laboribus attollendi, & ferendi onera ſemper fuerat, cordis eam parvitatem offendi quam in adultis unquam conſpexiſſe non memini; pueri enim cor videbatur, non viri, & omnibus quidem dimenſionibus, & his, proportione, reſpondente parietum tenuitate. Cæterum præter venas quæ in cordis ſuperficie alicubi erant varicoſæ, nihil extra, nihil intus vitii occurrit, ut neque in Aortæ valvulis, cujus tamen truncus videbatur eſſe dilatatus. Antequam de Ventre dico, omittere hic nequeo, diaphragma in centri ſui, ut vocant, nervei parte dextera factum fuiſſe oſſeum, aut certe ibi inter pleuram, & peritonæum oſſeam laminam fuiſſe non adeo tenuem, ſeſquidigitum tranſverſum longam, ſed anguſtam quodam præſertim prope alterum extremum loco; ad extremum autem alterum quo magis accedit, eo latior fit, ſed nuſquam latitudinem ſuperat apicis digiti minimi; aſſervavi enim, & cum hæc ſcriberem, ſub oculis habebam. Venter denique, ſi inteſtina, & ventriculum præſertim, excipias, nihil ferme habuit quod non eſſet intra naturæ modum. Inteſtina hic illic erant livida macula diſtincta; mitto id quod ex narrata diuturna rejectione alimentorum conſequitur, præter ſolitum tenuiora, Craſſa quoque; ſed hæc ad breviores tantum tractus, nec ſine recrementis, ſed perpaucis. At ventriculus inſolita in ſede, & mira longitudine, atque inflexione ſpectaculum nobis præbuit inuſitatum. Incipiens enim unde ſolet (neque enim hic œſophagi quidquam in ventrem deſcenderat) per ſiniſtrum ventris latus recta ad pubis uſque os ſe extendebat, inde autem ſe reflectens ſurſum, ac dextrorſum, in Duodenum inteſtinum deſinebat. Lati-

Latitudine erat mediocri: nec aliud quam albam quandam, & tenuem quaſi pulticulam continebat, alimentorum, ut opinor, quorum partes quædam nonnunquam reſtitiſſent, reliquias. Nihilne igitur, inquis, in ventriculo erat argenti vivi? fuiſſe, credo; ſed dum ventriculus dimoveretur, in Duodenum inteſtinum tranſiiſſe. In quo nimirum, paulo ante per injectum vinculum non multo infra pylorum conſtricto, ad ſeſcunciam repertum eſt; at nullum in reliquis inteſtinis, ſicut ii quibus inquirendi cura data fuerat, retulerunt. Sed hæc poſtea. Antea autem cum pylori ſedem exterius contrectando, duritiem percepiſſem; ventriculum aperiendo, pylori annulum videram in duas, treſve non magnas quidem, ſed duras, protuberantias quaſi diviſum. Dura erat etiam ventriculi pars pyloro proxima ad ſpatium bini tranſverſi digiti, craſſioribus factis ibi tunicis, & ad oſſeam duritiem accedentibus, non tamen revera oſſeis, neque eam partem coarctantibus, ſed quod flexiles minus eſſent, alimenta in Duodenum inteſtinum ſatis compellere non valentibus. Præter hæc, & levem in ventriculi interiore facie livorem, qui ab induratis illis tunicis ad brevem tractum extendebatur, nullum aliud vitium in eo viſcere animadverti.

Sanam autem exterius veſicam, & lotii non multum continentem, cum antea in ſua ſede ſpectaſſem, & nonnulla quæ hujus loci non ſunt, adnotaſſem; aperui, ſanamque interius pariter comperi, ut annexam quoque urethram. Sed nullam omnino ad orificium, unde hæc incipit, videre potuimus ſubrotundam protuberantiam, id eſt Uvulam; cum ubi hæc eſſe debuiſſet, lineola illa dumtaxat tenuis in conſpectum veniret, quæ, uti ſolet, in Seminalem carunculam deſinebat.

6 Quanquam alias incidiſſe non memini in ſepti Tranſverſi oſſificationem; cordis tamen illa tanta parvitas, & aliena adeo ab naturæ conſuetudine ventriculi ſedes meum longe magis animum perculerunt; non facile invenientem rationem qua utramque illarum cum iis conciliarem quæ in vivo tum fuerant, tum defuerant. Nam ſi ut cæteros muſculos, ita cor quoque in macie extrema imminui unquam vidiſſem; non quærerem certe quomodo ante maciem bajulo robur præſtare valuiſſet. Num igitur quod cor non poterat, ſupplebant arteriæ? Sed quomodo a corde, omitto ut carne, ita viribus minus valido, at propter parvitatem paucum ſanguinem, quem in eas contruderet, habente, urgeri earum parietes ſatis poterant, ut mox valentius ſe reſtituerent, illumque propellerent? Hæc tibi qui ingenio polles, diſpicienda libens relinquo, ut illud pariter quod ad iſtam attinet ventriculi ſedem. Nam aut a primordiis, aut a cauſa repetas, neceſſe eſt, quæ ejus viſceris attulerit prolapſum, cujus tibi alias (*a*) exempla memoravimus. Sed ſi hoc alterum malis; defuiſſe, mirum eſt, ſigna quæ novum hunc morbum inſolito dolore, aut tumore indicarent homini præſertim minime valetudinario. At ſi a primordiis uſque repetas; non minus eſſe mirum, intelligis, laborantis ventriculi indicia maniſeſtiſſima non modo nunquam fuiſſe, imo quantum viſcus id vigeret, ingeſtam aſſidue, & digeſtam non vini ſolum, ſed & ciborum, haud ſatis a perpaucis dentibus ſubactorum, tantam copiam oſtendiſſe, donec poſt febrem illam Tertianam vomitiones primum acceſſere. Nam quod ejuſmodi vivendi norma pylorum denique, & proximam ventriculi partem ita vitiaverit, ut inverti potius ventriculi motus, quam compelli alimenta in Duodenum inteſtinum debuerint, veri adeo ſimile eſt, ut ab illa viſceris ſede neque ut congenita, neque ut nova deducere vomitus opus ſit, qui ſi a congenita, ſemper fuiſſent; ſi ab nova, non ſine hujus recentis mutationis indiciis acceſſiſſent. Sed ſcribere præſtat quæ in tertio cadavere adnotaverim.

7. LANARIUS juvenis, aut certe non multo major, cum in Noſocomio triduum, an quatriduum decubuiſſet, inſtante jam tempore quo publice Anatome erat inchoanda anno hoc 1760. e vita deceſſerat. Itaque in Theatrum cadaver illatum eſt; quod qui aſpexerant, præter ſtaturam potius magnam, ex nitida cute, & bono, ut undique videbatur, habitu ad diſſectiones idoneum exiſtimaverant. VENTER cum brevi intumuiſſet, ac vivere cœpiſſet; quamvis ſuſpicarer quid mali in Lanarii corpore latere poſſet, nec mox deeſſet qui certiorem me faceret, hunc alias ſanguinem expectoraſſe; tamen dum melioris cadaveris copia fieret, ventris interea viſcera demonſtrare aggreſſus ſum: quibus circumfuſa quidem urinæ ſimilis aqua, nec pauca, erat; ſed vix ullus fœtor, & levis inteſtinorum livor animadvertebatur. Et ſane omentum macrum erat; ſed integrum: lien æquo major, nec paulo; ſed neque durus, neque laxus: cyſtis felleæ tunicæ craſſæ, & bilis pallidula; ſed jecur ſanum, & juſta magnitudine: meſenterii glandulæ juſto craſſiores; ſed non duræ. Nec in ventriculo, neque in ipſis, quamvis lividulis, ut dixi, inteſtinis vitii apparuit quidquam. Nam quod Colon in medio ferme ſuo illo tranſverſo infra ventriculum tractu umbilicum verſus deſcendebat, inde ſe ad hypochondrium ſiniſtrum reflectens; inter varietates potius hic viſum eſt, quam inter vitia referendum, ut illud certe; quanquam mihi antea non ſe obtulerat; quod arteria non tenuiſſima ab ſiniſtra Emulgente ad veſicam uſque urinariam ferebatur oblique adeo, ut in hujus poſteriorem faciem prope dexteram Seminalem veſiculam ſe insereret. An vero ad varietates ſolum ſpectarent nulli flexus in Splenica arteria, aut ſulci quidam pauci, qui per totam anteriorem utriuſque renis faciem oblique nullo certo ordine ducebantur, ipſe arbitraberis; certe renum ſtructuram, atque ſubſtantiam, aliarumque omnium, quæ urinæ cauſa creatæ ſunt, partium ſaniſſimam deprehendi. Neque tamen intra imam veſicam, neque intra ſupremam urethræ partem videre ego, autem eorum qui plurimi aderant, quiſquam potuit quidquam protuberans præter id quod in proximo ſuperiore cadavere dictum eſt. Sed in hoc Partem ullam aliam demonſtrare non perreximus; ad Thoracem enim fuiſſet tranſeundum, qui, ut ſuſpicati eramus, & qui antequam tumulo mandaretur, obiter inſpicere voluerunt, plane confirmarunt, pulmones continebat fracidos, & putridam, ac grave olentem, ex ipſis effuſam, materiam.

8. Cadaver quartum, & quintum utrumque mulierum fuit, quæ interea obierant in Noſocomio. Sed ex prima quædam tantummodo thoracis, & ventris in Gymnaſium allata ſunt viſcera. Ab ea incipiamus.

9. ANUS ex aſcite deceſſerat. CORDIS ſubſtantia erat pallida. Ren ſiniſter minor dextero, & ſuperficie ob leves perpaucos quaſi ſulcos nonnihil inæquali, nihil tamen intus habuit quod ab naturæ conſuetudine diſcreparet. Dum hæc inſpicerem, animadverti, pro una duas inter ſe proximas, atque adeo contiguas, ſed ſuo tamen ſingulas orificio præditas ex Aorta exiſtere arterias Cœliacas, duas quoque Spermaticas venas ab ſiniſtro Pampiniformi corpore in lateris ejuſdem venam Emulgentem redire, alteramque tum de binis illis arteriis, tum de binis hiſce venis eſſe altera minorem. Sed hæc a variante natura. Illud vero a morbo, quod in fundi uteri cavo exſtabat ad latus rotunda, alba, dura, modica excreſcentia. Aperta demum veſica urinaria, quæ omnino erat ſana, conſpexi quidem corpora illa duo quæ ab ureteribus deſcendunt, inter ſe non ad angulum, ſed per curvum in quod abibant, corpus æque ac ipſa, craſſum ac prominens convenire; at quidquam ab hoc mitti ad veſicæ orificium, quod digitum ſaltem tranſverſum ab eo diſtabat, videre non potui, multo autem minus ſubrotundam ullam protuberantiam toto illo intervallo, aut intra urethram exſtare.

10. VETULAM alteram pulmonis inflammatio, & ad hanc accedens alvi profluvium confecerant. Hujus cadaver, demptis omnibus, præter uterum, & veſicam urinariam, ventris viſceribus, in Theatrum illatum eſt. THORACIS aperti lateri dex-

(*a*) Epiſt. 39. n. 14. & ſeqq. & Epiſt. 65. n. 15.

dextero inferior pulmonis lobus arcte adhærebat, qui lobus valde amplificatus, & gravis, cum diſſectus eſſet, jecur elixum referebat. Cor quanto in Bajulo (*b*) minus fuerat, tanto ferme in hac muliere majus erat, cujus alioquin ſtatura mediocris. Nec vero erat majus quod ejus cavearum parietes extenuati, diſtractique conſpicerentur, imo erant, ſi non majori, at juſta ſaltem craſſitudine, eorum autem columnæ, lacertique, ut auricularum etiam, craſſiores; ut minus mirarer, quod cæteroquin alias vidiſſe non recordor, Coronarias arterias orificia habere diametro ſuperantia lineas duas Bononienſes, & quæ eorum alterius lateri erat proxima, Adipoſam puta, ne ipſam quidem minimo eſſe oſculo: in venæ autem Pulmonaris Sinu, præter oſcula plura mediocria, orificium patere vix paulo minus, quam fuiſſe dixi arteriarum Coronariarum, quod cum incidiſſem, confluere in ipſum vidi venulas duas treſve, ſanguinem ex Sinus parietibus reducentes. Ejuſmodi cor ventriculos habuit plenos polypoſis concretionibus. Magnæ autem arteriæ quantum thorace concludebatur, inſpiciens, unum modo locum animadverti ubi interior ejus facies non lævis eſſet, introrſumque promineret, ibique inter tunicas duritiem oſſeam, non majus occupantem ſpatium, quam quod unguis poſſet digiti pollicis operire. Erat is locus a dextris ubi Aorta finito jam arcu, recta deſcendere incipiebat. Simul in oculos incurrit quidpiam adnotatione non indignum. Nam inter arterias quæ binæ, & binæ ab Aortæ jam deſcendentis poſteriore pariete ad partitionem uſque ejus trunci egrediuntur, pro binis unam aliquando egredi, rarum non eſt. Verum hic infra arteriarum Intercoſtalium Inferiorum duo ſuprema paria, tria proxima deſiderabantur, uno ter continenter oſculo pro duobus in medio occurrente, eoque non cæteris majori, neque ſtatim, ut ſæpius cum unum eſt, ſolet, in gemina diviſo, imo ad tractum ſaltem tranſverſi digiti, quantum videlicet depoſitæ Aortæ adhærens relictum fuerat, in arteriam unicam producto. Sed viciſſim diaphragma (quando enim de varietatibus loqui cœpimus, hanc, quamvis non ita raro a nobis quidem & conſpectam, & oſtenſam, nolumus prætermittere) unius vice foraminis pro vena Cava in thoracem tranſmittenda, duo habuit, tenuiſſimo quidem interſtitio, ſed evidentiſſimo, diviſa. Venter denique in iis quæ relictæ in ipſo fuerant, infimis Partibus hæc exhibuit adnotanda. Ovarium utrumque, & præſertim dexterum, album, & grandius permulto quam conſuevit, & tuberoſum, ex tuberibus fiebat, ſive ex hydatidibus, quas inter majores erant aliquæ, præ cæteris aqua adeo diſtentæ, ut altiuſcule, ſi pungeres, proſiliret. Tuba utraque tamen ab illis erat omnino ſoluta. Uterini fundi inferior facies ex rubro nigricabat, nempe a ſanguine pluribus locis ſubſiſtente, quem ſi ut exprimeres, digitos exterius utero ſubjiciebas, præ laxitate facies illa interior lacerabatur. Quæ res, atque altera, a me in eodem cadavere animadverſa, & hic pro raritate non reticenda, nempe de duobus nervis (*c*), in quos manu dumtaxat interpoſita Cruralem Poſteriorem ad ventris pelvim uſque diviſeram, cum alterum, qui paulo erat ſocio craſſior, cultro in duas ſecundum longitudinem partes diſcidiſſem, vas inter ejus fibras, hiſque propemodum parallelum, nec procul ab nervi ejuſdem axe offendi, ſanguine plenum, cujus diameter vaſis Bononienſem lineam ferme æquabat; hæ igitur, ut dicere inciperam, duæ res ſuſpicionem incuſſerant ſanguinis, ut in vaſis pelvis, & quæ ad hanc pertinent, ſic in veſica quoque, & urethra adnexa ea fortaſſe copia reſtitantis, ut meæ ſolitæ officeret perquiſitioni. Sed utraque aperta, urethræ quidem internam tunicam a vaſculis illis confertis, & ſecundum longitudinem parallelis totam nigricantem inveni, ſed eo magis, quo magis ad imum orificium deſcendebat ſuum, quod laxum erat, & laxatam a dextris ejuſdem tunicæ particulam, ut in quibuſdam aliis vidi mulieribus (*d*), extrorſum prolabi ſinebat; urethræ tamen ſuperior pars præter colorem nihil habebat quod Obſervationi obſtaret noſtræ, veſica autem ne id quidem. Saniſſima enim erat, & corpora illa duo exſtantia oſtendebat ab ureteribus profecta, & ſic ſatis ad angulum convenientia qui tranſverſi digiti intervallo a veſicæ orificio diſtabat. Neque autem in hoc intervallo, neque in eo orificio, neque in proxima urethra ſubrotundum quidquam, & vel leviter protuberans meis, & mecum attente inſpectantium oculis ſe ſe obtulit, & ut verbo dicam, Uvulæ illius nec vola, nec veſtigium fuit.

11. Habes hujus meæ perquiſitionis exitum in veſicis quinque repetitæ, quarum nullam morbus, aut urinæ copia, aut injectus aer diſtenderat, ſi tertiam excipias, in quam tamen vix tantum aeris immiſſum fuerat, quantum eſſet ad ejus oſtendendam figuram ſatis. Nec plura hac hyeme cadavera diſſecuimus; ſed ex horum aliis alias partes quæ pro minus ſanis ſubſtituerentur, accepimus, & ſic noſtris totam complectentibus Rem Anatomicam Exercitationibus hoc quoque anno, qui ab ſuſcepto hoc graviſſimo illam tradendi Munere quinctus nobis fuit & quadrageſimus, finem haud infeliciter impoſuimus.

12. Quod reliquum eſt, ſi forte miraris, me in his Litteris conſuetudinem minus ſervaſſe meam, ad hiſtorias videlicet fere ſingulas aliquid, imo interdum plurima adnotandi, & contra, quas inter diſſecandum varietates animadverteram, vix paucas, nec ſæpe adeo diſſectionibus interjiciendi; quod ad primum attinet, ſic habeto, non feciſſe, tum quia cito quod pollicitus fueram, mittere placuit, tum quia de pleriſque ejuſdemmodi jam ſatis multa tot aliis Epiſtolis adnotaveram: quod vero ad alterum ſpectat, non tam feciſſe, ne Litterulæ hæ tibi forte viderentur eſſe breviores, quam quia ſpes jam incipit me deficere, tantum mihi adhuc vivendi tempus fore, ut ſeorſum in unum colligam quas omittebam, varietates, & complura item quibus eſſe locum inter morbidarum Partium deſcriptiones, identidem negabam, nempe obſervationibus quibuſdam meis, ad Anatomen earundem Partium ſecundum naturam pertinentibus. Utrumque igitur pro tua humanitate æqui bonique facies, & Valebis.

(*b*) ſupra, n. 5. (*c*) Vid. Epiſt. 69. n. 2. (*d*) Epiſt. 50. n. 51. & Epiſt. 56. n. 21.

FINIS TOMI SECUNDI.